

Vitus von Blifcher
med: doct:

MUNDI
MIRABILIS
ŒCONOMIA.


Qui noverit catenam connecten tem superiora inferioribus Mysteriorum maximum penetrabit Azaid Arabs.
SPE C ULA
Physico-Mathem: Historica,
Notab et Mirabil:
Sciendorum
Au thore
IOANNE ZAHN
Can Ord: Præmon:

SPECULA
PHYSICO-MATHEMATICO-HISTORICA
NOTABILIUM AC MIRABILIUM
SCIENDORUM,

IN QUA

MUNDI MIRABILIS ŒCONOMIA,

NEC NON

MIRIFICÈ AMPLUS, ET MAGNIFICUS EJUSDEM ABDITÈ
reconditus, nunc autem ad lucem protractus, ac ad varias perfacili
methodo acquirendas Scientias in Epitomen
collectus

THESAURUS

Curioſis omnibus Coſmoſophis inſpectandus proponitur.

Opus omnigena Eruditione, ac Rerum Memorabilium argumentis
conſpicuum, cuivis hominum ſtatui perutile: quo univerſæ
NATURÆ MAJESTAS in triplici
Mundo

COELESTI, AEREO, & TERRESTRI

Ob miros ex Optimorum in diverſis Sæculis illuſtrium Scriptorum monumentis
depromptos eventus, experimenta, caſus & effectus palàm, ſincerè,
ſolidè & enucleatè oſtenditur;

Quidquid & ubivis in fœcundo Naturæ utero rarum, inſolitum
& portentoſum eſt, ingenuè recenſetur.

AUTHORE

JOANNE ZAHN,

Sacri & Candidi Ordinis Præmonſtratenſis Canonico Regulari,
nec non Parthenonis Cellæ inferioris ejusdem Ordinis
propè Herbipolim
PRÆPOSITO.



NORIMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS CHRISTOPHORI LOCHNER
Bibliopolæ.
Literis KNORZIANIS,
An. M.DC.XCVI.


TV ROSA NOS FOVEAS VIRTVTIS ODORIBVS ISTIS. SPLENDENS IVSTITIA et RELLIgIone DIV.
IOANNES GODEFRIDVS D.G. EPISC.
HERBIP. S.R.I. PRINC. FRANCOR. DVX
RELIGIONE ET IUSTITIA.
Herbipolis sola judicat ense et stola
G.C. Eimmart Sculpsit Norib:





Reverendiſſimo & Celſiſſimo

PRINCIPI AC DOMINO
D. JOANNI GODEFRIDO

S. R. Imp. Principi, Franciæ Orientalis Duci, Epiſcopo Herbipolenſi &c.

Domino ſuo Clementiſſimo.

IN ſublimibus amant conſtitui non tam Speculæ, quàm rerum mirabilium Speculatores. Hinc

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis

ut lucidus ille ſiderum parens, qui *Homero* dicitur *Contemplator diurnorum operum* tantò liberiùs poſſet Mundi negotia deſpicere. Hinc Pharos illud Ægypti miraculum eminebat ſupra inſulæ verticem Nili versùs oſtia, ut inter caligantes maris gurgites laborantibus vel de nocte poſſet diem affundere. Hinc *Tycho Brahe* præilluſtris illa Danorum gloria ſuum *Uranoburgum* locavit in Huënæ inſulæ faſtigio, ut quaſi digito monſtrare poſſet cœleſtium flammarum domos, ſtationes, itus & reditus tam

 ſtupe-

ſtupendos. Poſtquam Ego meo *Oculo Artificiali* multùm laboris & temporis impenderam, & extriveram ante vitrum & ſpeculum; tandem ad *Speculam* manus mentemque applicui, opus non minùs vaſtum, quàm multâ rerum varietate curioſum; quod ideo ſuo nomine fronti præfixo compellatum eſt SPECULA PHYSICO-MATHEMATICO - HISTORICA NOTABILIUM ET MIRABILIUM SCIENDORUM, quia quidquid in Orbe Medio, Supero, vel Infero latet aut patet; quidquid Natura tùm in ſuperficie extimâ, tùm inter intima penetralia vel laboris vel prodigii reconditum habet, id omne videri & legi poteſt in hac Specula, velut in annulo *Pyrrhi* Muſarum Parnaſſus; veluti ſub alâ muſcæ *Myrmecidis* currus quadrijugus; velut in modica nuce cœci Poëtæ ilias; velut in pugillari mappa totius Mundi uterque globus cœleſtis & terraqueus. Ut ſublimiore quodam loco emineret hæc *Specula*, illius baſes ad pedes REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ demittere ſtatui, non tam perſuaſus quàm convictus argumento multiplici, ut illic conſiſtat firmior, ſplendeat illuſtrior, promicet ſublimior, quàm ſi vel juga Caucaſi, vel nives Rhodopes vel aëreas Alpes, vel nubiferum Apenninum, vel alios Poëtis decantatos montes ſuæ molis nacta fuiſſet bajulos. Scilicet à GUTTENBERG exurgent fundamenta meæ Speculæ, qui MONS ut ipſo nomine BONUS, & fauſtus, ita tum præ illuſtrium Majorum, cùm imprimis CELSITUDINIS VESTRÆ famâ, virtute, factis & meritis inclytus ſuppeditabit quidquid hoc opus, vel ad commendationem nobile, vel ad famam illuſtre, vel ad ætatem firmum, vel ad amœnitatem floridum exſpectare poteſt. Habent enim hoc *Montes boni* non verboſum, ſed cum virtute præconium, quod dicantur & ſint Provinciarum coronæ, Regnorum clypei & antemurale, rupium, petrarumque catenæ, ſtellarum columnæ, baſes ſupremorum orbium, populorum theſauri, & opum fodinæ, cœlorum pontes, Orbis Atlantes, ſylvarum gigantes, Pomonæ paradiſus, Theatrum Floræ, Gratiarum ſedes, Amorum metropoles, ubi proſcriptis tempeſtatum furiis nulli venti canunt in æthere claſſicum, nullæ nubes ſua vela vel labara explicant, nulli vapores minacia accendunt fulgura, nullas ſagittas triſulcas jaculantur fulmina, nullæ aquæ in grandinum globos coëunt, nullæ procellæ præliorum ſeditiones ſuſcitant, ſed perenni pace felicitas ipſa facit per excelſa Montium florere ſemper ridentis Veris faciem, gaudere ſylvas, virere ceſpites, jocari auras, ſudare fontes, deliciari feras, garrire volucres, & omnes rupes nil aliud repetere, quàm pacatiſſimæ tranquillitatis Alcedonia. Sic in regione Montium ut Poëta canit,

Pacem ſumma tenent, nubes tranſcendit Olympus.

Hæc tam eximia Montium Ornamenta & Prædicamenta CELSITU-

SITUDO VESTRA hactenus tantâ dexteritate, tantâ felicitate, admiratione tantâ sustinuit, ut licet nomen conticesceret GUTTENBERGUM tamen ex factis agnoscerent Universi. Cùm abhinc annis aliquot quasi effractis *Jani* portis Mars totam Europam inundaret belli fluctibus, cùm propè nutaret Culmen Germaniæ, cùm tot nobiles Urbes & oppida funesto belli fomite succensa deflagrarent in cineres, cùm jam *proximus arderet Ucalegon*, cum Rhenus Mœnus, Nicarus collucerent ab hostilibus ignibus, nec aliam lucem, quàm fatalem incendiorum facem reflecterent; CELSITUDO VESTRA toti afflictæ patriæ fuit corona & gaudium; trepidanti Franconiæ fuit antemurale & clypeus; vicinorum Principum in sanctum fœdus coëuntium fuit catena; Virtutum, quæ sunt magna Reipublicæ sidera, fuit columen; bonarum artium velut supremorum orbium fuit basis; indigentium subditorum & Indigenarum fuit thesaurus; exulantium fuit asylum & Mons refugii; laborantis orbis Franconici fuit Atlas, & Gigas fortissimus, qui fœtas tempestatibus nubes ab Horizonte & Circulo patrio tam fortiter arcuit, ut suo PRINCIPE felix Franconia lætaretur quasi in pulchro felicitatis vere, gauderetque innubi semper serenitate. Intereà enim dum vicini suos focos & aras extinctas plorant, seipsam quasi novâ luce pulchriorem miratur HERBIPOLIS, cum videt suas literarum *Athenas* florere, suas curias ornari Patribus, suas Ecclesias coronari sacerdotibus, illustrari ædes, augeri cives, frequentari commercia, opes accrescere, surgere per urbem hinc indè nova ædificia tùm privatis, tùm publicis sumptibus excitata, quæ inter *Seminarium Godefrideum* novum ad *S. Petrum* tantum supereminet

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Hæc tam insignia emolumenta & decora cum omnia ex BONO MONTE, ceu solo bonorum fertili tàm liberaliter excreverint, jam in spem amplam exurgit mea SPECULA NOTABILIUM & MIRABILIUM SCIENDORUM, ut mirabilia sub BONO MONTE sortiatur cum fundamentis munimenta. Recensentur hæc à Naturæ mystis mirabilia, quæ quasi virtute supra naturam contra procellas & insultus hostiles videntur obarmata: Salamandra, quæ minus læditur ab ignium spiculis quàm à glaciatis stiriis; castellum ligneum à Cæsare in Gallia Cisalpinâ quod nullis flammis erat expugnabile; Turris lignea ab *Archelao Mithridatis* Regis Ponti Præfecto contra *Syllam* extructa, quæ flammas perindè ac undas excepit innoxia. Mea SPECULA sub BONO MONTE radicata ætatem feret victrix contra quoscunque turbines, quos minantur vel popularis auræ sibila, vel invidorum flammæ rapacitas, vel Theonini & Zoili oris mordacitas; cum MONS iste mitrâ & Ducali pileo insignitum caput altiùs supra humum efferat, quàm ut illuc pertingant, aut ibi subruant vel evertant firmatam speculam censurantis

rantis

rantis plebeculæ murmura. Sic in ſecuritatis pace ſub BONO MONTE firmata hæc SPECULA non habet, quod ſollicitè de ornamentis circumſpiciat, & ſplendore, cùm MONS ipſe Gentilitiam ſuam *Roſam* explicet, decus purpuratum, periſtroma illuſtre, characterem Majeſtatis. Eſt hæc *Roſa* præ plantis cæteris prærogativa mirabilis, quod dicatur ex Deorum ſanguine ſuam derivare proſapiam, & obſtetricante ſolo halitu mollis Zephyri, non ex bulbo, ut vulgus floſculorum reliquum, ſed ex vernante gemmâ tenella ſua membra & folia evolvere. Quæ ſors naſcendi cùm verè nobilis, & ſuprà communem ſortem floſculorum ſit; hinc *Roſa* paſſim audit apud elegantioris ſuadæ apiculas Florum Regina, hortorum Decus, nativa terræ purpura, menſium amœniſſimi amœniſſimum ornamentum, tempeſtatis floridæ partus ſpecioſiſſimus, phœbe hortenſis, ſtellarum Municeps, flammula ſuavi odore fragrans, exorientis Anni aurora, Venuſtatis epitome, ridentis Naturæ, genioque indulgentis opus abſolutum. Non inferiores natales enumerat ROSA GUTTENBERGICA, quæ ſuæ formæ decus illivit & accerſivit ſibi excruentatis Majorum baltheis & ſordidatis bello ſagis, & palmatis in Curiâ togis, ex ſcientiarum ac Virtutum colore ac pulvere, quæ ſupra purpuram & oſtrum tyrium fulgurant, teſtanturque Heroas ac Heroum Sobolem, quos ut Deos olim deprædicavit Antiquitas. Si nemo prudens ex ſquillâ ROSAM exſpectat, nec ab imbelli columbâ generoſam aquilam: quis non præluſtres ortus ex CELSITUDINIS VESTRÆ genio præcelſo ſupputet, qui magna quæque adeò facit in ſe reſplendeſcere, ut non tam hæreditario jure VIRTUTES GUTTENBERGICÆ, quàm voluntaria quâdam poſſeſſione propè omnium Herbipolenſium Præſulum decora in unum GODEFRIDUM videantur congeſta? Qui amore & re, quo hactenus rexit & erexit Patriam præſentat adhuc vivum Anteceſſorem tantam ſpem patriæ CONRADUM WILHELMUM WERNAVIUM; ſtudio conſervandi patriam ab hoſtibus immunem PETRUM PHILIPPUM DERNBACHIUM; benignitate in ſubjectos ſibi populos JOANNEM HARTMANNUM ROSENBACHIUM; profunda in magnis rebus conſultandis prudentia JOANNEM PHILIPPUM SCHÖNBORNIUM; humanitate amabiliſſima gubernandi ſubditos FRANCISCUM HATZFELDIUM; æquitate in judiciis PHILIPPUM ADOLPHUM EHRENBERGIUM; Amore in literatos & literas JOAN. GODEFRIDUM ASCHHAUSIUM; induſtriâ & ſedulitate augendi limites Patriæ JULIUM ECHTERUM; Zelo divinæ gloriæ promovendæ FRIDERICUM WIRSBERGIUM; in ſe uno GODEFRIDUM, hoc eſt, ideam vivam omnium cæterorum. Ex his per quot titulos & prædicatorum nomina poſſem depingere ROSAM GUTTENBERGICAM, niſi vererer ruborem aſpergere illico purpuræ, quæ magis amat laudanda patrare, quàm ad aliorum laudes erubeſcere. Linguam igitur premens & calamum id unicè tibi gratulor mea *Specula*, quod vel ad pedes CLEMENTISSIMI TUI PRINCIPIS

culmen

culmen ſublimè repereris, in quo conſiſtendo firmiter, reſplendendo amœniter ad tui obtutum, ceu roſeâ luce inauratus *Triton* oculos rapias Univerſorum. Hic MONS enim te ſuſtentando feret ſublimem: Hæc ROSA te comendo, ornando, pingendo clarabit illuſtrem, ut videâre jam non ſimplex *Specula*, ſed nova Pharos Ægyptia vel Panſophica illis auſpicatiſſima, qui curioſarum ſcientiarum freto inter variorum dubiorum caliginem ad anfractuoſos errorum ſcopulos timent allidere ingenii cymbulam. Si igitur fundum reperiſti Mea *Specula* ſub tam BONO MONTE tanti Principis, jam tuum Architectum novis titulis illius obſtrinxiſti Clementiæ. Nam volebam te tantum in firmamentum & monumentum perenne tot favorum erigere, quibus illius Clemens humanitas Utrumque Monaſterium *Superioris & Inferioris Cellæ* Ordinis Canonicorum Præmonſtratenſium Candidi toties cumulavit ampliſſimè; proinde cùm & te, Mea SPECULA, videam inter ROSAS jam deliciari in floribus, pro tanto favore, quem agnoſco, ſupremum, vix invenio quid rependam, quàm ut, poſtquam meipſum ſcripſi Servum perennem & commendavi Parthenonem, cui præſum immeritus, calamum in hoc votum frangam & poſtremum meæ Speculæ iſtud inſcribam punctum

Hoc Specula *iſta* Bono *ſub Monte perennet in annos.*

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS VESTRÆ

Servus infimus

F. JOANNES ZAHN,
Parthenonis Cellæ Inferior. Can.
Ord. Præmonſtr. Præpoſitus.

EPISCO-

EPISCOPATUS HERBIPOLENSIS

Fundatio & Origo

Cum Ordine & serie sibi succedentium

EPISCOPORUM.

S. KIlianus ab ethnicis nobilibus parentibus in Scotiâ natus Christianam imprimis amplexus fidem, sanctioris deinde etiam vitæ institutum in Ordine *S. Benedicti*, sic in eo brevi variis virtutum præluxit exemplis, ut in Antistitem electus omnibus se religiosæ perfectionis, & monasticæ disciplinæ magistrum exhibuerit. Ardentiori veræ fidei propagandæ zelo accensus relicto suo, quod jam bene ad Christi legem & *S. Benedicti* regulam efformaverat, Monasterio iter Evangelicæ veritatis prædicandæ cum assumptis sociis *Colomanno* (quem tamen alii *Colonatum* vocant) & *Totnano* (quem *Theonatum* alii nuncupant) ingressus sub GOSBERTO I. Duce venit *Herbipolim* in Franconiam. Inde Romam profectus à Pont. Maximo *Benedicto II.* Episcopus ordinatus circa Annum Christi 680. *Herbipolim* remissus, Catholicæ doctrinæ rudimenta ibidem exposuit. A pellice verò *Gayla Gosberti* Ducis unà cum Sociis occisus martyrii coronam adeptus est Anno 688. Post obitum porrò S. KILIANI & Sociorum in eorundem honorem *S. Bonifacius* Germanorum Apostolus auxilio *Pipini* & *Caroli Magni* Regum Franciæ, ad quos ex obitu Hetami Ducis vi Testamenti devolutus erat Franconiæ Ducatus Episcopatum Herbipolensem erexit, qui & Zachariæ Rom. Pontificis authoritate confirmatus fuit ad Annum reparatæ salutis 750, primusque in ordine Episcopus institutus est *S. Burchardus*

Ordo & Series EPISCOPORUM HERBIPOLENSIUM.

Episcopus I. *S. Burchardus* ab Anno Christi 750 ad Annum 791.	Ex Nobili prosapiâ in Anglia natus à *S. Bonifacio* Consanguineo suo *Herbipolim* missus præfuit Episcopali officio prudentissimè & felicissimè 40. integris annis. Construxit plurima templa & Monasteria, inter quæ comprimis *Novum Monasterium* in honorem *S. Kiliani* & Sociorum ejus ædificatum hodiè adhuc visitur, decessit plenus dierum in arce *Hohenberg*, ad Mœnum sita Anno Christi 791.
II. *Mayngaudus*, vel *Mayngudus* ab Anno 791. ad Annum 794.	Fuit hic illustris Comes de *Rottenburg* ad Tubaram, Monachus Ordinis *S. Benedicti* professus *Fridislariæ* in Hassia Monasterio ejusdem Ord. Præfuit laudabiliter annis tribus. Inde solitariæ vitæ sanctitatem negotiosæ antereferens Episcopalem dignitatem præsente *Wilibaldo* Aystetensi Episcopo resignavit *Bernolpho*. Ipse verò collectis discipulis ad arcem Rorbacensem se contulit, ubi sumptibus *Caroli Magni* Cœnobium *Neostadium* Ordinis *S. Benedicti* exstruxit, & piissimè ibidem DEO deserviens primus in eodem Monasterio Abbas præfuit.

III. *Bemlo-*

III. Bernolphus vel Bernwelphus ab anno 794. ad annum 800.	Ex Monasterio *S. Andreæ* Monachus curâ & sollicitudine Romani Pontif. *Leonis* III. per *S. Wilibaldum* ad dignitatem Episcopalem subvectus est. Præfuit annis 6. Mensibus 4. diebus 3. obiit Anno 800. die 29. Septembris.
IV. Ludericus ab anno 800. ad annum 804.	Hic *Bernolpho* succedens magnâ pollebat Cæsaris gratiâ, cujus Sacellanum fuisse scribunt: indè etiam *Herbipolis* sub ipso magnâ gaudebat felicitate. Præfuit Annis 3. mensibus 5. obiit Anno 804. die 27. Februarii.
V. Eygelvvardus vel Eilwardus ab anno 804. ad annum 810.	Vir *Carolo Magno* Imperatori gratus fuit, à quo ad episcopalem sedem subvectus præfuit Annis 6. diebus 28. obiit Anno Christi 810. die 24. April.
VI. Wolgerus vel Wolfgarius ab anno 810. ad annum 831.	Unanimi consensu Cleri ac populi die 13. Maji electus in Episcopum Herbipolensem benè, piè, & laudabiliter præfuit Annis 21. mensibus 6. Exstruxit 13. templa, in quibus animarum lucro inhians Saxones, & Francones baptizavit, baptizatos docuit, doctos cœlo lucrifecit. Interfuit Synodo *Aquisgrani*. Obiit die 4. Novembr. Anno 831.
VII. Hunibertus vel Hubertus ab anno 831. ad annum 841.	Electus pridiè Calendas Januarii Anni 832. magna cum laude præfuit Annis 9. mensib. 3. diebus 3. obiit in Martio Anno 841.
VIII. Godewaldus vel Godeboldus. Gotswaldus & Gulobaldus ab anno 841. ad annum 852.	Abbas fuit *Altachii* pervetusti Cœnobii apud Bavaros: evocatus ad Episcopalem dignitatem die 1. Aprilis An. 841. præfuit Annis 11. obiit in Vigilia *S. Matthæi* An. 852. ex mœrore, ut volunt, quod eodem anno summum Templum *Herbipoli* fulmine tactum cum omnibus Ecclesiæ ornamentis conflagrâsset.
IX. S. Arno vel Arnto ab anno 852. ad annum 891.	Hic ob rarissimas liberalioris naturæ dotes in decrepitam usquè ætatem non tantùm Herbipolensi Ecclesiæ laudabiliter præfuit Annis 36. mensib. 6. diebus 12, sed etiam maximè profuit Imperio universo. Plurima privilegia ab Imper. *Carolo Calvo & Arnolpho*, quibus gratissimus fuit, obtinuit. Collapsam Ecclesiam Cathedralem feliciter restauravit. Obiit die 13. Julii Anno 891. Trucidatus inter missarum solemnia à Nortmannis in expeditione *Arnolphi* Imp. & Germaniæ Principum contrà eosdem.
X. Rudolphus vel Ratulphus, & Radhulffus ab anno 891. ad annum 908.	*Thuringiæ* Landgravius ab Imp. *Arnolpho* Ecclesiæ Herbipolensi præfectus, cujus in castris anteà militaverat cum duobus fratribus Germanis *Conrado* & *Gebehardo* contra Nortmannos. Obiit die 3. Augusti Anno 908. cùm præfuisset Annis 16. diebus 5. Sub hoc Episcopo Monasterium *Derense* Ord. *S. Benedicti* fundatum est.
XI. Dietho vel Theodo ab anno 908. ad annum 932.	Vir eruditus & summoperè prudens Neostadiani Monasterii Cœnobita præfuit utilissimè & maximâ cum laude Annis 24. Obiit Anno 932. die 15. Novembris Herbipolensem Basilicam secundò in cineres collapsam restauravit.
XII. Burchardus II. ab anno 932. ad annum 941.	Ex Abbate Hirsfeldensi cum Consensu Imper. Henrici Cognomento *Aucupis* in Episcopum electus præfuit utiliter & laudabiliter Annis 9. Mensibus 3. diebus 23. Obiit in festo Annuntiationis *B. V. M.* Anno 941.
XIII. Poppo I. ab anno 941. ad annum 941.	Burgravii Herbipolensis filius, Cognatus *Othonis Magni* Imper. à quo etiam constitutus Episcopus, insignia obtinuit privilegia, comprimis liberam à Collegio Canonicorum canonicè Episcopum eligendi facultatem, cùm sedes vacat. Præfuit summâ cum prudentia & laude Annis 19. mensibus 10. dieb. 14. obiit Ratisbonæ in Comitiis Imperialibus die 15. Februarii An. 961.
XIV. Poppo II. ab anno 961. ad annum 984.	Hic *Poppo Junior* fuit dictus, patruus *Popponis I.* etiam Burgravius Herbipolensis, quem Quidam *Othonis Magni* Imp. è Sorore Nepotem fuisse volunt. Electus fuit unanimi Canonicorum consensu juxtà tenorem privilegii ab Imperatore dati, & à Romano Pontifice confirmati die 2. Martii Anni 961. Præfuit prudenter & utiliter Annis 23. mensib. 4. obiit An. 984. die 24. Julii.

XV. Hugo ab anno 984. ad annum 989.	Fuit hic illustris Comes *Rottenburgicus* paternis opibus & animi virtutibus clarus, *Othonis II.* Cancellarius ac intimus Consiliarius unanimibus totius Cleri suffragiis electus. Episcopales reditus, quos omnes simul cum virtutibus possidere se non posse judicavit, in alios pios usus convertit, vel in pauperes distribuendo, vel ruinosas Ecclesias restaurando. Gloriatur merito adhuc hodie Equestris Ecclesia ad *S. Burchardum* dicta, quam tunc Monasterium *S. Andreæ* vocatam, districtiore & nimio Abbatum rigore desolatam translatis in eam sacris reliquiis *S.Burchardi* pristino restituit vigori, & ad cantandas deinceps perpetuò laudes Deo novis providit ministris, quibus ad congruam sustentationem non solùm Ecclesiasticos designavit reditus, sed & liberaliter universum reliquit patrimonium. Præfuit annis 5. mensib. 7. diebus 21. obiit die 29. Augusti An. 989.
XVI. Bernvvardus vel Bernualdus ab anno 989. ad annum 995.	Comes *Rottenburgicus* ad Tuberam venit primum ex Academia Parisiensi ad Monasterium Hiersaugiense in Spirensi Episcopatu situm. Inde à *Leopoldo* Abbate *Herbipolim* ad novem *S. Andreæ* Cœnobium *ab Hugono* Episcopo restauratum missus, cùm religiosissimè ac piissimè sub *Arnoldo* Abbate vixisset, mortuo tandem *Hugone* unanimi totius Cathedralis Ecclesiæ consensu ad Episcopatum vocatus, summâ deindè laude gubernavit Annis 5. mensib. 8. diebus 18. Obiit die 20 Septembr. Anno 995.
XVII. Henricus ab anno 995. ad annum 1018.	Hic quoquè Comes *Rottenburgicus* sanguine cum *Bernwaldo* conjunctus, ob brevem staturam à primâ infantiâ Comes *Hezelinus:* deinde verò Episcopus Cognomento *Hezelinus* dictus fuit: Sapientissimè & utilissimè præfuit Annis 22 Mensib. 5 dieb 20 Huic incrementum debet Novum Monasterium, originem quoque Cænobium *ad S. Stephanum*, uti & *Haugensis* Ecclesia Collegiata. Obiit die 22 Novembr. Anno 1018.
XVIII. Meginhardus vel Meginardus I. ab anno 1018. ad annum 1033.	Comes *Rottenburgicus* & Consiliarius intimus *Henrici II.* A toto Clero unanimiter in Episcopum electus præfuit utiliter & benè Annis 15 mensibus 10 diebus 22. Hic quia Imperatori pergratus, insignia ab eodem obtinuit privilegia, comprimis potestatem cudendæ monetæ. Obiit in festo *S. Matthiæ Ap.* Anno 1033
XIX. S. Bruno ab anno 1033. ad annum 1045.	Fuit is Conradi Carinthiæ Ducis filius eximiè doctus & pius unanimi totius Capituli & Cleri consensu in Episcopum electus, summâ cum laude præfuit Annis 11 mense 1 diebus 14 Cathedralem Ecclesiam Herbipolensem, ut & alia templa magnificè exstruxit ac exornavit, in quæ etiam totum patrimonium suum impendit Cum Imperatore *Henrico Nigro* & aliis Germaniæ Principibus in Pannoniam profectus, cùm in quodam Castro *Rosenburgo* è regione Ipsensis Opidi sito pernoctaret Imperator, die 20 Maji subitò ejusdem arcis sublime & ruinosum cœnaculum concidit; & plurimos Principes ac Magnates oppressit. Imperator ruente cænaculo apprehensâ fenestrâ singulari Dei protectione incolumis permansit. *Bruno* verò tam miserè & inclementer exceptus est, ut septimo die post hunc casum in eadem arce naturæ debitum persolverit die nempe 27 Maji Anno 1045.
XX. Adalbero vel Adelbertus ab anno 1045. ad annum 1084.	Comes *à Laymbach & Scardingen* ex Pavariâ oriundus unanimi totius Capituli consensu in Episcopum electus Annis 40 laudabiliter, & valdè utiliter præfuit. Ex *S. Stephani* Canonicorum Collegio Cœnobium Religiosum Ord. *S. Benedicti* effecit. Cùm verò partes Summi Pontificis magis, quam Imperatoris *Henrici IV.* teneret; per hunc Imperatorem â Sede ejectus est, in cujus locum Subvectus *Meginardus:* quo tamen iterùm ex urbe pulso *Adelbertus* in Sedem suam restitutus fuit. Redeunte verò Imperatore clam denuò fugit ad Monasterium suum Anno 1085. *Meginardus* verò iterum restitutus, cùm tribus præfuisset annis tandem Anno 1088 defunctus est: post mortem hujus etsi *Adalbertus* ab *Henrico V.* revocaretur, dubiæ tamen novercanti fortunæ non credens in Monasterio suo permansit & tandem die 6 Octobris Anno 1090 ex hac vitâ migravit.
XXI. Meginhardus vel Meinhardus II. ab anno 1084. ad annum 1088.	Vir fuit litteraturâ & vitæ Sanctimonia præclarus, & in his nulli suâ ætate secundus. Ejecto *Adalberto* in ejus locum successit. Præfuit summâ cum difficultate tribus annis & aliquot mensibus. Iterum & ipse ejectus & denuò ab Imperatore *Henrico IV.* restitutus, tandem subitaneâ morte obiit Anno 1088 die 26 Junii, superstite adhuc Antecessore suo *Adalberto*.
XXII. Aynhardus vel Emmenhardus. ab anno 1088. ad annum 1104.	Comes fuit *Rottenburgicus* ad Tuberam, qui ab Imperatore *Henrico V.* constitutus fuit Episcopus. Præfuit difficillimis temporibus summâ tamen cum laude Annis 15 mensib. 8 dieb. 3 mortuus est Anno Chr. 1104. die ultimâ Februarii.

XXIII.

XXIII. Rupertus ab anno 1104. ad annum 1106.	Ex Præposito Summi Templi in Episcopum electus sapientiâ, doctrinâ & eximiâ virtute prædictus omnibus cùm Summis, tùm infimis charus fuit. Præfuit duobus tantùm annis; bis *ab Henrico IV.* ejectus, totiesque *ab Henrico V.* restitutus obiit Anno 1106.
XXIV. Erlangus vel Erlingus ab anno 1106. ad annum 1122.	Comes de *Callenbern* Canonicus Capitularis Summi Templi electus ab Imperatore *Henrico IV.* contra *Rupertum* canonicè à toto Clero designatum Episcopum. Is vivente *Ruperto* ab *Henrico V.* bis ejectus & bis ab *Henrico IV.* restitutus est. Tertiò etiam ab *Henrico V.* ejectus vivente *Ruperto Herbipolim* ampliùs non rediit. Tandem suâ virtute & morum lenitate Senatui Canonicorum reconciliatus Clementem etiam & propitium *Henricum V.* habere cœpit. Mortuo enim *Henrico IV.* Imper. & *Ruperto* Episcopo unanimi consensu Summi Senatûs assumptus & confirmatus fuit: atquè omnibus odiis sopitis Imper. *Henrico V*, charissimus extitit, cujus etiam consilio in Summis Imperii negotiis usus fuit. Episcopatum Herbipolensem prudenter, laudabiliter & feliciter rexit, Obiit in Natali Domini Anno 1122. cùm per quadriennium antè gravissimè decubuisset.
XXV. Ruggerus ab anno 1122. ad annum 1130.	Comes de *Vayngen* ex Sueviâ unanimi totius Capituli consensu electus fuit. Opposuit autem se huic electioni *Henricus V.* Imp. volens jus eligendi & constituendi Episcopum ad se potiùs quàm ad Clerum pertinere. Unde illo repudiato constituit Juniorem quendam Canonicum *Gebhardum* Comitem *Hennebergensem*. Hoc Schisma paucos post menses per legatos Pontificios, duos scilicet Cardinales in Comitiis Wormatiensibus compositum est. Verùm non diu hæc compositio perstitit; post discessum enim Legatorum *Ruggerus* ab *Gebhardo Henrici V.* auxiliis urbe iterùm ejectus est Anno 1125. In Schvvartzacense Monasterium discessit & impetratâ aliquâ Episcopatus parte, eâ videlicet, quæ ad *Nicrum* sita est, ibidem per 5. annos remansit. Obiit tandem peste 1130 Post mortem hujus etiam *Gebhardus* resignato Episcopatu brevi vitâ defunctus est.
XXVI. Hezelinus ab anno 1130. ad annum 1131.	Comes à *Leyningen* post mortem *Ruggeri & Gebhardi*, à consentiente Superiore Clero electus præfuit mensibus 14. profectus *Bambergam* in via infirmatus brevi deinde vitam exuit Anno 1131.
XXVII. Embrichus vel Imbrichus ab anno 1131. ad annum 1147.	Hic quoquè Comes fuit de *Leyningen* ab unanimi voce Cleri electus in Episcopum. Præfuit summâ cum laude Annis 16. Apud Imperatores *Lotharium* Saxonem *& Conradum* Suevum in summâ fuit æstimatione, ac Utriusque Intimus Consiliarius. Sub quo ex parvis initiis excrevit præclarissimum & ditissimum *Cisterciensis* ord. Monasterium *Ebrach* dictum. Crevit & Præmonstratensium Canonicorum Fundatori *S. Norberto Cella Dei Superior* haud procul Herbipoli. Crevit & ad annum 1134 evocato *Ratisbonâ S. Macario* Monasterium Scotorum *ad S. Jacobum* Ord. S. *Benedicti*. A *Conrado* tandem Imper. legatus missus *Constantinopolim* ad Græcorum Imperatorem *Emmanuelem* functâ feliciter legatione redux Aquileiæ in Italiâ mortuus est Anno Christi 1147.
XXVIII. Sigefridus ab anno 1147. ad annum 1153.	In Episcopum electus piè & laudabiliter præfuit annis 6. sub hoc Monasterium Sanctimonialium Ord. *S. Benedicti* ad *S. Afram* fundatum est. Singulariter etiam Ebracense monasterium amavit, & pluribus ditavit bonis, ubi & cor suum post mortem reponi voluit. Ex quo etiam mos provênit Episcoporum Herbipolensium demortuorum corda eòdem post mortem transferendi. Obiit ex peste Anno 1153.
XXIX. Gebhardus ab anno 1153. ad annum 1161.	Fuit is Comes *Hennebergensis* unanimi totius Capituli consensu electus. Præfuit laudabiliter annis 8. mensib. 6. diebus 15. Sub ipsius regimine Monasterium *Bildhausanum* Ord. *S. Bernardi* ab *Hermanno* Comite Palatino Rhenano fundatum est. Obiit Anno 1161.
XXX. Henricus II. ab anno 1161. ad annum 1165.	Hic legitimâ & canonicâ electione in Episcopum designatus laudabiliter præfuit Annis 3. mense 1. diebus 14. Adfuit *Friderico Barbarossæ* gravissimâ obsidione *Mediolanum* cingenti. Obiit Anno D. 1165.
XXXI. Heroldus ab anno 1165. ad annum 1172.	Ab *Hocheim* vir insigni præditus fuit sapientia & virtute, electus canonicè & legitimè omnium votis. Præfuit utilissimè Annis 8. mensib. 5. dieb. 3. Sub hoc Episcopo Comitia Imperialia *Herbipoli* ab Imperatore *Friderico Barbarossa* Anno 1166. fuerunt instituta: In quibus etiam ab Imperatore confirmata fuêre privilegia Herbipolensi Episcopatui concessa, comprimis ea, quæ Ducatum ex Caroli Magni donatione eidem annexum concernunt. Obiit Anno 1172.
XXXII. Reinhardus, vel Rechenhardus ab anno 1172. ad annum 1182.	Hic unanimi totius Capituli consensu in Episcopum electus præfuit Annis 10. Sub hoc Episcopo Clerus Herbipolensis & eorum habitationes ab oneribus & jure hospitandi per Imperatorem exemptæ fuerunt. E vivis discessit in festo *S. Viti* Anno Chr. 1182.

XXXIII. Godefridus I. ab anno 1182. ad annum 1186.	Fuit hic nobilis Heros *de Pisenberg Friderici Barbarossæ* Imperatoris Cancellarius eximia virtute, doctrinâ, & Sapientiâ prædictus. Præfuit Annis 4 Construxit de novo Cathedralem Basilicam Herbipolensem ex quadrato lapide. Comitatus Imperatorem contrà Turcarum Sultanum in *Asiam*. Obiit *Antiochiæ* die 6 Februarii Anno 1186.
XXXIV. Henricus III. ab anno 1186. ad annum 1193.	Nobili prosapiâ de *Biebelrieth* & *Bebenburg* oriundus concordibus totius Capituli suffragiis in Episcopum electus præfuit annis 6 & diebus 8. Secutus *Fridericum Barbarossam* ad occupandam Terram Sanctam; cùm infelix illa expeditio fuisset, suffocato in aquis *Friderico* & exercitu plurimum ex peste diminuto rediit *Herbipolim*. Verùm ob mortem Imperatoris nimio mœrore confectus & ipse paulò post obiit Anno nempè 1193.
XXXV. Godefridus II. ab anno 1193. ad annum 1198.	Illustris Comes de *Hohenlohe* concordibus Capituli vocibus Episcopatum adiit, quem corpore imbecillis, animo tamen præstantissimus per 5 annos, 4 menses, 3 dies tenuit. E Vivis discessit Anno Christi 1198.
XXXVI. Conradus I. ab anno 1198. ad annum 1203.	Fuit hic genere nobilis de *Ravenspurg* doctrinâ & Sapientiâ præclarus, primùm Cancellarius *Henrici VI.* Imperatoris: deinde Episcopus *Hildesheimensis*. Defuncto verò *Godefrido* ad Episcopalem dignitatem *Herbipoli* possidendam postulatus fuit. Cum autem justitiæ severus esset administrator, & strenuus scelerum vindex, plurium in se concitavit invidiam atque odia pessima. Inter quos comprimis duo Sicarii nobiles nempè *Potho de Reinstein* & *Henricus de Falckenberg Hundorum* generis (quos gravioris sceleris redarguerat) qui eundem mane ad sacra peragenda procedentem in templum ausu impio adorti interfecerunt pridiè festi *S. Barbaræ* Virg. & Mart. Anno 1203.
XXXVII. Henricus IV. ab anno 1203. ad annum 1206.	Ex nobili & perantiquo *Grosmannorum* Francorum genere oriundus, Parisiensis primùm Gymnasii Professor fuit. Amore verò patriæ in Franciam Orientalem reversus, primùm Canonicus; Successu verò temporis Summi Collegii Decanus factus ita præclarè vixit, ut *post Conradi* cædem à Rege *Philippo* Capitulo recommendatus unanimi Ejusdem consensu in Episcopum fuerit electus. Præfuit Annis 3 & aliquot mensibus. Obiit ante adeptam Confirmationem Pontificiam Romanam Anno 1206.
XXXVIII. Otho ab anno 1206. ad annum 1222.	Baro *de Ladenburg* vir fuit summâ prudentiâ & Sapientiâ prædictus. Præfuit laudabiliter, prudenter & utiliter Annis 16. mensib. 5. Obiit in die *S. Nicolai* Anno 1222.
XXXIX. Theodoricus ab anno 1222. ad annum 1224.	Nobilis *de Hohenburg* legitimè & canonicè electus successit in Episcopatu *Othoni*: Præfuit mensibus tantùm 19. Sed laudabiliter & benè. Obiit Anno Chr. 1224.
XL. Hermannus ab anno 1224. ad annum 1250.	Baro de *Ladenburg Othonis* Episcopi ex fratre Nepos. Præfuit Annis 26 Sub hoc Episcopo Monasteria Sancti Monialium Himmels-Pforten & Mannbrunn fundata & erecta sunt. Cœterùm sub eodem Franconia miris turbata & afflicta est tumultibus & calamitatibus. Obiit Anno Christi 1250.
XLI. Hiringus vel Eringus ab anno 1250. ad annum 1266.	Nobilis de *Reinstein* parum laudatus ob necem illatam strenuis viris de *Altenstein*; à quorum uno *Heerdegenio* Equite aurato etiam graviter vulneratus nares perdidit. Præfuit annis 16. Obiit Anno 1266.
XLII. Conradus II. ab anno 1266. ad annum 1268.	Comes à *Trymberg* successit *Hiringo* legitimâ & canonicâ electione. Sequenti verò anno ad confirmationem petendam *Romam* profectus: quâ feliciter obtentâ, cùm *Herbipolim* repeteret, in viâ gravissimum in morbum incidens; ex eodem etiam obiit Anno 1268.
XLIII. Bertoldus ab anno 1268. ad annum 1287.	Dominus de *Sternberg* legitimè & canonicè electus vir eximiâ fuit virtute, & vitæ integritate prædictus, utilissimè præfuit temporibus maximè perturbatis obiit Anno 1287.
XLIV. Mangoldus ab anno 1287. ad annum 1302.	Archimagyrus à *Newenburg* ex Præposito summi Templi factus Episcopus, & Franciæ Orientalis Dux præfuit benè & laudabiliter. Obiit Anno 1302.
XLV. Andreas ab anno 1302. ad annum 1313.	Baro de *Gundelfingen* ex Mosbacensis Onoldispachiani & Oringaviensis Canonicorum Collegii Præposito in Episcopum *Herbipolensem* electus summâ cum prudentiâ & laude præfuit Annis 11. E vitâ migravit Anno Christi 1313.

XLVI.

XLVI. Godefridus III. ab anno 1313. ad annum 1322.	Comes *de Hohenlohe* legitimè & Canonicè in Episcopum *Herbipolensem* electus magnâ cum laude præfuit Annis 9 Decessit è vitâ Anno 1322.
XLVII. Wolframus ab anno 1322. ad annum 1333.	Nobilis familiæ *de Grumbach* Episcopatum adiit difficillimis temporibus, quibus inter Summum Pontificem *Joannem XXII*, & Imperatorem *Ludovicum* Bavarum ingens Schisma obortum. Urbs etiam *Herbipolensis* rebellavit. Præfuit Annis 11. Obiit Anno Chr. 1333. ultimo Julii.
XLVIII. Hermannus ab anno 1333. ad annum 1335.	Alsata Baro *de Liechtenberg* Canonicus Spirensis ac *Ludovici* Bavari Cancellarius electus quidem à *Ludovico* Bavaro Imperat. & parte ei favente, à Pontificiâ verò parte sequens *Otho* electus confirmatusque fuit: cui tandem etiam Annô 1335. Mense Augusto Episcopatum resignavit.
IL. Otho ab anno 1335. ad annum 1345.	*Wolffskelius à Rosenberg* per discordiam electus contra *Hermannum*, durante quidem Schismate inter Pontificem & Imperatorem in arce *Rosenberg* habitavit; cedente tandem *Hermanno*, eique Episcopatum resignante *Herbipolim* venit Anno 1335. die 30. Augusti, sedemque Episcopalem accessit, in quâ laudabiliter præsedit Annis 10. Vivere inter mortales desiit Anno 1345, cùm priùs omnes Canonicos Capitulares ad se vocatos ad studium concordiæ, & fraternæ charitatis ferventi oratione adhortatus fuisset.
L. Albertus I. ab anno 1345. ad annum 1349.	Comes *ab Hohenberg* ex Sueviâ oriundus Decretorum Doctor, Constantiensis Ecclesiæ Canonicus à Summo Pontifice *Clemente VI. Herbipolim* missus: Videns autem se minimè gratum esse, ultrò Episcopatum resignavit *Alberto* Comiti *de Altâ flammâ* Anno 1349. Sequenti porrò Anno vocatus ad Frisingensis Episcopatûs dignitatem & gubernationem novem ibidem annis laudabiliter præfuit; & tandem è vivis discessit Anno 1359.
LI. Albertus II. ab anno 1349. ad annum 1372.	Comes *de Altâ flammâ* vulgò *Hohenloë* Summi Canonicorum Herbipolensium Collegii Præpositus unanimi Capituli consensu electus quidem fuit Annô 1345. verùm ob exortum Schisma primùm ad annum 1349. sedem Episcopalem pacificè ingressus, indè summâ virtute prudenter & laudabiliter præfuit à primâ electione 26. annis. Obiit tandem Anno Christi 1372. Mense Julio.
LII. Gerhardus ab anno 1372. ad annum 1403.	Post *Albertum* defunctum, cùm duo de Episcopatu contenderent, nempè *Albertus de Hesberg* electus, & *Willigis* Decanus Bambergensis postulatus; neutri cessit Episcopatus, sed obvenit *Gerhardo à Schwarzenburg*, qui æmulis fractis diuturnam litem pace cum civibus initâ ad Episcopalem mitram eluctatus est; In pace tamen non diu permansit, & post magna dissidia Episcopalem sedem in summâ reliquit paupertate. Decessit ex hac mortali vitâ Anno 1403. mense Novembri.
LIII. Joannes I. ab anno 1403. ad annum 1412.	Vir equestris Ordinis apud Ostro Francos de *Egloffstein* ex Præposito Summi Collegii priùs Coadjutor *Gerhardi* electus est, & præter eum *Eberhardus* Comes à *Wertheim* ab adversariâ parte. Hoc Schisma ad extremam inopiam redegisset Episcopatum, nisi Imperator *Rupertus* Palatinus suâ interpositâ Authoritate Eberhardum cedere coëgisset. Præfuit Joannes fideliter & prudenter 9 annis. Obiit tandem *Forchemii* subitaneâ morte sublatus Anno 1412. die 9 Januarii.
LIV. Joannes II. ab anno 1412. ad annum 1441.	Episcopus iste *Joannes de Brunn* unanimi totius Capituli consensu electus Vir quidem fuit eximia prudentiâ præditus; verùm & valdè sumptuosus & prodigus. Cum 29. annis præfuisset, rasignavit Episcopatum *Sigismundo Saxonum* Duci Anno 1441. quem anteà totius Capituli consensu in Coadjutorem assumpserat.
LV. Sigismundus ab anno 1441. ad annum 1444.	Fuit hic *Saxoniæ* Dux & Marchio *Misniæ*, frater *Gulielmi* & *Friderici*. Præfuit annis 3, tandem retentâ annuâ quadam pensione Episcopatum resignavit, & in Saxoniam ad fratres suos rediit Anno 1444.
LVI. Godefridus IV. ab anno 1444. ad annum 1455.	Iste fuit illustris Baro *Schenck de Limburg* unanimiter in Episcopum electus. Sedit ad clavum Ecclesiæ summâ fide ac prudentiâ administrans omnia per 12 annos. Princeps fuit severus, nemini quicquam condonans, pacis & justitiæ studiosissimus. Primus fuit, *qui se Ducem Franciæ Orientalis* scripsit, eundemquè titulum primus monetæ apprimi curavit contra *Albertum* Marchionem *Brandeburgicum*, & *Burgravium Norimbergæ*, qui aliàs *Achilles Germanicus* audiit, & hunc eundem titulum immeritò sibi arrogaverat. Infirmari tandem cœpit in die Palmarum; ex quâ infirmitate etiam obiit Anno 1455.
LVII. Joannes III. ab anno 1455. ad annum 1466.	*Godefrido* successit Canonicâ electione *Joannes de Grumbach* vir mitis, placidus, & qui clementiâ ac benevolentiâ omnium sibi conciliaret amorem & favorem. Optimè & utilissimè præfuit Annis 11. Obiit die Veneris post festum Dominicæ Resurrectionis Anno 1466.

LVIII. Rudolphus II. ab anno 1466. ad annum 1495.	Fuit hic *Rudolphus* insignis stemmatis *de Scherenberg*, qui Episcopatum Herbipolensem eximiâ virtute & providentiâ restituit, auxit, & ampliavit, ut ejus non tantùm eximius gubernator & administrator, sed & Alter quasi Fundator dici meruerit. Verè Pater Patriæ fuit, cui etiam hoc carmen communi plausu fuit positum: *Quod fuerat quondam captæ tibi Roma Camillus,* *Hoc tibi Rudolphus Dux fuit Herbipolis.* *Ille urbem extorsit Gallorum è faucibus: Hic Te* *Servito nexu fœnoris eripuit.* Temperanter valdè vixit, ita ut aliqui centesimum annum, alii 93 ætatis attigisse putent. Præfuit summâ cum laude & virtute Annis 29 Obiit lithiasi die 29 Aprilis Anno 1495.
LIX. Laurentius ab anno 1495. ad annum 1519.	*A Bibra*, anteà Collegii summi Præpositus unanimi totius Capituli consensu electus laudabiliter & utiliter præfuit Annis 24 Obiit plenus dierum in die *S. Dorotheæ* Anno Domini 1519.
LX. Conradus III. ab anno 1519. ad annum 1540.	Quem petenti *Laurentio* Cathedrale Capitulum negavit Coadjutorem, eo mortuo elegit Episcopum *Conradum à Thüngen.* Præfuit laudabiliter & utiliter annis 21 Mensib. 4. diebus 10 Episcopus iste gravissima perpessus est in obsessione à seditiosâ rusticorum conjuratione. Obiit Septuagenarius die 16 Junii Anno 1540.
LXI. Conradus IV. ab anno 1540. ad annum 1544.	Prænobilis familiæ *de Bibra* unanimi totius Capituli consensu electus fuit in Episcopum; Episcopatum verò & commissam sibi Ecclesiam laudabiliter rexit Annis 4 dieb. 40 obiit die 8 Aug. Anno 1544.
LXII. Melchior ab anno 1544. ad annum 1558.	Corporis & animi dotibus insignis Heros fuit *Melchior Zobelius à Guttenberg*, ex Summi Canonicorum Senatûs Decano in Episcopum electus. Summæ famæ in Comitiis Imperialibus *Augustæ Vindelicorum* parte Princeps post expeditam ægris licet conditionibus Franconiæ pacem, & Securitatem, cùm ab auditis causis in Cancellaria arcem repeteret, à conjuratis Sicariis trans Mœnum duobus globis trajectus pro patriâ Martyr occubuit Anno 1558. die 5. Aprilis. Præfuit maximâ cum laude virtutis & prudentiæ Annis 13 Mensib. 8 dieb. 3.
LXIII. Fridericus ab anno 1558. ad annum 1573.	Ex antiquâ familiâ *de Wiersberg* vir fuit pulcherrimis, & quæ satis laudari non possunt, virtutibus exornatus. Præfuit laudabiliter & utiliter Annis 15 mensibus 6 diebus 16 Obiit Anno 1573 die 12 Novembr. Sub hoc Episcopo *Grombachius* parricida *Melchioris* Episcopi *Herbipolim* effractâ de nocte portâ cum mille & ducentis equitibus ingressus, eandem rapinis fœdavit. Maturior tamen pœnis post aliquot annos ter ab Imperio proscriptus, tandem deprehensus, in quatuor partes dissectus, quod pridem meruit, justè luit.
LXIV. Julius. ab anno 1573. ad annum 1617.	Hic pervetusti fuit in Franconia stemmatis *Echterorum à Mespelbrunn*: Vir ingenii præstantissimi & memoriæ planè admirandæ. Ob insignes virtutes & præclarè facta cognomento verè Magnus dici promeruit. Architectonicæ artis eximius fuit cultor, quâ etiam trecentas in Episcopatu exstruxit Ecclesias, quas necessariis exornavit paramentis, uti & plerasquè alias eximiis decoravit ornamentis. Erexit & fundavit insigne Hospitale, à suo nomine Julianum dictum; exstruxit & Collegium Universitatis, quod amplis ditavit proventibus. Arcem *D. V. Mariæ* sacram proximo *Herbipoli* monti impositam Anno 1600 die 4 Martii deflagratam ex Fundamentis reædificavit splendidissimè. Zelosus prætereà fuit defensor veræ fidei, quam propè collapsam restauravit. Virorum quoq; doctorum eximius fuit cultor, & Artium liberalium *Mecænas*, nec non totius patriæ verus pater extitit. Quod itaque restituta fuerit templis pietas, divinis reverentia, tribunalibus æquitas, urbibus humanitas, Subditis religio, Religioni puritas, Sacris mysteriis usus & æstimatio, patriæ tranquillitas, tranquillitati securitas, Lutheri lolio repurgata *Herbipolis*, centum millia Franconum ad Ecclesiam rediêrint, & patria Templis aucta sit, hujus Principis effecit Zelus, pietas, industria, & providentia. Electus fuit die 1 Decembr. Anno 1573 Præfuit maximâ cum laude per annos 43 menses 9, & dies 12 piè tandem obiit die 13. Septembr. Anno 1617.
LXV. Joannes Godefridus I. ab anno 1617. ad annum 1622.	Ex antiquâ Francorum familia *Aschhausen* oriundus *Bambergæ* jam Princeps, Episcopus ob præclaras animi dotes, virtutesque planè singulares mortuo *Julio* ad *Herbipolensem* quoque Sedem Episcopalem vocatus & in eâdem constitutus fuit. Vir equidem fuit totus mitis, affabilis, devotus, pius & castus, doctrinâ eximius, Philosophus, Jurisperitus, & Theologus, atque hinc Princeps verè insignis, & *Ferdinando II.* Imperat. pergratus. In Comitiis Imperialibus *Ratisbonæ* habitis Cæsarem, aliosque Germaniæ Principes consiliis adjuvans ex defluxione capitis laborare cœpit, undè & obiit die 29 Decembr. inter primam & secundam horam à medianocte A. 1622. laudabiliter valdè præfuit annis 5. mensibus 2.

LXVI.

LXVI. Philippus Adolphus ab anno 1623. ad annum 1631.

De Stirpe & Sanguine prænobilium Equitum *ab Ehrenberg* Decanus Summi Canonicorum Collegii *Herbipoli* die 6 Februarii Anno 1623 in festo *S. Dorotheæ* in Episcopum ibidem Canonicè maximo omnium gaudio electus, Princeps fuit justus & zelosus justitiæ administrator. Laudabiliter præfuit annis 8 Obiit tandem die 16 Junii Anno 1631.

LXVII. Franciscus ab anno 1631. ad annum 1642.

Comes *Hatzfeldius* ac Vice-Dominus *Carinthiæ* die 5 Augusti Anno 1631 unanimi Canonicorum Summi Templi consensu in Episcopum *Herbipolensem*; Anno dein 1634 die 4 Augusti in Episcopum quoquè *Bambergensem* electus fuit. In regimine suo multùm illi laudis contulerunt mansuetudo, clementia & misericordia erga pauperes, viduos & pupillos, quorum verus protector & Pater extitit. Sub hoc Principe ingens bellum *Suecium* exarsit & *Franconia* comprimis extremis malis afflicta gemuit. Laudabiliter, fortiter, & constanter in difficillimis temporibus & gravissimis bellorum tumultibus præfuit Annis 10 mensibus 11 diebus 24 Obiit *Herbipoli* die 30 Julii circa meridiem inter horam 11 & 12 Anno Christi 1642.

LXVIII. Joannes Philippus ab anno 1642. ad annum 1673.

Per antiquæ & illustris familiæ *de Schönborn*, Summorum æquè ac infimorum votis, applausu, & jubilo die 16 Augusti Anno 1642 Episcopalem accessit dignitatem. In cujus honoris accessu mox atris dispulsis bellorum nubibus pacis Serenitas Germaniæ affulgere cœpit. Fuit enim verè Princeps pacificus, pacis nempè non tantùm amator, sed & fundator, cujus indefesso studio & labore *Monasterii*, *Osnabruchæ*, ac denique *Norimbergæ* universo Romano Imperio illa exoptatis dudum plausibus inclaruit. Spiritu principali verè fuit confirmatus, atque iis omnibus, quæ in Principe desiderantur, virtutibus præclarus, comprimis autem tantâ præditus Sapientiâ, ut ad Eum tanquam sui temporis *Salomonem* omnes ferè præcipui *Europæ* Reges ac Principes suos ablegarent Oratores, & in difficillimis publici statûs negotiis expeterent consilia. Literarum studia, & viros doctos impensè coluit, & amavit, inventa nova æstimavit, ædificia præclara in usum publicum ac commodum ædificavit, duo comprimis molendina ad Mœnum, & desolatorum pauperum filiorum hospitale. Arcem *Marienburgum* fortissimis cinxit munimentis, uti & ipsam urbem contra Patriæ hostes vallo obarmare cœpit, pluraque alia perfecit, quæ redivivum omnibus *Julium* repræsentare potuerunt; velut etiam sequentes versus docent:

Herbipolis claret Clero, munimine, templis,
Vino, ponte, Scholis, flumine fonte, molis.
Unam quis tantam, quæris, decoraverit Urbem
Fecerunt Schönborn, Echleriusq́, Duces.

Tam præclarè in ipso virtutes Eum etiam ad Sedem Archiepiscopalem *Moguntinam* & ad Episcopalem *Wormatiensem* attraxerunt. In quibus omnibus præfuit laudabiliter, prudenter & fortiter: & qui natus est die 6 Augusti Anno 1605. electus Episcopus *Herbipolensis* die 16 Augusti Anno 1642. Archiepiscopus Moguntinus die 19 Novembris Anno 1647. postulatus verò Episcopus Wormatiensis Anno 1664. plenè tandem resignatus in divinam voluntatem piè obiit die 12 Februarii Anno 1673. ætatis suæ Anno 68.

LXIX. Joannes Hartmannus ab anno 1673. ad annum 1675.

Hunc per vetusta *Rosenbachiorum* prosapia Orbi & Ecclesiæ *Herbipolensi* dedit: in cujus haud magno corpore tam magna tamen & multa virtus inerat, ut virtutum *Microcosmus* dici potuerit. Cæsari & Imperio inter artissimas angustias memorabili omnibus temporibus exemplo fidem se probavit, cum hostili à *Gallis* in patriam invasione factâ constans in fide Deo & Cæsari datâ perstitit. Natus est die 15 Sept. Anno 1609. Canonicus summi templi factus *Herbipoli* A. 1623. die 27 Maji Capitularis, Anno 1637. die 28. Octob. Decanus ibidem, Anno 1649. die 5 Augusti: Electus tandem & Episcopus *Herbipolensis* die 13. Mart. Anno 1673. denatus die 19 Aprilis Anno 1675, cum vixisset annos 65. mens. 7 dies 5.

LXX. Petrus Philippus ab anno 1675. ad annum 1683.

Ex illustri *Dernbachiana* familia natus Anno Christi 1619. die 1. Julii Imperialis Ecclesiæ *Bambergensis* Canonicus factus Anno 1631. die 7 Februarii: *Herbipolensis* verò Cathedralis Anno 1643. die 26 Febr. post absolutum Theologicum *Romæ* in Germanico Collegio studium Capitulo *Bambergensi* adscriptus fuit Anno 1649 die 31 Martii; *Herbipolensi* verò Anno 1649. die 7 August. Vice-Dominatum *Carinthiæ* adiit Anno 1651. die 12 Septembris: Electus Episcopus *Bambergensis* Anno 1672 die 22 Martii: dein Præpositus summi Templi *Herbipoli* Anno 1673. die 4. Decembris: tandem & *Episcopus* ibidem renuntiatus est Anno 1675. die 27 Maji. Princeps autem fuit singulari doctrina, virtute & prudentiâ præclarus, cum ferventi divini honoris & animarum zelo, providâ in rebus omnibus vigilantiâ, intrepido inter sinistros casus animo, qui arctam cum Augustissimo Cæsare & Imperio semper habuit unionem. Obiit tandem *Herbipoli* Anno 1683. die 23. Aprilis.

LXXI.

LXXI.
Conradus Wilhelmus
ab anno 1683.

Ex perantiquâ jam à 700 annis, & illustri familia *de Wernaw* Anno 1638. die Augusti vitales ingressus est auras: Albo Canonicorum Cathedralium Ecclesiæ *Herbipolensis* inscriptus fuit Anno 1647. die 13 Augusti; Imperialis *Bambergensis* eodem Anno die 29 Novembris: Capitulum *Bambergæ* accessit Anno 1663. *Herbipoli* Anno 1672. Decanatus Summi Templi honorem *Bambergæ* adeptus est Anno 1682. die 16 Martii. â sacrato tandem Canonicorum Synedrio *Herbipoli* ad Episcopalem sedem inauditis retrò gaudiis, mille undiq; exoptatis votis, & geminatis plausibus evectus est Anno 1683. die 31 Maji. Dominus equidem fuit conversatione placidus, comitate facundus, fide constans, spe robustus, charitate fervens, sapientiâ providus, vigilantiâ securus, magnus inter magnos, exiguus inter parvos, illustris inter Nobiles, Medicus inter ignobiles, omnibus denique omnia factus; in hoc uno tantùm infelix, quod, ut ardenter voluit, Patrem se Patriæ exhibere, omnibusque benefacere, diu non licuerit, maturius cum terris surripiente Libitinâ Anno scilicet 1684. die 15 Septemb. ita

Lætitiæ quantæ fuerant, Conradus ut oris
Franconicis cœpit jura verenda dare:
Experta est tantos Eoo Francica luctus:
Nam par lætitiis debuit esse dolor.

ad annum 1684.

LXXII.
Joannes Godefridus II.

Istis super ordinem relatis Inclytæ Ecclesiæ Cathedralis Herbipolensis Episcopis legitimâ & Canonicâ electione cum festivis omnium applausibus & gaudiis successit Anno reparatæ Salutis 1684. die 16 Octobris *Joannes Godefridus* de pervetusto Francorum stemmate *Gutenbergico*. Qui orbi datus â prænobilibus & perillustribus Parentibus Godefrido Wilhelmo de Guttenberg, & Maria Cunigunda Ursula ejusdem stemmatis Anno 1645. die 5 Novembris: Imperialis Ecclesiæ Bambergensis canonicatum obtinuit die 18 Decembris Anno 1654. ad Capitulum ibidem admissus est die 29 Novembris Anno 1674. Cathedralis Ecclesiæ Herbipolensis canonicorum albo adscriptus est die 9 Januarii Anno 1655. Capitulum ibidem accessit die 6 Octobris Anno 1679. Sed nunc ea, qua decet, reverentia, & debitæ observantiæ cultu, ut tanto principi laudum & præconiorum pensum devotissimè, ac possum, persolvam.

Hic aures & vocem erige sub hoc *Principe* felix *Franconia*
ut vel ipsæ aures hauriant virtutes & commoda
Quæ ab hoc *Principe* fluxerunt in Rempublicam *Franconum*;
imò vox omnium *Franconum* suæ saluti gratulationes dicat,
Dum suo *principi* gratias, & iteratum triumphale *Vivat* clamat.
Audite nomen & omen optimum.
Ortus est *Godefridus* â majoribus *Guttenbergiis*
Quos non opus est recensere longa stemmatis serie,
cum omnes in *Godefrido* vivant
Et quorum gloria dum laudatur, ipse adjicit maximam
Majorum suorum sanguinem illustrando virtutibus:
Vix enim Philosophi virtutem tractant in Ethica
Quam ille non traxit ad mores & in scrinium sui pectoris
unde sæpius, imò semper facit prodire ad actus publicos.
Justitiam in *Godefrido* commendant curiæ;
ubi non ad partes, sed ad æquum & rectum inclinat sui affectus pondera.
Affabilem *Humanitatem* laudant omnes
Quia nulli se negat, sed se communicat omnibus,
ut videatur magis alienum, quàm suum bonum quærere.
Fortitudinem etiam admirantur Exteri,
dum vident inter tot *Principum* ruinas
Erectum stare *Franconiæ Principem*
Pietatis ardorem ipsa templa halant, & sonant Cœnobia,
Quibus indixit, & induxit Numinis cultum perpetuum,
ut â Solis ortu usque ad occasum
Imò per ipsa noctis silentia, quæ precibus amica sunt
Laudaretur Nomen Domini.

Prudentiam

Prudentiam obſtupeſcunt res ipſæ, quas ſic prævidet,
ut malas convertat in bonas:
vel ſic providet, ut convertat malum eventum, quem poſſent parere.
Quæ fuit enim calamitas publica, quam *Godefridus* non ſublevavit?
Quæ privata, quam non minuit?
Quæ fortuna beata, quam non fecit beatiorem?
vixit *Franconia* per hunc *Principem* ſerena inter procellas publicas:
malorum fuit tantùm ſpectatrix non particeps
Oculis ſolùm infelix;
cum ſpectaret incendia in propinquo,
Et ſolus flammarum odor, non ardor illam affligeret,
Quando tot inter bellorum fluctus & incendia nutans
vix jam amplius ſtabat Germania,
Tamen nixa ſuo *Godefrido* ſtetit *Franconia*
Sine damno fermè & ſine periculo
Sola malorum fama vel perſtricta vel ſaucia leviter.
Sic bellum, quod aliis provinciis nocuit, imò tulit exitium,
Godefridus convertit in emolumentum *Franconiæ:*
Dum ille intereà in patria & in urbe erigeret omnia,
cum vicinæ urbes caderent, & ipſa urbium nomina.
Si *Godefridi* modeſtia gloriari vellet de ſuâ *Franconia*
ut olim *Auguſtus* de *Roma* ſuâ
Romam inveni lateritiam, & reliqui auream;
Certè teſtimonium dicerent *Franconum* muta ſaxa & ædificia:
Propylæum & veſtibulum ſummæ Ædis ornavit;
plateas & angiportus ubiquè ampliavit;
Curiam novam ſuo faſtigio coronavit,
Julianum Hoſpitale novo ædificio & œconomia nova ordinavit;
Vicinum palatium pro lanificio in ſuſtentationem pauperum ſuſcitavit:
multa alia vel lapſura inſtauravit, vel de novo fundavit.
Sic dum *Godefridus* videretur totus intentus ad civium & urbis commodum
Contendit majore niſu in Eccleſiæ incrementum,
Quam quaſi fœcundo rore irrigavit *Roſa Guttenbergica.*
Eccleſiæ Haugienſi, in quâ magnificè educenda & aperienda
Quatuor Duces Epiſcopi clauſerunt diem ſupremum.
Godefridus impoſuit manum ſupremam
Opus conſummando & benedicendo
Hic finis tam felix erat initium novorum moliminum,
per quæ hinc inde novæ templorum moles excreverunt in patria
Templum magnificum in campis *Förbruckenſibus* novum.
Templum *Höchbergenſe* novo ſplendore illuſtratum.

Templum *Kitzingense* cum parthenone Virginum liberaliter fundatum
Templum *Bremense* ad Rhönam; *Veitshöchense* ad Mœnum.
Templum *Bergreinfeldense, Gostadense* â fundamentis cœptum,
Et ad summa laquearia magnificè fastigiatum;
Templum *Laudanum* ab incendii cineribus resuscitatum;
Fastigium Montis *S. Nicolai* propè urbem sacello coronatum. &c.
Quasi omnis angulus per *Godefridum* deberet Deo sacrari & Angelis,
ut in tot templis cultores essent & adoratores.
Plantavit *Godefridus* seminarium *Godefrideum* novum ad *S. Petrum*,
Quod velut alveare esset
in quo ex rore, quem ministraret gentilitiæ suæ *Rosæ* liberalitas;
Fingerentur devotionis mella & ceræ
Arsuræ olim in aris pro salute totius patriæ:
Adjecit insuper seminarium presbyterorum emeritorum
Dictum *ad Portam Auream*
ut signaret in domus fronte, per quam portam illos vellet ingredi,
Quos labor sanctus defatigavit in vinea Domini.
Quis brevibus lineis exprimat
Tam longam *Godefrideorum* factorum periodum?
Implevit, credo, hactenus *Godefridea* virtus aures & res *Franconum:*
Nunc igitur & vocem erigite *Francones*,
Et mecum in novum pœana clamando erumpite!
Vivat Godefridus Guttenbergicus
Vivat & ex nostris illi DEUS augeat annos
illius inque Rosam purpura sacra fluat.
Sed cũ linguas nostras meritorũ *Godefrideorum* multitudo penè elingues faciat
Vos agite *Franconides Musæ*,
Et cantando Ducem super æthera tollite nostrum.



Franconides

Franconides Musæ

EPISCOPO PRINCIPI AC DUCI

Suo Clementissimo acclamant, accinunt, applaudunt.



IO decus nostrum *Godefride* Secunde! secundent
Quos fasces geris astra tuos, Aquilisquè secundis
Vive dies Aquilæ; nam te lucente secundos
Hactenus & vidit soles, & porrò videbit
Francia Eöa, suo nulli splendore secunda.
Nempè velut *Titan* undis dum spargit Eöis,
Spargit ab axe jubar roseum, camposquè serenat,
Auroraquè nigri depingit culmina Montis,
Et valli variis distinguit lumen ab umbris
Nigrantesquè chaos partus, tristesquè repellit
Noctis relliquias teterrima monstra tenebras,
Et redit afflictis mœsta caligine terris
Et decor & species orientis gaudia solis.
Francia sic primis ortum te vidit ab undis
Quas *Mœnus* volvit fœcundas amne secundo,
Et subito gratum reddebant flumina lumen,
Vitiferique jugi qua vasta cacumina surgunt,
Luxuriantquè humiles lato sub gramine valles,
Spicea vel flavis mater lætatur aristis
Solisequo gratum captant in lumine lumen,
Fœcundisque oculis lucem mirata secundam.
Fata secunda suis prædicunt aurea natis;
Et dedit eventus fatorum summa bonorum:
Nempè quousquè tuos radios *Godefride* secundos
Francia conspexit; fœcundis vitibus uvas
Vidit, & auratæ Cereris bona gaudia vidit.
Circum quaquè suos sparserunt prælia *Martis*
Armorum radios, quorum radiante furore
Et face fulminea, sævos *Vulcanus* ut ignes
Accendit; flagrâre domus, flagrâre labores
Desertæ plebis, *Cereris* deserta loquuntur
Jugera lugentis prati vestigia signant,
Et sicca *Bachus* lingua, siccaque profatur
Voce suos cineres. Nulli luxêre mucronum
Franconico radii cœlo, quia luxit amœnum
Titanis lumen *Godefridi Francidos* oris.

En quæ Franconicis hoc principe vidimus agris
Tempora! propitiis an non fulgentia cœlis,
Auratisque horis, quas ipſe colonus avaris
Optaſſe aut votis, aut proxima Gargara noſtris
Invidiſſe jugis poterant? *Mars* omnia circum
Cum devaſtabat per cædes atque rapinas,
Flammarumque globos urbes & mœnia pulſans
Fluctibus irarum. Quam ſæva procella malorum
Finitimos mergebat agros! Malacia noſtris
Læta renidebat campis: non damna colonus
Ulla ſui pecoris paſſus, non rapta ſupellex,
Non direpta ſeges campo, tutiquè per agros
Erravêre greges: nil raucæ cortis alumnis
Defuit; arma inter ſecurus & agmina paſtor.
Scilicet unus eras clypei ſeptemplicis inſtar
Tu *Godefride* tuis. Qualis ſuper ætheris oras
Ridens fulmineas nubes tranſcendit Olympus
Gaudia pacis agens, roſeoque ſerenus ab oſtro,
Quod phæbea *Tyrus* ſuprema per atria fundit
Semper in orbe micat: Talis *Godefride* nitebas
Montibus his noſtris, & claro *Francois* orbe
Hactenus iratas toto ſtans vertice ſupra
Nubes & nimbos, tempeſtatesque ſonoras,
Aut quascunquè ferox ſortis, *Martisquè* libido
Teutonis in fines potuit glomerare procellas.
Graminei Regina thori ceu Flora per hortos
Inviſit roſeis depicta palatia plantis,
Florilegaquè manu vernantia pignora mulcet,
Lilia pertranſit, violæquè relinquit odores,
Nec Narciſſææ formæ retinetur amore
Purpureo donec thalamo Regina levatum
Rore caput tollat, divumque refundat odorem,
Et roſa centfolium miro decus ordine pandat.
Quod *Chloris* venerata decus, roſæequè venuſtas
Formæ blanditias lingua redolente ſalutat,
Et ſvaves ſtringit gratis amplexibus artus,
Ludentesquè vocat *Zephyros* per florea tecta.
Hæc *Roſa* delicium *Floræ Zephiriquè* favores
Francia ſollicitis pedibus de lata per hortos,
Quos *Mœnus* fauſtis allabens irrigat undis,
Luſtravit florum ſpecies, excepit odores.
Nulla tamen fuerat ſpecies, quæ gratior eſſet,
Quam *Roſa* nullus odor totis qui latior agris
Affluerct roſeo, quo *Francia* capta quievit,
Et *Godefridêo* paſci ſuffecit odore.
Hic *odor eſt Chriſti bonus*; hoc paſcuntur odore
Aræ, Lausquè Dei jugis, quæ nocte dieqne
In templis redolet roſei ſunt moris odores
Myſtica queis redolent ſacratis fercula menſis,
Euchariusque placet cætus, quem *Francia* tota
Et pietatè videt fultum, ſociisquè frequentem.
Sic *Roſa* tu verni diſpergis floris odores,

Et

Et noſtras *Godefriede* tuis virtutibus oras
Paſcis, ceu roſeis paſcuntur odoribus agri.
Francia quam felix quæ Solem nacta, Roſamquè
Lucis, odoris opus, *Montis* quoque culmine felix!
Mons bonus eſt patriæ ſecurum firmamentum.
Hoc firmamento divini culmina cultus,
Stat patriæqué ſalus miſerorum cura laborum.
Hoc fundamento perfecta eſt *Haugia* moles,
Aurea porta ſtetit, divini ſemina cultus
In *Godefridêo* jam ſurgunt tecta favore.
Nititur huic *Monti* ſors deſperata pupilli,
Lanificusquè labor, propius ſtant hoſpita tecta
Ædibus, & fauſto paupertas ordine gaudet.
Fundamenta dedit *Mons*, queis nova curia primis
Aſcendit gradibus, poſuit fundamina divis
Ad cultum tectis, quæ plurima *Francia* novit.
Te *Godefride Bonum Montem* canit inclyta *Francis*,
Et pater es, patrio patriam qui paſcis amore.
Omnia cum premeret latè famis atra tyrannis,
Francia non eguit ſicut Pharaonia Regna
Joſephum novêre patrem: *Godefridus* amatur
Franconiæ noſtræ pater, explevitquè paternæ
Sollicitum curæ munus, patriæque ſalutem.
Quin tua per noſtros micuit *Roſa* florida campos;
Ceu micat æthereis *Cynoſura* ruberrima pratis
Purpureis ridens labiis, tantumquè genarum
Et decus & fulgur ſpargens, quod Numinis inſtar
Affulſit patriæ: quæ verba precantia plenis
Vocibus & linguis ſuperas nunc fundit ad auras:
Ut pro tot duris, quas tractas pectore, curis,
Tot tibi ſint anni, rubri quot murice panni:
Tot tibi ſint menſes, rutili quot *Gradibus* enſes:
Tot videas ſoles, ſurgunt quot in aëra moles:
Quot Perſæ criſtas; numeres tot lætus ariſtas:
Tot numeres dotes, quot nigra Sabaudia cotes:
Quot fera caſtra Duces: quot noctis Regia luces:
Sæcula quot *Neſtor*: quot habet marſupia quæſtor:
Quod votucres Nidus, toties *vivat Godefridus*.
Iò decus noſtrum *Godefride* ſecunde, ſecundent
Sol radiis, & *Flora Roſam*, *Montemque* coronet
Gloria, conſervet patrem polus, omnia fauſta:
Qui Bonus eſt, in Monte Bono DEUS optima ponat.

):o:(



CENSURA

Reverendisſimi & Celſisſimi D. Ordinarii.

DE Clementisſima Reverendisſimæ Celſitudinis ſuæ in hac parte mihi conceſſa facultate datur licentia, ut hoc opus tripartitum *Specula Phyſico-Mathematico-Hiſtorica &c.* intitulatum, ac doctorum virorum judicio omnibus numeris abſolutum, in quo plurimum Reverendus & Religioſisſimus D. JOANNES ZAHN, Sacri & Candidi ordinis Præmonſtratenſis Canonicorum Regularium in Cella inferiori prope Herbipolim Præpoſitus totam Mundi machinam ſingulari ſtudio ac facili methodo oculis perluſtrandam objecit, magnamque Magni Dei per Verbum FIAT nobis commonſtratam omnipotentiam æquè ingenioſè ac nervoſè adumbravit ita quidem, ut quò firmius nobis fides divina radicata fuerit, eò penitius in Conditoris Majeſtatem, quantum humanitus licet, penetrare poſſimus, in lucem edi, ac publici juris fieri poſſit. Herbipoli, 4. Auguſti, Anno 1696.

ADAMUS SALENTINUS BARTHOLOMÆI,
SS. Theologiæ Doctor, Celſisſimi & Reverendisſimi Principis & Epiſcopi Herbipolenſis Conſiliarius, inſig. Eccleſiæ Collegiatæ ad S. Joannem Evangeliſtam Canonicus Capitularis & Cuſtos Librorum Cenſor.

AD SPECULAM
Physico - Mathematico - Historicam Notabilium & mirabilium sciendorum

Debita reverentiæ & æstimationis ergò affixa quædam Emblemata.

I.

In nomen Authoris, quod est

JOANNES ZAHN

Emblema. Demostenes inter libros speculabundus dentibus rodit unguem & calamum.

Epigraphe. - - - Arrosos sapit ungues.

DEns edit, atque molit; quod plus: molitur & edit,
Unus in orbe cibos, *alter* in orbe libros.
Apta parat ventri *Primus*, sed pabula menti
Alter, ut æternos vivat in Orbe dies.
Quod si laurigeri vivant post fata Poëtæ,
Quid ni hujus Libri vivat & ipse parens.
Candide *Dens* libris mentes pascendo perennem
Fama tua ingeniis afferet ipsa famem.

II.

In Authoris insigne, quod est caput Elephantinum cum dente eburneo.

Emblema. Caput Elephantinum armatum proboscide, ac dente eburneo.

Epigraphe. - - - & dente & mente triumphat.

MOle potens Elephas *& dente & mente triumphat*
Abdita *mente* capit; fortia *dente* rapit.
Turriger ille Heros meritò hinc prudentior audit
Inter quadrupedes, quos tegit umbra, feras.
Cernin *Dentis* opus! Quis dicere possit acutus
Num magis hic *Dens* sit, *Mens* vel acuta magis?
Judex esto *Paris:* nobis sine lite videtur
Inter ut ille feras, Author hic esse Viros.

III.

In Authoris opus, quod inscriptum est

Specula Physico - Mathematico - Historica notabilium & mirabilium sciendorum.

Emblema. Turris seu Specula omni armorum apparatu instructissima erecta seu plantata supra Elephantem.

Epigraphe. - - - Elevante DEO.

STella *levante DEO* supremum surgit ad *Auge*;
Sic Elephas pressus turre resurgit humo.
Hic vir, qui cerebro fert *mentem* & nomine *Dentem*
Altum surrexit sæpè *levante DEO.*
Nunc iterum surgit *Specula* decoratus onusta,
Omnia quæ Mundi climata docta gerit.
Tu *Speculæ* molem speculando hinc collige Lector,
Quod leve nil portet, quem *DEUS* ipse *levat.*

F. G. S. J.

c 7 EPIGRA-

❧ ❧ ❧

EPIGRAPHE

Amoris & obſervantiæ fraternæ aquis fortibus inarata

AUTHORIS

Speculæ Phyſico-Mathematico-Hiſtoricæ notabilium & mirabilium ſciendorum.



Ens aliàs *Dentem mordet: Dens* iſte ſalutat
  Dentem, illiquè ſuas reddit amando vices.
Sint procul â nobis *morſus*, ictusquè moroſi;
  Verus enim fratrum lædere neſcit amor.
Mordeam ego *Dentem Dens?* illum quomodò *Dentem*?
  Qui meus eſt Pylades, & meus alter ego.
Aut vice me verſa *Dentem Dens mordeat* ille?
  In quo nil *mors*, nil *mordeo* juris habet.
Nam ſi Grammaticis deducta â *mordeo mors* eſt,
  Hic *Dens* nil *morſus*, nil quoquè *mortis* habet.
Morſus abeſt ſcriptis: aberit *mors* ſemper ab illis
  Syllaba famoſis non metuenda viris.
Dum res Franconiæ ſtabunt, dum Pampinus uvas
  Dum feret undoſas gurgite Mœnus aquas.
Dum bibet Oceanus vivos per littora Mundi,
  Dum liquidus glaucis Nereus ibit æquis.
Dum Titan rutilas per mundi climata bigas
  Ducet, & auratas Luna per aſtra rotas;
Hedera ſcriptorum florebit viva tuorum;
  Fulgebunt *Speculæ* lumina clara tuæ.
Scriptorum fontes ætas ventura tuorum,
  Oceanum veluti flumina parva bibet.
Tunc ego Letheis ſine nomine ſorptus ab undis
  Omnibus ignotus finibus hoſpes ero.
Alter lucebit tunc *Dens*, ſine Caſtore Pollux
  Dens oriens alter, noctis & alter erit.
Si fratrem Pollux alternà nocte redemit,
  Nox quoquè fraterno â lumine noſtra micet.
Sed quoniam nequeo meritis, in nomine ſaltem
  Cum fratre æternos trânſigam in orbe dies.
Sic *Dens* non *mordet Dentem*, ſed ſvave ſalutat,
  Illumquè æternis devovet hiſcè cedris.

Dentes

Dentes & *mentes* modò jungant aſtra perennes:
Eſto ferat mundus cætera, jam ſatis eſt.

Sacro ſuo ſic Pyladi

Devotus Oreſtes

JOANNES WILHELMUS ZAHN
Authoris frater Germanus Parochus in Stetten ad VVerrham Capituli Ruralis Caroloſtadiani Definitor.



APOLLO

Votum Nepotis Authori profert.

Uſa quid Antiquos laudem ſcribendo petentes
Authores memoras: rumpe repentè moràs.
Authorem nunquid cernis, qui dogmata ſcripſit,
In quibus ut mappa terra, polusquè patet.
Quarè tyronis votum non temne Magiſter
Subjectiva libri pars cupit eſſe Nepos.
Qui tibi devotus devoto carmine votum
Offert, ſordeſcant non tibi vota mea.
Ergò parnaſſi præſes facundus Apollo
Votum fac notum, non bene noſco modum.
Audit, vota refert: per ſæcula floreat Author,
Floreat usquè ſolum ſe facit eſſe polum:
Floreat, ut floret defuncto Caſtore Pollux,
Sit mihi Lux Author, Dux mihi talis erit.
Vivat & in librum me partem conferat Author,
Vivere parnaſſi te mea Muſa jubet.
Et poſtquam Dens orbe, velut Dens ore micaſti
Perdita ſtella ſoli ſis nova ſtella poli.

Ita accinebat

Devotisſimus ex fratre Authoris Nepos

JOANNES NICOLAUS ZAHN
Philoſophiæ Studioſus Fuldæ.

EPIGRAM-

EPIGRAMMA
Chronodisticè aggratulatorium.

IVpIter In parvo Cernens neXa æthera VItro
 aD ſVperos DIVos taLIa Verba Dabat.
 hVCCIne MortaLIs progreſſa potentIa CVræ eſt?
 CVI VerteX terræ CLarVIt atqVe poII?
o sI Is VIDIſſet tVa prorſVs ebVrnea ſCrIpta,
 natVras rerVM qVeIs penetrasqVe poLos.
Ioannes aqVILa es VoLItans ſVper æthera ſVrſVM,
 eXpers In terra- ſydereIsqVe gLobIs.
CanDIDVs IngenIo penetraſtI arCana tonantIs
 LVX aCCenſa tVa eſt CæLItVs, uſqVe flagret,
aC obſerVanDo tIbI ſerVIat VtILe tempVs
 qVo tVa sIt terrIs aVrea Vena patens.
De MIrabILIbVs Ioannes perge Iehovæ
 ſCrIbere & eX ſVperis sIt tIbI, Vena VIgens.
aVgVror è Voto poſt ſera Vt fVnera VIVas;
 namqVe ſtat hIs ſCrIptIs gLorIa nota DeI.
LaVrea DebetVe tIbI, præſtoqVè InfVLa fVLgens
 præMonſtratenſIs, qVa qVaſI phœbVs erIs.
præpoſIte hIs DonIs gaVDens tIbI gratVlor, Vt qVI
 sæpè DeI rebVs ſpIrItV Ineſſe CVpIs.
sIC ſaCra In VIrtVte DeI ſVper aſtra CorVsCas
 eIVs qVa CanDens tV ſpeCVLarIs opes
qVare Inſtar ſpeCVLI trIbVIs noVa mVnera terræ,
 Vt per te fIat notVs In orbe DeVs
gratVLor hInC rVrſVs: Ioannes VIVe perennIs:
 te, Vt CLarens Maneas, CæLICa Caſtra IVVent.
CanDIDVs orDo tVVs Vernans effLoreat orbI,
 eIus Ioannes VIVe perenne IVbar.

Ita aggratulando cecinit

AUGUSTINUS CASIMIRUS REDELIUS
Belga Meckl. Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Laureatus Poëta,



PRÆFA-



PRÆFATIO
AD LECTOREM.

ARduum Opus aggredior, cùm magis Notabilia & Mirabilia (hoc eſt, ſcitu magis digna & admiranda) in Univerſæ Naturæ, ſive Mundi hujus admirabilis Oeconomia diſquirere, eaquè ſuccinctâ methodo in Epitomen pro faciliori naturalium ſcientiarum captu colligere tento. Audax factum! non tamen temerarium. Quia licet hoc meo conatu, ſi ſcopum, ut intendi, fortaſſis non aſſequar; ad eum tamen temerè mè collimâſſe non dicar, cùm antiquitùs illud jam pervulgatum mihi adhuc favere poſſit.

In Magnis voluiſſe ſat eſt

An equidem magna dici non mereantur, Megacoſmum ſivè Mundum hunc magnum & comprimis ejus ampliſſimos ſidereos tractus, totiusque Expanſi vaſta & immanea Corpora cum eorum motibus & motuum apparentiis, atquè ex iisdem Aſtrologicas doctrinas & judicia; temporum itidem indè manantium prolapſus & intervalla; nec non Mundi Elementaris Atmo-Sphæram & coruſca plurimùm in eâdem phænomena; Mundi deindè ſubterranei, ſivè Geocoſmi ingentem apparatum, ſuperbum luxum, prædivitem theſaurum tam ex foſſilium ac vegetabilium, quàm etiam Animalium Regno collectum cum eorum omnium Principe & Domino, hoc eſt, Homine ſivè Microſmo ita velut ex Speculâ (nempè & recondita & arcana multa perveſtigari, nec non quamplurima palàm expoſita accuratè ſimul obſervari queant) Curioſis omnibus Coſmoſophis ſpectanda proponere? Hæc ipſa cùm ita paucis quaſi in Speculâ monſtravi, magna meritò cenſeri debent, licet parva periphraſi indicata ſint; cum quaſi *Homeri* ilias unicâ nuce concluſa, nondum effracto cortice evoluta ſic per me proferatur, ut præter levem conjecturam nihil hinc de latente meliori intus nucleo occultioris ſcientiæ animadverti queat.

Quantum verò pro communi literarum bono hunc meum conatum profuturum credam, ex cauſâ potisſimùm, quæ huc me impulit, haud difficulter cuivis patere poterit; cùm ea præcipuè ſit: quod cum advertiſſem multos, eosque ex Magnorum & Illuſtrium virorum numero, qui ſæcularibus aliis haud levibus curis ac negotiis continuò penè immerſi ſunt, nec pergrandia Nobiliorum Scriptorum monumenta (in quibus multa ſæpè juxtà tramitem procurrunt) evolvere queunt; dum interim ad omnes Secretiores ſcientias miro quodam ardore ſciendi exæſtuant, optimo ſuo deſiderio fruſtrari. Idcircò operæ pretium judicavi ex iis, quæ alii perdocti Viri ampliori diducunt argumento, nucleum eximere, & relictis iis, quæ levioris momenti cenſentur, digniora quæque in opus unũ congerere, ibidemque omnia ſic coordinare, & peraptè diſponere, ut ad captum cuivis facilè accomodata ſervire poſſint. Eſt enim doctiſſimo huic Sæculo ita comparatum, ut niſi nova & anteà planè incognita proferantur, aut antiquiora

antiquiora saltem ità brevi compendio contracta sale quodam Chilonio condiantur, omninò statim ad primum aspectum desipiant: siquidem in tanto Artium, scientiarum, & quarumvis disciplinarum incremento, quo felicissimè hæc nostra tempora triumphant, non quæritur inventorum ad eadem latiùs exponenda amplitudo, sed enucleatus ex iisdem fructus, qui misso putamine velut inutili solùm gratiam & gustum sui cultoribus afferre possit.

Quapropter ingenuè fateor, multùm me Temporis & laboris impendisse, ut ea tam diversa argumenta ex diversis Authoribus conquirerem, & in unum ordinatè corpus coäptarem. Plura etiam ipsismet Authorum verbis transcripsi, quod ea tàm benè conscripta mihi viderentur, ut quidquam addere vel demere ad evitandam omnem difformitatem nefas existimarem, imitatus illum, qui canit:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:
Omnia sic itidem decerpsimus aurea dicta.

Fidem, si quæ dubiam, aut nullam mereri censeantur, juxtà citatos Authores illam relinquo, & suam cuique de omnibus judicandi libertatem permitto. Ego miranda quæcunque, ut oblectamenta profero, quorum gratia pro palato est. Hoc tamen etiam perpendi volo, quod *Jonstonus* Clarissimus Author circà finem operis sui de avibus ait: *Veritatem ad suum arbitrium exigere, & inter mendacia reponere, quidquid palato non arriserit, imprudentis nimìs, & in Deum, Universam creaturam & humanum genus injurii hominis est.* Nequè hoc etiam malè mihi verti sino, quod in controversis quibusdam materiis aliorum quidem sentimenta comportem; meipsum verò, cui parti subscribam, minimè declarem: *Tullium* equidem sequor docentem *in eâdem re paria contrariis in partibus momenta rationum, cùm inveniuntur, faciliùs, imò tutiùs ab utraque parte assensionem sustineri.*

Denique hoc etiam meritò tibi Lector benevole ingerere debeo, quod dudum jam scripsit *Conradus Gesnerus in præfat. Operis sui de Aquatilib. Boni certè viri est*, inquit, *primùm velle prodesse, deinde hoc ipsum certâ ratione & viâ instituere prudentis: deniquè fortis in labore perseverare.* Quod certè conatus sum in præsenti opere præstare. Tuum igitur nunc erit hanc meam, quâ tibi prodesse volui, voluntatem bono, & æquo animo acceptare. ac mecum si Sciendorum Notabilium & Mirabilium cupidus es, jam ipsam Speculam accedere, in quâ notabiliora & mirabiliora quævis in tota Mundi mirabilis Oeconomia sagaci intuitu facilè perscrutari & perlustrare poteris. Ut etiam ea ipsa quantocyus pervidere possis, quæ toto hoc opere exhibentur, inspice sequentem Elenchum, ubi contenta quævis succinctè adumbrata spectare valebis.



ELEN-

ELENCHUS TITULORUM
&
Series totius Operis.

Speculæ Physico-Mathematico-Historicæ Mundi mirabilis Notabilium & Mirabilium sciendorum.

SCRUTINIUM I.

præliminare

De Mundo in genere, ejus Origine, structurâ ac partium coordinatione

PROOEMIUM pag. 1.

Speculæ Physico-Mathematico-Historicæ Mundi Mirabilis Notabilium & Mirabilium sciendorum

SCRUTINIUM II.

Urano-cosmicum

Quo nimirum Superioris sive cœlestis ac siderei Mundi tractus; & in eis phænomena magis notabilia & mirabilia deteguntur.

PROOEMIUM pag. 33.

Disquisitio I. Astro-scopica

Quâ Cœli siderei phænomena magis notabilia & mirabilia deteguntur, & recensentur. pag. 35.

Caput XI.



Disquisitio. II. Cometo-scopica

Quâ nova subinde in cœlo enascentia Phænomena cum notabilibus & mirabilibus eorum affectionibus & apparentiis deteguntur & recensentur. pag. 130.

Catalogus I.

Catalogus II.

Disquisitio III. Astro-critica.

Quâ juxta Astrologorum mentem varia ex cœlestium corporum naturis, qualitatibus, motibus, congressibus, aspectibus, similibusque accidentibus judicia formari solita ad aliquam Astrologiæ judiciariæ notitiam acquirendam investigantur.

p. 216.

Caput XI. De



Speculæ Physico-Mathematico-Historicæ Mundi mirabilis Notabilium & Mirabilium sciendorum

SCRUTINIUM III.

Atmo-cosmicum

Quo Mundi Elementaris Medii inter cœli concavum & Terræ convexum constituti Phænomena magis Notabilia & Mirabilia perlustrantur & recensentur.

PROOEMIUM pag. 307.

Disquisitio I. Aero-scopica

Quâ abdita aërei Elementi Phænomena circà ejus gravitatem; vim elasticam, mobilitatem, alterationem, salubritatem; aliasquè hactenùs compertas qualitates & affectiones eruuntur & in medium producuntur.



Disquisitio II. Anemo-scopica

Qua abditæ & arcanæ Ventorum causæ, vires, & reconditæ proprietatis investigantur.

pag. 333.

Disquisitio

❦ ❦ ❦

Disquisitio III. Meteoro-scopica

Quâ præcipuorum quorundam in Naturâ Meteororum causæ, affectiones, seu proprietates ac Phænomena potiora perquiruntur. Pag. 355.

Caput XII.



Speculæ



Speculæ Phyſico - Mathematico - Hiſtoricæ

TOMUS II.

Continens Geocoſmi, ſive Mundi terreſtris notabilia & mirabilia ſcienda.



Speculæ Phyſico - Mathematico - Hiſtoricæ, Mundi mirabilis & Notabilium & Mirabilium ſciendorum.

SCRUTINIUM IV.

GEO-COSMICUM

Quo Mundi inferioris, ſivè terreſtris admirandum opificium, abdita & perampla in eodem Naturæ Majeſtas, vis & divitiæ perluſtrantur, ac quidquid in eo rarum, inſolitum, & portentoſum reperitur, curioſo Lectori in medium adducitur ac recenſetur.

e Caput III. Mon-



Disquisitio II. Botano-scopica.

sive


Phytognomica.

Quâ Naturæ vegetabilis Regnum perlustratur, & abditæ quarumlibet plantarum vires, arcanæ proprietates & variæ qualitates explorantur ac recensentur.

§. VI. Fructu-







Disquisitio III.
ZOO-SCOPICA

Quâ Regnum Naturæ Animale perlustratur, ac multa in eo Notabilia & Mirabilia scienda deteguntur & proferuntur.

Caput VI. Mira-



SPECU-



Speculæ Physico-Mathematico-Historicæ

TOMUS III

continens Microcosmi notabilia & mirabilia scienda.

Speculæ Physico-Mathematico-Historicæ Notabilium & Mirabilium sciendorum.

SCRUTINIUM V.

Micro-cosmicum

Quo Homo totius creatæ Naturæ finis, Mundi Epitome, & mirabilium omnium Miraculum maximum investigatur & perlustratur.

PROOEMIUM pag. 1.

Disquisitio I. Somato-scopica.

De Corpore humano ejus formatione, partium distributione, symmetria, signatura ad internas propensiones indicandas, variis aliis accidentibus & circa ipsum miraculis.



Disquiſitio II. Pſychoſcopica

Quâ Microcosmi Spiritus animaſticus, ſive Anima humana, ejus facultates & potentiæ, atque varia circa Ipſam notabilia & mirabilia inveſtigantur. Pag. 89.

§. III. Inediæ

f 2 §. II. Monita

AUTHOR
ad librum & Zoilos.

ERgò reformidans timidè Liber ibis in orbem,
 Et metues doctas tristis adire manus.
Ingeniis nequeunt cunctis quæcunque placere:
 Sic nequè tu cunctis, credo, placere potes.
Omnia sunt doctis congesta hæc ex monumentis:
 Cur igitur Doctis non placitura times.
Ducite vos vultus, qui temnitis ista loquentes:
 Ex aliis scripsit; nos poteramus idem.
Si poteratis idem; cur non fecistis id ipsum:
 Hæc non fecissem, si prius ista forent.
Scilicet est cultor studiorum quisquè suorum:
 Quod sapit, hoc callet quisquè, magisquè facit.
Ergò magis sapias, magis & facias tua, quisquis
 Hæc torvo vultu despicienda putas.
Hoc rogo, si quicquam novisti rectius istis,
 Candidus imperti. Si nihil: ista proba.

Præmonitio ad Lectorem.

Quod solliciti circa liberos suos, cum in publicum prodire contingit, maximè curant parentes, est in corporis cultu munditia, in excessu gravitas, in morinibus probitas: neglectu verò eorum, quorum curæ in parentum absentia committuntur, dum alienum hi, non genuinum intus benè radicatum ad ipsos habent animum, accidit persæpè, ut immundi, deformes, incompti ac sordidi cum molestâ vituperii nota aliorum in oculos incurrant. Idem accidit scriptoribus circa libros, ingeniosos inquam suos partus, quos dum in publicum prodire faciunt; libentissimè vellent, ut & ipsi mendis omnibus repurgati, probè compti, & compositi Doctorum Virorum, aut quorumlibet Censorum oculos subire possent. Verùm incuria, imperitia aut negligentia eorum, quibus ejusmodi partus minus cognati sunt, eorum tamen curæ & tractationi committuntur, accidit, ut non sine insigni Authorum offensa & dolore valdè vitiosi, & variis mendis deturpati in publicum procedant. Idem ipsum in præsenti hoc opere mihi obtigisse haud parum doleo. Quocircà Benevolum Lectorem præmonere, & enixè rogare volui, ut ob absentiam à typis ingestos errores, vitia, & menda benignè inspicere & interpretari velit. Potiora quædam errata, quæ obitaneâ revisione licuit observare, ad finem cujusque tomi annotata sunt; ut cum Lectorem forsan in operis decursu hallucinari contigerit, ibidem, ut corrigenda sint, videri possint. Plures errores alii præsertim in marginalibus & paginarū numeris neglecti sunt; ut & cum aliquæ literæ pro aliis suppositæ sunt velut, c pro e, n pro u, ff pro f, ſſ pro ſ. &c.

Qui bonus excusat; qui non est, omnia culpat.
Sis bonus, aut non sis: facilè censura probabit.

SPECULÆ



SPECULÆ PHYSICO-MATHEMATICO-HISTORICÆ MUNDI MIRABILIS

Notabilium & Mirabilium

Sciendorum

SCRUTINIUM I, PRÆLIMINARE

DE

Mundo in genere, ejus Origine, Structurâ, ac partium coordinatione.

PROŒMIUM.




Omani fama decúsque fori *Tullius Cicero Tusc. Quæst. lib. ult.* refert ex *Heraclyde Pontico Platonis* auditore venisse aliquandò *Pythagoram* ad *Leonem* Principem Phliasiorum, & cum eo doctè, ac copiosè quædam disseruisse: Cujus ingenium, & eloquentiam cùm admiratus esset *Leon*, quæsivisse ex eo, quâ maximè arte consideret? At illum artem se quidem nullam scire, sed esse Philosophum, respondisse: Admiratum *Leonem* novitatem nominis; denuò quæsivisse: Quinam essent Philosophi, & quid inter eos, & reliquos homines interesset? *Pythagoram* reposuisse: *Similem sibi videri vitam hominum, ut Mercatum eum, qui haberetur maximè ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alii emendi, aut vendendi quæstu, & lucro ducerentur: esset autem quoddam genus eorum, idque vel maximè ingenuum, qui nec plausum, nec lucrum quærerent, sed visendi causâ venirent, studioséque perspicerent, quid ageretur, & quandò.* Ità plures sic ex aliâ vitâ, & naturâ in hanc vitam quasi ex Urbe aliquâ ad mercatûs quandam celebritatem profectos *alios quidèm gloriæ servire, alios pecuniæ, raros esse, qui cœteris omnibus pro nihilo habitis Naturam studiosè intue-*

rentur; hosce appellare Sapientiæ studiosos, id est Philosophos, quorum studium sit Spectare; sic etiam in vitâ longè omnibus studiis contemplationem rerum naturalium cognitionémq; præstare. *Hæc Leoni Pythagoras* quasi ex tripode, ut ajunt, *Apollinis.*


Ità verè his consonat, quod scripsit *Seneca: Nemo Aratorum Ægypti cœlum aspicit*: Nemo scilicet mundanis inhians mundum, ut debet, incolit, dùm quid colere debeat, non discernit: Nemo Mundi se colonum sciens, quid præcolendum, inspicit, ac attendit, sed undè eventus, & lucra exspectet, quæstus faciat, aciem omnem intendit. Sed ideò nec multi Sapientiæ student; pauci philosophantur, quià verè sapere non nôrunt, aut non volunt, dùm quid *spectare* conveniat, ignorant. Rectè igitur *D. August. lib. 50. homiliarum, hom. 32. Siccinè,* ait, *uti oculis debes, ut pecus tantùm ut videas, quid addas ventri, non menti? Erige rationalem aspectum, utere oculis ut homo; intende cœlum & terram, ornamenta cœli, fœcunditatem terræ, volatus avium, natatus piscium, vim seminum, ordinem temporum: intende facta, & quære factorem; aspice, quæ vides, & quære, quem non vides.*

Agamus igitur hoc opere, ut veri Sapientiæ cultores dicamur, & simus, Mundi comprimìs originem, structuræ ejusdem perfectionem, & magnitudinem, ac plura alia, quæ generaliùs de admirandâ ejus fabricâ prænôsse convenit, in proscenium adducamus, & ità perlustremus, ut iis præcognitis è *Speculâ* nostrâ prospectum ad mirabiliora, scitùque digniora phænomena, deindè ampliùs non tantùm per immensos superioris, hoc est, cœlestis Mundi tractus, sed & in intima Mundi Inferioris, sivè Elementaris ergasteria protendere valeamus. Sit autem præcipuus finis, ac scopus hujus operis ità investigare, disquirere, *Spectare* Naturam, atque ejus notabilia, & mirabilia, ut Naturæ hinc notare, & cognoscere, cognoscendo admirari, admirando flagranter desiderare, desideriis tandem expletis assequi, & unicè amando amplecti liceat Authorem.





CAPUT



Publica Naturæ dom
Finibus amplectens
Stellarumque chor
CÆLUM
cæleste
Cælum Planetarium.
Cælum
Cælum
URANO-
ATMO-
MUNDUS
Aquæ
Hæc est Naturæ Series
Vertitur; et Mundos C


his contenta tenetur
ntum terrasque jacentes
t Mundi flammea tecta.
EMPYREUM.
Aqua
Sidereum.
Cælum planetarium.
GEO
COSMUS.
COSMUS.
supercœlestes
Sic Orbis in Orbem
stis flamma coronat.

CAPUT I.

De Mundi variis appellationibus, & acceptionibus, partium dispositione, & ordine.

Mundi variæ acceptiones.

Mundus, qui teste *Plinio Nat. hist. lib.2. cap. 1. & 4.* sic dictus, quòd eo nihil sit mundius, pulchrius, & ornatius, à Græcis ob eximium ornatum vocatus κόσμος, ab Hebræis verò *Holam*, quòd jam per aliquot sæcula subsistat (quasi dicatur sæculum, in quo rerum ortus, & interitus sit) Rectiùs à Latinis ob rerum omnium complexum, & copiam appellatur Universum: Undè etiam à Marciano definitur, Universitas creatorum conglobata in Sphæræ modum. Mundi equidem figuram rotundam esse censent Philosophi, & Astronomi penè omnes (de aggregato ex cœlo sidereo, & Elementis est sermo; Empyreum enim cum aquis supercœlestibus ad Theologos, & Sac. Scripturæ Interpretes pertinet) colliguntque probabiliter ex eo potissimùm, quod nobilissimo, & omnium capacissimo Corpori nobilissima, & capacissima debeatur figura, qualis est sphærica: Undè dicit idem *Marcianus*: Nec fuit alia figura Mundo ità congrua, sicut Orbicularis, & rotunda, & hoc propter Universitatis perfectionem, & propter illam, quam habet in esse perpetuo cum suo Opifice, qui fine caret, & principio, configurationem. Addunt alii prætereà, indè quoque argui ejus rotunditatem, quòd cœlum serenis diebus, & noctibus appareat concameratum; quòd siderum motus ab Oriente in Occidentem sit circularis, præter plures alias rationes, quas apud illos videre licet.

Ejus figura est sphærica.

Mundi varia acceptio.

Celebratur autem potissimùm tàm apud Veteres, quàm novos etiam Philosophos, & Theologos acceptio *Mundi* quintuplex, ac dicitur comprimìs alius Mundus *Archetypus*, alius *Angelicus*, alius *Elementaris*, alius vocatur *Mundus Magnus*, sivè *Megacosmus*, & tandem alius *Mundus parvus*, sivè *Microcosmus*, qui est homo. Ideò autem hic *parvus Mundus* nominatur, quòd omnium in unum confluentium naturarum possessionem, & totius Universitatis summam in se contineat. *Magnus* verò *Mundus* vocatur propriè *Universum*, estque tota creaturarum omnium collectio. Per Mundum *Archetypum*, sivè *intelligibilem*, ac *Idealem* indicatur *Mens divina*, in quâ sunt omnes formæ, & Exemplaria rerum faciendarum; vel ut rectiùs definivit *D. Augustinus 1. Retract. cap. 3.* dùm ait: *Mundum istum aliud non esse, quàm rationem sempiternam, & incommutabilem, quâ fecit DEUS mundum.* *Angelicus Mundus* triplici Angelorum hierarchiâ constat. *Elementaris* porrò est, qui componitur ex quatuor Elementis & corpore cœlesti, quod etiam *Elementum* vocat *Aristoteles lib. 3. de cœlo cap. 1. text. 1. Meteor. 1. cap. 3. & initio libri, de color:*

Mundus sidereus, & Hylæus.

Aliis tamen Cœleste corpus distinguere ab *Elementari* & *Hylæo* Mundo, ac *sidereum* Mundum vocare placet, ità ut *sidereus* mundus dicatur illa compages superior, quæ ex lucidissimis quarumvis stellarum facibus coordinatur aptissimè; *Hylæus* verò sit Compages ea inferior, quæ ex quatuor Elementorum, & aliis quibusdam mistorum classibus construitur, ut meliùs infrà exponetur. Undè necessariò sextuplex Mundi emergere debet acceptio.

Nos porrò in hoc opere *Mundi Sidereo Elementaris* structuram triplici sub rerum differentiâ indagare, & perscrutari conabimur, dùm nempè complexum Cœli & Terræ cum Atmosphæra huic circumfusâ ità intuebimur, ut prius Scrutinium sit, & dicatur à nobis *Urano Cosmicum*, alterum *Atmo Cosmicum*, post hoc aliud *Geo Cosmicum*. Complexi verò hujus partes præcipuæ, cùm sint Cœlum, & Elementa; partium earum talis est dispositio, & ordo, ut comprimìs in medio Elementaris Sphæræ sit Terra, omnium nempè Elementorum gravissima. Terræ partìm infusa, partìm circumfusa est Aqua, Oceano, maribus, fluminibus, lacubus, fontibúsque discreta, unúmque cum Terrâ globum constituens, qui ob id etiam *Terraqueus globus*, seu uno vocabulo *Terraqua* appellari solet. Circà *Terraquam* est *Atmosphæra*, sivè expansus aër in tres distinctus regiones, *infimam*, scilicet, *mediam* & *summam*. Circà aërem putatur esse ignis, quem aliqui meliùs defæcatum aërem; alii verò, me quoque annuente, appellant Ætherem, cùm ignis careat proprietatibus, ut qui nec lucere, nec urere, nec pabulo indigere à sui Assertoribus dicatur. In hujus autem Ætheriis superioribus, & altioribus tractibus choreas suas peragunt sidera tàm planetaria, sivè Errantia, quàm fixa, sivè Stellæ, quarum locus & Firmamentum dici meruit; sicut errantium stellarum locus propriè Cœlum planetarium; totum verò complexum

Mundi partium dispositio & ordo.

xum ex cœlo planetario, & firmamento *Cœlum sidereum* appellari consuevit. Circà putatum ignem, sivè *Cœlum sidereum* supereminere volunt aquas supercœlestes, & his incumbere *Cœlum Empyreum*, quod Scripturæ sacræ est tertium Cœlum respectu habito ad *sidereum*, quod est secundum, sicut & *Aëreum*, quod primum esse censetur. Undè facilè intelligi potest, quò raptus sit *D. Paulus*, cùm scripsit *2. Cor. 12.* se raptum fuisse *in tertium Cœlum* (hoc est *Empyreum*) *ibiq; audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Benè proindè cecinit antiquus Poëta *Manilius lib. 1. Astron:*

Est igitur Tellus mediam sortita cavernam
Aëris, & toto pariter sublata profundo.
Nec patulas distenta plagas, sed condita in orbem
Undiq; surgentem pariter, paritérque cadentem.
Hæc est Naturæ facies; sic Mundus & ipse
In convexa volans, teretes facit esse figuras
Stellarum, solisq; orbem, Lunæq; rotundam.

Mundi pars activa & passiva. Solent præthereà communiter Philosophi, & Astronomi Mundum sensibilem in duas partes dispescere, quarum ea, quæ est nobilior, & simplicior, & à concavo Lunæ sursùm sese extendit, *Activa* nominatur, eò quòd cœlestis hæc pars, quæ nihil aliud est, quàm propriè Cœlum sidereum, ad rerum inferiorum productionem concurrat, tanquam principium activum: Altera verò pars inferior, quæ Mundus elementaris dicitur, *Passiva* nominatur, cùm iste Elementaris Mundus sese habeat respectu cœli, ut principium passivum, sicut omnes Peripatetici fatentur, & rectè eorundem Princeps Aristoteles docuit; Infernanempè supernis lationibus subdi.

Ex quo proindè facilè concludi potest, quòd cùm producens cum producendo, sivè activum cum passivo assimilari debeat; Materiam esse subjectum assimilationis, adeoque hanc in utrisque Mundi partibus diversam non esse, sed tàm cœlestem, quàm sublunarem, sivè Elementarem esse planè eandem, ut jàm plerique Authores optimi statuunt. Quocircà quæcunque in Mundanâ Fabricâ existunt, quoad materiam censentur esse ejusdem rationis, & entitatis. Omnis verò diversitas, quæ in mundanis quibuslibet corporibus reperitur, ea non materiæ, sed formis substantialibus, ac qualitatibus individuantibus adscribi debet. Sed de hoc uberiùs infrà. Materia Mundi ubivis eadem.

Licet itaque Mundus ex multis rebus oppositis & invicem contrariis sit compositus: Est tamen in se unus propter materiæ unitatem: Undè non divisus in se, neque diversus secundùm substantiam, quamvis in ejus partibus, seu quibusvis corporibus inveniatur contrarietas quoàd qualitatum repugnantiam, & dissimilitudinem, cum quâ tamen adhuc summa in toto convenientia, & quasi musica harmonia, uti etiam illi rectè adscribitur, consistere statuitur.

* * *

CAPUT II.

Errores varii circa Mundi productionem & ejusdem Originem.



Plura fuerunt Philosophorum & antiquorum Sapientum placita, vel, ut rectiùs dici potest, commenta circà Mundi productionem, quæ commemorat *D. Ambrosius lib. 1. Hexam. cap. 1. D. Augustinus lib. 18. de civit. cap. 41. Albertus Magn. in Summ. de hom. in quæst. de hom. tabernaculo, art. 2.* Aliqua hìc breviter recensere, haud erit injucundum.

Mundum qui statuerint ab æterno. 1. Imprimis turpis fuit error *Stratonis Lampsaceni*, qui finxit Mundum esse ingenitum, non ab alio unquam conditum, sed per seipsum vi suâ ab æterno extitisse. *Aristoteles* verò, quem etiam secuti *Simplicius, Avicenna, Averroës*, & alii Peripatetici, voluerunt DEUM necessitate Mundum condidisse ab æterno. Positâ enim causâ, uti ratiocinabantur, omninò completâ ad agendum, statim sequi debet ejus effectus, maximè si ejus actus sit ejus substantia: cùm igitur DEUS ab æterno fuerit causa omninò completa ad agendum, & ejus actio creativa fuerit ejus substantia, & Deus sit Ens absolutè necessarium & simplicissimum, idcircò concludi debere voluerunt Mundum fuisse à Deo conditum ab æterno, aliàs eidem DEO advenisset nova voluntas condendi Mundum, quod ejus immutabilitati repugnat.

Sed facilè solvitur argumentum ex hoc, quod Deus sit quidem Causa Mundi, ea tamen non necessaria, sed libera, quia nempe de naturâ Entis perfectissimi censetur esse liberè agere, cùm etiam actio DEI sit infinita in genere actionis, & formaliter immanens, potuit tamen ut virtualiter transiens effectum etiam ad extrà attingere: Item licet sit æterna, potuit rursùm eundem effectum attingere eo tempore, quo placuit, libuit, ac voluit. Sed de hoc vide Scholasticos.

2. Demo-

Democriti & Epicuri Sententia.

2. *Democritus*, & *Epicurei* statuerunt Mundum fortuitâ atomorum concursione genitum & productum, eundemque aliquandò corrumpendum, ut quodvis aliud corpus ex Elementis coagmentatum, nec iterùm restaurandum.

Empedoclis & Heracliti.

3. *Empedocles* verò & *Heraclitus* voluerunt Mundum vicissim generari, atque etiam interire, nunc scilicet amicitiâ congregante, nunc lite dissolvente.

Pythagoræ & aliorum sententia.

4. *Pythagoras*, sicut & *Priscillianistæ*, ac *Manichæi* asseruerunt, duo esse rerum Principia, sivè duos DEOS, Unum bonum Conditorem Spirituum: alterum malum Creatorem corporum. Communiùs tamen plures ex Ethnicis tenuerunt duas rerum omnium in Mundo Causas, sive Principia, undè nempè res omnes suam trahant originem: Unam earum causarum voluerunt esse bonam, à quâ scil. res bonæ, ut sunt stellæ, plantæ, homines & omnis generis animalia processerunt, vocâruntque *Oromasdem*: alteram malam, quam *Arimanium* nominârunt, undè quæcunque mala, ac comprimis venena, & quævis noxia originem nacta sunt. Vide *Plutarchum in lib. de Iside, & Osiride*.

Brachmanum religio circa Mundi productionem.

5. Ridicula verò præ omnibus videtur esse religio *Brachmanum* circa hominum & Mundi originem, uti refert *Kircherus in Chinâ illustr. part. 3. cap. 5.* Summâ enim stoliditate ab ipsis ficti fuerunt Dii, imprimis *Bruma*, *Vesne* & *Butzen* dicti, quibus subordinati 33 milliones Deitatum, quarum caput dixerunt *Dimenderen, Feltan* & *Brumum*; Ex hoc autem tanquam nobiliori omne hominum genus prodiisse narrant ex totidem Mundis, membris humani corporis correspondentibus, ut in adjectâ tabulâ melius videre licet.

TABULA

Quatuordecim Mundorum, juxtà Brachmanes, cum membris humanis correspondentibus.

Mundus.	*Membra humani corporis respondentia.*	*Nati homines pro partium humani corporis dispositione.*
1. *Supercœlestis*	*Cerebrum.*	*Intellectu, & Sapientiâ conspicui.*
2.	*Oculi.*	*Prudentes in actionibus.*
3.	*Os.*	*Eloquentes & facundi.*
4.	*Sinistra auricula.*	*Astuti & callidi.*
5.	*Palatum & Lingua.*	*Gulosi, & commessationibus dediti.*
6.	*Cor.*	*Magnifici, Splendidi, Liberales.*
7.	*Venter.*	*Sordidi & obscœnis moribus præditi.*
8.	*Verenda.*	*Luxuriosi & carnalibus voluptatibus dediti.*
9.	*Coxa sinistra.*	*Laboriosi Artifices & Agricultores.*
10.	*Genua.*	*Hortulani, Rustici.*
11.	*Calcaneum.*	*Vilibus operibus destinati, quos Pareas vocant.*
12.	*Digiti pedis sinistri.*	*Homicidæ, Latrones, fures.*
13.	*Planta pedis sinistri.*	*Oppressores pauperum.*
14.	*Ambiens æther.*	*Homines peculiari dote in omni genere præditi.*

6. *Abraham Roger* tamen *de Gentilismo Asiatico, Africano, & Americano, part. 2. cap. 5.* refert Brachmanes Mundi productionem *Bramæ* adscribere, qui potestate à *Wistnou* acceptâ Mundum, imò eos plures numero, & quidem omnes ex aquâ, quæ extrà Mundum existat, sitque Ipse DEUS, instar ovi produxit. Ait porrò Eosdem credere Mundum antecessisse alium, ac priorem illum rursùs alium,

ficut & hunc præfentem alium effe confecuturum, ità ut nullum fit tempus futurum, quo non mundus alius alium fit fubfecuturus. Quatuor etiam Mundo ætates attribuiffe fcribit Brachmanes, quarum prima fit dicta *Critaigom*, fecunda *Treitagom*, tertia *Dwaparugom*, quarta *Kaligom* : Tres autem priores jàm præterlapsas Brachmanem quendam fibi afferuiffe ad annum Chrifti 1639. teftatur *Rogerius*. Quàm longæ autem fuerint ejusmodi ætates juxtà eorum opinionem, patet ex fequenti tabellâ : Unde etiam multorum Centenorum millium annorum Mundi duratio confici poteft.

Ætates Mundi juxta Brachmanes.

Ætates & earum Nomina.	*Lac five tempus 100. annorum*	*Anni*	*Hominum Conditio, & ftatus.*
1. *Critaigom*	*17. Lac.*	28000.	*Juftitia fumma, eaq; quadruplo major, quàm fit 4. ætatis.*
2. *Treitagom*	*12. Lac.*	96000.	*Juftitia & Sapientia triplo major, quàm 4. ætatis.*
3. *Dwaparugom*	8. Lac.	64000.	*Virtutes duplo meliores, quàm in 4. ætate.*
4. *Kaligom.*	*Tempus incertum, incompletum.*	*Anni incerti & incompleti.*	*Juftitiæ* $\frac{1}{4}$ *Juftitia* $\frac{3}{4}$.

7. Quia etiam ut fuprà memoratum, Gentiles Mundum inftar ovi productum effe crediderunt; voluerunt aliqui hoc ovo contineri tria hæc, cœlum, terram, & abyffum, quæ etiam à Gentili *Barthrouberi* in fuo libro *de viâ ad cœlum cap. 8. fent. 1.* uti citat fuprà nominatus *Rogerius*, tres Mundi nominantur: Alii 14. Mundos, quos fuprà ex *Kircbero* retulimus, ovo illo contineri voluerunt, quorum tamen octo Subcœleftes ab iis vocantur, quod infrà cœlum confiftant, fintque locus, in quo *Brama* degat, ac regat, & fub uno nomine *Surgam* ab ipfis comprehenduntur. Infrà terram collocant *Pantalam*, fivè abyffum, & fuprà *Surgam Brama locon*, indè *Kailafom*, *Lilaweicontam*, & *Weicontam*, in quibus tribus locis DEUM ipfum verfari volunt. Terra verò, quàm nos incolimus, ab iis nominatur *Boulocon*, quæ feptem Mundos in fe complectitur feptem inter fe maribus diftinctos, fivè fingulos Mundos fingulis maribus circumdatos. Mundum Centro terræ proximum mari aqueo circumdatum afferunt, hunc alium confequi mari Lacteo cinctum, indè alium mari Butyraceo, abinde rursùm alium Mundum exiftere mari ex *Tayer*, vel lacte craffo, fivè lactis coagulo terminatum ; poft hunc alium Vinofo mari, inde rurfus alium mari ex Syrupo, fivè Saccaro; tandem confequi Mundum feptimum, quem nos inhabitamus mari Salfo, five Salino circumdatum. Plura alia magis fabulofa vide apud citatum Authorem. Meminit etiam *D. Joann. Matth. Faber in vindiciis Aftrologiæ*. Acutiffimos Sinenfium Bonferes, fivè Myftas colere in monte celfiffimo Infulæ *Muco* Idolum DEI fupremi cum aliis quindecim minoribus; *His*, inquit, *tradunt commififfe illum, ut ovum conficerent ingens, eique Elementa includerent omnium rerum, ex boc ergò poftmodùm Bovis præpotentis cornibus confracto totius Mundi apparatum, folo homine excepto, prodiiffe tradunt. Similia Ægyptiis Hieroglyphica huic populo familiaria funt, indeque figurarum & Idolorum monftra mirabilia, quibus DEI & Naturæ opera expreffa volunt, comminifcuntur.*

8. Septem quoque Mundos Voluptuarios finxerunt *Saraceni* & *Mabumetani*, ut in eorum cabala nil hujusmodi Mundis fit tritius, quibus confonant feptem Maria in Mundo, uti fenferunt quoque *Brachmanes*, & in adjectâ tabellâ juxta *Kircberi* relationem conftructa videri poffunt. Septem maria Brachmanum.

Marium

Marium Nomina	*Significationes.*
1. *Aqueum*	5. *Paradisi, seu primus voluptatis gradus, Gratia nempè DEI Supremi, quâ anima Deo miscetur, & Deo morphosis dicitur.*
2. *Lacteum*	*Gloria* Siven, *Religiosi & Sacrificuli, quos* Joques *vocant,*
3. *Ex coagulo lactis.*	*Gloria* Divenderen. *Voluptatibus corporeis dediti.*
4. *Butyraceum.*	*Gloria* Brumæ. *Felicis sortis.*
5. *Salinum.*	*Gloria* Visnu. *Misericordes.*
6. *Saccareum.*	*Gloria* Cailasan. *Eleemosinarii.*
7. *Vinosum.*	*Gloria* Vajacandam *Omni bono affluentes.*

Araneus, Mundi origo.

9. Alii placito sanè cœteris non minùs ridiculo de Mundi origine sic senserunt, ut *Kircherus* refert *in Chinâ illustr. part. 3. cap. 5.* Araneum finxerunt esse primam rerum causam, qui ex ventre suo continuâ filorum evolutione elementa primùm, deindè cœlorum globos efformârit, opúsque suum continuâ assistentiâ gubernet usque ad mundi interitum, quem causari dicunt ex filorum mundanorum, quos evolverat, intra se retractione, unde rerum omnium evanescentia. Ita *Kircherus.* Sed quis hæc non rideat?

Platonis, & Stoicorum Sententia,

10. *Plato* porrò cum Stoicis, etsi dixerit, Mundum fuisse conditum à DEO, sed haud aliter, quàm ex materiâ æternâ, & ingenitâ, adeoque ex seipso, ut objicit *Hermogeni Tertullianus*, harmonica tamen industriâ ita instructum fuisse, ut Deus usus fuerit proportionibus resultantibus ex congressu suorum Elementorum 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. quæ omnes sunt musicæ, nempè duplæ, 1 & 2, 2 & 4, ac etiam 4 & 8 concinentes in æquisono per diapason, quam ità dicunt Græci, fesquialtera 2 & 3, & sesquitertia 3 & 4 quæ in consono: illa per diapente, & ista per diatesseron, & sesquioctava 8 & 9, atque tripla 3 & 9, & 9 ac 27, quæ est composita ex æquisono, & consono; Unde dicitur diapason & diapente. Rursùm quia mista per generationem nascuntur, & corruptionem moriuntur, species tamen eorum non intereunt: Propterea etiam statuebat *Plato* superesse in mundo tertiam aliquam substantiam, undè animal in suo individuo est transitorium, & in suâ specie perpetuum: innuens ex duabus separatis, quæ sunt identitatis & alteritatis constare mundum majorem, & ex utrâque mundum minorem, quod est animal, cujus tamen sit una substantia ab illis duabus diversa, ex facultate quam habet illarum duarum connectrice ad constituendum ipsum mistum: Ideò dicebat Deum illud unum ex tribus constans ità in decentia membra partitum fuisse, ut quodlibet eorum constaret ex eodem, & ex altero, & ex tertiâ substantiâ: partitionem autem ità factam, ut partes mutuis correspondentiis musicis consonarent inter se. Ità refert *Theodatus Osius in nov. opin. sylvâ.* plura vide apud Eundem.

11. Tandem & *Simoniani* à *Simone Mago* sic dicti. *Arius* item & alii dixerunt, Mundum non à DEO, sed ab Angelis esse creatum: Statuerunt enim Deum creâsse Filium, & hunc creâsse Spiritum sanctum, ab hoc autem productos fuisse Angelos, ab his porrò tandem Mundum, & ea, quæ in Mundo sunt. Verùm nos his erroribus ac falsitatibus relictis, nunc propiùs ipsam Veritatem accedamus. Simonis Magi, & Arii sententia.



CAPUT

CAPUT III.

Notabiliora, ac Mirabiliora, scitùque digniora circà Mundi productionem, & ejus originem, productionis modum, tempus, & causas proferuntur & recensentur.

Cœli & terræ creatio in principio temporis.

1.



N principio, ut loquitur sacer textus *Gen. 1. creavit Deus cœlum & terram*: hoc est, non in temporis latitudine, sed indivisibiliter in principio temporis, primo temporis momento, sivè primo mundi instanti ante alia creavit Deus cœlum, & terram, velut duas principes Mundi partes. Licet autem in Mundi exordio tale tempus non fuerit, quale jam est nostrum; cùm tempus nostrum sit mensura motûs primi mobilis, solis, & cœlorum; tunc autem necdùm fuerit primum mobile, Sol, & cœli; & consequenter nec eorum motus, qui tempore mensurari potuerit: Fuit tamen duratio rei corporeæ, nempè cœli, & terræ, quæ similis, & commensa fuit tempori nostro, ac proindè reipsa erat tempus, licet non tale præcisè, quale nunc est nostrum. *Res* enim *corporea*, ut rectè commentatur in hunc locum insignis *Cornelius à Lapide, mensuratur tempore, sivè ipsa moveatur, sivè quiescat; cùm tempus sit mensura corporum, sicut ævum angelorum, & Æternitas Dei.*

Angeli quandò creati.

2. Antè cœlum & terram nihil censetur creatum esse prius; quocircà nec Angelos ante mundum corporeum, sed simùl cum eo creatos esse rectè docet *Concilium Lateran. cap. firmiter de Summâ Trin:* Docet enim: *Deum simul ab initio temporis condidisse utramque creaturam Angelicam, & corpoream.* Volunt etiam Authores communiter Scripturam Sacram, dùm ait, In principio Deum cœlum, & terram creâsse: intelligi debere Deum creâsse cœlum cum Angelis; quia illud non creavit vacuum, sicut terram, sed repletum Spiritibus illis cœlestibus. Angeli itaque fuerunt primitiæ operum DEI in puncto diei, in aurorâ Mundi, ut ajunt, creati ad glorificandum mox Conditorem Universi, *qui facit mirabilia magna solus.* Quo autem in Cœlo Angeli fuerint creati, non convenit inter Authores. *D. Thomas 1. p. q. 62.* vult in Cœlo Empyreo esse conditos, quòd nobilissimas creaturas conveniens fuerit in nobilissimo loco creari. *P. Suarez* autem asserit in Cœlo sidereo: quià sic meliùs explicari posse putat, quomodò Mali de cœlo ceciderint: Convenit & Scriptura, dùm *Isaiæ 14.* dixit Lucifer: *In Cœlum conscendam*, nempè ex sidereo in Empyreum. Deindè meliùs intelligi quoque poterit illud *Isaiæ eod. capite: Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris.* Videtur prætereà inconveniens Cœlum Empyreum (cum sit locus gloriæ, in quem *nihil coinquinatum* introibit) aliquandò labe peccati fuisse infectum: Undè probabilior hæc secunda sententia cenceri potest.

Quomodo Deus cœlum & terram creaverit.

3. Creavit Deus cœlum & terram jubendo & dicendo: *Fiat cœlum & terra. Verbo* enim *Domini*, ut Regius canit Psaltes *Psalm 32. Cœli firmati sunt:* Verbo autem non oris, sed mentis, eóque, ut explicat *Cornelius*, non notionali, sed essentiali, & tribus Personis communi. In mente nempè concepit, voluit, decrevit, imperavit, & imperando reipsa effecit & produxit Deus: Cùm DEI velle, ut ait *St. Athanasius serm. 3. contra Arian*: sit facere. Quâ verò potestate, ut subinfert *S. Basilius*, arte & libertate Deus fecit hunc mundum, eâdem potest alios plures creare, & eâdem hunc creatum annihilare.

Mundus juxtà exemplar in mente divinâ creatus.

4. Neque eguit divina illa potentia in rerum creatione alicujus auxilio, aut consilio, aut inventione; non prævio exemplari: Non enim secutus est formam extrà se positam, sed juxtà exemplar, & ideam, quam in seipso intuebatur, mundum operatus est. Undè rectè canit *Boëtius*

> - - - - *pulchrum pulcherrimus ipse*
> *Mundum mente gerens, similique ab imagine formans.*

Nullis ergò instrumentis usus est, nullis operariis, nullis coadjutoribus: Unde dicit per *Isaiam cap. 44. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cœlos, stabiliens terram, & nullus mecum.*

Mundus creatus in Æquinoctio verno.

5. Verosimiliùs est Mundum à DEO creatum esse in Æquinoctio, non Autumnali, sed Verno: Cùm hoc passim asserant omnes Patres, quos videre licet apud *Molinam* & *Pererium.* Deindè quià Ver est pulcherrimum anni tempus: tale autem decuit felicitatem Statûs Innocentiæ; sicut & in Vere redemptus, & recreatus est Mundus per Christum. Undè videtur in Vere pariter creatus esse Mundus. Item tertiò, quià idipsum definit *Concil. Palæstinum* habitum sub *Victore Pont*: Præside *Theophilo* Anno Christi 198. Hoc ipsum denique cecinit *Virgilius, 2. Georgic.*

Non

Non alios primâ nascentis origine Mundi
Illuxisse dies, aliúm-ve habuisse tenorem
Crediderim: Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

Beneficium potentioris illuminationis priùs partibus septentrionalibus collatum.

6. Quià Mundus ad Æquinoctium vernum fuit creatus, hinc primis tribus diebus semper æqualis fuit nocti; Indè autem Australibus dies sequentes cœperunt minui, noctes verò accrescere; e contrà Septentrionalibus dies crescere, & noctes diminui. Beneficium ergò potentioris illuminationis, quod terreno globo cœlitùs fuit impensum, majus, & idipsum priùs collatum fuit Septentrionalibus partibus, quàm Australibus.

Mundus manè creatus.

7. Verius etiàm videtur doctissimo Commentatori *Cornelio*, primo quasi manè mundi creationem fuisse inchoatam, tuncque fuisse tenebras in Orbe, & abysso, quo tempore Spiritus Domini ferebatur super aquas: Deindè paulò post, nempè post sex horas sub meridiem creatam fuisse lucem in medio cœli & totius abyssi, quæ peracto suo motu sex horarum, quibus à medio cæli ad occasum declinavit, effecit vesperam, quasi sui terminum, ità ut tàm tenebræ, quàm lux simul juncta non ampliùs quàm 12. horas durârint. Indè autem secuta est nox 12 pariter horarum, cujus terminus fuit manè. Tenebræ igitur præcesserunt lucem, uti & præter *Mercurium* & *Hesiodum* sensit *Thales Milesius*: rogatus enim utra prior fuisset, Nox an dies? Respondit, priorem fuisse noctem.

Quatuor genera Causarum Creationis Mundi.

8. Juxta quatuor genera causarum, si causas creationis mundi considerare velimus; *Materialis* fuit *Nihilum*, cùm DEUS non de suâ substantiâ, neque de externâ ullâ aliâ ipsi coæternâ, sed totum Mundum ex *Nihilo* produxerit. Sicut ergò materia est, ex quâ omnis actus naturalis & forma educitur, utpotè exquâ omnis fit sensibilis substantia omnium fundamentum & fulcrum: Ità & *Nihil* & *non Ens* est *Id*, undè cœlum & terra formata ac stabilita sunt, etsi *Id* ipsum reverà nihil sit, & fuerit. *Formalis* porrò causa fuit ipsa forma cœli & terræ; *Efficiens* autem DEUS ipse: *Finalis* denique Gloria Conditoris, deindè terrenus globus, in quo humanum genus ad imaginem DEI conditum ibidem potentiam, & majestatem operum divinorum aspiceret, aspiciendo admiraretur, tantæque potentiæ Opificem admirando inquireret, inquisitum amaret, ac tandem perpetuò amando Eodem in cœlis frueretur. Undè rectè dixit *Salomon Prov. 16. v. 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus*: Nempè, ut humana creatura mundanis undique ad usum destinatis fruens Conditorem, agnoscens, ac venerans, ad eundem rursùm omnia dirigens, randem & promereatur, eóque in cœlestibus gaudiis aliquandò perfruatur.

Non omnia ex nihilo creata.

9. Licet Omnipotens Creator DEUS omnia ex nihilo potuisset creare: voluit tamen aliqua ex aliis nihilominùs producere, velut & produxit pisces nempè ex aquâ, aves ex aëre & aquâ, plantas & animantia ex rerrâ, ut & in hoc plenum dominium, & porentiam se habere ostenderet in creaturis suis potens, ut voluerit, unam in alteram commutare. *Causa siquidem Omnium, quæ fecit* (adde & prout fecit) *Voluntas ejus est*, inquit *S. August. in Ps. 134*.

Mundus non in nihilo, sed in DEO subsistit.

10. Cum etiam Mundi Opifex DEUS ter Opt. Max. actu sit infinitus, omne spatium, quod extra ipsum Mundum concipi potest, suâ substantiâ & præsentiâ etiam implebit, & ab eodem exterminabit Nihil, imò omne Vacuum & non Ens; adeóque extrà DEUM neque Nihilum, neque Inane, neque Vacuum relinqui poterit. Si enim Nihilum illud extrà Deum foret, dici posset, DEUM minimè infinitum esse, eò quod Nihilo Divina substantia constringeretur, ac quasi concluderetur, quod esset impossibile. Undè sequitur Mundum non in Nihilo, sed in DEO receptum subsistere, & quia omnia perfecit, & defert: creavit ille eadem in semetipso, suâque plenitudine excipit, gestat, claudit, continet, ac servat Universa. Ità cum *Kirchero*.

Deus in creatione Mundi ab imperfectioribus ad perfectiora progressus.

11. In opificii mundani structura videtur quoque DEUS, ut Artifex optimus servâsse hunc naturalem Ordinem, ut primò ab imperfectioribus ad perfectiora sit progressus: Prius deindè posita sunt media quàm finis, cui inserviunt. Sic Terra & aqua præcessit plantas, & Ignis, qui eas foveret; Plantæ animalia, hæc Hominem, qui finis est Universi corporei hujus Mundi. Quo autem ordine Divina Bonitas optimum hoc opus suum Mundanæ fabricæ cum omni apparatu produxerit, & insigni perfectione dotatum absolverit: Nunc paulò sagaciùs libet disquirere.

CAPUT IV.

Series & ordo productionis & perfectionis totius Mundani Opificii in sex primis Mundi diebus recensetur.

Dies primus.

Quid nomine Cœli DEUS in principio dicatur creâsse.

I.



Mundi Architectus *Die primo* suæ operationis dicitur in Scripturâ sacrâ *in principio creâsse Cœlum & Terram* Rectè autem nomine *Cœli* videtur intelligendum *cum Pererio lib. I. in Gen. cap. I. v. I.* universum corpus cœleste, cunctos orbes complectens: vel totum illud, quod in Scripturâ, aliisque Authoribus nomine *Cœli* venit, etiam *Empyreum* & *Aëreum*. Angelos deindè Cœlis contentos non tàm propriè vi vocis significari, quàm subintelligi vult *Ignatius Derkennis, tract. de Mundi creat. Die I. cap. I.* In principio igitur creavit Deus substantiam, & numerum omnium Cœlorum, sinè luce tamen, motu, & distinctione siderum: posteà verò tribuit illis lucem, accendit in eis sidera, affecit motibus, contulit vires, & ad agendum potentiam. Quocircà corpus cœleste, quod ab initio Mundi factum est, quoad substantiam, numerum, ordinem, seu dispositionem, magnitudinem, figuram denique & partium densitatem, & raritatem primò statim absolutum & perfectum fuit: Deindè verò adhuc multa sunt addita primo, & quarto die; proprius nempè cuivis corpori motus, Angelus motor, decor lucis, & astrorum distinctio, utì & mira vis atque agendi potentia. Nomine *Terræ* significatur Terraqueus globus, sivè Elementum Terræ cum Aquâ, quæ expressè in Sacrâ Scripturâ memoratur, & reliquis duobus Elementis, quæ sacer Chronologus *Moyses* tacitus quidem præterit; sub nomine Terræ tamen comprehendisse docent D. Basilius, Damascenus, ac Beda, uti apud *Pererium cit. loco* videre licet. In primo igitur Mundi instanti, sivè ab initio temporis de nihilo finxit DEUS *Cœlum & Terram*, Angelos, Empyreum, Cœlos reliquos, Ætherem, aërem, Aquam, Terram, atque in his materiam omnem, ex quâ deindè toto Mundi decursu à Deo primùm; tùm ab agentibus creatis reliqua omnia formanda erant.

Quid nomine Terræ.

Terra inanis, & vacua cur fuerit dicta.

2. Quià etiam *Terra* initio Mundi creata dicitur fuisse *inanis & vacua*, ac tenebris involuta; indicatur status *Terræ* in Exordio Mundi, quòd ea nempè fuerit sine luce, sine ullo ornatu, & decore: Vacua insuper herbis, plantis, animalibus, incolis hominibus, ad quorum usum condita erat: *Vacua* prætereà in ipsis visceribus mixtis aliis lapidibus, metallis, fossilibus; non distincta in montes, valles, campos, & colles, non eminens, & extans suprà aquas, sed omni ex parte altissimè aquis undique operta, neque etiam primo illo instanti creationis sic erat condita, ut cute suâ extimâ aquas imbiberet, sed verè quoad omnes suas partes intus esset arida. Fuit ergò Terra primitùs ità creata, ut verè posset appellari materia indecora, arida, invisibilis & informis.

Quid per faciem Abyssi intelligendum.

3. Quià porrò & Sacra Scriptura mentionem facit de *facie abyssi*, quæ secundùm *D. Aug. super Ps. 41.* aliud non est, quàm profunditas impenetrabilis & incomprehensibilis, præsertim in aquis: Ideò Venerab. *Beda in Hexam.* sentit totum illud Mundi spatium, quod inter Empyreum, & Terram continebatur, plenum fuisse aquis, sivè materiâ quadam humidâ, & aqueâ, velut nebulosâ, ut interpretatur *Pererius*, non æqualiter densâ vel rarâ, sed quæ & densiùs coacta in elementarem aquam verti posset, & magis attenuata in aërem raresceret.

Lux primo die creata quid sit.

4. Lux, quæ primo Mundi die in Scripturâ Sacrâ dicitur creata, alia haud censetur fuisse *Pererio*, quàm lux ipsa Solis, sed tunc velut adhuc informis, & imperfecta; quæ deindè quarto die modò fuit absoluta, & consummata. Ità videtur sentire *S. Dionysius Areopag. lib. de div. nom. part. I. cap. 4.* quem secutus *D. Thomas I. part. q. 67. art. 4. & q. 70. a. I. & Dionys. Carthus: super I. cap. Gen. art. 9.* Lux ergò solis secundùm communem naturam lucis fuit primo die producta; quarto verò die tributa est ei determinata virtus ad determinatos effectus: accessit & magnitudo, figura, pulchritudo: non enim globus Solis undequaque primo die benè fuit formatus, nec usquequaque accensus, sed aliquatenùs tantùm. Quarto autem die totus est splendidissimâ luce imbutus; peculiares etiam vires, ac comprimìs Vis panspermatica eidem fuit collata: Accessit & aliorum siderum comitatus, sicut & motus, quem certâ lege perpetuò peracturus esset, eidem fuit designatus; undè quadripartita anni variatio emanavit, hoc est, hyemis, veris, æstatis & autumni: tunc & cœpit dierum inæqualitas, ac dissimilitudo, nam primi tres dies fuerunt æquales, & uniformes: tunc denique accessit Lunæ, & aliorum planetarum societas. Ut porrò etiam primo triduo divisio lucis fieret à tenebris, nox insuper & dies efficeretur, credibile est, hanc lucem solarem nondum habito proprio motu

Tom.I.p.11.


VERBO DOMINI
Cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Psal:32. v.6.
FIAT
Expers principii durans ſine temporis orbe
Immensum et ſimplex Ens sine ſine DEUS;
Principio Cœlum ac terras pelagusque profundum
Inque ſinu quotquot Corpora tempus habet.
Pro bonitate ſua bona cuncta creavit et amplum
Cum Mundo Mundum ſustinet usque suo.

motu circumiisse, adeoque noctem, diemque effecisse, sed motu primi mobilis fuisse circumactam. Creatâ igitur primo die luce, sublata fuit tenebrositas, haud aliter ac secundo & tertio die confusio ab aquis, & à terrâ remota, atque etiam reliquis diebus cœlum stellis, aër avibus, aqua piscibus, terra animantibus completa fuit.

Infernus die primo creatus. 5. Etiam Infernus primo die in centro terræ rectiùs asseritur creatus: Cùm enim Angeli sint celerrimi, & actus habeant instantaneos, omninò verisimile est, eos primo die non diu post creationem suam peccâsse, ideoque statim è cœlo trusos esse in infernum, quem Deus etiam statim post eorum peccatum cum suo igne, & sulphure eis apparavit in centro terræ. Undè rectè infert *Cornelius: primo ergò die sicuti Deus Lucem à tenebris, ità Angelos à dæmonibus, gratiam à peccato, gloriam à pœnâ, cœlum ab inferno divisit.*

Dies secundus.

Quid secundo die factum. 6. Sicuti primo quoque Mundi die verosimilius est omnia Elementa cum omnibus cœlis facta esse secundùm substantiam; ità *secundo die*, dùm sacer textus memorat, firmamentum esse factum, & aquas ab aquis divisas, credibile est factum esse aërem non secundùm substantiam, sed factum esse locum generationis aquarum sublimium, ità ut hoc die facta sit distinctio Elementi Aquæ in aquas aëreas, & terrestres, sicùt tertio die facta est aliquatenùs distinctio Aquæ à terrâ. Patet ergò secundo die factum esse aërem non simpliciter, sed ità aptatum, ut rationem haberet firmamenti, & munus dividendi aquas ab aquis. Ità cum *Pererio in Gen.* - Per *firmamentum* enim non ob stationem, sed firmitatem ità dictum intelligi potest expansum inter cœlum, & terram, ut idem *Pererius* pluribus argumentis ostendit, & plures etiam SS. PP. & Doctores intelligunt, nempe *S. Hieronymus in ep. 83.* quam scripsit *ad Oceanum, D. August. in lib. imperfecto de Gen. ad litt. cap. 12. & lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 4. D. Thomas 1. p. q. 68. Durandus in 2. Sentent. dist. 14. Rupertus lib. 1. de Trinit. & ejus operibus cap. 22.* Undè etiam cùm Sacra Scriptura memorat aquarum suprà firmamentum, per has aquas intelligi communiter volunt eas, quæ in sublimi aëre, sivè mediâ aëris regione generantur. Vide *Pererium* loc. cit. *Secundo* igitur Mundi *die* factus est locus naturalis generationis aquarum pluvialium, ac firmissimum interstitium inter aquas cœlestes id est aëreas, & terrestres.

Per firmamentum quid intelligendum.

Dies tertius.

Die tertio Terra sejunctis aquis detecta. 7. Tertio Mundi die Deus sivè immediatè per se, sive per Angelos, qui hoc opus, utpote solo motu locali peragendum, præstare poterant, ut docet *Derkennis*, terram anteà demersam, & opertam aquis, quæ secundùm naturalem elementorum dispositionem sub aquis esse debebat, animantium, & plantarum causâ nudavit aquis, atque super has eminere fecit excavando nempè varias ejus partes, in quas aquæ ubertìm ad diversorum marium & Oceani productionem confluerent. Terram autèm indè exutam in montes, & colles variis locis dispersos ad varios usus elevavit. Excavavit etiam intima terræ viscera ad ordinanda diversis locis subterraneis hydrophylacia in aquarum subterranearum, ac mineralium receptacula. Varios insuper meatus, & canales per terræ viscera haud aliter ac venas per animalis corpus dispersit, ut indè fontes, rivi, & flumina erumperent. Voluit autem ter summus Artifex aquas per varios alveos, & sinus terræ immiscere, tùm ut iis terra irrigaretur, & fœcundaretur, tùm ut Ventis marinis ad salubritatem, & fœcunditatem perflaretur. Neque tantùm hoc die maria solùm, sed & flumina saltem majora facta esse patet ex eo, quòd Paradisus, de quo mox aliqua dicturi sumus, quatuor magnis fluminibus irriguus fuerit, proindèque de aliis idem censeri debet. Alia verò minora temporum decursu facilè gigni potuerunt.

8. Quomodò verò aqua, quæ priùs operiebat totam terram in unum terræ locum potuerit congregari prominente alio terræ loco; putant communiter cum *D. Augustino lib. 1. de gen. ad litt. cap. 12. & Beda in Hexam:* aquam fuisse priùs rariorem, tenuioremque, & modo nebulosæ materiæ operuisse terram; posteà verò multum coäctam, densatámque minori eguisse loco, & receptaculo. Alii volunt terram tunc multis partibus profundè subsedisse, aliis item plurimis in sublime elatis extumuisse. Confluxus etiam aquarum non naturali virtute, quâ ad humiliora defluunt, sed divinâ eas transferente factus censetur, ut rectè notavit *Derkennis:* nam multis diebus opus fuisset, antequam ex omni parte terrarum, quæ detectæ fuerunt ad marium, & fluminum alveos defluxissent, cùm efficaciâ divini imperii statìm aquas congregatas fuisse, & aridam apparuisse, sacræ historiæ contextus innuat; dùm eodem die plantas productas memorat, & sequentibus diebus animalia, & homines, utique in superficie terræ jam aquis nudatæ. Quomodò aquarum congregatio sit facta.

9. Etiam salsedo mari hoc *die tertio* primùm à DEO fuit indita eo potissimùm argumento, ne pisces, qui memorantur à Scriptura Sacrâ paulò post, die nempè quinto ibidem positi, mox intereant, aut in incongruo loco saltem deficiant: Dantur enim pisces in mari, quibus salsæ aquæ ità sunt necessariæ, ut potiùs in dulcibus tabescant, & extinguantur: necessariò igitur locus eorum vitæ conveniens priùs, quàm Salsedo mari indita.

quàm in eodem ponerentur, apparari debuit.

Marmora, metalla, & mineralia etiam hoc die producta.

10. Communiter quoque censent Authores, cum die tertio perfectè DEUS formaverit, & exornaverit terram, eodem quoque die producta esse marmora, metalla, mineralia, fossiliaque omnia, sicut & ventos: Hi enim terram, ac terræ viventia eventilare, purúmque aërem aspirare debent, sinè quibus nec plantæ, nec homines, aut animalia vivere, & vegetari possunt.

Tertio die etiàm herbæ & arbores productæ.

11. Eodem porrò Mundi die omnes herbarum, arborum, & plantarum species à terrâ materialiter concurrente productæ sunt in statu perfecto, habentes nempè semen, undè possent aliæ generari. Nec dubium esse potest illas herbas, & arbores primas suo quasque in genere fuisse perfectissimas, & suavissimas, atque ad gustum, victúmque hominis accommodatissimas, ut vult *Pererius*, tùm propter summam terræ bonitatem, tùm quòd proximè à DEO creatæ (cujus nempè quæ sic orta sunt, perfectissima sunt opera) adeóque non poterant non esse optimæ, ac certè longè meliores quibusvis posteà naturali potestate, modóque prognatis.

Paradisus factus.

Cum plantis autem Paradisum etiàm hoc die factum, & mirâ arborum varietate, ac pulchritudine ornatum, *nulla est*, inquit *Derkennis, ambigendi ratio: cùm intrà sex dies formatum constet, & nulli diei aptiùs conveniat Ejus plantatio, quàm qui herbis; plantisq; formandis dicatus est.*

Etiam herbæ, & plantæ noxiæ ac spinæ ab initio productæ sunt.

12. Herbas non tantùm illas, quæ ad ornatum Universi, usumque hominis, & animalium utiles sunt, hoc die jussu divino productas esse, verùm etiam illas, quæ deleteriâ vi pollent, ac venenatæ, spinosæ, & quovis modo noxiæ reputantur, communior tenet sententia. Quarè etiam antè peccatum Adæ erant spinæ, & tribuli, ac herbæ homini futuræ noxiæ, & lethiferæ, etsi ex singulari DEI providentiâ eidem nocere, & obesse antè peccatum non possent. Quocircà peccatum fecit, non ut absolutè hoc essent, sed ut noxiæ esse possent. Ideò observant *D. August.* & *D. Thomas* locum illum Scripturæ *Gen. 3. v. 18. Spinas & tribulos germinabit* non simpliciter de Terra intelligendum, sed cum addito: *Tibi*, hoc est, in delicti tui pœnam.

13. Rectè observavit *Pererius in Gen. lib. 1.* quòd sicut tribus primis diebus DEUS tria prima corpora, Cœlum, terram, & aquam distinxit; nam *primo die* factâ luce distinxit diem à nocte, lumen à tenebris; *Secundo die* per firmamentum separavit aquas aëreas, sivè cœlestes ab aquis terrestribus; *Tertio die* verò aquam segregavit à terrâ: Ità reliquis diebus eadem tria corpora ornavit, & variis rerum generibus replevit, eundem prorsùs ordinem servans. *Quarto* enim die Cœlum sideribus, *Quinto* Aquam piscibus & aërem Avibus; *Sexto* autem die terram animantibus terrestribus condecoravit & complevit.

Dies quartus.

Solis, Lunæ, & Stellarum perfectio.

14. Quarto Mundi die Soli, Lunæ, ac reliquis astris secundùm materiam suam, figuram, magnitudinem, & densitatem à principio jàm ut supra indicatum, factis forma, quæ principaliter dat rei & esse, & nomen (quæ aliud non fuit, quàm ipsa Lux) à DEO fuit collata: Datus insuper motus cuique corpori cœlesti proprius: indita & vis specialis quibuslibet astris varios, & mirabiles in mundo subterraneo præstandi effectus. Solem porrò in principio Arietis productum esse docet *Beda*, tunc enim ver incepit; Lunam verò productam esse in opposito Solis, nempè in principio Libræ. Fuit ergò tunc plenilunium, ut etiam definivit *Conc. Palæstinum* super. capite citatum, ità ut Sol unum hæmisphærium, & Luna alterum illuminârit. Ità etiam *Molina*, *Cornelius*, & alii.

Dies quintus.

Pisces quomodò producti.

15. Quinto die pisces imprimìs à Moyse memorantur producti: non autem censendum est ex nihilo factos esse, sed ex aquis, tanquàm Materia; non quod ex aquâ solâ etiam possint naturali viâ, & ratione generari; sed quod in illis præpolleat aqua ratione humiditatis, & frigiditatis, atque adeò temperamenti piscium, quod est planè aqueum: quod & aqua sit naturalis eorum locus habitationis, generationis, & conservationis, extrà quam nec gigni, nec benè habere, nec naturales suas actiones exercere, nec vitam tueri queant. Primi igitur illi pisces proximè à DEO ex solâ materiâ aquæ generati sunt, additis tamen ei materiæ reliquorum elementorum formis, & qualitatibus.

Aves undè productæ.

16. Innuente quoque Scripturâ Sacrâ cùm aves similitèr, ut pisces ex aquâ productæ sint, ut intelligunt plerique Scriptores Ecclesiastici: Verosimiliùs tamen est, sicut constat ex *D. Augustino, Ruperto, & B. Thoma*, aves non esse factas ex aquâ densâ, quæ per terram labi, & in ipsâ terra contineri solet; sed ex aquâ tenuiori, & velut nebulosâ, sivè in vapores tenuatâ, atque in nubes conformatâ, quæ inferiorem aëris regionem, in quâ volitant aves, ascendit, & eandem obsidet. Tam autem in piscibus, quàm volatilibus non tantùm bina cujusque speciei, sexûs scilicet utriusque singula, sed & plura in variis marium, & aquarum, nec non & aëris tractibus, & partibus producta existimari debent.

Dies sextus.

Animalium terrestrium perfectorum productio.

17. Sicut Maximus Naturæ Architectus quinto die Aquæ & Aëri incolas dedit

dit pisces, & aves, ita & Sexto die terræ quoque colonos suos, ac incolas assignavit, & præfecit omnes nempè animalium terrestrium species, quæ perfectæ sunt, & homogeneæ, hoc est, quæ per commixtionem maris, & fœminæ ex unâ tantùm specie nasci, sivè quæ propriâ seminali virtute sui similia generare possunt. Quæ enim ex commixtione diversæ speciei animalium, ut Mulus, Leopardus &c. generantur, in principiis suis satis fuerunt determinata: atque hoc magis adhuc locum habet in insectis & cœteris imperfectis animalibus, quæ ex putri materiâ, sudore, exhalatione, aut putrefactione aliorum animalium vivis aut mortuis corporibus generari solent; hujusmodi siquidem animalia non formaliter hoc die creata, sed potentialiter, & quasi in seminali ratione producta à plerisque Authoribus censentur. Similiter & hac die omnes bestiæ venenatæ, ut serpentes, & sibi invicem inimicæ, ac carnivoræ, ut lupus, & ovis creatæ sunt, cùm inimicitia & antipathia iis sit naturalis. Quòd autem antè lapsum Adami non potuerint nocere, DEI cavit providentia, nè id fieret antè speciem satis propagatam, ut illa non interiret. Ita *S. August. lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 16. & D. Thomas 1. p. q. 96. a. 1. ad 2.* Neque tamen tantùm bina cujusque speciei, sexûs scilicet utriusque singula, ut rectè sentit *Derkennis*, sed plura in variis terræ partibus producta fuisse, verosimilius est, præsertim cùm variis animalium speciebus diversarum regionum temperies magis conveniat.

Hominis creatio.

18. Completâ *Universi* hujus fabricâ, omnique illius ornatu tandèm eodem *die sexto* nobilissima omnium producta est creatura, *Homo*, inquam Naturæ universæ compendium, cujus corpus non ex nihilo, sed ex præexistente materiâ, non ope Angelorum, aut quovis Eorum interveniente subsidio formatum est, sed immediatè per DEUM ipsum, tàm secundùm externam figuram, quàm internarum partium admirabilem varietatem, & symetriam, ut tradit *D. Thomas 1. p. qu. 91. a. 2. ac SS. PP. & Interpretes* passim. Spiritus deindè vitæ inflatus, & *Homo* maximus ille, ac primarius terræ colonus perfectè creatus fuit. Quomodò autem Corpus primi Hominis è terrâ, ut loquitur S. Scriptura, formatum sit; duobus modis intelligi posse docet *Pererius*: Ait enim, DEUM pro materiâ corporis formandi terram duntaxat sumpsisse, vel terram cum aquâ mistam, in quâ Ipse tamen postea formas, & qualitates cœterorum duorum Elementorum Aëris, inquam, & Ignis produxerit. Vel intelligi posse, DEUM pro materiâ Corporis accepisse misturam quatuor Elementorum, eam tamen nominari vocabulo limi, idest, Terræ & Aquæ, quod hæc duo in compositione & temperatione corporis humani secundùm molem cœteris præcellant, sintque ipsis sensibus magis conspicua. *Cajetanus* annotat ex Hebraicâ Scripturâ Hominem factum esse ex *pulvere*, quo videlicet significetur corpus humanum non ex crassâ & impurâ, sed ex tenui, & purâ terrâ, qualis pulveris vocabulo denotatur, coagmentatum fuisse. Corpus autem primæ Mulieris in primi Hominis adjutorium associatæ, cum ex costâ Adami dicatur in sacro Codice ædificatum, ut hæc pro mole dicti corporis sufficeret, docet *P. Derkennis*, additam fuisse aliam costæ materiam aliundè assumptam, quæ haud secùs, ac planta ex parvo semine & basi plantæ jàm constitutâ exurgit ex diffusa, & per totum ejus corpus aliâ inter partes ejus interpositâ materiâ.

19. Sicut omnium cœterarum rerum naturalium, ità & *Hominis* quatuor censentur esse causæ; *Materia*, scilicet, *forma*, *finis* & *efficiens*, quas omnes sufficienter indicat Sacer Textus: *Efficiens* assignatur his verbis: *Formavit igitur Dominus DEUS hominem: Materia*, cùm mox subditur: De *limo terræ*. *Forma*, cùm additur: *Inspiravit in faciem ejus Spiraculum vitæ*. *Finis* denique asseritur per hæc: *Factus est homo in animam viventem.* Melius tamen videtur Scriptura aliis verbis *formam*, ac *finem* hominis indicare, cùm ait: Factum esse hominem *ad imaginem & similitudinem DEI*: Siquidèm ut benè *Pererius* notat, ea est germana & propria forma hominis, quæ DEI similitudinem, & imaginem gerit; hæc autem est anima rationalis. *Finis* autem Hominis is est, ut Dei gratiâ adjutus contendat quàm maximè similis fieri DEO Conditori, quod non nisi per Visionem beatificam contingit, sicùt & *D. Joannes* indicat, dùm scribit: *Scimus, cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est. 1. Joan. 3.*

20. Non est etiam dubitandum, quod DEUS primotum parentum corpora absque ullo nævo & defectu effecerit perfecta cum eâ temperie, quæ fuit valdè excellens ad omnes operationes vegetativas, animales, & rationales, cum perfecto etiàm robore & vigore, ut esse solet in homine ab anno ætatis 33. ad annum 50, vel etiam 60, aut saltèm in eo statu, quem solet homo habere in termino crescendi ex virtute sui temperamenti, cùm ante hunc terminum corpus perfectum haud censeatur. Magnitudo etiàm valdè decens cum decorâ proceritate septem plùs minus pedum collata fuit; quibus omnibus membrorum quorumvis justa symetria, & probi sanguinis, ac spirituum foris in extimâ cute emicans vigor eximiam addidit pulchritudinem: ut ità corporibus illis ad omnem perfectionem non defuerit quicquam.

Quædam circumstantiæ Corporum in primis Parentibus.

21. Absoluto & completo totius *Universi* hujus *opere die septimo* à novarum rerum creatione & productione, quæ immediatè ab Ipso, ac per suam omnipoten-

 tiam

tiam instituta erat, Mundi supremus Opifex tandem requievit: Naturam autem cujusque rei à se conditæ naturalitèr deinceps se se conservare, ac propagare permisit. Atque hæc est series, & ordo productionis rerum in vasto hoc Mundi opificio, ubi tria quædam Nobis maximè scienda intimare vult *D. August. lib. 11. de civ. DEI. cap. 21.* Quis nempè fecerit, per quod fecerit, cur fecerit. *Si quærimus*, inquit, *quis fecerit? DEUS est. Si per quod? Dixit: Fiat, & facta sunt. Si quare fecerit? Quia bonus est. Nec enim Author est excellentior DEO, nec Ars efficacior DEI verbo, nec causa melior, quàm ut bonum crearetur à DEO bono.* Sed quò memoria facilè teneri queat, quid singulis primis Mundi diebus â DEO creatum sit; *Danæus in phys. Christ.* hos suggerit versus.

Prima dies Cœlum & terram, lucemque creavit:
Altera distendit spatium, discrimen aquarum:
Tertia secernens undas, dat gramina terris.
Quarta creat Solem & Lunam, cœlestiaq; astra:
Quinta dedit pisces, eadem genus omne volantum:
Sexta tulit pecudes, hominem quoque, quem DEUS ipse
Condidit, indè operis requies lux septima fulsit.

* * *

CAPUT V.

Alia quædam memorabilia circa Mundi Materiam, Corporum corruptionem, aliorum verò Entium permanentiam, rerum ab invicem dependentiam, & similia alia expediuntur.

1.


Erum omnium totius *Universi* Materia (quæ nempè est Ens per se stans, extensum, & partibus constans) sicut tota simul ab initio Mundi censetur creata, ac prius fuit omni sensibili substantiâ, antè omnem scilicet substantiam creatâ à DEO, & ad extrà producta; sicque cùm sit principium omnium, inchoatio, & potentia: Ità per ejus creationem omnia simul inchoata fuerunt, & substiterunt ab initio. Diversitas autem, si quæ in ejus partibus advertatur, ea non ipsi materiæ, sed formis substantialibus, & qualitatibus quovis modo individuantibus (uti sunt raritas, levitas, gravitas, durities, mollities, crassities, & ejusmodi, quæ materiæ speciem nunquàm mutant, sed veluti variis modis exornant) adscribi meritò debet. Sicut etiàm in creatione nullo interpolata vacuo à DEO in primo Mundi exordio fuit extensa, atque Universi termino coërcita ac conclusa, sic ut nunquàm plus, vel minus sit; raritas etiam & densitas totius Universi semper æquetur, cùm magnitudo Universi semper sit eadem; ità eodem semper termino, sivè superficie clausa permanet, ac persistit. Est proindè Materia omnium Mundi corporum ubivis eadem, neque res supralunares à sublunaribus secundùm materiam distinguuntur, ut probatissimi plerique Authores asseverant.

Omnia corpora in Mundo corruptioni subjacent.

2. Licèt Materia in omnibus Mundi corporibus ubivis sit eadem, & ea ipsa corruptioni non sit obnoxia: nulla tamen nihilominus in Universo sunt Corpora, quæ non corrumpi, & in aliud abire queant. Res enim omnes corporeæ à DEO productæ corruptioni substant, nec est aliquod corpus adeò firmum & solidum, quod non tractu temporis alteretur, & mutationem subeat. Ita observatum est (sicùt & D. *Le Grand* notavit *Instit. Phil. Special, phys. part. 5. cap. 1.*) non in lapidibus tantùm, sed & in ipso vitro animalia generari, quæ corporis structurâ omnia hominum opera superant.

3. Ob materiæ puritatem, formæ pulchritudinem, & virtutis amplitudinem in superioribus pars mundi superior reputatur dignior & nobilior: Et quantò ampliùs pars deformis Mundi inferior de superiori virtute participat, tantò majori pulchritudine insignitur. Undè dixit *Augustinus*: *Quædam perfectio claritatis, & virtutis, quæ in Superioribus præcellit, ad perfectionem & decorationem continuè se diffundit.*

Quatuor fixa, & perennia in Mundo.

4. Quatuor præcipuè sunt, quæ continuò stata, fixa & immobilia sunt in Universo, utpotè quæ omnem interitum excludunt, nimirum: *Divina mens, Angelicus intellectus, Materia, & humanus intellectus.* Divinæ quippè Menti actu insunt omnia ab æterno, eique semper substantialiter inerunt. Angelicus quoque intellectus à suæ creationis initio actu est omnia, semper omnia futurus. Materia & humanus intellectus à suâ creatione (quanquàm non eodem modo) potentiâ sunt omnia: Id est, omnium potentia, erúntque perpetuò id, quod sunt, hoc est, potentia universorum. Æternus est DEUS sine principio & fine: Angelus autem, materia, & intellectus humanus æviterna sunt facta quidem, sed semper futura,

futura, principium sortita, finem verò nullum habitura. Nullus siquidem intellectus humanus interibit: nulla quoque Materiæ pars secundùm naturam annihilari, nulla insuper oriri poterit. Hæc itaque tria DEUS, Angelus, Materia toti sunt ab initio, & toti semper futuri, neque etiam innovari, aut multiplicari poterunt, neque interire, aut imminui. *Humanus* verò *Intellectus* multiplicari quidem poterit, nec totus ab initio fuit, qui & quotidiè suo numero perficitur, donec evadat in actu totus, & donec humana species impleatur: attamen imminui poterit nunquàm.

Dependentia in rebus Mundi.

5. Nihil in Mundo reperitur, quod sit independens ab alio; sed si rectè perpendatur, unum semper ab alio, & omnia à Primâ Causâ creativâ, velut Principio dependent, quæ & erit causa determinata, à quâ cœtera omnia emanant & producuntur. Sicut itaque in humano corpore, sivè Microcosmo unum membrum fovet aliud, & reciproco quodam fotu omnia singula, & singula omnia afficiunt: Ità in Megacosmo, sive majori mundo Ejus corpora veluti membra quædam influxibus reciprocis, viribúsque unicuique propriis se afficiunt, ac sivè immediato vicinorum, sivè mediante intermediorum influxu se invicem fovent, alunt, roborant, & denuò hoc mutuo unionis fœdere colligata perpetuo conservant. Undè etiam commune est apud Philosophos, conservationem à creatione non nisi ratione distinguere; cùm ejusdem agendis sit effectum primò producere, & eundem deindè influxu continuo conservare, ac velut manutenere. Nulla igitur res in Mundo à seipsâ conservari; multo minùs produci, aut creari potest, sed omnes res miro inter se nexu ab invicem dependent; atque hoc in bonum Universi, ut omnes dùm ad sui conservationem naturali quadam propensione tendunt, etiam totum in suo Esse conservent. Quocircà etiam

Inferiora substant supernis lationibus.

6. Certum est omnium Philosophorum calculo inferiora supernis lationibus substare, tantámque esse inter hæc connexionem, ut impossibile sit inferiorem Mundum sine perenni superiorum Corporum influxu posse subsistere: Sicuti fieri non potest, ut principium passivum de se sinè activo quicquam producat. Ut igitur terra germinet, animalia procreentur, & vivant, ut metalla sub terrâ excoquantur, necessariò aliquid ab activâ Superioris Mundi parte delabi debet, quod spermaticas rationes unicuique mixto inditas ad generationem sollicitet, quod generatum est, foveat, ac in propagationis vigore, quod fotum est, conservet. Ideò & *Platonici* omnia Inferiora à Superioribus Ideis ideata esse dicebant, ac communi Ipsis in proverbio erat: *Secundùm merita materiæ infundi virtutes cœlestes.* De quo & *Virgilius* meminit, ubi canit:

Igneus est illis vigor, & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.

Undè & *Avicenna* ajebat; *quæcunque hic fiunt, oportet præexistere in motibus, & conceptionibus stellarum, & orbium. Itaque haud secùs ac in mundo Angelico eo ordine dispositi sunt Angeli, ut unus alteri necessariò subdatur, & Superiores illuminent, & perficiant Inferiores*, sicut optimè discurrit *Kircherus in Itin. Extat. ita & in Mundo sensibili summus quidam, & admirandus in ejus corporibus etiam est nexus, ut etiam remotissima corpora in sibi subdita influant, virtutibúsque variis impleant. Hæc verò influxu Superiorum fœta, tùm propriam, tùm à Superioribus inditam fœturam cum fœnore inferioribus iisq; vicinis globis impendunt. Hoc igitur pacto à supremis ad media, à mediis ad infima Mundi confinia virtus tùm omnium, tùm singulorum admirandâ quadam connexione propagatur. Ut tametsi Terra nihil sit respectu remotissimorum mundi corporum, virtutem tamen eorum mirâ quâdam concatenatione concipiat, & sentiat per intermedios, sensibilésque mundi globos diductam, propagatámque.* Ità *Kircherus.*

Deformia conferunt ad mundi decorem.

7. Quidquid in mundo nobis reputatur deforme, ad illius tamen splendorem, si rectè consideretur, velut in nobilissimis picturis umbra confert. Ità licèt in eodem Mundo sint multa corpora noxia, veluti venena; eadem tamen à peritis in alterius mali aversionem, & amolitionẽ adhiberi possunt. Undè etiàm nihil est in mundo superfluum, sed omnia ad totius perfectionem, & conservationem à ter Opt. Conditore sapientissimè sunt ordinata. Sed de hoc plura paulò inferiùs.

Terra centrum Universi.

8. Rectè tellus statuitur Universæ naturæ centrum, soláque immobilitate gaudere cœteris omnibus corporibus circà eam motus suos, ac gyros peragentibus, ut ità suprema illa corpora virtutum suarum influxus unanimi conspiratione eò meliùs dimanare, & aptioribus ità mediis finem suum, ad quem à DEO condita sunt, assequi possint. Solus igitur terrenus globus, quidquid in Universo virium latet, velut commune omnium subjectum in se recipit, fovet, & in hominum usum convertit; Solus etiam, ut tantò aptiùs dispersarum ab aliis corporibus virium dotes concipiat, perpetuâ lege immotus persistit: *Est* enim, ut rectè ait *Kircherus in itin. extat. 1. dial. 2. cap. 3. Adeò motûs impatiens, ut sine quiete seminalium effluviorum, quæ astra ceu principium activum in* eundem *influunt, capax esse non possit.*

Senarius numerus absolutæ Mundi perfectionis.

9. Sicut senarius numerus perfectionis (quià perfectissimus naturâ) in toto numerorum simplicium contextu, ab unitate, scilicet, usque ad denarium solus ipse adeò est perfectus, ut collectione suarum partium, quæ sunt 1, 2, 3 idem 6 resultet: ità Mundus à ter Optimo Conditore

tore optimè perfectus tria continet rerum genera, quæ ipsum in perfectissimo esse constituunt, & sunt *Natura* scilicet *incorporea*, quæ in Angelis, ac per unitatem indicatur; *Corporea*, quæ in Entibus corporeis, & denotatur per binarium; & *Natura humana* utriusque particeps, quæ in Homine reperitur, ac denotatur per ternarium: Et sicut 1, 2, 3 sibi invicèm addita, conficiunt 6: ità etiam omnia in Mundo creata, sex diebus absoluta, & omnimodâ perfectione dotata sunt. Hinc & à Pythagoricis genesi, nuptiisque hic numerus assignatus fuit, mundique signaculum appellatus, senario dierum numero siquidem Mundus constitutus, cùm, ut loquitur Sacra Scriptura, sexto die *vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Dicitur etiam Numerus hominis, quià *sexto die* homo creatus est. Sex etiam ætates Mundo attribuunt Doctores, & SS. PP. communiter, quæ à solertissimo *Pererio in lib. 1. Gen.* (quamvìs alii aliter computent annos, & ætates, ut difficile sit, verum præcisè determinare) ità designantur

Sex Mundi Ætates juxtà Pererium.

Ætas Mundi	Annorum
1. Ab *Adamo* usque ad diluvium	1656.
2. A Diluvio usque ad ortum *Abrahæ* - - -	292.
vel comprehensâ generatione *Cainan* - -	322.
3. Ab *Abraham* usque ad *David* Regem - -	942.
4. A *David* usque ad captivitatem Babylonicam	473.
5. A Captiv. Babylonicâ ad natum Christum secundùm *Bedam*, - - -	589.
Secundùm veriorem & certiorem Chronologiam	630.
6. Ab ortu, & Nativitate Christi Salvatoris usque ad finem mundi incertæ, & incompertæ mortalibus durationis est.	

Rectè proindè Christus ipse gravi oratione reprehendit curiosam Apostolorum sciscitationem *Act. 1.* dicens: *Non est vestrum, nôsse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate: & Matth. 24. De die autem illâ, & horâ* (nempè consummationis mundi) *nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus DEUS.*

CAPUT VI.

De mirâ Opificii mundani pulchritudine, excellentiâ & perfectione.

Miram Opificii mundani pulchritudinem ipsa vocis appellatio, ut jam suprà meminimus, videtur indicare, dùm latinè *Mundus*, quo scilicet nihil mundius, & græcè κόσμος ob nimium ornatum, ac ob complexum omnium rerum *Universum* vocari solet. Perfectionem verò quod attinet, potest ea tùm ab ipso Authore, qui DEUS est, tùm ab ipso instrumento, DEI scilicet verbo, tum à causâ, qua nulla est melior, quàm ut bonum creetur à bono, sicut ait Magnum illud Africæ Lumen *D. August. Serm. 140.* denique ab ipsâ Operis fabricâ ex nihilo scilicet productâ facilè cognosci. Est tamen *Mundus* non adeò perfectè à DEO Opt. Max. Conditore creatus, ut in ejus productione DEUS omne, quod facere potuit, fecerit; tametsi cum eâ perfectione factus sit, sicut esse potuit, ut doctè, & ingeniosè notat *Kircherus in itin. Extat. 1. dial. 2. cap. 5.* Quarè *uti* *mundum pefectiorem, ità etiam imperfectiorem DEUS facere potuit, licet ità factus sit perfectus, sicut fieri potuit. Sed hoc fieri posse Ejus, quod factum est, non est ipsum facere posse absolutum Omnipotentis DEI, licèt in DEO posse fieri, & posse facere sint idem: Non tamen fieri posse cujuscunque est idem semper* *cum facere posse DEI. Unde sequitur,* Deum *mundum, ut voluit, condidisse; quarè non potest non esse perfectus, quia secundùm* DEI *Opt. liberrimam voluntatem est factus.* Ità acutè & benè *Kircherus*. Verùm ut de perfectione *Mundi* vela paulo latius expandamus: Tria potissimùm eandem commendare, & mirè illustrare videntur; Singularum nempè rerum, ex quibus constat, perfecta absolutio, naturarum absoluta varietas, & distinctio, & omnium partium distinctarum ordo perfectissimus. Alii ex pluribus rebus, quæ tamen ad tria superiora reduci facilè possunt, Mundanæ structuræ excellentiam, & perfectionem eliciunt, ut refert *Pererius in Gen. lib. 1. cap. 1. v. 13. & 31.* ac *Cornelius à Lapide in Pentateuch*: & nos hìc etiam paulò fusiùs diducimus. Estque

Mundi perfectio qualis.

Undè cognoscatur.

1. Mira imprimìs creatarum rerum Varietas: Aliæ enim sunt *incorporeæ*, ut Angeli, iique in varias species Hierarchicas, & choros distributi; suntque plurimi, & innumeri. Aliæ sunt *Corporeæ*, quarum rursùs aliæ incorruptibiles, ut cœli, & sidera: aliæ *Corruptibiles*, eæque denuò duplices, scilicet *Inanimes*, & *animatæ*: Harum rursum quædam sunt *vegetabiles*, ut plantæ diversarum specierum, quæ mirâ planè gaudent varietate, ac differen-

Rerum varietas in Mundo.

differentiâ; quædam *Animales*, quæ innumerorum ac diverſorum animalium cœlum conſtituunt. Horum denique in ſerie quædam ſunt *Corporea* per totum, eáque vel *perfecta* vel *imperfecta*; alia partim Corporea ac partim *incorporea*, velut homines. Quis porrò hominum varias differentias in corporis habitu, in vultu ſeu facie, in greſſu, voce, ingenio, moribus, linguâ, ſtudiis, legibus, inſtitutis, ac Religionibus enumeret? Mira igitur varietas iſta Megacoſmo etiam miram dignitatem, & excellentiam meritò conferre debet.

Ordo & diſpoſitio. 2. Admirandus planè rerum omnium mundanarum cernitur ordo, & aptiſſima diſpoſitio. Unde licèt Mundus talis ac tantus ſit, tanta, inquam, rerum varietate & copiâ inſtructus; eo nihilominùs ordine ac ſitu omnia ordinata, & in eodem diſpoſita ſunt, ut ſuum quælibet locum perfectè teneant, ità res nobiliores ſummum obtineant locum, ignobiliores infimum, mediæ medium, eæque per ſuperiores ſervantur, ac reguntur. Sic etiam Deus ordinavit Univerſum, ut in Superiori ejus loco, ſive Cœlo ſint mera gaudia ſine luctu, & dolore ullo, ac perpetua lætitia ſine ullâ triſtitiâ; in Mundo medio, ſive Geocoſmo omnia mixta, cùm nempè docente *Salomone Prov. 14. Riſus dolore miſceatur, & extrema gaudii luctus occupet:* in infimo porrò loco, ſivè Inferno, velut ſentinâ malorum ſint meri dolores, luctus, ac gemitus ſine ullo gaudio, ac conſolatione, atque adeò ibidem *ſempiternus horror inhabitet*, ut loquitur *Job cap. 10.* Et quamvis omnia Mundi corpora invicem planè diverſa ſint, in unum tamen perfectè conſpirant: Ac licèt adhuc innumeri alii globi nobis ignoti in Cœli expanſi tractibus hæreant extrà omnem ſenſuum comprehenſionem remotiſſimi: ità nihilominùs aptè tamen per naturam connectuntur, ut unum ſine altero abſque totius diſſolutione eſſe non poſſit.

Plenitudo & Univerſitas. 3. Summa quoque eſt in Mundo rerum omnium plenitudo, ac Univerſitas, cùm omnia eidem tripliciter ità inſint: primò ſecundùm generales rerum gradus, qui ſunt quatuor, nempè *Eſſe*, *Vivere*, *Sentire* & *Intelligere*. Deindè ſecundùm cujuslibet horum graduum genera & Species ſubalternas. Item tertiò nihil eſt uſpiam, nihilque factum eſt à DEO, quod Mundi hujus complexu non contineatur, & ad eundem non pertineat.

Arcta connexio. 4. Arcta porrò etiam connexio omnium in Mundo partium eſt, eáque valdè eximia, non modò ſecundùm quantitatem, ut nihil ſit uſpiam inane, & vacuum, ſed etiam in ſerie, contextúq; naturalium ſpecierum. Sic nulla eſt ullibi interruptio, ſed omnia aptiſſimè ſibi invicem obſtricta, & devincta conjunguntur. Quocircà talis eſt inferioris, ac ſuperioris naturæ connexio, ut tamen in medio coincidant: Talis etiam inter diverſas ſpecies combinationis ordo, ut ſuprema generis ſpecies cum infimâ mediatione Superioris conveniat non aliâ de cauſa, niſi, ut ſit unum Continuum, perfectiſſimúmque Univerſum.

Singularitas, & individuatio. 5. Etſi Mundus inſuper innumeris creaturis plenus ſit, & infinitæ penè ſint creatarum rerum ſpecies; nihil tamen eſt in Univerſo, quod non mirâ quadam ſingularitate gaudeat, quæ in nullo alio reperitur, quæque æqualitatem cum altero præciſè nunquam attingit; cùm principia individuantia in nullo individuo tali poſſint harmonicâ proportione concurrere, ſicùt in alio; & hoc ideò, ut unumquodque ſit unum, & eo modo, quo poteſt, perfectum exiſtat. Ità nullus globus planetarius licèt ex eadem materiâ conſtent omnes, alteri perſimilis eſt; quin potiùs omnes inter ſe differunt, ut ſivè ſitum, ſivè formam cuique propriam, ſivè compoſitionis rationem, ſivè denique vires & proprietates ſpectes, nullus cum altero conveniat. Quod autem de majoribus hiſce corporibus dicitur; idem de aliis quibusvis intelligi poteſt.

Diſcors concordia. 6. Admiranda valdè quoque eſt rerum mundanarum diſcors concordia, quâ nempè res diſconvenientes in naturâ ac ſpecie, in aliquo tamèn conveniunt & concordant. Quocircà & *Triſmegiſtus* harmoniam quandam perfectiſſimam in Mundo cognoſcebat, & *Pythagoras* Univerſum docebat ad Lyræ modum eſſe compoſitum. Et profectò ſi res omnes in Mundo benè conſideremus, videbimus, quod non ſit corpus tam exile, quod non ad aliud, & omnia ad ſingula perfectâ quâdam Unione, & abſolutiſſimâ harmoniâ concordent, ac conſonent.

Sympathia & Antipathia. 7. Obſervatur etiam ſingularis quædam in plurimis mundi rebus amicitia, ac convenientia, quam *Sympathiam* vocant, aut quædam ſpecialis inimicitia, ſivè disconvenientia, quam *Antipathiam* nominant. Ità reperitur mira quædam amicitia inter magnetem & ferrum, quâ ſe invicem attrahunt, & occultâ quadam virtute ſociari appetunt. Ità ſympathiam licet advertere in animalibus, inter merulum & turdum, inter cornicem & ardeolam, inter muſculum & balenam: In herbis inter mares & fœminas &c. E contrà antipathia, ac notabilis valdè inimicitia obſervatur inter vitem & braſſicam, inter lupum & ovem, inter leonem & gallum &c.

Proportio. 8. Prætereà eximia planè in mundi corporibus tùm inter ſe collatis, tùm in ordine ad totum comparatis proportio obſervari poteſt. Cùm enim omnia mundi corpora non contiguâ ſuorum corporum mole, ſed viribus, ac proprietatibus ſpecificis unum alterum contingat; ſumma etiam & abſoluta unius ad alterum proportio fuit neceſſaria, ne hac deficiente effectibus ſuis à naturâ intentis fruſtrarentur. Ita Terra ſub eâdem magnitudine Soli haud debuit collocari vicinior, aut ab eodem remotior, quàm reverà eſt; ne vicinior

nior à Solis efficacioribus, aut remotior à debilioribus radiis percussa inconvenientem tùm lucis, aut umbræ inæqualitatem, tùm etiàm virium necessariarum insufficientem, aut superfluentem noxiam communicationem susciperet. Idem contingeret, si sub eâdem distantiâ corporum moles, tùm Solis, tum Terræ major, aut minor existeret. Mundana igitùr corpora, veluti sunt Tellus, Luna, Venus, Mercurius, Sol, cœterique Planetæ tali inter se necessariò distantiâ, divinâ Sapientiâ *omnia in numero, pondere, ac mensurâ disponente* sunt collocata, ac singula ejusmodi corpora tali magnitudinis debitæ mole sunt prædita, quæ omninò convenientissima, imò necessaria fuir ad effectus suos pro Naturæ bono quàm efficacissimè præstandos.

Mundi administratio.

9. Quod etiam quamplurimùm ad Mundi decorem ejúsque miram perfectionem facit, est ipsa divina, eáq; optima Mundi administratio, quâ inferiora subsunt, ac parêt superioribus quàm exactissimè, & quæcunq; ad finem suum diriguntur ordinatissimè. Divina siquidèm providentia imprimìs singulis rebus etiã vilissimis quæcunque vel necessaria, vel opportuna sunt ad vitam cujusque tuendam, finémque consequendum sapientissimè, & liberalissimè comparat; Deindè singulas etiam ratione & sensu carentes ad finem suum dirigit, ut naturali etiã quodam ductu actiones suas perficiant, & fines, quasi eosdem cognoscerent, consequantur. Prætereà singulas ex æquo ita attemperare solet, ut vires suas vicissim quasi atterendo, aut frangendo, & sese debilitando, aut corrumpendo Mundo, sibíque non sint exitio, sed saluti ac ornamento. Denique singulæ ità in naturæ bonum conspirant, ut publicum privato præferant, sicut in aquâ videre licet, dùm contrà propriam naturæ propensionem in altum scandere solet, ut locum, ne corpore quoquam vacuus sit, replere queat.

Omnia ordinata in bonum hominis.

10. Illud planè consideratione haud minùs quàm admiratione dignissimum est, quod licet tantus sit rerum omnium in Mundo apparatus, tanta omnium copia, & varietas, eæ tamen omnes, & singulæ in hominis bonum, ac utilitatem à ter opt. max. Conditore sint ordinatæ: Nam ut rectè *Pererius* loco sup. cit. aliæ pertinent ad vitæ humanæ necessitates, & commoditates; aliæ ad varias hominum oblectationes, aliæ sunt morborum remedia, & sanitatis præsidia, multæ ad exemplum, & imitationem sunt propositæ; omnes conducunt ad scientiam rerum, & maximè ad DEI notitiam, amorem, & religionem: *à magnitudine* enim *speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum intelligi*, ut rectè ait *Sapiens cap. 13.* proindè etiam benè docet *Barth. Anglicus de propr. rerum lib. 8. cap. 1. Nulla est tàm vilis, tam infirma in totâ Mundi machinâ pars, sivè particula, in qua tàm in materiâ, quàm in virtute & formâ non reluceat laus divina; sivè ut rectè intelligi potest, aliquid quod humanas mentes ad DEUM optimum laudandum, & honorandum non inducat.*

Etiàm mala in hominum bonum ordinantur.

11. Neque mala, quæ in mundo accidunt, absolutè talia sunt, sed ea ipsa in hominis bonum, ac utilitatem ordinata sunt, cùm ut iterum rectè *Pererius* ait, *mala pœnæ DEUS ordinet ad castiganda mala culpæ, mala verò culpæ licet absolutè quidem mala, & peccata sint, tanta tamen DEI bonitas, sapientia, & potentia sit, ut eadem ordinet ad bonum, vel clementiæ, & misericordiæ suæ eadem condonando, vel justitiæ, & vindictæ suæ ea puniendo pœnis vel præsentibus vel æternis.* Ex summâ itaque & inscrutabili divinæ sapientiæ abysso provenit, quod mundus constet contrariis, malis inquam, & bonis sibi invicem adversantibus: nullum etiam est adeò grande malum, quod non habeat sibi adjunctum bonum, velut antidotum: & multa licèt nobis reputentur mala, ea ipsa nihilominùs non nisi bona sunt, cùm omnia teste *Ecclesiaste cap. 39. Opera DEI bona sint, & non sit dicere: Hoc est nequius illo:* neque etiàm infernus ipse cœlo pejor existimari debet, cùm ut quidam Contemplativus dicit, sicut cœlum sideribus, ita infernus damnatis hominibus, & dæmonibus ornetur.

Aptè igitur & disertè *S. Bernardus Serm. 3. de Pentec. Tria*, inquit, *sunt, quæ in magno hoc Mundi opere cogitare debemus; videlicet, quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum inæstimabilis potẽtia commendatur; quod tàm multa tàm magna, tàm multipliciter, tàm magnificè sunt creata, sanè in modo ipsa Sapientia singularis elucet; quod hæc quidem sursùm; hæc verò deorsùm, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò ad quid sit factus, mediteris, occurrit tàm utilis benignitas, tàm benigna utilitas, quæ etiàm ingratissimos quosque multitudine, & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidèm ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata.* Concludimus ergò cum *Lactantio lib. 1. de irâ DEI cap. 10. Opus Mundi est, quo nihil potest esse nec dispositiùs ad ordinem, nec aptiùs ad utilitatem, nec ornatiùs ad pulchritudinem, nec majus ad molem.* Rectè etiàm proindè & *Thales* ille respondisse videtur, dùm fuisset interrogatus: quid esset pulcherrimum? Respondit: *Mundus*, est enim opus DEI, quo nihil est pulchrius.

CAPUT

CAPUT VII.

De admirandâ Mundi magnitudine, & mirâ Ejusdem partium proportione.

SI Magnitudinem mundanæ ſtructuræ ſeriò perpendere velimus; reperiemus eam tantam, & tam illuſtrem, ut eam humanus intellectus aſſequi haud valeat; per diſcurſum tamen ut aliquid de Ejus magnitudine colligere poſſimus, à notioribus ad ignotiora progrediamur.

Terræ magnitudo quoad ejus ſuperficiem. De Terrâ apprimè, quæ ſupernis collata cœlis puncti inſtar reputatur, optimè quærit *Siracides cap. 1. Latitudinem terræ, profunditatem abyſſi quis dimenſus eſt? Ariſtoteles* illam ambitu ſuo complecti ſenſit ſtadia 400000, milliaria 50000: *Eratoſthenes* ſtadia 252000, milliaria 31500: *Hipparchus* ſtadia 277000, milliaria 34625. Recentiores quidam ſuperficiem convexam cenſent eſſe milliar. german. quadratorum 9288000, Italicorum 148608000. Undè & deducunt: Si tota ſuperficies convexa Terraquæ habitabilis eſſet, & complanati montes & valles, & ſingulis hominibus concederentur ſinguli paſſus quadrati, ut ſtare ac jacere poſſent; unum milliare quadratum caperet homines 1000000, tota verò Terraquæ ſuperficies caperet homines 148608000000000. Si verò ſuperficies Terræ diſcoopertæ æqualis eſſet ſuperficiei maris, & aliarum aquarum: caperet Terra homines 74304000000000. Ut ut igitur ſit, vaſta moles eſſe debet, quam vix homo aut metiri potuit, aut emetiri.

Terræ magnitudo quoad alia. Verum enim verò quis vaſtitatem Telluris ſatis expendat? Illa enim globoſa mundi portio, quàm amplas continet planities, quæ ſuis ubivis ſunt veſtitæ floribus, fructibus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo mirâ varietate diſtinguitur, quorum intuitu quisque delectatur, guſtu paſci, & odore refici gaudet. Quanta ubivis deliciarum varietas, & magnitudo? Quis enumeret fontium gelidas perennitates, liquores pellucidos, amnium ripas, & earum veſtitus floridiſſimos? Quis enarret ſpeluncarum cavitates, ſaxorum aſperitates, impendentium altiſſimorum montium ſummitates, camporum immenſitates? Ut interim ſileam immenſam, inexhauſtámque theſaurorum in intimis telluris receptaculis concluſorum copiam & ubertatem; quàm immenſi ſinus, & marium profundiſſimorum tractus ſe ſe offerunt? Quot, quàm diſparia piſcium, belluarúmque immanium, ſaxiſque nativâ teſtâ adhærentium genera? incolarum verò hujus tàm admirandæ machinæ terrenæ quanta varietas, & numerus? quanta præter hominem, omnium finem, animantium tàm reptilium, & aquatilium, quàm volatilium & terreſtrium qualiumcunque diverſitas & copia? Quot, quæſo, tellus continet regna, & imperia, quot in his Urbes, oppida, villas, pagos, arces & caſtella? Quot gentes, & regiones, quarum penè quotannis à navigantibus aliæ atque aliæ incognitæ deprehenduntur, etiam in locis, quæ nunquàm credidimus habitari poſſe, ſicùr *Nova Francia* non ità pridem in Zonâ Torridâ, ubi dies & noctes perpetuò ferè æquantur, reperta eſt? uti & è contrà ſub polo Arctico, ubi nox continua medium propè annum, contràque alterum Sol diésque medium occupant Hollandorum navigatione reperti homines ad 78 gradum, ubi ſcilicet eriam *Nova Zembla* ſita eſt, quin & ad 80 gradum terram ab hominibus incoli compertum habetur.

Illa igitur ſi habirentur loca, quid de noſtrâ *Europâ* dicturus es? Non de totâ agam *Franciâ*; ubi ſola *Lutetiâ* aliquot centena hominum millia complectitur. Unum in Anglia *Londinum*, apud Belgas *Antverpia*, apud Batavos *Amſtelodamum*, apud Italos *Venetiæ*, ac comprimis *Roma*, quæ caput eſt Orbis, quot mortales alunt? *Romæ* Urbis nota eſt majeſtas & amplitudo vel ex *Propertii lib. 3.* dum canir.

Omnia Romanæ cedunt miracula Terræ:
Natura hic poſuit, quidquid ubique fuit.

Jam *Conſtantinopolim* te non ducam, aut ad Sinus & Urbem *Quinſai*, ubi M: *Polus Venetus* oculatus teſtis eſt, Magnum *Chamum* Imperatorem habitare, & centum millia paſſuum Eandem complecti, & mille ac ſexcenta millia focorum cenſeri, quibus, ſi ut minimum, quina ſingulis capita tribuas, ad 80 milliones hominum unâ in Urbe colliges. Urbs Quinſai valdè populoſa.

Hæc igitur omnia ſi quis rectè expenderit, ac quantùm faciant ad integræ telluris magnitudinem, mente ſaltem emetiendam, quàm vaſta & ampla terrarum moles, quàm ingens Geocosmicæ fabricæ ſtructura reputari poterit? At ubi deinde caput ad Cœlos extulerit, intellexerítque à peritiſſimis Aſtronomis unicam etiàm ab expanſo illo elucentem ſtellam (quarum ſuprà millena millia facilè numerari poterunt) terreno hoc globo, in quo dicta hactenùs omnia continentur, decies octies majorem eſſe, ipſum verò Solem, qui parvi alicujus diſci, vel orbis rotundi Terra reſpectu cœli non reputatur.

rotundi effigiem intuentibus hic refert, centies ac sexagies sexies communiori Astronomorum calculo terram superare, quid de tàm vastis totius Expansi tractibus, quid de Cœlo Universo æquâ mente dijudicabit? Ex quo etiàm si, ut periti sentiunt, molaris lapis in caput tuum de volveretur, nunquam illum, etiamsi annis centenis vivas, formidare queas, cùm adhuc etiàm te mortuo in lapsu suo hæsurus esset. Asserunt Astronomi, quodsi adhuc primus noster Protoparens viveret, & singulis diebus à tempore suæ creationis Cœlum versùs supremum scandendo confecisset octodecim milliaria, nondum intereà ad octavum cœlum pervenire potuisset. Similiter dicunt, quod firmamentum sivè cœlum sidereum tantâ velocitate præsertìm circà medium convertatur, ità ut Stella in Æquatore intrà tempus pulsûs arterialis (quales pulsus *Cardanus* in sano homine quater mille intrà horæ spatium numerari observavit) 2264 milliaria Gallica conficiat. Quàm vasta ergò tota orbita esse debet, quæ tamen Spatio 24 horarum percurritur.

Cœli supremi convexitas quàm magna sit. Cœli porrò supremi, quo Beati continentur, convexum Mundi hujus extremum rationabili hypothesi innixus solertissimus *Clavius*, aliíque Mathematicarum rerum periti quindecim millia millionum, & quingentos quadraginta milliones milliarium complecti vix comprehensibili spatio asserunt; ità ut Beatorum in hoc singuli possessionem instar Regni sibi propriam vindicare; aut novis novísque penè identidem diversoriis amœnissimis, aliaque atque alia bona sufficientibus, detineri queant.

Tantam ergò hanc Mundi structuram expendens *Kircherus in itin: extat. dial. 2. cap. 2.* haud veritus est dicere: *Quemadmodùm DEUS ter benedictus absolutum Maximum est, quo majus omni humani ingenii conatu fingi non potest*; ità Mundum hunc sensibilem Maximum quod *contractum esse magnitudinis prorsùs incomprehensæ, nec numero definitæ.* Quid porrò per illud *Maximum absolutum*, & quid per *Maximum Contractum* significare velit, licèt discursu valdè subtili ibidem longiùs diducat & explicet, cùm tamen captu sit difficillimum, ne hoc ipso labyrinthum infinitatis incurrat, ac Mundum dicat infinitum, in literis ejus causâ responsoriis ad *P. Schottum* ejusdem sui libri Scholiasten datis ità clariùs sententiam suam exposuit, dùm rescripsit: *Mundum esse contractum maximum, minimè infinitum, tantâ tamen magnitudine à DEO conditum, quanta esse & debuit, & potuit, posito DEUM Mundum sub tali mundanorum corporum dispositione, quam hodiè intuemur, esse voluisse. Cùm itaque DEI perfecta sint opera, tantum factum esse, quantum materialis conditio ei esse permisit: non quod absolutâ suâ potentiâ majorem & majorem facere non potuerit, sed quod stante tali dispositione rerum nec major, nec minor sine totius confusione esse potuerit. Ità dico DEUM humanam naturam utpotè contractum quoque maximum in tanto perfectionis gradu condidisse, ut ea perfectior in suâ essentiâ nec imperfectior esse potuerit. Quod & de omnibus aliis speciebus rerum intelligendum est. Et sic intelligendam velim meam de magnitudine Mundi sententiam. Condidit enim DEUS Mundum sub tali corporum distantiâ, & proportione, sub quali meliori modo, quo est Mundus, per mutuas corporum stellarium in se agentium vires, influxúsq; conservari posset, quod non fieret, si aut major, aut minor factus fuisset: tunc enim Sol cæterique planetæ tùm à se, tum à terrâ distantiores aut viciniores eidem omnia in confusionem deduxissent.* Ità *Kircherus.*

Mundus est contractum Maximum.

Quid per Contractum maximum intelligendum.

Verùm hæc quidem satis clarè, sed ut ipse *Schottus* benè advertit, quæ non magis probent Mundi magnitudinem maximam, & humano ingenio incomprehensibilem, quàm maximam, & incomprehensibilem minimæ formicæ, aut muscæ aut pulicis alteriusvè speciei creatæ perfectionem; Cùm æquè stante tali dispositione partium in tam minuto animalculo sine confusione totius à DEO, cujus opera omnia sunt perfecta, nec major, nec minor formica potuerit effici, adeóque & ipsa formica tali modo *Contractum* quoddam *maximum* dici possit, sicut & quævis alia creata Species quantumvìs minima.

Quomodò etiàm in minimis creaturis.

Sicùt enim à pari peritissimus aliquis artifex, cùm Automatum aliquod minutum velut in annulo quodam concludere debet, stante tali ordinatione finis, & ut ità loquar, finitate tali præfixâ omnia sic coördinare debet, ut interior machinæ constitutio, rotularum licet minimarum dispositio, ad invicem applicatio, & qualiscunque proportio cum integra motricis virtutis ratione fiat exactissima, ne vel unica rotula major aut minor, propinquior aut remotior, ac convenit, efficiatur, sed interior tota structura in justissimâ proportione omnium particularum coäptetur: Aliam autem dispositionem omnium facturus esset, si grandem aliquam machinam Automatam in præmagnâ aliquâ turri exstruere deberet: Ubi similiter omnia quidem majora concordi rursùs omnium partium proportione, & dispositione coördinaret, ne vel unica rota major aut minor cum ulla superfluitate, aut defectu remotior aut propinquior, quàm justæ perfectioni convenit, efficeretur; Utrumque autem artificium *Contractum* aliquod *maximum* dici posset: quià tàm illud minutum Automatum in annulo ità ordinatum esset, ut nulla ibidem vel minima pars major stante tali ordinatione effici posset; ac illud grande Turris Automatum, cùm nec ibidem partes licèt in se majores, tamen in tali ipsâ ordinatione adhuc majores effici possent. Similiter ostendi potest etiam expertissimum pictorem

ctorem imaginem aliquam benè proportionatam in determinatâ aliquâ tabella majorem non posse facere, si leges artis suæ attendere velit; nec Statuarium ex dato determinato ligno corpus hominis benè proportionati nec majus, nec minus efficere posse, quàm si artis suæ benè peritus sit, in tali magnitudine, & non aliâ proportiones singularum partium ordinet, & disponat. Ità tenendum DEUM peritissimum hujus magnæ Cosmicæ structuræ Artificem stante tali ordinatione finis, & finitate Universi (cùm Mundum finitum esse omninò credi debeat) ità omnia in tam ampla, ac penè immensâ structura, quam nullus intellectus humanus emetiri potest, ordinatissimâ proportione & justissimâ, perfectissimâque omnium partium coordinatione effecisse, ut aliter vel in quâcunque parte (cùm DEI opera sint perfectissima) omninò effici haud potuerint, si terminos providentiæ finis à DEO constituti attendere velimus.

Ex his itaque licet concludere omnes Mundi partes, omnes Cœlorum ambitus, omnes quorumlibet cœlestium globorum magnitudines, distantias, motus, elongationes ab invicem, aut approximationes, omnia denique mundana corpora ita ab Omnipotente manu DEI in admirandâ quadam symmetria, & proportionatissimâ unius corporis ad aliud intercapedine; tùm etiàm in quantitatis, sivè magnitudinis unicuique ad finem suum consequendum appropriatæ mensura exactissima constituta esse, ut absolutæ perfectioni in tali rerum mundanarum statu nec quicquam deesse possit. *Benè* itaque *omnia fecit* Universitatis Opifex DEUS ter optimus; omnia enim in Sapientia fecit: *Omnia*, ut loquitur *Sapiens cap. 11. v. 21. in numero, pondere, & mensurâ disposuit.* Proportio in mundanis partibus.

CAPUT VIII.

An plures Mundi dentur, quàm Unus.

Philosophi qui plures mundos statuerunt



Ex veteribus Philosophis quidam plures invexerunt Mundos, finitos tamen, ut *Manichæi*: Alii innumerabiles, ut *Democritus*, qui etiam in his magnam ponebat diversitatem, asserens in quibusdam neque Solem esse, neque Lunam; in aliis splendidiora lucere sidera, quàm ea, quæ in nostro videntur Mundo: Item quosdam esse animalibus destitutos, & plantis, omnique humore vacuos, alios hiscè rebus affatìm abundare. O miram nugandi licentiam!

Infinitos quoque Mundos excogitârunt *Metrodorus, Anaximander, Anaximenes, Archelaus, Aristarchus, Xenophanes, Diogenes, Leucippus, Epicurus*, & *Anaxarchus*: quem (ut *Plutarchus* refert *de Tranquill. animi*) cùm *Alexander Macedo* de Mundorum infinitate differentem audivisset, illacrymasse fertur: Rogantibúsque amicis, num aliquid ei dignum lachrymis accidisset? Respondisse fertur: *An indignum est nos flere, si cùm infiniti Mundi esse perhibeantur, nondùm unius Domini simus.* Unde de eo *Juvenalis Sat. 10.* benè cecinit:

Unus Pellæo Juveni non sufficit Orbis.

Eorum rationes.

Diversis autem rationibus in eam sententiam adducti sunt etiam hi, qui dogma idem tuebantur. *Metrodorus* absurdum esse dicebat, in magno campo unam tantùm spicam nasci, & ità in infinito unum Mundum. *Democritus* & *Epicurus* Mundorum infinitatem astruebant ex conflictatione, & nexu infinitarum partium insectilium: Alii alias habebant rationes nullo meliori fundamento innixas, quas hoc loco referre piget.

Unum tamen Mundum fecêre *Thales, Pythagoras, Hippasus, Anaxagoras, Parmenides, Melissus, Heraclitus*, Stoicorum Princeps *Zeno, Plato & Aristoteles*. Doctissimus *Plato in Timæo apud Alcinoum, in lib. de ejus doctrinâ cap. 12.* duobus potissimùm argumentis innixus Mundi unitatem probabat. Primum, quia perfectus, atque integer non foret, nisi omnia in se comprehenderet, & compactus, constitutúsque esset ex omnibus rebus à DEO creatis. Secundum Ejus argumentum erat; quià conveniens est Mundum suo Archetypo, & intelligibili Exemplari, hoc est, divinæ naturæ respondere: Ut quemadmodùm unus est DEUS, una prima Causa, ità Unum sit Universum. Iisdem rationibus usus est *Philo Judæus in lib. de Mundi opif. Alensis 2. part. q. 11. memb. 1.* & alii. Veteres Philosophi, qui unum Mundum statuerunt.

Ex Recentissimis Authoribus Clarissimus D. *Antonius le Grand in Philosophiâ suâ Cartesianâ* nuper editâ *part. 5. cap. 1.* Mundi Unitatem his declarat argumentis, dùm ait: Si alius ab hoc, quem incolimus, Mundus esset, in spatio, quod ultrà ultimam Cœli Sphæram imaginamur, deberet reponi; at illic corpora aliqua esse, est impossibile, cùm nihil esse supponatur, & imaginarium tantùm sit, & fictitium. Quod autem nihil est, neque partes, neque effectus habet; & per consequens locare aliud non potest. Locus enim est corporis ambientis superficies, secundùm *Aristotelem*, & quomodò am- Argumenta pro Unitate Mundi.

dò ambietur, si nulla à se distincta corpora, nullæque superficies inveniantur.

Prætereà si ultrà ultimum Cœlum daretur Sphæra huic nostræ similis, aut se contingerent, aut à se invicem separarentur. Si posterius, dari deberet aliquod medium, quod utramque Sphæram totaliter ambiret, & sic neutra illarum Sphærarum esset ultima in suo Mundo. Si autem tantùm ex parte: deberet dari Vacuum inter illas partes, quæ non unirentur, quod est impossibile, fieri à naturâ.

Deindè spatium illud, quod inter duos Mundos imaginamur, non purum nihil est, sed corpus aliquod; cùm solum corpus distantiam inter corpora facere sit capax; imò concipere haud valemus rem unam ab alterâ distare, nisi eoipso medium reale intelligamus, quod eas separet. Verùm cùm illud corpus sit, hoc est, res in longum, latum & profundum extensa, conjunget ambos illos Mundos, quos sejungere dicitur, & utrumque connectendo, unicum, non duos efficiet. Ità philosophatur prænominatus Philosophus.

Sed & audiamus quid nobis *Kircherus* pro Unitate Mundi è *maximo* suo *Contracto* proferat. Si plura, inquit *lib. sup. cit. cap. 5. num. 10.* Universa forent, jam plura quoque *maxima Contracta* forent, quod absurdum est, & contradictionem involvit: Essent enim *maxima Contracta*, & non essent: & quod debeant esse *maxima Contracta* supponimus ex definitione Mundi, seu Universi: non esse verò posse *maxima Contracta* indè patet, quòd impossibile sit in eodem genere rerum plura *Contracta maxima* dari posse, sed unum *Maximum Contractum* Materiale dari necesse est, quod omnia intrà se contineat.

Prætereà quod constat ex universâ materiâ; imò de cujus ratione est, ut ex materia universâ constet, unum esse necesse est: At illud, quod est *Contractum maximum*, Mundus seu Universum hujusmodi est; est ergo Universum necessariò unum. Quod enim pendet ab uno, id necessariò debet esse unum, non absolutè quidem, sed contractè: Sed Universum immediatè pendet à DEO Uno; Ergò *Contractum* debet esse unum. Nam ut Divinus *Dionysius* loquitur: *Unitas omnis Unitatis est effectrix*, ab hac enim omnia fluunt, proficiscuntur, servantur, & Unitatis, Unionísque munere efficiuntur. Posito enim, quod DEUS plures Mundos creâsset: jam quæro, vel illi æquales inter se essent, vel majores, vel minores: Æquales certè esse non possunt, non enim essent Contracta maxima; cùm *Contractum maximum* simile aut æquale habere non possit: Neque unum altero majus, aut minus esse posset, cùm eadem ex illo contradictio sequatur. Ergò necessariò à DEO Mundus, seu Universum productum fuit, ut sic Idea summi Opificis Ideato undequaque responderet, & unum absolutè maximum, qui DEUS, unum *contractè Maximum*, qui Mundus est, similitudine & analogiâ quadam oppidò congruâ exprimeret. Hæc *Kircherus*.

Sensus, quo Author præfatus *Contractum Maximum* hìc assumit, aliter intelligi debet, quàm *super. cap.* explicatum est. Nam in sensu ibidem explicato non implicare videtur dari duo *Contracta Maxima*: in eo autem, quem hìc usurpat, quo Mundus sit *Contractum Maximum*, etiam dici posset, DEUM nec Mundum majorem posse facere, supposito scilicet, quòd Mundus sit *Contractum maximum*, sicùt *DEUS est absolutum maximum*. Verùm his diutiùs immorari non libet. Alia plura argumenta de Mundi Unitate, & pluralitate â Philosophiæ Scriptoribus *in lib. de Cœlo & Mundo* traduntur. Nobis sufficit S. Scripturam SS. PP. & fidem orthodoxam cum omnibus jam Philosophis, ac Theologis unitatem Mundi unanimi consensu docere, & pro confesso undique tenere. Quomodò tamen quatuor Mundi juxta Veterum Sapientum doctrinam asseri queant, nunc venit exponendum.



CAPUT

CAPUT IX.

De quatuor Mundis Veterum; & quid per illos Antiqui voluerint indicare.

Quatuor Mundi Veterum.



Veteres olim maximè Ægyptios quatuor Mundos statuisse, testantur *Trismegistus in Pimandro & Asclepio, Jamblichus de mysteriis* & alii: quorum primum vocabant *supremum* omnia intellectu exprimentem, *Idealem, Archetypum*: Secundum *Genialem, Angelicum, intellectualem*: Tertium *Sidereum*: Quartum *Hylæum, corporeum, Elementarem*. Hos Mundos Veterum paucis explicemus.

Primus Mundus Archetypus.

Primus Mundus *Archetypus* sivè *Idealis* nihil est aliud, quàm ipse Intellectus divinus, sivè ipse DEUS, qui est summus omnium Architectus, Author, Opifex & Rector, quod ipse divinus intellectus de se inprincipiatus omnia principiet, & causet, omnes reliquos Mundos contineat, disponat, ordinet, sustentet, gubernet. *Mundus* dicebatur, quod omnes rerum essentias, formas, vitas, intellectus, atque omnia hæc abstractim ab omni fæce materiæ libera, nullâ contagione corporeâ infecta comprehendat, haud secùs ac ipse Mundus corporeus omnia corpora, omnium corporum essentias, formas & accidentia, sed omnia materiæ immersa fæcibus, alterationi, mutationi, & corruptioni subjecta, mortalia, inconstantia, in motu vergentia, finita diverso nexu complectitur.

Quare dictus Archetypus.

Vocabatur *Archetypus* sive *Idealis*, quod in mente divinâ sint omnium Entium Ideæ vivacissimè expressæ, ac juxtà has innumerabiles Ideas in mente divinâ relucentes omnes omnium rerum species & formas, omnia Mundi systemata, omnem individuorum propaginem prognatam esse statuebant. Undè *Plato in Tymæo*, rectè asserebat Mundi Opificem sempiternum Opificis exemplar imitatum esse, Mundúmque hunc sensibilem ad sui similitudinem efformâsse.

Erat itaque Mundus iste *Archetypus*, Exemplar & prototypon eorum omnium, quæ secundùm Naturam fiunt. *Intelligibilis* etiàm dictus est, quod solo intellectu, nullo sensu capiatur, cunctorum causa divina, & exemplaris, quin imò efficiens & finalis, undè & dicebatur *Mundus Causæ causarum.*

Quomodò ab Ægyptiis signatus.

Proindè hunc Mundum Archetypum signabant Ægyptii per globum alatum serpentiferum, quem *Hemptha* appellabant, nihílque aliud illo, nisi Numen triforme, principium & finem omnium reliquorum Mundorum indicabant: per globum quidem *Mentem primam*, quam circulo, & Sphæræ comparabant, uti & Poëta testatur:

Sphæra immensa DEUS, circúmque ferentia nusquam,
Quodlibet est Medium, centra & ubique jacent.

Per serpentes notabant *Mentem secundam*, sivè secundam divinitatis formam, ut loquuntur Ægyptii: per alas Spiritum *pantomorphum*, sivè *Tertiam Mentem*, teste *Kirchero in Obelisc. Pamphil. & Oedip. Ægyp. tomo 2. part. I. class. 6.* Atque hic est Mundus *primus Archetypus, Idealis, Supremus &c.*

Secundus Mundus Genialis.

Secundus Mundus *Genialis* sivè *Angelicus* sic dictus est, quod complectatur omnes Geniorum atque Angelorum turmas immediatè à primo Mundo Archetypo profectas; estque primus effluxus, & primus partus Causæ Causarum Intellectûs illius divini. Undè & ab Hebræis dicebatur *Mundus formationis*, *Mundus Angelorum*, aut *Mundus Intellectualis*, quod esset intellectibus, seu intelligentiis innumerabilibus præditus. Ægyptii verò hunc Mundum *Supercelsum* vocabant, quod super duos reliquos *Sidereum* scil. & *Elementarem* constitutus emineret, & excelleret.

Itaque hic Mundus Intelligentiarum, Angelorum sive Geniorum proprius est, ac prima, immediata, & simplicissima ratio divini operis ad Ideas in primo Mundo Archetypo relucentes, easque divinæ essentiæ præ omnibus magis similes efformatus, exemplarium divinorum promus condus: Undè & Ægyptii hujus Mundi genios vel Intelligentias nihil aliud, quàm quasdam Divinitatis particulas, sivè particulares quosdam Deos, & Numina dicebant.

Prætereà vocabant eum etiam *Intellectualem*, quod ad Archetypi Mundi exemplar conditus, essétque Geniorum in hoc munus per intellectus ac intelligibiles species suas majoris Mundi œconomiam administrare, cursus siderum ac motus luminarium promovere, Mundúmque sidereum ità dirigere, ut res in infimo Mundo Elementari suum quoque munus ritè obirent, ac particulares fines obtinerent. Hunc Mundum teste *Jamlicho* in novem classes distribuebāt: *Angelis* primum locum deputabant, *Diis supra mundanis* alterum, *Archangelis* tertium, quartum *Diis cœlestibus pedissequis supra mundanorum*, quintum *Dæmonibus*, sextum *Heroibus*, septimum *Principatibus*, octavum *Principibus*, nonum denique *animabus*. Hinc videre licet, quàm propè ad veritatem orthodoxam de novem Angelorum choris accesserint Ægyptii: Nam juxtà *D. Gregor.*

Novem classes hujus Mundi.

gor. lib. 2. Moral. Tres sunt Hierarchiæ, ac in quibuslibet Hierarchiis tres Ordines sive Chori, qui universim novem Choros constituūt. In primâ Hierarchiâ collocantur *Seraphin, Cherubin* & *Throni*: In secundâ *Dominationes, Principatus, Potestates*: In tertiâ *Virtutes, Archangeli*, & *Angeli*, quorum officia, & quid per illos DEUS operetur, ibidem quoque insinuat.

An Mundus hic fuerit ab æterno. Errârunt tamen Ægyptii statuentes ab æterno hunc Mundum primo *Mundo Archetypo*, sive DEO coëxtitisse, quod illos *Genios* divinas quasdam Deitatis particulas, sivè particulares Deos, & Numina crediderint, cum fide nostrâ orthodoxâ longè in diversum abeamus, ac teneamus DEUM juxta *duo Æva*, quorum primum ab æterno ad initium usque temporis, alterum verò ab initio temporis & creationis in æternum duraturum computamus. In *primo Ævo* substitisse, solúmque fuisse & cum eo Nihilum, adeóque infœcundum ad extrà, impervium, ignotum, utpotè incomprehensibili caliginis abysso reconditum. Fœcundum tamen in seipso & Numerosum, utpote Trinum, sibi ipsi quoque communem, cognitum & pervium.

In hoc igitur *Ævo* DEUS nihil creavit; quandò verò deindè rationem Universorum adorsus in secundo *Ævi* exordio mox fœcundus ad extra, Numerosus, atque mox plurimus ità loquendo factus est, Universorum propago *secundo Ævi exordio* prognata fuit. Medium deindè duorum Ævorum posuit DEUS tempus, quod est pars prior secundi Ævi, éstque mensura singularium, & metrum omnium individuorum: Tempus verò creationis, & absolutionis omnium est tota Mundi hujus duratio. Quarè dicendum sicut in primo Ævo DEUS fœcundus, & Trinus atque interiùs numerosus fuit, nempè in Tribus Personis Patre, Filio, & Spiritu Sancto: ità in secundi Ævi exordio fœcundus exteriùs, & Trinus rursumque Numerosus in tribus principaliter, nempè in Seipso, in Angelo, & Homine; Proindè sicut interioris Trinitatis Personæ tres sunt, Pater Filius & Spiritus S. sic exterioris Trinitatis DEUS, Angelus, Homo, qui præ cœteris creaturis invicem conspirant, cùm ex toto hoc Universo præ omnibus non nisi Angelus & Homo divinam quandam lucem participent, ac in DEUM quodammodò participatione evadant.

Quapropter longè aliter sentiendum ac statuendum Mundum illum Archetypum in primo Ævo solùm simpliciter extitisse; deindè in secundi Ævi initio intellectualis Geniorum Mundi primordium ab illo primo Mundo Ideali profluxisse, adeóque totum illum Genialem Mundum à Primo suam originem instanti temporis deduxisse, atque totalitèr modò propendere. Rectè tamen Ægyptii Genialis Mundi Symbolum Hieroglyphicum exhibentes figuras humanas partim stantes, partim sedentes vario instrumentorum habituúmque apparatu instructas ponebant immediatè sub Globo alato, quo Archetypi Mundi immediatum influxum in Angelicum, seu Genialem Mundum denotabant. Vide *Kircherum in Oedip. Ægyp. tom. 2. part. 1. class. 6.*

Genialis Mundi symbolum hieroglyphicum.

Venio ad Tertium Mundum *Sidereum*, qui nihil est aliud, quàm totius Machinæ è cœlestibus Orbibus constitutæ compages, atque hoc ipsum modò Cœlum variis siderum, stellarum, ac planetarum inerrantium lucidissimis facibus adornatum, quod oculis corporeis intuemur, cujus beneficio illustratur quartus hic Elementaris Mundus, ac per occultas qualitates, sivè influentias mirâ quadam fœcunditate ab astræis impressionibus proficit & fœcundatur. Quid porrò de hoc Mundo, ejúsque variâ divisione opinati fuerint Veteres, Græci, Hebræi, Arabes, Chaldæi & Ægyptii latè, ac pereruditè more suo deducit *Kircherus in Oedip. Ægypt. loc. cit.* Nobis autem hoc loco sufficiat, hunc Mundum per assistentiam Angelici sivè Genialis immediatè dirigi, atque ad motum concitari, omnémque harmonicam concinnitatem ab Intelligentiarum moderamine concipere. Undè sicùt primus & immediatus influxus Archetypi Mundi in Genialem derivatur, ità Genialis in Sidereum prolabitur, ac velutì primus ille supremus omnes reliquos Mundos complectitur, suisque vallat, ac circummunit virtutibus; ità & hic Sidereus ab Ideali quoque deducitur, in illo continetur, ab illo & Geniali persistentem in labore & motu continuò constantiam desumit.

Tertius Mundus Sidereus.

Hinc benè hunc Mundum Ægyptii per accipitrem tutulatum, variis striis insignitum apposito ei globo serpentifero à latere designabant, atque immediatè sub Angelici Mundi Symbolo ponebant: Nam sicuti Archetypus immediatè in Angelicum influit, ità hic in Sidereum immediatè influxum suum parat. Ponebant enim in quadrangulo materialis, sivè elementaris Mundi Symbolo ad siderei Mundi in corporeum Mundum effluxum necessarium denotandum. Per septem strias in collo designabant septem Planetas errantes, & per Ventrem maculatum reliquas firmamenti Stellas. Globus à latere circularem motum, serpens verò, quam motu causat, vitam indicabat.

Quomodò Ægyptii hunc Mundum expresserint.

Tandem de quarto Mundo Hylæo, sivè Elementari & Corporeo Veteres sentiebant esse compagem hanc è quatuor Elementis, & diversis quinque mistorum classibus coagmentatam. Illæ igitur quinque classes à quator Elementis novem classes constituebant, quas & totidem Mundos particulares appellabant. Prima classis erat Entium à prædominio igneorum, secunda Aëreorum, Tertia Aqueorum, quarta Terrestrium, quinta Minera-

Quartus Mundus Elementaris.

Mineralium, sexta Vegetabilium, septima Sensitivorum terrestrium, octava Animalium aquaticorum, nona Microcosmi sive Hominis velut Epitome totius Universi.

Genii quinam classibus singulis præfecti.

His classibus singulis innumeros præficiebant Genios, quibus præerat Princeps aliquis: quorum officium erat competentem classem sic instruere, ut quodlibet sub ipsâ insitas virtutes suas ritè posset egerere, ac proprietates à naturâ concessas è sinu & gremio feliciùs effundere. Ità *Chromptha*, princeps igneorum Geniorum cum Geniis sibi subjectis inferiori Mundo calorem ab *Osiri* acceptum communicare dicebatur, omnia calore nativo fovere, impressionum ignearum effectibus præesse, velut igneis meteoris. Similiter *Theoptha*, princeps Geniorum aëreorum aërem inferioris mundi attemperare munus habebat, præesse Ventis, pluviis, serenitati, aliisque aëris circumstantiis. Atquè ità singulis classibus infrà mundanis certos Genios tribuebant, in illis rursus unum cœteris principem totius illius naturæ Moderatorem ad benevolentiam captandem cultu potiori & ampliori prosequebantur.

Hinc videre licet, sicut in Geniali Mundo novem Ordines Angelorum, ac in sidereo novem statuebantur Sphæræ cœlestes; itá quoque hic aptè & concinnè ponebant Veteres Entium Elementarium & corporearum novem classes, quo miram quandam concatenationem rerum totius Universi à Supremo Mundo usquè ad Infimum demonstrabant. Inde non est mirum, Veteres tam sollicitè ad Superiorum intelligentiam mentes suas acuisse: Cum enim apertè cognoscerent omnia Inferiora ipsis quoque Superioribus inesse, acnihil eorum in quovis Mundo contineri, quod æquè correspondentem in alio non haberet entitatem, viderentque Summam omnium rerum subordinationem, atquè invicem mutuam relationem: Hinc qui impensiùs in hæc ipsa studia ad penitiorem Superiorum cum Inferioribus connexionem, & occultam sympathiam indagandam incumberent, verè Magi, ac Sapientes credebantur. Undè palàm *Agaziel Arabs lib. de influentiis* dicebat: *Quicunque norit vinculum seu catenam illam magnam Superiorem mundum Inferiori connectentem, sciet omnia Naturæ mysteria, & mirabilium patratorem aget.* Causam dare videtur *Mor Isaac in Philosoph. suâ Syrâ cap. 6.* his verbis: *Scientiæ Magicæ ratio à supremis perficitur potentiis unà cùm materiis terrenis familiaritatem, item ac convenientiam Supremis cum Inferioribus, qua sub lunâ sunt, habentibus.*

Quomodo omnia benè coordinata.

Nihil igitur est in Superioribus, quod non sit æquè in Inferioribus: Omnia subordinata, invicem relata, ac suo modo expressa. In Deo omnia Deus, & divinè; in Angelico omnia angelicè; in Sidereo mundo omnia astraliter ità loquendo; in Mundo infimo Elementari & Corporeo omnia corporaliter. Item in Mundo Archetypo omnia sunt increato, infinito, imprincipiato, incomprehensibili modo, sicut in Angelico Mundo omnia ipsa intellectuali & angelico modo: in Sidereo siderali, atquè astrali, & in infimo Elementari omnia sensibili, corporeo, creato modo. Omnia igitur suo modo in omnibus complicata, non secùs, ac arbor in semine. Sicut enim Semen est arbor complicata, & arbor est semen evolutum, ità Deus est mundus totalis complicatus, & Mundus universus est Deus, ità loquendo evolutus. Hæc de quatuor Mundis Veterum: quæ omnia hactenùs adducta *Kircherus* in egregiis suis operibus, ut *Oedypo Ægypt. & obelisco Pamphilio* fusè diversis locis deducit, breviter in Epitomen congessimus, ut Antiquorum Sapientum de quadruplici Mundo Sententia faciliùs cuivis patere possit.



CAPUT X.

Mira quadruplicis Unitatis cum quatuor Mundis Veterum comparatio proponitur & explicatur.



Xplicavimus quatuor Mundorum Ordines ad mentem Antiquorum Sapientum, nunc quadruplicem Unitatem quomodò coäptemus, videndum est. Pro quo

Quadruplex Unitas explicatur.

Advertendum I. Quod per *Quadruplicem* hoc loco *Unitatem* intelligi velimus imprimis primam *simplicissimam*, sive *monadicam*, secundam *Decadicam*, seu *Denariam*, tertiam *Hecatontadicam*, sive *Centenariam*, quartam *Chiliaticam*, seu *millenariam*. Prima *Monadica* simplicissimam indivisibilem respicit Unitatem, videlicet 1. respondetque in Geometricis simplicissimo & indivisibili puncto, undè & prima hæc Unitas etiam appellari potest *punctualis*, sivè *Centralis*. Secunda *Decadica* Unitatem denariam, nempè 10 intuetur; estque radix geometrica sequentium Unitatum, respondétque in Geometricis Lineæ, undè & *Linearis* dici meruit. Tertia *Hecatontadica*, quæ quadraturam, vel quadratum radicis 10, prioris scilicet Unitatis continet, estque 100; *superficialis* dici debet. Quarta denique *Solida* sivè *Corporea* appellatur, eoquòd millenarium tenet, utpotè cubum, sivè solidum & Corpus prioris Quadrati nempè 100 10.

Rursus quoad primam Unitatem punctualem, sivè centralem, secundam linearem, tertiam superficialem, quartam solidam sivè corpoream aptè vocemus, ex alio adhuc fundamento probare possumus. Nam sicut punctum, sivè Centrum in Geometricis per se solum & simplex sine divisione existit; ità prima monas simplex, indivisibilis, sicùt & simpliciter Monadica dicitur, centralis appellari potest. Secunda vero Linearis commodè vocatur ideò, quià cum linea simplici tantum divisione gaudeat, ità denaria monas nempè 10 simplici solùm & unicâ divisione (est enim numerus pariter impar) in 5 & 5 dividitur. Tertia superficialis dicitur, quià superficies duplicem habet divisionem in longum & latum, ità 100 dupliciter dividitur: nam primò in 50 & 50, & rursus 50 in 25 & 25, de reliquo nulla contingit bipartitio. Quarta denique solida non aliter quàm solidum sivè corpus trinis dimensionibus patescit: ità 1000 trinis divisionibus exhauritur: nam 1000 dividuntur primò in 500 & 500: secundò 500 in 250 & 250: tertiò 250 in 125 & 125, ibique bipartitio finitur. Undè quatuor istas Unitates aptè quoque à quatuor speciebus Geometricæ Magnitudinis denominamus.

Quaternarii numeri mira proprietas.

Advertendum II. Quodsi Numerus Quaternarius in seriem naturalem deducatur, hoc modo: 1, 2, 3, 4, (qui omnes Numeri in Quaternario continentur) deindè verò omnes figuræ colligantur in unam summam, prodibit Denarius secunda scilicet linearis unitas. Ex ipso deindè Denario, si pari progressione procedas, & ordine ponas hos numeros 10, 20, 30, 40, prodibit ex collectione Unitas tertia Centenaria sivè superficialis. Centenaria itidem Unitas pari modo Millenariam Unitatem efficit: Nam 100. 200. 300. 400. aggregata faciunt quartam Unitatem solidam sivè cubicam 1000. Hinc quaternarius verè mysticus appellatur, quià universos numeros potentiâ concludit.

Progressionis Arithmeticæ & Geometricæ insignis proprietas.

Advertendum III. Quod naturalis progressionis Arithmeticæ, sicùt ordinatissima series est hæc, 1, 2, 3, 4, ità Geometricæ hujus progressionis series ordinatissima, ac valdè mysteriosa respondet. 1, 3, 9, 27. Nam sumendo in naturali Arithmeticâ priori progressione duos primos terminos 1 & 2 conflaturindè 3, secundus terminus in progressione Geometricâ. Relinquendo deinde 1 & assumendo tres posteriores terminos 2, 3, 4 conflatur indè 9 tertius terminus in geometricâ progressione. Rursùs quod si duos hos terminos inventos in se invicem duxeris, prodibunt 27 quartus scilicèt terminus in Geometricâ progressione. Undè integra progressio hæc erit, 1, 3, 9, 27, Primus terminus Unitas sivè Monas simpliciter; Secundus nempè 3 radix; Tertius 9 quadratum, quartus 27 cubus seu solidum. Et si hos omnes numeros in progressione Geometricâ repertos, nempè 1, 3, 9, 27, collegeris, prodibit numerus 40, qui valdè mysticus, & mirabilium in Naturâ, & maximè in Sacrâ Scripturâ Symbolum est. His ritè notatis

Singulæ Unitates quibus Mundis respondeant.


Dico, Unitatem primam Monadicam, sivè Centralem respondere Mundo Archetypo; Secundam Decadicam, sivè Linearem Mundo Angelico; Tertiam Hecatontadicam, sive Superficialem Mundo Sidereo; quartam denique Chiliaticam, sive Corpoream Elementari, & Corporeo Mundo.

Unitas Monadica cum primo Mundo comparatur.

Nam sicùt prima Unitas Monadica est imprincipiata ipsa essentia cœterarum Unitatum, adeò ut ab illâ unicè dependeant: Et sicut Unitas est origo & finis omnis multiplicitatis Numerorum, ut loquitur *Trismegistus, omnem Numerum*

Quatuor Mundi ex mente Veterum


MUNDUS PRIMUS ARCHETYPUS



	1 Hierarchia	Ser Cheru Thr
MUNDUS II.	10 Hierarchia	Do nat Princi Pote
	100 Hierarchia	Vir Archa Ang



	1 Ordo	pri mo Firma ♄
MUNDUS III.	10 Ordo	♃ ♂ ☉
	100 Ordo	♀ ☿ ☽



	1 Ordo	Ig A Aq




IDEALIS ET INTELLECTUALIS.
cum quadruplici unitate comparati.
prima.
secunda.
ANGELICUS.
tertia.
primus.
Secundus.
SIDEREUS.
tertius.
primus.
secundus.
ELEMENTARIS.
corporeus
tertius.

merum gignit, nullo genita; ac etiàm cùm in Numeris aliud non sit, quàm Unum & Unum, adeò ut à simplici Monade omnis Numerorum propago pullulet, ac dimanet. Ità dicendum, quod Mundus ille Archetypus sempiterna DEI essentia, Intellectus ille divinus per se ipsum existens, imprincipiatus omnium reliquorum Mundorum causa, principium, fons & origo sit, à quo omnes, & omnium genera, species & individua suam essentiam derivent, à quo substantialiter inesse continentur, per quem essentialiter existunt, ut, quidquid à DEO existit, in DEO complicetur: Nam *in Ipso, ab Ipso, & per Ipsum facta sunt omnia.*

Iconismus. Aptè proindè hunc Mundum in Schematismo præsenti exhibemus per circulum maximum, omnes reliquos in se complectentem; estque is unicus simplex, nec illi similis, aut æqualis alter. Ita DEUS unicus simplicissimus, cui non est DEUS æqualis, vel similis, omnia continens, nullo contentus, omnia gignens, nullo genitus, immensus, incomprehensibilis, omnipræsens, ut rectè id ipsum Poëtæ Veteres suis versibus attestati sint.

- - *Jovis omnia plena:*
Jupiter est, quocunque vides, quocunque moveris
Item. *Spiritus intùs alit, totámque infusa per artus*
Mens agitat molem.

Hæc etiàm Unitas absoluta est nullius quidem speciei, nullius est nominis, nullius figuræ: est tamen omnia in omnibus; equidèm omnis multitudinis generum, specierum, substantiarum, accidentium, universarúmque creaturarum mensura; una omnium mensurarum, Æqualitas una omnium æqualium, & inæqualium, Connexio una omnium Unitorum & Segregatorum, Entitas omnium entium, quidditas omnium quidditatum, causarum omnium Causa, finis & meta omnium finitorum; ac sicut ab Ipso omnia exoriuntur, ità in Ipsum omnia recidunt, & finiuntur.

Quomodo Unitas evoluta in quaternarium. Quando verò intellectus ille divinus, & divina essentia Universorum rationem ad extrà adorsus, extra se egressus reliquorum Mundorum creationem instituit, ipsa Unitas in quaternarium evoluta est, ut quatuor Mundos statueret, velut ex quaternarii diducti aggregatione Denarius oritur: Ità Unitas illa monadica Archetypi Mundi externam fœcunditatem palàm instituens, seipsam in quaternario evolvens secundam illam Unitatem, nempè Decadicam, seu Linearem Angelico Mundo competentem procreavit, quæ licet à primâ Unitate infinitis distet intervallis, simplicissima tamen est Divini operis ratio exemplarium omnium in Ideali Mundo forma nobilissima, & Exemplar perfectissimum. Sicùt etiàm Denarius radix est Centenarii, ut Quadrati & Millenarii, ut Cubi & Solidi: ità Angelicus hic Mundus est cœterorum radix, & prior exortu, atque immediatè influit in sidereum, quo deindè mediante rursùs in Elementarem vires exerit, robúrque virtutis à supremo intellectu acceptæ promovet, & exercet. Nam per Intelligentias siderum cursus promoveri, cum *Aristotele* sentiunt plerique Philosophorum. Astra verò etiàm in Elementarem Mundum virtute pollere, neque tantùm per apertas, & sensibiles qualitates, verùm etiàm occultas, quas Philosophi impressiones atque influentias nominant, præter rationem, ipsa plurimùm experientia quotidiana demonstrat: Undè benè dixit *Aristoteles*: *Homo & Sol generant Hominem.* Et Cabalistarum communis confirmat parœmia, *Non est herba inferius, quæ non habeat suam stellam superius, dicentem sibi: Cresce.* Igitur Angelici Mundi in sidereum influxus immediatus est: mediatus deindè in Elementarem: Haud aliter ac radix numerica 10 immediatè procreat Quadratum 100, quo mediante (nempè per fluxum & ductum radicis in Quadratum) deindè Cubum 1000 producit, ibique tota effusio & fluxus, tota dimanatio figitur, & subsistit.

Rursùs sicut Denarius simplicissimam divisionem admittit, ità ut respondens Lineæ non nisi simplicem dimensionem admittat: Ita Angelus quoque intellectualis compositionis, ut ità dicam, miscellam subintrans præter primam simplicissimam Unitatem divinam nullam præsupponit Unitatem, quâ multiplex evadat. Nam in ipsius genesi aliud non est nisi DEUS & Angelus, undè immediatè à DEO dependet, nec quid medium intervenit. Atque sicut Linea respondet dyadi, & dyas est unitatum sinè medio existentia: Ità angelicus hic Mundus nullo alio mediante à DEO productus simpliciter cum DEO existit: & sicut Dyas est primus effluxus monadis, ejúsque primus partus: ità hic *Angelicus Mundus* antè reliquos productus, estque divinæ Unitatis, ut fœcundæ ad extrà primus felicissimus partus. Ideò etiàm Unitas ista denaria Angelico Mundo respondens binis notis velùt 10 signatur, cum denariâ hac monade nulla series plurium notarum prior esse possit. Hunc porrò *Mundum* in Schematismo exhibemus supremo loco, ut indicemus cœteris naturâ & dignitate priorem influxu immediato à primo *Archetypo* processisse, per tres circulos majores ipsi inscriptos tres Hierarchicos Ordines significamus, quibus singulis tres minores inscripti tres choros in quâvis Hierarchiâ denotant. Undè universìm totus hic *Mundus* in novem choros distributus est, sicut diversa munia Geniorum ad duos inferiores Mundos dirigendos requirunt. Unitas Denaria cum Angelico Mundo comparatur.

Unitas centenaria cum mundo sidereo comparatur,

Tertio *Mundo Sidereo* respondet Unitas centenaria, superficialis, quadratica. Nam sicut Unitas centenaria, seu quadratica media est inter radicalem Denariam, & Millenariam Unitatem corpoream: ità hic *Mundus* est Medius inter Genialem & Elementarem; estque Angelici Mundi influxus in Elementarem officina quasi instrumentaria, cùm ab Intelligentiis per continuos illos motuum lapsus, & protractus non aliter quodammodò, quàm per instrumenta quædam extrinseca agentibus in naturâ Elementari ac Mundo Corporeo mirabiles, atque innumerabiles illi excitentur effectus.

Rursùs sicùt Quadratum est Magnitudo duarum dimensionum in longum scil. & latum (undè Unitas centenaria, ut suprà advertimus, binis divisionibus, ac bipartitionibus exhauritur) ità hic mundus sidereus duos illos Mundos *Archetypum*, & *Elementarem* se longè in naturâ, essentiâ, quidditate, formâ, substantiâ, virtute, potentiâ solummodò priores admittit, à quibus proindè bipartitum influxum trahit, immediatum quidem à Geniali; mediatum verò ab Archetypo, quatenùs *Archetypus*, sivè *intellectus divinus* intelligentiis, & earum curæ hunc in motu & cursu dirigendum demandavit. Sicut etiam Radix quadrata, ipsáque quadrati superficies naturâ suâ ad corpus, seu cubum ordinantur; ita hi duo Mundi Genialis, qui ut radix, & sidereus, qui ut Quadratum ad Corporeum Mundum virtute influxûs præordinantur.

Denominamus etiàm *mundum sidereum* in ordine tertium, quomodò unitas centenaria quadratica trinis notis simplicissimis 100 figuratur, nec ulla in Numeris series trium notarum prior illâ, nec simplicior dari potest. Quam aptè porrò hunc *Mundum* medio loco in Schematismo per majorem circulum priori Geniali per omnia similem exhibeamus cum inscriptis rursùs minoribus circulis tres ordines tribus Hierarchiis respondentes indicantibus, cum novem etiàm minimis circellis cœlorum nominibus insignitis novem choris Angelorum corformatis ipso statim intuitu patet; undè non est hic ultrà quòd occupemur.

Unitas millenaria cum Mundo Elementari comparatur,

Quarta superest Unitas millenaria, corporea, & solida, quam applicamus & assignamus infimo *Mundo Elementari*, ei scilicet compagi, quæ è quatuor Elementis, & quinque mixtorum classibus compingitur. Igitur sicut Millenarius ex multis compositus est Numerus Cubicus, qui Radicem & Quadratum in se convolvit, & complectitur, estque meta & terminus omnis magnitudinis Geometricæ, ubi totus effluxus puncti in lineam, lineæ in superficiem, superficiei in corpus definitur, ibique subsistit & conquiescit: ità pariter se habet Unitas millenaria, & ipse Mundus Elementaris, cui millenariam Unitatem comparamus.

Nam hic mundus ex diversis Entibus compositus omnes influxus priorum Mundorum attrahit, estq; meta, & terminus totius operis divini, quo Universa collimant, in eóque subsistit totius Universi emanatio, totius naturæ profusio continetur. Undè rursùs sicut in Cubo trina dimensio magnitudinis in longum, latum & profundum, sicùt & millenarius trinis bipartitionibus, & divisionibus adæquatè exhauritur, ut suprà advertimus: ità trinum patitur hic *Mundus* influxum, Divinum scilicet, Angelicum, & Sidereum; ultrà nullum recipit, nullius capax est; Omnis etiam illius appetentia trinis istis influxibus adæquatè concluditur. Insunt ergò huic *Mundo* omnia, nec quicquam deesse potest, estque completa ratio totius Universi, quo perfecto Divinæ illius fœcunditatis emanatio substitit, & in se rursùs fœcundissimam propaginem deflexit; undè etiàm Divina mens ex *Archetypo* & *Ideali Mundo* fœcunda prosiliit, indè absolutâ totius Naturæ compage fœcundior rediit.

Vides igitur hanc Universi concatenationem, harmoniam, sympathiam, una Tetracty persolutam, ac Quaternarii mystici revolutione figuratam in idem relabi principium; idem esse omnium principium & finem: Vides quàm aptè ille *Mundus Archetypus* tres reliquos gremio suo concludat, ut ità DEUS in omnibus, & omnia in DEO; ab eóque profluant omnia & ad eum omnia recidant; non aliter quàm Unitas Numerorum parens, & origo, finisque & meta est omnium Numerorum: ità DEUS ter opt. Maximus origo, scatebra, fons omnium entitativorum, finis, meta, terminus eorundem.

Sicut proindè in duorum Mediorum, *Mundorum* nempè *Genialis* & *Siderei* figura certos circulos inter se comparavimus: ità in eodem Schematismo similem in omnibus repræsentamus *mundum infimum*, Corporeum, quo mirificam harmoniam, connexionem, & sympathiam omnium demonstremus. Ultimò quoq; loco tanquam Universi terminum Hominem ponimus totius Universi & Naturæ epitomen, sicuti etiàm Microcosmus à Doctioribus appellari consuevit, item Epilogum, quo totius Naturæ opulentia compendio velut recluditur. Ex hoc ipso tamen, quòd humiliori loco in Schematismo Naturam humanam constituimus, nemo nos eam planè dejicere, omnibúsque substernere, ac vilissimo loco reponere, secum concludet, sed hoc ipsum perfectionis supremæ argumentum sapienter arguet, quòd cùm in *Mundo Elementari* accessus rursùs ad *Idealem* & *Archetypum* fiat, eo in loco non tantùm superiorum virtutes & divitias attrahet, & in se recondet, verùm quod magis facit ad perfectionem, propiùs ipsi DEO, sivè *Archetypo Mundo* concedit, ac qui ad imaginem DEI creatus est immediatè suo principio Exemplari, & prototypo adhærebit,

rebit, eíque conjungetur: quò rationalis animus intelligat non alium ad finem se creatum, quàm ad contemplandum Naturæ universæ opificem, orbis universi architectum & Dominum; *Mundum*, inquam, *Archetypum* Deum optimum, maximum, sempiternum, ineffabilem, incomprehensibilem, qui est unus omnia & omnium, quę sunt, primordium, primus, & novissimus, α & ω, principium, medium & finis Universæ Creaturæ, ad illum inquam unicè diligendum, laudandum, adorandum, colendúmque cognoscat.

Consectaria.

Quomodo quodlibet sit in quolibet. I. Ex hactenùs dictis perspicuum fit, quomodo illud Veterum Epiphonema: *Quodlibet est in quolibet*, intelligendum sit. Sicut enim Mundus Archetypus (ut in Schematismo patet) omnia continet, ipsique Universum inest, atque ità inest omnibus, ut ipsi insint omnia: hinc quodlibet in quolibet esse, palàm fit. Nam omnes rerum omnium ideæ, cùm in ipso Ideali Mundo sint ipse DEUS, & porrò ipse DEUS omnibus insit, omnia quoque complexu suo teneat: ità omnia in DEO sunt ipse DEUS, & DEUS in omnibus est omnia. *Rursùs* omne actu existens in DEO est actu omnia, actus autem est finis & perfectio potentiæ; Undè sicùt in DEO immediatè existit Universum, & in Universo & omnibus ità actu Universum existit in quolibet. Indè sequitur, quod dicere *quodlibet est in quolibet*, nihil sit aliud, quàm dicere, Deum per omnia esse in omnibus, & omnia per omnia esse in DEO. Item cùm Universum ita sit in quolibet, ut quodlibet in ipso, & quodlibet contractè id quod ipsum est contractè: Hinc sequitur Quodlibet in Universo esse ipsum Universum, quamvis Universum in quolibet sit diversæ rationis, sicut & quodlibet in Universo. Ità in DEO omnia DEUS, in Angelo omnia Angelus, in Rationali omnia ratio, in sensu omnia sensus, in plantâ planta, in ferro ferrum, in ligno lignum, &c. Adeò miranda est rerum unitas, ineffabilis, nec ullo verborum contextu explicabilis Naturæ connexio, mirabilis omnium concatenatio, obstupescenda Universi æqualitas, quâ rerum Unitas, sivè Universum est in pluralitate, & è converso pluralitas in Unitate; ac quomodò res actu existens non aliter ex eoipso quiescit, quià omnia in ipso sunt, & ipsa in DEO DEUS, ità quiescunt omnia in DEO, & omnia in quolibet, & quodlibet in omnibus. Patet igitùr mysterium Epiphonematis, quo sensu sit capiendum, *Quodlibet esse in quolibet:* nempe, Deum Optimum Maximum per omnia esse in omnibus, & omnia per omnia esse in DEO.

Christus finis & scopus Universi. II. Insignis quoque ex allatis emanat Speculatio, quâ Christum, sivè Verbum Divinum totius Universi terminum, finem, & scopum contemplari possumus. Sicùt enim ultimum divini operis in infimo Elementari Mundo terminum constituimus Hominem, epitomen eorum omnium, quæ existunt: Ità verè primariò *Christus JEsus*, *DEUS-Homo* terminus est Universorum, ad quem Universitas Naturæ collimat: ipse enim est centrum Universæ Naturæ, principium & finis omnium, *Alpha & Omega*, dicente D. *Paulo ad Col. 3. v. 11. Omnia & in omnibus Christus. Ad Hebr. 2. v. 10. Propter quem omnia, & per quem omnia. Ad Col. 2. v. 9.* rursùs: *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Et benè etiam *Salomon Prov. 16. v. 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Undè vides, quis Universi scopus, totius divini operis, & universæ naturæ terminus, Christi scilicet Humanitas, Deus-Homo, Verbum Patris, DEI Filius amantissimus, optimus, maximus: hinc unus omnia, & omnium, quæ sunt, primordium, perfectio, complementum, finis, scopus omnium. *Portans omnia Verbo virtutis suæ. Hebr. 1. v. 3.* Principium, Medium, & Finis universæ creaturæ.

III. Patet etiàm, quomodò hæc progressio Geometrica 1, 3, 9, 27, insigniter in quatuor Mundorum Schematismo eluceat, adeóq; hæc ordinatissimè dictis conveniat. Nam primus Mundus Archetypus respondet unitati, sicut maximus circulus unicus est. Continet autem, & complicat hic majores tres circulos alios tribus reliquis Mundis creatis respondentes. Rursùs in his involvuntur novem minores circuli per descensum inter se æquales, qui similiter 27 minimos circellos implectunt, denotántq; totius Universi Entium gradus, & choros in diversis novem ordinibus, ut meliùs vides in ipso Schematismo. Hos omnes circulos si colligas summatim, invenies 40. Undè apparet, quàm aptè hæc progressio Geometrica in Universo complicetur, ac quomodò Tetractys mysteriũ juxta Advertendum II. suprà in Naturâ Universi comperiatur. Videre etiàm licet, quàm aptè Universum cum tripliciMundorum serie novem denariis, novem centenariis, novem millenariis, omnes minimis circellis comprehensis distribuatur, quibus si totitem Unitates per majores circulos indicatas adjiciamus, millenarium simplicem per maximum circulum omnia complectentẽ, ambientem, & complicantem signatum deprehendemus. Ex quo rursùs patet, quod in Consectario primò conclusimus, quomodò quodlibet in quolibet reperiatur; quomodò æqualis omnium connexio, progressio, constitutio: quomodò simillimus ubíq; Tetractys effluxus, & effusio, ubique Unitatum comparatio. Quæ omnia si fortè obscuriùs hoc loco pertractata sint, ingeniis tamen sagacibus amplissimam materiam præbent tàm altum Naturæ arcanum, ac mysterium totius Universi sub dignitate Quaternarii studiosiùs rimandi, & pervestigandi. Quare filum hactenùs fusiùs protractum rescindamus, & ad alia progrediamur.

CAPUT XI.

Varia Mundi systemata recensentur, & explicantur.

Systema Mundi hoc loco appellatur Coördinatio & Compositio magnarum Mundi partium, hoc est, Elementorũ, Stellarum tàm erraticarum, sivè planetarum, quàm fixarum Cœlorúmque omnium quoad ordinem, ac situm tàm inter se, quàm respectu Centri Universi. Tria autem sunt magis vulgata Mundi systemata, ut *Ptolomæi, Copernici*, & *Tychonis Brahe*; alia verò, quæ in paucis differunt, ad hæc referuntur, quæ sigillatim jam explicare conabimur.

§ I. SYSTEMA MUNDI PTOLEMAICUM.

Iconismus.

Systema I. Ptolemaicum undè dictum. Hoc primum & antiquissimum systema Mundi, in quo terra immota statuitur, circà medium Universi potiùs deberet dici *Pythagoricum*; cùm à *Pythagora* primitùs inventum sit: Credibile autem est, ideò nominari *Ptolemaicum*, quod post ingestum ab *Aristarcho*, & *Philolao* commentum, de motu terræ circà solem, denuò à *Ptolemæo* insigni Astronomo fuerit introductum, & pluribus persuasum.

Ejus ordo & constitutio. In hoc itaque Schemate *Ptolemæus* Tellurem, sivè globum terraqueum in centro Mundi constituit quiescentem, ac omni motu destitutum. Suprà Globum terraqueum collocatur aër vaporibus, & halitibus permixtus, qui cùm ad paucorum milliarium altitudinem assurgant, Atmosphæræ nomen eidem aëri impertiunt. Dein versùs Lunæ concavum Ignis Elementaris ponitur; reliqua subindè spatia, quæ ab igne assurgunt, in undecim sphæras cœlestes, seu cœlos dividuntur, hoc ordine. In infimo collocatur Luna, deinde Mercurius, Venus, Sol, Mars, Jupiter, Saturnus. In sphærâ octavâ constituitur Firmamentum, in quo stellæ fixæ, seu inerrantes collocantur, quasi suis locis hærentes, & firmatæ. Post has duas alias adhuc sphæras erigunt Ptolemaici, quas crystallinas vocant, cœlos librationis, & trepidationis; primum ab ortu in occasum, alterum à septentrione in Austrum. Undecimam supremam sphæram Primum mobile appellant, quod cœteris motum imprimat, & illos secum trahat.

Auctores hujus systematis. Talis Mundi universi, ac comprimìs cœlestium sphærarum constitutio à pluribus fuit approbata, ac defensa, ut *à Pythagora, Archimede, Chaldæis, Cicerone, Plinio, Ptolemæo*, plurimis Arabibus, Alphonsinis, Purbachianis, & communiter aliis usque ad *Maginum, & Clavium*; quorum tamen aliqui putârunt cœlos esse solidos, & realiter distinctos, alii fluidos ac liquidos, non quidem reapse distinctos in se, sed tantùm quoad spatia, vel regiones, per quas cœlestia corpora procurrunt, & circumvolvuntur.


Ad systema hoc vulgare immotæ terræ reduci facilè possunt alia quædam systemata, ab aliis paulò aliter ordinata quoad collocationem, situm, vel ordinem planetarum. Sic *Plato cum Aristotele, Eudoxo, Calippo, Theone, Gebro* posuerunt Solem immediatè suprà Lunam, deinde Mercurium, Venerem, Martem, Jovem, Saturnum, & stellas fixas. Alii verò, ut *Porphyrius, Apulejus, Marsilius Ficinus, Auctor libelli de Mundo ad Alexandrum*, & quidam *Platonici* post Lunám ac Solem collocant Venerem, & deindè Mercurium reliquis priore ordine retentis: ac hujusmodi omnia systemata orbes totales planetarum Mundo concentricos faciunt, non item quod sequitur, in quo orbes planetarum aliqui concentrici, aliqui excentrici ponuntur. Estque hoc antiquorum *Ægyptiorum systema*; ubi posito in medio Mundi globo terraqueo, & circà ipsum aëre, deindè ponitur primum cœlum Lunæ, secundum Solis, tertium Martis, quartum Jovis, quintum Saturni, sextum stellarum fixarum, atque ità omnes istiusmodi cœli concentrici sunt terrestri globo. Circà Solem verò, velut circà centrum collocantur Mercurii & Veneris Epicycli; sed ità, ut Mercurius illum circumeat arctiore, Venus latiore gyro, atque adeò modò infrà, modò supra solem ferantur. Ex quo fit, ut juxtà hanc ordinationem Mercurius sit aliquando terræ vicinior, aut remotior quàm Venus; aliàs verò Venus, quàm Mercurius terræ vicinior aut remotior. Fuit hoc systema Ægyptiorum, cui subscripsêre *Vitruvius, Martianus Capella, Macrobius, Beda*, & *Argolus*, quorum ultimus tamen vult terram moveri circà proprium Centrum ab Occidente in Orientem.

Systema Platonicum. Systema Ægyptiacum.

§ II. SYSTEMA MUNDI COPERNICANUM.

Systematis Copernicani explicatio & Authores. Systema hoc, quod ponit terram mobilem, solem autem & stellas fixas immobiles, dicitur Copernicanum à *Nicolao Copernico* Borusso Torunienſi Medic. Doct. & Canonico Fruenburgensi, insigni planè Astronomo, qui illud olim ex parte excogitatum *à Philolao Pythagorico*, & *Aristarcho Samio*, ac deindè resuscitatum *à Nicolao Cusano*, tandem perfecit, ac plurimis argumentis, ingeniosísque hypothesibus fulcivit; quem deinde secuti sunt ex præstantissimis Mathematicis *Galilæus, Keplerus, Mœstlinus Schikardus, Cœlius Calcagninus, Stevinus, Landspergius Rheticus, Rothmannus, Bullialdus, Descartes* cum suis Cartesianis, *Gassendus, Comes de Pagan*, ac alii hoc tempore penè innumeri maximè Acatholici, à quibus sacræ Scripturæ testimonia parùm curari videntur. Ità verò Systema hoc se habet, ut sequitur.

In cen-


PRIMUM MOBILE.
CÆLUM CRYSTALLINUM.
Systema Mundi Vetus Ptolemaicum.
CÆLUM SIDEREUM.
Terra
SOL
Systema Mundi Copernicanum.
Systema Mundi Tychonicum.
PRÆCIPUA MUNDI SYSTEMATA.

Hujus systematis ordinatio.

In centro Mundi ponitur Sol immobilis saltem quoad modum translationis, & circà eum proximè Mercurius trimestri ferè spatio periodicam suam revolutionem absolvens: Deindè Venus octimestri penè gyro. Exindè verò Tellus cùm totâ elementari sphærâ in orbe annuo (ut vocant) annuam dierum 365¼. revolutionem ab occasu orientem versùs peragit, simulque motum diurnum circà suum centrum etiam ab occidente in orientem spatio 24. horarum: Luna quoque ambit terram & Elementa menstruâ revolutione. Deindè iterùm Mars circà Solem tanquàm Universi centrum biennii spatio, Jupiter intrà 12, Saturnus tandem intrà 30. annos revolutiones suas peragunt. Fixarum autem sphæra ultima prorsùs immobilis est, & adeò vasto intervallo à Saturni sphærâ distans, ut terræ orbis annuus sit puncti instar ad illam comparatus.

Terra habet duos motus.

Terra itaque secundùm *Copernicum* duos habet motus, unum diurnum, qui viginti quatuor horarum spatio circà proprium axem ab occidente in orientem peragitur: & ab hoc motu Dies & Noctes proveniunt; atquè ità talis motus exequitur, quod primum Mobile in Ptolemaicâ hypothesi, efficiendo nimirùm, ut omnia sidera moveri videantur ab ortu in occasum, modo haud prorsùs dissimili, quo navis à littore recedens, aut ad littus accedens, efficit ut littus recedere, aut advenire appareat. Alius motus Terræ inest annuus scilicet, quo ipsa circà Solem ab occasu etiam in ortum defertur juxtà successionem signorum Zodiaci; quò fit, ut Sol in Mundi centro existens immotus, & quiescens, apparenter tantùm signa illa percurrere videatur, cùm reverà Terra sit, quæ illa percurrat. Cùm verò spatium illud, quod inter Martem, & Venerem interjacet, satìs amplum sit, ut inter istos Planetas Luna circumferri possit, duos quoque motus ibi peragit, unum Menstruum, quo circà Terræ centrum volvitur, & suas illas phases manifestat: alterum Annuum, quo unà cum Terrâ tanquàm ejus pedissequa Solem circumit, ut in Systemate meliùs apparet.

Quid Cartesius addiderit.

Quarè inter Recentiores *Cartesius*, qui *Copernici* systema plurimùm illustravit, in varios velùt vortices aut turbines totum hoc Universum distribuit: ità ut tot sint magni vortices, quot stellæ, & Sol una sit ex stellis. Hic adeò centrum sui vorticis occupat. Solem efficit materia primi elementi tenuissima, quæ est quietis impatiens: hinc Sol raptissimè circà se vertitur, atque eodem prorsùs motu Cœlum planetarium, & Planetas ipsos circumagit eò majori impetu, quò Solem viciniùs petunt. Alii autem Vortices minoris notæ circà Terram, Martem, Jovem, & Saturnum, & alios fortè Planetas torquentur; adeò ut Terra 365 vicibus circà se volvatur, dum semel circà Solem communi vertigine circumducitur. Satellites Jovis peculiarem cum ipso Jove verticem constituunt, ut Saturni satellites cum Saturno. Sic Luna circà terram duodeciès & ampliùs volvitur, cùm Telluris globus semel circà solem gyratur.

Plura alia, quæ systema hoc concernunt, doctissimè pertractat *Dechales Astron. lib. 1. prop. 7. 8. & 9.* ubi etiàm argumenta prorsùs naturalia, & à fide nullo modo dependentia, satis etiàm utrimquè efficacia tàm pro hoc systemate, quàm contrà illud adducit, & latè exponit. Videri etiàm inter Recentiores poterit Clarissimus *D. Du Hamel in Astron. physicâ lib. 2. cap. 5.* Item *in Physicæ suæ part. 2. tract. 1. dissert. 1. cap. 5. Kircherus in Art. Magn. lib. 3. part. 1. cap. 1. qu. 1.* aliique plures. Nobis hoc loco sufficit varia Mundi systemata ab aliis vulgata paucis tantùm recensere, ac satiùs esse judicamus intellectum in obsequium fidei (quæ Terram immobilem, Solem verò mobilem ex pluribus Sac. Scripturæ locis declarat) captivare, quod & omnis boni & Christiani Philosophi est: quàm ingeniosa licèt, at dubia aliorum commenta sectari, & acriter cum fidei neglectu propugnare. Undè etiàm bene *Du Hamel* scripsit in suâ *Physicâ* de hoc systemate: *Præstat ignorare, quod sacra Scriptura reticet, quàm impugnare, quod videtur docere: præsertìm si nulla demonstratio, nulla experientia contrarium persuadeat.* Meritò ergò prohibitum est à Congregatione Rituum *Romæ* An. 1616. die 5. Martii de Mandato *Pauli V. Summi Pont.* & iterùm Anno 1633 die 22 Junii de Mandato *Urbani VIII. Summi* quoque *Pont.* si absolutè, & non ut Hypothesis assumatur.

§. III.
SYSTEMA MUNDI TYCHONICUM.

Systematis Tychonici ordinatio.

Hoc systema à *Tychone Brahe* Nobili Dano præstantissimo hujus, & præteriti sæculi Astronomo ità excogitatum est, ut cum Copernicano, & Ptolemaico, ac potissimùm Ægyptiaco aliquid habeat commune. Quia quantùm ad partium Mundi digestionem cum Copernicano plurimùm convenit, nisi quòd Terram cum Elementis in centro Mundi fixè hærentem constituat; & circà eam primò Lunam, deindè Solem, demùm fixarum stellarum sphæram gyrari faciat: atque adeò Terræ centrum etiàm centrum cursûs Lunaris, Solaris, & Sphæræ fixarum constituat. Reliquorum verò planetarum, ut Mercurii, Veneris, Martis, Jovis, & Saturni centra in ipso Sole collocantur. Ut igitur *Tycho* apparentem cœli motum, qui horis 24. peragi videtur explicet, *Ptolemæum* sequitur, admittitque Terram in Mundi centro immotam, & circà illam totam cœlorum machinam ab ortu in occasum abduci ac deferri primi Mobilis impetu. Ut verò planetarum phænomena explicet, cum Ægyptiis

ptiis ex parte, & totaliter cùm *Copernico* convenit: ſtatuens Soli tanquam Centro proximè Mercurium, & Venerem; remotiùs Martem, Jovem, & Saturnum circumduci; in medio verò intervallo Terram cum circumductâ ſibi Lunâ reperiri eâdem prorsùs menſurâ temporis, quæ à *Copernico* aſſignatur. Id etiam ſpeciale habet hoc ſyſtema, quod Mars in eo ità Solem ambiat, ut in oppoſitione cum Sole perigæus factus infrà Solem deſcendat, ejúsque orbem profundè ingrediatur, atque interſecet; adeòque propior fiat terræ, quàm ipſe Sol: deindè quod planetæ omnes, qui circà Solem rotantur, ità ab hoc abducantur, & circumducantur, ut Mercurius quidem & Venus ſuis circà ſolem gyris Terram nunquàm complectantur, reliqui tamen planetæ velut, Mars, Jupiter & Saturnus ſemper complectantur. Hoc ſyſtema amplexi ſunt imprimis *Longomontanus* inſignis Aſtronomus (addito tamen Telluris motu diurno circà centrum ſuum ab Occidente in Orientem) itèm *Scheinerus, Blancanus, Kircherus, Schottus*, & plerique *Patres è Societate JESU.*

Specialia in hoc ſyſtemate.

Syſtemate Ricciolium.

P. Joann. Bapt. Ricciolus tamen paulò aliter ordinat hoc ſyſtema, ut patet in ejus *Almag. Novo lib. 3. cap. 6. & lib. 9. ſect. 3.* nam omnia quidèm *à Tychone* ordinata retinet, exceptis orbibus Jovis, & Saturni, quorum centrum non ponit Solem, ſed Terram; indéque cenſet probabile, quià Saturnus duobus lateronibus, & Jupiter quatuor comitibus ipſum ambientibus ſtipati videntur eſſe planetæ primarii, & monarchiam ſuam in Mundo, ac cœlo exercere, non minùs ac Sol Mercurio, Venere ac Marte tanquàm Satellitibus ſtipatus in ſuo cœlo gyros ſuos peragere ſolet. Undè cum Jupiter & Saturnus ipſi ſuos ſatellites habeant, non videtur conveniens cenſeri debere inter Solis aſſeclas, ſicùt cenſentur Mercurius, Venus & Mars. Deindè videtur eſſe major connexio in eccentricitate Mercurii, Veneris & Martis cùm Sole, quàm Saturni & Jovis; præcipuè cùm hi duo usque ad orbem Solis non deſcendant ſicùt Mars: ſed, ut judicat *Dechales*, connexio, quam habent retrogradationis, & directionis Saturni & Jovis cum motu Solis debeat prævalere, ut is planeta ſolutus non ſit, qui reverà connexus obſervatur.

Atque hæc ſunt præcipua Mundi ſyſtemata, è quibus & mihi Tychonicum præplacet; cùm non tantùm Sacræ Scripturæ, ſed etiàm omnibus phænomenis cœleſtibus demonſtrandis valdè ſit conforme. Subticere tamen hic non poſſum fuiſſe non ità pridèm *Pariſiis* in Galliâ ad Annum ſcil. 1644 evulgatum opus cujusdam Anonymi, in quo Author confiċto novo ſyſtemate planè exotico conatur evertere non tantùm *Ptolomæi, Copernici*, & *Tychonis* ſyſtemata, ſed & omnes, quotquot hactenùs Aſtronomiam coluerunt, plurimùm erraſſe demonſtrare tentat. Principia autèm habet tàm abſurda, & concluſiones indè deductas tàm falſas circà ſitum, motum, magnitudinem & diſtantiam corporum cœleſtium, ut ſtomachum mox vel parùm doctis ad primum intuitum commoveant. Quid enìm magis heteroclitum ſtatui poteſt, quàm Solis regionem eſſe mundi ultimam, adeoquè Solem in ultimo Mundi ambitu verſari, ſtellas verò omnes firmamenti Terræ propinquiores eſſe? Ultimam verò eam regionem, in quâ Solis curſus peragitur ab orbe noſtro terreno adeò mediocri diſtantiâ elongari, ut ſit tantùm 12 diametrorum terræ alta Mundi ſuprema regio, cœlique ſummus apex; cùm tamen hanc diſtantiam, ſeu Mundi viſibilis magnitudinem debitè proportionatam eſſe ſtatuat 27 Semidiametrorum globi terreſtris ad ſalvanda phænomena. Atque ità Maximi Creatoris opera maxima, quæ alii ad ipſius gloriam & potentiam prædicandam, quantùm poſſunt, amplificant, in exilitate & anguſtiis iſte collocat, ut probet à DEO fabricata eſſe omnia in numero, pondere, & menſurâ, quasi verò etiàm cùm ingenti mole operum iſta ſtare non poſſint.

Lunam prætereà aſſerit poſt ſolem eſſe maximam, & multò majorem aliis quibusvis ſtellis, haud tamen majorem ipsâ Galliâ in terris: Solem item majorem quidèm totâ Terrâ, ſed tamen non ampliùs, quàm deciès; Lunam rursùs æqualiter diſtare à Terra & Sole. Plura alia non memoro, ne, ſi in tàm ineptis referendis diutiùs hærere velim, ipſe ineptire videar; & unicâ jam diſſertatione Doctiſſimi Viri *Petri Petit Monluciani* ad Clariſſimum Virum *de la Chambre* Regis Chriſtianiſſimi Archiatrum (ut refert eam *D. Du Hamel poſt Aſtronomiam ſuam phyſicam*) omnia hujus vertiginoſi cerebri fundamenta, ſeu potiùs commenta penitùs ſubverſa ſint.

Sed hæc, quæ produximus, præliminaria ſunt; nunc Speculam ipſam aſcendamus, & ad Mundi comprimìs altiſſimum locum, ſivè Cœlum oculos vertamus, ut ea omnia, quæ ſcitu magis notabilia, & mirabilia ibidèm ocurrunt, amplè perluſtrare valeamus.



SPECU-



SPECULÆ PHYSICO-MATHEMATICO-HISTORICÆ MUNDI MIRABILIS

Notabilium & Mirabilium

Sciendorum

SCRUTINIUM II URANO-COSMICUM.

Quo

Nimirum Superioris, sivè cœlestis ac siderei Mundi tractus, & in iis Phœnomena magis notabilia & mirabilia scitu deteguntur.

PROŒMIUM.



DE *Clazomenio* Philosopho & Astronomo *Anaxagora* scribit dissertissimus Judæorum *Philo*, eum, cum cœlum aliquandò attentiùs intueretur, astrorúmque mirabilem cursum admiraretur, cuidam sciscitanti, cur ità libenter ferret subdialia pervigilia? Respondisse: *ut cœli aspectu fruar.* Volebat vir Sapientissimus, meo quidem judicio, his paucis indicare, Eos, qui cœlestia scrutarentur & eorum aspectu delectarentur, cœlo jàm in terris frui, & cœlestem quandam beatitudinem hìc obtinere. Quocircà hos benè etiàm felices decantavit Poëta his versibus: Lib. de mundi in corruptibilitate.

Felices animæ! quibus hæc cognoscere primis Ovid. 1. Fast.
Inque domos Superùm scandere cura fuit
Admovêre oculis distantia sidera nostris,
Ætheráque ingenio suppofuêre suo.

Fuit ideò hæc non tantùm Antiquorum Sapientum, sed & plurimorum Regum, ac Mundi Monarcharum præcipua cura, vultum oculósque ad

alta cœli Theatra cum ingenuâ voluptate persæpè erigere, mirarique cursus, & recursus tot in orbem redeuntium siderum: Ideò Astronomico radio cœlestes domos penetrare, constantes stellarum cursus, ortus, occasus, mutuos aspectus, & in hæc inferiora benignos influxus investigare, verbo, siderali excellere scientia maluerunt, quàm opibus, potentiâ, provinciis & regnis. Hoc equidèm studio præprimis claruit Mauritaniæ Rex *Atlas*, & *Atlanti* suppar *Hesperus*, ac *Mercurius* Nepos. Eidem studio dediti fuerunt Reges apud Lacedæmonios *Lycurgus;* apud Persas *Chosroës*; apud Ægyptios *Necepsius*, & *Ptolemæus* (quorum hic jamdudùm audit Astronomorum Phœnix) apud Tunetanos *Muleasses*, apud Siculos *Robertus*, apud Hispanos *Alphonsus* Castellæ Rex, qui Astronomiæ restaurandæ ergò non dubitavit aureorum quadringenta millia profundere. Etiàm inter Imperatores eidem studio addicti fuerunt *C. Julius* Cæsar, *Germanicus*, *Claudius*, *Vespasianus*, *Titus*, *M. Antonius*, *Adrianus*, *Andronicus* major *Palæologus*, *Maximilianus I.* ac ter Augustus *Carolus*, cognomento Magnus. Taceo plurimos alios inter alios populos Reges, Principes & Magnates Nunc autèm postquam dirus ille habendi, & dominandi in terris ardor orbem penè infecit universum, ac hominum quorumvis oculos ad terrea bona deflexit, divina hæc studia negliguntur, & paucos admodùm cœlestium rerum observandarum cura exercet. Quin igitur caput in sublime reerigimus, ut possimus admirari eum, qui fecit *in cœlo mirabilia magna nimis, qui extendit cœlum sicut pellem*, ac velut in expanso libro admirabilem suam nobis legendam præbet providentiam.

Nàmque haud excelso radiantes æthere stellæ
  Se casu nitidum sic per inane movent.
Lege sed immotâ sapiens ceu condidit Auctor,
  Et certis vicibus convenienter eunt.
Nec tantùm præbent obscuro lumina Mundo,
  Umbrarum tenebris nox ubi texit humum.
Sed vires etiàm rebus nascentibus addunt,
  Quas gravido tellus parturit alma sinu.



DIS-

DISQUISITIO I ASTROSCOPICA.

Qua Cœli siderei Phœnomena magis notabilia & mirabilia deteguntur, ac recensentur.

Mira sunt, quæ Veteres Philosophi, & Astronomi de Cœlo sidereo, ac de cœlestibus corporibus, eorúmque substantiâ, naturâ, motibus, & defectibus commenti sunt. *Leucippus Eleates*, ut refert *Laërtius lib. 9.* ex atomis vertigine circumactis & incensis sidera effici voluit: eáque ob celeritatem motûs ignescere, Solem verò inflammari à sideribus, Lunam paululum ignis habere: Solis item extimum esse circulum, Lunæ verò terræ proximum, cœtera sidera media: Solis Lunæque defectus accidere, quod terra ad meridiem vergat, quæ ad Septentrionem sunt, nivibus conspergantur & pruinis algeant. Solem autèm raro deficere, Lunam semper propter circulos impares. Eodem *Laërtio* teste *Heraclitus Ephesius* cœlestia sidera scaphas esse voluit per concavum ad nos conversas, in quibus evaporationes lucidæ concurrerent, flammámque redderent. Esse autèm lucidissimam, calidissimámque Solis flammam, astra cœtera remotiora: Lunam terræ viciniorem non per liquidum locum ferri, eòque minùs calefacere. Deficere autem Solem & Lunam, cùm scaphæ ad superiora vertuntur, menstruásque figuras Lunæ fieri, dùm in illam sensìm vertitur scapha. Diem item & noctem, menses & annos, anníque tempora secundùm varias evaporationes fieri. Nàm liquidam evaporationem in Solis circulo inflammatam diem facere; densam verò, noctem: atque ex lumine calorem augeri, æstatémque perfici: ex tenebris humorem abundare, undè Hyems oriatur.

Anaxagoras, ut refert idem *Laërtius lib. 2. Plinius lib. 2. cap. 6.* & *Xenophon lib. 4. memor.* Solem ferrum candens, & ignitum, ac Peloponneso majorem asseruit: vel certè lapidem esse ignitum. Cujus doctrinæ causâ etiam ab Atheniensibus eum morti adjudicatum esse dicunt: intercedente tamen *Pericle* ejus discipulo tantùm in exilium actum. Lunam etiàm habitacula in se habere, & colles & valles edixit; Sidera principio quidem turbato, & confuso motu ferri solita, ità secundum terræ verticem eum, qui semper apparet, ad polum versari, posteà verò inclinationem accepisse. Lacteum orbem reflexum esse solaris luminis non intermicantibus astris. Cometas errantium stellarum esse concursum, flammas ex se emittentium, eósque velut scintillas ab aëre vibrari. *Euripides Anaxagoræ* discipulus Solem auream galeam appellavit. *Epicurus*, astra, cùm oriuntur, accendi; cùm occidunt, extingui voluit, ut indicat *Cœlius lib. 24. cap. 13. antiq. lect.* perindè ac si quis diceret, cum ab homine conspiciuntur, eadem nasci, cùm non videntur, emori. *Eudoxus Gnidius* omnium astrorum easdem vices quadriennio exacto redire putavit, undè etiàm non modò ventorum, sed & reliquarum tempestatum similem reditum accidere, Teste *Plinio lib. 1. cap. 47.* *Nicetas Syracusius*, ut ait *Theophrastus*, Cœlum, Solem Lunam, Stellas, supera denique omnia stare censuit, neque præter Terram, rem ullam in medio moveri, quæ, cum circùm axem summâ celeritate se convertat, eadem effici omnia, quæ, si stante Terrâ Cœlum moveretur. Plura alia Veterum commenta de cœlestibus Corporibus, & eorum motibus memorare nolo, ne objectis hic in limine Speculæ nostræ tàm apertarum falsitatum monstris Lectorem deterream. Aliter jam Recentiorem Astrophilorum sagacitas sentire cœpit, cum indefesso studio, inquietioribus pervigiliis, audaciori & feliciori conatu, incredibili planè sedulitate, ac diligentiâ cœlum novis machinis, & miro exactissimorum instrumentorum apparatu scandere didicit; sicque certiora omnia per concordem Experimentorum ubivis terrarum institutorum collationem deprehendit, quæ nunc etiàm in Epitomen congerere, & breviter, ut potero, Lectori Astrophilo recensere conabor: præprimis tamèn conveniens erit, generaliora quædam ad planiorem omnium dicendorum intelligentiam præmittere, & quidèm ea, quæ terminos, & nomina quædam Astronomis circà explicandam Primi Mobilis doctrinam, & theorias Planetarum usitatiora concernunt: Deindè verò singulorum corporum cœlestium Phœnomena, ac experimenta in specie, & denuò quæ eis omnibus, vel pluribus summatìm conveniunt, brevi enarratione addiscenda subjicere.

CAPUT I.

Notabilia ſcienda pro doctrinâ Primi Mobilis, & eorum, quæ cum ipſo moventur, exactiùs intelligendâ.

I.

Declinatio. Eclinatio ſtellæ, vel cujusvis corporis aut Phœnomeni cœleſtis, eſt diſtantia ejus ab Æquatore numerata in circulo maximo tranſeunte per polos mundi, & ipſum Æquinoctialem: eſtque duplex: *Auſtralis*, quæ in Auſtrum, & *Borealis*, quæ in Boream declinat.

Altitudo. 2. *Altitudo* eſt arcus circuli maximi verticalis inter Horizontem, & punctum ſtellæ in verticali interceptus. Eſtque duplex: *Meridiana*, ſive *maxima*, & *intermedia*. Altitudini opponitur Depreſſio.

Depreſſio. 3. *Depreſſio* eſt diſtantia arcûs infrà Horizontem numerata in circulo verticali ab interſectione Horizontis ad locum ſtellæ numerata.

Amplitudo. 4. *Amplitudo ortiva vel occidua*, quæ & latitudo Orientalis aut Occidentalis dicitur, eſt diſtantia Horizontis numerata in ipſo Horizonte, vel in aliquo ejus parallelorum (cujusmodi ſunt circuli altitudinum) inter punctum oriens, vel occidens, & Æquinoctialem intercepta. Undè meliùs definitur, *Arcus Horizontis inter Æquatorem, & punctum Oriens, vel Occidens contentus*. Duplex eſt, *Auſtralis*, & *Septentrionalis*.

Longitudo. 5. *Longitudo* eſt arcus Eclipticæ ab initio Arietis ad ipſum punctum Eclipticæ computatus: vel, ſi ſtella eſt extra Eclipticam, punctum illud ab interſectione maximi circuli per polos Eclipticæ ac per ſtellæ centrum tranſeuntis. Undè eſt diſtantia Eclipticæ ab eo puncto, quod vel ipſamet ſtella, aut ſimile quid in Ecliptica conſtitutum occupat; vel circulus ejusdem longitudinis ſtringit numerata à principio vel totius Zodiaci abſolutè, quod eſt punctum aut initium Æquinoctii verni, vel ſigni cujusvis, intrà cujus ambitum continetur.

Latitudo. 6. *Latitudo* eſt diſtantia aſtri vel cujusvis puncti extra Eclipticam conſtituti ab ipſâ Eclipticâ in circulo longitudinis, ſivè ut alii volunt, latitudinis (qui ſcilicet tranſit per polos Eclipticæ, & punctum interſectionis ejusdem Eclipticæ) numerata. Undè latitudo nihil eſt aliud, quàm diſtantia arcûs intercepta inter punctum Stellæ, & punctum Eclipticæ in circulo maximo tranſeunte per duo puncta ſtellæ ſcilicet, & Eclipticæ, ac ejusdem polos. Duplex eſt, *Auſtralis*, & *Borealis*.

Aſcenſio & Deſcenſio. 7. *Aſcenſio & deſcenſio*, dicuntur Arcus Æquinoctialis ab initio Arietis ſecundùm ſignorum ſeriem usque ad gradum dicti Æquinoctialis computatus, qui incipit aſcendere, vel deſcendere ſuprà vel infrà Horizontem eodem momento, quo ſtella aliqua aſcendit, vel deſcendit. Sivè eſt Arcus Æquatoris computatus à ſectione vernâ, ſivè ab initio Arietis versùs Orientem, usque ad illud punctum Æquatoris, quod ſimùl aſcendit ſupra Horizontem, aut infrà eundem deſcendit cum illo ſidere aut puncto Eclipticæ motu primi mobilis. Duplex eſt, *Recta* vel *obliqua*. Recta, vel Obliqua. *Recta* vocatur, cum quâ major Æquatoris arcus aſcendit, vel deſcendit. *Obliqua*, cum quâ minor. Idem eſt ac ſi dicas: Aſcenſio recta alicujus ſtellæ eſt arcus Æquatoris interceptus inter primum punctum Arietis, & gradum ejusdem aſcendentem in ſphærâ rectâ cum dictâ ſtellâ: Obliqua verò in ſphærâ obliquâ.

Differentia aſcenſionalis. 8. *Differentia aſcenſionalis* eſt differentia inter aſcenſionem rectam alicujus gradûs Eclipticæ, aut puncti cœleſtis, cujus cognoſcitur declinatio, & aſcenſionem obliquam ejusdem. Sivè eſt arcus interceptus inter punctum Æquatoris oriens cum eodem in ſphærâ obliquâ: Vel eſt arcus Æquatoris, quo vel Aſcenſio recta, vel obliqua ejusdem ſtellæ, vel aſcenſiones ejusdem generis diverſarum ſtellarum inter ſe differunt. Quò igitur major eſt obliquitas ſphæræ, eò major eſt differentia cœteris paribus.

Parallaxis. 9. *Parallaxis* eſt differentia inter locum, in quo videretur aſtrum è centro terræ, ſi terra eſſet diaphana, & inter locum viſum ejusdem aſtri è ſuperficiei terræ puncto aliquo ſpectati. Vel accuratiùs loquendo: *Parallaxis eſt differentia inter angulum, quo aſtrum aliquod diſtare videtur à Zenith ei, qui eſt in centro terræ, & angulum, quo videtur diſtare ab eodem Zenith ei, qui eſt in ſuperficiei terræ certo aliquo puncto.* Diſtare autem à Zenith, eſt magìs deprimi à Zenith versùs Horizontem. Undè ſi ſidus aliquod vertici incumbat, nullam patitur parallaxin: quò verò magìs à Zenith Horizontem versùs deprimitur, eò ſemper majorem habebit parallaxin: omnium autem maximam, cum ſidus erit ad Horizontem. Aſtrum etiam terræ propinquius ac vicinius majorem ſemper patitur parallaxin, quàm remotius cœteris paribus.

Refractio. 10. *Refractio* eſt deviatio radii luminoſi à lineâ rectâ ob inæqualem duorum mediorum denſitatem, ſed circa hanc

Notandum I. quod ſidus in Zenith poſitum nullam patitur refractionem, quia ejus radius perpendicularis eſt ad ſuperficiem Atmoſphæræ, atque adeò idcircò infringi non poteſt; imò ultrà 45, & in ſtellis ultra 20 G. nulla eſt ſenſibilis refractio,

ctio. Refractio autem Horizontalis est omnium maxima, quia tunc maximè obliquè radius luminosus incidit in Atmosphæram.

Differentia inter refractionem & parallaxin. Notandum II. quod refractio Astronomica semper sidus attollat, hoc est, illud exhibeat cum minori distantiâ à Zenith, quam reverà habeat. Locus nempè visus ob refractionem altior est, quàm locus verus astri. Undè vides eam intercedere differentiam inter refractionem, & parallaxin, quod parallaxis deprimat astrum; Refractio verò illud attollat. Tria igitur sideris loca distingui debent: primus locus est verus, in quo apparet astrum oculo in centro terræ posito, & ibi nulla est refractio; quià radius incidetet directus. Secundus est locus visus directè, in quo apparet astrum oculo in superficie terræ suppositâ æqualitate medii. Tertius locus est, in quo videtur astrum refractè ab eo, qui est in superficie terræ. Refractio autem est hæc differentia inter duo nominata loca, quocircà duplex erit: Vel enim locus in quo videtur astrum, comparatur cum vero loco, in quo scilicet appareret spectatori in centro terræ constituto, & hæc *refractio simplex* dicitur: vel comparatur cum loco viso ex puncto superficiei terræ; & tunc *refractio* dicitur *composita*. Undè communiter Refractio est differentia inter locum visum directè, & locum visum refractè. Si ergò verum locum astri alicujus habere velimus, subtrahere debemus refractionem, quæ nimis extollit, & addere parallaxin, quæ nimis deprimit astrum. E contrà si ex tabulis locum verum Ex. gr. Solis habeamus, ut ex eo quæramus visum, tollenda est parallaxis & addenda refractio.

Notandum III. Si duo sidera eandem habeant veram altitudinem, quod terræ viciniùs erit, majorem patietur refractionem.

Ortus & occasus siderum. 11. *Ortus & occasus* siderum dividitur in *Astronomicum*, & *Poëticum*. Ille est Ascensio, vel descensio, recta vel obliqua sine comparatione ad Solem; hoc est, non considerando, sivè tunc Sol oriatur, aut occidat, sivè in meridie, aut alibi hæreat. Poëticus autèm habet comparationem ad Solem, & dividitur in *Cosmicum*, seu *matutinum*, *Acronycum*, seu *Vespertinum*, & *Heliacum*, sive solarem: qui ultimus denuò dispescitur in *Matutinum* & *Vespertinum*.

Cosmicus. 12. *Cosmicus* seu matutinus ortus est ascensus sideris supra Horizontem Orientalem eo momento temporis, quo Sol ibidem oritur, sivè videatur à nobis, sivè non, ob viciniam Solis. Convenit omnibus stellis fixis, & planetis, exceptis iis fixis, quæ sunt perpetuæ vel apparitionis, vel occultationis. Dicitur *Cosmicus* sivè Mundanus, quià fit oriente Sole, quandò Mundi ornatus restauratur. *Cosmicus* seu matutinus occasus est descensus sideris infra Horizontem Occidentalem eo momento temporis, quo Sol oritur suprà Horizontem Orientalem, sivè tunc videatut, sivè non. Convenit omnibus stellis fixis, quæ occidere possunt & elongari grad. 180.

13. *Acronychus* seu Vespertinus ortus est ascensus sideris suprà Horizontem Orientalem illo momento temporis, quo Sol descendit infra Horizontem Occidentalem. Convenit illis tantùm stellis, quę à Sole Grad. 180. elongari possunt. *Acronychus* Vespertinus occasus, est descensus sideris infra Horizontem occiduum eo temporis momento, quo Sol eundem descendit. Convenit omnibus, quæ occidunt. Acronychus.

14. *Heliacus* ortus matutinus est prima apparitio sideris in Horizonte orientali paulò ante Solis ortum, sub cujus radiis anteà latebat. Convenit omnibus, quæ sunt tardiora Sole quoad motum proprium versùs Orientem cujusmodi non est Luna. Vespertinus est prima apparitio sideris in Horizonte occidentali paulò post Solis occasum, sub cujus radiis anteà latebat. Convenit solùm iis, quæ sunt velociora Sole quoad motum in Orientem; Cujusmodi est Luna, Venus, & Mercurius post conjunctionem cum Sole peractam in Apogæo Epicycli, & descensum ab Apogæo; & quidem tunc Venus vocatur *Hesperus*, item *Hesperugo*. *Heliacus* occasus matutinus est prima occultatio sideris in Horizonte orientali sub radiis solis vicini, & paulò pòst orituri. Convenit iis solùm, quæ sunt velociora Sole in motu proprio, nempè Lunæ, Veneri & Mercurio, quandò accedunt ad Apogæum Epicycli, & tunc Venus dicitur *Lucifer*, seu *Bosphorus*. Vespertinus est prima occultatio sideris in Horizonte occidentali sub radiis Solis paulò antè infrà eum demersi. Convenit omnibus, quæ sunt tardiora Sole in motu proprio, non tamen Lunæ. Heliacus.

15. *Præcessio Æquinoctiorum* est motus, quo intersectio Zodiaci, & Æquatoris subindè orientaliorem situm respectu Stellarum fixarum acquirit. Præcessio Æquinoctiorum.

16. *Mutatio obliquitatis Zodiaci* (aliàs accessus & recessus, item motus Trepidationis) est motus, quo puncta Eclipticæ solstitialia Æquatori aliquandò propiora, aliquandò remotiora sunt. Prior motus numeratur in Eclipticâ, hic posterior in coluro Solstitiorum. Mutatio obliquitatis.

17. *Arcus Visionis* vocatut à *Ptolemæo* depressio solis infra Horizontem requisita ad hoc, ut astrum appareat in ipso Horizonte. Arcus Visionis.

CAPUT II.

De his, quæ ad Theorias Planetarum planiùs intelligendas faciunt, Notabiliora quædam referuntur.

1.

Circulus eccentricus. Irculus Eccentricus dicitur ille, qui habet centrum à Centro Mundi diversum. Epicyclus autem est circulus parvus centrum habens in peripheriâ alterius circuli deferens corpus planetæ.

Apogæum 2. *Apogæum, Aux, summa Apsis* est punctum Eccentrici maximè distans à Centro terræ.

Perigæum 3. *Perigæum seu ima Apsis*, oppositum Augis est punctum Eccentrici magis terræ vicinum.

Linea Apogæi. 4. *Linea Apogæi, linea Augium, linea Absidum* est linea per centrum eccentrici, & per centrum terræ ducta, quæ in Apogæum & Perigæum cadit.

Locus Apogæi. 5. *Locus Apogæi*, distantia Apogæi, & longitudo Apogæi est arcus inter initium Arietis & Apogæum contentus.

Eccentricitas. 6. *Eccentricitas* est distantia centri eccentrici à Centro terræ, quæ comparatur cum radio Eccentrici; hoc est: dum investigatur Eccentricitas, quæritur proportio, quæ est inter radium Eccentrici, & reliquum continuatum ad ipsum terræ centrum.

Motus æqualis. 7. *Motus æqualis* ille est, in quo æqualibus temporibus respondent arcus æquales.

Motus in consequentia. 8. *Motus in consequentia* dicitur ille, qui fit secundùm signorũ seriem, etiamsi in Eccenrriaco fiat, notatur cõmuniter his litteris S.S.S. Motus autem in præcedentia fit contra signorum ordinem aut seriem. Sic quia Aries præcedit Taurum & Taurus Geminos; si motus quis fieret ex Geminis in Taurum, & ex Tauro in Arietem, diceretur motus in præcedentiâ. Signari solet literis C. S. S. quæ significant contra Signorum seriem.

Motus primus communis. 9. *Motus primus communis* dicitur, qui omnibus astris est communis, vi cujus etiàm deferuntur ab ortu in occasum. Absolvitur una revolurio spatio 24 horarum. Motus verò proprius particularis, vel secundus est, quo particulariter, & propriè planeta aliquis transfertur.

Motus medius. 10. *Motus medius* est motus Planetæ æquabilis; dicitur medius, quia inter incitatum, & tardum medius est; Cum enim planeta videatur percurrere Zodiacum inæqualiter (hoc est nonnunquàm velociter moveatur, ut versùs Perigæum; nonnunquàm tardiùs, ut circà Apogæum) medius dicitur ille motus, qui inter utrumque positus est. Talis est motus planetæ in Eccentrico: Supponitur enim moveri æquabiliter in Eccentrico circà centrum ipsius Eccentrici.

11. *Motus verus* est ille, quem nobis ex centro terræ planeta observatus videretur peragere. Motus verus.

12. *Locus verus*, seu longitudo vera Planetæ est arcus Zodiaci interceptus inter initium Arietis & locum, in quo planeta videtur è centro terræ. Locus vero medius est locus planetæ, qui spectatur è centro orbitæ suæ, sivè centro Eccentrici. Locus verus.

13. *Argumentum* seu motus Anomaliæ est arcus Eccentrici inter Apogæum, & locum astri, seu planetæ interceptus. Vocatur *Anomalia media*. Argumentum.

14. *Anomalia coæquata*, seu vera vocatur distantia vera Astri arcu ab Apogæo ad locum verum astri seu planetæ computato. Anomalia coæquata.

15. *Prostaphæresis* seu Æquatio est differentia inrer locum verum astri & medium. Vocatur Prostaphæresis voce compositâ ex additione, & subtractione, quia aliquandò hæc addi debet loco medio, ut fiat verus, aliquando subtrahi à loco medio ut verus locus astri habeatur. Semper autem in semicirculo ab Apogæo ad Perigæum prostaphæresis subtrahi debet, ut ex loco medio verus habeatur, è contrà in Semicirculo à Perigæo ad Apogæum prostaphæresis addi debet, ut verus locus alicujus planetæ inveniatur. Ratio utriusque est, quia in semi circulo ab Apogæo ad Perigæum locus medius magis distat ab Ariete, quàm verus: In semicirculo verò à Perigæo ad Apogæum locus verus magis distat, quàm medius, undè hìc additiva, ibi subtractiva est Æquatio. Prostaphæresis.

16. *Transitus medii* sunt puncta in Eccentrico, quæ indicantur à perpendiculari ad lineam Apogæi ducta per Centrum terræ, suntque prostaphæreses maximæ. Transitus Medii.

17. *Longitudines mediæ* vocantur Eccentrici puncta, quæ 90 gradibus distant ab Apogæo & perigæo.

18. *Revolutio vera* planetæ est motus ejusdem ab uno Eclipticæ gradu, donec ad eundem redeat. Hæc in Sole dicitur Annus. Revolutio vera.

19. *Revolutio media* est motus Planetæ ab uno Eclipticæ puncto donec ad idem redeat. Hec revolutio in sole dicitur medius Annus. Sunt omnes æquales. Revolutio media.

20. *Revolutio* aut *Restitutio Anomaliæ* est motus Planetę ab uno Eccenrrici puncto, donec ad idem redeat: hoc est, ad æqualiter distans ab Apogęo. Quare si Apogęum moveatur in consequentia, Revolutio Anomalię major erit, quàm Revolutio media: hoc est, tempus majus requiret; quià intereà, dum movebitur Planeta, Apogæum illum sequetur. Revolutio anomaliæ.

21. *Quan-*

21. Quando *Anomalia* minor est grad. 180, Prostaphæresis subtractiva est; quando *Anomalia* est 0; nulla est. Quandò major est Grad. 180. additiva est.

22. *Motus verus* astri circà Apogæum tardissimus est; circà Perigæum velocissimus, circà medios transitus, mediocris.

Scrupula proportionalia. 23. *Scrupula proportionalia* sunt, quæ prostaphæresibus accedunt, vel decedunt ob situm Planetæ in sublimiore vel inferiore parte Epicycli.

Excessus. 24. *Excessus* est, qui prostaphæresibus accedit ob vicinitatem majorem Planetæ vel Epicycli ad terram: proxima ejus causa vocatur diversitas diametri, quia diameter circuli, in quo Planeta movetur, brevior est Planetâ, vel ejus Epicyclo terræ viciniore. Longior in remotiore, & in priore casu prostaphæresin auget, in posteriore minuit.

Commutatio. 25. *Commutatio* est arcus, quo linea motûs Solis & lineæ à Sole per Planetam ductæ inter se differunt in Zodiaco.

Aphelium. 26. *Aphelium* est punctum, in quo Planeta à Sole, quem circuit, est remotissimus: *Perihelium*, ubi eidem proximus.

Nodi. 27. *Nodi* sunt puncta, in quibus circuli motuum seu Planetarum circulum Solis, seu Eclipticam intersecant. *Limites* sunt puncta, in quibus Planeta, vel ejus circulus longissimè ab Eclipticâ distat in Boream vel Austrum: Undè etiam *Nodus Boreus* dicitur à Planetâ versùs limitem Boreum ascendente, *Austrinus* autem, à quo versùs Austrum vadit.

Directio, Retrogradatio, Statio. 28. *Directio, Retrogradatio, Statio* sunt affectiones, propter quas Planeta dicitur vel *Directus*, vel *Retrogradus*, vel *Stationarius*. *Directus* dicitur, quandò secundùm successionem signorum motu proprio incedens apparet. *Retrogardus*, quandò contrà. *Stationaribus*, quandò in eodem loco permanere videtur. *Statio* illa est vel *prima*, vel *secunda*: Illa motum retrogadum antecedit; hæc sequitur. *Statio* itaque contingit in confinio utroque motûs Directi & Retrogradi. *Prima* erit, quæ fit in sinistro, seu Orientali, aut priore semicirculo Epicycli, aut in transitu à motu Directo ad Retrogradum: & hæc in tribus superioribus Planetis vocatur Matutina; quia sequitur exortum matutinum, cùm post conjunctionem cum Sole tendunt ad oppositionem. In inferioribus autem dicitur Vespertina, quià fit, quandò Vespertini sunt, nempè post conjunctionem Apogæam, dùm descendunt ad Perigæam. *Statio secunda* fit in dextro, seu Occidentali semicirculo Epicycli, ac in transitu à motu Retrogrado ad Directum. Dicitur etiàm in tribus Superioribus Vespertina, & fit, cùm post oppositionem tendunt ad conjunctionem: In Inferioribus autem vocatur Matutina.

Velocitas, Tarditas, Mediocritas. 29. *Velocitas*, *Tarditas*, *Mediocritas* dicitur à comparatione Medii motûs ad verum: Undè cum Verus motus Medio velocior est, planeta dicitur cursu auctus, seu velox: si verus motus minor, sivè tardior est medio; dicitur planeta cursu minutus: si denique uterque, verus & medius, æquales; Planeta dicitur mediocris cursu. *Mediocritas* accedit Planetis circa mediarum longitudinum transitus. *Tarditas* verò 5. Planetis minoribus in inferiore parte Epicycli; Velocitas in superiori medietate Epicycli.

Planeta auctus numero. 30. *Auctus numero* dicitur Planeta, quandò æquatio, seu prostaphæresis est additiva medio scilicet motui, ut verus habeatur. *Diminutus* autèm *numero* dicitur, quandò subtractiva.

Auctus lumine. 31. *Aucti* lumine dicuntur Planetæ, quandò post conjunctionem cum Sole, Sol ab ipsis (ut tribus superioribus) aut ipsi (ut inferiores) à Sole recedunt, & magis magísque fiunt conspicui. *Minuti* verò lumine dicuntur, quando post superatam longissimam distantiam Soli fiunt propinquiores. *Hypauchi* seu combusti dicuntur, quandò sunt sub radiis solaribus, ut ideò ob Solis fulgorem lumen eorum evanescat.

Orientalis & Occidentalis. 32. *Orientalis* ac matutinus dicitur Planeta, quandò manè oritur ante Solem: *Occidentalis* ac Vespertinus, quandò vespere post Solis occasum pariter occumbit. *Pernox*, sive *Acronychus*, quando in principio noctis, sive Sole occidente Horizontem orientalem ascendit, & totâ nocte fit conspicuus.

Epocha. 33. *Epocha* vocatur radix motuum cœlestium, sivè tempus, à quo motus illos numeramus.



CAPUT

CAPUT III.

SELENO-SCOPIUM PHYSICO-MATHEMATICUM.

Quo Lunaris Corporis natura, Virtus, aliaque circà ipsum præcipua phænomena, & experimenta perlustrantur & exponuntur.



Ulta éaque mira de Lunaris Corporis terrestri atque Elementari sphæræ vicinissimi naturâ, compositione, motu, defectibus, & phasibus, aliísque phænomenis comperta nunc habemus, quæ singulari diligentiâ, accurato planè studio, indefesso labore, curâ, & vigilantiâ per Recentiorum Astronomorum factas observationes, Telescopii potissimùm subsidio, aliorúmque instrumentorum apparatu, de cœlo deducta sunt, quæ ipsa nunc paucis in medium afferre & breviter recensere libet.

§. I.

Observationes & Doctrinæ de Corpore Lunari, ejus structurâ, lumine, virtute, ac fine principali.

Lunaris Corporis compositio.

1. Lunam imprimis compertum est, esse Corpus cœleste, densum, solidoliquidum, opacum, sphæricum, ex suâ naturâ expers omnis luminis; aptum tamen ad Solis lumen sistendum, & reflectendum; atque ità non tantùm ad Mundi ornatum, sed etiàm ad summam utilitatem, imò maximam in Elementari Mundo provehendorum proventuum necessitatem à Providâ divinâ Mente constitutum.

Luna non est perfectè Sphærica.

2. Quamvìs autem Corpus hoc Lunare sphæricum sit & globosum, non tamen est tale geometricè, ità scilicet, ut æquâ, politâque undique superficie instar speculi sphærici præditum sit: sed asperum & inæquale est, habens partes alias eminentiores, alias depressiores, & magis subsidentes; undè diversis maculis respersum cernitur. Numerus etiàm macularum in Schemate Langreniano Lunæ plenæ ascendit ad 270, in Heveliano ad 550, in Grimaldæo ad 600. Veriùs autem mihi videtur copiam illarum macularum tantam esse, quæ præcisè hactenus determinari haud potuerit.

Constat partibus solidis & fluidis.


3. Lunam etiam solido-liquidam aut fluidam esse, sivè ex partibus aliis solidis, aliísque liquidis aut fluidis constare, probare videntur eæ ipsæ maculæ, quarum, quæ minùs illustres cernuntur, censentur esse fluidæ, adeoque lumen Solis imbibere, & ità minùs reflectere: quę verò partes magis illustres comparent; argumentum dant soliditatis & consistentię majoris, quæ idcircò etiam aptiores sunt ad lumen Solis reflectendum. Undè omninò verisimile est, Lunam esse terraqueo globo persimilem, ex terrâ & aquâ Lunari compositam; atque haud aliter, ac terra montibus solidis & variis partibus asperis consistentibus, item etiam maribus, sinubus, & fluminibus, aliísque partibus liquidis & fluidis constat: ità pari modo Lunam ex terrâ, velut partibus solidis, & aquâ Lunari, velut partibus liquidis compositam esse facilè credi potest. Quocircà etiàm Recentiores Astronomi (inter quos præcellit solertissimus omnis Astronomiæ Restaurator *Joannes Hevelius*) totam Lunæ plenæ faciem haud aliter, ac terrestris globi planisphærium construxerunt, atque ut tabulæ Geographicæ à peritissimis Geographis delineari solent, similiter etiàm Tabulam Selenographicam decircinando ac depingendo sub aspectum posuerunt, duobus hisce præcipuè observatis, ut primò Regiones & Insulę cum omnibus sinubus & angulis &c. unà cum adscriptis studiosè ad hanc rem conquisitis nominibus secundùm veram, compertam mensuram proportionémque tàm longitudinis, quàm latitudinis accuratissimè delineentur: deindè ut maria ibidem, lacus, fluvii, & paludes cum sinubus, promontoriis scopulísque &c. accuratâ operâ in debitâ servatâ proportione adumbrarentur: uti & reipsâ Oceanorum littora more Geographis usitato certis lineis distincta, paludes itèm, ut factum, montes & valles, continentes à paludibus, stagnis, & maribus primo statim intuitu discerni possent, oculis inspectantium paterent. Vide figuram hic appositam.

Montium Lunarium altitudo.

4. Quod etiam meritò inter notabilia Lunaris Corporis phænomena recenseri potest, demonstrat expertissimus *Hevelius Selenograph. cap. 8.* Montes Lunares non esse exiguæ, sed immensæ planè altitudinis non solùm in proportione ad corpus Lunæ (quodjuxtà illum 42 vicibus est Terrâ minus) verùm etiàm montes terrestres longè excedere; quippè qui ad tres quartas milliar. Germ. sivè tria milliaria Italica in altum assurgunt; cùm terrestres vix ad dimidium milliare in lineâ perpendiculari eleventur. Insuper docet ibidem maximos esse montium Lunarium tractus

GENUINA CORPOR

prout in Oppoſitione Vernali A.° 1694. …
et 4. gr. 40. min. latit: mer. aſc. tunc conti…
muſsin competenti à G. C. Eimmart Norim…
et Authori comm…




Minuit praeſentia famam.



Cynthia quo propior Phœbo tene=
broſior inde:
Proxima Majeſtas lu=
mina nocte premit.



At Opaca ſupernè.




Quo magis à Phœbo diſtat Soror, hoc magè nobis
Fulget, et à ſupera lumine parte caret.
Nam quo mortales quisquam eſt magè fulgidus inter
Hoc minus eſt magno fulgidus ille polo.

Non eſt hic proprius…
Quicquid lucis h…
Magne tua ſine luce…
Quicquid ineſt no…

...s LUNARIS FACIES,


...n. Martij St. n. circa 22. gr. long. ♍ ...nte, cum motu libratorio, huic plenilunio exa... ...gæ ad archetypum cœlestem delineata ...icata est.




In ipsum Cornua nunquam.



Dic benefactori grates convicia nunquam:
Munus ut acceptum Cynthia grata refert.




Erepta sibi luce nocet.



...o splendet Cynthia, fulgor...
...t, Sole micante capit.
...EUS nil possumus omnes,
...Gratia sola dedit.

Erepta sibi luce nocet tunc inscia Tellus,
Cum Lunæ lucis præpedit omne decus.
Invide crede mihi stulta tunc arte nocebis,
Si noceas aliis, sed magis ipse tibi.

Tabula SELENOGRAPHICA in visibilis Lunæ Hemisphæ[...]
Insularum, Continentium, Promontoriorum, Lacuum, Paludum, Montium, Planitierum, e[...]






...o orthographicam delineationem exhibens Marium, Sinuum,
...illium adminiculo Tubi Optici à Clariss. D. IOANNE HEVELIO detectorum.
PONTUS
EUXINUS
PALUS MOEOTIS
PROPONTIS
COLCHIS
MARE CASPIUM
Paludes Hyperb.
Palus Byces
Hellespontum
Byzantium
Apollonia
S. Sagarious
M. Macrocemnii
Digiti Ecliptici et eorum Segmenta.
LITERARUM.
P. Palus. C. Caput. P. Promontorium.
Fret. vel F. Fretum.

ctus quoad longitudinem in Lunâ, qui nempè instar montium terrestrium latè extenduntur, ità ut Mons Lunaris, Ipsi *Taurus* dictus, continuâ serie ad 170 milliaria Germanica excurrat: Mons *Sephar* ad 150 mill. germ. Mons *Apenninus* suprà 100 mill. Germ. ità ut jure affirmari possit montes in Lunâ celsissimos, vallésque profundissimas & spatiosissimas extare. Ridiculum tamen est, quod refert *Schottus in Techn. curios. lib. 6. cap. 7.* fuisse aliquandò artificem natione Gallum, Authorem navis illius Roterodamensis, quæ Fulmen maris dici, & sub undis marinis progredi debuerat (qui Eminentissimo tunc nostro hìc Principi & Electori *Joanni Philippo* operam in rebus Mechanicis obtulit) inter alia verò etiam asseruisse tubo specillum se construxisse, quo Lunam non solùm cavernosam, atque montosam, ut alii, sed alicubi prorsùs pertusam, ac perviam deprehendisset, adeò ut per patentia foramina cœlum ipsum ac stellas perspexisset: risisse porrò merito sagacissimum Principem hominis jactantiam & aliò dimisisse.

Luna proprium lumen non habet.

5. Luna proprium lumen non habet, sed mutuato à Sole lumine, reflexóque ejus splendore fulget. Undè etiam in periodicâ ejusdem revolutione incrementa, & decrementa luminis pro aliâ & aliâ ad Solem, terrámque positione enascuntur.

Lumen secundarium in Luna unde proveniat.

6. Licet autem Luna â Sole illustrata lumen suum primarium obtineat; secundarium tamen aliud lumen in eâdem deprehenditur, & illud quidem maximè perdurat usque ad sextum â conjunctione diem, neque ante 24 diem revertitur. *Hevelius tamen Selenogr. cap. 12.* tempore primæ Quadraturæ illud lumen secundarium modò planè evanescere notavit; quamvis etiàm asserat, se tubo optico artificioso adjutum illud secundarium lumen postridiè primæ quadraturæ Lunæ adhuc vidisse & integrum discum ejus haud obscurè potuisse apprehendere. Eandem quoque proportionem observat decrescens Luna: Mox enim post ultimam quadraturam hæc secundaria lucula sese primùm denuò exerit; Dehinc autem magis magísq; crescit, & quotidiè fit evidentior, ità ut ab ultimâ quadratura usque ad primam subsequentem cerni possit hoc discrimine, ut quò phases Lunæ auctiores sunt, eò minùs & debiliùs, quò autem phases sunt minores, eò majus & robustiùs hoc lumen compareat. Volunt autem hoc secundarium lumen oriri à terræ hemisphærio illuminatio. Undè benè explicatur, quomodò hoc lumen secundarium majus sit propè Novilunia, quàm propè & post quadraturas, cum in primis phasibus Luna à toto ferè terræ hemisphærio illuminetur, & quò longiùs à Sole recedit, eò â minore segmento, ità ut in quadraturis â medietate tantùm hemisphærii illuminari & valdè oblique lumen excipere queat; adeóque mirum non sit, quod evanescat. In totalibus etiàm Solis eclipsibus apparet hoc lumen in Luna, subobscurè tamen, eò quod umbra cadat in hemisphærium terræ Soli obversum, eíque multùm luminis præripiat.

Umbrarum in Luna variatio.

7. Cùm in Lunâ dentur plures eminentiæ, & partes montosæ valdè prostantes; fit ut pro situ corporis Solaris & radiorum solarium ad Lunam incidentia ab eminentiis illis umbræ etiàm diversimodè projiciantur. Sic crescente Lunâ, cum ea magìs ad Orientem vergat, quàm Sol ipse, omnes umbræ in Corpore Lunari versus ortum diriguntur. Contrà Lunâ decrescente, cum ea magis ad Occidentem deflectat, Sol in occasum omnes umbras porriget. In Pleniluniis nullæ ferè umbræ cernuntur, cùm Sol partem nobis obversam suâ luce compleat: & quià circà Lunæ margines extant montes; ex eâdem parte â nobis cernuntur, quæ â Sole collustrantur: partes autèm umbrosæ tam nostros fugiunt oculos, quàm Solem ipsum. In quadraturis autem fiunt umbræ distinctiores, cùm in eam partem disci Lunaris umbræ diriguntur, quæ oculis nostris magis expositæ sunt.

Paradoxum de illustratione Lunæ.

8. Paradoxum videtur, quod Luna nunquàm minùs à Sole illustretur, quàm cùm plena est, & nunquàm magis illustretur, quàm cum in conjunctione nobis obscura est. Nam cùm Sol multò major sit Lunâ, Luminosum autèm majus eò minorem partem sphæræ minoris illustret, quò longiùs abfuerit: clarissimum autèm cùm sit, Lunam Soli oppositam, ab eodem magìs distare, ideò etiàm pauciores ejus partes poterunt in plenilunio illustrari. Sicut autèm Luna nunquàm minore lumine perfunditur, quàm in oppositione: ità nunquam majori illustratur lumine, quàm in conjunctione: quia eo tempore Solis corpori videlicet Luminoso majori maximè est propinqua; præsertim si in Apogæo fuerit constituta; túncque plures ejus partes illustrari poterunt, & ità Luna majori lumine perfusa etiàm ampliùs fulgere poterit, etsi à nobis lumen hoc visu percipi non queat.

Perfectum Plenilunium videri nequit.

9. Nullum unquàm à nobis cerni potest perfectum Plenilunium: cum enim ut sit perfectum plenilunium, debeat Luna diametraliter Soli opponi, alioquin id, quod distabit à lineâ per centrum Terræ & Solis transeunte, deerit plenilunio. Sed quoties Luna diametraliter opponitur Soli, patitur eclipsin, nec propriè loquendo plena esse potest Luna. Ergò nullum unquam respectu nostri cerni potest perfectum plenilunium. In pleniluniis tamèn communibus & ordinariis, licet luminare corpus habeat latitudinem unius, alteriusve gradûs, ità parùm deficit â plenilunio, ut hoc sit insensibile; præcipuè cum Sol plus quàm hæmisphærium Lunæ illustret, & nos minùs, quàm hemisphæ-

misphærium videamus (cùm oculus Spectatoris minùs in globo majori, quàm hemisphærium contueri possit) undè nulla pars à nobis spectata in *L*unâ deficere lumine comperitur.

Quamdiu duret plenilunium.

10. Plenilunium apparens duas horas obtinet, ità ut cùm *L*una plena est, per duas horas talis compareat, nec aliquis in pleno orbe, aut ullâ ejus parte defectus adverti possit. Ratio indè est, quod in *L*unari globo plusquàm hemisphærium videatur; Undè duæ saltem horæ requiruntur, donec limes segmenti visi attingat limitem hemisphærii illuminati. Negat tamen hoc *Keplerus in Astron. opt.* pag. 237. ajens: Nunquàm nec visum esse, nec videri posse ullum plenilunium: tantum abest, ut unum plenilunium duas duret horas. Sed de hoc consule *Hevelium Selenographiæ cap. 26.*

Novilunium verum & visum.

11. Synodus vera, sivè Novilunium verum cùm sit tempus, quo lineæ à centro terræ ad centra Solis & *L*unæ ductæ in eodem sunt circulo longitudinis, ità ut nisi obstaret latitudo *L*unæ, una eademque linea centra Solis & *L*unæ centro terræ conjungeret: Synodus autem visa, cum sit tempus, quo alicubi quidem è superficie terræ intuenti Sol & Luna in eodem circulo longitudinis, seu per polum Zodiaci transeunte spectantur: Idcircò notandum, quod Synodus visa in quadrante Orientali respectu nonagesimi gradûs antecedat verum; eòquod parallaxis *L*unam promoveat in antecedentia, hoc est, ad partes magis Orientales, eámque Soli admoveat, undè citiùs cum Sole conjungi videbitur. Econtrà verò in Occidentali quadrante parallaxis *L*unam retrahet in antecedentia, atquè adeò Synodum retardabit. In nonagesimo verò gradu, cùm nulla sit parallaxis longitudinis; Synodus vera & visa eodem temporis memento coincident.

Cur variæ in Lunâ Phases.

12. Varii aspectus, facies ac Phases *L*unæ eo fine à Naturæ optimo opifice videntur esse ordinatæ, ut iis tùm vis *L*unæ, quâ omnia terreni globi humida afficiuntur, tùm lucis *L*unaris incrementum, aut decrementum ex nimio aliàs profectu, aut defectu noxium attemperetur. Rectè enim inquit sagacissimus *Kircherus itin. Extat. 1. dial. 1. cap. 2. Ita Sol & Luna in hoc mundi theatro disposita sunt, ut Luna perpetuò Solaribus exposita radiis calorem Solis humidæ virtutis suæ efficaciâ temperaret; & ne eâdem semper facie terræ superficiem feriens, terram humoris sui tumefactivi copiâ obrueret, faciem suam ità terreno globo obvertit, ut non semper plena, nec dimidia, sed successivo quodam lucis suæ decremento, nunc luce prorsùs deficiens, nunc resumptis viribus aucta adducti humoris copiam minueret, aut ejusdem defectum proportionato lucis augmento resarciret. Est itaque Luna ità constituta, ut tantùm nobis ex tenebrosæ faciei suæ parte menstrui spatii decursu obverteret, quantùm ex lucidæ suæ partis facie: quemadmodum enim in plenilunio totam nobis faciem lumine imbutam; ità Novilunii tempore totam tenebrosæ faciei partem obvertit; hoc pacto in quadraturis dimidium lucis, & tenebrarum, nobis ex æquo offert: in sextili pariter aspectu tantum nobis tenebrarum, quantum in tuberosâ illustris Lunæ facie exhibet, ut sic partitis veluti juribus terrenum corpus in æquâ lucis & tenebrarum, caloris & frigoris, rarefactionis & condensationis proportione in suo vigore conservaret. Quod enim lux Luuæ in terrâ dissolvit, hoc frigus influxu suo stringit; quod illa disgregat, hoc iterùm congregat; quod illa nimiâ suâ tepiditate labefacit, hoc à putredine conservat.* Hæc fusè admodùm, sed benè *Kircherus*, quibus aliquid addere, vel demere nefas.

Lunæ distantia à terrâ & hinc ejus magnitudo supputata.

13. Assumptâ Lunæ minimâ distantiâ à terrâ Semidiametrorum terræ 50. & ejus Semidiametro apparente in Perigæo cum *Ricciolo* adhibita minut 16. Secun. 45. consequens est ex factâ supputatione, quâ ut sinus totus ad sinum. min. 16. sec. 45. seu 486½, ita 50. semidiametri terræ ad Semidiametrum Lunæ. Semidiameter ergò *L*unæ se habebit ad Semidiametrum terræ ut 24 ad 100. sivè erit propè quarta pars Semidiametri terræ. Hoc posito, si jam Lunæ soliditas, sivè magnitudo inquiratur: assumpta igitur ratione ut 24 ad 100, vel meliùs ut 25 ad 100, sive ut 1 ad 4, quam habet diameter Lunæ ad diametrum terræ, si continuentur hi numeri ut 1 ad 4, ita 16 ad 64: continebit terra Lunas 64. Verùm alii aliâ procedunt methodo & calculo, & aliam designant magnitudinem, ut ità absolutè quid certum definiri nequeat. Lunæ distantiam à terrâ, & ejus corpulentiam juxtà *Tychonem* vide infrà.

Vapores lunares & hinc nata atmosphæra.

14. Docet *Kircherus lib. supra citat. cap. 1.* Vapores etiàm ex Lunâ in circumstans spatium æthereum exhalare, verùm illos adeò exiles, & ab omni terrestri fæce depurgatos esse, ut in nubes congelari non possint: Cùm & ipsæ aquæ lunares limpidiores sint terrestribus aquis. Quià tamen in æthereo spatio superficierum agglomeratione aliquantùm condensantur, hinc & atmosphæra Lunam circumdare deprehensa est. Vapores etiàm hosce lunares roscido äëri sub æstivo crepusculo antè Solis ortum in terræ superficiem diffuso persimiles dicit, atque in oppositâ quidem Lunæ superficie gravitate suâ continuò decidere, eámque irrorare: in illuminatâ verò Lunæ facie mox à solarium radiorum efficaciâ dissolvi, & in tenues auras abire.

Virtus Lunæ appropriata qualis.

15. Virtus Lunæ specifica ejus globo indita potissimùm in humorem telluri infusum diffunditur. Licet autèm Lunæ corpus per se torpidum sit, & admodùm frigidum ac humidum, mox tamen ut calidis vivifici Solis radiis incalescit, vires

vires suas protinùs exerit,& facilè avehi permittit; quæ cùm in humidum terræ subjectum ordinantur; illud confestim rarefaciunt,ampliant,dilatant,ac fœcundant nunc plùs, nunc minùs pro sitûs Lunæ in suo circulo ratione. Ità videmus maria intumescere, suósque fluxus & refluxus reciprocare; incrementa, aut decrementa humoris in fluminibus, lacubus, fontibus, alisque præhumidis, & virtuti suæ addictis corporibus pro phasium suarum, sitûsque ratione concitare.

Lunaris Corporis finis & officia.

16. Lunaris globi à DEO Naturæ totius Architecto constituti finis principalis est, imprimis vicarias absentis Solis partes in terræ globo illustrando subire; deindè menses periodicâ suâ revolutione constituere, ac tempora discernere; ingentem prætereà solaris corporis æstum, ne pertinaci ardore terraqueum globum torreat, exsiccet, atque penitùs exurat, innatâ frigiditate, ac humiditate ad æquam temperiem reducere; Tandem etiàm fœcundo suo profluvio terram irrorando omnia humida movere, ad peragendas rerum terrestrium generationes disponere; nec non continuo influxu promovere, ac etiàm constanti virtutis suæ propagatione perpetuò conservare. Atque hic *influxus*, ut inquit *Kircherus lib. cit. cap. 2. est adeò terræ necessarius, ut eo sublato illa in essentiæ suæ perfectione consistere minimè possit, virtutis solaris efficaciâ mox in pulverem redigenda. Idem contingeret, si sublata Solis virtute solius Lunæ arbitrio terra relinqueretur: Siquidem virtutis ejus efficacia in tantùm humoris copia exuberaret, ut totam terram humidi illuvione suffocatam destrueret.* Unde etiàm meritò *à D. Ambrosio in Hexam. Luna* dicitur *Mater roris, decor noctis, ministra humoris, maris dominatrix, mensura temporis, motrix aëris, æmula Solis.*

§. II.

De variis Lunæ motibus.

Motus communis

1. In Lunâ varii considerantur motus ab Astronomis, ac comprimis duplex: *Communis* scilicet & *Proprius*. Quorum primus omnibus sideribus communis est, vi cujus fertur Luna ab ortu in occasum, ità ut si nullum alium haberet motum, intrà 24 horas suam circulationem simul cum aliis stellis absolveret. Præter hunc autèm motum alium habet sibi proprium, quo intra spatium 24 horarum 13 grad. 10 minut. 35 sec. in consequentia promovetur.

Nodi in puncto intersectionis Eclipticæ, & Circuli longitudinis.

2. Circulus maximus longitudinis Lunæ Eclipticam in duobus punctis intersecat; estque eidem inclinatus ad 5 gradus, sivè facit cum Eclipticâ angulum 5 graduum. Puncta autem illa intersectionis *Nodi* vocantur, quorum unus, à quo Luna digrediens ascendit versùs Signa Borealia, vocatur *Nodus Borealis, ascendens, evehens*: Ab Arabibus *Caput Draconis*: Alter verò *Nodus*, à quo digressa Luna descendit versùs Australia signa; vocatur *Nodus Australis, descendens, deprimens*: Ab Arabibus *Cauda Draconis*. Duo autem puncta, quæ maximè ab Eclipticâ recedunt,& à Nodis absunt 90. gradibus, appellantur *Limites*, quià sunt meta evagationis Lunæ à Solis directo tramite, ab Arabibus verò & vulgò dicuntur *Ventres Draconis*. Hujus Arabicæ appellationis causa est, quod segmenta illa similitudinem aliquam serpentum sivè Draconum exprimant.

Motus Proprius Lunæ.

3. Lunæ motus proprius ab Occidente in Orientem contingit in Zodiaco, cujus etiàm latitudinem nunquàm egreditur, non tamèn movetur directè sub Eclipticâ sicut Sol, sed intersecat eam circulo motûs sui in punctis eclipticis, ut modò dictum. Motus autem integræ revolutionis, vi cujus intra 24 horas conficit grad. 13. min. 10. sec. 35. absolvitur per totum circulum diebus 27. hor. 7. min. 43. sec. 5. Vocatur hæc Revolutio *mensis* Lunæ *periodicus*. Luna tamen etiàm non æquis emetitur Zodiaci signa passibus, sed motu diurno vero modò decem, modò duodecim, modò tredecim & plures gradus complet, prout in Apogæo, vel Perigæo, in signis longarum, vel brevium ascensionum, in latitudine Australi, vel Septentrionali fuerit.

Mensis periodus.

4. Cùm singulis diebus Sol moveatur S.S.S. min. 59. Ideò Luna à Sole digrediens quotidiè removetur Grad. 12. min. 11. sec. 26, ità ut intrà dies 29. hor. 12. min. 44. rursùs Solem assequatur. Dùm enim Luna circulum absolvit, intereà Sol circiter Grad. 27. movetur, qui gradus restant percurrendi, ut denuò Solem assequatur. Vocatur periodus ista *Mensis Synodicus*, sivè *Conjunctionis*; estque dierum 29. hor. 12. min. 44. sec. 3. Tert. 10. quart. 9. Dimidius mensis est dier. 14. hor. 18. min. 22. sec. 1. Tert. 34.

Mensis Synodicus.

Motus Apogæi.

5. Motus *Apogæi* Lunæ in suo circulo, qui fit in consequentia, absolvitur circiter Annis 9. conficit unam revolutionem diebus 29. hor. 13. min. ′18. ″18. ‴59. ⁗20. V 1. Vocatur hæc Revolutio *Mensis Anomalisticus*. Longior est mense periodico horis 5 circiter.

Motus in latitudinem.

6. Motus Lunæ in suo Circulo à Nodis, sivè in latitudinem fertur in antecedentia, éstque major motu Longitudinis. Periodus à Nodo ad Nodum vocatur Mensis Draconticus: absolvitur dieb. 27. hor. 5. min. ′34. ″5. ‴14. & ità

		Grad.	Min.	Sec.	Ter.	Qua.	Qui.	Sex.
Motus	Diurnus Latitudinis est	13.	13.	45.	29.	28.	0.	0.
	Horarius Latitudinis	0.	33.	4.	24.	7.	55.	40.
	Diurnus Nodorum	0.	3.	10.	38.	9.	44.	0.
	Horarius Nodorum	0.	0.	7.	56.	34.	40.	0.
	Nodorum Anni communis	19.	19.	42.	9.	12.	40.	0.
	Nodorum Anni Bissextilis	19.	22.	52.	47.	22.	24.	0.

Epocha Nodi Borei ab initio Anni 1644 ad mediam noctem fuit Sig. 5. Gr. 20. '17. ''13. '''19. ''''4. '''''42. styl. nov.

7. Lunationes in anno communi solent esse 12. Supersunt dies 10. horæ 15. Min. 11. sec. 22. Epacta scilicet Anni Communis. Epacta verò Anni Bissextilis est dierum 11. hor. 15. min. 11. sec. 22.

Syzigiæ & quadratura.

8. Syzigiæ sunt tempus, quo elongatio Lunæ est Sig. 0. vel signorum 6. præcisè: sivè est tempus ☌ vel ☍ conjunctionis videlicet, aut oppositionis. Quadratura verò seu Dichotomia accidit cùm Luna 90 grad. distat à Sole.

9. Luna oriens heliacè & libera à radiis Solis communiter 12 gradib. à Sole distare debet: & quò tunc depressior fuerit Sol infrà Horizontem, Lunáque suprà Horizontem, eò meliùs & accuratiùs videbitur primùm corniculata.

Inclinatio & erectio Cornuum Lunæ.

10. Inclinatio cornuum Lunæ verò vocari solet, quotiescunque extremitates cornuum, sivè cuspides Lunares sunt in diverso circulo verticali. Erectio verò cornuum vocatur, quoties cuspides in eodem sunt circulo verticali.

11. Maxima Lunæ prostaphæresis est Grad. 4. min. 58. Sec. 27. Maxima verò Solis Grad. 2. min. 1. Si addantur, fiunt Grad. 6. min. 59. sec. 27. hanc differentiam conficit Luna intrà horas 13. min. 45. Igitur distare potest plenilunium medium à vero horis 13. min. 45. Luna igitur intrà tempus prædictum conficit motu latitudinis Grad. 7. min. 34.

Motus librationis in Lunâ.

12. Datur etiàm in Lunâ vertigo, seu aliquis motus librationis: quæ libratio Lunæ circà centrum suum ab occidentali ejus parte ad Orientalem, & è contrà perficitur. Deprehenditur hic motus ex ejus maculis, quæ nunc ad orientalem accedunt limbum, nunc ab eodem recedunt, & vicissim, ità ut alternatim unà accedente ad limbum suum altera ex adverso recedat à suo. Imò observatus est non tantùm accessus & recessus aliquarum macularum in Lunâ versùs orientalem & occidentalem limbum, sed etiàm versùs Boream, & Austrum. Videatur *Ricciolus*. De hoc motu Librationis, & ejus periodo ità scribit *Hevelius Selenogr. cap. 8. Sicut Luna singulis mensibus signa duodecim cœlestia motu proprio percurrit; ità & hic motus librationis Disci menstruo spatio absolvitur: quatuordecim circiter dies usquequò in signis descendentibus commoratur, retrorsùm libratur contrà Signorum seriem ab Austro Corum versùs, & partem Superiorem: rursùs per quatuordecim circiter dies, cum Luna in signis ascendentibus subsistit, antrorsùm fertur secundùm Eclipticæ ductum à Coro Euro Austrum versùs, qui motus hoc modo perennat, motúmque longitudinis in omnibus ferè concomitatur, illique planè sese accommodat. Quòd si Luna non simul motui latitudinis esset subjecta, sed perpetuò secundùm longitudinem in Eclipticâ circumageretur, facilè & hic motus librationis intelligeretur: quià verò Luna ratione motûs latitudinis modò Boream, modò Austrum versûs exspatiatur, Nodósque variat; similiter accidit, ut hic motus librationis eâdem ratione indiès varietur instar motûs longitudinis, & latitudinis, adeò ut singulis mensibus diversimodè observetur, ut rarissimè, ac non nisi post multos elapsos annos in simili constitutione spectetur.* Ista *Hevelius.*

Singularia quædam mirabilia.

13. Inter singularia quædam mirabilia Lunæ recenset *Pretorius in tab. Astroscop. I.* eam bis coitum cum Sole in nullo alio signo facere, quàm in Geminis. 2. Non coire aliquandò in ♐ tantùm. 3. Novissimam verò primámque eâdem die vel nocte nullo alio in signo quàm ♈ conspici, *id quoque paucis*, ut inquit, *mortalium contingit.* Sæpè etiàm eâdem nocte cornua Orientem & Occidentem respicere comperiuntur.

14. De Novemdecim annorum recursu singulare quid etiàm notavit *Cardanus lib. de septem stell. errat. tit. de Lunâ. Certum est*, inquit, *quod in decem novem annis propè locum, in quo fuerat Luna, eadem die atque horâ fermè redit, ut vix discrimen sit trium partium & est insigne: quo fit, ut unicuique mortali quædam similia post 19 annos sint exspectanda.*

§. III.

De mirâ ac specificâ Lunæ virtute in variis rebus Geocosmi commovendis.

Sympathia & consensus inter Lunarem & Terraqueum globum.

1. Mirabilis imprimis, si ritè considerare velimus, consensus ac sympathia reciproca orta ex similitudine & proportione quadam temperamenti inter utrumque globum Lunarem scilicet & Terraqueum intercedere comperitur; ità ut Lunaris globus cum Terraquei humido præ cœteris in cœlo sideribus consensûs leges exerceat. Patet hoc non tantùm in inanimatis, sed & vegetabilibus, sensitivísque substantiis, quin & in ipsis abditè reconditis humani corporis humoribus, qui ad Lunæ incrementum vel decrementum miras vicissitudines subire solent.

Lunaris globi virtus.

2. Virtus autem Lunæ influxiva in terraquei globi subjecta est specifica qualitas à

tas à totâ Substantiæ *Lunaris* similitudine promanans, subtilissima, ac mirè (quibusvis etiam obstaculis positis) penetrativa. Itâ docet *Kircherus Mund. Subterr. lib. 3. sec. 2. cap. 2.* Sic conchylia in ipso fundo maris virtutem lunarem incremento suo sat superque testantur: Sic catharris obnoxii, etiàm inter densissimos parietes conclusi affliguntur. Sic etiàm aquæ nonnullæ vitreis vasis arctissimè munitæ, ad lunare incrementum itâ concitantur, ut ebullire videantur.

Aqua Lunæ radiis exposita ebulliens.

3. Si pelvis sivè catinus latior aquâ nitrosâ unà cum Sale communi mixtâ impleatur, & loco radiis lunaribus patulo serenis noctibus exponatur, videbis cum admiratione aquam statim incipere fervere & bullas agere, & tantò quidem vehementiùs, quantò luminaria viciniora fuerint locis tum oppositionis, tum conjunctionis: Quod non contingit, si aquâ communi, fontana, dulci & purâ catinus repleatur. Hinc ii, qui humoribus salsis, nitrosis, tartareisque defluxibus obnoxii sunt, Lunæ vim præ reliquis potissimùm sentiunt, uti podagorici, *Lunatici*, Hypochondriaci &c.

Aqua Lunæ incrementa exhibens.

4. Aqua ex Bismutho & Stolonibus Olivæ, similiter & Mercurialis liquor unà cum undâ marinâ, si vitreo annulo cum alio canaliculo prostante superiùs aperto concludatur & radiis *Lunæ* exponatur, mirè incrementi, decrementique portiones exhibebit. *Vide Kircherum loco sup. cit.*

Mirum experimentum de pilis vituli marini.

5. Experimentum hoc se fecisse, & sæpissimè ab aliis observatum fuisse refert *Ganzalus Ferdinandus d'Oviedo in sua historiâ universali Americæ lib. 13. cap. 6.* Si quis corium *Lupi marini*, sivè phocæ *Lunæ* radiis exponat, videbit pilos hujus animalis ad incrementum *Lunæ* surrigi, & quod ampliùs fluxûs & refluxûs maris leges perfectè servare. Confirmat *Olaus M. lib. 6. Histor. Septent. cap. 6. de Lupomarino.*

Lunâ plenâ quomodo maris motus vehementior contingat.

6. Etsi *Luna* ex se, & suâ naturâ frigidi, humidique sit temperamenti: Fit tamen, ut communicatis à Sole radiis ipsa humiditas & frigiditas itâ temperetur, ut nec frigore, nec calore excessivo, sed tepore quodam imbuatur: Ex hoc autem tepore qualitas *Lunæ* admodùm nitrosa & flatuosa, quæ æstûs marini causa solet esse juxtà *Kircherum loc. cit.* tantò in mare aget efficaciùs, quantò luminis, quod dictæ qualitatis veluti vehiculum quoddam est, majori copiâ mare percusserit. Cùm ergò *Luna* circà plenilunium *Lumine* communicato à Sole rectioribus radiis potentiùs feriat, vehementior quoque indè motus consequi debet.

7. Observatum hactenùs fuit mare tribus aut quatuor ferè diebus ante novilunium, & usquè ad tertium deindè diem post illud, sicut & totidem diebus ante & post plenilunium maximè agitari, ac plurimùm intumescere, tantò quidem potentiùs, quantùm ipsa puncto conjunctionis vel oppositionis fuerit vicinior: reliquis verò diebus antè & post Quadraturam mare ob exilitatem communicatæ virtutis veluti quiescere. In motu igitur menstruo, ut hactenùs constanter observatum est, æstus maris itâ se habet. Tempore Novilunii mare omnium maximè tumet, fervetque usquè ad quartum ferè ætatis lunaris diem inclusivè; Nam â quarto usque ad septimum notabiliter aquæ incipiunt decrescere, itâ ut die circiter â Novilunio octavo sint humillimæ usque ad undecimum, & ab hoc usque ad decimum septimum incrementum resumunt; â decimo septimo verò usquè ad vigesimum secundum decrescunt usque ad vigesimum quintum, & hinc usquè ad conjunctionis tempus continua incrementa denuò suscipiunt durante perpetuò alterna hac incrementorum, decrementorumque vicissitudine.

Maris intumescentia Lunâ Meridianum obtinente.

8. Similiter constanti observatione notatum est, maximam maris intumescentiam contingere, dum Luna Meridiani ejus loci supremum vel imum locum occupat. Item mare ad pleraque littora sex horis cum 12 min. affluere, & totidem horis defluere: in nonnullis tamen locis pluribus horis affluit, paucioribus refluit, itâ tamen, ut tempus fluxûs, & refluxûs, nempe inter duas maximas intumescentias simul complectantur 12. horas cum 24 min. vel, ut alii volunt, ferè 25. horas. Atque hinc quia Luna integrâ ferè horâ, scilicet 48 min. tardiùs ad eundem Meridianum & Verticalem redit: ideò etiàm maris tumor singulis etiàm diebus integrâ ferè horâ seriùs accidit. Quoniàm etiam Luna singulis diebus locum suum in Zodiaco mutat, atque adeò aliis diebus aliis locis fit verticalis, & per consequens à quovis loco remotior aut vicinior: hinc fit, ut quantitas etiàm fluxûs & refluxûs maris sit inconstans in quolibet loco, & diversa ad diversos dies, eóque major vel minor, quò Luna remotior, vel propinquior ei loco extiterit. Mare etiàm semper abundare in parte, ubi Luna est, & defluere solet à parte oppositâ: & quotiescunque mare abundat à parte Orientis, defluit ac minuitur in parte Occidentis, & è contrario. Sicut autem Luna dum Meridianum alicujus loci maritimi ascendit, maximam causat intumescentiam: Itâ etiàm in Æquinoctiali constituta potentissimo influxu, utpotè normaliter in subjectum mare solet agere, non itâ in Solstitiis. Ex quibus omnibus jàm indicatis abundè patet, quàm constans, & amicus consensus inter utrumque globum Lunarem scilicet & terrestrem existat, ut itâ hic globus ab illo mirâ quadam profluxûs lege gubernetur, & in esse suo ad totius Naturæ bonum â primo Mundi opifice intentum conservetur.

Aqua ex Lunæ radiis colligi potest.

9. Ipsi etiàm radii Lunæ præsertim plenæ, qui ad nos ab eâ diriguntur, si artificiosè speculo concavo, aut splendidâ pelvi colligantur & in conum coarctentur, mirè

mirè frigefacere & humectare, haud secùs ac radii solares calefacere, exsiccare, aut ignem excitare solent. Imò aquam ità colligi posse volunt, quæ ad verrucas è manibus, aliísque corporis partibus emolliendas, & extrahendas sit aptissima. Quod & *Helmontius* docuit *de formarum ortu num. 56.* scribens: *Si quis verrucas, meliceríes, nattas, similésque excrescentias collectio in conum lumine (Lunari) per vitrum superradiet, donec frigus intrò senserint, facilè deinceps suâ sponte evanescant, nec mirum id, quippè ejusmodi defectus crescenti auscultant Lunæ, hinc etiàm ejus decremento facilius peritura.*

Lunæ sympathia cum humoribus corporis humani.

10. Secundùm varias Lunæ ætates moventur etiàm humores & passiones in corporibus animalium, ut patet in Lunaticis, Epilepticis, hydropicis, podagricis, atque aliis ejusmodi ægrotis. Quantò enim Luna plus proficit in lumine, tantò omnia animalia proficiunt in medullis & quibusvis homoribus. Ita Luna vetus sanguinem nutrit, & fovet uberiùs; at Nova minuit & evacuat venas. Ità Lunâ plenâ etiàm animalium ossa medullâ ampliori replentur, & hydropici magis turgent aquis, quos etiàm plerumque tunc temporis interire compertum est. Ità etiàm cerebrum humanum majorem in molem excrescere & elevari perhibetur: Sicut *Henricus Salmuth cent. 1. obs. med. 72.* in quodam vulnerato observavit crescente Lunâ & cerebrum crescere, callo nempè, qui vulneratæ parti supercreverat, altiùs se tùm elevante, ut dimidii transversi digiti spatio reliquam superficiem excederet: decrescente verò Lunâ & ipso quoque rursùs subsidente; quem itaque satis mollem, nec eâ duritie, quâ aliàs calli prædìti esse solent, fuisse necesse est. Mirabile est, quod refert *Stengelius Mund. Theoret. part. 2. cap. 51.* his verbis. *Nostra memoria Halæ in Tyroli juvenis cœtera egregius, sed ibidem patre Judæo natus nomine Bonaquistus admirabiliter in ventre monstrosus fuit. Quippè crescente Luna inde sic illi quoddam taurinum excrescebat caput non sine cornibus, ut caligæ illius nequaquam satis possent constringi. Qua de causa semper crescente Luna domi se continebat: decrescente autem eadem, quia & monstrum decrescens se se intra viscera revocabat, aut detumescebat potius, foràs prodibat zona jam arctiore. Quod & in alio juvene Ingolstadii fuit videre, cui itidem semper Luna auctiore altera maxillarum atque labra oris in immensum turgescebant; Lunâ autem lumen amittente redibat clementior forma.*

Epilepsia Lunaris mirè periodica.

11. Epilepsia haud improbè etiàm morbus aliis dicitur Lunaticus, quod cum Lunâ magnam habeat cognationem. Ità Epilepsiam Lunarem mirè periodicam describit *D. Georg. Wolffgangus Wedelius*, prout ea refertur *Ephem. Germ. Physico-Med. Dec. 2. An 2. obs. 148.* in virgine nobili 20 annorum observatam; cui post varia assumpta medicamenta malum rediit primò post duos menses circà Novilunium; posteà singulis Lunæ quadris invaluit morbus tàm exacto calculo, ut momento quadræ Lunaris, atque insciâ sæpè penitùs ipsius hujus mutationis in cœlo ipsâ ægrâ rhythmum Lunarem explicaret, præcipuè verò circà Novilunium. Mirabile etiàm est, quod de servo quodam juvene apud Baronem Limburgicum memoratur, eum sub quodvis Plenilunii tempus radiis lucentibus caput per fenestram perpetuò exeruisse, collúmque viperæ adinstar circumrotâsse, donec in extasin devergens aliquamdiù immotus procumberet. De puellâ annorum 14 à matre olim epilepticâ prognatâ memoratur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 6. Observat. 168.* cui venter Lunâ crescente paulatinis auctibus intumescere; decrescente verò rursùm decrescere consuevit, maximos autèm cruciatus passam, quamdiu venter distendebatur. De puellâ rusticâ refertur *Observ. 101. An. 8. Dec. 2. Ephem.* eam singulis Lunæ quadris repentè factam attonitam, atque omnibus sensibus tàm internis quám externis privatam fuisse.

12. *Kircherus in Art. magn. Lum. & Umb. lib. 1. part. 1. cap. 15.* quantùm in prægnantes fœminas Luna possit, quantùm in ipsum fœtum, hisce docet. *Certè indubitatâ, inquit, experientiâ hucusque innotuit, conceptionem cum nativitate ejus maximum habere consensum ob aspectum, ætatémque Lunæ, ejusdémque in Zodiaco eodem temporis momento constitutionem. Ità quidem, ut infantem tempore novæ aut plenæ Lunæ eundem quoque fœtum in lucem effundi videamus. Ex quo ratio quoque patet, cur septimestres & novimestres partus sint perfecti; Octimestres verò vel molam, vel omninò monstrum, vel etiàm quid imperfectum, informe, aut monstro simile, seu carneam quandam massam producant gravidæ.* Atque huc non immeritò *Aphorismus ille 50* apud *Ptolemæum* respicere videtur: *Signum Zodiaci in quo morabitur Luna horâ & momento nativitatis, & signum, in quo est Luna tempore nativitatis, erit idem, quod ascendebat tempore conceptionis. Aristoteles* quoque notavit, infantes Lunâ in conjunctione cum Sole natos propter inopiam humoris, seu potiùs ejusdem depravationem imbecilliores esse. De Epimeniis soli inter animalia homini, ac forte Simiæ propriis & familiaribus evidens est, iisdem Lunæ phasibus recurrere eâdem ferè die, dum natura libera persistit.

Lunæ vis in prægnantes, & fœtum.

13. *Plinio* annotante observatum est filamenta hepatis glirium mirâ quadam ratione ad normam Lunæ crescere & decrescere. Ælurorum etiam, sivè felium oculos compertum est notabiliter Lunaris luminis mutationes subire. Ità observavit *Kircherus, ut inquit in Art. magn. Lum. & Umb. lib. 1. part. 1. cap. 15.* eorundem oculos hyeme multò majores esse, quàm æstate, ità ut hyeme videantur cum Lunâ, velut in quoddam sui incrementi Apogæum tendere.

Hepatis glirium & oculorum in felibus cum Lunâ sympathia.

14. Phy-

Physa piscis lunaris

14. Physam piscem rotundum scribit idem *Kircherus loc. sup. cit. & in Mund. Magn.* præter alias mirabiles planè virtutes, ut ab ipsis piscatoribus Ægyptiis comperisse se testatur, hanc vim possidere, quod cum Lunâ crescat, & decrescat, motum etiàm actionésque Lunæ in omnibus quasi cum gaudio quodam imitari, & ad ejus præsentiam, sine cujus assistentiâ nequit, dilatari. Omnia etiàm ostreacea exsanguia, mollia, crustacea pro Luminis Lunaris incremento, aut decremento nunc marcescere, nunc pinguescere notius est, quàm ut fusiùs explanari debeat: sufficit adduxisse, quod canit *Horatius*.

Lubrica nascentes implent conchylia Lunæ.

15. Studiosissimus Naturæ indagator *Plinius* ait, Formicas opera sua ad Lunæ lumen disponere: Si lumine vacua fuerit, cessare: laborare verò tantò vehementiùs, quantò majus illa incrementum sumpserit. A plenilunio verò ceu torpescentes, & nimio labore fatigatas ad cavernas, veluti quietis quædam latibula se conferre. *Idem docet lib. 2. Nat. Hist. cap. 41.* Formicas nono à conjunctione die, quam sibi nôrunt adversam, nunquam latebris exire.

Animalia Lunaria.

16. Cati, mustelæ, ibides, cynocephali, cercopitheci aliáque lunaria animalia ad Lunæ præsentiam gaudio quodam miro dilatata veluti gestire; eâ verò absente contracta contabescere quasi videntur.

Scarabæus bicornis.

17. Scarabæus bicornis, quem & tauriformem appellant, pilulam defodere dicitur, eámque relinquere octo & viginti diebus, quibus nempè Luna totum Zodiacum pergraditur. Nono autem & vigesimo die, quibus Luminarium conjunctio fieri solet, adaperiens in aquam projicit, undè tunc prodeunt Scarabæi. *Cornelius Agrippa lib. 1. phil. occultæ, cap. 24.*

Mira quædam macula in Pantherâ.

18. Pantheris sivè Pardis oculi in umbrâ fulgere; in sole verò hebetari dicuntur: Totum eorum corpus est maculis conspersum, ut minutis orbiculis, ac veluti oculis depictum videatur. Quod autem admiratione & notatu maximè dignum est; sunt qui tradunt teste *Plinio lib. 8. hist. Nat. cap. 17.* eis in armo inesse maculam Lunæ persimilem, crescentem in orbem & curvantem pari modo cornua.

Lacertarum hepar.

19. Miram etiàm Lacertæ cum Lunari corpore sympathiam habere dicuntur, dum hepar in illis crescente Lunâ crescere, decrescente verò decrescere perhibetur.

20. Caro de mortui corporis faciliùs in tabem resolvitur, & verminare mox conspicitur, cum validioribus radiis Lunæ præsertim plenæ exponitur: quod & *Helmontius* testatur *de formarum ortu num. 55.* inquiens: *Si homo vel brutum unâ saltem nocte sub Lunâ (pleno namque ibi radio icit vicina) mortuum pernoctârit, sequenti manè cadaver putrilagine diffluit.*

Vulnera quando difficiliùs coalescant.

21. Observatum est etiàm à peritissimis hactenus Chirurgis, vulnera Luminaribus conjunctis vel oppositis inflicta difficiliùs, tardiúsque coalescere: Ut & jam pridem *Levinus Lemnius* notavit. Hinc tot infausta, ut vocare solent, dantur ubivis calendaria, quæ sauciati per omnem plerumque secum circumferunt vitam, adeò accurata, ut quâvis Ephemeride certiùs sublunarium alterationes prædicere possint. Hinc mirabile est, quod refert *Hajecius* in conflictu Regis *Wladislai I.* cum Pragensibus *Borzivojo* tunc faventibus, qui sub finem Anni 1109. circa festa natalitia contigit, nullum ex iis, qui utrinque vel minimum læsi fuerunt, curari potuisse, sed omnes ex vulneribus etiam levissimis citra evidentem obitûs causam fuisse extinctos: quod malignis cœlestium corporum tunc incidentibus influxibus attribuerunt.

22. Arbores omnes succo abundare vel destitui secundùm lunares apparentias, notiùs est, quàm ut pluribus describi queat. Unde & *Plinius* docet, quæ cæduntur, carpuntur, tondentur: innocentiùs decrescente Lunâ dejici: & ligna, quæ ad usum pro fabricis venire debent, aptiùs Lunâ decrescente, quàm crescente cæduntur.

Plantæ Lunares.

23. In Vegetabilium regno plures sunt herbæ & plantæ lunares, quæ miro quodam, eóque abdito cum Lunæ radiis amicitiæ nexu conjungi videntur: suntque præprimis tota bulbosa, tuberosa, & cucumeracea Soboles, & quæcunque natales suos potissimùm in aquis, vel propè illas habere solent. Pæoniam *Apulejus* noctu dicit lucere, ob id & à pastoribus inveniri. *Cynospastos* alio nomine ἀγαοφότης inter cœteras herbas delitescens nullo modo agnosci dicitur; noctu verò stellæ instar lucens facilè in conspectum venit. Quod de *Nyctegreto* siccatâ ad Lunam triginta noctibus lucente tradit *Democritus*. Mirabilis autèm præ omnibus videtur esse planta Lunaria, cujus meminit *Kircherus in Art. Magnet. lib. 3. cap. 5. ex Rabbi Sola* his verbis. *Lunaria vel Boriza planta foliis assimilatur Majoranæ; nisi quod cæruleo, seu cœlesti quodam colore imbuta sit. Dicitur Lunaria, sivè herba Lunæ, eo quòd crescat & decrescat ad Lunæ vicissitudines: cum Luna habuerit ætatem unius diei & planta hæc uno quoque folio augetur, durante hoc continuo foliorum augmento usque ad decimam quartam Lunam. Lunâ verò decrescente dies tandem ordine sequuntur foliorum acquisitorum casus. Ita interlunii tempore omnibus orba foliis se condens veluti luctus agit. Caulem habet rubrum, vel violaceum; odorem habet similem musco & croco, foliis constat rotundis.* Ità *Kircherus*. De aliâ quâdam herbâ Lunari, *Guartâ*, quæ convenire videtur cum Canarinorum *Perizato*, Malacensium *Singadi*, Deianorum *Pul*, Persarum & Turcarum *Gul* vide eundem *loco cit.*

23. *Jaco-*

Geranium Canadense.

24. *Jacobus Cornatus in hist. herb. Canad.* describens Geranium triste, Canadense memorat, quod noctu solùm odorem gratissimum spargat, uti nostræ Hesperides, vulgò Nacht-Violen; solis autem radios adeò aversetur, ut integro die, quo Sol Horizontem occupat, odorem deneget: Lunæ vero accessu fragrantissimo Moschati odore cerebrum demulceat; qui odor etiàm intempestâ nocte ad auroram usque perseverat; Solis verò ad exortum mox evanescit. Vide *Append. Pharmacop. Schröderi.* Spectaculum etiàm visu dignum est in *Acaciæ* & *Gelsimini* cum Sole & Lunâ sponsalitiis: quorum illa Sole oriente folia undequaque explicat; hæc claudit: Illa Occidente Sole claudit; hæc aperit.

Acacia & Gelsimini.

Plantæ & arbores Lunares.

25. Inter Plantas quoque & Arbores Lunares à *Cornelio Agrippa Phil. ocult. lib. 1. cap. 24.* recensetur *Selenotropion*, quæ vertitur ad Lunam, uti Heliotropion ad Solem: & *Palma* arbor ad singulum Lunæ ortum singulum ramum emittens. *ChinoStates* quæ crescit & decrescit cum Lunâ, scilicet in substantiâ & numero foliorum, non solùm in humore & virtute; quod singulæ plantæ quodammodò commune habent præter cepas Martias, quæ solæ contrà Lunæ augmenta, vel decrementa minuendi, & augendi vires contrarias habent. *Nyctilops* quoque herba, cujus semen est instar Lunæ formatum, accrescit & decrescit ad Lunæ incrementum, vel decrementum. Continet septem crenas, & tota Lunæ virtus in hac herbâ mirè solet residere. Noctu etiàm lucet, ac græcè aliàs Chenamichos dicitur, quòd anseres eum intuiti obstupefiant. Effoditur in Autumno atque circà plenilunium per 30 dies ad splendorem Lunæ torretur, tuncque radiare solet.

Lapides Lunares.

26. Constat etiàm dari lapides, indè Lunares, sivè *Seleniticos* dictos, quod Lunæ motum in omnibus exprimant. Tales se habuisse meminit *Proclus lib. 1. de Sacrifiico & magiâ.* Qui omnes Lunæ mutationes, incrementa scilicet & decrementa exhiberent. De hujusmodi lapide ex Indiâ allato mira refert *Mizaldus. Lapis erat sphæricus*, inquit, *magnitudinis ovi columbini, picei coloris: Hic incrementa, decrementaque Lunaris lucis exprimebat per maculam quandam lucidam, quæ cum Lunâ crescente crescebat, decrescebatque cum decrescente, ità ut Novilunii tempore instar grani milii compareret, plenâ verò lunâ pisi magnitudinem exprimeret. Neque solùm dictas Lunæ phases, sed & motus ejusdem affectabat.* Et ne impostura subesse videretur, addit *Mizaldus*, se hujus rei in præsentiâ celebris illius *Orontii Finei*, Mathematici Regii, unius integri mensis spatio experimentum sumpsisse; & rem purè naturalem deprehensam, & tanquam maximum Naturæ miraculum ab omnibus approbatum, ac lapidem tandem dono Angliæ Regi transmissum fuisse. *Kircherus* etiàm *in Chinâ illustrat. part. 4. cap. 11.* refert in Sinensi provinciâ *Xensi* lapidem reperiri, qui juxtà incrementum, decrementúmve Lunæ crescat inæstimabilis apud Sinas pretii; dicit autem esse Talci speciem, sivè lapidem specularem, qui non solùm ad Lunæ splendorem lucet, sed & velut in speculo omnes Lunæ phases exhibet. Undè de Lunari hoc lapide fabulam natam esse putat: Vide Eundem *loc. cit.*

§. IV.

Regulæ, & Observationes quædam Astrologicæ de Lunaris Corporis efficaciâ in variis apparentiis, & diversis cœli sitibus

1. Lunæ recentis & nascentis, vel veteris & decrescentis phases cùm uno tempore magis, quàm alio acutiores vel obtusiores adverti soleant, licet indè aëris statum in sequentem diem facilè colligere & præsagire. Dum enim cornua probè acuminata comparent; bonam ac claram auram pollicentur. Sin autem sint valdè obtusa; tunc cœlum nubilum, turbidum, ventosum, ac pluvium prædicunt; *idque omen*, ait *Hevelius Selenogr. cap. 11. vix adeò lubricum est & incertum: Siquidem visa à nobis cornua Lunæ obtusa arguunt aërem plenum crassorum vaporum & humorum. Alioquin eadem cornua Lunæ eâdem ætate Lunæ æqualiter illuminatæ, & serenâ existente aurâ æquè sunt acuta nudo visu arbitro: At verò per generosum tubum opticum inspecta cornua ista multò puriora, subtiliora & acutiora apparent, ut etiam reverà se se habent, quia telescopium superfluos, & adventitios radios, qui cuspides Lunæ magis magisque dilatant, & obtusiores reddunt, detrahit.*

Aëris status cognitio ex Lunæ cornibus.

2. Luna si tertio à conjunctione die, aut in ipsâ quadraturâ tenui purâque luce fulserit, stabilem serenitatem spondet; secùs si obscurior vel atrior apparuerit. Cùm verò rubuerit, ventus exspectandus erit. Undè & *Virgilius lib. 1. Georg.* ità canit.

Futuri temporis prævisio ex Lunâ

At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit; vento semper rubet aurea Phœbe.

Proverbio etiàm locum fecit versus communiter jactatus.

Pallida Luna pluit, Rubicunda flat, Alba serenat.

Ægyptii

Ægyptii observârunt, si Luna quarta exorta puro nitore fulserit, esse certum serenitatis signum: Quod & *Plinius lib. 2. cap. 46. confirmat.* Communiter dicunt: *Quarta, aut quinta Luna qualis, tota lunatio talis. P. De Chales navig. lib. 6. prop. 10.* inter signa mutationis temporis ponit: Si Luna, inquit, nova tantùm quarto die apparet, pluviam & tempestates in totum mensem portendit. Si quarto die Luna non rubuerit, nec cornua obtusa habuerit; maris tranquillitatem cum serenitate denotabit. Si eodem die acuta habuerit cornua & sine maculis fuerit, signum erit totum mensem pluviosum non fore. *Ptolemæus de Astrorum judiciis lib. 2. cap. 13. Lunam*, inquit, *observabimus in itinere suo dierum trium ante vel post interlunia ac plenilunia & medium tempus, quo ergà Solem quadratur. Nam tenui puráque luce nitens, sique nihil illam circumdet, serenitatem spondet; Sin in tenui valeat luce, sique totus perspicuus sit orbis, illius, etiam quâ parte non illustratur, & tremere videatur, ventos maximè suæ declinationis ciet: Nigra, pallida, spissa hyemes, ac imbres minatur.*

3. Observandum etiàm præprimis ventum, qui nempè spirat in Novilunio vult idem *De Chales ibidem.* Si enim perseveret usque ad 3 diem; perseverabit usque ad duodecimum. Idem erit in Plenilunio: Si enim ventus, qui spirat in Plenilunio, ad diem 18 perseveret, usque ad 27 diem spirabit. Si verò detur alius ventus intermedius, alternis vicibus spirabunt, pluries tamen qui tertio die. Idem sentiendum putat de pluviâ & serenitate.

Areæ circa Lunam quid significent.

4. Observant nonnulli & areas, quæ aliquandò Lunam circumdant: Nam si una fuerit, & pura ac paulatìm marcescens evanescat, serenitatem: si duæ, aut tres, hyemem: si denique plures & majores fuerint areæ, asperiores ventos portendere dicunt. Vide *Ptolemæum loc. sup. cit.*

Luna qualis in interlunio & plenilunio.

5. Observatum est in Europæis nostris regionibus Lunam silentem in æstate præcalidam esse; plenam verò gelidam; econtrà hyeme interlunium frigere, plenilunium verò tepidiùs existere. *Ratio in promptu est*, inquit *Du Hamel Astron. Phys. lib. 2. Luna quippè æstate cùm silet in eodem cum Sole gradu moratur, quarè ad verticem nostrum quàm proximè accedit: Sed plena longissimè abest à Sole, ac circulum Tropico Capricorni finitimum motu diurno describit: Hinc solet esse frigidiuscula: Secùs hyeme usuvenit, contrariam ob rationem: Nam interlunio longissimè abscedit à nostro vertice; hinc & gelidior existit. Cum plena est lumine, nobis est finitima: Unde & calore suo noctem tepidiorem efficit.*

Major Lunæ potentia.

6. Lunam potentiorem esse antè plenilunium, quàm post illud videtur asserere *Cardanus lib. de sept. Stellis errat.* ubi inter alia hæc annotat. *Habet Luna tres fermè dies, quibus totâ nocte luceat; seu quanto, seu tanto tempore, quantum est noctis spatium, scilicet diem plenilunii proximè antecedentem & consequentem; sed in sequentem priùs nox incipit, quam ipsa videatur. Potentior igitur est Luna in diebus antecedentibus plenilunium, quàm sequentibus habitâ similitudinis ratione, ut proximus proximo, tertius tertio, atque decimus decimo comparetur.*

7. Antiqui Astrologi multùm tribuerunt Lunæ in certis quibusdam cœli sitibus, ac locis ob vires & influentias Stellarum fixarum eidem Lunæ ibidem communicatas: Et juxtà ea loca, quæ Luna cursu suo permeat, certarum rerum tùm ad Oeconomiam, tùm Medicinam, aliáque opera conducentium electiones faciebant. Hinc est quod Indorum Sapientes & vetustissimi Astrologi viginti octo mansiones Lunæ concesserint, quæ in sphærâ stellarum fixarum immotæ à diversis earundem sideribus & stellis, quæ in eis continentur, ut inquit *Alpharus*, diversas quoque proprietates & nomina sortiuntur, quas dùm Luna peragrat, alias & alias obtinet potestates atque virtutes. Mansionum verò singularum initia, sicut & Lunæ in iisdem virtutes, significationes, & potestates à diversis diversimodè ponuntur. *Argolus* autem jam olim à plurimis Mathematicis exactissimè supputatas denuò ad examen summâ cum diligentiâ revocavit, & ità ut sequens Tabula monstrat, ordinavit.

VIGINTI OCTO MANSIONES LUNÆ

cum Significationibus & Electionibus ex Argolo lib. 2. Astr. cap. 9.

Quartæ cœli.	*Numerus & Ordo.*	*G. M. Sig.*	*Mansio secundum qualit.*	*Significationes & Electiones.*
	1	21. 13. ♈	*Temperata.*	*Sume medicinam laxativam. Fac iter.*
	2	4. 4. ♉	*Sicca.*	*Cave à purgationibus. Iter arripe per aquam. sere, planta.*
	3	16. 54. ♉	*Humida.*	*Malum in itinere.*
	4	29. 46. ♉	*Temperatè humida.*	*Sere, planta. Iter fac per aquas.*
	5	12. 39. ♊	*Sicca.*	*Iter arripe, medicare.*
	6	25. 30. ♊	*Temperata.*	*Nil bonum ob stellas maleficas.*
1	7	8. 12. ♋	*Humida.*	*Sere, planta, ara, iter cave nisi per aquas.*
	8	21. 13. ♋	*Nubilosa, Temperata.*	*Sume medicinam. Fac iter.*
	9	4. 4. ♌	*Sicca.*	*Mala in omnibus.*
	10	16. 56. ♌	*Humida.*	*Funda, planta. Iter ne facias.*
	11	29. 47. ♌	*Frigida temperatè.*	*Cave â medicin. planta, sere. Iter facito.*
	12	12. 38. ♍	*Humida.*	*Ædificia, sere, planta, alia vita.*
	13	25. 29. ♍	*Temperata.*	*Sere, ara. Iter facito.*
2	14	8. 20. ♎	*Temperata.*	*Sere, planta. Medicinam sume. Iter cave.*
	15	21. 12. ♎	*Humida.*	*Fode puteos, arva. Iter non arripias.*
	16	4. 4. ♏	*Frigida-humida.*	*Mala mansio in omnibus.*
	17	16. 56. ♏	*Humida.*	*Eme bestias. Iter ne facias.*
	18	29. 47. ♏	*Sicca.*	*Ædifica, sere, planta, naviga.*
	19	12. 38. ♐	*Humida.*	*Sere, planta. Fac iter.*
	20	25. 29. ♐	*Humida.*	*Eme bestias. Venare.*
3	21	8. 20. ♑	*Temperata.*	*Ædifica, funda, sere, eme terras.*
	22	21. 13. ♑	*Humida.*	*Medicare. Naviga.*
	23	4. 4. ♒	*Temperata.*	*Medicare. Fac iter.*
	24	16. 56. ♒	*Temperata.*	*Medicinam sume.*
	25	29. 47. ♒	*Sicca.*	*Funda. Arripe iter.*
	26	12. 38. ♓	*Sicca.*	*Medicinis utilis. Ad alia infausta.*
	27	25. 29. ♓	*Humida.*	*Medicinam sume.*
4	28	8. 22. ♈	*Temperata.*	*Sere. Medicare.*

8. Certum & indubitatum est apud omnes Astrologos Lunaris Corporis lumen ex vario non tantùm Solis, sed & aliorum Planetarum, aut etiam stellarum fixarum naturam unius alteriúsque Planetæ obtinentium aspectu & configuratione variè modificari. Hujusmodi verò modificationes cùm haud aliâ ratione sese invicem habeant, ut rectè innuit *Kircherus Art. mag. Lum. & Umb. lib. 6. part. 3. cap. 2. Sicuti colorum mixturæ in infinitum variabiles:* Alius siquidem compertus est influxus Syzigiæ ab influxu Oppositionis Luminarium, alius & diversus ab influxu quadrato & trino; Uterque rursùm alius differens à Sextili: omnes verò hi distincti à platicis & partilibus: Sicut & aliæ sunt Lunæ vires, ac potestates in certis signis Zodiaci aqueis, vel igneis, àëreis vel terreis constitutæ, aut aliorum beneficorum aut maleficorum Planetarum radiis adjutæ: Idcircò hactenùs Astrologi magnâ

magnâ cura & diligentiâ adlaborârunt, ea, quæ experti ſunt, ad certos Canones reducere, qui non tàm temporis prænoſcendi rationi, quàm Oeconomiæ, agriculturæ, nauticæ ſicut & jatricæ artis ſtudio, non quidem ob indicatam varietatē certò & infallibiliter, ſed ſolùm ad electionem pro iisdem opportuniùs, & aptiùs faciendam meliùs deſervirent. Ejusmodi verò Canones & Aphoriſmos ab Aſtrologis conſtitutos unà cum Tabulâ Signorum cœleſtium, & Lunæ in iisdem efficaciâ (eos tamen, qui ad aëris mutationem & temporis rationem prænoſcendam ſerviunt, alium in locum infrà opportuniùs exponendos reſervamus) nunc Curioſo Lectori notabilium omnium ſciendorum avido paucis in medium proferimus.

Canones Georgico-Oeconomici

Agriculturam & Oeconomiam concernentes.

Canon I.

Arbores, ſurculi & omnes vegetabilis naturæ Plantæ cùm à motu Lunæ ejúsque phaſibus ſuum in humore ſuſcipiant incrementum vel decrementum; idcircò imprimis diligens agricola, hortulanus & omnis florum olerúmque cultor Lunæ motus, incrementa & decrementa pro ſeminum aptiore jactu, arborum, plantatione plantarum inſitione, vitium putatione, terræ ſtercoratione, aliíſque ad Agriculturam neceſſariis operibus attendere debet: Et quia Saturnus præcipuus Agriculturæ Dominus habetur; convenit ipſum non tantùm cum Lunæ radiis & aſpectibus benè conformari, ſed inſuper multùm juvat, ipſum non tantùm eſſe fortem in omnibus, directum non retrogradum, non peregrinum, nec combuſtum, ſed & liberum à radiis Martis, qui potiùs eſſe debet in omnibus debilis, cadens, peregrinus, combuſtus, nec in ullo aliquo potens.

II.

Seminatio & omnis Seminum jactus opportunè fit Lunâ auctâ motu in ſignis mobilibus ♈. ♎. ♋. ♑. vel in ſignis ♉. ♍. ♐. ♓. cum aſpectu benefico ⚹ △ ♄ & ſi terra ſit humida, vel humidum ſemen injiciendum, Luna reperiatur ante conjunctionem decreſcens in ſignis ♍. ♑. ♈. Si verò terra fuerit arida, vel aridum ſemen, feratur illud Lunâ creſcente in ♋. & ♓. aucta motu cum radio dicto ♄: quæ ſicut ♄ cum ♃ aut ♀ ſit configurata. Si terra fuerit mediocris conditionis, nec arida, nec humidior, & ſit ſemen injiciendum, feratur illud Luna in ♎ exiſtente. *Argolus lib. 2. Aſtron. cap. 15.* Caules capitati, cave, ne ſerantur aut plantentur Lunâ ſignum ♏ pervagante.

III.

Conſtitutio aëris per ſe non eſt negligenda in ſeminum jactu: Dum enim hic ad humiditatem modicam inclinat, aptior eſt, quàm alia quævis ejusdem conſtitutio: Humiditate ſiquidem ſemen in terram projectum ità aptiùs reſolvitur, & vis germinatrix promptiùs ſuſcitatur.

IV.

In omni ſatione & plantatione ſi flores intenduntur copioſiores, aut pleniores, optimè eliguntur tres dies antè plenilunium, Lunâ, ſi fieri poſſit, in ſigno ♍ exiſtente. Sin autem folia tantùm expetantur, ſatio poſt Novilunium commoda probatur.

V.

Ad ſationem omnem etiàm opportunè id tempus eligitur, quo Luminare alterum (videlicet quod Planetam ſemini in terram jaciendo familiarem amicitiâ proſequitur) fuerit in fortitudinibus ejusdem illius familiaris Planetæ, vel Planeta ipſemet familiaris fortitudines ſuas obtinuerit. Ita *Schröderus Pharmacop. lib. 1. cap. 12.*

VI.

Plantatio Vegetabilium optimè peragitur Lunâ conjunctâ ♄ vel in ejus ⚹ aut △ aſpectu, liberâ à corpore & radiis ♂, exiſtente in ſignis fixis ♉. ♌. ♏. ♒. cum aſpectu benefico ♀ vel ♃. In arborum & vinearum plantatione, ſicut & foſſione probatur aſcendens ſignum fixum, laudatúrque Luna in ſignis terreis ♉. ♍. ♑ cum aſpectu ♄. *Kircherus Art. mag. lum. & Umb. lib. 6. part. 3. cap. 2.* in arborum vel vinearum plantatione eligendam docet Lunam in ♉ unà cum ♀ conſtitutam. *Cum enim Venus calida ſit*, inquit, *& humida, ejus lumen lunare frigidum temperabit, & ſeminationibus, plantationibusque maximè aptum in aptiſſimo ſigno reddet. Si verò Luna in ♉ non reperiatur, idem præſtabit in ♒ conſtituta: Si non in ♒ idem præſtabit in ſigno ♓ vel ♍ conſtituta.*

VII.

Inſitio arborum & putatio fiat Lunâ decreſcente in ſigno ♒ præſertim configurata beneficis radiis ♀ & ♃.

VIII.

Hortorum cultinatio aptiſſimè fit Lunâ in ♎ vel in ♒ conſtitutâ dignitatibus ♄ adjuta. Agri verò ſemper colendi ſunt à Luminarium conjunctione usque ad oppoſitionem.

IX.

Stercoratio, ſi quæratur ſeminis multitudo, facienda ſuadetur Lunâ decreſcente; ſi verò fœnum aut ſurculi, Lunâ creſcente. Fimum verò, ſi transferatur in agros tempore Novilunii, teſtibus Ruſticis, mutari facilè in vermiculos, ſcilicet cochleas, qui arrodunt radices: docet *Schröderus*.

X.

Tempus collectionis herbarum, plantarum, ac quorumlibet fructuum, ut in iis vires integræ obtineantur, nec facilè deinceps corrumpantur ratione qualitatum univerſalium aptiùs cenſetur moderatè frigidum & ſiccum, cœlo inſuper claro, & ſereno: aptiſſimum verò reputatur tempus ut vocant balſamicum Lunæ decreſcentis configuratæ radiis ♀ vel ♃ matutinum, dum luceſcit, autumnale, uti & quod Planetarum ſitu temperatè frigidum & ſiccum arguitur. Quocircà etiàm tempora balſamica *Paracelſus tract. 1. Philoſ.* deſcribens ait: *Primò inter tempora anni præſtat Autumnus & præcipuè September & October, Luna decreſcens & imprimis trini ultimi dies decreſcentiæ, tempus matutinum, quandò luceſcit.* Addit deindè hanc ſimilitudinem: *Etenim quemadmodum homo interdiu laborat, laborandóque laſſatur, debilitatúrque, noctu autem poſt labores abſolutos quieti, ſomnóque inhiat: Ità quoque omnia, radices, ſcilicet & herbæ, &c. Quippè cuncta humi naſcentitia operantur cum Sole, quieſcunt cum Lunâ. Porrò ſicut homo poſt ſufficientem ſomnum ſanus, fortis, rigoroſúsque exſurgit; ità & fructus univerſi poſt noctem mediam (non antè, nec interdiu) Exemplum præbent fructus arborum: Poma ſi tempore decerpantur balſamico, durabiliora, ac minùs corruptibilia ſunt ſecùs ac aliàs. Imò ſinguli fructus decerpti poſt mediam noctem vel ſaltem antè Solis ortum maximè durabiles exiſtunt. Similiter ſeſe res habet, ſi id* (collectio) *fiat in ſignis terreis ♉. ♑. ♍. ac Lunâ decreſcente,* ut dictum: *nam hiſcè temporibus non luxuriat ſuperflua humiditas naſcentium, quæ corruptionis origo viriúmque proſtratio; & hæc experiuntur Ruſtici ſinè errore. Helmontius* etiàm *de ortu format. num. 60.* confirmat prædicta. *Neque ſuperſtitioſa eſt*, inquiens, *plantarum antè Solis ortum collectio; non quidem quod natura noctu ferietur ab opere inſtar ſerpentum; ſed quod per noctem uberiùs nutritæ, antè Solis ortum plenâ ſint nutritione potitæ.*

XI.

Cæſura lignorum pro ædificiis conſtruendis aptiſſimè fit Lunâ decreſcente, ac in ſignis terreis ♉. ♍. ♑. exiſtente cum teſtimonio ♄ hyemis tempore, quo ſuccus maximè ſubtrahitur. Laudatur autèm potiſſimùm tempus à 22 die Novembris usque ad 22 Januar. Si verò pro focis, & ad ignem incidenda, ac ſecanda ſint ligna, fieri poteſt cæſura lignorum creſcente Lunâ, & meliùs in primâ quartâ cum teſtimonio ♃ & ♀.

XII.

Argilla, lutum, terráque omnis opportunè tempore balſamico effoditur, ut fortiores ignes ſuſtinere, longiusque in iis perdurare poſſit: Quocircà cuncta vaſa fictilia ac inſtrumenta chymica veluti crucibula ex ejusmodi terrâ confecta longioris eſſe durationis in ignibus compertum volunt.

XIII.

Vituli Lunâ creſcente nati ad educationem aptiores probantur: ablactari debent circà Plenilunium. Tonſura quoque Ovium opportuniùs Lunâ creſcente peragitur. Caſtratio verò Arietum, Juvencorum, porcellorum & aliorum animalium fiat Lunâ decreſcente cum aſpectu beneficorum ♀ & ♃, abſque radiis ♄ aut ♂. Exurgente Caniculâ circà Plenilunium, dum Sol eſt in ſigno ♌ canes plerumque fiunt rabidi. Contrà quorum morſum præſentiſſimum remedium ſunt pulveres ex vivis fluvialibus cancris combuſtis, in aquâ vel vino ſumantur.

XIV.

Transfuſio Vinorum cavenda ne fiat tempore Plenilunii: Volunt enim hujusmodi vina facilè aceſcere, aut ſaltèm languеſcere, neque tempus Novilunii cenſetur aptum. Optimè autem vina de vaſe uno ad aliud transfundenda ſuadent tertio, vel quarto die poſt Plenilunium, ſpirantibus unà, ſi fieri poteſt, ventis borealibus; nequaquàm verò Auſtralibus.

XV.

Cardanus Aphor. Aſtron. ſegm. 7. Aphor. 162. docet: cum Luna in Ariete coïerit, liquida conſerva maximè in frigidis regionibus; cùm in Leone, farinam maxime in calidis regionibus.

Artis

Artis navigatoriæ Canones, & Observationes Selenognomicæ.

LUnaris globus, cùm mirâ, eâq; abditâ quadam virtute mari, omnibusq; humidis dominetur; idcircò iter per aquas agere cupienti Lunæ constitutio præprimis inspectanda & prænoscenda est. Observationes Selenognomicæ, quas Antiqui experimentis comprobârunt, extant plurimæ, & ad Canones sequentes potissimùm reducuntur.

Canon. I.

Iter per aquas commodiùs securiùsque instituitur Lunâ in signis aqueis cum ♃ aut ♀ constitutâ, vel eorum radio ⚹ vel △ adjutâ. Juvat etiàm ascendens signum aqueum, excepto ♏. Mars verò ac Saturnus, sivè fuerint debiles, aut fortes non respiciant Ascendens, & Lunam.

II.

Nocent plurimùm Planetæ malefici, sicut & Sol in Ascendente, vel cum Lunâ, uti etiàm radii eorum oppositi, vel quadrati.

III.

Obsunt in Ascendente vel cum Lunâ Stellæ procellosæ, tempestuosæ, ac violentæ: sicuti sunt Plejades, Hyades, Orion, Arcturus, Antares, Aldebaran, Hercules, Delphinus, Argonavis, canis major & minor, Hœdi, capellæ, &c.

IV.

Planetæ malefici omninò non debent dominari locis Ascendentis & Lunæ, nisi aspectus adsit beneficus ♃. neque etiam malefici constituti in Ascendente, vel aliis angulis non debent locis Lunæ & Ascendenti imperare.

V.

Luna non sit tempore ingressûs itineris cum ☊ vel ☋, sed sit in dignitatibus beneficorum, & cum eorum aliquo radio ⚹, □, △. Aut conjuncta beneficis, & super terram: Si verò sit infrà terram, existat saltem in 3 vel 5 domo.

VI.

Domini loci Lunæ, ac Ascendentis debent esse validi & benefici in angulis, Orientales, liberi à maleficis, cum aspectibus amicis beneficorum in suis dignitatibus, non peregrini, non combusti, non cadentes, debiles, nec in locis figuræ abjectis, ut 6, 8, vel 12 domo, nec cum Planetis retrogradis, nec ipsi retrogradi. Plures alii hujusmodi Canones ab Arabibus præscribuntur, verùm ii, sicut & hi ipsi jam hic adducti suis vanitatibus & superstitionibus non carent; Undè & à Nautis nostris parùm æstimari solent.

VII.

Luna nova suspecta magis de periculo solet esse navigantibus. Timetur autèm maximè quintus & sextus dies, quòd illis plerumque diebus sæviores accidant tempestates, & horribiliores oriantur procellæ.

VIII.

Maris æstus omnium maximus & potentissima ejusdem intumescentia, quæ à Lunæ motu dependet, solet esse, cùm Luna terræ propior in perigæo simul & Æquinoctiali tempore Novilunii aut Plenilunii constituta eodem præterea tempore Meridianum loci maritimi percurrit; quia tunc omnia à parte Lunæ, quæ maximam intumescentiam causare solent, unà conglobantur.

IX.

Maris tranquillitatem indicant Cornua Lunæ quarto à coitu die acuta, & lucida sine maculis: Rubea verò, aut atra sivè obscura, nec antè illum diem Luna conspicua Ventos, imbres, & tempestates Nautis præsagiunt. Lumen etiàm Lunare quocunque tempore flammeum comparens semper tempestates nuntiare solet.



Canones Jatro-mathematici,

Sive Observationes Selenognomicæ de Rerum Medicinalium electionibus.

Canon I.

PRo purgatione ratione temporis consideratur illud vel *Annuum*, vel *Menstruum*, vel *Diurnum*. Tempus *annuum* convenientissimum est *Vernum*, deinde *Autumnale*: Hybernum verò aut Æstivum præsertim Syrio ardente omninò inconveniens est & inconsultum. Ratione *Menstrui* temporis præstat evacuare Lunâ decrescente, sivè senescente, liberâ ab impedimentis maleficorum, aut conjunctione cum Planeta retrogrado. Suadent tamen alii purgationem optimè instituendam in Plenilunio, quod tùm corpora existant laxiora. Non probat tamen *Matth. Faber in Vind. Astrol.* dùm scribit Virum Senatorium sumpto medicamine sibi familiari, luminaribus tamen oppositis plùs quinquagies, & ad sanguinis expulsionem usque fuisse purgatum. Ratione verò *Diurni* temporis aptissimum est Matutinum: Si tamen necessitas urgeat; purgantia etiàm circà quartam pomeridianam, imò mitiora aloëtica sub initium cœnæ dari queunt.

II.

Ratione influxûs cœlestium, & aspectuum Planetariorum Cholera educi potest aptissimè *Lunâ* cum ♀ △ vel ⚹, pituita ☾ ⊙ △ ⚹, Melancholia ☾ ♃ △ vel ⚹.

III.

Purgantia retardari volunt ☾ ☌ ☍ □ cum ♃ ♂, vel ♄ ☌ ☍ □ cum ♃. Item ♄ & ♂ turbant naturam in expellendi opere; si tamen ☾ à ♄ vel ♂ defluat ad ♀ feliciorem operationem concedit.

IV.

Observare conducit & signum, quod Luna percurrit: Aquea autem ♋, ♏, ♓ maximè censentur idonea subducendis pravis humoribus, præsertim phlegmaticis; propterea quod ☽ humectatrix corporum in similibus suæ naturæ signis, ut inquit *Pleierus*, vires suas magis exerens alvum etiàm efficaciùs cieat. Inter hæc tamen signa melius est ♏, deterius ♋: Quamvis enim ♋ signum sit humidum, ac insuper propria domus ☽; tamen quia pectori præest, facilè potest vomitum excitare, & ideò si fieri potest, ab eâ cavendum, ut sentit *Idem Pleierus*. Aërea signa ♊ ♎ ♒ commodiora dicunt educendis humoribus melancholicis: in ♋ commodè dari electuaria, in ♏ potiones, in ♓ pilulas, in ♊ ♎ & ♒ de quâcunque formâ.

V.

In exhibitione medicinæ laxativæ cavendum etiàm volunt, ne ☽ sit in signis ruminantibus ♈, ♉, ♑, eoquod Luna in his signis, sicut & juncta Planetæ retrogrado, facilè adducat vomitum, vel alias afferat læsiones, ut docet *Hermes prop.* 74. Verùm Medici hujus temporis aliis edocti experimentis antiquas hujusmodi observantias, aut tanquàm vanas derident, ant saltem haud necessarias negligunt.

VI.

Circà phlebotomiam sivè venæsectionem & sanguinis missionem quatuor potissimum observanda sunt, nempè virtus, consuetudo, ætas & tempus. Virtus ideò observatur, ut solùm fortibus, non debilibus permittatur: neque his, qui assueti non sunt, facilè permittenda censetur, ne morbum, aut morbi periculum incurrant. Ætatis ratione, sicut nec ante annum decimum quartum, ità nec facilè Senibus post sexagesimum, ac multo minùs post septuagesimum annum permittenda est, nisi Senes sint valdè carnosi, vegeti, fortes, sanguinolenti, & assueti. Ita Medici communiter. Quoad ætatem tamèn & complexionem statuunt etiam communiter iidem, phlebotomiam à conjunctione Lunæ cum Sole usque ad primam quadram juvenili ætati & sanguineæ complexioni conducere: à primâ deindè quadrâ ad oppositionem juvenili & virili ætati, atque cholericæ naturæ hominibus: Ab oppositione verò ad ultimam quadram Virili & Senili, ac phlegmaticæ complexioni: tandèm ab ultimâ hac quadrâ usque ad conjunctionem sivè finem mensis soli ætati Senili, ac melancholicæ complexioni conferre.

VII.

Quoad loca Lunæ in signis Zodiaci extrahi potest sanguis Melancholicis Lunâ in signis aëris ♎ & ♒ constitutâ: hisce enim venæ tutò aperiri poterunt præter venas coxarum in ♎, & præter venas tibiarum & crurium in ♒, cum dicta membra respiciant. Cholericis signa aquea ♋, ♏, ♓ conferunt: hisce enim venæ aperiuntur præter verendorum in ♏, & præter pedum venas in ♓. Phlegmaticis prosunt signa ignea ♈ & ♐ præter cephalicam, venásque capitis in ♈ & præter coxas in ♐. Sanguineis bona & mediocria signa quælibet apta sunt preter ♌ ob ejusdē calores excessivos, & ♊ qui ob adustivam quan-

quandam vim nocent plurimùm ſanguinem mittentibus. Multi tamen rejiciunt ♏ in phlebotomiâ, non ſolùm quod opponatur ♉, in quo ☽ exaltatur, ſed etiàm, quia ♏ eſt domus ♂, qui plùs contrariatur ☽ quàm ☉: Cùm itaque ☽ pertranſierit primos 12 gradus, per quos Galaxia tranſit, minutio mediocris fieri poterit. Lunâ autèm in ſignis terreis ♉, ♍, ♑ conſtitutâ omninò ſanguinis extractio diſſuadetur, ſicùt & dum in ♌ exiſtit.

VIII.

Venæſectio optima ſuadetur podagricis, ſi fiat in pedibus momento Novilunii ad dolores leniendos. Quamvis aliàs diebus Novilunii & Plenilunii tempus inconvenientiſſimum venæſectione ab aliis expertiſſimis medicis ſtatuatur. Ita *D. Joan. Matth. Faber in Vind. Aſtrol.* ſcribit, vidiſſe ſe villicum quadratum ante annos complures, nuper etiàm fœminam valentem eâdem venæſectionis horâ, quâ Plenilunium æquinoctiali puncto priori exemplo, poſteriori verò Leonis domicilio concurrente toto illo latere reſolutos: fœminam aliam Novilunii die ſanguine miſſo ex tempore & perpetuò excœcatam.

IX.

Ratione ætatis Lunæ communiter venæſectioni dies deſignantur apti vel inepti, ut in ſequenti tabellâ videre licet: Ubi litera B bonum, M malum notat: Stellulæ verò additæ bonitatem augent, aut confirmant. Alii tamen hanc deſignationem omnò rejiciunt, & fortè non immeritò.

Phlebotomia ſecundùm Ætatem Lunæ.

Dies ætat. Lunæ	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.
Phlebotomia.	M.	M.	M.	M.	M.	B.	M.	M.	M.	M.
Dies ætat. Lunæ	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.
Phlebotomia.	B.	B.	M.	M.	B.	M.	B*	B*	M.	M.
Dies ætat. Lunæ	21.	22.	23.	24.	25.	26.	27.	28.	29.	30.
Phlebetomia.	B*	B*	B.	B.	B.	B**	M*	B**	M.	M.

X.

Lunâ exiſtente in ſigno cœleſti, cui membrum aliquod ſubeſt, licet topica remedia applicari poſſint, ignis tamen & ferrum omninò improbantur. Unde & *Ptolemæus verbo 20. Centiloqu.* in loco ☽ cavendum ſcribit, ne membrum ſcalpello feriatur, cujus membri ſignum ☽ eo tempore occupat. Cum enim totum ☽ corpus humectet; id membrum præcipuè humoribus implebit, quod ei ſigno ſubjicitur, per quod tunc illa diſcurrit, ex cujus nimiâ humectatione magnum ei nocumentum afferri poteſt, ſi ferro tunc ictum fuerit. Undè quià ☽ in ♊ brachia & manus reſpicit, ſanguis autem exindè communiter emittitur, idcircò ☽ in eodem ſigno exiſtente venæſectione improbatur.

XI.

Ratione aſpectuum Lunæ, & applicationum ad alios Planetas ſanguis ſecurè emittitur ☌ ☽ & ♃, ſicut & ♀, niſi ea ſit combuſta. △ & ⚹ ☽ cum ☉, ♃, ♀. Indifferens eſt; nec impedit △ vel ⚹ ☽ & ♂.

XII.

Ratione aſpectuum & configurationum Lunæ cum aliis Planetis venæſectionem impediunt.

☌ ☽ cum
- ☉ per tres dies antè & poſt, ob combuſtionem.
- ♄, ♂ per diem antè & poſt.
- ♀, ☿ ob combuſtionem.

☍ ☽ cum ☉, ♄, ♂ per diem antè & poſt.

□ ☽ cum
- ☉ Niſi fuerit diſtantia inter eos 6. grad.
- ♄ hoc eſt per dimidium diem. Securiùs tamen eſt
- ♂ omninò eodem die phlebotomiam intermittere.

XIII.

Luna in ☍ ☌ □ ♄ vel ♂, aut Planetis combuſtis, cave ne intres balnea. At in ☍ △ ⚹ ☌ ♃ & ♀ tutò eis quis uti poteſt. Cucurbitulas vita Lunâ in □ ☌ ☍ ♄ & ♂ conſtitutâ. *Argolus* tamen *lib. 2. Aſtron. cap. 14.* pro balneis præceptum hoc Jatro-Mathematicum tradit. *Balnea*, inquit, *ſi applicentur gratiâ ſanitatis; Luna eo tempore ſit in ſignis contrariis naturæ ægritudinis: ut ſi ægritudo fuerit ſicca, eligatur Luna in ſignis humidis ♋, ♏, ♓. Si infirmitas humida, Luna ſit in ſignis ♉, ♍, ♑, & ſic de reliquis.*

XIV.

Oculos malè affectos optimè curari dicunt Aſtrologi, & circà ſuffuſiones, aliáque manu lithotomi peragenda feliciùs medicationes inſtitui Lunâ conſtitutâ in ſignis

ſignis ♋, ♉, ♊, ♒, ♓, ♐, ♎ cum benefico radio ✱ △ ♃ ♀.

XV.

Luna in Cancro maximè in Plenilunio poſt unum, vel duos dies aſtmaticos & tuſſientes ex copiâ phlegmatis magis aggravari, eò quòd ſignum illud partibus pectoris dominetur, atque gravatos hujusmodi affectibus quaſi hoc tempore ab humore ſuffocatos quandoque interire docet *Valeſius de Taranta lib. 3. cap. 5. ſui Philonii.*

XVI.

Luna in gradu Aſcendente, vel in Medio cœli, rarò in quartâ, vel ſeptima domo, nunquàm ferè in reliquis exiſtente compertum volunt periculoſo morbo laborantes, eſſe mortuos.

XVII.

Cum quis ægrotare cœperit pro ratione motûs Lunæ per certa quædam cœli ſigna de infirmitatis periculo, aut reconvaleſcentiâ, ac ſanitatis recuperatione præſagium dari volunt. Ita ſi Luna ſigna mobilia ♈, ♋, ♎, ♑ percurrit, morbum citò ad mortem progredi aſſerunt: cùm ſigna fixa ♉, ♌, ♏, ♒, morbum fieri diuturnum; cùm verò communia ♊, ♍, ♐, ♓, ægrotum ex uno morbo in alium facilè incidere poſſe judicant. Quandò etiàm Luna in ſigno æqualis naturæ exiſtit, periclitari dicunt Infirmum: Si verò ſignum naturæ contrarium eſt, meliorem ſpem concipiunt. Verùm de conjecturis ex incidentiâ in morbum pro tempore, quo Luna in certo aliquo ſigno Zodiaci exiſtit, videatur *Aſtrologia Hippocratis de ſignificatione morborum, mortis, & vitæ ſecundùm motum Lunæ per 12 Signa, & poſitus Planetarum Gulideolo Mordico Interprete priſco*: item *Aſtrologia Galeni Jacobo Antonio Mariſchotto Florentino Medico Interprete.*

XVIII.

Ad transplantationem morborum, velut pro tollendâ atrophiâ, macie, tabe, ſeu contabeſcentiâ in brachiis, artubus, aliíſque partibus hominum, equorum, aut quorumlibet animalium Lunam Magi eligunt novam, ubi ex tabido membro lanceolâ, aut ſcalpello fricto ſanguinis non nihil eliciunt, & linteolo mundo excipiunt: reſectas deindè etiàm minimas quaſdam particulas ab extremitatibus tabidi membri velut ab unguibus hominum, aut ungulis equorum vel aliorum animalium eodem linteolo implicant, & convolvunt: convolutum tandèm linteolum juvenculæ arbori terebrâ perforatæ intricant, ac clavo ligneo foramen occludunt; atque itá malum atrophiæ ſivè contabeſcentiæ transplantatione propulſant. Ita Faber quidam ferrarius in pago *Trumau* haud procul *Laxenburgo*, Nomine *Chriſtophorus* Brunner/(qui tandèm in noviſſimâ Turcarum irruptione in Auſtriam à Tartaris captus, & in fruſta diſſectus fuit) hac arte excelluit, & miras curas perfecit. Verùm hæc, ut plura alia hactenùs indicata ſuâ haud carent vanitate, atque itá ſolùm, ut notabilia ſcienda retuliſſe ſufficiat. Inſpice etiam Tabulam appoſitam, ubi unico intuitu complura circâ Lunam, dùm in ſignis cœleſtibus exiſtit, ad mentem Jatro-Mathematicorum Aſtrologorum addiſcere poteris. Tabula.

§. V.

De Motu Critico in morbis acutis ex Lunæ influxu.

1. Criſis, ut inquit *Cornelius Pleierus in Medico Crit. Aſtrol.* nihil eſt aliud, quàm duellum Naturæ, & morbi, undè repentina mutatio fit ad ſalutem vel mortem, ad melius vel deterius; ſeu ut *Avicenna definit 2. quart. eſt alteratio facta aut ad latus ſanitatis, aut ad latus mortis.* Communiſſimè autem Criſis Medicis dicitur, *ſubita, ac repentina in febribus præſertim acutis, vel ad ſalutem, vel ad mortem cum inſigni corporis perturbatione â natura inſtituta mutatio.* Unde dies *Critici* à Medicis vocantur *Decretarii*, ſivè *Judiciales*, quod in iis judicium de morbis ſumi poſſit. Criſis quid ſit.

2. Cauſa proxima & efficiens Criſeos optimè ſtatuitur *Natura*: ſivè autem hæc à *Galeno* dicatur *facultas diſpenſans corpus*: ſivè *Calor inſitus* cum *Hippocrate*, ſivè *Archeus* cum *Helmontio* ſivè *Ignis artificioſus* cum *Zenone*, perindè eſt: hoc ſaltem conſtat, quod ea ſit unica morborum Medicatrix, quod hæc ſola criſes moliatur, dùm humores coquit, ſecernit, & excernit. Cauſa materialis verò aſtruitur quivis humor noxius quantitate, vel qualitate peccans, íſque vel ſincerus, vel mixtus. Cauſa tandem externa ſivè univerſalis eſt Aſtralis influxus, ac comprimìs Lunæ. Sicut enim Sol motu ac proceſſu ſuo per Zodiacum in quatuor hujus quadris alterando äerem varias operatur mutationes, quæ in chronicis morbis ſuam produnt efficaciam; Itá pariter Luna percurrens ſigna ejusdem Zodiaci in quatuor illius quadris mutationes in acutis morbis efficit manifeſtas. Cauſæ.

3. Dies critici principes & radicales comuniter à Medicis ſtatuuntur ſequentes 7, 14, 20, 27, 34, & 40. poſt illud tempus languere volunt morbos, & lentâ coctione atque abſceſſibus potiùs, vel etiam annis climactericis finiri. Alii vocantur ab iisdem *Indices*, ſeu *contemplabiles*, in quibus ſigna coctionis apparent futuram criſin præcedentia, & ſunt, 4, 11, 17, & 24. Alii nominantur *Intercidentes*, ſeu *Intercalares*, ſivè *provocatorii*, in quibus ex accidenti, & contrà naturam, vel ob paroxiſmi vehementiam, vel ob cauſam externam natura irritatur, ut ad intempeſtivam expulſionem ſeſe accingat: quales ſunt dies 3, Dies critici. Indices. Intercidentes.

5, 9, &



Tabula exhibens fignificationes & electione


Signa Zodiaci.	♈. Aries.	♉. Taurus.	♊. Gemini.	♋. Cancer.	♌. Leo.	
Natura Signorum cum qualit.	Igneum Calidum Siccum, Choleric. Mobile.	Terreum. Frig. Sicc. Melanchol. Fixum.	Aëreum, Calid Humid. Sanguin Commune.	Aqueum, Frigid. Hum. Phlegmat. Mobile.	Igneum. Calid. Siccum. Choleric. Fixum.	Te Si
Sexus & Tempus.	Masculinum Diurnum.	Fœmininum Nocturnum.	Masculinum Diurnum.	Fœmininum Nocturnum.	Masculinum Diurnum.	F
Membra Corporis subjecta.	Caput.	Collum, Guttur.	Humeri, Brachia.	Pulmo, Pectus, Costæ, Lien.	Cor, Stomachus.	Ve
Humores subjecti.	Bilis flava.	Bilis atra.	Sanguis.	Phlegma seu pituita.	Bilis flava.	
Conven. Ætati.	Puerili.	Puerili.	Puerili.	Juvenili.	Juvenili.	
Natus ☽ in hoc Signo.	Audax. Ingenio valens.	Bene moratus.	Industrius ad omnes action. & scientias, sed & temer	Gratus. Amabilis.	Superbus. Insolensa.	Tri V
Morbi subjecti.	Epilepsia. Morphæa. Odontalgia.	Hœmoptysis. Angina.	Chiragra Arthritis.	Phthysis. Hemoptysis.	Pleuritis Cardialgia.	Col M
Confortantur virtut. natural.	Attractiva.	Retentiva.	Digestiva & Concoctrix.	Expulsiva.	Attractiva.	
Phlebotomia, sivè missio Sanguinis.	☽ Cresc. Bona præter Cephal. Bona phlegmaticis.	☽. Cresc. Bona Sanguineis.	Bona Cholericis Mala Sanguineis, & aliis ex brachiis	Bona Cholericis præter venas pectoris & pulmonis.	Bona Phlegmaticis. Mala Sanguineis & aliis	B
Sumptio Medicinæ.	Pro capite bona.	Mala.	Bona Melancholicis.	Mala absque necessitate.	Mala absque necessitate.	A us
Medicamenta in specie sumenda.	Gargarismata. Vomitiva. Suffumigia. Cave Laxativa.	Gargarismata. Cave Laxativa.	Digestiva Tryphera. Confortativa.	Solutiva per Electuaria.	Attractiva.	
Ægrotare incipienti Morbus.	Morbus fit atrox citò ad mortem.	Diuturnus.	Morbus varius ab uno transit in alium.	Morbus brevis sed mortalis.	Diuturnus. Chronicus.	Var
Castratio Animalium.	Bona.	Bona.	Indifferens.	Indifferens.	Bona.	
Venatio Animalium.	Bona Majorum. Indifferen. Minorum.	Mala.	Mala Majorum. Indiffer. Minorum.	Indifferens Majorum. Bona Minorum.	Bona.	Ind Bon
Piscatio.	Mala.	Mala.	Indifferens.	Bona.	Indifferens.	
Natura Signorum ad tempest. aëris.	Minus tonitruoum, & magis grandinosum.	Subcalidum cum siccitate mediocri.	Temperatum in calore, pronius tamen ad siccitat.	Calidum. Serenum magis tamen aliquandò nebulos:	Æstuosum. Suffocativum.	Hum
Seminatio ☽ cresc. Plant. ☽ cum ☌ ⚹ △ ♄.	Indifferens.	Optima præsertim ☽ ♂ ♀ & ☿	Indifferens.	Mala.	Bona dominante ♄ cum radiis ♀ & ♃	
Seminatio & Plantatio in specie.	Bonum ad flores.	Bon. ad vites cum Aspect. ♄. ad flor. & semina maximè ♂. ad arbores cum radiis ♀	Ineptum signum ad flores & plantas.	Bon. ad cepas, & ad herb. transplantandas. Mal. ad Raphanum, cicer, & arbor. transplant.	Optimum ad semina florum & plantarum maximè momento ♂	Bon Asp mat tati
Collectio herb. cum rad. ♀ vel ♃. ante Solis ort.	Bona.	Indifferens.	Indifferens.	Mala.	Bona.	I
Cæsura lignor. ☽ decresc. à 22. Novemb. ad 22. Jan. favente ♄ & ☽ super terram.	Bona.	Optima.	Indifferens.	Mala.	Bona.	

…cerum ex Lunæ situ in diversis signis Zodiaci.


…Virgo.	♎. *Libra.*	♏. *Scorpius.*	♐. *Sagittarius.*	♑. *Caper.*	♒. *Aquarius.*	♓. *Pisces.*
…. Frigid. …Melanchol …mune.	*Aëreum. Calidum Humid. Sanguin. Mobile.*	*Aqueum. Frigid. Humid. Phlegmat. Fixum.*	*Igneum. Calid. Sicc. Cholericum. Commune.*	*Terreum. Frig. Sicc. Melanchol. Mobile.*	*Aereum. Calid. Humid. Sanguin. Fixum.*	*Aqueum. Frig. Hum. Phlegmat. Commune.*
…inum No-…uum.	*Masculinum Diurnum.*	*Fœmininum Nocturnum.*	*Masculinum Diurnum.*	*Fœmininum Nocturnum.*	*Masculinum Diurnum.*	*Fœmininum Nocturnum.*
… Intestina, …var.	*Renes, Vesica.*	*Verenda & Partes Genitales.*	*Fœmora, Coxæ, Lumbi.*	*Genua, Nervi.*	*Tibiæ.*	*Pedes.*
…atra.	*Sanguis.*	*Pituita.*	*Bilis flava.*	*Bilis atra.*	*Sanguis.*	*Pituita.*
…venili.	*Virili.*	*Virili.*	*Virili.*	*Senili.*	*Senili.*	*Senili.*
… Anxius. … Incon-…ns.	*Lætus. Musicus, Voluptatib. & jocis deditus.*	*Audax. Generosus, præcipuè sicum corde ♏.*	*Bonus tranquillus, tardus.*	*Comptus, Ornatu gaudens.*	*Vagus, Inconstans, profugus. Venat. & piscat. deditus.*	*Iners. Venationi addictus.*
… Dissent. …ol. Iliaca …sio.	*Nephritis. Constipatio. Disuria.*	*Tenesmus. Calcul Vesicæ. Fistula Hemorroides.*	*Calculus Vesicæ. Febres.*	*Gonagra. Sciatbica.*	*Hydropisis. Febres quartanæ.*	*Podagra. Lepra. Paralysis.*
…ntiva.	*Digestiva & concoctrix I. Medietate.*	*Expulsiva.*	*Attractiva.*	*Retentiva.*	*Digestiva & concoctrix.*	*Expulsiva.*
…Sangui-…s. … alis.	*Bona Melancholicis præter venas coxarum.*	*Bona Cholericis præter venas Verendorum.*	*Bona Phlegmaticis præter venas coxarum.*	*Bona Sanguineis, Aliis mala.*	*Bona Melanch. præter venas crurium & tibiarum.*	*Bona Cholericis aliis indifferens.*
… 1 ♍. …d fiem …va.	*Bona ☽ crescente præsertim Melancholicis.*	*Bona ☽ crescente*	*Bona.*	*Mala absque necessitate.*	*Bona maximè Melancholic.*	*Bona.*
…itiva.	*Digestiva. Enemata sivè Clysteria.*	*Solutiva per potionem. Enemata.*	*Attractiva.*	*Digestiva. Fuge Laxativa.*	*Tryphera. Confortativa.*	*Solutiva per pilulas.*
… Incon-…ans.	*Morbus facilis ad mortem.*	*Diuturnus.*	*Varius & inconstans.*	*Facilè disponit ad mortem.*	*Diu perseverat.*	*Variat, & mutat.*
…na.	*Indifferens.*	*Mala.*	*Mala.*	*Mala.*	*Mala.*	*Indifferens.*
…Majorum. …norum.	*Indifferens.*	*Mala Majorum. Indiffer. Minorum.*	*Bona.*	*Bona Majorum Indiff. Minorum.*	*Indifferens.*	*Indifferens Majorum. Bona Minorum.*
…ila.	*Mala.*	*Indifferens.*	*Indifferens.*	*Mala.*	*Bona.*	*Bona.*
… Tonit-…um.	*Varium, Mutabile magis ad siccitat. inclinans.*	*Igneum Tonitruosum.*	*Ventosum. Humidum.*	*Humidum. Aquosum.*	*Frigidum. Aquosum.*	*Frigidum. Humidum.*
…a.	*Indifferens.*	*Mala.*	*Mala.*	*Bona.*	*Bona si & ♀ in ♒*	*Mala.*
…vites cum …od inbu-… & pu-…, planta-…n.	*Bon. ad cultinationem hortor. transplantationem plantarum.*	*Mal. ad flores, & arbor. ad cicer serendum, raphanum & rapas.*	*Bon. ad cariophyllos exhumandos, purgandos, transplantandos.*	*Bonum ad Vites cum Aspect. ♄ ad flores, & frutices.*	*Bon. ad cultin. hortorum, insitionem, & putat. ad Persicum. Mal. ad flor.*	*Ineptum ad omnia. Cum Aspect. ♀ Bonum ad vineas.*
…rens.	*Indifferens.*	*Mala.*	*Bona.*	*Indifferens.*	*Mala.*	*Mala.*
…tima.	*Indifferens.*	*Mala.*	*Bona.*	*Optima.*	*Indifferens, Bona tamen cum radiis ♀ aut ♃.*	*Mala.*

Motus ☽ Menstruus.

Dies	Sig.	Gra.	Min.	Sec.
1	0.	13.	10	35.
2	0.	26.	21	10.
3	1.	9.	31	45.
4	1.	22.	42	20.
5	2.	5.	52	55.
6	2.	19.	3	30.
7	3.	2.	14	5.
8	3.	15.	24	40.
9	3.	28.	35.	15.
10	4.	11.	4.	50.
11	4.	24.	56.	25.
12	5.	8.	7.	0.
13	5.	21.	17	35.
14	6.	4.	28	0.
15	6.	17.	38	35.
16	7.	0.	49	10.
17	7.	13.	59	45.
18	7.	27.	10	20.
19	8.	10.	20	55.
20	8.	2.	31	30.
21	9.	6	42	5.
22	9.	19.	52	40.
23	10.	3	3.	15.
24	10.	16.	13	50.
25	10.	29.	24	25.
26	11.	12.	35	0.
27	11.	25.	45	35.
	Restant ultra			
		G.	M.	S.
		4.	14.	25.



PRO CRISIBUS MORBORUM E



MOTUS ☽ Diurnus.

Horæ	Gra	Min.	Sec.
1	0.	32.	56.
2	1.	5.	42.
3	1.	38.	38.
4	2.	11.	34.
5	2.	44.	30.
6	3.	17.	26.
7	3.	50.	22.
8	4.	23.	18.
9	4.	56.	14.
10	5.	29.	10.
11	6.	2.	6.
12	6.	35.	2.
13	7.	7.	58.
14	7.	40.	54.
15	8.	13.	50.
16	8.	46.	46.
17	9.	19.	42.
18	9.	52.	38.
19	10.	25.	34.
20	10.	58.	30.
21	11.	31.	26.
22	12.	4.	22.
23	12.	37.	18.
24	13.	10.	14.

ASPECTIBUS PLANETARUM.

5, 9, & secundùm nonnullos 15 & 18. Dies autem *non Critici*, sive *Vacui*, in quibus nulla, vel rarissima, & imperfecta, ac mala crisis accidit, sunt. 6, 8, 10, 12, 16, 18, quibus etiàm nonnulli addunt 22, 23, 25, 29, 30, 32, 33, 38, 39. Vocantur etiàm hi dies *Medicinales*, quod medicamentis tutius peccans materia abduci, & natura aptiùs confortari queat.

Vacui.

Dies critici secundùm Astrologos. 4. Secundùm Astrologos illi dici solent dies Critici, in quibus Luna à principio morbi ad quadratum, oppositionem, & conjunctionem pervenire solet. Undè *Argolus lib. 2. Astron. cap. 14.* inquit. *Dies Critici à motu Lunæ ducunt originem, quæ cùm à principio ægritudinis peragraverit gradus 90, constituit diem septimum; quandò gradus 180, quartum decimum; quandò 270, dies vigesima Critica constituitur.* Cùm autem motus Lunæ non semper sit æqualis, sed aliquandò celeriùs, aliquandò tardiùs moveatur; hinc sequitur crises secundùm dies apparentes variari aliquandò: frequentiùs quidem dicti aspectus cadunt in diem 7, 14, 20, 27, & 40; interdùm tamen etiam in 6, principium 8, 13, principium 15, 21, & sic porrò.

5. Qui *Ptolemæum* sequuntur monentem, ut super ægrotis inspiciantur dies Critici, & figura 16 laterum *Centiloq. verbo 60.* Zodiacum ac totum cœlum dividunt in 16 partes æquales, sivè angulos, & unicuique parti 22 Gradus, & 30 Minuta attribuunt, ut in figurâ meliùs videre licet. Ità igitur inter morbi initium, & secundùm criticum angulum intercidentes duo & unus indicativus erit: atque tot in unâquaque trium reliquarum quartarum numerantur, sicque 16 anguli constituuntur. Ex quo patet non solùm quatuor, sed quinque numerari posse dies Criticos principales strictè loquendo secundùm hanc figuram *Ptolemæi*, nempè 1 ☌ ad morbi initium, cùm sæpe primâ statim die morbi solvuntur; 2 □; 3 ☍; 4 iterum □, 5 cùm Luna redit ad locum, in quo fuit in morbi principio, & illa plerumque accidit 27 die, & quartâ unius parte, iterúmque conficitur ☌.

Iconismus.

6. Non tantùm Lunæ motus per Zodiacum dicto modo à Jatro-Mathematicis attendi debet, sed etiàm aspectus aliorum Planetarum fortes vel per se, vel quatenùs Lunam respiciunt, atque idcircò roborant, aut lædunt. *Nam*, ut inquit *Galenus 3 de diebus criticis, si applicentur Lunæ stellæ erraticæ fortunatæ, erunt illi dies homini convenientes, & terminatur crisis, ut plurimùm in bonum: at si applicentur infortunatæ, erunt illi dies homini dies læsionis ac tristitiæ, crisisque terminabitur in malum.* Quomodò autèm facilè sciri queat, quodnam tempus verè sit criticum, figura Iconismi præsentis meliùs demonstrat, ubi limbus, sivè cyclus extimus tempus integræ, seu periodicæ peragrationis Lunaris indicat per dies in singulas horas competentes divisos. Medius cyclus mobilis est, & repræsentat signa Zodiaci in suos gradus distributa. Tertius interim cyclus etiàm mobilis est, ac fervit ad aspectus tàm veros, quâm platicos, atque veras crises exactè cognoscendas hoc modo; ut si statum ægri scire desideres, vide imprimis, quo in signo, ejùsque gradu Luna fuerit: quandonàm ægrum morbus primùm invaserit: hunc gradum admove horæ in cyclo extimo. Super hunc gradum etiàm applica indiculum mobilis aspectuum figuræ infimæ, & mox numerum criseon in limbo figuræ aspectum inscripti ostendent signum, ejusque gradum in medio cyclo, atque simul diem & horam in extimo cyclo à tempore initii morbi, in quibus crisin de statu ægri formare possis. Quale autem Judicium Jatromathematicum in specie de infirmis in acutis morbis formari queat, sequentes regulæ meliùs declarant.

Aspectus Planetarum etiam considerandus.

Regulæ quædam Jatro-mathematicæ pro Crisibus in morbis acutis rectiùs cognoscendis.

I.

Situs astrorum tempore nativitatis tùm ad febres, ad quas Natus proclivis est, tùm ad alios morbos disponit. Transitus verò malignorum per Horoscopum aut locum ♃ ☉ ☽ ♀ ☿ eosdem promovent.

II.

Quod si ☉ & ♃ à ♂ vel ♄ imprimis retrogradis læduntur, plurimi febribus corripi solent, ac comprimis ii, in quorum Themate natalitio malefici locum ☉ vel ♃ tangunt, vel etiàm ex loco Lunæ aut Mercurii; Solis, vel Jovis locum aspectibus suis feriunt.

III.

Infausti quicunque aspectus majoris sunt momenti, si in Horoscopo, vel in annis climactericis contingunt.

IV.

Planetæ retrogradi, ac diutiùs in eodem signo commorantes, sæpiúsque aspectum bonum, vel malum repetentes valdè sunt attendendi, ii siquidem semper magnarum virium deprehensi sunt.

V.

Si bonam crisin sperare velimus, semper ad Solem, Jovem, Venerem & Mercurium respiciendum erit: Malam potissimùm fovent Mars & Saturnus.

VI.

Si in principio morbi benigni Planetæ Lunæ fuerint conjuncti; vel si Luna in progressu benignis eorum aspectibus fortunetur, natura ægroti roborabitur, & crises sequentur bonæ. Secùs si contrarium accidat.

VII.

Etiàm aspectus boni Solis, Jovis, vel Veneris inter se, si tempore acutorum morborum, imprimis in Horoscopo, & octava domo occurrant, feliciores crises spondere solent.

VIII.

Annis Climactericis contingentes morbi acuti, atque unà cum radiis Maleficorum, semper magis sunt ominosi.

IX.

Eclipses Luminarium tempore acutorum morborum plerumque ægrotos è medio tollunt, eò certiùs, si istæ fiant in horoscopo, loco Solis & Lunæ, seu eos aspectu aliquo tangunt.

X.

Si Luna fuerit in signis mobilibus initio morbi, quo decumbit æger, morbum citò ad bonum vel malum progredi volunt. Si in fixis, morbus differtur, ac prolongatur: Si in communibus; ægrotum ab uno morbo in alium incidere posse credunt.

XI.

Si Luna in principio morbi fuerit in signo qualitatis ejusdem cum materiâ peccante, quâ morbus causatur; malum signum est: Contrarium verò bonum.

XII.

Si causa morbi fuerit ex abundantiâ, aut repletione in corpore, & lumen Lunare sit in augmento; malum signum: Si verò Luna in diminutione fuerit; signum bonum est. Si quoque causa sit ex inanitione, & Luna sit lumine diminuta, signum malum; si verò aucta, bonum.

XIII.

Luna tempore Criseos in domo vel exaltatione suâ, dimidium signum boni perhibetur: Sin verò in casu, aut opposito domûs fuerit, dimidium signum mali habetur.

XIV.

Verùm & humor peccans, ægroti æstas, ac vires, seu rerum non naturalium usus legitimus, vel abusus, remedia itèm in tempore, vel intempestivè adhibita multis modis crises vel retardare, vel accelare, eásque bonas aut malas efficere possunt. Plures alias regulas, atque alia de Crisibus scienda vide apud *Pleierum loc. sup. cit.* Quæ verò jam attulimus de Crisibus, hæc ipsa ex communiori diximus sententiâ: non pauci enim, uti scio, velut olìm *Averrhoës*, & inter Neotericos Clarissimus *Hoffmannus*, atque complures alii, hunc influxum astralem omninò rejiciunt. Alii, dum adverterunt plurimas Crises indicatis diebus non contingere, assignata tempora omninò in dubium vocàrunt. *Vopiscus Fortunatus Plembius* imprimis quibusvis diebus Crises factas esse demonstrat, & numerum dierum criticorum idcirco damnat.

§. VI.

Lunaria quædam Ostenta, & Phænomena mirifica.

1. *Caroli Magni* tempore (Imperii illius anno 5, pridiè Non. Junii) in Lunari Eclipsi signum Crucis modo planè mirabili apparuisse in Lunâ refert *Author Chronici illius magni Belgici.* In Lunâ crucis signum.

2. Anno 1517. Saxoniæ Elector, atque Princeps Vinmariæ in Lunâ crucem amœnissimam viderunt. Item Anno 1557 tres Lunas visas, & in mediâ crucem prodidit *Suffridus Presbyter.* Triennio antè simile quoque phænomenon spectatum *Godefridus Monachus* Author *est in Annalibus.*

3. Anno 1594 Mense Octobri *Zosnæ* ditionis Brandenburgicæ Lunam plenam visa est crux mediam dividere, dupléxque alia decussatim obversa unà cum iride cornibus in Orientem versis ambire. *Nemo peregrinus part. I.*

4. In Lunâ *Cysatus* Atmosphæram, sivè vaporum exhalationem in Eclipsi Anno 1628 ipsâ Natalis Dominici die notavit, ut memorat *Kircherus lib. 2. Mund. subt. cap. 4.* Undè non dubitat Idem in reliquis Planetarum globis simile quid contingere, qui uti centra à centro Universi, ità & diversas quoque exhalationum sphæras constituunt. Atmosphæra observata.

5. Anno 1681. die 1 Januar. *Jenæ* in Luna crux alba visa est, qualis etiàm Anno 1561. observata, sicut & Anno 1668 ad Cometam tunc flagrantem. Crux alba.

6. Lunam instar Cometæ caudatam observavit *D. Mentzelius* die 26 Decemb. S. N. Anno 1684, ut refertur *Ephem. Germ. Phys. Med. Dec. 2. Anno 3. Obs. 43.* *Erant autem,* ut ibidem inquit, *in aëre nebulæ, & effluvia, sivè vapores valdè tenues, è quibus forsan radii provenêre, sic ut ab his, & non à Lunæ corpore profecti fuerint. Solem porrò è Diametro sub corpore Lunæ fuisse scribit. Unde num Sol causa horum radiorum solus fuerit, an corpus quoddam interveniens, scilicet Cometa aliquis retrò Lunam existens, vel ex Lunæ corpore decesserit pars quædam motu suo radios instar caudæ efficiens, vel* Luna instar Cometæ caudata.

vel alia fortè causa inveniri possit, aliis perquirendum relinquit.

Corona circa Lunam & crux transversa

7. Anno 1684. die 3. Febr. S. N. vesperi post horam 10. corona circa Lunam, indè crux transversa recta & perfecta albicans conjunctis aliquot per modum linearum radiis per tres horas integras *Wittebergæ* observata fuit. *Vide Ephem. Germ. Dec. 2. An. 3. Obs. 9.* Atque hoc mirabile phœnomenon non tantùm in loco memorato, sed & *Dresdæ*, *Berolini*, *Lipsiæ*, aliísque valdè dissitis locis observatum indicatur ibidem.

Crux in Luna.

8. Anno 1690 die 28 Junii manè inter tertiam & quartam hìc in Franconiâ nostrâ Lunam cum radiosis longis profluxibus in ipso Lunæ corpore transversim sese in crucis morem intersecantibus mihi videre contigit. Fuit autem àër tunc valdè vapidus, & humidus. De plurium Lunarum apparitionibus, alíisque Lunaribus phœnomenis vide *Scrutin. 3. disq. 3. cap. 12. §. 2. & 3.*

§. VII.

Mirabilia quædam curiosa & faceta Miscellanea de Lunâ recensentur.

Luna ab Asino pota.

1. Narrat imprimìs *Vives comment. in lib. 10 de Civit. Dei cap. 4*, ut refert *Jovianus Pontanus*, ridiculam populi cujusdam opinionem, arbitrantis Lunam aliquandò ab Asino epotam, quia pecus Arcadicum de flumine biberat, in quo noctu Lunæ facies, ut fit, lucentis reddebatur, cùm biberet; eóque recedente subitâ nube velata videri desiisset; ideò miserum Sileni vectorem in carcerem conjecisse, in equuleum egisse, & alvo rescissâ, ut Lunam mundo redderet, sævissimè exenteràsse.

Lunæ figura puero in pectore mirè impressa.

2. In Breviario rerum memorabilium *Ifibordi ab Amelunxen*, & *Alexandri de Insulâ num. 44.* inter quatuor mirabilia in puello quodam lepido ex Æthiope & venustâ matre nato reperta narratur etiàm Lunæ imago pectori ejus mirè impressa; quæ indè provenit, quod somnians aliquandò mater hoc puello gravida, acsi Lunâ magno cum fragore cœlo super pectus ejus delapsâ fuerit perterrita, somniúmque istud semper ruminans, & referens hanc notam impresserit.

Varaji quomodo Lunam colant.

3. Varaji, quorum meminit *Boterus*, miris gestibus, cœremoniis, & terrificis ejulatibus, ac clamoribus novam Lunam adorare solent, sed & cùm jam cornua acquirere incipit, conscindunt sibi (ut eò accuratiùs arcubus suis sagittare valeant) brachia: & ut velociùs etiàm currere valeant, pedes, & plantas pedum. Cineribus etiàm eorum animalium capita sua aspergunt, quæ nôrunt esse rapacia, & pernicia cursu. Similiter & fœminæ facies, brachia & plantas pedum conscindunt, & certis quibusdam pigmentis oblinunt, quæ nunquam deindè evanescunt.

4. *Lycurgus* Rex Lacedæmoniis legem dedisse perhibetur, ne ad bella ante Plenilunium prodirent: non enim existimabat eandem esse civitatis administrationem crescente Luna & evanescente; proptereà quod omnia ab illâ regi crederet. Idcircò & Lacedæmonii in omnibus non solùm publicis negotiis, sed etiàm privatis actionibus, priusquam aliud auspicarentur, Lunam superstitiosè observabant, id, quod notat *Euripides*, cum in *Iphigeniâ* Aulidis respondet *Agamemnon*; tum nupturam filiam, cùm Lunæ dexter circulus advenisset.

5. Lunari lumini attribuit *Helmontius de Formar. ortu.* quod animalia quædam noctivaga de nocte objecta quævis optimè distunguunt, quæ nostri etiàm sub meridie oculi vix observare queunt. Historiam quoque miram narrat ibidem his verbis: *In classibus literariis mihi Sodalis erat in cubiculo honestis civibus ortus. Hic clausis oculis noctu plerumque surgebat & oberrabat, clavem verò secùm deferebat, seràmque post se clausam rediens aperiebat. Vespere itaque surgo, & clavem clanculò subter pulvinar abscondo; ille verò in somno surgens, abditam clavem (velut sibi visam) capit & abit. Sequor illum arreptâ tunicâ: Ille verò scandebat antiquum parietem, terminum collegii musco ac fœno obsitum. Arcus enim erat, quo trans flumen sustinebat paries murum horti vicini. Plenilunium erat, & nox pruinosa. Ad spectaculum horrui, & præ frigore redii. Sodalis verò mox revertens tàm inhæsitanter clavem in foramen claustri abdidit, quod vix ullus videns & sub meridiem æquè incunctanter faceret. At manè omnium immemor erat.* Quomodò verò Ambulones isti videant, nec facilè cadant, etsi difficile sit captu, addit *Helmontius* sequentia: *Palpebris enim clausis ambulones isti clarè sub densis tenebris vident; absque vertigine securi scandunt, eoquod lumine lunari fruantur.* Plura alia exempla vide infra *Scrut. 5. Disq. 2. cap. 9. §. 2.*

Noctambulones quomodo noctu obambulent.

6. Narrat *Henricus ab Hëers in Observ. med. obs. 4.* de Medico non inerudito, eum Anno 1613. rus vocatum ad Nobilem in singulari cum Hispano certamine saucium, cum noctu somnum capere non posset, de ægri brachio, quod chirurgus amputare volebat, ipse autem servavit, multa animo versantem, per pellucidam fenestram Lunam, quæ fortè plenissima erat, ultrà tres horas attentissimè intuitum fuisse: tandèm altè sopitum, cum somno etiàm longiore supervenientе in multam dormîsset lucem, expergefactum serò intellexisse nimio Lunæ lumine se omninò vel amaurosi indè correptum, vel excœcatum: Adhibitis autèm remediis visum primò imperfectum recuperàsse, utpotè quæ per plateas in lineâ rectâ occurrebant, velut equos & bigas, totis à latere octodecim, vel pluribus dissita pedibus cernere valuisse: tandèm superadditis, & applicatis denuò remediis sub finem quintæ ab Amaurosi heb-

Amaurosis à diuturniore Lunæ aspectu.

hebdomadis visum perfectum recepisse.

Corpus Lunæ non est speculum convexum, ut quidam senserunt.

7. Lunam esse speculum, & ab eâ lumen Solis tanquam à convexâ speculi superficie ad nos reflecti, atque ità lunare lumen tantum esse Solis imaginem nonnulli senserunt apud *Plutarchum opusc. de facie Lunæ Aquilonium lib. 5. optic. disp. un. ad propos. 56. Blancanum in Sphæra part. 3. tract. 2. cap. 4.* Hujus autem opinionis fundamentum est, quod Lunam ex parte aversâ opacam instar speculi, ex parte verò adversâ lævem, & omninò undique expolitam crediderint. Sed longè aliud experimenta hactenus per telescopia comperta docent, Lunam nempè montibus, & vallibus asperam, ac variis refertam maculis omninò inæquali superficie præditam esse. Et ratio etiàm convincit, quia convexa specula tantò semper minores repræsentant imagines, quantò ipsum objectum radians, & oculus Spectatoris magis à speculo distant, quod etiam in Lunæ à Sole, & oculis nostris distantia præsertim in maximâ à Sole elongatione multò minor imago ea Solis ob majorem nempè tunc distantiam comparere deberet. Unde rectè etiàm *Hevelius Selenogr. cap. 6. pag. 130.* ità ait: *Cæterùm Ipse ego planè sum in hac sententiâ cum Aquilonio: Licet aliquis juxtà Lunam existeret, Solem ne quidem instar minutissimæ stellulæ propter immensam illam distantiam ipsi fore appariturum; imò in mediâ elongatione Solis à terrâ minimam illam imaginem ejus, priusquàm ad nos pertingere posset, prorsùs destituram.* Addit etiàm *Hevelius* hoc argumentum adeò esse validum; *Superficiem nempe Lunæ haud esse lævigatam politámque instar speculi convexi, ut â nemine tentari queat: tantum abesse, ut possit convelli & labefactari: nisi fortè isti id aggredi præsidenter audeant, qui Opticam, & Catoptricam vix â limine salutârunt.*

Lunæ nequeunt inscribi literæ.

8. Nugas aniles, & maleferiatorum deliramenta vocat *Kircherus in Cryptologia catoptricâ novâ cap. 1.* quod aliqui velint literas, ac characterum, aliarumque rerum formas ad ipsum discum lunarem trajicere, ibíque velut inscriptas legendas proponere, ut *Porta lib. 17. Mag. Nat. c. 17,* & *Cornel. Agrippa in Phil. occult.* asserunt. Imò Hic adeò fuit audax, ut scribere non erubuerit, *Pythagoram*, dum *Hydrunti* moraretur, literas Lunæ inscriptas *Constantinopoli* amicis legendas dedisse. Sed exclamat adhæc *Kircherus. O impudens mendacium!* Plura de hac literarum trajectione ad Lunarem discum, ejúsque impossibilitate, adeoque vanitate lege apud *Eundem loc. cit.*

In Lunâ quidam incolas, animalia & plantas dari existimant.

9. Quià Lunare Corpus terraqueo corpori persimile habetur, ideò non dubitant quidam eidem suos attribuere *Selenitas*, five Incolas lunares, animalia quoque, arbores, aliáque telluris nostræ cognata Entia: Imò Aliqui *in Lunâ regionem aliquam ad inhabitandum inesse cum fluviis, & cæteris, quæ in terrâ videntur, existimant,* inquit *Achilles Tatius in Isagoge.* Habitari, ait *Xenophanes*, in Lunâ, eámque esse terram multarum urbium, & montium asserit *Cicero lib. 4. acad. qq. Pythagoræi* ajunt, terrestrem videri lunam, quià sicut & nostra terra circumhabitatur â majoribus quidem, & pulchrioribus animalibus, affirmat *Plutarchus lib. 2. de placit. phil. c. 30.* & in *opusc. de facie in orbe Lunæ: Lunam ajunt eorum, qui infrà degunt, tanquam Tantalorum imminere capitibus, rursúmque eos, qui ipsam incolunt, Ixionum instar alligatos tanto impetu volvi, ac revolvi, ut mirum non sit, si impetu agitationis Leo in Peloponesum deciderit.* Subdit: *Cavernas esse in Luna, & cavernarum maximam vocari Penetralia Hecates, ibiq; animas eorum, quæ egerunt, aut passæ sunt, rationem reddere, ac pœnas dare: & partes Lunæ cœlo obversas appellari Campum Elysium. Macrobius* etiàm *lib. 1. in Somnium Scipion. cap. 13. Lunares populos, & purgatorium animarum ponit in Lunâ.* Hanc eandem sententiam de animabus & Geniis in Lunâ, velut in terrâ æthereâ degentibus tribuit *Beda lib. de Mundi constitut. tit. de Æthere* quibusdam Physicis. Verùm hæc Lunaria commenta meritò sanior & verior rejicit Sententia, cùm ex S. Scripturâ constet sidera cœlestia ad alium à Creatore finem esse condita, ut patet ex *cap. 1. Gen. Deut. cap. 4.* & à *Psalte Regio ps. 14.* Sola terra hominum habitationi adsignetur, dùm canit: *Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Item *Act. 17. Fecit ex uno* (Deus) *omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ.* Sin igitur homines non sint in Lunâ: neque animalia, ac plantæ, quæ ad hominum usum à Conditore sunt ordinata, ibidem existere poterunt.

Miræ quædam ridiculæ sententiæ de Lunæ corpore.

10. Ut tandem facetis adhuc quibusdam opinionibus, atque lepidis Veterum Philosophorum placitis Tractationem hanc Selenoscopicam concludam, nec quicquam curiositatis in hac materiâ reticeam, paucis adhuc comemorare libet, ut & *Hevelius in Selenogr. cap. 6.* meminit, quid de Lunaris Corporis structurâ senserint quidam Antiquissimi Authores: Ex quibus imprimis *Empedocles*, & *Stoicorum* permulti, Lunam mixturam & confusionem esse caliginosi aëris, & ignis carbonosi, quæq; non ex sese accendatur, ac propriam habeat lucem, sed obscurum quoddam sit corpus, semper fumigans, & igne ustum; hinc ratione ignis partim esse luminosam, ratione verò aëris caliginosi partim obscuram, teste *Plutarcho* statuerunt. *Pythagoras, Anaximenes, Parmenides & Cleanthes* Lunam igneum corpus dixerunt. *Zeno Parmenidis* discipulus igneum astrum esse mente etiàm præditum, & prudens, & artificio confectum teste *Francisco Patritio in Pancosm. lib. 20. Diogenes* Physicus pumiceam esse censuit, imò vitream translucidam, & partim etiam obscuram. Maculas lunares *Clearchus*, & *Argesinax* existimârunt esse simulacra specularia, atque imagines magni maris in Lunâ apparentes per reflexiones ad nos transeuntes, teste *Plutarcho de facie Lunæ. Diogenes Laërtius* refert Bero-

Qui lucis patiens hic ales Solis habetur
Degener; offenso qui fugit ore Iubar.



Luce probatur.

Schema C
Prout ROMÆ à S
observatum f

Muneris omne tui.



Muneris omne tui est quod pleno copia cornu
Ventilat auspicijs munera nota tuis.

Quicquid in auratis pulc
Hoc trahit ex sol
Sol Oculus Mundi e
Sol oculis; animis

poris Solaris
EINERO et KIRCHERO
Anno 1635.

— — — *Sponte crematur*
Ut redeat, gaudensque mori festinat in ortum.



Ardore foecunda:

Vertor, cum vertitur ipse.



...m micat æthere stellis:
...ole micante decus.
...per quem videt atq; videtur
... Decus Omne Deus.

Non me stringit humus: tantum contemplor euntem
Et Solem verso prosequor ore meum.

Berosum Chaldæum docuisse, Lunam ab unâ parte proprium habere lumen, ab alterâ verò penitùs esse obscuram, ità ut ex illius conversione Corporis lumen quotidie crescat, usque dum totum hemisphærium luminosum fit conspicuum, sed impossibilitas hujus rei â modernis Astronomis facilè ostenditur, & exsibilatur. Maximè autem ridiculum est, quod nugantur *Rabbini* quidam de Lunâ; Luciferum nempè in lapsu suis alis Lunæ splendorem abrasisse, & suo Prophetæ dedisse. Verùm hæc & ejusmodi Antiquorum deliria, cùm nullos hoc ævo nostro sapientissimo habeant Asseclas, ideò refutatione omni indigna dimittimus, & solùm curiositatis causâ retulisse sufficiat.

11. De Luna, & Luno lepida quoque fabula extat apud *Ælium Spartianum in Caracalla*, quam & recenset *Jo. Prætorius in Tab. Astroscopicis* circà finem his verbis: *Memoriæ* nempè *traditum esse, ut qui Lunam fœmineo nomine ac sexu putaverit nuncupandam, is addictus mulieribus semper iisdem inserviat. At verò qui Marem Deum esse crediderit, is dominetur Uxori, neque ullas muliebres patiatur insidias. Undè quamvis Græci vel Ægyptii eo genere, quo fœminam hominem, etiam Lunam Deam dicant, mysticè tamen Deum dicunt.* Fabula de Lunâ & Luno.

CAPUT IV.
HELIOSCOPIUM PHYSICO-MATHEMATICUM.

Quo Corporis Solaris Natura, motus, vires, aliáque circa Ipsum præcipua Phœnomena, & Experimenta perlustrantur, & exponuntur.

Sol undè sic dictus. SOlem omnium Planetarum principem rectè scripsit *Isidorus*, ideò sic dictum, quasi solus luceat, cùm sit fons totius luminis, cujus ratione Superiora, & inferiora collustrantur. Idem docet *Cicero lib. 2. de nat. Deor.* quod solus, idest unicus sit, & tantam solus claritatem obtineat, ut eo apparente cœtera astra dispareant. Undè nihil in hoc aspectabili mundo eo, vel ad speciem pulchrius, vel ad rerum gignendarum commoditatem fœcundiùs, qui vitalem vim, ac salutarem stirpibus, & animantibus communicat; qui hoc est in æthere, quod cor in homine, vicésque temporum, & annum novo sempèr flore redeuntem ex usu naturæ temperat; cujus influxus in abditissimos penetrat recessus, & in intimis terræ visceribus aurum, gemmásque progignit. Quocircà benè à *D. Ambrosio lib. Hexam.* appellatur, *Oculus mundi, Jucunditas diei, pulchritudo cœli, mensura temporum, virtus & vigor omnium nascentium, dominus Planetarum, decor & perfectio omnium stellarum.* De hoc itáque magno totius naturæ Rege, & Universitatis Moderatore quæcunque scitu magìs digna, & admiranda novimus, jam congeremus, & in medium producemus.

§. I.
De structurâ corporis Solaris, & de macularum, ac facularum Solarium substantiâ.

1. Sol est corpus cœleste naturâ suâ igneum, figurâ sphæricum, non tamen mathematicè globosum, ex liquido & solido compactum, quod partìm igne liquido instar Oceani effervescit, ebullit, & fluctibus in altum jactatis, partìm solidis eminentiis, velut montibus altissimis ignivomis asperatur; Virtute præter manifestam luminis & caloris etiàm specifica & occultâ panspermaticâ prædītum, quam circumstantibus, & subjectis rebus communicat. Solis structura & natura.

2. Sicut Solaris globus ex solido, & liquido compactus est, & ex multis undequaque eminentiis velut montibus, uti terrenus globus exasperatur: ità probabile videtur, quod sentit *Kircherus in itin. extat.* eum etiam ingentibus intrà se canalibus, cavernis, & receptaculis esse pervium, ac repletum haud secùs ac in terraqueo globo factum constat: Et per canales illos communicare inter se diversa Solaris globi maria ignea, seu potiùs unum mare in diversa brachia divisium esse: In Cavernis verò, & receptaculis contineri ingentem igneæ materiæ copiam, quæ maximo fulgore è flammivomis montibus subindè per apertos crateres eructet, & subindè fortasśis è lateribus apertâ sibi violenter viâ erumpat. Intrà Solem multi Canales & cavernæ.

3. Licet totus Solaris globus igneæ existat naturæ, nullam tamen hactenùs solertissimi Mathematici in eo deprehenderunt mutationem in magnitudine, & viribus, sed eâdem constare magnitudine, & iisdem pollere viribus, perpetìm agnoverunt. Undè concludunt, Eundem iis defectibus, quibus ignis noster est, obnoxium non esse, nec pabulo aliquo indigere, quo alatur: Imò *Kircherus lib. cit.* existimat solidum, sivè terram solarem, vel Asbestinam esse, & incombustibilem, vel ità aptatam esse à naturâ, ut magìs ignis voracitati, quàm terra nostra resistere possit. Alia tamen generationis & corruptionis vestigia in Eodem deprehensa sunt, ut infrà adducemus. Sol in magnitudine & viribus non deficit.

Ignis Solis validissimus.

4. Quiscunque sit ignis iste Solaris, hoc certè de eodem censendum videtur, adeò eum esse validum, & vivacem in calore, & fulgore, ut à cujuscunque ignis alterius terreni calore, & præprimis fulgore superari minimè queat. Undè rectè major fulgor, quàm sit is, qui Solari corpori à ter Opt. Deo (qui voluit Solem esse fontem lucis, & totius ferè Mundi lampadem) inditus est, extrà cœlum empyreum, & major calor extrà ignem infernalem, concipi haud potest.

Non tamen comburit Universum.

5. Sol tametsi tantus sit ignis, tantæque efficaciæ, Universum tamen non comburit, eò quod vicina Corpora, vel non sint ignis capacia, sivè inflammabilia, aut combustibilia, ut Æther; vel ea, quæ inflammari & comburi possunt, longiùs ab Eodem remota existant. Imò singulari DEI providentiâ ordinatum est, ut Sol istâ dispositione distaret ab his, quæ inflammari, aut comburi possunt, ut ejus ardor temperaretur humiditate Lunæ, & ut circà terram continuo motu in obliquo circulo moveretur, nec eum directis semper radiis feriret; atque ità tàm ex continui motûs variatione, quàm radiationis diversitate, unà cùm Lunaris admixtæ humiditatis contemperatione noxa severior inhiberetur.

Vapores ab igne Solari emissi.

6. Cùm etiàm verus & elementaris ignis sit in Sole, ut existimat *Kircherus*, & plures alii Authores, haud verè abludit, eum etiàm, qui liquidus præsertim est, suos exhalare vapores, & ex iisdem suam circà Solem constitui atmosphæram: & cùm etiàm ignis Solaris sit purissimus, atque aurei coloris, instárque auri liquefacti, erunt etiàm Ejusdem vapores longè puriores iis, quos noster ignis evaporat. Unde & *P. Honoratus Faber, t. de Nat. Solis*, nihil aliud dicit esse Solem, quàm ignem in auro purissimo implantatum. Et *Du Hamel* eundem citans in *Astron. Phys. lib. 2.* ait: *Ex iis, quæ sub sensus cadunt, nullum aliud corpus præ auro inveniri potest, quod magìs accedat ad similitudinem Solis. Nihil est, cujus natura vel purior, vel densior, vel corruptioni minùs obnoxia existat: Undè nec extingui poterit, nec dissolvi. Hinc etiam Sol aureo fulget colore.*

Maculæ, Faculæ, & Umbræ in Solari disco.

7. Verùm licet, ut modò dictū est, vapores ex Solari corpore emissi purissimi sint: Attamen & in hoc eodem Corpore subindè maculæ ingentes, velut umbræ, & contrà oppositæ luces summâ cum admiratione spectari solent. Dicunt autèm nunc Authores communiter ejusmodi maculas Solares aliud nihil esse, quàm vapores, fuligines, nebulas, & ceu nubes è Solari Oceano, & flammivomis montibus ortas, in altum delatas, circà Solem nunc congregatas in unum, nunc dissipatas in diversa, modò hanc, modò illam figuram induentes; aliquandò multum, aliquandò parùm stabiles ad eum prorsùs modum, quo in nebulis & nubibus circà tellurem versantibus maxima varietas contingere solet. Solertissimus *Hevelius Selenogr. cap. 5, pag. 83.* Maculas, Faculas, & Umbras in solari Corpore ità distinguere docet, asserítque 1. *Maculas in disco Solis contentas nihil esse aliud, quàm compactam aliquam, & obscuram materiam nostris terrenis nubibus non dissimilem, & unà cum Sole mobilem.* 2. *Faculas admistas esse lucidissimas solis partes, quæ distinctis locis, atque temporibus magis, magisque in Sole conspiciuntur.* 3. *Umbras illas, quæ corpus Facularum sequuntur, & cum luculis permiscentur, raritate, formâ, & magnitudine variari in superficie Solis instar fumi, & nebulæ, quibus Sol hinc indè quasi obductus, tanquam speculum tactu, vel halitu oris inquinatum apparere. Et licet non adeò sint durabiles, veluti maculæ, tamen subindè in Sole, vel faculis permistæ, vel solæ videntur, moxque iterum dissipantur, & evanescunt.* Ita *Hevelius*. Qui porrò *loc. cit.* multiplicia Macularum genera ex Observationibus à se factis describit, quæ in Tabulam ità coordinavi, ut distinctio & varietas tùm macularum tùm facularum ad mentem Expertissimi Authoris cuivis facillimè patere possit. Tabula.

Macularum generatio.

8. De Maculis Solaribus observavit Idem *Hevelius*, eas non omni loco Solis generari, sed peculiarem suam sedem in medio disci Solis obtinere, in quo quasi Zodiacum suum constituunt, oriuntur, & intereunt, cursúmque suum perficiunt. Zodiacus verò iste multò est latior, quàm Planetarum in cœlis: Siquidem sese ad quadraginta, quinquaginta, imò etiàm interdùm ad sexaginta gradus extendit, ità ut utroque in latere Eclipticæ hoc spatium ad triginta gradus excurrat.

Ubi minùs conspiciuntur.

9. Circa polos nullæ magnæ conspiciuntur, sed solùm Umbræ, & interdum exiguæ faculæ, eoquòd motus cum in medio Solis sit concitatior, etiàm eâ in parte grandiores queant generari maculæ, circà polos verò remissior, undè tam densa ibidem corpora existere haud valent, sed solùm maculæ secundariæ, umbræ, & faculæ minores. Ordinariè etiàm Solares maculæ, quæ in medio satìs magnæ apparuerunt, circà Solis extremos margines apparere solent graciliores & compressiores. Ratio ex Opticâ colligitur, cùm quæ sub majori angulo cernuntur, majora; quæ verò sub minori, minora appareant.

Color macularum.

10. Quemadmodum maculæ, faculæ & umbræ externam Solis speciem mirè variant, ità & in corpore Solis distinctos formant colores; quorum nonnulli ab ipsâ quoque Solis luce proficiscuntur, ità ut Sol circà centrum, & medium versùs semper clarior, & lucidior appareat; quò verò magìs illa lux circà peripheriam versatur; eò sit debilior, & obscurior, qui color ignis flammæ non dissimilis est. Plerumque etiam macularum color subniger, aut cæruleus, facularum semper lucidior, umbrarum verò subniger, aut flavus appareat. Macularum numerus.

11. Numerus Macularum, quæ in disco Solari observantur, non est idem semper,

sed

T A

Diſtinctionis ac Varietatis Macularum, Facularum, & Umbraru
Expertiſſimi & Clariſſimi D. Jo

In Corpore ſivè diſco ſolari quæ comparent

- *Maculæ ſunt*
  - 1
    - *primariæ*
      - *Majores colore diluto & croceo magis*
      - *vel*
      - *Minores rarò cum his coloribus.*
      - *eæque*
        - *Simplices, quæ faculas admixtas non habent*
        - *Compoſitæ ſeu mixtæ*
          - *non conti terruptâ*
          - *vel*
          - *cum macul lis ſin*
    - *ſecundariæ*
  - 2. *Steriles, quæ carent nucleis, & colore, materiâque ſunt u*
  - 3. *Quæ ordinario modo ſtatim in ortu apparent circa Horizontem*
    - *non mane*
    - *v*
    - *manent in tu*
  - 4. *Quæ non ordinario modo mox in ortu ſolem incurrunt, generantur & apparent modò in*
  - 5. *Complures multis faculis & umbris cinctæ primùm in ex elapſo uno alteróque die recedunt, ſalvâ permanente ma cidentali ejus orâ communiter ſunt reduces, ità ut ſicut ſine iis iterùm è Sole egrediuntur.*
  - 6. *Nonnullæ maculæ in Sole ex umbris naſcuntur, & intrà verùm paulo poſt iterùm mox in umbras reſolvuntur.*
- *Faculæ, diſtinguntur*
  - *Lumine*
    - *Splendidiores, quæ illuſtriùs ſeſe effer reliquam omnem Solis i*
    - *Debiliores.*
  - *&*
  - *Colore*
    - *Flavo, quo aliquandò ſunt præditæ.*
    - *Sincero, quæ gaudent lumine & candica*
- *Umbræ, ſunt tenuiores maculæ, quæ lumen Solis penitùs non obtundunt, a*

Notavit etiàm inſignis rerum Cœleſtium Obſervator Hevelius, *circà faculas illas minùs mutationes, quàm Maculæ: inſuper quandò faculæ cum Umbris miſcentur, quod ſe*

ULA

in Corpore Solari conſpicuarum juxta mentem & Obſervationes
nis Hevelii, Selenograph. cap. 5.

tegræ
vel
ıceræ
cum in-
facu-

Simplices aut Compoſitæ ſunt { *denſiores* { *Materiæ magis compactæ, & diuturniores* *vel* *Cum nucleo valdè compacto, & materiâ nigrâ denſiori.* } *vel* *rariores ſine nucleo* { *Obſcuriores* *vel* *Clariores.* }

mes.

men in eâdem *ıtudine, ſed* { *creſcunt* *vel* *decreſcunt* }

m magni-

{ *Superficie* { *citeriori* *vel* *ulteriori* } *vel* *parte* { *Orientali* *Mediâ vel* *Occidentali* } } *Solis. Harum nonnullæ*

1. *Sibi conſtant, & nonnunquam etiàm creſcunt usque ad occaſum ſuum.*
2. *Prius eſſe deſinunt, quàm ad occidentalem Horizontem perveniunt.*
3. *Conſtant ex tenaciori materiâ, atque unâ alterâque vice Solis hemiſphærium pertranſeunt, & vocantur Reduces.*
4. *Conſimiles magnitudine, diſſimili tamen tempore occidunt vel intereunt, vel evaneſcunt.*

e Solis margine apparent, faculæque cum umbris , & rursùs ante egreſſum macularum è Sole in oc- maculæ faculis ſtipatæ advenerunt, ità quoque non

os dies ſubitò creſcunt & denſantur,

ſupraque , ſuntque { *Stabiliores & durabiliores, quæ in ortivo Solis Horizonte apparent, nec evaneſcunt, usque dum in occiduam partem perveniant.* *vel* *Minùs ſtabiles, quæ tantum modò circà Horizontem Solis ad biduum vel triduum permanent: poſt ſi ulteriùs progrediuntur in medio Sole extinguuntur, vel in umbras abeunt.* }

Corpus facularum ſequuntur, cum luculis permiſcentur, & in ſuperficie Solis inſtar fumi, aut nebularum varietantur { *raritate* *formâ* *magnitudine* }

iles hìc indicatas, quod eæ tamdiù, ac in complexu Solis hærent, indies crebriùs varias ſubeant iùs extendant, adeò ut interdum quadrantem, interdum trientem Diametri Solis occupent.

sed varius, imò incertus; aliquandò enim 50, aliquandò 33 distinctè numeratæ sunt eodem tempore, aliquandò nulla, & tunc calidior, ficciorque cœteris paribus tempestas extitit, uti è contrà sævius frigus, quando magna fuit earum copia. Ità Anno 1618, quo insignis Cometes in cœlo exarsit, nulla circà Solem macula fuit observata; sicut & Anno 1632 nulla mensibus æstivis in conspectum venit: Tunc autem calor immodicus omnia penè exussit. Undè rectè subinfert *Kircherus in Mund. subt. Tom. I. lib. 2. cap. 4.* dicens: *Quæ si Astronomi diligenter annotarent, forsan ex hujusmodi phœnomenis ad effectus sublunares comparatis nova Astrologia multò vulgari illâ planetariâ certior condi posset.* Atque idipsum quoque Ego sentio.

Magnitudo Macularum.

12. Magnitudo Macularum & Facularum Solarium etiàm varia solet esse. *Blancanus* Author est, maculam aliquandò observatam esse, quæ quintam disci Solaris partem occuparet, atque adeò totam terram æquaret. *Galilæus* observatas notat æquales Africæ & Asiæ simul cum mari mediterraneo. *Scheinerus* maximas Veneri æquiparat. *Hevelius Selenogr. cap. 5. de majoribus, & valdè dilatatis faculis* scribit: Si assumatur diameter Solis 8944 mill. Germ. tum has faculas 2981 mill. germ. longas, & 994 mill. latas observatas fuisse: *Quæ longitudo ac latitudo, ut inquit, immanis est dictu in comparatione cum terrâ nostrâ: Siquidem longitudo harum macularum multò major est longitudine Europæ, Asiæ, & Africæ, quæ duntaxat ad 2700 milliaria excurrit, ità ut istæ faculæ universam istam omnium trium Orbis partium magnitudinem 300 milliar. excedant; earum verò latitudo complectatur spatium, quod à mari Mediterraneo sese ad Caput Bonæ Spei extendit.*

Duratio Macularum.

13. Duratio Macularum minùs quoque constans videtur, quàm quarundam areolarum, & facularum Solarium: Quædam enim subitò in disco Solis oriuntur, & paulò post denuò evanescunt: quædam uno aut pluribus diebus usque ad 30 dies, & paulò ultrà perdurant: Quædam fiunt reduces, & post peractam dierum circiter 27 periodum revertuntur.

Figura Macularum.

14. Figura Macularum etiam irregularis plerumque apparet, & ejusdem maculæ valdè inconstans, ita ut nulla ferè postridie talis observetur, qualis pridie visa fuit. Circà marginem etiàm Solaris Corporis contrahuntur, & longiores apparent; in medio verò Sole ampliores, sed minus longæ. Rursùm propè limbum Solaris disci plures maculæ, quæ in medio disco disgregatæ, ac ab invicem distantes comparuerunt, in unam ferè maculam coire videntur.

Faculæ Solares quomodò fiant.

15. Faculas solares existimat *Schottus prælus. in Solem §. 5. Itiner. Extat. Kircher.* aliud non esse, quàm partìm ingentes igneos globos, qui subindè è Solis montium flammivomorum crateribus magnâ copiâ, & impetu erumpentes inter confusas nebulas, & fuligines Solares effulgent; qui insuper aliquandò quidem disparent, aliquandò verò ad tempus perseverant: Partìm verò etiàm existimat esse effervescentias Oceani Solaris, quæ cùm vehementiâ subjecti ignis subsolaris ebulliunt solito copiosiùs, ut velut ingentes fluctus instar altissimorum montium in altum sese attollant, iterúmque in profundum dimittant: Undè dejiciuntur circumstantes nebulæ, & fuligines, comparétque Oceanus Solaris fluctibus agitatus solito fulgore promicans.

Distantia Solis à terrâ.

16. Distantia porrò Solis à Terræ centro varia ab Authoribus assignatur, ut cui sit annuendum facilè dijudicari nequeat. *Ricciolus* statuit maximam ejus distantiam, dum scilicet est in Apogæo, esse Semidiametrorum terræ 7600, mediam 7300, minimam 7000.

Solis diameter.

17. Solis etiam diameter etsi à variis Authoribus varia assignetur: à pluribus tamen talis recipitur

	Min.	Sec.
In { Apogæo - -	30.	50.
In { Mediis distantiis -	31.	56.
In { Perigæo - -	33.	2.

Magnitudo Solis.

18. De verâ quoque Solis magnitudine Authores abeunt in diversum. Plurium Sententias collegit & ad Tabulam reduxit *P. Ricciolus lib. 3. Almag. cap. 11.* ac refert eam quoque *Schottus in Itin. Extat. Kirch.*

VERA

VERA SOLIS MAGNITUDO AD TERRAM COLLATA.

Authores.	*Solis diameter vera continet Diametros Terræ simplices.*	*Circumferentia continet Diametros Terræ simplices.*	*Area Circuli maximi continet Diametros Terræ quadratos.*	*Superficies convexa continet Diametros Terræ quadratos.*	*Soliditas continet Soliditatem Terræ Vicibus.*
Ptolemæus. Maurolyc. Clavius. Barozius.	5.$\frac{1}{2}$	17.$\frac{2}{7}$	24.✠	134.0	166.$\frac{3}{8}$
Aristarchus { *plusquam*	6.$\frac{1}{3}$	20.$\frac{1}{7}$	30.$\frac{2}{3}$	127.0	254.$\frac{1}{3}$
Aristarchus { *minusquam*	7.$\frac{1}{6}$	22.$\frac{3}{7}$	38.0	155.0	368.$\frac{1}{11}$
Albategnius.	5.$\frac{7}{10}$	18.$\frac{5}{7}$	26.0	108.0	186.0
Copernicus.	5.$\frac{27}{60}$	16.$\frac{1}{2}$	22.0	91.0	161.$\frac{7}{8}$
Tycho, & Blancanus.	5.$\frac{14}{75}$	16.$\frac{2}{7}$	22.0	85.0	140.0
Longomontanus.	5.$\frac{807}{1000}$	18.$\frac{1}{5}$	26 0	95.0	196.0
Keplerus.	15.0	47.$\frac{1}{10}$	176.0	706.0	3375.0
Lansbergius.	7.$\frac{17}{30}$	24.✠	46.0	176.0	434.0
Bullialdus.	7.✠	22.$\frac{2}{7}$	39.0	156.0	343.0
Wendelinus.	64.0	200.$\frac{96}{100}$	3216.0	12864.0	262144.0
Kircherus.	5.$\frac{1}{5}$	16.✠	21.0	83.0	140.0
Rheita.	10.0	31.$\frac{4}{10}$	78.0	314.0	1000.0
Ricciolus.	33.$\frac{5}{6}$	106.$\frac{15}{100}$	885.0	30056.0	38600.0

Annotatio.

In descriptione Solaris corporis secutus sum *Scheinerum*, *Kircherum*, & Recentiores communiter. Ingero tamen scrupulum curioso Lectori, indicoque certa mihi experientia innotuisse, quod Solare corpus per tubum concavo-convexum in cameram obscuram immissum, ita quidem imaginem Solis, sicuti *Kircherus* exhibet, exactissimè in objecta charta præsentarit; verum quod & moto in gyrum tubo, totum etiam phœnomenon simul cum ignibus, faculis & maculis commotum fuerit. Hoc verò minimè fieri debuisset, si non à vitris, sed ab ipso Sole ista imaginis appatitio proflueret. Unde si ex hoc phœnomeno tanquam experimento comperto afferatur ista Solaris corporis ita descripta habitudo & structura: non facilè assentior. Si verò probabili aliquo ratiocinio procedatur, talem, ut retuli, me admittere posse assero.

§. II.

De variis Solis motibus notabilia scienda.

Solis motus ab Ortu in Occasum.

1. Sol maximus ille Planetarum Princeps, & Astrorum moderator, dux temporum & dispensator, movetur imprimis ipso sensu oculorum judice, & teste fidissimo verè & propriè circà Terram ab Oriente per meridiem in Occidentem, indeque per mediam noctem in Orientem revertitur. Testatur Sac. Scriptura *Ecclesiastis cap. 1. v. 5. 6. & 7.* dum ait, *Oritur Sol & occidit, & ad locum suum revertitur: Ibique renascens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit Spiritus, & in circulos suos revertitur.* Quæ verba in sensu literali explicari debent, nisi evidens absurdum emergi velis. Fatentur Philosophi & Astronomi Veteres & Recentiores penè omnes, nisi Copernicum cum suis Asseclis excipias. Estque hic motus continuus & uniformis, ut patet ex umbris corpotum, Solísque altitudinibus, quæ continuò & uniformiter crescunt, atque decrescunt, ptout Sol accedit, vel recedit à Meridiano. Communis etiàm hic motus est cum reliquis Sideribus omnibus, dùm prædicto modo ab Oriente in Occidentem moventur, motu scilicet primi mobilis, & motu raptûs, ut loquuntur.

Motus proprius Solis ab Occasu in Ortum.

2. Præter motum cum aliis Stellis, & Planetis communem jam indicatum Sol alium habet motum proprium, quo nempè sub Zodiaco, & media lineâ Eclipticâ super ejusdem axe & polis f.f.f. movetur etiam in consequentia, hoc est, ab Occidente in Orientem. Et quidem hoc motu suo proprio, quo ab Occidente in Orientem fertur f.f.f. continuò Sol unâ lineâ

lineâ incedit, quæ Ecliptica dicitur, extra quam, nunquam evagatur, nec ab Æquatore unquàm versùs utrumque Polum plusquam Grad. 23. min. 30. ut communiter omnes affirmant, declinat.

Motus diurnus est spiralis.

3. Prædicto quoque motu non progreditur ſemper per eandē viam, ſivè non conficit eandem ſemper circulationem, ſed diverſas: non enim ſempèr oritur, & occidit in iiſdem punctis Horizontis, nec tranſit ſempèr per eadem Meridiani puncta; nam modò ad verticem noſtrum accedit, modò ab eodem recedit. Undè conſtat Motum diurnum Solis non eſſe perfectè circularem, ſed ſpiraliter ſphæricum; deſcribit enim, ut conſtanter hactenùs obſervatum eſt, hinc & indè ab Æquatore versùs utrumque Polum deflectendo Spiras 182½ circiter.

Motus Solis annuus non est æquabilis

4. Annuus Solis motus proprius apparens æquabilis non eſt, quià plus impendit temporis ab Æquinoctio verno ad Autumnale, quàm ab Autumnali ad Vernum. Et hoc eſt omni ævo compertum. Ab Ariete namque verno Æquinoctii puncto ad Libram usque notavit *Ptolemæus* intercedere dies 186, horas 11. *Tycho* horis 11 ſuperadiecit 7. *Ricciolus* tres & minuta aliquot: cùm interim ſignis alterius hemicycli percurrendis impendat Sol dies 178, horas 18, vel juxtà *Tychonem* horas 11; aut certè, quod vult *Ricciolus*, horas penè 15.

5. Orbita Solis, quæ motu proprio deſcribitur, eſt Excentrica, cujus Excentricitas etſi varia à variis Authoribus tradatur: probè tamen recipitur partium 3567: aut ſecundùm *Ricciolum* 3461; qualium nempè radius eſt 100000.

Excentricitas.

6. Excentricitas Solis invariabilis & immutabilis eſt, & ſi quæ varietas, & mutabilitas à diverſis Authoribus diverſo adducatur tempore, obſervationis defectui potiùs, ex incertâ loci obſervatorii latitudine, vel ex inſtrumentorum improbitate, vel aliis circūſtantiis adſcribi poteſt.

Motus Apogæi Solis.

7. Motus Apogæi Solis annuus à diverſis quoque diverſus adſtruitur. *P. Claudius Milliet De Chales* definit min. 1. ſec. 10. Tert. 30. Unde conficitur periodus tota Annorum 13811. Eſt porrò motus hic Apogæi Solis æquabilis, cum ejus inæqualitas nullis certis & ſolidis fundamentis aut obſervationibus comprobari poſſit. Epocham quoque pro loco Apogæi Solis *Ricciolus* ex obſervatione ad Annum 1646 ineuntem aſſignat in Grad. 7. min. 26. Cancri.

Quantitas motus annui Solis

8. Motus Solis annuus numeratur à principio Arietis ſivè Æquinoctii Verni; cujus quantitas juxta revolutionem integri circuli Grad. 360. in anno communi Solari conſtituitur dierum 365, horarum quinque, min. 48. ſec. 42. Tert. 7. Vel neglectis minutis, Tertiis, Secund. 45. licet omninò exacta periodus motûs annui Solis reverà nondum conſtet, unde emergit

			I	II	III	IV	V
Motus Solis	*Diurnus Gr.*	0.	59.	8.	19.	49.	15.
	Horarius G.	0.	2.	27.	50.	49.	34.
	Minutarius	0.	0.	2.	27.	50.	29.

Dies naturalis & Artificialis.

9. Dies naturalis eſt una Solis revolutio, donec redeat ad eundem Meridianū, à quo digreſſus erat. Impendit in hac revolutione peragendâ Sol horas 24 uſuales, & Aſtronomicas. Dies verò Artificialis eſt pars revolutionis Solaris, quæ ſuprà Horizontem abſolvitur, & conſequenter à nobis advertitur.

Crepuſculum.

10. Crepuſculum eſt tempus illud, quod intercedit inter ortum & Occaſum Solis, ac primum, vel ultimum lucis fulgorem. Aſtronomi ex obſervatione extendunt illud tempus communiter ad 18 depreſſionis gradum; in quo dum Sol exiſtit, incipere, vel finiri dicitur Crepuſculum.

Dies Solaris longior est die ſtellarum, & primi Mobilis.

11. Dies ſtellarum longior eſt die primi Mobilis, & dies Solis longior eſt utriſque. Nam quia dies primi mobilis, aliud nihil eſt, quam tempus illud, quo punctum aliquod primi mobilis à meridiano digreditur, & per occaſum & ortum ad Meridianum regreditur. At ſi initium Arietis primi mobilis hodiè in Meridiano inveniatur, rurſúmque cras ad illum revertatur: tempus illud inter duos tranſitus per Meridianum vocabitur dies primi mobilis. Hæc revolutio ſemper eſt æqualis in duratione, quia nulla eſt ratio in contrarium. Dies autèm ſtellarum eſt tempus, quod inſumitur â ſtellâ, dum à Meridiano digreſſa ad eundem regreditur: Revolutio autèm illa priore longior eſt inde tantillùm quantitate reſpondente motui diurno ab occaſu in ortum, quia ſtella interim progreſſa paulò ſeriùs ad eundem Meridianum revertitur: conſequentèr hæc revolutio non erit æqualis in duratione, ſed priore primi Mobilis, etſi inſenſibiliter major & longior. Adhuc autèm major erit revolutio diurna Solis ad diem Solarem conſtituendum, quia dies Solis eſt una revolutio ejusdem Solis, quâ centrum ejus à Meridiano digreſſum ad Meridianum regreditur. Hæc autèm revolutio longior eſt ex ſimili causâ quoad durationem revolutione cujusvis ſtellæ: quia Stella quælibet citiùs attingit Meridianum, adeóque Solis dies longior erit utroque.

Præceſſio Æquinoctiorum.

12. Cum præceſſio Æquinoctiorum ſit differentia inter annum ſidereum, & annum Solarem propriè dictum: aut ſaltem ſit talis, quæ ab eo motu ortum habeat: Hinc Annus ſidereus major eſſe debet anno Solari Solſtitiali, vel Æquinoctiali, & exceſſus ejus eſt æqualis motui ſtellæ in conſequentia. Ratio eſt, quia quo tempore Sol percurrit Eclipticam, & ad idem Æquinoctiale, aut Solſtitiale punctum revertitur: Intereà ſtella promovetur in conſequentia. Majus ergò tempus impendet Sol, ut denuò ſtellam attingat, quàm ut ad Æquinoctiale, vel Solſtitiale punctum revertatur.

Anni medii æquales.

13. Nulla ex præceſſione Æquinoctiorum inæqualitas cum ſano Veritatis fundamento refundi poteſt in Annum medium Solarem. Undè omnes Anni

medii sunt æquales: Dico autem Annum medium nihil esse aliud, quàm tempus, quo linea medii motûs à puncto Eclipticæ digressa ad idem revertitur.

Anni veri inæquales. 14. Anni veri insensibiliter sunt inæquales, & idem Annus verus à diversis principiis inchoatus varius est insensibiliter. Nam quià verus annus est tempus, quo linea veri motûs Solis ab aliquo Eclipticæ puncto digressa ad idem revertitur: non semper autem eodem temporis intervallo contingit Solem ad idem punctum reverti: quia differentia inter Annum medium & verum non semper æqualis est, sed variat ob promotionem Apogæi Solis; ac consequenter prostaphæresis etiàm variat. Hinc annus à diversis principiis inchoatus etiàm varius erit, insensibiliter tamèn in comparatione unius anni ad alterum proximum; quià Apogæum tantùm min. 1. sec. 10. in uno anno solari promovetur. Longo tamen intervallo differentia notabilis emergere solet.

15. Quia Superiores Planetæ Sole tardiores sunt; Sol eosdem inter unam periodum sæpiùs assequi, illisque conjungi, & etiam opponi solet. Undè Saturnum inter unam Ejusdem revolutionem attingit vigesies novies: cum Jove undecies aut duodecies conjungitur, & eidem opponitur; cum Marte bis intra unam nempè periodicam revolutionem. Si mediæ quoque spectentur revolutiones synodicæ Sol digressus

à Saturno	ad eundem regreditur intrà dies	378.
à Jove		399.
à Marte		780.

16. Mercurius & Venus Soli nunquàm opponi, illi tamen conjungi possunt, & suprà & infrà ipsum. A conjunctione autèm Veneris Superiori ad aliam ejusdem speciei requiruntur dies 584, & in Mercurio dies 116.

Refractio Horizontalis. 17. Cum Sol Horizontem ascensu superat, maxima ejusdem Horizontalis refractio esse solet minut. 32, sec. 30; Horizontalis verò parallaxis secund. 30. semper autem tutò negligi potest Solis parallaxis, cùm dimidiatum minutum vix excedat. Sed quod etiam paucis memorandum, Sol quoque solet præsertìm circà ortum & occasum tremulus conspici, atque veluti vertiginem pateretur circà proprium axem circumduci, & quasi aliquo modo subsultaret, apparere. Verùm hic tremor aliundè non provenit, quàm ab interpositis vaporibus, qui calore agitati, tremorem quendam præseferunt, ac proindè eos trajicientes radii eo modo, oculi retinam concutiunt, ut subsilire Sol & tripudiare videatur; eo planè modo quo lapis in fundo fluminis quiescens ad superfluentis & commotæ aquæ cursum tremere, ac quandam vertiginem pati cernitur. Solet etiàm Sol Horizonti proximus major apparere, quàm ab eo dissitus, dum scilicet circa Meridianum in cœli vertice versatur: tunc etiam altior & evectior quoque conspicitur; cujus deceptionis ratio à radiorum refractione petenda est, quæ nempè in vapore rorido ad Horizontem peragitur; horum enim inflexio angulum visorium dilatat, & rei conspectæ, velut Solis magnitudinem auget. Secùs accidit, dum Sol in medio cœli versatur, ubi radii solares imaginem Solis in oculum importantes per diversa media rariora ità refracti eundem oculum incurrunt, ut angulus visorius in oculo coactetur, & minuatur, adeóque corpus solare minus conspiciatur. Et quia radius, qui à puncto Atmosphæræ, in quo refractio contingit, & ad oculum continuari intelligitur, non ad Solem rectà terminatur, sed aliquandò suprà illum porrigitur, indè præbetur sensui occasio Solem apprehendendi altiori, quàm reverà sit, loco contueri.

18. Occasione, qua macularum observatio à Curiosis Philosophis, & Mathematicis in Sole instituta fuit; deprehensus est alius adhuc motus proprius Solis circà suum centrum, qui & Vertiginis dici consuevit. Hic autem motus est ferè menstruus, quià peragitur spatio 27 dierum circà proprium centrum, axémque non similiter tamen inclinatum; cùm inclinatio ea identidem mutetur, prout Sol alia atque alia signa æstiva, vel hyemalia percurrit. Vertiginis motus in Sole.

19. In maculis præsertim primariis circà Solis discum conspicuis notat etiàm *Hevelius* triplicem motum *Localem* scilicet, *Generationis* ac *Corruptionis*, item *Rarefactionis*, & *Condensationis*. Duo posteriores facilè ex dictis superiori § colligi possunt. Prior autèm ab Eodem iterum triplex statuitur, & declaratur ab ipso *Selenogr. cap. 5. pag. 89.* his verbis. *Hic*, inquit, *primum per motum Solis diurnum (si is in Ecliptica mobilis constituitur) peragitur, cujus ope maculæ simul ab ortu in occasum promoventur. Alter fit per motum Solis Ascensionis, & descensionis quotidianæ, quem Verticalis linea cum linea Eclipticæ ad centrum Solis vergente comprehendit. Hinc quippè Sol motu suo diurno quotidiè tempore antemeridiano ascendit, & pomeridiano descendit. Undè angulus Eclipticæ, & Verticalis singulis momentis in Sole mutatur ob variam Eclipticæ exaltationem, ejúsque ad verticalem circulum inclinationem, & quidem intrà horam sensibiliter. Propterea etiàm maculæ non uno in loco Solis semper videntur insidere &c. Tertius motus macularum proprius, & naturalis est, qui semper incipit in parte Solis Orientali, & in Occidentali desinit, quem intra duodecim, tredecim, aut ad summum quatuordecim dies peragunt, prout majorem, vel minorem obtinent latitudinem.* Quomodò autem hic motus singulis anni diebus non sit uniformis, nec eâdem semper feratur lineâ, ac plura alia haud inerudita circa ipsum vide in Authore *loc. cit.* Motus macularum Solarium.

§. III.

§. III.

De mirabilibus Globi Solaris viribus, fœcundis qualitatibus & influxibus ad res Geocosmicas afficiendas.

Luce Solari nihil in mundo excellentius.

1. Quemadmodùm in totius Universitatis œconomiâ ter Opt. Naturæ Conditor Deus mortalium generi, & toti huic elementari Mundo Solari globo (cujus virtute, & mirabili influxu omnia ubertim generantur, ac mirificè conservantur) quodpiam præstantius haud dedit, ità certè reconditæ Sapientiæ suæ, potestatisque quasi compendium quoddam in eo posuisse videtur, quod ipsum etiam Divinus Psaltes asserere voluit, *dum in Sole tabernaculum suum posuisse* palàm contestatus est. Inter omnes autem potestates, & eximias facultates hujus splendidissimi corporis meritò primum locum habere videtur, quod Clariss. *D. Hevelius Selenog. cap. 5.* indicavit his verbis: *In orbe universo nihil majus, nihil cum majori admirabilitate conjunctum, quàm lumen Solis, quod de se in totum mundum diffundit, & terram versùs circulariter, & pyramidaliter projicit.*

Finis lucis Solaris.

2. Finis autem lucis à Solari globo profectæ generalis respectu totius Universi censetur præprimis esse ornatus hujus Mundi, de quo præclarè inquit *D. Ambrosius lib. 1. cap. 9. Hexameron. Lux prima gratia est ædificii, quæ si desit, tota domus deformi horret in cultu: Lux est, quæ reliquos domûs commendat ornatus.* Respectu verò Creaturarum in mundo existentium, ac comprimis Geocosmicarum rerum finis generalis est, ut eâ præsente benè sit rebus omnibus tam animatis, quàm inanimatis, adeò ut rectè dixerit *S. Dionysius in lib. de div. nomin. cap. 4. Lucem movere ad vitam, nutrire, augere, perficere, purgare, renovare.* Et ut *Valesius cap. 1. Sacræ Philos.* ait: *Lucem tribuere rebus vitam, ignem generationum omnium parentem per omnia circumducendo.* Hinc etiam *Avienna in lib. Meteorolog.* scribit: *Lumen esse cœlestium virtutum, & quidem omnium veluti vehiculum. Plato verò in Tym.* complexus utrumque finem rectè sic docet: *Ingeniavit Deus rerum conditor lucem clarissimam, quam Solem vocamus, cujus splendore cœlum, & inferiora omnia illustrantur, ut numerus existeret omnium animantium.*

Lux Solaris quàm amica sit rebus Geocosmicis.

3. Adeò Lux solaris amica omnibus rebus Geocosmicis per abditam quandam virtutem esse solet, ut mox in exortu ejusdem aspectu homines non tantùm mirificè relevari, & recreari, animalia lætari & exultare, aviculæ cantillare & aërem pervolare, sed etiàm herbæ, flores, plantæ quodammodò reviviscere, & veluti ridere videantur. *Secundum enim Solis ascensum*, ut *Bartholom. Anglicus lib. 8. cap. 28. de rerum propr. ex Alexandro* refert, *super nostrum Horizontem virtutes animalium fortiores efficiuntur, & usquè ad medium cœli augmentantur, & in ejus declinatione usque ad occasum propter ejus elongationem debilitantur corpora in suis virtutibus, & quasi in somnum resolvuntur, ut patet in floribus, qui aperiuntur in ortu Solis, qui in occasu marcescunt quodammodò, & clauduntur.*

Animalia lucifuga sunt ferociora.

4. Omnia animalia, quæ lucis usu delectantur, mansuetiora comperiuntur; quæ verò lucem fugiunt, & in abditis terræ specubus, ut plurimùm latibula sua quærunt, immitiora, ac ferociora solent esse. Sic enim experientia testatur, feras, ac bestias, quæ sylvas densiores, & tenebricosiores incolunt, esse ferociores. Sicut etiam ipsius sacri eloquii testimonio *Joan. 3. v. 10. Omnis, qui malè agit*, (qualis meritò inter feroces computari potest) *odit lucem, ut non arguantur opera ejus.*

5. Præter innumerabiles, quas *S. Dionysius* Lucis Solaris collegit utilitates, haud postrema censetur esse, quod mirificè vitales spiritus calore vivifico afficiat, corporibusque vigorem adducat. Undè plerique meliùs habent interdiu, quàm noctu; plurimique imminente vere, & Sole ad nos redeunte ex hybernis morbis convalescunt. *Vide Pleierum in Medico Critico - Astrologo. Minderum in Trenod. Med. Pictorium Dial. 1. Succis. Lect.*

Calor à Sole.

6. Non tantùm Lumen, sed & calor à Sole in terraqueum nostrum globum mirâ admodùm virtute constanter profunditur. Constat enim experientia loca illa in Geocosmicâ structurâ, quæ Solis tramiti in cœlo propiora sunt, vel directiùs subjiciuntur (ut sunt ea, quæ Æquinoctiali sunt viciniora) æstus majores pati, & nos æstivis mensibus, quandò Sol nobis propinquior existit, majorem sentire calorem, quàm in hyeme, dùm longiùs à nobis discedit. &c. Quomodò autem calor ille per lumen producatur, & in terrenum globum diffundatur, *Kircherus* explicare conatur *in Art. mag. Lum. & umb. lib. 1. part. 1. cap. 13.* & concludit tandem Lumen causam esse caloris *non ex motu, quo movetur, sed potiùs ex motu quo movet, & dissolvit aëris lenti, humidique pertinaciam, quâ superatâ calorem sequi necesse sit.*

Radii Solares ab atmosphærâ terræ immutantur.

7. Cùm etiàm hæc Solaris globi radiosa luminis, & caloris viribus imbuta species efficacissima sit, ne continuatâ caloris intensione Terræ officeret; summo Naturæ consilio ordinatum est, ut hæc nostra terra regione vaporosâ, quam Atmosphæram dicunt, ex halitibus terrestribus, & vaporibus aqueis ipsiusmet Solis actione excitata perpetuò sit circumdata, in qua nimius æstus mirâ quâdam radiorum immutatione retundatur, & proportionali quâdam caloris intensione mundus afficiatur. Ob medii igitur vaporosi hujus in Atmosphærâ occursum fit, ut radiorum Solarium operationes diversæ contingant, & ut alio tempore, alióque loco plus, alio minùs calefaciant; Semper autem fortissima fit operatio radiis directis, quia hi sine ullo impedimento in superficiem terræ incidunt, & ibidem si denuò reflec-

reflectantur, in seipsos revertuntur, adeòque magis se intendunt. Segnior est paulò operatio, quæ refractis fit radiis; valentior tamen in uno, quàm in alio loco, prout nempè radii Solis obliquiùs, vel rectiùs in sphæram vaporosam incurrunt, eàque vel densior, vel rarior, profundior, aut tenuior extiterit: quo pacto radii Solares nonnihil enervantur, & quasi hebetantur. Maximè autem infirmi sunt radii reflexi, nisi, ut dictum suprà, in seipsos denuò revertantur. Omnium autem infirmissimum est Lumen, undè & perexiguus emanat calor, cùm Sole infrà Horizontem existente radii, & Lumen ejus in aversam Hemispherii partem delabuntur, ex quibus nempè Stellæ suprà Horizontem de nocte illustrantur, & nos indè Solis lumen in terram refusum accipimus.

Vis Panspermatica in Sole.

8. Quomodò porrò Sol generationis rerum Geocosmicarum fit causa, & ab eodem præter Luminis & caloris actionem etiam Virtus quædam panspermatica dimanet, subtili admodùm discursu declarat *Kircherus in Itin. Extat. 1. Dial. 1. cap. 5. §. 2.* hoc modo. *Quemadmodum,* inquit, *intellectus seipsum intelligendo species, & Idæas, quæ in ipso sunt, intelligit, & intelligendo operatur, hoc est, in animum sibi conjunctum, & species eas, earúmq; notitiam transfundit, animus verò in spiritum vectorem omnium agit; Sic Spiritus species in corporum tùm essentias, tùm vires transfundit, undè actiones omnes prodeunt, & prodeuntes res ipsas ad sui imitationem generant. Idem de Sole sentias velim; cujus Intelligentia dùm ideales species in se revolvit, intelligendo Spiritum mox in omnibus, & singulis Solaris globi particulis latentem exstimulat, undè Spiritus stimulatus, excitatúsque in corpus, & corpus vires & actiones extrà se diffundit; atque hoc pacto tandem res, quæ à Sole gigni dicuntur, generant omnes. Sunt autem Solis vires Lumen, & calor; & rerum Semina à Lumine suo recta, & in corpora hæc devecta, & à calore in vecta, & sata, causa sunt generationis rerum omnium, quæ in hoc sensibili Mundi Theatro spectantur: Lumen enim suum, sicuti seminalium rationum delator est, sic earundem mensura, numerus, & proportio: dum enim illuminat & quæ incepta sunt, subiens, & ea permeans calore comite separat, & congregat, & purgat, & movet, & generat, & nutrit, & adauget, & perficit, & removet, & vivificat, & continet, ità ut cuncta corpora eum veluti genitorem, motorem, calefactorem, illuminatorémque & denique uti vitæ datorem, conservatorémque agnoscant: Omnia enim hæc corporibus omnibus tùm influit, tum indit, cum manifestis luminis viribus, tùm occultis, & sympathicis quibusdam actionibus.* ità *Kircherus.* Quibus verbis satis innuit Solis operationes potissimùm Lumine & motu peragi; Undè deindè calor, & seminalium rationum virtus emanat, quocircà & concludit his verbis: *Atque hoc modo lumine & motu (Sol) juxtà Peripateticos in inferiora agit; motu quidem, ut radiorum & luminis delatore; lumine verò, ut delatore caloris Spiritûs, seminúmque, sinè quibus nulla fit generatio. Hic autem luminis calor, dùm terraqueum globum unà cum Spiritu, seminibusque penetrat, aquam terramque recreat, quæque ibi sunt, rarefacit, colliquat, fundit, movet, concoquit, densat, urit, siccat, temperat, nutrit, & caloribus, qui luminis sunt proles, propriis exornat singula.*

Calor Solis licet aliquandò non sentiatur, effectus tamen percipitur.

9. Calor Solis quantumvis cœlo serenissimo in Æstate ferventissimâ naturâ suâ sit efficax; in supremâ tamen aëris regione & altissimis montium jugis haud ità sentitur, quàm in tractu terræ viciniori: Semper enim propè terram calidior est aura, quàm ab eâdem remotior, propter radios in terrâ reflexos, atquè in se revertentes, & propter Spiritus calidos è terræ sinu evocatos: qui radii tàm reflexi, quàm Spiritus evocati ad mediam aëris regionem non pertingunt. Mirabile tamen est, quod licet calor in altissimis montibus sensu non ità percipiatur, effectum tamen nihilominùs animadverti. Ità testatur *Helmontius de gas aquæ, num. 14.* In altissimis montibus Helvetiæ, & Sabaudiæ Solem semper quidem serenum splendere, nisi fortassis ningat, calorem verò ejus non esse perceptibilem; vidisse nihilominùs sodalem in latere, quo Solis radii illum directè toto semisse diei ferierant, vultum & cervicem ambussisse, non secùs, ac si cantharides applicuisset; idque sinè caloris & doloris sensu. Subdit etiam *numero seq. 15.* Nivem tamen in monte non liquari illo Solis ardore, *eò quòd frigus,* ut inquit, *nivis & loci simul adæquata sint calori Solis. Quantò autem homo nive est calidior, tantò nimirùm ardor Solis superat, atquè potenter urit, eò quòd humanus tepor loci frigus ferè totum excludat, solisque ardor penè solitarius agat.*

Aërà calore Solis quomodò afficiatur.

10. Varia omninò est Solis æstu & calore agentis actio in Geocosmi subjectis. Nam calor Solis, quià mirè penetrativus est, & resolutivus terrestrium halituum, ac quorumvis etiàm in intimis terræ visceribus abditorum Spirituum: Prout igitur res vel locus, quem adurit, iisdem fœtus ac prægnans est, ejusdem generis halitus, ac Spiritus œconomiæ animalium salubres aut insalubres extrahere, & aëri commiscere, adeóque pro imbutæ, ac diffusæ qualitatis ratione emolumentum, vel nocumentum parere potest. Sic arbores & plantæ, dùm fervidissimis Solis radiis percussæ æstuant, humore è subtilioribus earundem partibus evocato, & in subtiles vapores resoluto, & exspirato aërem eâdem qualitate, quam humor ille vaporosus habet, imbuunt. Sic in campis Arsenicalibus, Mercurialibus, alijsque noxiis spiritibus turgentibus aër æstivus mirum in modum noxius efficitur; ut vel hinc causa pateat, cur quædam loca hominum sanitati ità sint infesta, & cur multi in campis, & montibus sub dio dormientes paralysi, tremore totius corporis, omniumque membrorum convulsione non aliâ de causâ nisi ob Spiritus metallicos ibi latentes, Solis autem ardore evocatos, & in subjecta corpora ibidem derivatos invadantur.

dantur. Sicut notum est in Andibus Peruviæ plerisque vomitus aliaque Symptomata exotica evenire non nisi ob Antimonii & Sal nitri cerebrum & stomachum infestantis copiam. Sic & in locis paludosis ac humidis, ubi Sol continuò humores evehit, äër etiam crassus, nebulosus & insalubris existit. Econtrà loca salutiferis herbis, veluti Rosis, Thymo, Origano, Nardo, aliisque salutiferarum plantarum speciebus consita, dum æstu Solari aduruntur, resolutis earum particulis äërem etiam salutiferâ afficiunt qualitate; Undè corpora non hominum tantùm, sed & animalium quorumvis confortari & corroborari solent.

Ortus & interitus rerum per annum.

11. Experientia constat Solem vertici in aliquo terræ loco extra Zonam torridam appropinquantem generationes & vitas rerum promovere, à vertice verò nostro recedentem destructionem & interitum paulatim moliri. Ita ab hyberno solstitio, dum Sol ad nos revertitur, experimur succum in plantis ad vegetationem præparari, ampliùs autem moveri cum ad medietatem sui motûs Æquinoctii scilicet verni punctum, sive Arietis signum pervenerit, quod etiam meritò *Porta generationis* & renovationis rerum terrestrium dici potest; A solstitio verò æstivo uberiore succo ad fructus devoluto, ad perfectæ maturationis statum eosdem perduci, quo acquisito ad Æquinoctium autumnale, sive dum Sol Libræ signum ingressus fuerit, succum recedere, fructusque & folia decidere, adeóque destructionem & interitum rebus tandèm advenire liquidò perspicimus. Sub Zonâ verò torridâ, quia Sol bis vertici incumbere solet, alia prorsùs est ratio, adeóque ferè ortus & interitus bis, aut nullus per annum etiam obtingere solet.

Macularum copia in Sole quid notet.

12. Cum magna in Solari corpore macularum exuberantia notatur, è vestigio innumera mala, velut äëris corruptio, pestis, & plures aliæ calamitates terrarum orbem affligere solent: multò autem evidentiùs, cùm Luna intercedente Sol eclipsari multùm cernitur. Tali enim deliquio ad macularum solarium majorem exuberantiam accedente dici vix potest quantum detrimentum subeat aura illa vitalis, quâ omnia vivunt in inferioribus: mox enim ac peregrina cœlestis influxûs fuligine äër tingitur, à statu naturali deficit, & in putres & exitiales partes paulatim ità disponitur, ut maximæ indè calamitates exoriri soleant. Exempla dabimus infrà. Cùm verò nullæ in Solari disco maculæ observantur per æstatem, immodicus calor in Geocosmo fervere, & indè frugum meliorum optimus proventus consequi solet, uti accidit Annis 1618, 1632, & 1653. hujus currentis Sæculi, quibus nullæ in Sole maculæ à sagacissimis etiàm observatoribus notari potuerunt: Æstus verò ingens tellurem exussit, & maxima siccitas consecuta fuit.

13. Singulari porrò, ut seriò rem perpendenti facilè patebit, divinæ providentiæ dispositione ordinatum est, ut Sol maximus iste Planetarum Princeps tàm diversos in cœlo perageret motus, ut nempè præprimis præter diurnam revolutionem annuum quoque suum ordinatissimum per obliquam Eclipticæ semitam continuaret motum, quo priori omninò contrario nunc ad Austrum, nunc ad Boream conversus omnes Mundi partes & angulos, omnia terræ climata ex æquo perlustraret, virtutisque suæ influxum omnibus & singulis Orbis tractibus Summâ justitiæ lege communicaret; Undè etiàm quatuor Anni tempora & Status Veris, Æstatis, Autumni & Hyemis orirentur, quibus non tantùm dierum & noctium miræ in terris vicissitudines; verùm etiàm caloris nunc aut intensio, aut remissio, plantarum & vegetabilium nunc aut incrementa, aut decrementa, ortus nunc aut interitus rerum aptissimâ coordinatione provenirent; qua etiàm nulla gens, nulla in terris natio, nullum clima altero plus minusque lucis ac tenebrarum acciperet. Ita Populi suppolares quamvis sex mensium spatio subductæ luce solari continuam sentiant noctis caliginem, illud tamen subductæ lucis detrimentum jisdem pari continuæ lucis affulsione per integrum semestre spatium denuò rependitur. Ideò qui sub Æquatore habitant dies & noctes perpetuò sortiuntur æquales, ut Solis nimius æstus pari duratione nocturni frigoris temperetur. In reliquis verò mediis terræ tractibus vicissitudines temporum ità per Solis obliquum temperantur tramitem, ut longitudo dierum & noctium in oppositis circuli sui locis brevitate dierum & noctium recompensetur, adeòque in omnibus orbis partibus tantùm semper lucis per annui spatii decursum, quantum tenebrarum, tantùmque tenebrarum, quantùm lucis constituatur.

Quatuor Anni tempora.

Æqua Solis collustratio ubivis in terrâ.

Rerum terrestrium alterationes in quatuor Anni temporibus.

14. Prout tempora per anni delapsum à Solis, aliorumque siderum influxibus immutantur; ità res terrestres miram quoquè abindè sortiuntur alterationem & immutationem. Imprimìs autèm in principali terræ subjecto, quod est Microcosmus, sivè Homo, miræ suboriri solent alterationes in natura & temperamento annuis immutationibus & alterationibus à Sole profectis respondentes. Sic enim videmus cum temporum circumstantiis etiam varios morbos ingravescere, aut mitescere. Quocircà & *Hippocrates* plures Aphorismos de temporum observationibus, præsertim in tertio suo *Aphorism. libro* tradidit, inter quos *decimus nonus* ità se habet: *Morbi omnes quidem omnibus temporibus fiunt; quidam verò magis in quibusdam ipsorum & fiunt, & excitantur.* Quem locum meliùs explanans *Cardanus* ità scribit: *Ergo primùm tempora morbos producunt vel ratione loci Solis, vel motûs ejus, vel comparatione ad præterita: velut æstas ratione Solis movet febres ardentes & tertianas, quoniam calida & sicca generat ilem flavam multam, & eam etiam accendit. Ratione* mo-

motûs autem Ver generat pustulas, & lepras, & impetigines naturâ transmittente ab intus ad extrà. Quod enim conceptum est tunc protruditur, ut etiàm in arboribus, quæ germinant, & herbis, quæ â terrâ erumpunt. Ratione temporis præcedentis Ver generat atram bilem & furorem ob humores genitos in Autumno antè, qui non potuerunt digeri per hyemem ob subsequens frigus, & gravedines, & raucedines, & tusses ob pituitam præcedentis hyemis. In Autumno stillicidia urinæ & difficultates intestinorum ob bilem flavam in æstate genitam, & melancholiæ, & furores ob Solis situm. Talis enim humor generatur, & aqua intercus ob imbecillitatem caloris naturalis, quæ advenit ob recessum Solis â nobis. ita *Cardanus.* Quales verò morbi in specie per quatuor anni tempora potissimùm pergrassari soleant, indicat *Hippocrates* ibidem in quatuor subsequentibus Aphorismis, quos nonnemo haud inconcinnè his versibus comprehendit.

Morbi Vere potissimùm grassantes.

Hippoc. lib. 3. Aphor. 20.

Hi verno fieri soliti sunt Tempore morbi:
Lepra, Melancholiæ, raucedo, gravedo, furórque
Sanguinis effluxus, tussis, Angina, caducus.
Asperitas diversa cutis, vitiligo, Lichenes
Deniquè & in articulis dolor, & tubercula multa.

Morbi æstate magis invalescentes.

[Aph]or. 21.

Æstivo nonnulli horum quoque tempore fiunt,
Continuansque febris, vel quæ vehementius ardet,
Quæ terno, quartovè die redit, ulcus in ore.
Opthalmia, aurisque dolor, putredoquè turpis,
Sudores, vomitus, nec non profluvia ventris.

Morbi autumnales.

Aphor. 22.

Æstivi Autumno quoquè multi, & Volvulus, Hydrops,
Quartanæ, dubiæque febres, splenisque tumores,
Tormina, difficiles urinæ, lævior alvus.
Et dolor in coxis, Angina, Epilepsia, tabes,
Asthma, Melancholiæ, nec non vesania mentis.

Morbi Hyemales.

Aphor. 23.

At Brumæ tales sunt sub tempore morbi:
Phlegmone pulmonum, pleuræ, raucedo, gravedo,
Lethargus, capitis vertigo, Apoplexia, tussis,
Thoracis quoquè lumbrorum, cerebríque dolores.

Quadræ diei.

15. Sicuti Sol coruscum illud Lucis æthereæ jubar integro annuo suo motu per Eclipticam diversa constituit tempora, quibus diversimodè subjecta terrestria afficiuntur: Ità quoquè diurno suo motu dividens orbi diem diversas quadras constituens, & in his singulis diverso modo tellurem afficere comperitur, adeò ut meritò Tempus creperum matutinum, quo Sol exoritur, Ver diurnum; media verò dies Æstas, vespertinum tempus Autumnus; Nox verò Hyems dici possit. Quocircà etiàm Medici diem in quadras suas medicas rectè ità dividunt, initium primæ quadræ sumentes à tertiâ horâ Europæâ matutinâ, quæ se extendit usque nonam antemeridianam: Et in hac quadrâ diei sanguis calere dicitur. A nonâ usque ad tertiam pomeridianam, quæ quadra respondet æstati, sanguis fervere, æstuare, & excalescere statuitur. A tertiâ ad nonam nocturnam, quod tempus Autumno respondet, sanguis lentescere solet: Indè tandem sequitur quadra ultima hyemalis nocturna ab horâ nonâ ad tertiam matutinam se protendens, quâ Sanguinem crassescere volunt. Atquè hic sanguinis motus diurno Solis motui respondens breviter his versibus comprehenditur:

Luce calens primâ sanguis, mediâ æstuat: indè
Lentescit nocte, & mediâ crassescit eâdem.

Sicut etiam sanguinem in his quadris alterari statuunt Medici, ità & temperamenta illis diversa assignant iidem. Prima enim quadra Sanguinea & aërea constituitur: Secunda ignea cholerica: tertia aquea phlegmatica: quarta hyemalis terrea melancholica. *Sed hæc de præcipuo Solis influxu generali in res Geocosmicas producta sufficiant.*

§. IV.

De admirando Solis influxu ad commovendas res quasdam Geocosmicas in specie.

Oculi sympathia cum Sole.

1. Imprimis oculus in animalibus speciale quid habet, quod cum Sole, ejusque primariâ virtute, seu luce conveniat; Sicut

cut enim Sol radios suos undique in orbem quaquaversùs expandit: Ità oculus iride Solis quasi radiantis imaginem exhibente cinctus amicos lucis radios undiquaque denuò allabentes excipit, iisque ad bellè videndum afficitur. Undè gaudet oculus potissimùm luce Solari, eâque res quasvis collustrante movetur æquiùs ad easdem discernendas. Quod etiam oculus est in animali, hoc Sol est in mundo; quocircà etiàm rectè Sol *oculus mundi* à multis appellari consuevit.

Lapidem Solarium quorundam natura.

2. De quibusdam lapidibus Solaribus sequentia refert *Cornel. Agrippa Philos. occ lib. 1. cap. 23. Lapis, qui dicitur Solis oculus figuram habens similem pupillæ oculi, ex cujus medio radius emicat, confortat cerebrum, confert visui.* Lapis igitur prædictus cum oculi & Solis characterismo insignitus dicatur, etiam visui conferre perhibetur. Subnectit porrò *Agrippa. Lapis Iris similis in colore crystallo, qui ut frequenter reperitur hexagonus, quando sub tecto pars ejus radiis Solis opponitur, & pars altera in umbrâ tenetur, colligit radios in se Solares, quos projiciens reflectendo facit apparere Iridem in opposito pariete. Item Heliotropius Lapis viridis ad modum Jaspidis, vel Smaragdi guttis rubeis stellatus facit constantem, gloriosum & bonæ famæ, confert ad vitæ longitudinem: Et est virtus ejus mirabilis, quam habet in radios Solares, quos in sanguinem convertere dicitur, hoc est, apparere sanguineos, quasi Sol pateretur Eclipsim, quandò videlicet inungitur succo herbæ ejusdem nominis, & in vas plenum aquæ ponitur: & est alia virtus ejus mirabilior in oculos hominum, quorum aciem ità perstringit, atque ità obcæcat visum hominum, ut videri non permittat gestantem se, quod tamen non facit sine adjutorio herbæ ejusdem, quæ & Heliotropium vocatur, hoc est Solsequium.* Addit etiam præfatus Author *Alb. Magnum* & *Guilielmum* Parisiensem in Scripturis suis has virtutes confirmare. Verùm multa, quæ de lapidibus traduntur, falsa esse certius est, quàm ut ampliùs commendari debeant. Oculus etiàm Solis supra memoratus vocatur ab aliis *Mithrax* Persarum, *Pseudopalus*, & *oculus Cati* seu *felis*, ut *Becherus* meminit ex *Jonstono Phys. subterr. lib. 1. sect. 6. cap. 3.* quod oculum animalis hujus apprimè exprimat ex lacteo & fusco in medio veluti quodam divortio separatis in alterâ semper parte (si invertas) candidior & lucidior. Memoratur ab eodem *Bechero* ibidem *Oculus Beli*, qui albicans pupillam pingit nigram è medio aureo colore lucentem: Item Oculus mundi, lapis scilicet pisi magnitudine, eboris colore, qui aquæ injectus limpidæ, statim ab orâ ad centrum mox totus translucet & splendet; extractus sensim lumen amittit. Scribit etiàm *Cardanus Helitem* gemmam *Clementem* VII. Papam habuisse, cui inerat aurea quædam macula, quæ juxta Solis motum singulis diebus Oriens & Occidens circumagebatur.

Phosphori contractam lucem Solarem in tenebris refundentes.

3. Dudum jam pervulgatum est in agro Bononiensi fossile quoddam reperiri, quod certâ quadam ratione præparatum (in calcem nempè priùs redactum, deinde albumine, vel oleo lini, vel etiàm tantùm aquâ communi in massam denuò compactum, & in lapidem efformatum) Luci deinde Solari expositum, eandem adeò fortiter atttahit ac imbibit, ut scrinio occlusum, & in locum obscurum delatum apertóque scrinio exemptum conceptam lucem mox effundat, & in tenebris haud secùs ac vivus carbo coruscet, tantò quidem cum efficaciori lumine, quanto illustrior & eminentior fuerit lux Solaris, cui lapis iste Luminaris expositus fuit. De hoc Phosphoro Bononiensi integrum evulgavit librum *Fortunius Licetus*; itemque programma aliquod *Ovidius Montalbanus*. Describit etiam *Kircherus in Art. Magnet. lib. 3. part. 3. cap. 4. qu. 2.* Aliud etiam genus Phosphori adinvenit *D. Christ. Adolphus Balduinus*, atque Anno 1675. peculiari libello sub titulo *Phosphori Hermetici*, sivè *Magnetis luminaris* Orbi literato publicavit. Is autem Phosphorus non tantùm ex radiis Solis, sed etiàm æquè benè ex aëre illuminato, Sole nimirum suprà Horizontem existente suum mutuatur lumen, neque de lapide Bononiensi quicpiam participat, ut memoratur *Ephem. German. Medico-Phys. Dec. 1. Anno 8. Obs. 19.* Plures alii Phosphori & noctilucæ materiæ diversarum compositionum passim prostant apud Curiosos. De Sole etiam artificiali perpetuò mobili legatur *Hermes Curiosus Christ. Adolphi Balduini.*

Radii Solares per specula, & lentes collecti quam efficaces.

4. Radii Solares artificiosè per specula concava aut vitreas lentes collecti non nisi Solis imaginem vivacissimam efformant: Ea tamen imago tam corusco jubare splendere solet, haud secùs, ac ipse Sol cœlestis, ut libero intuitu aspici sese non patiatur, tam potens quoque virtute, & efficaciâ esse solet, ut momento sæpè res omnes combustibiles incineret, & comburat. Excelluit in ejusmodi Speculis conficiendis *D. Vilettius* Mathematicus Lugdunensis quibus admirandos valdè præstitit effectus: non tantùm enim materias, quascunque combustibiles oblatas momento temporis combussit, verùm etiàm metalla omnia liquefecit, in vitrum redegit lateres, argillam, cœmentum, lapides, & ossium omne genus, ut memoratur in *Zodiaco Medico-gall. Anno 2. Mense Aug. Obs. 7.* Plurimi Authores existimant *Archimedem* inventorem fuisse hujusmodi Speculorum, quorum virtute etiàm classem Romanorum, cùm obsidione cingeret *Syracusas*, incenderit. Verùm *De chales catopt. lib. 3. prop. 13.* commentum esse dicit, nec si res ità, ut Historici tradunt, circàdictum effectum sese habeat, *Archimedem* usum fuisse permagno aliquo speculo concavo contendit. Verùm quàm plurima alia specula, quæ ad libitum moveri potuerunt, ita dispo- fuisse,

Archimedis artificium in navibus comburendis.

fuisse, ut ad eundem locum reflexio dirigeretur, sicque coünitis & collectis quam plurimis radiis tandem incensio & combustio sequeretur. Quidquid tamen fit; hic nobis suspicienda est virtus Solis adeò longè à terreno globo dissiti, quæ tamèn ità fortis & efficax perseverare queat, ut paucis respectivè ad ipsum ingens solare corpus collatis radiis tam admirandos in infimâ telluris superficie valeat effectus producere. Excellit etiam in Saxonia expertissimus in Dioptricis lentibus conficiendis prænobilis Dominus de Schirnhausen, qui eas talis efficaciæ elaborat verè admirandas, ut non tantùm lateres & quoscunque lapides, sed etiam quæcunque metalla per radios Solis collectos in vitrum convertere queant. Cujusmodi lentem Augustissimo Imperatori nostro *Leopoldo Magno* ab ipso oblatam mihi nuper recensuit illustris Baro *de Pirckenstein* stupendæ planè efficaciæ, quæ etiam aurum ad Solis radios transmissos in vitrum commutarit. Verè igitur Solem *cum Ecclesiastico* dicere possumus *cap. 43. v. 3. Vas admirabile, opus excelsi.* Unde meritò ficut idem innuit v. 5. *Magnus Dominus, qui fecit illum.*

Margaritarum generatio ab influxu Solis.

5. Licet diversæ planè sint opiniones de Margaritarum generatione: Verisimilior tamèn esse videtur, quæ etiàm ab incolis Insulæ *Manaar* non procul à *Ceylon* sitæ (ubi percelebres Margaritarum piscaturæ cum largissimo proventu institui solent) asseritur: Pluvioso nempè tempore cum aquis ibidem è terrâ in mare profusis multùm limosi musci effundi, quod instar retis in superficie maris extensum suscipit rorem, & Solis influxu plurimis ostreis fœcundatur, quæ sensim majores & ponderosiores redditæ, hoc suo pondere totum illud rete in fundum præcipitant, ubi quinque vel sex annorum spatio margaritas, pretiosas illas maris baccas largiuntur. Ità refert *D. Grimmius Eph. Germ. Phys. med. Dec. 2. Anno 3. Obs. 36.* Cœlum etiàm & ex eo cœlestium corporum influxum ad Margaritarum genesin conferre jam diu antè credidit *Plinius*, cum scripsit: *Margaritis cœli societas major. Augurellus* etiàm de ortu & capturâ Margaritarum in suo *de Chrysopœâ lib. 3.* cœlo quidem sereno margaritas gaudere dicit, solis tamen radios fugere, ne candore priventur, ut in his Versibus declarat.

Sed mirum est cœlo tantùm gaudere sereno
Sole rubere illas, candorem & perdere, & ipsum
Custodire, ideò mersas pelago altius, atque
Se radii valeant usque contingere phœbi.

Herbæ & flores Solares.

6. Omnibus penè herbis, plantis, ac floribus quamvis proprium sit lumine & Sole gaudere, in aliquibus tamen magis ac magis spectatur mirabile hoccè naturæ conjugium. Ità si herbula aliqua præmaturè seminata vix emergens hypocausto, aut alio loco calido reponatur, adolescit quidem, sed inconcinnè tanquam fœtus præmaturus & imperfectus. Si verò intrà conclave sistatur, quod aërem benigniorem admittere queat, longis petiolis ad auræ ingressum tota inclinabitur; omnium autem maximè concinna progerminabit, ubi Solare jubar senserit. Omnes porrò flores Plantarum, quæ aurea foliorum in orbem diffusorum fœturâ radiantis Solis discum æmulantur, ut Tragopogonum, Cyclamē, Chamæleon, Chrysanthemum, Lupinus, omnes cichorearum species, Tulipę, Lilium persicum, Anemones, Scorpineus, Heliotropium propriè sic dictum, Acacia, Lotus & innumeræ aliæ species mirâ vi conversivâ ad Solis jubar & specialem quandam amicitiam cum eodem habere comperiuntur. Lupinus, Cichorium, Convulvulus constanter motum Solis sequuntur; Heliotropium, Scorpiurus, Lilium persicum adeò pertinaciter cœlo etiàm nubibus obducto Solem velut Sponsum sectantur, ut caulem, sivè thyrsum ipsum etiam intorqueant. De Loto Ægyptiacâ scribit *Proclus in lib. de Sacrif. & magiâ. Lotus*, inquit, *implicat quidem in se folia antè Solis exortum, oriente verò Sole explicat paulatim, & quatenùs Sol ad mediam cœli ascendit plagam, eatenùs pandit folia; quatenùs verò à medio petit occasum, gradatim folia contrabit. Videtur hæc non minùs dilatatione, contractionéque foliorum honorare Solem, quàm homines corporis gestu; motúque labiorum.* Trifoliorum omne genus imminente pluviâ corcula colligit, Sole reddito explicat. Malvæ quoque flores Sole meridianum subeunte, quasi Sideris jubari inhiantes se pandunt, atque alterâ horâ illius veluti digressu, & desiderio marcescunt & occluduntur. Hemerocallim etiàm, *Athenæus* scribit, Sole cadente contabescere, eóque rursùm Oriente repullulare. De Acaciâ vide, quæ dicimus infra *Scrut. 4. in disquis. Botanoscopicâ.*

Granadilla.

7. Pulchritudine haud minùs, quàm structurâ nobilis, & admirabilis est *Granadilla*, sic à divite Americæ Septentrionalis Provinciâ *Granatâ*, ubi germinat ac floret uberiùs, denominata, nunquàm ferè nisi Sole culminante dehiscere solet, idque tam celeriter perficit, ut aspicere liceat foliorum, radiorúmque è Nodo compacto explicationem perfectam minùs horæ quadrantis spatio cùm tantâ, quidem támque repentinâ fragrantissimi odoris dispersione, ut vel eminùs apertura confestim percipi queat.

Arbores & plantæ Solares.

8. Non desunt etiàm arbores, ac plantæ, quæ à prima germinis ætate foliorum continuum incrementum usque ad Solstitium sumentes cum Sole continuò crescunt: Sole verò converso & ipsæ conversæ ad æquinoctium usque decrescunt, donec Solis in australem plagam abeuntis præsen-

præsentiâ destitutæ veluti mœrentes contabescunt. Hujus motûs veluti rudimentum quoddam tùm in multis aliis, tùm potissimum in iis arboribus, quorum folia ab unâ parte virentia, ab alterâ subalbicantia sunt, cujusmodi abietes, & certum quoddam Salicis genus portat, spectatur. Ità docet *Kircherus in Arte magnet. loc. supra cit.* Plura alia de *Tithymalli* quodam genere de *Tamarindo* arbore, quam alias *Derelfiden* appellant, aliísque plantis heliotropicis vide eundem ibidem. Singulare tamen adhuc est, quod memorat idem *Kircherus eodem loco* de materiâ quadam heliotropicâ, quam ab Arabico quodam Mercatore *Massiliæ* aliquandò accepit, quæque in aquis mersa, aut super aquas magneticè librata Solem indissociabiliter etiàm vitreis inclusa repagulis secuta fuit, atque ità perfectè horas, ac tempus diurnum ostendere valuit. In plantis quoque, ut inquit *Kircherus Oedipi Ægyptiaci Gymnas. Hieroglyph. class. 7. sect. 3. cap. 2. Quicunque scrutandæ naturæ avidus, ipso die solstitii miracula observet, potissimùm in foliis salicis, populi albæ, ulmi, tiliæ, & oleæ, ex eorùmque intuitu non perfunctorio animadvertet tropicam harmoniam, visibilemque sympathiam, quam dictarum arborum folia eoipso solstitii die cum Sole palàm ostendunt: Supinas enim foliorum partes aliâ facie cœlum intueri observabit.*

Ari Species Solifuga. 9. De certâ quadam Ari specie memorant etiàm Botanici, cujus fructus in formam cylindri protuberans, dum Solem ferre non potest, quod natura ipsum folio prælongo & superiùs incurvato, veluti umbraculo ità vestiverit, ut Solis radiis sit inaccessus. Quocircà Soli ortivo, meridiano, & occiduo ità obtenditur, ut ex nullâ parte radii Solares illud attingere possint: Versùs Boream verò liberam auram capit aperto folio. Videtur etiàm Arum nostrum simile quid habere, ut rem examinanti patet.

Gallus gallinaceus. 10. Inter aves Solares celebris imprimis Gallus gallinaceus singulariter Soli addictus advertitur, dum eo Occidente decumbere, & ad quietem se componere, revertentem verò & denuò exorientem cucurritu suo sivè cantu præcinere, & mortalibus cum lætitia quâdam prædicere solet.

Cynocephalus. 11. Cynocephalus animal quadrupes capite canino, quod in Æthiopia, Ægypto, & Arabiâ præcipuè reperitur, per singulas horas clamorem edere, sicque vivi alicujus horologii vicem subire; tempore verò Æquinoctii singulari quodam naturæ instinctu singulis diei & noctis horis præter clamorem etiam mingere solet: Undè etiam Ægyptii quondam in hydrologiis suis sculpebant, ut patet *ex Horo Apoll. lib. 1. cap. 16.* De Arietequoque dicunt, eum ad utrumque Æquinoctium cubandi rationem mutare.

12. Scarabæus, quem felem, sicut & cantharum vocant, formâ lucidâ, qui pilulas volvit, ac desuper incubat, aliósque generat, Solaris judicatur, ut innuit *Cor. Agrippa Phil. occult. lib. 1. cap. 23. Appionis enim*, ut inquit, *interpretatione hoc ipso Solis operum similitudinem colligit, cujus & oculos juxtà Solis cursum variari constat.* Scarabæus.

13. Fontes etiàm quidam diversis terræ locis celebres sunt à fluxu suo cum Solis motu sympathico. Ità in montibus Pyrenæis fons *Estorle* dictus magno cum impetu circà æstivum Solstitium erumpit, qui se denuò ad alterum hybernum solstitium subducit. Sicut & in Insula Archipelagi *Metellino* fons uberrimè scaturire ad tempus Solstitiale, intrà verò tempus illud exarescere solet. Datur etiàm in *Sardinia* fons de die tantùm undas proluens, noctu verò easdem resorbens. In *Cantabriâ* quoque tres fontes octonis tantùm pedibus distant, qui etiàm in unum alveum confluunt, duodecies verò per diem erumpunt, & totiès denuò evanescunt. Plura de ejusmodi fontibus vide infrà *Scrut. 4. disq. cap. 11. §. 6.* Ipse etiam Nilus Fontes Solares.

Qui totam Ægyptum stagnantibus alluit undis

abdito quodam Solis influxu certo per annum tempore intumescere, & inundatione campos irrigare solet, ut rectè scribit *Seneca lib. 4. qu. natur. cap. 2. Natura ità*, inquit, *disposuit, ut Nilus Solstitio æstivo inundare Ægyptum, & Æquinoctio Autumnali desinat.*

§. V.

Ostenta insolita, & phænomena insueta circa Corpus solare diversis locis, & temporibus observata.

1. Solis lumen suprà Horizontem longiùs more suo protractum diversis temporibus legitur. Ità ad mandatum *Josue* Sol in medio cœli stetit immotus, non secùs ac si ipse *Josue* frænum totius mundi machinæ injecisset; *obediente Domino*, ut Scriptura loquitur *Josue cap. 10. voci hominis.* Sol immotus stetit ad Josue præceptum.

2. Ægrotante *Ezechia* Rege missus ad eum *Isaias*, ut Annales Regum memorant *lib. 4. cap. 20.* prædixit eidem incolumitatem annos 15 dierū vitæ adjiciendos, in cujus prophetiæ fidem *invocavit Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz retrorsum 10 gradibus. vers. 11.* Circà quod Signum communis Interpretum sententia est, non umbram tantùm, sed & Solem retrogressum & retroactum. Hoc enim verba *Isaiæ* indicant, & simul convenit Historia *Paral.* Solis retrogressio tempore Ezechiæ.

K lib.

lib. 2. cap. 2. Ubi dicitur, Babylonios misisse ad *Ezechiam* nuntios, *qui inquirerent de portento, quod acciderat.* Quod erat nempè retrocessio Solis, quam & ipsi videtunt. Volunt autem hanc retrocessionem celerrimè factam, atque sub horam diei meridianam; quia tunc solùm poterat umbra ascendere & descendere 10 gradibus, id est, quinque horis: Sole autem retrocedente omnes reliqui orbes retrocesserunt, alioquin tota harmonia cœlestis fuisset turbata, & majori miraculo opus fuisset. Ad præceptum quoque *Mutii* Eremitæ, in Thebaidis deserto Solem constitisse, & diutiùs radios protraxisse, cùm ad ægrotantem fratrem properaret, legi potest *in Vit. Patrum part. 1.* de Presbyt. *Corpete.* Memorat etiam *Sim. Majolus colloq. 1.*

Solis disparitio tempore Xerxis. 3. Dum *Xerxes* è Satdibus *Abydum* versùs moveret, Sol in cœlo sedem suam relinquens apparere desiit, cùm nulla essent nubes, sed ubivis serenissimus aër. *Herod. lib. 7.*

Materia fuliginosa circa solem. 4. *Suetonius* eo tempore, quo *Julius* Cæsar trucidatus est, circà Solem longo tempore crassam quandam, & fuliginosam visam esse materiam tradit. Haud absimile prodigium etiàm ab Arabibus Anno *Hegiræ* 64 observatum scribit *Haël* in Astronomia suâ, magnámque rerum desolationem consecutam esse.

Solis palor. 5. Occiso *Dictatore* Cæsare, & Antoniano bello fame & peste sociato toto anno Solem diro mortalibus omine impalluisse scribit *Plinius.* Sub *Augusto* simile quid contigisse *Tertullianus ad Scapulam* refert; siquidem Sol in conventu Uticensi extinctо penè lumine toti mundo horrorem incussit.

6. Quando Cæsar *Augustus* juvenis primò *Romam* post mortem parentis ingressus est, Sol ità caligine obductus latuit, ut etiàm stellæ aliquot circà Solem visæ sint. Ità testatur *Plinius libr. 2. cap. 27.*

Stellarum apparitio pleno die. 7. Legimus apud *Herod.* inquit *Cardanus de variet. lib. 14. cap. 70.* *Commodi* temporibus stellas per totum diem apparuisse; quasdam etiàm in longum productas, medio quasi aëre suspensas. Secuta fuit magna strages Parthorum *Commodi* dolo, non virtute. Inde bella civilia, oppressis anni spatio quinque Cæsaribus, bello tribus *Didio Juliano*, *Pescenio nigro*, *Albino*: Duobus fraude, *Commodo* ipso, & *Pertinace.* Bis etiàm pleno die stellas sibi *Mediolani* comparuisse latente Sole testatur *Cardanus* ibidem.

Solis cruentati comparitio. 8. Antè funestum certamen, quo *Arthurus* Britannorum Rex à Pictis atque Scotis cæsus est, Sol medio in cœlo cruentatus apparuit, cœlúmque per duos dies continuos stellis fulsit. *Hector. Boet. lib. 9.*

9. Imperatore *Leone IV.* septendecim diebus Sol adeò nusquam visus lucis suæ radium amisit, ut navigantes in mari vias amiserint, nec se regere potuerint. *Theophanes.*

Solis disparitio per 17. dies. 10. Cùm *Constantinus Leonis IV.* filius matrem ab imperio removisset; deindè verò ipse à Bulgaribus victus, & per insidias à matre captus, & oculis orbatus fuisset, eodem die, quo ante 5. annos *Nicephorum & Alexium Mosolim* injustè excœcârat, & aliis quibusdam linguas præciderat: Ad eam impietatem, ut *Zonaras* meminit *tom. 3.* Sol per septendecim dies radios suos occultavit.

Sol tristi vultu comparens. 11. Tempore *Justiniani Imp.* ut narrat *Cedrenus*, Sol Lunæ instar sine radiis lucem tristem exhibuit. Quod ostentum crudelissima illa pestis, quâ quotidiè *Bizantii* decem hominum millia concidérant, consecuta est, monstravitque non vulgarem fuisse stragem illam, quam vel Sol ipse pullâ indutus veste toto anno luxerat.

Sereno cœlo non lucens. 12. Anno Christi 334. per 17. dies Sol Cœlo quamvis sereno lumen tamen terris non ostendit; quod summi prodigii loco visum fuit. Hoc statim & bella, & fames, & pestilentia unâ cum *Constantini* Cæsaris morte consecuta fuit.

Sol colore Sanguineo obductus. 13. Apud *Paulum Diaconum* legitur Anno 700. Solis discum veluti sanguineo colore obductum toti Europæ multorum dierum Spatio, Cœlo maximè sereno & defœcato ità obscurè luxisse, ut penè tenebras mundo offunderet. Quam obscuritatem ingens quoquè cometa secutus est.

Solis mirabilis defectus. 14. Anno Domini 778. pridie Calend. Februar. Sol circà meridiem defecit, cùm triduo antè Luna idem deliquium fuisset passa; & acies eadem noċte apparuerunt. Visa est & Mercurii *Stella.* 16. Calend. in medio Sole velut macula quædam nigra. Hæc prodigia Francorum in Hispania funestam victoriam significasse videtur. *Sab. Enn. 8. lib. 8.*

Sol Sanguineus cum Sanguinis effluxu. 15. Anno 937. Sol sereno Cœlo obscuratus & quasi sanguineus factus est, adeò ut ipsi etiam radii solares per fenestras transmissi eundem colorem præ se ferrent. *Sigebertus Bergomensis & Masseus* referunt visum esse sanguinem per aliquot dies ex Sole quasi effluere. Magna autem pestilentiæ subsecuta est sævitia, & maximè subitanei hominum interitus, ut iidem produnt.

Sol scissus in tres partes. 16. Anno 1207. imperante *Philippo* in Germaniâ, cum publicè epulum præberet; Sol in tres scissus partes apparuit, quæ haud multò post in unum orbem conversæ sunt. Fortassis præsignificavit Imperii inter *Fridericum II. Philippum*, *Othonemque* scissionem, quod posteà penes *Fridericum* solùm permansit. *Sab. libro 1. capite 4.*

17. Anno

17. Anno 1547. Sol per tres dies impalluit macularum fœditate inquinatus, ingentium iis temporibus currentium calamitatum nuntius.

Solis pallor.

18. Anno 1569. testatur *Cornel. Gemma in suâ Cosmocriticâ*, Solis discum cœlo maximè sereno ità impalluisse ut tristem omnibus exhiberet vultum. Quod ostentum cometa, & civiles commotiones secutæ fuerunt.

Maculæ in Sole visæ antè bellum Suecicum.

19. Anno 1615. paulò ante bellum Suecicum totius anni decursu discum Solis ingenti macularum ebullitione coöpertum vidit *Kircherus* in *Germaniâ*, ut refert *in Mund. subt. lib. 2. cap. 4.* Item *Scheinerus Romæ* in Italiâ, ut meminit in *Rosâ suâ Ursinâ*.

Sol rubeus circulo ejusdem coloris circumdatus.

20. Anno 1680 in Novembri Sol omninò rubens *Mallagæ* conspectus fuit, & circà ipsum circulus adhuc magìs rubeus, qui celerrimè circà Solem motus: indè totum cœlum tristi planè larvâ obductum fuit, secutúsque ingens terræ motus qualis ibidem nunquàm anteà observatus; ità ut inter 18 partes illius urbis, in quas divisa est, octo corruerint damno destructorum ædificiorum pretio 10 millionum æstimato.

21. Anno 1685 die 30 Julii hora pomeridiana quarta in Ducatu *Grubenhagen* Sol radios quosdam tali violentia spargere de se videbatur, ut non procul ab *Einbeck* densi vapores montis cujusdam jugum circumdederint, vehemênsque ventus secutus fit. Post hæc Sol non tantum apparebat colore rubro, ac si sanguine tinctus esset, sed etiam in locis finitimis & præcipuè propè dictum locum *Einbeck* tantus exoriebatur vapor, ut omnia usque mediam in noctem flagrare crederentur. *Relat. Histor. vera Francofurt. cap. 14.*

His nunc addere libet, quæ *Cardanus lib. 14. de Variet. cap. 70.* ex Solis obscuriore per longum tempus lumine colligit: tradit enim sequentia. *Est*, inquit, *notandum, quod Solis lumen caligine obsessum, quandóque majori anni temporis spatio pallens globus, & sine splendore oriens imbecillem, ac tenuem ex se calorem emittit. Quare gravis ac dispartientis imbecillitate caloris obscurus aër semicoctos edit fructus immaturos & imperfecto flore collabentes. Tantum aëri frigus ingerit, ut pavendæ exindè sequi videantur sterilitates, eóque hæc & similia horribiliora eveniunt, quò circuli latiores extrà orbem Solarem in atrocioribus nimbis, nubibúsque conspiciuntur. Accedit etiàm sivè hac sivè aliâ causa dirarum exhalationum, ut ingentia arborum robora in nemoribus dejiciantur, intumescant ultrà solitum alveum flumina, rumpantur aggeres, infinita hominum, Jumentorúmq; multitudo interimatur, casúque profundissimarum nivium invia reddantur itinera, gelúque intolerabili superveniente viatores, nec antrorsùs, nec retrorsùm evadere cupientes, nec valentes repentinâ miseriâ intercipiantur.* Hæc *Cardanus.*

§. VI.

Mirabilia Curiosa miscellanea de Sole ex variis Authoribus referuntur.

1. Admirabiles valdè sunt Antiquorum quorundam sapientum, ac Philosophorum de Sole, ejúsque structura & naturâ sententiæ. *Heraclitus* existimavit Solem scaphæ speciem habere, ejúsque lumen deficere, quotiès cavum ad superiora vertitur; sed rursus fieri lucidum, postquàm invertitur. Ità meminit *Erasmus in adagiis*. *Xenophanes* putavit Solem in occasu perire, in exortu semper novum fieri, ut idem refert. *Anaxagoras Clazomenius* Solem candens ferrum, vel certè lapidem ignitum esse dixit: è Sole etiàm lapidem casurum prædixit, uti deindè in Ægos Thraciæ flumen cecidisse memoratur Anno 2. Olympiad. 78. eâque ratione inductus *Euripides* illius discipulus in Phaëtonte, Solem auream glebam appellavit. *Laërtius lib. 2. Plinius lib. 2. cap. 60. Xenophon. lib. 4. memor. Aristarchus Samius in suo systemate Mundi* non ità diù Parisiis publicato p. 23. existimat Solem non planè esse durum, veluti crystallum, aut lapidem, aut aliquod tale corpus, cujus partes flecti non possint, sed aliquatenùs lentum, & spongiosum cum superficie rudi asperâ, atque inæquali, totaque montibus, & vallibus respersa, idémque omni ex parte interiùs, & exteriùs multis montibus, & cavitatibus, ceu fibris & venis scatere instar spongiæ, sivè pulmonis alicujus animalis. Quæ opinio licet Clarissimo D. *Hevelio* non adeò videatur absurda, ut memorat *Selenogr. cap. 5.* judicium tamen cuilibet liberum de eâ relinquit. Verùm hæc atque alia hujus generis commenta risu magìs, ac contemptu antiquæ vanitatis explodenda sunt, quàm argumentis confutanda.

Miræ quædam sententiæ Antiquorum de Sole.

2. *Possidonius* vulgò dici tradidit, Solem in finitimis Oceani littoribus multò majorem occidere ingenti cum strepitu, perindè ac eo profundum incidente, in illo restinguendo pelagus effervescat. *Artemidorus* autem Solem centies ampliorem occidere asserit, continuóque noctem occupare, ut ipse quidèm perspexerit. *Strabo lib. 3.* Huc allusisse videtur *Satyricus* dum canit:

Solis occasus mirabilis.

Audiit Herculeo stridentem gurgite Solem.

3. Credunt Brachmanes, ut *Rogerius* refert, quod Sol, qui nunc lucet, non nisi unico radio illustret terram; circà mundi finem autèm mille radiis orbem sit illustraturus: Undè tantus sit futurus calor, quo totus mundus conflagret, mare exsiccetur, montes commoveantur, & in pulverem abeant, omniáque consumantur. Sequentur deindè etiàm pluviæ tam uberes, quasi per Elephanti proboscidem aqua sit profluxura, tuncque

Sol quomodò credatur à Brachmanibus mundum illuminare.

Brama sit moriturus. Quod hic de pluviâ scribunt *Brachmanes*, etiàm *Druides* credere scribit *Strabo in Geograph.*

Cultus & adoratio Solis à Chinensibus & Americanis.

4. Memorat *Alexander Roff de Gentilismo Asiatico, Africano, & Americano, Chinenses* aliquos non tantùm Solem, Lunam & stellas adorare, sed valdè perterreri, cùm Solis aut Lunæ eclipses contingunt; eoquòd credant Solem virum esse, Lunam verò fœminam, atque ita conjuges hos obscurationis tempore irâ contrà se incensos dimicare. In Americâ quoque Australi, ut idem refert, populi quidam Solem & Lunam summo cultu venerantur: Cùm fulgurat & tonat cœlum, Solem sibi iratum dicunt: Cùm fit eclipsis, jejunant, nuptæ conjuges fricant faciem, & capillos evellunt, virgines innuptæ sibi ipsis unciatis instrumentis, quibus pisces capere solent, sanguinem proliciunt, dicúntque, Solem sibi esse iratum. Dùm Cometa apparet, tympana pulsant, credúntque hoc pulsu abigi posse. *Achilles Tacitus* etiàm *lib. de Universo* tradit. *Quondam Ægyptii Solem videntes à Cancro ad Capricornum descendere & longiores contrahere dies, lugere consueverunt; veriti ne paulatim Sol eos relinqueret. Quod tempus incidebat in Jasiorum festum, simulatque conscendere cœperat, ac dierum spatia producere, tunc albati, coronatique procedebant.*

Sol diversimodè cultus ab Antiquis.

5. Jam olim etiàm Sol divino cultu sempèr honoratus fuit: ita scribit *Erasmus in adagiis*, morem fuisse Antiquis Solem adorare, quem DEUM existimabant, & à Persis præsertim fuisse cultum *Mithræ* nomine: Item apud Ægyptios *Osiridis*, apud Græcos *Apollinis*, apud alios aliis nominibus: Hunc etiam Orientem salutatum fuisse religionis causâ; quem morem usitatum fuisse *Socrati* tradit *Plato*. Ferunt & ab Elephantis adorari solem in exortu; salutatum etiàm Occidentem sed à paucioribus. Apud *Phœnices* celebratur lapis Solis imagine insignitus, quem *Heliogabalum* vocabant. Erat autem lapis maximus teretior ab imo, sensimque fastigiatus propemodùm in conifiguram. Niger illi color erat, quem indigenæ jactabant cœlo delapsum. Visebatur in eo lapide forma quædam Solis humano haud artificio, ut vulgus credidit, fabrefacta. *Herodotus.*

Solennitas in Insul. Thule cùm Sol revertitur.

6. In partibus Septentrionalibus, ac comprimis in Insulâ Thule præcipua solemnia maximâ plebis, atque incolarum lætitiâ celebrari in honorem Solis, narrat *Procopius de bell. Goth. lib.* 2. quandò nempè Speculatores ex altissimis montibus nuntiant Solem ad ipsorum Horizontem redire.

Solis mensæ apud Æthiopes.

7. Solis mensas apud Æthiopes *Macrobius* tales esse memorat. *Est in suburbanis pratum omnium quadrupedum assâ refertum carne, quam per noctem singuli civium & Magistratus properant ponere, ad eamque, ubi dies illuxit, cuilibet epulatum licet accedre. Hæc ipsa à terra reddi assiduè ajunt. Herodotus lib.* 3.

8. Memorabile est, quod navigantibus ab Occidente Orientem versùs, cum totam terram circumeant, dies una accrescat, ac ultrà consuetum ordinem numeretur: Econtrà dùm ab Oriente in Occidentem navigatur, quod dies una deficiat, quæ etiàm causa est, quod his, qui in Insulis Philippinis habitant Hispani, & qui in Sinensi portu, ac civitate *Macao* Lusitani, licet sub eòdem constituti sint Meridiano, tempora non conveniant, & unius diei discrimen illis accidat; eoquod Lusitani ex Europâ Orientem versùs ex India illuc progressi sint; Econtra Hispani Occidentem versùs ex Americâ ad Philippinas Insulas appulerint. Ità etiàm *Cardano notante lib.* 12. *de rer. variet. cap.* 62. Navis unà, quæ *Victoria à tam celebri eventu vocata est, Nauclero, ductoréque Joanne Sebastiano Cano Nicola, Guetariæ Provinciæ Guipuzcoa discedens ex Hispania* 20 *Septembr. Anno* 1519 *reversa est Anno* 1522 *die* 6 *Septembris; cumque quinque discessissent homines* 237: *reversi sunt octodecim cum nave una. Numeraverunt autem diem unum plus, quod non solùm contingere potuit euntibus ab Occidente versus Orientem, sed etiàm fuit necessarium: velut euntibus ab Oriente versùs Occidentem unum minùs. Quodque majus est, fieri non potest, ut hoc advertatur, nisi expleto circulo toto; quoniam res quamvis fortuita sit, tamen divini non nihil habet.* Demonstrationem hujus vide apud Eundem; vel consule *Erasmum Francisci discurs. de Sole.*

Navis ambiens terram numeravit unum diem plùs.

9. *Heliopoli* quondam in *Apis* æde Simulacrum dæmonis fuisse, tradit idem *Cardanus de Var. lib.* 12. *cap.* 68. quod faciem, in quamcunque partem Sol declinaret, verteret. Refert etiam *Hieronymus Rubeus apud Fabium Paulinum*, statuam *à Severino Boëtio Ravennæ* ex arte fuisse constructam, quæ cum Sole convertebatur haud secùs, ac ea Statua, quam olim Rex *Nacraus*, ut Arabes memorant, teste *Kirchero in Oedipo*, apici cujusdam delubri imposuerat, quæ etiàm cum Sole converti visa est. Modum constructionis vide apud præfatum *Kircherum Oed. Ægypt. Tom.* 2. *part. alterâ, classe* 8. *cap.* 3. *§.* 1.

Statuæ versùs Solem spontè mobiles.

10. De Simulacro *Memnonis* variè à variis differitur. *Plinius hist. nat. lib.* 35. *cap.* 7. ex *Basalte* lapide constructum fuisse narrat, & in delubro *Serapidis* positum, quotidiano Solis ortu concussum radiis sonuisse. *Philostratus* verò in *Iconibus*: *Memnon, inquit, in Æthiopia deformatus in lapidem nigrum sedentis habitu Solaribus radiis, ubi Statua contingitur, veluti plectrum incidens Sol in Memnonis os elicit inde vocem.* In *Tornari Lucianus* prodit, *Demetrium Sunicum* peregrinationem obiisse in Ægyptum, ut Pyramides spectaret, ac *Memnonem*, quod illas audîsset, quamvis altissimas umbram tamen non jactare, *Memnonem* verò ad exorientem Solem inclamare. *Strabo* ibi se adfuisse scribit cum *Ælio Gallo*, & amicorum multitudine ac militum, circitérque horam primam sonitum

nitum audiviſſe, ſivè à baſi, ſivè à Coloſſo, ſivè à circumſtantibus de induſtriâ factum. *Pauſanias* non *Memnonis*, ſed *Seſoſtris* Statuam eſſe dicit, ita enìm ait: Thebani *Memnonem* negant, ſed quendam popularem ſuum eſſe ajunt, cujus ea ſtatua ſit. Audivi etiàm, quod hanc *Seſoſtri* ſtatuam tribuant, quam *Cambyſes* mutilaverit. Reliquum corpus ſedet, & quotidiè inſonat Oriente Sole, quem ſonitum ſimilem dixeris diſruptæ chordæ in lyrâ vel cytharâ. Tandem *Apollonius Thyanæus* deſcribens totam ſtatuam *Memnonis* dicit adoleſcentis impuberis referre imaginem, eſſe autem ex nigro lapide fabricatam, & ad Solis radios converſam utroque pede ſolum attingentem, arrectas autem manus ſedi inniti ſimilitudine quadàm & oculorum, & totius corporis habitum quaſi loquentis eſſe hominis ſurgere volentis. Ubi verò Solis radio percutitur, quod matutino evenit tempore, tùm utique ſummam parere admirationem: loqui enim tunc perhibent, ubi primus ad ejus os radius pervenerit. Hæc de celeberrima *Memnonis* ſtatua Veteres.

Solis imago cum flammulis in ovis expreſſa.

11. Mirabilia circà Solis effigiem ovis impreſſam memorant *Ephem. Germ. Curioſorum Obſ. 128. An. 6. Dec. 2.* Anno ſcilicet 1642 ab undecimo die Julii usque ad vigeſimum Septemb. *Ulmæ* à quinque diverſis gallinis quinque ſingularia ova conformia Solis imagine tredecim flammulas de ſe ſpargente inſignita excluſa fuiſſe: & primum quidem 11 die Julii inter horam 9 & 10 ante meridianam, ubi alutarii cujusdam gallina tale ovum excluſit, in quo Sol 13 flammulis circumdatus haud aliter, ac ſi ſculpto ſigillo impreſſus eſſet, cernebatur; hujúsque Uxor conteſtata eſt, ovum hoc cum ab aliis ſeparâſſet, talem ſplendorē edidiſſe, ut ejus aſpectu non parùm conſternata fuerit, quod ovum etiàm quàm plurimis petentibus hominibus monſtravit. Sequenti Septimanâ alia mulier officinæ promercalium addicta ſimile ovum à gallinâ ſuâ Solis imagine, tredecímque flammulis effigiatum exhibuit. Circa feſtum S. Jacobi militis cujusdam conjux etiàm è gallina ſuâ tale ovum Solis imagine, ac tredecim flammulis notatum accepit. Nec minùs menſe Auguſto crepidarii gallina ſimile ovum Sole, ac tredecim flammulis inſignitum excluſit. Die 20 Septembris alia quædam fœmina ovum tale cum tredecim flammulis, ſed non ità clarè, ut in præcedentibus expreſſum, acquiſivit.

12. Dari etiàm dæmones Solares, & circà ipſos mirabile quid aliquandò obſervatum ſcribit *Proclus lib. de Sacrif. & magiâ:* Ejusmodi enim dæmones apparuiſſe leoninâ fronte, ad eosdem verò fugandos Gallum, qui & ipſe Solaris naturæ eſt, iisdem objectum fuiſſe, & è veſtigio diſparuiſſe. *Proclus* autem hoc indè ſcribit procedere, quod ea ſemper, quæ in eodem conſtituta ſunt ordine, revereantur ſuperiora; quemadmodùm plerique intuentes virorum divinorum imagines, hoc ipſo aſpectu vereri ſolent turpe aliquod committere.

CAPUT V.

De Solis, & Lunæ defectibus, ſeu vulgò dictis Eclipſibus notabilia & mirabilia varia proponuntur.



Clipſis vox eſt græca, quæ latinè ſignificat defectionem: Undè cùm Sol vel Luna quoad ſe, vel quoad nos aliquem defectum luminis patiuntur, defectus iſte Eclipſis vocari ſolet. Duplex autem *Eclipſis* communiter à Philoſophis, & Aſtronomis potiſſimùm in conſiderationem venit; *Solis* nempè & *Lunæ*: illa fieri dicitur, quandò ſcilicet inter Solem & aſpectum noſtrum Luna interponitur: Contingit autèm ſemper in novilunio. Plures etiàm Species ejus ab Aſtronomis aſſignantur: Alia enìm dicitur imprimis *Totalis*, alia *Partialis*. *Totalis* rursùm alia eſt *cum morâ*; Alia *ſine mora*. Prior fit, cum Sol totus tegitur, ita ut per aliquam temporis moram Luna ſub Sole omnifariàm tecto verſetur. Poſterior *ſine morâ* contingere dicitur, cum totus quidem Sol tegitur, ſed mox iterum diſcoöperiri ex parte aliqua ſolet. *Partialis* dividitur in *Centralem*, & *Corniculatam*. *Centralis* eſt, quandò Sol à Lunâ ità quidèm tegitur, ut tamèn lucidus adhuc annulus de Solari corpore, ſivè exterior ejus limbus Lunâ centrum occupante appareat. *Corniculata* dici ſolet, cum pars aliqua Solis tecta facit Solem adhuc Lunæ inſtar corniculatum, ſivè inſtar Lunæ in cornua ſinuatum apparere. Altera Eclipſis Lunæ ſemper in plenilunio contingens fieri ſolet, cum terra inter Solem & Lunam ità interponitur, & Luna terræ umbram ingrediatur, cúmque ambo Luminaria in oppoſitione utrique Nodo ſunt proxima. Eſt etiàm vel totalis, vel partialis ſimili modo ut de ſolari Eclipſi indicatum eſt. Sed his nunc præmiſſis notabiliora ac mirabiliora alia circà utrasque defectiones proferamus.

§. I.

Regulæ & Observationes Physico - Astronomicæ de Solis ac Lunæ Eclipsibus.

Eclipses qualiter contingant.

1. Eclipsis Lunæ est vera obscuratio Lunæ. Eclipsis autem Solis est obscuratio terræ, non Solis. Eclipsis etiàm Lunæ ab umbrâ, vel penumbrâ terræ quoque provenire solet; Solis verò Eclipsis ab umbrâ, vel penumbrâ Lunæ: nec alio tempore Eclipses Lunares contingere possunt, quàm de nocte, sicuti Solares non nisi de die.

Eclipsis à quibus videri possit.

2. Lunæ Eclipsis eadem & eodem modo ac eodem tempore Physico & reali comparere potest omnibus, qui in eodem sunt hemisphærio, Lunámque suprà Horizontem habent: Solis autem Eclipsis non omnibus eadem cerni potest eodem modo & tempore, sed aliquibus totalis, aliis partialis, aliis nulla.

Quomodò incipiat, & quomodò desinat.

3. Lunæ Eclipsis sempèr incipere solet in Orientali margine & desinit in Occidentali: Eclipsis vero Solis incipit in Occidentali & desinit in Orientali.

4. In Lunari Eclipsi quoque, si latitudo est Borealis; pars obscurata est australis; In Solari verò pars obscurata solet esse ejusdem rationis cum latitudine.

Lunæ Eclipsis quibus in Regionibus videri queat.

5. Regio habens latitudinem Geographicam æqualem declinationi Lunæ, & ejusdem rationis erit in cujus Zenith, accidet Eclipsis Lunaris. Quarè si ex eo puncto, ut polo circulus maximus in globo terrestri describatur, designabit is Hemisphærium terrestre, in quo spectari poterit Eclipsis Lunaris. Si idem præstetur circà meridiem & finem Eclipsis; facilè determinari poterunt omnes regiones, in quibus conspicua erit Eclipsis Lunæ.

Quænam longiores.

6. Centrales Eclipses non Centralibus cœteris paribus sunt longiores: & inter Centrales eæ, in quibus Sol est Apogæus, cùm hic Umbram majorem producat. Luna etiam Apogæa tardiùs movetur, quàm Perigæa, & tardiori motu longiorem facit Eclipsin.

7. Longissimæ Lunares Eclipses ad 4 horas se extendunt.

Secundùm { Ptolemæum ad 4 horas & 6 minuta | Tychonem ad 4 horas & 17 min. | Ricciolum ad 3 horas & 57 min. }

Quando accidere potest Solaris Eclipsis.

8. Cùm Semidiameter Solis & Lunæ æquales sunt latitudini, seclusâ parallaxi constat non esse Eclipsin in Novilunio: quandò vero latitudo Lunæ minor est aggregato ex Semidiametris Solis & Lunæ; tunc necessariò datur Eclipsis Solis. Est autèm Semidiameter Lunæ minima min. 14. Solis min. 15, sec. 25. Quocircà quoties latitudo Lunæ est minor min. 29, sec. 25. toties datur Eclipsis in eâ regione, cui Sol & Luna perpendiculariter respondent. Sed minutis 29, sec. 25 latitudinis respondet distantia à Nodo Grad. ferè 6. Ergò hi termini sunt necessarii in veris Noviluniis pro eo loco, in cujus Zenith Luna versabitur, si Lunæ distantia à Nodo 6 gradibus minor fuerit.

Termini possibiles in Solaribus Eclipsibus.

9. Termini possibiles Eclipsium Solarium in Noviluniis sunt talis à Nodo distantia in Novilunio, intrà quam Sol Eclipsim pati potest, & ultrà quam non potest, & hi termini quæruntur vel respectu veri Novilunii vel medii.

In Noviluniis veris.

Sunt ad { Boream Grad. 17. Min. 41 ad 60 | Austrum Grad. 7 circiter. }

In Noviluniis mediis.

Sunt ad { Boream Grad. 10. min. 17. | Austrum Grad. 9. min. 36. }

In Lunaribus.

10. Termini possibiles Eclipsium Lunarium sunt in Veris Pleniluniis Graduum 12. Min. 12. In mediis Grad. 15. min. 12.

Quandò Eclipses Solis recurrant.

11. Solis Eclipses non recurrunt respectu unius determinatæ regionis, nisi mense Lunari sexto, aut quinto: respectu autem totius terræ accidere possunt Eclipses Solis duobus mensibus sibi invicem succedentibus in diversis regionibus.

12. Plures videri solent in loco aliquo determinato Eclipses Lunæ, quam Solis: absolutè tamèn loquendo respectu totius terræ plures dantur Eclipses Solares, quàm Lunares.

13. Commune habent Sol & Luna, ut intra 6 menses Lunares possint duas Eclipses pati; pariter inter quinque menses, sed rariùs.

14. Non potest intrà 7 menses recurrere Lunæ Eclipsis; potest Solaris versùs polum eundem, possunt item eodem mense Lunari esse duæ Eclipses, sed ad polos oppositos.

15. Intra sex menses possunt dari duæ Eclipses Solares Centrales, tunc Luna vix patietur ullam.

Causæ variationis Eclipsibus.

16. Cum Eclipses Solares aliæ soleant esse totales; aliæ partiales: Totales verò omnes sine morâ, nisi aliquandò cum valdè exiguâ. Causa igitur variationis poterit esse prima nempè major, minorve Lunæ latitudo, sivè distantia ab Eclipticâ propè Nodos; major enim minorem, minor verò majorem causat magnitudine, & duratione. Secunda; inæqualis Luminarium distantia à terrâ: Luna enim propior nobis plùs tegit de Sole, quàm remotior. Tertia; inæqualis Lunæ motus: velox enim breviorem, tardus longiorem efficit Eclipsin.

17. Eclip-

In quâ conjunctione Solis Eclipses contingant.

17. Eclipses Solares non in conjunctione verâ, vel mediâ præcisè, sed in visibili tantum contingunt, quandò nempè lineæ apparentium motuum ex visu in superficie terræ per luminarium corpora ductæ in eundem Zodiaci locum cadunt.

In quanto spatio terrestri fieri queat Eclipsis Solaris.

18. Eo tantùm in spatio terræ contingit Solaris Ecclipsis ex interpositione corporis lunaris inter Solem & terram, quod umbra Lunæ versus terram non illuminata involvit: Quod quidem non excedere dicitur 70. milliaria. Qui igitur in medio dicti spatii consistunt, videre possunt totum Solem ecclipsatum; qui in confiniis partem; qui extrà illud, nihil obscuratum conspiciunt.

Quomodò Solis Eclipsis incipiat aut desinat.

19. Solis eclipsis incipere tunc solet alicubi, cùm penumbra (quæ nihil est aliud, quàm umbra minus obscura à parte scilicet aliqua Solis adhuc illuminatâ) discum terræ tangere incipit. Definit ubiquè; cum limbus alter terræ discum ex adversâ parte tangit. Si quoquè vertex coni umbrosi ultrà superficiem terræ pertingit, dabitur alicubi Eclipsis Solaris cum morâ. Si verò præcisè eam attingat; erit Eclipsis solaris sine morâ: Si deniquè ad eam non perveniat; erit Eclipsis Solis annularis.

De Eclipsi matutinâ, Vespertinâ, & Meridianâ.

20. In Eclipsi matutinâ antè medium ejus majores tenebræ solent offundi, quàm post meridiem: Quia lux crepera magis tunc extinguitur. Contrarium evenit in Eclipsi vespertinâ; in quâ post medium Eclipseos nox densior ingruit. Cùm verò Eclipsis fit Sole & Luna ad verticem nostrum accedentibus; tùm sanè res omnes colorem mutant, idquè maximè æstivis & serenis diebus, eòquod oculos majore anteà luce perfusos subita obscuratio fortiùs offendat; Undè species, quâ visus imbuitur lucem cum obscuritate miscens flavum, aut rubeum colorem exhibet, quod non evenit cœlo nubibus obducto, vel cum Eclipsis horizontalis existit; quamvis tenebræ contingant, rebus tamen proprium colorem non ità solet auferre.

Color in Eclipsi Lunari.

21. Quia, dùm Eclipsis Lunæ existit in Apogæo, umbram percurrit acutiorem (quò longiùs enìm abest à corpore Solis terrâ majori, eò acutior evadit) idcircò rubicundior, aliquantulumque lucidior apparet, quàm in perigæo, quo tempore per densiorem, obscuriorem, & magis nigricantem movetur umbram; ideò etiam tristior obscarior, & subnigrior apparet, ut ipsa experientia testatur, ac etiam docet *Hevelius Selenogr. cap. 6. pag. 116.*

Duratio Eclipsis.

22. Duratio Lunaris Eclipsis quatuor horarum; Solaris trium horarum in uno loco, quinque verò in diversis contingere potest.

Magnitudo Lunarium Eclipsium.

23. Magnitudò Lunaris Eclipsis æstimatur digitis, sivè granciis, qualium diameter Lunæ 12. habere intelligitur. Quandò ergò in Eclipsi totali cum morâ plures, quàm 12. digiti obscurantur (hoc est, umbra terræ in loco transitûs Lunæ plures habet digitos, quàm Lunæ diameter) dicitur Eclipsis habere plures digitos, quàm 12, tot nimirum, quot in umbra inter limbum lunæ & umbræ terræ percurrendo reperiuntur. Undè fieri potest, ut Luna deficiat 22. vel 23. digitis. Partialis est semper pauciorum digitorum, quàm 12. eò major, quò plures, eò minor quò pauciores digiti infrà 12 obscurantur.

Qantitas Solarium Eclipsium.

24. Similitèr quantitas Solarium Eclipsium æstimari solet digitis, quales 12. tribuuntur diametro Solis. Possunt etiàm plures quàm 12 digiti Solis obscurari, quandò nempè Luna est in perigæo, & Sol est in Apogæo, tuncquè fit solaris Eclipsis cum morâ exiguâ.

Modus Nodorum.

25. Cum Nodi, sivè caput & cauda Draconis non sint fixi in certis Eccliptica punctis, sed progrediantur sensim in Antecedentia hoc est C. S. S. & dietim ferè min. 3. Sec. 10, tert. 38. adeò ut anni spatio Grad. 19. min. 19. Sec. 43. in suo circulo antecedant: Hinc fit ut Eclipses quasi annuatìm per signa transferantur, ut si Ex. gr. hoc anno contingant in Cancro, sequenti anno in Geminis sint futuræ, & ità consequenter. Integrum ergò circulum absolvent 17 Annis minùs sesqui horâ, vel accuratius hor. 1. min. 27. Sec. 33. Tert. 3.

Eclipses quot per annum contingere possint

26. Singulis annis necessariò duæ Eclipses evenire solent; nullo tamen anno plures, quàm octo, ut docet etiàm novissimè *P. Hancke in suo opusc. de doctrinâ Eclipsium.* Possunt autem accidere vel duæ tantùm Solis absque ullâ Lunæ, ut contigit Annis 1680, 1687, 1691, & denuò continget 1698 (nempè hic in nostro Horizonte die 10. Aprilis, & 4. Octobris: Quæ tamen ambæ hic non videbuntur) vel duæ Lunares cum unicâ Solis: Ordinariè autem duæ Lunares cum pluribus Solaribus. Lunaris porrò obscuratio eodem Anno Solari non potest sæpiùs contingere, quàm ter; nequè obscuratio Solaris frequentiùs, quàm quinquies. Ità nimirùm dispensante DEI Opt. Max. providentia, *ne aut nimis obesset*, ut rectè notat *Ricciolus lib. 5. Almag. cap. 14. Naturis sublunaribus tàm crebra vivificorum luminum subtractio, aut alii nimio terrore obstupefacti: Alii contrà obsolescente admiratione nimium cœli & cœlestium spectaculorum contemptores evaderent.*

Luna sæpè in totali obscuratione omninò dissparet.

27. Luna sæpissimè tempore totalis obscurationis omnibus exui coloribus, itàque penitùs obscurari solet, ut visui prorsùs subducatur: Quod testatur *Keplerus in Epitom. Astron. Copern. lib. 5. pag. 825.* his verbis: *Luna interdum subitò penitùs amittitur, ut ne vestigium quidem ejus appareat, cum tamen proximè locum ejus cerni possint fixæ quartæ vel quintæ magnitudinis. Quarè tunc locum non habet suspicio caliginosi nimiùm âeris. Sic factum est Anno 1620, 15. Junii.* Ità etiàm testatur *Hevelius Selenogr. cap. 6. pag. 117.* ejusmodi notabile exemplum, & sibi animadvertere contigisse Anno 1642. die 25. Aprilis. *Luna enim*, inquit, *tempore tota-*

re totalis obscurationis penitùs evanescebat, ità ut spectatorum haud pauci nec locum Lunæ in cœlo invenire vel indigitare potuerint, & quamvis Telescopio instructi essemus, nihilominùs visum Luna illudebat, cùm tamen Stellæ quarti, aut quinti honoris satis essent aspectabiles. Sed hoc ipsum à pluribus aliis in aliis Eclipsibus observatum fuit.

§. II.

Eclipses utriusque Luminis magis admirandæ diversis temporibus, & locis observatæ.

Eclipsis Solaris per totum mundum Christo cruci affixo.

1. Nullum imprimìs majus unquàm in Cœlo apparuit ostentum, quàm quod citrà Naturæ legem, in die, quo Christus Salvator Mundi in Judæa eruci affixus est, Sol à sextâ diei horâ ad nonam usquè insolito planè modo obtenebratus sit. Scribit enim *S.* Evangelista Matthæus cap. 27. v. 45. tenebras factas esse super universam terram. Ex quo communiter colligunt Patres universalē Solis Eclipsin non modò in Judeâ, sed per totum terrarum orbem observatam fuisse. Stupuerunt miraculum Sapientes naturalium rerum periti, & ex his *Dionysius Areopagita*, dùm cum *Apollophane* apud *Heliopolim* Ægypti Orbem obambularet, ad hoc stupendum cœli miraculum perterritus exclamâsse dicitur: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Deprehendit autèm multa admiranda in hac Eclipsi. Primum, quia fiebat in plenilunio, quandò naturalitèr fieri non poterat; deinde videbat Lunam interponi inter Solem & aspectum nostrum, ut testatur *in Ep. ad. Polycarp.* quod etiàm tunc fieri non poterat. Undè collegit Lunam cursum suum ab Oriente in Occidentem mutâsse, donec Soli directè opponeretur., prætereà advertit Solis partem Orientalem priùs fuisse eclipsatam, quàm Occidentalem, & illam posteriùs ab eclipsi liberatam, quàm hanc: Luna enim miraculosè rediens ab Oriente versùs Occidentem non pertransivit Solem, ut eò esset orientalior, sed postquàm pervenit ad terminum Solis, reversa est versùs Orientem, & ità partem Solis, quam ultimo occupavit, priùs reliquit. Addit *S. Chrysostomus hom. 89. in Matth.* Aliud miraculum, quod, dum memorantur tenebræ tribus horis permansisse, detur hinc intelligi, Lunam sub Sole quievisse. Videatur *S. Thom. par. 3. qu. 44. art. 2.*

Sub Tiberio.

2. Celebris Olympiadum Scriptor *Phlegon* tradit quarto anno 202. Olympiadis, qui fuit principatûs *Tiberii* Annus decimus octavus, magnam & præcellentem inter omnes, quæ antè acciderant, Solis defectionem extitisse, quâ dies ad horam sextam ità in tenebrosam noctem versus est, ut stellæ è cœlo promicuerint. Meminit etiàm hujus Eclipsis *L. Vives in lib. 18. August. de Civit. Dei.*

Sub Constantio Imperat.

3. Temporibus *Constantii* ab ortu Solis ad meridiem usquè in Oriente tenebræ fuerunt, ut stellæ apparuerint: Sub exitum Sol veluti Luna primò cornutus, indè medius emersit: Ex quo deliquium fuisse haud dubium est. Subdit deindè *Cardanus: Cum igitur hoc contigerit attenuato nimiùm aëre, seditiones, bella, proditiones, clades, direptionesque Urbium consequi solent.*

Sub Constantino Imp.

4. Sub *Constantino* Imper. in Italiâ res valdè admirandæ acciderunt: Siquidèm ut notat *Cedirenus*, terra vehementi adeò motu concussa est, ut 12 oppidain *Campaniâ* conciderint: Sol autem tantâ obscuritate Lunâ orbem subeunte infectus est, ut stellæ interdiu perindè ac noctu micuerint. Sigonius memorat secutam esse translationem sedis Imperii Rom. in Urbem *Constantinopolim*, & propagationem Arianismi cum gravissimâ persecutione. *Zonaras To. 2.* præter insolitum defectum Solis etiàm in *Melitenâ* omnis generis angues visos esse scribit, qui pugnâ commissâ se invicem peremêre, & secutum fuisse Judæorum tumultum, ac 13. Urbes in Campaniâ malè prostratas fuisse.

5. Anno post Christum natum 394. cùm defectio Solis incidisset tanta, ut noctis tenebras æquaret: Gothi propè omnes (quorum 10000. fuisse dicunt) unà cum *Baratio* Duce desiderati sunt nocte prælium dirimente. *Sigonius.*

Antè mortem Andronici.

6. Mortem Cæsaris *Andronici* Senioris duæ Eclipses præcesserunt: Prima Solis fuit per tot dies, quot annis ille vixerat. Hanc secutus est Lunæ defectus 12. die Februarii, quo etiàm circà noctem obiit. *Nicet.*

Sub obitum Theodori Lascharis.

7. Sub obitum Imperatoris *Theodori Lascharis* sexto die per horam Sol obscuratus est, tenebræque operuerunt omnia, adeò ut Stellæ in cœlo apparuerint. *Fachimerius.* Circa Annum quoque Christi 400. cum Theodosius rebellem Eugenium in Foro Julii ad necem penè delevisset, maximè effervescente prælio subitò lux Solis cœlo subtracta est, ut una pars confligentium alteram videre non potuerit.

Lunæ Eclipsis mirabilis.

8. Anno Domini 680. Luna Junio mense nitore suo privata ac mirabili obscuritate fœdata comparuit. Julio autem, Augusto & Septembri *Romæ* adeò tetra pestilentia suborta fuit, ut frequentatis funeribus Libitina non sufficeret. Reliquam indè Italiam cùm incessisset, imprimìs *Papiæ* Urbem propè ad vastitatem redegit. *Sigonius.*

Sub mortem Caroli Martelli.

9. Circà Annum 740. cum *Carolus Martellus* avus *Caroli M.* Magister aulæ Regis Franciæ regnum usurpans divisisset illud paulò ante mortem inter *Pipinum & Carolomannum* filios; Undè orta translatio regni â Meroignorum stirpe. In Sole & Luna nova signa apparuerunt, & Stellæ, nec non paschalis ordo sacratissimus turbatus fuit. *Annonius lib. 4. de gestis Francorum cap. 57.* Sub Annum quoquè 797. *Constantinopoli* Solis obscurationem per 17. dies contigisse memorant Historici.

10. An-

10. Anno 807. ter Luna obscurata fuit, & semel Sol; & cùm prima Eclipsis Lunæ visa est, apparuêre eâdem nocte in aere acies miræ magnitudinis *Eginbertus.*

Sub Constantino. 11. Anno Christi 887 qui fuit secundus annus *Leonis* Imper. *Angæus* Longobardiæ Dux Regis Francorum gener cognitâ *Basilii* morte à Romanorum Societate descivit. Contra eum *Leo* Constantinum Patricium cum Occidentalibus misit copiis: commissâ autem pugnâ *Constantinus* succubuit, vixque cædem ipse evasit exercitu suo occisione delero. Sub idem tempus Sol hora diei sextâ defecit, ità ut stellæ viderentur. *Cedrenus.*

Sub Rhadamiro. 12. Anno 944 Sol horribilem eclipsin passus est feriâ 6, horâ diei tertiâ, quo die in Hispania *Addaram* Rex Saracenorum à *Rhadamiro* Rege Galliciæ superatus est: uti etiàm in Italiâ apparuit cometa miræ magnitudinis, quam fames secuta est. *Sigebertus in Chronico.*

Tempore quo Balduines fuit captus. 13. Anno D. 1187 Solis eclipsis adeò magna fuit, ut stellæ per diem, non aliter quàm de nocte visæ sint pridie Nonas Septembris. Mense uno elapso deinde *Balduinus* Rex Hyerosolymorum à *Saladino* captus, & *Hierosolyma* ab eodem occupata fuit.

Valdè mirabilis Eclipsis. 14. Anno 1232 mons aliò migravit 5000 hominum obruens. Quo tempore Eclipsis Solis prodigiosa fuit Lunari corpore versus occasum in sex angulos prorogatô. Secuta bella civilia, & cædes innumeræ. *Antonius Fritschius.*

Sub Michaële Palæologo. 15. Tempore *Michaëlis Comneni Palæologi* Imperat: Luna Solem obscuravit. Tantæ sub ejus medium subortæ fuerunt tenebræ, ut multæ stellæ apparerent, Romanorum calamitates portendentes à Turcis imminentes *Gregorius lib. 4.*

Sub Carolo III. Rege Hungar. 16. Quandò *Carolus III.* Hungariæ regno potitus in Albâ Regali legitimè coronatus fuit: eodem die Non. Decembris Anni 1381 tantus Solis defectus apparuit, sicut *Bonfinius* memorat *lib. 2. Dec. 2.* ut nunquàm eo sæculo major extiterit, quod ad breve tempus eum regnaturum portendit. Sicut & Idibus Februarii proximè insecutis in arce Budensi confossus est.

17. Anno 1415. die 7 Junii horrenda planè Solis Eclipsis fuit, quo tempore Concilium etiàm Constantiense celebratum fuit. Ità meminit *Leovitius.*

Mira Eclipsis Conimbricæ visa. 18. Anno 1560 die 21 Augusti, testatus *Clavius, Conimbricæ* Solem circà meridiem non modico tempore contectum latuisse, tenebrásque fuisse quodammodo nocturnis majores: Neque enim quò quis pedem poneret, videre potuisse, clarissiméque stellas in cœlo apparuisse; aves etiàm (mirabile dictu) ex aëre in terram præ horrore tàm tetræ obscurationis decidisse. *P. Scheinero,* ut refert *lib. 4. part. 1. Rosæ Urs. cap. 7.* testatus fuit *P. Emmanuel Vega,* qui eo ipso tempore, quo Eclipsis hæc contigit, in Hispaniâ fuit, & tempore deliquii cum aliis mensæ assedit, tantam äëri obscuritatem fuisse inductam, ut lucernas mediâ die accendere debuerint. Eclipsin etiàm hanc ultrà tres horas observatam; Totalem verò Solis obscurationem, quâ etiàm stellæ comparuerunt, ad horam durâsse: Ingentem quoque metum muliebri præsertim sexui induxisse, ut cumulatim mulieres per plateas discurrerint, & diem novissimum adventâsse proclamârint. Ultrà testatus fuit præfatus *P. Vega,* stellas nunquàm aliàs totâ vitâ tam accuratè & clarè sibi visas. His addit *Scheinerus* haud dissimilem Eclipsin etiàm in Hispania, ut aliundè ex historiis eruit, anno post natum Salvatorem 719 accidisse, quæ toti Hispaniæ obscuras adeò tenebras per duas horas induxerit, ut stellæ clarissimè, velut ad mediam noctem videri potuerint.

Eclipsis mira ab Hevelio observata. 19. Anno 1654 die 12 Augusti Solis Eclipsis admiranda fuit, quam *Hevelius in Appendice ad suam Selenogr.* his verbis describit: *Erat sanè tunc temporis tristissima & horribilis cœli facies, ac tantæ tenebræ, ut nec legere in aperto conclavi, nec observatores nostri in Automatis minuta, nec gradus in quadrante, nec ipsum perpendiculum animadvertere potuerint, planè ac eo Anni tempore, horâ nonâ vespertinâ fieri solet. Profectò apud me nullum est dubium, quin cœlo satis sereno præcipuæ stellæ, planetæque dilucidè admodùm conspici potuissent. In ædibus, earúmque cubiculis videbatur ipsam instare noctem, nec alter alterum de facie cognoscere, nec quicquam absque accenso peragi dabatur lumine. Hinc plebs obstupescens, hærens quid rei contingeret ampliùs ob repentinas tantas insolitas meridianas tenebras, ac subitaneam illam metamorphosin, imò homines non solùm tacito quodam stupore sunt perculsi, sed & bruta animalia hanc subitam Cœli persenserunt mutationem: quippè gallinæ, de quibus certò mihi innotuit, quasi ipsa nox ingrueret, de areis ad habitacula confugerunt, cubitúmque se contulerunt.* Hanc eandem Eclipsin memorat *Erasmus Francisci disc. 23.* Seines Lust-Hauses in der obern Welt/ secutum fuisse terræmotum in monte *Cassino* æstúmque magnum per plures dies, multósque mente captos insaniisse. Meminit etiàm ibidem ex *Rabbi Mose*, in Sicilia aliquandò magnam accidisse Eclipsin, ac deindè eodem Anno plures fœminas turpes & monstrosos filios, & imprimis bicipites peperisse. Sed præcipuas hascè Eclipses ità retulisse sufficiat. Plures alias cum eventibus secutis describit *Henricus Ranzovius, & G. Mercator in Chronographia.*



L §. III.

§. III.

Regulæ quædam & Observationes Astrologicæ, quarum directione Astrologi ex Luminarium defectibus divinare solent.

VirtusLuminarium in deliquiis impeditur.

1. Omnis Eclipsis Corporis Luminaris radiationem, quam impedit, virtutem etiàm imminuit. Undè licet alicubi existat Eclipsis, non ideò ubivis nocumentum affert sed potissimùm iis in locis, ubi virtutis effluxus impeditur, aut retinetur.

Frigus post Solarem Siccitas post Lunarem Eclipsin.

2. Cùm Solis virtus in tellurem præter lucem propriè sit calefacere, sicut Lunæ humectare: Ideò quia virtutes hæ in istorum Corporum deliquiis impediuntur, majus sempèr frigus Solarem, sicut siccitas major Lunarem Eclipsin consequi debent. Undè rectè scribit Cardanus *Aphorism. Astron. segm. 7. Aph. 51. Eclipses Solis multùm refrigerant, ideò generales esse non debuerunt. Lunæ parùm refrigerant, & per se sempèr exsiccant*, & ibidem *Aphor. 48. Cum ad vitam conservandam animantium ac stirpium calore primo indigeremus, Solus Saturnus frigidus inter erraticas creatus est. At verò eo non potente tot calidis planetis resistere, ne per successum temporis mundus adureretur, Eclipses DEUS molitus est, quæ certis necessariò temporibus inter alias recurrentes Mundum totum refrigerarent, ob id nec in minori temporis metâ hæ geminari queuut, nec ultrà certum temporis motum differri.* Ità *Cardanus.* Experientiâ quoque compertum est in Solaribus deliquiis vim calefactivam valdè retundi ac hebetari. Sic in Eclipsi Solis, quæ contigit Anno 1652 die 8 Aprilis ante meridiem *Parisiis*, quæque fuit 10 digitorum & 20, aut 25 circiter minutorum observata in ædibus Domini *Petri Petit*, meminit *Du Hamel in observat. post Astron. phys.* initio Eclipsis speculum parabolicum magnitudinis 15 pollicum globulum plumbeum facillimè liquefecisse; sub medium verò Eclipsis in ligno tenui & sicco vix fumum excitari potuisse: Nullam tamèn obscuritatem observatam, sed ob lumen solummodò pallidùm, ac debile, ut ingruente tempestate imminutum frigoris aliquantum passam esse atmosphæram.

Sterilitas post plures Eclipses.

3. Hinc sequitur rursùm, ut idem Cardanus notat ibidem *Aphor. 52. Cum multiplicantur Eclipses magna necessariò sterilitas succedit sequentibus annis. Refrigeratur enim terra, & exsiccatur magis.* Undè fruges amplo satis proventu cultores suos ditare haud valent. *Quodsi cum hoc imbres copiosi, aut inundationes successerint, quæ aucto frigore nimiùm evenire persæpè solent, tunc fames dira succedit.* Inquit idem *Aphor. 53. Nulla tamen Eclipsis omninò toti orbi penuriam aut pestem prænuntiare potest.* Ait *Aphor. 121.*

Tres vires Eclipsis.

4. Ejusdem *Cardani* enuntiatum est *Aphor. 59.* Eclipses *tres habere vires: potentem*, ratione conjunctionis vel oppositionis: *Generalem*, quoniam lentè infrigidat, atque ideò in multos extenditur dies, & *propriam*, quæ à loci denominatione habetur.

Dominus Eclipsis.

5. Dominus Eclipsis, ut *Ptolemæus* tradit, magnam habet in Eclipsi potentiam, ideò illius attendenda est natura; specialiter autèm Eventus, sicut Astrologi docent, & sequens Tabula monstrat, hi consequi solent.

Effectus Eclipsium ex Dominio Planetarum unà cum colore Luminarium.

Dominus Eclipsis.	*Color Luminarium.*	*Effectus, qui consequi solent juxtà mentem Astrologorum.*
♄	*Niger Sublividus*	*Corruptio à frigore, morbi longi, tabes, consummationes ex catharris, fluxus, febres quartanæ, exilia, pavores, animalium penuria, brutorum morbi, frigus horrendum, glacies, nebulæ, densæ nubes, tenebræ, copiosæ nives, naufragia, interitus piscium: fluviorum inundatio, aquarum corruptio, putredo fructuum, erucarum & locustarum copia.*
♃	*Candidus.*	*Utilium abundantia, interitus noxiorum, aëris temperies, venti, humiditas, mediocria fluminum incrementa, ferocium animalium interitus, mansuetorum abundantia.*
♂	*Rutilus.*	*Morbi biliosi, sanguinis eruptiones, infirmitates acutæ, febres tertianæ, venti calidi pestiferi, tabifici: fulmina, turbines, siccitas, maris æstus, frugum sterilitas, & conflagrationes.*
♀	*Flavus.*	*Fœcunditas, venti temperati, humiditas, tempestivæ pluviæ, aquarum utiles exundationes, animantium copia.*
☿	*Varius.*	*Morbi sicci, febres quotidianæ, phthises, tusses, anhelationes, venti validi, inordinati, instabiles. Tonitrua ignita, fulmina, animalium & plantarum interitus; Si tamen Occidentalis fuerit, minuit prædictos effectus.*

6. Astro-

Pro varietate dominum variatur effectus.

6. Astrologi porrò statuunt Eclipsium Dominos pro varietate domuum, in quibus vel fiunt Eclipses, vel ipsi resident, in agendo variari, ità *Cardanus, Aphorism. 80. segm. 7.* dicit: *Quibuscunque Eclipsis tempore medio Dominus loci in Ascendentis lineâ fuerit: his statim vigor effectûs accedet: Quibus autem in corde cœli ille fuerit, in declinatione Eclipsis, his diuturnus sed non magnus effectus:* & *Aphor. 81. Eclipses in quartâ domo juxtà cœli imum validiores, quàm in octavâ, vel in duodecimo loco: & in primâ domo validiores, quàm in nonâ, vel undecimâ.*

Stellæ fixæ quid conferant.

7. Stellæ fixæ, quæ locum Eclipsis comitantur, & illius tempore vel oriuntur, vel medium tenent cœlum, plurimùm valent ad augendam, vel minuendam Eclipsium virtutem ac potentiam. Ità stellæ fixæ de naturâ Planetæ dominantis in Cœli figurâ tempore Eclipsis etiàm confortant Domini potentiam suprà in Tabula indicatam. Quæ autèm contrariæ sunt naturæ, eandem debilitant, aut nonnihil retardant.

Signorum cœlestium natura.

8. Pro signorum etiàm cœlestium naturâ, in quibus Luminaria existunt in tempore Ecliptico, sui etiàm speciales ab Astrologis tribuuntur Eclipsibus effectus. Ità *Ptolemæus lib. Misalach. cap. 5.* docet, quod Eclipsis Lunæ maximè in hyeme, si fuerit in signis frigidis excessum frigiditatis & nimiæ constrictionis efficiat in terrâ, aëre, & aquis: si fuerit in signis aqueis, abundantiam procuret pluviarum: in aëris verò periculosas tempestates & ventorum procellas portendunt. Communiter tamen effectus subsequentes ab Astrologis assignantur: uti hîc in tabella videre licet.

Eclipsium Utriusque Luminis effectus secundùm Triplicitatem signorum, in quibus contingunt.

Luminaria in signis cùm sunt.	*Effectus juxta Astrologos consequi solent.*
Tribus Aëreis ♊. ♎. ♒.	*Fames, morbi epidemici, pestilentia, gravissimæ ægritudines, venti & seditiones.*
Tribus igneis ♈. ♌. ♐.	*Sicca aëris temperies, pestis, Febres omnis generis. Seditiones, incendia, æstus, bellorum motus, mortes plurimæ.*
Tribus aqueis. ♋. ♏. ♓.	*Humiditas, pestis, & sterilitas. Obscuræ turbæ interitus, diurnæ bellorum seditiones, aquatilium pernities.*
Tribus terreis ♉. ♍. ♑.	*Siccitas, sterilitas, frugum satorùmque penuria.*

Alios verò effectus, quos *Proclus* Soli ac Lunæ tempore Eclipsis in singulis signis, & eorum decanis attribuit, cùm majoris insigniantur nota vanitatis, memorare piget. Hæc porrò omnia his præcipuè regionibus accidere dicunt Astrologi, quæ vel sub signo Eclipsis existunt, vel eidem quovis modò concilientur, & illis hominibus, quorum locorum natura cum iisdem signis convenit. Est etiàm Aphorismus apud *Cardanum*: *Eclipses Luminarium super civitates, provincias & regna magis efficaciam suam exerere, quàm super privatæ conditionis, aut etiàm super Reges; respiciunt enim multitudinem*, ut inquit, *segm. 5. Aphor. 45.*

Quando nam effectus consequantur.

9. Ratione temporis, quo Eclipsis aliqua suos potissimùm effectus præstare queat, docet *Cardanus Aphor. 75. ejusd. segm.* quot horæ Æquinoctiales elabuntur tempore Eclipsium, tot annis in Solari deliquio, & tot mensibus in Lunari duraturos effectus. Ratione sitûs verò sivè loci in cœlo, ubi contingit Eclipsis, dicit *Avenragel*, Deliquium incidens in Orientalem finitorem, significare effectum quatuor proximis mensibus futurum quoad exordium; at quoad perfectionem vehementiores futuros in primo triente totius durationis; si in medio Cœli deliquium contingerit, vehementiam effectuum etiam in medio triente totius durationis; si in occidentali cardine, in ultimo triente futurum. Par est ratio, cum Dominus Eclipsis in iisdem locis constitutus fuerit. Verùm hæc ita referimus ex aliis, non ideò probata satis nobis esse palàm asserimus.

10. Eclipsis Solis aut Lunæ cùm in florentem arborem inciderit, eodem illam anno sterilem reddit, ut ait *Cardanus Aphor. 110. segm. 7.* Eclipses verò Solis, ut inquit idem *Comment. in Ptolem. de Astror. jud lib. 2. cap. 9. text. 51.* præsertim magnæ, *si in florentem segetem inciderint, eo anno stipulæ absque granis colliguntur, & maximè sit illud, si Sol exoriens deliquium patiatur.*

Eclipsium influxus in caput.

11. Eclipses capiti comprimis infestæ ac noxiæ comperiuntur, undè sæpè memoratus *Cardanus in Ptol de Judiciis Astror. lib. 2. cap. 5. text. 51.* docet; *plurimis, quibus caput est imbecille, in magnis Eclipsibus caput dolet.* Testatur etiàm *D. Joan. Matt. Faber in vindiciis Astrol.* virum illustrem melancholiæ malo admodùm obnoxium defectu Lunari in mercuriali librâ & Sole domicilium cephalicum Arietis occupante diem præcedentem Eclipsin tristem, &

meditabundum transegisse: ipso verò puncto ecliptico ense nudo non per domum tantùm propriam, sed & vicinas, ac plateas furioso simillimum non in homines tantùm, sed & scamna, & fores, & quidquid illi occurrebat, injurium discurrisse citrà ullam rationem imaginabilem.

§. IV.

Mirabilia Miscellanea varia de Eclipsibus.

Primi Eclipsium observatores.

1. Qui primò ritè Eclipses exposuerunt, fuêre *Thales Milesius* & *Anaxagoras*. Hic enim primus, ut habet *Plutarchus lib. 2. de plac. Philos. apertissimè, & liberrimè ausus est de Lunæ illuminatione, & obumbratione scripto edere rationes.* Secutis temporibus doctrinam illam exceperunt Scholæ omnes, quibus manifestum erat, *teste Plinio lib. 2. cap. 10. Solem interventu Lunæ occultari, Lunámque terræ objectu; ac vices reddi, eosdémque Solis radios Lunæ interpositu suo auferente terræ, terráque Lunæ: Hac subeunte repentinas obduci tenebras, rursumque illius umbra sidus tabescere.* Protulit etiàm in vulgus rationem defectus utriusq; Luminaris *primus Romæ Sulpitius Gallus*, eodem *Plinio teste, qui Consul cum M. Marcello fuit, sed tum erat tribunus militum secundæ legionis sollicitudine exercitu liberato pridie quàm Perseus Rex superatus à Paulo Æmilio est, in concionem ab Imperatore productus ad prædicendum Eclipsin, mox & composito volumine.* Ità *Plinius*. *Palamedes* etiàm *Nauplii*, & *Clymenes filius* Astrologiæ peritissimus annum mensésque ad cursum Solis apud Græcos accommodavit; primúsque, sicut *Philostratus* in *Heroicis* memorat in castris visam atque formidatam Solis Eclipsin naturalem, miniméque timendam esse, sacrificaréque Soli jussit.

Eclipsis prædictio liberaliter remunerata.

2. Tam pretiosus olim existimatus fuit labor, qui pro computatione & prædictione Eclipsis fuit impensus, ut pro quâlibet Eclipsi ritè prædictâ, singulum *Cyziceno Heliconi* talentum *Dionysius* persolverit.

Unde in Eclipsibus cymbalorum ac tympanorum usus.

3. Antequam ostensa esset vulgò à Philosophis ratio defectuum & deliquiorum Solis ac Lunæ, Homines cùm illa Luminaria deficere viderent; aut scelus aliquod ingens, aut mortem eorum metuebant. *Stesichorus* etiàm atque *Pindarus* Poëtæ licet clarissimi fuerint, Matheseos tamen ignari, deliquia hujusmodi veneficiis & incantationibus fieri, iísque æris tinnitu auxiliari posse, sunt arbitrati. *Plin. lib. 2. cap. 12.* Hinc pavor non in rudi solùm erat plebe, sed in eruditis quoque, cum luminaria deficerent, putabántque Lunam in ejusmodi defectibus, sonitibus permagnis adjuvari, ne scilicet voces incantantium eò possent pertingere: Idcircò pelves, & tintinabula, tympana ac cymbala antiquitùs pulsabantur. Propterea etiàm acutè cecinit *Juvenalis* de fœminâ loquaci, ac plurimùm garrulâ.

Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

Turcæ ac Persæ sensatiores acutis cymbalorum tinnitibus aërem idcircò concitare solent, quod credant animos hinc excitari & confirmari contrà malignas Eclipsium impressiones, & noxios influxus: quocircà etiàm fontes publicos obtegunt & occludunt, ne inquinamentum ex aëre ab Eclipsibus vitiato concipiant.

Falsa opinio de Eclipsis origine apud Sinas.


4. Narrat *P. Martinus Martinius l. 2. Sin. Hist. pag. 44.* Chinenses in hunc usque diem dum Eclipses Solis & Lunæ contingunt, credere se magnum committere peccatum laborantibus hisce corporibus, si non publicis sacrificiis, & pulsibus sonoris & clamoribus succurrant. Persuadent enim sibi, eo tempore Solem & Lunam à cane vel dracone sibi, ne deglutiantur, pertimescere. Unde etiàm quandò Regi Eclipsis ejusmodi prædicitur ab Astronomis, mox per omnes provincias, & civitates tempus & hora deliquii indicitur, quo incolæ tympanis & æreis cymbalis parati tempus exspectant cum metu & tremore, ut hisce sonis patientibus cœlestibus corporibus opem afferant. Hinc etiam periculum vitæ incurrunt Astrologi Regii, si tempus ejusmodi deliquii ex negligentiâ, vel imperitia Regi non prædicant, aut Regem de futurâ Eclipsi præmoneant. Refert etiam *Rogerius de gentilismo Asiat. Afric. & Americano part. 1. cap. 10.* Brachmanes credere Solis & Lunæ Eclipses ex pugnâ contra *Ketou* & *Ragou* (qui instar serpentum convoluti sunt) contingere. Similia refert *Alexander Ross*, & ex ipso *Christoph. Arnold in select. addit. de Gentilismo cap. 25.*

Ritus observandi Eclipses apud Sinas.

5. Ritus observandarum Eclipsium apud *Sinenses* usitatus optimè describitur à *P. Ferdinando Verbiest Astron. Europ. cap. 10.* his verbis. *In curia Pekinensi*, inquit, *hic ritus observatur. Diebus aliquot ante Eclipsin supremum tribunal rituum ipsum futuræ Eclipsis diem, horam, & minutum, nec non digitos eclipsandos & plagam mundi, quam respiciunt tam in initio, quàm in medio, ac fine, & cœtera omnia juxta ea, quæ tribunal Astronomicum in libello suo obtulit Imperatori, majoribus literis scripta publico in loco affigenda curat, atque omnes Mandarinos admonet, ut dato die ac horâ ad destinatum locum conveniant. Itaque ubi jam Ecclipsis observandæ dies & hora advenit, omnes totius Urbis Mandarini festivo cultu ac propriis insignibus juxta dignitatis suæ gradum superbè induti in amplissimum tribunalis jam determinatum atrium conveniunt. Et cum sublatis continuò in cœlum oculis omnes hærent suspensi, ubi jam ad primum luminis defectum pallentem Solis aut Lunæ vultum intuentur, statim in genua pariter procumbunt, ac demisso in terram capite ex consuetudine suâ antiquâ cœlestia lumina venerantur & statim per omnes vicos & præsertim Deorum fana, tympana, cymbala, & alia ejusmodi instrumenta magno cum strepitu pulsantur, totâ urbe longè latéque resonante, ut ità scilicet juxta ritum antiquum, quem jam meliùs edocti nullo fundamento nixum esse sciunt, Soli & Lunæ laboranti, succurrendi animum testantur. Et Mandarini*

DEFECTUS SOLIS PARTIALIS,

Anno MDCXCIII. Die 23. Iunij st: v. post mer: observatus NORIMBERGÆ sub Elev. Poli 49°. 27'. 20".
à G. C. Eimmart.



Præcipuarum aliquot Phasium in Defectu Solari Synoptica repræsentatio.

17 14 4 12 1 2 3 10 8

Verticalis


hor: 1.12.0.

hor: 1.52.7.


hor: 2.18.25.

Singularum Phasium in hoc Defectu Solari seorsim projectarum et ad unum eundemq; Verticalem, qui erat sub finem Eclipsis, horâ nempè 2. m. 18. sec: 25. reductarum, explanatio.

Phas: I. cresc:




Phas: II. cresc:




Phas: III. cresc:




Phas: IV. cresc:




Phas: V. cresc:



Phas: VI. cresc:




Phas: VII. cresc:




Phas: VIII. max: obsc:




Phas: IX. decr:



Phas: X. decr:




Phas: XI. decr:



Phas: XII. decr:




Phas: XIII. decr:




Phas: XIV. decr:




Phas: XV. decr:



Phas: XVI. decr:



Phas: XVII. decr:



emersio tota h. 2. 18. 56.



rini illi quidem toto Eclipsis tempore genibus flexis ità venerabundi hærent, nec non nisi post longa intervalla parvo spatio in pedes eriguntur: tam pertinaci scilicet studio avitam superstitionem, & ipsos, quos apertè cognoscunt errores suos adorant. Idem ritus in Metropoli cujusque Provinciæ à Proregibus & aliis ibidem Mandarinis exactè observatur, totius Imperii oculis horâ hâc in cœlum intentis. Reliqua, quæ in speculâ Astropticâ intereà temporis peraguntur, videri possunt apud Eundem dicto loco.

Ritus ad Coromandel tempore Eclipsis.

6. Ad *Coromandel*, cujus incolæ *Gentivæ*, vel *Jentivæ* vocantur, ut Author est *Pieter van den Broeck in Journael Aenteyck*, dum contingit Eclipsis Lunæ (quam accuratè valdè prænosse, & exactè prædicere nôrunt) tàm viri, quàm mulieres, ac liberi turmatìm mare intrant, ut se lavent. Imò à locis 20 vel 30 milliaribus dissitis accurrunt, ut lavacra sua ibidèm instituant, pro delictis suis expiandis: credunt enim his balneis & lavacris maxima crimina detergi & expiari.

Eclipses metus incutiunt.

7. Eclipses & deliquia Luminarium sæpè ingentes metus, originis & causæ earum ignaris incusserunt. Ità testatur *Plutarchus in Æmilio*, bello Macedonico, quo *Perses* Rex debellatus fuit, ingentem Solis defectum contigisse, quo non tantùm Macedones regni sui excidium metuentes, verùm etiam Romani ipsi vehementer territi fuerunt, quoad *Sulpitius Gallus* ex Astronomiâ petitis rationibus Romanos confirmavit. Refert etiàm *Cælius lib. 7. cap. 18. lect. antiq. Archelaum* Macedonum Regem in Solis deliquio rerum naturæ ignarum & pavore attonitum festinantiùs occludi Regiam imperâsse, & quod assolebat in magno plerumque mœrore, comam filio decuti jussisse.

Infelix expeditio post Eclipsin.

8. *Pericles* Atheniensium Dux, sicut memorat *Plutarchus*, cum sub maritimæ expeditionis tempus Sol interpositu Lunæ fuisset obscuratus, & Gubernator classis unà cum cœteris eo omine tanquam sinistro esset consternatus, ut causam naturalem hujus Eclipsis ostenderet, & metum indè militibus adimeret, chlamydem oculis Præfecti objiciens & visum impediens, nunquid mali alicujus hoc esse signum putaret? interrogat. Illo negante, respondit nihil esse discriminis inter hanc, quæ chlamydis objectu; & alteram, quæ Lunæ interventu facta esset Solis aspectu inhibitionem, nisi quod, quò major chlamyde esset Luna, eò pluribus Solis conspectum illa adimeret. Sed infelix expeditionis eventus, ostendit nequàquàm hoc cœleste signum fuisse vanum: Nam & exercitum lues invasit, quæ magnam partem absumpsit, & ipse *Pericles* re infectâ domum reversus in tantum apud Athenienses ob rem malè gestam odium venit, ut imperium ei adimeretur, & insuper magnâ pecuniæ summâ mulctaretur.

§. V.

Deliquium Solis partiale An. 1693. die 3. Julii (23. Junii) horis pomeridianis Noribergæ observatum.

Antequam materiam de Eclipsibus penitus dimittamus; volui breviter his annectere deliquium Solis partiale, quod Anno 1693 die 3. Julii (23. Junii) (quo ipso tempore morabar *Noribergæ*) præter omnem spem & exspectationem apud Eximium & præclarum nostri temporis Astronomum virum nunquam satis laudandum *D. Georgium Christophorum Eimmart* in ejus ibidem observatorio cum pluribus aliis Astronomiæ cultoribus observare licuit. Abundè autem hinc compertum fuit, quod jam olim *Keplerus* perspicacissimus ille Astronomus in *Astron. suæ parte optica prob. 26. p. 389.* docuit; plus nimirum conferre Eclipses Solis ad inquirendos Lunæ motus, quàm Lunares: Siquidem egregiè & præter spem id, quod calculus denegaverat, per observationem repertum fuit. Ex quo manifestè deduci potest tabulas Lunaris motus nondum usquequaque cum Cœlo convenire. Quapropter vir egregius *D. Eimmartus* sibi persuadet Solis hunc partialem defectum (quem à pluribus etiam in Germania nostra Uranicarum rerum Cultoribus, uti non dubitat, majori vel saltem pari cum illa tunc Noribergæ adhibita cura & diligentia fuisse observatum) nonnihil ad CorrectionemTabularum Lunarium contribuere posse.

Illud etiam tunc mirabamur, quod accuratissimus aliàs & solertissimus *Kirchius* in *Nuntio suo sidereò* vernacula lingua sub nomine *Georgii Fabricii* edito hanc Solis Eclipsin in Horizonte Norico invisibilem indicaverit. Fatetur tamen Tabulas Astronomicas ad absolutam perfectionem necdum esse deductas, quin adhuc proclive sit calculum ex iis productum à Cœlo ad duo pluraque minuta aberrare, ac proindè certitudinem ab observationibus, ad quas ibidem sollicitè provocat, petendam esse, palàm edicit.

Neque minus est mirum, etiam clarissimum *Argolum* & solertissimum *Ricciolum* in catalogo Eclipsium ex Ephemerid. collecto eandem Eclipsin in Horizonte Romano quasi invisibilem prorsus neglexisse, cum tamen ibidem sub latitudine 41°. 54'. contactus marginum Luminarium sensibilis apparere debuerit, id quod ex observatione illa Norica constare videtur, vel potius ex aliis ibi locorum dubio procul institutis suo tempore certum fiet.

Insuper neque etiam Tabulas Carolinas absolutissima perfectione gaudere depræhenditur ex Anglicano Mercurio, ubi ex Astron. Carolina ad Meridianum Londinensem sub Latit. 51°. 32'. defectus digitalis, vel paulò plus supputatur, quem

tamen sesqui digitalem ad minimum excrevisse ex observationibus Noricis evinci potest. Totum illud cœleste negotium *Norimbergæ* tunc peractum in sequentibus tabulis & figuris appositis, quas accuratè depictas *D. Eimmart* mihi transmisit, curiosus Lector hic videre poterit.

Altitudines Solis temporales cum Azimuthis ad aliquot phases captæ.

Altitudo Solis meridiana hoc die observata fuit

° ′ ″
63. 31. 45. Quadr. ferreo 6 ped.
63. 31. 20. Triente magno ferreo 16 ped.

° ′ ″
Hinc declinatio Solis 22. 59. 5.
vel 58. 40.

Ad phases	Altitudines Solis. °	′	″	Azimutha Solis à meridie. °	′
IV.	58.	0.	25.	41.	45.
V.	57.	26.	45.	42.	45.
XI.	55.	24.	25.	50.	55.
XIII.	53.	31.	35.	55.	5.
Post XIV. & ante XV.	52.	40.	0.	57.	10
In puncto totalis emersionis	52.	2.	45.	58.	45.

Tempora ad singulas phases. Per Sciat. Æquinoctiale. Ordo phasium	Hor.	Min	Per Automaton. Hor.	Min.	Sec.	Per aliud Automaton. H.	M.	S.	T.	Tempora ex altitudinibus & Azimuthis Solis correcta. H.	M.	S.
I.	1.	12.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
II.	1.	15.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
III.	1.	25.	1.	25.	50.	1.	25.	33.	0.	—	—	—
IV.	1.	29.	1.	29.	50.	1.	29.	34.	30.	1.	29.	54.
V.	1.	33.	1.	32.	45.	1.	32.	43.	30.	—	—	—
VI.	1.	34.	1.	34.	50.	1.	34.	36.	50.	—	—	—
VII.	1.	38.	1.	38.	30.	1.	38.	9.	20	—	—	—
VIII.	—	—	1.	41.	45.	—	—	—	—	—	—	—
IX.	1.	45.	1.	45.	50.	1.	45.	45.	20.	—	—	—
X.	1.	51.	1.	51.	35.	1.	50	40	40.	—	—	—
XI.	1.	57.	1.	57.	0.	1.	56.	40.	30.	1.	57.	0.
XII.	2.	6.	2.	6.	30.	2.	5.	53.	50.	—	—	—
XIII.	2.	10.	2.	9.	45.	2.	9.	37.	30.	2.	10.	22.
XIV.	2.	12.	2.	12.	45.	2.	11	57.	0.	post XIV & ante XV. 2.	14.	3.
XV.	2.	15.	—	—	—	2.	15.	22.	20.			
XVI.	2.	17.	—	—	—	2.	16.	29.	30.	—	—	—
XVII.	2.	18.	—	—	—	2.	18.	17.	30.	—	—	—
In puncto totalis emersionis.			2.	18.	25.	—	—	—	—	2.	18.	56.

Ex annotato tempore per Automaton ad phasin XIV. usque ad tempus totalis emersionis, quod fuit 5′. 40″ (supposito nempè horario motu Lunæ & Solis æquali) colligitur initium hujus defectus ad meridianum Noribergensem

Hor. pom.	min.	sec.
1.	6.	20.

Tota duratio partialis hujus deliquii

Hor.	Min.	Sec.
1.	12.	5.

Et consequenter medium Eclipsis sive momentum maximæ obscurationis

Hor.	Min.	Sec.
1.	42.	22.

Proportio Diametri Lunaris visibilis ad Solarem

Solarem visibilem, quæ ex plurimis hisce phasibus elicitur, est ut 9150. ad 10000. Data proindè (juxta Ricciolum Astron. Reform. L. 1. C. 19. pag. 69.) Semidiam. Solis Apogæi 15′. 30″. & ex observatione Semidiam. Lunæ 14′. 0″. Quarum summa est 29′. 30″. Cum observatione maxima 1. dig. 5. part. quibus respondent 3′. 39″, habebitur distantia centrorum tempore maximi defectus 25′. 51″. in Horizonte Norico.

Singularum phasium obscurationes in partibus duodenis unius digiti mensuratæ.

Ordo phasium.	Dig.	part.	Ordo phasium	Dig.	part.
I.	0.	6.	IX.	1.	4.
II.	0.	9.	X.	1.	3.
III.	1.	0.	XI.	1.	2.
IV.	1.	$1\frac{1}{2}$.	XII.	0.	10.
V.	1.	3.	XIII.	0.	8.
VI.	1.	$3\frac{1}{2}$.	XIV.	0.	6.
VII.	1.	4.	XV.	0.	4.
VIII.	1.	5. maxima obscuratio sivè quantitas defectus.	XVI.	0.	3.
			XVII.	0.	2.

Arcus Limbi Solaris in gradibus & minutis eclipsatus ad singulas phases.

Phases.	Grad.	Min.	Phases.	Grad.	Min.
I.	33.	0.	IX.	54.	0.
II.	39.	30.	X.	52.	30.
III.	45.	30.	XI.	50.	0.
IV.	49.	30.	XII.	44.	0.
V.	52.	30.	XIII.	39.	0.
VI.	53.	0.	XIV.	32.	30.
VII.	54.	0.	XV.	26.	0.
VIII.	55.	0.	XVI.	23	0.
			XVII.	16.	30.

Angulus visibilis inter verticalem per centrum Solis transeuntem & centrum Lunæ interceptus.

		°	′
Ad phasin	I. - - -	25.	30.
	X. - - -	27.	0.
	XVII. - - -	14.	0.



CAPUT

CAPUT VI.

Potiora Venerei Globi Phænomena recensentur.



ENUS est amabilissimum cœli sidus, post Solem ac Lunam apparenter maximum, & fulgentissimum. Corpore constat globoso cum luce amœnissima. Naturâ censetur Venus benefica: Undè etiàm ab Astrologis vocari solet *Fortuna minor*, sicut Jupiter *Fortuna major*. Non proprio, sed alieno Solis lumine splendet: Virtute insupèr Cosmicâ, seu decorificâ specialiter prædita censetur, quâ materiam ritè præparatam, corpúsque aptum, sive ex animalium, sivè vegetabilium, sivè mineralium familiâ sit, gratiâ & decore comprimìs afficere solet. Hoc porrò valdè rutilans cœli Sidus Solem manè præcedens appellatur ab Astronomis *Phosphorus*, seu *Lucifer*: Vesperi verò eundem subsequens dicitur *Hesperus*, seu *Hesperugo*. Antiquissimi duas inter se simillimas Stellas crediderunt *Luciferum* & *Hesperum* teste *Plinio lib. 2. cap. 7*, donec solertissimus *Pythagoras Samius* primus delusas errore mentes Veritatis luce illustravit. Sed præmissis hiscè præludiis, nunc potiora alia de hoc lucidissimo Veneris globo proferamus.

§. I.

Observationes Astronomicæ de Venere, & his, quæ ad ejus theoriam pertinent.

Structura Globi Venerei. 1. Quod itaque comprimis structuram & naturam Venerei corporis attinet, censetur illud ab eruditis pluribus Astronomis esse opacum, quia nullo proprio, sed Solis lumine fulget; esse sphæricum, quià sphæricè illuminatur; esse solidum & consistens, quia per Cœlum liquidum sine sui dissipatione revolvitur: esse asperum & anfractuosum, quia tale potissimùm per telescopium comparere solet. Unde & *Cassinus in epist. ad D. Petit. Parisios* datâ testatur, se in Venere maculas nonnullas advertisse, sicut & particulam eximiè lucidam: Non esse igneæ naturæ, alioquìn ex se luceret: non esse äereæ aut aqueæ tantum; quia non consisteret, sed terreæ & aqueæ simul.

Phases ejus Lunæ phasibus similes. 2. Veneris phases terreno visui objectæ sunt menstruis Lunæ phasibus planè similes; Undè modò plena, aut ferè plena, modò gibbosa seu prætumida, nunc dichotoma, seu bisecta, & semiplena, nunc falcata, seu in cornua sinuata, nunc tandèm obscura penitùs & silens comparet: & quidèm hoc ordine ac modo observata fuit phases suas exhibere. Post matutinam emersionem à radiis Solis paulò antè secundam stationem apparet falcata: deindè circà maximam digressionem matutinam à Sole bifida seu dichotoma: posteà ad heliacam immersionem matutinam directè accedens iterùm Solem gibba, ac paulatim ad rotunditatem disci apparet reducta: Undè colligitur in Apogæâ conjunctione eam perfectè esse rotundam ac talem videri posse, nî Solis fulgor obstaret. Cum verò è fastigio sui pericycli descendere rursus incipit, & vespertina facta ex radiis Solis emersit, iterùm apparet gibba: circà digressionem maximam vespertinam bisecta, ac propè stationem proximam corniculata: in conjunctione tandèm perigæâ diebus utrinque proximis latet sub splendoribus Solis, nec lumine quoquam nobis fit conspicua.

3. Venus ambitu suo circà Solem nunquàm ab eodem digreditur ultrà 48. Gradus, aut ad summum 50, & tunc semper falcata, seu Dichotoma videtur. Hinc Venus è diametro Mundi nunquàm potest Soli opponi. Digressio à Sole.

4. Ideò etiàm quià ità nunquàm Soli opponi potest, fit ut nunquàm *cosmicè* occidere, nec oriri *Acroniche* possit.


5. Venus aliquandò velocior est Sole motu sibi proprio, quandò scilicet post matutinam digressionem ad illum accedit, illumque prævenit, aut vesperi ab illo recedit versùs maximam digressionem. Aliquandò autèm tardior est, quandò scilicet post vespertinam digressionem maximam ad illum retrocedit, aut manè post ortum Heliacum ab eo recedit in antecedentia, & versus maximæ digressionis terminum; aliquandò æqualis est in motu, quandò scilicet in stationibus hæret. Aliquandò velocior, tardior, aut æqualis in motu cum Sole.

6. Peculiare est Veneri ex magnâ præsertìm latitudine boreali, ut eodem die naturali videri possit manè paulò ante Solis ortum, sitque Lucifer, sivè phosphorus, & paulò post Solis occasum; sitque Hesperus.

7. Motus medius Veneris sicut & Mercurii cum medio motu Solis confunditur, eadèmque est linea medii motus Solis, Veneris & Mercurii: non est tamèn idem verus locus Solis, & verus locus centri Epicycli Veneris & Mercurii, eòquod apogæa sint diversa, consequenter & prostaphæreses. Motus medius.

8. Hypothesis communis tenet centrum Veneris & Mercurii deferri eccentrico, & hunc motum esse inæqualitatem primam: Itèm hos planetas moveri in Epicyclo, qui motus inæqualitatem secundam efficiat; Undè prostaphæreses addendæ erunt, aut subtrahendæ primæ inæqualitati, ut habeatur verus locus Planetæ, quarum maximæ in mediis circitèr distan- Inæqualitas prima & secunda.

Globus Veneris.



diſtantiis inter Apogæum, & perigæum Epicycli accident ſecundùm leges communes. Hæ ſi ſumantur à centro Epicycli, vocantur communiter proſtaphæreſes orbis; ſi ſumantur à loco Solis vocantur digreſſiones.

Digreſſiones unde numerantur. 9. Digreſſiones Veneris & *M*ercurii communiter à loco Solis medio numerantur, non autèm à vero, quia locus Solis medius, & locus medius centri Epicycli, ſunt in eâdem lineâ.

10. Quoties medius & verus locus Solis & centri Epicycli conjunguntur & coincidunt, tunc digreſſiones maximæ & proſtaphæreſes orbis non diſtinguuntur: in Apogæo quoquè & perigæo Eccentrici lineæ veri & medii loci centri epicycli coaleſcunt ſecundùm communes leges Eccentricorum. Undè in perigæo & apogæo Eccentrici proſtaphæreſis orbis maxima, & digreſſiones orbis maximæ à loco Solis medio ſunt eædem, & matutinæ veſpertinis æquantur. Voco autèm matutinam proſtaphæreſin ſubtractivam, quæ Planetam reddit Sole occidentaliorem, undè manè antè Solem oritur: Veſpertinam verò additivam voco, quæ Planetam facit Orientaliorem Sole, quia poſt occaſum adhuc comparet.

11. Extrà lineam Abſidum cum lineâ medii motûs Solis fit eadem cum lineâ medii loci centri, non autèm eadem cum lineâ veri loci centri: ideò medius locus Solis & centrum Epicycli different: quarè proſtaphæreſes numeratæ à centro Eccentrici non erunt æquales cum digreſſionibus, quæ à loco Solis medio numerantur, ſed inter ſe inæquales nempè veſpertina major matutina, vel contrà: Simul tamen ſumptæ æquabuntur duabus proſtaphæreſibus. Undè aggregatum digreſſionum duplum erit unius proſtaphæreſis.

12. Poſito Epicyclo Veneris in Apogæo, quà magis diſtat à centro terræ; maximæ proſtaphæreſes miores erunt, quàm dum centrum ejusdem epicycli erit in perigæo: quià ſcilicet epicyclus, ut vicinior ſub majori angulo ſpectatur, quàm dum fuerit in Apogæo. Maximæ Proſtaphæreſes.

13. In primo Anomaliæ Eccentrici ſemicirculo debet addi proſtaphæreſis Eccentrici, ut ex media Anomaliâ fiat coæquata: In ſecundo autem ſemicirculo debet proſtaphæreſis ſubtrahi.

14. Solet Venus Epicyclum ſuum abſolvere diebus 587. hor. 22. min. 10.

15. Motus diurnus Veneris cenſetur min. 36. Sec. 59. Ter. 9. Motus annuus ejusdem Grad. 225. Min. 1. Secund. 53. Tert. 35. Motus diurnus & annuus Veneris.

16. Venus communiter poſt 5. hinc indè ſigna Anomaliæ fieri ſolet Stationaria: accuratiùs autèm loquendo fit Stationaria, retrograda, aut directa, prout ſequens tabella docet.

Venus in Eccentrici	*Arcus primæ Stationis.*		*Arcus ſecundæ Stationis.*		*Arcus Retrogradationis*		*Arcus Directionis.*	
	G.	*M.*	*G.*	*M.*	*G.*	*M.*	*G.*	*M.*
Apogæo.	166.	1.	193.	59.	27.	58.	332.	2.
Mediâ longitudine.	167.	7.	192.	53.	25.	46.	334.	14.
Perigæo.	168.	15.	191.	45.	23.	30.	336.	30.

Tempus moræ Veneris. 17. Tempus moræ Veneris in Stationibus ſolet eſſe dierum $1\frac{1}{2}$.

Directi curſûs dierum 542.

circiter

Retroceſſiones dierum 42.

Latitudo Veneris. 18. Latitudo maxima Veneris ſecundùm *Ricciolum* eſt Grad. 9. min. 9. Angulus inclinationis Grad. 3. minut. 24. Motus Nodorum annuus Grad. 0. minut. 0. ſec. 40.

19. Apparens Diameter ejusdem ſecundùm *Ricciolum* cenſetur eſſe, ut ſequitur.

	Min.	Sec.	Ter.
Maxima.	4.	8.	0.
Media.	1.	4.	12.
Minima.	0.	33.	30.

Diameter. 20. Veneris diameter putatur continere terræ diametrum $1\frac{15}{100}$. ejus Soliditas terras $1\frac{1}{2}$. Lunas 82. contineri verò à Sole volunt Venerem 25733.

21. Veneris diameter apparens paulò poſt conjunctionem perigæam, etſiamſi tunc Sol illuminet partem averſam, & conſequenter falcata appareat, æſtimatione factâ cenſetur ferè quadrupla, ità ut ejus area quadragecupla ſit areæ, quàm in conjunctione apogæa exhibet.

22. Secundùm *Ricciolum* radius Epicycli Veneris maximus eſt part. 5339. Minimus 5157. qualium radius eſt 100000. Eccentricitas maxima 253. *M*inima 153. Radius Eccentrici 7327. Diſtantia in ſemidiametris terræ maxima 12919. *M*inima 1917. differentia 11002. Radius Epicycli.

23. Juxtà *Ptolemæum* Venus cenſetur veſperi emergere, cùm diſtat à Sole Grad. 5. min. 4.

§. II.

Observationes & Conclusiones quædam Hevelianæ de apparentiâ globi Venerei.

Observationes diurnæ Veneris. 1. Deprehendisse se scribit imprimis solertissimus *Hevelius*, ut memorat *Selenogr. cap. 4.* quod phases Veneris de die, claroque sole meliùs & certiùs notari queant, quàm de nocte, quodque non solùm Venus in maximâ elongatione à Sole de die nudis oculis possit conspici, verùm etiàm nonnunquàm paulò post primam ejus emersionem ex radiis Phœbi.

Venus matutina. 2. Quod Venus matutina nudis oculis spectata sæpè non adeò magnam præseferat speciem, præsertim quandò conjunctioni Solis vicinior est, & in perigæo existit, ubi phasis ejus adhuc parva, etiamsi diameter, & integrum ejus corpus tum omnium maximum fit.

A Sole longiùs recedens. 3. Quandò longiùs Venus à conjunctione Solis recedit, eò majus apparet lumen ejus, tametsi diameter decrescit.

Maximum ejus lumen. 4. Quàm maximum autèm ejus jubar in conspectu oculorum relinquitur, quandò magnitudinem quinquè, vel sex digitorum adsequitur. Posteà de die in diem lumine deficit, sicut anteà creverat usque ad conjunctionem Solis, ità ut de eâ hoc axioma possit usurpari: Quò magis lumine Venus grandescit, eò minor fit diameter ejus, minorque apparet.

5. Antelucano, & matutino tempore semper Venus grandior elucet: At de die & Sole in excelso posito angustior visu nudo apprehenditur, ubi tamen tubo inspecta ratione temporis diameter ejus indifferens animadvertitur. Manè grandior apparet.

6. Adminiculo Telescopii Venerem etiamsi lumen ejus nondum digitos duos magnitudine superet, tàm per magnum, quàm parvum foramen, tamque antè, quàm post ortum Solis distinctè, & clarè contemplari licet. Cornicu-lata æquè perspicuè cernitur tàm per magnum, quàm parvum foramen.

7. Quam primùm autem Venus lumine adaucta conspicitur antè Solis ortum commodiùs adhibito parvo foramine lustratur, & quò magis matutinum est tempus, eò minore opus est foramine. Post ortum Solis verò foramen magnum idem potest præstare. Adaucta lumine quomodò meliùs videri queat.

8. Sed cum quinquè digitos exæquat, tùm antè tùm post ortum Solis, & de die minus foramen tubo semper imponendum est: Namque quò magis lumine crescit, & phasis amplior fit, eò minùs foramen adhibendum est, si modò nobis non inæqualiter flammea & angulosa, sed genuina, distincta & globosa debet apparere. Ità hactenus expertissimus *Hevelius*.

CAPUT VII.

De Mercurio, ejusque Theoria notabilia scienda.



Ercurium haud secùs ac Venerem moveri circà Solem velut centrum sui motûs & orbitæ arctiori tamen ambitu, in confesso jam est apud omnes. Ex quo fit, ut modò infrà Solem versetur, modò supra Solem, & nunc altior fit Venere, nunc humilior. Juxtà *Isidorum* etiàm *Mercurius* sic dictus putatur, quod *Medius* currat inter Solem scilicet, & Venerem. Rarò autem sub oculos venire solet, eo quod Soli vicinior vix ex ejusdem radiis emergat; undè etiàm Tubo optico vix rotundus adverti hactenùs potuit, sed interdùm bifariàm sectus, ut Luna in quadraturis, interdùm paulò gibbosior, aut aliquantulùm cavus. Cùmque is Horizonti semper sit proximus, vix illius figuram aut magnitudinem assequi possumus. Visus tamen aliquotiès in Sole dicitur, ut refert Clarissimus Dominus *Du Hamel, Phys. part. 2. tract. 1. capit. 7.* Primò quidem *à Gassendo* Anno 1631. die 7. Novembr. Secundò *Surattæ* Anno 1650. Tertiò à Domino *Hevelio* in Prussiâ, & Londini Anno 1661. die 3. *Maji.* Quartò Avenione à Dominis *Beauchamps & Gallet* die 7. Novembris, cum *D. Cassinus* scripto in publicum edito Astronomos hac de re monuisset; isque ex omnibus observationibus inter se collatis apogæa & nodos *Mercurii* definivit. In postremâ Observatione visus est figuræ ovalis per axem tubi optici conspectus, & in ipso exitu quadruplo major apparuit, quàm in disco solari. Diameter etiàm *Mercurii* centesima decima octava pars Solaris diametri in hac observatione apparuit, ferè ut ab illustri Astronomo *Hevelio* fuerat definitus: cùm tamen *Mercurius* tunc terræ esset vicinior. In ultimâ quoquè observatione distantia *Mercurii* à terrâ cum distantia solis à terra collata fuit, ut 2. ad 3. Itaque si *Mercurius* tantùm à nobis fuisset remotus ac Sol ipse, tunc diameter *Mercurii* fuisset pars 180. diametri Solaris, eáque fuisset inter diametrum terræ & diametrum *Mercurii* proportio, quæ 18. ad 10. Novissimè etiàm Anno 1690. die 31. Octobris styli veteris horâ 8. min. 13. solertissimus *Dom. Wurtzelbauer* Norinbergæ eundem *Mercurium* in Solari disco observare meruit. Prout refertur *Ephemer. Germ. Curiosorum Decuriæ Secundæ Anno 9. Observationes 225.* Mercurius visus in Sole.

Verùm

Verùm his ità obiter præmissis, nunc alia quædam quæ ad Mercurialis globi theoriam exactiùs intelligendam pertinent, proferamus.

Observationes Astronomicæ de Mercurio.

Structura globi Mercurii. 1. Mercurius censetur comprimis esse globus sidereus de se opacus, & sphæricus quidem. sed tamen etiam montibus asperatus ex Oceano, qui aureo radiat colore, & montibus, ac continente, quæ sunt similia Chrysopraso compactus, ut vult *Kircherus in itin. extat.* Specificâ hac imprimis virtute præditus, ut quidquid in mineralibus, & vegetabilibus vivax, spirituosum & ingeniosum naturæ ludentis industriâ producitur, quidquid in animalibus, & in adinveniendis aptis naturæ suæ conservandis subsidiis est mirabile; quidquid in hominibus quoad arcanarum rerum notitiam, artiumque & scientiarum inventionem mirificum occurrit, id globi hujus qualitati specificæ originaliter acceptum referri debeat. Undè benè *Pöeta*:

Mercurius fertur brevibus levis æthere gyris
Inconstans, varius, nec statione manet.
Hic aciem ingenii, varias largitur & artes
Dulcis & orator voce, pöeta lyrâ est.
Mercator bonus est, animi vim mobilis æquè
Applicat ille bonis, applicat ille malis.

Ejus Phases. 2. Solet Mercurius similiter planè, ac similibus Veneri per omnia phasibus conspici, minùs tamen frequenter, & difficiliùs, quia plerumque sub radiis Solis latet ob exiguas ab eodem digressiones, & semper ferè obnoxius est magis refractionibus ob vapores Horizontem circumsistentes, ac etiàm quia in maximis à Sole elongationibus obruitur à luce crepusculi matutini, aut vespertini, præsertim in climatibus valdè obliquum Horizontem habentibus.

Motus proprius. 3. Circà Solem, utì Venus proprium habet motum; ex quo fit, ut modò infrà modò suprà Solem versetur, & nunc altior fit Venere, nunc humilior, ut jam dictum. Quandò enim uterque est perigæus, & infrà Solem existit, Mercurius suprà Venerem: quandò verò Venus apogæa est, & Mercurius perigæus, hic est infrà Venerem, & Sol in medio: Quandò verò Venus perigæa, & Mercurius apogæus, hic suprà Venerem & Sol denuò in medio versari solet: Quandò uterquæ apogæus est, & suprà Solem existit, Mercurius infrà Venerem, atque Sol infrà ambos procurrit.

4. Mercurii motus proprius, uti & Veneris distinctus à motu omnibus sideribus communi, seu motu raptus aut primi mobilis peragitur in longitudinem S. S. S. sive in consequentia.

5. In ambitu suo vix unquàm digreditur à Sole ultra 28. aut ut alii volunt 30. Gradus. Undè Soli, sicut & Venus è Diametro Mundi nunquam opponi potest. Bis tamen cum Sole, sicut Venus conjungitur: Semel dum est Apogæus, & suprà Solem, semelque dum est perigæus, ac infrà Solem. Verùm in his conjunctionibus ità sub radiis Solaribus delitescit, ut sit penè inobservabilis, nisi obstaret ejus latitudo, qua ab Eclipticâ recedit. Digressio à Sole.

6. A perigæâ conjunctione distans Grad. 15. longè major apparet, quam totidem gradibus à conjunctione Apogæa distans, quamvis in hac ultimâ totus ejus discus ad terram obversus illuminetur, in priori minimè. Requiruntur autem à conjunctione superiori ad inferiorem dies 116. sicùt in Venere dies 584.

7. Juxtà *Ptolemæum* vespertinus primùm comparare solet, cum distat à Sole Grad. 11. min. 30. in climate 4.

8. Mercurius Epicyclum suum absolvit diebus 115. hor. 21. min. 3. Sec. 30. Diurnus autèm motus censetur esse Grad. 3. minut. 6. Secund. 24. Tert. 30. Annuus motus Grad. 53. minut. 57. Secund. 33. Tert. 32. Revolutio integra.

9. Motus Nodorum annuus secundùm *Ricciolum* censetur esse grad. 0. min. 1. Sec. 35. Modus Nodorum.

10. Latitudo maxima est Grad. 3. min. 32. Angulus inclinationis Grad. 6. minut. 54. Latitudo maxima.

11. In novâ Hypothesi, quâ supponitur Mercurii eccentricitas varia, & quidem ab Apogæo Eccentrici decrescere ad perigæum, rursumque crescere â perigæo ad Apogæum: Radius Epicycli minimus est in Apogæo & perigæo maximus â Gradu Anomaliæ 90. & 270. Digressiones maximæ sunt in gradu Anomaliæ 120. & 240.

12. Qualium radius Eccentrici est partium 100000. Talium Eccentricitas est Eccentricitas.

Maxima	Media	Minima
10000.	8000.	6000.

Differentiæ maximæ, & minimæ 4000.

13. Æquatio seu Prostaphæresis maxima orbis, sivè Epicycli Mercurii existentis in Apogæo est Grad. 21. min. 56. In perigæo 23. 57. quæ tamen non est maxima, cum ea accidat in gradu Anomaliæ 120. In Hypothesi verò novâ Æquatio maxima Eccentrici est. Grad. 4. min. 34. Sec. 34. Æquatio maxima orbis Mercurii existentis in Apogæo Eccentrici est Grad. 20. min. 29. Sec. 16. In perigæo Grad. 24. min. 11. Sec. 41. In gradu Anomaliæ 90. Grad. 27. min. 3. Sec. 24. Æquatio.

14. Diameter apparens Mercurii secundùm *Ricciolum*. Diameter apparens.

	M.	S.	T.
Maxima	0.	25.	12.
Media	0.	13.	48.
Minima	0.	9.	20.

 15. Cen-

15. Censetur quoquè diameter Mercurii esse quarta pars diametri terræ: Undè tellus continet Mercurium 64. Luna eundem quinquies; Sol verò 9881600.

16. Mercurius post 6. circiter signa fit Stationarius: Accuratiùs autèm juxtà tabulam appositam ex Prutenicis.

	Arcus Stationis primæ.		Arcus Stationis secundæ.		Arcus Retrogradationis.		Arcus Directionis.	
In Apogæo.	146	50.	213.	10.	66.	20.	293.	40.
Media longitudine.	143.	55.	216.	5.	72.	10.	287.	50.
Perigæo.	146.	0.	214.	0.	68.	0.	292.	0.

17. Mercurius dimidiato circiter die, sivè horis 12. est Stationarius, tempus verò mediocre directi cursûs est dierum 93. tempus retrogressionis dierum 22. Stationarius circiter grad. 27. distat â Sole.

CAPUT VIII.

De Marte, & his, quæ ad ejus theoriam spectant Notabilia scienda.

MArtem rubicundi fulgoris Planetam gyrum amplissimum decircinare circà Solem, velut motûs sui centrum, qui terram simùl cum Lunâ, Mercurio, ac Venere includat, magnamque Solaris regionis partem complectatur, adeò ut profundè eam ingrediatur perigæus, propiorque Sole ipso fiat telluri, constat ex ipsius parallaxi, quæ major tunc esse solet, quàm Solis, & ex incremento luminis adeò notabili, ut non raro, cum in perigæo Eccentrici simul, & Epicycli versaretur (quod ferè circà initium Aquarii & piscium fieri solet) pro Cometâ aut novâ stellâ fuerit habitus. Licet porrò *P. Antonius de Rheita in Oculo suo Enoch & Eliæ*, indicet non deesse, qui Martem etiàm suis comitibus, ac lateronibus stipatum afferant, ac quidem ipsemet in *Epist. quadam ad Caramuelem* datâ Coloniâ 24. April. Anno 1643. indubitatum id afferat: Nullus tamen, quantùm scio, quisquam alius de hujusmodi lateronibus aliquid hactenùs ampliùs memorare ausus fuit. Undè credibile minimè videtur eum instar Solis, Jovis, ac Saturni lateronibus stipatum cœli ambitum pervagari. Quæ verò de ejus Globi structurâ, motu, ac quibusvis aliis phænomenis Authores probatissimi singulariter comperta volunt, in sequentibus meliùs videre licet.

Observationes Astronomicæ notabiliores de Marte.



Natura, & Structura coporis Martis.

1. Mars est naturâ & structurâ suâ globus cœlestis ex solido & liquido compositus, ut alii globi planetarii omnes: Et quidem Solidum illud, undè componitur, asserente *Kirchero*, est fuliginosum instar sulphuris, Arsenici, auripigmenti, durissimum tamen, & incombustibile, evaporans malignas & exitiales qualitates, sudansque velut bitumen quoddam, & naptham copiosam, quin & copiosissimum, æquè ac fœtidissimum ignem è diversis montibus ac voraginibus horribili fragore eructans. Humidum verò est lentum, pici nostræ liquefactæ haud absimile, mixtum sulphure, totumque accensum, & flammas subfuscas, ac veluti fuligine plenas ejaculans. Vis & specifica virtus illius esse dicitur cholericum in inferioribus humorem commovere, æstu pernicioso, & causticâ quadam vi imbuto omnia infestare. Undè Mars per se planeta Maleficus censetur & exitiali, atque idcircò etiam ab Astrologis *Infortuna minor* (Saturni respectu, qui *Infortuna major* dici solet) nominatur.



2. Martis figura varia hactenùs per telescopia meliora fuit deprehensa. Martis figura. Tota Martis facies penè ut Lunæ, maculis conspersa ab expertissimo *D. Casino* asseritur, quas facilè distingui ait à primâ Quadraturâ ad secundam usquè, cum propiùs ad nos accedit. Ex quibus etiàm præfatus Dominus Martem circà proprium centrum spatio 24. horarum, & 40. min. revolvi collegit, cum maculæ eo temporis intervallo revertantur. Diu etiam visa ab eodem dicitur in Marte pars quædam cœteris lucidior, quę in eodem semper loco apparebat, licet reliquæ maculæ loca subindè mutarent. Prout alii referunt, Mars aliquandò observatus fuit cum macula nigrâ aut rubrâ in medio, quam aliqui Umbonem, aut cavitatem nominant: aliquandò circà limbum obscuriùs lucens apparuit; aliquandò gibbus cum maculâ, quæ indiès contractior apparuit juxtà decrementum disci Martialis; aliquandò sine maculis in medio, cum duabus tamen in inferiore parte disci: Sæpissimè quasi jubatus, adeò ut nunquàm perfectè rotundæ, sed perpetuò jubatæ figuræ putetur. Aliquandò & corpora quædam ipsi propinqua, & circà extimam ejus superficiem quasi fluitantia, ac circumvolitantia observata sunt. Ferunt & in globo Martiali certum ductum vastum, impurum, & tenebrosum incapacem omnis lucis

Martis figuræ prout à variis Astronomis observatæ sunt.


Franc. Fontanæ observat. ♂


Ioan. Wiselii observat. ♂

Hugenii Observ. ♂




Rheitæ Observ. ♂




Hevelii Observ. ♂



Hookii Observationes Martis.












Caſsini Observationes Martis.








tis esse, qui unà cum lucidis partibus sæpiùs cerni possit. Diversas Martis figuras à diversis observatas vide in schematismo præsente. Putat *Kircherus* maculas illas (sive Umbonem aut cavitatem) aliud nihil esse, quàm ingentem voraginem Africâ fortassis haud minorem: Undè fiat, ut plaga illa nunc recto, nunc obliquo situ spectantium oculis obvertatur, sicque aliam atquè aliam figuram exhibeat rotundam, oblongam, aut contractam. Jubas verò seu corpora in extimâ Martialis disci superficie veluti fluitantia nihil aliud esse dicit, quàm ingentes vaporum & exhalationum fumos, qui tamen non semper, sed tunc tantum apparent, cum vehementiùs globus exæstuat: Post aliquantùm verò temporis resoluti globo suo restituuntur.

Martis distantia.

3. Maxima distantia Martis in Semidiametris terræ ex sententia *P. Riccioli* talis statuitur

A Terrâ	*Luna*	*Venere*	*Mercurio*	*Sole*	*Jove*	*Saturno*	*Fixis*
21005.	21079.	19776.	17725.	13932.	52947.	95550.	207627.

si multiplicentur hi numeri per 3440. habetur distantia in milliaribus italicis.

Integra revolutio.

4. Revolutio integra Martis, quâ ab uno Zodiaci puncto ad idem revertitur, censetur esse dierum 686. accuratiùs autem fieri dicitur inter Annum Ægyptiacum, dies 321. hor. 22. min. 19. Sec. 49. Tert. 48. Est autem Annus Ægyptiacus civilis uniformis præcisè dierum 365. sine ullis appendicibus, aut bissextilibus.

5. Antequam Mars suam periodicam revolutionem absolvat, atque ad idem Zodiaci punctum, undè digressus fuerat, revertatur, bis cum Sole conjungitur, & bis opponi solet.

Motus medius.

6. Motus medius diurnus & Annuus Martis secundùm *Ricciolum* est ut sequitur. G. M. S. T. Q. Q. S.

Motus diurnus 0. 31. 26. 39. 11. 41. 11.

Motus annuus 191. 17. 8. 26. 5. 31. 45.

Prostaphæresis.

7. Maxima prostaphæresis pro Marte contingere solet in gradu Anomaliæ 95. min. 30. Estquè maxima Æquatio Grad. 10. min. 37.

Latitudo Martis.

8. Maxima latitudo Martis juxtà *Ricciolum* talis est

In Apogæo Epicycli				In perigæo Epicycli			
Boreal.		Austral.		Boreal.		Austral.	
G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
1.	9.	1.	4.	4.	32.	7.	9.

Angulus inclinationis ad Eclipticam.

9. Angulus inclinationis Eccentrici constans & ejusdem semper quantitatis ad Eclipticam in Marte censetur esse Grad. 1. min. 50. Sec. 30.

10. Cum regressus Planetarum minor sit progressu, adeoque directio seu progressio superet regressum motu primæ inæqualitatis bis sumpto, venit ut progressio Martis sit dierum 706. statio 2. regressio 75. De *Chales* tempus mediocre directi cursûs determinat dierum 705. stationis 2. retrogressionis 73. Undè intervalla à motu celerrimo ad mediocrem breviora sunt intervallis à mediocri ad tardissimum.

11. Quandonam autem Mars soleat fieri Stationarius, Retrogradus, aut Directus ex prutenicis ità assignatur.

In Eccentrici.	*Arcus Stationis primæ.* G.	*M.*	*Arcus Stationis secundæ.* G.	*M.*	*Arcus Retrogradationis.* G.	*M.*	*Arcus Directionis.* G.	*M.*
Apogæo	157.	33.	202.	27.	44.	54.	315.	6.
Media longitudine.	162.	51.	197.	9.	34.	18.	325.	42.
Perigæo.	168.	56.	191.	4.	22.	8.	337.	52.

Eccentricitas.

12. Qualium partium radius Eccentrici est 100000. secundùm *Ricciolum*, talium Eccentricitas Martis censetur esse

Maxima	Media	Minima
20000.	18635.	17270.

Radius Epicycli.

13. Radius autem Epicycli Martis secundùm *Eundem* statuitur

Maximus	Mediocris	Minimus
70957.	66057.	61157.

14. Cùm Martis Epicycli radius mediocris subtendat prostaphæresin graduum 41. cujus sinus est 65605. habebit ergò se radius orbis magni ad radium Martis, ut 65. ad 100. quarè ejus distantia mediocris continebit semidiametros terræ 10769.

Diameter apparens.

15. Diameter apparens Martis, dum Soli est oppositus octiès major comparere solet, quàm dum ei est conjunctus: Juxta *Ricciolum* autem varia ità statuitur.

Maxima			Media			*M*inima.		
M.	S.	T.	*M.*	S.	T.	*M.*	S.	*S.*
1.	30.	0.	0.	22.	0.	0.	10.	6.

16. *M*artis diameter continere dicitur diametri Terræ $\frac{52}{100}$. undè contineret terræ $\frac{14}{100}$. seu Terra ipsum contineret $7\frac{1}{7}$.

Sol 275. 714. est tamen magna circà Martem altercatio apud apud Astronomos.

Martis di- versa ap- paritio.

17. Mars nonnunquàm ad anni integri intercapedinem, teste Mœstlino, sub radiis solaribus, cœloque extorris delitescit. Nonnunquàm apparet minor, ut stella secundæ, & tertiæ magnitudinis, nonnunquàm ipsum Jovem æquat, ut Anno 1529. ubi inusitatæ magnitudinis fuit. Non rarò etiàm stellam novam mentiri solet. Sic Anno 1520. quo Turcæ Viennam obsederunt, Mars hærens in Aquario, soli oppositus, ac tunc temporis retrogradus tàm inusitatæ magnitudinis cum horrendo rubore ob propinquitatem ad terram comparuit, ut multi causarum ignari novam ac prodigiosam in cœlo stellam accensam, aut Cometam exortum crediderint.

Mirus ejus motus per 12 signa Zodiaci.

18. Mirum est, quod quidam Astronomi de ejus motu per signa Zodiaci observatum dicunt; Eum scilicet nonnunquàm spatio 14. mensium percurrere undecim signa, & in duodecimo hærere per octo, seu novem menses retrogressu, statione, &c.

Arcus visionis.

19. Ptolemæus observavit in principio 4. Climatis, Martem cùm distat à Sole Grad. 14. min. 30. primùm ex radiis solaribus emergere matutinum. Arcum tamen visionis eidem tribuunt Recentiores, cùm Sol depressus infrà Horizontem exi- stit ad grad. 11. min. 30.

Notabilia circa latitudinem.

20. Notabilia sequentia circà latitudinem conveniunt non tantùm Marti, sed etiàm reliquis duobus superioribus Planetis Jovi scilicet, & Saturno. 1. Quotiescunque centrum Epicycli est in illo Eccentrici segmento, in quo est Apogæum Eccentrici, habet latitudinem borealem; Quandò verò in opposito segmento, Australem. 2. Diutiùs Mars & reliqui planetæ superiores morantur in latitudine boreali, quam Australi. 3. Maxima latitudo borealis contingit circà Apogæum Eccentrici, & Australis circà perigæum. 4. Major est latitudo borealis, quàm Australis, quandò planeta est in perigæo Epicycli; atque adeò propè oppositionem cum Sole, sitúmque Acronychum, quàm in Apogæo Epicycli seu propè conjunctionem cum Sole.

CAPUT IX.

De Jove, ejusque Comitibus scitu magis digna & admiranda.

JUpiter planeta miro coruscus, virtute verò plurimùm salutari, ac beneficâ prædítus, ob eamque *Fortuna major*, ab Astrologis nominatus, medius inter Martem & Saturnum planetas Naturæ inferiorum plurimùm inimicos ad eorum vim exitialem ac maleficam contemperandam gyros suos per cœli ambitum decircinare solet, ut proindè benè à *Juvando* dictus credi possit, sicut & *Pöeta* concinit.

Utilis affulget jucundo sidere terris
Jupiter: undè juvans dicitur esse parens.

Regium planè sidus, quia non tantùm multiplici, ac vario Zonarum, aut fasciarum ornatu præditum, sed etiàm aliarum Stellarum, veluti Satellitum comitatu stipatum hoc nostro primùm sæculo per tubos opticos observari cœpit. Primus autèm, qui stellas istas Jovis asseclas ope telescopii deprehendit, fuit *Galilæus Galilæi* Astronomus insignis, magni Hetruriæ Ducis *Cosmi de Medicis* Mathematicus, qui ob id etiàm, quod in Medicæorum ditione eas ad Annum scilicet Christi 1610. primùm cœlo deduxisset *Medicæa sidera* appellavit. Earum quoquè nomina, ut iisdem mox imposita, hæc sunt: *Saturnus Jovialis, Europa, Ganymedes, Calisto*, quamvìs ab aliis aliter nominata sint. Harum prima sivè remotissima diebus 16. secunda diebus 7. tertia horis 85. quarta Jovi proprior horis 42. circitèr Jovem perpetuò circumcursare solent. Verùm plura alia, quæ tàm Jovem ipsum, quàm ejus comites concernunt, meliùs in sequentibus patebunt.

Jovis Comites.


Observationes Astronomicæ de Jove, & ejus Comitibus ex variis Authoribus collectæ.

Jovialis globi structura.


1. Jovis corpus imprimìs in structurâ suâ censetur esse globus cœlestis ex liquido, sivè aqueo & solido compositus, cujus quidem aqueum tàm sit liquidum, ut vult *Kircherus in itin. extat.* ut nullam ei crystalli diaphaneitatem comparare possis: Solidiores verò continentis partes tàm immodicâ luce fulgeant, ut & montes & valles non nisi ex argento electo, ac splendido constitutas putes; odor verò tantus, ut omnes terreni etiam inæstimabilis pretii odores nihil sint in comparatione illius.

Virtus ejus specifica & influxiva.


2. Virtus influxiva specifica ab eodem *Kirchero* talis asseritur: quod nempè præ cœteris post solem eâ gaudeat prærogativâ, ut si quod subjectum suæ virtuti proportionatum in terreno globo invenerit, illi virtutem eandem, quâ ipse pollet, communicet. Hinc fit, ut si virtus ejus Martis, aut Saturni virulentiâ non impediatur, in aëre terreno præstet jucundam serenitatem cum saluberrima ejus temperie; ventos excitet, tum sensitivæ, tum vegetabili naturæ maximè proficuos & salubres: Æstatis calorem, & Hyemis frigus mitiget; præter aëris clementiam omnibus etiàm sublunaribus quietem, & incolumitatem, fertilitatem, & fructuum anuo-



Grimaldi et Riccioli observationes Iovis.



Hugenij observat: Iovis. Hookij observat. Iovis.



annonam conferat, vitæque rerum necessariarum copiam largiatur: In Plantarum Oeconomiâ suæ jurisdictioni subditas habet herbas, floresque omnes aromaticum quid olentes; in hominum verò temperamento spiritus vitales excitat, quibus excitatis ob analogiam quandam homines facilè ad prudentiam, gravitatem, rerumque seriarum susceptionem nec non ad ardua, & magna quævis peragenda inclinet. Itâ *Kircherus*.

Jovis Zonæ. 3. Exsuperat magnitudine Jupiter plerasque stellas fixas, luceque perelleganti splendidissimus promicat è cœlo: Multiplici etiam ac vario Zonarum seu fasciarum ornatu distinctum exhibet discum: Aliquandò tribus, aliàs duabus, nonnunquàm unâ tantùm præditus conspicitur. *D. Cassinus* etiàm quinquè Zonas in eodem advertit: Aliquandò unam tantùm, quæ medium ferè globum involvit, ac cœteris constantior fuit. Reliquæ subindè augentur, aut minuuntur: Interdum plures in unam coëunt, aut una in plures dividitur. Sic intervalla inter obscuras fascias lucidiora quandóque in plnres partes, velut in totidem insulas dividuntur, quæ paulatim imminuntur: Adeò ut ex duabus fasciis subobscuris una coalescat. Post aliquod temporis intervallum redeunt insulæ lucidæ, & intervallum lucidum in eodem loco paulatim procreant. Sic in fasciis obscuris maculæ candidæ, & rotundæ emergunt, quæ cùm aliquamdiù permanserint, rursus evanescunt, post certum temporis intervallum rediture.

Libratio & vertigo in Jove. 4. Observavit *P. Grimaldus* hujusmodi fascias semper Eclipticæ parallelas esse; ex adductis Observationibus nonnulli librationem aliquam in Jove, aut vertiginem colligunt, quæ tales fascias, aut nobis eripiat, aut opticè itâ sibi invicem admoveat, ut ex tribus una fiat, aut duas in aversum hemisphærium transferat. Docent item asperitatem corporis, cujus nonnullæ partes lumen non remittant.

Maculæ Joviales. 5. Maculæ Joviales, ut advertit *D. Cassinus*, ab ortu in occasum in parte nobis obversâ sic moventur, ut propè Jovis centrum motus eorum sit celerior, & oculorum aspectum effugiant, priusquàm ad extremum marginem pervenerint. Motus ille spatio 9. horarum & 59. minutorum perficitur; quod eò temporis spatio ad eundem locum revertantur. Ex hoc quidem motu colligitur obscuriores fascias Jovem non omni ex parte cingere, nec integrum circulum eas plerumque absolvere, sed multis in locis interruptas apparere, adeò ut in eâdem nocte varias sui species præbeant.

Macularum inconstantia. 6. Sunt etiam quædam maculæ fugaciores, quæ integram periodum non absolvunt, aliæ plusquàm mille conficiunt. Præcipua ex iis maculis in lucido intervallo, quod australius est, Anno 1665. primùm *à Cassino* observata fuit, atquè ex eâ motum Jovis circa proprium centrum collegit. Exeunte Anno 1665. & ineunte Anno 1666. paulatim evanuit usque ad Annum 1672. tuncquè in eodem loco rursùm apparuit, idquè per triennium; tùm rursùs evanuit, donec tertio post Anno 1677. rursùm ferè per 5. menses oculis subjecta est: eodem Anno alia macula in majori fasciâ visa est per tres menses, quæ eodem tempore suam revolutionem absolvebat.

7. Jupiter solitarius haud suos perficit motus, sed velut Dominus aut Rex quatuor Comitibus, aut Satellitibus magnitudine, distantiâ, motuque & situ differentibus stipatus cœlum perambulat. Sunt autem hi Jovis Comites, aut Satellites nil aliud, quàm Stellæ quædam circà eundem assiduâ circumvolutione delatæ, *à Galilæo* Florentino primùm detectæ, & quas in gratiam Hetruriæ Ducis sidera medicæa nuncupavit, ut suprà jam indicatum fuit. Jovis Satellites.

8. Numerus Jovis Comitum controvertitur, dum ex *Antonii Schirlæy de Rheitâ*, aliorumque observationibus nonnulli putant, plures quàm quatuor eundem oberrare. Probabilius autem tantùm quatuor statuuntur, & si quæ ejusmodi stellæ deprehensæ sunt, Jovem circumstetisse, saniùs cum aliis sentiendum videtur eas Cometas Joviales fuisse, aut his persimiles quasdam à Jovio globo proflatas, & projectas effulgentias, quæ ad tempus aliquod tantùm comparent, deindè subitò disparuerunt. Certè inconstans earum numerus, motus, magnitudo, apparitio hæc mirificè confirmare videntur. Numerus Jovis Comitum.

9. Satellites isti moventur in suis quiquè circulis circà Jovem tanquàm centrum suum, feruntur que in parte superiori in consequentia, in inferiori verò in antecedentia juxtà leges Epicyclorum. Hi prætereà Epicycli nonnullam ad Eclipticam habent inclinationem: Nam in superiori parte dum moventur in consequentia, apparent Jove australiores; in inferiori verò parte, in quâ contrà signorum seriem moventur, apparent Jove borealiores. Eorum motus.

10. Singuli Satellites non moventur in eodem circulo, sed alii sunt aliis Jovi propiores, quod ex maximis eorum digressionibus fit manifestum, itâ ut qui propior est in maximâ digressione, in quâ Orientalior, aut Occidentalior fieri solet Jove, ab eodem absit tribus Jovis diametris, secundus quinquè, tertius octo, quartus 14. Quamvis alii paulò aliter distantias istas designent velut per minuta: dum primum dicunt â Jove recedere 3. minutis, secundum 5. min. Tertium 7. vel 8. min. quartum ad 10. vel ut alii rursùs etiàm ad 13. aut 14. dicunt excurrere. In diversis circulis.

11. Circà conjunctionem utramque sivè apogæam, sivè perigæam ob nimium Jovis fulgorem ejus Satellites comparere vix solent.

12. Pe-

Periodica revolutio Comitum Jovis.

12. Periodus motuum singulorum Satellitum certiùs numeratur ab unâ conjunctione ad eandem, quàm ab unâ maximâ digressione ad eandem: quià diutiùs hærent in eodem puncto, cum sunt in maximis digressionibus, fiuntque Stationarii, quàm dùm sunt in conjunctionibus cum Jove.

13. Revolutioni periodicæ plerique tribuunt tempus, ut sequitur.

Periodi Satellitum Jovis circà ipsum, ut centrum.				
Satellites.	*Dies*	*Horæ*	*Minuta*	*Secund.*
Primus	1	18.	28.	30.
Secundus.	3.	13.	18.	0.
Tertius	7.	3.	56.	34.
Quartus	16.	19.	9.	15.

Motus diurnus, & Horarius Comitum Jovialium.

	Motus Diurnus.			*Motus Horarius.*		
Satellites	*G.*	*M.*	*S.*	*G.*	*M.*	*S.*
Primus	203.	25.	0.	8.	28.	0.
Secundus	101.	17.	22.	4.	11.	0.
Tertius	50.	14.	57.	2.	5.	37.
Quartus.	21.	29.	4.	0.	53.	47.

Dom. Du Hamel in Phys. designat periodicam revolutionem horum quatuor Jovis Comitum hoc modo.

Satellites.	Dies.	Horæ.	Minuta.
Primus	1.	18.	22.
Secundus	3.	13.	14 ferè
Tertius.	7.	3.	42 cum semisse.
Quartus.	16.	3.	2.

Eclipsis Comitum Jovialium.

14. Solent etiam Joviales Comites isti ab umbra Jovis eclipsin pati: Et hæc quidem umbra longiùs digreditur à lineâ ductâ à Centro terræ per Centrum Jovis, quę dici posset linea Apogæi: nunquàm tamen digreditur ultra 8, aut ad summum 9 Gradus. Est tamen notandum Eclipses horum satellitum vix benè observari posse, nisi solito majores; neque enim umbra unquàm digreditur à lineâ Apogæi, ut post occultationem factam sub radiis Jovialibus appareat Satelles, & rursùs immergatur Umbræ.

15. Jovis Satellites, cùm illius umbram subeunt, tùm instar Lunæ, quæ telluris umbram ingreditur, omninò deficiunt; quòd opaca sint corpora, quæ suum Lumen à Sole mutuantur; uti vicissim Satellites umbras suas in Jovem projiciunt, quæ tanquàm maculæ ibidem apparent, veluti *Hoökius*, & plures alii in globo Jovis observârunt.

16. Quandò Jupiter cùm Sole comparatus ad occidentem vergit, à conjunctione nimirùm ad oppositionem; tunc Satelles, qui ab occasu in ortum fertur, priùs umbram Jovis subit, quàm corpus ipsius Jovis attingat. Contrà evenit, cum Jupiter est magìs Orientalis, quàm Sol ipse; tùm enim illius umbra ad Orientem dirigitur, & Satelles, qui ab occasu in ortum fertur, citiùs corpus ipsum Jovis attingit, quàm illius umbram, citiùs quoque ex eâ sese expedit, quàm ex Jovis globo.

17. Cùm Jupiter Soli non est oppositus, tunc radii à Sole in Satellitem sub Jove positum vibrati umbram efficiunt in globo Jovis instar nigræ maculæ, quam nos è terrà non in eo loco cernimus, ubi reverà est. Cum enim Jupiter est Sole occidentalior, nimirùm à conjunctione ad oppositionem, tunc umbra est itidem magìs occidentalis, quàm Satelles, & priùs Jovem ingreditur, & egreditur, quàm Satelles ipse. Aliquandò in Jove macula, seu satelles minor umbrâ suâ conspicitur: quod satellites obscuris maculis donentur, quæ sub Oculos non veniunt, nisi cum in Jove ipso cernuntur: nam extrà Jovem Satellitum species minuunt tantummodò. Hinc sæpè umbræ Satellitum majores in Jove, quam Satellites ipsi cernuntur: quod partem duntaxat cujusque Satellitis â Sole illustratam intueamur; partes autem obscuræ oculorum aciem eludant; cum eæ tamen umbram Satellites augeant.

18. Tres primi Satellites in unaquâque revolutione quatuor Eclipses efficiunt. 1. Cum satelles discum Jovis subit. 2. Cum umbra Satellitis discum Jovis obscurat. 3. Cum pars superior Jovis à nobis aversa satellitem occultat. 4. Cùm satelles umbræ Jovis immergitur. Itaque intrà 7. dies primus Satelles 16. Eclipses, secundus 8. Tertius 4. procreat, ac simul 28. efficiunt. Quartus Satelles propè nodos intrà 17. dies 4. Eclipses procreat: propè limites tamen vix Eclipsin patitur; quod major sit ejus latitudo, quàm ut Jovis discum aut illius umbram delibet.

Numerus Eclipsium in quâvis revolutione.

19. Unumquemque satellitem circà centrum proprium converti valdè credibile est: quandò enim cùm Jove conjunguntur, sæpè eorum maculæ conspiciuntur

Satellitum vertigo.

tur, fæpiùs non cernuntur, quod præcipuæ eorum maculæ interdùm in hemisphærio nobis averso existant, modò in parte nobis obversâ. Eundem Satellitem & in eâdem à Jove distantiâ modò majorem, modò minorem conspicimus. Quartus aliquandò omnium minimus interdùm duobus primis longè major apparet, & majorem semper in Jove umbram projicit. Tertius sæpè reliquos magnitudine superat, interdùm ejusdem penè molis cum duobus primis videtur, quod fortè maculæ obscuriores partem illius inferiorem obducant. Hinc sæpè non æquis temporum intervallis Jovem subit, aut ex eo egreditur, quod pars illius præ maculis sæpè occultetur.

Inæqualitas motûs in Satellitibus.

20. Magna quoquè est in motu Satellitum inæqualitas, quæ tamen ut plurimum est optica, & apparens, sicut illorum orbitæ variè nobis obvertuntur. Nam aliquandò accidit, ut tanquàm lineæ rectæ sese oculis nostris exhibeant; tuncque eorum motus in longum tantummodò producitur, isque longè celerior est in medio, & propè Jovem, quàm versùs maximas à Jove digressiones. Sæpè orbes Satellitum instar ellipsium oblongiores cernuntur. Aliæ sunt inæqualitates, quæ ex motu Jovis circà Solem, aut ex motu Solis annuo pendent. Sed hæc de Jovis Satellitibus, quæ fermè pleraque ex *Du Hamel* attulimus: nunc ad ipsum globum Jovialem revertamur.

Defectus Luminis in Jove.

21. Jupiter ipse cùm lumen suum à Sole mutuetur, adeoque pro diversitate sitûs ejus orbis luminosus alicubi deficiat, uti in Lunâ, & Venere dictum est: maximus tamen defectus qui fit in quadraturâ, vix advertetur, quià distantia Solis à terrâ, tunc subtendit angulum 11. Grad. Defectus autem hic minor est, quàm in Lunâ, si spectetur uno die antè vel post plenilunium, qui non est alicujus momenti.

Jovis revolutio integra.

22. Integra revolutio Jovis per Zodiacum censetur esse Annorum Ægyptiorum 11. dierum 315. hor. 15. min. 2. sec. 10. Tert. 30.

		G.	M.	S.	T.	Q.	Q.	S.
Motus	Annuus	30.	20.	32.	14.	47.	34.	30.
	Diurnus	0.	4.	59.	15.	59.	8.	42.

23. Cùm Revolutio Jovis periodica talis sit; fit ut sol sæpiùs Jovem assequatur inter unam hujus periodum; nempè undeciès, aut duodeciès conjungatur, & opponatur; sicque mediæ spectentur synodicæ revolutiones: Sol à Jove digressus ad eundem redit intrà dies 399.

Revolutio Jovis in proprio axe.

24. Jupiter intrà unam suam revolutionem periodicam juxtà signorum ordinem factam totiès super proprio axe converti solet, quotiès Sol circà proprium suum axem circumagitur annuo spatio, seu quotiès terræ annuè oritur; hac tamen differentiâ; quod quales sunt 365. dies, quos Sol annuo decursu juxtà proprium motum conficit, tales Jovii dies nostratibus pares sint 4330, quos in magno excentrico proprio motu suo juxtà signorum seriem comparatione ad Solem factâ conficit.

Jovis directio, statio, retrogressio.

25. Jovis directa progressio censetur esse dierum 284, statio 4. retrogressio 119. vel 120. fitque Jupiter stationarius, dùm à Sole distat, Grad. 120. hoc est, in trino aspectu. Ex *Prutenicis* verò tabulis.

Jovis in Eccentrici.	Arcus primæ Stationis.		Arcus secundæ Stationis.		Arcus Retrogressionis.		Arcus Directionis.	
Apogæo est.	124.	8.	235.	52.	111.	44.	248.	16.
Media longitudine.	125.	40.	234.	20.	108.	40.	251.	20.
Perigæo.	127.	19.	232.	41.	103.	22.	254.	36.

Eccentricitas.

26. Qualium radius Eccentrici Jovis est partium 100000, talium ejusdem Eccentricitas censetur esse

Maxima	Media	Minima.
9960	9530	9100.

Motus annuus.

27. Motus annuus Apogæi Jovis est secundùm *Ricciolum*.

	Gr.	Min.	Sec.	Tert.	Quart.
Annuus	0.	1.	30.	0.	0.
Diurnus	0.	0.	0.	14.	50.

Motus Anomaliæ.

28. Motus Anomaliæ Eccentrici Jovis Annuus & diurnus secundùm eundem *Ricciolum* est, ut sequitur

	G.	M.	S.	T.	Q.	Q.	S.
Annuus	30.	19.	2.	14.	47.	54.	30.
Diurnus	0.	4.	59.	1.	9.	8.	0.

Motus Nodorum.

29. Motus annuus Nodorum Jovis in consequentia est Grad. 0. Min. 0. Sec. 15. Locus Nodi borei à peritis Astronomis ad Annum 1600. fuit observatus in Grad. 7. Cancri.

Prostaphæresis.

30. Maxima Prostaphæresis Jovis contingere solet in Gradu Anomaliæ 93. Min. 40. Estquè maxima Æquatio Grad. 5. Min. 28.

Latitudo Jovis.

31. Latitudo maxima Jovis.

In Apogæo Epicycli				In perigæo Epicycli			
Boreal.		Austral.		Boreal.		Austral.	
G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
1.	7.	1.	10.	1.	44.	1.	47.

32. Inclinatio Eccentrici Jovis est Gr. 1. Min. 25.

Distantia.

33. Distantia Mediocris Jovis à terrâ censetur esse plusquam quintupla Solis; in Semidiametris terræ talis assignatur

Maxima	Minima	Differentia.
47552	26441	21111.

34. Dia-

34. Diameter Jovis apparens secundùm *Ricciolum* ità determinatur

Diameter.

Maxima			Media			Minima		
M.	S.	T.	M.	S.	T.	M.	S.	T.
1.	8.	46.	0.	49.	46.	0.	38.	18.

35. Censetur quoque Jovis diameter continere diametros terræ 8_5. soliditas verò tellures 685. Lunas 37675. Sol autem perhibetur Jovem continere 56.

36. Parallaxis Horizontalis Jovis determinatur in distantiâ, Parallaxis.

Maxima.			Minima.		
M.	S.	T.	M.	S.	T.
0.	4.	20.	0.	7.	43.

CAPUT X.

De Saturno, ejusquè Satellitibus Notabilia & Mirabilia scienda.

Saturnus undè dictus.



Aturnus Planetarum altissimus, & à terrâ remotissimus *Tullio Ciceroni de Nat. Deor.* sic dictus creditur, quod *saturetur annis*, acsi vox ista *Saturnus* esset composita ex *Satur* & *Annus*. Naturâ sua & effectibus censetur esse Planeta maleficus; proindè ab Astrologis *Infortuna major* appellatur. *Kircherus in itin. Extat.* de naturâ & effectibus ejus loquens, vult globum ejus esse similem ei, qui ex plumbo, Antimonio, hydrargyro, succis scammonii, Napelli, Aconiti, Hellebori, Mandragoræ unà simul mixtis sit compositus. Colore apparet pallido, magnitudine comparatur Stellæ secundæ magnitudinis, naturâ suâ etiam valdè frigidus existit, & siccus, principiis vitæ, si malè positus sit, plurimùm infestus, & inimicus: Verùm plura alia de Saturno, ejusque structurâ, apparentiâ, ac Satellitibus ordinatiùs in sequentibus Lectori proferimus.


Observationes Astronomicæ de Saturno, ejusque Satellitibus ex variis Astronomis peritissimis adducuntur.

Structura globi Saturnii. 1. Saturni globus ex solido & liquido, sicut cœterorum Planetarum globi, plumbei tamen coloris compositus esse creditur; Sphæricus quidem etiam, at scabritie, & asperitatibus suis magis, quàm alii Planetæ omnes, defœdatus.

Phases ejusdem. 2. Saturnum vario indui Schemate, ac comitatu aliquo stipari, observationes & experimenta per tubos opticos longiores, ac meliores facta omninò certificant. Aliquandò enim tricorpor, aut enormiter oblongus, aut duobus Comitibus, vel lateronibus arctissimè circumfultus apparet; qui quidem Laterones interdùm unum idemque corpus cum illo, sed oblongum efficere videntur contractis hinc indè intervallis versùs extremas cuspides: interdùm verò exporrectis brachiis relicto medio intervallo, quasi ansulæ Saturno adhærent: interdùm ab eo prorsus separati, vel tanquàm rotundi, & minores Planetæ, aut Lunæ quasi cornibus illum velut forficibus constringentes, vel alio habitu comparent. Hinc Saturnus à Recentioribus ob diversas hasce phases diversis adjectis nominibus dici consuevit, aliquandò *Tricorpor*, *Trisphæricus*, Ellipticо ansatus pleno tunc lumine imbutus, aliquandò perfectè rotundus, sivè monosphæricus, aliquandò sphæricè cuspidatus, acuminatis nempè globulis stipatus.

3. Cur Saturnus tàm variis phasibus repræsentetur, adeoque ità multiplici Schemate compareat, optimè videtur declarare Clarissimus *Dominus Christianus Hugenius in Syst. Saturn.* dùm vult Saturnum globosæ quidem esse figuræ, sicut reliqua ferè sidera, latiori verò circulo, velut annulo quodam cingi: Ille annulus autem est instar fornicis, & æquali à Saturno distantiâ removetur. Estque ratio Semidiametri Planetæ ad distantiam annuli ferè ut 3 ad 5. Radius verò integer annuli ad radium Saturni est ferè ut 11. ad 5, prout *D. Cassinus* decernit, qui & diametrum annuli in mediâ distantiâ 65. secundorum determinat. Quarè licet nobis Saturnum, ut benè innuit *Du Hamel in Phys.* mente concipere velut sphæram artificialem aut globum potiùs annulo suo, ut Horizonte circumdatum; tenuis quidem est annulus, sed latus, isque continuatus per centrum Saturni transit. Undè Saturni phases variæ. Annulus circà Saturnum.

4. Hujus annuli planum cum Saturnin orbitâ multum inclinatur: Linea sectionis hinc ad 20. Sagittarii, indè ad 20. Grad. Geminorum terminatur; cumque Saturnus circà Solem movetur, hæc linea sibi ubique manet parallela: Cumque terræ rectà obvertitur, tùm annulus, qui tenuis est, oculorum aciem fugit, & Saturnus, ut dictum est, globosus apparet. Quod si radios visuales ferè ad perpendiculum fecet, tùm Ellipticæ figuræ, & amplæ cernitur, & latitudo ejus major est dimidiâ parte longitudinis; tumque Saturni diameter est paululùm minor diametro annuli: Aliquandò uterque est æqualis: interdùm diameter Saturni major est: tùm verò ansulis instructus videtur, cum tubo debiliori cernitur: illæ ansulæ penè rotundæ, & à Saturni globo revulsæ apparent. Ex annuli vario positu quo modo Saturnus diversimodè compareat.


Variæ Saturni phases ab Astronomis observatæ.

Cùm Saturnus est proximus vigesimo Geminorum aut Sagittarij; tùm inclinatio annuli respectu Eclipticæ figuræ appareat necesse est. Circà vigesimum Gradum Piscium, aut Virginis sinè annulo conspicitur: tum enim orbitæ Saturni & annuli Sectio terræ obvertitur: cumque non ampliùs quàm 12. Grad. ab iis punctis distat, rotundum, & sine annulo Saturnum intuemur.

Faciem mutat Saturnus.

5. Ex Clarissimi Viri *Joannis Hevelii* doctrinâ Saturnus singulis annis ità interdùm faciem suam mutare solet, comprimìs quandò motu est velox, ut eodem anno possit comparere rotundus, & tricorporeus, nonnunquàm etiam denuò rotundus; alio vicissim anno possit apparere cum globulis, ut ait, pariter etiam Sphærico-ansatus; Undè fit, ut à diversis eodem anno diversimodè pro diversitate temporis observari queat.

6. Cùm Saturnus totum signiferum 30. circiter annis percurrat, eundem etiam quasi circà axem sese obvolvere eodem tempore necesse sit, totidemque exhibere phases soleat: Non minùs quoquè spatio 30. annorum Saturnum bis fieri elliptico-ansatum, pleno videlicet lumine imbutum docet idem *Hevelius*, & similiter bis perfectè rotundum, sivè monosphæricum, at quater sphærico-ansatum, sphærico-cuspidatum, acuminatis nempè globulis ornatum & tricorporeum, sive trisphæricum, hoc est, parvulis adhærentibus globulis stipatum; si nimirum cum Sole phases considerentur secundùm motum planetæ perpetuò in orbita suâ directum. Insuper certò exindè concludit *Hevelius*, in Geminis & Sagittario Saturnum existentem comparere elliptico-ansatum, in Aquario, Leone, Ariete & Librâ rotundum cum globulis itidem ferè rotundis ab intermedio corpore paululùm remotis; in Piscibus & Virgine perfectè rotundum, ac solitarium, sivè monosphæricum; in aliis verò locis intermediis aliam, atquè aliam exhibere phasin, ut Elliptico-ansatum, forma breviori, vel rotundum cum globulis oblongis, & acuminatis spatio satis notabili à corpore remotis, vel rotundum cum globulis minoribus corpori adhærentibus. Plura alia circà has phases Saturni vide in *Oculo meo Artif. Fund. 3. Synt. 4. cap. 4. §. 3.*

Signa, in quibus Saturnus aliter comparere solet.

7. Saturnum etiam tribus aliis adhuc Satellitibus stipatum incedere, telescopia præstantiora hoc Sæculo detexêre. De quibus hæc comperta habemus, ut refert *Du Hamel in Phys. suæ part. 2. dissert. 2. cap. 9.* Primus Satelles à centro Saturni una annuli diametro & duabus Tertiis distat: circà Saturnum spatio 4. dierum, 12. horarum, 27. min. revolvitur. Telescopio 35. pedum in maximis à Saturno digressionibus conspicitur: nunquàm verò sui copiam facit, cum Saturno vicinior est. Necdùm videri potuit in conjunctionibus cum Saturno etiam in maximâ latitudine, undè alternis tantùm diebus cernitur. Anno 1672. in observatorio regio *à Cassino* primùm visus fuit. Secundus Satelles longè antè ab *Hugenio* observatus multo est illustrior: Nam mediocri etiàm telescopio percipi potest. Is 4. diametris annuli à Centro Saturni removetur, & circà eum spatio 16 dierum, 23 horarum vertitur, ac suo motu lineam apparenti annuli circumferentiæ parallelam describit: In conjunctionibus cum Saturno, quòd sæpè magnam habeat latitudinem, plerumque conspicitur, sivè conjunctio fiat in parte superiori, sivè in parte inferiori. Tertius Satelles à solertissimo Domino *Cassino* primùm deprehensus fuit Anno 1671. exeunte Octobri, & ineunte Novembri in maximâ à Saturno digressione fuit observatus; tùm evanuit, nec videri potuit, nisi circà medium Decembrem Anni 1672. rursùm se oculis subduxit, donec sub initium Februarii Anno 1673. per dies 13. visus est. 10. Diametris annuli cùm semisse à centro Saturni distat, & periodum suam circà hunc Planetam spatio ferè 80. dierum conficit, nec se videndum præbet, nisi in maximâ à Saturni globo digressione occidentali: nam luminis incrementa sumit; adeò ut oculos effugiat in digressione orientali; sub aspectum autèm veniat in digressione Occidentali. Creditur etiam hic satelles ob istam luminis vicissitudinem circà axem suum converti. In utrâque etiam cum Saturno conjunctione, ut annotatum fuit, illius augetur latitudo eâdem ratione, quâ annulus dilatatur; etsi orbita, quam suo motu describit, annuli circumferentiæ non sit parallela, ut in duobus primis satellitibus contingit. Præter enumeratos satellites etiam adhuc quartum ac quintum Saturni comitem ab expertissimo *Domino Cassino* ope pretiosissimi cujusdam vitri objectivi detectum fuisse memoravit Clarissimus Dominus *Eimmartus Ephemer. German. Curiosor. Decur. 2. An. 9. Observat. 225.* Sed nunc ad Saturnum ipsum revertamur.

Satellites Saturni.

8. Saturnus præter motum communem, quo fertur ab Oriente in Occidentem, etiam motu proprio medio percurrit Zodiacum in consequentia Annis Ægyptiis 29. diebus 161. horis 22. Min. 28. Sec. 3. Tert. 22.

Motus proprius Saturni.

		G.	M.	S.	T.	Q.	Q.	S.
Motus	Annuus	12.	13.	35.	29.	14.	39.	34.
	Diurnus	0.	2.	0.	35.	25.	21.	19.

9. Motus Apogæi Saturni ex *Ricciolo*.

Motus Apogæi.

	Sig.	G.	M.	S.	T.	Q.	Q.
Annuus	0.	1.	40.	0.	0.	0.	0.
Diurnus	0.	0.	0.	0.	16.	26.	23.

10. Motus Anomaliæ Saturni.

Motus Anomaliæ.

	G.	M.	S.	T.	Q.	Q.	S.
Annuus	12.	11.	55.	29.	14.	39.	34.
Diurnus	0.	2.	0.	19.	0.	0.	0.

11. Motus annuus Nodorum Saturni in Consequentia est Grad. 0. Minut. 0. secund. 50.

Motus Nodorum.

12. La-

Latitudo.

12. Latitudo maxima Saturni juxtà Ricciolum

In Apogæo				In Perigæo			
Boreal.		Auſtral.		Boreal.		Auſtral.	
G.	M.	G.	M.	G.	M.	G.	M.
2.	18.	2.	14.	2.	48.	2.	53.

13. Inclinatio Eccentrici cenſetur eſſe inter quadratum & trinum aſpectum: Grad. 2. Min. 31.

Locus Stationis, &c.

14. Locus Stationis Saturni contingit accuratiùs autem juxtà tabulas Prutenicas hoc modo.

In Eccentrici	*Arcus Stationis primæ.* G.	M.	*Arcus Stationis ſecundæ.* G.	M.	*Arcus Retrogradationis.* G.	M.	*Arcus Directionis.* G.	M.
Apogæo	112.	38.	247.	22.	134.	44.	225.	16.
Mediâ longitudine	113.	58.	246.	2.	132.	4.	227.	56.
Perigæo	115.	21.	242.	0.	129.	18.	230.	42.

Tempus Stationis &c.

15. Saturnus per dies octo ſolet eſſe Stationarius: Tempus mediocre directi curſûs ſolet eſſe dierum 244; Tempus verò Retroceſſionis dierum 136, aut etiàm 140.

16. Si mediæ ſpectentur revolutiones ſynodicæ Sol digreſſus à Saturno ad eundem regreditur intrà dies 378.

Eccentricitas.

17. Eccentricitas Saturni in partibus æqualibus 100000 Radii eccentrici ſolet eſſe

Maxima.	Media	Minima
12200.	11500.	10800.

Radius Epicycli.

18. Radius Epicycli Saturni ſecundùm *Ricciolum* in partibus æqualibus 100000 ſtatuitur eſſe.

Maximus	Mediocris	Minimus
11300.	10700.	10100.

Proſtaphæreſis.

19. Maxima proſtaphæreſis Saturni contingit in gradu Anomaliæ 93. min. 19. Undè maxima ejus æquatio eſt. Gr. 6. Min. 39. Sec. 24.

20. Diſtantia mediocris Saturni à terrâ cenſetur eſſe decupla diſtantiæ Solis à terrâ. Undè quià diſtantia Solis eſt ſemidiametrorum terræ 7000, erit Saturni diſtantia mediocris Semidiametrorum 70000. Maxima autèm diſtantia â Planetis inferioribus, & tellure juxtà *Ricciolum* cenſetur eſſe à Jove, Marte, Sole, Venere, Mercurio, Lunâ, Terrâ. Diſtantia.

Jove	Marte	Sole	Venere	Mercurio	Lunâ	Terrâ
122873.	95550.	83081.	88926.	86875.	90222.	90155.

21. Parallaxis Horizontalis Saturni ſolet eſſe in diſtantiâ.

Maxima			Minima		
Min.	Sec.	Tert.	Min.	Sec.	Tert.
0.	2.	20.	0.	3.	30.

Parallaxis.

22. Diameter apparens Saturni ſecundùm Ricciolum

Maxima			Media			Minima		
M.	S.	T.	M.	S.	T.	M.	S.	T.
0.	34.	30.	0.	26.	40.	0.	22.	46.

Diameter apparens.

23. Saturni diameter continere ab aliquibus dicitur diametros terræ 9⅞ Corpus Planetæ putatur continere tellures 884, Lunas 49005, Contineri autem Saturnus dicitur à Sole, 43.



CAPUT

CAPUT XI.

Notabilia, quæ de Planetis ſummatim omnibus, aut pluribus ſciri queunt.

PLanetæ à græcâ voce πλανάω dicuntur, non quod ſine lege, & ordine huc illucque vagentur (habent enim ſuas periodos certis terminis & finibus definitas) ſed quod easdem inter ſe, aut à fixis ſtellis diſtantias non obſervent. Numerus Planetarum primariorum hactenùs cognitorum ſeptenario comprehenditur, quibus addi poſſunt quatuor Jovis,& quinq; Saturni Satellites. Præcipui verò & maximè conſpicui ſunt *S*ol & Luna, qui communiter Luminaria dicuntur. Cœteri ſimpliciter vocantur Planetæ: *S*uperiores *S*ole ſunt tres *S*aturnus, Jupiter & Mars: *S*ole verò inferiores itidem tres ſunt nempè, Venus, Mercurius & Luna. Poſſunt inter ſe facilè diſcerni Planetæ in magnitudine, luce & colore. *S*aturnus enim eſt minor pallidi, & liveſcentis coloris, luminis quaſi oblongi. Jupiter major rotundus cum conſpicuo & valdè eleganti ac rutilanti lumine. Mars minor eſt Jove, ruberrimus ac quaſi igneus cum rubicundo & aliqub modo fuſco lumine. Venus eſt Planeta rotundus, pulcher, corpus habens luminoſum, albicantis coloris & jucundiſſimi luminis, maximeque fulgentis. Luminis magnitudine ſuperat omnes Planetas minores. Mercurius exilis eſt, rarò conſpicuus, cum parvâ admodùm obſcurâ luce. *S*ol & Luna per ſe noſcuntur. His addi poteſt diſcrimen aliquod à ſcintillatione, quamvis valdè exiguum. Nam Venus & Mercurius ſcintillant tantiſper: Mars ſubobſcurè, Jupiter, Saturnus & Luna nihil. Verùm his ità præmiſſis, nunc quæ ſummatim, vel de omnibus, vel pluribus ſaltem ſcitu digniora ſunt, in medium proferamus.

§. I.

Obſervationes Aſtronomicæ de Planetis generaliter, vel cum reſpectu & comparatione ad ſe invicem.

Planetarum ſtructura ſimilis. 1. Planetæ omnes ſunt corpora in figurâ ferè ſimilia, globoſa ſcilicet, non tamèn perfectè & mathematicè ſphærica, ſed aſperitatibus, & eminentiis variis affecta, ex ſolido etiam & liquido cuivis Planetæ competente, ac proprio compacta, nec etiam de ſe proprium emittunt lumen, præter Solem, ſed omnes reliqui à Sole mutuato lumine affulgent: Ex quo etiam fit, ut diverſimodè in figurâ modò pleno & completo luminari diſco, modo deficiente ex parte aliqua luminoſo fulgore ad modum phaſium lunarium compareant.

2. *S*idera tàm fixa quàm erratica, ſive Planetas moveri ab Intelligentiis etſi nec metaphyſicè, nec mathematicè, ſed ad ſummum phyſicè tantùm aut moraliter demonſtrari poſſit; ſpectatâ tamen Authoritate, tàm ſacrâ, quàm profanâ indubitatum modò recipitur. Nomina autem Spirituum, qui Planetariis globis dirigendis dicuntur præfecti, ſunt: *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel, Salathiel, Jehudiel, & Barachiel*: Quo autem fundamento afferantur, reſtat probandum. Eorum motus fit ab Intelligentiis.

3. Probabile eſt omnes globos planetarios habere ſuas atmoſphæras: Cum enim ſint corpora in figurâ & ſtructurâ perſimilia, compactaque ex certo quodam liquido & ſolido, cuivis ſcilicet competente: ſequitur calidum & humidum ſivè liquorem & ſolidam materiam, ex quibus globi conſtituuntur neceſſariò, haud ſecùs, ac in terrâ fit, ſeſe habere, ubi calidum in humidum agens illud reſolvit, humor verò corporibus inſitus, calore rarefactus in tenuem ſubſtantiam abit, quam quià circà globos planetarios ſeſe explicando diffundit, cum Aſtronomis Atmoſphæram vocare libet. Atmoſphæra Planetarum.

4. Valdè probabilis videtur ſententia Doctiſſimi *Kircheri*, quâ dicit planetaria corpora, ſicut & alia omnia Mundana ad eandem divinæ artis amuſſim eodem modò eſſe condita, nequè quoad materiam elementarem ulla ratione à ſe invicem differre; non ſecùs ac in terreſtri globo, in quo etiamſi innumeræ rerum ſpecies formis, proprietatibusque differre comperiantur, omnia tamen quoad materiam elementarem eadem eſſe, inveniantur; uti ex reſolutione chymicâ patet. *Non eſt igitur, quod quis miretur, cœleſtes globos Solaris naturæ ex igne liquido & terreſtri portione, Lunaris verò naturæ ex aquâ terreſtri ſubſtantiâ concretos aſſerere, hæc enim naturali conſequentiâ ex præſuppoſitis deducuntur. Quod enim in terreſtri globo fieri compertum eſt; illud ſecundùm analogiam quandam in cœleſtibus corporibus pariter fieri cenſetur: Ità ut quæcumque actiones elementorum conjunctionem conſequuntur, easdem in cœleſtibus globis, in uno tamen plùs, in altero minùs reperiri, certò inferri poſſit. Dantur igitur in globis cœleſtibus præter primas qualitates, etiam ſecundæ, veluti ſunt levitas, gravitas, mollities, durities, rarefactio, condenſatio, ex quibus ſuo modo ipſis conformes meteorologicæ impreſſiones neceſſariò conſequuntur. Omnia igitur, quæ in terreſtri globo ſpectantur, in cœleſtibus quoque (ſi vegetabilem, & ſenſitivam naturam, quas æternæ ſapientiæ ratio indè excluſit,* Materia prima communis omnibus.

 exci-

excipias) spectari necesse est. Ità *Kircherus in præluf. parænet. ad itin. Extat.*

Centra Singulorum Planetarum.

5. Sicut terra centro suo instructa est, ad quod, etiamsi extrà mundi medium collocaretur, omnes & singulæ ejus partes graviores naturali inclinant appetitu, ut si avellantur, ad illud referantur; item à quo leviores exspiratæ ad circumferentiam feruntur, ità sentiendum videtur omnia & singula mundi corpora (cujusmodi sunt Astra & Planetarii globi) ex solido & liquido conflata suis prædita esse centris, in quæ omnes & singulæ eorum partes graviores naturali appetitu inclinant ob totorum conservationem, & à quibus leviores portiones ab humido exspiratæ ad circumferentiam, & liquidum circumsistens feruntur. Differentia tamen inter terram & astra, tàm fixa, quàm vaga hæc intercedit, quod terra habeat centrum fixum in corpore immobili, astra centrum fixum in corpore mobili: Item quod terra habeat locum fixum in universo, in quo quiescat, ut astrorum influxus commodiùs suscipere queat; astra verò regionem fixam, in quâ moventur circa terram, ut in illam influxus suos transfundant.

Planetarum coordinatio & Harmonia.

6. Corpora mundana velut Terra, Luna, Sol, cœterique Planetæ tali inter se distantiâ & ordine censentur esse disposita, talíque mole, ac magnitudine prædita, ut vel uno à præfixo limite recedente Naturam minimè persistere conservaríque posse, sed necessariò interire debere, firmissimè credendum sit. Hinc unanimi omnium hactenùs sæculorum consensu creditum fuit, Mundana corpora harmoniam, veluti musicam perfectissimam efficere. Sicut autem in Harmoniâ musicâ vel uno à determinato limite, velut harmonico intervallo recedente tota meritò harmonia destruitur, ità si vel unicus defectus, sivè is sit in distantiâ, aut ordine, sivè magnitudine, aut mole in globo aliquo cœlesti contingeret; tota meritò etiàm Natura destrui infallibiliter deberet. Vide *Kircherum in Musurgiâ lib. 6. & itin. Extat. dial. 2. cap. 4.*

Corpora omnia mundana ad hominem finaliter ordinata.

7. Quemadmodum in humano corpore, velut *Microcosmo* unum membrum fovet aliud & reciproco quodam fotu omnia singula, & singula omnia afficiunt: ità Astra tàm fixa, quàm vagantia *Megacosmi*, sivè magni Mundi, veluti quædam membra influxibus reciprocis, viribusque unicuique propriis sese afficiunt, ac sivè immediato viciniorum, sivè mediato intermediorum influxu se invicem fovent, alunt, roborant, & denuò hoc mutuo Unionis fœdere colligata perpetuò conservant. Hæc autem mundanorum corporum conservatio subordinatur terreni globi (qui *Microcosmi*, sivè Hominis habitaculum est) conservationi; & quià hic quoque humanæ naturæ subditur; fit idcircò, ut omnium mundanorum globorum cum omnibus viribus suis, abditisque quibuslibet virtutibus sit ultimus finis Homo. Solus igitur terrenus globus quidquid in universo virium latet, veluti commune omnium subjectum in se recipit, fovet, & ad hominis conservationem convertit.

Vertigo cœlestium corporum.

8. Cùm partes cœlestium globorum, sivè Corporum planetariorum non sint homogeneæ, sed heterogeneæ, adeòque qualitates, vires, & proprietates ob diversum situm respectumque ad reliquos circumjacentes Planetas diversas sortitæ sint: Hinc Natura eos circà proprium centrum versari voluit, ut alias semper atquè alias partes telluri obverterent, adeoque non semper eosdem effectus, sed pro diversa combinatione etiàm diversos ac semper ferè alios producerent.

Velocitas aut tarditas motûs ratione situs.

9. Globi Planetarii eo ordine & dispositione in cœlo collocati sunt, ut quantò aliqui terræ viciniores sunt, tantò motus habeant tardiores, quantò autem remotiores ab eâdem terrâ orbitas suas percurrunt, tantò celeriores motus absolvant, proportione globorum jure veluti quodam hoc postulante. Siquidem quantò circulus, quem conficiunt, major est, tantò velociùs semper quoad se, tardiùs verò quoad nos, & oculos nostros moventur. Omnes autem sic ordinati sunt, ut spatio 24. horarum integram periodum circà terram conficiant.

Motus proprius Planetarum.

10. Omnes & singuli Planetæ præter motum communem & diurnum, quo raptu primi mobilis devolvuntur, ab ortu in occasum, habent alium proprium etiàm motum in longitudinem, ab occasu nempè in ortum, sive in consequentia signorum primi mobilis. Colligitur hic motus ex recessu illorum â stellis fixis orientem versùs; itèm ex reditu tardiore ad eundem Meridianum. Quo in motu ex tribus superioribus tardior est Saturnus, quàm Jupiter, & hic tardior quàm Mars, ut suprà indicavimus.

Ortus & occasus singulorum Planetarum.

11. Ortus & occasus singulorum Planetarum contingere solent hoc ordine: In tribus superioribus post ortum Cosmicum fit ortus Heliacus matutinus: deindè recedente paulatim ab iis Sole usquè ad integrum semicirculum Zodiaci fit occasus Cosmicus & mox ortus Acronychus; quo facto totâ nocte fulgent: hinc accessu Solis ad ipsos contingit occasus Heliacus vespertinus, tandemque occasus Acronychus: atque ex hoc, & priori motu patet, hos Planetas non solùm in consequentia, sed etiam tardiùs Sole moveri; quandoquidem Solem post conjunctionem â se recedentem assequi nequeunt, sed contrà ille ipsos assequitur & suis radiis obruit, iterumque deserit. Venus verò & Mercurius observati sunt, nunquam ità à Sole removeri, ut occidant Cosmicè, aut oriantur Acronychè, cùm nunquam ex diametro Mundi Soli opponantur; sed postquàm manè orti sunt Heliacè, digrediuntur quotidiè magis à Sole, eoque Oriente altiores, & altiores ab Horizonte appa-

apparent usquè ad terminos maximæ digressionis; In Venere quidem Grad. 48. in Mercurio 28. Indè rursùs ad Solem accedentes occultantur Heliacè, sequentibusque noctibus occidente Sole magis, magisque alti ad Horizontem facti digrediuntur ab eo usquè ad terminos prædictos maximæ elongationis, quâ peractâ Soli obviam facti occidunt vesperi occasu Heliaco. Undè patet duos hos Planetas aliquandò velociores esse Sole, quandò scilicet post matutinam digressionem ad illum accedunt, illumque prævertunt, aut vespere post ortum Heliacum ab illo recedunt; aliquandò autem tardiores, quandò scilicet post vespertinam digressionem ad illum retrocedunt, & manè post ortum Heliacum ab eo recedunt.

Mutatio Luminis & magnitudinis apparentis. 12. Observatur insigne decrementum Luminis & magnitudinis apparentis, quandò superiores accedunt ad conjunctionem superiorem cum Sole, occasumque Heliacum vespertinum, & inferiores ad matutinum. Contrà verò quando accedunt vel tres superiores ad Oppositionem cum Sole, ortumque Acronychum; vel duo inferiores post maximam digressionem ad conjunctionem vespertinam cum illo, fiunt notabiliter aucti lumine. Ex quo colligunt Astronomi, id fieri ex abscessu à terrâ, cùm decrescunt, & ex accessu, cùm crescunt. Undè in primo casu Planeta dicitur Apogæus, id est, abstans & remotus à terrâ ἀφήλιος, id est, à Sole remotus; in secundo verò casu Perigæus & περιήλιος, id est, terræ & Soli vicinus.

Revolutiones Planetarum. 13. Astronomi factâ comparatione observationum propriarum cum aliis antè se factis, collatisque revolutionibus Planetarum, tàm ad eandem stellam fixam, cui olim juncti fuissent, aut cum quâ Meridianum transiissent, quàm ad idem punctum Zodiaci notârunt, motus non esse quidem in eodem licet Planetâ æquales in numero dierum & horarum; mediocri tamen apocatastasi, seu revolutione electâ deprehenderunt Saturnum permeare Zodiacum Annis Ægyptiis, sivè simplicibus 29, ac diebus circiter 174, sed non reverti ad eandem stellam fixam, nisi annis 29, diebusque propè 184. Jovem autèm absolvere Zodiacum Annis Ægyptiis 11, diebusque ferè 315. eandemque fixam assequi annis 11. diebus 318. circiter. Martem permeare Zodiacum Anno uno Ægyptio, & diebus ferè 321, & sequenti die vel nocte eandem Stellam assequi. Simile quid de Venere & Mercurio statui non potuit, quià Solem semper comitantur, in earundem etiam revolutionum partibus inæqualitatem deprehenderunt, & Planetas æqualibus temporibus inæquales arcus Zodiaci conficere, etiamsi sint in pari distantiâ à conjunctione cum Sole.

14. Computando temporis intervalla, quibus Sol redit ad Oppositionem cum Superioribus Planetis, & inde ad Conjunctionem; in eodem Planeta non est revolutio æqualis in numero dierum & horarum, sed alia brevior, alia longior. Electa tamen media revolutione inter utramque notatum fuit, Solem reverti ad Saturnum diebus circiter 378, ad Jovem 399, ad Martem 780. Undè denuò patet Saturnum Jove, & hunc Marte tardiorem esse, quandoquidem Sol citiùs Saturnum interim recedentem quàm Jovem, & hunc citiùs, quàm Martem assequitur. Venus quoque ab unâ digressione à Sole maximâ ad alteram ejusdem speciei (putà à matutinâ ad matutinam) non est visa reverti æqualiter, sicut nec Mercurius. Mediâ tamen revolutione peractâ revertitur Venus diebus 580. aut 583. circiter; Mercurius autem diebus 115. circiter. Solis reversio ad Planetas.

15. In hac ipsa revolutione Solis ad Planetam, vel Planetæ alicujus ad Solem præter inæqualitatem totius revolutionis comparatæ ad alteram totam, contingit etiàm insignis inæqualitas inter eandem revolutionem comparando partes ejus cum partibus Sole etiam in eodem signo Zodiaci existente. Nam aliquandò seipsis velociores quotidiè apparent, & quidem velocissimi in Conjunctione cum Sole (loquendo de conjunctione apogæa in Venere & Mercurio) undè Planeta dicitur directus, seu progressivus, aut directè progrediens in consequentia: Aliquandò verò retrocedere videntur quotidiè magis occasum versus, seu in antecedentia; quandò scilicet superiores accedunt ad Oppositionem cum Sole, & inferiores ad Conjunctionem Perigæam, ac vespertinam cum illo. Et tunc quoad motum in consequentia sunt tardi, imò retrogradi, seu in præcedentia recedentes. Aliquandò autem sub initium & finem retrogradationis videntur hærere per aliquot dies, horasvè in eodem loco Zodiaci non procedendo, nec recedendo: Undè dicuntur stationales, seu stationarii. Regressus Planetæ semper est minor progressu; quià hic regressus oritur à secundâ inæqualitate, quæ contraria est motui Planetæ ordinario, seu primæ inæqualitatis. Regreditur ergò secundùm excessum unius motûs supra alium. At dum est Directus; secunda inæqualitas adjuvat motum Planetæ, ideoque debet habere motum utrique inæqualitati debitum, atque adeò Directio super regressum motu primæ inæqualitatis bis sumpto. Sed vide hìc tabulam appositam Inæqualitas in motu velociori ac tardiori.

Plane-

Planetarum	*Directio est dierum.*	*Retrogressio dierum.*	*Statio dierum.*	*Statio contingit dum Planeta distat à Sole.*	
♄	244	136 vel 140	8	Grad. 105	intrà □ & △
♃	284	119 vel 120 vel etiam 122	4	Grad. 120	in △
♂	705	73 usque 75	2	Grad. 125.	ultrà △
♀	542	42	1½	Grad. 48	post 5 signa hinc inde
☿	93	22	½	Grad. 27	post sex signa.

In Prutenicis Loca stationum, sivè arcus eorundem, item & retrogradationis, ac Directionis traduntur, ut sequitur

	In Eccentrici	*Arcus Stationis primæ.* G.	M.	*Arcus Stationis secundæ.* G.	M.	*Arcus Retrogradationis.* G.	M.	*Arcus Directionis.* G.	M.
♄	*Apogæo*	112.	38.	247.	22.	134.	44.	225.	16.
	Med. longitud.	113.	58.	246.	2.	132.	4.	227.	56.
	Perigæo.	115.	21.	244.	39.	129.	18.	230.	42.
♃	*Apogæo.*	124.	8.	235.	52.	111.	44.	248.	16.
	Med. Longitud.	125.	40.	234.	20.	108.	40.	251.	20.
	Perigæo.	127.	19.	232.	41.	105.	22.	254.	36.
♂	*Apogæo*	157.	33.	202.	27.	44.	54.	315.	6.
	Med. Longitud.	162.	51.	197.	9.	34.	18.	325.	42.
	Perigæo.	168.	56.	191.	4.	22.	8.	337.	52.
♀	*Apogæo.*	166.	1.	193.	59.	27.	58.	332.	2.
	Med. Longitud.	167.	7.	192.	53.	25.	46.	334.	14.
	Perigæo.	168.	15.	191.	45.	23.	30.	336.	30.
☿	*Apogæo.*	146.	50.	213.	10.	66.	20.	293.	40.
	Med. Longitud.	143.	55.	216.	5.	72.	10.	287.	50.
	Perigæo.	146.	0.	214.	0.	68.	0.	292.	0.

Retrogradi quando Planetæ fiunt.

16. Saturnus in quovis signo bis solet fieri retrogradus: Jupiter in quovis signo semel, & quidem inmediatione temporis: Mars post absolutam periodum semper in sequenti signo retrograditur; omnes verò non iisdem gradibus, sed diversis partim sui orbis, partim aliorum. Unde retrogradationes Saturni sunt frequentiores, quàm Jovis, & hujus quàm Martis. Mars enim intrà biennium fit semel retrogradus. Jupiter uno mense post annum; Saturnus vix mensis dimidio suprà anni spatium.

Prostaphæresis omnis optica, non realis.

17. Receptum est apud omnes Astronomos motus Planetarum & siderum æquabiles esse in propriis circulis, & apparenter tantùm inæquales, eoquod oculus eos spectet in alieno centro, & consequenter prostaphæresis omnis optica tantùm sit, non realis & physica. Hoc est; quamvis Planeta æqualiter in suo circulo moveatur, apparet tantùm Arcus inæqualis temporibus æqualibus peragrare.

18. Omnes Planetæ, excepto Sole, latitudinem habent, sivè ab Eclipticâ evagantur modò ad Boream, modò verò ad Austrum cum mirâ diversitate. Nam via quinque minorum Planetarum sic inclinata est ad Eclipticam, ut tres Superiores, quotiès sunt circà Apogæum, habeant latitudinem borealem, circà perigæum verò latitudinem australem. Mars quidem maximam in ipso penè Apogæo, ac perigæo. Saturnus citrà Apogæum, Jupiter ultrà Apogæum maximam habent Borealem; sicut ille citra perigæum, hic ultrà maximam latitudinem Australem. Et tres quidem Superiores diutiùs morantur in latitudine Boreali, quàm Australi (eoquòd ea pars Eccentrici cujusvis, in quâ Apogæum, sit Borealis respectu Eclipticæ, & Australis perigæum contineat, & consequenter citiùs eam percurrat centrum Epicycli) contrà Venus & Mercurius plùs in Australi, quàm in Boreali. Itèm Venus latitudines maximas obtinet majores in parte boreali, contrarium accidit in Mercurio.

Latitudo Planetarum.

Latitudinis variatio in Planetis.

19. Hæ latitudines Planetarum, sivè Boreales, sivè Australes sint, aliam subeunt mutationem ab Epicyclo; nàm intrà unam ejus revolutionem sunt bis maximæ

ximæ, bis minimæ, bis nullæ. Evaneſcunt, quoties centrum Epicycli attingit nodos: maximæ ſunt, cùm centrum Epicycli eſt in limitibus. Boreales item latitudines aliquam ſubeunt mutationem ex motu Planetæ in Epicyclo: nam Planetâ obtinente perigæum Epicycli, maximæ ſunt latitudines: eo verò obtinente Apogæum ejuſdem Epicycli, licet latitudo deberet eſſe maxima, erit minor; in mediis longitudinibus eſt mediocris. Ex duplici igitur capite creſcunt latitudines; quod nempè centrum Epicycli inveniatur in punctо Eccentrici 90 Gradibus diſtante à Nodis, ſeu in limitibus; limes autem Auſtralis majorem facit latitudinem, quià nempè vicinior eſt perigæo, quàm limes Borealis: & cùm circà Perigæum Eccentrici Planeta cœteris paribus ſit terræ vicinior, latitudo fit major, ſeu ſub majori angulo ſpectatur, quàm in limite Boreo, utpotè ad Apogæum ſpectante. Si centro Epicycli limitem Auſtralem obtinente Planeta fuerit in Perigæo, fient latitudines omnium maximæ.

Nodi Planetarum. 20. Nodi Planetarum minorum non ſemper in iisdem Eclipticæ punctis hærent, ſed in conſequentia feruntur; contrarium accidit in Lunâ, cujus Nodi in antecedentia promoventur.

Diameter apparenes in minoribus Planetis. 21. Diameter apparens Planetarum minorum eſt in conjunctionibus cum Sole minor; è contrà major, quò magìs Planeta à Sole receſſerit; maxima, cùm Soli aliquis Planeta fuerit oppoſitus. Hinc Mars Soli oppoſitus diametrum apparentem octies majorem exhibet, quàm in conjunctione: Venus paulò poſt Perigeam conjunctionem, etiamſi tunc Sol illuminet partem à Terrâ averſam, & conſequenter falcata appareat, ejus tamen diameter factâ æſtimatione cenſetur ferè quadrupla, ità ut ejus area æſtimetur quadragecupla areæ, quam in conjunctione Apogæâ exhibet. Pariter Mercurius 15 grad. à conjunctione perigæâ diſtans longè major apparet, quàm totidem gradibus à conjunctione Apogæâ diſtans, quamvis in hac ultimâ totus ejus diſcus ad Terram obverſus illuminetur; in priori verò minimè. Singulorum Planetarum diametros juxtà variam eorum diſtantiam, prout à variis Authoribus determinantur, in appoſitâ tabulâ videre licet.

Authores.	*In diſtantia.*	*Diametri apparentes Planetarum.* Saturni M.	S.	T.	*Jovis* M.	S.	T.	*Martis* M.	S.	T.	*Veneris* M.	S.	T.	*Mercurii* M.	S.	T.
Hortenſius.	*Maximâ*	0.	40.	40.	1.	1.	40.	1.	4.	0.	1.	40.	0.	0.	28.	0.
Gaſſendus.	*Mediâ*	0.	37.	0.	0.	50.	0.	0.	36.	0.	0.	53.	0.	0.	19.	0.
Herigonius.	*Minimâ*	0.	31.	0.	0.	38.	30.	0.	9.	0.	0.	15.	20.	0.	10.	0.
	Maximâ	0.	34.	30.	1.	8.	46.	1.	30.	0.	4.	8.	0.	0.	25.	12.
Ricciolus	*Mediâ*	0.	26.	40.	0.	49.	46.	0.	22.	0.	1.	4.	12.	0.	13.	48.
	Minimâ	0.	22.	46.	0.	38.	18.	0.	10.	6.	0.	33.	30.	0.	9.	20.

Diſtantia Planetarum à terrâ. 22. Diſtantia Planetarum ſingulorum à Terrâ non eſt ſemper eadem, ut jam meminimus, & ipsâ oculari experientiâ facilè colligi poteſt, tàm ex diverſitate diametri apparentis, quàm etiàm ex diverſitate luminis, quod nunc pleno orbe, vel diſco projiciunt, nunc autem corniculatum, ſeu falcatum & diminutum exhibent: Unde duorum inferiorum Veneris & Mercurii diſtantiæ varietas facilè probari poteſt. Sed ecce tabulam, quam hìc ex *Ricciolo* ſubjicimus, in quâ imprimìs mox radius Epicycli ſingulorum Planetarum, ſicut & excentricitas, radiúsque Eccentrici primum in partibus, qualium Radius totus eſt 1000000. deindè in milliaribus Bononienſibus videri poteſt. Exhibetur etiam diſtantia eorundem Planetarum in Semidiametris Terrę, & correſpondentibus milliaribus Bononienſibus, ut Tabula monſtrat.

Planetæ.	*Radius Epicycli.* *Maximus.*	Minimus.	*Eccentricitas.* Maxima.	Minima	*Radius.* *Eccentrici.*
Saturni.	8249.	7373.	8906.	7884.	73000.
Jovis.	7417.	6738.	3635.	3321.	76500.
Martis.	7805.	6727.	2200.	1900.	11000.
Veneris.	5339.	5157.	253.	253.	7327.
Mercurii.	3322.	2811.	730.	584.	7327.
Solis.	0.	0.	253.	255.	7327.

In milliaribus Bononienſibus, qualium Semidiameter Terræ eſt 3265.

	Radius Epicycli.		Eccentricitas.		Radius.
Planetæ.	Maximus.	Minimus.	Maxima.	Minima	Eccentrici.
Saturni.	26. 932985.	24. 072845.	29. 078090.	25. 741260.	238. 345000.
Jovis.	24. 216505.	21. 999570	11. 868275.	10. 843065.	119. 172500.
Martis.	25. 483325.	21. 963655.	7. 183000.	6. 203500.	35. 915000.
Veneris.	17. 431835.	16. 837605.	826045.	826045.	23. 922655.
Mercurii.	10. 846330.	9. 177915.	2. 383450.	1. 906760.	23. 922655.
Solis.	0.	0.	826045.	826045.	23. 922655.

Diſtantia Planetarum in Semidiametris Terræ, & milliaribus Bononienſibus.

Planetæ.	Diſtantia in	Maximâ.	Minimâ.	Differentiâ.
Saturni.	Semidiam. Terr.	90155.	57743.	32412.
	Milliar. Bonon.	294. 356075.	188. 530895.	105. 825180.
Jovis.	Semidiam. Terr.	47552.	26441.	21111.
	Milliar. Bonon.	155. 257280.	85. 329865.	68. 927415.
Martis.	Semidiam. Terr.	21005.	2373.	13632.
	Milliar. Bonon.	68. 581325.	7. 747845.	44. 508480.
Veneris.	Semidiam. Terr.	12919.	1917.	11002.
	Milliar. Bonon.	42. 180535.	6. 259005.	35. 921530.
Mercurii.	Semidiam. Terr.	10868.	3932.	6936.
	Milliar. Bonon.	35. 484020.	12. 837980.	22. 646040.
Solis.	Semidiam. Terr.	7580.	7074.	506.
	Milliar. Bonon.	24. 748700.	23. 096610.	1. 651090.

23. Planetarum magnitudines obſolutas refert *D. Chales lib. 6. Aſtron. prop. 54.* ità

Saturni diameter continet diametros Terræ $9\frac{3}{7}$
Corpus ejusdem Tellures 884
Lunas 4905
continetur à Sole 43
Jovis diameter continet diametros Terræ $8\frac{4}{5}$
Soliditas continet Tellures 685
Lunas 37675
continetur à Sole 56
Martis diameter continet diametros Terrę $\frac{52}{100}$
Soliditas continet terras $\frac{14}{100}$
vel potiùs continetur à Terrâ $7\frac{1}{7}$
à Sole 275714
Veneris diameter continet diametros Terrę $1\frac{15}{100}$
Soliditas continet Terras $1\frac{1}{2}$
Lunas 82
continetur à Sole 25733

Circa Martem eſt magna altercatio apud Aſtronomos.

Mercurii diameter eſt quarta pars diametri Terræ
Mercurium continet Tellus 64
Luna 5
Sol 9881600

Sed his addamus tabulam dimenſionis ac motus omnium Planetarum ex doctrina & Sententiâ Celeberrimi Aſtronomi *Tychonis Brahe.* Ubi tamen obſervandum in numeris ibidem ſignatis ſæpè incompletum ſumi pro completo, prout medio ſcilicet modo inter duos extremos ſe habet. Supponitur etiàm Semidiametro Terræ reſpondere milliaria Germanica 860. Præter Pinacem quoque Uranometricum *Kircheri* haud minùs utilem quàm curioſum, ut etiàm diverſæ Authorum ſententiæ circà Planetarum magnitudines cum Terrâ collatas addiſci facile queant, Tabulam magnitudinis Planetarum ſtudio ſolertiſſimi *Hevelii* adornatam, quam tradit in ſuâ Cometographiâ, his adnectere libuit.

TAB

Magnitudinis Planetarum ac Singulorum à terra
juxta Authores adſcrip

		Diſtantia Planetarum à Terra.	Diameter apparens.		Vera Diameter in Cœlo.	Circumfer Orbi
Planetæ	Authores.	Semidiametri Terræ.	Min.	Sec.	Milliaria Germanica.	Milliaria manic
	Ptolemæus	15800	1	48	7088	
	Copernicus	10480	1	50	4768	
	Tycho Brahe	10550	1	50	4839	
♄	Keplerus	32407	0	27	3643	
	Bullialdus	13930	1	50	6390	
	Ricciolus	73000	0	31	9435	
	Hevelius	45040	0	16	3362	
	Ptolemæus	10420	2	40	7020	
	Copernicus	5960	2	45	4063	
	Tycho Brahe	5979	2	45	4088	
♃	Keplerus	17720	0	40	2980	
	Bullialdus	7628	2	45	5216	
	Ricciolus	36500	0	50	7609	
	Hevelius	26815	0	18	2054	
	Ptolemæus	4584	1	36	1852	
	Copernicus	1736	1	40	710	
	Tycho Brahe	1745	1	40	713	
♂	Keplerus	5142	1	32	1979	
	Bullialdus	2224	1	40	927	
	Ricciolus	11000	0	32	1009	
	Hevelius	7855	0	5	160	
	Ptolemæus	1168	32	18	9438	
	Copernicus	1142	32	44	9351	
	Tycho Brahe	1150	31	0	8918	
☉	Keplerus	3469	30	0	26030	
	Bullialdus	1460	32	52	12000	
	Ricciolus	7327	31	56	58530	
	Hevelius	5157	31	54	41150	
	Ptolemæus	618	3	10	500	
	Copernicus	1142	3	18	935	
	Tycho Brahe	1150	3	15	930	
♀	Keplerus	3408	1	48	1544	
	Bullialdus	1460	3	15	1181	
	Ricciolus	7418	1	4	1980	
	Hevelius	5157	0	17	360	
	Ptolemæus	115	2	8	62	
	Copernicus	1142	2	12	623	
	Tycho Brahe	1150	2	10	623	
☿	Keplerus	3408	1	28	1252	
	Bullialdus	1460	2	10	791	
	Ricciolus	7473	0	14	436	
	Hevelius	5157	0	6	130	
	Ptolemæus	59	33	20	492	
	Copernicus	$60\frac{1}{3}$	32	49	495	
	Tycho Brahe	$56\frac{1}{2}$	34	0	480	
☽	Keplerus	59	30	0	442	
	Bullialdus	59	32	35	481	
	Ricciolus	59	30	37	452	
	Hevelius	59	30	0	442	

ULA

ſtantiæ cum ſoliditate eorum ad terram comparata
s. Scrutin. II. cap. XI. §. 1.

a	*Proportio Diametri Terræ ad diametrum Planetæ.*		*Area circuli maximi.*	*Superficies convexa.*	*Soliditas corporis Planetarum.*	*Soliditas & corpulentia Terræ reſpectu Planetarum.*	
r-	*ut*	*ad*	*Milliaria quadrata.*	*Milliaria quadrata.*	*Millaria cubica.*	*ut*	*ad*
70	1	$4\frac{1}{8}$	39460000	157840000	186469000000	1	70
80	1	3	17850000	71410000	56759000000	1	$21\frac{1}{3}$
00	1	3	18390000	73560000	58723000000	1	22
45	1	$2\frac{1}{8}$	10530000	42120000	25320000000	1	$9\frac{1}{2}$
70	1	$3\frac{2}{3}$	35430000	141720000	136553000000	1	51
40	1	$5\frac{1}{2}$	77280000	309120000	439830000000	1	166
45	1	2	5020608	20082432	8461398016	1	$3\frac{1}{7}$
50	1	4	387000000	154800000	181106000000	1	68
60	1	$2\frac{1}{3}$	12965000	51860000	35113000000	1	13
40	1	$2\frac{3}{8}$	13130000	52520000	85780000000	1	$13\frac{1}{2}$
63	1	$1\frac{3}{4}$	6976000	27904000	13860000000	1	$5\frac{1}{2}$
85	1	3	21360000	85440000	·49803000000	1	19
00	1	$4\frac{4}{5}$	45470000	181880000	230672000000	1	86
55	1	$1\frac{1}{5}$	3314129	13265651	4538148680	1	$1\frac{3}{4}$
20	1	$1\frac{1}{13}$	2695000	10780000	3328500000	1	$1\frac{1}{4}$
32	$2\frac{3}{7}$	1	396700	1586800	188000000	14	1
40	$2\frac{3}{7}$	1	399400	1597600	189900000	14	$1\frac{1}{2}$
16	1	$1\frac{1}{7}$	3075000	12300000	4055000000	1	1
13	$6\frac{2}{3}$	1	675300	2701200	417500000	$6\frac{2}{5}$	1
70	$1\frac{7}{10}$	1	799600	3198400	537900000	5	1
03	$1\frac{5}{8}$	1	20080	80320	2141760	$1421\frac{8}{11}$	1
50	1	$5\frac{1}{2}$	69960000	279840000	440187000000	1	165
80	1	$5\frac{1}{7}$	68680000	274730000	428187000000	1	160
20	1	$5\frac{1}{6}$	62470000	249880000	371411000000	1	140
90	1	15	532450000	2129800000	9239900000000	1	3469
10	1	7	113175000	452700000	905709000000	1	340
00	1	34	2691000000	10764000000	105002100000000	1	39436
00	1	24	1330000000	5320000000	3649480000000	1	13604
69	$3\frac{1}{2}$	1	195900	783600	65240000	40	1
38	$1\frac{5}{18}$	1	686800	2747400	428100000	6	1
22	$1\frac{5}{6}$	1	679600	2718400	421400000	6	1
51	$5\frac{3}{8}$	1	1873000	7492000	1928000000	$1\frac{1}{8}$	1
47	$1\frac{1}{2}$	1	1095000	4380000	862300000	3	1
19	1	$1\frac{1}{2}$	3108000	12432000	4061000000	1	1
31	$4\frac{3}{4}$	1	101700	406800	24408000	109	1
95	$27\frac{3}{4}$	1	3012	12048	124400	21400	1
58	$2\frac{3}{4}$	1	305200	1220800	126960000	20	1
58	$2\frac{3}{4}$	1	305200	1220800	126860000	20	1
32	$1\frac{1}{3}$	1	1230000	4920000	1033660000	$2\frac{1}{2}$	1
86	$2\frac{1}{6}$	1	491800	1967200	259500000	10	1
70	4	1	149500	598000	43460000	62	1
09	13	1	13260	53040	1149200	2315	1
46	$3\frac{1}{2}$	1	190100	760400	62354000	43	1
55	$3\frac{1}{2}$	1	192500	770000	63530000	42	1
10	$3\frac{4}{7}$	1	181400	725600	58040000	46	1
89	4	1	153500	614000	45225000	59	1
13	$3\frac{4}{7}$	1	182100	728400	58440000	46	1
19	3^{4}	1	160200	640800	48230000	55	1
89	4	1	153500	614000	45225000	59	1



Tabula ostendens dimensiones ac motus singulorum Planetarum juxta Sententiam Tychonis Brahe.

Planetæ	☾	☿	♀	☉	♂	♃	♄
Sphæræ Semidiameter seu altitudo media aut mediocris à terrâ distantia in milliaribus Germanicis.	51600.	989000.	989000.	989000	1500700.	3431400.	9073000.
Sphæræ Diameter, seu distantia circuli à circumferentiâ in Semidiametris Terræ.	120.	2300.	2300.	2300.	3490.	7980.	21100.
Orbis seu Sphæræ circumferentia, peripharia, sivè ambitus in Semidiametris Terræ.	377.	7229.	7229.	7229.	10969.	25080.	66314.
Quantitas unius Gradûs in propria Sphæra in milliaribus Germanicis.	810.	17270.	17270.	17270.	26204.	59913.	158417.
Diameter apparens, seu visibilis magnitudo in minutis primis & secundis.	Min. 33.	Min. 2. Sec. 10.	Min. 3. Sec. 15.	Min. 31. Sec. 0.	Min. 1. Sec. 40.	Min. 2. Sec. 45.	Min. 1. Sec. 50.
Diameter vera in cœlo seu orbe proprio in milliaribus Germanicis.	250.	323.	470.	4470.	364.	2064.	2420.
Diametri proportio ad Diametrum Terræ.	ut 2. ad 7.	ut 3. ad 8.	ut 6. ad 11.	ut 26. ad 5.	ut 50. ad 21.	ut 12. ad 5.	ut 31. ad 11.
Corpulentia seu globositas respectu Terræ.	42. vicibus minor.	19. vicibus minor.	6ies minor	140 vicibus major.	13ies minor.	14. vicibus major.	22. vicibus major.
Motus secundus seu proprius æqualis per diem in Gradibus & Minutis.	G. 13. M. 10. S. 35.	M. 59. S. 8.	M. 59. S. 8.	M. 59. S. 8.	M. 31. S. 27.	M. 4. S. 59.	M. 2. S. 0.
Motus proprius medius per horam in milliaribus Germanicis.	445.	710.	710.	710.	572.	208.	220.
Motus periodicus, seu conversio propria in Annis, Diebus, ac Horis.	Dier. 27. Hor. 8.	Dier. 365. Hor. 6. sivè 1. Anni.	Anni 1.	Anni 1.	Ann. 1. Dier. 322.	Ann. 11. Dier. 314.	Ann. 29. Dier. 160.
Motus primus, seu communis per horam in orbis ambitu in milliaribus Germanicis.	13510.	259040.	259040.	259040.	393060.	898700.	2376250.
Motus primus in orbe primo singulis minutis in milliaribus Germanicis.	225.	4320.	4320.	4320.	6550.	14980.	39600.

PINAX URANOMETRICUS,

In quo Planetarum diſtantiæ, quantitates & proportiones unà cum Umbris ſynopticè exhibentur. *Ex Kircheri arte magnâ Lum. & Umb. lib. 9. part. 2.*

Planetarum Characteres.	1. Diſtantia Planetarum à centro Terræ.	2. Proportiones Semidiametri, Terræ ad Semidiametrum Planetarum.	3. Quantitas globorum Planetariorum collata ad Terram.	4. Proportiones Diametri Solis ad Semidiametrum reliquorum Planetarum.	5. Diſtantiæ maximæ à Sole, id eſt, dum Sol eſt in Apogæo.	6. Umbræ maximæ quas fundunt Planetarum corpora.
Terra	Semidiameter Terræ continet milliaria 3436, cujus medium diſtat mediocriter à	Semidiameter Terræ ſe habet ad Semidiametros	Terra continens milliar. 170032521600 ſe habet ad Soliditatem	Solis ad Terram ut 26 ad 5.	Terra diſtat à Sole 1181 Semidiametris Terræ.	Terræ Umbra maxima conſtat 264 Semidiamet. Terræ.
☽	56 Semid. Terr.	ut 17 ad 5	ut 40 ad 1	ut 26 ad $1\frac{1}{13}$	1246 Semid. Terr.	68 Semid. Terr.
☿	1142 Semid. Terr.	ut 8 ad 3	ut 19 ad 1	ut 26 ad $1\frac{7}{8}$	571 Semid. Terr.	43 Semid. Terr.
♀	1142 Semid. Terr.	ut 11 ad 6	ut 6 ad 1	ut 26 ad $2\frac{2}{11}$	855 Semid. Terr.	103 Semid. Terr.
☉	1142 Semid. Terr.	ut 5 ad 26	ut 1 ad 140	ut 26 ad 26	0	Umbra infinita.
♂	1745 Semid. Terr.	ut 11 ad 6	ut 13 ad 1	ut 26 ad $2\frac{1}{12}$	1628 Semid. Terr.	147 Semid. Terr.
♃	3990 Semid. Terr.	ut 5 ad 12	ut 1 ad 14	ut 26 ad 5	3652 Semid. Terr.	869 Semid. Terr.
♄	10550 Semid. Terr.	ut 11 ad 31	ut 1 ad 22	ut 26 ad $14\frac{1}{11}$	10588 Semid. Terr.	12532 Semid. Terr.
*	14000 Semid. Terr.	ut 3 ad 13	ut 1 ad 70	ut 26 ad $21\frac{1}{2}$	14100 Semid. Terr.	65000 Semid. Terr.

§. II.

Curioſa quædam Mirabilia miſcellanea de Planetis.

Planetæ quibus præſint juxtà Sinenſis.

1. Sinenſes, ut innuit *P. Martinius lib. 1. Sin. hiſt. pag.* 9. quinque numerant Elementa, Aquam, ſcilicet, Terram, Ligna, Ignem & Metalla, quibus præeſſe volunt quinque hos Planetas, nempe Mercurium Aquæ, Saturnum Terræ, Jovem Lignis, Martem igni, & Venerem metallis: Idcircò etiam Mercurium dicere ſolent Planetam aqueum, ſive Aquæ præfectum, Saturnum terreum Planetam, quod terræ ſit præfectus, & ità de reliquis. Docet etiam ſuprà nominatus Author, Sinenſes tantum hos quinque, Mercurium, Saturnum, Jovem & Venerem agnoſcere Planetas.

2. Antiqui Hebræi ſingulis Planetis certos quosdam alios, ac ſuperiore §. memoravimus, Angelos præficiebant, & hos ipſos Spiritus docebant eſſe ſeptem illos, qui aſtarent ante faciem DEI, quibus credita eſſet totius Regni cœleſtis & terreſtris diſpoſitio, quod ſub orbe Lunæ eſt. Nomina eorum, prout reſpondent ſingulis Planetis, hæc ſunt: Angeli Planetarum præſides.

Planetæ	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☾
Præſunt iis Angeli.	Zapkiel	Zadkiel	Camaël	Raphaël	Haniel	Michaël	Gabriel
Juxtà alios.	Oriphiel	Zachariel.	Zaniel	Michaël	Anael	Raphael	Gabriel

Dicebant porrò horum unumquemque quinquaginta quatuor annis & quaternis menſibus gubernium tenere, & incipere regimen ab Intelligentia Saturni, poſtquàm regnarent Intelligentiæ Veneris, Jovis, Mercurii, Martis, Lunæ, Solis; deinde regimen reverti ad Spiritum Saturni aſſerebant. Ægyptii verò ſeptem iſtos Angelos, ſivè Intelligentias ità mundo præeſſe ſtatuebant, ut quilibet Angelus

gelus gubernet 354 annis cum quatuor mensibus, & omnes diversis muneribus, & officiis fungantur: Volebantque Mundum hinc varias, easque diversas alterationes pro septem (Errantium siderum influxu, ac dispositione subire, prout ex mente Ægyptiorum recitat *Abraham Avenar* Hebræus Astrologus *in lib. Rationum*. *Trithemius* tamen *in libello de septem secundeis Polygraphiæ suæ* annexo, hosce Angelos sivè Intelligentias aliter, quàm *Avenar* describit, neque ordinem Angelorum, neque numerum cum eodem servans. Saturni intelligentiam vocat *Oriphiel*, & hunc ab orbe condito dominatum suscepisse asserit: quem post 354 annos secutus est *Anaël* Veneris Spiritus, hunc post alios 354 annos, & menses 4 secutus *Zachariel* Jovis Spiritus, deindè *Raphaël* Mercurii, hunc *Samaël* Martis, inde *Gabriel* Lunæ, & tandem *Michaël* Solis spiritus; ità ut circulus primus revolutionis dominii, quem ordine Spiritus planetarii obibant, 2480 annorum & 4 mensium fuerit: secundus vero circulus absolutus fuerit Anno 4960 cum 8 mensibus, & sic usque ad mundi consummationem. Notandum tamen, quod *Trithemius* juxtà computum annorum à 70 interpretibus constitutum procedat, qui anni, cum mille circiter annorum differentiam habeant; inde fit, ut dominium Angelorùm, juxtà constitutum eis numerum temporibus nunquàm congruat, ut etiàm notavit *Kircherus in Oedipo*. Vide Tabulam sequentem.

Tabula Circulorum, iisque dominantium Spirituum Planetariorùm juxtà Trithemium *ex Hebræor. traditione*.

Circuli		*Nomina Angelorum.*	*Planetar.*	*Initium gubernationis juxta annos Mundi.* *Anni.*	*Menses.*	*Dies.*	*Acta in Mundo.*
I	1.	*Oriphiel*	♄	0.	0.	15. Mart.	*Rudis & agrestis Mundi Status.*
Annorum	2	*Anael*	♀	354.	4.	24. Jun.	*Cultior Mundi Status. Inventio artium.*
2480	3	*Zachariel*	♃	780.	8.	26. Oct.	*Politicus Mundi Status. Henoch translatus.*
	4	*Raphaël*	☿	1063.	0.	24. Febr.	*Scriptoria Ars. Musica, Navigatoria exculta.*
	5	*Samaël*	♂	1417.	4.	26. Jun.	*Iniquitas mundo dominans. Diluvium Universale.*
	6	*Gabriel*	☽	1771.	8.	28. Mart.	*Nöe cum filiis mundum instaurat.*
	7	*Michaël*	☉	2125.	12.	24. Feb.	*Dominatus Nemrod, & divisio linguarum.*
II	8	*Oriphiel*	♄	2480.	4.	26. Jun.	*Ortus Abrahami, Regnorum variorum initium.*
junctus I	9	*Anaël*	♀	2834.	8.	29. Oct.	*Idololatria per mund. sparsa. Joseph Ægypti Dominus.*
Annorum	10	*Zachariel*	♃	3189.	12.	28. Feb.	*Mundus legibus instructus.*
	11	*Raphael*	☿	3543.	4.	1. Jul.	*Mundus Sapientiæ studiis excultus. Moyses floret.*
	12	*Samaël*	♂	3892.	8.	2. Oct.	*Iliacum bell. Excidium Trojæ. Judices dominantur Israel.*
4960	13	*Gabriel*	☽	4252.	12.	30. Jan.	*Saul. David. Salomon, cœterique Reges Israel dominantur.*
	14	*Michael*	☉	4606.	4.	1. Maji.	*Roma condita. Monarchia Persar. Alexander Magnus.*
III	15	*Oriphiel*	♄	4960.	8.	30. Sep.	*Macchabæor. Historia.*
Incompletus	16	*Anael*	♀	5315.	12.	31. Jan.	*Persecutio Impp. in Christian. Constantinus Eccles. erexit.*
adhuc	17	*Zachariel*	♃	5669.	4.	1. Jun.	*Regna varia in Europa constituta. Mahomet. principia.*
	18	*Raphael*	☿	6023.	8.	2. Nov.	*Gothorum diluvium. Carol. M. Imperium in Germ. translat.*
	19	*Samael*	♂	6378.	12.	3. Mart.	*Varia mundi stratagemata.*
	20	*Gabriel*	☽	6732.	4.	4. Jun.	*Rudolph. I. Austriaci Imperii fundamentum.*
	21	*Michaël*	☉	7086.	12.	30. Apr.	*Currentium & præsentium nostrorum temporum, sicut & futurorum acta usque ad finem mundi.*

Sphæra Archimedis mirabilis.

3. *Mirabile* fuit artificium sphæræ illius, quam olim construxisse fertur *Archimedes*, in quâ motus omnium Planetarum singulari quadam ratione & mirâ artis industriâ exhibebantur. *Meminit* hujus sphæræ *Cicero lib.* 1. *Tusc. qu.* his verbis: *Nam cùm Archimedes Lunæ, Solis, quinquè errantium motus in Sphæram illigavit, effecit idem quod ille, qui in Timæo mundum ædificavit:* *Materiam* autem *hujus Sphæræ vitream* fuisse, plerique Authores existimant. Præ cœteris etiam clariùs hanc sphæram descripsit *Claudianus* his versibus:

Jupiter in parvo cùm cerneret æthera vitro,
Risit, & ad Superos talia verba dedit.
Huccinè mortalis progressa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerumque fidem, legemque virorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus variis famulatur spiritus astris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium, mentitur signifer annum
Et simulata novo Cynthia mense redit.
Jamque suum volvens audax industria Mundum
Gaudet, & humanâ sidera mente regit.
Quid falsò infantem tonitru Salmonea miror?
Æmula naturæ parva reperta manus.

Quod autem plerique contendant vitream fuisse sphæram, *equidèm non intelligendum putem*, inquit *Kircherus Art. mag. lib.* 2. *part.* 4. *cap.* 1. *prælus.* 2. *quod totius sphæræ soliditas vitrea fuerit, sed quod extrema solùm superficies pellucida, & diaphana materia, quò tota interior cœlestium corporum in suos circulos divisorum anatomia meliùs distingui posset, constiterit, cujusmodi duas, unam è Siculis, alteram è Germanicis spoliis ereptam Parisiis se vidisse asserit Petrus Ramus.* Verum si automato aliquo artificio hæc sphæra constructa fuerit, nihil hoc nostro tempore ampliùs admirationis habere potest, cùm passim jam in Germaniâ, Belgio, Franciâ aliisque terris prostent tam artificiosa automata, quæ non primi tantùm mobilis, sed & secundorum mobilium, sive Planetarum motus, motuumque quascunque affectiones, ac proprietates exactissimè exhibeant. Ità memorat Jovius à Ferdinando Imperatore argenteam machinam *Solimanno* Turcarum Imperatori transmissam fuisse, in quâ non horarum modò spatia, sed errantium etiàm siderum, sive Planetarum motus, menstruique Solis & Lunæ coitus exactissimâ ratione monstrabantur, intùs scilicet dispositis rotis, certisque ponderibus admirabili momento, vel in multum ævum minutissimas temporum mensuras dispensantibus: quin inter celeres, tardosque orbes in tàm vario & inæquali polorum ordine audaci quadam supremi motoris æmulatione conjuncta congruerent, & à peritissimis Astronomis excogitata, perfectaque *Maximiliani* Cæsaris fuisse dicebantur.

Argentea machina Maximiliani Planetarum motus exhibens.

4. Verbis liberior, & scribendi licentiâ audacior, quàm opere efficacior fuisse putandus est *Cornelius Drebellius* in quadam epistolâ ad Regem Angliæ datâ, quâ inauditi artificii sphæram à se inventam Regi proponit his verbis: *Ego ut certum faciam, me cognitam habere primi mobilis naturam & causam; possum construere globum perpetuò secundùm cursum ætheris singulis* 24. *horis semel circumrotabilem, aut totiès ampliùs, quotiès mihi visum fuerit, ità ut mille annis ne semel fallat, ostendentem nobis annos, menses, dies, horas, cursum Solis, Lunæ, omniumque Planetarum, & Stellarum, quarum motus hominibus notus.* Verùm *Kircherus loc. supra cit.* Phantasticum globum hunc esse scribit, nec nisi in solâ Phantasia circumactum iri dicit. Plura circà sphæræ Archimedææ suprà memoratæ constructionem vide apud eundem *Kircherum loco indicato.*

Sphæra phantastica inauditi artificii.

5. Suppositâ rationabili hypothesi circà designatas singulorum Planetarum distantias, computant quidam annos & dies, quibus Eques validus continuo cursu possit quemvis globum Planetarium attingere. Ità nonnemo supputavit tempus illud hoc modo. Posito, quod Eques aliquis singulis diebus conficeret 60. milliaria italica, sivè 15. Germanica: Determinat deindè tempus accessûs ad singulos globos ità. Globum Lunæ attingeret post 5. annos, & 2. menses. Ad Mercurium perveniret post 10 Annos, & ultrà. Ad Venerem requirerentur anni 26. ad Solem anni 169, & 3. menses: ad Martis globum 184, & 5 menses. Ad Jovis corpus Anni 1291. menses 2, & quid ultrà. Ad Saturnum 20065. anni, 11. menses. Ad Firmamentum denique 27542. anni, 6. menses & quid ampliùs. *Baro de naturæ miraculis, areâ I. §.* 1. Verùm alii assumptâ aliâ hypothesi longè majus tempus evincunt: Undè quot hypotheses formari possunt juxtà distantias definitas, totiès etiàm tempus illud variari, & aliud definiri potest. Verissimum autem hoc est, quod anima Justi omnes illos globos transcendere, & ultrà firmamentum ad cœlum Empyreum pertingere possit momento temporis.

Conspectus omnium Planetarum simul in cœlo.

6. Id quod rarò accidit, meritò admiramur. Inter hujusmodi admiranda, prout & *D. Simon Schultzius Collegio Curiosorum*

forum An. 3. Observ. 87. Decur. 1. oculatus testis communicavit, hoc est, quod Anno 1649. *Lugduni* Batavorum, D. *Samuel Carolus Köchelius*, præsentibus D. D. *Nicolao Witte Medicinæ Doctori, Josepho Securio Moraviensi, Joanni de Bois Gallico Prædicatori Lugdunensi*, & pluribus aliis in Observatorio Academico intrà unum tempus simul ostenderit omnes Planetas suprà Horizontem conspicuos. Saturnus, Jupiter, & Mars fuerunt tunc in Conjunctione cum Lunâ circà sesqui octavam horam vesperi, ubi & Luna, Venus, & Mercurius cum Sole in occasu erant, quod certò rarò contingere solet.

Positus Planetarum eo tempore, quo Roma ædificari cœpit.

7. Romam Urbem orbis Dominam, & Principem scribit *Solinus cap.* 2. ædificari cœptam die 21. Aprilis inter secundam & tertiam juxtà Observationem insignis Astrologi *Taruntii*: Positus autem Planetarum talis fuit: Jupiter Piscium signum occupavit: Saturnus, Mars, Venus, & Mercurius in Scorpione fuerunt; Sol verò Planetarum princeps in Tauro, & Luna in Librâ: In principio septimæ Olympiadis Anno post excidium 433, quem annum à condito Mundo fuisse 3220, affirmant *Bucholcerus & Cranshemius*.

8. Ridiculum est, quod olim Platonici quidam, referente *Kirchero in Oedipo Ægypt. Tom. 2. part. alt. class.* 12. *cap.* 8. crediderunt, animas scilicet in qualibet sphærâ Planetariâ ad certum tempus vitam agere juxtà rationem ipsis convenientem à singulis propria vehicula sortitas, ac tandem post multa fæcula ad Elementarem sphæram descendere, atque in igne quidem, & aëre dæmoniacam, in terrâ humanam, brutalemque vitam agere, similibusque tandem revolutionum gradibus ad supremas Deorum choreas reverti. Sed hæc impia sunt, & orthodoxæ fidei omninò adversa: Undè levitet tantùm commemoranda.

Cometæ Planetis in colore respondentes.

9. Astronomorum vetustiores Assyrii, Ægyptii, Arabes, Punici, Saraceni, & Mauri soliti sunt Cometas secundùm diversos colores, & quidem Planetarum distinguere, prout docet *Mizaldus* ex antiquissimis rerum cœlestium scriptoribus peregrinis & barbaris, ac ex ipso *Prætorius in tab. Astroscop.* Saturninus Cometa est coloris fusci & plumbei obscuram nigricantem edens flammam, & lividum crinem ostentans, qui à Punicis & Saracenis *Niger* vocatur. Jovialis candore ut cunquè purpurascente est insignitus, quem *Columnam & Tenaculum* Prisci nominârunt. Martialis est rutilans, & planè igneus: *Lancea, Pertica*, seu *Veru* Mauris Astronomis dictus. Solaris Cometa, ut Assyrii volunt, ignes in orbem spargit, & aureum præsefert colorem: ab insigni luce *Rosa* dictus, qui vultum humanum, brevique caudâ quandoque exhibuisse, & flammam quasi purpuream, aureamvè ostentasse visus est. Venereus Argenteus, & albicans est, ab Antiquis *Aurora*, seu *Stella matutina* nuncupatus. Qualem apparuisse dicunt, qui paulò antequam *Cordras* Persarum Rex Hierosolymam diripuisset, aliquamdiù exarsit. Mercurialis quadantenùs cœruleus, aut potiùs versicolor caudam habens oblongam, & crinem vagum, Saracenis Astronomis Dominus Asconæ dictus. Lunaris albedine, claritateque perindè atquè Lunâ insignis, & crines retrò fundens Astronomis Arabibus dictus *Miles*. Verùm plura de Cometis vide infra.

Septem Terræ climata Planetis subdita.

10. Placet nonnullis septem Orbis terrestris climata septem Planetis ità subjicere. Primum, inquiunt, Clima *Dia-Meroes* per Nabathæam transiens gubernaturà Saturno, ubi homines à complexione nigriores, ut Æthiopes, vel lividiores, ut Americani reperiuntur; qui etiam propter Saturni juxtà Æquinoctialem circulum dominium rudes & barbari sunt, brutalem aspectum habent, & carnes humanas more bestiarum, etiàm crudas devorare solent. In secundo Climate *Dia Senes* dicto, quod Ægyptum per medium dividit, Jupiter suum vendicat Imperium: Undè fit, ut Ægyptii religione, sacrisque Deorum ritibus naturali quasi instinctu se polluerint, & oraculorum futurorum sortes ediderint, hominesque illius paralleli, ut plurimùm sapientes, graves, magnanimi, honesti, justi, dulcis sermonis, & semper valdè religiosi sint inventi. Tertium Clima *Dia Alexandrias* nuncupatum, radio suo penetrans per sanctam Terram Martis regimini dedicatur, quod etiam declarant nobis istius plagæ eventus exitiales ab Origine producti: Cùm in omni ætate circà illum mundi parallelum nihil præter bellum, seditiones, multiplicem Civitatis illius sanctæ ruinam, & assiduam in hunc usquè diem captivitatem bello & viribus exactam deprehendamus. In quarto Climate *Dia Rhodos* nuncupato per medium Græciæ extenso imperium & sceptrum tenet Apollo, ac Soli subesse statuitur. Quinto *Dia Romas* Italia, & Sabaudia subjiciuntur: Cui etiam Venus præesse censetur. Sextum Clima Mercurio consecratur: Undè illius incolæ inconstantes, mutabiles, scientiæ amantes, ac veloces esse solent. Septimum Clima tandem Lunæ attributum *Dia Borysthenes* nominatum per Germaniam, Belgium, & Angliam transit, ubi incolæ potationi & commessationi, piscationi, ac navalibus operibus multùm indulgere solent.

Septem principalia viscera in homine respondent septem Planetis.

11. Veteres Philosophi haud malè dixisse censendi sunt, animas nostras partem esse Cœli: cum tota humani corporis structura ità sit septem Stellis errantibus conformis, & analoga, ut similes ferè operationes hæc in corpore nostro cum Planetarum in Cœlis natura sortiatur. Hinc *Paracelso* Planetæ Microcosmi septem præcipua viscera dicuntur: Cor scilicet, cerebrum, pulmo, hepar, fel, lien & renes. Cor siquidem vitalium spirituum author Soli cœlesti, in quo vivificus procedit calor, æquiparatur. Cerebrum Lunæ conformatur, quia ad ipsius crescen-

centiam augetur, & minuitur, humidamque Lunæ naturam imitatur. Hepar sanguinis officina est, in quo cùm vita consistat, sanguineo & vitali Planetę Jovi similè perhibetur. Renes, qui generationi deputati membris vires largiuntur, Veneri prolifico Planetæ æquiparantur. Splen & fel duobus maleficis Planetis Saturno & Marti respondent eâ ratione, ut Splen atræ bilis receptaculum Saturno melancholici humoris Præsidi: Fel autem Choleræ domicilium Marti Cholerico & Iracundo Planetæ assimiletur. Pulmo tandem, qui mutabilis illius & celeris Mercurii vicem obtinens perpetuâ agitatione in corpore nostro movetur, aëremque, & spiritum suo motu attrahens cordis refocillationi impertit: Haud aliter quàm Mercurius in Cœlo ventosus, & aëreus Planeta censetur, Solique per omnia obsequiosus. Plura alia de Planetis dabimus infrà in *disquis. Astrocriticâ.*

CAPUT XII.

De Stellis fixis, & Sideribus Firmamenti notabilia scienda.

Etymon vocabuli Stellæ vel Sideris.



Tellæ sic dictæ censentur Latinis à stando, quod stare videantur, vel Græcis ἀπὸ τοῦ στίλβειν, quod radios emmittant. Aliàs Sidera *à Sidendo*, quod vel subsidant, id est, occidant; vel quod eidem ferè semper loco insidant. Licet autem duo ista vocabula pro iisdem vulgò sumantur, Astronomi tamen frequenter distinguunt, stellamque dicunt corpus unicum cœleste, ut est e. g. Cor Leonis, Oculus Tauri, vel simile: Sidus verò idem est ac Astrum plures Stellas in unam imaginem reductas continens, ut Leo, Taurus, Ursa, &c. Fixæ porrò dicuntur non ideò, quod omni prorsus motu carentes quasi infixæ sint Cœlo, sed respectivè, quod eandem inter se à primâ creatione distantiam, ordinemque servantes tardissimè moveantur, ideòque, immotæ quasi stare videantur. Undè etiam, quià non ità vario, vagoque motu, sicut Planetæ moventur, *inerrantes* appellantur. Sed de his nunc alia quædam scitu digniora proferamus.

Observationes & Regulæ Astronomicæ de Stellis fixis.

Stellarum fixarum structura.

1. Omnes Stellæ fixæ sunt corpora globosa & sphærica, prout reliqua mundana corpora, non tamen perfectè & mathematicè; substantiâ verò & naturâ ignea, propriâque luce fulgentia instar Solis, atquè ità Solaris naturæ, nec alieno mutuatitio lumine corusca, sed proprium quævis à se fulgorem, igneumque emittunt splendorem. Hinc probabile videtur nonnemini, quod si Stella fixa in eâdem distantiâ cum Sole à terris versaretur, aut Sol à terris ad Stellas removeretur, aut etiàm si Sol retentâ eâdem distantiâ divideretur in partes, quæ sub æquali angulo, ac Stellæ (nempè sub angulo aliquot secundorum) spectarentur, probabile, inquam videtur, quod Sol in tali casu non magìs luceret, quàm modò Stellæ fixæ.

Scintillatio Stellarum.

2. Fixæ Stellæ omnes lumen habere solent tremulum & inconstans, quo etiam à plerisque Planetis perfacilè discernuntur: Omnes enim ferè scintillant, lumenque suum hinc indè vibrant, ac turbulento aëre plurimùm, tranquillo languidiùs. Scintillationis hujus causæ, etsi ab Authoribus variæ afferantur; probabile tamen magìs videtur, hanc scintillationem oriri à circumvolutione Stellarum circa proprium axem, ex quâ fit, ut alias atque alias partes angulosas ad visum obvertant. Nequè etiam reijciendus est motus irrequietus vaporum in Atmotsphærâ terrestri, per quos conspiciuntur: Undè etiam reddi potest ratio, cur propè Horizontem major sit scintillatio, quàm in majori aliquâ altitudine supra Horizontem. Sic etiam inauratæ & fulgentes cruces, aut vexilla in turribus, & ædibus altioribus, cùm per vaporosum & turbidum aërem à longinquo aspiciuntur, scintillare, ac lumen suum hinc indè vibrare, ac crispare videntur, quod haud aliundè, quàm abirrequieto motu äëris intermedii vaporosi provenire solet.

3. Color fixarum Stellarum varius est, è quo etiam earum natura colligi ab Astronomis solet, illumque ocularis inspectio rectiùs monstrat, quàm operosa descriptio. Dividitur earum color cum naturâ pro ratione & numero Planetarum, quià dùm earum quædam colorem alicujus, vel plurium Planetarum æmulantur, & perspicuè exhibent, etiàm naturam participare creduntur. Undè aliquæ dicuntur Saturninæ, aliæ Joviales, aliæ Martiales, &c. Saturninæ sunt liventes plumbeum colorem exhibentes, minusque lucidæ: Joviales sunt claræ, & candido lucent fulgore: Martiales Marti accensentur, apparentque ferrugineæ, quæque rubent & fuscę sunt: Solares flavæ medio quodam modo rubent, & valdè splendent: Venereæ sunt buxeæ, seu buxeo splendore clarescunt. Mercuriales sunt cineritiæ, seu cinereâ luce splendidæ; Lunares autem pallescunt, sunt pallescentis, hebetisque luminis. Additur his octava classis earum, quæ plurium Planetarum naturam imitantes, ex binis quasi commixtum colorem habent. Color Stellarum.

4. Magnitudo fixarum distribuitur in 6. classes, seu Ordines & gradus; indèque Primæ, Magnitudinis diversitas.

primæ, secundæ, tertiæ, quartæ, quintæ & sextæ magnitudinis dicuntur. Primæ magnitudinis, seu dignitatis sunt, quæ quantitate, ac copiâ luminis reliquas omnes vincunt, numeranturque 15, quæ hisce etiam versiculis comprehensæ sunt.

Prima Luce Canis major præfulget in Austro,
Mox humerus dexter, pes lævus Orionis: indè
Est Oculus Tauri, supraque corusca Capella:
Hinc Lyra, & Arcturus, cor Scorpii, Arista puellæ:
Anteit cor Hydræ, sic cor & cauda Leonis
Ast infra Fomahand lucet Canobus, Acanar.

Secunda magnitudo vendicat stellas 45. *Bayerus* numerat 69; *Keplerus* 58. Tertia 208 vel 218. Quarta 474 vel 494. Quinta 217 vel 354. Sexta 490 vel 240. His non immeritò septima classis additur illarum, quæ obscuræ dicuntur, & nebulosæ, nihilque sunt aliud (teste novo perspicillo) quàm cœtus duarum, trium, aut quatuor stellularum clarissimarum in arctissimo spatio collocatarum. Paucissimæ sunt vixque conspicuæ: numerantur tamen communiter 14.

5. De Numero Stellarum non est, quod Numerus Stellarum. quis quærat, quia ille ferè videtur esse innumerus, etsi non infinitus. Plures enim nudo oculo comparent acuto, quàm debili, plures insuper armato vitris, & lentibus per telescopium, quàm acutissimo oculo libero inarmato: Plures etiam pro temporis anni Hyemalis aptitudine, aërisque intermedii constitutione, ut ità ritè certus numerus deprehendi non possit. Inspici tamen poterit tabella sequens.

Stellæ	*Ptolemæus*	*Grinberger.*	*Bayerus.*	*Keplerus.*
Magnitudinis 1	15.	15.	17.	15.
2	45.	55.	63.	58.
3	208.	201.	196.	218.
4	474.	456.	415.	494.
5	217.	304.	348.	354.
6	49.	186.	341.	240.
Obscuræ & nebulosæ	14.	8.	3.	13.
Sparsiles -	0.	0.	326.	0.
Summa	1022.	1225.	1709.	1392.

P. Ricciolus lib. 6. Almag. cap. 6. num. 5. putat, si quis Stellas esse ultrà vicies centena milliadeceret, nihil inopinabile afferere.

Quis motus Stellarum. 6. Motus Stellarum fixarum duplex est: Primus quidem communis omnium oculos incurrit, quo singulæ scilicet ab ortu in occasum intrà 24. horas Cœlum pervolvuntur; estque hic motus verus, realis, circularis, ac in se rediens, ut sensus judicat, non tamen perfectè circularis, sed spiraliter sphæricus, quia Stellæ non egrediuntur semper ex eodem puncto Horizontis; nec in eodem occidunt, nec semper habent eandem altitudinem meridianam, licet insensibiliter in parvo tempore; longiori tamen temporis tractu (ut ex solertissimorum Astronomorum observationibus constat) sensibilter.

Motus secundus & proprius earum. 7. Motus secundus & proprius Stellarum fixarum est ab occasu per meridiem in ortum, indeque per mediam noctem denuò in occasum. Notàrunt enim peritissimi Astronomi distantias Stellarum fixarum à punctis solstitialibus, & Æquinoctialibus Cœli stellati non manere semper easdem, sed crescere & augeri secundùm successionem signorum Zodiaci ejusdem Cœli stellati, quæ initium sumunt à puncto Æquinoctii Verni: hoc est versus Orientales partes progrediendo, ità ut plurimæ Sellæ; quæ aliquo tempore fuerunt puncta solstitialia, & æquinoctialia, nunc reperiantur post ipsa: aliæ verò, quæ ab ipsis versùs Occidentales partes remotæ erant, propiùs ad illa accesserint. Hic motus, qui tardissimus est, vocatur motus in longitudinem, initio sumpto à puncto Æquinoctiali Verno, & in consequentia signorum Zodiaci signiferi; nec est realis, sed apparens tantùm propter retardationem, eoquòd non omnes Stellæ motu suo ab Oriente in Occidentem simul integrum circulum perficiant, sed quando Sol v. g. suum jam perfecit, Luna nondum perfecit suum, ideoque retrogredi nobis apparet ab Occidente in Orientem.

8. Propter hunc proprium motum Duo Zodiaci. Stellarum Astronomi statuunt duos Zodiacos in Cœlo stellato: Unum scilicet signiferum, seu intelligibilem 12. signorum inchoatum à puncto verò Æquinoctii Verni: alterum visibilem 12. Asterismorum inchoatum à prima Stella Asterismi Arietis. Undè signum primi mobilis sivè in Zodiaco intelligibili est duodecima pars Eclipticæ facto initio ab intersectione Æquatoris, & Zodiaci: Signa verò firmamenti sunt certæ configurationes Stellarum certo, & determinato earum numero constantes.

9. Hæ configurationes, & constella- Processio Stellarum. tiones Zodiaci visibilis cum signis primi

mobilis olim conveniebant, ità ut Lucida Arietis, quæ in cornu posita inveniretur in circulo per polos Eclipticæ & Zodiaci transeunte: decursu verò temporis constellationes Firmamenti in Ortum processerunt scilicet in consequentia signorum primi mobilis, ità ut Lucida ejusdem Arietis nunc per unum circitèr signum profecta sit, inveniaturque in Tauro primi mobilis. Hinc verum est dicere Arietem esse in Tauro, & Taurum in Geminis: Hoc est Arietem ut constellationem esse in Tauro, ut signo primi mobilis, seu in parte duodecimâ Eclipticæ, quæ dicitur Taurus facto initio à sectione vernâ. Propter hunc motum ajunt nonnuli Astronomi, Æquinoctia præcedere, seu repedare in præcedentia Zodiaci, quod intelligendum est de Zodiaco Asterismorum: nam non sunt ampliùs juxta primam stellam Asterismi, ut olìm, sed aliquot gradibus antè.

Quomodò fiat motus proprius Stellarum.

10. Prædictus motus proprius Stellarum ab Occidente in Orientem, non fit super axem, & polos mundi, nec per circulos Æquatori parallelos, sed polos Zodiaci, & per circulos Eclipticæ parallelos, vel per alios polos, & circulos. Stellæ enim fixæ non semper in iisdem locis ortæ sunt, in quibus nunc oriuntur respectu ejusdem Horizontis, nec altitudines meridianæ nunc sunt eædem cum antiquis, nec declinationes ipsarum ab Æquinoctiali circulo; sed hæc omnia sunt mutata, intrà tamen limites obliquitatis Eclipticæ, à qua eandem semper tamen servant distantiam tam versùs Boream, quàm versùs Austrum, omnesque describunt circulos ipsi Eclipticæ parallelos motu ab Occidente in Orientem. Atquè hujus motus, qui non tam repedationis, quàm retardationis motus est, causa est motus diurnus spiralis, & non perfectè in se rediens.

11. Stellæ, quò magis ab Æquatore versus alterutrum polum declinant, eò minore ambitu circumferuntur, & circum polos tardius rotantur. Quo enim magìs à centro distat circumferentia, eò major est, inque motu velocior, & contrà.

Motus annuus Stellarum.

12. Juxtà P. *Riccioli* doctrinam Motus annuus benè admittitur secundorum 50. Undè uni gradui absolvendo competunt anni 72. Sed hæc tabula.

Anni	G.	M.	S.	*Anni*	G.	M.	S.	*Anni*	G.	M.	S.	*Anni*	G.	M.	S
1	0.	0.	50.	20.	0.	16.	40.	200.	2.	46.	40.	2000	27.	46.	40.
2	0.	1.	40.	30.	0.	25.	0.	300.	4.	10.	0.	3000	41.	40.	0.
3	0.	2.	30.	40.	0.	33.	20.	400.	5.	33.	20.	4000	58.	33.	20.
4	0.	3.	20.	50.	0.	41.	50.	500.	6.	56.	40.	5000	72.	26.	40.
5	0.	4.	10.	60.	0.	50.	10.	600.	8.	20.	0.	6000	86.	20.	0.
6	0.	5.	0.	70.	0.	58.	20.	700.	9.	43.	20.	7000	100.	13.	20.
7	0.	5.	50.	72.	1.	0.	0.	800.	11.	6.	40.	8000	114.	6.	40.
8	0.	6.	40.	80.	1.	6.	40.	900.	12.	30.	0.	9000	128.	0.	0.
9	0.	7.	30.	90.	1.	15.	0.	1000.	13.	53.	20.	100000	241.	53.	20.
10	0.	8.	20.	100.	1.	23.	20.								

13. Ex compertis hactenùs optimorum Astronomorum observationibus optimè statuitur Stellarum latitudines immutabiles esse, atque adeò motum stellarum in longitudinem suprà polos Eclipticæ 23. Grad. cum dimidio à Polis mundi distantes peragi.

Quantitas anni siderei.

14. Quantitas anni siderei, sivè tempus, quo Sol conjunctus in eodem circulo horario cum aliquâ Stellâ ad eundem redit, seu rursus cum eâ in eodem circulo longitudinis invenitur, censetur esse dierum 365, horar. 6. min. 8. sec. 57.

Ascensiones rectæ Stellarum.

15. Stellarum inter polares circulos Eclipticos positarum Ascensiones rectæ reciproco motu moventur. Undè licet longitudines earum semper crescant; ascensiones tamen non ità, sed etiam decrescunt, atque alterno motu moventur, hoc est, in consequentia, deindè in antecedentia. Hinc fit, ut quò minor sit parallelus Eclipticæ, in quo versatur Stella, eò minor fit ille motus reciprocus. Maximus erit, si stella versetur in circulo polari Ecliptico, hoc est, si habuerit latitudinem 66 Grad. cum dimidio. Ejus enim ascensio rectâ hinc indè excurret usquè ad quadrantem proximè. Hoc est, Stella in polo versabitur, & tunc cessabit ascensio recta, & toto Semicirculo mutabitur, sivè à Capricorno ad Arietem procedet, & statim invenietur in polo, tùm ad libram excurret non transeundo per medium, ubi enim polum relinquet, in Librâ invenietur.

16. In Stellis à polo Zodiaci remotioribus æqualibus arcubus respondent ascensiones rectæ inæquales, & quò major fuerit latitudo, eò major erit inæqualitas. Undè fit, ut motus Ascensionum rectarum modò sit velox, modò tardus, quamvis motus longitudinis, è quo pendet, sit uniformis. Sic advertitur in Stellis fixis borealibus, hunc motum esse tardum circà Capricornum, velocem circà Cancrum.

Stellarum accessus & recessus à Polo.

17. Cum latitudines Stellarum maneant semper eædem, declinationes autem continuò mutentur; fit ut Stellæ fixæ nonnunquàm accedant ad polum mundi; nonnunquàm recedant. Quare ut pro eo accessu & recessu regula aliqua statuatur; dicendum; quod quæcunque Stella accedit ad polum Arcticum, quantùm poterit, cùm ejus longitudo sit signorum 3, hoc est, in signo Cancri intelligibilis Zodiaci significari; recedet etiam ab eodem quantùm poterit, dùm secundùm longitudinem versabitur

sabitur in Capricorno. Igitur dum Stellæ alicujus longitudo est signorum 3. erit maximè vicina Polo Boreo: Et quandò erit signorum 9, erit maximè remota ab eodem Polo. Et cum distantia à Polo Boreo ad reliquum semicirculum sit distantia à Polo Australi; eadem Stella remotissima erit à Polo Australi, dùm ejus longitudo erit signorum 3, & maximè vicina, cum erit signorum 9. Undè fit ut Stella, cujus latitudo est Grad. 66½. transeat per polum mundi aliquandò, & maxima ab eo distantia fiat Grad. 47. Differentia etiam quæ est inter latitudinem Stellæ, & arcum 66½. erit semper minima, quam potest habere Stella à Polo. Hinc clarè innotescit, verum esse Stellas polares, & hanc quam vulgò Stellam polarem, sivè Cynosuram dicunt, ultimam scilicet in cauda Ursæ minoris, fore aliquandò ab eo remotissimam, aliasque huic officio successuras. Nam latitudo Cynosuræ cum sit Grad. 66. min. 23. erit ejus minima distantia minut. 7, quod ex Supputatione *Riccioli* accidet ad Annum 2103. & post annos 12960. rursùs maximam habebit distantiam Grad. 47, min. 7. Anno 1641. completo distabat à polo Grad. 2. minut. 37, sec. 30. Anno 1643. completo Gr. 2. min. 36. Sec. 50. Quarè singulis annis hoc ævo accedit minutis secundis 20. Undè ad An. 1680. distabat à Polo Gr. 2. min. 24. sec. 30. Ad Annum 1690. propiùs accessit, scilicet Gr. 2. min. 22. sec. 10. Ad Annum 1700. accedet Grad 2. min. 18. sec. 50.

Declinatio Stellarum.

18. Si declinatio alicujus Stellæ borealis major fuerit complemento Elevationis Poli, Stella semper conspicua est in tali Horizonte ad Boram. Si fuerit Australis, & ejus declinatio pariter major complemento Elevationis Poli, non ascendet suprà eundem Horizontem. Si verò fuerit ejus declinatio minor tali complemento, ejus parallelus Horizontem secabit, eritque aliquandò suprà, aliquandò infrà Horizontem, adeoque orietur, & occidet.

Altitudo, & distantia Stellarum.

19. Altitudo Firmamenti, sivè distantia Stellarum fixarum à Terrâ tanta est, ut ad eam diameter Terræ nullam sensibilem habeat rationem: Meris etiam tantùm conjecturis, atque arbitrio hypothesium intrà probabilitatis solùm terminos nitantur, quotquot fixarum distantias determinant. Hinc tanta Authorum discrepantia, ut quocum meliùs sentias, difficulter eligas. Ex *Tychonis* arbitrio fixarum Stellarum

Distantia maxima censetur esse	Semidiametrorum Terræ 14000.
	Milliaria German. 12040000.
Integra Diameter.	Semidiamet. Terræ 28000.
	Milliar. Germanic. 24080000.
Circumferentia seu ambitus	Semidiam. Terræ 88000.
	Milliar. German. 75680000.
Quantitas unius Gradûs in istâ sphæra	Semidiam. Terræ 244.
	Milliar. German. 209840.

Minimæ earum distantiæ idem *Tycho* attribuit Semidiametros Terræ 13000; *Albategnius* 19000; *Maurolycus* 20077; *Maginus* 20110; *Alfraganus* 20220; *Clavius* 22617; *Ricciolus* ex uno indagandi modo 100000; ex alio 210000; *Bettinus* 2290; *Rheita* 20000000. *Copernicani* distantiam illam in immensum ferè augent. *Galilæus* Semidiametros Terræ tribuit 13046400. *Keplerus* 34077067. *Lansbergius* 41958000. Distantia igitur à Sole erit adhuc major. An autem Fixæ omnes in firmamento hærentes æqualiter, eodemque interstitio suprà terram attollantur, ità ut earum centra in eâdem superficie sphæricâ consistant; an verò aliæ aliis profundiùs in cœlum ascendant, & datâ spatii alicujus libertate emineant, nec satis liquet, nec utrum statuas, impedit; Mihi tamen ultimum videtur probabiliùs.

Velocitas motûs in Stellis.

20. Velocitas motûs Stellarum fixarum ex *Tychonis* calculo, dum Æquatorem, aut ipsum propè procurrunt, talis asseritur,

Stella in Æquatore singulis diebus percurrit milliar. Germ. 75680000.
- - - Horæ spatio Milliar. Ger. 3153330.
uno horæ minuto, aut sexagesimâ ejus parte Milliar. Germ. 52555.
Singulis scrupulis secundis Milliar. German. 876.

At constituta Firmamenti Semidiametro, ut habet *Ricciolus* 100000, si fiat ut 113, ad 355. ita diameter Firmamenti 200000. ad quartum, eveniet ambitus Firmamenti semidiametrorum Terrę 628318. Est autem Semidiameter Terrę milliarium 3437. quorum gradus continet 60, quarè totus ambitus Firmamenti erit milliarum 2,159,528,966. quem Stella sub Æquatore posita intrà 24. horas percurrit. Si hic ambitus dividatur per 24, eveniet motus unius horæ 8,998,037. Si rursùs hic numerus dividatur per 60; provenient milliaria 149967. Si iterùm dividatur & hic per 60, habebis intrà minutum secundum, seu duas vibrationes arteriæ

 stellas

stellas in Æquatore positas conficere milliaria 24993. ità *De Chales*.

Diametri apparentes Stellarum.

21. Diametros apparentes fixarum determinare satis difficile hactenus & operosum fuit; qualiscunque enim modus ad eas inveniendas adhibetur, errore haud vacat, adeò ut uno aliquo tempore de earum determinatione nihil diverso quid ambiguum, omni vix aliquid probabile deduci queat. *P. Ricciolus* diametros apparentes sequentium Stellarum ità tradit. Syrii Secund. 18. Aldebaran Secund. 15, Tert. 24, Quart. 1. Spicæ Virginis Secund. 15, Tert. 5. Quart. 1. Caudæ Leonis Secund. 12, Tert. 30 Quart. 1. Stellæ polaris Secund. 7. Tert. 54. Quart. 2. Undè facilè factâ computatione inveniri poterit; diametrum Syrii continere 8 $\frac{2}{3}$ Semidiam. Terræ, adeóque continere Terras 80: Pariter Stellæ polaris secundæ magnitudinis diametrum esse Semidiam. Terræ ferè 4. Undè erit ea Terræ ferè octupla. Sed placet hìc subjicere Tabellam dimensiones stellarum fixarum ex earum diametris juxtà *Tychonis* sententiam supposità Stellarum fixarum altitudine, sivè distantiâ à Terrâ Semid. Terræ 14000. milliarum autem German. 12040000.

Stellæ fixæ	1. Magnit.	2. Magnit.	3. Magnit.	4. *Magnit.*	5. *Magnit.*	6. *Magnit.*
Diameter *visibilis sivè apparens in cœlo.*	Min. *Sec.* 2. 0.	Min. *Sec.* 1. 30.	Min. *Sec.* 1. 5.	*Min. Sec.* 0. 45	*Min. Sec.* 0. 30.	*Min. Sec.* 0. 20.
Vera diameter, seu magnitudo ejus in Semidiam. Terræ.	4.	3.	2. $\frac{1}{3}$	1. [illegible]	1. ferè	1 $\frac{1}{2}$
Vera diameter in milliarib. German.	6880.	5256.	3822.	2580.	1755.	1173.
Proportio diametrorum ad Terræ diametrum.	*ut 52 ad 13*	*ut 55 ad 18*	*ut 20 ad 9*	*ut 3 ad 2*	*ut 50 ad 49*	*ut 15 ad 22*
Corpulentia respectu Terræ major.	*68 vicibus*	*28 semis.*	*11 vicibus*	*3 & dimid.*	*1 paulò plus.*	*3 minor.*
Eadem ex Veteribus major.	*105. vicibus.*	*90 vicibus*	*72 vicibus*	*54 vicibus*	*36 vicibus*	*16 vicibus.*
Juxtà Clavium superant Terram.	*107 vicibus.*	*90 vicibus*	*72 vicibus*	*55 vicibus*	*36 vicibus*	*18 vicibus.*



CAPUT

CAPUT XIII.

De Numero, ordine, & nomenclatura Constellationum, in quas Stellæ fixæ sunt distributæ; Et de Stellis Earundem insignioribus notabilia scienda.



Onstellationes, quę & Astra, Sidera, Asterismi, Formæ, Imagines, figuræ & configurationes cœlestes, nec non & signa stellata dicuntur nihil aliud sunt, quam certus numerus, ac multitudo Stellarum certam firmamenti partem positu suo circumscribentium, rei alicujus imaginem referens, ut eò meliùs singulæ dignosci queant: Vel sunt spatium cœli certam magnitudinem & figuram ex situ vicinarum stellarum accipiens. Quę vero harum constellationum numerum, ordinem & nomenclaturam unà cùm insignioribus stellis specialiter in quavis constellatione repertis concernunt, jam subjicimus.

§. I.

De Stellis fixis quædam in genere.

Numerus Constellationum. 1. Cum Stellæ fixæ per immensum Cœli spatium diffundantur & velut arenę in littore maris, sicut innuit Scriptura, ob multitudinem numerari nequeant, placuit Astronomis illas in certas cohortes seu constellationes redigere, iisque, ut ita melius discerni, & à se invicem dignosci queant, quasdam imagines, sive signa affingere. Harum autem imaginum sive constellationum diversum ponunt numerum. *Beda* enumerat 43, *Grrmanicus Cæsar* Arati interpres 44, *Vitruvius* 45, *Marsilius, Hyginus, Apianus, Tycho, Lansbergius* 36. *Martianus Capella* 47, *Ptolemæus, Alphonsus, Copernicus, Junctinus, Clavius* & alii 48, *Grinbergerus* 50, *Proclus* 52, *Bayerus* 60, *Keplerus* & Recentiores 62.

OrdoConstellationum. 2. Constellationum in Cœlo talis imprimis est ordo, ut aliquæ sint in Zodiaco, aliæ extrà Zodiacum; & hæ vel recedunt in Septentrionem, vel in Meridiem: quæ extrà Zodiacum in Septentrionem recedunt, vocantur Boreales; quæ in Meridiem, Australes. Istarum omnium numerum, & ordinem sequentes Versiculi breviter exhibent, ut memoriâ facilè retineri queant.

Constellationes in Zodiaco.

Zodiacus monstrat bis sex hæc signa notanda,
Est Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libráque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Constellationes Boreales.

Ad Boream Veteres ter septem sidera ponunt.
Est minor Ursa, Draco, Cepheus, & Cassiopeja,
Andromede, Perseus, Auriga, Trigonus, & Ursa
Major, Pegasides, & Equi præfectio, Delphin,
Indè volans Vultur, Telum, Lyra fulgida, Cygnus,
Hercles, Anguitenens, Serpensque, Corona, Boötes;
Ast ex Sparsilibus sex addunt signa Recentes.
Est Apis, & Tygris, Jordanis, Cæsariesq́,
Antinousque puer, Prædoque Camelus ad Ursas.

Constellationes Australes.

Sidera ter quinque hæc vulgò numerantur ad Austrum.
Cetus, & Eridanus, Lepus, & nimbosus Orion,
Syrius, & Procyon, Argoratis, Hydra, Craterque
Corvus, Centaurus, Lupus, Ara, Corolláque, Piscis;
Nauta novem atque decem cernit nova Signa sub Austro.
Est Unicornu, Gallus, Nobæq́, Columba,
Musca, volans Piscis, Dorado, Chamæleon, & Crux,
Deltoton, minor & major nubecula, Rhombus,
Grus, Pavo, Indus, Hydrus, Phœnix, Apis indica, Toucan.

3. Nomina harum Constellationum inventa sunt vel ob similitudinem rerum, quas exprimunt, ut sunt Triangulum, corona, &c. Vel ob antiquorum Astronomorum, ac Poëtarum studium transmittendi æternitati, quæ maximè tunc æstimabantur; vel ob hominum ambitionem, qui nomina sua aut aliorum Stellis imponi ab adulatoribus cupiebant. Sic Conon aulæ Alexandrinæ notissimus adulator *Berenices* Uxoris *Ptolemæi Evergetis* capillos pro mariti Salute, si Rex Maritus victor è bello reverteretur, Veneri devotos, & è Templo postridiè subductos, confinxit in cœlos evectos esse, & inter Ursam & Virginem receptos, ut Regis sui Ptolemæi gratiam aucuparetur. Sic *Hadrianus* Antinoum Ganymedem suum; Sic Poetæ Herculem, Argonavim, & similia inter astra retulerunt. Conatus tamen fuit *Julius Schillerus* I. C. Augustanus con- Nomina Constellationum unde provenerint.

 fictis

fictis aliis piis imaginibus Cœlum Christianum instruere, ut Ethnicas istas figuras cœlo adimeret & amoliretur: Verùm antiquitate tàm firmiter radicatâ prævalente hæc piè excogitata reformatio intentum successum minimè obtinuit, cum quotquòt post eum de rebus Astronomicis scripserunt, antiquas Asterismorum imagines cum antiquis earum appellationibus retinere maluerint, quàm duplici respectu ad nova, & antiqua documenta astronomica se vel alios confundere.

Characteres 12 Signorum. 4. Duodecìm Constellationes Zodiaci habent proprias suas notas characteristicas, quibus notari solent. Sic Aries hoc charactere ♈ exprimitur, quasi Arietis caput, & cornua referens: Taurus ♉ caput, & cornua bovis: Gemini ♊ duo corpora brachiis, cruribusque commixtis: Cancer ♋, chelas cum retrogrado incessu: Leo ♌ caudam leoniam: Virgo ♍ alam, aut tunicam puellæ plicatam: Libra ♎, trutinam cum librili: Scorpius ♏ corpus, caudamque Scorpii arrectam: Sagittarius ♐ sagittam arcui appositam: Capricornus ♑ caput, & cornua Capri cum caudâ Piscis revolutâ: Aquarius ♒ aquæ effusionem ex amphora: Pisces ♓ binos pisces lino connexos.

5. Cum, ut suprà dictum, talis sit ordo constellationum, ut aliæ sint in ipso Zodiaco, aliæ extra Zodiacum, & ex iis rursus aliæ sint Boreales, aliæ Australes; singulæ autem ejusmodi constellationes in numero, ordine, & magnitudine non conveniant, sed aliquæ habeant plures Stellas cum majori cæli tractu, aliæ pauciores, & in ordine, numero & magnitudine planè dispares, visum est hic breviter singulorum asterismorum insigniores Stellas recensere.

§. II.

Duodecìm Signa vel Constellationes in Zodiaco.

Signum I. Aries.

Prima Copernici. *Zodiaci caput est Aries & Veris, & Anni* canitur. Insigniores in hoc sidere Stellæ deprehenduntur tres; duæ scilicet in cornu sinistro, quarum præcipua Australis præcedens in cornu *prima Copernici* nominatur, à quâ nempè processionem Æquinoctiorum numeravit: Item una inter cornua, vel in vertice seu capite, quæ principalior apparet, quam *Tycho Lucidam* in vertice nominavit. Plerique has Stellas faciunt 3. magnit. quanquàm ea, quæ in vertice est, major & lucidior cæteris appateat; ut meritò secundæ magnit. Stella reputari queat.

Signum II. Taurus.

Aldebaran. In Tauro præcipua est oculus Australis I. magnit. quæ ab Arabibus *Aldebaran*, id est *Stella dominatrix* dicitur, & passim *Oculus Tauri*, Romanis olim *Palilicium*, eoquòd antiquitus oriretur eo die, quo festum Palis & Urbis natalis celebrabatur. Post hæc insignis est Stella in cornu Boreali 2. magnit. Præter Stellas alias continet hoc signum duas alias constellationes, quarum una in fronte vel capite *Hyadum*, sivè *Succularum*: altera in dorso vel jubâ Tauri *Pleiadum*, sivè *Virgiliarum*. *Hyades* continent 7 Stellas, quarum duæ sunt in eductione cornuum, ex quibus una lucidior dicta propriè *Palilicium*; & quinquè in facie. *Succulæ* vel *Hyades* dictæ sunt, quod exortu suo, aut Soli, Lunæque conjunctæ pluviosam, vel inconstantem causent auram. Hyades. *Pleiades* in dorso *Tauri*, vulgò *Gallina* dicuntur, quarum etiam ea, quæ in medio lucidior tertiæ magnit. Lucida *Pleiadum* appellatur. Pleiades. *Galilæus* ope telescopii in solo asterismo *Pleiadum* numeravit plures quam 40 stellas. *Rheita* ultrà 188, in toto vero signo 200. stellas.

Signum III. Gemini.

In Geminis duæ sunt præcipuæ Stellæ 2. magnit. quarum una in capite boreaPoliore *Castor*, altera in australiore *Pollux* nominatur. Castor & Pollux. Est quoque alia 2. Magnitud. in dextro *Pollucis* pede, & versus *Orionem* pergendo valdè conspicua: alia etiam 2 magnit. *Propus* aut *ræpes* appellata, eoquòd propè sinistrum *Castoris* pedem situata sit.

Signum IV. Cancer.

Ad *Cancri* Signum Stellæ pertinentes non admodùm conspicuæ sunt: Ex iis tamen præcipuè 8 visum movent. Duæ sunt 3. magnit. in brachio austrino, altera in ultimo pede austrino. Præterea in quadrilatero duæ sequentes sunt 4. magn. quas Asellos seu Asinos vocant. Aselli. Deniquè celebris est stella 4 magnit. in pectore *Cancri*, dicta *Nebulosa* & *Præsepium*. Præsepium. In hac Nebulosâ advertit *Galilæus* per tubum suum 36 stellas: *Sporades* 4. Unde benè videtur ab Atabibus dicta *Mellef*, *vel Malephon*, quasi conglomeratio stellarum minutiorum.

Signum V. Leo.

Leo variis & micantibus Stellis adornatur, quarum duæ insigniores 1. magnit. Qua in ejus pectore cernitur *Cor Leonis*, seu *Regulus* aut *Basiliscus* appellatur, deindè alia in caudæ eductione, Cauda Leonis vocatur. Regulus. Sunt & aliæ duę, una in cervice, sive colli medio, altera in ipsâ propemodùm dorsi extremitate, cui si proxima in lumbis 3 magn. adjungatur, eæ cum corde, ac cervice figuram quandam oblongi quadrati referent.

Signum VI. Virgo.

In *Virgine*, *Astræa* dicta, duæ sunt celeberrimæ stellæ, una valdè conspicua 1. magn.

Spica Virginis Vindemiatrix. magn. in finiſtrâ manu dicta *Ariſta*, ſeu *ſpica Virginis*: Altera in alâ dextrâ, dicta *Vindemiatrix*, *Vindemiator*, ſeu *Provindemia*, eoquòd ante Autumnum oriens vindemiæ tempus in locis calidioribus deſignet. Inſunt etiam aliæ Stellæ 3. magn. quæ ipſam Virginis prolixitatem mirè aſpergunt.

Signum VII. Libra.

Lances. Libra continet duas inſignes Stellas ſecundi honoris, quæ *Lances* (licet ab aliis Chelæ Scorpii habeantur) communiter vocantur. Prima eſt *Lanx Auſtralis*; altera *Lanx Borealis* dicta.

Signum VIII. Scorpius.

Scorpius præter duas Stellas valdè illuſtres 2. magnit. quæ in Chelis remotioribus cernuntur, habet alias duas 3. mag. in caudâ, & aliam in corporis medio maximè lucidam 1. magnit. quæ *Cor Scorpii* appellatur: ab aliis etiam à calore, quem habere dicitur *Martialis*, *Stella Rutila*, & quod capitis periculum minetur, *Violenta*, ſeu ἀντάρης aut *Tyrannus* vocari ſolet. Cor Scorpii.

Signum IX. Sagittarius.

In Sagittario quatuor ſunt maximè conſpicuæ, quæ ad Humerum ſiniſtrum Trapezii formam conſtituunt, quarum una 3. magnit. Cæteræ ſunt 4. magnit. ac tres aut quatuor, quæ aliquam cum arcu ſimilitudinem habent. Ultrà ejus medium altera 3. magnit. eſt, quæ Sagittæ formam exhibet.

Signum X. Capricornus.

Præcipuæ *Capricorni* Stellæ ſunt 3. magnit. in cujus caudâ duæ apparent cæteris fulgentiores; duæ aliæ in ejus cornibus, quarum ſuperior eſt quaſi gemella ob parvulæ appoſitionem.

Signum XI. Aquarius.

In Aquario Stellæ maximè conſpicuæ circà humeros apparent 3. magnit. cum quatuor aliis circà manum dextram, quarum una velut in medio *Trianguli* ponitur, quem reliquæ tres conficiunt; ſuntque illæ, quæ communi nomine *Amphora*, *Pelvis*, *Situla*, *Urna* dicuntur: Præter unam in manu dextrâ 3. magnit. plurimæ aliæ 4. magnit. apparent; una præſertim eximii ſplendoris in termino Aquæ 1. magnit. quæ *Fomaband* Arabico vocabulo appellatur. Amphora.

Signum XII. Piſces.

Piſces multas exiguas continent Stellas: Ex iis enim paucæ 4. magnit. Stellas adęquant. Et quamvis piſces à ſe invicem diſtent, unus ſcilicet propè Aquarium ſub *pegaſi* collo, & alius propè *Arietem* ſub pectore *Andromedæ*; faſciolâ tamen quodammodò fluctuante, & variis etiam Stellis 4. magn. inſignita conjunguntur.

§. III.

Inſigniores Stellæ in Borealibus conſtellationibus extrà Zodiacum collocatæ recenſentur.

I. Urſa minor.

In Urſâ minore, quæ & *Plauſtrum minus*, & *Cynoſura* dicitur, ſeptem ſunt Stellæ magis notabiles & inſignes, ex quibus quatuor quadrati figuram exhibent; una ſuperior in collo 2. magnit. Alia inferior 3. magnit. Altera in dorſo 4. magnit. ultima etiam in dorſo 5. magnit. Inter alias celeberrima eſt ea, quę in extremitate caudę reperitur, vocaturquè *Polaris*, quia Polo Arctico viciniſſima. Nominatur etiam *Stella maris*, ſeu *Navigatoria*, quia Nautis ad dirigendas naves in mari plurimùm ſervire ſolet. Urſa minor. Stella Polaris.

II. Urſa major.

Urſa major, quę & *Plauſtrum majus*, ſivè *Currus*, item & *Helice* ſeptem precipuas habet Stellas, quę & *Septentriones* dicuntur. Harum ſunt 4. in quadrilatero, tres in caudâ, ſeu temone. Priorum tres ſunt 2. magnit. quarta ad caudę radicem 3. magn. Ultima in caudâ dicitur Benenatz, ſeu Benetnaſch. Penultimę caudę in Urſâ majore adheret Stella *Alcor* dicta, ubi pręter illam Clariſſim. Dominus *Georgius Chriſtoph. Eimmart* inſignis Aſtronomus Noricus pręterlapſo An. 1691. aliam adhuc conſpexit huic contiguam, quam ſuperioribus annis à ſe nunquam fuiſſe viſam meminit in literis ad me datis die 4 Martii ſt. v. Anno 1692. Urſa major. Benenatz.

III. Bootes.

Bootes dictus quaſi *clamans*, *clamator vel vociferator*, item *Arctophylax*, *plauſtri*, vel *Urſarum cuſtos* pluribus Stellis 3. magn. conſtat ad humeros, ad dorſum, ad genua, ſed una pręcipua 1. magnit. dicta *Arcturus* pendens à cingulo inter genua. Arcturus.

IV. Draco.

Draco aliàs & *Serpens*, *Anguis* multas Stellas complectitur. Duę in ejus capite eminent, quæ cęteras ſplendore excedunt, quarum Lucidior 3. Magn. antepenultima verò caudæ 2. magnit. æſtimatur.

V. Corona Borealis.

Corona *Ariadnæ* dicta ad dextrum *Böötis* humerum ſemicirculi ſpeciem & quinque Stellis exhibet. Tres 4 ſunt magnit. Una

Lucida Coronæ. Una 5 magn. & altera 2 magnit. quæ & *Lucida Coronæ* dicitur.

VI. Hercules.

Hæc constellatio varia sortitur nomina: dicitur enim & *Engonasi*, *Ingeniculus*, *Saltator*, *Aper*, *Theseus*, *Alcides*, *Ixion*, *Prometheus*, &c. Varias habet Stellas, ejusdem tamen ferè omnes magnitudinis; è quibus una magis conspicua redditur ad caput propter æqualitatem in simili alia, quæ in capite *Ophiuchi* reperitur.

VII. Lyra.

Lyra, *Testudo*, vel *Vultur cadens* post Caniculam eminet: habet Stellam unam
Fidula. 1 magn. valdè eximiam, quæ *Fidicula*, seu *Lucida Lyræ* nominatur.

VIII. Cygnus.

Cygnus. Cygnus insignis intrà viam lacteam est Constellatio, crucis formam referens: in hujus caudâ videtur Stella valdè notabilis 2 magnit. quasi super signum transversim. In ejusdem Cygni pectore apparuit Anno 1600 nova Stella 3 magnit. duravitque usque ad Annum 1621. aut ut alii ad Annum 1626.

IX. Cepheus.

Cepheus. Cepheus habet caput in Cygnum directum, & dextrum pedem caudæ Ursæ minoris insistentem, paucis lucidis stellis ornatur præter tres 3 magnit. Unam scilicet in dextro humero, aliam in cingulo, aliam in genu sinistro.

X. Cassiopeja.

Cassiopeja quinque micat Stellis 3 magnit. quæ se statim ostendunt è regione Ursæ majoris, minore medium locum occupante. Illarum tres extremæ
Cathedra. sunt; Una Lucida magis *Cathedra* voca-
Schedir. ta, alia in pectore nominata Arabicè *Schedir*, tertia ad ilia, quæ omnes Trianguli figuram referunt. Anno 1572 ad 5 idus Novemb. apparuit in hoc sidere nova Stella æqualis Veneri, quoad quantitatem visi-
Nova Stella Anno 1572. bilem: per Decemb. autem Jovis Stellam æmulabatur: Januario Anni 1573 Stellis 1 magnit. paulò majus; sed Februario & Martio æqualis iisdem: in Aprili, & Majo 2 magnit. Junio & Julio Stellis 3 magnit. æqualis fuit, in fine anni vix excedebat Stellam 5 magnit. tandem Anno 1574 in Martio evanuit.

XI. Perseus.

Perseus. Perseus *Cyleneus* deferens catenam, *Inachites* inter *Cassiopejæ* pedes, ac *Taurum* collocatur, cujus maximè fulgens Stella 2 magnitud. in dorso reperitur. Celeberrimam aliam continet 3 magnit. quæ *Medusæ caput* dici solet, & aliæ quatuor dicuntur *Gorgones*. Caput Medusæ Gorgones.

XII. Andromeda.

Andromedę constellatio sub *Cassiopeja* ad latus sinistrum *Persei* suâ longitudine maximè visibilis ob tres 2 magn. Stellas, quarum una est in sinistro pede suprà triangulum, alia in cingulo suprà pisces, postrema in capite, ipsi cum Pegaso communi. Andromeda.

XIII. Deltoton.

Deltoton à formâ literę grecę △, aliàs etiam *Triangulum Boreale*, *Tricuspis*, &c. est constellatio tribus tantùm splendidis Stellis 4 magnitud. conspicua, quarum una in apice, & duę ad basim cum exiguâ aliâ 5 magnit. illi propinqua. Deltoton.

XIV. Auriga.

Auriga dicitur etiàm *Erichtonius*, *Habenifer*, *Heniochus*, Stellam imprimis habet 2 magnit. cui alia inest in pede sinistro 4 magnit. Inter alias celeberrima est in sinistro humero fulgens 1 magnit. Auriga.
quę *Capella* vel *Capra* nominatur; item dicitur etiàm hęc Stella *Capra Amalthea*, aliàs *Hircus*, in sinistra sub Hirco sunt duę Stellę, *Hœdi*, seu *Capellæ*, & *agni* dictę. Capella. Hœdi.

XV. Pegasus.

Pegasus, sivè *Equus major*, *Medusæus*, aut *Gorgonius* sidus est insigne ob quandam ampli quadrati formam, quam quatuor ejus Stellæ 2 magnit. componunt. Alias etiàm tres continet 3 magnit. quarum una *Scheat* in genu, alia ultrà in collo *Marchab*, & tertia duplò ulteriùs in ore, *Os pegasi* nominatur. Scheat. Marchab.

XVI. Delphin.

Delphinus, sivè *Amphitrites*, *Vector*, *Portitor*, à *Plinio Hermippus*, à Nautis *Simon* nominatus inter Equuleum & Aquilam cernitur novem Stellis constans, quarum quinque sunt 3 magnit. reliquæ quatuor, eâ solâ exceptâ, quę ad caudam est, Rhombum componunt. Delphinus

XVII. Sagitta.

Sagitta, *Telum*, *jaculum*, aliis Virgula *jacens*, *calamus*, *canna*, seu *arundo*: Nautis *Temo* &c. quatuor duntaxat Stellas habet, quarum ea Sola, quę ad cuspidem est, 4 magn. habetur. Sagitta.

XVIII. Equuleus.

Equuleus, aliàs *Pegasus*, seu *Equus minor* respectu majoris aliud non est, quàm velut Umbra capitis *Pegasi* & *Protome*. In eo quatuor deprehenduntur Stellæ, singulæ 4 magn. quę ad os *Pegasi* trapezium satis conspicuum constituunt. Pegasus.

XIX. Aqui-

XIX. Aquila.

Aquila. Aquila aliis *Vultur volans* dicta, notabilis est ob tres stellas cinguli Orionis situm referentes. Duæ extremæ 3 sunt duntaxat magnitudinis: sicut & duæ aliæ ad caudam extremam ex solâ mediâ, quæ est 2 magnitud. micat, & eam ob causam *Lucida Aquilæ* nominatur. Lucida Aquilæ.

XX. Serpentarius.

Serpentarius aliis nominibus vocatur *Ophiuchus*, *Anguitenens*, *Anguifer*: estque magnum sidus; quippè caput ejus Herculis capiti adjacet: pedes Scorpioni innituntur. Caput serpentis ad Coronam borealem, cauda ad Aquilam usque porrigitur. Maxima ejus stella 3 magnitud. reputatur. Una tamen inter illas maximè ad poplitem dextrum inter Scorpionem, & Sagittarium nota fuit Anno 1604 à die 9 Octobr. valdè rutilans, & magnitudine apparente adæquans Venerem, quæ deindè Anno 1606 ad initium Februarii rursùs evanuit. Nova Stella Ann. 1604.

XXI. Serpens Ophiuchi.

Coluber. Serpens *Ophiuchi*, aliis *Anguilla*, *Coluber* vel *Anguis* egregium est signum habens varias stellas 3 & 4 magnit. ac etiam unam 2 in medio colli nexu, ac propè manum, quâ Herbules clavam tenet.

XXII. Coma Berenices.

Coma Berenices. Coma *Berenices* vel *cincinnus*, *cæsaries*, *Tricæ*, *crines*, aliis *frugum* seu *spicarum manipulus*, item *Rosa*, *Triquetræ* unam tantùm habet magis conspicuam stellam 3 magnitudinis, alias ferè omnes 4 magnitudinis.

XXIII. Camelopardalis.

Camelopardalis. Hæc constellatio ex informibus circa polum Arcticum ad Scabellum Cassiopejæ, & Aurigam à Recentioribus formata est: omnes stellas, quas habet undecim, reputantur esse 6 magnitudinis.

XXIV. Tigris.

Tygris. Tigris noviter ex variis Pegasi, Equulei, Cygni & Ophiuchi informibus constat, præcipuè ex iis undecim sunt 4 magnitud. reliquæ 5, aut 6 magnitudinis.

XXV. Antinous.

Antinous. Antinoi constellatio ex informibus etiàm, quæ olim ad Aquilam numeratæ, constructa est; aliis *Ganymedes*: ejus stellæ primariæ sunt quinque 3 magnitudinis.

XXVI. Jordanis.

Jordanis. Jordanis, vel *Jordanus* nuper ex informibus *Helices* & *Leonis* adjectus unam magis prælucentem habet 3 magnitud. reliquæ omnes minores sunt in magnitudine.

XXVII. Apes.

Apes etiàm olim ad informes pertinebant, jam autem ad formam redactæ sunt: ex iis una est 4, reliquæ 5 magnitudinis. Apes.

§. IV.

Constellationes Australes cum illustrioribus earum Stellis recensentur.

I. Cetus.

Cetus, *Cete*, *Balæna*, *Pistrix*, *Draco*, *Leo*, *Ursus marinus*, *Bellua*, *monstrum marinum* sub piscibus, & Ariete collocatur vasto oris hiatu, in cujus medio stella comparet 2 magnitud. quæ *Lucida Mandibulæ Ceti* nominatur. Eidem alia respondet ejusdem magnitudinis in caudæ extremæ medio, præter alias toto corpore 3 vel 4 magnit. dispersas. Lucida mandibulæ Ceti.

II. Eridanus.

Eridanus in cœlo prælongus est ac flexuosus inter Orionem ac Cetum ubi in Austrum desinit; ab aliis *Padus*, *Nilus*, *Nahar*, *Nahron* fluvius, ac etiam *Gyon* vocatur. Insignem unam habet 1 magnit. Stellam ad finem propè caput *Hydri*, quæ variis nominibus velut *Enar*, *Acharnar*, *Angetenar*, *Anchenetar* appellatur. Acharnar.

III. Lepus.

Lepus vel *Levipes* præcipuas quatuor stellas habet 3 magnitud. alias verò exiguas, quatuor etiam in auribus, cum reliquis universìm novem. Lepus.

VI. Orion.

Orion est fulgentissimum cœli sidus, in quo innumeræ stellæ reperiuntur; ab aliis etiam dicitur *Arion*, *Hyriades*, *Hyrciades*, *Audax*, *Furiosus*, *Sublimatus*, *Gigas*, *Bellator fortissimus*, *Neptunius*, *nimbosus* &c. duas imprimis insigniores stellas habet 1 magnitud. unam in humero sequenti, alteram in extremo pede dextro. Tres autem in cingulo, quas *Tres Reges*, aut *baculum S. Jacobi* appellant, 2 magnit. censentur, quæ in sinistro pede cernitur, *Rigel* nominatur. *Galilæus* in nebulosâ *Orionis* detexit per tubum suum 21 stellas, intrà spatium cinguli & ensis Orionis 80, & intrà unius, alteriúsve gradûs 500, adeò ut deterritus fuerit ab integrâ Orionis constellatione, quam pingere decreverat, observandâ. *Rheita* affirmat se tubo belgico numerasse in solo Orionis astro plures quàm 2000. Vide etiam *oculi mei artificialis Fund. 3. Synt. 4. cap. 5. §. 2.* Orion. Baculus S. Jacobi.

V. Canis major.

Canis major. Canis major, aliàs & *Canicula*, ac *Sirius*, quod omnia exficcare æſtimetur, Stellas habet lucidiores aliquot, inter quas una eſt in capite vel ore propter pulchritudinem & virium opinionem decantatiſſima; magnitudine enim corporis & paritate lucis maximè ſcintillantis reliquas plurimùm ſuperat. Ad dextros pedes etiam habet quaſdam Stellas 3. magnitudinis.

VI. Canis minor.

Canis minor. Canis minor, ſeu *alter* paucioribus & minoribus Stellis conſtat. Aliàs *Procyon*, ſivè *Antecanis* ideò ſic dictus, quod cùm vertici noſtro ſit propior majorem Auſtraliorem oriendo aliquantulùm anticipet, ſeu antè eum oriatur. Præter Stellam in collo 3. magnitudinis aliam habet in femore 2. magnitudinis ſatis ſplendidam, quæ propriè *Procyon* appellatur. Procyon.

VII. Argonavis.

Argonavis. Navis *Argo*, *Catullo Currus volitans*, aliis *Navis Jaſonis* Stellas habet plures, ſed pauciſſimæ nobis oriuntur. Inter illas toto ferè cœlo illuſtriſſima fertur ea, quæ in clavo, ſeu temone navis radens Horizontem Rhodienſium, & ab ejus Gubernatore quodam *Canopus* vel *Canobus* dicitur. Canobus.

VIII. Hydra.

Hydra. Hydra, vel *Serpens aquaticus* longiſſimum eſt Cœli ſidus, per tria integra ſigna extenditur, capite Canem minorem, caudâ Centaurum ferè attingens, cui Crater & Corvus inſident; unam Stellam præprimis illuſtrem habet in pectore 1. magn. quæ *Cor Hydræ* appellatur. Cor Hydræ.

IX. Crater.

Crater. Crater, aliis *poculum*, *vas*, *Urna*, *vaſculum* ſuâ baſi circà medium Hydræ hæret, in quo Stellæ aliquot conſpicuæ 4. magnitudinis Hemicycli ſpeciem referentes.

X. Corvus.

Corvus. Corvus, aliis *Ales Phœbi*, Arabicè *Algorab* maximè conſpicuus redditur ob trapezium ex quatuor Stellis, è quibus tres ſunt 3. magnitudinis & altera 4. magnitudinis.

XI. Centaurus.

Centaurus. Centaurus, aliis *Minotaurus*, *Pholos*, *Chiron*, *Phillyrides &c.* ultrà quatuordecim Stellas, alias habet nobis inconſpicuas; quarum una dicitur 1. magnit. ad pedem dextrum equinum anteriorem. In pedibus poſterioribus quatuor ſunt ſtellæ, quæ crucem inſignem efficiunt; ſumma, acima ſunt 2 magnit. dextra verò & ſiniſtra 3 magnitudinis.

XII. Lupus.

Lupus, *Fera*, ſeu *beſtia* duas habet ſtellas 3. magnitud. habet reliquas aut 4 aut 5 magnit. Lupus.

XIII. Ara.

Ara, ſivè *Thuribulum* ſub Scorpionis ſpondylis nobis ſempèr latet, duas habet 3 magnitud. reliquas aut 4 aut 5 magnit. Ara.

XIV. Corona Auſtralis.

Corona Meridionalis, *Auſtrina*, *Notia*, *Cœlulum* unam Stellam magis notabilem inter cœteras habet 3 magnit. & illa eſt, quæ ab aliquibus *Uraniſcus*, quaſi parvum cœlum appellatur. Aliis etiam hæc conſtellatio dicitur *globulus*, & rota *Ixionis*. Uraniscus.

XV. Piſcis notius.

Piſcis *Notius*, vel *Auſtrinus*, item *magnus* ac *Solitarius* plurimas Stellas continet, præprimis 4. magnit. Præcipua eſt in ejus ore 1 magnitud. quæ effuſionem aquæ Aquarii claudit; Arabicè *Fomahand* dicta. Fomahand.

XVI. Columba Nohæ.

Hanc Recentiores ex informibus ante Canem ſub *lepore* hemiſphærio noſtro inſeruerunt, ramum olivæ geſtat in ore. Parùm ſuprà Horizontem noſtrum attollitur, ac aliquot tantùm horis fit conſpicua. Duas præ cœteris illuſtriores habet ſtellas 2 magnit. novem reliquæ ſunt 4 magnitudinis. Columba Nohæ.

XVII. Gallus.

Gallus propè tergum Canis majoris noviter adjectus; olim ſtellæ ejus ad navem pertinuerunt. Imprimis duas habet lucidiores, unam in pede ſiniſtro, alteram paulò ſuperiùs ad caudæ initium. Gallus.

XVIII. Unicornu.

Unicornu, aliis *Monoceros* inter canem utrumque à Recentioribus adjectum eſt ſignum. Duas inſigniores habet ſtellas 3 magnit. Unicornu.

XIX. Grus.

Grus, ſivè avis ſub Piſce *Notio* ſtellas dicitur habere tredecìm, quarum duæ magis conſpicuæ ſunt 2 magnit. Grus.

XX. Phœnix.

Phœnix rogo ardenti impoſitus inter piſcem Notium & Eridanum ſub caudâ Ceti collocatur. Stellas habet 14, quarum duæ illuſtriores ſunt 3 magnitud. Aliis etiam hæc conſtellatio dicitur *Crux ſub Eridano*. Phœnix. Crux ſub Eridano.

XXI. Tou-


FACIES HEMISPHÆRII COE-
Magnitudines Stellarum.
1. 2. 3. 4. 5. 6.
Serpentarius
Scorpius
Ara
Libra
Lupus
Centaurus
Crux
Musca
Triang. Austr.
Robur Carolinum
Corvus
Virgo
Piscis Volans
Tropicus
Crater
Hydra
Sextans Uraniæ
Argo Navis
Leo
Canis Major
Æquator
Canis Minor
Cancer
Gemini


LESTIS INFERIOR AUSTRALIS
Secundum restitutionem novis: IOAN. HEVELI Gedan: cum supplemento EGMUNDI HALLEJI Angli.
Capricornus
Sagittarius
Corona Austr.
Indus
Pavo
Grus
Piscis austr.
Aquarius
Toucan
Nubec. minor
Phœnix
Hydrus
Nubecula major
Dorado
Capricorni
Eridanus
Columba
Lepus
Cetus
Æquator
Aries
Taurus
Orion



FACIES HEMISPHÆRII COE-
Magnitudines Stellarum
1. 2. 3. 4. 5. 6.
Virgo
Leo
Cancer
Coma Berenices
Chara
Leo minor
Asterion
Bootes
Libra
M Mænalus
Æquator
Serpens
Tropicus
Corona bor.
Scorpius
Hercules
Draco
Ursa min
Ursa Major
Lynx
Pollux
Castor
Gemini


LESTIS SUPERIOR BOREALIS.
Secundum restitutionem novifs: IOAN: HEVELI Gedan.
Taurus
Auriga
Musca
Perseus
Triang: minus
Aries
Triang: Majus
Camelopardalus
Caßiopea
Piscis Bor.
Linum Bor.
Cepheus
Andromeda
Stellio
Lacerta
Lyra
Pegasus
Piscis Austr.
Vulpecula
Delphinus
Aquarius
Anser
Aquila
Æquator
Equuleus
Antinous
Capricornus
Sobiesc
Sagittarius

XXI. Toucan.

Toucan. Toucan avis, seu *Anser* & *Pica Brasilica* seu *Indica*, media inter *Indum* & *Phœnicem* insidet *Hydro* tenens nostro ramum. Stellis constare dicitur novem, quarum magis illustres quatuor sunt 3. magnit.

XXII. Hydrus.

Hydrus. Hydrus exortus sub *Phœnice* propè extremum *Eridani*, caudæ extremitate proximè attingit ac quasi demonstrat polum Mundi, seu Æquatoris Antarcticum. Stellis constat 15, quarum illustrior una 3. magnit.

XXIII. Indus.

Indus. Indus, seu *Homo Indianus* intra *Pavonem* & *Toucan*. Stellas habet duodecim, quarum magis illustres sunt quinque 4. magnitudinis.

XXIV. Pavo.

Pavo. Pavo proximè astans *Indo* caudam plenam Stellis habet: numerantur in totâ constellatione 17 quarum duæ magis conspicuæ & illustres sunt 2. magnitudinis.

XXV. Apis Indica.

Apous. Apis, seu *avis indica*, aliis *avis paradisi* itèm *Apous* sequitur Pavonem, caudâ versus polum mundi Antarcticum versâ. Stellas continet duodecim, quarum una magis illustris 4. magnit. reliquæ omnes sunt 5. magnitudinis.

XXVI. Triangulum Australe.

△. Australe. Aliis *Trigonus Notius* continet in angulis tres 2. magnitudinis & duas reliquas minores 5. magnit.

XXVII. Crux.

Crux. Crux inter pedes *Centauri*, ad quos olim etiam pertinuit, Stellis lucidioribus constat quatuor. Duas habet 2. magnit. & alias duas 6. magnitudinis: Hispanis vocatur *Cruzero*. Cruzero.

XXVIII. Musca.

Musca, seu *Crabro indicus* sub pedibus *Centauri* Stellas continet, quatuor; omnes 5. magnitudinis. Musca.

XXIX. Chamæleon.

Chamæleon subjectus est *muscæ*, in quam linguam vibrat. Stellas habet decem, omnes 5. magnitudinis. Chamæleon.

XXX. Piscis volans.

Idem etiam dicitur *Passer marinus Xiphiæ* proximus sub *Argonavi*. Aliàs etiam *Piscis volucris & volatilis*. Habet septem Stellas, quarum illustriores sunt 5. magn. reliquæ quinque 6. magnitudinis. Piscis volans.

XXXI. Nubecula major.

Nubecula major propè *Dorado* duas tantùm habet Stellas 5. magnitudinis. Nubecula minor.

XXXII. Nubecula minor.

Hæc sub *Hydro* conspicitur, unam habet 4. magnitudinis: Et reliquas undecim 5. magnitudinis. Minor.

XXXIII. Rhombus.

Rhombus inter duas nubeculas quatuor constat Stellis, quarum duæ 4. magn. reliquarum una 5. & altera 6. magnitudinis. Rhombus.

XXXIV. Dorado.

Dorado piscis Hispan: id est *Aurata*, aliàs *Xiphias* seu gladius; Stellas habet quinque, quibus polum Eclipticæ Australem describit, & includit. Harum duæ magis illustres sunt 4. magnitudinis. Dorado.

Atquè hæ sunt Constellationes communis & jam receptæ; quarum tamen numiter â solertissimo | Hevelio paulò major recensetur, ut apud ipsum videre licet.

Tabula centum Stellarum insigniorum, quarum Ascensio recta, Declinatio, & Longitudo est pro Anno 1700: Latitudo verò perpetua.

Nomina Stellarum.	*Ascensio recta*			*Declinatio*			*Longitudo.*				*Latitudo.*			Magnitudo.	*Natura.*
	G.	*M.*	*S.*	*G.*	*M.*	*S.*	*S.*	*G.*	*M.*	*S.*	*G.*	*M.*	*S.*		
Andromedæ caput	354.	14.	8.	27.	27.	26.B	0.	10.	9.	30.	25.	42.	10.B	2.	♀ ♃
Andromedæ cingulum	13.	11.	20.	34.	2.	40.B	0.	26.	11.	0.	25.	58.	30.B	2.	♀
Androm. pes Austrinus	26.	21.	51.	40.	52.	30.B	1.	10.	1.	44.	27.	47.	10.B	2.	♀
Aquarii os piscis	340.	11.	0.	31.	8.	10.A	10.	29.	36.	43.	20.	59.	40.A	1.	♄ ♀
Aquarii humerus dexter.	327.	36.	55.	1.	43.	44.A	10.	28.	31.	57.	10.	42.	15.B	3.	♄ ♀
Aquar. humer. finister.	318.	55.	54.	6.	48.	46.A	10.	19.	13.	27.	8.	42.	15.B	3.	♄ ☿
Aquar. manus finistra.	307.	45.	54.	10.	33.	44.A	10.	12.	13.	27.	4.	50.	15.B	5.	♄ ☿
Aquilæ lucida.	294.	2.	47.	8.	1.	10.B	9.	27.	32.	17.	29.	20.	40.B	2.	♃ ♂
Arietis 1. in cornu.	24.	47.	2.	17.	48.	24.B	0.	28.	59.	27.	7.	8.	0.B	4.	♂ ♄
Arietis 2. in cornu.	24.	30.	3.	19.	19.	24 B	0.	29.	45.	27.	8.	28.	30.B	4.	♂ ♄
Arietis lucida.	27.	35.	58.	22.	1.	30.B	1.	3.	28.	29.	9.	56.	30.B	3.	♂ ♄
Aurigæ capella.	73.	35.	56.	45.	40.	0.B	2.	17.	40.	2.	22.	51.	45.B	1.	♂ ☿
Aurigæ humer. dexter.	84.	29.	42.	44.	51.	30.B	2.	27.	12.	2.	21.	25.	40.B	2.	♂ ☿
Bootis Arcturus.	210.	33.	2.	20.	48.	2.B	6.	20.	4.	27.	31.	0.	40.B	1.	♃ ♂
Bootis humer. finister.	215.	2.	33.	39.	35.	12.B	6.	14.	30.	27.	49.	51.	40.B	3.	♂ ♄
Cancri præsepe.	125.	46.	2.	20.	43.	4.B	4.	3.	8.	23.	1.	14.	30.B	*nebulosa.*	♂ ☾
Cancri Asellus Boreus.	126.	26.	0.	22.	31.	0.B	4.	3.	18.	53.	3.	8.	30.B	4.	♂ ☉
Cancri Asell. Australis.	126.	54.	3.	19.	15.	0.B	4.	4.	29.	53.	0.	3.	30.A	4.	♂ ☉
Canis major. Sirius.	97.	57.	6.	16.	18.	6.A	3.	10.	4.	47.	39.	32.	5.A	1.	♂ ♃
Canicula. Procyon.	110.	54.	33.	5.	59.	22.B	3.	21.	40.	27.	15.	57.	10.A	2.	☿ ♂
Capricorni preced. cornu.	300.	24.	34.	13.	22.	6.A	9.	29.	44.	27.	7.	3.	11.B	3.	♄ ♃
Capricorn. inferius corn.	301.	7.	29.	15.	38.	2.A	9.	29.	57.	27.	4.	42.	10.B	3.	♄ ♃
Capric. cauda præcedens.	320.	56.	29.	17.	54.	21.A	10.	17.	40.	27.	2.	24.	50.A	3.	♃ ♄
Capric. cauda sequens.	322.	43.	30.	17.	22.	22.A	10.	19.	26.	27.	2.	27.	50.A	3.	♄ ♃
Cassiopejæ lucid. cathed.	358.	14.	33.	57.	32.	16.B	1.	0.	55.	47.	51.	17.	0.B	3.	♄ ♀
Cassiopejæ Schedir.	5.	56.	0.	54.	55.	16.B	1.	3.	39.	27.	46.	36.	50.B	3.	♄ ♀
Cassiopejæ flexura.	9.	45.	58.	59.	7.	36.B	1.	9.	49.	27.	48.	47.	50.B	3.	♃ ♄
Cassiopejæ genu.	16.	36.	0.	58.	40.	22.B	1.	13.	42.	57.	46.	23.	50.B	3.	♄ ♀
Cephei cingulum.	321.	6.	20.	69.	17.	10.B	1.	1.	36.	30	71.	8.	30.B	3.	♄ ♃
Ceti mandibula Lucida.	41.	33.	7.	2.	53.	50.B	1	10.	7.	32.	12.	36.	50.A	2.	♄
Ceti ventris Borea.	24.	12.	0.	11.	44.	50.A	0.	17.	48.	15.	20.	17.	20.A	3.	♄
Ceti cauda Australis.	7.	5.	8.	19.	35.	44.A	11.	28.	19.	47.	20.	43.	40.A	2.	☉ ♄
Ceti cauda Borealis.	1.	4.	12.	10.	24.	50.A	11.	26.	46.	47.	9.	58.	10.A	3.	♄
Coronæ Boreal. lucida.	230.	39.	0.	27.	45.	20.B	7.	8.	2.	30.	44.	45.	20.B	2.	♀ ☿
Cygni rostrum.	289.	39.	48.	27.	22.	40.B	9.	27.	5.	31.	49.	3.	0.B	3.	♀ ☿
Cygni pectoris antiqua.	302.	55.	52.	39.	20.	5.B	10.	20.	46.	40.	57.	10.	20.B	3.	♀ ☿
Cygni cauda.	307.	47.	17.	44.	14.	52.B	11.	1.	15.	12.	59.	57.	20.B	2.	♀ ☿
Cygni ala superior.	293.	56.	2.	44.	26.	21.B	10.	12.	14.	47.	64.	28.	50.B	3.	♀ ☿
Cygni ala inferior.	308.	29.	10.	32.	51.	24.B	10.	23.	31.	17.	49.	27.	0.B	3.	♀ ☿
Draconis Lucida.	267.	25.	20.	51.	35.	2.B	8.	23.	46.	7	75.	2.	10.B	3.	♄ ♂ ♃
Geminor. Castoris caput.	108.	50.	46.	32.	30.	26.B	3.	16.	1.	47.	10.	2.	50.B	2.	♂ ☿
Gemin. Pollucis caput.	111.	43.	36.	28.	43.	2.B	3.	19.	4.	53.	6.	38.	30.B	2.	♂ ☿
Gemin. pes lucidus.	95.	3.	32.	16.	37.	32.B	3.	4.	51.	47.	6.	48.	0.A	2.	♄
Herculis caput.	255.	23.	37.	14.	46.	48.B	8.	11.	58.	7.	37.	22.	15.B	3.	☿
Hercul. humerus dext.	244.	19.	35.	22.	11.	40.B	7.	26.	54.	37.	42.	47.	15.B	3.	☿
Hercul. humer. finister.	255.	31.	33.	25.	15.	48.B	8.	10.	37.	7.	47.	46.	15.A	3.	☿
Hydræ cor.	138.	12.	22.	7.	21.	30.A	4.	23.	6.	37.	22.	25.	50.A	1.	♄ ♀
Leonis cor.	148.	4.	15.	13.	25.	16.B	4	25.	38.	32.	0.	26.	20.B	1.	♂ ♃
Leonis cauda.	175.	25.	34.	16.	14.	4.B	5.	17.	26.	47.	12.	16.	20.B	1.	♂ ♃
Leon. Lucida Jubæ.	150.	48.	47.	21.	21.	0.B	4.	25.	18.	19.	8.	45.	40.B	2.	♂
Leon. Lucid. lumborum.	164.	32.	20.	22.	7.	44.B	5.	7.	7.	32.	14.	18.	30.B	2.	♄ ☿
Leon. suprema cervicis.	149.	58.	52.	24.	53.	54.B	4.	23.	19.	47.	11.	48.	40.B	3.	♄ ☿

Nomina

Nomina Stellarum.	*Aſcenſio recta* G. M. S.	Declinatio G. M. S.	*Longitudo* S. G. M. S	*Latitudo* G. M. S.	Magnitudo.	*Natura.*
Leon. infima cervicis.	147. 47. 52.	18. 13. 33. B	4. 23. 39. 17.	4. 50. 40. B	3.	♄ ☿
Leporis femur.	78. 51. 30.	20. 59. 0. A	2. 15. 29. 7.	43. 55. 50. A	3.	♂ ☿
Libræ lanx Borealis.	225. 15. 26	8. 14. 46. A	7. 15. 12. 17.	8. 33. 30. B	2.	♄ ♂
Libræ lanx Auſtralis.	218. 38. 12.	14. 45. 18. A	7. 10, 56. 27.	0. 25. 10. B	2.	♃ ☿
Lyræ lucida. Fidicula.	276. 39. 32	38. 32. 16. B	9. 11. 6. 27.	61. 47. 0. B	1.	♀ ☿
Ophiuchi caput.	260. 15. 38.	12. 49. 22. B	8. 18. 17. 7.	35. 56. 15. B	3.	♄ ♀
Ophiuchi man. ſiniſtra.	239. 47. 37.	2. 45. 40. A	7. 28. 11. 37.	17. 18. 20. B	3.	♄ ♀
Ophiuchi genu ſiniſtrum.	245. 11. 37.	15. 16. 50. A	8. 5. 6. 7	11. 29. 20. B	3.	♄ ♀
Ophiuchi humer. dexter.	262. 8. 38.	4. 44. 40. B	8. 21. 12. 7.	28. 0. 10. B	3.	♄ ♀
Orionis capitis ſuprema.	79. 41. 10.	9. 34. 38. B	2. 19. 34. 47.	13. 25. 30. A	4.	♃ ☿
Orionis humer. dexter.	84. 43. 4.	7. 18. 20. B	2. 24. 36. 35.	16. 6. 15. A	2.	♂ ☿
Orion. humerus ſiniſter.	77. 16. 40.	6. 3. 2. B	2. 16. 46. 47	16. 52. 30. A	2.	♂ ☿
Orionis pes Rigel.	75. 2. 50.	8. 33. 42. A	2. 12. 36. 57.	31. 10. 10. A	1.	♄ ♃
Orionis 1. Balthei.	79. 9. 48.	0. 32. 50. A	2. 18. 9. 27.	23. 36. 40. A	2.	♃ ♄
2. Balthei.	80. 12. 54.	1. 25. 46. A	2. 19. 13. 42.	24. 34. 10 A	2.	♃ ♄
3. Balthei.	81. 18. 25.	2. 8. 20. A	2. 20. 13. 2.	25. 21. 10. A	2.	♃ ♄
Pegaſi os.	322. 27. 36.	8. 32. 14. B	10. 27. 45. 7	22. 6 20 B	3.	♂ ♃
Pegaſi crus. Scheat.	342. 20. 36.	26. 28. 38. B	11. 25. 14. 7.	31. 8. 20. B	2.	♂ ♀
Pegaſi Marchab.	342. 28. 10.	13. 35. 58. B	11. 19. 19. 37.	19. 24. 50. B	2.	♂ ♃
Pegaſi Algenib.	359. 27. 25.	13. 32. 56. B	11. 5. 0. 7.	12. 37. 0 B	2.	♂
Perſei lucidum latus.	45. 32. 18.	48. 44. 54. B	1. 27. 39. 55.	30. 5. 40. B	2.	♃ ♄
Meduſæ caput.	42. 12. 42.	39. 46. 30. B	1. 22. 5. 57.	22. 22. 40 B	3.	♄ ♃
Piſcis Auſtral. occiput.	345. 24. 5.	1. 40. 2. B	11. 17. 12. 59.	0. 7. 17. B	4.	♃ ♄
Piſcium lini nexus.	26. 38. 5.	1. 19. 0. B	0. 25. 9. 59.	9. 4. 0. B	3.	♃
Sagittar. lucida Capitis.	283. 1. 5.	21. 22. 48. A	9. 9. 22. 27.	1. 45. 10. B	4.	☉ ♂
Scorpii cor. Antaros.	242. 47. 28	25. 39. 54. A	8. 5. 35. 27.	4. 26. 30 A	1.	♄ ☿
Scorpii frons borealis.	236. 58. 15	18. 53. 36. A	7. 28. 56. 57.	1. 6. 55. B	2.	♂ ♄
Scorpii frons media.	236. 4. 34.	21. 41. 40. A	7. 28. 20. 7.	1. 52. 40. A	3.	♂ ♄
Scorpii frons auſtralis.	335. 18. 0.	25. 9. 54. A	7. 28. 45. 47.	5. 20. 40. A	3.	♂ ♄
Serpentis lucida colli.	232. 24. 0.	7. 24. 36. B	7. 17. 50. 47.	25. 33. 50. A	2.	♄ ♂
Tauri Aldebaran.	64. 41. 35.	15. 52. 10. B	2. 5. 35. 30.	5. 30. 50. A	1.	♂ ♀
Tauri cornu Boreum.	76. 51. 18.	28. 19. 2. B	2. 18. 22. 47.	5. 20. 30. A	2.	♂
Tauri cornu Auſtrale.	79. 55. 20.	20. 55. 58. B	2. 20. 15. 47.	2. 13. 30. B	3.	♂
Tauri Boreus oculus.	62. 43. 36.	18. 30. 28. B	2. 4. 16. 0.	2. 36. 20. A	3.	♂
Tauri infima Hyadnm.	60. 39. 35.	14. 55. 38. B	2. 1. 34. 2.	5. 46. 20. A	3.	♄ ☿
Tauri Plejadum lucida.	52. 27. 35.	23. 9. 24. B	1. 25. 54. 37.	3. 59. 0. B	3.	♂ ☽
Virginis ſpica.	197. 22. 55.	9. 33. 30 B	6. 19. 39. 47.	1. 59. 30. B	1.	♀ ♂
Virginis cingulum.	190. 10. 22	5. 2. 54. B	6. 7. 18. 47.	8 40. 30 B	3.	☿ ♀
Virginis Vindemiatrix.	191. 52. 20.	12. 34. 58. B	6. 5. 46. 17.	16. 15. 0. B	3.	♄ ☿
Urſæ majoris Dubhe.	161. 17. 5.	63. 22. 2. B	4. 10. 59. 27.	49. 40. 10. B	2.	♂
Urſæ lateris lucida.	160. 52. 20	57. 59. 2. B	4. 15. 7. 57.	45. 5. 40. B	2.	♂
. . poſt. coxæ lucida.	174. 23. 34	55. 23. 42. B	4. 26. 14. 27.	47. 8. 40. B	2.	♂
Tergoris prope caud. lucid.	180. 8. 2.	58. 41. 42. B	4. 26. 49. 57.	51. 37. 10 B	3.	♂
Urſæ major. 1. caudæ.	190. 7. 56.	57. 36. 58. B	5. 4. 36. 27.	54. 17. 45. B	2.	♂
Urſæ major. 2. caudæ.	197. 55. 2.	56. 30. 52. B	5. 11. 21. 53.	56. 21. 10. B	2.	♂
. . 3. in extremo caudæ.	203. 53. 50	50. 50. 56. B	5. 22. 37. 7.	54. 24. 10. B	2.	♂
Urſæ min. ult. caud. Polar.	9. 52. 10.	87. 42. 51. B	2. 24. 26. 47	65. 59. 50. B	2.	♄ ♀
Urſæ min. lucida humeri. olim Cynoſura.	222. 39. 20.	75. 37. 30. B	4. 8. 45. 7	72. 48. 40. B	2.	♄ ♀

§. V.

Curiosa quædam Mirabilia Miscellanea de Stellis ex variis Authoribus referuntur.

Cœli Stelliferi divisio unde provenerit.

1. Cœli siderei in varias figuras divisionem ab antiquis Ægyptiis primùm effluxisse, docet *Kircherus in Oedipo Ægyp. Tom. 2. classe* 7. cap. 6. his verbis. *Præmissis multorum annorum observationibus Cœlum Stelliferum universum in certas quasdam classes diviserunt, quas Deorum mansiones primò Ægyptii, deindè Græci Asterismos nuncupârunt.* Ac paulò post subnectit: *Primos omnium mortalium Ægyptios Cœlum in 48. imagines divisisse.* Tradit etiam ibidem *cap.* 7. dogma Ægyptiis fuisse, cœlestes Deos, seu Genios astra incolere, qui virtute, & efficaciâ inferiorem mundum afficerent: Undè putâsse scribit Ægyptios Cœlum non vi quâdam propria influxivâ astrorum, sed dispositivâ numinum, sivè Deorum, qui in astris, ceu solio quodam regali considerent, ac virtute astrorum veluti naturali quodam instrumento uterentur, Geocosmi fabricam, sivè mundum hunc inferiorem afficere.

Arabum divisio Mundi siderei.

2. Mirabilia etiam & ridicula planè sunt, quæ de Cœlis fabulantur Antiqui Arabes, qui mundum sidereum in varios dividunt orbes, quos singulos, iterùm Mundos appellant ex diversis lapidibus pretiosis constructos, quibus etiàm Geniorum in varias formas transmutatorum catervas assignant. Ità enim verba *Abulhessan Ben Abasch* recitat idem *Kirch. in Oedipo Ægypt. tom. 2. part. 1. class. 6. cap. 4. §. 3. Primum cœlum factum fuit ex Smaragdo viridi & nomen ejus Tarphta. & habitaverunt illud Angeli, sub formâ avium, & præses eorum Angelus, cui nomen Samaël, & est gubernator eorum. Secundum Cœlum ex margaritis rubicundis, nomen ejus Kadum; & habitaverunt illud angeli sub formâ Aquilarum, & Angelus præses eorum nomen habet Sachabiel, & est custos, & gubernator eorum. Tertium Cœlum ex Hyacinthis fulvis, cui nomen Maum; & habitaverunt illud Angeli sub formâ vulturum; præfectus verò eorum Angelus est, cui nomen Saphrapbael, & est gubernator eorum. Quartum Cœlum ex argento candido, cui nomen Ramalun; & habitaverunt illud Angeli sub formâ Equorum; Angelus verò eorum vocatur Sabtabiel, & est custos & gubernator eorum. Quintum Cœlum ex auro, cui nomen Vataka; habitaverunt illud Angeli sub forma puellarum, & Angelus præses eorum vocatur Kakabiel; & est custos & gubernator eorum. Sextum Cœlum ex perlis, seu unionibus, cui nomen Dama; & habitaverunt illud Angeli sub forma puerorum, & Angelus præses eorum dicitur Samgabiel, & est custos eorum. Septimum Cœlum ex luce coruscante, cui nomen Aleina; habitant illud Angeli sub formâ filiorum hominum, & Angelus eorum præses dicitur Zarakiel:* Portenta hæc sunt nugarum, & deliliorum excrementa. Totum Systema Mundanum unà cum Angelis singulorum Præsidibus vide hic in figurâ.

Systema


Mappa Maris
MEDITERRANEI
Fluxus Currentes
et
Naturam Motionum
explicans.
Alpes
Venetia
GALLIA
Rhodanus flu.
ITALIA
Mare Gallicum
Mare Liguticum
Corsica
Calabria
HISPANIA
Mare Balearicum
C. d S. Vincentz
Mare Gaditanum
Gaditanum
Fretum
OCEANUS ATLANTICUS
Mare Ibericum
Mare Africum
Mare Sardoum
Sardinia
Mare Tyrrhenum
SICILIA
BARBARIA
AFRICA



Tanais flu.
Mæotis palus
Borysthenes flu.
Chersonesus Taurica
Subterraneus meatus
Maris Caspii pars
NIA
Danubius flu.
Mare Nigrum
Pontus Euxinus
THRACIA
ANATOLIA
MACEDONIA
ASIA MINOR
RICUM
Mare Ægæum
GRÆCIA
Archi pe lagus
PAMPHYLIA
Mare Pamphylium
Cyprus
Mare Ionium
Mare Rhodium
Rhodus
Mare Cyprium
PALÆ STINA
PELOPO NESVS sive Morea
Mare Syriacum
Mare Creticum
Creta
Mare Ægyptium
ITERRANEUM
Mare Lybicum
MARE RUBRUM
LYBIA
ÆGYPTUS
Nilus flu.
NUMIDIA

Syſtema Mundanum

Unà cum Angelis ſingulorum Præſidibus ex mente Arabum.



Mirabilis opinio incolarum in Peru. 3. De incolis in *Peru* ſcribit *Boterus in ſuâ Coſmogr. lib. 4. part. 1.* eosdem credere, â cœlo omnis generis animalia dari: Undè generatio, & propagatio pecorum, & aliorum animalium ſpecies, ſingulas ſuas habere Stellas tutelares, quas idcircò etiam adorant, ut ſi mitis ſit aliqua ſpecies ac manſueta, itàpermaneat: Si venenata & noxia ſit, manſueſcat, & mundetur. Memorat etiam *Rogerius de Gentiliſm. part. 2. cap. 21.* Brachmanes opinari, cùm ſubindè Stellæ novæ appareant, & denuò è viſu elabantur, Solem, ac Stellas non tantùm vivere, ſed & filios generare, adeoque temporarias Stellas illas partus eſſe Solis ac Stellarum.

Ciani Stellas adorant. 4. Ciani populi annum in 12 menſes more noſtro partiuntur, eos verò opinantur â 12 Stellis regi, quas idcircò etiam adorare, & Sacrificiis venerari ſolent, præcipuè verò Stellas illas, quæ tempore meſſis regimen obtinent. *Chriſt. Arnold. in Select. addit. ad Roger. Gentiliſm.*

5. *Plutarchus lib. 2. de Placit. Phil. cap. 13. & 20.* cenſuiſſe ſcribit *Diogenem*, ſidera eſſe terrea, & pumicea, & quaſi mundi ſpiracula: *Empedoclem* putâſſe Stellas inerrantes cryſtallo admixtas eſſe, errantes verò ſolutas: *Xenophanem* aſtra efformâſſe ex nubibus ignitis, quæ extinguerentur interdiu, ad nocturnas verò tenebras reviviſcerent quaſi carbones: Itàque ortus & occaſus Stellarum eſſe accenſiones, & extinctiones. Similitèr *Epicurus* docuit aſtra, cùm oriuntur, accendi; cum occidunt, extingui. Variæ de Stellis opiniones

6. Conſtat ex Veterum Scriptorum monumentis *Heraclidem*, & Pythagoræorum nonnullos exiſtimâſſe, unumquodque aſtrum Mundum eſſe, quo & aër & terra contineretur. Aliis placuit dicere, ſidera fulgentia nil aliud eſſe, quàm aulæa picturata. *Anaximander* ex aëre illa compoſuit, & rotæ inſtar in gyrum agi dixit, impletaque ſtatuit igne, ut quibuſdam veluti buccis flammas evomerent. *Leucip-*

pus

pus Eleates ex atomis vertigine circumactis,& incenſis ſidera effici voluit. *Heraclitus Epheſius* cœleſtia ſidera ſcaphas eſſe voluit per concavum ad nos converſas,in quibus evaporationes lucidæ concurrerent,flammamq́ue redderent. Quæ Veterum commenta quis non rideat?

7. Celebratur etiam opinio *Anaxagoræ*,qui, cùm Lapis aliquandò magnitudine inſigni colore aduſto in *Ægos* Thraciæ amnem è cœlo decidiſſet, quem etiam delapſurum prædixerat,affirmavit Cœlum omne ex lapidibus conſtare,Solemq́ue ipſum candens ſaxum eſſe.

8. Apud Mahumetanos ſecta eſt eorum, qui *Elauted*, hoc eſt;*Trunci*,nomine hoc ipſis aptiſſimè conveniente appellantur, & viliſſimo habitu Africam circumeunt, ſtellas unum DEUM aſſerentes, & nullam legem, neque fidem erroneam; cuique enim adorare licere,quod ſibi videatur,ità teſtatur *Joan. Leo lib. 3. cap. 43. Africæ*.

Capræ cœleſti cultus exhibitus.

9. In foro *Phliaſiorum* capra ex ære magnâ ſui parte in aurata conſpicitur, ut meminit *Pauſanias in Corinth.* ob eam cauſam dedicata, quod ſidus quam Capram vocant, ortu ſuo vitibus perniciem afferre conſuevit. Ne itaque cœleſtis capra vinetis noceat, forenſem illam ex ære cùm aliis afficiunt honoribus, tum verò auro eam exornant.

Item Caniculæ.

10. Caniculæ, ut refert *Cœlius lib. 17. cap. 27. Antiq. lect.* à Romanis olim Rutilæ Canes, ut ait *Atteius Capito*, canario Sacrificio pro frugibus ad ſedandam tempeſtatem immolabantur. *Cei* ab *Ariſtæo* Arcade edocti ſingulis etiam annis Ejuſdem exortum ſervaverunt cum armis, eidemque rem divinam fecerunt ad impetrandam pluviam.

Eudoxi opinio de Aſtris.

11. *Eudoxus Gnidius* omnium aſtrorum (ſi libeat obſervare minimos ambitus) redire eaſdem vices quadriennio exacto putavit, non ventorum modo, verùm & reliquarum tempeſtatum magna ex parte. *Plinius lib. 1. cap. 47.*

Quis primus ſtellas numeravit.

12. Hipparchus *Nicæus* primus ſtellas numeraſſe, organáque excogitâſſe dicitur, per quæ ſingularum loca & magnitudines deprehenderentur, ut docet *Plinius lib. 2. cap. 12. & 25. Item Sabellicus lib. 10. cap. 8.*

Cœlum animatum qui crediderint.

13. Chaldæi, qui Aſtrologiæ putantur inventores, Cœlos & Aſtra voluerunt animâ & ratione præditos. Idemq́ue tenuerunt penè omnes Veteris Philoſophiæ Præceptores tam Græci, quàm Ægyptii; quorum aliqui Mundum animatum,alii quaſdam ejus partes animâ præditas cenſuerunt. *Origenes* eundem errorem amplexus fuit. Sed motus Aſtrorum perpetuus,& naturalis arguit omninò efficaciter animâ rationis capace deſtitui. Unde & opinio hæc ſub anathemate damnata eſt in quintâ Synodo Gener. Conſtant. ut teſtatur *Nicephorus lib. 17. hiſt. cap. 27. & 28.*

Urſæ minoris inventor.

14. Thales *Mileſius* Urſæ minoris inventor fuiſſe dicitur, eáſque ſtellas notâſſe,quas in navigando Phœnices obſervare conſueverunt,ut teſtatur *Callimachus*.

Machina cœleſtis Saporis.

15. Rex Perſarum *Sapor* tam grandem è vitro conſtrui fecit machinam, ut in ejus centro ſederet, tanquàm in terrâ ſphærulâ ſpectans ſub pedibus etiam aſtra exorientiáque ac occidentia ſidera, ut ſic mortalis cum eſſet, ſupra tamen omnem mortalium conditionem eſſe videretur. *Laur. Beyerlinck in Theat. vitæ hum.* De valdè artificioſa ſphæra cœleſti *Joannis Riſt vide Eraſmum Franc. de cœlo diſcurs. 13. pag. 368.*

Neronis triclinium Stellis ornatum.

16. Imperator *Nero* in nulla re damnoſior,quàm in conſtruendis ædificiis arguitur. Inter alia autem *Fulgoſus lib. 9. c. 1.* memorat, ingentibus ipſum ſumptibus ædificâſſe triclinium grande,in cujus fornice ſtellæ, Sol & Luna gemmis expreſſæ colore ipſorum ſiderum proprietatibus congruente, & cœleſtis curſûs ratione movebantur. Sedilia aurea,atque eburnea aderant muri argenteis floribus tecti, avibuſq́ue. Locus aſſiduè omnium odorum fragrantiâ ſpirabat. Ità *Fulgoſus*.

Tentorium mirabile cœleſtes motus exhibens.

17. Narrat & *Trithemius in ſuo Chron. Hirſaug.* Anno Chriſti 1232. *Saladinum* Ægyptiorum Regem *Friderico* Imperatori dono miſiſſe per ſuos Oratores tentorium pretioſum mirabili arte compoſitum, cujus pretii æſtimatio quinque ducatorum millium procul valorem exceſſit. Nam ad ſimilitudinem,inquit,ſphærarum cœleſtium intrinſecùs videbatur conſtructum,in quo imagines Solis, Lunæ, ac reliquorum Planetarum artificioſiſſimè compoſitæ movebantur ponderibus & rotis incitatæ; ità videlicet, quod curſum ſuum certis ac debitis ſpatiis peragentes horas tàm noctis, quàm diei infallibili demonſtratione deſignabant;imagines quoque 12 ſignorum Zodiaci, certis diſtinctionibus ſuis motæ cum firmamento curſum in ſe Planetarum continebant.

Arabes & Hebræi voluerunt cœlum eſſe librum.

18. Antiquum quoddam Hebræorum dogma,& Arabum quondam fuit Cœli ſiderei, ſivè Firmamenti expanſum librum eſſe quendam ſtellis, veluti literis quibuſdam inſignitum, ex quorum combinatione omnium ſæculorum eventus,& decreta hominum DEI digito inſcripta legi poſſint. Ex his etiam quidam Errones, ſivè Planetas ſtatuerunt eſſe veluti pennas,ſeu calamos quoſdam animatos, ex quorum conjunctione,oppoſitione,aliiſque motibus & configurationibus, quædam veluti futurarum rerum voces in Cœlo formarentur,quas ſolus ille noſſet,quem Deus, ingeniique bonitas, atque proprii genii aſſiſtentia habilem reddidiſſet. Alii quoque docuerunt, ſtellas fixas habere ſe inſtar conſonantum, Planetas vocalium inſtar, quorum conjunctione voces formarentur ſignificandis rebus opportunæ. *Robertus de fluctibus* in Apologia quadam pro defenſione ſtaturæ roſeæ crucis characterum cœleſtium formationem, & expreſ-

sionem etiam per Stellas describens sic ait: *In cœlo inserti & impressi sunt hujusmodi characteres, qui non aliter ex Stellarum ordinibus consertur, quàm lineæ Geometricæ, & literæ vulgares ex punctis, superficies ex lineis, & corpus ex Superficiebus; quibus verò hujusmodi linguæ, & Scripturæ arcanæ, characterumquè abditorum cognitio à Deo concessa est, his etiam datum erit veras rerum naturas, mutationes, alterationes & proprietates siderum, omnesquè alias operationes & executiones oculis quasi illuminatis legere, & legendo intelligere*, verùm has vanitates amplè à doctissimo *Kirchero* confutatas vide in *Astrologia Hieroglyph. Oedipi Ægypt. class. 7. cap. 7.* Illud tamen prodigiosum haud dubiè fuit, si verum est, quod memorat *Zonaras*: Judicem quemdam Antiochenum pridiè, quam periit *Julianus* Apostata in Perside juxtà prætorium excubantem vidisse congeriem Stellarum sereno Cœlo literas in hanc sententiam exprimentem: HODIE JULIANUS IN PERSIA OCCIDITUR.

Per tubos Astronomicos plurimæ Stellæ, & Stellarum imagines fuerunt detectæ.

19. *A*b invento Telescopio mirùm auctus est numerus Stellarum: Quotidiè namquè in diversis Cœli partibus novæ lucidissimæ faces, & ex his ordinatissimè configuratæ imagines in conspectum producuntur. Ità observatum est, viam lacteam aliud non esse, quàm innumerarum Stellarum congeriem. P. *Rheita lib. 4. Ocul. Enoch & Eliæ cap. 1. memb. 7.* asserit novo suo Astronomico tubo unico obtutu plus quam 50. Stellas exhibente in sola se Orionis constellatione duplo quasi plures Stellas sæpiùs numerâsse, quàm Veteres in universo firmamento nempè 2000. In eâdem porrò constellatione, quasi Tunicæ Domini inconsutilis figuram Stellis expressam advertisse, propè cingulum Orionis tricorpoream Stellam observâsse: In Pleiadibus maxima Stellarum multitudine coruscis circulum, & in circulo quasi infantem jacentem vidisse: In Tauri verò signo crucem velut Teutonicam Stellis effigiatam conspexisse. Idem etiàm in Ep. quadam ad *Joann. Caramuelem* datâ scribit inter alia, se summâ cum admiratione ac delectatione sudarium Veronicæ, seu faciem Christi Salvatoris maximâ similitudine in astris expressam in signo quasi Leonis intrà Æquinoctialem & Zodiacum distinctissimè tubo suo binoculo observâsse. In fine gladii Orionis, sicut & in nebulosâ Cancri telescopio videtur magna congeries Stellarum teste *Ricciolo Almag. lib. 8. Sect. 1.* In Orionis ense quoque hiatus quidam interruptus apparet, per quem velut in plagam magis lucidam aspectus formatur, teste *Hugenio in System. Saturn.* Plura alia vide in Oculi mei artific. Fundam. 3. Synt. 4. cap. 5. §. 2.

Speculæ, & turres astropticæ.

20. Speculæ & turres *A*stropticæ plures diversis locis pro *A*stronomicis Observationibus haud levi impendio constructæ ab *A*uthoribus memorantur. Ità in Babylonis medio *Semiramis* olim templum Jovi erexit admiranda altitudine, ubi à Chaldæis Observationes factas fuisse accuratè considerato Oriente & Occidente propter operis altitudinem, scribit *Diodorus Siculus lib. 2. Ante Heliopolim* Ægypti specula quædam ostenditur ut loquitur *Strabo lib. 17. Eudoxi* dicta; quemadmodum & antè Gnidum, in quâ ille cœlestium motus adnotabat. Insula *Huena* exigua quidem terræ moles, inquit *P. Fournier in Geograph. orb. not.* at rerum maximarum gloria illustris, in quâ fundato Uranoburgo Matheseos Princeps nobilissimus *Tycho Brabe* Astronomiam instauravit. Speculæ Astropticæ Pekinensis apud *Sinas* celeberrimæ miro instrumentorum accuratissimorum apparatu instructæ figuram exhibet *P. Ferdinandus Verbiest. in Astronomiâ suâ Europæjâ nuper Dillingæ edita.* Clarissim. *Joannes Hevelius*, alter post Tychonem Astronomiæ restaurator & Auctor, nobilissimum admirandarum machinarum, & instrumentorum cœlestium apparatum ingentibus sumptibus sibi comparavit, verùm nuper rapido emanante ex ædibus suis incendio â voraci flammâ sumptuosissimus iste Thesaurus denuò absumptus, aut destructus fuit.

Alphonsus Rex summus Astronomiæ cultor.

21. Quamvìs tandem multi Terrarum orbis Principes & Dynastæ Astronomiam mirè excoluerint, ac maximis impensis provexerint: Inter omnes tamen primatum sibi vendicare jure meritò videtur *Alphonsus* ille Aragonum, & Siciliæ Rex, qui Astronomiæ restaurandæ ergò, & in tabularum, quæ de ipso nomen circumferunt, confectionem non dubitavit aureorum quadringenta millia profundere: judicabat enim Rex iste magnificus plùs ex Astronomiæ studio, & culturâ gloriæ se consecuturum, quàm ex ipsâ regni administratione. Atquè his disquisitionem istam pro instituto nostro, ingeniique viribus absolvisse sufficiat.





DISQUISITIO II.

COMETO - SCOPICA.

Quâ nova subindè in Cœlo enascentia Phœnomena cum notabilibus & mirabilibus eorum affectionibus & apparentiis deteguntur & recensetur.



PRæter hactenùs enarratas Stellas tàm fixas quàm erraticas, cum earum motibus & apparentiis, nova alia subindè exoriri in cœlestibus tractibus Phænomena, rursúmque occidere, ac penitùs disparere & omnium sæculorum, & Nostri maximè, quo artificialiter per telescopia oculus in longinqua armari cœpit, ac proximè præteriti sæculi testantur historiæ. Horum Phænomenorum alia appellare solent Cometas, sivè Stellas comatas, quæ per modum comarum lumen diffundunt; alia simpliciter Stellas novas, quæ in hoc solùm differunt ab aliis Stellis lucidis Firmamenti, quod non semper compareant, verùm quando aliquandiu mundo inferiori illuxerunt, rursùm disparere solent. De hujusmodi rarioribus cœli Phænomenis, quæ scitu digniora cognovimus, jam Curioso Lectori proferemus.

CAPUT I.

De Stellis novis, quæ diversis temporibus in cœlo observatæ sunt.



PEr Stellas novas hoc loco non intelligi volo illas, quæ à Nautis ultrà Meridianum progressis ad plagam Cœli Australem, magísque ad Polum Antarcticum detectæ sunt, ac constanter ibidem iisdem locis constitutæ videri possunt, sed eas, quæ in visibili nostro Cœlo inconstanter visæ, adeoque subinde alicubi quidem comparere, & subindè rursùs disparere compertæ sunt. Harum plures & diversis temporibus, & diversis Cœli locis à perspicacibus Astronomis observatæ fuerunt, ut mox recensebimus.

Stella in Natali Christi.

1. Præ omnibus inter Stellas novas in Cœlo visas verè principatum tenere videtur Stella ista augustissima, quæ Christo Salvatore recens nato Magis in Oriente comparuit, ipsisque Hierosolymâ Bethlehem versùs ad adorandum Christum euntibus prævivit, stetitque supra locum, ubi puer erat: Sicut habetur *Matth. cap. 2.* Magna tamen dissensio est inter Authores, cùm hoc Phænomenon cœleste à quibusdam Stella nova, ab aliis Cometa, ab aliis Angelus quidam fuisse putetur. *Eckstormius* notissimus Author nil de eâ definire audet; refert autem *D. Augustinum Serm. 31. & 34. de Temp.* tùm & primò inter 17 novissimos docere, Stellam illam fuisse admirabilem & incomparabilem, magnificam linguam Cœli, quæ narravit gloriam DEI, & inusitatum Virginis partum inusitato fulgore clamârit; eandemque biennio fulsisse: Idemque asserere *Epiphanium lib. 1. Tom. 1. contrà Herodianos. Origenes lib. 1. contra Celsum*, hanc Stellam in natali Christi Cometis temporaneis æqualem fuisse *docet Maldonatus* recensitis variis Doctorum Ecclesiæ sententiis subjicit. *Plerique alii Cometam fuisse dicunt. Ego Cometam aut Angelum dixerim.* Plures alii Authores recensentur à *Stanislao Lubieniecio in Theatr. Comet. Tom. 2. pag. 40.* qui Cometam fuisse statuunt, non tamen Æthereum, sed Aëreum. Verùm *Ricciolus Almag. lib. 8. sect. 2. cap. 19. N. 3.* plures allegat, qui negant Stellam illam Cometis adnumerandam esse, variisque rationibus contrà hanc Sententiam pugnat; quod & *Basilius illâ oratione in S. Christi nativitate* facit. Ego sanè, si credibile sit, biennio eam perdurâsse, ut suprà memoratum est, saniùs inter Stellarum novarum numerum referendam censeo, cum nullum *Cometam* tamdiù flagrâsse aliàs constet, aut certè extraordinarium Cœli Phænomenon vulgari Stellæ appellatione insignitum fuisse arbitror.

2. In die natali *Alexandri Severi*, posteà Romanorum Imperatoris dicitur Stella nova in splendore primæ magnitudinis apparuisse, ut tradit *Lubieniec. in hist. om. Comet.* Stella nova in Natali Alexandri Severi visa.

in Come-

in Cometâ LXXXI. pag. 61. ait enim: *Lætum ejus principatum præsignificavit Stella primæ magnitudinis in die primâ natalis toto die, referente Lampridio visa, ut eum Alexandro Magno similem non tantum nomen & Olympias, quæ illi nutrix, & Philippus, qui nutritor, obtigerat, sed & Stella nativitatem ejus, ut Cometa illius nuntians (& quidem ita, ut idem Alexandro Romano natalis, qui Macedoni fatalis fuerat) redderet, etsi per modestiam Magni cognomen recusaverit.* Hæc Lubieniecius.

Stella nova in signo libræ Anno 380. 3. Anno Christi 380, ut testatur *Rockenbachius*, stella nova visu mirabilis rotundæque figuræ, majórque Planetâ Venere, quæque totum Horizontem illustravit, in signo libræ per spatium quatuor mensium, à principio scilicet mensis Maji usque ad Septembrem ardere conspecta est. Quamvis autem Stella hæc ab eodem *Rockenbachio* inter Cometas referatur, placuit tamen ob illustrem splendorem, quem absq; comis ullis habuisse creditur, hìc inter Stellas novas recensere.

Mirabilis Stella An. 393. 4. Anno Dom. 393 inopinata & insolens stella medio noctis tempore propè Luciferum refulgens apparuit circà eum ipsum circulum, qui Zodiacus dicitur, radiis & luce non admodùm Lucifero cessit. Continuò ad illam alia vis Stellarum aggregabatur. Spectaculum si vidisses, apum examini circà ducem suum in orbem obvolitantium contulisses, quæ velut ex mutuâ & violentâ concussione ab omnibus eis emicuit lux in unam quandam commissa flammam evadebat, & gladii ancipitis magni & horrendi cum terrore quodam relucens faciem reddebat. Hoc quidem visum novum spectaculum: sed motus ejus prorsùs à Stellatum omnium cursu differebat. Primò enim ex eo loco, undè moveri incipiebat, cùm oriebatur & occidebat, deinde paulatim ab illo absistens, segniter & pedetentim quasi ad Ursas conversum cursum tenebat, & velut spectantes oblique ad sinistram suâ gradiebatur viâ, ambitum quidem eundem cum Stellis aliis, ad quas accesserat, communem perficiebat. Proprio autem motu, qui ad quadragesimum productus est diem, vix tandem majorem Ursam attigit, atque in mediâ astri istius parte postremò effulgens evanuit. Ità *Nicephorus lib. 13. 3. 37.*

Stella in medio Lunæ. 5. Anno Christi 583 Stella in medio Lunæ fulgens visa est. *Aimoinus lib. 3. cap. 23.* Quid de hoc phænomeno statuendum sit, ignorare se fatetur *Lubieniecius*, *in Theat. Com. tom. 2.* Ex rescripto ab alio Viro docto refert Phœnomenon hoc in Luna visum aut prodigium fuisse aut fabulam: Ex alio viro docto recensetPhænomenon hoc pro Cometâ äereo sub Lunâ accenso, & ad hujus celeritatem equaliter motu reputari posse. Tandem concludit: *Ego ut in medio rem relinquo, ità me non temerè hoc phænomenon inter Cometas numerare credo.*

Stella nova juxta Vergilias. 6. Anno Christi 684, ut refert *Calvitius* ex *Anastasio*, stella nova juxtà *Vergilias*, cœlo sereno inter Nativitatem Christi & Theophaniam apparuit obtuso lumine, ut Luna, & die 14 Februarii exiit Stella Vesperi à meridie in Septentrionem. *Sigonius* autem *de regno Italiæ lib. 2. pag. 49.* memorat hanc Stellam Anno Ch. 685 initio Januarii apparuisse eâ obscuritate infectam, veluti cùm Luna nubes subit & Mense Februario meridie alteram ab Occasu cum magno fulgore ad Orientem decurrisse. *Rockenbachius* vero Anno Christi 687 Stellam ejusmodi circà Natalem Domini propè Virgilias apparuisse dicit, quæ usque ad Epiphaniam Domini dies noctésque lucem de se sparsit. Verùm *Ricciolus* quoque ad Ann. 684 sidus hoc ponit, & an fuerit Cometa, incertum esse dicit. Stella Anno 1071.

7. Anno à Christo nato 1071 Stellam novam versùs Austrum & Occasum visam, postquàm deindè secutus sit Cometa longis ac flammeis crinibus per dies 25 exardescens memorat idem *Ricciol. in Almag.*

8. Anno 1172 circiter in Vigilia Natalis Domini, ut refert *Eckstormius ex Hist. Eccl. Cent. 12. cap. 13.* Stellæ duæ ignei coloris apparuerunt, quarum una erat magna, altera parva; fuerúntque initio quasi conjunctæ, posteà disjunctæ, & longo spatio distantes apparere desiêrunt. Duæ Stellæ novæ An. 1172.

9. Anno Dom. 1238 Stella nova immensæ magnitudinis per aliquot dies antè Solis ortum comparuit, quæ per longum cœli tractum veloci, crebróque cursu ferebatur modo ignem præseferens, modò fumum post se relinquens. Refert Phænomenon hoc *Eckstormius ex polyd. lib. 16.* à quo tamen etiàm inter Cometas numeratur, licet crinitum aut comatum fuisse non memoret. Stella Anno 1238.

10. Anno à Christo nato 1273 Mense Jul. & Aug. Stellam quandam novam miræ magnitudinis radios emittentem apparuisse refert *Chronicon Augustanum*. Stella An. 1273.

11. Anno 1572 ad quint. Idûs Novemb. apparuit in Cathedrâ *Cassiopejæ* Stella nova quoad quantitatem visibilem æqualis Veneri: per Decembrem autem Jovis sidus æmulabatur; Januario autem Anni 1573 Stellis primæ magnitudinis paulò major; sed Februario & Martio æqualis: Aprili & Majo Stellis secundæ magnitudinis; Junio & Julio tertiæ magnitudinis, in fine anni vix excedebat quintæ magnitudinis stellam. Tandem Anno 1574 in Martio evanuit. *Clarissim. D. Tycho Brahe* ob primò visam suam magnitudinem putavit esse Cometam: deindè tamen inter Stellas primæ magnitudinis posuit. Hæc Stella per 16 menses apparuit. Recentiores Astronomi in hoc eodem *Cassiopejæ* sidere tres alias novas Stellas hactenùs adverterunt, quarum una 4 magnitudinis, duæ verò reliquæ 5 magnitudinis reputatæ sunt. Stella in Cathedrâ Cassiopejæ.

12. Anno 1600 in pectore Cygni observata fuit Stella nova, quam *Keplerus* 3 magnitudinis censuit. Hæc ad An. 1621 vel ut alii ad Ann. 1626 usque comparuit, Stella in pectore Cygni.

R 2 dein-

deinceps autem ab oculis mortalium disparuit. Putat *Hevelius* hanc eandem Stellam ad *Ann.* 1659 in conspectum rediisse & *Anno* 1660. rursùm disparuisse: *Anno* verò 1666. denuò comparuisse. *D. Du Hamel in Phys. part. 2. tr. 1. cap. ult.* refert eam *Anno* 1655. primùm iterùm à *D. Cassino* visam paulatim lumine auctam fuisse, idquè per quinquennium, dum Stellas tertii ordinis magnitudine æquaret, tùm sensim imminutam disparuisse. Idem supramemoratus *Hevelius Anno* 1670. aliam Stellam novam propè caput Cygni deprehendit. Stella verò in hoc asterismo *Bayer* dicta diversa est ab illâ, quæ olim fuit detecta. Clarissimo *Kirchio* insigni *Astronomo* Lipsiensi hanc ità appellare placuit, quod *Bayerus* hanc primus ad initium hujus sæculi in collo Cygni deprehenderit.

Stella nova Ann 1604 in Sagittario.

13. *Anno* 1604. die 8. Octobr. ut refert *Eckstormius* sub magnâ conjunctione Saturni, Jovis, & Martis inusitata stella apparuit, & initio etiam *Anni* sequentis adhuc flagravit. Fuerunt ab initio non pauci, qui Veneris Stellam crediderunt. Cœpit autem apparere die 3. Octobr. vesperi paulò post horam sextam in 17. gradu Sagittarii uno gradu & 30. scrup. ab Eclipticâ distans, cum Jupiter 19, Saturnus 11, Mars verò 22 ejusdem Signi gradum obtinerent. Progressum deindè fecit donec 1. Novembris die Gradum 17 prædicti Signi assequeretur; quo loci eam sequenti Novembr. 10. etiamnùm deprehenderetur, stationariam eam factam, moxque retrogradam futuram, & cursum per Eclipticam versùs dextram Serpentarii, indequè per medium Cygnum ad Cassiopeiæ sidus directuram esse, existimatum est, quo loci præterito Anno 1572. Cometam visum esse, qui huic quidem magnitudine & splendore non admodùm dissimilis fuerit, multi sunt, qui etiamnùm meminerunt. hæc *Eckstormius*: Ex quibus, apparet eum hanc Stellam novam (quam pleriquè alii talem indicant) & Phænomenon illud cœleste *Anni* 1572. Cometam eundem reputare. *Schottus in Isagoge Itin. Extat. Kirch.* hanc Stellam *Anno* 1604. die 9. Octob. in Serpentario apparuisse, & *Anno* 1606. initio Februarii evanuisse refert.

Stella nova propè Cingulum Andromedæ.

14. *Anno* à partu Virginis 1612. & 1613. novam Stellam propè cingulum Andromedæ apparuisse tradunt *Clarissim. D. Bullialdus*, & *Doct. P. Fabrij*, hancque denuò *Anno* 1613. evanuisse. Quæ porrò Stella nova propè dextram manum Andromedæ ad *Annum* 1664. observata fuit, diversam à priore non fuisse plures arbitrantur. *Aliam* quoquè Stellam novam propè idem sidus *Anno* 1672. rursum sese exhibuisse constat.

Stella in collo Ceti.

15. Stella mira in collo Ceti, quæ hoc sæculo ineunte ab *Astronomis* observata fuit, jam *Anno* 1596. præcognita dicitur, & *Bayerus* eam in suo catalogo *Anno* 1601, ut reliquas vulgò cognitas inseruit, ut refert *Du Hamel in Phys.* Anno deindè 1637. *Phocilides*, qui Bayeri tabulas non viderat, eamut novam denuò observavit, ac primus renascentem vidit, cum anteà evanuisset. Ex eo quidem tempore illam singulis annis reverti, & unum ferè mensem antevertere compertum est. Hanc anticipationem 33. dierum definivit *Clarissimus Bullialdus*: eam quoquè stellam partìm obscuram, partìm lucidam existimat, adeò ut circà suum centrum gyrans modò hanc modò illam partem nobis obvertat. Sed tamen *D. Cassinus* ex collatis inter se observationibus hujus Stellæ ab *Anno* 1596. usquè ad *Annum* 1678 existimat anticipationem illius esse 35. dierum & 6. horarum; vixque per simplicem Stellæ circà proprium centrum revolutionem omnes illius phases explicari posse. Non enim singulis Annis eandem obtinet magnitudinem; quandoquè secundi ordinis Stellas superat; interim intrà tertium ordinem vix consistit. Deindè non eodem semper temporis spatio sui copiam facit. Nam aliquandò vix per tres menses continuos, quandoque per 4. integros & amplius conspicitur. Nequè æquis etiam temporum intervallis incrementa sumit: Interìm citiùs crescit, interdùm tardiùs; adeò ut quasdam mutationes physicas intercedere satis sit verisimilè, ac fortè tam diversa Phænomena explicari vix possunt, nisi polos revolutionis peculiari quodam motu fieri statuatur. Ineunte An. 1678. ad summam suæ molis, & fulgoris pervenisse dicitur; cumquè quotannis 35. dies & 6. horas antevertat, quo tempore continuò splendidior futura sit, aut quandò annis jàm elapsis majori luce fulserit, constitui facilè potest. Quas etiàm de eâdem hac Stellâ observationes *D. Henricus Syvers* Hamburgi habuerit ab Anno. 1647. ad Ann. 1667. videre licet *in Theat. Comet. D. Stanislai Lubienitzki tom. 1. pag. 929. & 930.*

16. Anno 1670. à *R. P. Anthelmo Cartusiano* visa primùm fuit Stella quædam nova propè caput Cygni, eáque ut tertii ordinis per tres menses apparuit, ac paulatim deinceps velut extincta est. Rursùm Anno 1672. ab eodem conspecta ad eandem magnitudinem tertii nimirum ordinis perducta paulatim evanuit.

Stella nova propè caput Cygni.

17. Solertissimus *D. Cassinus* præter Stellas novas hactenus enarratas, plures alias adhuc in diversis Cœli locis hoc nostro Sæculo detexit; unam nempè quartæ magnitudinis inter constellationem Eridani, ac constellationem Leporis: alias quoquè duas advertit ad initium dicti Eridani, & rursùm quatuor alias propè Polum Arcticum, ut refert *D. Mallet in Cosmographia*. Andromedæ etiàm nebulam, quæ nova sæpè habita est, idem *D. Cassinus* in eodem semper loco visam esse deprehendit, ut refert *Du Hamel in Physic.* Cœterùm & alias plures Stellas, quæ antiquitus notæ fuerunt in Cœlo, jam disparuisse notatum est; velut unam in Constellatione Ursæ minoris propè caudam, aliam

Plures aliæ Stellæ à Cassino detectæ.

aliam in collo Ursæ majoris, aliam in Eridano propè caput Ceti, aliam in Pleiadibus; similiter aliam in Catena Andromedæ, sicut & alteram adhuc in eâdem hac constellatione; deniquè observatum fuit, unam etiam in signo Piscium sese subduxisse, quæ à Tychone tertii Ordinis reputata fuit.

Phœnomenon annuum cœleste. 18. Valdè mirificium & inexploratum, quin etiam paucissimis adhuc cognitum est Phœnomenon cœleste quod statis suis vicibus quotannis apparere solet, cujus historiolam paucis ita mihi communicavit Expertissimus Astronomus Noricus *D. Georgius Christophorus Eimmartus*, quæ ita se habet. Sub initium cujuslibet Anni conspicitur in Horizonte Noribergensi occiduo post Solis occasum (credibile est idem phœnomenon in pluribus aliis etiam Europæ locis, si curiosè attendatur, appariturum.) tractus albicans figura trianguli scaleni ad basim horizonte terminatus; qui lumine languescente usquè ad Pleiedes, latitudine tamen paulò australiori protensus in mucronem desinit ab uno latere suo versus Austrum, quoad extrema, debiliori splendore indiscriminatim dissipatus; latere verò boreali satis candicante nota à reliquo Cœlo separatus, stringit eodem latere exactè duas Stellas *Markab* & *Algenib* in Pegaso. Circa medium mensis Januarii est idem latus boreale Æquatori ferè parallelum. Cessante crepusculo durat adhuc duas, tresvè horas pro aëris constitutione quandoquè clarius, quandoquè debiliùs conspicuum, nec nisi cum primi mobilis motu, iisquè fixis, ubi in mucronem obtusiorem desinit, tenaciter adhærescens, occidere solet. Stellæ minutissimæ intra hujus tractus albicantis complexum clarè atquè dilucidè conspiciuntur, ita ut albore & pelluciditate sua phœnomenon hoc galaxiam longè superet. Cuspidis extremitas unà cum lateribus ad motum Solis exactè dirigitur latere boreali, ubi Horizontem contingit, vel potius secat magis ad boream promoto, cuspide verò magis ad Austrum depressa. Circa diem 15 vel 16. Aprilis plerumquè evanescit. Simile quid in Cœlo nullis aliis temporibus, nec in ulla plaga alia ante vel post mediam noctem, quantumvis studiosè quæsivisset, deprehendere se potuisse scribit idem *Eimmartus. D. Kirchius* etiam in Calendario suo ejusdem mentionem fecit Phœnomeni; & videtur idem esse cum eo, quod Clarissimum *Cassinum* Regis Galliarum Astronomum etiam in Cœlo deprehendisse constat ex *Actis Erudit. Lips. Anni 1683. Cal. Jul. pag. 274 & seq.*

Concludo tandem præsens caput præfati eximii Norici Astronomi verbis, quæ in Epistola ad me data ita perscripsit. *Neque insolitum*, inquit, *id esse in Mundo stellato notum est, quin imò frequentissimè apparitiones & disparitiones Stellarum contingere non solum credo, sed & scio. Continuavi per plures annos serenissimis noctibus Asterismos cœlitus depingere, quorum haud exiguam partem successivè comparavi, in iis Schematismis, si rursus cum Cœlesti facie confero, quandoquè plures, quandoquè pauciores numero &c.* Sic itaque non adeò mirari debemus, quod tanta in Mundo hoc inferiori contingant rerum metamorphoses, cum ipsum etiam Cœlum iis liberum & immune penitus esse non queat.

CAPUT II.

Stellarum novarum Genesis ac Materia, & diversarum apparentiarum causa indagatur.



Recensitis tot Stellis novis, quæ in pervasto Cœli ambitu diversis sæpè temporibus, ac etiam tam inconstanter humanis oculis sese demiserunt; nunc venit indagandum, quæ cœlestium horum temporaneorum Phœnomenorum origo, quæ materia, quæ diversarum apparentiarum causa exstimari possit. Sed antequam hec ipsa solerti indagine perscrutanda adeam; Occurrit id, quod *Lucius Annæus Seneca Cordubensis* Philosophus prudenter admodùm, & acutè more suo *Natur. quæst. lib. 7. cap. 30.* scripsit. *Egregiè Aristoteles ait: Nunquam nos verecundiores esse debere, quàm cùm de divinis agitur. Si intramus Templa compositi, si ad Sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur: quantò hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de Stellis, de earum naturâ disputamus; ne quid temerè, ne quid imprudenter, aut ignorantes afferamus, aut scientes mentiamur.* Ità verè sapienter magnus hic ex maximo *Aristotele* Philosophorum omnium Principe præmonet Philosophus. Quocirca haud meliùs hic me acturum arbitror, quàm ut aliorum comprimìs Doctorum Virorum sententias in medium producam; unicuiquè deinde judicandi libertatem derelinquam. Siquidem in tam abditis & ab omni ferè disquirendi facultate remotis Phœnomenis quid judicare verè possumus? Cum in his, quæ pedibus ipsis calcamus, & manibus palpamus, adhuc ità rudes existamus, ut erudiri plus debeamus, & ut ampliùs erudiamur, sedulò studeamus. Sed his præmissis nunc rem ipsam aggrediamur.

Variæ sunt Astronomorum sententiæ circà Stellas novas subindè conspectas. Primò aliqui volunt Stellas fixas non in eâdem Cœli superficie constitutas esse, sed alias Stellæ in Cœlo aliæ aliis sublimiores.

alias aliis sublimiores, & quidem in circulis eccentricis motus suos peragere: Undè fit, ut cùm terrę propiores existunt, videri queant: cùm verò à terrâ remotiores, visum effugiant. Favet huic sententię plurimùm earum in comparentiâ lucis incrementum & decrementum, vel quod Stellę novę nunc crescere, nunc decrescere videantur, sensimquè vel compareant, vel dispareant. Sic primò ea Stella, quæ in collo ceti ineunte hoc sæculo observata fuit, non statim, sed paulatim extincta fuit. Anno 1648. rursùm comparuit, & juxtà Doctissimi *Bullialdi* observationem post 333. dierum circulum, ut refert *Du Hamel in Physicâ*, maximum lucis specimen cœlo demisit, indè paulatim fulgor ejus imminutus est, donec planè rursùm evanuit. Sic stella, quæ in Cygni pectore sæpiùs comparuit, & rursùm disparuit; Anno 1600. ut Stella tertii ordinis observata fuit & complures Annos ità perseveravit, tum paulatim imminuta, tandèm omninò oculis subducta fuit. Anno 1655. iterùm à D. *Casfino* primùm visa paulatim lumine aucta est, & per quinquennium Stellas tertii ordinis magnitudine adæquavit: tùm sensim denuò imminuta fuit. Sic etiam Stella illa à *P. Anthelmo* Anno 1670. observata propè caput Cygni per tres menses, ut Stella tertii ordinis comparuit, ac deinceps paulatim velut exincta est: Rursùmque Anno 1672. ab eodem sub eâdem tertii ordinis magnitudine observata fuit, & denuò paulatim ut anteà humanis oculis subducta fuit. Cum igitur Stellarum istarum lumen ita variet; atquè nunc accrescere, nunc aliquo tempore constare, nunc diminui, tandemque planè evanescere compertum fit: videtur talis diversitas, & luminis variatio quod meliùs percipi haud possit, quàm si statuatur Stellas istas diverso ab aliis tramite Cœli ambitum percurrere, ità ut nunc tertæ propiores, nunc remotiores, existant; sicut suprà indicatum est.

Stellarum novarum corpora partim lucida, partim obscura.

Secundò existimant alii Stellas novas semper in cœlo eodem loco hærere; corpora verò earum globosa majoribus quibusdam maculis esse distincta, ac circa axem proprium convertibilia: Undè fieri dicunt, quod ubi maculosa & obscura pars telluri obvertitur, visui minimè pateant; ubi vero pars lucida terram versùs convertitur, quod lumen demittant, sicque in conspectum venire queant. Ità pari modo variatio luminis in Stellis istis concipi potest, ejusdemque incrementum vel decrementum; cùm maculosa vel lucida ejusmodi corporum pars converfione factâ circà proprium centrum sesinm ac paulatim vel ad visum nostrum accedat, vel ab eodem recedat; undè lux major, vel minor, vel nulla quandoquè profundi advertatur. Ità Solertissimus *Cassinus* Stellam novam in Ceto singulis annis reverti dicit cum anticipatione tamen dietum 35. & 6. horarum, sicut *præced. cap.* indicatum est. Quamvis tamen per simplicem Stellæ hujus circà proptium centrum revolutionem non omnes adhuc ejus phases explicari posse existimet, sed alias insuper mutationes physicas intercedere verisimile judicet.

Stellæ maculis ejectis obteguntur.

Tertiò ex Cartesianis *Henricus Regius in fund. phys. cap. 2.* vult aliquas Stellas fixas quibusdam maculis, qualibus sæpè Sol noster tegitur, obnubilari, easque maculas ex iisdem oriri causis, tamque densas sæpè evadere, ut omnem nobis earum conspectum adimant. Contrà verò quasdam Stellas densissimis liberatas maculis recens in conspectum venire, & novarum Stellarum imaginem præbere, quamvis illæ ante multa sæcula exstiterint. Similiter sentit *Antonius le Grand Instit. Philos. part. 5. cap. 16.* ubi sic ait. *Nec meo judicio alia ratio assignari potest, quarè quædam Stellæ nunc majoris, nunc minoris magnitudinis appereant, nisi quià secundùm macularum diversitatem earum aspectus varietur, imò ab illis ità interdùm tegi possunt, ut per multos annos visum nostrum penitùs effugiant. Sic olim Plejades numeratæ sunt septem, quæ jam sex duntaxat conspiciuntur. E diverso contingere potest, ut Stella anteà non visa subitò & ex improviso appareat; si vortex nimirum maculam ambiens vicinos vortices vehementiùs premendo, quàm ab iis prematur, sinus suos latiùs extendat.* Ita ille.

Sententia Kircheri de Stellarum novarum genesi.

Quartò *Kircherus in itin. Extat. dial. I. c. 9. num. 12.* vult Stellas novas naturali vi ex vehementi globorum solarium firmamenti exhalationum, vaporumque eructatione originem suam deducere. Solaria enim firmamenti corpora, ut ait, sic à similitudine dicta cum ingentes subindè exhalationum cumulos ejaculentur; illæ in æthereæ auræ finibus condensatæ, & perpetuâ luce solarium globorum irradiatæ novas Stellas exhibent: vel etiam, ut idem ibidem ait, contingere potest, ut exhalationis expansa materia à globis vicinioribus firmamenti illuminata latentes vicinos & opacos globos lunares tantâ lucis reflexione perfundat, ut illa hoc tàm lucido amictu fulgens in nostrum tandem sese conspectum exponat. Undè porrò tantæ exhalationes proveniant, subdit ibidem: Astra nimirum subindè chronico, seu climaterico morbo laborare; videlicet ex liquoris aliundè communicati abundantia tantas ebullitiones subire, ut in immensam æthereæ auræ regionem indè exotientes vaporum exhalationes extensæ, astrisque vicinis illustratæ inusitatum novæ Stellæ spectaculum exhibeant. Vide etiam *cap. seq. num. 11.*

Stellæ novæ è cœlesti materiâ ortum habent.

Quintò *Christianus Longomontanus* ad mentem *Tychonis Brahe in appendice Astronomiæ suæ Danicæ* de adscititiis Cœli Phœnomenis, cum multa de causâ efficiente ortûs & generationis novorum Phœnomenon protulisset *capit. 5.* deinde ubi causam materialem eorundem pertractat, statuit imprimis Stellas novas è cœlesti materiâ, quæ tam astrorum, quàm expansi, sivè

sivè *Rhacheæ*, ut vocat, naturam quodammodò referat, ortum suum obtinere. Quod autem cœlestis hæc materia apta sit pro novis Phœnomenis, sic ostendit. Cùm enim *Aristotele* docente ad generationem duo comprimìs genera circa materiam requirantur, quorum unum in qualitatibus contrariis consistat, quæ elementis inter se transmutandis inesse sentiuntur: alterum in destructione seu privatione formæ in materiâ, dum similis, aut alia in eam introducitur: Ostendit deindè contraria illa Cœlo inesse, licet *Aristoteles* excludat. Nam quod qualitates primas attinet imprimis agentes illas scilicet frigidam, & calidam, alibi (in prognorismatis scilicet Astronomiæ) haud dubiis argumentis se evicisse dicit: Nempè expansum illud cœleste eximiè frigidum esse; astra verò, & imprimìs Solem calore excellere. Quapropter primum hoc ex contrarietate principium pro novâ cœlestium Phœnomenωn generatione adstare dicit.

Pro altero haud multum, inquit, laborabimus, quandò oculis, quæ videmus, fides tutò applicari solet. Talia sunt illa Phœnomena, quæ recenter in Cœlo oriuntur, nempe Stellæ novæ, & Cometæ, quæ reverà in Cœlo generari non pluribus argumentis adversùs Peripateticos probare necessarium est. Materiam igitur novorum Phœnomenωn quasi naturæ tertiæ esse oportet, quippè ab astris & expanso resultantis, idquè tam ob qualitates horum, quas contrarias esse suprà innuimus, quàm primævæ Cœli ac siderum creationis considerationem.

Materia novarum Stellarum è Galaxiâ astruitur.

Ex quâ proindè parte Cœli hæc novorum phœnomenωn generationis materia potissimum provenire queat, statuit nec quicquam in cœlo aptiùs, astris, exceptis, reperiri præter cingulum seu circulum, quem Græci τὸν γαλαξίαν, Latini viam lacteam nuncupant. *Quocircà*, ait, *inter omnes convenienter mihi ratiocinari videntur, qui hunc circulum noctu in Cœlo apparentem materiam novis Phœnomenis largiri arbitrantur.*

Licet porrò ab invento Tuborum opticorum artificio deprehensum sit, viam lacteam esse multiplicem congeriem minutissimarum Stellarum, earumque multùm propinquarum collucentiam; vult tamen præfatus Author non esse meram talem congeriem, nequè dictas minutas illas Stellas ambire præcisè expansum tenuissimum, sed prætereà aliquam adhuc materiam circumfluam, atque novis aptam Phœnomenis generandis inesse; uti quoque *D. Isaacus Habrechtus* sentit ab ipso citatus; quod & ità probat ratione à sensu simul oculari, atque Authoritate præcellentissimi omnium Ætatum Astronomi *Tychonis Brahe*, qui subortum hiatum in viâ lacteâ ac sidere Cassiopejæ in eodem loco cœlesti notavit, ubi nova Stella Anno 1572. præluxerat, sicut & ipsemet Longomontanus eundem se oculari experientia comprobâsse dicit. Hinc itaque colligit.

Hiatus in viâ lacteâ observatus.

Si via lactea solùm lumen esset Stellarum in eâ consitarum; nihil certè indè absumi, aut perire potuerat, dùm scilicet Stellæ istæ suis singulæ locis, quod faciunt, manent. At Stella illa nova prænominata ingens, & fulgentissima post sui disparitionem Anno sequenti hiatum tenebrosum, seu reliqui Cœli colori extrà lacteam haud dissimilem in eodem loco reliquit, ubi ad marginem Galaxiæ fulsisse deprehensa est, quippè luminis confusi fluore non confestìm repletum & obductum. Ergò consentaneum est, subfuisse præter illud Stellarum lumen materiam quandam, ex quâ nova illa Stella constabat: Quâ quidem Stellâ resolutâ ac dissipatâ, materia unà absorpta, & aliò, è loco ubi extiterat, transportata est.

Stellæ novæ plerumque in viâ lacteâ exortæ.

Aliam rursùs adducit rationem *Longomontanus* à subjecto loco usitatæ generationis novorum Phœnomenon, ac imprimìs novarum Stellarum; qui quidem locus ut plurimùm in viâ lactea est, quippè in quâ tam dicta Stella Anno 1572. in Cassiopeja, quàm illa An. 1600. in Cygno, deniquè nova Stella An. 1604. in genu Serpentarii &c. ortum duxit. Tandem subnectit. *Ex allatâ igitur ratione concludimus, quod sicut herbæ aut alia terræ crescentia materiam non è longinquo, sed iis locis, ubi oriuntur, acquirunt: Sic novas Stellas præcipuam materiam è viâ lacteâ haurire, in quâ oriri plerumque videntur, & hanc quidem materiam, ut dixi, quoquomodo variam esse ab eâ. quæ cæteroquin reliquo Cœlo cedit Expansum, seu Rhachea à nobis declarata.* Atque hæc est Sententia Clarissimi Astronomi *Longomontani* juxtà *Tychonis* doctrinam de novorum Phœnomenon cœlestium origine & materia, quam ideò paulò fusiùs declarare libuit, quià scio eandem à Doctissimis Viris *Fromondo, Liceto, Libavio, Bartholino* aliisque teneri. Plures alias Sentētias de novarum Stellarum origine & genesi proferemus, dum paulò infrà Cometarum, ad quos alii plerique Stellas novas referunt, generationis argumentum pertractabimus.





CAPUT

CAPUT III.

De Cometis in genere, & variis eorundem figuris ac apparentiis.

R. P. *Ricciolus* ſtudioſisſimus Aſtronomiæ reſtaurator *Almag. lib. 8. Sect. 1. cap. 13.* acutè ſcripſit: *Cometa eſt ſplendidum ænigma â Deo propoſitum, nunquam ab humanis ingeniis ſolvendum.* Sed & *Thomas Fienus* Lovanienſis Academiæ Archiater in doctisſimâ diſſertatione de Cometâ Anno 1618. præclarè dixit *Cometam eſſe miraculum Naturæ idoneum ingeniis noſtris torquendis, quod admirari debemus, cognoſcere nunquàm poterimus.* Ità reverà eſt; torquentur ingenia virorum doctiſſimorum quamplurimùm in perſcrutandis Cometarum ergaſteriis, in rimandis his abditis Cœli Phœnomenis: Sed quis ſcientiæ veritatem ſe eruiſſe profitebitur? Quis reconditos hos arcanorum ſtudiorum receſſus penetrasſe dicet? Scilicet cum *Platone* docente *Natura ſit ars* DEI, magnus ille rerum omnium Artifex hìc humanis ingeniis clavum figit, nec artem ſuam etiam à curioſiſſimis, & quantumvis ſtudioſiſſimis indagatoribus apprehendi facilè permittit. Quocircà benè etiam ſcripſiſſe mihi videtur doctiſſimus *Iſmaël Bullialdus in Ep. ad Lubieniecium* datâ Pariſiis die 13. Febr. An. 1665. ubi ingenuè carpit quorundam de reconditis his Cœli facibus audaciam ſcribens: *Sufflaminandi ſunt animi impetus, in quibus abrepti de rebus abſtruſiſſimis tanquàm notiſſimis plurimi audaciſſimè decernunt, tantâque confidentiâ de illis ſtatuunt, acſi, in quâ regione naſcuntur, ipſi præſentes eorum ortui primò adfuiſſent.* Ego proinde ne ullam temeritatis, aut inſolentioris audaciæ notam incurram, ſeveriorem aliquam de longè abditis his Phœnomenis ſententiam non feram, aliorum verò doctiſſimorum Virorum, quos videre licuit, ſententias ità in medium adducam, ut cuiquè libertatem de his diſcernendi relinquam; ne vel ipſe, dum plurimùm in reconditis his deſudare conatus fuero, ingeniolum fruſtrà torſiſſe, & nihil cognoviſſe dicar. Priùs autèm proſtat Cometicum corpus generaliter paucis hoc cap. cum variis, ut è Cœlo ſæpiùs ſe humanis oculis demittere ſolet, apparentiis, ſive ſpeciebus deſcribere.

Cometam igitur communiter à Comis dicere ſolent, quod ſit Stella comata ſive crinita, aut cincinnata, in modum ſcil. comarum lumen profundens. Tametſi verò Cometes juxtà nominis etymologiam & expreſſiorem ſignificationem unam ſolùm Phœnomeni cœleſtis ſpeciem ſignificet, videlicet Stellam comatam, ſeu crinitam, & quaſi radiorum jubare capillatam: ampliori tamen ſenſu commune nomen eſt, & omnes ejusmodi oſtentorum formas complectitur, ſivè Stellarum adinſtar circumquaquè crinitarum appareant, Roſæque hac apparentiâ ab aliis dicantur, aut caudis extenſis effulgeant, cometæque barbati, aut caudati dicantur: Sivè jaculi aut enſis modo longam radiorum appendicem trahant, ſive latâ rotunditate fulgeant in diſci formam, ſive alias quascunquè figuras exhibeant: Veluti plures earum *â Plinio lib. 2. Nat. Hiſt. cap. 25.* deſcribuntur ac græcis nominibus appellantur, ut ſequitur.

1. Κομήτης. Stella crinita vel cincinnata.
2. Πωγωνίας. Barbata, cujus inferiore ex parte in ſpeciem barbæ longæ promittitur juba.
3. Ἀκοντίας. A formâ jaculi.
4. Ξιφίας. A formâ gladii.
5. Δισκεὺς vel potiùs δισκοειδὴς ferè ſinè radiis niſi raris à margine colore electrio.
6. Πιθίτης. Dolio ſimilis in concavo fumidæ lucis.
7. Κερατοειδὴς. Cornu ſpeciem habet.
8. Λαμπάδες. Stellæ, quæ faces ardentes referunt.
9. Ἱππεὺς. Equinas jubas referens, celerrimi motùs atquè in orbem circà ſe euntes.
10. Ἀργυρόκομης. Argenteo crine ità refulgens, ut vix intueri liceat ſpecieque humanâ DEI effigiem in ſe oſtendens.
11. Λογχίτης. Formâ haſtæ.
12. Fiunt & hirci villorum ſpecie & jubâ aliquâ circumdati, ſimul jubæ effigies mutata in haſtam eſt. Olymp. 108. hactenus *Plinius.*

Has pleraſque ſpecies Cometarum *M. Manilius lib. 1. Aſtron.* pulchris hiſce verſibus decantavit.

Diverſas quoquè per facies accenſa feruntur
Lumina, quæ ſubitis exiſtunt nata tenebris,
Nam modò ceu longi fluitent de vertice crines,
Flamma comas imitata volat, tenuiſque capillus
Diffuſos radiis ardentibus explicat ignes.
Nunc prior hæc ſpecies diſperſis crinibus exit,
Et globus ardentis ſequitur ſub imagine barbæ,
Interdùm æquali laterum compagine ductus,
Quadratamvè trabem fingit, teretemquè columnam.
Quin etiam tumidis exæquat dolia flammis,
Procero diſtenta utero, parvoſque capillos.

Menti-

Mentitur parvos ignis glomeratus in orbes.
Hirta figuratur tremulo sub lumine messis.
Lampadias fissus ramosos fundit in ignes.

Verùm omnes Cometas quarumcunque sint formarum *Aristoteles libro 1. Meteor. cap. 8.* reducit ad duas solùm species, nempè ad *Caudatos* & *Crinitos*: Si enim circumquaque jubar dispergunt, Criniti; Si versùs unam solùm partem, Caudati dici possunt. Communiter nunc tres afferunt species, dicuntque Cometas aut barbatos, aut caudatos, aut crinitos. *Barbatus* dicitur Cometa, qui Cœlum suspiciens caputque attollens barbam antrorsùm versùs exporrigit, eò nempè quò iter meditatur. Cauda verò cùm sit pars posterior animalis & semper in cursu sequatur, indè dicitur Cometa *Caudatus*, qui radios post se trahere videtur. Cùm verò sinè caudâ vel barbâ solummodò radiis aut jubare radioso, crinibusque undequaque in orbem cinctus videtur crinitus; *Cincinnatus* aut *Rosa* vocari solet. Verùm cùm omnes illæ differentiæ ex Solâ dispositione visûs nostri inter Solem & Cometas oriri videantur; non erit in ipsis Cometis notabilis aliqua diversitas, ac distinctio, sed qualiscunque erit, ea tantùm erit optica; prout nempè hujusmodi corpora aliter ac aliter in oculos nostros incurrent. Undè benè etiam *Seneca lib. 7. cap. 11.* de Cometis differens ait: *Sivè sint aliquæ differentiæ illorum, sivè non sint; eâdem fiant omnia ratione necesse est.* Si tamen Cometæ aliqui extrà ordinariam quandam figuram exhibuisse ab Authoribus scribantur: Singulari haud dubiè divinâ ordinatione ad erudiendos pro extra ordinariis casibus & secuturis eventibus hominum animos ità effigiatos fuisse credi potest.

CAPUT IV.

Variæ Sententiæ de Cometarum origine & materiâ proferuntur.

Nusquàm plùs sibi permittere solet humani ingenii audacia, nusquàm asserere confidentiùs, nusquàm definire fortiùs quàm in rebus abstrusis, & procul à sensu atque notitiâ mortalium remotis. Nempè novit illa se in talibus non â quovis facilè convinci erroris posse, & sic ipsâ rei obscuritate tuta est. Verùm tantò magis suspensis oporteret nos incedere vestigiis, ubi res aciem ingenii humani facilè effugit ac proptèr summam rei difficultatem summa est labendi & hallucinandi occasio, imò penè necessitas. Ergone, inquies, omnis de Cometis, eorumque materia & origine quæstio omittenda est? Nequaquàm ea mihi hic mens est: Sed circumspectè rem hanc tractandam censeo. Disquirendum potiùs, quàm determinadum temerè, atque nihil statuendum, ubi res minùs in scatebrâ suâ perspecta est. Ita hoc loco de quæstione, quid sint Cometæ, quę eorum materia & origo nonnisi probabiliter in utramque partem disputari posse arbitror, imò certum omninò esse credo, quod dixit *Seneca. Facilius dici posse, quid Cometæ non sint quàm quid sint.* Hoc tamen non obstante diversorum Astronomorum sententias audire libet.

Aristotelis, & Peripateticorum sententia. 1. Nota comprimìs est *Aristotelis* opinio, Cometas esse exhalationes vi Solis, & Astrorum ex Terrâ per segregationem calidi extractas, & propriâ levitate ad supremam aëris regionem sublevatas, ibidemque inflammatas. Unde materiam Cometarum ejus asseclæ statuunt esse sublunarem, non æthercam, eamque viscosam, & siccam, crassam & pinguem: Formam autem esse figuram ipsam accensionis, quæ fit per motum aëris circumstantiis. Verùm enim verò quantumvis Vir hic summus sit Philosophus: Attamen Mathematicorum nostri & prioris sæculi demonstrationes certissimè videntur evincere vix ullum Cometam hactenùs in elementari, sed in æthereâ regione constitisse. Undè etiam vix ullus, vel modicè doctrinæ parallaxeos gnarus universaliter jam ampliùs in tutandâ hac sententia tanto Viro obsequium præstare cupit.

2. *Epigenes* haud ignobilis Philosophus Byzantinus teste *Plutarcho libro 3. de placit. Philosoph. capite 2.* fertur statuisse Cometas esse spirtus terreni quid habentes, qui in sublimè ferantur, ibidemque ignescant. *Seneca libro 7. Natur. quæstion. Capit. 3.* Referens & impugnans eandem Philosophi hujus sententiam ampliùs quid memorat; *Epigeni* nempè videri Cometas accendi turbine quodam aëris concitati, & intorti. Verùm quæ prodit de vi turbinis, quâ avelli, & agitari Cometas dixit *Epigenes* â mente *Aristotelis*, qui Soli exhalationes illas è terrâ marique extrahenti, & in supremam aëris regionem elevanti vim hanc tribuit, aliquantùm distant. Undè Sententiam *Epigenis* cum *Aristotelis* & Peripateticorum, prout *Libavius pagina 44. probl. Comet.* judicat, minimè concordare dicendum est. Sententia Epigenis.

3. Clarissimus *D. Otto Gericke* Consul Magdeburgensis novissimè sententiam de Cometis juxtà hypothesin Terræ mobilis inducere conatus est, quæ præcedenti *Epigenis* plurimùm conformis est. Imprimis statuit, quod Terra & aër faciunt Sententia Gericke.

ciunt unum corpus, aër verò constitutus sit circà terram in certo pondere, & certâ altitudine. Deindè dicit, Corpus hoc terraqueum cum äëre simul constitutum esse; vel locum habere in universo Spatio, vel Vacuo, in quo omnia corpora cœlestia, sicut etiàm & terram tale esse dicit: Terram item in hoc spatio expedire suum cursum circà Solem in Anno.

Quandò itaque veniunt singulares procellæ; illæ efficiunt, quod earum vi particula äëris rumpatur ex circulo aëreo in istud spatium. Hæc particula accipit splendorem à Sole, sicùt aurora, nubes, Planetæ &c. & quidem tali modo, quia in ipso vacuo vel spatio hæret, ubi nullum aliud creatum est. Quandò igitur terra persequitur suum motum circularem, & centralem, tunc apparet ista particula, quæ est Cometa; & motus terræ ratione loci, sicùt etiàm Sol suâ attractione, & radiis facit cursum Cometæ, & ejus motum. Ex quibus omnibus patet quod in hujus Viri doctissimi sententia Cometa nihil aliud sit, quàm avulsa particula äëris; quod item in loco quiescat, ejus autem motus opticè tantùm sit intelligendus, & magis ex motu annuo telluris proveniat. Quomodò autem Cometæ nunc caudati, nunc sinè caudâ, sivè criniti, qui & Rosæ vocantur, compareant: Statuit Caudatos versari adhuc in supremâ regione äëris, quæ tantùm aura est. Rosas verò extra auram in spatio puro. Nam illi, ut inquit, qui adhuc in aura permanent, circumvagantur vi ex se ipsâ secum certantis naturæ mirum in modum, habentque pro conceptu nostro caudas, quæ tamen nihil aliud sunt, quàm corpus cometæ illustrata aura, quæ eundem ambit. Alterius generis Cometæ, Rosæ, dicti; videntur illi esse extra auram, & à terrâ, eumque ambiente aëre prorsus separari; Undè nec caudam ullam habent, & fortassis non moventur, sed motus eorum ex motu telluris annuo provenit, nisi & Sol attractione suâ illis prætereà alium motum tribuat. De magnitudine, dum existimant, Cometam tantùm esse, quantus omnis aër circà terram sit, oritur illi nullum dubium: Siquidem aër eam habet naturam, ut se ubi spatium datur, magis magisque extendat.

Verùm hanc sententiam *Hevelius*, *Ricciolus* aliique præstantiores Astronomi plurimùm improbant: Doctiss. *Bullialdus in Epist.* die 6 Martii Anno 1665 ad *Lubieniecium* datâ, eandem non admittendam censet, cum molem elementarem aëris à procellâ sic convelli & discerpi velit, ut ab eâ pars avellatur & in Cometæ formam transeat, *ut gratis asseritur*, inquit, *gratis quoque negare possemus. Subjiciemus tamen hanc rationem quod scilicet experientia antiquorum & ultimorum temporum demonstrarit in altissimorum montium jugis nullas procellas, nullosque ventos pervenire, aut sentiri.*

4. *Julius Scaliger* cum ex *Cardano de Subtil. lib. 4.* intellixisset; Cometam esse globum in cœlo constitutum, qui à Sole illuminatus videtur, & dum radii transeunt, barbæ, aut caudæ effigiem formant, hanc suam inde format sententiam. *Corpus, inquit, est cometa, & tam densum ut illustrari, tàm rarum ut transmittere queat radios: id quod etiàm videmus In globo vitreo.* Et paulò post *Vaporem arbitror vi tractum ab astrorum aliquo in aëris summam regionem, cujus vaporis natura non sit ardens, sed mistæ materiæ, tanquam fumus aut fuligo recipiens Solis radios, atque idcircò visibilis & transmittens eos, atque ideò caudata.* Verùm *Cardanus* longè aliter sentit, dum vel Cometam in Cœlo generari ait, vel si generatio ibidem fieri nequeat, jam præexistat, sed minimè videatur, nisi aër siccescat & attenuetur. Adduco ejusdem verba *loc. cit. Hic igitur in cœlo, si ibi est generatio, fieri potest: Si non admittatur, dicere necesse est, quod & veriùs est, cœlum esse sideribus pluribus, sed non admodum densis plenum; quod cùm aër siccessit & attenuatur; vel etiàm aliis ex causis oculis nostris se subjicit. Nam & quandoque Venus mediâ die videtur, quam de novo genitam non esse satis constat. Indè fit ut si crescente aëre maria multum agitentur tempestatibus, & ventorum flatus persæpè maximi succedant, & nobiles ac principes, qui curis & vigiliis, odoratisque cibis, tùm vinis potentioribus siccantur, mortem oppetant. Contingat & hac causâ aquarum imminutio & piscium mors, & sterilitates & legum mutationes, ac seditiones, & regnorum subversiones: Quæ omnia (ut dixi) ab immodicâ tenuitate ac siccitate aëris fiunt ut Cometes horum quidem possit esse signum, causa autem minimè.* Hæc *Cardanus*; ex quibus sententia ejus de ortu Cometarum satis luculenter patet.

Sententia Scaligeri.

Sententia Cardani.

5. *D. Christophorus Rothmannus* Scaligeri acer impugnator in quadam ad *Tychonem* Epistolâ opinatur Angelorum bonorum operâ halitus terrenos leviores in sublimè ferri & suprà Lunam deferri, ut ibi à Solaribus radiis permeantibus exeant & in eam partem dirigantur & deferantur angelico ministerio, quo eos deferri vult divina providentia ad incutiendum mortali generi terrorem. Hæc sententia non displicuit *Fromondo*, placuit *Francisco Restæ*, defenditurque à *Cabæo*; ut docet *Ricciolus Almag. cap. 6. pag. 38. num. 12.* qui & *Damasceni* & *Tanneri* aliorumque sententias in hanc rem ibidem citat. Præcipuè quoque cum *Rothmanno* facit *Guiduccius Aresius*, & *Prætorius*, qui Cometas dicunt esse halitum terrestrem suprà Lunam elevatum, & ibi illustratum, nisi quod de Angelorum in iis dirigendis opera nihil habeant.

Rothmanni Sententia de Cometarum origine.

Hanc

Hanc ſententiam *D. Stanislaus Lubieniecius in Theat. Comet. in Epiſt. ad D. Guerriche* fatetur Theologicè & Ethicè optimam eſſe, dummodò talis philoſophicè ſit, quod ad materiam & cauſam efficientem Cometæ attinet: In eo jam magis probanda, quod exhalationes ſuprà Lunam efferat, & à Sole non accendi, ſed illuminari dicat, quod contrà Peripateticos illi Philoſophi ſuprà memorati propugnant.

Busmanni Sententia de Cometis.

6. *D. Chriſtianus Buſmannus Philoſ. & Medic. Doctor ac Phyſicus Hanoveræ ordinarius*, ut refertur *in Theat. Comet. Lubieniecii* nullum Cometam in elementari regione, ſed in ætherea perpetuò conſtitiſſe aſſerit. Idem ſtatuit Cometas eſſe corpora lucida extrà naturæ ordinem vi divinâ in æthere & maximè ſublimi parte Cœli demiſſa, & peculiari motu, & figurâ conſpicuâ, ut ſint nuntii ingruentium calamitatum, à ſecuris mortalium non animadverſarum vel neglectarum; ſi forte ipſis ad Deum converſis mala iſthæc vel tota averti, vel paululum mitigari poſſint.

Sententia cujusdam, qui Cometam malum genium dicit.

7. Sicut autem vi divina *Buſmannus*, & Angelorum operâ *Rothmannus* Cometas oriri dicit: Ità è contrario fuit, qui emiſſo publicè libello auſus ſit Cometam *Malum genium* nominare & Satanæ operâ produci, ut ſcribit ſolertiſſimus *D. Lubieniecius ad D. Viſſovatium*, acriterque impugnat, & juſtè. Nam licet SS. Literæ Satanam Principem aëris, & Rectorem mundi cum Spiritibus malignis in Cœleſtibus locis habitantem edicant, divinoque permiſſu graves in aëre tempeſtates, & multa mala patrare poſſe conſtet, ſicut in Hiſtoria *Jobi* videre licet: Nihilominus Cometarum Phœnomena tàm illuſtria, quæ plurimis rebus ingentibus etiàm lætis & ſalutaribus prælucere ſolent, ut infrà declarabitur; à jurato Dei pariter & hominum hoſte excitari, ac regi minimè credi poteſt. Nec videtur Divinæ tum Majeſtati, tùm Sapientiæ, tùm Bonitati conveniens pati, ut impuriſſimus ille & nequiſſimus Spiritus tàm crebrò & tamdiu conflatis, & pro lubitu motis Cometis humano generi illudat, & metum triſtium è veſtigio ſecuturorum incutiat. Benè tamen hinc licet arguere, quanta humani ſit ingenii temeritas in his, quæ abſtruſa ſunt, & reconditiorem aliquam ſcientiam habent, ut novi aliquid proferatur, è Satanæ officinâ ſpeciem aliquam argumenti expoſcere.

Sententia De Chales.

8. *R. P. Claudius Franſciſcus Milliet De Chales Aſtron. lib. 8. prop. 2. Phyſicâ*, dicit materiam ad formandos Cometas ex ipſis Sideribus, imò & Cœlis peti poſſe, ſivè interveniat generatio ſubſtantialis, ſivè alteratio tantùm addenſativa aut rarefactiva; quæ, ut putat, videtur ſufficere ad productionem Cometæ. Neque enim putat minus in Cœlis admittendum eſſe frigus, quàm admittatur calor; calorem autem negare non poſſumus, ſi Solis maculas nonnunquàm in faculas mutari fatemur. Quarè tàm benè ex Sideribus, & Cœlis educetur materia, quàm educatur ex terris: Neque enim totum Cœlum unicâ conſtare ſubſtantiâ æqualiter diffuſâ credendum eſt, ſed diverſitatem in eo admittendam, imò & plurimos varioſque motus, & non unicum tantùm ab Oriente in Occaſum: plurima enim cœleſtia corpora nos latent, quæ ſcilicet ſeparata nimis parva ſunt, quàm ut ſub angulo ſenſibili videantur. Ex his omnibus Corporibus educi poteſt calore Solari materia, quæ ex accidente aliquo in unum coaleſcat, & formet illud corpus. Neque enim magis corpora cœleſtia corruptionis, & generationis ſunt expertia, quàm tellus, quæ exceptâ levi aliquâ cruſtâ, quæ vix quinquè aut ſex pedes obtinet, immutabilis eſt: Eodem modo non deſinent corpora cœleſtia eſſe incorruptibilia ex toto, quamvis ſecundum aliquam ſui partem corrumpantur, & Cometis materiam ſubminiſtrent; Et credibile eſt innumeros dari Cometas ob parvitatem inviſibiles. Ità *De Chales*.

Huic ſententiæ favent complurimi Authores celeberrimi. Ità *Keplerus* aſſerit Cometas ex aurâ ipſa ætheré variis in locis in moles quasdam orbiculares concreſcente efformari. Similiter Cometas ex materiâ cœleſti addenſata & illuſtratâ componi ſentit *Libavius*, *Licetus*, & alii; *Longomontanus*, ut priore cap. etiàm de novarum Stellarum geneſi memoravimus, juxtà Clariſſimi *Tychonis* mentem, ac Iſmaël Bullialdus cum aliis deſignant eam materiam è viâ lacteâ, ſivè Galaxiâ deſumi. Quocircà hic etiam ſuccinctè in *Epiſt. quadam ad Lubieniecium in Theat. Com. relatâ ſcribit. Per analogias quasdam ſolas ad ſublimium illorum contemplationem accedere licet. Propterea ne in errorem nos ipſi aliosque trabamus hoc dicere ſenſu & ratione dictantibus ſufficit: Materiam illam æthereum eſſe, & Galaxiæ non abſimilem. Plura qui dicit, divinare vult, demonſtrare verò ac docere non poteſt.*

Andreas Viſſomatius in epiſtolâ quâdam, quæ in *Theat. Com.* refertur, ortum & materiam Cometarum Planetis adſcribit. *Quia*, inquit, *compertum eſt, Planetarum globos eſſe corpora opaca, quæ ex ſe non lucent, ſed à Sole in centro mundi noſtri ſito illuminantur* (juxtà Hypotheſin Copernicanam) cum id non tantùm de Lunâ, quæ velut altera terra eſt, conſtat; verùm etiam de Veneris aſtro obſervatur. Hinc proclive eſſe dicit, ſuſpicari, ut ex telluris globo, qui ipſe quoquè inter Planetas non immeritò referri poteſt, emanare exhalationes, è quibus accenſis Cometas oriri putant Peripatetici: Ità ex iſtis Planetarum diverſorum globis emanare poſſe ſimiles halitus, qui in Cœlo ſuperiore ſuprà Lunam collecti, & vel ibi accenſi, vel potiùs à Sole, à quo plerumque averſam comam vel caudam habere ſolent, luce reflexâ illuminatos conſtituere. Præſertim ſi verum eſt, quòd *Campanella* teſtatur. Cometas ut non quidem planè opaca, ſed ſemidiaphana corpora

D. Viſſomatii Sententia.

pora per umbram terræ inter eos & Solem interposita eclipsim pati similiter ut Lunam. Ità ille, addens insuper hanc suam Sententiam *Liberti Fromundi* Sententiæ esse conformem adeoque in hac sua indè esse confirmatum.

Sententia Snelii.

10. Expertissimus *Snellius* putavit Cometam esse quoddam veluti frustum ex Solis massâ decerptum, cùm Sol actu calidus, imò igneus existens (quamvis invito Aristotele) non tantùm lucem, quæ substantia ignea est, utpote calefaciens, urens &c. ex se emittat, sed etiam eructet nubes quasdam, quæ ab Uranoscopis recentioribus observatæ, ab iisdem maculæ Solis vocari consueverunt, ex quibus ille Cometas fieri opinatur: paulò aliter ac meliùs hanc sententiam exponit vir insignis, qui sequitur

Kircheri Sententia de Cometarum materia & Origine.

11. Excellentissimus Author *Athanasius Kircherus in Phisiologia nova de Comet. natura à Jos. Petruccio* edita sententiam de materia & origine Cometarum hanc tradit. Quod imprimis materiam Cometarum attinet, præsupponit I. Corpora cœlestia esse obnoxia corruptionibus, eoquod habeant qualitates Elementorum. II. Spatium illud ætheris immensum esse limpidissimum, solumque auræ ætheræ plenum, nec in illo dari soliditates, nisi corporum Stellatorum. Dicit deindè & probat (Authoribus *Vendelino libro de Cometis. Caramuele lib. de Observationibus Eclip. Scheinero in Rosâ Ursinâ, Galilæo in Nuntio sidereo*) Cometas oriri ex Sole ejusque maculis. Sunt autem Illi maculæ Solares quædam umbræ mixtæ cum luce adinstar fumorum (*Scheinero* approbante *dict. lib.*) qui à superficie Solis bullientis in æthera ejiciuntur. Quandò autem quibusdam temporibus materia Solaris in intimis suis visceribus à malignis aliorum Planetarum aspectibus, qui circumcirca sunt positi, commovetur; indè in ætherem, dicit, extolli immensos globos fumosos, qui pleni halituum, ubi cum fumis aliorum Planetarum condensantur, & à Sole illustrantur, aut per antiperistasin frigidi in æthere ambientis inflammantur, fiunt Cometæ. Ad quod producit *Scheinerum*, qui *lib. cit.* scribit, se per continuas multorum annorum Observationes considerâsse, quod quò tempore Sol fuerit purus ab omnibus maculis, semper natus sit Cometa. Statuit deindè etiam *Kircherus* ex reliquorum Planetarum, & Stellarum fixarum fumis, & exhalationibus vel Solis, vel conjunctis cum fumis Solaribus oriri, & componi Cometas; id tamen fieri per lucem & radios Solares, qui & illa corpora illustrent, & indè extrahant illos halitus & vapores gignendis Cometis idoneos. Hosce autem Cometas dicit non videri tàm per defectum materiæ, quàm per immensam à nostris oculis distantiam: Solere tamen apparere in forma Stellarum, sicuti qui A. 1572. in Cassiopæâ apparuit. Atquè hæc est doctissimi *Kircheri* sententia.

Hevelii sententia de Cometis.

12. *Joannes Hevelius* hoc nostro sæculo tàm in Practica, quàm Theorica Astronomiâ incomparabilis Cometam nobis describit esse corpus æthereum crinitum, seu barbatum temporaneum haud omninò quoad caput globosum, sed disciforme ex halitibus, fumidisque evaporationibus tam Solis, quàm reliquorum Planetarum omnium conflatum, & quidem ex multifariis corpusculis, nucleisque partim rotundis, partim diversis irregularibus inspersa hinc illinc materiâ rariori compositum; cujus universa materia nullo prorsus nativo instar eorum corporum, ex quibus prodière, gaudet lumine: Sed omne quod habet, à Sole prorsùs haurit. Cujus insuper cauda ex radiis reflexis, refractisque Solaribus procreatur, dum in medio quodam rariori, ceu Atmosphærâ Cometicâ Cometam circumdante â parte à Sole aversâ sistuntur. De reliquo corpus ipsum mobile est non quidem motu duplici in quodam eccentrico, & super axem, ut reliqua corpora ætherea, & æterna, sed tantùm motu propemodùm rectilineo, faciem semper soli rectâ fermè obvertendo secundùm impetum, quem Atmosphæraista prior primæ coagulatæ materiæ ejectæ impressit, & communicavit.

Hevelii sententia meliùs exponitur.

Statuit proindè *Hevelius* universim omnes Cometas in Systemate Planetario, atque ex Planetarum evaporationibus & effluviis generari: Ità verò, ut ex hujus, vel illius Planetæ, ut & Solis, vel etiam omnium exspirationibus Cometæ suo tempore proveniant: Hancque suam sententiam, ut paucis clariùs exponat, asserit corpora cœlestia habere aliquam potentiam promotricem alterationis, generationis, & corruptionis: tùm materiam vaporosam ex corporibus eructatam ad coagulationem & condensationem à naturâ illis insitâ maximè propendentem, qui halitus ætherei spontè ex se concrescunt, dum sibi relinquuntur, sicuti ex se nubes. Dein etiam quod coagulata materia, nucleique congregati ægrè discedant, nisi vi quâdam sivè extrinsecâ, sive intrinsecâ, quæ adeò nobis nondùm innotuit & dissipentur & resolvantur, ut tandem illa materia eò, quò ejecta redire possit. Docet prætereà materiam Cometicam non esse æquabilem, & continuam aliquam massam, quæ in globum, seu sphæram planè ut Planetæ perpetui, corporaque illa æetherea perfecta coalescat: Sed adinstar nostrarum exhalationum & evaporationum terrestrium, nubiumque in corpus quoddam extensum, explanatum, latèque diffusum, inæquale plerumque & discretum coire, confluereque; atque indè ceu corpora discea, & planiformia Cometas apparere, certâ tamen corporis sui crassitie more nubium, atque macularum Solarium, cum quibus alioquin in multis appositè conveniant: Cum & harum materia in longum latumque fusè diffundatur, nequaquam in per-

in perfectam sphæram condensetur; quanquàm observatum sit in unâ macularum illarum insigniori nonnunquàm diversissimos nucleos, modò rotundos, modò alterius alicujus figuræ apparere. Materiam insuper illam Cometicam multis modis differentem cum suis diversissimis nucleis in perpetuo motu coagulationis, condensationis, congregationis, diminutionis, accretionis & decretionis pro facultate naturali sibi inditâ versari, ut caput ferè indiès varietur, affirmat. Undè etiam concludit dari motum materiæ Cometicæ continuum. Vide Cometographiam ejusdem.

Non placet tamen *D. Schulero Bredano* Professori Philosoph. Cometam coalescere & coagmentari ex diversorum Planetarum halitibus ac effluviis; sed vult tantùm ex unius alicujus Planetæ effluviis quodvis Corpus Cometicum efformari posse: Eòquòd sicut effluvia terrestria ad cælestium tractuum non possunt ascendere, & cum eisdem commisceri, sic nec singulorum Planetarum effluvia in sphæras aliorum Planetarum excurrere, ac cum effluviis alterius cujusvis Planetæ commisceri possint.

Sententia Abrahami de Grau. 13. *D. Abrahamus de Grau*, Matheseos in Academiâ Frisiâ Professor, ut refert *Lubieniecius in Theat. Comet.* in Epistola Hamburgo die 28. Februar. 1665. Berolinum ad *Joannem Raven* datâ, censet, Cometas esse sidera maculis intexta, vago & irregulari motu protrudi solita, eaque non consumi, sed altiùs in ampliorem Cœli circumferentiam tendere. *Renatus* verò *des Cartes* Cometas censet esse sidera & à Stellis fixis degenerantibus oriri. Etenim cum corpus lucidum Stellæ tegitur maculis (velut & in Sole ex eodem generatis maculis contingit) lumen non emittit, ut antè; sed tantùm ut corpus opacum & densum remittit, & sic abreptum à vicinis vorticibus in se contortis, vel nomen Cometæ, cum suprà Saturnum movetur; vel Planetæ assumit, cum in Sphærâ Planetarum existit. Motum verò Cometarum nec perfectè circulari, nec conico tramite absolvi dicit, sed irregulari, ac naturali juxtà dispositionem & motum vorticis cometii, qui & motum accelerare atque retardare potest sinè aliquâ certâ, & à nobis determinatâ lege naturæ, adeòque nobis certò perspectâ atque cognitâ. *Doctissimus Gassendus Physic. Sect. 2. libro 5. cap. 1.* de Cometis refert, *Keplerum* cum suis asseclis opinari auram æthereæm variis in locis concrescere in moles quasdam orbiculares, & hascè moles seu concretiones motione acceptâ, lucèque imbibitâ Cometas evadere: Neque ferri minùs frequentes per immensitatem ætheris, quàm Pisces per vastitatem maris: Tametsi ut eos solùm Pisces, qui dùm stamus in littore, non procul prætereunt, videmus: Ità ex Cometis ij solùm apparent, qui à nobis in terrâ degentibus non procul semitam instituunt; istos qui à nobis videntur accipere lucem à Sole, & caudam idcircò gestare, ipsamque à Sole aversam, quod ipsa nil aliud sit, quàm effluvium ex capite vi lucis trajicientis factum, adeò ut Cometa effluxu continuo demùm exsolvatur.

Cartesii.

Vossii Sententia. 14. *Isaacus Vossius de natur. lucis capit. penultim. & ultim.* docet, Cometem verum Corpus cœleste & sidereum esse, quod accensum circum undiquaque ardentes flammas in modum comarum emittat. Hæ autem flammæ cum Solem versùs à majore Solis luce suffocentur & absumantur; obstante autèm ipso corpore Cometico in aversâ à Sole parte flammeæ comæ absorberi nequeant; hinc fieri dicit, ut ità sidus caudatum vel comatum appareat. Asserit prætereà, quod si Sol ità versùs corpus hoc Cometicum obtegi & eclipsari posset; ut radiis suis Cometam illustrare nequeat; eum circumquaque flammeas comas, velut in caudâ dispersurum. Addit insuper, cum aliquandò futurum sit, ut terrenus globus exuratur: Similiter ut dicit ab incolis aliorum globorum cœlestium (absurdè enim judicat omnes Stellas & cœlestes globos veluti terraqueum globum incolas suas habere & ab iisdem inhabitari) ad modum ardentis Cometæ conspiciendum.

Taceo plures alias Sententias; quæ cùm minùs sint probabiles, nec ullam veritatis apparentiam excolendis præbeant ingeniis, ideò indignas censeo, quæ memorentur. Ex his omnibus tamen relatis Studiosus Lector facilè advertet, quam in tàm longè ab hominum sensu & ratione remotis phænomenis perscrutandis magnus semper à doctissimis Philosophis & Astronomis impensus labor, quàm ingens adhibita, vel penè exhausta solertia: at indè quàm parvus ingenuæ Veritatis fructus acquisitus, cum in tanto dissentientium doctissimorum Virorum collegio, cui caput annuas assensum præbendo, spectare haud queas. Benè certè, si *Epigeni* credimus, referente *Seneca*, Chaldæi licèt ingeniosissimi, solertissimique Siderum rimatores fuerint, nihil tamen de Cometis statuerunt. Quid multis? Etiàm *Joannes Regiomontanus* decimi quinti sæculi à Christo nato lumen & Astronomiæ Restaurator nihil de Cometis enunciare voluit, sed eorum originem ad occultas Naturæ causas retulit. *Thomas* verò *Haggecius* egregius pariter Mathematicus occulta DEI opera eos appellavit. Tandèm & ipse *Tycho Brabeus*, Astronomorum facilè Princeps, suam tàm eruditam incomparabilem solertiam, & præstantissimorum suorum organorum fidem non magni hìc facit, dum Cometas inter Naturæ miracula nondùm exposita refert. *T. 1. progym. p. 513.* Quocircà præclarè *Bullialdus* in Epist. die 1 Maji Anno 1665 ad *Lubienecium* datâ scribit: *Hoc ità arduum est, ut de ortu Cometarum quicquàm nisi obscurum, incertum, & conjecturis potissimùm immixum, differere non possimus: Undè*

illorum materia emanet ac effluat, qualis ipsa sit; motum ei quis motor imprimat; quo se recipiant; ubi se abscondant illa corpora: ignotum semper erit. At humanus intellectus sciendi rerum causas avidus, ut adsequatur illas, perpetuos labores, eósque ærumnosos sustinebit, Sapientiores interim ac λογικώτεροι, *ut aliquid rationi consentaneum, & à temeritate immune afferant, ab assertione dogmaticâ abstinebunt.*

CAPUT V.

Experimenta quædam, & Observationes variæ circà Cometarum corpora quoad eorum scilicet situm, figuram, mutationem, durationem, & dissolutionem proferuntur.

Benè scripsit *Seneca* summus Philosophus: *Cœtus astrorum, quibus immensi corporis pulchritudo distinguitur, populum non convocat, at cum aliquid ex more mutatum est, omnium vultus in cœlo est. Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet. Nemo observat Lunam nisi laborantem. Idem in Cometis fit: si rarus & insolitæ figuræ ignis apparuit, nemo non scire, quid sit, cupit, ignarus utrùm debeat mirari, an timere.* Ità factum certè nullo non tempore quod solertissimi quique Astronomi viso tali temporaneo cœli Phænomeno non tantùm in eorum causas & originem, sed & in eorum formas ac figuras, quibus veriùs cœlo promicant, & in accurata eorum phasmata, phasmatúmque variationes inquirendas omne studium, curamque omnem impenderint. Quia verò ex invento non ità pridem tuborum opticorum, aliorumque instrumentorum Uranoscopicorum artificio, quo visus in longinqua mirificè acui, ac plurimùm perfici solet; atque etiàm ex tot, tamque multorum hoc eodem sæculo nostro in Cœlo subortorum talium phænomenωn, observationibus utpotè quo, ut cum *Claudiano* canam,

Non aliàs cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura, nec diri toties arsêre Cometæ,

optima hinc est enata opportunitas, hæc ipsa accuratiùs pervestigandi, atque intimè eorum penetralia sublustrandi: Idcircò à curiosissimis æquè ac solertissimis & in hæc divina studia intentissimis summâ diligentia ac vigilantia adhibita fuit, Pro accuratiori, quàm prioribus unquàm sæculis præstitum fuit, de his scientiâ acquirenda. Ex iis proinde, quæ ità cognoverunt, aliqua nunc aggredior recensere.

Capita Cometarum ex diversis nucleis & materia dilutiori compacta.

1. Comprimìs itaque observatum fuit à Lynceis nostri sæculi Astronomis Cometarum capita ex diversissimis nucleis, tùm tenuiori & dilutiori materiâ porísque intersita constare, ut radiis solaribus haud difficulter transitum concedere possint. Per tubos etiàm excellentiores in corporibus Cometicis subindè nescio quid Stellularum conglobationi simile animadversum fuit. Visus etiàm fuit quandoque Cometa (sicut *in Theat. Comet. Lubien. tom. 1. pag. 690.* recensetur) per telescopium 60 pedum sublividus & interdùm stricturis argenteis cum puniceis, porraceis, flammeis, & hyalinis intermixtìm vibrantibus, ut vel ex eo posses sulphureas flammas observare in modum spiritûs vini incensi. Limbus obibat corpus Cometæ hirsutâ luce obfuscatus, neque ille rotundus, sed unciatâ ferè ad figuram Saturni. Jurabant verò nonnulli se vidisse partes sulphureas & bituminosas veluti ex incensâ tædâ spargi. Ita *Lubieniecius in hist. om. Comet.* etiàm testatur à *Cysato* exploratum telescopio caput Cometæ Anno 1618. die 29. Novemb. fuisse deprehensum instar ingentis foci luculentas tres aut quatuor prunas igne valido accensas exhibentis, visúmque Cometam quasi triplicem globum. Observatum porrò illas prunas situm nonnihil mutâsse, instarque carbonum nostrorum in plures particulas dissiliisse.

2. Caput esse solet diversi sæpè coloris & luminis, aliquandò debilioris, aliquandò obtusioris, ità ut in meditullio capitis lucidius quoddam sæpè lumen stipato alio obscuriori ac tenuiori, sivè capillitio compareat. Sæpè etiam meditullium corporis animadversum est ex uno solo clariori nucleo, sed ex pluribus particulis, sivè corpusculis, tum densioribus & lucidioribus, tùm diversæ densitatis subtiliori materiâ constare. Caput diversi coloris, & luminis.

3. Notatum etiàm fuit materiam Cometicam in capite multis sæpè modis esse differentem cum diversissimis nucleis in perpetuâ quadam alteratione versantibus: Ità ut nucleus aliquis, qui hodiè ad medium disci Cometici comparuit; alio die exindè magìs ad limbum recedere, vel aliò divertere; alius porrò ad alterius locum accedere notatus fuerit. Proindè statuit *Hevelius* nullum Cometam propter diversitatem materiæ, halituum scilicet, nucleorumque commotionem, tum etiàm diversissimam distantiam Cometæ à terrâ colorem, lumenque suum, licet hoc prorsùs à Sole hauriat; illum verò etsi ex unico tantùm Planetâ deducat, constanter per totum apparitiones tempus conservare posse, sed assiduè lumen, colorem, formamque capitis ea propter mutare, & non nisi certis quibusdam diebus splendidiori amœniori & majori specie videri. Materia cometica plurimùm alteratur.

4. Licet Cometæ subindè libero oculo compareant admodùm tenues ac debiles; nec ullum caudæ appareat vestigium: meliori tamen telescopio considerati caput Aliter Cometæ apparent oculis armatis, aliter in armatis.

put

put insigni lumine & spectabili magnitudine adhuc præditum videri poterit cum diversis nucleis,& materiâ diversæ densitatis lumine debiliori cinctum. Item quamvis oculo inermi discus cometicus sæpè compareat exactè rotundus,armato tamen oculo minimè absolutam præse ferre rotunditatem, sed asperam, laceratamque cuspidibus hincindè leviter emicantibus conspicietur.

Ex Lunæ præsentiâ vel absentiâ apparentiæ cometalis variatio.

5. Lunâ præsente magna variatio Cometis induci solet;nam obscuriùs & pallidius illorum corpus plerumque comparet cum minori caudâ. Lunâ verò occidente & occumbente mox corpus lucidius, & illustrius cum caudâ longiori in conspectum venire appetit. Solet etiàm subindè Cometa cum suâ caudâ omninò confundi, & totus nil aliud, quàm albor ab aliis cœli partibus satis indiscretus spectari, tandemque omninò disparere, iterumq; apparere; sicut contigisse miratur *D. Joan. Lunesciblos* in Cometa A. 1664.

Atmosphæræ cometicæ.

6. Cometas habere suas atmosphæras peculiares, quæ eos cingant, docet *Hevelius*. Exindè concludit; dùm radii solares in corpus illud disceum (tale enim statuit,non enim,vult esse perfectè sphæricum) incidunt,imprimis in nucleos illos diversos, eorumque varias varieque inclinatas superficies adversùs terram expositas,plures & rectiores ad nos reflecti, quorum beneficio caput Cometæ conspiciamus: at reliquos radios ad latera nucleorum hinc indè dum in materiam rariusculam interjectam corpusculis incidentes necessariò per caput sub diversissimis angulis partim reflexionis, partim refractionis transverberari vel transire, & quidem in partem Soli oppositam ad atmosphæram, seu in materiam illam dilutiorem post Cometam latentem: in hac enim materiâ rariuscula lumen Solis per caput Cometæ transverberatum ab ejusque nucleis reflexum à materia verò aliquanto dilutiori refractum in plagâ Soli oppositâ in atmosphærâ videlicet Cometicâ sisti,crudamque effingi. Pro constitutione autem capitis, & materiâ adhærente caudas variam inducere speciem atque ità caudas nil nisi radios solares refractos & reflexos esse.

Colores Cometarum.

7. Cum alii quidem ex colore Cometarum,prout ille nempè adcolorē unius aut alterius Planetæ accedit,ad divinationem Astrologicam aliquid præstare censeant: Verisimiliùs tamen est Cometas in colore rubicundiores, igneosque magìs; item majores & lucidiores nobis plerumque esse viciniores. Undè etiàm dum Cometæ indiès sæpè colores mutant,tàm diversæ eorum substantiæ, quàm etiàm eorundem materiæ adscribendum vult *Hevelius*.

8. Omnes & singulos Cometas Solem certo respectu venerari & suspicere tanquàm suum Regem præsertim suâ inclinatione disci perpetuò Soli sub angulo recto obversi, sicut Planetæ coævi Solem semper pro centro habent, comperisse se dicit idem solertissimus *Hevelius*;indeque cursum Cometarum conicum modò celeriorem, modò tardiorem deducit.

Cometarum duratio.

9. Licet *Plinius* existimârit Cometem non ultra 80 dies,nec celeriùs 7 occultari: communiter tamen statuunt ultrà dimidium annum nullam durare. *Lubieniecius* invenit 8 Cometas senis mensibus durâsse nempè anno secundùm æram vulgarem à Christo nato 60, 64, 78, 145, 337, 603, & 1240. Unicus restat Cometes prorsùs singularis octimestris, nempè qui anno 375 illuxit. Verùm etiam ad Annum 975 octimestrem annotat *Calvisius* ex *Cedreno*, & *Eckstormius* ex *Schoffero*. Suspicatur tamen *Lubieniecius* in numerali notâ 9 pro 3 positâ forsan errorem esse. Imò integro etiam anno & amplius luxisse aliquem volunt,veluti illum Anno 1572 conspicuum: Verùm nos suprà eum Stellarum novarum catalogo adscripsimus. Quod etiàm de Stellâ Natali Salvatoris prælucente dicitur eam ad biennium exarsisse, & illam quæ antè luctuosissimum Urbis Jerusalem & Politiæ Judaicæ excidium integro anno conspicua fuit, meritò inter Cometas portentosos extraordinarios, aut Stellas miraculosas plerique reputant.

Mirum de cometicæ materiæ ejectione ex Sole.

10. Mirum est, quod docet *Hevelius* unicum Solem quovis tempore tantùm materiæ & exhalationum evomere posse, ut ex illâ materiâ uno anno ejectâ 130 ampliùs tales cometæ, qualis Anno 1664 luxit, vel 9 disco terreno prorsùs æquales progenerari possint. Undè quid de cæteris Planetis dicendum sit, judicandum reliquit. Prætereà non tantùm non miraculum esse dicit, quot tot Cometæ uno sæculo prodeant, sed potiùs quod tàm pauci; cum Sol tantam materiæ copiam uno anno possit ejicere. Putat itàque multos Cometas vel à nobis longè remotos, vel parvos nobis esse inconspicuos: ideò verò tàm raiò apparere,quod Cometæ ex diversis Planetis profluens materia non facilè in unam massam coïre possit: cum raiò Cometa ex unius Planetæ materiâ nascatur. His addi potest, quod etiam *Cardanus lib. 1. de Variet. cap 1.* scribit. *Fiunt Cometæ multò frequentiùs, quàm videantur, & circa crepuscula; quia tunc homines harum observationum cupidi vigilant, nocte dormiunt, die videri raiò potest. Sed illustres juxtà medium noctis fiunt.* Verùm & alii graves Authores censent plures Cometas sæpè in cœlo existere, quàm ut omnes à nobis conspiciantur: imò in eclipsi Solis totali tales propè Solem observatos esse.

Dissolutio Cometarum.

11. Cometarum materia ultimò dum decrescit, apparenter magìs, magisque disgregari,& dissipari solet atque ità paulatim tenuior & pallidor reddi,donec planè diffluat. Pari modo, ut ab exortu sensim congregatur, coagulatur, condensatur,minorque quoad diametrum redditur,sic ut tandem existente in summo robore & densitate Cometa, etiàm minor revereà existat. Unde constat nequaquàm Cometarum corpora in viciniâ terræ quoad diemetrum veram esse minima,

nima, imò talia in maximâ à terrâ distantia esse posse.

Caudæ evanescentia cum apparitione Stellularum.

12. Solent plerique Cometæ evanescentes caudam retortam sortiri, & post dissolutionem eorum veluti in lucidissimas quasdam Stellulas, ut plurimùm degenerare, atque ex hac Stellularum apparitione haud pauci in eum errorem inducti fuerunt, ut corpus Cometæ ex Stellarum confluxu constitutum existimârint. Verum *Kircherus in itin. 1. extat. dial. 1. cap. 5. §. 3. num. 16.* harum comparentiarum rationem his indicat verbis. *Mox*, inquit, *ubi exhalatio illa ingens & multo terrenâ superficie amplior Solis semitam inter & Tropicos contentam excesserit; tùm veluti extra nativam auram constituta, ejusque plagæ impatiens, paulatim sivè frigidiusculâ ætheris constitutione, sivè naturâ plagæ, contabescit, à caudâ dissolutionis suæ exordium ducens; quæ uti reliquis partibus subtilior est, ità facilè dissolvitur; atque hinc ut plurimùm retortam caudam habere videtur; quia dùm pars dissoluta secedens à latere reflectitur, sequuntur caudam reliquæ partes corporis, quarum una ab alterâ divulsa, atque à Sole illuminata terrigenis Stellulæ videntur. Hæ verò partes paulatim in alias & alias dissipatæ, tandem in chaos, à quo prodiêrunt trahente Sole illud quod suum est, revertuntur, nullo sui vestigio relicto.* ità *Kircherus*.

Cometæ plures circà Solem.

13. Asserit *De Chales Astronom. lib. 8. pro:3. Physic.* plerosque Cometas propè Solem incipere & sub radiis ejus latere antequàm appareant; multos quoque Cometas nunquàm â Sole digredi: Atque ità Sole ecclipsin patiente sæpè visum esse Cometam, qui sub ejus radiis tegebatur: Sæpè etiam ante Solis ortum, vel post occasum crepuscula extra ordinaria accidere, quæ nihil aliud sunt, nisi caudæ Cometarum. Quod ipsum etiam diù antè *Possidonius* nobilis Stoicorum disciplinæ Philosophus asseveravit, multos Cometas non videri, quod obscurentur Solis radiis: Deficiente verò aliquandò Sole Cometam apparuisse, quem Sol vicinus obtexisset. Confirmat quoque *Arrianus* testatus propè Solem constitutos Cometas alios evanuisse, priusquàm nobis fierent conspicui; alios deficiente Sole demùm se videndos præbuisse.

CAPUT VI.

De externo Cometarum defluvio, quod ejaculari solent, scitu quædam digna, & mira proferuntur.



Xternum hoc defluvium, quod Cometicis Corporibus annexum, alias caudam vel barbam dicere solent, nobis hìc perindè est, quomodò vocare cupias. Caudæ nomen communius est, idcircò illud præprimis hoc loco usurpabimus.

Caudæ Cometarum in aversâ Solis parte semper spectantur.

1. Constantèr hactenùs observatum fuit Cometas omnes defluvium suum externum, sivè illud sit caudatum, sivè barbatum ad partem Soli obversam, & oppositam protendere. Quocircà quandò Cometa caudatus videtur, id lateralis ejusdem dispositio cum Sole ac terrâ plurimum efficit, maximè cum eidem vicinior fuerit. Crinitus verò, Barbatus, vel mavis, caudâ magis detruncatus, ac defluvii vestigiis undique circumfusus, aut oppositum magis Solem requirunt, aut sublimiorem suprà Solem exaltationem. Nam & locus à terrâ non nihil speciem ejus variat: Quæ enim ab hac exaltatior, eò magis defluvium sursùm à conspectu nostro abducit, velut in Schemate apposito meliùs videre licet.


Sit enim terra A: Sol verò B eam circumiens in orbitâ sua vel Eclipticâ: sivè jam suprà vel infrà Solem Cometa existat, facto progressu à Sole, varia semper erit ejus apparitio in terrâ A. Nam quod si suprà Solem Cometa existat in G: tunc caudâ à Sole multùm elevabitur sursùm & protendetur in GL, videbiturque in terrâ A sub angulo visionis GAL. Quod si verò in loco H existat Cometa; protendetur cauda ab H in M, minorque fiet angulus visionis HAM: Adeoque jam cauda etiam minor comparebit. Adhuc minor fiet angulus visionis IAN versante Cometa in conspectu trigono cum Sole, nempè loco I; ubi barbatus, aut caudâ multùm detruncatus comparebit. In oppositione verò K, cauda KS videri non poterit in terrâ A: ubi corpus Cometæ videbitur crinitum sivè capillitio, aut defluvio hirsuto undique circumdatum. Pari modo si Cometa aliquis infrà Solem procurrens sextili aspectu à Sole dimotus existat in C; cauda CO aliter proijcietur quàm supra in GL, longiorque, majorque sub angulo visionis CAO videbitur. Rursùs aliter cauda DP disponetur existente Cometâ in quadrato aspectu cum Sole in loco D. Iterùm barbatus & cum modicâ comâ prostante apparebit in E sub angulo visionis EAQ in terra visus. In oppositione verò, loco videlicet F constitutus cum cauda dirigatur ex F in R denuò hirsutus & crinibus circumquaque cinctus apparebit. Plura alia ex ipsâ figurâ meliùs addisci possunt, quam opus sit ultrò multis exponere.

Caudæ diversitas pro diversò tempore.

2. Cometæ cum diversas sæpè caudas exhibere soleant, ea diversitas sæpè diverso apparitionis tempori adscribi poterit. Sic Cometæ matutini caudam in occasum, vespertini in ortum proijcere solent. In oppositione quoque Solis, aut nullas aut brevem tantùm aliquam Comam sivè barbam, eamque modicè vel erectam vel demissam ostendere queunt. Ad superiora verò ætheris loca ascendentes etsi reverà longissimam caudam habere possint, omni tamen sæpè exui solent.

Caudæ variatio ex situ altiori vel humiliori.

3. Quo altiori loco Cometæ existunt, eò cauda necessariò minor comparebit. In altissimo


M
H
L
N
I
P
G
D
O
Q
E
C
B
S
K
R
F
A

altissimo verò Aethere ne quidem ulla sæpè comparere poterit. Nam quò altiori loco Cometa existit, eò Sol magis post ipsum corpus Cometicum caudam producendo occultabit. In altissimo autem æthere cùm ob minùs reputandam distantiam Solis & terræ linea directionis caudæ à Sole per corpus Cometæ producta fiat propiùs parallela lineæ visionis in terrâ: Ideò cauda necessariò post ipsum corpus cometicum projecta visui terreno patere non poterit. Ità credibile est, si Stellæ remotissimæ firmamenti radios solares trajici permitterent sicut corpora cometica; quod singulæ à Sole collustratæ haberent post se caudas, quæ tamen hìc in tellure à nobis ob immensam distantiam obstantibus earum corporibus videri non possent.

Quandò nulla cauda appareat.

4. Quandò Cometa in ipsâ Ecliptica residet, atque Sol, terra & Cometa in uno eodemque plano existunt, etiamsi vera caudæ longitudo omnium maxima sit, nihil tamen penitùs quicquam comparere potest, sed ea tantùm si latior est ipso corpore, crinibus suis circumcinget caput ut instar hirci, aut hirsuti Cometæ appareat.

Ob latitudinem Australem vel Borealem quomodò cauda alteretur.

5. Quandò Cometa insignem præ se fert latitudinem Australem, nullâ certè ratione fieri potest, ut absque omni caudâ nobis Borealibus appareat, si quâ verò præditus est; sed ex necessitate magnam partem caudæ ob oculos ponere debet, & quidem erectè sursùm semper Aquilonem Eclipticamque versùs. Econtrà Cometa obtinente aliquam latitudinem notabilem Borealem atque extra planum Eclipticæ constituto, barbam omninò deorsum vicissim Eclipticam versùs promittere debet; ac si deviatio caudæ esset immensa, cum tamen fallacia visûs sit, ut ait *Hevelius*, doctioresque benè intelligunt, pro verâ scilicet longitudine caudæ atque distantia à terrâ ac Sole.

Eclipsis caudæ ab ipso suo corpore.

6. Fieri quandoque potest, ut cauda Cometæ ab ipso ejus capite modò totaliter, modò partialiter, tùm à superiori, tùm inferiori eclipsetur. Sicut enim cum Luna conjuncta est Soli, nullam omninò respectu nostri habens latitudinem, Eclipsis totalis dari, cum autem Luna Australis est, tantummodò à parte inferiori partialis accidere potest, contrarium autem in latitudine Boreali fieri deprehendimus: Ità hìc quandò caput in Eclipticâ nobiscum scilicet & Sole in uno eodemque plano, cauda à capite obtegi debet; & si cauda amplior sit ipso capite, caput tunc in ipsâ quasi comâ cõspicietur, eâque cingetur, quasi ab omni parte villosum esset & hirsutum: Si verò latitudo caudæ æquet diametrum capitis, planè cauda occultabitur, ità ut tum Cometa penitùs orbicularis instar disci appareat, atque tùm totalis caudæ Eclipsis accidet.

Caudas non planè directè in partem Solis aversam projici.

7. Licèt plerique statuant caudas Cometarum directè in partem Solis aversam sivè oppositam projici: Docet tamen Clarissimus *Hevelius* non adeò strictè omni tempore caudas ita protendi: fieri quidem posse quandoque ut certo tempore eò directè vergant: Verùm plerumque omnes ab ipsâ rectâ directionis lineâ ex Sole per centrum capitis cometici in ejus oppositum ductâ deflectere & deviare. Cum enim capita Cometarum, ut ait, ex diversissimis, multísque corporibus irregularibus varios ad invicem situs obtinentibus, locáq; paulatim mutantibus componãtur; sicut modò in hoc, modò in illo latere plures pauciorésq; dentur & constipentur nuclei. Hinc facilè fieri posse ait, ut radii Solis reflexi, refractique per caput Cometæ transeuntes non perpetuò in illa ipsâ lineâ rectâ ex Sole per Cometam ductâ decussentur; sed quod potiùs refractio, & reflexio radiorum jàm in hac, jam in eâ capitis parte diversimodè omninò accidat. Ità ex ejus mente pro materiæ diversitate & variis superficiebus corpusculorum, nucleorúmque ac laterum junctionibus variis caudam nonnunquàm necessariò à recto tramite paululum deviare oportet: nempè pro capitis constitutione ejusque materiâ modò talis, modò alia major, minorque provenit caudæ deviatio & declinatio. Interdùm etiàm planè uniformis radiorum fit refractio, ut cauda neutiquàm deviet, sed rectâ in oppositum vergat Solis. Citat etiam *Hevelius Tychonem* hoc advertisse. *Ricciolus* tamen *in suo Almag.* statuit in caudis esse substantiam cometicam ex subtilissimis corpusculis constantem & refractionem fieri extrà caput Cometæ in materiâ spectante ad Cometam.

Unde deflexio caudæ varietur.

8. Docet porrò idem *Hevelius*, hanc deflexionem caudæ non in omnibus Cometis in simili situ ad Solem vel terram, neque ad Eclipticam, vel Æquatorem planè esse eandem, sed longè potiùs diversam pro constitutione nempè capitis, ejusque nucleorum atque materiæ: quæ cùm in perpetuo sit motu; hinc illam deviationem in omnibus Cometis esse diversam, & inæqualem, & in uno eodemq; toto durationis tempore dissimilem respectu scilicet magnitudinis, sitûs, & plagæ Cœli. Qua occasione maximam Cometæ Anni 1652 deflexionem ad 19 gradus; illius verò Anno 1618 ad 22 gradus refert.

Caudarum magnitudo vera, & apparens.

9. Caudarum magnitudo cùm alia sit apparens, alia vera: Illa nempè sit ea, quæ oculorum judicio, & instrumentorum dimensione, vel etiàm à rudioribus secundùm pedes, ulnas, imò perticas & hastas discretione factâ designetur, quæque pro temporis diversitate sit diversa: Vera autem sit ea, quam revera possidet Cometa, atque in Semidiametris Terræ, vel secundùm milliaria, aut stadia determinetur. Apparentem proindè longitudinem oriri docet *Hevelius* ex vario Cometarum

tarum situ, distantia à terra, item elongatione à Sole, anguloque visionis, & nihil habere cum verâ commune. Veram autem caudæ longitudinem ut plurimùm ab amplitudine Atmosphæræ cometicæ dependere ait; ità scilicet, ut hæc eò major sit, quò Atmosphæra amplior, nucleique capitis solidiores sunt. Concludit deindè veram caudæ longitudinem juxtà plures observationes habitas semper circà exitum reipsâ majorem fuisse, quàm ex illâ apparente minore fieri unquàm debuisset. Qua enim ratione ad initium paulatim Cometa congregatur, coagulatur & condensatur; pari ferè modo rursus in fine dissolvitur, attenuatur & dissipatur.

Caudæ apparitio per modum Virgarum æ-rearum explicatur.

10. Satìs benè videtur sentire *Dechales Astron. lib. 8. pro. 4. Phys.* Cometæ caudam explicari debere eodem prorsùs modo, quo Virgæ lucidæ per nubium hiatus trajectæ explicari solent. Sunt enim Virgæ radii per nubes transmissi, qui in loco nonnihil umbroso videntur. Hoc caudæ situs, inquit, satis evidenter ostendit. Explicantur hoc modo varia accidentia. Primò quidem eadem figura in caudâ Cometarum apparebit, quæ in Virgis cernitur, quoties eædem erunt conditiones: Quia enim transmissi per nubes radii, licet paralleli sint, videntur tamen ab invicem recedere, quia nempè partes terris propiores sub majori angulo, ità etiam dùm accidet, extremitatem caudæ oculo nostro viciniorem esse, videbitur latior. Quandò verò remotior erit ab oculo; videbitur etiàm in acumen desinere. Si motum aliquem inconcinnum habeat Cometæ caput, aut materia, in qua radii per illud transmissi; identidem vibrari videbitur cauda. Item sicut etiàm Virgæ latiores esse possunt, quia nempè solaris radius (ut in *Dioptrica* ostendit *Dechales*) per foramen quodcunque transmissus augetur semper secundùm angulum 30 minutorum, eoquòd apparens Solis diameter tot minuta contineat: Ità etiàm radii solares per caput Cometæ transmissi, cùm extremi angulum 30 minut. comprehendunt, ab invicèm recedent & augebuntur.


Caudæ incurvatio & obliquatio.

11. Observatum præterea fuit, dari etiam in caudis Cometarum sæpè curvaturam, & obliquationem, quæ tamen distincta est ab inclinatione & deviatione. Nullam tamen unquàm curvaturam in caudis dari asserit *Hevelius* absque omni inclinatione, exceptis solùm quibusdam casibus. I. Incurvationem tam convexam, quàm concavam ex radiis solaribus procreari dicit ratione materiæ & nucleorum capitis, in quibus nunc alia atque alia detur reflexio & refractio. II. Induci similem quoque curvitatem caudis, quod potissimùm fieri dicit ex diversitate Atmosphæræ cometicæ, ejusque materiæ dilutioris Cometam concomitantis. *Dechales* vero *loc. sup. cit.* existimat curvitatem caudæ esse meram oculorum hallucinationem, aut etiam refractionem aliquam non in materia ætherea, sed in atmosphærâ terræ. Si enim cauda sit propè Horizontem variè inclinata, variam refractionem patientur ejus partes, quæ propterea à rectitudine aberrare videbuntur.

Caudæ vibratio cum scintillatione.

12. Singulare aliquod phænomenon observavit aliquandò Solertissimus *Hevelius*, scilicet caudam unà cum capite radios certo quoddam die frequentes vibrâsse, ac subindè quasi novos ejecisse, ac si assiduè scintillaret, tum modò longior, modò brevior per intervalla fieret. Quod in Cometâ Anno 1652 die 26, & in Cometâ 1661 die 6. Februarii à se; in illo vero Ann. 1618 à *Cysato* sæpiùs annotatum testatur. Oriri autem hoc dicit ex duabus rationibus. I. Ratione capitis, quód sit ex materiâ diversa & diversis nucleis irregularibus scabrosis & anfractuosis, in perpetuo ergà se invicem anomalo motu versantibus compositum, ut exindè radii solares in superficiebus opacorum corporum, in capite perpetuò fluctuantiū, tum in interjectâ materia mobili refracti, & reflexi continuò mutentur. II. Ratione Atmosphæræ cometicæ, quia pariter inconstans est, ad quàm assiduo modo alia atque alia, modò plus, minusq; materię accedit, rursùs etiam de eâ decedit, sicut in perpetuo motu condensationis, rarefactionis, nec non locali versetur. Fieri utique aliter non posse dicit, quam quod certa vibratio, micatio & scintillatio detur, indéque caudas modò majores, modò minores, arctioresque hoc vel illo tempore necessariò apparere. Hæc deindè in Summam colligens ait. Prout ergò materia Cometam ambiens, permanens, vel mutabilis, continua vel divisa, longior vel brevior caput Cometæ pluribus, vel paucioribus, majoribus vel minoribus nucleis materiâque iis interminatâ constat: vicissìm prout hi nuclei variâ formâ præditi, tùm solares radii per caput trajecti vividiores vel longiores sunt: sic Cometarum alii caudas referunt longiores, alii breviores, alii continuas, alii interruptas, & divisas; alii item constantes, alii mutabiles. Alio quoque tempore observasse se scribit idem *Hevelius*, quod Cauda quasi scintillârit, fluctuâritque modò arctata, modò dilatata. Sed hæc de externo Cometarum defluvio sufficiant. Nunc ad eorum motus varios exponendos, & quæ scitu magis digna de his comperta sunt, calamum traducamus.

CAPUT


Variæ Cometarum figuræ.

CAPUT VII.

De variis Cometarum motibus scitu quædam magis digna & mira referuntur.



EGregium *Plutarchi* illius Scriptorum laudatissimi dictum est: *Plato dixit: visum in nobis accensum esse ut spectandis, admirandisque cœlestium corporum motibus anima nostra condoce facta decorem & ordinem; odium conciperet incompositorum & vagorum motuum, temeritatemque & casui fidentem levitatem fugeret, tanquam omnis vitii & erroris originem. 1. Com. de his, qui serò à Numine puniuntur.* Nec abludit Poëta canens:

Ovid in Metamorph.

Cunctàque cum spectant animalia cætera terram:
Os homini sublime dedit, cœlúmque tueri
jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Ità si oculi ad cœlum contuendum dati, ut cursum motúmque cœlestium illorum corporum spectare & admirari, indeque utiliter alia ad vitæ morúmque disciplinam addiscere debeamus: Certè in nullo corpore cælesti mirabiliora quoad cursûs, motûsque rationem videre licet, quàm in temporaneis his Cœli Phænomenis. De quibus jam aliqua diligenti studio solertissimorum Astronomorum & comprimis vigilantissimâ Magni *Hevelii* industriâ comperta & comprobata in medium producemus.

Cometarum omnium motus triplex.

1. Omnium Cometarum motus triplex statui solet. Primus est *communis* seu primi mobilis, ut Peripatetici loquuntur, quem verò Copernicani Terræ ejúsque motui diurno tribuunt, quo mediante Cometæ cum Stellis fixis simul oriri, simul occidere 24 horarum spatio videntur. Secundus est *Apparens*, quem Cometæ cursu retrogrado C. S. S. & penitùs inæquali perficere solent. Tertius est *proprius verus* & *genuinus*, quem omnis Cometa à naturâ habet, eique naturalis est.

Motus apparens deflectit ab orbitâ perfectè rotundâ.

2. Licet Cometas ratione motûs apparentis sub circulo exquisitè maximo ferri plures velint: docet tamen *Hevelius*, vix ullum Cometam unquàm adeò strictè circulum maximum toto durationis tempore motu suo apparenti describere, sed eos potiùs aliquandò ab istâ orbita penitùs rotundâ nonnihil, imò satis evidenti spatio deviare.

Variatio anguli orbitæ, Eclipticæ & æquatoris.

3. Deprehensò hoc, quod nullus Cometa cursum integrum sub ductu circuli absolutè maximi absolvat; ex istâ Cometæ deviatione oriri dicit *Hevelius*, quòd angulus orbitæ & Eclipticæ, tum Æquatoria in Cometis indies variet.

Nativus motus cuique Cometæ peculiaris.

4. Verus & proprius motus à naturâ inditus cuique Cometæ ferè peculiaris est; imò nec in unius Cometæ cursu ab omni parte æqualis: attamen in omnibus summè regularem & proportionatum esse docet *Hevelius in Cometographiâ*. Verùm nonnisi accuratioribus majorum instrumentorum ope acquisitis Observationibus mediante demùm calculo investigari posse; nec eundem esse, cum illo apparenti, imò nihil cum eo habere commune nisi, quod uterque motus Terræ (juxta hypothesin suam) & Cometæ in orbitâ illâ apparente sese misceat, ac illum motum apparentem componat, producatque.

Cometæ motu naturali semper indirectum progrediuntur.

5. Docet rursùm *Hevelius* Cometas in motu suo naturali nunquàm fieri stationarios, aut retrogrados, sed semper prorsùm in directum, ubicunque sint, tendere, & propemodùm si vel annum integrum, aut diutiùs durent, in suo ductu vero æqualiter progredi. Sed hæc meliùs videri possunt in ejus Cometographiâ.

Motus verus diurnus Cometarum.

6. Verum motum diurnum Cometarum omnium valdè diversum, se invenisse multo sudore asserit Idem, & in Cometographiâ demonstrat: Additque singulare quidpiàm: Quod nempè cujus motus proprius fuerit tardissimus, illius motum rursùs esse velocissimum, allegatis exemplis Cometarum Anno 1472. & 1607.

7. Cometæ omnes in eo conveniunt (ii scilicet, quibus semicirculum integrum emetiri contingit) quod cursum (antequàm tardi vel stationarii fiant) penè sub sectione maximi circuli peragant.

8. Singulare est, Cometas nunquàm esse tardiores Saturno, vel velociores Mercurio motu suo verò, & in suâ verâ trajectoriâ secundùm Semidiametrum Terræ.

Motus simul apparens & nativus.

9. Observatum etiàm, quòd Cometæ simul motu apparente, simul vero, seu nativo inæquali quidem, sed maximè regulari in trajectoriâ conicâ, & plerumque parabolicâ ad planum Eclipticæ frequenter inclinatâ semper in directum, donec intereant, progrediendo ferantur. Nihilominùs sub circulo propemodùm maximo eos observari modò segniori, modò concitatiori incedere cursu, nonnunquàm directos, stationarios; rursùs retrogrados, vel vice versâ ferri, atque id calculo Cometarum clarè evinci, subdit *Hevelius*.

Parallaxes & distantiæ in dies variantur.

10. Ut parallaxes ità & distantias Cometarum indies variari, & modò terræ viciniores, modò ab eâ remotiores esse docet, ideò scilicet, quod Cometæ non in

circulari orbe, cujus centrum terra est, sed in trajectoriâ conicâ utplurimum obtusiori, atque sub diverso angulo inclinationis ad planum Eclipticæ in hac vel illâ à terrâ, Soleque distantia moveantur.

Cometæ in omnibus non conveniunt.

11. Nullus Cometa cum altero in omnibus, præsertim in ductu tramitis tam veri, quàm apparentis planè convenit; Verùm hos in Ortum, illos in Occasum, paucos Meridiem, plurimos Aquilonem versùs pergere constat.

Singularis de Cometarum motu observatio.

12. Observâsse se porrò, inquit *Hevelius*, non omnes Cometas, postquàm tardi facti sunt, fieri stationarios, nec cursum suum reflectere, & si qui iter obliquent, eos semper sub diversa planè curvaturâ illud instituere, ut omnes, undecunque etiàm proveniant, quantacunque eorum sit trajectoria cujuscunque inclinationis, incessûs, vel durationis, quorum trajectoria extrà orbem annum exporrigatur, tardissimos circà exitum, imò stationarios & retrogrados fieri: hos antequàm sextus, illos antequàm tertius elabatur mensis: hos autem nunquàm ampliùs quam 6 Zodiaci signa cursu suo emetiri, sed priusquàm 180 gradus Eclipticæ, sivè ad Semicirculum perveniunt, motum suum sub incurvatione quadam sed semper diversâ juxtà inclinationem trajectoriæ, & perpendicum, quod ab extremitate in planum Eclipticæ, vel longiùs à Sole, vel propiùs ad Solem decidat offlectere. Reliquos, qui sunt rariores, quique trajectoriam intrà fines orbis magni ducunt, sub quocunque esse inclinationis angulo, sivè suprà, sivè infrà Eclipticam hoc accidat, pariter certo quidem tempore, infrà videlicet semestre spatium minimum semel tardissimos, sed nunquàm omninò stationarios, multò minùs retrogrados fieri: Verùm semper videri quoad motum apparentem vel C.S.S. vel S.S.S. indirectum procedere, atque aut circulum, aut etiàm in nonnullis pro motûs veri velocitate lineam helicam designare, posseque non tantùm 6 signa, sed & totum signiferum aliquot mensibus percurrere.

Cometæ nec in circulo, nec in lineâ recta moventur, sed cursûs eorum in sectionem conicam transit.

13. Cùm ex ejusdem doctissimi *Hevelii* sententiâ corpora cometica sint discea vel planiformia, minimè verò sphærica, & absolutè rotunda, sed quoad figuram scabrosa, irregularia; ex eo concludit, quod nullâ ratione in orbem hoc est, in circulo, nèc penitùs in lineâ rectâ moveri possint: posito, quod ab ipso primo primordio motûs impressus, primusque impetus rectus sit, sed summa necessitate in sectionem conicam, sivè parabolicam, sivè ellipticam degenerent. Maximum verò circà verticem parabolæ, circà medium scilicet lineæ apodemicæ, minimum verò circà itineris extremitates deflectant in trajectoriâ videlicet vero & genuino motu neutiquàm apparenti: attamen in omni Cometarum cursu non unâ eâdemque ratione, nec quà situm trajectoriæ ad Solem.

Non moventur circà axem.

14. Consequenter docet hæc corpora Cometica extensa & disciformia non posse circà axem moveri, ut quidem Planetis reliquis omnibus ex suâ sententiâ moris sit, sed materiam illam expansam, vel corpus cometicum disciforme utrumlibet extensum latus perpetuò ad Solem convertere: adeò ut radius à Sole ad discum Cometæ ductus semper sub angulo normali ad discum incidat, quocunque etiàm Cometa feratur motu. Tùm etiàm non solùm incurvationem tramitis, & deviationem aliquam à lineâ rectâ directionis necessariò dari; cùm Cometæ Solem ceu Regem venerentur, & quasi pro centro habeant, licet in lineâ conicâ decurrant. Sed etiàm librationem cometicam in omnibus cometis nasci, prout in Lunâ peculiarem quendam librationis, atque reciprocationis motum, prout alibi docet, & ad certas leges reduxit. Quam librationem & reciprocationem corporis sui terræ assiduè exponat, eodem modo quoque in Cometis fieri dicit, cum & hi continuò eandem faciem disci Soli obvertant, atque terra juxtà hypothesin suam, motu annuo loco perpetuò dimoveatur, ideòque oporteat, ut certa libratio, & reciprocatio propter eà exoriatur.

Deviant à lineâ rectâ.

15. Cæterùm ait Cometas etiam ex matutinis fieri posse vespertinos, & vice versâ ex Vespertinis Matutinos, ut factum Annis 594, 1472, 1531. Atque hæc & plura alia fusiùs tradit Expertiss. *Hevelius* de Cometarum motibus in præclarissimo suo Opere *Cometographiæ*. Quid porrò aliis viris doctis videatur circà Cometarum motus, ea breviter quoque subnectimus.

Motus proprius Cometarum undè proveniat.

16. Duplicem in Cometis motum agnoscens *P. Dechales lib. 8. Astronom. pro. 3. Phys Diurnum* scilicet, omnibus sideribus communem & *proprium*, quo nempè varias acquirunt à Stellis fixis aut Planetis distantias. Cùm deindè laborat pro assignanda causâ proprii motûs, in qua major est difficultas, statuit imprimis posse hunc motum optimè explicari per impulsum ab aliquo sidere: v. g. Si Sol circà suum axem perpetuò rotetur maximo impetu, quæcunque corpora in ipsum incurrent, aut incident, statim excutiet secundùm aliquam tangentem, illisque motum rectum imprimat. Ità videmus, inquit, rotam in orbem motam, motum tamen rectum corporibus incidentibus imprimere. Dum ergò fuligines, maculæ, halitûsque aut è Sole enascentes, aut ex sideribus educti in Solem, aut ejus atmosphæram incidunt, ejiciuntur in lineam rectam, & hoc prout sors tulerit, aliquandò per lineam transversalem, inclinatam, aut quamcunque aliam: Quia autem parùm admodùm resistit æther, non imminuitur ille motus, sed æqualis perseverat temporibúsque æqualibus æquale percurrit spatium. Aliter adhùc etiàm explicari posse motum Cometarum, ait ibidem, per rare-

rarefactionem scilicet materiæ similiter, ut in nubibus motus imprimitur, ita quoque Cometarum (qui sunt quasi nubes cœlestes) motus effici posse. Verùm benè subijcit, *hæc ità sunt à nobis remota, ut quidquid de illis comminiscimur, conjecturam non superet.*

D. Cassini de motu Cometarum Sententia.

17. Clarissimus *D. Cassinus* ex variis Cometarum observationibus hæc circà motus eorum colligit. Primò motus omnium Cometarum in circulis terræ admodum eccentricis confici, adeò ut à rectâ lineâ vix eorum Semitæ deflectant: Cum partem eccentrici superiorem, & longiùs à nobis dissitam peragrant sub aspectum non cadere; sed nobis propiores sub oculos venire. Deindè vult magnum illum circulum, in quo Cometa movetur, vel terram involvere, ferè ut Cœlum Martis, vel instar epicycli extrà eam positum esse, cum ab Occasu in Ortum feruntur Cometæ, tùm satis verisimile esse eorum orbitas terram involvere. At si extrà terram longè constituti, velut in epicyclo deferantur, tum nobis propiores ab ortu in occasum C.S.S. ferè ut Satellites Jovis, aut Saturni videri nobis moveri. Sic Cometa Anni 1664. primò fuit retrogradus, tum motûs sui directionem mutavit; ut *D. Cassinus* prædixerat. Contrà Cometa Anni 1672. cùm juxtà Signorum seriem incederet, directionem sui motûs non mutavit. Prætereà dicit Cometam identidem recurrere, tametsi nemo idadvertat; vel quià sub crepuscula revertitur; vel quia cauda quæ eum sæpiùs prodit nebulosis radiis destituitur. Deniqúe, cum Cometæ motus celerior est, ex tribus, ait, observationibus coniici posse, quam viam deinceps insistat; ac licet moveatur in circulo, tamen illius motum citrà errorem sensibilem, ut in rectam lineam directum supponi posse. Ità refert *Du Hamel Phys. part. 2. cap. 11.*

Kircheri sententia de motu Cometarum.

18. Doctissimus *P. Kircherus in physiol. nova de Com. natur. à Josepho Petruccio* edita, ut motum Cometarum juxtà conceptam opinionem declaret; tradit spatium illud immensum ætheris, quod suprà Lunam est, vehementissimâ commotione perpetuò agitari, à globis cœlestibus, qui ab intelligentiis præsidentibus secundùm idæas divinæ mentis rapidissimè moveantur modò ab Ortu in Occasum, modò à meridie versùs Septentrionem intrà Tropicos, modò circà proprium axem: Undè fiat, ut Sol Rexastrorum commotus ab Oriente in Occasum sit vehementissimi motûs in illâ parte, quæ præcedit, & in illâ, quæ sequitur, ac si formaret sulcum in æthere. Quandò igitur exhalatio illa, seu fumus est ejectus in partem anteriorem Solis, tunc Cometa à vehementi motu Solis propellitur, & fugatur in partem illius antecedentem. Verùm si incidet in partem Solis posteriorem, sivè quæ Solem sequitur; tunc rapitur unà cum illo ab ortu in occasum, non autem eâdem motus celeritate, quià cùm non possit illam sequi; subindè magis in itinere retardatur. Ubi verò aliquantò remotiùs ab illo sulco Solis elabitur; eo tempore non movetur ampliùs motu regulari, sed volat quorsùm impetus & impulsus illum propellit, modò velociùs Luna gyratur, modò passibus lentioribus in modum Saturni ingreditur, usque dùm dissipatus & evanescens in suum chaos revolvatur. Alibi in eadem dissertatione scribit Author, quod Cometa, quoniam ex fumosæ materiæ variâ componatur misturâ sortiatur in hoc vasto ætheris spatio varios & differentes motûs. Quia principio suæ originis, quandò plenior est materiæ, in hoc loco movetur, ubi se accendit: Verùm quandò paulatim motum acquisiverit liberum, compedibus fumosæ materiæ solutus non ampliùs in partem inferiorem se demittit, sed in altum dirigens viam volat usque ad confinia firmamenti, ut in fine illius retrocessionis appareat sub forma indiès minore, & caudâ evanescente colorem rutilum mutet cinericio, usque dum volet ad hanc altitudinem, & resolutus in subtilissimum ætherem oculis nostris fiat invisibilis. Ità *Kircherus.*

Ecce Lector ingenuè habes hic semina multarum speculationum, ut quid de Cometarum origine, materiâ, figurâ, sitû, defluvio ac motibus sentire queas, ipse pervideas & eligas. Ego sanè de tam remotis Naturæ phænomenis temerè nihil definire audeo, quousque cum tempore ac studio, majorique diligentiâ à Magistrâ. Veritatis experientiâ certiora producantur. Nam ut benè scribit *Cicero 1. Officior. Cavendum est, ne incognita præ cognitis habeamus, iisque temerè assentiamur, sed adhibeamus ad considerandas res & tempus, & diligentiam.*



CAPUT VIII.

De Fine, Significatione & Effectibus Cometarum.

Sententia Astrologorum juxtà Peripateticorum suppositionem.



SEmpèr hactenùs magna inter Viros doctos dissensio fuit de Fine sivè Efficientia, Significatione & Effectibus Cometarum.

I. Præcipuè autem Astrologorum judiciariorum Turba hanc sibi Theoriam ausu plurimùm incauto, adeóque audaciùs, quàm securiùs arripuit; quâ suppositâ Peripateticorum Sententiâ de Cometarum ex terrenis in supremam aëris regionem elevatis halitibus, ibidemque nubium in morem conglobatis & accensis origine ac genesi ob diram indè enatam conflagrationem nonnisi horribiles, æquè ac insolentes apparitores Cometas directè ac generaliter edixit: Undè deindè ex dissolutione & delapsu conflagratæ eorum materiæ inferiori mundo, sivè Geocosmo non tantùm populariter pestes, fames, bella, & cruentæ terrâ marique clades præter innumera alia mala, sed & viritim ab illustri ita causâ illustrium virorum (quorum curæ astreæ Cœli faces præceteris illucerent) Regum scilicet & Principum capitibus sæva pernicies & extrema malorum moles impenderet. Hanc tamen Astrologorum opinionem licèt Poëtarum approbatione decantatam, & communi plebeiorum credulitate confirmatam *Joannes Picus* Mirandulæ Comes, Doctorum Principum exemplar præclarè confutavit. Verùm hoc nostro sæculo invalescentibus rursùs Astrologis statuerunt aliqui â profundiori rerum naturalium penetratione doctiores servatâ vel Peripateticorum suppositione, vel assumptâ aliorum hypothesi de Cometarum etiàm in sublimioribus æthereis tractibus generatione nihil â Cometis directè per se, sed per accidens tantùm portendi, neque ab illis quid aliud præter siccitates & ventos, ac quæ ex hiscè concatenatorum effectuum propagatione enasci consueverunt, etsi non sempèr, non etiàm peculiari quadam vi, sed propter materiæ totiùs absumptionem, vel residuæ agitationem effici: Et illud ipsum non astrologicè, sed physicè, non singulatim certis personis, sed universim tantùm significare.

Cometas nihil per se & directè sed solùm indirectè & per accidens significare.

Finis Cometarum ad repurgandum æthera.

II. Alii porrò, qui Cometas, sivè in ætherea, sivè in aereâ regione accensa esse sidera statuunt, potiùs ad repurgationem vel ætheris vel aëris naturâ per eorum conflagrationem omnia in bonum vertente lucere autumant. *Nam ut aëris summa ac media Regio.* inquit *Longomontanus de novis Cœli phænomenis cap. 7. inflammatione Stellæ cadentis, capræ saltantis, fulminis, quod tonitrua comitatur, & aliorum hujusmodi ignitorum meteororum crebrò purgari solet: Sic verisimile est Cœlum quoque suo modo per nova Phænomena purgari; quæ dùm â radiis solaribus quasi incensa atteruntur; superfluentem materiam in quam impingunt, ac cursa suo attingunt, unà involvunt, & iisdem radiis solaribus absumendam exponunt; Undè fortè caudarum inæqualitates diversis diebus in iisdem Cometis causam suam trahunt, quùm circumflua materia Cometica adventitia illa passim sub Cœlo sublecta, fuerit adaucta, quod in flammâ quisquis experiri poterit, si eidem materiam ustibilem supernè admoverit: Interim autèm talis materia in cœlesti æquore innatans inter alias tantâ tenuitate & subtilitate prædita est, ut per sese nullam sui illustrationem â Sole ac Sideribus admittat. Atquè hæc causa esse potest, cur dùm aërea regio crebrò ferè ignitorum meterorum incensione defæcatur, ætherea singulis quasi denis annis ab inquinamentis suis Cometarum exortu & suffulsione liberatur, idque suo peculiari modo, prout Cœlum à sublunari regione differat.* Hæc *Longomontanus* de fine naturali Cometarum; alium tamen adhuc supernaturalem iisdem concedit, ut apud eum videre est.

III. Placet aliis statuere Cometas non esse corpora naturalia ex certis causis naturalibus pendentia, sed à Deo specialiter creata præsignificare mala à Deo certis populis, nisi resipiscant, infligenda. Atque hinc adeò nullam habere significationem naturalem, sed eam tantùm ex ordinatione Divina quomodo iris signum est mundum diluvio non ampliùs periturum. Omnis igitur hujus assertionis cardo vertitur in eo: Cometas esse malorum signa ex instituto divino. Verùm hanc assertionem acriter impugnat Doctissim. Vir *Conradus Tsenius in Exitu Theat. Cometici D. Lubieniecii.*

Cometæ sunt signa ex instituto divino.

Cœlum est liber Naturæ, cujus characteres sunt Stellæ.

IV. Nec desunt etiam qui Cœlum *Naturæ librum* ex S. Scripturæ & antiquorum Rabbinorum testimoniis esse velint, dicantque Stellas veluti Characteres ibidem consignatas: Deum porrò dùm malum vel bonum aliquod extra ordinarium mortalibus eventurum pronuntiare cupit, extra ordinarias Stellas, veluti sunt Cometæ, in Cælo collocare solere. Huic opinioni videtur etiam assentire *Kircherus in Physiologia nova de Cometarum nat.* cum docet quod Cometa possit esse collocatus in æthere tanquam character, qui indicet generi humano, ut propter bonum aliquod futurum gaudium concipiat: Aut benè operetur, quò infortunio se subtrahat. *Altisimus enim, inquit, sæpissimè utitur causis naturalibus ut hieroglyphicis, ut homo in his legat hoc, quod Sapientia diviua descripserit in Cœlo, terra, & elementis, ut si semitas præceptorum divinorum egreditur, illa homini horrorem incutiant, illúmque ad meliorem frugem reducant.*

Cometæ sunt signa commotionis Corporum cœlestium.

V. Verùm idem *Kircherus ibidem* adhuc statuit etiam Cometas aliquo influxu mala quædam in mundo inferiori posse causare & præsignificare; non tamen ait Cometas influere in damnum mortalium, sed solummodò esse signa alicujus magnæ commotionis, quæ facta est in globis cœlestibus; Undè posteà terra fiat particeps talis influxùs. Debere

bere enim pro indubitato haberi dicit, quod Sol non solùm influat cum lumine & calore in corpora inferiora, verùm etiam à naturâ donatus sit adhuc aliis virtutibus particularibus: quæ si aliquandò à malefico situ Martis, aut infausto Saturni aspectu infestentur, subitò ab illâ malignitate concitatæ commoveant illas horrendas conturbationes motûs, quæ ab aliquibus vocantur *Morbi Solis*: Undè deindè nascantur sterilitates, siccitates, terræ motus, inundationes, quæ damno afficiunt hunc mundum sublunarem, & insupèr in hominibus bilem accendendo moveant bella, & similia, quæ magnas commotiones necessariò sequuntur. Non autem semper, sed solummodò quandò illi fumi ab illis corporibus exhalati propter immensam materiam in altum evolant & in æthere condensantur. Undè etiamsi Cometa spatio 30, 40, 50. annorum non apparuerit, mala tamen (ut mortes Principum, pestes, fames, annonæ caritas, terræ motus) ingruere possunt. Hæc enim mala ut plurimùm etiàm à suis causis proximis dependent; ut pestis adscribi debet dispositioni aëris, putredini venenosæ cadaverum & animalium, corrupto victui & aliis malis conditionibus locorum, proximis causis contagiorum. Hæc *Kircherus*.

Fromondi & Thomæ Fieni Sententia. VI. *Fromondus* cum *Thomâ Fieno* statuit Cometas non esse quidem causam physicam calamitatum, quæ eos subsequi solent, sed signum ad placitum DEI utentis Cometâ, licet effectu naturali ad terrendos & emendandos alicubi mortales; quomodò usus fit iride ad fœdus cum genere nostro significandum: Et licet quidam Cometæ aliquibus fausti fuerint, aut visi sint; non in hunc tamen finem, sed ad tristiora mitti, infinitumque esse Principum exitus & calamitates describere, quæ evenerint denuntiatione Cometarum.

Fr. Restæ Sententia. *Franciscus Resta* verò affirmat quidem Cometas futurorum esse signa, ea tamen fortè mendacia: Deum tamen his naturalibus effectis uti tanquàm signis ex institutione suâ ad salutarem timorem nobis incutiendum; nec aberrare à Philosophiâ veraci, si dicatur Angelorum ministerio formari cœlestes Cometas in hunc ipsum finem.

Mira Kepleri Sententia. VII. Singulare planè est, quod de fine, significatione & efficientiâ Cometarum docet *Keplerus*, eos nempè in hunc finem esse factos, ne regio ætherea à suis quasi monstris tanto tempore vacet, sicut non vacat Oceanus â grandioribus Piscibus raro excursu latrocinantibus, & ut coäcta crassâ ætheris pinguedine quasi quodam excremento in unum apostema purgetur cœlestis aura, ne crebrò contingat, quod aliquandò evenisse testantur historiæ; Solem videlicet per dies aliquot, ut Anno 1547. à die 24. ad 28. Aprilis, vel per annum integrum, ut Anno cædis *Julii Cæsaris* ferrugineo aut sanguineo colore hebetatum malignè lucere. Concedit præterea Cometas aliquandò caudâ ad terram usque pertingere, & pestilentiam invehere, sed plerumque suprà Lunam versari, ideoque falsò eis tribui ventorum & terræ motuum præsagia, cùm nec ardeant, nec infrà Lunam sint. Mutare tamen Cometam licet absentem rerum sublunarium statum dicit propter facultatem mundi sublunaris animalem, à quâ etiam ob sympathiam cum Cœlo produci putat mineralia, flumina, pluvias; hanc enim à Cometis objectivè moveri & excitari ad gignenda ea, quæ cum Cometis analogiam habent, & ad irritandos hominum affectus ad bella. Cometæ porrò, ut in certo loco appareat, & significet, trajectionem dirigi, & destinari vel à Deo, vel ab Angelo bono, malòve, qui Cometas in æthere ceu cete in mari tanquàm monstra & portenta Cœli producat, vel producta ad certos terminos ducat. Negat deindè Cometæ vim perimendi homines, sed ejus judicio Universum & Cœlum ipsum corruptibile esse; itaque æquo animo ferendam homini mortalitatis suæ conditionem, dùm videt Cometam Cœli labem, & præparare se debere ad exitum non ità eminùs futurum. Testari verò historias & sapientissimos Philosophos Cometis fulgentibus succedere ærumnas non solùm Principum morte, rerumque exindè novarum occasione, sed mille aliis modis. Cometa quomodo dirigatur.

Riccioli Sententia de fine & significatione Cometarum. VIII. Sed quid de Cometarum fine, & significatione sentiat Doctissimus *Ricciolus* nunc etiàm adducamus. Is itaque *Almag. novi part. post. Tom. I. lib. 8. sect. I. cap. 5.* cum plures aliorum sententias de prognosticis & causâ finali Cometarum attulisset, hanc suam tandèm subnectens dicit: Si Cometæ sint sublunares in sublunari quoque naturâ singularem aliquam mutationem factam significare, cujus effectus nondùm planè desierint, sed haud ità multò post prodituri sint juxtà dispositionem materiæ & concursum aliarum causarum. Si verò sint cœlestes, utique è divinâ providentia ordinatos esse, tùm ut mortales oculos in Cœlum erigant & cognoscant multa esse, quorum causam & naturam ignorare cogantur, eoque divinæ Sapientiæ fastum, fascesque submittant: Tùm indè aliquid magni vel in se, suisque regionibus vel in aliis exspectent, idque plerumque malum vel reipsa eventurum, si non placetur Numen: Vel intentatum, ut sic timore Numinis ad saniora consilia convertatur. Quocircà ibidem ait se Cometas pro vanis terriculamentis non ducere, & facilè passurum esse, ut hæc opinio *Cometas mala portendere*, animis omnium insideat, quò officii admoneantur patres familiæ & Oeconomi ad prudentem parsimoniam: magistratus verò ad avertendum aëris infectiones, morborum contagia, bellorum motus: denique divini verbi præcones acriter moneant, & seriò increpent asotos, ganeones, & impios omnes, Cometam ex editissimâ illâ statione denuntiare & deprædicare latè in terræ barathris reconditos excurrere sempiterni ignis fluvios, quorum flammis nunquam intermorituris scelerata capita meritas suæ nequitiæ atque impietatis pœnas divinæ justitiæ pendant, easque immortales, & acerbissimas.

Cometæ aliqui infausti, aliqui fausti. IX. Nec prætereundus est *P. Nic. Cabæus*, qui sentit ex Cometarum genere esse aliquos quidem infaustos; quosdam verò etiam faustos

faustos tum per se & omnibus, tùm per accidens, quià nunquam aliquid tam solet esse perniciosum, quin non & alteri prodesse queat. Dicit porrò Elementares efficere, vel significare siccitates, ac aëris intemperiem delicatis nocivam: Cœlestes verò proportione servatâ tantam obtinere vim, quantam Astrologi tribuunt Planetis; sed & illis ipsis; & saltem esse Signa, quæ DEUS ostentet, ùt *det metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcûs:* Ut proindè Cometa sit velut Cœli lingua, quâ moneamur fugere â venturâ irâ.

His diversorum Authorum sententiis de fine & significatione Cometarum relatis, nunc breviter etiam memorandum est, quid in specie vani Astrologi, Cometarii, sivè Cometomantes ex Cometarum apparentia, magnitudine, colore, situ, motu, aliisque conjectari, ac prognosticari posse dicant, ut ità facilè quivis, an aliquod veritatis, vel potiùs vanitatis ac falsitatis fundamentum eorum subsit prognosi, experimento comprobare possit.

Prognostica Cometarum specialia. X. Prognostica Cometarum in specie præter alia comprimis hæc tradit *Alstedius.* Cometæ, inquit, in signis terreis sterilitatem, in aqueis sterilitatem & pestem, in aëreis ventos inusitatos, seditiones, & pestes, in igneis incendia, & bella denotant. Cometa matutinus, Meridianus, vel Vespertinus (ergò quocunque tempore situ & loco comparens) significat mortem Principis. Cometa immobilis seditiones, mobilis bella indicat. Verùm parùm hìc veritatis subesse, quivis mente sincerâ pollens facilè advertet, cum nulla hujusmodi prognosium causa, nec ulla Cometarum cum his effectibus connexio adduci queat. *Guilielmus Gratarolus in prognosticis tempestatum* tradit. Cometæ apparitiò totum annum reddit suspectum, non autèm solum tempus suæ apparitionis, & durationis: Potissimùm verò minatur illi parti, versùs quam radios suos dirigit, & omnibus habentibus signum pro ascendente, in quo talis Cometa apparet. Si scire ulteriùs velis, ubi detrimenta futura sint: Locum ad quem tendunt, adverte, ibi enim prœlia, seditiones, venti, sterilitates & morbi acuti erunt: Atque si hæc in Eclipsibus contingerint, procul dubio naturaliter eveniunt: Ubi autem præter illas, non ità; nisi magnæ & crebræ fuerint.

Quomodo prognosis Cometica instituenda. XI. *Hieronymus Cardanus de variet. lib. 14. cap. 70.* docet colorem imprimis in Cometis advertere. Qui si fuerit rubeus, ac splendidus, vel lividus, aut niger, pessimæ notæ esse. Argenteum autem & candicantem minùs esse formidabilem. Diuturnos quoque Cometas, item plures & magnos contrariis dicit esse deteriores: Similiter hyemales esse pejores æstivis; diuturnos etiam quò rariores sunt, eò magìs exitium portendere: Et quidem juxtà Saturnum pestem, proditiones & sterilitatem; circà Jovem legum mutationem, mortem Pontificum; juxtà Martem bella; juxtà Solem toti orbi magnam cladem; juxtà Lunam inundationes, aliquandò siccitates; juxtà Venerem Principum mortem & nobilium; juxtà Mercurium varia mala & multa; juxtà Lyram deliciosis & nobilibus; juxtà Coronam & in Tropicis, æquinoctiisque Regum interitum; juxtà Serpentes & Scorpionem, pestem; juxtà Trigonum perniciem ingeniorum: In fixis Signis terræ motus; juxtà caput Gorgonis & armatas figuras bella; juxtà Andromedam & Cassiopejam servitutes & desolationes; juxtà Eridanum & Argo tempestates, & inundationes; Cum deliquiis horrendos esse & miserabiles; mobiles valdè siccitates & ventos parere; fixos diuturniora mala; cuspidem etiam locum ostendere his malis obnoxium. Porrò *Comment. in Ptolem. de Astror. jud. lib. 2.* pro dijudicandis eventibus in Cometa observanda dicit esse decem; nempè magnitudinem, colorem, splendorem, formam, diuturnitatem, situm, locum, motum, habitum ad Solem & situm orbis. Decem observanda in Cometomantiâ.

I. Magnitudo. I. Magnitudo, inquit, significat effectûs futuri claritatem & vehementiam. II. Color. II. Color autem significat naturam Planetæ dominantis, ut si fuerit subobscurus indicat declarata in Saturno, veluti tabes & morbos longos, terræ motus, inopiam, nives. Qui verò colores aliis Planetis conveniant alibi retulisse dicit. Habet autem hoc præcipuum Cometes à deliquio distinctum, ut Martis & Mercurii furentium damna significent. Itaque & Jovius bona quædam immixta habebit, velut ventos salubres pluribus, atque fœcundos &c. Venereus attonitos morbos, paralyses, febres violentas, hæreticos, seditiosos Principes, & qui plùrimùm linguâ valeant apud populum. Mercurialis fulgura, tonitrua, terræ motus, ventos graves, sævas tempestates, novas artes & inventiones, omnes tamen humani generi perniciosos significat. III. Splendor. III. Splendor, inquit, significat efficaces actiones, & quas plurimi spontè sequentur; ideò Regibus aliena occupantibus, & seditiosis Hæresiarchis utilis. IV. Locus. IV. Locum autem multa significare dicit: Primò in terrâ Provinciam, Regionem seu Civitatem, quæ eidem loco in Cœlo, ubi Cometes hæret, subjecta est. Secundò, quæ loco illi dominantur; ut si in Leone fuerit Sol, illius effectum adjuvabit, & faciet splendescere. Semper autem hoc auxilium ad malum tendit totius populi vel gentis ratione: In bello tamen, hæresi, & seditione aliquem illustrabit. Tertiò significat latitudinem à signifero; hæc locum proprium designabit, ut suprà Germaniam, Italiam, Galliam, vel aliam terræ partem. Quartò cum quâ Erraticâ fuerit, vel in cujus opposito; facilè enim erit intelligere ex hoc, cujus naturæ sit. Quintò cum quâ fixâ Stellâ collocata fuerit: Eadem enim est ratio, quæ de Planetis. Sextò qua in parte Cœli fuerit: Quibus enim in Oriente exitium vitæ: Quibus in Cœli medio, Regni, Regis & potentiæ: Septimò in cujus angulo ceciderit. Octavò locus, quoad figuras octavi orbis considerandus est: Nam similia à similibus dicit affici; velut in Argo naufragia magna classium decernet, aut fluviorum ariditatem. V. Forma. V. Forma. quoniam si gladiis assimilatur, Civitatum destructionem significat, est enim propriè Martis. Quæ verò

verò crinita parva versicolor, lucida & benè caudata, Mercurii est: ideoque Ventorum, & Seditionum, & Hæresis prænuntia. Nigra verò brevi caudâ crinibus nullis, Saturni est, & sterilitatem, diuturnáque bella, & lepram, ac talia significat. Quæ verò similis columnæ, Jovis: ea Principes & Reges occidit. Porrò quæ lucida est & vultu quasi humano, flava & brevi caudâ (raró visa) Veneris est, & per se longas discordias erga gratum Principem significat. VI. Diuturnitas verò magnitudinem effectuum portendit, atque illorum diuturnitatem & stabilem in perturbatione statum. VII. Situs autem partem illam declarat terræ, ad quam caudæ acumen respicit. VIII. Motus verò & undè effectus venturus sit & progressus illius celeritatem & tarditatem significat. Motûs igitur celeritas & tarditas, & ex qua parte & in quam partem considerandæ sunt. Feruntur enim quidam Cometæ contrario ordine signorum, sivè C. S. S. alii S. S. S. alii permisto motu in latitudinem, alii secundùm altitudinem simpliciter, alii aliis modis. Semper autem videntur qui C. S. S. feruntur, mutationes legum significare. IX. Habitus ad Solem declarat ipsius effectus initium. Nam si Orientalis extiterit Cometes, brevi initium habiturus est effectus; Si Occidentalis tardè. X. Quod verò ad situm orbis attinet, diligenter ait observandum esse tempus medium ipsius Cometæ, aut initium, vel tempus maximi motûs, & quis fit Dominus loci Cometæ, & succedentis anguli, si ordine signorum moveatur; aut antecedentis, si C. S. S. Is enim erit figuræ & Cometæ Dominus, & futurorum significator. Hæc *Cardanus loc. sup. cit.*

VI. Duratio.

VII. Situs.

VIII. Motus.

IX. Habitus ad Solem.

X. Situs Orbis.

XII. Sunt tamen alii, qui innuente eodem *Cardano* ibidem ex motu Cometarum ariolentur & dicant: Si Cometæ in Austrum tendant, pluvias significare; Si ad Aquilonem, siccitatem: Si ad Ortum, pestem & maxima mala; si ad Occidentem, optimam anni constitutionem & temperamentum. Ità censuit *Porphyrius.* Ajunt deindè, si Cometa caudam ad aliquem Planetam, vel Stellam fixam continuò dirigat, etiàm videri, quod vires illius quoque sortiatur, cùm hac directione id indicare velle videatur. Prætereà si diu duraverit Cometes, quod etiàm in multos annos extendere possit effectum suum. Initium tamen, ut in Eclipsi tot mensibus differri possit, quot sunt horæ inæquales, quibus Cometes ab oriente distat. Denique dicunt eos, qui nascuntur cum Cometa ascendente, vel omninò non victuros, aut si victuri sunt, egregios, & magnos viros evasuros: Similiter, si quis nascatur Cometâ medium Cœlum possidente, hunc profectò maximum futurum. Plura hujusmodi, quę concernunt proprietates & prognostica Cometarum, videri possunt in *Calendario Astrologico Francisci Junctini.* Fatemur tamen, nos ultima hæc de speciali prognosi Cometomanticâ curiosè tantùm ut scienda & deridenda, minimè verò ut approbanda & amplectenda attulisse, cùm præter mendacem vanitatem solidæ eruditionis nihil subesse censeamus; ideò etiam contenti nudâ eorum relatione, ampliùs ut disquiramus, indigna reputamus. Verissimè dixisse mihi videtur de his *Milichius. Quanquam Cometas inter prodigia rectè numerant; tamen si verè volumus judicare, multò tristiora prodigia sunt in Republicâ ingenia monstrosa, quæ delectantur novis & absurdis opinionibus, & conturbant artes & leges, quàm ullæ in Cœlo faces visæ, aut terræ motus, aut signa, quæ in Elementis interdum existunt. In Plin. lib. 2. cap. 25. pag. 189.*

Prognostica quædam alia ex Cometis.

CAPUT IX.

Sententiæ & Argumenta eorum, qui Cometis nullam vim significandi aut quicquam efficiendi attribuunt, recensentur.

Receptissima licet hactenùs semper apud Sapientissimos quosque tam Philosophos, Astronomos, Historicos ac Poëtas, quàm etiàm Ethicos & Theologos fuerit opinio, Cometas plurima eáque funesta sæpè mala prænuntiare & mortalibus præsagire, adeóque ferè nihil aliud esse, quam funebres quasdam faces, arcana quædam fulmina & lampades potius mortis quàm vitæ, nec unquàm comparere, quin veluti minaces divinæ ultionis oculi & linguæ irati numinis mortem Principum, pestem populorum; famem, terræ motus, insultus bellicos, seditiones, cruentas strages, horrendásque in mari tempestates & naufragia certissimo terrore portendant. Longè tamen aliter sentiunt & sentire cæperunt præcedentis & hujus sæculi quidam Novatores, qui canæ non tantùm antiquitati, ac sanissimæ Auctoritati, sed & omni ingenuæ sinceritati, veritatique idcircò bellum indixêre, & hanc antiquissimam opinionem impugnare, atque è fundamentis diruere conati sunt, scilicet non dignantur respicere, non attendere, non audire, quod ait Princeps Philosophorum *Aristoteles*, Cometas portendere ventos & siccitates: quod ait *Seneca*; esse signa naturalia, simul & causas procellarum & annum integrum suspectum reddere, ac laborare infortuniorum infamiâ; quod ait *Cicero*: esse prænuntios calamitatum: quod ait *Plinius*; esse terrifica magnâ ex parte sidera, ac non leviter piata quandoque sæva, quandoque tamen & læta; quod ait *Tacitus*; regni muta-

Quid varii Authores sentiant de Cometarum significatione.

tionem præſagire: quod ait *Suetonius*; ſummis poteſtatibus exitium portendere: denique quod ajunt *Aratus*, *Claudianus*, *Manilius*, *Virgilius*, *Lucanus*, *Silius* Italicus, *Tibullus*, *Valerius*, *Flaccus* & *Pontanus* minari & præſagire tempeſtates non tantùm in aëre, ſed & in terrâ, illas ſcilicet imperiorum, bella, funera Regum & innumera alia hujusmodi mala. Neque etiàm apud eos, dum à Sacrâ SS. PP. authoritate in obſequium veritatis ſententiæ conquiruntur, meretur audiri, quod ait *Joann Damaſcenus lib. 2. fidei c. 27.* Cometas eſſe ſigna inſtantium malorum, & à Deo effingi & diſſolvi; quod ait *Tertullianus*, eſſe ſigna imminentis iræ DEI quoquo modo annuntiandæ, prædicandæ, & deprecandæ: quod ait Maximus *Auguſtinus*, Deum per iſta oſtenta civitates terrere, terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mundare, terrendo mutare, ut fugetur ira Dei futura. Plura teſtimonia tàm ex ſacrâ, quàm profanâ authoritate memorare nolo, cùm ipſa Experientia veritatis Magiſtra publicè & palàm declamet cum *Claudiano* Poetâ.

In cœlo nunquàm ſpectatum impunè Cometam.

Ac cum alio recentiori Poëtâ ſpeciatim debuccinet mala, quæ ferale has lampades conſequi ſolent.

Unda, fames, ignis, contagia, prælia, motus
Terræ, Regnorumque vices, poſt funera regum.
Hæc ſiunt, quæ ſignat cœli tibi Munde Cometes.

Authores, qui Cometis nullam vim ſignificandi tribuunt, quid de Cometis ipſis ſentiant. Verùm his nihil moti Novatores ejusmodi cometicorum eventuum contemptores, ſtatuunt, Cometas eſſe corpora omninò è fœcundo Naturę ſinu vi prorſùs naturali in aëreâ, vel ſublimiori æthereâ regione genita, aut eſſe mundo coæva ſidera, nec ad alium finem, quàm ad mundi ornatum & decorem, rerúmque cosmicarum varietatem enata; imò ad ipſius Creatoris gloriam enarrandam cœlo inſerta promicare ſine ulla cum terrenis rebus connexione; adeoque nec quicquam triſte aut fatale unquàm portendiſſe: Quin ſolùm hoc dici poſſe, quod in triſtes rerum mundialium caſus & eventus fatales, qui aliundè etiàm non illucente Cometâ eveniſſent, eorum apparitiones inciderint: itaque calamitates & funeſta mala non portenderint, non causârint, non effecerint, ſed invenerint. Verùm ut ex ipſiſmet hujusmodi Authorum verbis eorum ſententia meliùs advertatur, libet ea ipſa hìc Lectori ob oculos ponere.

Gaſſendi doctrina. Comprimis *Petrus Gaſſendus* Vir aliàs magnâ & profundâ eruditione clarus, hic tamen fortè magìs ingenii oſtentandi, quàm ingenuæ veritatis tutandæ causâ liberior *Phyſ. Tom. 1. ſect. 2. lib. 5. cap. 3. de Cometis.* Poſteaquàm docuit ventos non neceſſariò Cometis ſuccedere, tantò minùs ſiccitatem, aut ſterilitatem, famem, peſtem, bella, Principum interitus, rerum publicarum clades: omnium verò minimè arbitrarias hominum actiones ad Cometarum apparitionem eſſe referendas, miratur eousque ominando aliquos progredi, ut bellorum clades, regnorum everſiones, Principum mortes ad Cometas referre audeant. *Mirum, inquit, dictu, quanta faſcinatio mentibus humanis illudat; profectò ſi anni ſteriles non forent, ſi non invaleſceret fames, ſi non graſſaretur peſtis, ſi bella non excitarentur, ſi exercitus non profligarentur, ſi Principes non morerentur, niſi Cometis præeuntibus; præclarè iſta circumferrentur. Nunc autem ſeu præfuerint Cometæ, ſeu abſuerint; omnia pari modo eveniunt. Ecquid ergò iſti effectus referuntur potiùs in Cometas ſeu cauſas, ſeu ſigna, ſeu utrumque dicas, quàm in quidvis aliud? Adhæc ſi Cometæ conſiſterent, ac uni tantùm domui, ſeu Urbi, ſeu Regioni impenderent: Si unius aciei clades non eſſet Victoria alterius: & quod iſtis lethale, ſalutare illis non foret, ſi Reges ſoli morerentur, ſuperioraque illa corpora optimates potiùs Viros, quàm plebeios reſpicerent; ratio ſpecioſa obtenderetur. At Cometæ varias regiones, imò totam terram circumeunt: quidquid calamitatum affert uni ſeu viro, ſeu populo, præſtat alii emolumentum; miſta denſantur Principum & Subditorum funera, neque naturalibus cauſis ullus noſtri delectus eſt. Ecquid ergò diros, lethales, timendos dicimus Cometas, potiùs quàm benignos, ſalutares, amabiles? Terrifici ſunt, ſed dementiâ noſtrâ, quæ panicos ſibi objicit terrores ac propriis malis non contenta, extranea undique adſciſcit.*

Dices Cometas divinitùs ad aliquid nobis ſignificandum uſurpari. At ſanè id fieri poſſe non inficior. Sed interim, undenam conſtat reipſa id fieri? An aliundè, quàm ex vanitate, quâ miſeri turgeſcimus, dum digni nobis ipſis videmur, propter quos hæc oſtenta fiant? Quid enim? Declaravitne ter Maximus DEUS fore, ut ſi quandò Cometa in occaſum tendat, caveamus, ab externis; ſi in ortum, à domeſticis? An Principes admonuit, ut caveant ab iis Cometis, qui matutinum occupant ſignum factum ipſis horoſcopum, aliaſque conſimiles nugas? Id cum applauſu excipitur.

Sæpe domi culpa eſt, neſcimus credere Cœlo. Manilius.

Neque ego ſanè improbo domeſtica mala ſivè Cometarum, ſivè aliarum quarumvis rerum occaſione emendari. Sed ſi patienter iſtos feramus, qui ſic ſpeciatim omnia definiunt, ſic bellè ſibi ſapiunt, quaſi quod ajebat Jupiter Opt. Max. admiſerit ipſos in concilium Deorum? Citant exempla mille cladium? Mille mortium Principum, quæ poſt Cometas acciderint. At centies plures prætermittunt, quæ acciderunt ſine Cometis; neque declarant, quâ ratione ſiniſtri caſus per Cometas cuique, aut innoteſcere aut declarari valeant. Scilicet nemo ſatis attendit: Quia neque cum Senecâ ſatis id ſibi objicit: Ergo tu in tantis erroribus es, ut exiſtimes DEOS mortium ſigna præmittere, & quicquam in terris eſſe tam magnum, quod perire Mundus ſciat?

Idem *Gaſſendus* rursùs *lib. 3. in vita Peireski* de Cometâ, qui Anno 1618 viſus eſt, hec ſcribit: *Non eſt cur de præſagiis Cometarum aliquid dicamus, cùm non poſtremum ſit argumen-*

gumentum imbecillitatis humanæ ad ista expavescere, quibuscum res nostræ commercii nihil habent. Mirum, cur saltem DEO non credatur, dùm à signis Cœli nihil metuendum jubet. Scilicet ipse signa non faciens, ex quibus non expositis, quid futurum sit caveri non possit. Nisi autem DEUS Cometam calamitatum signum constituat: Undenam esse in Cometâ potest aut futurorum notitia, aut effectus significandi? An non ille suam pergit viam, ut naturalia cœtera? Parumque ejus inter est, quid humanæ gentes inter se moliantur. Hæc *Gassendus.*

Georg. Græviio-pinio. Similia ferè sunt quæ habet *Andreas Dutithius in ep. ad Joannem Cratonem*: Item *Joan. Georg. Grævius in orat. de Cometis*; quorum hic quidem statuit, Cometas esse Stellas perpetuas mūdo coævas certo tantùm tempore conspicuas. Undè ait. *Quid enim Stellæ hæ crinitæ, quas Græci Cometas dicunt, quàm quod ipsa vis nominis ostendit, novæ Stellæ, nova Cœli decora? Nam Stellæ sunt Cœli ornamenta, Cometas verò Stellas esse consentiunt ferè doctissimi, & rerum divinarum prudentissimi homines: Quid est cur refugiamus Cometam ornamentum Cœli dicere; novum quidem, sed nobis, quorum conspectui se nunc primùm offert; antiquum verò & cum aliis omnibus in rerum initio conditum, & suo orbi adfixum, ad quem infirma nostrorum oculorum acies propter immensa spatia & intervalla non pertinet? Cùm itaque in Stellarum censu & numero sit Cometa; cur nobis timorem incutiat, cur metum afferat, causa nulla est.* Et post paulò plura hæc addit. *Definiti sunt siderum cursus & motus; ordinatæ sunt conversiones hæ ad numerum cadentes, quo hæc, quæ suprà hunc orbem sunt, moventur. Firma ac stabilis est Cœli natura in omni temporum varietate; devincta sunt cœlestia æternis naturæ legibus; illâque necessitate coacta fuissent suo defungi cursu & motu, quâ nunc impelluntur. Quæ verò tum bella, quas clades, quæ incendia, quos pestilentes annos, quam segetum calamitatem significâssent, si nos ab omnibus his incommodis & molestiis liberi & soluti omne tempus exegissemus? Cur ergò nunc trepidamus? Cur expavescimus ad motus horum siderum, cùm fatorum mandata peragunt: cùm perpetuis istis legibus, quibus tenentur, obtemperant, & quod ordo naturæ illis imposuit, exequuntur?*

Hoc ergo fundamento innititur tota ejusdem annullificationis signorum & effectuum Cometicorum moles, quod cùm minimè firmum sit & stabile, sed anceps planè & dubium, ut patet ex maximâ Authorum dissensione de Cometarum origine & materiâ, prout *cap. 4. sup.* indicavimus nunquàm ità Viris ad unguem usque doctis suam persuadebit sententiam, nisi validiorum rationum & experimentorum momentis firmiùs eandem stabiliat. Nec verum esse constat ex eodem cap. 4. suprà doctissimos quosque & rerum divinarum prudentissimos consentire; Cometas esse Stellas perpetuas. Quocircà absolutè negato ejus principio *Grævium*, quantumcunque gravis esse velit, ità paucis absolvimus & dimittimus.

Quod verò *Dutithium* attinet: suæ quoque sententiæ firmam haud statuit basin, dùm *Aristotelis* & Peripateticorum decretis subscribit: in epistolâ equidem suprà memorata ità scribit: *Etsi non sim nescius, quàm variæ, quàm pugnantes de Cometis veterum Philosophorum sententiæ fuerint, ut nondum ex abditâ illâ naturæ obscuritate planè evolvi ejus vis ac natura potuerit; nos tamen communem, quæ eadem Aristotelis quoque fuit, & qui eum magistrum sequuntur, opinionem hoc loco retinuimus.* Verùm si nondùm cognita & planè perspectâ vi & naturâ Cometarum *Dutithius* communem de eâdem recipit opinionem, cur non & communem etiàm de significatione eorundem assumit: illa autèm prorsùs dubia, ut ipse fatetur, cur nihilominùs ex ejusdem solâ suppositione tàm severus esse vult, ut indè omnia signorum & eventuum subsequentium fundamenta convellere & penitùs à sedibus imis evertere non vereatur.

Antequam porrò ad priora planiùs respondeamus, dignum videtur esse, ut etiam *Julii Scaligeri*, qui dux & caput est adversariæ partis, sententiam de vanitate signorum, & effectuum Cometicorum adducamus. Scribit enim *Exercit. 79. sect. 2.* inter alia. *Etenim existimare à Cometâ Regem interfici, ridiculæ dementiæ est. Tantò minùs everti provinciam. Sed ne signa quidem sunt, ut fumus ignis: Verùm sicuti aliquis effectus est alterius signum propter cohærentiam, veluti signum quod gallina peperit, cantus. Nam gallina utriusque & partûs & cantûs author est. Neutrum verò ab altero pendet necessariò. Multi itaq; sunt à nobis Cometæ visi, quos nulla unquam totâ in Europâ subsecuta est pernicies mortalium: Et multi Clarissimi Viri suo fato functi sunt, multi eversi principatus, pessumdatæ familiæ illustres sine ullo Cometarum indicio;* Hæc etiam ille. Sed hisce sic relatis, quid veriùs de Cometarum efficientiâ & significatione sentiri posse videatur, jàm proferamus. Dutithii sententia.



CAPUT X.

Verior Sententia de Cometarum significatione profertur, ac stabilitur; nec non potiora quædam argumenta Adversariorum refutantur.

Sententia verior de Cometarum significatione.



Etsi Adversariorum sententia *priore cap.* relata videatur plausibilem aliquam veritatis apparentiam habere; nihilominùs saniori veritati conformiùs esse judicatur, Cometas agnoscere tanquàm signa ominosa, & extraordinaria Naturæ prodigia & portenta, prænuntiosque quorundam insuetorum ac insolitorum eventuum, qui alicubi in terreno globo, sivè ii sint mali, sivè boni futuri, sivè etiàm naturaliter & directè per se, ut veri effectus, & quidem immediatè vel mediatè, sivè præternaturaliter aut supernaturaliter, atque etiàm indirectè tantùm, vel per accidens consequantur.

Probatur 1. ex S. Scripturâ. Nam imprimis hoc valdè censetur esse consentaneum variis S. Scripturæ locis. Ita *Joëlis 2. v. 30. 31. Dabo prodigia in cœlo, & in terra sanguinem & ignem & vaporem fumi: Sol convertetur in tenebras & Lunam in sanguinem, donec veniat dies Domini magnus & horribilis. Ezechiel 32. vers. 7. Operiam, cum extinctus fueris Cœlum, & nigrescere faciam Stellas ejus. Isaiæ 13. v. 10. 11. Quoniam Stellæ Cœli & splendor earum non expandent lumen suum - - - & visitabo super orbis mala & contra impios iniquitatem eorum & quiescere faciam superbiam infidelium & arrogantiam fortium humiliabo.* Et Christus ipse *Lucæ 21. v. 10. 11. Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum: & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames terrorésque de Cœlo & signa magna erunt.* Ac ibidem *v. 25 & 26. Erunt signa in Sole & Lunâ & Stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitûs maris & fluctuum arescentibus hominibus præ timore & exspectatione, quæ supervenient universo orbi &c.* Ex quibus locis Scripturæ adductis, sivè aliqui (ut quidam Commentatores volunt) intelligendi sint de excidio Urbis *Jerusalem*: constat certè testibus *Josepho, Egesippo, Eusebio* & aliis per integrum annum Cometam illi excidio super Urbem præluxisse: Sivè de universali Orbis interitu antè Supremi Judicis adventum, ut veriùs esse putatur, sentiunt etiàm plures Doctores inter signa illa & prodigia in Cœlo & Stellis futuros esse Cometas; quorum intuitu scelerati à peccatis deterreantur, & ad seriam pœnitentiam moneantur. Boni verò & desolati ad perseverantiam & instantia prœmia animentur; quocircà *Christus* addidit Lucæ 21. vers. 28. *His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ità ut signa illa aliis comparitura sint ad terrorem, aliis ad consolationem.

Prob. 2. ex ductu rationis. Probatur 2. ex ipso ductu rationis & lumine naturæ, cum omnes nationes, omnes in terrâ populi cujusvis sexûs, ætatis, statûs & fidei, adeoque Gentiles, Barbari, Turcæ, Judæi, Christiani visis Cometis communiter terreantur, & vulgariter apprehendant eos, ut signa ingruentium calamitatum, ac prodromos imminentium cladium & ærumnarum. Nec opus est hic testimonia compilare.

Probatur 3. Ab Authoritate, quià plerique doctissimi Viri numero penè infiniti omni ferè sæculo, iique tàm sacra, quàm profanâ eruditione præditi Cometis significationem ac efficientiam aliquam semper tribuerunt; ut patet aliquatenùs ex initio tùm hujus capitis, tum etiàm ex præcedenti toto capite. Prob. 3. ab Authoritate.

Probatur 4. ab Experientia: Compertum est enim omnes ferè Cometas eventus quosdam extraordinarios & inopinatos esse consecutos, ut meliùs infrà in Catalogis Cometarum patebit. Quamvis tamen cum respectu eventus isti semper intelligendi sint; quià licet uni vel alteri fuerint infausti, aliis nihilominùs etiàm fausti sæpè fuerunt: in se tamen si ritè considerentur; semper ferè quid infaustum, aut planè inopinatum post se traxerunt. Ità si solùm illum proximè præterlapsis Annis 1680 & 1681 prægrandi caudâ lucidissimâ flagrantem Cometen, unici exempli loco recogitare velimus: quam quæso inopinati eundem subitò consecuti sunt eventus, qui etiamnùm, dum hæc scribo, perdurant? Inprimis ingens in Ungaria rebellio concitata adversus Regem & Cæsarem invictissimum *Leopoldum.* Quam secuta terribilis & inopinata copiosissima Turcarum irruptio in Austriam ac Provincias Cæsareas: ubi tot villæ, pagi, oppida, castella Vulcano tradita: tot mille Christianorum animæ in servitutem à Turcis, & Tartaris abductæ: ipsa Urbs *Vienna* diutinâ obsidione oppugnata, sed non expugnata, ac piissimus Imperator Christianorum ad extremas penè angustias delatus, ut reverà unicâ litera gloriosæ suæ intitulationis immutatâ non tunc *Augustus*, sed verè *Angustus* dici potuisset. Ipsum insuper totum Romanum Imperium direptioni & devastationi omnimodæ propinquum videbatur. Taceo plura alia, quæ recenti quivis adhuc memoriâ tenet. Verùm omnipotens DEI manus hæc omnia vertit in bonum, ut quod Christiano Orbi infaustum putabatur, sic tantùm in cepit, nunc autem cedit faustum; Nam Rebelles Ungariæ domiti, Turcæ continuâ victoriâ feliciter debellati, cæsique, plurimæ Urbes munitissimæ eisdem ereptæ, quas inter præprimis *Buda* caput & Metropolis Regni Ungariæ expugnata & gloriosè occupata; Hinc & Prob. 4 ab experientiâ.

integræ

integræ provinciæ ac Regiones opulentissimæ Cæsari victorioſè ſubditæ. Deindè & Moræa, Græcia, aliæque ditiones nobilissimæ cum variis inſulis in mari per Venetos glorioſiſſimè ereptæ. Sileo plura alia, quæ eundem Cometam conſecuta, ità ut hodiedùm Victoriæ Chriſtianorum de Barbaris ſic dirigente altiſſimo feliciſſimè continuentur, ut ità ipſum Ottomannicum Imperium proſperante Numine brevi penitùs diruendum ſperemus. Quocircà benè cecinit Poëta recens.

Hungaricis elata polis Aquila Auſtria Lunam
Jam ſuper alta volat dum Buda victa jacet.
Hunnia, creſcenti poſthac non fidito Lunæ:
Ne tibi decreſcant cornua, docta time.

Argumenta Adverſariorum refutantur. Sed nunc paucis potiora quædam Adverſariorum argumenta attingamus, & refutemus.

Argumentum primum. Ajunt itaque I. *Cometæ ſunt res planè naturales, quæ naturaliſſimè contingere, & vel in aërea vel æthereâ regione ex halitibus terreſtribus, aut effluviis Planetariis exoriri ſolent. Ergò non poſſunt eſſe ſigna extraordinariarum calamitatum, accladium, aliorumque eventuum ſpecialium, quos Aſtrologi per Cometas ſignificari dicunt.* ℞. 1. An Cometæ planè naturaliter exoriantur, adhuc ſub Judice lis eſt; ut patet ex *cap. 4. ſupra.* Ingens enim Authorum diſſenſio de origine & materiâ Cometarum ibidem indicatur. ℞. 2. Dato, quod Cometæ ſint res planè naturales: Non ſequitur tamen, quod non poſſint eſſe ſigna extraordinaria aliarum rerum. Nam ſicuti Iris eſt res planè naturalis; naturalem habens originem; eſt tamen ſignum gratiæ & fœderis divini cum genere humano. ℞. 3. Licet Cometæ ſint res ortum planè naturalem habentes: Nihilominùs Deus ex ſpeciali ſolùm diſpoſitione, & ordinatione eos producere poteſt, ut ità tunc ſolùm compareant, quandò terrigenas intendit punire, aut vult aliquod ingens malum, vel bonum eventurum per eorum apparitionem prænuntiare.

Cometæ an & quomodo prędici poſſint. Sed inſtant & dicunt: Cometæ & eorum apparitiones poſſunt ab Aſtronomis prædici; quod fieri haud poſſet, ſi ſpeciali directione divinâ comparerent, & eſſent opera inſolita & extraordinaria, quæ mortalibus dirum quid portenderent. Probant antecedens ab obſervatione & exemplis. Nam compertum eſſe volunt; ſi fiat conjunctio magna Planetarum præcipuè ſuperiorum in ſigno comprimis igneo, vel terreo quod ordinariè Cometes Cœlo promicare ſoleat. Ità *D. Leovitius* diu ante annum 1582, quo conjunctio magna erat in ſigno Arietis, Cometam prædixit, qui etiàm reverà comparuit. Item *D. David Herlicius* ad Annum 1592. Cometam prænuntiavit, qui Anno ſequenti 1593. viſus eſt. Similiter ad Annum 1606 Cometam prædixit ob conjunctionem Saturni & Martis: Item Jovis & Martis, qui anno ſequenti 1607. in Junio & Julio ſpectatus fuit: Sic etiàm *D. Bartholomæus Schimferus* in deſcriptione Cometæ 1652 prædixit ad Annum 1661. Cometam videndum propter conjunctionem ♄.♃. ⊙. & ☽ in ſigno Scorpii: uti & contigit. Item ad Annum 1664, ubi in Decembri denuò omnes Planetæ in terreo ſigno Capricorni convenerunt, Cometam prænunciavit, qui & ſecutus fuit. Rurſum Anno 1682 ob conjunctionem magnam omnium Planetarum cum capite Draconis in ſigno Leonis Menſe Julio ejusmodi phœnomenon prædixit: Itaque reipſa accidit. Poſſunt ergò Cometæ prædici.

Ad hanc inſtantiam benè mihi videtur reſpondere Clariſſimus *Hevelius*, dum in epiſt. die 27. Jan. 1665. ad Generoſiſſimum *D. Lubieniecium* ità ſcribit: *Miror ſanè multùm, qui fieri unquam poſſit, cùm Aſtrologi glorientur ſe, poſſe Cometas adeò præcisè prædicere, quod famoſus ille Aſtrologus Germanus (Schimferus) circà pacem turcicam, quæ eodem Anno, quo bellum minatur, inita eſt, adeò enormiter aberraverit. Profectò adeò multa, imò contraria verba nonnunquàm fundit ant, ut mirum eſſet, ſi caſu unum aut alterum non attingeret. Quàm multos Cometas ex conjunctionibus magnis prædixerunt, quorum nullus ſanè humanis oculis viſus eſt.* ità *Hevelius*. Similiter ferè ſentit doctiſſimus Vir *Eichſtadius* de Cometa Anni 1652 agens. *Prædictio* inquit, *Cometa eſt res merè in conjecturâ poſita: Siquidem nemo Aſtrologus æquè probabiliter poterit Cometam prædicere, quàm ventos & alia meteora. Siquidem majus opus eſt Naturæ producere Cometam, quàm Meteora, potentioresque queunt intervenire cauſæ effectus ſiderum impedientes.* Sed & *P. Ricciolus* rationibus & authoritate fultus incertum, imò vanum id eſſe demonſtrat ex conjunctionibus Planetarum Cometas prædicere. Undè & inter alia erudita carmina *Joannis Weidneri* ex *Keplero* in hanc rem adducit.

Atſi quis Jovis ac Martis congreſſa duorum
Aſtra Planetarum imberbem genuiſſe Cometam,
Prædictumque ſibi magno contendat hiatu
Aſtrologaſter iners; Centum opponemus eidem
Erronum coitus nullum genuiſſe Cometam;
Vera loqui caſu, mendacia mille locutum.

Ex quibus apparet, ejusmodi prædictiones eſſe meras conjecturas, nec aliquo fundamento firmo inniti, ſed ſi contingant, merè caſualiter fieri, putandum eſt, minusque probabiliter Cometas prædici poſſe, quàm temporum mutationes, quarum prædictio tamen non niſi conjectura eſſe ſolet. Verùm de hoc videri quoque poteſt doctiſſima diſſertatio *D. Buthneri* in epiſtolâ die 17. Junii 1665. Gedano Hamburgum ad *D. Lubieniecium* datâ, prout ea extat in *Theat. Cometico* ejusdem pag. 819 & 820.

Ajunt 2. *In Sac. Scripturâ expreſſè haberi, quod ſigna Cœli non debeamus timere: Ergò nec* Argumentum ſecundum.

gò nec

gò nec Cometas. *Nam Jerem. 10. v. 2. dicit DEUS per Prophetam: Juxtà vias Gentium nolite discere. & à signis Cœli nolite metuere, quæ Gentes timent, quia leges populorum vanæ sunt.* ℞. Hunc locum intelligendum de timore & metu idololatrico, quo Gentiles astra, & signa cœlestia colebant & metuebant tanquam DEOS & Numina: Undè additur: Quæ *Gentes timent*: Sic etiàm nec Cometæ metuendi sunt metu scilicet idololatrico: Possunt tamen metui alio fine, nempè ut vindices, aut ut cœlestes præcones malorum. Pari modo prohibetur *Levit. 26. v. 1. Non facietis vobis sculptile*; Sed additur: *Ut adoretis.* Sculptilia enim facere per se non est vetitum; verùm si eo fine perficiantur, ut adorentur, prohibitum est.

Argumentum tertium. Ajunt 3. *Non omnes Cometas subsecuta est calamitas ac pernicies mortalium: Quomodò ergò possunt ejusmodi significare mala?* ℞. Etiam Jonæ prophetiam non subsecutus est interitus Ninive: Ergò Jonas malè hunc interitum prænuntiavit? Novit certè DEUS mutare sententiam, si nos noverimus mutare delictum. Sic etiam fulmen non semper homines afflat, turres ferit aut domos accendit: An idcircò desinit mala ejusmodi portendere? Verùm quæ infausta & mala singulos Cometas secuta sint, videri poterit infrà in Catalogis Cometarum.

Argumentum quartum. Ajunt 4. *Multi Viri Clarissimi fato suo functi sunt, multi eversi principatus, pessundatæ familiæ illustrissimæ, translatæ regiones & imperia sine ullo Cometæ indicio. Ergò non sunt signa.* Respondet in *Theatr. Comet. Lubieniecii D. Placentinus.* Quasi verò: Acsi omnes Cometæ in nostrum aspectum venerint, & ab omnibus omnes observati fuerint, & non aliæ causæ horum eventuum speciales esse possint. Multi sine fulmine, sine peste ac bello è medio sublati sunt: An ideò pestis, bellum &c. malum non portendit. Multi sine hoc vel illo morbo moriuntur: An ideò hic vel ille morbus non erit significator periculi vitæ. Similiter *Adamus Osiander de Stellâ Magorum* benè redarguit Adversarios dicens. Prima eversio Urbis *Jerusalem* non scitur, quod fuerit indicio alicujus Cometæ facta: Undè nec Cometes, qui integro Anno super eandem Urbem, & antè ejusdem secundam eversionem præluxit, nihil significavit, nec quidquam mali portendit? Sic & multæ pluviæ ex aëre deciderunt, quas iris non indicavit. Ergò Iridis apparitio non censetur esse signum pluviæ? Similiter multi dies sereni illuxerunt, quos Cœlum vespere rubens non præcessit: Ergò hoc non censetur esse signum serenitatis futuræ? Quis ejusmodi illationes, dùm à particulari ad universale argumentantur, non rideat? Deindè potest etiàm responderi ad argumentum, quo objicitur, multas calamitates affligere genus humanum, ubi nullus Cometa prævius exarsit. Quod DEUS non obligetur, ut semper ex thesauris naturæ signa & portenta in Cœlo ostendat, illisque hominum protervìam ad pœnitentiam provocet. *Habent Moysen & Prophetas*: Vel etiam prævidet jam DEUS præfrictam hominum frontem, nullam ampliùs monitionem admittentium, omnemque sui reprehensionem & emendationem: Proindè devota capita, flagriones, & mancipia pœnarum justo judicio censet.

Argumentum quintum. Ajunt 5. *Nullus Cometa ità noxius fuit, quin non & aliis fuerit bonus, lætus, & salutaris, adeoque si Cometæ sunt signa & prænuntii eventuum malorum, etiam erunt signa & prodromi eventuum bonorum.* ℞. Hoc Argumentum adversariorum denuò in ipsos retorqueri posse à simili: Pestis nempè multis Medicis est commoda: Bellona non paucis militibus salutaris; Fames Mercatoribus est proficua; tonitru est terræ fructuosum: An propterea hoc non erit extimescendum; An ideò pestis, bellum, fames non adducent pericula vitæ, & casus infaustos significabunt? ità pariter, quod post Cometas sequantur funera Principum, & illis tumulatis aliis obtingant principatus, ideò priores eventus non erunt luctuosi? Quia isti gaudiosi & fortunati? Deindè non tantùm dicimus Cometas præcisè semper mala denuntiare, sed etiam bona, ità ut quotiès exardent, toties singulare aliquod, insuetum & insolitum bonum vel malum indè ominari possimus. Ideò *Paradinus* qui in symbolis suis heroicis id celebrat, *Aristotelem* quoque allegat, quod is tradiderit, *perpetuò mortalibus aut prosperrimum fortunæ successum, aut summum aliquod detrimentum novum quem vis portendere Cometam.* Certè & *Chæremon* Stoicus notaverat interdùm per Cometas, etiam in meliùs mutationem prænotari. Et *Vulcanius* Aruspex, ut *Servius* refert ad *Virg. Eclog. 9.* dicebat: Cometâ significari exitum veteris, & ingressum novi sæculi. Idem *Servius* ad illa Virgiliana. *Diri totiès arsêre Cometæ.* Annotat: *Diri Cometæ, quia sunt & boni.* Et de illo apud eundem *Æneid. 10.* decantato. Hic blandus esse dicitur. Item, quod si illa nova Stella in Natali Domini Cometa fuit, ut *Origeni* & aliis placet: Certè hic solus omnibus Cometis mali ominis detraxit infamiam; ut *Seneca* alicubi loquitur de illo, qui sub *Nerone* apparuit. Neque hoc mirum foret, cum & *Alexandro M.* & *Mithridati*, verè Magni cognomen itidem merito, utpote Romanorum terrori, Asiæ liberatori, non tantùm vitam, sed & imperium ineuntibus Cometæ præfulserint. Ità quoque Nobilissimus & Generosissimus D. *Stanislaus Lubienietski* in præclaro opere illo Theatri Cometici, quod congessit ex communicationibus variorum per Europam Clarissimorum Virorum, cum quibus de plenioris, & accuratioris scientiæ Cometalis notitia contulit; tandem concludit, & dicit: *Cometa mihi est signum supernaturale, Artificiale, arbitrarium, doctrinale, indicativum, memoriale, quo & DEUS vias suas homini signat, bona bonis, mala malis denuntiat, & homo ratione, ac divinæ voluntatis notitiâ præditus, ejusque intentioni & institutioni obediens, officia sua sibi in memoriam revocari patitur & gaudet: E contrario officiorum negligens minus denuntiatas timet ac horrescit. In exitu Theat. Comet. epist. Hamburgo in March. d. 30. 1666.*

Quod

Quod attinet alia argumenta Adversariorum, videri ea poterunt apud alios Authores. Insignis autem præ cæteris mihi videtur ille, supresso verò nomine suo sic dictus *Theophilus Antisscepticus* in libello germanicè impresso ad Annum 1681, cujus titulus **Verwerffung des Cometen-Gespötts** / quo Lectorem remittimus. Sed nunc antequàm Cometarum omnium â Mundi diluvio ad nostra usque tempora catalogos, unà cum eventibus malis, ac bonis secutis ex variis Autoribus concinnatos proferamus, libet priùs hoc loco XXX. theses insignes D. *Lubieniecii*, in quibus solida doctrina non tantùm de Cometarum morali significatione, sed etiam aliorum astrorum efficientia compendiosè & doctè proponitur, in medium proferre.

CAPUT XI.

Fundamenta Sententiæ contrà determinatam Astrorum efficientiam, & pro indifferenti, ac æquâ bonis, malisque Cometarum Significatione morali disputantis.

I.

Lubieniecii Sententia circà Cometarum significationem.



Astrologicas quidem prædictiones determinatas assidua refutat experientia; juvat tamen ex Occasione Cometarum, quibus illi plurimum tribuunt, plures rationes in hancrem adferre.

II.

Omnes divinationes in genere & prædictiones ex astris in specie damnantur absolutè in S. Script. *Levit. 19. v. 27. Deut. 18. v. 10. 11. Isa. 19. v. 12. & cap. 44. v. 25.* item *cap. 47. v. 9. 12. 13.* itaque sine periculo saltem talia curiosa tractari non possunt.

III.

Si hæc damnantur in Chaldæis & Ægyptiis, tantò minùs ferenda sunt in Christianis, quos ad omnem Sanctitatis perfectionem adspirare decet, nisi admodùm sobriè illa tractentur ignis instar.

IV.

Providentiæ divinæ omnia liberè regenti, sidera quoque, & humana cuncta pro arbitrio justè temperanti, per fatum Astrologicum detrahitur.

V.

Per siderum efficientiam fatalem, vel tolliur, vel læditur libertas hominis.

VI.

Ex multorum sententiâ sidera lucent tantùm, non agunt, saltem non eo modo, quo communiter agere putantur in terrena utpote immanè quantùm remota. Sol solus agit, tum demùm Luna, sed hæc mutuatitio lumine, quanquam nec aliud omnibus Stellis quidam tribuant, & hoc solo Planetas (quos solos Astrologi crepare solent, nisi quod & situs eorum ad fixas rationem etiam aliquam habeant) gaudere certum videatur. *Vide Kepl. l. 6. Epit. Astron. Copern. Weigel Comment. de Comet. 1664, & 1665. cap. 6. 7. & seqq.* & Clarissimus *Bullialdus l. 1. Astr. Philol. cap. 10. 11. & seqq.* Ubi quidem Vir doctissimus probare nititur Planetas quoque proprium & ingenitum lumen præter illud adventitium habere, imbecillius tamen esse, ad oculos non facilè pervenire, & efficaciter pupillam non ferire fatetur. Et ut nil dicam de Sententiâ *Kepleri*, magni profectò Mathematici, imò inter maximos meritò ponendi, & aliorum, qui Planetas ullum lumen congenitum obtinere negant, & illos diversos Planetarum â Sole secundùm certos proportionum gradus illuminatorum colores diversæ constitutioni illorum corporum, tum & diverso situi tribuunt, ac res luce propriâ carentes, si â Sole illuminentur diversos colores exhibentes in exemplum adferunt, ex ipsâ Viri doctissimi confessione Planetas dominatum in terras, multò minùs in mentem hominis non exercere, & Astrologicas prædictiones à Planetarum efficientiâ deductas corruere satis patet.

VII.

Etsi operatio siderum in inferiora concedatur, tamen specialis eorum virtus determinari, & effectus certi ex eâ prædici ob varia impedimenta hujus rei explorationem turbantia nequeunt.

VIII.

Servire, non sævire astris datum *Gen. 1.* nec quicquam in historiâ Creationis de malignâ vi eorum in inferiora influente legimus.

IX.

Cometa propriè & strictè loquendo non est signum, multo minùs naturale (licèt sit naturale Phænomenon) & necessarium, sed Signum supernaturale, arbitrarium, memoriale, doctrinale, quod pro diversitate hominum illud contemplantium, & usu vel abusu donorum & operum DEI, hujusque ipsius Phœnomeni bona vel mala Ethicè significat, & prænuntiat.

Cometa quomodo & quale signum sit.

X.

Cometa, si signum naturale foret, bona potiùs; quàm mala significaret, cùm natura bonum

bonum intendat, & illud efficiat nisi impediatur. Impeditur verò hic vitio hominum multorum (non tamen omnium) officii negligentium, bonis DEI abutentium: Licet hæc bona in se semper maneant.

XI.

Cometa, etsi sit aëreus, non necessariò agit in aërem (in quo naturam sine ullâ Cometarum apparitione agere assiduò videmus) multominùs in remotiora, quæ in terrâ sunt; omnium minimè in liberam mentem hominis, quæ à solo DEO conditore pendet.

XII.

Cometæ sunt phænomena illustria, lucida, jucunda visu, rariora, & præstantiora cœteris phænomenis temporariis, adeoque specialia, ut ideò plura ad præviam eorum apparitionem non tantùm tristia, sed & læta, Ethicè saltem, referri possint, tam generali, quàm speciali DEI voluntate, quam omnia ejus opera, edicta justitiam inculcantia docent, considerata.

XIII.

Futurorum malorum ignoratio utilior, quàm scientia. Cic. 1. de div. Saltem si utilis scientia malorum, utilis & bonorum.

XIV.

Cometas læta quoque & funesta significare quidam Veteres Philosophi, & multi Recentiores statuunt, ut alibi probavimus.

XV.

Cometæ qui nam fausti.

Pro vario Cœli positu Cometas faustos Astrologi ipsi esse fatentur. Lunares enim in occasu, & Joviales omnia bona, eos verò, qui caudam dirigunt in Occasum optimam anni constitutionem pronuntiare dicunt. Ità & Orientales, & Occidentales respectu caudæ Cometas lætos admittunt. Imò verò teste *Bertio initio Geograph.* & Meridionales Cometæ, iique matutinis oppositi, fausti judicantur.

XVI.

In variis Cœli plagis conspiciuntur, & modò in aëre, modò in æthere, ut multorum fert sententia, generantur Cometæ. Ideò nil certi in specie ex eorum apparitione colligi potest.

XVII.

Nec illis, quibus Verticales sunt, nocent (quod illustri illius Cometæ Anno 1618 visi, aliorumque exemplo probatur) nec illis, in quos caudam dirigunt, nec etiàm istis, qui subjecti sunt illis signis, quæ Cometæ percurrunt, quod itidem multa exempla testantur.

XVIII.

Experientia sæpiùs fallax est, non quidem in se, sed exploratorum vitio, vel observationum difficultate.

XIX.

Annales Cometarum non rarò discrepant, ità ut exindè nil certi depromi possit; cùm tamen à primo apparitionis tempore, & duratione Cometarum quoque effectus formentur.

XX.

Sæpè Cometomantes, & Cometarii qui vocantur, sibimet contradicunt, non tantùm de Origine (de qua nil certi constat) sed & de situ, motu, & effectis Cometarum.

XXI.

Vix ad triennium perpetuorum siderum operationem extendunt Astrologi, ut ait Clarissimus *Bullialdus*; Cometomantes verò sæpiùs ad plures annos Cometarum effectus extendunt.

XXII.

Ante Cometas tristia, post hos læta sine illorum apparitione utraque eveniunt mala, ità ut certi nil in alterutram partem determinari queat.

XXIII.

Cometæ, cum vel omnes vel plerique in æthere generentur, tollitur efficientia, quæ eis ut phænomenis aëreis in viciniâ tribuitur.

XXIV.

Cometas semper existere, licet non semper appareant, multi Veteres, & Recentiores Philosophi docent. Quod si verum est, arguit eos inter portenta propriè dicta non esse reputandos.

XXV.

Tutissimum est in tanto sententiarum incerto discrimine mediam viam tenere, ut Cometas, aliavè signa Cœli nec temnamus cum impiis, nec timeamus cum superstitiosis, nec despiciamus, nec suspiciamus, sed ut incitamenta virtutis contemplemur.

XXVI.

Mihi sufficit Cometam ad mentem Ethices & institutionis, quæ secundùm pietatem est, quæ morum Sanctimoniam ex quavis occasione commendat & inculcat tanquam signum arbitrarium & memoriale ob oculos bonis malisque, cum utrisque necessaria sint talia monita & documenta undecunque conquisita posuisse, sivè læta, sivè tristia (quod potiùs verum est, ut assidua docet experientia) læta hìc, tristia illic Cometæ apparitionem sequantur. Ethici enim officium occasione Cometæ defungi volo.

XXVII.

Cum bonis omnia etiàm mala in bonum coöperentur, ut S. Scriptura docet, & malis, qui bonis DEI abutuntur, bona quoq; cedant in malum, meritò dico Cometam bona bonis, etiamsi tristia & mala eis obtingant;

gant; mala verò malis, licet bona eis obveniant, significare & denuntiare: Sapiens arte, industriâ; priùs virtute constanti mala corrigit, & in bonum DEO auxiliante vertit. Insipiens inertiâ ignavâ; impius malitiâ temeraria & pervicaci bona corrumpit, & in malum DEO permittente vertit. Tam illi, quàm huic officia in memoriam occasione Cometarum, quibus plerique cuncta mala adscribunt, & quos naturali rerum serie læta & tristia sequuntur, revoco.

XXVIII.

Accurratè, propriè & strictè loquendo & respectu unius subjecti eodem modo se habentis unà res duo contraria significare non potest sed citrà ἀκυϱολογίαν, Grammaticam & Logicam, Politici, Historici & Ethici saltim oratoris potiùs; quàm Physici more impropriè & latius acceptâ significandi, & portendendi voce, Cometa tanquàm mutus concionator, vel Consiliarius tam bonis bona, quam malis mala significat & portendit. Nam & una res pro diversitate subjecti, in quod agit (ut Sol, pluvia &c.) contraria non tantùm significat sed & operatur, ac efficit: Si vel diverso modo, ut quidam contendunt, id facere dicatur.

XXIX.

Integra DEI æquitas & bonis bona, & malis mala semper & ubique tàm explicitè, quàm implicitè (ut omne contrarium est index sui & obliqui) denuntiat. Hujus itaque voluntati pietatis amans accomodare se in vitâ, & in doctrinâ debet.

XXX.

Quomodò signa cœlestia læta vel tristia esse queant.

Cuncta signa ex instituto DEI læta piis futura, ex naturâ contrariorum tristia sunt, & erunt impiis, ut iris & signum filii hominis in ultimo die, adeoque hoc singulari privilegio gaudent multi isti, ut sic dicam, concionatores, ut simul contraria denuntient, quod Vocales præstare non possunt, qui contraria contrariis efferunt. Sic & Scriptura S. in universum considerata bona bonis, mala malis: Sed hic vel ille Propheta & Apostolus his vel illis verbis seorsum bona bonis, mala malis in specie denuntiat. Clarius dabo exemplum, Isaias *cap.* 3. *Paulus Apost. Rom.* 11. bona bonis, mala malis universim denuntiat: Sed in specie bona bonis, *Isaius* 3. *v.* 10. *Paulus Rom.* 2. *v.* 7. Malis mala *Isaias v.* 11. *Paulus v.* 8, 9. Idem toties fit alibi. Sic etiam signum & adventus filii hominis *Matth.* 24. 25. *& Luc.* 21. bonis bona, malis mala universim denuntiat; sed speciatim bona bonis *Matth.* 24. *v.* 31. *&* 25. *v.* 34. 35. 36. *Luc.* 21. *v.* 28. Malis mala *Matth.* 24. *v.* 30. *&* 25. *v.* 41. 42. 43. quin & conjunctim utrisque convenientia *Matth.* 24. *v.* 40. 41. *&* 25. *v.* 46. Ità igitur & Cometa signum improprìè dictum, arbitrarium, doctrinale Concionatori & Consiliario comparatum, simul bonis bona, malis mala unicâ apparitione denuntiat, nisi fortè quis eum fulgore grato bona bonis, caudâ verò minaci virgæ simili mala malis denuntiare dicere malit. Quâ libertate eum frui ego facilè feram, eandemque cuivis morum probitatem hinc & illinc allatis rationibus, & exemplis commendare volenti integrum relinquo, eodemque æquitatis jure meam mihi relinqui postulo. Quod reliquum est, cùm omnia in se habeat quem penes est virtus, *Plauto* Judice, hæcque in omnium animos lumen suum immittat, adeò ut etiam qui non sequuntur eam videant, *Seneca* teste, ex animo opto, ut bruta quoq; animantia non tantum intelligere (quod *Aristo Chius* in votis habuit apud *Plutarchum*) sed & eloqui possint verba ad virtutem incitantia. Cæteroquin *Cœli enarrant gloriam DEI Ps.* 19. *eique benedicunt omnia opera ejus Ps.* 48. *Dan.* 3. *& alibi.* Atque hæc sunt fundamenta Sententiæ Lubieniecianæ contrà determinatam Astrorum efficientiam, & pro indifferenti, ac æquâ bonis malisque Cometarum significatione morali pugnantis.

Nunc etiam binos Catalogos Cometarum omnium, tàm â diluvio Mundi universali ad Natum Christum Salvatorem, quàm â Nato eodem Salvatore ad ultimum ac novissimum hujus Sæculi ex ejusdem *Lubieniecii* opere Cometico potissimùm collectos curioso Lectore in medium proferre libet. Nota tamen Lector, quod eventus istos sequentibus Catalogis contentos, nolim intelligi tanquam certos & genuinos effectus, aut significata Cometarum, sed quod historiæ causâ eos ex *Lubieniecio* potissimum, & quidem idcircò tantùm recensere voluerim, ut quid saltem fausti vel infausti ea tempora, quibus Cometæ terris illuxerunt, consecutum sit, cognosci possit. Tuum erit indè conijcere, quidquid libuerit. In tantò enim præclarissimorum Authorum dissensu circà Cometarum effectus, & significationes nolo pertinaciter ulli sententiæ adhærere, nec ullam penitus reijcere.

CATALOGUS I.

Omnium Cometarum à Diluvio Mundi universali usque ad Natum CHRISTUM Salvatorem unà cum memorabilibus & mirabilibus eosdem consecutis eventibus, tam infaustis, tristibus ac malis, quam bonis, lætis, ac prosperis juxtà Authores adscriptos.

Anno	Mundi. 1657. Ante Chrstum Natum 2312. in Piscibus Cometes apparuit per dies 29, qui omnia signa cœlestia perlustravit. *Eckstormius ex Herlicio.*	Numero 1.
Event, Trist.	Diluvium Mundi universale.	
Læti.	Noë familiæ specialis favor, liberatio & conservatio. Mundi renovatio. Pactum DEI per iridem de non obruendo ampliùs undis Mundo.	
Anno	M. 1944. In Capricorno naturæ Saturninæ circà Alcairum visus Cometes per dies 65, qui tria signa percurrit. *Abrahamus Rockenb.*	2.
Event. Trist.	Confusiones linguarum, & dissipationes gentium in toto terrarum orbe secutæ.	
Læti.	Nativitas Abrahami. Exstructio Treviris.	
Anno	M. 2018. A.C.N. 1949. in Ariete sub ♂ per dies 22. visus Cometes. *Eckstormius ex Herlicio.*	3.
Event. Trist.	Eversio Pentapolitana, sive Sodoma cum quatuor aliis urbibus igne è Cœlo delapso exusta.	
Læti.	Abrahami felix profectio ex Ur Chaldæorum in Haran, ibidemque commoratio.	
Anno	M. 2128. A. C. N. 1841, in signo Leonis. *Exstorm. ex eodem.*	4.
Event. Trist.	Fames, annonæ caritas tempore Isaaci.	
Læti.	Lothi per Abrahamum è manu 4. Regum liberatio & benedictio per Melchisedechum. Providentia DEI circà Isaacum: Pax & fæderum artes, & alia læta.	
Anno	M. 2237. A. C.N. 1732. Cometa per Arabiam instar rotæ apparuit circà Sagittarium sub Jove. *Eckstormius.*	5.
Event. Trist.	Fames & annonæ caritas tempore Joseph.	
Læti.	Lucrum ex maximâ abundantia frugum in Ægypto. Gloria, potentia, opes & evectio Joseph à Rege Ægypti Pharaone.	
Anno	M. 2454. A. C. N. 1515. *Eckstorm.*	6.
Event. Trist.	Decem plagæ in Ægypto. Internecio Ægyptiorum in mari rubro.	
Læti.	Liberatio & eductio populi DEI è servitute Ægyptiorum.	
Anno	M. 2770. Mense Augusto Cometes visu terribilis in signo Geminorum Assyrijs apparuit. *Rockenbachius.*	7.
Event. Trist.	Mors Regis Amenemos aliorumque Principum Ægypti. Bellum Trojanum diuturnum. Trojæ eversio. Asia & Europa mirè bellis devastata. Cædes innumeræ, Seditio in Israël.	
Læti.	Amazonum progressus & Victoriæ per Asiam & Europam.	
Anno	M. 2795. sub signo Arietis per 43. noctes flagrans Cometa in totâ Græcia visus fuit. *Rockenbachius & Funccius.*	8.
Event. Trist.	Bella truculenta & mutationes magnæ in toto terrarum orbe. Bellum Mezentij contrà Ascanium Æneæ filium.	
Læti.	Juli, Mantuæ, Albæ & Homeri natales. Æolica & Jonica migratio Græcorum nobilissima.	
Anno	M. 3489. A. C. N. 480. Cometa fulsit cornu figura. *Eckstorm. ex Plinio & Peucero.*	9.
Event. Trist.	Clades, internecio & turpis fuga Xerxis exercitûs constantis 10. centenis millibus hominum.	
Læti.	Græcorum Victoria nobilissima. Item Romanorum contrà Æquos, Hetruscos, & Vejenses. Siculorum contrà Amilcarem.	
Anno	M. 3503. A. C. N. 466. Cometes per 75. dies visus. *Eckstormius ex Peucero.*	10.
Event. Trist.	Bellum Peloponnesiacum diuturnum annorum 28.	
Læti.	Lacedæmoniorum Victoria cum Græciæ imperio acquisito.	
Anno	M. 3519. per 60. dies apparuit. ità *Alstedius.*	11.
Event. Trist.	Bellum, ut suprà.	
Læti.	Victoriæ ut suprà.	

Anno

Anno	M. 3538. An. Ch. Nat. 431. Cometes per 60. dies apparuit. *Eckstormius.*	12.
Event. Trist.	Horribilis pestilentia, quâ Athenæ fermè deletæ. Item bellum cruentum.	
Læti.	Potidææ deditio. Postumii Tuberti Dictatoris de Æquis, & Vopiscis triumphus. Pax â Macedonibus cum Thracibus inita & alia læta.	
Anno	M. 3557. Anno C. N. 412. visus in hyeme fuit Cometes ad partem Cœli Septentrionalem. *Eckstorm.*	13.
Event. Trist.	Victa Atheniensium classis in Sicilia propè Syracusas.	
Læti.	Atheniensium plures fausti successus contrà Megarenses & Lacedæmonios. Hannibalis contrà siculos.	
Anno	M. 3559. An. C. Nat. 410. observatus fuit Cometes. Vel Ann. C. N. 400. *Ricciolus.*	14.
Event. Trist.	Bella varia. Syracusani victi ab Atheniensibus. Persæ ab Alcibiade. Clades variæ in variis orbis partibus.	
Læti.	Thrasybulus 30. Tyrannis devictis Patriam recuperat & liberat, simul & Amnestiam primus sancit. Lacedæmonii fœdus cum Dario ineunt. Romani Æquos vincunt. Ferrentiam capiunt.	
Anno	M. 3596. A. C. N. 373. ingens Cometa hyeme Cælo sereno vesperi ab occasu Solis conspectus, cujus splendor tertiam Cœli partem occupavit. *Eckstorm.*	15.
Event. Trist.	Terræmotus, quibus Achaiæ Urbes Helice & Bura corruerunt. Diluvium item in Achaia. Lacedæmonij â Thebanis ad Leuctra Bœotiæ victi. Regis eorundem Aleombroti fatum.	
Læti.	Pax Græcorum æquis legibus Authore Artaxerxe Memone Rege Persarum conclusa & secuta.	
Anno	M. 3614. A. Ch. N. 394. Cometes apparuit, cujus jubæ effigies in hastam mutata. *Eckstormius.*	16.
Event. Trist.	Bellum sacrum ob spoliatum Templum Delphicum, quod duravit annis novem. Templum Ephesinum incensum ab Herostrato.	
Læti.	Secuta sunt læta uno die tria memorabilia Philippo Regi Macedoniæ: Nuntii scilicet de victis Illiriis, ac Potideâ captâ: De nato filio Alexandro, & Victoriâ in certamine Olympiaco.	
Anno	M. 3628. A. C. N. 341. juxtà Circulum Æquinoctialem visus est Cometes. *Eckstormius.*	17.
Event. Trist.	Ventus horribilis propè Corinthum. Athenienses â Philippo Macedone cæsi, desiitque cum hac clade Græcorum potentia, & libertas.	
Læti.	Victoriæ lætæ Philippi, ejusque Augustum imperium; Pax & Societas cum Atheniensibus renovata. Plateenses post toleratum 90, annorum exilium in Patriam restituti.	
Anno	A. C. N. 336. per 70. dies Cometa fulsit. *Ricciolus ex Justino.*	18.
Event. Trist.	Thebæ eversæ cæsis Thebanorum 90000, captis autem autem 30000. Similiter expugnatæ, ac miserè habitæ Tyrus, Gaza, Persepolis Urbes opulentissimæ.	
Læti.	Alexander Magnus Regnum contrà Thebanos exorsus, qui defecerunt. Rebelles Thraces & Lacedæmonij devicti. Item rebelles Latini à Romanis gloriosè victi. Persarum Monarchia 200. annis gloriosissima fracta & in Græciam translata. Erecta Alexandria.	
Anno	M. 3743. in signo Arietis per dies 22. visus Cometes. *Rockenbachius.*	19.
Event. Trist.	Plurima bella in Gallia secuta. Galli â Romanis victi, & subacti. Seleucus Rex Asiæ dolo interfectus. Terræ motus horribiles. Hierosolyma & tota Judæorum ditio â Ptolomæo Philopatre durissimè afflicta, ità ut 60000. Judæoruw cæsi. Aliaque plura bella per totum orbem terrarum orta.	
Læti.	M. Cladii Marcelli triumphus Romæ de victis Gallis, Viridomaro Rege occiso, ac Mediolano expugnato. Galli Romanis subditi; Istrij & Illyrici subacti.	
Anno	M. 3765. A. C. N. 204. Fax Stellæ specie ab ortu Solis ad Occidentem porrigi visa est. *Eckstormius ex Peucero.*	20.
Event. Trist.	Scipio in Africam trajecit, Pœnos fudit: Hannonem occidit. Hannibal in Brutiis â Sempronio victus.	
Læti.	Victoriæ & triumphi ferè singulis mensibus Romæ ob felicem progressum Romanorum. Carthaginenses ad pacem petendam coacti.	
Anno	M. 3766. A. C. N. 203. Fax similis ei, quæ præcedenti anno visa est, in Cœlo comparuit. *Eckstorm. ex Peucero.*	21.

Event. Triſt.	Hannibal in Crotonienſi agro cæſus. Mango Hannibalis frater cruento prælio victus.	
Læt.	Scipio Pœnorum caſtra ad Uticam incendit. Romani multas civitates in Brutiis receperunt. Caſtra Syphucij Regis flamma expugnata cum ipſo rege capto.	
Anno	M. 3769. A. C. N. 200. in ſigno Cancri. *Eckſtorm. ex Herlicio.*	22.
Event. Triſt.	Carthaginenſes â Romanis duobus præliis fracti 35. millibus hominum amiſſis & 20000. captis.	
Læti.	Maſiniſſa Rex Numidiæ parte regni paterni donatus. Scipio omnium clariſſimo triumpho in Urbem invectus, ac primùm Africanus appellatus. Importata unà 100. millia pondo argenti in ærarium. Triumphi plures alii habiti de ſubactis aliis populis. Domita Macedonia. Reſtituta pax Græciæ. Aſia minor ſubacta. Datæ â Romanis leges terra marique ſubactis.	
Anno	M. 3780. A.C.N. 183. *Rockenbachius.* vel M. 3785, ut *Eckſtorm. ex Cornelio Gemma, Schoſſero,* horribilis Cometa per 80. dies in ſigno Piſcium comparuit totam ferè Cœli partem occupans, ſuoque fulgore, Solis nitorem vincens.	23.
Event. Triſt.	Dira Peſtis Romæ circaque finitima loca. Defunctus Scipio Africanus. Philopæmenes Achæorum Dux fortiſſimus â Meſſaniis in carcere necatus. Celtiberi in Hiſpaniâ magna clade affecti. Hannibal voluntariâ morte obiit. Heliodorus templum Hieroſolymitanum ſpolians â Deo mirabiliter punitus. Eumenes Rex Aſiæ â Bruſiâ Bithyniæ Rege victus.	
Læti.	Triumphi Romæ varii de cæſis Hiſpanis 30000. Item de Luſitanis, Celtiberis & aliis. Galli transalpini domiti. Iſtria tota in fidem accepta. Æmilius Paulus totam Ligurum gentem in deditionem accipit & de iisdem triumphat.	
Anno	M. 3781. ut *Alſtedius* 3801. A. C. N. 168. ut *Eckſtormius ex Seneca.* Anno M. 3803. A. C. N. 166. ut *Eckſtormius ex Peucero.* Cometa apparuit appellatus Hircus â villorum ſpecie & jubâ.	24.
Event. Triſt.	Perſeus ultimus Rex Macedoniæ ab Æmilio victus. Finis regni Macedonici. Antiochi tyrannis in Judæâ.	
Læti.	Regnum Macedonicum â Romanis occupatum. Hoſtes Judæorum per Judam victi.	
Anno	M. 3789. A. C. N. 174. in ſigno Arietis per 32. noctes Cometa apparuit. *Rockenbachius.*	25.
Event. Triſt.	Philopater Rex Syriæ ſeptimus mortuus, cui Antiochus ſucceſſit. Æpulo Rex Iſtrorum victus & captus.	
Læti.	Ditio inter Alpes & Venetum mare Romano imperio ſubacta.	
Anno	M. 3795. A. C. N. 168. viſus Cometes per 5. Septimanas, tribus item Solibus eodem tempore conſpectis. *Rockenbachius.*	26.
Event. Triſt.	Equites aureis armis induti cum lanceis longis inter ſe pugnantes in aëre per 40. dies viſi. Furioſa Antiochi in Ægyptum & Judæam irruptio. Furor Antiochi in Judæos. Templum Hieroſolymis expoliatum. Trium dierum ſpatio occiſa 80000. hominum, capta 40000. Bellum Macedonicum cum Perſeo.	
Læti.	Pax victis Corſis & Liguribus data.	
Anno	M. 3803. A. C.N. 166. Lavinii conſpecta fax ardens, & deindè ſeqq. anno conſpecta altera fax Lanuvii. *Eckſtorm. ex Peucero.*	27.
Event. Triſt.	Devictus Gentius Illyriæ Rex, & Macedoniæ Perſeus. Iterata direptio Jeruſalem per Antiochum facta. Antiochus divinitus punitus.	
Læti.	Victoria celebris Æmil. Pauli de Perſeo. Tranſlatum Regnum Macedonicum, quod â Morte Alexandri M. 150. circiter ſtetit ad Romanos. Ob pecuniæ copiam ab Æmilio Romam allatam tributi remiſſio 125. annorum ſpatio. Illyricum & Dalmatia ſubacta. Varii triumphi de Gallis, Contrubis, Liguribus, aliiſque.	
Anno	M.3809.A.C.N.154. in ſigno Tauri Cometes per dies 9. appar. *Rockenb.*	28.
Event. Triſt.	Maxima annonæ caritas. Bella diuturna inter Carthagin. & Romanos, Maſſeniſſamque Regem Numidiæ. Res Macchab. valdè triſtes.	
Læti.	Romani ter vicerunt Carthag. Romanorum victoriæ â bello Punico.	
Anno	M. 3819. A.C.N. 150. in ſigno Capricorni Cometes horrendæ magnitudinis apparuit, qui Solem ferè exæquâſſe & noctis tenebras dispuliſſe dicitur. *Eckſtor. ex Buntingo & Camerario. Item Rockenb.*	29.
Event. Triſt.	Tertium bellum Punicum. Pſeudo Philippi motus, & Ptolomæi Philometoris mors. Carthaginis, Corinthi, Thebarum & Chalcidis devaſtatio.	
Læti.	Triumphi Mummii de Luſitanis, & Marcelli de Celtiberis.	

P. Cornel.

	P. Cornelii Scipionis Æmiliani res in Hispaniâ feliciter gestæ. Victoria Massinissæ Regis. Nuptiæ Alexandri Bulæ Regis Syriæ cum Cleopatrâ Filia Ptolomæi Philometoris Regis Ægypti.	
Anno	M. 3823. A.C.N. 146 Cometa per dies 32 apparuit. *Eckstormius ex Peucero.*	30
Event. Trist.	Carthago à Scipione capta & diruta. Corinthus Urbs funditùs eruta à L. Mammio Conf.	
Læti.	Imperii Romani securitas, Gloria & divitiæ maximæ Romanæ Urbi importatæ. In Judæâ Jonathæ & Simeonis successus prosperi. Fœdus inter Lacedæmonios & Romanos initum. Claudii pulchri de Salussis & gente Alpinâ triumphus.	
Anno	M. 3829. vel ut aliqui 3831. A.C.N. 132. Cometes exarsit in signo Geminorum circà Æquinoctialem per 83 noctes. *Rokcenbachius.*	31.
Event. Trist.	Devastatio Judææ per Antiochum Regem. 70000. militum conjuratio in Sicilia facta, & indè bella truculenta. Seditiones plurimæ. Soria & Numatia Civitates à Scipione Æmiliano expugnatæ & deletæ. M. Claudius Prætor Teracinæ in navi fulmine conflagravit. Lacus Ticinus per 5000. passus in omnes partes exundavit.	
Læti.	Scipionis Æmiliani gloria, & victoria de Hispanis.	
Anno	M. 3833. A.C.N. 136. immensus *Seneca* teste apparuit Cometes. *Eckstormius.*	32.
Event. Trist.	Cæsus ad Numantiam Hostilius Mancinus Consul. Bellum servile in Sicilia. Attali ultimi Pergamenorum Regis mors. Gracchorum Seditio. Bellum Asiaticum cum Aristonico.	
Læti.	Triumphus Fulvii Proconsulis de victis Vardæis in Illyrico. Regnum Pergamenorum ad Romanos delatum. Africani minoris triumphus de Numantinis victis.	
Anno	M. 3840 A.C.N. 129 vel 130 miri splendoris Cometes apparuit per 70 dies, ità ut totum Cœlum conflagrare visum sit, ac magnitudine quartam Cœli partem occupârit, fulgoreque Solis nitorem vicisse dicatur. *Ricciolus ex Justino, Sabellicus Enn. 6. lib. 3.*	33.
Event. Trist.	Romanæ gloriæ & potentiæ defectus.	
Læti.	Natus Mithridates cognomento Magnus, terror Romanorum, Conservator Asiæ, qui & 22 nationum, quibus deindè imperavit, & linguas eorum calluit.	
Anno	M. 3850 A.C.N. 119. Cometes per 70 dies apparuit. *Ricciolus ex Justino.*	34.
Event. Trist.	Bituitus Rex ferox & superbus Allobrogum amissis 50000 hominum à Fabio Proconsule victus, deindò vinctus Romam deductus cum filia Albam in custodiam datus.	
Læti.	Initium Regni Mithridatis, & subsecuta ejus gloria, ac Victoriæ de Romanis. Thraces à Romanis domiti, tum Sarnii Gens Alpina, & Dalmatæ subacti.	
Anno	M. 3853. A.C.N. 116. cum luce valde splendidâ Cometes in signo Cancri per 15 dies apparuit. *Eckstorm. ex Herlicio. Item Rockenbachius.*	35.
Event. Trist.	Cimbrorum in Illyriam impetus cum fugâ Romani exercitûs sub Conf. Papinio. Caritas annonæ maxima. Jugurtha fame enectus in carcere.	
Læti.	Territorum Syriacorum propter intestinas dissensiones à Romanis subactum. Felicia bella Romanorum adversùs Jugurtham. Triumphi Metelli de Numidis, Minutii de Scordiscis & Triballis, ac comprimis de Hispanis, Marii de Cimbris.	
Anno	M. 3870. A.C.N. 99. Cometes in formâ clypei ardentis comparuit. *Eckstormius ex Peucero.*	36.
Event. Trist.	Lathuri tyrannis in Ægypto per octo annos. Rebellio in Sicilia per Saturninum excitata. Strages & clades Cimbrorum. Mors Ptolomæi Apionis Regis Ægypti.	
Læti.	Tanta salus & lætitia Romæ parta à deletis Cimbris ut Marius tertius Romanę Urbis conditor fuerit appellatus & geminus triumphus ei decretus. Opima accessio hæreditaria Ægypti ad Romanos ex morte Ptolemæi Apionis Regis ibidem.	

Anno	M. 3876. A. C. N. 93. fax emicuit, à qua totum Cœlum ardere visum *Eckstormius ex Peucero.*	37.
Event. Trist.	Bellum sociale Marsicum & Italicum dictum, Romanis infaustum.	
Læti.	Rebelles Hispaniæ Principes à Scipione domiti. Picenses & Marsi à Cn. Pompeio subacti. Vestini atque Pelingi ab eodem in deditionem coacti. Triumphus ejusdem de Asculanis.	
Anno	M. 3879. A. C. N. 90. Cometes in signo Virginis per 4. noctes flagravit. *Eckstormius ex Herlicio. Item Rockenbachius.*	38.
Event. Trist.	Bellum civile inter Marium & Octavium. Cinna ab Octavia in exilium pulsus. Idem associat se Mario & viros præstantissimos miserabiliter interfici curat; paulò post tamen & ipse à suis militibus occisu. Bellum Mithridaticum, ubi Nicomedes Rex Bithiniæ & Ariobarzanes Rex Cappadociæ à Mithridate Rege Ponti expulsis. Mithridates à Syllâ denique cæsus.	
Læti.	Syllæ gloria & potentia ob felices progressus bellicos, ob servatam patriam, & cæsum Mithridatis exercitum.	
Anno	M. 3882. A. C. N. 87. Cometes apparuit. *Eckstorm. ex Plinio.*	39.
Event. Trist.	Secutus civilis motus Octavio Conf. qui Cornelium collegam propter leges pernitiosas expulit. Cornelius Mario ex Africâ cum exercitu excito Romam obsedit, illâque deditâ Primates interfecit.	
Læti.	Res prosperè contrà Mithridatis Duces Archelaum & Dorilaum gestæ. Pax à Mithridate honestis legibus data.	
Anno	M. 3909. A. C. N. 60. per 9. dies visus fuit Cometes. *Rockenbachius & Ricciolus.*	40.
Event. Trist.	Mithridatis interitus. Catilina ab Antiocho victus & occisus. Urbs Jerosolyma à Pompejo occupata, Judæique Romanis subacti. Tygranes Rex Armeniorum & Syrorum mortuus.	
Læti.	Triumphus Metelli de Creta. Pompeji Magni de Mithridate, Tygrane, Aristobulo Regibus, tum ex Syria, Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadociâ, Cilicia & Judæis subactis. A Catone Uticensi Cyprus, à Cæsare Hispania & Gallia domitæ. Octavianus Augustus natus.	
Anno	M. 3919. A. C. N. 50 Cometa apparuit. *Eckstorm. ex Plinio.*	41.
Event. Trist.	Bellum civile inter Cæsarem & Pompejum. Pompejus interfectus à Ptolemæo Auletâ, quem tamen priùs exulem regno restituerat Pompejus.	
Læti.	Cæsaris exaltatio: Ejus triplex triumphus. Judæi suis legibus vivere permissi. Carthago & Corinthus restauratæ. Regnum Mauritaniæ Tributarium Romanis factum à Julio quatuor triumphis glorioso.	
Anno	M. 3922. A. C. N. 41. horrendæ magnitudinis Cometa in signo Scorpii per 7 noctes etiam ante Solis occasum apparuit: imò plures Cometæ visi dicuntur. *Rockenbachius.*	42.
Event. Trist.	Mors Julii Cæsar I. Imperator: Romæ in Curiâ à Cassio & Bruto 23 vulneribus confossi. Bella civilia 5 magnæque clades. Sol obscuro lumine per integrum annum expallens. Annonæ caritas, Strages cruentæ per totum Orbem. M. T. Cicero anno Ætat. 64 interfectus. Gothorum in Germaniam irruptio. Hierosolyma ab Herode occapata. Sceptrum de Juda ademptum.	
Læti.	Imperium ad Augustum cum summâ gloriâ & nominis splendore delatum. Triumphi de Illyriis, Japydis & Gallis. Ægyptus in Augusti potestatem subacta. Palæstina recuperata. Regnum Herodis à Cęsare ampliatum.	
Anno	M. 3939. A. C. N. 30. in signo libre per 95 dies Cometes exarsit. *Eckstormius ex Herlicio.* Item *Rockenbachius.*	43.
Event. Trist.	Herodes Arabibus bellum intulit. Terrę motus horribilis in Judeâ quo 10000 hominum perierunt & magna pecudum jactura facta.	
Lęti.	Victoria Actiaca. Mox Janus pace partâ secundò clausus, paulò post Cęsar Hispanos domuit & subegit, orbemque cum magnâ virtutis & felicitatis gloria rexit. Triumphavit Roma de Ægyptiis & ornamenta Cleopatrę in templo posuit.	

Anno

Anno	M. 3940. A. C. N. 23. In ſigno Tauri Cometes exarſit. *Rockenbachius.*	44.
Event. Triſt.	Fames & peſtis horrenda in Judæâ, diræ clades in Gallia per Francos. Hiſpania à Cæſare Aug. debellata.	
Læti.	Francus Rex, à quo Franci nomen habent, cum magno exercitu in Galliam glorioſus & proſper profectus. Herodis regnum iterum magis ampliatum, ità ut tertius Romani Imperii rector diceretur. Pax ab Auguſto cum Parthis inita. Templum Domini Hieroſolymis renovatum. Samaria ab Herode reædificata & Sebaſte dicta.	
Anno	M. 3950. A. C. N. 13. Cometes per plures dies quaſi ſuſpenſus in Cœlo comparuit, qui deinde in plures faces diſperſus fuit. *Ricciolus.*	45.
Event. Triſt.	Mors Agrippæ. Arabes ab Herode victi. Germani & Dalmatæ à Romani domiti.	
Læti.	Roma cum maximo gaudio vidit reducem Cæſarem rebus Germanicis, Gallicis & Hiſpanicis ex voto confectis. Templum Hieroſolimæ renovatum.	
Anno	Quo natus eſt Chriſtus, conſpectus eſt Cometa, de quo Sibylla *A*uguſto conſulenti reſpondit: *Hic puer te major eſt: hunc adora.* Eadem prædixit Cometam iſtum ſignificare Chriſtianam Religionem. *Alſtedius.*	46.
Event. Triſt.	Perſecutio prima Chriſti Martyrum, & crudelis occiſio infantum Bethlemiticorum juſſu Herodis.	
Læti.	Salus & redemptio totius orbis. Initium Chriſtianæ Religionis. Nativitas Supremi Regis ex Virgine Matre. Converſio gentium per tres Reges ab Oriente vocatos. Pax toto orbe compoſita.	

CATALOGUS II.

Præcipuorum Cometarum à Nato Salvatore Chriſto cum notabilibus & mirabilibus eosdem conſecutis eventibus, tam triſtibus, quàm lætis juxta Authores adſcriptos.

COMETÆ SÆCULI I.

à partu Virginis & Nato Chriſto Salvatore.

An. Chriſti	1. Fulſit Cometa vel ut alii fax ardens in ſigno Leonis unà cum eclipſi lunari per tres noctes viſa eſt. *Rockenbach.*
Event. Triſt.	Miſerrimus ſtatus in Judæa viciniſque locis. Infanticidium Bethlemiticum juſſu Herodis, quâ etiàm tempeſtate filius ejus *A*ntipater fuit occiſus. Paulù poſt & ipſe Herodes miſerè obiit.
Læti.	Servatio Chriſti Salvatoris. Proſpera ejùs fuga in Ægyptum indeque reductio.
An. Chriſti	12. Cometa per 32 noctes in ſigno *A*rietis viſus eſt. *Rockenbachius.*
Event. Triſt.	Bella diuturna & terribilia. Romani totam Germaniam peragrantes Illyriam & vicina loca ſubegerunt. Quintilius Varrus à Germanis Duce *A*rminio cæſus.
Læti.	Triumphus à Tiberio actus de Illyrico.
An. Chriſti	14. ut refert *Ricciolus.* 16. ut *Alſtedius.* 17. ut *Rocenbach.* Cometa per 20 dies in ſigno *A*rietis apparuit.
Event. Triſt.	Mors *A*uguſti Cæſaris. Peſtis ſæva. Terræ motu 12 Civitates *A*ſiæ celeberrimæ; item tres aliæ velut Epheſus, Magneſia & Sardis periêrunt. Harminius Dux Germanorum à conſanguineis veneno extinctus.
Læti.	Claudius Tiberius Cæſar factus. Natus Vitellius. Triumphi Romæ de Numidis, Thracibus, aliiſque.
An. Chriſti	40. Cometa in ſigno Geminorum apparuit. *Rockenbach.*
Event. Triſt.	Cajus Caligula à Capitaneis ſuis occiſus. Fames dira in Judæâ, & Græciâ. Seditiones Judæorum. Bella diuturna in *A*ngliâ.
Læti.	Natus *A*gricola & Titus. *A*ucta à Claudio Tetrarchia *A*grippæ. Victoriæ & Triumphi Romæ de Cattis, Mauris, & Brittannis.

An. Christi	48. Cometa apparuit pluitque ſanguinem & fulmen de Cœlo in ſigna militum prætorianorum cecidit, templumque Jovis Victoris ſuâ ſponte apertum. *Rockenbach.* Anno rurſùm 51 Cometam apparuiſſe refert *Cent. Magdeb. lib. 2. cap. 13.* Anno quoque 56 Cometam in ſigno Cancri per 4 menſes flagraſſe docet *Rockenbachius.* Eodem anno Cometem agnoſcit *Alſtedius* cum ſanguineâ pluviâ. At *Eckſtormius* & *Riciolus* ponunt eam ad annum 54 ac rurſùm alium ad an. 56. *Eckſtormius* & *Alſtedius* alium ad annum 57.
Event. Triſt.	Claudius Imperator veneno ſublatus; Imperium ad crudeliſſimum Neronem delatum. Brittanicus à Nerone veneno peremptus. Seditiones plurimæ in Judæâ factæ. Clodomer Francorum Rex bellum Gallis intulit. D. Paulus *Apoſt.* captus & Felici præfecto traditus.
Læti.	Corbulo Syriæ Proconſul Tyridatem fugavit. Multi Britonum ad fidem Chriſti converſi. Janus V. clauſus in ſignum pacis, terrâ marique.
An. Chriſti	60. Cometa per 6 menſes exarſit. *Seneca & Corn. Tacitus.* *Anno 61. Eckſtormius ex Seboſſero. Anno 62 ex Tacito.*
Event. Triſt.	Rubellius Plautus juſſu Neronis occiſus. Sevitiâ ejusdem Neronis in nobiliſſimos quoque propter mutationem Imperii. 80000. Anglorum uno die in bello occubuerunt. Octavia uxor ab eodem Nerone repudiata & ejus juſſu occiſa. Jacobus Minor Epiſcopus Hieroſolymitanus à Judæis occiſus.
Læti.	Res à Romanis contra Parthos primùm dubio, mox propitio Marte geſtæ, ità ut hi pacem peterent & legibus ſe Romanis ſubjicerent.
An. Chriſti	66. Cometa apparuit, de quo *Tacitus lib. 15. Rockenbach.*
Event. Triſt.	Seditio & mutatio in toto Imperio Romano: & imprimìs Excidium Regni Judaici. Albinus Judææ Procurator mortuus, cui Ceſtius Florus ſucceſſit, ſub quo Judæi contra Romanos rebellârunt. Romanum incendium juſſu Neronis 9 diebus atrociter graſſans. Triſtes Optimatum, & inter eos Senecæ & Lucani ac Poppææ illius adulteræ cædes. Motus terræ in Natoliâ & aliis locis.
Læti.	Invicta Chriſtianorum conſtantia & innocentia glorioſè manifeſta. Nazaræi (ità dicti Chriſtiani) in Pellam Syriæ oppidum fugientes ibidem ſervati.
An. Chriſti	68 & 69 Cometa gladio flammivomo ſimilis & imminens Urbi Hieroſolymæ in Judæâ & alibi viſus. *Joſephus lib. 5. cap. 12. de bello Judaico. Alſtedius, Peucerus, Eckſtorm.*
Event. Triſt.	Excidium Urbis Sanctæ, Gentis & Reip. Judæorum omnium ab ultimâ memoriâ atrociſſimum. Nam undecies centena millia fame, gladio, & ſervili crucis ſupplicio, quo Chriſtum anteà affecerant, perierunt. Centum verò millia vendita fuerunt, eorum qui vitam Datoris vitæ 30 argenteis emerant.
Læti.	Veſpaſianorum triumphus & Paci templum ædificatum. Romanorum ſucceſſus in Syriâ contrà Antiochum Comagenorum Regem. Item de Brittania Achaiâ & Lyciâ ſubactis.
An. Chriſti	72 Cometa in ſigno Libræ per 40 continuos dies apparuit. *Rockenbachius.*
Event. Læti.	Veſpaſianorum Triumphus ut ſuprà. Item Janus VI clauſus ob pacem terrâ mariqùe.
An. Chriſti	73 Cometa jaculi ſimilitudine apparuit in ſigno Tauri. *Alſtedius.* Alii anno 77 ut *Rockenb.* An. 78 ut *Ecſtormius.* Ut *Ricciolus* an. 76 apparuiſſe volunt.
Event. Triſt.	Tres civitates Cypri terræ motu dirutæ. Peſtis ſæva & valde dira Romæ ac in aliis locis. Obitus Veſpaſiani. Magna ſiccitas ſpectra ignea & Veſuvii incendium. Solis inſueta obſcuratio.
An. Chriſti	78. Cometa viſus. *Alſtedius.*
Event. Triſt.	Apud Cyprum multæ Urbes horribili terræ motu corruerunt.
An. Chriſti	79. Stella crinita apparuit ut *Eckſtormius & Alſtedius*, vel anno 81 ut *Rockenb.* & *Siſardus.*
Event. Triſt.	Horribiles venti. Terræ motus & peſtis nominatim Romæ. Mons Veſuvii in vertice ruptus ejectis ignibus multas urbes & Regiones cum hominibus exuſſit; Plinius quoque inde exuſtus interiit. Urbs Roma incendio per triduum durante magnum damnum paſſa. Titus Imperator eodem morbo, & in eâdem villâ, qua Pater obiit.
Læti.	Muſonius Ruphus à Tito revocatus ab exilio.

COME-

COMETÆ SÆCULI II.
â Chriſto Nato.

An. Chriſti	130. Inſigno Aquarii & Capricorni per 39. noctes Cometa fuit conſpectus. *Rockenbachius.*
Event. Triſt.	Terræ motus maximus quo Nicopolis & Cæſaræa abſorptæ. Barcochab Pſeudo-Meſſias & Capitaneus ſeditioſus Judæorum potens & dives Chriſtianos mirè afflixit. Ab Adriano tamen Imper. victus. Eodem etiam interfecto ultrà quinquies centena millia Judæorum trucidata, & peſte fameque correpta & mortua. Atque ità Poteſtas Judæis penitùs adempta & fracta. Hæreſis Baſilidis Carpocratis, & Saturnini etiam ſecuta,
Læti.	Cometes iſte, ut vult *Ricciolus*, fauſtimus Uſuardo Regi fuit, qui Carduela Tyranno ſubacto multas ſibi ac DEO provincias adjunxit. Lubieniecius tamen putat, hunc Cometam in Anno. Chriſti 633. referendum.
An. Chriſti	145. Cometa in Aquario per 6. noctes apparuit. *Roekenbachius.* Item An. C. 146. Cometes per totum ferè orbem apparuit. *Stumphius.*
Event. Triſt.	Terræ motus ingens, quo Rhodus & alia loca horrendè concuſſa, inundationes etiam aquarum plurimæ ſecutæ & quidem Tyberis nominatim Romæ.
Læti.	Natus Severus. Incunabula Francofordiæ ad Oderam & Sundæ. Pax Maura, & Victoria de Germanis, Dacis, & Alanis obtenta. Antonini Pii Imperat. gloria & imperium omnibus gratiſſimum.
An. Chriſti	160. Cometes apparuit. *Eckſtormius.*
Event. Triſt.	Mors Antonini Pii Imp. laudatiſſimi & populo gratiſſimi.
Læti.	Imperium ad M. Aurelium plenè delatum, qui feliciter regnavit, fortunatamque reddidit Remp. & virtute & manſuetudine.
An. Chriſti	181. Viſus Cometes â barbæ ſimilitudine *Pogonias* appellatus. *Alſtedius.*
Event. Triſt.	Multa bella ſecuta & Roma plurimis maximiſque incommodis laboravit, quorum cauſam homines in Commodi flagitioſam vitam retulerunt.
Læti	Pax Eccleſiæ â Commodo data, & ad fidem Chriſti Britanni converſi toto orbe diviſi.
An. Chriſti	188. vel 187. Cometæ & alia ſigna ignea ac Stellæ per totum diem apparuerunt, quædam etiàm in longum productæ medio quaſi aëre ſuſpenſæ viſæ ſunt. *Rockenbachius.* At *Alſtedius* An. 190. Et *Eckſtormius* An. 192. Cometam viſum volunt. Memoratur & alius ad An. 195.
Event. Triſt.	Occiſus Commodus Imp. non tantùm tyrannidi ſed etiam prodigioſis aliis flagitiis deditus. Romæ maxima annonæ caritas, peſtilentiaque dira per Italiam graſſata. Inſuper incendium Romæ, quo Templum Pacis, & alterum, quo Capitolium conflagravit.
Læti.	Severus ad imperium evectus. Ejus inſignes Victoriæ & res in Oriente præclarè geſtæ quæ ei cognomina *Partici, Arabici, & Adiabenici* pepererunt, tum & Victoria de æmulo Albino obtenta.

COMETÆ SÆCULI III.

An. Chriſti	204. Cometa Romæ per multos dies apparuit. *Rockenbachius.*
Event. Triſt.	Plautianus ob maximam licentiam & crudelitatem interfectus.
An. Chriſti	213. Viſus eſt Cometa ut docet *Ricciolus.*
Event. Triſt.	Mors Severi Imperatoris ſecuta.
An. Chriſti	217. Stella per multas noctes viſa eſt. *Xiphilin.* & A. 220. Cometa per 18. dies in ſigno Piſcium apparuit. *Rockenbachius.* Non dubitat tamen *Lubieniecius* eundem fuiſſe Cometam, licet triennij intercedat diſcrimen.
Event. Triſt.	Victus & occiſus ab Eutychiano Macrinus Imper. Item Heliogabalus Imperator in latrinâ à ſuis militibus interfectus.
Læti.	Alexander Severus ad Imperium promotus, quod ſummâ cum virtute, laude ac gloriâ adminiſtravit.

COMETÆ SÆCULI IV.

An. Christi	307. Fuit Cometa visus. *Keckermannus ex Peucero. An.* 308. *Rockenb.* Putat *Lubieniecius* pro an. 307 substituendum 317.
Event. Trist.	Arii ab Ecclesiâ ejecti hæresis. Constantius Chlorus in Brittannia mortuus. Terræ motus horribilis propè Tyrum & Sidonem, bellaque cruenta plurima inter Constantinum Maximianum & Maxentium Imperatores secuta sunt: sed Constantinus Victor belli tandem evasit monstrato illi divinitùs signo crucis, unà cùm scripturâ græcis literis exaratâ: *In hoc signo vinces*. Maxentius Massiliæ interfectus. Diocletianus seipsum interfecit. Maximianus autem postquam duobus præliis à Licinio victus est, tandem morbo pediculari obiit.
Læti.	Constantinus memorabilibus victoriis claruit de rebellibus victis. Undè triumphum omnium maximum & lætissimum egit: quin imò titulum Maximi arcum triumphalem & Statuam equestrem, tanquàm liberator Urbis, fundator quietis, vindex S. P. Q. R. meruit.
An. Christi	324. (alii volunt 323.) Cometa in Signo Virginis apparuit. *Rockenbachius.*
Event. Trist.	Horrendum bellum inter Constantinum M. & Licinium secutum, in quo Constantinus (miraculis terribilibus pugnam in aëre præcedentibus, flammis videlicet igneis) Licinium vicit. Bellum item grave inter Suevos & Thuringos gestum est.
Læti.	Dogma Arii ab Episcopis 318 in Urbe Bithiniæ Nicæâ convenientibus damnatum. Anno quoque 328 Imperator Bizantium muris, legibusque condidit, mox etiam solemni ritu consecravit & suo nomine Constantinopolim vocavit. Anno 332 Constantinus M. per omnes Imperii urbes templa Christiana exstrui fecit, ac ministris eorum stipendia è publico dari jussit.
An. Christi	335. Insuitatæ magnitudinis Cometa fulsit. *Eckstormius.* At *Alstedius* ad an. Chr. 337 eum ponit.
Event. Trist.	Mors Constantini M. & infinita penè mala. Nam imprimìs tres ejus filii de summâ dignitate contenderunt. Undè Christiani ingentibus periculis fuerunt expositi.
An. Christi	340. vel ut alii 341. Cometa immensæ magnitudinis & terribiliis in Ariete per spatium 6 mensium & 3 dierum conspectus fuit. *Orosius lib. 7. cap. 19.*
Event. Trist.	Persecutio D. Athanasii, aliorumque piorum Ecclesiæ Doctorum ab Arianis orta. Constantinus à militibus fratris sui Constantis victus, & interfectus; plurimæ quoque Urbes versus Orientem terræ motu concussæ periêrunt. Clades magna inter Francos & Romanos orta est, indè etiam annonæ caritas propter diuturna bella secuta est.
An. Christi	363. Cometam *Ricciolus* fulsisse docet: confirmat *Ammianus Marcellinus* eo tempore facem flagrantissimam cadenti similem visam.
Event. Trist.	Bellum Persicum, in quo Julianus Apostata Imper. & hostis Christianorum acerrimus miserè periit sagittâ è Cœlo mirabiliter demissâ vulneratus.
Læti.	Mors Juliani Christiano nomini ob cessantem persecutionem lætissima.
An. Christi	363. *Eckstormius & Ammian. lib. 25.* at *Rockenbach.* Anno 367. Cometam unà cum aliis terribilibus miraculis etiam die sereno conspectum tradunt.
Event. Trist.	Terræ motus tantus Hierosolymæ in Judæâ, ut terræ hiatibus ædificia antecedentibus tonitruis & fulminibus absorpta, multaque millia Judæorum interfecta sint. Delphicum etiam Templum terræ motu funditùs eversum. Insignis item Bibliotheca Antiochiæ incendio concremata. Plurimi quoque alibi terræ motus & inundationes horrendæ, ac magnæ annonæ caritates consecutæ. Jovianus item Imp. mortuus.
Læti.	Valentianus à militibus in Imperatorem electus; cujus deindè Imperium moderatum ipsis, etiam Arianis æquum, & licet judiciorum severitate asperum, tamen rebus ubique præclarè gestis lætum fuit.
An. Christi	370. Cometa per 11 Septimanarum spatium in Ariete fulsit. *Rockenbachius.*
Event. Trist.	Terræ motus ingens ferè per totum orbem secutus: Item Tempestates, & inundationes tantæ, ut mare littus egressum, atque ità Sicilia multarumque insularum urbes, & innumerabiles populi oppressi sint. Fames etiam dira subsecuta fuit.

Anno

An. Christi	375. Stella crinita fulsit. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Valentinianus Imp. defunctus, Valens succedens etiàm brevi post anno scil. 378. interemptus.
Læti.	Mortem Valentis lene & benignum Gratiani & mox ab Ann. 379 Theodosii illius magni Principis laudatissimi pacatum & amabile repressis Arianis excepit imperium.
An. Christi	377. Comete meminit *Alstedius*, cui eventus eosdem circà terrę motum adscribit, quos suprà in Cometa anno 370 ex *Rockenbachio* attulimus. Undè cum priore illo idem planè reputari potest, ersi in tempore assignato Authores dissentiant.
An. Christi	383. Cometa Lucifero similis, qui à gladii similitudine *Xiphias* appellatus in Cœlo conspectus fuit. *Alstedius.* Cometam hunc illi Hierosolymitano similem fuisse dicit *Ricciolus ex Prætorio.* *Lubieniecius* putat hunc Cometam rectiùs in Anno 393 referendum esse.
Eventus.	Eugenii invasionem portendisse dicitur, quę tamen integro decenio post obtigit ut docet *Lubieniecius.*
An. Christi	384. Cometa columnæ similis aliquamdiu visus est. *Rockenbach.* sed *Lubieniecius* talem Cometam ad an. 394. refert.
Event. Trist.	Hoc tempore Gothi & Vandali in Thraciam irruperunt, quos tamen Imp. Theodosius propè Constantinopolim repressit. S. Gregorius Nazianzenus, & Athanaricus Rex Gothorum mortui.
An. Christi	386. Sic referente *Ricciolo* visus est ille Cometes, de quo *Claudianus in panegyri Honorii.*
Event. Læt.	Lętus fuit is annus consulatu Honorii nobilissimi pueri, & Victoriâ & auspiciis ejus Theodosii de Grutingis Scythicâ natione obtentâ.
An. Christi	389. Cometa à Septentrione Oriens admodum Luciferi ardens in signo Geminorum per 20 dies flagrans apparuit. *Rockenbach.*
Event. Trist.	Hunc Cometem secuta fuit grando crepitans, per biduum continuò durans, multùm damni pecudibus arboribusque intulit. Seditione quoque Thessalonicæ ortâ multi strenui viri unà cum plebeis tunc temporis interfecti sunt. Inde Theodosius occasionem captans aliquot millia militum eodem misit & 70000 hominum interfici causavit. Ambrosius autem Imperatorem ob hanc cædem & tyrannidem excommunicavit.
Læti.	Longobardi Algemundum Aaronis filium Ducibus eorum defunctis Regem creârunt. Templum Serapidis apud Alexandriam edicto Theodosii Imperatoris solutum.
An. Christi	390. Cometa suprà Jovem à Proclo visus est. *Ricciolus.* At *Rockenbach.* istum Cometam an. 394. propè Luciferum in signo Cancri 40 diebus fulsisse refert.
Event. Trist.	Valentinianus ab Arbogaste Gallo apud Viennam Galliæ strangulatus est. Eugenius etiam Imp. occisus. Arbogastes quoque propria manu sublatus fuit.
Læti.	Theodosius Honorium filium suum Augustum appellavit, & consortem unà cum Arcadio Imperii Orientalis cum maximâ populi lætitiâ fecit. Theodosii etiàm insignis Victoria de Eugenio Imperii invasore & Arbogaste parricidâ secuta fuit.
An. Christi	394. Stella columnæ specie ac Lucifero similis versus Septentrionem per 30 dies flagravit. *Rockenb.*
Event. Trist.	Mox eodem mense magna atque cruenta Seditio Antiochiæ propter tributum à Theodosio extraordinariè impositum exorta est.
An. Christi	399. Cometa prodigiosæ magnitudinis, horribilisque aspectu comam propè ad terram usque demittere visus est. *Eckstormius.* At *Baronius apud Ricciolum* ad ann. 400 refert.
Event. Trist.	Terræ motus. Ruffini Gildonis & Gainæ comitum motus, & Gothorum excursiones & rapinæ in Oriente: tùm invasiones in Dalmatiam & Pannoniam factæ, ac decreta ad invadendam Italiam, & Romam diripiendam expeditio cum totius Italiæ pavore conjuncta.
Læti.	Res prosperè in Oriente contrà Gothos & Ruffinum gestæ. Pax Francis, Suevis, & Alemannis imperata. Fœdus cum Francis pactum. Tum Gildo in Africâ, & Gainas in Thraciâ oppressus. Marsceles Gildone fratre perduelli, & crudeli cæso ingenti Victoriâ decoratus, undè eximiâ omnes lætitiâ cumulati fuerunt.

COMETÆ SÆCULI V.

An. Christi	405. Cometa formam gladii referens, flammasque igneas usque ad terram spargens visus est: de quo Historici scribunt, terribiliorem hoc anteà à nemine visum esse. *Rockenbach.* Hunc quoque Cometam *Ricciolus* ab Oriente versùs Occidentem, sed oblique tranâsse memorat, & mox ex *Claudiani* descriptione ab ortu estivo, aut citrà per Ursas in Occasum perrexisse.
Event. Trist.	Radagisus bis millena millia Gothorum in Italiam duxisse fertur. Quià autem fames tantam hominum multitudinem afflixit, dissipati tandem à Stillicone oppressi sunt. Radagisus in fugâ deprehensus à militibus deindè strangulatus est. Vandali & Alani quoque assumptâ multarum gentium vi trajecto Rheno Galliam invaserunt. Britannicus miles etiam primò Marcum, deindè Gratianum, tùm his non justiùs occisis, quàm ad Augustam dignitatem evecti erant, Constantinum quendam Imperatorem eligunt, qui totam Galliam peragravit, & Arelate sedem cum filio Constante, quem Cæsarem fecerat, fixit. Alaricus etiàm cum magnis Gothorum copiis ex Epiro in Pannoniam & Noricum ingressus. Mortuus insuper Arcadius Imperator, ac Stilico Imperatorum trium affinis, & unius bis Socer jugulatus. D. Chrysostomus etiam post diutinam persecutionem in finibus Armenię defunctus.
An. Christi	412. Cometa in signo Capricorni per 4 menses æstate mediâ usque ad finem autumni visus. *Rockenb.*
Event. Trist.	Cometa hic ingentium bellorum & incredibilis hominum interitûs indicium fuit. Terræ motus enim cœperunt esse, qui non facilè cum prioribus conferri potuerunt. Ignis quoque è Cœlo quasi rupto delapsus est: tantique hi motus fuerunt in pluribus locis, ut laquearia & tecta à seipsis magno cum sonitu & fragore dirimi visa sint, ut qui in domibus fuerunt, clarè Cœlum aspexerint: post rupturam autem ità rursùm sunt aptè conjuncta, ut nemini tam novæ rei significationem præbuerint. Uticæ terra per 7 dies mugitus edidit. Magna quoque belli rabies per Galliam suborta.
Læti.	In Occidente Sarus Honorii Dux inclytus Justinianum Constantini Tyranni Ducem vicit. Romani obsidiodis Gothicæ incommodis pressi pacem cum Alarico fecerunt. Honorius ad consortium Imperii Constantinum admisit, & pace factâ promissa suppetiarum retulit.
An. Christi	413. Cometa in signo Virginis per 4 mensium spatium flagrans apparuit. *Rockenb. & Eckstormius ex Herlicio.*
Event. Trist.	Alaricus Romam obsidendo & debellando occupavit. Attalus ab Ataulfo fidei pactorum & monitorum Uxoris salubrium negligente ad resumendam tyrannidem incitatur, sed meritâ pœnâ afficitur: Nam truncatâ in pœnam perfidiæ dexterâ Liparas in exilium relegatur.
Læti.	Res à Vallia prosperè contrà Vandalos gestæ, & plures ac memorabiles Victoriæ partæ.
An. Christi	418. Cometa in Librâ apparuit, quid ad mensem usque Septembrem conspectus fuit. *Rockenb.*
Event. Trist.	Judæi omnes factione Cyrilli Episcopi ab Alexandria ejecti: deindè Heraclianus consilio Sabiniani classem 4700 in Africam misit, quam cum deindè Romam misisset; Marinum & ejus confœderatos, ut oppugnaret, à Marino victus, & fugâ auxilium sibi cùm quæsivisset, Carthaginem Scaphâ petens à militibus ex improviso captus, & interfectus est.
Læti.	Vallia Gothorum Rex & victoriis contrà Vandalos pluribus nobilitatus & Romano nomini amicus in præmium Virtutis pace conventâ Aquitaniam secundam (quæ posteà Vasconia dicta) ad quietas sedes ibi figendas accepit, & sic Tolosam in Regni sedem elegit.
An. Christi	423. Horribilis Cometa per multos dies fulgens apparuit *Eckstormius, Sigonius, Bucholzerus & Calvitius.*
Event. Trist.	Mors Honorii Imperat. Multis in locis graves terræ motus.
Læti.	Burgundiones & mox Britanni ad fidem Christianam conversi. Pax Wandalis & Burgundionibus data.
An. Christi	434. Cometa apparuit. *Rockenb.*
Event. Trist.	Judæi Cretenses à Pseudoprophetâ, qui se Moysen dixit, decepti. Gensericus Carthagine & simul totâ Africâ potitus. Franci Clodione Duce Belgicam secundùm invaserunt, ut Aventinus refert.
Læti.	Burgundiones & mox Britanni ad fidem Christianam conversi. Pax Wandalis & Burgundionibus data.

An. Christi	442. Conspectus Cometa, ut refert *Eckstormius.* Item Anno 443. ut *Alstedius.*
Event. Trist.	Hunc Cometam gravis bellorum, hæresumque pestis excepit ad Annum scilicet 446. Nam hæresis Eutychiana magnos in Oriente dedit motus, tum Britannorum à Pictis & Scotis oppressio, & restauratum ab Attila bellum. Item fames & pestis.
Læti.	Pax cum Genserico, & deindè cum Attila inita: Ille enim certæ portioni Africæ acquievit & tributum pependit: Hic acceptâ vi auri in Scythiam rediit annuum pactus stipendium.
An. Christi	448. Cometa per multos dies in signo Leonis visus est. *Eckstormius & Rockenbachius.*
Event. Trist.	Terræ motus horribilis in Oriente secutus. Attila Hunnorum Rex maximæ parti Italiæ bellum intulit, in quo multas urbes penitùs devastavit.
Læti.	Ab exulibus & profugis à tyrannide Attilæ Urbs Venetia condita.
An. Christi	450. Visus Cometes aliquot noctibus radios suos Occidentem versùs porrigens. *Nicolaus Olaus in Attila cap. 6.*
Event. Trist.	Post hunc Cometam facta est cruenta ista pugna in campo Catalaunio Aëtii Romanorum Ducis & Attilæ Regis, quâ utrinque 180. millia hominum occubuerunt. Theodoricus quoque Rex Gothorum occubuit. Secuta est etiam magna fames in Italia.
Læti.	Thorismundi Regis Gotthorum de Attila vicinos ejus Alanos armis petente insignis Victoria. Incrementum Urbis Venetæ prosperè succedens.
An. Christi	453. Ut *Eckstormius* vel 454. ut *Rockenbachius* Cometa cum pluribus signis aliis in Cœlo apparuit. *Alstedius* duos Cometas in dictos annos ponit.
Event. Trist.	Attila vino, amore, somno & morte sepultus. Pulcheria Augusta, ut & Thorsimundus Rex Gothorum An. 454. obiêrunt.
Læti.	Attilæ morte dissidium ejus filiorum & Gepidarum, aliorumque populorum, quos sibi subiecerat, victoriæ & vindicata libertas, ac quietæ sedes ab Imperatoribus impetratæ, secutæ sunt.
An. Christi	459. Cometa visus & alia prodigia acciderunt. *Alstedius.*
Event. Trist.	Post hunc Cometam secuta fuit inguinaria pestis, quæ multos absumpsit. Mortuus quoque S. Leo Pontifex Romanus. In Galliâ novos motus Theodoricus excitavit.
Læti.	Richimeris contrà Alanos Italiæ invasores Victoria, & Romæ splendor restitutus.
An. Christi	488. Cometa insolitæ figuræ & magnitudinis aliaque signa terribilia in Cœlo visa sunt. *Rockenbachius.*
Event. Trist.	Hoc tempore Christiani persecutionem accerrimam passi sunt ab Hunerico Rege Vandalorum, Theodorico & Venantio Coss. ac Secta Arianorum longè lateque grassata est procurantibus Ostro Gothis.
Læti.	Pax cum Theodorico redintegrata. Ejusdem Theodorici de Bulgaris invasoribus Victoria.

COMETÆ SÆCULI VI.

An. Christi	500. Stella crinita comparuit, ut refert *Eckstorm. ex Zonara.*
Event. Trist.	Clades Romanorum tribunorum cum suis legionibus adversus Bulgaros Illyricum invadentes. Bellum inter Alaricum Gothorum, & Clodovæum Francorum Regem. Subsecuta deindè mors Alarici.
Læti.	Victoria Clodovæi de Alarico quâ gloriam & Regnum hostis, item Consulis & Augusti titulum cum diademate ab Athanasio Imperatore famâ nominis ejus percito Anno 507. consecutus.
An. Christi	519. Cometa à barbæ similitudine *Pogonias* dictus, in Oriente visus est, qui radios versus Orientem misit. *Calvisius ex Cedreno.* Item *Alstedius.*
Event. Trist.	Terræ motus, quo multæ Urbes & homines periêrunt, imprimis verò Dyrachium & Corinthus. Wachonis Longobardorum mors. Cædes Vitaliani nimiæ potentiæ suspecti, & ad invadendam tyrannidem parati. Mors Regis Thrasimundi.
Læti.	Regnum West Saxonum in Anglia institutum. Pax cum Persis inita, & Imperatoris Justini in constituendis Ecclesiæ rebus cura. Rex Colchorum sivè Lazorum ad Christum conversus.

An. Christi	531. Visus est Cometa, qui ob radios sursum instar facis porrectos, *Lampadias* dictus fuit, ac per 20. dies effulsit. *Eckstorm.* at *Alstedius* ad An. 533. ponit.
Event. Trist.	Pestis inguinaria miris & diris crutiatibus orbem afflixit. Infelix bellum Francorum contrà Gothos in Hispania. Gilimer Rex Vandalorum regno & libertate exutus Constantinopolim Anno 534. in triumphum ductus. Mors Joannis Pontificis Romani, ac Cerditii Occidentalium Saxonum Regis in Angliâ primi, tum etiam Athalarici Regis Gothorum.
Læti.	Felix Belisarii deditâ Carthagine contra Gilimerem pugna & Victoria. Fœdus initum cùm Iberorum Rege, qui Constantinopoli cum Uxore, liberis, & comitibus ad Christum conversus & baptizatus.
An. Christi	535. Cometa ingens in Sagittario apparuit. *Calvisius.* At *Rockenbachius* ad An. 539. statuit.
Event. Trist.	Bellum Gothicum in Italia secutum, quod fortunæ varietate, Urbium & populorum cladibus valdè memorabile extitit.
Læti.	Anno 536. Helici Consulis & Ducis Belisarii virtute Sicilia recuperata. Dalmatia & Liburnia pariter recepta. Anno seq. Neapolis Stratagemate capta, ac Theodatus occisus & Vitiges in Regem Gothorum electus.
An. Christi	538. Cometes visus ut *Ricciolus ex Idatio* tradit: At *Eckstormius* An. 539. ejus apparitionem in signo Libræ designat.
Event. Trist.	Cosroës Rex Persarum ruptâ pace Ciliciam & Syriam ac Antiochiam cepit. Secuta etiam tanta fames, ut homines proprias carnes vorarent. Mediolani facta deditio Gothis, sed hi fidei datæ immemores Urbem everterunt, & 300000. hominum occiderunt.
Læti.	Narsetis lætus Romanis cum Auxiliari exercitu in Italiam adventus, & res prospere contrà Gothos hic & illic sese dantes; ità Urbinum & tota Æmilia recepta.
An. Christi	540. Cometa in acumen tendens, *Xiphias* aliàs dici consuetus, in Sagittario apparuit. *Eckstorm.*
Event. Trist.	Hunnorum Sævitia & Laniena horribilis, quam in totâ ferè Europâ exercuerunt. Res Gothorum in Italia prostrata.
Læti.	Rex Vitiges cum Uxore, proceribus & prædâ eximiâ Constantinopolim adductus. Belisarius ab Imperatore omnibus honoribus exceptus ob insignes Victorias reportatas cum duobus Regibus captivis Gilimere & Vitige adductis.
An. Christi	541. Cometa unà cum aliis terribilibus in Cœlo signis in diversis Galliarum partibus apparuit. *Rockenbachius.*
Event. Trist.	Terræ motus universalis per totum ferè orbem, quo præ reliquis Epidamnus Urbs, hodiè *Dyrrachium* dicta, unà cum Corintho in Græciâ sitâ, & Anaxerbo Genitis Ciliciæ civitate maximùm passa est. Secuta etiam fuit ingens inundatio, quâ imprimis Civitas Edessenorum populosissima *Felix* dicta exundatione amnis Scirli ità lacerata & devastata fuit, ut non tantùm multa ædificia corruerint, sed etiam magna hominum multitudo submersa sit.
Læti.	Cosroës Persarum Rex quater in territorium Romanum irrumpens à Belisario feliciter repulsus. Deindè Belisarius Persico bello præfectus Sisauranum deditione occupavit. Artabanes Africam & Carthaginem à Gontharidis tyrannide liberavit. Heruli Sclavinos apud Istrum vicerunt. Totilæ felix expeditio, quâ navali prælio Demetrium Ducem vicit, Neapolim occupavit, & plura alia insigniter præstitit.
An. Christi	550. Cometa in formâ lanceæ apparuit. *Alstedius.*
Event. Trist.	Roma à Totila capta. Sclavinorum in provincias Romanorum invasio. Gothi Corsicam & Sardiniam occupârunt.
Læti.	Narses in Italiam reversus rem Romanam restituit, Gothos ad Anconium portum toto orbe celeberrimum navali prælio vicit & mox in Sicilia domuit.
An. Christi	557. Cometa in Cœlo exarsit. *Eckstorm. Funccius & Ricciolus.*
Event. Trist.	Orientem illuvionis, pestilentiæ, tempestatis, & terræ motûs mala mox & Italiam efflixerunt.
Læti.	Narses Sindualdo Rege Longobardorum oppresso Italiæ Statum ad quietem & decorem restituit.
An. Christi	560. Cometes radiosus instar gladii super Arverniam per integrum annum apparuit, & Cœlum ardere visum, multaque alia signa apparûere. *Greg. lib. 4. cap. 31.* Putat tamen *Lubieniecius* hunc Cometam non temerè referri posse ad An. Christi 562. vel 563. arbitratur etiam, quod pro Anno, Mensis fortè rectiùs legi debeat.

Eventus

Event. Trist.	Tres Summi & Principes Viri ad annum scilicet 565 mortui:ut Justinianus Imperator. Lotharius Rex Francorum & Belisarius ille Bellidux clarissimus. Pestilentia quoque gravis Italiam & præcipuè Liguriam affecit.
Læti.	Justinus inter publicæ lætitiæ & votorum solemnia Imperator electus: Arethas Saracenorum Rex ad Justinum veniens filios & regnum fidei ejus commendavit.
An. Christi	570. Cometa visus est. *Ricciolus.*
Event. Trist.	Longobardica invasio in Italiam. An. 574 Alboinus necatus.
Læti.	Alboinus Mediolanum an. 570 in deditionem accepit & Rex Italiæ proclamatus: Ticinum an. 573, ac obsidionis tertio in Alboini manus devenit.
An. Christi	587. visus est Cometes Bizantii. *Ricciolus ex Zonara.*
Event. Læti.	Reccaredus Rex Hispan, arianismo abjecto Catholicam amplexus est fidem. Antharit Rex Longobardorum prosperè in Istriâ: ac Philippicus Dux Mauritii in Persiâ rem feliciter gessit.
An. Christi	589. Cometa per integrum mensem apparuit. *Rockenb.*
Event. Trist.	Multorum Principum mors. In Italia ac comprimis Romæ diræ tempestates ortæ. Inundatio aquarum terribilis quâ innumera tum hominum, tum pecudum multitudo per Italiam periit. Cadaverum corruptionem secuta fuit pestis maxima, quâ etiam Pelagius Pont. M. interiit. Hormisdæ filius, capto patre Persarum Regnum invasit.
Læti.	Victoria Mauritii de Persis. Pax in Oriente cum Persis inita in perpetuum. Captivorum Longobardorum apud Francos redemptio à novo Rega Agilulfo, ut & Pax ab eodem cum Francis facta.
An. Christi	594. Per integrum mensem Januaium mane & Vesperi visus est Cometa. *Rockenb. Funccius, Eckstormius, Alstedius & Ricciolus.*
Event. Trist.	Priscus Mauritii Dux Sclavinos ad Istrum vicit & deprædatus est. Joannes Archi-Episcopus Ravennæ, sicut & Eoinus Dux Tridentinus mortui.
Læti.	Pax Agilulfi cum Cachano Rege Hunnorum, inita. Victoria de Sclavinis. Nuptiæ Reccaredi Regis Hispaniæ cum Clodosuintha Childeberti Regis Francorum Sorore unaque fœderis vinculum inter utramque gentem. Christianæ Religionis initia in Anglia operâ Gregorii Romani Pontificis.
An. Christi	597. Cometa aspectu terribilis Bizantii cum aliis in Cœlo prodigiis visus est. *Rockenb.*
Event. Trist.	Mahumetes natus. Guntrannus mortuus.
Leti.	Anglorum cum Rege Edelberto conversio. Pax in Italia suborta.
An. Christi	599. Cometa apparuit. *Calvisius ex Aimoino.*
Event. Trist.	Expeditio Francorum in Italiam contra Longobardos. Childebertus cum uxore veneno extinctus. Pax cum Longobardis rupta. Chaganus Hunnorum Rex provincias & exercitus Romanorum attrivit, magnamque captivorum multitudinem interfecit.
	COMETÆ SÆCULI VII.
An. Christi	601. Cometa ingentis magnitudinis per multos dies coruscans apparuit. *Rockenb.*
Event. Trist.	Bellum inter Priscum adjuncto Commentiolo & Chaganum, quo confertis sæpiùs manibus ultrà 30000 Abarum, Gepidum & Sclavinorum distinctis præliis interfecta & 15000 capta. Secuta fuit etiam pestis.
Læti.	Constantinopoli maximâ cum magnificentiâ & lætitiæ nuptiæ Theodosii filii Mauritii cum Germani Patricii filia celebratæ. Victoria ingens Prisci & Commentioli, Mauritii Ducum de Chagano.
An. Christi	602. Conspectus fuit Cometa *Xiphias*, sivè gladii nitore. *Eckstormius ex Zonara.* Verùm *Rockenb.* & *Ricciolus* ponunt hunc Cometam in an. 603, quorum etiàm hic semestrem fuisse dicit.
Event. Trist.	Mauritius unà cum Uxore & liberis miserè à Phoca interfectus. Pestis quoq; sævissima Ravennam & finitimos Maris cum agro Veronensi habitantes ità afflixit, ut vix dimidia pars residua manserit. Chaganus etiàm sæpiùs à Romanis victus Pannoniam, quam invaserat amisit. Dehinc Cosroës Persarum Rex etiàm Romani Imperii provincias invasit, & miserè afflixit.
Læti.	Phocas ad Imperium elatus. Pannonia recuperata, ac Orientis Imperio restituta.

Anno

An. Christi	604. Cometa per duos menses Aprilem & Majum visus est. Hunc deinde alius Cometa secutus est, qui per duos menses Novembrem & Decembrem flagravit. *Rockenbachius*. At An. 605. mense Aprili & Majo apparuisse tradit *Eckstormius*.
Event, Trist.	Bellum cruentum inter Teudepertum Francorum Regem & Saxones. Mors Patriarchæ Aquileiensis & Candidiani apud Gradus. Narses Dux belli à Phocâ combustus, Anno quoque 607. & 608. Italia annonæ inopiâ, aquarum illuvie & morborum vi gravissimè fatigata est. Mors Sabiniani Pont. M.
Læti.	Adalvaldus in Circo Patre ipso Agilulfo assidente Rex à populo salutatus atque insigni Regio decoratus: Item Societate cum Francis renovatâ fœdus in perpetuum cum ijsdem initum.
An. Christi	617. Cometa per integrum mensem in Cœlo ardere visus est. *Rockenbachius & Eckstorm*. Verùm *Alstedius* ad Annum 620. apparuisse refert.
Event. Trist.	Cosroës Persarum Rex Hierosolymam devastavit; sicut & Persæ totam Palæstinam; Zachariam Patriarcham cum ornamentis & populo abduxerunt. Brunechildis quoque impia à Clothario capta, & equis discerpta.
Læti.	Heraclius Imperator pacem Persarum Regi frustrà oblatam, Regi Avarum Chagano feliciter obtulit & prosperè Persis bellum intulit.
An. Christi	622. Cometa visus est *Eckstormius*.
Event. Trist.	Mahometes impium suum dogma in Alcorano comprehensum propalare cœpit. Cosroës in carcere fame maceratus & enecatus.
Læti.	Insignes Victoriæ Heraclij de Persis, quibus Cosroëm tandem copiis, gazis, Regno exutum in fugam vertit. Pax deindè Persica secuta, ac captivorum & omnium bellis præteritis amissorum restitutio. Evangelii Christi apud Northumbros in Angliâ propagatio. Carpualdus quoque Orientalium Anglorum Rex cum totâ gente ad Christi fidem conversus.
An. Christi	631. Cometa gladii speciem referens apparuit. *Eckstormius. At Rockenbachius* ad An. 633. ejusmodi signum per 30. dies visum statuit. Consentiunt *Alstedius ac Funccius*, quorum hic & versùs Meridiem steriſſe ait. Memoratus etiam *Eckstormius ex Annalibus* Cometam in eundem Ann. 633. refert *Ricciolus* verò ad A. 632.
Event. Trist.	Inter Romanos & Saracenos bellum implacabile. Mahometici Regni incrementum. Mors Lotharij Regis Galliæ. Dagobertus Rex Sclavos debellavit. Cadovalla Britannorum Rex auxilio Pemdæ Merciorum Tyranni à Northumbris defecit. Eduinus in prælio interfectus. Heraclius, cum ejus Duces à Saracenis victi, desperatis rebus Syria derelicta Lignum S. Crucis Constantinopolim transtulit.
Læti.	Bono omine Dagoberti Regis Francorum filiolus natus Sigebertus suscepto baptismate, aliis, qui adstiterunt tacentibus respondit *AMEN*. Kinegildis Rex West Saxonum in Anglia religionem Christianam recepit, & paucis post annis Orientales Saxones idem fecerunt.
An. Christi	660. Cometa in Scorpio apparuit. *Herlicius* & ex eo *Eckstormius*.
Event. Trist.	Regum Longobardorum dissidia & cædes. Fames Gallica. Mors Ludovici Regis Francorum: Tum bella quibus Britannia & Indigenarum & septem Regulorum Anglo-Saxonum dissidiis assiduò flagravit.
Læti.	Grimoaldus Regnum consentientibus Longobardis obtinuit, deindè rem contrà Francos Pertharito auxilium ferente prosperè gessit: Postero Constans Imperator re contrà Longobardos feliciter itidem geri cæptâ pacem cum Romualdo Beneventi Duce Grimoaldi filio composuit. Ad Annum 664. Scholæ in Angliâ institutæ, & per eas Religio plurimum propagata.
An. Christi	674. Cometa magnus apparuit. *Alstedius*.
Event. Trist.	Secuta Siccitas, pestis & fames, ut idem memorat *Alstedius*.
An. Christi	676. Cometa visus tribus mensibus. *Eckstormius*.
Event. Trist.	Mors Adeodati Pontificis M. magno cum dolore civitatis.
Læti.	Saraceni Pacem à Constantio Pogonoto Imperatore petiêrunt & ad 30. annos firmârunt. Item Bulgari hac pace territi pacem quoque petiêrunt, & obtinuerunt.
An. Christi	675. & 676. tribus continuis mensibus apparuit Cometa. *Alstedius. Rockenbachius* ad An. 677. refert, sicut & *Eckstormius*. Verùm *Ricciolus*. An. 676. vel 678. Cometam hunc apparuisse dicit.
Event. Trist.	Secutæ sunt ingentes pluviæ, frequentia tonitrua: At juxtà Budam siccitas ingens ac pestis; tùm & locustarum maxima copia. Item fames dira, cujus causa sæpè quadraginta homines, sæpè plures famis acerbitatem non ferentes ad ripas maris se contulerunt, seseque indè junctis manibus fluctibus absorbendos miserè præcipitârunt: Ut referunt Antiquitates Britannicæ p. 54. An. 679. Hildericus Rex cum Uxore trucidatus.

Læti

Læti.	Pax An. 678. cum Bulgaris conclusa, & Christianæ Religionis apud Frisios operâ Wilfridi Episcopi Eboracensis propagatio. Lætitia magna & multiplex ex celebratione Concilii Constantinopolitani contrà Monothelitas feliciter peracti.
An. Christi	684. Cometa horribilis totos tres menses apparuit. *Eckstormius, Alstedius, & Sifardus.*
Event. Trist.	Secuti sunt Venti vehementes, pluviæ, fulgura ac tonitrua valdè sæva. Vesuvius etiàm mirum exarsit, & ingentem vim ignium repentè evomuit. Mors Benedicti secundi Pontificis Max. Item Constantini Imperatoris obitus, atque Egfridi Regis Northumbrorum in Angliâ.
Læti.	Heraclius Justinianus, qui Patri Constantino successit, rem feliciter gessit, pulsis ex Armeniâ Saracenis, eâque Imperio restituta, imò & Saracenis ad pacem petendam, & offerendum tributum coactis.

COMETÆ SÆCULI VIII.

An. Christi	715. apparuit Cometes terribilis aspectu, cujus cauda ad Arctum obversa. *Sabell. Enn. 8. l. 7.*
Event. Trist.	Tiberis exundatio. Artemius, qui *Anastasius* dici voluit, Imperium per seditionem militarem eodem anno amisit. Ità & post biennium Theodosius Adramyttenus dato sibi Leone Isaurico successore.
Læti.	Anno 717. Carolus Martellus victoriam de Hilperico Rege, & Raginfredo Duce ejus obtinuit, Lothariumque Hilperici patruum pro eo regnare jussit. Saraceni frustrà Constantinopolim obsident, & ab Imperatore auxiliis Bulgarorum adjuto profligantur. Pelagius ex regio Gothorum sanguine in Hispaniâ oriundus in Asturiâ quosdam ad excutiendum Maurorum jugum convocat, & divino auxilio regnum Asturum & Legionis An. 717. capessit.
An. Christi	719. Cometa in Sagittario apparuit. *Herlicius & Eckstorm.*
Event. Trist.	Radbodus Frisiorum & Lotharius Francorum Reges mortui.
Læti.	Religio Christi in Thuringiâ & Inferiori Saxoniâ, alibique per Germaniam propagata. Carolus Saracenos Galliam Narbonensem devastantes reiicit, & in Hispaniam repellit, multaque contrà hostes Bojos, Alemannos & alios prosperè agit.
An. Christi	729. Duo Cometæ mense Januario per 15. dies apparuêre; quorum unus præcessit Solem Orientem, alter Occidentem secutus est. *Funccius, Rockenbachius, Beda, Calvisius, Eckstormius, Ricciolus, Alstedius.* Verùm ut benè videtur docere Ricciolus idem tantùm Cometa esse potuit ob magnam declinationem versùs polum.
Event. Trist.	Magna aëris subsecuta fuit intemperies, undè ingens pestis orta, quæ totum ferè orbem pervasit. Sæviit autem maximè Constantinopoli, ubi 300000. hominum periêre. Non multò etiàm pòst Luitprandus Longobardorum Rex Romam obsedit: Et ex Africâ moventes in Hispaniam navigant atque provinciæ ejus partem occupant.
Læti.	Carolus Martellus de Saracenis triumphavit. Christi Religio in Frisiâ à Carolo, sed armis propagata.
An. Christi	744. Cometa ad Aquilonem apparuit. *Eckstormius.*
Event. Trist.	In portis Caspiis terræ motus accidit, & cinis de Cœlo cecidit.
Læti.	Hunni in Pannoniam redeuntes septem Ducibus, in quorum castris Daciæ pars, quæ nunc Transylvania est, & septem castrensis nomen accepit, à Suathe Polono Marothi filio latissimè ad id temporis in Pannoniis dominante, novas sedes per Casidum Candi filium petiêrunt.
An. Christi	745. Cometa in Syria conspectus. *Eckstormius, Funccius, Rockenbachius, Ricciolus, Alstedius & alii.*
Event. Trist.	Ingens pestilentia subsecuta: Item Terræ motus: Seditio etiam inter Arabes.
Læti.	Carolomannus & Pipinus An. 745. Saxones Thuringiæ invasores feliciter repulerunt. Proximò Constantinus Imperator contrà Saracenos bellum suscepit & prosperè gessit, ac in Syriam usque progressus Germanicam recepit. Ità & An. 748. eosdem Cypri invasores feliciter rejecit.
An. Christi	761. Cometa per 10. dies in Oriente refulsit, quem deindè alius per 21. dies apparens in Occidente secutus est. *Rockenbachius, Funccius, Alstedius, & Ricciolus*: Hic tamen, an duo fuerint, dubitat. *Calvisius*, unum eundémque fuisse putat.
Event. Trist.	Oëngus Pictorum Rex obiit. Turcarum irruptio in Armeniam. Bella variis in locis.

Læti.	Edelbaldus Northumbrorum Rex de Edwino Scotorum Rege invasore cæso & fugato insignem reportavit Victoriam. Constantinus Imperator An. 763. debellatis Bulgaris cum triumpho Constantinopolim rediit.
An. Christi	763. Cometes in Oriente apparuit. *Rockenbachius. Funccius, Alstedius & Ricciolus.*
Event. Trist.	Frigus intensissimum â Calend. Octobr. usquè ad Februarium durans secutum est, quo Pelagus ponti quasi informam lapidis spatio 100. milliarium ità fuit induratum, ut à superficie in profundum 30. cubitos haberet. Nivis quoque tanta fuit copia, ut ad altitudinem 20. cubitorum mare gelu induratum obtexerit, pedibusque calcari potuerit. Februario autem mense instante glacies instar montis in diversas species est concisa. Deinde Constantinus Bulgaros navali prælio invadens naufragium passus multa millia hominum amisit. Turcarum etiam bellum cum Arabibus instauratum.
Læti.	An. 769. Bellum Aquitanicum decennale finitum est. Constantinus quoque Imperator Uxorem Eudoxiam diademate insignivit, & posterâ die, festo nempè Paschatis Christophorum & Nicephorum filios Cæsares creavit.
An. Christi	791. Cometa in Virgine apparuit. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Bellum â Carolo M. Hunnis illatum, quo eorum nobilitas, gloria, divitiæ & potentia sublata est.
Læti.	Franci ab Hunnorum clade & devastatione mirè ditati immensas opes Galliis importârunt. An. 792. Constantinus Matrem ad consortium Imperii accepit

COMETÆ SÆCULI IX.

An. Christi	800. Cometes apparuit. *Ricciolus.*
Event. Læti.	Carolus Imperator factus, sed & filius ejus Pipinus Rex Italiæ creatus Imperium Romanorum ad Germanos delatum. Fœdus inter Nicephorum & Carolum pactum cautâ Venetis libertate. Pax item Nicephori Imperatoris cum Saracenis inita. Corsicæ â Maurorum tyrannide liberatio: Item Caroli Legatorum reditus â Saracenis cum splendidis muneribus. Tùm & Edelberti Regis Northumbriæ pulsi per Legatos Caroli, & Pontificis in regnum restitutio.
An. Christi	809. Cometa horribilis apparuit. *Eckstorm.*
Event. Trist.	Mors Pipini Regis Italiæ, filii Caroli. An. 810. Interitus Nicephori A. 811.
Læti.	Pax A. 809. â Carolo cum Godefrido, & An. 811. cum Hemingo filio Fratris & successore ejus composita.
An. Christi	812. Nonis Novemb. apparuit Cometes in formâ duarum Lunarum fulgentium, seque adunantium atque separantium in diversa Schemata, ità ut viri Acephali figuram exprimerent. *Annales & ex his Eckstormius.*
Event. Trist.	Saracenorum in Palæstinam irruptio & locorum sanctorum profanatio. A Cruno Bulgarorum Rege expugnata Urbs Mesembria.
Læti	Victoria Leonis Armeni, quam de Bulgaris reportavit: Cum eodem etiam fœdus â Carolo renovatum.
An. Christi.	814. Cometa visu terribilis apparuit. *Rockenbachius, Eckstormius, & plures alii.*
Event. Trist.	Mors Caroli M. Imperat. Romani. Bellum cruentum inter filios Gorthrici Regis Daniæ ortum.
Læti.	Pax Bulgarica. Inter Ludovicum & Leonem Imperatorem pax renovata: Tùm inter illum, & Grimoaldum Ducem Beneventanum firmata.
An. Christi	815. Cometa exarsit & dira alia prodigia conspecta, ac audita sunt in terris. *Eckstorm.*
Event. Trist.	Terræ motus, Sol obscuratus & Luna pallorem recepit.
Læti.	Resâ Ludovico feliciter contrà Sclavinos tumultuantes, & alias præcipuè pro reformatione aulæ paternæ libidinibus infamis & Cleri gestæ.
An. Christi	817. Nonis Febr. Cometa in signo Sagittarii apparuit. *Eckstorm.*
Event. Trist.	Bellum civile Bernardi contrà Ludovicum Imp. tum & supplicia conjurationis Auctoribus & Sociis irrogata. Mors Irmengardæ Augustæ. Deniqùe pestis & fames.
Læti.	Ludovicus Lotharium filium natu maximum consortem Imperii & Regem Galliæ; Pipinum verò Aquitaniæ, ac Ludovicum Bojariæ creavit; Sancitum cum Romanis Pontificibus fœdus confirmavit.

Anno

An. Christi	818. Apparuit Cometa. *Alstedius.* Subveretur tamen *Lubieniecius* hunc Cometam cum priore eundem esse.
Event. Trist.	Ludovicus eodem anno bellum contrà Brittones perfecit & Hingardam Uxorem amisit. Saraceni Cyprum invaserunt.
Læti.	Michaël contra Thomam transfugam, qui apud Saracenos magnam dignitatem & potestatem acquisiêrat, auxilio Bulgarorum rem an. 822. feliciter gerit, deq; eo & filio capto meritas pœnas exigit. Lotharius Romæ Imperator consecratus. Heraldus Danorum Rex pace cum Godefridi filiis initâ Moguntiam veniens cum multis â sua gente præsente Imperatore Religionem Christianam suscepit.
An. Christi	828. Cometa in librâ apparuit, & alius seq. anno in Ariete conspectus est. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Saraceni Siciliam invaserunt Duce Euphemio transfugâ, qui anteà ibi Profectum nomine Imperatoris egerat, & victor â duobus Siculis pr ofugis ibidem necatus est. Michaël Imperator mortuus successorem habuit Theophilum acerrimum Iconomachum. Ventorum violentia multa ædificia evertit.
Læti.	Classis Ludovici Imperatoris rem in Africâ prosperè contrà Saracenos gessit.
An. Christi	830. Apparuit Cometa. *Alstedius.*
Event. Trist.	Publica impietas filiorum & subjectorum Ludovici adversùs eum insurgens, & eundem in captivitatem trudens.
Læti.	Læta cum publico plausu Ludovici è carcere liberatio & ad pristinos honores restitutio. Theophili Imper. an. 833 illustris de Saracenis reportata Victoria, qua 25 millia captivorum Constantinopolim reducta.
An. Christi	837. Cometes in signo libræ apparuit, ut referunt *Annal. Fuld.* Per dies verò Resurrectionis Domini in signo Virginis, ut *Sigonius.* Circà festum Paschatis in signo Virginis spatio 25 dierum Leonem, Cancrum, & Geminos pertransiens, & in capite Tauri tandem evanescens, ut *Calvisius.* Vel an. 838 per dies 25, ut *Eckstormius*: in signo Libræ, ut *Rockenbachius*: Calendis Januar. in signo Scorpii, ut denuò *Calvisius.* Vel an. 839 in Ariete ut *Funccius* & *Rockenbachius.* Denique an. 837 duos Cometas apparuisse vult *Eckstormius*, quorum unus Autumno Solem antecedere, vere sequenti alter Solem subsequi conspectus fuit. Sed de tantâ Authorum discrepantiâ videri potest *Lubieniecius.*
Event. Trist.	Excessus Pipini. Item obitus Ludovici Pii an. 840.
Læti.	Celeberrimus ad Wormatiam Vangionem Conventus, in quo secuta est Ludovici Patris cum Lothario filio conciliatio.
An. Christi	840, 841, 842 tres Cometæ apparuerunt. *Alstedius.* At an. 841. *Annales Fuld.* 8. Cal. Jan. sub signo Aquarii comparuisse tradunt. *Rockenb.* verò ad an. 842. Cometam refert. In eundem annum Cometam annotat *Funccius*, *Eckstormius & Ricciolus.*
Event. Trist.	Dissensio & bellum filiorum Ludovici Pii propter Regni divisionem exortum, in quo Francorum innumerus populus acie gladii occubuit. Alphonsi III. cognomento Magni Regis Hispaniæ facinus, quo fratres de tyrannide suspectos oculis privavit. Saracenorum ex Africâ in Italiam irruptio. Mors Theophili Imperatoris.
Læti.	Saraceni à Venetis victi & ex finibus horum rejecti. Piastus oppidanus Crusvicensis apud Polonos principatum iniit, qui in magnâ annonæ caritate omnes sublevârat, & plurimos sæpè convivio exceperat.
An. Christi	844. Cometa super Venerem observatus est. *Eckstormius & Ricciolus.*
Event. Trist.	Dani Galliam adorti Carolum ad pacem emendam coëgerunt, Frisios invaserunt & eosdem duobus ingentibus præliis vicerunt. Saraceni etiam Italiam aggressi modò vicerunt, modò victi sunt.
Læti.	Eodem anno Sergius Pont. Rom. Ludovicum Lotharii filium Romæ regali, atque Imperiali coronâ decoratum Regem Italiæ atque Imperatorem populo lætis sæpè vocibus Augustum acclamante pronuntiavit. Victoriæ quoque insignes ac memorabiles contigêre, quas Ranimirus Rex Gallæciæ de Normannis invasotibus; Pipinus Rex Aquitaniæ de patruo Carolo Calvo Rege Franciæ, & Ludovicus Rex Germaniæ de Abodritis Vandalis rebellibus retulerunt. Pax in Oriente cum Bulgaris percussa, Rexque eorum Religionem Christianam amplexus est. Pariter cum Normannis, Sclavis & Bulgaris pacem Ludovicus Rex Germaniæ iniit. Secuta posthæc etiam pax cum Bohemis à Ludovico Lotharii filio domitis & ad Christi Religionem cum 14 eorum Dynastis perductis.

An. Christi	868. Cometa visus est. *Rockenb.* & *Eckstormius.*
Event. Trist.	Mors Lotharii Regis Fratris Ludovici Imper. Michaël Imp. jam mente captus amicos suos interfecit. Terræ motus quoque magnus tunc temporis ortus est.
Læti.	Ludovicus meliori rem ubivis fortuna, quàm antea contrà Saracenos aliosque hostes gessit. Ursus etiam Dux Venetorum prosperè ad Tarentum navali prælio conflixit. In hæc tempore & pax cum Danis, qui arma victricia tunc per Angliam & Galliam circumferebant, à Carolo Calvo inita, & eorundem ad Christi fidem conversio refertur. Tunc & Bohemis, Moravis & Sclavis Caroli frater Ludovicus Rex Germaniæ pacem petentibus dedit.
An. Christi	876 Cometa apparuit formâ solitâ rutilantior. *Rockenbachius*, *Alstedius*, *Ricciolus* & *Sifardus.*
Event. Trist.	Inundatio aquarum subita invasit multa loca, quæ imprimis Achoprunam vicum in pago Nitensi, pecudes, jumenta, homines 88 in cubilibus promiscui generis suffocavit, horrea, casas, templa arboresque radicitùs evertit, ita ut ne vestigium apparuerit, cadavera mortuorum tellure pluviali humore solutâ in finibus alterius, pagi inventa sint. Secuta item Mors Caroli Calvi Imperatoris & Regis Galliæ.
Læti.	Rollo Danorum Dux Normanniâ an. 876. concessâ baptizatus Roberti nomen suscepit, & Regibus Angliæ originem dedit. Ludovicus Balbus Carolo Calvo in Regno Galliæ successit.
An. Christi	882. 15. Cal. Febr. Cometa apparuit. *Aventinus*, *Rockenbachius*, *Calvisius*, *Eckstormius*, *Alstedius*, *Ricciolus* & *Berckringerus.*
Event. Trist.	Per hæc tempora Ecclesia Romana dissidiis & turbis, variisque vitiis tàm Regum, quàm Pontificum agitata fuit. Dira item secuta strages inter Normannos adjunctis in subsidium Danis contra Francos exorta, ità ut innumerabilis multitudo Francorum in dictâ clade occubuerit. An. etiam 883 Ludovicus Balbi filius, posterò Marinus Pontifex Rom. obiit.
Læti.	Carolus Crassus Augustâ dignitate ornatus in Italiâ & Franciâ rem feliciter gessit. Gotifrido Regi Normannorum Christi fidem amplexo Frisia data ac Lotharii filia Gisla in matrimonium collocata.
An. Christi	898. vel 899. circiter sub Carolo simplici Stella crinita per dies 14 apparuit. *Aimoinus lib. 5. cap. 41.*
Event. Trist.	Magna per totum Galliam fames secuta est. Joannes Pontifex Rom. & Arnulphus Imperator mortui.
Læti.	An. 898. Berengarius regnum recuperavit, idque sublato Æmulo solus tenuit. An. 899 tanta rerum copia beata est Bohemia, ut qui ibidem fidem Christi recens receperant, singularem divinam bonitatem celebrârint.

COMETÆ SÆCULI X.

An. Christi	900. Cometa apparuit. *Alstedius.*
Event. Trist.	Incursio Hungarorum & Saracenorum in Italiam secuta, Berengarii inimici Ludovicum illum Provinciæ Regem in Italiam revocant: is fidei datæ immemor venit & tyrannidem apud Papiam invasit.
Læti.	An. 901. Ludovicus favore Benedicti Pontificis Rom. diademate redimitus fuit.
An. Christi	902. Cometa apparuit, qui caudâ versus Orientem projectâ 40 diebus fulsit. *Calvisius* & *Eckstormius.*
Event. Trist.	Ludovicus à Berengario captus non tantùm Regno sed & deindè luminum usu privatus est. Irruptio Saracenorum in Græciam & Insulas maris mediterranei. Hungari denuò Italiã invaserunt, sed fugati sunt.
Læti.	Annus 903 Berengario, quem tunc Pontifex Romanus Imperatorem renuntiârat: Annus autem 904 Lamberto cui idem honoris decus contulit, lætus extitit. Saraceni ab Himerio Duce egregiè victi.
An. Christi	905. Mense Majo Cometa visus est. *Rockenb.*
Event. Trist.	Hungarorum in Germaniam incursiones crebræ secutæ. Ludovicus Longobardorum Rex Bosonis filius à Berengario Veronæ oculis captus, ut jàm suprà memoratum.
Læti.	Victoria magna Alfonsi Magni de Saracenis obtenta.
An. Christi	906. Cometa ferè per dimidium annum exarsit. *Antiquit. Britan. p. 75.* *Ricciolus* & *Alstedius.*
Event. Trist.	Magnæ pluviæ & multiplex grando, magnaq; hominum cædes & strages, quæ paulò post in prælio inter Danos & Anglos commisso subsecuta est, in quo utriusq; gentis ingens Nobilium numerus corruit.

Anno

An. Christi	910. Cometa solitò rutilantior conspectus est. *Rockenbachius.* Verùm *Eckstormius ex Hist. Eccles. & Alstedius* ad An. 912, & rursus idem *Eckstormius ex Butingi Chronolog. ad An. 913.* referunt.
Event. Trist.	Secuta fuit magna inundatio maximè in Saxonia. Hungari Italiam: item Saraceni ab Africâ egressi eandem invaserunt. Mors Lamberti Imperatoris ac Regis Italiæ: Item Sergii Pontificis Romani.
Læti.	Imperium â Francis ad Saxones translatum. Natus Miescislaus Princeps Poloniæ Zemomisli filius cæcus, qui deindè visu recepto Christianæ Religionis luce illustratus est. Memorabilis & Christianis lætissima obtenta Victoria de Saracenis non procul ab Urbe Româ ad unum deletis An. 915.
An. Christi	930. visus est in Cancro Cometa. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Hungari Germaniam invaserunt & passim cæsi sunt. An. 931. fons sanguinis ad Genuam fluxit & paulò post Urbs illa à Saracenis miserè direpta, & afflicta fuit.
Læti.	Saraceni in Italia clade affecti, majori verò ad Orientem auspiciis Romani Imperatoris An. 932. Melitena recuperatâ & in provinciæ formam redacta. Hungari Germaniæ invasores gemino prælio feliciter victi.
An. Christi	941. Cometæ circà Constantiam Germaniæ superioris Urbem per 14. noctes visi. *Rockenbachius.* Sed *Eckstormius* unius meminit ad A. 942.
Event. Trist.	Secuta magna inundatio & dira pestis jumentorum ac pecudum, præcipuè boum. Mors Leonis VII. Pont. Otto Rex Brisacum obsedit, & Alsatiam devastavit.
Læti.	Rebellio in Germaniâ, & altera in Galliâ sedata & pax feliciter parta. Hugo Rex Italiæ Saracenos domitos ad petendam pacem coëgit. Secuta etiam mox Anno 942. pax inter Petrum Candianum Ducem Venetum, & Lupum Patriarcham Aquileiensem. Edmundus Angliæ Rex victis Northumbris totam Insulam imperio suo subjecit.
An. Christi	944. Cometa immensæ magnitudinis in Italiâ conspectus est. *Rockenbachius & Eckstormius.* Sed *Funccius Alstedius & Ricciolus* eundem Cometam ad Annum 945. ponunt. *Lubieniecius* exeunte Anno 944. & ineunte 945. visum putat, ut ità meritò ad eundem annum referri possit.
Event. Trist.	Magnus terræ motus 16. Cal. Maij factus. Fames ingens secuta. Mors item Berchtoldi Bojorum Ducis.
Læti.	Anno 945. Otto Imper. pro Ludovico Galliæ affine multa feliciter contrà seditiosos gessit, ac libertatem captivo captâ Argentinâ peperit. Idem etiam contrà Hugonem Comitem Parisiensem, qui nimiæ potentiæ herum expulerat, eundem tutatus est. Anno. 949. ab Ottone Dani & Bohemi ad Christiana Sacra pertracti: Posterò Ranimirus Rex Hispaniæ insigni Victoriâ de Saracenis potius est.
An. Christi	964. Cometa, & alia prodigia visa sunt. *Alstedius.*
Event. Trist.	Secuta mox fames & in variis locis turbæ bellicæ. Anno 966. Sanctius Garsias Navarræ & Vasconum Rex obijt: Posterò Indulphus Scotiæ, Boleslaus Bohemiæ, Sanctius Legionis, Ferdinandus Castellæ Reges ac Principes. Hattonis insuper Moguntini â muribus in Pœnam scelesti homicidii divinitùs immissis consumpti horenda mors.
Læti.	Pax Romæ & in Italiâ constituta. Ottonis læta ac prospera belli contrà Berengarium Tyrannum fortuna. Nicephorus Imperator felices successus contrà Saracenos continuavit. Item An. 966. restitutio Joannis XIII. â factâ quorundam Romanorum seditione ab Urbe pulsi, sed & composita seditio Romana, tùm etiam recepta Antiochia.
An. Christi	968. Cometes apparuit. *Rockenbachius & Eckstormius.*
Event. Trist.	Secutus terræ motus. Mors Lotharii Fratris Ludovici: Carolus autem Galliæ Rex ejus Regnum invasit.
Læti.	Otto II. adolescens Imperatoris filius Romæ consors Imperii declaratus. Hungari Religionem Christianam suscipere inceperunt.
An. Christi	975. Cometa prorsus singularis propemodùm octo mensibus præter morem apparuit. *Eckstorm. Calvisius, Rockenbach. & Antiq. Brittan.*
Event. Trist.	Mors Edgari Regis secuta. Veneno sublatus Joannes Zemisces Imperator Orientis. Subsecuta etiam sterilitas agrorum & dira hominum fames, atque etiam jumentorum ac pecorum lues. Anno 977. Basilius Imperator Orientis iniquo Marte contrà Phocam rebellem pugnavit.
Læti.	Eodem anno pax & amicitia inter Ottonem & Heroldum principes potentissimos restituta. S. Edovardus Patre mortuo Rex Angliæ salutatus. Ottingarus Episcopus Daniæ Religionem Christi in Scania & Selandia propagavit.

An. Christi	979. Cometa in Virgine visus est. *Eckstorm.*
Event. Trist.	Anno sequenti Moguntia terræ motu concussa est.
Læti.	Basilius Apuliam & Calabriam recuperavit. Huic Otto vires suas paulò pauli feliciter opposuit, qui Romam An. 980. profectus ab omnibus, sed præsertim Pontifice & parte ejus ingenti animorum alacritate receptus est.
An. Christi	983. Visus est Cometa, ut refert *Ricciolus ex Joan. Prætorio.* Verùm *Alstedius* Anno 984. statuit. Putat tamen *Lubieniecius* unum & eundem fuisse Cometam visum, scilicet in fine A. 983, & in principio An. 984.
Event. Trist.	Obitus Ottonis II. Imperatoris ex mœrore. Secuta fames, pestis, & terræ motus.
Læti.	Ottonis III. res adversus Bohemos Misniæ invasores prosperè gesta. Veremundus Rex Hispaniæ prosperâ quoque fortunâ adversùs Saracenos usus est.
An. Christi	996. Cometes visus est ut refert *Eckstormius.* At An. 997. Cometem horribilis speciei flammas huc illucque jactantem in Australi parte comparuisse refert *Chron. Belgic.* Verùm *Lubieniecius* unum eundemque rursùs Cometam fuisse putat.
Event. Trist.	Mors Hugonis Capeti Francorum Regis secuta. Item luctuosa mors Geysæ ultimi Hungariæ Ducum & primi Religionis Christianæ in illâ Scythicâ gente Fundatoris.
Læti.	Secutum fuit lætissimum primi Hungargorum Regis Stephani ob morum probitatem Sanctis annumerati Imperium.

COMETÆ SÆCULI XI.

An. Christi	1000. Cometes præter multa alia prodigia apparuit 19. Cal. Jan. *Alstedius & Sigebert.* At *Rockenbachius & Eckstorm.* ad A. 999. Cometam hunc cum variis aliis phœnomenis referunt.
Event. Trist.	Crescens Patritius Romanus Gregorium V. de dignitate Papatûs deposuit & Joannem Episcopum Placentinum in odium Imperatoris, cujus Gregorius erat consanguineus, ejus loco subrogavit. Sed Imperator cum exercitu Romam veniens crescentem prælio vicit, captumque post longas vexationes suspendi curavit, ac Joannem Episcopum oculis privavit; Gregorium verò pristinæ dignitati restituit. Secuta etiam fuit magna siccitas, quâ fluviis exsiccatis mortui sunt pisces & fœtore gravi pestilentiæ præbuerunt occasionem. Otto Imp. insuper à Crescentis Uxore formæ illecebris captus & oblatis ab eâdem chirothecis veneno tinctis extinctus est.
Læti.	Anno 1000. & seq. Basilius Imperator Orientis contrà Bulgaros & Saracenos multa feliciter gessit, Bulgaros etiam An. 1002. domuit. Boleslaus Chrobri Poloniæ & Stephanus Hungariæ Duces diademate & titulo regio primùm insigniti sunt.
An. Christi	1004. Cometa diu visus est. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Secuta magna annonæ penuria. Incendium Papiæ. In Campaniâ terræ motus.
Læti.	Henricus Imper. in interiore Germaniâ Vandalos subegit. Thuringis concessa immunitas antiqui tributi Saxonibus quotannis pendendi. Victoria de rebelli Henrico Orientalis Bojariæ Præfecto.
An. Christi	1005. Cometa aspectu horribilis flammasque huc illuc jactans in parte mundi Australi visus est Cal. Octobr. *Eckstorm. & Rockenbachius.* Verùm *Ricciolus* per 13. noctes sub festa paschalia visum hunc Cometam ex Prætorio refert. *Keckermannus* quoque ad An. 1007. ponit. At *Lubieniecius* vult duos distinctos eodem anno comparuisse Cometas.
Event. Trist.	Secuta fuit fames non tantùm per Europam, sed totum ferè terrarum orbem. Secutum etiam bellum sacrum (juxtâ *Rochenb.* quamvis *Calvisius ex Baronio* ad A. 1003. referat) quod per multos annos duravit, ità ut magna totius orbis jactura gestum sit, nationibus totiùs ferè orbis Christiani omnibus inter se pugnantibus, in quo bello Reges, Principes, Duces, atque homines innumerabiles perierunt.
Læti.	Imperator tum contrà Ardoinum in Italiâ, tum contrà Boleslaum in Bohemiâ, utrumque sibi adversantem prosperè rem gessit. Pari fortunâ usi sunt Pisani adversùs Lucenses.
An. Christi	1006. Cometa præter alia prodigia apparuit. *Alstedius.*
Event. Trist.	Fames & pestis, è quibus hæc adeò invaluit, ut sepelientium tædio vivi adhuc spiritum trahentes cum mortuis sepelirentur: Duravit verò pestis hæc per triennium & multa oppida planè exhausit. Bella item in Lotharingiâ & Poloniâ gesta.

Læti.	In Poloniâ adhuc eodem Anno pax; in Flandriâ proximo, utrobique feliciter confecto bello sancita. Balduino Flandriæ Comite etiam majoribus honoribus aucto. Imperator victoriis cumulatus Germaniæ, Galliæ & Italiæ pacem restituit.
An. Christi	1009. Cometes solito mirabilior in modum ingentis trabis per quatuor menses apparuit. *Chron. Belg.* Sub finem Maji Cometam hunc fulsisse tradit *Eckstormius*, ac versùs Meridiem addit *Ricciolus.*
Event. Trist.	Hoc anno Turci & Saraceni Hierosolymitanum templum sumptuosissimum pace violatâ & Urbe captâ everterunt. Secuta etiam pestis speciatim apud Saxones. Item fames ac Terræ motus.
Læti.	Annus 1009. Danicis successibus in Anglia celebris fuit. Annus deindè 1010 nobili Ungarorum ad fidem Christi conversione nobilitatus est, ut tradit *Sigonius.*
An. Christi	1017. Cometa in modum maximæ trabis per 4 menses visus est. *Sigebertus, Eckstormius & Alstedius.*
Event. Trist.	Secuta pestis & bellum in Polonia.
Læti.	Basilius Bulgariâ totâ potitus est. Pax inter Pictaviensem Comitem & Burgundum firmata. Pax item inter Danum & Anglum inita. Gothofridi Lotharingiæ Ducis è captivitate liberatio, postquam tamen paulò post obiit.
An. Christi	1025. Cometa in Cœlo visus est. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Mortui Boleslaus primus Rex Poloniæ: Basilius Imper. Orientis, & Eusthatius Patriarcha Constantinopolitanus. Secuta etiam Seditio Mediolani.
Læti.	Conradus Imp. ferreâ illâ Modætiensi Coronâ tanquàm Italiæ Rex inter lætas Longobardorum omniumque Italorum gratulationes insignitus.
An. Christi	1027. Cometes effulsit. *Ricciolus.*
Event. Trist.	Tam dira pestis successit, ut vivi vix mortuis sepeliendis suffecerint.
Læti.	Conradus aureo diademate â Pontifice Rom. ornatus Augustus pronuntiatus est. An. 1028. Conradi filius Henricus ut Rex Romanorum sivè Cæsar diademate argenteo ex more prisco Aquisgrani decoratus. Henricus etiàm Roberti Regis Galliæ filius mortuo fratre Hugone & frustra reclamante Matre ac Robertum præferente aureo Rhemis; ut & Constantinopoli Romanus Argyrus mortuo Imperatore Constantino insignitus est.
An. Christ	1031. Cometa fulsit. *Eckstormius & Alstedius.*
Event. Trist.	Eodem anno bellum civile in Gallia inter Fratres Henricum & Robertum exarsit.
Læti.	Amer Saracenorum Præfectus Chalepi Imperatorem Orientis convenit, & fœdus cum eo renovavit, consuetumque tributum spontè obtulit. Deindè Vandalorum Princeps Miesko armis Conradi domitus pacem petiit. Ad idem tempus seditioni Venetæ magnæ & diu turnæ finis fuit impositus.
An. Christi	1038. Cometa apparuit. *Alstedius.*
Event. Trist.	Seditio in Italia exorta. Mortuus in eodem anno Rex Ungariæ Stephanus. An. 1039. Conradus Imp. quoque defunctus.
Leti.	Res feliciter gestæ contrà Saracenos ad Edessam, & in Sicilia ab Imperatore Orientis; tum etiàmâ Ferdinando Castellæ Rege contrà Veremundum Legionis Regem invasorem temerarium.
An. Christi	1039. Octavo Idûs Apr. inter Ortum & Meridiem ignea trabs miræ magnitudinis in Cœlo conspecta est, quæ dum Solem vicinum occasui transiret, in terram labi visa est, ejusque vestigia diu in aëre notari potuerunt. *Eckstormius.* Putat *Lubieniecius* hoc phænomenon Cometam aëreum fuisse.
Event. Trist.	Eodem anno pridie nonas Junii Conradus Imp. repentinâ morte decessit. Bellum dehinc Bohemicum exortum. Item clades Græcorum. Inter hæc seditione apud Thessalonicam & Mediolanum utrobique libertate cum arrogantiâ certante laboratum. Polonia quoque domesticis & externis bellis fatigata.
Læti.	Eodem anno 1039. Henricus Imp. animum Heriberti pugnacis illius Præsulis sibi vendicavit, & bello difficili composito pacem lætam Italiæ reddidit.
An. Christi	1042. die 6 Octob. toto illo mense Cometa ab Oriente in Occasum progrediens apparuit. *Calvisius & Eckstorm.* Verùm *Rockenbachius & Alstedius* ad an. 1043 ponunt.

Event.

Event. Trist.	Secuta mors Giselæ viduæ relictæ Conradi II. Imperat. Bellum item marinum, quo Imper. Henricus III Ungariam ingressus, duas populosissimas civitates evertit, plurimas sibi subjecit, Regemque Petrum in Regnum restituit.
Læti.	Pax læta Ungariæ suborta. Aba redditâ Cæsari Regni parte, quæ S. Stephano Regi affini amicitiæ causâ tradita erat, promisso tributo obtinuit, ac in verba Cæsaris jurare coactus est. Subsecutum deindè memorabile prælium ad Arrabonem sivè aliàs Scaurinum dictum, quo incruentam ferè victoriam, ac in fastos relatam Cæsar obtinuit. Tum Albæ Regiæ triumphum & gratulationem publicam Petro exuli restitutum Regnum, Hungariæ pacem Aba præsertim paulò post è medio sublato attulit. Inter hæc etiàm Casimirus Polonus contra Maslaum Moscoviæ Ducem perfidum, & Imperator Orientis contra Russos invasores victores evasêre.
An. Christi	1053. Cometa apparuit. *Sifardus Cygnæus in Speculo Cometarum.*
Event. Trist.	Ann. 1054. Mortua Zoë septuagenaria quatuor Imperatorum Uxor impia & libidinosa, cujus tamen potiùs læta quàm tristis reputanda est. An. 1056. obiit Henricus III. magno orbis Christiani detrimento.
Læti.	An. 1054. Henricus IV. Rex Germaniæ renuntiatus & consecratus. Cæsar contrà Flandrum rem prosperè gessit. Pax inter Henricum III. & Andream Regem Ungariæ composita & firmata est.
An Christi	1058. (alii 1059.) Cometes apparuit tota paschali hebdomade. *Chronic. Belg. Rockenbach. Eckstormius, Sifardus & alii.*
Event. Trist.	Mors Casimiri Poloniæ Regis secuta. An. 1060 Mortuus Henricus Rex Galliæ, Isaacius Imper. Orientis. An. 1061 Mortuus Sbigneus Dux Bohemiæ, Nicolaus Pontifex Rom. & Andreas Rex Ungariæ.
Læti.	Captis in Frisonia aliquot castellis ab Imp. Henrico Frisones â rebellione repressi. Deinde Henricus I. Galliæ Rex Philippum Filium septem annos natum Rhemis diademate insigniri fecit, & hæredem declaravit, ac postero anno relictâ vitâ reliquit.
An. Christi	1064. Cometa aliquot mensibus arsit. *Chron. Saxon. & Eckstorm.*
Event. Trist.	Gravis terræ motus in Germania; familiaris Constantinopoli clades secuta. Ferdinandus Rex Hispaniæ, Fridericus Palatinus Saxoniæ, & alter Dux Lotharingiæ fatalem attigerunt metam.
Læti.	Pax alioqui læta in orbe floruit. Henricus IV. anno ætatis 12 primùm arma inducit. Geysa Belæ filius in gratiam cum Salomone patruele rediit, eumque cum fratre Ladislao pro legitimo Rege & Domino in totius Hungariæ conspectu in Faurienfi Urbe agnovit.
An. Christi	1066. Cometes in festo Paschatis per totum terrarum orbem 14 circiter noctibus conspectus est. *Bucholtzerus, Rockenb. Buntingus, Eckstorm. Alstedius & alii.* Verùm ut *Calvisius* refert, apparuit ineunte Majo sequens Solem Occidentem, conspectusque est per 40 ferè dies. Principio ferè par Lunæ fuit, inde cùm caudam nactus, eâ crescente magnitudo decrevit.
Event. Trist.	Eodem anno Guilhelmus Comes Normanniæ Angliam Rege ejus Heraldo occiso expugnavit; & referente *Trithemio* penè omnes hujus Regni Pontifices misit in exilium, nobiles & Principes interfecit, mediocres in servitutem militibus dedit, Uxores indigenarum advenis suis matrimonio copulavit, & in civitate Eboracensi plusquam centum suprà mille Sacerdotes crudeliter occidit.
Læti.	Guilhelmus Normannus, quem Edovardus scripserat hæredem, in Angliæ Regem consecratus.
An. Christi	1067. Cometa apparuit. *Ricciolus & Alstedius.*
Event. Trist.	Alexander Pontifex Romanus multùm vexatus à Cadolao Parmensi Episcopo.
Læti.	Eodem anno Henricus Imp. patruelem Egbertum Marchionem Saxoniæ, & Ducem Brunsuicensem mortuo Ottoni Thuringorum Marchioni, qui primus Episcopo Moguntino decimas solvere promiserat, suffecit, potentiamque ejus ampla Thuringiæ ditione auxit.
An. Christi	1068. Apparuit Cometa ignitissimus. *Alstedius.*
Event. Trist.	Rebellio in Occidente contrà Imperatorem exarsit Ottone Bojariæ Duce facem seditionis an. 1069 præferente. Gothofridus Lotharingus mortuus. Orta etiam diffidia inter Henricum IV. Imperat. & Curiam Romanam.
An. Christi	1071. Post Stellam novam versùs Austrum & occasum visam apparuit Cometa longis ac flammeis crinibus per dies 25. *Ricciolus & Alstedius.*
Event. Trist.	Diogenes Romanus postquàm pacem à Turcis petitam negâsset & infeliciter contrà nos pugnâsset, in pugnâ captus fuit; nihilominùs in summo

	summo honore, à Barbaris habitus, & amplis donatus muneribus pace initâ dimissus est. Sed qui à Barbaris benignè, à suis crudeliter deindè habitus est. Nam contrà juris jurandi fidem ac omnem honesti & æqui rationem Imperio, & oculis privatus in Insulam deportatus fuit, mox in tumulum deportandus. Soltanus deindè Turca atrociter injuriam Imperatoris à subjectis pessimè habiti ultus est, & multò crudeliùs, quàm unquam antehac fecerat, omnia devastavit. Diffidium prætereà ingens inter Imperatorem & summum Pontificem secutum.
Læti.	Læta Conradi filii Henrici IV. An. 1074 nativitas, & Theodorici Domicelli Comitis Hollandiæ victoria A. 1076 parta cum recuperatione patrimonii erepti.
An. Christi	1077. Dominica Palmarum circà horam sextam sereno Cœlo Stella apparuit. *Historia Ecclesiast. Cent. 11. cap. 13. ex Sigeberto. Item Eckstormius.*
Event. Trist.	Concordia inter Imperatorem & Pontificem malè instaurata non diù permansit Proceribus Germaniæ in Pontificem, & ejus authoritate in Rudolphum Sueviæ Principem, Henrico Imperatori subrogatum inclinatis. Quæ res ut Italiæ, ita & Germaniæ magnos & dolentes motus attulit. Bella indè sæva inter Henricum & Rudolphum gesta. Anno 1078. Michael Constantini Ducæ filius abrogato Imperio in cænobium detrusus successorem Nicephorum Botoniatem vidit. Boleslaus Polonus Stanislaum Episcopum Cracoviensem acriùs se objurgantem interfecit: Quam ob causam odium Pontificis Rom. & subjectorum incurrit, ac titulo Regis, imò & regno privatus, in Ungariâ, quò profugit An. 1081 mortuus est.
Læti.	Urbs Toletana, quàm Saraceni A. 368. tenuerant, feliciter ab Alfonso Rege Hispaniarum recuperata. Tum multa alia à Mauris recepta. Plurima etiam fortiter & feliciter Henricus pro tuendo Imperii sui jure in Italia & Germaniâ gessit. Secuta etiam pax DEI in Synodo Moguntinâ communi consensu, consilioque constituta.
An. Christi	1092 Cometa in plagâ Meridianâ stans, suumque splendorem in obliquum gladii more potendens circà Non. Octobris visus est. *Eckstormius, & Trithemius.* Quamvis similem adhuc Cometam ad Anno 1095 diem 5 Octobris versùs Meridiem conspectum referat idem *Eckstormius.*
Event. Trist.	An. 1093 Milcolumbus Rex Scotiæ obiit. Secutum bellum sacrum ab Urbano II. Pontifice Rom. conflatum. Rebellio item impii in Patrem Henricum Imperatorem filii Conradi.
Læti.	Felices Godefridi Bilionæi Lotharingiæ Principis magnanimi successus. Felicia insuper auspicia Leopoldi Ducis Austriæ, qui *pius & Pater pauperum* dictus est.
An. Christi	1096, 1097, 1098, & 1101 visus est Cometa. *Alstedius.* A. 1097. Cometes in Occidente apparuit totâ primâ hebdomada Octobris. *Sigebertus & Rockenbachius.* An. 1097 vel 1098 Cometes flammeus in Occasu apparuit. *Ricciolus.* Verùm de Cometis ad hæc tempora conspectis magna est varietas inter Authores, quàm tamen conciliare conatur *D. Lubieniecius in Theat. Comet.* ostenditque ibidem intrà 17 annos, â 1095 ad 1112 tredecim minimùm Cometas esse visos & annotatos, uti apud eundem *loc. cit.* meliùs videre licet.
Event. Trist.	Conradus & Henricus V. se opponunt patri Henrico IV, nominatim Henricus infandâ impietate parentem ab Imperio remotum, & Bingæ captum miserè tractat. Secutum est & bellum sacrum, quod multis annis duravit, & toti orbi Christiano fuit inauspicatissimum; nam magnâ Christianorum jacturâ gestum est. Ingentia quoque & multa mala secuta esse, produnt Historiæ; utpotè fames, & pestis miseranda ferè per totum orbem. Mortuus etiam Godefridus Bilionæus. Periit tunc & Wilhelmus Rufus Rex Angliæ, & Bretislaus Bohemiæ, uterque in venatione, ille fortuito casu, hic ex insidiis. Periit & Henricus Comes Lovaniensis in hasti ludio &c.
Event. Læti.	Anno 1097. felices Godefridi contrà Saracenos progressus & occupatio Romaniæ. Æstas item fertilissima, undè secutus omnium rerum proventus, & vilitas annonæ maxima. Nicea à Christianis capta: Eodem Anno 1097 pax in Imperio composita & Argentinæ promulgata, postquam bellum â Saxonibus & Suevis inchoatum per 23 annos ab anno scilicet 1073 ad 1097 continenter Orbem Romanum afflixisset. Hanc anno vertente expugnatio Antiochiæ & ingens victoria cæsis â Christianis centum Saracenorum millibus secuta est. Anno 1098 Ordo Cistertiensis fundatus.

COMETÆ SÆCULI XII.

An. Chriſti	1101 Cometa viſus. *Alſtedius.* An. 1102 apparuit Cometes Cal. Octobr. per 15 dies majorem crinem emittens ad Orientem verſus Auſtrum. *Chronol. Belgic.* Anno 1103 Cometa flammis latè rutilantibus exarſit. *Sebaſtianus Franco.*
Event. Triſt.	An. 1103. Henricus Craſſus Princeps ad Viſurgin; Comes Northeimenſis à Friſiis cæſus eſt. Anno 1105. in Occidente bellum parricidale ſecutum, quod adverſùs Henricum Imp. Henricus filius non minori perfidiâ, quam impietate geſſit.
Læti.	An. 1103. Boämundus Antiochiæ Dux ex Turcicâ captivitate liberatus. Bellum Flandricum compoſitum. Comes ſupplex Imperatori factus in gratiam receptus, & pax in Imperio per 4 annos ſancita eſt. Anno proximo Balduinus Rex Ptolemaidem deditione cepit. An. 1105 Wilhelmus Comes Tripolitanus ad Antiochiam inſignem de Barbaris retulit victoriam, & Balduinus Rex Aſcalone captâ eoſdem inſperatò & *maximis* quidem copiis ſe adorientes pariter vicit & rejecit.
An. Chriſti	1106. In tempore carnis privii Cometa immenſi fulgoris apparuit. *Funccius, Urſpergenſis, Rockenbach. Bucholzerus, Eckſtorm. Calviſius & alii.*
Event. Triſt.	Hoc eodem anno Henricum Imperatorem Proceres deſeruerunt, & ejus filium pietatis, humanitatis & verecundiæ oblitum ad eum bello perſequendum impulerunt, patremq; inſigniis Imperii ſpoliârunt. Hunc poſteà modò fugientem, modò vincentem tandem Filius Leodii captum, & indignè habitum, mœroreque confectum parricidali facinore in tumulum detruſit.
An. Chriſti	1107 Cometa atri coloris unà cum aliis ſignis & prodigiis in Oriente per 40 dies & paulò ampliùs circà initium noctis viſus eſt, comam longam habens. *Rockenbachius & Eckſtormius.*
Event. Triſt.	Eodem anno Hugo de S. Ademaro Tyberiadenſium bellum cum copiis Damaſcenorum gerens in pugnâ lethaliter confoſſus, victoriam tamen aſſequens, mortuus eſt; in quâ pugnâ multi utrinque interfecti ſunt. Boämundus de Francia cum ingentibus copiis in Apuliam reverſus Græcorum fines depopulatus eſt, dumque in Syriam properat, in itinere mortuus eſt, ejuſdem nominis filio relicto.
Læti.	Eodem anno ſacri milites rem feliciter & contrà Barbaros & contrà Alexium Imperatorem Orientis Latino nomini infenſum geſſerunt.
An. Chriſti	1108. Cometes in Normanniâ per aliquot dies apparuit. *Eckſtorm.*
Event. Triſt.	Clades Roberti, quam ſecuta Normanniæ ad regnum Angliæ adjunctio. Belli Anglo-Gallici diuturni & difficilis origo. Ludovicus enim qui eodem anno, quo Cometa fulſit, Patre Philippo mortuo regnare cœperat, Guilielmo Roberti captivi filio Normanniam vindicare ſtudebat.
An. Chriſti	1109. Cometes arſit. *Eckſtormius & Alſtedius.*
Event. Triſt.	Funeſtum bellum in Germania à Saxonibus contrà Henricum V. Mors Anshelmi Cantuarienſis. Cædes ultimi Maurorum Regis per Alfonſum Regem Hiſp. Bellum in Italiâ inter Cremonenſes & Brixianos.
Læti.	Chriſtiani in Oriente multa proſperè contrà Barbaros egerunt. Tunc & Boleslaus Crivouſti, poſtquam Henricus Imperator pacis ſtudium contempſit, memorabilem de eo victoriam ad Uratislaviam reportavit. Urbem Berithum Chriſtiani vi ceperunt.
An. Chriſti	1110 die 6 Junii viſus eſt Cometa radios ad Auſtrum proiiciens. *Calviſius, Rockenbach. Eckſtormius, Chron. Belg. Cuſpinianus & Alſtedius.* Semeſtrem verò fuiſſe dicit. *Sebaſtianus Francus.*
Eventus.	Expeditio Henrici Regis maximo cum apparatu in Italiam ad componendas diſcordias & bella civilia.
An. Chriſti	1111 Cometa diu fulſit. *Eckſtormius & Alſtedius.*
Event. Triſt.	Henricus V. Imper. veniens in Italiam ſubortâ contrà ſe rebellione, & ſeditione de vitâ & fortunis magna cum civium clade dimicare debuit.
Læti.	Pax tandem potiſſimum Welphonis Ambronum, & Lycatiorum, Quinti Altorf, ſexti Bojorum Ducis, ſecundi Mathildis mariti operâ compoſita, & Cæſare maximo cum plauſu à Paſchali Pontific. conſecratus, & Auguſtus denuntiatus, atque ità ad priſtinam Majeſtatem, Imperium, Resque publicas rediit.
An. Chriſti	1112. Cometa apparuit. *Trithemius & Alſtedius.*
Event. Triſt.	Pax Romana ſancita denuò à Concilio Pontificum jus Sacerdotiorum Cæſari negantium reſciſſa.
Læti.	Imperator proximo anno Saxones feliciter bello domuit. Uladislai Bohemi domiti pax cum Polonis inita.

Anno

An. Christi	1115. Cometa per sex integros menses apparuit. *Rockenbachius.*
Event. Trist.	Hoc anno Henricus Imp. Saxones secundò aggressus. Hogier miles fortis, à partibus autem Sax. Episc. Halberst. qui Dux belli fuerat, occubuerunt. Mors Mathildis potentissimæ in Italiâ fœminæ, Welphonis II Bojorum Ducis Uxoris; cujus tamen obitu Lombardiæ & Thusciæ ditio, quæ patrimonium D. Petri vocatur, legata ad Sedem Romanam venit. An. 1117 Italia terræ motu antè multa sæcula inaudito concussa est. An. 1118 mortuus etiam Balduinus.
Læti.	Memorabilis hic Annus 1115 fuit rebus per Christianos contra Barbaros in Oriente, & per Alfonsum totius fere Hispaniæ Monarcham in Occidente gestis. Ibi enim victi aliquoties Saraceni; hìc eis erepta Cæsarea, quam 400 annis tenuerunt. Verùm & seqq. annis Balduinus rem prosperè contrà eosdem gessit usq; dum ad an. 1118 fato cederet.
An. Christi	1119 In primâ hecdomada Quadragesimæ immensi fulgoris Cometa conspectus est usque ad Domini passionem, sive Pascha. *Keckerman.*
Event. Trist.	Fames & pestis miseranda ferè per totum orbem anno altero post Cometam exorta. Rogerius Antiochiæ Princeps à Turcis victus cecidit. Wilhelmus princeps regius Angliæ, & Dux Normanniæ an. 1120 cum multis aliis abysso maris contectus est. Mox etiam Italia bello inter Pisanos & Genuenses, tùm verò etiàm inter Comenscs & Mediolanenses orto mirùm distracta & concussa est.
Læti.	An. eodem Boleslaus Polonus totam Pometaniam primùm armis, deindè Religionis Christianæ cultu subegit. Proximus an. 1120 victoria Colomanni Regis Ungariæ de Venetis aliena appetentibus obtenta ad Jaderum Dalmatarum & Urbis receptione inclaruit. Hoc eodem anno fundatus ordo Candidus Canonc. Præmonstr. Undè antiqui versus *Anno milleno centeno bis quoque deno* *Sub Patre Norberto fundatur candidus ordo.*
An. Christi	1125. Stella crinita apparuit. *Dubravius* hist. Bohem. L. XI. pag. 85.
Event. Trist.	Mortuus Uladislaus Bohemię Dux.
Læti.	Felices successus Balduini contra Turcas & Saracenos, Filiæq; ejus cum Boamundo Juniori in Palæstinam reduce Antiochenorum Duce nuptiæ. Tum etiam Sobieslaus Bohemus contrà fratrem Ottonem Germanicis auxiliis succinctum, memorabili victoriâ obtenta Cæsarem ad pacis fœdera pertraxit, eademque cum affine Bela Hungarorum Rege sanxit, ac dehinc fortiter & feliciter, ac piè res administravit.
An. Christi	1132. Cometa horrendæ magnitudinis visus. *Eckstormius* ex *Buntingo*, & *Hist. Eccles. Alstedius.* Item An. 1133 Octavo Id. Octobr. Stella Cometes apparuit. Idem *Eckstormius.*
Event. Trist.	Suevi & Dani ab Imperat. Lothario defecerunt. Seditio Augustana inter cives & milites orta, quà magnà ex parte Urbs combusta fuit. Bellum Mediolanenses adversùs Papienses iterum moverunt.
Læti.	Lotharius Imp. per Lombardiam Hetturiam ingressus Italiam ab Innocentio Papa restituto cum Richâ conjuge coronatus. Pax inter Genuenses & Pisanos composita. Secuta etiàm pax Germanica Sicula & Brittanica.
An. Christi	1141. Cometes apparuit. *Ricciolus.*
Event. Trist.	A. 1142 Leopoldus Austriæ Dux, posterò Colo Joannes Imp. & sanguinis verè sanguineus Turcar. princeps: an. 1144 Cælestinus Pontifex Romanus & Godefr. Lotharing. Dux obierunt. Inter hæc bello Mathildis Anglia; illo verò Theob. Comitis Galliæ, tum Grimb. Brabantia exarsit.
Læti.	Conradus Imp. Leop. illo Austraco mortuo Henric. fratrem illius Germarum suum pariter Uterinum substituit. Saxones clementiâ atque beneficiis sibi conciliavit & viduam Henrici Boy Henrico in matrimonium an. 1142 dedit; quo Connubio Austrius Bojariâ potitus est, Saxonia tunc pupillo Henrico Sponsæ filio restituta.
An. Christi	1145. Mense Majo apparuit Cometes. *Hist. Eccl. Eckstorm. & Alstedius.* Verùm *Trithemius* ad an. 1146 hunc Cometam refert.
Event. Trist.	Secutus ingens terræ motus 15 vicibus in Urbe Moguntinâ. Uladislaus Polon. Princeps infeliciter rem contrà Fratres gessit. Infelicem successum mox exilium & tandem ex animi mœrore mors secuta. Conradus Imper. & Ludov. Rex Galliæ memorabilem expeditionem in Palæstinam instituerunt, quæ tamen ob perfidiam Gręcorū infeliciter cessit.
Læti.	Felix expeditio Danica & Germanica in Hispaniam & Vandaliam: ibi enim Ulysipona ex servitute Maurorum erepta: hìc Sclavi in ordinem redacti, & ad colendam Religionem Christianam, cumque vicinis pacem adacti sunt. An. 1148 Rogerius Siculus contrà perfidum Emanuelem rem prosperè gessit & Regem Galliæ à Græcis captum liberavit.

An. Christi	1165. Cometa in signo Libræ visus est. *Eckstorm.* Cometam vero hunc duobus longissimis radiis ardere visum refert. *Hist. Ecclef. Cent. 12. c. 13. ex Boëth. lib. 13. Calvisius* autem duos Cometas hoc eodem anno simul apparuisse scribit, quorum unus ad Austrum, alter ad Aquilonem visus fuit.
Event. Trist.	Henricus Leo Dux Saxoniæ, Woldemarus Rex Daniæ, & Albertus Marchio gravem expeditionem in Vandalos suscepêre. Malcolmus IV Scotorum Rex, dictus cognomento *Virgo*, mortuus. Tota ferè Italia an. 1167 fœdus contrà Imperatorem, salvâ tamen ejus Majestate & fide iniit.
Læti.	Imperator Romanis domitis & Urbe in potestatem redactâ à Paschali III Alexandri III æmulo unà cum Beatrice conjuge diademate augusto insignitus est. Per hæc tempora bellum Tubingense & Palatinum Imperatoris, Welphoni avunculo faventis, & Romanis domandis intenti auctoritate finitum optatâ pace an. 1165 initâ, proximo restituta & firmata. Woldemarus Rex Daniæ Rugiam occupavit, & ad Christiana Sacra recipienda perduxit.
An. Christi	1180. Cometa mirabilis & planè singularis videbatur: nam serpentem sinuosum repræsentans nunc progrediebatur, nunc in spiras se colligebat; nunc cum horrore intuentium quasi inferiores ex alto devoraturus esset humani sanguinis avidus vastum rictum aperiebat, sed cum non ultrà diei istius reliquum & sequentem noctem durâsset, evanuit. *Eckstormius. Item Hist. Ecclef. cent. 12. cap. 13.* quæ tamen hoc phænomenon ponit ad an. 1179.
Event. Trist.	Alexius Comenus Junior Imperium Orientis est adeptus: ipsum tamen Andronicus Tutor triennio post nefariè occidit, regno ad se translato; at ipse deinde etiàm vicissim biennio post Imperium cum vitâ amisit, sublatus ab Isaacio Angelo. Urbs sancta Jerosolyma anno 1187 amissa.
Lęti.	A. 1181 Pax Imolensibus & Bononiens. data. Secuta etiàm pax Constant. quâ Ecclesiæ & Lombardiæ totique adeo Italiæ quies fuit parta.

COMETÆ SÆCULI XIII.

An. Christi	1200. *Halus Ben Rodoan* Arabs vidit Juvenis Cometem, cujus pars solida triplo major Venere apparuit & rotundæ figuræ ejusque Lux, inquit, quantùm si quarta pars Lunæ luceret: ejus locus in Grad. 15 Scorpii, & movebatur motu primi mobilis ab Oriente in Occidentem, itàut velociùs ferretur C. S. S. donec pervenit ad Grad. 15 Virginis. Ità ipsemet in l. 2. Quadripartiti, & Cardanus accenset iis, ex quibus capilli quidam Sulphurulenti & fœtidi deciderunt.
Event. Trist.	Secuta est rebellio in Africa. Tartarorum quoque Imperium tunc exordia sua iniit.
Læti.	Pax inter Philippum Gallum & Joannem Anglum sancita, & matrimonio inter Ludovicum Regis Galliæ filium & Richardi recens defuncti Regis Angliæ filiam concluso firmata.
An. Christi	1202. Cometa in Scorpio apparuit. *Herlicius & Eckstorm.*
Event. Trist.	Otto IV Romanus Rex Goslarienses obsidione pressit. Philippus itidem Rex misit exercitum contrà Ottonem: vastavit Thuringiam, & in Urbe Erphurdensi à Landgravio Thuringiæ & Rege Bohemiæ obsessus vix evasit.
Læti.	Otto rem strenuè & prosperè gerens & jus legitimæ electionis contra Philippum vitio creatum defendens an. 1203 à Pontificio legato Augustum, ab hoc autem Primislaus Bohemus regium diadema inter solemnia gaudia accepit. Eodem anno Gallus Rothomachum, quæ Urbs cum Normannia ante an. 327 Gallis à Danis erepta, postero autem totam Normanniam, Andes, & Pictaviam suę ditionis molli Anglo rem negligentiùs curante fecit. Pax etiam in diversis Italiæ locis composita.
An. Christi	1211. Cometa ingentis magnitudinis in Polonia per 18 dies in mense Majo apparuit. *Funceius, Rockenb. Eckstormius Cromerus & alii.*
Event. Trist.	Incursio Tartar. secuta: mox enim à Tartaris victi Polovucii campestria ad Tanaim & Mæotidem paludem loca habitantes: Utraque porro Sarmatia multis bellis graviter afflicta est. Conradus Crispus filius Henrici Barbati Ducis Uratislaviensium etiam in pugnâ occubuit.
Læti.	Rex Castellanus hoc anno, quo Cometa apparuit, rem feliciter contra Mauros gessit. Lusitaniæ Regis filius Ferdin. Joannem Balduini olim Imp. filiam sibi & jure dotis Flandriam regno junxit. Pax inter Ferdinandum & Ducem Lotharingiæ secuta.

An. Christi	1214. Duo Cometæ aſpectu terribiles menſe Martio viſi ſunt; quorum alter præcedebat, alter ſequebatur Solem. *Hect. Boët.* Verùm *Chron. Hirſaug.* unius Cometæ meminit qui pridiè nonas Martii apparuit. *Ricciolus* autem duos admittit appariuſſe in Scoticâ, quorum unus manè Solem præceſſit, alter veſperi ſubſecutus eſt.
Event. Triſt.	Hoc anno inſignis prudentiâ & ſanctimoniâ Rex Scotiæ Wilhelmus Sterlini obiit. Alphonſus etiam IX. Henrico I. relicto ſuceſſore è vitâ deceſſit.
Læti.	Wilhelmi Filius Alexander turbidis temporibus, ut ſcribit *Buchananus*, imperium adeptus omnia prudentiùs, quàm pro ætate compoſuit.
An. Christi	1215. Cometa illuxit menſe Martio. *Calviſius, Berckringerus; Hiſtoria* tamen *Eccles. ad An. 1216.* refert.
Event. Triſt.	Secuta hyems ſæviſſima & glacies inſolita, ſed & varia bella & motus. Anglia bello civili ob aſperos Regis Joannis mores exorto arma bellica accerſivit & paulò poſt Regem amiſit ſtudiis Procerum inter Ludovicum Gallum & Joannis filium impuberem: Henricum illum electum hunc natum Regem diſtracta. Verum Henrico legitimo ſucceſſori juſtè Victori diadema ceſſit.
Læti.	Fridericus Imper. Aquiſgrani auguſto diademate â Legato Pontificio contrà electum ejus Ottonem, & jus ſuum ac Reip. vindicantem inſignitus eſt. Hic idem annus publico gaudio Colonienſibus ad pacem & ſubjectionem reductis, & inter feſtivas gratulationes, excepto ab eis Friderico celebris fuit.
An. Christi	1217. In autumno poſt Solis occaſum Cometa in parte Auſtrali apparuit. *Eckſtorm. Hiſt. Eccleſ. Urſpergenſis & Schedelius.*
Event. Triſt.	Henricus Imp. Conſtantinopolitanus ſine hærede: Et Innocentius III. Pont. Rom. mortui. Secuta quoque Mors Ottonis Imperatoris.
Læti.	Eodem anno Hollandi & Friſii memorabili victoriâ de Saracenis in Lithuaniâ obtenta, & caſtro Salaciâ expugnato, feſſis Chriſtianorum rebus feliciter ſubvenerunt. Annus ſequens 1218. Nativitate Rudolphi Comitis Habsburgenſis, qui poſteà Romanum Imperium cum magna nominis ſui gloriâ tenuit & ſereniſſimæ, ac omnium Europæarum Clariſſimæ Domûs Auſtriacæ tot Imperia & regna poſſidentis maximè felix conditor extitit, clarus fuit.
An. Christi	1219. In Anglia Cometes apparuit immenſæ magnitudinis. *Eckſtorm.*
Event. Triſt.	Secuti ſunt imbres continui, vehementiſſimi ventorum flatus, mare ſolito latius egreſſum eſt.
Læti.	Natales D. Bonaventuræ, qui Doctor Seraphicus, & S. Thomæ Aquinatis, qui Doctor Angelicus meritò appellatus. An. 1221. Fridericus Imp. rem proſperè contrà rebelles, tum & hoſtes Saracenos in Apuliâ, & Siciliâ geſſit.
An. Christi	1222. Stella crinita cum variis aliis prodigiis viſa eſt. *Sigonius & Eraſmus Bartholinus.* Anno 1223. Cometa terribilis per totam Franciam apparuit. *Rockenbachius, Alſtedius, Hiſtor. Eccleſ. & Eckſtormius.*
Event. Triſt.	Waldemarus Daniæ Rex ab Henrico Comite Suerini per inſidias captus. Damiata millitum oſcitantiâ denuò amiſſa.
Læti.	Hermannus de Sultzâ Ordinis Teutonici Magiſter primus ſacræ domûs vexilla in Pruſſiam hoc anno victor traduxit. Poſterò Fridericus Imp. cum Ludovico VIII. Rege Galliæ Philippi ſucceſſore fœdus ſanxit fraternâ ſocietate inter Germanos & Gallos renovatâ. In Anglia diſſidio inter Regem & Proceres ſublato res quietæ extiterunt. Ferdinandus Rex Caſtellæ contrà Mauros hoc & ſeq. anno rem proſperè geſſit. An. 1222. pax etiàm inter Bononienſes, Faventinos & Imolenſes firmata, Mediolanenſi Civitate diviſâ. Tunc & Fridericus Imp. filium Henricum Regem Romanorum creavit, & diademate inſigniri juſſit.
An. Christi	1230. Cometes viſus eſt. *Dubravius.*
Event. Triſt.	Inundatio in Friſiâ ſecuta. Terræ motus in Bohemiâ. Item mors Ludovici Boi & S. Eliſabethæ.
Læti.	Eodem A. 1230. Rex Legionis contrà Mauros rem proſperè geſſit, ſed & Regi Aragoniæ hic annus contrà Saracenos, inſulâ Majoricâ recuperatâ, felix & lætus extitit. An. 1232. pax inter Moguntinum & Heſſum compoſita; & vinum crevit optimum.
An. Christi	1238. Stella immenſæ magnitudinis apparuit per aliquot dies antè Solis ortum, quæ per longum Cœli tractum veloci, crebroque curſu modo ignem præſeferens, modò fumum poſt ſe relinquens ferebatur. *Eckſtormius ex Polyd. item Hiſtor. Eccleſiaſt.* Hujus quoque ſtellæ ſuprà inter novas mentio facta eſt.

Event. Trist.	Secuta pestilentia, tum & varii motus, qui Germaniam & Italiam bello inter Imperatorem & Pontificem Romanum vigente miserè afflixerunt.
Læti.	Ortus Edovardus III. ut *Polydorus* ait: *Quo sanè ostento futura Edovardi Patris amplitudo, ac Edovardi filii, quem posteà genuit, exiguitas, vanitasque velut ex oraculo quodam pronuntiata dicitur.* Deindè Valentia eodem anno à Jacobo Aragoniæ Rege per deditionem accepta, provinciaque Murciæ usque ad novam Carthaginem adepta. Sequenti anno Sardinia per Fridericum Saracenis erepta.
An. Christi	1240. Cometes in Oriente apparuit ad Polum Septentrionalem, & vix intrà sex menses extinctus est. *Rockenbachius, Alstedius, Riccolus.*
Event. Trist.	Sequenti anno Tartari in Poloniam magno exercitu incursione factâ igne & cæde omnia impleverut: Posteà per Moraviam Ungariam ingressi, eam tribus annis miserè afflixerunt. In Burgundiâ quoque accidit terribilis motus terræ, qui duos montes loco movit & multos homines oppressit.
Læti.	Fridericus Imp. quinque exercitibus armatus rem prosperè gessit. Pax etiam deditâ Ferrariâ exorta.
An. Christi	1241. Sub hujus anni initium apparuit Cometes diro aspectu per 30. ferè continuos dies. *Polydorus, Hist. Eccef. & Eckstormius.*
Event. Trist.	Eodem anno Isabella Friderici Imperatoris Uxor, eademque Henrici Soror è vivis migravit. Obiit quoque Gregorius IX. Pontifex M. Poloniam tunc, ut & Silesiam ac Hungariam sævitia Tartarorum miserè laceravit.
Læti.	Wallia à Rege Angliæ Henrico in potestatem redacta. Imperator magnam clementiam precantibus rebellibus pro solius vitæ condonatione Faventinis exhibuit. Idem tunc rem pro tuendâ Imperatoria Majestate prosperè gessit, belli & pacis artibus præstans universa Romaniola sui juris facta.
n. Christi	1254. Cometa per aliquot menses in Germaniâ visus est. *Rockenbachius, Alstedius & Ricciolus.*
Event. Trist.	Horribiles secuti sunt venti, qui sylvas, casas, domos & arbores everterunt, mortalibusque universis & pecoribus maxima detrimenta attulerunt. Ad montem quoque Attinum collatis signis Florentinorum & Pisanorum certatum est graviter.
Læti.	Initum fœdus inter 60. ferè civitates ad Rhenum, paci & libertati tuendæ deditas. Item pax inter Hungaros & Bohemos, tum & inter Regem Angliæ & Aquitanos facta.
n. Christi	1255. Cometa immensæ magnitudinis in Anglia apparuit. *Rockenbach. Eckstormius, Hist. Eccles.*
Event. Trist.	Hoc anno occisus est Wilhelmus Imperator: Mortuus & Gualterus Antistes Eboracensis Vir magnâ virtute præditus, qui per 40. annos provinciam illam pontificialem obtinuit. Genuenses juncti Pisanis armata classe Venetias obsederunt, illorumque naves, & littora deprædati sunt.
Læti.	Manfredus in Regem Apuliæ & Siciliæ consecratus. Christianæ Religionis apud Borussos infideles per cruciferos & Bohemos propagatio, ac Regii montis ab Ottocaro Bohemiæ rege fundati natalis.
An. Christi	1256. Cometa apparuit. *Eckstormius. Hist. Eccles.*
Event. Trist.	Obsidio Urbis Asseburgensis accerrima, quæ toto triennio duravit, ejusque expugnatio per Albertum Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem. Archi Episcopus Moguntinus & Theodoricus Comes Eebersteinensis terram Gottingensem infestantes capti, & ad Ducem perducti pœnas persolverunt. Germaniam interregni à morte Friderici II. usquè ad electionem Rudolphi Comitis Habsburgensis 22. ampliùs annis durantis incommoda secuta inquietarunt; Italiam verò Guelphorum & Gibellinorum factiones, tùm & Pontificis Rom. cùm Manfredo de Siciliæ successione certamina graviter concusserunt.
Læti.	Albertus Princeps Brunsuicensis non minùs belli quàm pacis studiis inclitus inclaruit, atque non tantùm Thuringiam, sed & Holsatiam, & vicinas terras armorum famâ implevit. Anno 1257. popularis Resp. Mediolani est instituta. Insignis porrò hic annus fuit, judice *Sigonio*, Urbe Patavinâ ex manibus Icilini mirabili felicitate extorta.
An. Christi	1264. Cometa insignis magnitudinis Orientem versus illuxit comam per medium Cœlum projiciens in occiduum Cardinem & per integros tres menses visus est. *Eckstorm. ex variis Annalibus & Chronicis.*
Event. Trist.	Hoc Cometâ primùm apparente Urbanus IV. Pont. Rom. infirmari cæpit, & eâdem nocte, quâ Papa obiit, Cometam quoque disparuisse dicitur. Bondogodar Soltanus Christianis in Syriâ bella intulit. Cæpit etiam grassari pestilentia, quâ homines, & animalia in magnâ copia perierunt.

Russo-

	Russorum quoque in Poloniam magna irruptio facta est. Cruciferi fortunâ adversâ in Prussiâ utentes à Barbaris deleti sunt. Massovia à Lithuanis & Borussis devastata.
Læti.	Carolus cum exercitu è Galliis bellum Manfredo Regi Siciliæ movit, quo victo Regnum Neapolitanum occupavit. Biennio post Pœni Hispaniam invadentes fugati, ac cæsi sunt.
An. Christi	1267. die 18. Jul. orta est Stella in ortu Solis pulchra & magna propè Lunam, quę magno impetu progressa à Lunâ versùs Orientem ad medietatem hemisphęrii reliquit post se comam seu nubem albam incensam, quæ pariter esse defecerunt. *Annal. Colmar.*
Event. Trist.	Banducar Babyloniorum atque Assyriorum Rex Armeniam magno cum exercitu invasit, Antiochiam expugnavit, stragemque Christianorum maximam edidit.
Lęti.	Hoc anno Poloni victoriam memorabilem de Tartaris & Russis reportarunt. Post turbas varias, & jurgia, quæ diversas Italiæ civitates exercuerant, pax tandem læta Bononiæ composita fuit.
An Christi	1268. Cometes admirandæ magnitudinis sub meridiem (magno utique miraculo ostenti) pluribus diebus visus est in Scotiâ. *Ricciolus ex Cardano, Boëtius, Eckstorm. ex Onuphrio.* At *Historia Eccles.* huncCometam in an. *1269* refert.
Event. Trist.	Clades ingentes in Scotiâ à ventis ortæ. An. 1268 Conradus ille Major præeunte fideli Achate Friderico Austriæ Duce, magnæ Spei principe vitali aurâ privatus est. Hunc paulò post eodem anno secutus est Clemens Pont. Rom. Christianorum quoque res in Palæstinâ amissâ Joppe & Antiochia improsperæ fuerunt. A. 1270 S. Ludovicus IX Rex Galliæ captâ Carthagine peste consumptus est.
Læti.	Eodem die quo Ludovicus obiit Carolus frater ejus Rex Siciliæ validam classem feliciter ad littora Africæ appellens barbaros ad pacem petendam coëgit. An. 1270 pax inter Coloniensem Præsulem & cives inita. Eodem anno fœdus inter Principes Germaniæ stabiliendæ publicæ securitati conclusa.
An. Christi	1273. Mense Julio & Augusto Stella quædam apparuit, quæ à se miræ magnitudinis radios emisit. Hanc Stellam dixerunt esse Cometam. *Chron. August.* sed nos etiam suprà inter Stellas novas incomatas retulimus.
Event. Læti.	Hanc Stellam læta varia consecuta sunt, potissimùm Illustrissimæ Domui Austriacæ, ut ejus eximiæ felicitati præluxisse, & eandem præsignificâsse meritò dici queat. Idem enim annus 1273 electione Rudolphi Austriacæ Familiæ Conditoris felicissimi in Imperatorem clarissimus extitit. Initia Imperii ejus pace partâ meliori facie rebus restitutâ, fertilitate terræ, paulò post victoriis de Ottocaro Rege Bohemiæ arrogante obtentis, ac partâ Austriâ, tùm nuptiis filiarum ejus Mechtildis quidem Ludovico Electore Palatino; Annæ verò (vel ut alii Agnetis) cum Alberto II Saxoniæ Electore nobilitata fuerunt. Ludovicus deindè intrà annum ex Mechtilde Uxore suscepit filium Rudolphum, à quo Palatinorum ad Rhenum genus in hunc usque diem propagatur.
An. Christi	1282. Cometa apparuit. *Sifardus.*
Event. Trist.	Secutæ Vesperæ Siculæ, quæ octies mille Gallos in illâ Insulâ duabus horis ad profundam noctem miserunt. An tamen hæ antè, vel post Cometam acciderint, nescire se dicit *Lubienicius.* Eodem tempore apud Forum Livii Galli cæsi. Secuta etiàm mors Michaëlis Palæologi Imperatoris Græci, Alfonsi illius Sapientis Regis clarissimi & Hugonis Cypri Regis.
Læti.	Hic ipse annus auspiciis Imperii Petri Aragonii in Siciliâ, Alberti Rudolphi Imperatoris Filii in Austriâ, alterius filii Friderici in Sueviâ lætus fuit. Rursùs & Victoriâ Lesci Nigri Principis Poloniæ de Lituanis & Jazigibus obtenta, sed & lætâ aëris temperie, lætoque rerum proventu memorabilis. Annus quoque proximus Victoriâ Florentii Comitis Hollandiæ de Frisiis, sequens autem Petri Aragonii de Gallis & Saracenis celebris extitit.
An. Christi	1285. Cometa insignis magnitudinis apparuit. *Rockenb.*
Event. Trist.	Hoc eodem anno Carolus Rex Siciliæ, Philippus Galliæ fratris ejus filius, & utriusque hostis Petrus *Aragonius*, *Alexander* Rex Scotiæ; tum Martinus IV Pont. Rom. & Ludovicus Elector Palatinus è vivis excesserunt. Pisani deindè navali prælio à Genuensibus victi 50 triremes, & 12000 virorum amiserunt. In Italiâ quoque gravissimus terræ motus per aliquot dies durans multa ædificia ad terram usque prostravit.

Læti.

Læti.	Eodem anno quo Cometes luxit Wenceslaus Judicham Rudolphi Imp. filiam Uxorem & diadema regium accepit. Indè à Cæsare præter plura alia eidem Regi Bohemiæ collatum, ut Electoribus Imperii adnumeraretur, quod deinde jus in Successores translatum, illudque Reges Bohemiæ in hunc usque diem obtinent.
An. Christi	1286. Cometa apparuit, qui comam Occidentem versùs direxit. *Eckstormius ex variis.*
Event. Trist.	Mortuo paulò pòst Lesco Poloniæ Principe Resp. miserè in partes scissa & dilacerata fuit.
Læti.	Idem annus, quo Cometa apparuit Philippo Pulchro Galliæ, Jacobo Siciliæ, Alfonso Aragoniæ Regni læta auspicia, Martini quoque Pontificis Rom. locum Honorio V, Ludovici Palatini Rudolpho filio implente dedit. Idem rursus annus Henrico Regi Cypri auspicatus fuit; acceptâ enim per deditionem Ptolemaide Rex Hierosolymitanus Tyri salutatus est.
An. Christi	1293. In æstate visus est Cometes. *Ricciolus.*
Event. Trist.	Hoc anno Albertus contra Adolphum Nassovium Imperat. exercitum eduxit, eumque continuis armis lacessivit & damnis affecit.
Læti.	Sub idem tempus Rudolphus Ludovici Palatini filius Mathildem Adolphi Imperatoris filiam Uxorem, Premislaus majoris Poloniæ, & paulò post antè hæreditate ad se devolutæ Pomeraniæ principatum regendum & Regiam dignitatem ducentis annis intermissam recepit.
An. Christi	1298. Cometes miræ magnitudinis ac vagus apparuit. *Simoneta lib. 6. cap. 14. Eckstormius, Rockenbachius, Ricciolus, Platina, Bucholzerus & Alstedius.*
Event. Trist.	Scoti Duce Villaceo ad libertatem aspirantes Anglos ex Scotiâ depulerunt, castraque & oppida ab eis acceperunt. Judæi plurimi Noribergæ & in Franciâ Orientali gladio & igne extincti. Hoc eodem anno Albertus Austriæ Dux in prælio occidit Adolphum Imp. cujus deindè in locum electus est.
Læti.	Ille annus qui Cometam exhibuit, etiàm pacem inter Philippum Galliæ, & Edovardum Angliæ Reges, Aquitaniam Anglo, Margaretham Philippi Sororem Edovardo sponsam, eidemque insignem de Scotis, ut & Alberto Austrio de Adolpho victoriam attulit.
An. Christi	1299. Cometa mirabilis visus est. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Calend. Decemb. vehemens ventus ædificia plurima evertit. Legatio Alberti à Bonifacio VIII rejecta.
Læti.	Eodem anno Rudolphus Alberti Imp. filius Regis Galliæ Sororem in Conjugem accepit. Tunc etiam Joannes Baliolus Scotiæ Rex ab Anglo captus, libertati restitutus est.

COMETÆ SÆCULI XIV.

An. Christi	1300. Horribilis Cometa apparuit. *Eckstorm. & Rockenb.*
Event. Trist.	Hunc varii tumultus in Galliâ secuti sunt. Apud Belgas opifices & infimæ conditionis homines à Francis defecerunt, Dominique Provinciæ facti sunt, magnasque Regis Francorum copias superârunt, & crudeliter interfecerunt.
Læti.	Albertus Imper. diffidentium à se quorundam Procerum animos sibi conciliavit, & pacem Germaniæ restituit.
An. Christi	1301. Cometes in Scorpio ut *Fabricius*; in Aquario, *ut alii*; in Piscibus ut *Rockenbachius*, per 15 noctes circà festum Michaelis, vel ut alii, Cal. Decembr. & antè Nativitatem Domini apparuit. *Trithemius, Pistorius, Rockenbachius, Alstedius, Ricciolus.* Verùm *Bartholinus* scribit reliquis Stellis majorem apparuisse, & caudam habuisse deorsum tendentem, motumque fuisse motu inverso ab Oriente videlicet in Aquilonem. Porrò in Meridionali Islandia visum esse ab ingressu hyemis usque ad mediam hyemem. Bergis in Norvegia ante festum Bacchanaliorum. Romæ verò ante festum Paschæ comparuisse. *Lubieniecius* fide Annalium Islandicorum, & aliarum Observationum Cometam hunc plusquàm Semestri tempore perdurâsse notat.
Event. Trist.	Secuti sunt turbines Ventorum, qui ædificia multa destruxerunt; aquarum inundationes & alia mala. Eodem Anno Episcopus Trevirensis in bello occisus. Ottomannus I. Imperium Turcicum est auspicatus.
Læti.	Eodem anno Serenitas aëris tanta fuit secuta, ut calor insolitus in ipso mense Januario arbores frondescere & virescere fecerit.

An. Christi	1302. Cometa apparuit. *Wernerus, Rolewinckius in fasc. Temp.*
Event. Trist.	Bellum Flandrense, ubi cecidit flos militiæ Gallicanæ. Terræ motus ingens Italiam horrendè concussit.
Læti.	Hic annus illa memorabili ad Cortracum Victoria die 11 Julii adeptâ, qua Flandri 12000 hostem temerè temnentium ceciderunt, inclaruit. Idem annus unius Scotorum exercitûs victoria de tribus Anglicanis exercitibus obtenta, tum pace etiàm inter Gallos & Fridericum Siciliæ Regem initâ clarus effulsit. Pax item conclusa inter Regem Roman. Albertum & Archi-Episcopos Moguntinum, Trevirensem, & Coloniensem.
An. Christi	1303. Cometa ut columna ignea descendens apparuit. *Ricciolus, Keckermannus, Lavaterus.*
Event. Læti.	Bonifacius VIII Pontifex Romanorum auxilio Regis Francorum Philippi à Sarra Columniensi Anagniæ captus & in carcerem conjectus; indè tamen tertiâ post die à civibus Anagniensibus denuò liberatus.
Læti.	Galli & Flandri belli mala perosi inducias pepegerunt, & Guido Comes libertati restitutus est.
An. Christi	1304. Cometa per tres menses versùs Septentrionem visus est *Rockenbachius.*
Event. Trist.	Bella sæva inter Flandros, Gallos, & Hollandos orta. Mortuus & Bonifacius Pontifex Roman. Joannes Comes Hollandiæ prælætitiâ etiam mortuus ob auditam Victoriam navalem à Filio cum maximâ prædâ obtentam.
Leti.	Edoardus Anglorum Rex IV Scotiam subegit. In locum Bonifacii Benedictus XI successit, qui Philippum pulchrum Regem Galliæ à Prædecessore excommunicatum absolvit. Eodem anno Hollandi contra Flandros aggressores rem prosperè egerunt. Imò Wilhelmus Joannis Comitis Hollandiæ filius classis Gallicæ auxilio succinctus gravissimo prælio invasores vicit 10000 cæsis & mille navibus cum ingenti prædâ captis. Joannes præ nimiâ lætitiâ conceptâ exanimatus ruit.
An. Christi	1305. Cometa horrendæ magnitudinis in septimana Passionis Christi apparuit. *Rockenb. Funccius, Eckstormius, Ricciolus & alii.*
Event. Trist.	Secuta pestilentia sævissima per totum ferè orbem terrarum. Seditiones item plurimæ in Italiâ & Thuringia subortæ. Marchio Theodoricus Lipsiæ in templo D. Thomæ interfectus est. Sedes Pontificia in Galliam translata, ubi Avenione 74 annis mansit.
Læti.	Pax in Flandria sancita. Edouardus Walliæ Princeps memorabilem de Scotis Victoriam anno postero retulit, qui paulò antè Robertio Bruffio diadema Regium imposuerant.
An. Christi	1307. Cometa apparuit. *Alstedius.*
Event. Trist.	Dicemannus Marchio Misniæ & Thuringiæ hoc anno, & Albertus Imper. sequenti: item Edouardus Rex atque alii Principes è medio sublati. Bella quoque & cædes non paucæ diversis locis exortæ.
Læti.	Henricus Lützelburgicus in Imperatorem electus. Clemens V. Venetos, Ferdinandus Rex Castellæ Granatenses vicit.
An. Christi	1312. Per 14 dies visus est Cometa à Septentrione versùs Meridiem juxtà motum Martis cursum dirigens. *Funccius, Rockenb. Eckstormius, Fabricius, Alstedius, Ricciolus.*
Event. Trist.	Bellum in Italia secutum, ubi Florentia ab Henrico Imp. obsessa. Secutus etiam morbus pestilens, pecoribus & hominibus infestus unà cum ingenti annonæ caritate.
Læti.	Henricus diademate Pisis & mox Romæ insignitus & tres Reges Pisis fecit.
An. Chtisti	1313. Cometa à Septentrione versus Meridiem procurrens per 4 menses visus est. *Eckstorm. Ricciolus, Schorrerus.*
Event. Trist.	Henricus Imp. veneno extinctus. Secuta est etiam magna fames & pestis precipuè ad Rhenum.
Læti.	Annus iste Edouardi III. natali induciis Flandricis, & pace Erfurtanâ lætus & memorabilis extitit.
An. Christi	1314. Cometa in ultima parte Virginis per 3 menses apparuit. *Rockenb. Eckstormius, Ricciolus, Sifardus, Buntingus.*
Event. Trist.	Hunc Cometam bellum civile inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum suffragiis Electorum dissentientibus, deque imperio per 8 annos certantibus secutum est. Obiit etiam Clemens Pont. M.
Læti.	Victoria memorabilis de Anglis à Rege Scotorum parta, tam utilis, quàm læta.

An. Christi	1315. Cometa mense Decembri circà nativitatem apparuit, qui circà polum se volvens caudam in diversas orbis partes, scilicet in Orientem, Occidentem, & Septentrionem extendit, duravitque usque ad finem Februarii, ubi paulò post alius exortus est. *Calvisius, Keckermannus, Buntingus, Eckstormius, Chron. Bel.*
Event. Trist.	Secuta imprimis ingens copia imbrium, & pluviarum, quæ à mense Majo per integrum ferè annum duravit. Deindè subsecuta maxima caritas & pestis sævissima.
Læti.	Hic ipse annus clarus fuit victoriâ geminâ Helvetiorum mox ad initium eorum Reipublicæ, & pace Erfurtensi.
An. Christi	1318. Cometa in Cancro apparuit. *Herlicius & Eckstormius.*
Event. Trist.	Hoc anno obiit Henricus Princeps & Dux Brunsuicensis & Luneburgensis. An. 1322 Mortuus Philippus Longus Rex Galliæ.
Læti.	Anno proximo Pisani maximam Victoriam de Guelphis obtinuerunt. Postero Uladislaus Lokiethus diademate coronatus est. Rex Galliæ Philippus Longus cum Flandris pacem percussit: at anno 1322. eidem mortuo Carolus Pulcher successit.
An. Christi	1337. Dirus Cometa in signo Tauri per 4 menses & ampliùs duravit: Cui deindè accessit alter, qui unà cum illo mensibus Junio, Julio & Augusto fulsit. *Ricciolus, Rockenbachius, Buntingus, Alstedius, Funccius, Calvisius, & alii.* Verùm *Lubieniecius* scribit, cùm hi Cometæ uno anno apparuerint, & vicinissimi fuerint, vixque prior alterum unius mensis spatio præcesserit, quod non temerè quis suspicari possit, unum eundemque Cometam fuisse, qui octo mensibus durârit.
Event. Trist.	Secutæ clades bellorum multæ, ac vis mira & fæva locustarum. Item pestis Norimbergæ. Rotwila imperialis civitas fulmine incensa, ac miserè devastata, licet tantùm 60 homines cœlesti flamma consumpti sint.
Læti.	Victoria Alfonsi Castellani de Alfonso Lusitano obtenta. Silesiæ Principes Joanni Regi Bohemiæ se submiserunt. Pax inter Anglos & Gallos sancita; item inter Uladislaum Lokiethum Polonię & Joannem Bohemiæ Regem.
An. Christi	1338. Cum Sol propemodum ad solstitium æstivum pervenisset, vesperi statim post Solis occasum Stella barbata gladio similis apparuit. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Eodem anno secutus fuit obitus Andronici Junioris Imperatoris Orientis.
Læti.	Hic annus Victoriis Andronici Imp. quas de Turcis, Ætolis & Acarnanibus in suam ditionem redactis cum divite prædâ reportavit, insignis & lætus fuit. Tunc quoque Anglus, quod Gallus prælii copiam facere nollet, Victori similis Liliorum insigni & Franciæ titulo assumpto in Angliam transfretavit.
An. Christi	1339. Cometa effulsit. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Magna Romanæ curiæ Arrogantia, adversus quam, pro tuendâ Imperatoris & Imperii Majestate, multa in Conventibus tractata & conclusa.
Læti.	Reinhaldus Comes Geldriæ, & Wilhelmus Comes Julia censis Marchionibus annumerati. Secuta etiàm bina Victoria Hispanorum de Mauris invasoribus.
An. Christi	1340. Cometa ensiformis Sole in Arietem ingresso à Spicâ Virginis cursu suo die ac nocte 5 Grad. conficiens, & tandèm in Leone desinens apparuit. *Fabricius, Rockenbachius, Eckstormius, Bonfinius, Trithemius, Chron. Belgic.*
Event. Trist.	Hunc crudele bellum inter Francos & Anglos secutum, ac Rex Galliæ Edovardus 24 Junii pugnâ Gallos vicit, & naves eorum aut cepit, aut fregit. Memorantur etiam 10000 Francorum trucidata. In Hetruriâ & imprimis Florentiæ pestilentia magna desæviit, quà 16000 hominum absumpta fuerunt.
Læti.	Memorabilis Victoria Edouardi III. quam de Philippo illo Valesio ad Clusas retulit. Alternans etiam Victoria inter Hispanos & Mauros.
An. Christi	1341. Cometa in libra visus prope Spicam Virginis, cumque ad Leonem pervenisset, evanuit.
Event. Trist.	Andronicus Imperat. ex splenis tumore mortuus. Pestis etiam ac fames immaniter grassata. Seq. anno 1342 defunctus Carolus Hungariæ, & Robertus Siciliæ Rex. Eodem anno Leodiense bellum secutum, tùm verò etiàm horrenda tempestas, Mœnique exundatio.

Læti.

Læti.	Ludovicus renuntiato Hungariæ Poloniæ regnum iniit. Proximo Andreas Rex Neapolitanus diademate insignitus. Anno 1343 pax Casimiri cum Cruciferis inita. Item pax inter Polonos & Silesios restituta.
An. Christi	1345. Arsit Cometa. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Ludovicus Bavarus Imp. à Pontifice excommunicatus. Guilhelmes præpotens Hannoniæ, Hollandiæ aliarumque terrarum Comes prole orbus vitam exuit. Seditio Antverpiæ erupit, quæ ex ambitione Edovardi Regis Angliæ, dum Ludovico Comiti Flandriam eripere tentavit, exorta est. Bellum etiàm sævum inter Anglos & Gallos ortum, in quo & Joannes Caroli IV Regis Roman. pater, ac plures alii obiêrunt.
Læti.	Victoria omnium famosissima Anglorum de Gallis cæsis ad Cresciacum obtenta, ubi Principes undecim inter quos duo Reges Bohemiæ, & Balearidum, & quatuor Episcopi, octoginta Barones, mille ducenti Equites & tricesies mille pedites occubuerunt.
An. Christi	1347. Mense Augusto in signo Tauri versus Septentrionem ingens Cometes visus est. *Rockenbachius, Eckstormius, Ricciolus.*
Event. Trist.	Eodem anno obiêrunt Andreas Rex Apuliæ, & Ludovicus Imper. equo excussus. Secuta etiam fames valida in totâ ferè Europâ, sed præcipuè in Italia, & an. seq. pestis ab Asia usq; ad Britanniam, quę triennalis fuisse & maximam partem mortalium abstulisse, superasseque omnes post hominum memoriam lues & morbos dicitur.
Læti.	Eodem mense quo Cometes luxit Anglus Urbe Caleto in portu Gissoria co potitus, pactis paulò postcum Gallo induciis & re præclarè gestâ in Angliam trajecit. Pax etiam Imperio reddita confirmato Carolo Imperatore.
An. Christi	1351. Mense Decembri ad Septentrionem Cometes apparuit, quo extincto graves ventorum æstus secuti sunt, & cœlestis trabs in priori parte ardens per cœlum labi visa est. *Trithemius, Alstedius, & Chron. Belg.* Verùm *Rockenbachius, Eckstormius & Ricciolus* ad annum 1352 referunt.
Event. Trist.	Secuti sunt venti vehementes & magna siccitas. Tartari etiàm & Ruteni in Poloniam irruperunt & omnia devastârunt. Mortuus item Clemens VI Pont. Rom.
Læti.	Inter alia ab anno 1351 bello & pace parta sunt quoque induciæ duorum annorum ab Edovardo III Rege Angliæ cum Joannę Rege Galliæ rebus adversis pactæ & Ordinis Garterii, sive aurei periscelidis institutio.
An. Christi	1353. Cometa apparuit. *Ricciolus & Alstedius.*
Event. Trist.	Secuta est siccitas magna & incendia variis in locis à fulmine orta. Locustæ in Africà, Asiâ Cypro & alibi terrarum omne viride depastæ fuerunt. Henricus Archi-Episcopus Moguntinus obiit. Seditio quoque Norimbergę exarsit pulso Senatu, sed mox auctoritate Caroli Imp. restituto. Insuper Rex Galliæ Joannes Carolum Navarræ Regem & Carolum Normanniæ Ducem in convivio cepit.
Læti.	Lætissimo rerum omnium proventu terra abundavit. Victoria Venetorum de Genuensibus secuta, sed mox Genuenses de Venetis victoriam retulerunt. Carolus corona ferreâ Italici Regni Insigni Mediolani, postero verò aureâ Romæ unà cum Uxore decoratus. Anglorum nova & propè illâ Cresciacensi major victoria in Pictonibus Rege Galliæ cum Philippo, 17 Comitibus, 1700 nobilibus capto obtenta.
An. Christi	1362. *Apparuit* Cometa caudam suam versùs ortum protendens. *Eckstormius & Fabricius.*
Event. Trist.	Secuta in regno Poloniæ magna annonæ caritas. Petrus Castellæ Rex, licet à Mauris clade affectus, fœdus tamen cum Rege Granatæ fecit. Hunc ille nihilominus ex insidiis peremit.
Læti.	Hoc anno Adolphus Comes Marcanus Comitis Cliviæ dignitate auctus est.
An. Christi	1363. Cometa immensæ magnitudinis per tres integros menses ab Oriente apparuit. *Rockenb. Ricciolus & Alstedius.*
Event. Trist.	Bella & Seditiones plurimæ in Italiâ, Galliâ, & Angliâ secutæ. Fames etiam & pestis in Germania. Innocentius VI Pont. Rom. & Joannes Rex Galliæ hoc anno mortui. Amurates Imp. Turcicus ejus nominis I. multas in Europâ ditiones subegit.
Læti.	Hoc anno Albertus II Dux Mechelburgicus Rex Sueciæ electus. Philippus à Joanne Rege Galliæ patre Dux Burgundiæ creatus, ut illa

	ditio ultimum ex posteritate Roberti, qui nepos Hugonis Capeti erat, & primum ex Valesiis, qui etiam primum Regem Philippum hujus avum Galliæ dederunt, haberet Philippum. Proximo Carolus V Joanne Londini mortuo felicia Regni auspicia fecit.
An. Christi	1365. Cometes per plures dies apparuit inter Occidenten & Septentrionem. *Polydorus.*
Event. Trist.	Secuta fames & pestis. Mortuus Rudolphus Archidux Austriæ.
Læti.	Carolus Rex Galliæ Sapientiæ & pacis artibus Regnum feliciter condidit.
An. Christi	1368. In Quadragesimâ Cometa apparuit. *Tritbemius.*
Event. Trist.	Obiit Petrus Rex Portugalliæ. Guilhelmus Dux ille ultimus Lunæbergensis, Eberhardus Comes Wirtenbergensis. Sequens annus etiam aliquot Principum funera extulit: Undè Casimiro Piastadarum ultimo Ludovicus Hungarus Princeps ille laudatissimus, Davidi apud Scotos Robertus Stunitus, Rudolpho apud Saxones Wenceslaus frater, Urbano V. Romæ Gregorius XI. successit.
Læti.	Pax inter Landgravios Thuringiæ & Erfurtenses, inter Pisanos & Florentinos, denique inter Cæsarem & Burnabavem conciliata. Natalis Sigismundi Imper. ac Caroli VI. Regis Galliæ.
An. Christi	1375. Cometa visus est. *Rockenbachius & Ricciolus.*
Event. Trist.	Secuta mors Caroli IV. item fames in Italiâ maxima. Urbes etiàm à Pontifice defecerunt. Seditio Cracoviæ maxima orta fuit, in quâ 160. Nobiles perierunt. Bella in Thuringiâ maxima secuta. Erphordia obsessa.
Læti.	Eodem anno Carolus pacem Moguntino cum Spirensi composuit. Margaretha Regina eum filio Olao Regnum Daniæ auspicata, illudque cum Regno Norvegiæ conjunxit. An. 1378 Carolus Imp. Wenceslaum Cæsarem creari prece, pretioque fecit.
An. Christi	1379 & 1380. duo Cometæ fulserunt. Verùm *Rockenb.* tantùm unius meminit ad an. 1380 in Aquario per tres menses visi. *Lubieniecius* etiàm putat unum fuisse, qui in fine præcedentis anni, & initio subsequentis anni visus sit.
Event. Trist.	Bellum inter Archi-Episcopum Coloniensem & Comitem Clevensem secutum. Pestis item sævissima per Germaniam grassata. Bellum insuper intestinum inter Archi-Episcopum Moguntinum & Electorem Palatinum Rheni ortum.
Lęti.	Clarus hic annus fuit Victoriâ Joannis Castellæ Regis à Ferdinando Lusitano & Comitis Flandriæ à Gandaviensibus rebellibus armis lacessiti; Tum etiam pax inter Venetos & Genuenses ad Fossam Clodiam; ut & inter hos & Ludovicum Hungarum composita.
An. Christi	1382. per 14 dies flagrans Cometa apparuit. *Rockenb. Eckstormius, Alstedius, Fabricius, & Sifardus.*
Event. Trist.	Hunc Cometam tanta aeris tranquillitas secuta est, ut ventus nullibi sentiretur: inde quoque itá cœpit aër putrescere, ut pestis sævissima secuta sit non tantum per Germaniam sed totum ferè mundum. Gandavienses quoque bellum intulerunt civitati Bruck in Flandriâ sitæ, tuncque in pugna 72000 hominum interfecta sunt. Bosnia item, Croatia & Illyria à Turcâ devastatæ sunt.
Læti.	Anno proximo Pax Wormatiæ composita, & tanta vini copia provenit, ut tempore Vindemiarum præ ubertate vasa defecerint, venditumque sit plaustrum vini pro uno floreno.
An. Christi	1390. Cometa fulsit. *Alstedius.*
Event. Trist.	Obiêrunt Robertus Scotiæ & Joannes Castellæ Reges. Secuti quoque inauditi & innumerabiles morbi.
Læti.	Novi orbis Pars borealis, quæ versùs Groënlandiam, Islandiam & Frislandiam Insulas extenditur, feliciter detecta. Adversus Saracenos in Africâ res feliciter gestæ datâ multis Christianis libertate. Pax item inter Austriacum & Helvetios, tùm inter Venetos & Genuenses composita.
An. Christi	1391. Vesperi Cometa apparuit formam veru referens, comâ & radiis sursùm, capite verò deorsùm tendens. *Rockenb. & Ricciolus.* Verùm *Keckermannus & Alstedius* hunc Cometam in an. 1394 ponunt. Trithemius eum ad an. 1395 memorat.
Event. Trist.	Joannis Aragoniæ & Lusitaniæ Regis equo excussi acerba mors. An. 1391. terrę motus maximus Helvetiam concussit. Secuta deindè clades maxima Sigismundo Hungarię Regi & Gallis à Turcis illata.
Læti.	Bellum Coloniense pace reddita finitum. Regnorum Danię, Suecię, & Norvegię decreta in conventu Procerum conjunctio.

Anno

An. Christi	1399. visæ sunt in Cœlo tres caudæ magnæ ignitæ Cometarum propè *Isenach. Chron. Thuring. & Büntingus.*
Event. Trist.	Hoc anno eodem Rex Angliæ miserabiliter fuit interfectus, & Dux de Monte cum magnâ militia fuit captus, magnaque discordia inter Ducem Brabantiæ & Ducem Gelriæ & Juliacensem fuit exorta, in qua multi fuerunt capti & occisi.

COMETÆ SÆCULI XV.

An. Christi	1400. Tempore quadragesimæ Cometa visu terribilis caudam longam habens apparuit. *Rockenbachius, Buntingus, Eckstormius, Schorerus, Ricciolus.*
Event. Trist.	Eodem anno Wenceslaus ab Imperio remotus, substituto in ejus locum Friderico Duce Brunsuicensi & Lunæburgensi: Verùm Francofurto domum rediturus ex insidiis propè Frizlariam nefariè occisus est. Secutæ etiam calamitates variæ & inauditi morbi.
Læti.	Rupertus Bojus Princeps regiis virtutibus ornatus Imperator electus. Victoria Tamerlanis Tartarorum Dynastæ de Bajazete cum maximâ Turcarum clade.
An. Christi.	1401. Cometa visu horrendus caudam habens expansam similem pavonis in fine Februarii conspectus est. *Eckstormius, Buntingus Sebastianus Franco, Rockenbachius.*
Event. Læti.	Secutæ sunt tempestates maximæ: Pluvia enim â 12 Martii per dimidium anni spatium usque ad Septembrem de Cœlo continuò cecidit, ex quâ annonæ caritas secuta est. Florentiæ pestis sævissimè grassari cœpit. Sigismundus Hungariæ Rex captus, & in vincula conjectus, indigneque habitus.
Læti.	Hoc anno Henricus IV. in Anglia regni auspicia iniit. Secuta etiam insignis Anglorum de Scotis victoria.
An. Christi	1402. Cometa visu horrendus, caudam pallidam, eamque longam habens visus est versùs Occasum solstitialem se vertens. *Rockenbach.* meminit & *Chron. Thuring. Chron. Belgic. Eckstormius, Alstedius, Polydorus, Sabellicus & Ricciolus.*
Event. Trist.	Mors Galeacii Ducis Mediolanensis totam ferè Italiam subigentis. Secuta etiam magna pestis in exercitu Tamerlanis. Pugna Anglica ad Salopiam.
Læti.	Victoria læta Henrici Regis Angliæ de hostibus feliciter reportata.
	1403. Cometa in fine Martii & initio April. inter Orientem & Septentrionem, caudam etiam Septentrionem versùs protendens apparuit. *Fabricius in memorab. Saxon. Rockenbach. & Eckstormius.*
Event. Trist.	Secuta bella & seditiones plurimæ in Italia, pestisque in Saxonia. Turbines item ventorum ingentes. Hoc etiam tempore Hussus contrà Romanam unicam veram Ecclesiæ in Bohemia suæ hæreseos virus effundere cœpit, undè posteà maximi tumultus exorti sunt. Bellum etiam in Bavariâ cœpit.
Læti.	Academia Herbipolensis erecta. Secuta feliciter mors Tamerlanis Tartarorum Tyranni. Natalis Georgii Castrioti, cognomento *Scanderbegi*, Viri bellicis laudibus clarissimi, filii Ducis Epiri.
An. Christi	1407. Cometa effulsit. *Ricciolus.*
Event. Trist.	Pruteni à Polonis magnâ strage superati. Jagello Poloniæ Rex de Crucigeris, quorum summus Magister Ulricus cum ducentis præfectis, qui Commendatores vocabantur, occubuit.
Læti.	Pax Wormatiæ Authoritate Cæsaris restaurata. Joannes secundus Castellæ Rex victoriam de Mauris terrâ marique reportavit.
An. Christi	1408. Cometa fuit conspectus. *Fabricius memor. Saxon. Spangenbergius, Chron. Saxon. Eckstormius.*
Event. Trist.	Ladislaus Rex Angliæ Romam invasit, Capitolium occupavit, Angeli arcem obsedit; Sed à Paulo Ursino rursùm Urbe ejectus. Secutum etiam bellum Archie Episcopi cum Anhaltinis Principibus.
Læti.	Venetis Verona, Patavium aliæque Urbes subditæ. Pax inter Carolum VI. Galliæ Regem & Joannem Burgundinum Ducem composita.
An. Christi	1414. Cometes apparuit. *Berckringerus dissert. de Comet.* Anno quoque seq. 1416. Cometas in diversis Cœli partibus apparuisse *ex Camerario* tradit *Keckermannus Syst. Physic. lib. 6. cap. 5.* *Lubieniecius* pro An. 1416. arbitratur ponendum An. 1456.
Event. Trist.	Eodem An. 1414. obiit Ladislaus Rex Apuliæ: Sequenti Delphinus. Hunc Joannes frater paulò post secutus. Varia etiam bella Gallorum, Anglorum & Hussitarum in Bohemia subsecuta.
Læti.	An. 1415. Hæresiarchæ Joannes Huss, & Hieronymus Pragensis justè rogis impositi, & vivi exusti.

An. Christi	1426. die 9. Junii Cometa per hebdomadam ferè Leodii apparuit. *Chron. Belgic.*
Event. Trist.	Episcopus Bremensis Frisios bello aggressus, ab iisdem verò vulneratus & captus. Galli & Misnenses bellis victi. Secutum etiam bellum inter Florentinos & Lucenses.
Læti.	Hic Annus Anglis & Bohemis victoribus lætus extitit. Brixia se Venetis dedidit. Anno proximo fœdus inter Venetos, & Florentinos percussum. Friderico bellicoso Burggraviatus collatus.
An. Christi	1433. Cometa maximus per tres menses apparuit. *Chron. Polon. Fabricius, Rockenbachius, Spangenbergius in Chron. Saxon. Eckstormius, Ricciolus.*
Event. Trist.	Hunc Cometam secuta est caritas annonæ plurium annorum in Germania; Item inundationes & ingentes turbines ventorum. Bohemi & Poloni conjunctis copiis Marchiam & Pomeraniam devastârunt. Veneti, Florentini & Dux Mediolanensis bellum contrà Eugenium Papam moverunt, eumque ut fugeret, coëgerunt. Secutum etiam bellum à Magdeburgiis, & Hallensibus cum suo Episcopo.
Læti.	Philippus Dux Burgundiæ Hennegojam, Hollandiam, & Zelandiam occupavit ejectis indè Bavaris. Henricus VI. Lutetiæ diademate redimitus.
An. Christi	1434. Cometa fulsit. *Eckstormius, Alstedius, Sifardus, Ricciolus.*
Event. Trist.	Eodem anno mortuus est Bernhardus Dux Lunæburgensis. Secuta etiam varia bella.
Læti.	Tartari fusi & repressi à Stephano. Bratislavia Regi restituta. Induciæ cum Cruciferis per 12. annos conclusæ. Pax item Romæ sancita. Victoria Mediolanensium de Alfonso Apuliæ regnum appetente victo, & cum fratribus capto. Galli & Burgundi reconciliati.
An. Christi	1439. Cometa ad Occasum caudam versùs Meridiem extendens apparuit. *Fabricius Memor. Saxon. Rockenkachius, Eckstormius, Alstedius, Ricciolus & Funccius.*
Event. Trist.	Pestis sæva per orbem grassavit. Mortuus Albertus Imper. Amurathes Imperat. Turcicus Hungariam devastavit, & res Turcica debilitatis Christianorum viribus crescere cœpit. Item bellum in Alsatia, & Helvetiâ secutum.
Læti.	Huc anno apud Danos, Suecos, & Norvegos regnum auspicatus est Christophorus Joannis Neoburgici Comitis Palatini filius. Pax inter Græcos & Latinos in Concilio Florentino, tum & inter Carolum VII. Regem, & Ludovicum Delphinum ejus filium redintegrata.
An. Christi	1444. Ingens & terribilis Cometa Solstitii tempore in signo Leonis apparuit. *Rockenbachius Eckstormius, Alstedius, Ricciolus, Fabricius, & Aventinus.*
Event. Trist.	Ladislaus Hungariæ & Poloniæ Rex ad Varnum cum Amurathe Imper. Turcico hostili exercitu infeliciter congressus, in prælio occisus cum Juliano Cardinale Legato Pontificis Eugenii. In Thuringia & Misnia bella plurima orta sunt. Bellum Helvetis à Rege Galliæ illatum. Romæ 15. Calend. Octobr. Pons Tyberinus corruit ubi 560. homines, dum spectandis Ludis sæcularibus contrà decreta Constantiensis Senatûs à Nicolao apertis intenti, periêrunt. Seditio quoque in Angliâ exorta.
Læti.	Ladislao cæso in Polonia frater ejus Casimirus; at in Hungaria Uladislaus successerunt.
An. Christi	1445. Visus est Cometa. *Eckstorm.*
Event. Trist.	Hoc anno mortuus est Otto Dux Lunæburgensis.
Læti.	Pax inter Fridericum Imp. & Helvetios; postero inter Wilhelmum illum & Fridericum Electorem Saxoniæ. Sequenti etiam inter Anglos ex incuriâ priùs & fiduciâ sui nimiâ in prælio devictos & victores Scotos composita.
An. Christi	1450. Visus est Cometa rhomphææ seu gladii similitudine, qui plenum Lunæ orbem subiens eclipsim effecit; ab Occidente etiam in Orientem moveri observatus est. *Ricciolus.*
Event. Trist.	Eodem anno Amurathes Turcarum Imp. ex ebrietate mortuus. Anno 1453. die 29. Maij Constantinopolis Imperii Orientalis sedes perdita, & à Turcis occupata cum immanissima & crudelissimâ Christianorum clade.
Læti.	Annus hic Jubilæus extitit. Secuta Guilhelmi Ducis Saxoniæ cum Friderico secundo Electore Saxon. Fratre reconciliatio. Pax item inter Albertum Electorem Brandenburg. & Norimbergenses inita. An. 1452. secutæ Neapoli solemnissimæ nuptiæ Friderici Imp. cum Leonorâ

Edoardi

	Edoardi Portugalliæ Regis filiâ, postquam paulò antè Fridericus Romæ cum hac diademate augusto fuisset insignitus. Uladislaus posthumus etiam in paterna Hungariæ & Bohemiæ regna An. 1452. fuit restitutus. Item Victoria ingens Gallorum de Anglis reportata, Normanniaque & Aquitania, Provinciæ amplissimæ ac feracissimæ, quas Angli 300. circiter annis tenuerunt, recuperatæ fuerunt.
An. Christi	1454. Duo Cometæ visi sunt. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Fridericus Dux Brunsuicensis Wilhelmi Senioris filius acie victus ab Archi Episcopo Coloniensi & captus. Seditio Lunæburgica contrà Senatores.
Læti.	Pax Italiæ restituta. Nuptiæ Casimiri Regis Poloniæ cum Elisabetha Alberti Imp. filiâ.
An. Christi	1456. Mense Junio ad Orientem in Grad. 15. Cancri per integrum mensem ingens Cometa cum cauda 60. gradus, seu duo signa adæquante visus est. *Schorerus, Funccius, Buntingus, Rockenbach. Eckstormius, Ricciolus, Alstedius & alii.*
Event. Trist.	Secuta mox ingens ventorum vis mense Augusto, & Terræ motus in Florentino & Volaterrano agro, villæque plurimæ dirutæ, oppidumque Cassianum magnâ ex parte; item Campaniæ Samnitum, Apularum, Polignorumque Urbes omnes terræ motu multis cum oppidis, contritæ (pereuntibus unà ultrà 30000 hominibus) plurimæque funditùs eversæ. Pestilentia etiam sævissima unà cum magnâ annonæ caritate in dictis locis suborta. Mahomet Turcarum Imper. Belgradum obsedit; Lemnus Mitylene & Eubœa à Turcis occupata. Mortuus etiam Joannes Corvinus Hunniades Turcarum Terror.
Læti.	Secuta eodem anno clades Turcica ante Belgradum frustrà oppugnatum cum turpi fugâ Mahometis, amissis 40000. hominum & omnibus bellicis machinis. Secuta etiam Victoria Ducis Eboracensis capto Rege Angliæ Henrico VI. cum multis Proceribus.
An. Christi	1457. Mense Junio in 20. Grad. Piscium Cometa *Niger* dictus per integrum mensem visus est. *Rockenbachius, Peucerus, Eckstormius, Buntingus, Alstedius, Sifardus, & Fabricius.*
Event. Trist.	Terræ motus ingens in Italia subsecutus, ubi montes propè Gadse sunt aperti. Ladislaus Rex Hungariæ & Bohemiæ, filius Alberti Imp. II. cum se ad nuptias cum Reginâ Galliæ celebrandas parâsset adolescens 18. annorum veneno extinctus est. Pestis etiam grassata in Hungaria. Secuta quoque Angliæ devastatio à Rege Scotiæ.
Læti.	Idem annus lætis Casimiri Regis Poloniæ in Prussia successibus insignis extitit. Christiernus Daniæ Rex regnum Sueciæ suis adjecit. Georgius Bohemiæ Gubernator ad Regnum evectus, & Matthias Hunniades è carcere liberatus, & in Hungariæ solium collocatus.
An. Christi	1458. Cometa mense Julio in signo Tauri apparuit. *Rockenbach.*
Event. Trist.	Terræ motus maximi & turbines ventorum, unà cum annonæ caritate subsecuti sunt. Calixtus Pontifex mortuus. Bellum à Casimiro Pruthenis illatum. Peloponesus à Turcis occupata.
Læti.	Georgii Regis Bohemiæ cum Friderico II. Electore Saxon. sopitis dissidiis concordia, tum pax in Saxonia inferiori & in Bojaria inita Nativitas Maximiliani I. Imperatoris.
An. Christi	1460. Cometa visu terribilis apparuit. *Rockenb. Alstedius, Ric.*
Event. Trist.	Cracovia ferro & igne devastata. Pestilentia sævissima Thuringiam Saxoniam & vicina loca afflixit. Clades maxima propè Butegau, belligerando facta, postquam potentia Polonorum crevit, Dominorum verò Cruciferorum decrevit. Mahomet II. Paphlagoniam & Trapezuntiam duo Imperia & duodecim regna sibi subjecit. Imperatorem Comnenum cum duobus filiis & Patre Calo Joanne dicto crudelissimè interfecit.
Læti.	Pax Bojaria fracta denuò redintegrata, cujus gaudium, & illa cum Ludovico Nigro inita adauxit. Rex Angliæ Henricus à Ricardo Duce Eboracensi licet victus & captus; at mox alternante belli fortunâ & rerum vice Eboracensis à Reginâ victus, & cæsus, ac Henricus denuò liberatus; sed rursùm alternante fortunâ & prævalente Edouardi Merchiæ Comitis (qui Ricardi filius, ac Henrici æmulus erat) potentia Henricus in Scotiam relicto regno; Regina verò in Galliam cum filio Edouardo ad Patrem Renatum fugit. Sic tristia lætis plurimùm permixta alternante fortunâ fuerunt.
An. Christi	1461. Cometa fuit visus. *Cunæus & Eckstormius.*
Event. Trist.	Hoc eodem anno Moguntina ditio belli sævitiem ex duorum Archiepiscoporum dissidio experta fuit. Secuta etiam mors Caroli VIII, Regis Galliæ.

Læti

Læti.	Pax proximè inter Albertum Brandeburgicum & Ludovicum Bojum cognomento Divitem, tùm inter æmulos Moguntinos sancita & firmata. Subsecuti quoque anni proximi valdè feraces. Anno 1462. Casimirus Poloniæ & Georgius Bohemiæ Reges Glogoviæ inter mutua lætitiæ & benevolentiæ certamina fœdus inierunt. Res Polonorum in Prussia mirùm crescere cœpêre: Cruciferorum verò minui: Undè & pax secuta & Prussia regalis Regi Poloniæ concessa. Pax etiàm variis in locis sancita & redintegrata.
An. Christi	1467. Post festum *S. Michaelis* longè sursùm à signo Piscium versùs Orientem caudam protendens Cometa apparuit. *Pistorius tom. 1. rerum German.*
Event. Læti.	Turcarum potentia post hæc tempora magis magisque grassans imperia imperiis & regna regnis accumulans plurimùm crevit.
An. Christi	1468. Cometes 15. diebus apparuit: quò extincto alius priore illustrior totidèm etiam diebus flagrans ad Occasum visus est. *Chromerus, Chron. Polon.*
Event. Trist.	Secuta mala plurima, velut bella maximè in Bohemiâ à Maximiliano Rege Hungariæ, ac in Germaniâ inferiore à Carolo Duce Burgundiæ contrà Leodienses: tùm etiam fames, pestis, siccitas: Undè immensa murium multitudo provenit, qui fruges undique consumpserunt. Plurimis etiam in locis maximæ inundationes aquarum magnam annonæ caritatem effecerunt.
Læti.	Pax inter Leodienses & Episcopum eorum secuta. Item inter Gallum & Burgundum facta. Pax item in Hispaniâ Rege Henrico restituto & in Pomerania sancita.
An. Christi	1470. Cometa colore venereus dictus Idib. Januar. cum longissimis capillis, sivè passo capillitio ac radiis longiùs protensis visus est. *Bodinus lib. 2. Theat.* Item Anno 1471. in Autumno, mense Decembri visus est Cometa *Eckstormius & Alstedius.* Putat *Lubieniecius* eundem cum priore fuisse.
Event. Trist.	Eduardus Henricum VI. Regem Angliæ victum & vinctum Regno, ejus verò filium cum matre rursùs victum vitâ etiam privavit. Turca Trapezuntum in Asiâ & Walachiam in Europâ occupavit.
Læti.	Sceptrum Bohemiæ advocato Uladislao Casimiri Regis Poloniæ filio collocatum.
An. Christi	1472. Valdè memorabilis Cometa ac ingentis magnitudinis in principio anni circà festum S. Agnetis in Librâ apparuit. *Eckstormius, Buntingus, Sifardus, Gassendus, Chron. Basil, Fascic. Tempor.* At alii, ut *Funccius, Rockenbachius, Alstedius,* duos hoc anno Cometas apparuisse memorant. *Ricciolus* etiam ex *Prætorio, Cardano, Mizaldo & Zieglero* duos annotat.
Event. Trist.	Secuta trium annorum siccitas ingens, ità ut fluvii plures, penè exaruerint. Cruenta etiam bella plurima variis in locis. Ingens quoque pestis subsecuta. Jacobus Rex Cypri, Henricus Rex Hispaniæ paulò post mortui. Henricus Rex Angliæ in carcere interfectus. Erphordiæ ingens incendium absumpsit 6000. ædificiorum. Seditiones quoque in Anglia & Helvetia subortæ.
Læti.	Rex Portugalliæ cum exercitu in Africam profectus duas munitissimas Civitates Tingin & Argillam devastavit, & occupavit.
An. Christi	1473. Cometa in Cancro apparuit. *Herlicius & Eckstormius.*
Event. Trist.	Mortui Henricus Mansuetus Dux Brunsuicensis, ac Lunæburgensis, & Arnoldus Geldriæ.
Læti.	Hoc eodem Anno Usus Cassanes, proximo Stephanus Palatinus Moldaviæ victores de Mahomete Tyranno cæsò evasêre. Pax quoque læta Hildesheimensis secuta.
An. Christi	1475. Cometa in Librâ conspectus est, qui ab Oriente versus Occidentem obliquo tramite tranavit. *Rockenbachius, Eckstormius, Alstedius, Ricciolus.* Notavit hunc Cometam *Regiomontanus* motu recto Lunam transivisse, & terræ appropinquâsse.
Event. Trist.	Secutum bellum Casimiri Regis Poloniæ, Uladislai Bohemiæ, & Matthiæ Hungariæ; quo miserè vastata est Silesia, Moravia, Bohemia & aliæ regiones vicinæ. Carolus Burgundus etiam invasit Lotharingiam, eamque occupavit.
Læti.	Suborta pax inter Uladislaum Bohemiæ & Matthiam Ungariæ Reges, pactâ successione post fata Matthiæ. Sixtus IV. Jubilæi Solemnitatem ad annos XXV. reduxit.

An. Christi	1476. Cometa in mense Junio apparuit. *Schulerus disq. de Comet. & Gravius.*
Event. Trist.	Sæva Turcarum in Daciam irruptio subsecuta.
Læti.	Victoria læta de Turcis reportata. Deindè læta nuptiarum Matthiæ Regis cum Beatrice Ferdinandi Regis Siciliæ filiâ Solemnitas; hæc antequàm celebraretur, Rex sponsam singulari cum pompâ diademate ornavit.
An. Christi	1477. Cometa subniger in colore, scilicet Saturno similis apparuit. *Rockenbachius, Buntingus, Eckstormius, Ricciolus, Alstedius & Keckermannus.*
Event. Trist.	Hoc anno Matthias Rex Ungariæ Austriam & Stiriam vicinasque usque in Bavariam devastavit regiones. Secuta etiam fuit æstas ferventissima, ità ut non tantùm fruges exsiccatæ, sed integræ sylvæ accensæ, magni quoque fluvii exaruerint, sævàque pestis grassari cœperit, & caritas annonæ subsecuta sit. Turcæ etiàm in Carinthiâ & Italiâ grassantes Rhodiam occupârunt, tentantes insuper Apuliam & Calabriam terrâ marique invadere. Carolus Burgundus etiàm ab Helvetiis victus & cæsus, anno 1478 Usus Cassanes, anno 1479 Joannes Rex Aragoniæ, anno 1481 Christianus Daniæ, & Alphonsus Portugalliæ Reges mortui sunt.
Læti.	Dux Moscoviæ Urbem potentissimam Newgrad dictam expugnavit & occupavit. Anno 1478 natus Philippus Rex Hispaniarum Pater Caroli V. Alphonsus Portugalliæ & Castellæ Regna anno 1477 recuperavit.
An. Christi	1491. Cometa tempore verno circa principium Arietis cum latitudine Australi & unà cum eclipsi Solis apparuit *Eckstormius, Funccius, Ricciolus, Alstedius & Sifardus.*
Event. Trist.	Secuta paulò post magna annonę caritas, pestisque pecorum, ac siccitas in terra vehemens. Mors item Innocentii VIII. Alphonsi Regis Portugalliæ de equo cadentis, ac Imperatoris Friderici III. Turca quoque bonam partem Dalmatiæ & Sclavoniæ occupavit.
Læti.	Subsecuta Granatæ deditio, Maurorum ex Hispania ejectio. Titulus etiam Catholici Ferdinando Castellæ Regi tributus. Pax deindè inter Bajazetem Turcarum Imp. & Soldanum Ægypti; tùm & inter Uladislaum Hungariæ Regem & eundem Bajazetem post receptam Albam regalem & alia loca sancita & firmata.
An. Christi	1492. Cometa post solis occasum à Decembri per duorum mensium spatium durans apparuit. *Rockenbachius, & Pastorius.*
Event. Trist.	Joannes Albertus & Maximilianus Cæsar ab Uladislao Rege Bohemorum & Ungarorum victi sunt. Casimirus Rex Poloniæ mortuus. Pestis etiam dira pecorum in Poloniâ subsecuta.
Læti.	Hunc annum & novi Orbis à Christophoro Columbo, & venarum metallicarum ad Sudetes montes inventio dives, & pax Brunsuicensis lætum reddidit. His mox inventio argenti fodinarum Annæbergensium longè copiosiorum, & novi Orbis, quò in Boream vergit, detectio, & pax Gallica, Hispanica & Helvetica successit.
An. Christi	1493. Cometes in occasu Solis visus est, qui paucis post diebus Solem antegressus est. *Eckstormius, Jul. Scaliger. Hunc tamen Cometam, si quis ad proximum annum referre voluerit, justus rationibus cedam,* ait *Lubieniecius.*
Event. Trist.	Anno proximo 1494 Carolus Rex Galliæ Italiam invasit. Anno verò 1498 vitam finiit.
Læti.	Novi Orbis inventi inter Castellæ & Lusitaniæ Reges divisio facta est. Pax deindè lætissima universis penè gentibus subsecuta est.

COMETÆ SÆCULI XVI.

An. Christi	1500. Mense Aprili Cometes horrendæ magnitudinis ad Septentrionem in signo Capricorni per 18 dies apparuit. *Milichius, Rockenbachius, Eckstormius, Ricciolus, Alstedius, Cromerus, Funccius & Leovitius.*
Event. Trist.	Paulò post Bajazetes Turcarum Imper. Urbem Methone (sivè ut aliis placet Modon) dictam ad Venetos pertinentem, unà cum aliis locis in Peloponeso sitis occupavit. In Italia Ludovicus Sfortia Dux Mediolanensis à Gallis captus. Dira insuper lues per totam Germaniam unà cum magnâ annonæ caritate grassari cœpit. Tartari in Podoliam, Mosci in Lithuaniam irruerunt, ac miserè quæque devastârunt.

Læti.	Eodem anno Petrus Alvarus auſpiciis Ferdinandi Regis Ceſtellæ Æquatore tranſito in Baſiliam delatus eſt. Idem Luſitani eodem anno fecêre non ſine proſpero ſucceſſu verſus Orientem & Auſtrum ad quærendum novum Orbem profecti navibus Calecutum, & detectâ Inſulâ novâ & maximâ, quę *S. Crux* dicta eſt. Anno 1501 pax inter Turcas & Venetos compoſita fuit. Anno 1502 Pax inter Moſcorum magnum Ducem Joannem Baſilidem & Waltherum Ordinis Cruciferorum in Livoniâ Magiſtrum concluſa. Natus etiàm eodem anno, quo Cometes luxit, Carolus V. maximus Hiſpaniarum & Indiarum, totque Regnorum Princeps & lauditiſſimus Imperator. Pax item ſecuta Bambergenſis anno 1501 Norimbergenſis an. 1502 Hungarica an. 1503.
An. Chriſti	1504. Cometa ingens figuram facis exhibens unà cum conjunctionibus Superiorum Planetarum apparuit. *Rockenb. Eckſtorm. Schofferus, Cornelius, Gemma.*
Event. Triſt.	Secuta magna ſiccitas & indè caritas annonæ, ac dira lues tàm hominum, quàm pecorum. Bellum item Bavaricum hoc anno cœpit. Mortui quoque ſunt eodem anno Stephanus Dominus Walachiæ, Joannes Baſilius Dux Moſcovię, Rupertus Palatinus Rheni & Epiſcopus Spirenſis.
Læti.	Annus Cometæ pace inter Bogislaum Ducem Pomeraniæ & Stralſundenſes his ad præſtandam Ducibus Pomeraniæ fidelitatem juramento ſancitam adactis clarus fuit: Tùm etiam lætus ſervato Optimo Cæſare Maximiliano & è præſenti diſcrimine erepto, heroicâ planè virtute Erici Ducis Brunſuicenſis in acri prælio contra Bohemos ad Ratisbonam commiſſo.
An. Chriſti	1505. Apparuit Cometes inſolitæ magnitudinis. *Schofferus, Eckſtorm. Mutius, Germ. Chron. lib. 30.*
Event. Triſt.	Secuta mors Bertholdi Archiepiſcopi Moguntini & Regemundi Cardinalis.
Læti.	Fuit hic annus lætus Philippo Palatino operâ Saxonis Imperatori conciliato, & pace ſancitâ: Tum & controverſia inter Philippum Belgii & Carolum Geldriæ. Hoc quoque eodem anno Sophi Perſarum Rex cum Turcis in Aſiâ congreſſus obtentâ memorabili victoriâ multa eorum millia occidit.
An. Chriſti	1506. Cometa propè plauſtrum in Septentrione apparuit. *Funccius, Alſtedius, Ricciolus, Leovitius & Milichius*: quorum hic addit, præceſſiſſe Cometam eclipſin Lunę in Aquario, cum in oppoſito loco in Leone conveniſſent Sol, Saturnus, Jupiter & Mercurius, & Luna Martem ex Trigono aſpexiſſet. Deindè menſe Novembri ait, ſecutam eſſe conjunctionem Saturni, & Martis in Leone, à quibus Lunam diſcedentem mox acceſſiſſe ad oppoſitionem Solis: aliquantò poſt deindè Cometam hunc fulſiſſe. *Calviſius & Rockenbachius* hoc anno duos Cometas memorant, quorum primus 11 Aprilis per dies 5 viſus ſit, curſumque ſuum more Planetarum ab occaſu verſùs Orientem direxerit: Alter verò in Auguſto inter Septentrionem & Orientem propè Urſam minorem in Leone & Virgine ſe conſpiciendum præbuerit.
Event. Triſt.	Hoc anno mortuus Philippus Hiſpaniarum Rex, ac ſecuta mala plurima in Italiâ. Peſtis etiàm dira multis in locis graſſari cœpit unà cum maximo terræ motu Conſtantinopoli. Bellum quoque Venetum decennale exarſit, quod Imperator Maximilianus, Julius Pontifex, Ludovicus Rex Galliæ, Ferdinandus Rex Hiſpaniarum confœderati Venetis intulerunt. Bellum etiàm à Sigismundo Rege Polonię Baſilidi Magno Duci Moſcoviæ illatum.
Lęti.	Sigismundus ad Ducatum Lithuaniæ & paulò poſt ad regnum Poloniæ evectus. Pax triennalis in Angliâ ſancita. Annus quoque Cometæ valdè fœcundus cum magna rerum omnium abundantiâ celebris extitit.
An. Chriſti	1510. Cometa apparuit, ex quo Capilli quidam ſulphurei, & fœtidi decidiſſe memorantur. Ex *Cardano Keckermannus.*
Event. Triſt.	Bellum Venetum continuatum, ubi multa in Julium II. Pontif. Rom. Maximilianum Imp. Ludovicum XII. Regem Galliæ, & Venetos bello paceque, prout rationes ferebant, geſta ſunt.
An. Chriſti	1511. Conſpectus eſt Cometa in Leone, qui à fine Maji ad 11 Julii duràſſe perhibetur. *Fabricius, Eckſtormius, Herlicius, Rockenbachius & alii.* Memorabile eſt, quod ex *Sueſſuano* de hoc Cometa refert *Keckerman. ſyſt. phyſ. l. 6. c. 5.* in Lombardia Cometam inſtar ignei pavonis per aërē volitâſſe, è quo cum evanuiſſet tres lapides ſulphurei deciderint,

quorum

	quorum primus 160 libras, alter 60 libras, tertius 20 libras pondere æquaverit.
Event. Trist.	Cometam hunc maximæ tempestates subsecutæ sunt. Mortui quoque Episcopus Spirensis, Joannes Rex Sueciȩ, Archi Episcopus Magdeburgensis, Jacobus Rex Scotiæ. Clades etiàm maxima inter Sigismundum Regem Poloniæ & Ducem Moscoviæ facta est, in quâ 40000 Moscovitarum propè amnem Boristhenem periêrunt. Strages quoque magna accidit inter Selimum Imp. Turcicum & Sophi Regem Persarum, in qua multa millia Persarum, Armeniorum & Assyriorum interfecta sunt. Constantinopoli etiam dira lues multa millia hominum perdidit. Coloniæ quoque magna seditio inter Senatum Civitatis & subditos orta est.
Læti.	Gloriosa Victoria Capitanei Georgii à Fronsberg propè Vincentiam, ubi multa millia Venetorum interfecit.
An. Christi	1512. Cometa visus est mense Martio & Aprili sanguinei coloris; & seq. anno 1513 alius à fine Decembris usque ad 19 Februarii variis coloribus & caudâ oblongâ, quæ à fine Cancri usque ad finem Virginis se extendit, totâque nocte visus est. *Ricciolus & Neubusius.*
Læti.	Anno 1513 Helvetii Duce Motinio de Gallis, Maximilianus Imper. Duce Rudolpho Principe Anhaltino de Venetis, Angli de Scotis invasoribus & de Gallis simul, Poloni Ducibus Nicolao Camieniecio & Constantino Ostrogio summis militiæ Regni & Lithuaniæ præfectis memorabilem de Tartaris victoriam reportârunt cæsis & profligatis barbarorum 24 millibus. Idem ille Ostrogius Dux proximo anno eductis 17 militis Poloni millibus 80000 Moscorum ad Orsam vicit.
An. Christi	1515. In Italiâ Cometa Lunæ naturam referens, intraque breve temporis spatium 12 signa percurrens visus est. *Rockenbachius.*
Event. Trist.	Hunc Cometam maximæ ubique mutationes subsecutæ sunt. Ludovicus Rex Galliæ, & Archi-Episcopus Coloniensis mortui sunt. Maximæ quoque inundationes secutæ sunt, quæ domos, agros & prata mirum in modum devastârunt. Sęva item pestis in Saxoniâ, Thuringiâ, Misniâque per biennium grassata est, ità ut tertia pars hominum vix remanserit. Turcæ etiàm Ungariam invaserunt. Glinscius in Lithuaniam irrupit & Smolensciam eripuit.
Læti.	Galli de Helvetiis victoriam reportârunt. Joannes Lascki Archi-Episcopus Gnesnensis Româ reversus sibi, ac Successoribus suis Legati nati, & primi Regni Principis titulum attulit.
An. Christi	1516. Cometa per aliquot dies apparuit. *Rockenbachius, Eckstormius, Alstedius & Sifardus.*
Event. Trist.	Secuta est magna annonæ caritas. Obiit Ferdinandus Rex Hispaniarum & Uladislaus Rex Hungariæ. Hollandia miserè à Geldrensibus, sicut & Italia à Gallis devastata est. Terræ motus etiàm circà Norimbergam, & turbines Ventorum maximi sunt orti, magnaque hominum multitudo à febribus malignis tunc grassantibus interiit.
Læti.	Pax exoptata inter Pontificem, Cæsarem, Gallum & Venetos sancita. Hic quoque annus lætus auspiciis Caroli V. in Regnis Hispaniarum, Ludovici in Regno Hungariȩ: Item inventione argenti fodinarum in valle Joachimicâ extitit.
An. Christi	1517. Cometa in Leonis signo apparuit. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Secuta magna annonæ difficultas Constantinopoli, in Italia & Germaniâ. Selimus Imperat. Turcicus Hierosolymam occupavit, item Alcairum Ægypti Urbem potentissimam expugnavit, ac Tomumbejum Circassum ultimum Ægyptiorum Sultanum à suis proditum mulæ imposuit & laqueo de collo pendente per totam Urbem circumductum, tandem gulâ laqueo fractâ ad portam Basuelam unco ferreo suspendi jussit. Hoc eodem anno incepit Hæresis Lutherana.
Læti.	Apparitionem Cometæ è vestigio secuta pax à Gallo, Anglo & Hispano confirmata Helvetiis sociis annuo stipendio decreto, Anglo pro restitutione Tornaci pretio soluto, Hispano filiâ secundò genitâ in matrimonium promissâ: hac ratione & induciæ Venetorum cum Cæsare in quinquennium prorogatæ.

An. Christi	1521. Mense Aprili spectatus fuit Cometes in fine Cancri breves crines habens, clarus & Lunæ dichotome similis. *Ricciolus*, *Keckermannus*, *Gravius*, *& Sifardus*: quorum tamen hic eum an A. 1520 ponit.
Event. Trist.	Mortuus Leo X. Pontifex Maxim. Alba Græca à Turcis expugnata: Sicut & bellum diuturnum inter Carolum V. & Franciscum Galliæ Regem.
Læti.	Henricus VIII. Rex Angliæ ob librum pro fide Catholico-Romanâ Luthero oppositum *Fidei Defensoris* titulo à Pontifice Leone decoratus est.
An. Christ	1522. Cometa versus Occasum Solis naturam Jovis exhibens apparuit. *Rockenbachius*.
Event. Trist.	Pestis dira, tempestates, caritasque annonæ maxima secutæ. Insula Rhodus à Turcis occupata. Bellum etiam Holmense, ut & Hildesiense dubiâ fortunâ actum.
Læti.	Hunc Annum lætus Caroli V. & Henrici VIII. potentissimorum Principum Conventus Londini habitus insignivit; nec non lætissima & magnificentissima Ludovici Regis & Mariæ ejus Uxoris Pragæ coronatio.
An. Christi	1523. Cometa visus est. *Rockenbachius*, *Alstedius*, *Sifardus*.
Event. Trist.	Secuta est æstas plena cataractis nubium, terræ motibus, variisque tempestatibus. Unde mira devastatio domuum & Castellorum suborta & innumerabilis penè multitudo hominum & pecorum interiit.
Læti.	Hoc anno Fridericus Dux Holsatiæ contrà Christianum II. Regem Daniæ patruum suum, cujus crudelitatem nec Sueci electo contrà eum Gustavo I. nec ipsi Dani ferre poterant, vocatus Regni gubernacula suscepit. Ita hic annus utrique illi genti lætus novorum Principum auspiciis insignitus fuit.
An. Christi	15 4. Cometa effulsit. *Eckstormius*.
Event. Trist.	Mortuus Fridericus III. Elector Saxoniæ, & Isabella Regina Daniæ Caroli V. Soror. Annus sequens & bello Rusticorum, & captivitate Francisci I. Galliæ Regis in prælio ad Papiam commisso inter alia magis inclaruit.
Læti.	Anno à Cometis apparitione proximo pax inter Gallum & Anglum; inter Sigismundum I. Regem Poloniæ, & Albertum I. Ducem Prussiæ, Prussiâ in Ducatum reductâ; tum inter Fridericum Daniæ, & Gustavum Sueciæ Reges sancita & firmata. Anno item 1525. Ordo Capuccinorum propagari cœpit.
An. Christi	1526. à die 23 Augusti ad 7 Septembris Cometa gladiformis apparuit. *Ricciolus ex Petro Surdo*.
Event. Trist.	Misera clades Ludovici Hungari ad Mohatzium, quæ toti Ungariæ magnas turbas & mutationes attulit.
Læti.	Francisci I. Regis Galliæ è captivitate Hispanicâ liberatio cum pacis conventione, acceptâ etiam in matrimonium Sorore Caroli V. Leonorâ Emanuelis Regis Lusitaniæ Viduâ. Item victoria læta Georgii Fronsbergii Ducis Caroli de Italis, qui adversùm se conjurârunt. His addenda Ferdinandi in Regno Bohemiæ felicia auspicia.
An. Christ	1527. Visus est Cometa in Leone valde terrificus cum cauda oblongâ sanguinei coloris: varia insuper chasmata in nubibus eodem tempore, velut faces ardentes, viri armati, trabes & enses ignei &c. observata sunt. *Rockenbachius*, *Herlicius*, *Gemma*, *Eckstormius*, *Ricciolus*, *Alstedius*, *Leovitius & Schulerus*.
Event. Trist.	Hunc Cometam Tyrannis Turcica secuta est, & incursiones hostium in Ungariam acerrimæ. Buda capta & occupata. Urbs Roma ab exercitu Caroli V. Duce Borbonio etiam capta. Agmina locustarum hinc & inde multùm damni fecerunt.
Læti.	Carolus Imp. Româ in suam potestatem redactâ Pontificem ad pacem coëgit. Hinc & aliorum fœderis Sociorum conatus frustrà fuêre, ita ut Gallus & Veneti cum Carolo pacem inîerint. Hoc quoque anno memorabilem victoriam Constantinus Dux Ostrogiensis auspiciis Sigismundi Augusti Regis Poloniæ de Tartaris invasoribus reportavit, quadraginta millibus Christianorum à servitute liberatis.
An. Christi	1528. Cometa in Piscibus à die 18 Januar. in oppositione cum Saturno apparuit. *Ricciolus*.
Event. Trist.	Hoc anno Hollandia bello Geldrico fuit agitata.
Læti.	Res in Italiâ variante inter Gallos & Hispanos fortunâ pace optatâ gestæ sunt.

An. Christi	1529. Quatuor Cometæ sibi invicem oppositi caudas versùs quatuor mundi plagas vertentes apparuerunt. *Rockenbach. Ricciolus, & Alstedius.* At *Jovius* unius tantùm meminit qui 12. diebus fulserit.
Event. Trist.	Turcarum irruptio in Hungariam & Germaniam secuta, Viennaque Austriæ obsessa cum devastatione plurium regionum & abductione ingentis copiæ Christianorum. Æstas etiam valdè pluviosa suborta, indè magna annonæ caritas, quæ per plures annos duravit, secuta. Sudor etiam Anglicanus hoc tempore aliquot myriades hominum sustulit.
Læti.	Hic annus multiplicem pacem orbi Christiano, Germaniæ nempè Galliæ, Angliæ, Hungariæ, Bohemiæ Italiæque peperit. Præivit Pontifex Rom. & pace cum Cæsare sancitâ à sociis fœderis se divulsit. Secutus Gallus, tùm Veneti ac reliqui fœderati. Tunc & Ferdinando in Hungariâ, Bohemiâque, & Henrico in Britannia pax certa fuit. Carolus etiam Imp. cum exercitu in Pannoniam movens Solymannum abegit. Hoc quoque anno Sigismundus Augustus nono ætatis anno Dux Lithuaniæ renuntiatus. Milites etiam Rhodienses Melitam insulam Cæsare, & Pontifice Rom. consentiente occupârunt, eamque inhabitare & munire cœperunt.
An. Christi	1530. Cometa à 6. die Augusti manè per aliquot dies antè Solis ortum apparuit; deindè Solem sequens sub Vesperum post Solis Occasum per tres circiter septimanas signa Cancri, Leonis, & Virginis percurrens usque ad 3. Sept. conspectus est. *Rockenbach. Ricciolus, Alstedius & Schulerus.* Verum & mense Junio Cometam hoc anno apparuisse scribit *Eckstormius.* Ad signum quoque libræ pervenisse & in eodem evanuisse notat *Ricciolus.*
Event. Trist.	Inundationes maximæ in Hollandiâ, Zelandiâ, & Brabantiâ ortæ, Undè multæ Urbes submersæ. Romæ præter tonitrua & ignes crebros tanta vis aquarum è Cœlo decidit, ut homines diluvio se perituros esse existimârint. Lisabonæ per terræ motum toto octiduo durantem omnia templa, ædesque circiter 1500. concussæ corruerunt. Secuta deindè ibidem pestis sæva. Bellum etiam apud Helvetios in Octobre ortum.
Læti.	Hoc anno nova Galicia in Americâ auspiciis Caroli V. inventa est. Florentia post diutinam obsidionem ab Imperatore, & Pontifice in Servitutem redacta.
An. Christi	1531. Cometa Pogonias in plaga Solis Occidentis mense Augusto per tres hebdomadas Cancrum, Leonem, Virginem & Libram percurrens visus est. *Chytræus, Ursbergensis, Rockenbach. Milichius, Eckstorm. Alstedius* & plures alii. *Ricciolus* ex *Apiano* & *Fracastorio* duos hoc anno Cometas fulsisse memorant.
Event. Trist.	Turci Siciliam debellârunt, Scoti Angliam. Magna quoque annonæ caritas Sueviam, Helvetiam, & Alsatiam afflixit. Secutæ sunt etiam turbæ in Helvetiâ, Saxoniâ, & mari Bathico, maris etiam exundatio in Belgium & Zelandiæ oppida. Rex Christiernus magna classe in Daniam profectus ad repetendum regna sua, sed in manus Regis Danorum infeliciter incidit, & captus est. Obiit Ludovica mater Francisci I. Regis Galliæ.
Læti.	Hoc anno Leonora Caroli V. Soror Francisco I. Regi Galliæ desponsata fuit. Joannes Comes Tarnovius Russiæ Palatinus auspiciis Sigismundi I. & II. de Petro Palatino Walachiæ memorabilem victoriam ad Obertinum cæsis 22. hostium millibus, cum ipse vix quater mille haberet milites, captis 1050. machinis bellicis majoribus direptisque castris reportavit, & Pokuciam amplam & latam Poloniæ provinciam patriæ recuperavit.
An. Chtiſti	1532. Terribilis Cometa in totâ Germania caudam longissimam versùs Meridiem protendens visus est, qui priùs Australis fuit, deindè in Boream deflexit, cœpitque videri ab *Apiano*, à quo etiam antè apparitionem prædictus perhibetur, à die 25. Septemb. usque ad 20. Novemb. *Ricciolus, Alstedius, Eckstormius, Rockenbachius, Chytræus, Buntingus, & plures alii.*
Event. Trist.	Turca in Hungatiam movens ibidem verò infeliciter pugnans, pedem retulit: Per Stiriam tamen & Austriam ferro & igne omnia devastavit. In Frisiâ, Hollandiâ & Zelandia mense Novembri maximæ inundationes secutæ.
Læti.	Pax Germaniæ, Daniæ, Bremæ positis armorum & animorum motibus reddita & Italiæ conservata. Tum victoria de Solymanno Hungariæ invasore Friderici Palatini virtute parta.
An. Christi	1533. Cometa ingentis magnitudinis ad plagam Borealem non procul à Perseo totâ nocte visus est. *Rockenbachius, Leovitius, Eckstormius, Ricciolus, Alstedius, Buntingus & alii.* Contrà Signorum ordinem à

Geminis scilicet in Taurum, & indè in Arietem motum esse memorant plerique. *Florovellus* ait fuisse nigricantis coloris, visumque per 30. dies. At *Petrus Surdus* asserit coloris flavi fuisse & visum à fine Junii usque ad 4. Augusti.

Event. Trist. In Dania bella & seditiones maximæ, sicut & in Anglia subortæ sunt. Secutum Anno 1534. Schisma Anglicanum cum hæresi conjunctum ob negatam à Rom. Pontifice dissolutionem matrimonii multos jam annos constantis, quo inducto Henricus Rex se caput Ecclesiæ edixit. In Germaniâ terræ motus & pestis dira Norimbergæ grassari cœpit, magnaque annonæ caritas oborta est. Mortuus etiam Clemens VII. Pont. Item Fridericus Rex Daniæ. Anabaptistæ etiam in Urbe Monasteriensi acervatim prodeuntes, extincti sunt, ità tamen ut Urbs ipsa obsidione priùs caperetur. Contentio quoque Caroli V. cum Gallo super Ducatu Mediolanensi orta. Turcarum motus contra Persas & Barbarossæ contrà Muleassem.

Læti. Anno seq. 1534. Societas JESU per S. Ignatium Lojolam fundata, quæ mox latè per totum terrarum orbem cum maximo animarum fructu propagata est. Eodem anno pax Wirtembergica, sequenti Monasteriensis capta & excisâ Urbe, ac seditiosis supplicio affectis lætitiam attulit.

An. Christi 1537. Mense Januario Cometa vesperi ad Occasum visus est. Hunc deindè mox alius secutus est in signo Tauri non procul à capite Draconis, quique comam versùs Meridiem direxit, & per tres integras Septimanas visus est.

Event. Trist. Secuti ingentes terræ motus, præsertim Basileæ Rauracorum, & in Regione Puteolanorum. Anno insuper sequenti æstas maxima secuta, quæ à Martio usque ad Festum Nativitatis Christi duravit, undè fontes & maxima flumina exaruerunt, domorum ædificia, ac Sylvæ Solis ardore incensa.

Læti. Hoc anno Christianus tertius Princeps gloriosissimus sacro diademate decoratus est; Sed & læta fuerunt Cosmi illius Medicei Sapientiæ artibus clarissimi auspicia.

An. Christi 1538. Cometa ignei coloris à die 17. Jan. ad 21. post Solis Occasum in signo Piscium caudam ad 30. grad. longam ab Occasu brumali versùs Ortum æstivalem extendens apparuit. *Rockenbachius, Eckstormius, Ricciolus, Alstedius, Leovitius, Fabricius & Sifardus.*

Event. Trist. Secuta mors Caroli Ducis Geldriæ, Joannis Ducis Clevensis, ac Isabellæ Caroli V. Imp. Conjugis. Infelix fœdus Christianorum contrà Turcas victo Barbarossâ Joh. Auria, qui erat Præfectus classis Venetæ, Hispanæ, & Pontificiæ. Vesuvius hoc etiam anno ter exarsit & flammas terribiliter evomuit. Secuta quoque Epidimia multis in locis. Successerunt etiam tumultus Florentini contrà Cosimum magnum Hetruriæ Ducem.

Læti. Pax hoc anno inter Cæsarem & Gallum conventu lætissimo facto ad Aquas mortuas Galliæ Narbonensis oppidum coälita, quæ tamen infida fuit.

An. Christi 1539. Cometa ad Occidentalem plagam sub initium noctis, qui caudam brevem subobscuram versùs Meridiem protendit, per tres septimanas visus est. *Fabricius, Rockenbachius, Buntingus, Eckstormius, Keckermannus, Ricciolus, Alstedius;* Observavit *Apianus* hunc Cometam à die 6. Maij ad 17. in Leone, motumque fuisse contrà signorum ordinem & velociorem in Occidentem, quàm fuit motus primi Mobilis.

Event. Trist. Turca magno exercitu conjunctis Budensibus Regis Ferdinandi copias profligavit, multaque millia in fugâ interfecit. Secuta etiam in Italiâ & Brabantiâ magna annonæ caritas ac dira pestis, ob quam multa millia hominum perierunt. Sequenti anno ferventissima fuit æstas, ità ut præ æstu amnes & torrentes exsiccati. Incendia etiam in Saxoniâ, Bohemiâ, vicinisque aliis locis fuerunt. Secutæ quoque clades & turbæ Misniæ, Thuringiæ, Brandenburgicæ & Brunsuicenses.

Læti. Pax hoc anno Venetis eam petentibus data. Præsens quoque annus fertilis frugum & vini ejusque singulari bonitate lætus fuit.

An. Christi 1541. Cometa visu terribilis Draconis formam referens, caudamque prælongam igneam extendens die 21. Auguſt. conspectus est. *Rockenbach. Eckstorm. Alstedius & Sifardus.*

Event. Trist. Turca in Moravia, Silesiâ & Austriâ crudelissimè grassatus. Pestis dira propè Rhenum in Germania & Austria multa millia hominum absumpsit. Carolus V. etiam infeliciter trajecit in Africam, multis navibus & militibus procellosa tempestate submersis. Buda à Ferdinando Rege Hungariæ obsessa, verùm vidua Joannis Waywodæ Turcam invocavit, qui obsidione pulsâ arte & astu Budam extorsit & 2. Sep. eandem occupavit.

Anno

An. Christi	1542. Horribilis Cometa super Constantinopolim per 40. dies flagrans conspectus est. *Rockenbach. Eckstorm. & Alstedius.*
Event. Trist.	Expeditio Christianorum adversus Turcas malè cessit, militibus morbo epidemico magnâ ex parte extinctis. Vinum adeò acidum crevit, ut potari nequiverit; vocatumque sit Vinum Turcarum ab infelici expeditione. Strages quoque magna inter Anglos & Scotos fuit. An. seq. Turca in Ungariâ Albam Græcam, Strigonium civitatem, & quinque Ecclesias grassando occupavit. Locustarum etiam ingens copia variis in locis maximum damnum agros devastando effecit.
Læti.	Pax inter Cæsarem & Gallum ad Crepiacum in Suessionibus conventa.
An. Christi	1545. Cometa ad occasum sanguineo colore per aliquot dies flagrare visus est. *Rockenbach. & Alstedius.*
Event. Trist.	Paulò post Ludovicus Palatinus Elector mortuus, Henricus Dux Brunsuicensis â Landgravio captus. Secutum & bellum Smalcaldense in Germaniâ. Carolus Imp. cum exercitu magno comitante Maximiliano Filio Ferdinandi Regis Mauritio Duce Saxoniæ, Alberto Marchione Brandenburgensi in Galliam profectus, atque occupato Lucelburgo Lutetias movit, omniaque in itinere ferro igneque devastavit.
Læti.	Anno 1546. Gallus cum Anglo pacem iniit. An. 1547. Hamburgenses, Lubecenses, Brunsuicenses & Pomerani Cæsari conciliati.
An. Christi	1554. Cometa igneo colore comparens, caudamque versùs Occasum Solis dirigens per aliquot dies visus est. *Rockenbachius.*
Event. Trist.	Paulò post Joannes Fridericus Elector & Dux Saxoniæ unà cum Conjuge Sibillâ mortuus. Albertus Marchio Brandenburgicus manus cum Swinfurtensibus conseruit, & in Obsidione victus est. Tumultus etiam in Angliâ, Galliâ & Belgio maximi sunt orti. Pestis item dira in Transylvania grassata. Proximo anno Julius III. Pont. Rom. & Henricus Navarræus obierunt.
Læti.	Pax inter Moscum & Magistrum Livonię conventa. Dissidium inter Augustum & Joannem Fridericum Saxones finitum. Proximus annus fœdere inter Saxones Brandenburgicos & Hassos tum pace Passaviensi publicè confirmatâ, tùm etiam abdicatione Imperii per Carolum V. factâ, & ità auspiciis Philippi filii in Hispaniâ clarus fuit.
An. Christi	1556. Cometes equalis ferè dimidio Lunę pallidi coloris sub initium Martii per duos menses flagrans apparuit. *Chytræus, Rockenbachius, Buntingus, Eckstormius, Cardanus, Keplerus, Leovitius, Ricciolus, Fabricius, Alstedius, Thuanus, Schulerus, Neubusius* & plures alii. Observavit *Joannes Homelius* ex Librâ primùm contrà Signorum ordinem secundùm longitudinem processisse; posteà verò Saturni motum imitatum fuisse, ac secundùm Signorum ordinem progressum esse per Andromedam ad signum Piscium, ubi tandem extinctus est. Addit etiàm radios vesperi in meridiem, mediâ verò nocte in Occasum fuisse conversos, neque comam huic aversam à Sole fuisse, donec à Sole remotus fuit minus quadrante circuli.
Event. Trist.	In Italiâ, Hungariâ, Livoniâ & Galliâ bella cruenta secuta sunt: Item mors duorum Electorum Adolphi Coloniensis & Joannis Trevirensis. Orta etiam clades pecoris, & caritas annonę in Belgio.
Læti.	Hispani & Angli ad S. Quintinum feliciter depugnârunt die 10. Augusti. Cęsi sunt 5000, capti 10000. homines. Secutę sunt quinque annorum induciæ inter Cæsarem, Hispanum & Gallum. Annum aliàs Cometæ apparentis calidum fuisse, siccum & maximè salubrem & fœcundum memorat *Thomas Erastus.*
An. Christi	1557. Cometa gladiformis in signo Sagittarii mense Octob. versùs Occasum apparuit. *Rockenbachius, Herlicius, Eckstormius, Ricciolus.*
Event. Trist.	Hunc Cometam inundationes maximę in Italia & Siciliâ secutę sunt. Seditiones etiam in Livoniâ exortę.
Læti.	Hoc anno controversia 50. annis de ditione Cattorum Melibocorum inter Ottonem, Henricum & Augustum Septemviros, Wilhelmum Clivensem & alios agitata Francofurtensis Conventûs auctoritate composita est. Caletum & alia loca â Gallis fuerunt recuperata. Pax item inter Sigismundum Augustum, & Wilhelmum Fürstenbergium Archiepiscopum Rigensem, ac Ordinis Gladiatorum Magistrum in Livoniâ est constituta.
An. Christi	1558. Cometa atri coloris veru imaginem exhibens vesperi sub coma Berenices â die 6. Augusti ad diem 21. Septemb. flagrans apparuit. *Fabricius, Buntingus, Rockenbachius, Ricciolus & Alstedius.* Duos porrò hoc anno Cometas ponit *Eckstormius*, unum Mense Martio Torpati visum, alterum in Augusto.
Event. Trist.	Hunc Cometam mors Caroli V. Imp. 27. Septemb. in cœnobio morientis è vestigio secuta est. Item obiit mense Novembri ipsius nurus Maria Regina Anglię, eodemque die Reginaldus Polus. Dithmarsi â Duce Hol-

landiæ

	landiæ victi. Mosci in Torpacensem Livoniæ provinciam irruperunt, atque igne ferroque omnia devastârunt.
Læti.	Hoc eodem anno pax inter Hispanum & Ferrariensem, tùm inter Genuenses & Turcas; denique inter Brandenburgicos Agnatos Saxones, Hassos, aliosque composita. Hoc quoque tempore Livonia Mosciæ potentiæ impar tutelæ Regis Poloniæ se credidit, eidemque accessit. Fridericus II. diademate regio Daniæ insignitus.
An. Christi	1559. Cometa sub finem Maji usque ad 22. Junii in Oriente visus est. *Ricciolus.*
Event. Trist.	Hoc anno mortuus est Henricus II. Rex Galliæ, & paulò post Paulus IV. Pont. Rom. ac 15. Cardinales, Hercules Dux Ferrariæ, Rex Daniæ, Dux Venetorum Laurentius, multique Principes alii. Perfidia etiam Hugonotorum erupit manifestiùs.
Læti.	Hoc anno pax Cameracensis post longas disceptationes inter Hispanos, Anglos & Gallos conclusa fuit.
An. Christi	1560. Mense Decembri per 28. dies Cometa in Gallia visus est. *Rockenbachius & Eckstormius.*
Event. Trist.	Mox obiit Franciscus II. Rex Galliæ. In Bohemia, Moravia, Austria vicinisque locis pestis dira inter homines grassata est. Ortum etiam bellum diuturnum inter Regem Daniæ & Regem Sueciæ. In Galliâ secuta quoque magna Catholicorum persecutio. Rutheni Moscovitæ in Lithuaniâ & regionibus finitimis per aliquot annos ferro quævis devastârunt.
Læti.	Eodem anno induciæ inter Ferdinandum & Solymannum initæ. Pax Religionis in Galliâ sancita. Sequens annus coronatione Caroli IX. Galli & Erici Sueci lætus extitit. Maximilianus II. paulo antè Rex Rom. & Bohemiæ, nunc quoque Rex Ungarorum renuntiatus. Anno 1563. secutæ duæ memorabiles victoriæ Polonorum, quarum unam Stanislaus Lesniowolski Castellanus Czerscensis ad Nevlam, & Nicolaus Radzivilius Palatinus Vilnensis & Lithuanici exercitûs Imperator ad Ulam de Moscis Livoniæ & Lithuaniæ incubantibus obtinuerunt.
An. Christi	1564. Cometa exarsit. *Eckstormius.*
Event. Trist.	Obiit hoc anno Ferdinandus Rom. Imperator. Bellum in Transylvaniâ & insula Maltâ exortum: Fuit tamen hæc à Turcis frustrà oppugnata.
Læti.	Ferdinando feliciter successit in imperio Maximilianus II. Pax domestica hoc anno in Galliâ recuperata. Eodem anno Gallus cum Elisabethâ Angliæ fœdus iniit, & cum Helvetiis renovavit. Swendius Eques auratus â Maximiliano II. in Transylvaniam contrà Turcas missus, eos secundis aliquot præliis superavit.
An. Christi Event. Trist.	Secuti sunt maximi belli motus in Belgio. Item Zigethi in Hungaria expugnatio â Turcis, & Nicolai Serinii Herois fortissimi cædes paulò post mortem Solymanni perpetrata.
Læti.	Sequenti Anno Erico ob asperos mores rejecto Joannes paulò antè è carcere, in quem eum frater ejus compegerat, liberatus, regnum iniit. Eodem anno pax, sed parùm fida in Galliis; tum illa ad octo annos conclusa inter Maximilianum, Selymum, & Joannem Transylvanum.
An. Christi	1569. Mense Novembri post Occasum Solis Cometa livido colore, & flammis ardentibus radians in primâ facie quinti gradûs Capricorni propè lucidam Stellam Sagittarii apparuit. *Thuanus, Rockenbachius, Ricciolus.*
Event. Trist.	Hunc Cometam tempestates maximæ, & terribiles terræ motus secuti sunt. Caritas annonæ inaudita in Bavariâ, Sueviâ, Lithuaniâ, Russiâ, Bohemiâ, & Austriâ. Turca Insulam Cyprum invasit, postque diutinam obsidionem, Famaugustam occupavit. Anno 1572. secutæ sunt nuptiæ Parisienses, in quibus plus sanguinis, quàm vini profusum est.
Læti.	Secuta Anno 1572. clades illa memorabilis inter Turcam & Venetos aliorum Confœderatorum Principum copiis adjutos, ubi per 5. horarum spatium inter se digladiantes 6. Octob. de Victoriâ dubii, tandem auxiliante DEO Victoriam in illo prœlio Christiani obtinuerunt ac 50000. Turcarum (exceptis captivis, quorum decem millia fuerunt) interfecerunt, 15000. quoque Christianorum liberârunt. Bassa Turcarum Generalis captus & capite plexus fuit, ipsius deindè caput palo affixum loco Victoriæ ad navem omnibus expositum est. Adhæc pax inter Daniæ & Sueciæ Reges Stetini conclusa. Pax item provincialis in Comitiis Spirensibus sancita.
An. Christi	1576. Cometa Pogonias valdè longam ac latam post se caudam trahens mense Novembri Solem Occidentem sequi visus est. *Chytræus & Eckstormius.*

Eventus

Event. Trist.	Die 12. Octobris Imp. Maximilianus mœrere & curis confectus diem suum obiit. Mortuus item Fridericus III. Elector Palatinus. Secuta etiam bella in Belgio, Galliâ & aliis locis.
Læti.	Stephanus Bathorius Transylvaniæ Princeps Regno Poloniæ præfectus. Maximiliano quoque in Imperio feliciter successit Rudolphus II.
An. Christi	1577. Sub Aquila volante in Asterismo Antinoi horribilis Cometa à die 10. Novemb. ad diem 26. Januarii anni sequentis apparuit. *Fabricius, Eckstormius, Gassendus, Calvisius, Alstedius, Reidanus, Sifardus & plures alii. Ricciolus* eum 79. diebus flagrâsse scribit.
Event. Trist.	Secutum bellum Mauritanum, quo deindè Anno 1578. die 4. Augusti Sebastianus Rex Lusitaniæ & Mahometes Mauritaniæ Rex vitam amiserunt. Abdelmelecus autem Victor in fervore pugnæ apoplexiâ mortuus Victoriam & Regnum Hameto fratri peperit, & reliquit. Secuta etiam Seditio Coloniensis. Provinciæ Belgicæ plures â Rege suo defecerunt. Mortuus item in castris Belgicis Joannes Austriacus. Angli etiam diram in Catholicos sævitiam exercuerunt.
Læti.	Temperata & salubris secuta fuit aëris constitutio, undè lætus frugum, fructuumque proventus successit.
An. Christi	1578. die 16. Maij post occasum Solis Cometa versùs Ortum & Meridiem conspectus, qui caudam prælongam versùs Septentrionem protendit. Hunc alii duo minores Cometæ secuti sunt. *Rockenbachius.* Accuratiùs alterum Cometam obscurum & pallidum hoc anno mense Octobri in fronte Pegasi visum, qui cùm priùs sparsisset comam Orientem versùs, tandem versùs Septentrionem projecerit, scribunt *Eckstorm. & Fabr.*
Event. Trist.	Gravis pestis Saxoniam afflixit. Fuit etiam hic annus valdè pluviosus, undè minùs felix provenit & sequenti anno caritas annonæ est orta.
Læti.	Alexander Farnesius Trajectum ad Mosam longâ & difficili licet obsidione pressum tandem in potestatem redegit, deindè & Sylvam Ducis, Mechliniam, & Groningam deditione pariter accepit. Reconciliatio Wallonum secuta; tum & tres Belgii provinciæ, Artesiæ, scilicet, Hannoniæ & Galliæ Flandriæ partæ. Annus item Cometæ fuit Natalis Ferdinandi II. Gloriosissimi deindè Imperatoris.
An. Christi	1580. In Octobri Cometa initio pusillus conspectus est, qui versùs Meridiem paulatim deflectens motu retrogrado signa Piscium, Aquarii, Capricorni, & Sagittarii percurrit. Deindè Septentrionalis ascensu factus celerrimo motu versùs Aquilam volantem in signo Capricorni & Sagittarii latitudinem Septentrionalem maximam adeptus est. Indè motum suum versùs Serpentarium dirigens â 21 Nov. usquè ad ultimum ejusdem Stationarius fuit. Tandem circà principium anni sequentis extinctus est. *Rock. Bucholzerus, Sifard. Ric. Mæstlinus, From.* Memorat etiam *Keck.* hunc Cometam fumidum fuisse & excretiones sulphureas habuisse.
Event. Trist.	In Belgio sæva bella & ancipiti fortunâ res actæ. Proximo anno secuta est conjuratio Anglica ab Edmundo Campiano & aliis Sociis facta. Clades etiam Moscorum secutæ.
Læti.	Alexander Farnesius octo provincias præter Urbes in Brabantiâ, aut obsidione domitas, aut officiis & curis ad obsequium traductas numeravit, & à Rege plenam administrationem accepit. Res itaque Hispanorum lætæ, victoria Hedembergensis, soluta Groningæ obsidio, Bouchemii & Nivellæ, Tornacique deditio, Condæi occupatio, Bredæ expugnatio, aliaque secuta. Anno item, quo Cometes luxit, & proximo non tantùm Polonus sed & Suecus rem contrà Moscum alienorum arrogantem feliciter egit. Undè unterque pluribus locis, urbibus, & provinciis potitus est. Anno 1581. Calendarii emendatio per Gregorium XIII. Sum. Pontificem instituta est.
An. Christi	1582. Cometa conspectus est, qui ab initio Martii fuit matutinus, postea verò vespertinus desiit circà medium Aprilis. *Ex Santatio & Joanne Camillo Glorioso Ricciolus.* Alii Cometam immensæ magnitudinis hoc anno in Majo comparuisse memorant, ut *Rockenbachius, Bucholzerus, Eckstormius, Camdenus & alii.* Unum tamen & eundem fuisse putat *Lubieniecius*, qui ex matutino vel mutatâ declinatione & ascensione rectâ, vel Solis cursum antevertens eum à tergo relinquendo vespertinus factus desiêrit medio Aprilis; vel quod nubes spissiores ejus conspectum ad tempus eripuerint, vel quod Horizontem nostrum subierit videri, & Mense Majo, postquam satis magnum spatium emensus est, rediêrit, sequè iterum sic conspiciendum præbuerit.
Event. Trist.	Secuta mors Henrici III. Regis Galliæ cultello à Monacho interfecti, itidemque Ducis Guisii. In Belgio Mars plurimum sævire perrexit.
Læti.	Hispanis hic annus Vulnere Arausionensis, quem excussâ tubo pilâ Sicarius Cantaber vulneraverit, tum in potestatem redacta Aldenarda, Lirâ, Cameracio arce, aliisque urbibus, & felici apud Bergam ad S. Winoci, & ad Gandavum cum Alenzonianis & Andianis conflictu, tum etiam Vi-

	ctoriâ navali de Antonio Regni Lusitaniæ Usurpatore obtentâ lætus fuit. Pax etiam à Polono cum Mosco composita, auctoritate Comitiali sancita, Livonia recepta, & ordinata; item Hungaria Augustanorum Comitiorum liberalitate adversùs Turcicas incursiones munita.
An. Christi	1583. Cometa post conjunctionem in Ariete (undè etiam à Leovitio prædictus) visus est. *Schosserus & Eckstormius.*
Event. Trist.	Funestum bellum in Archiepiscopatu Coloniensi exarsit, ubi Ernestus Dux Bavariæ adversùs Gebhardum Truchesium Protestantium fidem amplectentem, ac Uxorem ducentem, libertatemque Religionis subjectis concedentem Archi Episcopus declaratus est.
Læti.	In Belgio Duinquerca intrà 6. dies à Parmensi amissis non pluribus, quàm 12. suorum deditione à Gallis factâ & mox Neoportum post dies septem factâ, pariter ab Oppidanis deditione, tum post alia loca Zutphania capta, aliæque Parmensis victoriæ, & læti hoc anno rerum successus contigerunt.
An. Christi	1585. Cometa ferè crinitus & fuscus magis quam fulgidus mense Octobri in Piscibus versùs Meridiem secundùm signorum seriem celerrimo motu progrediens observatus est, ac tandem circà Medium Novemb. disparuit. *Rockenbachius, Alstedius, Tycho, Rothmannus, Ricciolus.*
Event. Trist.	Secutum bellum Argentoratense propter electionem Episcopi. Dissensiones item & Gallici tumultus. Anno seq. Asiam minorem, Austriam, & Hungariam pestis: Italiam & Belgium fames; Constantinopolim locustæ devastârunt. Secuta etiam classis Hispanicæ clades, & ponè Bergas ad Zomam strages ex insidiis in Parmensis copiis edita. An. 1587. Mariæ Stuartæ Reginæ Scotiæ ferali sententiâ impiæ Elisabethæ ejusdem cognatæ augusta cervix per carnificem securi percussa est.
Læti.	Hispani rem expeditâ virtute in Belgio gesserunt, imprimis Bruxellas & paulo post Antverpiam Urbium pulcherrimam ac munitissimam inter has & Mechliniam Urbem non minùs validam quàm elegantem & opulentam deditione, item Noviomagum & Dosiburgum, item Graviam, dehinc Venlonam & Noresium licet magnâ obsidentium & obsessorum clade: Rursùs Daventriam & Zutphaniæ castrum cœpêre.
An. Christi	1590. Cometa circà festum S. Matthiæ observatus est. *Schorerus.* Accuratiùs eum describens *Ricciolus* ait, in occiduâ Cœli plagâ ad caput Piscis Borei propè Occasum æstivum spectari cœpisse; vesperi verò versùs Andromedæ pedes ad pedes Cassiopejæ evanuisse acquisitâ indies majori latitudine, ac declinatione boreali & diebus 11. arcum grad. 42. m. 10. confecisse, atque initio velociorem, sensim deindè tardiorem fuisse scribit.
Event. Trist.	Hoc anno obiêrunt duo Pontifices Rom. nempè Sixtus V. & Urbanus VII. secutus in Austriâ terræ motus, quo etiam Viennæ turris S. Stephani concussa haud leve damnum perpessa est. Bellum item atrox inter Suecum & Moscum subortum, Scythis ab illo in auxilium adscitis. Sed nec alibi res quietæ fuerunt in Galliâ præcipuè, & Belgio, tum & in Croatiâ.
Læti.	Pax Turcica cum Polonis composita. Coloniensis quoque ditio hoc tempore recenti pace recreata.
An. Christi	1593. Cometa à die 10. Julii usque ad 21. Augusti ante Solis ortum, motum habens retrogradum, eumque à Cancro per Geminos & Taurum instituens visus est, ità ut die 17. Augusti propè circulum Arcticum in principio Tauri sit observatus; at die 21. Aug. propè Cepheum evanuerit. *Rockenbach. Bucholzerus, Eckstorm. Ricciolus & Fromondus.*
Event. Trist.	Secutum bellum Turcicum, quod Germaniæ Principibus multùm negotii fecit. In Belgio quoque res non adeò feliciter successerunt.
Læti.	Ex transitu Regis Galliæ Henrici IV. ad Ecclesiam Romanam induciæ cum reformatæ Religionis asseclis factæ. In Hungariâ geminam victoriam Rudolphus Imp. de Turcis reportavit, & Fillecum, Zabatium, Devinam multaque alia loca paucis diebus occupavit. An. item proximo Novigradum, Bresencam, & alia loca in potestatem redegit. An. deniquè 1592. Moldaviæ & Valachiæ Principes Sigis: Bathorei Transylvani fidem secuti suscepto adversùs Turcam bello non exiguum Cæsaris partibus momentum addiderunt: Capta Babotzea, Strigonium, Vicegradum, arx Budæ imminens aliaque quam plurima loca. Victoria etiam ad Strigonium & in Walachiâ parta. A. 1594. Pax inter Suecum & Moscum composita.
An. Christi	1596. Cometa barbatus in plaga Septentrionali exarsit, qui peragravit Cancrum, Leonem & Virginem, ac sub ore Ursæ minoris animadversus festinavit ad Comam Berenices. *Rockenb. Eckstorm. Kepl. Ricciolus & Alstedius.* Meminit quoque *Josephus Bonfilius in hist. Siculâ par. 2. libr. 10.* duos hoc anno Cometas sub Ursâ majori visos esse.
Event. Trist.	Secuta fuit magna siccitas & terræ motus in Asiâ. Subsecuta deindè annonæ caritas, & pestis. Item Agria à Turcis deditione occupata,

	fide quidem nostris priùs data de libero recessu, sed non observata, captis nempè primariis & in Turciam abductis, reliquis verò militibus miserabiliter trucidatis.
Læti.	Clissa & Vaccia à nostris capta cum victoriâ de Achamete Bassa Temesvariensi obtentâ. Gallus etiam egregiam victoriam Duce Bironio de Warembonio capto & Cujacensi fugato retulit.
An. Christi	1597. Mense Julio à die 16 ejusdem Cometa visus est, qui ad diem 9 Augusti flagravit. *Ricciolus.*
Event. Trist.	Sæva bella continuata in Hungariâ, Belgio & Galliâ aliisque in locis. Secuta an. 1601, obsidio Ostendæ, quæ ultra 72000 obsidentium & obsessorum hausit.
Læti.	Cæsar in Hungariâ prosper fuit contrà Turcas recuperatis aliquot locis. Gallus pari fortunâ in recipiendo Ambiano & domando Sabaudo felix extitit. Pax quoq; inter Hispanum & Gallum ad Vervinũ redintegrata. Añus item 1599 ultimus hujus sæculi fuit in omnibus fœcundissimus.

COMETÆ SÆCULI XVII.

An. Christi	1602 Cometa in pectore Cygni apparuit. *Eckstorm.* Verùm *Alstedius* hunc Cometam Superioribus accenset. Indicat verò quosdam hoc Phenomenon sicut & proximorum Annorũ 1604 & 1607 pro novis stellis habere, cùm *Ricciol.* hujus tantum an. 1602 & 1604 novis stellis accenseat.
Event. Trist.	Ordines Belgici magnis copiis ex Germaniâ & Angliâ contractis Brabantiam invadentes Graviam expugnárunt. In Hungaria perdita Alba Regalis: In Galliâ & Brittanniâ seditiones Ducibus Bironio & Essexio ortæ. In Angliâ pestis horrenda Londini maximè an. 1603. Demetrius Moscus è summâ gloriâ in summum devolutus est dedecus. An. 1606. A. 1607 ineunte gravissima inundatio secuta, quæ Angliam damnis nullo auro redimendis affecit.
Læti.	Transylvania à Bastâ in Cæsaris potestatem redacta Mose Zedero profligato & Sigismundo Batoræo Cæsaris potestati se permittente. Recepta item Pestum & Adon munitissima & peropportuna propugnacula. Jacobus mortuâ Elisabethâ magnæ Brittanniæ Rex declaratus.
An. Christi	1607. Mense Septembri sub tempus Æquinoctii Autumnalis crinitus apparuit Cometa, qui caudâ in ortum directa velocissimo versus Meridiem cursu à sinistro humero Bootis ad pedem dextrum Serpentarii properando tria signa, libram nempè Scorpium & Sagittarium perambulavit. *Arthusius, Calvitius, Herlicius, Theod. Majus, Eckstormius, Keplerus, Longomontanus, Vendelinus, Keckermannus, Petrus Crugerus & plures alii. Ricciolus* præ cœteris Cometæ hujus historiam ex tabulis Kepleri & Longomontani accuratiùs contexuit.
Event. Trist.	Secuta bella in Moscoviâ & Moldaviâ, commotiones in Austriâ ob negatam à Matthiâ Cæsare Sacrorum libertatem.
Læti.	Obtenta memorabilis victoria de Moscis ad Clusinum dedito Basilio Suisco qui per Demetrii ruinam ad imperium grassatus erat, deditâ & Metropoli Moscoviâ filio Regis Uladislao imperium acquisitum & anno sequenti Smolenscum magnâ virtute expugnatum & recuperatum. Anno quoque proximo à Cometæ apparitione natus Ferdinandus III. Imperator Gloriosissimus, Augustissimi nostri Leopoldi parens.
An. Christi	1610. Cometa in Cœlo visus est. *Dan. Berckring.* & ex eo *Lubienicius.*
Event. Læti.	Conversa rerum Sigismundi fortuna. Amissa anno 1612 Moldavia, extemplò deindè secuta Potociana in Moldavia clades & Tartarorum invasio. Secuta etiàm pestis Cracoviensis: Militum Moscicorum Seditio, ac iterata Tartarorum irruptio. Offensæ Turcarum ex injuriis Cosacicis ortæ. Smolensci obsidio, Lithuaniæ vastatio, Atrocissima Podoliæ, & Voliniæ per Tartaros direptio.
Læti.	Pax inter Saxonicam & Brandenburgicam domum, illam Feudi, hanc successionis jus asserendæ hæreditati afferentem an. 1611 imposita. An. 1613 Danus cum Sueco, & Sabaudus cum Cardinali Mantuano fratris Francisci sine virili stirpe mortui hæreditatem adeunte pacem iniit. Hanc an. 1615 Pax Turcica, Sabaudo-Hispanica, Wormatiensis & Brunsuicensis excepit. Successit deindè & pax Gallica, tùm Dano Suecica, & Sueco-Moscica, deniquè & Polono-Moscica.
An. Christi	1618. Cometa prolixâ admodum cauda formidabilis in Cœlo ardere cœpit. *Eckstormius* & alii quamplurimi. Verùm & *Ricciolus* hoc anno 5 Cometas conspectos notat, ac plures simul, quorum tamen quartus maximus fuit. Quatuor tamen communiter afferuntur. Licet etiàm primarium illum Mense Novembri visum, pleriquè 30 tantum diebus flagrâsse existiment; Teste tamen *Ricciolo* & *Wendelino* diebus 59, & ampliùs duravit. *Eckstormius* ei 67 dierum durationem assignat De amosissimo hoc Cometâ scribitur, eum ad ultimos Novemb. dies

	observatum fuisse infra Lunam: Indè verò suprà Lunam scandisse, ut idem *Ricciolus* ex observationibus variorum Authorum ostendit.
Event. Trist.	Secuta mox hyems sicca & squalida. Mortua etiam in Decembri Anna Imperatrix. deindè & anno sequenti die 20 Martii Imperator Matthias. Secutæ porrò ingentes turbæ & clades: ortum bellum Bohemicum, & Bethlemi Gaboris eruptiones in Hungariam, & aliæ multæ calamitates, quæ deindè Germaniam & Italiam miserè dilacerârunt. Facta quoque Tartarorum in Podoliam & Russiam irruptio, ac belli Turcici denuntiatio. Tandem an. 1621 bellum Turcicum difficillimum & periculosissimum erupit. Successit bellorum Suecicorum moles, quæ longiùs duravit, ac miserrima malorum lerna Germaniam affecit.
Læti.	Pax Austriæ cum Venetis, & Sabaudiæ cum Mantuano composita. An. 1619 Ferdinando II. Augustum diadema magno omnium gaudio collatum. Pax item successit cum Bethlemo inita.
An. Christi	1652 exeunte. & 1653 ineunte Cometa circà constellationem Leporis visus est. *Gassendus, Wendelinus, Kirstenius, Müllerus, Licetus, Hevelius, Ricciolus* & alii quàm plurimi. *Auctor Diarii Europæi* hunc Cometam ortum esse sub Orione, velocis cursûs fuisse & in asterismo Persei disparuisse scribit.
Event. Trist.	Subortum bellum internecinum Cosacicum. Inde an. 1654. Moscicum, & ex hoc circum acto anno Suecicum, Danicum & Holsaticum. Anno 1656 secuta pestis illa Neapolitana omnibus sæculis memoranda, quâ ad trecenta millia hominum spatio 5 mensium extincta sunt, & totum Regnum Neapolitanum ad ultimum usque exitium laboravit, Romam deinde irrepsit, sed mitiùs pergrassata; tandem Genuam adorta ingentem etiàm hominum stragem edidit.
Læti.	Pax & fœdus inter Anglos & Hollandos pactum. Deindè Ludovicus XIV. anno ætatis 14 diademate insignitus Regni Gallici gubernacula auspicatus. An. 1655 pacis fœdera inter Gallos & Anglos, Suecos & Hollandos, hos & Electorem Brandenburgicum sancita fuerunt. Inter hæc & an. 1655. *Gloriosissimus & Augustissimus Imperator noster Leopoldus Hungaricum, proximo Bohemicum Regnum & paulò post anno scilicet 1658 Imperium Romanum maximâ omnium lætitiâ auspicatus.* An. deinde 1660 Carolus II. magnæ Britanniæ Rex in avita regna gloriosè restitutus est.
An. Christi	1661. Mense Februario Cometa ad caput Aquilæ, sivè Vulturis volantis exarsit. *Erhardus, Weigelius, Author Diarii Europæi, Hevelius, Bullialdus & alii.*
Event. Trist.	Hoc anno 1 Novembris mortuus est *Philippus Prosper* Infans Hispaniæ. In Poloniâ secuta diffidia, bellumque Civile, aliaque mala plurima, inter hæc & bellum Lusitanicum duravit. Turcicum etiàm an. 1663 viribus totius Imperii & auxiliis Gallicis gestum, quo præter alia *Neohusium* in Hungariâ à Turcis occupatum. Anno quoque 1663 pestis in Hollandiâ aliisque locis grassata.
Læti.	Hoc eodem, quo Cometes luxit anno, natus Ludovicus Delphinus Galliæ: deindè pacti feliciter tractatus inter Episcopum & Urbem Monasteriensem, tùm inter Suecum & Moscum, inter Anglos & Suecos, Hollandos & Portugallos eodem illo an. 1561. sanciti. Proximò verò inter Gallos & Suecos renovati: inter Gallos & Hollandos novo fœdere firmati, inter hos & Anglos; tùm & inter Tunetanos & Algerienses ad reddendam quietem mari, & libertatem commerciis, nec non & inter Anglos & eosdem Algerienses ac Trypolitanos pyratas ad eundem finem instituti.
An. Christi	1664 & 1665. Duo Cometæ visi sunt, quorum primus quibusdam Mense Nov. pluribus tamen Decemb. usque in Martium seq. an. 1665 apparuit, visusque primùm in capite Corvi, hinc ad Navim descendit & rursùs ad caput Arietis conscendit, cùm per Ceti caput transiit, ubi multis stellis occurrit, diurno motu abreptus nunquàm à semitâ suâ deflexit, quod eum multò sublimiorem Lunâ fuisse demonstrat. Eodem an. 1665 Mense Aprili alter in Pegaso & Andromeda apparuit, sed illucescente diluculo, undè radiis solaribus oppressus non potuit satis accuratè observari. *Cassinus, Du Hamel, Lubieniecius, Hevelius, Ricciolus, & alii innumeri.*
Event. Trist.	Secutum An. 1665. bellum Navale inter Hollandos & Anglos: item bellum terrestre inter Hollandos & Episcopum Monasteriensem. Eodem anno pugna inter Hispanos & Lusitanos exorta; bellum quoq; Venetorum cum Turcis. Mortuus Philip. IV. Rex Hispan. A. 1666. Brema à Suecis obsessa. Novus Judæorum Pseudo Messias ex Sabbathæi Lævi & Smyrno oriundus Judaicæ genti imponendo plurimũ nocuit. A. 1667.

Irruptio

	Irruptio Gallorum in Belgicas Regias Provincias facta occupatis ibidem variis Urbibus. Candia â Turcis obsessa. Eodem anno mortuus Alexander VII. Pont. Max. Facta quoque irruptio Tartarorum in Poloniam.
Læti.	Successit Pax Lusitanica. Eodem An. 1664. occupatæ â Cæsareis quinque Ecclesiæ in Hungariâ. Combustus pons Esseckanus Turcis commodus. Compositio facta inter Papam & Regem Galliæ. Felix pugna & Victoria Christianorum ad S. Gotthardum. Elector Moguntinus Joannes Philippus Erfordiam recuperat. Galli occupant Urbem & portum Gigeri in Africâ. Anno 1665. pax Cæsarem inter & Turcas composita. *Leopoldus* Augustus sponsam ducit ex Hispaniâ. An. 1667. pax firmata inter Hollandos & Anglos. Successit in Pontificatu Romano Cardinalis Rospigliosi, dictus deindè Clemens IX.
An. Christi	1668. Mense Martio visus est Cometa capite destitutus: Cauda duntaxat apparebat in Eridano, nec motu diurno abreptus situm suum inter Stellas fixas mutabat. Inter easdem Stellas in Persiâ visus est, atque Aristotelis temporibus huic similis Cometa eodem in loco, similique motu in Septentrionem & Orientem delatus, in Orionis tandem constellatione disparuit. *Du Hamel Physic. part. 2. cap. 11.*
Event. Trist.	Hoc eodem Anno Candia post diutinam obsidionem à Turcis occupata. Deindè Alphonsus Portugalliæ Rex coactus cedere regno; Rex verò Poloniæ Casimirus spontè regno renuntiavit. Secutus quoque hoc eodem Anno ingens terræ motus, quo Ragusa miserè vastata. An. 1669. mortuus Clemens IX. Pont. M. An. 1670. irruptio Gallorum facta in Lotharingiam. Initia quoque belli Gallici cum Hollandis An. 1671. succreverunt.
Læti.	Hoc eodem Anno fœdus pactum inter Anglos, Suecos, & Hollandos. Pax item inter Hispanos & Lusitanos. An. 1669. Michaël Wiesnowiski electus in Regem Poloniæ, cumque Archiducissâ Austriæ deindè conjugium iniit. Pax firmata inter Turcas & Venetos; item inter Hispanos & Gallos in Belgio.
An. Christi	1672. Visus est Cometa, qui ab Andromedæ capite primùm ad Perseum, tum ad caput Oriens proprio motu progressus in eodem cum pede Persei, & eidem Stellæ proximus observatus est, quod illius quoque magnam â terrâ distantiam confirmat. *Hevelius, Cassinus, Du Hamel.*
Event. Trist.	Eodem Anno Joan. Casimirus Rex Poloniæ obiit in Gallia. Kaminiecum â Turcis expugnatum. Bellum Gallicum cum Hollandis exarsit. Anno 1673. bellum inter Regem Galliæ, Electorem Coloniensem, Episcopum Monasteriensem ex unâ, ac inter Hollandos, Cæsarem & Electorem Brandenburgicum ex alterâ parte subortum. Bellum item maritimum inter Regem Galliæ, Angliæ & Hollandos. An. 1674. Bellum inter Regem Sueciæ & Electorem Brandenburgicum Marchiæ in Prussiâ. Ingens quoque secuta inundatio in Galliâ. Anno 1675. Turenius sex librariâ glande percussus miserè occubuit. Facta quoque clades infelix Crequii.
Læti.	Hoc eodem Anno, quo Cometes luxit, fœdus pactum inter Reges Galliæ & Angliæ; Pax inita inter Turcas & Polonos. An. 1674. pax inter Regem Angliæ & Hollandos pacta; Item inter Electorem Coloniensem, Episcopum Monasteriensem & Hollandos. Anno 1675. Trevirensis Urbs antiquissima â Cæsare recuperata.
An. Christi	1676. â die 14. Februarii ad 9. Martii Cometa fuit observatus, qui caudâ destitutus, ut Stellæ tertii ordinis paulò cæteris obscurior, sed sensim minutatus, cum versùs Orientem proprio motu incessit. *Du Hamel.*
Event. Trist.	Eodem hoc anno contigit pugna navalis inter Hollandos, Hispanos, & Gallos apud Messinam. Mortuus est Clemens X. Pont. Max.
Læti.	Philippsburgum hoc anno feliciter â Cæsare recuperatur. Dux Eboracensis Regis Angliæ Frater amplectitur & publicè profitetur fidem Catholicam. Successit in Pontificatu Romano Cardinalis Odeschalci dictus Innocentius XI. Papa piissimus, & felicissimus, ac per totum orbem gloriosissimus.
An. Christi	1677. Mense Martio sub Andromedâ Cometa visus est illucescente crepusculo, qui brevi radiis solaribus oppressus vix sui copiam fecit. *Du Hamel.* Hic verò in Franconiâ circà 27. April. manè horâ secundâ infrà sinistrum pedem Andromedæ & Triangulum videri cœpit cum caudâ non admodum prolixâ.
Event. Trist.	Hoc ipso anno Galli occupant Valencenas, Cameracum, & S. Audomarum. Hollandi â Gallis cæduntur. An. 1678. Galli è Siciliâ cum rebellibus Siculis fugantur: Occupant tamen alibi Gandavum & Ipras. Subsecuta quoque pestis dira in Hungariâ, aliisque provinciis & regnis Cæsareis, præprimìs autem Anno 1679. Viennæ in Austriâ miserabiliter grassata, ubi â Januario ad Novembrem inclusivè in urbe 49486, in sub-

 urbiis

urbiis suprà 30470. homines periêrunt. Anno 1680. pestis in Bohemiâ, Styriâ & Saxoniâ plurimos extinxit.

Læti. Hoc anno Tractatus pacis Neomagi instituti. Anno verò sequenti 1678. *Natus in Festo S. Jacobi Josephus Archidux Austriæ, proles Cæsarea maximæ spei, & exspectationis.* Pax item inter Gallos & Hollandos ac Hispanos inita. An. 1679. pax inter Brandenburgicum & Suecos pacta

An. Christi 1680. Sub finem Novembris insignis Cometa visus est, cujus cauda ad 62, Argentinæ ad 63. grad. longitudinis apparuit. In Galliâ Narbonensi adeò illustris observatus est, ut mediante ejus lumine nocte admodùm tenebricosâ pagus duabus leucis dissitus in conspectum venerit. *Zodiacus Medico-gallicus An. 3.* In hac nostrâ regione à 29. Novembris Anno 1680. usque ad 5. Februarii Anni 1681. visus est à spicâ Virginis progressum dirigens versùs Ganimedem, ubi ad diem 26. Decembris miri splendoris albicantis caudam amplam, valdeque illustrem & longam per collum Aquilę, ultrà etiam alam dextram Cygni traiiciens apparuit: Perrexit porrò per caudam Delphini, Equum minorem, Pegasum, caput Andromedæ, & caput piscis Borealis ad Triangulum; ultrà quod caudam rarissimam & tenuissimam exhibens, tandem in Februario disparuit.

Event. Læti. Subsecutum Anno 1982. in Januario ingens diluvium variis in regionibus Europæis, quod innumera damna præsertim in partibus inferioris Germaniæ intulit. Alios Eventus tam tristes, quam lætos vide in Cometis sequentibus.

An. Christi 1682. Mensibus Julio & Augusto usque ad 5. Septembris observatus est Cometa cum tenui, rarâ & gracili caudâ, qui per caput Aurigæ, indè juxtà Capellam versùs magis extensum Persei pedem atque indè per Tauri Pleiades in Cetum, ubi & disparuit, cursum suum direxit. Prædixit hunc Cometam diu ante *D. Schimpferus*, in editâ scilicet descriptione Cometæ 1652. ad eundem Annum ob cursum nempè omnium Planetarum unà cum capite Draconis in Julio & Augusto per signum igneum Leonis. Anno quoque 1682. *Hevelius Gedani, & Kirchius Lipsiæ* Cometam observârunt. Ad Annum 1684. alium *Romæ à Francisco Blanchino* in Asterismo Virginis observatum fuisse, & rursùs alium novissimè *à Kirchio Lipsiæ* ad Annum 1686. mense Septembri per pauculos dies visum esse memorat Clarissimus *D. Eimmart. in literis ad me datis.*

Event. Trist. Anno 1683. Bellum ingens Imperatori Christiano cum Turcico exarsit. Vienna à Turcis obsessa devastatis & exustis undique per circuitum variis pagis, villis, Urbibus, & integris regionibus; abductis insuper in servitutem Turcicam multis Christianorum millibus. Anno 1684. Buda incassum à Christianis obsessa & impugnata deperditis 30. Christianorum millibus ad eandem obsidionem. An. 1685. *Luxenburgum* deditione à Gallis occupatum: Item Casalium in Italia. *Genua* quoque à Gallis miserabiliter exusta. Anno 1688. Galli rupto fœdere Romanum Imperium invaserunt: *Philippsburgum* ad Rhenum expugnârunt, aliasque nobilissimas & antiquissimas ibidem Civitates igne & ferro devastarunt. Eodem Anno Jacobus II. Rex Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ regnis suis exutus & expulsus fuit.

Læti. Anno 1683. fœdus initum inter Augustissimum Imperatorem Leopoldum & Regem Poloniæ Joannem II. cujus etiam subsidiis unà cum aliorum Principum Christianorum copiis auxiliaribus Turcæ liberatâ civitate Viennensi feliciter cæsi, & ingens clades Turcici exercitûs facta: Post quam deindè variæ Urbes munitissimæ, comprimis caput & Metropolis Ungariæ Regni *Buda* & plures aliæ in variis aliis provinciis recuperatæ; Rebelles etiam Ungariæ domiti, ac continuò plures Victoriæ reportatæ. Pacto quoque fœdere cum Venetis Christiani exercitus integra Regna & maximas regiones felicissimè à Turcarum sævitie liberârunt, pluraque alia lætissima successerunt; de quibus integra jam volumina conscripta prostant. Anno 1690. Augustæ Vindelicorum Augusta Imperatrix Imperiali diademate insignita fuit, & Archi Dux Austriæ Rexque Ungariæ JOSEPHUS Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI Magni filius Rex Romanorum ibidem renuntiatus & coronatus fuit; cui gloriam & felicitatem, quantam Regia unquam capere fortuna valet, maximam devotissimo corde apprecari libet & festivis plausibus acclamare.

Jo Vi-

Jo Vive Diu!
Chara Jovis Soboles, magnum Patris incrementum
Accresce semper

JOSEPHE

Felix, Inclyte, Juste, Pie,
Romani Imperii & Hungariæ

REX

Teutonicæ gentis flos & amor
Amplius & Constanter
Effloreat in te
Majestas, Virtus, Magnificentia, Potestas
Imperii Romano - Germanici
Nunc verè sub

SOLE DUPLO

illustris:
Ut Patrium jam dudum promisit Nomen

LEOPOLDUS

Sic enim benè
Unitum Imperium cum Patre Gnatus habet.
JO VIVE DIU!
Inque Virtute tuâ semper
Prosperè procede & regna.





DISQUISITIO III.
ATSRO - CRITICA

Qua juxtà Aſtrologorum mentem varia ex cœleſtium corporum naturis, qualitatibus, motibus, congreſſibus, aſpectibus, ſimilibusque accidentibus Judicia formari ſolita ad aliquam Aſtrologiæ Judiciariæ notitiam acquirendam inveſtigantur.

Nter omnes diſciplinas Mathematicas nulla eſt, quæ magis vapulat ab ingenuarum artium & ſcientiarum æſtimatoribus, ac divinatrix ea Facultas, quam *Judiciariam Aſtrologiam* vocant, adeò ut Matheſis etiàm genuina, & ſolida ſolius hujus erroribus, ac vanitatibus aſperſa, deſpiciatur à pluribus: quaſi Mathematici eſſe non valeant, niſi ſint Aſtrologi, & Aſtrologi tantùm ſint Mathematici. Quocircà & *Tacitus lib. 1. hiſt.* Mathematicos cum Aſtrologis confundens ait: *Mathematici, ſeu Aſtrologi judiciarii, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod Romæ & vetabitur ſemper, & retinebitur.* Verùm longè aliud eſt Mathematum cultorem, & aliud Aſtrologiæ addictum eſſe: Siquidem ille ſolidis ſuis demonſtrationibus, ut validiſſimis fundamentis innixus certiùs & evidentius argumenta ſua concludere; hic autem ab aſſecutis quibusdam experimentis, ſivè obſervationibus principia quædam elicere, & deductis indè rationibus tantùm conjectare, judiciaque ſua efformare ſolet. Idcircò etiàm ex Veteribus *Theon.* ille jam olìm *pri. de anim. cap. 2.* ſcribit: *Aſtrologiæ nobilitas amplior eſt merito ſuæ naturæ, circà quam verſatur: demonſtrationes imbecilliores ſunt aliquantò, quàm Geometriæ.* Hoc tamen certum eſt ex *Ptolemæo*, aliiſque pervetuſtis Scriptoribus Divinatricem hanc ſcientiam Authores habuiſſe Chaldæos, ac Babylone primùm viguiſſe: Undè & Aſtrologi, ac Chaldæi quondam à pleriſque pro iisdem habiti ſunt. *A Beroſo* porrò conſtat eam ex Inſulâ *Coö* in Græciam invectam, indè à Græcis in Latium & ad Arabes perveniſſe, toti tandem quaqua patet, orbi inductam fuiſſe, cum tantis errorum, vanitatum, ac ſuperſtitionum monſtris, ut meritò jam olìm legibus tàm Civilibus, quàm Sacris & Canonicis proſcripta, atque non tantùm ab Imperatoribus, ſed & ſacroſanctâ Matre Eccleſiâ Orthodoxâ, velut impia, vana, & Chriſtiano homine indigna damnata ſit. Quia tamen multa nihilominùs in abditis hujus ſcientiæ latebris recondita ſunt, quæ non omninò vana, inepta, ac inutilia planè ſunt, præſertim quæ temporum mutationes, adeoque pluviarum, frigoris, caloris, ſiccitatum, ventorum, atque aliorum hujusmodi accidentium prænoſcendorum rationem concernunt; ideò quâ potero brevitate, & verborum reſtrictione, atque etiam ſaniori quadam methodo aliqua ſolùm ſcientiæ causâ exindè delibare cupio, ut indè ingenuus Lector ſciendorum notabilium, ac mirabilium cupidus habeat, quod mecum ſuſpicere, aut deſpicere queat.

CAPUT I.

Astro-criticæ Scientiæ fundamentum proponitur.



D nodum accuratè digitum intendisse videtur *Card. in Tr. de libris propriis* ajens: *Astrologiæ consideratio per se pulchra est, vinculum intelligere horum inferiorum cum Superioribus; usus autem scire futura, & præcavere posse.* Totum itaque fundamentum Astrologiæ in astralium corporum influxu, sive in connexu quodam sympathico inter res cœlestes, & terrestres consistit; usus porrò ad res futuras prænoscendas deservit. Undè rectè dicebat *Algaziel* ille Arabs: *Qui sciverit catenam connectentem superiora inferioribus, hic mysteriorum maximum penetrabit.* Quomodo verò res inferiores cum superioribus connectantur, facilè quidem est aliquid generaliter de hoc dicere, sed verè & genuinè concipere; & conceptum clarè, ut decet, exponere, difficillimum.

Platonici quid senserint de influxu Superiorum. Platonici omnia inferiora dicebant esse ideata à superioribus ideis: Ideam autem definiebant esse formam supra corpora, animas, mentes, unam simplicem, puram, immutabilem, indivisibilem, incorpoream & æternam, atque eandem Idearum omnium esse naturam. Ponebant autem Ideas, ut explicat *Cornelius Agrippa de occult. Philos. lib. I. cap. II.* primò in ipso quidem bono, hoc est, Deo per causæ modum, solùm esse relativis quibusdam rationibus inter se distinctas: ne, quicquid est in mundo, sine ullâ varietate sit unicum; convenire tamen inter se essentiâ, ne Deus sit substantia multiplex. Ponebant secundò in ipso intelligibili, hoc est, in animâ mundi per formas propriè, atque insuper absolutis formis invicem differentes, ità ut Ideæ in Deo quidem omnes una forma sint, in animâ verò mundi multæ ponantur in sequentibus mentibus sive corpori conjunctis, sive à corpore separatis, participatione jam quadam, & gradatim jam magis magisque distinctæ. Ponebant in Naturâ tanquam semina quædam infima formarum ab Ideis infusa. Ponebant in materia denique ut umbras. Adhæc dicebant totidem in animâ mundi esse rationes rerum seminales, quot ideæ sunt in mente divinâ, quibus ipsa rationibus ædificavit sibi in cœlis ultrà stellas etiam figuras, impressitque his omnibus proprietates. Ab his itaque stellis, figuris, ac proprietatibus omnes specierum inferiorum virtutes, & proprietates dependere dicebant, ità ut quælibet species habeat figuram cœlestem sibi convenientem, ex quâ etiam proveniat sibi mirabilis potestas in operando, qualem per rationes animæ mundi seminales propriam ab Ideâ suâ suscipiat dotem. Afferebant enim Ideas non modò causas essendi alicujus speciei, sed etiam esse causas cujusque virtutis, quæ tali inest speciei; Has rerum virtutes nunquam errare posse, nisi per accidens ratione incapacitatis, aut inhabilitatis materiæ; prout ea nempè impurior, aut inæqualior fuerit. Undè etiam sicut idem *Agrippa* memorat apud eosdem Platonicos commune habebatur proverbium: *Secundum meritamateriæ infundi virtutes cœlestes.* Cujus & *Virgilius* meminit, ubi canit:

Igneus est ollis vigor & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant.

Procli sententia. *Proclus* cum aliis docebat manifestum esse, quod omnia inferiora subsint superioribus, & quodam quasi modo sibi invicem insint; scilicet in infimis suprema, & in supremis infima: sic in cœlo, quod sint terrena, sed sicut in causâ, modoque cœlesti, & in terrâ, quod sint cœlestia, sed modo terrestri, scilicet secundum effectum. Undè dicuntur hic esse quædam Entia solaria, quædam lunaria, in quibus Sol & Luna causant aliquid suæ virtutis: quocircà etiam ejusmodi res recipiunt plures potestates, operationes & proprietates consimiles, ac conformes potestatibus, operationibus & proprietatibus stellarum & figurarum cœlestium, quibus subsunt. Quæ verò res in specie cuidam stellæ, vel signo subsint, cognoscere difficillimum est: cognoscuntur tamen per imitationem radiorum, vel motûs, vel figuræ superiorum; quædam per colores & odores; quædam etiam per suarum operationum effectus quibusdam stellis consonantes.

Opiniones Astrologorum circa dominia Planetarum. Volebant prætereà veteres Astrologi, quidquid in toto reperitur mundo, juxta Planetarum comprimis dominia affici, virtutemque aliquam sortiri: sic in igne vivificum lumen Soli, calorem Marti, variam in terrâ superficiem Lunæ, & Mercurio ac stellato cœlo, totam verò molem Saturno tribuebant: in mediis porrò elementis humorem aëreum dicebant subjacere Jovi, aqueum Lunæ, mixtum verò obtemperare Mercurio & Veneri. Simili ratione in naturâ causas agentes afferebant sequi Solem, materiam verò Lunam, fœcunditatem causarum agentium agnoscere Jovem, fœcunditatem materiæ Venerem, expeditionem velocem ad effectum Marti & Mercurio assignabant; illi nempe propter vehementiam, huic propter dexteritatem, ac multiformem virtutem: cunctorum autem continuationem permanentem ad Saturnum referebant. In Vegetabilium regno omne, quod fructum ferre solet, addictum volebant Jovi, omne flores ferens Veneri, omne

semen & corticem progignens Mercurio; sicut & radicem Saturno, lignum Marti & folia consecrabant Lunæ. Hinc etiam omnia, quæ fructum ferunt, & non florent, Saturno & Jovi subesse dicebant; quæ verò florescunt, & semina, non autem fructum producunt, Veneri, atque Mercurio; quæ autem sine semine spontè producuntur, Lunæ & Saturno subjecta esse credebant. Omnem porrò etiam pulchritudinem, concinnitatem & decorem in vegetabilibus à Venere dimanare, sicut robur à Marte, ac tandem quemvis Planetarum regere, & disponere illud docebant, quod ei quovis modo assimilatur. Similiter in lapidibus agnoscebant pondus, glutimen, & stipticitatem provenire à supremo frigidissimo Planetarum Saturno, beneficium & temperamentum à Jove, duritiem à Marte, vitam à Sole, gratiam & pulchritudinem à Venere, occultam qualitatem, proprietatem, ac virtutem à Mercurio, commune denique beneficium à Lunâ. Ità *ex Corn. Agrippâ Phil. occult. lib. 1. cap. 30.*

Kircheri sententia. Admirabilem superiorum naturarum cum inferioribus consensum magneticæ cuidam facultati attribuendam arbitratur *Kircherus Art. magnet. lib. 3. part. 1. cap. 1.* dum ità scribit: *Cœlum universum cum singulis suis astris magneticâ quadam* (si ità loqui fas est) *vi in hæc inferiora pollere, ego ipsemet, nisi irrefragabili experimentorum demonstratione convictus, nunquam credidissem: Est enim quarundam rerum sublunarium ea cum æthereis corporibus amicitia, ea veluti amoris impatientia, ut nisi amici corporis præsentia perfruantur, nullâ ratione intra terminos à naturâ præscriptos contineri posse videatur, ac Solem quidem omnia sibi copulare, aliisque corporibus vim copulandi communicare, nemo nisi Solis lumine destitutus negabit: Lunam humidioris substantiæ res adeò depereunt, ut nisi ejus amico perfruantur aspectu, contabescant. Cæteri Planetæ suas quoque in sublunari mundo subjectas res habent, in quas mirificas suas facultates influant juxta illud Hebræorum:* Non est herba inferius, quæ non habet stellam suam superius, quæ dicat illi: Cresce. *Ex qua quidem mirificâ rerum omnium magneticâ concatenatione reconditior illa philosophiæ pars emersit, quam Magiâ Veteres appellârunt, quæ superiorum cum inferioribus, id est, activorum cum passivis conveniente applicatione, similiumque cum similibus, dissimilibusque artificiosâ combinatione factâ, miros & invisos effectus producere docet, quas formarum congruitates ad rationes animæ mundi Zoroaster ideò divinas* illices, *ut & Synesius* Magicas illecebras *appellavit.* Ità *Kircherus*, qui pro deducendo suo argumento de Magnete hæc satis bellè concinnat.

Sententia, quæ soli tantùm competere influxum in inferiora docet. Sentiunt nonnulli Solari tantùm corpori influxum in sublunaria competere, eique virtutem unicam aut saltem principalem attribuunt omnium illorum effectuum, qui in terrâ gignuntur. Ità *Antonius le Grand Philos. instit. part. 5. cap. 24.* nullam reliquis Planetis, ac stellis fixis aliam permittit facultatem præter lucem: & quia *lux Solis*, ut inquit, *incomparabiliter major & potentior est, quàm lux fixarum; soli luci Solis tanquam causæ generali, & primariæ naturales effectus sunt tribuendi.* Undè tandem concludit, Solem generalem unicam effectuum, qui in mundo sublunari fiunt, causam esse, qui suâ præsentiâ calorem & absentiâ frigus procreat, cœtera autem sidera nihil in sublunaria quicquam moliri aut agere. Plura vide apud Eundem *loco citato.*

Opinio, quæ tollit cœlis influentiam. Alia quoque opinio, vel potiùs dementia, inquit *Antonius Franciscus de Bonattis Astrosoph. natur. lib. 1. cap. 2.* est Eorum, qui influentias omninò Cœlis tollunt, ità ut nihil operentur, sed DEUS per seipsum omnia absolutè regat. Et in hac sententiâ, ut idem memorat, *Boëtius* scripsit *lib. 4. de consol.* Deum per se solum cuncta disponere, sed quantum ad executionem inferiora per superiora dispensare; Corporalia quidem per spiritualia, & ità omnia tàm suprà, quàm infrà colligata esse inter se, ut una causa aliam moveat, adeò ut necesse sit in hoc mundo infimum superno, supernum infimis creaturis esse sine interruptione ordinis contiguum, ordinatumve. Verùm licet concedendum sit, Deum ter Opt. Max. omnia in mundo gubernare; Negari tamen haud potest, Eum etiam secundis causis speciales quasdam virtutes & potestates concessisse, quæ Primæ subordinatione quâdam deserviant ad mundum ordinatissimè gubernandum; undè & *D. Thomas cont. Gent. lib. 3. cap. 86.* rectè docet: *Inferiora corpora à Deo per superiora gubernari quoad executionem, licet quoad ordinationem disponat per se.* Sed his ità breviter indicatis, ut quid de influxu cœlestium corporum statui tutiùs possit, paucis edicam.

Influxus cœlestium corporum in inferiora asseritur. Sentio imprimis influxum cœlis & contentis ibidem corporibus in hæc inferiora, denegari non posse, cùm ut suprà de Luna & Sole ostendimus, manifesti quidam effectus indè producantur. Neque enim credendum est, cœlestium illorum corporum usum solum esse, ut sint in signa & organa temporis, item ut hemisphærium unum ab altero distinguant, vel ut extent quotidiana Naturæ miracula, & sint visibilia tantùm admirandæ Dei Sapientiæ atque potentiæ specimina, sed peculiares quoque inditas ipsis esse vires, quas exferere in inferiora queant. Haud aliter nempè ac in herbis, plantis & floribus, quæ sunt tanquàm sidera terræ, singularem videmus inesse vim vel ad medendum, vel ad nocendum: ità absimile haud est, sidera quoque singula, quibus ceu plantis, ac floribus cœli sublimis distincta est Regio, pollere aliqua operandi in res sublunares virtute. Undè etiam *Paracelsus Tract. 1. de pest.* stellas nil aliud, quàm herbas & flores esse cœli dicebat, quibus etiam sua sint zizania, hoc est, adversæ malignæque partes, per quorum effluvia hominibus alterationes, ægritudines, mortesque ipsæ ingruerent.

Singulorũ tamen Corporum certus non constat. Tametsi verò certum & indubitatum sit, cœlos, & in iisdem posita corpora influxum in terrenum globum habere, qualis tamen

tamen reapsè fit, cujusvis stellæ, ac quænam cujusque efficacia & virtus, conjectari tantùm potest, certò autem sciri nequit; cùm humanum captum videatur excedere, omnes omnium astrorum in tanta congerie vires nôsse, & ingenio ac intellectu assequi, aut verè discernere. Et licèt etiam constarent singularum stellarum vires propriæ: nihil tamen adhuc omninò certi indè concludi posset, cum sæpè siderum altissimorum influentiæ multarum rerum interventu veluti ventorum, exhalationum, æstûs aut frigoris, aliorumque accidentium atmo-cosmicorum impediantur. Industria quoque humana multùm etiam possit in averruncandâ & hebetandâ Astrorum vi: Hinc illud tritum:

- - - Sapiens dominabitur astris.

Astra inclinant tantùm, non necessitant. Proindè consentiunt etiam in eo Sapientum suffragia, quod astra tantùm inclinent, non necessitent. Undè & *Scotus 2. dist. qu.3. lib. 1. cap. 5.* ait: *Stellæ per naturam operantur in corporibus nostris, & inclinant animam nostram, non cogunt.*

Astra divinæ subsunt ordinationi. Prætereà omninò hoc veritatis fundamentum solidè est muniendum, & cum curâ tutandum & tenendum providentiæ divinæ, quæ est omnium causarum suprema causa, subjectas esse astrorum influentias, ita ut eas aliquandò temperare pro arbitrio possit: Undè etiam vulgò non minùs verè, quàm piè canitur:

Astra regunt homines, sed regit astra Deus.

Proindè benè etiam docuit *Origenes* ajens: *Quemadmodum humana libertas minimè tollitur, quamvis Deus, quæcunque facturi sumus, prævideat, sic etiam signa ex stellis, quæ divinitùs ad significandum ordinata sunt, libertati nostræ nequaquàm officiunt, sed universum cœlum est sicut liber omnia futura in se scripta continens, quæ tamen Deus omnipotens potest delere, augere, & minuere, prout suæ libuerit omnipotentiæ.*

Quid tandem ex astris sciri queat. Verùm ut tandem multa, imò penè cuncta, quæ Scientiam Astro-Criticam concernunt, paucis complectar: Tantùm ex astris colligere possumus, quantùm regularis eorum cursus aliundè non immutatus aut impeditus, diuque observata, ac plurimùm constans experientia, rerum omnium Magistra permittunt; in quâ tamen constare necesse est; hanc & non aliam causam principaliter agentem fuisse. Omninò autem certò, & infallibiliter nihil ex astris, præsertim in iis rebus, quæ arbitrio hominis, & libertati humanæ voluntatis subditæ sunt, colligere, adeoq; verè prædicere possumus, non quod causa non sit, aut mutetur in cœlo, sed quod sæpè subjectum passivum non sit actu semper dispositum ad patiendum, & recipiendas impressiones cœlestes, ac in instabili Elementaris materiæ, sociabiliq; cum aliis statu multa possint intercidere, undè activorum seminaria disturbari queant; Cum ut rectè docet *D. Thomas lib. 3. cont. Gent. cap. 86. impressiones causarum naturalium recipiantur in effectibus secundùm recipientium modum.* Igitur ut aptis tandem versibus rem præsentem concludam:

Non sic ambiguo volvuntur sidera casu;
Nec nuda hoc tantum mens moderatur opus,
Ista Creatricis sed sunt vestigia mentis,
Quæ stellis regit hæc Inferiora suis:
Quæ sua temporibus sic intervalla creavit,
Omnibus incolumis rebus, ut usus eat.



CAPUT II.

De Astro-criticæ Scientiæ, sive Astrologiæ Divinatricis naturâ & partibus juxtà Astrologorum mentem.

Astrologia quid sit.



Strologia, quæ ex astris loquitur, aut futura aliqua conatur prædicere, vocatur aliàs Ars divinandi ex astris, eorumq; vario positu, atque aliis attributis aut accidentibus: Accuratiùs autem appellatur Scientia, quæ physicis rationibus, & variorum experimentorum annotatione vires & effectus corporum cœlestium, quibus sympathiâ quâdam in Elementis, elementatisque corporibus mutationes excitantur, accuratè scrutatur: & quomodo indè temperamenta, & inclinationes in corporibus hominum mutationes auræ, & similia tanquam effectus causarum prævideri ac prædici possint. *Cardanus in tract. de lib. propr.* partes Astrologiæ enumerat novem, quæ nempe sunt (ut ipsiusmet verbis enarrem) *viaere generales mundi constitutiones, quæ ex revolutionibus inerrantium statis temporibus. Propria Provinciis, magnisque Regionibus, in quibus nihil extrà observatur; Observationes ex initiis Urbium ac Regnorum, quam visfallaces; Visionum in sublimi interpretatio; constitutiones temporum, ortus & occasus siderum cum Ventorum circuitu, geneses, processus, reditus annui.* Ità *Cardanus.*

Astrologia Naturalis est vel Artificialis.

Verùm ut methodicè ac genuinè magis rem pertractemus: Astrologia meliùs imprimis dividitur in *Naturalem*, & *Artificialem* sive *Judiciariam.* Prior illa est, quæ ex corporum cœlestium, sive astrorum, maximè Planetarum ortu, occasu, conjunctione, variâque invicem habitudine, sive aspectu ac etiam ex colore & apparentiâ de futuris Elementorum affectionibus conjectat; de quibus multa in *Georgicis Virgilius*, & in Phænomenis *Aratus*, ac plures alii. *Joannes ab Indagine in præfat. Astrol. Nat.* dicit, hanc speciem nihil aliud esse, quàm Naturalis Philosophiæ absolutam consummationem, sed magnificentiùs, ut opinor, quàm veriùs. Altera Judiciaria Astrologia est, quæ observato siderum aspectu judicat de futuris etiam à libero arbitrio quodammodo dependentibus.

Astrologia Introductoria & Exercitatoria.

Alii dividunt Astrologiam in Introductoriam & Exercitatoriam, ut memorat *Schottus lib. 10. Curs. Mathem. cap. 1. Introductoria* est, quæ versatur circa principia judiciorum, quæ scilicet sunt Naturæ, vires & qualitates Planetarum, & reliquorum siderum, nec non etiam partium cœli, & quæ sunt eorum omnium inter se commixtiones, & habitudines. *Exercitatoria*, seu *Operatoria* est, quæ ex his principiis futuros rerum eventus indicat, ac prænuntiat. De Principiis autem Astrologicis ità loquitur *Cardanus Aphor. astron. segm. 1. Aphor. 13. Principia*, inquit, *artis sunt tria, Ratio, Sensus, Experimentum. Principia verò operationum sunt quatuor; Planetæ, partes cœli, fixæ, & situs.*

Exercitatoria Astrologia subdividitur in quatuor alias partes. Prima est de universi mundi statu, agitque de principiis, mutationibus, & excidiis Urbium, Provinciarum, Regnorum, Imperiorum & Monarchiarum; ubi & quando pax, bella, seditiones, sectæ, pestilentiæ, terræ motus, inundationes, sive diluvia, & ejusmodi alia bona, vel mala contingunt.

Exercitatoriæ variæ species. 1. Tractat de universi mundi statu.

Secunda est, quæ agit de mutationibus aëris, ac prædictione eorum, quæ in aëre contingere solent; ut sunt frigora, grandines, pruinæ, pluviæ, nebulæ, æstus, siccitates, fulmina, tonitrua, ventorum turbines, ac tempestates; quævè etiam deindè hinc enasci solent, ut sunt aëris corruptio, vel salubritas, annonæ copia, vel penuria, terræ motus, inundationes & ejusmodi alia.

2. De mutationibus temporum.

Tertia considerat genituras hominum, & propriè Genethliaca appellatur, versaturque circà privatam cujusque hominis vitam quoad statum corporis, fortunam, lucra vel damna, fratres, conjugia, liberos, valetudinem, Religionem, officia, ac dignitates, beneficia, mortem denique, & alia hujus generis, quæ contingenter homini evenire possunt.

3. De Genituris.

Quarta denique tractat de initiis operum, actionum, rerum, ægritudinum: de electionibus temporum singulis rebus convenientium in commodum agriculturæ, œconomiæ, navigatoriæ ac medicæ artis, de quibus jam suprà aliqua inspersimus, & infrà plura pro natâ materiæ occasione aliquandò inferemus.

4. De Initiis operum.

Ex præfatis autem speciebus Tertia de Genituris agens maximè omnium vanitati obnoxia censetur; quam etiam præcipuè impugnant SS. PP. Summi Pontifices, SS. Concilia, & sensatiores quilibet Philosophi: cùm divinæ providentiæ & libertati humani arbitrii plurimùm repugnare videatur. Undè si quæ infrà de Genituris & ejusmodi vanitatibus proferemus, ea tantùm scientiæ causâ, quæ etiam, ut ampliùs derideri, & solidiùs confutari queat, curioso Lectori ex aliis præferemus.

CAPUT

CAPUT III.

Vocabula & Termini Astrologici, eorumque expositio.

Ut omnia, prout opus esse judicamus, meliùs & accuratiùs pertractemus, Visum est initio hujus Tractationis Terminos & Vocabula quædam Astrologis in studio Astro-Critico magis usitata, atquè communes iis quosdam loquendi modos breviter exponere & declarare.

Thema cœleste. 1. Thema cœleste aut figura cœlestis nihil est aliud, quàm figura plana repræsentans ad quodlibet tempus datum duodecim cœlestes domos, & in ijs positum & constitutionem cœlestium Signorum, Planetarum & quorumlibet astrorum pro quibusdam eventibus exindè divinandis. Nomina singularum domorum cum aliis scitu dignis dabimus infrà suo loco.

Tempus Erectionis. 2. Tempus pro erigendo aliquo themate communiter adhibetur apparens, seu vulgare: & quia ad hoc quærenda sunt ex tabulis siderum loca; ideò mutandum erit in tempus æquabile.

Dodecamoria. 3. Dodecamoria appellantur 12. Spatia in Zodiaco, quæ 12. signis Zodiaci, in quibus Sol atque alii Planetæ suos peragunt cursus, respondent: Undè & pro Signis Zodiaci sumuntur.

Esse in signo aliquo, quid sit. 4. Sol vel alius Planeta dicitur esse in aliquo signo, cum est sub ipso sivè cùm inter oculum nostrum aut tale signum intercipitur. Stellæ autem fixæ, quæ extrà Zodiacum sunt, esse in aliquo signo, seu referri potiùs ad illud signum dicantur, inter quod & proximum contingit ipsas intercipi.

Communicare. 5. Communicare dicuntur Planetæ, cum ambo quidam communiter uni loco dominantur; vel cum, qui dominatur, respicit alium, aut ei per partes paucas jungitur, ità *Cardanus in Aphor. Astron.*

Assimilari. 6. Assimilari Planeta dicitur alteri, quoties in illius dignitatibus & aspectu fuerit. *Idem ibidem.*

Conjunctio. 7. Conjunctio est, cum duæ Stellæ seu corpora cœlestia in eundem coincidunt locum cœli, aut gradum ferè signi. Planeta verò in Cazimi dicitur, qui est corporaliter Soli conjunctus, nempè cum ità Planeta cum Sole conjungitur, ut minus quàm Solis semidiametro distet: in quo ratio habenda est tam longitudinis, quàm latitudinis.

In corde Solis. 8. Esse in corde Solis dicitur, cum uniuntur Stellæ aliquæ cum Sole intrà 16. Minuta.

Combustio. 9. Combustus dicitur Planeta, vel in combustione esse Stella, cum versatur in intervallo, quod est ultrà minuta illa 16. ad Grad. usque 12. (alii rigidius ad Gr. 6.) Liber verò à combustione Planeta dicitur, cum est extrà dictos gradus.

10. Sub radiis Solis adhuc esse dicitur, cùm infrà 17. Gradus antè & post solem fuerit. Dicitur & Hypaugus, vel radiis Solis oppressus, qui à Sole pluribus, quàm 6. gradibus distat, paucioribus tamen quàm 17.

Planeta auctus lumine. 11. Auctus lumine dicitur Planeta, dum à Sole vel Sol ab eo elongatur. Minutus verò lumine, dum ad Solem vel Sol ad eum accedit.

Planetæ Orientales & Occidentales. 12. Ortus & occasus Planetarum ad Solem trutinantur: Orientales sunt, cum matutino tempore ante Solis ortum suprà terram apparent. Occidentales verò, cum Vesperi post Solis occasum super terram conspiciuntur.

13. Orientales quoque dicuntur Planetæ, cum sunt ab Horoscopo usquè ad medium cœli, & ab Occasu usquè ad imum cœli quibus in locis Masculini dicuntur. Occidentales verò & fœminini, cum in reliquis duabus quadrantibus.

In Hemisphærio correspondente. 14. Planeta dicitur in hemisphærio correspondente, cum Planeta diurnus de die est in hemisphærio diurno, & nocturnus de nocte est in Hemisphærio nocturno. Sunt autem Planetæ diurni, ♄, ♃, ☉, ☿. Nocturni ♂. ♀. ☽. Similiter dicitur Planeta esse in suo Hayx, quandò masculinus & diurnus est super terram de die in signo masculino, & nocturnus de nocte sub terrâ in signo fœminino.

15. Via combusta est inter libræ gradum 15. usquè ad grad. 9. Scorpii.

Aspectus planetarum. 16. Aspectus quadratus dicitur aspectus imperfectæ inimicitiæ: sicut oppositio inimicitiæ & odii perfecti: Trinus verò amicitiæ perfectæ; sicut imperfectæ Sextilis. Conjunctio est benefica, vel malefica; prout Planetæ sunt amici vel inimici.

Partilis & Platicus. 17. Aspectus alius dicitur partilis, sivè præcisus, alius platicus. Partilis est, quandò Stella distat tot partibus ad unguem, quot requiruntur, pro aspectu formando, ut pro ⚹ grad. 60, pro □ 90, pro △ 120, pro ☍ 180.

18. Platicus aspectus, vocatus ob orbem luminis, dicitur, quandò Stellæ non præcisè se intuentur ex iisdem gradibus, sed alia est in pluribus, alia in paucioribus distantia, ità tamen, ut non excedat quantitatem luminis suorum orbium, ut Ex. Gr. Si Luna si in grad. 1. ♈. Venus in grad. 6. ♌. tunc enim Luna aspiciet Venerem non partiliter, sed platicè, cum radius non incidat in centrum Veneris, sed intrà lumen ejus.

Quantitas Lucis Orbium.

In Planetis		Grad.	Min.
	♄	10.	0.
	♃	12.	0.
	♂	7.	30.
	☉	17.	0.
	♀	8.	0.
	☿	7.	0.
	☽	12.	30.

In Stellis fixo.

Magnitudinis	Grad.	Min.
Primæ	7.	30.
Secundæ	5.	30.
Tertiæ	3.	30.
Quartæ.	4.	30.

Applicatio & Separatio.

19. Platicus hic aſpectus dividitur in *Applicationem* atquè *Separationem*, quam vocant *Defluxum*. Applicatio dicitur, quandò Planeta velocioris motûs, ſivè levior accedit ad alium tardioris motûs & ponderoſiorem. Defluxus verò, quando Planeta velocioris motûs eſt in pluribus gradibus, & ſeparatur indies â Planetâ tardiori.

Quot modi Applicationes & defluxus fieri poſſint.

20. Applicationes & defluxus contingere poſſunt quatuor modis. I. quandò uterque Planeta eſt directus & levior, & in paucioribus partibus, tunc enim petit applicationem tardioris: Defluxus verò contingit, quandò levior eſt in pluribus partibus, & indies magis defluit â tardiori. II. Quandò uterque eſt retrogradus, & levior in pluribus partibus, qui retrogradè incedendo attingit graviorem: Defluxus accidit, quandò levior eſt in partibus paucioribus, ac quotidiè defluit magis â ponderoſiori. III. Quandò Planeta anterior motu directo applicatur ſubſequenti retrogrado: Sic ſeparatio advenit hoc modo, quandò directus eſt in pluribus partibus, retrogradus in paucioribus partibus. IV. Fit applicatio, quandò velocior retrogradus & in pluribus partibus occurrit tardiori retrogrado, ac in paucioribus: Separatio verò, quandò levior eſt in paucioribus partibus, & retrocedit, vel quandò retrocedit antequàm perveniat ad conjunctionem, vel aſpectum. Notandum autem eſt, quantò applicatio fuerit vicinior ſivè corpore, ſivè per aſpectum, tantò erit validior, quia eſt fortior ſeparatione. Et hæc tantummodò intelligenda ſunt de duobus Planetis.

Species Applicationis & defluxus in 3. Planetis. Luminis translatio.

21. In tribus plures ab Aſtrologis enumerantur ſpecies Applicationis & defluxûs: & ſunt I. *Translatio luminis*, quæ contingit, quandò fuerint tres Planetæ, & medius velocioris motûs, & leviſſimus, qui dicitur transferre lumen anterius ad poſterius.

Redditio. II. *Redditio luminis*, quæ fit dum Planetæ transmittunt lumen uni tertio debili combuſto, vel retrogrado, qui tertius retinere non valens reddit eisdem Planetis lumen.

Collectio. III. *Collectio luminis*, quæ accidit, quandò duo Planetæ non ſe reſpiciunt, & tertius levior applicat utrique. vel idem tertius in pluribus partibus ſeparatur ab utroque: nam tunc tertius dicitur colligere lumina aliorum.

Prohibitio. IV. *Prohibitio luminis*, quæ contingit, cum Planeta tardior fuerit in duos velociores, non tamen prohibet lumen inter duos communicare.

Delatio. V. *Delatio luminis vel virtutis*, quæ fit, cum tres Planetæ fuerint in uno ſigno, gravior in pluribus partibus, levior in paucioribus, nec intrà metas, ſed medius intrà metam, in quâ illa applicat: tunc mediam defert virtutem & lumen levioris ad tardiorem.

Perturbatio. VI. *Perturbatio* fit, quandò duo, alter alteri applicat quantùm ad metam naturalem, & tertius ſi fuerit in pluribus partibus; qui antequàm duo priores conjunguntur, vel quia eſt retrogradus; vel quià paulò poſt fit retrogradus, jungit ſe tardiori, & interponitur inter duos primos, eorum coitum, & radium perturbando.

Absciſſio. VII. *Absciſſio* fit *luminis*, quoties tres Planetæ fuerint intrà metas ſuorum orbium, & levior in paucioribus partibus, ſed præcedit curſu, & attingit alium, qui eſt in pluribus partibus, antequàm medius conjungatur: tunc levior abſcindet lumen medii ab eo, qui eſt in pluribus partibus.

22. Numerantur etiam ab Antiquis Aſtrologis inter Applicationes, & defluxus; *Obſeſſio*, *pulſatio*, *feralitas*, *refrænatio*, *vacuitas curſûs*, *receptio*, & ejusmodi alia.

Obſeſſio. I. *Obſeſſio* dicitur, quandò duo Planetæ alium circumdant, abſque aliorum aſpectu. Hæc obſeſſio ab Infortunis eſt peſſima. Si benefici obſederint maleficum, ejus vires debilitant, absquè tamen jacturâ beneficorum.

Pulſatio. II. *Pulſatio* fit, quandò Planeta repertus in alterius dignitatibus illum reſpicit: nam hic illius dignitatis vires transmittit ad ſuum Dominium. Fit etiam, quandò Planeta velox in ſuis dignitatibus reſpicit tardiorem in loco velocioris nullam dignitatem obtinentem; tunc enim velox mittet propriam naturam tardiori.

Feralitas. III. Feralitas dicitur, quando Planeta fuerit in aliquo ſigno abſquè aliorum aſpectu, & vocatur *Feralis*, *agreſtis*, & *Maximè debilis*.

Fruſtratio. IV. *Fruſtratio* fit, quandò velox vult conjungi tardiori, aut antequàm conjungatur, jungitur alteri Planetæ, & ſic prioris coitus fruſtratur.

Refrænatio. V. *Refrænatio* fit, quandò Planeta applicans alteri Corpore, vel aſpectu, antequàm verò conjungatur, fit retrogradus, & refrænatur, nec completur talis conjunctio & applicatio.

VI. *Vacuus*

Vacuitas. VI. *Vacuus cursu* dicitur Planeta, cùm ab aliquo separatur, nec deinde alteri applicat. Receptio. Observatur hoc in Lunâ. VII. Receptio dicitur, quandò Planeta in suis dignitatibus alteri applicat, qui in eodem loco dignitates etiam obtinuerit. Tunc enim naturam inter se communicant, & se recipiunt. Sic etiam quando superior est in dignitatibus inferioris, & inferior in dignitatibus superioris; dicuntur se invicem recipere.

Planetarum gaudia. 23. Gaudere dicuntur Planetæ, vel ratione suæ domûs, vel ratione domiciliorum cœlestium, sivè Horoscopi. Suæ domûs ratione gaudet Planeta, quandò est in domo suâ maximè familiari, ut Planeta diurnus in domo diurna, nocturnus in domo nocturnâ. Sol autem & Luna licet unicam tantùm domum habeant, nihilominùs tamen etiam in eâ gaudere dicuntur. Quoad domos cœlestes gaudet ♄ in domo 12, ♃ in 11., ♂ in 6, ☉ in 9, ♀ in 5, ☿ in 1, ☽ in 3. sunt tamen & alii adhuc modi gaudiorum, ratione scilicet Triplicitatis, deindè ratione dignitatis Planetæ amici.

Cursus Planetarum. 24. Cursus Planetarum ab Astrologis etiam consideratur; estquè imprimis velox aut tardus, deindè directus, aut retrogradus; tandem etiam ascendens, aut descendens. Planeta velox dicitur, cum directè movetur; quippè tunc motus ejus velocior est motu medio. Tardus è contrà dicitur cum S.S.S. fertur indirectè sui Epicycli convolutione. Retrogradus vocatur, cum C.S.S. retrovolutione sui Epicycli fertur. Ascendens dicitur, cùm ab Eclipticâ versus Septentrionem declinat. Undè & eodem modo Septentrionalis aut Borealis dicitur. Descendens, cum ad Meridiem declinat; Undè etiam Meridionalis, sivè Australis vocatur. Notandum autem, quia Sol caret Epicyclo, ideò ab hac consideratione alienus est; Similiter & in Lunâ propter velocissimum motum retrocessio non advertitur.

25. Planeta peregrinus dicitur permanens in loco, ubi nullam possidet dignitatem.

Significator quid sit. 26. Significator voce Arabicâ dictus Hylech, est vel cœli locus, vel Planeta, qui ad alium cœli locum vel Planetam, aut ejus radium dirigitur. Tales Significatores possunt esse omnes cuspides, Planetæ, & partes: eliguntur tamen communiter loca principalia hæc quinque: Ascendens, Medium Cœli, Sol, Luna, & pars Fortunæ, quæ & Hylegialia, seu Aphetica dici solent.

27. Dirigere apud Astrologos nihil aliud est, quàm arcum Æquatoris inter Significatorem, & Promissorem interceptum, inque tempus, annos, menses, ac dies convertendum artificiosè inquirere, ut quandonam Sol, aut ascendens â naturâ Significatoris monstratum per promissorem determinetur, suumque consequatur effectum, innotescat. Dirigere quid sit.

28. Promissor dicitur Planeta vel Corpus, vel radius, vel etiam Stella fixa, aliusve cœlestis figuræ locus notabilis, ad quem, cum significator pervenerit, significatio effectum suum editura creditur. Perficit autem Promissor singulis annis unum gradum, singulis mensibus minuta 5, singulis diebus minuta Secunda 10. Promissor

29. Pars fortunæ vocatur punctum Eclipticæ tot gradibus distans â gradu Ascendente, quot Luna distat â Sole. Undè si subtrahas locum Solis â loco Lunæ, habebis arcum interceptum inter Solem & Lunam: hunc arcum addes Eclipticæ Orienti, & habebis partem fortunæ. Quæ communiter notatur circulo decussatis intùs lineolis in crucis formam secto, ut ⊕, ac in diversis domibus diversa significare solet. Pars Fortunæ.

30. Definitor vitæ, communiter aliàs dictus *Alcoboden*, vocatur Planeta ille electus, qui plura habet fortitudinis momenta ratione domicilii, exaltationis, triplicitatis, termini, modò tamen respiciat priùs inventum Hylech aliquo aspectu: Si enim nullo aspectu ad eum referatur, seligitur alius Planeta, qui proximè plura fortitudinis momenta obtinet. Exindè etiam videndum est, an definitor inveniatur in domo angulari, aut subsequente, aut cadente; nam secundùm hujusmodi domos plures, etiam aut pauciores annos vitæ tribuere solet, ut hic in tabellâ vides. Definitor vitæ sivè Alcohoden.

	In domo angulari concedit annos	In domo succedente	In domo cadente
♄	57.	43 ½	30.
♃	79.	45 ½	12.
♂	66.	40 ½	15.
☉	120.	69 ½	19.
♀	82.	45.	8.
☿	86.	48.	20.
☽	108.	66 ½	15.

31. Ho-

Horoscopus & Animodar. 31. Horoscopus dicitur signum Zodiaci oriens: vocatur etiam *Ascendens:* Gradus autem Horoscopi tempore conveniens vocatur *Animodar.*

Revolutio 32. Revolutio est novi Thematis erectio pro eo tempore, quo post unum, aut plures annos Sol ad eundem Zodiaci gradum redierit, quem obtinebat tempore Nativitatis: comparant enim Astrologi novum hoc thema cum radice, ut judicent de felicitate, aut infelicitate anni inchoantis: nempè si horoscopus revolutionis respexerit benigno aspectu horoscopum radicis, felicitatem indicabit; si Planetæ in revolutione contrario modo se habeant, quàm in radice, ingens periculum erit.

Anni revolutio. 33. *Anni revolutio, ut inquit Cardanus in Aphor. Astron. alia quidem in temporibus contingit, & est Solis ad idem punctum ab Æquinoctio reditus; alia autem in mundo, & est reditus ad eandem Stellam fixam; alia autem in genituris, & est reditus ad priorem locum additâ tantâ parte Eclipticæ, quantam peragrare potest in unâ die naturali temporum revolutione; alias quinque vide apud Eundem Segm. 2. Aphor. 15.*

Profectio. 34. Profectio est progressus, quo cuspides domorum, cœteraque loca insigniora thematis seu geniturae progredi intelliguntur in Zodiaco singulis annis per 30. gradus, atque ita intrà 12. annos totus Zodiacus percurritur, & rursus incipit progressus. Hæc igitur loca, quæ progredi intelliguntur, semper referuntur ad radicem, seu locum, quem habebant tempore Nativitatis, ità ut faustos, vel infaustos annos efficiant, prout variis aspectibus eum respexerint. Sic quarto anno ineunte Horoscopus ad quartam domum pervenire intelligitur, & quia quarta domus respicit Horoscopum aspectu quadrato, & respicit medium Cœli opposito, qui ambo aspectus infausti sunt, ideò quartus annus infaustus est; sicut & septimus; quia tunc punctum Horoscopi censetur pervenisse ad septimam domum, quæ Horoscopum respicit oppositè, & medium cœli quadratè. Ex quibus oriuntur, ut quidam volunt, anni *Climacterici.* Primo septennio dominatur Luna, secundo Mercurius, tertio Venus, & ità deinceps. Exinde oriuntur *Chronocratores*, seu Afridarii, qui aliquo septennio dominatum exercere dicuntur. Unde Anni Climacterici.

35. Transitus est, cum Planeta motu suo proprio loca geniturae pertransit; sic Luna intrà mensem integrum locum pertransit, in quo fuit Saturnus, Mars, Sol, cœterique Planetæ. Ad hos transitus respiciunt Astrologi, quando constat de Anno & mense, quo contingere debet aliquis effectus, incertus tamen est dies. Si bonus sit effectus, exspectant aliquem hujusmodi transitum per loca fausta; si infaustus, per infausta. Transitus.

36. Dominus alicujus figuræ cœlestis, vel Eventûs, qui per erectionem figuræ intenditur, dicitur ille Planeta, qui plures obtinet fortitudines, adeoque in potentia aliis præpollet; Undè & dominari dicitur. Plura alia nomina, veluti Planetarum facies, novenas, domus, exaltationes, carpenta, sivè thronos, azomena, & alia ejusmodi in decursu hujus Tractationis memorabimus; piget enim his amplius immorari. Unicam tantùm adhuc Tabulam fortitudinis, aut debilitatis Planetarum hîc præmittere placet. Dominus.

TABULA

Tabula fortitudinis, aut debilitatis Planetarum juxtà Astrologos.

	Planeta fortis & fortunatus.	Fortitudinis.	Planeta debilis & infortunatus.	Debilitatis.
1	In domo suâ. - - -	1	In domûs oppositione, vel in domo Planetæ mali - -	5
2	In exaltatione suâ -	4	In Exaltationis oppositio -	4
3	In triplicitate sua - -	3	In peregrinatione suâ, cum nullam dignitatem possidet -	3
4	In Terminis suis -	2	In terminis malorum. -	2
5	In facie suâ - -	1		
6	In horâ suâ -	1		
7	In Novenâ suâ - -	1		
	His addunt aliqui, in die suâ.	1		
8	In domicilio Cœli 10. & 1. -	5	In domo 12. - -	5
	7. 4. 11 - -	4	8. - -	4
	2. 5. - -	3	6. - -	3
	3. 9. - -	1		
9	In Gaudio - -	1		
10	In cursu seu motu veloci -	2	In cursu tardo, seu vacuo -	2
	directo -	2	retrogrado -	4
	ascendente -	3	descendente -	3
11	In signo ejusdem sexûs -	2		
12	In gradu ejusdem sexûs -	3	In gradu diversi sexûs -	3
13	In gradu lucido, vel augmentante fortunam - -	5	In gradu tenebroso, seu puteali	3
14	In ☌ cum bonis - -	5	In ☌ cum malis, vel cum retrog.	5
	☌ ☉, sivè in corde ☉ -	3	combustionis cum ☉ -	5
	⚹ & △ - -	2	☍ - -	3
			□ cum malis -	3
15	In obsessione bonorum -	2	In obsessione malorum -	2
16	In Apogæo - -	2	In perigæo - -	1
17	In ortu sibi debito, idest, cum Planeta gaudens est orientalis - -	2	In ortu minùs debito -	2
18	In Hemisphærio correspondente	2	In Hemisphærio disconveniente	2
19	In capite Draconis, vel in hujus viciniâ - -	3	In cauda draconis - -	3
20	- - -		In Eclipsi - -	3
21	- - -		In viâ combustâ -	3
22	Lunâ auctâ lumine - -	3	Lunâ imminutâ lumine -	3
23	In mansione bona, quæ competit Soli Lunæ	3	In mansione malâ. -	



CAPUT IV.

De Signorum Zodiaci varia diviſione, qualitatibus & affectionibus ad mentem Aſtrologorum.



DUplicem imprimis Zodiacum conſiderant Aſtrologi; alium enim ſtelliferum, alium Signiferum appellant: Priorem ità dicunt à conſtellationibus, ſivè imaginibus ex vario Stellarum ordine ac diſpoſitione coordinatis: alterum à 12 partibus, in quas integer circulus 360. graduum, unicuique ſigno 30. gradibus aſſignatis, dividitur. Signa utriusque Zodiaci invicem conſequuntur hoc ordine, & appellantur his nominibus. Aries ♈, Taurus ♉, Gemini ♊, Cancer ♋, Leo ♌, Virgo ♍, Libra ♎, Scorpius ♏, Arcitenens ſivè Sagittarius ♐, Capricornus ♑, Aquarius ♒, Piſces ♓. Communiter autem Aſtrologi in divinationibus, & operationibus ſuis judiciariis Zodiaci ſigniferi; Senſatiores verò etiam Stelliferi ſigna obſervant: Sed quæ de his ſcitu ac notatu digniora comminiscuntur, nunc breviter exponemus.

§. I.

Varia Signorum Zodiaci diviſio juxtà Aſtrologos cum variis appellationibus.

Signa Cardinalia, Verna, Æſtiva, Autumnalia & Hyemalia.

1. Dodecatemoria, ſivè 12 ſigna Zodiaci dividi ſolent in quatuor claſſes, nempè in Verna, Æſtiva, Autumnalia & Hyemalia ſigna juxtà 4. quadrantes in quos comprimis Zodiacus dividi ſolet. Verna ſigna ſunt ♈, ♉, ♊: Æſtiva ♋, ♌, ♍: Autumnalia ♎, ♏, ♐: Hyemalia ♑, ♒, ♓.

Mobilia.

2. Signa aliqua Aſtrologi vocant Mobilia, in quibus Sole exiſtente contingunt præcipuæ mutationes anni; & ſunt in Verno quadrante ♈, in æſtivo ♋, in autumnali ♎, in hyemali ♑.

Fixa.

3. Fixa ſigna dicuntur, in quibus, dum Sol exiſtit, firmatur ſtatus temporum prædictorum, ſuntque ♉, ♌, ♍, ♒.

Fit enim tempus Sole existente in { ♉ Temperatius. ♌ Ardentius. ♏ Aridius. ♒ Humidius. }

Communia.

4. Communia mediant inter mobilia & fixa, quod ſignum tale ab utroque proximo, ſivè extremo de virtute aliquid participet. Ejusmodi ſigna ſunt: ♊, ♍, ♐, ♓.

5. Maſculina & diurna proindè calida ſunt. ♈, ♊, ♌, ♎, ♐, ♒. Fœminina verò, & nocturna, atque indè frigida. ♉, ♋, ♍, ♏, ♑, ♓. Maſculina. Fœminina.

6. Septentrionalia, ſivè quæ ad borealem medietatem exiſtunt ſunt ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍. Meridionalia verò, quæ ad auſtralem medietatem exiſtunt, ſunt ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓. Borealia & Auſtralia.

7. Recta dicuntur ſigna, quæ in ſphærâ obliqua rectè aſcendunt cum majori arcu Æquatoris, quam Eclipticæ, ſuntque ♋, ♌, ♍, ♎, ♏, ♐. Tortuoſa verò nominantur, quæ in ſphærâ obliqua aſcendunt obliquè, ſivè cum majori arcu Æquatoris, quàm Eclipticæ, ſuntque ♑, ♒, ♓, ♈, ♉, ♊. Recta & Obliqua.

8. Antiſcia, ſivè ſeſe intuentia ſigna ſunt ejusdem potentiæ, quæ diſtant â Tropicis æqualiter, & in his Sol verſans æquales ſuper terram conſtituens parallelos, noctes ex dies æquales facit: Ita ſunt ♈, & ♍, ♉ & ♌, ♊, & ♋ ♎ & ♓ ♏ & ♒ ♐ ♑. Idem de Gradibus dici ſolet, cum æqualiter diſtant à Tropicis. Sic 10. Gradus ♉ eſt Antiſcius grad. 20. ♌ dies enim ſunt æquales, ſicut & noctes utrinque, Sole in 10. Grad. ♉, & 20. ♌ verſante. Antiſcia.

9. Imperantia & obedientia ſigna ſunt, quæ diſtant æqualiter ab Æquinoctiali, & æquales etiam deſcribunt parallelos: Hæc enim æquali temporis ſpatio oriuntur & aſcendunt ſuprà Horizontem in quâcunque regione. Signa Borealia, quæ ſunt in parte æſtivâ, dicuntur Imperantia, cum Sol ea ſigna ſcandens dies producat longiores; Auſtralia, quæ Brumali parte, dicuntur obedientia, quo tempore Sol breviores dies conſtituit. Ità ſunt Imperantia & Obedientia.

Imperantia. ♈. ♉. ♊. ♋. ♌. ♍.
Obedientia. ♎. ♏. ♐. ♑. ♒. ♓.

10. Signa aliqua dicuntur conjuncta, alia inconjuncta: Illa ſunt, quæ aliquo modo inter ſe aſſociantur; cujusmodi ſunt Intuentia, Imperantia & obedientia, & quæ in aliquo aſpectu inter ſe ſunt, ut trino, quadrato, ſextili, vel oppoſito. Inconjuncta ſunt, quæ nullo horum modorum inter ſe conveniunt; & hæc ſigna etiam dicuntur aliena, & averſa. Signa fixa habent inconjuncta ſigna præcedentia, & ſubſequentia cum ſignis eorum oppoſitis: Sic quodlibet ſignum fixum habet quatuor ſigna inconjuncta. Mobilia habent inconjuncta ſigna ſuccedentia, & oppoſita: Communia habent inconjuncta ſolùm antecedentia & oppoſita, adeò ſignum, quod habet ſignum mobile, vel commune, habet duo ſolum ſigna inconjuncta ut vides in hac tabellâ. Conjuncta & Inconjuncta.

Tabella

Tabella Signorum inter ſe inconjunctorum.													
Signa inconjuncta.	♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	Signa inconjuncta.
	♉ ♏	♈ ♊ ♎ ♐	♉ ♏	♌ ♒	♋ ♍ ♑ ♓	♌ ♒	♏ ♉	♐ ♎ ♈ ♊	♏ ♉	♌ ♒	♑ ♓ ♋ ♍	♌ ♎	

Triplicitates Signorum.

11. Signa Triplicitatis ſunt vel
- igneæ, ſivè calida & ſicca ♈. ♌. ♐.
- terreæ, ſivè frigida & ſicca ♉. ♍. ♑.
- aëreæ, ſivè calida & humida ♊. ♎. ♒.
- aqueæ, ſivè frigida & humida ♋. ♏. ♓.

12. Alia quoque ſigna ſunt Humana, ut ♊. ♍. ♒. & prior medietas ♐.
Ferina ut ♌ & ultima pars ♐.
Quadrupedia, ut ♈, ♉, ♌, ♐, ♑.
Ruminantia, ut ♈, ♉, ♌, ♑.
Bicorporea, ut ♊, ♐, ♓.
Prolifica, ut ♋, ♑, ♓.
Sterilia, ut ♊, ♌, ♍.
Pulchræ vocis, ut ♊, ♍.
Muta ſine voce, ut ♋, ♏, ♓.
Mutilatum, ut ♉.
Venenoſum, ut ♏.

Signa ſeſe aſpicientia.

13. Aſpiciunt etiam ſe invicem ſigna aſpectu aliquo ſextili, quàdrato, trigono, vel oppoſito, prout in tabulâ præſente videre licet.

Tabula aſpectuum Signorum inter ſe.

Aſpectus.		⚹	□	△	☍			⚹	□	△	☍			⚹	□	△	☍
Dextrè.	♈	♒	♑	♐	♎	*Dextrè.*	♌	♊	♉	♈	♒	*Dextrè.*	♐	♎	♍	♌	♊
Siniſtrè.		♊	♋	♌		*Siniſtrè.*		♎	♍	♐		*Siniſtrè.*		♒	♓	♈	
Dextrè.	♉	♓	♒	♑	♏	*Dextrè.*	♍	♋	♊	♉	♓	*Dextrè.*	♑	♏	♎	♍	♋
Siniſtrè.		♋	♌	♍		*Siniſtrè.*		♏	♐	♑		*Siniſtrè.*		♓	♈	♉	
Dextrè.	♊	♈	♓	♒	♐	*Dextrè.*	♎	♌	♋	♊	♐	*Dextrè.*	♒	♐	♏	♎	♌
Siniſtrè.		♌	♍	♎		*Siniſtrè.*		♐	♑	♒		*Siniſtrè.*		♈	♉	♊	
Dextrè.	♋	♉	♈	♓	♑	*Dextrè.*	♏	♍	♌	♋	♉	*Dextrè.*	♓	♑	♐	♏	♍
Siniſtrè.		♍	♎	♏		*Siniſtrè.*		♑	♒	♑		*Siniſtrè.*		♉	♓	♋	

14. Quia ſigna Zodiaci Stelliferi non juſtè concordant cum ſignis in Zodiaco ſignifero: Ideò viſum eſt initium, & finem cujusquè ſigni, prout ſignis ac gradibus in Signifero reſpondent, hic etiam breviter juxtà aliorum ſupputationem indicare.

Initium & finis cujusvis Signi in ſtellifero Zodiaco, prout reſpondent ſignis & gradibus Zodiaci Signiferi.

♈	â	Grad.	27	♈	ad	Grad.	17	♉
♉	â	Grad.	17	♉	ad	Grad.	25	♊
♊	â	Grad.	25	♊	ad	Grad.	24	♋
♋	â	Grad.	24	♋	ad	Grad.	12	♌
♌	â	Grad.	12	♌	ad	Grad.	16	♍
♍	â	Grad.	16	♍	ad	Grad.	6	♎
♎	â	Grad.	6	♎	ad	Grad.	27	♏
♏	â	Grad.	27	♏	ad	Grad.	26	♐
♐	â	Grad.	26	♐	ad	Crad.	28	♑
♑	â	Grad.	28	♑	ad	Grad.	22	♒
♒	â	Grad.	22	♒	ad	Grad.	15	♓
♓	â	Grad.	15	♓	ad	Grad.	27	♈

§. II.

De Signorum cœleſtium naturis, ac qualitatibus.

Qualitates Signorum.

1. Licet certæ quædam naturæ, & qualitates ſignis cœleſtibus ab Aſtrologis aſſignentur: Veriſimile tamen eſt, eaſdem ſingulis & omnibus non convenire ſimiliter ubivis, cùm multùm ſitus & diſpoſitio loci in terrâ ad id conferat, ut ſignum aliquod talis naturæ comperiatur: Quod etiam *Cardanus* indicare voluit Aphor. *Aſtronom. Segm. 2. Aphor. 95.* cum ait: *Eandem Stellam, aut in diverſo ſitu, vel alio loco, aut cum aliis idem ſignificare, aut conſimile penitùs eſt impoſſibile. Similia igitur ex contrariis magnis fiunt, tamen magis auxilio*

materiæ. Ità experientiâ conſtat apud Antipodes, & Antœcos noſtros, uti & illos, qui ſub Zonâ Torridâ Amphiſcii habitant, omnia aliter circà Signa cœleſtia, domus cœleſtes, ac naturas Planetarum ſeſe habere. Sic etiam *P. Alphonſus Dualle* teſtatus fuit *P. Kirchero Romæ* (ut hic memorat in *Art. magn. Lum. & Umbr. lib. 6. pag. 3. cap. 1. Diſquiſit. 1.*) omnes effectus Solis contrarios eſſe effectibus in noſtro Hemiſpærio contingentibus; Atquè adeò in patria ſua Americæ Meridionalis, provinciæ Chile, illud ſignum, quod nobis æſtus adducit intolerabiles, illis frigoris exotici cauſam eſſe: Neque ſe unquàm aut Leonis, aut Caniculæ teporem aliquem frigus tam enorme temperantem notare potuiſſe. Econtrà Aquarium, quem nos enormi ſævientem frigore experimur, illis intolerabilis æſtûs eſſe cauſam: Sub Zonâ torridâ verò, quemadmodum idem *Kircherus* â Peruviæ, Braſiliæ & Inſularum Philippinarum Societatis ſuæ Procuratoribus oretenus accepit, ità dictas Signorum qualitates confuſas eſſe, ut quodnam humidum aut ſiccum; frigidum, aut calidum ſit, vix dignoſci poſſit. Undè porrò ſequentem exhibet tabulam, in qua diverſitas qualitatum in diverſis terræ locis notari poteſt.

Conſtitutio Signorum ſub diverſis Zonis.

	Conſtitutio Signorum ſub Zona Temperatâ Boreali.				*Sub Zonâ Temperatâ Auſtrali.*			*Sub Zonâ torridâ.*	*Sub Zonâ frigidâ.*
	Signa	*Qualitates*	Domus	Exalt.	*Qualitates.*	Domus	Exalt.	*Qualitates.*	*Qualitates.*
1	♈	*Calid. Siccum.*	♂	☉	*Calid. Humidum.*	♀	♄	*Humidum Calidum.*	*Calidum Humidum.*
2	♉	*Frigid. Siccum.*	♀	☽	*Frigid. Humid.*	♂		*Frigidum Humidum.*	*Frigidum Humid.*
3	♊	*Calidum Humid.*	☿		*Calidum Siccum.*	♃		*Calidum Siccum.*	*Calidum Humidum.*
4	♋	*Frigid. Siccum.*	☽	♃	*Frigid. Humid.*	♄	♂	*Calidum Humidum.*	*Calidum Siccum.*
5	♌	*Calid. Siccum.*	☉		*Calidum Humid.*	♄		*Frigidum Siccum.*	*Calidum Siccum.*
6	♍	*Frigid. Siccam.*	☿		*Frigid. Humid.*	♃	♀	*Frigidum Humidum.*	*Calidum Humidum.*
7	♎	*Calid. Humidum.*	♀	☿	*Calid. Humidum.*	♂	☉	*Calidum. Siccum*	*Frigidum Siccum.*
8	♏	*Frigid. Humid.*	♂	♄	*Frigid. Siccum.*	♀	☽	*Calidum Humidum.*	*Frigidum Siccum.*
9	♐	*Calidum. Siccum.*	♃		*Calid. Humidum.*	☿		*Frigidum Siccum.*	*Frigidum Siccum.*
10	♑	*Frigid. Siccum.*	♄	♂	*Frigid. Humid.*	☽	♃	*Frigidum Humidum*	*Frigidum Humid.*
11	♒	*Calidum Humid.*	♄		*Calid. Humidum.*	☉		*Calidum Siccum.*	*Frigid. Humidum.*
12	♓	*Frigidum. Hum.*	♃		*Frigid. Siccum.*	☿	☿	*Calidum Humidum.*	*Frigid. Humidum*

Aſtrologia univerſalis eſſe non poteſt.

2. Ex hoc ſequitur Aſtrologum, quidquid circà ſigna cœleſtia & eorum naturas operatur, non ubivis ſimiliter in divinando procedere poſſe, ſed debere perpendere loci conſtitutionem, & Signorum eo in loco, pro quâ divinare cupit, naturas, ſi conformius aliquod judicium formare velit. Quocircà etiam luce meridianâ clariùs patet, Aſtrologiam nullâ ratione univerſalem eſſe poſſe, ſed ſingulorum locorum cum cœleſtibus ſignis conformitatem diuturnâ experientia indagari, & obſervatione aſſiduâ inquiri debere.

Virtus nova non inſtantaneè producitur.

3. Cum Sol aut quiſcunquè alius Planeta Signum aliquod ingreditur, non hoc ipſo ſtatim tempore & temporis momento, quo fit ingreſſus, virtus nova pleniſſimè prolicitur, & cum ipſo ſigno certus, iſque validiſſimus effectus producitur, ſed fiunt omnia gradatim, ac ſensìm cum latitudine, & extenſione quâdam, usque dum maxima exſeratur & proferatur. Undè etiam *Cardanus Aphor. Aſtronom. ſegm. 2. Aphor. 96.* ait. *Non eſt transgreſſus repentinus in Cœli partibus, imò & ſi ſecùs videatur, nec in ipſis ſignificatis.*

4. Quodcunque ſignum cœleſte infortunatur, aut ſaltem debilitatur cum corpore, vel radiis maleficorum afficitur: E contrà benè afficitur; cum corpore & radiis beneficorum adjuvatur.

5. Signorum quorundam cœleſtium naturæ cum ſibi adverſantur, ubi certi quidam Planetæ iiſdem corpore, vel radiis conjunguntur, etiam effectus eò magis notabiles producuntur, quò naturæ ipſæ ſibi magis adverſantur. Undè Aſtrologi communiter ſtatuunt, revolutiones & conjunctiones Planetarum ex trigono aqueo in igneum progredientes, maximas in mundo veluti Religionum, Regnorum, Imperiorum mutationes, aliasque magnarum rerum metamorphoses afferre. *Cardanus* etiam *lib. de jud. genit. cap. 28.* docet; Signa quædam ſeſe odiſſe, maxime Leonem & Scorpium, deindè Sagittarium, & piſces, Sicut & Arietem & Cancrum: Sagittarii tamen cum Piſcibus inimicitiam occultiorem eſſe dicit quod ambo ſint ſigna bicorporea.

Conjunctio vel aſpectus Planetarum ad Signa.

6. Aphoriſmus 62. *Segm. 1. Aphor. Aſtron.* apud *Cardanum* eſt, Sidera pleraquè, quæ in Signifero ſunt quandoque ab inferioribus Planetis obſcurari: quod ſi contingat, proxima tempora, ut in Luminarium Eclipſibus conſideranda ſunt.

Signa quædam quid efficiant.

7. Signa fixa, ut *Idem* ibidem docet *Aphor. 20.* eruditionem præſtant; *excipitur Scorpius: Mediocria animi mores, & converſationem: Virgo excipitur: Mobilia divitias, excipitur Capricornus.* Et *Aphor 49. Signa fixa robur vitæ præſtant, maximè Taurus, & Leo; maximeque occidunt, præcipuè Scorpius, deindè*

deindè Aquarius. Sed plures alias virtutes Signorum cœleſtium vide ſupra in Tabulâ 12. Signorum cœleſtium, ubi de Lunâ actum eſt.

8. Subjiciunt Aſtrologi ſingulis Zodiaci Signis Regiones & Provincias, nec non & Urbes quasdam primarias, ut in ſequenti Tabulâ videre licet. Regiones & Urbes Signis ſubjectæ.

Tabula Regionum & Urbium, quæ ſubſunt 12 Signis Zodiaci.

Signa	Regiones, ac Provinciæ.	Urbes præcipuæ.
♈	*Syria. Palæſtina. Baſternia. Gallia. Brittannia major. Burgundia Sup. Weſtriæ pars Germania Suevia. Sileſia ſup. Polonia minor. Amyliæ Regnum.*	Neapolis. *Capua. Ancona. Imola. Ferraria. Florentia. Verona. Bergamum. Lindavia. Trajectum. Brunſuicum. Cracovia. Maſſilia. Cæſar Auguſta. Epidaurus. Vincentia.*
♉	*Parthia. Media. Perſia. Archipelagi Inſulæ. Cyprus. Aſiæ minor: pars maritima. Polon. major. Ruſſia alba. Campania, Rhetia. Helvetia. Franconia. Hybernia. Lotharingia. Irlandia. Sueciæ pars.*	*Burgum Hiſpaniæ. Bononia. Senæ. Mantua. Tarentum. Parma. Panormus. Peruſium. Caput Hiſtriæ. Brixia. Tigurum. Lucerna. Herbipolis. Caroloſtadium. Metis. Poſna.* Nanceium. *Burgis. Lipſia. Geneſma.* Novogardia.
♊	*Hircania. Armenia. Martiana. Cyrenaica. Marmarica, inferior Ægyptus. Anglia. Sardinia. Brabantia. Flandria. Longobardiæ pars. Wirtenbergens: Ducatus.*	*Corduba. Viterbum. Taurinum. Rhegium. Vercellæ. Lovanium. Moguntia. Bambergæ. Brugis. Villacum. Kizinga. Hasfordia.* Norinberga. *Ceſana.*
♋	Numidia. *Africa. Bithynia. Phrygia. Colchydes. Carthago. Granatæ Regnum. Scotia. Pruſſia. Hollandia. Selandia. Burgundiæ comitatus.*	*Conſtantinopolis. Tunetum. Venetiæ. Genua. Luca. Piſa. Mediolanum. Vicentia. Berna. Treviri. Lubecum. Eboracum. S. Andreas. Magdeburgum. Gorlicium.*
♌	*Phœnicia. Chaldæa. Orchinia. Gallia togata. Alpes. Italia. Sicilia. Apulia. Bohemia. Turciæ pars. Æmilia, & Sabina.*	Damaſcus. *Syracuſæ. Roma. Ravenna.* Cremona. *Confluentia. Ulma. Praga. Lincea.* Cremiſium. *Croton. Peruſiæ pars. Wirtenberga.*
♍	*Aſſyria. Meſopotamia. Babylonia. Achaia. Græcia. Creta. Ducat. Athenienſis. Carinthia. Sileſia inferior. Atheſana provinc. Rheni vicina. Rhodus. Gall. comatæ pars.*	*Hieroſolyma. Corinthus. Rhodus. Alexandr. Papia.* Novaria. *Aretium Cumana. Bruntuſiū. Uratislav. Erdfordia. Baſilea. Heidelb. Segnia. Lutetia. Pariſiorum. Lugdunum. Toloſa.*
♎	*Bactriana. Caſpia. Seres. Thebais. Oaſis. Æthiopia. Trogloditica. Tuſcia. Sabaudia.* Delphinatus. *Auſtria. Alſatia. Sundgavia. Livonia. Pannonia.*	*Olyſipon. Arelatum. Cajeta. Lauda. Suoſſa. Placentia. Argentorat. Vienna Auſtriæ. Francof. ad Mœn. Spir. Hala Suev. Hailbr. Friſinga. Moſbachium. Landshuta. Veldekirchium. Wimpin.*
♏	*Cappadocia. Comagena. Judæa. Maragonitida. Idumæa. Mauritania. Getulia. Northegia. Suecia Occidental. Catalonia. Bavaria Superior.*	*Forojulium. Trapezuntum. Algera. Valentia. Hiſpan. Aquileia.* Piſtoriū. *Camerinum. Padua. Urbinum. Brix. Tarniſium. Meſſana.* Aichſtad. *Monachium. Gedunum. Vienna Allobrogum.* Ariminum. *Crena.*
♐	*Arabia felix. Tyrrhenia. Celtica. Hiſpania. Portugallia. Ungaria.* Dalmatia. *Moravia. Sclavonia. Miſnia. Provincia. Liguria, ubi Genua Luneſana.*	*Toletum. Volaterræ. Mutina.* Narbona. *Avenio.* Colon. *Agrippin. Stugard. Rotenburgum. Tuberinum. Judenburgum. Buda. Aſtum. Firmum. Calchovia.* Norinberga.
♑	*India. Arriana. Gedroſia. Macedonia. Illyris. Thracia. Albania. Boſſina. Bulgaria. Lithuania. Saxonia. Maſſovia. Thuringia. Haſſia. Marchia Storiæ. Orcades Inſulæ. Morea. Romandiola.*	*Brandenburgum. Ancona. Taventia. Derthana.* Auguſta *Vindelicorum. Conſtantia. Juliacum. Clevonia. Berga. Gandavum. Mechlinia. Vilna.* Oxonium. *Faventia.*
♒	*Oxiana. Sogdiana. Arabia petrea. Azania. Æthiopia. Sarmatia. Tartaria magna.* Dania. *Walachia. Ruſſia rubea. Pedemontan. Regio. Weſtphalia. Moſellani. Bavariȩ pars. Mons ſerratus. Alcheyra.*	*Hamburgum. Brema. Mons ſerratus. Piſaurum. Tridentum. Salisburgum. Ingolſtadium. Forum Sempronijum.*
♓	*Phaſania. Naſamonas. Garamantes. Lydia. Cicilia. Pamphilia. Calabria. Normandia. Galitia. Luſitania.*	Alexandria. *Parentium. Ratisbona. Rothomagus.* Compoſtella. *Hiſpalis. Roana. Sybilia. Wormatia.*

9. Solent etiàm Aſtrologi genituras ſub certo aliquo Zodiaci ſigno, ejusque dominio conſiderare, ac imprimis exindè de corporis habitudine, ac ſtaturâ ejusque partium

partium, ac membrorum constitutione conjectare, voluntque etiam qualitates natorum sub signi alicujus dominio, vitia, mores, & animi dotes, ad quas inclinantur, prænosci posse, ut hic in Tabulâ videri licet.

Tabula significationis 12 Signorum Cœlestium pro Genituris.

	Generaliter significantur juxt. Cardan.	Habitudo, constitutio & Statura Corporis.	Nati qualitates, vitia, mores, & animi dotes.
♈	*Vita.*	*Concinna. Cæsaries. Collum oblongum. Crura brevia. Color fuscus.*	*Natus erit superbus. Lascivus. Avarus. Gulosus. Inconstans. Præceps.*
♉	*Labores.*	*Frons elata. Oculi magni, colli amplitudo.*	*Taciturnus. Novator. Salax. Temerarius. Ventri deditus. Turbator pacis publicæ.*
♊	*Industria.*	*Bona corporis proportio. Statura mediocris. Renum debilitas. Vox pulchra.*	*Ingeniosus. Scientiarum & artium addiscendarum cupidus. Mobilis. Musicæ & honestis rebus addictus.*
♋	*Negotiatio & Patrimonia.*	*Capillitium nigrum. Humeri lati. Venter obesus. Oculi parvi. Vox gracilis.*	*Inconstans. Mercaturæ addictus.*
♌	*Vires & Tolerantia.*	*Statura procera. Stomachus magnus. Color citreus. Vox acuta media.*	*Iracundus. Fortis. Avarus. Rapax. Imperii cupidus. Ambitiosus.*
♍	*Finis laborum, & absolutio operum.*	*Statura mediocris. Bona membrorum proportio. Vox grata.*	*Pudicus. Honestus; rerum divinarum avidus. Agriculturæ artibusque liberalibus deditus.*
♎	*Divitiæ.*	*Color albus. Apta membrorum constitutio, & proportio.*	*Justus. Studiosus. Pulcher.*
♏	*Animi sollicitudo & deceptio.*	*Oculi parvi. Cæsaries multa. Facies parva.*	*Contentiosus. Vehemens, Cavillator. Proditor. Bellicosus Architecturæ deditus.*
♐	*Audacia & Promptitudo.*	*Cæsaries longa. Debilis. Pallidus.*	*Pacificus. Facilis ac bonæ indolis, Cautus. Gloriæ cupidus.*
♑	*Regnum & Dignitates.*	*Statura parva. Facies oblonga, crura gracilia. Vox mediocris.*	*Bellicosus. Sub anteriori signi parte natus ad bella terrestria. Sub posteriori verò ad maritima inclinatus.*
♒	*Perseverantia, & partorum retentio.*	*Statura inconcinna. Membra improportionata, vox canora.*	*Justus. Fidelis. Castus. Misericors, amans solitudinis.*
♓	*Deliciæ & Voluptates.*	*Oculi rotundi, facies longa, color albus. Vox nulla.*	*Inconstans, infidelis, gulæ deditus. Caiticus. Civillator.*

10. In temporum mutationibus prænoscendis Astrologi non tantùm ipsa signa, tàm in stelligero, quàm signifero Zodiaco perpendunt, sed etiam partes singulorum signorum priores, medias, ac extremas; Sicut etiam Australes, & Boreales: ut in sequenti Tabula patet. Plura alia, quæ naturas Signorum cœlestium concernunt, alibi in decursu operis dabimus.

Natura

Natura Signorum Zodiaci in tempestatibus & aëris mutationibus ciendis.

Signa Zodiaci.	Natura Signorum in Signifero.	In Stellifero partes priores.	In Stellifero partes mediæ.	In Stellifero partes extremæ.	Pars Australis.	Pars Borealis.
♈	*Minùs tonitruosum & magis grandinosum.*	*Humidæ, ventosæ, pluviosæ.*	*Temperatæ ad calorem, & siccitatem magis accedent.*	*Æstuosæ.*	*Frigidior.*	*Calida. Noxia.*
♉	*Subcalidum cum mediocri siccitate.*	*Turbulentæ, Ventosæ, nebulosæ.*	*Humidæ, Calore temperatæ.*	*Fulminosæ, Fulgurosæ.*	*Inconstans. Varia diversæ naturæ.*	*Temperata*
♊	*Temperatum magis tamen ad calorem & siccit. declin.*	*Noxiæ Humidæ.*	*Temperatæ.*	*Mixtæ incertæ, magis tamen ad Siccit. inclin.*	*Arida, Æstuosa.*	*Ventosa, Concutiens terram.*
♋	*Calidum serenum, magis tamen nebulosum.*	*Caliginosæ, Concutientes terram.*	*Siccæ Calidæ*	*Ventosæ, parum, & ad modum siccæ.*	*Æstuosa, Noxia. Arida.*	*Æstuosa, Sicca Noxia.*
♌	*Æstuosum, Siccum, Suffocativum.*	*Pestilentes, Æstuosæ, Suffocantes.*	*Temperatæ cum præcellenti humid.*	*Temperatæ.*	*Humida.*	*Ignea, sicca varia Instabilis.*
♍	*Humidum. Tonitruosum.*	*Calidiusculæ Noxiæ.*	*Aquosæ, Temperatæ.*	*Humidæ, Aquosæ.*	*Temperata.*	*Ventosa.*
♎	*Mutabile, anceps. Varium ad Siccit. declin.*	*Temperatæ ad Siccitat. tendentes.*	*Temperatæ.*	*Aquosæ, Humidæ.*	*Sicca, Pestifera.*	*Ventosa.*
♏	*Tonitruosū. Igneum, minùs tamen, quàm olim.*	*Nivosæ.*	*Temperatæ sed humidiores.*	*Turbulentæ.*	*Variabilis, Humida.*	*Calida, Ventosa.*
♐	*Ventosum. Humidum.*	*Humidæ, Frigidæ.*	*Temperatæ non nihil tamen frigid.*	*IgneæCalida.*	*Variabilis, Humida.*	*Ventosa.*
♑	*Humidum Temperatum.*	*Æstuantes, Noxiæ.*	*Temperatæ.*	*Humidæ pluviosæ.*	*Humida, Noxia.*	*Humida, Noxia.*
♒	*Frigidum, Aquosum.*	*Humidæ.*	*Temperatæ.*	*Ventosæ.*	*Aquosa, Humida.*	*Æstuosa, Ventosa.*
♓	*Frigidum, Humidum.*	*Frigidæ.*	*Humidæ.*	*Calidæ.*	*Aquosa Humida.*	*Ventosa.*

§. III.

De Partibus Signorum Zodiaci, & variâ earum Virtute, ac efficacia juxtà Astrologos.

Astrologi non tantùm signis, sed etiam certis eorum partibus, ac gradibus efficaces assignant proprietates, quas breviter indico.

1. Celebris comprimìs Signorum divisio est in suos Decanos, sivè facies aut vultus, quæ ab Antiquis Ægyptiis ortum traxisse, haud malè conjicitur. Dum enìm Ægyptii sedulâ observatione cognoscerēt in singulis Zodiaci Dodecatemoriis tria potissimum esse loca, quæ notabiles in alterationibus rerum differentias efficerent; Hinc totum Zodiacum in 36 partes di-

tes diviserunt, ità, ut singulis signis tres domos, sivè facies assignarent, quas etiam Decanos, seu vultus vocârunt, Genios etiam singulis Decanis præsides teste Trismegisto, nunc Ephoros, nunc Horoscopos Deos vocatos statuerunt, quibus singulis Decanis, unum etiam ex Planetis dominari crediderunt, ac quosdamdenique effectus singulis iis Decanis, quos in conceptione, vel nativitate hominis imprimerent, attribuerunt, ut in seq. Tabulâ videre licet.

TABULA

Decanorum 36 unà cum faciebus, Significationibus ac Geniis præsidibus juxtà mentem Veterum Ægyptiorum.

Signa cum eorum Decanis.		Planetæ dominantes & promissiones.	Prædictiones & Eventus sub iis natorum.	Genii Præsides.
♈	1 G. 10	♂ *facies audaciæ & fortitudinis.*	*Natus spiritu martio turgebit.*	*Arueris.*
	2 G. 20	☉ *facies nobilitatis altitudinis, Regiminis.*	*Natus nobilitate potentia & regio animo pollebit.*	*Anubes.*
	3 G. 30.	♀ *facies subtilitatis, in opere mansuetud. ludorum, gaudiorum.*	*Natus mitis ingenii aut subtilis erit. Voluptatibus deditus.*	*Horus.*
♉	1 G. 10	☿ *facies agriculturæ, & mathematicarum artium.*	*Natus Agricola. Architectus, Mathematicus erit.*	*Serapis.*
	2 G. 20	☽ *facies Victoris Strenui, nobilis potentis.*	*Natus fortunam in bello habebit honorib. exaltandus.*	*Helitomenos.*
	3 G 30	♄ *facies Servitutis & vilitatis.*	*Natus servituti, vilitati subjectus erit.*	*Apopis.*
♊	1 G. 10	♃ *facies Sapientiæ in responsis dandis, & accipiendis.*	*Natus Consiliarius & Sapiens evadet.*	*Tautus.*
	2 G 20	♂ *facies pressuræ, & laboris, qua res acquiruntur.*	*Natus summam in rebus acquirendis difficultatem habebit.*	*Cyclopps.*
	3 G. 30	☉ *facies oblivionis omnium, quæ jocos concernunt.*	*Natus omnium hilaritatum aversator erit.*	*Titan.*
♋	1. G. 10	♀ *facies jucunditatis & amoris.*	*Natus amoris operibus laxabitur.*	*Apollun.*
	2 G. 20	☿ *facies jucunditatis, hilaritatis, divitiarum, voluptatum.*	*Natus jucundam in voluptatibus vitam ducet.*	*Hecate.*
	3 G. 30	☽ *facies rixarum & contrarietatis.*	*Natus rixator & refractarius evadet.*	*Mercophta.*
♌	1 G. 10	♄ *facies crudelitatis maleficiorum & audaciæ.*	*Natus crudelem & belluinam naturam sortietur.*	*Typhon.*
	2 G. 20	♃ *facies rixarum, & præliorum.*	*Natus contentiosam victam ducet.*	*Peroeus.*
	3 G. 30	♂ *facies amoris & societatis non cedendi rixis.*	*Natus socialem vitam amabit.*	*Nephthe.*

Signa

Signa cum eorum Decanis.		Plan. dominantes & promissiones.	Prædict. & Eventus sub iis natorum.	Genii Præsides.
♍	1 G. 10	☉ *facies agriculturam respicientis congregat. divit. in malum usum.*	*Agriculturæ operibus divitias multas colliget.*	*Isis.*
	2 G. 20	♀ *facies amoris congregandi divitias; ex vilibus ad alta assurgent.*	*Natus inclinabitur ad quævis alta per divitias comparanda.*	*Piosiris.*
	3 G. 30.	☿ *facies servitutis, debilitatis, pigritiæ.*	*Natus in debilitate senili morietur.*	*Cronus.*
♎	1 G. 10	☽ *facies justitiæ, juris & veritatis.*	*Natus justitiæ, omniumque virtutum custos evadet.*	*Zeuda.*
	2 G. 20	♄ *facies quietis, veritatis, & vitæ tranquillæ ac securæ.*	*Natus tranquillam & securam vitam aget.*	*Omphta.*
	3 G 30	♃ *facies gulæ, aversæ Veneris, malorum saporum gustus.*	*Natus gulæ & abominandæ libidini serviet.*	*Ophionius.*
♏	1 G. 10	♂ *facies discordiæ, tristitiæ, perditi animi, insidiarum.*	*Natus melancholicam & discordiis plenam vitam aget.*	*Arimanius.*
	2 G 20	☉ *Affectus ad malum in omnes tentandum.*	*Natus perversissimus imaginator evadet.*	*Merota.*
	3 G. 30	♀ *Bellorum & ebrietatis, violentæ fornicationis.*	*Natus ebrietati, luxuriæ omnibusque vitiis addictus erit.*	*Panotragus.*
♐	1. G. 10	☿ *Audaciæ, libertatis & militiæ.*	*Natus audax erit & militiæ addictus.*	*Tolmophta.*
	2 G. 20	☽ *facies Timoris, ploratus & timoris de corpore.*	*Natus timidam & facile perturbabilem complexion. habebit.*	*Tomras.*
	3 G. 30	♄ *Sequelæ propriæ voluntatis & machinationis circà horren.*	*Natus liberrimam vitam sectabitur, horrẽdorum machinator.*	*Teraph.*
♑	1 G. 10	♃ *Gaudii, recreationum, lucri vilis.*	*Natus recreationibus & lucris vilissimis animum intendet.*	*Soda.*
	2 G. 20	♂ *facies postulandi res quæ fieri non possunt.*	*Natus res quas desiderabit, nullum exitum sortientur.*	*Riruphta.*
	3 G. 30	☉ *facies cupiditatis gubernandi & suspicionis.*	*Natus ambitiosus cum maximâ Zelotypiâ erit.*	*Monuphta.*
♒	1 G. 10	♀ *facies anxietatis, lucri, inquietudinis, paupertatis.*	*Natus anxium habebit animum, ac vilis & pauper erit.*	*Brondeus.*
	2 G. 20	☿ *facies formæ, vultus magnitudinis & modestiæ.*	*Natus insigni corporis & animi formâ præstabit.*	*Vucula.*
	3 G. 30	☽ *Amor vindictæ & rependendi malum.*	*Natus vindictas omnibus modis sectabitur.*	*Proteus.*
♓	1 G. 10	♄ *facies incuriæ, & naturæ vagabundæ, & instabilis.*	*Natus incurius, vagabundus & instabilis in omnibus erit.*	*Rephan.*
	2 G. 20	♃ *facies æstimationis sui de rebus magnis & altis.*	*Natus Superbus & jactator ac gloriæ mirum appetens erit.*	*Sourut.*
	3 G. 30.	♂ *facies Fornicationis & libidinis, amoris voluptatum.*	*Natus Epicuream vitam ducet.*	*Phallophorus.*

2, Solent Aſtrologi, ſingulis quibusvis ſignis certos fines ſive terminos aſſignare, intrà quos certi Planetæ vires ſuas efficaciùs exerere putantur. Ab Ægyptiis fines iſti (quamvis alii paulo aliter eosdem deſignent) determinantur prout in Tabulâ ſequenti patet. Communiter etiam termini inter dignitates eſſentiales Planetarum computantur, de quibus infrà. *Termini* autem *Ultimi*, ut inquit *Cardanus lib. de Judic. genitur. cap. 28. debiliores ſunt, & poſt primi, & in unoquoque termino poſtrema pars debilior, indè prima, mediæ autem validiſſimæ.*

Tabula finium ſive terminorum cum dominio certorum Planetarum.

Signa	Grad.	Plan.	Grad.	Plan.	Grad.	Plan.	Grad.	Plan.	Grad.	Plan.
♈	6	♃	14	♀	21	☿	26	♂	30	♄
♉	8	♀	15	☿	22	♃	26	♄	30	♂
♊	7	☿	14	♃	21	♀	25	♄	30	♂
♋	6	♂	13	♃	20	☿	27	♀	30	♄
♌	6	♄	13	☿	19	♀	25	♃	30	♂
♍	7	☿	13	♀	18	♃	24	♄	30	♂
♎	6	♄	11	♀	19	♃	24	☿	30	♂
♏	6	♂	14	♃	21	♀	27	☿	30	♄
♐	8	♃	14	♀	19	☿	25	♄	30	♂
♑	6	♀	12	☿	19	♃	25	♂	30	♄
♒	6	♄	12	☿	20	♀	25	♃	30	♂
♓	8	♀	14	♃	20	☿	26	♂	30	♄

Tabula ſecundum Cardanum. lib. de jud. Genit.

♈	7	☉	13	♂	18	♃	22	☽	25	☿	28	♀	30	♄
♉	7	☽	14	♀	19	☿	23	♂	27	☉	29	♄	30	♃
♊	7	☿	12	♄	16	♀	20	☉	24	☽	27	♂	30	♃
♋	7	♃	13	☽	18	♀	22	☉	25	☿	28	♂	30	♄
♌	7	☉	12	♃	16	♂	20	☽	24	☿	27	♀	30	♄
♍	8	☿	13	☽	17	♀	21	♂	25	☉	28	♄	30	♃
♎	7	♄	13	♀	18	☿	22	☉	26	☽	28	♂	30	♃
♏	6	♂	11	♃	15	♀	19	☽	25	☉	17	☿	30	♄
♐	7	♃	12	☉	16	♂	20	☽	24	♄	27	♀	30	☿
♑	7	♂	14	♄	19	♀	23	☽	27	☉	19	☿	30	♃
♒	7	♄	12	☿	16	♀	20	☉	24	☽	27	♃	30	♂
♓	7	♀	14	♃	18	♂	22	☽	26	☉	29	♄	30	☿

Communiùs tamen ſtatuunt Aſtrologi, Solem & Lunam terminos quidem, nullos habere; ſimiles tamen fortitudines obtinere in duabus Zodiaci medietatibus; Solem nempè à principio ♌ usque ad finem ♑, quæ etiam dicitur medietas maxima: Lunam verò â principio ♒ usque ad finem ♋. Notandum etiam ultimos quoscunque gradus cujusvis ſigni cenſeri malos ab Aſtrologis.

Novenæ. 3. Quodlibet ſignum Zodiaci cum dividitur in novem partes, dicuntur illæ partes ab Aſtrologis Novenæ: Singulis autem hujusmodi partibus certos præficiunt Planetas, in quibus exiſtentes unam fortitudinis prærogativam obtinere cenſentur. Ità Mars ex. gr. exiſtens in ſpatio ſigni ♈, quod primum, ſecundum, ac tertium gradum cum aliquot adhuc minutis quarti gradûs complectitur, unam fortitudinis ſuæ dignitatem exiſtimatur habere. Vide tabulam ſequentem.

Tabula

Tabula Novenarum.

Signa.	1	2	3	4	5	6	7	8	9
♈	♂	♀	☿	☽	☉	☿	♀	♂	♃
♉	♀	☿	☽	☉	☿	♀	♂	♃	♄
♊	☿	☽	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄
♋	☽	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃
♌	☉	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂
♍	☿	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀
♎	♀	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿
♏	♂	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☽
♐	♃	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉
♑	♄	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉	☿
♒	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉	☿	♀
♓	♃	♂	♀	☿	☽	☉	☿	♀	♂

Gradus Masculini & Fœminini.

4. Vocantur etiam gradus quidam in singulis Zodiaci signis Masculini, alii fœminini; Ideò sic dicti, quod masculinum Planetam in gradu masculino existentem reddant fortiorem; ècontra Fœmininum inconformis sexûs gradu etiam potentiorem. Vide Tabulam sequentem: Cujus verò ordinatio (quamvis videatur esse contrà quosdam alios, qui primum signi gradum masculinum efficiunt, secundum Fœmininum, tertium iterùm Masculinum, & ità deinceps) *Alkibitio* adscribitur, & communior est.

Tabula Graduum Masculinorum & Fœmininorum.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
8. M.	5. F.	5. F.	2. M.	5. M.	8. F.	5. M.	4. M.	3. M.	11.M.	5. M.	10.M.
1. F.	6. M.	1. M.	6. F.	1. F.	4. M.	10.M.	10. F.	3. F.	8. F.	10. F.	10. F.
6. M.	6. F.	6. F.	2. F.	7. M.	8. F.	2. F.	3. M.	7. M.	11.M.	6. M.	3. M.
7. F.	4. M.	4. M.	11.M.	8. F.	10.M.	5. M.	8. F.	10. F.		4. F.	5. F.
8. M.	3. F.	4. F.	7. F.	7. M.		7. F.	5. M.	6. M.		2. M.	2. M.
	6. M.					3. M.				3. F.	

ità Ex. Gr. 8. priores gradus ♈ sunt masculini, sequens verò 9. Gradus unicus est fœmininus: Sex verò denuò consequentes, sivè 10, 11, 12, 13, 14 & 15 Gradus sunt iterum masculini, & ità deinceps.

Gradus lucidi tenebrosi, fumosi & vacui.

5. Gradus quidam Signorum vocantur Lucidi, quod pulchritudinem, & serenitatem invehant aëri, adeoque fortunati etiam censentur. Econtrà verò alii vocantur tenebrosi & fumosi ob contrariam rationem. Vacui etiam dicuntur quidam Gradus, quod opera, quæ sub iisdem inchoantur, communiter vacua, & irrita esse soleant. Existimantur etiam ab alis Mediocres inter bonos & malos. Inspice Tabulam ubi T. Tenebrosos, L. Lucidos, F. Fumosos, V. Vacuos gradus significat.

Tabula Graduum Lucidorum, Tenebrosorum, sivè Fumosorum & Vacuorum.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
T. 3.	T. 3.	L. 4.	L. 12.	T. 10.	T. 5.	L. 5.	T. 3.	L. 9.	T. 7.	F. 4.	T. 6.
L. 5.	L. 4.	T. 3.	T. 2.	F. 10.	L. 3.	T. 5.	L. 5.	T. 3.	L. 3.	L. 5.	L. 6.
T. 8.	V. 5.	L. 5.	V. 4.	V. 5.	V. 7.	L. 8.	L. 8.	L. 7.	F. 5.	T. 4.	T. 6.
L. 4.	L. 3.	V. 4.	F. 2.	L. 5.	L. 6.	T. 3.	T. 3.	F. 4.	L. 4.	L. 8.	L. 4.
V. 4.	V. 5.	L. 6.	L. 8.		F. 6.	L. 6.	L. 6.	L. 7.	T. 3.	V. 4.	V. 3.
L. 5.	L. 8.	T. 5.	V. 2.		V. 3.	V. 3.	V. 5.		V. 3.	L. 5.	L. 3.
V. 1.	T. 2.	V. 3.							T. 5.		T. 2.

Gradus puteales.

6. Gradus puteales in signis dicuntur ii, in quibus scilicet Planeta existens est quasi in puteo, sivè debilis influxûs quoad calorem, aliaque opera utilia: Communiter autem, quandò Planetæ Superiores in iisdem existunt, frigus & humiditas, seu pluvia generatur: Tales autem gradus sunt ii, qui sub signis subscriptis in tabellâ appositâ designantur.

Tabula

Tabula Graduum putealium.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
6	5	2	12	6	8	1	9	7	2	12	4
11	13	12	17	13	13	7	10	12	7	17	9
19	18	17	23	15	16	20	17	15	17	24	24
23	24	26	26	22	21	23	22	24	24	29	27
29	25	30	30	23	25	30	27	27	28		28
	26			28				30			

Gradus debilitatis corporum.

7. Assignantur etiam ab Astrologis gradus quidam debilitatis corporum in duodecim signis cœlestibus, qui & *Azemena* vocantur, suntque, ut hic apposita tabula monstrat.

Azemena, sivè gradus debilitatis Corporum.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
19	3	11	1	2	3	3	7	13	13	7	13
	15	1	3	5	13	5	12	20	14	16	20
	27		14	7	20	21	18		20	17	
	30		15	10	30	24	20		24	20	

Gradus augmentationis fortunæ.

8. Gradus aliqui in certis signis & eorum gradibus fortunatiores existimantur, undè & augmentare fortunam dicuntur: Quales in subjectis signis isti sunt.

Tabula graduum augmentantium fortunam.

♉	♋	♌	♏	♐	♑	♒
6	7	19	19	1	26	18
7	9	27	29	7	27	26
8	usque ad	28		18	28	
9	15			19	29	
10						

9. Considerant Astrologi quidam Jatromathematici etiam trigonos, & in iis non tantum ipsa Signa, sed & in singulis eorum gradus quosdam aliter naturam humanam afficientes & complexionem tam naturalem, quàm præternaturalem constituentes, uti facit *Robertus Flud libr. 2. de Sign. demonstrat. complexionem cap. 3. hoc modo.*

Triplicitas ignea cholerica.

Signa.
- ♈. cujus grad.
  - Primi 18 temperatè calidi, & sicci choleram naturalem gignunt ultimi 12 calidi, & sicci in principio 1 grad. choleram flavam gignunt.
- ♌ est calidior & siccior quam ♈.
  - Primi 6 gradus calidi sicci in primo gradu, faciuntque bilem flavam, & amaram.
  - Proximi 18 gradus sunt calidi, & sicci in 2 gradu causantes choleram flavam & morbos tales.
  - Ultimi sex sunt calidi & sicci in principio tertii, & pariunt choleram rubeam & morbos tales.
- ♐ est calidior & siccior quam ♌.
  - Primi 12 grad. sunt calidi & sicci in grad. 3. faciuntque choleram rubeam, suntque febrium ardentium causæ, &c.
  - ultimi 18 sunt calidi & sicci in 4 grad. faciuntque carbunculos, pestes æstuantissimas, & morbos acutissimos.

Tripli-

Triplicitas aërea Sanguinea.

Signa
- ♊ cujus grad.
  - Primi 18 sunt temperatè calidi & humidi, sanguinemque naturalem gignunt.
  - Ultimi 12 sunt, calidi & humidi in principio 1 gradûs, sanguinemque dulcem faciunt parùm suprà naturæ sanguineæ modum, & morbos tales.
- ♎ calidior & humidior quam ♊.
  - Primi 6 grad. sunt calidi & humidi suprà naturæ leges: generant sanguinem multum, eumque densum, crassum, & morbos tales.
  - Medii 18 sunt calidi & humidi in altiori adhuc mensurâ, & suos augent effectus, faciuntque morbos tales.
  - Ultimi 6 sunt calidi & humidi in principio 3 grad. plurimumque gignunt sanguinem, eumque spissum, & morbos tales.
- ♒ calidior & hum. quam ♎.
  - Primi 12 sunt calidi, & humidi in 3 gradu.
  - Ultimi 18 sunt calidi & humidi in 4 grad. generantes multum sanguinem crassum, putridum, insalubrem & morbos tales.

Triplicitas terrea Melancholica.

Signa
- ♉ cujus gradus
  - Primi 18 sunt frigidi gignentes naturalem melancholiam.
  - Ultimi 12 sunt frigidi & sicci in principio 1 gradus procreantque melancholiam aliquantùm præternaturalem & morbos tales.
- ♍ cujus grad.
  - Primi 6 sunt frigidi & sicci in 1 grad. faciuntque melancholiam præternaturalem primi Ordinis, & morbos tales.
  - Medii 18 sunt frigidi & sicci in 2, gignentes præternaturalem melancholiam 2 ordinis, & morbos tales.
  - Ultimi 6. sunt frigidi & sicci in 3 grad. gignentes præternat. melanchol. 3. ordinis, & morbos tales.
- ♑ magis frigid. & siccum ac melanchol. quam ♍.
  - Primi 12. gradus sunt frigidi & sicci in 3 grad. gignentes melancholiam præternatural. in tali gradu, & morbos tales.
  - Ultimi 18 sunt frigidi & sicci in 4 grad. generantes melancholiam talem cum morbis desperatis ejusdem ordinis.

Triplicitas aquea Phlegmatica.

Signa
- ♋ est signum salsum & aqueum, cujus gradus.
  - Primi 18 sunt frigidi & humidi temperatè gignentes pituitam naturalem.
  - Ultimi 12 sunt frigidi & humidi in principio 1 grad. phlegma frigidum generantes aliquantulum non naturale.
- ♏ est signum frigidius ♋, salsum ponderos: cujus grad.
  - Priores 6 sunt frigidi & humidi in 1 gradu.
  - Medii 18 sunt frigidi & humidi in 2 grad. faciuntque morbos tales.
  - Ultimi 6 sunt frigidi & humidi in principio 3 grad. gignentes non naturalem & salsam pituitam, & spissam atque putridam aquam, gignuntque morbos tales.
- ♓ est sign. aqueum, salsum destructivum tam animalium quam vegetabilium.
  - Primi 12 sunt frigidi & humidi in 3. grad. & afferunt morbos tales.
  - Ultimi 18 sunt frigidi & humidi in 4 grad. undè phlegma fœtidum & corruptum, ac aquam spissam corruptam producunt, & tales morbos.

CAPUT V.

De Planetarum naturis, eorum dignitatibus variis influxibus ac qualitatibus ad res Geocosmicas afficiendas.

IN nullo argumento Astrocritica facultas multipliciùs desudare & vanitatem ampliùs, ac audaciùs ostentare videtur, quàm in Planetarum occultis impressionibus, ac influxibus ad res varias Geocosmicas, ac comprimis Microcosmicæ naturæ inclinationes ac potentias commovendas: Et quamvis difficile sit ea omnia, quæ de his dici queunt, brevi enarrare compendio, eâ tamen, quâ poterimus, brevitate negotium hoc Astrologicum pertractare conabimur.

§. I.

De Naturis Planetarum, eorumque Dignitatibus.

Saturnus. 1. Natura & vires Planetarum juxtà primas qualitates tales ab Astrologis communiter afferuntur. Saturnus imprimìs, inquiunt, est frigidus, & parùm siccus, cùm longissimè à Sole, à quo nempè splendorem habet, distet, & ab indè etiam debiliter ejusdem radios suscipiat, ideoq; parum calefacit, quod respectu nostri est frigefacere: Cum deindè etiam maximè ab humidis terræ vaporibus distet, parumque illos exiguo suo calore comprimere queat, quod respectu nostri, est siccare: Ideò etiam siccitas eidem attribuitur.

Jupiter. 2. Jupiter est calidus & humidus temperatè, ob idque fœcundus, quia medius est inter Saturnum minimè, & Martem maximè calidum: Cum autem magnæ sit molis, & plurimum habeat luminis, attrahit vapores & humectat, sed non adeò multos elevat, quià à terra valdè distat.

Mars. 3. Mars immoderatè calidus & siccus est, quia Soli proximus est, & densam habet substantiam, igneoque pollet calore, ob idque attractos ab aliis stellis vapores dissipat & consumit.

Sol. 4. Sol est moderatè calidus & siccus, sivè vim calefaciendi & leniter exsiccandi habet.

Mercurius. 5. Mercurius versatilis naturæ & anceps est, aliquandò siccus, propter Solis vicinitatem; interdùm humidus propter Lunæ & terræ propinquitatem.

Venus. 6. Venus calida est, & humida quià & Soli vicina & terræ, magnamque habens molem plurimos è terrâ vapores attrahit, quibus aër refrigeratur, & ejus calor minor redditur.

Luna. 7. Luna humida est, quià cum sit terræ proxima, plusquam cœteri Planetæ, in illam suo lumine agens, & humores elevans humectat aërem, & subjecta corpora. Sed quæ hactenus dicta sunt de Planetis, his breviter versibus comprehenduntur.

Frigidus & siccus Sat: Jupiter æstuat udus:
Mars & Sol sicci fervent: Sed Luna, Venusque
Udæ frigescunt: medius Cylenius esto.

8. Jupiter & Venus cum temperatæ sint naturæ, ab Astrologis Planetæ benefici ac fortunati appellantur, magìs tamen Jupiter, quàm Venus: Quocircà etiam ille *Fortuna major*, hæc *minor* nominatur. Luna parùm benefica & fortunata judicatur ob caloris paucitatem, & humidi exuberantiam: Plena tamen magìs benefica existimatur. Saturnus & Mars exitiales sunt, & malefici: Ille ob nimiam frigiditatem, hic ob nimium calorem. Sol verò & Mercurius ancipitis, ac mediæ naturæ judicantur, ut etiam indicant versus sequentes. Planetæ benefici & Malefici.

Jupiter atque Venus bene: sunt, Sat: Marsque maligni.
Sol & Mercurius cum Lunâ sunt mediocres.

9. Ratione qualitatis ac conditionis Planetarum aliqui dicuntur diurni, quod de die vires ac operationes suas exerant, velut Sol; aliqui dicuntur Nocturni, quod de nocte potissimùm, veluti Luna, virtutem suam emittant. Reliqui, qui sequuntur naturam Solis, uti Jupiter & Saturnus, sunt diurni, & ex his prior benefícus, alter maleficus: Qui verò naturam Lunæ æmulantur, veluti Venus & Mars, nocturni Planetæ vocantur, & ex his illa salutaris, hic exitialis & perniciosus habetur. Mercurius est anceps, modò diurnus, modò nocturnus. Qualitas & conditio Planetarum.

10. Ratione sexûs Planetæ aliqui potentiores dicuntur Masculini: debiliores verò fœminini: Illi sunt ♄, ♃, ♂, ☉, quia calor eorum humido dominatur; fœminini autem sunt ☽ & ♀, quia calor in his ab humido superatur. *Masculascere etiam dicuntur Planetæ, qui sunt Orientales*, lumine aucti, aut directi: Effœminati autem, qui Luce diminuti, Occidentales, aut retrogradi sunt. Sexus Planetarum.

11. Dignitates Planetarum aliæ sunt essentiales, aliæ accidentales: Priores ità dicuntur ex ingenitâ ipsis virtute. Accidentales verò quod sint insitarum virtutum incrementa, quæ ipsis conveniant, vel ratione positûs Cœli ad Solem, vel ratione motûs in suis orbibus, vel ratione configurationis cum aliis Planetis. Dignitates Planetarum.

nitates

nitates essentiales sunt Domus, exaltatio, triplicitas, terminus, carpentum, persona & gaudium. Accidentales sunt directio, statio, progressio, auctio luminis, combustio, Angulus Cœli, & alia hujusmodi.

Domus Planetarum.

12. Domus Planetæ alicujus est locus ille, ubi Planetæ virtus inveniens qualitates amicas, beneficas & ad proprios effectus reducendos maximè congruas validior, fortior, & virtuosior existit, & in eo velut in domo suâ magis dominatur, adeoque potentiorem se exhibet. Ità Leo signum masculinum calidum & siccum naturæ solari maximè congruens domus Solis appellatur. Opposita verò loca vocantur detrimenta & exitia Planetarum, quià in illis Planetæ existentes minuuntur viribus. Pro domibus Planetarum habentur apud *Cardanum in lib. de judic. genit.* versus isti.

Est Aries Martis ex acutæ Scorpio partis.
Libram cum Tauro Venus ambit purior auro,
Occupat Erichonem Stilbon geminumque Laconem,
Atque Jovi dona Pisces, simul atque Chirona.
Est tibi Saturne domus Ægocerontis & Urnæ.
Cesserunt Soli, Cancer Lunæ, Leo Soli.

Notandum autem, quod Planetæ qui duas habent domos, alteram sibi diurnam, ubi de die potentiùs dominantur, alteram faciant nocturnam, ubi de nocte magis existunt potentes. Sed vide Tabulam hic appositam, ubi litera D diurnam, N nocturnam domum significant.

Planetæ.	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
Domus	♑.N. ♒ D.	♐.N. ♓.D.	♈.N. ♏. D.	♌.D.	♉.N. ♎. D.	♊.N. ♍. D.	♋. N.
Exitia Detrimenta.	♋.♌.	♊. ♍.	♎. ♉	♒.	♏. ♈.	♐. ♓.	♑

Exaltatio Planetarum.

13. Exaltatio Planetarum, sive altitudo est locus ille in Zodiaco ubi Planeta post domum propriam maximam in sublunaribus causat mutationem. Hanc autem in exaltatione virtutem ex tribus potissimùm modis cognoscunt Astrologi. Primo ex progressu Planetæ ad signa naturæ illius & effectibus congruentiora. Secundò à loco, in quo post conjunctionem cum Sole vires suas magis ostendit. Tertiò à signo, in quo aptiùs & faciliùs suos potest producere effectus. Humilitas, dejectio, seu casus Planetarum sunt in loco ac signo exaltationi oppposito. *Cardanus de Exaltationibus Planetarum* hos tradit versus.

Sol ove, Luna bove, Saturnus Lance levatur
In Cancroque tonans, in te Capricorne Gradivus
Stilbonem sua Virgo levat, Piscesque Dionem,
Et caput erigitur Ledea prole Draconis.

Planetæ.	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
Exaltatio.	♎	♋	♑	♈	♓	♍	♉
Directio.	♈	♑	♋	♎	♍	♓	♏

Ex antiquis quidam solum certos gradus assignârunt exaltationibus Planetarum; ità Soli gradum 19 ♈, Lunæ 3 ♉, Jovi 15 ♋, Veneri 27 ♓, Mercurio 15 ♍, Marti 28 ♑, Saturno 21 ♎. Verùm Recentiores cum *Ptolemæo* integris signis exaltationes determinârunt, annuendo tamen, quod fortiores fiant exaltationes in gradibus assignatis.

Triplicitas.

14. Triplicitas Planetarum est dominium eorum in aliquo signorum trigono. Dividuntur enim signa Zodiaci, ut *super. cap.* docuimus, in quatuor Trigonos, igneum scilicet, aëreum, aqueum, terreum quorum quilibet continet tria Signa trigono aspectu sese intuentia: Trigonus igneus terminatur angulis suis ad tria ignea signa masculina diurna, nempè ♈, ♌, ♐ cui dominantur Sol, & Jupiter Planetæ masculi & diurni, & Sol quidem interdiu, Jupiter noctu primum locum obtinet: Aëreus trigonus ad tria signa aërea mascula, diurna ♊, ♎, ♒, terminatur: Hujus dominium habet Saturnus de die, & Mercurius de nocte: Aqueus trigonus tria aquea & nocturna signa ♋, ♏, ♓, respicit; dominatur his Mars, qui de die Venerem, Lunam de nocte associat sibi. Terreus Trigonus continet signa terrea fœminina nocturna ♉, ♍, ♑; dominantur Luna de nocte & Venus de dio. Pro tempore, quo Planetæ suis trigonis dominantur *Cardanus* hoc versus ponit.

Sole dies, Jove nox regitur, Mars tempus utrumque
Marte dies, Luna nox, semper Stilpon habetur.
Saturnus Stilbon quintâ, & Jupiter, Venus, ac Mars.

Notabile est quod tradit *Cardanus* in suis *Aph. Astr.* Romanorum originem fuisse in trigono igneo: Alexandri Imperium in aëreo, Persarum potentiam in terreo; Mahumeti in aqueo, quod obiter sic indicasse sufficiat.

15. Ter-

Termini.

15. Termini sunt certi gradus in signis Zodiaci, in quibus certi Planetæ maximam prærogativam obtinent, & potentiores existunt; hos designatos vide *cap. præced.*

Carpentum.

16. Carpentum est locus nobilissimus alicujus Planetæ in Zodiaco, in quo dum existit, plures dignitates conjunctas habet: Dicitur verò ideò Carpentum, quod Planeta instar Regis magno amicarum stellarum comitatu, veluti in curru honoris ac divitiarum triumphans operandi facultate maximè augeatur. Ità Carpentum Saturni est ♒, Jovis ♐, Martis ♏, Solis ♌, Veneris ♉, Mercur. ♍, Lunæ ♋.

Persona sivè Almugea.

17. Persona Planetarum locus ille vocatur, in quo Planetæ existentes eo modò cum Sole & Lunâ configurantur, quo domus ipsorum cum Luminarium domibus, ità tamen ut ad Solem sint Occidentales, ad Lunam verò Orientales. Arabes vocant *Almugeam*, vulgares verò Astrologi dicunt, *videre facie ad faciem.* In Almugeâ igitur sivè persona Solis dicitur aliquis Planeta, cum à Sole tot signis distat, quot à signo ♌ prima ejus domus, quæ subsequitur S.S.S. ità ut ad Solem sit Occidentalis, ad Lunam Orientalis.

Gaudium Planetarum.

18. Gaudium Planetarum dicitur, quandò non in propriis locis, sed in amicorum dignitatibus versantur. Gaudere igitur Planeta dicitur, quandò existit in domo alienâ conjunctus amicitia, fortunâ & bonitate aliorum Planetarum ibi existentium, tunc enim, quià bonitatis illorum particeps efficitur, de bono illorum quasi gaudere dicitur. Vide etiam quæ diximus suprà *cap. 3. hujus num. 23.* Sicut autem gaudet Planeta conjunctus amicis, sic tristatur inimicis impeditus. De Amicitia verò & inimicitia Planetarum scribit *Cardanus de judic. genit. capit. 28.* ita; *Sunt & amicitiæ Planetarum inter se, tum odia; non quidem, quod Stella Stellam odio habeat, ut homo hominem, aut quod altera alteram vitiet, ut Elementa; Sed quæ contrarios effectus, cum sibi obviant, pariunt.*

Planetarum amicitia & inimicitia sivè Sympathia & Antipathia inter se.

Planetæ	Amici.	Inimici.
♄	♃.☉.☿.☽.	♂.♀.
♃	♄.☉.☿.☽.	♂.
♂	♀.	♄.♃ ☉.☿.☽.
☉	♃.♀	♂.☿.☽.
♀	♃.♂.☉.☽.	♄.
☿	♄.♃.♀.	☉.☽.♂.
☽	♄.♃.♀.	♂.☿.

Secundum Cardanum. de Judic. Genit. cap. 28.

Planetæ	Amici	Inimici.
♄	♃.☉.☿.	♂.♀.
♃	♄.☉.♀.	♂.☿.
♂	♀.	♄.♃.☉.☿.☽.
☉	♄.♃.♀.	♂.☽.
♀	♃.♂.☉.☽.	♄.
☿	♄.☉.	♃.♂.
☽	♃.♀.	☉.

Reliqui Planetæ sunt indifferentes, ut Saturnus cum Lunâ. De Accidentalibus Planetarum dignitatibus, earumque viribus consuli potest *caput 3. hujus Disquisit.* ac *Tabula fortitudinis, & debilitatis* eidem adnexa.

§. II.

Canones quidam generales de Planetarum viribus, & efficaciâ.

1. Planetæ omnes potentiores sunt & fortiùs operantur, dum fuerint in hemisphærio superiori, sivè suprà Horizontem, quàm dum infrà extiterint. Sic Planeta calidus existens suprà Horizontem, magìs calefacit, & frigidus magìs infrigidat, quod remissiùs quivis agit existens infrà terram.

2. Planetarum virtus & activitas celeriùs & fortiùs operatur in angulo medii Cœli & Orientali, vel in plagis mox succedentibus, vel in suis gaudiis, quàm in angulo infimi Cœli, & Occidentali.

3. Planetæ omnes in efficaciâ suâ potentiores censentur, dùm sunt in domo propriâ, exaltatione, triplicitate, termino, vel facie extrà combustionem directi in Auge, & Figurâ Cœl dominantes.

4. Quo Planetæ Superiores in motu sunt tardiores, eò & longiùs protrahunt effectus: nam ut rectè *Cardanus* inquit: *Quæcunque lentiùs operantur, diutiùs protrahunt effectus suos; neque enim delitescere vis sideris potest, nec aboleri.*

5. Ope-

5. Operationes Planetarum nunquàm cessant, ut docet idem *Cardanus*, donec contrario à Planetâ aut fixâ Stellâ, aut Signi parte contrariæ partis impediantur, vel in Solis radios incidant.

6. Omnis Planeta quantò terræ magìs propinquus est, tantò impressiones ejus terra celeriùs recipit.

7. Aphorismus *Cardani est*: Cum Planetæ fuerint juxtà longitudines medias, nihil ex hoc significabunt, nisi mediocritatem, quæ in pluribus optima est.

8. Planetæ tempore Æquinoctii, aut Solstitii insigniùs & notabiliùs mutant, & mutantur in efficaciâ, quàm extrà hoc tempus. Sic calidi tempore solstitii æstivi magis adurunt, frigidi verò minùs tunc infrigidant: ècontra tempore solstitii hyberni Planetæ frigidi magis constringunt & infrigidant, at calidi tunc remissius calefaciunt.

9. Qualitates Planetarum à similibus & amicis sicut augentur, ita à dissimilibus, & inimicis minuuntur ac retardantur.

10. Cùm Planetæ duo simul dominantur, erit judicium ex amborum significatione mixtum. Cùm autem Dominus ipse alteri assimilatur, præcipuam quandam vim obtinebit. *Cardanus in Aphorism.*

11. Cùm plurimi Planetæ in eodem signo non in eâdem parte fuerint, temperaturam ad unum genus, & actiones inclinabunt. *Idem.*

12. Generaliter cùm Planeta malè dispositus fuerit, extremum virtutis, quod vitium est, pro virtute significabit: Vitia verò ipsa augebit in immensum, proximaque illi etiam adjiciet. *Idem.*

13. Sidera pleraque, quæ in Signifero sunt, quandóque ab inferioribus Planetis obscurantur, quod si contingat, proximis temporibus, ut in Luminarium Eclipsibus considerandum est. ita idem *Card.*

14. Quotiescunque jungitur aliquis Planeta cum aliquâ Stellarum fixarum suæ naturæ, efficitur significatio illius Stellæ potentior, & natura Planetæ confortatur: nam ut ait *Cardanus*: *quidquid significat conjunctio duorum Planetarum; idem decernit conjunctio Planetæ, aut radius cum fixâ ejusdem naturæ.*

15. Quodsi stella duarum naturarum radiis cujusdam Planetæ commixta fuerit; illius natura vincet in significatione, quæ Planetæ conformabitur: uti si stella sit de natura ♂ & ♀ conjuncta ♂, vincet natura ♂: Si verò eadem Stella ♀ commixta fuerit, ♀ natura prædominabitur.

16. Quodcunque signum cœleste, aut quiscunque Planeta censetur infortunatus, quandò radiis maleficorum Planetarum, ut ♄ & ♂ fuerit commixtus; fortunatus autem, quandò beneficorum ut ♃ & ♀ radiis fuerit adjutus. *Omne enim impedimentum mali bonum, boni malum.* ut inquit *Cardanus in Aphorismis.*

17. Boreales Planetæ in declinatione & latitudine validiores semper sunt Australibus, cùm reliqua paria fuerint.

18. Quæ impedire possunt valida existentia, cùm debilia fuerint, procrastinant, aut minuunt effectus.

19. Cùm inter duos Planetas medius intercesserit, priorum nulla fit virtutis commixtio, nisi per medium ex altero in alterum transferatur.

20. Planetarum virtus efficacior existit, cum sunt retrogradi, aut stationarii, quàm dum sunt progressivi.

21. Inter aspectus Planetarum fortissimus & efficacissimus censetur ex oppositione, cui propinquior conjunctionis, minùs efficax quadratus, magis his omnibus debilis Sextilis.

22. Trinus omnis radius bonum affert; docet *Cardanus*, sicut omne quadratum, quod est inter dissimilia, malum.

23. Qualis est constitutio Planetarum & aliarum stellarum, talis censetur & natura sublunarium subjectorum, inquit *Schröderus in Pharmacop. med. Chym. lib. 1. cap. 36.* Est autem constitutio Stellarum vigorosa & fortunata in fortitudinibus, debilis & infortunata in debilitatibus, & infortuniis.

24. In Directionibus major securitas est in radiis, post in fixis, ultima in finibus vis est.

25. In omni conjunctione considerandus est locus, & quis eorum superior.

26. Contrariorum latitudines magnæ sunt, ipsa autem contigua sunt: ob hæc circà illorum terminos etiàm periti falluntur, ut docet *Cardanus in Aphoris.*

27. Generaliter si fuerit infortuna fortunæ cadenti copulata, aut infortuna elevata; fient duæ infortunæ nihil fermè juvantes, & multum nocentes. Idem.

28. Quodsi fortuna elevetur, infortuna juvabit quidem, sed & nocebit, quoniam detrimenta magna faciliùs est inferre, quàm felicitates: felicitates autem detrimenta impedire non solent. *Idem ibidem.*

29. Caput & cauda Draconis, cùm junguntur Planetis, magnas habent vires. ità Saturnus benè afficitur à Capite; malè verò à caudâ: ut docet *Cardanus com. in Ptol. de Astr. judic. lib. 2. Conjunctio igitur capitis Draconis cum Saturno juvat decreta Saturni, sed malè afficit Lunam. Conjunctio verò Saturni cum caudâ inutilis est utrique, id est, Saturno & Lunæ. Sic conjunctio Jovis cum caudâ inutilis est Jovi; utilis verò Lunæ: Conjunctio verò Jovis cum capite, utilis erit utrique scilicet Jovi & Lunæ.* ita ille.

30. Permutationes absidum Regna & Regiones, & Religiones mutant, & Planetæ vel ascendens in his, vel oppositis vim à naturâ ejus contrahunt, cujus est absis. Purum in abside, depravatum in opposito; convenit igitur hoc scire. *Cardan: in Aphor.*

31. Robur rei significatæ est per vim significatoris, debilitatem abscindentis, remotionem impedientis infortunæ, quæ loco non dominatur, & fortunas, quæ inter abscindens, & significatorem positæ sunt. *Idem.*

§. III.

Aphorismi sive Canones quidam Astrologici de Planetis in specie ex Cardano & aliis.

1. Congressus & configuratio Lunæ cum aliis Planetis, sicut frequentius accidit ob motûs celeritatem, ità effectus notatur facilius, & evidentius præjudicatur.

2. Specialiter Luna potens existit, si sit in domo propriâ, vel exaltatione, vel triplicitate, vel facie, vel gradu sibi ad opus convenienti, hoc est, in mansione cœlesti operi competente.

3. Item si Luna sit extra combustionem, nec tarda cursu, nec sit in Eclipticâ, non descendat in latitudine meridionali, nec sit opposita Soli, nec lumine minuatur, nec sit impedita radiis Saturni, aut Martis, efficacior habetur.

4. Luna quandò vel ambos maleficos Saturnum & Martem intuetur, vel jungitur uni & alterum aspicit; vel quandò à conjunctione, sivè aspectu unius transit ad conjunctionem, vel aspectum alterius aperit vehementius eorum efficaciam, & malitiam. In aliis autem Planetis beneficis tali congressu è contrario aperit bonitatem & benevolentiam.

5. Quandò Luna ab inferiori aliquo Planetâ separatur & transit ad superiorem, sivè hoc fiat per ☌ ☍ □ aut ✱; tunc crescit effectus mutationis & diutius perseverat. Quandò verò à superiori descendit ad inferiorem, tunc minor, & brevior accidit auræ Ex. gr. mutatio. Uti si Sol obtinens 12 grad. Piscium, Saturnus grad. 16 Sagittarii Lunam aspiciat ex opposito in grad. 13 Virginis: indè Luna digrediatur ad Saturnum: tempus tunc nebulosum, frigidum, & pluviosum efficiet. Econtrà si Luna à Saturno transiret ad Solem; brevior, & mitior existeret effectus, postque turbulentiam serenitas, & claritas sequeretur.

6. In rebus, quas latere desideras, ait *Cardanus in Aphor.* Lunam sub radiis Solis positum exspecta.

7. Optimum ex his quæ accidunt, est, ut Luminaria in finibus fortunarum existentia, ex angulis mutuò se aspiciant: post hæc est aspectus Jovis. *Idem.*

8. Luminaria dant manifestas & splendidas divitias: Orientales Planetæ celeriùs & manifestiùs: seriòs & occultiùs occidentales.

9. Solis virtus omnibus aliis Planetis validor est, quià nunquàm ab illis tota deleri potest.

10. Sol omnibus Planetis tribuit vires, Lune autem recipit: ob id decreta Lunæ non omnia, nec ex majore parte sua sunt.

11. Sol alligat Planetas omnes corpore suo, præcipuè superiores, & conjunctione suâ omnium Planetarum efficaciam retardat ac impedit: gaudet tamen ejus aspectu △ vel ✱ Saturnus, & ipse hoc corpore suo facit, ac præsertim inferiores, maximè ☿ alligat & impedit.

12. Detrimenta valida radiorum Solis â fortunarum aspectibus emendantur.

13. Effectus maximè scatent, cùm significator peregrinus, & cadens vel sub terrâ vel Solis radiis junctus fuerit.

14. Stationes Planetarum maximè ♂ pessimæ, atquè in his deteriores secundæ.

15. Nullus Planeta deterius afficitur in progressu, quam Mars.

16. Mercurius quomodolibet conjunctus, aut commixtus aliis Planetis, addit, & auget pro naturâ eorum bonitatem, vel malitiam.

17. Saturni & Martis aspectus magis infesti & inimici censentur ☍ aut □, minùs inimici △ ✱ & ☌

18. Caput Draconis bonum est cum bonis, malum cum malis, estquè masculinum: Cauda verò Draconis mala cum bonis & bona cum malis, estquè fœminina.

19. Sicut certæ quædam orbis terrestris portiones, sivè provinciæ certis cœli signis ab Astrologis subjiciuntur; ità & singulis Planetis sua regna & provinciæ ab ijsdem assignantur, quibus idcircò etiam Planetæ in certis signis, sivè suis domibus efficacius vires suas communicare dicuntur: quæ autem regna vel provinciæ singulos respiciunt Planetas in præsenti tabulâ facilè addisci poterit. Climata septem totidem Planetis subjecta enarravimus suprà *in disquis. 1. cap. 11. §. 2.*

Tabula

Tabula Regnorum & Provinciarum, quæ singulis subjiciuntur Planetis ex mente Ptolemæi, & aliorum.

Planetæ.	Signa sivè domus Planet.	Regna & Provinciæ Planetis subjectæ.
☉	♌	*Italia. Apulia. Sicilia. Phœnices. Chaldæi. Orsenii, sivè Orchenii.*
☽	♋	*Bithynia; Phrygia. Colchica. Numidia. Africa. Carthago. & tota Carchedonia.*
♄	♑	*Macedonia. Thracia. Illyria. India. Arriana. Gordiana. Asia minor.*
	♒	*Asia interior. Sauromatica. Oxiana. Sogdiana. Arabia. Phazania. Media. Æthiopia.*
♃	♐	*Tuscia, Celtica. Hispania. Arabia Felix.*
	♓	*Lycia. Lydia. Cilicia. Pamphilia, Paphlagonia. Nasamonia. Garamantica.*
♂	♈	*Britannia. Gallia. Germania. Barstania. Concava Syria. Idumæa & Judæa.*
	♏	*Syria. Comagenes. Cappadocia. Metagonitis. Mauritania. Getulia.*
♀	♉	*Cyclades. Maritima parva Asiæ. Cyprus. Parthia. Media, & Persia.*
	♎	*Bactria. Caspia. Serica. Thebais. Oasis. Troglodytæ.*
☿	♊	*Hyrcania. Armenia. Mantiana, Cyrenaica. Marmarica. & inferior Ægyptus.*
	♍	*Græcia. Achaja. Creta. Babylon. Mesopotamia. Assyria. Elamitarum regio.*

29. Conjunctiones magnas, sivè superiorum Planetarum in signo uno commixtiones, tristes, easque valdè notabiles sequi calamitates publicas plerique statuunt Astrologi, ac confirmant Historici. Ità cum *Pompejum* inter & *Cæsarem* civilia bella toto terrarum orbe exarserunt, variæque Regnorum, ac rerum publicarum conversiones consecutæ sunt; Superiorum Planetarum Synodus in Scorpionis Signo præcessit. Cum *Otho*, *Galba*, *Vitellius* & *Vespasianus* Imperium Romanorum perturbârunt, ac Hierosolyma cum totâ Palæstinâ devastata fuit; conjunctio magna in Sagittario Anno Christi 73. præcessit. Præviâ simili conjunctione in Capricorno ad Annum Christi 312. contigit trium Imperatorum & legionum Romanarum maxima strages: Cum Imp. *Constantinus* vi & armis Urbem invasit, totiusque Imperii Romani leges, & rempublicam momento evertit. Anno Christi 430. Planetis in signo Aquarii conjunctis Gothi Europam â Septentrione invaserunt, & Romanum Imperium oppresserunt. Anno 630. factâ coitione in Scorpione Arabes ex Asiæ desertis erumpentes universum penè terrarum orbem cruentis armis domuerunt. An. 1343. Synodus Planetarum accidit in Aquario, & consecutus fuit terræ motus per Germaniam, bellum dirum in Apulia ac sacra lues ab ortu versus occasum serpere cœpit. Accidente ad Annum Christi 1464. simili conjunctione in Piscium signo, mox tyrannides & bella civilia totam Europam invaserunt. Anno 1483. Synodo Planetarum contingente in Aquario, repentè Italia tùm Germanorum, tum & Gallorum, ac Hispanorum armis oppressa fuit; consecuta etiam inaudita lues, quæ totam Europam infestavit. Anno 1524. magna Synodo contingente in Piscibus, mox Gallia & Dania bellis civilibus, Germania verò tota nobilium & plebejorum inter se concurrentibus armis fœdissimè laniata fuit, ac plura alia mala consecuta fuerunt. Anno 1583. Conjunctio magna in signo Arietis contigit, quam bellum & fames consecuta fuerunt. Anno 1682. omnes Planetæ unà cum capite Draconis mensibus Julio & Augusto signum igneum Leonis pervagati sunt: indè & Cometes exarsit, uti Bartholomæus Schimpferus in descript. *Cometæ 1652.* prædixerat, ac horrendi bellorum motus, quibus adhuc hodie laboramus, per totam Europam emerserunt.

Varij eventus post conjunctiones magnas.

§. IV.

De influxu & dominio Planetarum in Hominem primarium Universæ Creatæ Naturæ subjectum, ac reliquas res Geocosmicas.

1. Antiqui Astrologi conceptionis & generationis humanæ tempora stellis errantibus, sivè Planetis hoc imprimis modo attribuere solent. Primo mense Saturnum dicunt frigiditate suâ utriusque Sexûs principia miscere, & ad conceptionem rudiora filamenta subministrare; secundo mense volunt Jovem vitali suo calore prin-

Fœtus humanus in Utero Planetis subjicitur.

cipia illa fovere & excitare: Tertio verò mense Martem vi suâ ingenitâ membra distinguere; quarto Solem ad futuri animalis vitam vitalem immittere calorem; quinto Venerem animal hoc admirandum pulchritudine & convenienti decore vestire; Sextò Mercurium motûs organa afferre, & Corpus perpolire; septimo tandem mense Lunam animalis hujus spatia fibris, carne, pinguedine &c. implere, denique uteri ofcula cum partibus internè & externè adjacentibus aperire, & ita animali ad productionem & exclusionem vitam præmunire. ita *Chassanæus Catal. glor. mundi part. 12. consid. 8.* Dominium igitur Planetarum in fœtum adhuc utero conclusum ita se habet, ut sequens tabella monstrat.

Dominium Planetarum in fœtum Utero conclusum.

Mense	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Planetæ dominantes	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃
Fœtus in utero.	*Concipitur rudìter, disponitur.*	*Vitali calore excitatur.*	*Membra distinguuntur.*	*Vita & Vitalis calor immittitur.*	*Decore, & pulchritudine afficitur.*	*Motûs organa perficiuntur.*	*Completur, & nutritur.*	*Fatigatur egressûs conatu.*	*In lucem expellitur.*

Ætates humanæ septem Planetis subditæ.

2. Vitæ totius periodus sivè spatium, quo hominis temperamentum per se evidentem quandam mutationem subire cognoscitur, & tandem nativo calore extincto ad interitum devergit certis septem ætatum terminis, qui septem Planetis substant, ità quoque ab Astrologis definitur. Prima ætas vocatur infantia, & Lunæ adscribitur propter humiditatem communem, in qua nimirum vis humectans præcellit, & ideò *Lunaris* vocatur: extendit autem se juxtà Hippocratem ab anno 1. ad 7. annum ætatis; juxtà *Lemnium* ad 8; communiùs verò ad 4. Secunda ætas pueritia, â puritate fortè dicta, subjicitur Mercurio, unde & *Mercurialis* vocatur: in hac ætate literarum & quorumlibet studiorum præcipuus viget amor. *Hippocrates* ad Annum 14 aut 15. extendit: pupillaris ætas solet etiam vocari in Masculis usquè ad 14. in fœmellis usque ad 12. Tertia ætas Adolescentia dicta Veneri attribuitur, in qua natura ad lasciviam, & blandas Veneris illecebras incitari solet; hanc ætatem aliqui solùm ad 18, alii ad 22, alii ad 25. ætatis annum extendunt. Quarta ætas Juvenilis, sivè uno Vocabulo Juventus appellatur, ac Soli dicata: idcirco florida ætas nominatur, quod in eâ cor hominis, vita & animi Robur perfectissimo vigore constent. Extenditur ab aliquibus ad annum vitæ 37. ab aliis ad 40. aut 41. Quinta ætas Martialis, Virilitas nominatur, quæ consistit, & valida est usquè ad annum 50. aut etiam 57. Sexta ætas Grandis dicitur Senectus Virilis Jovi dicata, in qua constituti veritati & justitiæ, ac publicæ honestâti, prudentiæque plurimùm addicti sunt: extenditur ad annum 64, aut ut alii etiam volunt, ad 68. Septima tandem ætas fecunda Senectus Saturno subdita, ad vitæ occasum ducit, quæ etiam magnis ærumnis, ac vitæ incommodis, ac comprimis frigiditate ac languore perpetuo cum Phlegmate; Melancholia, & rerum omnium fastidio afficitur.

Certi vitæ termini Planetis alij de die, alij de nocte natis.

3. Sagaciores, aut fortè veriùs ethnicæ superstitioni, ac vanitati addictiores quidam Astrologi, nato in lucem homini certos alios quosdam vitæ terminos certis Planetis dominantibus unà cum capite & cauda Draconis substantes attribuunt, alios nempè dum de die, alios dum de nocte in lucem communem natus prodiit: Ut facilè ex hac tabulâ intelligi potest.

Natus de die ab Ortu Solis ad Occasum.			Natus de nocte ab Occasu Solis ad Ortum.		
Planetæ dominantes	Anni Ætatis		Planetæ dominantes	Anni Ætatis	
☉	â 1	ad 11.	☽	â 1	ad 10.
♀	ab 11	ad 19.	♄	â 10	ad 21.
☿	â 19	ad 32.	♃	â 21	ad 33.
☽	â 32	ad 43.	♂	â 33	ad 40.
♄	â 43	ad 55.	☉	â 40	ad 50.
♃	â 55	ad 62.	♀	â 50	ad 58.
♂	â 62	ad 68.	☿	â 58	ad 71.
☊	â 68	ad 70.	☊	â 71	ad 74.
☋	â 70	ad mortem	☋	â 74	ad 76.

4. Theo-

4. *Theodatus Osius nov. opin. Sylvâ cap.* 15. ordinem numerorum quadratorum applicat gradibus ætatis humanæ subjectis singulis suis Planetis: hoc modo. *Detur*, inquit, *primus quadratus terræ* insolidanti *corpus, undè in eo dubia est adhuc vita, quod probant Persæ, qui ex Strabone filios ante hunc annum non videbant, ac Romani, qui eos decedentes ante annum tertium non lugebant, prout Hebræi non attingebant ex confitis arboribus antè annum quartum, scilicet ob inexpletum numerum habentem radicem â binario numero, non terminante: & quaternarius est primus numerus solidus. Detur, inquam, ille numerus terræ, quod primus quadratus expletus ex terminatâ & constanti radice erit Lunæ humido suo disponentis hominis incrementum. Secundus erit Mercurii suo sicco corrigentis humidi superfluum. Tertius Veneris temperatæ purificantis sorditiem Mercurii. Hi autem tres Planetæ infimi prævalent in directione corporis tribus Superioribus exercentibus animam, atquè Sole tanquàm medio obtinente facultatem colligatricem utriusque, in cujus etiam quadrato cessare videtur corporis incrementum. Ideò quadratus Veneris inclinat ad munditiem corporis, & ejus delicias, sed Martis instigat ad studia & labores, atquè operas; Saturni verò prorsus indulget intellectui, & exercitio animæ jam penitùs exemptæ â Corporis habitibus Jove retinente laudatas animæ corpus exercentis actiones, &c.*

Ordo numerorum quadratorum applicatus gradibus humanæ vitæ cum respondente singulis influxu Planetario

4		
	5.	☽ Infantia.
9		
	7.	☿. Pueritia.
16		
	9.	♀. Adolescentia.
25		
	11.	☉. Juventus.
36		
	13.	♂. Virilitas.
49		
	15.	♃. Senectus.
64		
	17.	♄. Decrepitas.
81		

quæ speculatio Pythagorica non videtur adeò inconveniens, ac indocta: An verò Dominium illud septem errantium ità justè & exactè singulis gradibus vitæ humanæ reipsâ absquè ullâ fictione respondeat, nolo ulteriùs disquirere. Patet hinc etiàm differentias tantùm quadratorum numerorum inter se, quæ in continuâ serie numerorum imparium ordine sese consequentium procedunt, designare singularum ætatum annos. Undè Luna ætatis primæ habet annos 5, Mercurius ætatis secundæ annos 7, Venus 9, Sol 11, Mars 13, Jupiter 15, Saturnus 17, *in cujus limite*, ut inquit *Osius, qui est annus ætatis octuagesimus primus, homo perfectè compactus videtur exigere ultimum vitæ curriculum, quem exegit Plato, dando causam admirandi Sapientibus: ut imperfectè compactus in defectu sit dicendus ille, qui moritur infrà hunc annum, atquè in excessu ille, qui suprà. ità Osius.*

5. Habet humanæ vitæ decursus suos quoque annos *Scansiles*, vel *Scalares* & *gradarios*, dictos communiter *Climactericos*, in quibus notabiles quædam mutationes, eæquè periculosæ contingere solent: Suntquè Septimus quisque, aut novenus â partu; ut hi ex Septimis, 7, 14, 21, 28, 35, 42, 49, 56, 63; & ex novenis, 9, 18, 27, 45, 54. 63. Omnium vero periculosissimus annus habetur 63, quia Septenarius, & novenarius concurrunt, ac in eo quam plurimi, ut experientiâ constat, vivis decedunt. Undè etiàm hic annus jam olim ab Antiquis Ægyptiis & Græcis *Androclas*, sive *Androclastes*, id est, virium fractor, vel ab aliis *Heroicus*, *decretorius*, *Fatalis*, *Exitialis*, *Anæreticus*, *Climactericus præcipuus* dici consuevit. Annis verò hiscè 21, 22, 23, 26, 29 omnia prosperè plerumque succedere, adeoque hos annos servire ad lucra, commoda, dignitates, & gaudia volunt Astrologi. Similiter Anni 23, 34, 35, 38, 41, 45, 46, 47, 50. 54 ab iisdem felices & fortunati reputantur. Anni verò infausti, infelices, qui morbos, & ærumnas varias detegunt; item labores, odia, inimicitias, invidias, damna, casus infelices, aut ipsam mortem adsciscunt, declarantur ab iisdem sequentes: 23, 30, 32, 36, 42, 44, 48, 53, 56, 60, 63. Annus verò 72. communiter terminus vitæ adsignatur, quod ultrà supervivitur, gratis concedi dicunt. Ab anno 80. autem infantia quasi secunda, & altera, miseriæ continuæ, deliria, & imbecillitas totius naturæ accidere solet. Cur porrò anni hi felices, alii infelices, hi decretorii, & exitiales, alii tales minimè non sint, Planetarum motibus, ac Profectionibus quidam adscribunt. Ità *Marsilius Ficinus* expressè docet; *Cùm Astrologi singulas diei horas septem Planetis ordine distribuant, & similiter septem hebdomadæ dies: atquè in ipso fœtu menses ordine septem Planetis digesserint, sic etiam annorum dominium Planetis esse dividendum, & quod Saturnus, septimo anno vitæ ab initio ipsius præsit, & cum ab eo tanquàm Planetarum summo ad infimum, Lunam scilicet, gubernatio redeat: ut sicuti locorum, ità & rerum quoque magna fiat innovatio & immutatio.* Autumant alii, Saturnum quidem in præfatis annis præcipuam esse causam immutationis, sed tamen non propter eam solummodò rationem, quam prædictus Author indicat; sed proptereà, quod plerùmque est peregrinus, & â vitâ hominum alienus, & quod singulis ferè septem annis ad quadratum loci, aut si minùs, ad contrarium naturæ signum, undè egressus est, perveniat. Adjuvare illum & cœteros Planetas dicunt proptereà, quod hi singulis septem annis unà cum horoscopi profectione ad propositum, quadratùmve signum ad 6, 7, 8, 9, & 12 domum alicujus Nativitatis perveniant, quæ sunt

Anni Climacterici, atquè alii felices, & infelices,

loca adversa, infortunata & formidolosa bonis, & vitæ hominum, & quod semper septimo quovis anno Horoscopus, & Planetæ omnes perveniant profectione ad septimam domum ad signum oppositum, in quo ultimo præterlapso septimo anno fuerunt, qui locus est oppositus, naturæ contrarius, & semper adversus, ità ut sic Planetæ & Horoscopus unà cum Saturno mutent statum & fortunam ex variis, & diversis positionibus, & frangant, debilitentque ac opprimant naturam, & vitam his temporibus ex commotione & alteratione humorum. Ità Astrologi. Verùm rectiùs mihi videtur *Seneca* sentire, ajens, rationes tradi non posse, cur septimus vel novenus quisque annus mutationem aliquam sensibilem hominibus importet; tamen propterea, ut inquit, observatio illorum annorum non videtur esse vana, superstitiosa & inutilis, præsertim cùm à communi experientiâ comprobetur. *Multarum* enim *rerum, quæ naturaliter fiunt, causæ obscuræ & abditæ, ità ut sciamus quidem quod fiant; sed undè & qua ratione, investigare non possumus.*

6. Causæ Temperamentorum, & indè enascentium propensionum, ac inclinationum ab Astrologis quoque Planetarum radiis & aspectibus, tempore potissimùm genituræ ità potissimùm, sicut hîc videre licet, adscribuntur. Complexiones etiam humanæ singulis specialiter Planetis ab iisdem assignari solent: earum verò indicia & signa hîc in tabulâ primâ accuratè descripsimus; in secundâ verò tabulâ ea omnia, quæ in homine Planetis singulis juxta Astrologos subjiciuntur; propensiones item, & alia accidentia, quæ cuivis complexioni planetariæ respondent, compendiosè ità notavimus, ut Lector unico intuitu multa hinc curiosè addiscere possit. Rarò tamen puræ complexiones dantur, sed mixtæ communiores; undè etiam juxta indicia in primâ tabulâ inventa mixtum Judicium Astrologicum ex secundâ tabulâ erui debet.

Causæ Temper[mentoru]m in homin[e] Tabula I.

Causæ Temperamentorum in homine à Planetarum radiis & aspectibus juxtà Astrologos.

Causæ Temperamenti	Sanguinei.	♃ Dominus Genituræ in domo propriâ, vel exaltatione à Sole, ac Venere beneficis radiis adjutus.
	Cholerici.	♂ Dominus Genituræ in angulis cœli cum validis radiis ad ☉, aut reliquos Planetas è signis Boreis, aut exortus cum corde ♏.
	Phlegmatici.	♄ ♀ & ☽ radii conspirantes vel horum conjunctio, vel prædominium eorum in angulis cœli.
	Melancholici.	♄ prædominans cum radiis ♂, accessu ☿ & ☽ radiis dat ingenium valdè solers.

7. Causæ quorundam morborum & malorum affectuum humanum corpus depravantium ab influxu Planetarum derivatæ juxta Astrologos ità designantur.

Phrænesis - -	☿ à ☽ aut ♂ malè affectus. Item loca ♄ à ♂ vitiata.
Melanchol. atra bilariæ	♄ & ♂ in ascendente, vel ♋, ♉ aut ♓.
Maniæ - -	☿ in ♍ vel ♓ in primâ domo positus, si partiliter à ♂ & ♄ è quadrangulo percutiatur. Item ♄ in medio cœli, & ♂ in imo, velècontra. Insanabilis erit, si ☿ associârit radiatione.
Epilepsiæ - -	☽ à ♄ vel ♂ radiis infesta, imprimis si conjuncta ☉ sit in horoscopo, domo 6, 8, vel 12, aut in domo ☿ vel ♄.
Icteri & aliorum morborum	☿ malè affectus in domo ♂ dat cancrum, morbum regium, ignem sacrum, caliginem oculorum præmaturam. ♂ sub terrâ malè affectus, aut combustus Icterum.
Malæ olentiæ -	♀ malè constituta in ♑ cum ♄ in ☍; item ♀ retrograda in domo ♄ aut ☽ excluso ♃.
Malæ olentiæ ex ventriculo.	☉ malè affectus sub terrâ, item ♃ in septima domo in ♋ horoscopante ♑.

Tabula II. Quibus autem morbis specialiter alicujus complexionis planetariæ homines subjecti sint, meliùs ex secundâ tabulâ hîc appositâ addiscere poteris. Libet tandem hîc, ubi de influxu cœlesti in corpus humanum agimus, Aphorismos quosdam Astrologicos de morbis, ac morte ex *Cardano* subjicere.

Apho-



TABULA I. Complexionum ſingulis Planetis reſpo… hum…

Complexio.	Saturnina. ♄	Jovialis. ♃	Martialis. ♂
Corporis ſtatura.	Magna, groſſa, gravis, in quibusdam partibus improporrionara,	Mediocris, magis tamen longa: benè proportionata,	Longa, procera, virilis, f…
Facies.	Lara, magna, infra longior, macra, ſicca, rugoſa, cereo-pallida, tandem punicea obſcura cum rubedine.	Magna, oblonga, acutior infra, lævis clara cum roſeâ rubedine; carne mollis cum magnis arteriis ac venis.	Oblonga, acuta, macra inf… tior.
Vertex.	Oblongè rotundus,	Subrotundus latus.	Acutus frontem verſus rotu…
Frons.	Lata cum profundè latis & groſſis lineis elara, Linea Saturni expreſſior,	Elegans, alta, ad crines lata cum lareralibus monticulis Linea Jovis expreſſior,	Breviter rotunda, elata, lævis… profundæ, magnæ, Martis ma…
Tempora.	Oblonga, anguſtè & profundè collapſa, piloſa.	Plana, depilia, collapſa quaſi aures verſus cum pulchris latis venulis.	Rorundè elata, minùs pilo… mulris venulis.
Aures.	Grandes, graves, groſſæ, carrilaginoſæ, propendentes, longæ, velut aſininæ.	Mediocriter magnæ, planæ, elaræ cartilaginis. Lobi magni, molles, pallido-rubei.	Parvæ, tenues, arctè adhær… duræ cartilaginis, acutè & pr… cavæ.
Capilli ſive crines.	Nigri à madore & pinguedine ſplendentes, longi, plani, dependenres, ad extrema groſſi, criſpi, multis locis defluxi.	Denſi, longi, ad frontem renues, pauci, ſubfuſci, ſicci, ſubduri, plani, parùm in humeros flexi. ·	Denſi, nigri inrensè caſtanci… longi, duri, propendenres ſu… ciem, infra criſpi.
Supercilia.	Magna, longa, alrè elata cum pilis nigris arctè ad naſum concurrentibus,	Acura cm pilis longis fuſiùs & densè locatis, latioribus circa naſum; elatiora deſuper.	Anguſta, longa, altè elara cu… robuſtis renuiter ſparſis ac… cantibus,
Palpebræ.	Spiſſæ, carnoſæ, laxæ, craſſæ, dependulæ, corrugatæ cum pilis nigris longis & groſſis,	Carnoſæ, alræ, rectæ, rugoſæ magis verſus angulos cum pilis longis tenuibus fuſci coloris,	Anguſtæ, tenues, plenæ cur… contractis, pilis longis, ten… acutis, nigricantibus.
Oculi.	Obſcuri, magni, aridi, profundi, magna nigra pupilla cum maculis aut pelliculis unus altero major,	Elegantes, fuſci, magni, lati, alti, pupillæ acutæ, claræ, parvæ, in ſubridendo verſus angulos retractæ. Humidi,	Clari, ſicci, profundi, rigidi, … cœlum verſus: pupillæ nigra… tæ.
Naſus.	Magnus, macer, acutus, alrè in medio protubcrans: nares amplæ, cavæ, protuberantes.	Longus, rectus, Accipirrinus, elatus cum laro in medio monticulo. Nares magnæ protuberantes,	Elarus, anguſtus, acutus, par… curvis ad latera, anterius … Nares oblongæ, anguſtæ.
Malæ ſeu Genæ.	Oblongæ, macræ, corrugatæ, ad medium profundè cavæ.	Latæ, carnoſæ cum parvâ in medio foſſulâ, aliquantulum contractæ.	Oblongæ, anguſtæ, in med… lapſæ, verſus oculos elatæ, … ſpadiceæ.
Os.	Grande, amplum, longum: labium ſuperius majus, acutè contractum, fiſſum in medio, inferius rotundum, pendulum.	Magnum, amplum Labium ſuperius majus ob elaros dentes; inferius rorundum carnoſius cum fiſſurulis in medio tamen majoribus.	Amplum, magnum, longum … magna tenuia. Inrerius car… acutè fiſſum in medio.
Dentes.	Superiores lati, longi, magni: inferiores curri, acutè corroſi, ſitu inæquales, cereo-flavi cum fœtidis pallidis gingivis.	Superiores longi, lari; duo priores magis rotundè elari: inferiores tenues, acuti, arcti, minùs albi è gingivâ inrenſè rubrâ.	Longi, acuri, arctè locati, b… dinati, flavi cum bonâ gingi…
Mentum & Barbæ.	Acuminatum, elarum, urrinque protuberans, pergroſſè fiſſum cum barbâ craſſâ & latâ.	Oblongum in medio fiſum cum barbâ fuſcâ, tenui, plenâ.	Acurum, longè & profundè … ſum cum barbâ durâ ſimili … ſæpè rubrâ,
Collum.	Macrum, longum, anterius incurvarum cum venis quaſi varicatis.	Elegans, mediocre, proportionarum carnoſum cum prominent è larynge globulo & pulchris venulis.	Longum, macrum, inferiu… prominens, anrerius incur… plenum robuſtis venis cærul…
Humeri.	Magni, groſſi, carne graves, elati, incurvati,	Lati, valdè robuſti, recti, plani, carnoſi.	Parvi, macri, robuſti, muſcul… curvati,
Pectus.	Magnum, ſed anguſtum, robuſtum, aſperum, macrum, piloſum cum pilis longis duris nigri cantibus.	Larum, anguſtum, elarum carnoſâ pinguedine. Coſtæ latæ, parvæ: minùs piloſum.	Anguſtum coſtis robuſtis el… valdè piloſum cum profund… biculo cordis.
Brachia & Pedes.	Robuſta, longa, groſſa, gravia, parùm incurvara, calloſa cum durâ & ſærente cute.	Minus robuſta, candida, mollia, piloſa, agilia, venoſa,	Macra, flava, dura, tenuia, … tamen, prompra, durabili… elaris venis anguſtis & protu… ribus.

entium five iisdem fubjectarum per figna & notas exterius in corporis
ii partibus indicatarum.

	Solaris. ☉	*Venerea.* ♀	*Mercurialis.* ☿	*Lunaris.* ☾
	Procera, craffa, robufta, benè proportionata.	Gracilis, elegans, grata, longa.	Brevis, craffa, formofa, agilis proportionata in fenectute corpulentior.	Magna, craffa, fortis, improportionata, in fenectâ corpulentior.
.1-	Magna, lata, fuperius quadratior, inferius longiufcula, æqualiter carnofa, lævis.	Rotunda, venuftè pinguis, molliter carnofa, tota plena.	Oblongior, colore mellino gratè rubens, pulchra, venofa, non admodum pinguis & carnofa.	Magna, rotunda, carnofa, pinguis.
,	Magnus, brevis, rotundus, in coronâ latior.	Anterius & pofterius rotundus, parvus.	Magnus, exactè fermè rotundus.	Exactè rotundus, magnus, latè excavatus.
æ e.	Magna, lata ab utroque latere in monticulos elevata, lævis, in vifu profundior.	Plena rotundè elata, lævis cum magnâ venâ, nafum verfus minùs lineata, in rifu & mœrore tres lineolas oftendit inter nafum & fupercilia.	Lata, defcendens, profunda clarè & acutè lineata.	Lata, magna rotundè aliquantùm impreffa usque ad aures pilofa cum venulis.
n	Ex toto plana & calva cum aliquot cæruleis venulis.	Frontem verfus plana, minùs pilofa cum venulis pulchris.	Lata & perparum collapfa, plena claris venulis tenuiter pilofa.	Lata, ampla rotundè aliquantulum impreffa, usque ad aures pilofa cum venulis.
, è	Magnæ, carnofæ, dependentes. Lobi magni, carnofi, rubei.	Parvæ, rotundæ, arctè adhærentes, tenuis cartilaginis. Lobi parvi carne molles.	Parvæ, denfæ cartilaginis cum parvis mollibus lobulis.	Magnæ, lætæ, dependentes, groffæ cartilaginis. Lobi carnofi, graves.
è ı-	Breves, non valdè denfi, infra crifpi, in juventute aureo-flavi, in fenectute nigri cum flavis immixtis.	Rariores, tenuiter fparfi, crifpi, molliculi, aureo-flavi, in fenectâ dilutè fplendentes, caftaneo-punicei.	Denfi, craffi, molles, infra crifpi, in juventâ nivei, inde cereo-flavi; tandem in fenectâ caftaneo-punicei canis immixtis.	Strati, acuti, plani, infra parùm crifpi, molles, dilutè nigri vel fufci.
is i-	Lata, longa, tenuiter fparfa, caftaneo-prunea.	Magna, formofa, longa, pilofa, nigra, potiffimùm elata fuper palpebras.	Mediocriter longa, lata, dilutè colorata, fimilia capillis, arctè fuper palpebras.	Magna, rotunda, alta, latè verfus nafum concurrentia, fufca, inæqualia, inter loquendum afcendentia & defcendentia.
is ,	Altæ, rotundæ, planæ cum rugulis pendulæ, pilis caftaneo-pruneis in curves.	Elatæ, rotundæ, carnofæ cum multis venulis, & gratis rugulis.	Tennes, mediocriter carnofæ, magnæ profundè rugofæ, & verfus angulos fubtiliter valdè plicatæ.	Magnæ, craffæ, carnofæ, dependentes, inferiores elatiores. Valdè rugofæ, contractæ verfus angulos cum pilis longis, acutis, tenuibus.
is ı-	Elegantes, clari, lucidi, magni, humidi, colore punicei: album eft fubflavum humidè fplendens.	Clari, magni, nigri, fplendentes, falconii, vagi, volatitii cum albedine clarâ cæruleo-albâ.	Mediocres, parùm profundi, cinerei, clari, lucidi, humidi, furfum deorfumque mobiles.	Magni rotundi, nigricantes, clari fufcâ iride, aut felini, prominuli, ad terram depreffi: unus altero major.
ı- ı.	Planus, parùm elatus, furfum amplior, utrimque parùm inflexus ob nares amplas.	Planus, æqualis, acutè in medio elatus, anterius latè rotundior cum parvâ fiffurâ. Nares rotundæ protuberantes.	Planus, æqualis, mediocris, ad oculos latior, anteriùs obtufior cum fiffurâ. Nares protuberantes.	Brevis, parùm impreffus ac craffus, magnus, anterius rotundior. Nares amplæ.
l- ,	Benè carnofæ, molles, pingues, rubeæ.	Eleganter carnofæ, parvæ cum rofeâ rubedine.	Carne molles, fubrubeæ cum gratâ in medio foffulâ, dum rident.	Magnæ, elatæ, rotundæ, lineolis plenæ, cum magnâ atteriâ in medio.
a ,	Magnum, non tamen amplum in latitudine. Labia rotunda, carnofa: inferiùs plenum rugulis.	Gratum, parvum cum rotunditate contractâ, carnosâ, & eleganti. Labia corallina: Inferius acutè fiffum.	Magnum, amplum. Labium inferius carnofius, rubeum, corallinum, elegantius, multùm fiffum.	Parvum; labia rotundè, & crafsè carnofa fuperius per duos incifores elatum, magis protuberans.
r-	Lati, acuti, non arctè locati, nec fatis albi in gingivâ rubicundâ.	Exiles, acuminati, candidi, arctè locati: duo fuperiores incifores lati & ptominentes in gingivâ corallino-rubeâ.	Inæquales, præfertim duo incifores fuperiores: at inferiores arctiores, minores colore mellino è gingivâ rubeâ brevi.	Lati omnes, magni, inæqualiter diftracti detorti, obfoleti, flavi, eft gingivâ groffâ magnâ.
ef- s,	Subrotundum cum longâ foveolâ. Barba longa, denfâ è pilis duriufculis.	Parvum, plenum, rotundum, ovaliter oblongum, profundè cavum cum eleganti duplice niveo, carnofo & pingui Arotherone.	Breviter rotundum in medio profundè fiffum. Submentum cum tenui parvâ barbâ è pilis fimilibus capillitio.	Bteve, rotundum, mediocre cum pingui fubmento. Barba tenuis, mollis, maturè canefcens.
itè m	Breve, robuftum anterius incurvatum cum venis valdè pulchris & confpicuis.	Elegans, longum, anguftum, erectum carnofum, album, plenum venulis elegantibus.	Mediocriter longum, in fenectâ ad brevitatem vergens. Nervi parvi, venæ multæ eleganter cæruleæ.	Craffum, curtum, robuftum, candicans pingue, carnofum profundè circulatum. Venæ minus confpicuæ.
a-	Magni, lati, carnofi, robufti, recti.	Lati, eminentes, carnofi, albi, elegantes à venis.	Robufti, ampli, protuberantes mediocriter carnofi.	Magni, lati, robufti, carnofi rotundè elati.
ı, ɔ-	Magnum, latum, fubrotundum rectâ anterius protuberans.	Latum, pingue, rotundum, carne molli, cute candicante; depile.	Amplum, planum, æquale, carnofum cum cute tenui, molli, candidum læve, depile.	Magnum, elatum carne & pinguedine, molle, depile.
ta m ı-	Robufta, craffa, proportionata, agilia, durabilia cum venis benè confpicuis.	Carne mollia, mufculofa, agilia, velocia cum venulis pulchris & cæruleis.	Offibus lævia, parva, tenuia, tamen robufta, fortia, minùs pilofa, carne nitida & mollia, altè & clarè venofa.	Robufta, gtoffa, magna, carnofa pinguia, minùs pilofa, tarda, facilè laffa cum venis parvis.





TABULA II. Eorum, quæ in Homine Planetis ſubjiciuntur. Item [...] reſpondentium, ex Men[...]

Planetæ.	*Saturnus.* ♄	*Jupiter.* ♃	*Mars.* ♂	
Animæ virtutes.	Memoria.	Judicium. Appetitus concupiſcibilis.	Appetitus iraſcibilis.	
Humores.	Melancholia. Bilis atra.	Humidum radicale, ſanguis, ſemen.	Bilis flava, vitellina, æruginoſa, porracea.	Spir[...]
Facultates.	Retentrix.	Naturalis ſive coctrix.	Expultrix.	
Corporis partes.	Oſſa, dentes, cartilagines, Auris dextra, Splen, veſica.	Jecur, venæ, pulmo, diaphragma, latera, muſculi.	Ciſtula fellis, Auris ſiniſtra, verenda, Renes.	Car[...] dext[...] hæc[...]
Ingenium.	Profundum, aptum ſtudiis Arcanorum.	Politicum, docile in omni fere ſcibili.	Acre, ſolers, velox, aſtutum, inventivum novitatum.	Cla[...] velo[...] nis [...] dar[...]
Paſſiones & affectus Animi.	Timiditas, triſtitia, Amor pertinax, Appetentia magna moroſitas, Deſperatio.	Hilaritas, magnanimitas, tranquillitas mentis, Amor moderatus, Audacia, inconvertibilis animi vehementia.	Audacia, Animoſitas, ira vehemens, impatientia, Amor ſerius, odia gravia.	Hila[...] nan[...]
Mores.	Solitarii, ſuſpicaces, anxii, pauciloqui, laborioſi, parci, violenti, auſteri, timidi, pigri, tardi, diffidentes, queruli, invidi, ſtrenui potatores & voratores.	Officioſi, aperti, conſilio valentes, benefici, liberales, gratioſi, affabiles, facilè placabiles, pacifici, quietis amatores.	Jactabundi, inurbani, incurii, contumaces, auſteri, loquaces, nimis ſerii, ſervidi, indomabiles, inexorabiles, attenti, aſtuti, celeres, inquieti, nugatores, deriſores, & perturbatores aliorum.	Imp[...] ſinc[...] les, [...] glor[...] bun[...] ſorti[...]
Virtutes.	Prudentia, Sapientia, fidelitas, mentis ſtabilitas, Patientia, Perſeverantia, gravitas, vigilantia.	Simplicitas, juſtitia, fidelitas, humanitas, miſericordia, prudentia, liberalitas, manſuetudo, gratitudo, verecundia, patientia, modeſtia, pietas, clementia.	Fortitudo, conſtantia, promptitudo agendi, vigilantia, gratitudo, veritas imperterrita.	Co[...] Am[...] titu[...] clen[...]
Vitia.	Fraudes, mendacia, ingens avaritia, pertinacia, malæ ſuſpiciones, zelotypia, tenacitas, invidia, diffidentia, proditiones, inſidiæ, ambitio, imprudentia.	Nimiæ diſſimulationes, vanitas, Ambitio, Prodigalitas, Superbia, guloſitas.	Ira impetuoſa, rixæ, percuſſiones, odia gravia, ambitio, importunitas, inurbanitas, impatientia, invidia, furta, homicidia, vindictæ crudelitas, arrogantia, temeritas, ferox pertinacia.	Zel[...] exp[...] tia, [...] imp[...] hem[...] non[...] rum[...]
Accidentia fortunæ.	Opes magnæ, theſaurorum inventio, gravis authoritas, ſæpius verò in ſuſceptis & agendis infortunia, inimici occulti, infamia, carceres, exilium, ſupplicium, exitus funeſtus.	Honores, divitiæ, Amici, fortunata conjugia, aut in Eccleſiâ præfecturæ, fama, gloria, copia liberorum, & in his felicitas, in omnibus proſperitas.	Præfecturæ in bellis, duella fortunata, victoriæ, ſpolia, triumphi, ſæpiùs & inſidiæ, invidiæ, carceres, jactura bonorum & dignitatum, infelices expugnationes.	Spl[...] fam[...] pri[...] tas [...] No[...]
Officia congrua.	Profeſſuræ Theologiæ, Philoſophiæ, Præfecturæ fodinarum, Architecturæ, Agriculturæ.	Dignitates eminentes Senatorum, Judicum, Præſidum quorumvis.	Præfecturæ militares, Cauſidici, Medici, Venatores, Procuratores.	Gu[...] dig[...]
Morbi comprimis partium corporis, queis Planetæ præſunt, Tum præcipuè etiam ſequentes.	Febris quartana, ſcabies, lepra, melancholia, paralyſis, icterus niger, hydrops, Arthritis, cancer, tuſſis, Aſthma, Phtiſis, Hernia, Lethargus, Apoplexia, dentium dolor, ſurditas, catharri quivis maligni.	Synochi, varioli, Exanthemata, Angina, paſſiones ſpinæ dorſi, capitis inflammationes, pleuritis, peripnevmonia, ſpaſmi, tum morbi ex flatibus fætore & inflammatione phlegmone.	Febres acutæ, ardentes, icterus flavus, convulſiones, hæmorragiæ, diſſenteriæ, carbunculi, Anthraces, cryſibolata, ulcera phagedenica & ſerpentia, vulnera præſertim in facie, febres tertianæ.	Feb[...] cop[...] bi.
Mors in meliori complexione naturalis ex morbis, queis præſunt Planetæ: in deteriori verò complexione aut violentâ, ut ſequitur.	Ex ruinâ, caſu, præcipitio, ſuffocatione, incarceratione, ſuſpendio, plumbo bombardico, aut cum infamiâ, velutâ Carnifice.	Ex ſubmerſione, duello, bello, aut mandato Principis.	Ex vulneribus, ferro, igne, baliſtis capitis truncatione, membrorum mutilatione, ſuſpendio, morſuris, Animalium præſertim venenatorum, Chyrurgorum & Medicorum imperitorum laniationibus, ſanguinis miſſionibus, combuſtionibus.	A I[...] vio[...] vel[...]

…opensionum & aliorum Accidentium cuivis complexioni Planetariæ …Astrologorum.

Sol. ☉	Venus. ♀	Mercurius. ☿	Luna. ☾
…etitus universi boni.	Appetitus concupiscibilis.	Sensus communis, imaginatio, Ratio seu appetitus rationalis.	Apprehensio. Appetitus universalis.
…italis, sanguis biliosus.	Semen, sanguis pituitosus.	Spiritus Animalis.	Pituita, Semen.
…italis attractiva.	Generativa.	Animalis rationalis.	Expultrix, Animalis, Vegetatrix.
…teriæ, Oculus dexter & …latus in viris; at sinistra …minis.	Guttur, ubera, venter, nates, uterus, Renes, genitalia.	Crura, pedes, brachia, manus, digiti, lingua, nervi, ligamenta.	Cerebrum, oculus sinister, & latus sinistrum in viris; & hæc dextra in fœminis intestina, stomachus, membranæ.
… perspicax, curiosum, …minatissimæ cognitio… …difficilium & profun…	Tardum, leve, ignavum, hebes, incurium.	Acutum, solers, studiosum, curiosum, perspicax, vafrum, velox.	Varium, nonnunquam subtile, nonnunquam hebes & obtusum.
…, Amor sincerus, Mag… …s, iracundia.	Amor nimis fervens & propensus, hilaritas, Spes suavissima, magnus desiderii motus, timiditas.	Audacia, hilaritas, ira acuta, sicut & Amor.	Timiditas, ira facilis, Spes magna in terrenis, odia gravia.
…riti, Leonini, generosi, …rvidi, candidi, libera… …i, officiosi, tranquilli, …acifici, famosi, gloria… Amant nobilium con…	Blandi, pacifici, compti, sociabiles, benefici, facilè reconciliabiles, ornatûs & munditiæ studiosi, amantes florum, aromatum, imaginum, amabiles, mulierosi, ignavi.	Cauti, moribus compositi, garruli, sociabiles, instabiles, varii, bilingues, eloquentes, tranquilli, accepti, obliviosi, nugatores, industrii, vafri, omnibus se facilè accommodantes, rigorosi in suis exequendis.	Somnolenti, bibuli, pigri, tardi gradi, languidi, instabiles, vagabundi, fucati, vani, prolifici, cum fætido sudore laboriosi, sæpè fatui & insipientes.
…ia, patientia, Justitia, …, Religio, fidelitas, gra… …stitas, pietas, Sapientia, …a.	Mansuetudo, Pietas, benignitas, modestia urbanitas, promptitudo gratificandi, misericordia pauperum & suppressorum commiseratio.	Zelus penetrans, misericordia, gratitudo, promptitudo adjuvandi, sedulitas, perseverantia in inceptis.	Sinceritas, fidelitas, benignitas, mansuetudo.
…a, vindicta, Ambitio in… …fastus, pompæ jactan… …ia bonorum, superbia …Amant libertatem ve… …r, quam tamen subditis …e-dunt uxoris & libero… …ui sunt amantes.	Incontinentia, magna lascivia, superbia, infidelitas, importunitas, zelotypia levitas, petulantia, pigritia, curiositas.	Inconstantia, adulationes, mendacia, insidiæ, hypocrisis, petulantia fraudulentiæ, incontinentia, curiositas, peccandi promptitudo, secretorum propalatio.	Insolentia, Jactantia, susurratio, inconsiderantia, lascivia, incontinentia, complacentia sui ipsius, in promittendo liberalis; in servando contrarii.
…us status, gloria, bona …icia publica, dignitates …, Amicitia ac familiari… …orentibus & nobilibus, …à morte famosum.	Felices successus in amoribus, felicia connubia, proles numerosa; sæpius & jactura bonorum, dignitatum, paupertas.	Utiles negotiationes, lucra, fortunati contractus, inventa nova utilia, occupationes in curiosis arcanis, sæpè dispendia, infortunia, vitæ status inconstans cum dubio exitu, deceptiones.	Nominis claritas, felicitas fundorum, aquaticorum possessiones, fausta connubia; sæpè tamen dat vitam mutabilem ærumnis & variis anxietatibus obnoxiam.
…a magnifica, & quævis …es honorificæ.	Pharmacopolæ, Pictores, Musici, Caupones, unguentarii, divinatores, hortulani.	Mercaturæ, Mathesis, Poësis, Picturæ, Sculpturæ, Philosophiæ Rhetoricæ Amatores: Cursores.	Nautæ, piscatores, venatores.
…hemeræ, spasmus, syn… …atharri, oculorum mor…	Gonorrhæa, Matricis & genitalium morbi, Lues venerea, priapismus, infirmitates ventriculi à causâ humidâ & frigidâ indeque Lienteriæ, phlegmone.	Febres erraticæ, revertentes Phrenitis, deliria, insania, Epilepsia, convulsio, balbuties, tussis, catharri, copia sputi.	Febres quotidianæ, Epilepsia, Apoplexia, fatuitas, catharri, colica, vomitus, flatus ventris, menstrua immodica, hydrops, Apostemata phlegmatica.
…syncope, subitanea aut …ex mandato Principis; …ælio, vel à combustione.	Ex veneno, medicamine, crapulâ nimiâ, lasciviâ, vel mulierum aut libidinis causa.	Subitanea ab interfectione, veneno, magia, vel propter falsificationem monetæ, testimonii falsitatem, Scripturæ sive legis.	A superpurgatione nimiâ, submersione, vel interfectione plerumque publicâ & judiciariâ.



Aphorismi Jatro-mathematici ex Cardano de morbis, ac hominis interitu.

I.

Quibuscunque sub initiis morborum cœli constitutio longè lenior est morbo, his à nativitate morbus sævitatem contraxit, principalibus locis in prava cadentibus.

II.

Cùm in aliquo morbo Luminaria sunt ambo cum infortunis, vel cùm eorum opposito initio ipsius, vix evadet æger ab eo.

III.

Morbi frigidi, & sicci à ☉ vel ♂ incrementum accipiunt: Hi verò Soli naturâ suâ mortales frigidi & sicci, quoniam non aliud mors est. Calidi autem & sicci præfocantes; casu autem aut permutatione cœteri perimunt.

IV.

Deterior conditio incipientis morbi est, cum morbo sævo existente Luna & Dominus ascendentis non cum malis existentes ad malos deferuntur.

V.

Sicut revolutio anni est ex deterioribus juxta directionem apud Genituram; sic morbi initium ex deterioribus illius revolutionis juxta directionem lunarem, sic & mors in comparatione ad constitutionem initii morbi.

VI.

In ægritudinibus primam dabis ægro, septimam morbo, Luminaria viribus laborantis; infortunas verò viribus morbi, sed & octava domus aliquid significat.

VII.

Luna cùm in principio ægritudinis perseverantis fuerit, vel sub radiis aut cum caudâ, vel Saturno aut Marte, ingens periculum significat. Quod si senex fuerit, etiam Jovi juncta, aut Mercurio vel Veneri. Quod si horum oppositis, vel quadratis idem, sed leniùs continget.

VIII.

Non ægrotat homo propter Lunam alicui horum occurrentium in eâ horâ, nisi cùm directio ad hoc pervenerit.

IX.

Cùm igitur ex his convenerint, & alterum validum fuerit, ægrotabit homo; si autem ambo valida sint, graviter; si tertium adest, morietur.

X.

Si Luna Jovi aut Veneri juncta ægrotat homo; hoc si fiat, quia in loco à Geniturâ malo fuerit, servabitur æger. Si autem in bono à Geniturâ loco, fortuna illa est mortis significatrix.

XI.

Mars & Jupiter & Venus sanguinem movent; Mars & Sol bilem, pituitam Luna & Venus; Melancholiam Saturnus & Mercurius, atram bilem Mars & Mercurius cum Sole.

XII.

Saturnus longos morbos facit, Venus mediocres, Mercurius varios, Luna revertentes, ut vertigines, comitiales, podagras: Jupiter breves, tum Sol, brevissimos Mars: cumque loca principalia & abscindentia valida utrinque vel debilia fuerint, morbus longus erit; brevis cum altero valido existente reliquus fuerit debilis.

XIII.

Sole valido existente non fiunt febres ex putrescente materiâ, nisi casu.

XIV.

Proprium pravarum febrium est, ut fiant Sole in Leone damnato.

XV.

Omnis immoderata siderum constitutio in Senibus ac debilibus mortem affert: In aliis autem violentos casus & exitia crudelia.

XVI.

Per applicationem Lunæ ad fortunas aut Solis radios, illis non existentibus morbo inimicis, non infelicibus, nec infortunarum potestate salus in morbo acquiritur. Per applicationem autem ad infortunas dominantes naturæ morbi similes, aut radios malos Solis, simili modo mors fit.

XVII.

Claudicationes, oculorum obliquitates & crurium, ac reliquæ calamitates à Lunâ damnatâ efficiuntur, quod convulsionem moveat.

XVIII.

Saturnus potentior est ad mortem, Mars ad genus violentæ mortis.

XIX.

Mortes vulgares fiunt vel elementis affectis, & sunt consimiles, vel natura temporis, cum multis ac diversis moriuntur morbis, vel casu, cum plurium anaretæ in idem tempus coincidunt, hoc autem minùs.

XX.

Cum horâ mortis Sol in cœli medio fuerit, gloria illustris post mortem diu perseverabit. Hos paucos Aphorismos Jathro-mathematicos Curiosò Lectori ex segmentis Aphorismorum præfati Authoris hinc indè libuit colligere: qui plures desiderat, Authorem ipsum accedat.

Regulæ quædam aliæ Selenocriticæ de morbis & morte ex Lunæ consideratione.

juxta *Hippocratem* & *Galen.*

I.

Luna ex combustione exiens accrescens facit morbum crescere ad ☍.

II.

Luna addens numeris sive gradibus maximam facit commotionem sive turbationem.

III.

Luna demens numeris sive gradibus usque ad ☍ seu grad. 180 conversa morbum in magis salubrem statum solet convertere.

IV.

Lunâ in majus motâ, ♂ vel ♄ configurata auget morbum & periculosum reddit, & tantò magis, quantò numeris & lumine augetur.

V.

Lunâ in majus motâ configurata ♃ sine periculo facit morbum, vel in □ factâ commotione incolumes reddit ad ☍

VI.

Luna configurata ♄ numeris demens circà 90. grad. instabiles reddit, & periculosos, & quod si ♂ ad minora feratur circa 180 gradum interimit.

VII.

Luna ☉ vel ♂ configurata numeris demens, vel etiam lumine: minuitur morbus ad grad. 90. quod si conjunctionem subiêrit, & adhuc minuatur circa 180. gradum sanitati restituit. Verùm hæc ad Medicos pertinent: ne autem in materiâ hac vanitati non parum subjectâ, longiùs quàm par est, tempus & chartam teramus unicâ in tabulâ Planetarum dominium universale in reliquas res Geocosmicas, quæ scilicet vel ab essentiâ, ut volunt Astrologi, aut veriùs ab Analogiâ affinitatem quandam cum planetariis corporibus obtinent, Curioso Lectori placet subjicere. Tabula Dominii universalis Planetarum in res Geocosmicas.

CAPUT VI.

De Cœli in duodecim domos divisione, & Stellarum in iisdem domibus efficaciâ ac viribus.



Explicato hactenùs operoso admodùm Astrocriticæ scientiæ apparatu, haud contenti tàm antiqui quàm recentiores Astrologi miros etiam alios effectus certis quibusdam cœli plagis, quas *domus cœlestes* appellant, assignare solent. Aliam enim stellis tàm fixis, quàm erraticis tribuunt efficaciam sub Ortum, aliam sub Occasum, aliam in medio cœli, aliam in mediæ noctis puncto, aliam deniq; in intermediis locis tàm suprà, quàm infrà Horizontem constitutis. Hinc totum, quaquà patet, cœlum ope Meridiani, & Horizontis in duodecim intervalla distribuunt, quorum sex suprà, & totidem infrà Horizontem esse volunt, quæque domus cœlestes communiter vocare solent. In his autem domibus diligentissimè situm tùm signorum Zodiaci, tùm Planetarum, eorumque ad invicem configurationes, conjunctiones, oppositiones, & quoscunque respectus explorant, & indè de sorte fortunæ, de naturâ, de infortuniis, deque totius humanæ vitæ statu dijudicare, tempestates item annuas, sterilitatem, pestem, annonæ bonitatem, & plura alia prædicere solent, sed quâ methodo procedant, nunc paucis disquiramus.

§. I.

Cœlestium domorum constitutiones, & earundem significationes in genere.

Varii modi divisionis cœli in 12 domos.

1. Non convenit inter Astrologos, qui de viribus, & de influentiis cœlestium corporum in hæc inferiora tractant, de methodo cœlum in 12 partes, sive domos dividendi; neque enim modus omnibus est unus, sed plures, omnes tamen in hoc conveniunt, quod à puncto Eclipticæ ortivo pro aliquo tempore apparente initium domorum constituant. Primus modus, qui & *æquabilis* vocatur, ex polis Zodiaci ducit sex circulos maximos, & totum Zodiacum in 12 partes æquales distribuit, initio facto à puncto ortivo. Hoc modo usi sunt Chaldæi, eumque indicat *Ptolemæus*; hunc etiam secutus fuit *Firmicus*, *Arabes*, *Schonerus*, & *Cardanus*. Alter modus est *Alcabitzii* & *Joannis de Saxoniâ*, qui arcus semidiurnos & seminocturnos in tres æquales partes dividit. Alius modus est *Campani* & *Gazuli*, qui verticalem primarium in 12 partes æquales dividunt ductis circulis singulis per communes intersectiones Horizontis & Meridiani. Alius denique modus *Abrahæ Abenezræ*, qui omnibus aliis præfertur, & à *Joanne Regiomontano modus Rationalis* vocatur, eò quod in Geometriâ fundamentum suum habeat, & in directionibus præ aliis omnibus aptissimus probetur. Dividitur autem hoc modo Æquator facto initio à puncto ortivo in 12 partes æquales, & per singulas divisiones istas, & communis intersectionis Meridiani ac Horizontis puncta circuli maximi ducuntur, qui singulas domos constituunt: ideoq; Horizon, & Meridianus etiam sunt duo tales circuli, quibus tantùm alii quatuor dicto modo associantur. Ipsum porrò cœlum in sphæra obliqua tàm superum, quàm inferum, infrà terram scilicet in 12 partes inæquales

TABULA Dominii Planetarum in res Ge

Planetæ	Saturnus ♄	Jupiter ♃	Mars ♂
Cœli partes	♑ ♒	♐ ♓	♈ ♏
Elementa.	Terra.	Aër. Ignis.	Ignis.
Qualitates Elementares.	Frigus intenſum. Siccitas. Denſitas. Opacitas. Gravitas.	Temperies cum levi exceſſu caloris & ſiccitatis.	Calor & ſiccitas in intenſ
Colores.	Niger, livid. fuſc. terreus.	Cæruleus.	Rubeus.
Odores.	Fœtidus. Narcoticus.	Suavis.	Acris.
Sapores.	Acerbus. Auſterus.	Dulcis.	Amarus.
Anni partes.	Autumnus.	Ver.	Æſtas.
Meteora & effectus in aëre.	Frigus intenſum & horrendum; etiam quandoque peſtilens. Nubes denſæ nigræ, lividæ, Nimbi. Nives. Pruinæ. Venti exitioſi, Procelloſi.	Temperies. Salubritas. Venti moderati. Serenitas aut nubes ex albo rubeſcentes.	Imtemperies calida, ſic æſtuoſa, peſtifera, tabif Serenitas aut nubes rub fulvæ, virides. Tonitrua. ruſcationes. Fulgura. Gran Cometæ. Impreſſiones ign Turbines. Venti tempeſtu maligni, exitioſi.
In aquis & mari.	Exundatio. Diluvia. Corruptio. Piſcium interitus aut penuria. Procellæ ac ſævæ tempeſtates. Difficiles navigation. & naufragia.	Mediocria, & utilia aquarum incrementa. Salubritas. Piſcium copia. Tranquillitas aut venti moderati curſus navium felices, & ſecundi.	Aquarum exſiccatio, aut ruptio. Piſcium interitus. cellæ. Subita naufragia. ratarum invaſiones.
In terra.	Sterilitas fructuum & plantar. utilium. Corruptio ab aëre maligno, frigore gelido, nimbis, grandine, inundationibus erucis, locuſtis. Animalium interitus utilium, damnoſorum proventus. Terræmotus, ædificiorum, urbiumque ruinæ.	Copia & ſalubritas plantarum, fructuum & animalium utilium, ſuppreſſioque nocivorum, vel ex putri materiâ genitorum.	Penuria & inſalubritas p tar. Fructuum, & animal homini utilium ab imter rie calidâ & ſiccâ aut ven ſa aëris qualitate. Venen rum generatio. Incendi Terræmotus.
Mineralia & lapides.	Plumbum. Lapides nigri, obſcuri, terreſtres.	Stannum, Sapphyrus. Amethyſtus.	Ferrum. Magnes. Jaſpis. matites. Rubinus.
Plantæ.	Quercus. Meſpilus. Citronius. Ruta. Helleborus. Narcotica, & reliquæ craſſæ ſubſtantiæ, tardeque creſcentes.	Laurus. Santalum. Cinnamom. Saccharum. Balſamum. Thus.	Piper. Zinigiber. Sinapi. phanus. Scamonium. C cynthis. Euphorbium, a ra omnia & venena calida
Bruta.	Camel. Urſus. Caper. Aſin. Felis. Bubo. Veſpertilio. Teſtudo Mus. Bufo. Scarabæus & cœtera tardè gradientia, noctuque vagantia.	Elephas, Dama. Taurus. Cervus, Pavo. Falco.	Equus. Lupus. Aper. C Struthio. Milvus. Accip Serpentia venenata. Scor Aranea.
Terræ loca particularia.	Subterranea. Putei. Cloacæ. Latrinæ. Carceres. Cœmiteria. Solitudines, Eremi, Deſerta.	Edita, & excelſa. Eccleſiæ. Palatia præſertim juri dicendo deſtinata.	Officinæ fuſoriæ & fabr Arces. Armamentariæ.

osmicas subjectas ad mentem Astrologorum.

Sol ☉	Venus ♀	Mercurius ☿	Luna ☽
♌	♉ ♎	♊ ♍	♋
Æther. Ignis.	Aër.	Terra.	Aqua.
Calor vitalis. Raritas. Levitas.	Temperies humudiuscula.	Frigus & siccitas in remisso.	Frigus. Humiditas, liquiditas & gravitas.
Flavus.	Viridis.	Variegatus	Albus. Pallidus.
Fragrans Aromaticus.	Suavis Exhilarans	Mixtus	Obtusus. Insensibilis.
Salsus. Acutè gratus.	Pinguis	Acidus	Obtusus. Aqueus.
Æstas.	Ver	Autumnus	Hyems.
Calor. Siccitas. Serenitas. Salubritas & quandoque æstus. Nubes croceæ, aut ex rubro flavescentes. Venti moderati, sicci, salubres.	Temperies. Salubritas. Ros. Caligo. Nebulæ. Nubes sincerè albicantes. Pluvia tenuis & salubris. Venti moderati, & humidiusculi.	Siccitas. Venti repentini, vehementes, mixti, instabiles, procellosi, exitiosi. Nubes variegatæ. Tonitru. Coruscationes. Fulmina.	Humiditas & frigiditas ex se.
Exsiccationes & decrementa.	Utilia incrementa & Exundation. Salubritas. Magna Piscium copia. Faciles, tutæ, & fortunatæ navigationes.	Procellæ, subitæque tempestates, incrementa, dum Eous extat. Decrementa, dum occiduus. Pyratarum insidiæ.	Incrementa. Fluxus & refluxus.
Quatuor anni partes, sed præsertim æstas per se. Exsiccationes Sylvarum incendia. Reliqua pro ratione dominii & Aspectuum.	Eadem quæ ♃ sed cum majori fœcunditate.	Magni terræ motus, aliorum verò eventuum diversitas, instabilitas, sæpeque cum ♄ aut ♂ plantarum & animalium exitium.	Putrefactiones. Cætera verò, prout se habet ad ☉ & cæteros, planetas, quorum commixtiones cum ☽ terris proximâ maximè sunt attendendæ.
Aurum. Carbuncul. Hyacinthus. Chrysolitus.	Cuprum. Smaragdus. Turcois. Corallus. Unio.	Argent. Vivum. Chalcedon. Comælius. Alectorius.	Argentum. Crystall. Berillus. Adamas. Unio.
Palma. Rosmarin. Heliotropium. Crocus. Frumentum & aromata.	Dactylus. Oliva. Pinus. Lilium. Rosa. Pisa.	Corylus. Millefolium.	Cucurbitæ, Cucumeres, pepones. Lactucæ.
Leo. Aquila. Falco. Gallus.	Capra. Ovis. Phasianus. Perdix. Columba. Turtur. Passer.	Vulpes. Simia. Serpens. Psittacus. Aranea. Apes. Formica.	Lepus. Cygnus. Philomela. Ranæ. Pisces. Cochleæ. Cancri. Limaces.
Regum & Principum aulæ. Auditoria. Ecclesiæ Civitatum plateæ.	Horti. Prata. Nemora. Viridaria. Convivia, Theatra, Lupanaria.	Nundinæ. Academiæ Collegia.	Sylvæ. Maria. Flumina. Stagna, & loca publicis hominum conventibus dicata.



Appellationes & significationes Domiciliorum cœlesti
& colores subjecti, ac plura alia ad mentem A
Astrolog


Domus cœlestes	1.	2.	3.	4.	5.
Nomina & Appellationes.	Horoscopus. Ascendens. Cardo Orientis. Angulus Oriental.	Inferna porta. Domus lucri, divitiarum & Spei. Locus abjectus & piger.	Domus fratrum & faustorum Eventuum.	Imum cœlum. Angulus imi cœli. Fovea platearum. Angulus terræ Domus Genitoris.	Bona fortuna. Domus liberorum.
Partes Corporis subjectæ.	Totum caput.	Collum. Cervix.	Humeri. Brachia. Manus.	Pectus. Pulmo. splen.	Stomachus. Hepar. Nervi. Latera. Dorsum.
Colores subjecti.	Albus.	Viridis.	Croceus.	Rubeus.	Mellitus.
Fortitudines & debilitates.	Fortit. 6.	Fortit. 2.	Fortit. 1.	Fortit. 4.	Fortit. 3.
Significationes, judicia aut conjecturæ.	Generalis de vita Nati observatio. Item nutritionis, Sanitatis aut debilitatis, complexionis, spirituum, morum, primæ ætatis, omniumque Corporis accidentium.	De bonis mobilibus, facultatibus. Peculio, lucro, divitiis, industria & labore comparatis.	De Fratribus, Sororibus, cognatis. De concordiâ in eos & Natum Item de hospitalitate, fide, pietate & de itineribus brevioribus.	De Parentibus. Eorum statu. De patrimonio, bonis immotilibus, ædificiis, fundis, castris, & quæ post mortem eveniunt.	De liberis, eorumque statu. De gaudiis & voluptatibus. De donis & mulieribus collatis, aut conferendis.
Consignificant ex Signis.	♈	♉	♊	♋	♌
Ex Planctis.	♄	♃	♂	☉	♀
Fortunatur.	♃ ♀	♃	♂	♀	♀
Infortunatur.	♂ ☽ ☉	♂ ☉	♄	♂ ♄	♂ ♄
Gaudium Planetarum.	☿		☽		♀
Aspectus aliarum domuum.	Sinistrè 3 ✶. 4 □. 5 △. Dextrè 11 ✶. 10 □. 9 △. 7 ☍.	Sinistrè 4 ✶. 5 □. 6 △. Dextrè 12 ✶. 11 □. 10 △. 8 ☍	Sinistrè 5 ✶. 6 □. 7 △ Dextrè 1 ✶. 12 □. 11 △ 9 ☍.	Sinistrè 6 ✶. 7 □. 8 △. Dextrè 2 ✶. 1 □. 12. △ 10 ☍	Sinistrè 7 ✶. 8 □. 9 △. Dextrè 3 ✶. 2 □. 1 △. 11 ☍.
Primus Triplicitatis Dominus	Significat vitam Nati, quid diligat, & ad quid propensus.	Dat divitias, & reliqua in vitæ principio.	Judicat de fratribus majoribus.	De Patribus.	De filiis & eorum vitâ.
Secundus Triplicitatis Dominus.	Judicium de Corpore, vitæ fortitudine & vitæ medietate.	Io vitæ medio eadem.	De mediocribus.	De Castris & civitatibus.	De deliciis & gaudiis.
Tertius Triplicitatis Dominus	Ejusdem significationes cum primo.	In Senectâ.	De minoribus.	De finibus rerum.	De legatis.
Natura Quartarum.	Quarta Septentrionalis. Ascendens Senilis. Fœminina. Phlegmatica Hyemalis.			Quarta Occidentalis Descendens Vi Meloncholica. Autumn	

...; signa & Planetæ consignificantes; partes item corporis
...ologorum. Ex Henrico Kanzovio in Tractatu

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
...us cadens ab ...lis. Valeru- ...t mala fortu-	Cardo & angulus Occidentalis. Domus Conjugii & Hæreditatum.	Superna porta. Domus mortis & Hæreditatum. Locus piger.	Deus. Domus Religionis.	Medium cœli. Cardo medii cœli. Culmen, & fastium Domus Regia.	Bonus dæmon. Bonus genius. Domus Eventuum bonorum & felicium.	Malus Dæmon. Domus inimicorum.
...iora ventris ...inrestinis us- ...d anum.	Femora. Lumbi. Umbilicus usque ad clunes.	Vesica. Verenda. Testiculi.	Podex. Nates coxæ.	Genua. Popilites.	Crura usque ad talos.	Pedes.
Niger.	Niger.	Albus.	Niger.	Rubeus.	Croceus.	Viridis.
...ebilit. 4.	Fortit. 4.	Debilit. 4.	Fortit. 2.	Fortit. 5.	Fortit. 3.	Debilit. 5.
...valetudine. ... corporis, ...nè oculo- ... De Servis, ...is, animali- ...minoribus & ...sticis, & quæ ... vitæ finem ...unt.	De Nuptiis, mulieribus. Conrentionibus. Bellis. Inimicis, exilio, medietate & fine vitæ. De vendendis & emendis. De rapinis & furtis.	De laboribus. Tristitia, hæreditate mortuorum. Occultis thesauris & fine vitæ. De venenis, incantationibus & pavoribus.	De pietate. Religione. Dignitaribus Ecclesiasticis. Sapientiâ, artibus, somniis divinationibus, itineribus & legationibus.	De Imperiis, officiis publicis. Marribus. De substanriâ furtim ablatâ & iis ad quæ animus inclinatur. De dimidia viræ longitudine.	De Amicis, eorum fide & favore. De consiliariis Regum ac Principum. An habiturus emolumenta ab amicis.	De inimicis occulris Tristitia, de Carceribus, vinculis. De Animalibus majoribus & servorum substanria & fidelitare. De damnis à Servis, bestiis, inimicis. De periculoso parru mulierum.
♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
☿	☽	♄	♃	☽	☉	♀
			☉	☉ ♃	♃	
			♂ ♄	♂ ♄	♂ ♄	
... ♂			☉		♃	♄
Sinistrè 9 □. 10. △. Dextrè ... 3 □. 2 △. 12 ☍.	Sinistrè 9 ⚹. 10 □. 11 △. Dextrè 5 ⚹. 4 □. 3 △. 1 ☍.	Sinistrè 10 ⚹. 11 □. 12 △ Dexrre 6 ⚹. 5 □. 4 △. 2 ☍.	Sinistrè 11 ⚹. 12 □. 1 △ Dextrè. 7 ⚹. 6 □. 5 △. 3 ☍.	Sinistrè 12 ⚹. 1 □. 2 △ Dextrè 8 ⚹. 7 □. 6. △ 4 ☍.	Sinistrè 1 ⚹. 2 □. 3 △ Dextrè 9 ⚹. 8 □. 7 △ 5 ☍.	Sinistrè 2 ⚹. 3 □. 4 △ Dextrè 10 ⚹. 9 □. 8 △. 6 ☍.
...firmitatibus ...titiis.	De Mulieribus.	De Morte.	De peregrinarionibus & earum accidentibus.	De operibus & exaltatione.	De fida & favore.	De inimicis occultis.
...tvis & fami-	De contentionibus.	De præceptis & aliis rebus.	De fide. Religione & eorum accidentibus.	De dignitatibus & imperio.	De laboribus.	De laboribus.
...ommodis ex ... & animali- ... eorum mul- ...ne.	De commixtionibus & participarionibus.	De Hæreditaribus à mortuis.	De somniis & Sapientiâ.	De honoribus & dignitaribus durabilibus.	De Utilitaribus & Commodis à laboribus.	De animalibus.
... Masculina	Quarta Meridionalis. Descendens Juvenilis. Fœminina. Cholerica. Æstiva.			Quarta Orientalis Ascendens Puerilis Masculina. Sanguinea. Verna.		

quales dividitur, eoquod verticalis circulus inæqualiter dividatur; eoque inæqualiores fiunt hujusmodi partes, quò sphæra fuerit obliquior. In sphæra tamen rectâ omnes sunt æquales, quia Æquator cum verticali primariò coincidit.

Ordo & numeratio domorum cœlestium. 2. Ordo & numeratio istarum domorum cœlestium initium capit ab Oriente infrà Horizontem deorsum tendendo, ità ut sex priores perpetuò sint sub Horizonte, & sex reliquæ suprà eum. Præcipuæ, & quarum major est consideratio, sunt quatuor. Prima, quæ dicitur Horoscopus, sive signum ascendens, initium capit ab Horizonte versùs Orientem. Quarta à Meridiano sub Horizonte in imo cœli. Septima ab Horizonte versùs Occidentem, & suprà eum extat. Decima à Meridiano in summo, seu medio cœli. Nam si quando corpora cœlestia ad illas se applicant, majorem ostendunt vim suam, & efficaciam: Duodecim hæc domicilia plerumque repræsentantur per figuram planam 12 triangulorum, ut hìc videre licet. Vocatur etiam figura hæc *Thema cœleste*, in cujus medio scribitur Annus, Mensis, Hora cum minutis ante vel post meridiem, pro tempore, ad quod erigitur Thema.



3. Inter duodecim hasce domos aliæ dicuntur *Cardinales*, seu *primariæ*, quod reliquis sint principaliores, & in significatione fortiores: aliæ vocantur *Succedentes*, seu *secundariæ*, quia secundum locum tenent in significationibus: aliæ deniquè *cadentes*, quia in se nullam ferè significationis vim habent; undè & *pigræ* & *abjectæ* appellantur. Ità Cardinales sunt domus 1. 4. 7. 10. Succedentes sunt 2. 5. 8. 11. & vocantur *Anaphoræ*; Cadentes sunt 3. 6. 9. 12. & appellantur *Cataphoræ*.

Nomina & significationes domorum. 4. Omnibus etiam indicatis domibus Astrologi peculiaria sua dederunt nomina, desumpta potissimùm ab effectibus, quos sidera in ipsis constituta respectu cujusque loci producunt. Locus enim per se non censetur influere, neque aliquid significare, cùm sit imaginarius, Planeta tamen, vel alia quæpiam stella fixa ratione positionis in tali aliquo loco cœlesti alium atque alium influxum juxtà Astrologos censetur dimittere. Nomina autem sicut & significationes singularum domorum cœlestium præter alia scitu non indigna de ipsis in Tabulam reduximus, quæ primo statim intuitu Curiosum Lectorem informare poterit. (Tabula.) Placet hìc tamen adhuc speculationem aliquam pythagoricam ex *Theodato Osio Nov. opin. sylv. cap. 93.* Super divisione Cœli in 12 domos & circà earundem significationes recensere, quâ rationem divisionis, constitutionis & significationis singularum domorum per numeros ità conatur declarare. *Prima domus, quæ est angulus orientis in genituris, datur significationi corporis & animæ Nati; quia unum,* inquit, *est substantia & principium numeri: Secunda rebus mobilibus & opibus, quia binarius est numerus motûs & incrementi: Tertia otio, inertiæ & ignorantiæ, quia ternarius est numerus materiæ: Quarta rebus stabilibus ex quaternario primo numero solido, & primò status Significatori: Quinta bonæ fortunæ, ex quinario numero hilari & sensuali: Sexta morbis, animalibus, & servis ob senarium numerum laboris & molestiæ: Septima contentionibus, furtis, & uxori ob numeri naturam oppositum binario, undè depauperationem intimat, & diffusionem: Octava morti & hæreditatibus juxtà naturam octonarii, qui revertitur ad principium in motu suæ multiplicationis: Nona Sapientiæ & Religioni, quia novenarius est numerus lucis: Decima magisterio & honoribus ob authoritatem, & supereminentiam denarii primi numeri articuli omnes digitos comprehendentis: Undecima Amicis, & bono genio ex genio undenarii numeri similitudinis amicitiæ, & combinationis: Duodecima tandem carceribus, & inimicis, quia duodenarius in magnitudine, & facundiâ suâ est ater, & indicat jacturam.* Ità ille. Verùm hæc speculatio, quamvis ingeniosa sit, non tamen satisfacit, multo minùs convincit. Probabiliores alias quasdam rationes de cœlestium domorum constitutionibus, earumque significationibus videre licet apud *Antonium Franciscum de Bonattis in universâ Astrosophiâ natur. lib. 1. cap. 13.* sed indicâsse sufficiat.

§. II.

Canones quidam Astronomici circa domos cœlestes, & earum significationem ex Cardano & aliis.

1. Compertum est experientiâ, Astra secundùm diversam Cœli positionem tàm respectu Zodiaci, quàm respectu Mundi diversos influxus ad nos transmittere. Undè nihil contrà rationem profertur, quando Astrologus de domorum significatione pronuntiat.

2. Potentiores fiunt stellæ, quando magnos arcus suprà verticem regionis alicujus obtinent, quandoque magis ad Meridianum accedunt ex ipsâ cosmicâ positione; tunc enim virtutes, & influxus suos sive bonos, sive malos, prout Planetarum natura requirit, in hæc inferiora ampliores demittunt.

3. In exquisitis judiciis semper domûs apex requiratur: in imperfectis operibus domus tota. *Cardanus in Aphor. Astron.*

4. Sicut locus dictus *Cor cœli*, est angulorum in pluribus validissimus, sic nonus locus inter cadentes. *Idem.*

5. Planetæ in prima domo vires habent maximas. *Cardanus in Ptolem. de astro. judic. lib. 1.*

6. In Ascendente omnes corporis partes sunt, qui verò damnat Planeta, est inspiciendus, & in quâ domo sit, & quam vim habeat ad signum ascendens. *Idem.*

7. Melior est infortuna in Ascendente felix, & fortuna in secundo loco, quàm fortuna in Ascendente felix, & infortuna in secundo loco: primi tamen differentia major est. *Cardanus.*

8. Domorum contrariarum vires eò magis diffident, quò domus ipsæ validiores fuerint.

9. Secunda domus multùm potest, quia ad Ascendens pervenit; quod in eâ, est in annis melioribus. *Cardanus.*

10. Domus, quæ violentos casus efficiunt, sunt septima, decima, undecima, duodecima; pòst prima & quarta & octava & sexta. *Idem in Aphor. Astronom.*

11. Dignitates domorum hac successione se habent. 1. 10. 11. 7. 4. 5. 2. 9. 3. 8. 6. 12.

12. Domus naturâ suâ feliciores sunt, quæ nempè felices eventus significant. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 9. 10. 11. Econtrà verò infelices sunt, quæ infelices eventus indicant. 6. 8. 12.

13. In angulis omnia sunt fortunata & fortia; Succedentes sunt in omnibus mediocres; Cadentes auferunt, debilitant, depauperant.

14. Pars fortunæ cum erit in angulo, magnam fortunam significat; in Succedentibus fortunam mediocrem, in Cadentibus nullam, aut exiguam, sed laborem & difficultatem in rebus acquirendis.

15. Cum Sol benevolè aspicit partem fortunæ, augetur fortuna: idem est de Planetis beneficis: ècontrà à maleficis imminuitur aut destruitur.

16. Sicut Planetæ consignificantes in domo aliquâ vires acquirunt auctiores, ità & stellæ fixæ ejusdem cum Planetis iis naturæ fortiorem parant defluxum.

17. Quibuscunque Planetis domus aliqua fortunatur aut infortunatur: eadem stellis ejusdem cum Planetis illis naturæ similiter afficitur.

18. Sicut certi Planetæ in domicilio aliquo cœlesti gaudent, sic idem censentur facere fixæ stellæ consimilis naturæ.

19. Caput Draconis nihil significat per se, cum alio augmentum & subtilitatem, & mitigat mala. Cauda auget mala, & significat diminutionem & subtilitatem. *Cardan. de jud. Genitur. cap. 6.*

20. Climatum differentia facit, ut celeriùs aut tardiùs eventus proveniant, & ut Planetæ in Angulis sint, cadentibus, aut succedentibus.

21. Meridianorum autem diversitas, ut radiationes sint, ac Planetæ propiores angulis, aut succedentibus illis, vel etiam cadentibus, utque diversum sit dominium Planetarum in figurâ, quod etiam in diversitate Climatum accidere potest.

22. Loci propria natura est ex stellis ibi existentibus, vel in eodem circulo ascendentibus, vel ex seipsa, vel ex dominantis Planetæ.

23. Partes orbis ex naturâ Planetarum & signorum, & cœli partium, & latitudinibus habentur.

24. Deteriora impedimenta accidunt, cùm infortunæ fuerint in Ascendente, & fortunæ in Occidente, quàm cùm contrario modo.

25. Non est transgressus repentinus in cœli partibus; imò & si secùs videatur, nec in ipsis significatis. *Cardanus in Aphor. astron.*



CAPUT

CAPUT VII.

Divinationum Astrologicarum fontes & principia pro Genituris aperiuntur.



NOndum errorum ac vanitatum Astro-Criticarum finis. Pro Genituris judicia quædam Astrologica, vel potiùs eorum fontes aliquos paucis hîc aperire libet, non ut assumantur aut approbentur, sed potiùs, ut quibus Astrologi Judiciarii procedant fundamentis, cognitio aliqua generalis solius acquirendæ scientiæ causâ hinc obtineri possit.

§. I.

Canones generales Astrologici pro Genituris.

Ex Cardani variis segmentis Aphor. Astron.

1. Puer tunc nasci dicitur, cum aërem primùm per os inspirat extrà matris uterum.

2. Mora nati in utero rarò excedit motum Solis usque ad consimile signum.

3. Nullus nascendi terminus datur certus; pleriq; tùm à 166 ad 278 diem nascuntur, cùm perfecti fuerint.

4. Est unicuique aliquid proprium in comparatione ad genituræ partem, quod considerare oportet.

5. Impressiones à genitura, quæ in loco remanent usque ad tempus, in quo perfici debent, sunt partim in loco, & partim in materia, quæ variatur, & morborum circuitus declarant ea.

6. Eorum, quæ in genitura decernuntur necessaria, in genere producuntur, per Significatores, ut mors: quæ verò necessaria non sunt, mutantur, & vicissim sæpiùs redeunt, ut filii, divitiæ, amici.

7. Quibuscunque magnæ eveniunt repentè felicitates; his & detrimenta repentè magna eveniunt.

8. In omni genitura est optimus locus, à quo omnis fortuna; & pessimus, à quo omne infortunium pendet. Optimus locus est decimâ vel prima, vel luminare, si his fortuna vel radius propitius, vel alterius luminaris, vel stella fortunata jungantur, ità ut fortunium duplicetur; atque ità infortunii locus est geminatum infortunium.

9. In perfectis genituris Luna redit ad signum Ascendentis conceptionis, vel ejus oppositum, vel ad Planetam, cum quo in conceptione fuerat, aut ejus aspectum, vel ad signum proprium. Ascendens autem est locus Lunæ conceptionis, vel ejus oppositum, aut locus Domini conjunctionis conceptionem præcedentis.

10. Genituræ mulierum in vita similes sunt Virorum genituris; in fortunâ ex toto dissimiles; in moribus autem medio modo se habent.

11. Egregii mores & facilitas in tractatione per se hominem evehunt.

12. Ad regnum adipiscendum ex tribus duo semper sunt necessaria, conjunctio familiæ cum successione, bonum aliquod ingens in genitura, & ejus convenientia cum regno.

13. Multas genituras felices infortunium magnum evertit, & tunc significantur per egregium astrorum consensum, nisi super mores & corporis dispositionem.

14. Non solùm Sapientis est ex genitura eventum, sed ex eventu divinare genituram.

15. Quibuscunque Planeta nullus est super terram, nec in prima hora sui ortûs, non solùm longam habere vitam, sed egregium aliquid perficere, est impossibile.

16. Mutationes aëris declarant geniturarum veritatem, & geniturarum exquisita temporum ratio, exactam temporum rationem in aëris mutationibus.

17. In quo homo excellit, in eo etiam Planeta optimè dispositus est Significator.

18. Considerandæ sunt 45 Planetarum & Lunæ nodorum radiationes, atque conjunctiones: Quicunque enim plures ex his habuerint, validiores habent genituras.

19. Quando omnes Planetæ sub Sole fuerint, genitura illa unum tantùm habebit Planetam viribus omnium aliorum prædium.

20. Vide, quibus delectatur homo, & habebis Planetam prædominantem qualitatibus animi; sic etiam de Corpore.

§. II.

Canones Astrologici magis speciales circà Genituras.

Ex eodem Cardano.

1. Quicunque natus fuerit Æquinoctii meridie, vel hoc solo magnus evadet.

2. Planetæ omnes super terram in vitâ, factis, omnibus mortalibus cognitum faciunt.

3. Quando Planetæ omnes aucti motu fuerint, ille valdè felix erit, facilè enim cuncta perficiet.

4. Famosi Viri sunt, in quorum genituris Luna multorum recipit lumen Planetarum, aut si fixæ potenti regiæ juncta fuerit.

5. Sol in Leone erigit hominem, nec finit mendicare.

6. Ille non erit omninò infelix, cui loca principalia fuerint omnia in dignitatibus Jovis.

7. Cùm Luminaria in eodem minuto coëunt, aut ex opposito, quadratove se respiciunt, maximum eventum in eâ geniturâ exspectabis.

 8. Quartâ

8. Quartâ Lunâ Nati, ut in adagio est, plerumque sunt infelices: nam Luminaria simul in angulis esse non possunt, nec sese respicere invicem, nec esse in signis ejusdem naturæ.

9. Æquales ac mediocres in affectibus sunt, quibus ascendunt initia Arietis, vel Libræ, aut fines Piscium, & Virginis. Immoderati autem, quibus initia Cancri, aut Capricorni, vel fines Geminorum & Sagittarii.

10. Magni nascuntur sub signis magnis longarum Ascensionum, in initiis signorum sub Planetis existentibus in altitudine Ecentrici, & parvi circuli & mundi.

11. Obesi autem juxta longitudines medias cum magnâ latitudine in signis latis, & multarum stellarum.

12. Luna cum stellis parvis, parvos facit oculos, propriè autem cum dorso Piscis, & in Martis, Saturni Solisque quadrato.

13. Cum Ascendens in multo fuerit signo, & Mercurius non in humano cum stella, in quâ Saturni vis apparet, natus non rectè loquetur.

14. Luna sub Sole existens cogitabundos, & melancholicos facit; aduritur enim cerebrum.

15. Venus in domibus aut exaltatione semper aliquid turpitudinis habet.

16. Quicunque Saturnum in Jovis oppositione habent, nunquam quiescunt.

17. Quicunque caudam cum Jove habent, nunquam ditantur.

18. Optima est genitura, in quâ Jupiter Solem recipit: pòst ubi Lunam; post Saturnum & Martem: pòst Mercurium & Venerem. Oportet autem ex eâdem parte esse.

19. Cum in apice septimi loci Infortuna fuerit, natus magnis afficietur calamitatibus.

20. Cùm Infortuna fuerit juncta Soli in eâdem parte, vel Lunæ infortunatæ; nato etiamsi Rex fuerit, magna inconvenientia contingent.

21. Cùm Sol in Ascendente cum Regiâ, vel magnâ fixâ de naturâ Fortunæ in signo masculino fuerit, & Jupiter vel Venus in secundâ domo: impossibile est, cum Venus vel Jupiter ad locum Solis pervenerint, consentiente Alfridaria natum pro conditione suâ magnam dignitatem non adipisci. Eadem hæc erunt, si Sol eodem modo in decimâ existente, Jupiter & Venus in undecimo loco fuerint.

22. Conjunctio Planetarum in prima domo dat Sapientiam, in corde Cœli regimen; in septimo loco faustum obitum; in quarto loco gloriam, aut cadaveris absque corruptione permanentiam.

23. Quicunq; oriuntur à 16 Libræ ad 19 Sagittarii partem nostris in regionibus ad carceres & vincula proni sunt; est enim Andromeda in Occasu.

24. Infelicem autem fortunam sortiuntur, quibus à 23 ad 27 Tauri ortus est; nam Delphin cor cœli occupat.

25. Sic & ingeniosi ac subdoli, quibus Ascendens est à 12 ad 20 partem Piscium: Triangulus enim cum illis partibus exoritur.

26. Qui natus fuerit horâ Eclipsis, maximè si potentis Viri filius fuerit, multitudinis hominum causa erit mortis.

27. Quando Dominus Ascendentis fuerit in viâ combustâ; Natus confusus erit in negotiis.

28. Quibuscunque Dominus Ascendentis, cùm Infortuna est combustus, tum Luminaria ambo infortunata in sexta: Mortui nascuntur, & matres ipsorum pereunt.

29. Quibuscunque Saturnus & Mars in eâdem sunt parte signiferi, necesse est in eorum vitâ magna infortunia accidere.

30. Mali sunt animi, quibus Mars est in Mercurii quadratâ radiatione.

31. Si Luna in Tauro in secundâ à Jovis quadrato separetur, vel opposito ad Solis trinum iens: is non obscuras acquiret divitias.

32. Homo ad ea inclinatur, quæ per Planetam, in cujus reliqui dignitatibus extiterint, significantur, atque in his plurimi terminos observant: siquidem Saturnus dominetur, turpibus factis ac sermonibus & cogitationibus incumbet. Si Jupiter, lucris, honoribus & rebus dignis. Si Mars, contentioni & vexationi. Si Sol, rebus publicis, ac magnificis cultuique Dei. Si Venus, luxibus & comendo & ornando se. Si Mercurius, disciplinis ac studiis. Si Luna, popularibus rebus & itineribus, ac rebus alienis tractandis: hoc enim huic Planetæ proprium est.

33. Superiores Planetæ, cùm primùm è radiis Solis exeunt, animam nobilem, alacrem, splendidamque efficiunt. Cum radios Solis illicò sunt subituri, agrestes, timidas, avaras: Cùm in statione prima ancipites, potentes, dolosas: cùm in secundâ ancipites, dejectas, debiles. Cùm in imo circuli parvi retrogradantes antè oppositionem, pertinaces, validas, sperantes: post oppositionem pertinaces, debiles, desperantes.

34. Inferiores Planetæ, cùm primùm è radiis Solis orientales exeunt, langidas, & sollicitas animas faciunt: at cùm primùm post Occasum apparere cœperint; incrementa omnium demonstrant. Cùm verò retrogradari volunt; tristes & ancipites: cùm ab illa exire festinant; debiles quidem, & omninò in aliorum potestate: dum verò retrò gradantur ad Solis conjunctionem usque, timidas nec sui Juris: Cùm verò jam Solem retrogradando prætericrint; pœnitentes, & dissimulatores.

35. Cùm fuerit ascendens Revolutionis, Ascendens Genituræ, aliquid promissum in Genitura eveniet; sed longè magis si Luna fuerit etiam in loco Genituræ, aut Dominus Ascendens in loco aspiciente ex parte locum radicis.

36. Notant etiam denique Astrologi periculosiores annos climactericos esse 49, 56, & 63; si præsertim sint malefici in secundâ & octavâ domo, aut Hylegialia ad malos Planetas, aut eorum radios his annis perveniunt.

§. III. Ca-

§. III.

Canones alii Aſtrologici pro Geniturisex variis aliis Aſtrologis.

1. Nati in die limpidiores ſunt illis, qui de nocte.

2. Natus in vere erit boni Coloris, & ſtaturæ convenientis, pulchros habebit oculos, eritque calidus, humidus, ſanguineus.

3. Natus in Æſtate benè proportionatus erit in corpore, bonæ ſtaturæ habens magnos oculos, ſpiſſos capillos: erit calidus, ſiccus, iracundus.

4. Natus in Autumno flavus erit colore, mollis, macer, capillos habens mediocres, oculos benè diſpoſitos, vocemque ſubtilem, eritque frigidus & ſiccus.

5. In Hyeme natus erit bonæ ſtaturæ, benè proportionatus, planos & raros habens capillos: erit frigidus, & humidus ac melancholicus.

6. Natus in ſigno Scorpii, Capricorni aut Piſcium plerumque exiſtet pravus. In principio Arietis, Tauri, aut Leonis craſſus, in fine autem dictorum ſignorum macer; In Principio verò Geminorum, Scorpii, & Sagittarii macer, in fine verò iſtorum ſignorum craſſus & corpulentus. In Tauro deniquè natus, Scorpio, aut Piſcibus malè proportionatus.

7. Volunt Aſtrologi initia ſignorum communiter augere longitudinem corporis, ſed fines diminuere.

8. Saturnus in Sextâ, Octavâ vel duodecimâ domo tempore Nativitatis ærumnarum, miſeriarum, laborum & ægritudinum author perhibetur.

9. Mars cum ſigno Arietis, domo propria, aut in aliquo cardine augmentat calorem & iracundiam.

10. Sol in Aſcendente vel Angulis magnum facit, honoratum, & inter Principes nominatum.

11. Jupiter in Angulis ac domibus præſertim pulchritudinis confert divitias, honores & adminiſtrationes.

12. Mercurius ſapientiæ & eloquentiæ dator operum ſubtilium & mercaturarum ſtudioſum facit.

13. Venus facit amantem mulierum, ludorum, cantorum, conviviorum & cujusvis lætitiæ.

14. Gemellorum ortus diverſa, uti plerumquè evenire ſolet, ſortiuntur diſcrimina: non enim oriuntur, ut conſtat uno temporis momento, neque ſæpiùs unâ eâdemque horâ. Quarè ex hoc temporis intervallo varietates maximæ tàm in mundo, quàm etiam in Zodiaco eveniunt, quæ proinde geneſin mutare queunt.

15. Quorum in geniturâ Luna cum Mercurio juncta, vel congreſſa, erunt Epileptici.

16. Saturnus in Angulo cum Mercurio in diurnâ Nativitate, aut Mars in nocturnâ; Epilepſiam inducit.

17. Amentes fiunt Saturno in Angulis, ſivè nocturnâ nativitate, maximè ſi cum Venere Virgo, & Piſces in Angulis reperti fuerint.

18. Saturnus in domo Luminarium, ſcilicet in Cancro vel Leone paſſionem oculorum inducit.

19. Saturnus & Mars non ſunt tàm exitiales in propriis domibus, quàm in alienis.

20. Volunt Aſtrologi, quod, ſi caput aut cauda Draconis in certis cœli domiciliis reperiatur tempore nativitatis, alios etiam pro ratione domicilii Nato futuros deſignet eventus, uti hic in tabulâ videre licet.

Capitis & Caudæ Draconis significatio in 12. Cœli domibus pro Genituris.

Domus	☊ Caput Draconis.	☋ Cauda Draconis.
1.	*Dominatio super alios Honor à viris magnis.*	*Infortunium. Vulnus in oculo. Impedimenta in omnibus. Deformitas.*
2.	*Augmentum divitiarum. magna fortuna. avaritia.*	*Paupertas. Prodigalitas. Fortuna in ludo. Casus ab alto.*
3.	*Prælatura in rebus ecclesiasticis. Somnia vera. Fratres honorati, fortuna in profectionibus parvis.*	*Falsitas somniorum. Fratres inhonorati. Omnia contraria.*
4.	*Amplum patrimonium, & hæreditas. Inventio thesauri.*	*Imminutio patrimonii, & rerum stabilium.*
5.	*Proles ampla. In eâdem felicitas.*	*Mors filiorum. Eorundem infortunium.*
6.	*Vires, Sanitas, fruges, pecora. Famulorum sedulum & fidele obsequium.*	*In omnibus contrarium.*
7.	*Concordia in conjugio. Senectus honorata, malum in oculis.*	*Divortium. discrimina in conjugio.*
8.	*Vita honorata. Valida. Liberalitas. Divitiæ.*	*Vita turpis. Mors infamis. Amissio bonorum.*
9.	*Fides. Devotio. infortunium in fratribus.*	*Mutationes ingentes. mala fides. Infortunatus in longis itineribus.*
10.	*Honor. Fama. Lucrum. Longa vita. Fortuna bona. Devotio.*	*Itinera inutilia. Oppressio. Casus à dignitate & statu.*
11.	*Multùm laboris, parum quietis infortunia in filiis.*	*Modica gratia apud amicos, & borum diminutio.*
12.	*Multi inimici robusti. Occulti. Pauper tas. Malorum augmentum. Infortunium in servis.*	*Damnum in magnis animalibus, ruina & oppressio inimicorum.*

21. Pars Fortunæ, quam Astrologi mirè deprædicant, in certis Cœli partibus reperta tempore genituræ juxtà eosdem tales spondet eventus.

Significatio partis Fortunæ in singulis Cœli domibus.

Domus cœlestes.	Significatio Eventuum.
1.	*In negotiis expediendis prosperitas ac felicitas Fortuna in ludis & contractibus. Dignitas & eminentia super alios.*
2.	*Omnia præcedentia minùs perfectè tamen.*
3.	*Optimum est claustra ingredi, minora itinera aggredi, cum fratribus, sororibus & cognatis agere.*
4.	*Prosperi eventus in emptione domorum, fundorum, fodinarum laboribus, repertione thesaurorum, arcanorum exploratione.*
5.	*Felicitas cum filiis, negotiaturâ, voluptatum studio.*
6.	*Felicia omnia circâ servos, ancillas ac pecora.*
7.	*Fortunatum conjugium.*
8.	*Bonorum jactura. Mors accelerata. infortunatum conjugium.*
9.	*Longinquæ peregrinationes æquè felices.*
10.	*Felices actiones cum Magnatibus & Principibus.*
11.	*Eadem minus tamen perfectè.*
12.	*Felicitas circa campestria: aliàs longam etiam miseriam & damna significat.*

22. Dominus Ascendentis diversimodè in Cœlo collacatus suas etiam indicationes habet pro genituris, quas ex *Albohali*, tales adducunt Astrologi.

Significationes Planetarum in domo propriâ, v
Aſtrologor

Planetæ	♄	♃	♂	
Domus propriæ.	♑ ♒	♐ ♓	♈ ♏	
♄	In nativitate diurnâ notat amicitiam nobilium, magnas divitias, maximè ſi in aſcendente cum ⊕. facit hominem gravem, ſapientem, nobiliorum inter fratres. In Nocturnâ dat multas infirmitates & labores.	In nativ. diurnâ dat pulchritudinem, divitias, veracitatem. In noct. cum nobilibus contentiones & diſpoſitiones in rebus magnis Regum, & Principum.	Indicat hominem duri cordis iracundum, immiſericordem, non elevabilem in rebus bonis, ſed magis proſperabilem in malis.	In diu nam n terni, a noct. Patris,
♃	Dat gravitatem & anguſtiam cordis. Multiplicat luctus, Erit infortunatus in rebus Eccleſiaſticis. Piger, contumax in malo. Erit dives, ſed non agnoſcet.	Indicat divitias, honores ac dignitates, ſpecialiter in 10, ac Aſcendente. Etſi fuerit in 2 dat divitias infinitas. In 9. 10. & 11. facit prælatum magnum. In diurnâ nat. facit Aulicum, gratum magnatibus. In noct. contrarium.	Erit laudabilis ubique, conſtans in felicitate, gratus Magnatibus. In Angulis, aut Succedentibus facit magni nominis in bello ducem præſertim in ſignis maſculinis: in fœmininis autem minorem dat conditionem in bello.	Famoſ apud o cedent diurna rum di præcel
♂	Inclinat ad audaciam & dilapidationem opum paternarum, in inchoatis quibuslibet proſperam expeditionem.	Nobilem indicat pulchrum, honoratum, gratum magnatibus. In diurn. nat. ſine aſpectu ♃, aut ♀ facit malignum, cadet ab alto. In Nat. noct. facit ingenioſum, fortunatum belli ducem, bonum Geometram.	Confert divitias, honores, peritiam, doctrinam, facit rationalem Geometram.	Notat Stoma ſubitat violen extra p vitam
☉	In diurn. nativ. facit breviloquum, multi riſûs deluſorem proficientem in omnibus operibus. In noct. nativ. facit inſtabilem, inconſtantem, iracundum, faſtidientem penè omnia.	Indicat magnum in Eccleſia, majoremque ſuæ domûs, peritum in cauſâ ſuæ legis. In noct. nat. Libidinoſum notat.	Dat infirmitates in hepate & juncturis. In diurn. nat. ♈ indicat exaltationem vitæ. In Noct. nat. contrarium.	In di ſucced fortem nam Nat. patris, nation
♀	Inclinat ad laſciviam, fornicationes. Ditabitur tandem ex morte Uxorum.	Dignitates confert, acceſſionem notat pulchrarum veſtium. Erit honeſtus, diſcretus, integer. Habebit bona per mulieres, vel per Eccleſiaſtica munia.	Promiſcuè cum variis libidini addictus erit. Unde & malum eidem adveniet. Uxorem malè tractabit.	Facit cauſis nat ad
☿	Profundum dat ingenium pro omni ſcientia. Linguæ impedimento laboravit aut balbutie.	Facit juſtum, ſtrenuum legis defenſorem. Erit ſapiens, boni judicii, gratus magnatibus.	Inclinat ad falſitates, mendacia, malitiam, nugacem loquelam, ſuſpiciones, dat etiam facundiam maximè in ♈, ſed erit cum perfidiâ & aſtutiâ.	Facit Confe intelle torem rum.
☽	Inclinat ad pigritiam cum malâ famâ. Debilitat oculos, infirmat ex frigore, dolores renum cauſat, maximè ſi natus de die: In nocturn. nativ. hæc mitigat.	Sanitatem & longam vitam indicat, & inter amicos præſtantiam in bonâ famâ. In ♓ notat venationi addictum, rixis & Luſibus infortunatis.	Inclinat ad iracundiam, contentiones, Societates malas cum bellatoribus & latronibus. Habebit periculum ſubmerſionis.	Confe nem in natum bilem & ſton
Detrimenta, ſeu domus oppoſitæ.	♋ ♌	♊ ♍	♎ ♉	

…lterius cujusvis Planetæ pro Genituris ex mente

☉	♀	☿	☽
♌	♉ ♎	♊ ♍	♋
…niturâ notat fortu- …bonitatem Statûs pa- …onem facultatum. In …ionem & despectum …ati.	Notat incordatum in sua fide. Amantem mulierum vilium, ac pauperum, unde illi damnum & impedimentum. Erit addictus crapulæ. Multas habebit infirmitates.	Dat ingenium & scientias, secreta librorum occultorum investigabit. Erit tardus linguâ, furiosus, invidiam patietur, reprehendetur aliquando sine causâ justâ de opere facto.	Notat multas infirmitates, brevem vitam. Peregrinabitur & non redibit, aut tardè cum magno dolore, rem familiarem matris diruet. In diurna nativ. patietur malum in oculo sinistro: In nocturnâ vero in oculo dextro.
…ni ingenii, laudatus … . In angulis vel Suc- …præsertim in natlv. …natum facit magna- …um, in dignitatibus …m.	Dat amicitiam & negotia cum nobilibus, lætitam & magnam utilitatem à mulieribus. Erit magnus in Religione, honoribus divitiis Ecclesiasticis.	Facit negotiatorem, divitem, laudatum, fidelem, doctum, ac quiet et amplas divitias, & in his suos consanguineos superabit.	In diurn. nat. & in Angulo, vel succed. familiarum magnis facit viris. Fortunatum & nominatum etiam apud Exteros. In noct. Nativ. facit ingeniosum, clarum, artibus, & in lege prælatum.
…ctio nem oculorum, … Ventris. Mortem …, aut carcerem, ac …mortem. Morietur …rm. Delectabitur per …us ferri & ignis.	Notat lascivum, furiosum: in ♉ dat falsitates. In ♎ vulnera ex ferro vel igne.	Ingenio prævalebit. Erit callidus, audax, negotiator, miles, aut scriptor.	Facit motu levem, agilem, ingenio subtilem, audacem in multis peragendis, patietur malum in oculus. Matris facultates dissipabit.
…nat. in Angulis vel … divitem amabilem, …onam confert fortu- …eribus. In Noct. …am, citam mortem …ivitatem in peregri-	Facit Expositorem Somniorum, veracem, investigatorem rerum occultarum, amabit itinera, & diliget munera.	Nato de die confert scientias, & bona opera. Facit Astrologum amatum à Magnatibus. De nocte natus erit pauper, dolores sentiet oculorum & stomachi.	Si Sol conjunctus caudæ, Saturno vel Marti in hac domo dat malum in oculis, facit multa itinera. Pericula sustinebit in aquis.
…n infortunatum in …rum. Valdè incli- …iam.	Dat magnam prosperitatem, & lætitiam, facit fortunatum in omni re & opere. Amabit mulieres stultas, malæ famæ.	Cum personis religiosis libenter conversabitur. Facit effæminatum, lascivum, amabit picturas, sculpturas, ornamenta quævis.	Facit instabilem, inconstantem, in omni re. Indicat hominem vagæ libidinis.
…ofundam scientiam. …nam memoriam, & … Facit investiga- …fundarum scientia-	Addicit rebus pulchris, deliciis, musicæ, auget amicos. Inclinat ad procaciam, lasciviam, jocos. Multa dabit & accipiet. Deum timebit.	Facit ingeniosum, astutum, cautum in omni arte & scientiâ, Industrium præsertim in Mathesi, Philosophia, Poësi, & arte oratoriâ. Erit aptus ad omnia facienda, quæ videt, maximè si in ♍.	Facit promptum bonæ voluntatis, castum, fidelem, fortunatum in mercaturâ. Indicat etiam multa itinera & bonam famam.
…itiam, promptitudi- …nibus, gratiam mag- …dicit iracundiæ. De- …mum in oculis, capite … indicat.	Addictus erit amoribus pravis mulierum, & indè lætabitur, & lucrum quæret.	Notat bonam vitam & intelligentiam, confert fortunam in mercimoniis.	Fortunata ex ♃ aut ♀ confert sanitatem corporis & gratiam Principum. Infortunata à ♂ aut ♄ adducit infirmitates, malum in oculis, indicat pericula in aquis & itineribus.
♒	♏ ♈	♐ ♓	♑

Significationes Domini Ascendentis in singulis domiciliis ex Albohali.

Domus	Significationes.
1.	*Honoratus inter propinquos, domesticos & natos suos.*
2.	*Destructor substantiæ suæ: verùm si fuerit receptus ibi, proficiet & prospera-bitur.*
3.	*Habebit opes, fratres, & multùm peregrinabitur.*
4.	*Erit boni animi: consequetur maxima bona à parentibus.*
5.	*Gaudet de filiis & habebit plures amicos.*
6.	*Exercebitur maximis ac plurimis laboribus, & infirmitatibus.*
7.	*Erit contentiosus, iracundus, sequens mulierum voluntatem.*
8.	*Fraudulentus erit, multæ tristitiæ, debilis animi.*
9.	*Multùm peregrinabitur, erit amator scientiarum.*
10.	*Gratus Magnatibus, & cum eisdem vivet.*
11.	*Benè moratus erit multos habens amicos, at paucos filios.*
12.	*Malæ vitæ erit, habens plures inimicos.*

23. Quod autem Dominum Ascendentis in specie & secundùm se attinet sine respectu ad domicilia cœlestia, tales eidem indicationes tribuunt Astrologi, ut si sit

Dominus Ascendentis.

Saturnus. In bono loco non impeditus facit magnanimum, pium, magnæ exaltationis, notabilem in Consiliis, cautum, agriculturæ deditum. Malo verò loco constitutus & impeditus facit hominem pravæ rationis & animi, timidum, querulum, invidum, odiosum, & contemptum. Deceptorem publicum, occultatorem suarum cogitationum & machinationum.

Jupiter. In bono loco constitutus, & non impeditus facit prudentem animo, nobilem, gloriosum, honestum, lætum, simplicem, beneficum, quietum. Præbet firmam vitam, incolumitatem, patientiam, honores, opes multas, fidos servos, promptitudinem in negotiis expediendis. Malè dispositus, aut impeditus, vel cadens facit malitiosum, helluonem, segnem, prodigum, deceptorem, mendacem.

Mars. In bono loco non impeditus facit audacem animo, ductorem populi, ac bellatorem victoriosum. Erit magni nominis coram principibus, & populis. In malo loco non impeditus facit malitiosum, suspiciosum, deceptorem, malæ conversationis & mali consilii, iracundum, furiosum, imperiosum.

Sol. Non impeditus in bono loco locupletat, efficit plenum fidei, sapientem, compositum, religiosum, pudicum, justum, velociter addiscentem genuinas scientias, honoribus dignum, mundum, & gratum ubivis. Impeditus in malo loco, cadens ab Angulis facit simplicem, levis animi parvæ potentiæ, modicæ scientiæ & cognitionis, ambitiosum, dejicit à statu bono in deteriorem.

Venus. In bono loco non impedita facit pulchrum, pium, velocem, dulcis loquelæ, acceptum & lætabundum, misericordem, mobilem, mansuetum. Dejecta in malo loco, vel impedita facit immundum, monstrosum, muliebris vitæ, voluptatibus nimiùm addictum.

Mercurius. In bono loco non impeditus facit cordatum, ingeniosum, arcana artium & scientiarum perquirentem, bonum oratorem, Philosophum, Poëtam insignem, in consiliis optimum, astutum, cautum, sapientem, pulchrum. Impeditus, in malo loco facit mendacem, falsarium, fatuum, versatilem, inconstantem, temerarium, præcipitem.

Luna. Bono loco constituta, nec impedita magnum corde facit, benè compositum, ordinatum, honestum, pauci potûs. Impedita, in malo loco; inconstantem, varium, pigrum, ad epilepsiam pronum, stupidum, incompositum, leprosum, aut aliis morbis contagiosis addictum.

24. Diversas porrò etiam qualitates tam signis Zodiaci, quàm domiciliis cœlestibus assignant Astrologi circà Genituras, ità ut Planeta tempore nativitatis in signo (sivè ejus propria, sivè alterius Planetæ domus sit) existens alias nato imprimere valeat virtutes, & inclinationes, sicut & in diversis Cœli partibus, sivè domiciliis errans, alias quoque vires conferre queat, quas ad tabulas reductas Lector facilè hìc sine ulteriori expositione addiscere poterit. Tabulæ.

Signi-

Significationes Planetarum in domiciliis subjectis ex mente Astrologorum.

Quarta Septentrionalis Ascendens Senilis, Fœminina, Phlegmatica, Hyemalis.

Planetæ	Domus I. Cardo Orientis.	Domus II. succedens prima.	Domus III. cadens prima.
♄	Natus erit laboriosus, tristis, contumax, deformis, vitæ brevis, infortunatus, difficilis in omnibus operibus, mors ex ruinâ terræ, vel propter æs alienum, vel ob terrores.	Defectus rei familiaris & victûs impedimenta lucrorum, perturbatio amicorum, infortunia, labores, invidiæ.	Odia inter Fratres & Sorores, Infortunia in itineribus, inopia, tarditas, oppressor Fratrum, Hypocrisis, somnia plerumque vana.
♃	Honorat⁹ modestus, prudens, venerabilis, longæ vitæ, & prosper in omnibus, justus, conscientiosus, secreta tenens. In diurn. nativit. dives, magnus, aliis præfectus, nobilis. In noct. nativ. major Fratribus suis.	Confert abundantiam opum, bonum ingenium & intellectum, omnem felicitatem, promittit abundè hæreditates, & easdem assequitur.	Inclinat ad prosperitatem in itineribus, fratribus, propinquis, servis. Erit devotus, vitæ tranquillæ; fortunatus à fratribus & propinquis. Somnia plerumque vera habebit.
♂	In propriâ etiam domo vel exaltatione optimus miles. Extrà verò iracundus, furiosus, contentiosus, malus, inconstans, mendax, brevis vitæ; diurno partu fortis, robustus, nocturno magnæ potestatis.	Infelix, Exul, Egenus, destructor rei familiaris, objurgator servorum & subditorum. Patietur damnum à furibus.	Odia & contentiones inter fratres notat. Inclinat ad impietatem, blasphemiam, labores, & desideria rerum alienarum. Timendum ipsi ab homicidis & latronibus in brevioribus itineribus.
☉	Confert dominium, potentiam, exaltationem, magnitudinem operum, divitias celeres, solidam eruditionem, amicitiam Magnatum, honores, justitiam, vitam longam, omnia fausta.	Confert divitias per totam vitam, splendidum statum, pulchritudinem, lætos oculos. Erit tamen languidus, brevis vitæ, follicitus, prodigus suarum rerum ob pompam magnificam.	Confert officium à Rege. Peregrinationes in caussis honoris. Habebit fratres honoratos.
♀	Notat fortunatum, longæ vitæ, pulchri corporis, ab aliis amatum, lascivum; Ornatûs vestium, odorum, deliciarum, chorearum, musicæ amatorem. Erit facetus, benè moratus, fortunatus.	Confert facultates à mulieribus. Non erit facilè pauper, facit elegantem, ingeniosum, jucundum artificem, artium inventorem, felicem, lascivum. Clericus obtinebit beneficia Ecclesiastica meliora.	Notat multos amicos, & ex iis gaudium. Erit fidus & dissimulans, gaudebit successibus. Erit fortunatus in brevibus itineribus; honoratus etiam in viis extrà patriam.
☿	Facit Mathematicum, Oratorem, ingeniosum cujuslibet artis exploratorem, discretum, boni intellectûs, longæ memoriæ; profundarum speculationum, membris gracilem, staturæ mediocris, benè proportionatæ, sed simul cum ♈ in eâdem domo nequitiosum, nugacem, odiosæ loquelæ.	Confert augmentum divitiarum, & honorum apud Reges. Facit fortunatum in Scripturis, mercaturis, ingeniosum pictorem, mechanicum. In partu matutino facit ignobilem, alienum à literis: in vespertino, vel nocturno negotiatorem, fœneratorem.	Dat robur & promptitudinem ad res omnes addiscendas. Sentiet profectum in mercimoniis. Erit fortunatus in itineribus. Simul in domo ♃ vel ♄ facit doctissimum in omni scientiâ, Inventorem novarum rerum. Si ☿ in ♊ aut ♎ facit excellentem Musicum.
☽	Notat inconstantem, vagum, phlegmaticum, qui diligit res aquaticas. Si ☽ plena, reddit fortunatum, sanum corpore. In fixis signis notat proditorem. In mobilibus levem, ridiculum; cùm radiis ♄ vel ♂ mox à partu interimit.	Fortunam confert variam, inconstantem, divitias potissimùm ex piscinis, rebus aquaticis, & per molendina. In nocturno partu facit clarum, & feliciter omnia peragentem, sed luxui & deliciis deditum.	Confert officia & gaudia à majoribus, prosperitatem in itineribus, pacem cum fratribus & propinquis, facit religiosum, dat lætitiam & exaltationem à Magnate, amicos nobiles.

Signifi-

Significationes Planetarum in domiciliis infrà ſcriptis.

Quarta Occidentalis Deſcendens Virilis Maſculina, Melancholica, Autumnalis.

Planetæ	*Domus IV. Cardo imi Cœli.*	*Domus V. Succedens ſecunda.*	*Domus VI. Cadens ſecunda.*
♄	Jacturam indicat hæreditatum, infidam fortunam, In diurno partu facit avaros, bonorum cupidos. In nocturno prodigos & imbecilles. In domo propriâ aut exaltatione dat divitias in rebus ſtabilibus.	Naturam triſtem notat, liberorum perditionem, aut eorum orbitatem, contentionem cum legatis. In nocturno partu juventutem pigram atque inconſtantem.	Indicat morbos & inobedientiam familiæ. Erit invalidus & infortunatus. Patietur dolores ventris & dentium, graves & diuturnos morbos. Minatur carceres & pericula vitæ. Erit prodigus & languidus.
♃	Confert commoda ex terrâ, hæreditatem & theſauros, dat divitias ſine labore. Circà medium vitæ deprimetur. In diurno partu facit Juriſconſultum, Præfectum, Legiſlatorem. In nocturno dat opes & auget.	Confert gaudium in rebus licitis, proles multas, felices, longæ vitæ. Eccleſiaſtico multa dat beneficia, delicias ex rebus pulchris, odoriferis, ac gemmis.	Indicat ſanitatem corporis, utilitatem ab animalibus parvis. Auget ſervos & equos. Cœterùm hæc domus nulli aliàs ſtellæ felix eſt.
♂	Indicat caducum, inſanum, miſerum, triſtem, damnum ex incendio, aut alio infortunio. In diurn. partu indicat languorem & vulnera, moleſtias ab uxoribus. In nocturn. facit militem prodigum, cuſtodem ferarum in deſertis vagantem.	Indicat filios illegitimos aut mortem legitimorum. Si in domo ſuâ, vel exaltatione dat filios potentes, ſicut & in domo ♃. Largitur etiam magnum patrimonium, gloriam magnam, & omne felicitatis genus.	Adducit morbos calidos & ſiccos, malam familiam, damnum per ſervos. Facit taciturnum in domo, vel exaltatione medicinæ addictum. Minatur multa incommoda, gibboſitatem, & claudicationem.
☉	Confert theſauros, artium reconditarum revelationem, laudes, divitias in bonis immobilibus, magnos honores in ſenio, laudatum facit poſt mortem.	Dat filios honoratos, gaudium cum magnis Viris, reverentiam à populo, gratum facit omnibus: omnia facilè conſequitur, delectabitur gemmis, odoribus & rebus venuſtis.	Dat multas infirmitates, faſtidium per ſervos, ancillas & ignobiles: ipſe tamen his benefacit.
♀	Venuſtum facit & gratum Principibus, præbet divitias, uxores morigeras, hæreditates rerum immobilium, pulchras domos, facit laudabilem etiam poſt mortem.	Dat lætitiam de filiis, amabit delicias, convivia, ornamenta veſtium: præbet generandi fœcunditatem. Facit comem, pium, facundum, ſed & ludis ac choreis addictum.	Indicat ſpolia à ſervis, morbos à mulieribus, impotentiam ex debilitate rerum, confert ſanitatem. Si mulier, laborabit in partu. In domo propriâ vel exaltatione valdè ſanum facit & fortunatum.
☿	Confert bonam memoriam & ſubtilitatem in artificiis, omnigenam doctrinam. Infortunatus addicit agriculturæ, ædificiis & avaritiæ.	Multa negotia ex literis ſignificat. Natus erit pugil, dimicator, jaculator, eques, legatus, cupidus ad videndum mundum, addictus conviviis, deliciis, muſicæ, agilis manibus. Negotiator matutinus, fœcundus erit in ſobole, veſpertinus, erit prodigus.	Indicat deceptionem & ſpoliationem per mulieres ob intemperantiam, malam memoriam, laſciviam, inſipientiam, defectum à fide, cum ♂ vel ♄ periculum vitæ à ſervis, veneno, mortem in carcere.
☽	Indicat proſperitatem cum matre, & circà aquatica, ut molendina. Notat agriculturæ deditum, ædificiis, ac opibus augendis.	Inſtabilitatem indicat: habebit bona nova à longinquis. Erit deditus itineribus. Fiet legatus reipublicæ. Accipiet dona à populo & Nobilibus. Erit deditus conviviis, multâ gaudebit prole.	Notat lucrum ex animalibus, multas infirmitates, defectum cerebri. Indicat rixas & contentiones cum conſanguineis, negotia cum plebeis, inimicitias cum muliere. Si ☽ fuerit fortunata, erit ſanus benè valens.

Significationes Planetarum in domiciliis infrà scriptis.

Quarta Meridionalis, Descendens juvenilis fœminina cholerica æstiva.

Planetæ	Domus VII. Cardo Occidentis.	Domus VIII. Succedens tertia.	Domus IX. Cadens tertia.
♄	Triste conjugium notat, & divortium aut malum finem. Minatur malam mortem in domo vel exalt. Dat potentes inimicos, & uxorem divitem. Matutinus dat opes summas in fine vitæ.	Notat avarum fœneratorem mali animi, spem affert hæreditatum cum radiis ♃ aut ♀ in domo, vel exalt. bonam mortem indicat ex longâ infirmitate.	Indicat errorem in fide, morbos, impedimenta, & damna in longinquis itineribus: indevotum hypocritam. Facit Philosophum bonum, sed maximum deceptorem.
♃	Indicat gaudia ab uxoribus, victoriam hostium, plura conjugia, bona & felicia. Senium felix, in ♊ immodicam tribuit corporis molem.	Dat longam vitam, facit honoratum, prodigum, habentem inimicos. Affert mortem lentam.	Indicat bonam ac firmam fidem, honestam vitam, devotionem, zelum, honores multos, gaudium ex peregrinatione.
♂	Notat angustias, calamitates, labores, bellum, damnum & perturbationem in omnibus. Brevem vitam, malam conscientiam & damnum ex injustè partis. Occidente ♂ primogenitus morte violentâ perit, nisi tamen sit in domo suâ.	Affert plerumque malam mortem, vulnera in manibus & pedibus, turpitudinem, contemptum, paupertatem, amissionem bonorum. In domo propriâ vel exalt. magnas largitur divitias, sed cum rixis & litibus.	Indicat amorem equorum, bellorum & vini, infidelitatem, incontinentiam, audaciam. In domo vel exaltat. facit fortunatum præfectum reip. aut belli Ducem, cum periculis tamen in itinere.
☉	Indicat contrarietatem à potentibus, honores in senio, dolores oculorum, membra tremula, cum radiis ♂ aut ♄ vitia maxima & ægritudines.	Indicat spoliationem bonorum, malum interitum ex negotiis Magnatum, cum radiis ♂ aut ♄ in signo aqueo minatur mortem per aquam: in igneo per ignem & ferrum, in terreo per ruinam terræ, in aëreo per suspendium.	Indicat magnas prælaturas, erit bonæ fidei, timebit Deum, honoratus erit in longis itineribus. In ♈ ♌ vel ♐ maximas confert dignitates Ecclesiasticas, dat vim prædicandi, zelum Dei.
♀	Indicat plures nuptias, dat senectam felicem, bona à mulieribus & successum in rebus optatis.	Dat divitias, longam vitam, & bonam mortem. Ducet uxorem viduam, degenerem, deformem, aut nullam.	Notat bonam fidem, prosperitatem in longis itineribus, efficit Prælatum honoratum, laudatum, abhorrebit à nuptiis.
☿	Notat gravia vitia, lasciviam, multas afflictiones, compotatorem, contentiones cum mulieribus, potentes inimicos, damnationem à judicio, & mortem propter justitiam.	Significat inimicitias vicinorum, augmentum substantiæ, peritiam in artificiis; infortunia ab inimicis. In domo suâ vel exaltatione cum radiis ♀ aut ♃ spondet divitias.	Indicat modestiam, disciplinam, scientiam & experientiam multarum rerum occultarum. Lucra magna cum radiis ♃ aut ♀ In rebus Ecclesiasticis fortunam confert.
☽	Spondet bona à mulieribus. ☽ fortunata dat honestam uxorem, senium honoratum. Aliàs laborabit incommodis. Tardè nubet.	Notat depositionem ab officio, fugitivam vitam, morbos, angustias, minatur carcerem, facilè mergetur aquis. Infortunata facit Lunaticum, vitæ brevis, fortunata ditat, & longam præstat vitam.	Amantem facit itinerum, à dignitate aliquandò cadet bono loco. Facit magnum in fide & Religione. Pro ratione signorum confert alia bona.

Signifi-

Significationes Planetarum in domiciliis infrà scriptis.

Quarta Orientalis Ascendens puerilis masculina sanguinea, verna.

Planetæ	*Domus X. Cardo medii Cœli.*	*Domus XI. Succedens quarta.*	*Domus XII. Cadens quarta.*
♄	Honores retardat ultrà 31 annos notat mœrores, pigritiam, pericula varia. In senectute concedit statum meliorem. In diurnâ geniturâ divitias & magnorum artificiorum exercitia confert. In noct. carcerem minatur.	Impedit rerum progressum, negat gaudia, modicas spes præbet, dat amicitiam cum Villanis & Judæis.	Summam indicat improbitatem, multas angustias, pericula ab inimicis. Infortunia in animalibus minatur carceres, exilium, habebit impedimenta à Magnate, capietur ab inimicis, fraudabitur à servis.
♃	Divitias & dignitates spondet, specialiter ab Ecclesiasticis. Facit felices ætate mediâ. In die natus obnoxius erit infamiæ libidinis. De nocte verò honestos tribuit mores cum jacturâ patrimonii.	Dat divitias, honores, & fortunam in omnibus, multos amicos & eorum fidem, felices successus ex parte amicorum, & profectum in omni re.	Adducit servitutem & tristitiam à servis, reddit tamen inimicis superiorem. Carceres tribuit. In Exaltatione tamen notat omnia his contraria.
♂	Indicat tristitiam, bella, adversitates, egestatem, captivitatem à potentibus, maximè extrà domum, aut exaltat. Secùs validum facit in armis, fortunat in bello, mortem affert inopinatam in terris exteris.	Indicat jacturam patrimonii & substantiæ, amicitiam cum militibus, honores in bello & armis. Infelices successus in rebus speratis.	Tribuit morbos, damna ex hostibus, servis & vilibus aliis, angustias cum difficultate sustentationis. Infortunia varia, vulnera in pedibus, minatur carceres, & in diurnâ geniturâ hæc sæviùs, quàm nocturnâ indicat.
☉	Confert magnã gloriam, dignitates, prælaturas, in ♈ vel ♌ spondet dominatus, divitias, potentiam ultrà conditionem.	Dat gaudia & auxilia ab amicis, filiis, servis, fortunam parentum, honestum & clarum nomen, gratiam & benevolentiam.	Notat inimicitias Magnatum, minatur carceres & exilium, minuit substantiam & honores, infortunia dat à servis, & vilibus, reddit ignobilem.
♀	Indicat honores, gratiam & amorem à Magnatibus, divitias, longam vitam, posteriorem tamen meliorem. In artibus mirabilem, & in cunctis rebus gerendis fortunatum.	Notat fortunam ab amicis, sodalibus, fidelitatem à servis, multas opes in fine vitæ. Juventam variam & in eâ fluxam fortunam. Cum radiis ♂ aut ♄ facit infœcundos, illicitè lascivientes.	Facit fortunatum ex aquis & similibus, molestat autem à malis mulieribus & malo matrimonio. Notat perpetuam sollicitudinem. Nata puella notoriè infamis erit.
☿	Fortunatum facit in Scripturis, mercaturis, Mathesi, laudatum ab omnibus ob artes & virtutes.	Ingeniosum facit, prudentem, omnia perficientem. Dat amicitiam multorum, fortunam in perdiscendis variis scientiis, artibus & rebus occultis.	Sapientem facit Philosophum, & valdè artificiosum, levem tamen ingenio, publica & ardua negotia affectantem, plures habebit inimicos.
☽	Notat divitias, officia, & honores, amorem ad res pulchras, in juventute fortunam variam, multos filios, prosperitatem in omnibus.	Gaudium confert ex amicis, impletionem omnis spei, lætitiam & honores, ac utilitatem à magnis Viris: habebit multos filios.	Notat impedimeta ab inimicis, minatur carcerem & exilium, maximè si infortunata sit. Combusta & conjuncta cum ☉ ♄ ♂ infinita indicat infortunia, brevem vitam. Fortunata mitigat omnia.

§. IV.

Natura Stellarum quarundam fixarum ex diversis Astrologis collecta pro Genituris, & Nativitatibus.

1. Figuræ imprimis in cœlo fortes sunt Orion, Ursa major, Canis major, & Leo; in temporum verò mutationibus Auriga.

2. Stellæ regiæ Luminaribus, aut significationibus beneficis permixtæ maximam dignitatis & splendoris præstantiam decernunt.

3. Eædem vel solæ præcipuos angulos possidentes efficiunt magnos; sed nisi à beneficis sustententur, gravissimo lapsu casuros indicant.

4. Significatores juxtà distantiam 5 Graduum antè vel post juncti Stellis regiis primæ vel secundæ magnitudinis, quæ parùm distant ab Eclipticâ, decernunt maximos honores & eximiam præstantiam dignitatis. Tales autem Stellæ sunt Caput Medusæ, Oculus Tauri, Hercules, Cor Leonis, Spica Virginis, Luminosior Lanx Australis, Cor Scorpii, Lucida Lyræ.

5. Qui habuerit Lunam cum Regulo, erit fortis, sapiens, & benè fortunatus: quod etiam pluribus aliis ex regiis proprium volunt.

6. Cui ascenderit Cingulum Orionis, is doctrina & studiis egregiis multos superabit.

7. Qui Lunam aut Solem habuerit cum Scorpii corde in genitura, suprà vires audax erit, & in oculis aliquid præter aliorum formam habebit, periculis quidem vitæ pluribus, ac fortibus subjicietur, magnus tamen evadet. Similia ferè Palilitio tribuunt.

8. Cor Scorpii cum Lunâ bono loco collocatum natum potentem facit, & Regibus penè similem, sed invidiâ & indignatione Regum laborantem ad mortem penè.

9. Cor Leonis cum significationibus morum magnanimitatem confert, generositatem, & gravitatem in moribus.

10. Spica Virginis sedulitatem & gravitatem suavitate temperatam affert nato: Cor verò Scorpii atque Oculus Tauri cum significatoribus morum quandam violentiam & importunitatem tribuit.

11. Fidicula in secundâ domo, vel Jovi aut Veneri aut forti permixta immensas promittit divitias.

12. Dexter Humerus Orionis aut Auriga cum Jove, ut & Spica Virginis cum parte fortunæ amplam decernit fortunam & facultatum accessionem.

13. Qui Pegasum feliciter in Horoscopo positum habent, hi saltu facilè omnes superare dicuntur.

14. Saturnus in Arcturo rerum profligationem; cum Spicâ Virginis mendicitatem minatur.

15. Gorgonium sive Medusæ Caput cum parte fortunæ bonorum confiscationem, & facultatum dissipationem significat: cum Luminaribus capite truncandum minatur.

16. Quibus Delphinus culminat, variâ fortunâ & præcipiti fato aguntur: quibus descendit, submersionem minatur.

17. Utrumque Luminare cum stellis fixis violentis intrà distantiam quinque Grad. ab Eclipticâ, mortem violentam minitatur.

18. Hercules cum Marte, violentiâ grassatorum: cum Saturno, telo aut globo tormentario interimendum significat.

19. Palilicium cum Saturno submersionis minatur pericula urinando, aut casu, aut cum Marte naufragio aut tempestate interiturum indicat.

20. Mars cum Orionis humero dextro ascendens calamitosum exitum Nato aut fulminis afflatu, aut igne bombardario interimendum minatur.

21. Cui caput Algol infortunatur, accidet capitis periculum: Si verò fortunatur, acquiret jus gladii suprà alios.

22. Lucida Hydræ cum Anareta & Scorpii Cor cum Luminaribus à veneno periculum notat: uti & Lucida Corona Gnosiæ cum Domino octavæ domûs à locis periculosis intoxicandum minatur.

23. Qui sub Pleiadibus in Occidente cum radiis malesicorum nati fuerint, naufragio pereundos notat. Quod si benevolæ stellæ cum malevolis hunc eundem locum respexerint, mortem ex Veneris castris, aut ex nimio cibo potuq; inter epulas decernunt. Quod si Pleiades cum Lunâ etiam Martis radiis affligantur, seditione & vulgi insaniâ opprimendos indicant, & tales plerumq; etiam cœcutiunt.

24. Aculeus Scorpii cum Domino Genituræ potatione suffocandum præsagit.

25. Succulæ cum Saturno præcipites devolvunt, aut lapidibus obruunt cum multis clade generali pessundandos.

26. Mars cum Cane majore & cum Humero dextro Orionis Horoscopo occurrens publicam lætitiam funestat, vel oblæso aliquo in hastiludiis, aut hastarum concursu perempto. Eadem Saturnus cum eodem Cane ex hostium insidiis, aut subito incursu minatur.

27. Caput Serpentarii cum Lunâ, vel Domino Ascendentis violentam decernit mortem, & malum animum ac infidum.

28. Luna cum stellis, quæ sunt in aquâ Aquarii, & sunt à quartâ Piscium parte ad decimam, vel cum aliâ constellatione de naturâ Saturni, facit stultos.

29. Quæ sunt in collo Tauri cum Venere vel Sole, suave eloquium præstant, & gratiam condendi carmina, & authoritatem augent.

30. Venus cum Scorpii corde facit Musicos præclaros aut Poëtas; Idem cum sideribus, quæ sunt de naturâ Jovis & Martis insignibus.

31. Luna cum capite Algol Biothanatos facit: Idem cum dextro latere Persei, cum pede vel cingulo Orionis, vel cum luminosiore Lancis Borealis, vel cum crure, vel dorso Pegasi, vel juncta corpore cum sequenti de duabus, quæ sunt in caudâ Capricorni. Hæc & plura alia reperiuntur apud *Cardanum, Gauricum, Stadium, Maternum, Ranzovium, Junctinum* & alios; quæ retulisse sufficiat. Pro pleniori tantùm vanitatum Astrologicarum cognitione addere lubet adhuc 12 signorum cœlestium significationes in quatuor cœli cardinibus juxtà Astrologorum commenta, quæ ità se habent.

Signi-

Significationes 12. Signorum cœleſtium in quatuor Cardinibus Cœli.

Horoſcopus ſivè Cardo Orientis.	*Culmen ſivè Medium Cœli.*	*Cardo Occidentis*	*Imum Cœlum.*
♈	♑	♎	♋
Natus erit juventâ floridus. Orbus fratribus uſquè ad unum. Hæreditas erit mutabilis. Doloribus capitis laborabit.	Honores, facultates, ſumptus magni, Eminentia. Arcana Religionis. Verſutia ingenii.	Vita & mores Aulici. Fortuna inconſtans. Ex invidiâ deijcitur & deſpicitur.	Regreſſus & elevatio ad honores priſtinos.
♉	♒	♏	♌
Labores, anxietas & cura circa opes. Facultates nunc amplæ, nunc tenues. Fortunatus. Hoſtium ſuorum triumphator.	AcceptusPrincipibus actibus & officiis publicis præſtitutus, negotia potiſſimùm ex aquis.	Cordatus, officioſus. maſculus. Amittet uxorem: & ſi mulier, viro privabitur.	Patrimonium vendicabit, quod etiam non obſtantibus agnatorum conatibus conſequetur.
♊	♓	♐	♍
Fortunatus, proſper â parentibus, fratribus, cognatis, amicis.	Vita ex humidis & aquoſis. Stipendium â Principe, aut civitate.	Diſtractus curis & ſollicitudinibus ob fratres, aut propinquos. Diu exul.	Idem promittit quod ♐ in occidente, ſed cum temporum varietate juxta conditionem incommodorum.
♋	♈	♑	♎
Acris ingenio, quamvis nonnihil tardo. ſuavis. Placidus, quietus. Fortis. Moderatus. Gravis infirmitas aut mors violenta.	GratusPrincipibus & Magnatibus, bonarum rerum ſtudioſus, ſimul & diſſipans & recuperans patrimonium.	Infamia notabilis, quam tamen diluet poſt multa infortunia. Abſconditorum & arcanorum perveſtigator cum labore.	Sollicitudines & dolores crebri. Facultatum diſſipatio & recuperatio. Poſt caſum publicis functionibus popularibus, aut civilibus præficitur.
♌	♉	♒	♏
Implicantia circà negotia. Impertinentia, libertatis amator. ſervitutis oſor, aliis imperare cupiens.	Dux officiorum publicorum, vel dignitate potens. Felix in omnibus, exceptis conjugibus. Omnium pene peritus. Suſpectus Principibus.	Incommoda pariter & damna largitur.	Princeps quorundam negotiorum publicorum. Si ♂ in ☍ minatur carcerem aut mortem in locis peregrinis.
♍	♊	♓	♐
Abundè dives. Omnia percallens, nihil non explorans. Addictus tamen libidini.	Ingenioſus ad res arcanas perſcrutandas, danda præcepta aliis vivendi, præterea omnia quæ ♍ in Horoſcopo.	Confert venuſtatem, ingenuitatem, favorem & clementiam apud omnes. Confirmat ea, quæ ♍ in Horoſcopo.	Divorum gratia, felicitas, & rerum omnium copia. Filii. Regnum Sacrorum & agilitas ad hæc omnia gerenda.
♎	♋	♈	♑
Infirmitates, pericula, hoſtes, lites, ſed ſemper poſt adverſitates triumphus, confert dignitates, judicii ſinceritatem, felicitatem in omnibus, exceptis liberis.	In Religione vel loco ſacro ſtipendium confert. In Senectâ facultates, honores. Infelicitatem in liberis, niſi ♃ beneficis radiis adjuvet.	Ex aquis confert opes. Addit diſcrimina, profectiones longas, in deſerta loca, pericula cum Uxore, paſſiones maniacas. Phrenes in uſquè ad Senectam.	Turbationes plurimæ, rara tranquillitas, petulantia. Filius ex illicitâ aut ignobili.

Significationes 12. Signorum cœleſtium in quatuor Cardinibus Cœli.

Horoſcopus, ſive Cardo Orientis.	*Culmen, ſive Medium Cœli.*	*Cardo Occidentis.*	*Imum Cœlum.*
♏	♌	♉	
Iracundia; mordax clam lingua. Divitiæ, fluctuatio in variis periculis uſquè ad deſperationem. Sequitur tandem tranquillitas, adductio honorum. Liberorum copia.	Fortitudo in adverſis: adductio tandem honorum & dignitatum.	Opprimit hoſtes clam vel palàm. Infamis â Laſcivia. Patrimonium nunc locupletat, nunc diſpergit.	Benefacit ingratis, pericula habebit in aquis.
♐	♍	♊	♓
Varia & multa pericula affectus ad peregrinandum, adeunda maria aut magnos fluvios: ingenium ad optimas diſciplinas.	Ingratis beneficus. Fortunatus ex ingenio. Potens fit atquè aliis præeſt dignitate.	Arcanarum rerum præſes.	Fidelis, ſanguine aut ingenuitate nobilis. Ex humidis locis obtinet ſubſidia.
♑	♎	♋	♈
Lætus, amabilis, fidus ſed & ſubdolus. Timidus, laſcivus. Alienæ vitæ ſecretus cenſor.	Lucrum ex alienis damnis & morte aliorum. Honeſtus, pius, acceptus, eloquens, eruditus.	Innumera habet pericula, amicos etiam infenſos.	Fluctuabunt illi omnia, ſubſtantia, dignitas, officia, eritque in fortunâ planè inconſtans.
♒	♏	♌	♉
Moderatè dives, hoſpitalis, munificus, prodigus, artium meliorum amans, gratus potentibus, conjicitur in pericula.	Vita dura tetrica, infelix in Uxoribus. Affectus ad itinera. Bonorum virorum ſuffragjis ex malis extricatur.	Infelix in mulieribus inimicis ac domeſticis.	Vitam ſpondet longam. Gloriæ & pompæ addictus eſt.
♓	♐	♍	♊
Ingenioſus, cordatus, audax, fidus, amabilis, paulatim ſublimatur.	Multa pericula, errores multi; alioquin ſubtilis, qui potentibus lites moveat, poſſidebit non ſua.	Cordatus, hoſpitalis, tenens ſecreta. Oeconomus immodicè amans uxoris, â qua tamen non amatur. Beneficus ingratis.	Vitio laborabit ſibi tantùm noto. Subſtantiam amiſſam recuperabit. Adverſâ valetudine laborabit. Morietur extrà Patriam ſubitò aut improviſò.

CAPUT VIII.

Exempla prædictionum Astrologicarum ex inspectis Genituris cum secutis eventibus.

Augusti Imperatoris genitura.



MEmorante *Sabellico lib. 8. En. 6. ex Sueton. Augusti* Imperatoris ortus incidit in eum diem, quo de Catilinæ conjuratione in Curiâ agebatur: Illuc autem cum tardius *Octavius* Pater venisset, atque Uxoris puerperium pro excusatione retulisset, *P. Nigidius* natali horâ inspectâ affirmasse dicitur, Dominum terrarum orbi natum. *Theogenes* etiam Mathematicus aliquandò genituram *Augusti* videns: illum adoravit, illique Romanum Imperium portendi dixit, uti & assecutus est.

Mira de Tiberio Cæsare.

2. *Scribonius* Mathematicus *Liviæ Tiberii Cæsaris* Matri prædixit prægnanti, quod virum, non fœminam paritura esset, illumque regnaturum, verùm sinè diademate, ignotâ scilicet adhuc Cæsarum potestate. Multa deindè *de Tiberio* scribunt Authores, quomodo *Thrasyllus* Mathematicus de Imperii adeptione desperantem confirmârit, & ipse *Thrasyllus* idcirco in magno vitæ periculo fuerit constitutus: quomodo etiam Imperium deinde consecutus multos interfici jusserit explorato die & horâ, qua nati essent, cognitâ exindè eorum fortunâ & moribus. Didicerat enim cujusquè civis primarii fatum, ità ut *Galbæ* aliquandò obvianti dixerit: *Et tu aliquandò principatum degustabis;* cui verò propterea pepercisse dicitur, quod cognovisset modò in Senectute, & longo post suam mortem tempore esse regnaturum.

Domitiani Tyrannis circà genituras.

3. *Domitianus* exploratis diebus, & horis, in quibus Principes viri nati essent plerosquè sustulit, ut Tiberius etiam, qui Regiam Genesin haberent, atquè inter eos & *Melum Pompejanum. Nerva* verò vix mortem evasit, ideò quod ab Astrologis *Domitiano* delatus sit, imperatoriam habere genesin. Cum autem unus ex illis affirmaret, eum non diu victurum, evasit. His tandem prædictionibus respondit eventus: *Nerva* enim paulò post Imperator factus tantùm 13 menses ac 10 dies in Imperio vixit.

Quæ Heliogabalo prædicta.

4. Scribit *Lampridius*, prædictum *Heliogabalo*, ipsum violenta morte interiturum, eò quòd natus esset tempore, quo Luna se applicuerit Saturno deficiens lumine: Undè Biothanati nascerentur: quod etiam sic accidit.

Severus Imper: judicat ex genituris.

5. Didicit à Mathematicis in Africâ *Severus Imperator*, quæ sibi essent eventura, antequàm ad imperium perveniret: & exindè etiam Mathematum excultus disciplinis, primâ conjuge Martiâ è vivis sublatâ, aliam ducere noluit, quam *Juliam*, quod sola ex multis oblata regiam haberet genesin.

De Nerone præsagium.

6. Cum manè ante Solis ortum *Nero* in lucem fuisset editus, Astrologus quidam inspecto siderum cursu statim edixit Hominem Romæ regnaturum, sed Matrem occisurum. Quod cum *Agrippina* Mater intellexisset: *Interficiat*, inquit, *modò imperet.* Eventus Astrologum vera prædixisse declaravit, ut *Xiphilinus in Nerone* narrat.

Eudoxia ex genitura elevatio.

7. *Leo*, sivè *Leontius* Atheniensis Philosophus filiam suam *Athenaidem* magnæ cujusdam fortunæ compotem fore ex arte colligens, ut memorat *Zonaras*, illi tantum centum florenos legavit, additâ causâ, quod fortuna illi suffectura esset opus, reliqua bona filiis reliquit. Illa dolens Imperatori per *Pulcheriam* sororem talia conquesta est, cui ità placuit, ut ad connubium ejus pervenerit, conjuxque *Theodosii Valentiniani* facta, baptizata & *Eudoxia* nominata sit.

Michaëlis Trauli evectio.

8. *Michaël Traulus* edoctus ex genitura suâ Imperium sibi promitti, *Leoni* Imperatori adhæsit, quo occiso Prætorianorum armis ad Imperium Orientis subvectus fuit.

Mors prædicta filio Constantis imperatoris.

9. *Constantis* Imp. Pater, ut refert *Zonaras & Pomponius Lætus*, jussit, ut Astrologi Infantis *Constantis* scilicet recens nati thema natalitium constituerent, quo facto inter alia prædixerunt, eum in sinu aulæ Helenæ interfectum iri. At mortuâ Helena etsi *Constans* prædicta eluderet, nihilominus eventus secutus est; nam in Oppido, cui de Reginæ nomine factum erat nomen *Helenæ* interfectus est; qui proindè vitam sic uti petulantem egerat, ità etiam miserabilem sortitus est exitum.

Prædictio evectionis Ablabi ab Ægyptio facta.

10. Memorat *Eunapius in vitâ Ædesii* de Ægyptio quodam è tractu Mendesio, quod *Constantinopolim* veniens cauponam ingressus sit, ubi dum Cauponaria obstetrix simul Ægyptio vinum propinasset, mox è viciniâ occurrens alia mulier in aurem dixerit, affinem suam de Salute periclitari tertio jam nixu, nisi ocyus succurratur. Illa igitur relicto Ægyptio puerperam accessit, & à partu feliciter liberavit: cùm deindè ad Ægyptium reversa, moræ suæ causam retulisset: ille peritus Astrologiæ confestim tempus diei, & horam observans, palàm edixit: *Abi mulier, & puerperæ dicito, quod tantùm non Imperatorem enixa sit*, hocque elocutus pleno poculo se proluit, nomenque sum mulieri indicavit. Nato infanti nomen fuit *Ablabis*, qui usquè adeò pila & ludus fortunæ extitit, ut sub *Constantino Magno* præfectus prætorio Imperatore plus potuerit.

11. *In Magni Sforziæ* genitura, referente *Jovio* in vitâ ejus, Mathematici præcellentem siderum posituram, aspectusque mirabiles conspicati, ei magnum imperium, immortalem gloriam, felicemque sobolem prædixerunt: idq; demùm subjunxerunt, eum nequaquam exactâ ætate & morte quidem repentinâ periturum.

Leonis X. Papatus ex Genesi prædictus.

12. *Marsilium Ficinum* eximiæ peritiæ Astrologum *Leoni X.* Pontifici Max. ex fortunatâ & regiâ Genesi visâ eidem, cum adhuc

huc Puer esset, nec planè Sacris initiatus, sacrorum Principatum prædixisse memorat idem *Jovius in Leone X. libro tertio.*

Hadrianus VI. ex genesi assecurat sibi Pontificatum.

13. Mirabile planè est, quod de *Hadriano VI.* Pont. Idem *Jovius* narrat his verbis. Cum per literas à Gerundensi Episcopo conscriptas in Hispaniam perlatum esset *Hadrianum* Derthusensem Episcopum Pontificem esse renuntiatum, & tamen tredecim dierum Spatio nihil ad confirmandam tantæ rei famam penitus adferretur: jam de ea re plerique dubitare cœperant, quasi Galli hostes fictitiis litteris ad elevandam hominis dignitatem id commenti essent. Cœterùm ipse *Hadrianus* ea omnia de se, uti Romæ acta erant, ab initio constantissimè credidit, sivè ab oraculis fatidicarum Virginum edoctus, quæ tanto rerum eventu promissis fidem attulissent; sivè exactissima siderum scientia, quâ plurimùm juvenis oblectabatur, in opinione confirmatus: cùm in genitura à sede Planetarum admodùm felici Stella etiam eximiæ magnitudinis in Horoscopo ad ipsam finitoris lineam præclarâ summæ fortunæ denunciatione præfulgeret: adeò ut Acredio Medico anxiè nimis, & tristi fronte tantæ moræ spacium per singulos dies supputanti, dicere non dubitârit, ut in spe conceptâ permaneret, neque amplius eo literarum desiderio torqueretur: Se enim creatum esse Pontificem, & brevi fore, ut ab ipso in sede Principis Apostolorum in Urbe Româ sub solenni illâ tiarâ conspiceretur.

Marcellus II ob Genesin Pontificatum sperat.

14. Notant *Panvinius & Garimbertus lib. 4. quod Marcelli II.* Pontificis Pater *Richardus Cervinus* animadverso Stellarum cursu, qui tum erat, cùm nasceretur: ex earum conjunctione, uti erat ejus artis peritus, Summum Sacrorum Principatum Filio prædixerit: qui quidem persuasioni suæ tantum indulsit, ut cùm post multos annos demùm à civibus suis *Montesano*, oppido agri Piceni, ad Filii ætatis jam grandis nuptias incitaretur, constanter recusârit, clarissimum vitæ statum, quem illi astra portenderent, illis vinculis impediri asserens.

Emanuel Commenus Astrologiæ peritus.

15. *Emanuel Commenus Imp. Constantinop.* Astrologiæ peritissimus multos sibi & Imperii annos spopondit. Annis vixit 60. imperavit 38. Et scribit *Nicetas*, cum Emanuelis Conjux Imperatrix partui vicina esset, suâ præsentiâ Imperator conjugem sublevavit, & solatus est: magis tamen in Stellas, & punctum edendi fœtûs animo intentus. Nato autem filio, cui nomen *Alexius*, prædixerunt Astrologi, eum divitem fore atquè Unigenitum, & paterni Imperii Successorem, quod etiam evenit.

Prædictiones Jagelloni de filiis natis factæ.

16. *Uladislao* Jagelloni Polonorum Regi *Sophia* Uxor *Uladislaum, & Andream Casimirum* Filios peperit. Erat *Cracoviæ Henricus* Boëmus insignis Astrologus: hic infantem recens natum longævum, sed infelicem fore, Poloniamque multis ac magnis malis, calamitatibusque eo regnante afflictum iri, ex astris prædixit. Patrem verò ejus *Uladislaum* clarissimum atquè victoriosissimum futurum, & ni fata longiorem ei vitam inviderent, multis gentibus imperaturum. Quæ utraquè Eventus posteà comprobavit. *Uladislaus* enim Rex Poloniæ & Hungariæ creatus: ad Varnam à Turcis cæsus anno ætatis 20 præclaræ spei non satisfecit. *Casimirus* verò, qui fratri in Poloniæ regno successit, regnavit annis 45, vixit 64, venationibus potiùs lituanicis, quàm Reipublicæ deditus ità *Cromerus lib. 19. & 29.*

Ferdinandi Davali genesis, & exinde judicia.

17. Narrat *Jovius in Piscario lib. I. Ferdinandi Davali Piscatii* Neapoli matre *Cardoniâ* nati genesin & prædictiones eidem à *Joviano Pontano* idcircò factas hoc modo. *Habuit in genesi*, inquit *circà Cœli verticem sidus Martis directo cursu suâ in sede constitutum, & quò felicius Victoriæ pararentur, salutaribus Jovis radiis delinitum: Undè Jovianus Pontanus suprà eloquentiæ laudem etiam sideralis scientiæ peritissimus: inspecto themate Victorias & lætissimos triumphos puero pollicitus est. Itidem etiam monens, ut faciem adversus vulnera diligentissimè præmuniret; quasi ex ferro Mars alioqui benignus honesto ori deformitatem, uti posteà evenit, manifestè minaretur.*

Mahometes II. Victoriosus.

18. Mahometes II. ejus nominis Turcarum Imperator, Astrorum insignis fuit observator, ità ut omnia acta, agendaque, ad eorum cursum, ac situm in Cœlo institueret, & referret, teste *Marin. Buclero.* Undè factum, ut duo Imperia, Constantinopolitanum, & Trapezuntinum subegerit, Regna duodecim rapuerit, urbes 200. occupaverit. Quemadmodum figura quoque ejus Nativitatis insignem felicitatem, & multiplices victorias designavit.

Suspendium præjudicatum ex genitura filii Joannis de Lignano.

19. *Joannes de Lignano* tempore *Martini V.* Papæ prævidens ex genitura, filium cruci affigendum, volensquè fatali geneseos dispositioni succurrere, eum sacris initiari, ac apprimè erudiri fecit: Sed ne sic quidem prædictionem evitavit. Nam cum eum Concives sui ad Martinum Papam ablegâssent, rediens domum propter legationem non fideliter tractatam de nocte à Magistratu Bononiensi suspensus est. Quem cùm elucescente die Pater pendentem vidisset, deplorans, inquit: *Eheu Fili mi! tu infelicissimum fatum nec humanis literarum adminiculis, nec divinis mysteriis superare valuisti.*

Strangulatio prædicta Hieron Savanarolæ.

20. *Bellantius lib 5. Responsionum suarum contrà Picum* hæc scribit: *Nec unum tacendum videtur: complures autem sunt Florentiæ testes fide dignissimi, quibus inspectâ Hieronymi Savanarolæ genitura quinquè antè ejus jacturam menses dum florebat, vitam laqueo terminaturum prædixi: Is quanquàm crematus, tamen priùs fuit strangulatus.*

Mors violenta prædicta Auriaco filio Guil. Nassovii.

21. Refert *Michael Eitzingerus*, Astrologum quendam, cùm *Guilielmus Nassovius Auriaci* Pater filiorum genituras eidem protulisset, & de singulis judicium exquisivisset, cùm tandem eam, quæ *Auriaci* esset, pervestigasset, dixisse: multa quidem eum moliturum, sed morte violentâ interiturum. Idem etiam *Cornelium Gemmam*, atque alios adhuc Astrologos prædixisse, Idem *Eitzingerus* memorat. Est autem Anno 1584. die 30 mensis Julii tribus plumbeis globulis è parvâ bombardâ à Nobili Burgundione

gundione *Balthasaro Serac* Aulæ suæ familiari emissis *Delfis* in Hollandia vita privatus, postquam Religionis Catholicæ desertor, caputque Hollandicæ rebellionis extitisset adversus suum Regem: ità ut *Cornelii Gemmæ* ac aliorum prædictioni eventus omninò respondisse deprehendatur.

Prædictio facta Henrico Regi, Poloniæ.

22. Prædixit *Junctinus* Henrico Poloniæ Regi, *Henrici* Gallorum Regis filio Anno Domini 1572. *in Tractatu de Stellis fixis*, cum haberet Canem minorem in Horoscopo, quæ stella Regna, & Imperia decernit, illum ad majora rerum culmina perventurum, antequàm Rex Franciæ esset factus: quod contigit Anno Dom. 1574.

Casus & indè mors inevitabilis Joannis Stoffleri.

23. *De Joanne Stofflero* insigni Astrologo narratur, quod ex genesi suâ cùm advertisset se certo quodam die â casu cujusdam rei infortunium, & mortis periculum subiturum: eodem die festivam instituit lætitiam cum viris, & amicis doctissimis: ubi cùm inter epulas controversia quædam mota fuisset, cupidus eandem ex libris suis dirimere, librum altiori loco collocatum, dùm manu prehendere & tollere voluit, casu factum est, ut asser, cui liber innixus loco suo motus, in caput præceps rueri & vulnus lethale inflixerit, unde & *Tubingæ* post aliquot dies è vivis sublatus fuit.

Valentini Nabod interitus.

24. De præstanti quodam Mathematico Patavìensi *Valentino Nabod* memorat Comes *de Flisco*, quod cùm ex figurâ suæ nativitatis collegisset periculum mortis sibi imminere, in consuetis ædibus clàm se continuit: cumque per aliquot menses ità latuisset, suspicio verò domûs Domino, qui eam *Valentino* elocârat, oborta est de clandestino in Germaniam discessu: obtentâ igitur â Magistratu licentiâ cum deputatis ministris eandem effregit; ubi mox ad ingressum invenit cadaver *Valentini* jam fœtens, multis vulneribus affectum, & fenestram quandam apertam, quæ argumentum præbuit peracti latrocinii ab iis, qui per eandem irruperunt, ac funus illud effecerunt.

Prævisa mors cujusdam Medico mirabiliter accidit.

25. Fuit quidam Medicinæ Doctor ejusquè publicus Professor, simulquè insignis Astrologus, ut refert *Erasmus Francisci in opere Germanico de Cœlo disc.* 23. qui dùm Convivis suis aliquandò incidente sermone de Genituris & earum Significationibus, suæ quoqè genituræ figuram portulisset, mox addidit, se juxtà natalitii Thematis sui posituram, si vera sint, quæ Astrologi de simili figurâ judicant, ultrà 14. dies vitam prorogare non posse. Verùm licet nihil se de genituris tenere palàm edixisset, factum tamen est, ut eo tempore evocatus ex urbe ad nobilem quandam personam infirmam, cum denùo redux in Rhedâ veheretur & equi repentè in pontis cujusdam transitu perterriti in undas præcipitium comminarentur: Saluti suæ consulens Rhedâ exilire contenderet, ex eâdem prolapsus, brachium sinistrum fregerit, cujus curationi verò dùm inflammatio lethalis accessisset, eum intrà breve tempus ab ipso prædictum è vivis sustulerit.

Chari prædictio mirabilis cuidam militi facta.

26. De nominatissimo quodam in Italiâ Astrologo *Chari* multæ circumferuntur Astrologicæ prædictiones, quibus sui responderunt eventus. Inter alias verò prædictiones memorabilis hæc est: dùm aliquandò Miles eum convenit, edicens ipsi diem & horam, in quâ natus fuisset, simulque manum expansam porrexit (quoniam & in chyromantiâ fuit peritissimus) huic tamen Astrologus nihil respondere voluit, donec comminationibus & convitiis in eum jactis tantum miles evicit, ut hæc ipsa verba reponeret: *Malo tacere, quàm tibi infortunium grande prædicere: Sin autem sapere & ducatum mihi largiri velis, â vitæ periculo te præservabo.* Ille subsannans & deridens Astrologum abiit. Eâdem verò adhuc die obortâ primum contentione intercommilitones, duo quidam se ad duellum mutuò provocarunt, quod ipse inhibere dùm voluit, accepto lethali ictu & ex eo vulnere eodem loco interemptus est.

Andreæ Dudithii mors ex horoscopo prædicta.

27. De *Andrea Dudithio* Episcopo *Quinque* Ecclesiis in Hungariâ narrat *Thuanus lib.* 96. *Hist.* quod binis diebus ante suum obitum ad *Joannem Pretorium* doctissimum in Altorffiana Universitate Professorem miserit literas, in quibus inter alia hæc meminit. *Eclipsis Lunæ 15. hujus mensis incidit in Aquarium, qui meus Horoscopus est: Si vera est Astrologia, mortem mihi affert, aut gravissimum aliquem morbum; Tu quid censes?* Vix literas hascè exaravit, & in morbum incidit, qui eum brevissimo temporis spatio è vivis sustulit.

28. Cùm Anno 1657. die 29. Maji *Venetiæ* ingenti perfunderentur lætitiâ ob denunciatam insignem Virtute strenuissimi Herois *Lazari Mozinego* in navali prælio de Turcis Victoriam, Illustris *Comes de Flisco* cupidus hujus egregii bellatoris genesin videre, eandem â Cognatis requisivit; sed cùm ab iisdem obtinere non potuisset, tandem ex aureâ matricula inscriptorum Patritiorum Venetorum annum & diem Nativitatis obtinuit. Undè mox Thema natalitium erigens, collegit, ac prædixit, eum non diu ampliùs victurum, & improvisò ex casu quodam ab alto occubiturum, uti & contigit. Nam ulteriùs strenuo fervore Turcas insequens cùm in navis suæ pyrium pulverem globus Turcicus illapsus eandem incendisset, â malo ex improviso corruente oppressus tandem occubuit.

CAPUT IX.

Mirabilium aliarum quarundam prædictionum Astrologicarum Exempla quoad varios casus humanos cum secutis eventibus.

Domitiani sævities in Astrologum.



Ascletarium Mathematicus ad *Domitianum* Imper. delatus est, quod de ejus exitu prædicere quædam esset ausus. Domitianus id intelligens, eum ad se adductum sic fuit affatus: *Dicas mihi oportet, quis te tandem maneat exitus?* affirmantem illum, fore ut breviter laceraretur à canibus. Ad eluendam scientiæ fidem, confestim interfici jussit, corpusquè accuratissimè cremari, sepelirique cineres. Verùm densus imber cœlo dejectus medio rogum ministerio restinxit, cadaverque semiustum à bustuariis relictum, qui in opertum refugerunt, canum superventu cœptum est lacerari. Id ei cœnanti *cum Latinus* Mimus inter cæteras ejus diei fabulas enarraret, ità commotus est, ut jam indè vitæ diffisus, omnib' viveret casibus obnoxius. *Sabell. lib. 4. En. 7. ex Suetonio.*

Nicolai Pragensis Vaticinium.

2. *Ladislao* Hungariæ & Bohemiæ Rege *Magdalenam Caroli VII.* Gallorum Regis filiam ducturo, insigni pompa Equestrium, pedestriumque copiarum Pragam adventante, Nicolaus quidam Astrologiæ divinatricis scientiâ apprimè excultus malè faustum ingressum, planeque Stellæ crinitæ Regibus horrendæ, quæ eodem anno apparuit, congruentem prænuntiavit: Quod Vaticinium paucis curæ fuit, à pluribus derisum & plenum vanitate judicatum; sed exitus fidem prædictioni fecit. Nam vix *Parisios* legati ad educendam sponsam missi pervenerant, cum Rex ætate florente incertâ de causâ intra biduum extinctus fuit. *Dubravius lib. 29. Hist. Bohem.*

Cocles in suam perniciem vatidicus.

3. *Bartholomæus Cocles* Bononiensis prædixerat *Copono* cuidam, quod brevi sceleſtus homicida futurus esset. Similiter & *Hermeti* Tyranni filio futurum, ut exul in acie cæderetur. *Hermes* igitur fatali metu perculsus *Copono* clàm imperat, ut *Coclitem* secretò interficiat. Præviderat necis discrimen *Cocles*: ideò secretâ galeâ caput muniêrat, ingenti gladio etiam, quem peritissimè ambabus manibus regebat, semper accinctus. Verùm à *Copono* bajuli habitu personato, dùm feræ ostii calculo injecto præpeditæ clavem insereret adactâ in occipitium securi interfectus est: nullam aliam patrati facinoris causam afferente *Copono*, quàm quod ipse *Cocles* brevi homicidam futurum asseruisset. Ita *Jovius in Elogiis.*

Obitus prædictus Catharinæ Mediceæ Reginæ Galliæ.

4. Astrologus quidam, ut *P. De Chales* memorat in Astrologia, *Catharinæ Mediceæ* Reginæ Galliæ prædixit fore, ut ad S. *Germani* moreretur, ideoque & S. *Germani* Ecclesiam vix adibat, nec nisi raro ad S. *Germani* oppidum veniebat, nec diu etiam ibi morabatur. Mortua tamen est *Blesis.* Ne tamen falsa esset Astrologi prædictio, is qui morienti Reginæ adfuit, Abbas nominabatur *Julianus à S. Germano.*

Mors in rotâ Nobili Lotharingo prædicta.

5. Nobili cuidam Lotharingo, ut idem ibidem refert, prædixerat Astrologus fore ut moreretur super rotam. Voces indicabant supplicium consuetum: Is tamen vulneratus fuit vulnere accepto: casu tamen accidit, ut cùm in tentorium deferretur, cum servi eum viderent animam agere, rotæ cuidam, quæ casu ibidem inventa est, imposuerunt, ubi & animam efflavit.

Victoria cum vulnere Guidoni prædicta.

6. Obsidebant Galli *Forumlivii Martino IV.* militantes, *Guidonis Appii* ductu, eo tempore, quo Siculi Gallicas Vesperas celebravêre & Aragonios recepêre. *Guido Bonatus* Foroliviensis Astrologorum Princeps *Guidoni Montis Ferrati* Comiti primo Cal. Majas eruptionis faciendæ præter omnium exspectationem auctor fuit, certam victoriam Comiti cum vulnere coxendicis prædicens: atquè ut medicæ artis peritus erat, ova cum stuppis & enæmis aliis ad obligandum vulnus secum tulit. Nec præsagio defuit Eventus Gallis ad internecionem deletis. *Platina in Martino IV. Blondus lib. 8. Dec. 2. Fulgos lib. 8. cap. 11.*

Captura Jo. Galeatio prædicta.

7. Constituerat *Barnabas* Vice Comes Mediolanensis *Joannem Galeatium* per insidias suo privare dominatu. Eum vates domesticus cognomento Medicina monuit, ut Nonas Majas eo anno trium siderum coitu infaustas caveret. Captus deindè est eo ipso die à *Joan. Galeatio*, cui ipse insidias struxerat. *Jovius in Barnaba.*

Philippus Valesius infeliciter dimicans cum Eduardo Angliæ Rege.

8. *Robertus* Siciliæ Rex in Astrologiâ adeò diligenter & peritè versatus fuit, ut quidquid adversi, vel secundi astra portenderent, certissimè denuntiaret. *Philippum Valesium* Franciæ Regem missis ad eum literis sedulò admonuit, ut cum *Eduardo III.* qui tunc Anglis imperabat, nequaquàm collatis signis, si præsens esset, dimicaret: inspectâ enim ejus geniturâ & diligenter examinatâ fortunatum illum in rebus bellicis fore se cognovisse: & de Gallis potissimùm insignes Victorias, si in aciem cum eis descenderet, reportaturum. Nec illa prædictio falsa fuit; nam post aliquot annos in *Picardiâ cum Eduardo* confligere ausus *Philippus*, licet copiarum numero longè superior esset, luctuosam admodùm & Galliæ calamitosam accepit cladem, quandoquidem è suis triginta millia eo in prælio desideravit, & ipse fugâ periculum vix evasit.

Muleasses mirabiliter ab Astrologiâ deceptus fuit.

9. *Muleasses* Rex Tunetanus Astrologiæ peritissimus fatali astrorum influxu amittendi Regni & sævæ necis cladem sibi cùm divinâsset, ac *Barbarossam Bizantii* classem parare audivisset, eam adversùs se parari credidit, & ut periculum evaderet, Africâ excedens in Italiam, ut *Carolum* Cæsarem alloqueretur, & auxilia contra Turcas, quos ad se oppugnandum venturos putabat, impetraret, trajecit, commisso Æmidæ filio regni administratione, qui ut perfidus, & in gra-

tus

tus Regis nomen assumpsit, & adveniente m posteà patrem captum excoecavit: ità judicio suo deceptus *Muleasses*, cùm Vaticinium perperam interpretaretur, in maximam calamitatem nihil aberrantibus fatis incidit. Ita *Jovius*.

Vitellio vera ab Astrologis prædicta.

10. *Vitellius* referente *Suetonio*, Astrologos se Imperatorem futurum affirmantes irrisit, existimans nequaquàm se tanti fore. At idem cùm Imperator factus Astrologos expelleret ex urbe, ediceretque, ut intrà certum diem ex Italiâ discederent: Astrologi contrà in tabulis diem de nocte præscribunt intrà quem excessurus esset è vivis; quod etiam sic accidit.

Leontii è carcere ad regnum progressus.

11. *Paulus Monachus*, ut memorat *Zonaras*, insignis Astrologus, *Leontio* imperium promiserat; Astrologo in Sententiâ permanente; Leontius tandem perfracto carcere ad Imperium pervenit, quod ultra tres annos administravit.

Exemplum mirabile de Duce Mediolanensi Galeatio & Astrologo.

12. *Bartholomæus Chassanæus* audivit, ut ipse narrat *Mediolani*, quod eximius Astrologus dixisset Duci Mediolanensi *Galeatio Mariæ* Vice Comiti, ipsum ex vulnere periturum, quod esset ei proprius Vasallus inflicturus. Astrologus interrogatus à Duce, quo mortis genere esset ipse moriturus: qui cùm respondisset, se in publico interemptum iri ex trabe ligni cadente. Dux irâ accensus ipsum mox decollari jussit, ut ex rei eventu cerneret, Astrologicam artem esse falsam. Cùm interim pararetur locus & campana solito more pulsaretur populusque concurrisset, & ipse traditus executori, ad locum supplicii deduceretur, exeundo Palatium sub portâ magna, quæ est antè Ecclesiam Cathedralem, cecidit turris, quæ dictum Astrologum cum aliis interfecit. Dux autem Mediolanensium in Festo S. Stephani, & in Ecclesiâ ipsi Sancto dicatâ Mediolani Universo adstante populo, & Ipsius Aulicis interfectus est à proprio Vasallo; & sic prædictio Astrologi de proprio exitu & de morte Principis vera fuit. Hanc Historiam refert etiam *Alexander ab Angelis lib. 4.* in *Astrologos*.

Rudolpho Habspurgensi imperium prædictum.

13. *Friderici* Imperatoris Astrologus ab eo interrogatus, cur tantum honoris *Rudolpho Habspurgensi* Comiti pauperi in aulâ sua tunc versanti exhiberet, respondit: *Mortuis tuis filiis, quorum adhuc decem superfunt, ipse & posteri ejus ad tua regna pervenient. Authore Alberto Argentinensi.* Quod exitus ipse probavit. Nam Anno Christi *1273.* Cal. Octobris *Rudolphus* à Germanis Principibus *Francofurti* in Regem Romanorum electus fuit, cùm *Basileam* tunc obsideret: Undè & in hodiernum usque diem *Rudolphi* illius Augustissimi posteros in regnis ab ipso relictis, sicut & Imperio Romano feliciter succedere gaudemus.

Clades Francisci I. Galliæ Reg. prædicta.

14. *Gauricus* insignis Astrologus multa, antequam contingerent, viris maximis prædixit: inter alia etiam Venetiis edidit Prognosticum, in quo *Franciscum I.* Galliæ Regem ad hostiles manus perventurum, priusquam contingeret, affirmavit.

Clades Gallorum ad S. Quintinum prædicta.

15. Notavit in suâ Historia *Natalis Comes*, quod cladem Gallorum factam ad S. Quintinum, in quâ *Connestabilis Monpenserius Mareschallus S. Andreæ, Rheingravius, Lansaccius* & ferè bis mille Nobiles capti, & interfecti sunt, multò antè prædixerit *Nostradamus*, rerum Astronomicarum peritissimus, cùm multis indè secutis calamitatibus in quodam prognostico.

Henrici IV. Galliæ Reg. mors violenta.

16. Memorabile est de *Henrico IV.* Francorum Rege in ipsâ inaugurationis pompa ab impio Sicario trucidato, cultro scilicet in ejus ventrem impacto. Antequàm autem hoc contingeret, in peristilio Antverpiensi, & Amstelodamensi passim ità fuit relatum, ut contigit, cum tamen paulò post evenerit. Quin addunt eidem Regi pridie fuisse prædictum, ne die posterâ Palatio egrederetur, ni præsens vitæ discrimen vellet incurrere: sed veras fuisse prædictiones luctuosus, & in exspectato probavit eventus.

Prædictio mira cuidam Pictori facta.

17. *Joannes Martinus Belga* pictor elegans, cùm in Italia ab Astrologo didicisset, ubi *Genevam* attigisset, moriendum sibi esse. Etsi Ariolo non multùm fidei tribueret, accidit tamen, ut Bernam à *Thoma Schopfio* Medico Bernensium ditionem Chorographicis tabulis illustraturo evocatus, cum tabulis penè omnibus descriptis, eam, quæ *Genevam* continet, aggrederetur, in ipso Urbis loco & nomine annotando Pestilentia tunc horrendum in modum grassante correptus objerit Anno Sal. 1567. mense Aug. *Beyerlink in Theatro V. Astronomia.*

Nostradami prædictiones.

18. De *Nostradamo* famosissimo sui temporis per Galliam Astrologo, constat eum non tantùm multà in vitâ, sed etiam post eam eventura prædixisse, quæ verum exitum fortita sunt. Ità licet Anno 1566 vivere desiêrit, ante obitum tamen formidabilem Melitensis Insulæ à Turcis oppugnationem, Cypri expugnationem, & occupationem ab iisdem, ad Lepantho verò insignem illorum stragem; similiter *Henrici IV.* ad regni Galliæ gubernacula sublevationem, ejusquè contrà *Lotharingos Guisios* insignem victoriam; quæ omnia ferè ultrà 20 annos post ejus obitum acciderunt, longè antè prædixit. Imò *Mercurius Gallicus* ad an. 1610 memorat; totam Galliam fateri debere hunc Astrologum omnia Regis hujus acta per integrum vitæ decursum, qui annis 59, & 6 mensibus absolutus fuit, exactè prævidisse, & accuratè prædixisse. Verùm apud doctiores hic Astrologus haud ità benè audit, cùm eum suas prædictiones magis ex malorum Spirituum officinâ, quàm ex solidæ cujusdam scientiæ arcanis latebris deduxisse judicent. Mirabilem vide historiam apud *Erasmum Franc. im Trauer-Saal part. 4. hist. 10.* de Gubernatore *Aiguemortes*, qui eum hujus divinatricis scientiæ causâ accessit, cui deindè in globo cœlesti super mensam posito, velut in speculo, aut in pictâ quadam tabulâ ea, quæ in viâ ad ipsum acciderant, accuratè exhibuit. Quæ certè aliâ haud ratione, quàm mali cujusdam Spiritûs adjumento, aut magico quodam opificio exhiberi potuerunt.

Duci Bironio quid prædictum.

19. His addenda sunt sequentia duo Exempla, quæ *Helmontius* refert, *Astra necessitant, non inclinant &c. mihi pag. 118.* Dux, inquit, *Bironius læsæ Majestatis ob crimen à suo Rege apprehensus mox sciscitabatur, quâ de gente oriundus esset tortor*

Parisiensis: quem cum intellexisset Burgundum; ingemuit pavens, dixitque: Eheu perii! siquidem ab Augure quandoque sciverat, duntaxat sibi cavendum à mortali ictu, quem Burgundus ille venturis diebus daturus esset.

Mors prædicta Comiti de Loniguij.

20. Alterum Exemplum, quod priori attexit *Helmontius* ità se habet: *Comes de Loniguij in duello propè Bruxellam cæsus in Monomachias pruriens, & audacior, quod à sortilegis scivisset à Lupo mortaliter se vulneratum iri. Fuit autem Adolescens Comiti de Sancto Amore socius duelli, cui nomen Loup, qui lethaliter punctus Loniguium transfodit.* His addit *Helmontius*: *Esto diabolus harum prædictionum Author*: Vocat etiam paulò ante narrationes istas *Diabolicarum prædictionum Exempla*, nec aliunde, *quàm ex Astrorum depicto typo eruta per Cacodæmonem.* Atquè his ità narratis nunc quid de judiciaria Astrologiâ sentiendum sit, proferamus.

CAPUT X.

Quid sciendum de Astrologia Judiciariâ seu divinatrice potissimùm Genethliacâ,



Idimus hactenùs potiora Judiciariæ, sivè, ut aliàs vocant, Divinatricis Astrologiæ fundamenta variis Exemplis confirmata; an itaque scientia illa nunc approbanda; an pro genuinâ & verâ Disciplina, quam Christianus homo tutò colere, magni meritò æstimare, & jure bono amplecti possit, nunc est disquirendum.

§. I.

Assertiones quædam generales pro Astrologiæ Judiciariæ fundamentis evertendis.

Cœlum non agit in animam hominis.

1. Cœlum licet non tam per motum, & lumen, quàm vires alias occultas, quas influentias vocant Philosophi, in hæc inferiora constanter agere censeatur: in animam tamen rationalem, utpotè substantiam spiritualem, & consequenter in ejus actiones proprias, & immediatas habere aliquam influentiam aut activitatem immediatam per se, & in se, nemo sanæ Philosophiæ peritus asserere potest. Cùm enim Cœlùm, & in eo Sidera *sint corpora*, non possunt habere ullam activitatem in rem Spiritualem per se & in se. Sicut ergò nulla objecti applicatio, nulla corporis affectio merè naturalis, nulla externa passio, aut violentia potest nos cogere, ut velimus interno & libero actu, quod absolutè nolumus, aut in quod liberè non consentimus: ità nec cœlorum influentiæ possunt aliquid in anima rationali, & ejus propriis facultatibus operari, quod ipsius libertati per se, & in se contrarium est. Quocircà possunt quidem siderales influxus in Corpus agere, & mediante tantùm corpore inclinare, nunquam tamen liberam voluntatem per se & in se ad quicquam cogere.

Anima affici potest mediatè & indirectè ab astris.

2. Quia, ut *Aristoteles* etiam *in physiognomicis* docet, anima patitur à corpore, adeòque pro affecti corporis naturâ aliundè ab extrinseco in illud operante inclinationes aliquas concipere potest: Idcircò dum astra in Corpus humanum agunt, etiam anima mediatè affici potest. Undè licet in se & per se libera semper maneat in suis operationibus, & earum electionibus, inclinationes tamen magìs ad certas aliquas, quàm ad alias Operationes etiam aliundè, & ab extrinseco aliquo operante acquirere potest. Sicut & D. *Thomas lib. 3. cont. Gent. c. 85.* docet his verbis. *Licet corpora cœlestia non sint directè causa electionum nostrarum, quasi directè in Voluntates nostras imprimentia: indirectè tamen ex his aliqua occasio nostris electionibus præstatur, secundùm quod habent impressionem super corpora.*

Non possunt operari libera judicari ab Astrologis sed tantùm propensiones ad ea.

3. Hinc sequitur, quod Astrologus non possit judicare de certo quodam facto, sivè de actuali hominis vitâ, judicando ipsum realiter & absolutè talem esse, aut talia facere, aut fecisse, aut facturum esse, sed solùm de pronitate aliquâ & inclinatione, Ex. gr. hunc inclinari ad iram, vindictam, duella, & alia ejusmodi. Ratio est: Quià cùm homo in operando semper sit liber, & usum habeat liberi arbitrii, eoque possit cuicunque etiam inclinationi resistere: nulla propterea certa poterunt formari judicia, quæ infallibilem effectum jam factum aut faciendum indicent. Undè omnia judicia illa, quæ ab Astrologis formari possunt circà humanos actus, tantùm pronitatem & propensionem ex se ad summum indicare valent.

Astrologus non potest judicare de internis donis gratiæ divinæ.

4. Non potest Astrologus vi suæ scientiæ judicare de internis donis, divinis & gratuitis Dei; quia ista non pendent ullo modo ab Astrali influxu, sed Deus ea tantùm gratuitò distribuit, cui vult. Quocircà etiam quia istis homo cooperando multa potest mala extrinseca avertere, & bona majora tam gratiæ, quàm fortunæ promereri: Ideò nulla potest dari scientia de iis, quorum causa Deus ipse non alligatur ad infallibilem concessionem & collationem. Undè falsissimum & impudens planè commentum est, quod *Albumezar scribit*, *eum, qui Lunâ Jovi conjunctâ in capite Draconis Deo supplicaverit, quidquid etiam petierit à Deo, impetraturum*: Expertum etiam esse *Petrum Apponensem*, qui vigente illâ conjunctione scientiam rerum postulaverit, & post eam diem obtinuerit, ut ipse testatur. Æquè falsum est, quod aliqui fabulantur, *eum, qui natus est Marte in nonâ domo feliciter constituto in dæmones imperium solâ præsentia eosdem expellendi virtutem habere.* Imò teme-

temerarium planè & impudens mendacium eſt, quod *hi, qui nati ſunt Saturno in Leone conſtituto, certò æternam conſequantur ſalutem*, ut tradit *Firmius Maternus*. Quæ certè, ut plura alia hujuſmodi omninò futilia, impia, & ſacræ fidei planè contraria ab omnibus meritò ſunt deteſtanda.

Nec de extrinſecis & alienis ab homine.

5. Neque etiam poteſt Aſtrologus de extrinſecis planè homini, quæ ex alterius pendent voluntate, & quæ per ſe nullam ab eo dependentiam habent, quicquam veri judicare aut prædicere, ut de fratribus, de parentibus, de liberis, de ſervis, de morte violentâ, de honoribus, deque cœteris fortunæ bonis aut malis merè contingentibus, neque de nuptiis, ſtatu vitæ & aliis negotiis, quorum electio eſt planè libera, & voluntaria, cùm nulla adduci poſſit connexio aſtralis influxûs cum tali affectione in tali ſubjecto humano ad hunc potiùs, quàm alium effectum proferendum. Si enim quis Ex. gr. de ſervis virtute aſtrorum futurus eſſet infelix, deberent aſtra priùs etiam concurrere ad ſervorum depravationem, ac infidelitatem; cùm ſæpè ii optimam habere poſſint genituram, & eſſe optimæ diſciplinæ, ac morum probitatis; adeoque priùs deberet eſſe vitium in ſervis, quod ſint futuri infidi Dominis, & non in hoc præciſè Domino, quod ſit habiturus ſervos infidos. Idem eſt ſentiendum de nuptiis & aliis ejuſmodi. Undè certè daretur mirabilis quædam plurium, imò penè omnium externorum ſubjectorum humanorum ad invicem colligatio, quæ prorſùs impenetrabilis eſt, ac humano intellectui imperſcrutabilis. Quocircà ſi talia quandoque ab Aſtrologis plùs æquo temerariis prædicuntur eventu ſecuto, id merè caſu aut fortuitò contingere cenſendum eſt, aut ſingulari quadam permiſſione divinâ, vel mali cujuſdam Genii inſpiratione, qui res futuras & occultas longè antè quàm contingunt, certis conjecturis colligens eaſdem ſuis intimare poteſt.

Vana & difficilis eſt Aſtrologia ob permutationem influxûs.

6. Etſi demus ſingulis corporibus cœleſtibus proprias quaſdam, eaſque ſpecificas vires ac qualitates, quas ab alto demittunt: Cùm tamen eorum tantus ſit numerus, ut hactenùs etiam probatiſſimis inſtrumentis nec dum definiri potuerit: deindè & ratione poſitûs in ipſo cœlo, tùm & ex conjunctione, radiatione, ac quacunque aliorum corporum diverſimodè ſemper occurrentium applicatione, ùndè neceſſariò eorum ſpecificæ vires, ac facultates mirè commiſceri debent; tum etiam ratione temporis annui mirè variabilis, tùm tandem & ratione diſpoſitionis ipſius telluris atque Entium in eâ collocatorum; *cum actiones activorum ſemper fiant pro diſpoſitione ſubjectorum;* vel ut clariùs loquitur *D. Thomas lib. 3. cont. Gentes cap. 86. Impreſſiones cauſarum naturalium recipiantur in effectibus ſecundùm recipientium modum*, infinita penè contingere varietas poſſit. Quis itaque perſpectæ atque cognitæ hujus tantæ varietatis in tam multiplici variarum actuantium rerum combinatione peritum ſeſe Magiſtrum jactare poterit? Proindè licet Nugivenduli iſti Aſtrologi allegent varias experientias, certè nunquam eas infallibiles probare poterunt. Quocircà etiam *Cardanus* ſtrenuus aliàs Judiciariæ Aſtrologiæ defenſor *Aphor. Aſtron. ſegm. 3. Aphor. 164.* benè ipſemet fatetur ajens: *Cauſa cur rari eventus prædici ſolent ab Aſtrologis, eſt, quoniam imperfecta eſt Ars, ex his, quæ ſcripta ſunt ad hanc diem: qui verò excellentes in eâ fuêre, infantium quidem eventus videre, jam ſenes exiſtentes deſperaverunt; ſed juvenum non adeò certam genituram tot laboribus indignam judicârunt.*

Sympathia ſuperiorum cum inferioribus.

7. Vanum eſt dicere, omnia in mundo ità produci à virtute iis in ſe figuris communicata ab aliis ſublimioribus ex ſympathia quadam naturali rerum inter ſe ſimilium, quatenùs hæ figuræ ad amuſſim invicem coäptentur; haud ſecus ac Echo ex oppoſito corpore reſultat, aut collecti radii in concavo ſpeculo repercuſſi objectum ex adverſo corpus inflammant; vel cythara eo modo, quo alia fidibus intenſis percuſſa alteram tinnitu ſuo cogit concinere. Quia talis ſympathia magis aſſumitur, & tantùm ut talis ſupponitur, quàm realiter vera ac ſolida probari poſſit.

Imagines & figuræ cœleſtes per ſe efficaces non ſunt.

8. Imagines ſtellarum per ſe nihil habere cenſentur roboris: fictitiæ enim ſunt; nec ideò piſcibus, leonibus, anguibus, canibus, venatoribus, maribus, fœminis &c. quid portendere aut promittere poſſunt, quia talem figuram habere dicuntur, quam tamen non habent. Quod verò ajunt compactas in talem figuram ſtellas ideò eſſe, qùia vim talem in talia habere ſimul junctæ ſunt deprehenſæ, fundamento caret, nec probat experientia; in prædictionibus verò falſum comperitur, niſi quid per accidens eveniat. Undè vanum eſt dicere Aſtrologo: *Cui caput Algol infortunatur, accidet capitis periculum: Cùm Luna Biothanatos facit. Cor Scorpii cum Luminaribus, violentam mortem ex veneno indicat*, & plura ejuſmodi alia. Situs verò ſtellarum ponderoſior eſſe poteſt, ex eo enim pendet applicatio ad ſubjecta. Itaque quâ in parte illuſtriores coacervatæ ſunt ſtellæ, ibi agere efficaciùs, quod agere ſunt natæ reſpondente tamen ſubjecto, videtur credibiliùs.

Nullum eſt dominium ſtellarum in certa loca.

9. Non poteſt ullo convincenti argumento demonſtrari, uti Libavius etiam objicit Aſtrologis, quod certis rebus & locis certæ addicantur ſtellæ. Illud tamen ex aliquibus ac potiſſimùm Sole probabile eſt, quod, quæcunque Regio & Clima à ſtella aliquâ magis frequentatur, ejus etiam vim, quantùm indè eſt, ſentire magis valeat, cœteris tamen paribus. Plura alia de induſtriâ hîc transcurro, quæ à doctioribus aliis jam dudum ad Judiciariæ Aſtrologiæ vanitatem commonſtrandam ingenioſè ac doctè conſcripta ſunt: Nequè enim ſingula, quæ ipſa ſcilicet ſigna cœleſtia, earumque partes, & affictas illis qualitates, ut & Planetarum dignitates, ac plura alia circà ipſos concernunt, quantumvis in genere perſequi, operis incrementum permittit. Unicum hîc tantùm illud *Lactantii* commonere libet, quod *libro 5. de Inſtit. cap. 20.* his verbis depromit: *Miſeri, inquit, ſunt, qui inhærentes perſuaſioni vulgari libenter errant, & ſtultitiæ ſuæ*

suæ favent; à quibus si persuasionis ejus rationem requiras, nullam possunt reddere, sed ad Majorum judicia confugiunt, quod illi sapientes fuerint, illi probaverint, illi sciverint, quid esset optimum, seque ipsos sensibus spoliant, Sapientiâ se abdicant, dum alienis erroribus credunt.

Hoc ut non meliùs norit depingere Apelles
Fingere nec fuso doctiùs ære Alycon.

§. II.

Astrologia Judiciaria potissimùm Genethliaca variis Argumentis impugnatur.

1. Quamvis doctissimus *Suarezius*, & post eum complures alii à *Joan. Maldero* citati *de Just. & Religione tract. 10. cap. 7. dub. 6.* afferant, non esse toto genere ex naturâ rei illicitum, ex siderum constellatione observatâ, de infantis alicujus nativitate conjectare ejus temperamentum, & indè naturales quasdam inclinationes, & propensiones ad has aut illas passiones, vitia & virtutes cum cœlestibus corporibus, talis influxus non possit omninò in temperamentum denegari: Vanissimum tamen est ex unicâ figurâ, sive themate, ut vocant, Natalitio, sive Genethliaco ad tempus Geniture erectum totam indè Nati vitam, & quoscunque actus etiam liberos, & multa alia vitæ accidentia planè extrinseca cum tempore, quo eventura sunt, divinare, ac certò aliquandò eventura pronuntiare. Repugnat enim talis divinatio sacris literis, dum *Jerem. cap. 10.* dicitur: *A signis cœli nolite metuere, quæ Gentes timent, quia leges populorum vanæ sunt*: Et ad *Galat.* scribens *c. 4.* Doctor Gentium eosdem reprehendit his verbis: *Dies observatis & annos.* Repugnat deindè Sac. Canonibus *caus. 26. q. 2. & seq.* Fuit etiam hic error Priscillianistarum, quod dicerent, Deum animas & corpora fatalibus astris astrinxisse. Undè & à *Leone* I. damnati sunt. Damnavit etiam hunc errorem *Conc. Brac.* I. *can. 9. & 10.* Item *Toletanum I. in confessione fidei* eundem anathemate damnavit: *Si quis*, inquit, *Mathesi vel Astrologiæ existimat esse credendum, anathema sit.* Ac novissimè *Sixtus V.* in motu proprio, qui incipit: Cœli & terræ. Vetant etiam Leges Civiles Astrologiam *L. 2. & 7. C. de maleficis & Mathemat. & L. Mathematicus. C. de Epis. audientia*, proprios codices cremare jubentur. Item *L. Etsi. & L. Nullus. Tit. de Maleficis.* Imò etiam ipsimet Astrologi improbant, inter quos *Cardanus Aph. Astron. segm. 3. Aphorismo 155.* hæc tradit: *Astrologi ut divinatores pessimi homines sunt, deceptores ac malorum morum. Philosophi naturales veritatis studiosi ac probi: ob hæc Astrologus tantùm verax est, ac probus, quantùm in suâ divinatione adhæret principiis philosophiæ naturalis.* Et in vitâ propriâ *cap. 39.* Astrologiæ, quæ prædicere docet, operam se dedisse, & nimis quam debuisset, fidisse fatetur in perniciem suam. Ex quibus omnibus abundè patet, vanitatis damnandam esse Astrologiam divinatricem, & quidem potissimùm eam, quæ ex genitura eventus divinat, ut meliùs in sequentibus patebit.

2. Cum tota ratio, fundamentum, & radix divinationis genethliacæ supponat certam divisionem Cœli in duodecim scilicet partes, quas domus cœlestes appellant, ut suprà explicavimus: in hac autem divisione Astromantes non conveniant: ipsa certè diversitas artem ostendit improbam, ac incertam. *Ex hac enim diversitate*, ut rectè notat *P. De Chales in Astrol. prop. 4. evenit, ut Planeta & gradus Zodiaci, qui in unâ domo invenitur secundùm unam methodum, secundùm aliam rejiciatur in aliam, malamq; fortunam significet, qui felices promittebat. Quis autem hanc litem dirimet?* Pergit deindè *De Chales*: *Dicent rationabilem esse magis rationi consonam. Sed tamen non fuit à Chaldæis hujus scientiæ inventoribus usitata, quare si eorum methodus observationibus respondit, & ab experientiis sumpsit originem, hæc quantumlibet rationalis ab observationibus discrepabit.* Subnectit deindè alium modum dividendi cœlum, qui magis rationalis esse videtur, atque accommodatior his verbis: *Si hæc rationalis methodus præfertur, eò quod astra videantur in eâdem dispositione respectu alicujus loci idem operari; certè alia posset inveniri methodus dividendi cœlum in duodecim domos, nempè per circulos* Almicantarath. *Videtur enim magis rationi consonum, ut astrum æqualiter elevatum suprà Horizontem aut æqualiter depressum sub Horizonte æquales vires habeat. Ità videmus Solem semper auroram inchoare, in eodem circulo* Almicantharat *depressionis, cùm non sit potior ratio, cur in unâ parte ejusdem circuli magis aut minùs agat. Si autem semel admittatur, ut per circulos* Almicantharat *dividatur cœlum in duodecim domos, longè diversa sunt futura prognostica, quàm quæ ab Astrologia modò proferuntur. Videmus enim quò Sol fuerit elevatior suprà Horizontem, eò majores habere vires, & Lunam in Meridiano semper æstum ciere. Adde, quod hæc methodus rationalis sub polis locum non habet: cùm nulla sit intersectio Horizontis & Meridiani, sed uterque circulus coalescat in unum.* Ità *De Chales.* Ostendit deindè plures alias inconvenientias circà domorum singularum vires & significationes, quæ ipsis afflictæ, ac meritò à sanæ mentis homine ut vanissimæ ridederi, potiùs quàm approbari possunt. Sed vide Eum *loc. cit.*

Vanitas circà divisionem cœli in 12 domos.

3. Imperceptibile planè est, nec ullo fundamento nixum, quod Planetæ aliæque stellæ etiam infrà terram existentes suas habere dicantur vires, easque majores quàm dum suprà terram existunt in hominem mox enixum, atque ad vitalem auram extrà uterum deductum. Prima equidem domus dum infrà terram ab Astrologis collocatur, & Planetæ aliaque sidera in eâdem consistentia in totam Nati vitam (quæ id circò longa vel brevis, firma, aut debilis spondetur) virtutem suam influunt; quis unquàm hoc capere, aut sanâ mente comprobare poterit? Certè Sol dum in meridiano super terram & Horizontem nostrum existit, multò potentior observatur, quàm dum infrà terram latet. Idem sentiendum est de aliis Planetis & side-

Vanitas influxus stellarum infrà terram existentium.

& sideribus. Nulla igitur efficacia Planetis, aliisque stellis fixis attribui potest in Nati vitam, dum sunt in Horoscopo, in cadente, vel succedente, aliisque domibus infrà terram, quàm merè fictitia, quæ à parte rei nulla est.

Vanitas specialis influxûs in hominem ob distantiam stellarum.

4. Ipso oculorum testimonio judicamus stellas esse parvas, licèt, ut suprà indicavimus, multò majores sint, quàm ipsa tellus, quam inhabitamus, quæ fortè nobis in loco stellarum constitutis aut omninò non compareret, quamvis luce fulgidissima imbueretur, aut certè tantùm instar pisi aut alterius grani vel seminis minoris appareret. Quid igitur in eâ homo? & quidem in tali potiùs situ vel loco ejusdem in tali aliquâ regione ità ad cœlum directa ex tàm alto cœlo, mox ad unicum punctum vel momentum nativitatis attrahet, ut talis fit influxu astrali futurus? Cur non omnibus suprà eundem Horizontem natis eodem tempore, quantumvis diversis locis & terræ tractibus similes impressiones conferri queant, sive in 12, 11, 10, vel aliâ domo cœlesti stellæ natalitiæ consistant?

Chalesii argumentum efficax.

5. Efficax argumentum est contrà Astrologos, quod adducit De *Chales in Astrolog. prop.* 8. his verbis: *Si Astrologiæ, inquit, placita vera essent, & humana omnia ità cum astris connecterentur, ut eventus humani ab iis solis penderent, nec esset opus ad alias causas sublunares attendere: quicunque eidem Horoscopo subjacerent, eosdem eventus nanciscerentur, idem vitæ genus, eandem fortunam, cœteraque similia: nempè eodem tempore morerentur, æquè divites forent, simul uxorem ducerent: sed hoc est falsum. Nam in quâcunque urbe paulò ampliori eodem tempore plures nascuntur, nullaque est hora, in quâ non nascantur nonnunquam 20. 30. pueri, quorum alii moriuntur, alii sunt vitales. Sed si habent eundem Horoscopum, nempè eodem tempore, in eâdem poli elevatione; ergò idem Horoscopus diversos eventus significat.* Probat deindè minorem inductione à visis gemellis, quorum unus superstes, alter verò aquis mersus: ab Exemplo *Jacobi & Esau*, quorum studia, indoles, & exitus vitæ omninò diversa fuerunt. Celebre item adducit Exemplum à *S. Augustino* relatum de *Firmino*, ejus Amico, qui ex patre Astrologo natus fuerat; hic præcisè in lucem editus fuerat eodem tempore & momento, quo filius ancillæ cujusdam alterius Astrologi, ità ut nullam in Horoscopis diversitatem invenerint hi duo Astrologi: *Firminus* tamen vitam honoratam duxit, natalibusque suis & familiæ conformem. Filius autem ancillæ servilem, laboriosam ac ærumnis multis obscuram vitam egit. Undè deindè rectè concludit Author præfatus. *Ergò aliæ in subsidium advocandæ sunt causæ; quod si semel admittatur, tota ruit Astrologia: tot enim occurrent, ut captum mentis humanæ superent.* Sed quod hîc responderi possit ab Astrologis, breve nempè etiam tempus intercedens inter unius, alteriusve nativitatem totum natalitium thema & ejusdem significationes mutare, atque adeò alios nato eventus adducere posse: gratis omninò asseritur. Si enim ad tantam præcisionem descendendum esset, ut quælibet in tempore diversitas omnia evertat, ut Idem De *Chales* reponit, tota meritò Astrologia everteretur, cùm tempus nativitatis vulgari modo æstimetur: imò si Astrolabio communi observetur elevatio cujuspiam stellæ, certè semper alicujus minuti error timendus est, cùm sæpè inter nativitatem duorum gemellorum unius minuti intervallum non intercedat, ut constat de *Jacob*, qui fratris sui *Esau* plantam in exitu habebat.

Similes eventus à similibus debent esse causis.

6. Similes eventus, si vera sint Astrologiæ Genethliacæ principia, similes etiam meritò causas, indicationes vel horoscopos habere debent. Sed quis dicet, aut quis credet in communi naufragio, incendio, diluvio, conflictu bellico, grassante lue, ruinâ terræ, aut communi aliâ quâdam clade, ubi sæpè diversi planè in genere, statu, sexu & ætate quamplurimi homines intereunt, similes causas astrologicas, indicationes, aut horoscopos habuisse aut ab iisdem stellis, ad simile aliquod mortis genus fataliter esse adactos? Anno 1679. Viennæ in Austria undecim mensium spatio, à Januario scilicet ad Decembrem usquè peste absumpti fuerunt 76956 homines: quis credet omnes istos diversæ ætatis, conditionis, statûs aut dignitatis homines eundem habuisse horoscopum, & similis efficaciæ stellas fatales in eodem constitutas, quæ peste interimendos indicarent? Quot millia hominum in novissimâ inundatione Anno 1682. ad tractum Dordracensem, Hulsiensem, & alibi potissimùm in Zelandiâ submersione periêrunt? Quot millia Christianorum Turcica rabies ac Tyrannis nuper ad servitutem lamentabilem abduxit? Quot non tantùm Christiani, sed & Mahometani Martio etiam adhuc perseverante furore conciderunt? Quot dispares planè fide, conditione & ætate homines communibus hisce cladibus tàm Turcicis, quàm Gallicis, quas etiamnum lugemus, ignis absumpsit, gladius concidit, terra oppressit, aqua demersit, fulmen Martium prostravit? Ergòne omnes, qui communi tali aliquâ calamitate interiêrunt, similiter ab astralibus radiis perculsi, ad similes tragicos eventus delati fuerunt? Quæ cùm credibilia non sint, meritò Astrologia Genethliaca, dùm tales eventus ex astris prædicit, explodenda erit.

Multæ præcautiones & difficultates in studio Astrologico.

7. Si porrò methodum & rationem exactam themata erigendi, & prædictiones ex iisdem formandi considerare velimus; tàm multæ sunt circumstantiæ, tàm multæ præscribuntur leges, tot sunt cautiones adhibendæ, ut vix studiosissimus & summè industriùs accuratè satis procedere possit: Nec mirum; cùm tot sint combinationes rerum diversissimarum, ut de iisdem nullæ constare experientiæ exactæ, nullæ omninò probatæ satis obtineri queant divinatrices certitudines. Proindè rectè dixit *Cardanus in Aphor. Astron. Astrologia ut pulcherrima, sic laboriosissima & difficillima.* Meliùs adhuc De *Chales Astrol. prop.* 17. *Astrologia, inquit, est consarcinatio præceptorum nullâ ratione sancitorum, sed simpliciter, aut in figuorum, aut in constellationum nomenclaturâ, aut in antiquorum commentis fundatorum, quorum multitudo tanta*

tanta & varietas, *ut impossibile sit ad omnia attendere.* Undè mirum non est, quod super erecto eodem themate natalitio à diversis Astrologis diversa sæpè promanent judicia, & prædictiones Astrologicæ, nec unquam in judiciis suis etiam circà eandem inspectam nativitatem diversi concordent Astrologi. Imò ex fictitiis sæpè thematibus verisimillima eliciunt Astologi, ut ità mirabiles emergere queant imposturæ, quibus doctissimi Viri decipi possint. Casum adducit DE *Chales in Astrol. prop.* 19. his verbis: *Nescio*, inquit, *quis Astrologus nobilis fœminæ horoscopum erexerat, multaque fausta & infausta prædixerat, quorum exspectatione mirum in modum angebatur: hunc suum angorem P. Gibalino è Soc. Jesu Viro erudito, & libris suis satis noto detexit, qui cùm frustrà hunc illi scrupulum evellere tentâsset, petiit hoc Nativitatis thema, ut contrario horoscopo ejus ægritudinem curaret, rogavitque unum ex Patribus, quem sciebat Astrologiæ libros legisse, ut huic themati prognostica adderet, tacitâ tamen personæ conditione, nomine, imò etiam & sexu. Horoscopum absolvit Pater tàm fausto eventu, ut in astris invenerit conditionem personæ, quod esset fœmina, & tot eventus particulares jam præteritos, ut P. Gibalinus, non potuerit, quin fateretur aliquid miri in Astrologiâ latere. Post aliquot tamen dies, qui hæc prognostica addiderat, examinare voluit, an benè essent collocati Planetæ, & an verò eo tempore ea loca obtinerent, quæ thema nativitatis præferebat; invenitque fictitium fuisse thema, totoque cœlo dissitos fuisse Planetas è notatis in chartâ. Ex quibus liquidò constat*, addit idem *Chalesius*, *fortuito casu sæpè veros eventus prædici posse, præcipuè, cùm nudos tantùm eventus, nullisque vestitos circumstantiis proferunt, ità ut non sit difficile varios casus detorquere, & secundùm Astrologi mentem explicare.* Ità ille.

Astrologicum studium suspectum de Magia. 8. Deniquè ut relictis pluribus aliis argumentis rem cum Astrologis divinatoribus conficiamus: cùm vera sæpè prædicunt, eventibus secutis, magiæ plurimùm suspectos se faciunt, nec possunt sæpè excusari, ac omnimodè absolvi ab occulto quodam cum dæmone commercio, qui suis charactere magico insignitis multa haud dubiè abdita revelare, occulta patefacere, futura, ut novit ex vario rerum contextu conjectare, etiam prædictare potest. Undè benè *Lactantius lib.* 2. *cap.* 12. cùm de dæmonibus loquitur, hæc dicit: *Eorum inventa sunt Astrologia & Aruspicina & auguratio, & ipsa, quæ dicuntur, oracula, & Necromantia & ars magica, & quidquid præterea malorum exercent homines, vel palàm & occultè.* Multa possent ad rem hanc confirmandam adduci exempla, sed unicum ex *P. Chalesio loc. sup. cit.* retulisse sufficit. Narrabat nobis, inquit, *nobilis aliàs Medicus illustrioris notæ Avenionensis, sibi contigisse aliquandò, ut in Astrologum incideret, qui ejus horoscopum concinnandum suscepit; hunc cùm semel adiisset, invenit operi incumbentem, & cum aliquo colloquentem deprehendit, cumq; importunus advenisset, factus est ingens fragor: & Astrologus pessimè à Dæmone habitus, qui se proditum identidem clâmitans à se abegit. Postero tamen die horoscopum obtulit, in quo inter alia notata erat dies aliqua fatalis, de qua dicebatur, quod eâ die venturus esset servus alicujus nobilis, qui equum talis coloris secum duceret, quo veheretur Medicus, ut nobilem ægrotum inviseret: Si iret futurum esse, ut ex equo excuteretur, & sibi crus unum frangeret. Die præstitutâ advenit servus cum equo illius coloris, sed medicus ire non est ausus. Non dubitabat autem, quia Astrologus esset magiæ deditus.* Ex quibus facilè etiam concludi posset, Dæmones ea, quæ divinâ permissione præstare possunt & volunt, suis asseclis sæpè prædicere, quasi ea ipsa casu eventura sint, & Astrologus eadem ex arte suâ aliundè prænôsset. Quocircà haud malè sensisse censendus est *Tertullianus lib.* 9. *de Idololat.* cùm dixit, maximam esse affinitatem Magiam inter & Astrologiam. Undè rectiùs nunc lubet concludere ex corollario Uranoscopi Libaviani, ubi Academica quædam pro vaticiniis ex astris proponit. *Indoles*, inquit, *ex satu parentum, felici & propitio Deo disciplina proba, monitoresque fideles id agunt; non si hic proclivis est ad bellum, ille ad literas, stellæ id fecerunt, promptitudo, aptitudoque ex alacritate naturæ cujusvis spiritibus calore, instrumentis, ingeniique viribus benè constitutis. Fortes creantur fortibus, non stellis, sed parentibus, & est in equis patrum virtus. Doctrina, sed vim promovet insitam*, inquit *Horatius*. *Ignavum quempiam esse ex forti patre, torpor spirituum, mala dispositio instrumentorum ingenii, sensus affectusque segnes, calor obtusus & interna quædam malignitas, quæ inter nascendum afflavit materiam, depravationi dederunt originem, id quod in aliis etiam morbi faciunt, veluti scabiosus ad actiones mentis celeres torpet, licet cùm valet, satis sit expeditus. His accedit segne genus vitæ, neglectio discipuli, mali magistri &c.* Hæc & plura alia *Libavius*, quem vide. Sed nunc & exempla quædam falsarum prædictionum Astrologicarum in medium adducamus.

§. III.

Varia quædam Exempla vanitatis & falsitatis prædictionum Astrologicarum, quibus scilicet Eventus non responderunt.

1. C. *Cæsar* ab Astrologis monitus, ne antè brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis & auspiciis renitentibus, sprevit, eoque faciliùs navigavit, & victor extitit. Falsa prædictio C. Cæsari facta.

2. *Zitæ* Principi Arabi duo Astrologi Imperium prædixerunt, si modò Christianorum Ecclesias everteret: quod quidem pro virili executus est, sed intrà annum mortuus est. Zitæ.

3. Refert *Nicetas*, *Choniates* Astrologum prædixisse triumphum & victoriam *Branæ Alexio*, si cum *Conrado* Marchione Montis ferrati, qui partes *Isaaci* Imperatoris Branæ Alexio.

ris tuebatur, congrederetur; paruit & cum exercitu periit etiam Astrologus.

De dissensione in Ecclesiâ.

4. Tempore Conc. Constantiensis Astrologi prædicebant nullam fore in Ecclesiâ pacem, quin omnia dissensionibus implenda; at eventus omnium horum falsitatis arguerunt temerarios istos præcones. Nam pax subsecuta & schisma, quod affligebat Ecclesiam, tunc sublatum est.

Constantino Imp.

5. Anno Domini 794. *Constantinus* Imp. persuasus ab Astrologo *Pancratio* de victoriâ, in Bulgariam movit, & fretus vaticinio nulla curâ, nec diligentiâ acies instruxit. At *Cajanus* Bulgarorum Princeps in eum irruens stragem magnam edidit, & præcipuos Duces, inter quos etiam Astrologus *Pancratius* erat, interfecit: Imperatore etiam vix fugâ elapso pecuniam, equos, aulæa & omnem Regium apparatum cepit. Itâ *Paulus Diac. lib. 23. Rerum Rom. Henricus de Erphordiâ. Antoninus lib. 14. cap. 2.*

Ferrando Flandrensi.

6. Memorante *Roberto Guagnino lib. 6. de gest. Francorum*, cùm *Ferrandi* Flandrensis fortuna Mater ejus, quæ Portugalla erat, ariolos & divinatores consuleret, insequens dedêre responsum: ***Rex in prœlio cadet, pedibus hominum & equorum calcatus, nec sepelietur. Ferrandus verò à Parisiensibus jucundissimè excipietur.*** Quo oraculo stolida mater decepta secùs ac sperabat, pro Regni diademate filius carcerem accepit: Nam in bello contrà *Philippum Augustum* Francorum Regem captus *Parisios* deductus, & in turri, quam *Luparam* vocant, inclusus fuit Anno 1211.

Joanni Galeacio.

7. *Joannes Galeacius* Dux Mediolanensis, cùm ei Astrologus quidam mortem immaturam planè prædiceret, sibi ipsi verò longam vitam polliceretur: hominis ridens stoliditatem statim strangulari eum jussit. *Nicetas in Chron. lib. 25.*

Vir quidam mirè deceptus ab Astrologiâ.

8. *Joannes Mirandula lib. 2. cap. 2.* contrà Astrologos scribit de magno quodam Viro sibi noto, quod mutârit vitæ rationem eo tantùm instinctu, quod astrologicâ spe commonitus, in novâ professione magnas felicitates cœlesti favore esset habiturus. At verò in eâ, cùm adversam magis fortunam experiretur, solitus erat dicere à Marte se deceptum, nolens illud dicere, quod erat veriùs, ab Astrologicâ scilicet vanitate se deceptum. Idem paulò post obiit morte valdè miserabili, quam nec à Cœlo ipse præviderat; parabat enim multa, & magna moliebatur, ut qui sibi adhuc longos vivendi fines constituisset.

Joannes XXI. deceptus.

9. *Joannes XXI.* Pont. Max. in Medicinâ, Philosophiâ & Astrologiâ versatissimus ex stellarum situ, ac positura, longam sibi vitam in Pontificatu pollicitus est coràm familiaribus suis, quarto verò post mensem Pontificatûs anno octavo *Viterbii* subitò corruente testudine recentis ædificii oppressus interiit; ut memorant *Valerius*, & *Stella in vitis Pontificum. Delrio lib. 4. disq. mag. q. 1. cap. 3.*

Astrologi mirè decepti in horoscopo Alex. VI.

10. Refert *Picus Mirandulanus*, Astrologos in horoscopo *Alexandri VI.* Summi Pont. mortem anno 1495. ominatos fuisse: quem annum cùm incolumis transegisset, in sequentem mortem ejus prorogârunt, & ad annum 1502 singulis ferè annis novos erigebant horoscopos, quibus semper & mortem eodem anno augurabantur; donec Anno 1503 contrariam viam inierunt, novoque erecto nativitatis themate ei plurimos vitæ annos sunt augurati, eo tamen anno mortuus est.

Falsa prædictio de adventu AntiChristi.

11. *Arnoldus Villanovanus* Anti-Christi adventum, vel circà ann. 1355. ob conventum trium Planetarum superiorum in Aquario; vel circà ann. 1464. fore mentitus fuit, ut *Symphorianus Campejus in ejus vitâ* memorat. Ad annum quoque Christi 1666. plures Astrologi mira de Anti-Christi adventu fabulati sunt nullo eventu secuto.

Medici Spoletani de morte Laurentii Medicis.

12. Medicus Spoletanus suis prædictionibus celebris *Laurentio Medicis* mortem certo anno futuram prædixerat, nec tamen respondit eventus, cùm tantâ Astrologi ignominiâ, ut dedecus illud non ferens se præcipitem in puteum dederit.

Cardanus deceptus in Horoscopo Eduardi VI.

13. *Cardanus* Astrologiæ defensor acerrimus horoscopum *Eduardi VI.* Angliæ Regis erexit, invenitque fore, ut in languorem incideret anno vitæ vigesimo tertio, mense nono, die 22. Mortuus tamen est anno vitæ decimo sexto. Fatetur autem *Cardanus* ex centum prædictionibus vix decem successum habere.

Gaurici prædictiones falsæ.

14. *Gauricus Henrico II.* senectutem prosperam & vegetam fuit auguratus: mortuus tamen est ex vulnere lanceæ anno ætatis quadragesimo secundo.

15. Prædixit Idem *Gauricus* celebris aliàs Astrologus *Francisco* hujus nominis Secundo, fore ut ab anno 1562 ad annum 1571 vitam sine ullo morbo transigeret: defunctus tamen fuit Anno Christi 1560.

Horoscopus Caroli V.

16. Horoscopum *Caroli V.* Imper. construxerunt Astrologi, & in omnibus ferè aberrarunt: inter alia multa Anno 1617 & 1618 morbos ominati fuerunt, à Saturno nempè inferendos, cum tamen fanus utrumque transegerit annum.

Genituræ 30 falsæ ostensæ.

17. *Sixtus ab Hemmingâ* affert triginta illustres genituras ex arte compositas, ut notat *De Chales in Astrol. prop. 18.* itâ ut omnes provocet Astrologos ad examen, ostenditque ab eventibus toto cœlo aberrare, itâ ut infausto cœlo fausta omnia sæpè succedant, & è contrà.

Ridiculum exemplum de Mulo Ducis Mantuani.

18. Ridiculum exemplum planè est, quod refert Idem *De Chales Astrol. prop. 19.* his verbis: *Dux Mantuanus de fatis muli sui, cujus tempus nativitatis diligenter observari curaverat sub nomine Bastardi in palatio nati Astrologos Italiæ interrogavit: plerique conditionem personæ attendentes, nempè quem filium spurium Principis existimabant, illi dignitates Ecclesiasticas ominabantur, eumque ad suprema etiam Ecclesiæ munia evehebant, itâ tamen conformibus*

Mm *præ-*

prædictionibus, ut se omnibus deridendos propinaverint.

19. Facetè etiam *Morus* de *Candido* in Epigrammat. cecinit:

Sæpè suam inspectis uxorem Candidus astris
Prædicat en vates omnibus esse bonam:
Inspectis iterum postquàm uxor adultera fugit,
Prædicit vates omnibus esse malam.
Omnibus ergò uxor quod te tua publicat: id te
Astra licet videant omnia; nulla monent.

CAPUT XI.

De Tempore, ejus ratione & variâ distinctione.



Stra non tantùm esse *in signa*, sed & *in tempora* & *annos* nos docet abundè facer Codex, & ipsa confirmat ratio & experientia. Ab astris enim & eorum motibus mensurantur actiones humanæ, tàm Ecclesiasticæ, politicæ, sive civiles, quàm œconomicæ. Quocircà etiam haud ineptè sensisse censendus est *Joannes de Sacro busto*, cùm docuit, *Tempus esse effectum motûs cœlestium corporum:* Ubi Tempus, ut *Keckermannus* interpretatur *syst. Astron. lib. 2. cap. 1.* sumit pro distinctione temporis, de cujus distinctionis causa, cùm tractet Astronomus, utique etiam de effectu tractare debet. Nos hìc etiam de tempore, ejusque variâ distinctione cum ejusdem mutatione physica, & ut talis ex certis signis pro cognitione notabilia aliqua scienda subjiciemus, ut sic tractationem istam Uranocosmicam pleniorem benevolo Lectori transcribamus.

§. 1.

Varia Temporis denominatio & divisio, sive distributio.

Tempus quid sit. 1. Tempus imprimis à Doctis æquè & indoctis nihil aliud intelligitur quàm duratio cujusque rei, sive ea moveatur, sive quiescat. Omne enim Corpus habet suam durationem, atque adeò progressum aliquem à principio ad finem, etiamsi non compareatur ad motum corporum cœlestium: aliàs enim, quæ antè hæc corpora cœlestia, primo scilicet, secundo & tertio die mundi creata sunt; veluti sunt terra, aqua, aër, atque alia quædam corpora, non fuissent in tempore, sicque æterna & non creata, ut acutè arguunt Commentatores.

Extrinsecum & intrinsecum. 2. Tempus igitur aliud est *internum*, sive *intrinsecum*, aliud *externum*, sive *extrinsecum*. Illud est *mensura interna corporis naturalis, per quam corpus naturale certo principio incipit, & ab isto principio progreditur ad certum finem, quo desinit.* Hoc verò est *mensura, per quam corporis naturalis duratio, atque adeò etiam motus, & quies mensuratur & distinguitur ad motum alicujus corporis, extrà corpus, quod durat, positi.* Tempus igitur externum, quod hìc specialiter consideramus, nihil est aliud, quàm mensuratio, quâ corporis naturalis tùm existentia, tùm & motus aut quies distinguitur, & numeratur secundùm motum alterius corporis, nempè cœli, aut in eodem existentis Solis vel Lunæ.

Extrinsecum est primarium vel secundarium. 3. Extrinsecum tempus aliud dicitur *Primarium*, aliud *Secundarium*. *Primarium* præcipuè definitur motu primi mobilis & motu corporis solaris, quia hi duo motus sunt omnium exactissimi; undè etiam norma ac mensura reliquorum motuum aptissimè constituuntur. *Secundarium* verò est, quo per motum alicujus corporis in terrâ positi mensuratur successio atque intervallum motûs in ipsis corporibus cœlestibus, non propter ipsa corpora cœlestia, sed propter nostrum usum & faciliorem temporis cognitionem. Itá solemus horas & actiones nostras per automata horologia, clepsydras & hujusmodi instrumenta Chronometrica mensurare: sed de hoc secundario tempore hìc nihil est nobis negotii.

Tempus secundùm se & secundùm thesin. 4. Alia temporis distinctio considerari solet à Chronographis, nempè tempus *secundùm se*, sive *naturam*, vel *secundùm thesin*, sive *ordinationem*, aut institutionem à Legislatoribus. Quod autem tempus secundùm naturam est, fit illud simpliciter à motibus ac periodis corporum cœlestium, vocarique communiter solet Tempus Astronomicum; alterum verò secundùm thesin aut ordinationem pendet à consensu, voluntate, aut instituto hominum, ac comprimis est duplex: *Politicum* scilicet, seu *Civile* & *Ecclesiasticum*: Illud est, quod ad usum politiæ sive vitæ civilis à Legislatoribus accommodatur: Hoc, quod ab Ecclesia, vel summo ejus in terris capite Pontifice Maximo ad usum Ecclesiasticum, pro exercitio scilicet publico divini cultus assumitur. Politicum & Ecclesiasticum.

Ecclesiasticum Vetus & Novum. 5. Ecclesiasticum tempus aliud est *vetus*, aliud *novum*. Vetus dicitur, quod à Christo nato computatur usque ad annum Christi 1582. quo à Gregorio XIII. Pont. M. fuit reformatum. Novum verò, quod indè nunc perpetuò durabit, aut saltem tàm diu, quàm diu non deprehendetur novus defectus notabilis. Vetus modò adhuc retinent Hæretici Acatholici potissimùm in Germania. Novum una vera in terris Ecclesia Catho-

Catholica à tempore Gregorii XIII. supramemorati sub annum Domini 1582. recepit, hodièque tenet. Tempus utrumque digestum in tabulas sive Ephemerides vocatur *Calendarium Ecclesiasticum*; illudque dicitur vel novum aut vetus ratione temporis novi vel veteris, quod aptè digestum monstrat. De tempore Ecclesiastico, ejusque ordinatione plura in specie dabimus paulò infrà.

Calendarium.

Tempus Totale & Partiale.

6. Tempus ritè etiam distinguitur in *Totale*, sive majus, & *Partiale*, sive minus. Ità Totale vocari potest Annuum, vel etiam Menstruum: Partiale ac minus Septimanale, diurnum & horarium.

Annus.

7. Tempus annuum, quod uno usitatiori vocabulo *Annus* appellatur, est circumvolutio tota ac integra duorum principalium corporum planetariorum, Solis nempè & Lunæ. Undè & duplex annus esse solet, Solaris nempè & Lunaris, à duplici mensurâ motus duorum principalium corporum illorum. Nam etsi & aliorum quorumlibet corporum cœlestium vel Planetarum motus, pro durationis mensura assumi potuissent, placuit tamen Veteribus, Solem tantùm & Lunam: utpotè Luminaria illustriora, & omnibus notiora in eum finem adhibere.

Sidereus & Tropicus.

8. Annus Solaris alius ab Astronomis dicitur *Sidereus*, alius *Tropicus*. Ille est tempus, quo Sol ab unâ aliquâ stellâ fixâ digressus ad eandem regreditur: continet hic annus dies 365, horas 6, minuta 9, secunda 39. Cùm enim stellæ fixæ proprium, ut suprà indicavimus, habeant motum, & ferantur in consequentia secundùm polos Eclipticæ; hic annus idcircò præter unam circumvolutionem etiam comprehendet eam particulam, quam stella motu proprio peragravit. Annus verò *tropicus* sic dicitur, non tantùm quod ab uno Tropico ad eundem desumatur, (non enim necesse est, ut annus à Tropico inchoetur) sed quod ab uno cardine cœlesti incipiens in illum desinat. Undè est tempus, quo Sol ab uno punćto Zodiaci digressus ad idem revertitur. Hujus quantitas communiter constituitur dierum 365, horarum 5, minutorum 49 circiter.

Annus Julianus.

9. Annus Politicus *Julianus* à *C. Julio Cæsare* operâ celeberrimi Mathematici *Sosigenis* constitutus, paulò major est Tropico, nempè dierum 365, & horarum 6 præcisè, sive quod dictus Astronomus cum aliis talem crediderit, sive quod de industriâ minutias illas, ut minùs ad usum politicum utiles negligi voluerit. Hunc quoque annum utpotè tàm Politicis, quàm Ecclesiasticis functionibus peragendis accommodatiorem jam olim Romanum acceptavit Imperium, sicut & tota penè Europa unà cum Christi in terris Ecclesia, & etiamnum retinet. Hic annus iterum est duplex, *Communis* & *Embolismicus* sive *intercalaris*. Communem constituit *Julius* Cæsar dierum 365 præcisè neglectis horis, quibus auctior est annus Astronomicus Solaris. Embolismicum verò sive intercalarem voluit esse dierum 366, adeoque uno die auctiorem communi Juliano propter horas illas in tribus intermediis annis neglectas. Undè voluit dictus Cæsar annum quemlibet quartum superare tres annos intermedios uno die, ut ità, quod relictum erat, restitueretur. Quia porrò diem illum in anno quarto semper inseri voluit ad diem 24 Februarii, quo aliàs die numeramus Sextum Calendas Martii, dicebaturque bis-Sexto Cal. Martii, venit indè, ut hinc annus quartus Embolismicus dictus etiam fuerit *Bis Sextus*, vel *Bissextilis*.

Annus Lunaris.

10. Annus *Lunaris* est spatium, quo Luna cum Sole aliquot peragit Synodos sive aliquoties per annum Solarem conjungitur, ab eoque digrediens denuò ad eundem revertitur. Hic annus etiam est duplex: *Communis* scilicet & *Embolismicus*, sive *Embolismæus*, ut alii vocant. Communis est 12 lunationum integrarum. Embolismicus verò 13 propter dies relictos, quibus à Solari deficit: Undè communis habet dies plerumque 354, aliquando 353, sed rarò; quocircà illum plenum, hunc cavum, sive deficientem vocant; ille à Solari etiam anno deficit diebus 11, hic 12. Embolismicus ille habet 384, rarissimè 383; ille iterum *plenus*, hic *cavus* dicitur, priorque annum Solarem excedit diebus 19, posterior 18. Causa porrò, cur annus Embolismicus habeat aliquandò 383 dies, indè est, quia cùm Lunationes alternatim debeant esse nunc 30, nunc 29 dierum propter medias Lunationes astronomicas, quæ sunt dierum 29, horarum 12, min. 44, sec. 3 circiter, ut cum iis quàm proximè congruant; sit ergò, ut si ultima Lunatio anni Embolismici sit dierum 29, dies necessariò habeat 383, secùs si 30, tunc enim habet 384. De Annis *Ægyptiis*, *Persicis*, *Arabicis*, *Turcicis*, & *Judaicis* consule DE CHALES in Calendario, & alios.

Mensis.

11. Mensis licèt originaliter à Luna, quæ Græcis Μήνη dicitur, nomen deduxisse videatur, triplicis tamen generis esse solet: Alius enim est *Solaris*, alius *Lunaris*, alius *Usualis*. Mensis Solaris est spatium temporis, quo Sol conficit integrum signum cœleste, id quod fit interdum celeriùs, interdum tardiùs, plerumque tamen diebus 30, qui mensis Solaris vulgò dicitur, estque pars duodecima integræ revolutionis Solis. Mensis Lunaris, qui & mensis propriè dicitur, est intervallum temporis, quo Luna percurrens 12 Zodiaci signa ad idem redit punctum, undè fuerat digressa, Estque triplex, nempè Periodicus, Synodicus & Illuminationis. Periodicus mensis est intervallum temporis, quo Luna periodum cursûs sui absolvit; dicitur etiam aliàs Mensis peragrationis. Synodicus mensis est intervallum ab una conjunctione cum Sole ad alteram; undè & mensis conjunctionis dicitur. Mensis illuminationis sive apparitionis est intervallum temporis à primâ Lunæ facie, & conspectu usque ad ultimam Lunæ faciem, seu conspectum: sive est intervallum, quo Luna à Sole illuminari incipit, & definit. Mensis verò usualis est spatium illud temporis dierum ab Antiquis determinatum, certo cuilibet indito

nomine Calendariis nostris inscriptum: Singulorum autem mensium nomina hæc sunt: *Januarius*, *Februarius*, *Martius*, *Aprilis*, *Majus*, *Junius*, *Julius*, *Augustus*, *September*, *October*, *November*, *December*. Quot autem quilibet ex his contineat dies, sequentes indicant versus:

Ter denos September habet, totidemq́ November,
Junius, Aprilis: reliquis superadditur unus.
Anno in communi vicenos Februus octo
Continet, hunc uno in Bissexto semper adauge.

Hebdomas vel Septimana.

12. *Hebdomas* sive *Hebdomada* aut *Septimana*, ut fert ipsa vocis significatio, est septem dierum summa, sive Deum ipsum habeat institutorem, qui diem septimum sanctificavit, & ab opere vacavit, ut Scriptura sacra memorat; sive in variis nationibus varios sit nacta institutores. *Hebdomadas* verò continet annus 52, & in anno communi superest dies unus, in Bissextili dies duo. Hanc anni in hebdomadas distributionem omnis penè sub Cœlo natio est amplexa, quamvis in ordinatione & vacatione ab operibus sit dissensus: Nam Judæi Sabbathum pro festivo cultu tenent; Turcæ & Mahometani diem Veneris; Christiani verò diem Dominicum colunt ob memoriam Resurrectionis dominicæ, isque etiam Feria prima olim dici consuevit, secundus verò à die Dominica feria secunda, & ità deinceps excepto ultimo, qui Sabbathi nomen retinuit. Vulgus exceptâ die Dominica veterem appellationem apud Romanos usurpatam retinet, apud quos Dies Dominica Soli, feria secunda Lunæ, tertia Marti, quarta Mercurio, quinta Jovi, sexta Veneri, Sabbathum Saturno dicabatur ob dominium, cujusque Planetæ in primâ hora cujusvis inchoatæ diei vel feriæ juxtà Astrologorum antiquorum mentem.

Calendæ, Nonæ & Idus in Calendario Romano.

13. Romani etiam quemcunque mensem in Calendas, Nonas & Idus sic distribuerunt, ut reliqui dies mensium ab his vocabulis denominarentur. Habuerunt igitur in quolibet mense Romano terni tantùm dies peculiaria nomina, videlicet Dies Calendarum, Nonarum, atque Iduum. Cœteri ab his dies denominabantur, ità tamen, ut retrò seu præposterè numerentur dies, qui Calendas, Nonas, atque Idus antecedunt. Undè, qui proximè Calendas præit, pridiè Calendas dicebatur, alter tertius Calendas, & sic consequenter, prout dies minùs aut longiùs ab his distant. Idem intelligendum de iis, qui Nonas atque Idus antecedunt. Quot autem quisque mensis Nonas, Idus, aut Calendas habeat, facilè addisces ex sequentibus versibus, ac etiam ipso Calendario Romano ad tabulam redacto, prout infrà patet.

Prima dies mensis cujusque est dicta Calendæ;
Sex Nonas Majus, October, Julius & Mars,
Quatuor at reliqui: Tenet Idus quilibet octo.
Indè dies alios omnes dic esse Calendas.
Quas retrò numerans dices à mense sequenti.

Usus verò Tabulæ hic est: Si dato aliquo die mensis scire velis, quomodo juxtà Calendarium Romanum sit scribendus: inquire imprimis mensem in superiori parte tabulæ, & abindè in eâdem columna descende, ac vide, quis numerus respondeat diei mensis in primâ columna; hic designat inscriptionem petitam. Ità reperies Ex. gr. die 10 Januarii scribendum: Quarto Idus Januarii: Die verò 20 ejusdem; Decimo tertio Calendas Februarii &c. Vide Tabulam.

Calen-

Calendarium Romanum.

Dies Mensium.	*Januarius. Augustus. December.*	*Martius. Majus. Julius. October.*	*Aprilis. Junius. September. November.*	*Februarius.*
1	*Calendæ.*	*Calendæ.*	*Calendæ.*	*Calendæ.*
2	IV	VI.	IV	IV
3	III	V	III	III
4	Pridie Nonas	IV	Pridie Nonas	Pridie Nonas
5	Nonis.	III	Nonis.	Nonis.
6	VIII	Pridie Nonas	VIII	VIII
7	VII	Nonis	VII	VII
8	VI	VIII	VI	VI
9	V	VII	V	V
10	IV	VI	IV	IV
11	III	V	III	III
12	Pridie Idus	IV	Pridie Idus	Pridie Idus
13	Idibus.	III	Idibus.	Idibus.
14	XIX	Pridie Idus	XVIII	XVI
15	XVIII	Idibus.	XVII	XV
16	XVII	XVII.	XVI	XIV
17	XVI	XVI	XV	XIII
18	XV	XV	XIV	XII
19	XIV	XIV	XIII	XI
20	XIII	XIII	XII	X
21	XII	XII	XI	IX
22	XI	XI	X	VIII
23	X	X	IX	VII
24	IX	IX	VIII	VI
25	VIII	VIII	VII	V
26	VII	VII	VI	IV
27	VI	VI	V	III
28	V	V	IV	Pridie Calendas
29	IV	IV	III	
30	III	III	Pridie Calendas.	
31	Pridie Calend.	Pridie Calend.		

Dies. 14. Dies apud omnes Astronomos est Mensura temporis, quo Sol motu primi mobilis raptus integrè circà tellurem volvitur. Dividitur in 24 horas, diversimodè tamen, ut infrà dicemus. Distingitur â Mathematicis in diem Naturalem & Artificialem. Ille est spatium, quo diurnus, ac quotidianus Cœli motus restituitur continens diurnam lucem, & nocturnas tenebras, periodo 24 horarum absolutâ. Dicitur etiam *Civilis*, quia in civilibus negotiis & contractibus imprimis observari solet. *Artificialis* autem est spatium, quo Sol suprà Horizontem existens nostrum illuminat hemisphærium; undè incipit ab ortu Solis, & finitur in occasu ejusdem. Similiter dicitur *Nox artificialis*, quæ ab occasu Solis incipit, & terminatur in ejusdem exortu. Diei partes majores sunt tres *Mane, Meridies & Vespera.* Manè est principium diei, cum Solis centrum est in ortu, & cum Sole suprà Horizontem emergit: latè tamen sumitur pro omni tempore illo usquè ad meridiem. Meridies est pars diei, qua Sol meridianum suo centro attingit. Vespera est postrema pars diei â meridie usquè ad Solis occasum: Strictè verò est tempus illud, quo Sol centro suo Horizontem occidentalem attingit. Similiter Noctis artificialis partes sunt tres: *Crepusculum Media nox, & diluculum*, sivè *Aurora.* Crepusculum est spatium temporis, quo Sol sub Horizontem demersus nondum ultrà 18. grad. in Eclipticâ sub Horizontem, descendit. Media nox est spatium, quo Sol suo centro Meridianum sub Horizonte hoc est, Meridianum nostro Meridiano oppositum attingit. Diluculum est finis noctis, quem constituit mora illa Solis infrà Horizontem, quâ tantùm 18 grad. Eclipticæ Sol ab Horizonte orientali distat: ejus autem pars illucescenti diei propior vocatur Aurora, quasi aurea Cœli ora, aut hora, vel aura rorans.

15. Hora est æquale temporis spatium, in quod

Horæ & earum distinctiones.

in quod dies dividitur. Ejus Etymon aliqui deducunt â Sole horarum distributore, quem Ægyptii *Horum* vocare consueverunt: alii â græco verbo *Horizin*, quod terminare, distinguere ac dividere significat. Distinguuntur imprimis horæ in *æquales*, & in *inæquales*, aliàs *antiquas*, *temporales*, & *Judaicas* sic dictas, quod ab Antiquis & præcipuè â Judæis in usu fuerint, ac pro tempore longiores aut breviores, ideóque tempori convenientes. Æquales sunt pars vigesima quarta diei naturalis; Inæquales verò sunt pars duodecima diei artificialis aut Noctis artificialis. Horarum æqualium ttes sunt species, seu denominationes propter tria diversa diei naturalis apud diversas Nationes initia, aliæ enim vocantur Astronomicæ, & inchoantur â meridie; aliæ Babylonicæ, sivè ab ortu; aliæ Italicæ, sivè ab occasu, quia apud ejusmodi nationes ita numerari solebant. Astronomos imitantur Germani & Galli, ac plerique ferè Europæi: nam inchoant quidem diem cum Astronomis â Meridie, sed non ut illi horas continuatas 24 numerant usquè ad alteram meridiem, sed duodecim tantùm â meridie ad mediam noctem, totidemque â mediâ nocte ad meridiem. Judæi verò olim & plures alii Antiqui, qui diem artificialem inchoabant ab ortu Solis, noctem verò artificialem ab occasu Solis, utramque & diem & noctem in 12 suas partes æquales diviserunt, hinc quidem horæ unius diei aut noctis inter se fuerunt æquales, respectu tamen diversorum dierum, aut diurnæ respectu nocturnarum fuerunt perpetuò inæquales, exceptis diebus iis, in quibus Æquinoctia contingunt; tunc enim omnes horæ utrinque fuerunt æquales. Quià verò etiam Astrologi his horis usi fuerunt ad prædictiones, aut electiones rerum, dum cuilibet horæ certum aliquem Planetam, cui dominaretur, præfecerunt, idcircò etiam horæ Planetariæ vocari consueverunt, sed de hisce horis, earum origine & vanitate aliquid ampliùs § sequenti judicamus dicendum.

§. II.
De origine, abusu, & vanitate horarum Planetariarum.

Libet hìc obiter originem, usum, aut veriùs abusum horarum Planetariarum, undenam illarum observatio profluxerit, exponere, Vanitatemque ac veteris superstitionis omnis ferè sementem nonnihil castigare.

Horarum Planetariarum Origo.

Quod igitur illarum profluxum & originem concernit, non video aliam â peritis Antiquitatum statui & edici, quàm ab ipso Mundi antiquo systemate. Cùm enim crederent antiqui hunc esse cœlorum ordinem, ut infrà Solem Venus, infrâ hanc Mercurius, infrà illum verò Luna gyros suos peragerent; summus verò esset Saturnus, infrà quem Jupiter & deinde Mars cœli ambitum percurrerent: inde ominati sunt, imò Planetas certâ & indubitatâ lege quadam eundem ordinem ad suos effectus telluri communicandos observare concluserunt; sic ut dùm singulis horis ordine illo præessent, etiam effectus ità diffunderent. Quod confirmat *Kircherus in Oedip. Ægypt. tom. 2. part. 2. clas. 6. cap. 9.* cùm docet: Ægyptios magnum in septem Planetis singulis diei horis dominantibus mysterium posuisse, atquè primos fuisse, qui singulos septimanæ dies singulis Planetis attribuerent. *Putabant enim*, inquit, *singulis horis ab ortu Solis usquè ad alterum ortum noctu diuque aliquem ex præsidibus Planetis præ esse, undè & in hunc usque diem Astrologica vanitas profluxit, quia Astrologi nihil ferè nisi prius Planetæ dominantis horâ inspectâ, perspectâque auspicantur.* Ubi vides Ægyptios primos vanitatis hujus observatores fuisse.

Verùm non video, nequè constat ratio, cur ad istud negotium Astrologicum horas inæquales potiùs adhibuerint; an non æquè pro dominio Planetarum distribuendo convenire poterant horæ astronomicæ æquales? an non poterant horæ ab ortu, aut ab occasu assumi meliùs & accomodatiùs, quàm inæquales? præsertim cùm summa sit in diversis terræ partibus earum inæqualitas, dùm dies & noctes, quarum mensura sunt, plurimùm inæquentur. Verùm sentiendum, quod uti Ægyptiis suæ maximè placuêre semper vanitates, ità vanissimo fastu & reconditiori quâdam industriâ observare arcana sua statuerint, ne fortassis ipsorum magica superstitio in vulgus abiret, ac vulgari quodam plebis usu vilesceret. Mirum etiam, quod tot Genios, quibuslibet horis præsides ejus potestatis invenerint, qui horâ quâvis citati mox pareant virtute & efficaciâ in medicamentis, amore, intelligentiâ & rerum cognitione, discretione boni & mali, prosperitate, pace & concordiâ, scripturâ, seminatione, plantatione & variis aliis actionibus, ut citato suprà loco apud *Kircher.* videre licet. Illud verò magìs admirandum etiam adhuc quosdam nostris temporibus Christiani nominis, ac fidei cultores ità temerè nugas istas amplecti, ut sanioris ac reconditæ cujusdam Philosophiæ speciem affingere non vereantur. Quo verò sciri facilè etiam possit quâcunque data horâ inæquali, quis nam ex Planetis per singulos Septimanæ dies dominetur: Inspici potest sequens tabula, in quâ inæquales horæ tam diurnæ, quàm nocturnæ â latere notatæ sunt: Suprà verò in transversali serie patent dies Septimanæ. In communi itaque concursu Planeta existens est is, qui ad datam aliquam horam dominatur.

Tabula oſtendens, quâ horâ inæquali Planeta quilibet dominetur ex mente Antiquorum.

Feriæ		I	II	III	IV	V	VI	Sabbatum.
Dies Septimanæ.		Solis	Lunæ	Martis	Mercurii	Jovis	Veneris	Sabbati
Horæ inæquales diurnæ,	1	☉	☽	♂	☿	♃	♀	♄
	2	♀	♄	☉	☽	♂	☿	♃
	3	☿	♃	♀	♄	☉	☽	♂
	4	☽	♂	☿	♃	♀	♄	☉
	5	♄	☉	☽	♂	☿	♃	♀
	6	♃	♀	♄	☉	☽	♂	☿
	7	♂	☿	♃	♀	♄	☉	☽
	8	☉	☽	♂	☿	♃	♀	♄
	9	♀	♄	☉	☽	♂	☿	♃
	10	☿	♃	♀	♄	☉	☽	♂
	11	☽	♂	☿	♃	♀	♄	☉
	12	♄	☉	☽	♂	☿	♃	♀
Horæ inæquales nocturnæ.	1	♃	♀	♄	☉	☽	♂	☿
	2	♂	☿	♃	♀	♄	☉	☽
	3	☉	☽	♂	☿	♃	♀	♄
	4	♀	♄	☉	☽	♂	☿	♃
	5	☿	♃	♀	♄	☉	☽	♂
	6	☽	♂	☿	♃	♀	♄	☉
	7	♄	☉	☽	♂	☿	♃	♀
	8	♃	♀	♄	☉	☽	♂	☿
	9	♂	☿	♃	♀	♄	☉	☽
	10	☉	☽	♂	☿	♃	♀	♄
	11	♀	♄	☉	☽	♂	☿	♃
	12	☿	♃	♀	♄	☉	☽	♂

Ordo dierum ſeptimanæ.

Ex hac quoque tabulâ facilè perſpicitur, undè fit ordo iſte dierum Septimanæ â ſingulis Planetis nominatorum; cur etiam ſingulis ordinatim diebus Planetæ ordine ſuo non reſpondeant, ſed interruptâ quadam ſerie procedant, cujus quidem non eſt alia ratio, quàm quod dominium Planetarum ordine retrogrado â ſuperiori ſcilicet Planeta ad inferiorem procedendo intra Spatium 24 horarum, ſivè diem naturalem progrediatur; Undè ſemper 25 hora, quæ eſt prima ſequentis diei, competit Planetæ dicto ordine ſuccedenti, ut meliùs in tabulâ videre licet. *Athanaſius Kircherus loc. ſupra cit.* putat progreſſum iſtum Planetarum ex naturâ Septenarii numeri originem ſuam traxiſſe. Si enim diſponas Planetarum ordinem in ſeptem Pentagoni cuſpidibus, ut in figurâ factum vides, conſpicies, manifeſtò hujuſmodi diſpoſitionem Planetarum per dies Septimanæ ex ipſâ naturâ Septenarii profluxiſſe, *qui Spatio 24 horarum ternâ revolutione peractâ cum binis ordinè ſequentibus Planetis neceſſariò efficit, ut primam horam dierum Septimanæ is nanciſcatur Planeta, qui præcedentis diei Planetariâ revolutione poſt ultimum immediatè ſequitur.* ità *Kircherus.*

Habés



Habes itaque hic Lector brevem istarum inæqualium horarum Paraphrasin, quæ si non placeat, lege *Kircherum loc. cit.* qui undenam veriùs hæ suam traxerint originem unà cum Geniis addictis, *non nisi*, ut inquit, *ex caliginosâ Diaboli culinâ liberè edicit : ex quibus ad æterna*, superaddit, *infernalis barathri præcipitia aditus pateat ad ultimum its utentium exterminium, quippe cum aliàs Auctor illarum non sit, nisi totius Matheotechniæ Magister & artifex Cacodæmon.* Sed hæc ità indicasse sufficiat. Qui plura de his scire cupit, ipsosque Genios cuilibet horæ præsidentes cum eorum nominibus & virtutibus, consulat præfatum Authorem *loco sup. cit.*

§. III.

Chronoscopium encyclicum, quo tempus quodvis horarium diurnum & annuum cum variis aliis tempori connexis veterum Astrologorum observantiis facilè indagari potest.

Infero hìc Chronoscopium mirabile Encyclicum, quod in *Oculo meo artificiali Fund. 3. Synt. 5. cap. 7.* quidem explicavi, figuram quæ omninò necessaria est. Tunc Lectori communicare non potui, eò quod Librarius sumptibus parcens eandem æri incidere non permiserit. Chronoscopium hoc pro latitudine 50. Gr. constructum est, ad cujus tamen normam & exemplar peritus artifex simile aliud latitudini Regionis suæ conveniens facilè conficere poterit; Servit autem tempori cuilibet horario, diurno, & annuo facillimè indagando cum aliis quibusdam Veterum Astrologorum tempori connexis observantiis. Explicationem breviter denuò subjicio, iisdem penè verbis ut *cit. loco* proposui.


Quadræ Medicæ. Ad Centrum imprimis figuræ Chronoscopicæ exhibentur Quadræ Medicæ: indè per extensum à centro filum ad horas Europæas, vel quascunquè alias in Horoscopio generali designatas facilè addisci potest tempus, quo scilicet juxtà Medicos humor aliquis in Corpore humano prædominari solet.

Horæ Regiminis Planetarum. Limbus, qui proximè has Medicas quadras consequitur, exhibet tempus Regiminis Planetarum in singulis horis planetariis tam diurnis, quàm nocturnis secundùm ferias, & dies hebdomadæ ibidem signatas: Usus porrò talis est. Cognitâ horâ planetariâ, quæ per lineas recurvas pluribus punctulis paulò crassioribus designatas in Horoscopio generali mox explicando denotatur, & propè limbum Regiminis Planetarum etiam per notas numerales latinas indicatur, si in plano circulari competente scilicet feriæ, sivè diei hebdomadæ Planeta respondens horæ Planetariæ priùs inventæ observetur; erit is, qui tunc juxtà Antiquorum Astrologorum mentem dominari censetur.

Horoscopium generale. Post limbum Regiminis Planetarum exhibetur Horoscopium generale ostendens omnis generis horas, in quas tempus diurnum dividi consuevit, ut Astronomicas, Europæas, Italicas, Babylonicas, ac Planetarias, sivè inæquales antiquas Judaicas. Eo autem artificio Horoscopium pro latitudine 50 Gr. delineatum est; ut primò spatium albicans ostendat tempus diurnum & horas illi competentes; nigricans verò sivè atrum Tempus nocturnum ac horas illi competentes. Integri verò circuli invicèm paralleli & concentrici eidem inscripti denotant parallelos Solis, ac signa cœlestia, sicut & ibidem notis suis expressa cerni possunt. Lineæ curvæ ab ortivo Horizonte computatæ denotant horas ab Ortu, ab occiduo Horizonte computatæ horas Italicas sivè ab Occasu Solis; Punctulatæ recurvæ lineæ horas Planetarias significant; rectæ autem ad exteriorem limbum productæ Horas Europæas & Astronomicas. Quomodò verò practicè pro quovis Horizonte tale Horoscopium generale sit construendum, docet *Kircherus in Art. magn. part. 3. cap. 3.*

Usus Horoscopii. Usus Horoscopii hujus iste est. Appli-


CONSERVA TEMPUS



Tempora labuntur tacitisque senescimus Annis,
Et fugiunt freno non remorante dies
Ovidius lib. 6 Fast.

CHRONOSCOPI
QU
TEMPUS QUODVIS HO
Cum variis aliis tempori
Variis Observanti
pro la

Delineavit F. Iohannes Zahn Ord. Præmonst. professus Cella



IUM ENCYCLICU
U
ORRIUM DIURNUM ET ANNUUM
Chexis veterum Astrologorum.
ys facile indagari potest
tio Grad

Cuncta trahit secum vertitque volubile tempus
Nec patitur certa currere quemque via.
Cornelius Gallus.

hujus ſite eſt. Appli- roſcopii,
cato

cato ad Centrum figuræ Chronoſcopicæ filo cum gemmulâ vel facto tantùm nodulo in eodem filo, extendatur illud, vel nodulus, ità ut gemmula vel nodulus parallelo Solis, in quo pro tempore illo Sol exiſtit, exactè conveniat: Ducatur deindè filum per circuitum, & demonſtrabit gemmula pro eodem tempore diurno omnis generis horas ac horarum quarumvis initia, atquè alia, ut in oculo meo artificiali indicavi.

Calendarium cum Zodiaco.

Ultrà Horoſcopium generale jam explicatum decircinatum eſt Calendarium cum Zodiaco, ubi ad datum comprimis diem cujusvis menſis locus Solis facilè indagari poteſt. Alia verò proximè circumſcripta ita etiam ſunt ordinata, ut ex iis mox addiſci poſſit dato quovis die ejus longitudo, ac in eodem Solis ortus & occaſus, ſimodò filum è centro per diem in Calendario protendatur; abſcindet enim locum Solis in Zodiaco, longitudinem diei & noctis, uti & ortum ac occaſum Solis competentem.

Invento ſigno cœleſti reſpondet ejusdem natura cum variis aliis qualitatibus eidem appropriatis, quas Aſtrologi cuilibet ſigno tribuere ſolent. Quodſi ſcito die Nativitatis alicujus ſcire cupias juxtà vaniſſimorum Ægyptiorum, aliorumquè ex aſtris nugantium Aſtrologaſtrorum commenta, quos Natus aliquo die annos climactericos, ſivè vitæ periculoſos timere poſſit: vide inter ſigna Decanum, & in eodem numeros, qui diei Nativitatis reſpondent: denotabunt hi numeri dictos annos gradarios climactericos quæſitos.

Anni climacterici.

Influxus ſolaris in certa hominis membra.

Planetarum figuræ ſcriptæ ſuper certas humani corporis partes & membra in ſubſequente limbo figuræ Chronoſcopicæ indicant datâ horâ Planetariâ, ſivè Regiminis alicujus Planetæ (quam ſuprà in Horoſcopio generali ex limbo Regiminis Planetarum addiſcere docuimus) quas partes Sol in eodem ſigno exiſtens reſpicere, ac comprimìs influxu ſuo regere ab Aſtrologis aſſeritur. Reliqua in figurâ Chronoſcopicâ expreſſa, cùm per ſe facilè ipſâ inſpectione intelligantur, explicationem ampliorem non requirunt.

§. IV.

Mirabilia quædam miſcellanea Chronologica producuntur.

Annus Ægyptius tot habet [di]es quot [He]noch vi[x]it annis.

1. Antiqui Ægyptii hoc ipſo ſibi multùm applaudebant, quod Annum civilem ità conſtituiſſent, ut numerus dierum æqualis eſſet numero Annorum vitæ primi *Adris*, aut primi illius ante diluvium *Hermetis* ſivè *Henochi*, ſicut & Sacra Scriptura expreſſè declarat eum trecentos ſexaginta quinque annos inter homines vixiſſe. Sic enim *Gen. cap. 5. v. 23. facti ſunt omnes dies Enoch trecenti ſexaginta quinquè anni*; totque diebus conſtitit annus civilis Ægyptiorum.

[T]urcæ [h]oras & [h]orologia [n]on habeant.

2. Inter omnes populos nulli ſunt negligentiores Temporis quàm Turcæ: nequè enim illis ſunt horæ, quibus Temporum ſpatia diſtinguant. Taliſmannos enim habent, ut ſcribit *Aug. Busbequius in itinerario*, hominum genus Templorum miniſterio dicatum; Hi menſuris utuntur ex aquâ, quibus, poſtquàm adventare auroram cognoverunt, clamorem tollunt è celſâ turri in eum uſum conſtructâ, quo homines ad venerandum Deum hortantur & accerſunt. Idem faciunt medio tempore inter exortum Solis & meridiem, idem & repetunt meridiem inter & occaſum, poſtremò Sole occidente voce utuntur acutiſſimâ, eam non injucundâ modulatione vibrantes, quæ longiùs quàm credi poſſit, exauditur. Sic totus dies Turcis in quatuor dividitur ſpatia majora, aut contractiora, ut anni fert tempus: Noctis verò omne tempus incertum eſt.

3. Nulla videtur eſſe natio ſub Cœlo, quæ tàm exactam Temporis rationem obſervat, quàm Sinica. *Nil enim, unquàm ad eò fuit cordi Sinenſibus*, inquit *Kircherus in Chinâ illuſt. part. 2. cap. 9.* *quàm exacta Temporum conſtitutio, ſine quâ nequè geſta Regum, nequè hiſtoriæ omnium ſæculorum ſcitè recenſeri poſſe, rectè & laudabiliter autumabant: Undè nullo non tempore in id incubuêre, ut eam ſtabilirent.* Atquè ut P. *Ferdinandus Verbieſt in Aſtron. Europæa cap. 9.* refert. *Tanta eſt Calendarii dignitas apud Nationem Sinicam, & finitimos Reges, atquè in Regimine politico tantam habet auctoritatem, ut ſolo hoc titulo, quo quis admittit unius Regni Calendarium, jam cenſeatur illi Regno ſe ſubjicere, & tributum profiteri.* In hujus confirmationem exempla quædam recentia ſubjungit his verbis. *Sic*, inquit, *nuper Sinenſium Rebellium caput & Rex (ut ipſi quidem appellant) poſtquàm non paucas provincias Tartaro eripuerat, ſollicitans Regem Cochinchinæ, ut in ſuas partes veniret, inter alia munera primo loco Calendarium antiquum Sinicum, quod ipſe tanquàm ſuum proprium edebat; illi quaſi adorandum miſit, quo ille admiſſo, hoc ipſo jam ſe pariter Tartaro rebellem eſſe palàm declaravit, & ideò hoc ipſo anno 1680 Rex Tumkinenſis ad Imperatorem Tartaro Sinicum (cui ille tributum ſolvit) miſſo libello ſupplice hoc titulo accuſavit Regem Cochinchinæ diſertis verbis dicens: Illum jam Tartaro palàm rebellem eſſe, eoquod Calendarium rebellium admiſerit.* Meminit deindè ibidem Regis cujusdam Piratarum, qui Auſtrales aliquas Inſulas Tartaro eripuerat, jamque provinciæ Fokinenſis mediam partem occupaverat, quod miſſis legatis ſollicitans ejusdem provinciæ Regulum alterum Sinenſem Tartaris rebellem, ut in ſuas etiam partes veniret, ſtatim ſuum illi Calendarium adorandum propoſuerit, quod ubi ille reſpuit, iterum bellum, ſicut antè, indixerit.

Exactiſſima Temporis ratio apud Sinas.

3. Quantâ etiam cùm ſolennitate quotannis Calendaria in Chinâ Imperatori, ac Mandarinis offerantur, curioſum æquè ac volupe eſt ſcire; Undè ex eodem Authore libet paulò prolixiùs recenſere. *Singulis annis, die primo menſis decimi*, inquit loc. cit. *intra Palatium Imperatoris diſtribuuntur Calendaria anni proximè ſequentis omnibus totius Curiæ Pekinenſis Mandarinis. Itaquè ſummo manè omnes Mandarini ad Palatium ſe conferunt. Eodem die & horâ Mandarini omnes Tribunalis Aſtronomici, quiſquè juxta gra-*

Mirabilis ſolennitas, qua Calendaria in Chinâ Imperatori ac aliis offerantur.

dum suum insignibus Mandarinicis induti magnâ cum solennitate è tribunali sua Calendaria ad Palatium deferenda comitantur. Imperatoris quidem Calendaria, nec non Imperatricis, ac præterà aliarum Reginarum singula majori formâ nitidissimè compacta; & holoserico flavo cooperta, ac deniquè panno amplo serico auro intertexto involuta pariter in pegmate alto, atquè undiquè deaurato collocantur, quod quadraginta & ampliùs bajuli humeris gestant, & primo loco incedunt. Hoc pegma sequuntur decem, subindè duodecim vel amplius pegmata minora item deaurata cortinis ex rubro serico undiquè clausis, intrà quæ collocantur Calendaria eorum Regulorum, qui Imperatori sanguine proximo juncti sunt, quæ holoserico rubro cooperiuntur, atquè rubro etiam panno serico argenteis filis intertexto involvuntur. Hæc deniquè pegmata sequuntur plurimæ mensæ tapete rubro stratæ, in quibus Calendaria Magnatum, belli Ducum, & aliorum tribunalium, pro cujusquè gradu & ordine collocantur, singula munita sigillo majoris Tribunalis Astronomici, & cooperculo flavo ornata, quem colorem res duntaxat ad Imperatorem spectantes, tanquàm insignia sua possunt ostentare: singulis etiam mensis adjuncta sua schedula, in quâ nomen Mandarini præcipui, aut Tribunalis, ad quod Calendaria spectant, distinctè scriptum est. Hoc itaquè ordine & pompâ Calendaria è Tribunali Astronomico ad Palatium deferuntur, præeuntibus ordine suo ejusdem Tribunalis Mandarinis, quos longo item ordine ad utrumquè platearum latus præcedit Regia instrumentorum multorum musica tympanis & tubis augustum quid sonantibus. Ubi ad Palatium perventum est, statim aperiuntur omnes portarum Regiarum bipatentes valvæ, quæ ad singula atria, quæque multa, eàque amplissima sunt, in medio erecta sunt, per quas scilicet Soli Imperatori patet ingressus, egressusque; per has portas & per mediam atriorum viam, quam Imperialem vocant, Calendariorum pegmata instar currûs triumphalis introducuntur, Mandarinis omnibus ad dextrum, lævumque atriorum latus multiplici ordine exspectantibus, & vestibus suis multo auro intextis, ac pro cujusquè dignitatis gradu pretiosissimis splendorem non exiguum afferentibus. Ad ultimam Aulæ majoris portam bajuli pegmata humeris deponunt, & tam illa, quàm mensas ad utrumque viæ Imperialis latus ordine suo collocant, uno duntaxat pegmate majori, in quo Calendaria Imperialia, in medio relicto. Deniquè Mandarini Tribunalis Astronomici ex hoc pegmate depromunt Calendaria tam Imperatoris, quàm Reginarum, eaque binis mensis flavo holoserico stratis imposita deferunt usquè ad Palatii interioris portam, ibique flexis genibus, ac capite ter in terram dimisso tradunt ea Aulæ œconomis qui ordine etiam suo incedentes illa tum ad Imperatorem, tùm per manus Eunuchorum ad Imperatricem, aliasque Reginas deferenda curant. Mandarini verò Tribunalis Astronomici reversi ad amplissimum illud atrium, in quo alii omnium Tribunalium & ordinum Mandarini exspectant, reliqua Calendaria hoc ordine distribuunt. Omnes quidem Reguli præcipuum ex aulicis suis mittunt usquè ad viam illam imperialem, in medio atrii parumper eminentem, ubi quisquè flexis genibus Calendarium Reguli sui proprium & eorum omnium Mandarinorum, qui ad aulam Reguli spectant, excipit (vel unius Reguli aula facilè mille & subindè aliquot centena & amplius calendaria requirit) alii autem principes, belliduces, atquè omnium Tribunalium Mandarini singuli flexis genibus suum Calendarium, quod Mandarini Astronomici porrigunt, propria manu excipiunt. His ità ritè peractis omnes ad suum revertuntur locum, & juxtâ dignitatis suæ gradum ordine positi, ac vultu versus interiorem aulam converso ad præconis vocem pariter in genua procumbunt, & caput ter usquè ad terram inclinant; hac autem genuflexione ter iteratâ, atquè adeò capitis inclinatione novies repetitâ, idest, gratiis pro accepti novi Calendarii munere Imperatori actis, domum singuli revertuntur. Ad exemplum Aulæ Pekinensis in Metropoli cujusque provinciæ hoc ipso die â Prorege & aliis totius provinciæ Mandarinis Calendaria suo ordine accipiuntur: Calendaria autem Vulgi, quæ in quâvis provincia ad aliquot dena millia quotannis imprimuntur, (nulla enim est domus quantumcunquè inops, quæ singulis añis non emat novum Calendarium) passim venalia exponuntur. Ita ille. Quis verò festivam hanc solemnitatem non admiretur? quis ex relatis his non intelligat, quam magnæ huic nationi curæ esse debeat temporis ritè distributi ratio? quis sumptus in hunc finem collatos ex æquo computet, & æstimet?

5. Adeò etiam superstitiosi Temporis observatores esse solent Persæ, ut teste *Della Valle*, ad initium cujuscunque operis tempus auspicandi opportunum perquirant. Quem etiam in finem suas Ephemerides, quas *Tacuim* vocant, non tantùm permagni æstimant, sed & quocunquè vadunt, perpetuò ante pectus secum deportant, ut ad cujusque operis occursum electionis opportunitatem exindè perdiscant. Regi etiam Persarum idcircò Astrologus semper adhærere debet, ut pro natâ occasione cujusvis negotii ex cœlesti influxu tempus operi conveniens divinet. Testatur etiam memoratus *Della Valle*, dum legatione fungeretur ad Regem Persarum, se longo admodùm tempore accessum regiū obtinere non potuisse, quod Regius Astrologus *Mulla Gelal* dictus Regi inhibuisset, nè extraneis aures regias præberet; quousquè tandem Astrologus Cœli favorem & tempus exteris colloquendi indicasset. Meminit etiam *Olearius itin. Persici lib. 5. cap. 25.* dierum atrorum sivè infaustorum Persicorum, quales singulis mensibus Lunaribus septem numerant, veluti diem â Novilunio 3. 5. 23. 25. & reliquos, in operum perficiendorum initiis rejiciunt, cùm credant incepta in his finem optatum sortiri non posse.

Tempori observati apud Persas.

6. Calendæ Januariæ priscis Romanis celeberrimæ fuerê, quæ non modò omni lætitiæ genere celebrabantur, sed & â variis ad varios missis Xeniis optatissimum totius anni exorientis decursum auspicabantur. De quo veterum ritu *Suetonius in Octav. Aug.* ità scribit. *Equidem Romani & omnes Ordines*

Initia annorum cum gaudio celebrata.

nes Calendis Januarij strenam in Capitolio etiam absenti Cæsari deferebant. Eundem morem suo tempore viguisse tradit *Plinius lib. 18. cap. 2.* Et *Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 3. cap. 24.* scribit: *Est quoque illa observatio solemnis nimium diù servata, quæ quamvis principio anni mensibus variato tamen sicut initiò servari cœpta, ità ad postremum mansit, ut in aris vestalibus novum ignem Calendis Martiis accenderent, laureas virides tam in consularibus fascibus, quàm ædibus Regis Sacrorum flaminum, Vestalium atquè curiæ veteribus mutarent, mercedem magistris solverent, vectigalia locarent, matronæ servis cœnas apponerent, & festum diem agerent, quarè Matronalia dicta, muneraque viri mulieribus mitterent, ut in Saturnalibus viris mulieres, comitia auspicarentur.* Ità *Alexander. Libanius in expressione Calendar.* Paulò prolixiùs, & expressius describit solemnitatem illam celebrationis strenarum ad initium Anni his verbis. *Pridiè Calendarum donaferebantur per urbem, quæ mensam onerare & ornare possint. Hæc ab Optimatibus mutuo sese honore afficientibus, alia ab inferioribus mittuntur ad proceres, atquè ab his etiam ad illos; cùm hi quidem colant illorum potentiam, illi verò cultores suos deliciarum suarum participes faciant. At vespera cùm advenit, rari sunt, qui cubitum discedunt, pleraquè pars in canticis, tripudiis & jocis noctem agunt. Alij per ludum & jocum eos, qui in tabernis sunt & officiis inclamant, & fores pulsant, nec quiescere patiuntur &c. Deinde cùm aurora sublucere & Gallus cantare cœperit, tùm verò alii circum fana producunt cum bonis verbis equorum alborem, nitidi in vestimentis partem majorem purpureis, multæque faces prælucent. Equitum sequuntur ministri, qui nummos in populum spargunt. Ubi autèm sacris operati fuerint, qui equos alunt ad certamina, pergunt ad principes, & officio eorum palatino distribuunt aureos. Senatus præsens hanc fieri videt largitionem, & verò ipse facit. Nam ex Senatorum manibus hi nummi veniunt officio. Princeps quoquè ipse tunc osculatur civem, aurum dans, & accipiens. Enim verò & ad alios undequaquè aurum affluit, dum patroni Principem imitantur, qui dat, & accipit; alii dant, nequè accipiunt, in quo genere sunt discipuli, qui mercedem festi gratiâ solvunt. Ac die jam orto alii pergræcationes nocturnas ebrietate & crapulâ testantur, & totum diem stertunt; at qui politiores sunt, curam habent strenarum ac munerum missiculationum. Horum plerique dona mittunt amicis per ambulationes & angiportus pompaticè: aliqui majorem partem remittunt, alii nihil, aliquis omnia remittit, hic datori rem gratissimam facit. Hæc talia Calendis fieri solita.* Sic ille. *Tyberius* verò Cæsar, teste Suetonio, strenarum commercium noluit extendi ultra Calendas Januarias, quia ille dies propriè Xeniorum erat, undè ne *ultrà darentur, vetuit.* videatur *Cælius lib. 5. cap. 7.*

Annus magnus Platonicus.

7. Platonici inter alia deliria id etiam commenti sunt, quod dicerent certâ siderum revolutione peractâ omnes omninò causas, & effectus redituros, putà eosdem homines, urbes, scholas, &c. cujus revolutionis spatium vocabant Annum magnum, eumque concludebant triginta sex annorum millibus, quo spatio credidit *Ptolemæus* peragi cursum nonæ Sphæræ ab occasu in ortum. Cui tamen meritò contradixit Alphonsus Rex in suis tabulis inquiens, non nisi quadraginta novem annorum millibus istiusmodi periodum confici. Cœterùm Platonici suum dogma â Pythagoræis: hi verò ab Ægyptiis acceperunt, ut scribit *Herodotus lib. 2.*

Revolutiones Temporum mirabiles.

8. Illud certè admiratione videtur dignissimum, certis quibusdam temporum revolutionibus eadem aut similia sæpè contingere, quæ sive cœlestium Corporum influentiæ sunt tribuenda, ut volunt Astrologi, sive peculiari cuidam, eique reconditæ divinæ ordinationi, ac providentiæ, ut videtur mihi credibilius, suâ tamen admiratione non vacant. Ita eâ ipsâ die *Hierosolyma*, 10 Augusti capta est â *Tito*, destructumque templum, qua die eâdem ante annos 97 â *Babyloniis* templum exustum, & in cineres fedatum fuit. Qua die *Agathocles* hospitem, & socium *Opheltam* Cyrenæorum Ducem auxiliarium perfidè interfecit, eâdem filii ejus perierunt, & exercitus defecit. Similiter *Nero* eâdem die periit, quâ *Octaviam* Uxorem immeritam olim interemerat, ut refert *Suetonius.* A *Chereâ* occisus *Caligula* 23 die Januarii, quâ *Philippus â Pausaniâ. Rutilius* die 24 Junii interfectus fuit victo exercitu: post *Didius* eâdem die â *Marsis*, uterque & post *Siphax â Manissa* in Africâ, itemque *Asdrubal* in Italiâ â Romanis eâdem rursus die interemptus fuit, ut *Cardanus* memorat. *Constantinus* VI. Iconomachus qua die *Nicephorum* patruum excœcaverat, eâdem ipse post quadriennium oculis privatus est, ut testatur *Paulus Diaconus, Sigebertus & Zonaras. Carolus* V. Imperator natus die 25 Februarii, eâdem die vicit, & cepit *Franciscum* Gallorum Regem apud *Ticinum* Insubriæ Urbem, cùm perfecisset annum 25: eâdem rursum Augustale diadema de manu Pontificis Romani *Bononiæ* suscepit, *Majolo Auctore tom. 1. Canic. coll. 4.* Undè sæpè gloriabatur Augustissimus Princeps, quod hoc die non solùm vitam, sed & sortem Imperii, felicitatis & victoriæ accepisset. *Tullius Cicero de nat. Deor.* adducit exemplum duorum fratrum, qui cùm simul nati essent, iidem simul postea ægrotare cœperunt, eorumque morbo pariformiter ingravescente eodem medicamine sanati sunt. *Sigebertus* narrat, fuisse anno Domini 535 in Gallia natos duos fratres Geminos, qui ambo Sacerdotes facti, uno eodemque die electi Episcopi, ambos eodem anno, mense ac die mortuos fuisse: Unus erat nomine *Medardus*, Episcopus Noviomensis, alter *Gildardus* Episcopus Neomagensis. *Valerius Max.* refert *Polystratium & Hyppolidem* Philosophos eodem die natos, ejusdem præceptoris Epicuri sectam secutos, patrimonii etiam possidendi, alendæque Scholæ communione

nione conjunctos, eodemquè momento temporis ultimâ senectute extinctos fuisse. Addit deindè: *tam æqualem fortunæ pariter atquè amicitiæ societatem quis non ipsius cœlestis concordiæ sinu genitam, nutritam & finitam putet?* De *Antipatre* Sidonio Poëtâ scribit *Plinius lib. 7. histor. nat. cap. 51. Valerius M. lib. 1. cap. 8. num. 16.* eum omnibus annis uno tantùm die natali febre correptum, eodemque tandem in longâ satis senectâ consumptum fuisse: & *Isibordus ab Amelunxen in breviar. rerum memorab. Anno Christi 910. Hoboldum* quendam de *Habenwerthern*, scribit, singulis annis in die natali suorum parentum epilepticis insultibus infestatum, aliàs per totum annum optimè valuisse. Plura alia exempla passim obvia sunt apud varios Authores. Sed hæc nobis sufficiant.

Fortuna cujusque anni undè conjectari queat. 9. Fortunam cujusquè anni docet *Cardanus de variet. lib. 2. cap. 13.* facilè conjectare, si nempe duodecimi, decimi noni, octavi, quarti, & trigesimi præcedentes considerentur, & ad petiti anni conditionem comparentur. Rationem verò his subjicit verbis. *Causa verò horum est*, inquit, *duodecim, quia Jupiter redit ad eundem locum in natalitio die; & completur ordo 12. Signorum in processu. Et Ptolemæus multum tribuit huic circuitui locorum principalium, nisi id experimentis multis comprobasset: ideò hic circuitus est potentissimus, & significat suprà vitam, honores, & divitias, ac magistratus principaliter. Novendecim est; quia Luna redit ad eundem locum fermè, & quandoque etiam Mars, & ideò significat suprà corporis statum itinera, & fortunam, animique qualitates, sensusque. Octavo anno redit Venus ad locum suum, ideò significat gaudia, dona, & filios, conversationem cum mulieribus fermè similem, comparando tamen semper statui præcedentis anni: Nam nec cœcus videbit, nec pauper ditabitur, sed omnia habitâ proportione sunt metienda. Quarto anno redeunt loca Aphetica ad trigonum suum, quod etiam contingit anno octavo, ideò quartus est imbecillior, & hoc processu propter motum etiam Solis Ascendens, & cuspides ad idem redeunt: ideò talis anni constitutio magnam habet similitudinem cum suis correspondentibus in omnibus, non tamen adeò exquisitam, ut octavus, & multò minùs quàm duodecimus. Sed trigesimo anno Saturnus redit ad suum locum ideò significat easdem actiones in laboribus, & cultu rerum stabilium sed hæc similitudo est valdè parva propter ætatum mutationem.* Ità *Cardanus*, sed benè etiam subnectit. *Hæc autem non sunt semper vera, sed ut plurimùm, ut etiam omnes aliæ regulæ rerum naturalium:* quod est verissimum.

Reformatio Calendarii Miraculis confirmata. 10. Hoc etiam loco non videtur omittendum, quod sicut Deus per Ecclesiam voluit ad meliorem, legiquè suæ de celebratione Paschatis conformiorem ordinem redigi annorum dies, eisquè annexas festivitates per Calendarii reformationem: Ita etiam Privilegia certis festivis Sanctorum diebus â se concessa, & plurimis experimentis comprobata voluerit ipsis quidem diebus relinquere annexa juxtà tamen Authoritatis Ecclesiæ factam Calendarii reformationem ordinatis ac dispositis. Id quod lucilentissimis duobus exemplis confirmat *Ricciolus in præfat. lib. 1. Almag.* Nam primò cruor ille nobilis, qui *Neapoli* quotannis coram venerando *S. Januarii* Martyris capite liquescens ebullit die 19. Septembris ejusdem Sancti festivo die; ebullit quoquè de facto, sed illa, quæ est â Calendario Gregoriano 19 anticipato per 10 dies miraculo, perinde ac si sanguis Romanæ fidei testimonium semel perfusus iterum ac sæpius pro Romani Pontificis Authoritate fundatur. Sed & arbuscula quædam in Suevia, quam in honorem triplicatæ Virginitatis *MARIÆ* ante partum, in partu, & post partum semper Virgini B. Brigitta nocte Christi Domini natalitiâ in hortulo suarum Monialium plantavit, oravitquè, ut ejusdem nominis posteà prodigium illud solita renovare nocte Decembris inter 24 & 25 diem intercedente, hoc autem prodigium ab Anno 1582, qui primus fuit Reformationis Calendarii Gregoriani, contigit illa die, ad quam incidit festum Nativitatis juxta Gregorianum, non verò illâ, in quam incidit juxta Calendarium vetus, quem morem postea etiam subsequentibus annis constanter tenuit.

Partus numerosissimus tot infantum, quot dies sunt in anno. 11. Inter mirabilia Temporis referri quoque potest partus portentosissimus plurimorum Scriptorum monumentis consignatus Margaritæ cujusdam Principis fœminæ Hermanni scilicet Comitis Hennebergiæ Uxoris, Quarti *Florentij* Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filiæ, ac Sororis *Guilhelmi* Regis Romanorum, ac posteà Imperatoris, quæ annos quadraginta duos nata ipso die Parasceves Anno 1276 uno partu enixa est tot infantes, quot sunt dies in anno, nempè 365, qui omnes sacro lavacro â *Guidone*, velut alii, *Ottone* Episcopo Trajectensi initiati, ac deinde simul omnes uno eodemque die cum Matre facto concesserunt, ac in Laudunensi templo sepulti fuerunt. Historia cùm sit decantatissima, & â pluribus Scriptoribus, *Cuspiniano, Junio, Meyero, Lipsio, Drexelio, Genebrardo, Ludovico Vives, Laurentio Beyerlinck, Majolo, Fulgoso, Erasmo Roterodamo, ac Donato*, quamvis non uniformiter descripta, ac recentissimè *â Caspare Schotto in Phys. cur: lib. 3. cap. 29. §. 2.* cum suspectâ illi de veritate fide relata, eam meritò pluribus enarrare supersedeo. Plura alia mirabilia per Temporis varietates contingentia passim in hujus operis decursu possunt observari, quæ hîc minimè repetenda sunt. Adducam tantùm Curiosis Sciolis diariũ Physico-Magicum notabilium, ac mirabilium quarundam observantiarum, quarum tamen plurimas superstitiosas, ac vanas â plebe magis, quam viris doctis æstimatas ingenuè profiteor & præmoneo.

CAPUT

CAPUT XII.

Fasti Magico-Physici Notabilium & mirabilium quarundam Observantiarum per Annum.

§ I.

Observantiæ quædam generales de Anno & ejus partibus.

1. Annus quiscunquè sæcularis speciali prærogativâ potens dicitur, multumque aptus ligandis Spiritibus, adjurandis calvariis, ac aliis mirabilibus patrandis. *Itâ Joan. Caramuele* dicente *in appar. Philos. lib. 1. num. 128.* nugantur illud cranium, quod in *Alberti M.* Bibliothecâ *S. Thomæ Aquinati* fuit locutum, sub sæculari constellatione consecratum non aliter, quàm anno centesimo refici posse.

2. Anni bissextiles superstitionibus aptiores habentur fœminarum judicio, quia soli dies furto ablatus restituitur, ut ait *idem Caramuel.*

3. In Anno Bissextili pecus tenellum & juvenile, uti & altilia haud proficiunt; veluti gallinæ, anates, anseres, vituli ac juvenci. Neque eodem anno insitio arborum & quarumvis plantarum cultura olitoribus apprimè probatur.

4. Vitis per septem continuos annos non semper perit, aut sterilescit, sed intrà septennium cultori uno alterovè anno largum pro laboribus & culturâ præmium confert.

5. Quinto quovis annio vicies in agris frumentariis abundè germinare, severè credunt Ruricolæ.

6. Anile commentum est, quod cum quis primùm in anno reduces spectat ciconias, easque videt volantes, eo ipso eximiè diligens, & industrius futurus sit: secus, cum videt stantes, aut confidentes, & nidis incumbentes, quod piger, socors, aut languidus sit futurus.

7. Ad primum hirundinum conspectum si in loco, quo steteris, terram foderis, carbonem reperies ad febres pellendas utilem. Nugæ! Nugæ!

8. Observantia tamen vana non est, cùm tempore Hyberno vulpes & lupi præter morem ululant, sævum frigus imminere; Si extrà hyemem in æstate: calamitatis publicæ nuntii perhibentur.

9. Aves insuetæ, peregrinæ obvolitantes quocunquè anno, & tempore hostium incursus, & bellorum imminentium prodromæ sunt.

10. SI in vere signa frigoris & siccitatis advertantur, in fine veris cadet pruina juxtà pleniluniun, & ideò eodem anno paucitas erit fructuum & vini ferè eveniet nihil.

11. Si ver & æstas nimis humeant imbribus ac pluviis, aut caligo vel pruina cum australibus ventis, dùm omnis parturit arbor, & omnis floret ager, invalescere deprehendatur, fructuum inopia illo ipso anno, aut saltem eorum corruptela valde est formidanda, multiquè accident morbi.

12. Si æstas præter morem siccior existit, erit frumenti penuria, fructus æstivi erunt salubres; pisces præprimis interibunt, morbi acutissimi affligent homines. Si verò calidior; morbi evenient multi, at fructuum æstivorum optimorum fertilitas erit. Si frigidior; incolumis annus, at fructus omnes seriùs maturescent.

13. Autumnus humidior putrefacit uvas, & vina efficit debilia. Si ultimâ sui parte sit humidior, sequenti anno frumenti penuriam prænuntiat: Si verò siccior in primâ parte; erit eo anno milii penuria: Si calidior, erit morbosus, atquè omninò insalubris: Si frigidior: autumnalium fructuum jactura fiet in quanto & quali.

14. Hyems frigida & sicca laudabilis est: frigidissima occidit arbores, maximè quæ cœlo gaudent calido, velut persicus, malus punica, & medica, atquè aliæ hujus generis. Si magis sæviat, vitem & olivam; Calida verò & humida cùm est hyems, insalubris & segetibus inimica comperitur.

15. Multitudo ventorum per anni decursum noxia fructibus, paucitas noxia segetibus, Tranquillitas suspecta de Pestilentiâ.

16. Collectio herbarum *â Theophrasto Paracelso* optima suadetur â die 20 ad 30 cujusquè mensis. Volunt tamen nonnulli alii herbas per dies septem priores in mense quolibet lunari collectos magis conducere & salubriores esse pueris; per septem ordine consequentes alios juvenibus & virginibus; rursum per septem alios viris & uxoribus, tandem per ultimos & posteriores septem senibus, & decrepitæ ætatis hominibus.

17. A die illâ, qua prima nix de Cœlo cadit; Si numerentur dies ad sequens proximum novilunium, quot dies advertentur, tot frigora immitiora terram & aquas constringent, totiesque frigoris remissio continget. Alii tamen numerandos volunt dies ad proximum præcedens novilunium. Venatores decernunt tot nives, quot dies numerantur â primâ nive deciduâ ad proximum novilunium.

18. Pro novis vineis plantandis aptissimum tempus in anno præscribit *Virgilius 2. Georg.* his versibus.

Optima vinetis satio est, cùm vere rubenti
Candida venit avis longis invisa colubris.

19. Vanissima est observantia, quam tradit *Robertus de Fluctibus* ad morborum præsagia: ait enim notandum esse diem, in quo Patiens ægrotare incepit, tunc computandũ esse, quotus ille dies sit, â 26 die Junii illius anni, hoc est, quot dies inter 26 Junii & diem decubitûs vel initii morbi intercedant; tùm posteà numerum illum inventum per 3 dividendum esse. Si deinde 1; remaneat, indicatur ægrum citò periculum evasurum: Si

2; diù ægrum laboraturum: Si denique ♀; vix periculum mortis evasurum. Sed benè subnectit Author: *At ego, quia propriam & evidentem istius rei rationem dare nescio, eam inter prognostica certa constituere atque numerare non audeo.* Nec Ego quicquam validitatis ac veritatis inesse video.

20. Amygdalarum copia indicare dicitur messis ac frumentorum abundantiam.

21. Si rosæ & violæ sub autumnum florеant iterum, pestis periculum nuntiant. *Ità Burdigalæ*, ut inquit *Martinus Delrio, disq. mag. lib. 4. cap. 3. quæ pestem illam magnam præcessit hyems, aliquas in horto nostro protulit, quas & vidi.*

§. II.

Observantiæ de Mensibus, & certis quibusdam Mensium diebus.

1. Calendæ omnium Mensium festivæ creduntur, & in ipsis vel primum lapidem in ædificiis, vel in negotiis utilibus primam diligentiam ponere, mirè censetur accommodum.

2. Si prima dies cum quintâ conferatur, de totius Mensis decursu judicari posse volunt.

3. Dies nona cujusque mensis à superstitiosis infausta decernitur, decima infaustior, undecima infaustissima creditur. Omnes enim tres, ut notat *Caramuel in appar. philos. lib. 1.* Parcis sacræ dicuntur, quæ etiam *Nona*, *Decima*, & *Moria* appellari solebant.

4. Nonnulli, ut tradit *Robertus Fludd*, dies plures atros, & infaustos partim observatione, partim Antiquorum traditione in singulis Mensibus notatos præscribunt, in quibus tùm morbos, tùm alia negotia mundana difficiles habere eventus existimant. Suntque absolutè mali & infausti.

Octo in Januario videl.	1.2.4.5.10.15.17.29.
Tres in Februario	8. 10. 17.
3 in Martio -	15. 16. 19.
2 in Aprili -	16.21.
3 in Majo - -	7.15.20.
2 in Junio -	4.7.
2 in Julio - -	15.20.
2 in Augusto -	19.20.
2 in Septembri	6.7.
1 in Octobri -	6.
2 in Novembri -	15.19.
3 in Decembri -	6.7.9.

Sunt præter hos & alii quidam dies in singulis mensibus mediocriter tantùm mali & infortunati: veluti

3 in Februario, & sunt	26.27.28.
3 in Martio - -	7.10.20.
3 in Aprili - -	7.10.20.
2 in Majo - - -	3.6.
3 in Julio - -	10.15.22.
3 in Augusto -	1.29.30.
4 in Septembri -	3.4.21.22.
5 in Octobri - -	3.6.24.28.29.
4 in Novembri -	5.6.28.29.
3 in Decembri - -	5.17.21.

5. Venerabilis *Beda* olim dies atros & infaustos ab antiquis Ægyptiis derivatos (uti & *Henricus Ranzovius in suo* recenset *Calendario*) his versibus complexus est:

1 & 7 Januarii.
Prima dies mensis, & septima truncat ut ensis.

3 & 4 Februarii.
Quarta subit mortem, prosternit tertia fortem.

1 & 4 Martii.
Martis prima necat, cujus sub cuspide quarta est.

10 & 11 Aprilis.
Denus & undenus mortis est vulnere plenus.

3 & 7 Maji.
Tertius in Majo lupus est, & septimus anguis.

10 & 15 Junii.
Denus pallescit, quindenus fœdera nescit.

10 & 13 Julii.
Terdecimus Julii mactat, denus labefactat.

1 & 2 Augusti.
Prima necat fortem, sternitq́ secunda cohortem.

3 & 10 Septembris.
Tertia Septembris cum denâ fit malè membris.

3 & 10 Octobris.
Tertius est gladius, & denus vulnere plenus.

3 & 5 Novembris.
Scorpius est quintus, & tertius est nece cinctus.

7 & 10 Decembris.
Septimus est sanguis, virosus denus ut anguis.

6. Periculosiores & infaustiores sex alios dies in quovis anno solari commemorat *Robertus Fludd*, quos juxtà antiquos Astrologos singulari cum cautelâ atque diligentia observandos dicit, maximè verò tres ultimos: aitque, quod quicunque infirmantur in his, aut die 7, vel saltem die 14 pòst, esse in periculo mortis: Verùm Vir hic cùm sit vanissimus, ac superstitioni maximè addictus, fidem nullam meretur. Vide dies subjectos.

Januarii	3.
Julii -	1.
Octobris	2.
Aprilis -	ultimus.
Augusti	1.
Decembris	ultimus.

7. Omninò nihil incipiendum, quod diu durare debet, suadent vani Chronomantici, 1 Augusti, 11 Martii, & 4 Septembris.

8. Gulones, & crapulæ addicti, si 16 Aprilis, 1 Augusti, aut 1 Decembris se inebrient, Chronicos eosque admodùm graves morbos incurrere dicuntur. Vitanda similiter Crapu-

crapula 30 Martii, 8 Junii, & 24 Septembris. Ipsa autem veritas meliùs *Luc. 21. v.34. & seq.* omni tempore vitandam crapulam monens ait: *Attendite, ne corda vestra fortè graventur in crapulâ & ebrietate, & curis hujus vitæ; & superveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem terræ: vigilate itaque in omni tempore, &c.*

9. Vulnera 15 Calend. Aprilis, 1. Augusti, & 3 Calend. Decembris inflicta lethalia perhibentur, atque iis diebus natos malâ plerosque morte interire dicunt.

10. Vulgus garrit, febres communes, quæ ineunte Vere, sive ad Æquinoctium Vernum, dum arbores folia protrudunt, hominibus accidere solent, plerumque contumaciam in alterum Æquinoctium, dum arbores folia denuò dejiciunt, protendere. Quartanæ tamen febres circà utrumque Æquinoctium faciliùs quàm aliàs pelli dicuntur.

§. III.

Dierum hebdomadalium vanæ quædam Observantiæ recensentur.

1. Die Dominicâ natos, quia Soli sacra, nostræ aruspices, inquit *Caramuel*, negant posse videre Lemures. In nostrâ tamen Germaniâ communis inter plebejos fabula vadit, Die aliquâ primâ Dominicâ post quatuor Temp. natos spectra nocturna videre, & thesauros reconditos præ aliis posse reperire.

2. De cultris die aliquâ Dominica ad cotem attritis & lævigatis dicunt, quod si casu vel studio iisdem vulnera inferantur, eadem vel difficulter aut penitùs non esse curabilia.

3. Majorem quidam vim tribuunt aquæ, quæ Dominicis post quatuor Temp. benedicitur, quàm quæ aliis Dominicis. In his etiam Dominicis, si quis opus servile perficiat, confectum opus fulminis afflatui magis, quàm aliæ quævis res, obnoxium esse volunt.

4. In die Lunæ si quis crebrò sternutet, totam hebdomadam serenam habiturus dicitur.

5. Opera die Martis inchoata vix, aut nullum creduntur bonum obtinere eventum: quæ vanitas apud Hispanos carpente etiam *Marianâ* maximè tenet, sicut etiam *Caramuel* versus sequentes de infausto connubio profert:

Connubio infausto Corydon Amaryllida duxit;
Nec mirum, illa dies pessima Martis erat.
Utrique in nuptis cuncta evenêre sinistrè;
Combusta est primâ nam nova nocte domus,
Elapsus gradibus sponsum super excidit Auspex,
Ille dolet costis, & dolet illa pede.
Auspicium sequitur Conjux matrice laborans
Si ebria non esset, pronuba ferret opem.

Verùm hîc, ut fert usus in Franconiâ, præsertim ruri plures nuptiæ die Martis magis quàm aliis diebus per hebdomadam benedici solent, nec ideò infausta subsecuta scio connubia.

6. Vituli die Mercurii, & Jovis nati ad educationem improbantur, cùm plerumq; vertiginosi evadant.

7. Die Mercurii cautè scopis tanguntur olera in hortis, ne à ciniphibus, erucis, aut aliis infestis animalculis lædantur.

8. Die Jovis septennes pueros, notat *Caramuel*, juberi quosdam umbilici nodos enodare, ut ingeniosi fiant.

9. Ova genita seu posita die Jovis hebdomadis sanctæ, cùm fuerint exclusa, dant pullos, qui annuatim colores pennarum mutant. Experimentum à multis compertum probatur verum.

10. Multi in die Veneris nolunt ungues præscindere, aut indusium mutare, aut novo vestimento indui, ne fortunam aut valetudinem irritent.

11. Cultros, qui in die Veneris ad cotem acuuntur, si quocunque etiam modo tractaveris, vix vulnus ab iis infligendum evitare poteris.

12. Natus in die Veneris sancta mortuos & subterranea omnia visurus dicitur. Verùm Ego natus eâdem die Anno 1641. nihil hactenus præter aliqua spectra nocturna ab aliis æquè visa advertere potui. Opto magis de subterraneis nihil videre, ut Deum meum in excelso videam.

13. In die Veneris sacrâ, sive Parasceves, si pluat, annum denotari volunt bonum.

14. Eâdem die sacræ Hebdomadis, si gallina ovum pariat, efficax id creditur ad incendia domanda.

15. Rustici ad cavendam uredinem in seminato tritico, ejus grana antequam terræ committant, in areis tribus continuis diebus Veneris diligenter vertunt adhibitis novis palis & scopis.

16. Licèt totâ septimanâ pluat, & cœlum continuò fit nubilum; in Sabbatho tamen Sol serenato Cœlo solet promicare.

17. Aqua baptismalis benedicta in Sabbatho sancto inter primam Campanarum festivam compulsationem pota suadetur contrà febres.

§. IV.

Observantiæ curiosæ mirabiles per certos Anni dies in singulis mensibus secundùm eorundem ordinem.

Januarius.

1. Si bonus est Januarius, totum annum putant bonum. Si nives raræ, frumentum ac vineæ debilitantur. Nimia verò hyems piscinis nocet.

2. Aqua-

2. Aquarum exundatio in Januario vini inopiam, earum verò defectus vini copiam prænuntiare dicitur.

3. Si tonat hoc mense, cùm Luna est in Aquario, fructus patientur damnum.

4. Si nox primæ diei in Januario serena fit, & clara sine pluviâ, aut aliâ commotione aëris, annum futurum præsagit salubrem, & omnium rerum copiam. Cum vento autem Orientali perturbata mortalitatem pecorum: cùm Occidentali verò Principum interitum: cum Meridionali Epidemicos, & populares morbos; cum Septentrionali sterilitatem, & inopiam rerum prænuntiat.

5. Apud *Majolum tom. 1. dier. canicul. colloq. de Meteoris*, prostant versus cujusdam Astrologi de variis eventibus, qui ex primâ die Januarii prædicuntur futuri, suntque sequentes:

Rorida si nubes confixerit Iridis arcum;
Pacatum mundo fœdere Numen erit.
Si micet è cœlo lampas, fax, lancea trabsq́;
Fervescit longo tempore terra nimis.
Si rugiat tonitru, transcendent flumina ripas;
Et naturæ infaustum fluctibus æquor erit.
Insonet horrificum, sive infremat inclyta Tellus;
Exul erit pietas, exul & ipsa fides.
Irruat averso si temporis ordine grando;
In populos Regum summa tyrannis erit.
Juppiter ignitum si mittat ab æthere fulgur;
Edocet invisum Regibus interitum.
Si ridet Phœbus, ridet quoque frugibus æstas;
Si nimbi exundent, defleat Agricola.
Si minus irradient ob nubes lumina Solis;
Tempora nil faustum, nil quoq; triste dabunt.
Sin sese radiis Phœbi commiscet Orion;
Luxuriem frugum defleat Emptor inops.
Si glacies gelidas condenset saxea lymphas;
Parturiet sobolem fœmina quæq; marem.
Intumeant armis populi si strideat Auster;
Si nebulæ, incesset (flebile) dira lues.
Si pluviæ, Nothique diem & caligo volutent;
Parta dabit tellus funera, bella, luem.

6. Quod quis anno aliquo perficere cupit, initio, & primâ illius die bonum est inchoare, & circà idipsum occupari, vel negotiari.

7. Primâ die Januarii si primus, qui occurrit exeunti, sit Judæus, omnia erunt consentanea toto anno.

8. In Epiphaniæ Festo quidam ab omni abstinent cibo, donec tres stellas in Cœlo conspiciant, idque contrà dentium carnificinam remedium esse somniant.

9. Furta, quæ die 6. patrantur, *Caramuele* memorante, omninò innotescent; & omnia, quæ illâ die committuntur peccata, revelabuntur.

10. Compluti Logicus, qui in die *S. Antonii* non insidet asino, in promotione Philosophicâ non erit primus, ut refert *Caramuel.*

11. Sagittæ & glandes in die S. *Sebastiani* benedictæ à scopo deviare non solent. Eâdem die si aër nebulosus existat, pestem eo anno grassaturam ominantur.

12. Ad diem S. *Vincentii* mirè attendunt vinitores: quæ enim si serena sit, vini copiam & bonitatem promittit: Undè & versus antiqui:

Vitis abundantes tunc fundit prodiga fructus
Cum tua Vincenti lux sine nube fuit.

Vel ut alii habent versus:

Vincenti festo, si Sol radiat, memor esto
Ut magnum sit vas, tibi nam vitis dabit uvas.

Nec ratione forsan caret observantia. Cùm enim circà festum S. *Vincentii* & Conversionis S. *Pauli* succus ordinariè sese in radices diffundere soleat, & aura serena magis promoveatur; indè fortè coloni bonitatem æstatis & autumni ominari cœperunt.

13. In festo *Conversionis S. Pauli* si crux in cineribus compareat ignea, dominam domûs eo anno morituram mentiuntur: quod fanè, addit *Caramuel in appar. phil.* aliquandò in tàm credulis fœminis ex vehementi imaginatione & metu contingere potest, sicut aliquoties in illis contigit, qui ad vallem Josaphat ab adversariis suis sunt citati.

14. Si eodem festo pluat, fames; si ventis aër murmuret, bellum; si nebulæ serpant, pestis instat fabulosæ opinionis. Si aër serenus & tranquillus existat, bonum annum denuntiat. Undè versus:

Clara

Clara dies Pauli bona tempora denotat Anni.
Si fuerint venti, designant prælia genti.
Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæque.
Si nix aut pluvia, tunc fient tempora cara.

15. Eodem die anus superstitiosæ aquam pluviam, quæ fortè decidit, excipiunt, quam frigibus & morbis salutarem credunt.

16. Eodem die festo Conversionis nati à serpentum morsibus tuti, ac immunes creduntur, atque etiam morsus illorum salivâ curare facillimè posse dicuntur.

Februarius.

1. Si Februarius est calidus; pabulum pro pecoribus diligenter conservandum suadent, id enim diuturnæ hyemis est indicium.

2. Farinam, quæ diu servanda, hoc mense molendam volunt.

3. Ligna, quæ in Februario cæduntur Lunâ decrescente, durabiliora evadunt, nec carie inficiuntur facilè, aut à vermibus infestantur.

4. Hoc mense & sequenti Martio Lac insalubre reputatur.

5. Ex consilio Medicorum hoc mense ea adhibenda suadentur, quæ phlegmata avertunt, aut evehunt; cum hoc & sequenti mense varii plerumque morbi, ac comprimis febres ac podagra invalescere soleant.

6. Secundâ die Februarii, sive in Festo *Purificationis B.V.* opiliones comprimis auram observare solent, & ex eâ de remissione aut continuatione frigoris conjectare. Undè versus antiqui:

Si Sol splenduerit Mariâ Purificante,
Majus frigus erit venturum, quàm fuit ante.

7. Hoc eodem die, ut memorat etiam *Caramuel*, cæremonias augent, & tot cereleos accendunt, quot filios aut cognatos habent, & unicuique nomen indunt: cujus Cereleus citiùs consumitur, consumenda & vita citiùs putatur. Miræ Nugæ!

8. Hoc eodem rursùs die, si cereum ardentem à ventis defensam domum perferant, nec vitam eo anno extinguendam sperant. Uti & si guttæ seu lacrymæ tres ejusdem cerei in humerum effusæ perseverent: ungues quoque & capillos adurunt, ne doleat caput & manus.

9. Circà hominis nativitatem mirabilia quædam indicat *Beda* his verbis: *Tres dies & noctes sunt; in quibus si vir natus fuerit, corpus ejus absque dubio integrum manet usque in diem judicii: hoc est in VI. Cal. Februarii, & III. Cal. & Idus Februarii, & suum mysterium mirabile est valdè.*

10. Circà VI. Idus Februarii Favonius à *fovendo* dictus, ventus frugifer spirare incipit, & flat per novem dies ordinariè, qui tellurem & omnia germinantia quasi animat, & resuscitat. Undè hoc tempore primum conceptum terræ nascentium fieri statuit *Plinius lib. 2. cap. 47.*

11. Die 14. Februarii in festo S. Valentini ova gallinis supposita & exclusa, deindè pullos præbent cœcos, claudos, vel aliter debiles, ac infirmos, qui facilè intereant.

12. Si in nocte Cathedræ *S. Petri* frigus non fuerit; ampliùs non erit: quod si verò fuerit, ad 40 dies continuari dicitur.

13. Die vigesimâ tertiâ, hoc est, in S. *Matthiæ* pervigilio decerpunt folia hæderæ, & levi calamo singulis nomina amicorum inscribunt, in loco sacro collocant, & die sequenti alia perforata, alia maculata, alia sana reperiunt: pronuntiant deindè impiâ planè temeritate illos, quorum perforata sunt folia, morituros eo anno, quorum maculata aut marcida, ægrotaturos: reliquos robustam valetudinem habituros.

14. Eâdem nocte Defunctorum animæ solemnem celebrare dicuntur processionem, easque comitari etiam animæ eorum, qui sunt illo anno morituri. Exemplum refert *Caramuel* de viro quodam curiosiore, quàm decebat & conveniebat: Hic cùm supplicationem intrepido animo in cœmeterio intueretur, vidit in illa supplicatione uxorem suam, à quâ vexabatur, & summoperè gavisus est: At mox ubi post paucos transeuntium animarum ordines seipsum viderat, animo concidit; & die posterâ toti populo visionem edixit, nec res caruit eventu: Nam & uxor ejusdem obiit, ipsamque ille post duos menses subsecutus fuit. Sed rectè nugas superclamat *Caramuel.*

15. Quale gelu vesperè & nocte S. *Matthiæ*, tale plerumque 40 adhuc diebus continuare dicitur. Vetus etiam paræmia est de hoc festo. Quod S. *Matthias* omne gelu dissolvat, si constrictum non inveniat, illud efficiat.

16. Dicuntur etiam vulpes in festo S. *Matthiæ* ultimò transire glaciem, post festum verò illud non ampliùs fidunt.

17. Ad finem hujus mensis, quia terra diu congelata, & frigore constricta resolvitur in vapores plurimùm noxios ac pestilentes, auræ communi tutò quisque sese committere non potest.

18. In Bacchanalibus, quæ circà finem hujus mensis plerumque occurrunt, aniculæ superstitiosæ, butyrum asservant, quo placentas coxerant, ut eo currum, quo frumentum in apothecas invehitur; dictitantque nihil frumenti, quod tali curru invectum est, muribus posse cedere in cibum.

19. Ultimum etiam in Bacchanalibus ferculum volunt quidam oportere esse lac, & cochlear ultimum lacte impletum trabi allidunt, è cujus colore & figurâ divinant, uti & è facibus, quas hoc tempore tanquam Thyades in agris ventilant.

20. In principio Jejunii verni, animam, quam vocant, halecis ad superius tabulatum, ejaculantur; ubi si adhæreat, ajunt efficere, ut sub eâ, qui cultro læsus est, curari non possit. Quis aniles hasce vanitates & observantias non rideat?

Martius.

1. Hic mensis ob crebram aeris mutationem parum saluber est. In eo potissimùm pleuritides & podagræ dominantur,

teste *Hippocrate lib. 3. Aphor. 1.* Phthisici etiam & Pnevmoniaci plerumque malè habent, & quicunque chronicis affliguntur morbis, hoc mense è vivis excedunt. Aquæ etiam minimè salubres censentur.

2. Cerevisia hoc mense cocta, durabilior & salubrior est, quàm quæ cœteris mensibus coquitur.

3. Hic mensis à siccitate magis quàm humiditate laudatur; undè etiam versus:

Cùm siccus fuerit, bona tempora denotat anni
Martius, & frugum fertilitate beat.

4. Quoties rorat in Martio, tot pruinas sequi volunt post Pascha.

5. Quot nebulæ in Martio solent esse, tot pruinæ antè festum *S. Michaelis* contingere dicunt. Alii volunt tot diluvia futura & graves imbres in æstate delapsuros autumant.

6. Cepæ & allia hoc mense terræ mandata gratiora provenire dicuntur.

7. In Martio etiam tribus diebus ante Novilunium horâ decimâ & undecimâ diurnâ fabæ & pisa feruntur, & gratioris gustûs producuntur.

8. Die 7 Martii in Festo *S. Thomæ* Aquinatis non damnantur studiosi, qui bonâ intentione calamos curant benedici in Angelici Doctoris honorem: at errant, qui putant, omninò oblivioni mandari non posse, quæ ejusmodi calamo scripta sunt.

9. Radix fœniculi contrà Epilepsiam gestari solet pro amuleto, contrà quam tamen parum est efficax, nisi in Martio circà Æquinoctium Sole Arietem ingrediente, die nempè 21 sit effossa.

10. Ut Pœoniæ radix etiam serviat pro Epilepsiæ amuleto, tribus diebus antè Novilunium Verno tempore effodi debere dicunt.

11. Æquinoctii tempore somniant magis homines, quàm aliis per annum temporibus.

12. Eodem tempore varii sese produnt morbi, ac notabilis in corpore advertitur alteratio.

13. Ligna, quæ ceduntur in Martio inter duos ultimos dies Veneris, manent, ut sunt, nec curvantur, aut quovis modo figuram aut rectitudinem remittunt.

14. In Sanctissimo *Paschæ festo* si pluat, sex consequentes Dominicæ vix à pluviis immunes creduntur.

15. In hujus festi summo mane Agricolæ suos ad pascua educunt equos, utrore paschali pastos contrà certas muniant infirmitates.

16. Hac ipsâ die Solem in exortu ter assultare præ festivo gaudio imperitioribus imponitur.

17. Superstitiosæ mulieres hac eâdem die ovum sub tecto abscondunt ad arcenda quædam pericula: contrà rupturas etiam quidam avidissimè devorant.

18. Rursùm hac ipsa sacrâ die puellæ lascivæ baculum (sanè dignæ magis baculo) clausis oculis quærunt; qui si curvus sit & deformis, talem se maritum acquisituras ominantur; secus, si rectus fuerit. Ità nec sacratissimis festis suæ desunt observantiæ superstitiosæ & abominandæ.

Aprilis.

1. De hoc mense benè canit *Henricus Ranzovius*:

Cana viret tellus, se frondibus induit arbos
Aprili gemmans eliciente decus.
Excute pigritiam membris, tibi sume laborem,
Otia non prosunt: proderit ergò labor.

2. Hoc mense præsagiunt adhuc apes hyemem, & imbres, si non evolant.

3. Philomelæ optimæ, quæ antè vel ad minimum circà ipsum festum *S. Georgii* capiuntur: nam quæ tardiùs capiuntur, rarò supervivunt.

4. Circà festum *S. Georgii* cuculus vociferare inchoat, qui primùm cum auditur, quot cuculationes clamat, tot annos adhuc observatorem victurum vanè prænuntiat.

5. In festo S. *Marci* virgæ betulinæ decerpuntur, & iisdem statua vel imago S. *Marci* tangitur aut percutitur, ut serviant ad pecus agendum securè ad pascua, & à certis infirmitatibus curandum.

6. Cùm post festum S. *Marci* Luna proximè nova cum Saturno jungitur, illo anno vitis perit, & vinum non erit.

7. Mirabilem describit solemnitatem *Caramuel in Appar. Phil. lib. 1. num. 130. de Fastis*: *Aprilis*, inquit, *vigesima quarta in multis Hispanorum oppidis invitatur ad vesperas ferocissimus Taurus, qui totâ illâ die à pueris Marcus dicitur. Jussus feritatem deponit, oppidum intrat, Ecclesiam adit, jacet ad altare. Die sequenti in processione antè Divi statuam progreditur, sertis oneratur, & anhelitu suo multos ægros recurat. Sub meridiem remittitur & Leonem induens, ac si rupisset vincula furibundus revertitur ad pascua.* Addit his *Caramuel: Sunt, qui hanc cæremoniam condemnent; sunt, qui approbent; suspendo judicium, veritatem recenseo.*

Majus.

1. Laudatur Majus, cùm fuerit frigidosiccior: frequentes autem si in eo contingant tempestates, & tonitrua, annum vix bonum, ac fertilem futurum judicant. *Henricus Ranzovius* hos versus memoriales profert, quibus anni boni præsagium indicat:

Mensis ubi fuerit Martis sub nube serenus
Et contrà pluviis fœtus Aprilis aquis.
Frigora si Majus secum trahat, aureus annus
Tunc tibi & omnigenis fructibus uber erit.

2. Cùm

2. Cùm in Majo frequentes accidunt imbres, ac pluviæ ob Hyades cum Sole orientes, vitis optatum successum non obtinet.

3. Frumentum in areis jacens, ut meliùs servetur, ad minimum bis in septimanâ suadetur agitandum.

4. Optimum telis dealbandis tempus, cum pomus & vepres florent.

5. Quercus benè florens in Majo spem facit anni melioris.

6. Calendis Maji, si anus ab aliquo petat ignem (quasi peteret, quod deberet habere, inquit *Caramuel*) saga vel venefica creditur.

7. Primâ hujus mensis nocte sagæ & striges ad suas choreas dicuntur avehi: contrà noxas, quas inferre tunc solent satis, & quibusvis frugibus campanarum fit pulsus, & bombardæ exploduntur.

8. Die octava dicuntur plumæ ex alis S. *Michaelis* à veneficis dari, quæ creduntur esse utiles iter agentibus, ne in manus latronum aut militum incidant.

9. Qualis est aura in festo *S. Urbani Papæ*, talis futura creditur in autumno tempore vindemiæ.

10. In festo *Ascensionis Christi* solet in multis Ecclesiis statua Christi tholo attrahi in sublime: tunc autem annosæ vates diligenter observant, quà faciem vertat, & indè sæviores tempestates imminere ominantur.

11. In Apennino Italiæ intrà *Bononiam* & *Pisas*, ut *Wierus* & *Fallopius* tradunt, exortâ tempestate mulieres foràs procurrunt, eam elevatis manibus consignantes, caseo in die *Ascensionis Domini* presso, decussatimque signato crucis figurâ impresso fune, atque ità se fore illæsas arbitrantur.

12. Eodem in Apennino ovum *in Ascensionis festo* exclusum asservant, summoque illigant tecto, atque hoc modo istas ædes à tempestatis injuriâ tutas fore existimant.

13. Radix Cyani, quam nonnulli contrà fluxum sanguinis in manu detinent, usque dum incalescat, ut ad præmemoratum effectum sit efficax & valida, *in Festo Corporis Christi* Meridiani puncto extrahi debere dicunt.

14. In eodem festo gramen plateis publicis, per quas solennis agitur processio instratum inspiciunt, & cùm illud calore Solis arefactum & exsiccatum advertunt, bonum opinantur annum. Secùs; si viride & humidum relinquatur.

15. Aphorismus est apud *Cardanum segm. 7. Aphor. 109. Arbores cùm florent, maximè afficiuntur cœli injuriis: Similes enim sunt parturientibus, cùm autem fructus edunt, lactantibus & nutrientibus.*

Junius.

1. Pluviæ hujus mensis vitium flori valdè nocivæ sunt. Cùm vites florent, vina in cellis æstuare comperiuntur.

2. Carduus benedictus initio Junii collectus recentia vulnera mirabiliter sanare dicitur.

Cùm rosæ florent in Junio, omnibus diebus nullo habito respectu ad signa cœlestia venæsectionem conducere volunt.

4. Die Junii octavâ, quæ *S. Medardo* sacra, aura consulitur: quod si illâ die pluat, ad 30 dies continuationem imbrium timent.

5. Dies 9. Junii ante meridiem dicitur arborum decorticationi perapta, dummodò succus arbori adhærens non detergatur, eoque modo ex infœcundis frugiferas reddi posse dicunt.

6. Pluvia, quæ in festo *S. Viti* cadit, hordeo potissimùm noxia reputatur.

7. Mirabile de Terrâ Niloticâ asserunt Authores, quod nempè terra ex Nilo assumpta, resiccata, & diligenter asservata toto anni tempore nihilo in pondere mutetur; ad diem verò 17 Junii seipsâ fiat gravior. Ex cujus etiam ponderis accessione rationem ineunt Nilotici incrementi eo anno futuri. *Prosper Alpinus lib. 1. de Medic. Ægypt. cap. 6.*

8. Diè 23. Junii Cardui flores leguntur, prout refert sæpè memoratus *Caramuel*, atque arundini incisæ inferuntur, & nominibus amicorum distinctì comburuntur; & in die *S. Joan. Baptistæ* nonnulli reperiuntur renati, & ex eorum numero & nominibus vaticinium desumitur.

9. Eodem die ex herbis & floribus sertum compositum imponunt capiti, morbosque curant, & somnia de sponso provocant, teste *Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 19.* sertum etiam in ignem conjiciunt, & carbones servant contrà fulmina & tempestates profuturos. Addunt etiam eodem *Caramuele* recensente tali illius diei horâ herbam *S. Joannis* enasci, quæ est perpetuò mobilis, & vires habet prodigiosas.

10. Narrant aliqui in festo *S. Joan. Baptistæ* carbonem ad radices Arthemisiæ reperiri, qui patienti Epilepsiam appensus, aut in formâ pulveris exhibitus eandem sanet. In eodem Festo *S. Joannis* si pluat, nuces avellanas perire dicunt, ac tempus messis etiam pluviosum consequi; undè Poëta:

Baptistæ fuerit cùm lux pluviosa Joannis
Ingrati messis plena laboris erit.

11. Tempore Solstitii, cùm Sol à Tropicis incipit reverti, grana quoque pomorum juxtà Solem inverti dicuntur; quod & in foliis aliquarum arborum, cujusmodi sunt populus, betula & oliva, observare licet.

Julius.

1. Secundo hujus mensis die, in festo scilicet *Visitationis B. V.* si pluat, agricolæ timent messis tempus pluviosum: nam ad festum usque Assumptionis ejusdem almæ Virginis imbres & pluvias produci volunt.

2. Cùm pluit in festo *S. Margarethæ*, nuces juglandes copiosè decidunt, & avellanæ vermibus arroduntur.

3. Qualis esse solet auræ constitutio antè vel circà festum *S. Jacobi* Apostoli, talis & aura antè & circà natalitia Christi observatur; ac qualis etiam post erit aëris status,

talis eadem Natalitia proximè futura sequi creditur.

4. Cùm pluit in festo *S. Jacobi*, glandes in quercubus pereunt; quando verò hoc die serenus est aer, messis bona exspectatur. Undè etiam antiqui versus:

Implentur variis frumentis horrea: quando est
Aër Jacobi lucidus ante diem.

5. Vitis, quæ hoc ipso die festo floret, & quidem manè, adhuc maturas uvas perficere dicitur; quæ verò post meridiem, illius uvæ non creduntur maturescere.

6. Hoc eodem die consecrantur in aliquibus locis & characteribus ornantur enses contrà omnia mundi pericula.

7. Si initium canicularium dierum nubilum est, insalubritatis indicium creditur.

8. In canicularibus diebus flant Etesiæ à Septentrione, quæ Solis ardorem leniunt ac temperant, solentque ad 40 dies durare.

9. Medicamenta tempore canicularium dierum omninò non probantur à Medicis; undè Antiqui canebant:

Sub cane & ante canem Medicus malè dira propinat
Pocula; tempus habet sic Medicina suum.

10. Exurgente Caniculâ circà plenilunium potissimùm dum Sol est in signo Leonis, facilè canes rabie corripiuntur, undè ab eorum morsibus cavendum.

11. Lignum vulnerarium, sive fraxini, ut admirandas, quas ei tribuunt, virtutes obtineat, hoc mense cædendum putant Sole in Leonis signum ingrediente, & quidem primâ ingressûs horâ.

Augustus.

1. Si totus Augustus siccus, & post eum modicus accidat imber, sterilitatis signum creditur.

2. Ova hoc mense decrescente Lunâ collecta durant servanda in furfuribus.

3. Fructibus hoc mense non vescendum, nisi decorticatis, quia hoc tempore ros infectus decidit, qui dysenteriam inducere solet.

4. Venæsectio, ac sanguinis minutio hoc mense non suadetur à Medicis extrà necessitatem, quod etiam *Henricus Ranzovius* his versibus confirmare voluit, dum cecinit:

Si non ægrotas, tibi nunc servare memento
Sanguinis in toto corpore quidquid habes.
Sectio namq; nocet venæ, nec aromata prosunt,
Hæc igitur cautè sunt fugienda tibi.

5. Calendis Augusti in festo vinculorum *S. Petri*, dicunt eum, qui captivos visitaverit, illo anno, quidquid faciat, in carceres detrudi non posse.

6. In festo *S. Laurentii*, si aura calida ac serena faveat, vinum bonum expectandum dicunt. Hoc eodem die nugantur somnia, quæ quis habuerit esse vera.

7. Hoc etiam die volunt, quod, si quocunque tantùm loco terra fodiatur, carbones reperiantur.

8. Post festum *S. Laurentii* vitis & alia fructifera ligna non crescunt ampliùs, sed maturescunt: secùs tamen accidit, si pluat.

9. Aura clara & serena in festo *Assumptionis B. V.* vinum promittere dicitur bonum: secùs autem si pluat.

10. In Festo quoque *S. Bartholomæi* aura si clara sit, spem bonæ vindemiæ facit.

11. Die 29 in festo scilicet Decollationis *S. Joannis*, folia quæcunque in plerisque arboribus maculis quibusdam referta, & quasi guttis sanguineis decollati *Joannis* respersa comparere dicuntur.

12. Hæc eadem dies dicitur fatalis Christianis contrà Turcas pugnantibus.

September.

1. Ad finem Augusti & initium Septembris mutatio tempestatis & alternans cum frigore calor facilè varios inducunt morbos, accomprimis febres periculosas; quæ uti verno tempore minùs periculosæ sunt, sic autumnali tempore periculosissimæ juxtà illud Medicorum: Febres autumnales diuturnæ vel mortales.

2. Radix carlina in Septembri, dum viribus & succo pollet, evulsa & gestata hominem reddere dicitur infatigabilem hominis alterius simul itinerantis vires & robur attrahendo.

3. Prout nova Luna in Septembri accidit, eadem auræ constitutio per totum ferè autumnum continuat.

4. Hoc mense si tonat, sequenti anno spem largæ segetis & fructuum hortensium, annuumque ventosum futurum prænuntiat.

5. Die primâ Septembris in festo *S. Ægidii*, si aura serena & bona faveat, per integrum mensem continuandam autumant: undè etiam vini copia & bonitas speratur, uti & antiqui declarant versus:

Ægidii si Sol splendet; fit copia vini,
Et secum Autumnus commoda multa trahit.

6. Die 14 Septembris dicuntur Sagæ magnam habere solemnitatem, & abjurare baptismum & crucem.

7. Avellanæ rubeæ die 17, sive in festo *S. Lamberti*, transplantatæ optimè proficiunt, neque alio tempore meliùs, quæ deindè copiosè fructus proferunt; undè & *nuces Lambertinæ* etiam vocari solent.

8. In festo *S. Matthæi*, si aura clara ac serena faveat, copiam & bonitatem vini, & in sequenti anno præsagire dicitur.

9. Quot pruinæ antè festum *S. Michaelis* contingunt, tot rursùm sequenti anno post festum *SS. Philippi* & *Jacobi* rursùm contingere volunt.

10. Satio frugum, quæ octo diebus antè festum S. Michaëlis, & octo post illud fieri solet, creditur optima.

11. Triticum, quod hoc mense seritur, tribus diebus antè vel post novilunium, immune creditur ab Uredine.

12. Plures dum in Septembri papiliones obvolitant, sequenti anno magnam erucarum copiam futuram significant.

October.

1. Hoc mense glandes apertæ, si admodum siccæ comperiantur, hyemem frigidam; humidæ verò pluviosam indicare asserunt.

2. Si magna fuerit copia glandium & porci benè valuerint, hyemem sequi dicunt frigidam.

3. Difficilis foliorum casus aut defluxus ex arborum quarumlibet ramis, longam ac sævam præsagit hyemem; Secus si casus illorum pronus, facilis, aut temporis ratione maturior contigerit.

4. Si ad finem hujus mensis, priusquàm Plejades occidunt, frequentes ac copiosæ decidant pluviæ; sequentem annum fœcundum ac fertilem futurum denotant.

5. Circà festum *S. Michaëlis* à gallis quercûs anni futuri præsagia sumuntur hoc modo: Aperiuntur gallæ, quandò integræ sunt. Si musca intùs comperiatur; anni fertilitatem & bellum præsagit. Si vermiculus; annonæ caritatem: Si aranea; pestem arguit.

November.

1. Si in Novembri fuerit nivis copia, proderit agris magnoperè, præsertim si terra priùs congelata fuerit.

2. Sterilitatis futuræ signum est Hyems nimis cita, vel minùs tarda, vel sinè nivibus.

3. Quiscunquè sit aëris status Mense Novembri, semper tamen post Festum omnium Sanctorum adhuc æstivat aër.

4. In Vigiliâ omnium Sanctorum, si fustes aut rami betulini vel salicei terræ ad cubiti longitudinem immittantur; in Vigiliâ verò Nativitatis Christi denuò extrahantur, & in eorum locum rami ejusdem magnitudinis ex quâcunque arbore frugiferâ implantentur; citissimè radices agent, & proximo etiam anno fructus ferent.

5. Primâ die hujus mensis assulam ex fago cædunt, quæ si fuerit sicca, hyemem dicunt sequi frigidam: Si humida, temperatam & calidam præsagiunt.

6. Circà Festum *S. Martini* aura nubila & obscura temperatam significat Hyemem: Si verò aura sit clara & serena, ingens gelu & sævam ominantur hymem.

7. In Festo S. Martini ex ossibus anserinis defuturâ hyemis nive conjectatur.

8. Pridie *S. Andreæ* tot committuntur scelera, innuente *Doctissimo Caramuele*, ut pervigilium illud non Divo sed hosti Divorum sacrum esse videatur. *Quot enim panem*, inquit, *in mensâ inversum relinquunt? quot hypocaustum aversæ verrunt? & vel sponsum intrantem vel cultrum minantem aspiciunt? Quot recitatis carminibus Thessalicis, si in somno acum vident, sartorem suum sponsum, si asciam, fabrum &c. futurum credunt? Quot folio in aquas immisso è bullis aut aliis maculis de vitâ suâ conjiciunt? Quot scopis insidentes haram ingrediuntur, ut si porcum grunnientem audiant, senem; si porcellum, Juvenem se pro marito habituras sciant?* Ecce quot una dies sacrilegis incestatur observationibus?

9. Eadem nocte vitrum aquâ omninò expletum mensæ imponunt, & si illâ nocte exundet, ità ut effluat, annum sequi volunt humidum: Si non exundet, siccum fore autumant.

10. Ex observatione quâdam asserunt juxta similitudinem quartæ & vigesimæ diei hujus mensis, in qua Bruma fit, futurum esse sequentem Decembrem mensem: juxtà similitudinem autem sextæ & vigesimæ ejusdem Novembris, Februarium, ita *Dydimus*.

11. Proximi septem dies à Brumâ, ut *Cardanus in Aphorismis* docet, totidemquè ante eum rarò ventis infestantur halcionijque vocantur.

December.

1. Hyeme venti humidi omnibus animalibus noxii.

2. *Sanæ sunt membris calidæ res mense Decembri.*

3. Mense hoc, si via lactea Stellis copiosè referta clarè è cœlo sereno promicet, annum fœcundum ac fertilem denotari arguunt. Quod si una tantùm ejus pars illustris appareat ex utro, vino nempè & vel frumento tantùm spem copiæ notant. Si undique distinctè & præclarè Stellæ in via hac advertantur, tam vini, quàm frumenti copiam & bonitatem denotari volunt.

4. Mirabile planè est, quod scribit *Baptista Fulgosius*, in Galliæ parte, quæ olim sub Venetorum & Morinorum nomine censebatur (nunc Britanniam vocant) propè urbem Rhodensem, oppidum est *Montis Fortis* nomine, ubi Decembri mense, cùm festum S. *Nicolai* agitur à parvo lacu propè sito, tempore missæ vel Vesperarum anas templum intrat cum tredecim pullis, quæ postquàm aram circumiit, regreditur uno pullorum deficiente, nescitur ubi relicto. Quod si quis scire volens, comprehendat eam, aut mactet, vel rabie corripitur vel moritur.

5. A festo *S. Luciæ* morbi Chronici sævitiem remittere dicuntur.

6. Die 21. hujus, qua *S. Thomas* colitur, fœminæ nil credere solent.

7. Tres dies Jovis proximi, qui Natalem Christi diem antecedunt, miram in futuris prænoscendis vim habere existimantur. Alii enim in somno: alii vigilantes umbram vident; alii in cepis, vel in schedulis sub lecto collocatis, alii, in rapis aut ovis supra mensam suspensis; alii in filis manu sinistra factis haruspicinam faciunt. Vana omnia, superstitiosa! omnia abominanda & detestanda!

8. In Vigiliâ Natalis Domini quidquid

feritur, etiamsi super nivem jactetur, non periturum sed suo tutum tempore proventurum asserunt.

9. In sacrâ nocte Natalis vina in vasis contenta haud aliter, ac tempore florentis vitis commoveri, & si ex vase exuberent & effluant, annum fœcundum prænuntiare dicunt: in caulium etiam capitibus, quæ in cellis contra frigus servantur, granula simillima seminibus ipsorum caulium hac nocte reperiri volunt. Eâ ipsâ nocte etiam jumenta in stabulis non reclinari sed continuò stare dicuntur.

10. Eâdem nocte si ningat, lupulum copiosiùs fructificare autumant.

11. Festum Natale *Christi* si Lunâ crescente accidat, bonum consequi dicunt annum, eoquè meliorem, quò Luna conjunctioni proprior est.

12. Flos Rosæ Hierichuntinæ semper alioquin clausus, Nativitatis Dominicæ nocte spontè hiare atquè aperiri dicitur. Testatur *Laurent. Beyerlinck in Theatro suo*, asserens se tunc eum, quem in scrinio servavit, invenisse instar manûs explicatum.

13. Plures alias nugatorias observantias in nocte Natalis enarrat *Caramuel. Nam inquit, & jumenta in stabulis futura eloqui docent, & fontes pro æquis vina ejicere: Umbram capitis non videri, aut faciem in offis quærendam esse: aut mappam tribus annis hoc die mensis impositam & intereà nunquàm lotam contrà morbos valere, aut scabellum recens in templum portatum sagas allicere, & similia multa, quibus sibi album panem, ut stultè existimant, pinsunt.* Similia sunt, quod multi hac nocte sacrâ etiam salem in mensâ ponant, & ex eo divinent: alii effundunt aquam super mensam, & exindè conjectant: alii stramineis ligamentis arbores circumdant, quêis credunt contra frigus hyemale tutari & anno futuro fœcundiores reddi. Veneficæ etiam ex publicis fontibus aquas nudæ in ædes comportant, & indignis abusibus aptas dicunt, dignæ quæ ipsis aquis mergantur & suffocentur. Fabri quoquè ferrarii turpi ritu annulos præstigiales fabricant, ut impia & abominanda plura alia taceam. Ita nox illa Sacratissima, quâ mundo salus illuxit, haud alio, quàm impietatis omnis magistro ac Præceptore Cacodæmone indignis, & execrandis magicis observationibus prophanatur.

14. Circà Tempestates aëris conjectant nonnulli, quod si in pervigilio Nativitatis & ejus nocte aura serena, clara, & tranquilla faveat absquè nive & pluvia, Copiam vini & omnium frugum abundantiam præsagire; defectum verò, cum tempestuosa ac pluviosa extiterit. Si ventus tunc ab Oriente flet, jumentorum interitum; si ab Occidente, magnatibus annum periculosum ac fatalem; Si ab Aquilone fertilitatem; & tandem si à Meridie ruat varias infirmitates prædicere ac prænuntiare. Communissima tandem Aratorum & Villicorum & Regula hæc est. *Viriditas Nativitatis Paschatis nives notat.*

15. Firma multis Agricolis & Vinitoribus persuasio est à *Christi* Nati festivitate ad Epiphaniam usquè singulos ordine dies observatos in auræ Constitutione respondere duodecim mensibus per annum, ità ut quàlis aëris constitutio sit in quâlibet observatâ die, & singulis ejus quadris, talis respondeat aura conformis in mense & ejus quadris.

16. In S. Stephani festo Venas equorum utiliùs secari, & nummum pro Equorum morbis efficaciùs offerri, rusticana traditio est.

17. Improbum maleficii scelus est intrà Octavam Nativitatis Dominicæ fila ducere & iisdem claudicantes reddere pecudes.

18. Ultimò tandem anni die, ut inquit *Caramuel*, quidam sibi herbam mutuò tradunt, quæ si novo anno adhuc vireat, vitam vulgo amentissiè auspicantur, adeò ut si etiam felis avidiûs comedat, annonæ caritatem portendi; si fontes coronâ ornentur, aquam salubriorem toto anno sparsuros; si poma comedantur ulcera grassatura dicant.

Atque hæ sunt Observantiæ communiores per annum, quæ doctis & ingenuè peritis haud dubiè fel & stomachum movent: Ex quibus sunt plures superstitiosæ ac impiæ aliæ nugatoriæ, aniles ac fictitiæ, pleræque vanæ, futiles ac fallaces. Proinde nunc rectè etiam cum sæpiùs hic memorato Doctissimo *Caramuele* præsentem tractationem ipsismet ejus verbis circà finem *lib. 1. Apparat. Philos.* concludere libet. *Hæc sunt vana & superstitiosa fœminarum multarum (aut etiam aliquorum virorum) præjudicia eò magis nociva, quò minus vitantur, jocari dicuntur Veneficæ, cùm seriò agunt, ut securiùs nocere Junioribus possint. Curiosus est mulierum genius, & qui arcana velit rescire, prodigia facere, modò hoc obtineat, ille nec Deum curabit, nec homines reverebitur. Debebit igitur coërceri authoritate publicâ nimius ille & malèsuadus scientiæ ardor, cogiquè ne terminos transiliat, nec permitti tot & tantas superstitiones sub nomine jocorum transire. Ut joci sint, periculosi, & scandalosi solent esse; & nemo ignorat debere vitari pericula & tolli scandala. Hæc dixisse sufficiat.*

CAPUT

CAPUT XIII.

De Aëris variâ per annum mutatione, ejusque ex astris conjectatione juxta Astrologos.

IN nullo capite ità strenuè laborant Astrologi ad ampliorem Astrocriticæ Scientiæ dignitatem affingendam, quàm in Temporum prænoscendorum ratione ac variarum aëris tempestatum, earumque mutationum, & communium indè emergentium eventuum prædictionibus. Sicut nec plebei tantùm, verùm & super plebem eminentiores, & doctiores suspiciunt, imò firmiter apprehendunt abditum aliquem eumque continuum & nunquàm intermissum Cœli Superioris in partes Mundi sublunares & suprà terræ molem constitutas influxum, adeoque etiam indubium aliquem aëris cùm astris agnoscunt consensum. Sed nequè ullibi sæpè magis à vero aberrant, quamdùm prædictiones suis eventibus omni ex parte difformes promunt, ut ità malum sibi nomen ab ominando conquirant, nequè imposturæ publicæ, ac enormis sæpe mendacii crimen evitent. Ut igitur Lectori scibilium omnium mirandorum avido hic etiam deserviam; quibus comprimis fundamentis nitantur Astrologastri illi, ea quæ sequuntur ex optimorum Authorum monumentis deprompta & collecta in medium producere volui.

§ I.

Astrologicarum prædictionum circà aëris tempestates & earum mutationes fundamentum & divinandi modus ostenditur.

Generalis anni constitutio. 1. Ut generalis Anni alicujus constitutio innotescat, inquirendus est imprimis juxtà Astrologos, Anni illius ex Planetis Dominus; est verò ille, qui plures habet fortitudines præ reliquis, adjuncto etiam illi socio, ceu Domino secundario, cujus nempè fortitudines proximè in numero, ut prærogativa ad primarium accesserint.

Dominus Anni. 2. Dominus Anni ut depræhendatur, erigendæ sunt quatuor figuræ cœlestes ad quatuor momenta, quibus Sol in quatuor puncta Cardinalia Zodiaci, nempè in Arietem, Cancrum, Libram & Capricornum ingreditur. Deindè etiam erigendæ sunt aliæ adhuc octo figuræ, sivè themata ad Novilunia & plenilunia, quæ proximè supradicta momenta aut antecedunt, aut subsequuntur: tùm numeratis omnium Planetarum locis & fortitudinum momentis uti & detrimentis, sivè debilitatibus, collatisque & comparatis inter sese omnibus is anni Dominus constituendus erit, qui plures, ut paulò antè dictum est, præ aliis fortitudines habuerit. *Argolus tamen lib. 2. Astron. cap. 13.* ad Anni Dominum indagandum cœlestem figuram erigendam vult ad introitum Solis in primum punctum Arietis.

Prognostis ex Anni Domino. 3. Invento Anni Domino juxtà ejus naturam etiam de Anni constitutione generaliter pronuntiari poterit, ità ut si Planeta Dominans fuerit calidus aut frigidus, humidus aut siccus, ex eo etiam conformiter juxtà naturam Planetæ dominantis prædici queat anni salubritas, fœcunditas, frugum copia, vel inopia, bella, seditiones, morbi, infirmitates, inundationes & alia hujusmodi.

Quatuor anni quadrantum constitutio aëris. 4. Quatuor anni quartarum, sivè quadrantum constitutio prænoscitur, si figuræ cœlestes pariter singulis quadrantibus respondentes, nempè ad momentum Solis intrantis in punctum Cardinale conforme, noviluniique & plenilunii proximi erectæ considerentur, & pari modo Planeta in fortitudinibus excellentior Dominus illius quadrantis inquiratur; juxtà verò naturam deindè illius fiat prognosis. Ità si Mars in æstivo quadrante comperiatur, Dominus illius quadrantis, pronuntiari potest æstas ferventissima & calidissima. Si verò in hyberno quadrante reperiatur Dominus; hyemis frigus temperatum prædici poterit. Similiter de aliis Planetis conformiter ad anni partes erit judicandum.

Singulorum dierum aëris constitutio. 5. Ut specialior aeris constitutio pro singulis diebus innotescat; quatuor communiter figuræ sivè themata pro singulis mensibus erigi debent; nempè ad momentum Novilunii, primæ quadraturæ, Plenilunii, & ultimæ quadraturæ: collectis deindè pariter calculis peculiaris imprimis totius mensis Dominus eligitur: Comparatis quoque duorum mensium Dominis de singulorum dierum constitutione pronuntiatur, prout deficit sensim unius dominatus, & instat sequentis Domini præfectura. *Argolus lib. 2. Astron. cap. 9.* ad menstruas mutationes temporis eliciendas, vult summâ ratione erigendam esse figuram introitûs Solis in primum punctum cujuslibet signi; subdit etiam: *quod necessarium nos pluries sumus experti.*

Alia indicia Astrologica observanda. 6. His dominiis præcognitis etiam alia indicia Astrologica sunt inspicienda ac comprimis partes Zodiaci (de quibus abundè suprà actum est) in quibus scilicet Planetæ existunt: aliæ enim sunt humidæ, aliæ siccæ, aliæ grandinosæ, aliæ tonitruosæ &c. deindè etiam Stellæ fixæ sunt observandæ, earumque ortus, vel occasus, ut & natura in aëris tempestatibus ciendis. Præterea etiam Planetarum aspectus, & radiationes tùm in ordine ad se, tùm ad fixas. Item advertendi sunt Planetæ: num sint Orientales, directi, & circâ Apogæum: tunc enim siccitatem denotant; secùs si retrogradi, & circâ Perigæum, ubi humiditatem & nebulas, aut pluviam pro ratione temporis præsagiunt. Habenda etiam est ratio Trigonorum; in quibus equidem cum Planetarum aspectus, ac imprimis conjunctiones magnæ con-

næ contingunt, ingentium aëris mutationum exiſtunt cauſæ, ſequunturque pro ratione Trigoni aut conflagrationes & incendia horrenda, aut inundationes, ac diluvia, aut terræ motus, aut etiam diræ Peſtes, aliæque infirmitates mortalibus noxiæ. Peculiariter verò ſemper Lunæ per ſigna cœleſtia, ac Cœli angulos ad manſiones progreſſio, ſingulæque Lunationes in ſingulis hebdomadibus, ac hebdomadum diebus ſunt perpendendæ, cùm aëris alteratio à Lunâ tantò citius & efficacius, quantò terris propior eſt, effici poteſt.

Apertiones portarum. 7. Apprimè tandem etiam attendendæ ſunt apertiones portarum ſivè valvarum aut cataractarum ſic dictæ, quod effectus maximè notabiles, ac evidentes circà ac temporum mutationes, veluti vehementiſſimos ac rapidiſſimos ventos, ingentes pluvias, ac diluvia, vel ſæviſſima tonitrua cum grandinibus, & imbribus excitare ſoleant. Sed quò totum negotium in praxin reducatur, nunc Aſtrologicas Regulas & Obſervationes in medium proferamus.

§. II.

Regulæ ſeu Canones Aſtrologici Generales de Aëris ac Temporum mutationibus ex *Cardano*.

1. Ad aëris & temporum mutationes prænoſcendas oportet imprimis Cœlum cognoſcere Regionis, & quo tempore anni ſit tempeſtuoſum, nec non conſiſtentiam aut mutationem ob ventos; tum etiam cui ſigno Regio magis conveniat.

2. Temporum quatuor initia ex quatuor interluniis aliquâ ex parte condiſces.

3. Dominus interlunii multùm poteſt in qualitate aëris, & qui reſpicit eos; tum maximè, ſi in cardinibus fuerint.

4. Cùm Planeta Dominus qualitatis temporis menſis proprii in ſigno diverſæ naturæ, ac contrariæ fuerit, procraſtinabitur aëris conſtitutio, & ſimiliter ſi luminarium conjunctio à loco, in quo opus ſuum incipit, multùm deſtiterit; & ſi eo tempore non ſit apertio conveniens illi conſtitutioni.

5. Cùm mutatio temporis ab ingreſſu Lunæ in ſignum aliquod incœperit, nec radii occurrunt impedientes; illa temporis conſtitutio 52 horis perdurabit.

6. Validæ conſtitutiones, dum florent fata, ſi in Lunæ oppoſitionem incidant, aut conjunctionem, plerumquè annonæ inducunt caritatem.

7. Generaliter etiam cùm Plenilunia in æſtate aut hyeme Novilunia in florem aut primum exitum germinum inciderint, aut cum ortu occaſuvè potentiſſimorum ſiderum, magna calamitas in proventibus eſt exſpectanda.

8. Annonæ & fructuum penuria non ex anni principio, ut quidam fabulantur, ſed ex aëris temperantia in humido & ſicco, vel inæqualitate, tùm etiam ex Pleniluniis, Noviluniiſque ac ortu ſiderum & Eclipſibus, tùm maximè, cum ſingula florent, eſt exploranda.

9. Nives ſuo tempore mediocres, frugum indicant abundantiam occidunt enim vermiculos & terram calefaciunt.

10. Omnes magnæ conſtitutiones in hyeme ad nives proclives ſunt, & in vere ad ventos, & in æſtate ad grandines.

11. Cùm validæ conſtitutiones fuerint, ac contrariorum Planetarum venti contrarii excitantur; Undè nubium congregatio; indè nix, aut grando.

12. Intemperata quæcunque conſtitutio annonæ penuriam, & in animantibus perniciem parit.

13. Detrimenta rerum fiunt maximè locis, quæ ſubſunt Aſcendenti, & qui in aſpectu ſunt conſtitutionum, & his, qui eidem ſubſunt trigono.

14. Conſiderare oportet conjunctiones magnas, medias, & minores tum luminarium, atquè etiam mutationes Planetarum tardigradorum in ſignis, congreſſibuſque ad fixas pro temporum mutationibus.

15. Quæ in Æſtate & Autumno grandines pariunt, eadem Hyeme nives ac Vere.

16. Planetæ non immutantur à fixis juxtà temporum rationem, ſed roborantur ſolum Lunâ exceptâ.

17. Nix maximè fit ab humido ſubtili, ideò à calidis Planetis & ſignis juvatur ac multiplicatur.

18. Niſi fixarum ortus & occaſus aliquid facerent, imbres non uno magis tempore, quàm alio fierent; incertus eſt enim Planetarum concurſus.

19. Cum fuerint calidi & humidi Planetæ cum ſtellis calidis, & humidis, ac in ſignis ſimilibus turbulentum, æſtuoſum, ac inſalubrem aërem efficient.

20. Malevolæ cùm in Synodo Luminarium illa reſpexerint, aut Luna ad eas pervenit, minus violenter tempeſtates movent, quàm ſi exoriantur; attamen longè diuturniores.

21. Planetæ veloci motu ſuo ſiccitates inducunt; ſtantes autem ventos; Retrogradantes aquas.

22. Planetæ maximam habent in nocendo vim per tantum temporis quantùm durat retrogradatio futura.

23. Ex tribus portarum apertionibus ventos maximè facit eaquæ Jovis & Mercurii; aquas Martis & Veneris; Grandines aut nives ac frigus ea, quæ Saturni & Luminarium.

24. Cum in temporum mutationibus levis Planeta ab altero ad alterum fertur aperientium portas, tùm etiam in aliis, natura vincit ejus ad quam defertur.

25. Calamitates non fiunt niſi prædominantibus infortunis: Undè in Piſcibus vel Cancro inundationes fieri nequeunt.

26. Robuſtiſſimæ Conſtitutiones ſi Primæ ſint, in primis reſtitutionibus operantur: Sin autem debiles, in primis validis.

27. Qualitates igitur aëris dignoſcuntur ex ſitu Planetarum in Eccentrico, in parvo circulo, in partibus Eclipticæ & Æquinoctii, in propriâ natura, in conjunctione cum aliis, vel per radios, aut ad fixas, in delatione luminis, in locis mundi, in horâ radiationis

Effectus Generalis in mutatione Aeris ex congressu et configuratione Planetarum.

					Venti validi pluviis interpositis, aut nubes pallidæ instar fumi dispersæ.
				Venti humidi et Nubes.	Imbres leves, pluviæ molles cum frigore. Æstus maris vehementior.
			Humiditas.	Venti et aliquando Pluviæ.	Alteratio aeris pro ratione temporis et dominio Planetarum.
		Calor, æstus vel tepiditas pro ratione temporis.	Humiditas, Aeris alteratio Apertio portarum.	Tempestates et procellæ impetuosæ.	Mutatio aeris pro natura Signi.
	Pluviæ. Tonitrua. Fulmina.	Serenitas. Calor temperatus. Venti salubres.	Serenitas. Aeris temperies.	Venti. Apertio portarum ad ventos validissimos.	Serenitas cum Ventis propitiis.
Mutatio aeris, pluviæ venti, grandines per plures dies.	Nubes, Venti, Aeris corruptio.	Pluvia: Grandines. Frigus. Apertio portarum.	Imbres. Pluviæ. Frigus.	Serenitas. Aeris mutatio.	Nubes obscuræ. Pluviæ molles Frigus.
♃	♂	☉	♀	☿	☽
Turbidum. Humidum.	Pluviæ vel Tonitrua et Grand:	Pluviæ. Frigus.	Pluviæ. Frigus.	Venti cum Pluviis.	Turbulentum, Humidum, Ventosum, Calidum.
Grandines. Tonitrua.	Tonitrua. Grandines.	Grandines, Tonitrua, remissio Caloris.	Pluviæ subitaneæ.	Venti, Imbres.	Nebulæ, Nubes, Pruina.
	Turbidum, Ventosum.	Venti.	Grata Temperies.	Venti maligni.	Aeris Temperies.
	Calidum, Tonitrua, Tempestates.	Fulmina, Tonitrua.	Temperies.	Venti.	Temperies.
		Siccitas, Venti.	Pluviæ.	Venti nubiferi.	Urentes Venti in signis calidis.
		Calor imodicus, Tonitrua Grandin	Imbres.	Tonitrua, Grandines.	Fulgura, Tonitrua.
			Pluviæ.	Venti humidi, aut Pluviæ.	Alteratio Aeris.
			Tonitrua, Imbres.	Venti, vel Pluviæ.	Alteratio Aeris.
				Venti humidi.	Nebulæ, Humiditas.
				Nubes, Venti humidi.	Remissio Frigoris.
					Venti cum mollibus pluviis.
					Nubes.

Effectus in mutatione Aeris ex ☌ Planetarum Tempore Veris et Æstatis.

Jupiter atq; Venus benè sunt: Sat Marsq; maligni. Sol et Mercurius cum Luna sunt mediocres.

Prog… Te… ex congress… one P…

EFFECTUS Specialis in mutatione Aeris ex congressu Planetarum in diversis Sign: Zodiac:

☽	☿	♀	☉	♂	♃
in ♋. ♏. ♓. imbres. in ♊. ♎. ♒. siccitas. in ♉. ♍. ♑. Frigus.					
Nebulæ, pluviæ aut nives, pro temporis constitutione.	in ♋. ♏. ♓. imbres cum ☌. ☍. □. eadem horâ et tempore inundatio.				
in ♋. ♏. ♓. pluviæ, nubes croceæ. in ♈. ♌. ♐. Serenitas.	in ♊. ♎. ♒. venti humidi. in ♋. ♏. ♓. pluviæ. in ♈. ♌. ♐. venti validi, siccitas cum corruptione.	in ♋. ♏. ♓. pluviæ. in ♈. ♌. ♐. imbres et tonitrua.			
in ♋. ♏. ♓. pluviæ. in ♈. ♌. ♐. siccitas, nubes croceæ et pluviæ. in ♊. ♎. ♒. fulgura, tonitrua, grand	in ♈. ♌. ♐. calor, siccitas. in ♋. ♏. ♓. imbres. in ♊. ♎. ♒. venti validi.	in ♋. ♏. ♓. pluviæ profusæ apertio portarum in aliis Signis pluviæ mitiores.	in ♋. ♏. ♓. imbres, grandines, tonitrua. in ♈. ♌. ♐. æstus siccitas. in ♊. ♎. ♒. aeris obtenebratio.		
Aeris temperies in ♈. et ♍. albæ nubes.	in ♈. ♌. ♐. Venti validi. in ♊. ♎. ♒. Siccitas.	in ♋. ♏. ♓. mites pluviæ fertilitas.	in ♊. ♎. ♒. serenitas. in ♋. ♏. ♓. pluviæ. in ♈. ♌. ♐. serenit: calor. in ♉. ♍. ♑. minus omnia.	in ♋. ♏. ♓. Tonitrua, fulmina, pluviæ. in ♈. ♌. ♐. exustio.	
in ♋. ♏. ♓. nebulæ, frigus. in ♐. vel ♑. auget frigus. in Signis siccis ♉. ♍. ♈. ♌. pruina	in Signis siccis Siccitas. in ♊. ♎. ♒. venti in ♉. ♍. ♑. frigo in ♋. ♏. ♓. pluviæ aer tenebrosus.	in ♋. ♏. ♓. Grandines.	in ♋. ♏. ♐. ♑. ♓. frigus, pluviæ, grandines.	in ♋. ♏. ♓. pluviæ, grandines, nubes et imbres.	in ♈. ♌. ♐. calor, siccitas. in ♋. ♏. ♓. inundatio.

☽	☿	♀	☉	♂	♃
Aer nebulosus.	Venti, Nubes.	Pluviæ frigidæ.	Pluviæ, Frigus.	Pluviæ turbidæ.	Venti cum pluviis.
Nubes vehemens Frigus, Nives.	Venti, Nubes.	Pluviæ aut Nives.	Nebulæ, Nives.	Remißio frigoris.	Turbidum, Nebulosum.
Temperies aeris.	Venti.	Aeris tranquillitas.	Venti	Turbines, Venti.	
Temperies.	Turbines.	Serenitas temperata.	Frigoris remissio.	Frigoris remissio.	
Tepiditas, pluviæ.	Grandines, Venti, Nubes.	Pluviæ.	Venti, Siccitas.		
Aer tepidus.	Nives.	Remissio frigoris.	Remissio Frigoris.		
Alteratio aeris.	Venti, vel Pluviæ.	Pluvia.			
Alteratio aeris.	Venti.	Humiditas.			
Nebulæ turbidæ.	Venti humidi, Nebulæ.				
Turbines, Nives.	Pruina.				
Turbines.					
Pluviæ, Venti.					

EFFECTUS in mutatione Aeris ex ☌ ☍ Planetarum Tempore Hyemis et Autumni.

STICON
ORIS
configurati=
tarum.

Frigidus et siccus Sat: Jupiter æstuat udus
Mars et Sol sicci fervent, sed Luna Venusque
udæ frigescunt, medius Cyllenius esto.

nis suæ, vel in conjunctione luminarium, aut in comparatione ad loca conjunctionum potentium atquè in comparatione ad locum Solis, qui potentissimus est, tum etiam directiones conjunctionum magnarum, & tempora ac qualitates Eclipsium & incidentia, ut terræ motus, fulgura, cometas & constitutiones Planetarum cum fixis in circulis Ascensionum; & loca duorum Superiorum & frequentationes, repetitiones, ac multiplices simul habitus præter hæc considerare oportet. Atquè ex his singularia cognoscere licet.

§. III.

Regulæ seu Canones Astrologici speciales de mutationibus aeris ex Planetis & Stellis fixis in specie juxtà *Cardanum*.

1. Saturnus longè frigidior est, quàm siccus sit.

2. Saturno ex signo in signum transeunte per plures dies fiunt in Cœlo signa splendida.

3. Saturnus facit inundationes, terræ motus, & nives, ac pruinas & frigora immensa.

4. Cum sub hyemis fine aut initio Saturnus Lunæ dominatur, & figuræ Cœli; insolita frigora accidunt nubilo tempore, & in his nives exspecta.

5. Cum Saturnus Soli jungitur, frigus augetur; estquè hoc argumentum Astrologicæ veritatis.

6. Saturnus ac Luna in siccis temporibus generant pruinam & uredinem. Saturnus ad Luminaria & Jupiter ad Mercurium, & Mars ad Venerem portas aperiunt, magnasque temporum mutationes efficere solent.

7. Communia Saturno & Marti lues & sterilitates ac seditiones.

8. Saturnus ac Venus adjuvant Lunam ad inundationes: Jupiter autem & Mars ad vehementes siccitates: Sed Mercurius utrumque auget.

9. Ex superioribus nullus præter Jovem pluvias; ex inferioribus nullus præter Mercurium siccitates facere potest.

10. Mars facit æstus & incendia & fulgura ac grandines & bella.

11. Mars maria exagitat; Saturnus pluvias auget & stagnantes aquas: Luna autem maria & flumina.

12. Mars cum Jove si jungatur in igneis signis, ubi sidera sunt tempestuosa, etiam mediâ hyeme grandines efficere possunt, aliter autem nives.

13. Robur maximum Solis facit grandines; minimum pruinas & nives; mediocre pluvias: juvant autem extrema utraquè venti validi.

14. Sol conjunctus Jovi præcipuè in aëreis signis aërem temperat: Saturno, frigefacit maximè in Sagittario & Capricorno: Sed Jovi, æstum & tenebrosum aërem in Vere præcipuè & insuper morbos.

15. Serenitates à Sole ac tribus superioribus: imbres à tribus inferioribus: ob hæc serenitates cum magnis caloribus ac frigoribus: imbres omnes tepidi.

16. *Rasis* dixit Venerem, cum in primâ Cancri parte fuerit, pluvias facere.

17. Proportio Veneris ad ignea signa est, ut Jovis & Mercurii ad aërea.

18. Mercurius ventos exitiales facit.

19. Cùm Luna iverit ex Absidis opposito ad Absidem nodis propinquum, & juxtà Solis viam ad Solem appropinquans, vel ejus oppositum cum nimboso sidere, vel in aspectu Saturni, ab oppsito Absidis discedens imbres diuturnos commovet.

20. Frigus augetur â Lunâ cùm Plena est, jungiturque Saturno, aut per Aspectum ei copulatur. Sic enim illa vicem Solis gerit. Cùm verò Luna vacua Saturno copulatur, aut ipsum aspicit, siccitas augetur.

21. Cùm Luna latitudinem habens borealem in Cancro ab oppositione ad Venerem noctu fertur; tum maximè in initio signi, ac nocte in cœli corde, aut Ascendente æstus obruet circumjacentia.

22. Cùm Eclipses in terreis, aut Cometæ fiunt, sterilitates portendunt ob siccitatem: cùm in Aqueis ob imbrium abundantiam, & sterilitates & pestes: in Aëreis ventos & seditiones & Pestilentiam etiam, sed non semper tamen: In igneis autem bella.

23. Ecclipsis tres habet vires, potentem ratione conjunctionis, vel oppositionis: generalem, quoniam lentè infrigidat; atquè ideò in multos extenditur dies: & propriam, quæ â loci dominatore habetur.

24. Eclipses in quarta domo juxtà Cœli imum validiores, quàm in octavo, vel duodecimo loco; & in prima domo validiores, quàm in nonâ vel undecimâ.

25. Eclipses cùm in florentem arborem inciderint, ejus fructus eo anno inferunt penuriam. Plura circà Eclipses ex Authore attulimus suprà, ubi de Ecclipsibus actum est.

26. Vergiliarum ortus Subsolanum excitat; Favonius solem existentem in Vigesimâ quintâ Aquarii parte suo initio sequitur duraturus diebus circiter novem.

27. At Caniculæ exortum octo diebus antecedunt prodromi Aquilones: succeduntautem illi post duos dies Etesiæ quadraginta diebus, quibus Caniculæ vis etiam perdurat.

28. Antè occasum Arcturi venti Austrini, Corus autem in Autumni æquinoctio. Vergiliarum autem occasus excitat Aquilonem Hyemalem.

29. Aquilæ exortus, si in interlunium incidat, omnes præcòces, tùm vernos fructus lædi necesse est.

30. Delphini Vespertino occasu dies hyemant; & cùm occidit Cor Leonis, favonii exurgunt; cumque Arcturus Vesperi exoritur, hirundines apparent, jamque Ver est. Libræ autem òccasus imbres matutinus, & succularum vespertinus tempestates magnas afferre solet. Capella autem exoriens matutino imbres affert.

31. Canicula exoriens simili modo maria ac terras, & animantium omne fermè genus concutit.

32. Aquila occidens matutino, Etesias ventos suscitat.

33. Ad Procyonis occasum, qui quatriduo fermè extenditur, aut si florentem messem occupaverit plenilunium, fruges omnes lædi necesse est.

34. Sed Canis ortus in interlunio, & Caniculæ in plenilunio, aut cum Aquilâ exoriente vesperi plenilunium, oleas, ac vite florentes, tùm maximè fructibus privat, ac etiam in posterum minùs fœcundas reddit. Hæc ex *Cardano in Aphoris. segm. 7.*

§ IV.

Regulæ & Observationes Astrologicæ pro aeris, & Temporum prænotionibus, ac prædictionibus ex consideratione Planetarum juxtà alios Astrologos.

Natura Planetarum in specie.

1. Natura imprimis singulorum Planetarum in specie licet superiùs *cap. 5. hujus Disquis.* sufficienter sit indicata; hic tamen ratione Dominii in aëre, prout singuli Planetæ dum sunt vel Orientales, vel Occidentales, Hyeme quoquè vel æstate aliter aërem afficiunt, in sequenti tabula facilè adverti potest. De Signorum quoquè cœlestium, & partium eorundem in ciendis aëris tempestatibus consule suprà cap. 4. hujus Disquisit. §. 2.

Natura & effectus Planetarum respectu sui dominii in aëre.

	Natura Planetarum.	Planeta Orientalis, vel Occidentalis.	Operatur in aëre.	Hyeme vel æstate.
♄	*Maleficus. Frigidus & siccus. Glaciosus, nebulosus, impurus, melancholicus.*	*Orient. magis frigidus. Occident. magis siccus.*	*Pluvias infructuosas tempestates, nebulas caligines, nives, pruinas.*	*Hyeme. intensissimum frigus, nives, & pruinas. Æstat. remissionem caloris.*
♃	*Beneficus, temperatè calidus & humidus. Cosmeticus, vivificus, spirituosus.*	*Ori: magis humidus quàm calidus Occi: magis calidus quàm humidus.*	*Temperatè calefacit, & humectat. Serenat ventos salubres, perflat pluvias temperatas & frugiferas, aëris clementiam & gratam temperiem causat.*	*Hyeme frigus mitigat. Æstat. calorem temperat.*
♂	*Maleficus, immoderatè calidus & siccus, cholericus.*	*Ori: magis calidus. Occid. magis siccus.*	*Æstum & siccitatem magnam facit. Adurit, corrumpit omnia. Ventos calidos, tonitrua, fulmina, tempestates & grandines producit.*	*Hyem. mitigat frigus. Æstat. calorem auget.*
☉	*Beneficus, temperatè calidus & siccus. panspermaticus, vivificus.*	*Oriens vapores excitat, attrahit, cogit. Occidens octos vapores dimittit.*	*Illuminat. Serenat, calefacit, maturat, concoquit, purgat, attrahit nebulas & vapores; dissolvit nubes.*	*Hyem. omnia remissius operatur. Æstat. omnia efficacius.*
♀	*Benefica. Temperatè humida & frigida.*	*Ori. valdè humida. Occid. paululum calida.*	*Pluvias moderatas & fœcundas efficit & ventorum temperiem.*	*Hyem. aërem temperat. Æstat. siccitatem minuit.*
☿	*Anceps. Naturæ promiscuæ, cum bonus, cum malis malus, mutationis dominator.*	*Ori. modicè calidus. Occid. magis siccus.*	*Ventos repentinos & turbines movet, grandines & graves pluvias, fulmina, fulgura flammantia.*	*Hyem. auget & minuit pro naturâ socii. Æstat. auget & minuit pro naturâ conjuncti.*
☽	*Humida & parùm calida.*	*Ori. minùs humida. Occid. valdè humida.*	*Sublustrat aërem, vapores attrahit.*	*Mutat singulis mensibus pro varia cum sole & aliis sideribus habitudine.*

Planetæ in Principalibus Cœli locis.

2. Planetæ quicunquè dominantes locis principalibus figuræ cœlestis combusti in principio quartæ vernalis decernunt nebulas; in æstate caliditatem & tonitrua; in Autumno frigiditatem & humiditatem; hyeme nubila ventosque australes. *ita Argolus lib. 2. Astron. cap. 9.*

3. Planetæ Significatores aëreæ qualitatis occidentales, retrogradi, minuti motu, in perigæo, combusti, debiles pluvias demonstrant ex *Leopoldo*, ut idem ibidem tradit, præter Martem, qui combustus pluvias minuit.

4. Superiores Planetæ, ut est Saturnus, Jupiter,

In Apogæis & perigæis. Jupiter, Mars in Apogæis orbium eccentricorum humectant & refrigerant, nec multum calefaciunt ob maximam distantiam à Sole, à quo calorem, lumenque suscipiunt; sicut in Peregæis, quandò ob Solis viciniam exsiccant, & calefaciunt. *Idem ibidem cap. 2.*

5. Mercurius & Venus inferiores Planetæ contrario modo se habent: tam in Apogæis eccentrici, quàm Epicycli ob Solis propinquitatem calefaciunt, & exsiccant: in imâ verò Abside refrigerant, & humectant, à Sole remotiores.

Planetæ superiores in suis Epicyclis. 6. Saturnus, Jupiter, & Mars quoad Epicyclos & Solem Orientales sunt robustiores, eóque magis, quo à Sole elongantur usquè ad primam stationem, à quâ, quousquè Soli opponuntur, sunt debiliores: ab oppositione ad stationem secundam sunt nimis imbecilles, à quâ quousquè occultantur, sunt validi, sed minus quàm Orientales: in Apogæis Epicyclorum sub radiis exsiccant. Ab ortu matutino usquè ad primam stationem, ubi incipiunt retrocedere, humectant: à primâ statione usquè ad medium retrogradationis, & oppositum Solis Jupiter & Mars calefaciunt, Saturnus verò refrigerat. A medio retrogradationis quousquè incipiunt dirigi, & ad stationem secundam exsiccant: à quâ usquè ad occultationem magis infrigidant, quàm exsiccant.

Planetarum aspectus. 7. Ad prænoscendas aeris mutationes necessaria est etiam cognitio naturæ, & qualitatis, quàm Planetarum aspectus & congressus, seu conjunctiones decernunt: hac attentâ observatione, quod majorem & diuturniorem effectum per plures dies generet Conjunctio. Hanc sequitur oppositio, deindè quadratus aspectus, adhuc remissior in operatione est Sextilis, & ultimò Trigonus; & hi duo ultimi debiliores sunt aliis. Efficiunt autem omnes hi numerati aspectus subitaneas mutationes ac minus durant, quàm Conjunctiones, atquè citius transeunt.

Anni constitutio & tempus. 8. In Conjectatione quoque aëris ex Planetarum congressibus, & configurationibus non tam ad signa ipsa cœlestia, in quibus congressus & conjunctio contingit, sed etiam ad anni constitutionem ac tempus respectus habendus est: nam congressus & conjunctio in signis calidis & siccis in æstate calorem & siccitatem auget: in hyeme verò tempus minùs solito frigidum, auramque temperatiorem, aut frigoris remissionem decernit. Congressus autem in frigidis & terreis signis sicut hyeme nives & gelu adducit, ità æstate calorem remittit. In aëreis porrò ventorum afflatum frequentem; in humidis superfluas pluvias aliis temporibus; in æstate verò temperiem causat: qualis autem specialis sit auræ constitutio conjectanda tùm ratione signorum, in quibus configurationes & congressus Planetarum contingunt, tum etiam juxtà quatuor anni tempora breviter & compendiosè hìc in tabulâ expressimus. Tabula.

Portarum apertiones. 9. Inter Planetarum congressus quidam sunt efficaciores in commotione aëris, & vehementiores in effectibus suis producendis, qui & Apertiones portarum appellari solent: numerantur autem imprimis tres præcipui congressus, & sunt; Cum Saturnus Soli & Lunæ conjungitur: & hæc conjunctio operatur aerem turbidum, nebulosum & frigidum maximè in signis terreis & aëeis: in aqueis verò affert magnos imbres Hyeme nives, præsertim, cum Saturnus reperitur in cardine meridiei horâ interlunii, vel plenilunii; Luminarium quadraturæ, vel si Saturnus sit stationarius, aut retrogradus. Alia portarum apertio est Jovis, & Mercurii conjunctio, quæ operatur validos ventos sine pluviâ. Tertia verò Martis & Veneris conjunctio in fulgure, grandine, & ciendis imbribus est efficax.

10. Quælibet harum portarum apertio tribus potissimum modis fieri solet. Primo quidem modo adhuc aliquantum debili, quandò scilicet dicti Planetæ ad invicem conjunguntur corpore vel radiis ex aspectibus. Secundo modo efficaciori, quandò videlicet Lunâ intercedente, ipsa nempè ab inferiori Planeta separatur & transit ad superiorem, sive per ☌, ☍, □, vel ✱, tum enim accidit evidens mutatio in aurâ. Ut si ex gr. Sol in 12 grad. ♓, & Saturnus in 16. gr. ♐, Luna verò in 13 gr. ♍ fuerint: cumque Luna sese separando ab ☍ Solis ad Saturnum transeat, fit portarum apertio maxima Lunæ ex Sole ad Saturnum commigratione: quarè tunc causabitur tempus nebulosum, frigidum, pluviosum, præcipuè verò in locis, ubi contingit Lunam esse in meridiano cardine. Quodsi verò Luna discedens à Saturno sese ad Solem applicet, minor ac brevior aëris mutatio accidet, postquè turbulentiam aëris serenitas & claritas sequetur. Tertio porrò modo contingit portarum apertio, cùm ab altero aperientium ad reliquum Venus vel Mercurius accedit; nam idem ferè evenit, quod aliàs contingit altero alteri se applicante. Quodsi deniquè Mercurius aspexerit ☌ ☍ vel □ Luminaria, pluviæ notantur; Sin autem tunc cùm portarum apertione Planeta fuerit retrogradus, ingentes pluvias significabit. Quot modis contingant.

11. Experientiâ se compertum habere scribit *P. Rheita in oculo suo Enoch & Eliæ*, Stellas solarem discum eclipsantes & subeuntes insignem aëris intemperiem, ventos & inconstantiam temporis plerumquè afferre, quandoquè etiam serenitatem, idque in calidioribus signis, & hanc etiam eclipsationem meritò posse addi tribus superioribus pro quartâ portarum apertione.

12. Notat *Argolus* aëris mutationes fieri secundùm naturas Planetarum, inter quos fit translatio: & ille qui recipit conjunctionem, vel aspectum, esse significatorem ac Dominum qualitatis mutationis aëris.

13. Observationes etiam quasdam speciales ad auræ constitutionem eliciendam ex Planetarum positu & configuratione tradit idem, ut sequuntur. In revolutione, inquit, anni Mars in signo proprio pluvias multas significat, in domo Saturni parùm, in aliis mediocriter. In ☌ vel ☍ præcedente revolutionem anni, si Mars aspiciat illum locum; erunt fulgura, & lampades. Observationes speciales ex Argolo.

14. In revolutione anni Venus, Mercurius,

rius, Luna in humidis pluvias redundantes portendunt.

15. In ingressu Solis in signa Tropica, si Venus aspexerit Lunam ex humido loco, pluviæ erunt multæ. Si Mars ex Scorpio aspexerit Venerem, pluviæ abundabunt.

16. Sole in Ariete vel Tauro, si Venus sit retrograda, Ver erit pluviosum & humidum.

17. Sol in finibus Martis calorem adauget, Hyeme verò & vere siccitatem.

18. In ☌ & ☍ præcedentibus introitum Solis in Arietem; in ipso ingressu, si Luna aspiciat Saturnum, & ambo sint in signis humidis, erunt nubes nigræ, pluvia lenta & durans: Si verò Mercurius & Venus aspexerint Saturnum, tunc erit pluvia major & durans.

19. Si fuerint in Quartâ Autumnali cum Sole plures Planetæ retrogradi, & in Hyeme dirigantur: erit magna siccitas in omni climate.

20. Si in Quarta Æstivâ Planetæ fuerint Directi propter eorum infrigidationem; Æstas erit decora; si tunc Retrogradi, erit calida. Nam Retrogradi calefaciunt, Directi infrigidant.

21. Venus & Mercurius combusti in Quartâ Autumnali frigus generant ac humiditatem: in Quartâ Hyemali nubila, ventosque Meridionales: in Vernali nebulas: in Æstivâ caliditatem & tonitrua; quod idem dicendum de Superioribus, Saturno scilicet, Jove & Marte.

22. Quandò Sol erit in Grad. 18. Scorpii, si Venus ibi juncta in loco humido erunt pluviæ ad submersionem.

23. Venus Retrograda Orientalis posito Sole in Capricorno, Aquario, vel Piscibus Vere dat imbres paucos; in principio verò hyemis, abundantes. Eadem verò Venus in Hyeme directa & Orientalis in principio dat paucas pluvias; in fine Hyemis copiosiores. Quandò etiam Venus applicat Marti in Aquario, statim pluet. Quandò etiam in ☌ vel ☍ luminarium Venus est in angulo, certum est pluviæ indicium.

Observationes circa Lunam.

24. Luna quando jungitur Veneri vel Mercurio, atquè magis cùm Utrique, pluviam decernit eâdem die.

25. Luna in ☍ Martis in Scorpio idem efficit præsertim Sole in Aquario aut Piscibus versante.

26. Si Luna fuerit juncta Marti in humido signo, & Venus vel Mercurius aspexerit Martem: erunt nubila, lampades, grandines & tonitrua; sed non pluet eâ die, nisi Mars aspexerit Jovem, Saturnum vel Solem.

27. Luna quando ingreditur Aquarium & Pisces vertit & perturbat aërem: dum verò applicat Mercurio combusto, facit pluviam.

28. Luna respiciens ☍ aut □ Solem in Aquario pluvias movet, maximè si ibi fuerit Venus.

29. Luna in ☍ Solis, vel cùm Venus est in Ariete, Librâ, Scorpio, aut Piscibus imbres, lampades, tonitrua & fulgura movet.

30. Luna in signo fœminino applicata Planetæ retrogrado in signo fœminino, pluviam statim affert.

31. Quando Sol, Luna, Venus, & Mercurius simul fuerint juncti; imbres continuos prædicunt eodem die, etiamsi aliundè eos Luna aspiciat.

32. Tandem generaliter circà Lunam observanda sunt, quod significatio Temporis tunc maximè moveatur cum Lunâ; cùm post ☌, □ aut ☍ jungetur corpore, vel aspectu valido Significatori: & quandò Luna pervenerit ad signum ascendens ☌ ☍ vel □, tempus mutabitur secundum qualitatem & naturam ipsius signi. Alias Lunæ significationes in certis Cœli mansionibus vide suprà *disq. 1. hujus scrut. cap. 3. §. 4.*

Judicia Astrologica ex Eclipsibus.

33. Pro judiciis Astrologicis ex Eclipsibus formandis consideranda sunt non tantum locus, signum & pars Cœli, ejus duratio, uti & quantitas Luminaris eclipsati; sed etiam Dominatores in ejus loco, ac Planetæ aspectu & radiatione quâcunquè concurrentes.

Circá Anni Dominum.

34. Circa Anni alicujus Dominum considerandum est, an is benè constitutus fuerit, quia pro ratione locorum, in quibus fuerit constitutus, tunc bona pollicetur in suis significatis. Si verò malè constitutus aut affectus fuerit, etiam mala portendet.

Tabula significationum & electionum Oeconomicarum.

35. Ex Anni Dominatore etiam generali quadam ratione conjectari potest, quænam illo anno contingere possunt: ut sunt frugum fertilitas, aut earum penuria, aëris salubritas, aut corruptio, sivè infectio, & plura ejusmodi alia. Vide Tabulam hìc appositam Significationum, & electionum Oeconomicarum juxta generale, & principale cujusquè Planetæ dominium per Annum ità constructum ut varia cujusvis anni accidentia, quæ Calendariographi in suis diariis annotare, & prænuntiare solent, hinc facilè addisci possint.

§. V.

Regulæ & observationes Astrologicæ pro Tempestatum aëris cognitionibus ex Stellis fixis juxtà alios Astrologos.


Solis introitus in Gr. 20. ♏

1. Omnes Astrologi antiqui, inquit *Argolus lib. 2. Astron. cap. 9.* observârunt pro aëris dispositione ad pluvias, tonitrua, coruscationes, & similia Solis introitum in Gr. 20. Scorpii, & erectâ tunc temporis figurâ prognosticant secundum dispositionem sideris dominantis non secus, ac de introitu Solis in puncta Cardinalia, ac de conjunctione & oppositione Luminarium fieri solet.

Stellæ in naturâ Planetis similes.

2. Stellæ pleræque fixæ deprehensæ sunt naturæ quâdam similitudine Planetarum consimilium qualitates in ciendis aëris mutationibus obtinere: Unde etiam *Saturninæ, Joviales, Martiales &c.* dici meruêre. Ità Stellæ in effectu mutationis aëris solent esse

Satur-



TABULA Significationum & Electionum Oecon Annu.

Dominus Anni.	♄	♃	♂	
Status Anni generalis.	Communiter Annus frigidus, Humidus, & infœcundus.	Humidus magis, quàm ficcus, at fertilis fœcundus.	Siccus magis quàm humidus, calidus, æſtuoſus, grandinoſus.	Siccu cundi
Ver.	Siccum. Frigidum. Pruinoſum. Flores & gramen feriùs germinant, In vere grandines nocent.	Frigidum, humidum, usque ad Majum. Indè ſplendidum, jucundum, & temperatum. Si in Martio, Aprili vel Majo Eclipſis Solis fuerit, timenda frugum caritas.	Ordinariè ficcum & frigidum, Pruinoſum. Vitibus & plerisque fatis ac plantis perniciofum.	Temp lis va cher, Oves tur.
Æſtas.	Frigido-humida. Infœcunda. Ventoſa, pluvioſa, ex imbrium copiâ noxia frugibus. Julius tamen ſerenus & ſatis calidus.	Initio frigida, humida, medio calida, æſtuoſa, cum multis tonitruis: in fine vehementer calida & ſicca.	Calidiſſima cum magno æſtu & ſiccitate. Defectus aquæ in fontibus & fluviis. Tonitrua gravia, grandines, inceodia, canum rabies. Hominum deliria.	Initio mox mâ ex mixti vent timen
Autumnus.	Frigido humidus magis. à medio Octobris valdè frigidus. Remiſſior tamen in Novembri ac humido-calidus.	Humidus, aquoſus & pluvioſus ordinariè.	Incertus: communiter tamen humidus & frigidus; cum ſiccior fuerit, fiet vioi copia, non cito hyemat, ac licet in Octobri forte frigus conſtringat; in Novembri tamen calor redit.	Siccus peſtiv cet di
Hyems.	Initio pluvioſa, indè hyemalis, continuò frigida, nivoſa, glacioſa, diuturna ad Aprilem usque.	Initio per dies aliquot frigida & nivoſa: deinceps quidem ventoſa, ſed lenis & absque nivibus, temperata.	Frigida & multum ſicca. Inconſtans. Mox ventoſa, turbulenta, mox & nivoſa.	Magis Initio da, in frigid
Sata vernalia.	Cum latione non properandum. Cicer, lens non ferantur in pingui ſolo. Hordeum ferax. Rapa ubertim. Linum & canabis diverſimodè. Fœnum mediocriter, quod maturè demetendum. Fœnum ſecundum copioſius.	Hordeum bonum, ſi æſtas minùs caluerit. Cicer, avena, oriza modicè creſcunt, Linum & Canabis bona, ſed non longa. Fœnum multum, Olus & rapa largè.	Hordeum, Cicer, lens, & oriza ferantur maturè in pingui ſolo. Linum facilè perit. Canabis parcè, at benè, fœnum paucum. Avena modica at bona.	Seren & ave cer a ſolo. dum ſoli. ciunt
Sata Autumnalia.	Meſſis admodùm aquoſa. Far & Triticum maturè ſerenda. Licet aquoſus autumnus, Sata tamen non proficiunt.	Oves à Satis arcendæ. Far & triticum mediocriter. Stramen ſimiliter. Seminatio præſertim tritici non differenda.	Far bonum, ſtramen multum non item Triticum Seminatio maturanda. Frumentum in granariis ſæpè vertendum.	Far & cum, tima.
Fructus lignoſi, ſivè Arborei.	Minùs fertiles, Lupulus facilè perit à grandine in Vere.	Minùs fertiles. Pomorum, pyrorum, prunorum, nucum, glandium interitus aut defectus, Lupuli copia.	Mediocriter fertiles. Pyrus fertilior pomo. Prunorum, ceraſorum, glandium & nucum defectus. Lupulus periclitatur.	Ceraſ copia. rorum fectus
Vitis & Vinum.	Vitis in vere floret diverſo tempore ac flores decidunt. Vinum patitur injuriam, erit modicum. Citò vindemiandum vitis tamen non eſt maturè tegenda.	Vinum mediocre, ſæpè optimum. Vitis poteſt ſeriùs tegi.	Sæpè optimum & copioſum vinum. Vitis tamen in vere periclitatur. Nocent grandines. Vitis maturè tegenda.	Vinu modic pericli matur
Venti, Tempeſtates & inundationes.	Bis aut ter magnæ fiunt inundationes. Rara tonitrua, & fulmina.	Favonius crebriùs flat ſæpe & Auſter: rarò Subſolanus Tonitrua multa. Non tamen periculoſa. Inundationes à cedente nive.	Tonitrua gravia cum incendiis nocent venti. Turbines. Tempeſtates. Grandines: non item inundationes.	Tonit Flanti crebri
Infecta.	Pauci ſerpentes & butones. Murium copia, qui tamen à frigore hyemali intereunt.	Omnia in minori quantitate: mures tamen plurimi ſed non ubivis.	Plurima. Ut ſerpentes, locuſtæ, bufones, ranæ, viperæ & mures.	Serpe res loc gibus i
Piſces.	Pauci maximè in æſtate. Plures in Autumno.	Mediocriter.	Mediocriter.	
Morbi & Infirmitates graſſantes.	Febres malignæ. Dilenteriæ, defluxiones, catharri. Apoplexia. Phthiſis. Quartana. Tuſſis à frigidâ causâ. Hypochondria. Infantes in vere patiuntur Variolas.	Pauci, niſi in fine hyemis, & quidem pleuritis, Apoſtemata, febres acutæ malignæ. Cordis palpitatio. Inflammatio hepatis, & qui à gravi fœtore & putrefactione ortum habent.	Febres malignæ. Tertiana continua, intermittens. Quartana. Fiſtula, Carbunculus. Cancer, Diſenteria cruenta. Pleuritis. Apoſtemata, peſtis ipſa, & qui cauſam ſiccocalidam habent.	Pauci catha Infrig triculi

carum ex Planetâ validiore, ac Dominatore per

☉	♀	☿	☽
mperatè calidus, Fœ-	Humidus. Nebulosus & latis calidus.	Frigidus & siccus, Ventosus, rarò fertilis.	Humidus & frigidus. Nivosus.
m, humidum, Apri- constans. Majus pul- us, Finis pruinosus. is & pratis arcean-	Humidum valdè & temperatum. Omnibus frugibus & plantis commodum. Non facilè nocent pruinæ. Cum eclipsi Solis in eo valdè humidum & pluviosum. In vere prodest fœta demetere.	Initio calidum, deinde frigidum, siccum, inclemens, ventosum, tandem calidum & serenum. Sæpiùs tamen à medietate frigidum & pruinosum.	Initio frigidum, deinde calidum & humidum, inconstans semper, in fine valdè pluviosum, Hoc non humido Julius succedet valdè pluviosus. Majus initio ad medietatem usque sæpè calidus & serenus: deinde verò frigidus & humidus.
æstuosa, inconstans, , tranquilla, maxi- serena, calida, im- pestatibus, dies fer- ctes frigent in Julio uinæ.	Procedente vere pluvioso Æstas erit sicca, æstuosa, promittens vinum bonum, frumenti verò caritatem. Vere autem minùs humido erit æstas nubila, & temperata. Messis properè & sollicitè colligenda.	Licèt sit humida & pluviosa plurimùm, magis tamen serena fruges & fœnum properè & sollicitè colligenda.	Frigidior magis, quàm calida & æstuosa. Item humida & inconstans.
nus, placidus, tem- inosus & frigidus, li- scant.	Calidus, serenus usque ad medietatem: indè hyemalis. Vndè citò serendum & vitis maturè tegenda.	Initio pluviosus, frigidus, pruinosus ad medietatem Octobris serenus, calidus, nebulosus immixtis aliquandò pluviis. Cum semente & vindemiâ non est properandum.	Continuò ferè frigidus, & humidus, inconstans. A medietate lenior ac temperatior. In fine hyemalis & glaciosus.
& modicè frigida. inclemens, & frigi- temperata. In fine	Initio licet sicca & temperata, deinceps tamen humida valdè cum imbribus copiosis, & inundationibus, ac calida.	Valdè frigida, glaciosa continuò ferè. Finit cum turbine, ventis & tempestatibus sævis oves in autumno & hyeme facilè intereunt.	Inconstans frigida ventosa humida, nivosa cum inundationibus. Hac hyeme facilè moriuntur apes & oves.
maturè. Hordeum na at modica. Ci- parcè nisi in pingui um paucum; Secun- modè pro ratione & rapa non profi-	Vere humidiori seminatio maturanda: Sicciori differenda. Cicer & lens non serenda in pingui solo. Erit fœni copia ordinariè.	Omnia bona, exceptâ orizâ, Hordeum optimum. Seminatio prior & ultima melior. Cicer, lens, & avena in mediocri solo serenda. Olus & rapa bona. Fœnum copiosum. Linum, & Canabis bona, sed non adeò longa.	Seminatio differenda. Avena, cicer, lens, oriza mediocriter. Erucæ nocent herbis & oleribus. Linum & canabis non succedunt. Fœni copia; non tamen fecundi. Æstate calidiore hordei copia.
cum bonum, at pau- inatio media est op-	Far & Triticum multum, uti & stramen. Messis aquosa humida. Seminatio maturanda.	Far & Triticum periculosè florent. Seminatio prior & posterior probantur.	Straminis multum, at Faris & Tritici non ità multum. Seminatio maturanda. Oves in Autumno à Satis arcendæ.
prunorum, nucum norum parcitas, py- iocritas. Lupuli de-	Vere humido parcè; eo temperato poma, cerasa, pruna nuces copiosè proveniunt, non item pyra, & glandes. Lupuli copia.	Diversimodè. Cerasa, pruna, nuces & glandes ubique copiosè, Lupulus verò mediocriter.	Diversimodè. Cerasa multa, Paucitas pyrorum. Lupulus medio in vere periclitatur.
inum ordinariè; at Frequenter vitis in Vere. Non est enda.	Vinum bonum, salubre, copiosum. Botri facilè putrescunt, Vitis maturè tegenda.	Vinum immaturum, austerum, paucum. Raro bonum. Vitis maturè tegenda.	Vinum commune, paucum, ordinariè immaturum. Vindemiandum maturè. Vitis etiam maturè tegenda.
ulta & periculosa. bsolano & Favonio iùs Austro.	Tempestates frequentes ac Tonitrua: multæ & graves inundationes.	Tonitrua rara, præsertim circa finem æstatis. Inundatio pratorum ab imbribus. Flant subsolanus, Favonius rarò Corus.	Raræ tempestates nec periculosæ, insuetæ tamen inundationes, ac rapidi & magni Venti, præsertim hyeme.
auci & bufones, plu- Vermes nocent fru- uariis.	Plurima ubique. Æstate & Autumno murium copia. Frumentum sæpè vertendum.	Murium in Autumno, & ranarum in Vere copia. Pauci serpentes, viperæ & locustæ.	Omnium penè copia. Multæ Erucæ. Murium in æstate copia. Vermes erodunt frumenta.
diocriter.	Copiosi ubivis.	Fluviatiles pauci in æstate: plures in Autumno, Stagnantes non proficiunt.	Plurimi.
r deliquia, Spasmum ordis palpitationem. nem hepatis & ven-	Morbi hepatis, stomachi, genitalium. Morbus Gallicus. Dysenteria. Apostemata, pleuritis, pestis: & qui causam calido-humidam habent.	Capitis præcipuè & quidem in Vere & Autumno. Lethargus balbuties, Epilepsia, Tussis. Vomitus, Catharri. Melancholia. Morborum omnium cura difficilis. Pecus facilè inficitur.	Morbi acuti, ardentes præsertim in Autumno. Paralysis, Hydrops, Splenis morbi. Erysipelas, pleuritis. Oves & apes hyeme facilè intereunt.

Saturninæ - -	Gelidæ, frigigæ, grandinosæ.
Joviales - -	Salubres, ventosæ, tonitruosæ.
Martiales - -	Impetuosæ, ventosæ, tonitruosæ, igneæ, procellosæ cum Saturno permixtæ, pestilentes, suffocantes.
Solares - -	Æstuosæ, ventosæ.
Venereæ -	Humidæ & frigidæ.
Mercuriales -	Indifferentes, augentes virtutem aliarum cum Venere permixtæ; Ventosæ & pestilentes; cum Jovialibus impetuosæ: cum Saturninis gelidæ.
Lunares - -	Turbidæ, caliginosæ & tenebrosæ: potissimum etiam ad maris æstum facere dicuntur.

Mixta natura stellarum. 3. Cum etiam ex observatione stellæ quædam mixtam quandam habeant naturam ex diversorum Planetarum naturis quasi coälitam (undè etiam dici solent Saturno-Martiales, Jove-Martiales &c.) ideò tales stellæ etiam in effectibus sublunaribus eandem virtutem habere solent, quam suprà in tabulâ de congressu & configuratione Planetarum ostendimus. Quæ verò stellæ sint naturæ simplicis planetariæ aut compositæ ex diversorum Planetarum naturis, vide suprà hujus *Scrut. 2. Disq. 1. cap. 13. §. 4.*

Stellarum cum Planetis conjunctio. 4. Stellæ fixæ cum Planetis quibuslibet conjunctæ, si naturâ sint consimiles, eorum vires & efficaciam augere maximè, & promovere solent: ut si Venereæ naturæ stellæ jungantur Veneri, tunc major humiditas procreatur; & si Mercurio, Mercuriales vires & efficaciam majorem addent ad ventos commovendos. Si verò dissimiles planè fuerint in naturâ stellæ fixæ Planetis conjunctæ, horum efficaciam infringent, & impedient. Communiter autem Sol in specie stellis aliis de naturâ Planetarum, ut sequitur conjunctus aut configuratus, tales generaliter edere dicitur effectus in aëre.

Conjunctio & Configuratio Solis.

Cum Stellis	Saturninis -	Aerem turbat ac reddit nebulosum cum frigore, imbribus, aut nive.
	Jovialibus - -	Serenat, temperat.
	Martialibus -	Æstus, tonitrua, fulmina & tempestates excitat.
	Solaribus - -	Ventos excitat.
	Venereis -	Humiditates & pluvias causat.
	Mercurialibus -	Ventos parit.
	Lunaribus -	Perturbat, mutat, alterat.

Ortus & Occasus stellarum cum Sole. 5. Ortus & Occasus stellarum fixarum observatum fuit semper validas esse causas aeris mutationum, præsertim si cum Sole contingant. Ità imprimis ex Ortu Solis cum certis sequentibus stellis talis auræ status atque aeris tempestas aut constitutio conjectari solet.

Aeris mutatio ex Ortu Solis cum stellis fixis.

Cum	Arcturo, accessu præsertim Lunæ, Martis, aut Saturni	Tempestas pluviosa aliquot diebus, grandines & procellæ.
	Aquilâ - - -	Nives.
	Arietis, Andromedæ aut Cete -	Humidum turbidum.
	Arcanar - - -	Serenitas. Calor temperatus.
	Cane majore - - -	Serenitas, æstus, fulmina, tonitrua.
	Asellis & præsepi - -	Aura turbulenta, imbres, tonitrua & fulmina.
	Caniculâ - - - -	Æstus immodicus, canum rabies, vini fervor, maris tumor, piscium corruptio vel interitus.
	Zonâ Orionis - -	Turbidum spirante Favonio.
	Cornu Arietis - - -	Pluviæ aut nives.
	Vindemiatore - -	Gelidus Aquilo.
	Vergiliis - - -	Favonius excitatur, quandoque etiam Subsolanus.
	Succulis - - -	Pluvia.
	Coronâ lucida - -	Auster.
	Regulo - - -	Aquilo.
	Delphino - - -	Ventos affert.
	Lancibus libræ - -	Ventos gignit & pluvias.
	Stellis Orionis & Aldebaran -	Ventos commovet, pluvias, tontrua, & fulmina.
	Dorso Leonis, Lucidâ Hydræ - -, Stellis in fronte Scorpii	Nebulosum tempus præsagit.
	Caudâ Capricorni, Humero Equi majoris	Nives & frigus.
	Coronâ - - -	Venti commutantur, & in mari fit aspera hyems.

Aeris conſtitutio ex Occaſu Solis cum certis ſtellis fixis.

Cum	Arcturo	Serenat manè.
	Aquilâ	Venti africi, æſtus.
	Corde Leonis	Aquilo aut Favonius cum pluviis, imbribus ac etiam tonitruis.
	Coronâ	Tempeſtatem excitat.
	Cane majore	Turbat aerem ab Auſtro, & ventum, tandem Aquilonem movet.
	Hyadibus	Terram & mare turbat.
	Delphino	Ventorum concurſus cum nivibus.
	Pleiadibus	Nubilum, pluvioſum; Ventus Auſter tandem in Favonium deſinens.
	Orionis ſtellis	Favonius, tempeſtates, aeris turbatio cum tonitruis.
	Lyrâ	Frigidum, humidum, nebuloſum.
	Dorſo Capricorni	Auget frigus.

6. Jupiter & Mars ſuo congreſſu in Ortu vel Occaſu cum ſtellis fixis eoſdem effectus producere ſolent, hoc tamen diſcrimine, quod Jupiter paulò mitiùs, & Mars vehementiùs, quàm Sol eoſdem effectus excitet.

7. Occaſus etiam ſtellarum quarundam matutinus efficax eſt in variis aeris tempeſtatibus alterandis, ità

Occaſus matutinus
- Pleiadum, ſi fiat cœlo nubilo, Hyemem pluvioſam. ſereno, aſperam decernit.
- Hyadum - movet Auſtrum & pluvias.
- Arcturi - - aeris temperiem præſagit.
- Coronæ lucidæ Auſtrum movet.
- Aquilæ - - generat Auſtrum & magnum calorem.
- Si in Delphini Occaſu matutino fuerint imbres: non erunt in exortu Arcturi.

Arcturus cum Sole. 8. Arcturus cum Sole exoriens cum Lunæ aut Martis radiis adjutus, aut Saturni acceſſu confortatus fuerit, certiſſimam tempeſtatem pluvioſam aliquot diebus duraturam, grandines etiam & procellas efficiet.

Succulæ. 9. Succulæ, ſive Hyades cum Sole junctæ, dum Mars aut Mercurius acceſſerit, terram & mare vehementer turbant.

Ortus Caniculæ. 10. In exortu Caniculæ cum Sole, ſi unà Mars aut Jupiter ex ſignis igneis ♈, ♌, & ♐ permiſcentur, æſtus penè intolerabilis continget.

Orion. 11. Tempore, quo Orion exoritur, ſi Jupiter Soli, aut Mars Jovi, aut eidem Jovi Mercurius permiſceatur; tunc hujus ſideris vehementia ad Ortum Sirii magnam cauſabit tempeſtatem: Spirabit potiſſimùm Aquilo, aeris corruptionem diſſlans: Flabunt Eteſii gelidi, venti ſicci, Autumnusque erit ſaluber.

12. Sirii veſpertinus occaſus, ſi biduò antevertat, vel ſequatur Plenilunium, ſegeti rubiginem pronuntiat. Sirius.

13. Procionis occaſus veſpertinus ſi interlunio eveniat, florenti viti & oleæ germinanti injuriam ex uredine affert.

14. Aquilæ veſpertinus exortus, & Arcturi occaſus, ſi in Plenilunium incidat, olei & vini ſterilitatem denuntiat. Aquila.

15. Saturnus Soli & Lunæ conjunctus in ſignis aereis & terreis, hoc eſt, in ♊, ♎, ♒, & ♉, ♍, ♑ aerem valdè turbidum, nebuloſum & frigidum reddit. In ſignis autem aqueis ♋, ♏, ♓ magnos imbres, & hyeme nives, & præſertim, ſi fuerit in medio Cœli cardine meridiei, & quidem ſtationarius. Congreſſus verò Saturni, Jovis, Martis & Mercurii cum certis ſtellis in aeris mutationibus excitandis efficax eſt, ut ſequitur. ♄☉&☽☌.

Congreſſus Saturni cum ſtellis fixis infrà ſcriptis ad mutationes aeris cauſandas.

♄ cum	Navis lucida	exſiccat.
	Capite Meduſæ	tempus frigidum, humidum aliquot diebus notat.
	Cauda Arietis Umbilico Andromedæ Stellis Ceti In nexu & ventre Piſcium Cornu Capricorni Pleiadibus	Turbidum, nebuloſum, humidum, pluvioſum aut nivoſum ſignificat.
	Stellis Orionis	imbres, tempeſtates, cum ventis.
	Arcturo	ventos ac pluvias præſagit.
	Spicâ Virginis	ſubitam aeris mutationem, imbres, tonitrua & fulgura notat
	Lucidâ Coronæ Delphino Lyrâ Caudâ Capricorni	humidum, nebuloſum, pluvioſum aut nivoſum.

Præſe-

Præsepi, Asellis -	nubes, imbres, venti, tonitru.
Hyadibus - -	nubes, pluviæ, venti, tonitrua, fulgura.
Corde Leonis -	aura instabilis, nubila, pluviosa cum tonitruis, aut remissis frigoribus.
Cane majore -	aura pluviosa, ventosa, cum tonitruis & fulminibus.

Notandum etiam, quod Venus & Luna cum iisdem stellis prædictis conjunctæ eosdem operentur effectus, cum hac tamen distinctione, quod Venus mitiùs, & Luna citiùs eosdem absolvant.

Congressus Jovis cum infrà scriptis stellis fixis ad aerem commutandum.

♃ cum	Regulo	tempore hyemis -	purgat aerem, serenat, nives & glaciem liquescit, frigus remittit.
		tempore æstatis -	fulmina & fulgura, æstumque magnum efficit.
	Cervice Leonis -		ventos movet.
	Arcanar -		serenat.
	Sirio - -		æstum mitigat.

Aeris alteratio ex congressu Martis cum stellis fixis infrà scriptis.

♂ cum	Capricorno - - -	auram temperat, remittit frigus cum humiditate.
	Stellis in fronte Scorpii -	hyeme pluvias aut nives causat.
	Caudâ & corde Scorpii -	pluvias aut nives indicat.
	Arcturo - - -	ventos excitat validos, fortes cum pluviis, tonitruis, & fulminibus.
	Aquilâ - -	Hyeme nives. Æstate pluvias cum frigore per multos dies causat.

Affectiones aëris ex congressu Mercurii cum stellis fixis subnotatis.

☿ cum	Pleiadibus - - -	Pluvias ventosas efficit.
	Lancibus, Aquilâ	Humidum, ventosum, pluviosum aut nivosum tempus.
	Stellis Orionis, Regulo, Hyadibus, Cane utroque	Pluvias, imbres, ventos tempestuosos, tonitrua & fulmina causat.
	Caudâ Capricorni -	ventos frigidos cum imbribus, aut nivibus præsagit.
	Dorso ac cervice Leonis	ventos humidos notat.
	Caudâ Leonis, Spicâ Virginis, Lyrâ	Subitaneas mutaiones, turbines ac ventos cum pluviis indicat.

16. Observatum etiam comprimìs fuit hactenùs ab Astrologis mutationes notabiliores temporum & tempestatum tunc maximè contingere, cùm Planetæ stellis fixis juncti fuerint Retrogradi aut Stationarii.

17. Tandem quod stellas fixas secundùm se & naturam propriam in ciendis aeris mutationibus attinet, ut compertum hactenùs fuit, stellæ imprimis aut earum imagines, ac figuræ.

Sunt	Æstuosæ, partes Leonis prioris, Canis major & minor.
	Pluviosæ, Hyades & Pleiades. Sed Pleiades occiduæ in suâ dispositione tempus confirmant.
	Ventosæ, Hœdi ac Capra in Aurigâ.
	Tempestuosæ, Orion, Arcturus, Corona, Hœdi.



CAPUT

CAPUT XIV.

Difficultas & incertitudo ex astris conjectandi de aëris ac temporum mutationibus ostenditur.



Tsi pars illa Astro-criticæ scientiæ, quæ de temporum, aërisque mutationibus conjectare solet, non omninò rejicienda videatur: in praxi tamen quàm difficilis ac omninò incerta sit, paucis nunc libet indicare.

§. I.

Argumenta difficultatis, & incertitudinis proponuntur.

Tempestates aëris non sunt universales.

1. Certum est in omnibus telluris tractibus mutationes aëris non sequi ad amussim cœlestes tempestates ab Antiquis indicatas, ut *sub cap. 4. hujus disquis.* §. 2. etiam indicavimus, sed ex accidenti plurimùm discrepare, ità ut duæ regiones sub eodem etiam climate positæ contrarias tamen tempestates eodem experiantur tempore, sicut etiam *Chalesius in Geographiâ* declarat. Undè necessarium videtur in unaquâque regione indefesso studio, vigilanti curâ, magnoque labore illuc imprimis conniti, ut experientiæ & observationes quædam speciales pro temporum ex astris conjectatione acquirantur, quæ tamen sint tantùm accommodatæ regioni illi, in quibus observationes annotatæ sunt.

Fiunt juxtà dispositionem telluris.

2. Cùm deindè Planetæ ac sidera cœlestia non sint ità causa totalis aliquorum in aëre eventuum, ut non intervenire queant, aut debeant aliquæ dispositiones sublunares, partiumque telluris varii sint situs, qui aliter impressiones cœlestium corporum acceptare, ac deindè suâ etiam receptione ad effectus producendos collaborare queant. Necessariò proindè etiam ad ipsa telluris subjecta & dispositiones respectus aliquis habendus est. Ità sæpè mons aliquis in unâ regione nubes sistit, & irriguas reddit, nec patitur in vicinam transmeare regionem. Sæpè etiam unius paludis exsiccatio serenitatem reddit alicui regioni, quæ frequentibus aliàs pluviis est obnoxia. Cùm itaque dispositionum istarum non simus semper periti, easque prænoscere ac prævidere nequeamus, idcircò etiam accuratum aliquod, certumque judicium de eventibus ex ipsis tantùm astris proferre haud valemus.

Astrologia nititur observationibus.

3. Tota Astrologia chronocritica nititur potissimùm Antiquorum Astrologorum, Poëtarum, Aratorum, aliorumque observatorum traditionibus in Ægypto, Arabiâ, Chaldæâ, aliisque longè dissitis regionibus primùm conscriptis & publicatis, quæ tunc quidem cœlestibus imaginibus in certo cœli positu & tempore respondebant: Nunc autem lapsu temporis aliis in terræ tractibus post aliam etiam cœli constitutionem, quis æquo judicio asseverare poterit, easdem adhuc antiquo illo vigore constare? Undè multi à priscis Astrologis traduntur, certisque Cœli sideribus assignantur effectus, qui tunc quidem, ubi observatores illi vixerunt, & eosdem observârunt, iisdem sideribus convenienter responderunt: nunc autem non in ipsa sidera & eorum ortus, vel occasus, sed alias causas cœlestes potiori jure referuntur. Ità canicularium dierum fervor, qui circà medium Julium incipiebat, olim (quo nempè tempore canicula oriebatur) hujus sideris influxui constanter fuit adscriptus; nunc quidem etiamnum eodem mense & mensis tempore perseverat, licèt Caniculæ exortus suâ progressione ad medium Augustum intereà devolutus & translatus sit. Quocircà fervor iste, & exæstuans calor immodicus non sideris hujus exortui, ut credidit Antiquitas, sed alteri cuidam causæ cœlesti, ipsique Soli potiùs ad terras ità disposito, ut partes boreales primo accessu quidem calefaciat, calefactas verò deindè ampliùs continuato aspectu directiori torreat, congruentiùs adscribi potest.

Planetarum dominium annuum est incertum aut dubium.

4. In dubium etiam meritò, si non omninò vanum dici queat, revocari potest dominium illud Planetarum, quod acquirunt in protractiora tempora ex unico momento ingressûs in certa quædam Cœli puncta velut cardinalia aut ejusmodi alia, ut suprà indicavimus: cùm certò constare nequeat ingressus ille in præfata puncta, nec sint ullæ Tabulæ hactenus evulgatæ tàm accuratæ, quibus non subsit error duarum subindè horarum circiter, ut rectè notat *P. Chalesius in Astrol. propos. 6.* Error autem duarum horarum notabilem planè mutationem inducit themati, adeoque figuram longè aliter constituit, quàm esse debeat: Sicque positus Planetarum suis convenienter locis, ac domibus congruere nequeunt; undè & de eorum fortitudine aut debilitate certum judicium formari non potest. Ruit igitur Dominii annui constitutio, cui tamen plurimùm attribuunt Astrologi Chrono-critici. Deindè quà ratione ac fundamento electo ad certum temporis momentum Domino in cœlesti figurâ tribuitur tanta virtus influxiva, quæ ad integrum annum sese extendat? Quis ità accuratè hactenus loca Planetarum supputavit, ut error nullus, præsertim in Veneris & Mercurii stellis occurrat? Cùm itaque tantæ sint difficultates in ipsis principiis erigendæ alicujus figuræ cœlestis, quanta ergò quæso poterit esse

certitudo in eventibus temporaneis hinc eruendis & prædicendis.

Diffidium Astrologorum in præjudiciis.

5. Magnum est diffidium inter ipsos Astrologos etiam, qui in eâdem sæpè regione suas Ephemerides evulgant, sibique plurimùm contradicunt, quod non contingeret, si certis fundamentis innixa foret eorum prognosticandi facultas. *Picus Mirandulanus libro 2. capit. 9. adversùs Astrologos* positis ante oculos decretis Astrologorum è diebus suprà 130, quos jugi observatione notârat, non plures, quàm sex aut septem tales vidisse testatur, quos in eorum libris prædictos observârat. Ipse etiam fateor, me per quinque annos singulis diebus accuratè temporis & aeris constitutionem annotâsse, adscriptis etiam aspectibus & Lunæ motibus per signa cœlestia unà cum prognosibus Astrologorum singulis diebus respondentibus: Verùm nequè certas ullas regulas, uti sperabam, adipisci potuisse, nec concordantiam cum Astrologorum prædictionibus advertisse, ingenuè profiteor, adeò ut longè pluries discordarit aëris constitutio cum signatis in aliquo Calendario prognosibus, quàm convenerit. Memini etiam me aliquandò audivisse à quodam Eximio Medicinæ Doctore, quod palàm edixerit, se, dum in Italia medicinæ operam dedit, cum Collegis aliis aliquando Calendarium composuisse, in quo eventus futuros in aëre jocandi tantùm causa ad libitum, ut incidebant, nullo habito respectu ad aspectus corporum cœlestium apposuisse: Nihilominùs Calendarium illud vulgariter ità probatum fuisse, ut omnibus aliis ex arte factis longè fuerit prælatum. Ridiculum est, quod memorat *Chalesius loc. suprà cit.* civem aliquem in Galliæ quadam Urbe fuisse, *qui in Astrologorum prædictionibus mutationes omnes, quæ accidebant, ostenderet, ità ut nunquam à scopo aberraret, sed ejus Almanach semper scopum attingeret. Per plures annos ità amicis suis illusit. Initio cujusque anni, quotquot poterat hujusmodi libros Astrologorum sibi comparabat, & ubi aliqua Cœli mutatio acciderat, eos pervolutabat, cum essent ut plurimùm sibi contrarii, fieri non poterat, quin unus ex iis esset Tempori conformis, atque hunc amicis ostendebat, occultatis scilicet aliis omnibus, qui à scopo longiùs aberrabant.* Ex quibus certè omnibus liquidò satis perspicitur, quid ex diffidio isto Astrologorum circà prognosticandi certitudinem sentiendum sit. Plura alia quædam argumenta de Astrologiæ vanitate circà prædictiones aëris mutationum vide apud *Chalesium in Astrologiâ* & alios. Hæc nobis sufficiant.

§. II.

Mirabilia quædam falsarum prædictionum Exempla circà aëris mutationes ex variis Authoribus referuntur.

Pluvia falsò prædicta.

1. Narrat de suo tempore *Sanct. Ambrosius libro 4 Hexam. capit. 7.* quod, cùm in summâ siccitate pluvia aliquandò expeteretur, quidam eam in Novilunio certò prædicebat. At fefellit omnes vana illa spes, donec precibus Ecclesiæ institutis imber effusus est, quandò vanitas Astrologi confutata est, & vis Christianæ pietatis probata.

L. Sfortia ab Astrologo deceptus.

2. Memorat *Cardanus in Ptolem. de Astrolog. judic. libro 1. text. 14.* Ludovicum Sfortiam versutum potiùs, quàm prudentem & perfidum magis, quàm æqui boniqüe amantem Principem impendiosum quendam Astrologum artis imperitissimum aluisse, in quem plus quàm centum auri magna talenta profuderit. Astrologus pro tantâ mercede tempus unicuique negotio inchoando præscribebat, adeò ridiculè, ut Princeps cogeretur mediis tempestatibus maximis equum conscendere, & cum aulico comitatu, ac Stipatoribus aliò migrare per medios imbres, per cœnum & lutum, non secùs, acsi hostium manus fugeret. Tam felici eventu, ut Regno tandem à Gallorum Rege spoliatus, captus, in carcerem compactus, colapho cæsus, in clathratâ ferreâ mortuus fuerit verum fortunæ ludibrium.

Prædictio falsa Astrologo noxia.

3. Ferunt Principem in Germania fuisse, qui cùm venatum cum Aulicis egressus, percontatus priùs esset Astrologum de aurâ; quam ille cùm serenam fore asseruisset, at egredienti Rusticus fortè occurrens pluviam imminere prædixisset; Illâ subortâ

Laudat Aratorem Princeps, illumque docere
Astra, sed Astrologum sumere rastra jubet.

Calendarium Jonæ Morionis.

4. Habuit *Ferdinandus II.* Imperator Morionem nomine *Jonam*, qui Calendarium edidit, in quo negavit omnia, quæ Astrologi Cæsari asseruerunt, & tamen pluries vera dixit; nec tamen aliâ scripserat arte, quàm mero contradicendi, & irridendi studio, ut refert *Joannes Caramuel* apparat. *Philosoph. lib. 1. num. 83.*

5. Refert

Falsæ prædictiones ex conjunctionibus magnis.

5. Refert *Bochellus*, *Duretus* & alii, Anno 1524 prædictas ab Astrologis fuisse Planetarum magnas conjunctiones in signis aqueis, ex quibus secundùm eorum placita diluvia inaudita eo mense sequi debuerunt. Quamplurimi in Galliâ, Hispaniâ, Germaniâ, Italiâ navigia comparârunt, alii loca editiora coäcervatâ annonâ petiêrunt. Hic tamen mensis serenus semper fuit, itâ ut compositus ad refellendam prædictionem videretur. Quod *Origanus* & *Cardanus*, ut inquit *Chalesius in Astrolog.* admittere & fateri coacti sunt.

6. Profert ex *Rigordo Scaliger*, circà Annum 1186. simile vaticinium, in quo occurrerat conjunctio Superiorum & inferiorum Planetarum, ex quâ futuræ ventorum procellæ portendebantur: cùm tamen nihil Cœlo pacatiùs eo tempore inveniri potuerit.



DISQUI-



SPECULÆ PHYSICO-MATHEMATICO-HISTORICÆ

MUNDI MIRABILIS

Notabilium, & Mirabilium Sciendorum

SCRUTINIUM III.

ATMO-COSMICUM

QUO

Mundi Elementaris Medii inter Cœli concavum, & terræ convexum constituti Phænomena magis notabilia, & mirabilia perlustrantur, & recensentur.

PROŒMIUM.



AB altioribus Cœli tractibus perlustratis nunc propiùs ad Atmo-Sphæram terrestri globo confinem descendimus, ut rariora ibidem magisque admiranda Naturæ miracula perscrutemur, & perscrutando contemplemur. Hic aërem comprimis ipsum mentis acie pervagari, ac rarissima in eodem à sagacissimis Naturæ Scrutatoribus comperta hactenùs experimenta expendere, & exponere intendimus: Dein ejus agitationem, & commotionem ventosam perscrutari, ejusque verè admirabiles indè emanantes effectus & eventus: Porrò etiam præcipua ea Cœli aërei spectra, & ibidem suspensa Phænomena, quæ Meteora Philolosophi dicere consueverunt, curiosè inspicere, & attentâ inspectione notabiliora, & mirabiliora quævis ad uberes solidæ scientiæ fructus ex iisdem colligendos disquirere libet. Sit igitur

DISQUISITIO I.
AËRO-SCOPICA.

Qua addita aërei elementi phœnomena circa ejus gravitatem, vim elasticam, mobilitatem, alterationem, salubritatem aliasque hactenus compertas qualitates & affectiones eruuntur, & in medium producuntur.

CAPUT I.

Explicatur imprimis, quid sit Aër, ejus gravitatio, & vis elastica.



Dicet aër ob subtilitatem suam propriè sub oculos minimè cadere possit, nec seorsim, ut alia elementa spectari queat; mediatè tamen ex effectibus, & aliis quibusdam circà ipsum spectatis phænomenis etiam per ocularem inspectionem in ejus naturæ cognitionem devenire possumus. Aërem autem nihil aliud esse dicimus, quàm spirabilem quandam subtilissimam substantiam Humidi Terraquei perpetuò evaporantis in omnes quaquà versùs mundi partes expansam; Sivè esse aliud nihil, quàm aqueorum & terreorum corporum effluvia in cœlestem materiam sivè Aetherem terraqueo globo circumfusum exspirata. Cum enim rerum omnium, aut ferè omnium in Geocosmo dentur continua effluvia, ut manifestè patet in rebus odoratis, quæ odorifera sua effluvia tamdiu emittunt, donec marcescant, ac tandem omninò deficiant: Longè autem manifestiùs ejusmodi effluvia evaporent è liquidis quibuscunque corporibus, aliisque rebus, in quibus humidum prædominatur: Hinc aër noster aliud nihil esse censetur, quàm Aether diversarum rerum effluviis fœtus, ac repletus; quæ quidem effluvia, quò puriora sunt, eò puriorem; quò copiosiora & graviora, eò copiosiorem, & graviorem; quò verò rariora, eò etiam rariorem, & tenuiorem aërem constituunt.

Aër quid sit.

Multùm autem præstiterunt hujus nostri sæculi solertissimi quidam Philosophi, ac curiosi intimæ Naturæ scrutatores, qui aërem hunc nostrum nos undique ambientem pluribus ità commixtis corpusculis minutissimis, subtilissimis, ac tenuissimis fœtum per mira quædam artificia indefesso planè studio, & conatu haud irrito explorare feliciter aggressi sunt; adeòque quamplurima rarissima phænomena Antiquis incomperta, imprimis circa ejus gravitatem, ac elaterem, sivè mirabilem quandam vim se dilatandi, quam & Elasticam vocant, manifestis experimentis comperti sunt. Sic aërem in statu suo naturali, sivè intra ipsum aërem nihilominùs ponderare, ac ejus gravitatem explorare didicerunt. Hinc & experti sunt, aërem non tantùm gravitare super aërem, seu partes ejus superiores premere inferiores; verùm etiam incumbentem terræ, aquæ, & quibuscunque corporibus, sivè solidis, sivè liquidis, etiam non habentibus infrà se corpus aëre levius, illa nihilominùs premere, & super eadem gravitare.

Aëris gravitas.

Deindè & elaterem, seu vim elasticam aëri inesse, variis, iisque certissimis experimentis observârunt; dum nempe experti sunt eum quoties liber est ab extrinseco obsidente, & nisum suum cohibente, spontè se dilatare, extendere, & evolvere, ita ut ampliorem locum occupet. Quocircà aëris partes dicunt esse velut spiras convolutas, quæ ab incumbentis aëris mole comprimuntur; Sed ubi gravi hoc pondere, aut aliâ pressione solvuntur, tum mox sese in majus spatium spontè erigere, evolvere, & dilatare.

Aëris vis elastica.

Ex his ità compertis Viri docti Recentiores longè nun aliter circà eos effectus, quos Antiqui Philosophi ad Vacui metum, seu fugam referebant, philosophari cœperunt, atque ex solo aëris pondere, seu pressione, ac ejusdem elatere, seu dilatatione profluere, meliùs & veriùs demonstrant. Ità, quod in antliâ extracto embolo mox aqua succedat, non fit, ajunt, metu Vacui, sed quia pars una aëris pulsa mox aliam pellit, hæc rursùs aliam, sicque motu hoc continuato aqua in antliâ extruditur. Ità, quòd glans plumbea, si osculo igniario aperto suctu è fistulâ sclopetariâ erectâ aër extrahatur, ascendat in altum: Ajunt, ab aëre externo per osculum igniarium ingresso premi ac pelli globulum tanto pondere, quantum est pondus cylindri aërei cum dicto osculo usque ad Atmo-sphæræ extremum terminum extensi.

Experimenta, quæ metu Vacui fieri dicuntur, nunc aëris pressioni adscribuntur.

Non

Talis est animus Sapientis qualis est Mundi status supra Lunam: Semper illic serenum est. *Seneca.*

Tertia et suprema aëris Regio.



Tom. I. p. 309.

Non pellitur tamen sursum globulus ab illo pondere, quia alius similis, imò & major cylindrulus ipsi incumbens constituit æquilibrium cum priori cylindrulo: Exsucto autem äere è fistulâ, cùm jam globulus habeat ante se corpus levius, quàm sit äer retrò premens, nempè Aetherem, pellitur, & ità sine resistentiâ ascendit: Et si fistula elongaretur, eousque ascenderet, donec fieret æquilibrium inter cylindrulum äeris externi ex unâ parte, & cylindrulum aëris interni cum globulo ex alterâ parte. Ita etiam duo marmora summè levigata, complanata & tersa inter se cohærent, ut vix divelli possint, adeò ut marmor inferius trium digitorum latum sustinere queat pondus sexaginta, & ampliùs librarum citrà separationem, eòquod divelli nequeant citrà columnæ äeris ejusdem latitudinis pressionem: Nam marmor inferius à subjecto äere tantùm premitur, quantùm marmor superius ab incumbentis äeris columnâ. Non enim est minor vis in subjecto äere, ut sursùm pellat, quàm in columnâ äeris incumbentis, ut deorsùm tendat. Sed de pluribus ejusmodi experimentis videatur Illustris *D. Robertus Boyle*, qui præ cæteris in hoc negotio plurima singulari industriâ & labore ad perpetuam suam in mundo litterario laudatissimam memoriam detexit: Item *Schottus in Techn. curios. Joan. Alphonsus Borellus, lib. de mot Nat. à gravitate factis. Du Hamel, in phys. generali*, & alii plures. His ità præmissis, ne calamus in iis, quæ notiora jam sunt, detineatur, nunc in amplissimos äeris campos evagemur, & præcipuas alias quasdam speciales de äeris naturâ, & affectionibus observationes conquiramus, ac curioso Lectori in medium adducamus.

CAPUT II.

Regulæ & observationes Aëro-gnomicæ de naturâ aëris, ac primis ejus qualitatibus, & aliis quibusdam affectionibus, ac proprietatibus.

Aëris natura. 1. AEr à naturâ suâ fluidus est, & spirabilis, cujus interjectu terra cum Cœlo sua velut commercia, & nundinationes exercet, corporum meatus facilè subit, facilè etiam comprimi, & dilatari potest.

Fluxus & motus. 2. Fluit äer quidem semper & movetur, at quàm levissimè, ut sensum omnem fugiat: Sed cum ventis perflatur, vehementiùs conciratur; undè etiam aër tranquillus aquæ stagnanti, ventosus fluenti comparatur.

Mixtio, & impuritas. 3. Qui terreno globo circumfunditur äer, multis vaporibus permistus est: Omnium enim corporum exhalationes, ac spiritus facilè excipit, & in sinu suo recondit. Hinc non ubique similis, sed alicubi purior, alibi crassior, & impurior; interdùm est gravior, aut levior: Aliquandò etiam existit salubrior, aliquandò pejor, & insalubrior, adeò ut nihil ferè esse videatur, quàm terræ & aquæ quædam lanugo ex omnis generis effluviis conflata.

Aër facilè subit liquida. 4. Ea est aëris insignis quædam proprietas, quòd aquam, & alios liquores facilè subeat, & in iis quodammodò dissolvatur, quod multis experimentis ostendit *D. Mariotte in tentamine de äere*: Præcipua refert *Du Hamel, Phys. gen. tract. 2. dis. 2. cap. 10.* Quocircà aqua, quæ post longam ebullitionem penè äere vacua est, citiùs äerem admittit, quàm ea, quæ vi caloris, aut aliâ ratione inclusum aërem non exhalavit. Sic etiam gutta aëris in aquâ fluminis, quæ igni admota non fuit, intrà 15. dies vix ab aquâ absorbetur. In oleo etiam quod tamdiu ebulliit, donec nullum ampliùs strepitum ederet, aër post multos dies dissolvi non potuit, & vix mole est imminutus, teste Clarissimo *Mariotte*. Latent igitur in densis, & ponderosis liquoribus, sicut in aquis, imperceptibiles aëris particulæ, quæ remotâ äeris, & liquoris pressione idcircò bullas, harum indices exspirant, ut in machinâ pnevmaticâ Boylianâ facilè ostendi potest.

Infima aëris regio. 5. Cùm altitudo infimæ regionis äeris censeatur esse tanta, ad quantum spatium radii solares reflexi pertingere solent; radii verò hi in Zonâ torridâ altiùs ascendant, quàm extrà eam; & iidem in Zonis temperatis, ac frigidis altiùs evehantur æstate, quàm hyeme: Hinc necessariò altitudo convexæ infimæ regionis subindè crescere, & decrescere debet.

Crepusculum vespertinum majus est matutino. 6. Aër in Atmo-sphærâ terrestri à Sole illuminatus post ejus occasum diutiùs lucet, quàm ante ejus exortum: Undè & crepusculum vespertinum majus est matutino. Ratio est, quia corpuscula äeris vaporosa diurno tempore à Sole calefacta magis rarescunt, ac ita ad altiorem locum elevantur, undè etiam ampliùs, & diutiùs à radiis solaribus illustrantur: E contrà: quia matutino tempore aër solet esse frigidior; hinc corpuscula vaporosa non ità altè elevantur, ac sic nec tantùm illustrari à Sole, adeoque etiam crepusculum non ità diu durare potest. Hinc etiam regula temporis prognostica potest esse: quod si crepusculum matutinum solito citiùs, & longiùs contingat, atque ipse Sol etiam citiùs, quàm par est, exoriri spectetur, sequens dies vix serenus sit permansurus; eòquod nimia halituum, & vaporum copia altiùs elevata, à nocturno frigore cum non sit depressa, consequente die, qui nocte sit calidior, in nubes sit colligenda, quæ deindè in pluvias, & imbres facilè resolvi queant.

Aër potius frigidus quàm calidus.

7. Censetur aër naturâ suâ potiùs frigidus, quàm calidus: Cum enim aër infimus varius sit, in mediâ deindè regione semper frigeat, de summâ verò aeris plagâ nihil nobis constare possit; palàm videtur esse aerem, si quem habeat calorem, eum vel à lumine Solis reflexo, vel ab igneis particulis inspersis mutuari.

Aëris constitutio juxta quatuor partes anni.

8. Ratione partium anni in nostris regionibus, dum eæ benè constitutæ sunt, aër in Vere solet esse temperatè calidus, & humidus, in Æstate calidus, & siccus in autumno temperatè frigidus & siccus, in Hyeme verò frigidus, & humidus. Dependet autem variatio hæc ratione partium anni maximè à Solis ad Æquatorem, vel Tropicos accessu, aut recessu: Neque tamen semper hæ qualitates præcisè singulis anni partibus respondent, sed variant ob occurentes varios luminarium, aliorumque Planetarum aspectus, quos vel inter se, vel cum Sole habent, de quibus alibi. Generaliter tamen hoc compertum est, quod in Hyeme, quò purior, & à terræ halitibus liberior est Aër, eò fit frigidior. Contrarium accidit in Æstate, quod Aër quò impurior, inquietior, magisque halitibus est respersus, eò comperiatur frigidior. Commune etiam est, quod dum nox in diem vergit, & ros decidit, Aër semper fit frigidior.

9. Non tantùm hujusmodi mutationes singulis anni temporibus contingunt, sed & singulis diebus ratione ortûs, & occasûs, sicut & meridiei & mediæ noctis. Sic matutino tempore Aër plerumque calidior solet esse, & humidior in vere, à meridie calidior, & siccior in æstate, per noctem frigidior, & siccior in hyeme. Ordinariè tamen dum Sol in extremis locis existit, temperatior est Aër, dum verò altissimus est de die, pro eà ratione temporis est calidior: Cùm profundissimus est in mediâ nocte, solet esse frigidior. Quod tamen plerumque majus sentiatur frigus, fit hoc ipsum accidentaliter, eò quod à Sole oriente magis comprimatur Aër, quâ compressione densior, & ideò frigidior sentitur.

Diversitas aëris ratione situs terræ.

10. Diversus est Aër ratione sitûs terræ, vel regionis, ac loci constitutionis. Ita in locis profundis, ac vallibus angustis Aër plerumque est vaporosior, nebulosior, crassior, obscurior, gravior, impurior, immobilior, hincque insalubrior. Econtrà in locis campestribus, apertis, altis, montanis, aut etiam vallibus latis, & amplis Aër est frigidior, siccior, mobilior, tenuior, purior, atque indè salubrior. Hinc maris Baltici accolis scorbutus est endemius, maris mediterranei verò populos pestis, febresque ardentes, & malignæ crebriùs affligunt. Quod etiam inprimis experiuntur ii, qui à Junio usque ad exitum æstatis Neapolim iter instituunt. Aër verò, qui flumina alia pervadit, semper est humidior, & à ventis dum magis commovetur, etiam ampliùs refrigeratur. Qui verò super lacus, paludes, & aquas stagnantes versatur, humidior quidem, sed & crassior cum impuritate, & fœtore, indeque insalubrior aspiratur. Pro ratione etiàm vegetabilium, mineralium, animalium, arenàrum, lapidum, glebarum aliter affici solet, ut nunc salubrior, aut insalubrior fit. Ita inter herbas & plantas salutares, bono odore præditas, salubris efficitur: Inrer fœtidas verò & venenatas, aut aliâ noxiâ qualitate affectas, etiam insalubri quodammiasmate inficitur.

Aëris diversitas juxta ventorum flatus.

11. Variatur etiam Aër ratione ventorum, & quidem pro ratione sitûs, & constitutionis certæ cujusdam regionis. Sic in Germania nostra superiore flantibus ventis septentrionalibus frigidior, & siccior excellenter solet esse Aër: Flantibus orientalibus Aër est temperatior in siccitate, & frigiditate, ac maximè purus, & salubris: Flantibus Meridionalibus ventis Aër est calidior, & humidior, minusque salubris: Flantibus denique occidentalibus ventis temperatior in caliditate, & humiditate.

Frigus quale serenet.

12. Frigus aëris mediocriter sævum non serenat omnino Cœlum, sed nebulosum, & obscurum reddit; cùm quidam vapores modico calore elevati frigori cohæreant, nec totaliter deprimantur. Sævius autem frigus duplici de causa aërem serenat, & clarificat: prima est, quòd vapores adhuc magis condenset; secunda, quòd à vehementi frigore claudantur terræ pori, unde halitus, & vapores non ita facilè egredi, aëremque subire & obnubilare possunt.

Excessus qualitatis in aëre.

13. Omnis in aëre excessus qualitatis disponit, & signum est futuræ alterationis. Undè dùm hyeme nimium frigus sævit, ejus remissio mox sequitur, & dum intensus valdè calor, ac æstus in æstate percipitur, alteratio, & remissio caloris in propinquo est.



CAPUT

CAPUT III.

De Aëris gravitate, & ejusdem vi elasticâ variæ observationes, & proprietates recensentur.



Aëris gravitas.

Er addensatus intrà minùs addensatum gravis est, & gravitatem suam exercet, si inclusus est. Constat experientiâ: Nam Aër in vesicam, aut pilam lusoriam intrusus, & compressus intrà aërem in statu suo naturali consistentem nititur deorsum, & simul cum suo vase, cui inclusus est, magis deprimit lancem ac manum, quæ eam sustentat, quàm solum vas. Unde intrà aërem gravitat, sive ad locum decliviorem tendit, si aditus pateat.

2. Aer etiam in statu suo naturali permanens intra alium ejusdem rationis, & sibi homogeneum, gravis est, & gravior, dum inclusus est: Nam aër intra vitrum conclusus & non compressus lanci exactissimæ impositus plùs ponderat unà cum vitro, quàm solum vitrum, & plùs deprimit actu lancem, & manum. Ergo similiter intrà aërem sibi homogeneum exercet actum gravitatis.

3. Cùm aër in statu suo naturali sit gravis, etiam partes aëris superiores gravitant suprà inferiores, si aër accipiatur pro effluviis diversarum rerum sublunarium. Nam quia omnia ista effluvia sunt vel terrea, vel aquea, vel mixtorum corporum sublunarium, utique omnia etiam sunt gravia, tametsi aliqua minus, aliqua magis: ergò pondere suo (cessante nempe causâ sublevante illa) deorsùm actu tendent incumbentq; primùm inferioribus corpusculis, quæ offendunt, antequam ad terram, vel aquam deveniant. Ergò illa prement pondere suo. Hinc partes aëris inferiores sunt magis pressæ, ac compactæ, quam superiores, præsertim quia descendendo effluvia moventur à circumferentiâ ad centrum, & in se mutuò incurrunt, seseque constringunt.

4. Ut aqua fundum sibi subjectum, ita circumfusus aër globum telluris ex omni parte premit, & vim suæ gravitatis exerit eò majorem, quò terræ vicinior est. Quâ enim vi corpus grave à centro suo dissitum eò nititur, eâdem terræ adhæret, cum quiescit, & ne à suo loco avellatur, per gravitatem suam obstat.

5. Aër eâdem ratione densatur, quâ incumbentis corporis pondus comprimitur. Unde si aëris moles, quâ à telluris superficie usque ad extremos Atmosphæræ limites patet, fit levior: etiam aer terræ proximus rarior quoque futurus est. Hinc fit ut aër, dum in barometro unà cum Mercurio includitur, dilatetur, & Mercurium eò usque deprimat, usque dum inclusus aër, & Mercurius pensilis cum externo aere libretur. Quarè si Mercurius maneat in tubo suspensus usque ad 14. digitorum altitudinem, inclusus aer altero tantò, seu duplò rarior futurus est, quàm ante experimentum fuit, cùm illius condensatio ponderibus, à quibus premitur, sit proportionalis. Ita *Du Hamel, in phys. gen. tract. 2. dis. 2. cap. ult.*

6. Majus est pondus aeris In montium radicibus, quàm in eorum jugis, haud aliter, atq; in ingenti acervo lanæ partes in fimæ sunt magis compressæ, quàm superiores. Atq; ut eadem lanæ moles, quæ erat cæteris subjecta in locũ altiorem translata, ibiq; minus pressa sese explicat, & majorem locum occupat: Sic idem aër, qui nobis proximus, magis comprimitur; si verò in alicujus præcelsi montis verticem transferatur sese in amplius spatium explicabit, quò minus ab incumbentis aeris mole comprimetur. Experimentum hujus in Arverniâ factum ope folliculi aëre semipleni, & flaccidi in montem quingentas hexapedas altum translati paulatim intumescentis, donec in vertice omninò distentus apparuerit, testatur idem *Hamelius loc. sup. cit.* vide etiam *Chalesium, staticæ, lib. 1. digress. 8.* Pondus aëris aliud in radicibus, aliud in vertice montium.

7. Quantumvis aër incumbens nos premat; id tamen ponderis non sentimus, quòd gravitas ubiq; sit æqualis. Sic etiam Urinator in imo maris constitutus aquæ incumbentis pondus non sentit; est enim ibidem velut in æquilibrio positus, & ubique æqualiter sustinetur. Cur aëris incumbentis pondus non sentiatur.

8. Cùm aër terraqueo globo circumfusus facilè huc illuc moveatur, si modò locus pateat, in quem se recipiat; si tamen nullus est; vix ille loco cedit, nam ab incumbentis aëris mole premitur, ac retinetur, atque illius molis pondus antequam cedat, vincendum est. Aëris motus.

9. Quando aqua intrà antlias aspirantes ascendit, eò quidem altiùs ascendit, quò major vis adhibetur; nunquam tamen ultrà triginta duos pedes attolli posse experimentis variis compertum est. Vis enim quæ aquam premendo sursum attolit, cum non sit alia, quàm pondus columnæ aëris, quæ antliæ ipsi latitudine æqualis est, pondus autem aëris sit finitum, cùm sensìm minuatur; eò usq; aquam intra antliam attollet, quousq; fiat quoddam æquilibrium aquæ sublatæ, & colunæ aëris incumbentis. Quantùm ascendat aqua intra antlias.

10. Mercurius etiam in tubo juxta *Toricelli* praxin, inclusus, & in subjectum vas, in quo alius restagnat Mercurius eodem tubo inverso dimissus ad 27. pollicum seu digitorum, vel ad unius cubiti, & quadrantis altitudinem suspensus hæret. Aqua verò similiter tubo inclusa, & in eodem tubo alteri aquæ immerso ad 31. vel 32. ferè pedum altitudinem suspensa manet, quantùm videlicet ponderant 27. digiti Mercurii. Hoc experimentum testatur *Hamel de corp. affect. lib. 2. cap. ult.* Cum in loco 10. hexapedis altiore institutum fuisset, minutum fuisse unâ lineâ, seu digiti parte duodecimâ; adeò ut, cum factũ esset idem experimentũ deindè in præmemo- Mercurii, & aquæ ascensus in tubis sigillatis.

memorato monte Alverniæ, Mercurius 3. digitis, & 10. lineis depressior fuerit, quòd eo loci minus esset aëris pondus. Similia adhuc alia experimenta refert *Borellus de mot. nat. cap. 5. pro. 63.* nempe per *D. Paschalium* in eodem Alverniæ monte, ac per seipsum in altissimâ turri Florentiæ facta. Unde suadetur aëris difformis gravitas ex istâ inæquali Mercurii elevatione in fistulâ, prout altitudo aëris major, aut minor fuerit. Atque hâc forsan ratione etiam dijudicari poterit, quæ loca sint aliis altiora, quæ depressiora. Advertit tamen solertissimus *Borellus*, Mercurium non semper præcisè in eodem loco ad eandem altitudinem elevari; quam verò variationem ac differentiam ex parte aliqua pendere dicit à temperie aëris calidâ vel frigidâ, sed hanc tamen exiguam esse dicit, si vitrea fistula in vertice supremo annexam ampullam vacuam habeat, unde deinde aliam hujus variationis causam adducit; quòd nempè imminente pluviâ aliquâ diuturnâ, & continuâ Mercurius supra consuetam altitudinem elevari, econtrà pluviâ jam actu cadente deprimi soleat. Sed de hoc mox plura dicemus.

Gravitatis aëreæ variatio.

11. Gravitas, & pressio aëris secundùm diversas anni tempestates, Cœli temperies, phases Lunæ, locorum situs, ac ventorum flatus mutatur. Constat ut cunq; ex dictis, & ostenditur facilè etiam circà ventos, & Cœli temperies. Nam flante Boreâ, & sereno Cœlo per experimentum Torricellanum compertum est, Mercurium altiùs ascendere, & interdum usque ad 28. digitorum altitudinem; imò amplius adhuc elevari; Flante verò Austro, & Cœlo pluvio observatum est, Mercurium ad 27. digitorum altitudinem suspendi. Hinc etiam antliarum ope, quò in barometro Mercurius est altior, eò altiùs etiam aqua attolli potest, nempe usque ad 32. pedes flante Borea: sed Austro & Zephyro flante, pluvioq; Cœlo vix aqua ad 31. pedum altitudinem assurget, & eò minus, quò antlia sublimiore loco constituitur.

Aëris gravitas ante pluviam.

12. Aër ante pluviam imminentem multò magis gravitat, & comprimit, quàm in ipso pluviæ descensu. Expertus est clarissimus *Borellus*, & experimenta declarat *in lib. de mot. nat. à grav. factis. cap. 5.* Unde & *prop. 115.* ait. *Quid aliud sunt nebulæ pluviosæ, scilicet, aquâ gravidæ, quàm aggregatum ex innumeris granulis minutissimis aqueis? & cum prædicta nebula in altissimis aëris partibus innatat, vel lentissimo motu aquæ particulæ ejus descendunt; procul dubio suo pondere naturali augent aëris gravitatem, ideoq; majori nisu globum teraqueũ comprimunt, quàm aër purus, & aqueis guttulis omninò privatus eum posset. Si postea à quâlibet causâ nebula impellatur, ut nimirùm terram attingat, scilicet pluvia paulatim terram assequatur, eamque humectet; hinc patet innumera aquæ granula terræ inniti, neque amplius aëris gravitatem, & compressionem augere, & quia à terrâ subjectâ sustentantur, non possunt, ut prius, suo naturali pondere comprimi. Ita Borellus.*

13. Non tantùm in ipsis locis, ubi pluviæ decidunt, aër tempore pluviæ fit levior sed etiam in contiguis, & propinquis, ubi pluvia nulla sentitur. Idem est, de ventis validissimis flantibus. Cur enim aër reddatur levior in locis ubi pluit, causa jam indicata est, sitq; hinc, quod aqua pluvia decidens deprimat corpuscula, quæ aëri sunt interspersa, eumq; gravem reddunt. Reddito verò aëre alicujus loci leviore succedũt corpusculis depressis corpuscula aëris contigui. Hinc igitur etiam in contiguis locis levior fit aër. Simili modo levior fit aër flantibus validissimis ventis: hi enim auferunt secum corpuscula aëri interspersa, & ita leviorem reddunt aërem: perflatis autem corpusculis ex aëre, succedunt corpuscula aëris contigui.

14. Licet difficile admodùm sit artificio aliquo practico exactè addiscere, ac deprehendere, quantum aqua sit gravior aëre, cum idem ejusdẽ non sit ubiq;, & omni tempore pondus, ut ostendimus; experimento tamen tentavit D. *Boyle* & invenit aquam ferè millies aëre graviorẽ. *Borellus* verò tutissimo, ut ait *prop: 120. de mot. nat. à grav. fact.* nec non facillimo experimento didicit, specificam aquæ ad aëris gravitatẽ habere se, ut 1175 ⅗ ad 1. distantiam etiam inter maximam aëris constrictionẽ & ejusdem maximam dilatationem ex factis experimentis deduxit esse, ut 1. ad 2000. ferè. — Quantùm aqua sit aëre gravior.

15. Non ex solis vaporibus, & fumis rerum terrestriũ aër terræ circumfusus componitur, sed insuper elate re sive vi quâdã elasticâ præditus est. Unde etiam *Borellus lib. cit. prop. 122.* aërem in naturali suâ constrictione remotâ omni violentiâ rarissimũ esse dicit, & spatium occupare bis millies majus, quàm in statu maximæ ejus violentæ constrictionis, quæ etiam si removeatur sponte, & ingenti vi ad pristinam nativam suam raritatem redigi. Undè patet, aërem quidem sponte dilatari, & non sine impetu, & celeritate maximâ: econtrà nunquam sponte constringi, sed semper hanc constrictionem effici ab aliquâ violentiâ externâ. — Aëris elater.

16. Vis aëris elastica tantò magis potest obsistere, quantò in arctius spatium cogitur: unde non satis liquet, utrum aër, quem ex gr. unus frigoris gradus latitudine unius digiti arctiore fecit in thermometro, duobus frigoris gradibus etiam duobus digitis condensetur. Nec etiam perindè est, quinam liquor adhibeatur, cùm spiritus vini magis, quàm aqua frigori resistat. Difficillimum autem est, frigoris, aut caloris gradus ita accuratè dimetiri, ut nullus sit errori locus, tametsi thermoscopiis sigillatis tutius sit uti, quàm aliis, atque etiam utiliùs sit plura adhibere.

17. Quod verò aër ab ambiente frigore tantò magis in angustum spatium colligatur, quantò sævius solet esse frigus, ut in thermometris manifestè videre licet: causa est, quod frigus aëris motum expansivum, & spiralem cöerceat: à latere autem amplius dilatatur, & fit rarior, ut in iisdem thermometris apparet, quod vis ejus elastica amotis obstaculis liberiùs se expandat, & extenuet. Unde etiam certissimè constat, quod vis elastica calore augeatur, frigore verò imminuatur; sicut & constat, quod eâdem ratione elater semper crescat, aut minuatur, qua crescit, aut minuitur pondus aëris incumbentis. — Cur aër à frigore in minus spatium colligatur. — Vis elastica calore augetur, frigore minuitur.

18. Sonus

Sonus quomodo diffundatur.

18. Sonus nonnisi in crasso aere diffunditur; hujus enim partes cùm sint flexibiles, vi suâ elasticâ, quam vim impressione acceperunt, eam vicinis partibus communicant, dum pressæ sese restituunt. Unde etiam sonus nonnisi in motu quodam aeris tremulo, eoque celeri & reciproco positus est. Quocircà in machi- pneumaticâ Boylianâ exhausto aere sonus vix percipitur, nec etiam nebulosus Aer soni, ut luminis propagationi obstare potest. Contrà ventus non luminis motum, sed soni impressionem imminuit. Ideò bene *Hamelius docet Phys. part 3. cap. 4.* dum ait: *Luminis quidem propagatio penè est momentanea, & æquabilis, quod ætheris partes solidæ comprimi non possint: Sonus verò non in ipso æthere, sed in aëre, qui impressioni cedit, diffusus paulatim languescit: Nam Aer citissimè quidem movetur, neque ad latera potest deflectere, sed cedit tamen, & acceptum impetum tandem extinguit.*

19. Quò inquietior, & densior est Aer, eò minus sonus in eo diffunditur. Sic Aer diurnus cum non tantum à vocibus, & motibus vigilantium, & discurrentium animalium, sed & maximè à vaporibus, & exhalationibus à Sole elevatis fiat inquietior, & densior, hinc & soni qualescunque interdiù non ita distinctè & clarè sed magis confusè & obtusè quàm noctu percipi solent. Similiter tempore nivoso, nebuloso, ac pluvioso obtusior est sonus, & ad minorem distantiam percipitur, quàm cœlo pacato, & sereno.

20. Sonus secundo vento ad aures delatus auditur citiùs, ac clariùs; adverso verò vento abreptus minùs clarè, & tardiùs. Quocircà cùm sonus ex. gr. campanæ, vel explosi tormenti bellici in longiori aliquâ distantiâ perfectiùs & clariùs auditu percipitur, causa est, vel immobilitas aëris, vel quòd ventus & aer ab indè ad audientem moveatur.

CAPUT IV.

Assertiones & observationes speciales circà aëris bonitatem, & salubritatem, aliasque utilitates tam in Oeconomia Animalium, quàm vegetabilium.

Aëris varia mixtura.



Q Uantumvis Aer per se tenuis & purus reputetur, mineralium tamen, & plantarum spiritibus, vel seminibus halituum specie inclusis scatet, & semper quid est in aëre, quod in varias rerum naturas facescat. Sic ex marcasitis solidioribus vel in aere quantumvis sicco loco asservatis partes quædam vitriolicæ, & splendidiores efflorescunt. Sic etiam teste *Agricolâ*, terra alluminosa aëri exposita, uti & nitrosa, alumine aut nitro, quo jam fuit orbata, denuò imprægnatur. Sic Antimonium diaphoreticum, quod sudores ad summum excitat, aeri expositum plerumque emeticum evadit. Sic terra è profundiori specu eruta, Soli, Aerique exposita, suâ sponte herbas quasdam effundit, easque imprimis, quæ his in locis magis fruticantur. Sic etiam ferrum, & cuprum aeri expositum exeditur; nec dubium, quin hoc accidat ex particulis salinis ac sulphureis aeri commixtis, unde durissima quæque corpora exedi solent.

Aëris electio ad respirationem.

2. Cùm Aër tùm corporum tùm spirituum nostrorum sit elementum, eligendus est purus, & lucidus, non qui stagni, vel paludis halitu perturbatur, nec ex profundâ specu pestilentem auram exhalat, nec qui ullo fœtore aut putredine coinquinatur, sed qui purus omninò sit temperatis quidem hominibus, & temporibus temperatis ab oriente; æstate & calidioribus temperaturis à Septentrione, vel occidente; Hyeme verò & frigidioribus naturis ab ortu aspirans.

3. Quantò à terra remotior est Aër, cœloque vicinior, tantò purior, tenuior, & similior æthereæ puritati solet esse: Quartò verò terræ vicinior, tantò crassior, & similior terreæ qualitati perhibetur. Dum autem nimis tenuis est Aër, animalium respirationi ob defectum materiæ nitrosæ, ac respirabilis minus convenit. Unde & *D. Augustinus lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 2.* perhiberi scribit in vertice Olympi aërem esse adeò tenuem, ut neque alites sustinere valeant, nec homines (si fortè vel sacrificandi, vel inspiciendorum siderum causâ illuc ascenderint) crassioris auræ spiritu alere; eosque ferre secum solitos spongias plenas aquâ, unde sugerent identidem humorem ad refrigerandum cor, atque ad respirandum. Similiter *Josephus Acosta lib. 3. Hist. ind. cap. 9.* narrat, se, cùm quendam Americæ montem, *Pariacacum* nomine, transiret, aërem in vertice ita subtilem, ac tenuem, humanæque respirationi inidoneum reperiisse, ut nausea & vomitu ferè animâ ructaverit.

Aëris tenuitas noxia respirationi.

Aër conclusus est amnoxius.

4. Aër diu conclusus omninò noxius est respirationi, cùm desit imprimis illi puritas, & levitas: conclusus enim aër solet esse vapidus, mucidus, putridus, & gravis. Deinde deest commotio. Optimus enim reputatur aer, qui commovetur, non tamen nimiùm, sed quasi per sylvas & arbores fractus, & lentè proflatus, aut quasi à longinquo lassus.

Aër malignus quomodo corrigendus.

5. Quod si aliquando aër suâ qualitate excedat, vel Substantiâ variet, ita ut minus conveniat sanitati; Si quidem excessus sit in frigore; corrigi potest ignibus ex quercu, vel ilice: tùm aquis vel decoctis rerum calidarum, vel suffumigiis ex ladano, thure, sandarachâ, Styrace, Gallâ, Moschatâ &c. Calidus verò contemperari potest foliis salicis, vitium, quercûs, floribus rosarum, nenupharis per cubicula stratis, vel aquâ rosaceâ, nenupharis, & aceto, ac santalis; vel aquâ solùm & aceto aspersis. Quod si corruptus, & putridus fuerit; emendandus est tùm ignibus majoribus

joribus ex quercu, vel lignis juniperi, roris marini, citri, citonii, vel myrrhæ &c. Tum & suffumigiis odoratis ex citro, junipero vel aceto rosaceo, vel caphorâ, similibusq;.

Aër serotinus valdè noxius.

6. Aër serotinus, quem vulgò *ferenum* appellant Chymici verò *Mercurium vespertinum*; *Kircherus in mundo subt. Mercurium naturæ* valdè sanitati noxius & cerebro comprimis infestus creditur; quod indigestis acribus halitibus inclinante ad vesperam Sole sublaris & subitaneo frigore condensatis constans spicula quædam acerrima vellicantia solventia & lacerantia contineat, quæ ob tenuitatem & acrimoniam suam cerebrum facilius penetrare, humorem comprimere, calorem extinguere, totamq; ejus massam dividere & dissolvere queunt. Quocirca etiam aquæ stygiæ comparari potest, quæ durissima solvit & dividit metalla, nunquam tamen magis perniciosus est hic aër, quàm cum serena admodû fuit tota dies, & moderatior Solis calor imodicus enim diei calor ejusmodi halitus plus extenuat, & sublimius defert, quâ serotino frigore superveniente densari facilè possit.

Inconveniens alius aër indicatur.

7. Insalubris etiam censetur aër, minimeque ad respirandum comodus perhibetur, qui atrahitur ex loco fodinis metallicis propinquo, vel qui calcis, aut animalium venenatorû, cadaverumq; putrescentium vaporibus inquinatur. Similiter laudandus non est qui perflat loca, in quibus taxus, & juglans, arboresq; similes consitæ sunt; ob atomos enim narcoticâ vi pollentes, quas exspirant, stuporem mentis adducere ac plurimùm nocere possunt.

Aëris juxtà qualitates suas natura.

8. Aëri etiam juxta qualitates suas manifestas hæc convenire solent. Dum frigidus est, ut septentrionalis, refrigerat, densat, poros claudit; humores incrassat, pituitam & humores serosos auget, causam præbet catharris aliisq; morbis frigidis, præcipuè si unà fit humidus. Eidem tamē & convenit corroborare, indurare, concoctionē juvare, contagiosam luem corrigere. Si calidus sit, calefacit, rarefacit, poros aperit, laxat, sudorem prolicit evocando etiam dissipando calorem nativum, concoctionem debilitat, virtutem dejicit, ac febres ardentes gignit. Humidus cum frigiditate corpus magis humectat, humores superfluos augmentat, calorem nativum obtundit: si humidus & calidus sit ut meridionalis; ad putredinem disponit, sensus gravat, recidivas morborum adducit, febres putridas & pestiferas gignit; & hinc æstivo tempore ubi aër est calidissimus cum humiditate, homines febribus ardentibus, & dyssenteriis maximè affligi solent. Sicci verò aëris est exsiccare, densare, constringere, & cum caliditate cunctos humores adurere.

Quomodo aër ad ingenium conferat.

9. Puritas, aut impuritas aëris ad ingenium confert plurimùm aut eidem obest vehementer. Sic qui in aëre vivunt plurimùm nebuloso & crasso, minimè ingeniosi esse valent, uti Thraces, qui ob crassum & nebulosum aërem, quem continuò ferè inhabitant, obtusioris sunt ingenii, imò torpentes, desides, & planè obliviosi. Simili modo Bœoti ob aëris impuritatem obtusis præditi sunt ingeniis. Hispani verò utentes aëre puriori, & tenuiori profundioribus præditi sunt ingeniis. Quocircà & *Cicero lib. 2. de nat. Deor.* bene ait: *Acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolunt eas, in quibus aër sit purus, ac tenuis, quàm eorum, qui utuntur crasso Cœlo atque concreto.* Ordinariè etiam homines, qui ad fluminum ripas, & loca maritima, aut iisdem vicina habitant, moratiores, & astutiores esse solent iis, qui in agris, locis campestribus, & sylvestribus habitare consueverunt.

Aër corruptionem rerum promovet.

10. Solet etiam aër ut dissolvens, & menstruû quoddam universale corporum corruptionem haud mediocriter promovere. Quantò itaq; magis ex loco aliquo aër adducitur, aut tenuior ac rarior efficitur; tantò etiam magis corruptio impeditur. Sic clarissimus *D. Boylius* carnem assatam, panem, violæ flores post septem menses penè integra, ac nullo modo corrupta in vase vitreo post exhaustum aërem conservavit. Sic cerevisia post duos menses in fumo æstatis calore servata, nec tonitrui comotione, ut reliquæ doliis conclusæ, fuit debilitata. Sic rosa post 15. dies educta, nec odorem, nec vividum colorem penitùs amisit. Sic & pomum jam putredine affectum diu tamen citrà imminutionem fuit asservatum.

Aër vegetationi plurimum confert.

11. Ut corruptionem, sic & vegetationem rerum aër promovet. Ita compertum est, plantas inrrà phialam aquâ plenam in machinâ pneumaticâ, sive vase evacuato collocatas non vegetari, imò cum immerguntur aquæ expurgatæ (quæ scilicet diu in evacuato vase relicta est, dum aër omnis specie bullarum eruperit) tardissimè vegetari, etiamsi aperto postea aëri exponantur. Quantò igitur aqua est spirituosior, sivè aëre magis imbuta (seu quò minùs evaporavit) tantò ad vegetationem magis conducere solet; Unde etiam pluvialis aqua, quià immixtis aëreis particulis magis imbuta est, aliis aquis ad vegetationem promovendam longè præstare solet. Quæ etiam aqua recenti sanguine occisorum animalium commiscetur, ideò quòd hæc mixtura spiritibus aëreis ita oppleta turgeat, Similiter ad vegetationem quarumlibet plantarum, si hac irrigentur, plurimùm conducere compertum est.

Fodicatio quomodo plantis conveniat.

12. Fodicatio, & cultura terræ, vel humi, in quâ plantarum vegetatio appetitur, ideò etiam aptè institui solet, ut aër subintrans vasa aërea in plantis fovere, & succi fermentationem promovere possit. Ubi autem durâ admodùm crustâ obducta terra clauditur, plantæ omnes facilè emoriuntur, quòd aër requisitus iis denegetur.

13. Cùm omnis quoq; fermentatio, seu ebullitio liquorum in evacuato recipiente augeatur; Calx tamen ubi exhausto aëre aquæ immergitur, illius tamen vix ulla fit effervescentia; idq; fortè accidit, ut ait *Hamelius*, quod inrer exhauriendum aëra spiritus calcis volariles exhalent. Contrà in gypso accidit; nam majores bullæ in evacuato recipiente erumpunt, & major fit ebullitio, quàm si in aperto aëre diluatur.

Aër facit ad inflammationem, & dissolutionem.

14. Et inflamatio, & dissolutio corporum ab aëre promovetur. Unde testatur expertissimus *Boylius*, panni serici frustulum admoto speculo intra machinam ita combustum fuisse, ut fumo discusso vix pannus specie imminutus appareritdonec admisso aëre mox in cineres redactus sit.

CAPUT V.

CAPUT V.

Aëris diversa ratio, & varia constitutio in diversis Mundi partium Regionibus, Insulis, Urbibus, aliisque locis, cum aliis qualitatibus, & accidentibus eandem consequentibus juxta quatuor Anni partes, seu tempora.

REgiones Geocosmi, & earum Situs respectu Cœli, vel Solis multùm suo modo ad aëris Temperamentum, vel quamcunquè alterationem, aut ejusdem qualificationem conferre solent: In iis enim, quæ Soli sunt propinquæ, veluti in Zonâ torridâ Aer impensè solet esse calidus: in iis verò, quæ sitæ sunt extrà Tropicos, Aër est temperatior: quæ autem magis accedunt ad polum, suntque in Zona frigida constitutæ, aëre frigidissimo incommodantur. Verùm quænam aëris constitutio tam communis, & generalis certarum partium Geocosmi, quàm etiam specialis præcipuarum regionum, Urbium, & locorum esse soleat, meliùs in sequentibus §. videre licet.

§. I.

Regionum Zonæ torridæ Aër, & ejusdem constitutio generalis.

Licet in Zona torrida calor immensus esse soleat, non tamen ubivis talis est, undè & Aëris etiam constitutio ibidèm varia est, nec ubivis calor sufficiens ad maturandos racemos, & in his uvas, sive quia summa montium juga ad mediam ferè regionem aëris pertingunt, sive quia continuis ferè pluviis ita irrigantur eo præcipuè tempore, quo uvæ maturescere deberent, ut calor sit modicus. Generaliter tamen & universim in ea Zona hyems potiùs pluviis definitur, quàm gelu & frigore, quod etiam in plurimis Zonæ temperatæ locis advertere licet. Imminuit etiam calorem, & æstum, quod dies non sint adeò longi, quòd Sol multùm infra Horizontem, & venti perflent frequentes.

§. II.

Regionum in Zonis temperatis Aër, & ejusdem constitutio generalis,

In Zonis temperatis accessus & recessus Solis, ut plnrimùm totius anni tempestatum diversitatem efficit. In eodem tamen climate est sæpe maxima difformitas ob soli inæqualitatem. Nam in summis montium jugis Aër est maximè frigidus; in locis humilioribus calidus quidem diversimodè pro loci conformatione, & situ. Proportionata tamen quatuor anni tempestatum vicissitudo advertitur. Loca Tropicis viciniora aliquid de Torridâ participant, etiamsi sint in Zona temperatâ. Sic eâ parte *Guazaratensis Regni*, quæ in Zona temperata jacet, iidem sunt pluvii menses, qui in Zona torrida. In littoribus *Persiæ* circà *Ormusium* tantus est æstus, ut in aquâ dormire cogantur. Caloritèm intolerabilis in tota Arabia.

§. III.

Regionum in Zonis frigidis Aër, & ejusdem constitutio generalis.

Vix quidquam penè certi habemus de istis Regionibus: Aërem tamen ibidem intensè frigidum esse nullum est dubium; præcipuè cùm Nautæ Hollandi 23. Junii in boreali istaZona referant, se ingentē glaciem vidisse, quæ totum mare occuparet. Alii die 21. Augusti in latitudine boreali Grad. 76. invenerunt glaciem ad fundum maris continuum; à die 27. Sept. nives continuas. Similiter Hollandi in *nova Zembla* experti sunt frigus intensissimum, cùm à 4. Nov. usque ad initium Februarii Solem suprà Horizontem videre non potuerint; Vinum etiam Hispanicum optimum iis congelatum sit.

§. IV.

Africæ regionum & locorum Aëris constitutio specialis.

1. Occidentalis pars Africæ, quæ à Promontorio viridi, sivè à Grad. 14. latit: ad Tropicum Cancri sive Grad. 23½ protenditur, calorem Aëris habet suprà mediocritatem, unde & incolæ nudi incedunt. Fertilis etiam est in frumento, pomis, & armentis. Homines etiam habet robustos. Vicinum mare vapores administrat; sicut & fluvii primarii *Senega & Gambra*. Aëris constitutio ad Promontorium viride.

2. Ab 8. Grad. usque ad curvaturam Africæ, sive ad 2. vel 3. Gradum ab Æquatore, quæ Regio *Guinea* dicitur, & *di Benin* Aër plurimùm est humidus; mensibus enim Aprili, Majo, & Junio ferè continuæ sunt pluviæ, tonitrua, & tempestates; unde videtur ibi hyems esse illis mensibus. Sequentibus tribus mensibus Julio, Augusto, & Septembri Ver; Octobri, Novembri, & Decembri Æstas, reliquis verò Januario, Februario, & Martio Autumnus, cùm tamen in fine Aprilis, & Septembris Solem habeant verticalem. In tota verò Guinea non est salubrior Aër, quàm circa tractum, qui dicitur *Sierra Lion* cùm vix ibidem quis moriatur, nisi senio confectus, vel veneno, vel aliâ morte violentâ oppressus. In Junio tamen In Guinea.

 & Julio

& Julio ibidem frequentes esse solent pluviæ, quæ plurimùm noxiæ reputantur, præsertim propè flumen *Gambram.* In insulis etiam Hesperidibus non longè à *Sierra Lione* distantibus alio modo, & ferè contrario, quàm in universa *Guinea* Aër se habere solet, diciturque ibidem Solem antequàm occidat, ut plurimùm nubibus semper obtegi.

In Regnis Angolæ, Manicongo, Congo, & aliis vicinis.

3. *Regna Angolæ, Manicongo, & Congo* à 2. Grad. lat. boreal. usque ferè ad Tropicum Capricorni habent tempestates anni cum cœlestibus ferè convenientes: Nam à 21. Martii ad 24. Septembris Autumnum & Hyemem experiuntur, quià Sol ab illis recedit, & pluvias frequentes habent. In vicino verò Regno *Lonvango* alio modo Aër se habet, cùm ventus plane contrarius spirare soleat, & menses pluvii sint Januarius, Februarius, Martius & Aprilis. In Regnis *Zofala*, *Mozambico*, *Quiloa* menses pluvii sunt September, Octobe, November, December, & Januarius.

In Barbaria

4. In totâ *Barbariâ* imbres incipiunt à medio Octobri, & continuant per Decembrem, & Januarium cum frigore, quod duobus his ultimis mensibus paulò majus est; ita tamen adhuc remissum, ut non cogantur focum accedere. In Februario ferè omnino remittit frigus. Initio etiam Maii jam cerasa matura sunt; medio vero Majo jam ficus decerpunt; medio Junio uvas. In multis etiam locis nix videtur; præcipuè in montibus, velut *in Atlante* 7. Grad. distante à Tropico semper aliquid nivis apparet. Habent hyemem ab Octobri usque ad Aprilem. In *Numidiâ* ad Januarium frigus ingens. Si in Octobri & Aprili desint pluviæ, sterilis est Annus. Multi sunt montes nive cooperti non procul à Tropico.

5. Ad *Capo Cagua* Aër tam acris est, ut ferramenta, & quæcunque ex ferro sunt, facilè exedat, licet vix quadragies ibidem per annum pluat. Nocet etiam ob acredinē linteis, & sericis texturis quibuslibet.

In Ægypto.

6. In *Ægypto* mensibus Januario & Februario Ver est temperatum. Æstas incipit cum Martio ad finem Augusti perdurans. Autumnus Septembrem & Octobrem occupat: Hyems Novembrem & Decembrem. Messis medio Majo perfecta est. Idibus Junii incipit Nili inundatio.

In districtu Philippico.

7. Propè terram australem incognitam in *Tractu Philippico* ad 20. milliaria protenso aër maximè beneficus esse solet, cum ibidem homines plurimùm senescant, terra semper vireat, mira fructuum rarissimorum & rerum quarumlibet pretiosarum abundantia reperiatur, prout *Petrus Fernandes de Quires* Regi Hispaniæ scripto tradito exposuit.

In Insula S. Thomæ & S. Helenæ.

8. In Insulâ *S. Thomæ* sub Æquatore aër est maximè insalubris. In Insulâ quæ *Pulon Timor*, refertur que ad Indicas non procul à terra australi plerumque aër est nebulosus, ac pruinosus. In Insulâ verò *S. Helenæ* aër tam est salubris, ut infirmi à nautis ibidem expositi brevi iterum convalescant.

§. *V.*

Asiæ Regionum, & certorum illic locorum aëris constitutio specialis.

Aëris constitutio à Mecca ad Aden.

1. Regiones *Asiæ* mari rubro adjacentes à *Mecca* ad *Aden* maximo torrentur æstu, præcipuè dum Sol eorum capitibus imminet. Tantus autem est calor, ut ditiores sibi aquam continuò affundi curent, aut in aquis decumbant. *In Aden* mercatores tantùm noctu conveniunt. Arena ad hunc calorem multùm confert.

In Cambaya.

2. *In Cambaya Indiæ* menses pluvii sunt Junius, Julius, Augustus & September: præcipuè verò à medio Junio ad medium Septembrem magis pluit *in Coanâ & Cocinensi* provinciâ, quam *in Cambaya. Goæ* pluit nonnunquàm mensibus Aprili. & Majo: maxima verò est siccitas à 25. Decembris ad 21. Martii. Habet & littus illud frequentes procellas, atque tonitrua Mensibus etiam pluvialibus mare clausum est usque ad Septembrem: pluvialibus tamen mensibus non sunt continuæ pluviæ, sed per aliquas tantùm diei horas: Undè Sole tantùm nubibus tecto tempus aptum est ad ferendum. Hyems est contra cœlestem rationem. Noctes sunt frigidæ, & aër ventis agitatur à meridie usque ad mediam noctem.

In Coromandel.

3. In orientali *Indiæ* littore, cui nomen *Coromandel*, mensibus Martiò, Aprili, Majo & Junio ingentes sunt æstus ob ventum borealem ibidem ferventissimum. Pluviæ occupant menses Julium, Augustum, Septembrem, & Octobrem. Mensibus autem Novembri, Decembri, Januario, & Februario sentitur aliquid frigoris præsertim noctu. In eo tractu sunt montis *Gatis* juga, quæ *Coromandelium* dividunt, ita ut trans *Gatem* sæpe fit aër hyemalis & cis *Gatem* æstivus.

In regnis Sian, Begu, Malacæ, & Putanæ.

4. In Regionibus *Gangetici maris*, nempè in regnis *Sian Begu Malacâ* pluviales menses sunt September, October, Novem ber. *Malacæ* autem exceptis mensibus Januario, Februario & Martio singulis hebdomatibus pluit bis, aut ter. In regno *Putanæ*, vicinisque regionibus æstas incipit à Februario, & durat ad finem Octobris.

In Japonia.

5. In *Japoniâ*. à 31. Grad. latit. boreal. ad Grad. 33. Hyems multò frigidior est, quàm in aliis *Asiæ*, aut *Europæ* regionibus sub eodem parallelo jacentibus.

In Arabia & Persia.

6. In totâ *Arabiâ* aër est immodicè calidus, cùm solum illic magis arenosum sit; in *Persia* verò temperatior: magis tamen siccus, quàm humidus, cùm fontium, & fluminum aliquis defectus ibidem sit. In *Persiâ* etiam circa locum *Tabris* aët valdè est salubris, nec febrem admittit, nec incolas febre corripi sinit, imò & advenas febre laborantes eò adventantes liberat.

In India orientali.

7. Ad *Indias* Orientales quia hyems incipit sub finem Aprilis saltèm in *Cambaya*, ad promontorium *Commorini* multùm pluit ita ut pluviæ ad ostia fluviorum arenam deferant, quâ omninò obstruuntur. A *Promontorio* autem *Commorini* æstas est, dùm *Goæ* hyems.

8. In

In Insulis Philippinis. 8. In *Insulis Philippinis* aër est valdè calidus, nec aliquod discrimen inter anni tempora adverti potest; nisi quod à fine Maji per tres, aut quatuor menses aër continuis pluviis madeat; venti insuper, & turbines gravissimè sævire soleant, qui palmas ingentes quandòque à radicibus evellunt.

In Insulis Moluccis 9. Insularum *Moluccarum* aër nimis crassus est, pluribusque fœtidis vaporibus à variis canalibus ibidem emissis inquinatus, & ideò minimè salubris est, nec Europæis advenis benè convenit.

In Sumatra & Java. 10. In *Sumatra, Java* & aliis vicinis insulis aër mitè ob salubritatem laudatur à *Le Blanc lib. 1. cap. 16.* ità ut diutissimè ibidem vivant homines absque ulla infirmitate: Quod si etiam contingat aliquem infirmari; à propinquis & amicis ideò negligentius tractatur, quod credant infirmitatem in pœnam gravis alicujus commissi delicti specialiter à Deo immissam esse. Quocircà etiam infirmi plerumque latebras quærunt, & quantum possunt infirmitatem obtegunt, & ità absq; ulla assistentia & auxilio miserabiliter sæpè intereunt.

§. VI.

Americæ Regionum, & locorum aëris constitutio specialis.

Notandum imprimìs *Americam* duplicem esse, Septentrionalem, & Australem. Australis dividitur in *Peruvianam & Brasilianam. Peruviana* rursus in *Littoralem, Montanam & Planam* subdividitur. His prænotaris.

Aëris constitutio in Americâ Peruvianâ. 1. Licet hæ tres Regiones in eodem climate existant, contrarias tamen sæpè anni tempestates habere solent. In *Montanâ* pluvialem hyemem habent à mense Octob. usque ad finem Martii; cùm æstatem habere deberent: Æstatem ab Aprili ad Octobrem. Mensibus pluviis continui ferè sunt imbres; siccis nulli. In maritimâ *Peruvianâ* ferè nulla cadit pluvia: ab Aprili tamen ad Octobrem non est calor, quia Sol ab illis recedit; quibus mensibus aër ut plurimùm nebulosus solem tegit: Non pluit quidem, sed ros decidit; Quo verò tempore in montanis Cœlo sereno aër blandus, & beneficus est. In planitie eædem tempestates solent esse, ac in montibus.

In Provinciâ Pastoâ. 2. In Provincia *Pastoa* nimium frigus impedit fruges. In agro urbis *Cusco* in medio Æquatoris & Tropici Capricorni gelu & nives advertuntur. In omnibus etiam dictis Regionibus venti australes aërem serenant.

Ad flumen Karavaia. 3. Ad flumen dictum *Karavaia*, quod oritur ex *Andibus* versùs civitatem *Juan del oro* aër omninò est insalubris. Invenitur tamen in dicto flumine plurimùm auri.

In Brasiliâ. 4. *Brasilia* jucundâ valdè, & salubri aëris constitutione gaudet; quotidiè equidem benignus quidam ventus Solis calorem attemperare solet, dumque mare recedit ob æstum, summo manè ventus quidam exoriri solet. Dùm verò refluit mare, hic ventus etiam exorto Sole, & pleno die spirare, & per totum diem ità continuare solet. Undè aëris calor mirè attemperatur. Pluvias habet ab Aprili ad Augustum (quo mense procellæ sæviunt) noctes etiam frigidissimas, præcipuè verò in mediterraneis locis.

5. In *Americâ Septentrionali* menses pluvii solent esse à Majo ad Octobrem, reliquis æstus fervet, & siccitas. Montes etiam ad *S. Martham* 11. grad. ab Æquatore ad Boream siti nive plerumque obteguntur. In Americâ Septentrionali.

6. In monte *Potosi* provinciæ *Charcas* latit. 21½ ubi ingens argenti copia effoditur, licet hic mons ad finem Zonæ torridæ proximè ad Tropicum situs sit, venti nihilominùs sævissimi, & frigidissimi esse solent, præcipuè mensibus Majo, Julio, & Augusto, ità ut nulla planta ferè hic crescere possit, ideòque vix ullus ibidem habitare appetat. Aër autem iste austerus imprimìs prægnantibus, infantibus & teneræ complexionis hominibus nocivus est compertus. Ad montem Potosi.

7. In Regno *Chili* aër est purus pro ratione sitûs. Communiter tamen est valdè tenuis, & ità temperatus, ut si gladius quâcunque tandem ex causâ humectatus denuò in vaginam remittatur, nullam tamen contrahat rubiginem. Constans etiam esse solet, ità ut arbores folia non dimittant, & gramine terra continuò vireat. Ver illìc incipit mense Augusto, & durat in Novembrem. Licet etiam vix ibidem ningat, sævissimum tamen aliquandò frigus esse solet. In regno Chili.

8. In *novâ Granatâ* aër uniùs ferè est temperamenti, ità ut vix discrimen sit inter Hyemem, & Æstatem, quocircà etiam saluberrimus ibidem aër reputatur. Similiter in *novâ Galiciâ* Cœlum est clementissimum, & aër mirè beneficus, & temperatus. In novâ Granatâ, & nova Galiciâ.

9. In *novâ Hispaniâ*, quamvis sub Zonâ torridâ sita sit, aër tamen est valdè blandus, & temperatus: In ejus tamen civitate, quæ dicitur *Vera Crux*, continuæ solent esse pluviæ à verno tempore usque ad autumnum, ventique tunc Orientales, vel etiam Australes, præsertìm vesperi flare solent, undè incolæ continuis ferè capitis doloribus affliguntur. A Novembri usque ad finem Martii vix gutta ex aëre decidit, & tunc venti spirare solent Septentrionales, qui exsiccando aërem reddunt salubrem. In loco verò, qui dicitur *Vera Pax*, pluviæ per novem menses esse solent, nec reliqui etiam à pluviis sunt liberi. In novâ Hispaniâ. Vera crux. Vera pax.

10. In Insula *Gorgon* pluit ferè per octo menses cum tonitruis, non pluit mensibus Majo, Junio, Julio & Augusto. In Insulâ Gorgon.

11. In Insula *Bermude* aër est clarissimus, purissimus & saluberrimus, nec ulla venenata animalia ibidem reperiuntur. Insula quoque, *nova Providentia* dicta, similiter tantâ aëris salubritate gaudet, ut plures ibidem ad centum annos, ac ultrà vitam prolongent, plerique etiam ex senio, aut lassitudine obeant. In Insulâ etiam *Virginiâ*, & *Floridâ* aër blandissimus est; Undè etiam incolæ non tantùm proceræ staturæ, sed & longioris vitæ esse solent. In Insulâ Bermude.

§. VII.

Europæ Regionum, & præcipuorum ibidem locorum Aëris constitutio specialis.

Aër inconstans, & varius. 1. In Europæis regionibus Aër per annum varius esse solet: In Martio valde acris, & austerus; in Aprili turbidus, inconstans, varius, mense autem Majo apprimè jucundus, & beneficus, manè tamen frigidiusculus; Julio verò & Augusto, ac in diebus præsertim canicularibus solet esse plurimum æstuosus: Januario verò & Februario econtrà maximè frigidus.

In Hispania. 2. In *Hispania, Italia,* ac vicinis iis regionibus Aër magis est calidus, quàm frigidus, nec à frigore aliquid hic facilè perit, cum quandò summum esse debet frigus, moderatum tamen semper fit, ac tolerabile. Salubritas verò cœli per omnem *Hispaniam* æqualis est, nullâ què gravi ex paludibus nebulâ Aër inficitur, ut plures aliæ Regiones. Tanta, ut *Straboni* dicere placuit, in terra hac est aëris puritas, ut in ea non facilè noxium animal reperiatur. Temperies etiam ejus tam à priscis sæculis est laudata, referente ità *Roder. Sancio lib. 1. Hist. Hisp. cap. 1.* ut quidam Elysios campos non procul ab eâ posuerint. Aër Madriti *Madriti* quoquè Aër adeò subtilis est & mirè purificans & exsiccans, ut manè quæcunque sordes in publicum è domibus ejectæ, ad meridiem tamen absumptæ cernantur.

In Angliâ. 3. In *Anglia* Aer minùs est frigidus, quàm in *Belgio* & *Germaniâ*: In *Gallia* adhuc minùs: In extrema provincia maritima frigus exiguum. Anglorum quoque Regio quocunque anni tempore temperantissima est, atque cœli nulla gravitas, adeò ut rari sint morbi, & inde minor medicinæ usus, ut *Polydorus lib. 1.* annotavit, quàm alibi: Quapropter plures homines ibidem ultrà centum annos vitam prolongare solent. *Londini* tamen Aer mirè inquinatus esse solet, ut refert *Dygbeus de Simpathia*, ob atomos, & pulveres ex ambustis fossilibus nigris & bituminosis carbonibus undique perflatos, hinc plurimi ibidem tussientes, pulmonarii & phthisici reperiuntur.

aër parisiis 4. *Parisiis* in Gallia licet alioquin Aër illius regionis putissimus sit; à Cœno tamen putido, quo plateæ urbis omnimodè conspurcantur, valde inquinatur, & cœnosis atomis & effluviis undiquaque elatis fætorem què cœni mirè redolentibus impletur, unde tam salubris esse haud potest.

In Hungaria. 5. Aër in *Hungaria* valde est insalubris præsertim extraneis; de die quidem est calidus, nocte verò frigidissimus esse solet; periculosus omnibus humi, sive in ipsa terra per noctem cubantibus. Cremnitii. *Cremnitij* inprimis noxiis metallorum & mineralium evaporationibus fœtus efficit strumosos, surdos, mutos, & lippos aliisq; hujusmodi malis obnoxios.

In Italia. 6. In *Italia* Aër æstivis mensibus valdè calet, nec tutò iisdem peregrinari licet. Romæ. *Romæ* Aër nocturnus iisdem mensibus Junio, Julio & Augusto extra urbem summè noxius est, & insalubris, ita ut, si ibidem somnus capiatur, mox febres malignæ & letiferæ contrahantur.

Viennæ in Austria. 7. *Viennæ* in *Austria* Aer sæpe pluviosus, humidus & inde insalubris existit, unde natum proverbium: *Vienna aut ventosa, aut venenosa.*

Drepanii in Sicilia. 8. *Drepani* in *Sicilia* Aer est valde corrosivus & acris, ita ut ferramenta quævis Aeri exposita paucorum annorum spatiò plurimùm inde exedantur, & absumantur; Argentea etiam vasa in eodem collocata valde obscurentur, & tandem penitùs denigrentur. Vim hanc corrosivam adscribunt particulis salinis, quæ evaporantur ex fossis & conceptaculis salinariis extra urbem, ubi Sal marinum ubertim colligitur, & ad Solem excoctum ac condensatum deinde aliò divenditur, & avehitur.

In Archipelago 9. In *Archipelago*, sive *Ægæo* mari, quod inter *Græciam, Cretam* Insulam, & *Asiam* situm est, non pluit ab Aprili ad Octobrem, spiratque frequenter Boreas. Ab Octobri verò ad Aprilem crebrò pluit, & spirat Auster, ideoque frigus tunc valde remissum est.

In Jonia. 10. *Jonia* cœli clementiâ fruitur maximâ, ut & Pausanias in *Achaicis* notavit. *Cretam* quoque insulam *Curetin* & *Macaron* nonnulli à temperie cœli apellatam existimavère, ut scribit *Plinius lib 4. cap. 12.*

in Sardinia 11. In *Sardinia* insulâ valde turbidus & omninò pestilens est Aer: In causâ est concretus ibi sal, ac prægravis & violenter incumbens Auster. Obstant prætereà præalti montes, quominus à septentrione flantes venti cœli, & terræ vaporem æstate tempestivo frigore leniant, ut etiam Pausanias jam olim in *Phocicis* annotavit.

In Insulis Flandricis 12. In Insulis, quæ *Azores* sive *Flandricæ* dicuntur, sitæque sunt inter *Europam* & *Americam*, Aer tam est corrosivus, & tantâ acredine affectus, ut ferramenta quæcunque eidem exposita facilè erodat; imò & ipsas etiam tegulas in ædificiorum tectis tandem absumat.

§. VIII.

Regionum suppolarium specialis constitutio Aëris.

In Lappia. 1. In *Lappia* Aer quidem hyberno tempore est frigidissimus, ita ut vix à peregrinis tolerari queat, incolis tamen nativis convenit. In æstate per paucos admodum menses est calidissimus, ita ut natura parvo tempore compenset defectum, & maturet citius fructus, quàm alibi. Neque etiam pestis aut febres malignæ, aut quicunque morbi epidemici ibidem grassari solent. Aer etiam plerumque est serenus, purus, clarus, atque inde haud insalubris.

In Grœnlandia 2. In *Grœnlandia* Aer solet esse plerumque nebulosus: commovetur tamen ut plurimùm à validis ventis. Propter ingens etiam gelu quandoque mare undique longissimè congelari solet.

CAPUT

CAPUT VI.

De Aëris corruptione, & exorto hinc contagio: Undè porrò diræ pestes, & miserabiles hominum, jumentorumque strages, ac luctuosæ in universâ viventium Oeconomiâ calamitates enasci solent.

Aër non substantialiter, sed accidentaliter est corruptibilis.

Licet aër quoad propriam suam substantiam, adeoque essentialiter ratione suæ subtilitatis (quâ naturam ætheris, & ignis imitatur, quę inquinari minimè possunt) omnis corruptionis, & contagii sit expers: Accidentaliter tamen, prout varia eidem è terrestribus corporibus, præsertìm putridis, & in tabem resolutis exspirata effluvia permiscentur, atque omnigenâ tetrorum halituum miscellâ fœtis vaporibus imprægnatur; etiàm facilè alterari, corrumpi, & plurimùm perverti potest. Sicuti verò aër non purus, qualis propriè est æther, sed terrestribus quisquiliis, ac effluviis commixtis fœtus aptissimum respirationis hominum, jumentorumque animalium est instrumentum: Ita pro ratione immixtorum corpusculorum salubris, aut insalubris esse debet: Tunc autem maximè insalubris, adeòque viventium Oeconomiæ planè inconveniens, ac plurimùm nocivus erit, cùm exitiali & lethifero miasmate inquinatus non tantùm ab animalibus immediato attractu assumitur; sed & in radices, plantas, gramina, fructus imò & usuales, ac potabiles aquas, quibus & tùm homines, tùm alia jumenta, ac animalia pro nutrimento utuntur, exundabit, atque ità, vel etiam mediatè hìc quoq; virus exitiale extinguendis viventibus præparabit, atque veneni in se concepti longè lateque propagandi seminarium fundabit. Quocircà rectè naturalium rerum periti, tàm Philosophi, ac Medici, quàm & Astrologi exitialium contagionum, ac pestium causam comprimis aëris corruptioni, ac putrefactioni adscribere solent: Putrescit autem potissimùm, ut ajunt, à caliditate externa, & ab humiditate superfluâ, etsi à cæteris qualitatibus id etiam præstari possit. Undè *Galenus 1. de diffic febr. c. 4.* inquit. *Cùm aëris temperatura à naturali habitu adcaliditatem, & humiditatem immodicè conversa fuerit, pestilentes quidèm oriri morbos necessarium erit.* Astrologi quoque tunc fieri pestem afferunt, cùm aër malo quodam modo à corporum cœlestium variis radiationibus, & aspectibus humanæ naturæ inimicis vitiatur: Quocircà & *Mar. Ficinus in Epid.* ait. *Pestis vapor creatur in aëre, universalioris pestis tempore ex malignis quibusdam constellationibus, præsertìm ex Martis cum Saturni insignis humanis conjunctione, ex Luminarium eclipsibus, & in his locis, quæ ascendentem suum ad prædictos siderum aspectus informatum habent.* Dùm itaque aëris naturam perscrutamur; etiam hoc loco de ejusdem corruptione pestiferâ, hujus insupèr corruptionis signis, & indiciis, ac variis aliis ad meliorem hujus argumenti expeditionem compertis experimentis, quæ scitu, & notatu digniora judicamus, curioso Lectori in medium proferre libuit.

Aër corrumpitur à putrefactione.

§. I.

Regulæ, & observationes circà aëris corruptionem, & quæ ex eâ consequi solent, pestium calamitates ex cœlestium corporum impressionibus, radiis, ac configurationibus.

1. Sicut aquæ stagnantes faciliùs putrescunt, & ex putredine pervertuntur; ità aër diù quietus, nec ullis ventorum flatibus commotus putredine faciliùs afficitur, & corrumpitur maximè, dùm ex pluviis immodicis terra plurimùm perfusa, succedente deindè ingenti calore aduritur; ubi putrefactio necessariò consequi debet, quæ corruptionis omnis causa existit. Quocircà rectè *Cardanus lib. 16. de subtil.* scribit. *Primum atque firmissimum, atque secundùm naturam non solùm signum corruptionis, aut pestis indè enatæ, sed etiam causa est assiduitas pluviarum in fine veris, vel in æstate absque ventorum flatibus ullis cum vehementi calore; & dùm non pluit, turbidus tamen & nebulosus aër conspicitur.*

Aër quietus facilius corrumpitur.

2. Licèt Sol plurimùm aliàs halitus in aëre excoquendo attenuet, & exsiccet; quià tamen corrupti aëris particulæ sunt admodùm tenaces, lentæ, & viscosæ, ut ità non facilè attenuari, ac in aliam substantiam converti queant; idcircò virus earum magis concentratur, ac in quantitatem minorem redactum potentiùs, & in particulis arctiùs compressis magis efferum efficitur. Quò magis itaque fervidus Sol corrupti aëris particulas irradiat, eò subtilius & efficacius ejus virus excluditur. Idcircò benè *Kircher. in libello de peste* scribit. *Nihil pesti venenorum truculentissimo producendo aptius esse potest, quàm fervidus Sol, tùm in solum, aeremq; prævijs pestiferarum exhalationum dispositionibus adaptatum, tùm in humanum corpus bili utriq; subjectum, & pravo ciborum victui suppositum dominans. Quæ omnia cessant in peste mitiori è Cœlo genitâ.*

Juvat ad corruptionem Solis ardor.

3. Cùm virus corrupti aëris poris insitum naturâ suâ tenacissimum sit, & partes partibus firmiter connectantur; fit ut putredinis virulentæ vehiculo, quod est aër, à ventis agitato, atq; in anteriora semper propulso etiam contagiosa vis unà promoveatur; quæ deindè obvia quæq; lambens, iisdem sese implicat, ac insinuat, ità ùt eodem suæ virulentiæ charactere eadem obsignet, similiq; lethiferâ qualitate imbuat; haud secus

Aër inquinatus venenatis ulterius propagatur.

fecus ac odorifera ventis delata magno nobis intervallo diſſitis non tantùm odoratûs ſenſum immediatè percellunt, ac movent, ſed etiam res intermedias eodem odore afficiunt, quæ ſimiliter denuò concepti odoris particulas aliò profundere poſſunt. Undè

Aëris inquinatio à cœleſtibus corporibus.

4. Afferunt communiter Aſtrologi ex cœleſtium corporum maleficorum aſpectibus & radiationibus aërem non tantùm corrumpi, ac vitiari, ſed ingentis virulentiæ fœturam indè excludi. Quomodò autem hoc contingat, explicare nititur *Kircherus in Scrutinio phyſico-medico peſtis ſect. 1. cap. 5.* ſicut apud eundem videri poterit. Mars tamen & Saturnus inter cœteros Planetas hanc ſibi inditam vim præcipuè habere dicuntur, ut ſicut ipſa eorum corpora ex naturali conſtitutione perniciosum quid, ac venenoſum inſitum habent, ità illud per luminoſos radios ſuos, velut quædam vehicula terreſtris mundi partibus ac circumfuſis iisdem elementis communicent, ſi opportuno loco, & ſitu conſtituta arbitrio ſuo permittantur; nec Jovis, aut Veneris, aut aliarum beneficarum Stellarum radiis impediantur. Quod autem non ſemper vires tam malignas exſerant, ac Geocoſmicis rebus imprimant, facit partium inæqualitas, tùm quòd ex motu circa proprium centrum pernitioſæ partes telluri non ſemper obvertantur: Deindè inæqualis à terrâ diſtantia, cum ex acceſſu ad terram, vel receſſu ab eâdem in Excentricis facto ob majorem vel minorem propinquitatem nunc efficacior nunc inefficacior virtus à quovis eorum profundatur. Speciatim tamè volůt aerem tunc magis vitiari, peſtemque indè generari, quandò nimirùm fit conjunctio Saturni cum Marte in Geminis, aut Virgine (ſi tamen à Jove vel Venere non impediantur) aut Jovis etiam cum Marte congreſſus, qui aeris non tantùm maximas perturbationes, ſed comprimis tamen peſtem, aliaque mala efficere creditur. Alii communiùs ſtatuunt peſtes diras tunc effici, quandò conjunctiones magnæ Superiorum ſcilicet, Planetarum nempè Saturni & Jovis contingunt in ſignis aereis, qualis teſte Matthæo Villano Anno reparatæ ſalutis 1346. in Aquario accidit, quam peſtis non modò in unâ aut alterâ regione homines devorans, ſed per univerſum terrarum orbem ſeſe extendens (hoc ita atteſtaute Hiſtorico Franco, ut etiam refert *Rhenanus in Antidot. peſtilent.*) ſubſecuta eſt. Similis conjunctio accidit An. 1524. in ſigno aqueo Cancri, quam ſæviſſima quoque peſtis ſecuta fuit. Afferunt etiam conjunctionem Saturni & Martis, quandò cum Sole, & Lunâ in ſignis aereis, ac comprimis in Aquario, Scorpione & Librâ conveniunt, truculentiſſimam peſtem cauſari.

Luminarium deliquia quid conferant ad aëris corruptionem.

5. Luminarium deliquia ſive Ecclipſes ad aeris corruptionem plurimùm conferre, omnium Aſtrologorum communis eſt ſententia, non tamen omnes Eclipſes hoc præſtare, obſervatum eſt, ſed cum eæ certis affectæ modis ſunt: Ut quandò Solis aut Lunæ defectus in partibus ſignorum contingunt, ex quibus hoc vel illud ſignificatur, veluti dum eclipſis in ultimis 10. gradibus contingit, famem ac peſtem induci volunt. Idem quoque Luna deficiens in medio denario Arietis efficere dicitur. Et univerſim, ſicut ajunt, alterius labor in ſignis Geminorum, Libræ, vel Aquarii, famem ac ſæviſſimas easque peſtiferas ægritudines inferre ſolent, præſertim cùm infauſta Saturni, aut Martis radiatio acceſſerit, aut fauſta Jovis, & Veneris affulſio non impediêrit. Sed hæc Aſtrologica ſunt. Ut porrò exempla quædam memoremus peſtium, ac virulentarum contagionum, quæ Luminarium deliquia mox inſecuta ſunt. Teſtatur *Paulus Diaconus lib. 6.* ad Annum à Virginis partu 538. poſt ſolaris luminis defectum validiſſimam ſubortam eſſe peſtem. An. Chriſti 605. die 5 Maji, cum Solis eclipſis accidiſſet, eam mox ſubſecuta fuit graviſſima peſtis tribus menſibus Julio, Auguſto, & Septembri miſerabiliter ſæviens. *Regino Chron. lib. 1* Anno Domini 680. Luna Junio menſe nitore ſuo privata lugubri obſcuritate fœdata eſt: Sequentibus verò menſibus, Julio, Auguſto & Septembri Romæ adeò terra & calamitoſa ſuborta eſt peſtis, ut frequentatis funeribus Libitina non ſufficeret. Reliquam indè Italiam cum invaſiſſet (præſertim Papiæ Urbem) propè ad vaſtitatem redegit, ut teſtatur Sigonius. Anno 703. à Solis & Lunæ eclipſibus, ac ab inſolitâ luminarium obſcuratione die 3. Maji factâ peſtis valida Italiam invaſit, à quâ & Agathon Pontifex Maximus occubuit, ut refert *Platina in vitâ dict. Pontificis. Blandin. libr. 9.* & Tarcagnotta. Similiter Annó Chriſti 1356. in principio Maji fuit eclipſis Solis, nec non eodem Anno eclipſis Lunæ, quas ſæva peſtis continuò inſecuta eſt. An. rurſùm 1478. accidit eclipſis Solis menſe Julio, mox indè peſtis ſæviſſima hoc ipſo anno per totam Italiam adeò debacchata eſt, ut in ſola urbe Brixianâ ſuprà 20. hominum millia; Venetiis verò 30000. perierint. Ita teſtatur *Marcus Fritſchius primo Catalogo prodigiorum.*

6. Non tantùm ordinarias Luminarium eclipſes, ſed & alias triſtes Solis obſcurationes ab exuberante macularum ſuarum efflorefcentiâ ortas corruptio aëris, & indè peſtifera enaſcens lues ſubſequi ſolet. Ità ad Annum Chriſti 260. ut teſtatur *Pet. Meſſia in vitâ Galieni Imper.* præter cœtera prodigia Sol per plures dies lumen amiſit, quo tempore tam ſæva, & rabida peſtis Romam invaſit, ut uno die ad 5000. hominum extincta ſint. Similiter An. 334. per 17. dies Sol Cœlo quantumvis ſereno lumen nihilominùs terris denegavit, quod ſummi prodigii loco habitum; Mox autem bella, fames & peſtis cum Conſtantini Cæſaris morte conſecuta ſunt. A. 1547. poſt Chriſtum natum Sol per tres dies ſimili macularum fœditate inquinatus apparuit ingentium iis temporibus currentium calamitatum, comprimis peſtilentiæ nun-

Solis maculæ cauſa corruptionis aëris.

nuncius. Narrat Cedrenus, solem tempore Justiniani Imp. instar Lunæ sine radiis tristem præbuisse lucem patienti similem; quod ostentum crudelissima illa pestis, quâ quotidiè Bizantii 10. hominum millia concidebant, consecuta fuit.

Ignitas apparitiones sequitur pestis.

7. Etiam ignitæ apparitiones vi corporum cœlestium elatę, aut quovis modo productæ aërem inquinare, & pestem causare, aut futuram saltem indicare solent, ut Cometæ, faces ardentes, plures soles, aut ejusmodi alia ostenta cœlestia. Cùm enim talium apparitionum causa esse queat calor ardentior, exhalata homogenea effluvia congregans & exurens, quâ exustione aër aliis quisquiliis refertus non tantùm tenacior effici, sed & peregrinâ insuper fuligine quâdam tinctus à naturali statu declinans in putres, & exitiales partus disponi potest, qui suo deindè tempore ad maturitatem perducti miras calamitates mundo inferiori adducere possunt. Sic dùm Anno 461. antè Christum natum, Cœlum ardere visum, multique ignes in aëre comparuerunt, ut Author est *Livius l. 2. Dionys. Halicarnassæus l. 9. & Tragcagnotta l. 21. vol. suæ hist.* Item Anno 174. similiter ante natum Salvatorem, præter alia prodigia tres Soles visi, multæque ignitæ faces è Cœlo ciciderunt, ut testatur idem *Livius, lib. 5. Decad. 1.* validissimæ pestes subsecutæ sunt. Quibus porrò Cometis in Cœlo visis contagiosæ lues successerint, patet suprà in catalogo Cometarum.

§. II.

Regulæ, & observationes circà aëris corruptionem, dùm ea ex terrestribus causis inducitur.

Aëris corruptio ex terræ motibus causata.

1. Cùm in intimis etiam terræ visceribus plures sæpè venenorum species recónditæ deliteant, quę non tantùm ex virulentâ Mineralium subterraneorum evaporatione, sed & nescio ex quâ putredine ab insectorum, ac animalium venenatorum monstris, uti sunt Serpentes, viperæ, rubetæ, ac dracones aliàs in antris & speluncis montium latitantes causata originem trahunt; dùm per subitaneam terræ concussionem lethifera ejusmodi fœtura excluditur, aërem mox inquinare, & virulentis halitibus afficere, perniciosumque reddere possunt. Ita variæ pestes terræmotus consecutæ ab Authoribus memorantur. Sic An. Dom. 260. cùm adeò validi fuissent terræ motus, ut plurima non tantùm ędificia collapsa, sed & multa millia hominum suppressa sint; in Asiâ plures eversæ civitates, ab apertione terræ ingens aquæ salsę copia, undè lacus enatus, scaturiêrit; mare quoq; fines suos pertransiens, multas submerserit civitates, tàm valida mox pestis Romæ subortafuit, ut unâ tantùm die ad 5000. hominum conciderint; teste *Pet. Mesfia in vitâ Galieni Imp.* Fuit & alia sævissima pestis à terræ motibus orta An. Dom. 1232, quæ ex decem hominibus vix unum reliquit incolumem, Authore *Platinâ in vitâ Gregorii* IX. Pontificis Maximi.

Aër diù reclusus facilè corrumpitur.

2. Solet & ipse aër diù reclusus putrescere, qui dùm subitò deindè ad alium ambientem aërem emittitur, illum mox eâ, qua pollet, virulentâ afficit fœturâ. Ita pestis validissima ab aëre diù in loco quodam incluso tempore *Antonini Pii*, an. post Christi adventum 162. erupit, cujus ab Asiâ fluxêre contagia: Ibidem enim à diù conclusâ Urnâ originem habuit, quam Imperatoris milites, ut indè aurum raperent, cùm aperuissent, pestem rapuerunt. Similiter in apertione putei in Campaniâ contigit in quodam castro *Nicolini de Beccariâ*, à cujus apertione ob diuturnam clausuram adeò venenata exiit evaporatio, ut indè inquinatus aër pestis causa extiterit.

Pestis ex variâ putredine & graveolenti evaporatione.

3. A quibusvis tandem venenatis, & graveolentibus exhalationibus, ac quacunque terrestrium tàm animatorum, quam inanimatorum corporum putredine aër non tantùm vitiari, sed plurimùm venenosus, ac pestifer effici potest. Sic à cadaveribus diversorum animalium insepultis constat pestes subortas, uti apertè docet Livius, cædes, quas regnante Romulo Eidenates & Romani mutuis sese excursionibus infectati fuerunt, ingentem mox in Latio pestem consecutam. A Locustis mortuis aërem mirè vitiatum in Africâ testatur *Paulus Osorius lib. 4.* Similiter accidisse Galliæ Anno Christi 864, scribit *Gregorius Turon. lib. 6. Histor. cap. 44.* Narratur quoque in Alverniâ tabe extinctorum boum corpora non ritè sepulta pestiferæ qualitatis mephyti indè exspirante universum ferè regnum infectionis damno inquinâsse. Docuit & balenæ cadaver in littus Tuscum propè Graviscum superiori Sæculo ejectum, pestem indè subortam, cujus contagio universam mox Tusciam inficiens magni mortalium exitii causa fuit. Anno à Christo nato 900. ex vermibus à pulvere ortis pestis originem extitisse, meminit *Bernardinus Corius in primâ suâ parte.* Refert & *Cardanus lib. de venen.* suo tempore pestem sævissimam Mediolani excitatam fuisse ex infinitis vermiculis, sive ex pulveribus terræ, sive ex aëris contaminati effluviis generatis. A Draconibus juxtà Athenas pravo halitu aërem infectum refert Gainerus. Anno quoque circiter 590. cùm Tiberis adeò excrevisset, ut urbis mœnia superasset, extrà flumen Draco cum aliis parvis draconibus relictus fuit, à quibus tantùm vitiatus est aër, ut indè pestis inguinaria appellata ortum traxerit, teste *Platinâ in vitâ Pelagii II. Georgius Agricola* refert *lib. de peste*, suo tempore pestem extitisse, quæ originem à fructuum, pyrorum, prunorumque esu traxerit: addit verò plerosque fructus ingenti multitudine ferè insensibilium vermium scatuisse. Memorant & Historici *Caii Marii*; dùm Marsiliam obsideret, totum exercitum ex marcido pane peste invasum ingenti strage cecidisse &c.

Putredo cum veneno in omnibus morbis.

4. Unanimi Medicorum sententiâ ut scribit *Kircherus lib. de peste, sect. 1. cap. 8.* mor-

morborum omnium causa cum sit abdita quædam inter occultos humorum recessus putredo: putredo verò omnis vel ad proximam dispositionem vermes nullis sensibus pervios progeneret; pro variâ verò humorum discrasiâ putredo pro combinationis humorum malignantium lege variâ virus etiam diversum, diversasque in operando vires acquirat; tales & fœturam indè pullulantem nancisci necesse est, tantò utique perniciosiorem, quantò virus animatum inanimi violentius est.

Pestis species variæ. 5. Cùm in omni peste certa quędam veneni species prædominetur, quæ ex putredine quadam, vel ex intimis terræ visceribus nata, exspirataque, vel ex rebus in tabem virulentam ab intemperie accidente resolutis, & corruptis, vel ex siderum maleficorum impressionibus, ac radiationibus causata, vel ex vitiatis humoribus in ipsis hominibus in talem, ac talem veneni speciem elaborata procedat: nulla porrò sit species veneni, quæ non disparatos ab aliâ quâpiam specie effectus habeat, sicut & unà atq; eadem grassans pestis pro diversâ subjecti dispositione, etiam diversa excitare solet symptomata: Idcircò pestis non semper accidet eadem, & in singulis eodem grassabitur modo: sed pro aliâ, atque aliâ veneni mixturâ, atque aliâ dispositione subjecti, quod invadit, alios etiam atque alios effectus in infectis excitabit. Undè quò subjectum magis erit conforme tali specifico veneno, etiam præ aliis priùs, ac citiùs tale subjectum inficietur.

Quinam humores facilè inficiantur. 6. Ratione humorum, qui in corpore humano dominantur, sanguinem præprimis obnoxium esse concipiendæ virulentiæ; non ita verò reliquos, & melancholiam omnium minimè, ac tardissimè infici vult *Mar. Ficin. in Ep.* undè ait. *Pestis vapor omnem maculare potest humorem, sed potissimum sanguinem, secundò choleram, tertiò phlegma, quartò melancholiam: ideò priùs sanguinei huic periculo subjiciuntur; deindè Cholerici, posteà phlegmatici, postmodùm melancholici: quia humor frigidus & siccus ad inflammationem, & putredinem ineptus est, & strictos habet meatus.* Nihilominus tamen constat experientiâ, melancholicos utpotè phantasticæ facultatis violentiæ magis subjectos, dùm tristitiâ mortis percussi ad inducti terriculamenti ludibria dispellenda minùs sufficiunt, citiùs peste corripi, eò quòd condensatis spiritibus cor in iisdem contrahatur, & pestiferum semen extrinsecùs haustum arctiùs ibidem concludatur, magisque elaboretur, ac fortiùs deindè in alias corporis partes lethiferâ serpigine disseminetur. Contrarium verò accidit in sanguineis, utpotè qui genio lętiori prędit sunt, dùm laxiorem viam spiritibus indulgent, conceptum quantumvis venenum facilè denuò exspirare permittunt. Undè etiam ad pestiferam contagionem evitandam nihil efficaciùs esse volunt, quàm animum habere omnis melancholię expertem, curisq; omnimodis solutum. Vinum quoq; melioris conditionis, uti & larga meliorum dapum instructio, quià lætitiam cordis auget, hoc idcircò etiam robustum reddit contrà malignas pestiferæ labis inspirationes.

Quinam fructus faciliùs inquinentur. 7. Ex fructibus, qui sunt succi per se perversi ac perniciosi, cum vitiosæ putredinis capaciores sint, veluti sunt persica, poma, pepones, cucumeres similesque, citiùs inquinamentum suscipiunt, & eorum usu durante effluvio pestifero homines citiùs corripiuntur. Fungorum verò usus (cum vivæ toxici bursæ sint, ut rectè loquitur *Kircher. lib. de peste*) prorsùs abolendus. Si enim unquam hujusmodi fructus, certè durante lethifero terræ effluvio, aërisq; inquinati statu pestiferæ putredinis vim in se attractam derivant, quam & hominibus assumptam communicare valent celerrimè.

Herbę non æquè vim venenatam participant, aut assumptæ aliis communicant. 8. Herbæ, ac plantæ non æquè semper virulentæ aspirationis vim, sed pro dispositionis ratione, & subjecti capacitate participant; nec etiam omnia diversæ speciei animalia pestiferæ qualitatis afflatu æque percelluntur, tùm quòd temperamenti animalium diversitas sit in causâ, tùm plantarum, quibus diversis ex insitâ naturâ fruuntur, esus ratio: Hinc accidit diversos sæpè morbos resultare, qui nempè jam boum solummodò speciem, non alteram infestent; Si enim venenosa aspiratio herbis bovinæ speciei propriis congruerit, boves solùm adorietur: Si equinæ, solùm equos: Si ovinæ aut pecuinæ, solùm oves & pecudes invadet.

Quomodò res quæcunque inficiantur, & infectæ virulentiam aliis communicent. 9. Particulæ putridæ auræ virulentæ, quià sunt admodùm lentæ, & viscosæ, ac mirâ quâdam tenacitate pollent, circumsitis rebus quibuslibet, velut linteaminibus culcitris, lectis, stragulis, ac vestibus in circumstantium inhærere, in conclusi deniq; cubiculi obvias res, earumq; poros altiùs etiam sese insinuare solent: hinc fit, ut mox vel per primum attactum rerum eadem manibus adhæreant, earumque poros forinsecùs penetrantes per succutaneos meatus propagatâ putredine suâ latentem humorem intercutaneum inquinent; vel dùm incautiùs iisdem anhelitus applicatur, intùs quoq; attractæ auræ vitalis officinam inficiant, sicq; virulentam fœturam, quâ deindè & alii inquinari facilè queant, insinuent.

Solus ignis & sulphur inquinari nequeunt, & emendant virulentiam. 10. Cùm nihil penè sit in terreno globo, quod pestifero halitu infici non queat, indeque fieri possit aptū ad pestis virulentiam concipiendam ac propagandam: Solus tamen ignis & sulphur ejusdem censentur incapacia ac libera. De igne in confesso est apud omnes; De Sulphure verò etiam constat, quod nempè sit ignis quidam mineralis, cujus proprium est omnia, comburere, nec contagio affici, omnia depurare semelque accensum nihil fæciū post se relinquere, ità ut incensum avolet totum. Quocircà *Hippocrates* emendaturus aërem infectum & corruptum in publicis platearum angulis, struem excitare docuit ex *Lauri, Cypressi, Rosmarini, Juniperi* lignis, & foliis, quibus & voluit commisceri *sulphur, picem, ac Salem.* Sulphur itaq; innatâ sibi virtute instar ignis omnem humiditatem, cui pestiferum venenum tanquam subjecto suo proprio insidet, exsiccat, ac perimit, omnem quoq; corrup-

ruptionem destruit, non tam virtute caloris sibi innati, quàm acido quodam spiritu, quem exhalat, in aërem diffuso, quo proprie pestis inquinamenta conficiuntur.

§. III.

De Tempore, & signis aëris corrumpendi, vel jam corrupti.

Tempus quale magis aptum aëris corruptioni.

1. Etsi singulis anni partibus sui contingant morbi, de quibus *Hippocrat. 3. Aphor. & l. de aëre, aquis, & locis*: Neque aër solùm qualitatibus primis corpora nostra afficere, sed quocunque etiam tempore, prout malignam, ac pestilentem, si eâ infectus sit, dispositionem corpori imprimere, & miasmata, quæ continet, ei communicare, & morbos epidemicos, & malignos excitare possit. *Valescus* tamen de *Taranata* tempus aëris corruptioni, & pesti inde emersuræ magis accomodatum asserit finem æstatis, & Autumni principium. Idem statuit *Rasis 4. ad Almansorem c. 25.* sic inquiens. *Pestilentia plerumque in fine æstatis, & Autumno accidere solet*, ubi futuræ pestis in dicto tempore signa sic subdens recenset: *Quapropter si in æstate multæ venerint pluviæ, nubes quoque & pluviarum multitudo nocte dieque permanserint, & indè meridionales venti multi perflaverint, & aër ità quietus sit, ut non moveatur, & tùm hoc meridionalis ventus turbidus existat, tunc suspicandam credimus pestem.* Autumno hoc itàque imprimìs malum accidit, quod eâdem die modò calor, & modò frigus dominetur; præter id, quod in Æstate humores plurimùm adurantur, undè deindè facilè putredinem concipere queat; sunt prætereà corpora tunc magìs malignitatis concipiendæ capacia, quià vires in iis ob continuas efflationes, & insensibiles resolutiones sensim contingentes magìs dilabuntur ac debilitantur.

Signa aëris corrupti ex ipso aëre.

2. Signa aërem corrumpendum, aut jam corruptum indicantia ac pestem præcedentia, etsi infallibilia non sint, varia tamen ab Authoribus annotata sunt: Nonnulla enim ab aëreo, alia ab aqueo, alia à terreo elemento desumi posse volunt. Ab aëre signa communiter censentur esse, si proprias temperaturas pro diversis temporibus, & anni constitutionibus non servans, preprimìs caligniosus, pulverulentus, nebulosusque cum paucâ pluviâ fuerit, vel si pluviæ fuerint diuturnæ, atque Auster ac Subsolanus potissimùm dominentur. Nocte insuper si validum frigus, die verò immodicus calor sentiatur, vel etiam, si eâdem die modò calor, modo frigus percipiatur. Si aves derelictis ovis ad alias regiones commigrent; potissimùm ciconiæ si nidis desertis solitò citiùs avolent. Ingens prætereà ac repentina aranearum, muscarum, vesparum, papilionum, cuprestium, scarabæorum, & ejusmodi insectorum volatilium progenies observetur: passeres si magno numero exanimes reperiantur, vel omninò dispareant. Ut porrò accuratiùs per certa experimenta & praxes venenata aëris corruptio advertatur, suadent communiter, ut panis filigineus adhuc calidus in tecto domûs, vel altiori perticâ per noctem exponatur; si aër putredine pestiferâ infectus fuerit; panis postero die mucidus reperietur, datusque cani, vel Gallinæ devorandus ab iis non attingetur, aut ubi devoratus si fuerit, protinùs mortem afferet. Aut colligatur manè ros delapsus in aëre, eoque panis maceretur: hæc deindè massa cani vel gallinę proiiciatur in cibum, quæ vel non attingetur, aut si attacta, & comesta fuerit, fæva mox symptomata causabit. Aut etiam altiori domûs loco aprico vasi, sivè conchæ aqua infundatur, eique una libra vitrioli admisceatur ferrum quoq; candens in eâ extinguatur; posteà ad unum alterumvè diem aëri exposita relinquatur: si comperiatur tandem cuticula quædam tenuis aquę superficiem tenere, manifestum corrupti aëris signum erit.

Signa corruptionis in aqueo elemento.

3. Aquei elementi ab aëre corrupto incumbente, vel à tetris halitibus è terræ visceribus eruptis depravati signa imprimìs sunt; si stagnorum aquę ad littora virorem quendam concipiant tenui veluti cuticulâ contentum vermibus minutis, lendibusq; fœtidum, culicum, prætereà vesparumq;, nec non ranarum inquietis agminibus circumdatum. Aut si stagnans aqua arsenicalem quendam odorem, malumque & ingratum saporem habeat, splendeatq;, aut pulvis quidam supernatare videatur. Si porrò pecora, atq; imprimìs equi & boves illam bibere renuant, nisi summâ premantur siti, runcq; etiam solummodò lingant, & ad aquas fluentes properent. Si deindè pisces supino corpore innatent, aut omninò mortui promineant, aut vivi quidem si absurdis bubonibus infrà caput deturpentur, aut aquis exempti tetro cum mucore putidum exhalent fœtorem, facileq; extrà aquam intereant, ac putrescant. Si mergi, anseres, anates, fulicæ, cygni & alia quævis aquatica animantia desertis aquis puriora stagna appetant. Si denique cancri relictis rivis in ripas diffundantur; certè fugâ suâ inquinatæ aquæ lernam testabuntur. Annotavit autem *Card. l. de subtil.* cùm pestis & ab aquâ, & ab aëre fiat, quod ea, quæ ab aquâ fit, cor magìs petat; quæ ab aëre, cerebrum.

Signa corruptionis in terreo elemento.

4. Cum terræ elementum tabe & virulentiâ infectum fuerit, imprimìs germina arbores, ac plantæ exarescunt, folia nigrescunt, putrescunt, & decidunt, deficcantur frumenta, antequam ad maturitatem perveniant, rubigine vitiantur, ac tristi planè colore inficiuntur: Herbæ porrò ac fructûs omnes fuliginoso spiritu tincti ità à nativâ bonitate declinant, ut alienum prorsùs saporem acquirant; quibus si bruta vescantur, conceptæ virulentiæ truculentiâ intereunt. Multæ venenatæ, & noxiæ proveniunt herbæ, uti sunt fungi, hyoscyamus, esula, cicuta, &c. mox deindè & ingentia pulicum, cimicum, muscarum, culicum, araneorum, erucarum, ricinorum agmina pullulant, variæq; aliorum noxiorum animalium geneses obveniunt, quę arborũ foliis, segetibus, herbis, graminibusq;

depastis, uti nutrimenti ulterioris inopiâ extinguuntur, ità extincta contagiosam efficiunt putredinem; suntque ex eorum animalium numero primò vermium colore & figurâ differentium multitudo, bufonum præter ordinem vastitate enormium, ranarumque caudatarum, mutarumq; ingens numerus, serpentes quoq; peregrinæ formæ, qui è montium latebris emergunt. Item si erucarum, bruchorum, soricum, papilionum, ac locustarum agmina per æstatem volitantia colore ex flavo in viridem degenerantia ubertim advertantur, epidemicæ infirmitatis mox secuturæ signum apertius denotabunt. Si deniq; in superioribus domuum conceptaculis omnia tabulata, muri, lectisternia, mensæ, præter solitum humectata reperiantur, carnes quoque, panes, ova, poma talem mucorem vermibus scatentem conceperint, qualem in locis subterraneis, vel putrido aëre infectis positæ dictæ res conciperent, certò concludi poterit, pestiferam luem præsentaneam esse.

CAPUT VII.

Mirabiles quædam pestilentis aëris, & indè enatarum contagionum, sive pestium proprietates, Exempla itèm mira circà ortum, propagationem, & varias differentias earundem recensentur.



Admirandæ planè sunt, ac non nisi cum maximo horrore commemorandæ pestilentis aëris, & ex eodem enatæ contagiosæ luis funestæ tragœdiæ, quas ritè, sicut calamus veretur exarare, nec lingua decenter eloqui, nec sensus ullus, aut mentis cogitatio profundè satis rimari, ac perscrutari valet. Rectè *Fernel. l. 4. c. 17.* comparat *feræ venenatæ in vulgus involanti*, ut quæ nullius occursum reverens, nulli parcens, omnibus, ut occurrit, inimicam sese obiiciens, aliter, semper atq; aliter pro innatâ sævitie tyrannidem exercet, prout ipsius obvii corporis oppositio, aut dispositio constituta est. Pestis etiam idcircò dici rectè meruit haud indignè à pascendo, quod omnia, haud secùs ac immitis fera depascatur. *Isidor. l. 3. Etym.* à pastulentiâ etiam pestilentiam vocat, sicut à contingendo, contagium, quod solo tactu noceat; Undè res quæcunq; illâ infectæ cane pejùs & angue vitandæ. Solet & Lues vocari à Luctu, quem causat: vel à labe, quod faciliùs nihil fit, quàm in eam labi. Sed his nominibus prolatis contenti, quibus exitialis virulentiæ ejus sævities sufficienter indicatur, nunc varias compertas proprietates, deindè & mira exempla circà ortum, propagationem, & varias differentias pestiferæ luis in medium ex probatissimis Authoribus adducemus.

§. I.

Variæ Proprietates auræ virulentæ, sivè pestium exindè grassantium proferuntur.

Pestis tempore omnes morbi in pestem degenerant.

1. Infecto pestilenti aëri, & ex eo enatæ pestilentiæ, dùm virulentiam suam undiquaq; diffundit, naturalis & ambitiosa quædam inesse videtur potestas, quâ nullum fermè alium morbum conregnare patitur, sed omnes alios currentes morbos in sui naturam conversos suæ facere solet jurisdictionis. Undè & *Mar. Fic. in epid. An. c. 4. Pestis*, inquit, *tempore omnis infirmitas in pestilentiam facilè transire potest, præsertim febres furiosæ & continuæ. Undè nulla ægritudo præter pestem apparet: quod si aliæ apparent, pestis cessat.*

2. Frigus intensum, uti pestiferam fœturam non in aëre tantùm stabulantem, sed & in ipsis corporibus latitantem mox destruit; ità è contrario in calidioribus locis, ac temporibus pestis semper truculentiùs sævire, & virus suum ampliùs explicare cum majori strage solet. Sic in Germaniâ accedente brumali solstitio ob intensius frigus pestis plurimùm remittit: è contrà in Italiâ, ubi calor major, & hyeme, & æstate æqua datur pesti sæviendi potestas.

Frigus imminuit pestem: è contrà calor tandem propagat.

3. Loci terrestres qualescunq; magis obnoxii aëris corruptioni & indè natæ pestilentiæ censentur, in quibus aër plurimùm pulverulentus, & in hyeme maximè; item nebulæ graves sine pluviâ in æstate: Insuper ubi in die magnus calor, in nocte sævius frigus dominatur: quoniàm, ut inquit *Card. l. 2. de Ven. c. 10. Corpora humana non illam ferunt mutationem; & Urbes, quæ sunt obnoxiæ huic mutationi, sunt etiam obnoxiæ pestilentiæ.*

Qui loci pesti magis sint obnoxii.

4. Habet hoc omnis putredo excellens (qualis est in peste) à naturâ sibi insitum, ut effluendo cum fœtore ab infecto corpore in alterum mediante aëre eâdem virulentiâ contaminato sese exoneret; quod deindè conceptâ simili putredine vehiculo aëris contaminati in complura alia corpora conferere; atq; ità aër semel corruptus, undiquaq; propulsus communis, & popularis effectus per continuam propagationè virulentia sua epidemius evadere solet.

Aër corruptus alium quoque inficit.

5. Pestis ordinariè ab Oriente magis in Occasum prolabi solet, quàm è converso; eòquod Soli potissimùm obsequatur motu, & propagatione: Quod & *Cardanus* annotavit *de var. l. 15. cap. 78.* scribens: *Solet pestis ut reliqua quasi motu Cœli diurno ab Oriente in Occidentem procedere: Unde cum regiones proximæ peste laborant, periculum haud leve minantur, maximè cùm Orientales fuerint. Plin.* etiam *l. 7. nat. hist.* scribit: *Observatum esse suo tempore, à meridianis partibus ad Occasum Solis pestilentiam semper ire, nec unquam forte aliter, nisi hyeme, nec ut ternos excedat dies.*

Pestis magis ab Oriente in Occidentem serpit.

6. In locis frigidiori Cœlo gaudentibus tantùm abest, ut fœtura pestifera duret, ac persistat, ut potiùs quantociùs tùm siccitate aëris, tùm nativâ regionis proprietate destruatur. Hinc in Lappiâ aër tam est salubris, ut neq; pestis, aut febres malignæ, aut quicun-

Obstat pesti frigus & siccitas.

morbi epidemici grassari soleant. Sic & Moschoviæ Cœlum adeò salubre dicitur, ut ibi ultrà Tanais fontes, præsertim Septentrionem, ac etiam magnâ ex parte Orientem versùs nulla pestis unquam sæviêrit, ut refert *Guagn. in descriptione Moschoviæ*: & universim in partibus septentrionalibus rarior, aut nulla pestis observatur, quocircà & tempore luis venenosæ etiã boreales venti magis appetuntur: Australes verò tanquam contagionis fomentum quoddam abominationi sunt omnibus.

Caliditas summa cum siccitate pesti contraria.

7. Sicut caliditas cum humiditate pestiferam putredinem causat, & pestilens virus auget; ita è contrario excellens valdè caliditas cum excellente siccitate putredinem absumit, & destruit, pestemque minuere solet. Idcircò rectè *Cardanus de venenis lib. 3. cap. 20.* de aëre purificando & peste profligandâ scribit: *Certum est, quod aër siccus esse debet, purus & odoratus. Calidissimus autem est utilior, tum quòd prohibet omninò putredinem, tum quod dissolvit eam, quæ jam facta est subtracto fomite. Igitur calidior aër in extremo salutaris est: ignibus ergò & suffitibus est calefaciendus & siccandus.*

Aër inquinatus magis sursùm nititur.

8. Cum vapor virulentus, ac pestifer ex terræ inquinatæ conceptaculis exhalans, autè quovis putrido, ac infecto corpore prolabens ob levitatem, ac tenacitatem suam ex se, & naturâ suâ magis sursùm, quàm deorsùm feratur: hinc faciliùs inquinantur ea, quæ in altiori, quàm in loco inferiori constituta sunt.

Contagium à cadaveribus hominum peste extinctorum.

9. Effluvia pestifera ex cadaveribus peste extinctorum emissa censentur esse causa contagii tantò majoris, quantò putredo venenosa in exainmi facto ejusmodi corpore ampliùs dominata citiùs, & cum magis sævis symptomatis, corpus Invasum prostravisse noscitur. Quocircà mox indè tantò periculosiora fundantur contagia, quantò majori vigore & efficaciâ effluvia illa prædita sunt.

Bubones & maculæ quid significent.

10. In peste correptis, quò majores sunt bubones, & quò plures sunt maculæ, eò melioris spei de evasione signum præbent. Econtrà bubones minores, maculæ paucæ & pustulæ exiguæ periculosiores existimantur; imprimis quandò nigri, lividi, virides, & talis, qui piscium est, coloris apparent: albi & rubri, post hos bubones pallidi, optimi habentur: inter hos autem medii colores periculosi quidem, non autem tanti, quanti priores periculi judicantur. Quandò autem nigræ in faucibus apparent pustulæ, certissimum mortis signum docet *Rhenanus in antid. pestil.*

Pesti amica est immunditia.

11. Pestiferæ virulentiæ sicut magis amicæ sunt sordes & quævis immunditiæ in quibus stabulatur, & fœturam suam amplius excludit: ita econtrà puritas & munditia eidem maximè adversantur, nec facilè infectionem admittunt.

Audaces & læti non tam facilè inficiuntur ac timidi & tristes.

12. Audaces lætos ac hilares pestis veretur, ac minùs infestat; corripit verò & invadit maximè timidos, tristes ac melancholicos.

Signum pestis decrescentis.

13. Sicuti pestis prodromi solent esse plerumque morbi sporatici, ita dum iidem post exercitam sævitiam redire solent, deficientis pestilentiæ signum indicant.

Vespillones cur ultimò intereant.

14. Experientiâ notatum est Vespillones, infectorumque curatores tùm primùm ipsos mori, cùm pestis cessaverit. Causa videtur esse, quod cessante lucro accedat iis melancholia; & quia seminaria secum continuo habito cum ipsis infectis commercio circumferunt, sui tandem neglectâ curâ ex busto redivivâ peste corripiuntur, & tandem extinguuntur.

Contagium aliter in libero quàm clauso aëre persistit.

15. Observatum hactenùs semper fuit aliter contagium conservari in rebus liberiori aëri expositis, aliter in locis conclusis; ac aëri minimè perviis. Suspecti autem de peste ordinariè intra 40. dierum spatium, dum liberrimo aëre fruuntur, & vestes frequenter mutant, ad dietam probè institutam observant, incolumes ac salvos evadere, ità ut securè denuò cum iis conversatio institui queat.

Pestis ubi non sæviat.

16. In Calechuto Indiæ cùm civitate tùm regione nunquam pestem sævire ob aëris temperiem, ciborumque salubritatem, ac forsan & victûs moderationem tradit Cardanus *lib. 10. de subtil.* Locris, item & Crotone pestilentiam nunquam fuisse, nec ullo terræ motu laboratum annotavit *Plinius lib 2. cap. 96.* tradit & Egnatius *lib. 8. Exempl. cap. 4.* Venetiis eam partem urbis, quæ ad *D. Nicolai* Fanum est, pestilentiæ minus obnoxiam esse. In Lappia quoque pestem non grassari suprà notavimus. *cap. 4. §. 8.*

17. *Alpino* referente, in Ægypto multò sævior, & violentior fieri solet pestis, si ex Lybicis oris inferatur ab illarum orarum incolis, quàm si ex Græciâ aut Syriâ, Asiâve minore transportetur. Talis Anno 1580. ex Barbaria exorta in sola amplissima urbe *Cairo* confecit 500000. homines.

§. II.

Exempla mira ortûs, Contractionis, sivè infectionis, & propagationis diræ luis proferuntur.

Pestis à frigore immodico.

1. *Romano Lacapeno* imperante, ut meminit *Cedrenus*, gravissimum adeò sæviit frigus, ut terra per 126. dies continuâ glacie constricta fuerit. Id gelu subsecuta pestis tam horrenda, quæ tantùm sæviit, ut viri mortuis non sufficerent. Similiter Anno 1124. solito asperior extitit hyems, uti describunt *Vincent. lib. 26. cap. 54.* & *Sigeberti continuator*: quam subsecuta est lues, quæ non modò in homines, sed etiam cœtera animantia lamentabiliter sæviit.

Ob esum carnium taurorum.

2. Regnante *Tarquinio Superbo* ob esum carnium Taurorum pestifer annus maximè gravidas mulieres Romæ affecit: ad hanc pestem amoliendam, in Deorum inferorum placamenta ludos celebrârunt, quos Taurios nominârunt. *Alex. l. 6. c. 9. Polydorus l. 4. de invent. ex Val. Max. l. 2. c. 1.*

Ex apertione arculæ.

3. Apud Babyloniam in Apollinis templo auream miræ venustatis arculam quandoq; inventam scribit *Cœlius lib. 8. cap. 12.* quâ apertâ vis pestilentis aëris non modò eos, qui aderant, infecit, sed longè lateque grassata etiam Parthos afflavit. Refert

fert & *Cardanus lib. de ven.* tres milites quondam thesauri reperiendi desiderio in Babylonia arcam quandam aperuisse, ex quâ tanta de repentè multitudo vermium cum tam intollerabili fætore erupit, ut peste protinus invasi universum exercitum, hic verò totam Asiam infecerit.

Ab extractione linteaminum è muro.

4. Narrat *Agricola* in Germania linteamina pestifera lue extinctorum cuidam muro eo fine conclusa fuisse, ut suo tempore usus eorum esse posset, quæ tandem post multos annos extracta, vermibusque referta cum ingenti mephyti mox eruentes infecerunt hi verò deinde urbem & circumjacentem regionem peste truculentissimâ devastârunt.

à chorda vespillonum.

5. Narrat *Ingrassia lib. de peste* Mediolani pestem de repente exortam, quæ ortum habuit a chorda vespillonum, quæ ante 20. annos tempore sævientis contagionis in usum sepeliendorum adhibita fuerat, atque post pervetustam arcam quandam projecta, ab æditùo verò unà cum peste attracta, undè mox universa civitas infecta 50. millium strage tandem iterum propulsa.

Pestis in Ægypto.

6. Mirum quid de peste Ægyptiâ narrat *Prosper Alpinus.* Incipit ut plurimum (inquit) pestis in Ægypto sub principium Septembris Nilo jam intra alveum condito duratque usque ad Junium Sole Cancrum subeunte: & quamvis pestis sit sævissima, ità ut Anno 1580. quingenta hominum millia concidisse constet; mox tamen ut Sol Cancrum subiêrit, continuò pestis velut siderata omnem nocendi facultatem deponit; Rationem subitanei hujus abscessûs dant Ethesiis ventis septentrionalibus, qui tunc aërem mutare ac repurgare solent dum intermedii maris mediterranei exspirationes sive halitus quosdam acido quodam vapore ex vitriolo, Sale, ac Sulphure, quibus mare illud abundat, constantes eodem propellantur, unde tanta veneni vis conficitur & extinguitur.

Pestis à locustis orta.

7. Anno ab urbe conditâ 620. ut refert *Sab. lib. 9. Enn. 5.* tanta locustarum vis in Africâ repente enata est, ut fruges, herbas, arborumque folia earum immensa multitudo absumeret. Ea mox ventorum flatu marinis fluctibus immersa omnia littora projectarum acervi contexêre. Putrefacta inde congeries tetrum odorem exhalavit, secutaque statim corrupto Cœli tractu ingens pestilentia, quæ in Africâ vastitatem fecit incredibilem undecies centum millibus Numidarum, Afrorumque brevi tempore consumptis. At suprà eam barbarorum cladem, etiam Romanorum multa millia extincta eâdem peste traduntur, qui tum fortè præsidii causâ in Africâ fuêre. Similem pestem à locustis in mare per ventos projectis, indeque denuò ad littora acervatim propulsis, & putrefactis exortam ad sua tempora quoque memorat *D. Hieron. in Joëlem.* Atque rursus similem Anno 1091. ex *Zonara* memorat *Crantzius in metrop. l. 5. c. 24.*

Ab instrumentis Chirurgicis.

8. *Forestus* Author est, Chirurgum quendam instrumenta sua, quibus tempore pestis infectorum ulcera secabantur, seorsim ad multos annos seposuisse; quibus denuò ad usum resumptis, horrendum pestis excitavit incendium, quo quam plurimi extincti fuerunt.

9. Refert *Mercurialis* muscas dum infirmorum, tum extinctorum cadaverum succo saturatas, mox ubi in alias domus transmigrârunt, sordibusque suis comestibilia infecerunt hominibus iis vescentibus labem attulisse. à muscis.

10. Valentiæ in Hispaniâ Anno 1648. pestis de repentè exorta dicitur, quæ primò præter sutores, nullum invasit; tandem omnes illos, qui crepidis, ocreis, accalceis ab iis coëmptis usi sunt: atq; hoc pacto serpente contagio mox universum regnum invasit. Origo tandem comperta fuit ex navi, quæ Algerio, ubi pestis grassata, soleis coriaceis, suberibusque, unà cum effluviis contagionis onusta Valentiam recta deducta fuit. à soleis coriaceis & suberibus.

11. Anno 1438. Genuam pestilentia invasit pisis advecta. Nam cum miles quidam inde profectus clàm Genuam venisset, ac servam, cui assueverat, contagio infecisset, illa in muliercularum grege conversata, quarum pleræque lactantes sinu gestabant infantes, morbum protinus evulgavit. *Jacobus Bracellus lib. 4. belli Hispan.* à milite & serva.

12. Sub Imperatore *Carolo IV.* in superiori Asiâ ac ejus Regno Cathay ingentem copiam vermium & minutorum serpentum ex aëre decidisse, memorat *Joannes Villanius*, qui fætore suo totam illam terram infecerunt: unde deindè pestis enata, quæ primò Asiam pervagata, inde Ægyptum, Africam, Græciam, & Italiam pervasit; postea Galliam, Hispaniam, atque Angliam, ultimò tandem & Germaniam infestans ingentem ubique hominum stragem edidit. à vermibus & serpentibus, orta.

13. Tempore *Alberti* Imper. ad annum 1302. sæva pestis in Angliâ ex sulphureis emersit exhalationibus, quæ deindè Anno 1307. totum orbem infecit. à sulphureis exhalationibus.

14. Ferunt contagium pestilentiale, ut refert *Beyerlinck in Theat. vit. hum. verbo: Venefici.* A Vespillonibus mirum in modum disseminatum, ac propagatum, quod tumulandis cadaveribus deputati, aut excrementa, aut ejectiones eorum dispersferint; vel etiam decedentium halitum panno exceperint, quem mox coram aliis explicaverint, atque ea ratione alios infecerint. à vespillonibus propagata.

15. *Wierus lib. 2. de præstig. dæm. cap. 50.* refert, Patavii Anno 1555. chirurgum Hispanum & Vespillonem fœdus inter se inivisse iis legibus, ut vespillo contagium in urbe disseminando pestilentiam aleret: chirurgus nummatos & pecuniosos, vel pharmaco, vel ustionibus sub medendi prætextu tolleret. Judæi tandem observatione Vespillo, quod per vicum Hebræorum incedens pueris fili globum obiiceret, in vincula conjectus, malitiam & fœdus cum chirurgo confessus: factâ hâc confessione ambobus deindè cervices laqueo fractæ fueruut, & Pataviani peste liberati sunt.

16. Refert

à fele contracta. 16. Refert *Orengius in suo de peste libello*, de Moniali Mediolanensi, quod ea, licet in secretissimo cubiculo fumis & odoriferis rebus ad omnem aëris introëuntis virulentiam arcendam munito se custodivisset, atque omne hominum consortium refugisset, dumque semel tantùm cubiculum necessitatis causâ fuisset egressa, nec ostium reclusisset, rediens paulò post felem in lecto recubantem offenderit, quâ fugatâ, dum eidem lecto insidendo se commisisset, mox peste correpta sit, ac post triduum interierit.

à cane. 17. Novisse se scribit *Kircherus in lib. de peste*, Janitorem suæ societatis, qui solo calce cani infecto impacto pestis contagium acquisivit.

à crabrone. 18. In nuperâ peste Neapolitanâ, ut idem scribit *ibidem*, cum Nobilis quidam, nescio quid ad fenestram observaret; ecce crabro quidam advolans naso insedit, & promuscidis spiculo eidem infixo quendam tumorem effecit, quo sensim crescente, & intrà viscera serpente veneno intrà biduum contractâ peste extinctus est.

à tela aranearum. 19. *Forestus* notavit aranearum telam in domo quâdam ob homines in eâdem ex peste defunctos clausâ, post multum verò temporis apertâ primò ingredientem attactu suo infecisse, & extinxisse.

à corvo. 20. In civitate quâdam Italiæ, quam aliqui *Senensem* putant, à corvo obvolitante, ac tandem decidente ad locum, ubi pueri quidam lusserunt, pestis ingens exorta fuit. Corvus enim delapsus, cum à pueris iis magnâ lætitiâ exceptus fuisset, & cujusnam foret præda, iidem inter se contendissent; tandem quisque eorum extractâ pennâ fatali ad proprios lares regressus mox variis symptomatis agitari cæpit; inde & infirmorum curatores infecti, atque ampliùs & ampliùs contagio serpente universa penè civitas inevitabili depopulationis exterminiique periculo exposita fuit. Simile quid in Asiâ minori contigisse, apud *Zonaram* ac *Nicetam* legitur.

à literis. 21. *Helmontius* de quodam refert, qui literas in infectâ urbe exaratas, vix dùm aperuit, cum ecce veluti puncturas quasdam acicularum sensit, manifestum ferocientis veneni jamjam insinuati indicium: deinde totus tremere artubus; tandem aperto cum intromisso hoste bello confligens intrà paucos dies extinctus, testamenti loco conceptæ à se labis hæredem totam urbem cum ingenti mortalium strage reliquit.

22. Contigit in peste nuperâ Viennensi Anno 1679. quâ à Januario ad Novembrem inclusivè homines 79956. lugubri strage interierunt, ut vir prædives mendicio jam peste infecto stipem elargiens literas simul extraheret, quas in terram delapsas, cum Mendicus modestè elevans eidem porrexisset, unà & pestem porrexit, quâ etiam extinctus fuit.

à mercibus. 23. Ex mercibus aliundè transportatis Roma experta est pestem, ut refert *Kircherus*, quæ per Mercatorem quendam *Romam* adducta fuit, dum merces Neapoli advectas ibidem distraxit, atq; his unà omnes, qui eas coëmerant, infecit.

24. *Commodo* imperante *Romæ* tanta fuit pestis, ut uno die sæpè 2000. hominum absumerentur. Multi non solùm in urbe, sed etiam ferè sub omni Imperio Romano peribant, cum malefici homines res oblitas venenis in alios conjicerent. Ita *Dion*, *Nicæus*, & *Xiphil.* Per maleficos.

25. *Quinto Fabio* Ædili curulæ urbem peste infectam fuisse *Livius* narrat *Decad. 1. lib. 8.* quam Romanæ pharmaceutriæ matronæ non ignobiles in odium nonnullorum procerum procurâranr, ex quibus aliquæ in flagranti crimine deprehensæ, dum medicamenta, quæ coxerant, pestifera esse negâssent, coactæ potu eorum periculum facere mox extinctæ conciderunt, indeque comprehensis earum comitibus ex iis ad 170. damnatæ sunt.

26. Anno Christi 1320. pestis sævissima Franciam penè exhausit: quæ per Hebræos, qui regno cedere jubebantur, dicitur procurata ope leprosorum, ac mendicorum, qui fontium, puteorum, ac cisternarum aquas intoxicârunt. Per Hebræos.

27. Pestis horrendæ, quæ anno 1630. *Mediolanum* ad ultimam propè ruinam vexavit, originem, ajunt, fuisse à præparato per sceleratos homines maleficos veneno, quod templorum postibus, domuumque portis, scamnis, fenestris, imò & vestibus illitum tam exitiale extitit, ut vel ad minimam contrectationem homines in periculum inevitabile mortis deduceret. à veneno præparato

28. *Theophrastus* memorat suo quoq; tempore pestem crudelissimam veneficorum industriâ excitatam unguento ex putrefactis peste extinctorum hominum cadaveribus ossibus, medullis, bufonumque rabie prius concitatorum commixtione composito. Per unguentum certum.

29. Per ipsos etiam dæmones visibili formâ comparentes pestes sævissimas inductas testantur plures Historici. Sic tempore *Agathonis Pontif. Max.* prodigiosa pestis grassari cæpit. Angelus siquidem malus forma sensibili visus est domus venabulo impetere secutâ tot funerum elatione, quot ictus dedisset foribus; & tanta fuit veneni exitialis efficacia, ut vel ad oscitationem, aut sternutationem homines conciderent exanimes. Undè & ab eo tempore mos invaluit, sternutanti salutem imprecari, aut oscitanti crucem apprimere. Testatur & *Nicephorus*, dæmones in humanam formam transformatos in urbibus peste disseminatâ ingentes strages edidisse. Per dæmones.

30. Cum Ephesi pestis â dæmone sub piscatoris formâ cum magno exitio propagata fuisset, *Apollonius Thyanæus* cognito sub larvatâ personâ dæmoniaco machinamento illum lapidari jussit: quo facto mox pestis unà cum Authore sepulta fuit. Similiter *Pythagoram* ab urbibus *Turio*, & *Metaponto* pestê proffligasse *Jamblichus* narrat in vitâ *Pythagoræ*. Testatur & *Greg. Nyssen. in vita S. Gregorii Thaumaturgi*, *pestem in Græciâ* con-

ciâ contigiſſe Dæmonis opera immiſſam populo copioſiſſimè rheatricis ludis inhianti, atque hinc urbem brevi temporis ſpatio hominibus penè exhauſtis in ſolitudinem redactam.

§. III.

Variæ quædam peſtium differentiæ recenſentur.

Peſtis verberibus coërcita. 1. Refert *Cardanus*, ſub Imperatore Juſtiniano peſtem in Aſia invaluiſſe eâ proprietate imbutâ; ut quos corripuiſſet, ii nullum aliud antidotum expetere viderentur, quàm verberibus ad ſanguinem uſque inflictis rigore naturæ oppidò contrario cruciari continuò, torquerique.

Vi ſtupefactiva pollens. 2. *Proſper Alpinus* narrat in Ægypto ſubindè peſtem vigere, quæ ſtupefactivâ vi pollet, unde homines veluti ſiderati ſtupefiunt, tetanoque perculſi tandem repentinâ propagatione in alios traductâ conficiuntur.

Tertiam quamque domum infeſtans. 3. Obſervatum fuit à *Mercuriali* peſtem invaluiſſe tempore Juliani Apoſtatæ, quæ tertiam tantùm ordine domum invaderet intermediâ ab omni contagione liberâ: cujus tamen incolæ dum desertâ ſtatione peſtem vicinam fugiſſent puriorem aërem quæſituri, tunc tandem peſte occupatos, ubi minimè putabant, interiiſſe.

4. *Agathias* ſcribit de peſtilentiâ, quæ *Juſtiniani* temporibus graſſata eſt, multos unum tantùm diem laboràſſe, nonnullos nec febre præventos, nec dolore affectos, ſecretum dum facerent, ut domi, ita in publicis locis, ſicubi contingeret, procubuiſſe, & ſic omnem ætatem paſſim interiiſſe pubeſcentem, & floridam, & in his mares maximè.

Pedes, tibias & os infeſtans. 5. Meminit *Mercurialis* cujuſdam peſtis, quæ pedes tibiaſque, atque os potiſſimùm infeſtabat, atque hoc pacto intra triduum omnes correptos expediebat: cujusmodi & quondam Hieroſolymæ ſæviiſſe fertur.

6. Sub *Maximini* & *Diocletiani* imperio Anno 312. peſtis poſt diram famem exarſit graviſſima, quâ infecti ulcera habuerunt carbunculorum ſimilia, quæ toto corpore ægrotos in magna pericula conjecerunt: præcipuè verò oculos infeſtârunt, atque omnis generis ſexuſque homines extinxerunt. *Sigonius lib. 2. Imp. occid.*

Peſtis Athenienſis. 7. Peſtis Athenienſis, teſte *Thucidide* & *Lucretio*, in quibuſdam ſævas alvi profluvies, in nonnullis copioſum è naribus ſanguinem evocavit: Alii peripneumoniæ anguſtiis plerumque vexati, in aliis dyſſentericæ inteſtinorum exulcerationes ſubindè lientericis affectibus junctæ fuerunt; quæ omnia una atque eadem peſtis contagio in diverſis hominibus operata eſt.

Anglicus ſudor. 8. Naſcitur in Angliâ peſtis quædam, quem Anglicum ſudorem vocant, quo quicunque corripiuntur, inter exiguum temporis ſpatium ſudoris vehementiâ toto corpore colliqueſcente extinguuntur.

Riſu interimens. 9. Fuit quandoque peſtis, quæ homines ridendo mori compelleret, haud ſecùs quàm Apium riſus in homine efficit, aut cenchris virulenti ſerpentis morſus in eodem præſtat, dum ſerali riſu mori compellit.

10. Memoratur & ab Authoribus peſtis, quæ corpus cauſticâ quâdam facultate ad ipſa uſq; oſſa eroderet, exederetque.

Peſtis Neapolitana. 11. Anno 1617. peſtis repentinâ putrilagine in faucibus conceptâ *Neapoli* ad 60. millia infantium (quam ætatulam comprimis adorta) prærer innumeros alios cujusvis ætatis, & conditionis homines infra ſeptimum ab invaſione diem nil proficientibus antidotis extinxit.

12. Narrat *Raſis* ex *Galeni* authoritate, uti refert *Cardanus lib. 3. de venenis cap. 19.* contigiſſe, ut in quâdam peſte, in quâ omnes periére, ſoli ſervarentur Venatores ob aſſiduam exercitationem, quæ corpus exſiccat.

Infeſtans ſolos Helvetios. 13. Refert *Ingraſſia* Baſileæ peſtem invaluiſſe, quæ ſolos Helvetios infeſtaret. Meminit etiam hujus peſtis Cardanus de variet lib. 8. cap. 40.

Ethnicos. 14. Tempore Cæſaris *Maximini* peſtis in ſolos paganos, ſive Ethnicos, minimè in Chriſtianos ſuas explicuit vires.

Nobiles. 15. Memorant Hiſtorici Franciæ, peſtem quandoque in ſolos nobiles, ac divites ſæviiſſe relictis, & intactis pauperibus, & mediocris fortunæ hominibus.

Indigenas. 16. In Americâ Indigenæ certis quibuſdam morbis peſtiferis contagione plenis infeſtari ſolent, impunibus ab iiſdem Europæis.

Crucum figuræ in veſtibus infectorum. 17. Conſtantini Copronymi Imperatoris Anno ſexto, qui fuit poſt natum Chriſtum 746. peſtis inguinaria ex Calabria & Syria ortum trahens Conſtantinopolim invaſit, ubi per triennium eam ita depaſta fuit, ut pene in ſolitudinem redigeretur repletis cunctis monumentis, lacubus, hortis, & vineis, nec fere locus, ubi mortui amplius ſepelirentur, ſupereſſet. Obſervatæ autem fuerunt in veſtimentis eorum, qui lue hac inficiebantur, crucum figuræ impreſſæ, & ſic irrita omni medicæ artis induſtriâ, qui ſigno harum notabantur, vitam certiſſimè finiebant. *Ex Theophane & Theodoro.*

Crucum figuræ in veſtibus & in cute. 18. Anno rursùm 1502. magna ubiq; per totam Germaniam peſtis graſſabatur, quæ multa millia hominum abſumpſit, præſignificata, ut multorum fuit opinio per cruces, quæ in lineis veſtibus hominum ante biennium apparuerunt; quarum caſus in annum duravit tertium, non ſimul & ſemel in locis omnibus, ſed jam in iſto, nunc verò in alio. Videbantur enim nonnulli cruces habuiſſe in ſuis corporibus ad cutem, qui & plurimùm omnes eodem anno & ſequenti fuerunt à peſte conſumpti. *Tritbemius in Chron. Hirſaug.*

Infeſtans oculos & cum tuſſi tertiâ die interimens. 19. Ad annum Chr. 454. in Aſiâ minore peſtis invaluit à nimiâ ſiccitate, & enatâ inde ſterilitate originem trahens: Undè ob penuriam frugum, dum homines putrida quævis ad vi-

ad victum sumere coacti sunt, corpora ipsis primùm intumuerunt, mox oculis lue infectis, cœcitatem incurrerunt: tussi verò accedente tertiâ die interiêrunt.

Miris præviis signaculis indicata.

20. Anno 565. pestis formidabilis inguinaria totam penè Italiam vastavit, indè & Galliam, Germaniam, & alias Boreales Regiones infestavit. Antequam verò locum aliquem invaderet, solebant eam præcedere signacula quædam sparsa per domos, ostia, vasa, vestimenta, quæ tantò reddebantur illustriora, quantò quis majori conatu illa extergere conabatur. *Paulus Diaconus.*

Pestis faucium.

21. Sub *Benedicto* P. & *Michaele III.* post ingentem inundationem pestis exorta fuit, quæ defluxione guttur obstruxit: Undè & *pestis faucium* dicta fuit. Decantatur quoque à pluribus Scriptoribus pestis validissima, quæ quoscunque corripuit, sternutando interemit. Undè mos inolevit, qui etiamnum durat, ut sternutanti divinum apprecemur auxilium.

Robustissimos solùm infestans.

22. Anno 1460. pestis insolita planè in Germania invaluit, quæ robustissimos viros tantùm, paucas mulieres, pueros rarissimos è medio sustulit.

Mirabiles pestis Constantinopoli.

23. *Referunt Authores fide non indigni*, inquit *Cardanus lib. 2. de subtil. Constantinopoli pestem obortam, quæ hujus erat generis, ut qui laborarent, aut quibus morbus imminebat, viderentur ab alio homine cædi, perturbatique hoc errore moriebantur: interim nec videbant, nec audiebant, sed velut attoniti aut lymphati sensibus ac mente excutiebantur, febreque ac tussi cùm laborarent, calor tamen & color haud mutabatur. Tubercula variis in locis pro hominum naturâ apparebant. Tandem veterno alii, alii inediâ conficiebantur; quidam etiam ob sitim in puteos se præcipitabant.*

CHRONICON

Pestium memorabilium à nato Christo Salvatore, in diversis locis Geocosmi juxtà Authores adscriptos.

An. Christi

68. *Romæ* pestis nata ex aëre corrupto. *Cornelius Tacitus lib. 16.*

80. Sub *Cleto* P. *Tito Vespasiano Imp.* Urbem *Romam* pestis invasit, quâ singulis diebus 15000 cadavera elata fuerunt. *Eusebius.*

92. *Ephesi* pestis à Dæmone sub formâ piscatoris disseminata fuit, quem cùm *Apollonius* lapidari jussisset, pestis cessâsse dicitur. *Herostratus in vitâ Apollonii.*

162. Tempore *Anton. Pii* pestis grassata est, cujus ab Asiâ fluxêre contagia: dum milites ex apertâ urnâ quærentes aurum pestem rapuerunt.

170. Sub *Aniceto Pont.* & *M. Aurelio* & *Lucio Vero* pestis in Babyloniâ primùm exorta, indè *Romam* invadens mirè vexavit. *Eusebius.*

189. Sub *Eleuterio Pont.* & *Commodo Imp.* dira pestis totam Italiam pergrassata fuit, adeò ut 2000 hominum corpora quotidiè efferrentur. *Dion. Halicarnas.*

255. Sub *Cornelio Papa*, & *Gallo* ac *Volusiano Impp.* invaluit lues illa omnium Scriptorum libris decantata, quæ in Æthiopiâ primùm exorta vix intra decennium sævire desiit, & universum orbem pergrassata, teste *Orosio*, nullam Romanorum Provinciam, nullam civitatem, imò vix ullam domum immunem reliquit.

260. Post Solis lumen præter morem valdè obscuratum tàm rabida pestis *Romam* invasit, ut uno die ad 5000 extincta jacuerint. *Petrus Messia in vitâ Gallieni.*

263. Sub *Dionysio Papâ* & *Gallieno Imp.* Romanus orbis peste, fame, bello, terræ motibus aliisque cladibus dirissimè vexatus fuit. *Pollio* & *Trebellius*. *Alexandria* similiter peste dirissimâ afflicta fuit. *Eusebius, Dionys. Alexandrinus.*

312. Sub *Maximini* & *Diocletiani* Imperio post diram famem pestis invaluit cum multis ulceribus & oculorum infestatione. *Sigonius.*

454. Sub *Leone Papâ* & *Martiano Imp.* pestis sæviit à siccitate & sterilitate inducta: *Palæstinam* etiam pervagata magnam mortalium edidit stragem. *Evagrius.*

484. Sub *Felice P.* & *Zenone Imp.* post incredibilem famem enata pestis totam penè Africam vastavit. Hac & *Hunericus* Tyrannus interiit. *Greg. Turon.* Aliæ pestes subsecutæ sunt Annis 469 & 520 in diversis aliis locis.

544. Sub *Vigilio Papâ* & *Justiniano Imp.* ingens in Oriente Pestis sæviit per cacodæmones, ut creditur, immissa, ac totum penè orbem pervagata dicitur. *Procopius.* Eam 52 annis durâsse scribit *Evagrius.*

557. Oriens sæva pestilentiâ laboravit, ità ut *Constantinopoli* per plures dies corpora inhumata jacuerint, in littus etiam projecta intolerabili fœtore vicina loca infecerint.

565. Sub *Joanne III.* & *Justiniano Imp.* formidabilis illa pestis inguinaria invaluit in *Liguriâ* primùm exorta, indè & Italiam, Galliam & Germaniam, cœterasque Boreæ subjectas Regiones pervasit. *Paul. Diacon.* & *Greg. Turon.* recruduisse scribitur Anno 583 dicta pestis.

588. Sub *Pelagio II. Tiberio II.* ingens pestis *Romam* invasit sublato etiam *Pelagio.*

591. Sub *Gregorio M.* post ingentem Tyberis inundationem & congestum putrefactorum serpentum ad littora multitudinem dira pestis exorta. *Greg. Turon.* Attrivit & hæc pestis Hispaniam, Galliam & Germaniam.

611. Ob immodicas easque diuturnas pluvias maximum enatum est diluvium, à quo totam *Italiam* invasit. *Platina in vitâ Bonifacii IV.*

An.Christi

628. Tempore *Constantini* per tres menses Julium, Augustum & Septembrem pestis sæva *Ticinum* adeò depopulata est, ut profugis civibus & incolis à peste residuis herbæ & frutices in publicis enascerentur plateis. *Ivo in Chronico.*

680. Sub *Agathone Pont. Max.* & *Constantino Pogonato* ingens lues per tres continuos menses *Romam*, cœterasque Italiæ urbes afflixit, quæ etiam tot homines à qualibet domo sustulit, quot ictus malus Angelus jussu comitis boni Angeli ad ostium dedit *Paulus Diacon.* Recruduit pestis Anno 760. in toto mundo.

703. A Solis & Lunæ eclipsibus die 3 Maji valida pestis invasit *Italiam. Platinâ in vitâ Agathonis.*

746. Sub *Zacharia P.* & impio *Constantino Copronymo Imp.* post ingentem aëris caliginem & formidabilem terræmotum pestis *Bubonia* totam Palæstinam invasit, in Calabriâ & Siciliâ primùm exorta. *Constantinopolim* ingressa eam penè ad extremum excidium depopulata est, vixque locus sepeliendis mortuis superfuit *Theophanes & Theodorus stutita in Orat. de S. Platone.*

811. Dira pestis totum penè mundum pervasit.

829. In totâ Græcia, Thraciâ, Bulgaria pestis horribiliter deſæviit.

856. Sub *Benedicto III. Papa* & *Michaele III.* post ingentem Tyberis inundationem enata pestis, quæ fluxione guttur obstruens: indè & *faucium pestis* dicta fuit. *Anastasius, & Joannes Diacon.* Anno deindè 877 in totâ Asiâ: 892. 898. 910 Constantinopoli: 937. 940 in Germaniâ: 946 in Franciâ: 986 in Italiâ: 989 Venetiis aliæ pestes miserandas strages ediderunt. *Kircherus de peste.*

932. Lombardiam dira pestilentiæ invasit lues, ubi *Papienses* præter cœteros maximè afflicti sunt. *Sigonius lib. 6. Regni Ital.*

937. Sol sereno Cœlo obscuratus, & quasi sanguineus apparuit, adeò ut ipsi etiam radii solares eundem colorem fenestris infunderent. *Massæus* refert, visum esse sanguinem per aliquot dies è Sole quasi fluere: secuta est magna pestilentiæ sævities & subitaneus hominum interitus. *Sigebertus.*

988. Magna *Germaniam* fames oppressit, quam statim pestilentia ingens subsecuta infinita hominum millia consumpsit. In solo *Hirsaugiensi* Monasterio 60 Monachi consumpti referuntur duodecim relictis. *Trithemius in Chron. Hirsaugiensi.*

1006. Sub *Joanne XIX. Papa, Basilio* & *Constante Impp.* ex fame validâ Germaniam exhauriente pestis erupit, quæ adeò orbem terrarum concussit, ut sepelientium tædio vivi adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis. *Petrus Diaconus.* Incruduit denuò in Italia Anno 1022. *Constantinopolim* devastavit 1042. Germaniam 1054. Macedoniam 1057. Europam & Asiam 1084.

1091. Pestis à locustis enata fuit. *Crantzius in Zonarâ.*

1094. Annus hic valdè pluviosus fuit, ab Idibus Octobris enim in Aprilem usque pluviæ & imbres penè continui fuerunt. Subsecuta fuit pestilentia exitialis hominibus. *Jacob. Muyerus in Chron. Flandriæ.*

1105. Tempore *Lamberti* Episcopi Atrebatensis effusos nimiùm in libidinem homines pestilens aer afflavit: *Atrebates* primùm, mox indè vicinam latè Regionem castigavit, quæ flagranti velut igne eam corporis partem, quæ afficiebatur, adussit. *Historia S. Lamberti.*

1124. Hyems solito asperior extitit, ut pisces in multis vivariis sint suffocati: tanta enim spissitudo glaciei fuit, ut plaustra gravi pondere onusta ferrent. Secuta est lues non modò in homines, sed etiam animantia sæviens. *Sigeberti continuator.*

1125. Pestis maxima & fames Germaniam ità afflixêre, ut tertia pars hominum interiisse credatur, & vix qui cadavera sepelirent, superstites fuerint. *Beyerlinck in Theat. vitæ hum.*

1167. Sub *Alexandro III.* & *Friderico Barbarossa Imp.* in Exercitum ejusdem ingens pestis cœlitùs immissa deſæviit.

1201. Præviis terræmotibus Græciam, & in Syriâ exercitum *Balduini* confecit pestis. *Blondus & Nauclerus.*

1217. Sub *Honorio III.* & *Friderico II.* Exercitus *Damiatam* obsidens peste extinctus est.

1225. Dira pestis Franciam invasit, & multos confecit.

1232. Sævissima pestis à terræmotibus exorta ità deſæviit, ut è decem viris vix unum incolumem & salvum reliquerit. *Platina in vitâ Gregorii X.*

1247. Sub *Innnocentio IV.* & *Friderico II.* exercitus Gallorum in Cypro, & alius Christianorum in Ægypto peste extinctus fuit. *Italia* etiam & *Burgundia* lue vexatæ.

1269. Sub *Clemente IV.* maritima classis *S. Ludovici* Regis Franciæ in Africam tendens cum Rege correpta peste interiit. Deindè etiam *Sicilia* præviis terræmotibus parem pestis sævitiem experta est.

1285. Sub *Honorio IV.* & *Rudolpho I. Imp.* Italiam primò, deindè Flandriam pestis invasit.

1302. Sub *Clemente V. Pont. Alberto Imp.* in Angliâ sæva pestis ex sulphureis exhalationibus emersit, quæ deindè Anno 1307 totum Orbem infecit.

1313. Per totam Germaniam horrenda pestis crudeliter nimiùm deſæviens multa millia hominum brevi tempore consumpsit. Vix enim tertiam hominum partem superstitem clades illa miseranda reliquit, reliquos innumerabiles absumpsit.

Coloniæ

An. Christi.

Coloniæ plusquam	300000.
Treviris	12000.
Moguntiæ	16000.
Wormatiæ	6000.
Spiræ	9000.
Argentinæ	13000.
Basileæ	14000.
Herbipoli	4000.

in aliis oppidis, villis, & pagis tantam absumpsit hominum multitudinem, quæ literis commendata, posteris esset incredibilis. *Trithem. in Chron. Hirsaugiensi.*

1317. Sub *Joanne XXII.* & *Ludovico Bavaro* pestis universam Europam pertransiit. *Villanius.*

1320. Sub *Philippo Longo* Francorum Rege pestis ingens exorta, quam Judæi, quos ex Franciâ ejecerat *Philippus Pulcher*, à *Ludovico* verò *Hudino* filio recepti, venenis in puteos sparsis excitârunt. *Æmilius lib. 8.*

1333. Florentia & Hetruria penè exhausta fuit à peste, uti & Germania.

1348. Sub *Clemente VI.* & *Carolo IV. Imp.* dirissima omnium per totum terrarum orbem pestis sæviit, quæ vix tertiam hominum partem superstitem reliquit. Nata dicitur in Asia Superiore & Regno *Cathay* Anno 1346 ex teterrimo odore cujusdam ignei corporis, quod sive è cœlo lapsum, sive è terrâ erupit. *Joan. Villanius.* Hanc pestem *Trithemius in Chron. Hirsaug.* ad Annum 1349 notat, hisque illam describit verbis: *Lugubris & miseranda pestis per universum penè orbem desæviens infinita hominum millia prostravit. Nam in Asia apud Indos, ubi præcedente anno vapor horribilis decidit, incipiens passimq; per omnes Asiæ & Europæ Regiones irrepens trium annorum spatio usque ad Insulas Britanniæ in omnes gentes desæviit.* In solâ Florentina Urbe memorat *Joan. Villanius* extincta fuisse hominum 60000; *S. Antoninus* 100000.

1357. Sub *Innocentio VI.* & *Carolo IV. Hetruriam* & *Forum Julium* præviis terræmotibus & igneis impressionibus pestis invasit, quæ deindè latiùs pervagata Anno 1359 in Italiâ, & toto penè orbe ingentem hominum edidit stragem. *Blondus lib. 10.*

1361. Sub *Innocentio VI. Pont.* & *Carolo IV. Imp.* pestis horrenda desæviit, ex qua *Avenione* 9 Cardinales & 70 alios Prælatos cum innumerabili populo occubuisse tradit *Joann. Villanius.*

1369. Sub *Urbano V. Pontifice* & *Carolo IV.* pestis à locustis præviis orta, primùm *Mediolanum*, indè sequenti anno *Venetias, Genuam*, tandem *Italiam* totam pervagata est. *Blondus.*

1397. Sub *Bonifacio IX.* & *Wenceslao Imp.* pestis totam Italiam præviis terræmotibus infestavit.

1400. Sub eodem *Bonifacio* & *Wenceslao* universalis denuò mundum pestis pergrassata est, ac comprimis Romam tempore Jubilæi, quo ingentem hominum copiam confecit.

1418. Sub *Martino* Papa pestis dira in Italia exarsit. *Nauclerus.*

1438. Genuam pestis invasit. *Pisis* per militem advecta. *Jacobus Bracellus.*

1439. Sub *Eugenio IV. Pont.* & *Alberto II.* pestis *Basileam* invasit, quo tempore Concilium ibidem celebratum fuit.

1448. Sub *Nicolao V. Papa* & *Friderico* III. *Imp.* Italia novâ pestiferâ lue infecta est, quæ biennium duravit paucis è multis superstitibus, quam & terræmotus præcessit.

1449. Horrenda pestis totam penè Europam infestans innumerabilem hominum multitudinem consumpsit, de qua peste *Trithemius in Chron. Hirsaugiensi* hæc scribit: *Idem penè fuit punctum sentire, adesse & mori. Aliqui primo statim die moriebantur infecti; alii secundo die; tertium verò diem paucissimi supervixerunt infirmi. Media pars hominum Christianorum in Europa hanc pestem non evasit.*

1460. Sub *Pio II. Pont.* & *Friderico III. Imp.* insolita pestis in Germania exarsit, quæ maximè viros robustissimos, parcendo mulieribus & infantibus, absumpsit.

1489. Sub *Innocentio* VIII. & *Friderico* III. *Imp.* crudelissima pestis Angliam afflixit. *Nauclerus.*

1502. Magna ubique per omnem Germaniam pestis grassata multa hominum millia absumpsit, præsignata, ut multorum fuit opinio, per cruces, quæ in lineis vestibus hominum biennio ante apparuisse memorant Historici. *Trithemius in Chronico Hirsaug.*

1518. *Coloniæ* & *Viennæ* lues epidemica tot hominum millia rapuit, ut Academia utraque clausa fuerit. *Nemoperegrinus.*

1522. Sub *Hadriano VI.* & *Carolo V. Imp. Roma* atrocissimâ peste laboravit. Indè *Genuam* & alias Italiæ urbes invasit. *Mediolani* pestis tunc ultra 50000 hominum rapuit, ut habet *Nemoperegrinus.*

1541. Sub *Paulo* III. *Pont.* & *Carolo V. Constantinopoli* debacchata est pestis.

1556. Pestifera lues plura hominum millia abripuit.

1563. *Londini* in Anglia pestifera contagio adeò sæviit, ut una dies 18000 hominum rapuerit. *Nemoperegrinus.*

An. Christi

1567. Præter belli mala *Galliam* contagiò quoque & fames afflixit, ità ut *Lugduni* super 30000 hominum ex eâ mortui sint. *Nemoperegrinus.*

1570. Sub *Gregorio XIII. Pont.* & *Maximiliano Imp.* truculenta pestis totam invasit Italiam, ex Tridentinâ urbe primùm *Veronam* illata, hinc *Venetias* ad 10000 hominum ibidem sustulisse fertur, indè & reliquas urbes, ac comprimis *Mediolanum*, afflixit.

1580. Consueta aliàs pestis *Ægyptia* nunc vehementiùs sævire incepit, & ultrà 500000 hominum in solâ urbe *Cairo* confecisse scribitur. *Prosper Alpinus.*

1591. Sub *Gregorio XIV. Pont.* & *Rudolpho* II. ex fame *Romæ* pestis exorta ad 60000 hominum extinxit. *Spondanus. Neapoli* etiam desæviens senibus & alteri sexui innoxia, in solâ urbe 40000 Juvenes rapuit. *Nemoperegrinus.*

1593. *Londini* sæva per æstatem pestis hebdomadatim 2000 mortales sustulit. *Idem.*

1617. Pestis repentina *Neapolim* adorta, comprimis infantes invasit. Vide *suprà* §. *præced.*

1630. Sub *Urbano* VIII. & *Ferdinando* II. *Imp.* Italia & Francia ingenti peste laboravit, præsertim *Lugduni* & *Mediolani*, putatur veneficio procurata. Venetiis 60000, in Veneta ditione supra 500000; in Lombardia dimidiam; alibi tertiam hominum partem absumpsisse fertur.

1648. *Valentiæ* in Hispania mirabilis pestis exorta: de qua vide *supra* §. 2.

1656. Sub *Alexandro* VII. *Pont.* & *Ferdinando* III. *Imp.* pestis sævissima *Neapolim* infestavit, quâ ad trecenta millia hominum quinque mensium spatio extincta referuntur. *Romam* etiam irrepsit, & tandem etiam *Genuam* adorta ingentem hominum stragem edidit.

1666. Sub eodem *Alexandro* VII. *Pont.* & *Leopoldo Magno Imp.* dira pestis *Coloniam* invasit, indè *Moguntiam* atque aliàs urbes & pagos plures ad Tractum Rheni pergrassata fuit, ac ingentem ubivis hominum multitudinem extinxit.

1679. Sub *Innocentio* XI. & eodem *Leopoldo* pestis *Ungariam* infestavit, indè *Viennam* irrepsit, & ingentem ibidem stragem edidit. Extincti fuerunt à Januario ad Novembrem inclusivè in urbe Viennensi 49486: in suburbiis supra 30470, scilicet

In Januario	410.	In Julio -	7507.
Februario	359.	Augusto	4517.
Martio	3797.	Septembri	6774.
Aprili -	4963.	Octobri -	6475.
Majo -	5727.	Novembri	2400.
Junio -	6557.		

Ex Austria pestis hæc in Bohemiam & alias Germaniæ Regiones & Urbes progressa est.

1680. Pestis ex Bohemiâ & Austria in *Misniam* per Rhedarium delata multa hominum millia absumpsit. *Dresdæ* plurimùm sævit, ità ut ad eam coërcendam è Sartoris ædibus, quæ infectæ erant, panni & vestes jam paratæ multorum millium prætio æstimabiles extrà urbis portam elatæ, ibidemque combustæ fuerint. *Diarium Europæum. Erphordiam* quoque & alia Saxoniæ loca miserabiliter afflixit.



DISQUI-



DISQUISITIO II.
ANEMOSCOPICA.

Quâ abditæ & arcanæ Ventorum causæ, vires, & reconditæ proprietates investigantur.



Rdimur jam argumentum de Ventorum arcanis perscrutandis: Ubi nunc ex Aëoliis antris ventosos spiritus relaxatis habenis efflare permittimus, ut sagaci, quantùm possumus, indagine abditas eorum naturas, mirabiles vires, arcanas proprietates diligentiùs explorare, & accuratiùs perlustrare valeamus. Tantò autem majori cum ingenuæ acquirendæ scientiæ fame argumentum hoc pertractare aggredimur, quantò majus indè emolumentum captare possumus, dùm Ventorum quorumlibet abditas causas, miras affectiones, ac vires nosse, tam ad Philosophica, quàm Oeconomica, & Politica studia, ad usus, inquam, hominum quorumlibet, & lucra terrâ marique obtinenda confert maximè. Ab horum enim tenuissimorum spirituum flabris spirantibus omnis agrorum fertilitas, arborum, fruticum, herbarum, plantarumve quarumvis pendet fœcunditas, cùm seminales vires omnibus abundè affluant. Horum afflatu coguntur nubes & intumescunt, ac proindè in fœcundas pluvias resolvuntur, sine quibus Natura rerum omnium sterilesceret: & ne etiam nimiâ tellus humiditate affusâ suffocetur, aliis ficcioribus aspirationibus eandem denuò exficcant. Horum motu, & agitatione stagnantes commoventur lacus, & ne immundâ conceptâ putredine corrumpantur, concitantur maria. Horum ministerio itinera quaquaversùm in omnes mundi plagas peraguntur, ut proindè non desit ullibi, quòd Naturæ rerum conservandæ tantoperè necessarium est. Quid enim oro, admiratione digniùs? quid magìs elatis ciliis suspiciendum, quàm subtilissimorum spirituum beneficio tam exiguo tempore adeò immensa vastissimi Oceani, mariumque amplissimorum spatia peragrare? novos in terræ remotissimis partibus incolas detegere, cum iis commercia peragere? ingentibus peregrinarum mercium, ac divitiarum thesauris humanum genus beare? Et quod caput est omnium; Veram Christi legem ejusque Evangelicam lucem per Universi Mundi semitas ad maximam Conditoris gloriam undiquè propagandam, & ingens vero Deo animarum lucrum acquirendum transportare? Sed hisce ita breviter præmissis rem ipsam auspicemur.

CAPUT I.

De Ventorum materiâ, causis, varietate, multitudine, ac validis Eorundem viribus, & violentiâ.

Variæ sententiæ de Ventorum materiâ.



Venti nomen haud immeritò deduci videtur à verbo *Venio*, quod assiduè veniat, semperque velut priori flatui alter succedat. Ingens autem Ingeniorum tortura ipsa est Ventorum genesis, sivè origo, & causa, virium insuper & proprietatum expositio, ità ut facilè quidem sit de Ventis verba in ventos efflare, ipsam autem Eorundem proferre, stabilire, & persuadere veram essentiam, causam & originem, difficile. *Hippocrates lib. de flat.* Ventum aliud nihil esse dixit, quàm aërem agitatione commotum; Anaximander, aëris fluxum, cujus partes tenuissimas Sol absumpserit; *Democritus*, atomorum in aëre collectorum dissociationem; Seneca aërem fluentem impetu, & cursum aëris concitatiorem; *Aristoteles* verò calidam & siccam exhalationem lateraliter motam, & per terram discurrentem, atquè aerem ipsum impellentem. Ex Recentioribus etiam licet plerique aut sensibilem aëris motum, & fluxum, aut aëris majorem locum affectantis agitationem, aut vaporem agitatum, qui expansus è breviori spatio, in quo erat, in aliud facilè transeat, & similia plura edicant: quid tamen hunc motum, hunc fluxum, hanc dissocitationem, hanc agitationem, hanc concitationem, hanc dilatationem efficiat, quæ causa producat, hîc Rhodus, hîc saltus. Undè Ventorum consideratio multis una ex iis Naturæ arcanis videtur esse, quæ Deus latere nos voluit. Quocircà & *regius Psaltes Ps. 134.* canit, Deum ventos de thesauris, id est, occultis Naturæ causis producere: & ipsa divina veritas *Joan. 3.* ad Nicodemum dicit, nos audire vocem spiritûs, id est, venti spirantis, at nescire *undè veniat, aut quò vadat*; hoc est, stridorem & sonitum venti à nobis percipi, ignorare tamen determinatum locum, undè oriatur, aut ubi desinat.

Kircheri sententia.

In naturalium tamen rerum investigatione solertissimus *Kircherus* videtur reliquis ad abditas ventorum causas detegendas aliquo propiùs accedere, & probabilius quid afferre, dùm *in Mundo subterr. tom. I. l. 4. sect. 2. c. I.* ista tradit: Duplex, inquit, ventus considerari potest, propriè & impropriè sumptus. Prior fit ex halituosâ & spirituosâ fumosâque substantiâ; alter ex violento & extrinseco aëris motu; & multiplici de causâ nascitur: vel violentâ imbrium rupturâ, ut in tonitruis; vel ob imbrium casum præcedente aëris motu; vel in magnis incendijs; vel deniqùe nubium pressurâ: Est enim hujusmodi impropriè dictus ventus nil aliud, nisi concitati aëris motus, atquè adeò in genere ventus nil aliud, quàm illud, quod quovis modo aërem concitare & protrudere potest. Propriè verò dicti venti hanc affert definitionem. *Ventus*, inquit, *propriè dictus est halitus vaporosus, & flatulentus, ex terrâ marique tum Solis extra, tùm intus vi & virtute ignis subterranei extractus, qui calore rarefactus, vel frigore condensatus transversali, subindè etiam recto motu terram mariaque exagitat in naturæ bonum institutus.* Quam deinde definitionem uberiùs declarat & explicat, ut apud eundem videre licet.

Definitio venti propriè dicti.

Ubi vides quadruplex causarum genus hìc indicari; Causam scilicet efficientem, ignem partim internum & subterraneum, partim externum videlicet solarem: Materialem verò halitum vaporosum & flatulentum; Formalem deinde, transversalem halitûs motum; Finalem deniqùe, bonum naturæ. Quantùm verò ad Bonum naturæ conferant venti ex indè facilè licet colligere, quod imprimìs aër ventorum afflatu multùm commoveatur, atquè ità repurgetur, ac veluti recreetur, ne ex quiete nimiâ putrescat, vel inficiatur. Deindè nubes & pluviæ à ventis adduci & abduci solent: arborum prætereà & plantarum vegetatio per illos promovetur: æstus etiam nimii temperantur; Deniquè naves commodissimè per maris semitas quaquaversùm propelluntur; ipsæ etiam aquæ aliàs stagnantes, quæ putrescerent & corrumperentur, agitatæ purgantur & conservantur: imò ut rectè scribit *Seneca lib. 5. natur. quæst. 18.* Venti à summo rerum artifice dati sunt ad custodiendam Cœli terræque temperiem.

Ventorum varietas, & multitudo.

Ex differenti porrò ventosi halitûs constitutione, duratione temporis, variatione, reciprocatione, modo eruptionis & materiæ, aut miscellæ unà conclusæ, conjunctæ, aut translatæ, protrusione & proflatu maxima quoquè ventorum multitudo & diversitas nascitur. Quorum imprimis alii â plagæ constitutione dicuntur Boreales, vel Meridiani, sive Australes, vel item Occidui vel Ortivi, vel deniqùe intermedii (uti meliùs in apposito schemate videre licet) adeò ut quot in Horizontis limbo numerantur gradus, tot venti diversi constitui possint; & tales dicuntur respectu loci, seu plagæ, ex quâ evolvuntur. Alii deindè à duratione & continuatione sunt communes & perennes, qui omni tempore alicubi spirare solent, nisi ab aliis ventis, aut obstaculis aliundè impediantur, qualis est Orientalis Zonæ torridæ potissimùm dominans, ex ortu in occasum ruens & idcircò generalis dictus. Alii rursus sunt venti proprii & periodici, qui uti certo quodam anni tempore, ita & in certo loco, aut terræ tractu tantùm spirant, ut sunt Ethesii, qui Græciæ & Aegypto æstivo tantùm tempore dominantur, non ità autem reliquo tempore, aut aliis terræ partibus. Alii sunt Anniversarii, iique menstrui, vel diurni, vel horarii, qui

qui certis anni temporibus per certa temporum intervalla spirare solent, ut infrà proferentur. Alii quoque sunt Extemporanei ex vehementi potissimum aëris collisione nati; ut qui pluvias, imbres, & tonitrua præcedunt, comitantur, vel subsequuntur. Alii repentini, subitanei, impetuosi, ut sunt Typhones seu turbines, præsteres, Ecnephiæ, Enhydrii, & ejusmodi, qui nonnullis in locis contingunt. Alii à diverso spirandi modo nomen sortiti sunt, uti sunt Altani, Tropæi, & Apogæi dicti, de quibus etiam *Plinius lib. 2. Nat. hist. cap. 40.* Vocantur autem Altani, quod ab altioribus terræ partibus spirent, videlicet è montibus & sylvis: Tropæi sunt, quandò ex convallibus & locis humilibus, nimirum è mari in terram se committunt: Apogæi, quandò è terrâ orti per terram pergunt & superficiem terræ radunt. Aristoteles dicit illos ex humectâ perflare terrâ, præsertim autem matutino tempore spirare solent, & propter debilitatem non sublevantur, nec ascendunt, & hic ventus etiam non multum differt ab aura. Alii quoque venti Antelucani dici meruerunt, qui plerumque antè lucem flare solent, ac comprimis in Vere. Alii deniquè prodigiosi sunt venti, qui nonnullis in locis, tum ex montium cavernis, tum ex intimis terræ visceribus & voraginibus, tum etiam ex fundo maris lacuumque quorundam magno navigantium periculo, dum aquas vehementius concitant, erumpunt.

Undè mira ventorum quorundam violentia provenire queat.

Quomodò verò prodigiosi illi ventorum impetus, & furiosi planè turbines tantas sæpè vires habere queant, ut obvia quæque prosternere, susque deque vertere, violentissimo impetu turres deijcere, arbores extirpare, equites, homines & quævis animalia per aerem arripere, ac transferre & fortissima quæque confringere valeant; fieri id putat doctissimus *Kircherus* ex oneratione potissimùm abditorum Pyrophylaciorum per varias cryptas abditosque meatus: Quod fieri nequit nisi per vapores & exhalationes, quæ sale ammoniaco, nitro, sulphure, antimonio, similibusque contumacibus mineralibus fœtæ sunt; illæ mox unà cum volatilibus auri spiritibus, quibus pollent, per orificia meatuum in sublime elatæ, ubi frigidam aëris regionem attigerint, ibidem condensatæ; accedentibus porrò aliis semper auctæ tandem in planitiem protrusæ eam coöperiunt. Vaporum verò halituumque spirituosa & humida substantia, cùm hinc indè agitata facilè in ignem tunc exardescat; accidit, ut Spiritus carcerum impatientes prævijs fulgetris, fragoreque formidabili, nec non incredibili cum impetu, quidquid offenderint, prosternant. Quod verò deorsùm potius, quàm sursùm ferantur, causa sunt auri Spiritus unà cum nitrosâ, atquè salis ammoniaci, antimoniique substantia jis immista, quibus in naturâ rerum nil potentiùs, efficaciusque esse potest. Quæ experimentis deindè comprobare nititur prænominatus Author, ut apud eundem videre licet.

Vis elastica facit ad violentiam ventorum.

Verùm & vim aëris elasticam ad violentiam Ventorum multum conferre, facilè ab experimentis Boijlianis adiscere possumus. Si enim attentè consideremus, quantùm aër dilatari queat, ità ut demonstrante Clarissimo *Boylio* in millecuplum & amplius spatium in machina pneumaticâ dilatari possit, & insuper si tantus fiat impetus irruentis aëris in locum penè vacuum: Quid non fieri poterit in Atmosphæra æstuosissimis halitibus ab jis præsertim locis, qui maxima mineralium & vulcaniorum ignium fœturâ pleni sunt, submissis turgente, vel cum accedente Solis calore vel intrinseca effervescentium particularum à continuâ agitatione; & concitatione causatarum rarefactione sese ampliùs evolvere, distendere, & dilatare nituntur: ut idcircò in tanto efferatorum corpusculorum attritu, collisione & conflictu non nisi mira vis & impetus ingens evenire debeat. Plura alia meliùs in sequentibus observationibus patebunt, ad quas, ne longiores hic simus, properandum.



CAPUT

CAPUT II.

Regulæ & Obſervationes Anemoſcopicæ de Ventis, eorum cauſis, variis affectionibus, ac proprietatibus, univerſim & in genere.

Obſervationes circà cauſas ventorum.

1. ID omne, quod vehementiùs dilatat aërem, aut æquilibrium Atmoſphæræ deſtruit, ventum procreare poteſt.

2. Cùm præcipua Ventorum cauſa ſit vaporum ac halituum dilatatio, quâcunque ea de cauſâ contingat, ſive ex Solari ſivè ex ſubterraneo calore; vapores etiam ejusmodi cùm in majori copiâ ex mari erumpant; hinc procellæ ibidem & crebriores, & magis pertinaces eſſe ſolent.

3. Cùm magna ſit diverſitas ventorum naturâ, viribus & proprietatibus differentium, etiam diverſas cauſas habebunt. Undè fieri non poteſt, ut una, eamdemque ſit cauſa omnium productrix.

4. Aër nimiùm aut dilatatus, aut denſatus, aut compreſſus, magnos & ingentes motus excitat. Undè quò terreni; halitus de die magis attenuatur, & dilatantur, eò altius elevantur: de nocte autem, cùm ea ſit frigidior, magis denſantur, & potiſſimùm circà montes colliguntur, ibi verò collecti proprio deindè pondere deprimuntur & ità ventum producunt. Undè plerumque cùm de die languor aliquis, aut torpor inſolitus perſentitur, ventus, aut tempeſtas ſubſequi ſolet.

Circà locum, undè ſpirant.

5. Ventus, qui leviori conſtat halitu, ſublimior eſt, ne facilè delabitur: interim ſæpè tamen proprio pondere in terram cùm præceps ruit ſtatim reſilit, vel præ impetu, quem acquiſivit, vel quia exhalatio una aliam urget, & inſequitur.

6. Quià terrâ ſpirant venti, plurimùm à ſitu montium dependent: Unde in parte Orientali Inſulæ *Jamaicæ* vix à terrâ ventus percipitur, quòd montes hinc longius ſint remoti, & exhalationes in ipſo itinere diſſipentur.

7. Initia ventorum, & fines, ut benè notavit *Cardanus lib. 1. de variet. cap. 1.* neceſſariò ab aurâ, & leni vento ſunt: quià ventum aër præcedit, & ſubſequitur.

Circà tempus, quò ſpirant.

8. Experientiâ conſtat, quod matutino tempore per æſtatem ſemper mollior quidam, & ſuaviuſculus aſpiret Ventus: cujus cauſa videtur eſſe, quod Sol exoriens ſuo calore, & lumine aërem attenuet; ſic autem attenuatus, & ſurſùm latus ſecum rapit vicinum aërem, & per conſenſum ad eandem partem confluunt occiduæ aëris partes non attenuatæ, atquè ità matutina illa mollis, & ſuaviuſcula aſpiratio excitatur.

9. Circà oras maritimas Ventus maritimus ordinariè ferè de die flare ſolet, noctu verò terreſtris à terrâ. Cauſa eſt quod terra calorem pertinaciùs retineat, quàm aqua: Undè propter calorem illum ſuperſtitem terra etiam noctu vapores ventis procreandis aptos ſuppeditat; qui quidem venti ad mare diriguntur, quòd ibi nocturno frigore aër condenſetur.

Venti ubi magis ſæviant.

10. Ubicunquè ingentes montium catenæ reperiuntur, ibidem, ut docet *Kircherus Mund. ſubterr. lib. 4. ſect. 2. cap. 5. ex Solis acceſſu ingens vaporum moles vi ignis ſubterranei extruditur, qui externâ Solis in certo Zodiaci gradu anniverſario conſtituti, ejusquè virtute rarefacti ac dilatati ventos illos cauſant, qui in eam partem diffunduntur, quam montes, locusque evaporationis è diametro reſpiciunt. Hoc pacto ſi montes ſitum habuerint ad mare, aut regionem intermediam Borealem: indè ventos exſpirabunt Boreales. Si ſitum Aſtrinum, Auſtrales; Si Ortivum vel Occidum, tales quoquè ventos producent: Si varius, & diſſipatus ſit montium ſitus, ut in inſulis Philippinis; varios quoque ventos turbulentos, procelloſos, ſibi invicem contrarios, & in turbines agitatos efficiet.* Ità *Kircherus.*

11. Venti plerique ſpirare ſolent ſæviùs mane & veſperi: nam meridie cùm fervet dies, ob majorem Solis calorem remittunt, ſitquè Cœlum magis tranquillum. In mediâ autem nocte à majori frigore comprimuntur.

12. Venti, qui de die flare incipiunt, & ab Oriente Sole non comprimuntur, diuturniores & vehementiores eſſe ſolent, quàm qui de nocte. Undè, ſi ab aurorâ incipiat ventus, diutiùs ſpirare ſolet.

13. Conſtat experientiâ, quod Hyeme in noſtris regionibus potiſſimum flare ſoleant venti circà Ortum in aurorâ, & à parte orientali; Aeſtate verò circà Occaſum Solis, & ex parte Occidentali.

14. Non dantur in noſtris regionibus conſtantes, aut anniverſarii penè venti; Magna enim ex parte ſpirare potiſſimùm ſolent Occidentales, & eorum collaterales. Quod tamen verno tempore Boreales, & ortivi præcipui venti dominentur cauſa poteſt eſſe, quod Sol tum temporis ad ſeptentrionales plagas, nubibus, & nivibus opacas accedens magnam vaporum copiam ſurſum tollat, & calore diurno ſolari deindè in ventos diſflet.

Venti circà utrumque Aequinoctium crebriores.

15. Venti nec temporibus maximè frigidis, nec intenſè calidis vehementiùs flare ſolent; ſed temporibus potiſſimùm inter hæc mediis. Undè & circa Æquinoctium utrumque crebriores, & vehementiores ſunt venti; eo quòd halitus nec nimium cenſeuntur, ut in æſtate, nec plùs addenſentur, ut hyemis tempore, ſed mediocriter denſentur, & frigeant. Hinc etiam Auſtralis ventus magis de nocte, quam de die ſpirare ſolet, quod in iis regionibus vapores interdiù ſint rariores; nocte verò ingruentè medio-

te mediocri frigore condensentur. Deinde etiam fieri potest, ut circà utrumque Æquinoctium Sol mediam Zonæ torridæ viam incedens utrimque vapores magno impetu versus polos protrudat: hinc largiores etiam iis temporibus pluviæ esse solent, quæ & ventis novam materiam suppeditant.

Ventorum motus. 16. Eò ventus incumbit, quò liberior exitus invitat, & loci laxitas. Quò etiam ex altiori loco decidit, longiùs promovetur.

17. Undè & ventus maritimus ad ea potissimum tendit littora, ubi minùs à montibus impeditur. Semper etiam ventus ille ferè magis increscit, cùm Sol altius super Horizontem ascendit.

18. Motus venti cujusvis non interrumpitur, nisi densior occurat aër, vel montes, vel Insulæ, vel promontoria: Unde in medio mari motus Ventorum magis est æquabilis, non intercisus, aut undulationi similis, nisi ubi vel insulæ, vel promontoria obstant, & impediunt.

19. Notari vult Doctissimus *Dygbæus Institut. Peripat. lib. 3. lect. 10.* quod venti semper arcus maximorum circulorum sectentur; quia scilicet vi expulsi brevissimam lineam arripiunt, quæ in superficie sphæræ est arcus circuli maximi.

20. Quià sicut Atmosphæra est aut densior aut levior, aut novæ exhalationes in ipso itinere occurrunt, aut etiam contrarii venti ab oppositis, aut diversis plagis oriuntur: ità Ventus sæpè aut reflectitur, aut aliò diveritur, aut nonnunquàm ex duobus sibi mutuò contrariis compositus quidam efficitur.

21. Quoties in mari ventus diurnus in unam partem dirigit flatum; fluit mare ad oppositum: ut si in Orientem spirat, fluit mare versùs littora ad Occidentem. Ratio est, quod cum ventus continuo aquas propellat in plagam ex. gr. Orientalem; ubi illæ ascenderint suprà consuetam superficiem, necessariò defluere debent: cùm autem refluere nequeant in medio mari, eo quod à vento propellantur; secundùm littora, in quibus Ventorum impetus minor est, regrediuntur. Hoc satis experiuntur minores lembi.

22. Cùm in terræ partibus, ac locis terrestribus major sit inæqualitas, quàm in maris tractibus: idcircò Ventorum regularitas non nisi in iis maris partibus, quæ à terris valdè remotæ sunt, magis deprehendi potest. Quoniam in maris superficie tanta inæqualitas non est, quanta in locis terrestribus occurrit, & Venti, qui eò versus à littoribus provehuntur, rarò eosque pertingere possunt, ut eorum, qui ibidem flant, cursum perturbent.

23. Subitaneæ contrariorum Ventorum motiones censentur insaluberrimæ, cùm repentinas ac subitas in humanis corporibus mutationes efficiant. Hinc teste *Oleario in itinerario Region. Oriental. circà Gamrom* prope Ormutium in Persâ, cùm venti unius diei spatio per omnes Horizontis partes mutentur, etiam morbi indè exoriuntur subitanei, plurimique ibidem intereunt.

24. Non est ubique locorum eadem Ventorum natura, cùm venti cujusvis natura & effectus à duobus pendeat, ab ipsomet scil. spiritu, quo ventus consistit: & ex eo loco, per quem transit. Ut itaquè certi aliquid de ventorum naturâ constitui possit, tùm vel maximè unius regionis natura & constitutio observanda est, v. g. Halitus ex quo loco spiret, & per quod medium transeat. Hæc enim duo maximè Ventorum naturam constituunt, variantque. Ventorum natura.

25. Venti tamen omnes naturâ censentur frigidi ob motum; quo autem validiores, eò magis refrigerant, & exsiccant, ac tandem serenitatem pariunt: imbecilles verò rarefaciunt, humectant, pluviasquè gignere solent.

26. Maritimi venti plerique censentur esse insalubres, utpotè, qui calorem, & humorem, principia corruptionis simul ferant. In calidissimis tamen regionibus & summâ æstate nonnunquàm salubres sunt, quià refrigerant & ex eo, quod altiùs à Sole eleventur, sunt penetrabiles sine noxâ.

27. Medicorum judicio omnis ventus, qui ex aëris commotione non fit, sed ex halitibus solùm & vaporibus non tantum nocivus, sed & exitialis esse potest.

28. Ventorum multitudo noxia censetur esse fructibus, paucitas segetibus, totius anni tranquillitas suspecta est medicis ob Pestem, aliosque morbos à putredine exitiali ortum trahentes.


29. Generaliter etiam ventus exspectandus non est ex locis arentibus & siticulosis.

Uu CAPUT

CAPUT III.

Regulæ, & Obſervationes de Ventis in ſpecie.

Ventorum varietas à diverſis Horizontis punctis.

1. Tſi Venti ex omni parte Horizontis proſlare poſſint, Notari tamen ſolent imprimis quatuor Puncta Cardinalia, undè flatus derivantur, & alia quatuor inter hæc media, quibus & minus principalia, & collateralia puncta interiacent: Undè cùm Venti ex his punctis, ſeu partibus Horizontis ſpirationum ſuarum originem obtinent diverſa etiam nomina apud diverſas nationes habere ſolent, ut in ſchemate meliùs videre licet.

Quatuor venti Cardinales.

2. Cardinales igitur venti ſunt quatuor, quorum nomina latina *Subſolanus, Auſter Favonius & Septentrio*, quia à quatuor mundi cardinibus: & angulis ſpirare ſolent, ideſt, ab ortu, meridie, occaſu, & media nocte: non ſunt tamen ejuſdem ubivis locorum naturæ, ſed pro variatione Horizontis, & locorum, per quæ ſpirant, ratione aliter, atquè aliter affici ſolent. Idem eſt judicium de ventis collateralibus, & minus principalibus. Undè quamviſunus & idem halitus aliis Borealis, Auſtralis aliis, Ortivus, Occiduuſque fit, proprietatibus tamen, & qualitatibus differentibus imbuitur ratione locorum, per quæ tranſit.

3. Cùm principales, ſeu Cardinales Venti non præciſè indiviſibili ſpatio procurſus, affectiones, & proprietates ſuarum exſpirationum contineant, ſed & collaterales, ac minus principales cùm iiſdem communicent: idcircò hi tantò erunt in ſimilibus viribus efficaciores, quantò propiùs ad eoſdem Cardinales accedunt.

Subſolani natura, & proprietates.

4. In Europæis noſtris regionibus *Subſolanus* Ventus, nempè à naſcente Sole, ſivè Ortu ſpirans communiter ſolet eſſe calidus, & ſiccus cum inſigni tamen temperie; à *Ptolomæo* etiam ſanguineus, ab aliis verò igneus, & cholericus dictus; ſoletque eſſe ſuaviſſimus, puriſſimus, tenuiſſimus, ſaluberrimus, ac potiſſimum manè ſpirans; contagionibus prætereà inimicus, aërem purificans, corporibus ſanitatem & hilaritatem afflans. Hyeme tamen ſolet eſſe frigidus, & gelu ac frigus augere. Acquirit etiam vires exoriente Sole, noctu verò plerumquè ſilet. Quandò verò cum ſereno Cœlo flare incipit, de die uſquè ad noctem plerumque perſeverat. Sin autem eo flante pluat, priusvix ceſſabit, quam Sol occumbat.

Auſtri natura.

5. *Auſter* ab Auſtrali plagâ ſpirans hic plerumque calidus eſt & humidus, morbidus item, æſtuoſus, fulmineus, noxius & peſtilens; generans pluvias, & nubes, uti & pro temporis ratione tonitrua. Si tamen diutius ſpiret, tunc & ſerenitatem, & ſuffocantem calorem, provocare poteſt. Solet & plurimum febres putridas, ac peſtilentes, morboſque varios excitare.

Favonii natura.

6. *Favonius* ab occaſu Solis Æquinoctialis ſpirans, vel à favendo, quod cunctis faveat, vel à fovendo, quod cuncta foveat, dictus, ventus nobis hic eſt humidus; aqueus, phlegmaticus, & vernus, menſique Aprili ſummoperè familiaris, quadam temperie caloris, & humoris glaciem reſolvit, & nives. Eſt inſuper pluvioſus, tonitrua excitans, & ſæpè rapidus, ac pro temporis conſtitutione nivoſus, vaſta quoque agitat æquora, parit varias corporum mutationes, & humorum perturbationes, ſoletque alias tenui frigore ſaluber eſſe, ac ambiguus. Spirat verò potiſſimùm cùm ad nos aves in verè denuò remeant, quæ hyeme latitabant, tùm iterum cùm à nobis in Autumno recedunt.

Venti Septentrionalis natura.

7. Septentrionalis ſolet nobis eſſe frigidus & ſiccus, ſerenitates affert ſine pluviâ: in Hyeme tamèn quandoque eſt nivoſus, omnis autem ſemper corruptionis vindex, omniumque Ventorum ſaluberrimus, licet vitibus germinantibus, & aliis plantis tenellis ac floribus perſæpè exiſtat pernicioſus, mortalibus tamen maximè favet.

Ventorum vires.

8. Uti proindè Venti à variis mundi partibus derivantur, ità viribus maximè diſcrepant: qui enim ab Ortu flant, cœteris paribus fortiores ſunt, quàm qui ab Occaſu emittuntur: tùm quià totius aëreæ maſſæ curſum ſequuntur, tum etiam, quià aër, qui dilatatur, flatque verſus occaſum, ad locum tendit, in quo octodecim horarum intervallo meridies non fuit. Quarè aër ob diuturniorem Solis abſentiam plurimùm temporis ad ſe refrigerandum habuit, multoque plus condenſatus eſt, quàm is, adquem Occidentales Venti pergunt; quoniam illic non niſi ſex interſunt horæ, à quibus meridies fuit, atque ob Solis præſentiam calor maximus vigebat, maximaque fiebat vaporum rarefactio.

9. Ventus Borealis omnium maximè validus, & impetuoſus eſt, quoniam æſtu maximo, meridiano ſcilicet excitatur, & materia omnium facillimè in vapores diſſolubili, nubibus nimirùm conſtat. Ità *Antonius le Grand in inſtit. Philoſ.* Econtrà Auſtralis leniſſimus eſſe ſolet, tum quia aëris nocturni craſſities illius curſum remoratur; tum quia materia, qua conſtat, utpote à terrâ tantum, vel aquâ profluens non tàm promptè, nec tanta copia dilatatur, quàm materia borealis, quæ à nubibus effunditur.

Ventorum gravitas & denſitas.

10. Ventus etiam Borealis cum ſit gravior & denſior, magis quaſi rectâ deorſum propellitur, ac ſævior eſt Auſtro, cùm acriori frigore denſetur. *Auſter* verò niſi imbribus ſit gravis, levior eſt *Aquilone*, & magis in obliquum fertur. Unde etiam flante *Borea*, & ſudo Cœlo non ità repelli poteſt fumus, ſicuti Cœlo pluvio, vel quod *Boreas*, non ex obliquo, ut *Auſter*, ſed in directum magis perflet, vel quod gravior ſit aëris moles, cùm ſpirat Aquilo.

11. Venti quoque Boreales tantò debiliores


VENTI OCCIDENTALES
Constantes penè sunt ad littora Terræ Magellanicæ, ad Fretum Le Maire, in itinere
medio inter Iaponiam et Sinensem Civitatem Liampo. Ad Bandam Insulam à Martio
ad finem Aprilis. à Manela et China versus Portum Americanæ Hispaniæ Aqua-
pulco mensib. Iulio et Aug. Madriti in Hispania per magnam Æstat. part.
TRALES
us ad Occid. In littoribus Peru et ex parte Regni Chili.
Bengala ad diem 20. April. Ad Premont. Viride Africæ
Carpathum Regionib. à 10 Iulii ad finem Augusti.
et in Regno Congi Africæ à Septemb. usque ad Martium.
VENTI SEP
Constantes penè sunt in Malabarico Ind
flant à Martio usque ad Septembr.
Iunio, Iulio et Augusto. In eà parte, quæ int
Mens: Octobri, Novembri et Decembri,
PONENTE.
Ponente Libeccio.
Ponente Maestro.
Libeccio.
Maestro.
Ostro Libeccio.
Maestro Tramontane.
Mesaphricus.
Aphricus.
Hypaphricus.
FAVONIUS.
Mesocorus.
Corus.
Hypocorus.
Borrolibycus.
Hypocircius.
Circius.
Mesocircius.
Notolibicus.
Hypolibonotus.
Libonotus.
Mesolibonotus.
SUD West.
Sud West zu Sud.
Sud West zu West.
West Sud West.
West zu Sud.
WEST.
West zu Nord.
West Nord West.
Nord West zu West.
NORD West.
Nord West zu Nord.
Nord Nord West.
Nord zu West.
Sud Sud West.
Sud zu West.
Occasus
10 20 30 40 50 60 70 80 90 80 70 60 50 40 30 20 10


NTRIONALES
districtu. In Guzurate Indiæ cisgatanæ
a littora Asiæ et Indiæ cisgatanæ mensib.
fricam et Americam et in zona torrida posita est
lo Arctico perpetuò flant Septentrionales.
VENTI ORIENTALES
Constantes et Generales sunt in districtu Maris pacifici et Æthiopici, qui Zonæ Torridæ subjiciti.
In Oceano Africam inter et Indiam usque ad Moluccas à Januario usque ad initium Anni. In Insula Mada-
gascar Mens. Ianuar. et Febr. In Anglia, Russia et Moscovia ab initio Aprilis per dies 40.
Græco Tramontane
Hypaquilo.
Aquilo.
Mesaquilo.
Græco.
Borrhapeliotes.
Hypocæcias.
Græco Levante.
Cæcias.
Mesocæcias.
Levante.
Subsolanus.
Ost.
Hyp. Eurus.
Eurus.
Sirocco Levante.
Volturnus.
Notapeliotes.
Hypophænix.
Sirocco.
Phœnicias.
Meso-phœnix
Ostro Sirocco.
Nord zu Ost.
Nord Nord Ost.
Nord Ost zu Nord.
Nord Ost.
Nord Ost zu Ost.
Ost Nord Ost.
Ost zu Nord.
Ost zu Sud.
Ost Sud Ost.
Sud Ost zu Ost.
Sud Ost.
Sud Ost zu Sud.
Sud Sud Ost.
Sud zu Ost.
Ortus.
10
20
30
40
50
60
70
80
90
80
70
60
50
40
30
20
10
VENTI A
Perpetui sub polo Antarctico. Constantes pene cum lat
Mens. Iulio. In Polonia, Moscovia, Russia et alijs

liores fiunt, quantò ampliùs hinc ad Aequatorem procurrunt. Econtrà ab Aequatore quantò ampliùs versus Antarcticum polum prosspirant, efficiuntur severiores, & frigidiores præsertim in regno *Chili & Peru.*

12. Ubi venti frigidi, velut Aquilonares plurimùm flare solent, ibi fieri solet magna temporum vicissitudo: ubi verò medii & temperati, non ità; sive idem ventus repetatur sæpius, sive contrarii, sed in calore & frigore parùm dissimiles.

Surdis confert Boreas, 13. Qui auditûs gravitate laborant, aut subsurdescunt, boreali vento perspirante, & aëris serenitatem afferente faciliùs audire incipiunt, qui alioquin cùm densus & pluvius est aër, Austérque spirat, omni propemodùm audiendi facultate privantur.

14. *Eurus*, aut *Subsolanus* solus flans ad se trahere solet nubes, & à principio quidem siccus est, finiens tamen plerumque est aquosus.

15. *Euro, & Africo* flante compertum est maximè homines somniare, potissimùm verò hos, quibus humiditas in corpore exundat.

16. Similiter compertum est, quod sicut objecta auditûs occidentalibus, ità visûs Orientalibus ventis distinctiùs, & acutiùs præsententur. Hinc Euro vel subsolano flante objecta visibilia comparent majora, Africo spirante minora.

Venti Generales, & constantes. 17. Venti Generales Ordinarii, & constantes (qualis solet esse, qui magno Teraquæ districtu per totum ferè annum spirat) sphæræ rectæ proprii sunt, ac maximè subzonâ torridâ dominantur: ij verò ab Oriente spirant, suntque subsolano, sive ortivo vento collaterales, aut subsolanus, & ortivus ipse. *Mirabile autem naturæ concilium est*, scribit *Kircherus in mund subterr. lib. 4. sect. 2. cap. 2. quo mare pacificum sub Zonâ torridâ uno & eodem semper ventorum flatu ex ortu in occasum concitari voluit usquè ad Insulas Archipelagi, ubi Oceani huc usque continuatur ventus, tùm ad obvias insulas ingentibus montibus refertas, tum ad continentis Chinæ vastissimas regiones illisus, halitibusque novis ibidem excitatis ex occasu in ortum retroactus ad Americæ septentrionalis littora veluti in circulum magno ultrò citróque commeantium commodo agitatur.*

18. Ventus Generalis Zonæ torridæ dominans non in omnibus eidem Zonæ subjectis regionibus semper uno, & eodem tempore, & loco viget, sed sub ijs potissimùm signorum, quæ Sol percurrit, parallelis. Undè naves, quo propiùs Solis semitis accommodantur, eò faciliori, breviorique navigatione terminum suum consequuntur. Si utrinque à semitâ Solis plus æquo recesserint, ob novas ventorum, quos experiuntur, leges *Euro-Zephyro* vento contrarias, etiam magis retardantur, & impediuntur.

19. Ventus etiam hic Generalis sub uno & eodem parallelo indivisibili spatio non fertur; sed habet suam latitudinem in nonnullis locis majorem, in aliis minorem Sub Tropicis ad 7 gradum, tam ad Austrum, quàm ad Boream excurrere compertum est.

20. In loco suppolari Arctico nullus ventus Septentrionalis, aut quiscunquè alius præter Australem dari potest: à quâcunque enim plagâ in eam Regionem spiret ventus, semper ex partibus Australibus ad septentrionem feretur. Contrarium accidit sub polo Antarctico; nam omnes ibidem venti sunt Septentrionales. Venti quales sub Polis.

21. Venti anniversarii, quales esse solent *Etesiæ*, Græciæ proprij, in duplici sunt differentiâ, Aestivi, scilicet & Hyberni. Illi octo circiter diebus ante Caniculæ exortum, sive post Solstitium æstivum spirare solent ad 40 circiter dies, ita tamen ut quotidiè ab horâ diei tertiâ exurgant, & noctu denuò conquiescant. Hyberni verò sunt æstivis contrarii; contrarióque exoriuntur tempore, hoc est, post brumam 70 diebus proflantes, sed exiliores. Venti Anniversarii, velut Etesiæ.

22. *Etesiarum* originem communiter adscribunt colliquatis nivibus in remotis Borealibus regionibus; cum autem noctu cessent, probabilius videtur propiores eorum fontes esse montes in Macedoniæ, & Thraciæ regionibus perpetuis ferè nivibus opertos. Sicut, quòd *Madriti* in Hispaniâ magnâ æstatis parte flent venti Boreales, causa Pyrenæis jugis continuis nivibus obtectis adscribitur. Etesiarum causa.

23. *Ornithius* & *Chelidonius* ventus, qui ab Hirundinum adventu denominantur, oriuntur à diversis locis, sub diversis terræ tractibus verno quidem tempore, sub vespertinum Arcturi exortum. Fertur autem *Chelidonius* circa terræ latera humilis, omniùmque suavissimus, & commodissimus, ut plurimum verò in *Favonium* abit. Ornithius & Chelidonius.

24. Sunt & alii venti periodici, qui certis Anni temporibus, præsertim in *Africæ* & *Indiæ* Orientalis littoribus, & certis mensibus constanter spirare solent: *Motiones* nunc communiter appellant. Plerumque autem 5 mensibus ab unâ terræ plagâ, & totidem ab oppositâ flare solent: dubio autem mensibus circà Martium, & Septembrem aut cessant, aut aliis ventis cedunt. Venti periodici, qui Motiones dicuntur.

25. Subitanei & vehementes, qui penes materiæ, aut agitationis differentias varia sortiuntur nomina, & communiter Procellæ dicuntur: Sunt Venti maximè omnium periculosi: quò autem sæviùs furere solent, eò & rariores sunt; In uno tamen loco magis, quàm in alio. Venti vehementes & impetuosi.

26. *Ecnephias* Ventus est sic dictus, quod ex nubibus erumpat, magno quidem impetu fulminis instar, sinè flammâ tamen, & sinè gyro rectâ deorsum ruit; à præcelsis plerumque in terrâ montibus crebriùs gignitur, pluviarum quoquè temporibus, cùm Sol verticibus imminet, frequentiùs impetus suos egerere solet. Ecnephias

27. *Exhydrius* Ventus à rupturâ nubium dictus, Germanicè Wolckenbruch/ dupliciter, ut benè innuit *Kircherus*, exoriri solet: Vel enim ex resolutâ in humorem nubium mole, quæ in terram non guttatim decidit, sed totali effusione omnia inundatione suâ infestat: vel etiam ex imo aquarum profundo nascitur, cùm ex mari quietissimo tempore, & malaciâ quasi scopis purgato exurgit quidam vapor, qui instar tubæ, Exhydrius Ventus.

bæ, aut manicæ in summam altitudinem paulatim elevatur; deindè verò adeò dilatatur, ut totum, & Cœlum, & mare densâ caligine coöperiat: mox autem horridissimi, ac incredibilis violentiæ venti consequuntur, quibus Oceanus tantâ rabie incandescit, ut nemo facilè formidabilem illam fluctuum vehementiam concipere queat, nec ulla facilè navis, si quandò ea in *Exhydrium* hujusmodi ventū incidat, evadere possit.

28. *Exhydrii* Venti in nostris regionibus solent plerumque accidere, dùm aër comprimis est valdè tranquillus, rarus & calidus ex nubibus atris valdè gravibus, ac terræ admodùm propinquis; atquè etiam iis potissimum in locis, ubi inter montium utrinque constitutorum catenas, sive clausuras ventus aliquis inferiùs arrepere, & easdem nubes facilè sustinere, alióque transferre nequit. In apricis autem campestribus, & in planitiem excurrentibus locis vix ejusmodi procellæ contingere solent.

Typhon sive Turbo. 29. *Typhon* seu *Turbo*, quem Saraceni *Olifant*; Angli *Spontes*; Indi *Orcan*, vel *Orancan* & *Hurracan*; Germani Wind-Wirbel/Sturm-Wind/Kiesel-Sturm vocant, ventus est omninò furiosissimus, & nautis in mari periculosissimus; Estque aliud nihil nisi *Ecnephias* vertiginosus, & gyrans omnia, ac impetu violentissimo decutiens.

30. Solent *Typhones*, ut Author est *D. Bobun* Anglus, in noviluniis noctu incipere, in pleniluniis de die, atquè frequentiores esse inter Æquatorem & Tropicum Cancri; rariores verò ab Æquatore ad Tropicum Capricorni.

31. Oriuntur etiam *Turbines* plurimùm iis in maribus, ubi vasta flumina sese exonerant, vel ubi impetuosus Oceani fluxus in vastas continentium terrarum plagas illisus in circulum abire cogitur: vel ubi duo Oceani oppositi per fretorum fauces irruunt.

32. *Præster*, qui est *Typhon* inflammatus, proxima quæque non tantùm prosternit, sed etiam incendit, & ejus incendio nonnunquam mare effervescit. Differt tamen à fulmine, quod hoc plus flammæ, & minus flatuum habeat; Illud autem è contrario plus flatuum, ac minus flammæ: deindè quod materia fulminis subtilior sit. Præster.

CAPUT IV.

Observationes terrestres, ac maritimæ circa Ventos diversis locis, & temporibus in Geocosmo dominantes.

Venti Generales. 1. Enti ordinarii constantes, & Generales spirare imprimis solent in Zonâ torridâ, iique Orientales, præcipuè in districtu illo maris *Pacifici* & *Æthiopici*, qui Zonæ huic subjacet. Hinc in mari *Pacifico* à novâ Hispaniâ itinere 60. dierum ad *Philippinas*, & à *promontorio Bonæ spei* ad Brasiliam constanti vento aut *Euro*, aut *Euro-Boreâ* navigatur; à *Philippinis* in Africam idem ventus regnat, sed non eâdem constantiâ; nam propter quasdam insulas interpellatur.

Venti in regnis Peru, & Chili. 2. In littoribus *Peru*, sicut & parte regni *Chili* & proximo illis mari constanter spirare solet ventus Australis cum lateralibus versus Occidentem. Incipit autem hic ventus à 46. grad. latit. Austral. atquè ultrà *Panama* perflat urbem Isthmo Americano adjacentem: Undè ex *Chile* in novam Hispaniam facilis est transitus, difficilis autem ex *Panamâ* in Austrum: Hinc etiam naves auro & argento onustæ paucis diebus à *Limâ Panamam* perveniunt; Sed abeuntibus alia ineunda est via. Mirum autem, quod in mari procul à littoribus hi venti non percipiantur.

In littore Del Fuego, & Le Maire. 3. Constantes etiam venti solent esse ad littora Terræ Magellanicæ, sivè *Del Fuego* ad fretum *Le Maire*, ubi si non continuò, tamen maximâ ex parte dominari solent venti Occidentales cum tanto impetu, ut vel ipsæ arbores versus ortum vi flatuum contortæ videantur. Ex alterâ verò parte Sinûs *Le Maire*, in littore terræ Australis venti Australes dominantur.

4. In Malabrico Indiæ districtu ferè per totum annum spirare solet *Boreas*, vel *Zephyro-Boreas*.

In littore Guineæ. 5. In mari proximo *Guineæ Zephyro-Boreas*, Paulò longius vero à littore *Euro-Boreas* frequenter, ac ferè continuò spirare solet.

6. In itinere medio inter Japoniam & Sinensem civitatem *Liampo*, dictam continuò flat ventus Occidentalis, qualis aliàs in Japoniâ per Novembrem, & Decembrem spirare solet.

Propè Gueton. 7. Propè insulam *Gueton* non longè ab insula *Dos Cavallos* in mari Chinensi sæpè flat ventus Australis, cum in mari proximo vires suas exerceat ventus Septentrionalis.

8. In *Provincia*, ut refert *Gassendus*, ventus flat, qui vix ad duo milliaria excurrit, & ab eodem loco continenter proflat.

Venti terrestres, aut marini. 9. Solent quidam Venti periodici certis temporibus in quibusdam regionibus constanter spirare, & quidem aliquandò à terrâ in mare, aliquandò à mari in terram; Ità in Malabrico littore à Septembri ad Aprilem usquè spirant venti terrestres ab horâ 12 noctis, usque ad 12 diei: nequè tamen ultrà 10 milliaria intra mare sentiuntur. A duodecimâ verò diei usquè ad 12 noctis ventus marinus spirat ab Occidente in Orientem priori flatui planè contrarius, qui uti debilis est, ità quoque non facilè sentitur, & semper ferè à Borealibus ventis absorbetur.

In Regno Congi. 10. In littore Americæ Novæ Hispaniæ, sicut & in Regno *Congi* per diem spirant venti marini, per noctem venti terrestres.

In littore Camboyæ. 11. Mirabile est, & notabile, quod in littore *Camboyæ* à 28 Julii ad 4 Augusti alternis diebus spirent venti marini, & terrestres.

12. *Jamai-*

In Insulâ Jamaicâ. 12. *Jamaicam* insulam vix naves de nocte possunt appellere, neque egredi, cum ventus maritimus exortus est: adeò ut Atmosphæræ æstus non minùs sint reciproci, quàm Oceani.

13. In parte Orientali Insulæ *Jamaicæ*, vix à terrâ ventus percipitur, quod montes hinc longiùs remoti, & exhalationes in ipso itinere dissipentur.

In litt. Africæ Occidentalis. 14. In littoribus Africæ Occidentalis, imò & in Occiduâ Americæ parte inter Tropicos, ubi spirat Generalis ventus ab Ortu, nulli à mari ad littora perflant Venti; ut circà *Promontorium Viride*, Regnum *Congi & Nigri* Ostia; nisi fortè longa series montium ventum Orientalem arceat, ut in *Guineâ*, tum Africæ, tum Americæ littoribus occiduis.

In Insul. La Cayenne; in Brasilia, Madagascar. 15. In Insulâ quoque *La Cayenne*, in Brasilia, *Madagascar* & aliis nullus penè à terrâ spirat ventus, & ubique marinus æstum diei plurimùm temperat, & est salubrior. Unde Regiones, quæ hoc vento destituuntur, vix incoluntur.

Propè Guineam. 16. Propè *Guineam* infrà Æquatorem in Oceano Atlantico intrà Americam & Africam mare sæpè totum est à ventis pacatissimum, ac comprimis infrà Æquatorem; Undè mare ibidem vix navigari potest. Solet tamen aliquandò tempestas, aut turbo nautis occasionem dare, ut lineam Æquinoctialem transire queant.

17. In territorio *Avenionensi* vix pluvia comperitur Cœlo semper sereno, Venti verò sunt perennes totâ humiditate in eos conversâ, ut refert *Kircherus in mund. subter. tom. 1. lib. 4. sect. 2. cap. 8. prop. 1.* ubi & causam affert.

18. In Oceano Africam inter & Indiam usquè *ad Moluccas* motiones ac venti Orientales versus Occidentem incipiunt à Januario, & durant usque ad Junii initium, in quo fit mutatio, atquè hinc & sequentibus mensibus Augusto, & Septembri venti Occidentales fœdis procellis, ac tempestatibus à Septentrione irruentibus associati succedunt. Undè à *Ceilano* in *Javam*, & *Moluccas* Orientem versùs in Septembri opportunior navigatio instituitur ob motionem Occidentalem, quæ tunc incipit, Orientali contrariam. Si tamen ultra *grad. 15. latit Australis* procedatur, non spirat ventus Occidentalis, sed *Austro-Zephyrus*.

Ad littora Asiæ & Indiæ. 19. Circà littora Asiæ & Indiæ Cisgatanæ venti non easdem formant leges, quas in medio Oceano: Nam toto Junio, Julio, & Augusto tot procellis, tempestatibus, ventorumque Borealium vehementiâ æstuant, ut omnem Negotiatoribus in has partes aditum intercludant. In Transgatano tamen Indiæ latere ad *Coromandelium & Narsingam*, quod mirum est, eodem prorsus tempore nullæ prorsùs sentiuntur tempestates.

20. Ex Malabrico littore opportunè naves petunt Persiam, Arabiam, & Africam à Januario usquè ad finem Martii: sequentibus enim mensibus fœdæ contingunt Tempestates, præcipuè à *Boreâ*, *& Borea-Zephyro*, quamvis in *Coromandelio* nullæ contingant.

21. In Regno *Guzuratensi*, sive Indiæ Cisgatanæ littore à Martio usquè ad Septembrem spirant Venti Septentrionales, à Septembri verò ad Martium Australes ferè sine intermissione. In Guzurate.

22. Ex *Java ad Chinam* Ventus spirare incipit ab Occidente in Orientem cum mense Majo. Batavi autem ex *Javâ* plerumque mense Januario, aut Februario Europam petituri solvunt, qui postquàm vento Orientali ad *18. latit. Aust. gradum* pervenerint, tunc incipit *Auster*, aut *Euro-Auster*, quo continuo cursu ad insulam *S. Helenæ* feruntur.

23. Ad *Bandam* Insulam omninò varius est Ventorum flatus: Occidentales dominantur in Martio, ad finem Aprilis venti variabiles & malacia: in Majo occidentales exsurgunt venti vehementes, & pluviis fœti. Ad Bandam Insulam.

24. In Insulâ Ceilano ad promontorium dictum *Punto Gallo*, die 14. Martii incipit Ventus Occidentalis collateralis, deinde succedit *Zephyro-Auster* in principio Aprilis constans, & continuò durat usquè ad primum Octobris: quo cessante sequitur *Euro-Boreas* usque ad Martium perseverans, ità tamen ut subindè seriùs, aut citiùs, decem, vel pluribus etiam diebus incipiat. Ad promontor. Punto Gallo.

25. *Inter Mozambicum* Africæ & *Goam* mense Majo, & Junio *Euro-Auster* dominatur usque ad Æquatorem, *ad Goam* verò ab Æquatore *Auster*, *& Zephyro-Auster*.

26. In Meridiano, qui transit per Insulam dictam *Tristan de Cunha* in *Grad. 35. latit.* mense Majo in novilunio flat *Zephyrus*.

27. *In 2. grad. latit. borealis* in mari 70 milliaribus à *Guineâ* ventus dominatur *AustroZephyrus* à 20 Aprilis usque ad 5 Maij. non tamen in littore.

28. In Insula *Madagascar* à 15 ad ultimum Maij *Boreas & Zephyro-Boreas*, at in Februario & Martio ab Oriente & Austro Venti spirant: Mense verò Martio, & Aprili ad promontorium *Bonæ spei Boreas*, & ejus collateralis versus *Eurum* ventus spirat, adeò ut insolitum sit, si *Auster*, aut ejus collateralis *Euro-Auster* spirent. In ins Madagascar.

29. Post 20 diem Aprilis in mari de *Bengala* ventus *Auster*, vehemens est; ante quem diem nunc *Zephyro-Auster* nunc *Zephyro-Boreas* spirant impetuosi.

30. A Malaca ad Macaum Sinarum portum navigandum mensibus Julio, Octobri, Novembri & Decembri, cùm Venti Australes dominantur, *Austro-Zephyrus* subindè quoque & *Euro-Auster*. In Junio verò sæviunt *Zephyri* circa *Malacam*, & in littore Chinensi. Ex *Javâ* verò petituris portum *Macaum* spirant Venti Occidentales. A Malacâ Macaum.

31. A *Macao Japoniam* petituris dominantur iidem Venti Occidentales mense Junio & Julio, qui tamen frequenter à *Boreâ*, & *Euro Borea* interdiu interpellantur; noctu verò *Euro-Auster* sese exerit. *A Japonia* verò ad *Macaum* ab Oriente in Occidentem in Februario & Martio, quibus spirant A Macao in Japoniam.

 Eurus,

Eurus, Zephyrus & *Zephyro-Boreas.* Hic tamen in mari non dominantur, sed ad littora.

à Japoniâ in Chinam 32. A *Japoniâ Chinam* petituris præstò sunt ad littora *Chinæ Eurus*, & *Euro-Boreas*, mense videlicet Februario & Martio. A *Chinâ* verò navigatur in *Japoniam* cum vento ab Occidente in Orientem, qui viget mense Junio & Julio, estque ut plurimùm *Austro-Zephyrus*: nonnunquam spirat *Boreas* & *Zephyro-Boreas*, præcipuè de die: de nocte verò nonnunquam Auster, & collateralis ad Orientem.

33. In mari Chinensi ventus *Auster* & *Austro-Zephyrus* spirant Julio, Augusto & Octobri: qui venti si mutentur in Orientales, non fient Austri, nisi primò spiraverit *Boreas*, tùm redeunt ad Orientem & Austrum.

A China ad Aqua pulco. 34. A Chinâ ad Americanæ Hispaniæ portum *Aqua pulco* navigatur cum vento Occidentali mensibus Junio, Julio & Augusto, qui sunt debiles, nisi in Plenilunio, suntque *Zephyro-Austri.* Vitanda tamen est Zona torrida ob generalem ventum perpetuò contrarium, sed ad littora Americæ Septentrionalis cursus instituendus.

35. In eâ Oceani parte, quæ inter Africam, & Americam, & in Zonâ torridâ posita est, mensibus Octobri, Novembri, & Januario, ut plurimùm spirat *Boreas.*

Ad Promont. Viride. 36. Ad Promontorium *Viride* Africæ circà Julium spirant Australes venti: tuncq; ibi est hyems & pluviæ.

37. Ad *Promont. Bonæ Spei* mense Septembri spirat *Græcus*, sive *Zephyro-Boreas.* Bonæ Spei

38. Ad *Patanen* Indiæ Orientalis mensibus Novembri, Decembri, & Januario spirat *Zephyro-Boreas* cum continuis pluviis: reliquis autem mensibus dominatur ventus Orientalis. Ad Patanen Indiæ.

39. In Regno *Congi* Africæ à medio Martio ad Septembrem spirant venti *Boreas*, *Zephyro-Boreas* & *Zephyrus.* A Septembri verò ad Martium *Auster, Austro-Zephyrus*, & *Zephyrus* In Regno Congi.

40. *Madriti* in Hispaniâ magnâ æstatis parte spirant venti Boreales à pyrenæis jugis, qui mirè tunc calorem attemperant. Madriti.

41. Circà 10. Julii, & per Augustum eo tempore, quo in Poloniâ, Moscoviâ, Russiâ, cœterisque Regionibus trans Carpathum, Tauricos montes, Pelagusque Euxinum incipiunt venti Australes: Eodem tempore Constantinopoli, & per totam Græciam, Anatoliam, Ægyptum venti Boreales, quos Aristoteles, & alii *Etesias* vocârunt, flatus suos inchoare solent. Incipiunt autem ab horâ post Solis ortum tertiâ, & de nocte denuò quiescunt. Circà brumam verò spirant ibidem venti Australes satis continui: Interrumpuntur autem per mensem integrum à vento Orientali in *Græcum* vergente. Etesiæ.

42. Venti Orientales in Angliâ, Russiâ & Moscoviâ flare solent sub finem Martii, ac initium Aprilis per quadraginta nonnunquam continuos dies.

CAPUT V.

Observationes circà ventos subitaneos impetuosos, eorum loca, ac plures alios mirabiles ventorum effectus.

Inter Japoniam & Chinam. 1. Enti *Japoniam* inter ac *Chinam*, *Malacam* & *Thinchiam* subindè tantæ compe
riuntur violentiæ, ut ingentes naves jam funditùs evertant, modò maris, velut in montem acccumulati vehementiâ in aëra sublatas in obvias cautes, non secùs, ac pilam lusoriam illidant. De quibus Indiæ Itineraria ea narrant, quæ sine formidine & animi consternatione legi non possunt.

Ecnephias ubi frequens. 2. Ecnephias subitaneus, & impetuosissimus ventus susque deque vertens omnia frequentiùs sævire solet in Oceano *Brasiliam* inter & *Africam* interjecto, ad *Promontorium Bonæ Spei*, ad terram *de Natal*, in orâ maritimâ *Guineæ*, ad *Promontorium Quarda sui*, ad *Loandam*, aliisque passim maris Indici tractibus. Ad *Promontorium* verò *Bonæ Spei* cœlo serenissimo ex parvâ quâdam nubeculâ vix nucem primitùs adæquante, quam & *Oculum bovis* vocare solent, super montem propinquum existente, cujus fastigium satis amplum & latum, ac in planitiem desinens, quocircà etiam à Belgis vulgariter der Tafelberg / quasi mensa strata appellari consuevit, prænosci solet. Quò minor autem apparet hæc nubecula, eò major sequitur tempestas: solet autem hæc nubecula primitùs parva mox sese explicare, & totam montis planitiem occupare, deindè cum tanto impetu ex montis fastigio ruere, ut imparatas naves impetu suo momento obruat, & toto æquore disjiciat.

3. Hujusmodi verò Ecnephiæ, & procellæ furiosissimæ inter Americam & Africam propè Æquatorem contingere solent præcipuè iis in mensibus, ubi aliàs nullus ventus constanter flare solet: uti sunt Aprilis, Majus & Junius. Propè *Guineam* autem valdè sæpè contingunt, & quidem aliquandò ter, vel quater de die; brevì tamen remittunt: nam ordinariè ultrà sesquihoram non distenduntur. Primus impetus solet esse fortissimus.

4. Turbines, ac Typhones periculosissimi venti frequentiùs etiam exoriri solent in mari Siamico, Sinensi, & Japonico inter *Malacam* & *Japoniam*, & quidem in Autumno frequentiùs sævire solent, quàm aliis temporibus. In Indico mari vix ultrà 6 horas durant; in aliis maribus diutiùs. Turbines ubi magis sæviant.

5. In mari Mediterraneo sinus reperitur, vulgò *Golfo di Lione* dictus, è regione ostii, per quod Rhodanus rapido cursu in mare volvitur: in hoc maximè turbinis Typhonii violen-

violentia magno nautarum metu statis temporibus sævit.

6. Fretum Magellanicum præ cœteris aliis fretis etiam turbinibus, ac Typhonibus sævissimis infestum refertur, ità ut navigatio ibidem sit periculosissima.

7. In faucibus Arabici maris mirabiles accidere tempestates, scribit *Varenius*; cùm densa atra nubes mixta cum flammeis nubeculis instar candentis camini tenebras inducit diei: tùm subitanea, nec diù durans procella exoritur, quæ rubeam arenam ingenti copiâ in terram & mare ejicit.

8. Typhones plerumque crebriores contingunt, ubi præcelsi montes in littoribus ad Ortum tendentibus assurgunt. In Insulis etiam *Philippinis*, ac mari inter *Japoniam* & *Indiam* interjecto Typhones valdè sæpè accidunt, hinc periculosa adeò ibidem solet esse navigatio. *Caribbæas* quoq; Insulas in Americâ procellæ sæpiùs infestant, cùm in Insulâ *Cagenne* sint penè incognitæ.

9. In Mexicano sinu, & circà *Bahaman* mensibus Junio, Julio & Augusto turbines tàm sævi & exitiales contingunt, qui pestilentes febres, ac dyssenterias cum tantâ sævitie adducunt, ut homines intrà diem interimant. Similiter iisdem mensibus in Meridiano prope *Bermudam* non longè à *Guianâ* Typhones infestissimi sævire solent.

Typhones ubi nulli. 10. Circà novæ *Hispaniæ* & *Peruviæ* littora Typhones sunt penè incogniti, quòd ventus à terrâ spirans cum Generali vento non collidatur. In patenti quoque Oceano aut rari solent esse, aut minùs noxii. Semper tamen Typhones insidiosa tranquillitas aëris, & maris plerumque præcedit, quòd venti contrarii, ut ait *Hamelius*, sint in Æquilibrio.

Turbines circa Ardabil. 11. Mirum est, quod Geographi scribunt de *Ardabil* Persiæ civitate: siquidem juxtà eam mense Junio & Julio quotidiè circà meridiem turbo nascitur, qui durat unâ horâ circiter, quo ingens continuò pulvis hominibus, animantibusque in oculos injicitur.

Venti arenosi in Ægypto. 12. Venti arenosi in Ægypto tales sæpè contingere solent, qui quoscunque attingunt, dum vehementiùs sæviunt, vivos sepeliunt: Undè integras sepè Caravanas, sive hominum itinerantium associatorum cætus obruunt & sepeliunt, ut ne vestigium quidem appareat, quò devenerint.

Venti lapides & ferrum corrodentes. 13. In Indiâ Orientali circà *Angran* venti vaporibus salsis & nitrosis adeò sunt repleti, ut vehementiùs spirantes lapides & ferrum consumant, sicut refert *Olearius*. Similiter in *Terzera* & *Azores* Insulâ, ac variis aliis Indiæ locis venti tàm acres spirare solent, ut lapides, & ferrum exsolvant, ac in pulveres diffluant.

In Norwegiæ ripis. 14. Circius in Occidentalibus Norwegiæ ripis tanto furit impetu, ut eo tempore nemo sine præsenti suffocationis periculo iter peragere queat; & adeò frigidus est, ut ibi nec arborem, nec fruticem germinare permittat.

In Ormutio. 15. In *Ormutio*, si procellæ suboriantur, fervore interimunt obvios, occisorumque carnes (quod aliàs aquâ fervente fieri solet) ab ossibus disjungunt, teste *Ovetano*.

In Chiliensi quodam tractu. 16. In Chiliensi regno certus tractus montosus esse perhibetur, ut refert *Camerarius cent. 2. Medit. histor.* in quo peculiaris ventus dominatur, qui non vehementiâ, sed nimiâ subtilitate nocet. Aura autem ista Chiliensis adeò est noxia, ut oppressio inter viscera vitali calore extemplò perimat viatorem: mortuorum tamen non infestat corpora, sed à putrefactione & corruptione præservat. Exemplum de Almagro vide apud eundem. Similia refert *Beyerlinck in Theat. vit. hum.* ex *Cornelio Wiffleto* teste oculato.

Venti valde æstuosi. 17. In littore *Coromandelii* lat. Boreal. Grad. 16. inter *Calecout*, & *Maselutapan*, ex quadam Regione ab octavâ horâ matutinâ usque ad quartam vespertinam venti tàm calidi, & æstuosi, ac fœtidi spirare solent, ut Incolæ absque specialibus refrigeriis manere vix queant. Undè singulis diebus quisque ex iis vas aliquod aquâ, quam ad potum adhibere solet, aut quocunque alio consueto bibulo humore plenum ad palum, arborem, vel murum solaribus radiis, ac ipsismet sævientibus ventis oppositum appendere & exponere solet usque ad quartam horam vespertinam: quò fit, ut aqua illa potatoria plurimùm sic refrigerata obtineatur, ut in nullo alio subterraneo loco, veluti cellâ meliùs refrigerari posse judicetur. *Acta Anglicana Mens. Martii Anno 1666.*

18. *Panormi* in *Siciliâ*, ut testatur *Schottus phys. cur. lib. 11. part. 3. cap. 22.* flante vento, quem *Siroccum* appellant, & ex Africano mari per mediterranea eò defertur (est is ventus inter Orientem & Meridiem, nempè *Euro-Auster*) homines exertis linguis præ æstu & siccitate obambulare, clausisque fenestris ac portis omnibus domorum intrà obscura loca aquis conspersa languore tantùm non enecati sedere solent. Ad urbem quoque Dalmatiæ *Zenus* dictam, ut scribit *Valvasor in Topog. Carniol. lib. 2. cap. 11.* tàm validi & vehementes subindè sæviunt venti per hyemem, ut nemo securè illis flantibus domo egredi possit. Imò tàm altè fluctus propinqui maris in aërem elevantur, ut ultrà Sabbæ turrim ibidem collidantur.

19. In *Hispaniolâ* subindè ventus validissimus exoritur, qui ad stadii intervallum sublatos transfert homines.

Venti noxii in Lesbo. 20. In *Lesbo* apud *Mitylenen* Austro flante ægrotant homines: Euro instante, aut Septentrione facilè in integrum restituuntur.

In Azoribus. 21. In *Azoribus* flante Austro pueri plurimùm ægrotare solent: corporis enim meatus aperit, laxat, & humores liquat. Artifices etiam, qui circà plumbum & Mercurium laborant, hoc vento flante malè se potissimùm præ aliis habere solent.

22. Mirum est inter cœtera, quod de lacu *Lemano* accolæ narrant, eum videlicet subindè tranquillo etiam tempore, Cœloque sereno ità intumescere, ut durante hac effervescentis lacûs ebullitione nulla navis ei se tutò sine manifesto naufragii periculo committere possit. Cujus quidem rei, ut ait *Kircherus in mund. subter. lib. 4. sect. 2. cap. 5. prop. 5.* causa alia esse non potest, quàm subterra-

terranei & venti, & halituosi spiritus, quos hydrophylacia vicinarum Alpium per occultos meatus, qui in fundo lacûs suum exitum habent, emittunt, qui suo impetu aquas obvias sollicitantes inflant, & tumefaciunt.

23. In altissimo Sorani agri monte (uti haud sine levi periculo expertum se scribit idem *Kircherus loc. cit. prop. 6.*) ad cujus verticis planitiem aditus non datur, nisi per præruptum scopulis angiportum, in quo tanta ventorum sævities est, ut nemo erectus sine periculo progredi possit, sed ne à vento rapiatur, reptando ad exitum pervenire cogitur, quisquis ascensum montis tentaverit. Narrâsse quoque itineris comitem, scribit præfatus Author, non ità longo tempore integrum porcorum gregem hoc loco ventorum turbinibus involutum, abreptum, & in vicini montis scopulos illisum periisse. Magis mirum tamen videtur mihi, quomodo porci illi per angiportum illum in verticem montis pervenerint.

24. Refert idem *eod. lib.* accepisse se à *P. Ovale* S. I. Chilensis Regni Procuratore, eis qui ex Regno Chilensi in *Paraquaviam* commeant primo incredibilis altitudinis montes, quos *Andes*, sive *Cordilleira* vocant, superandos esse 40 leucarum itinere: in quorum vertice tanta esse dicitur subtilitas, ut sine periculo interclusionis spiritûs vix ullus ibidem consistere possit: undè omnes spongiis aquâ frigidâ ad aërem condensandum imbibitis instructos esse debere. Esse prætereà aërem ibidem ità ad inflammationem dispositum, ut viatores flammas eructare videantur, immensoque sudoris effluvio inflammati toti ignei cernantur.

Crypta Æolia Novioduni. 25. Ex relatione *Petri Guisonii* Galli Medicinæ Doctoris recenset *idem mund. subterr. lib. 4. sect. 2. cap. 10. Novioduno*, vulgò *Nions* adjacere montem *Cryptâ Æoliâ* celeberrimum, ex quâ perennes expirant venti tanto impetu, ut ferociæ hujus impatientis accolæ, cùm aliquoties lateritio lapidum opere os speluncæ obstruxissent, violentiæ tantæ venti adeò robusta obstacula opponere non potuerint, quin mox projectis, prostratisque repagulis pristinam sibi libertatem per congeminatam rabiem vindicârit. In montibus *Tibeth*, ubi Ganges nascitur, uti ex relatione *P. Balthasaris d' Andrada* constat, montes nonnulli per omnes fissuras horribili sonitu ac fremitu ventos emittunt. Idem habetur in relatione *P. Pais* de nonnullis montibus Æthiopiæ. In Alpibus Gallenbergensibus Carnioliæ Superioris (quæ Styriam à Carniolia disterminant) vulgò *Gal lenberska planina* dictis foramen patet instar camini, quod accolis Weterneck dicitur: in quod si lapis injiciatur, validus erumpit ventus. Memorant & accolæ subindè tàm vehementes indè ventorum flatus emitti, ut nemo propiùs audeat accedere. *Valvasor in topogr. Carniol. lib. 2. cap. 11.*

Ventus in montibus Tibeth.

Venti violentia Beneventi. 26. *Procopius lib. 1. de Benevento* Italiæ oppido, quod etiam proximo abhinc anno 1688 miserabiliter terræ motu conquassatum laboravit, ità scribit: *Quondam prisci dixêre Maleventum: id namque oppidum Dalmatiæ ex adverso oppositum est, continentique situm, in quod spiritus violentior quidam, & acerbissimus ingruere consvevit, qui utique ubi flare cæperit, non foris iter agere, sed domi se quisque conservare laborat. Nam venti hujus ea est violentia, ut vel equitem cum equo simul arreptum sublimem mox deferat, diuq; per aërem circumactum, & quocunque tulerit casus, projectum interimat. Undè & Maleventum, ut in edito positum, ex eo vento toleratu difficili sortitus est nomen.* Ita *Procopius*.

27. Portus est in *Islandiâ* mari glaciali vicina, uti memorat *Olaus Magnus lib. 1. cap. 10.* sub regno Norwegiæ, vulgò *De strabord*, Occidentalis portus dictus, penes quem in littoralibus spatiis, & campis obequitantes armati poteni flatu Circii prosternuntur. Sunt prætereà montes in Hyberniâ mediocri sublimitate in pluribus locis eminentes, in quibus si quis iter Circio flante perficere tentaverit, aut ruinam exspectare cogetur, aut suffocationem. Tàm noxii etiam sunt venti in Occidentalibus Norwegiæ ripis, ut nec arborem, nec fruticem germinare permittant. Quò fit, ut ad eorum defectum in ignibus instruendis, cibisque coquendis, ossibus magnorum piscium utantur. In Occcidentalibus Bithiniæ littoribus rapit integra tecta domorum, eaque per immensa terrarum spatia dissoluta dispergit. Hæc *Olaus*. Venti in variis locis Septentrionis.

28. Inter duas *Apennini* arctas fauces, ut refert *Jovius lib. 25. histor.* imminentium utrinque altissimorum montium adversis jugis non multùm lata, verùm plana vallis extenditur spatio quadraginta ferè stadiorum. Hunc locum Incolæ Peligni quinque millibus planam appellant. Hæc autem est ejus angusti itineris natura, ut exorti venti, cum ingruunt, contrario in sese rapidissimo impetu convolvantur, sublatas nives è jugis dejiciant, & in gyros per aëra vertant, quibus mediâ in valle iter facientes intercluso spiritu repentè suffocant & perimunt. Locus periculosus intrà Apennini fauces.

29. Civitas est in Italiâ *Cesis* dicta haud procul *Ternio*, cui adjacet mons Æolius è grandi lapide surgens, & ad sesqui milliare Germanicum ex Ortu versùs Occasum se protendens: ad pedem verò istius montis plures patent rimæ & fissuræ, per quas æstivis mensibus venti vehementes efflare solent: ibidem Incolæ canales aliquos applicare ad ventos illos concipiendos & concludendos, eosque in diversa Urbis loca ad æstivum calorem temperandum deducere solent. Observant porrò hi venti stata tempora; ita ut de die quatuor horis antè, & totidem post meridiem flatus suos continuent: indè verò paulatìm remittunt, atque de nocte omninò silent. Quod insuper magis mirum est: Hybernis mensibus venti non efflant, sed ècontra aër externus intùs trahitur; undè si levia aliqua corpora scissuris illis apponantur, mox attrahuntur & intùs rapiuntur. Mons Æolius propè Cesin Italiæ.

30. In

Ventus pestilens in Chaldæâ. 30. In Chaldæâ, uti narrat *De la Boullay Le Gout part. 2. Chap. 57.* mense Augusto tàm pestilens ventus, quem Arabes Samieli vocant, flare solet, ut quosvis homines interimat; imò integræ sæpiùs Caravanæ hoc vento extinguuntur, ut ne unus sæpè mortem evadat.

Venti validi in Lappiâ. 31. Memorat *Schefferus in descript. Lapp. cap. 3.* in Lappiâ dari sæpè ventos tàm impetuosos & validos, præsertim in altissimis montium jugis, qui omne, quod offendunt, arripiunt & longissimè transferunt, ut sciri deindè nequeat, quò res abreptæ devenerint.

Mons fractor ventorum. 32. In Insulâ *Ainan* propè civitatem *Iai* mons surgit altissimus, in cujus apice nec ventus, nec pluvia adverti dicitur; imò mons iste solet exortas in mari tempestates ac ventos confringere & dissipare; undè ab indigenis *Horifiunus*, sive ventorum fractor nominatur. *Relatio Weichtiana in Legatione ad Sinas.*

Stupenda historia. 33. Stupendam planè historiam refert *Sigebertus* ad Annum 1081 de Campanario quodam vehementi vento à loco suo evulso, & inclinato, ità ut in aëre hæreret, & ruinam continuò minaretur, divinâque virtute post dies sex reërecto & campanis ibidem dependentibus spontè sonantibus.

Ventus validissimus Moguntiæ. 34. *Conradus Argent.* refert *in Chron. de ventis*; quod sub Cæsare *Henrico VI.* Moguntiæ tantus aliquandò turbinosus ventus exortus sit, qui adeò vehementer summam illic ædem sacram concusserit, ut tectum non tantùm dejecerit, sed & trabes quoque ultrà Rhenum *Hochhemium* difflârit. Similis penè turbo post centum circiter annos in Tusciâ sæviisse perhibetur, quo etiam plures villæ & pagi cum oppido Cassiano prostratæ fuerunt.

35. Anno 1335. in die SS. Apostolorum *Simonis* & *Judæ* ventus magnus & horridus in partibus Cis-Rhenanis cum turbine subito insonuit, qui domos & arbores sine numero subvertit & infinita mortalibus damna intulit.

Ventus validus à mari Anglico exortus. 36. Anno 1434. die 6. mensis Octobris de nocte ventus horribilis validus à Mari Anglico veniens subitò, simul & à parte Aquilonis per ascensum Rheni, & omnes illi adjacentes regiones usque in Longobardiam tàm in aquis, quàm in aëre maximam excitavit tempestatem, quæ turres, domos & arbores fortissimas absque numero subvertit, homines & jumenta inopinatò plura allidens oppressit, & infinita hominibus damna intulit. In totâ namque Civitate Herbipolensi in fenestris & domorum tegulis plusquam trium millium florenorum attulisse civibus damnum invenitur. *Chrno. Hirsaug.*

37. *Cabeus* memorat *lib. 5. meteor. Mantuæ* circà Annum 1618 ventum vehementissimum extitisse, qui inter alia abripuerit mulierem pannos lavantem ad lacum, & longissimè per aërem transtulerit. Mulier à vento abrepta.

38. Annus 1690 plurimùm ventosus extitit, & sæpiùs per annum insoliti turbines exorti sunt, qui austeritate suâ multùm nocuerunt. Per totum Septembrem venti validiores & frigidiores spem omnem melioris vindemiæ abstulerunt. In Novembri ad diem 10 & 11 validissimi venti in Austriâ oborti, Viennæ plura tecta dejecerunt, & ædes nonnullas prostraverunt; naves quoque aliquot in Danubio demerserunt.

39. Anno 1693. in festo *S. Laurentii* sub crepusculum vespertinum venti horridi cum igneâ tempestate, & continuo aëris mugitu à tractu Rheni Superiore exorti per Franconiam, Sueviam & alias Provincias usque in Bohemiam validissimè defævierunt, turres plurimas prostraverunt, domos everterunt, earum tegulas abegerunt, fenestras excusserunt, rusticorum casas denudârunt, arbores sine numero radicitùs evulserunt; in castris tum Gallorum, tum Germanorum tentoria cum mirâ omnium confusione & stupore abegerunt, avenam in campis ubivis excusserunt, aliaque innumera damna intulerunt, quæ singulatim memorari non queunt: de his ventis formati sequentes versus: Validissimi venti per Franconiam.

In sanCto festo testIs LaVrentIVs esto,
DVra Vt teMpestas, & Ventos aVXerat æstas.

✠



CAPUT VI.

Mirabilium Ventorum, ac horrendarum Tempestatum ope Dæmonis, & arte magicâ productarum Exempla ex variis Authoribus proferuntur, ac recensentur.

VIros ventorum turbines, ac horrendas tempestatum procellas Dæmones tàm per se, quàm per suos ministros, scilicet Magos, Maleficos, Præstigiatores, ac Incantatores permissione divinâ efficere posse testatur tùm ipsa nobis sacra Scriptura, tum etiam variæ nullo non tempore loquuntur historiæ & exempla verè mirabilia: Egò hîc ex innumeris pauca seligam, & curioso Lectori mirabilium sciendorum avido in medium producam.

Exempla S.Scripturæ.

1. Sacra imprimis Scriptura memorat *cap. 1. libri Job: Repentè ventus irruit è regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppressit liberos Job, & mortui sunt.* Quæ tempestas aliundè non fuit producta, quàm Dæmonis ope ac ministerio. Recenset etiam *D. Joannes in suâ Apocalypsi cap. 7.* vidisse se quatuor Angelos, *stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem,* ut sic damna maxima hominibus inferrent: plerique verò SS. PP. & Interpretum dicunt, fuisse Angelos malos, quos vidit Joannes. Undè patet, Angelos malos, sive Dæmones tàm in productione & emissione ventorum, quàm eorum retentione ac impeditione efficaces esse malorum eventuum.

Dolia ventosa.

2. *Philostratus lib. 3. cap. 3. vit. Apollon.* scribit: Apollonium apud Indos duo vidisse dolia, quibus apertis imbres & venti erumpebant: clausis serenitas redibat.

Etesiæ provocatæ.

3. Docuit & olim *Aristæus* Incolas Cycladum certis ritibus, ac hostiis Etesias æstivo tempore elicere, & sic suavi frigore squalorem & sterilitatem ab agris arcere. Ità *Victorius lib. 19. var. lect. cap. 21.* Econtrà, cùm aliquandò, ut *Suidas* refert, Etesiæ ità vehementer flarent, ut fruges læderent:

Eædem prohibitæ.

Empedocles Argentinus jussit asinos excoriari, & utres fieri, eosque in promontoriis extendi, ut ventum exciperent, quo sopito appellatus est κωλυσανέμας, quasi prohibitor ventorum.

Venti vincti.

4. *Sopater* quoque Philosophus dicitur ultimo affectus supplicio, quod accusatus carmine magico ventos vinxisset, ne annona Byzantium inveheretur. Ità refert *Eunapius de vitis Philos.* sicut & *Suidas.*

Venti pileo provocati.

5. *Henricus* Rex Sueciæ, ut tradit *Olaus Magnus in histor. sept.* tàm familiaris fuit dæmonibus, ac ità magicis artibus instructus, ut quacunque pileum verterit, confestim indè optatus ventus spiraret: qua ratione inditum ei fuit nomen, ut *ventosus pileus* nominaretur.

Oddo pirata famosus in ventis commovendis.

6. Famosus in ventis arte magicâ concitandis, & commutandis fuit *Oddo* pirata Danus, de quo refert *Saxo lib. 5. hist. Dan.* quod absque carinâ altum pererrans hostilia sæpè navigia concitatis carmine procellis everterit, negotiatoribus infestus, clemens agrestibus. Huic tamen artes suæ mirabiliter elusæ, ut refert *Joh. Magnus lib. 4. cap. 19. ex Saxon. lib. 5.* Cùm enim contrà ipsum *Ericus* Sueciæ, & *Rollerus* (qui Norwegiæ Rex posteà fuit) fratres bellum gererent, & viderent periculo esse pugnam cum eo conferere, qui ventos & undas arte magicâ commoveret: per exploratores instructi, quo modo *Oddo* naves suas lapidibus ad jaciendum aptis oneràsset; missis clam juvenibus earum tabulas aquis vicinas sub medio noctis silentio terebro perforari fecerunt: sic paulatim *Oddonis* classem exceptæ rimatim aquæ depresserunt nullo superstite, qui acceptam cladem nuntiaret.

Venti ubi, & quando vendantur.

7. De Finnis & Lapponibus testatur *Olaus Magnus*, eos Negotiatoribus in suis littoribus contrariâ ventorum tempestate impeditis ventos venales exhibere solitos; mercedeque oblatâ tres nodos magicos in loro constrictos eisdem tradidisse eo servato moderamine, ut ubi primum dissolvissent, ventos haberent placidos; ubi secundum, vehementiores; at ubi tertium laxavissent; ità sævas tempestates paterentur, ut nec oculo extrà proram inevitandis scopulis, nec pede in navi ad vela deprimenda, aut in puppi pro clavo dirigendo integris viribus potirentur. (Fig. 1.) *Petrus* tamen *Claudi* Author est, Finno-Lappones ventos quidem excitare posse quovis tempore, eum tamen quemque, nec alium concitare valere, quàm eum, qui dominatus fit tempore suæ nativitatis. Similiter scribit idem præfatus Author, (Fig. 2.) eos spiritus malos, sive dæmones in formâ muscarum cærulearum, quas *Gan* vocant, in sacculo coriaceo circumferre; quotidiè autem ejusmodi muscam dæmoniacam emittere solere, vel ut hominibus immediatè noceat, quod tamen rariùs efficiunt, nisi datâ causâ irritentur; vel in aërem ad commovendos ventos, ac horridas tempestates, quibus noxam mediatè, vel hominibus, vel pecoribus, vel aliis bestiis inferant: subindè & in circumsitos montes emittere scribit, ut petras ingentes ibidem findant, & disjiciant. Quomodo & *Sinenses* ventos aliis vendere soleant, videri potest *Dapper in itiner. Sinens.* Item *Erasmus Francisci* **im Lufft umgebenen Erdenkreis**: Testatur & *Damianus à Goës*, Lappones navem in medio mari ita firmare posse magicis suis artibus, ut loco nullate-


Fig. 1.


Fig. 2.


Fig. 3.

nullatenus dimoveri queat, quamvis ventis validissimis impellatur.

Ventus artificialis currum cum equis elevans.

8. *Scheferus in præfat. descript. Lap.* scribit, se *Stockholmii* à Lappone quodam insigni Mago artis suæ specimen videre aliquandò desideràsse: cujus petitioni hic annuens mox validissimum ventum effecit, qui currum fœno onustum cum equis è medio foro civitatis illius altissimè in aëra evexit, ac sine ullâ noxâ denuò rursùm in terram restituit.

Fig 3.

Regner Biarmios impugnans ventis expugnatus.

9. Author est *Saxo Germanicus*, quòd cùm Danorum Rex *Regner* magno exercitu comparato Biarmios, ut sibi subjiceret, invasisset, hi mox arma arripuerint, ac comprimìs magicis suis artibus ingentes ventorum, ac tempestatum turbines effecerint, quos deindè tàm uberes pluviæ subsecutæ sint, ut indè omnes fluvii longè latèque uberrimè exundârint. Has inundationes æstus excepit maximus, quo Rex & omnes proceres timuerunt totum exercitum concremandum. Æstum porrò intolerabilem insecutæ sunt infirmitates acutæ malignæ & venenatæ, quæ miserabili strage multos confecerunt: Undè coäctus Rex fuit ex finibus hostilibus reliquum exercitum abducere, ac relictâ magnâ suorum strage ad proprios lares reverti. Quia porrò advertit ignominiosam hanc repulsam magicis artibus instructam, aliâ vice improvisò denuò eosdem ità suis copiis militaribus obruit, ut bellum priùs Biarmii non suspexerint, quàm copiæ steterint in mediâ regione: nihilominùs denuò auxilio vicinorum populorum Danos iterùm turpi clade abegerunt, & expulerunt.

Caroli V. classis ventis abacta Algierio.

10. Miserabilis, ac omnibus sæculis memorabilis est clades ea, quam Anno 1541. passus est *Carolus V.* in obsidione *Algierii* (quod munimentum olim *Jubaregia*, à Romanis *Cæsarea Julia* dictum est) à vehementi obortâ tempestate, quæ per Sacrificulum quendam Mahometanum (quales *Maribut* aliàs dicere solent) magicis artibus excitata fuit. Cùm enim *Carolus V.* Imperator classe numerosâ valdè *Algierium* obsedisset, in dicto autem munimento nonnisi octingenti præsidiarii milites essent præter 6000 Maurorum inexercitatorum; atque etiam Afanagæ (qui Barbarosæ nomine *Algierio* præerat Sardus genere, sed qui ad Mahometi sacra defecerat) animus jam defecisset: memoratus *Maribut* eum accessit, ac sermonibus confortavit, brevì hostiles copias abigendas, & obsidionem solvendam. Consequente die 8. Octobris effusis largissimis undis cœlum ruere visum, & immensum venit agmen aquarum, atque toto tempestas horrida furere cœpit æquore, ut mox plurimæ naves conquassatæ & confractæ periêrint: ità, ut re infectâ Imperator cum residuis navibus tristi fugâ se subducere coactus fuerit: Et propter paucitatem navium, ne milites Barbaris relinquerentur trucidandi, equi omnes in mare præcipites acti fuerunt. Haud minor porrò in fugâ tempestas oborta fuit plurimùm infesta. Duæ naves Hispanis militibus plenæ in primo cursu reflantibus contrariis ventis *Algierium* cùm detortæ, ac magnis rimarum hiatibus integros fluctus admittentes in fatali littore consi-dere fuissent coactæ, concurrit mox ad littus Numidarum equitatus, ac subsecuta deindè Maurorum multitudo, ut dejectos, & desertos à fortunâ trucidaret, dictos Hispanos in extremis hisce vitæ periculis constitutos fortiter ad sese tuendos undique dimicare fecit: qui proindè delato agmine in orbem pugnantes tandem ad oppidum contenderunt usque adeò constanter, & fortiter dimicantes, ut coronam hostium multis illatis vulneribus sæpiùs effregerint. Tandem *Asanagæ* incolumem vitam spondenti sese in servitutem dederunt. Ipsis autem Germanis ea incommoda contagiosam ferè pestem attulerunt: dum corruptis visceribus profluvio laborare cœperunt, & vix tertia pars eorum in Germaniam rediit. Una magna navis, in quâ quadringenti fermè omnis generis milites vehebantur, inusitatis, ac diversis erroribus mediterranei maris sinus, atque Insulas penè omnes circumivit, ità ut cùm portum appetere vellet, novâ semper ventorum commutatione è conspectu ipsoque in limine tutissimarum stationum, ac urbium abrepta sit, post quinquagesimum diem tandem exoptatam terram attigit: sed cùm alimentis sese milites refovere contenderent, neq; ullis omninò cibis jam extincto nativo calore proficerent, paucissimis diebus ad unum ferè omnes periêrunt. Turcicæ historiæ memorant Augustissimo Cæsari centum & triginta naves unà cum nervo militiæ interiisse. Quàm verò hodiedùm adhuc Algerienses in hac arte stygiâ excellant, ventosque ad libitum excitare, & commutare queant, videri potest *Erasmus Francisci in Atmosphæra Terræ, sive* **Erd umgebener Lufftkreis** *discurs. 13. de ventis*, ubi & sequentem historiam, quam ex linguâ Germanicâ ad Latinam traduximus, ità memorat.

11. Anno 1661. cùm Hispanus quidam pirata, nomine *Joannes Brower*, Portugallensem navem rapuisset; illa autem de nocte denuò raptori evasisset, huc illucque mare cùm pervagatus eandem requisivisset; ipse in tres naves Algerienses piraticas, quas amicas putabat, incidit, quæ piratam hunc cum sociis in navi ad munitionem Algeriensem perduxerunt. Accidit non ità longè pòst, ut navis Anglica eodem appelleret, quæ magno, ut mos est, plausu cùm fuisset excepta, & advenæ Anglici ad portam fuissent deducti. Ratus Hispanus iste Capitaneus cum sociis optimam sibi, suisque denuò manus barbarorum evadendi occasionem nunc oblatam, quam & dimittere noluit, atque ità trabibus conscensis ad dictam navem cum sociis contendit, eamque rescissis anchoris solvens, vela ventis expandit, ac quantociùs aufugit. Hoc cùm Mahometani advertissent, continuò Sacrificulum quendam accesserunt, ac petierunt, ut vento commutato navem cum raptore restitueret: qui mox promisit se ventum petitum effecturum, qui raptorem cum sociis sit reducturus. Sequenti die navem expediêrunt piraticam; quod factum licet tàm Christianis, quàm Mahometanis frivolum, ac conatus inanis videbatur, eò quod navis abducta jàm longiori temporis morâ 16 circiter horarum cursu hanc

Pirata Hispanus ventis arte magicâ excitatis Algierium reductus.

hanc piraticam expeditam antevertisset, atque jam portum *Majoricæ* Insulæ attigisse crederetur: Deindè impossibilitatem magis arguebat, quod in ipso navis excursu ad portum Algeriensem ventus commutaretur, & expeditam navem contrario afflatu multùm attineret, & impediret. Nihilominùs tamen dùm navis illa solvisset, post tres aut quatuor horas reversa navem Christianam cum mancipiis omnium stupore reduxit. Fassi sunt autem Christiani reducti tantùm se magicis illusionibus dementatos, ut haud aliud crediderint, quàm quòd directo semper cursu ad littora *Insulæ Majoricæ* contenderent, cùm tamen *Algierium* remearent.

Naves prohibitæ ne Constantinopolim appellerent.

12. Zonaras *Ann. tom.3.* recitat sub *Anastasio* Imp. Manichæo Mago homine scelestissimo simulacrum æneum Fortunæ Urbanæ muliebri specie, quod alterum pedem in navi antepositâ æneâ, & ipsa haberet alicubi in urbe Constantinopolitanâ stetisse, cujus navis, vel vetustate corruptæ, vel per insidias contusæ, fragmenta quædam ablata fuerint: Ex eo naves onerarias *Bizantium* ampliùs non potuisse appellere, sed cùm propè accessissent, violentiâ ventorum repulsas esse: ac nisi longæ naves multis concitatæ remigibus sarcinas in urbem pervexissent, populum fortassis fame periturum fuisse. Quæ res cùm ad tempus durâsset, cura fuit magistratibus; causâque mali à Mago quodam solerti conjecturâ indagata: fragmentis navis illius æneæ studiosè conquisitis, & in suum locum restitutis expeditam navigationem, & mare denuò navigiis repletum fuisse. Ut verò malum certò scirent illud appellendis navibus obstitisse: denuò sublatis fragmentis quæcunque naves appellerent, iterum vi ventorum rejectas fuisse. Eâ re compertâ navem illam magno adhibito studio esse renovatam.

Tempestas horrida à Magis excitata impiis ritibus.

13. Horrendum est, quod narrat *Jovianus Pontanus lib. 5. belli Neapolitani.* Ferdinandus Neapolitanorum *Rex Marcos* oppidum arci *Montis Draconis* ad Massicorum montium exitum sitæ subjectum Andegavensium factioni favens arctâ obsidione premebat, & defectu aquarum propè ad deditionem compulerat: cùm quidam impii Sacerdotes magicis artibus imbres elicere ausi sunt. Inventi enim in oppidanis obsessis sunt, qui nocturnis tenebris deceptis castrorum vigiliis per asperrimas rupes partim profecti ad littus, trahentes secum imaginem affixi ad crucem Christi, maledictis illam priùs, ac diro persecuti carmine, pòst in mare execrabundi immiserint; Cœlo, mari, terrisq; tempestatem imprecati. Quo etiam tempore Sacerdotes quidam mortalium omnium scelestissimi, dum satisfacere prophanis militum artibus student, ritum nefarium secuti (quo ut dictum est in hujusmodi elici imbres putantur) asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam concinere funestum carmen, pòst divinâ Eucharistiâ in illius os, palatumque injectâ conclamatum asinum funereis cantibus vivum tandem ibidem pro templi foribus humavêre. Hic verò vix dùm perfecto sacro obnubilare aër, ac mare agitari ventis cùm cœpisset, diesque medius offundi tenebris, ac nunc cœlum micaret ignibus, nunc lux eriperetur, tonitru cœlum terraque horrescerent, volitarent evulsæ ventis arbores, discissasq; fulminibus saxa complerent auras fragoribus: prorupit tanta è nimbis pluvia, imbresque tàm validi, ut non cisternæ modò colligendis aquis satis non essent, sed arentia saxa, rupesque exustæ solibus torrentes undequaque prolapsos diffunderent. Ita Rex, qui solâ in siti potiunti oppidi spem collocaverat, frustrà ab eâ habitus ad Savonem vetera in castra rediit. Ità etiam refert *Mart. Delrio disq. mag. lib. 2. qu. 11.* & *Schottus in phys. cur.*

14. *Vincentius* Belluacensis prodidit *lib. 23. spec. histor. cap. 147.* Constantinopolitanos suasu cujusdam Magi D. Virginis imagine in mare demersâ aliquandò Saracenorum classi ingentem tempestatem immisisse. Sed hujusmodi rituum impietas detestabilior est, quàm ut pluribus commemorari debeat. Plura alia Exempla passim prostant apud varios Historicos. Indè nunc facillimum est conficere; Dæmones, & eorum ministros in excitandis, concitandis & commutandis, nec non & impediendis, ac retinendis ventorum flatibus vi maximâ potiri, haud tamen aliter, quàm divinâ permittente voluntate, sine quâ absolutè in regno aëreo ne atomum commovere valent. Cur autem Opt. Max. Naturæ Gubernator hanc illis vim permittat, altioris est indaginis, nobis autem scrutari minimè concessæ, dùm nemo nostrûm illi dicere potest: *Cur ità facis?* Rectiùs autem humiliter confiteri, & eidem dicere possumus cum *regio Psalte Ps. 35. v. 9. Judicia tua abyssus multa.*

CAPUT

CAPUT VII.

Signa prognoſtica Ventorum & tempeſtatum.

Ex motu Atmoſphæræ. 1. CUm ſæpiùs accidat, ut vapores â terrâ elevati priùs in Ventos diſſlentur, quàm in nubes coäleſcant, ſolet hos ipſos ventos, antequàm apertiùs ſeſe exerunt, & vehementiùs ſævire incipiunt, tremulus quidam foliorum, imò & arborum motus, ac ob Atmoſphæræ commotionem, aut vaporum diſtractionem ſtellarum ſcintillatio major, vel Halo Lunam ambiens præcedere, atquè ità præſagire. Undè etiam benè *Cardanus lib. 1. de variet. cap. 1.* ait: *Indicio eſt, ſic eſſe, cùm magis ſcintillant Stellæ & Planetæ etiam non ſcintillare ſoliti ventum futurum.* Nam medius aër dum vehementiùs agitatur, efficit, ut frequentius, & magis ſcintillare videantur.

Cùm pluvia ſalſa aut amara decidit. 2. Pluvia Salſa, aut amara decidens ventoſam ac proceIloſam mox affuturam tempeſtatem prænuntiat. Cùm enim ſpiritus ſulphurei, & minerales aliis immixti vaporibus ventos maximè excitent: Salſedo autem & amaritudo eorum ſignum ſit notiſſimum: dùm itaque in ejuſmodi pluviâ ſapor iſte ſalſus aut amarus eorum præſentiam, ut ventorum cauſam manifeſtat, etiam ipſos ventos ut effectus proximè affuturos indicabit.

Ex coruſcationibus. 3. Æſtate, ubi coruſcationes, faces, & fulgura crebrius micant, indè ventos denotant. Hyeme verò, & Autumno coruſcationes ſedare ſolent ventos, & tantò magis quantò fortiores, & crebriores erunt.

Ex ignis terreſtris flammâ, aliiſque apparentiis. 4. Ignis terreſtris flamma ſi flatuoſè volitet, aut cùm luminaria ex ſe flammas elidunt, aut vix accenduntur, aut ſublatis ollis ab igne eiſdem carbo ignitus adhæret, aut cùm ignis ſcintillas emittit crebriùs, vel cùm cinis igne concreſcit, carbóve ignitus vehementer pellucet, ventos, & tempeſtas indicare compertum eſt.

5. Signa quoquè Ventorum ac Tempeſtatum prænuntia cenſentur, cùm flocci aquis ſupernatant; odoris fragantia in herbis ac floribus ſolito major eſt; aranearum quoque telæ multæ circumquaque per aërem volitant.

6. Coturnices, ita referente *Solino*; Auſtro flante nunquàm exire ſolent flatum humidiorem timentes: Aquiloni verò ſe credunt, cujus ſiccitate & vehementiâ facilius provehuntur.

Ex animantibus. 7. Præſentiunt & indicant plures aliæ animantes Ventorum flatus, ac tempeſtates; nempè Anſeres continuo clangore vociferantes, & volantes; Fulicæ ſe crebrò ſubmergentes, & alas quatientes; Canes in terrâ volutantes, pedibus ſcalpentes, ac præprimis in dextram coxam procumbentes; Polypus ſaxis adhærens; Echinus ſe abſcondens; major apum reditus ad alvearia, aut latitatio ſub arboribus, vel dum non procul â ſede avolant; Delphini in mari ludentes, & aves turmatim à montibus ad valles confugientes. Plura ex animantibus Ventorum ſigna vide infra.

8. In Inſulâ Sinenſi *Ainan* dictâ, incolæ ex herbâ quadam nodoſâ, quæ ipſis *Chitung*, vel *Chiſung* dicitur, conjectare ſolent turbines, & tempeſtates per annum: quot enim herba hæc nodos anno aliquo habere videtur, tot ſolent turbines, ſivè impetuoſiores procellæ, ac tempeſtates per annum illum contingere. Sed non apparet ratio, aut congruentia, quæ ſit hujus herbæ ad tempeſtates & turbines prænotandos: Unde etiam *Kircherus in Chinâ illuſtr.* parùm fidei huic tribuit obſervationi: quamvis Batavi, ut refert *Eraſmus Franciſci in Atmoſphærâ*, veritate ſubnixam plurimum confirment. Ex Herbâ quadam Sinenſi.

9. Ex mari tempeſtatum, & turbinum ſigna evidentiora à nautis obſervantur. Undè, ſi Cœlo ſereniſſimo ex improviſo præter morem fiat tranquillum, totumque pacatum, ut in æqualiſſimam planitiem (quæ compareat quaſi glacies polita) videatur; excurrere; â nautis imminentium tempeſtatum ſignum haud fallax habetur: Ordinarie equidem ſumma tempeſtas maximam maris tranquillitatem conſequi ſolet: Et hoc evidentius, cum atra nubecula parva in Cœlo aliàs undique ſereno, quàm *Oculum bovis* vocare ſolent, ſimul obſervatur. Signa Ventorum ex mari.

10. Malum quoque nautis eſt ſignum, cùm tranquillo aëre mare ſubitò effervescit, intumeſcit, ſpumat, & bullas effert, ac magno ſtrepitu incluſus ſpiritus erumpit; ingentem equidem procellam indicat: Undè & *Cardanus de variet. Maris*, inquit, *ſonitus & fluctus, & mugitus in cavernis promontoriorum, & littoris reſonantiâ ventos indicant, & perſæpè tempeſtates.* Ex maris inſueto ſonitu, & fervore.

11. Dùm in mari ſubindè flammeus per aliquot dies apparet Cometes ingentis tempeſtatis per plures dies continuantis prænuntius eſſe ſolet. Eſt autem flammeus ejuſmodi Cometes aliud nihil, quàm continuum exhalationum ſub marinarum effluvium, ut rectè etiam ſentit *Kircherus in mund. ſubterr.* quod in mediam aëris regionem evectum, ibidemque condenſatum tandem ejuſmodi cauſare ſolet tempeſtatem, qualem *Maffejus* teſtatur ſe expertum Anno 1500. menſe Junio ad promontorium Bonæ ſpei, ſicut & graphice deſcribit his verbis. *A Braſiliâ ad Bonæ ſpei promontorium immani tractu Leucas numerant fere 1200. Oceani ſævientis ventorum furentium ea præcipuè regna ſunt. In id ſpatium audaciùs, quà felicius ingreſſis menſe Majo Luſitanis flammeus Cometes horribili ſpecie in decimum uſquè diem continenter apparuit; jamque variante ſæpius Cœlo, pelagoque, ſordidæque nubes ad ſeptentrionem conglobatæ omnem in ſe flatum quaſi reciprocando collegerant. Mare languidum erat, inſidioſa tranquillitas: nau-* Cometes flammeus in mari.

tæ locorum tempestatumque ignari ad auram undiquè captandam totos velorum expanderant sinus; cùm ex iis, quas dixi nubibus, universo repentè impetu sese effundens Aquilo transversas quatuor naves, quarum ad contrahendum minus aptè fuerant armamenta disposita, inspectantibus cœteris momento ità evertit, obruitque, ut è tanto hominum numero nemo prorsus evaserit, saluti reliquis fuêre, vel demissæ raptim antennæ, vel ubi id non licuit, vela ipsa vento disrupta. Deindè Borea pertinaciter flante pelagus identidem intumescere fluctus modò ad astra ferri, modò ad tartara penè ima subsidere, solem ipsum interdiu piceo, noctu igneo colore terrebat; viginti ipsos dies tempestas atrocissima tenuit. Hæc *Maffejus.*

12. Cùm etiam in mari nubes conglomeratæ circà Horizontem, eæque latiores & minus opacæ, sed paulò splendidiores observantur; indicant fore ut Ventus ex eâ parte brevi oriatur, & plerumque vehemens.

13. Ubi Ventus circumagitur ad varias Cœli plagas, tum periculosissimum Typhonem, quem *Orcan* vocant, ominantur Nautæ.

14. Signa quoque malè ominosa sunt, si ostreæ navibus, aliisque rebus se appendant; Si Cancri se recondant, aut lapillis gravitent; Si Cœlo claro majores pisces, præsertim tinni ex alto maris in conspectum se proferant, si Delphines in maris superficie ludant, vel per aliquot horas, aut etiàm dies naves comitentur; si igneum meteorum, quod *Helenam* vocant, navi insideat, aut præluceat; si plurimæ aves albæ marinæ convolent, & cœtum faciant; si æstus maris solitò citius præter morem contingat; & alia hujusmodi.

Signa ex Solis apparentiâ.

15. Ex Solis etiam apparentiâ indicia ventorum habentur: Si enim manè Sol oriens nigro procedat velamine æquè & pluvias & ventos portendet. Nubium enim nigricans color vaporum constipationem ac consequenter aptissimam ventis materiam denotat, præcipuè, si nubium ex arcto in latum fiat dissipatio. Si quoque dum Sol oritur ità nubibus obducatur, ut radii infrà instar barbæ promineant, vel si radii reconditi intrà obscuram nubem rubei compareant; vel si ad meridiem halone, sive coronâ Sol circumdatus compareat, vel in occasu cæruleus, aut atro quasi colore obscurus longè antè disparitionem occiduam, vel etiam nubes secum subducat: vel si loco, ubi igneus occidit, nubes crassæ, atræ, aut virides congregentur, vel tales, quæ intuentibus compareant, quasi sanguine, aut ardentibus carbonibus conspersæ. Semper autem, quoties Sol nubibus obvelatus, & obtectus est, & ex earum medio radius quidam gracilis, ac parvus evibratur, validi venti signum judicatur: Quò etiam Solis imago minor comparet, eò sæviorem & validiorem procellam timendam dicunt. Sed hìc etiam audiendus Mantuanus Vates, dùm canit *Georg. I.*

Sol quoque & exoriens, & cum se condet in altum
Signa dabit; Solem certissima signa sequentur.
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum;
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres: namque urget ab alto
Arboribusque Salisque Notus pecorique sinister &c.

Et Paulò post.

- - - - - - - - sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores,
Cæruleus pluviam denuntiat. Igneus Euros.
Sin maculæ incipiant rutilo immiscerier igni:
Omnia tunc pariter vento, nimbisque videbis
Fervere.

Ex Lunæ apparitione.

15. Ex Lunâ verò hæc signa Ventorum & tempestatum prognostica recensentur. Si imprimis, in primâ post conjunctionem cum Sole apparitione præter modum obscura, & cum inclinatis valdè obscuris cornibus compareat, & quidem si post tertiam aut quartam à conjunctione diem modò in conspectum veniat, quamvis alii horam centesimam ad prognosticon faciendum eligant: vel si, dùm Virginis percurrit signum obscurior appareat, vel si in parte Lunæ non illustratâ appareat ea rubea. prunea, aut cœrulea, vel primò lutea, deindè rubea, observetur unà cùm pluribus circà se circulis qui tamen non sint continui, sed modò hìc, modò ibi sint interrupti; vel si in plenilunio pluribus, ac diversi coloris circulis, seu coronis ambiatur.

16. Rubedo etiam non tantùm circà Lunam, sed & Solem, aliaque Luminaria Ventorum signum censetur esse haud fallax: Colores enim Luminarium cum ad umbrosas tincturas proximi sunt, pluvias; cùm ad rubedinem, ventos; ad album verò aureum, roseumque accedunt colorem, risum Cœli ut plurimùm promittunt. Unde versus antiquus.

Pallida Luna pluit: Rubicunda flat; Alba serenat.

Regula generalis ex Ventis circa Novilunium aut Plenilunium.

17. Hanc quoque regulam universalem anemoscopam ex ipsismet ventis, qui circà tempus Novilunii, vel Plenilunii spirant, observandi, & prænoscendi ventorum flatus reliquo tempore futuros, quidam ità præscribunt: Ventus, inquiunt, qui spirat in Novilunio, si perseveret ad tertium diem; continuabit usquè ad duodecimum: qui verò in Plenilunio spirat, si perseveret usque ad diem 18, continuabit usque ad 27 diem: Si verò spiret alius ventus intermedius, alternis vicibus spirabunt; pluries tamen qui tertio die. Similiter ex pluviis & aliis aëris constitutionibus ad eadem tempora observatis per reliquam Lunationem pluviarum, & serenitatis prædictionem fieri posse docent.

18. Cùm Boreas exsiccet, & Australes venti humectent: quoties igitur pedes sudant,

dant, vel vulnerata membra dolent, indicatur Auster.

Physa piscis ventum quemcunque spirantem indicat.

19. Orbis seu *Physa* piscis est rotundus, totusque capite constare videtur, hicque testibus plerisque Ichtyologis, ipsâque experientiâ adstipulante, hanc à Naturæ sapientissimo Architecto vim obtinuit, ut si exenteretur aut excorietur, & exsiccatus ac tomento oppletus è conclavium tholis suspendatur liberè, filo alligatus aut vitro suspenso inclusus, semper ad eam Cœli partem rostrum convertat, à quâ ventus proflat. Quâ de causâ *Gesnerus* etiam vocat eum germanicè ein See-Haan/ gallum scilicet Oceanicum seu marinum; eòquod sicut Gallus æneus versatilis in turribus templorum ac tectis domorum, ità hic piscis in aëre semper ventum actu spirantem indicet. *Kircherus* etiam *in Arte Magnet. lib. 3. part. 6. cap. 2. §. 6. Magnetem Æolium* vocat: additque, se ab Arabibus & Ægyptiis, aliisque, qui in Ægypto fuerunt, audivisse, quod ab accolis *Nili* patriâ linguâ passim *Allatrucho*, hoc est, *Deus Ventorum* dicatur, quod Ventis quasi imperare videatur.

CAPUT VIII.

Regulæ quædam Astrologicæ ad Ventorum prognosin servientes juxtà mentem Astrologorum.

1. Planetæ comprimìs in erectâ cœlesti figura, prout Astrologis commune est, ad ingressum Solis in puncta Cardinalia, in oppositionibus, vel conjunctionibus luminarium afflatus Ventorum portendunt. Ex quâ potissimùm plagâ sint spiraturi, & quarum qualitatum futuri.

Singulis Planetis conveniunt specia les Venti.

2. Planetis autem singulis peculiares quidam conveniunt Venti, quos excitare, & commovere potiùs, quàm alios compertum esse, volunt Astrologi. Ità Saturnus censetur esse motor Ventorum Orientalium, Jupiter Borealium, Venus Meridionalium, Mars Occidentalium & Australium, Sol & Luna Occidentalium; Mercurius verò anceps eorum, qui conveniunt iis Planetis, quibuscum associatus, aut quovis modo commixtus fuerit.

3. Solet prætereà qualitas Ventorum, quos nempè Planetæ excitare possunt, plurimùm etiam à situ, & loco Cœli, in quo nempè Planetæ existunt, dependere. Ità Planetas cum latitudine, & declinatione Australi in medio Cœli existentes volunt Astrologi eos movere ventos Meridionales; in imo Cœlo cum latitudine boreali, boreales: Orientales verò respectu Solis & Mundi movere ventos Orientales; Occidentales verò Occidentales. Quandò verò Planetæ respectu sitûs censentur imbecilles; dicunt eos commovere ventos intermedios.

Qualitas Ventorum ex signorum naturâ.

4. Qualitatem insuper spirantium Ventorum etiam ex signorum naturâ divinant, & quidem partim ex eorum Trigonis, partim ex ipsis signorum asterismis, quos stellæ fixæ alicujus signi constituunt. Ita signa Trigoni aërei, quæ sunt Geminorum Libræ, & Aquarii in genere iis Ventorum frequentiam denotant, in specie autem volunt ea commovere ventos inter Orientem & Septentrionem: Signa Trigoni ignei Arietis, Leonis, & Sagittarii ventos inter Septentrionem & Occidentem; Sicuti & Jupiter atquè Mercurius conjuncti cum Leone in latit. septentrionali ventos facere dicunt vehementes Septentrionales paululum ad Circium versus occasum declinantes. Id quod & *Cardanus observavit in Comment. text. 62. lib. 2. Quad. Ptol.* Signa verò Trigoni Terrei, nempè Tauri, Virginis, & Capricorni volunt excitare ventos inter Orientem & Meridiem; Signa deniquè Trigoni Aquei Cancri, Scorpii & Piscium Ventos inter Occidentem & Meridiem.

5. In Asterismis peculiares iis dantur Observationes: Sic Observatum esse dicunt ventos plerumque moveri à Gradu 28. Arietis ad grad. 4. Tauri, ob stellas Martiales Saturninas, & Mercuriales ibidem constitutas. Item à Grad. 17 Tauri usquè ad grad. 27 ejusdem propter Pleiades, & à parte Boreali Geminorum, Virginis, Libræ, Capricorni, & Piscium ob stellas quasdam Mercuriales, & Saturninas, Cancri quoquè stellati partes juxtà Præsepe terram concutere dicunt, & extimas ejusdem esse etiam ventosas: Sagittarii verò signum ventosum planè censent, ejus partem tamen Borealem magis ventosam, Australem verò variabilem & humidam.

Stellarum fixarum natura ad ventos excitandos.

6. Stellas quoquè fixas pro ciendis ventis multum virtutis & efficaciæ habere dicunt, quarum quidem natura ex Planetarum cognatione sumitur: Saturninæ enim ventos magis Orientales; Joviales Septentrionales; Martiales verò Occidentales; Venereæ Australes movere dicuntur. Sic Plejades, & Hyades, quæ de naturâ Màrtis sunt, ventos ab Occidente ciere vult *Origanus T. 2. Eph. part. 3. cap. 3. Aristoteli* Canis oriens dicitur movere ventos Septentrionales, Orion Meridionales.

Planetarum conjunctiones & aspectus ad ventos movendos.

7. Solent & Planetæ prout invicèm junguntur inter se, aut cùm aliis Stellis, corpore, vel radiis certos ventos excitare, & in specie quidem. I. Luna si Cancrum peragrat, ventos movet, & eò certiùs, cùm & Jovem ibidem attingit, ac quotiescunque etiam Jovi conjungitur. Quod si & Luna Mercurio conjungatur in signis aëreis, validos excitabit ventos. Si verò Luna & Mars cum signo terreo dominantur, causant ventos Australes, vel Orientales: quod si & Luna Sole in Capricorno existente Scorpium, Capricornum, Taurum, aut Virginem percurrat, ventos excitabit. II. Si Sol in Aquario fuerit, & Saturnus in signo opposito cùmque Luna alterutrum respexerit: frigidissimi

rigidissimi venti excitabuntur. Sol item cum Lancibus Libræ, cum Stellis Orionis, vel cum Oculo Tauri immixtis pluviis affert ventos. III. Saturnus si cum Arcturo, aut Stellis Orionis fuerit, ventos, imbres, aut pluvias dabit; cum Præsepi autem & Asellis ventos efflabit. Cùm item Saturnus & Mercurius cum signo aëreo dominantur, ventos Boreo-Subsolanos excitabunt. IV. Si Jupiter Soli, Marti, vel Mercurio permiscetur tempore, quo Orion exoritur, tunc sideris hujus vehementia sub ortum Sirii tempestatem causat, spiratque Aquilo aëris corruptionem difflans, & dissipans; perflant Etesii venti egelidi, & sicci, Autumnusque saluber erit. Semper autem Jovis, & Mercurii conjunctio ventos validos excitat. Jupiter etiam cum cervice Leonis Ventos movet. V. Mars Planeta maleficus præcipuè cum Arcturo ventos commovere solet. VI. Venus verò potissimùm cum stellis Mercurialibus. Tandem VII. Mercurius Planeta omnium maximè ventosus cum Dominus est aëris, ventos repentinos, turbinesque movet, quibus naves in mari, si non omninò pereant, saltem periclitantur. Stellæ quoque Mercuriales Eidem conjunctæ vires, & efficaciam ad ventos commovendos mirificè augent. Deindè in specie Mercurius cum capite antecedente Geminorum, cervice Leonis, vindemiatore, Lucidâ transtri navis, crure Pegasi, Aquilâ, Delphino, tàm Oriens, quàm Occidens ventos procreat. Cum crure verò Aquarii, ventre Ceti, Plejadibus, Famahand, Lucidâ Hydræ, nebulosâ Sagittarii, stellis in fronte Scorpii, generat ventos, & cum nebulis, & frigiditate. Cum cornu Arietis, caudâ Capricorni, nexu piscium generat ventos frigidos cum nebulis; cum caudâ Leonis subitaneos; cùm Canibus, Stellis Orionis, præsepi, Regulo, Hyadibus ventos tempestuosos cum Pluviis, imbribus, tonitruis, ac fulminibus: cum Spicâ Virginis, Stellis Aurigæ, cingulo Virginis, lancibus, Hercule, Deltoton, Stellis Aquarii ventos producit cum nubibus, & pluviis: denique cum Arcanar ventos calidos, & serenitatem producit.

8. Indicant postremò afflaturos ventos Ortus, & occasus stellarum fixarum cum Sole, & reliquis Planetis. Ita Regulus, seu cor Leonis Occidens cum Sole Aquilonem, quandoque Favonium per plures dies spirantem excitat. Plejadum exortus commovet Subsolanum, earundem verò occasus Aquilonem. Ortus Delphini cum Sole affert ventos. Arcturi Ortus, vel Occasus, sicut & Antecedentis caput Geminorum, ventris meridionalis Piscium, Stellarum Trianguli ventos excitant cum Sole, Saturno, Jove, Marte, vel Mercurio Orientes, vel Occidentes. Dexter humerus Aurigæ, Hercules, stella Aquarii, Corona, cingulum Virginis, Præsepe addunt præter ventos pluvias: Stellæ verò Orionis excitant ventos cum nubibus, & tempestatibus. Sol item cum lancibus Libræ, vel cum oculo Tauri immixtis pluviis affert ventos. Aquilâ cùm Sole Occidente venti Africi moventur: Vindemiator exoriens Aquilonem gelidum movet &c. Sed hæc Astrologica sunt, quæ ità retulisse sufficiat. An enim ità hæc experimenta, ut aliquandò certis locis, & temporibus comperta sunt, ubivis locorum, & omni tempore sese habeant, disputare nolo: In tantâ certè, & tam variabili cœlestium corporum dispositione, & diversimodâ radiationum combinatione, quæ humanam intelligentiam longè videtur excedere, certi aliquid universaliter constitui posse, non facilè audeo concedere.

Ortus & occasus stellarum quales ventos causent.

CAPUT IX.

Natura Ventorum ad rerum electiones.

Sumptio Medicamentorum.

1. Spirantibus Ventis Australibus Medicamenta sumere præsertim purgantia valdè conducit: membra siquidem tunc laxantur, ut Medicamentorum virtus facilius penetrare possit. Econtrà Aquilonaribus ventis spirantibus, quià corpora constringunt, Medicamentorum virtus, & efficacia cohibetur & impeditur.

Scarificatio & venæ sectio.

2. Spirantibus ventis Orientalibus, & Septentrionalibus Lunâ cursu vacuâ bonum est evacuare sanguinem, tum scarificatione tùm venæsectione Cœlo præsertim sereno: Austro verò flante minimè.

3. Venti Australes gravant Surdastros, quos Septentrionales juvant. Econtrà Venti Aquilonares Phthisicos valdè affligunt, quorum tusses mitigant, & Phlegmata citius resolvunt Australes.

Venti Australes valdè noxii.

4. Cavendi potissimùm Venti australes, quia morborum recidivas facilè adducunt, defluxiones, Catharros, Podagram, Pruritum, Pestem ipsam, & febres acutas producunt.

5. Orientales venti salubriores sunt in principio, quàm in fine diei: Occidentales verò econtrà salubriores in fine, quàm in principio diei.

6. Septentrionales venti serviunt generationi masculorũ in animalibus; vim enim digestivam juvant, virtutem retentivam confortant & vim generativam augmentant. Contrà verò Australes ob contrariam causam fœmellarum conceptioni potiùs deserviunt.

Ædificiorum situs.

7. Ædificia quæ commodissima sanitati habitantium esse debent; opportunè situantur & opponuntur ventis Orientalibus, aut Septentrionalibus: illis etiam ventis spirantibus ad auram salubriorem captandam fenestras, & domuum portas aperire valdè conducit.

8. Ventis Australibus spirantibus cellas claudere, granaria, & areas occlusione munire præstat contra eorum infestos flatus, & tunc

frumenta

menta frequenter vertere, ne corrumpantur, omninò conveniens est: Undè & Granaria in ædificiis, quæ optimè situata, & aperta sunt ventis Aquilonaribus, cautè claudenda sunt Australibus.

Seminatio & Plantatio. 9. In seminum jactu, ac Vegetabilium plantatione prævalent & valdè idonei sunt venti Australes, cùm poros terræ aperiant, plantas nutriant, & augmentent.

10. Plantas juvant, & mirificè fertiles faciunt Venti Australes, & Occidentales, quêis nocent, & eas penè enecant Aquilonares.

11. Multitudo Ventorum noxia est fructibus, paucitas noxia segetibus, Tranquillitas verò totius anni suspecta est de Pestilentiâ.

Sal quando uberius producatur. 12. Flante Boreâ copiosiùs Sal provenire solet, flosque Salis maximè producitur. Causam dat *Kircherus in Mund. subt. lib. 6. sect. 4. cap. 6. in appendice*: quod constrictivâ vi intensi frigoris in hoc vento corpuscula salina, quantumvis minima facilè constringantur, & condensentur.

Venti ad venationem aptiores. 13. Venti ad venationem aptiores sunt sicci, veluti sunt Septentrionales, & Orientales; minùs autem accommodi humidi, quales sunt Occidentales, & Australes: Canibus enim ab humore odoratus obstruitur, qui â siccitate acuitur.

14. Luna nova periculosa est navigantibus: timent nonnulli quintum, & sextum diem â Novilunio, quià plerumque illis diebus tempestates accidunt.

15. Mirabilis consensus est, quem Anguillæ habere dicuntur cum ventis Aquilonaribus, ut *refert Bodinus in Theat. naturæ*. Ipsis enim spirantibus sex dies sine cibo & potu eas vivere volunt: cum Austris autem dissentiunt, itàut his flantibus diu sine cibo & aquâ vivere non possint.

Venti juvant in bello tam terrestri, quàm navali. 16. In conflictu bellicoso tàm terrestri, quàm navali plurimùm confert Ventorum subsidium, ut eorum nempè flatus unà pugnent in hostiles acies, fumum, ac pulverem impellendo. Ità *Homerus iliad: M.* Ventos scribit Græcis fuisse adversos, dum vincerentur. Ità *Theodosio* Augusto imperante, & cum Gothis parvâ manu conferente tantus Ventorum turbo est subitò exortus, ut in hostium oculos, vultúsque pulveres respergeret, eósque terga vertere cogeret: atque hujus rei etiam meminit *Claudianus.*

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica Venti.

Ità *Macrinus* Imperator cum *Heliogabalo* infeliciter pugnavit propter adversum ventum, ut testatur *Herodotus lib. 5.* Econtrà *Telemonti* pugnanti contrà Carthaginenses tempestatem à tergo exortam præsidio fuisse, scribit *Plutarchus in Timeleonte.* Ità quoque Anno 1588 *Philippus* Hispaniarum Rex ingenti classe, centum, & quinquaginta navium in Anglos immissâ infelicem habuit Martem, dùm adverso depugnavit vento. Econtrà memorabilem eam Victoriam, quam Anno 1522 de Turcarum ingenti classe tulit *Joannes Austriacus ad Naupactum*, ipso in conflictu haud parùm Ventorum flatus propitii Christianis in subsidium accurrentes promoverunt. Vix clades ab hominum memoriâ antè pugnam hanc navalem Domui Ottomannicæ sævior obtigit unquàm: Triremes enim ac alia navigia, quæ à Christianis occupata dicuntur, fuerunt numero 170: reliquæ naves omnes submersione vel incendio periêrunt.

17. Licet Batavi verè Neptunini, sicut & Angli. atque Lusitani nullo non anni tempore opportunitatem nacti è littore solvant, & quaquaversum per omnes marium tractus divagentur, dummodò eos glacies marina non detineat: ut tamen securiùs maritima itinera instituant, ac quævis maria trajiciendo terras alio Sole calentes feliciùs attingant, tempus navigationibus magìs opportunum & loca certis ventis afflata, in certis temporibus nosse apprimè conducit. Sic olim etiam apud Romanos, quibus mare mediterraneum duntaxat innotuerat (cum ab illis Oceanus non frequentaretur) ex die 3 Iduum Novembris maria claudi dicebantur, eoquod maris mediterranei intumescentis effusio esse soleat circa Vergiliarum, Plejadumque occasum. Jus etiam civile præscripsit, tempus navigationis ex Calend. Aprilis in diem Calendarum Octobris. *Lib. 3. C. de Naufr.* Laudat insuper *Lucanus lib. 3. Pharsaliæ*, Telonem Massiliensem eâ peritiâ instructum, dùm canit: Conduci nautis Ventorum habere peritiam.

Dirigit huc puppim miseri quoquè dextra Telonis,
Quâ nullam meliùs Pelago turbante carinâ
Audivêre manum; nec lux est notior ulli
Crastina, seu phœbum videat, seu cornua Lunæ,
Semper venturis componere carbasa Ventis.

Proindè benè & utiliter tempora navigandi *P. Ricciolus lib. 10. Geograph.* Sicut & *Varenius in Geograph. Generali* recensent. Nobis autem hic sufficiet Ephemeris nautica sequens, quæ ex supra dictis potissimùm collecta, Lectori curioso prostat ad usum, & doctrinam.

Ephemeris nautica,

Ventos per annum diversis locis dominantes, & tempus aptum navigationibus indicans.

Mense Januar.	Ad *Pataven* Indiæ Orientalis ventus flat Zephyro-Boreas cum pluviis ferè continuis.
	In Oceano Africam inter & Indiam venti spirant Orientales versus Occidentem ab hoc mense usque ad initium Julii.
	Diepenses, ut ad mare rubrum navigent, solvunt initio hujus mensis.
	Cochino in Lusitaniam commodè hoc tempore navigatio instituitur.
	Batavi ex Javâ hoc, & sequenti mense in Europam navigant.
	Ex *Malabarico* littore opportunè naves petunt *Persiam*, *Arabiam*, & *Africam* usque ad finem Martii.

 Febr.

Febr.	*Cochino* benè solvitur navigaturis in *Lusitaniam.* *Malacâ Goäm* â 10 hujus mensis. A *Japonia Chinam* petituris præstò sunt ad littora *Chinæ* Eurus, & Euro-Boreas hoc & sequente mense. In Insula *Madagascar* hoc & sequenti mense venti spirant ab Oriente & Austro.
Martio.	*In Guzurate* Indiæ Cisgatanæ littore ab hoc mense usque ad Septembrem spirant venti Septentrionales. Ad *Bandam* Insulam Venti Occidentales dominantur usque ad finem Aprilis: Indè verò venti variabiles, & malacia. Ad promontorium *Punto Gallo* in Insula *Ceilano* ad 14 hujus primus ventus Occidentalis collateralis, deinde Zephyro-Auster. Ad Promont. *Bonæ Spei* Boreas, & ejus collateralis ad Eurum dominatur. In Regno *Congi* Africæ â 15 hujus usque ad Septembrem spirant Boreas, Zephyro-Boreas, & Zephyrus. Initio hujus mensis *Jocattâ* navigatur in *Hollandiam.* Diepenses in *Grœnlandiam* ad Piscationem cetorum navigant: redeunt Octobri. Ex *Japoniâ* Sinas. Ex Gallia ad *Canadam* circa Æquinoctium. Diepenses ut navigent ad promontorium *Nord* in Americâ sub finem mensis hujus solvunt; redeunt in Augusto.
Aprili.	In *Anglia, Russia,* & *Moscoviâ* ab initio hujus spirant ferè continuò per dies 40 venti Orientales. Ad promontorium *Punto Gallo* â principio hujus usque ad 1. Octobris Zephyro-Auster ferè est continuus. Ad promont. *Bonæ Spei* Boreas, & ejus collateralis ad Eurum. In mari *de Bengala* ad diem 20 hujus ventus Auster vehemens flat. Ante verò hunc diem nunc Zephyro-Auster, nunc Zephyro-Boreas impetuosi spirant. Ex *Lusitaniâ Goäm* solvendum â 4 usque ad 12 hujus. *Ormusiâ Goäm* solvendum die 15 hujus. *Goâ*, aut *Cochino* in *Japoniam* sub finem hujus mensis. *Hispali* in Indias Orientales. Reditus fit in Septembri.
Majo.	Ad *Bandam* hoc mense Venti Oriuntur Orientales vehementes, & pluviis fœti. Ex Insula *Madagascar* circà finem hujus flant Boreas & Zephyro-Boreas. Ex *Javâ* petituris portum *Macaum* spirant venti Occidentales. Ex *Hollandiâ Goäm* initio hujus mensis solvitur. Ex *Hollandiâ Spizbergam* die 18 hujus.
Junio.	Hoc & sequentibus mensibus Julio, & Augusto bona est navigatio ad Transgatanæ Indiæ latus versus *Coromandelium* & *Narsingam.* A *Maco* Japoniam petituris venti dominantur Occidentales hoc, & sequenti mense, qui tamen frequenter à Borea, & Euro-Borea interdiu interpellantur; noctu verò Euro-Auster sese exerit. *Qui Manila* solvunt petituri portum *Acupulco* novæ Hispaniæ hoc & sequentibus mensibus duobus Julio, & Augusto utuntur vento Occidentali ad littora Americæ Septentrionalis, non verò dirigunt cursum per Zonam torridam. Circa littora Asiæ & Indiæ Cisgatanæ hoc & sequentibus mensibus Julio & Augusto ob sævas procellas, ac Borealium ventorum vehementiam navigatio omnis cavetur.
Julio.	Ad promontorium *Viride* spirant venti Australes. *In Polonia, Moscoviâ, Russiâ,* & cæteris regionibus trans *Carpathum* & *Taurinos montes*, ac *pontum Euxinum* â 10 hujus usque ad finem Augusti venti dominantur Australes. Eodem verò tempore *Constantinopoli*, & per totam Græciam, Anatoliam, ac Ægyptum spirant Etesiæ Venti Boreales. A *Malacâ* ad *Macaum* Sinarum portum venti dominantur Australes, Austro-Zephyrus, subindè & Euro-Auster. Ad *Malacam* tamen, & in littore Chinensi sæviunt Zephyri hoc mense. In littoribus *Malabricis* Indiæ hoc & sequenti mense spirant Boreas & Zephyro-Boreas.
August.	In Chinensi mari hoc mense venti sunt admodum varii, inconstantes & procellosi.
Sept.	In *Guzurate* Indiæ Cisgatanæ littore ab hoc mense usque ad Martium dominari solent venti Australes. In Regno *Congi* Africæ ab hoc mense usque ad Martium flant Auster, Austro Zephyrus, & Zephyrus. Ad promont. *Bonæ Spei* spirat Græcus & Zephyro-Boreas. Hoc mense benè solvitur ex *Indiâ Hispalim.*
Octobri.	In mari Chinensi Venti hoc mense sunt inconstantes & procellosi. Ad Promontorium *Punto Gallo* ab Octobri usque ad Martium dominari solet Euro-Boreas. A *Ceilano* in *Javam* & *Moluccas* Orientem versus ob motionem Occidentalem commoda est navigatio. A *Malacâ* ad *Macaum* Sinarum portum hoc mense & Novembri, & Decembri venti dominantur Austro-Zephyrus, subindè & Euro-Auster. Ex *Japoniâ* solvitur in *Indiam.*
Nov.	Ad *Pataven* Indiæ Orientalis hoc & sequenti mense plurimum dominatur Zephyro-Boreas cum pluviis continuis.
Decemb.	Ad diem 25 hujus navigatur commodè *Ormusiâ Goäm.* *Jocattâ* in Hollandiam solvitur circà Natalitia.

DISQUI-

DISQUISITIO III. METEORO-SCOPICA.

Quâ præcipuorum quorundam in Naturâ Meteororum Causæ, affectiones, seu proprietates, ac Phænomena potiora perquiruntur.



E Ventis, eorum Naturâ, ac variis affectionibus multa contulimus *capite præcedenti*: Succedunt his alia præcipua quædam Atmosphæræ Geocosmicæ spectra, atque aërearum regionum admirandi partus, & Phænomena, quæ ut rectè loquitur vir in Meteororum scrutinio sagacissimus *Fromondus*, ideò Natura, aut Naturæ Author Deus in alto suspendit, atquè Oculis nostris exposuit, ut suspiceremus CREATORIS in mirabilibus suis sapientiam, & majestatem. Hinc & *M. Tullius 2. de Nat. Deorum* refert ex *Cleanthe* unam è quatuor causis, per quas Numinis divini notiones hominum mentibus inditæ sunt, esse prodigia cœlestia, sivè mira illa in Cœlo aëreo suspensa phænomena. Quæ â Philosophis *meteora* appellantur. Dicuntur autem usitatè *Meteora*, Corpora illa imperfectè mixta nata præcipuè in sublimi, sivè aëre, & vicino elemento ex vaporibus & exhalationibus vi caloris sivè subterranei, aut cœlestis eductis, & elevatis de siccioribus terræ locis, vel humidis, ac irriguis, sed extenuatis, caloréque deindè aut frigore in igneam, aëream vel aqueam substantiam commutatis. *Impressiones* etiam vocari consueverunt, quòd aëri novam quandam formam imprimant, vel quòd in aëre â causâ extrinsecâ impressa cernantur.

Et quoniam (ut benè canit *Pontanus*) *tres in partes distinguitur aër;* Lib. de Meteor. cap. 13.
Prima æquè patiens est frigoris, atquè caloris,
Alternasque vices alternâ sorte rependit,
Vere tepens, Æstate calens, eadem horrida Bruma,
Proxima ab inflexu radiorum amota, malignum
Frigus, & algentem latè complexa rigorem,
In quem cœruleus passim vapor actus inerrat,
Undè cadunt imbres, undè & nix concitat alas:
Ultima torrenti semper sitit usta calore
Flammarum, consueta vagos involvere tortus.

Idcircò etiam juxtà tres hascè aëris regiones, quæ sunt omnium meteoricarum impressionum receptaculum, triplex imprimis differentia Meteororum usitatâ distinctione sumitur: Quædam enim Meteora sunt ignea & calida; quædam aërea, vel aquea, & frigida; quædam mixta: Sivè alia sunt simplicia, alia composita. Simplicia sunt aut ignita, aut aërea, aut aquea: Composita verò his mixtis constant. Est tamen alia adhuc communior distinctio, ac differentia Meteororum, quæ ab Elementorum numero desumitur: Undè quædam dicuntur ignea, quædam aërea, quædam aquea, reliqua terrea: Licet autem hæc ab *Aristotele lib. 4. Meteor.* inter meteora recenseantur, ab aliis tamen, cum sint corpora metallica subterranea, atquè perfectiora, inter ea minimè computantur: Manent ergò tria hæc ignea, aërea & aquea, de quibus tam generatìm, quàm speciatim plura subijcimus.

CAPUT I.

Principia Generationis Meteororum breviter exponuntur.

Materia propinqua Meteororum.

1. MAteria propinqua omnium Meteororum est vapor, & exhalatio, ut rectè docet *Aristoteles lib. 1. Meteor. cap. 4.* Omnia enim ex his oriuntur, sivè permixtis, sivè singularibus. Intelligi autem debent nomine Vaporis, & exhalationis effluvia, sivè corpuscula omnium humidorum, & siccorum cujusvis speciei & differentiæ. Undè Vapor est halidus, sivè exspiratio calida & humida, quæ ab humore alicujus rei ortum trahit: Exhalatio verò est spiritus, sivè exspiratio calida & sicca ex siccis, ac spirituosis rebus proveniens: prout ergò variæ sunt rerum species, ac differentiæ, etiam varii possunt esse halitus, seu effluviorum differentiæ, eæque non minus specie, quàm res ipsæ, quarum effluvia sunt, inter se differre.

Vapores quomodò ab igne eleventur.

2. Sicut nullum ferè est in Naturâ mixtum, quod non à Sole, vel alio igne subterraneo beneficio caloris attenuari possit: ità nullum quoque mixtum est, quod non similiter in suas partes elementares resolvi queat: Sicut itaque se habet ignis subterraneus ad abditas mineralis miscellæ cryptas, & ignis artificialis ad alembicū, in quo mixta corpora per halitus separantur: ità Sol vel ignis subterraneus se habent ad omnia Geocosmi resolubilia corpora, ut sunt humida omnia, sivè quæ quomodolibet quovis humore prædita sunt; ac sicut aucto, vel diminuto colore artificiali exhalationes & evaporationes rerum nunc promoveri, nunc verò retardari possunt: ità quoque calore Solis, vel ignis subterranei magis aucto, vel diminuto in uno, vel alio loco nunc magìs, aut minùs etiam pro ratione constitutionis corpucula vaporosa ex quâcunque humidâ materiâ elevari possunt.

3. Quemadmodum uniuscujusque Regionis solum, & terræ qualitas multùm ab aliis differt: ità etiam exhalationes, & vapores indè exeuntes, diversæ quoque in qualitatibus erunt; adeoque unius loci exhalationes, & vapores dissimiles erunt iis, qui in aliis locis elevantur.

4. Corpuscula, seu effluvia sursum quâcunque virtute elata essentiali formâ non differunt à rebus, è quibus educta sunt; non secus ac vapores, atquè exhalationes speie non differunt ab aquâ & terrâ, ut cum *Aristotele Peripatus* tenet. Quocircà in aëre non tantum erunt effluvia humida & sicca, vapores, scilicet, & exhalationes, quæ sunt aqua & terra; Sed tot erunt illorum species simul permixtæ, & confusæ, quot sunt species rerum, ex quibus vi caloris, aut ignis, aut aliâ simili actione resolvuntur. Hinc concipi facilè potest, aërem panspermiâ quadam, ut Doctiores loquuntur, sivè seminali quadam rerum omnium virtute repletum esse; cùm ramenta quædam seminalia magis spirituosa ex omnibus mixtis decisa, & sursum elata, & in se concepta ad novam genesin complexu suo ordinare possit. Panspermia in aëre.

5. Imò quia & Aqueum Elementum panspermiâ quâdam refertum ostendit Doctiss. *Kircherus in Mund. subter.* fieri non potest, quin non unà etiam cum aqueis corpusculis heterogenea quædam spermatica corpuscula ab omni sensu remota simul eleventur. Ac rursus, quià plantæ, & arbores bituminosos, viscidos, resinosos, aliosque halitus emittunt Naturæ unicuiq; proprios mox ac Solis radiis percutiuntur: Prætereà etiam quia Sol mineralem telluris superficiem verberans salinos, nitrosos, sulpheros, cœterorumque mineralium halituosos spiritus evocat, ac educit, quod & de animalibus omnis generis pari modo intelligi debet: Talis quoque panspermatica substantia, cum ob levitatem suam, ac mobilitatem facilè de loco in locum etiam moveri possit: Hinc denuo iterum facilè concipi potest, quomodo accedente ventorum vehiculo talis aerea panspermia in universas, quaquà patet mundi partes difflari, atquè translatò etiam extrà natalem locum seminario, novam quandam Oeconomiam Meteoricam fundare possit. Panspermia in elemento aquæ.

6. Cùm radii solares reflexi in Zonâ torridâ sinè dubio altiùs ascendant, quàm extrà eam, & iidem in Zonis temperatis, ac frigidis altiùs evehantur æstate, quàm Hyeme, ut superiùs indicatum; non videtur quomodò accuratè determinari possit altitudo regionis aëreæ, ad quam evaporata corpuscula pro meteoricis impressionibus continuò eleventur. Deindè etiam quià neque caloris vis penes distantiam à polo æstimari potest, hinc etiam nec quicquàm circà aëris regiones penes eandem distantiam determinari potest. Ut enim experimentis patet in *Russiâ* Hyems solet esse acerrima; *Edenburgi* verò, cujus eadem est latitudo, satis est temperata. Et Hollandi se in *Groenlandia* ad 80 gradum latit. læta pascua invenisse restantur: Insula verò *Charletonii*, cujus latitudo est 52 Grad. præ frigore penè deserta est. Sic & in *Moscoviâ* æstas sæpè fervidior est, quàm in Angliâ: ac Teste *A Costâ* multæ sunt Regiones sub Æquatore Aëris Regio, in quâ Meteora fiunt, præcitè determinari non potest.

quatore valdè temperatæ, in quibus sæpè montes sunt nivibus opaci. Proindè dubium nullum est, quin exhalationes in uno loco, ac tempore aliùs evolent, quàm in alio loco, ac tempore, prout nempè aër ipse terræ incumbens aliter atque aliter per calorem attenuatus, ac melius halituum perspirationibus fuerit accommodatus. Hinc itaque deduci potest sæpè in aliquo loco, & tempore etiam impressiones aliquas contingere posse, quæ alibi nullatenùs, aut vix unquam, aut saltem rariùs obtutui sese objicere possunt.

Naturæ pericyclosis ubivis. 7. Gaudet Natura ubivis perenni quadam pericyclosi, ut memoratus suprà *Kircherus* præclarè ostendit *lib. cit.* Undè fit, ut, ubi perpetuo terra multùm exhalat, aut evaporat: ibidem etiam per meteoricas impressiones denuò decidentes abscessus restauretur. Ità in humidioribus & calidioribus locis, quia plures ascendunt vapores; ibidem etiam imbres & pluviæ uberiores esse solent: Ubi autem solum est magis siccum, & pauciores emittit halitus, ibidem & aër minùs per impressiones alteratur.

Quomodo motus causat calorem. 8. Multùm facit ad caloris productionem motus: cùm autem hic in inanimatis per attritionem corporum contingat, ut variis experimentis ostendi potest: haud improba hujus effectûs causa videtur esse, quòd in quolibet mixto, dum multæ eidem particulæ sulphureæ, & spirituosæ insunt, eæ ipsæ per attritionem excitentur; & unà mox confluant ad se invicem, itaque uniantur; cùm, ut ajebat *Democritus Abderita*: *Natura naturâ delectetur*: & dicente *Platone*, unum quodque affectet id, à quo perfici, sive in esse conservari possit. Quocircà etiam communiter à Philosophis calori tribuitur, quod ejus sit homogenea congregare, & heterogenea disgregare. Ex quibus jam deducimus, vaporosa ac halituosa corpuscula sursùm elevata, si vel ventorum flatibus, vel aliâ quâcunque de causâ plurimùm agitentur, & de loco in locum deturbentur, eadem ex attritu mox incalescere: quò fit, ut partes similares imprimìs non tantùm concurrant, unàque se prehendant; sed ubi motûs agitatio major efficitur, etiam calor indè intensior evadet, qui ad extremum gradum deductus tandem ignem producet, ac miscellam mox quovis modo coäctam, aut loco dispersam incendet, & in flammam concitabit. Prout autem ex particulis illis nitrosulphureis aliæ magis viscidæ bituminosæ, oleosæ, similesque magis minùsque tenaciter adhærebunt, vel aliæ quædam lentæ implexæ fuerint, etiam flammea illa hypocatastasis nunc citiùs, nunc lentiùs efflagrare, itaque breviùs aut diutiùs comparere poterit. Si unà partes plurimùm efferre commixtæ (quales sunt admodùm nitrosæ) quæ tonandi vi pollent: haud levem unà sonum procreabunt.

Contrarium unum fugit alterum. 9. Constat autem in rerum naturalium Oeconomiâ id singulare esse, quod unum contrarium fugiat alterum; sive quod unumquodlibet fugiat id, à quo destrui potest, ut ajebat *Plato*, quæ fuga aliquandò à Philosophis *Antiperistasis* nuncupatur. Natura igitur caloris sollicita ad sui conservationem, mox ut contrarii frigoris obsistentia occurrit, se contrahit, & particulas omnes maximè congeneres anteà dispersas, & latiùs expansas unit, quò possit occurrenti hosti validiùs obsistere. Hoc ipsum experimus in vaporosis effluviis Solis calore à tellure abactis, quæ dum liberum aërem permeant, mox ubi frigus mediæ regionis aëreæ occurrit, contrahuntur, ac condensantur, indeque nubes efformantur, quæ eousque tantum ascendunt, donec fit earum æqualis cum aëre libratio; undè & nubes aliud nihil esse solet, quàm vapor exhalationi, ut inquiunt, mistus, & in mediam aëris regionem elevatus, ibiq; frigore citrà congelationem addensatus. Sed de nubibus speciatim pluribus infrà.

10. Præter ignem solarem & subterraneum etiam aliorum cœlestium corporum radiatio, situs, aspectus, virtus, ac influxus materiam halituosam, aut vaporosam in interioribus elementorum corporibus præparare, movere, elevare, ac ad singulares quasdam formas aëri imprimendas aptare potest: non enim elementa peregrinas qualitates recipiunt, induunt, ac gignunt, nisi potentiâ Cœli iisdem applicetur, & motus corporum cœlestium, præsertim Lunæ, quibus hæc inferiora maximè excitantur, illis subministrentur. Hinc nata Astrologia illa naturalis, quæ experimentis, ac observationibus nixa juxtà Lunæ, aliorumq; Planetarum motus, phases, ac phænomena temporis alterationem prænoscere docet, eaque licet non sit semper certa & infallibilis; non tamen etiam semper vana dici potest. Ad Meteororum genesin conducit astrorum virtus. Astrologia naturalis.

11. Quamvis Meteora omnia suas habent causas naturales; non possunt tamen eæ semper ostendi. Constat enim ex S. Scripturâ multa oriri à primâ causâ rectrice, & moderatrice universæ Naturæ incomprehensibili, ac infinitâ præter communem, consuetum, & solitum ordinem, ac modum, quæ liberrimâ voluntate, sine connexione Stoicâ secundarum causarum perficit, mutat, & excitat, quæque insolitorum & singularium casuum sunt prænuntia. Multa etiam moliuntur, & turbant in aëre Spiritus mali, sive Dæmones, tùm per se, tùm per magos, & maleficos, Dei tamen permissu, sine quo nihil efficere possunt. Undè etiam Dæmones ab Apostolo *Paulo* vocantur *aëreæ potestates*, & *Principes aëris hujus*: & grandinem, quâ Ægyptii puniti sunt; expresse dicit Psaltes *Psal.* 77. missam fuisse *per Angelos malos*: Quatuor etiam Angelos, quos vidit *S. Joannes Apocal.* 7. *stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque iu ullam arborem*, ut sic maxima damna hominibus inferrent, plerique SS. PP. & Interpretum dicunt fuisse Angelos malos. Constat præterea etiam ex innumeris historiis, & exemplis tùm antiquis, tùm recentibus id confirmantibus; de quibus vide *Olaum Magnum lib. 3. cap. 16. Victorium lib. 19. variar. lect. cap. 21. Pausaniam in Arcadibus. Cassium lib. 56. Xiphil. in annotat. Remigium lib. 1. Dæmonologiæ cap. 25. Delrium lib. 2. disq. mag. Bodinum l. 2. c. 8. Schott. phys. curios.* Causæ Meteororum sæpè incognitæ. Multa fiunt per Dæmones, & Magos.

curios. lib. 1. cap. 34. *Erasmum Francisci in Atmosphærâ*, & plures alios.

Causa formalis Meteororum. 12. Causa porrò Meteororum *formalis* duplex esse solet, *Propinqua* scilicet, & *Remota*. Prior est vis evaporationis, quæ pro suâ naturâ novam formam vapori inducit. Posterior sive Remota est ipsa qualitas aëris, quæ pro naturâ loci, motûs ac materiæ; item variâ, eâque dissimili astrorum operatione in ipsas exhalationes, & vapores aliis, atque aliis modis naturæ formam attribuit. Hinc sunt dissimiles, & diversæ formæ horum vaporum miro quodam modo, & ordine distinctæ. Alia insuper est forma *generalis*, estque vel exustio, quam ignea meteora habent; vel congelatio, uti apparet in nive, grandine, & pruinâ: vel incrassatio, ut est in rore, pluviis: vel coloratio, uti eam habent iris, corona, halo, parelius. Alia verò est *specialis*, quæ pro figurâ materiæ sumitur: uti habet Draco volans, lampas, stipulæ ardentes, & alia hujusmodi phasmata.

13. Cùm etiam omnia ad certos in naturâ fines ordinata sint, causa *finalis* Meteororum vel *physica* est, vel *theologica*: *Illa* est Universi perfectio, mutua Elementorum contemperatio, aëris repurgatio, terræ fæcundatio, futurorum prænotatio: *Hæc* verò Dei cognitio, amor, honor, atque etiam impiorum terror: proindè benè scripsit *D. Damascenus Medit. 2. lib. suæ parænesis cap. 1. Loquitur cum hominibus Deus non modò humanâ linguâ per sacros vates, ut à peccatis avocentur, & resipiscant; sed nonnunquam ipsis elementis in formas, & imagines diversas ad eorundem terrorem compositis.* His ità præmissis jam de Meteoris speciatim observationes, & præcipua quædam comperta experimenta proferamus. Causa finalis.

CAPUT II.

Regulæ & Observationes Meteorognomicæ de Meteoris in specie, ac comprimis de Frigore.

§. I.

De Frigore, & ejus naturâ.

Frigus quid sit. 1. Frigus nihil aliud videtur esse, quàm partium insensibilium quies, aut tardior motus. Undè tunc res à nobis frigida percipitur, cùm illius partes insensibiles, aut nullo, aut tardiori motu, quàm partes sanguinis, vel spirituum agitantur. Ità Recentiores. Quocircà & tempore frigido odores obtusiores redduntur, fiuntque minùs sensibiles, quia Frigus corporum meatus obstruit, atque eorum partes in quiete retinendo, impedit, ne corpora resolvantur, & halitus liberè avolare queant.

Glacies quomodo fiat. 2. Glacies etiam tunc fieri censetur, cùm partes anteà in motu positæ sistuntur, & ex flexibilibus fiunt rigidæ, ac fragiles.

3. Uti primus caloris effectus est rarefactio, dùm rei calefactæ partes celeri, & turbinato motu agitantur, & majorem locum postulant: sic præcipuus frigoris effectus videtur esse condensatio. Hinc liquores oleosi, imò & dura quælibet corpora frigoris vi densantur, & contrahuntur. Præcipuus frigoris effectus est condensatio.

4. Quæcunque corpora partes habent maximè mobiles, veluti spiritus vini & aër ipse, aut ramosas, & minutiores, hæc frigus contrahit. Motum quippè concitatum partium imminuit, non omninò tollit, ut docet clarissimus *Du Hamel phys. gener. tract. 3. dissert. 2. cap. 4.* Aër autem præ frigore contrahitur, vel quòd illius partes non adeò celeriter moveantur; vel quòd vis ejus elastica plurimùm imminuatur.

Quænam congelari queant. 5. Corpora ferè omnia, in quibus aqueus humor dominatur, congelari, & in glaciem converti possunt: fluida verò, quorum partes aut sunt tenuiores, & ab æthereâ substantiâ nimiùm agitatæ, uti spiritus vini: aut ramosiores, & aliæ aliis implicitæ, velut olea penè omnia, in glaciem propriè non abeunt; sicut nec liquores, quorum partes sunt graviores, & nimiùm agitatæ, ut spiritus salium, & hydrargyrus. Notavit etiam *Bartholinus de niv. cap. 8.* succos quò nobiliores & fortiores, eò difficiliùs frigore constringi.

6. Sereno tempore majores fiunt ac duriores glacies, quàm nubilo: Similiter quod tenuius est & rarius, citiùs congelascit: nam rariora magis penetrat frigus, & quæcunque naturâ frigida sunt, ut inquit *Galen. 1. de simpl. medicam. cap. 16. & 17.*

7. Aquæ in vase contentæ, dum pars summa primò in glaciem abit, vas diffringi solet. Nam quæ subest aqua, ubi congelatur, expanditur, & cum ejus dilatationi locus non pateat, vas confringit. Contrà accidit, ubi congelatio ab imo incipit.

8. Cùm aqua artificialiter congelatur, adeò rarescere potest, sicut observavit solertissimus *Boylius*, ut nonâ vel decimâ sui parte attollatur. Hinc fit, ut glacies aquæ innatet, quod ob partes raritate extensas in mole suâ fiat levior. Vide *Borellum lib. de mot. nat. à gravit. factis prop. 272. & seq.*

9. Tanta vis est frigoris, cùm partes aquæ distendit, ut lento quidem, sed continuato partium nisu solidissima quæque corpora valeat disrumpere. Ità à Clarissimo D. *Hugenio* observatum fuit, tubos ferreos sclopetorum aquâ impletos, & diligentissimè occlusos, dum gelido aëri fuissent expositi, cum impetu disruptos esse.

10. Cùm frigoris vi quædam corrumpuntur, indè id fieri videtur, quod frigus partium texturam, ac ordinem ità immutet, ut vix restitui possit: dum scilicet aquosæ partes dilatantur, fibræ & solidiores particulæ disrumpi solent. Sic in frigidissimis regionibus, ut Russiâ, Islandiâ, Norwegiâ, ubi frigus riget acrius, sæpè aures, & nares, aliæque partes vi frigoris corrumpuntur, nec aliud malo magis opportunum reme- Quomodo à frigore res corrumpantur.

remedium, quàm si partes illæ sideratæ frigidâ aquâ perfusæ nive in calidiore loco obducantur; tunc enim sensim meatibus apertis sanguis, & spiritus in partes illas depravatas denuò illabuntur.

Frigus undè sæpè acriùs.

11. Frigus acriorum halituum certâ permistione efficitur sævius. Hinc venti sæpè adeò frigidi in certis temporibus, & certis terræ regionibus spirant, non ità in aliis temporibus, aut regionibus. Hinc etiam frigoris vis non penes terræ situm versùs polum æstimanda est: sæpè equidem frigus in quibusdam locis, etiam à polis remotioribus longè acrius est, quàm in iis, quæ sunt polis ipsis viciniora. Sic frigus in Ukraniâ Poloniæ Provinciâ est acerrimum, cùm tamen eadem ferè sit ejus latitudo, quæ in Normanniâ. Sic in regiâ Sinarum civitate ad 42. grad. latit. sita, qualis etiam est Romæ, ingens fluvius in Novembri intrà unum penè diem frigore concrescit, & congelatur, nec glacies solvitur, nisi post quatuor menses exactos. Sic in Africâ ad *Caput Bonæ Spei* mense Junio & Julio nocte aqua in glaciem congelatur, & in montibus *Lunæ* 12 milliaribus ab hoc promontorio distantibus maxima nivis copia Sole licèt ferventissimo reperitur. Causa certè halitibus frigorificis potiùs in uno, quàm in alio loco erumpentibus videtur adscribenda.

12. Cùm boreales venti quasi ex altiore loco præcipites ferri advertantur, tunc, quia & gelidus aër à media regione per hos ventos ad nos defertur, ingens frigus consequi solet.

Aër post pluviam undè frigidior.

13. Aër post pluviam solet esse frigidior, quòd frigidum aëra secum pluvia adduxerit: Nec enim terreni halitus, aut vapores aquei sunt præcipuæ frigoris causæ, sed aër potiùs ille, qui ex superiori regione unà cum pluviâ advectus est.

14. *Cardano* docente *de variet. lib. 15.* Quod si hyeme res, quæ madidæ esse solent, ficciores videantur, aut guttæ ex tectis manantes lentiùs cadant, & quasi hæreant; gravioris hyemis, & gelu indicia sunt.

15. Cùm ad initium frigoris acrioris in hyeme venti spirare solent Orientales, frigus sævum aliquamdiù duraturum significat.

Signa remissionis frigoris.

16. Cùm in hyeme frigus aliquo tempore continuatum præter morem, & solito acriùs sævit, remissionis signum est: Certiùs autem, cùm muri, parietes, lapides, & alia quæcunque libero aëri exposita emisso madore quodam, quasi pruineto candicant.

Frigus juxtà Lunæ phases crescit.

17. Crescere plerumque solet cum Lunæ phasibus frigus, ità ut tempore Plenilunii majus percipiatur, quàm tempore Interlunii. Causam assignat *Kircherus in Art. Magn. Luc. & Umbr. lib. 1. part. 1. cap. 14.* quòd radii Lunares attenuantes suo à se genito tepore rarefaciunt crassiorem vaporum roscidorum materiam, undè factâ aëris incisione tepor oritur, quo laxatis poris frigus circumstans ad internos humani corporis recessus penetrans molestiori frigore sensitivas partes percellere incipit. Hoc autem non fit Interlunii tempore, cùm tunc vapores nullo penetrati lumine crassitiem sibi nativam retinentes, ad arctiores corporis poros penetrandos inepti sunt.

Plenilunia æstate frigidiora, quàm hyeme.

18. Plenilunia quoque æstate, quàm hyeme gelidiora sentiuntur. Causa est, ut Idem ait ibidem, quòd medium collatum ad unum extremorum, rationem habeat alterius extremi. Ità æstivæ noctes Plenilunii ad dierum canicularium æstum temperatæ, gelidæ sunt, sicuti in balneo aqua tepida frigida sentitur, ob majoris circumstantis caloris efficaciam. Accedit, quòd Plenilunii noctibus tenuiores effecti vapores aquei in aëre infimo faciliùs penetrent per cutis poros ad partes humani corporis interiores, quæ sensu pollentes exquisitiori minimum frigus eorum molestè ferunt. Ità ille.

Aër insalubris post longum frigus.

19. Aër minùs salubris est, cùm remittente frigore ad finem Februarii terra, quæ anteà diu constricta fuerat, conclusos intrà se halitus denuò liberè emittere solet.

20. Hyberno tempore, ac sæviente plurimùm frigore ægrè sanantur vulnera, quod benignioris caloris influxus prohibeatur, nec illa stamina, quibus vulnera coëunt, præ frigore duci possint.

21. Solet frigus acrius lividum colorem in corpore humano efficere, quòd uti in contusis carnibus sanguinis percolatio inhibeatur: Undè appulsu sanguinis etiam manus solent intumescere, cùm sanguinis circuitum, & percolationem frigus impediat.

Frigus est contrarium putredini.

22. Corpora quoque exanimata à putredine vindicat, & conservat frigus, dum partium fluidarum, quæ foràs prodeuntes, corruptionem promovere possunt, motum sistit. Hinc in Islandiâ, aliisque frigidis regionibus carnes, ac pisces aëri frigido exponi solent, ac ità citrà salem diù à putredine servantur immunes. Testatur & *Cardanus lib. 17. de Varietat. in append. cap. 2.* Pisces sex mensibus absque sale, recentes carnem verò toto mense servari posse.

Signum duræ congelationis fluminum.

23. Dantur etiam in brutis animantibus signa prognostica frigoris, ejusque durationis, aut remissionis. Inter hæc mirum valdè est, quod refert Illustrissimus Comes *Kenelmus Digbæus tract. 1. de nat. corp. 36.* Rusticos in Thraciâ ità cognoscere, num fluviorum hyeme congelatorum glacies sat firma sit, ut gradientium onus sustineat, observando scilicet, utrum vulpes audacter super eam incedant; vel post admotas glaciei aures (exploraturæ scilicet, num subterlabentis aquæ sonum percipere possint) revertantur.

24. Etsi aquæ consistentes, quas nullo penè negotio frigus pervadit, faciliùs quàm fluidæ congelentur, atrociùs tamen sæviente frigore, & hæ rigescere, & congelari etiam solent; uti familiare est in Hollandiæ Regione, & universo penè Septentrione, ubi ipsa etiam maria tantâ spissitudine condensantur,

tur, ut vicinæ gentes bellum ſibi mutuò inferre ſoleant tabulato hoc brumali freti, ità *Olaus Magnus lib. 11. hiſt. Septentr cap. 30.* tradit, Mare Gothicum ità nonnunquam congelari, ut naves maneant immotæ, quod & in aliis partibus Oceani Polo arctico vicinis accidere narrant. Undè nautæ ſæpè in maxima diſcrimina incidunt, dùm navibus pluribus menſibus adſtrictis omni commeatu exuuntur, & urſorum incurſibus exponuntur.

Oleum congelatum gravius eſt.

25. Oleum gelu conſtrictum gravius redditur, adeò ut in oleo non infrigidato mox deſcendat, ut annotavit *Cabæus in Meteoris*, quod ſpiritus plures laxati abiêrint, qui levitatem conferebant: in non conſtricto autem ſpiritus retineantur.

Pelles animalium meliores à frigore.

26. Frigus quoque efficit, ut piloſæ animalium pelles meliores exiſtant, ut & *Cardanus* obſervavit *de variet. lib. 17. in append. cap. 2.* ſcribens: *Pili animalium fiunt generaliter denſiores, craſſiores, ſtabiliores, & pulchriores, Undè & pelles ex his regionibus* (nempè frigidis) *pretioſiſſimæ & genere & formâ advehuntur.*

Aqua ſalſa difficiliùs congelatur.

27. Aqua ſalſa ob craſſitiem & pinguedinem tantò in glaciem difficiliùs, quantò dulcis ob levitatem faciliùs convertitur: Undè quòd glacies maris dulcis fit, ratio eſt, inquit *Kircherus lib. 3. Mund. ſubt. cap. 4.* quod aqua ſalſior condenſata frigore gravitate ſuâ ſubſidat, dulcis verò exuta ſalſedine, & pluviis, nivibusque continuò aucta, uti levitate ſuâ graviori ſupernatat, ità circumſito gelù facilè conſtringitur.

§. II.

Notabiliora quædam experimenta de Frigore adducuntur.

Urticæ figura in glacie.

1. Ex urticâ in cinerem redactâ ſi lixivium conficiatur, ac tempore frigido nocturno aëri exponatur, donec glacialem cutem contrahat: in ipſâ glacie, quod mirum eſt, tota & perfecta urticæ figura apparebit eo fibrarum ductu, & foliorum lacinioſorum ferraturâ, quæ in veris deprehenditur. Quodſi microſcopio tota urticæ figura inſpiciatur ex minimis ſtellulis concreviſſe videbitur. Idem in unaquâque aliâ plantâ uſuvenire credit *Kircherus in art. Magn. lum. & umb. lib. 2. part. 1. cap. 12.*

Cruſta ſtelliformis in glacie.

2. Si in ſubtili folio glaciei, cujusmodi ut plurimùm ſub initium hyemis manè ſuper aquas concreviſſe reperimus, & in hujusmodi folio medio ponatur carbo accenſus, vel globus ferreus candens; mox & videbitur calore à centro diffuſo glacies efformari in cruſtam ſtellatam. Simili ratione putat idem *loc. cit.* nivem ſtelliformem efformari.

Experimentum aquæ ex ſanguine humano diſtillatæ.

3. Mirabile planè experimentum *D. Salomon Riſelius in Acad. Curioſor. dec. 1. An. 2. obſ. 177.* memorat, quod nempè *D. Iſaacus Heræus* primarius Pharmacopæus *Hanoviæ*, aquam deſtillârit ex ſanguine hominis Anno 1669 decollati; cumque hanc in duobus diverſis vitris, quorum quodlibet 4 uncias continebat, in officinâ ſuâ aſſervâſſet, atque in libero planè aëre tempore ſævientis etiam frigidiſſimæ hyemis reliquiſſet, nec ullam conſtrictionem obſervâſſet, cùm proindè admiratione plenus unum ex his vitris circà medium Januarium Anno 1670 ad manum ſumpſiſſet, ac denuò rurſùm ſuo loco repoſuiſſet, aqua in capto vitro attactu aliquantulùm calefacta mox ad aſpectum conſtricta, & turbida evaſerit, alterâ, quæ intacta fuit, relictâ in ſuâ claritate, & in ſuâ fluiditate permanente.

Artificialis congelatio.

4. Ad artificialem congelationem in liquoribus procurandam certò compertum eſt plurimùm juvare glaciem, aut nivem cum ſale, præſertim marino, vel cum nitro, vel etiam cum vitriolo ſaleq; ammoniaco commixtam. Quin & ſaccharum ipſum cum nive conjunctum, aut ſpiritus vini, aut oleum vitrioli, ſalesque penè omnes acidi, ut docet *Du Hamel lib. 1. de corp. affect. cap. 5.* eundem effectum præſtant. Ex *Eraſmo* quoque *Bartholino* refert idem, Ducem Mantuanum pulverem habere, quo vel æſtate ferventiſſimâ aquam in glaciem commutare poſſit.

Marga hyeme disjecta melior.

5. Marga, ut experimentis conſtat, hyberno tempore effoſſa & disjecta impinguandis terris aliis accommodatior eſſe ſolet: Partes ſiquidem illius, quia frigore & gelu meliùs comminuntur, ità citiùs aquâ, & humido aëre exſolvi queunt.

Lapides à frigore læduntur.

6. Econtrà lapides duri hyeme effoſſi pro ædificiis minùs reputantur apti, quòd citiùs fatiſcant, cùm ſicut in lignis, ſic & in lapidibus humor congelatus minutarum partium ordinem & texturam pervertat. Hinc meliùs lapides ineunte æſtate extrahuntur, & per aliquod tempus libero aëri exponuntur, ut ità humor crudus & immaturus diffletur; quod & *D. Boylius* ab expertiſſimis opificibus ſe didiciſſe teſtatur.

Vis mira frigoris in Poloniâ.

7. Tanta vis frigoris ſæpè ſolet hyberno tempore afficere Poloniam, & alias frigidiores terras referente *Du Hamel lib. 1. de Corp. affect. cap. 5.* ut trabes ità congelentur, ut niſi cautè, & paulatim laxentur; & fragiles fiant & ædificiis inutiles. Quocircà etiam frequenter hyberno tempore ædificia in iis locis nimiâ vi frigoris diducta crepare ſolent.

Glacies in littore Iſlandiæ propè Heclam.

8. Mirabile planè eſt, quod de glacie ad littora *Iſlandiæ* narrat *Ditmarus Bilcke* apud *Camerarium in hor. ſuccis. Cent. 3. p. 56. de Hecla & Iſlandiâ*, quod certo anni tempore, ad initium nempè Julii propè Heclam montem ignivomum ad littora Iſlandiæ ingens copia glaciei de nocte advolvatur, ac per conſequentes tres menſes appulſu & effluxu continuo allabatur. Quod ſi verò particula aliqua hujus glaciei linteo involvatur, & in ciſtâ reponatur; tamdiu dura & congelata permanebit, quamdiu reliqua glacies ad littora appulſa permanebit. Si verò hæc emolleſcat, aut aliò dilabatur, etiam particula glaciei in ciſtâ recondita mox diſparebit nullo humoris ſigno relicto. Idem teſtatur *Olaus Magnus lib. 2. rerum Septentr. & Saxo Grammaticus in præf. Hiſt. Danicæ.* Verùm *Angrim Jonas in Comment. de Island.* commentum eſſe dicit. Vide *Eraſmum Franciſci in Atmoſph. diſc. 12. de glacie.*

9. In

Crystallus montana undè proveniat.

9. In Alpibus Germaniæ & ampliùs circà Tractum Septentrionalem, ubi nunquam fit frigoris remissio, tam ob aëris inclementiam, quàm ob impeditam radiorum solarium incidentiam, cum iidem eò penetrare non valeant, glaciem dicunt semel concretam succedente novo semper frigore magis indurari adeò, ut tandem in crystallum induretur, quæ proindé *Montana* appellatur. Undè plures crystallum aliud non esse volunt, quàm glaciem gelu nimio & continuo concretam, & in perpetuam constrictionem adductam. Vide *Plinium lib. 37. hist. natur. cap. 2. Albertum M. & alios.*

Glacies miræ magnitudinis.

10. Meminit ex itineariis *Erasmus Francisci in discurs. de glacie*, Nautas in *Novâ Zemblâ* invenisse glaciem, quæ suâ crassitiæ 16. origas adæquavit: Anno quoque 1596. cum Nautæ quidam circà *Norwegiam Mescoviam* & *Tartariam* navigarent, inter alia Naturæ mirabilia glaciem observâsse, quæ montis instar in crassitiæ 16. orgiarum super mare extabat; infrà mare vero 36. orgiis demergebatur. Tota igitur crassities fuit 52. orgiarum.

Glacies Cœlo decidua.

11. Memorabile etiam est, quod refert *Aventinus lib. 4. Annal. Bojor.* Anno Christi 823. circâ Solstitium æstivum in *Burgundiâ* de Cœlo ruisse glaciem longitudine pedum 15. latitudine 7. altitudine 2. hanc & diram luem secutam dicit. Meminit & *Theoph. Raynaudus in Chron.* Ann. 825. in *Galliâ* de Cœlo decidisse stupendæ magnitudinis glaciem 815. longam 6. latam.

Vestes à gelu induratæ.

12. Frigoris in indurandis rebus vismaxima. *Plutarchus de primo frigido refert*, *Delphis* ostensas esse eorum, qui ad succurrendum Bacchis à vento procelloso, & nive occupatis Parnassum conscenderant, vestes, ità a gelu induratas, atque in lignum obrigentes chlamides, ut etiam discarentur, & lacerarentur, cum distenderentur.

Oculi à frigore immobiles redditi.

13. Refert *Diodorus lib. 14.* Græcos è Babylone redeuntes, qui Cyrum contra fratrem *Atarxerxem* secuti fuerunt, aëris frigidi inclementiâ miserabiliter adeò afflictos fuisse, ut inter alia plurima incommoda plures fuerint, quibus nimium frigus oculos immobiles reddiderit; Jumenta porrò, & homines frigore enectos ubivis penè inventos fuisse.

Homo frigore enectus vivus apparens.

14. Constantiæ, induit *Boggius lib de mis. hum.* ubi Concilium generale erat, hominem intemperie frigoris mortuum equo insidentem in publicum hospitium delatum conspeximus ità stantem, ut vivus videretur: obriguerunt membra singula adeò, ut corpus e quo in hospitium deveheretur. Quosdam verò audivimus in iisdem regionibus simili morte periisse.

Vinum congelatum.

15. Cùm Dux Burgundiæ *Carolus* Leodicenses oppugnaret, tam grave frigus extitit hybernum, ut vinum gelu adstrictum, securi fractum distribueretur militibus; qui ascito deindè aliundè calore illud circumferebant donec liquesceret *Philipp. Sonim. 3. hist.*

16. Sub *Phoca* Imperatore mare ità frigore congelatum scribit *Nicephorus lib. 18. cap. 43.* ut pisces deindè mortuos ejecerit. Idem testatur *Blond. Dec. 1. lib. 9. Paulus. Diac. lib. 17. rerum Rom.*

Pisces mortui è mari ejecti.

17. De Hirundinibus passim scribunt Authores, penetrabili eas frigore in stagnis Poloniæ rigentes per totam hyemē velut exanimes servari nulli corruptioni aut destructioni obnoxias. De quibus etiā hæc scribit *Kircherus in Mund. subterr. lib. 8. secti 4. c. 1.* In Poloniâ, inquit, res vulgo nota, & piscatoribus etiam nihil tritiùs, qui dum hyberno tempore sectâ glacie retia ad piscandum fundo committunt, haud infrequenter unà cum piscibus convolutas in globum hirundines educunt mirâ quâdam industriâ ità unguibus innexas, ut vix ab invicem separari queant; quas sopitas, & veluti semimortuas, ubi hypocaustis intulerint, eæ paulatim velut ex alto quodam sopore vigiles, se movere, paulò post quoque volatum attentare feruntur; omnes tamen antè à natura iis constitutum tempus extractæ vitam non continuant. Sed non tantùm in lacubus, ac stagnis hybernare, verùm & in montium cavernis, ostendit idem *Kircherus* ibidem.

Hirundines rigentes per hyemem.

19. Multa alia dantur animantia, quæ ab hyberno frigore alterantur plurimùm; ac mortuis similia hyemis tempore, in subterraneis cryptis, montium cavernis, arborum cavitatibus, riparum foraminibus latere solent; æstivo verò tempore denuò in lucem revertuntur, ac novo quasi calore animata reviviscunt. Hujusmodi sunt vel ex insectorum, & murium, vel volucrium, quadrupedumque generibus. Inter insecta sunt muscæ, formicæ, serpentes & ejusmodi: Inter mures præcipuè Mus alpestris; vel Alpinus: Inter quadrupeda Glires, Erinacei, ac etiam Ursi; de Ursis quippè constat passim, eos imminente hyeme montium cryptas petere, ubi etiam quadraginta dierum spatio somno indulgent, eo peracto anteriores pedum digidos ori insertos reliquâ hyeme sine alio nutrimento sugunt, suctu pinguescunt; reliquo verò æstatis tempore in apertum prodeuntes venationi insistunt. Inter volucres sunt præter hirundines etiam Ciconiæ; nam & in Arelatensi quodam lacu Ciconias hirundinum more conglobatas inventas esse, scribit *Gervasius Tibelesius ad Ottonem IV. Imper.* Testatur & *Fulgosus lib. 1. cap. 6.* similes Ciconiarum glumos in quodam juxta *Metas* lacu in Lotharingiâ repertas esse.

19. Scythiæ Regio ut memorat *Fournier Geograph. orb. not. lib. 12. cap. 6.* tota externis omnibus est algidior, ideò nec Asinos alit, quod frigoris impatiens sit illud animal. Prætereà constat in toto hoc tractu, qui est extrà Tauricam, amariorem esse aquam, & nisi altiores effodiantur putei, aquam dulcem hauriri non posse, unde quibusdam in locis, ità est frigida, ut hydrias ex quocunque metallo conflatas disrumpat.

Aqua frigore hydrias quascunque disrumpens.

20. Infra

20. Infra *Corbolium*, ubi sequana excipit *Orgiam & Junam Stampensem*: hujus aqua, tradit *idem Ibidem lib. 6. cap. 15.* cancris gratissima sic frigida est, ut pedes equorum tacitâ torpedine inficiat.

21. In China mons est, ut tradit *Kircherus in Chin illust. part. 4. cap. 4.* perpetuo rigens frigore, cujus rei causam conjecturat *Kircherus*, esse nitrosos Spiritus, quos mons undique unà cum hydrophylaciorum ibidem conditorum vaporibus exspirat, hi verò, uti naturâ suâ frigidissimi sunt, ita quoque frigus tum in aquâ, tum in ambiente aëre intendunt; Accedit, quod mons hujusmodi ab omni pyrophylacio remotissimus sit.

Frigus nervis, cerebro & dentibus noxium.

22. Sicut calor nervis, ossibus, cerebro, ac dentibus conducit, ità econtrà annuente *Hippocrate* frigus his iisdem plurimùm nocet. Ita testatur *Thomas Bartholin. in Historiis anatomicis*, tres puellas jam nubiles super congelatum fluvium tempore admodùm frigido trahis hinc inde diutiùs circumvectas, tandem expletâ hâc frigidâ vehendi voluptate domum sunt reversæ adeò à vehementi frigore immutatæ, ut inde dementatæ conformes sermones interrogantibus dare non valuerint: Quocircà in tranquillo conclavi per quatuordecim dies custoditæ, permanente quidem ad cibos edendos, potumque sumendum vigore, ad mentem non redierunt, nisi post pelles recenter ab agnis exsectas, capitibus obvolutas, quarum calore paulatim cerebrum ad pristinum statum reductum fuit.

23. De *Nessa* Scotiæ fluvio ex lacu ejusdem nominis exorto scribit *H. Boethius in Scotiæ descript.* nullo eum unquam sidere concrescere posse, nec ipsum quoque lacum: Quidquid etiam congelatum in eum infertur, extemplò liquescere præcipuo commodo equis luto glacieque rigentibus.

§. III.

Hyberna frigora notabiliora, & mirabiliora post natum Christum ex variis Authoribus recensentur.

Anno Christi.

761. Sub Constantino Copronymo ad Annum circiter post natum Salvatorem 761. quo Turcæ ex portis Caspiis in Armeniam irruperunt Calend. Octob. factum est gelu sævissimum in toto orbe, ac imprimis in partibus Septentrionalibus, ità ut pelagus usque ad 100. milliaria præ glaciei rigore in lapidis duritiem abierit, habens à superficie ad profundum 30. cubitos, cunctis per circuitum regionibus ab ipsâ Lyciâ usque ad Danubium, & per reliquas ripas usque ad Mesembriam & Mæsiam similiter patientibus: cumque hujusmodi gelu nive fuisset coopertum super alios 20. cubitos crevit, ità ut mare aridæ conformaretur, & pedibus calcaretur in superficie glaciei à Cazariâ & Bulgariâ, quin & adjacentibus Insulis tam ab hominibus quàm ab agrestibus, & mansuefactis animantibus. Mense verò Februario tepefacto aëre glacies in plurima fragmenta collibus, & spatiosis Insulis non dissimilia diffecta fuit, quæ vehementis Venti impetu per mare agitata fuerunt. Inerant etiam his animantes tàm feræ, quàm Cicures glacie adstrictæ. Horum etiam fragmentorum quædam violentis Ventorum flatibus cùm marinis impacta mœnibus fuerunt, non tantùm ea ipsa, sed & ædes vicinas prostraverunt. Mirabile porrò ampliùs est, hoc adeò sævum frigus secutum esse æstum ingentem, quo etiam perennes aliàs fontes, & amnes deficcati penitùs defecerunt. Ita *Paul. Diac. lib. 22. rer. Rom. Cedrenus & Sigebert.* Anno 763. *Sigonius* tamen *lib. 3. Reg. Ital.* memorat hoc frigus ad Annum 764. ac mense Februario secundæ indictionis glaciem diffractam, ad mœnia Constantinopolis delatam omnibus ad portentosæ rei spectaculum accurrentibus pavidas, & turbulentas injecisse cogitationes.

811. Ut constat ex Annalibus Francicis, Autumnum humidissimum secuta fuit hyems tam frigida, aspera & prolixa, quâ maximi fluvii Rhenus, Danubius, Albis, Sequana & alii adeò solidâ glacie constricti fuerunt, ut 30. & amplius diebus plaustra maximis oneribus gravata huc atque illuc commeantia pontium instar sustinerent. Cujus tandem resolutio villis ad Rheni littora jacentibus haud modicum damnum intulit.

864. Antequam *Constantinus* Scotorum Rex à Danis cæderetur, concreti sunt lacus, flumina, torrentes, & amnes cuncti à capite Novembris usque ad Aprilis exitum. Subsecuta fuit à resolutâ glacie ingens inundatio, quâ recedente incredibilis ranunculorum vis in agris relicta infecit aërem. Ita *H. Boet. lib. 10.*

875. Hyems solito asperior & prolixior fuit, ut refert *Sigebertus*. Gelu equidem sævum valdè à Calendis Novembris duravit usque ad Æquinoctium vernum.

Anno

Anno Christi.

994. In fine mensis Julii lacus & undæ tam constrictæ erant glacie, ut pisces omnes fuerint emortui & magna aquæ penuria contigerit. *Jonstonus Taumatogr. clas. 1. cap. 4. art. 5.*

1020. Sæva & valdè aspera hyems extitit, cujus frigore sævissimo homines non pauci extincti sunt.

1124. Hyems solito fuit asperior, & ob nivis sæpiùs decidentis copiam adeò horrida & molesta, ut multorum præsertim tenuium liberi frigore periêrint, pisces etiam in vivariis passim suffocati sint. In Brabantiâ innumerabiles anguillæ relictis propter glaciem paludibus in fœnilia se abdiderint, quæ hyemis sævitie deinde extinctæ computruerunt. Undè etiam lues enata, quæ non tantùm in homines, sed & jumenta gravissimè sæviit. Terra etiam frigore diutiùs constricta vix herbas & plantas Majo mense virescere permisit. *Vincentius lib. 26. cap. 54.*

1126. Hyberno frigore Padus in Italia usque adeò obriguit, referente *Sigonio lib. 1. Reg. Ital.* ut incitatum equorum cursum, ac gravia jumentorum onera sustinuerit, atque viatoribus se quasi campum ad iter ultrò citroque faciendum substraverit.

1165. Hyems fuit asperrima, quam Anno sequenti fames & pestilentia gravis subsequitur &, mala in terris multiplicantur. Ita Chron. Hirs. Trithemii.

1202. In Scotiâ tanta tamque prolixa fuit hyemis asperitas, ut ante Martii dimidum aratro terra proscindi non potuerit; Cerevisia congelata pondere divendita & distracta fuerit. Nivis etiam copia fuit maxima, unde etiam secuta pecudum strages haud modica. Fuit & terræ motus quotidiè ab Epiphania Domini usque ad Calend. Februarii. *H. Boethius lib. 13.*

1232. Ut scribit *Sabellius lib. En. 10.* hyems adeò frigida extitit, ut concreto circà Venetam Urbem stagno Clodiam usque pedibus iretur, & ex Mestrâ Oppido curru sit sponsa Venetias adducta.

1323. Frigore mare ita fuit constrictum, ut pedestri itinere per glaciem de littore Germanico in Daniam ac Prussiam mare transiretur dispositis per opportuna loca in glacie hospitiis. *Crantzius lib. 8. Vand. cap. 7.*

1325. Erphordiæ frigus adeò desæviit, ut summa inde enata sit lignorum penuria: quapropter cives complures ædes destruere, ut focum exstruerent, coacti sunt. *Hist. Erphord. Gadeani pag 94.*

1363. Asperrima fuit hyemis sævities, ita ut jacus Tigurinus gelu concretus maxima ferret onera. Aves palustres in urbem catervatim volabant alimenta, & auxilium quasi ab hominibus implorantes; idcircò etiam Senatus consulto Tigurini caverunt, ne quis miseris animantibus in urbe manus inferret. *Stumpfius.*

1365. Hyems fuit longa simul & asperrima in tantùm, quod Rhenus tribus mensibus fortiter congelatus se calcabilem præbuerit hominibus & jumentis cum vecturis & curribus. Annus iste calamitatibus multis infelix & malè fortunatus extitit, quoniam ex frigore nimio periêre multi, fame quoque plures, & peste non pauciores. Chron. Hirsaug. Trith.

1399. Frigus brumale adeò sæviit, ut constricto mari sicco vestigio Lubecâ per mare in urbem Sundensem, inde & in Daniam iter institueretur. Quâ opportunitate usi Fratres Teutonici Massagetas feliciter oppugnavêre, cum lacus, & paludes, atque omnia receptacula eorum glacie indurata iter præberent. Usus est eâdem *Albertus* Comes Holsatiæ, qui in Phrysiam Eudorensem movens gladio & igne sæviit, coëgitque populum terræ datis sexdecim marcharum millibus totius terræ vastitatem redimere. *Crantzius lib. 10. Saxoniæ cap. 18.*

1435. Per autumnum tantæ fuerunt Tempestates, quibus nulla hominum memoria similes vidit. Ad Albim, Visurgim ac Rhenum deinde cecidêre nives profundissimæ, ut per aliquot dies invia essent itinera. Secutum est gelu inauditum, ut multi per itinera periêrint Viatores, duravitque in mediam Quadragesimam. *Crantzius lib. 11. Vand. cap. 19.*

1443. Hyems longa simul & frigidissima fuit, durans â festo S. Mauritii penè usque ad medium mensis Maii, defeceruntque in multis locis pabula jumentis, eratque ingens miseria tantam videre inopiam rusticorum. Unde plures, cum nec fœnum haberent nec stramina, ne penitùs interirent jumenta, alii denudatis domibus suis, quæ straminibus erant coöpertæ, pabula, ut poterant, cum aquâ calidâ fecêre jumentis, alii jumenta sibi mutaverunt in escam: nonnulli etiam non habentes unde pecora nutrirent sua, præ nimiâ fame jam semimortua in campos & nemora minantes devoranda lupis concesserunt.

Anno Christi.

1489. vel 1490. A nimio hiemis frigore omnia Venetæ urbis æstuaria congelata fuerunt, neque pedibus modò, sed & in equis etiam homines ex agris ad extremum urbis marginem commeatibus importantibus ventitârunt sine periculo, Magistratus etiam Mestrinus ad *Secundi* fanum, quod est in mediis ad urbem vadis curru pervenit. Vinificus oleæ annis aliquot intrà Alpes & Athesim atque Padum flumina exustis super terram arboribus proventum angustiorem habuerunt. Ita *Bembus lib. 1. Ven. Hist.* Addit *Sabellius lib. 8. En.* Circumvectas venales aquas, ut assolet, in cymbis ita rigore concretas fuisse, ut securi diffractæ magis oculorum æstimatione, quàm mensurâ fuerint divenditæ: Palustres insuper, & marinas volucres in paludibus facilè deprehendi potuisse, minoraque animalia ab intolerabili frigore passim interiisse.

1491. Hyems adeò sævüt, ut vi frigoris multi perierint; in castris namque Uladislai Regis Hungariæ contra Maximilianum Imperatorem Calones 100. qui pabulatum exierunt, plerique præ nimio gelu obriguerunt, pauci Jumentorum anhelitu servati dicuntur: nimbi etiam terribiles tentoria dejecerunt; sagati insuper milites Regem valli instar circumstantes vix è tantâ tempestate conservare valueruut. *Bonfin lib. 1. dec. 5.*

1498. Sub finem Novembris septuaginta millia Turcarum cùm per Valachiam in Russiam sese effudissent ferro & igne omnia vastantes, & prædas agentes: derepentè tam intensum frigus extitit; & tanta nivis copia decidit, ut circumsepti undique Turcæ neque ampliùs progredi, neque regredi potuerint: Et insolens valdè id, novumque hominibus illis pariter, ac jumentis mitiore Cœlo natis, & educatis accidit: Quocircà & jumentis plerisque omnibus frigore, & fame confectis, hominum quoque suprà quadraginta millia alsisse, & obriguisse memorantur. Multi posteà reperti, qui interfectis equis in eorum uteros exenteratos etiamnùm calentes sese illatebraverant, sed nullo commodo: statim enim calor artus vitâ & sanguine destitutos deserebat. Reliqui cùm in Moldaviam evasissent, *à Stephano* Palatino, & Valachis Polonorum insequentium habitum mentitis contrucidati sunt, ità ut vix decem millia Istro transmissa salva evaserint. *Cromerus lib. 30. & Sabellius lib. 10. cap. 3.*

1513. Hyems durissima mortales graviter afflixit: cœperunt enim frigora circa principium Mensis Novembr. intensa, & duraverunt usque ad Conversionem *S. Pauli*: cuncta flumina Germaniæ erant congelata, & in multis locis aquarum penuria magna: quo factum est, ut aquâ deficiente homines nec molere possent, nec pinsere, propter quod inopia panis subsecuta pauperes inedia consumpsit. Apud Francos nostros Orientales circâ *Peapolim*, & in aliis locis multis antequam vindemia adhuc plenè esset collecta, frigus tantum inhorruit, quod neque vites humo cöoperiri vinicultores juxta morem potuerint, unde vineta plurima periêrunt. Ita *Trith. in Chron. Hirsaug.*

1526. Ea fuit apud Moschos hyemis asperitas, ut multi Veredarii in vehiculis gelu exanimati fuerint reperti, multi pastores, dum pecora Moscoviam agerent, periêrint; Ursi etiam in vicinas valles irruerint. *Sigismundus ab Herberstein.*

1586. In Galliâ & alibi passim initia hyemis adeò fuêre rigida, ut excubitores plerumque nondum expleta stationis horâ frigus extinxerit. *Nemo peregrinus.*

1590. Cùm siccissima & admodùm calida fuisset æstas, uti refert *Octavius Roberetus tract. de febr. petechial.* Autumnus autem maximâ ex parte australis, hunc verò hyems admodùm frigida, & nivosa excepisset, factum est Anno 1591. ut *Tridenti* non solùm à plebeis plerique, sed & primoribus multò magis febre petechiali gravissimâ corriperentur.

1600. Uti & 1624. Mense Januario, & deinceps, ut refert *Beyerlinck in Theat. vitæ hum. V. Glacies.* usque ad finem Februarii tanta fuit hyemis sævitia in Belgio, qua & *Scaldis* fluvius maximus, sicut & *Rhenus*, ac *Mosa* ita gelu fuerunt constricti, ut currus quibusvis oneribus gravati absque periculo mersionis transgredi potuerint. Quod etiam accidit toto Januario Anni 1622. Tanta enim asperitas fuit brumæ, ut cum priori coinciderit, omniaque flumina densissimâ glacie cubitorum 4. adstricta equis, curribus, & quibusvis oneribus transitum permiserint.

1608. Apud Aquilonares Islandos & alios Norvegos hyems solito longè remissior fuit; apud Belgas verò Germanos, Helvetios, imò ipsos Gallos, adeoque Italos & Hispanos præter consuetudinem inclemens ità ut non solùm varia animalcula, sed & homines perplures illis in locis frigore periêrint. Ita *Longomontan. in Append. Ast. Danic. de novis phænom. cap. 11.*

1659. Frigus hybernum in partibus comprimis septentrionalibus fuit sævissimum, quo etiam factum, cum *Hafniæ* 11. Februarii oppugnantes repellerentur, magnâque strage occumberent, ut alii rigidi iratum vultum ostendentes, alii brachiis extensis gladium minaciter exhibentes, alii alio situ prostrati,

Anno Christi.

prostrati, ac rigidi jacentes comparuerint. Imò ex mari anteà congelato, & primo vere resoluto eques suo insidens equo integer emersit, nescio quid manibus tenens. *Th. Bartholinus de usu nivis cap. 12.*

1665. Gelu extitit satis sævum præsertim in Poloniâ, ac vicinis aliis regionibus, quo etiam factum ut cùm Municipium *Bichau* in Russiâ albâ militari custodiâ cinctum ad arcendos excursus teneretur, exercitus autem Polono-Lithuanus ad Boristhenem propè pagum *Iskau* hybernaret; castra tàm acri & sævo gelu infestata fuerint, ut omnis cerevisia, ac potus quicunque alius, uti & ipsum etiam vinum Hispanicum unicâ nocte penitùs ad fundum usque frigore constrictum sit; quod deindè etiam haud aliter in usum venire potuit, quàm vasis diffractis, ubi liquor congelatus lebetibus ad ignem imponi & rursùm ad usum colliquari debuit. Multi etiam Equi defectu aquæ potabilis interiêrunt. Ità *Hevelius* Societati Anglicanæ communicavit.

1681. Hyems Mense Januario usque ad medium Februarii vehementi frigore desævivit; quo etiam *Rhenus Mœnusque* ac alii fluvii complures robustissimâ glacie obducti facilè onus quodcunque curribus devectum sine ullo periculo sustinere valuerunt. Vina etiam ipsa in hac nostrâ *Franconiâ* abditis satis in cellis frigore constricta sunt, adeò ut optimus Vini liquor parcior crassiusculus vini Hispanici colore ab remanente phlegmate in crystalli formam pulcherrimam concreto tandem abductus majori pretio, & valore divenditus sit. Hoc eodem anno in calidioribus etiam regionibus, præsertìm Italiæ frigus miserabiliter pergrassatum Venetiis æstuaria, & salsaria congelavit: In compitis hincindè plures homines, & jumenta exanimavit. De Copiis Italicis, quæ ex Flandria *Luzenburgum* versùs profectæ, ad ducenta hominùm capita frigore enecta perierunt. In Prussiâ Mense Januario frigus nimium acre multis manus, nares, pedesque torpedine & squalore afficiens sanguinem exsolvit, vitalesque vias & respiramina conclusit. In eadem regione, ut memorat *Diarium Europæum*, ex sæviente nimiùm frigore alimentis destituta & stimulante fame percita Luporum grex carnificem cum famulo, qui justitiæ administrandæ causâ ad certum locum evocatus fuerat, sævissima edendi rabie, in publicâ viâ agressa miserè cum famulo & equis dilaniavit, devoravitque. Ad *Theotonis villam* glacies nimia præ crassitie fortissima, dum abeunte frigore soluta & diffracta pontem cum magna hominum copia abripuit, quorum ultrà centum aquis suffocati, & innatante glacie sepulti, plures alii miserè & lethaliter saucitati periculum submersionis ac mortis vix evaserunt.

CAPUT III.

De Æstu, seu Calore.

§. I.

Æstûs seu Caloris natura, differentia, & variæ aliæ affectiones.

Natura caloris. 1. Caloris natura frigoris naturæ contraria est, ut recentiores Philosophi docent, in motu expansivo, celeri, & perturbato partium insensibilium consistens.

Distinctio in cœlestem, Elementarem, & nativum. 2. Distingui solet calor à nonnullis in Cœlestem, Elementarem, sive igneum, ac nativum, qui & vitalis ac animalis dici solet: Omnia enim quæ vegetantur, calore vivunt. Est autem vitalis caloris in animantibus sedes Cor, ex quo in alias corporis partes diffunditur. *Vide Aristot. lib. 2. de generat. & corrupt. c. 3.*

Primaria virtus caloris. 3. Prima ac præcipua Caloris virtus & efficacia censetur esse, quod homogenea congregare, & heterogenea disgregare possit: Rerum equidem ejusdem generis, aut similis naturæ congressus, & dissimilium separatio præcipuus & notissimus est effectus, & illius veluti character, ut rectè ait *Du Hamel.* Sic in omni distillatione, quæ calore perficitur, videmus secretione rerum factâ proprias quasque sibi sedes eligere, & quidem leviores sursùm, graviores verò ad fundum permanere & subsidere.

4. Ad odorum generationem calor confert plurimùm; quoniam facilè corpora laxat, & resolvit. Undè sicut fumum videmus ab igne excitari, & subtiliores ligni partes in auras deferri: Ità calor corporum partes dividit, plexum, & texturam solvit, viamque ad evagandum foràs parat. Ex quo oritur, ut respleræque humidæ, dùm per calorem exsiccantur, odorem acquirant: atque hinc etiam deprehendimus omnia odorata calida esse, & continuum suarum partium effluxum pati. *Calor odorem provehit.*

5. In sublunarium rerum Oeconomiâ calor ut plurimùm à motu producitur, atque idcircò motus causa caloris ubique esse solet. Clarum hoc est non tantùm in viventium corporibus, sed & in aliis rebus inanimatis. Undè videmus tritu duorum lapidum, silicum, ferrique ignem elici; mare ipsum etiam ventorum agitatione incalescere. Fit autem hoc comprimìs, quod per motum attenuentur partes, atque ità rari- *Motus est causa caloris.*

raritas inducatur, cujus plerumque comes & causa est calor.

6. Corpora, quò solidiora sunt, si commoveantur, eò citiùs & promptiùs calorem emittunt. Ità ferrum commotum non tantùm citiùs, sed & magìs incalescit, quàm ligna, aut alia, quæ leviori calore constant.

7. Sicut calor à motu, & frigus à quiete procedit; ità quoque corpora cœlestia calorem, quià moventur, excutere credendum est: Terra verò, quià stabilis est, & in quiete suâ permanet, censetur frigida.

Loca Æquatori propinquiora sunt calidiora. 8. Loca terraqueì globi quo lineæ Æquinoctiali viciniora sunt, eò majores calores & æstus patiuntur, quod radii solares magìs in seipsos reflexi calorem intensiorem producant: Et quidèm tantò erit vehementior æstus, quantò radii reflexi magis ad normalem regressionem accesserint. Undè etiam *D. Thomas in 1. Meteor. Calor*, inquit, *maximus in terrâ est, ubi Sol cadens super terram facit angulum rectum.*

9. Eandem ob rationem Sol motu suo annuo, quò propiùs ad verticem quorundam locorum in Geocosmo accesserit, eò major æstus in iisdem locis efficitur.

10. Sicut etiam sese habet annua Solis accedentis, vel recedentis suprà Horizontem alicujus loci radiatio. Ita se quoque habet diurna ejusdem suprà Horizontem progressio: quo enim annuâ suâ conversione Sol vertici nostro fuerit propinquior, & quò singulis diebus Meridiano fuerit vicinior, eò majorem quoque æstûs intensionem efficiet.

Æstus per annum maximus in diebus Canicularibus. 11. Æstus in anno maximus sentitur ad exortum Caniculæ, sive Syrii cum Sole: Undè & dies Caniculares ab illo tempore nomen sortiti sunt. Annotavit autem hujus æstûs effectus jam olim *Plinius* dùm observatum scribit, eò tempore fervere maria, fluctuare in cellis vina, moveri stagna, canesque potissimùm illo toto temporis tractu, seu spatio facilè in rabiem agi; sicut & de hoc æstu, ejusque effectibus benè cecinit *Manilius libr. 5. Astronom.*

Cùm verò in vastos surgit, Nemeëus hiatus
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammans,
Et rabit igne suo, geminatque incendia Solis
Quâ subdente facem terris, radiosque movente
Dimicat in cineres orbis, fatumque supremum
Sortitur, languetque suis Neptunus in undis,
Et viridis nemori sanguis decedit, & herbis
Cuncta peregrinos orbeis animalia quærunt,
Atque eget alterius Mundus: Natura suismet
Ægrotat morbis nimios obsessa per æstus
Inque rogo vivit, tantus per sidera fervor
Funditur, atque uno ceu sint in lumine cuncta.

12. In eâ etiam æstatis parte, quæ maximè fervet velut ad Caniculæ exortum, medicamenta evacuantia Medici dissuadent juxtà *Hippocratis Aphoris. 5. sect. 4. Sub Cane, & ante Canem difficiles sunt medicationes.* Quem etiam Aphorismum alius his versibus ità est complexus

Sub Cane, & ante Canem Medicus malè dira propinat
Pocula: tempus habet sic Medicina suum.

13. Noxius est calor, qui humidâ ardens tellure eam adurit, humiditatem tamen non absumit: Undè putredo potiùs inducitur. Quocircà bène *Albertus M. de natur. loc. libr. 1. cap. 13.* ait: *Calor cùm non vincit humidum, sed corrumpit; inducit pestiferas corruptiones.* Calor noxius.

14. Sicut dùm frigus nimiùm sævit terram constringendo, ne vapores ac halitus egrediantur, impedit: Ità etiam dùm calor immodicus exæstuat, eosdem inductâ terræ nimiâ ariditate sæpè egredi non permittit. Undè idem *Albertus M. de pass. aëris* inquit; *Calor adurens non generat vapores.*

15. Quemadmodum etiam frigidus aër, ut rectè docet *Fortunatus Vopiscus Plempius de valetud. tuendâ cap. 2.* semper per se nocet, præcipuè seni: Ità calidus magis proficuus esse solet; senum enim corpora, cum debilia sint, frigus refrigerando reddit ponderosiora; & quemadmodum à frigido læduntur, ità juvantur à calido, ut ait *Benedictus de Bacquiere in senum Medico.* Ideò & *Hippocrates* docet *10. sect. 3. Pueros & his æstate proximos vere & æstate quàm optimè valere, æstate verò & usque ad aliquam Autumni partem senes.* Atque hoc, ut *Galenus* interpretatur propter temperamenti frigiditatem, quæ à calore æstivo corrigitur. Aër calidus senibus conveniens.

16. Liquidum est, scribit *D. Joannes Georgius Sommerus Observat. 124. Decur. 2. An. 4. Ephemerid. Germanic.* Cœli intensè calidi, & sicci inclementiam maximè diuturnam, & imprimìs intenso frigore sinè singulari qualitate aëris intervenientе mediâ permutatam solam fieri posse dysenteriæ causam. Siquidem talis aëris contrarietas valdè collidit temperaturam corporis humani, cujus sana & annosa hyparxis in qualitatum partium vitalium symmetriâ consistit, de quo *Sylvius prax. med. append. tractat. 5. §. 70.* ità scribit: *Subitæ aëris mutationes eæque notabiles destruunt potenter hominis sanitatem, inter quas omnium pessima est, frigus acre magnum æstum subitò excipiens.* Confirmant prædicta Anni 1666. æstus, & simul dysenteria per potissimas Europæ partes æstuans, uti & Anni 1684. hyems humorum vitia concentrans frigidissima, Æstus & siccitas causa dysenteriæ.

ver

ver subsequens siccissimum, & æstas tota calidissima.

Aër secundum quatuor anni tempora. 17. Aër æstivus sicut & hybernus solet esse minùs noxius, quàm vernalis, & autumnalis: Quià hujus respiratio fluxiones facilè movet refrigerando, & humectando cerebrum: hoc autem non ità fit in æstate, quia vapores à Solis ardore elapsi absumuntur, & hyeme ob Solis recessum non ità copiosè elevantur.

Signum mutationis aëris in æstate. 18. Observatum est, dùm Calor nimiùm æstuans, solito etiam magis adurens, ac languorem inducens in æstate solet esse; mutationem temporis proximè affuturam denotare.

19. Cum arietes & oves antiquæ, ut docet *Cardanus lib. 15. de variet.* ad venerem magis in vere stimulantur, subsequentem æstatem declarant calidiorem.

20. Quià calor solet magis ad vigiliam, sicut frigus ad soporem conferre: Hinc & rectè docet *Theodatus Osius in nov. opin. sylva cap. 28.* dies, quæ est calida, incitat ad laborem & vigiliam, cùm nox declinet ad quietem & somnum, quæ est frigida.

Locorum subterraneorum calor & frigus undè proveniat. 21. Loca subterranea hyeme solent esse calidiora & æstate frigidiora; quod hyeme ob occlusos terræ meatur in terræ utero halitus contineantur, qui æstatis calore laxatis terræ poris copiosiùs avolant, undè frigus terræ proprium remanere solet.

Terræ motus undè fiant. 22. Non tantùm ignis & æstus effectus & operationes in terræ superficie potissimùm observantur, sed etiam in ejusdem terræ profundis cavitatibus ac intimis recessibus. Ab iisdem siquidem terræ motus oriuntur, quoties ibi magna exhalationum copia invenitur; non quod eæ Solę id efficere queant; cùm earum particulæ purum aërem duntaxat componant; sed quià facilè subtilioribus spirituum particulis immiscentur, à quibus calefactæ, aut accensæ locum ampliorem quærunt, in quo dilatentur: Quem cùm invenire non possunt, omnia obstacula concutiunt eodem ferè modò, quo conclusus cuniculis pulvis tormentarius igne accensus spatium ampliùs quærendo tumultus excitat, & terram quatiendo commovet. Hinc

Quæ loca magis obnoxia terræ motibus. 23. Illa loca maximè terræ motibus sunt obnoxia, quæ venas nitri, sulphuris, aut alterius oleagineæ materiæ in se inclusas habent: Quia illa facilè à spiritibus inflammantur, aut ab aliquâ ignis scintilla accenduntur: Cùm autem calorem conceperunt, rarefiunt, & intrà idem spatium se continere non valentes sursùm feruntur, & carceris sui parietes convellunt, donec eis exitus pateat. Vide plura de terræmotibus infrà *Scrut. 4. Disq. I. Cap. 13. §. I.*

§. II.

Æstûs sive Caloris Mirabilia.

1. In totâ Ægypto, ac comprimìs in populosissimâ civitate *Cairo* tantus semper ferè solet esse Æstus, ut incolæ ordinariè in cryptis, cellis, ac locis subterraneis habitare soleant; In mediis autem plerumque ædibus suos habent fontes, quorum aquis aërem refrigerant, & ad quos de nocte decumbunt. Canales etiam ductitios habent per medias ædes suprà earum tecta emissos, qui amplo ore patent ventis Septentrionalibus, per quos frigidus aër in conclavia artificiosè inducitur. *Erasmus Francisci in Atmosphærâ, Discurs. I.* *Æstus ingens in Ægypto.*

2. Sicùt in Moscoviæ partibus Septentrionalibus tantùm sævire solet frequenter frigus, ut nares & aures hominibus frigore pereant, sputum egestum mox in glaciem, antequàm terram attingit, concrescat, atque etiam arbores sæpè præ nimio frigore rumpantur: Ità è contrà in partibus Australioribus tantus solet æstus tellurem torrere in diebus præsertìm Canicularibus, ut ingentes lacus exsiccentur. Seritur communiter in Junio, & in Augusto messis colligitur. *Happelius in Mundo mirabili.* *Æstus in partibus Australioribus Moschoviæ.*

3. In tractu, sive locis ad mare rubrum ad jacentibus, ac comprimìs à *Meccâ* ad *Aden* æstus, cùm Sol penè normalis, sive capitibus directè imminet, maximus esse solet; tunc enim non tantùm in cellis & cryptis, aliisque locis subterraneis incolæ habitare, sed etiam ditiores continuò aquam sibi affundi curant vel in aquis decumbere solent. *Æstus in tractu ad mare rubrum.*

4. Arabia tota propter arenosum solum immodicè calet, tantusque est fervor, ut advenæ vix tolerare queant sine noxâ. In Insulis etiam *Philippinis* calor ingens advertitur, ità ut per totum annum vix fit discrimen, nisi cum à fine Maji per tres circiter menses à pluviis aër nonnihil refrigeratur. *Æstus in Arabiâ.*

5. In Italiâ & Hispaniâ æstivis mensibus calor est ferè intolerabilis; quibus etiam plerique in umbrâ domi diurno tempore delitescunt, atque cellas ac cryptas aquis continuò refrigerandi causâ perfundunt. *In Italiâ & Hispaniâ.*

6. India mirâ caloris in patrio solo virtute bis per annum æstivorum fructuum parat proventum. Undè & *Plinius lib. 6. c. 17. hist. Nat. Indici cœli*, inquit, *alia facies, alii siderum ortus: binæ messes in anno, binæ æstates, media inter illas hyeme Etesiarum flatu: nostra verò brumali. Lenes ibi auræ, mare navigabile, gentes & urbes innumeræ.* *In India binæ æstates in anno.*

7. Caloris vis est ingens ac mira ad attrahendum aërem, eumque in aquas convertendum. Memorabile exemplum refert *Petrus Servius* Papæ *Urbani VIII.* Medicus in libro, quem de miraculosis rebus sui temporis conscripsit, de quadam Moniali Romæ. Hæc perpetuis *Calor attrahit aërem & convertit in aquas.*

tuis vigiliis, & jejuniis, affiduoque mentalis orationis cultu tantùm corpori suo calorem conciliaverat, ut tota quasi ardere videretur, ejusdemque ossa planè deficcata atque calcinata existerent. Hoc autem calore aërem externum potentissimè attrahebat; hic attractus in Virginis corpore coälescebat, & in vesicam delabebatur, ex quâ deindè in formâ urinæ reddebatur tanta copia, ut aliquot hebdomadarum spatiô plusquam ducentas libras singulis viginti quatuor horis emitteret. Hoc idem narravit ipsamet Virgo, aliique Medici Doctores *D. Kenelmo Dygbæo*, ut testatur ipse *in opusculo de pulvere sympathico*.

8. Cadaver humanum, seu corpus hominis demortui quarto post obitum die adhuc caluisse memorant *Ephemerides Germ. Decur. 2. Anni 4. observ. 17.* Fit hoc, si externus aër frigore suo particularum effervescentium exhalationem impediat sicque eas in cadaveris cavitatibus concentrando majorem illis activitatem tribuat. Ita *Scholiastes* ibidem. Cadaver hominis quarto post obitum die adhuc calidum.

9. Mirabile circà calorem hoc affert *Jonstonus Thaumatogr. clas. 1. cap. 1. art. 5. Demophon Alexandri* instructor in Sole vel balneo algebat, in umbra calebat. Idem Morioni cuidam adscribitur, qui æstate pellibus se vestiebat, nudabat hyeme.

§. III.

Anni quidam æstivo calore ac siccitate, atque hinc enata sterilitate terræ, vel ejusdem proventuum ubertate mirabiles post natum Christum Salvatorem.

Anno 1023. Cum Aquisgrani Synodus celebraretur, tanta siccitas, & aëris intemperies, ut refert *Sigebertus*, exorta est, ut multi nimio ardore extinguerentur, nec pauca animalia interirent. Aræ & columnæ marmoreæ tanto manârunt sudore, ut aquâ eas perfusas quis crederet.

1113. Mense Junio tanta æstûs fuit vehementia ut filigines & arbores adustæ spem sui fructûs mentitæ sint. Aliquæ etiam sylvæ ità exaruerunt, ut narivo inflamarentur calore. Secutæ sunt infirmitates graviffimæ imprimis autem ventris profluvia & pestis nocentissima. Ut *Vincentius* meminit.

1135. Ut refert *Aventinus lib. 6. Ann. Bojorum*, æstus fuit ferventissimus, quo amnes siccatos esse scribit, sylvas cum montibus arsisse, fomitem & quiquid alendo igni aptum erat, in terram congestum mox ignem concepisse. Ejusdem siccitatis meminit *Chronicon Coloniense*, quâ exsiccatus Rhenus, ut sine ullo periculo ubivis transiri potuerit. Verùm hanc siccitatem ad Annum 1130. refert Sigeberti continuator. At *Vincentius, Joh. de Oppido*, ac *Martinus Polonus* biennio post asserunt tantam fuisse siccitatem, quâ major hominum memoriâ non fuerit. In multis namque regionibus flumina, quæ naves ferebant, ità exsiccata fuisse ut facilè pedibus transiri possent. Fontes quoque ac puteos planè exaruisse, & plurimos aquæ penuriâ interiisse.

1153. Sylvæ ab æstu nimio accensæ sunt, & terra pinguior ità exarsit ut nullâ pluviâ extingui valuerit. *Jonstonus Admirand. cœl. cap. 5. art. 5.*

1186. Ità calida extitit hyems, ut etiam corvi in Decembri & Januario ex ovis pullos excluserint & plerisque in locis arbores floruerint.

1225. Calor fuit in hyeme haud modicus, ut etiam Persicus flores emiserit. *Idem Jonstonus.*

1228. Ex Germaniæ annalibus refert *Jonstonus Thaumatogr. class. 1. cap. 5. art. 5.* tantum fuisse æstum ut messis terminata fuerit antè festum *S. Joannis Baptistæ*.

133. In partibus Mosellanis, Cis-Rhenanis & Franciæ Orientalis vini abundantia crevit, ità ut tempore vindemiarum multis defecerint vasa. Vas vino plenum cum magnis precibus dabatur pro altero vacuo etiam minoris quantitatis: duæ quoque vini mensuræ pro uno vendebantur obulo, quorum duodecim faciunt unum solidum Herbipolensem. *Chron. Hirsaug. Trith.*

1386. Maxima crevit abundantia vini maximè in partibus Mosellanis, Cis-Rhenanis, in Sueviâ & Franciâ Orientali atque in aliis multis regionibus. Undè præ ubertate vini defecerunt vasa tempore vindemiandi. Mira commutatio tempore succedens in variam. Anno namque præterito plaustrum vini unum vendebatur pro florenis quatuor & viginti circà Rhenum, & isto anno pro uno floreno vendi vix potuit, cum vas carratæ unius pro tribus florenis emeretur. *Chron. Hirs. Trithem.*

1442. Per totam Germaniam copia vini crevit, & in tantùm viluit, ut carrata vini, quæ duodecim urnas continet apud Francos Orientales, urna verò unà mensuras quatuor & sexaginta pro florenis duobus passim venderentur: Et erat vinum non tenue, non vile, non dum etitium sed nobile, dulce, & optimum, quale in multis retrò non crevit annis. Fuitque in omni terrâ Germaniæ vini abundantia magna, frumentorum quoque omnis generis tanta exuberantia, ut horrea deficerent pluribus, in quibus nascentia reciperentur. Erat enim totus annus valdè temperatus in singulis quatuor partibus suis,

aura

Anno Christi.

aura quoque messis tempore serenissima, quo factum est quod fruges siccæ domibus introductæ diutiùs servari potuerint. *Chron. Hirs.*

1473. Polonia æstu atque ardore itâ torrebatur ut alvei plerorumque fluminum arescerent: Vistula apud Torunium esset vadabilis: Sylvæ saltusque radicitus arderent, segetes præsertim vernæ squalerent, pecudes & jumenta oblitis limo cum herbis vorato intestinis interirent, incendia quoque urbium, oppidorum & villarum crebra extiterint. *Cromerus lib. 8.*

1482. Vini tanta crevit copia, ut amphora una pro ovo vendita dicatur, tuncque cœmenta pro ædificiis plura vino coacta referantur. *Architec. Jenens. p. 62.*

1483. Vini abundantia crevit ubique terrarum per Germaniam totam, ubi vitium exercetur cultura, quantùm nullus mortalium præcessisse in memoriam revocare potuit. Nec prius nota fuit hæc vini copia tanta, quàm in vindemiâ botros colligere homines cœpissent. Quo factum est, ut multis vasa deficerent, cum pro tantâ vini multitudine se paucissimi præparâssent. Vendebatur tum vini plaustrum pro uno aureo nummo & vas pro tribus. Usque adeò vinum etiam hoc anno viluerat, ut multi vini cultores cœmentationes parietum non aquâ, sed veteri vino maluerint conficere. Alii propter vasorum penuriam, ut novum reciperent, vetus in terram effuderant. Plures etiam non habentes vasa pro tantâ vini sufficientiâ multitudine botros in vitibus dimissos colligere despexerunt, Nonnulli quoque Rusticorum in rabiem versi, cum Deo gratias agere debuissent, in blasphemiam ora laxârunt, verba fundentes, quæ non expedit recitare. Sed in sequentibus annis vindictam ingratitudo recepit.

1534. Æstas in Germaniâ tanti fuit ardoris & siccitatis, ut arescentibus rivis ac fontibus homines & pecora siti contabescerent: quin etiam alicubi mapalia assulis aut stramine tecta conflagrarent.

1539. In Germaniâ præcedente æstate admodùm fervente tam fæcunda fuit vindemia, ut deficientibus vasis vinum in scrobibus fuerit asservandum.

1540. Insolitus per Europam æstus nomen calidæ æstatis transmisit ad posteros, vini generosissimi ferax, ac frumenti tam solidè maturi, ut in alterum usque sæculum servari potuerit. Pluribus in agris videre licuit spicas 5. 10. aut 15. ex uno calamo enatas; nuces avellanas 24. unâ congerie super uno pediculo excretas; plura etiam poma uno petiolo dependentia. Argentinæ plus vini quàm aquæ colligi potuisse scribunt; & in locis, ubi aliàs aqua stagnavit, à fabris lignariis ligna pro ædificiis cæsura fuerunt adaptata.

1573. Tantus fuit æstus per menses æstivos, ut ab ingenti calore sylva Bohemica accensa per 18. septimanas continuò flagrârit. Danubius etiam ita fuit exsiccatus, ut pluribus in locis commodè tranari potuerit. Mirandum tamen quod segetes nullam inde passæ sint injuriam.

1578. Bohemica sylva octodecim septimanis arsit: Danubius ita exaruit, ut multis in locis tranari potuerit: quod verò mirum est; nullum inde segetibus damnum emersit. *Jonstonus in Thaumatographia.*

1585. Autumnum tam jucundum fuisse scribitur, ut rosæ cum stirpibus floruerint. *Jonstonus in Thaumatog.*

1590. Post Pentecosten æstas ingens terram torrere cœpit per plures menses, ut multi fontes exsiccati & aquæ fluviales penè exaruerint. Albis fluvius navigari cessit & feræ plures in sylvis emarcidæ conciderint. *Chron. Dresdense.*

1653. Æstas fuit valdè fervens & calida, quâ etiam optimum vinum excoctum fuit. Noctes autem semper admodùm frigidæ extiterunt, itâ ut ros copiosissimè descenderit, qui & in pratis ac viarum quibuslibet foveolis ubertim colligi potuerit.

1681. Mense Aprili tam insuetus æstus sine ullis pluviis extitit in Dania, qualis â 50. annis in hoc climate memorari non potuit: Ingentes etiam querelæ pervagatæ de nimiâ insectorum copiâ, à quibus non tantùm tenella in plantis & arboribus germina, sed & ipsa in hortis & pratis evirescentia depasta fuêre gramina, ut ità haud leve nocumentum tàm hominibus quàm pecudum generi illatum sit. Ruricolæ magis adhuc conquesti fuerunt de insolita antehac invisorum diversi coloris murium copiâ, qui terram non tantùm ubivis effoderunt, sed & fruges omnes una cum radicibus absumpserunt.

(o)

CAPUT IV.

Regulæ & observationes Meteorognomicæ de Rore & Pruinâ.

§. I.

De Rore, ejus genesi, naturâ, ac variis affectionibus seu proprietatibus.

Ros quid sit.



Os apud Physicos est vapor aqueus circà Horizontem ab aëre frigidiori in guttulas condensatus: descendit autem tranquillo & sereno Cœlo, cùm ejus particulæ, quæ anteà fuerant insensibiles, gramini, floribus, ac herbarum foliis adhærescentes ibidem collectæ sensibiles fiunt.

Quando ros uberior cadit. 2. Vere & autumno ros cadit uberior: nimio enim ardore in æstate humor absumitur; hyeme verò parùm humoris ob terræ constrictionem evehitur. Ros etiam præcipuè noctu & diluculo decidit, quòd terra à Sole aversa tunc maximè refrigeretur.

3. Nox etiam ubi in diem vergit, frigidior evadit ex decidente rore, cum prima roris fusio exspiratione suarum partium frigidarum frigus matutinum adjuvet.

4. Cum Ros Cœlo sereno & tranquillo non decidit per noctem; exspectanda pluvia aut gelu pro temporis ratione.

5. Flante Vento, vel Cœlo nubilo aut pluvio nihil aut parùm roris decidit: Ventus enim vaporem dissipat: nubilo verò & pluvio Cœlo, si quis vapor educitur, hic filamentis exhalationum implicitus, cum nube aut pluviâ confunditur.

6. Ex aridioribus locis cum vix ullus vapor ascendat; ideò nec ros ibidem decidere poterit. Copiosior igitur & frequentior in locis humidis & palustribus reperitur, quàm aridis. Idcircò fluminum ripæ passim rore teguntur, cum agri, & sicca alia loca nullo externo humore perfunduntur.

Qualis melior. 7. Etsi totâ nocte descendant vapores ad rorem generandum, & quidem sublimiores tardiùs tum quia altiores sunt, tum quia singulæ guttæ minores; hic tamen qui ultimò cadit præsertim in Majo; sicut & æstivus à Chymistis probatur melior.

8. Cum ros sit substantia quædam aërea, & in se subtilissima in superficie; nihilominus tamen mirè efficax est in virtute: terram enim inebriat, & fæcundat, medullam in granis amplificat, herbis ac plantis omnibus descensu suo vigorem confert, & quas diurnus calor desiccando & pene consumendo inclinaverat, nocturno illapsu reparat, attollit, & erigit; Ostreas atque alias conchilium species in mari impinguat atque imprægnat, & quidem hoc præstat maximè ros ille, qui Majo mense cadit.

9. Adjuvat multùm ros insectorum procreationem, sicut & terræ fœcundationem; aqueis etiam plurimùm deservit, cum nitrum in se subtilissimum contineat, & dulci gaudeat saccaro, ut per ignem se edoctum scribit *Helmontius Imag. Ferm. impræg. num 33.* Nocet autem pecoribus ac præsertim capris & ovibus. Unde oves eo tempore, quo ros cadit, aut herbæ adhuc eo madent, ad pascua non sunt ducendæ. Ad insectorum generationem conducit.

10. Ros, qui spicâ excipitur, sæpe etiam putrescere solet, cum scilicet acrioribus corpusculis abundet, unde segetum rubigo provenit; similiter cum rore copiosiùs delapso Sol urit ardentiùs, plantæ plerumque exarescunt ac pereunt: ubi autem pluvia sequitur, vel saltem aër nubibus obducitur, permanent.

11. Universim ros in aëre corrupto descendens vel ex vapore qui ex corruptis locis ascendit, genitus, minus confert: plurimùm autem hinc læduntur flores tenelli & segetes novellæ. Ideò etiam in Augusto, cum ros decidit, minùs salubris habetur: quocircà Medici fructibus non vescendum censent, nisi ablutis & repurgatis, aut decorticatis, ne dysenteriam causent.

12. Solet quoque ros iis qualitatibus, ac proprietatibus gaudere, quos habent vapores ex certis terræ locis, ac regionibus extracti & elevati. Ita *D. Herm. Nicolaus Grim*, prout refertur *Ephem. Germ. Decur. 2. Ann. 4. observ. 56.* in Bataviâ novâ rorem indicum magnâ admiratione observavit salino acidiusculo aliquo nonnihil vitriolato sapore præditum esse; filtratum & leni B. M. calore evaporatum ponderosum, & vitriolatum advertit, quocum varias solutiones feliciter tentavit & perfecit. Causam totam ait, quod Sol intenso suo calore aquam marinam attrahat, & nocte eandem cum sale terræ & aëris unitam instar roris iterum dimittat. Sic etiam *D. de Zimbri in itiner.* suo refert, inter montes *Chalep*, & *Sinai*, ubi longa procurrit planities variis fruticibus, & arboribus consita, solum autem habens admodùm siccum absque ullis fontibus & aquis perlabentibus, rorem copiosum nihilominus reperiri, qui gustu valdè salsus deprehenditur. Dum enim itinerantes ex aquæ penuriâ frutices & arborum folia decerpunt & lingunt pro siti sublevanda, sal ipsum lingere se credunt. Ejus qualitates.

13. Quantum etiam soleat ros conferre ad admirandam ac valdè pretiosam radicem

radicem finensem *Sin Sen* vulgo, alias *Genfinus* Japanis *Nifi* dictam quam etiam alii vocant *Ninzin* aut *Iinzen*, vulgares verò *Som*, quo volunt intelligi hominem divaricatum patet *observ. 39. Anno 5. Dec. 2. Ephem. Germ.* ubi litteræ Cl. D. *Rumphii* ad D *Mentzelium* Anno 1684. de die 20. Septembris datæ hæc tradunt. *Quærunt*, inquit, *illam in frigidis & undis Regni Sinici montibus, idque serenâ nocte fulgentibus astris stato tempore, quandò radix illa paulùlum supra terram extuberat, ut rorem bibat: Ros autem radici huic illapsus facit illam nonnihil splendere luce quâdam astrali, quod signum quærentes secuti dilutam calcem in eum finem secum illatam loco, ubi lucem advertunt, illinunt, diemque exspectant. Postquàm dies illuxit, montana repetunt, & quæcunque loca calce illita inveniunt effossa humo perscrutantur; radices inventas secum asportant, & in umbrâ aëre tamen sereno, & pervio siccant.*

Ejus vis penetrativa. 14. *Schröderus* aquam roris omnes alias subtilitate & penetratione antecellere scripsit, & constare liquore volatiliori, saleq; acriori. *Pharmacop. lib. 3. c. 3.* Unde etiam ut palingenesia, sive regeneratio plantarum ex cujusque plantæ semine in phialâ vitreâ hermeticè occlusâ artificiosè instituatur, & mirâ cum oblectatione exhibeatur, roris beneficio procuratur; de quo artificio consule *Harstofferum tom. 2. delic. mathem. part. 9. qu. 26. Schottum in Mechan. hydropneu. part. 2. classe. 1. cap. 6. & in Jocoseriis, cent. 2. prop. 47.* Rorem tamen Brasilianum insignis Medicus *Piso* virtute subtilioris penetrationis Europæo longè prævalere scribit: imò hanc ei virtutem attribuit, quod lassa membra tam in hominibus, quàm pecoribus mirificè confortet; cum nativum calorem colligat & corroboret, vi insuper diureticâ polleat.

15. Vim etiam veneni in animalibus venenosis ros reprimit, ac coarctat, ne scilicet tantùm de nocte, quantùm de die diffundant. Unde serpentes latitantes inter herbas vix solent transeuntes lædere, quàm diu flores & gramina rore conspersa sunt.

Vis laxativa. 16. Gaudet ros virtute laxativâ; undè solvit ventrem in animalibus quocircà cum homines uvas rore madidas, & bruta herbas manè comedunt, generatur in iis fluxus ventris, ex eo quod ros subtilitate suâ, & raritate facilè intestina penetret, & fœces exsolvens ac lubricas reddens indè deijciat. Tradit etiam Plutarchus obesas mulieres rore pannis aut mollibus velleribus collecto & excepto pinguedinem minuere & consumere.

Vermes & varia infecta in rore putrefacto. 17. Experimentis constat in rore artificialiter putrefacto varios vermiculos, atque insecta longarum caudarum: Item & millepedes magnâ copiâ enasci. Imò observatum est insecta reperta tandem exuviis depositis in muscas volatiles animari; uti experimento didicit Illustris Eques Angliæ *Thomas Hensbau*: quin & per artificialem calcinationem albi salis volatilis substantiam in eo deprehendit; qui microscopis inspectus angulos, quales in sale petræ cernuntur, similes planè habere compertus est. *Vide Acta Philos Anglic. Anni 1665. Mense Majo.*

18. Fungos nasci ex rore tradunt *Acta philos Angli* Anno 1665. memorat & *D. Phil. Jac. Hartmannus in Exerc. de generat. Mineral. veget. & Anim. in aere cap. 4. §. 2.* Visos à se fungos plusculos ex pelliculâ rori majali innatante prognatos albicantes, cauli formes non capitatos, nisi quod floridi summâ parte cornu copiæ æmularetur. Vide Authorem *loco citato.* Fungi ex rore nascentes.

19. Mirabile omninò est experimentum *D. Danielis Ludovici* in artificialiter distillato rore majali; Hic enim dum aliquandò argenteum cochleare ejusmodi distillato rori immisisset, mox aureo colore imbutum reperit; Dum & alterâ rursum vice immersisset, grato purpuræ colore tinctum advertit. Ros tingit argentum aureo in purpureo colore.

20. De Arabiâ, quæ contermina est Ægypto scribit *Andreas Corsalius* apud *Majolum*, quod in quodam districtu propè Civitatem *Aden* nullæ cadant pluviæ, nulli sint amnes & fluvii, qui terram illam perfluunt, nulli fontes irrigui, nec ulla pene aqua, nihilominus à decidente ibidem rore mirificè terra ità fœcundetur, ut uberrimos proventus faciat. Meminit præfatus Author intrà sex annos vix semel pluviam delapsam. Imò & *Alvarez in descriptione Æthyopæ* refert, nunquam ibi nivem videri, glaciem tamen quandoque reperiri.

§. II.

De Pruina.

1. Pruina aliud non est, quam ros acerrimo frigore congelatus; qui enim vapor æstivo tempore dicitur ros, hyberno, & acriter frigido concretus, dicitur Pruina. Eandem passionem sumunt nebulæ adhærentes arborum ramis eodem brumali tempore. Pruina quid sit.

2. Quæcunque rorem impedire valent, eadem possunt & pruinam & quibus in locis ros facilè decidere solet, etiam frequentiùs contingit pruina.

3. Pruina ex nimiâ frigiditate albescit, atque herbas, plantas, & flores super quos cadit, mercidos efficit & exurit. Licet autem plurimùm albescat, minùs tamen candescit, quàm nix, quià habet admixtum aliquid de aëre, sicut nix, sed non ità de puro aëre, quià propiùs ad terram generatur: Undè etiam non ità rara est, sicut nix. Quò enim aër est crassior, eò tenaciùs cum vaporibus coagulatur. Ex quo constat, inquit *Philippus à SS. Trinitat. de meteor. qu. 26. art. 1.* pruinam Unde fit alba.

pruinam esse parvam nivem, sicut ros est parva pluvia.

4. Peculiare tamen est pruinæ fructus quosdam & herbas, veluti caules teneriores facere; quoniam frigus per immediatum contactum in caules agens, illos maximè condensat, efficitque, ut multæ humoris partes concrescant: Quò fit, ut calore posteà superveniente facilè solvantur fibræ priùs imminutæ, & tandem omninò pene dissolvantur. Ob eandem rationem etiam caro post congelationem tenerior evadit. Ità quoque prodest uvas ex vineis post duas aut tres pruinas colligere, quandò nempè pellicula non nihil emolita est.

Pruina quando timenda. 5. Cùm humidâ tellure Cœlum per noctem mensibus & temporibus frigidioribus serenatur, pruina timenda est, quià ros tunc Cœlo decidens à frigore congelatur.

6. Ad pruinas inclinant in cœlestibus orbibus Saturnus, præcipuè si cum Lunâ cœlo sereno & tempore apto conjungatur vel corpore, vel radiis. Sirii quoque vespertinus occasus, si biduò antevertat, vel sequatur plenilunium ex *Junctini* observatione, segeti ac vitibus præsertìm tenellis, aut florentibus uredinem prænuntiat. Procionis occasus vespertinus, si intetlunio accidat, florenti viti, atque oleæ ob pruinam periculosus.

7. Sicut ventis Orientalibus aut Septentrionalibus flantibus in nostris regionibus pruinæ potissimùm contingere solent: Ità à contrario Australibus, aut Occidentalibus Ventis eædem impediuntur.

8. Pruinâ brevi cuniculos saginari dicunt: Quod instar roris decidentis fit nitrosa, & dulcis; Undè & avidiùs appetunt, ac quià facilè in substantiam ab iisdem convertitur, eos etiam facilè impinguat. Pruinâ cuniculi saginantur.

9. Prodest hyeme pruina satìs; nam calorem in visceribus terræ continet, impeditque ne sata exurgant, quo etiam fit, ut ità altiùs radices in terra figant, atque plus deindè fructificent. Sin autem adveniat vineis, vel arboribus germinantibus omnia devastat; præ nimiâ enim frigiditate suâ tenella germina comprimit; totumque humorem pervertit & exsiccat. Prodest satis in hyeme.

CAPUT V.

Regulæ & Observationes Meteorognomicæ de Nubibus ac Nebulis.

§. I.

De Nubibus.

Nubes quid sit. 1 NUbes est vapor exhalationi permistus ad altiorem aërem elevatus, ibique frigore citrà congelationem addensatus ac suspensus: Sive est crassamentum exhalationum convolutum vim habens aque gignendæ, ut tradit *Aristoteles l. de Mund. cap.4.*

Materia & causa efficiens. 2. Materia nubium est vapor; Efficiens causa Sol, ac reliqua astra vaporem calore suo è locis humentibus ad competentem aëris regionem evocantia; tùm etiam frigus circumstans, cogens & densans. Densantur autem nubes tàm vaporum ascendentium copiâ tùm vento austtali, vel occiduo, præsertìm si à mari spiret, quod majorem vaporum copiam suppeditet; quàm deniquè oppositis ventorum flatibus, quibus sæpè vapor constringitur. Vapores autem imprimis sicuti dilatati ventos producunt; ità iidem constricti & compressi nubes efficiunt: Quod fit cum illorum motus minuitur, quia tunc exiguæ eorum partes ad se invicem propiùs accedentes, moxque junctæ in parvos cumulos exurgunt, qui deindè simul aggregati in ingentes moles, quæ Nubes dicuntur, coëunt.

3. Nubes etiam duplicis sunt generis: Quædam enim sunt sicciores, & evanidæ atque infœcundæ, quæ licet pluviis Ventis incitentur, non tamen effundunt imbres, sed in aëris naturam facessunt. Aliæ sunt humidiores irriguo quodam humore scatentes, ac proindè fœcundæ, & ad pluviam pariendam idoneæ, suntque hæ proxima pluviarum materia: Cum pluvia nihil sit aliud, quam nubes in aquam deciduam resoluta. Nubes duplices generis.

4. Effectus nubium præcipui sunt, terræ fœcunditatem & seminibus herbisque incrementum humiditate suâ præbere, siccitatem, & hinc enatam sterilitatem abigere, solarium radiorum æstum temperare, gratâ inumbratione, & hinc emanante frigore tam resoluta penè ab æstivo calore animalium membra refocillare, quàm emarcescentes plantarum vires restringere, ac ab egestu cohibere. Quocircà nubes haud immeritò dici queunt, velum quoddam inter Solem & terram sapientissimâ Providentiæ divinæ lege varios ad usus obductum. Effectus nubium.

5. Distantia nubium à terrâ non est æqualis sed varia pro vaporis ratione & aëris constitutione: Undè quædam in altiori aëris regione ob nimiam distantiam quasi quiescere, aliæ à Ventis commoveri; aliæ contrariâ planè viâ celerrimè aërem transmeare, fulgureq; & tonitruis misceri, aliæ imæ in terrâ depluere videntur; sicut hoc in promontoriis excelsis, vel ad illa ex navibus in mari prætemavigantib⁹ manifestò appa- Earum distantia à Terrâ.

apparet, & se ita in monte præalto granatorum Hispaniæ ex freto *Gibraltar*, itemq; in monte *Sumano* acaliis cum stupore intuitũ fuisse testatur *D. Mentzelius*, ut refertur *Anno 3. Ephem. Germ. Decur. 2. obs. 5.* Experimento etiam compertus est insignis Mathematicus *D. David Frölich.* Anno 1615. mense Junio, dum non sine magno vitæ periculo altissima montis *Carpathi* juga conscendit, & ex summo vertice in subjectas valles despiciens observavit, nubes alias altiores, alias humiliores, adeoque distantiam nubium à terrâ pro ratione vaporis variari. Intellexit quoque distantiam nubium terris proximarum longè minorem esse eâ, quam aliqui statuunt nempe 72. milliar. German. atque tantùm ad dimidium milliare germanicum elevari. Altitudo igitur nubium varia est & inconstans, adeoque incerta, quia neque omnes nubes sunt ejusdem raritatis, aut densitatis, nec aër, in quo suspenduntur, omni loco & tempore æquè rarus, aut densus est, ut per se patet. Eò autem sunt nubes altiores: quò ipsæ sunt rariores, & aër densior; eò humiliores, quò ipsæ densiores, & aër rarior.

6. Certum in specie videtur infimam altitudinem multarum nubium esse minorem, quàm 500. passuum; cum experientiâ constet sæpè ex montibus, quorum altitudo perpendicularis certissimè minor est, quàm 500. passuum apparere sæpè nubes infrà illorum verticem.

Nubium figura.

7. Figura nubium non in planitiem excurrit, ut voluit *Cardanus*, nec est rotunda ac terræ concentrica, ut putavit *Fromondus* & *Vossius*, sed irregularis, & inconstans, varia, dispar, & fortuita, ut tenet *Cabæus*, eò quod materia earum non sit homogenea, & ejusdem prorsùs secundùm omnes partes levitatis, aut gravitatis, ut propterea debeant singulæ æqualiter à terrâ distare; patetque ipsâ experientiâ oculari, cum partes earum alicubi rariores, & elevatiores, alicubi compressiores & submissiores, ac diversimodè compactæ, atque ipso discursu plurimùm variari cernantur.

Causa elevationis & sustentationis nubium.

8. Causa elevationis nubium, earumque in aëre sustentationis videtur esse non tantùm à caliditate ac raritate partium, sed etiam à substantiæ porositate & particularum plurimùm distensarum ab invicem dislocatione, quibus abundè materia ventosa immixta, sivè plurimæ aëreæ particulæ inclusæ sunt. Undè fit, ut dùm magis infrigidantur, mox condensentur, & graviores factæ descendant. Ubi etiam particulæ illæ porosæ magis comprimuntur, ventorum flatus non tantùm emittitur, sed ipsæ nubes etiam emsso aëre graviores factæ in descensu ab aëre inferiori compresso dividuntur, & in guttas dissolvuntur, atque ità ubertim depluunt.

9. Sustineri tamen etiam possunt nubes, utpotè levioris substantiæ, & tenuiorum partium ab aëre propè terram crassiore, ac à ventis ibidem flantibus, qui impedire valent, ne decidant. Cum autem adeò incrassescunt, ut ampliùs ab aëris resistentiâ sustineri non queant, factâ per aërem divisione in aquam dissolvuntur, sicque pondere suo in terram decidunt. Optimè proindè *Dygbæus Instit. peripat. lib. 3.* *Cur nubes in sublimi pendeant, nec pondere suo sponte decidant, videtur efficere parvitas partium, sicut videmus jactatum pulverem diu in aere hærere. Præterea & motus aeris impedit ne cadant: unde dum validus spirat Ventus, pluvias non timemus: cum autem cessat Ventus, mox pluere solet.* Ita ille.

Ventorum ex nubibus significatio.

10. Cum nubes sereno Cælo in altum ferri cernuntur, ex quacunque mundi parte fiat, Ventos ab eâdem mundi parte esflaturos significat. Quodsi etiam nubes conglobentur & appropinquante Sole discutiantur, hoc ab Aquilone fiat, Ventos prænuntiat.

11. Si Cælo serenato post tempestatem appareat parva quædam nubes, quæ in aëre deindè distenditur ac divellitur, signum est tempestatem nondùm plane sopitam, & sed adhuc continuaturam.

12. Nubes apparentes in aëre, quæ floccis lanæ assimilantur, pluvias plerumque cum frigore futuras prænuntiant: Uti & *Ptolomæus de Astron. Jud. lib. 2. text 71.* docet: *Nubes in quibuscunque finibus conspectæ assimiles floccis lanæ nonnunquam hyemes* (hoc est, ut commentatur *Cardanus*, pluvias cum frigore) *afferunt*: Quæ autem gradatæ & siccæ ad modum ovium gregis, ventos denuntiant.

Nubes purpureæ in ortu vel occasu Solis.

13. Quotiescunque Cœlum ante Solis exortum intra nigriores nubium coacervationes purpurascit, certè id portendit vel eâdem die futuras pluvias, vel temporis mutationem: Si verò vesperi nubes ad Occasum Solis purpurascant, serenitatem prænuntiant sequentis diei, juxta illud vulgare.

Mane rubens Cœlum venturos indicat imbres:
Serò rubens Cœlum, cras indicat esse serenum.

Nubium color niger quid significet.

14. Quodsi Sol oriens nigro procedat velamine, æquè & pluvias & Ventos portendet: Nubium enim nigricans color & vaporum constipationem, & consequenter aptissimam Ventis materiam notat: Ventos, si nubium ex arcto in latum dissipatio; pluviam, si Solis vi earundem in aqueas partes fiat dissolutio. Unde *Cardanus* docet *Comm. in Ptol. de Astron. jud. lib. 2. text. 67.* Si Sol oriatur vel occidat, quatuor consideranda esse, quæ sunt color, puritas, nubes, & radii. *Puritas*, inquit, *& in calore, & in nubibus, & in obscuritate significat serenitatem: radii verò & nubes subrubræ, & refractiones, quales sunt areæ & virgæ, significant Ventos, eâ ex parte, in quâ talia apparent: subpallida, nigra & obscura; imbres & hyems.*

Nubes albæ quid indicent.

15. Ut atræ nubes quocunq; fere tempore in aëre conspicuæ pluvias, ita albæ æstivo grandines, & hyemali tempore ni-

 vesindi-

ves indicant: præcipuè verò cum albæ nubes vesperi propè Horizontem apparent, per duos sæpè dies, aut tres continuos hyemali tempore frigoris aut nivis indicium præbent. Quò etiàm magis eodem tempore albicant, & aër insuper post apparentiam illarum erit calidiusculus, eò certiùs nives indicabit.

16. Nubes crassiores quocunque anni tempore ad Horizontem propè dependentes, aut montium jugis incumbentes, pluvias cum ventis portendunt.

17. Toto aliàs Cœlo sereno, & maximè à ventis tranquillo, cùm parva nubecula super montes exoritur, paulatimque accrescere videtur, ingentis tempestatis certum signum à nautis compertum est.

18. Altissimæ nubes in nivem potiùs, quàm in pluviam concrescunt: Undè sæpè, cùm in subjectis vallibus pluit, eodem tempore in præcelsis montium jugis ningit.

19. Nubes profundæ colore viridi in atrum vergente cum sulphure & terreis exhalationibus sint admodùm fœtæ, quæ idcircò etiam facilè inflammantur, & factâ incensione, & inflammatione congeneres particulas lapideas citò congregant; plerumque intempestatibus graves minantur ictus & percussiones. Vide *Bartholinum in system. physs. pag. 223.*

Undè spectra in nubibus.

20. Possunt in nubibus varia ostenta, & spectra hominum, animalium, ædificiorum, sylvarum, arborum, aliarumque quarumlibet rerum exhiberi, præsertìm si vapores illi, ex quibus nubes conflantur, constent ex materiâ arenosâ speculari; vel ità frigore sint concreti, ut adhuc pellucidi, ac diaphani permaneant, tràns ipsos verò nigredo quædam, aut opacitas aliqua existat, quæ ad modum speculi imagines illuc è terra remissas, & incidentes terminet, ac reflectat. Undè rectè videtur scribere *Cornelius Agrippa lib. 1. Philos. occultæ*: *Et nos videmus, quomodo Austro flante aër densatus in tenues nubes. in quibus velut in speculo reflectunt imagines valdè distantes castrorum, montium, equorum & hominum, & aliarum rerum, quæ decedentibus nubibus mox evanescunt.*

§. II.

Nubium Mirabilia.

Deus nubium amator.

1. Mirabile imprimìs est, quod Deus opt. maximus singularis nubium videatur esse amator, dùm in nubibus nobiscum conversari, & colloqui, & admirandam suæ majestatis præsentiam indicare voluit. Ità cum *Moysi* clarissimo illi Israelitici populi ex Ægyptiacâ servitute Duci apparere voluit; nubem velut instrumentum assumpsit: Dicit enim DEUS *Exod. 19. Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat populus loquentem ad te.* Item super tabernaculo; oraculo nempe illius, sive propitiatorio se in nube appariturum promittit. *Levit. cap. 16. Et nubes Domini incubabat per diem Tabernaculo videntibus cunctis populis Israel.* Vocatur autem Nubes illa gloria Domini. *Exodi cap. 40.* Ita etiam nubes populo DEI per deserta in terram sanctam peregrinanti ducatum per diem præbuit toto illo profectionis tempore. Ædificato etiam & dedicato templo Majestas Domini in nube templum implevit. *3. Reg. 8.* Sic etiam dum Salvator noster in terris gloriam suam discipulis in monte *Thabor* exhibuit, nubes lucida colloquentes secùm *Moysen* & *Eliam* obumbravit *Math. 17.* dumque è terris Cœlum repetiit, nubes occurrens ab oculis charissimorum discipulorum aspicientibus eum eripuit, & instar sedis, aut throni ad alta cœli palatia deduxit. Atque ità rursùm in nube venturum ad finale judicium peragendum è Sacræ Scripturæ testimoniis eruitur.

Nubes ignea suprà Constantinopolim.

2. *Arcadio* Imperatore prædixit DEUS viro sancto Constantinopolim (quæ altera velut *Babylon* fastu turgebat) in cineres redigendam, utque hoc Episcopo aperiat, severè edixit. Mox Præsul convocatâ concione Urbis excidium denuntiat; omnia illa superba ædificia solo æquanda. Et eccè repentè alia urbis facies, ignitis precibus, ut Ninivitæ ad luctum, & ad saccum conversa; & ne fabula crederetur, sub nocte omnibus rei eventum præstolantibus ignea nubes illuxit, undè teterrimus sulphuris odor exhalabat. Cuncti ad templa ad Deum confugere, ut omnes non caperent, dum sensim nubes evanuit, jamque parùm respirabant, dùm ex templo vox audita: *Migrate, Migrate.* Exit itaque cum Imperatore omnis plebs, Episcopus cum Clero, nullo omninò in Urbe remanente, & vel præproperâ festinatione, vel quod planè de rebus suis desperarent, nemo domum clausit. Tam longè à mœnibus profecti subindè tecta respiciebant, totque millia hominum cum parvulis ad pascua devenêre, ubi in unum locum fundendis lacrymis congregata factus est locus flentium, omnis luxus in luctum conversus: Cùm eccè fumum & scintillas abscistere ex urbe vident, sed timore res tantùm agebatur, Submissi primo manè qui inquirerent, num Urbs superesset; renuntiant omnia salva, quisque tecta repetiit, sed alius quàm exiêrat; & quod mirandum, patente domo nihil deperditum, nemo quidquam desideravit: Ità timor ad justitiam compulerat; animum ab omnibus perituris avocârat. *P. Palingen. de Tribul. cap. 3. sect. 4.* & ex ipso *P. Engelgrave Luc. Ev. part. 1. Domin. 2. post Pascha.* Verùm P. *Engelgrave* addit annum, quo nubes hæc ignea comparuit, fuisse 1596. quod minimè verum esse (si non sit error Typographi) Chronica ostendunt, dùm eo tempore urbs ea Turcico jugo jam fuerit subdita; *Arcadius* etiam Imperator ad finem quarti sæculi Orientis dominio memoretur præfectus.

Duo adolescentes visi in cœlo nubilo & aquoso.

3. Anno 1536. die 7. Februarii in quodam Hispaniæ oppido, cœlo aquoso & nubilo visi sunt duo Adolescentes armati gladiis congredientes, quorum unus habebat in lævâ parmam Aquilâ insignitam, cum inscriptione *Regnabo*: alter scutum per longum cum inscriptione *Regnavi.* Verùm

rùm cùm Monomachiam instituissent, Aquilam habens prostrato hoste Victor demùm evasit. *Aldrovand.l.2.Ornith.c.2.*

Idoli cultus in nubibus repræsentatus.

4. In Quitamalensi Americæ regno *Hierra*, refert cultum Idoli cujusdam nomine *Anazotbl*, eo in loco vigentem hinc originem sumpsisse, quod statis anni temporibus idolum illud, ceu Deus aliquis in nube compareret choro quodam Deastrorum stipatum. Hoc autem ait fuisse illud ipsum Idolum ad vicinum lacum quotannis summâ Indorum veneratione coli solitum, ac certo vapore loci eodem tempore emisso, ceu speculo cum omnibus circumstantiis & ceremoniis adorationis, quibus ipsi utebantur, repræsentatum: Indos autem naturæ ignorantes mysterium ad hujusmodi cultum suismet è nube incumbente reflexis imaginibus excitatos Deorum existimâsse apparitiones atque adeò diabolum naturæ opere stupidis mentibus miserè imposuisse: Idolum autem mox ubi à PP. Dominicanis fraus detecta fuit, excisum, combustumque imposterùm dicto loco comparere cessâsse.

Nubes arenariæ.

5. In angustiis Arabici maris faucibus, sicut & in Arabiâ atque Ægypto sæpè nubes atra terribilis cum parvis aliis immixtis rubei, aut ignei coloris nubeculis instar ignivomi camini apparere, diemque ipsum obtenebrare solet; mox autem hinc ingens erumpit tempestas, quæ licet brevi rursum desinat, ingentem tamen minutæ rubeæ arenæ copiam eijcit, tam super mare, quàm terram, adeò ut subindè integræ Caravanæ, sive plurium millium itinerantium hominum societates (quales plerumque per annum semel, aut bis ex variis Asiæ provinciis ad sex millium hominum cœtum congregantur, partimque *Alepo*, ac partim *Cayro* in Arabiam; atque etiam quales ex Indiâ in *Chinam* & *Asiaticam Tartariam* pedestri itinere instituuntur) cum equis, camelis, & omni commeatu subitaneâ hujusmodi exortâ tempestate arenariâ obruuntur, obteguntur, atque itâ homines vivi adhuc & vegeti sepeliuntur. Ex horum itâ sepultis atque in arenâ exsiccatis corporibus Ægyptias mumias provenire plures autumant. Similiter in Indiæ regno *Guzurate* plurimi itinerantes ab ejusmodi nubibus arenâ pulverulentâ fœtis frequenter obrui, ac vivi sepeliri solent.

6. Ad Promontorium *bonæ Spei* cum parva nubecula suprà propinqui montis cujusdam planitiem conspicitur, ingentis futuræ tempestatis præsagium nautis esse, suprà jam meminimus. Vide *Scrut. hujus Disq. 2. cap. 5. num. 2.*

7. Meminit *Author Diarii Europæi continu 42. pag. 266. Anno 1680.* ultimo Julii in Angliæ Provinciâ *Grotfort* inter Septentrionem & Ortum columnam valdè claram & lucidam cum emissis radiis similiter lucidis in aëre nubilo observatam, quæ fumum etiam non secùs atque ex ardente fornace emisit. Aëris autem constitutio inferior fuit admodùm obscura; Superior autem nubes valdè lucidas & albicantes provexit Occasum versùs. Spectrum hoc aëreum cùm ad horæ ferè spatium fuisset conspicuum, deindè in figuram serpentis transiit, tandem subintrans nubem lucidam evanuit. Credebant Spectatores, si phœnomenon hoc de nocte comparuisset, quod totum igneum conspectum fuisset. Idem hoc phœnomenon rursùs memoratur, *Contin. 42. Diar. Europæi pag. 299.* Londini etiam visum die 21. Julii.

Nubes tubiformis.

8. Imperante *Leone*, qui Marciano successit, ut recitat *Glycus*, prodigium quoddam in cœlo apparuit, nimirùm Nubes tubæ consimilis, quæ totos quadraginta dies visibilem se exhibuit.

Nubis pyramidalis meteoron.

9. Mirabile planè est Meteorum nubis pyramidalis in mare usque demersæ, quæ aquam marinam haurire, extrahere & in altum sufferre solet: Communiter Germanis vocatur. Die Wasser Hosse: Item ab Hollandis & Belgis Censeehose. Describit hujusmodi meteoron *D. And. Cleyerus* in literis *Nangasacki* die 20. Octob. Anno 1682. ad *D. Mentzelium* datis, ut & refertur *Obs. 8. An. 2. Decur. 2. Ephem. Germanic.* his verbis. *Id autem quod in itinere hoc præsente* (nempè ex *Java majore* Bataviâ versùs *Japan*) *observatu præcipuum duxi; fuit extractio vel sublatio aquæ marinæ vi cujusdam nubis, quæ ex aëre sublimi species pyramidis, vel exactiùs ut proboscis Elephantis se in mare demittit, & simul ac ipsam maris superficiem attingit, ingentem aquæ ebullitionem, qualem ex imâ scaturigine fons vel æstuosissimus unquam protrudere potest, excitat. Hic frequens aquæ absorptio & sublatio cernitur, donec indè congregentur crassæ & pluviosæ nubes. Hoc meteoron super mare vi suâ attractivâ tanquam ambulando procedit ventorum ope; & cùm in navem incidit, eam invertere, ejusque vela abripere, & instar chartæ secum abducere, aliaque damna inferre valet. Remedium contrà hoc malum nautæ tale adhibent: Simul ac nubem conspiciunt, tormentum bellicum bis vel ter in eam explodunt: Ita globis tormenti bellici, & impetu ejus aëre commoto attractio aquæ imminuitur, & vis nubis frangitur.* Addit Author in scholio: Ad hoc meteoron accedere ventorum impetuosissimum genus, quod quibusdam gentibus *Orcan* vocatur, & totas naves in altum deferre posse perhibetur: differre autem posse putat inter se nubis præsentia, nisi orcanus ventus, ut inquit, etiam sit nube vestitus. Videatur de hoc phænomeno *D. Joan. Major* in suo de Salnitro, & spiritu *nitro-aëreo Tractatu*, ubi non tantùm historiam ejus ac delineationem *cap. 11.* exhibet, sed & de modo, quo illud oriri putat, prolixiùs philosophatur.

Phænomenon nubis pyramidalis in Franconiâ visum.

10. Vidimus etiam *Regiscuriæ in Arvis* propè Oxovium Franconiæ, ubi hæc scripsi Anno præter lapso 1682. Mense Aprili mirabile quoddam nubis ferè jam memoratæ phænomenon: Itâ autem se conspiciendum offerebat. Cœlo nubibus atris, & nigricantibus plurimùm per aërem ab occasu orientem versus procurrentibus obducto, ex unâ earum nubium proboscis admodùm longa protendebatur, quę tamen terram non contingebat, sed in altiori aëre termi-

terminabatur. Advertimus primùm longo aliquantùm temporis intervallo specie suâ pyramidali, vel trabali integrâ cum nube suâ progredi; tandem verò ab extremitate suâ versùs terram in fumum quasi resolvi, & unà semper absumptionem illam versùs nubem, undè egrediebatur, haud aliter, quàm si incensione aliquâ factâ consumeretur, procurrere, fumo nempè semper versùs nubem elato, donec evanesceret. Fateor me, & plures alios, qui mecum tunc hoc conspexêre meteoron, mirè ex aspectu ejus fuisse oblectatos. Nihil tamen turbinis aut venti vehementioris advertimus, cùm forsan meteoron altiùs fuerit, quàm ut terræ vim suam valuerit communicare.

Nubium decertantium & invicem pugnantium meteoron. 11. Aliud mirabile nubium concertantium phœnomenon, nusquam aliàs à quoquam, qui illud mecum observârunt, antè à conspectum hìc in Franconiâ, eodem loco supra memorato nostris aspectibus objectum fuit die 27. Septembris, in festo nempè *S. Michaëlis* Anno 1688. manè post horam sextam. Cœlum primo mane sudum erat ac serenum, in occasu autem paululùm versus Septentrionem sistebant se admodum ingentis exercitûs nubes valdè arræ ac nigræ, ità ut terrorem omnibus injicerent, atque ipsum Cœlum decidere quasi velle conspiceretur, Lux etiam diurna fugiens lectionem cujusvis scripturæ denegaret. Mox deindè horribili congressu instar acierum dimicantium nubes invicem sese mirabiliter incurrere, ac invadere, atque impugnare cernebantur. Tandem ingenti suborto turbine procelloso ac ventoso nubes omnes summâ celeritate versùs ortum propelli ac mirè dissipari videbantur, ut totum deindè Cœlum gratissimâ redditâ serenitate, & tranquillitate, quæ per ipsam diem etiam continuavit, omnes spectatores arrideret. Ominabantur cuncti, qui phœnomenon hoc mecum considerârunt, congressum aliquem hostilem in Hungariâ denuntiare. Sed ut credo, potiùs nuntius fuit Gallicæ invasionis in Imperium Romanum, & oppugnationis *Philippopolis* ad Rhenum, quæ oppugnatio hoc ipso die inchoata fuit. Plura alia spectra aërea mirabilia dabimus infrà.

§. III.

De Nebulis.

Nebulæ quid sint. 1. Nebulæ à nubibus non differunt, nisi quod his sint terræ viciniores, & vi frigoris ciriùs concrescant, nec ità ob vaporum crassitiem altiùs Cœlum versùs evehi queant.

Quomodo fiant. 2. Ingenito terræ calore nebulæ potiùs, quàm radiis solaribus excitantur. Manè equidem vel vesperi sæpiùs, raro sole fervido terram obducunt, subitò etiam totum Horizontem complenr, atque ex certis locis erumpunt; quæ omnia non cadunt in vapores à Sole attractos.

3. Ex humidioribus & humilioribus terræ locis frequentiùs & majori copiâ elevantur, quàm ex locis aridis, excelsis, ac pervis ventorum flatibus.

4. Aliquæ nebulæ solent esse prorsus aqueæ, aliæ viscosæ, & limum ex qualitate corporis, ex quo sublimantur, congenitum habent. Quæ ab aquis putrescentibus exspirant, fœtorem habent, tussimque creanr & noxiæ sunt.

5. Nebulæ in aëre apparentes, si recidant, nec ascendanr; aëris purgationem & serenitatem significant. Quod si verò sursum attollanrur, pluviam præsagiunt: Nam rerra adhuc calens novos vapores suppeditat, qui tandem in aquam abeunt, ex quâ prodiêrunt. Nebulæ, cùm recidunt, aut ascendunt, quid significent.

6. Nebulosa tempora sunt serenis calidiora, cæteris paribus. Ratio est, quià serena tempora sunt exhalarionibus magìs expertia; nebulosa verò plena sunt exhalationibus, quæ suo calore aërem calefaciunt.

7. Nebulosis temporibus miasma pestiferum faciliùs transfertur: Undè tunc plures inficiuntur, & intereunt: Ab iis igitur pestis tempore maximè cavendum.

8. Est quædam caligo, seu nebula contingens tempore sereno: quæ si sursùm petat, per condensationem transit in nubem, estque signum pluviæ. Alia accidit in pluviâ, & decidit ex nubibus, ut ejus excrementum, estque serenitatis signum.

9. Nebula maris, si terram petat vento sibi contrario, pluviam prænuntiare observatum est.

10. Nebulæ Autumni tempore in his regionibus nostris sunt frequentiores, quod terra tunc faciliùs & uberiùs evaporet. Quæ verò verno tempore, postquàm terra diu gelu constricta fuit, ac imprimìs in Martio contingunt, insalubriores censentur. Nebulæ in Autumno hìc sunt frequentiores.

11. Nebulæ etiam plerumque fœtorem haud gratum solent effundere: Undè *Helmont. progym. meteor. Nebula*, inquit, *nubes est fœtida, nondùm depurata per fermenti putrefactionem. Nôrunt quippè quotquot Alpes mecum transgressi sunt, quantum nubes manu apprehensæ fœteant: Aqua verò pluvia indè collecta, quàm insuavis & insipida.*

12. Filamenta illa, quæ communiter *Veneris capillitium* vocantur, & Autumno maximè instar telæ araneæ volitant in aëre, Doctissimo *Du Hamel* nihil sunt aliud, quàm quædam Nebularum veluti reliquiæ calore Solis exsiccatæ: Hinc ut ait, ductiles sunt & viscosæ.

§. IV.

Nebularum quædam Mirabilia recensentur.

1. Anno Domini 1147. *Conrado III.* Imperatore expeditionem in terram sanctam suscipiente cum Principibus confœderatis dira prodigia sunt conspecta, quibus varia belli incommoda denunciabantur. Nam vespere quodam nebula

bula densissima cooperuit castra, & universa papilionum tegmina, quæ sub dio fuerunt, ità sanguine conspersa comparuerunt, ac si sanguine pluisset, paulò post in montis supercilio tonitrui fragorem & tempestatis audierunt; deindè circà noctis medium torrens auctior erumpens, quidquid vallis humile continuit, temporis momento abreptum in mare avexit. Ità *Continuator Sigeberti, & Annales Nicetæ.*

Nebulæ indices Tempestatum.

2. In Galliæ Delphinatu haud procul ab Urbe *Viennâ* altus exurgit mons, in cujus vertice stagnum est aquâ repletum, undè omnes tempestates illius regionis originem trahere censentur. Cùm enim nebulosus quidam vapor indè notatur ascendere; mox tempestatem validam cum tonitruis & fulminibus affuturam conjicitur.

Nebula pulverulenta alba.

3. *Oliverius* meminit haud longè à *portu Formoso* in tractu marino inter *Baldiviam* in *Chili*, ac civitatem *Lima* incidisse se in tempestatem nebulosam, in quâ vix ad lapidis jactum quis visum protendere potuit: Nebula autem illa fuit instar sicci pulveris, ad motum farinæ comminuti, undè & vestes eorum, qui in navi erant, conspersæ ità albicârunt, quasi farinâ albâ fuissent conspersæ.

Nebula rorida valdè fœcunda.

4. Ubi à Peruvianis montibus *Ariqua* & *Arequipa*, ut refert *Josephus à Costa lib. 3. cap. 21.* In campi, planitiem descenditur, jam procul, & à longè sese prospectui offerunt duo colles, quorum unus altero paulò altior, clarior etiam & lucidior comparet, alter verò priore demissior, obscurior expanso criseo linteo, sive velo haud dissimilis totum illum obtegit districtum. Solet autem nebula rorida (cum nullæ ibi decidant pluviæ) omnem irrigationis pluvialis defectum compensare, satisque mirè conducere. Licet etiam in eâ regione profluentes aquæ per campos deducantur, ros tamen & nebulosus aër magis conferunt herbis, plantis & frugibus: Iis enim quâcunque de causâ impeditis agri omninò sterilescunt.

Nebulæ crassæ ingentium guttarum in novâ Zembla.

5. In novâ *Zemblâ* & locis circumsitis, ut memorat *Gerardus de Vëer in descript. secundæ navigat. Batav. Anno 1595.* nebulæ admodùm crassæ, atque ingentium guttarum terram illam obsidere solent, quarum guttarum unica etiam ferè commune potorium vitrum ad medietatem implere valet; Solet etiam nebulosa illa aqua valdè ingratum fœtorem exhalare. Similiter memorat idem, dùm à *Samitico portu* solverunt, tàm crassâ nebulâ fuisse naves obtectas, ut ex unâ navi ad alteram, quæ primò vix ad lapidis jactum distabat, prospicere nequiverint, neque etiam ob nimium madorem funes nauticos benè, ut volebant, tractare valuerint, ne etiam ipsæ naves in progressu in se invicem impingerent, continuò buccinarum sclopetorum exoneratorum, atque tormentorum explosorum sonitu invicem se monere debuerint.

Nebulæ fœtidæ ex muribus unà decidua.

6. *Wormius in musæo suo* refert in partibus Septentrionalibus verno tempore, cum densæ admodùm nebulæ ex mari exurgunt, mures, quos indigenæ aliàs *Lemmar* vocant, cumulatìm apparere, imò & cum nebulis istis aëre tranquillo, & à ventis silente decidere solere: Esse verò ejusmodi nebulas ingentis fœtoris, itàque crassas, ac densas, ut hominibus spirandi facultatem adimant, ac magno præfocationis periculo exponant. Compertum etiam scribit, post nebulas hujusmodi vernales mures sæpè super nives in altissimis montium jugis in admiranda altitudine reperiri.

Nebula perpetua ad Catadupam Velini fluvii.

7. Inter amnibus vicina est Catadupa totâ Italiâ celeberrima, quam *Velinus* fluvius per altissimas rupes præcipitatus in profundissimam subjecti montis vallem efficit. Tanto autem, tamque horrendo strepitu, fragore, ac murmuris vehementiâ fluvius ibidem in modum arcûs ruens in profundissimam altitudinis 300. circiter pedum voraginem devolvitur, ut si non exanimare astantes, saltem stupefacto aurium sensu illos surdos reddere soleat. Ex lapsu verò aqua inter exasperatos rupium dentes ità atteritur, ut perpetua ibidem nebula efficiatur, neque inde quisquam nisi egregiè perplutus abire possit. *Est & hoc notatu dignum,* inquit *Kircherus* oculatus Testis *in Mund. Subterr. lib. 2. cap. 19. §. 4. Sole lucente perpetuam ibi, non sicuti ad salientium fontium guttosam aspérginem, sed veluti in Cœlo ejusdem magnitudinis iridem exhiberi.*

Nebula cum locustis.

8. Anno 1586. *Constantinopoli* in nuptiis filiæ *Amurathis* ex spissâ nebulâ descendit copia itidem spissa Locustarum, quæ vernales flores corrumpens sterilem æstatem peperit. *Nemo peregrinus.*



CAPUT VI.

De Pluviis & Imbribus ordinariis.

§. I.

Regulæ & Obſervationes Meteorognomicæ de Pluviis & Imbribus ordinariis.

Pluviarum tres ſpecies.



1. PLuviarum tres imprimìs differentiæ ſeu ſpecies eſſe ſolent; *Stillicidium, imber* & *Nimbus. Stillicidium* eſt pluvia minutiſſima, quæ inſtar pulveris decidit; undè & pluvia pulverulenta dicitur, quià potiùs pulveris, quam guttarum ſpeciem refert, ſoletque cadere ex nube plerumque viciniſſimâ propè terram ferè exiſtente. *Imber* eſt pluvia paulò grandioribus guttis, & magis ſenſibiliter apparentibus decidens, quæ etiam propriè pluvia dici ſolet. *Nimbus* verò pluvia eſt maximis guttis ruens è Cœlo plerumque altiore, ſicut pluvia propriè dicta ex nube mediocriter diſtante.

Pluviæ quomodò fiant.

2. Pluviæ per partes fieri ſolent, ità ut pluviales guttæ ex vaporis particulis ad ſe invicem accedentibus efformentur, & quamprimùm formatæ ſunt, decidant & dilabantur: Cùm enim majores effectæ ſunt, aptiores ſunt ad aëris reſiſtentiam ſuperandam, cùm hæc, ne decidant, impedire earum gravitatem non valeat.

Nubium reſolutio & omnimoda profuſio.

3. Cùm nubes integræ in pluviam ſæpiùs reſolvantur, communior & frequentior hujus reſolutionis cauſa ſolet eſſe calor, atque aëris æſtus, quem ſuperveniens ventus, dùm aliquamdiu propè terram verſatus eſt, procul à nobis in altum evehitur, ac nubes ampliùs frigore ſuo circumdans condenſat, ac deprimit, atque ità omnimodam earum effuſionem & prolapſum cauſat. Idcircò etiam

4. Pluviæ ſubindè ingentes fiunt, cùm nubes valdè ſpiſſæ & ab aëre ſuperiore preſſæ deſcendunt, quoniam ſublimiores ex illis primò dilapſæ, alias in viâ reperiunt, eas comprimunt, & iiſdem adhærent, undè inſpiſſantur & craſſeſcunt. Si verò calefactus aër parti nubis inferiori occurrat, pluvia minuta & veluti rorans generatur. Et ſi ultrà hæc non niſi mediocris eſt aëris calor, tunc guttæ deſcendentes adeò minutæ fiunt, ut non pluviam, ſed nebulam duntaxat componere videantur.

Quandò rarius pluat.

5. Raro vel parum pluit temporibus frigidiſſimis, aut calidisſimis: Frigoris ſiquidem acceſſio nimia vaporum elevationem, atque indè nubium pluvioſarum generationem prohibet. Calor verò nimius citò nubes diſſolvit, ac dividit, vaporeſque, undè nubes imbriferæ fiunt, abſumit. Undè & *Cardanus de ſubtilit. libr. 21. Cùm pluvia generatur, frigus magnum eſſe non poteſt: Rapitur enim vapor à calore: à frigore condenſatur. Pluvia igitur cum frigore eſſe poteſt: ubi generatur, calor neceſſariò viget.*

Quænam anni partes magis minusque pluviis obnoxiæ.

6. Mediâ idcircò æſtate licet ubertìm vapores ſurſùm tollantur: Solis tamen ardoribus plerumquè diſſipantur, nec facilè in nubem, quæ pluviam ferat, cogi queunt, niſi vento frigidiore denſentur. Quocircà Idem *Cardanus eodem loco citato: Æſtate*, inquit, *parùm pluit, quod calor minùs rapiat, quàm ſiccet: In noſtris enim regionibus, cùm ſit imbecillis, ſenſim vapores ad ſe trahit, qui à ſiccitate abſumuntur, antequàm vertantur in pluvias. Ob id pluviæ ſi fiant, repentè fiunt; nam ubi moram traxerint nubes, à Solis ſiccitate abſumuntur.* Ità ille. Contra hyeme calor cùm ſit debilior, quàm ut vapores attollat, hinc ſæpè etiam pluviæ pauciores. Vere autem & Autumno calor cùm ſit moderatior, magna quoque æſtûs diurni & frigoris diurni inæqualitas, hinc pluviæ tunc ſunt uberiores. Undè etiam *Seneca*: *Cum Ver cœpit, inclinatio*, inquit, *aëris ſequitur, & calidiore Cœlo majora fiunt Stillicidia, tamque nimbi graves magis vaſtique, quàm pertinaces deferuntur.*

In Zonâ torridâ continuæ pluviæ.

7. Cùm magna & incredibilis aquarum copia Solis virtute in Zonâ torridâ ex Oceano attrahatur; ideò quotidianæ & quidem copioſisſimæ pluviæ iis in regionibus, quibus Sol verticalis eſt, fieri ſolent. Siquidem Sole in vertice conſtituto circà meridiem tanta quotidiè imbrium diluvia contingunt, ut camporum planities ſtagnare videatur, & portus littoraque abraſâ è montibus arena, cœteriſque argillaceæ materiæ quisquiliis compleantur, atque hoc pacto mari, quod per Solem ablatum eſt, poſtliminiò reſtituitur. Ità *Kirch. in mund. ſubterr. tom. 1.*

In quibus locis frequentiùs pluat.

8. Quæ loca magnorum montium catenâ coronantur, perpetuis plerumque obnoxia ſolent eſſe diluviis: Nubes enim intrà eorum gurguſtia coäctæ ſiſtuntur & congregantur, donec afflante congruo vento in aquas diſſolvantur.

Qui venti cauſent potiſſimum pluvias.

9. Sicut in æſtate venti frigidi, ità è contrario in hyeme venti calidi potiſſimùm cient pluvias, eòquod ventus frigidus in vaporem calidum impingendo, eundem magìs condenſet, ſicque graviorem reddat, itaque cogatur decidere: Vel quòd incorporatus ventus calidus cùm vapore frigido adhæreſcendo minutas particulas efficiat majores adeoque graviores ac deſcenſui aptiores.

10. Ubi

Ubi vix pluat. 10. Ubi Venti ferè perennes, vix pluvia decidit Cœlo semper sereno. Sic in Territorio Avenionensi vix pluvia comperitur Cœlo semper claro & sereno, totâ humiditate in eos conversa.

Pluviæ magnarum guttarum. 11. Pluviæ guttæ cùm sunt majores rectà plerumque & cum impetu majore decidunt: Fit autem hoc non tantùm, quod ex altiori loco decidant, ac plures se invicem in descensu conjungant; sed etiam quod sæpè dum interflat ventus, aliæ in alias impingant, & ità in majusculas guttas sese colligant, undè graviores factæ proprio deinde pondere rectà, & cum majori impetu decidant. Densior etiam cùm est nubes, vel aëris calor altiùs sublatus, similiter guttæ depluentes ex mutuo occursu majores fiunt.

Loci constitutio ad pluvias. 12. Ubi loci alicujus sive regionis terrestris constitutio est valdè humida, ibi & nebulæ & pluviæ crebriores esse solent. Undè benè *Cardanus in Hippocr. de aëre, aquis & locis libr. 6. lect. 86. Ubi aër est nebulosus, ibi cadunt pluviæ assiduæ, aut nives, quoniam à calore validiore ascendunt, & in tantâ copia, ut tandem aër gravatus necessariò demittat.*

13. Nulla pluvia, ut putat *Seneca*, ultrà decem pedes in altitudinem madefacit terram. Quocircà radices arborum, quæ profundiùs serpunt, pluviæ beneficio minùs gaudere valent.

Pluvia quænam fœcunda vel infœcunda. 14. Pluvia quæ subitò & majori cum impetu decidit, minùs fœcunda est, quoniam submergit tetram, & poros terræ comprimit & occludit; Quæ autem paulatim & guttatim decidit, plurimùm fœcunda censetur, plantisque ac frugibus mirè conferre solet. Temperata igitur debet esse pluvia in quantitate & qualitate, ac tempori congrua, quæ terræ fœcunditatem conferre potest.

Pluvia quandò herbis acceptior. 15. Nullo tempore pluvia est plantis acceptior, quàm circà Mensem Majum: Tunc enim, quia herbarum fibræ calore Solis plurimùm laxantur & plantæ robustiores fiunt, copiosius etiam pabulum requirunt.

Pluviæ noxiæ. 16. Cùm pluvia mordaci & acri exhalationi admixta est, segetes adurit, idque plerumque accidit in æstate: Uberior etiam pluvia æstivo tempore plurimùm obesse plantis solet, quod humor alimentitius apertas fibras non tantùm subeat, ac penetret cum noxia exhalatione admixtâ, sed & unà insitus & nativus humor, quo plantæ nutriri debent & vegetari, facilè etiam proliciatur.

Pluvia qualis, optima. 17. Aqua pluvia, quæ cum tonitruis & fulminibus ex crassis, densisque nubibus dejecta est, virtute præpollet tàm ad Medicorum, quàm Chymicorum usum; Plus etiam confert ad agrorum fœcundationem, propter sulphur, nitrum & sal armoniacum, quæ salia auri fulminantis vi pollent.

18. Facilè putrescit & corrumpitur aqua pluvia, cùm sit admodùm subtilis, & levis in substantia plus habens de aëre, & aëreæ substantiæ inclusum: Unde fit, ut facilè sit alterabilis, faciliùs etiam vermes generet, quàm fontana, ac fluviatilis, quià spiritus quosdam seminales habet admixtos, quibus hæ non ità sunt imbutæ.

19. Quod pluviæ, nebulæ & rores adeò salutares sint terræ ad promovendam fœcundiùs vegetationem, adscribi non immeritò poterit nitro cœlesti, sive aëreo, quo pluviæ guttæ sunt fœcundæ. Hoc nitrum deindè terræ communicatum exsolvit sal terræ fixum: Undè deindè chylus aptior efficitur, qui plantarum vegetationi mirificè conferre solet.

20. Nubium quædam cùm sint steriles, quæ nempè à ventis agitatæ facilè dissipantur, ac in vapores, undè concreverant, difflantur, & quasi in aërem abeant; aliæ verò, cum sint fœcundæ, imbriferæ, & quæ magis addensatæ, tandem in pluviam resolvantur: Quocircà, cùm nubes rarescere & dissipari videntur, pluvia expectanda non erit: Quandò autem nubes ampliùs addensantur, & constipantur, & quæ anteà raræ apparebant, jam densiores & obscuriores fiunt, pluvia timenda est. Futuræ pluviæ ex nubibus indicia.

21. Pluvia portenditur, cùm magna quædam nubes exoriri videtur ab eâ parte & plagâ mundi, ex qua venti spirant: Et quantò densior, & major ea fuerit, tantò certiùs, & citiùs venturæ pluviæ signum erit.

22. Multitudo vesparum, locustarum, lumbricorum & similium insectorum annum pluviosum denotat.

23. Dùm Sol in exortu major, vel cœruleo colore infectus cernitur, pluviam denuntiat futuram. Vapor enim Solis colorem immutare & illius speciem augere solet. Sic etiam cum Stellæ præter morem scintillant, aut Luna pallido vultu comparet, pluviæ signum perhibetur. Indicia pluviæ ex Sole, Lunâ & Stellis.

24. Solent & animalia futuras præsentire pluvias, ac certis quibusdam signis indicare: Ità Gallus gallinaceus cùm crebrò de die cantat; cùm boves extento collo Cœlum suspiciunt; Cùm feles barbam detergunt; Cùm equi celeriùs progrediuntur; Cùm pecora saltus edunt inconditos; Cùm denique porci stramina ore decerpunt, significant pluvias imminentes. Ratio autem videtur esse, quod, antequam vapores cogantur in pluviam, jam insensibiles guttulæ infimum aërem subeant, ac proprio pondere decidant: Et quoniam hic vapor roridus subtilitate suâ poros animalium penetrat ac vellicat; Vexatio quædam suboritur, undè mutantur, & mutatione hac pluvias prænotare solent. Ex animalibus.

25. Quoniam etiam ranæ humidiore gaudent aëre, cum eæ frequentiùs coäxant, certum pluviæ signum habetur.

 Auram

Auram equidem, quam maximè diligunt, coäxotione suâ avidè appetendo præcinunt.

26. Cùm etiam hirundines præter morem propè terram volitare solent, pluviam brevi futuram indicant. Copiosos etiam imbres cùm ventus vehemens in terram ruens antevertat, fit, ut ea etiam præcipitatio muscas, & alia minuta animalia in terram deprimat, quas hirundines tanquam prædam persequuntur; undè humiliùs ad capturam istam propè terram, dùm hirundines obvolitare cernuntur, pluviam præsignificare solent.

Indicia pluviæ ex herbis. 27. Desumuntur & ex herbis ac plantis pluviæ signa; veluti cùm Trifolium inhorrescit & folia erigit; Fibræ enim humido aëre extenduntur, undè illa erectio sequitur.

28. Pluvias indicat, si quis in corio vituli marini, Austro flante, sub dio exposito, pilos emicantes & erectos viderit: Simili ferè causâ, hi, qui podagrâ laborant, majore dolore uruntur, dùm Callum illud, quod pedum digitis succrescit, fortiùs pungit.

Ex rebus domesticis. 29. Cùm fores præter morem strepunt; ligna in ignem injecta crepitant, ac sæpiùs scintillas emittunt; ignis flamma si flatuosè volitet, aut lucernæ ex se flammas elidunt, vel vix accendantur, aut sublatis ollis ab igne eisdem carbo ignitus adhæreat; vel cùm cinis in igne concrescit, carbovè ignitus vehementer pellucet. Hæc omnia pluvias, ventos, & pro temporis ratione etiam tonitrua & tempestates indicant.

30. Nullum certius futuræ pluviæ signum habetur, quàm ex Barometris: Quo enim magìs descendit hydrargyrus, eò levior est aër, atque etiam humidior. Vide dicta suprà *Disq. 1. Aeroscop.*

31. Verno tempore, cùm plus sequens dies absumat, ut docet *Cardanus de subtilit. libr. 21.* quàm prior traxerit (nam dies posterior calidior est in vere & breviorem habet noctem) ob id minùs pluit, quàm autumnali tempore, diutiùs autem quàm æstivo, ac sæpiùs quàm hyemali. Ex hoc liquet, cùm plurimùm pluerit in hyeme, tepidam futuram hyemem, ac minus salubrem. Si in æstate, humidum esse aërem, atque ob id morbosum: Si in vere, frigidum ver.

32. Quæ in florentem vineam cadunt pluviæ, si moderatæ sunt, non obsunt: si verò immoderatæ & diuturniores, vini copiam fieri prohibent. Cùm verò tempore maturationis uvarum, largiores fiunt imbres: Copia quidem vini, minimè tamen boni, sed acidi, aut planè immaturi fieri poterit.

33. Si annus valdè pluviosus extiterit, avium volatilium, bombycum sericeorum, aranearum, erucarum interitus contingit; Piscium verò stirpiumque fertilitas, & valetudo. Annus autem siccus volatilibus (apibus exceptis) salutaris judicatur: *Sicut enim in Angusto aëre ob impeditam respirationem suffocamur, vivereque nequimus; ità pisces in angustis aquis conclusi diu vitam servare minimè possunt.* inquit *Baricellus in hort. Genial.*

34. Ab aëre, vel pluvio, vel in pluviam prono magìs quàm ab ipsâ pluviâ fontes vitiari fatetur *Henricus ab Heers in fonte Spadano, cap. 15.* pluviam enim aquam statim fontes, ut & alias sordes evomunt, & maximâ cadente pluviâ, ubi primùm sereniorfit aër, aquæ aciditatem amissam recuperant, secuturamque longam serenitatem spondent.

35. Sicut aër serenus plus ad laborem, hilaritatem & vigiliam conferre solet, ità è contrà pluviosus atque nebulosus aër permultum ad pigritiam, somnum, ac melancholiam inclinant. Quocircà etiam quam primùm pluviæ imminere solent, mox omnia animalia torpescere, & gravata ab humido aëre viribus laborare videntur; quibus tamen eximium robur, agilitatem & in omnibus promptitudinem confert aër serenus & purus.

36. Guttis pluviarum, quantumvis minutæ sunt, nihilominùs tractu temporis ingentem aquarum copiam posse colligi, certum est. Ita *P. Engelgrave Luc. Evang. part. 1. Dom. 6. post. Epiph.* ostendit mediocrem pluviam, quæ quadrantis horæ spatio E. G. in Belgio decidit, si collecta foret, implere posse alveum fluminis alicujus, cujus latus sit 100. pedes, profundus 30. longus 114. milliaria belgica: Pluviam verò delapsam per Belgium horæ alicujus spatio collectam excrescere posse in fluvium ejusdem latitudinis & profunditatis, sed longum 456. milliaria belgica. Quantùm igitur aquæ colligi poterit, dùm non per unum, sed plures dies, atque non tantùm in uno, sed pluribus regnis continuæ & quidem largiores pluviæ contingunt. Undè mirum haud adeò esse debet, si subindè ex largioribus, iisque diuturnioribus pluviis plurimùm flumina exundent: Ut rectè proindè scripserit *D. Augustinus libr. un. de cant. novo cap. 2.* *Quàm minutæ sunt guttæ pluviæ? nonne flumina implent?* Ex parvis pluviæ guttis magna aquarum copia colligi potest.

§. II.

De Pluviis ordinariis quædam Mirabilia.

1. In certis terraquei globi regionibus rarò aut ferè nunquam pluere solet, ut de Ægypto saltem ulteriore passim memorant Historici; Idem de Lybiæ, ac Indiæ quibusdam regionibus meminit *Plutarch.* Non id tamen nimio æstui, qui in illis terræ tractibus dominatur, adscribendum volunt; cum aliæ quædam Regiones sint multò calidiores, in quibus statis quibusdã temporibus imbres & pluviæ decidunt, sed potiùs in terræ siccitatem, partiumque ejus concretionem refundendum putant, in quâ nullæ latent aquæ, quæ pluviam generare queunt; aut si quæ inibi sint, ob terræ densitatem in aërem transmitti non possunt. Ubi pluviæ rariores.

2. In

Ubi pluviæ continuæ per certum anni tempus.

2. In Indiis mensibus Junio & Julio pluviæ sunt extraordinariæ & penè continuæ. Aliquando enim per viginti dies & noctes continuò pluit: quod accidere volunt ex flatibus Ventorum occidentalium, qui illo tempore à mari perflant & nubes adducunt, cum regulares ibidem sint Venti, ac quilibet determinato aliquo per annum tempore dominari soleant. *Della valle* etiam *part. 14. itiner.* tres menses pluvios Indiam anteriorem ad *Indostan* habere scribit, nempè Junium, Julium, & Augustum, quibus continuæ ferè pluviæ decidunt; Hoc etiam tempus idcircò ab incolis eorum linguâ *Pause cat*, sive tempus pluviosum dici solet, estque illis pro hyeme; cum aliis mensibus æstus ferventior terram illam adurat. In regione Mexicanâ tanto impetu guttas ruere, ut homines interficere dicantur, tradit *Jonstonus in Thaum.*

Pluviarum ex sono prænotitia.

3. In Chinæ provinciâ *Fockien* lacus est dictus *Chung*, ad cujus ripam palatium exstructum est in 10. aulas partitum; in hoc palatio, quoties pluvia, aut tempestas imminere solet, toties sonus adinstar Campanæ ibidem auditur. Ita refert *Kircherus in Chinâ illust. part. 4. cap. 5.* Ubi & causam hujus soni assignat.

Pluviæ ubi pluribus annis nullæ.

4. In Hispania teste *Vincentio* apud *Majolum in Meteoris*, septem integris annis aliquandò non pluit; & tradente *Beda lib. 4. histor. Anglic. cap. 13.* Saxones Australiores tribus annis pluviam non habuerunt, quandò nempe adhuc in gentilismo vixerunt: dum autem eundem ejurârunt, & Christianam fidem amplexi sunt, fœcundis imbribus è Cœlo à vero Deo dotati, ac ubertatem omnium fructuum consecuti sunt.

5. In angusto districtu de *Babamâ* intrà duos, vel tres annos nullâ persæpè pluvia decidere solet: Unde & Insulæ illæ ab hominibus penè sunt jam desertæ, quod præ nimiâ ibidem siccitate nihil progerminare possit. In Cyrenaica etiam nunquam pluere perhibetur, ut tradit *Majolus colloq. 1.* ea verò ibi sola messis est; quæ ventorum casu evadere solet. Fertur à die seminis tricesimo maturescere.

Magna siccitas Constantinopoli.

6. Anno Imperii *Constantini Copronymi* decimo sexto tanta fuit siccitas in Thraciâ ob defectum pluviarum & roris, ut cisternæ, lavacra, fontes & fluvii omninò defecerint *Constantinopoli*, atque ideò necesse habuerint Valentiniani aquæ ductum renovare. *Paul. Diac. & Sigebertus An. 767.*

Infausta pluviarum provocatio in Angola.

7. *Io Botterus lib. 3. part. 3. Geograph.* scribit de Sacrificulis & Magis in *Angolâ*, quos *Ganges* vocant, eos se jactare, quod pro arbitrio pluvias & tempestates ciere, aut impedire, adeoq; caritatem annonæ, aut terræ fœcunditatem, imò vitam, aut mortem procurare valeant: eapropter maximus iisdem honor, cultus ac veneratio deferri solet. Accidit tamen tempore quodam, quo & Capitaneus quidam Lusitanus cum militibus suis *Angolam* advenit, ut incolæ *Gangem* quendam rogarent ut pluviam procuraret, eoquòd præ nimiâ siccitate fructus omnes exarescerent. Petitioni igitur satisfacturus Ganges cum pluribus cymbalis, ac campanulis egressus in campum cœpit saltare, ac miras gesticulationes, cum murmure continuo per dimidiam horam exercere. Exorta deinde est valida tempestas cum magnis tonitruis & fulminibus, undè Gentiles illi indigenæ mirè deprædicabant, & laudabant hunc Magum. Verùm sub mediâ hâc tempestate cuneus igneus loco pluviæ è nubibus prosiliit, & Mago caput decussit, quasi districto gladio fuisset amputatum.

Loca pluviis maximè obnoxia.

8. Sunt contra quædam regiones & loca pluviis magis præ aliis obnoxia. Ita memorat *Petrus Hispal. p. 5. c. 26. descript. Amer.* quod propè Indiæ occidentalis urbem *Urabam* maximâ ex parte per annum imbres & pluviæ cadant uberrimæ; unde etiam ibidem arbores continuo humorum effluxu laborant. Sic & in *novæ Hispaniæ* quæ sub Zonâ torridâ sita est, civitate dicta *vera Crux*, continuæ solent esse pluviæ à vere usque ad Autumnum: Et in loco, qui *vera Pax* appellatur, pluviæ per novem menses continuant, neque reliqui ab imbribus & pluviis sunt vacui. Sed de pluribus ejusmodi locis vide supra hujus *Scrut. disq. 1. cap. 5.*

9. In Indiæ occidentalis Provincia *Tumber*, ad districtum, qui sit longitudinis milliarium Italicorum 200. latitudinis verò 80. milliarium neque pluit, neque ningit, neque etiam fulminat: ad vicinos econtrà montes pluviæ & nives cadunt eò copiosiores. *Petrus Hispal. sylv. p. 5. cap. 25.*

Arbores & plantæ quæ pluvias attrahunt.

10. In Indiâ, ut meminit *Erasmus Francisci in discurs. de pluviâ* certæ quædam arbores dari dicuntur, quæ pluvias & imbres attrahere solent: idcircò etiam quia in Insulâ *Barbados* plures tales arbores excisæ sunt, etiam tam frequentes ac olim pluviæ decidere non solent. Similiter circà *Guanaboam* in *Jamaicâ* pluviæ etiam dicuntur esse rariores, quod incolæ ibidem in culturâ quarundam plantarum, quæ pluvias attrahere solent, sint negligentiores.

11. Anno 1275. continua pluviarum inundatio fuit à principio mens. Maji per totam ferè æstatem usque in Autumnum, qualis memoria hominum nulla tunc extitit. Unde omnis penè annona defecit & putrefacta in campis remansit. Vinum acerbissimum crevit, quod vix potabile fuit. Hinc fames magna secuta, quæ non solùm homines, sed & jumenta peremit. *Chron. Hirsaug. Trithemii.*

A pluviis pestis exorta.

12. Anno 1315. pluviæ frequentes per totam æstatem adduxerunt famem & pestem, quibus tertia ferè pars hominum creditur absumpta, ut *Funccius* tradit.

CAPUT VII.

De Pluviis insolitis, quæ diversis sæpè locis, ac temporibus Cœlo dejectæ, notabilia & mirabilia quædam ex variis Authoribus recensentur.



Luvias subindè insolitas præter consuetum naturæ ordinem, ac modum nullo non tempore è Cœlo aëreo dejectas, aut cum pluviis & imbribus res quasdam insuetas, atque hominum captui planè inconvenientes esse delapsas, omnium sæculorum memorant Historici, atque Chronologi: Quomodo verò ejusmodi pluviæ contingere queant: Quales etiam diversis locis & temporibus aliquando de Cœlo prolapsæ sint. Curioso Lectori paucis ex diversis Authoribus libet indicare.

§. I.

Notabilia quædam de pluviis insuetis, & extraordinariis, earum generatione & aliis quibusdam circumstantiis.

Generalis insolitarum pluviarum causa. 1. Cum perpetua quædam in Geocosmo sit vaporum vicissitudo non tantùm ex solâ terræ superficie elevatorum, sed etiam ex abditis terræ penetralibus per spiramenta emissorum: hinc fit inprimis, ut in aërem atque nubes ex omnis generis terrâ velut argillaceâ, petrosâ, nitrosâ, bituminosâ, metalliferâ pulvisculi attollantur; similiter ut ex omnis generis plantis, arboribus, radicibus, herbis & animalibus effluvia quædam continuò efferantur, quæ per nubes ex aliis terræ partibus rapta in alias spargi & transferri possunt, & sicubi conveniens receptaculum & alimentum invenerint, illic & colligi, sibi invicem conjungi, ac apponi, aut activorum factâ passivis applicatione novâ genesis etiam animantium provenire potest.

Quomodo fieri queaut lacteæ pluviæ. 2. Quia lacteæ subindè pluviæ Cœlo decidere solent, *Gassendus* putat eas aliud nihil esse, quàm tantùm candescentes aliquo modo aquas, cui nonnihil plumbeæ materiæ aut salis Saturni cum halinitro, & aceto admixtum sit, aut similis alterius materiæ, quæ albedinem conciliare potest.

Sanguineæ pluviæ. 3. De purpureis aut sanguineis pluviis, quales sæpè memorant Historici; sentit idem *Gassendus*, nihil aliud esse, quàm aquam admixtis chalcantinis & asphalticis halitibus, qui pluviis in aëre labentibus, sed in terrâ collectis rubrum colorem impertiunt, quarum guttæ herbis aut vestibus incidentes easdem quâdam rubedine aspergunt. Verò similius tamen aliis videtur, hujusmodi pluvias è vaporibus progigni, qui exhalant è locis minio, aut rubeâ terrâ abundantibus, vulgi autem opinione sanguinem dici ob ejus colorem, vel ab immenso calore Solis eum colorem aquæ esse inductum, dum vehementiùs aquas pluvias excoxit, non secus atque urinis eorum, qui febri ardente laborant, aut aquis per calidos cineres percolatis, rubor conciliari solet.

4. Vermium, serpentum, ranarum, murium, piscium, similiumque animalium aut insectorum pluviæ contingere possunt, vel cum quovis ex loco, ubi propagine copiosâ stabulantur, ventorum vehementium vi abripiuntur, atque indè nunc in has, nunc in illas regiones pro Venti ratione deferuntur; vel cum spermaticis dictorum animalium corpusculis sublatis in humido & calido aëre repentinâ genesi excluduntur, atque ità prodigiosam deindè pluviam eorundem gignere queunt. Variorum animalium pluviæ.

5. Sicut lapides in terrâ producuntur per Spiritum lapidificum & materiam lapidescentem: ità haud incredibile quoque esse potest, cum omnis generis halitus è terrâ elevati in aëre stabulentur, calore quodam homogenea congregante & heterogenea disgregante, atque Spiritu lapidifico materiam aptam lapidescentem colligente, etiam lapides ibidem produci posse: Idem sentiendum est de metallis. Sed an naturaliter in tantâ copiâ, aut quantitate seu magnitudine, ut infrà patebit, lapides in nubibus aut aëre generari queant, non ausim asserere: Cum enim mixta illa majora generatione physicâ produci debeant, quæ in instanti peragi nequit; credibile mihi non est longiori aliquo temporis spatio ob insitam gravitatem in aëre tamdiu, ut infrà ex adducendis colligitur, suspensa manere posse. Lapidum pluviæ.

6. In elevandis quibuslibet rebus terrestribus, cùm vires magnas habeat Ecnephias, aut quiscunque vorticosus alius Ventus in certis præsertim locis ac temporibus, idcircò magis semper credibile est, plures ità abreptas res, & per aërem translatas, naturali tandem pondere rursùs depressas denuò ad terram dilabi, quàm alias causas naturales earum proventûs & delapsûs comminisci: aut certè prodigiosarum & citrà consuetum naturæ ordinem contingentium ejusmodi pluviarum causas primario rerum omnium in Mundo mirabilium Authori veriùs & æquiùs assignare debemus: Unde etiam metitò hic verba magni illius Hipponensis Antistitis in rem præsentem adducere possumus, Venti validi & vorticosi causa insolitarum pluviarum.

possumus, dùm inquit. Dicamus aliquid *Deum posse, quod nos fatemur investigare non posse, in rebus enim mirabilibus tota ratio faciendi est potentia facientis.* Ità D. *Augustinus.*

Causa finalis ejusmodi pluviarum. 7. Quia etiam extraordinariarum pluviarum causa & ortus non ità clarè nobis patere solet; Experientia verò aliundè constat inopinatos sæpe eventus easdem esse consecutos: Idcircò à non paucis iisque nec indoctis inter prodigia, & rerum quarundam eventurarum portenta referri solent, quibus Deus optimus sæpè res imminentes indicare, atque indicando de iisdem quemlibet præmonere cupit. Nam ut *rectè Jamlichus de myster.* scribit: *sicut Deus sæpe per fatuos homines loquitur sapientiam, declarans non hominem ibi loqui sed Deum: sic per vilissima quæq; portendit futura his ipse admodum supereminens & per omnia nostrum instruens intellectum. Et D. Basilius in cap. 5. Isaiæ, Clementiæ Dei*, inquit, *peculiare hoc est: non clam, aut silenter ingerit supplicia, sed per comminationes ea prædicit adfore.* Ita porrò & per istius modi insuetas pluvias sæpenumerò insolita quædam & insueta non clam immittere, sed palam prius denuntiare vult, *ut det metuentibus se significationem.* An autem semper ut aliqui frivolè arbitrantur, sanguineæ pluviæ prænotent ac prænuntient ingentem sanguinis effusionem, persecutionem, tyrannidem, & crudelitatem in populum; cinereæ ac lateritiæ locorum exustionem, destructionem, & devastationem; Carnium pluviæ hostilem invasionem, & incursionem; Piscium pluviæ proditionem; Lapidum verò hominum indurationem, & obcæcationem in malo, adeoque præsentem desuper ultricem Nemesin: Lacteæ verò pluviæ fœcunditatem eorum omnium, quæ in alimentum cedunt, atque frugum sive annonæ terræ fertilitatem nemo tutò asserere, neque quod hæc certò eventura sint, exindè prædicere potest. *Rationem enim de occulto Dei consilio quærere* ut rectè ait *D. Gregorius in quâdam, Hom. nihil aliud est quàm contrà ejus consilium superbire.*

§. II.

Pluviæ igneæ, sulphureæ & cinereæ diversis locis ac temporibus.

Ignea & sulphurea pluvia super Sodomam & reliquas urbes. 1. Ex sacrâ Script. imprimis constat *Gen. cap.* 19. Dominum pluisse super quinque civitates *Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboim, & Segol* sulphur & ignem, easque subvertisse detestabili peccato fœtentes. Ita enim habet sacer textus. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo, & subvertit civitates has & omnem circà regionem, universos habitatores urbium & cuncta terræ viventia. Vers.* 24. & 25.

2. Anno Domini 654. Imp. *Constantis* undecimo, cinere pluisse, & ignem de Cœlo decidisse *Constantinopoli*, secutamque pestem gravissimam, quæ tribus mensibus pergrassata ingentem hominum multitudinem confecit, testatur *Sigebertus in Chronico, ac Paul. Diaconus lib.* 19. *rerum Romanar.* Cinerea pluvia Constantinopoli.

3. Sub imperio *Leonis*, qui *Marciano* successit, præter nubis tubi formis quadraginta dies in Cœlo conspicuæ apparitionem, etiam *Constantinopoli* cinere pluit, ut refert *Glycus*, cujus altitudo palmum æquabat: Idcircò supplicatum ab omnibus, quod dicerent ignem fuisse, qui civitati interitum comminatus; verùm benignitate divinâ extinctus est. Idem tradit *Nicephorus lib.* 15. *cap.* 20. Alia ibidem.

4. *Cranzius lib. 8. Saxon. cap. 37. & lib. 7. Vandal. cap.* 46. recenset in Marchiâ Brandenburgensi propè Oppidum, *Urdeland* dictum Anno Christi 1304. in die *S. Remigii* lapidibus igneis in formâ grandinum ubertim pluisse, indeque agros omnes exustos & destructos fuisse. Pluvia ignea eorum lapidum.

5. Anno 1535. in Silesiæ urbe *Olau* ingenti exorta tempestate etiam ignea pluvia immixta fuit; sed de hâc tempestate alibi fusiùs agemus.

6. Anno 1629. feriâ quartâ post Pentecosten dùm piscatores quidam ex territorio *Lykaoos* (quod in ditione Comitis de *Wisingsburg* situm est) ivissent piscatum ad Lacum quendam *Landsioe*: adverterunt nubem valdè spissam, & aliam à Septentrione exortam, quæ paulò post resoluta non tantùm aquam copiosè dejecit, sed igneas etiam scintillas terribiliter immicantes depluit. Quidquid autem hujus igneæ pluviæ in lacum decidit, id quidem mox extinctum fuit, quod autem in scapham, aut vestes piscatorum, easdem adussit, & signa ustionis reliquit. Undè etiam piscatores eàpropter valdè territi fugâ se subducere coacti sunt: quorum nonnulli ex nimio terrore indè concepto haud ita diu post defuncti sunt. *Schefferus in memorabil.* Ignea pluvia ad Lacum Landsioe.

7. *Lipsiæ* sulphuream pluviam aliquando ex aëre decidisse Anno 1621. in die Pentecostes meminit *Chronicon Lipsiense.* Sulphurea pluvia Lipsiæ.

8. Anno 1642. *Laburgi* Archiepiscopatûs Magdeburgensis sulphure pluisse, ac frusta hujusmodi sulphurea pugni magnitudine in tectum arcis ibidem dejecta fuisse, memorat *Theatrum Europæum.* Laburgi.

9. Anno 1647. die 21. Martii Vesperi circà horam septimam ignea quoque pluvia *Buchavii*, ad lacum vulgò dictum *Federsee*, guttis igneis aquearum more de Cœlo dejecta memoratur, quæ mediæ horæ spatio duràsse fertur, ita ut navigantes tunc in lacu haud aliter, quàm inde se comburendos crederent. Ignea pluvia Buchavii.

10. In Atticâ terrâ cinere pluisse anno præcedente *L. Syllæ* bellum contra Athenienses, quo etiam ingens his exitium Cineres Pl in Græciâ.

tium illatum fuit, recitat *Pausanias in Bœoticis*.

Alia in mari sinu, Volo. 11. In *Actis Anglicanis* mens. Januarii Anni 1666. *relat 6.* memoratur, quod Navarchus quidam *Willianus Badilii* scripto affirmârit, quomodo, cum 6. Decemb. Ann. 1639. in sinu *Volo* anchoras ad sistendam navem in mare ejecisset, circà horam noctis decimam cinerea pluvia ad horam secnndam usque sequentis diei continuò ex aëre dejecta superiorem navis partem ad duorum digitorum crassitiem obtexerit, ita ut palis haud aliter ac præcedente die nix in mare ejici debuerit. Neque in hoc solùm maris tractu cinerea hæc pluvia cecidit, sed eandem quoque pluviam experta fuit navis alia *S. Joa d' Acre* ultrà 100. leucas à priore dissita. Cælùm autem, dùm pluvia hæc decidit, omninò pacatum & tranquillum fuisse dicitur.

§. III.

Pluviæ quædam sanguineæ, lacteæ, ac carneæ recensentur.

Pluviæ sanguinis, lactis, & carnium. 2. Sanguineæ pluviæ meminit imprimis *Livius Decad. 4. lib. 9.* quæ biduò in areâ concordiæ decidit. *Plutarchus* etiam *in Mario* refert, post cymbricam cladem sanguineam de cœlo pluviam cecidisse. *Plinius* quoque recenset Consulibus *M. Acilio* & C. *Porcio* lacte & sanguine pluisse; carnibus verò Consulibus L. *Volumnio* & *Servio Sulpitio*: quas carnes deindè aves devorarunt; quæ verò relictæ, non facilè computruerunt, *Hist. nat. lib. 2. cap. 56. & 57.* *Julius Obsequens lib. de prodig.* refert, qnod tempore Romuli, cum ipse urbem Latinorum *Fidenas* obsidione cingeret, copioso sanguine in totâ Italiâ, Galliâ, Germaniâ Cœlum pluerit integro triduo; quam pluviam excepit per triennium in dictis regionibus tam horrenda lues, bellum immane, & inaudita sanguinis effusio, ut in his regionibus nulla provincia, in provinciis nulla civitas, in civitatibus nulla domus inveniretur, ubi sanguis humanus non esset effusus.

Lacteæ pluviæ. 2. Anno ab urbe condita 643. tribus diebus Romæ lacte pluisse Consulibus *Publ. Scipione & L. Calpurnio*, antiqui memorant Historici. Secutum fuit bellum Jugurthinum. Tribus etiam annis post consulatum *Sergii Galbæ* & M. *Scauri* bis lacte pluisse scribunt, quo etiam tempore contra *Jugurtham* Regem feliciter decertatum fuit.

Sanguinea pluvia tempore Ptolem. Evergetis. 3. Anno post urbem conditam 626. in oppido *Cære* sanguine pluit Consulib. *Cn. Octavio.* & T. *Annio Ruffo.* Gallus insuper gallinaceus quinque pedibus gradiens inventus. Secutus eventus tristis, & terribilis. *Ptolomæus* enim Evergetes ob nimiam tyrannidem Regno pulsus, cui in regnum soror & uxor ejus *Cleopatra*, quam priùs repudiârat, surrogata. Ille exindè irâ excandescens filium, quem ex Cleopatrâ genuerat, mactavit, ac matri Reginæ caput ense crudeliter resectum, manus quoque & pedes præcisos transmisit.

4. *Gemma Frisius lib. 2. Cosmocrit. cap. 2.* scribit in Emdensi ditione apud Frisones Orientales, nocte quâdam sanguine pluisse tantâ copiâ, ut ad 5. aut 6. milliarium spatium herbæ, & vestes aëri expositæ ex albo colore in purpureum commutatæ fuerint. Pluvia sanguinea in Emdensi ditione.

5. Priusquàm Britones à Scotis & Pictis subacti fuerunt *Eboraci* sanguineo pluit imbre, ut narrat *H. Boethius lib. 7.* *Ravennæ* etiam pluvia sanguinea decidisse memoratur ad Ann. 1113. ut habet *Raynaudus in Chronico*. Eboraci.

6. Dum Sueciæ regnum obtinuit *Birgerus Magni* propè *Ringstabolmium* guttæ sanguineæ ex nubibus decidisse memorantur: tunc & *Motala* fluvius aliàs rapidissimus spontè cursum stitisse scribitur. Paucis dehinc annis Rex *Birgerus* duos fratres suos *Waldemarum*, & *Ericum* teterrimo inclusit carceri, atque fame & fœtore eos interemit: cujus tyrannidis impatientes subditi rebellârunt, atque throno eum & regno exuerunt. *Schefferus memorab. Suet. cap. 2.* Ringstaholmii.

7. *Platina* meminit in vita Hadriani II. Papæ, quod Brixiæ in Longobardia ante obitum hujus Pontificis pluvia sanguinea per continuos tres dies deciderit. *Theop. Raynaudus in Chron.* annotat hanc pluviam ad annum Christi 869. ut *Trithemius in Chron. Hirsaug.* Brixiæ.

8. Anno 1163. propè *Rochelle* in Gallia sanguine pluisse memorat *Robertus de monte* ejus temporis Author. Similiter Romæ 1456. non tantùm sanguine sed & carnibus: ad finem etiam anni 1543. in Monasteriensi solo propè Sassenburgum haud procul à *Berendorff*, *uti Surius apud Majolum* memorat. Meminit & *Thuanus lib. 27.* pluviæ sanguineæ, quæ aliquando decidit in Borussia. Rochellæ.

9. Anno Christi 1501. in Germaniâ & Belgio sanguinea pluvia mirabiliter cecidit: Guttæ siquidem cadentes rubeas cruces ubivis efformarunt non tantùm in vestibus exterioribus, sed & interioribus, in ipsâ hominum cute, atque linteis albis in arculis reclusis; comprimis autem in mulierum peplis ejusmodi cruces apprimè conspicuæ fuerunt. Secuta fuit Anno 1502. pestis gravissima. Pluvia sanguinea cruces exprimit.

10. Refert *Agricola* Anno Ch. 1534. in Suevia pluisse sanguine, cujus guttæ vestes rubeis crucibus tingebant. Meminit quoque hujus pluviæ *Cardanus de subt. lib. 16.*

subt. lib. 16. his verbis: *In Sueviâ An.* 1534. *aer inficiebat vestes cruce rubeâ. Id contigit pulvere cum imbribus delato: forma verò crucis apparuit ob fila, quæ crucis formam cùm texuntur, referunt.*

In Pomerania. 11. Ad Annum 1557. supra Pomeraniæ civitatem *Slawe* dictam, pluviam sangineam tàm crassam decidisse, narrat *Joan. Micrælius in descript. Pomeran. lib.* 6. *cap.* 25. ut sanguineæ massæ frusta in pugni crassitie & magnitudine reperta humanas facies quoque impressas exhibuerint.

12. Tempore *Childeberti* Regis, ut indicat *Gregorius Turon.* Parisiis diversis in locis sanguineæ guttæ de cœlo cadentes visæ sunt. Uti & tempore *Roberti* Regis ad finem Junii sanguineæ guttæ de Cœlo prolapsæ sunt, quæ tàm firmiter cuti, vestibus & lapidibus adhæserunt, ut vix elui potuerint.

Pluvia sang. Bruxellis. 13. Anno 1646. die 6. Octob. Bruxellis manè circà septimam sanguine pluit. *Posnerus in dissert. de pluv. sang. ex Wendelino.* Hæc aqua sanguinea vasculis excepta rubore saturatiore tincta comparuit, ità ut rubello vino simillima esset; circà meridiem colorem aliquantum remisit, tandem omninò in flavedinem abiit. Vitreis autem phialis probè conclusa, colorem primum retinuit.

In Ducatu Mechliniensi. 14. Anno 1648. suprà *Malchin*, locum Ducatûs Mechelburgensis, nubes etiam sanguinem cum fulgure depluerunt, vox quoque insonuit, quæ frequenter & lamentabiliter *Væ Væ* ingeminâsse fertur. *Erasmus Francisci disc. de pluv. mirab.*

15. Cum *Attila* Hunnorum Rex expeditionem in Romani Imperii fines suscepisset, Deorum simulacra, ut refert *Bonfinius lib.* 3. *Dec.* 1. non solùm noctu, sed & interdiu visa, quæ quemque per se sibi præcavere juberent; sanguineæ quoque de cœlo guttæ defluxæ, bicipites infantes editi, sacra tecta plerisque in locis de Cœlo tacta; vox etiam de nocte frequenter insonuit: *Cave tibi Italia.*

16. *Scheferus in memorab. Suec. cap.* 2. *p.* 9. recenset, in Marchia aliquandò sanguineam pluviam decidisse, quam secutum fuit bellum Gallorum cum Suecis.

17. Tandem sanguineæ pluviæ in Galliâ delapsæ ad Ann. Christi 541, meminit *Butingerus*, in Silesia Anno 1268, *Hammerus*: in Helvetia Anno 1274, *Jovius*: In Bavaria Anno 1349, *Stumphius*: In Bohemia Anno 1416, *Hagecius*: In Saxonia Anno 1548, *Pomarius*; & in Hispania Anno 1551, *Sleidanus*. Anno 1586 Lintris in Brabantia mense Decembri sanguinem pluit adeò ferventem, ut glaciem solverit. *Nemoperegrinus.* Anno 1691. die 29. Decembr. vesperi haud procul ab urbe Lubecensi ad locum, aliàs zum Vorwerck dictum, sanguine pluit, qui à Renfeldensibus Incolis suprà glaciem & nivem guttatim dispersus fuit observatus; aliquibus verò in locis copiosè projectus ulnam latitudine complexus est.

§. IV.

Lapidum ac Metallorum pluviæ mirabiles in diversis locis ac temporibus.

1. *Plinius* imprimìs *lib.* 2. *Hist. Natur. cap.* 56. inter admirandas pluvias recensfet, cum T. *Annius Milo* in Judicio stetit, lateribus coctis pluisse. *T. Livius Dec.* 1. *lib.* 1. scribit: *Nuntiatum Regi, Patribusq; est in monte Albano lapidibus pluisse, quod cùm credi vix posset, missis ad visendum prodigium, in conspectu haud aliter, quam cum grandinem venti glomeratum in terras agunt, crebri Cœlo cecidêre lapides* Lib. 5. *Dec.* 5. meminit, *Reatæ* in medio Italiæ imbre vehementi lapides dejectos Cœlo. Similiter in *Picæno* lapidibus pluisse testatur *Dec.* 3. *lib.* 1. Et ad *Sinuessam, Dec. ead. lib.* 3. Et *Ereti, ead. Dec. lib.* 8. & 9. Rursùm *Dec.* 3. *lib.* 5. biduum continenter pluisse ibidem lapidibus. Pluviæ lapidum variæ ex Plinio & Livio.

2. *Platina* in *Joanne XIII.* scribit, sæviente ventorum & imbrium procellâ lapidem miræ magnitudinis è Cœlo decidisse in Italiâ. Lapis miræ magnitudinis dejapsus.

3. *Modognotus* in vitâ M. *Aurelii* Imperatoris *lib.* 1. *cap.* 25. testatur, & ex ipso recenset *Majolus*, *Constantinopoli* tempore *Valentiniani* Imperat. adeò lapidibus pluisse, ut omne pecus in campis indè percussum interiêrit, plures etiam ex Incolis iisdem tacti mortui conciderint. Lapidum pluvia Constantinopoli.

4. *Cæsius* scribit *lib.* 5. *de mineral. cap.* 1. *qu.* 5. in Hispaniæ Regno, *Valenzâ* lapideum frustum è nubibus delapsum, quod venis fuis, prout in metallis videre licet, distinctum & subornatum fuit. Lapideum frustum in Regno Valenzæ.

5. Anno Chr. 1190. in pago Belluacensi lapides plures ovorum gallinaceorum magnitudine, formæ quadrangularis ex aëre dejectos, qui arbores & villas obruerunt cum ingenti earundem damno, *Vincentius Belluacensis* notat *lib.* 29. *cap.* 56.

6. *Linturius* observat *in Fasciculo Anni* 1496, propè oppidum *Munckperge* peractâ D. Margarethæ Festivitate lapides Cœlo dejectos, in quibus visæ sunt hominum facies & diademata expressa. Lapides vultus humanos repræsentantes.

7. Antequam *Corbredus Galdus* Scotorum Rex cum Jul. Agricola Domitiani Legato cruentâ manu confligeret, præter alia mira prodigia in Attholia lapidibus pluisse, scribit *H. Boëthius.* Testatur item *Surius* ad Ann. 1509. lapides è Cœlo cecidisse ovi gallinacei magnitudine. Item ex *Orosio lib.* 5. *cap.* 18. habemus aliquandò per septem dies lapidibus pluisse.

8. Vidimus Anno 1510, inquit *Cardanus lib.* 14 *cap.* 72. è Cœlo lapides circiter 1200 in agrum fluvio Abduæ conterminum dejectos, ex his unum 120 pondo, alium 60. Delati fuerunt ad Regis Gallorum Satrapas pro miraculo plurimi, color ferrugineus, durities eximia, odor sulphureus. Præcesserat in Cœlo ignis ingens hora tertia: decidentium lapidum strepitus horâ quintâ exauditus, ut mirum sit horis duabus tantam molem in aëre Ingens lapidum copia Cœlo dejecta.

sustineri potuisse. Ità *Cardanus*. Subdit deindè: *Intra viginti menses pulsi Galli. Triennio post reversi varia prius fortunâ, indè iterum pulsi, ad excidium profligati. Urbs nostra, in cujus finibus ceciderunt lapides; vectigalibus, incendio, fame, obsidione, peste nunquàm aliàs vexata graviùs*.

9. Meminit *idem Cardanus lib. 14. de subt. cap. 70.* inter *Cicuic* & *Quivira* provincias Hispaniæ novæ in Indiâ, ubi maxima planities est, pluisse lapidibus malorum cotoneorum magnitudine.

Ingens lapis dejectus in Galliâ. 10. Clarissimus *D. Thomas Bartholinus Cent. 4. Hist. annot. 49.* scribit, die 29. Novemb. Anno D. 1637. in regione *Provence* Sabaudiæ confinâ ad publicam viam Cœlo fudo & tranquillo igneum lapidem decidisse 54 librarum.

Pluvia lapidum mira in Insula Funen. 11. Similiter Anno 1654. die 30. Martii manè circà octavam in Daniæ Insulâ, *Funen* dictâ, ingens exorta est tempestas, in quâ cum imbribus lapides etiam perduri & ponderosi tantâ vi & impetu deciderunt, ut ædes undique hinc concussæ, fragorque lapidum cadentium in vicinis aliis regionibus auditus fit. Ex hujusmodi lapidibus D. *Bartholino* unus dono datus à Cancellario Regio, libram appendit, & igniario lapidi persimilis fuit figuræ irregularis, exteriùs tamen nigricante, & quasi adustâ cuticulâ obductus, interiùs autem colore constabat subflavo, sive ex flavo in album desinente.

Pluvia ferri. 12. Ferro pluisse in Lucanis, anno præcedente cladem eam, qua M. *Crassus* à Parthio interemptus est, omnesque cum eo milites Lucani, quorum magnus in exercitu numerus erat, Author est *Plinius lib. 2. cap. 56.* Similiter ferro pluisse in Persiâ testatur *Avicenna* & propè *Lurgeam* frustum ferri quinque librarum decidisse. In Sylvis *Neuholem* referente *Agricola observ. metall. cap. 8.* ferream massam recremento similem ex aëre decidisse sunt, qui affirmant, eamque multorum pondo, adeò ut nec deportari propter gravitatem, nec curru devehi propter invia potuerit.

Argenti. 13. Sub *Severo* Imperatore, ut *Dion* recenset, Romæ pluvia argentea delapsa est ad forum Augusti, quo rore argenteo, ubi cuprei nummi obliti, argenteum colorem ad tertium usque diem retinuerunt, quarto autem die argenteus color omninò evanuit.

Auri. 14. *Ammianus* Author est *lib. 17. apud Jonstonum in Thaumatograph.* auro pluisse in Insulâ *Pelagia*, quod tamen haud diu colorem aureum retinuit. *Erastius* etiam *lib. 2. observ. 20.* narrat, Anno 1622. propè Magdeburgum in Wasletensi Satrapiâ nummum aureum ex nubibus decidisse.

Sagittarum. 15. *Gregorius M. lib. 4. Dial. cap. 36.* scribit, post diram pestem Romæ magna hominum strage peractam, sagittas ad modum pluviæ Cœlo dejectas. Meminit & *Joan. Diacon. in vitâ Gregorii M.* hujus sagittariæ pluviæ.

Luteæ terræ. 16. Refert *Georgius Agricola lib. 5. de ortu & causa subterran. Chepnicii* luteam terram cum aquâ è Cœlo delapsam, ut ex ipso etiam recenset *Cardanus de subt. lib. 16.* putat *Meurerus pag. 505.* bellum Saxonicum præsignificâsse, quod brevi subsecutum est.

17. *Julius obsequius prodig. 107.* narrat, Romæ aliquandò creta, sive cretaceâ terrâ pluisse, quam insecutus est annus fertilis ac fœcundus. Cretaceæ terræ.

18. Anno 1223. in plerisque locis Italiæ, & in ipsa urbe *Roma* terra pluit de Cœlo sanguine permixta. *Tritbemius in Chron. Hirsaug.* Terræ pluviæ.

§. V.

Mannæ & variarum frugum, aliarumque rerum pluviæ mirabiles.

1. Ex *lib. Exodi cap. 16.* constat singulari Dei providentiâ ad populum Israeliticum conservandum manna de Cœlo pluisse per 40. annos. Pluit autem DEUS manna illud singulis noctibus, præterquam Sabbatho, idque tantâ copiâ, ut tribus hominum millionibus, sicut Authores docent, sufficeret alendis: Jacebat manè per circuitum castrorum instar roris; non quod liquidum esset, sed quia rori & crystallinæ guttæ in Coriandri seminis formam conglobatæ simile erat. Ità *Nyssen. Philo, Joseph.* & alii. Saporis fuit mellei aut saccharei, ità ut videretur simila mellita aut oleata, idque naturâ suâ. Quocircà etiam illud miraculi causa extollit *Sapiens cap. 16. v. 10. & 12.* cùm dicit: Panem Veteribus datum omne delectamentum in se habuisse, omnisque saporis suavitatem, deservientem cujusque voluntati atque appetentiæ. Quod tamen de probis duntaxat intelligendum existimavit *Abulensis, Lyranus*, & *Dionys. Carthus.* Improbi enim super mannæ alimento nauseantes conquesti sunt, & magis appetebant ollas Ægyptias, sic ut illis ne quidem sapuerit manneus insitus sapor, ut illi vocant, sed planè ingratus fuerit. Verùm hoc argumentum doctè admodùm discussum & disputatum vide apud *Lorinum* in præfat. Sapientiæ locum. Mannæ pluvia in alimentum filiorum Israel.

2. Pluit etiam manna aliquandò *Atrebati* in Artesiâ, quod ibidem etiamnum perseverare & integrum servari dicitur. Undè versus: Mannæ pluvia Atrebati.

Atrebati manna; Romæ pluit unctio sacra
Jerusalem sanguis: quæ sunt tria dona salutis.

3. Solet etiam in *Poloniâ* mense Junio & Julio manna depluere, ut varii docent Authores, herbisque de nocte instar roris incumbere. Hoc autem antè Solis Ortum cribro colligunt, excutiunt, tundunt, aquâ miscent, & in alimentum sumunt admixtâ farinâ. Fatetur *Cornelius à Lap.* se hoc manna vidisse, esseque instar feminis milii, atque referre saporem punici; includi folliculo & colore rubere. In Poloniâ.

4. In *Cisalpinâ Galliâ* aliquandò manna pluisse, hoc est, aëreo melle ad medicinam salutari tradit *Sab. lib. 1. cap. 4.* & *Bembus lib. 2. Histor.* In Galliâ Cisalpinâ.

5. Vincen-

Variarum frugum pluvia in Campaniâ. 5. *Vincentius hist. lib. 23.* refert, in Campania, aliàs Terra *Di Lavoro*, dicta, hordeo, filigine aliisque frugibus pluisse. Testatur *Sigebertus*, *Wernerus Palmerius*, & alii plures apud *Majolum in Colloq. de Meteoris.* Anno 989 in Galliâ non tantùm filigine, sed & piscibus pluisse. Galliâ.

Pluvia triticea Athenis. 6. Athenis tritico pluisse refert *Heraclides.* Meminit quoque triticeæ pluviæ in *Quadis* ad Ann. 1571. *Theoph. Raynaud. in Chronico.*

Pluvia frugum & aliarum rerum in Galliâ. 7. Caroli Magni stirpe in decedente Arnulpho extinctâ, cùm ad Hugonem Capetum Galliæ regnum devolutum esset, Cœlum ipsum applaudere voluit; novo enim prodigii genere quamprimùm frumento, mox ingenti aquarum vi, tandem verò per aliquot dies pisciculis etiam pluit. *Ægnatius lib. 5. cap. 6. & Sabell. lib. 1. cap. 4.*

In Carinthiâ. 8. Anno 1550. ut memorat *Lycosthenes* aliquo tempore antè Pascha mense Martio in *Carinthia* propè *Klagenfurtum* & *Villacum*, filigine sive annonâ pluit; undè etiam optimi panes cocti fuerunt, qui ejus Regionis necessitati apprimè conduxerunt. *Thuanus* verò *lib. 5.* eandem pluviam consignat ad Ann. 1548. in Carinthiâ per duas horas ad duorum milliarium spatium decidisse.

9. Anno 1571. cùm egestas annonæ ferè ubique summa, tùm præcipuè in Sueviâ Noricâ laboraretur, raro præter naturam beneficio pisa, rapula, frumentum & triticum compluribus locis *Gottlebergi* ac *Lembergii* in Quadis 17. Cal. Quintiles pluit, ex quo collecto, trituratoque homines undique concurrentes triduo post panem esu optimum confecêre. *Thuanus.*

Pluvia frumenti in Marchiâ Brandeburgicâ. 10. Cùm ingens fames Anno 1580. Marchiam Brandeburgicam affligeret, ità ut ex hominibus plurimi desertis ædibus, ac villis in sylvas & agros pabulatum excurrerent, ac proindè variæ inter illos infirmitates suborirentur: Tandem precibus Deum flectere statuerunt, qui etiam commiseratione tactus in die Palmarum ad districtum Havelberg/Kyritz/Wüsterhausen/Neustadt/Perberg/ & aliorum locorum magnam filiginis copiam de Cœlo subministravit, quam cum gaudio Incolæ locorum illorum colligentes, optimi saporis panes indè coxerunt. Pluribus etiam granis in agros sparsis uberrimum indè proventum habuerunt: Hoc præ reliquis mirum fuit, quod anseres, gallinæ, ac quæcunque aliæ volucres grana hæc attingere noluerint. *Mollerus Allegor. Sacro-Proph. part. 1.*

11. Anno 1619. verum & genuinum triticum è nubibus decidisse fertur cum pluviâ ejusdem planè formæ, quod olim *Philippus Heinhoferus* ad Ducem Pomeraniæ transmisit.

Pluvia serici. 12. Anno 1665. die 18. Martii *Naumburgi* in Misnia serico cœrulei coloris copiosè pluit, cujus eximiam quantitatem colligens prænobilis quædam Domina indè pro ornatu Ecclesiæ honorarium ad perpetuam rei gestæ memoriam parari fecit. Similiter Rustica quædam pagi Gräfenitz in campo filum ejusdem serici longum 100 ulnas collegisse, & in glomum convolvisse scribitur.

13. Narrat *Prætorius in novo Orbe part. 1. pag. 246.* aliquando in Norvegia telis lineis pluisse, quæ aranearum telis vel pericardio animalium non dissimiles fuerunt. Quantitas hujusmodi telæ ulnarum viginti Regi Daniæ transmissa est. Testatur ipse etiam *Prætorius*, se particulam hujus telæ vidisse tàm magnam, quanta est octava pars folii chartæ communis, fuisseque candidam, valdè tenuem & contiguam, mirè ductilem, ac facilè manibus absque noxâ tractabilem. *Olaus Wormius in Musæi lib. 2. cap. 3. sequentia tradit* his verbis: *Byssinis*, inquit, *telis subtilior est arborea illa, quæ Anno 1639. reperta in arboribus Norvegiæ, ubi integræ sylvæ, arbores hisce ornatas ostentabant; subtilitate planè aranearum telis respondent, sed candorem niveum ab aeris, per quem feruntur, humiditate & Solis calore acquirunt.* Telarum linearum.

14. Lanâ quoque pluisse tempore *Ciceronis* propè Castellum *Carissanum* notavit *Plinius lib. 2. Nat. Hist. cap. 56.* secutamque mortem violentam *T. Annii Milonis.*

15. In Curonia Anno 1686. alibi annona, alibi papyrus cœlitùs delapsa fertur. Vide *Exercit. de generat. miner. veget. & animal. in aere Philippi Jacobi Hartman.* Et fabis & pisis in *Livonia* illo anno pluisse memoratur *ibidem.*

16. Ex *Aventino* perhibet *Wolffius tom. 1. cent. 8. lib. lect. memorab. & recondit.* multifaria ligna pluisse in Episcopatûs Frisingensis Diœcesi.

17. *Julius Obsequens* oleum è Cœlo cum pluviâ decidisse memorat *cap. 9. lib. de prodigiis.*

§. VI.

Animalium atque variorum Insectorum pluviæ.

1. Tradit comprimis *Avicenna*, Vitulum aliquandò ex alto Cœlo cum maximo imbre cecidisse, qui haud dubiè aliundè ingenti turbine abreptus, & in distantem aëris locum delatus, copioso tandem hoc imbre unà delapsus fuit. Vitulus de Cœlo lapsus.

2. Paulò antequam Scoti à Pictis & Romanis regno exuerentur, minutis avibus pluit, quas ingens deindè corvorum numerus devoravit. *Hector. Boeth. lib. 5.* Avium pluvia.

3. Ingentem vim Serpentum in *Gallovidiâ*, Scotorum regione in morem pluviæ decidisse, narrat idem *H. Boeth. lib. 10.* qui in unum locum congesti, incertum quomodo putrefacti aërem infecerunt, paulò antequàm *Donaldus* Rex ab Anglis & Britannis captus est. Serpentum.

4. *Joan. Willanius* narrat sub Imperat. *Carolo* 1348. in Superiori Asiâ, ac regno *Cathay* ingentem copiam vermium & minutorum Serpentum ex aëre decidisse, qui fœtore suo totam terram illam infecerunt: Undè etiam pestis enata, quæ primò Asiam, deindè Ægyptum, Africam, Græciam, Ita- Vermium.

Italiam, tandem & Galliam, Hispaniam, & Angliam, ultimò vero & Germaniam invadens lamentabili strage ingentem hominum multitudinem abripuit.

Bufonum. 5. In Peruviâ bufones pluere Hispanicis non minores, quos Indi assatos comedunt, scribit *Joan. Montanus*. *Wormius* etiam in musæo suo narrat, Rusticum quendam, dum pertransiret cum comite aliquo flumen quoddam adhuc gelu constrictum, jamque medium fluminis superasset, bufonem haud mediocrem ex aëre eidem in pileum cecidisse, ad cujus conspectum comes etiam vehementer consternatus fuit.

Erucarum. 6. In *Velanniis* tantum Erucarum una nocte decidit de Cœlo, referente *Dalecump. ad lib. 2. Plin. cap. 56.* ut eas in domo reptantes, biduo toto accensâ palea urere necessum fuerit, vix ad id sufficiente hominum, mulierumque turbâ.

Ranunculorum. 7. *Fromondus lib. 5. Meteor. cap. 6. art. 4.* testatur, Anno 1625. ad portas Tornacenses deciduo in aridissimum pulverem subitaneo imbre, tantum mox Ranunculorum per siccum saltantium comparuisse agmen, ut undique penè nihil aliud cerneretur, omnes verò ejusdem magnitudinis & coloris fuisse.

8. *Joan. Maria Gignochius Doctor Patavinus apud Fromond. lib. 5. Meteor. cap. 6. art. 4.* testatur, se mense Julio aquæ cœlestis guttam pulveri illapsam vidisse, quæ illicò in Ranæ formam se induerit. *Fallopius* quoque *lib. de fossil. cap. 9.* vidisse se, ait, quod ex decidentibus in pulverem magnis aquæ guttis confestim ranulæ emerserint.

9. In *Amelandiâ*, quæ ranam nullam patitur, ranis tamen pluisse refert *ex præceptore suo Jonston in Taumatogr. class. 3. cap. 8.*

10. De Pluvia Ranarum *Jul. Scaliger Exercit. 191.* ità scribit. *Est in Santonibus oppidum Mirambellum, cujus viæ & angiportus ranarum (alii bufones fuisse dicunt) pluviâ tam referti fuêre, ut primùm horror perculserit oppidanos: Deindè stupor ceperit; tum fastidium ex illuvie, postremo lues ex odore malo putrefactorum.* Et rursùm *Exercit. 323.* ità scribit: *Mirambellum oppidum est Santonicæ præturæ: in cujus agro tantùm pluit ranarum, ut cumulatim totæ viæ tegerentur; oppidani neque domo efferre pedem, neq; ubi vestigium peterent, haberent.* Meminit etiam H. *Boethius* Pluviæ ranarum, quâ ingens earum multitudo in *Horestiâ* ex aëre decidit, antequàm *Corbredus Galdus* Scotorum Rex cum *Jul. Agricola* Domitiani Legato armis decertârit. In *Pœoniâ* quoque & *Dardania* tantam ranarum copiam è Cœlo delapsam, ut publicas vias & domos privatas impleret, in Historiis legitur.

11. *Æmilianus lib. 2. de Animal. cap. 5.* narrat, in itinere Neapoli Italiæ Dicæarciam versus ranis pluisse, quarum anterior pars cum binis pedibus perfecta, posterior verò adhuc informis & incompleta luto commixta erat.

Piscium. 12. Phonias tradit in Chersoneso Piscium imbre ex aêre toto triduo pluisse. *Jonstonus* narrat inter admiranda, se certò compertum habere, aliquandò copiosè Piscibus pluisse non procul à *Regiomonte* in Prussiâ, ità ut viæ quoque & prata Piscibus fuerint repleta, seque ipsum ex Piscibus illis comedisse unà cum parentibus suis. *Olaus M.* etiam *lib. 20. hist. Sept. cap. 30.* annotat in partibus Septentrionalibus non tantùm vermibus, ranis, ac Piscibus, sed & sæpè muribus pluere. *Lib.* verò *18. cap. 20.* non solùm in Norvegiâ, sed & in Hellingia atque vicinis aliis provinciis diæcesis Upsalensis tradit evenire, ut bestiolæ quadrupedes *Lemmar*, vel *Lemmus*, dictæ magnitudine soricis, pelle variegatâ per tempestates & repentinos imbres è Cœlo decidant: incompertum undè, an ex remotioribus Insulis huc vento delatæ, an ex fœculentis nubibus temerè natæ deferantur. Id tamen compertum est, scribit Idem *Olaus*, statim atque deciderint, reperiuntur in visceribus herbæ crudæ & nondum decoctæ. Hæ more locustarum in maximo examine cadentes omnia virentia destruunt; & quæ morsu tantùm attigerint, emoriuntur, vivit hoc agmen donec non gustaverit herbam renatam. Conveniunt quoque gregatim quasi hirundines evolaturæ, sed stato tempore aut moriuntur acervatim cum lue terræ (ex quarum corruptione aër fit pestilens & afficit incolas vertigine & ictero) aut his bestiis dictis vulgariter *Lekat*, vel Hermelinis consumuntur; Unde ijdem Hermelini pinguescunt & reddunt pellium mensuram longiorem. ità *Olaus*. Murium Lemmar dictorum.

13. Anno 1586. suprà *Constantinopolim* atra quandoque nubes apparuit, quæ cum soluta fuisset in pluviam maximam unà secum locustarum copiam effudit, quæ mox omne gramen depastæ fuerunt. Similis locustarum pluvia *Francofurti ad Oderam* proximis abhinc annis decidit, undè ingens damnum emersit. Locustarum pluvia.

14. Eodem Anno supramemorato in Croatiâ propè castellum Wisitz ex atrâ nube, cum immodicâ pluviâ anseres & anates in maximâ copiâ decidisse tradit *I. Leunclajus in addit. ad Chron. Turc.* Quintâ deindè nocte in duas acies se collegisse ac invicem non secus ac duos hostiles exercitus sese invasisse & impugnâsse, multis eorum millibus interfectis, ità ut incolæ, ac milites ibidem exeuntes magnam eorum copiam collegerint secumque attulerint lautè inde victitantes sat longo tempore. Addit præterea plures ex his prædatoribus centum, ducentas, imò & quadringentas volucres pro spolio ad victum collegisse. Reliqui autem Anseres victores ut idem Author refert, accedentibus hominibus in duas se turmas colligentes, aliò avolârunt. Pluvia anserum & anatum in Croatiâ.

15. In *Quitensi* provinciâ Cœlo etiam sereno nonnunquam in ipso aëre vermes excludi ferunt, qui in terram lapsi in angues vertuntur bicaudatos, eâ Qualitate imbutos, ut quemcunque momorderint, eundem statim resolutis sanguinis ostiis non tantùm ex omnibus naturæ orificiis, sed & per ipsos poros cruorem profundere usquè ad ultimum hominis exitium cogunt, nullo adhuc contra tam immane malum invento remedio.

medio. *Kircherus lib. de Peste. sect. 3. cap. 3. ex Annalibus Americanis.*

Locustarum, serpentum & viperarum pluvia.

16. Anno 1690 die 24 Septemb. *Lembergâ* scriptum, ingentes locustarum cumulos Cœlo deciduos *Walachiam* non tantùm sed & *Podoliam* infestâsse, quæ omnes fruges & virentes herbulas ac plantas depastæ sint. *Kyowiâ* vulgò Kyow iter in Poloniam ingressi asseverârunt, locustas adeò magnâ ibidem copia ex aëre decidisse, ut in publicis viis ad duarum ulnarum altitudinem sibi invicem incubuerint, & ab exortâ earum putrefactione, indeque nato fœtore homines coacti fuerint superiores domuum contignationes inhabitare; ad publicas etiam repurgandas vias currulibus machinis immundam sobolem in campos evehere debuerint. Magis etiam stupendum, quòd nubes quædam imbrifera, satis densa & atra in Cœlo eodem tempore observata, quæ tandem in aquas soluta unà cùm imbribus largissimis undis serpentes ac viperas in terram profuderit.

CAPUT VIII.

De Diluviis & inundationibus.

Diluvium quid sit.



Diluvium vocari solet ingens aquarum eluvio à mari, vel fluminum exundatione, vel aliundè proveniens. Græci vocant Cataclysmum à voce Κατακλυσμὸς, cujus frequens mentio est apud Authores. Solet autem Diluvium aliud dici *Generale*, sivè *Universale*: quo nempè totus terræ globus, ut olim factum fuit Noëmi temporibus, aquis undiquè submergitur & eluitur. Aliud autem *Particulare*, quo aliqua tantùm terræ pars, vel certus terræ tractus undis immersus eluitur. Sed nunc tùm causas diluviorum & signa eorundem prognostica, tùm etiam quædam eorum Exempla mirabilia ex variis Authoribus recensebimus.

Aliud Generale, aliud Particulare.

§. I.
Diluviorum causæ & eorum prognostica.

Diluvia unde fiant.

1. Diluvia sivè Inundationes atque terrestrium Regionum eluviones etsi persæpè ex frequentibus, atquè per longum aliquod tempus continuis pluviis: item ex subitaneis nubium dissolutionibus, earumque prolapsibus, uti earum exempla quædam § seq. recensemus, enasci soleant: quandò tamen nimis magnæ solent esse, quibus scil: integræ Regiones, earumque longissimi tractus qua quaversus demerguntur, uti prô dolor sæpius accidit, quibus multorum quoque hominum, pecudumque millia præter omnimodam Urbium & pagorum plurimorum absorptionem aut devastationem intereunt; Eæ ex intimis terræ visceribus, atque ab iis aquis, quæ ubertim per scaturigines fontium ac fluminum effunduntur, ortum trahere, mihi certissimum videtur. Ad hanc autem uberrimam effusionem prolicicndam ingentes plerumque in mari commotiones, ventorum turbines, æstus & tempestates insolentes plurimùm afferre, atque semper ferè præcedere solent; uti etiam in nuperâ illâ inundatione Anni 1682 contigisse scimus. Dùm enim aquas marinas violento admodùm impetu in canales ac subterraneos meatus, sive cuniculos ubertim, indeque in intima, ac infrà terram abdita aquarum conceptacula, sivè, ut aliàs dici solent, hydrophylacia protrudunt, atque ità nimiùm opplentur, tandem accessu vehementis aquarum pressionis, quaqua versus conceptas aquas per abditas scaturigines denuò effundere, atque istâ effusione illuviones & inundationes fluminum producere debent. Quæ etiam *Cardanus* videtur confirmare, ac multùm illustrare, dum ait: *Omnis inundationis causa aut est humilitas riparum, aut copia aquarum, aut ventus adversus motum aquæ, vel etiam transversus, aut maris æstus, atquè recursus prohibens aquam in mari effundi.*

Quid observatum in nuperâ inundatione.

2. Observatum à me fuit singulariter in nuperâ inundatione Anni 1682 quod licet primò ex pluviarum defluxu aquæ fluminum prolabentium exundantes fuerint admodùm turbidæ & lutosæ; successu tamen temporis, quo etiam nullæ amplius pluviæ Cœlo deciderunt, per integrum mensem & ultrà, etiam minores rivi sivè torrentes hìc in nostrâ Franconia nihilominus aquam uberrimam plus solito, semper exundantem, eamque purissimam, ac limpidam valdè devolverint: Omnes quoque fontium Scaturigines, quæ pluribus annis fluere desierant, tunc aquarum insolitam abundantiam profuderint. Undè amplius confirmatur, eluviones & inundationes diuturniores, atque immitiores ex abditis Undarum gurgustiis, atque reconditis subterranearum aquarum catadupis magis, quàm ex nivium colliquationibus, nubium dissolutionibus, pluviarumque cataractis originis suæ causam producere.

Diluvia accidentaliter majora efficiuntur.

3. Diluvia plerumque accidentaliter majora fiunt, quàm substantialiter sæpè sunt, & re ipsa forent, si profluxûs libertatem haberent. Nam quià sæpè pontium abreptione, dejectorum ac destructorum ædificiorum aggeribus, arborum prægrandium evulsarum, terrarum aggestarum, erutorum lapidum & convolutarum arenarum acervatione undis ubertim proruentibus trames intercluditur, atque eædem in cursu suo impeditæ amplius attolluntur, ut tandem aliò deflectere, & vi viam qua datâ porta perrumpere debeant, idcircò etiam inopinatæ illuviones, & terrarum subversiones iis in locis, ubi minimè putabatur lamentabili hominum pecudumque strage contingere solent. Hinc sæpius in historiis legimus, ruptis aggeribus varias colonias subitâ submersas inundatione,

undatione, & omninò deperditas interiisse, quæ vel uno, alterovè aggere persistente immunes ab eluvione & interitu permansissent.

Quæ loca magis obnoxia inundationibus.

4. Quæ loca inter concatenatos montium tractus circumsitos magis depressa jacent, atque etiam in angustiis inter præruptà petrarum præcipitia situm obtinent, periculis subitarum inundationum maximè sunt exposita. Similiter quæ ripis majorum fluminum, & marium littoribus adjacent, quæcunque item terræ & regiones depressiori solo insistunt, uti sunt Belgicæ provinciæ & inferioris Germaniæ partes (quocircà & *Belgium* à depressiore terræ situ haud malè à Germanis Niederland vocitatur) præ omnibus aliis terris eluviis obnoxiæ esse solent.

Terris per diluvia mersis succedunt aliæ alibi emergentes.

5. Quamvis diluvia terris, ubi contingunt, ingentia advehere soleant damna, dùm integras sæpè Regiones penitus abluunt, & aquis demergunt, alibi tamen ècontra terrestres aliæ portiones emergunt, & demersis succedunt. Undè benè *Kircherus in Mund. subt. lib. 2. cap. 12. §. 4.* docet. *Quidquid*, ait, *mare in unâ parte terrarum perdit, in alterâ recuperat: Undè insularum novarumque terrarum exordia.* Addit deindè: *Observandum flumina nonnulla potissimum ea, quæ ex altissimis montibus suam originem habent, tantis à montibus vallibusque terrenæ mistionis abrasis fœcibus depressiora loca illimare, ut ea ex tantâ arenarum, limique copiâ paulatim in amplos congesta tumulos, atque aquis intrà alveos proscriptis, novam tùm habitationi hominum, tum culturæ aptam Regionem constituant.* Subdit præter alia exempla *Kircherus* ibidem ajens. *Ità magna Ferrariensis agri portio ex Padi eluviis excrevit. Arelatensis ager maritimus unà cum Comargo insulâ Rhodani partus est. Pari ratione Ammonia & Mæotis paludes olim multò profundiores erant, & majorum navium patientes, quàm posteà ingesto luto, teste Aristotele tota Teuthrania, & quæ circa Ilium sunt plana, ubi olim mare, modò Campi sunt Mæandri fluminis beneficio. Ravenna olim Adriatico mari imposita, modo ex eo sex millia passuum dissidet. Ostia Tyberina olim maris apposita littori, modò ex eo 3000. passibus ingentibus arenarum tumulis interjectis dissident*, &c. ista *Kircherus.*

Diluviorum & inundationum signa prognostica.

6. Diluviorum & inundationum signa prognostica potiora hæc esse solent. *Primum.* Arescentia & siccitas humidorum corporum insueta: Significant enim vapores humidos qui sunt antecedentes causæ, elevatos esse & continuò elevari, donec abscedente calore frigescant, ac inspissentur, atquè in causas pluviarum conjunctas transeant. Secundum signum validius est, si cum antecedente uredine & siccitate fuerit naturalium fontium siccitas; quò namque plurium fontium fuerit ejusmodi exsiccatio, eò futurus imbrium excessus major erit. *Tertium* adhuc manifestius est, si cum siccitate naturalium fontium fuerit fluminũ aliquorum, vel plurium deperditio. *Quartum* efficacissimum, si cum fontium & fluminum arescentiâ erit & maris alicujus aut plurium, vel ex parte, vel ex toto notabilis diminutio: declaravit enim *Aristoteles* maria nova fieri ex deliquiis magnorum diluviorum; arescere verò per regenerationem novorum diluviorum. *Quintum*: Si in æstate appareant frequenter jacula, trabes, dolia, & Cometæ iique majores: Quo enim plures majoresque fuerint, eò certius diluvia subsecutura denuntiabunt. Ità post ingentem illum Cometam hìc visum Anno exeunte 1680. & ineunte 1681 usque ad 5 Februarii; subsecuta deinde Anno sequenti 1682 in Januario maxima inundatio variis in Regionibus Europæis. *Sextum* signum est, si per æstatem in Cœlo vel terrâ hiatus, quos *Chasmata* aliàs dicunt, frequenter compareant. *Septimum.* Si è Cœlo, vel terrâ insolitæ percipiantur voces, murmura insueta, veluti mugitus boum, quæ vaporum copiosiùs ascendentium & elevatorum signa sunt. *Octavum.* novorum insuetorum animalium, quæ aliàs in sylvis aut terris, aut in aquis degere solent, turmatim egredientium & victum quærentium insolita apparitio. Denique solent & insolitæ tempestates, turbines & spiritus procellarum in mari, undè & plura contingunt naufragia, inundationes & diluvia præcedere, causare & præsignificare, uti & antè inundationem suprà memorati Anni 1682 contigit. Fit enim his vehementibus commotionibus & præter morem sævientibus tempestatibus, ut subterranea Hydrophylacia tantâ aquarum repleantur abundantiâ, qua fontes omnes ex terræ visceribus erumpentes etiam repleti canales suos scindere, & apertis torrentibus in flumina, & hæc ipsa ingenti cum intumescentiâ super alveos pleno raptu rursum in mare sese devolvere & præcipitare cogantur.

§. II.

Diluviorum ac Inundationum memorabilium & mirabilium Exempla.

Diluvium Universale Noëticum.

1. Omnium eluvionum maxima fuit Universalis Cataclysmus, cujus Historiam scripsit *Moyses. Gen cap. 7.* Meminit ejusdem *Hieronymus Ægyptius*, qui antiquitates Phænicum scripsit, *Josephus lib. 1. Antiq. cap. 3. Berosus Chaldæus* & plures alii à Josepho citati. Contigisse autem hoc diluvium Anno Mundi 2262 vult *D. Augustinus. Eusebius* verò 20 annos subtrahit: *Hebræi* 1556 annos tantùm à Protoplasto ad diluvii hujus tempus colligunt; alii computant annos 1656 à Creatione mundi. Ex Sacrâ Scripturâ tantùm constat anno Sexcentesimo vitæ *Noë*, mense secundo, & septimo decimo die mensis ruptos esse fontes abyssi magnæ & cataractas Cœli fuisse apertas. Ex *Moysis* igitur narratione hujus cataclysmi causa una videtur assignari intrà terram, quæ est diruptio fontiũ abyssi magnæ: altera verò extrà terram, quæ est cataractarum Cœli apertio: Nomine *Abyssi* ruptæ, & *Cataractarum Cœli* apertarum volunt Authores intelligi subterraneas cavernas, quæ aquas continent, & intrà ima terræ vis-

ræ, viscera concluduntur, fuisse ruptas, ipsamque aëris mediam regionem, in quâ densatis nubibus generantur imbres, decidisse, id est, immensam vim aquarum profudisse, ac depluisse quadraginta continuis dieb⁹. *Philo* Judæus existimat hujus diluvii causam fuisse maris tumorem, fluminum deinde omnium incrementum & imbrium deciduorum continuationem. *Seneca lib. 3. quæst. nat. cap. 27.* iisdem causis addit coitionem siderum, quæ vim habent imbriferam. Verum quamvis hæ causæ naturales maximam inundationem efficiere queant, repugnat tamen rationi, posse ulla vi aut quocunque naturalium agentium confluxu totius terræ (ut in hoc cataclysmo fuit) eluvionem induci. Sed de hoc argumento videatur *Pererius in Gen.* Tantum enim fuit hoc diluvium, ut S. Scripturæ testimonio aqua ad quindenos cubitos cacumina montium excesserit. Falsum igitur est, quod montes quidam aquis non obruti prominuerint, sed *Pererius* censet, potius aquæ illæ exundantes etiam partem inferiorem mediæ aëreæ Regionis attigerunt, atquè ità ipse terrestris paradisus fuit inundatione demersus, & destructus.

Diluvium sub Ogyge. 2. Anno Mundi 2190, ut supputat *Orosius lib. 1. c. 2.* Diluvium ingens accidit in Achajâ tempore *Ogygis* Regis, quod etiam in *Jacobi* Patriarchæ tempora conjicit *Eusebius*. Verùm de hoc Ogygiano cataclysmo diversimodè sentiunt veteres Authores. Vide *Pererium in Gen.*

Aliud sub Deucalione. 3. Aliud memorabile Diluvium in Thessalia contigit *Cecrope Athenis* regnante & *Deucalione* per id tempus circà *Parnassum* imperante. Multa autem de hoc fabulantur Poëtæ, imprimis totam terram inundâsse volunt excepto Parnasso, atquè Deucalionẽ cum conjuge navigio illuc delatum. Causam etiam hujus inundationis attingere volens *Ovidius init: Metamorph.* ità canit.

Fit fragor & densi funduntur ab æthere nymbi
Nuntia Junonis varios induta colores
Concipit iris aquas, alimentaque nubibus adfert.

Volunt etiam quidam Authores hoc diluvium contigisse Anno Mundi 2436. post diluvium autem generale Noëticum Annis 780, ut refert *Beyerlink in Theat. vit. hum.* Alii computant à Mundi creatione 2429 annos, atquè ità 1521. ante Christum natum contigisse.

4. Quo tempore Ptolemaici prælium cum *Sarpedone* Imper. gesserunt in littore inter *Tyrum* & *Ptolemaidem* fugâ insigni factâ pelagi affluxus inundationi similis fugientes obruit, atquè alios in pelagus rapuit & absorbsit alios in concavis locis mortuos reliquit: Sed cùm iterum refluxus recessisset, corpora detexit, atquè inter pisces etiam mortuos promiscuè jacentia ostendit *H. Boeth. lib 13.*

Submersæ Civitates ex aquis eminentes. 5. Ad littus *Thuscum* non procul *Liburno* integra urbs undis cessit, hominum habitaculis in piscium latibula conversis, ut memorat *Kircherus in Mund. subt. l. 2. c. 12.* Inter Centum cellas, vulgò *Civita Vechia, & Severam*, ut idem ibidem refert, frequentia rudera in mari spectantur, quorum nonnulla fenestris, alia portis & arcubus adhuc instructa sunt præteritæ infelicitatis indices. E regione *Puteolorum* in ipso sinu *Bayanæ* Urbis domus una cum platearum discrimine, quod mirum dictu est, luctuosissimo sanè spectaculo monstrant in fundo maris celeberrimæ quondam Urbis interitûs vestigia.

6. *Berthæ* Urbis in Scotia lamentabilis fuit inundatio sub Rege *Gulielmo*: nam *Tai* & *Almundi* fluviorum tanta fuit exundatio, ut mœnia cum magna domorum parte everterit. Rex ipse cum Uxore, liberis ac nobilibus haud expers periculi fuit periêrunt ex regiâ familia *Joannes* Regis filius adhuc latens cum nutrice, ac duodecim fœminis aliis, atque Aulici viginti. ità *H. Boeth. lib. 13.* Berthæ Urbis inundatio.

7. Sub *Pelagio* II. Pontifice M. ex frequentibus ac continuis pluviis tanta accidit Romæ inundatio, ut aqua exundans Urbis muros transcenderit, & magnam bestiarum copiam, maximè serpentum cum terribili Dracone secum traxerit. Secuta etiam fuit indè pestis, quæ totam Italiam pervagata & ex qua ipse quoquè Pelagius Anno Christi 590 obiisse scribitur à *Platinâ & Sigeberto*. Solet autem frequenter Romæ Tyberis exundatio fieri, ac nonnunquàm tantùm luti, quod alibi ex imbrium frequentiorum casu, & mollioris terræ exsolutione & in Tyberium devolutione provenit, ibidem invehi, ut indè aër facilè inficiatur & variæ causentur infirmitates. Inundatio Romæ à pluviis.

8. Apud Flandros in Belgio Anno Christi 1014 ad IV Cal. Octob. magna nubium moles ex improviso è Cœlo delapsa, ingentis illuvionis causa extitit, ac multa millia hominum suffocavit. *Saxoniæ Chronicon, Trithemius de reb. Hirsaug.* Addit *Mejerus* ex inundatione Flandrici maris Ventorum procellis agitati finitimos agros plurimùm accepisse detrimenti. *Polydorus* autem *lib. 7.* scribit hoc anno Oceanum Anglicanum sine evidenti causâ, quæ posset rem admiratione eximere, in altitudinem insolitam insurrexisse multosque pagos & mortales absorpsisse. Inundatio in Flandria.

9. *Alstedius Chron. lib. 25.* refert Anno 1065 innumerabilium hominum copiam in Soriâ ob gravissimam inundationem submersione interiisse; quam inundationem Astrologus quidam Turcicus prædixisse fertur, cum advertisset eo anno omnium Planetarum unico Saturno excepto, in signo Piscium conjunctionem futuram. In Soria.

10. Ad annum Christi 1218, dum Frisia inundatione fuit obruta, centum millia hominum submersione interiisse memorantur.

11. Anno 1306 in principio Mensis Februarii, hoc est, in Solenitate Purificationis B. M. V. nivibus & glacie simul in aquam resolutis, tam magna & vehemens inundatio facta est, ut suo impetu circà Rhenum & Moganum hominibus damna intulerit penè infinita; domos namque plures & ædificia subvertit, hortos, agros & vineta sine numero Inundatio ad Rhenum & Moganum.

ne numero destruxit, homines & jumenta plura suffocavit. Pontem suprà Moganum *Francofurti* subvertit, partemque murorum Urbis Moguntinæ dejecit & duas turres cum muro Coloniensis civitatis penitùs prostravit. *Chron. Hirsaug. Trithemii.*

Inundatio ad fines Dordraceni Territorii.

12. Anno Domini 1421 in finibus territorii *Dordraceni*, ut refert *Beyerlinck in Theat. V. Diluvium* inopinato sub mediam noctem ingens inundatio *Rheni*, *Mosæ & Vascalis*, 72 pagos involvit, & in iis facilè centum hominum millia demersit. Cujus rei non aliud monumentum extat, nisi quod Turris quædam pagi de *Batzen* suâ mole superstes in mediis aquis emineat, & instar speculæ errabundis in vasto æquore navibus iter demonstret, quæ tamen Anno 1624 collapsa fuit. Ferunt sub id tempus maximam cadaverum congeriem fluxu aquarum redeuntium ad littora *Zelandiæ & Flandriæ* advectam. Quin infantes aliquot Antverpiam appulsi in fiscellis suis, sivè cunis, ac plerique illorum ab aquis sumpti nomen *Moyses* meruerunt, diuquè supervixerunt, ceu reliquiæ demersorum pagorum. *Simon Bruinius* & ex ipso *Majolus die Canic. colloq.* 2. narrant ex dissolutis nubibus hanc inundationem ortûs sui causam habuisse. Meminit etiam *Kircherus in Mund. subt. lib. 2. cap. 12.* propè *Dordracum & Duellartum* in Frisiâ Castella non ignobilia funestâ alluvione itâ submersa esse, ut vel ipsi eminentes in hunc usque diem turrium apices præteriti eventûs calamitatem posteris enarrare velle videantur.

13. Anno 1432 nubium repentinæ dissolutiones & delapsus totam penè Germaniam illuvione miserabiliter afflixerunt. Eodem Anno die 9 Mensis Sept. nova civitas Pragensis ex nimiâ inundatione aquarum pro majore parte cum lapideo ponte corruit, & multos homines horâ prandii oppressit, per circuitum quoque terram in longitudine 24 Milliarium, & in latitudine quatuor aquâ totam operuit, urbes, villasque & domos sine numero subvertit, & multam cladem habitatoribus importavit. *Chron. Hirs. Trithem.*

14. *Crantzius* memorat Anno 1435 tantas per autumnum contigisse tempestates, quibus nulla hominum memoria similes vidit. Dejecta per nemora ingentia arborum robora, intumuêrê cuncta flumina, rupti sunt aggeres, undè infinita hominum jumentorumque multitudo intercepta periit. *Lib. 11. Vand. cap. 17.*

15. Anno 1446 die 17 Mensis Aprilis, quæ fuit Dominica Palmarum de nocte mare rupto aggere in Hollandia haud procul ab oppido, quod *Dordracum* vocant, subito, & cum impetu, quâ data porta terminos suos egrediens plusquam 100000 hominum cum pecoribus & rebus omnibus suffocavit.

16. Anno 1458 post Dominicam Quadragesimæ primam maxima fuit inundatio aquarum Rheni, Mosellæ, Mogani, Neccari & aliorum Germaniæ fluminum ex montibus venientium. Resolutis enim nivib' copia maxima crevit aquarum, quæ domos & habitationes hominum plures non absque gravissimo eorum & damno periculo subvertit. In oppido Creutzenach Nabus fluvius suprà modum exundans parochialem Ecclesiam in Insula ejusdem fluminis constitutam totam implevit, altaria subvertit, concussit parietes, & damna intulit plura civibus. *Chron. Hirsaug. Trithemii.*

17. *Nicephorus lib. 15. cap. 20, & Evagrius hist. Eccles. lib. 2. cap. 14.* scribunt *Constantinopoli* Anno 1490 nubem ex improviso solutam 880 ædes destruisse & funditus evertisse, simùl etiam 3000 homines submersos interjisse.

18. Post obitum *Matthiæ* Corvini Regis Ungariæ, qui fuit terror Orientis & Occidentis, Danubius insolenter exundavit, & multos pagos & urbes illuvione afflixit, ut *extincto Regni Procuratore* sicut ait *Bonfinius lib. 8. dec. 8. Pannoniam à Turcarum incursu tueretur.*

19. Anno 1494 per autumnum in totâ ferè citeriore Gallia tam continentes fuerunt pluviæ, ut in *Bergomatium* finibus aqua quinos pedes excreverit; ædificiisque quamplurimis subversis, ac pontibus lapideis abreptis magnum hominum numerum oppresserit. Athesis, cum Veronæ Urbis magnam partem pervasisset, & complures parietes ac muros subruisset, etiam pontem firmissimum medio in oppido dejecit. *Medoacus* optimam Patavini agri partem fœdavit. *Padus* omninò utriusque ripæ vicinitates itâ est depopulatus, ut omnia luctu & mœroribus repleverit. *Bembus 1. lib. Hist. Venet.*

Inundatio à pluviis.

20. Anno Christi 1530 quadraginta parochiæ in *Hollandia, Frisia & Zeelandiâ* inundatione dicuntur perijsse. Anno 1550 nubes soluta *Laubiaci* ingens damnum attulisse fertur. Anno verò 1573 die 8 Januar. *Lovanii* tanta fuit illuvies, *Diliâ* (qui fluvius urbem perlabitur) hybernis nivibus intumescente ut & mœnia, portasque & validissimam turrim, ac supra ducenta ædificia convelleret inquè potissimâ Urbis parte navigiorum beneficium adhiberetur: reperitur quibusdam adhuc locis, quæ præterlabens fluvius usque ad 12 cubitos inundaverat. *Gemma de natur divin. Characterismis lib. 2.*

21. *Abrahamus Ortelius in Theat. orb. Univ.* describens Hyberniam, insinuat de lacu *Erno*, quod olim mons fuerit, sed propter nefandam incolarum cum bestiis libidinem tantam aquarum eluviem erupisse, ut totum Regionis illius ambitum unà cum hominibus demerserit, atquè in rei gestæ veritatem etiam hodiè sereno Cœlo sub aquis comparare turres templorum.

Oceani exundatio in Hollandia & Frisia.

22. Anno 1570 nocte ante lucem Omnium Sanctorum Oceani exundatio, ut meminit *Strada de bell. Belg. Anno 1670.* hausit aliquot Zelandiæ Insulas, magnam Hollandiæ partem, totam ferè Frisiam, strage non modò fortunarum penè incomparabili, sed hominum quoquè, vel in solâ Frisia viginti millium. Submissi cum cymbis per dies insequentes ut naufragii reliquias colligerent, nonnullos superstites in collibus & arboribus

boribus extremum spiritum trahentes excepêre: interque eos Senescensi in colle repertum infantem illuc cum fele advectum placidissimè dormientem diluvii & naufragii unicè securum.

Mœni & Rheni inundatio gravissima. 23. Anno 1595 post hyemem asperrimam inundatio gravissima accidit urbibus, pagis, agrisque, supra quam dici possit, noxia. *Coloniæ*, *Moguntiæ*, *Francofurti*, & aliis in urbibus multa cadavera visa sunt in aquis natare; vaccæ stabulis & præsepibus alligatæ, porci, oves & omne pecudum genus, homines utriusque sexûs & ætatis, infantes in cunis partim vivi, partim mortui aquarum violentiâ abrepti fuerunt. Strati sunt maximi & sumptuosissimi pontes, molæ, Anterides, peristilia: cavata viarum strata, templorum aditus, & pavimenta, ipsa etiam mortuorum ossa jam cum sepulchris subruta, ad formidabilem extremæ anastaseos typum alludere visa sunt. *Herbipoli* visus est senex & canus homo cum vetulâ uxore in fragmento glaciei fluitare, cumque uxor ad ripam esset reducta, statim expiravit. Cœpit hæc inundatio die 4 Martii, duravitque 14 dies. Hanc inundationem fusiùs descriptam vide in *Beyerlink Theat. Vitæ Hum. V. Paupertas pag.* 128.

Inundatio magna in Britannia. 24. Anno 1604 in Britannia memorabilis fuit eluvio, ut eam ex *Thuano* describit *Jonstonus Thaumatogr. class. 2. cap. 3. art. 7. Bristoliæ* rapido impetu mare 10 ferè milliarium spacio excurrit: In Sommersettensi provincia ad 20 milliaria in longitudinem & 5 in latitudinem aquis effusis intumuit, quæ *Hunsfeldiam* oppidum. *Granthaniam*, *Kenbusium*, *Briandoum*, & *Kingsonium* pagos cum multis ædibus per convalles mersérunt. Videre erat rusticos & homines in agro depræhensos tignis dirutarum domorum insidentes ubique fluitare. Columbæ, cum aliundè pastus deessent, suibus immistæ aristis frumenti in Pyramides coacervati insidentes granis forte oblatis vescebantur. Quin & Cuniculi in tergo ovium considere, & donec cum ovibus ipsis mergerentur, in fluctibus natare visi sunt. Juxta Marclandiam in Norfolciensi agro non minus sæviit. Sed vide Authores citatos.

Inundatio in Frisia Septentrionali. 25. Anno 1634. 12 Octob. ingens inundatio in *Frisiâ* Septentrionali accidit, quam fusè describit *Happelius in Mundo mirabili part. 3. cap. 21. Ex Heimrichs Chron. Frisiæ Borealis*: qua præter alia ingentia submersionis & devastationis damna, etiam quindecim millia hominum luctuosissimâ suffocatione interiisse memorantur. De quâ inundatione hoc apud eundem *Happelium* extat Chronodistichon.

BIsseno oCtobrIs LVna oCCurrente reCente
TVta EDoræ teLLVs DILVVIata natat.

Notatu, sicut & admiratione comprimis digna sunt hujus inundationis signa prognostica, quæ præcesserunt, suntque hæc sequentia. I. Anguillæ copiosè ac præter morem præcedente hyeme in fœnilibus, in suetis lacunis, ac etiam in agris inter sata repertæ. II. Feræ latibula sua consueta reliquerunt, & rapidas fluminum undas tranando in partibus Borealibus nova sibi exquisiêrunt hospitia. III. Multa pecora & jumenta insolitâ rabie correpta sunt. IV. Plures arbores tempore insolito denuò alterâ vice effloruerunt. V. Mures copiosiùs annonam rapuerunt, & aliò in latibula sua transtulerunt & reposuerunt. VI. Reperta Gallina, quæ unicâ diurnâ fœtura tria ova mirabiliter invicem connexa edidit. VII. Die 3. Octobris *ad S. Petrum in Baurlage Suderbowe* panis hordeaceus recenter coctus copiosam massam crassi & constricti sanguinis exhibuit. VIII. Tandem Autumnus eluvionem præcedens fuit præter morem temperatissimus, pulcherrimus, & mirificè gratus. Hoc eodem Anno *Chronica Herbipolensium* memorat *Mœnum* exundatione sua *Herbipoli* incendium excitasse, dum unda *Mœni* vivæ calci affusa nec æstum sufficienter domare valens corripiendo porrò vicina ramenta, stipulas, trabes & asseres subsecuti hinc incendii causam præbuit. Vide de hoc incendio egregiè discurrentem *P. Fridericum Geiger* S. J. in curiosissimis æquè & doctissimis Thesibus inauguralibus Philosophicis *Herbipoli* impressis & publicè propugnatis Anno 1694 Thesi 20.

26. Anno Domini 1657 in Galliæ provinciis *Poictu*, *Aulnis*, & *Xaintonge* factâ inundatione plurimi homines submersi fuerunt, atque præ cœteris visu fuit magis triste & commiseratione dignum, spectare plures cunas cum suffocatis infantibus aquis innatantes. In quibusdam Galliæ provinciis.

27. Anno 1658 gravis inundatio per *Galliam* & *Germaniam* accidit; ingens verò præ reliquis damnum passa fuit *Saxonia* & loca Rheno finitima. *Coloniæ Agrippinæ* bis mille ædes aquis immersæ steterunt. *Parisiis* ingens pons lapideus, aliàs dictus, *Pont de nostra Dame* abreptus, plures ædes eversæ & destructæ, 280 homines submersi & aquis suffocati interierunt. Eodem anno 21 Decembr. flexo in Vesperam die Dordraci ruptis aggeribus locus 36000 jugerum adeò inundatus fuit, ut aqua ultrà 10 aut 12 pedes excedens superflueret. Paulò post & in *Bomeliâ* ab illuvie aggeres rupti tractum terræ 14000 jugerum inundârunt. Per Galliam & Germaniam.

Inundatio Mechæ in Arabia. 28. *Mechæ* in Arabia Anno 1681 mense Septembri procellosa inundatio pagos agros, prata & omnem quaqua versus regionem magna strage affecit; hominum duodecim ferè millia & gregem immensum camelorum, aliorumque pecorum avexit & submersit, ipsumque sepulchrum *Mahometis* ad ruinam devastavit.

Eluvio 1682 in Germaniâ. 29. Novissima tandem inundatio, quæ Anno 1682 Mensibus Januario & Februario accidit, tanta, & tam mœsta atque gravia attulit damna, ut ea calamus haud valeat exarare. *Ostendæ* imprimis & *Neoporti* fortissima munimenta à latrantibus rabidi Oceani furoribus subversa, eruta & aquis ferè penitùs ablata fuerunt, ita ut damnum eorum non sine pretio unius millionis reparabile æstimatum fuerit. Submersi ibidem

dem eâdem tempestate Itali 1500, Hyberni 700 dum inde navigio in Flandriam & alias provincias Hispano Belgicas tenderent. Ad Tractum *Hulstiensem* aggeribus ruptis sex millia hominum submersa dicuntur. In circuitu propè Antverpiam duo millia hominum undis cesserunt & periêrunt, In *Zelandiâ* sexdecim millia, in Tractu *Dordracensi* Flandriam usque quindecim millia hominum aquis suffocata memorantur. Dirutorum ædificiorum, submersorum jumentorum, ac quorumlibet pecorum, destructarum, corruptarum aut deperditarum mercium numerus & valor nullo numero assignabilis, aut pretio æstimabilis reputatur. Ad Tractum insuper Rheni, Mœni, Mosæ, aliorumque fluminum ea quoque ab enormi hac illuvie damna sunt illata, quæ vix enarrari possunt. Vide *Happelium Mund, Mirab. lib. 3. cap. 22. & 68.*

Inundationes in Franconia.

30. Anno 1691 variis in locis hujus nostræ Franconiæ ex nubium dissolutionibus & repentinis inde secutis inundationibus ingentia damna incolis illata fuerunt. *Mergenthemii* tanta fuit imbrium copia & aquarum indè exundantium affluxus, ut oppidanis ibidem ædium portas penè ad medietatem alluerit, vineta plura devastârit, itaque abluerit ut nullâ conditione reparari queant. *Dettelbaci* ipsam Ecclesiam votivam Imaginis miraculosæ ingressa aqua ad ad genua usque omnibus improvisò adstitit, ità ut Sacerdos etiam sub Sacrificio divino ad altare celebrans per stratos asseres abduci debuerit. Pluribus aliis in locis repentino accursu cellas opplevit, pecora abripuit, fœnum abduxit, homines etiam nonnullos involvit ac demersione suffocavit.

Inundatio ex apertione montis.

31. Anno 1692 in Calabria mons quidam se aperuit, & divisione facta flumen prorupit tanto impetu & copia, ut arbores, pecora, homines, villas & pagos abriperet. Atque hæc de diluviis quacunque tandem de causa exortis sufficiant. Num breve Chronicon tam pluviarum insolitarum, quam inundationum hactenus memoratarum in medium proferamus, ut quo ordine, quavè temporis successione juxtà Authores adscriptos quæque contigerint, curioso Lectori facilè patere possit.

CHRONICON

Pluviarum & Inundationum memorabilium & mirabilium à Nato Christo Salvatore.

Ex variis Authoribus adscriptis collectum.

Anni à Christo nato.	Pluviæ insolitæ & inundationes memorabiles.
152	Oceanus die 31 Octob. excrescens multa mortalium millia hausit in Hollandia & Flandria *Buccelinus.*
541	Sanguinea pluvia decidit in Gallia. *Butingerus.*
590	Maxima Romæ inundatio à continuis pluviis orta sub Pelagio II. *Platina Sigebertus.*
654	Cinerea pluvia cum igne, Constantinopoli. Secuta fuit pestis. *Sigebertus, Paulus Diac.*
744	Cinerea pluvia in Oriente. *Raynaudus.*
782	Sanguinea pluvia in Oriente. *Raynaudus.*
869	Brixiæ in Longobardiâ pluvia sanguinea per tres dies. *Platina.*
989	Pluvia Siliginis & Piscium in Galliâ. *Sigebertus, Wernerus, Palmerius.*
1014	Nubes in Belgio solutæ magnæ inundationis causa fuerunt, undè multi hominum mersi, & Oceanus Anglicus mirè exundavit. *Tritbem. Polydorus, Raynaudus.*
1065	Inundatio gravis in Soriâ, quâ innumerabilis hominum, pecudumque copia submersa est. *Alstedius.*
1088	Multis locis eluviones extraordinariæ. *Raynaudus.*
1095	Diluvio in Syria innumeri homines fuere oppressi. *Jonstonus in Thaumat:*
1113	Ravennæ pluvia sanguinea. *Raynaudus.*
1163	Propè Rochelle in Gallia sanguinea pluvia. *Robertus de monte.*
1190	In pago Belluacensi lapidum pluvia magnitudinis ovorum gallinaceorum, formæ quadrangularis. *Vincentius Belluacensis.*

Anni à Christo nato.	Pluviæ insolitæ & inundationes memorabiles
1218	Frisia inundatione obruta, quâ etiam centum millia hominum submersione perierunt. *Jonstonus in Thaumatog.*
1223	Pluvia terræ sanguine mixtæ *Romæ* & in plerisque Italiæ locis. *Tritbemius.*
1268	Sanguinea pluvia in Silesiâ. *Hammerus.*
1274	Sanguinea pluvia in Helvetiâ. *Jovius.*
1276	Rhenus & Mœnus alveos egressi latè omnia merserunt.
1287	Dordraci 16 Parochiæ ac 72 pagi cum multis hominum millibus submersione interierunt. *Jonstonus in Thaum.*
1304	In die S. Remigii pluvia igneorum lapidum ad oppidum *Urdeland. Cranzius.*
1324	Mœnus ultrà modum intumuit.
1348	Pluvia Vermium & minutorum serpentum in Asiæ regno, *Cathay*, quam ingens pestis secuta. *Stumphius.*
1349	Sanguinea pluvia in Bavaria.
1315	Pluviæ frequentes per totam æstatem. Secuta fames & pestis ingens. *Funccius.*
1416	Sanguinea pluvia in Bohemiâ. *Hagecius.*
1421	In finibus Dordraceni territorii ingens inundatio, qua 72 pagi subversi, submersique cum plurimis incolis, & jumentis. *Simon Bruinius*, *Majolus.*
1432	Ex nubium dissolutione penè tota Germania inundationem passa. *Varii.*
1435	Post pluvias autumnales continuas ruptis aggeribus ingens inundatio facta, quâ innumerabilis hominum, pecorumque copia interiit. *Cranzius.*
1446	In Hollandia rupto aggere supra centum millia hominum mersa sunt. *Bucelinus.*
1456	Sanguinis & carnium pluvia Romæ. *Surius.*
1458	Gravis inundatio accidit per Germaniam in Festo Sancti Matthiæ.
1480	Rhenus valdè exundavit.
1490	Ex nubium solutione ingens inundatio Constantinopoli facta, qua 880 ædes dirutæ, & 3000 homines submersi. *Nicephorus*, *Evagrius.*
1494	Inundatio magna in Bergomatum finibus, & totâ Citeriore Galliâ. *Bembus.*
1495	Inundatio gravis per Germaniam accidit.
1496	Ad oppidum Munckberg in Festo S. Margarethæ pluvia lapidum, in quibus vultus humani expressi. *Linturius.*
1501	Sanguinea pluvia cruces imprimens in Germania & Belgio. Secuta pestis gravissima. *Erasmus Francisci.*
1509	Pluvia lapidum magnitudinis ovi gallinacei. *Surius.*
	Constantinopoli diluvium tredecim hominum millia hausit. idem.
1510	Pluvia lapidum 1200 ad agrum fluvio *Abduæ* conterminum. *Cardanus.*
1521	Dordracum ad Trajectum Dorti amnis situm, unde & dictum, atroci tempestate diruptis aggeribus à continente Barbantiæ avulsum. *Fournier.*
1524	Insultans Rhenus maximè exundavit.
1530	Diluvium ingens in Barbantia, Hollandia & Zeelandiâ, in quo quadraginta parochiæ submersione perierunt. *Erasmus Francisci. Jonstonus in Thaumatog.*
1534	Sanguinea pluvia in Suecia, qua etiam signum crucis variis rebus impressum. *Agricola, Cardanus.*
1535	Ignea pluvia *Olavii* in Silesiâ. *Diarium Europæum.*
1543	Sanguinea pluvia in Saxoniâ. *Pomarius.* Eodem anno in Carinthia annonæ sivè siliginis pluvia. *Thuanus.*
1550	Nubes soluta *Laubiaci* ingentis inundationis causa fuit. Eodem anno pluvia annonæ propè *Klagenfurtum*, & *Villacum. Lycostenes.* Item die 26 Junii pluvia triticea in Thuringia. *Bucelinus.*
1551	Sanguinea pluvia in Hispaniâ. *Sleidanus.*
1557	Pluvia sanguinea ad Pomeraniæ civitatem *Slawe. Joan. Micrælius.*
1570	In Festo S. Nicolai Rhenus egressus ripas magna intulit incommoda.
1571	Pluvia triticea in *Quadis. Th. Raynaudus.* Eodem anno mense Novembri ingens eluvio in Zeelandia, qua 75 pagi inundati & submersi.
1580	Pluvia siliginis sivè annonæ in Marchia Brandenburgicâ. *Möllerus.*
1586	Pluvia locustarum Constantinopoli, quæ gramen & omne viride in campis depascentes ingens damnum attulerunt. *Happelius.* Eodem anno pluvia anserum & anatum mirabilis in Croatiâ propè castellum *Wibiz. Leunclavius.*
1604	Eluvio Anglicana planè mirabilis. *Thuanus, & ex ipso Jonstonus.*
1608	Goldenbergæ nubes soluta cum ingenti inundatione.
1621	Sulphurea pluvia in die Pentecostes. *Chronicon Lipsiense.*
1622	Aurei nummi casus de Cœlo propè Magdeburgum. *Ammianus.*
1625	Ingens ac valdè mira ranunculorum pluvia ad portas Tornaci. *Fromondus.*
1629	Ignea pluvia tempore Pentecostes ad lacum *Landsiæ*, territorii *Lykaoos. Scheferus.*

Anni à Christo nato.	Pluviæ insolitæ & Inundationes memorabiles
1631	Cinerea pluvia in sinu maris *Volo*. *Acta Anglicana.*
1634	Die 12 Octob. inundatio ingens in Frisia boreali, qua 15000 hominum submersione interiêrunt. *Happelius.*
1637	In *Provence* lapis 54 librarum Cœlo delapsus. *Thomas Bartholinus.*
1642	Sulphurea pluvia *Laburgi*. *Theatrum Europæum.*
1646	Die 6 Octob. sanguinea pluvia *Bruxellis*. *Posnerus.*
1647	Die 12 Martii ignea pluvia *Buchavii*. *Erasmus Francisci.*
1648	Sanguinea pluvia in Ducatu Mechlinienſi ad lacum *Malchin Erasmus Francisci.*
1654	Die 30 Martii ingens pluvia lapidum in Daniæ insula *Funen*. *Bartholinus.*
1657	Magna inundatio in Galliæ provinciis *Poictu*, *Aulnis* & *Xanintonge*. *Erasmus Francisci.*
1658	Ingens inundatio Parisiis, qua 280 homines submersi. *Erasmus Francisci.* Eodem anno gravis etiam inundatio in Saxonia. *Diarium Europæum.*
1665	Die 18 Martii Serici pluvia cyanei coloris *Nauburgi* in Misnia.
1666	In Lusatiâ nubes soluta ingens attulit damnum. *Diar. Europ.*
1681	Inundatio procellosa *Mechæ* in Arabia, quâ hominum duodecim millia præter immensum jumentorum gregem submersione periêrunt.
1682	Per Germaniam tam Superiorem, quam inferiorem, aliàsque Europæ provincias & regna ingens eluvio in Januario, & Februario contigit, quâ solùm in Zeelandia 16000, Dordraco Flandriam versùs 15000 hominum submersione perierunt.
1686	Pluvia annonæ & papyri in Curonia: Fabarum & Pisorum in Livonia. *Phil. Jac. Hartman.*
1691	Die 29 Decemb. Sanguinea pluvia propè *Lubecam.*
1692	Inundatio magna in Calabria ex apertione montis.
1694	Die 3. Augusti in Silesia circa *Vratislaviam* Milii pluvia. *Relat. Francofurt. Autum.*

CAPUT IX.

De Nive, & variis circa eam Experimentis ac Observationibus.

§. I.

Regulæ, & Observationes præcipuæ de Nive.

Nix quomodò fiat. 1. NIx ut docet *Du Hamel Phys. part. 2. de Meteor.* non alio ferè modo, quàm pruina congelatur: nives enim flocci ex innumeris globulis conglaciatis coälescunt, adeò ut ea nihil sit præter spumam quandam quæ in glaciem concrescit eo ferè modo, ut brumalis nebula capillis aut barbæ solet adhærere: Quò autem nix sivè spuma ejus laxior eò quoquè candidior solet apparere.

Quo tempore cadat. 2 Non fit nix nisi Hyeme, sivè tempore hyemali, aut frigore magis sæviente; quià tenuis ejus substantia non facilè congelatur. Undè & *Theodatus Ofius in nov. opin. sylvâ cap. 9.* ait. *Nives quidem cadunt hyberno tempore tantùm, quia eâ tempestate aër universaliter frigefactus contraxit spissitudinem suarum quantitatum, quæ ideò factæ sunt subtiliores, & parvæ, undè & pluviæ & nivis corpuscula sunt minora corporibus guttarum nimbi & grandines. Ros autem, quia terreus est facilius congelatur: Ideò etiam pruina seriùs quàm nix, ac post hyemem nempè in vere fieri potest.*

3. Nivis flocci plurimùm candent, quoniam, aquosa materia, ex qua componuntur, à magna aëris copiâ interrupta est, cujus pori à poris glaciei ità dissentiunt, ut lumen ab eis facilius reflectatur, quàm ipsos subeat, ut docet *Le Grand.* Verùm *Du Hamel*, nivis ut spumæ candorem oriori dicit ex infinitis globulis, quos tenuissima filamenta connectant. Alii alias comminiscuntur causas. Vide *Bartholin. tract. de usu nivis*, & *Erasmum Francisci in discurs. de nive.* *Undè candeat.*

4. Ob candorem nimis intensum nix mirè oculos perstringit, atque eos diuturniori aspectu haud modicum lædit. Undè qui in mediis nivibus habitant, plerumquè debilioris visûs esse solent. Ità *Galenus lib. 10 de usu part. cap. 3.* Scribit Xenophontis milites è Perside redeuntes dum per multam nivem iter fecerunt, oculis plurimùm læsos fuisse. Idcircò etiam in Regno *Tibet* incolæ montani perspicillis cancellatis ac reticulatis, ubi continuæ nives in oculos cadunt, uti solent, ut radiorum nimium candentium affluxum nonnihil castigent. Testatur & *Olaus M.* quod in Septentrionalibus parti- *Candor nivis oculis nocivus.*

partibus Lupis visus ex nimio per nives discursu lædatur, ac penitùs sæpè depereat.

Figura nivis. 5. Nivis flocculi plerumque instar stellarum sex radiis distincti apparent: vult tamen *D. Rohault*, ut meminit *Du Hamel in phys.* id non accidere, nisi ventus satis vehemens antè spiraverit. Figuras plures nivis enarrat *Le Grand instit. philosoph. part. 6. cap. 16.* Nix enim, inquit, interdum pilosa apparet, aut sexangularis ad modum stellarum sex radiis æqualibus instructa, aut rosea, quæ ità hemisphærica fit, ut basi planâ existente devexitas sex quasi striis discernatur, aut interdum sex nudi radioli, vel virgulæ decussatæ appareant, quæ tanquam majores rami hinc indè ramulos pandunt, quorum latiores ad centrum sunt, undè & se mutuò implicent; angustiores ad apicem; idcircò & radium angulosum faciunt. In roseâ autem singulare hoc dicit esse, quod punctum quoddam album in medio, seu centro habeat, quod in aliis non deprehenditur: Sed hujus rationem vult esse, quod calor iis stellulis formandis inserviens tàm moderatus sit, ut quamvis reliquas earum partes ex albis penitùs pellucidas efficiat, non tamen usque ad centrum penetret, quæ ideò alba remaneat. Reliquarum figurarum efformationes, & earum causas vide apud Ipsum *loc. cit.* & *in hist. natur. part. 6. art. 5.* Item videri potest *Henricus Regius in Fund. phys. cap. 6.* *Erasm. Bartholinus in dissert. de figuris nivis.* quæ Tractatui *Thomæ Bartholini de usu nivis* adjuncta est. *Olaus Magnus lib. 1. Hist. sept. cap. 22.* varias figuras depingit, monetque quantò magis acceditur versus Polum Arcticum, tantò magis quantitate & qualitate variare nives descendentes, ut potiùs stupenda quàm inquirenda ratio sit, cur & quomodo tot formæ & imagines tàm mollibus & exiguis rebus tàm subitò imprimantur: uno enim eodemque die & nocte 15. vel 20. aut plures quandoque distinctas formas reperiri. Plura alia circa figuras nivis vide apud *Thomam Bartholinum de usu Nivis cap. 5.*

6. Nivis generationem altiorem esse generatione pluviæ testantur apices celsissimorum montium toto anno nive obtecti, quod non fieret, si perpluerentur.

7. Nix etiam quia altiore generatur loco, quàm pruina, & ex tenuiore vapore; idcircò pruina nive frigidior est.

8. Nix quæ recenter decidit, mollem quandam viscositatem aut tenacitatem habere solet; undè facilè in pilas conglobari potest; quam non habet ea, quæ aliquandò delapsa, diutiùs terram obtexit.

Nivis & pruinæ artificialis productio. 9. Aqua tubo vitreo inclusa, si diu & multum agitetur, innumeræ emergunt bullæ, quæ gelido aëri expositæ in veram nivem abeunt. Similiter si hyberno tempore intrà vas ferventis aquæ plenum frigido aëri expositum capilli aut folia rorismarini suspendantur, vapores congelati concrescunt in pruinam ei similem, quæ hyemis tempore crinibus adhæreſcit, sive quæ ex hominum vel equorum halitibus prodit.

10. Nix aquæ innatat, quod multo aëre, qui aquâ levior est, turgeat.

Nive imminente aër tepidior. 11. Cum nix imminet, frigus aliquantulùm remittitur, maximè si magnum & siccum anteà præcesserit; eo quod nubes nive prægnantes coärctent aërem terræ vicinum, & halitus è terrâ erumpentes repercutiant.

12. Nive etiam cœlo dejectâ aër plerumque tepidior existit, vel quia Sol radios priùs nubilo oppressos jam liberius evibrat, vel quia nubes anteà pendulæ suo frigore subjectum aerem infestabant, ut ait *Du Hamel in phys. de Meteoris.*

Nix optimæ notæ. 13. Inter nives, quæ per annum ex aëre decidunt, optima probatur prima, & ultima præsertim Martialis; quæ etiam licèt aliis nivibus faciliùs in aquam dissolvatur, ejusdem tamen aqua diutiùs ab omni corruptione, & putredine servatur immunis, quàm aliarum nivium eliquatarum aquæ.

Nix carnium coctioni prodest. 14. Carnes & alii quicunque cibi in dissolutæ nivis liquore cocti citiùs, quàm in alterius fontanæ lymphæ fervore molliri, ac magis etiam candescere solent, ut annotavit *Thomas Bartholinus in Tract. de usu niv.* quod Sali nitroso in nive contento adscribendum putat: quò autem diuturnior est nix, vel sæviori frigore magis constricta; eò majori salis copiâ exuberare scribit *idem Barthol.*

Nix confert ad fertilitatem. 15. Magnam nix arvis fertilitatem incubatione sua adferre solet, vel quia calorem & vaporem terræ, qui frigore extrahitur, continet, & ad radices plantarum mittit, ut *Plinius* etiam annotavit *lib. 17. cap. 2.* & *Theophrast. lib. 2. de caus. plant.* nivem multùm seminibus conducere scribit, sic enim *fibris subnixa*, inquit, *firmataque compressu frigoris, simul ac mitescere tempus inceperit, celeriter atque universæ erumpunt.* Vel quia plurimùm nitrosa est nix; undè ob eam caussam etiam in aquâ facilè exsolvitur, & exsoluta ventum sive auram frigidiusculam exspirat. Quocircà anni nivosi plurimùm fœcundi semper observati fuerunt. Docet etiam *Cardanus Aphor. 113. seg. 7.* ajens: *Nives suo tempore mediocres frugum indicant abundantiam: Occidunt enim vermiculos, & terram calefaciunt.* Sic quando frigus per hyemem solet esse valdè intensum cum copiosis admodùm nivibus, à pluribus hortorum cultoribus observatum est, Tulipas non tantùm binos, sed ternos & quaternos ex eodem caule vel bulbo sæpè flores protrudere: Similiter in aliis plantis uberior luxuries adverti solet. Vide etiam *Thom. Bartholinum in libello de nivis usu cap. 2.*

Nix corruptioni & putredini obsistit. 16. Præter excellentes ac miras alias nivis virtutes hæc quoque non infima notatur à Physicis, quod putredini & corruptioni omninò obsistat, nec facilè quid in se reconditum tabe infici ac computrescere sinat;

Undè etiam animalium quorumlibet demortuorum cadavera inregumento suo à corruptione vindicat; & in Islandiâ, ut refert *Paulus Biorno*, pisces in nive haud aliter, ac in sale absque ullâ putredinis noxa diutissimè conservari solent.

Usus nivis in potûs refrigeratione. 17. Usus nivis non tantùm contrà adustiones feliciter adhiberi, sed & in peste, febribus malignis, ac morbis quibusvis calidis nix dissoluta ad potum adhibita plurimum conducere, ac vim morbi retundere solet, ut plures optimi ac peritissimi Machaones docent. Idcircò etiam nunc in calidioribus Regionibus & temporibus ejus usus non tantùm medicus, sed & illecebrosus est, uti jam olim ad ejus illecebras usu inductas exclamavit *Plinius lib. 19. hist. nat. cap. 4. Heu prodigia ventris! hi nives, illi glaciem potant, servatur algor æstibus, excogitaturq́, ut alienis mensibus nix algeat.* Ità *Heliogabalus* Rom. Imperator, ut testis est *Lamprid. in vitâ*, in viridario domûs suæ montem excavavit, in quem hybernas nives & glaciem ad æstûs refrigerium reconderet. Et *Seneca lib. 15. ad Lucil. Didicerunt Romani monstrante luxuriâ nives ad tempus æstatis locis subterraneis custodire.* Nec etiam nivis algore contenti, sed ejus aquam per vas ex lapide vel pumice percolatam (colum nivarium vocant) bibere ingeniosa sitis illecebra Græcos & Romanos docuit. Undè *Martialis*:

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive commenta est ingeniosa sitis.

Nivis conservatio in æstate. 18. *Chares Mytilenæus in Hist. de Alexandro declarat*, quomodo optimè nivem servare oporteat. In obsidione *Petræ* Indiæ civitatis, dicit *Alexandrum* triginta magnas fossas excavâsse, quas cùm nive replevisset, ramos quernos super injecisse: Sic enim plus temporis nivem perdurare posse affirmat. Nostris etiam temporibus nivem ad vini refrigerium Itali, Bohemi, Ungari, Moravi, Belgæ & plures aliæ nationes subterraneis scrobibus recondunt ad usum, nec parvo admodùm pretio æstivis mensibus distrahunt; imò & in ejus venditione vectigal positum, lucrum non modicum pendere solet.

19. Nive imminente observatum est, plerumque caput gravedine laborare, & destillationes cerebri excitari, ut etiam annotavit *Du Hamel in Phys.*

Cùm ningit, sonus difficilius percipitur. 20. Cùm ningit, campanarum sonitus, & colloquentium etiam ex proximo voces vix audiuntur, cum aëris agilitatem auferat nix, & in flocculos nivis sonus toties impingat, ut tandem dissipetur, nec per eorum intervalla integer permanere possit.

21. Notatum est, cùm nix multa per hyemem cadit, ut testatur *Fromondus lib. 5. Meteorol. cap. 5. art. 5.* nuces avellanas ubertim proficere.

Prognostica temporis ex nivibus. 22. Nives cadentes in principio frigoris, sive gelu, si subtiles fuerint; sævius gelu secuturum prænuntiare dicunt. Si verò latæ fuerint partes cadentis nivis; dissolutionem gelu & frigoris remissionem significari volunt.

23. Quibus locis nives facilè colliquescunt, nec terram obtegunt, neque alia causa manifesta ex Solis radiis, aut aere, aut ventis calidis afflantibus patet; calidarum rerum subjectarum, aut reconditarum signum habetur. Undè in locis, ubi mineræ ac venæ metallorum substernuntur, nix haud diu hospitatur, sed ab exhalatis calidioribus & acrioribus effluviis facilè colliquatur, & absumitur. Loca, quæ nivem mox absumunt.

24. Citiùs etiam liquescunt nives in vallibus, quàm montibus; quia ibi per radios solares collectos major generatur calor, undè nives dissolvi queunt. Quocircà & *Aristoteles lib. 1. Meteor. cap. 4.* dicit: *Quod multiplicatio radiorum, qui tendunt ad terram, veluti ad centrum, est in causa hujus calefactionis: Similiter reverberatio radiorum in acutis Epicyclorum & morâ.*

25. Nivis flocci, qui cœlo devolant, Sole nobis jam altiori post vernam noctis & diei æquationem non ità diu hospitari solent, sed facilè denuò resolutæ in undas profluunt.

26. Nives insolito tempore deciduæ velut mediâ æstate, mala quædam publica ominari volunt. Undè *Sigonius* nivem, quæ Anno 1199. mense Augusto decidit, sanguineam cladem, quæ inter *Parmenses* & *Placentinos* secuta fuit, prænunciâsse scribit. Nives insolito tempore delabentes.

27. Vestigia ferarum nivi impresso odore melius à canibus percipi solent, ut *Theophrastus* annotavit, & venatores communiter fatentur.

28. Vermium, muscarum, pulicum, aliorumq́ue insectorum & quorumlibet animalium generatio cum non ex fortuito aliquo pulverum aut diversorum corpusculorum concursu vel putrescentium corporum tabe procedat, cum id præcipuè artificiosissima eorum ex diversis membris facta conformatio, atque exactissima singulorum in eadem specie similirudo haud permittat, sed fœcundis aliorum suæ speciei animalium ovis deberi satis jam à Viris doctissimis sit probatum. Undè cùm aliquandò animalcula quædam, veluti vermes, pulices, muscæ, aut alia hujusmodi insecta unà cum nive decidere comperiuntur; Verosimilius est, animalcula hæc vel sub foliorum, ramorumq́ue in arboribus congerie, vel alibi latibulum aliquod hyeme appropinquante quæsivisse, atque cum magno ventorum impetu, (qualis ingruentibus nivibus hyberno præsertim tempore, qui obvia quæque abripit, evehit, ac dispergit, accidere solet) ad conglomeratos ejusmodi insectorum nidos alliso, illa per aërem abripuisse, & aliò dispersa tandem etiam nivis flocculis conclusa denuò dejecisse. Quæ insecta cum deindè vivificis Solis radiis feriuntur, aut aliò proficuo calore foventur, facilè in iis torpidi spiritus animantur, & sic ipsa hujusmodi insecta, quasi in vitam revocantur. Insectorum cum nive dejectio.

29. Licèt in glacie nullum oriri aut vivere posse videatur animal, quòd ea congelata, adeoq́; frigidissima omni destituatur calore, quo tamen opus habent animalia, ut oriri & vivere queant, sicut docet *Aristoteles*; Nix tamen, quia mixtum quid, licet imperfectum, & humidum, utpotè ex vaporibus concretum Animalia in nive nasci & vivere possunt.

cretum quoddam eſt; nullum autem humidum ſine calore eſſe poteſt, ut docet *Averroes lib.4.meteor.* & *Ariſtoteles lib.5.de generat. animal.* Idcircò etiam animalia quædam in nive oriri & vivere poſſe, negari non debet. *Helmontius* etiam *imag. Fermenti impræg. num. 33.* docet in nive vermes naſci, tradere Boreales.

§. II.

Experimenta & Exempla quædam mirabiliora de nive recenſentur.

Nix diverſarum figurarum in Septentrione. 1. *Cardanus lib. 14. de Variet. cap. 70.* Nivem in Septentrionalibus partibus perſæpè eâdem nocte decem aut quindecim modis variatam cadere, docet ex *Olao M.* ità ut modò crucis, modò ſtellæ, modò floris, aut roſæ, aut lilii aut Scorpii, vel muſcæ imaginem quandam referat. Undè *mirum ſanè eſt*, inquit, *ut quæ primâ noctis horâ cadit, tota crucis imaginem; quæ ſecunda, ſtellæ; quæ tertia, lilii, atque ita de ſingulis, referat.*

Nix rubea. 2. In Armenia nives rubicundas reperiri, quòd exhalationes ibi frequentes ex locis minio abundantibus aſcendant, docet *Euſtathius.* Et in Scythiæ quibusdam montibus, ubi minium effoditur, nivem rubedine tinctam inveniri, refert *Alexander ab Alexandro lib.4. Genial. dier. cap.9.* Anno etiam Chriſti 860 nivem rubram ingenti hyemali frigore cœlo delapſam memorant Hiſtorici.

Cœrulea. 3. Juxta fretum *Magalianum* videre nives cœruleas affirmant, inquit *Cardanus lib.1. de variet. cap.4. Sunt enim montes altiſſimi.* Subdit deinde: *Exiſtimandum ſolam ſuperficiem ſic affici; nam & in noſtris regionibus quandoque crocea, aut rubea conſpicitur; rubeſcit enim vetuſtate, ut etiam Ariſtoteles docet. Antiquior ergò ubi evaſerit, cœrulea fiet non tantùm ob vetuſtatem ipſam, ſed quod ad glaciem atram accedat, & proſpectus è longinquo ſit, quemadmodùm & in aëre cœruleum oſtendat.* Ità *Cardanus.*

Baſilica S. Mariæ Majoris Romæ. 4. Baſilica *S. Mariæ Majoris Romæ* in Exquiliis, ex nive contrà anni rationem, Nonis ſcilicet Auguſti (quo tempore in Urbe maximi calores eſſe ſolent) mirabiliter dejectâ, à *Joanne* Patritio Romano ſub *Liberio* Pont. Max. ædificata fuit. Vide *Sigonium lib.7. Imper. Occid.* & *Breviarium Romanum.*

Nix mira Olyſipponé. 5. Anno 1512. Regina *Maria* filium edidit *Emanueli* Regi Luſitaniæ Patri ſpecie & formâ ſimillimum, qui *Henricus* appellatus eſt. Eodem die, quo Princeps hic in lucem editus fuit, *Olyſippo* (in quâ quidem urbe propter ſummam Cœli temperiem monſtro ſimile eſt partem aliquam nivis intueri) plurimâ nive conſperſa fuit; quod multi ſic interpretati ſunt, ut eâ nive mentis candorem, vitæ puritatem & continentiam, virtutis eximiæ fœcunditatem, quæ in hoc Principe mirabiliter eluxit, præmonſtratam fuiſſe dicerent. Ità *Oroſius lib. 8. Rerum Emanuel.*

Nix ubi nulla cadit. 6. In Regno Abyſſinorum nulla cadit nix, uti docet *Franc. Alvarez de reb. Æthiop. cap. 159.* licet gelu & glacies ibidem nonnunquam advertantur. Quamvis etiam *Godingus* aërem Abyſſinorum per frigidos ventos multùm attemperari ſcribat, adeò ut maximo anni tempore mitior exiſtat exceptis locis humilioribus & Auſtralioribus, ubi Sol ardentiſſimus radiorum ſuorum ſpicula in terram vibrans calidos ſemper vapores evocat, qui nunquam in niveos floccos adſtringi valent. Similiter aër Regni *Tigre*, ut *Jarricbus* teſtatur, licet ventorum borealium flabris plurimùm agitetur, nunquàm tamen deciduis nivei humoris floccis impraegnari poteſt.

7. Mirum eſt de *Hecla* monte, quod vertex hujus montis perpetuis tegatur nivibus, radices verò continuis ardeant incendiis, ità ut propiùs ſex milliaribus impunè nemo accedere queat, ut refert *Fornuier Geograph. orb. not. lib. 1. cap. 11.* Similiter in Trinacrii montis *Ætnæ* cacumine nives illæſæ permanent; ſicq; novit vaſtum illud incendium ſub nivibus ſervare fidem, & ut Poëta canit: Montes nive continuâ tecti.

Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

8. In *Tenirifa* Inſulâ, quæ una eſt ex *Fortunatis*, montem eſſe ſcribit *Cardanus de variet lib.1. cap.4.* qui altiſſimus caput inter nubila condit: in imo autem viret, in medio nivoſus eſt, in cacumine fumum emittit. Cauſam ſubdit *Cardanus* his verbis: *Altiſſimus enim cum ſit, & latior in medio quàm cacumine; exhalatio per ſuperiora fertur, non in medium, quia latera à centro plurimùm diſtant, neque perforatus eſt in eâ parte. Humor autem defluens radicem virentem facit.*

9. In Americæ Regno *Chili* tanta ſæpè copia nivis dejicitur, ut integræ valles iis ad montium usque altitudinem impleantur: cum verò nix colliqueſcit, alvei mirè exundant, quâ exundatione agri & prata ſummoperè fœcundari perhibentur. Nivis fœcunditas in Regno Chili.

10. *Bartholinus* ex *Paulo Warnefrido lib. de geſt. Longobard. cap. 10.* notat tempore Papæ *Benedicti* ad planitiem terræ tàm uberem nivis copiam dejectam fuiſſe, prout in altiſſimis Alpium jugis cernere licet; ſecutam porrò in æſtate tàm miram terræ fœcunditatem, ut altera ſimilis nulli hominum in memoriam revocari potuerit. Teſtatur etiam *Olaus M. lib. 19. Hiſtor. Septentr.* quod licèt nivis dejectæ copiæ ingens arbores ſæpè in Septentrionalibus Regionibus deprimat, & ad terram ferè declinet: quando tamen nix colliqueſcit, reſurgunt & denuò eriguntur, miramq; indè fertilitatem concipiunt, haud ſecùs ac nivis copia terram ubertim fœcundare, citiùsq; germina in eâ provocare ſolet, imò prata in copiâ nivis tàm pingui & fœcundo vireſcunt gramine, ut pecora ab iisdem arcenda ſint, ne plùs depaſcendo rumpantur. Similiter in Daniæ Inſulis *Ferroënſibus* licèt eæ pluribus rivis inundentur, & lætis abundent paſcuis, eæ nihilominùs partes, quæ verſùs Septentrionem jacent, & nive copioſiore defluâ impraegnantur, multò aliis partibus fertiliores & fœcundiores eſſe ſolent. In aliis locis.

11. In

11. In *Siranagar*, ut *Nierembergius* refert *lib. 16. Histor. nat. cap. 69.* Incolæ solent nive vesci pro pane, & in præmemoratis Daniæ Insulis *Ferroensibus*, quæ Regi Daniæ subsunt, per totam hyemem oves in præruptis petris & montium jugis nive contectis circumcursare, & in nive pascua sua quærere solent. *Erasmus Francisci in Discursu de Nive.*

Ambulacra sub nive. 12. Narrat *Olaus M. lib. 19. cap. 15.* in partibus Septentrionalibus nivem tantâ copiâ dejici, ut arborum rami, ipsæque arbores itâ ramis & arboribus innectantur, invicemque fornicario quasi opere cohæreant; sicque in longissima ambulacra, etiam multorum milliarium sub nive mirè congelatâ protendantur.

Munimenta ex nive. 13. In *Scandiâ* referente *P. Georgio Fournier lib. 2. cap. 6. Geograph. orb. not.* Adolescentes animi relaxandi gratiâ immensas nivium moles sæpè in morem castrorum conformant, portis & propugnaculis distinguunt, aquis ædificationem crebrò inspergentes, quæ frigore sic constringuntur & indurantur, ut tormentorum æneorum iteratis fulminibus minimè diffiliant.

Bulimia itinerantes nivem affligit. 14. Mirabile est, quod qui per multam nivem iter instituunt, nonnunquam vehementi fame, quam aliàs *Bulimum* vocare solent, corripiantur. Atque hoc mali genus apprehendit non homines modò, sed & pecudes, cum per nivem lassescunt eò quòd vel calor ob corpus frigore adstrictum, ubi calor omnis intrò coactus est, alimentum statim absumat; vel quod emissus halitus à nive fusâ acris & tenuis penetret corpus, & calorem ex eo foràs dispersum dissolvat. Ità *Plutarchus in Bruto*, & *lib. 6. Convival. quæst. cap. 8.* refert, M. Brutum post cædem *Dictatoris*, cùm ex *Macedoniâ* in *Epirum* properaret, accipere legiones Gabinii, per multam nivem iter facientem propè *Dyrrachium* eo malo correptum fuisse, & indè coactum ad hostes pro cibario confugere: qui audito Bruti incommodo mox ipsi accurrerunt, cibumque & potum obtulerunt; pro quo beneficio Brutus, ubi deditum esset Eidem oppidum, non in hoc modo, sed & horum causâ etiam se clementem præbuit in omnes.

Vermis in nive. 15. Intrà nives sæpè reperiri, atque adeò ibidem nasci vermes quosdam pilosos (quos *Teredines* vocat *Theophanes* apud *Strabonem lib. 11. Geograph.* alii verò communiter vermes nivium) & lumbricos docet *Aristoteles lib. 5. hist. anim. cap. 19.* *David Spielenbergerus* nivales vermes advertit in campo suprà nivem, quæ ad duarum spithamarum altitudinem terræ incumbebat, cùm jam liquescere inciperet. Parvuli autem fuerunt, quorum nonnulli suprà nivem reptitabant, alii verò elatis minimis alis Sole splendente avolabant: mortui autem fortem ac valdè tetrum odorem exspirârunt; ut refertur *An. 2. decur. 2. observ. 110. Ephem. germ. Cur.*

Diversi generis vermes cum nive delapsi in Hungaria. 16. Anno 1672. die 20. Nov. in Ungariâ superiori à pago, aliàs dicto Menerdörffel *Neosolium* usque, ubi nobiles cupri fodinæ sunt, ad pratum quoddam unà cum nive ex aëre deciderunt ultrà decem genera vermium, qui catervatim suprà nivem repentes, ad quatriduum vixisse perhibentur. Multi ex his collecti & raritatis causâ asservati. Maxima verò eorum pars erat nigri coloris, suosque habebant pedes: alii rubei coloris erant, aliorum pedes, vel aranearum vel scarabæorum pedibus non absimiles erant. Dicunt aliqui observatum fuisse, quod vermes isti sese hostiliter mutuò invaserint, quodque rubri à nigris (quamvis horum copia minor fuerit) fuerint devicti & absumpti. Hoc verò maximè mirandum, quod nullus horum vermium in ipso oppido Neosolio deciderit, sed ad unum omnes tantum extra urbis portam in prato supramemorato fuerint reperti. D. *Carolus Reygerus* observationem horum vermium cum iconibus communicavit Collegio Curiosorum, ut videre licet *Decur. 1. Ann. 4. & 5. observ. 89.*

17. Tam exigua quoque animalcula in nive sæpè comperiuntur, ut congeries eorum sub nive inventâ aliquot myriadas continuisse, credibile sit. Siquidem nudis itâ si oculis inspiciantur, pulvisculos tantùm nigricantes æmulantur, licet ope microscopii (quantùm quidem in minutissimis illis exsiccatis corpusculis contemplari licuit) binis quodlibet corniculis satis crassis & exporrectis instructum comparuerit; In uno, alterove autem aquæ priùs immacerato sex pariter pedes deprehensi sunt. *Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 2. Observ. 110.*

18. Pulices in nive observavit D. *Frommannus* Anno 1685. mense Januario, uti memorant *Ephem. Germ. Decur. 2. Ann. 3. obs. 197.* dum enim in itinere constitutus ad arcem quandam tenderet, atque obiter nivem, quâ copiosè terra eo tempore obtecta erat, inspiceret, puncta quædam nigra, eaque minima, copiosa tamen instar multarum fuliginis disseminatarum particularum advertit, tandem accuratiùs inspiciens pulicum copiam esse compertus est, nonnullos ubi digiti propiùs admoti præsentiam senserunt, saltando fugam capere, quosdam poros nivis profundiùs subire, alios autem in liquatâ nive suffocatos observavit. Vitriolo etiam quosdam cum nive conclusit, ut domum reversus microscopio submitteret, verùm inundatione ex insperatâ nivium dissolutione subitâ præpeditus ad quatriduum, dum ad lares suos redire non valuit, intereà captivorum suorum compages in aqua dissoluta omnem deinceps oculorum etiam armatorum aciem elusit. Pulices in nive reperti.

19. Sudoris sub nive saluberrimi exemplum memorabile adducit Clarissimus D. *Christian. Franc. Paullini in observ. Medico-phys. obs. 42.* de Viro quodam erudito, audaci verò Martis pullo variolis correpto: qui in saliceto quodam ad ripam fluminis equo vectore suo ad arborem alligato humum nive molliter contectum fatigatus cubile suum eligens solo pallio substrato assumptâ tincturâ Bezoardicâ, quam in sacculo secum ferebat, suavi correptus sopore optatam cepit requiem & largum emisit sudorem valdè proficuum. Quo nempè (assumptâ tamen adhuc alterâ præfatæ tincturæ dosi apud suos) morbum animosè Sudor sub nive saluberrimus.

& glo-

& gloriosè superavit. Sed benè subnectit idem Author. *Interim valdè dubito, an hoc tentamen mihi, tibi ve, si periclitari velimus, faustè succedat. Prob! quanta monstra curationum nascuntur aliquando in arte saluberrimâ!* Verùm nivem calefacere multis rationibus & experimentis ostendit percelebris Author *Thom. Bartholin. in tract. de Nivis usu comprimis cap.* 7. Multa etiam alia experimenta mirabilia de nive apud præfatum Authorem in *cit. libello* Lector comperiet.

§. III.

Anni quidam ob nivem Cœlo deciduam memorabiles, ac mirabiles.

AnnoChr.

443 Quo *Attila* Hunnorum Rex ad redimendam pacem *Theodosium* II. Imperatorem coëgit, tanta fuit nivis altitudo, ut tristis cujusdam prodigii opinionem attulerit. Nam vix sex mensium spatio liquefacta ingentem hominum, pecudumque multitudinem ipsa frigoris atque rigoris asperitate necavit. *Sigonius lib. 13. Imperii Occid.*

825 Circa annum 10 Ludovici Annales Francorum tradunt, sicut & *Martin. in Chronico*, nivem in die S. Mauritii deciduam per viginti novem septimanas usque ad Pascha duràsse, atque jumenta, hominesque extinctos esse.

1047 Nix tam copiosa decidit, ut etiam arbores frangeret. *Th. Raynaudus in Chron.*

1124 Hyems nivosa valdè accidit, & ob varias nivis, pluviæ & frigoris vicissitudines magna fuit aëris intemperies, quæ plurimum detrimenti attulit. Nam vix Majo mense tandem arbores efflorere potuerunt, ac terra diutiùs constricta vix herbas & gramen evirescere permisit. Secuti sunt imbres copiosi singulis mensibus, qui semina terræ commissa absumpserunt, omnesque agricolas spe frustraverunt *Vincent. lib. 26. cap. 54.*

1128 Feriâ quartâ post Pentecosten nix copiosa delapsa est, ut meminit *Zeilerus part. 2. libel. manual.* fuitque hæc secunda nix, ut inquit, quæ tempore *Lotharii* Imperat. circà Pentecosten decidit.

1202 In Scotiâ hyems fuit adeò nivis copiâ per plures continuos dies cadente infesta, ut magna inde pecudum secuta fuerit strages. *Hect. Boëth. lib. 13.*

1281 Die 16 Julii nix copiosa decidit in Bavaria *Freisingæ Longavium* usque. Secuta fuit ingens annonæ caritas, ita ut etiam potentiores avenaceo pane vesci coacti fuerint. *Zeilerus epist. 319 ex Brunnero.*

1353 Cum Martius & Aprilis ultrà medium verno & penè æstivo calore segetes ad calamos & aristas perduxissent, oborto derepentè acri frigore & gelu nix duos cubitos alta terram operuit in Poloniâ, & in sextum usque diem duravit; quâ posteà solutâ, cùm indè segetes corruptas & frigore destructas omnes existimarent, tanta præter spem ubertas frugum secuta fuit, quanta vix unquam accidit. *Cromerus lib 12.*

1541 Anno 1541 die 24 & 25. Januarii *Lubecæ* & in tractu ejus Regionis tanta nivis copia decidit, ut per plures dies homines ex ædibus egredi non valuerint, tandem ingens illa nivis copia magnis civium impensis ex Urbe evehi debuit. *Chron. Lubec. pag. 212.*

1579 Die 7 Aprilis in *Tuscia* & *Lombardia* trans *Padum*, ac in *Pedemontano* Tractu nix cum sævo admodum frigore dejecta fuit, undè non tantum vites, sed & arbores jam florentes miserabiliter læsæ periêrunt, spe vini, aliarumque frugum penitùs præcisâ, ut refert *Petrus Bungus de myst. Num. 17. apud Bartholin.*

1601 Cæsarianis & aliis confœderatis Christianorum copiis *Canischam* obsidentibus, nix primò, & indè frigus insecutum valdè infesta ac inimica acciderunt. Nam cùm die 15 Novemb. tempestas primùm nivosa Christianorum castra obruisset, continuò è vestigio ingens frigus subsecutum est, ita ut unicâ nocte 150 milites, & 300 equi frigore interempti obriguerint, & tandem invalescente magis gelu relictis tormentis & incensis castris obsidionem solvere debuerint. Refert autem *Isthuanfius lib. 32.* oculatus testis in progressu Christianarum acierum 16000 hominum nimio gelu torpuisse, & enecta concidisse.

1658 Anno 1658 Nix admodùm copiosa cum magno frigore dejecta fuit, ut idcircò, cùm illâ hyeme Augustissimus Leopoldus Francofurtum ad Comitia Electoralia Imperium magno transiret comitatu, viæ ubivis ab altis nivibus parari debuerint.

1678 Hyems valde nivosa extitit, secuta deindè magna fertilitas, æstas calida & vinum optimum.

1692 Hyems longa & valdè nivosa fuit, ut ab immemorabili tempore tanta nivis copia per Europam non fuerit observata. In Moschovia frigus etiam adeò desæviit, ut turmatim aves sæpè 30 aut 40 simul enectæ frigore decidisse, ad 500 verò homines præ nimio gelu obriguisse memorentur. Ad finem quoque Hyemis, dum glacies in Mosellâ fuit soluta, ingentia damna non illic tantùm, sed & in Rheno attulit: Glacies etiam ità confertim illic locorum ad littora congesta dicitur, ut montium instar cum omnium intuentium admiratione substiterit.

CAPUT X.

De Grandine, ac variâ ejusdem figurâ & magnitudine.

§. I.

Regulæ & Obſervationes de Grandine.

Grando quid ſit, & quomodo fiat.

I. Rando aliud non eſt quàm gutta pluviæ, aut flocci nivis colliqueſcentis denuò acerrimo frigore condenſata: Undè & perſpicua plurimùm ac rotunda eſſe ſolet, etſi non perfectè. Fit itaque, cùm nubes ſunt ſublimiores, & flocci nivis primùm calore liquantur: tunc ſubeunte frigidiore vento iterum congelantur, & ità grandines efformantur.

Grandines majores quomodo fiant.

2. Eò majores erunt grandines, quò ex altiori loco decidunt, & major humoris copia in deſcenſu occurrit: Cùm itaque nivem colliqueſcentem ventus frigidior corripit, ac multos floccos uniendo colligit; tunc grando major, & figuræ magis polygonæ præceps ruit.

Grando non fit ſine vento.

3. Grando ubicunq; & quocunque tempore ſi fiat, non abſque vento fit, plerumque autem ventis invicem pugnantibus. Undè *Cardanus de ſubtil. lib. 21. Grandinem abſque ventis generari impoſſibile. Nam ſi aër* (inquit) *tenuis eſt, non eſt frigidus, quare gelaſcere non poteſt: vapor ſi craſſus, abſque ventis cogi non poteſt.* Candidam etiam grandinem minùs frigidam, & mitioribus ventis effici, ac humiliore loco deſcendere, docet *Cardanus* ibidem.

4. Grando etiam haud aliter ac nimbus æſtivo tempore frequentior eſt, & major, quòd nubes ſint ſubtiliores; neque hyeme fit ſatis caloris, qui ad nubes adeò ſublimes perveniat: inferiores quidem attingit, ſed citiùs nix ſoluta decidit, quàm frigore rurſus congelari queat. Plerumque etiam quò æſtus major præceſſit, eò grando major, & impetuoſior, quæ ideò etiam magis nocere poteſt, dejici ſolet.

Signa grandinis futuræ.

5. Antequam grandinet, plerumque magnus in ſublimi aëre ſtrepitus auditu percipi ſolet: colliduntur enim jam congelatæ guttulæ, dum aliæ in alias incurrunt, & impingunt.

6. Similiter grandinem in æſtate ſæpè magnæ guttæ pluviales, quæ etiam cum vehementiâ aliquâ & impetu dejiciuntur, præcedere ſolent: quod priores quædam guttæ ob aërem nondum ſatis infrigidatum congelari nequeant, quocircà ità permiſſæ liberè cum gravitate ſuâ delabuntur.

Fit grando ordinariè de die.

7. Frequenter & ordinariè grandines fiunt per diem, vix autem & rarò per noctem, quod nocturno tempore, dum abſente Sole aer magis infrigidatur & condenſatur, nubes deſcendant, ac fiant humiliores, atque ità terræ propinquiores, quàm ut à frigore ſubeunte guttæ decidentes denuò congelari queant.

Grandines inſolitæ magnitudinis.

8. Grandinis forma ſive figura ordinaria, licet ſit globularis piſi magnitudine; cadit tamen nonnunquam vaſtior & acutis angulis aſperior, atque etiam oblongior, ut glaciei fruſta longiora quandoque exhibeat. Fit hoc dum aqua ex nube copioſiùs effuſâ, priusquàm in minores alias guttas diſſipetur, à valdè intenſo frigore occurrente mox congeletur. Ità vidimus hîc Anno 1678. inter alias grandines juglandis magnitudine dejectas etiam fruſta quædam glaciei, quæ palmam manûs longè excedebant. Narrat etiam *Iſidorus* cecidiſſe nonnunquam grandines humano capite haud minores: & *Olaus Magnus lib. 1. cap. 22.* refert, in Septentrione quandoque grandines decidere, quæ caput humanum magnitudine ſuâ excedant.

Minora grana grandinis pellucida ſunt, non autem majora.

9. Minores grandinis lapilli nonnunquam pellucidi ſunt, nullumque colorem induunt: majores verò etſi ſuperficietenùs perſpicui appareant, intùs tamen aliquid nivis continent, & quandam albedinis ſpeciem exhibent. Oritur autem pelluciditas illa, dum frigidus ventus, qui eam efficit, jam formatas aquæ guttas intercipit, & in corpus durum conſtringit. Sed cum hic ventus floccis colliqueſcentibus appropinquat, calorem in illorum poros impellit, ſive materiam ſubtilem maximè agitatam, quæ tunc in aëre circumſtante invenitur: quia ipſe ventus non tàm facilè, nec tàm citò, atque hic calor eos pervadere poteſt. Is autem calor horum floccorum meatibus incluſus ad ipſorum circumferentias magis quàm ad centrum accedere nititur, quia ſubtilis materia (in cujus agitatione conſiſtit) ibi liberiùs movetur, & ità magis magisque liquefacere pergit, priusquam incipiant rurſus in glaciem concreſcere; atque etiam liquidiſſimæ, id eſt, magis agitatæ particularum aquearum, quæ alibi in iſtis floccis reperiuntur, ad eorum circumferentias accedunt; iis contrà, quæ non tàm citò liqueſcere poſſunt circà centra manentibus. Quò fit, ut craſſiora grandinis grana in ſuperficie pellucida ſint, & intrinſecùs alba; ità explicat *D. le Grand, Hiſtor. natur. part. 6. art. 5.*

Unde pili & alia quædam in grandine.

10. Cum conſtet Solem, dum vapores allicit, unà ſecum diverſas ſæpè rerum materias in altum ſubvehere ſolere; quod ex eo etiam patet, quia ſæpè in grandine globoſâ reperiuntur pili, paleæ, arenulæ, feſtucæ, ſimilesque quisquiliæ; quæ ſanè manifeſta ſunt indicia, dictas res unà

cum

cum vapore in aërem subvectas, ibidem deindè vapori vi frigoris concreto commixtas, & denuò tandem in terram cum grandine delapsas.

11. Licèt etiam grando acriori frigore soleat concrescere, citiùs tamen, quàm nix dissolvitur: id autem propter densitatem grandinis forsan evenit, ait *Du Hamel, in meteor. lib. 1. cap. 3. Quemadmodùm*, inquit, *libra plumbi citiùs, quàm butyri liquescit, quod ubi pars una calorem concepit, statim eum proximæ communicat, & ità quasi per manus citissimè calor per omnes partes diffunditur.* Sed nunc Mirabiliora quædam de Grandine in medium proferamus.

§. II.

Exempla Grandinum memorabilium & Mirabilium in certis quibusdam annis & temporibus.

Grando in terrâ Ægypti. 1. Memorabilis imprimis Sacræ Scripturæ testimonio est grando illa, quâ Deus flagellavit *Pharaonem*, fuitque haud dubiè maxima, cùm in totâ terrâ Ægypti percusserit cuncta in agris ab homine usque ad jumenta, cunctamque herbam & omne lignum regionis confregerit, ut constat ex libro *Exodi cap. 9.*

In obsidione urbis Gabaon. 2. Cùm quinque Reges *Gabaon* urbem obsedissent, ut docet *lib. Josue cap. 10.* eòquod fœdus cum *Josue* fecissent; *Josue* à *Galgalis* castra movit noctu, & ex improviso eos aggressus usque ad *Axecam* & *Macedam* concidit; cumque illi fugerent, Dominus in eos ingentes de cœlo lapides dejecit, & *mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserunt filii Israël.*

Grando 8 librarum. 3. Cùm Roma ab *Alarico* capta fuit, grandinem octo circiter librarum pondus habentem cœlo delapsam memorat *Majolus in diebus Canicul.*

4. *Paschali* Pontifice M. in Galliâ grandinis frustum decidisse 12 pedum, *Bonfinius* refert. Meliùs fortassis hanc grandinem describit *Sabell. lib. 9. En. 8.* dum ait: Tempore, quo Saraceni Italiam vastârunt, anno, qui eam cladem præcessit, in Galliâ ante solstitium æstivum portentosa repentè grando de cœlo dejecta, in quâ frustum glacie concretum duodenum longitudine pedum repertum est.

Persarum exercitus grandine pulsus. 5. Dum *Sainus Chosrois* Persarum Regis Dux integro suo exercitu in *Theodorum Heraclii* fratrem incidens ad pugnam se parâsset, quâ etiam initâ impetratum fuit auxilium divinum, ità ut grando inopinata in Persas deferretur, multosque eorum feriret; cùm interim omnis tempestatis expers Romanus exercitus esset. Fusi sunt eo prœlio à Romanis Persæ magna clade, ut indicat *Cedrenus*, & *Paulus Diac. lib. 18. rerum Romanar.*

Grando mirabilis Constantinopoli. 6. Sub *Valente* Imper. Anno salutis 371 *Constantinopoli* delapsa fuit grando adeò magna, ut manum globus unus impleret, & lapidibus similis esset. Scribit *Author fasciculi Temporum*, grandinem eam tàm homines, quàm jumenta interfecisse, eamque per iram Dei immissam. Ità *Socrates lib. 4. cap. 10. Hieron. in Chron. & alii.*

7. Anno Dominicæ Incarnationis 671 Tempestas grandinans tàm hominibus, quàm bestiis nocumento fuit, ut meminit *Paul. Diac. lib. 19. rer. Rom.*

8. Cum sub *Leone Isauro* Saraceni Constantinopolim obsederunt, ac fame, frigore, bello & peste plurimi confecti sunt; tunc & igneæ grandinis tempestate mare ebulliens naves eorum omnes præter quinque absumpsit Anno Domini 719 & 720. *Sigebert. Paulus Diacon. lib. 21. rer. Roman. & lib. 6. cap. 14. de Longobard. Theophilus Raynaudus in Chronico suo* notat, Anno Domini 718. Saracenicam classem navium trium millium igneâ grandine cœlitus tactam, vix quinque navibus salvis ultorem sensisse Deum. Ignea grando.

9. Anno 825. ut *Raynaudus in Chron.* meminit, grando stupendæ magnitudinis in Galliâ decidit, & gelu 815 pedum longum, atque sex latum unà decidit.

10. Inter prodigia, quæ Hierosolymitani Regni Christianorum excidium Anno 1187. à *Saladino* Ægyptio illatum præcessêre, *Tyrio* memorante, præter insuetos terræ tremores, ventos atroces, Solis defectus, mare solitò majore æstu redundans, etiam grando frequens instar ovi anserini cœlo decidit, & magnam ibidem noxam intulit. Grando frequens instar ovi anserini.

11. Memorabiles valdè sunt illæ grandinum species, quas *Nauclerus* describit, quarum ea, quæ Anno 1240 *Cremonæ* decidit, nucum magnitudine impressam, crucis figuram faciemque Christi adscriptis verbis JESUS NAZARENUS continuit. Altera verò in Regionibus Septentrionalibus Anno 1395. mense Augusto decidens humanas facies exhibuit, cujus mentionem quoque facit *Crantzius lib. 9. Vandal. cap. 32.* dùm memorato Anno circà Assumptæ D. Virgin. Festum in Saxoniâ cecidisse scribit grandinem, quæ humanæ faciei imaginem prætulerit: *Discrevêre in glacie faciem viri ac mulieris: Barbata virorum, fœminarum verò crispantibus involuta peplis imago in grandine cernebatur.* Cum effigie Christi. Facies humanas referens.

12. Grandinem aliquandò in districtu *Iglaviensi* in *Moravia* trium, quatuorve librarum pondere inventam descripsit D. *Joan. Ferd. Hertod. Tart. Mastich. Morav. part. 1. cap. 2.* Grando 3 aut 4 librarum.

13. *Ludovicus Clavitellius* testatur in agro *Bononiensi* ad Annum Christi 1537. mense Augusto cecidisse grandinem sanguine mixtam, in quâ inventa sunt grana, quæ pondere libras 28 excesserunt. Grando sanguine mixta.

14. Memoratur etiam Anno 1629. mense Julio in quodam Flandriæ territorio, quod *Vassiam* vocant, in vico celebri de *Tempesta* cecidisse grandinem sub meridiem insolitæ, & invisæ Belgis figuræ ac magni-

magnitudinis; eam enim dentibus & angulis asperam, tùm pugni maximi, tùm & puerilis capitis magnitudinem exæquâsse.

15. Anno 1647. in *Falstriâ* die Pentecostes grando cecidit juglandis magnitudine, & 7 pagorum segetes prostravit, quæ etiam ad quartum usque diem indissoluta permansit. *Wormius Musæi lib. 1. sect. 2. cap. 12.*

16. Anno 1666. die 7. Julii propè *Yarmouth* grando vehementi procellâ effusa est in circumferentiâ digitorum 12, imò ovis gallinarum indicarum nihilo inferior, interiùs fulgens, exteriùs lævis. Societ. Anglic. communicavit D. *Nathaniel Fairfax. Act. Phil. mens. Jun. 1667. relat. 6.* Eodem quoque Anno 1666. *Bomelæ* in Geldriâ frustum glaciei cum grandine pondere trium librarum descendisse meminit *Le Grand in Hist. nat.*

17. Anno 1673. die 7. Junii, miræ quoque ac variæ figuræ grandines ad *Legerium* montem vicinaque loca ditionis Tigurinæ decidisse, digitorum nempè, avium, infantum involutorum, stellarum, crucum &c. in *Histor. Nat. Helvet. cur. pag. 376.* memorat D. *Wagnerus.*

18. D. *Wurffbainius* observavit, ut refertur in *Ann. 5. Decur. 2. Ephem. German. Observ. 158.* Anno 1676. die 7. Junii in oppido Altorffino grandinem inusitatæ magnitudinis & admirandæ figuræ: magnitudo columbinum ovum longè superabat, figura verò erat varia, partim rotunda, partim angulosa purissimò quodam & pellucido centro lentis magnitudine notabilis, quod glaciali quâdam massâ incrustatum atque obductum videbatur. Hæc grando non tantùm tecta domorum lateritia diffregit, atque fenestrarum orbitas excussit, verùm & segetes omninò prostravit, & solo æquavit, imò & proceras arbores medias diffregit.

Grandines variis in locis Germaniæ,

19. Anno 1680. die 3. Junii *Gamundæ* in Hassiâ (quæ civitas tribus circiter milliaribus *Marpurgo* distat) ac in pluribus aliis circumsitis pagis sævissimâ obortâ tempestate grando duarum librarum ponderis decidit, quæ fruges omnes in terram prostravit, ingens etiam damnum tàm hominum quàm pecudum generi procreavit, fenestras ubivis excussit, tegulas diffregit, aliaque plurima damna intulit. Tantus autem invicem illabentium in aëre & impingentium grandinum fragor auditus est, ut præ illo vix tonitrua quantumvis tumultuantia percipi valuerint. Pridie ejusdem diei in Moguntinâ Diœcesi propè *Neostadium* horruit æther grandine terribilis, quæ etiam segetes omnes percussit ad terram usque. Similiter in *Westphalia* grandinosa tempestas plurimùm nocuit; multis etiam in locis unà dejectæ fuêre glacies, 5. 6. 7. & 8. librarum, undè tùm hominibus, tùm pecoribus haud modicum damnum illatum fuit. A *Bilefeldiæ* urbe, ubi fenestræ pleræque excussæ, continuo tractu Hervordiam usque segetes omnes decussæ & prostratæ sunt. Eodem quoque mense ad *S. Truyen* Leodiens. diœcesis grando ponderis quinque quartarum libræ in tantâ copiâ decidit, ut indè suis agri privati frugibus haud aliter, quàm si ab exercitu militari fuissent devastati. Fenestræ insuper tàm in sacris, quàm profanis ædibus ità excussæ & dejectæ fuerunt, ut longo tempore reparari non potuerint. Hoc ipso etiam Anno die 21. 22. & 23. Julii ingentibus exortis tempestatibus in *Austriâ* cœlo turbido grandinis inter fulmina dejectæ vis plurimùm nociva fuit, plures segetes destruxit, & humo commiscuit lutosæ, ædes vastavit, equos, vaccas, & oves oppressit, imò ramos omnes virentes ab arboribus divulsit: obque majoris grandinis dejectæ copiam & gravitatem pluribus in locis ciconiæ, anates, anseres, picæ & corvi, pluraque alia volatilia grandinosis nimbis tacta & penitùs exanimata sunt. Omnes etiam fenestræ arcium, templorum, & quarumvis aliarum ædium cum plumbeis suis orbiculis excussæ & disjectæ fuerunt.



CAPUT

CAPUT XI.

De Iride tam Solari, quàm Lunari, Coronis item sivè halonibus.



Hoc Capite Sermo nobis est de Iride, Coronis, & Halonibus, sivè Circulis & arcubus quibusdam tam integris & perfectis, quàm etiam imperfectis atque incompletis, sivè etiam unius aut variorum colorum circa duo præcipua Mundi lumina Solem scil. & Lunam quandoque conspicuis. Quæ autem magis tum scitu digna & notabilia, tum etiam mirabilia à Scriptoribus variis annotantur, hæc nunc animus est colligere, & collecta in medium adducere & curioso Lectori paucis recensere.

§. I.

De Iride tam Solari, quàm Lunari Observationes notabiliores.

Iris quid sit. 1. Iris describitur à *Bartholomæo Anglico de propriet. rerum lib. 11. cap. 5.* Impressio generata ex nube concavâ & roridâ ad pluvias præparatâ in stillicidiis infinitis tanquam in speculo relucens, habens figuram arcualem varios colores exprimens à radiis Solis aut Lunæ generata. Communius tamen dicitur Arcus multicolor in nube roridâ & oppositione radiorum à luminaribus cœlestibus emissorum, eorumque reflexione oculis spectantium illapsus & apparens. Iris igitur sivè Arcus Unicolor aut multicolor in nube roridâ generatur, & nunquàm non in adversa Soli parte ordinariè aspectui exhibetur; estquè sublimis, aut humilis, prout Sol oppositus humilis aut sublimis existit: Hoc enim descendente altior supra Horizontem; hoc ascendente & altiorem locum tenente depressior videtur.

2. Cum dicitur Iris per reflexionem fieri in nube roridâ; non est intelligenda nubes, quasi esset totale aliquod planum seu corpus catoptricum aut quasi Speculum quoddam verticaliter erectum & extensum, sed intelligi debent minimæ quædam roris guttulæ in tractu quodam aëris, ut mox dicetur, decidentes, quibus aliæ continuò succedunt & priorem locum subeunt atquè ita constanter aliquò usque coloratum Iridis phænomenon spectatori repræsentant.

Figura nubis ad Iridis efformationem nihil confert. 3. Figura nubis ad Iridis figuram nihil confert: cum enim non in ipsâ nube, sed in guttis decidentibus quocunque ordine depluant, modò in superficiem incidant coni requisiti, cujus vertex est oculus, generatur Iris. Ejus autem rotunditas oritur hinc, quod eæ solæ guttæ, quæ in tali superficie positæ sunt, eum situm respectû Solis aut Lunæ & Oculi obtineant, qui requiritur ad colores illos exhibendos. Ad Iridis igitur generationem requiruntur pluviarum guttæ legitimè dispositæ, certa Oculi intuentis distantia, sine quâ Iris non percipitur, & denique lumen Solis aut Lunæ; Sole enim vel Lunâ evanescente mox & Iris evanescit.

4. Cum Sole altiore deprimatur Iris, & eodem depresso attollatur; adeóque pro Solis altitudine diversimodè Iris efformetur: constat tamen quasvis elevationes Solis & Iridis simul sumptas gradus 41 adæquare. Demonstrat *Chalesius Dioptr. lib. 3.* Cum igitur Sol elevatur plusquàm 41 gradibus, nulla apparere potest iris, nisi fortè oculo è cacumine altioris cujusdam montis in subjectam vallem spectanti. Sole vero Horizontem attingente Iridis vertex præcisè 41 gradum obtinet. Sole autem lucente & minùs quàm 41 gradum elevato, si pluat; Iris apparere potest ad sensum circularis. Dixi ad sensum; quia realiter sæpè hyperbolica, parabolica aut elliptica esse potest, ut ostendit *Chalesius lib. cit. prop. 19.* Elevatio Solis & Iridis simul est Grad. 41.

5. Iris è regione Soli opposita ità generari solet, ut medii spectatores existant inter ipsam & Solem: Undè & si linea recta à Sole in spectatoris oculum ducta continuari intelligatur, ea sit transitura per centrum Iridis. Centrum itaque Iridis, oculus & Sol sita sunt in eadem lineâ rectâ, ut communiter *Meteorologi* docent.

6. Hinc sequitur, quod Iris non omnibus eadem, sed sua tantum cuique appareat; totque in roridis guttulis decidentibus arcus picti conspiciantur, quot oculi sunt, qui versus eos diriguntur. Proindè & moto cujusvis oculo etiam illi movetur Iris. Cum enim moto oculo alia fiat linea à Sole per oculum ducta: hæc autem linea sit axis illius Coni, in cujus superficie existunt guttæ iridem exhibentes, & mutato axe alicujus Coni, mutari Conum necesse sit; alia igitur erit superficies Coni; sivè occupabit aliud spatium & consequenter & aliam Iridem comparere necesse est. Unde qui caput elevat, vel deprimit, mox Iris mutatur; qui stat, illi stat, qui progreditur, illi & Iris progreditur, & *singulis passibus singulas Irides spectamus*, ut rectè loquitur *Le Grand hist. nant. part. 6. art. 9. ut ità nobiscum progredi, currere, stare, sedere vel quiescere videatur.* Iris non omnibus eadem.

7. Imò cum ex guttulis pluvialibus perpetim stillantibus à radiis solaribus illustratis producatur Iris; singulis etiam momentis nova eidem oculis Iris comparere solet, succedentibus nempè continuo in de-

lapsarum locū novis aliis ex nube in pluvialia illa specula sese resolvente. Nec tamen etiam stante oculo fixo eodem loco obest permanentiæ Iridis, quod guttæ decidentes perpetuò moveantur, dum in casum præcipitantur, cùm aliæ continuò succedant, haud aliter ac fluvius idem apparenter perseverat, licet continuò mutetur, eò quod sequentes aquæ prioribus succedant. Quià tamen Sol continuò movetur, & nunquam in eodem Cœli puncto stare solet; ideóque & linea recta ducta à Centro Iridis per oculum ad ipsum Solem necessariò etiam continuò mutatur. Undè singulis etiam momentis Iris reverà alia, & in alio loco spectatori immoto comparete debet.

Quare nulla discontinuitas in iride videatur.

8. Quod etiam nulla in Iride discontinuitas advertatur ex eo provenit, ut rectè docet *Chalesius prop. 16. lib. 3. Dioptr.* quod guttæ decidentes sint plurimæ, sibique invicem succedentes. Neque verò opus est, ut in eodem plano versentur; modò in superficie ejusdem Coni inveniantur. Ex quo fit, ut cum tam remotæ quàm proximæ eundem colorē exhibeant, lacunæ omnes & hiatus impleantur nullaque appareat discontinuitas. Undè etiam accidit nonnunquam, ut Iridis pars sæpè in foliis arborum, vel in nebulâ circumfusâ reliquis partibus remotiori loco effictis depicta videatur, quod priusquàm radii ulterius & remotiùs excipiantur, vel arborum folia, vel crassus aër, vel ipsa etiam pluviæ stillicidia crassiora eos sistant.

9. Nobis Borealibus nunquàm in parte Australi sivè Meridionali apparere potest Iris ordinaria; Sicut è contra his neque qui ultrà Æquatorem in Australi terræ parte habitant, Iris apparere potest versùs borealem plagam. Ratio patet ex suprà indicatis.

10. Rarò apparet Iris, cum validi spirant venti: nubes enim, in cujus guttis stillantibus Iris formatur, citò à ventis dissipatur & distrahitur.

11. Omni tempore per annum, cum disponi possint nubes roridæ, quæ Iridem efficiunt, etiam Iris comparere potest: In autumno tamen frequentiores & hyeme rariores esse solent.

Colores Iridis ordinariæ.

12. Colores in Iride cœlesti ordinariâ *Aristoteles* tres tantùm agnoscit, rubrum scilicet seu phœnicium, viridem & cœruleum: Verùm duo adhuc alii manifestè apparentes addi possunt, flavus nempè & purpureus, adeò ut in Iride versicolore quinque deprehendantur colores, qui ordine sese ita insequntur. Primò supremam arcus cœlestis regionem tenet ruber color, seu phœnicius; Secundò sequitur luteus vel aureus, tertiò viridis, quartò cœruleus; quintò puniceus vel purpureus. Præfati autem colores maximè in Iride primariâ, quæ sæpenumero sola apparet, reperiuntur; in secundariâ autem, quæ superior est & amplior, debiliores sunt colores & ordine inversi.

13. Notavit tamen *D. Joan. Theodorus Mœren* in Iridibus diverso tempore à se observatis non semper eosdem stabiliter apparere colores, neque eodem semper ordine se consequi, prout refertur *Obs. 209. Ann. 5. Dec. 2. Ephem. Germ.* Nam I. Anno 1686 in fine Martii post meridiem advertit in extremâ convexitate Iridis tunc apparentis colorem rubeum; abhinc flavum; tertium viridescentem; quartum seu interiorem purpureum: inter quem verò & tertium observavit colorem cæruleum. II. Die 18 Maji ejusdem anni vesperi horâ 5 in supremâ Iridis convexitate hos se insequi notavit colores modo plane diverso, & ab aliis Iridibus distincto. Primus color rubeus varios habebat suæ rubedinis gradus: secundus viridis erat, tertius cæruleus, qui etiam erat distinctissimè cum sequenti expressus; quartus erat violaceus, & quintus denique flavus. III. Die 21 Maji vesperi hora 6 conspexit iridem, cujus supremus color rubescebat, secundus flavescebat; tertiùs viridescebat; quartus iterùm rubescebat, sed rubedine obscuriore superiori. IV. Die 6 Junii vesperi hora 6 Iris illi conspicua superiùs expansam & albicantem exhibuit rubedinem, cui se jungebat flavedo; succedebat viridis, & huic cœruleus, indè violaceus color, à quo tandem paululùm distabat sextus ordine color rubeus. V. Die 22 Julii manè hora 6 Iris in hoc cœteris rarior eidem comparuit, quæ non tantùm colores hoc ordine exhibuit, primò scil. rubeum, secundò flavum, tertiò viridem, quartò violaceum; Sed quod mirabiliùs erat, ubi pulchritudine intensiori amplius nitebat, vix subjectum erat, cui inhærebat; nam sudo & puro quasi Cœlo adscripta videbatur, nunc vix nubes nisi vapores tenues apparerent. VI. Die 8 Augusti ejusdem Anni Iris illi conspecta fuit, quæ cum quartâ ferè concordabat. Primus enim color erat rubeus, secundus flavus, tertius viridis, quartus cœruleus, quintus violaceus.

Observati colores varii & vario ordine.

14. Observatum est Iride paulatim evanescente puniceum colorem in flavum abire solere, ac tandem extingui. Nunquàm etiam flavus color apparet, nisi cum Iris est valdè illustris & splendida.

Irides Lunares.

15. Sol licet Iridem sæpissimè sistat in aëre rorido, rariùs tamen Luna eaque ordinariè alba solet exprimi, frequenter tamen plenilunio, cum raræ nubes, nebulæque noctu existunt. Sunt autem Lunares Irides ideò potissimum rariores, quàm Solares, quod nempe Lunares radii Solaribus multò sint debiliores ad Iridis phœnomenon sistendū: Colores item in tenebris minùs sint conspicui; noctu etiam minor detur observantium numerus, & Lunâ plerumque Occidente fiant. Verùm quod Ari-

Aristoteles voluit, die Mensis lunaris unica, atquè solùm in plenilunio contingere, minimè assensum meretur, cùm variæ observationes Authorum suadeant contrarium, variis nempè etiam aliis diebus & Lunâ non plenâ, sed etiam medio orbe dissectâ, gibbosa, aut falcatâ, ejusmodi lunares irides visas esse. Imò *Scaliger Exercit. 8.* velut de re communi in Insulâ *D. Thomæ* loquitur ità: *In Insulâ S. Thomæ*, inquit, *si antecesserit pluvia, fieri à Luna Iridem, cujus color sit alba quasi nebula.* Verùm & mihi talis conspicua fuit mense Octobri Anno 1688, nec tunc Luna plena fuit, aër autem valdè vapidus erat, & humidus.

Irides Lunares plurium colorum.

16. Solent tamen, etsi rariùs, Irides Lunares etiam multicolores videri, uti observavit *D. Georgius Francus* Anno 1677 die 19. December. S. V. vesperi post horam quintam. Colores verò ità invicem sibi succedebant. Extimus imprimis erat cæruleus, sequebatur obscurior, inde rubicundus & igneus, hinc flavus & huic succedebat è viridi cœruleus, iterum rubicundus & igneus, tandem intimus circumambiens Lunam erat ex albo flavens. Duravit Phœnomenon ultrà integram horam. Talem etiam se *Oxoniæ* Anno 1606 mense Junio vidisse testatur *Bombachius*, ut notat *Le Grand in Hist. nat. part. 6. art. 7.* & ipse præfatus Author coloratum ejusmodi arcum spectâsse se scribit ibidem propè *Amtempcourt*, Regis palatium decem aut undecim milliaribus *Londino* distans circà medium Octobris & Lunâ in cornua falcatâ. Adducit etiam testem oculatum *Carolum Vualdegrave* Equitem, in cujus consortio tunc erat. Adeò autem dilucidus arcus hic lunaris apparuit, distinctosquè exhibuit colores, ut solarem Iridem quodammodò æmularetur, similemque quamvis debiliorem speciem præsentaret.

17. Neque colorum una eademque semper in Lunaribus Iridibus series, similisque dispositio esse solet, uti observavit Clariss. Dominus *Mœren*: primus enim color versus Zenith aliquandò in Iride Lunari ab eodem visus fuit purpureus, secundus rubeus, & hi duo totaliter uniebantur, ut libero oculo difficile fuerit determinare utriusque extremitates; tertius fuit aureus & quartus flavus; Qui duo etiam in sui amplexu ægrè potuerunt discerni, ità ut ipsa circumferentiarum unio dici potuisset color alius mixtus resultans, & sic in Iride hac septem potuerint distingui colores. Quintus tandem fuit viridis perfectè à cœteris distinctus. Vide *Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 4. Observ. 47.*

18. Aristoteles *lib. 5. hist. Anim. cap. 12.* docet Iridem multum facere ad generationem mannæ, sivè mellis aërei. *Plinius* autem *lib. 12. cap. 24. Asphalathum*, aliasque herbas odoratas per Iridem generari tradit.

Iris quid significet.

19. Iris qualiscunque naturale signum est nubium roridarum & auræ vapidæ ac pluvialis, non tamen pro indubitato recipiendum est, pluvias semper sequi. *Nam* ut rectè docet *Le Grand. loc. sup. cit. licet nubes, in qua arcus cœlestis depingitur, rorida sit, & aquâ turgeat, ea tamen esse potest aëris temperies, ut quidquid humoris in eâ continetur, evaporetur & calore accedente in auras evanescat. Undè impeditâ concretione, & disjunctis particulis mirum non est, si nulli imbres nascantur, & serenum Cœlum appareat.* ita ille. Unde colligitur, non universaliter verum esse, quod docet *Ptolemæus*; Si arcus quocunque tempore extiterit, si serenum sit, hyemem; si hyemet, serenitatem exspectandam esse: per hyemes autem significari vult imbres magnos: nequè assentior *Aristoteli* docenti, arcum à meridie ortum magnam aquarum vim devehere; circà occasum autem non nisi leves pluvias minari: Cùm iis signis non rarò decipiamur, & exorta ad meridiem Iride Cœlum sæpè serenescat; versus occasum verò ingentes oboriantur pluviæ. Meliùs igitur sentit *Plinius* dum ait: *Arcus frequentes ne pluvias quidem, aut serenos dies cum fide portendunt.*

20. Irides tamen inchoatæ tantùm, quæ aliàs Virgæ dicuntur colores Iridis exhibentes, cùm vel solæ, vel ad alias totales Irides adnexæ cernuntur, ventorum, pluviarum, ac tempestatum per aliquot dies continuantium prænuntiæ esse solent; undè & vulgò à Nobis Wind-Gall / vel Wasser-Gall / quasi venti aut pluviæ conceptaculum vocari solent. Ejusmodi phænomenon describitur in *An. 4. Ephem. Germ. Dec. 2. observ. 47.* à memorato suprà *Mœrenio* observatum, cui deinde impetuosior ventus cum pluviâ fœdâque aurâ per duos dies subsecutus est.

Virgæ meteorologicæ.

§. II.

Iridum insolitarum & magis mirabilium varia Experimenta, & Exempla.

Solares Irides albicantes.

1. Imprimis præter vulgarem Iridem solarem versicolorem, solent nonnunquàm etiam aliæ solares Irides contingere, veluti albæ, aureoluteæ, & rubræ. Albas tres vidisse se testatur *D. Mentzelius*, ut patet ex *Ann. 3. Ephem. Germ. Dec. 2.* aitque potissimùm tempore Æquinoctiorum præsertim Autumnalium accidere. Unde talem Iridem describens dicit, quod sit arcus cœlestis unicolor albus tempore Æquinoctiorum præsertim Autumnalium accidens à Sole exoriente in oppositos sibi vapores roscidos, nebulasque densas & crassas medii aëris in nubes pluviales nondum concretus, sed à phœbi radiis, non autem à ventis desuper in terram detrusus, quo post meridianum tempus serenitas aëris inde relucescat efformatus, & in ipsis nebulis visui patens. Similem arcum

arcum Anno 1687 in Septembri me hic etiam observasse scio. Testatur etiam *Chalesius lib. 3. Dioptr. prop. 21.* se *Arelate* ineunte vere, cùm matutinis horis propè *Rhodanum* obambularet in parte occiduâ iridem observâsse non in roridâ nube, sed in tenui vapore, quæ nullos ferè colores, sed subalbicantem tantùm circulum in rubeum colorem desinentem exhiberet, eò quod nullæ essent guttæ, sed tenuissimus tantùm vapor.

2. Albarum Iridum crura solent esse crassiora versùs terram: quoniam vapores & nebulæ ad terram crassiores sunt, quàm sursùm in sublimi aëre, ubi arcus perquàm obscurè cernitur.

Irides aureæ. 3. Iridem aureo-luteam post albam priùs conspectam idem *Mentzelius* testatur se observâsse Anno 1681 die 23 Jan. S. V. Vesperi ad occasum Solis, quas ambas deindè & alia Lunaris alba consecuta fuit. Regionem verò aëris superiorem nubibus & vaporibus gelu constrictis plenam fuisse dicit. Similiter D. *Moeren* ut refertur *Ephem. Germ. Ann. 5. Dec. 2. obs. 109.* plures observavit Irides à Sole jam Occidente ex opposito Horizontis descriptas planè aureas, cùm nubes pariter illo tempore ad aureæ auroræ exemplum essent inauratæ.

Iris rubea. 4. Inter mirabiliora Cœli ostenta ac prodigia ab Historicis quoque memoratur nocturna Iris sanguinea *Strigonii* visa Anno 1604. Rubeam quoque Iridem se observâsse idem supramemor. *Mentzelius* meminit die 19 October S. V. Anno 1677 vesperi cum Sol jam occubuisset, Cœlo ventis libero & tranquillo, serenoque Horizonte Occidentali; aliàs verò undequaque nubibus disruptis cum vaporibus intermediis obducto, eratque ea tota rubea ultrà dimidium circuli arcum, eum ferè integrum figurâ ovali exhibens. Eodem insuper vespere gelu erat intensum, & aër infimus à ventis tranquillus; In superiori verò aëris plagâ venti boreales nubes omnes gelu densatas agitatione aëreâ disrumpebant: Hæque nubium partes quaquaversùs erant ad Solis occasum auroræ vespertinæ rubore omnes tinctæ. Cum autem in superiore aëris regione inter nubium distantias vapores nondum in nubes coäliti, sed adhuc rari & congelati agitarentur; Iris rubea Solaris maxima Circuli circumferentiâ versùs Ortum in nubibus & vaporibus sese ostendebat. Undè benè subjungit Iridis hujusmodi rubeæ causam efficientem fuisse auroram Vespertinam: Materialem verò vapores crassos frigore constrictos & nubibus intermixtos. Vide *Ephem. Germ. Dec. 2. Ann 3. observ. 5.* Anno quoque 1688 die 9 Maji in ipso Solis exortu hic & mihi in Franconiâ propè *Oxovium* Iris rubea duplex apparuit: Ad finem tamen nonnihil versicolor fuit. Pluvia etiam tunc verè rorida ac minuta eodem tempore decidit: Mox tamen nubes altiùs elevatæ, & vento inter Orientem & Meridiem spirante aura benignior & serenior cum nubibus albicantibus affulsit.

5. Iris rubea, ut observatum est, etiam crura habere solet crassiora circa terram, quàm sit arcus ipse superiùs constitutus, ob vapores propè terram crassiores & densiores, quàm sint in superiore aëris parte; vel quia id, quod à nobis longinquius & remotius est, apparet rariùs & gracilius; Quod verò magis propinquum, densius & crassius. Iridis rubeæ crura.

6. Licet communiter una tantùm Iris secundaria videatur; Numero tamen simul tres conspectas esse testatur *Mazzotta lib. 1. de Meteor. aër. cap. 2.* Sic etiam triplex visa *Patavii* Anno 1601 die 7. Februarii hora 21 teste *Gassendo in vita Peireskii lib. 1.* Triplicem observavit *Georgius Francus* mense Majo Anno 1668 in *Alsatiâ* superiore. *Snellius* etiam quinque ac sex videri posse seque observasse testatur. Conspecti sunt etiam interdum tres arcus cœlestes, inquit *Le Grand histor. nat. part. 6. art. 9.* adeò ut tertius superveniens duos ordinarios cinxerit, sed pallidior, minusque vegetus præ aliis, & tantum circiter à secundo distans, quantum ab illo primus removebatur. Contingere autem tertiam illam Iridem vult idem ope grandinis, quæ roranti nubi admixta fuit. Vide *Author. loc. citat.* Ità ad tractum *Albis* Anno 1681 die 16 Januarii manè circà 10 horam accuratè tres Irides visæ memorantur; cumque hæ per horæ quadrantem fuissent conspicuæ, minor paulatim evanuit: post horæ quadrantem denuò quatuor comparuerunt; Imò cùm attentiùs inspectæ fuerunt, quinque observatæ sunt; fuitque una super aliam ordine conspicua. Non tamen videtur certum, quod docet *Fromondus* & plures alii, secundariam Iridem prioris esse imaginem, atqua à reflexione primariæ generari, eòquod secundaria non videatur absquè primariâ; dilutiores etiam habeat colores, quàm primaria eosque inverso ordine se consequentes. Sed de hoc consule *Chalesium lib. 3. Dioptr. prop. 20.* ubi ostendit secundariam Iridem à primariâ nullomodo dependere. Plures Irides sæpè visæ.

7. Cornibus etiam eversis, hoc est, versùs Cœlum exporrectis arcus cœlestes aliquandò apparuisse tradunt nonnulli, & licet somnium id fuisse quidam arbitrentur, & inter ea numerandum, quæ à deliris & amentibus finguntur, ut ait *Le Grand. loc. supracit.* Hujus tamen judicio nil obstat, quin interdum oriri possit. *Si nempè*, ut inquit, *solares radii per reflexionem in maris aut lacûs alicujus superficiem incurrant; modò sit magna aeris tranquillitas, nullusque ventus adsit, qui aquam commoveat, & inæqualem ejus superficiem reddat: Præsertim si quædam nubes illi aquæ superincumbat, quæ impediat, ne Solis lumen rectum ad pluviam tendens illud, quod aqua eò remittit, supprimat atque extinguat.* Verùm fatetur *Le Grand* talem arcum raró videri, uti ipse etiam censeo. Irides inversæ.

8. Iridis

Iris propè Solem visa. 8. Iridis insolitæ propè Solem visæ meminit *Doct. Scholzius in litteris die 7. Januar. Anno 1687. Berolinum ad Doct. Mentzelium* datis: Ubi indicat 6. Januar. horâ nonam inter & decimam matutinam mediâ *Potsdami* vidisse in Cœlo à latere Solis orti sinistro iridem imperfectam, vel potiùs trabem Iridis longiorem in nube rarâ & subobscurâ, quæ distabat à Sole unâ ferè de duodecimis ejus loci Hæmisphærii partibus. Sol autem, ut inquit, hærebat in nube nigrâ & oblongâ, sed itidem rarâ: Color Iridis erat usitatus, puniceus, & subflavus mixto paulisper cæruleo. Disparuit phænomenon hoc post horæ quadrantem, & post dimidiam horam rediit. Vide *Ephem. German. Decur. 2. Anno 5. Observat. 205.* Hujus autem Phœnomeni causam & rationem adducit ibidem *Mentzelius* his verbis: *Et hæc est ratio, quare Iridis saltem pars instar lineæ rectæ, vel trabis hoc loco fuerit observata: Quoniam propè Solem juxtà apparentiam iris, vel ejus pars extitit. Uti enim phases Lunæ se habent ad oculum juxtà Solis cum Lunâ vel oppositionem vel conjunctionem; Ità quoque iris intuenti apparet. Si Luna propè Solem est; falcem tenuem ostendit: Si remotior à Sole est, pleniorem lucem: Si verò è diametro eidem opponatur, plenissimum vultum. Eodem modo Iris propè Solem non integra sed ex parte tantùm instar trabis sese ostendere potest.* Verùm an hæc ratio sufficiat aut convincat, non discutiam. Puto ego Phœnomenon istud Iridis inchoatæ, non aliter quàm in Pareliis fieri solet, coronæ vel halonis partem fuisse, & ejusmodi phœnomenon sæpiùs me advertisse scio.

9. His addi potest mirabile visu spectrum coloratum, quod 10. Martii Anno 1681. *Hagæ Comitis* à decima noctis hora usque ad undecimam comparuit. Protendebatur nimirùm radius ab Austro Aquilonem versus, cujus neque initium, neque finis discerni valebat ingentis latitudinis rubro nigro, albo, & cæruleo colore conspicuus, & terribilior, ut ajunt, visu erat, quàm Cometa tunc in Cœlo accensus. Obiter etiam Nota circà parvas patinas aureas, quæ de Iride, ejusque cruribus decidere vulgus credit, vana omnia prorsùs esse & fabulosa, adeòque indigna, ut inter Iridis mirabilia hìc memorentur. Vide *Ephem. Germ. Decur. 2. Ann. 3. Obs. 7.*

§. III.

De Halonibus & Coronis observationes philosophicæ.

Halo quid sit. 1. Halo nihil aliud videtur esse quàm species Iridis integræ in aëre rorido cœlo plurimùm tranquillo in integrum circulum coloratum & sæpè subalbicantem circà Solem & Lunam efformata. Unde quoties nubium textura ità subtilis est, ut Solis aut Lunæ radios non omninò intercipiat, aliquam tamen densitatem habeat; toties Halo seu Corona circà Solem aut Lunam decircinatur.

2. Halonis sive Coronæ colores sunt Iridis primariæ coloribus longè dilutiores, cùm in tenuissimo & minutissimo vapore efformetur. Si enim grandiores essent guttæ (cum efformetur Corona propè Solem) eum ità potiùs obnubilaret, ut à nube, ex qua tales guttæ decidunt, omnis radiis solaribus transitus negaretur. Colores quales.

3. Quamvis Halones non nisi aëre sereno admodùm & tranquillo formentur; quod si tamen sub placidis & pertenuibus vaporibus nubes raræ à ventis impetuosè agitentur, uti sæpiùs contingit; tunc & ipse Halo fallaci specie currere & agitari videtur. Halones undè procurrunt.

4. Quia Halones juxtà nubium tenuiorum constitutionem effici solent, & vi hujus constitutionis interdiù Solem tanquàm Irides coloratæ ambire solent: Eâdem verò constitutione nonnihil immutatâ etiam non jam integrâ circulari formâ, sed nubibus à ventorum impetu disruptis, aut quovis modo alteratis, alia etiam forma, adeoque tantùm per partes, & quidem instar trabis, lineæ vel rectæ, vel partim incurvatæ nobis comparere possunt. Variæ figuræ.

5. Coronæ circà Solem & Lunam videri non solent, dùm luminaria hæc sunt Horizonti vicina, sive dùm oriuntur, vel occidunt: Ordinariè autem, dum aliquantùm suprà finitorem elevata existunt. Non semper videntur.

6. Qui tamen Halones manè videntur, ut observavit *Gassendus*, plerumque subsequentem pluviam habere solent: Secus fit in iis, qui à meridie cernuntur. *Cardanus* verò *in Hippocr. de aëre, aquis & locis lib. 6. lect. 86.* commentans ait: *Halones hyeme glacies, pruinam, frigoraque magna portendunt, ut in æstate pluvias & grandines.*

7. Rarissimè Halo sive Corona Lunaris, ut vult *Gassendus*, ab extremo Maji usque ad extremum Septembris videri solet, nec ferè alio Vento, quàm Cauro & Cæcia, seu Boreæ lateralibus ventis leniter spirantibus. Lunaris Halo quandò rarò conspicitur.

8. Diameter tàm in Solari quàm Lunari Halone semper constat esse graduum 45 sexdecim observasse se scribit *Gassendus*, quorum intimus color fuit rubeus, medius flavus, ultimus subviridis. Diameter Halonum quanta.

9. Visæ sunt etiam aliquandò Coronæ duplices, ut tradit *Le Grand Histor. natur. part. 6. art. 11.* ità dispositæ, ut una suprà alteram expanderetur, fieretque concentrica. Coronæ duplices.

10. Cùm æqualiter Corona dilabitur & in semetipsam evanescit: Temperatus est aër atque placidus: Si facies non universa subsidet, sed ab unâ parte intercisa apparet; significat aërem incumbere, & ideò regio illa ventũ dabit. Si pluribus locis disrumpatur, ajunt tempestatem timendam. Quod *Seneca* etiam *l. 6. nat quæst.* confirmat his verbis: *Coronæ cùm æqualiter evanuerunt,* Halonum dilapsus quid significet.

nuerunt, significatur aëris tranquillitas; Cum autem ad unam partem ruptæ cesserint; Illic ventus est: Undè & nautæ inde ventum expectant; Quandò contextus coronæ perit, si à Septentrione discedit, Aquilo erit; Si ab Occidente, Favonius: Si verò pluribus locis ruptæ sint: Tempestates fiunt.

Coronæ siccitates denunciant. 11. *Cardanus l. 14. de Variet. c. 70.* Coronas sive halones siccitates denuntiare scribit, his verbis: *Vidimus,* inquit, *obequitantes A. 1528, octavâ Junii, cœlo sereno arcum circà Solem iridis similitudine non obscuram, quam & pluribus tunc hominibus ostendimus: Vidimus & post hæc iterùm eo anno, quo Carolus Cæsar est coronatus: Siccitates nuntiat. Plinius l. 2. c. 30.* Rubei circuli quid notent. Afferit circulos repentinos rubei coloris plurimùm esse prodigiosos, bella enim præsagire ob longiorem Solis defectum & continuum pallorem. Stellarum errantium aliquam, si Circuli aut orbes incluserint, imbrem præsagire.

§. IV.

Halonum seu Coronarum quędam Mirabilia.

Signum felix prænuntium. 1. Dum primùm *Octavianus* Cæsar urbem ingrederetur, corona iridis specie Solem ambire visa est, quod novæ potentiæ felix omen æstimavit populus Romanus.

Infaustum signum mortis. 2. Ante mortem *Henrici VII.* Imper. præter alia signa etiam circularem speciem, quæ nempè Halo seu Corona fuit, Solis orbem ambiisse tradit *Sabell. l. 1. c. 4.*

Incendii. 3. *Lothario* Imperante ferunt in civitate *Paderbornensi* visos duos ad solem circulos, quorum interior Ecclesiæ magnitudinem, exterior verò Urbis complexus fuit latitudinem. Vix dùm evanuerunt, exortum est incendium, & Urbs benè cum Ecclesiâ miserabiliter conflagravit. Ità *Crantzius lib. 6. Metrop. c. 23.*

Phœnomenon Hamburgi visum. 4. Anno 1681. die 13. Aprilis à meridie primam inter & secundam horam *Hamburgi* clarâ luce & sudo Cœlo ingens in tractu aëris circulus albus ad duas ferè horas visus est, cujus pars rotam Solis pertransiit: Suprà Solem subtenebrosa nubes eminebat, suprà quam itidem Iris nativis suis coloribus existebat; Quæ ambæ iterum alteram circuli partem pertransibant. Qui verò tunc temporis è turri hoc phænomenon speculabantur, asseverabant Iridem circuli integri more perfectè rotundam fuisse.

5. Anno 1686. die 6. Augusti, ut *D. Moeren* refert, Cœlo undique tecto communi tenui & nebuloso velo, apparuit circà Solem Corona, quæ post prandium à radiis Solaribus tàm aptè circum circà secabatur, ut Cœlum unam quasi Stellam Sole centro ad omnium intuentium stupores per tres ferè horas referret. *Ephem. Germ. Decur. 2. Ann 5. Observ. 109.*

6. Paulò antè Joannis Regis in Sueciâ obitum suprà Regiam Holmiæ, Cœlo sereno apparuêre circuli varii coloris in nubibus. Quos Rex ipse intuitus nuntios esse judicavit mortis suæ. Quarè illos in vicinâ arci æde sacrâ exprimi coloribus mandavit. Neque fuit vanum illud regis augurium. Paucis enim post diebus ex morbo discessit. Ità *Schefferus in memorab. Suet. gent. cap. 2.*

CAPUT XII.

De Parhelio & Paraselene.

Parhelium Phœnomenon est in Cœlo conspicuum Solis, sicut Paraselene Lunæ plures exhibens imagines. Multa in ejusmodi Meteoro concurrunt scitu & admiratione dignissima, quæ paucis jam libet indicare.

§. I.

Compertæ observationes meteorognomicæ circâ Parhelia & Paraselenes.

1. Parheliorum ratio etsi ab Iridibus differat ob diversam nubium dispositionem; Quià tamen à lateribus veri Solis contingunt cum Iridibus lateralibus in tantum convenire videntur.

Halones in Parheliis. 2. Vix etiam Parhelia cerni solent, quin Corona simul circà Solem saltem inchoata aut incompleta, eaque Iridis coloribus tincta non compareat. Plerumque etiam duplex halo, ac etiam quandoque Irides inversæ se mutuò contingentes in hoc Phœnomeno comparere solent.

3. Cùm semper ferè duo spurii Soles in exteriori corona sive Iride cernantur; Verisimile videtur eandem penè esse aëris dispositionem in parheliis, quæ in coronis observatur. Ità etiàm raro halo Solaris cernitur, ut ipsemet sæpiùs adverti, quin non ex utraque parte parhelia saltem inchoata tanquam lucidiores faculæ conspiciantur.

Circulus albus. 4. Sæpè accidit, ut præter halonem duplicem circulus albus Horizonti parallelus, quique per centrum Solis transit, appareat, in eoque Spurii Soles videantur; Interdùm tamen hic circulus deest.

Aëris constitutio. 5. Aëris constitutio ac dispositio, qua Parhelia contingunt, est cum frigore aliquo, plerumque Cœlo aliàs sereno & tranquillo vapida, subnebulosa & tristis, haud ferè dissimilis ei, quæ conspicua est, dùm Solis eclipses contingunt. Ità parhelia,

quæ

quæ hìc in Franconiâ noſtrâ, nempè Anno 1684. in æſtate, & Anno 1688. exeunte hyeme die 1. Martii acciderunt, cum tali aëris diſpoſitione obſervata ſunt.

Parhelia non ſunt ubique ſimiliter conſpicua. 6. Parhelia non ſimiliter eodem tempore ubivis conſpicua ſunt; Undè aliqui ſpectatores in eodem circulo plures, alii pauciores Soles ſpurios deprehendunt. Cùm enim radii non omnium ſpectatorum oculos eodem modo afficiant, nec radii, qui in unius oculum incidunt, ad alterius oculum ſimiliter procurrant: Fit indè, ut ſicut halones iidem non omnibus apparent, ſic nec iidem Spurii Soles totùmque parhelii alicujus phœnomenon ſimiliter omnibus & ſingulis æquè poſſit apparere.

7. Sæpè evenit, ut halo paulatim anguſtior & parhelia extra halonem videantur, aliquot etiam horarum intervallis perſeverent, ut etiam *Du Hamel phyſ. part. 2. de Meteor. cap. ult.*

Quandò frequentiùs formentur. 8. Sub ortum vel occaſum Solis frequentiùs apparere ſolent parhelia, quod tempus & aëris diſpoſitio tunc ſit aptior ad hoc phœnomenon ſiſtendum oculis, & quod vapores, qui ad Horizontem incumbunt, ſint craſſiores & indè aptiores ad ipſum hoc phœnomenon generandum.

9. Cùm etiam ſæpè nubes aliquæ parheliorum phœnomenon interrumpant, aut penitùs oculis ſubducant; dubium nullum eſſe videtur, quin ii vapores, quorum ope parhelia generantur, ſint ſublimiores & tranquilliores, ut etiam ſentit *Du Hamel loc. ſupra cit.*

Paraſelene. 10. Paraſelene ad modum parheliorum de nocte circà Lunam ſufficienti lumine conſpicuam generari ſolet: Rariſſimè autem fit, quià rariſſimè contingit aërem ità diſponi tempore illo, quo Luna ſufficienti ad hoc phænomenon exhibendum, lumine eſt prædita. Deindè quia de nocte efficitur quâ homines ſomno plerumque indulgent; etiamſi fortè ſæpiùs contingat, vix tamen ab his, qui illud nôrunt æſtimare, & doctrinam indè colligere, inſpici & accuratè obſervari poteſt.

Prognoſtica ex parheliis. 11. Plures Soles viſi, ut docet *Cardanus*, ſemper pluvias & diviſiones oſtendunt: magis autem pluvias oſtendunt Occidentes. Gemini frequentiores ſunt, & imbres oſtendunt. Communiùs arbitrantur Meteorologi, frigus indicare, quarè etiam aut antecedere, aut concomitari aut ſubſequi dicunt: Sicut & in parhelio Anno 1688, ut infrà latiùs deſcribetur, frigus ſubſecutum fuit. *D. Anton. Le grand hiſt. natur. part. 6. cap. ult.* ait: *A conſpectis parheliis regnorum clades, populorum defectio, Principum cædes aut interitus contingere obſervatur. Hinc Meteorologi penè omnes ſex Soles à Rege Poloniæ viſos Franciſci Gallorum Monarchæ capturam apud Papium ſpondiſſe; & adulterinæ Solis imagines, quæ Anno 1157. apparuerunt, Electorum in Regis Romanorum creatione diſſidium præmonuiſſe aſſerunt.* Subdit tamen; *Haud inficiandum eſt, quin poſt parhelia inſoliti quidam eventus contingant: At quis aſſeret illos à viſis ſiderum imaginibus originem habere, & non fortuitò potiùs quàm prævio ſenſu accidiſſe &c?* Verùm quodſi parheliis vis quædam tribui queat ad inſolitos quosdam eventus prænuntiandos: Crederem ego parhelia, quæ Anno 1688. exeunte hyeme, & verno tempore hìc obſervata ſunt, aliquid etiàm infauſtum Galliæ Regi, & ob inopinatam etiam diriſſimam & injuſtiſſimam Gallorum invaſionem in Romanum Imperium Germaniæ noſtræ prænuntiâſſe: Præſertim cum multa alia ſigna prognoſtica invaſionem illam præceſſerint, quæ obiter hìc memorare libet.

Nam imprimìs præter conſpecta illa parhelia, quæ infrà fuſiùs deſcribimus in æſtate, quæ Gallicam invaſionem præceſſit, mures inſolitæ magnitudinis, circetos dictos, quos aliàs in Saxonia vocare ſolent Hamſter/ in arva noſtra præter morem copioſè vidimus effuſos, qui non tantùm frumenta, ſed & vineta tandem ingreſſi uvarum acinos collegerunt & in ſubterraneas cavernas comportârunt. Teſtatur & Doct. *Theodorus Moeren*, ut refertur *Ann 5. Decur. 2. Ephemerid. Germanic. Obſervat. 110.* Anno 1686. per Palatinatum & ad Rhenum circà *Wormatiam*, aliisque in locis Electoralibus Trevirenſi & Moguntinenſi vicinis cladem ingentem ab iisdem accidiſſe. Deindè eâdem æſtate aves infuctæ hìc de nocte communiter in pagis, de die verò in ſylvis auditæ inſolita planè voce inſtar gementium & ejulantium infantum lamentabiliter futuram calamitatem inclamare. Tertiò Lupi his in locis rariores per æſtatem media ordinariè nocte circà horam duodecimam, uti ſæpiſſimè non ſine terrore quodam ipſemet percepi, horrendum ullulârunt, cùm tamen ſylvæ vix in propinquo ſint, nec ſciri potuerit, ubi ſua de die ſubeant latibula. Quarto Trabes igneæ cum globis igneis ingenti tandem fragore dejectis viſæ, ità ut ædes contrà ipſas in ignibus ſtare etiam viſæ, & canes contrà latrârint, hominesque earum intuitu mirè conſternati ſint; Qui ignes haud improbè Vulcaniam Gallorum tyrannidem in vicinis hiſce vix ad alteram horam diſſitis locis peractam indicare voluerunt. Quintò in ipſo feſto *St. Michaelis*, quo tempore etiam Philippsburgum à Gallis expugnari cœptum, hìc in arvis noſtris Oxovio-goianis nubes militarium acierum ad inſtar ſeſe invicem invadere, impugnare, & acriter valdè contra ſe decertare viſæ ſunt. De quo Phœnomeno jam ſuprà actum eſt. Sextò Moguntiæ circà Civitatem in campis mures inſoliti omnis generis colorum in maximâ copiâ viſi, quorum ſcilicet aliqui rubri, alii flavi, alii virides, alii cærulæi, alii alterius coloris apparuerunt, atque eò potiſſimùm in loco, ubi in

urbem à Gallis deditione occupatam fortior deindè aggressus à Cæsarianis & confœderatis pro eadem denuò expugnandâ factus est. Sed hæc obiter insinuâsse sufficiat.

Parhelia qualia in partibus Septentrionalibus fiant.

12. *Olaus Magnus in histor. Septentr.* & ex ipso *Cardanus de variet. lib. 14. cap. 70.* describit Parhelia, quæ in Borealibus partibus frequenter accidunt, eorumque eventus consequi solitos, his verbis. *Solent quandoque etiam circuli versus Septentrionem altis nivibus terram tegentibus circà vernum Æquinoctium apparere, tali videlicet situ, ut amplissimus circulus per Horizontem sparsus totaliter albus fit, ità & tres orbiculi in ejus superficie divisim appendentes, qui tamen versus Orientem croceo colore quasi Solem imitantes distinguuntur. Prætereà ipsum solare corpus coronâ sive halone instar iridis in colore circumdatum est, utroque latere Solis imagines puniceo colore annexas habens, à quibus imaginibus, sive duobus Solibus duo semicirculi ad similitudinem arcuum per transversum sese incidentes exurgunt, ac tandem more halonum extensi evanescunt. Circà umbilicum, vel centrum amplissimi circuli iris est obversa, quæ in tenui nube splendet. Deindè etiam iridi in colore, situque contraria alia apparet iris subnigra. Postmodùm versùs meridiem per amplissimum circulum transversa eadem & subfusca protenditur colore semper variato, quemadmodùm fieri solet in arcu sive iride cœlesti. Hi tamen circuli sive Halones vix ultrà duas boras cùm dimidiâ durant semper habentes vel sui naturâ, vel alia quâvis secretâ ratione pessimos proximos secuturi temporis eventus: Videlicet portentosa tonitrua atque fulmina, quæ ædes & jumenta prosternunt, captivitates, & occisiones tàm nobilium quàm plebejorum ac incolarum; rapinas prætereà, hostiles classes, piratarum grassationes, ac incendia: Imò ad finem veris circulis evanescentibus pluere solent sulphurea grana cum vapore fœtido, moxque sequuntur horrenda tonitrua, ut contremiscere faciant audientes, rapidaque flumina plus solito nivium resolutione excitata omnia suo cursu obruant ac dispergant.*

Eventus eorum.

Hæc Cardanus. Parhelia frequenter tragicos consequi eventus hosque præmonere videtur etiam *Virgilius 1. Georg.* indicare, dùm canit.

Sol quoque signa dabit: Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cœcos instare tumultus
Sæpè monet, fraudemque & aperta tumescere bella.

§. II.

Plurium Solium, Lunarumque imagines diversis locis & temporibus in Cœlo visæ ex variis recensentur Authoribus.

Imprimìs constat ex veterum Scriptorum monumentis, sicut etiam *Cardanus* refert *libr. 14. cap. 70. de rerum varietat.* plures Soles post obitum *Julii* Cæsaris, undè Triumviratus secutus est, apparuisse. Similiter *Q. Minutio* & *Q.* Mario Coss. M. *Antonio* & *Lucio Planco* & *Claudio* Principe. Nunquam plures tribus apparuisse veteribus scribit idem *Cardanus* ibidem. Circà Solem arcus visus est etiam *L. Opimio* & *Q. Fabio* Consulibus. Trini Soles splenduerunt *S. Posthumio* & *Q. Minutio* Consulibus. Trinæ verò etiam Lunæ visæ *Cn. Domitio* & *L. Annio Coss.* Sed neglectis his, quæ antè Christum natum comparuerunt parhelia & parafelenæ; nunc Chronicon proferam celebriorum ab Authoribus variis notatorum plurium Solium & Lunarum post natum Redemtorem.

CHRONICON

Exhibens diversis temporibus plurium Solium & Lunarum imagines post Christum natum in Cœlo conspectas juxtà Authores adscriptos.

Anno Christi.

1. Produnt Historici, præcipuè autem *Eutropius lib. 7.* qua die Christus è Virgine Matre natus tres Soles fuisse conspectos. *Simon Majolus in diebus Canicular. Colloq. 1. de Meteor. Franciscus Titellman. lib. 6. c. 15. Jacobus Philippus Bergomas in Suppl. Chron.* ait: Tres Soles tunc visos & in unum tandem coivisse.

51. Tres Soles *Romæ* visi sunt & penuria civitatem adeò afflixit, ut multa hominum millia fame extincta sint. *Franc. Vicomercatus comment. in 3. Meteor. Marcus Fritschius in Meteoris. Plinius lib. 2. hist. Nat. cap. 31. D. Claudio* Principe consulatûs ejus *Cornelio Orphito* Collega An. 52. videtur adscribere.

70. Duo simul Soles tàm manè in Orientis, quàm Vesperi in Occidentis plagâ conspecti fuerunt; quorum hic languido & pallente; ille verò splendido & forti colore conspicuus fuit. *Joan. Xiphilinus Hist. Rom. tom. 3. in Vitellio.*

571. Ante cladem Arvernam magna regionem illam prodigia terruerunt: Nam plerumque tres aut quinque splendores circà Solem apparuerunt, quos alii Soles vocârunt. *Greg. Turon. Hist. Francicæ lib. 4. cap. 31.*

579. Similes splendores circà Solem comparuerunt, ut *Idem. Hist. Franc. lib. 5. cap. 23.* memorat.

922. Apud *Cameracum* quasi tres Soles apparuêre, vel Sol tres orbes à se invicem distantes habere visus est. Item duo in Cœlo spicula contrà se utrinque propinquantia, donec nube sunt cooperta. Prætereà duo stipites sibimet Cœlo pro-

Anno Christi | lo propinquantes, quousque similiter nube operti sunt. *Frodoardus Presb. Eccles. Rhem. in Chron.*

957. Duo Soles in Cœlo pariter visi sunt & per biduum mense Julio mare dulce factum est *Neapoli* usque *Cumas*. *Chronicon Cassianense lib. I. cap. 5.*

967. Duo Soles per biduum in Cœlo conspecti fuerunt: Nonis verò Septembris tres in Occidente visi sunt. *Ciaccon in Joan 13.*

1105. Duo Orbes forma & lumine similes apparuerunt omnis coloris radios iridis adinstar emittentes. *Sigebert, in Chronograph. anni ejusdem.*

1107. Tres Soles apparuerunt & *Böemundus* cùm Græciæ fines devastâsset, relicto in Syria filio vitâ defunctus est, & Turcarum copiæ Edessinorum regiones cum Tancredo depopulatæ sunt.

1811. Plures Romæ visi sunt Soles exitii maximi, calamitatum & bellorum præsagia firma.

1156. Nonis Septemb. Cœlo serenissimo tres Soles; paucis post diebus totidem Lunæ conspectæ sunt: In mediâ autem Lunâ crux candida apparuit. Astrologi, *ut Erphordiensis* ait, *discordiam inter Electores ob Imperatorem eligendum hinc*

1157. *conjectârunt.* At *Hartmannus Schedel in Chronico* ad Annum 1157. parhelium hoc refert, dum ait: *Anno 1157. Nonis Septemb. tres Soles in Occidente simul visi sunt, & post duas horas cœteris deficientibus, qui medius fuerat, Solus occidit, similiq; modo proximis annis tres Lunæ apparuêre, & in mediâ signum crucis.* Eodem Anno refert *Christianus Massæus in Chron. lib. 16.* ad V. Septemb. tantam pluviam consecutam, ut sata periêrint.

1163. Die 1. Octobr. per tres ferè horas visi sunt tres circuli circà Solem, quibus subindè evanescentibus duo Soles creari videbantur. Quo prodigio dissidium Regis & *Thomæ* prænuntiatum, jam tùm vulgus credidit, quod indies magis crescens simultas protulit. *Polydor. Virgil. Angl. Hist. lib. 13.*

1169. Tres Soles simul visi sunt in Occidente 5. die mensis Sept. & post duas horas deficientibus cœteris, qui medius videbatur Solus in Occasum tendebat. Simili modo quoque tres Lunæ annis proximis apparuerunt. Ita *Trithem. in Chron. Hirsaug.* Soles hos visos memorat eodem anno *Chronicon Poloni.* At *Palmerius* ad 5. Nov. tres Soles apparuisse scribit, & eodem propè anno tres Lunas.

1300. Decimo quarto Cal. Martii in Italia crux in Luna apparuit, posterâque die tres Soles conspecti fuerunt in medio trium orbium, qui iridis speciem præbebant. Horum tertius imperfectus altero cornu Occidentem, altero spectabat Aquilonem. *Hugathio Fagiolanus*, Pisanarum copiarum ductor proximo mense Majo Pisarum, Lucæq; imperium invasit. Ita *Sabell. l. 1. c. 4. & Egnat. lib. 1. cap. 5.* Anno etiam 1314. visæ in Cœlo tres Lunæ memorantur.

1466. *Romæ* Sol tergeminus multorum mentes turbavit. Ità *Chronicon Matthiæ Palmerii Pisani.*

1490. In Octobri mense tres Soles simul, pauloque post tres pariter Lunæ visæ sunt in Cœlo cum iridibus quibusdam, circulisq;. Non multis annis pòst cum ingenti exercitu in Finlandiam impetum fecêre *Moschi*, cunctaque propemodùm regionis illius ferro flammâque exciderunt. Secuta quoque mox est inter *Stetonem, Suantonèmque* Sturios discordia ingens; cui nisi maturè obviam fuisset itum, immensum omnibus periculum creâsset. Tandem etiam ad Regis Daniæ *Joannis*, quem per annos quatuordecim suspensum, incertumque tenuere Sueci, Ventum coronationem: post quæ tempora quantùm malorum Suetia subire coacta sit, ex monumentis publicis notum est. Ita narrat *Schefferus in memorabil. Suecicæ gentis cap. 2.* Memorat etiam *Olaus M. lib. 2. cap. 18.*

1496. Tria parhelia Romæ visa sunt, quo tempore acerrima prælia *Castrioti Scanderbegi* cum Turcis mortuo *Francisco Sfortia* bella in Italia exarsêre, sicut in Anglia intestina.

1514. Tres Soles apparuerunt *Wittenbergæ*, quibus singulis cruentus inesset gladius. In *Rottweil* etiam Sol aspectu sanè quàm horrendo apparuit variis diversorum colorum septus orbibus. Bis quoque tres Lunæ conspiciendas se præbuerunt. *Laurent. Sur. hist. part. 1.*

1524. Die 6. Junii *Anuonæi* in provinciâ Vivariensi tres Soles à pomeridiano tempore usque ad Solis Occasum conspecti fuerunt. *Hugo Caronæus in Ephem. apud Jacob Gualterum.*

1525. A Rege Poloniæ sex simul Soles visos esse tradit *Vicomercatus*, ut refert etiam *Chalesius Diopt. lib. 3. prop. 23.* Eodem quoque anno tres Soles in Hungariâ visi memorantur ante mortem *Ludovici* Regis: quos significâsse perhibent tres Reges concertaturos pro Regno Ungariæ, nempè *Ferdinandum, Joannem, & Turcam.* Mortuus fuit Rex sequenti anno 1526. *Laurent. Sur. hist. part. 2.*

1528. *Tiguri* tres Soles fuisse visos, qui famem prænuntiare æstimati (quæ incredibilis posteà fuit) notat *Simon Majolus in dieb. canic.* Eodem anno *Cardanus* etiam binos Soles die 28. Maji visos narrat.

1531. Die 12. Maii paulò post Solis ortum duos *Annonæi* visos esse Soles memorat *Hugo Caronæus in Ephem. apud. Jacob. Qualt. in Tabulis Chronograph.*

Anno Christi. 1532. in Moraviâ supra *Olmuzium* tres Soles apparuerunt. *Alexand. Guagn. tom. 2. Compend. Chron.* Eodem anno die 1. Martii *Magdeburgi* circà horam 7. septèm Irides visæ & tres Soles, vespere verò tres Lunæ. *Marc. Fritschius in catalogo prodigiorum.* Idem quoque memorat die 21. Aprilis tres Soles totidemque irides visas esse *Magdeburgi*. *Cardanus* etiam eodem anno tres Soles sibi comparuisse *Venetiis* testatur his verbis. *Vidi*, inquit, *Anno 1532. tres Soles die 11. April. hora diei 2. conspicuos & splendidos Venetiis cum duabus iridibus, non cum capitibus descendentibus, sed Soli oppositis, quarum prima citò desiit, altera in medio Cœli parva constitit horarum duarum & plus spatio, altera velut corona, aletra ut semicirculus plano terræ æque distans præter aliorum morem: Soles verò ipsi pellucidi, ut intueri nequaquam possent, sicut nec qui in medio erat: qui ergò ad Solis lævam habebatur, valdè lucidior, majorq́, ac splendidior visus est versus Austrum, qui verò ad dextram Boream versus spectabat, minor, nec tam splendens, hunc tamen in fine magis perseverantem, auctumq́ animadvertimus. Sic tamen, ut ambo simul desiisse visi sint, uterq́ tamen maximos radios per Cœlum & ad terram extendebant colore omnium ad rubedinem declinante.* Ita *Cardanus*. Subdit tandem: *Hæc à me visa plusquam 2000. testibus spectantibus: nam Ædis B. Marci aream compleverant cives.*

1570. In *Caphâ* urbe Theodosiâ tres Soles visi sunt ad tertiam usque horam diei, quorum cùm duo post recessissent, unus ad occasum, alter ad ortum, candidi super eos arcus apparuerunt. *Michael Isselt in hist. sui temporis.*

1573. Die 29. Aprilis ab hora duodecimâ usq; ad secundâ fere post meridiē Sol admodùm pallens Cœlo constitit sereno admirando quodam circulo circumseptus qui plane insolitus & supra halones frequentiùs apparentes etiam instar iridis florentissimæ trium colorum specie, expressâq; varietate distinctus fuit. Processere tandem è Sole nigricantes radii, qui suspenso dudùm ad hoc spectaculum vulgo sensim externam peripheriam dissolverunt. Hoc eodem anno die undecimâ Maji *Lovanii* horâ octavâ matutinâ paulò obscurior halo comparuit, ad cujus externam circumferentiam duo parhelia constiterunt; sic tamen ut versùs Orientalem plagam evidentior apparuerit tanquam è lebete repercussa Solis imago evanescente prius alterâ, quam occidentalis regessit. Repetitum est idem spectaculum vesperi circà quartam, ubi tamen unus duntaxat parheliorum versus Occasum constanti quadam reflexione permansit: Orientalis autem velut habenas deferens protinus exspiravit. *Cornelius Gemma lib. 2. Cosmocrit. cap. 4.*

1586. *Rothmannus*, & ex eo *Chalesius lib. 3. diopt. prop. 23.* observationem plurium Solium conspectorum describit his verbis. *Anno 1586. die secundâ Januarii conspeximus hic Casellis parhelia. Apparebat primum, antequam Sol oriretur in aurorâ. Erat enim Cœlum circà Horizontem clarum, columna erecta ad anussim circulo verticali latitudine ubique tantâ, quanta apparebat diameter Solis. Incendium alicujus pagi ultra montes dixisses, si vidisses. Erat enim prorsus specie igneâ tanquam flamma, nisi quod ubique ejusdem esset spissitudinis; paulo post oriebatur in eâ columnâ idolum Solis non aliter ac si esset Sol verus. Vix digitus de hoc idolo adhuc sub Horizonte latebat, cum in eadem columna oriretur Sol verus. Quem eodem modo sequebatur aliud Idolum, permanebatque columna hæc cum tribus sub continuè sic contingentibus Solibus semper erecta in circulo verticali: erantque Soles hi ejusdem formæ, nisi quod intermedius & verus reliquos fulgore antecelleret, durabantq́ cum ea columnâ ad quadrantem horæ* ita *Rothmannus.*

1588. *Dietmarsiæ* & in aliis locis quinque Soles simùl visos scribunt Authores, quos famem in Italia Anno 1591. subsecutam præsignificâsse quidam voluerunt.

1610. *Ingolstadii* parhelia ejusmodi observata memorantur. Circumstabant Solem tres irides homocentricæ circulares suis genuinis coloribus elegantissimè distinctæ, quarum minima pleno circulo rotunda erat, reliquæ eâ parte, quâ Horizontem despectabant, apertæ mancâ peripheriæ portione nonnihil hiabant. Spatium intra iridem minimam & Solem interceptum areæ solari, quæ halo dicitur, per omnia simile apparuit; in cujus extremitates circulus lacteus Horizonti æquidistans utrinq́ue desinebat per Solem, si ulterius protenderetur, incessurus. In communibus autem iridum & hujus circuli concursibus affulserunt parhelia multò fulgidissima dextrâ terna, aliaq; terna lævâ tam vibrante jubare, uti à vero Sole distinguere, & indemni oculo intueri nemo valeret. Ex iisdem præterea parheliorum locis tanquàm communis contactus punctis aversi quoque iridum arcus situ & ordine colorum everso cum omnium aspectantium admiratione enascebantur, quorum haud dissimilia à Sole versus verticem loci eveniebant. Etenim ubi planum verticale per Solem incedens iridis Soli concentricas intersecabat, illic parhelia verticalia lateralibus quidem imperfectiora, suo tamen genere valdè vivacia resplendescebant, &c. Tenuit hoc spectaculum attonitos tribus integris diebus à summo mane usque ad vesperam. *Tylkowski phys. cur. part. 3. de Meteor.*

1620. Tres Soles Wratislaviæ in Silesiâ conspecti fuerunt die 10. Jan. Sol verus erat in medio, & circulo magno ambiebatur, in quo utrinq; ad latera Solis veri pseudosoles fuerunt, sed radios in aversâ à vero Sole partē vibrabant. Infumitate

comparebat

Anno Christi.

comparebat navicula utrinque rostrata, & in medio illius loco mali crux stabat. Idem ibidem.

1622. Die 11. Februarii horâ circiter ante meridiem *Romæ* tres Soles comparuerunt, & nonnisi post meridiem disparuerunt. Eodem anno die decimâ quintâ Februarii in Germaniâ ab hora duodecima post meridiem usque ad quartam & quintam Vespertinam parhelia à se visa testatur *P. Georg. Schönberger in disput. de Sole illustr.*

1628. Die sextâ Novembris *P. Scheyner* cum pluribus aliis observavit *Romæ* tria vel quatuor parhelia cum aliquot iridum segmentis Solem ambientibus, nec non parte coronæ lacteæ: duravit phœnomenon per tres quasi horas à nonâ circiter usque ad meridiem.

1629. Die vicesimâ Martii *Romæ* visi sunt quatuor pseudosoles, qui in candidas nubes resoluti dicuntur à *Gassendo lib. de Parheliis*. Exactius hoc ipsum phœnomenon (si tamen non sit fortè aliud) eodem quidem anno verùm die 29. Martii horâ secundâ & tertiâ pomeridianâ describit *Henricus Regius in fundam. physicæ* Romæ visum cum duobus halonibus sive Coronis circà verum Solem, qui tamen ex unâ parte deficiebant, erantque aperti, & cum circulo albicante majore, in quo omnes solares imagines constiterunt. Notat etiam quandam Solis imaginem à latere veri Solis fuisse caudatam, eam nempe, quæ versùs occasum lucebat. Meminit etiam parhelii hujus *Romæ* visi *Cartesius*. Eodem quoque anno in Lituania die decimâ Januar. visæ fuerunt tres Lunæ, in quarum medio vera consistebat & in crucem spargebat radios, in quibus ad latera duæ aliæ spargebantur.

1630. In diversis Europæ locis varia comparuerunt parhelia. *Romæ* ad diem 24. Januar. Soles quinque spectati fuerunt. Duo etiam parhelia *Romæ* visa sunt die 26. Augusti circa horam 6. Astronomicam sub altitudine Solis supra Horizontem Grad. 21. usque ad Grad. 19. spectavit *P. Scheiner*, *& P. Melchior In confer.*

Eodem Anno *Dilingæ P. Joannes Welz* vidit manè parhelia, sed tantùm duo valdè clara. Rursùs illo ipso anno die 19. Aprilis visus est halo circà Solem cum albo circulo majore, qui habuit lumen lunæ, alioquin albus.

1635. Die 9. Maii *Gassendus* parhelium notavit, quod & antecessit, & subsecuta fuit aura valdè pluvialis.

1636. Die 5. Aug. *idem Gassendus* parhelium observavit: simul tamen addit, quod tam illa ipsâ die, quâ phænomenon comparuit, quàm etiam sequenti die calor viguerit.

1649. Mense Aprili spectatos fuisse quinque Soles refert *Tylkowski in phys cur.*

1650. Mense Februario visæ sunt in Lituaniâ quinque paraselenes. *Idem.*

1660. Die 6. Aprilis circà 5. vespertinam *Gedani* tres spurios Soles cum variis acubus observatos fuisse scribit *Hevelinus in Sole pag. 172.*

1661. Die 20. Februarii circà horam 11. Sole meridianum accedente septę camparuisse Soles *idem Hevelius* refert: putat etiam quod si citiùs ei phænomenon istud loco quodam altiore in conspectum venisset; absque ullo dubio plures Soles spurios, universim autem novem observari potuisse.

1666. Die 9. Aprilis *P. Le. Bossu* propè *Carnutum* parhelium observavit, & tertio post die *D. Stephano* Carnutensis Ecclesiæ Canonico aliud apparuit, ut refert *Du Hamel Phys part. 2. de Meteor. cap. ult.* Utrumque parhelium cum duplici halone apparuisse scribitur; exterior tamen halo erat eccentricus.

Eodem anno die 14. Junii circà horam septimam matutinam supra memoratus *D. Stephanus* coronam solarem observavit, ut refert *Du Hamel ibidem*, Solemque verum in medio, & spurios duos Soles è diametro sibi oppositos, quorum etiam unus ad Septentrionem, ad Austrum alter vergebat; nullus aderat circulus candidus. Nubes verò in contrarias partes ferebantur, sed superiores lentiori motu agebantur. Pars summa coronæ ferè erat 23. graduum, alter ex spuriis Solibus longam trahebat caudam, quam formavit nubes à Borea delata.

1669. Die 10. Jan. circà primam pomeridianam *Presburgi* in Ungariâ parhelium observatum est cum duobus spuriis Solibus collateralibus, qui tamen illustri fulserunt jubare, ut nudis oculis absque nocumento inspici non valuerint. Arcus insuper plures colorati simul visi sunt. Evanescente uno laterali Sole spurio alter ex oppositione respondens corpore auctus & major effectus est. Secuta fuit famosa illa conspiratio *Nadasti*, & aliorum conjuratorum in Cæsaream Majestatem, quæ lamentabilem tandem exitum sortita est.

1670. Parhelia præter morem frequentiora visa sunt; licet non cum tantis circumstantiis, ita ut ab ipsis Calend. Januarii cum Euro continuò flante intensum sæviisset frigus, die 12. Januar. & manè & vesperi Cœlo sereno visus sit verus Sol inter duos spurios. Sæviit autem duobus sequentibus diebus frigus supra modum acre. Ast ubi die 15. Jan. Euro successisset Auster, simul quoque frigoris remisit inclementia. *Ephem. Germ. cur. Decur. 1. Ann. 1. observ. 9.*

Anno 1671.

Anno Christi.

1671. Die 25. Maji circa undecimam à media nocte, cum 45. minutis visa fuit duplex paraselene, cùm Luna plurimùm ad austrum declinaret & Horizonti propior esset. Altera ex iis nempè Orientalis quinquies ferè major lunari globo apparebat, eaque erat admodùm lucida cum prælongâ caudâ, sed sensim imminuta est, dum opposita versus occidentem sensim augeretur, & utraque tandem æqualis penè magnitudinis apparuit. *Du Hamel de Meteor. phys. part.* 2.

Eodem Anno die 26. Maji horâ 5. matutina *Carauti* corona circà Solem visa est, in quâ duo parhelia 23. ferè grad. à Sole remota apparuerunt. Sole altiùs supra Horizontem ascendente Halo sensim factus est contractior, donec parhelia jam aliquot gradibus ab ipsâ distarent coronâ. Unius ex parheliis cauda 15. aut 20. grad. patebat, sicque inflexa erat, ut partem illius circuli candidi, qui Horizonti parallelus erat, efficere videretur. Interim iis in locis, in quibus parhelia apparebant, Cœlum erat serenum, nisi quod nubes identidèm subeuntes hanc serenitatem interpellabant, cùm pars coronæ interior, ac ferè semper accidit, obscurior esset. *Idem Hamelius ibidem.*

1681. Die 25. Aprilis circà horam 9. vespertinam *à Clariss. D. Luca Schröck Augustæ Vindelicorum* duplex Iris lunaris observata est, quarum minor coloribus iridi solari non dissimilibus; major verò colore haloni similis apparuit, in quibus itidem duplex paraselene lumine tantum obscurior; in angulo nempè, ubi se ambo arcus contingebant, conspiciendam se exhibuit. Altera paraselene paulò pòst, tùm & secunda unà cum circulo minore sensim juxtà eum majore intrà horæ spatium disparente. *Ephem. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *observ.* 9.

1684. Die 3. Februar. *Wittenbergæ* post horam 10. nocturnam biduo à plenilunio elapso apparuit corona circà Lunam; indè crux transversa, recta & perfecta, albicans conjunctis aliquot per modum linearum radiis, & tres horas integras figuram retinens, paraselenes geminas obscuriores cum iride pulcherrimâ lunari incompletâ interim exhibebat oculis. Mirabile hoc phœnomenon multis etiam adhuc aliis in locis, videlicet *Dresdæ*, *Berolini*, *Lipsiæ*, & in *Silesiâ* visum memorant *Ephemerides Germ. Curiosor. loco supra cit.*

Eodem anno in Franconiâ nostrâ propè *Oxovium* parhelium observatum est cum circulo albicante, in quo duæ Solis imagines conspicuæ, aliique annexi arcus colorati: hocque phœnomenon spectatoribus non tantùm magnam admirationem, sed & terrorem ingessit.

§. III.

Parhelia & paraselenæ ab Authore observata.

Parhelium hyemale. Lubet nunc curioso Lectori phænomena quædam plurium Solium, & Lunarum paulò accuratiùs describere, quæ paucis abhinc annis in Franconiâ nostrâ observata, & à me diligenter inspecta sunt.

Primum est Parhelium hyemale, quod exeunte hyeme in arvis Regiscurianis propè Oxovium Franconiæ die 1. Martii Anno 1688. ab horâ primâ ad tertiamusque pomeridianam ità fuit observatum ut in *Iconismus Figura I.* figura 1. Iconismi exhibetur. A verus fuit Sol in circulo albicante ABOPTNC Horizonti parallelo circà T & N tamen versùs occasum incompleto ob aërem nempè ibi rariorem, puriorem, ac minùs nebulosum. B & C. sunt duæ Solis imagines lucidiores, veroque Soli A propiores cum incohatis arcubus utrimque albicantem priorem circulum secantibus, nempè FK & GL, sive quibusdam segmentis circularibus Iridum coloribus insignitis, quæ tamen non attigerunt circulum sive arcum superiorem. MEN manè tamen atq; ante meridiem, ut alii observârunt in integrum penè circulum coiverunt, inferiori solùm parte circà K & L incompletâ. MVDXN arcus est versicolor ad modum Iridis in VDX nonnihil inflexus & incurvatus: pars tamen VEX, quæ cum cornibus MV & NX continuari visa fuit, apparuit subalbida. Phœnomenon HI paululum à Zenith versus meridiem remotum constitit ex duobus coloratis arcubus inchoatis. O Solis alia imago est tenuior, quæ versùs ortum in circulo subalbido Horizonti parallelo comparuit: P item Solis imago vero Soli A opposita cum radiosis quibusdam profluxibus aut inchoatis candicantibus arcubus PQ, PR, PS, quorum longior ferè ad Solis O imaginem protensus fuit. Postquam autem imago solaris O fermè evanuit; tenuis alia imago Solis T inter occasum & septentrionem comparere cœpit.

Notandum I. quod licet toto ferè die parhelium istud fuerit observatum; clarissimè tamen ferè circà meridiem apparuit, & quidem, ut alii retulerunt, cum arcubus illis KF & LG superiùs pene conjunctis. *Quando magis conspicuum.* Deindè prout Sol verus in Cœlo fuit progressus, totum etiam phænomenon convehi visum est. Undè etiam solaris imago T. subalbida instar Solis per nubem rariorem aut nebulam quandam transparentis, nonnisi propè ad horam tertiam pomeridianam (cum nempè pars ea circirculi albicantis in aërem magis aliquantum vaporosum aut nebulosum versùs Orientem incidit) apparere cœpit.

Notandum

SEPTENTRIO.

P

Q R

O T

S

Fig. 1.

ORTUS. OCCASUS.

Zenith.

H I

E

D


M F G N

B A C

K L

MERIDIES.

Fig. 2.






Fig. 4.

Occasus.

Fig. 3.

N P

Zenith.

Septentrio.

Meridies.

O

L

G I

H

D

K M

A

Q B C R

Ortus.

E F




Fig. 5.

Aëris constitutio. Notandum II. quod aëris constitutio, & dispositio, in qua parhelium istud contigit, talis à me sit observata. Nox scilicet præcedens licet frigidiuscula fuerit Cœlo sereno, & terra etiam mane nonnihil congelata; vaporosa tamen & admodùm nebulosa extitit. Dies consequens remisso aliquantulùm frigore fuit subnebulosus, & aër tunc quidem à ventis tranquillus, subtristis tamen ac ferè non dissimilis ei, quo Cœlo aliàs sereno eclipses solares contingere solent. Subsequens denuò dies secundus Martii etsi aliquantulùm adhuc vaporosus extiterit, minùs tamen quàm ipse dies, quo parhelium contigit, fuit nebulosus: Unde etiam eodem die tempore matutino subnebuloso ad decimam usque horam iterum lucidum quoddam phænomenon instar spurii Solis, cum variis tamen aliquandò coloribus versùs septentrionem apparuit & subindè alterum respondit in eâdem à vero Sole A distantiâ versùs meridiem, ut patet in B. & C. figur. 2. per congrua autem perspicilla, dum lateralia hæc phœnomena inspecta fuerunt; coronæ sivè halonis versicoloris segmenta, seu partes quædam in tenuissimæ nubis tractu, ut in figur 2. videre licet, apparuêre.

Figura 2.

Eventus. Hoc parhelium secuta fuit magna aëris intemperies, ac quidem die 7. Martii nix cadere cœpit, quæ & sequenti die 8. continuans tandem ità ubertim accumulata fuit, ut præter temporis morem ob copiam omnibus suspecta fuerit. Secutum fuit deindè frigus insolito magnum per duas septimanas. Noctes fuerunt frigidissimæ, quibus nix ipsa superior in glacialem crustam perduram fuit coacta.

Alterum parhelium figura 3. Alterum parhelium vernale eodem Anno 1688. & loco Franconiæ die 7. April. circa horam septimam matutinam ità in Cœlo fuit exhibitum, ptout figura 3. monstrat. A verus est Sol. EDF. halo sive circulus versicolor circà Solem, ad EF tamen incompletus. GHI. arcus similiter ad modum Itidis coloratus priori circulo obversus, eumque contingens. Locus contactûs H.D. paulò lucidior subindè comparebat instar spurii Solis ibidem depicti: sæpius tamen ea luciditas disparebat, ac solùm diversi colores apparebant. Hic locus etiam per vitra congrua inspectus videbatur colorum invicem oppositorum vivacior extollentia. Ad loca B & C apparebat lux vivacior, quæ duos Soles spurios sive solares imagines repræsentabat; utrinque tamen lux ea paulò longiùs diffundebatur, adeò ut non tantùm à B versùs Q longiùs, quàm ex C versus R protendi & protrahi, sed etiam circulus quidam albicans versùs septentrionem Horizonti parallelus inchoari videretur. KLM. Halo erat sive arcus alius major Iridis adinstar coloratus, cui similiter alius coloratus NOP obversus erat, haud adeò longè à Zenith remotus.

Totum hoc phænomenon non ità diu & constanter semper apparuit; sæpè enim pars aliqua evanescere, aliquando denuò reverti, aliquandò ob tenuium quarundam albicantium nubium in eo Cœli tractu versantium occursum omninò fermè disparere cœpit. Puncta tamen B & C paulò ultrà octavam matutinam observata sunt fermè uti phænomenon illud 2. Martii ejusdem anni supra notatum. Paulò diutiùs etiam inchoata solùm quædam segmenta circularia colorata circà HD, & OL observata fuerunt reliquis arcualibus partibus dilapsis.

Aëris constitutio. Aëris porrò constitutio antecessit talis. Die Lunæ præcedente, quæ erat 5. Aprilis, aura fuit pluviosa, ventosa & turbida; secuta est die 6. ejusdem benignior, eaque valde serena & pacata: Vesperi tamen nonnihil nubila fuit & vaporosa. Nox consequens initio quidem nubila quoque fuit & obscura, ad finem tamen serena extitit, unde & tempore eo matutino, quo parhelium comparuit, terra tenui admodùm glacie constricta, aër tamen videbatur humidiusculus & nonnihil vaporosus cum albicantibus raris valdè, ac tenuibus nubibus undiq; per Cœlum, maximè tamen Orientem versùs dispersis; quousque ventus isq; Hypophœnix aut Phænicias primò quidem leniùs spirare, atque non tantùm nubes omnes, sed totum hoc etiam phœnomenon dissipare & difflare cœpit. Post meridiem autem paulò validius aërem agitare atque serenare exortus. Deindè tamen rursum turbavit & nubibus obscuravit: ad vesperam alius successit ventus, isque Austro occasum versùs proximè collateralis, Cœlumque gravem minari cœpit tempestatem, quæ tamen denuò difflata non nisi undique nubes reliquit, ac minutam de nocte pluviam.

Sequens dies 8. Aprilis nubilus fuit, post meridiem dispulsis tandem nubibus clarior, ac nocte insecutâ halo circà Lunam in Cancro tunc existentem comparuit. Hoc etiam inter cœtera diebus hiscè notatum fuit, quod licet aura superior fuerit subnebulosa & seriò intuentibus observata vaporosa; aër tamen terræ incumbens valdè clarus & perspicuus extitit, ità ut objecta terrestria longissimè etiam distita per telescopia, quàm nitidissimè conspici valuerint.

Die 9. Aprilis Halo & initia denuò parhelii, pluriumque Solis imaginum comparuerunt; verùm vento validius afflante & nubes diversimodè propellente phœnomenon inchoatum subsistere nequivit.

Parhelium inchoatum. Die 19. Aprilis, Feriâ scilicet secundâ Paschatis inter sextam & septimam matutinam rursùs apparuit Parhelium inchoatum, & quidem Solis quædam imago versùs Septentrionem paulò diutiùs observata fuit: altera verò versùs Meridiem existens ob nubes atras ibidem hærentes vix aliquandò comparuit. Post meridiem verò eodem die circà horam primam albus quidam circulus, sive halo denuò Solem ambiit. Præcessit autem imprimis aura die primo Paschatis post noctem quidem turbidam & pluviosam,

clara & ſerena, immixtis tamen quibusdam nubibus albis: Ipſe verò dies inchoati hujus parhelii, nempè Feria ſecunda Paſchatis fuit clarus & parùm ventoſus, veſperi paulò obſcurus, & nubilus, qui tempeſtatem comminari videbatur. Sequens autem dies 20. Aprilis fuit admodùm frigidus & nubilus, ſecuti ſunt dies quoque plures valde turbidi, & præter morem ventoſi ac frigidi, vento nempe Borea hybernis ſuis flatibus frementе.

Die 26. mane ningebat, & aura turbidiſſima, frigida, & tempeſtuoſa fuit, à meridie autem varia & inconſtans nunc ſerena, nunc nubila, ſemper autem valdè ventoſa. Veſperam excepit tranquillitas & ſerenitas, quam alius ventus flabris mitioribus invexit. Poſt mediam noctem ingruente die 27. April. mane ab horâ ſecundâ ad tertiam usquè & ultrà Cœlo undique ſereno phœnomenon igneum miro fulgore albicans inter ortum & meridiem apparuit in formâ trabis longiſſimè pluriumperticarum. Poſt aliquod tempus in parte orientali A incenſione factâ globus igneus exarſit, qui maximo cum fragore, ei non abſimili, qui ex ingenti tormento bellico exploſo percipi ſolet, in terram decidit: ſecuta deindè illius trabis igneæ quædam contractio, & in arcum (velut in A D B exprimitur) conformatio, cum valdè illuſtri & igneo fulgore, cujus aſpectu homines plurimùm conſternati, quidam etiam proximas ædes contrà hoc ipſum phœnomenon poſitas in mediis flammis conſiſtere putârunt, canesque ad rabiem concitati allatrare cœperunt. Quousque tandem diurnâ appropinquante luce evanuit & penitus tandem diſparuit. Secutum etiam manè illo frigus acre, pruina, & glacies, à meridie verò venti vehementiùs terram concuſſerunt.

Phænomenon igneum viſum & auditum cum ingenti fragore.

Figura 4.

Die 7. Maji ejusdem anni currentis manè circà 6. horam denuò apparuerunt inchoata Parhelia: ab octavâ usque ad undecimam Halo ſeu circulus albi coloris Solem cinxit; fuit tamen circulus iſte ad finem ſeu marginem exteriorem aliquantùm verſicolor: depurato deindè magis aëre dilapſus eſt. Dies præcedens fuit valdè turbidus & inconſtans, ventoſus, frigidus & nivoſus: Ipſe autem dies 7. Maji ſubnebuloſus cum albicantibus nubibus quaqua verſùs diſperſis: Veſperi nubiloſior & obſcurior cum pluvia mediocri frigida, & vento aquilonari. Subſecutus eſt etiam dies 8. valdè frigidus, ventoſus & nubilus.

Inchoatum denuò parhelium.

Die 9. Maji manè in ipſo Solis ortu apparuit Iris rubra duplex, ad finem tamen nonnihil verſicolor; ac etiam pluvia verè rorida minuta eodem tempore decidit. Mox tamen nubes altiùs elevatæ & vento Ortum inter ac Meridiem ſpirante aura benignior atque ſerenior cum nubibus albicantibus inſecuta eſt.

Iris rubra duplex

Anno 1690. die 24. Martii Lunâ accedente ad plenilunium veſperi circà horam octavam paulò ante Eclipſin tunc contingentem, phœnomenon paraſelenium hìc in eodem Franconiæ noſtræ loco ſpectavimus, ut in figura 5. vides. Dies 14. Martii fuit manè ſatis frigida & ſerena ventoque Orientali perflata: Ingruente nocte pariter ſerenâ fumus ex ædium caminis emiſſus difficulter aſcendere obſervatus fuit, imò nebulæ inſtar remiſſus & propè terram retentus. Phænomenon B verſùs Septentrionem exiſtens primùm paulò lucidius comparuit, magisque etiam in modum barbati cometæ protractum & protenſum. Alterum verò phænomenon C è diametro oppoſitum meridiem verſùs paulò dilutius & minùs expreſſum fuit: ſucceſſu verò temporis ejusdem penè magnitudinis & coloris extitit, in circulo porrò etiam valdè diluto & vix comparente, ad B tamen magis conſpicuo. Poſt 9. verò, cum Lunâ ad meridianum amplius progreſſa & Eclipſin ingreſſa, ambo lateralia hæc phænomena diſparuerunt.

Paraſelene.

Figura 5.



CAP. XIII.

CAPUT XIII.

De ſpectris ſivè oſtentis ac variarum rerum ſimulacris in aëre quandoque conſpicuis.

Rectè ſcribit *Cardanus lib. 14. de Variet. cap. 69. rariora quæcunque admirabiliora, & quæcunque admirabiliora, terribiliora. Raritas enim admirationem parit, admiratio terrorem.* Ita ſolent quandoque, etſi rariùs varia quædam ſpectra, & oſtenta, ſive variarum rerum ſimulachra, veluti integri exercitus, præliantium concurſus, militum caſtra, equites armati, viri cataphracti, claſſes armatæ, ac naves bellicæ cùm remis velisque atque aliis requiſitis, pluraque alia terrifica ſpectra in aëre comparere, quæ non tantùm homines ad ſtuporem adducere, atque admirationem in eorum animis excitare, ſed & haud levem impendentium, aut imminentium quorundam malorum eventuum terrorem incutere ſolent. Quæ etiam licet cauſam ſæpè habeant occultam, & nullo ingenio penetrabilem; cum ea providum Numen ſingulari quadam curâ ordinet in publicarum & communium calamitatum præſagia, unde etiam prodigia, oſtenta & portenta ab aliis vocari ſolent; ſæpè tamen etiam naturali viâ per varias lucis & umbræ miſtiones, per catoptricas reflexiones, dioptricas refractiones, atque artificioſas radiorum opticorum directiones mira ejusmodi ſimulachra fortaſſis efformari poſſunt. Nos hoc capite cauſas naturales prodigioſarum quarundam in aëre repræſentationum attingere, & breviter deſcribere, mira deinde exempla compertorum ejusmodi oſtentorum ex variis Authoribus collecta ſubnectere, & Curioſo Lectori recenſere cupimus.

§. I.

De inſolitis ac miris in aëre repræſentationibus notabilia ſcienda.

Spectra inſolita Dei voluntate ordinantur.

1. Firmiter comprimis tenendum eſt, nihil in rerum naturâ tam caſuale ac fortuitum, nihil tam inſolitum ac mirum unquam apparere poſſe, quod non ab occultâ divinæ providentiæ diſpoſitione omnium moderatrice ità ordinetur. Undè licet nobis ob abditos fines, diviniique conſilii inacceſſas rationes nulla ſæpe appareat cauſa inſolitorum quorundam in aëre comparentium oſtentorum: Eſt tamen æquiſſima Dei voluntas & diſpoſitio ipſa cauſa, quæ vult omnia ad optimos fines dirigere, ac comprimis per ea *metuentibus dare ſignificationem, ut fugiant à facie arcûs, ut liberentur dilecti*, ſicut Regius canit *Pſaltes ps. 59. v. 6.* Undè etiam prodigia à Veteribus *Deorum minæ* vel *iræ* dicebantur, ut ait *N. Marcellus*, vel ut idem vult, quod prodigium ità dictum *à porrò adigendum*: Alii verò dictum putant quaſi *porrò dicium*, quod porrò dicat, aut porrò ſignificet, & aliquid futurum prædicat.

Tribus modis oſtenta aërea effici queunt.

2. Tribus modis autem inuſitata ſolent ſpectacula ſive oſtenta in Cœlo exhiberi; primò nempè ab ipſo Deo vel Angelis Dei permiſſione præter naturæ ordinem in portenta & præſagia malorum vel bonorum eventuum orbi ſupervenientium; uti fuerunt exercitus in aëre viſi armorùmque ſtrepitus auditi, ſicut in *libris Machabæorum* legitur. Item ſtella illa, quæ Chriſto nato Salvatori illuxit, ac tres illos Orientis Dynaſtas adduxit. Hujus etiam generis ſpectacula infinita pene reperiuntur apud Hiſtoricos, nosque etiam plura mox ex iisdem adducemus. Secundò effici poſſunt aërea ſpectacula ex variis impreſſionibus meteorologicis, ut ſolent eſſe Cometæ aërei, trabes, cruces, halones, irides, parhelia, ſtellæ cadentes, lampades, columnæ, ſimiliaque phœnomena, de quibus partim jam actum in præcedentibus, partim adhuc infra ſumus acturi. Tertio modo, eoque naturali effici poſſunt in aëre ſpectra admirabili quodam lucis temperamento, veluti variâ colorum miſturâ vaporum elevatorum collectione, collectorum diſpoſitione & ordinatione in varias ſpeculares ſuperficies; unde res ex oppoſito conſiſtentes inuſitato modo, ordine, & numero ſpectatoribus denuò objici ac repræſentari queunt.

Modi, quibus ſpectra naturaliter contingere poſſunt ex LeGrand.

3. *Antonius le Grand hiſt. nat. part. 6. art. 9.* duas adducit rationes, è quibus contingere poſſe putat ultimi generis ſimulacra: *Prior eſt*, inquit, *quod in aëre variæ nubes eſſe poſſunt eâ parvitate, ut ſingulæ militum ſpeciem referant, & aliquæ in alias irruentes ſatis magnam exhalationum copiam contineant ad parva quædam fulgura excitanda, atque interdum glandulas emittendas, & aliquos ſonos edendos: ex quo prœliari milites, & inter ſe confligere appareant. Poſterior, dum omnes illæ exiguæ nubes ſibi proprio lumine ſplendent, & lumen illud reverberant, quod coruſcationes, & ignes magnæ alicujus tempeſtatis, tam longè inde ſævientis, ut ubi ex terrâ non percipiatur, ad illas usque transmittant.* Ita Le Grand, ſed parum his mihi videtur efficere.

Sententia probabilior de ſpectrorum aëreorum geneſi ſive ortu.

4. Sententia planior ac veriſimilior eſſe videtur *Kirchero* innuente, *Art. mag. lum. & umb. lib. 10. part. 2. cap. 1.* & referente etiam *Schotto Mag. nat. part. 1. lib. 4. cap. 1.* Ex locis, ubi multa glarea, ſive arena ex ſelenite, antimonio, vitro, aliàque materiâ perilluſtri conflata reperitur Solis intenſiſſimo calore unà cum vapore

 ejusmodi

ejusmodi particulas elevari & exaltari, quæ diversas ac varias deindè superficies in aëre conficiunt, & crassioribus in medio vaporibus, montique alicui, aut atræ nubi oppositis umbroso tractu quasi opacatæ in speculum planum, vel concavum, vel etiam polyedrum omnibus numeris absolutissimum tandem coalescunt. In hoc deinde speculo qualicunque aëreo, prout varius ejus ad oculum situs erit, varia etiam rerum subjectarum simulachra miro planè modo aucta vel multiplicata reflecti, & ita admiranda in aëre spectacula exhiberi possunt. Unde etiam *Corn. Agrippa lib. 1. Philos. occultæ* ait. Sæpè in aëre denso velut in speculo reflecti imagines castrorum, montium, equorum, hominum, aliarumque rerum. Confirmari etiam potest sententia hæc observatione illâ, quam adducit *De Chales Diopt lib. 3. prop. 23.* dum meminit à Magistro suo Philosophiæ audivisse. *Velusii* in Burgundiâ spectrum aliquod in nubibus visum esse, quod fuit nempè miles armatus exerto gladio in aëre pendulus, qui & totam urbem perterrefecit: cùm porrò attentiùs à viris gravibus spectaretur, animadversum est, *S. Michaëlem* templi fastigio impositum reflexè in nubibus fuisse spectatum.

Spectra quando & ubi frequentiùs appareant.

6. Etiam vapores tenues ac pellucidi in frigidiori aëris tractu congelati & opportunè terminati sive opacati, dum superficiem specularem diversimodè in aëre conficere queunt, insolito quoque more res quasdam è terrâ incidentes, diversimodè etiam reflectere, arque ità insueto modo & loco simulacra quædam repræsentare queunt. Undè fortassis hyeme vel tempore frigidiori vel in Regionibus magis borealibus aërea spectra frequentiùs apparere possunt, sicut & *Cardanus* agnovit, dum *lib. 14. de variet. cap. 70.* scripsit. *Aeris ostenta in borealibus regionibus & mira magis & frequentius apparent.*

Quomodo contingat voces & sonos audiri.

7. Sicut porrò res variæ in terrâ constitutæ sursùm radiantes ope vaporosi speculi in aëre suspensi mira planè spectacula repræsentare possunt; ità etiam voces animalium & quicunque alii soni aut strepitus illuc perducti ibidem reflecti, atque ità quasi directè abindè provenirent, percipi similiter possunt. Undè benè *Kircherus loc. supra cit. Quod verò varias animalium voces audiant; id per voces animalium vicinorum in concavâ nube, aut monte reflexas fieri posse, nullum dubium esse debet: neque enim necessariò vapores mare sibi substratum requirunt; sufficit natura loci vitreo vapore turgentis.* Quod hîc de vocibus animalium dicitur, etiam de aliis quibuslibet sonis intelligi debet.

Spectra in aëre etiam per refractionem contingere possunt.

8. Non tantùm catoptricè & ope reflexionis, quæ contingit in nube vel aëre speculari, sed etiam dioptricè beneficio refractionis, quæ contingit per diversa media, ubi aër nempè alicubi immixtis vaporibus roscidis densior existit, ut ità objectum alio loco repræsentetur, quàm reverà sit (sicut fieri solet in nummo fundo vasis imposito aquâ superfusâ) spectra & ostenta in aëre comparere possunt. Nam sicut Sol infra Horizontem mersus nihilominus suprà eundem videtur, quatenus scilicet radii à Sole procedentes incidunt in vapores Atmosphæræ, ibique refracti attollunt corpus solare, ut ità directè suprà Horizontem existere judicetur, cùm reverà infrà eundem lateat, ut Astronomi communiter docent, ac demonstrant: sic pari modo potest objectum aliquod in terrâ vel mari constitutum etiam per medium vaporosum alicubi densiùs ità radiare, ut refractè videri queat alio loco nempè elevatum & in aëre existens. Quocircà dum ad lacus & maria aër esse solet vaporosior ac densior: ideò mirum haud adeò debet esse, quod in eodem frequentiùs quàm alibi ostenta quædam insolita, veluti naves bellicæ & prœlia navalia in conspectum proveniant.

Debiles visu meticulosi & phantastici frequentiùs vident spectra.

9. Facit etiam ad ostentorum comparentium putationem subindè ipsius visûs debilitas, metus, ac phantasia, ut ab aliquibus, qui debilioris sunt visûs & phantasiam habent fortiorem, aut meticulosiores sunt; frequentiùs, quàm ab aliis acutioris visûs ostenta insolita videantur. Ità teste *Aristotele lib. 3. meteor.* quidam *Antipheron Oretanus* semper antè se videbat simulacrum quoddam, quod erat sui ipsius imago respiciens ipsum: id autem fiebat ob visûs debilitatem, ob quam speculum eidem fiebat propinquus aër. Et de *Vitellione* scribitur, quod socium aliquem habuerit studiosum valdè & pervigilem: qui cùm noctes aliquot sine somno pertulisset, atque imbecillior factus noctu peregrè profectus esset, per fluminis crepidinem obequitans, ubi aër densior & caliginosior esset, alterum equitem viderit sibi præeuntem atque omnia penitùs facientem, quæ ipse faceret. Hoc miraculo attonitus cùm tandem ad Vitellionem rediisset & ostentum narrâsset, ab eo intellexit se sibi terrori fuisse, nec quicquam aliud vidisse, quàm sui ipsius simulacrum ab aëre denso & roscido reflexum. Ità refert *Henricus Decher in spectrologiâ cap. 1. §. 25. Cominæus in fine libri 1. de rebus gestis Ludovici XI. Galli Regis* scribit; cum *Carolus* Dux Burgundiæ, & alii Principes exercitum ad Lutetiam admovissent, eum per indicium cognovisse, quod Rex postero die manè omnibus suis copiis eos adoriri constituisset. Sequenti igitur die *Carolus* præmisit equites speculandi causâ, qui, cum Cœlum obscurius, aër densior, ac vaporosior esset, putârunt eminùs se videre ingentem numerum hastatorum: progressi dein longiùs Cœlo jam serenióre cognoverunt eum locum, in quo arbitrati erant, Regem copias omnes habere coactas, consitum esse præaltis carduis, qui ex longinquo per medium densiùs sui species refringentes hastarum species præbebant. *Brakelius* quoq; in hist. suâ narrat;

rusticum

Rusticum quendam in *Lithuvaniâ* sub crepusculum matutinum vidisse lupum, simul & proceram arborem eâ positione, ùt radius visualis per lupi verticem profusus summum quoque arboris cacumen attingeret; credidisseque lupum arboris magnitudinem exæquare, & vicinos armâsse contrà lupum prodigiosæ magnitudinis, qui tamen non nisi ordinariæ magnitudinis fuit deprehensus. Plura ejusmodi exempla passim sunt obvia, ex quibus facilè patet metu, phantasiâ, & visu laborantes multa sibi persuadere sæpè se audire, vel videre, quæ reverà non sunt.

A Deo, vel Angelis insolita aërea spectra proveniunt.

10. Licet randem (ut candidè & genuinè de spectris aëreis & insolitis ostentis in aëre mentem meam explicem) per suprà indicatos modos, phasmata quædam insolita contingere nonnunquàm possint: vix tamen credibile mihi videtur, omnia his modis fieri posse. Videatur *Schottus Physic. cur. lib. 6. cap. 2. §. 1.* Undè tantùm quædam parastases propè terram quidem ità effici queunt; universìm tamen omnia illa ostenta remotiora, & in Cœlo altiori constituta minimè. Quocircà melius dicendum erit de omninò insolitis illis spectris & ostentis aëreis ea à Deo Ministerio intelligentiarum, sive geniorum & spirituum bonorum efformari. Ità sentit *Fromondus, Cabeus, Cornelius à Lapide & Schottus loc. supracit.* Quarè *efformatio harum imaginum*, ut rectè inquit *Cabeus lib. 3. Meteor. text. 29. q. 2. necessariò est à mente & intelligentiâ, quæ res quidem naturales movet, sed adcertum finem ità disponit.* Materialis igitur causa sunt res meteorologicæ, vapores scilicet & fumosi halitus: Formalis ipsarum imaginum apparentium figura: Efficiens DEUS vel Angeli: *Finalis*, sicut inquit denuò *Cabeus*, *ut DEUS istis ludicris spectandis nos erudiat ad impietatem debellandam, & det metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcûs, ut liberentur dilecti.* Prout jam sup. etiam memoratum. Et rectè etiam *M. Tullius 2. de natur. Deor.* refert ex *Cleanthe* unam è quatuor causis, per quas divini Numinis notione hominum mentes informatæ sunt, esse prodigia cœlestia, quæ interdùm magnarum calamitatum sunt prænuntia.

§. II.

Phasmata quædam aërea in certis quibusdam terræ locis, ac temporibus ex variis Authoribus recensentur.

Aërea spectra in Lybiâ.

1. In eâ *Lybia*, quæ circà Syrtes, ut memorat *Diodorus Siculus lib. 3. cap. 4.* quandoque, & maximè quieto à ventis tempore apparere solent in aëre diversorum animantium formæ, *quarum*, inquit, *quædam quiescunt, quædam moventur, & hæ aliquandò fugiunt, aliquandò fugientes insequuntur, quos verò comprehendunt, frigido circumdant contactu.*

In Mauritaniâ.

2. Refert *Pomponius Mela* in Mauritaniâ post *Atlantem* regiones esse, in quibus circà meridiem intrà montes varia spectra comparere solent, quæ gestus hominum in omnibus æmuiantur. Videntur ibi choreæ, audiuntur tubarum, tympanorumque strepitus. Verisimile credit *Kircherus de Lum. & Umb. libr. 10.* pastores Mauritanos pellibus ferinis amictos, ac tibiis tripudiantes in aëreis illic vaporibus visos famam illam sparsisse, quàm deindè Geographi pro verâ accipientes Satyros & Sylvanos in Mauritaniâ statis temporibus comparere solitos cum lituis, & tibiis choreas agere, posteritati tradiderunt.

In Scythiâ

3. Intrà Imaum in Scythiâ regionem esse scribit *Plinius*, in quâ quotannis in vastâ planitie apparent varia rerum spectacula sub figurâ hominum, animaliumque, & instar exercitûs, quibus viatores non rarò in avia & devia præcipitia ac denique in manifestam perniciem deducuntur.

Ad Oby flumen.

4. Ad *Oby* flumen regionem esse narrat *Haithon* Armenus, ad quam nullus adhuc penetraverit ob formidabilium Spectrorum, quæ ex illâ fluminis parte comparent, multitudinem, Testatur idem hinnitus equorum, balatus ovium, hominumque vociferationes ibi frequentissimè percipi, ità ut hanc Diabolorum regionem vulgus existimet, & nemo accedere audeat.

Propè Neritum Apuliæ.

5. *Scipio Macellus in descriptio. Regn. Neapol. de Nerito* interioris Apuliæ civitate narrat, circà illam videri sæpè Austro flante in aëre, velut in speculo imagines quasdam rerum circumjacentium, quas Vulgus causam ignorans Dæmonum illusiones existimat.

In Siciliæ variis locis.

6. Damascius in vitâ *Isidori* philosophi apud *Photium in Bibliothec.* refert in aliquibus Siciliæ locis, ac comprimìs in campo nominato Tetrapyrgio videri Equitum pugnantium simulacra, idque maximè æstatis tempore, cùm ardentissimus est meridies.

Morgana propè Rhegium in freto siculo.

7. In Freto Mamertino sive Siculo propè *Regium* oppidum, ut accuratè describit *Kircherus in Art. mag. Lum. & Umbr. lib. 10. part. 2. cap. 1.* *Eo maximè tempore, quo ardentissimus est Sol æstu fervoribusque mare mamertinum concoquit, contingit persæpè ut derepentè theatrum quoddam in vaporoso aëre sese aperiat tantâ rerum varietate adornatum, tanto scenarum apparatu, ut nihil ibi sit, quod non se spectandum exhibeat: Castellorum ordinatissimè dispositorum architectura, palatiorum, ædificiorumque ad omnes perspectivæ regulas infinito columnarum ordine projectorum mira quædam magnificentia, in eorum paulatim evanescentium locum succedente scenâ catoptricâ. Videas hic umbrosos Sylvarum, cypressorum, aliarumque arborum in quincuncem mirâ serie dispositarum ordines, campos immensos hominum turmis, boum armentis, oviumque gregibus refertos; omnia tantâ colorum varietate, tàm artificiosâ Lucis & Umbræ misturâ, tàm vivis gestibus, ut nihil humanâ industria simile producere posse videatur.* Vocant autem Rhegini hoc spectaculum *Morganam*; Ità *Kircherus*.

8. Huc quoque referri potest inter ad-

miranda, quæ subindè in aëre contingunt phasmata, quod suprà de Idolo *Anazothl* in Quatimalensi Americæ regno ex *Herrera* attulimus, sed descriptum *jam vide c. 5. hujus disquis. §. 2. num. 4.*

Spectrum Taurinense.

9. Refert *P. Schottus phys. cur. lib. 2. c. 10.* Anno Christi 1654. cùm adhuc *Romæ* degeret, non procul à *Taurino* Pedemontii Urbe apparuisse frequenter in valle quâdam militum pugnantium, ac circumcursantium species die clarissimo. Quæ res cùm ad *P. Kircherum* delata fuisset, ipsiusque judicium requisitum, diligentissimè in veritatem inquirendum censuit. *Taurinum* igitur scripsit ad quendam Societatis presbyterum sibi notum, rogavitque, ut locum accederet, & num ipse quoque ab aliis visa videre posset, tentaret. Fecit quod jussum fuerat presbyter, & alio assumpto socio equum conscendit, atque à manè usque ad meridiem obequitando loca omnia ab aliis designata nihil ullibi deprehendere potuit; Incalescente jam igitur vehementer Sole reditum parabat cum Socio, cùm ecce in subjectâ valle vident militum manipulos inter se concursantes. Socius igitur perterritus additis equo calcaribus aufugit. Presbyter verò propiùs cum equo accessit, viditque contrà se explodi bombardas, & ex equo præcipitatus aliquamdiù exanimis jacuit, donec resumptis viribus & ipse sese proripuit, & rem totam ad *P. Kircherum* perscripsit.

Spectra in campis Marathoniis.

10. *Pausanias in Atticis* de Campis Marathoniis hæc tradit: *In his ipsis campis audiuntur per totam noctem equorum hinnitus, & pugnantium etiam virorum species cernuntur. Atque hæc quidem, qui de industriâ auditum, spectatumque venerint, malè mulctati abeunt; ex irâ verò manium iis, qui fortuitò animadverterint, nihil omninò unquàm tristè accidit.*

In Islandiâ.

11. In *Islandiâ* insulâ sub polo Arctico ut scribit *Olaus M. lib. 2. hist. Septentrion. cap. 3.* Promontorium est, quod instar Ætnæ perpetuis ignibus æstuat, illic submersorum, sive aliò violento casu enectorum spectra sese offerunt congressibus notorum hominum tàm manifesta, ut tanquàm viventes excipiantur ab ignaris mortis illorum datâ dextrâ. Nec deprehenditur error, priusquam disparuerint umbræ.

§. III.

Mirabiliora quædam ostenta, ac diversarum rerum simulacra in Cœlo diversis temporibus conspecta referuntur.

Spectrum aëreum tempore nati Salvatoris.

1. Inter ostenta cœlestia meritò primum locum obtinere debet illud, de quo *D. Antonin. 1. part. in suis Chronicis* hæc tradit. Cùm Senatus Romanus *Augustum* pro DEO colere decrevisset, evocata in cameram Sibylla est, ut, an *Augusto* aliquis successurus esset, responderet: Quæ circulum aureum in sublimi fulgentem, cujus medio Virgo erat puerum complexa, Imperatori ostendit; auditaque confestim vox fuit: *Hæc est ara cœli.* Tunc Imperatorem Sibylla monuit, ut puerum illum adoraret: Atque indè prædicta Camera, *Ara Cœli* dicta est. Undè *Mantuanus*

Fulgentem nitido monstravit in æthere circum
Iridéque inclusam parvâ cum prole parentem:
Atque manum tendens, vultuque ad sidera verso,
Iste puer DEUS est. inquit - - -

Ostenta visa Jerosolymis ex S. Scrip.

2. Ex sacrâ etiam Scripturâ constat *l. 2. Maccab. cap. 5.* ubi *Jasonis* primùm ex Ammonitide reversi, deindè *Antiochi Epiphanis* Ægypto exclusi tyrannis in cives Hierosolymitanos, cœterosque Judæos exercita narratur, hæc simulacra & ostenta cœlestia fuisse præmissa: *Contigit autem*, inquit sacer textus, *per universam Hierosolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes auratas stolas habentes, & hastis quasi cohortes, armatos & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri gladiis districtis, & telorum jactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum. Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti.*

Acies pugnantes ex Plinio.

3. *Plinius lib. 2. nat. hist. cap. 57.* hæc refert. *Armorum crepitus & tubæ sonitus auditos è Cœlo Cimbricis bellis accepimus. Tertio verò Consulatu Marii Amerinis & Tudertibus spectata arma cœlestia ab ortu, occasuque inter se concurrentia, pulsis quæ ab occasu erant.* Ità ille.

Spectra cœlestia antè subversionem Jerosolymæ.

4. Antequam *Titus* & Romani obsiderent, caperentque Hierosolymam, multa præcessisse ostenta & præsagia scribit *Joseph. lib. 7. de bello Judaico cap. 12.* inter quæ etiam fuit, quod *primo die mensis Maji antè Solis occasum visi sint per inane ferri currus totis regionibus & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfusæ.* Die quoque octavo Aprilis horâ nonâ noctis circùm aram & templum tàm illustre ac splendidum lumen effulsisse scribitur, ut dies clarissimus putaretur. Duravit hoc lumen per mediam horam.

Ante Longobardorum irruptionem in Italiam.

5. Tempore *S. Gregorii Pont. Max.* cùm Longobardi invaderent Italiam, ut ipsemet testatur *hom. 1. in Evang.* dicens: *Priusquam Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in Cœlo acies vidimus, ipsum qui posteà humani generis fusus est, sanguinem coruscantes.*

6. Paulò etiam antequam *Caractacus* Scotorum Rex cum Romanis confligeret, acieque victus in hostium potestatem veniret; equestris pugna mediis in campis, ut inquit *H. Boet. lib. 4.* acerrima conspecta tandem evanuit.

Ostenta visa sub variis Consulibus Romanis.

7. *Julius Obsequens l. de prodig.* ad Augustum Cæsar. *cap. 7. & 9.* refert *Lucio Opimio* & *Q. Posthumio* Coss. *Consæ* arma in Cœlo volare visa: *C. Mario, ac Horo Coss. Arimini* arma cœlestia ab ortu & occasu volare visa pugnare, & ab occasu vinci: *L. Scipione* & *C. Norbano Coss.* per Syllana tempora inter *Capuam* & *Volturnum* ingentem signorum sonum,

sonum, armorùmque horrendo clamore auditum, ità ut viderentur acies duæ concurrere plures per dies. *Pansa* item & *Hirtio Coss.* cum adversùs *Antonium* dimicaretur, armorum telorumque species à terra visa cum fragore ad Cœlum ferri. *Eutropius* etiam *libr. 6. Hist.* memorat, cùm *Cæsar* adversùs *Pompejum* dimicaret, tantùm in aëre armorum strepitum fuisse, ut *Antiochiæ* quasi ad adventum hostium in muris concurreretur.

Ante Mexici excidium. 8. Ante *Mexici*, sive *Themistitanis* excidium viderunt, inquit *Cardanus lib. 16. de variet. cap. 78.* ex Orientis parte, ubi condita est colonia Hispanorum, veram crucem, flammas igneas ascendentes, & hominem, qui capite Cælum attingere videbatur: A mari quoque pluribus diebus exorientem lucem duabus horis antè diem (Cometes is erat) cumque Cœli medium obtinuisset, subitò evanescebat.

Duo milites visi ad Neo Cæsarcam. 9. *Paulus Diac. lib. 15. sub Anastasio Imper.* narrat, quendam militem non procul ab Urbe *Neo Cæsareâ* iter facientem, paulò antequam ex terræ motu concuteretur, in aëre suprà eam duos conspexisse milites: alterum à tergo clamantem audivisse: *Conservate ædes, in quibus sepulchrum extat Gregorii.* Facto autem terræ motu maximam partem civitatis collapsam & eversam fuisse illæsâ manente *Gregorii Taumaturgi* domo. Ità & *Cedrenus.*

Spectrum aëreum antè Cruciferorum cladem. 10. Cruciferorum cladem ab *Uladislao Jagellone* Polonorum Rege, quem vix dùm provocârant, acceptam in Prussiâ ostentum cœleste portendit. Fertur enim à multis ex utroque exercitu per omne tempus prælii conspectus esse in aëre vir venerandus habitu pontificali dimicantes Polonos confirmans; hostibus verò terrorem incutiens. Quin & nocte præcedente prælium, Monachus circà Lunam visus fuit cum Rege aliquamdiù depugnâsse & ad extremum Monachum victum ac Cœlo deturbatum fuisse. *Crom. lib. 16.*

Spectra Campi Romani. 11. *Damascius* in vitâ Isidori Philosophi apud *Photium* hæc tradit: *Commissa pugnâ contrà Scythas antè conspectum Urbis Romæ, quos Attila contrà Valentinianum, qui post Honorium Romæ imperabat, duxit, tanta utrimque facta est cædes, ut nemo pugnantium ab utraque parte servaretur, præterquam Duces, paucique Satellites eorum. Hoc verò omnium narratu maximè incredibile: cùm cecidissent pugnantes, corpore defatigati, animo adhuc erecti pugnabant tres integras noctes, atq; dies, nihil viventibus pugnando inferiores eq; manibus, neque animo. Visæ igitur, & auditæ animarum formæ pugnantes, & armis strepentes, & antiquas similesq; bellorum facies in hunc usque diem videri ajunt; nisi quod omnia illa faciendo, quæ vivi homines bellando solent, ne parvam quidem edere vocem possint. Et unum spectram quidem in campo juxtà Sudam, qui olim palus fuit, videri autem manè visionem aurorâ jam terram illustrante: Secundum in Cubis, campo Curiæ; ibi enim non quotidiè, sed interdùm aliquibus diebus, nec illis certis, circà crepusculum matutinum aurorâ oriente in aëre frequentia animarum spectra umbrarum figura inter se pugnantia videri.*

12. Sub *Matthæo* Vicecomite Mediolanensium Principe suprà Mediolanum conspecta gens in cœlo multiplex, discolorq; inter se concurrere armorum fragore, & strepitu equorum palàm exaudito non obscuris signis impendentium bellorum, & *Galeatij F.* exilio à *Ludovico* Bavaro ejecti. *Fulgos. lib. 1. cap. 4.* Suprà Mediolanum.

13. Obsidentibus Mediolanam arcem, ut memorat *Sab. Suppl. l. 5.* apud *Gambalottam* vicum meridiano tempore duo Equites in aëre humanâ specie majores effigie inter se concurrere visi sunt, victoremque eum, qui à Galliæ regione venisse videbatur, alterum continuò profligâsse, frequentes agricolæ confirmârunt. Apud Gambalottam.

14. Anno 867. cruces à quibusdam rubeæ de nocte in Cœlo visæ sunt, sanguinis effusionem, quæ per Nortmannos posteà facta est, significantes. *Chron. Hirs. Trith.* Cruces rubeæ.

15. *Ludovico IV.* Francorum Rege A. Ch. 930, die 16. Cal. Martii circà gallicinium usq; ad diem in æthere hominum flagrantium, ac in se mutuis cædibus sævientium acies sunt conspectæ, ac clangores exercitûs, hominumque clamores auditi. *Amon. lib. 3. de gest. Franc. & Higuin.* Sub Ludovico IV. acies visæ militares.

16. Antequàm *Bizantium* à Turcis terrâ marique oppugnaretur, compertum est apud *Comum* citerioris Galliæ urbem vergente ad occasum die ingentem canum multitudinem per aëra ferri, postque diversarum pecorum armenta species peditum primò levis armaturæ, deindè hastatos, scutatosque subsequi, equitesque in turmas divisos ingenti instructâ acie prosequutos horis fermè tribus imaginem adventantis exercitûs præbuisse. Demùm corpore procero immanem & formidabilem hominem suprà quam dici possit, veluti exercitûs ductorem terribili equo insidentem processisse, aliaque ludibria oculorum per inane apparuisse ingentium malorum prenuntia, donec nocte appetente visio omnis illa dilapsa est. *Alexan. lib. 3. cap. 15.* Antè Bizantium oppugnatum.

17. Anno 978. acies igneæ 28. die Mensis Octobris, hoc est, in solemnitate SS. Apostol. *Simonis & Judæ* per totam noctem visibiles apparuerunt in Cœlo. *Chr. Hirsaug.* Acies igneæ.

18. Anno 979. flagrantes in Cœlo visæ sunt acies, ac mutuis se vulneribus conficientes: juxtà *Sigebertum & Urspergensem*, quæ res infelix illud bellum *Ottonis II.* Imperat. cùm Græcorum exercitu præsignificâsse dicitur, ubi ipse cæsis copiis fugâ suæ saluti consulere coactus fuit. Antè bellum Ottonis II. cum Græcis.

19. *A Suiggero* presbytero circà Annum 1094. diei horâ nonâ in aëre concurrentes visos esse equites, memorat *Urspergensis*, quorum is, qui cruce pugnare videbatur, post longum certamen victor extitit. A bubulcis noctu Urbs magna, ad quam infinita hominum multitudo, eques, pedesque contenderit, ex nubibus emicare visa. Nonnulli homines crucis signaculum vel in frontibus, vel vestimentis, quo stigmate ad sacrum incita- Antè bellum sacrum.

incitabantur bellum, ostendêre. Multi subitâ mentis mutatione compuncti, vel nocturnis edocti visionibus posthabitâ re familiari bellum appetivêre sacrum. Itâ *Urspergensis*.

Plura ostenta valdè mira. 20. Anno 1095. magna plerisque in regionibus prodigia facta sunt: Nam acies in Cœlo pugnantium crebrò visæ sunt, & multos terruerunt. 24. die Mense Febr. anno præscripto Stella in Oriente visa est, quæ locum suum longo interstitio crebris saltibus in alium mutavit, & diù unâ in statione stabilis non permansit. Nubes etiam sanguineas tam ab Oriente, quàm ab Occidente surgentes, & in medio Cœli sibi concurrentes, rursumq; mediis ferè noctibus à Septentrione igneos consurgere splendores, plerumque & faculas ardentes volitare per aëra multi Scriptores illius temporis se vidisse testati sunt. In diæcesi Coloniensi Presbyter quidam probatæ fidei, nomine *Swikerus* horâ cujusdam diei fermè nonâ duos Equites vidit in aëre concurrentes, quorum alter crucem in manibus habebat non modicam, quâ alterum percutiens superabat. Alius quidam Presbyter nomine *Gerlacus* in nemore quodam ambulans gladium mirę longitudinis, quasi raptum à vento in aërem deferri manifestissimè vidit, qui sine ministerio cujusdam ferebatur in altum, & quousque visus poterat subsequi, gladius videbatur in Cœlum elevari. Audiebatur & fragor quasi aëris motus velocitate percussi, qui sicut & visus paulatìm minuebatur, quantò sublimiùs ferebatur ensis. Referebant complures civitatem se nocturnis temporibus in aëre vidisse suspensam, & quasi hominum turmas illam obsedisse in gyro, machinasque applicuisse varias, & ad capiendam urbem præparatas, omniaque illic apparuisse fieri secundùm ordinem, quæ facere mortales in obsidione urbium isthic consueverunt. Itâ *Trith. in Chronic.*

Præsagia antè mortem Joannis Saxoniæ Ducis. 21. *Joannis* Saxoniæ Ducis & Electoris mortem hæ picturæ præcessisse memorantur: Arbor imprimis marcida & eversa apparuit. Expeditus deindè Eques truncatam ramis gestans arborem: tùm magna & atra crux in densâ nube conspecta fuit; tandem ex eâ fulmen visum excuti horribile ingenti cum sonitu. *Schottus in phys. cur. lib. 6. cap. 1. §. 2.*

Acies pugnantes juxtà Noviomum. 22. Anno 1393. Majo mense juxtà *Noviomum* in Galliâ, paulò antequàm *Philippus Deodatus* Britannos Normanniæ finibus pelleret, in cœlo conspectæ sunt armatorum turmę in prælii speciem concurrentes. *Sab. lib. 2. c. 4.*

Imago crucifixi cum gladio. 23. Anno 1462. in Poloniâ minore, quodam die Sole Occidente plusquam duas horas imago Crucifixi cum gladio ab Occidente ad meridiem in aëre pendere visa est. *Cromerus l. 25.*

Antè pugnam infelicem Christianorum cum Turcis. 24. Anno 1523. In Ungariâ quadam nocte visi sunt duo proceres collatis armis invicem decertare; quorum statura major alterum regio ornatu, & diademate insignitum prostravit, & ablatum è capite diadema in terram dejecit, quod mox in varias partes sectum evanuit. Triennio pòst *Ludov.* Rex Ungariæ infeliciter cum *Solyman.* Turcarum Imper. propè *Moazium* manus conseruit, ac miserabili clade cæsus, & ipse quoque vitâ privatus occubuit, undè deindè regnum Ungariæ in várias ditiones scissum abiit. *Erasmus Francisci.*

25. *Joannes Jonstonus classe 3. Taumatograph. cap. ult.* narrat sequentia his verbis. Anno 1532. non procul ab *Oeniponte* miræ visæ sunt imagines. Camelus erat prima, flammâ circumdatus in orbem: Altera, Lupus flammam evomens & flammeo orbe septus: Sequebatur hunc Leo; cui vir cataphractus in montium stans aditu blandè contrectabat jubam; blandiri hic vicissim videbatur. Visa mira non procul Oenipon-to.

26. Anno 1534. die 3. Julii in oppido *Schleswich* à Meridie Cœlo sereno conspecti sunt in aëre Leones ex diversis locis àd conflictum concurrentes. Cataphractus his assistebat hastam quatiens. Jacuit non procul ab Equite humanum caput sine trunco imperatorio ornatum diademate. Modico post intervallo apri caput aculeatum visum, & duo dracones ignem vomentes. Unicæ deindè & amplissimæ urbis effulsit imago, ad lacum positæ, classeque & terrestribus obsessæ copiis. Crux super hanc sanguinei coloris converti paulatìm in atrum. Prodiit item alius Eques igneo flagrans colore, imperatorium in capite diadema gestans; quem insecutus sine sessore equus. Posteà in amplâ planitie duæ ardentes enituerunt arces alto vicinæ monti; ad quam grandis Aquila dimidium sui corporis post montis abscondens latus. Aliquot ibidem pulli aquilarum candido nitidi colore apparuêre. Item Leonis supini caput insigniti coronâ: Gallus gallinaceus rostro feriens, fodiensque caput tantisper, donec à trunco corporis delaberetur solutum, & evanesceret corpore diù conspicuo. Astiterunt & alii Leones & juxtà apri caput Monoceros, paulatim in draconem conversus, aliaque plurima inusitatæ figuræ & magnitudinis animalia. Arsit & in celsâ rupe arx duobus cincta exercitibus; & visa est integra regio frequentibus oppidis, arcibus & vicis referta, sed mox totus tractus, in quo hæc steterunt, igne conflagravit correptus, & ruinas vastæ terræ stagnum amplissimum obruit extantibus tantùm turribus in eo loco, in quo anteà magna illa urbs apparuerat, ad ripam lacûs grandis camelus bibenti similis constitit. Itâ *Majolus, Jonstonus & Schottus* ex ipsis. Mira sanè fuerunt hæc phasmata, si omnia vera. In oppido Schleswich visa.

27. Anno 1535. propè *Jubam* Lusatiæ secundâ feriâ Pentecostes horâ secundâ post meridiem Cœlo sereno, & à ventis silente copiæ militares in eodem conspectæ sunt, quæ & à Septentrione Meridiem versùs progressæ clamorem ingentem haud aliter, ac dum hostiles acies mutuo se certamine ferire solent, ab aëre demiserunt. Ad Jubam Lusatiæ.

28. Anno Christi 1545. die 29. Martii manè antè horam octavam *Cracoviæ* in Poloniâ emisso ex nubibus terribili fulmine ingens primò tonitrui fragor auditus fuit, à quo & tota circumsita tellus commota est, Spectra in solita Cracoviæ visa.

ta est. Postfulmen mox tres rubeæ cruces conspectæ sunt, & inter has vir cataphractus cum variis armis, qui etiam igneum manu tenens gladium versùs integrum exercitum progressus illum percussit & prostravit. Quo facto apparuit ingens draco, qui deindè hunc Victorem deglutivit. Indè Cœlum per integram horam ardere visum. Hoc etiam ostento disparentes tres Irides cum ordinariis suis coloribus in conspectum prodière; quarum altiori Juvenis in formâ Angeli insedit unâ manu Solem, alterâ Lunam tenens. Tandem post mediam horam nubes quædam ascendens haud aliter, quàm in scenis theatralibus cortina totum hoc oculorum ludibrium aspectibus humanis subduxit. *Erasmus Francisci disc. 6.* **Erd umgebener Lufft-Kraiß**

[...]nagines [...]œlestes in [...]ilesiâ vi[...]s.

29. Eodem Anno 1545. altero post Pentecosten die in Silesiâ hæ visæ sunt imagines; ut refert *Schottus* & *Le Grand* ex *Jonstono*. *Duxit imprimis ab Oriente instructam Ursus aciem, cui ab Occasu armatâ manu occurrit Leo. Intrà utrumque exercitum lucidissima emicuit Stella; mox inter se congressi dimicârunt acriter, ut distillare ex sauciatis sanguis, & exanima corpora decidere viderentur. Inter præliandum Aquila sese suprà copias Leonis de altâ rupe alarum libravit remigio. Dirempto quasi certamine Leo inter suas fulsit cohortes, nullum Ursi vestigium, sed prostrata jacuêre cadavera, quà alter constabat exercitus, quibus canitie venerandi adstiterant senes. Finito prælio reduxit exercitum ad Occasum Leo, quo aliquousque progressò quidam albo & ornato vectus equo ad pugnæ locum à copiis rediit, atque in eum equum juvenem catapbractum ibi stantem collocavit, & versus Ortum procedentem comitatus cum cæteris speciebus evanuit.*

[...]n Ungaria.

30. Anno 1546. in Ungariâ Cœlum quasi apertum per integram horam emicuit, tandem ingens copia ignis in terram dejecta, suprà ignem verò Taurus nigri coloris urinam mittens quasi in ignem ad eum extinguendum visus est. *Erasm. Francisci loc. sup. citato.*

[...]stenta in [...]œlo pro[...]pè Wit[...]tenber[...]gam.

31. Anno 1550. Mense Julio haud procul *Wittenberga* Saxoniæ in Cœlo cervus pulcherrimus se conspiciendum præbuit: Infrà illum verò duo exercitus comparuerunt, qui valido cum clamore ac strepitu hostiliter invicem sese invadere etiam conspecti sunt. Hoc phasmate dilapso pluvia sanguinea Cœlo decidit, Solque omninò lugubris, obscurus & turbidus observatus est, ac etiam in medio quasi scissus aut dissectus, ac propior terræ collocatus. Volunt etiam nonnulli, aliquot septimanis antè hoc phœnomenon ferè propè eundem Cœli locum ingens tormentum bellicum cum omni suo apparatu unà cum gladio sanguinolento visum esse. *Idem ibidem.*

Propè No[...]rimber[...]gam.

32. Anno Dom. 1554. propè Norinbergam die 11. Junii suprà pagum *Blech* visa scribitur Virga sanguinea suprà Solem erecta cyanei coloris stellis ac globis circumdata: Mox autem ad hoc phasma duo exercitus militares cum vexillis cærulei coloris apparuerunt, qui etiam ad duas usque horas invicem acerrimè decertare visi sunt. *Idem.* Scribitur eodem Anno die 24. Julii circà horam sextam vespertinam in Palatinatu superiori versùs Sylvam Bohemicam duos viros armatos fuisse conspectos in Cœlo, quorum unus staturâ alterum longè excedens clarissimè micantem Stellam in ventre habuit, manuque gladium igneum extendit, quocum minor alter similiter igneum tenens gladium acerrimè aliquamdiu decertare visus est, sed tandem hic victus procubuit. Undè mox sella victori apportata, in quâ confidens de victo ad pedes prostrato continuò necem intento gladio comminatus fuit, tandem ostentum omninò evanuit. Eodem rursùs Anno die 5. Augusti, circà horam 9. vespertinam propè *Stolpe* versùs Meridiem visæ sunt duæ acies militares sese invicem invadere & mutuò decertare cum ingenti armorum sonitu ac bellico tumultu simul audito. Ad primum mox conflictum tantum ignis è nubibus erupit, ut ipsæ acies dignosci non valuerint: Altero deindè facto congressu flamma ignea denuò è nubibus prolapsa visa est acies distrahere: Tandem post tertium attentatum militarem aggressum scena omnis momento disparuit. *Ex Erasmo Francisci in Atmosph.*

In Palatinatu Superiori.

Visæ duæ acies in Cœlo propè Stolpe.

33. Anno 1580. sub Rege Sueciæ *Joanne* in Augusto apparuit inter stellas Ursus miræ magnitudinis totus collucens ignibus, quos de se sparsos emittebat longè; sic ut perterriti custodes, vigilesque arcis Regiæ Holmensis urbis incendium imminere per suasum haberent. Paulò post secutum ingens est adversùs Moschos bellum Duce *Ponto de la Gardie*, quo in bello præter *Kexholmensem* arcem propè insuperabilem putatam tota Ingria; nec non pars benè magna Russiæ cum oppidis compluribus in Suecorum potestatem est redacta. *Ità Schefferus in memorab. Suet. gentis cap. 2. num. 4.* Meminit idem ibidem sub eodem Rege, non addens annum, speciem canis venatici aperto ore cursuque concitatissimo, velut prædæ inhiantis visam in nubibus: Aliquandò verò post apparuisse horrendi formidabilisque aspectûs draconem, qui caudâ Solem trahere visus est.

Mira phasmata visa Holmiæ.

34. *Willebrordus Snellius libel. de Comet. 1618*, meminit Anno 1588, se admodùm puerum à notis & familiaribus audivisse, visos *Amstelodami* in ipso aëre paulò ante Solis occasum navium conflictus maritimos, impressiones hostiles; hos victos, illos victores abire tanquam in puerili naumachiâ, idque unius aut alterius horæ spatio multis hominum millibus inspectantibus.

§. IV.

Exempla quædam recentiora mirabilium in aëre phasmatum, aut simulacrorum, quæ hoc nostro sæculo 1600. in diversis locis comparuerunt.

1. An. 1600. die 7. Sep. *Inuramne* horâ 23. sereno Cœlo suprà Cathedralem Ecclesiam *S. Mariæ* apparuit in mediâ aëris regione crux candida lucidissima optimè

forma-

formata scopulo, ut videbatur infixa facie terram respiciens, cujus stipes, ut inspicientibus apparebat, erat altitudinis 7. pedum, & ultrà; brachia verò 6 crassitudo autem & latitudo stipitis & brachiorum semipedis, & ejus caput Orientem, pes Occidentem, brachium alterum Meridiem, alterum Septentrionem spectabant, quibus singulis affixa pendebant flagella: & super brachiis crucis corona spinea candida, in cujus scopulo & radice ad dextram versùs meridiem erigebat. *Tylkowski phys. cur. part. 3. de Meteoris.*

Ostenta ab Hollandis visa.

2. *Willebrordus Snellius inl. supra cit.* imprimis refert ad Annum 1618. ab Hollandis *Amortsfortii*, & alibi, ac quidem haud altè suprà ipsa culmina tectorum visa tormenta, tubas, sclopetorum displosiones, castrorum metationes, atque alia id genus quàm plurima.

In Pomerania.

3. Anno 1627. duo in *Pomerania* visi sunt exercitus invicem confligere, quorum Septentrionalis evasit victor, eumque procedentem secuta est trabs ignea. *Jonstonus ex Mercurio Gallo-belgico.*

In Misnia visæ acies in Cœlo.

4. Anno 1629. in *Misniâ* refert idem *Jonstonus* duas in infimâ aëris regione concurrisse acies, easque ex nebula ità formatas fuisse, ut videri vultus & ora potuerint; minorem etiam obtinuisse victoriam, majorem verò cæsam fugatamque. Eodem etiam anno ad locum *Bruck* ad *Leytham* in Austriâ memoratur, in campo duos ingentes exercitus inter se decertare visos esse secutis deindè miseris Gallorum cladibus.

Crucis apparitio.

5. Anno 1630, juxtà civitatem *Eboræ* die 18. Jun. inter 9. & 10. matutinam apparuit crux versùs *Nordeste* tribus leucis distans à civitate. Erat optimè figurata & ex omni parte æqualis, quæ apparebat etiam in secundâ regione aëris, cujus pedis latitudo erat spithamarum plus minùs 28, brachia verò crucis spithamarum 22. aut 24. Hasta crucis seu trabs erecta 38. vel 40. spithamarum; trunci verò latitudo tres palmi seu spithamæ. Duravit ejus apparitio circiter mediam horam, tres habuit successivè colores. Primus erat ruber seu puniceus; secundus cæruleus clarus; tertius viridis marinus, & tunc disparuit nubibus à parte pedis sensim involuta, qui stabat versus Orientem. Situs ejus non fuit erectus, sed inclinatus, quasi brachia versùs terram inclinaret, & locus ille, ubi visebatur, plùs illustris erat. *Ex literis Romam ad P. Joann. Chamazo datis die 20. Julii* Simile quid eodem Anno & die *Ratisbonæ* apparuit, ut constat ex literis Illustrissimi *Doct. Othonis Henrici ab Herberstein ad D. Fratrem die 3. Maij perscriptis.*

Classis bellica visa Dantisci.

6. Quo tempore *Gustavus Adolphus*, ut narrat *Schefferus in memorab. Gent. Suet. cap. 2. Cum exercitu primum iter in Borusfiana meditabatur adversus Polonos bellaturus, visa est Dantisci, atque Balthico in Oceano velut classis bellica inter nubes è Septentrione proveniens, iterque faciens Meridiem versus, frequenter exonerans machinas bellicas, & globos igneos innumeros emittens. Neque post adventum Regis dubitavit quisquam, quin hic fuerit nuntius ingentium præliorum & victoriarum, quas reportaturus erat Heros invictus à Polonis virtutem ipsius contra se per nimium improbæ contentionis studium acriter armantibus.* Ità ille.

7. Illa ipsa die, qua *Gustavus Adolphus* Rex Sueciæ cum Cæsarianis cruentum prælium iniit apud *Lutzam*, quo & ipse occubuit in Uplandia, sicut memorat *Schefferus* ibidem, *non procul pago Rasbockil faciebant quidam noctu iter, qui cum in medium venissent pratum, quod templo adjacet, tantum derepentè tumultum pugnantium, totque dissonos clamores hortantium, cædentium, fugientium, instantium, tot fragoris tormentorum fulminaque audiunt, ut ingenti metu consternati, quo se verterent, incerti essent. Sibi namque jam in ipsas præliantium illapsuri manus videbantur. Atque licet spissioribus in tenebris distinctè nihil cernerent, tamen proximè abesse ab ingenti periculo, aut exitio planè suo credebant, donec in proximam dilapsi viciniam, summoque pavore diem exspectantes deprehenderent ex campis omni armatâ multitudine liberis, prodigiosum illum tumultum fuisse.*

Audita in Sueciâ tempore Lutzensis prælii.

8. Anno 1643. suprà insigne fortalitium Königstein dictum in Saxoniâ ingens exercitus suos exhibens equites & pedites in aëre visus memoratur.

Suprà Kö-nigstein Saxoniæ.

9. Anno 1645. die 27. Aprilis vesperi inter quintam & sextam horam *Dinckelspuhlæ* Sol omninò rubeus & sanguineus comparuit; mox etiam indè varii globi granatarii nigri, cærulei & ignei coloris ejecti partim in ipsam civitatem, partim super eam jactati tandem evanuerunt. Die 20. Augusti post pugnam Allersheimensem Galli cum copiis suis eam ipsam Urbem obsederunt, ac quindecim dierum spatio expugnârunt: Verùm 19. Novembris eam denuò Bavaris deditione addixerunt.

Visa Dinckelspuhlæ.

10. Anno 1646. ad initium Novembris in Silesia suprà locum dictum vulgò Groß-Kloggaw duo ingentes exercitus in aëre visi sunt decertare: Tandem ingens & terribilis virga promicuit, quæ Poloniam versùs sese inclinavit. *Theat. Europæum.*

Duo Exercitus in Silesia visi.

11. Anno 1655. mense Februario illo ipso in loco, quo suprà ex *Scheffero* memoratum fuit, acierum militarium invicem pugnantium fragores & strepitus auditos esse non longè à templo *Miles primùm tendens ad concionem, conspexit ingentem armatorum multitudinem vi omni præliantium: Quod ipse miles trepidus nuntiat aliquibus vicinis suis: Mox rumor per templum omne de inopinatâ hostium irruptione: Quisq; sibi suisque metuens festinat egredi. Vix egressi erant, cùm animadvertunt à templi latere Septentrionali, Meridionaliq; duos justæ magnitudinis exercitus in patenti illic prato acerrimè inter se concurrere. Pars multò maxima rem credebat veram agi tàm distinctè, clareque cernebantur omnia, equi, viri, fræna, sclopeta, hastæ, lanceæ, gladii, & ut ictus alter intentaret alteri, ut alter alterum dejiceret ex equo, ut fugerent, ut fugientibus instarent, imò singuli persequerentur singulos per arbusta, virgultaque atq; ensibus sclopetisque trucidarent. Non longè indè aberant & classes duæ cum malis, rudentibus, vexil-*

Spectacula mira in Suetia.

vexillis per aërem ludentibus velis passis, & in eis magna nautarum propugnatorumque copia; Undè præcipites in mare delabi cernebantur, qui fuissent saucii aut interfecti. Denique nil ad veritatem deerat, micabant ignes emissi è tormentis, sclopetisq, surgebat fumus densæ instar nebulæ. Solus fragor, qualis esse præliorum solet, exaudiri nullus poterat. A latere ambulabat vir humanâ specie procerior demisso ad talos pallio, longoq, pileo tectus, velut spectator prælii, ac eventûs, qui mox tendebat ad vicinum pagum, quo cùm venisset, ipse ac cum eo simul cætera omnia disparuêre. Mensis verò spatio interjecto illis ipsis in campis visa est multitudo atratorum magna cum demissis ad terram palliis pileisque largissimè patentibus, sed otiosa, nec se usquam movens, mox quoque è conspectu evanescens. Addit deindè *Schefferus* sequentia: *Quorum alterum gravissimum cum Polonis, Danis, aliisque bellum; alterum Regis maximi immaturam portendisse mortem, dubitare nemo debet.*

Spectrum aëreum in Austria visum.

12. Anno 1661. in Austriâ spectrum aëreum circulare in formâ gladii recurvi visum est; cui Luna cum Stellis in unâ arcus extremitate subjecta promicuit: Ad medium verò arcûs quatuor acinaces apparuerunt. Figuras duas hujus spectri aërei nonnihil differentes ad *P. Schottum* Herbipolim delatas videre licet apud eundem in *Physic. cur. lib. 6. cap. 1. & 4.* Secutum bellum Turcicum Anno 1663. quo & *Neohusium* à Turcis expugnatum, & deditione tandem occupatum.

Mira ostenta Stralsundæ in Pomerania visa.

13. Mirabile denuò spectrum aëreum describit paulò prolixius *Schefferus loc. supra cit* his verbis. Anno 1665. *Cùm in Pomerania propè Stralsundam piscatores sex ad halecum capturam die Aprilis octavâ circà secundam pomeridianam exissent in vicinum mare Balthicum; primùm ex Septentrione instar ingentis avium multitudinis advertunt adventare, vertere sese mox in gyrum, tum in unam veluti coire massam, quæ paulatim se in speciem mutabat navis bellicæ venientis ex Septentrione cum innumeris aliis ejusdem generis. Quæ cùm huc & illuc aliquamdiù fecissent cursum, æqualis aliarum bellicarum numerus ex Occidente adventare videtur, rectoque itinere tendere ad classem alteram, cumque illâ ingenti prælio decernere; Undè tantùm ignium fumique exortum, ut præter duo maxima navigia unum versùs Septentrionem, versùs Occidentem alterum cernere nil magnoperè valerent. Ad postremum classis Septentrionalis cedere coacta veluti disparuit, manente interim suo loco classe Occidentali. Paulò post adventant duæ classes aliæ, una ex Oriente, altera ex meridie, sed navibus & minoribus & paucioribus. Indè classes duæ priores concurrere denuò ardore tanto, ut fumus largissimè per explosionem machinarum ortus visum omnem interciperet. At verò eo paulisper deindè dissipato apparebat Occidentalis major navis retroacta fractis malis, velis, ac rudentibus laceris, cum viro in summis stante tabulis, vestimento coloris fusci, pileum tenente sub brachio dextro, sinistrum verò brachium incurvatum obvertente lateri. Sic utrâque stante classe, unâ in Septentrione; altera in Occidente venit ex meridie navis ingens, quæ longo tempore ingentes utrinque eructabat flammas, fulminaque emittebat sine numero. Tandem Classis Septentrionalior disparuit, Occidentalis suo mansit loco: Donec ad postremum è Cœlis prolapsum instar disci rotundi, quanta pilei vulgaris esse mangnitudo solet, colore qualis Lunæ, quandò deficit, templo Urbis dictæ præcipuo impendere videretur, quod præ metu, & languore animi Piscatores intueri longiùs nequivêre. Quantum eopse anno, ac deinceps secutum inter Anglos, Batavosque bellum fuerit, cui se Galli mox immiscuerunt, Danique, notum est. Neque Suecia mansit exsors planè, quippè quæ & ipsa mali vicini contagione multiplices in difficultates inducta, undè vix sepotuit explicare.* Ità *Schefferus.*

Ostentum acierum in aëre propè Marcodurum.

14. Anno 1671. æstivo tempore circà horam 5. matutinam vir quidam Religiosus ex Ord. S. Benedicti Pastor in *Birckesdorff*, propè Marcodurum Ducatûs Juliacensis obambulans in horto suo, ac precum consuetarum pensum persolvens ingenti subitò fragore terrefactus, Cœlum (quod tunc innube, totumque sudum erat) contuitus mox ingentem exercitum ab Occidente venientem advertit; qui in Orientalem plagam *Coloniam* versùs movit: Dumque aliquantispèr cum metu & horrore phasma suspiceret, eundem exercitum mox ab alio insequente, quasi cæsum recedere conspexit. Horruit non tantùm ad spectra hæc præfatus pastor, sed & in genua provolutus Deum precatus est, ut monstra in bonum vertere dignaretur; sicut ex ore ipsius Vir Religiosus Ord. nostri Candidi in Steinfeldiensi Cœnobio Professus mihi sincerè & candidè retulit. Anno deinde subsequente 1672. Galli cum exercitu per Juliacensem Ducatum *Coloniam* versùs moverunt. Et Anno vertente 1675. Cæsariani sub Generali de *Souches*, qui in *Birckesdorff* aliquot diebus perstitit; Gallos deindè insecutus est, usque in Brabantiam, ubi & hi à Cæsarianis copiis cæsi fuerunt.

Globi lapidei propè Novesium Cœlo delapsi.

15. Anno labente 1679. in Coloniensis ArchiEpiscopatûs satrapia *Lidberg*, propè Novesium accidit in æstate, ut Cœlo ad meridiem planè sudo ac sereno arantes in agris Rusticolæ maximè terrificum ex aëre perciperent fragorem & strepitum quasi confligentium acierum bellicarum cum ingentium tormentorum explosorum sonitu: Undè perterriti huc illuc cursitantes latebras, ubi sese abderent, quæsiverunt: Diversos verò mox globos lapideos quasi ex tormentis excussos totos adhuc calidos Cœlo delapsos offenderunt, quorum aliquos arreptos ad D. Satrapam, Perillustrem scilicet *D. Ferdin. Baron. de Roest* von Werß detulerunt; qui & ipse ex iis quosdam Serenissimo ArchiEpiscopo Coloniensi *Maximiliano Henrico* transmisit. Hic verò illos non tantùm admiratus, sed & in pretio habendos decernens tanquam

Hhh 2 rarissi-

rarissima Naturæ miracula in Archipithecio suo ad posterorum memoriam reponendos demandavit.

Mira ostenta variis in locis per Annum 1681.

16. Anno 1681. pluribus in locis mira in aëre simulacra visa memorantur. Imprimis die 11. Januarii propè *Grucinacum* bellicus tumultus in aëre exauditus, haud aliter, quàm si duo Turcarum exercitus invicem decertarent, & non tantum Sclopetis manualibus, sed & bellicis tormentis majoribus explosis ingentem fragorem excitârunt, unà cum 80. quasi tympanorum percussorum crepitante sono efficacissimo. Hoc autem eodem die, quo tumultus iste ex aëre perceptus est, *Rostochii* circà horam sextam vespertinam inter crebras fulgurum coruscationes globus igneus ex aëre delapsus est, & Cœlum ternis vicibus quasi aperire se, & indè albicans & lucidus denuò globus prodire, qui & guttas aliquas aquæ spargere, & tandem versùs portam S. Petri illius urbis sitam inter Occasum & Septentrionem procedere visus est. Similiter eodem Anno die 24. Jan. vesperi circà 5. horam in Saxonia inferiore tres Equites in Cœlo visi sunt diversis equis insidentes: Prioris equus albo, medius criseo, tertius nigro colore constabat. *Albo* dominans equo dextrâ tenebat gladium, sinistrâ verò flagrum protendebat ad quid insolitum, quod ritè oculis discerni non valebat. Tandem nigro insidens equo descensu ab eo facto in genua provolutus priori equitum meritos addixit honores. Eodem rursùs Anno in pago *Rojala* medio circiter milliari à Civitate *Abo* distante visi bini exercitus inter se confligere in aëre audito simul magno fragore exploforum sclopetorum, ac viso etiam fumo post factam explosionem. Sub quo conflictu observata acies Occidentalior ei, quæ ex Oriente procedebat, paulatìm cedere. Ubi verò hæ duæ acies cum fumo disparuerunt, præaltæ tres turres in conspectum prodiêrunt. Meminit etiam *Diarium Europæum* in Suevia eodem anno ingentes acies militares è Cœlo observatas cum grandi strepitu tonitruis & fulminibus invicem decertare; Funera deindè subsecuta, ac cruces nigras & gladios sanguineos eodem aëris tractu conspicuos perstitisse.

Ingens copia muscarum è globis ruptis in aëre.

17. Anno 1690. die 14. Aug. circà horam secundam pomeridianam in diversis villis ac pagis ad montes inferioris Alsatiæ, Cœlo undique claro & peramico ridente lumine multi globi lucidiis, quibus in ludo conorum utimur, æquales magnitudine à terrâ in Cœlum conscendere observati sunt, dumque Soli appropiare visi clarissimam demiserunt lucem; ipsos autem Solis radios subeuntes dissiliêrunt, & mox ingens indè muscarum (quæ alatis formicis persimiles erant) copia prodiit, quę & Occidentem volatu celeri periverunt; earum tamen quædam etiam in terram delapsæ, sese invicem aggressę sunt, alasque morsu absumentes, fœdè sese lacerârunt & interemerunt.

Armatorum militum apparitio in Blatzheim

18. Anno 1691. in Martio D. Pastor in *Blatzheim* (est Diœcesis Coloniensis pagus inter *Coloniam* & *Marcodurum* situs) festivo die circà Meridiem ex æde suâ pastorali egressus vidit in patenti campo ingentem armatorum militum advenire cumulum, ex quo territus recurrit ad Prætorem, & primarios incolas, iisdem significans, ut salvi conductûs assecuratores cum quitantiis solutarum contributionum emitterent; Gallos enim cumulatìm pago appropinquare, indubiè ad graves exactiones faciendas, aut damnosas faces ædibus inferendas. Cumque omnes cum D. Pastore excurrerent, copias viderent, iisque obviam quitantias exhibituri procederent; omnis mox visio disparuit: Ex quo maximo omnes terrore concussi sunt, ità ut D. Pastor aliquo etiam tempore hinc infirmus lecto decubuerit. *Ex literis huc scriptis.*

Ostenta Quinque Ecclesiis visa.

19. Anno 1692. ineunte Februario Novellæ hæc ostenta Quinque Ecclesiis in Hungaria visa nuntiârunt. Comprimis duo Cometæ aërei visi sunt, unus ad Ortum, ad Occasum Solis alter; Stella insuper insuetæ magnitudinis & fulgoris propè Horizontem; quæ tamen per tres solùm noctes in conspectum venit. Ignis etiam sulphureus per agros latè obvolitare & circumquaque fundi observatus. Similiter tres chori Sacerdotum in nube quadam visi sunt cum descendentibus ab alto Crucifixi imaginibus, quæ tamen sibi admodùm vicinæ comparuerunt. Inter Ortum quoque & Occasum duæ columnæ igneæ ad intervallum 88. propè pedum ab invicem remotæ visæ sunt, ambæ æquales in altitudine pedum 48, quæ per integræ horæ spatium observatæ fuerunt. In exortu diei ascendente Sole in circumsitis vallibus integra castra cum omni necessario apparatu candentis omnia coloris comparuerunt. Atque hæc monstra aërea non tantùm milites præsidiarii, sed & cives & incolæ ad dimidiæ ferè horæ spatium clarissimè conspexerunt: Visa deindè omnia Occasum versùs recedere. Anno eodem die 9. Aprilis sub crepusculum matutinum propè Temeswariam Cœlum aperiri, visum, totumque sanguineo cruore imbutum, fuit nuntiatum. Secuti deindè ingentes fragores ab explosis quasi ingentibus tormentis bellicis, nec non & manualibus musquetis minoribus emissi.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Meteoris igneis, sive de variis ignibus persæpè in aëre accensis.

Meteora cœteris omnibus illustriora sunt ignita vel ignea sic dicta, quod verè constent substantiali formâ ignis; vel ex toto, vel ex parte: Ut sunt ignes, quos aliàs vocant fatuos, lanceæ, trabes, stellæ cadentes, capræ saltantes, Helena, Castor & Pollux, ignis lambens, Draco volans, & plures ignes alii variarum figurarum. His accensentur fulmina, fulgura, sive coruscationes, & ex his nata tonitrua atque ingentes tempestates terrâ mariq; magis terribiles & noxiæ. De prioribus *hoc. capite* notabiliora quædam & mirabiliora producemus. De ultimis sermo erit *capite seq.*

§. I.

Regulæ & observationes Meteorognomicæ de ignibus fatuis, stellis cadentibus, Dracone volante, igne lambente, aliisque variarum figurarum ostentis igneis.

Igneorum Meteororum materia. 1. Communis omnium igneorum Meteororum materia censetur esse exhalatio sivè halitus pinguis resinosus, nitro sulphureus è terrâ, sulphure, bitumine, plantis, animalibus, aliisque mixtis extractus, spiritus verò in aëre, ac nube conclusi volutatione, vel partium calidarum constipatione per frigoris circumsistentiam, motum deinde & collisionem accensus.

Forma. 2. Forma eorundem meteororum substantialis est forma ignis, si exhalatio tota accendatur: Accidentales formæ sunt magnitudo, color, figura, motus, aliaq; hujusmodi, à quibus & nomen, & à se invicem differentiam accipiunt, cum alioquin in materia & formâ substantiali conveniant.

Causa efficiens remota. 3. Causa efficiens remota istiusmodi Meteororum esse solet non tantùm Sol & astra, sed etiam ignes quicunque subterranei, cum per calorem suum è terrâ, mariq; e, aquis, plantis, & animalibus apti nati sint ad halitus resolvendos, & aliò propagandos, sivè extrà in sublime aut quaquà versùs educendos & elevandos. Undè benè *Digbæus lib. 3. Instit: peripat. lect. 9. Cogitemus, inquit ferventissimos dies id agere in terram, quod in materiam chymicam calor fortissimus, qui post leviores adhibetur ad olea, id est, liquores glutinosos, & crassos educendos: puta ex terris crassis & mollibus vapores tollere non liquidos, sed multâ materiâ densâ concretos, non sine ingenti copiâ partium ignis inclusarum. Hos vapores neque in sublimem stationem erigi posse, neque diu in alto conservari: pro mensurâ tamen caloris, altius secundùm regionis & causarum concurrentium naturam ferri in uno climate, quàm in alio: ex motu autem & tumultu nubium occursantes sibi invicem hos vapores, cum glutinosæ sint substantiæ, invicem hærere, & constipari, & constipatos accendi, & accensos erumpere vel ejici.* hæc ille.

4. Causa efficiens propinquior, quæ ipso actu exhalationem accendit, & accensam huc atque illuc propellit, est vel antiperistasis frigoris ambientis, quæ materiam viscosam circumsistit, partes in eâ calidas constipat, atque ad concipiendam flammam cogit: vel est collisio & attritus partium exhalationis inter se, præsertim si accedant venti contrarii, aut aëris contrariæ ventilationes, quibus materia exhalationis frequenter huc atque illuc propellitur, atque ipse inclusus Spiritus volutatione effervescens flammam concipere cogitur. Causa efficiens propinqua.

5. Flammæ quò altiori loco contingunt, cum ibi earum materia sit tenuior, citiùs intereunt; quæ verò propiùs terræ contingunt, cum ibi materia earum sit lentior, crassior, tenacior, & viscosior, etiam diutiùs perdurare possunt. Undè benè rursum *Digbæus instit. peripat. lib. 3. Lect. 8. Flammæ*, inquit, *in tenui materia non diu vivunt, ut patet in fulgure, & in candelâ, quam in fumum quandoque exsilire, sed subitò restingui, & recipere se ad elychnium videmus; sed & flammæ, quæ ex vulcaniis evomuntur, brevis vitæ sunt.* Ignea Meteora quò altiora, eò minus durant.

6. Ignes fatui (qui aliud non sunt quàm viscosa quædam substantia in tenebris collucens evaporata ex terra pingui, & volitans in aëre) æstate, & Autumno frequentiùs, quàm aliis temporibus apparere solent, cum Solis calor tunc sit efficacior ad solvendas exhalationes, unde generantur; aut quod Solis calor validus quidem sit ad illos halitus eliciendos, non autem absumendos. Fatui & erratici dicuntur, quod homines eorum aspectu facilè infatuent, & in errores viarum deducant. Ignes fatui.

7. Frequentiùs etiam ejusmodi ignes apparere solent in locis & regionibus calidioribus, quàm frigidioribus. Undè in Hispaniæ montibus plures aliquandò viatoribus conspici, & in Ætiopiâ campestria loca subindè totâ noctè, haud secùs ac collucentibus stellis referta cerni dicuntur Nec dubitat *Schottus phys. cur. l. 11. part. 2. c. 9.* quin in littoralibus regionibus terræ Australis incognitæ, maximè in regione, quàm vocant *Del fuego*, ignes hujusmodi terruerint accedentes olim Lusitanos & Hispanos.

8. Probabile etiam est, ut idem *Schott. ibidem* sentit, non tantùm noctu, sed etiam interdiu ejusmodi generari, tametsi ob Solis lumen non appareant.

9. Solent etiam hi ignes circà paludes, cœmiteria, patibula, cloacas & quævis loca uliginosa sulphuream, ac facilè inflammabilem, crassam tamen, & gravem materiam exhalantia frequentiùs apparere, quod major ibidem pinguium, & viscosorum halituum, undè enasci solent, copia exhalet.

10. Causa saltûs horum ignium videtur esse aëris, quem pro vehiculo habent fluctuatio & inconstantia, maximè si ab ambulante Causa saltûs & motûs.

lante diffecetur. Quocircà hujusmodi ignis ad motum aëris commoveri solet, cum per se sit leviſſimus itá ut homines modò inſequatur, modò fugiat. Nam ſi poſt ambulantem exiſtit, inſequente tergum aëre ſequitur & ipſe, ac perſequitur fugientem: ſi ante ambulantem exiſtit; pulſo anteriori aëre pellitur, & fugit inſequentem: ſi aliâ de cauſa aliorſum pellitur, & ille aliorſum vadit.

11. Cum talis ignis ſurſùm fertur, id potiſſimùm ipſius levitati adſcribitur; vel quod, dum rores noctu decidentes eum deprimere conantur, contra eosdem luctetur & depreſſus ſponte ſuâ levitate reſurgat & ſurſum feratur; vel quod calore magis rarefactus altiùs evolare tendat: dum autem à frigore magis condenſatur, deorſum tendit, & ſuccumbere videtur.

Ignes fatui cur ad flumina & præcipitia durant.

12. In Flumina, & præcipitia etiam Ignes fatui nocturnos viatores abducere ſolent, quia ſecundo imprimis flumine tenuis aura dum ſpirat, & contiguus aër, cui incumbunt, ab aquâ fluminis abripitur, indè & flumen ſequuntur: deindè cum ad præcipitia ducunt, fit indè, quod aer, dum inſtar vorticis illuc volutatur, etiam hunc ignem attrahat, & inſequentes deturbet. Quamvis etiam negari haud queat, Spiritus malos ſivè tenebrarum ſubindè his ignibus abuti non tantùm ad homines deterrendos, ſed & ſeducendos, cum nox ipſa hominibus inimica ad terriculamenta & nocumenta plurimùm etiam conferre ſoleat.

Ignes in mari nautis apparentes.

13. Ignes iidem, qui in terrâ apparentes fatui dici ſolent, in mari conſpecti alia ſortiuntur nomina: dicuntur autem *Caſtor* & *Pollux*, cum bini: *Helena* cum unicus videtur: Binos nunc Hiſpani, Siculi, & Galli Ignes *Sant Elmi*, vel ut alii volunt *S. Telmi*: Itali verò *S. Petri* & *Nicolai* nominant. Dum autem nautis in mari apparent velo inſidere & quieſcere, melioris ſpei ſigna præbent, malaciamq; redire: cum verò poſtquàm apparuerunt, jactari vehementiús diſcerpi, ac plures obſervari incipiunt, ventos indicant prodromos tempeſtatis. Quocircà licet antiquitus creditum ſit, ignem, dictum *Helenam*, à nautis conſpectum tempeſtates portendere; ſi verò duo ejusmodi ignes, quos *Caſtoris* & *Pollucis* nomine inſigniebant conſpicerentur, felicioris ominis ſigna putârint: nunc tamen nautæ ſecùs augurantur, & quò plures contuentur, eò majorem fore tempeſtatem conjiciunt.

Stellæ per terram currentes.

14. Videntur quandoq; ignes quaſi ſtellæ per terram diſcurrere: accidit hoc cum aër exhalationibus refertus & accenſus pabuli ſui venam ſequitur: Unà itaq; tractûs parte poſt aliam accenſa videtur ignis quaſi continuus tranſcurrere, quia viſus non ſubſequitur momenta currentia, ſed videt ſimul unde exierit, & quo provenerit: ut in titione circum acto, qui ſpeciem circuli ignei præbet, ut benè explicat *Hamelius*.

15. Similiter Stellæ cadentes ex aëre generantur ab exhalatione ſulphureâ, ac facilè inflammabili in aëre longâ ſerie diſpoſita, ubi una pars poſt alteram accenditur, haud aliter ac in pyrio pulvere longo ordine per terrâ diſſeminato, ubi dum una extremitas accenditur, videtur per totam terram diſcurrere. Dum itaq; priores partes extinguuntur, poſteriores accenduntur, usq; dum tota ſeries combuſta decidat.

Motus cadentium ſtellarum tardior in fine.

16. Motus hujusmodi cadentium ſtellarum in fine plerumq; eſt tardior, ſivè id opticè fiat, & apparentes tantùm; ſivè aliâ ex causâ phyſicâ; ut quia nempè exhalatio ſe in Cœlum rectè aut obliq; evibrans materiâ in fine deflagrante Spiritus ignei molem ferentes majori ex parte exſpirare ſolent, vel cum deorſùm eſt motus, aër verſùs terram occurrit perpetuò denſior, ac magis trajectioni reſiſtens; vel quia materia motu diſſilit, aut rareſcit, & in fine fit tardior ad caſum.

Quid prænunciat.

17. Plerumq; igneorum meteororum præcipuè diſcurrentiû, & cadentium ſtellarum phœnomena tempeſtates præſagiunt: ſignificant enim aërem multâ exhalatione inſici, & quâcunq; ex parte procurrunt, abindè ventos exſpectandos dicunt. Probabilius tamen eſt, ſiccitatem ſignificare juxtà *Ptolemæum centiloq. Aphoris.* 99. undè aëris ſalubritas potiùs exſpectanda erit ad mentem *Hypocratis* 3. *Aphor.* 15.

Ignis lambens.

18. Ignis lambens, qui hominum capitibus, & veſtimentis, animalium pilis, aliisque rebus innoxiè adhærere, & inſidere ſolet, aliud non videtur eſſe, quàm flamma genita ex rarâ ſubtiliq; exhalatione, atque oriri nonnunquàm ex ſudore animalium præcalidi temperamenti, cum velociori agitatu incaleſcunt, & pinguem, viſcoſumque humorem ex ſe proferunt, qui ſimiliter ac ignis fatuus accenditur. Exemplum hujus ignis in Aſcanio Æneæ filio adducit *Virgilius* 2. *Æneidos* his verſibus.

Ecce levis ſummo de vertice viſus Juli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flamma comas & circùm tempora paſci.

Quod Pater *Æneas* extinguere cupiens ait:

Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.

19. Gigni etiam poſſunt hujusmodi lambentes flammæ, ut benè docet *Le Grand. in hiſt. nat. de Meteor.* ex ſpirituum commotione, qui è corpore erumpunt & inter ſe convoluti quandam ignis ſpeciem præ ſe ferunt; ut de *Alexandro Magno* referunt Hiſtorici, qui in magno prælii ardore ſcintillas emiſit & de feroci Tiberii equo, è cujus capite flamma emicuit. Aſſerit etiam *Fromondus* irâ aut vino æſtuantia capita faciliùs hunc ignem circum fulgere, quia illis pori aperti, & Spiritus plures, & magis ignibus idoneos ſuppeditant in flamam. Hinc *Alexander* ille M. quia vino deditus, & igneæ inſuper complexionis fuit aptior & proclivior his inflammationibus fuit.

Flamma ſivè ardor Cœli.

20. Quia multa ſæpè exhalatio quaquaverſum in aëre diſtenſa eſt, & itâ ſubtilis, ut tota ſimul inflammari poſſit, igne igitur correpta ſubitò inardeſcit tanto nonnunquam ſplendore, ut diei ſpecies noctu luceat. Et hoc phænomenon *Flamma* à Meteorologis dicitur: *A Tandlero ardor Cœli* nominatur, atque Meteorum hoc *diſp.* 3. *Meteor. Theſi* 29. noſtro tempore non eſſe infrequens, & in aëre itâ humili, ut non longè abeſſe credatur: non rarò etiâ igne taciti

fulgoris

fulgoris instar decidere, & abindè ædificia succendi, sicut *Fismondus lib. 2. cap. 5.* testatur *Lovanii* lintea sub dio expansa ustulata hinc fuisse.

Ignis è Cælo cadens. 21. Sæpè etiam ingens ignis cumulus ad modum ignei globi Cælo delabi solet. *Cardanus lib. 14. de variet. cap. 69.* de hujusmodi meteoro hæc scribit. *Ignis è Cœlo cadens semper clades, & mala maxima prænuntiat; seu quod ex corruptis vaporibus factus, ubi quiete opus est exercitui, urget & inficit; vel quia mentes sensus movent. Satis est nunquam in irritum descendere.*

Draco volans. 22. Dracones volantes (quorum figura est ignea in medio latior, antè & retrò strictior cum aliis hinc indè expansis) dum cernuntur; aërem multis præter morem exhalationibus infectum esse, significant; undè & *Fromondus* pestis & aliorum malignorum morborum signa prognostica esse docet. Generatur autem hoc meteorum ab exhalatione non nimis viscosâ & calidâ, nec valdè cöagulata & compressâ, dum ea obviat nubi frigidæ, ab eâque repellitur, ac deorsum truditur, quâ detrusione, & repulsu acquirit simul figuram draconis, & accenditur. Partes enim tenuiores in occursu nubis præcedunt, & primum impetum excipiunt: hæ repulsæ pellunt subsequentes densiores: hæ denuò pulsæ arcuantur in ventrem; rariores verò partim diffunduntur ad latera, & alarum speciem effingunt; partim ponè subsequuntur, & caudam exprimunr: dum lateralis interim tum ob primum impetum, tum ob violentum motum deorsùm distrahuntur in scintillas velut ore volantis Draconis exsputas: ita explicat *Schottus phys. lib. 11. cap. 24.*

Trabs. Lancea Jaculum. 23. Materia exhalationum in aëre collectarum cum magis in longum, quàm latum non erecta, sed jacens extenditur, & partes æqualiter dispositas habet, atque tota simul accensa in eâdem Cœli parte collucet, *Trabs ardens* vocatur, aut *Lancea*, aut *Jaculum* propter similitudinem. Solet etiam hujusmodi meteorum per aliquot horas durare.

Capra saltans. 24. Quòd si materia facilè ignem concipiens & apta inflammari in aëre collecta paulò magis in longum, quàm latum protensa, ac nullibi interrupta habeat ad latera quasi fila quædam inter se distincta, ad quæ, cum simul accenduntur, excursiones quasdam, & veluti saltus flamma efficere queat modo scintillarum emicantium, quæ tamen cnm totâ matèria continuentur; si accendatur; *capræ saltantis* Meteorum appellatur, quod nempè, dum diversæ exhalationes inter se disjunctæ quidem sunt, ut subtilioribus partibus cohæreant, una alteri flammam celeriter communicet, videatur flamma huc illuc more saltantium caprarum transilire. Quomodo autem hujusmodi saltus possit esse verus, vel tantùm apparens, videri potest apud *Fromondum lib. 2. Meteor. c. 5. art. 1.*

Pyramis. 25. Pyramis ignea vel ignis perpendicularis à Meteorologis exhiberi dicitur, cum materia exhalationum est benè cohærens, habetque partes subtilitate & crassitie inter se dissimiles, ità ut subtiliores partes sursùm eleventur, simulque accendantur, & in conum seu turbinem abeant; crassiores verò deorsùm commeent, & basin latiorem exprimant, atque ita totorum meteorum ardentem pyramidem exhibeat,

26. Stipularum ardentium Meteorum fieri solet, cum exhalatio rarior & non benè compacta longè lateq; per aëra particulis quibusdam exilibus disseminatur, & accensa subindè relucet, subindè extinguitur, sicque speciem stipularum in aëris flagrantium repræsentat. Stipulæ ardentes.

27. Cum exhalario in longum extensa, & gracilis, atque ità æqualirer densa, ut non simul, sed paulatim inflammari possit, igne correpta ab unâ parte reliquam nondum accensam aliquo modo collustrat, *Facis* seu *Candelæ* ardentis imaginem refert, cujus & nomen sortitur. Videntur autem faces sæpiùs nocte, interdum tamen etiam de die. Undè *Seneca lib. 1. Nat. quæst. cap. 1. nostra certè ætas, inquit non semel vidit diurnas faces, alias ab Oriente in Occidentem versus, alias ab Occasu in Ortum.* Plinius etiam facium duo facit genera, quorum unum lampades, alterum *Bolidas* vocat. Fax seu candela.

28. Præter enumerata jam ignita Meteora, varia adhuc alia ab Authoribus recensentur, quorum materia accensa dum certam aliquam figuram aut imaginem exprimit, inde & nomen sortiri solet, ut sunt clypei, enses, columnæ, cruces, dolia, turres, naves, & ejusmodi alia. Omnia autem cum materiæ subtili ac tenui insideant, haud ità diu durare possunt, sed facilè extinguuntur: Sin autem crassiori adhæreant materiæ, facilè decidunt, & proprio renitente pondere, diutius in aëre suspendi non possunt, ut rectè docet *Du Hamel phys. part. 2. de Meteor.* Causa itaque materialis omnium indicatorum ignitorum Meteororum est exhalatio pinguis & viscosa, aut quovis modo facilè inflammabilis; Formalis; figura, motus & situs: Efficiens, quæ materiam accendit, Sol, astra, ignis aliundè in materiam incidens, spirituum volitatio & agitatio, halituum attritus & confricatio &c. Finalis tandem est aëris repurgatio, hominum terror, timor Dei, Gloria Conditoris. Quæ autem ostenta ignita præter consuetum naturæ ordinem sæpè in Cœlo comparere solent, uti insolita planè sunt, ita reconditam etiam causam habere censentur, finem verò ex parte Conditoris, vel ejusdem permissionis semper optimum.

§. II.

Experimenta & Exempla curiosa circà hactenus enarrata Meteora.

1. *Annæus Seneca lib. 1. Nat. quæst. cap. 1.* refert: *Gylippo* Syracusas petenti visam esse stellam (quam alii volunt fuisse ignem lambentem aut fatuum) supra ipsam lanceam consistere. Narrat etiam *Fromondus lib. 2.* Flamma lanceæ & vexillo insistens.

lib. 2. Meteor. cap. 2. ante celebrem illam pugnam Pragensem, ignem ralem insediſſe vexillo *D.Guilielmi.Verdugi* Legionis Wallonicæ Legati; idque pro augurio insecutæ mox victoriæ habitum.

Ignes fatui effigiem infantis exhibentes.

2. *Refert Mizaldus*, ut inquit *Cardanus de variet lib. 14. cap. 69. quod à pluribus etiam visum est, quandòque ignes fatuos seu ambulones infantis effigiem se moventis præbere, qui præter id, quod equos terreant, etiam homines perturbent, adeò ut nonnunquam adducant in præcipitia, & fluvios, aut paludes, eòque præsertim, quod juxta cæmeteria, patibula, templaque soleant videri.*

Materia ignis fatui qualis.

3. *Robertus Fludd* Armiger & Medicinæ Doctor Oxnienſis affirmat ſe quondam ignem fatuum noctu inſecutum & aſſecutum; inveniſſe autem materiam non igneam ſed viſcoſam & lubricam, compactam in modum ſpermatis ranarum diſtinguentibus nigris & exiguis maculis ſubalbidam, quæ vice ſpeculi redderet lumen. Verùm hæc memorans *Du Hamel de Meteor. lib 1. cap. 4.* ait. *An Fluddo tanta fides debeatur, quem ubique ineptire philoſophia Moſaica titulo ſuperba, re inanis ſatis demonſtrat.*

Sonus & crepitus in iis auditus.

4. Mirabile eſt quod memorat *Cardanus loc. ſupra cit.* Contingere quandoque, ut ignes iſti fatui crepitent, pariantque inconditas quaſdam voces humanis ſimillimas, atque ob id credulis quibuſdam perſuaſum eſſe, animas Defunctorum iis circumdatus expiari atque purgari.

A malis genijs ſæpè diriguntur.

5. Certum & expertum eſſe ſcribit *Fromondus loc. ſupra cit.* malos genios in perniciem mortalium aliquandò ignes fatuos dirigere. Oſtendit id manifeſto exemplo cujuſdam ſui affinis. *Redibat*, inquit *in nocte Oppido Viſeto Haccuriam æquali inter Leodium & Moſæ Trajectum diſtantia. Et ecce medio campo circumvolant tres, quatuorquè fatuæ ejuſmodi faces. Perterritus abjicit ſe illico in terram: permanent tamen illæ, & uno aut altero paſſu ab illo diſtantes fixæ & immobiles circumlucent. Cum diutiùs terræ inhæreret & invocaret Dei opem, abſiliunt indè dimidio ampliùs miliari. Exurgit tum quaſi liber, videtq; transvolâſſe Moſam, ſed ecce duos aut tres paſſus confecerat, revolant derepentè & cingunt, ut priùs; ibi ipſe majori terrore in terram recidere cœpit, & pertinaci procubitu tamdiu fatigare, donec rurſum ſine reditu diffugerent.* Similes hiſtorias plures & ipſe ſcio hìc in Franconiâ noſtrâ contigiſſe: Ubi noctu itinerantes mirè ab iis deluſi fuerunt: dum enim cœcis tenebris iter agentes eorum conſpectu territi rectà ſe ad deſtinata loca progredi putarent, poſt longum iter emenſum reverſi ſunt eò denuò, undè exiêrunt. Alii cum noctu ad avias villas ab iiſdem fuiſſent deducti, haud modico etiam tractu temporis viam denuò ingreſſi ſperarent comites illos ſe longiùs ablegâſſe, ubi paululum progreſſi eos primùm de longè conſpectos, mox proximos denuò nacti fuerunt.

Ignis S. Agrippinæ.

6. *Mœnis* in Sicilia, nt narrat *Schottus phys. cur. lib. 11. cap. 10. §. 3.* poſt magnos calidos & continuos aliquot horarum flatus certis temporibus in cæmiterio templi *S. Agrippinæ V. ac Mart.* muris templi ac turris magnâ hominum plebejorum lætitia adhæret ignis, quem vocant *S. Agrippinæ*, & in argumentum gaudii omnes dicti loci campanas, dum apparet, compulſare ſolent. Eſt tamen ignis ille nil aliud, ut ipſe ſentit *Schottus*, quàm Meteorum, viſcoſa ſcilicet exhalatio è cæmiterio copioſiùs tunc, cum ventus calidus ac vehemens incumbit, exhalans, & agitatione atque ad muros alliſione accenſus, ac tamdiu durans, donec abſumptâ materiâ ſpontè emoriatur flamma.

Ignes in mari conſpicui.

7. Plinius *hiſt. nat. lib. 2. cap. 3. Vidi*, inquit, *nocturnis militum vigiliis inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie eâ; & antennis navigantium, aliiſque navium partibus, ceu vocali quodam ſono inſiſtunt, ut volucres ſedem ex ſede mutantes: graves, cum ſolitariè venêre, mergenteſque navigia: & ſi in carinæ ima deciderint, exurentes: geminæ autem ſalutares & proſperi curſus prænuntiæ, quarum ad ventu fugari diram illam ac minacem, appellatamq; Helenam ferunt. Et ob id Polluci & Caſtori id numen adſignant, eòſq; in mari Deos invocant. Hominum quoq; capita veſpertinis horis magno præſagio circumfulgent. Omnia incertâ ratione & in naturæ majeſtate abditâ. Cardanus lib. 2. de ſubtil.* Helenæ ſidus apparere circà malum navis ſcribit, & cadens etiam ænea vaſa colliquare certum ſubverſionis nuntium ſolum in gravibus accidere tempeſtatibus, nec niſi craſſiſſimo Spiritu & magnâ vi vaporem illum cogi poſſe in navi, & ardere ſimul, ob idque imminentem nuntiare perniciem.

Ignis lambentis exempla.

8. *Cardanus lib. 14. de variet. cap. 69.* memorat cuidam ſuo amico, cum domum aliquandò veniſſet horâ primâ noctis exactâ in pallii conſuetâ depoſitione ſcintillas à dorſo petaſi ſparſim proſiliiſſe; iterumque repoſito pallio, dum amoveretur, denuò erupiſſe. Addit deindè infrà quindecim dies accuſatum veneficii ab inimicis, & quæſitum ut occideretur, voluntarium ſuſcepiſſe amicorum conſilio exilium. Idem *Cardanus lib. 8. de variet. cap. 43.* narrat de quodam Carmelitano per annos tredecim ei hoc eveniſſe, ut quoties capitium reduceret ad occiput, ſcintillæ ignis è capillis eruperint. *Libavius* etiam *lib. 1. de orig. rerum*, ſcribit de puero quodam *Jenæ* quod detractâ per occiput interulâ ſcintillas copioſiùs unà deterſerit.

Ignita Meteora in Microcoſmo.

9. Meteora etiam ignita dari in Microcoſmo, & ejus halitus unctuoſos, viſcoſos, ac ſulphureos admotâ externi luminis flammâ facilè accendi, & phaſmata ignita exhiberi poſſe, haud alia ratione quàm in Macrocoſmo fieri ſolet, variis patet experimentis. Ità præterito ſæculo contigit *Piſis* in Italiâ; dum Anatomiæ Præfectus candelam cerearn accenſam in manibus teneret, propè locum diſſectionis illius igne flatum, halitumque pinguem fortuito caſu diſciſſo ſtomacho egredientem inflammatum; quod tum temporis caſui præſentes, *Franciſcus Bonamicus* egregius Philoſo-

Philosophus, & *Joan. Ruschius* Anatomiæ Professor *Pisis Fortunio Liceto* communicarunt. Accidit etiam Anno 1597 in muliere dissecta, quæ ante obitum 4 diebus nihil assumpserat, corpus verò adeò ex flatibus tumidum erat, ut falsò prægnans habita fuerit. Cum devenerunt ad Ventriculum, eumque teneret *Ruschius* manu sinistrâ satis arctè ipsum turgidum ac durum eâ parte redderet, sublata primâ peritonæi communi & duarum propriarũ dissectâ carnosiori extrema, dum gladiolo punctim perforaret internam, adstante scholare quodam cum candelâ repentè & inopinatè foràs exiit à facto foramine flamma continuò cum strepitu perdurans illud temporis spatium, quo ter dici poterat: *Videte, videte, videte.* Color flammæ fuit instar picis græcæ, aut sulphuris ardentis, flavus ad viridem inclinans, absque tamen notabili odore. Diutiùs putârunt duraturam flammam, nisi *Ruschius* exterritus manum à compressione ventriculi removisset. Hæc *Ruschius L. a ad Fortun. Licetum f. 94.*

Ignis emicans ex du- ris parti- bus homi- nis; item in variis animan- tibus.

10. Coruscationes lucularum, lambentium scintillarum atque flammarum non tantum in hominibus, sed & variis aliis animantibus macrocosmicis coruscationibus æmulas quandoque accidere, experimenta varia demonstrant. Ità in variis hominis partibus lucem effulsisse erudito *de Luce animalium tractatu* comprobat vir doctissimus *Thomas Bartholinus*. Sic probat lucem fulsisse in pilis, capite, promicuisse ex dentibus, & linguâ, ex oculis, ex thorace, ex abdomine, & artubus; pariter conspicuam effulsisse lucem in variis animantibus, Leone, equis, tauris, lupis, canibus, felibus, hyænâ, muribus, serpentibus, atquè etiam variis insectis, &c. Vide infra *Scrutin. 4. disq. 1. cap. 10. §. 3.*

Mare etiam igneam spargit lucem.

11. Mare ipsum noctu de se lumen spargere propriis confirmat exemplis *Nicolaus Papinius tract. de la Lumiere de Mer.* Testatur etiam *Dom. de Moncoys in Tr. 1. itin. Lusit.* aquam marinam multum ejicere luminis & maximam partem Piscium noctem illuminare: Ostrea quoquè noctu maximè lucere: Et quandò piscatores marini per noctem vestes madidas deponunt, easdem lucem efflare, ac si candelæ essent accensæ.

Flamma ex puteo Romæ erumpens.

12. Ex puteo Romæ Anno 1664 flammam erupisse, & exindè hominem graviter læsum memorant *Ephem. Germ. Dec. 1. Ann. 1. Observ. 33.* Dum enim civis quidam Romanus, cui ædes ad ripam Tiberis munimento *S. Angeli* obversa, verno tempore puteum suum mundare constituisset, & Pozzacharis ità dictis mundatoribus laborem hunc commisisset; cùm etiam integrum deindè fermè puteum exhausissent, & tandem unus ex ipsis candelâ assumptâ descensum in puteum parasset ultimum expurgationi manum admoturus: vix cum ad medium putei dimissus fuisset, exclamavit ut denuò extraheretur; sibi enim impossibile esse ob æstum & mephitim ultrà in eodem commorari. Hoc extracto audacior alius descensum tentavit. Vix autem & hic ad medium putei dimissus fuit; En ingens flamma subcærulea suprà puteum erupit aliquot momentis perdurans; Misellus autem intereà in puteo diros ejulatus edens, ac opem sociorum inclamans tandem insigniter ustulatus, barbâ, pilisque à flammâ consumptis: quin & in pelle, tum & facie, tum & alibi ob vestes jam ignem concipientes graviter læsus in Xenodochium *D. Virg. Consolationis*, vulgo dictum ad curationem delatus fuit. Similiter refert *Fortun. Licetus l. de annulis Antiq. cap. 23. Novæ palmæ* in foro Julii observatum fuisse quod in descensu in monumentum Cathedralis Ecclesiæ tres Vespillones alter post alterum descendentes subitò omnes demortui fuerint, & cum deindè uncis extracta fuissent eorum corpora, cum insigni nigredine quasi combusta conspecta fuerint. Igitur haud aliter, ac in aëre aliàs patenti viscosa pinguis & sulphurea pervagans materia facilè aliundè accensa ignitum sistit oculis meteorum; ità pariter halitus isti viscosi ac sulphurei admotâ face, vel agitatione, attritu & commotione accensi flammas istas, & exindè natas combustiones effecerunt.

13. Sunt etiam quidam montes miris flammarum apparitionibus memorabiles apud Authores. Ità in Chinæ Regno propè *Xangeo* civitatem mons surgit *Lingfung* dictus, qui cùm de die pluit, insequente nocte semper in vertice flammam lucidissimam exhibet: quod non contingit sereno prævio die. Similiter in prærupto vertice montis *Tiencho* propè civitatem *Cancheu* singulis noctibus ignis conspicitur haud dissimilis ingenti carbonum ardentium cumulo. In monte quoque *Hodicto*, qui idcircò etiam inter Vulcanios montes recensetur, per noctem plures flammeæ faces conspici solent. ita *Henricus Seyfrid in medulla Mirab. Naturæ ex* Abentheuer. Mons quoque *Tola* in Mauricis Insulis, uti videre est, apud *Horatium Tursel. in vitâ S. Francisci Xaverii* è suis hiatibus certis temporibus flammas adurentes eructare solet. In Andium verò *Peruviæ* & *Chiles* montibus toto orbe terrarum altissimis aërem ibidem esse subtilissimum, & ad inflammationem ità dispositum, ut vel tenui motu inflammetur; Undè viatores in hisce montibus toti ignei sæpè videantur, non minùs, quàm equi & jumenta, quod *P. Alphonsus D. Ovale*, Provinciæ Chilensis S. I. Procurator, oculatus testis per *Andes* aliquoties iter faciens oretenus *P. Kirchero* declaravit. Quæ accensio & inflammatio haud aliter contingere potest, quàm ex eo, quod viscosus & pinguis tàm hominum, quàm jumentorum halitus ac sudor subtilissimo illi aëri commisceatur, & per motum attritus & subtiliatus tandem inflammetur.

Montes, in quibus sæpè flammæ miræ conspicuæ.

14. D. Jo. *Theodorus Mœren*, ut refertur *Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 5. Obs. 107.* cùm die 23. Jan. Anno 1686 *Mittelhemii* in Ringavia, post observatum in crassis tenebris formidolosius fulmen plagam versùs Occidentalem hybernam retrò pagum *Vicinam* (Winckel) dictum, vix semihoræ distantiâ surgere è terrâ in summum usque cœlum comprimis vidit ingentem flammam motu tàm celeri, ut fulmen æmularetur, tantâ

Meteorum igneum Mittelhemii visum.

tantâ latitudine, talique formâ, ut trium, quatuorve ædium incendiū quis putâsset, ni pernicitas motûs, subitaque extinctio idem dissuasisset. Vix flamma hæc cœlum attigisse visa, & extincta à terrâ de novo exorsa Cœlum identidem ad duas horas vano licet conamine invasit. Spectaculum hoc plures in pago excitavit, ut facto concursu incendium existimarent, quorum etiam aliqui campanarum tumultu vicinos convocâssent, ni attentiores se isthoc aëreo spectaculo deludi observâssent. Addit his D. *Mœren* insolitam copiam ignium fatuorum eo ipso vesperi ab alterâ Rheni parte vagatam, quibus fortè effectum ut affrictæ fortiùs particulæ sulphureæ densioris aëris vaporosi, cujus etiam meminit, indè incensæ phænomenon hoc oculis præsentârint.

Varia ignea Meteora visa ante bellum Cæsaris & Pompei.

15. *Lucanus lib. 1. Belli pharsal.* memorat, ante bellum civile *Cæsaris* & *Pompei* de nocte stellas ignitas visas, in aëre ignes & faces volantes, sidera crinita & comata, tonitrua die sereno, jacula ignea, lampades, caput Jovis Latialis de Cœlo ictum, stellas deciduas de die, defectionem Lunæ plenæ. Ità enim canit.

Spes saltem trepidas mentes lenet addita fati
Pejoris manifesta fides, superique minaces
Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum,
Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, cœloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna Cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,
Et varias ignis denso dedit aëre formas,
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit, Cœlo tacitum sinè nubibus illis
Fulmen, & Arctois rapiens de partibus ignem
Percussit Latiale caput, stellæque minores
Per vacuum solitæ noctis discurrere tempus
In medium venêre diem, cornuque coâcto
Jam Phœbe toto fratrem cum redderet orbe
Terrarum subitâ percussa expalluit umbrâ.

Trabes igneæ visæ.

16. Trabis Meteorum comparuisse scribit *Plinius lib. 2. hist. nat. cap. 26.* Cùm *Lacedemonii* classe victi imperium Græciæ amisêre. Anno 1560. die 17. Decemb visa est, inquit *Cornelius Gemma lib. 2. Cosmocrit. cap. 2.* Ignea trabs manè circà horam quintam. Eam præcipuè spectârunt Angli, & qui propè Insulas, Namurcum, tractusque finitimos degunt. Ardebat Cœlo summo conspicua per duas propemodùm horas ultro citroque discurrens brachii longitudine, tanto fulgore ut meridies videretur. *Fromondus* etiam *lib. 2. Meteor. cap. 5. art. 1.* à fido teste se audivisse scribit, Autumno Anni 1629. ingentem trabis molem intempestâ nocte ab occasu exortum paulatimque ad Cœli culmen evectum Lunam clarissimè splendentem infuscasse. Testatur etiam *Gassendus* Anno 1637 trabem se vidisse Aquis-sextiis ab ortu in occasum prætervolentem, quæ eodem tempore per totam Occitaniam visa est. Vidimus & nos hìc in Franconia Anno 1688 die 27 April: manè inter secundam & tertiam horam lucidissimæ trabis phænomenon, sed illud jam suprà descripsimus.

Dracones volantes.

17. Ridetur *Paracelsus*, dum *opusc. de Meteor. cap. 10.* Censet Dracones volantes esse aves igneas in hæc inferiora missas. Do verba ipsius. *Natura*, inquit, *Similiter aves producit igneas & volantes, nempè Dracones dictas, & quæ ab uno monte in alium jaculantur & volant. Dracones isti nonnunquam essentialis ignis existunt accenduntq; omnia prout fulmen: aliquandò fiunt coâgulum, ut stellarum fluxus; & quandoque prorsus consumuntur, & nonnunquam inter consumendum horribilem fœtorem efficiunt. Joan. Garcæus in doctr. de Meteorol. cap. 18.* scribit, quod magnâ in copiâ & formâ perquam monstrosâ aliquandò visi fint: ait enim. Anno 1532 in multis regionibus Dracones volantes in aëre gradatim visos esse coronis tectos, rostris suillis, interdum numero 400 volâsse. In tantâ certè copia, si meteora fuerint, mirum est, undè tantâ materia collecta, forma inducta & species efformata.

18. Anno 1629 die 16 Octob. ut refert *D. Plac. de Titis, phys. cœl. lib. 3. cap. 16.* visus fuit eximius splendor de nocte; Undè tandem visa sunt sidera ignea in omnem partem volantia, quæ strependo evanuerent unà cum luce.

Lampas illustris variis locis visa.

19. Anno 1676 die 31 Martii sesqui horâ post Solis occasum fax, seu lampas volans miri splendoris variis in locis Italiæ visa est, ut ea benè describitur à *Petro M. Kavinâ in epistolic. dissert. ad Antonin. Maliabechium* his verbis. *Faventiæ*, inquit, *silente Luna, obscuro sed sereno Cœlo prætereuntium oculos improvisus tanquam diei splendor inopinatâ luce percelluit. Erectis ad insolitum jubar luminibus sese obtulit à parte Orientis æstivi fax seu lampas ardens Lunæ totali apparenter similis, quæ motu progressivo in meridianum assurgens post se caudam trabebat trium ferè similium diametrorum radios undique, ceu quodam sibilo, ut ajunt, evibrans, & in Occidentem hybernum conversa, in multam à Meridiano elongationem progressa, & in nubem quandam illisa cum magno sonitu evanuit.* Hoc Meteorum non tantùm *Faventiæ*, sed & *Romæ, Florentiæ, Venetiis*, & in aliis Italiæ civitatibus eâdem ferè horâ visum memoratur ab eodem Authore, imò & in Germania inferiore à Trevirensibus visum testatur idem: subdens, *Trevirenses viso phœnomeno Augustæ mortem mox subsecutam tribuisse.*

Globus igneus.

20. Kircherus in ep. die 27 Maji ad *Kavinam* datâ, de simili eodem anno spectato phænomeno juxtà observationem Exmii Med. Montispolitani Doc. *Monterchij* hæc scribit. *Octava die Aprilis unâ circiter horâ noctis ex atra & caliginosa nube erumpens primo quidam fusci coloris globus, deindè tanti fulgoris, ut non dicam, quævis discernere, sed & scripturam quamlibet legere quis posset haud incommodè tantâ deindè motus velocitate, ut trahentis post se caudæ strepitum sentire licuerit haud secùs, ac si quis candefactum ferrum per frigidam traduceret; præthereà tam vicinum videbatur,*

videbatur phœnomenon Horizonti, ut alibi vel ipsarum arborum apices adussisse feratur. Ruptum denique crepitum edidisse majoris tormenti bellici haud absimilem, qui & urbem totam tremore concuteret adeò vehementi, ut Geocismum omnes arbitrarentur evenisse, & tandem relicto triduano Sulphuris mephiti disparuisse.

§. III.

Mirabiliora quædam Ostenta ignea in Cœlo; vel aëre diversis temporibus visa ex variis Authoribus recensentur.

Nubes flammea & indè lapis. 1. Quo tempore *Lysander* Spartanus Athenienses ad *Ægos* flumen vicit, & classe exuit, ingens lapis Cœlo decidisse memoratur. *Dumachus* autem in *lib. de Religione* notat, priusquàm decideret per 75 dies continuos eximiæ magnitudinis corpus instar flammeæ nubis in Cœlo spectatum, atquè huc illuc agitatum, ut fluctuatione & motu ignita quandoque fragmenta avulsa per modum trajectionis stellarum disjecta comparuerint. *Plutarchus in Lysandro.*

Facis seu trabis igneæ ostentum mirum. 2. Olympiade III. Lacedæmoniis annos ferè quingentos Græciæ imperium tenentibus, amittendi ejus signum Deus antè dedisse videtur. In Cœlo enim per multas noctes fax magna ardens conspecta est, quam à figurâ Trabem igneam dixêre. Paulò post verò Spartani gravi de improviso clade afflicti imperium præter omnem spem amiserunt. Hanc facem habuisse tantum splendorem, & vim luminis scribunt, ut umbras more Lunæ in terrâ efficeret. *Diodorus lib. 15.*

Ostenta ignea quæ Atilæ mortus præcesserunt. 3. Multa prodigia, ut scribit *Nicolaus Olaus cap. 6. in Atila*, Catalaunici in *Atilam* Hunnorum Regem & Romanos prælii atrocitatem prænuntiârunt. Inter quæ Cœlum cruento hiatu apertum mutuis hastis ignitis id obliquè scindentibus visum est. *Bonfinius lib. 4. Dec. 3.* refert, paulò antequàm *Atila* penetraret in Gallias, assiduos terræ motus fuisse, & varia Cœlum prodigia edidisse: Sub Aquilone perpetuum ignem visum fuisse, & in eo lineas hastarum simulacra referentes.

Ignis Juliano visus. 4. Juliano Imperatori pridiè quàm occideretur à Persis, cùm nocte surrexisset ad sacrificium, ignem è Cœlo descendere vidit. Responderunt interroganti Vates, ut vel saltem in diem alterum discessum differret: quod ille non tam contempsit, quàm facere coactus est deficientibus alimentis: frumenta enim navigio periêrunt. *Cardanus de Variet. lib. 14. cap. 69.*

5. In Urbe Turonicâ Imperante *Tiberio*, populo ante lucem in Ecclesiam festinante, Cœlo nubilo cum pluviâ globus igneus de Cœlo lapsus est, tantam tamque claram lucem de se præbens, ut tanquam in meridie, cùm Sol ad Cœli medium pervenit, omnia cernerentur. Receptus est hic globus à nube. Subsecutæ sunt exundationes aquarum insolitæ. Sequana & Matrona in tantum creverunt circà Urbem *Parisiorum Lutetiam*, ut propè eam aliquoties naufragia contigerint. *Greg. Turon. lib. 6. cap. 25.*

6. Cum *Stephanus* Papa in Franciam iret petitum auxilium à *Pipino* contrà *Aistulphum* Longobardorum Regem: noctu vidit igneum globum ab Australi Galliæ parte in Longobardorum fines excurrentem Anno Dom. 751, quæ res portendit Longobardis oppressionem per Francos.

7. Anno Christi 912 igneæ faces, stellæ micantes, ac hinc inde oberrantes magno hominum stupore visæ sunt: quæ res Ungarorum in Italiam incursiones notavit. *Schedelius Ætate sextâ. Nauclerus Generat. 51. Sab. En. 9. lib. 1.* Faces igneæ micantes visæ.

8. Anno 979 flagrantes in Cœlo visæ sunt acies, ac mutuis se vulneribus conficientes, juxtà *Sigebertum* & *Urspergensem*. Quæ res infelix illud *Othonis II.* Imperat. cum Græcorum exercitu significat bellum, ubi ipse cœsis copiis fugâ suæ saluti consulere coactus fuit. Acies igneæ.

9. Ante Longobardorum in Italiam adventum hastæ, atque acies igneæ assiduè à Septentrionis partibus apparebant; quæ ut & prodit *D. Gregorius* ingentem instare mortalibus stragem, & fœdam sanguinis effusionem ab eâ parte haud obscurè denuntiabant. *Sigonius lib. 1. Reg. Ital.*

10. Quo anno *Picti* ad internecionem deleti sunt à Scotis, acies igneæ Cœlo concurrere visæ, & subitò alterâ profligatâ evanuerunt. Sereno etiam undiquè die tantus armorum, equorúmque ac pugnantium strepitus in agris exauditus est, ut plurimos agricolas utriusque gentis exterruerit. *Hect. Boët.*

11. Antequàm etiam *Scoti* à Pictis & Romanis regno exuti; in extremâ Britanniâ noctu in Cœlo visi sunt ardentes enses, & arma omnis generis in ingentem facem coëuntia. *Duna* fluvius etiam sanguine fluxit, & ripæ ejus crebris ignibus fulserunt. *Idem H. Boet.* Arma in Cœlo visa.

12. Multa & varia prodigia facta in *Albione*, paulò antequàm *Corbredus Galdus* Scotorum Rex cum *Jul. Agricola* Domitiani Legato cruentâ manu confligeret, ignitas acies per aërem discurrisse, magnam Calidoniæ partem visam noctu incensam, interdiu autem ab igne intactam: navium speciem etiam in Cœlo apparuisse, notavit H. *Boët.* Ignitæ acies, & naves.

13. Anno 1094 *Sigebertus* refert nubes sanguineas tam ab Occidente, quàm ab Oriente surgentes sibi invicem in Cœli centro occurrisse: Rursum mediis ferè noctibus à Septentrione exsurrexisse splendores, plerumque etiam faculas per aëra volitâsse. Splendores & faculæ.

14. Cum *Carolus* Burgundionum Dux Geldrensem cepit urbem, incensa humo nullâ conspectâ flammâ penè in Burgundiam usquè malum illud penetravit: nequè remedia populi ad id satis inveniebant, etsi ingentibus fossis incendio præcidere viam, viresque conarentur. *Fulgos. lib. 1. cap. 4.* Humus adusta.

15. *Hieronymus Card. de variet. lib. 14. cap. 69.* narrat mirum ostentum igneum, quod aliquandò cuidam Amico suo comparuit his verbis. *Redibat Mediolano Gallaratum* Splendor mirus cum curru flammeo visus.

tum annos natus circiter viginti, & erat jam nox, sed Cœlum atrum obscuriores tenebras faciebat, pluebatque leniter, & ipse è regione oppidi alterius Busti, quatuor millia passuum distabat adhuc à Gallarato: visus est sensim videre splendorem, vocesque bubulcorum à sinistro latere augeri, ac brevi cum seps media esset, jam videt currum totum flammâ contectum, vox bubulcorum erat: Cave Cave, quo ostento territus calcaria equo addit, sed seu curreret, seu citato pede progrederetur, semper illi è regione currus adesse videbatur: Ipse verò cum interim supplicationes ad Deum recitaret, tandem post horæ fermè spatium pervenit ad Ecclesiam seu sacram ædem B. Laurentii, quæ extrà portam oppidi est, atque ibi sub terrâ omnia mergi visa sunt, currus, boves, bubulci, flamma. Quid igitur futurum esset vox declarabat: Cæterum vidisse constat. Subdit deindè post pauca *Cardanus. Significat ignis pestem, & seditiones ac desolationes: nam & Gallaratæ non solum pestem, sed multa alia mala perpessi sunt.* Aliud ostentum ignis vagantis de nocte in cubiculo, quo prospera cujusdam exulis liberatio indicata fuit, *Vide apud Eundem loc. cit.*

Ostensum igneum Herbipoli à P. Kirchero visum.

16. Anno 1631, ut refert *Schottus phys. cur. lib. 2. cap. 5.* cùm in Herbipolensi Universitate publicè Mathesin prælegeret *P. Athanasius Kircherus* vir toto orbe notissimus, nocte quâdam circà illud ipsum tempus, quo *Gustavus Adolphus*, Sueciæ Rex prælio vicit propè *Lipsiam Tyllium* ac Cæsarianos, evigilans per fenestram in Collegii atrium ac hortum despicit, & ecce totum atrium luculentâ flammâ repletum, & in flammâ milites infestis armis congredientes videt. Territus hoc spectaculo ac stupefactus currit ad Superioris cubiculum, ut excitatum à somno ad idem spectandum deduceret: sed veritus ne antequàm eò perveniret, ostentum evanesceret; redit ad cubiculum, num adhuc duraret exploraturus; Vidit eadem quæ anteà: iterùm ergò ad Superiorem currit, iterùmque ut anteà de causâ ad cubiculum redit: Sed dum tertiùm spectat, evanescit: Narrat postero die, additque magna asseveratione Suecum adventare, & Collegio magnam calamitatem imminere. Eventus probavit omnia. Ità *Schottus.*

17. Anno Domini 1661, memorat idem *Schottus phys. cur. lib. 6. cap. 4. §. 2.* ventos vehementissimos magnâ ubique per totam ferè Europam cum strage grassantes, tempestates maximas variis in locis Oceani exortas cum incredibili damno, tonitrua ac fulgura insolita hyemali tempore exaudita, spectra aërea non uno in loco visa, Cometam inter Delphinum & Aquilam spectatum, ignes verò præcedente Anno in die festo præcipuè Corporis Christi diversis Germaniæ locis die clarâ & Cœlo sereno ex aëre in terram evibratos: Quæ omnia bellum Turcicum præcesserunt, illudque haud dubiè significârunt.

18. D. Lubieniecius in liter. die 18. Jul. Anno 1665 ad Illustr. Dominum *de Rautenstein* datis, phænomenon ignitum â se in Cœlo observatum his memorat verbis. Ego, inquit, *nudius tertius post horam decimam cum nonnullis è familiâ meâ observavi etiam ad occasum ignitum phœnomenon. Duæ primùm faculæ scintillantes in lineâ rectâ ovali figurâ apparuerunt nube in medio eas cinguli instar dividente. His paulòpost tertia à latere partis inferioris lævo facula assiliit, & cum iis juncta corpus majus ardens nube tamen spissiori in medio divisum conflavit. Id aliquanto tempore postquam luxisset ad lævam inclinari, & ad instar litui incurvari ac minui cœpit, usquequò disparuit.* Figuram exhibet *Lubieniecius in Theat. Comet. pag. 129.*

Phœnomenon ignitum Homburgi visum.


19. An. 1681 ad nobilem & percelebrem urbem *Ryssel* ignis de Cœlo cadens eandem incendit, atque intrà breve temporis spatium 1700 ædes in cineres redegit. Eodem Anno ut habet *Diarium Europæum* 10 Februarii vesperi sub Solis occasum visa est in Cœlo rotunda tabula, undè globus igneus prodiit, qui continuò crescens & in majorem amplitudinem se expandens, tandem plures in partes divisus est: deinde in Draconem conversus, quem signifer equestris præcessit: retrorsùm autem plures formas variorum vexillorum, vel equitum exhibuit. Tandem hæc omnia simulacra conversa sunt in Castellum suprà montem constructum, undè continuò flammæ, & ignivomi globi eruperunt: circà ipsum verò hoc Castellum mox etiam majores, mox minores stellæ in conspectum prodiêrunt: quibus rursùm iterùm disparentibus, turris ignem flammasque evomens comparuit: tandem Scena omnis disparuit.

20. Anno 1690 die 7 Decemb. Argentinam versus è Cœlo aperiri viso ingens globus igneus delapsus comparuit; qui in aëre haud aliter, quàm si tormento exploderetur in modum festivæ salutationis fragorem repetitis vicibus edidit. Globus autem, juxtà relationem eorum, qui viderunt, in tres vias dispersus decidit: Aliquibus visus est in vallem Kinsigensem, aliis ad districtum versus castrum *Fort Louis.* Alii viderunt ad pratum sic dictum *Riet Argentinam* versus quorsùm etiam decurrit: quem locum, ubi cumquidam inspexissent, viderent gramen ibidem ambustum & foramen terræ incussum. Eodem vero die ad horam undecimam Cellæ ad Kinzingam prope Brisgojam fragores ingentes quasi explosorum tormentorum per circuitum in multis locis montanis auditi sunt.

21. Anno 1691 die 6 Aug. Heidelbergæ duo globi ignei Cœlo delapsi & propè terram disrupti ingentem sonitum & fragorem ei similem, qui ex tormento grandiori explosο excitari solet, per aërem propagârunt.

CAPUT XV.

De Fulgure, Fulmine, Tonitru, atque ex iisdem, aut cum ipsis natis Tempestatibus.



Upereſt hac in Diſquiſitione Meteoroſcopicâ, ut maximè admiranda in Cœlo aëreo adhuc diſquiramus Meteora: *Fulgura* ſcilicet, *Fulmina* & *Tonitrua*. Nihil enim his mirabilius, nihil terribilius, nihil quod ità divinam nobis incutiat potentiam: ut rectè ſcripſerit *Seneca quæſt. natur. lib. 2. cap. 31. ajens*: *Mira fulminis*, ſi intueri velis, opera ſunt; nec quicquam dubii, quin divina inſit illis & ſubtilis potentia. Nihil quod ità mentes ab omni divino cultu alienas ad tremendi Numinis indicat cognitionem, ut rectè proindè cecinerit *Petronius Arbiter*:

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua Cœlo
Fulmina cùm caderent, discuſſaq; mœnia flammis
Atque ictus flagraret Athos - -

Sed his præmiſſis rem ipſam aggrediamur.

§. I.

Notabilia ſcienda de Fulgure, Fulmine & Tonitru.

Fulgur quid ſit. 1. Fulgur ſeu fulgetrum eſt ignis ille, qui è nubibus ſeu cum tonitru, ſeu ſine tonitru effulget, & antequam ad terram delabitur, extinguitur. *Coruſcatio* dicitur, cum frequens, at non adeò copioſa luminis tremuli fit emiſſio. Undè etiam hæc dici ſolet vibratio tremuli luminis ab exhalatione in aëre aut nube accenſâ. *Seneca* diſtinguit fulgur à fulmine, quod illud ſit ignis latè explicitus: Hoc autem coactus ignis & impetu jactus. *Fromondus lib. 2. Met. cap. 3. art. 4.* duplex ait eſſe genus Fulguris: Unum, quod more fulminis nubem terebrat quidem, & erumpit, ſed ad terram non venit, vel quia impetu non ſatis valido erumpit; vel quia ignis in jactu diſſilit, aut in obliquum nimis deflectit: Alterum, quo ignem tantùm in nube rarâ oſtendit, non emittit: atque hoc propriè coruſcatio dicitur. (Duplex fulguris genus.)

Fulmen quid ſit. 2. Fulmen à fulgendo dictum, exhalatio ſpirituoſa & nitro-ſulphurea intra nubes accenſa, & magno impetu excuſſa non tantùm ex inferiore parte nubium, ſed æquè ſurſum & ad latera erumpens, licèt hoc non advertatur.

Fulminis differentiæ. 3. Fulminum tres differentias tradit *Seneca*: Ut aliud ſit, quod terebrat, eſtque ſubtile & flammeum: Aliud, quod diſſipat; eſtq; congelatum, & ſpiritûs ad mixtionem habet, itaq; ictu rumpit, & non perforat: Aliud urit, eſtque flammeum & ſubtile. *Plinius nat. hiſt. lib. 2. cap. 43.* vocat quædam Fulmina *Bruta* & vana; alia *fatidica*, quæq; ex ſideribus ortum habent. Item *lib. 2. cap. 51.* dividit fulmina in *ſicca, humida* & *clara*: quæ *ſicca*, inquit, *veniunt, non adurunt*; *quæ humida non urunt, ſed infuſcant*: *Tertium, quod clarum vocant, miri-ficæ maximè naturæ eſt.*

Tonitru quid ſit. 4. Tonitru & ſonus bombans, ſive murmur illud, quod ènubibus ad noſtras aures defertur aliquandò cum fulmine præviſo, aliquandò non: ſive id ſonus fiat totus ſimul, velut exploſæ bombardæ; ſive producatur & continuetur ad modum currûs decurrentis per tabulatum. Cauſam autem productionis hujus volens indicare *Cardanus de ſubtil. lib. 27.* ait: *Cùm non ut in bellicis machinis exeat repentè totus ignis, ſed ob altitudinem nebulæ partes aliæ ſenſim, ſed tamen celeriter, atque uno tempore lacerentur; indè fit, ut tonitru ſtrepitus diverſas habeat partes, ut etiam nubis partes, unam poſt aliam ab igne deſcendente diſrumpantur.*

5. Coruſcationes ſubitaneæ & crebriùs repetitæ fulminarem materiam magnâ vi in partem oppoſitam propellunt, ſic tamen, ut ab ipſius aëris vi elaſticâ non mediocriter repellatur.

Motus fulminis eſt flexuoſus. 6. Cùm materiæ inflammatæ motus peragitur, fit hoc, quod obliquè in aërem impingat, & priorem flammæ eruptionem alia mox excipiat, quæ prioris motus directionem mutat. Hinc fulminis motus etiam flexuoſus & undulanti ſimilis eſt. Fulguris etiam flamma non eſt æquabilis, & unius modi, ſed ex variis fit coruſcationibus, quarum una alteram excipit.

7. Fulminis materia cum aut occurſu durioris corporis, aut ipſius aëris denſioris reſiſtentia dividitur, & in plures partes abit, tùm plures quoque & varios procreat effectus, & in varias interdum flammas, aut globos huc illuc diſcurrentes diſtrahitur.

Diverſitas effectuum. 8. Ex diverſitate etiam materiæ fulminis contingit diverſorum effectuum varietas. Cùm enim non ſit eadem ſemper & unius modi exhalatio, quæ fulmen procreat, diverſitas neceſſariò contingit in effectu. Undè ſi pinguis fuerit & oleoſa plurimùm materia; mollia tantùm corpora aduret: ſi penetrans & ſubtilis; cedenti quidem materiæ parcet, obſtantia verò quæque perfringet. *Nihil* autem *mirum eſt*, inquit *Cardanus de ſubtil. lib. 2. fulmini tantam ineſſe vim, ac ignem illum quaſi ab aliorum ignium naturâ alienum miracula quædam efficere: namq; ob motum celerem non ſolùm magis penetrat, ſed ignis ille multò calidior reliquo omni igne exiſtit.*

9. Cum exhalatio copioſa quidem eſt, at nubes non ſunt adeò denſæ; fulguratio citrà tonitrui ſonum contingere poteſt. Econtrà cùm nubes ſunt denſiores & craſſiores, exhalatio accenſa inter ipſas nubes evaneſcere aut ſurſùm emicare poteſt. Murmur autem, quod contineri nequit, foràs erumpit & latiùs propagatur.

Tonitru duplex eſt. 10. Tonitru potiſſimùm duplex eſſe ſolet; *Crepans* ſcilicet, ſive *bombans*, aut *tumultuans.*

tuans. Prius totum per modum crepitûs sive bombi explosæ majoris bombardæ; posterius verò in longum producitur per modum currûs decurrentis per saxa, & tabulatum cum impetu & tumultu. Hoc tamen aliquandò bombans subsequitur, aliquandò illi permiscetur, aliquandò abest. Ait autem *Cardanus de fulg. lib. uno cap. 19. Tonitrua quæ strident, fulmen peragrare non procul docent; quæ autem cum fragore sunt magno, ruinam loci propinqui, incidisseq; fulmen in rem duram ostendunt, ut advertenti facilè sit hoc intelligere. Quæ crepant multum, descensum fulminis ostendunt, sed quæ mugiunt & gravem sonum edunt, ventosa magis sunt. Quæ in arbores incidunt, breviorem fragorem efficiunt, quàm quæ in ædificia; quæ in aquas seu maria aut flumina lacusve, nam ubique descendunt, illa movent, & cum fragore stridorem gignunt.*

Undè major sonus. 11. Quò crassiores sunt nubes, eò major fit fragor; aër quippè fortius dilatatur, dum restituitur, quod sonum efficit: Et quia celerrimam rarefactionem, velocissima nubis & vicini aëris compressio sequitur; hinc ingens necessariò sonus exoritur. Cùm etiam sonus successivè & per modica intervalla crepitat; fit, quod singulæ successivè flammæ eruptiones aërem ità cum strepitu percellant.

Cur fulgur citiùs videatur, quàm tonitru audiatur. 12. Fulgur semper præcedit tonitru, & citiùs videtur quàm audiatur tonitru: Quia nempè lumen cum non habeat contrarium, momento temporis per medium aëris diffunditur: Sonus autem aut species soni non defertur de loco ad locum, nisi per aëris fluctuationem & quasi undationem, quæ non nisi cum tempore fit.

Vinum & Cerevisia cur turbentur quando tonat. 13. Cùm tonat Vinum & Cerevisia, aliiq; liquores in cellis plurimùm turbari solent, indeq; acescere, vel quod aër tremulus id efficiat, vel potiùs occultum quoddam in aëre fermentum, quod consuetum partium insensibilium motum perturbat, & corrumpit. Clarissimus autem *Boylius* remedium docet adversùs hanc turbationem, & acescentiam, dum ait: *Carbones fossiles in cellis accensos, cum tonat, cerevisiam à corruptione defendere, eò quod sulphureos & corrumpentes halitus ignis discutiat; vel quod vimeorum obtundat, dum figuram halituum, aut magnitudinem aut texturam mutat.*

Quibus temporibus tonitrua magis sæviant. 14. Licet communiter Æstate vel Autumno, & maximè post tranquillum anteà Cœlum crebriora fiant tonitrua, fulgura, & tempestates, eò quod majore calore opus sit, ut halitus illi sulphurei, nitrosi, & bituminosi attollantur: *Plinius* tamen *hist. nat. lib. 2. cap. 5.* Vere & Autumno, & in iis locis, quæ perpetuò vernant aut autumnant, frequentiùs tonitrua fieri docet. Constat tamen experientiâ, tempora fulminum & tonitruorum haud ubiq; terrarum eadem esse. Ità in Germaniâ nostrâ Superiore Æstate potissimùm contingunt tonitrua, rarò verò in Vere vel Autumno, nisi in exitu illius, & ad initium hujus; rarissimè autem in Hyeme. In Sicilia sæpè fulminat in Hyeme, rariùs in Æstate. In Belgio fulmina in fine Veris, & initio Autumni vel exitu Æstatis frequentiora sunt. In Scythia ob frigus, in Ægypto ob nimium ardorem vix ulla contingunt tonitrua, In Angliâ quoq; rarò fulminare solet ob mitiorem Cœli temperiem; licèt alii judicent hoc evenire à Soli Anglicani, quod cretaceum est, exhalationibus, quæ spiritus nitrosos ac sulphureos vix habeant admixtos. Econtrà in Septentrionalibus partibus *Olao* teste frequentissima sunt fulgura, fulmina & tonitrua.

15. Lapis Ceraunius, sive fulmineus, qui & *Cuneus seu fulminis telum* passim nominatur, generari censetur ex terrestri viscosâ diversarum rerum exhalatione & humore vaporum vi efficacissimæ illius flammæ fulmineæ repentè concretis partim in ipsa nube, partim in descensu per aërem. Quando igitur lapis fulmineus è nubibus ejaculatur, extrema est ignis violentia, quæ particulas lapideas unà cum viscosis anteà & oleosis aliis conglutinatas accensione harum facta cogit & coägmentat haud aliter, quàm in fornacibus æraris, metallicis, aut ferrariis lapides à vehementi liquefactione coguntur & conflantur. *Antonius Le Grand hist. natur. part. 6. art. 8.* Lapidem fulmineum generari docet ex pinguibus & sulphureis exhalationibus, cui crassiores admixtæ adsint ei terræ similes, quæ in fundis vasorum, in quibus collecta est pluvia, subsidit. *Nam quemadmodum, inquit, experientiâ discimus, si hujus terræ nitri & sulphuris certas partes simul misceamus, misturamq; istam incendamus, illam temporis momento in lapidem quendam concrescere. Ità Lapis fulmineus ex viscosis ac terrestribus exhalationibus sulphure admixto generatur, quas in ipsâ adhuc nube, vel etiam per aërem descensu sibi adjungere potest. Undè nonnunquam non lapis modò, sed & ferrum, aliaq; metalla cum fulmine dilabuntur.* Lapis fulmineus.

16. Ubi major fragor, aut crepitus in tonitruis insonuit, largior imber subsequi solet, quia nubium lapsus efficitur; eo autem lapsu & tonitru perseverante pluviæ uberiores profunduntur. Fragor major quid significet.

17. Fervidis & valdè æstuosis temporibus, præsertim cùm lassitudo aliqua præter morem sentitur, fulmina, tonitrua & tempestates consequi solent. Oleosa siquidem & pinguis materia non nisi valentiore calore attollitur, ut videre est in chymicis destillationibus; ubi spiritus volatilis & phlegma leni quidem ignis operatione prolicitur; olea verò non nisi aucto igne, eoque vehementiori extrahuntur. Signa tempestatis futuræ.

18. Fulmen mirâ quadam vi & occulta sympathia pyrio pulveri afficitur, undè turres, in quibus nitro-sulphureus pulvis reconditur, præ aliis fulminis ictibus obnoxiæ esse solent. Quocircà scribit *Borellus cent. 2. observ. 38. Sicut ferro onustæ naves à saxis magneticis attrahuntur, & in motu suo impediuntur; ità etiam fulmen in turres, in quibus pyrius pulvis absconditur, sæpius irruere solet.* Pyrius pulvis amicus fulmini.

19. Tempestate sæviente non censetur esse tutum ad fenestram, januam aut similem locum patentem, quem aër validior permeare solet, persistere, eò quod, ut *Cabeus* refert, ex multis historiis constet frequentius fulminis flamma sese per hujusmodi patentes aditus inserat (cùm aëris motum plurimùm sequatur) quàm loca clausa perrumpat. Cavenda tempestatis tempore.

20. Ful-

Quousque fulmen penetret in terram.

20. Fulmen ultrà 5 cubitos, ut ajunt, sub terrâ dejici non solet: *Ergò*, inquit *Cardanus de subtil. lib. 2. certum est, contrà fulgura auxilium profundis specubus se abdere; tutius enim hoc quàm lauro coronari, aut vituli marini pelle tegi; aut aquilæ aut Hyacinthum lapidem gestare: nam negant hæc fulmine tangi.* Verùm *Wildebrandus in suâ magiâ natur. lib. 3. p. 4.* scribit aliquandò cuneum fulminarem ad 24. pedum profunditatem terram penetrâsse.

21. Coruscationem si pluvia comitetur, utilis & proficua censetur: si pluviâ vel imbre caruerit, tenellis floribus & fructibus nociva censetur.

Ubi tempestates magis sæviant.

22. Tonitrua ac tempestates omnes acriùs & validiùs in mari sæviunt, quàm in terrâ, ut omnes, qui littora & altum mare explorârunt, testantur. Vapores enim ex aquis marinis sublati humidiores semper & crassiores sunt illis, qui ex terris exspirant, & ab aridis corporibus abstrahuntur. Undè plùs aëris & exhalationis secum devehendo ventis validioribus creandis aptiorem sufficiunt materiam.

Tonitrua quid significent.

23. Tonitrua matutina & hyemalia ventùm & aquas significare dicuntur; meridiana imbres. Tonitrua novissima bonæ diei ingentem maris tempestatem & iram demonstrant. Dicunt & Tonitrua æstiva in meridie & vespere aquosum esse signum. Æstate etiam, si minùs tonet, quàm coruscet, pluviam significare. *Cardanus lib. uno de fulg. cap. 10. Fulgura*, inquit, *ac tonitrua valdè noxia, si pluvia non succedat; & quantò major, tantò tutior est. Et ideò animum advertere decet, quantò plura & majora & longiora fuerint tonitrua & fulgura, & quantò pluviæ minores fuerit, tantò majores erunt effectus, & morbi acuti, & quandò fuerint extrà tempus, ut in profunda hyeme, causa major erit.*

Quomodo tempestates pellantur.

24. Tormentorum bellicorum, bombardarum aut campanarum sonitus tempestates dissipare ac dispergere solet, quod aër inferior vehementiori sonitu commotus etiam superiorem commoveat, & nubes viscosis halitibus fœtas discerpat aut discutiat.

§. II.

De admirandis quibusdam Fulminis effectibus experimenta varia.

Fulminis natura in corporum penetratione.

1. Cum materia fulminis sit admodùm tenuis, & subtilis; si incidat in materiam mollem, raram, porosam, per quàm citò sese insinuare & mox expedire, adeoq; liberrimè transire possit, nocumentum sæpè non affert: si verò offendat materiam duram ac solidam, quâ motus ejus nonnihil impeditur & retardatur, vi viam aperit & rem obviam destruit. Hinc constat quandoq; fulmen afflans homines interemisse innocuis vestimentis; gladium in vagina, aurum in crumenâ colliquâsse intactis, & illæsis vaginâ, crumenâ vel sacculo. Uti *Plutarchus lib. 4. sympos. qu. 2.* narrat, suo tempore accidisse militi Romæ excubias agenti. Testatur & *Muretus in notis ad Senec.* fulmen in palatium *Hyppoliti* Cardinalis Ferrariensis decidisse, & mucronem gladii, qui ad lectum unius de famulis dependit, ità colliquefecisse, ut in globulum se converterit vaginâ penitùs illæsâ. Paucis abhinc annis hîc quoque in Franconiâ nostrâ inter Spisheimb & Sultzheimb Pastor quidam gregis fulmine afflatus interiit nullo penitùs fulmineæ diritatis signo in corpore relicto; in calceis autem claviculi ferrei colliquati & exusti comparuerunt.

Arborum percussio.

2. Solet quandoq; fulmen arbores haud aliter discindere, ac si cuneo fissæ essent absq; adustione; quandoq; verò tactas decolorare ac denigrare absque incensione. Causa primi effectûs est vehementia ictûs; Secundi raritas ac debilitas exhalationis; quia nempè ignis in materiâ magis densâ fortiùs urit, ut patet in ferro ignito: sed in materiâ minùs densâ minùs urit, ut patet in stupâ.

Fulmnis delapsus in dolia.

3. *Plinius lib. 2. hist. nat. cap. 51.* Fulminis genus, quod *Clarum* vocant, mirificæ naturæ esse scribit, ut quo dolia exhauriuntur intactis operimentis, nulloq; alio vestigio relicto. Causa autem censetur esse, quod dolii materia porosa, ac latera ejus compaginata facilem dent transitum fulminis substantiæ rarissimæ ac subtilissimæ, quæ admissa acerrimo suo calore vinum exsiccat, & absumit, ac per apertos poros ac latera vaporem extrudit.

Vinum à fulmine gelatur.

4. Contrà verò *Seneca* tradit *lib. 2. nat. qu. cap. 31.* dolia subindè confringi consistente vino, aut ipsum hoc congelari. *Stat*, inquit, *fracto dolio vinum, nec ultrà triduum rigor ille durat;* Et *cap. 53. Vinum gelat, ferrum & æs fundit. Illud est mirum, quod vinum fulmine gelatum, cum ad priorem habitum redit, potum aut examinat, aut dementat. Conimbricenses explicant, & dicunt, calorem posse liquores addensare, si ii siccam exhalationem, & viscositatem quandam admixtam habeant: hac enim ratione gignitur sal, nitrum, sulphur, aliaq; id genus Igitur cùm fulmen vinum calidis exhalationibus & viscositatibus conspersum attingit, nec id ob liquoris copiam aliamve causam penetrat; extimas illius partes circumquaq; addensat & durat, quibus totum vinum quasi corio inclusum detinetur eo modo, quo aqua, cùm exteriùs gelascit per se tota consistit, & diffluit.*

Cur fulmine tacta contrà ictum jaceant.

5. Mirum est, quod communiter asserunt Meteorologici, percussa fulmine versa jacere contrà ictum ità rursùm *Seneca loc. sup. cit. c. 31.* inquit: *Illud æquè inter annotanda ponas licet, quod & hominum & cæterorum animalium, quæ icta sunt, caput spectat ad exitum fulminis, quod omnium percussarum arborum contrà fulmina hastulæ surgunt, Albertus M.* causam hanc assignat. *Quia*, inquit, *impetus ictûs vehementis convertit percussa contrà impetum, & naturale est animali se convertere versus nocivum improvisè adveniens admovendo ei vultum. Hastulæ* verò (quo nomine indicari volunt fomitem, quæ ab arboribus excutitur, & hastulam à tollendo vocatam, quasi *abstulam*) *contrà fulmina surgunt*, quia ad flammam adventantem erectæ fuerunt, cùm fomes naturaliter ad vicinam flammam currere nitatur, ut explicat *Schottus phys. cur. lib. 11. cap. 18. §. 3.*

Icta fulmine putredinem non sentiunt.

6. *Plutarchus lib. 4. Sympos qu. 2.* maximè admirabilem fulminis effectum indicare volens ait: *Omnium autem miracula superat, quod cunctis ferè nobis est notum, fulmine ictorum non sentire corpora putredinem. Siquidem*

multi

multi eos neque cremant, neque humo tegunt, sed relinquunt circumsepta, ut conspiciantur cadavera perpetuò à putredine sarta tecta. Causa hujus effectûs videtur esse, quod acerrimus fulminis calor momento omnem in fulminato corpore humorem absumat, illudq; totum exangue & siccum reddat, itaque putredini minimè obnoxium.

Corpora incinerat fulmen.

7. Alius effectus fulminis est priori contrarius, isque summè admirandus, quod corpora afflata mox in cinerem redigat & momento difflet aut absumat. Ità testatur *Meurerus in Comment. Meteorol.* apud *Senertum in Epitome scient. natur. lib. 4. cap. 2. Ministrum quendam ità subitò ereptum ex hominum oculis ictu fulminis in via, quâ Lipsiâ itur Torgum, ut posteà nunquam apparuerit.* Hoc etiam fortassis modo Urbis Romanæ conditor *Romulus* è vivis sublatus est: quia ut *Livius* cum aliis narrat, cum ad exercitum recensendum concionem in campo ad capræ paludem haberet, subitò coörta tempestate fulminosâ denso opertus nimbo è conspectu sublatus est, nec deindè ampliùs visus: Creditum verò in Cœlum avolâsse, quem fulmen, aut turbo dissipaverat.

Fulmen quid in vigilantibus aut dormientibus efficiat.

8. Fulmen etiam, ut sæpè compertum est, dormientes percutiens eorum aperit oculos; vigilantes verò afflans oculos eorum claudere solet: dormientes enim expergiscere facit, vigilantes dum stupore afficit, eorum oculos claudit, citiusque interimit, quàm ut eos denuò aperire possint. *Plutarchus* tamen dormientes immunes asserit à fulmine, quod etiam aliqui confirmant exemplo Regis *Mithridatis*, cujus pharetra lecto appensa, ità aliquando fuisse dicitur, arsisseque in eâ sagittas Rege ipso dormiente & illæso. Ejusdem etiam pueriles cunæ fulminatæ dicuntur perstrictâ solùm infantis fronte.

Dementatio à fulmine.

9. Subindè fulmen illæsis & intactis aliis membris in corpore solam rationem turbare & dementiam afferre solet. Ità testatur *Schottus in phys. cur. loc. sup. cit. Ennæ*, qui mons est editissimus in Siciliæ umbilico, cui imposita urbs, quam nunc *Castro Giovanni* appellant, aliquem è Societate in ipso collegio ibidem, dum gradus conscenderet, fulmine prostratum, ac per aliquot annos dementatum fuisse, qui tamen paulatim ex parte; deindè ex integro valetudini pristinæ fuit restitutus. Contrarium tamen, ut *Idem* memorat, ibidem evenit Juveni robustissimo, suo in philosophia, quam *Mænis* in Sicilia tunc professus, discipulo. *Sedebat*, inquit, *is cum aliis multis præ foribus templi, in montis, cui imposita est urbs, supercilio, spectabatq; fumantem Ætnam, & crebra è nubibus fulmina, atque tonitrua impluvio cœlo: cum ecce fulmen in turrim primùm, ac deindè antè fores templi descendit, & in turri quidem duos pueros colludentes confestim exanimat; sedentes verò præ foribus disjicit: currunt omnes ad templum Dei auxilium imploraturi: discipulus autem arrepto ambabus manibus capite proprio, lymphato similis discurrit per templum, & voce lamentabili caput sibi reddi petit, caput se perdidisse identidem clamitans. Accurrunt cœteri, consolantur, reficiunt, domum deducunt, metum depellunt omnem, & menti restitutum relinquunt. Redit is die posterâ ac sequenti etiam lætus ad lectiones, at die tertiâ ex improviso extinguitur.* Causam hujus improvisæ mortis assignat *Schottus* veneno mortifero, quo vitalia infecerat præcedens fulmen. Ità etiam parvo abhinc tempore Regiscuriæ in arvis, loco scilicet parochiæ meæ accidit die nempè 25. Julii Anno 1690. in Festo *S. Jacobi*, dum manè ad exortum diei oborta turbida tempestas fulmine, imbribus & grandine horribiliter desæviit, quâ etiam fruges ad terram decussæ, agri undique eluti, vineæ haud parùm læsæ & prostratæ fuerunt, ut puella octennis ad ingentis fulminis ictum cum vehementi tonitru dejectum consternata, & indè dementata per aliquot dies decubuerit.

Pilos adurit reliquo corpore illæso.

10. Fulmen quandoq; pilos humani corporis exurit, vestibus ex toto corpore intacto atque illæso: Exemplum adducit *Schottus loc suprà cit.* de quodam Religioso *Panormi* in Sicilia natione Gallo, narratque, quod ubi dum An. 1637. primâ Dominicâ Decembris in Collegio *S. Francisci Xaverii*, in die Festo dicti Sancti conferta hominum multitudo ad templum convenisset, ingruente tempestate fulmen in sacellum quoddam laterale illius templi, ubi prædictus Religiosus orationi vacabat, dilapsum esset, omnesq; prostravisset nullo tamen exanimato; solùm deprehenderit tandem Religiosus ille omnes corporis pilos vestibus tectos afflatos & ambustos absque ullâ vestium læsione. Memorant & Historici Anno 1128. coruscationes igneas ità Castra *Lotharii* Imperatoris propè *Spiram* infestâsse, ut crines militibus omnibus adusserit. Recens est, quod Anno 1692. die 29. Julii in Franconiâ nostrâ contigit. Pagus est in arvis Oxovianis situs, vulgò *Accolshausen*, ubi curam parochialem ultra 20. annos habui, vix dimidiâ horâ distans *Regiscuriâ* ab ædibus nostris parochialibus, sub dominio Canonicorum insignis Ecclesiæ Collegiatæ *Herbipoli in Haugis*. Ibi opilio quidam, dum in demetendo farre (messis quippè tempus erat) cum aliis messoribus laboraret; obducto repentè circà quintam vespertinam atris nubibus Cœlo, & horridâ ingruente tempestate; ut imbribus aliisque Cœli minis sese subduceret, domum repetiit. Ingentibus porrò fragoribus cum terribilibus ignibus Cœlo decussis (horribiliores totâ vitâ meâ me nunquam audivisse memini, ut & alii penè omnes hîc quoque confessi sunt, se similes nunquam percepisse) altero validissimo infesti fulminis ictu in ipsa via prostratus & exanimatus fuit. Quæ verò mirabilia in eodem comperta fuerunt, hæc sunt. Inprimis pileus capiti impositus à dextrâ ejusdem parte superiùs in margine inusto quasi canaliculo versùs cincturam, seu flexuram propè caput fuit binis foraminibus perterebratus. Derasâ deindè nonnihil tantùm capitis cute inter aurem dextram & frontem digiti longitudine capillus ex illa solùm parte ambustus fuit; in respondente verò humero comparuerunt minuta quædam foramina, qualia chyrurgica aliàs lanceolâ in scarificatione effici solent, quæ sanguinem etiam stillâsse indusium eo tinctum humeroque illi obtensum demonstravit. In toto verò reliquo corpore

corpore nihil observatum fuit, præterquàm quod & pili ad pectus quoque ambusti fuerint. Summoperè verò admirandum hoc est, quod calcei fœdè & turpiter exusti, inque varias quasi cultri acie partes concisi, magnâ etiam aliqua parte in uno penitùs rescissâ, ipsis tamen tibialibus ac pedibus omninò illæsis & intactis, etiam ab his mirabiliter exsoluti, ac ad unius propè perticæ distantiam à fulminato fuerint excussi. Undè certè mirabilis fulmineæ ferociæ virtus colligi potest. Paulò antiquiùs est, quod etiam in hac nostrâ contigit patriâ *Heidingsfeldiæ* scilicet, in oppido non procul *Herbipoli*, ubi fulmen antè aliquot annos turrim Ecclesiæ propinquam, quam Sartor cum tribus filiis inhabitavit, terribiliter feriit: Sartori in hypocausto pilos capitis solùm ambussit, indè pavimento perterebrato longo desuper tractu trabes exussit: Tres verò filios in laterali conclavi curiosiùs per patentem fenestram nubium tempestiferarum observantes cursum prostravit. Ex quibus duo tandem resolutas vires receperunt, tertius verò prostratus invalidus & velut exanimis permansit, ut etiam pro defuncto habitus fuerit. Advocati *Herbipoli* Chyrurgi & Medici, dùm sanguinem adhuc calentem in eo comperissent, custodiendum mandârunt; Tertio demum die, cùm horribilis denuò tempestas ingenti fragore turrim concussisset, mox & hic velut è somno evigilans, sopitas hactenus vires recuperavit, diuque posteà incolumis supervixit.

Argentum in crumena illæsa liquatum.

11. *Waldeburgi*, ut scribit *D. Rosinus Lentilius in parallel. ad observ. in An. II. Dec. I. Ephem. Germ. Cur. ad observ. 37.* Lanio quidam messores aditurus in via fulmine percutitur amburente vestes ipsius cum ipsa cute à capitis dextra parte usque ad ejusdem lateris calcem; crumena in caligis coriaceis in tacta relicta, liquato tamen in ea nummo argenteo: ipse attonitus domum portatus, fari nil potuit cum sulphuris fœtore circa eum abominabili: medicamentis tamen idoneis pristinæ sanitati redditus fuit.

Effectus miri à fulmine propè Haarburg.

12. Haud procul *Haarburgo*, ut idem *Lentilius ibidem* refert manus aliqui colligendo chordo commodabunt: tempestas ingruit: operariórum circiter sex numero salicem securitatis causa confidebant reliquis sub dio manentibus. Percutitur salix fulmine, prosternuntur attoniti propemodum exanimati, quorum aliqui per dorsi longitudinem ab homoplatis ad nates usque, quin & in utrisque lateribus petiti tàm insolitis ictibus, ut musculosam carnem cultello studiosè divisam jurasses rimis hiulcis, quarum cavitatem annularis digitus expleret. Fulmen autem ubi jam fissa salix esset, impactum terræ, cuniculi more rimis aliquot hiscere terram fecit, & prostratos jam ante, gelidosque pavore miseros ad sex, septemve plus minus passus vi magna projecit, qui denique manibus pedibusque prorepentes ab adproperantibus reliquis frigida refecti domum portantur, nemine tamen omnium emoriente.

13. Observatum est, quod fulmen nitrosulphureo suo halitu Dyspnœam, sive laboriosam respirandi difficultatem aliquandò inducat. Ità testatur *D. Sommerus Ephem. Germ. Decur. 2. Anno 2. observ. 175.* servum quendam in curru fœnum vehentem fulminis allisu in terram decidisse, & ex ejusdem vapore sulphureo in dispnœam incidisse: omnia etiam medicamenta intentioni aliàs sufficientia citrà manifestum emolumentum adhibita fuisse: postquam autem ex sulphure præparata assumpsit, liberrimam respirandi facultatem recepisse.

Fulmen ob venenum sulphureum subitò exanimat.

14. Cum exhalatio fulminalis sulphurea sit, & simul calidissima: Sulphur autem inter venena & deleteria habeatur: Quocircà afflatus fulminis non tantùm lethifer existit, ut facilè vitalem calorem suffocet, sed etiam ob calorem validissimum tenuissimè sese insinuantem quandoque accidit, ut momento humorem quasi exsugat & humida corpora afflata in arida convertat. Exemplum mirum adducit *Cardanus lib. 8. variet. cap. 43. Referunt*, inquit, *in Lemno Insulâ, ubi Insulæ cornu dividitur, octo Messores sub quercu cœnantes à fulmine percussos atque exanimatos mansisse sub eâ specie, quâ discumbuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere: cùmque nigri omnes essent, imaginem statuarum totidem repræsentabant.* Simile quid contigit An. 1546. *Mechlinæ*, ubi tempestas fulminis ictibus & afflatibus horrendas edidit strages, de quibus §. sequenti. Inter eas autem memoratur, Congerrones aliquot potantes ad tabernam cerevisiariam sedisse, temporisque terendi, symbolique conficiendi causâ chartis lusoriis certâsse; hospitam autem cùm ad promendam Cerevisiam in subterraneam ivisset cellam, redeuntem bibones ad mensam, ut eos reliquerat, sedentes omnes, sed exanimatos ac mortuos reperisse.

Fulmen in venenatis animalibus venenum absumit.

15. Ajunt & venenatis animalibus, dùm fulmine afflantur, venenum tolli, & vim deleteriam absumi. Ità *Seneca lib. 2. nat. quæst. cap. 31. Malorum*, inquit, *serpentium & aliorum animantium, quibus mortifera vis inest, cùm fulmine icta sunt, venenum omne consumitur.* Nec mirum est, cum veneno alâs (quale in sulphure fulminis esse diximus) aliud venenum pelli posse notius sit, quàm ut ultrà declarari debeat. Venenata etiam animalia, cùm aliàs non verminent, asserit tamen idem *Seneca* ibidem, eadem fulmine tacta verminare. Quod si verum est, aliter haud potest contingere, quàm quod alio veneno temperiei suæ contrario ex fulminis allisu inficiantur. *S. Gregorius lib. 3. dial. cap. 15. t. 1.* scribit etiam super *Nurciam* tonitru aliquandò delapsum, omnes, qui in illo districtu reperiebantur, serpentes interemisse.

Lithogenesis fulminaris.

16. Inter eximios & præcipuos etiam fulminis effectus haud prætereunda est Lithogenesis, fulminea sive lapidis fulminaris generatio, cujus dejectu obvia omnia prosterni, disjici & diffringi solent. *Cluverius in historia mundi lib. 10. p. 639.* ex *Trithemio* recenset propè *Basileam* lapidem ejusmodi dejectum pondere trecentarum librarum: aliquandò etiam non lapidea substantia, sed

metallica, ferrea, aerea, aut alterius metalli cum fulmine cadit, quando videlicet sulphureæ exhalationi ejusmodi metallorum ramenta admixta, & invicem coacta & compacta sunt. Ità *Georgius Agricola lib. 5. de Ortu subterran.* ex *Avicennâ* docet, in Persia decidere, cùm corusćat, corpora aerea, & similia sagittis hamatis, quæ in fornacibus non liquescunt, sed eorum humor in fumum resolvitur: terram autem residuam fieri cinerem: decidisse quoque propè *Largeam* ferri massam 50 librarum, quæ præ duritiâ frangi non quivit, cujus pars ad Regem *Torati* est missa: eum verò, ut enses indè cuderentur, jussisse, sed illam nec frangi nec cuti potuisse. Meminit etiam *D. Rumphius in lit. ad D. Mentzelium* datis ex *Amboina* Insulâ die 30. Augusti An. 1683, ut videre licet *Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 4. obs. 110.* his verbis: *Contingit maximè in Insula Celibes nobis versùs Occidentem propinqua, ubi multi montes metallici, ferrum, æs, & aurum ferentes, è quibus conjectura est, vapores cum particulis metallicis, saxeisq; in nubes tolli, & illic in igne fulmineo concentrari, undè Ceauniæ dejiciuntur modò lapideæ, modò æreæ, modò ferreæ, rarò etiam aureæ, sæpè etiam à pluribus mistæ. Metallum hoc fulmineum plerumq; impurum est, primæ fusioni ineptum & difficulter tractabile. Indi plerumq; aurum admiscent & annulos ex eo faciunt, quos contrà varios morbos & ad victoriam consequendam gestant. Idcircò Ceraunias hujusmodi nec pretio, nec precibus ab illis redimere possumus, nisi vel aperto bello, vel clanculum per amicos, qui clàm suis Magnatibus illas nobis vendunt.* Hæc *Rumphius* in dictis litteris. Ceraunia verò spatha, sicut in Scholio ibidem additur à D. *Mentzelio*, ponderavit ferè uncias undecim. Splenduit æs ad luteum aurichalci colorem, ad cujus manubrii latera striæ, sive lineæ aliquot tanquam artefactæ incurvabantur. Superior pars tenuior & in acumen & rotundum desinens plena fuit foraminulis non perviis, adeò ut formam sive modulum, cui æs illud mixtum infusum fuit, non admodùm leve & tersè confecerit, quicunque fuerit æthereus ille chemicus.

Figura Cerauniæ spathæ.

Fulminares lapides in Scopelismo reperti infelicis eventûs causa.

17. Fulminares lapides in scopelismo repertos aliquandò infelicis eventûs causam extitisse memoratur in *Ann. 4. Dec. Ephem. Germ. obs. 53.* his ferè verbis: *Contigit aliquando quasdam fœminas curiositate intempestivâ impulsas viris in convivio vino intentis convocâsse aliquot glebæ adscriptos viros, ut Scopelismum effoderent. In effosso Gigantis cubili reperiunt ollam cineribus plenam & veterem quendam cultrum, novemq; cuneos fulmineos elegantes, & quasi politos; peracto labore in convivium revertuntur; re quasi benè gestâ facinus vel curiositatem pœnitentiâ dignam recensent, succenset & indignatur Convivii caput vel Hospes, malum indè futurum prædicit. Eventus præsagium probavit: Mors etenim atra quot fuerant fulminares lapides, ex illustri familiâ unà cum Hospite è vivorum societate unius anni spatio proscripsit.*

Excoriatio à fulmine.

18. Excoriationis per fulminis afflatum exemplum mirabile habemus allatum à D. *Joh. Lud. Hannemanno Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 4. obs. 59.* de Rustico quodam in pago Wulffsdorff habitante. *Hic per tonitrua & fulmina pessimo exemplo jurare fuit solitus. Tandem vindex Dei manus hoc pacto ipsum feriit, dum subitò tempestas suborta est, & hic fulmine ictus, quod exteriorem ejus tunicam exiguo quodam foramine in sinistrâ parte pectoris è regione sinistræ papillæ perforavit reliquo amictu, quo corpus involutum, prorsùs illæso, & totum hominem à vertice ad calcem cute exuit, verèq; excoriavit, ut ne atomon ejus apparuerit.*

Chrysocolla sive Venus aurea cum fulmine dejecta.

19. An. 1677. die 28. Maji *Ermendorffii*, in pago scilicet tribus quasi millibus passuum ab urbe *Hagnâ* distante exorta fuit tempestas circà vesperam, in quâ unà cum fulmine minera quædam aërea, *Chrysocolla*, aut *Venus aurea* dicta à *Balduino*, sive vis quædam lapidum effusa est, quorum color nempè viridis mistus cum cœruleo fuit, quibus etiam in pariete literæ cœruleæ exarari potuerunt. Aliqui fuerunt magnitudine pares juglandi; alii ovum gallinaceum magnitudine exæquârunt. Sed de minerâ hac fulminea vide *Balduinum in tract. de Venere aur.* qui *Ephem. Germ. Dec. 1. Ann. 8.* annexus est.

Fulmine afflandi hebetantur.

20. Dignum memoratu scribit *Cælius l. 3. cap. 29. A. L.* quod in *Tagis Thusci* libris est observatum. Tangendos mox fulmine adeò hebetari, uti nec tonitrua, nec profundos fragores aliquos queant persentiscere. Quod in Germanicis bellis *Severo* bellacissimò aliàs Equitum Magstro usuvenisse *Juliano* imperante legimus: qui acer priùs, & industriâ insignis fato urgente emarcuit.

Infans exanimatus fulminis illæsâ matre, & contrà.

21. *Marcia* Romanorum Princeps teste *Plinio*, cùm gravida fulmine fuisset icta, exanimato in utero partu citra omne aliud periculum vixisse fertur. Econtrà *Hieronymi Fracastorii* mater, dùm hunc ipsum infantem adhuc in ulnis gestaret, fulmine tactu mox periit infante illæso futuræ gloriæ non obscuræ præsagio. Verùm quod *Martiam* Romanam illam matronam attinet, credibiliùs mihi videtur ex vehementi fulminis illapsi terrore eam hinc abortiisse, & ità fœtum quasi fulmine tactum & percussum edidisse.

Immissio fulminis arte magicâ.

22. *Andreas Cæsalpinus* Peripateticus *in Dæmon. investig. cap. 11.* ità scribit: *Viri reperti sunt, qui non solùm grandines, sed & fulmina concitabant; non tamen lædere posse fatebantur, quoscunque vellent, sed eos tantùm, quos Deus dereliquisset. Eorum quidam hunc modum servabat. In campis principem Dæmonum invocabat, orabatq;, ut aliquem ex suis mitteret, qui destinatum à se percuteret fulmine; cui posteà in bivio pullum nigrum immolabat, & in aërem projiciebat. Quem cùm posteà dæmon assumpsisset, procellam acerrimam concitabat cum fulmine; sed rarò in hominem designatum decidisse.* Subinfert his *Martinus Delrio disq. mag. lib. 2. qu. 11.* Nimirum plus dæmoni Deus solet in agros, quàm in homines permittere.

Mutus à fulgure vocem recuperans.

23. Mirabilem planè fulguris effectum in muto persanato recuperatâ scilicet abindè feliciter voce refenset Vir Clarissimus *Nicolaus Tulpius observ. med. lib. 1. cap. 41.* his verbis: *Joannes (cui Muti cognomen imposuit infortunium) petiturus Italiam, incidit in pyratas*

tas Turcicos, quorum Religioni nomen dare cùm renueret, adnixi fuêre homines feroces, linguam propterea radicitùs eidem evellere: sed per plagam ex vulgi sententiâ submento inflictam. Verùm eâ crudelitate minùs ex voto ipsis succedente detruncârunt, ipse deinceps totam illam partem, quâ lingua homini volubilis est, eâque ademptâ privârunt juvenem omni voce. Qua tres ampliùs annos cùm caruisset, evenit fortè, ut intempestâ nocte admodùm percelleretur ab inopinato fulgure; cujus perniciossimum lumen cœlitus immissum perstrinxit usque eò pavidum ipsius animum, ut indè ipsi non secùs, ac olim Crœsi filio dissolveretur violenter tenax illud vinculum, quod ipsum sermonis usu hactenus privaverat. Quem tamen ubi vidit sibi restitutum, vix credidit sibi ipse loquenti, nedum ipsi alii. Commovit quippè hæc inexspectata ipsius vox usque eò totam familiam, ut indè protinùs abortiērit Juvencula ipsi cohabitans. Rumore hoc latiùs sese diffundente contulit & *Tulpius* se *Wesopum*, ut coràm spectaret insolitæ hujus rei novitatem. Advertit autem & audivit ipse *Tulpius* non tantùm distinctè loquentem, sed etiam accuratè pronuntiantem quascunq; literas consonantes, quarum tamen enuntiationem solius linguæ apici attribuunt sagaciores Naturæ indagatores. Fassus est etiam *Tulpio* Juvenis, se protinùs à fulgure percepisse majorem motum in musculis linguæ, quasi sublato jam inæquali illo coälitu, quem sub mento reliquerat vulnus ibidem à pyratis ruditer sanatum. Deglutitio tamen (cui non minùs quàm locutioni inservit lingua) mansit illi perindè adhuc impedita.

Edendi appetitus à tonitru ablatus.

24. Edendi appetitum tonitru aliquandò sublatum docet *Helmontius tract. Jus Duumviratûs num. 25.* Ità enim inquit: *Vidi Anno 1615. Alosti puellam novennem sat petulantem filiam Villici Xenodochii, quæ jam à triennio nil prorsùs comederat, nisi quod fortè per octiduum aut ampliùs biberet quatuor circiter cochlearia aquæ puræ. Etenim à tonitru primùm insigniter terrefacta edere cessaverat.*

Ossium emollitio à fulmine.

25. An. 1560. referente *Torquemade en la 3 journée de son Hexameron.* in Hispania propè pagum *Benavaide* duo in itinere constituti ingruente teribili tempestate turbinis vehementia & fulminis vi in terram prostrati fuerunt. Horum unus tandem vix recuperans membra surrexit & abiit relicto socio, quem deindè Incolæ præfatæ coloniæ requirentes exanimem invenerunt corpore quidem integro & omninò illæso, sed ossibus omnibus ità comminutis aut emollitis, ut totum corpus quasi una caro quaqua versùs in omnem partem mollis instar corii complicari & convolvi potuerit. Lingua etiam fulmine ardente omninò exusta & absumpta, aut in cineres redacta & foràs efflata fuit. Creditum porrò, quia supra modum blasphemus fuit, hoc malum ipsi in pœnam divinitùs accidisse. Undè rectè monet Poëta:

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

Turris ablata tandem sub terrà inventa.

26. Stupendum est, & vix capi potest, si verum est, quod refert *Helmont. tract. Meteoron Anomal. num. 20. An. 1554.* inquit, *in tractu Leodiensi turris Curingæ per tonitru ablata nusquam apparuit. Tandem post quindenam in herboso Cœmiterii graminè fossa aperitur, quâ Sutor sepeliretur, & ecce sub cespite immoto ac viridi primùm gallus æneus cum cruce ferreâ apparet, dein turris pinnaculum, ac tandem tota effoditur.*

In unâ sylvâ arbores certæ læduntur aliis illæsis.

27. Hoc etiam admiratione dignum est, quod fulmen in sylvas diversi generis promiscuè consitis arboribus densas incidens uno penè momento aliquas certi generis arbores adurit ad lædit, intactis aliis & omninò illæsis alterius generis arboribus. Ità idem *Helmontius* ibidem testatur vidisse se unico fragoris sono se præsente aliquot myriades quercuum & corylorum combustas, primo gramine & foliis tota nempè sylva propè Vilvordium, ubi interim frequens betula, fagus & alnus densâ confusione aliis commistæ à tonitru illæsæ permanserunt.

Fulmen latè omnia depascens.

28. Fulmen coruscum se tàm latè sæpè expandere solet, ut ingenti tractu circumquaque omnia corripiat, accendat & exurat. Ità *Erasmus Francisci in Atmosph. dis. 19.* de fulminum differentiis memorat. An. 1594. die 29. Augusti in Insulâ *Floridâ* tale fulmen de Cœlo decidisse, quod campos fæcundissimo vestitos gramine & aquis propè ad medietatem undantes momento quasi ad tractum 150. perticarum afflatu adussit; nimio etiam calore vagantes ibi fugitivas volucres suffocavit. Ignis etiam abindè flagrans in tertium diem contumaciam continuavit: quo elapso reliquis binis diebus succiduis aër ità incaluit, ut indè & flumina fervorem conceperint, & ingens piscium copia interiêrit: à quorum subsecutâ putredine aër infectus malignas Incolis infirmitates afflavit. Lepidam etiam historiam indè enatam vide in Authore loc. cit.

Fulmina tempore frigido.

29. In Vigilia S. Matthiæ Ap. *Coloniæ* aliquandò ignem è nubibus excussum *Cæsarius* scribit *lib. 10. cap. 72.* in turrim *S. Andreæ* incidisse eamq; incendisse, illâ ipsâ verò nocte, quâ præ frigore aquis glacies est inducta, ut tantò mirabiliùs esset, si vice nivis fulmina concidissent.

Vulnera à fulmine frigidiora sunt reliquo corpore.

30. Vulnera, quæ igneo fulminis telo efficiuntur, reliquo sano & intacto corpore frigidiora dicuntur: Causam quidam esse volunt, quod unà cum fulmine omnis calor abigatur. Verùm hæc ratio pluribus desipit. *P. Adalbertus Tylkowsky part. 1. Meteorol. curios. cap 30.* sentit à terrore & veneno id evenire, quod unà cum fulmine vulneri affunditur. Verior tamen sententia esse videtur, quod fulmen sanguinem, in quo caloris & spirituum calefacientium sedes est, deficcet, aut unà avehat aut absumat, undè nenessariò deindè majus frigus consequi debet. Atque ità sentit *Cardanus lib. un. de fulg. cap. 19.*

31. *Cardanus lib. un. de fulg. cap. 2.* hæc tradit. *Constat etiam sereno Cœlo intonuisse non solùm Maximilio Caostolio Manalio Prænesti Coss. sed etiam Q. Metello Julio Didio Romæ ludis in Theatro exhibiti; M. Vespermia Coss. Terracinæ navis velum sereno Cœlo excussum, atque in aquam dejectum ignibusque cousumptum est. Varguntejus quoque Pompejus fulmine exanimatus est in Cœlo sereno M. Casone & C. Antonio Coss.*

Res in tempestatibus dejectæ.

23. Mira planè sunt, quæ referuntur *Ephem. Germ Decur. 2. Anni 7. obs. 3.* ac penè incredibilia circà res in tempestatibus Cœlo dejectas, quæ in India ab Incolis ostenduntur. Habent *Balienses* in suâ Insula Rotam solidam ex ære cum suo modiolo, quam ajunt esse rotam de curru Lunæ magnâ tempestate delapsam in illum locum, ubi adhuc custoditur. Insula *Serou* 60 milliaribus hinc versùs Euronothum distans, & è solo ferè monte constans, qui non ità diu valido terræ motu & igne subterraneo cum totâ ferè Insulâ disruptus est. In illius montis vertice ante 50 annos ingens & monstrosum vas æreum stetit, ambiguam habens figuram inter tympanum, dolium & ahenum; ab Incolis *Tifagontor*, hoc est, tympanum tonitru appellatur, quod unanimi voce Incolæ narrant, Patrum suorum tempore ingenti cum tempestate & tonitru illuc projectum esse; posteà Ternatani Prætores magnâ vi illud vas fregerunt, & plurimùm æris abstulerunt. Præfectus tamen quidam Batavus testatus est, se reliquias ejus vidisse, & ex iis conjecisse tàm vastum illud vas fuisse, ut ab hominibus in asperum & præcipitem illum locum portatum fuisse incredibile fit.

§. III.

Res & loca fulmini magis obnoxia.

Res altiores, & loca editiora magis fulmini obnoxia.

1. Decantatum est apud omnes atque frequentibus experimentis comprobatum, res sublimes ac præaltas, editiora sicut & loca magis quàm demissa & humilia fulminis ictibus esse obnoxia. Hinc montes sæpiùs quàm valles ignibus cœlestibus afflantur juxtà illud Poëtæ:

Feriunt summos fulmina montes.

Hinc & proceræ, annosæ atque sublimi vertice nutantes arbores, velut ilices & quercus frequentiùs cyclopeis telis quatiuntur, ut etiam decantat *Claudianus*:

Incubuit nunquam cœlestis flamma salictis,
Nec parvi frutices iram meruêre Tonantis.
Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Ratio autem hæc est, quod excelsi montes & arbores sublimes fulmini transverso plerumque & obliquo tramite decidenti magis obstent. Nubes enim quia circà latera potissimùm dehiscunt, fit ut ibidem exhalatio inflammata faciliùs viam acquirat & erumpat. Quocircà obliqua magis quàm rectâ viâ fulmen descendere debet. Deindè cùm excelsa & eminentiora corpora aëri infimo etiam magis obsistant; fit, ut dum ventis agitatur aër sursùm hic percussus faciliùs ex adverso eminentiorum corporum nubes disrumpat. Undè fulmina qua datâ portâ ibi faciliùs erumpere, & sibi adversa atque opposita præ aliis ferire possunt. Hinc quia in Urbibus nil excelsius templorum turribus, in campis nil elatius proceris arboribus, utræq; etiam sæpissimè feriri solent. Sic *Argentinæ* in Urbe nobilissimâ ad Cathedralem Ecclesiam turris præalta 574 pedibus geometricis sæpissimè tangitur fulminis ictibus; nec etiam annus ferè delabitur, quo non subindè fœdè dilaceretur, semper tamen à Magistratu haut levibus expensis denuò restauratur.

Loca aliis magis fulmini & aliis tempestatum malis obnoxia.

2. Illa etiam loca fulminis ictibus magis obnoxia comperiuntur, quæ inter concatenatorum montium tractus ità interjacent, ut versùs exitum alius mons opponatur. Illic enim dùm ventus impetuosior nubes fulmineâ vi prægnantes transfert, per montis oppositionem à tramite mox coërcetur, & sursùm eluctari cogitur; quò fit, ut non tantùm nubes tempestiferæ detineantur & magis conpensentur; sed & graviores factæ magis ad terram descendere, & in ipso descensu dehiscere debeant; undè omnia copiosis imbribus ac sævissimis fulminibus permisceri facilè contingit. Quæ verò ità intrà montium oppositorum clausuras jacent, ut antè se campum latissimum ac amplissimum habeant; cùm nubes tonitruosâ materia fœtæ à ventis per tractum illum citissimè velut per canalem deducuntur ac transferantur; Hinc fulminis aut diluvii malis haud facilè infestantur: quod aër inferior compressus altiùs nubes elevare conetur, citiùsque transferat, ac latiore campo deindè expositas ampliùs dispergat, quàm majori cum noxâ & damno decidere permittat.

Quibus in locis magis horrida tonitrua.

3. In locis, quæ montibus præruptis asperа inter curvos profundæ vallis ambitus, aut anfractus jacent, cum aër ibidem repercussus majorem efficiat strepitum, eumq; variæ reflexiones augeant, tonitrua ad terrorem magis personare, ac horrisono suo fragore crepitúque aërem pertonare solent. Ità qui Alpes transeunt Rhæticas, Ligusticas, aut alias, dùm sæva ingruit tempestas, ingenti fragore ità sæpè terrentur, ut ferè exammentur.

Tempestates quales in terris Septentrionalibus.

4. *Olaus M.* scribit in partibus Septentrionalibus, atque potissimùm iis, quæ versùs meridiem abeunt, vim tempestatum adeò sævire, ut claro sæpè Cœlo per totam noctem continua micent fulgura cùm validis tonitruis, non tamen indè res aliquas percuti aut lædi. Quod si tamen ex atris nubibus fulmen prorumpat, eminentia quæque sternere, turres & ædes incendere, fortissimas arbores findere, fissásque disjicere, homines & pecudes in excelsis locis afflatu confestim interimere.

Mons, in quo tympanis pulsis excitantur tempestates.

5. In monte *Taipe* Provinciæ *Xensi*, quæ est una ex Provinciis Imperii Sinici, ab Oreoscopio summè celebrato fertur, pulsata ibidem tympana mox fulgura & fulmina, ingentesque excitare tempestates. Undè cautum est quàm severissimè, nec ulli omninò licitum est, ut scribit *Kircherus in China illustr. part. 4. cap. 4.* ibi tympanis pulsandis admovere manum. An autem hic effectus valdè mirus montis virtuti potiùs, an verò illusionibus dæmonum, magicisque operationibus attribui debeat, incertum est.

Ara tempestifera in Pyrenæis montibus.

6. Simile ferè quid narrant de altari quodam tempestifero in montibus Pyrenæis: locum enim dicunt esse in excelsis jugis, ubi præalta & lata surgit rupes, in eâque eminens quædam saxea moles instar altaris, cui ad latera insoliti characteres & signa quædam inscripta sunt. Hoc altare si quis accesserit, illudque attigerit, ingens confestim tempestas ignibus & imbribus furens excitari solet. Exempla vide apud *Erasm. Francisci disc. de Ton. & Tempest.*

7. Maxima

Lapis prænuntians tempestates.

7. Maxima etiam admiratione dignum est, quod de Monte *Cio* rerum Sinicarum Scriptores commemorant: esse nempè in ejus vertice lapidem quinquè perticarum altitudinis, qui quoties tempestas imminet, titubare, & hinc indè ad instar Cypressi vento agitatæ moveri incipiat. Contingere autem hoc volunt ex ventorum intrà concava Montis viscera sævientium flatibus, & uti non strictè cum reliquo scopuloso montis tractu nectitur, ità quoque libratione quadam ex subterraneorum ventorum impulsu facilè movebitur. Sed cur tantummodò ingruente tempestate moveatur; causa esse potest, quod uti ventorum flatus ingentem ex subterraneis montium specubus vaporum halituumque copiam arguunt, ità quoque ii per poros, rimas, fissurasque montium tandem erumpentes, mox ubi frigidiorem auram nacti fuerint, in copiosos resoluti imbres dictas tempestates efficiant, qui vapores, si sulphuris admixtam habuerint materiam, etiam tonitribus, fulmine, & fulgure sæviunt. Ità *Wewerus in Arte Convers. Reg. 11. sect. 5. §. 1.*

Mons Tenlu tempestifer.

8. Propè insignem Urbem *Chaoking* haud procul ab Urbe Sinensi *Sinbing* proviuciæ *Quantung* mons surgit *Tenlu* dictus, aspectu horridus & cavernosus. Dicitur autem intrà hunc montem stagnare quædam aqua, ad quam ab extrà tamen nullus patet aditus, & si forsan ab alto, sivè à superiori aliquâ montis hujus voragine lapis injiciatur; mox ingens boatus & strepitus tonitrui instar percipi solet, ac mox turbido Cœlo imbres copiosi funduntur, ut Kircherus in Chin. illust. refert. Similes tempestates excitari in Sinico alveo *Xangyang.* propè Civitatem *Coxang*, memorat *Neuhoff in descript. Chinæ.*

Mons Pilati.

9. In monte Pilati sic dicto, propè *Lucernam* nobilem Helvetiorum Civitatem, lacum dicunt esse, in quem si lapillus injiciatur, confestim turbidas tempestates oriri volunt. *Schottus* tamen *Phys. cur. lib. 34.* ex *Gretsero* falsum esse docet.

Lacus in Badensi Marchionatu.

10. De alio tamen lacu in Badensi Marchionatu quatuor horis distante ab Urbe *Badenâ* Spectris nocturnis aliàs valdè infesto, testatur Idem *Schottus* ibidem, quod si quis lapidem, terram, vel aliud quidpiam injiciat, Cœlum anteà serenissimum nubibus, imbre & sævâ tempestate turbetur non sine circumjacentium agrorum atquè camporum strage. Vide *Schottum loc. cit.* ubi curiosum ac lepidum exemplum subnectit.

Lacus tempestates afferens, ni sanguis infantum eidem immittatur.

11. *Petrus Thyræus lib. de locis infestis part. 1. cap. 1.* refert ex *Michaële* ab *Isselt* Anno 1585 *historiæ suæ* esse locum palustrem decem passuum millibus ab *Odepe*, quod est prædium Episcopatûs *Vendæ* in Livoniâ, in eoque lacum quendam ità fuisse infestatum, ut nisi singulis annis sanguis infantum in eum mitteretur, ultra modum affligerentur vicini, & plurima damna ijs dæmones afferrent: conturbarent nempè aërem, tonitrua, fulmina, procellas & tempestates excitarent. Hinc usitatum apud illos erat matribus furari infantes, atque in lacum projicere, aut saltem extractum ex eorundem corporibus sanguinem in eundem mittere.

12. *Ex Bocatio* refert *Majolus* in Monte Apennino lacum esse *Scafagiolum*, in quem si vel lapis aut lignum mittatur, Cœlum continuò nubibus obduci, & miros consequi ventorum turbines, quibus vel ipsæ arbores è radicibus evellantur & pecora haud leve patiantur damnum. Solent verò hi turbines per integrum ferè diem noxiam vim suam continuare.

13. In Daniæ Insulâ *Feroë* per æstatem nulla fermè tonitrua contingunt; per hyemem autem sæpissimè; quæ plerumque cum largis imbribus ac miris turbinibus ac tempestatibus permiscentur.

14. Inter animantia feles & canes magis obnoxios esse fulminis afflatibus experientiâ dudum compertum dicunt. *Bartholinus* & *Jonstonus in Thaumatograph. sect. 3. cap. 5.* dant hanc rationem; quod fulmen ea proniùs fulminet, quæ amicam fulmini habent qualitatem ex se emanantem; canes autem & feles præ aliis animantibus eos exhalare solent vapores, qui fulmini proprietate & qualitate magis conveniunt: Undè etiam proniùs fulminis afflatibus commisceri & eosdem attrahere solent. Verùm hoc intelligendum puto cùm fulmen delapsum animalibus ferè propinquum est: Nec enim credendum est vapores ex ejusmodi parvis animalibus ità sursum in altiorem aërem exhalare posse, ut fulmen ex nube prolapsum ad ipsa mox determinare queat. Feles & canes fulminis ictibus magis obnoxii.

§. IV.

Horridarum tempestatũ tum ignearum, tum ventosarum, & quovis modo turbidarum Exempla varia & mira.

Miranda plurimùm, imò stupenda sunt Exempla tempestatum horridarum, quæ igneis cuneis & flammeis coruscationibus ac afflatibus mixtæ cum ingentibus nonnunquàm procellis, & turbinibus, aliisque aëris infestationibus diversa loca diversis temporibus debacchatæ sunt: Harum aliquas Curioso Lectori ex varris Authoribus recensebimus.

1. Narrat imprimis *Lampridius* sub *Alexandro Imper.* in templo *Jovis Romæ* sinistram manum ipsius Idoli auream liquefactam defluxisse: quapropter sacerdotes idolorum suadente *Alexandro* Deos iratos placare aggressi sunt. Ad quod sereno Cœlo manè quatuor sacerdotes fulmine icti sunt, cum arâ ipsâ *Jovis*: dies verò ità obscuratus est, ut extrà Urbem populus fugeret. Tempestas Romæ sub Alexandro Imp.

2. Petrus Martyr memorat *in Summario Indico* suo tempore in Americanâ valle *Gagona* dictâ, turbinosam tempestatem extitisse, quæ arbores radicitùs evulsas & in altum elatas aërem pervolare fecerit, quæ tandem ingentem lapidum pluviam etiam produxerit. In valle Gagona Americæ.

3. Circà Annum Christi 663 ignis maximo omnium terrore dies decem in Cœlo emicuit: incubuêre mox imbres usque adeò sævi & ità horrenda frequentiaque fulmina, ut homines juxtà ac pecora de Cœlo tacta caderent. Eo autem anno tanta leguminum copia successit, ut legi omninò nequiverint; quæ autem neglecta sunt, ultrò Tempestas sævæ An. 663.

renata ad maturitatem pervenerunt. Ità *Bonfinius. lib. 6. Dec. 1.*

Mira tempestas Coloniæ. 4. Teste *Baronio* Anno 857 *Caloniæ 17.* Cal. Octob. terribili coörta tempestate subitò fulmen informe igneum Draconis instar Basilicam S. *Petri* hominibus confertam scidit, penetravit, atque ex omni illâ multitudine tres homines diversis quidem locis uno tamen ictu in mortem dejecit; alios autem sex eodem impetu ità prostravit, ut semivivi aufferrentur. Cæteros verò quos non tetigit igne, perculit timore, docuitque rebus divinis incontaminatos adesse.

Ventosa valdè sub Benedicto IX. 5. Anno 1036 sub Papa *Benedicto IX.* & *Imper. Conrado* Vesuvius exæstuans cinere & pumicibus aliisque saxis ejectis duas Urbes præter alia vicina loca obtexit, & mirè vastavit. Tunc & ventosa turbidaque exorta tempestas dicitur quæ cineres cum ingenti æstu Romam usque, imò in Africam & Ægyptum difflavit. *Meteranus part. 4. hist. lib. 48.*

6. Dum *Alexander III.* Pontifex in Franciâ agebat, ut adversùs Imperatorem *Fridericum I.* conciliaret sibi cœteras nationes: Apud Senonas Die Parasceves, cum faceret divinum officium, horribiles factæ sunt tenebræ, ut dum Lector Passionem Dominicam personaret, perveniretque ad eum locum: *Consummatum est*: fulgur tam stupendum cecidit & tantus fragor intonuit, ut *Alexander* dimisso altari & Lector omissâ passione ac omnes qui aderant, fugâ sibi consulerent. *Crantzius lib. 6. Metrop. cap. 46.*

Tempestas Leodii horribilis. 7. Anno 1117 apud *Leodium* Lotharingiæ Urbem dum in Vigilia Ascensionis Dominicæ Universus Clerus decem scilicet Congregationum pro Vesperis decantandis ad Matricem convenisset Ecclesiam, jamquè primum Psalmum de more complêsset: subitò serenissimus aër in turbinem versùs tanta simul tonitrua & fulgura cum sulphureis ignibus terribiliter excussit, ut omnes qui aderant, extremum adesse diem putarent: duobus Clericis & uno milite in templo ipso ex eâdem tempestate coram omnibus miserabili morte consumptis.

Horridæ tempestates in Germaniâ. 8. In Teutoniâ circa Annum 1256. inquit *Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum. cap. 57. §. 2. tantos ventorum, coruscationum, tonitruorum & grandinum fragores invalescere vidimus, ut homines per civitates quasi amentes incederent & imminere judicii diem formidarent. Circà Treverim vineas demolitas penitùs, Sylvas & arbores antiquissimas funditùs eversas inspeximus, & excelsorum ædificiorum fastigia corruisse. Fuerunt autem, qui dicerent, dæmones se vidisse, & eos quasi bestias divisos in aëre sibi invicem contrariis occurrisse*

Holmiæ in Sueciâ. 9. Anno Christi 1407 insigne Sueciæ Emporium, aliàs *Holmia* vulgò Stockholm dictum fulmine in gravi tempestate afflatum penè totum conflagravit. Memoratur autem à *Crantzio lib. 5. Sueciæ cap. 33.* incendio tunc cives propè mille sexcentos periisse: fœminas autem plurimas, cùm res suas, atque liberos in navem comportâssent, in quas dum promiscuè jerant ad declinandum incendium, naves subsedisse, ac omnem illam ab igne fugitivam multitudinem lamentabiliter demersam esse.

10. Anno 1521 Mediolanensis arx mense Junio fulmine disjecta est: 113 homines enecti, portarum vectes fracti, aut flexi quàm maximi. Quingentis etiam passibus ab eâ distantes ceciderunt homines in urbe, qui tùnc erecti stabunt. Pulsi sunt Galli mense Octobri proximo ità *Cardanus de rer. variet. lib. 14. capit. 70.* Mediolani.

11. Anno 1535 in Silesiæ urbe *Olaw* atrocissima exortâ tempestate (sub qua & igne pluisse scribitur) tota penè Urbs subversa fuit. Cùm primùm tempestas furere cœpit, currus fissis lignis focariis onustus vento validissimo in aërem evectus, & suprà forum ibidem turbine circum actus fuit: deindè efferâ ventorum vi tecta, areæ & superiores ædium contignationes solutæ, detectæ ac dejectæ fuerunt, fores è cardinibus ereptæ, fenestræ, excussæ, situlæ fontium publicorum è catenis exsolutæ, ac decussæ; Imò integra ædificia à fundamentis avulsa, in altum abacta & disturbata fuerunt. Inter quæ potissimùm communes domus Cerevisiariæ ac Judæorum habitacula funditus eversa prostratque conciderunt. Quod etiam præ aliis miraculi vim habet hoc est: quod Capitanei servus, qui ad Urbem, ut candelas emeret, missus fuerat, ventorum violentiâ abreptus, innoxiè tamen super ædes per longum aëris tractum translatus fuerit; currus etiam oneribus suis gravis super Hebræi cujusdam ædes fuerit constitutus; ex ædibus præthereà Lanarii viginti lanarum cumuli in conclavi aliàs sat firmo repositi, inde tamen vi mirâ elati, ad sesqui milliaris ab urbe distantiam difflati atque hinc inde per campos, frutices, ac arbores dispersi fuerint. Singulariter autem Tempestas hæc Judæorum genti infesta extitit, cum ipsorum liberos & uxores è lectis arripuit, ab alto ædium in vias publicas præcipitavit ac interemit. Officinam typographicam, in qua tunc temporis appositum typis fuit Antiquum Testamentum cum hebraicâ paraphrasi funditus evertit; multa exemplaria longiùs in campos difflavit, & luto vel commiscuit, vel discerpsit, alia palis affixit, alia sepibus, aut arborum ramis innexuit, undè etiam deinde Rustici integros manipulos collegerunt. Ecclesiam quoque ad S. Corpus valde diruit ac destruxit, fastigium turris dejecit, atque æneum turris globum anteà superpositum pluribus Judaicæ bibliæ foliis penè explevit. Ità ex *Carolo Scharschmitt.* In Silesiâ.

12. Anno 1546 noctu horâ undecimâ fulmen *Mechliniæ* per rimam in pulverem nitricum delapsum turrim è fundamentis integram in altum sustulit, quæ in aëre disrupta, ingentes quadratos lapides per universam urbem disiecit: insuper ad quadringentas ædes dissilientes non minùs detrimenti intulêre, Vitreæ propè omnes fenestræ *Mechliniæ* confractæ, ligneæ verò uti & januæ feris pessulisque effractis patûere. Homines ad quingentos oppressi, vulnerati ad bismille: nulla enim universâ in civitate fuit domus clade immunis: Varii è strato sese proripientes ac fenestris tumultûs causâ capita exerentes ea transvolantium lapidum nimbo perdidere. Repertâ fuêre mortua, mutilaque Tempestas Mechliniæ.

mutilaque corpora ad sesquimilliare extra urbem explosa, quæ horrendum in modum, ex arborum ramis hinc indè discerpta pendebant: præ cœteris tamen maximè stupendum omnibusque funestum spectaculum cadaver concubinæ Prætoris, quæ flavescenti capillo ex arbore nuda dependens aperto ventre, intestinis defluentibus ingenti cum horrore ostentabatur. Civitatis fossa ad ducentos passus sicca conspiciebatur; Piscibus magno numero per agros & arborum summitates dispersis. Arbores cerasis aliisque fructibus refertæ pleræque radicitùs evulsæ, cœteræ foliis, fructibusque spoliatæ. Multis locis vir uxorem, illa maritum, aut saucios liberos, extinctos, & inter rudera oppressos quæsiêre. Puer etiam in plateâ negotii causâ cum lumine incedens in aërem à lapide abreptus, eidem incumbens, in terram, illæsus rediit. Per octo dies cives rudera perscrutantes saucios, mortuosque detexêre; quos inter repertus vir nudus rogans, num mutato Universitatis statu Christus ad generale totius humani generis judicium venisset. Ità *P. Engelgrave Luc. Evang. part. 2. Dom. 6. post Epiph. ex Pon. Heut. hist. Belg. Vitæ Caroli V. part. 5. Anno 1546.*

Per Germaniam. 13. Anno 1551. die 13 Januar. ut memorat *Lycost. in prodig.* Tempestas per Germaniam sævijt, ità ut judicium Universale multis instare videretur.

In Meaco Japoniæ Urbe. 14. *Organtinus* oculatus testis est in grandi Japoniæ civitate *Meaco* ad Annum Christi 1577 gentilem Principem festum solenne ac publicum cultum Japonensibus Diis indixisse, quâ in festivitate blaphemias grandes in Christianorum Deum ac veram Dei fidem evomuit: Verùm sereno Cœlo exorta est subitò ingens tempestas, qua & lapidosa pluvia dejecta, ità ut viginti millia Gentilium, qui solemnitati aderant, mox se abdere & fugam capere sint coacti, nec ullus præ ingenti terrore, ac timore subsistere in loco potuerit.

Horrenda tempestas Argentorati orta. 15. Anno 1585 die 3. Julii Argentoratenses horrenda quædam perterruit tempestas: quater enim cum fulminaretur, ad portam novam quinque milites fulmine necati, & quindecim, qui cùm in locum ad tutelam quærendam se receperant, vulnerati sunt. Ædes *D. Nicolai* confestim flammis fulguralibus ardere incipens, confestim rursus extinguebatur: Unâ horâ post Turris ad portam á Judæis nomen sortitam demùm fulmine tacta ignem conceperat, & quia duodecies mille pyroboli igne correpti adeò vim suam exercebant, nemo in vicinia tutus ambulare poterat, ignis adeò invaluerat, ut armamentarium in summo etiam flammarum periculo versaretur, quod tamen Divini Numinis & Domini Gubernatoris auxilio declinatum fuit.

Arequipæ. 16. Anno 1600 die 18 Februarii propè *Arequipam* (ità recenset *Martinus Del rio disq. Mag. lib. 4. cap. 3. qu. 2.*) *ex illis, qui multi in Peruana sunt montes ignivomi, quos Vulcanios vocant Ungeorum Guyana putina, principio candidam nubem visus pecuariis è longinquo eructare, quam consecuta est procellâ fragminum ingentium quasi avulsorum à rupibus, sed ignitorum lapidum; hæc paululum spatii progressa comminuebantur in minores lapides, & paulatim centesimo fermè passu à cratere in cinerem. Ubi saxa decidebant cuncta revulsa, diruta, comminuta, interempta; ubi lapides, pauci mortales evasere, vel jumenta. Fors Hispanus iter faciebat eques, cùm vim grandinis lapillaceæ non ferret, descendit, & se sub equo locat, sed equus subsistere præ vi ictuum nequibat. Herus videns nec tutum nec quietum sibi sub jumento refugium, ephippium aufert capitique imponit, sic ægrè cranifragium evasit deserto equo. Torrentes & fluvii ac fontes nonnulli penitùs exaruerunt, & alii fluxûs facultas interclusa cineris multitudine, idque per leucas plus trecentas. Arequipæ primùm ortæ clarâ luce tenebræ integrum ferè mensem durârunt. Intereà initiò Cœlum fulminibus visum dehiscere, & audiri tonitrua flammeique globi instar artilleriæ bellicæ aciebus hinc indè dispositis mutuò explosæ vicissim huc illuc discurrere. Ingens globus semel decidit, & à templo in proximum ambitum; indè in viam publicam patente portâ erupit, & subitò disparuit relicto sulphureo fœtore. Terræ motus ingens fuit adeò, ut multæ domus conciderent, reliquæ quasi tripudiarent natantes. Nec cessavit intereà pluere terram albam instar cinerum, seu calcis tritæ, ut nemo per plateas incederet, quin mox digiti spissitudine cooperiretur. Domus quæ nimirùm tectæ essent crassitudine semipedali, sic pleræque sub onere gemebundæ subsiderunt. Malum durabat luce per intervalla potiùs ostentante se, quàm diem præbente. Mense verò exacto cessatio fuit & nonnulla intermissio, sed adhuc metus manebat graviorum. Magnam morum in melius tunc timor expressit commutationem. Omnes ad pedes Sacerdotum devolvi adeò, ut quies nulla daretur, & vi incubicula pœnitentes irrumperent; Sic Deo lucrum animarum multarum accessit, sed nec Satanas neglexit occasionem. Nam cum Indi pagani viciniores flammis solitâ superstitione Magos accessissent, & simul ad montem illum properarent, & malis cantibus ac Sacrificiis procurarent, magos & viciniores quosquè flammæ consumpserunt; cæteri omnes malè mulctati, desperabundi, pars suspendio, pars aliter sibi mortem consciverunt.* Hæc narrata litteris *P. Joannis Ruizii de Alarcon* Scriptis *Arequipæ* Martii 15 anno memorato legit *Martinus del Rio.*

17. Anno 1631 priusquam Generalis *Tyllius Magdeburgum* expugnaret, tam valida ac turbida tempestas præcessit, ut plures turres ibidem, aut saltem earum capita disjecta fuerint: Sacrarum ædium tecta abrepta aut læsa, ac plura alia mala indè sint enata, quæ certè tempestas impendentium funestorum malorum, quæ occupata illâ urbe deindè acciderunt, præsaga haud malè credita fuit. Magdeburgi.

18. Anno 1679. mense Augusto Territorium Cæsareum *Fori Julii* tempestas fœda ac horrida miserabiliter afflixit. Comprimis enim in Urbe peramplâ ac celebri *Villaco* turbo violentus ignem sufflans Urbem penè in cineres redegit. Ventus deindè alius subortus Italis Billa bova dictus incredibile damnum advexit: Siquidem tantâ violentiâ debacchatus est, ut multi ruris incolæ & messores agrorum, sicut & aurigæ cum plaustris In Territorio Fori Julii.

plaustris fœno onustis, atque unà cum adjunctis bobus ad villam de *Fauvis* in aërem abrepti, alioque translati ad terram longè dissitam dejecti fuerint. Plures etiam arbores radicitus avulsæ, ramis spoliatæ & turbine abactæ per aërem volitârunt. Terra ipsa quam tempestas afflixit, adeò combusta visa est, ut ne vestigium fruticis appareret. Indè *Sevviglianum* adorta omnem quaquà patet regionem devastavit solo pago intacto. Palatium Comitis *Horatii Strasoldi* funditus diruit, vasa cæteramque suppellectilem avexit. Illæsâ plebe reliqua in campos effusâ unicam mulierem cum prole suâ, quæ in conquassatæ domûs ruderibus à turbinis furore tutamen quæsiêrat, extinxit, ac è vivis sustulit. *Palmam* & villam de *Privano* simile manebat infortuniũ & præter homines, quorum plurimos læsit, ferè mediam partem rerum ibi consistentium suâ violentia & furore involvit, prostravit & devastavit. In Villa de Visco amplissimam domum *Marci Viscolini* solo æquavit, effractâ etiam ibidem portâ tribus seris munitâ Rhedam abripuit & super muros satis altos constitutit. Haud mitiùs aliis in locis defæviit tempestas, dum maximo omnium inspectantium stupore & horrore asseres, trabes, tegulas, arbores, pecora & equos quaquaversùs difflavit & dispersit, ut indè omnibus tam equis curribus, ac quibuslibet viatoribus semitæ rebus interjectis occlusæ fuerint. Ad locum qui *Villa Bagnavia* dicitur, ædes funditùs, evertit, trabes, asseres, & ligna quæque per aërem avexit; tectum propinquæ Ecclesiæ S. Thomæ sustulit, partem muri destruxit, & campanas turrium adeò longè disjectas solo impegit, ut altero etiam die nondum paterint.

Super Hausten.

19. Anno 1680 die 21 Julii Vespertinam horam Octavam inter & nonam *Haustenii* fulgur forti fulmine armatum turrim, in quâ pulvis nitro sulphureus asservatus, afflavit, & eandem à fundamento cum Castello evertit, Pons, arbores, & qui Castello adiacent horti, convulsi, in acervum lapidum redacti & sub ruderibus ipsa cadavera reperta, deindè frustulatim extracta fuerunt. Domina, quæ in Castello sedem habeat, visâ tempestate formidabili cum duobus liberis fugam attentare conata fuit, & licet à fulmine intacta permanserit, â decidente tamen trabe ossibus brachiisque diffractis repercussa est. Excubitor cum suâ domunculâ excubiariâ de vallo in fossam ad mortem prostratus sclopetum, ac si adhuc viveret, in manibus retinens inventus est. Nec ulla fuit domus, in qua non unus duo, tres, quatuor, quinque aut sex mortui fuerint reperti, hos inter nonnullis fulmen nigredinem afflavit, alii semivivi è ruderibus, alii sauciati eruti fuerunt, qui haud diu post omnes vivere desiêrunt. Multi super lapidum collisorum acervos consederunt adeò consternati, ut mortuis quàm vivis similiores atque trabes asseres aut aliud quidpiam de disjectis domibus tenerunt, ut à murorum conquassatorum ruinis, ne opprimerentur se tutarent. In quadam disjectâ domo mulier infantem sex mensium sinu, & brachiis complexa, vir autem prolem alteram inter genua continens, reperti sunt, qui inter rudera, & aliorum demortuorum corporum funera vitam conservârunt. Mulier etiam quædam vaccam mulgens disrupto ventre & linguâ è faucibus erutâ miserabiliter exanimata reperta est. Neque in Castello tantum vis ea fulminis solùm debacchata est, verùm & universas civitatis fenestras excussit, tegulas abstulit, & tecta dissolvit, nec ulli securitatem etiam in domibus permisit, plures in plateas publicas coëgit omni spe & consilio desolatos. Locus, in quo turris exstructa fuerat, in profundam foveam, quæ nigricante & jugitur ebulliente aquâ scatebat subsidit. Atque ut paucis horridæ hujus tempestatis tragœdiam concludam, tanto impetu lapides de Castello ad plagam australem civitatis projecti, tanta fuit conquassatio, tantus corruentium domorum fragor exauditus, ut omnes nimio terrore correpti diem crederent illuxisse supremum.

20. Eodem anno ad diem 23 Novembris ingens turbo, nimiumque sæva ac horrida tempestas in Indiæ Orientalis Emporio percelebri *Masulipatam* post meridiem exorta fuit. Ventus imprimis ab Oriente ruens tantâ vehementiâ civitatem ingressus est, ut ejusdem vi ac violentiâ omnium ædium tecta sublata & dejecta fuerint. Nocte ingruente dum Ventus unà cum nimbis & imbribus inter Septentrionem & ortum sævire cœpit, mare effervescens limites suos egressum ità exundavit, ut indè ædium, quæ à Batavis Mercatoribus incoluntur, fulcimenta ita eluta fuerint, ut vix innixa superiora ædificia adhuc incumbere valuerint. Ingens quoquè damnum illatum mercatoriæ domui. Munimentum etiam fortissimum, quod versus mare situm est, totum cum ædibus impositis fuit aquis inundatum, ac validissima in mutuam tuitionem procurrentia propugnacula inopino prolapsu conciderunt. Plures insuper coloniæ ab ab urbe haud procul remotæ unà cum colonis suis ac pecoribus aquis nimiis affusis demersæ periêrunt; Sicut & pons insignis, qui ad tres quartas milliaris extendebatur, funditus erutus & abductus fuit. Memorantur hac tempestate quindecim millia hominum (qui omnes tributarii annuum capitis censum Mauris pendunt) absque eorum liberis, quorum numerus adhuc longè major est, miserè interiisse; ità ut submersorum, & calamitate hac interemptorum cadavera acervatim ad Batavorum ædes alluta & adducta maximâ dignam commiseratione speciem omnibus ingesserint. Nec his etiam quæ in aquis tuta sunt, nec mergi non solent infestâ hac à tempestate parsum fuit. Naves equidem plures optimè instructæ & ornatæ tristi jacturâ fractæ & varias in partes laceratæ ità fuerunt, ut earum fragmenta cum remis, malis, velisque ad tria milliaria à consueto maris littore abjecta in Sylvis & campis remotioribus tandem reperta sint.

Ad Indiæ civitatem Masulipatam.

21. Anno 1681 die 17 Septemb. *Madriti* in Hispania horribilis tempestas insolitis fulguribus ac fulminibus defæviit, à quâ turris S. Joannis gravibus damnis comprimis affecta, multi ex hominibus percussi, & ipsum Sacellum Sepulchri Dominici in *Canne* flammis exustum fuit.

Madriti in Hispania.

22. Anno 1691 die 2. Sept. de nocte *Genuæ* ingens exorta tempestas cum multis validissimis ictibus, quam insecutus Ventorum turbo rapidissimus, qui plurimas subvertit ædes ac ruinâ plures homines oppressit: multa milla olivarum aliarumque arborum radicitus evulsit, & prostravit, vites in vineis abegit, naves plures in mari demersit aliaque funestissima damna intulit. Die 10 ejusdem mensis & Anni post meridiem ingens & horrida tempestas Castrum *Spandau* infestavit turrimque in qua pyrius pulvis asservabatur, igne fulmineo penitùs evertit; Unde non pauci homines interempti, plures læsi & ingentia damna profluxerunt.

Ingens Tempestas Genuæ.

INDEX

Rerum notabilium Tomi I.

D.

E.

F.

G.

H.

I.



ERRATA

In Tomo I. ſic corrigenda. Primus numerus paginam, Secundus columnam, Tertius lineam denotat.

Pag.	Col.	Lin.	
6.	2.	18.	*In fine tabulæ — juſtitia ¾. l. injuſtitiæ ¾.*
9	1.	10.	*Diebus ſemper æqualis. l. diebus dies ſemper æqualis.*
19.	2.	41.	*Ad finus & urbem. l. ad finas & urbem.*
28.	1.	50.	*Corformatis. l. Conformatis.*
39.	1.	45.	*Stationaribus. l. Stationarius.*
46.	2.	54.	*Sorte ſimiæ. l. forte ſimiæ.*
47.	1.	2.	*Mund magn l. Arte magn.*
—	—	45.	*Pardis l. pardi.*
52.	1.	43.	*Rigoroſuſque. l. vigoroſusque.*
—	2.	39.	*In aqua. l. ſi in aqua.*
55.	1.	17.	*Conv enientiſſimum venæſectione. l. convenientisſimum pro venæſectione.*
57.	2.	25.	*Tertius interim. l. tertius interior.*
—	—	35.	*Figuræ infimæ. l. figuræ intimæ.*
66.	2.	13.	*Coäctetur. l. coärctetur.*
69.	2.	Linea penultim.	*generatilem. l. generat bilem*
70.	1.	29.	*Tusſis angina. l. tuſſes angina.*
—	2.	26.	*Usque nonam l. usque ad nonam.*
—	—	52.	*Producta. l. producto.*
79.	1.	57.	*Obſcarior. l. obſcurior.*
83.	2.	15.	*In aëris verò l. in aëreis verò.*
—	—	34.	*Contingerit. l. contigerit.*
85.	1.	Linea penult.	*Inſüer. l. inſuper.*
92.	2.	27.	*Exitiali. l. exitialis.*
94.	1.	2.	*Apud apud Aſtronomos. l. apud Aſtronomos.*
—	—	30.	*Mirocoruſcus. l. miro ſplendore coruſcus.*
98.	1.	7.	*Terræ 8 l. terræ 8 4/7.*
—	2.	45.	*Saturin l. Saturni.*
99.	1.	1.	*Vigeſimo Geminorum l. vigeſimo gradu Geminorum.*
101.	1.	29.	*Aliqub. modo l. aliquo modo.*
102.	1.	2.	*Ad itin. l. ad iter.*
113.	1.	34.	*Deceret. l. diceret.*
114.	2.	27.	*Sed hæc tabula. l ſed ecce tabula.*
115.	2.	10.	*Ad Boram l. ad Boream.*
—	—	13.	*Milliaria German. l. milliarium German.*
123.	1.	4.	*Noſtro ramum. l. roſtro ramum.*
—	—	37.	*Petinuit l. pertinuit.*
—	2.	34.	*Communis. l. communes.*
—	—	35.	*Numiter l. numerus.*
126.	1.	10.	*Obſervationibes. l. obſervationibus.*
—	2.	33.	*Deliliorum l. deliriorum.*
128.	2.	33.	*Proculv lorem. l. propè valorem.*
130.	0.	5.	*Deteguntur & recenſetur l. recenſentur.*
133.	2.	2.	*tſellæ. l. ſtellæ.*
—	—	36.	*Tanta in mundo. l. tantæ in mundo.*
134.	2.	53.	*Climaterico. l. climacterico.*
141.	2.	57.	*Eggregius. l. egregius.*
142.	1.	24.	*Viſo tali temporaneo cœli phænomeno. l. viſis talibus temporaneis cœli phænomenis.*
—	2.	57.	*Apparitiones. l. apparitionis.*
154.	1.	30.	*Ferale has lampades. l. ferales has lampades.*
163.	0.	44.	*Captis autem autem. l. captis autem.*
165.	0.	54.	*Territorum. l. territorium.*
166.	0.	13.	*Militibus occiſu. l. militibus occiſus.*
166.	0.	15.	*Expulſis l. expulſi.*
167.	0.	15.	*à Romani l à Romanis.*
168.	0.	19.	*Octviauxor l. Octavia uxor.*
169.	0.	12.	*Fauſtimus. l fauſtisſimus.*
—	0.	14.	*In Anno Chriſti 633. l. in Annum Chriſti 133.*
171.	0.	34.	*In Anno 393. l. in Annum 393.*
172.	0.	34.	*Obſidioſis. l. obſidionis.*
—	0.	45.	*Quid ad menſem. l. qui ad menſem.*
175.	0.	27.	*Januaium rmanè. l. Januarium manè.*
—	0.	53.	*Lætitiæ nuptiæ. l. lætitia nuptiæ.*
177.	0.	41.	*Et ex Africa. l. & Saraceni ex Africa.*
179.	0.	38.	*Vangionem conventus. l. Vangionum conventus.*
180.	0.	7.	*In hæc tempore. l. in hæc tempora.*
—	0.	52.	*Uſoprivatus. l. uſuprivatus.*
182.	0.	4.	*Panſt feliciter oppoſuir. l. poſt feliciter oppoſuit.*
184.	0.	17.	*Cujus tamen potius. l. cujus tamen mors potius.*
—	0.	Linea ult.	*contra nos. l. contra eos.*
185.	0.	33.	*Ad Anno 1095. diem 5. l. Ad Anni 1095. diem 5.*
186.	0.	59.	*Cæſare l. Cæſar.*
187.	0.	48.	*Sanguinis. l. ſanguinus.*
—	0.	52.	*Illo Auſtraco. l. illo Auſtrio.*
—	0.	53.	*Germarum ſuum l. Germanum ſuum.*
190.	0.	12.	*Impleverut. l impleverunt.*
196.	0.	26.	*Eum filio. l. cum filio.*
197.	0.	35.	*1403. Cometa l. Ann. Chriſti 1403. Cometa.*
200.	0.	12.	*Event. Læti. Turcarum potentia. lege Eventus Triſtes. Turcarum potentia.*
205.	0.	28.	*Se periturus eſſe. l ſe perituros eſſe.*
209.	0.	1.	*Mœrere & curis lege mœrore & curis.*
210.	0.	Linea antepen.	*Viſor eſſe l. viſos eſſe.*
211.	0.	49.	*Event. Læti. Converſa rerum. l. Event. Triſtes. Converſa rerum.*
—	0.	Linea ultima.	*De amoſiſſimo hoc Gometa. lege. de famoſiſſimo hoc Cometa.*
214.	0.	20.	*Event. Læti ſubſecutum Anno 1982. l. Event. Triſtes ſubſecutum Anno 1682.*
217.	2.	27.	*Luæ virtutis. l. ſuæ virtutis.*
225.	2.	31.	*In manſione mala. lege in manſione mala 3.*
226.	2.	22.	*Noctes ex dies. l. noctes & dies.*
228.	1.	37.	*Pro qua divinare. lege pro quo divinare.*
232.			*In tabula Cyclopps. l. Cyclops. item victam ducet l. vitam ducet*
239.	2.	3.	*Martis ex acutæ. lege martis & acutæ.*
—	—	46.	*Hoc verſus. l. hos verſus.*

242. 1 Li-

Pag.	Col.	Lin.	
242.	1.		linea antepenult. positum exspecta. l. positam exspecta.
—	2.	11.	Lune autem. l. Luna autem.
245.	2.	18.	Vivis decedunt. l. è vivis decedunt.
252.	1.	22.	In multo l. in muto.
263.	2.	13.	Opus. l. opes.
268.	1.	13.	Quid sciendum. l. Quid sentiendum.
269.	1.	60.	Semper si aut. l. semper fiant.
271.	2.		Linea antep. in Siguorum. l. in Signorum.
274.	1.	28.	Ex certis signis pro cognitione. l. ex certis signis præcognitis.
284.	2.	47.	Facto conesserunt. l. satis concesserunt.
285.	1.	33.	Quovis annio vicies. l. quovis anno vicias.
289.	1.	43.	Cereleos. l. Cereolos.
—	—	45.	Cereleus. l. Cereolus.
294.	2.	28.	Vulgo amentissie. l vulgo amentissimè.
296.	1.	17.	Circa ac teporum. l. circa aëris ac temporum.
314.	1.	35.	Mentis adducere. l. membris adducere.
318.	1.	40.	Temperantissima. l. temperatissima.
325.	2.	18.	Ad dictam l. ad diætam.
326.	1.	54.	Lutrefacta. l putrefacta.
327.	1.	63.	Mendicio. l Mendico.
335.	2.	8.	Cooperint. l. cooperiunt.
336.	1.	20.	Eamdemque sit causa. l. eademque sit causa.
—	—	25.	Quo terrent halitus de die magis attenuatur. l. quo terrent halitus de die magis attenuantur.
—	—	35.	Ne facilè l. nec facilè.
337.	1.	34.	Diveritur. l divertitur.
—	2.	5.	Eosque. l. eousque.
—	—	13.	In Persa. l. in Persia.
343.	2.	6.	Ut oppresio. l. ut oppresso.
347.	2.	52.	Adportam. l. adportum.
349.	1.	43.	Tempestas indicare. l. tempestates indicare.
356.	1.	26.	Sulpheros. l. Sulphureos.
357.	1.	4.	Alius l. altius.
—	—	60.	Plurimum efferre. l. plurimum efferæ.
—	2.	5.	Experimus. l. experimur.
359.	1.	58.	Pruineto. l. pruinoso.
361.	1.	19.	Sua crassitiæ. l. sua crassitle.
—	—	23.	In crassitiæ l. in crassitie.
—	—	54.	Induit Boggius. l. inquit Boggius.
—	2.	47.	Pedum digidos. l pedum digitos.
363.	0	10.	Se abdiderint. l. se abdiderunt.
—	0	36.	Ut jacus. l. ut lacus.
368.	0	47.	133. In partibus mosellanis. l. 1333. in partibus mosellanis.
369.	0	37.	1573. Tantus fuit æstus &c cæt. Hoc totum usque ad Annum 1578. delendum est, quia in manuscripto etiam deleri debuit, sed per oblivionem fuit omissum.
369.	0	46.	Æstas ingens. l. æstus ingens.
370.	2.	37.	Quos habent l. quas habent.
371.	2.	4.	Microscopis l. microscopio.
—	—	55.	Mercidos l. marcidos.
372.	1.	15.	Emolita. l. Emollita.
373.	1.	62.	Emissio l. emisso.
377.	1.	27.	Ad motum. l. ad modum.
381.	1.	9.	Soleant. l. soleat.
391.	2.	33.	Tyberium. l. Tyberim.
394.	2.	19.	Num breve. l. nunc breve.
396.	2.	43.	Oriori l. oriri.
398.	2.	30.	Nivi impresso. l. nivi impressa.
408.	2.	42.	Atqua. l. atque.
415.	0	41.	Hevelinus. l. Hevelius.
—	0	42.	Septæ. l. septem.
430.	2.	5.	Apparentes l. apparenter.
431.	1.	2.	Fismondus l. Fromondus.
—	—	16.	Cum aliis. l. cum alis.
—	2.	6.	Tototum. l. totum.
432.	1.	34.	Circumdatus. l. circumdatas.
433.	1.	62.	Ultimum. l. ultimam.
437	1.	17.	Indicat. l inducat.
439.	2.	13.	Nempa. l. nempè.
440.	1.	36.	Ita. l. icta.
—	2.	18.	Vestibus ex toto. l. vestibus & toto.
—	2.	36.	Adusserit. l. adusserlnt.
442.	2.	41.	Tactu mox periit. l. tacta mox periit.





inclinant
non neceſsitant.
Hoc Opus immenſi conſtructum Corpore Mundi,
Membrûque Naturæ diverſa condita forma,
Aëris atque Ignis Terræ Pelagique jacentis
Vis Animæ Divina regit, ſacroque meatu
Conſpirat DEUS et tacita ratione gubernat.
ebus inest cunctis Virtus Magnetica: Namque in magnum nos tota trahit Natura ſtuporem.
Ponderibus librata ſuis.
Quod eſt inferius eſt ſicut
quod eſt ſuperius. Hermes.
SPECULÆ
Phyſico-Mathematico-Hiſtoricæ
TOMUS II, continens
Geocoſmi ſive Mundi Terreſtris
Notabilia et Mirabilia ſcienda.
Authore
IOANNE ZAHN, Canon: Ord:
Præmonſtrat:

SPECULÆ PHYSICO-MATHEMATICO-HISTORICÆ
TOMUS II.

Continens Geocosmi sivè Mundi terrestris notabilia & mirabilia scienda, quæ nempè sunt

CIRCA

Globum ipsum terrestrem, ejusdem Opificium & structuram, Geographicam partitionem, varios montes, cryptas, terrestres planities, deserta, valles, & campos Naturæ miraculis illustres, glebarum varietatem, lapidum diversorum præstantiam, metallorum divitias, ignis Geocosmici activitatem, proprietates & miracula, abditas aquarum venas & scaturigines, nec nòn reconditas earundem vires & effectus, Oceani divisionem in diversos sinus, tractus & maria cum variis hactenus compertis motibus, periculosa diversorum Marium loca, memorabilia naufragia, horrendorum Terræmotuum signa, causas & exempla; Regni deindè Naturæ Vegetabilis mirabiles plantas & germina; ut & animalis Regni subjecta varia quadrupedia, volatilia, aquatilia & reptilia cum admirandis in iisdem compertis affectionibus & proprietatibus, aliaque complura, quæ prædivitem & fœcundam terreni Globi Oeconomiam mirificè illustrant.

AUTHORE
JOANNE ZAHN
Sacri & Candidi Ordinis Præmonstratensis Canonico Regulari, nec non Parthenonis Cellæ inferioris ejusdem Ordinis propè Herbipolim
PRÆPOSITO.

Cum PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.



NORIMBERGÆ,
Sumptibus JOANNIS CHRISTOPHORI LOCHNER Bibliopolæ.
Literis KNORZIANIS.
ANNO M. DC. XCVI.



REVERENDISSIMUS PERILLUSTRIS AC PERGRATIOSUS DOMINUS,
DNS OTTO PHILIPPUS A GUTTENBERG IMPERIALIS BAMBERGENSIS
ET CATHEDRALIS HERBIPOLENSIS RESPECTIVE PRÆPOSITUS IUBILÆUS ET
CAPITULARIS: ECCLESIÆ COLLEGIATÆ AD S. STEPHANUM BAMBERGÆ
ET INSIGNIS ECCLESIÆ HAUGIENSIS HERBIPOLI PRÆPOSITUS, CELSISSIMORUM PRINCIPUM BAMBERG. ET HERBIPOL. CONSILIARIUS INTIMUS. etcœt:

humiliter offert ac dedicat
F. IOANNES ZAHN Prępos. Cellæ infer.

G. C. Eimmart sculpsit.



REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI

DOMINO

D. OTTONI PHILIPPO A GUTTENBERG

Imperialis Bambergensis & Cathedralis Herbipolensis Eccles. respectivè Præposito, Jubilæo & Capitulari, Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Stephanum Bambergæ, & insignis Ecclesiæ Haugiensis Herbipoli Præposito, Celsissimorum Principum Bambergensis & Herbipolensis Consiliario intimo, Domino suo perquàm gratioso.

INterea dum Principes Terræ vastum illud punctum, quod Romano Sapienti *Senecæ* Terra est, ferro & igne inter se dividunt; dum nostra Germania tota flagrat bellorum incendiis, dum tota fermè Europa strepit armorum tumultibus, ego in tranquilla mentis Specula speculabar terrestrem machinam, & ex curiosâ illius speculatione machinabar novam SPECULAM, in qua circumscripsi breviter illa NOTABILIA & MIRABILIA SCIENDA, quæ vel inter fluctus natant in maribus, vel subterraneos inter thesauros latent in tenebris, vel inter Ornamenta deforis splendent in superficie extima. Hæc mea SPECULA NOTABILIUM ET MIRABILIUM SCIENDORUM ut staret à fundamento *solida*, à robore *firma*, ab altitudine *erecta*, à præsidio *secura*, à situ *amœna*, à deliciis *florida*, ab officio *sancta*, à fama æterna, illam ad pedes *Magni Præpositi* devotam

 & dica-

& dicatam constituo, ubi cum ipsis *Synonymis*, queis SPECULAM meam insigniri cupio, florent ipsissimarum quoque rerum argumenta. Norunt Bambergensis & Herbipolensis Ecclesiæ, quàm beato vere vel nomen GUTTENBERGICUM florere soleat; hinc illud præparârunt sibi quasi in montem Domus Domini. Ecclesia Bambergensis ex Guttenbergicis Viris elegit & præposuit OTTONEM PHILIPPUM, ut illo demum gauderet Præposito, quem adhuc adolescentem virtus tenera jam multis antepofuerat. Nempè ex floribus BAMBERGA præsagiit jucundam illam Virtutum messem, quam in Campo suæ Ecclesiæ albicare videt à Reverendissimo suo PRÆPOSITO, cujus curæ sedulæ beatis manipulis quasi replent omnia, Officium decore, Ecclesiam splendore, Clerum exemplo, plebem incitamento. Ecclesiam Suam DEUS in scripturis comparat cum MONTE; & Regius vates insignes ac virtute robustos viros MONTES nominat, quasi nihil foret sat firmum pro ferenda mole dignitatis Ecclesiasticæ, nisi quod MONTEM præferret nomine & omine, eò quod soli MONTES sint aurea petra Ecclesiæ, soli sint firmum fidei columen, æterna Religionis basis, sublimis pietatis vertex, tota securitatis acro ceraunia non Erebi fulmine, non inconstantiæ telo, non perfidiæ nimbo vel procella unquam ferienda vel prosternenda. In Reverendissimo ac Perillustri Domino PRÆPOSITO elucet quidam terrestris Olympus, quem nulla supercilii nubes exasperat, sonat Parnassus sacer, quem cultores & Sacræ Musæ in concentum sonorum animant: Vernat florulentus Athos & Hybla, unde stillant favoris favi, & mella Clementiæ: fragrat MONS Mirrhæ mysticus, ubi suaviter halant devotionis aromata: surgit Cedrorum ferax Libanus, undè spirant perennes beneficentiæ in Ecclesiam, in egenos & afflictos Favonii. Sic dum *ascendunt Montes* ad culmen dignitatis Ecclesiasticæ, tunc *descendunt campi* virtutum & benefactorum segete abundantes. Solem ex Orientis MONTIBUS excitant Poëtæ, & Auroram è cubili roseo, ut deindè spargant per orbem vim & copiam luminis, calorem, ac fœcunditatem. Si quemadmodum magno exemplo Suo Rever. D. PRÆPOSITUS ceu MONS insignis insigne jubar spargit per suas Ecclesias, & suos ad salutem illuminat, ita meæ SPECULÆ vel unicum favoris sui radium affunderet, optatum sanè monstraret fundum, qualem quæsivi plantandæ meæ SPECULÆ; tanti namque Prælati scientiæ sacræ & solidæ illi darent soliditatem; tanti viri constantia in arduis præberet robur & firmitatem; tantæ dignitatis eminentia substrueret sublimitatem; tot virtutum præsidia constituerent securitatem; tot Guttenbergicorum præclara decora conciliarent amœnitatem; tot nobiles gratiæ affunderent floriditatem; usus ipse, quod serviret scientiis sacris Prælati Ecclesiastici afferret sanctitatem; Nomen denique GUTTENBERGICUM, quod longè, lateque vivit immortale, immortalitatem. Exorabunt, credo,

tot

tot tituli, qui perorant pro mea SPECULA gratiosum annutum saltem, ut deinceps illam non amplius meam, sed GUTTENBERGICAM compellare ausim, quod illustre nomen supplebit in illa, quidquid vel in illius stylo, flore vel Authore deficit. Suam igitur hanc SPECULAM vendicent Reverendissimi Domini PRÆPOSITI Bambergensis merita, quam mea tenuitas illi destinat, mea devotio dedicat, mea submissio planè gratiosis substernit pedibus unà cum omnibus illis obsequiis, quæ vel in mea, vel totius sacri Parthenonis Cellæ inferioris facultate sunt. Pretium sat magnum mei conatus tulero, si de favore illo certus fuero, quo gloriari possim, quod sim

REVERENDISSIMÆ, PERILLUSTRIS & PERQUAM GRATIOSÆ SUÆ DOMINATIONIS

Devotissimus Servus

F. JOANNES ZAHN,
Parthenonis Cellæ Inferior. Can.
Ord. Præmonstr. Præpositus.

APOLLO

APOLLO EOO-FRANCICUS

Imperat Musis suis Reverentiam & Honorem

ROSÆ GUTTENBERGICÆ

Ex qua videt resplendescere

SPECULAM

Notabilium & Mirabilium Sciendorum



Acundum quid cessat ebur! subit ecce sereno
Vultu Præpositus, Dux Cleri maximus, alto
Cui migrent Helicone chori. Juvat ora tueri
Prælati eximii, miti gravitate verenda
Dexter ades: Tibi vocalem de fontibus undam
Haurimus, tibi buxus hiat, tibi tota supellex
Parnassi, & humeris & gratâ voce laborat.
Tu Speculæ huic Mons firmus eris, tu portus & ipse
Immortalis Atlas, qualem Mantous ad amnem
Cantat Oloriferum Vates, ubi Mincius errat
Prata per & segetes. Plenis date lilia palmis,
Purpureasque rosas, pulchrasque ab arundine cannas
Ut saltem hoc ornem te munere; ferte rosetа,
Lecta roseta atavis, gentilia germina, nullo
Occasum Noto, rigido revirentia Cauro.
Felix sorte tua Specula! En quo Monte loceris,
Qui tibi radices qui fundamenta ministret,
Præsidiumque potens: Clemens tibi prænitet astrum:
Ipse tibi Mundus, populi tibi turba favebit,
Rerum Ordo facilis tibi curret, & omine fausto
Mutabit Natura vices: tibi molle recludet
Ver rigidus Boreas, Boreaque procacior Eurus;
Lenis hiems, placidosque polus tibi digeret annos.
Non tu floris eges, quem Terra beata Tarenti
Educat, aut Zephyrus geniali suscitat aura,
Aurifer aut hortus fovet, aut phœnicia tellus
Idaliumve jugum, felix ubi floret amomum,
Et nardi matura seges, ubi picta vireta
Consita, ubi messis studio nutrita Favoni,
Una tibi Rosa grande dabit decus atque venustas
Delicias, quas vel violæ, vel gloria veris
Caltha, thymusq; suis dant pulchro munere terris,
Consita vel riguis Magnatibus atria palmis.
Hæc Rosa sacra bono tibi quæ de Monte coruscat
Illa satis, satis illa tibi; dum Bruma rigebit,
Dum tempestates miscebunt prælia, venti
Dum tumidis parient buccis spirando procellas,
Flumina dum sistet glacies, tibi verna roseta
Clementi è cœlo, & radioso flore virebunt.
Dexter ades, mihi funde jubar Mons floride: firma
Ornando hanc speculam: Cernin, quo dives acervo
Se tibi submittat. Totum complectitur orbem,
Quem pedibus premimus; maria omnia, littora campos,
Abstrusosque sinus. Dabit, aut det vt æthra rogabit
Vota Mecænatis compleri à turribus istis:
Ut matura Ceres te Præposito ampla fatiget
Horrea, ut immensos concedat prodiga messes,
Et vacuas Liber sitientibus impleat urnas.
Ipsa etiam irriguos isthic spatiata per hortos
Pæonias gremio Nais tibi colligat herbas,
Quas optata salus Medicos custodit in usus.
Mons culte has medicas ne despice pæonis herbas,
Tussilibus calathis Speculæ quas porrigit usus;
His funesta procul pelles contagia donis,
Et florente diu sospes potiêre senecta.
Sed quid ego ô nentes vitalia pensa sorores
Adverto his oculis! decrescunt stamina, dum vos
Assiduo nimium vestitis pollice fusum
Nete Deæ optati paulatim Præpositi annos,
Et lenta tenuate manu tam nobile vellus,
Ac trahite ad sacros hæc sæcla rosacea flores.

ELEN-



Speculæ Phyſico - Mathematico - Hiſtoricæ

TOMUS II.

Continens Geocosmi, ſive Mundi terreſtris notabilia & mirabilia ſcienda.



Speculæ Phyſico - Mathematico - Hiſtoricæ, Mundi mirabilis & Notabilium & Mirabilium ſciendorum.

SCRUTINIUM IV.

GEO-COSMICUM

Quo Mundi inferioris, ſivè terreſtris admirandum opificium, abdita & perampla in eodem Naturæ Majeſtas, vis & divitiæ perluſtrantur, ac quidquid in eo rarum, inſolitum, & portentoſum reperitur, curioſo Lectori in medium adducitur ac recenſetur.




Disquisitio II. Botano-scopica.

sive

Phytognomica.

Quâ Naturæ vegetabilis Regnum perlustratur, & abditæ quarumlibet plantarum vires, arcanæ proprietates & variæ qualitates explorantur ac recensentur.

§. VI. Fructu-






Disquisitio III.
ZOO-SCOPICA

Quâ Regnum Naturæ Animale perlustratur, ac multa in eo Notabilia & Mirabilia scienda deteguntur & proferuntur.

Caput VI. Mira-

Caput XVII. De



SPECU-

SPECULÆ PHYSICO-MATHEMATICO-HISTORICÆ MUNDI MIRABILIS

Notabilium, & Mirabilium Sciendorum

SCRUTINIUM IV. GEO-COSMICUM

QUO

Mundi inferioris, sivè Terrestris admirandum opificium, abdita & perampla in eodem Naturæ Majestas, vis, & divitiæ perlustrantur, ac quicquid in eo rarum, insolitum, ac portentosum reperitur, Curioso Lectori in medium adducitur ac recensetur.

PROŒMIUM.



Ustrare jam aggredimur Corpus illud mundanum infimum, cujus causâ reliqua omnia in Naturâ corpora à supremo Opifice Deo ter Opt. Max. condita sunt. Dicitur verò illud usitatiore vocabulo *Terra*, sivè *Tellus*, aut etiam ob primas ac principes, quas in se continet partes, *Terraqua*, sivè *Terraqueus globus*, uti & *Geocosmus*, sivè *Terrestris mundus*; qui meritò totius Universitatis finis ac scopus agnoscitur; cum quidquid in Universo virium, quidquid abditarum in stellatis orbibus proprietatum latet, quidquid ullibi in peramplo Naturæ regno sapienter à provida Divinâ sapientiâ ordinatum est, id in hunc mundum, velutin Epitomen quandam congestum existimare debeamus, ut sicut *Homo*, innuente *Kirchero Mund. Subterran. lib. 2. c. 1. totius mundi hæres omnia mundi dona in se verus Microcosmus complecitur; ità tellus humani generis regnum omnibus Mundi influxibus ditatum verè parvus Mundus dici possit.* Quocirca etiam rectè *Cornelius Agrippa* Author quidem aliàs lubricus, hìc tamen benè sensisse censendus est, dum in occulta *sua Philosophia lib. 1. cap. 5.* ità scribit. *Omnium Elementorum basis & fundamentum Terra est; ipsa enim est objectum, subjectum, & receptaculum omnium radiorum, influxuumque cœlestium: ipsa in se continet omnium rerum semina, seminalesque virtutes; ideò ipsa dicitur Animalis, Vegetalis, & Mineralis, quæ ab omnibus aliis elementis, ac Cœlis fœcundata omnium ex se ipsâ est gignitiva. Ipsa est receptiva omnium fœcunditatum & veluti prima parens etiam omnium pullulativa, centrum & fundamentum & mater omnium.* Hunc igitur mundùm jam perscrutari, hujus abdita arcana reserare, hujus miracula disquirere libet, non pascendæ tantùm curiositatis causâ, sed gratitudinis ergò, ut ingenitus nobis sciendi fervor ad supremi Conditoris in eodem verè mirabiliter administrando ac conservando sapientiam cognoscendam, ac condignis, ut decet, laudibus efferendam amplius exardescat & effervescat.



DISQUISITIO I. GEO-SCOPICA

Qua Terræ diverſimodè acceptatæ Conſtitutio natura, variæ proprietates, & accidentia referuntur, aliaque tam notabilia, quàm mirabilia arcana ſcienda eruntur.



Ariæ ſunt Terræ acceptiones apud Authores. Generaliſſimè comprimis ſumitur pro infimo creatæ Naturæ loco, ſicut Cœlum pro ſupremo. Deindè generaliter intelligitur pro Geocosmo, ſivè Mundo hoc elementari, aut globo terraqueo hominum ſcilicet & quorumvis animalium habitaculo Univerſali in varias regiones continentes & inſulas, maria itidem ac flumina, montes etiam ac campos, ſivè planities varias diſtincto. Specialiùs accipitur pro regione aliquâ vel provinciâ, ſivè certâ quadam Terræ portione; ut *Terra Ægypti*, *Terra Chanaan*, *Terra Sancta &c.* Iterùm ſumitur à Philoſophis pro Elemento quodvis compoſitum Phyſicum conſtituente. Tandem etiam intelligitur pro Materiâ miſcellâ, ſivè glebâ fœcundâ, eſtque Corpus in ſe compoſitum, aptum, vegetabilium productioni, arti plaſticæ, lapidum ac metallorum generationi, Uſui denique medico. &c. Nos hìc imprimìs generaliter totius globi terreſtris ſivè Geocoſmi compagem ac partes, aliaque accidentia phyſica; deindè ejus ut materiæ miſcellæ Elementaris naturam ac proprietates atque varia inde arcana eruere attentabimus.



CAPUT

CAPUT I.

De Geocosmo in genere, ejus structurâ, figurâ, magnitudine, aliisque scitu dignis.

Geocosmus in medio mundi collocatus.

1. Geocosmus, sivè Terraqueus globus humano comprimis generi ad inhabitandū à divina rerum Opifice Sapientiâ destinatus, rectè in medio Universi constitutus est, ut ab omnibus aliis Mundi corporibus, astrorumque globis undiquè illuminari, supernis influxibus fœcundari, & in generationum omnigenarum fœtus animari possit. Quocircà etiam benè *D. Basilius in Hexam.* Corpus infimum, & in medio æqualibus spatiis à Cœlo remotum notat, centrumque Cœli à Sapientibus vocatum scribit, ut tantò scilicet aptiùs supernas virtutes concipere, & abindè veluti fœcundissima mater impraegnari possit.

Est Sphæricè rotundus.

2. Conveniunt plerique nunc Philosophi & Mathematici in Terraquei globi rotunditate, statuentes Terram & Aquam Terræ infusam, ac circumfusam, maribusque ac lacubus præcipuè comprehensam unicum conficere globum, unicâ eâque continuâ superficie, licet montibus & vallibus asperatâ contentum, qui ob id etiam *Terraqueus globus* communiter appellatur. Undè meritò nunc exploduntur & deridentur Veteres quidam Philosophi, qui aliam Terræ figuram, quàm Sphæricam tribuerunt; Veluti hos inter *Anaximander* eam similem dixit Columnæ, *Leucippus* Cylindro sivè Tympano, *Cleanthes*, Cono seu turbini, *Heraclitus* Scaphio, *Democritus* Disco cavo, *Anaximenes & Empedocles* Mensæ planæ, ut ex *Aristotele*, *Plutarcho & Laërtio* constat. Argumenta pro Terraquei globi rotunditate videre est apud *Ricciolum*, *De Chales*, *in Geograph.* ac plures alios tam Philosophos, quàm Mathematicos.

Ejus Centrum.

3. Centrum Terraquei globi, seu sphæræ Geocosmicæ rectè statuitur Centrum omnium gravium, quo scilicet omnia gravia (saltem sublunaria) per se naturali quodam nisu tendunt, ac per lineas rectas, & quidem, nisi impediantur, brevissimas. Cum tamen aqua in terraqueo globo ad terrestrium partium structuram comparata differentis ponderis rationem habeat: Certum quidem est, centrū gravitatis in terreno globo à centro magnitudinis diversum esse; centro tamen Mundi semper congruere saltem Physicè, & ad sensum, ut potè quod innatâ vi in illud, uti & omnia alia gravia feratur. Hinc patet, si per divinam potentiam terra extra mundi centrum elevaretur; non ibidem, ut nonnulli existimant, permansuram, sed dimissam & libertati suæ permissam continuò suâmet virtute propriâ, uti omnia gravia, centrum Mundi repetituram.

Infernus quo loco constitutus.

4. Unanimi ferè omnium Sanctorum Patrum consensu traditur Infernum in infimo Terræ loco constitutum esse, ut hi, qui peccatorum gravitate se à Deo longissimè removent, ultimum meritò ac remotissimum in sensibili naturâ locum occupent, atquè in ignei illius crateris circà centrum Universi constituti voragine pœnas peccati condignas tantò tamen acerbiores, quantò centro terræ fuerint propinquiores in perpetuas æternitates sustineant.

5. Cùm Tellus veluti basis & ultimus finis esse debuerit totius creatæ naturæ, in quam veluti in gremium, principiumque passivum reliqua mundi corpora suas effunderent vires, ac seminales virtutes deponerent, certè conveniens magis fuit, eam perpetuò fixam, ac quietam in centro suo persistere, quàm circà aliud corpus, nempè Solem, ut Copernicani volunt, gyrari & circumcursare. Etenim Divinus Plastes, ut Psalmista canit *Ps. 92. Firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Rectiùs igitur statuitur, terram innato quodam & intrinseco quasi appetitu in cœlestes perpetuò plagas velut quietis suæ terminos ferri, sivè id contingat propriæ gravitatis indefectibili trutinâ eandem æquilibrante, sivè per superadditam quandam virtutem veluti fræno quodam eidem injecto, sivè aliam quamcunque ob causam. Adscribit *Kircherus* vim hanc directivam virtuti Magneticæ omnibus mundi corporibus communi à primis Mundi incunabulis iis inditæ, aitque Tellurem ità corporibus cœlestibus sub hoc situ sese accommodare, quia corpora cœlestia eodem pariter situ partes suas coëxtensas habent, ità ut nec tellus, nec corpora cœlestia ad operationes à naturâ præscriptas perficiendas situm meliorem habere possint. *Mund. subterr. lib. 2. cap. 17.*

Terra in medio mundi fixa hæret.

6. Geocosmus hoc ipso, quod Mundi gaudeat nomine haud secùs, ac Mundus major, sive Megacosmus, aut Mundus minor, sivè Microcosmus mira etiam necessariò rerum varietate tùm ad ornatum, emolumentumque Universi, tum ad infinitam Conditoris sapientiam commonstrandam gaudere debet. Ad Analogiam itaque tùm Majoris, tùm Minoris Mundi constructa universa Telluris moles innumerabilium rerum panspermiâ à primævo suo exordio collatâ pollet, ac pro necessitate cujusque climatis semina unicuique rei propria sibi concreata à mundi incunabulis habet, quæ caloris obstetricantis virtute fœcundata, animataque in innumerabilium rerum sobolem emergere valent.

Mira rerum varietas in Mundo terrestri.

7. Quo aptiùs verò rerum diversarum generationes continuâ propagine ad Naturæ bonum promoveri queant, ipse Geocosmus non est undique constipatus ac solidus per totum, sed ità fabrefactus, ut à superficie extrinsecâ usquè ad ipsum penè centrum per omnia ingentibus canalibus, immensis cryptis, ignibus, aquis, aëre, ventoque instructis existat refertus; quæ sunt velut totius Geocosmi seminaria, quibus Naturæ semen ad innumerabilium rerum generationes digeritur; digestum per innumeros alios canales, porosque terræ vapore & exhalatione vestitum egeritur, ut ubicunquè aptam dispositamque reperit materiam, ibi varias rerum formas, fixatione, coagulatione, calcinatione, putrefactione, similibus operationibus

Geocosmus non est intimè totus solidus.

bus juducat, mineralium quoquè varietatem in terræ visceribus producat. In exteriori quoque superficie per occultissimos meatus, quibus universum telluris Corpus perfusum est, plures hic aquæductus panspermiâ quadam referti, virtutumque occultarum egestores, illic Vulcanii camini, veluti fuliginum exhalatores, alibi anfractus Æolii ventorum efflatores sapienter ità ordinati sunt, ut nihil penè sit neque in Megacosmo, neque in Microcosmo, quod secundum Analogiam quandam in Geocosmo non reperiatur.

Habet plura in se diversorum Elementorum receptacula.

8. Ex his facilè conjicitur habere Geocosmum abdita sua intrà se elementorum diversorum receptacula, quæ per totum telluris corpus mirabili quadam Naturæ providentiâ diversimodè ordinata sapienter tamen, ac providè semper tum ad particulares usus destinata sunt, tum ad universales. Hæc autem receptacula, quæ aquas continent, Hydrophylacia; quæ aërem, Aërophylacia; quæ ignes, Pyrophylacia; quæ denique terram, Geophylacia, veluti, aquarum, aëris, ignium ac terræ custodiæ rectè nuncupari solent.

Ejus æstuaria quomodò dispositа.

9. Cùm in subterraneâ tellure plura omninò dentur Naturæ æstuaria, quorum nonnulla ima terræ viscera obtinent, suntque principalia, quæ per pyragogos meatus, veluti per ramos quosdam in universum telluris corpus deducta in diversis denuò partibus alia atquè alia fundant pyrophylacia, & hæc rursus alia terræ magis vicina quousq; per apertos caminos suas efflent fuligines; ità ut sit perpetua quædam calefactivæ ex uno in aliud virtutis propagatio: eo tamen ordine solertissimus *Kircherus* existimat, æstuaria illa cum canalibus suis pyragogis esse disposita, ut individuum quoddam cum hydrophylaciis, eorumque canalibus consortium inexplicabili quadam Naturæ industriâ nacta sint, ut nempè unum alteri reciproco, inquit, quodam commerico necessarium præberet nutrimentum, unum alterius impetum infringeret; atque hoc pacto benigno fœdere sociata intentos â naturâ effectus præstarent. Quia deinde elemento ignis proprium est ab infimo ad suprema semper tendere; ideò quàm maximè congruum fuit Naturæ in centro terræ primarium ac principalem locum igni decernere, ut ex hoc veluti ex centrali pyrophylacio virtutis suæ efficaciam aliis superioribus, & hæc aliis & aliis per subterraneos ductus usque ad ipsam telluris superficiem communicaret.

Ossatura Telluris.

10. Quod in humani corporis, sivè Microcosmi fabrica præstare solet ossatura, sivè mirabilis illa ossium compactura, ut corpori scilicet consistentiam & firmitatem ac robur conferant; hoc in Geocosmo montium saxeorum quaquaversus concatenatorum structura solet efficere, ut nempè terreni globi moles hoc modo perfectam consistentiam consequatur, itaque stringatur, ne facilè dissolvi posset. Terra siquidem cùm non unius generis glebam in utero suo contineat, sed innumeris diversarum rerum speciebus, uti mineralibus, pulveribus, arenis, cineribus aliisque quisquiliis fœta sit: illa certè consistere per se præsertim in tantâ aquarum alluvie, & commixtione non posset, nisi firmâ montium structurâ, velut ossaturâ contineretur. Deindè cùm mare terræ circumfluum æstu vehementi, tum & fluxu, refluxuque, tum quoque maximo ventorum impetu perpetuò agitetur, certè sine montium saxeorum repagulis terra minimè subsistere & perdurare posset: his enim intrà sinus suos, alveosque, veluti vectibus & ostiis, ne Terram immodicâ diluvione dissolvat, ac devastet, continetur, suosque inter limites coërcetur. Hinc etiam singulari animadversione dignum est, quod, sicut æstus maris, fluxusque ex Oriente comprimis in Occidentem contingere solet, ne terra hinc continuâ furientium Undarum alluvione detrimentum acquireret, provida natura in transversum saxeorum montium catenas opposuerit, quibus impetus allabentium fluctuum inhiberi, ac terrenæ molis structura suo firmiter loco persistere possit. Ità videre licet ex Oriente in Occidentem ab ultimâ Sinarum regione montes montibus ità annexos, ut quos China per transversum propagat, Imaus extrà Chinam continuet in Occidentem per Scythiam, Indiam, aliasque terras mari contiguas usque ad ultimum Occidentis terminum, ubi suo mirificè principio restituuntur. Sique tandem montium diversimodè in telluris superficie collocatotum ordines, ac concatenatos eorum tractus ritè perpendere velimus, non casu, aut fortuitò ità aggestos, aut aliquos superfluos, sed omnes â divinâ omnia optimè disponente sapientiâ, tum ad Universales Geocosmo scil. conservando, tũ etiam particulares alicujus regionis usus, ac emolumentum conditos esse cognoscemus.

11. Terrenus quaquà patet globus, uno tantùm ambitur Oceano, qui circà potiores quatuor Mundi partes ità continuatur, ut nullus sit Oceanus, aut mare, quod non eidem in aliqua Mundi parte, sivè per Freta, sivè per occultos terræ cuniculos adhæreat. Unus itaque est Oceanus, licet ratione diversarum regionum, quas allambit diversas sortiatur appellationes. Ità dicitur Oceanus Atlanticus, vel *ab Atlante* monte, vel ab *Atlantide* Insulâ olim eidem innatante: Item dicitur Hybernicus, Glacialis, Germanicus, Æthiopicus, Americus, â terris scilicet, quas alluit.

Unus in terrà Oceanus.

12. Suppolarium utrinque in Geocosmo partium ea est constitutio, ut quia hominum habitationi accomodæ esse non possunt ob diuturniorem Solis absentiam, ne Natura rerum iis in Tractibus otiari videretur, sub fixis hiscè polis hydro-periclycloseos exordia disposuit. Undè in parte boreali Arcticâ mare per quatuor Euripos in immensam rapitur voraginem, ac per subterraneos deindè meatus procurrens tandem in alterâ suppolari parte Australi Antarcticâ regurgitatur, quæ causa est, quod illæ partes inaccessæ in hunc usque diem nobis fuerint incognitæ. Quod confirmat *Giraldus Cambrensis* his verbis. *In Boreali parte invenitur immensa quædam Vorago, ad quam â remotis partibus omnes videntur moveri fluctus, tanquàm ex conductu confluunt & devoran-*

Suppolarium partium constitutio.

OPUS N
OPUS INT

Terra pila similis nullo fulcimine nixa
Aëre subjecto tam grave pendet onus.

Geocosm
cum intimis suis
scilicet et pyroph
canalibus su


TURÆ,
IGENTIÆ
Ipsa Volubilitas libratum sustinet Orbem,
Quique premat partes, angulus omnis abest. Ovidius.
ructura
ribus hydro-
atq; varijs
neis.

devorantur, qui in secreta Naturæ penetralia se ibi transfundentes quasi in abyssum vorantur. Si itaque navis suâ malâ sorte in eam inciderit, tantâ vi rapitur & attrahitur, ut eam statim irrevocabilis vis voracitatis absorbeat. Similia scribit *Petrus Joan. Faber inpanchymico suo lib. 4. cap. 7.* adducens etiam de regurgitatione maris in altero opposito polo Australi sequentia. *Qui navigârunt ad Polum Australem, viderunt illum aquarum à Polo Antarctico affluxum tantâ violentiâ occurrentem, ut nullo pacto, nec remis nec velis contra ire licitum sit; quemadmodùm & circa Polum Arcticum tantâ feruntur rapacitate versus polum, ut nullâ vi ipsâ rapacitate aquarum extricare se possint naves, si interdum in ipsos Oceani Euripos casu deveniant.* Manent itaque ambæ partes illæ suppolares nobis incognitæ, eòquod ad suppolarem Arcticum tractum facilis quidem accessus esse queat, quotquot verò illic infortunio suo rapiuntur, omnes ibidem absorbeantur, nec ullâ violentia reditum vendicare possint; ad alterum verò Polum Austrinum accessus omninò inhibeatur, dùm nimia aquarum regurgitatio earumque adversus impetus omnem Remorum, aliorumque impensorum laborum vehementiam infringit ac repellit.

Terræ quantitas & magnitudo.

13. Quantitatis ac magnitudinis Terraquei globi indagatio, etsi â compluribus omnium sæculorum Geographis ac Mathematicis summâ ingenii dexteritate præditis tentata sit; â nemine tamen adeò, ut pressò ad nodum digito probari possit, hactenus fuit expedita: ingens enim est (etiam suppositâ ejusdem perfecta sphæricitate) Authorum omnium dissensio, ac in præcisâ ejusdem globi designandâ quantitate diversitas, quæ non solùm ex methodo diversâ adhibitâ, & non ab omnibus æquali circumspectione, sed etiam ex diversitate mensurarum, quibus intervalla viarum dimensi sunt, ortum trahit. Itâ juxtâ Authores adscriptos talis pro ambitu Terræ ejusque diametro dimensio fuit designata.

Juxta Authores subscriptos.	Ambitus Terræ continet.		Diameter Terræ continet.	
	Stadia	Milliaria.	Stadia	Milliaria.
Astristeles.	400000	50000	127972	15909
Eratosthenes.	252000	31500	80181	10022
Hipparchus.	277000	34625	88136	11017
Ptolemæus.	180000	22500	57272	7159
Alphraganus.	163200	20400	51927	6480
Recentiores.	152640	19080	48567	6070

Adverte tamen in commemoratis horum Authorum sententiis non convenire scriptores. Quidam enim ex *Eratosthenis* placito ajunt Terræ ambitum complecti stadia 250000, milliaria 31250. *Vitruvius* autem, *Macrobius*, *Capella*, & *Plinius* asserunt ex eodem continere ea, ur hìc memoravimus. Germani Geographi & Astronomi plerique tribuunt uni gradui circuli maximi Terraquæ milliaria Germanica communia quindecim: Italica verò antiqua seu Romana (quorum unum 1000 passibus geometricis, sivè 5000 Geometricis pedibus constat) sexaginta, ità ut singulis minutis primis Circuli maximi in terrâ respondeant singula milliaria Italica. Ex hoc facilè computatur totius Globi Terraquei dimensio, ut sequitur

In Globo Terraqueo.

Circumferentia circuli maximi continet milliaria communia { Germanica 5400; Italica 21600 }

Diameter media inter justò majorem ac minorem milliaria communia { Germanica $1719\frac{234}{3141}$ hoc est proxime 1720; Italica - - - 6880 }

Semidiameter terræ milliar: communia { German. 860; Italica. 3440 }

Superficies quadrata totius globi Terraquei milliaria quadrata communia { German. 9288000; Italica. 148608000 }

Soliditas continet milliaria cubica communia { Germanica 2501560000; Italica. - - 170403840000 }

Terra respectu Cœli est punctum.

14. Licet Terraqua itâ supputata in se valdè magna videatur, respectu tamen Cœli stelliferi, maximè supremi nullam habet sensibilem quantitatem, sed est instar puncti, ut sentiunt ac docent communiter omnes Astronomi, Geographi & Philosophi. *Vide Chalesium in Geogr. prop. 20. Schottum Curs. Mathem. lib. 7. cap. 4. Ricciolum in Almag.* & plures alios. Proindè rectè scripsit *Plinius lib. 2 hist. nat. cap. 68.* ajens *Mundi punctus (neque enim est aliud terra in Universo) hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes, hìc gerimus honores, hìc exercemus imperia, hìc opes cupimus, hìc tumultuatur genus humanum*

manum, hic instauramus bella etiam civilia, mutuisquè cædibus laxiorem facimus terram; & ut publicos gentium furores transeam, hæc est, in qua conterminos pellimus, furtóque vicini cespitem nostro solo affodimus, ut qui latissimè rura mercatus fuerit, ultraque fines exegerit accolas quotâ terrarum parte, vel eum ad mensuram Avaritiæ suæ propagaverit, quam tandem portionem ejus defunctus obtineat. Ità severè & verè *Plinius* adeóque etiam innuente *Senecâ*: *Nemo magnus in pusillo: cùm punctum sit id, quod incolimus.*

Terræ pondus. 15. Illuc etiam humani ingenii pruritus quosdam incitavit, ut suppositâ Terræ semidiametro in certa aliquâ mensurâ notâ & constituto ejus corpore per totum solido, & exteriùs perfectè globoso, seu sphærico eandem ad trutinam vocare, & ejus pondus explorare sint ausi. Ità in assumpta â se hypothesi *Simon Stevinus* insignis Staticus, *uti lib. 3. suæ Statices* memorat Terræ Universæ pondus deprehendit librarum 2, 400, 000, 000, 000, 000, 000, 000, 000. *Mersennus de verit. scient. & Comment. in Gen.* computavit librarum 65, 923, 634, 426, 652, 872, 385, 072, 000. Insignis quidam Mathematicus apud *Forerum in Virid. Philos. disp. de Mechanicis num. 47.* Terræ pondus designavit librarum 897, 564, 914, 385, 714, 285, 714, 285½. Verùm conatus ejusmodi mihi videtur æquo audacior, quàm efficacior, labor difficilior quàm utilior, effectus verò nullo probandus calculo emolumenti. Cum enim Terra persè innumeris perfossa sit cuniculis, ingentibus sine numero hiet cavernis, atquè innominabilibus heterogeneæ naturæ undique constet referta mixtis. Quis oro hæc omnia priùs concipere, quis dimetiri? quis comparare & computare? hìc justè addere, illic demere, tandè omnia ritè æstimare, & enunciare possit? quæ ingenii sagacitas, quis industriæ humanæ labor impendendus? Si totam auream, vel æream, plumbeam vel lapideam facis terram, non terram istam, insignem, inquam Geocosmum, qui omnigenâ rerum omnium necessariò gaudet varietate, sed aurum in ingenti quodam globoso corpore effigiatum, sed æs, sed plumbum, sed lapides ingenti mole & figurâ sphæricâ aggestos; supponis, appendis, ponderas ac æstimas. Verùm his dimissis tantùm jam restat, ut caput præsens concludamus & dicamus, Geocosmum tantæ excellentiæ opus esse, ut nihil ullibi desit, nihil supersit, sed perfecta sint omnia atquè sapientissimè â primo Conditore *in numero, pondere & mensurâ* constituta. Et quià cujusquè operis excellentia ab ipso suo fine pensitatur; cùm illius finis sit optimus, & præstantissimus, & indè nulli mundanorum corporum in dignitate & præstantia cedat, sed longissimè præcedat & superet: Ideò magis etiam omnibus aliis corporibus æstimandus erit. Est enim finis illius Natura rationalis, & si adhuc accuratiùs loqui velimus, ipse Christus, Verbum scilicet, divinum Caro factum, atquè per ipsum humani generis redemptio, & ad æternam beatitudinem elevatio. Universa itaque Mundi machina in hunc finem ab æterno provisa & præordinata fuit, non ut sui tantùm gratiâ condita existeret, sed ut telluri, ipsa Homini, Homo Deo subesset, atque adeò ipsa Universi evolutio undè educta est, ad idem principium suæ emanationis, nempè ipsum Deum reverteretur, qui est unicus, & ultimatus finis ac scopus omnium creatorum. Finis Geocosmi.

CAPUT II.

Generalis quædam Geograhica Orbis terrarum notitia proponitur.




Generalissimæ Terraquei globi partes imprimis integrantes sunt duæ, Terra scilicet & Aqua: Hæ ipsæ porrò subdividuntur & quidem Terra in varias continentes sivè Terras firmas, insulas, peninsulas, sivè Chersonesos, isthmos, ac promontoria: Aqua verò in diversa maria, freta, sinus, lacus & flumina. Continentes seu fixæ Terræ præcipuæ sunt sex majores, scilicet & spectabiliores, nempè *Europa*, *Asia*, *Africa*, *America*, *Terra Borealis*, & *Terra Australis Magellanica* communiter aliàs dicta incognita, quod maximâ ex parte etiam adhuc nos lateat, & præter littora nihil ab Argonautis Europæis sit detectum. Tres etiam priores partes Antiquis notæ fuerunt, undè & Antiquus mundus dici solent; *America* verò quæ ab *Americo Vesputio* Florentino primùm inventa, nomenque etiam sortita est, communiter jam Novus mundus appellatur. Sed nunc de singulis hisce magis notabilia scienda proferamus.

§. I.

Europæ, ejusque Notabilium sciendorum summaria descripto.

1. Europa pars terrestris globi celeberrima tùm ob armorum virtutem, tum propter artium omnium ac scientiarum gloriam, quibus reliquis Orbis partibus longè antestat, ab *Europe* Sicyoniorum Rege, vel ab *Europâ* Agenoris filia nomen traxit. Alii tamen eandem ab Europa Thraciæ regione Bosphoro appositâ, vel ab ejusdem nominis provinciâ, quæ ad Orientem Sinûs Finnici jacet, nomen deduxisse volunt. Europa unde dicta.

2. Figuram ejusdem *Strabo* dixit esse similem Draconis, cujus caput Hispania, collum Gallia, Corpus Germania, ala dextra, lævaque Italia, ac Cimbrica peninsula. Nostro ævo, inquit *Cluverius introduct. Geogr. lib. 2. cap. 1.* quidam Fœminæ sedentis speciem eidem tribuerunt, cujus caput Hispania, collum extrema Gallia, quà Pyrenæis subjacet montibus; Pectus ipsa Gallia, brachia Italia ac Britannia, venter Germania, Europæ figura.



FACIES UNA HEMI-
Circulus Arcticus
IAPAN
C. Patientia
Staten Eyl.
Compagnis landt
ANIAN
Nova Albion
C. de Fortuna
C. de S. Martin
C. de Galera
CALIFORNIA
Tropicus Cancri
Vna Coluna
De Sterbe
Malo Abrigo
Las dos Hermanas
Ilhas
de
Ladrones
Los Iardines
I. Corales
I. dos Reis
Barbudos
I. de S. Petro
I. de Don Afsendo
Miracomo Vaz
I. de Nadadores
La Desgraciada
La Roca Partida
M A R
D E L
Z V
Circulus Æquinoctialis
Hoogh landt
S. Jans Eylandt
Groene Eylanden
Claes Pietersz Bay
Hoornsche Eylanden
Cocos Eylandt
Pr. Willems Eylanden
I. de los Tiburones
Waterlandt
Eylant sonder grondt
Honden Eylant
Vliegen Eylant
Eylant Rotterdam
Eyl. Amsterdam
Eyl. Middelburch
I. de S. Pedro
Eyland van goede hope
Verraders Eylandt
Tropicus Capricorni
t' Eylandt dri Coningen
C. Maria van Diemen
ZELANDIA
NOVA
Abel Tasmans Rede
Moordenaers Bay
Clippige hoeck
AVSTRAL


SPHÆRII TERRESTRIS.
GROEN
YSLANDIA
C. Farewel
Fretum DAVIS
Terra de Labrador
Canadeus
Terra Nova
Açores Inf.
Corvo
Pico
Fayal
Flores alias Flandricæ
NOVA FRAN
VIRGINIA
LA FLORIDA
La Bermuda
MAR DEL NORT
MEXICANUS SINUS
Spagnola
Porto Rico
NOVA
NUEVO
GUIANA
Amazonum Regio
AMERICA MERIDIONALIS
Paraquaria
Rio d la Plata
Fretum Magellanicum
MARE PACIFICUM
Terra del Fuego
C. Horn
Lima
Porto Calvo
Pernambuco
Potengi
Rocas
Guayaquil
Quito
Panama
270
280
300
310
320
330
340
350



FACIES ALTERA HEMI-
GROENLAN DIA
OCE ANUS
ÆTHIOPICUS
Tropicus Capricorni.
Circulus
AUSTRALI


SPHÆRII TERRESTRIS.
Tropicus Cancri.
NOVA ZEMLA
CATHAYA
TANGUTH
IAPAN
PERSIA
INDOSTAN
Bengala
MARE ARABICUM
Philippinæ Insulæ
HAINAN
BORNEO
N. Guinea
Ilhas de Ladrones
MAR DI INDIA
HOLLANDIA NOVA

mania, umbilicus Bohemia, reliquum corporis sub vestibus latè circà sedem diffusis implent Norvegia, Dania, Suedia, Finnia, Livonia, Lituania, Prussia, Polonia, Ungaria, Sclavonia, Croatia, Dalmatia, Græcia, Thracia, Servia, Bulgaria, Transylvania, Valachia, Moldavia, Tartaria Præcopensis, & Moscovia.

Termini. 3. Terminos Europa habet ab Aquilone, quà Terram Borealem respicit, Mare Hyperboreum sive Septentrionale, quod & Glaciale dicitur; ab Occidente, quà respicit Americam mare Atlanticum sive Occidentale. A Meridie, quà Africam respicit, mare Mediterraneum habet. Ab Oriente denique, quà Asiæ conjungitur mari Ægæo sive Archipelago, Hellesponto, Propontide, Bosphoro Thracio, Ponto Euxino, Bosphoro Cimmerio, Mæotide palude, Tanei fluvio usque ad flexum ejus apud Tuiam urbem, indeque ductâ lineâ ad proximam Obii fluminis ripam, & ipso Obio flumine ad Oceanum usque Septentrionalem definitur. Alii tamen aliter terminant.

Longitudo & latitudo maxima. 4. Longitudo ejus summa, ut *Cluverius loc. supra cit.* computat, inter Hispaniæ Promontorium sacrum, quod vulgò dicitur *Cabo de Vincente* ad Obii fluminis ostium est milliarium Germanicorum circiter 900; Italicorum 3600, tribuendo singulis Germanicis milliaribus 4 Italica. Latitudo maxima ab extremo Peloponesi Promontorio Tænaro, quod nunc *Capo Maini* dicitur, ad *Strito* Finniæ Promontorium *Rutubas*, vulgò nunc *Noortkyn* vel *Noortcaep*, sive caput seu Promontorium Boreale dictum, est milliarium Germanicorum circiter 550, Italicorum 2200.

Ditiones & Dominia varia. 5. Dominia varia in Europa, eaque præcipua sunt ista; Imperia comprimis duo: Occidentale scilicet Romanorum, cujus sedes nunc est Viennæ Austriæ, & alterum Græcorum olim, nunc autem Turcarum, cujus sedes Constantinopolis, vulgò *Stambol. P. Fournier in Geogr. orb. not. lib. 1. c. 15.* Tertium addit Ronolanorum in Sarmatiâ Europæâ, seu Russiâ, cujus Metropolis est Moskûa: verùm alii rectiùs Magni Ducatûs nomine comprehendunt. Regna ibidem sunt plurima & potentissima, velut Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Daniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Neapolis, Siciliæ, Angliæ, Scotiæ, Norvegiæ Sueciæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosniæ, Serviæ, Bulgariæ, Tartariæ minoris, sive Præcopensis, & alia. Archiducatus est unus Austriæ: Magni Ducatus tres Moscoviæ, Lituaniæ, & Thusciæ. Respublicæ in Germania tres, ut Hanseaticarum Urbium, quarum caput Lubeca, confœderatorum Statuum Hollandiæ, horum Conventus est Hagæ Comitis & Helvetiæ Urbium. In Italia Respublicas fovent Venetiæ, Genua, & Luca. Sunt & alibi, ut est Epidaurus Ragusi in Dalmatiâ ad mare Adriaticum, Magnoti in extremo Peloponesi versùs Meridiem, Urbs præcipua Magni & Circassi in montibus, qui inter Mæotidem paludem & Mare Caspium excurrunt, horum Urbs præcipua Coppa. Ducatus & Principatus in Europâ ubivis dispersi sunt, penè innumeri, velut in Poloniade Sluzzko Curlandiæ & Semigalliæ, ac Brussiæ. In Germaniâ ad mare Balthicum Pomeraniæ, Mecklenburgensis, Holsatiæ & Sleswicensis: Ad Albim Saxoniæ, Anhaltinus, Mansfeldiæ, Magdeburgensis, Brandeburgicus, Luneburgensis, Lavenburgensis. Ad Visurgim Oldenburgicus, Bremensis, Brunswicensis, Landgaviensis Hassiæ, Fuldensis Buchoniæ, Embdensis; Ad Rhenum Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Heidelbergensis: sunt alii innumeri alibi, ut Herbipolensis Franciæ Orientalis, Bambergensis, Lotharingiæ, Wirtenbergæ, Cliviæ montium, Juliacensis & Nemburgensis &c. In Galliâ præcipuus Ducatus est unicus Aurelianensis, sive Principis Auriaci. In Italiâ Ducatus numerantur sequentes, ut Sabaudiæ, Placentiæ, Mantuæ, Montisferrati, Mutinensis, Urbinocensis, Florentinus, Melitensis, Tirolensis. Ad Danubium Duces præcipui sunt Vaivoda, Moldaviæ, Vaivoda Valachiæ, Princeps Sylvaniæ, Dux Bavariæ, Neoburgicus & Cosaquorum Generalis. Præter innumeros Comitatus, Baronatus & ejusmodi alia Prænobilium dominia.

6. Linguas in Europâ præcipuas, aliarumque matrices septendecim enumerat *Fournier lib. cit. cap. 14.* atque harum 1. est Gothica, cujus usus in Orcadibus & Islandia. 2. Finnonica, quâ Finni & Lappones utuntur. 3. Livonica Lotavorum sive Livonum in agris degentium. 4. Cauchorum, quâ Frisii Orientales utuntur. 5. Teutonica, cujus idiomata sunt varia, ut Norvegorum, Suecorum, Danorum, Germanorum, Belgarum, & Anglorum. 6. Hybernica in Hybernia & Scotiæ parte restituta. 7. Britannica in Gallicâ Britanniâ & in Cornubiâ consueta. 8. Cantabrica ad maritima Pyrenæi. 9. Arabica assueta passim in Turcia & montibus Granatæ dictis Alpuxara. 10. Latina, ex quâ Italica, Gallica, & Hispanica ortum habent. 11. Græca maximè in Peloponeso. 12. Epirotica, seu Albana in montibus Epiri usitata. 13. Sclavonica, à quâ propagantur Ruthenica, Polonica, Bohemica, & Dalmatica. 15. Hungarica in Hungaria & Ingra regione Moscoviæ dominans. 16. Lazygienna in parte boreali Hungariæ in Danubium & Tabiscum, quâ olim Hunni & Avares usi. 17. Tandem Tartarica Præcopensis, quâ etiamnum Cosaci utuntur. Verùm si rectè omnes istæ linguæ considerentur, earum tantùm quatuor præcipuæ sunt, ad quas aliæ facilè reduci queunt: suntque Latina, Græca, Teutonica & Sclavonica. Linguæ in Europâ.

7. Urbes Europæ celebriores sunt *Roma* imprimis caput Orbis & Urbis in Italia, *Constantinopolis* in Thraciâ, *Lutetia Parisiorum* in Galliâ, *Praga* in Bohemiâ, *Lisbona* in Lusitania, *Madritum* in Hispaniâ, *Londinum* in Angliâ, *Moscâ* in Moscoviâ, *Vienna* in Austriâ, *Neapolis* in regno hujus nominis, *Panormus* in Siciliâ, *Amstelodamum* apud Batavos. His addendæ *Mediolanum*, *Genua*, *Venetiæ*, *Antverpia*, *Gandavum*, *Colonia Agrippina*, *Argentina*, *Norinbergæ*, atque innu- Urbes præcipuæ.

innumeræ aliæ ſplendore, divitiis, Incolarum multitudine, ac commerciis celeberrimæ.

8. Quemadmodùm diverſæ in Europâ regiones tùm Cœli, tùm Soli, tùm aquarum fluvialium, aliarumq́ue ratione ſimiles non ſunt; ità nec Incolarum terreſtrium, hominumq́ue mores ubivìs conveniunt. Sic diu jam Thraces decantati ſunt pigri & iniqui; Itali laſcivi, avari, regalium dignitatum cupidi; Germani guloſi, bibuli, fortes, generoſi, ſimplices ac fideles; Hiſpani morum gravitate ampli, elata jactantiæ animoſitate præpoſiti, ambitioſi, ingenioſi & religioſi; Angli crudeles ac feroces, vafri & varii; Siculi acuti, Cretenſes ſemper mendaces &c. De quinque notiſſimis, valdè tamen differentibus nationibus, Germanica ſcilicet, Hiſpanica, Italica, Gallica, & Anglica hæ vulgatæ ſunt obſervationes.

Differentiæ quinque præcipuarum in Europâ Nationum, ut Germanicæ, Hiſpanicæ, Italicæ, Gallicæ & Anglicæ.

	Germanus	*Hiſpanus*	*Italus*	*Gallus*	*Anglus*
Corpore	*Robuſtus*	*horrendus*	*debilis*	*agilis*	*delicatus*
Animo inſtar	*Urſi*	*Elephantis*	*Vulpis*	*Aquilæ*	*Leonis*
Veſtitu	*ſimius*	*modeſtus*	*lugubris*	*protheus & vertumnus*	*ſuperbus*
Moribus	*ſerius*	*gravis*	*facilis*	*Oſtentator*	*ſuavis*
Pulchritudine velut	*Statua*	*Diabolus*	*Vir*	*Fœmina*	*Angelus*
Victu	*ebrius*	*faſtidioſus*	*ſobrius*	*delicatus*	*guloſus*
Sermone	*ululat*	*loquitur*	*delirat*	*cantat*	*flet*
In arcanis	*obliviosſus*	*mutus*	*taciturnus*	*garrulus*	*infidus.*
In ſcientiâ	*Juriſta*	*Theologus*	*Architectus*	*ex omnibus aliquid*	*Philoſophus*
In fide	*fidelis*	*fallax*	*ſuſpectus*	*levis*	*perfidus*
In conſiliis	*tardus*	*cautus*	*ſubtilis*	*præceps*	*imprudens*
In Religione	*ſuperſtitioſus*	*conſtans*	*religioſus*	*zeloſus*	*mutabilis*
Magnificentia	*in munimentis*	*in armis*	*in templis*	*in aulis*	*in claſſibus bellicis*
In Conjugio Maritus eſt	*Dominus*	*Tyrannus*	*Carceris cuſtos*	*Socius*	*Servus*
Fœmina	*ſtudioſa ſupellectilis*	*Mancipium*	*Incarcerata*	*Domina*	*Regina*
Famulus	*Socius*	*ſubjectus*	*obſequioſus*	*Famulus*	*Mancipium*
Morbi quibus affliguntur	*Podagra*	*omnis generis morbis*	*Peſtis*	*Lues venerea*	*Lupus*
In morte	*paratus*	*generoſus*	*deſperatus*	*invitus*	*præſumptuoſus.*

Fuit etiam Poëta, qui morum differentias in diverſis Europæ Nationibus artificiosè his verſibus expreſſit:

Hiſpanus, Gallus, Teuto, Italus atq; Polonus
Conſtans, inconſtans, fidus, avarus inops
Splendorem, mores, promiſſum, lucra, ſuperbum
Quærit, commutat, ſervat, acervat, agit.

Qui verſus ſic legi debent: Hiſpanus conſtans ſplendorem quærit: Gallus inconſtans mores commutat & cæt.

9. Inſulæ

Insulæ præcipuæ. 9. Insulæ præcipuæ, quæ ad Europā pertinent sunt sequentes: In Oceano Anglia, Scotia, Hibernia, aliàs Irlandia dicta, Orchades, Hebrides, aliæq; minores juxta Angliam & Galliam. In mari Mediterraneo sunt Majorica, Minorica, Sardinia, Corsica, Sicilia, Melita, Corcyra (nunc Corsu vulgò) Cephalonia, Zazinthus, Creta, sivè Candia, Mitylene, Eubæa, (nunc Negroponto) Lesbus, Chius, Cyclades, aliæq; innumeræ in mari Ægæo, aliisq; circà & intrà Europam maribus & finibus.

Montes præcipui. 10. Europæ montes præcipui sunt Pyrenæi, qui Hispaniam à Galliâ separant, Alpes Rheticæ, Apenninus in Italia, Carpathus in Hungaria, Sierra Morena in Hispaniâ, montes Riphei in Moscovia, Ætna in Sicilia. Olympus & Parnassus in Græciâ, montes Norici & Hercini in Germaniâ, Vogesus, Alverniæ & Gotticæ Alpes in Gallia, ac plures alii in aliis Europæ locis. Vide infrà *cap. 3. de Montibus.*

Flumina. 11. Flumina Europæ primaria sunt Danubius, Rhenus, Visurgis, Amisius, Albis, Mœnus, Odera & plura alia. In Gallia Rodanus, Arar, Mosa, Mosella, Liguris, Sequana, Varus. In Italiâ Padus, Athesis, Mincius, Ticinus, Arnus, Tyberis, Anienes, Lyris. In Illyrico Savus & Dravus. In Hispania Iber, Durius, Tagus, Betis, Guadiana. In Poloniâ Vistula. In Hungariâ Tibiscus.

Lacus. 12. Lacus celebriores sunt Acronius, Lucerinus, Tigurinus in Germaniâ, Lemanus in Galliâ & Insubrium regione; In Italiâ quoque Cisalpinâ tres reperiuntur lacus, quos Majorem, Comensem, Antiquis Larinum, & de la Garda vocant.

§. II.

Asiæ, ejusque Notabilium sciendorum summaria & compendiosa descriptio.

Asiæ excellentia. 1. Asia altera orbis terrarum pars major ab initio rerum omnium nobilissima fuit, ut quæ prima genus mortalium, ut rectè innuit *Cluverius introd. Geogr. lib. 5. cap. 1.* intrà se conspexit, & in alias Mundi partes emisit, prima gentium ritus, sacra, mores, rationemque vivendi alias docuit: hæc denique est, quæ Deum ipsum humanâ specie tulit. In eâ primùm Ecclesia Christi fundata est, in eâ Monarchiæ Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, & Medorum fuêre celebres: in eâ est Terra sancta: in eâ docent plerique extitisse paradisum terrestrem; in eâ denique originem habuêre pleræque scientiæ, artes & linguæ. Dictam aliqui Græcorum volunt ab Asiâ Nymphâ Oceani, & Tethyos filiâ *Japethi* conjuge: Alii *ab Asio Manci Lydi* filio nuncupatam dicunt.

Ejus magnitudo. 2. Creditur Asia magnitudine æquare Europam & Africam simul, Summa ejus longitudo inter Hellespontum & Malaccam extremum Indiæ Emporium est circiter milliarium German. 1300. Italicorum 5200. Latitudo maxima inter fauces Arabici sinûs & Tabin promontorium, sivè fretum Anian creditur esse milliar. German. 1220. Italicorum 4880. uti Cluverius computat.

3. Terminatur Asia à Septentrione Oceano Scythico; ab Oriente mari Eoo; à Meridie mari Indico; ab Occidente sinu Arabico, sive mari rubro, & Isthmo, qui est inter sinum hunc & Mare mediterraneum: atq; indè continetur maribus Phœnicio, & Ægæo, Propontide, Ponto, Mœotide lacu, Tanai amne & Obio flumine usque ad Mare Scythicum. Termini.

4. Fuit olim universa Asia bipartita in Asiam scilicet Majorem, & Minorem: Majoris Regiones juxta *Cluverium loc. sup. cit.* fuerunt istæ. Sarmatia Asiatica, Scythia, Asiatica, Serica, Sinæ, India cum Insulis adjacentibus: in continenti rursùm Gedrosia, Carmania, Drangiana, Arachosia, Sogdiana Paropamisis, Bactriana, Hyrcania, Margiana, Parthia, Persis, Susiana, Media, Albania, Iberia, Colchis, Armenia major & minor, Mesopotamia, Assyria, Babylonia, Arabia petrea, Arabia deserta, Arabia felix, Syria, Palæstina. Phœnicia, Cilicia, Cappadocia, Galatia, Pontus, Bithynia, Pamphilia, Lycia, & Insula Cyprus. Minoris Asiæ regiones olim erant Phrygia, Mysia, Lydia, Caria, Æolis, Jonia, Doria & Insula Rhodus. Asiæ divisio antiqua

5. Hodie tamen tota Asia in quinque potissimum vastissimas dividitur partes, quarum prima est Tartaria major, estque Tractus ille, qui à Mœotide & Europæ Sinibus reliquis versùs Mare Hyperboreum usque ad Persiam, Indias, & Chinam extenditur, à quâ montibus & muro 400. leucarum disterminatur. Secunda est China, quæ clauditur mari Chinensi, Indiâ & Tartariâ, eique ad Ortum adjacent Corea & Japonicæ Insulæ. Tertia est India à Gange fluvio bisecta in Indiam intrà Gangem Persiæ proximam ac conterminam, & alteram extrà Gangem, quæ versùs Orientem extenditur. Quarta est Persia sivè Persicum Imperium, clauditurque à Septentrione Mari Caspio, Oxo flumine & Caucaso monte; ab Oriente Indo flumine; à Meridie mari ac sinu persico; ab Occasu Euphrate, Tigri, & Araxe fluviis. Quinta tandem complectitur Turcicum Imperium, & in eo sunt Albania, Iberia, Colchis, Armenia, Cappadocia, Galacia, Pontus, Bythinia, Asia minor sivè Natolia, Lycia, Pamphylia, Cilicia, Syria, Mesopotamia, Babylonia, Arabia triplex, Insulæ Cyprus & Rhodus. Ejusdem nova divisio.

6. Insulæ in Oceano circà Asiam sunt plurimæ; inter has excellunt Sumatra olim Taprobana, Borneus, Java major Java minor, Celebes, Gilobus, Ceiramus, Moluccæ, Philippinæ, Japonicæ, & innumeræ aliæ. Insulæ adjacentes.

7. Fluvii primarii Asiæ sunt in Tartariâ, Oby, Tartar, Albianu olim dictus Oxus, Chesel, antiquitùs dictus Jaxartes. In China sunt Hoang, vel Geele, sive ab aliis Caramora, ac latinè Croceus dictus, Kiang, Ta. In Indiâ sunt Ganges, & Indus. In Persiâ Ilimet, Aras, & alii complures. Fluvii celebriores.

In Arabia Euphrates, Prin, Eda, In Turciâ Tanais, Tura, Terka, Kot sivè Cur. In Albaniâ Albanus, Araxes, Phase. In Syria Aster olim Orontes dictus, Jordanis præter innumeros alios in diversis aliis Asiæ partibus.

Montes. 8. Montes celebriores Asiæ sunt & quidem in Tartariâ Altay, qui ab aliquibus Alkai vel Belgian vocatur, Annibi, & Imaus. China ipsa versus Occidentem penè totam montibus concatenatis cingitur. In Persiâ nominatissimus est Caucasus. In Arabia Lion, Anna, Basman, Gabel, Mons Sinai, Oreb & S. Catharinæ. In Armeniâ Ararath. In Syriâ Libanus & Antilibanus &c. Mons maximus & reliquorum Asiæ montium patet est Taurus, qui varia variis in locis sortitur nomina & totam quasi Asiam ab Occasu in Ortum, nempe à Lycia usque ad ultimos Seres dividit in Meridionalem, à Græcis exteriorem dictam, & Septentrionalem ab iisdem Interiorem nominatam.

Lacus. 9. Lacus celebres in Asiâ sunt Piexe, Tai, Poyang, Tumgring in Chinâ, Chyamay, Sosing, Singfieu in Indiâ, Mare mortuum in Syriâ.

§. III.

Africæ, ejusq; notabilium sciendorum Compendiaria ac brevis descriptio.

Africæ generalis descriptio. 1. Africa tertia pars major, & celebrior terrestris globi exiguo Isthmo Asiæ annectitur, undè & à quibusdam maxima orbis terrarum peninsula vocatur; nomen etiam ab Afro Libys filio sortita dicitur, à Græcis verò Libya, à Libyâ Epaphi filii Jovis filiâ etiam dicta fuit. Pleraque Africæ inculta aut arenis sterilibus obducta, aut ob situm Cœli terrarumque deserta sunt, aut infestantur multo ac malefico animalium genere, inquit *Cluverius introd. Geograph. lib. 6. cap. 1.* In universum vasta est magis, quàm frequens. Meridionalior pars Africæ Veteribus planè incognita dicitur usque ad Annum Christi 1497. quo *Vascus de Gama* primus totam Africam circumnavigans auspiciis *Emanuelis* Regis Lusitaniæ ad Calecutum Indiæ emporium pervenit.

Ejus Termini. 2. Sita est Africa majori ex parte sub Zonâ torridâ, atque à Septentrione terminatur mari interno seu Mediterraneo, ab Occasu mari Atlantico & Æthiopico, à Meridie Indico, ab Ortu verò mari clauditur rubro, sive sinu Arabico, quâ etiam parte Isthmo adnectitur Asiæ exhibens triangularem figuram quasi cordis.

Longitudo & latitudo. 3. Summa longitudo computata inter duo promontoria, Hesperium scilicet, quod vulgò nunc dicitur *Cabo verde*, & alterum ad fauces sinûs Arabici, dictum *Cabo de Guardafuy* est milliar. German. 1150. Italicorum 4600. circiter. Latitudo maxima computatur ab Herculis freto ad promontorium Bonæ spei milliar Germ. 1148. Ital. 4582. Undè apparet, quod inter ejus longitudinem & latitudinem maximam non sit magna differentia.

4. Regiones atque Gentes, in quas divisa fuit quondam, sunt Ægyptus Cyrenaica, Africa minor, sivè propriè dicta, Troglodytarum, & Garamantarum regiones, Numidia, Mauritania, Gætulia, Libya interior, Arabia Troglodytica & Æthiopia. Nunc autem dividitur in septem potissimùm regiones, quarum hæc sunt nomina: Ægyptus, Barbaria, Biledulgerid. Sarra, Nigritarum regio, Æthiopia interior (quæ & Abissina dicitur) & Æthiopia exterior. Regiones.

5. Insulæ circà Africam sunt Orientem versùs Zocotora, atque indè Madagascar, sivè insula *S. Laurentii* cum pluribus aliis in sinu Barbarico dispersis. Extant etiam nonnullæ exiguæ circà caput Bonæ spei: Hesperides è regione Hesperii promontorium, quod nunc *Cabo Verde* nominatur; ultraque Gorgades, Gorgonum quondam domus, nunc in universum insulæ capitis seu promontorii Viridis dicuntur. Contrà Mauritaniam sunt insulæ septem, olim Fortunatæ dictæ, quæ hodie tamen à primariâ dicuntur Canariæ ob multitudinem canum, quibus abundant. Altiùs Septentrionem versùs est Madera, & alibi aliæ minores. Insulæ circa Africam.

6. Fluvii celebriores & maximi in Africâ sunt Nilus omnium mundi fluviorum celeberrimus, Nigris, sivè Niger dictus, Giras, sivè Garamas, Cole, Infanto, Ger, Tagai, Miron & alii quidem. Fluvii.

7. Præcipui in Africâ sunt montes Abyle, quos & Herculis columnas Veteres dixerunt, quasi laborum ejus metas. Mons Mauritaniæ Atlas Poëtarum fabulis decantatissimus, qui inde ad Oceanum, cui ut quidam volunt, nomen dedit, sese extendit. Sunt etiam Lunæ montes & alii. Montes.

8. Lacus in Africâ principaliores sunt Zambre & Zaire tantâ aquarum copiâ turgentes, ut non flumina, sed maria ità innuente *Kirchero in mundo subterran. lib. 2. cap. 10. §. 3.* eructare videantur; potissimùm lacus Zambri, qui veluti in centro constitutus ac in amnes amplissimos diffusus singulis mundi partibus, seu è prædivite venâ confert abundantissima aquarum profluvia. Sunt alii Lacus & paludes, ut est Lago de Sierra Lione, Nuba palus, ac chelonides paludes &c. Lacus.

§. IV.

Americæ brevis ac summaria descriptio.

1. America Anno Dom. 1492. à *Christophoro Columbo* nomine Regis Castellæ primùm inventa, deindè ab *Americo Vesputio* Florentino, unde & nomen sortita, denuò eam revisente ampliùs detecta fuit. A nonnullis etiam India Occidentalis nuncupatur, tum quod eodem tempore, quo India Orientalis in Asia, sit inventa, tum etiam quod utriusque incolis similis ac penè eadem vivendi sit ratio: nudi siquidem utriq; incedunt. Vocatur & novus Orbis ob magnitudinem, quod Veteris Orbis partes Europam, Asiam & Africam penè exæquet. Americæ descriptio.

2. In-


POLUS ARCTICUS.
Circulus sub Circulo Arctico.
SEPTENTRIO
Mare Tartaricum
Oceanus Septentrionalis
OCEANUS DEUCALEDONIUS
Hibernia
Nova Britannia
Terra de Laborador
Buttons Bay
New North Wales
Baffins Bay
Spitzberge
Megrina
Ingria
Livonia
Obdora
POLUS ANT ARCTICUS.
Circulus sub Circulo Antarctico.
MERIDIES

Termini. 2. Includitur America undique Oceano; ab Ortu Atlantico, qui vulgò *Mar de Nort*; à Meridie Magellanico freto, quo ab Australi terrâ dispescitur; ab Occasu mari pacifico, vulgò *Mar del Zur* & Aniano freto, quo ab Asiâ distinguitur; à Septentrione mari Glaciali: quamvis tractus tamen ille versùs polum adhuc Europæis sit incognitus, undè nihil certi de ejus extensione & excursu versùs eundem polum afferi potest.

Longitudo & latitudo. 3. Longitudo ejus summa inter duo Freta, Anianum & Magellanicum est milliar. German. 2400, Italic. 9600. Latitudo maxima inter promontorium dictum aliàs *Cabo de fortuna* juxta fretum *Anian*, & promontorium *Cabo de Breton* in novâ Franciâ est milliar. Germanicor. circiter 1300. Italic. 5200. occupat totam Zonam torridam, & utrinque excurrit in temperatas.

Divisio. 4. Dividitur universa America in Septentrionalem, quæ & Mexicana: & Meridionalem, quæ Peruviana vocatur, isthmo alteram ab alterâ disterminante. Undè utraque peninsula est, & prior illa sic dicitur à Mexico primariâ ejus urbe, posterior Peruviana à ditissimâ provincia Peru, quæ in eâ sita est.

Septentrionalis longitudo & latitudo. 5. Septentrionalis Mexicanæ longitudo inter fretum *Anian* & Isthmum est milliar. Germ. 1500. Italic. 6000. Latitudo eadem quæ universæ suprà indicata est. Dimidia illius pars occidentem versùs introrsus plane adhuc incognita est, nec in eâ quicquam præter littora detectum: altera verò pars in plures regiones dividitur, uti sunt Canada, nova Francia, Virginia, Florida, nova Hispania, nova Granada, California; & in Occidentali latere ad fretum *Anian* sunt duo Regna, Quivira & Anian. Meridionalis sive Peruviana America in tria panditur amplissima latera cuneorum instar. Horum unus spectat Americam Septentrionalem, alter Africam, tertius terram Magellanicam. Longitudo ejus ab Isthmo Septentrionem inter & Meridiem computatur milliar. german. 1000. Ital. 4000. Latitudo summa inter Ortum & Occasum est milliar. 800. Italic. 3200. Regiones in eâ sunt Castella aurea, Bogota, Peruvia, Chili, Chica, Brasilia, Caribana, Guiana, Biquiri, omnes Oceano perfusæ. Intus verò sunt Amazonum Regio, Paquan, Picora, Moxos, Uram & Charchas.

(Meridionalis magnitudo.)

Insulæ circumjacentes. 6. Insulæ eandem circumjacentes sunt plurimæ. Orientem versùs nobiliores sunt Hispaniola, Cuba, Jamaica, Camercanæ Insulæ, quas & Antillas dicunt, præter innumeras alias. Ad Occidentem plures etiam objacent, minores tamen omnes.

Fluvii. 7. Fluvii celeberiores ac notiores in Americâ sunt Paragnian per novam Franciam labens, Maragnion sive Oreliana aut Amazonum fluvius, Argenteus fluvius vulgo Rio la plata & Camera.

§. V.

Suppolarium terræ partium brevis descriptio.

1. Suppolares Terraquei globi partes sunt duæ, una scilicet Arctoa, sivè Borealis, quæ circa Arcticum polum sita est, altera Australis sivè Antarctica, quæ ad Austrum posita: ambæ autem partes Oceano circumfluo terminantur. Duæ partes ad diversos polos.

2. Terra Australis ideò sic dicitur, quod ultima versus Austrum nobis existat. Vocatur etiam Magellanica à *Ferdinando Magellano* Equite Lusitano, qui primus eandem Anno 1520. Austrum versùs navigans conspexit. Incognita verò vocatur, quòd nobis præter littora non sit penitùs detecta. Ad hanc referuntur *Terra del Fuego* sivè ignis, nova Guinea, Beach, Lucach, Maletur, Regio psitacorum. Est item Tractus ibidem communiter, nunc Edelsland dictus, quem primus patefecit Anno 1616. mense Octobri *Theodorus Hertogius* navivectus *Concordia*: ibidem haud procul navigatione inventa est Anno 1622. Regio, cui nunc communiter nomen Leuwinne, hoc est Leænæ. Anno quoque 1627. in Januario *à P. Nutio*. præfecto navi, cui nomen ab aureo equo marino regio detecta, & ab ipso similitèr denominata fuit. Anno rursum 1628. detecta est Regio, cui nomen vulgo Witsland à detectore G. F. *de Wit*. Atque hanc plerumque quærunt, qui Indias & Batavium petunt: cum prætervecti promontorium Bonæ spei rectà tendunt versùs Orientem, donec hanc regionem conspiciant, quâ visâ cursum mutant, diriguntq; versus Aquilonem, ac etiam nonnihil deflectunt versùs Occidentem, donec ad Fretum Sundæ perveniant. Magis adhuc ad ipsam propriè dictam incognitam Terram patefacta est Regio, vocata vulgò Diemensland, quæ ab *Antonio de Diemen* Anno 1642. die 24. ibidem appellente nomen sortita est. Terra Australis.

3. Circà terram Australem incognitam variæ reperiuntur insulæ, funtq; Salomonis, Aquada, Latronum, Vulcanorum, Cocas, Bonæ spei & Equorum. Atque hæ omnes partes sive continentes, sive Insulæ non procurrunt (quantum hactenus compertum) ultrà 60. gradum latitudinis. Ab hoc enim gradu usque ad ipsum Polum Antarcticum nulla de Tractu illo terraqueo notitia ad nos pervenit. Aquarum equidem ingenti impetu irruentium occursus ex Antarctoâ illâ plagâ navem ultrà progredi permittit, ut testatur *Herrera in hist. Americæ Austral.* inquiens *ex Chilensi regno classem maritimam ad terræ Australis regiones detegendas regio concilio fuisse expeditam quæ ultrà 70. tamen latitudinis gradum ob aquarum etiam aëre tranquillo & sine ventis perpetuo obviam iis irruentium rapiditatem procedere potuerit.* Tentârunt hoc ipsum iter sæpiùs Hollandi Bataviæ novæ Incolæ, qui cum inter immensa marium spatia altiùs insinuati fuissent, mare semper Insulæ circa Terram incognitam.

contra se præceps invenerunt, & violentiâ fluctuum retropulsi, inceptum iter prosequi non valuerunt, ut varia eorum itineraria testantur.

Terra polaris Arctica.

4. Terra altera Suppolaris Arctoa perpetua Insularum concatenatione ita cincta est, ut Oceano strictus aliquis aditus pateat, ac ab unâ quidem parte Gröenlandia, Spizberga; ab alterâ verò nondùm satis exploratis Americæ atque Asiaticæ Tartariæ littoribus munita sit; quæ ab invicem quadruplici Fretorum gurgustio Oceani influxum admittunt.

Ejus constitutio.

5. Atlas novus memorat nautas ad Spizbergam balenarum piscationi vacantes narrasse, nullam videlicet navem ultrà 82. altitudinis Borealis parallelum progressam rediisse, lintresque incautiùs per dictos districtus divagatos nunquã amplius comparuisse; mare etiã tanquã ex monte proruens omnia secum rapere, luculento sanè testimonio, esse sub Polo, vel vicinis ejus partibus voraginem immensam, quâ aquâ aquã trahens unà cum innatantibus navib[us] irremedicabili vehementiâ absorbeatur.

Rupes nigra ad ipsum Polum.

6. Narrant & Geographi mira de Monacho quodam Minorita Oxoniensi Anglo, eum arte magicâ ad polum translatum, ibidem rupem quandam nigram 33. leucarum in circuitu conspexisse, sub quâ Oceanus per quatuor Euripos incredibili velocitate intrà suppolarem regionem insinuatus per horribilem voraginem absorbeatur. Verùm *Schottus in curs. Mathem. lib. 12. part. 2. sect. 2. cap. 6.* id fictitium arbitratur *Kircherus tamen in Mund. subterr. lib. 3. sect. 3. cap. 2.* non omninò reprobandam hanc narrationem existimat.

Regiones suppolares Arcticæ.

7. Regiones, quæ ad suppolarem Arcticam terram reputantur, sunt istæ Grœnlandia, Frislandia, Islandia (quam putant esse ultimam illam veterum Thulen) Spizberga; sivè alias dicta Neulandia ac Nova Zemia, sivè Zembla, quæ lustrari cæpit primùm Annis 1594. 95. 96. *à Guilielmo Barentsono*, atque aliis adjunctis, dum illàc transitum in Chinam quæsiverunt. Verùm glacie tandem ad 76. Gradum latitudinis obsessi ibidem tuguriolum construxerunt, in quo horrenda trium mensium spatio perpessi fuerunt; siquidem cœcis in tenebris cum ursis & vulpibus sæpiùs certare debuerunt; Divino tamen auxilio tandem constructis duabus naviculis ad patrios lares rediêrunt. Anno 1609. denuò illac iter attentatum fuit, sed nautæ rursùm spe suâ delusi denuò retrosùm re omni infectâ vela dare coacti sunt.

Insulæ circà Polum Arcticum.

8. Sunt etiam ad Arctoam plagam Insulæ quædam parvæ, quarum aliquæ non ità diu à Batavis illac iter in Chinam quærentibus detectæ sunt; Uti sunt *Staten Eyland*, vel *Staaten Insul*, sivè Confœderatorum insulæ Insula Moritz sivè Mauritii cum aliis quibusdam.

Montes in suppolaribus Arcticis Terris

9. Montes in Arctois Terris Oceano extantibus sunt plurimi. In Islandiâ mons est Heclæ, cujus vertex æternis nivibus tegitur; radices verò perpetuis ardentincendiis. Propiùs sex milliaribus nemo impunè accedere dicitur. Ibi sceleratorum animas torqueri persuasum incolis, voces, gemitusq; frequenter audiri fidẽ faciunt, *Ut indicat Fournier Geogr. orb. not. l. 1. c. 11.*

§. VI.

De Numero incolarum totius terrarum orbis, eorumq; fide ac religione.

Numerus incolarum juxtà Vossium.

Incolarum terraquei globi numerus, cum penè innumerus meritò nunc reputari possit, sunt tamen Authores, qui factâ rationabili hypothesi, aliquem, etsi non certum, probabilem tamen designare contendant. Ità *Isaacus Vossius lib. variar. observ. c. 13.* à veritate minùs absfuturum existimat calculum, si pro Europæ totius incolis imprimis is ita componatur, ut sint

In Hispaniâ hominum - milliones duo
Galliâ - - milliones quinque
Italiâ, Siciliâ, Corsicâ, Sardiniâ milliones tres.
Angliâ, Scotiâ, Hyberniâ milliones duo
Belgio - - - milliones duo
Germaniâ Bohemiâ & Hungariâ milliones quinque
Daniâ, Holsatiâ totâque Cimbricâ Chersoneso - quadringenta millia.
Suediâ, Finlandiâ, Norvegiâ, Lapponiâ sexcenta millia,
Poloniâ, Livoniâ, Lithuaniâ - - millio unus cum dimidio.
Omnibus verò Terris ab Hungariâ ad Pontum Euxinum excurrentibus, additâ etiam Thraciâ - milliones duo
Dalmatiâ, & Illyrico Macedoniâ, totâq; Græciâ, Cretâ, aliisq; Græciæ Insulis - - milliones tres.

Habes hic, inquit deinde idem *Vossius viginti septem milliones, omnium nempe qui in Europâ degunt, hominum numerum. Quod si etiam vastas Moscorum terras Europæ adscripseris, quamvis earum longè maxima pars ad Asiam pertineat, addas per me licet, tres milliones. Ridiculum verò fuerit de Islandiâ loqui, maxima quidem Insularum Europæ post Britanniam, sed in quâ ne quatuor quidem hominum reperiuntur millia ipsis fatentibus Islandis; si itaque Europam quàm latissimè extendas, habebis in universum triginta hominum milliones.* Ita præfatus Author: qui tamen hunc ipsum numerum adhuc justo majorem esse credit, quàm esse debeat ob terrarum hoc tempore vastitatem. Subdit deindè & putat, quod si omnium in toto terrarum orbe degentium hominum summa colligatur, & ad numerum revocetur, eum quingentos milliones non excessurum.

Quæ si veritate nixâ subsistunt (uti tamẽ minimè credo, sed numerum longè majorem esse arbitror) certè hominum quaquaversùs in orbe degentium multitudinem mirè respectu priorum temporum defecisse arguendum est; solùm equidem *Romæ* olim centies & quadragies centena millia, sivè ut vulgò loquuntur, quatuordecim milliones habitâsse scribit idem *Vossius in præfato libro*; *Et Nicephorus* *hist. Ec-*

hist. Eccles. lib. 1. cap. 17. tempore *Augusti* Imperatoris in solo Imperio ducentos sexaginta duos milliones, tercentum & sexaginta millia personarum, hoc est, 26037. myriades numeratas scribit. In unicâ China, ut *P. Martinius* testatur, & ex ipso *Kircherus in Chinâ illustr. parte 4. cap. 2.* sub Imperatore *Van Lie* numerum hominum in Imperio ad 200. milliones pervenisse exceptis regiis ministris, Eunuchis, mulieribus & pueris. Quocircà rectiùs forsan adhuc subsistet calculus, quem *Erhardus Weigelius Mathematicus Jenensis in suo terrestri speculo cap. 6.* de hominum terreni globi incolarum numero adducit, hoc modo afferens esse Numerus terræ incolarum juxtà Weigelium.

In Europa & specialiter quidem

In	Hispaniâ — — — —	10. milliones.
	Galliâ — — — — —	20. milliones.
	Italiâ — — — —	11. milliones.
	Britanniâ majore — — —	4. milliones.
	Provinciis Belgicis omnibus —	4. milliones.
	Germaniâ — — —	20. milliones.
	Dalmatiâ, Græciâ cum adjunctis insulis —	10. milliones.
	Macedoniâ, Thraciâ, Mœsiâ — —	6. milliones.
	Poloniâ, Lithuaniâ & Pomeraniâ —	6. milliones.
	Daniâ, Sueciâ, Norwegiâ, Livoniâ —	8. milliones.

Erit igitur summa totalis omnium in Europâ hominum 99. milliones pro quo numero benè substituuntur 100. milliones.

Reliquis Terræ partibus majoribus incolas suos his numeris decernit.

Asiæ ad minimum -	500. milliones.
Africæ tantum -	100. milliones.
Americæ - -	200. milliones.
Incognitis aliis terris	100. milliones.

Ità eveniet numerus omnium in toto Terraqueo globo degentium hominum 1000. milliones.

Juxtà alios. Aliis placet, ut indicat *P. Fournier Geograph. orb. not. libr. 1. cap. 13.* eam inter Europam, Africam, Asiam, & Americam assignare proportionem, quæ est inter numeros 1, 3, 4, 7. Undè si proportio ista respiciat incolas, sique cum *Weigelio* Europæ tribuamus 100. milliones; erunt in Africâ 300. milliones, in Asia 400. & in America 30. milliones atque ità in quatuor istis partibus colligentur 1600. milliones. Restant adhuc partium suppolarium incolæ: Quià verò illæ terræ nobis non sunt omninò detectæ, & cognitæ, ideò nec incolarum numerus decerni potest. Si tamen & ipsæ undique habitentur, facilè possent adhuc plures milliones colligi, & idcircò fortassis adhuc 2000. omnium terræ incolarum milliones evinci.

Quod fidem & Religionem concernit hominum, qui totam incolunt terram supra memoratus *P. Fournier* ibidem meminit. Fides & Religio incolarum terrestrium. Si totus terrarum orbis cum suis incolis dividatur in 30. partes; *Earum quinque*, inquit, *obtinebunt Christiani; sex Mahometani; novendecim Ethnici.* Quæ si ità sint; quantum adhuc laborandum est pro verâ unicâ fide Christi, ut ea sola & unica in toto terrarum orbe existat? Quàm ingens deindè numerus damnandorum erit; cum vel ex his, qui Christianam fidem profitentur, plurimi perfidæ hæreseos lethali afflati veneno, aut improbæ saltem vitæ inquinati sceleribus divinâ excussi gratiâ longè à vero tramite & viâ salutis aberrent, adeoque *Juvenalis* illud Satyr. 13. conveniat.

Rari quippè boni, numero vix sunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Verùmque sit Virgilianum illud Æneid. 6.

- - - *pauci quos æquus amavit*
Jupiter.

Sed hæc ità breviter indicata, cùm ad alia properemus, curioso Lectori ampliùs perscrutanda, ut & plura alia hinc deducenda relinquimus.

CAPUT III.

Montium Geocosmicorum Observationes ac miracula complura, eaque potiora referuntur.

NOn fortuitò, non casu, sed divino consilio Montes, eorumque catenæ in amplissimo Terræ hujus Theatro, quod perlustramus, constituti sunt: Utque eorum tùm notabiles quasdam notiones, ac proprietates tùm & miracula quædam potiora ingeniis Curiosorum substituamus; esto.

§. I.

Montium Geocosmicorum generales quædam observationes, insignes commoditates & plures compertæ proprietates referuntur.

1. Montes aliud non sunt in superficie terreni globi, quàm tumores quidam Geocosmi ab eminendo ità dicti. Unde & Montes quid sint.

 Græcis

Græcis Mons ὄρος, & Hebræis *Har* à verbo *Harach*, quod nempè mulierem gravidam significat, cujus scilicet uterus instar montis intumescit, appellatur. Mons igitur est tumor terræ in altum se erigens solo pede reliquam terram tangens: vel dicuntur Montes, eòquod sint super aliam terram eminentes; ut etiam docuit *Isidorus*.

Eorum productio. 2. An Terra ab exordio Mundi cum Montibus creata fuerit, & montes antè diluvium extiterint, disceptant Philosophi. Verùm ipsa Scriptura Sacra satis innuit, Montes ante diluvium extitisse, dum *Gen. cap. 7.* memorat aquas diluvii quindecim cubitos suprà altiores montes elatas fuisse; *& cap. 8.* Arcam 27. die Mensis quievisse super montes Armeniæ, & primâ die mensis decimi apparuisse montium cacumina. Non igitur ex decursu aquarum Diluvii, ut quidam volunt, modo geniti fuerunt montes, sed longè jam antè ab exordio Mundi constiterunt: Atque ut benè sentit *D. Damascenus lib. 2. Fid. Orthodox. cap. 9. & 10*, eidemque videtur assentiendum, terram imprimìs quidem aquis circumfusam & perfectè rotundam esse productam, at tertiâ die Creationis rerum omnium à supremo Opifice Deo productos esse montes, quandò nempè aquæ in locum ab eodem congregatæ, & cavernis terræ inclusæ; tunc enim & moles Terræ in altum sublatæ & eminentium juga locorum erecta fuerunt.

Montes novi sæpè producuntur. 3. Non est tamen ullo modo concedendum, omnes montes, qui modò Terræ insistunt, ità ut sunt, productos esse, sed plures subsidisse & terræ æquatos esse, plures denovo assurrexisse; atque hoc vel aquarum nimiùm rapacium & exundantium prolapsu, vi, & impetu, vel Terræ concussione ac motibus, dùm indè novi sæpè clivi protuberare, & veteres collabi & concidere solent, vel etiam effrænatâ ventorum violentiâ, dùm arena undique sublata in unum locum colligi, & ingentes indè cumuli coàcervari, montesque effici possunt.

Montium utilitas. 4. Montium in terreno globo consistentium ingens est utilitas, atque commoditas: Conferunt enim non solùm ad gratiam aspectûs, decorem Geocosmi ac pulchritudinem; sed etiam ad regionum salubritatem, ad cohibendum ventorum impetum, ad arcendos maris, fluminumque incursus, ad rerum, quæ à terra nascuntur, fertilitatem ac copiam, ad profundendos aquarum tùm fontalium, tùm fluvialium lymphas uberrimas. Undè existimat *Kircherus in itin. Ext. 2. dial. 3. cap. 3.* quod nullus ferè celebrioris nominis mons sit, qui non à naturâ suis hydrophylaciis, ac reconditis aquarum penuariis instructus sit eò fine, & intentione naturæ, ut montes veluti ubera quædam Geocosmi humorem ex Oceano attractum in universas deindè Terrarum oras, non in vegetabilium tantùm fomentum, sed & in Hominum, animaliumque necessarium usum diffundant, quod sine montibus fieri nullâ ratione potuisset. *Helmontius* etiam *de Montium utilitate* hæc scribit *in monte Domini. Certum est, quod omnipotens tantum Gibbum in naturâ nonfrustrà condiderit. Certumque est, omnes Mundi divitias è montibus erui. Deindè optimi fontes, atque celeberrima flumina nobis è montibus ratione declivitatis versantur: Denique omnes nationes monticolæ durioris sunt corporis, vitæque vegetioris aliis, qui campos amœnos colunt. Qui effectus suis causis constant, quippè suavior, puriorque aër ibidem inspiratur, & Gas omne suis privatum sordibus redit in materiam puram aquæ.* Ità *Helmontius.* His addenda sunt quoque, quæ *Plinius lib. 36. Nat. Hist. cap. 1. Montes nempè etiam factos à Naturâ ad compages Telluris visceribus densandas, & minimè quietas partes coërcendas durissimâ sui materiâ.* Plures alias utilitates & proprietates adducit *Bartholom. Anglicus l. 14. de Terra & ejus partib. c. 2.* Vide etiam *Kircherum in Mund. subterr. lib. 2. cap. 8.*

Juga & Catenæ montium. 5. Montes alii separati sunt, qui nempè spatio modico definiuntur; alii verò longiorem tractum obtinent, & ex pluribus coälescunt montibus. Hi omnes dicuntur juga, & concatenati tractus, sive Montium continuâ serie se consequentium catenæ. Notat verò *Kircherus in Mund. subterr. lib. 2. cap. 10.* Terrenum globum à polo ad polum inæquali quâdam & difformi tali compage, at non sine summâ providentiâ ità constitutum esse, *ut in terrestrium partium meditulliis, maximè sese admirandum ostenderet; dum maximorum & ingentium montium coacervationi, veluti quosdam catenarum magnarum nodos innexuit, tùm ad firmiorem totius compagis consistentiam & firmitudinem, tum ad fundanda in montium cœcis visceribus immensa aquarum penuaria, ex quibus veluti promocondis flumina undique scaturientia subditos sibi convallium, camporumque tractus benigno profluvio irrigarent.*

Celebriora montium juga. 6. Celebriora montium juga, uti & *De Chales in Geograp. prop. 79.* enarrat; imprimìs sunt Alpes, quæ Italiam à Galliâ dirimunt; vocantur autem Alpes montes perpetuis nivibus albescentes, talesque sunt Ligustici, Cottici, Graij, Pennini, Summi, Leopontii, & Rhætici, qui lunato ambitu instar muri claudunt Italiam, & eam à Galliâ & Germaniâ separant. Tales etiam sunt his conjuncti in Germania, qui Orientem versùs abeunt, & per Vindelicos, Noricos, Carnos, Illyricos, Pannones & Macedones in ultimam usque Thraciam penetrant, Danubio penè semper paralleli. Ejusmodi juga & catenæ, quæ montes aliàs Pyrenæi dicuntur, Hispaniam à Galliâ separant. Celeberrima sunt & Juga Peruviana, quæ Americam Australem à Freto Magellanico ad Æquatorem usque pervadunt, & Peruvianam à reliquis regnis & provinciis distinguunt. Unicus tantùm est transitus, quo pervadi possunt, ità in altum ascendunt, ut suprà nubes extollantur, & carere aëre ad respirandum idoneo dicantur; perpetuis insuper nivibus teguntur. Sunt & alii rami Peruviam à Brasiliâ separantes, Dantur etiam adhuc alia in

Sep-

Septentrionali Americâ ut in Canadensi regione. In Asiâ minore Juga Tauri montis progrediuntur usque in Indiam: Totam pervadunt Persidem, & totam Asiam in Septentrionalem, quàm intrà Taurum vocant, & Meridionalem, quâm extra Taurum nominant, distinguunt. *Imaus* mons Scythiæ Asiaticæ in formam crucis prorenditur usque in Indiam longitudine milliarium 1500. Caucasi montis juga propè Caspium mare per 200. milliaria ad pontum usque Euxinum pervadunt. In Africâ plurima sunt juga, inter quæ excellit Atlas à littore occidentali Africæ exortus extenditur in Ægyptum tamen; Nivosus est, licet in Zonâ torridâ existat. Alia reperiuntur in Africæ cuspide juga, quæ Montes Lunæ vocantur propè Monomotapam. In Europâ sunt Riphæi montes à sinu Moscovico ad fauces Obii fluminis protensi. Juga Norwegiæ & Lappiæ Sueciam à Norwegiâ separant. Plura alia nominatissima Montium Juga inveniuntur in aliis terris continentibus, ac in insulis.

Montes altitudine præcellentes ex Chalesio.

7. Montes altitudine præcellente insignes à *De Chales loc. supra citato* referuntur isti.

El pico in Teneriffa insula.

Mons *S. Georgii* in unâ Azorum.

Jugum Cordilhera separans Peruvianam à reliquis Provinciis.

Mons Ætna in Sicilia ignivomus.

Hecla mons Islandiæ similiter ignivomus.

Pico de Adam in insulâ Ceilan.

Mons Figenoiamma in Japoniâ.

Caucasus, Pelion, Macedoniæ. Mons Athos.

Ex aliis Scriptoribus.

Montes ab aliis Scriptoribus ob eximiam valdè eminentiam super rerram atque insignem altitudinem celebres memorantur sequentes, quos & collegit *Joan. Henricus Seyfrid in suâ medullâ Mirabilium naturæ*.

Mons in Saxoniâ inferiori *Bructerus* vulgò *Brockes*, aut Blocksberg dictus.

Pinifer Voitlandiæ ingenti tractu clarus.

Sudetes inter Silesiam & Bohemiam vulgò das Riesengebirg/ à spectro mirabili, dicto aliàs Rübenzahl/ quod homines mirè ibidem infestare solet, famosus.

Weisnerus vulgò Weißner in Hassiâ, è cujus vertice plures ibidem circumjacentes regiones mirè spectari possunt.

In Islandia duo sunt eximiæ altitudinis montes, quorum unus *Mons Crucis*, alius vernaculâ linguâ *Sauvel Jockul* appellatur. Vertices perpetuâ nive & glacie rigent, ac supra ipsos continua penè tonitrua audiuntur & fulgura spectântur, licet subtùs in vallibus adjacentibus æstivo tempore aër fit pacatissimus, & serenissimus.

Mons à pago proximo ejusdem nominis dictus Donum DEI vulgò GOttes-Gabe/ in extremis Misniæ ultra montanæ finibus ad vallem Joachimicam, in quo per præcipitium in profundissimas Bohemiæ subjectas valles despicitur.

Mons Caucasus tantæ altitudinis asseritur ab *Aristotele 1. Meteor. 13.* ut videatur ex ostio Mæotidis paludis & Solem in vertice usque ad tertiam noctis partem radiis illum illustrantibus ostendat.

Athos Mons Græciæ, qui umbram referente *Plinio lib. 4. cap. 12.* usque in insulam Lemnos, quæ hodie Stialimene vocatur, sparsisse dicitur.

Mons Olympus Macedoniæ, in cujus vertice nec ventus, nec ulla nubes advertitur, ut *Majolus* refert.

Mons Armeniæ majoris altitudine percelebris est Mons Ararat, qui ab Armenis *Messina*, à Persis *Agri*, ab Arabibus *Subeilan* vocatur.

Mons *Sinai* in Arabia etiam in S. Scriptura nominatus.

Mons *Kinning* in Chinâ propè *Kinhoa* civitatem, cujus altissimus vertex non nisi novem dierum itinere attingi potest.

Celebris est quoque *Ximus* mons propè civitatem *Taigan* in eâdem Chinâ altitudinis trium milliarium.

Montes *Pin* altitudinis 4. milliarium, *Tientai* & *Suming* propè Xaochiam civitatem, uti & Mons *Xin* dictus 5. milliarium altit. referuntur.

Celeberrimus præ aliis Asiæ montibus in eminentiâ suâ refertur Mons *Libanus* cum suo *Antilibano* in Syriâ. Neque enim illi par alter in Europa conferri potest.

Idæ in Candia montis vertex duorum ascensu dierum vix scandi posse dicitur: Ex quo etiam totum Archipelagum usque ad Chio insulam 60. milliaribus Germanicis diffitam prospectam formari posse volunt.

In Teneriffa una ex Canariis insulis Mons surgit altissimus, aliàs *El Pico de Terrairo* dictus, qui ad distantiam maritimam 60. milliarium spectatur; cacumen etiam, quod perpetuâ nive & glacie niteat, ob frigoris vehementiam superari non potest.

In Americæ Regione *Chiapa* spectari volunt montem, *Ecatepe* dictum, novem milliaribus altum; è cujus supremo vertice maria circumflua quaquaversùs cum summâ admiratione perlustrari possunt. Scribit etiam *Kircherus in Mund. subterran. lib. 2. cap. 14.* quorumvis aliorum montium vertices, si cum *Andibus* Americæ Montibus comparentur, *teste A Costa, non nisi humiles ad palatia casas, ad sublimes*, inquit, *Cypressos viburna reperiri*.

8. Quantumvis verò diversi in superficie terreni globi inveniantur montes summæ altitudinis; Ostendit tamen *Joannes Hevelius Selenograph. cap. 8. pag. 270. & 271.* tam ex veteribus, quàm etiam ex variis expertissimis Recentioribus nostri seculi Mathematicis montes terrestres, qui inter altissimos quosque primas tenent, non dimidium superare milliare Germanicum, sive duo milliaria Italica in lineâ nimirùm perpendiculari. *Imò* inquit, *si adhuc aliqui tantæ magnitudinis ullibi reperiuntur. Kircherus* quidem *in Mund. Subterr. loco* proximè cit. sequentem adducit Tabulam altitudinis montium præcipuorum in globo terrestri: Verùm ibidem ipse diffidit de certitudine & veritate determinatæ

Montium altissimorum magnitudo.

minatæ cujusdam altitudinis præcelsiorum montium, ac plures easque haud parvas in mensurando difficultates obvias assignat, ob quas nihil certi de montium præsertim longiùs dissitorum & ampliori basi terræ insistentium concludi potest; ut ipsemet omninò persuasus eidem lubens assentior. Vide ipsum *loc. citato.*

Tabula Altitudinis præcipuorum in terra Montium.

Montium nomina.	*Stadia*	*Quorum 8. unum milliar. Ital. faciunt.*	*Passus*
Pelion	10.	1 $\frac{2}{8}$	1250.
Catalyrium	14.	6 $\frac{6}{8}$	1680.
Cyllenom	15.	1 $\frac{7}{8}$	1875.
Petra Sogdiani	30.	3 $\frac{6}{8}$	3750.
Hæmus	80. $\frac{10}{125}$	10.	10000.
Olympus	10. $\frac{10}{125}$	1 $\frac{6}{8}$ ferè	1269.
Petra Sisimythræ.	15.	1 $\frac{7}{8}$	1875.
Picus Canariarum.	80.	10.	10000.
Ætna	23.	4.	4000.
Ætna	40.	5.	5000.
Caucasus	120.	15.	15000.
Caucasus	408.	51.	51000.
Cassius	224.	28.	28000.
Atho	160.	20.	20000.
Atlas	210.	15.	15000.
Riphæorum altissimus Stolp dictus.	200.	25.	25000.
Norwegiæ montes	48.	6.	6000.
Montes Lunæ	120.	15.	15000.

§. II.

Montes Vulcanii, sive ignivomi ab ignium eructatione mirabiles.

Montes ignivomi.

1. Dantur in Geocosmi superficie plures montes ignivomi, sive Vulcanii à flammarum, cinerum, aliarumque rerum ignitarum, vel ab igne jam ambustarum eructatione sic dicti: Cujus eructationis causa in intimis terræ pyrophilaciis latet, ut rectè eam nobis describit *Kircherus Mund. subterr. lib. 2. cap. 11.* his verbis. *Quoniam,* inquit, *ignis libertatis mirum in modum appetens sine libero aëris fomento durare non potest; hinc natura provida altissimos montes veluti terminos quosdam constituit, ut per eos veluti per spiracula quædam aër attractus, ignis penuaria perpetuò tam amico hospite foveret, atque adeò ignis sese per hasce montium voragines veluti per cloacam quandam à superfluâ fumi, fæciumq; mole exoneraret.* In nullâ tamen Mundi parte ejusmodi Vulcaniæ officinæ dantur plures, quàm in Americâ, eâque potissimùm Meridionali, quæ etiam subtùs terram per abditos sinus continuantur in terram ipsam igneam, vulgo aliàs *del Fuego* dictam, atque indè in ipsam Antarcticæ plagæ terram suppolarem, ut etiam nonnulli putent ob multitudinem ejusmodi vulcaniorum montium, & igneorum incommodorum indè emanantium violentiam terram illam hactenùs nobis fuisse inaccessam.

2. Materia universalis ignis ejusmodi subterranei, qui ex montibus vulcaniis ejaculari solet, censetur imprimìs esse acris & crassa; cujusmodi sunt sulphurea & bituminosa: Quibus & accedit halinitrum, quod substantia sua spiritibus tumidissimis referta junctum sulphuri, accensumque, dum exitum non reperit, vim mirè efficacem quidvis effringendi, avellendi, disjiciendi, dispellendi, & quâ datâ portâ propellendi in subterranea sibi obvia obstacula exercet; idque tanto efficaciùs, quantò vel crudum Antimonium, spiritusque mercuriales commixti vim hanc magìs exagitârint. Ipsam etiam materiam adaugent carbones fossiles, seu terra carbonaria, terrestrium glebarum variæ species, diversa lapidum genera, variæ metallicæ, cæterorumque mineralium miscellæ, uti & vim ipsam exacerbant ac stimulant, magisque durabilem efficiunt Sal comprimìs Ammoniacum, alumen, nitrum, calcanthum, & ejusmodi alia. Materia ignis subterranei.

3. Tamdiu durare solet ignis iste subterraneus, quamdiu fomentum ejus durat; quod dum absumptum, est, ignis ut sibi à natura inditum, extinguitur, quousque novis conceptis seminibus denuò renascatur, atque ex ignis subterranei profundiùs delitescentis afflatu rursùm accendatur. Undè intervalla flammivomæ eruptionis ex vulcaniis montibus facilè concipi possunt. Ubi verò materia ex perpetuo accessu alterius persimilis novæ substantiæ Unde intervalla eruptionis ignium ex vulcaniis montibus.

ſtantiæ æquè inflammabilis fovetur; etiam ignis ille ex abditis ſuis conceptaculis eructare non intermittit, ſed

Pergit continuò rapidas extollere flammas
Saxaque ſub-vectare, & arenæ tollere nimbos.

Intima Tellus ignibus.

4. Cùm porrò tota ubique telluris ſuperficies in variis ſuis partibus abundet montibus hujusmodi Vulcaniis, argumentum eſt Telluris intimæ officinam innumeris pyrophilaciis inſtructam eſſe. Ubicunque enim Vulcanius mons exiſtit, ibi ſubtus terram pyrophilacium eſſe omninò negari non poteſt, quomodò fumanti camino ignem culinarium, aut fornaceum, ſeu focarium ſubeſſe quisque fatetur. Ignis autem omnia depaſcentis & duriſſima quæq; diſſolventis violentia, cum novi ſubindè aperiantur meatus, & ipſæ mineræ metalliferæ ſolvantur & colliqueſcant, multaque alia transmutentur, ac in aliam formam adducantur; ideò haud mirum adeò videri debet, ſi quandoque & metallorum fluidorum torrentes, amnes ex pice liquidâ, ſimiliq́ue fluidâ ſubſtantiâ ardentes, ac plura alia ab incenſis iſtis vulcaniis montibus profundantur. Ità legimus apud Celtas, cùm montes Riphæi aliquandò incenſi fuiſſent, argenti rivos per terram fluxiſſe. *Alex. l. 6. c. 4.* & circà An. Chr. 512. ut *Sigonius* refert *l. 16. Imp. Occid.* cùm Veſuvius mons ingentem hiatum edidiſſet, índè imprimìs ſpiritus quidam ater adeò ac denſus erupit, ut lucem Solis caligine, tenebrisq́ue involverit, ſtrepitu ità horrendo, ut vicina loca tremore concuſſerit. Cinis indè effundebatur, ut provincias quoque transmarinas obruerit. In Campaniâ verò quidam amnes pulverei fluebant & arenæ impetu ferventes more fluminis decurrebant, qua plana camporum ùsque ad arborum cacumina tumeſcebant, & vireſcentia omnia protinus areſcebant. Ità *Sigonius*.

Montes Vulcanii ſolitò efferatiores quid ſignificent.

5. Montes Vulcanii, qui per temporum intervalla flammarum globos evomunt, dùm ſolitò formidabilius ac vehementiùs furere ſolent, magnarum etiam ſemper calamitatum aut prodromi ſive prænuntii aut comites eſſe ſolent: Plerumque enim flammivoma hæc naturæ ſubterraneæ incendia cum terræ motibus, infandis concuſſionibus, aliisq; miſerandis calamitatibus conjungi ſolent: Eadem ſiquidem cauſa, quæ flammas, cineres, ac lapidum imbres ejaculatur, ingentes etiam terræ concuſſiones, terreſtrium portionum abſorptiones, fluminum deficcationes, interitus animalium ac piſcium, & hinc enatas peſtiferas lues, horrendas marium ebullitiones, turbas ac procellas, & hinc exorta naufragia, ac innumeras alias luctuoſas cataſtrophes cauſare ſolet. Teſtis oculatus eſt ipſe *Kircherus*, qui dum An. 1638. in Calabria magno vitæ ſuæ periculo moraretur, Ætnam verò & Strongylum ingentes fumorum globos montium inſtar præter ſolitum eructare videret, quibus longè lateq́ue diffuſis unà cum ingentium veluti mugituum ſubterraneorum fragoribus & teterrimi fœtoris ſulphurei exhalatione, non tantùm Lipararum, ſed & Siciliæ quoque aſpectus ex oculis penitùs ablatus eſſet: Horrendarum illarum calamitatum, quas in præfatione *Mundi* ſui *ſubterranei* (undè & argumentum iſtius libri conſcribendi ſe deſumpſiſſe fatetur) graphicè deſcripſit, ipſe jam tunc Vates & prænuntius eſſe voluit. Vide illum *loc. cit.* Similiter quàm horrendæ calamitates ſubortæ fuerint, dum unà cum Terræ motu Ætnæus crater A. 1669. menſe Martio incendiis præter ſolitum deſæviit, ac diſruptis terræ lapidumq́ue repagulis torrentes igneos (qui latè circumquaq; omnia devaſtârunt) profuderit, vix enarrari poteſt. Teſtatur etiam *Bleſkenius*, quod ſuo tempore ad Annum ſcilicet 1563. die 19. Novembris mediâ nocte in tractu maris propè Heclam Islandiæ Vulcanum, ex ſolito lucidioribus flammarum globis indè eructatis tota penè inſula mirè colluſtrata comparuerit; vix autem abeunte horâ, quod tota inſula ingenti terræ motu concuſſa fuerit, ipſumq́ue mare circumfluum ad duo milliaria receſſerit. Plura ejusmodi exempla paſſim obvia apud Hiſtoricos videre licet.

Regiones, in quibus montes Vulcanii exiſtunt, fertiliores ſunt.

6. Regiones, in quibus Vulcanii reperiuntur montes, plerumq́ue ſunt fertiliores aliis terreſtribus locis; ut patet in *Campaniâ*, ubi mons *Veſuvius*; in *Siciliâ*, ubi *Æthna*; in *Japoniæ* regno *Voari*, ubi *Sirupurama* mons reperitur. Ratio eſt, quod exhalationes, quæ ab ignibus exſpirant ſubterraneis, terræ poros magìs aperiant, & apertos contineant; undè vegetabilia non tantùm à frigore magìs tutantur, ſed & ſpiritus calidiores concipiunt, & per eorum vaſa tàm ſuccifera, quàm aërea, dùm ſuccus magìs decoctus faciliùs propagatur, ipſa etiam vegetatio accommodatiùs promoveri poteſt.

Spectra ad montes Vulcanios.

7. Spectris etiam plurimùm infeſta eſſe loca illa circà ignivomos & Vulcanios montes, quæ vel adeuntes procul abſterrent, vel de futuris calamitatibus præmonent, aut alia quædam præſagiunt, multis conſtat hiſtoriis. Ità circà Heclæ montem oberrantia ſpectra tempore comprimìs publicarum ſtragum & commiſſorum præliorum plures cæſos & defunctos habitu & facie exactè repræſentare dicuntur. *P. Fournier Geograph. orb. not. lib. 1. cap. 11.* refert, ſpectra ibidem ſeſe aliquandò offerre congreſſibus notorum hominum tàm manifeſta, ut tanquam viventes excipiantur ab ignaris mortis illorum datâ dextrâ, nec deprehendi errorem, priusquam diſparuerint umbræ. Fata inſuper Principum, quidve remotius in orbe peragatur, ab iisdem frequenter reſciri. *Bleſkenius* narrat, aliquandò piſcatores in mari propinquo navem appellentem acclamâſſe, undè veniret? reſponſum verò accepiſſe: è Germania ſe Bremenſem Archiepiſcopum advexiſſe ad montem Heclę, quò pertineret; longè verò poſt compertum fuiſſe ejus obitum, qui ad illud ipſum tempus acciderat. De Monte Ætna memorat *Gilbertus Cognatus lib. 8.*

tus lib. 8. narrationum sequentia. Anno, inquit, Domini 1536. Negotiator quidam Siculus *Catiana Messanam* 21. Martii proficiscens ejus diei vespere apud *Taurominium* divertit. Indè manè diei sequentis iter suum pergens non longè ab oppido obvios habuit circiter decem, ut illi videbatur, fabros cementarios cum suis ferramentis; qui rogati, quo tenderent, ajebant, se Ætnam petere. Nec ità multò post in parem ejusdem generis numerum incidit, qui & ipsi interrogati responderunt, quod priores; se à Mancipe suo in Ætnam ædificii cujusdam gratiâ missos. Paulò post offendit in itinere virum staturâ suprà vulgarem modum procerâ comâ simul & barbâ perquam prolixâ & quovis corvo nigriore. Is nullâ præmissâ salutatione rogat negotiatorem: An per eam viam suas operas vidisset? Respondit vidisse quosdam, qui se Ætnam ædificatum ire dicerent, verùm nescire, cujusnam essent operæ: Quod si ipse Architectus esset, cupere se cognoscere, quid ædificii animo destinâsset? Tum ignotus ille Architectus ait, sibi & artem & vires superesse ad hoc, atque etiam longè majus, si liberet, perpetrandum: Crediturum, eum brevi suis oculis, qui nunc verbis ipsius parùm fidei haberet, & cum dicto in auras evanuit. Quo facto hominem tantus derepentè horror invasit, ut minimùm abfuerit, quin ibi è vestigio exspirârit, ægreque retrò ad oppidum attonitus, ac totus tremens reversus, rituque recepto apud Sacerdotem confessus, enarratoque visu eâdem die sub vesperam ex hac vitâ emigravit. Noctis porrò, quæ secuta est, initio 23. Martii ignis cum terræ motu & ingenti strepitu è vertice montis Ætnæ, quà Orientem spectat, ingens vis erupit, quo ingens calamitas vicinis illata, quæ tamen publicâ supplicatione mirabiliter cohibita, & extincta fuit. Plura alia de Montibus ignivomis adduci possent, sed quia ad alia Montium miracula recensenda festinat calamus, ideò præcipuas tantum ejusmodi Vulcanias officinas in quatuor Mundi partibus à Providâ Naturâ mirabiliter constitutas breviter adhuc indicare libet.

Montium Vulcaniorum nomina & Loca in diversis Geocosmi partibus.

In Europa

- Fig. I. Ætna mons in Siciliâ, vulgò nunc dictus *Mont-gibello* omnium tum Poetarum tùm Historicorum monumentis celeberrimus.
- Fig. II. Vesuvius in Campania, qui tempore *Vespasiani* adeò incendiis suis desæviit, ut ventorum impetu cineres in Africam sint delati. Apenninus in Hetruria, atque alter in Felsina sive Bononiensi agro.
- Strongylus in unâ Liparitanarum insularum.
- Chimæra mons in Albania.
- Ad insulas Acores vel Terceras *Pico de Fayel, & di S. Giorgio.*
- In insulâ S. Michaelis mons Vulcanius, propè quem locus La Ferreira dictus.
- In Misnia Carbonum mons sic dictus à fumo & igne, quo frequenter tegitur.
- Fig. III. Hecla mons Islandiæ omnium Geographorum relatione famosissimus.
- Mons ignivomus in insulâ Groënlandia polo Arctico proximâ ad cujus radices monasterium S. *Thomæ* P P. Dominicanorum exstructum jacet.
- Narrat etiam *Olaus Magnus in Histor. Septentr.* montes quosdam præcelsos in Lappia ad Ætnæ similitudinem flammas evomere.

In Asiâ.

- In Ocmuzio Persici sinûs insulâ omnia plena sunt ignibus subterraneis, undè septem annis arsisse dicitur.
- Caphantus in Bactrianorum regione omnibus intuentibus formidinem incutiens.
- In Mediâ Susius ad turrim, quam vocant Albani, per quindecim caminos ignes emittit.
- In regnis *Indostan, Mogor, Tibet, & Cambojâ* passim Vulcanii reperiuntur montes.
- Mons Tay in Chinæ provincia *Honan* propè civitatem Hoayquin ignes evomit.
- In Japoniâ & circumsitis insulis plures Vulcanii spectantur montes. Memorabile verò præ cæteris est de monte quodam ignivomo in regno *Jetchu*, quòd in perpetuâ ejusdem flammæ eruptione spectrum terrificum subindè appareat. In Japoniæ Regno *Voari* mons *Siurpurama.*
- Insulæ Philippinæ, ut & universus *S. Lazari* Archipelagus scatent vulcaniis officinis per montium fastigia ignes suos efflantibus.
- In Javâ majori haud procul ab Urbe *Panaruco* Mons Vulcanius. Anno 1586. primùm ardere cœpit tanta eruptione, ut decem hominum millia hoc incendio periêrint.

In In-


Arcanos exprimit æstus.
Fig. 1.
ÆTNA.


Sua Viscera vorat.
Fig. 2.
VESUVIUS.


Non se capit intus.
HECLA.
Fig. 3.

In Asiâ.

- In Insulâ *Timor* Mons *Picus* nomine adeò flammivomus extitit, ut flammeus in mari vertex per 300. milliaria conspiciendum se præbuerit. Hic Anno 1638. terræ motu vehementer concussus & unà cum Insulâ absorptus fuit.
- Mons *Gounapi* in unâ Bandanarum insularum, qui Anno 1586. post continua 17. annorum incendia tandem disruptus tantam saxorum, cinerum, sulphureo bituminosorum pumicum copiam emisit, ut marepenè iis tectum totum ardere visum, cum omnium piscium, animantiumque interitu.
- In Sumatrâ *Balalvanus* ardet ab ingenti ignium ejectorum copiâ sic dictus.
- In Ternate insulâ una ex Malaccis Mons est Vulcanius, cujus vertex perpetuis fervet incendiis.
- Mons Thola in unâ ex Mauricis insulis ingentes flammarum globos, uti & saxorum, cinerumque maximam copiam ejicit.
- In novâ Guineâ ut & in Oceano Indico plures montes ignivomi reperiuntur.

In Africâ.

- In Monomotapâ duo reperiuntur Vulcanii montes ab ignium eruptione celebres.
- In Angolæ Congi, & Guineæ quatuor spectantur.
- In Lybiâ unus, ut & in Abassia unus.
- In Canariis insulis *Picus* mons immensæ altitudinis ignes terrificos eructat.

In Americâ.

- Concatenata Andium juga, quæ Hispani *Cordillera* vocant, quindecim terrificos Vulcanos exhibent.
- In Peruano Regno sex inaccessæ altitudinis Vulcani fervent.
- In Carrapâ provinciâ Popayana mons tempore sereno potissimum fumo flammisque sævit.
- Paraquipa urbs 90. leucis distans Limâ montem vicinum habet sulphureum, qui continuò ignes ejaculari non cessat.
- In Peruviâ propè vallem *Mulaballo* dictam mons Vulcanius ignium, flammarumque eructatione terribilis invenitur.
- In Americâ Septentrionali imprimìs quinque observantur partim in novâ Hispaniâ, partim in novâ Granadâ, partim in Californiæ, aliisque interioris Mexicani Regni meditulliis.
- In Nicaragua 35. Leucis ab urbe Leon, Mons præcelsus ingenti copiâ ignes evomit. Cui alter ferè similis ferociæ haud procul Aquapulco existit,
- Ad Californiæ continentem tres, & in Mediterraneis duo spectantur.

§. III.

Montes variarum quarundam rerum repræsentatione mirabiles.

Imago D. Virginis Deiparæ in monte spectabilis.

1. *A. P. Alphonso Do Valle* Procuratore Provinciæ Chilensis acceptum refert *Kircherus de Luce & Umb. lib. 10. part. 2. cap. 3.* de mirâ quâdam imagine apud suos spectabili. *Locus est*, inquit, *ad mare Australe vulgò Del Zur, dictus Arauco, ubi mons Smaragdis, Turchesiis, similibusque pretiosis lapidibus ità refertus est, ut eminùs se variorum bujusmodi lapidum nativo splendore depictum non sine intuentium voluptate spectandum præbeat. In bujus montis concavo ex certo tamen & constituto quodam puncto imago beatissimæ Virginis cum filio in brachiis tantâ colorum varietate depicta cernitur, ut nemo esse id ludentis naturæ opus persuadere possit; sed omnes apparitionem divinam mordicùs teneant. Verùm totum opus boc ex projectione opticâ, ex fortuitâ lucis & umbræ, lapidum, colorumque proportione exprimitur.*

Mons draconem & Tigridem referens.

2. In Chinæ provinciâ Kiamsi mons in duos vertices divaricatus reperitur, quorum superior Draconem exprimens in inferiorem, quem Tigridem dicunt, velut impetu quodam præcipitare videtur, undè à Dracone & Tigride nomen habet.

Ursam cælestem majorem repræsentans.

3. Est & alius mons in Chinâ, qui septem apicibus suis Ursæ majoris figuram, id est, stellarum in ursâ majori sive plaustrò dispositionem exprimit. Ità enim unus super alterum magis eminet, eo scilicet ordine, ut ex certo & determinato loco septem stellarum ursæ majoris asterismus spectari videatur.

Quatuor Anni tempora exhibens.

4. De monte Libano hoc admiratione dignissimum observatur æstivo præsertim tempore, quod quatuor ejus partes respectu altitudinis quatuor anni partibus sint omninò conformes. Ad radices enim hujus montis æstus magnus est, qui Æstatem refert. In paulò altiori tractu virent & florent omnia cum aëre temperatissimo. In adhuc altiori montis hujus districtu aër est similis illi, qui in Autumno flare solet cum fructuum omnium illic enascentium maturitate. In supremo tandem fastigio ingens frigus à nive & glacie illic stabulante sentitur: quocircà etiam conscendi pëitus non valet.

Idolum repræsentans.

5. Admirationem omnem superat mons in Idolum efformatus juxtà Chinæ Civitatem *Tuncbuen*, provincia *Fockien*, in ripa *Feu* fluminis. Est enim hoc idolum ab incolis teste *P. Mart. in Atl. Sin. Fe dictum*, ità ex monte efformatum, ut decussis sedeat pedibus,

manus verò sibi invicem superpositas in sinu complicet. Ejus autem magnitudo vel indè colligi potest, quod oculi, aures, nares, ac os ad duo & plura milliaria conspici possint.

Monachus in scopulo expressus. 6. Tradit *Olaus M. in Histor. suâ Septentrional.* in medio maris Septentrionalis scopulum prominere, qui monachum cum cucullo perfectè expressum longè intuentibus exhibeat.

Ara Jovis. 7. *Pausanias in Boeoticis* refert in Olympi appendice montem esse, qui Ara Jovis vocabatur non aliâ de causâ, nisi quod Aram cum incenso perfectè exprimeret.

Exercitum exprimens 8. Author est *Bellonius* iter facientibus per desertum *Sin* Scopulos variè scissos sub auroram exercitum hominum etiam cum metu eorum, qui phantasma ignorant, repræsentare.

Hominis togati figura. 9. In insulâ Melitensi observavit *Kircherus*, uti refert in *Art. mag. Luc. & Umb. lib. 10. part. 2. cap. 3.* ex Orientali ejus parte in prominente præcipitio rupem, quæ figuram hominis togati ex præcipitio suspensi perfectè æmuletur; Undè & nomen loco datum ex phasmate *Frate impiccato*.

Caput Imperatoris. 10. *Panormi* in montis cujusdam excelsi è regione Urbis positi latere concavo scopuli cum virgultorum prominentiis, etiamsi casu, ea tamen projectione oculis occurrunt, ut medallium cum capite Imperatoris in medio perfectè exprimant. *Kircherus ibidem. Schottus Mag. nat. part. 1. lib. 4. cap. 1. paraſt. 3.* qui septem annorum spatio, quibus eâ in urbe commoratus fuit, millies se hanc naturæ parastasin contemplatum esse scribit.

Caput humanum referens. 11. Ambulantibus ad theatrum portûs Messanensis Scyllæum promontorium Peloro oppositum exhibet caput cum oculis, naso, barbâ, eo artificio, ut penicillo adumbratum videatur, saxis quidem glabris partes lucidas, virgultis verò dumetis, genistetis, silicetis aut aliis scopulis mucosis umbras montis exhibentibus.

Anus figurata. 12. De Rupe quadam Anum repræsentante scribit *Scaliger Exercit. 102.* ità. Rupes imminet Scythico Oceano quæ *Zlota Babba*, hoc est, anus aurea dicitur: Anus enim præ se fert formam.

Nasus Sacer. 13. Est etiam juxtà eundem in finibus Finlappiorum promontorium à specie, quam refert, *Nasus Sacer* appellatum.

Vestigium hominis impressum 14. Est in mediâ Insulâ Zeilandiâ ità referente *Osorio lib. 4. rer. Em.* in mari indico (à *Ptolemæo* Cori promontorium dicta) mons præcelsus multis paludibus cinctus. Ex illius summo fastigio collis assurgit, è cujus medio è lacu quodam aquæ dulces atque perennes emanant. Propè lacum est silex, in quâ cernitur vestigium hominis impressum. Est autem persuasum incolis, vestigium illud esse primi parentis generis humani, qui indè in Cœlum sublatus ab illis esse dicitur. Non procul autem indè Sacellum visitur, in quo duo sepulchra mirâ superstitione coluntur. Existimant enim in his condita fuisse corpora primi hominis & uxoris illius, è quorum semine fuit universum genus humanum propagatum. Ea verò opinio animis penitùs infixa facit, ut eò multi Saraceni & alii longè diversis superstitionibus impliciti religionis gratiâ confluant. Locus adeò acclivis est, ut neque manibus niti ad summum possint, sed scalis & catenis adjuti eò perveniant. Ità *Osorius*.

15. In Abyssinorum Regno mirabilium figurarum montes spectari tradit *P. Hazart in novis suis Annal. Eccles.* quosdam enim scribit fastigiatos in pyramidum modum protendi, alios cylindricè rotundos velut ingentes turres ad terræ superficiem insistere, alios quadratos quasi de industriâ ab hominum manibus ità elaboratos extendi in altum, alios etiam miro Naturæ lusu cochleato quodam opere ità aptatos esse, ut per gradus quasi artificialiter ità constructos ab imo pede ad summum usque apicem in iisdem ascendi possit. Montes variarum figurarum.

§. IV.

Montes variis aliis Naturæ mirabilibus illustres.

1. In Imperio Sinensi Mons est *Cutien*, in quo Tygrides & Serpentes maximi, minimè tamen noxii vivunt. Illæ cùm alibi in circumvicinis regionibus ferocissimæ sint, in prædicto tamen monte ità mansuescunt, ut nulli omninò noceant: Serpentes verò etiam veneno carent. Ità *Martinus Martinius in Atlante Sinico*. Mons in quo Tygrides & Serpentes innoxii.

2. In monte quodam Sinensis Imperii, cui nomen *Queyu*, lapides omnes, tam minuti, quàm grandes sunt formæ quadratæ. Atque hoc naturæ ludentis miraculum etiam in uno ex Montibus *Calabriæ* spectatur, ut *Kircherus in Mund. subterr.* narrat. Lapides quadrati.

3. In Chinæ provincia *Uquang* mons est adeò sui juris tenax, ut si quispiam ex ejus sive lignis, sive fructibus, aliisque similibus quicquam furtivè abstulerit, indè nunquam sese veluti labyrintho quodam perpetuò inclusus expedire queat. Qui verò religiosè ab hujusmodi criminibus abstinuerit, eum nullo negotio exitum quantocyùs reperire posse dicunt. Addit tamen *Kircherus in Chin. illustrata* dùm hæc narrat: *Sed hoc Bonziorum fabulis & superstitiosis vetularum enarratiunculis relinquamus.* Nihil furtivè dimittens.

4. In Persiæ locis, ut notat *Clemens Alexandr. lib. 6. strom.* quæ in Magorum regione sunt, eminentioribus, referunt tres montes in longo campo deinceps esse positos; primum sonum edere veluti clamantium non paucorum millium hominum, perindè ac si essent in aëre: Ad medium autem cùm venerint, majorem simul ac evidentiorem strepitum apprehendere: Tandem verò audire canentes pæana, perindè ac si vicissent. Voces miras referens.

5. *P. Joannes Paës in suâ Abyssinorum Historia* ingentem rupem parabolicè excavatam, quæ ad 50. passus submissam Submissas voces exhibens.

vocem

vocem reddere possit, ità describit: *Est hisce in montibus rupes ingens eâ naturæ industriâ excavata, ut speculum remote aspicientibus appareat. Huic*, ait, *aliam rupem oppositam, in cujus cacumine nihil adeò submisse à quantumvis remotis dici possit, quod non audiatur: Clamantibus verò in dicto loco sonum adeò intendi, ut vox Exercitûs alicujus putetur.* Noruntoccultam resonantis naturæ vim sacrificuli istius loci, qui ut se divinos demonstrent, homines in cacumine montis positos occultis hujusmodi vocibus de rebus futuris admonent; Ii verò se Numinis voce afflatos arbitrati, non rarò in maximas calamitates devolvuntur, dum jussa exequi inconsultiùs properant.

Sonum terrificum emittens. 6. In Helvetico quodam monte, quem *Cucumeram* à figurâ apellant, profunda quædam vorago conspicitur, per cujus orificium in interiora montis si vel unicus lapillus injiciatur, tam vehemens sonus remittitur, ut astantibus non tantùm ingens formido incutiatur, sed etiam præ exeuntis venti vehementiâ cogantur fugere.

Mons Æolius apud Tartaros. 7. Narrat *Vincent. Bellouacensis*, apud Tartaros montem esse haud magnum, in quo foramen quoddam esse dicitur, ex quo hyberno tempore tantæ tempestates ventorum emergunt, ut homines illinc vix, & non nisi cum periculo manifesto transire possint, cujus quidem mirabilis effectûs causa occultis subterranearum catadupis videtur adscribenda.

Chorea Deorum. 8. In monte littori maris *Quatomalensis* in novâ Hispaniâ vicino, Euro flante scribit *Laërtius in histor. novi Mundi*, sonitum æmulantem Organi propè nostratis sonum emitti, ut indigenæ eum *Choream Deorum* nominare soleant.

Tempestates indicans. 9. Mons *Paoki* in Chinæ provincia *Xensi* sub galli gallinacei figura spectabilis tempestate imminente tanta murmura, strepitus, boatusq; edit ut ad 30. stadia exaudiantur.

Mons Æolius in Chinâ. 10. Mirabilis est natura montis *Fang* dicti in Chinæ provinciâ *Huquang* ut P. *Martinius in Atlante* refert. Vere equidem & Autumno nullus in eo omninò ventus percipitur; Æstate verò è cavernis ventus assiduè emittitur. Hyberno verò tempore Ventus contrario modo non extrà, sed ab extrà intùs atractus impellitur. Verùm ejusmodi montes Æolii multis aliis in Europæ locis reperiuntur, ut in Italiâ Mons Æolius Cæsiorum, & Mons Alverniæ, ubi S. *Francisco* quinque stigmata fuerunt impressa, &c.

Mons Belor. 11. In altissimo monte *Belor*, ut scribit *Marcus Venetus*, ignis si accendatur, obstante nimiâ regionis illius frigiditate, non est ità lucidus, nec adeò efficax in suâ actione, ut in locis demissioribus. Quæ etiam monti illi, quem hodiè *Langur* vocant, omnium altissimo in *Lasa* regno existenti convenire dicuntur.

Rupes ex saxis certæ figuræ. 12. In Hetruriâ propè Vulsinum euntibus circiter mille passibus versus montem Flasconium ad sinistrum latus rupes, spectatur, quæ tota quanta est ex saxeis parallelopipedis constituitur. Simile quid narrat *Rueus de arce Stolp.*

13. In monte *Sinai* lapides reperiuntur, qui & *Petra Sinai* vocantur, arborum, stirpium nemorumque varias figuras exhibentes. Similes etiam in Hetruria propè oppidum *Bargam* reperiri dicuntur.

14. In Americæ Peruvianâ quâdam Provinciâ dicta *De Los Conchucos* rupes saxea reperitur, ad cujus pedes nigerrimi coloris materia reperitur, cui verò mira ludentis Naturæ industriâ & ordinatione, ac singulari quasi artificio, quod mirari quis satis non possit, lapilli candidi immixti sunt. Illa autem materia nigri coloris venenum est atrocissimum, quod violenter & citò certissimè interimit. Lapilli verò candidi salubèrrimum contra venena & quascunque infirmitates sunt antidotum. Unde ab incolis lapilli isti candidi magni æstimantur; estque hoc præterea admirandum quod ablatis alii brevi renascentes denuò in iisdem locis succedant. *P. Hazart in Annal. Eccles. de Peru.* Mons venenum & sui antidotum continens.

15. Inter Terræ miracula recenset *Cardanus l. de variet. cap. 5. in Quahumetallan* Occidentalis Indiæ regione montes esse variis coloribus præditos, quorum terra ad varias tincturas adhibeatur. Montes colorati.

16. In Calidoniâ Scotiæ regione scribit *Idem lib. 15. de variet. cap. 85.* montem esse nomine dolorosum, in quo noctu voces quasi hominum excruciatorum exaudiantur; quas voces tenui vapori sensim statisque temporibus prodeunti adscribit. Mons dolorosus Scotiæ.

17. Admiratione dignissimum est in summis montium fastigiis etiam reperiri ea, quæ maribus & fluviis profundis propria sunt. Ità haud dubiè miraculi vim habet in altissimis Veronensium Alpium jugis non pauca conchilia reperiri; ut & refert noster *Hieron. Hirnhaim de Typho Gen. humani cap. 9. Zeilerus* quoque memorat propè Galliæ arcem *Cadilac* ad *Garonne* flumen sitam, montem haud mediocris altitudinis aperto undique campo insistere, qui ex meris ostreorum conchilibus coäluerit. Nemo autem intellectu assequi valet, quomodò in campo adeò ab aquis remoto mons hic enasci potuerit. Similiter Altdorffio percelebri apud Noricos urbi mons adjacet diversarum figurarum conchilibus mirè ludentis Naturæ artificio ex terrestri vel lapidosa substantia concretis dives: ejus modi verè admiranda conchilia, dum urbem illam Anno 1694. perlustrarem, mihi ibidem oblata fuerunt, quæ penes me servo, & miraculi causa curiosis Amicis ostendo. Conchilia in altissimis montibus.

18. Ad Asiæ quandam civitatem *Harpasa* dictam, referente *Io Bapt Portâ*, in me diâ campi planitie ingens quædam rupes in altum assurgit, quæ etiam levissimo digiti tantùm attactu commovetur: si verò prono quis corpore & plenis viribus eandem loco movere nitatur, immobilis firmissimè persistit. Ex *Abentheuers* relatione similiter prope amplissimam Chinensium civitatem *Pequin* mons arduus *Puon* dictus pluribus verticibus petit astra; ibi & prærupta quædam petra erigitur, quæ levissimo etiam attactu titubare, & Mons digiti attactu mobilis.

hinc inde vacillare ac commoveri cernitur. In monte quoque *Minxe* infrà *Tuncham* petra quædam sursum eminet ad centum perticarum altitudinem, quæ si levissime unico tantùm digito attrectatur, mox ingentem pulsati tympani sonum edit. Ad littus propè *Hukeu* Urbem mons adjacet *Xecbung* dictus, vulgò aliàs lapidea campana, ubi fluctus appellentes campanarium excitant sonum.

Lapis obmutescere faciens. 19. Montes Africani *Alard & Quen* ambo inter *Nubiam & Zinchiam* siti lapidem à se genitum producunt, qui mirabili naturæ proprietate diu se contemplantibus sermonem adimit, ac inconsultiùs intuentes obmutescere facit. *Olfredus Dapper in Africâ.*

Mons pluvias indicans. 20. In Asiæ quodam monte *Tuncheu* haud procul *Queiang*, cum pluviæ imminent, Tympani pulsi strepitus præmonet accolas. Adjacet & Chinensi civitati *Xangeo* mons *Lingfung* appellatus, qui dum interdiu pluit, noctu ingens in eo flamma præsentari solet. Quod non accidit, dum Cœlum interdiu serenum extitit. *Abentheuer.*

Lapillorum diversi coloris mons. 21. In Transylvania mons anhelus inter loca, vulgò *Huniad & Wasebell* dicta assurgit, in cujus cacumine variorum colorum lapilli magnitudine alicujus cruciferi reperiuntur, qui scissiles, cum dividuntur, turcicos intus characteres expressos perfectè exhibent. In ejusdem regionis monte quodam *Feniesch* dicto *propè Clausenburgum* ingens copia perfectorum globorum lapideorum diversæ magnitudinis, ità nempe à ludente naturâ effictorum, reperitur. *Zeilerus.*

Hirundinum saxeârum mons. 22. Mons est in conspectu Urbis *Queixan* dictus aliàs *Xeyen*, à Saxeis hirundinibus: ubi quoties Cœlo demittitur imber, lapides reperiuntur hirundinum volatilium perfectam figuram ac speciem exhibentes, qui à medicis ad certas infirmitates propellendas mirè laudantur. Norûnt etiam sagaciores, masculas hirundines in lapidibus expressas à fœminis discernere.

Mons fictilium vasorum. 23. Silesiæ Pago *Masel* haud procul à civitate *Trebnitz* mons haud arduus adjacet, vulgò aliàs dictus der Töppelberg. Ex eodem verò ollæ fictiles & alia vasa argillacea à natura spontè ità effigiata & elaborata eruuntur, quæ deinde exsiccata ad usum domesticum illius regionis incolis deserviunt. Similes fodinæ in aliis adhuc ejusdem regionis locis subterraneis reperiri memorat *Zeilerus*, velut in *Guben, Sara*, Sommerfeld, *Nochau* & *Pauluki*. Item ad Poloniæ civitatem Streno ac in Bohemiæ quodam loco Idem meminit. Mirabile etiam est quibusdam ejusmodi vasis congrua sua imposita esse opercula cum inditis quibusdam rebus; hujusmodi deindè fictilium eruptiones è terrâ mense potissimùm Majo contingere.

Mons ad clamores transeuntium imbres ciens. 24. Indiæ Orientalis provinciæ *Kachemire* duo impendent montes altissimi *Pire peniale & Seng safet*, qui eâ Naturæ proprietate pollent, ut quoties Caravanæ, sivè plurium simul itinerantium societas cum validis clamoribus, ac strepitibus transit, mox pluviæ & imbres largissimi cieri soleant. Quocircà etiam haud ità diu contigit, ut, dum Grandis *Mogol* cum numeroso admodùm comitatu illac transitum pararet, severè omnibus clamores validos ac strepitus inhibuerit, periculum tamen profusissimorum imbrium, & inde enati diluvii vix evadere potuerit.

25. In Hispaniæ Tarraconensis Comitatu *Cardonæ* mons est sale plenus, præstatque omnibus regionibus fertilitate: quem montem cum maximè sale evacuatur, tunc altiùs in latum crescere dicunt. *Io Gerund. lib. 1. paralip. Hisp.* Plures adhuc montes in Hispaniâ nativi salis reperiri testatur *L. Murin. Sicul. lib. 1. de reb. Hisp.* præsertim apud Ribagorciam, in quibus lapidicinarum modo Sal cæditur & arborum modo posteà pullulat, ac renascitur. Montes sale referti.

26. In Creta mons est *Carina* IX M. pass. ambitu, intra quod spatium muscæ non reperiuntur, natumque ibi mel nusquam attingunt. *Plinius lib 21. cap. 14.*

27. In Gareota Scotiæ regione est mons quidam *Doundor*, aureus ab incolis dictus, quod oves in eo flavæ sint habentes dentes coloris planè aurei, carnes verò velut croco tinctas. Mons aureus Scotiæ.

28. In Africâ excelsus mons porrigitur in longitudinem ducentorum stadiorum, qui felibus abundat; quò fit, ut nullæ omninò aves ibi, neque in arboribus, neque in vallibus nidos exstruant propter naturales, quibus inter se dissident, inimicitias. *Diodor. lib. 29.* Mons felibus abundans.

29. In Misniâ propè *Zuiciam* nobile oppidum Mons Carbonum spectandum se præbet, qui semper in superficie ardet, decidentibus paulatim fossis, quas si quis, uti Agricola docet, videat, fornaces ardentes apparent, materiamque non prorsùs admotam sed intervallo etiam 4. pedum distantem igne accendit. Mons Carbonum in Misnia.

30. *Olaus. Magn. lib. 2. Hist. sept.* testatur in regione Angermania dicta juxta mare præaltos exurgere montes nullo non tempore nivibus obsitos in quorum basi gurges est, in quo tantus & tam horrendus fit sonus ex aquarum & fluctuum collisione, ut nisi nautæ præcipiti remigio, aut valido hinc vento citissimè evadant, solo pavore exanimes cadant. Quod si salvi evaserint, sonitus nihilominus cum ingenti metu adhuc inhæret, & cerebrum turbat.

§. V.

De mirabili quorundam Montium ortu, motu, seu progressu, atque eorundem absorptione & delapsu.

Variis modis terrenū corpus miras potest montium metamorphoses incurrere.

Ingenti

Ingenti equidem comprimis hiatu per validioris Terræ concussiones derepentè possunt Montes cum ingentibus tractibus absorberi, & econtrà alii ex congestis, & in unam latè congeriem coacervatis terræ partibus progigni: possunt maria, & amplissima aquarum conceptacula ad reconditos terræ sinus recedere; possunt montosa illa tubera in terræ superficie temporis tractu per violentas tempestatum injurias ablui, deteri, absumi, econtrà alibi alluvie terrestres partes in montes accumulari; possunt à subterraneâ expultrice facultate per lapidum, arenarum, cinerum aliarumque ejectionis aquarum profluvia sisti vel exsiccari, profundæ valles coæquari, planities ejectorum congerie in altum protendi, & ità in montes conformari, prout benè agnovit *Ovidius*, dum 1. *Metam.* ità cecinit.

> *Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus*
> *Esse fretum: vidi factas ex æquore terras,*
> *Et procul à pelago conchæ jacuêre marinæ,*
> *Et vetus inventa est in montibus anchora summis.*
> *Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum*
> *Fecit, & illuvie mons est deductus in Æquor,*
> *Atque paludosæ siccis humus aret arenis,*
> *Quæque sitim tulerant, stagnata paludibus hument.*

Sed hæc obiter dicta meliùs exemplis confirmemus.

Montosi cumuli enati propè Ostium.

1. In littore maris propè *Ostium* videre licet constipatos cumulos atque collicu-los graminibus ac Dirgultis vestitos, qui non aliunde, quàm maris alluvione, ventisque agitati in arenarum paulatim cumulos aggesti concreverunt. Atque ità passim ad marium diversorum littora hujusmodi montosos cumulos observare licet.

Vulcanelli ortus.

2. Vucanus Liparitanus tantùm cinerum lapidumque priore sæculo ejecisse fertur, ut juxta se in medio mari montem (quem idcircò etiam *Vulcanellum* veluti filium à patre genitum vocant) produxerit.

Montes nati in insulâ S. Michaëlis.

3. Accidit paulò propiùs ad nostra tempora Anno scilicet 1638. quod ad Insulam *S. Michaëlis* in mari Atlantico stimulantibus ignibus subterraneis tanta lapidum copia in medio maris sit egesta, ut indè insula lapidibus in montes coacervatis nata sese ad 5. milliarium latitudinem extenderit.

Mons novus propè Puteolos.

4. Propè *Puteolos* in sinu *Baiano* præcedenti sæculo mons novus ex mari sævientis naturæ subterraneæ violentiâ protuberans omnes in admirationem simul ac terrorem rapuit, qui & in hunc usque diem perseverat nomine *Montis sancti* triumphans, ut refert *Kircherus in Mund. subterr.*

Mons Circejus.

5. Mons *Circejus* olim à continenti separatus modo eidem adhæret freto arenarum congerie repleto: quod plerumque contingere ad angusta & depressiora loca insulas inter & continentem sita, ubi scilicet vel maris æstus vehemens, vel fluminum allapsu magna arenarum copia congeritur, ut vult *idem Kircherus ibidem.*

Mons in Helvetiâ quotidiè adhuc crescens.

6. In Helvetiâ locus quidam *Interlacus* audit, cui opponitur mons petrosus ac præruptus, vulgò der grosse Glatscher dictus: hic quotidiè nova sumit incrementa, ita ut nullum ibi constare queat ædificium. Ejusmodi verò incrementũ novusq; erumpens agger, calidiori comprimis tempore manè potissimùm vel etiam vesperi quandoque enascitur, ità ut terra subindè cum ingenti fragore & crepitu protuberet cum arborum impositarum resciffione, petrarum item & lapidum rupturâ, apertis insuper profundis hiatibus, qui deindè tamen novis excrementis explentur. In aliquibus etiam locis gelu concretus latex extruditur, uti & lapides ac petræ, quæ ædes superstructas, & arbores circumsitas sede suâ amoliuntur, altiùsque attollunt. Quandoque etiam calidissimis temporibus ingenti cum crepitu ac fragore mons dictus dehiscit cum arenarum, lapidum, lignorum ac pulverum terrenorum egestione: Unde etiàm horrenda sæpe catastrophe, ingentes cavernæ atque abdito pene recessu inpenetrabiles specus sese produnt, quæ emensionem omnem refugiunt. Vide plura de hoc monte apud *Zeilerum.*

Mons in Saxonia natus.

7. Imperante *Lothario* Imperii ejus anno octavo in Saxoniâ natus est agger sivè collis sex passuum millia longus: pestis verò, quæ eodem anno crudelissimè desævit, præsagium fuisse perhibetur. *Sab. l.* 1. *cap.* 4.

Montes inter se concurrentes.

8. *Lucio Marcio, & Sexto Julio Coss. in agro Mutinensi* Montes duo inter se concurrisse dicuntur, ut notavit *Plinius lib.* 2. & 3. *Ac Plutarchus in Syllâ*, crepitu maximo assultantes, recedentesque inter eos flammâ fumoque in Cœlum exeunte interdiu, spectante è viâ Æmiliâ magnâ Equitum Romanorum familiariumque & Viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ, animalia permulta, quæ intrà fuerunt, exanimata sunt.

Mons in Burgundiâ aliò commigravit.

9. Narrat *Majolus* in Burgundia ad Anum Chr. 1230. altissimum quendam montem repentè ab aliis avulsum aliò commigrâsse, ac in valle quàdam satis amplà plura millia hominum, ac jumentorum oppressisse: cumque per tempus constitisset, ultrà denuò progressum quinque millia hominum obtrivisse, tandem alteri cuidam monti firmiter adhæsisse. Memorat quoque *Antonius Fritschius* Anno 1232. montem aliò migrâsse, ac quinque millia hominum obruisse. Sed fortè ejusdem Montis commigratio est; in annis verò designandis disparitas. *Thrithemius in Chron. Hirsaug. ex Palmerio* recitat Anno 1241. montem in Burgundiâ à monte avulsum multa Agricolarum millia in circuitu commorantium subitò oppressisse.

10. In

Mons aliò motus in Angliâ.

10. In Angliæ Comitatu Heerfarth ad pagum vulgò Kannenstein dictum, narrat *Zeilerus*, aliquandò montem cum annexâ rupe loco suo migrâsse, & quidem à Sabbathi die ad proximè sequentis Lunæ diei meridiem continuò promotum, impositas simul casas & dispersa mapalia, arbores atque ovium greges transtulisse, tandem verò constitisse. Similiter Anno 1583. *in Porsetsbire* ibidem montem spontè amotum cum insitis virgultis & arboribus in altum elevatum super propinquum alterum montem, atque inde in adversum ejus latus præcipitatum fuisse relicto tamen ingenti hiatu ac terræ fissurâ, in loco, quo prius constiterat. Narrat *idem.*

Mons in Helvetia translatus

11. Anno quoque 1594. memorante eodem *Zeilero*, in Helvetiâ circà loca *Ivorne & Corbire*, ditionis Bernensis, die 4. Martii mons terræ motu è fundamentis sublatus & validissimorum ventorum impetu ac violentiâ cum ingenti fragore ac crepitu ad distantiam trium horarum maximâ celeritate translatus est, qui & loca supradicta miserabili clade ac multorum hominum & aliorum animalium oppressione affecit, atque omnem latè regionem penitùs ferè devastavit.

Admontes Lepontios Mons aliò migrans.

12. Anno etiam 1618. die 4. Septembris mons quidam ad Alpes Lepontias sivè Rhætias propè *Plures* locum duobus milliaribus supra *Cleve* situm terræ concussione, ac strenuè, interflantibus austrinis Ventis ad noctis initium mons cum ingenti fragore, murmure ac horrisono crepitu à terrâ ablatus, præfatum locum obtrivit, atque animantia penè omnia obtritu suo interemit paucissimis hominibus, iisque vix tribus aut quatuor ex violentæ hujus internetionis peribulo ereptis.

Montes fide & precibus translati.

13. Constat præterea ex variis Authoribus, firmâ in Deum fide, & sacris ad eum profusis precibus montes aliquandò relictis primis incunabulis aliò commigrâsse altiori virtuti obsecutos. Ità à *S. Gregorio* Thaumaturgo Montem qui Ecclesiæ ædificium impediebat, aliò sacris precibus amandatum commigrâsse, testatur *Ven. Beda lib. 3. Comment. in Marc. cap. 11.* Sanctus quoque Anianus discipulus *S. Marci* fide in Christum & oratione montem summâ celeritate versùs Babylonem removit. Narrat etiam *M. Paulus Venetus de regionibus Orientalibus lib. 1. cap. 18.* esse montem quendam in illâ regione juxta civitates *Baldachi & Taurisii* haud longè etiam à civitate Taurisii, qui olim per fidem & orationem fidelium virtute divinâ à loco suo dimotus sit.

Mons in planitiem redactus.

14. In Pithecusis insulis in Campano sinu scribit *Plinius lib. 3. cap. 88.* montem *Epopom*; cum repente flamma ex eo campestri æquatum planitiei. Item oppidum haustum profundo, alioque motu terræ stagnum emersisse, & aliò pervolutis montibus insulam extitisse. *Refert Idem lib. 2. cap. 91.* suo tempore *Cybotum* altissimum montem unà cum oppido *Eurite* ità à terrâ devoratum, ut nulla ejus amplius vestigia dignoscerentur. Ejusdem fortunæ fortem *in Magnesiâ* cuidam monti, quam præcesserat formidabilis *Tantalis* urbis terræ hiatu absorptæ interitus scribit *Sypilo.* Parem quoque sortem expertæ sunt *Galanis & Ganatus* in Phœniciâ quondam celeberrimæ Urbes, *Phlegium*, Æthiopiæ jugum excelsissimum unius noctis concussione violentâ non ampliùs camparuit.

15. Anno 1457. in lacu quodam Italiæ haud procul *Salodio*, montem quendam absorptione penitus disparuisse, cum priùs terribili cum fragore disruptus esset, scribit Malosus. Mons absorptus.

16. Castrum *Tauredunum* in Gallia situm, ac monti suprà Rhodanum impositum est. Ut verò *Turonensis* scribit *lib. 4. cap. 30.* auditus fuit per dies ampliùs sexaginta mons ille mugitum edere, donec tandem mirabiliter scissus ab alio sibi vicino monte cum universo castro, omnibusque incolis in Rhodanum præceps rueret. Aqua itaque retrocedens & impedita atque obstructa tantâ mole, cum aliàs inter angustias montium laberetur, multos nihil tale opinantes oppressit. Accidit hoc imperante *Justiniano.* Mons in Rhodanum lapsus

17. Picus mons est in insulis Molucris tantæ altitudinis, ut instar columnæ Nautis multorum dierum itinere in remotissimis maris tractibus appareat. Hic verò Terræmotus violentia prostratus nullo amplius vestigio, sed lacus in ejus loco exortus basi peripheriæ montis æqualis spectatur. Idem contigit in Sinarum Regno Anno 1556. quo integra ibidem regio montosa cum universis populis & urbibus absorpta suo loco lacum ingentem reliquit, nullo præter puerum ligno innatantem erepto. Contigit & nostris temporibus *Salisburgi* ex casu montis eidem Urbi impendentis plurimorum hominum interitus. Ipsâ nostrâ hìc in patriâ advertimus campos decliviores ac humiliores alicubi factos, alibi verò altiores prominere, altiorum etiam montium cacumina subsidere, ut adeò jam altiùs in longinquo prospectus, quàm aliquot ante annos formari queat, verumque sit illud *Senecæ*. Picus mons prostratus.

Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit,
Omnia sede movet, nec finit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes, & juga celsa ruunt.

18. Præteritis quoque annis, ut memorat *Nierembergius lib. 16. Histor. nat. c. 78.* in novo Regno *Granatensi* ingens trepidatio Terræ evulsit, montem quendam & expulit in aliam sedem satis remotam à primâ, velut lapillum per aërem jactatum. In prima sede puteus sivè abyssus magnoperè hiscente terrâ relinquitur, sine fundo cavitas videtur, impletur tamen confluente eo è circumjacentibus culminibus turbida aqua & fœdo humore; Interdum tamen velut nauseans magno evolvit strepitu cæ- Translatio montis in regno Granatensi.

pitu, cœnoſum & vaſtum fluvium correptis quibusq́ue objectis, ſaxis, arboribusq́ue vehementi omnium mutuo incurſu horrendùm ſonans. Ita *Nieremberqius.*

Mons in Helvetia dejectus. 19. Anno 1601. mons arduus & præruptus duarum horarum itinere *Lucernâ* diſſitus, nec ità procul remotus ab illo ſtupendo monte, quem *Pomponius Mela* fractum montem, vulgus ſuperſtitione neſcio qua, *Pilati montem* vocat: ſub eo monte (incolæ ibidem *Kurckam* appellantur) horribilis circà horam ſecundam nocturnam, 8. Septembr. mugitus atque fragor ſubortus eſt maximâ eorum, qui circumhabitant, conſternatione, elevari in altum velut fumi denſiores, qui totam eam viciniam compleverunt. Tandem maxima ex cacumine pars montis ingenti cum ſonitu abrupta eſt, & in alluentem lacum Lucernalem deturbata eſt: ex alterâ verò parte iſtius montani tractûs, qua Underwaldii habitant, itidem montis aliqua pars dejecta ex accolis ſeptem dicebatur oppreſſiſſe. *Kerkermannus in contemplat. terræ motûs Anni ejusdem.*

CAPUT IV.

De miris Geocoſmi cryptis, antris, ſeu ſpeluncis, Hiatibus aliisq́ue ſubterraneis meatibus.



Ryptæ, Antra, ſive ſpeluncæ intelliguntur ſubterraneæ quædã cavitates Montium potiſſimùm, ſivè eæ vi quâdam abditâ virtute mirabili polleant, ſive hominum aut quorumvis animalium habitationi ſubſerviant, ſive ad alium à Naturâ vel arte ſint uſum efformatæ *Jacobus Gaffarellus* Cryptas terreſtres *in ſuo Mundo ſubterr.* in quinque potiſſimùm claſſes divìdit, velut in *divinas, humanas, brutales, naturales & artificiales.* Nos hic neglectâ tam acuratâ diviſione, eas promiſcuè, quæ plus admirationis habent, aut ad utilium rerum cognitionem plùs conſerunt, uti potiſſimùm Naturales ſunt, quæ ſcilicet in intimis terræ thalamis à Divinâ Sapientiâ ad neceſſarios quosdam naturalium rerum uſus conſtitutæ ſunt, hoc loco perſcrutari conabimur.

§. I.

De Cryptis, Antris, ſpecubus, & ſubterraneis cavernis ac meatibus quædam obſervationes generales.

Cryptarum ſtructura ac proprietates pro naturâ loci. 1. Licet Cryptarum, ſpecuum, & antrorum naturalium, quæ intra intimæ telluris viſcera reconditæ ſunt, formæ atque interiorum partium conſtitutio, ac diſpoſitio vel caſui vel naturæ originaliter acceptæ referri debeant, ac licet earum quædam late pateant excavatæ, quædam altiſſimam contineant cavitatem, quædam in longum porrectæ, aliæ in imum profundè dimiſſæ ſint, nonnullæ multiplices habeant aditus & receſſus: omnes tamen â providâ Naturâ ita conditæ ac conſtructæ iis proprietatibus dotatæ cenſentur, quales locorum conditio apprime & jure ſuo veluti poſtulare videtur.

Unde virtutes ſuas habeant. 2. Hoc certum eſt, inquit *Kircherus in Mund. ſubt. lib. 2. cap. 20.* omnes cryptas inſigni aliquâ virtute pollentes vires ſuas nonniſi ab aliquo intimo, ingentiq́; antro, ſive id Hydrophylacium, ſive pyrophylacium fuerit, per meatùs longè porrectiſſimos derivatos pro ratione complexionis terrenæ ſubſtantiæ per quam dicti meatus traducuntur, obtinere. Hinc nonnullæ cavernæ ſucco petrifico loci conditioni proprio omnia in ſaxa convertunt, aliquæ aromatico odore mirum in modum recreant, quædam aliâ virtute mirificâ pollent, ut infrâ ample in variis cryptis, in diverſis terræ locis conſtitutis declarabitur.

3. Cum in ſpeluncis ſubterraneis faces non ardent, & ardentes facilè extinguuntur, aër veneno lethifero armatus indicatur, dum enim ſtagnat ibidem aër, facilè putreſcit, ac lethiferâ qualitate afficitur. Venenatus autem aër difficulter ſui correctionem & repurgationem, quæ igne potiſſimùm perficitur, admittit. *unde cautio eſt*, inquit *Cardanus de ſubtil. lib. 2. quoniam cum faces absque vento extinguuntur, ſatius eſt non ingredi ſpecus; exitialis enim loci hoc firmiſſimum ſignum eſt. Sed nullibi plures tales ſpecus, quàm in Italiâ reperiuntur.* Cryptarum venenatarum indicium.

4. In univerſum pleraſque ſpecus *Cardanus* ibidem docet humano generi adverſari & veneni vicem quandam poſſidere: *Namque ſi halitus ille lapides*, inquit, *& duriſsima ſaxa exedere potuit, quam vim in mortales ipſos obtinebit; indicium tamen ſecuritatis eſt aquarum dulcium ac ſalutarium per illas decurſus herbarumque ac arborum ſalutarium in labro luxuria.* Cryptæ igitur ſive ſpecus non omnes noxiæ ſunt, ſed plures ex iis mirè etiam ſalutares, prout idem *Cardanus* fatetur, *quibus ſi quis rectè utatur*, *ad deploratos* inquit *morbos viam medelæ quandoque invenire poterit ut in Bajanis, Cumanisque montibus ſalveatæ ſudarum in monte, quod vulgus Tritulum vocat.* Indicium ſalutarium cryptarum.

5. In Cryptis & antris ſubterraneis tum ex putredine & malignarum ibi ſtabulantium aliarum qualitatum confluxu, tum etiam ex mineralium venenatorum exhalatione ingens Ex cryptis ſæpe peſtis & contagio quomodo naſcatur.

ingens ſæpe virulentia colligitur, quæ halitu ſuo non tantùm homines, & bruta primo acceſſu quantocyus interimere ſolet, ſed etiam concluſa hujusmodi Charontica clauſtra, dum violentâ Terræ concuſſione primùm referantur, ingentes calamitates per veneni ſufflatum in remotioribus etiam partibus cauſare poteſt. Et licet non ſtatim primâ apertione, atque per ſeſe immediatè lugubres hominum aliorumque animantium ſtrages edere valeat, ſucceſſu tamen temporis ingens enata contagio haud aliunde, quàm ex apertâ hujusmodi peſtiferâ apothecâ originem traxiſſe comperitur. Ex hujusmodi enim halituum ſerpigine primùm terrâ vicinâ inficitur, hujus venenum attrahunt, atque in ſe derivant radices, plantæ, gramina & ſuis arbores refertæ ſtuctibus: quorum mucor ex floribus, fructibusque exundans in vermes & inſecta omnis generis animatur. Hæc bruta juxtà atque homines in alimentum corruptione plenum aſſumunt, undè ſanguis inficitur & corrumpitur, ac tandem peſtifera & lethalis contagio generatur, quæ nunquam ſatis deplorandas publicas calamitates efficere ſolet.

Nix & grando quomodo in cryptis generentur.

6. Solet ſæpè in ſubterraneis cryptis & antris nix & grando mirâ ludentis Naturæ induſtriâ generari: quod accidit, ſi vapor in cryptas frigidas illas nitroſis ſpiritibus refertas inciderit, tuncque ſpumoſa vaporis ſubſtantia, antequam in aquam vertatur, ambientis aëris frigore in niveos flocos contrahatur. Si verò vapor in guttoſam aquæ ſubſtantiam reſolutus fuerit, vehementi ſuperveniente frigido vento tum etiam in grandinem glaciemque condenſari neceſſe eſt.

Undè ſoni prodigioſi in ſpecubus.

7. Circa ſonos prodigioſos in ſpeluncis variis obſervaros generalis hæc cauſa videtur eſſe notanda: quod naturalis earum conſtitutio ita ſit apparata, quæ ſonum datâ quâcunque cauſâ multiplici atque infinitâ pene reflexione augeat, aëremque intùs concluſum concitet. Qui cum exitum habere non poſſit, niſi per orificium cavitatis plerumque arctum: conſtrictus igitur ibidem, & magis, magisque ex reflectione atque ad latera alliſione auctus toto cum fremitu erumpit, ut non rarò inaſſuetos ingenti terrore concutiat, ac penè exanimet.

Inſtrumentorum muſicorum, velut Cymbalorum ſonus undè contigat.

8. Quodſi inſoliti quidam ſoni, velut cymbalorum, aliorumque organorum muſicorum in abditis quibusdam antris, ac ſpecubus percipiuntur (ut de ſpeluncâ quâdam in *Britanniâ* memorat *Clemens Alexand.* quæ ſonum cymbalorum numeroſè pulſatorum ad venti ingreſſum ſolet edere) cauſa haud alia poteſt eſſe, quàm cavernoſi & pertuſi montis, in quo ſpecus exiſtit canales differentis magnitudinis intùs à naturâ ità diſpoſiti, ut ſi ſpelunca conceptum ventum in eosdem immittat, ille ibidem conſtrictus & coärctatus velut per organi alicujus muſici fiſtulas, & in orificiis illarum illiſus ſonos illos inſuetos gignat.

Novarum ſpecuum cauſæ.

9. Cum novæ quandoque ſpecus ac ſubterraneæ cavitates in telluris ſuperficie ſe produnt, variis eæ cauſis adſcribi poſſunt, comprimis autem ut rectè docet *Cardanus de ſubtil. lib. 2. fiunt terræ motu in arido facto dehiſcente terrâ: item aquis per montium occulta decurrentibus; unde in aliquibus flumina ſunt: fiunt & exhalatione igneâ, quæ lapides tum urit, tum exedit, tum expellit.*

Spectra in cryptis.

10. Longâ quoque conſtat experientiâ ſpecus & cryptas ſubterraneas ordinariè ſpectris ac malis Spiritibus infeſtas eſſe: Vix enim aliquam reperies, quæ terrificorum ſpectrorum nomine infamis non ſit. Exempla paſſim proſtant apud varios authores. Ita in Salinis Bochnenſibus exaudiuntur nonnunquam canum, gallorum, & aliorum animalium aſſimilatæ voces. In profundiſſimis ſpecubus teſte *Cromero lib. priore Poloniæ ſuæ*, ita ad rudera antiquæ urbis *Auguſtæ* prope Baſileam terribilia ſæpe ſpectra viſa dicuntur &c.

§. II.

Cryptæ quædam ac ſpecus, ſivè Cavitates ſubterraneæ à magnitudine, ſtructurâ, formâ, ac mirabiti partium conſtitutione memorabiles.

Antri Corycii deſcriptio.

1. Præfertur à *Cardano de ſubt. lib. 2.* ut ait, omnium conſenſu Corycium antrum, magnitudine primò, indè commoditate: aquis irriguum eſt amœnitate ſingulari, quodque perpetuò viret. juxta id naſcitur crocus toto orbe celeberrimus. In Cilicia eſt juxta *Corycum* oppidum. Ita *Cardanus*. Verùm melius adhùc deſcribunt, magisque admiranda hujus ſpecus enarrant *Mela lib. 1. cap. 6. Solinus cap. 39. Plinius lib. 31. Strabo. lib. 14.* & ex ipſis *Kircherus in Mund. ſubt. lib. 2. cap. 20.* Non procul, inquiunt, à *Pompejopoli Corycium* oppidum eſſe, ſuprà quod nomine Conthyos ſpecus eſſe perhibetur ſuprà, quàm deſcribi poſſit, eximius: nam grandi patens hiatu montem littori oppoſitum, & decem ſtadiorum clivo ſatis arduum, ex ſummo ſtatim vertice aperit, ampliori ſemper & ampliori deſcenſu viret umbroſis & undique pubeſcentibus lucis, totumque ſe nemoroſo latere in orbem complectitur tantâ pulchritudine, ut mentes accedentium primo aſpectu conſternat, ubi contemplati duravêre, non ſatiet. Unus in eum deſcenſus eſt anguſtus & aſper, quingentorum & mille paſſuum per amœnas umbras, & opacæ ſylvæ quiddam agreſtè reſonantes, rivis hinc indè fluitantibus. Ubi ad ima deventum eſt, rurſùs ſpecus alter aepritur,

terretque

terretque ingredientes, deindè aliquamdiu perspicuus, mox introgressos, quò magis subitur, eò obscurior alto veluti cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti se fronte extollens tantumodò se ostendit, & ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demersus abscinditur. Intùs spatium est magis, quàm ut progredi quis possit, horribile, atque ideò incognitum. Addit *Plinius* stillantes antri hujus guttas statim in lapides durescere.

Hiatus Plutonis apud Arrianos.

2. Terribilem apud Arrianos hiatum describit *Ælianus lib. 16. cap. 16.* his verbis: *Apud Arrianos Indos hiatus Plutonis dictus est, in cujus profundo occultæ cavernæ & recessus immensi & hominibus incogniti: quomodo autem in tantam profunditatem sit depressus, neque Indi explicant. Ampliùs tria millia diversorum animalium ovium, caprarum, boum eò agunt Indi, superstitioneque multa animalia præcipitant in profundum ejus barathrum, à quo nullus datur regressus, neque unquam videri possunt;* Boum *tamen mugitus, ovium balatus, caprarum vox, equorum hinnitus exaudiuntur, ac si quis aures illius faucibus admoverit, diutissimè ejusmodi audiet, neque enim promiscuus sonus cessat resonare, quoniam quotidiè eò præcipites bestiæ aguntur* Ità *Ælianus*.

Varia Antra ex Strabone recensentur.

3. Juxta *Metaurum* Antrum est teste *Strabone lib. 6.* per quod ingens fluvius diu longoque tractu alveo subterraneo procurrens tandem in apertum campum devolvitur. Eodem teste aliud esse traditur in sinu Emporico *Mauritaniæ* adeò excavatum ad mare, ut fluxum & refluxum admittat intùs ad septem stadia. Aliud ad *Hierapolim & Laodiceam*, propè *Andiram* antrum est tantæ dimensionis, ut usque ad *Paleam* perducat videlicet ad stadia 130. idque inde patuit, quod cum hircus in hiatum illapsus fuisset, repertus à pastore fuerit in alterâ ejus parte posteriori die.

Antra immensa in Andibus.

4. Mira sunt, quæ *Americana* narrat *Historia* de montibus *Andium*, in quorum visceribus suprà quam dici potest, horrida antrorum receptacula tantæ capacitatis reperiuntur, ut integris regionibus in terrenâ superficie non cedant; in hisce quoque ingentes maximorum fluminum cataractas esse dicunt, quæ tanto fragore & sonorum diversitate suas præcipitant aquas ut nihil in mundo terribiliùs se audivisse testentur fossores. Inter alia mirabilia memoratur naviculam ibidem aliquandò fuisse inventam, unde & quomodo in hoc intimæ terræ receptaculum invecta, nemo fuit, qui conjecturare potuerit. Compertum tamen posteà fuit, flumen hoc ex adversâ montis parte 140. ferè leucis in profundissimâ valle exitum invenire; sed cum fluvius per ingentia præcipitia hìc se exerat, non videt *Kircherus* hæc ipsa referens *loc. supracit.* quomodo hæc navicula contra naturam per subterraneos lucos à nautis agitari potuerit in hanc inaccessam subterraneam regionem. Verosimilius illi videtur, eam Oceani Pacifici aut Atlantici vorticibus haustam per continuatum aquarum in subterraneis meatibus fluxum huc transportatam esse.

Cavernæ juxta Schamachiam in Persia.

5. Meminit *Olearius in suo itiner Persico.* Montis cujusdam prope *Schamachiam*, Persiæ urbem concameratis mirabiliter intùs cavernis & ex conchilibus parvis cum arenâ commixtis, ac miro plane naturæ artificio compactis referti, licetâ mari quàm longissimè distet: solere etiam Mahometanos ductu religionis illuc peregrinari & vota ibidem persolvere.

Domicilia mira in specu Scotiæ.

6. In *Fife* Scotiæ regionis æstuario situs est Scopulus, ut memorat *H. Boeth. in descript. Scotiæ*, angusto aditu vix piscariam navem recipiens, qui mira in se spectanda præbet domicilia, quasi hominum industriâ, labore ac magno pretio exstructa, cum à naturâ ita excavatus & elaboratus sit. Quidquid in eo cernitut, portentosæ plenum est novitatis. Avium enim, quas vernaculâ linguâ *Solandes* appellant haud absimilium iis quas aquilas aquatiles vocat *Plinius*, in eo ingens copia inhabitat, nec in ullo ferè alio loco. Eæ cum primùm adveniunt, incipiente vere, construendis nidis tantam lignorum vim comportare dicuntur, ut auferentibus, qui illic inhabitant (nec enim id ægrè ferunt) satis in annum ex eâ parte prospectum sit. Inventus fuit etiam eodem teste *Boethio*, olim in eâ rupe lapis porosus in formam spongiæ, ex alterâ parte concavus, cui si marina infundebatur aqua, ea percolata dulcis & potui apta perfluebat.

Specus flammas & fumos eructans

7. In Nicaraguâ Provinciâ Indiæ occident. juxta mare Occidentale, inter Darientem (qui Isthmus est novæ Hispaniæ) & Mexicum specus est *Masaia*, neque cinerem, neque lapides eructans sed solùm fumum & flammam. Existimant metallum esse, quod ibi liquidum ferveat Itaque ut *Cardanus* memorat, *cum 140. brachiis, id est, pedibus 187. fermè dimisissent servum in cistâ, statim ubi proximus incendio fuit, colliquati sunt catenæ annuli inferiores. Quod verò magis mirum est, cum nullæ ibi plantæ oriantur, passeres tamen gigni affirmant, quam ob rem purum halitum exbalare specum oportet.*

S. Pauli Eremitæ specus.

8. D. *Hieronymus* in vitâ S. *Pauli* primi Eremitæ scribit, quod is *Decii* persecutionem fugiens, quindecim annorum adolescens ad saxei montis radicem grandem speluncam lapide, quo claudebatur, remoto explorans animadverterit intus grande vestibulum, quod aperto desuper Cœlo patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens, cujus rivum tantumodò foràs erumpentem statim modico foramine eadem, quæ genuerat aquas, terra sorbuerit. Erant prætereà per exesum montem haud pauca habitacula, in quibus scabræ jam incudes & mallei, quibus pecuniæ olim signatæ visebantur. Hunc locum Ægyptiorum

ptiorum literæ ferunt furtivæ monetæ officinam fuisse. In eo itaque loco deinceps consenuit *Paulus*.

Specus propè Elbengrod. 9. In Comitatu Stolbergensi procul *Elbengrodium* specus terrifica angusto primùm aditu excipit lustratores; laxiori deindè vestibulo ducit ad alias cavernas subterraneas, primùm angustas, inde tamen eò laxiores & ampliores, quò profundiùs abitur cum perdifficili plurimùm sævientis ibi frigoris sensu, licet extra specum aêr æstivo tempore ferveat vehementer. Tandem perpræruptas intùs petras ad saxeam molem equo haud absimilem descenditur, unde per præcipitia periculosè ampliùs discedibur, atque mox per angustos cuniculos denuò laxior specus aperitur, tandem ater locus subitur, ubi cornua, dentes & ossa, quæ Unicornium esse dicuntur, sparsim projecta cernuntur. Absque supremo autem vitæ periculo deinceps omnis præcluditur aditus, ut ità terminus attingi non valeat. Id verò summâ admiratione dignum in hac specu dicunt, quod aqua guttatim destillans, continuò congeletur & tandem omnino lapidescat.

In monte Astruno. 10. In monte *Astruno* Regni Neapolitani amplissima crypta trium millium hominum capax in profundum declivis abit, ac semper magis ac magis coarctatur; tandem quasi in Amphitheatri formam procurrens terminatur: per medium verò hujus cryptæ aqua limpidissima decurrere dicitur.

Antrum Sybillæ Cumanæ. 11. Sinus Bajanus thermis & balneis quàm plurimis abundat, cryptisque memorabilibus & templorum vestigiis adornatur. Haud procul inde Mons sive antrum Sybillinum, quod *Sybillæ Cumanæ* antrum scriptores indigitant, visitur & prope illud lacus *Avernus* Poëtarum fabulis celebratissimus.

Ad pagum Ufftrungen 12. In Thuringia pagus Ufftrungen Herciniæ adjacet, ubi specus in longum ultrà plures centenos passus per intimos Terræ thalamos naturali quodam fornice adeò elato protenditur, ut erecto quivis corpore belle transire possit. Hoc verò inter miracula ejus recensetur, quod nemo eam nisi pulvere quasi farinaceo multùm conspersus, velut ex mola digressus pervadere possit. *Zeilerus.*

Specus cum miro phasmate in Syria. 13. Inter *Baruth & Tripolim* Syriæ Mons littori maris adjacet, ad cujus radices haud modica patet specus, quæ ubertim frigidas proluit aquas. Quamprimùm verò ad eam paratur accessus, ex ore speluncæ manus protensa vas quoddam porrigens spectatur: cùm verò propinquiùs acceditur, ut spectrum illud penitiùs inspiciatur, phasma omne disparet. Ubi denuò receditur, rursùm in conspectum redit. Locus autem ingentes adeò minatur casus & naufragia, ut tutò nullus propiùs audeat accedere. *Olfred Dapper in Syria.*

Spelunca Reinstenii. 14. Infra pervetustæ arcis Rheinsteiniensis, Comitatûs ejusdem nominis (ubi etiam præcipua quædam domicilia in grandi petrâ excisa videntur) spelunca haud adeò magna reperitur, quæ omnis generis minutis referta lapidibus spectatur ejus naturæ, ut si quis de his aliquos sufferre, & iiscum abscedere tentet, mox loco suo mirabiliter restituatur, adeò ut suis antrum illud lapidibus perpetuo jure gaudeat. Nulli enim benè cessisse volunt, qui temerè furtum tale attentârit. Constans etiam est fama circà dictam specum, ubi præfati lapides reperiuntur, ad meridiem potissimùm sonum plurium cymbalorum; multuormvè etiam sæpè fabrorum in officina fabrili quasi ad incudem laborantium percipi. *Zeilerus.*

Os nebulæ in Wirtenbergensi Ducatu. 15. In Ducatu Wirtembergensi intrà pagos vulgò dictos aliàs Hausen & Oberhausen infrà petram quandam aperto ore specus longè exporrecta (cujus etiam finis nondum à quoquam emensus scribitur) in protractiori nonnihil viâ è clivo prærupto, ac aliquantum sublustri in profundam cavitatem, ubi limpidissima stagnat aqua, despicitur; Longâ verò experientiâ compertum est, quod, si sereno tempore nebula è speluncâ progressa cernatur, pluvias & tempestates succedere continuò soleant, unde etiam ab accolis loci illius *Zeilero* teste hæc specus vulgò das Nebel-Loch, hoc est, os nebulæ sivè foramen nuncupatur.

Ad Appenninum. 16. Ad Appenninum Italiæ propè originem *Aniani* fluminis, haud procul Vicovaro in montibus ibidem specus reperiuntur, ubi per montium rimas destillans aqua frigore concreta insignes magnitudine columnas, arborum ramos, statuas Gigantum & Centaurorum efformat, quæ sine admiratione aspici non valent. *Andr. Scoti itiner. Italiæ.*

In Sulzbacensi Territorio amplissima spelunca. 17. In Sulzbacensi Territorio superioris Palatinatûs intra pagos Nunnenhovent & Kautheim in apertâ Campi planitie hiatus patet angusti oris, indè verò in vastum & peramplum descenditur antrum, quod aliquot hominum millia capere potest. Aliquibus in locis concameratum altissimos habet fornices, ad latera subindè alii patent meatus, qui ad alias cavitates ducunt, quarum finis & exitus à nullo hactenus deprehensus est. In infima hujus antri parte fons scaturit limpidissimus; Ibidem & varii reperiuntur lapides, qui ex aquis natales suos traxisse arguuntur. Plures ejusmodi alias specus in Territorio unter Mainshoff/Clausen Aicha, atque quibusdam aliis locis, etsi non tam vastas & amplas describit *I. Henricus Seyfrid in sua medulla Mirab. Naturæ.*

Cryptæ longissimæ. 18. Inter montes Caspios, *Haithon de rebus Tartariæ* scribens meminit, cryptam reperiri multorum dierum itinere perviam, in quâ homines passim ingentes aquarum catadupas & loca amplissima subterranea reperisse se ajunt. De similibus aliis ejusmodi cryptis agit etiam *P. Martinus Martinius in suo Atlante Sinico.*

19. Meminit *Kircherus in Mund. Sub. terran. lib. 4. Sect. 1. cap. 8. cujusdam cryptæ*, quam

quam vidit adeò vastæ amplitudinis, ut 30. millium exercitûs facilè capax fuerit. Ibidem etiam memorat aliam caliginosissimam specum, quam *La Grotta della palomba* vocant, tantæ profunditatis juxtà ac capacitatis, ut montis accolæ in ea per viam submarinam ad Æolias insulas aditum dari arbitrentur.

Mons totus intùs cavus.

20. Mons Albanus totus cavus & ingenti hydrophylacio prædictus esse creditur, uti effluxus illius in lacum & fontes undique ad radices montis, imò vel ipsa concha, quam *Hannibalis campum* vocant, in quâ ingens scaturigo nascitur, luculenter demonstrant, & incolæ Castelli, quod *Rocca di papa* vocant, unanimi consensu totum montem aquis ab imo ad summum scatere, *Kirchero*, ut in *Mund. Subterran.* refert, exploranti asseverârunt. Addiderunt se intempesto noctis silentio aure in certis locis ad saxosam montis compagem applicatâ sentire se nescio quod labentium aquarum murmur subterraneum, manifestum indicium latentis ibi fœcundi lebetis, quo per dictas scaturigines longè latèque diffusas ager circumsitus irrigetur.

Civitates subterraneæ.

21. Civitates subterraneas *Gaffarellus in suo de Cryptis toto orbe celebribus libro* fusè describit. Ejusmodi quoque cryptam Anno 1637. *Melitæ* in vicino colle se lustrâsse scribit *Kircherus in Mundo subterran. lib. 8. Sect. 4. cap. 3.* eamque plenam hominibus utriusque sexûs, pueris, puellisque, rusticorum more vestitis, se reperisse: & tametsi confusè inter se habitare viderentur, singulas tamen familias propria sibi receptacula seu recessus sive arte, sive naturâ factos possedisse. Vide eum *loco citato.* Ibidem etiam meminit alterius cujusdam cryptæ in insulâ *Gaulos*, vulgò Gozo nuncupatâ, Melitensi vicinâ, quam similiter hominibus refertam invenit.

Cryptæ ingentes ab hominibus habitatæ in Angliâ.

22. In Angliâ Occidentali pagus est quinque circiter milliaribus à nobili Monasterio *St. Eduardi* Regis & Martyris dissitus, juxtà quem nonnullæ antiquissimæ speluncæ spectantur, quas vulgari linguâ *Wulfputes*, id est, luporum latibula vocitant, à quibus & pagus supramemoratus nomen suum obtinuit. Ex harum specuum unâ tempore æstivo quandoque duo pueri toto in corpore viridi tincti colore, incognitâ ad hæc vestium materiâ tecti eruperunt. Quid autem ampliùs circà ipsos acciderit, ac quid potissimùm de hominum habitatione subterraneâ linguam tandem anglicam edocti, sint effati, *Guilielmus Neubrissensis*, Anglicus Scriptor, & ex ipso *Kircherus loco supra memorat.* fusiùs enarrat.

Ad Montes Lunæ.

23. In Africâ ad montes *Lunæ* in intimis montium recessibus homines contrà Solaris æstûs vim vitam degere *P. Petrus Pais* narrat. Quod idem asserit de Maris Caspii montibus, quorum concava hominum habitationibus teste *P. Marco Veneto* referta sunt.

Viterbienses.

24. In Hetruriâ ad Agrum *Viterbiensem* ingentes sunt cavitates subterraneæ, & cryptæ amplissimæ, ubi & pagus esse dicitur, quem *Meoniacum* vocant teste *Kirchero*. Plures alias cryptas subterraneas ab hominibus habitaras describit *Pater Martinus Martinius in suo Atlante Sinico.*

Antrum vastum in Caizimu propè Hispaniolam.

25. In Provinciâ *Caizimu*, quæ Hispaniolæ Regis est, teste *Petro Martyre, Decad. 3. lib. 7.* Intrà vastum sinum est antrum ingens in rupe cavâ, sub radice montis altissimi ad stadia duo circiter à mari, cujus ostium est magni Templi foribus assimile falcatum ingens. Tentavit aliquandò cum navi antrum hoc Nauclerus, deprehenditque per latentes vias, veluti sentinam concurrere ad ipsum flumina; Ingressus naviculâ ferè absorptus fuit. Nam vortices invicem confligantes, multaque ora hiantia cum horrendo mugitu naviculam velut pilam hac illacque jactabant, nec quà regrederetur inveniebat. In obscuro diu vagatus tùm ob antri tenebras, tùm ob perpetuas nebulas à præcipitatis incredibili cum strepitu aquis tandem penè surdus evasit. Meminit etiam hujus Antri *Scaliger exercit. 38. in Cardanum.*

Antrum ingens in Gallæciâ.

26. In Gallæciâ immensum Antrum, ut memorat *Schottus Anatom. font. lib. 1. cap. 5. §. 4.* quod nemo hactenus penetravit, nemo finem invenit, etiam post trium dierum in latebris errorem. Obstitit profundus amnis, ne ulteriùs procederent.

Caverna subterranea in Hispaniolâ.

27. *P. Nierembergius lib. 16. Histor. natur. cap. 61.* ex Scriptore anonymo Hispaniolæ refert, quandam partem saxosam provinciæ *Tguey* in Hispaniola carere fluviis, non tamen aquis: Nam crebras sub terram piscinas saxa claudere naturæ arte fabrefactas. Dictus quoque Anonymus scribit, ut *Idem* memorat, se invenisse unam illarum patuisse dimidiam leucam; cumque per rupes illas ambularet, gressus omnes sonuisse, tanquam si cava essent omnia interna & veluti si per tabulatum incederet. Invenit tandem os piscinæ vix quatuor palmorum, per quod introspiciens ingentem abyssum & immensam caliginem deprehendit; colligavit funes, demisit vasculum, extraxit dulcem humorem octo leucas distantem. Volens explorare profunditatem, invenit quadraginta, pe quarum triginta duas aqua salsa subsidebat, per alias octo dulcis innatabat, utpote levior, & crassiori supernatans.

Hiatus Reppern-dorffiin Franconiâ.

28. In Franconiâ nostrâ haud longè *Kizinga* propè pagum vulgò dictum Reppern-dorff in planissimâ herbosi campi areâ patet hiatus subterraneus admodùm profundus, cautè verò circumquaque palis munitus, ne quisquam incautiùs accedens illic dehiscat. Aqua verò fluvialis ibidem profundo alveo ubertim cum murmure prolabi auditur, & si quæcunq; quis-

D 3 quiliæ

quiliæ injiciantur, per subterraneos meatus longiùs provolvi in Mœnum fluvium, ibique denuò regurgitare & emergere constans apud Accolas est sermo.

Cryptæ subterraneæ in Moraviâ.

29. In Moraviâ propè *Divam Kyriteinensem* cryptæ subterraneæ reperiuntur cum suis fornicibus singulari naturæ artificio elaboratæ, & quidem spatiosissimæ angustissimo cum introitu intrà montis cujusdam viscera tanto numero in omnem partem serie continuatâ protensæ, ut earum finem difficile sit invenire, & magnum valdè periculum sit, ne homo per labyrintheos illarum anfractus seducatur. Harum subterraneas cavitates cum horrore se perlustrasse scribit *Noster Hieronymus Hirnhaim de Typh. gener. human. cap. 10.* & non nisi ex Sale fossili à diluvii aquis colliquato relictas arbitratur. *Nam etiam de facto*, ut inquit, *parietes illarum & fornices laticem quendam sudant, qui guttatim delabens pavimentum marmore quodam sternit, supernè verò in stirias candidissimas diversimodè figuratas concrescit, ità ut quædam cryptæ figuram Sacelli alicujus alabastro elegantissimè incrustati referant. Non procul à montis introitu rivulus infernè manans à terrestri quodam hiatu absorbetur, quem uno ferè milliari sub terrâ manantem horribilis quædam abyssus evomit.* Plures mirabiles cryptas subterraneas vide apud *Valvasor in Carniol.*

§. III.

Cryptæ sive specus subterraneæ à noxiâ aut salutiferâ qualitate mirabiles.

Specus caput lædens

1. Inter *Neapolim* & *Puteolos*, ubi via ad Paludem *Agnani* inflectitur, specum esse scribit *Cardanus de subtil. lib. 2.* quam intrantibus mirè caput læditur.

Cuti vitiligine laboranti salutaris.

2. In *Samico Elidis* non longè à flumine *Anigro* gravissimi odoris antrum est Antigridum Nympharum, ut scribit *Pausanias lib. 5.* Hoc qui vitiatâ aliquo vitiliginis genere cute intrârit; ubi primùm Nymphis imploratis, nuncupatisque votis, deindè amne nando transmisso laborantes corporis partes defricuerit, fœditatem eam in aquis relinquere creditur, atque indè nitidus ac tersus discedere.

Terram medicam habens.

3. Oppidum Vellense Noricis addictum specum vicinam habet satis amplam, vulgò das Geiß-Loch dictam, in quâ tres insignes lacus cum miris ambulacris cernuntur: Ex iisdem sunt, quæ altiùs elevata, ac concamerata, alia minùs. Terminus verò adhuc incognitus manet. Ibi quoque terra medica effoditur, quæ Silesiæ terræ sigillaræ in viribus ac proprietatibus succedanea reputatur. Ibidem & mortuorum animalium ossa reperiuntur, quæ contrà varias infirmitates à plebeis adhiberi solent. *Seyfrid in medull. mirab. Naturæ.*

Spelunca Serpentum in Italia.

4. Mirabilem speluncam vulgò *La Grotta delli Serpi* appellatam describit *Kircherus in Arte Magnet. lib. 3. part. 7. cap. 4. §. 2.* quæ duorum hominum capax fistulosis quibusdam foraminibus in cribri formam perforata cernitur, ex quibus ingens quædam principio veris diversiculorum serpentum, nullâ tamen, ut dicitur, singulari veneni qualitate imbutorum progenies quotannis pullulare solet. In hac speluncâ Elephantiacos, leprosos, paralyticos, arthriticos, podagricos, similibusque desperatis membrorum affectionibus laborantes nudos exponere solent, qui mox halituum subterraneorum calore in sudorem resoluti, serpentum propullulantium totum corpus infirmi implicantium suctu, linctùque ità omni vitioso, virulentoque humore privari dicuntur, ut repetito hoc per aliquod tempus medicamento tandem perfectæ sanitati restituantur.

5. *Olaus Magnus Histor. Septentrion. lib. 2. cap. 4.* refert, esse specum subterraneam propè littoralem Urbem *Viburgum*, *Smellen* appellatam, Moscoviticis terris plurimùm vicinam, quæ ejus secretæ virtutis est, ut animali vivo in ipsam projecto tam horribilis sonus in eâ excitetur, quod suâ excellentia aures propè positorum suffocet, ne audire, aut loqui, vel stare possint, Quâ virtute multò plures, quàm vehementissima bombarda interimit, vel debilitat in momento. Sed neque hoc naturæ opificium videtur otiosum. Ingruente enim hostilitate præfectus Terræ jubet omnium aures concludi cerâ, cellariisque ac antris abscondi victuros; & demùm se muniens animal aliquod vel hastâ, vel fune præcipitat in os speluncæ: Undè tam horridus excitarur sonus, ut hostes obsidentes in circuiru quasi mactanda pecora collabantur, lapsique (si incolis visum est) longo intervallo remaneant spoliandi. Sed nulla voluptas ultionis sumendæ victoribus inest, quandò Naturæ potentiâ tàm fortiter opprimi videntur inimici; qui mox ut sensum ceperint, non præliandi sed fugiendi tempus assumunt, ne sono iterum excitato tandem emoriantur; vel mortiferâ ægritudine contractâ paululùm etiam fugientes supervivant. Quo casu evenit, ut qui armis & viribus à bellico furore reprimi non poterant, solo terrore mugientis naturæ tabescant, pristinum vitæ robur tardè vel nunquàm recuperantes. Ità *Olaus*, addens etiam specum hanc semper à provido viro dirigi & custodiri debere etiam intrà plures circumpositos muros.

Specûs Smellen mira proprietas.

6. De simili Speluncâ in *Hispaniolâ* Americæ insulâ narrat etiam *Petrus Martyr*, tàm horrendi sonitûs & tàm atroci tempestate perpetuò sæviente, ut ad quinque milliaria nemo eam sine mortis, aut surditatis periculo accedere possit.

Specus horrendo sonitu necans.

7. Est in medio Hispaniæ mons altissimus, vulgò *Sierra Morena*, dictus à Mauro sive atro colore ab indigenis sic vocitatus, in cujus crepidine aditus profundissimi, ac inter alios juxtà *Almadien* pagum

Specus in Hispaniâ argenti vi copiâ mirùm noxia.

gum ſpecus ingens in 50. milliarium receſſum exporrectus, in quo complures altiſſimi viſuntur putei, è quibus immenſa argenti vivi copiâ frequenti operarum, foſſorumque turba hauritur, qui magno vel conducti prætio, vel ad pœnam alicujus magni commiſſi ſceleris eluendam ad has mineras addicti miſeram trahentes animam tremebundo corporis habitu, convulſis nervorum tendinibus exiguæ tandem vitæ tempus calamitoſâ morte redimunt.

Antrum medicum ad montem S. Caloceri.

8. In medio altiſſimi montis *S. Calocero* dicati varii hinc indè ſpecuum labyrinthi occurrunt, quorum alii rectis, transverſis alii cuniculis patent; alii in imum terræ tartarum profundiſſimâ voragine porriguntur; qui ſemper horrendo ac formidabili fragore reſonant, ſive ob incluſam ignis latentis multitudinem, ſive ob ventorum hinc indè currentium inclementiam, ſive ob undarum maris in cuniculos montis magnâ vi agitatarum impulſum, certè tonitruum fragoribus haud abſimiles conſtitutis temporibus edit. Res horrenda nulli non metum incutiens. Antrum inter cœteros eſt vaſtum, in cujus medio puteus profunditatis immenſæ & viſu ad imum tenebroſus & horridus, hic calentibus hinc indè pluribus ſcatet venis, quæ ex diverſarum cavernarum canalibus relabuntur, ac vapores ſimul emittit, qui ad ſupremam antri concamerationem ſalutares excitant intrantibus ſudationes. Viſuntur & in hunc diem in ſaxo vivo à veteribus ab immemorabili tempore inciſa ſedilia variis exornata inſcriptionibus, quæ tamen uti temporum injuriis exeſæ ſunt, ità omnem ſpem penetrandi curioſis eripiunt. Sunt & in hoc antro ſyphones, ſive artis, ſive naturæ induſtriâ, neſcio, facti calidis referti vaporibus, ad quos ii, qui capitis intemperie, aurium, tinnitu, ac ſurditate laborant, auribus applicatis exiguo tempore ab infirmitatibus liberantur; nervis quoque corroborandis proſunt. Undè inſigni infirmorum illuc magno numero præſertim in feſto *S. Caloceri* confluentium emolumento viſitantur Xenodochio publicis ſumptibus in eum finem illic exſtructo ità *Kircherus Mund. Subt. l. 5. Sect. 3. cap. 1. §. 8.*

Antra horriſona valdè noxia.

9. Recitat *Olaus Magnus* in Aquilonari plagâ montes reperiri, ad quorum radices antra reperiuntur, ex quibus tantus ventorum erumpentium fragor percipitur, ut repentino metu approximantes vel interimat ſtatim vel plurimos ad dies obſtupefactos præ capitis dolore ſenſuum vigore deſtituat.

Crypta in monte Sorano.

10. In monte *Sorano* crypta eſſe perhibetur velut glacie incruſtata ingentibus in fornice hinc indè ſtriis dependentibus, è quibus vicini montis accolæ pocula æſtivo tempore conficiunt, aquâ, vinoque, quæ iis infunduntur, refrigerandi aptiſſima extremo rigore in ſummas bibentium delicias commutato.

11. Propè *Æthnam* ſpecus quàm plures numerantur, in quibus ſervatur nix ab incolis; inter quas eminent *Grotta nuova, & Grotta della neve* commodo Catanenſium in æſtate inſervientes. Vide *P. Carreram lib. 1. de Æthna. cap. 12.* Compingitur autem in illis ſpecubus nix, ut ait *Thomas Bartholin. de nivis uſu cap. 30.* & in glaciem tandem tranſit crebrâ volutatione, cui vapores adſtantium calidi miſcentur.

Terra Cryptæ D. Pauli.

12. *Crypta D. Pauli* in inſulâ Melitenſi terram præbet candidiſſimam, quæ variis Sanctorum figuris ſignatur, magnâ verò in morbis quibuslibet venenoſâ qualitate infectis propulſandis non tàm naturali, quam *D. Pauli* privilegio & benedictione, uti piè credere licet, impertitâ ei virtute pollet.

Specus Puteolana, Canum dicta.

13. Specui Puteolanæ, quam *Canum* vocant, animalia illata in momento ſtupefacta ac quaſi demortua comperiuntur, ſubitò verò ac in vicinum Agnani lacum ſubmerguntur, à ſtupore liberata reviviſcunt.

Hiatus Hierapollitanus.

14. Eſt apud Phrygiæ *Hierapolim* terræ hiatus ex quo ſeſe promens ſpiritus lethalis, quidquid acceſſerit propiùs enecat confeſtim, ſpadonibus modò exceptis: Cujus ratio aut difficilis, aut ſuprà hominis captum, ut inquit *Cælius lib. 13. cap. 29. Ant. L.* Meminit ejusdem Specus ex Dione Scaliger Exerc. 277. Sect. 4.

§. IV.

Specus ſeu Cryptæ ab occultis aliis Naturæ proprietatibus & arcanis quibusdam mirabilibus celebres.

Strepitus varius ad rimam cujusdam rupis.

1. In *Barri* inſulâ ad *Walliam* Auſtralem rupes quædam marina ſpectatur, quæ modicam habet rimam, ad quam, ſi auris apponatur, auditur ſtrepitus quaſi fabrilis operæ, nunc follium flatus, nunc malleorum ictus *Fournier Geograph. orb. not. lib. 5. cap. 15.*

2. Ad *Slanis* Caſtellum *Buthquhaniæ* regionis Scotiæ antrum eſt admirandæ naturæ: Aqua enim in id inſtillans tractu temporis in candidiſſimum convertitur lapidem, ac niſi certo annorum curriculo eximeretur, olim jam oppletum illis fuiſſet. *H. Boeth. in Scotiæ deſcript.*

Soni augmentum.

3. Extrà *Badenæ* urbis Mœnia reperta non ità pridem ſunt vetuſtæ mineralium, ut putatur, fodinæ veſtigia integra, cujus parietes trabibus adhuc & tabulis inſertis fulciuntur. Ad hujus introitum ſi quis exiguam explodat bombardulam, aut alium paulò vehementiorem excitet ſonum, mox ingens tormenti bellici exploſi fragor exauditur. *Schottus Mag. nat. part. 2. lib. 3. Syntag. 5. prodig. 2.*

Vehemens ventus ex ſpecu in Dalmatia.

4. In Dalmatiâ ſpecum eſſe vaſto hiatu præcipitem memorat *Plinius* in quam dejecto pondere levi quovis tranquillo die turbini ſimilis mox emicat procella. Hujus ejusdem ſpecûs meminit Majolus, aitque, ſi lapis in eam projiciatur non tantum validum erumpere ventũ, ſed continuò tempe-

ſtatem

ſtatem ingentem fulmineis ignibus ac tonitruis refertam excitari.

In Tuſcia. 5. Eodem *Majolo* teſte in Tuſciâ apud *Volaterras* in Sylvâ vicinâ ſpecus eſt, ex quâ ſubindè ventus cum tantâ erumpit vehementiâ, ut etiam fortiſſimas eradicet arbores ac ſternat. Simile antrum Æolium patet in Sulzbacenſi ſuperioris Palatinatûs territorio in apertâ quâdam campi planitie, undè venti ſubitanei cum tantâ ſæpè violentia prorumpunt, ut quævis oppoſita ædificia, arbores, & alia occurrentia proſternant; uti factum memoratur Anno 1656. in feſto *S. Laurentii*. De Cryptâ Æoliâ Noviodunenſi vide ſupra in *Scrut. 3. Diſquiſ. 2. cap. 5. num. 25.*

Tempeſtates & tonitrua ex jactu lapidis in ſpecum. 6. In Galliæ Regione *Averniæ* ad montem *Dor* ſpecus reperitur *Soucis* dicta, in quam ſi lapis projiciatur, continuò tempeſtates, tonitrua ac fulmina cum pluviis & grandine provocantur. *Zeilerus*.

Specus à frigore aut calore externo frigori aut calori contrario mirabilis. 7. In Stollbergenſi Comitatu infrà vicum Queſtenburg contrà antiquæ arcis rudera ſpelunca verſùs Auſtrum latiſſimè patet, non adeò recondita ſive profunda, neque adeò tenebroſa, ubi æſtate etiam ferventiſſimâ à ſævo ibi dominante frigore omnia in duriſſimam glaciem conſtringuntur cum nive copioſè ſubindè deciduâ, ut ea etiam validiſſimis Solis radiis tellurem adurentibus ibidem colligi poſſit. Econtrà gelidiſſimo hyemis tempore, quò gelu ſævit ampliùs, eò æſtus illic fervet calidior, ità ut vapor etiam tenuis abindè in aërem elatus æſtuarium prodat.

Antrum Dionyſii Tyranni. 8. Famoſiſſimum antrum hodierno adhuc die *Syracuſis* in Sicilia ſpectatur, quod alii *Carcerem Dionyſii* Tyranni alii *Auriculam Archimedis*, quod juſſu *Dionyſii* ab Archimede ad modum auris fabricatum ſit, alii aliis vocant nominibus. Vulgò jam dicitur, *La Grotta della favella*. Locus ejus *Syracuſis* eſt extrà urbem, extaque nunc inter vineta, ubi olim urbis pars potiſſima erat. Singulari cura deſcribit *Mirabella in ichnographiâ ſuâ Syracuſanâ. Kircherus in Phonurgiâ novâ lib. 1. ſect. 6. cap. 3. Schottus Mag. natur. part. 2. lib. 2. ſynt. 4.* Exciſum eſt antrum hoc ex vivo ſaxo, quod cochleato ductu in anguſtum canalem deſinens, conclavi, in quo cuſtos carceris, ſive ſpeluncæ reſidebat, inſinuabatur, eo artificio conſtructum, ut omnis, vel minimus ſtrepitus aut ſubmurmuratio cochleatum opus ingreſſa in cubiculum derivaretur cuſtodis, ubi quælibet ſubmiſſè prolata, acſi præſentia fuiſſent, percipiebantur. Hodie muro obdurato voces immurmuratæ in pulcherrimam ac mirificam Echo *Kirchero* teſte degenerant. Voces, ut Idem memorat, non ſicut reliquæ Echi, reddit æquales, ſed ſubmiſſam vocem in clamorem extollit; Exſcreationis ſonus tonitrua exhibet; percuſſio pallii manu facta tormenti exploſio videri poſſet, imò non vocem tantùm intendit, ſed aliquoties repetit. Hinc canon muſicus à duobus hìc cantatus mox in quatuor vocum concentum evadit, dum reflexa vox primi, ſecundi vocem pulchrè excipit. Res prorſùs auditu digniſſima. *Schottus* omnia confirmat præter vocis repetitionem, quam præſens cum ſocio, licet ibidem multùm locutus fuerit, clamaverit, cantaverit, & varios ſtrepitus excitaverit, ſe tamen notare non potuiſſe ſcribit *loco ſupracit.* Cauſam verò conjicit in mutatam loci conſtitutionem.

9. De ſpelunca *S. Patritii* in Hyberniæ regione Ultoniâ mira ſcribit *Ortelius* & alii. Breviter tamen *P. Fournier Geograph. orb. not. lib. 5. cap. 6.* hæc ipſa enarrat his verbis. *Ad oſtium fluvii Logiæ vern. Liffer, qui ab ipſo fonte ebullit in latit. grad. 54. min. 34. dilatatur in lacum, in quo inſula, & monaſterium, ubi crypta anguſtior ſpectris, & religioſo horrore decantata, Purgatorium dicunt S. Patritii. Enimverò cùm indomitas Inſulanorum mentes, nec timore futurarum pœnarum, nec cœleſtium gaudiorum promiſſis flecteret, precibus à Deo fertur impetrâſſe, ut quicunque hanc ſubiret, ipſa inferorum incendia intueretur, incertum, an abſtractus à ſenſibus, ſive ipſis oculis corporeis; Ut ut ſit, qui huc ſe conferunt, ſentiunt, ſe ad virtutem non mediocriter accendi.* S. Patritii purgatorium.

10. In Britanniâ montem reperiri ſcribit *Clemens Alexand. lib. 6. ſtrom.* qui internè quandam ſpeluncam ſibi ſubjectam habet, in faſtigio autem hiatum. Cùm verò in ſpeluncam ventus incidit, & in ſinu foſſæ alliditur, ſonus cymbalorum auditur, quæ numeroſè pulſantur. Sæpè etiam cùm in ſylvis moventur folia per repentinum, & denſum ſpiritûs impetum (verba ſunt *Clementis*) editur ſonus avium cantui perſimilis. Spelunca mirè reſonans.

11. *Panormi* in Sicilia memorabilis eſt S. Virginis *Roſaliæ* crypta in monte peregrino, cujus ſtillicidia cuncta in ſaxum mutantur, uti & ipſum *S. Roſaliæ* corpus in lapidem converſum ibidem reperitur. Crypta S. Roſaliæ.

12. Inter admiranda, quæ in eodem agro *Tyburtino* conſpiciuntur *mons ſciſſus* eſt, qui tempore Dominicæ paſſionis crepuiſſe dicitur. Habet autem dictus mons fiſſuram ſive hiatum ad 30. paſſus extenſum, qui in abyſſum ſive profunditatem ſubterraneam omninò formidabilem vix ullâ bolide explorabilem tendit. *Kircherus in Latio lib. 4. part. 2. cap. 6.* meminit, ad quadringentorum palmorum longitudinem chordam ſe demiſiſſe, nec fieri potuiſſe, ut fundus attingeretur; ex ſonitu verò magno, quem projectis in eum lapidibus percepit, ingentem ibidem ſubterraneam regionem latere, collegiſſe. Audiviſſe quoque ſe ſcribit à montis accolis hirundines ab hac abyſſo nunquàm recedere, ſed hyberno tempore usque ad vernum remanere, & fuiſſe nonnullos, qui pauló profundiùs hiatum penetrantes ibidem in glumos involutas, quaſi ſemimortuas repererint. Quantùm etiam ex projectione immenſorum lapidum eidem colligere licuit, putat aquam copioſam in fundo ſtagnare. Hiatus cœterùm formidabilis eſſe dicitur introſpicientibus horrorem ſimul ac vertiginem concitans. Ingens hiatus in monte ſciſſo Agri Tyburtini.

13. In Galliâ Narbonenſi *Cadurci* crypta reperitur, ubi deſtillans lapidificus humor in pa- Crypta Cadurci miras exhibens ſtatuas.

in pavimentum usque cryptæ defluens paulatim in altum excrescens duodecim veluti monachorum in choro stantium statuas effecit.

Glacies mira in crypta montis Sorani.

14. In agro Sorano, *Kirchero*, teste, in *Latio* mons est *di Teschio* solido dictus, in modum inversi coni seu turbinis excavatus: in turbinis verò ultimo fundo ingens foramen videtur, per quod pluviæ & nives, veluti per infundibulum quoddam in profundissimam longè lateque exporrectam cryptam monti subjectam exonerantur. Intrà quam paulò infrà in eam aditus patet, quæ tota quanta striis crystallinis prægrandis molis ex fornice pendentibus referta, infrà quoque tantâ glaciei abundantiâ dives reperitur, ut toti Italiæ ad glaciei, nivisque commeatum sufficere posse videatur. Glacies instar purissimi crystalli limpidissima est, ex quâ statim omnis generis pocula fiunt, intrà quæ vinum infusum protinus tàm intenso frigore imbuitur, ut id sensus vix tolerare queat. Quod verò admirationem auget, est in vicini montis summitate pratum quoddam, in quo totius anni decursu flores ob insignem aëris, quâ pollet, temperiem colligi posse dicunt.

15. Est in Apennino, quo *Florentiâ Bononiam* tenditur, in abdito montis recessu grandis quædam vorago: intrà quam si lapidem conjicias, statim ingentem graculorum numerum, quos *Cornachias* vocant, evolare comperies, at nonnullis extrà craterem volitationibus peractis, statim eò, undè egressæ, revertuntur. *Vide iter Hetruscum Kircheri.* — Graculi ex monte volitantes.

CAPUT V.

Mirabiles quædam terræ planities, deserta campi, valles ac prata, aliæque terrestres portiones in Geocosmi superficie variis Naturæ miraculis illustres.

Planities terræ desertæ.

1. Planities terræ licet Naturæ proprietate feraces, Incolarum tamen inertiâ, vel defectu Agricolarum destitutæ: nobis in Geocosmo plures exhibentur, comprimìs in *Poloniâ*, *Moscoviâ*, *Russiâ* ingentibus sylvarum recessibus vestitæ. Arenosis & sabuli congerie opertis præ omnibus Mundi regionibus squalet Africa; petrosis Arabia; Ericosis tùm Germania, tùm reliquæ Orbis partes. Vastiores tamen terræ tractus omni hominum cultu & habitatione destituti sunt in desertis comprimìs Tartariæ, quæ Mongul & Lop dicuntur; quorum hoc putatur esse desertum arenosum, quod non procul à muris Sinensibus in fasciæ formam inexploratæ longitudinis ex Austro in Boream extenditur; quodque ex Tartaria in Chinam ultrò citroque commeantibus mercatoribus transeundum est: locus ad terrorem omnium squalidus. — In Tartaria.

Desertum Americæ Pambas.

2. In Americâ tàm Septentrionali, quàm Australi vastissima à Scriptoribus traduntur deserta, quorum illud, quod inter Regnum *Paraquaviæ* & *Chile* interjacet, famosissimum est, & à Viatoribus *Pambas* nominatur. Est autem desertum illud immensum Oceani instar longè lateq; exporrectum, minimè tamen infrugiferum; siquidem sine ullis arenæ vestigiis totum herbis à naturâ consitum, & ab animalibus omnis generis incolitur, nec fluminibus, nec lacubus destituitur. Hoc ingrediuntur haud secus ac in Oceanum nauticâ pixide instructi, quam in terminum deserti, qui dicitur *los buenos ayeres*, eaque prima Paraquaiæ Urbs ad flumen Januarium sita, constanti lege dirigunt: Esseda habent lignea multorum hominum capacia, quæ cum à bobus trahuntur, simul herbarum graminumque conculcatione semitam deplanant, iterq; aperiunt, in quo conficiendo rarò trimestre, utplurimùm quatrimestre temporis spatium impenditur. Quantum hoc desertum in Austrum porrigatur, inexploratum est: nonnulli putant usq; ad fretum Magellanicum id extendi. Hoc ex relatione se habere scribit *Kircherus in mund. subterr. l. 2. c. 12.* bimestri ferè spatio nullum prorsùs editioris terræ, montiumque vestigium hoc in loco apparere, patulumque esse undique & undiq; Horizontem. Undè meritò Oceanus terrenus dici posset. Vide *P. Alphonsi d' ovale histor. Chilens. Regni.*

3. Sabulosa deserta potissimùm se spectanda exhibent in Africa & Arabiæ felicis terminis borealibus. Putat autem *supra memor. Kircherus*, sabulosum illum Oceanum inter Sinum *Persicum* & *Erythræum* interjectum antè diluvium continuatum mare fuisse; diluvium verò ingentes sabuli, arenarumque cumulos illuc collegisse, terramq; elevatam, marique intrà sinus suos coacto hanc sabuli congeriem reliquisse. Idem sentiendum putat de sabuloso Tartariæ deserto, quod mari Caspio connexum olim fuisse arbitratur, uti & de Lybiæ arenosis campis, cùm Inferioris Ægypti pars olim mari inundata fuisse credatur, nec de Lybia id negandum videtur; cùm æquâ planè cum Ægypto planitie distendatur. De Arabiâ etiam desertâ, quæ nunc Arden vocatur, *Cluverius* tradit, eam planam maximâ ex parte, at sterilem, ideoque desertam esse. Singulare verò est & admiratione dignissimum, quod narrat *Pierre Bellon* in deserto Arabiæ circà *Sinai* montem ab itinerantibus observari, quod singulis diebus manè integer exercitus à longè quidem, sed naturalissimè cernatur, ità ut ignari hujus phasmatis plurimùm terreantur. Plura alia deserta mirabilia recenset *Happelius mundi mirab. part. 3. cap. 12.* — Sabulosa deserta in Africa & Arabia.

4. Inter Marsiliam & Rhodani ostium *Strabo* refert, campum esse stadiorum centum, locumque refertissimum silicibus hominis pugno non minoribus; ibi sponte ab ipso ejus campi solo ventum efflari, cui nomen Metembrio est impositum, cujus tanta est vis, ut eosdem silices per turbinem grandinis more elevet, hominesque sternat, quin & è curribus ejiciat, armis eosque denudet, & vestibus. Hunc campum *Kircherus in mund. subterr.* — Campus mirè ventosus.

subterr. lib. 2. *cap.* 29. §. 4. putat esse eum, quem Galli *La crau* vocant, eumque se transiisse scribit An. 1633, ac innumeris quidem saxis seminatum reperisse, ventum tamen, qualem *Strabo* describit, non advertisse, aut ab Incolis tàm vehementem unquam observatum intelligere potuisse. Campus etiam in Carniolia, ut refert *Valvasor in ejusdem descript. lib.* 2. *cap.* 61. reperitur Karstnensis sive *Nakrasso* dictus, in quo potissimùm hyberno tempore inter *Triest* & *Senosetsch* (quæ regio etiam *Gabrek* nuncupatur) ventus validissimus Incolis *Buria* dictus ab Orientali plaga Ortum habens tàm vehementer sævit, ut absque vitæ periculo nulli sive pediti sive equiti transitum permittat.

Sabulosa planities mirabilis in Westphaliâ.

5. Locus est in Westphaliâ quatuor circiter leucis distans juxtà pagum, quem *Altenbecken* vulgò vocant in aperto campo, quiarenarum cumulis undiq; & undiq; consitus sine ullâ aquæ suspicione cernitur. In hac sabulosa planitie aqua bis interdiu erumpit tanto cum impetu & fragore (undè & nomen Bollerbrunn meruit) ut totam illam superficiem inundet, & deindè eodem modo, quo crevit, decrescens penitùs se abscondat solâ sabulosâ superficie remanente. Ridiculum est, quod narrârunt *Kirchero*, ut memorat *in Mund. subterr. lib.* 5. *sect.* 4. *cap.* 4. accolæ fontis *Episcopum Theodorum quandoque Gynecæum miraculi hujus videndi avidissimum animi relaxandi gratiâ secum eò duxisse, mensam in media superficie struxisse opiparè ac lautè instructam, qui uti naturæ loci probè conscius, ità fœminarum nihil de occulto naturæ dolo, ne per umbram quidem suspicantium curiositatem ludendam duxit. Vicina jam hora eruptionis aquarum erat, cùm ecce inter confabulationes cunctis jucundè & hilariter genio indulgentibus, aqua solito impetu erumpens, dum suprà mero se madefaciunt, lympha infra suas probè partes explens pectore tenus commensales ità diluit, ut qui siccis pedibus mensam accesserant, jam vado aridam, non sine eorum, qui naturæ ludibriorum conscii tempestivè sese subduxerant, asspectantium risu & cachinnatione petere cogerentur.* Ità *Kircherus.*

Campus mirabilis in Carniolâ.

6. In Carniolâ non procul *Laubaco* locus est (qui aliàs Lacus Zirknizensis dicitur) admiratione omni dignissimus, qui primo Æstivo & Autumnali tempore pratum multiplici germinum fœtura gravidum mentitur; in

Fig. 1.

Novembri verò longè latèq; stagnantis aquæ speciem refert, totâque hyeme glacie constrictum comperitur. Verno verò tempore defluente aquâ in agrum seminationi aptissimum evadit, ità ut unus & idem locus nunc ager, nunc pratum fruticosum, modò lacus triplici à Naturâ sibi concredito munere fungatur, neque sine insigni publici boni emolumento cum copiosâ messe tùm frumenti, tùm leguminum fœnique patriam non beet duntaxat, sed & venatione leporum, aprorumque æstivo tempore œconomis non exiguum præstet subsidium, uti & hyberni temporis initio copiosâ piscium capturâ insigni sanè commeatu Territorium provideat. Causam hujus metamorphosis vide apud *Kircherum in Mund. subt. lib.* 5. *cap.* 3. Exactiorem etiam descriptionem habes apud *Valvasor in Carn. lib.* 4. *cap.* 46. & 47.

Campi Phlegræi Puteolani.

7. Haud procul *Puteolis* intrà fauces montium planities longè latèque exporrecta in conspectum venit, locus certè omni horrore & formidine plenus. Longa autem hæc planities dicitur pedibus 1200, lata 1000; quam olim *Plinius Campos Phlegræos* à flammis & ardore vocavit. *Cornelius* autem *Strabo Forum Vulcani* appellavit: ubi & antiqui Gigantes ab *Hercule* superatos, fabulati sunt. Solùm ibi passim flagrare conspicitur, & magnos ubique cum sulpureo odore fumos per plura foramina exhalare non sine horrore videtur, qui per omnem latè regionem ventis etiam *Neapolim* usque deferuntur. Ipsum quoque cùm tangitur à supra ambulantibus, quasi tympanum propter concavitates resonare, & crepitare advertitur, ferventes insuper aquæ, fumiq; densi & igniti ibidem sibilare, ac fluere hinc indè cum magno fragore per tubos atque cavernas subterraneas vi exhalationum factas comperiuntur. Ingens porrò in eâdem planitie lacuna summoperè admirationem auget, quæ continuò bullientibus, & nigro suo colore formidinem incutientibus aquis plena spectatur. Mirum & illud, voraginem illam aquas ultrà humanam staturam ad 8 vel 10, & adhuc plures pedes in pyramidis modum, easque pingues ac luteas sulphureique coloris in altum evibrare, & hoc potissimùm, cùm mare æstuat, non item, quando quiescit. Spectantur etiam in his caminorum ductibus spiracula non pauca, quorum aliqua perpetuum ventum formidabili cum sonitu & fragore eructant tanto cum impetu, ut etiam injectum lapidem mox foràs remittant: nonnulla fumum flammis mixtum ejaculantur; omnia tandem, ut paucis perstringam, ibi horrida, luctuosa, ac formidanda inferni quandam speciem repræsentant. In Lothiania quoque Orientali Scotiæ propè prædium de *Elphinsten*, ut tradit *Robertus Sibbaldus prodrom. Hist. Nat. Scotiæ part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. & in Provincia Fifensi paulò suprà oppidum *Dysart* utrobique planities longa flammis perpetuis exhausta foraminibus permultis cavernosa est, ex quibus passim fumi erumpunt. Quæ propè *Dysertum* oppidum planities est mari vicina, cum ventorum tempestates ingruunt, ob magnos fragores & tremendos ardentis ignis sonitus, flammasq; hinc indè erumpentes ingentes accolis terrores persæpè inducit.

Fig. 2.

Campi vulcanii in Chinæ Provincia Xansi.

8. In Chinensi quadam Provinciâ *Xansi* putei ignei non secùs ac aquei passim in campis reperiuntur, ubi Incolæ magno compendio, ac sumptuum parsimoniâ cibos impositos coquere solent. Hoc verò ut efficiant, putei orificium ità claudunt, ut præter ollam aut cacabum nihil aliud admittat, eo fine, ne calor per laxiora foramina dissipatus obturatis strictè terminis magis magisque intendatur, atque ità nullo penè labore cibos intrà breve tempus indigenæ excoquere solent.

Fig. 3.

Gargaræ campus fertilissimus.

9. Urbs Mysiæ *Gargara* in Hellespento, cui imminet Mons *Ida* dictus, cujusque cacumen itidem *Gargara* dicitur, in toto

Orbe


Mons Iavornig.
Mons Slivenza.
Fig. 1.
S. Leonis.
Vornek.
Dervaschek.
Mala Goriza.
Läse.
Velka
Goriza.
Lacus Cirknizensis.
S. Wolfgangi.
S. Crucis.
S. Stephani.
Lipse.
S. Viti.
S. Laurentij.
Gekniza.
S. Mar. Magdalenæ.
Seromenza.
Martiriapotokh.
S. Petri.
S. Ioannis.


Fig. 2.
Campi Phlegræi puteolani.


Fig. 3.
Pyrophylacium.

Orbe fertilissimam habere dicitur planitiem. Cum enim perpetuis fontibus ex Ida descendentibus subjecta illic planities irrigetur, fertilissima redditur *Mysia* & imprimis *Gargara*, frugumque cerealium feracissima, ità quidem, ut *Gargara* in proverbium abierint pro insigni abundantiâ quarumvis rerum, teste *Macrob. lib. 5. Saturn. cap. 20.* ubi explicat locum *Virgilii in 1. Georgic.*

Humida Solstitia atque hyemes orate Serenas
Agricolæ, hyberno lætissima pulvere farra,
Lætus ager nullo tantùm se Mysia cultu
Jactat, & ipsa suas mirantur Gargara messes.

Planities ad radices Ætnæ perpetuò viret.

10. Mirabile planè est, quod in montis Vulcanii Ætnæ summitate, cùm nix & cinis æternùm ibi meditata conjugium omnia tristi & luctuoso vultu coöperuisse videantur: infrà verò hos nivium ac cinerum cumulos flamma fumusque funesto admodùm spectaculo erumpant; ambiens tamen montem planities pratis perpetuò virentibus ridere comperiatur. Quòd ipsum etiam *Plutarchus* jam olim observavit scribens in *quæst. natural: Circà Ætnam in Sicilia neminem ferunt cum canibus venatum ire, quia enim multos perpetuò illic, ut in viridario prata collesq; flores mittunt, à fragrantiâ, quæ eam oram occupat, obfuscari ferarum anhelationes. Fabula etiam narratur legentem ibi flores raptam à Plutone Proserpinam fuisse: cujus gratiâ colentes & venerantes eam regionem pascentibus illic non insidiantur.* Ità *Plutarchus.*

Valles profundæ in Megrelia.

11. Tradit *Haython in historia Tartaror. in Megreliâ*, & intrà Caspios & Caucaseos montes, valles ità profundas reperiri, ut Sol fundum earum nunquam penetret, adeoque perpetuum crepusculinum etiam in meridie tempus ibi vigeat; arboribus tamen, herbis, plantis, rivisque abundare, & ab hominibus etiam habitari.

Vallis amœnissima mirabilis.

12. Ad oppidum *Antiqueram* vallis est amœnissima, cujus longitudo est passuum mille & quingentorum, & ex omni parte clausa montium jugis: quæ vallis hyeme pluvialibus aquis impletur, & in formam magni lacûs efficitur: aquæ verò tandem calore Solis in salem candidissimum convertuntur. *L. Marin. Sicul. lib. 1. de rebus Hispaniæ.*

Vallis ab arena vitreâ mirabilis.

13. De Valle quâdam à vitreâ arenâ, quam profert, verè mirabili multa tradunt Scriptores. Inter *Ptolemaida* & *Tyrum*, inquit *Strabo lib. 26.* est littus aggerosum, quod vitrariam arenam fert, quam dicunt hoc in loco non fundi, cùm verò *Sidonem* delata sit, fusionem recipere. Tradit expressiùs *Josephus*, esse *Ptolemaida* Galilææ civitatem montibus hinc indè ferè obmunitam, convallatamque: Siquidem à Meridie Carmelo constipatur; à Septentrione verò, quem vocant *Scalam Tyriorum*, ab Urbe duorum ferè stadiorum interstitio fluviolus se offert *Beleus* nomine: ejus in propinquo *Memnonis* est sepulchrum, cujus adjacet locus omnium admiratione dignissimus. Ea est species vallis circumactæ in Orbem, quæ vitream arenam emittit, alioqui & singulare miraculum adest. Commeant illuc numerosi nautæ genus terræ avecturi: sed quidquid indè egestum fuerit, repletur mox. Eadem igitur semper campi permanet facies. Nec tamen uno ibi est miraculo Natura contenta: quidquid aliundè congesseris arenæ, transit è vestigio in vitrum: quod si ultra loci imagines fuerit denuò projectum in habitum priorem redit celeritate. *Cælius lib. 22. cap. 5. A. L.*

Sulphuris copia circa Mutinam.

14. Terræ tractus circà Mutinensem Urbem sulphur magnâ generat copia, ità ut si locus, undè sulphur erutum terra denuò repleatur, intrà quatuor annos verò sulphure repletus iterùm comperiatur. *Majolus.*

Pratum alearum in Helvetiâ.

15. In Helvetiâ propè *Padenam* urbem pratum est, propriè dictum *Alearum pratum*; sive vulgò die Würffel-Wiesen / ubi ab immemorabili tempore continuò plures aleæ effodiuntur. Causa earum omninò latet sapientes. *Ex Ulysse Brandeb.*

Terra in Insula Milo.

16. In Insulâ *Milo* Archipelagi terra ejus est naturæ, ut si effossa ibi transferatur aliò, mox alia renascatur, & in ablatæ locum mirabiliter succedat. *Neitschitz: itiner. Orientale.*

Serpentes ubi nulli.

17. In certo tractu Civitatis *Zama* in Africâ propè oppidum *Ismuc* nulli reperiuntur serpentes; & si qui serpentes illuc ferantur, statim emoriuntur; licet circà districtum illum, & in totâ Africâ ingens eorum copia reperiatur: imò terram ibidem effossam & aliò translatam serpentes, uti & alia venenata animalia pellere dicitur. *Joan. Bapt. Porta.* Etiam in *Orcadibus* Insulis nec serpentes, aut aliud venenatum animal reperiri docet *H. Boëth. in Scotiæ descript.*

Lupi in quâdam valle innoxii.

18. Lupi in Scotia ubique sunt gregibus atrocissimi, atque armentis infensissimi, præterquam in valle quadam Angusiæ nomine *Glemmores*, ubi domesticis animantibus innoxii ferarum prædâ sese pascunt. *Idem Boëth. lib. ut suprà.*

19. In *Butqubania* Scotiæ regione ad castellum *Slanis* mus gigni non solet, nec si inferatur vivit. *Cardanus de rer. variet. lib. 7. cap. 31.*

20. In Ithacâ, ut notavit *Plinius lib. 8. cap. 58.* Lepores illati moriuntur, extremis quidem in littoribus. In *Ebuso* cuniculi non sunt, scatent in Hispania, Balearibusque. In *Boëotiæ Lobadia* illatæ solum ipsum fugiunt, quæ juxtà in *Orchomeno* tota arva subruunt Talpæ. In *Poroselene* Insulâ viam mustelæ non transeunt.

Mirabiles tenebræ in quodam Scythiæ tractu.

21. Pars regni *Alaniæ* in Scythia *Auth. Sabell. lib. 6. Enn. 10.* trium dierum circuitu tàm densa obducta esse caligine dicitur, ut ob tenebrosam speciem nemo locum subire, nec cernere aliquid in eâ tenebrarum densitate possit. Qui proximè habitant, exaudiri ajunt indè voces hominum, & gallorum cantum, hinnitum equorum, nec horum tamen

tamen quicquam videri, regionem verò ipsam Anisen vocari dicunt. Fluit ex eâ terra amnis, qui suo invectu arguit locum non esse sine humano cultu. *Haythonus*, qui ad hæc usque loca pervenisse se ait, Author est in Gorgianæ gentis monumentis proditum Christiani cultûs manum ingentem in ea olim loca compulsam impiâ *Savorini* Persarum Regis insectatione. Cœterùm cùm hostile ferrum fugientium cervicibus immineret, miraculo evenisse, ut profuga multitudo tenebris sit repentè obsepta in munitissimi valli speciem.

Mirabilis Terræ proprietas. 22. In Umbriâ propè civitatem Narni singularis terra reperitur, quæ sicco aëre tota madet, & humida ac tenax est instar luti; Cœlo autem pluvioso ac humido aret, & tota pulverulenta comperitur. *Majolus*.

Mira Hyberniæ. 23. In Hyberniâ alicubi nulla apis, imò hinc elatus pulvis aut lapilli apes abigunt ex alveariis. *Fournier Geogr. orb. not. lib. 5. cap. 5.* nullum etiam animal noxium gignere dicitur, non araneam, non ranam, nec alere aliundè invectum. Affirmat *Beda* vidisse se rasuram è paginis codicum indè allatam, & ictis à serpente in potum datam extemplò veneni vim restinxisse.

Inexhausta lapidicina. 24. In *Catalonia* inexhausta & perennis laudatur lapidicina crescente sic materiâ & cicatricem obducente naturâ, ut nihil penè videatur excisum, licèt infinita quotidiè petatur materia.

Animalia, quæ jecore & felle carent. 25. In *Chalcide* nullum dicitur pecori esse jecur; inveniri quoque pecora, quæ felle carent. Anguillæ aureis & argenteis ornatæ inauribus, & mugiles mansueti. Ità *Fournier lib. 10. Geog. orb. notit. c. 8.*

Ubi cadavera non putrescunt. 26. In Insulis dictis *Arran* propè oram maritimam *Connachiæ*, ajunt, non putrescere hominum corpora, & plerosque habere avos, atavos, majores in Larario; mures similiter nullos esse, si aliundè illati fuerint, dare se præcipites in mare; vel si impediantur, emori. *Idem lib. 5. cap. 6. Parisiis* verò in Cœmeterio *des innocents* terra arrosivam eam habere virtutem dicitur, ut intra novem dies (alii volunt intra 24 horarum spatium) sepultorum in eo cadavera penitus absumat. Propè Rostockzensem urbem quoque Mechlinensis dominii ad destructum *S. Gertrudis* templum terra adeò vorax esse perhibetur, ut anni dimidii spatio non tantùm cadavera sepultorum ibidem cum ossibus, sed & sarcophagos exedat & absumat. *Valvasor Topogr. Carn. lib. 2. cap. 50.*

Triticum mirè ferax. 27. *Santaren* oppidum est Portugalliæ, dictum olim *Scalabis* & *Præsidium Julium*, posteà *S. Irene* à corpore ejusdem Sanctæ illuc delato, & labente ævo *Sanctaren*. Situm est in edito colle, ager verò ibidem olei, viníque fœcundus; Tritici verò sic ferax esse dicitur, ut alicubi sexagesimo die à jacto semine segetes maturas possis demetere; alibi verò quadragesimo die, & quidem mensurâ centuplicata. *Idem lib. 7. cap. 12.*

28. Roseus campus in agro *Reatino*, quem fertilissimum & *Sumen* Italiæ *Varro* testatur à veteribus Scriptoribus mirè laudatur, ut proindè mirari liceat, cur *Tempe* post defluxum aquarum arida, rosea tamen rura tantæ fertilitatis remansisse dicat *Servius*, ut etiam perticæ longitudinem altitudo superaret herbarum, quin etiam quantùm per diem demptum esset, tantum per noctem cresceret, quod etiam *Virgilius versibus* celebravit *seqq.* — Campi rosei fertilitas.

Et quantùm longis carpent armenta diebus
Exiguâ tantùm gelidus ros nocte reponet.

Kircherus tamen in *Latio* agrum Rosalanum, uti *Servius* vocat, non tantæ fertilitatis fuisse, existimari debere scribit, ut perticæ erectæ altitudinem herbarum superaret fertilitas, sed ut Cæsar *Vopiscus* inquit, in quo relictæ perticæ postridiè non apparerent propter herbam. Cui subscribit *Plinius* iisdem penè verbis. De perticis igitur non in altum erectis, sed in humum projectis & ab herbis superatis fertilitas intelligenda est. Subdit deindè *Kircherus*, hunc districtum Reatinum hodiè tantæ feracitatis se non comperisse, quàm Veteres illi attribuerunt.

29. Narrante *Petro Mart. Decad. lib. 6.* in Indiæ Occidentalis Provinciâ, cujus olim Caput & Metropolis dicta fuit *Dariene*, nunc autem destructa & eversa est, locus esse dicitur, qui ab Incolis pluribus inhabitatur, & circum multis paludibus & aquis putridis scatet. Hujus solùm adeò venenatum est & insalubre, ut cum pavimentum domûs alicujus aquâ perfunditur, intrà horæ spatium bufones & rubetæ innumeræ ibidem enasci soleant. — Solum à rubetis insalubre.

30. In Bohemiâ inter Dominium *Biesin* & *Czachrow* duo campi contigui sunt, dumque in uno est hyemale frigus, alter hilarescit calore æstivo, hìc messis, ibi viride frumentum; hìc ros, ibi pruina. Nitrum uni, alteri copiosos ignes subesse existimat *Tylkowski in phys. cur. part. 3. par. 4. cap. 1.*

31. In Agro Trojano propè *Lectum* promontorium est Halysius campus & Tragesci sales, qui spontè nascuntur, & Etesiis ventis congelascunt. *Æneas Sylvius cap. 70. Asiæ.*

32. Hispaniolam Insulam cùm *Columbus* invenisset, sicut *Petrus Martyr* recenset *in sum. Indiæ*, frumentum Februarii satum initio maturum trigesima Martii messuit. Hoc brevi intervallo in tantam amplitudinem creverunt aristæ, ut hominis brachio magnitudine, longitudineque æquari possent. Duo enim granorum millia singula complectebantur. Pepones singulis anni partibus ibidem haberi recentissimos scribit *Ovetanus summ. cap. 81. Hist. lib. 11.* tantæ magnitudinis, ut vix humeris unius ferri possint: Fœnum quoque abscissum quintâ die ad cubiti proceritatem adolescere. — Hispaniolæ fœcunditas.

33. Memorantur etiam à Scriptoribus varii quidam terræ tractus & portiones mobiles, qui firmiter loco non consistunt, sed in mari — Insulæ natantes.

mari vel aquis aliis circumfluis huc illuc vagantur. communiter etiam â Geographis Insulæ natantes appellantur. Sicut *Mela lib. 1. cap. 5.* recenset, in quodam lacu circa Nili ortum Insula est lucos, Sylvas, & grande sustinens ædificium: Natat tamen, & quocunque venti agunt, impellitur. Sic in *Vadimonis* lacu & ad cutilias aquas teste *Plinio lib. 2. cap. 95. & Macrobio lib. 1. Satur. cap. 7.* opaca sylva nunquàm eodem loco, die & nocte visitur. Sic in Lydia, eodem referente *Plinio*, quæ Calaminæ vocantur insulæ, non ventis solùm, sed & contis, quo libet, impelluntur. Sic in Tarquinensi lacu magno Italiæ, ut *Mela* memorat *lib. 3. cap. 1.* duæ Insulæ nemora circumferunt nunc triquetram figuram exhibentes, nunc rotundam in complexu habentes, nunquam tamen quadratam, quæ ventis impelluntur, & ita immutantur. In Garumnæ verò fluvio Hispaniæ *Atros* Insula aquis increscentibus pendet & attollitur. Magis verò mirandum est, quod *Jonstonus* refert *in Thaumatog.* in Nymphæo parvas Salutares dictas Insulas esse, quæ Symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur.

CAPUT VI.

De terrestrium glebarum naturâ, abditis proprietatibus, & occultis ad varios usus qualitatibus.



Visis ac inspectis externis terreni globi aëri perviis in ejusdem superficie miraculis, nunc etiam profundam ejus intrà sinus nempè magis abditos conclusam sobolem perlustrare aggredimur: Ubi imprimis ipsa terrestris materiæ miscella, sive gleba illa tot, ac tam mirabilium in Geocosmo transmutationum matrix ac parens sese offert inspectandã. Nequaquàm verò hoc loco per terrestrem materiam intelligi volumus, terram illam primordialem, quæ in principio mundi â Ter opt. Maximo Pantoplaste Deo ex non entitate sivè nihilo creata fuit; neque etiam eam, quæ ut simplex Elementum, sive principium quoddam intrinsecum cum aliis elementis corpora componit, ac composita constituit, sed propriè terream substantiam elementatam, sivè jam mixtum & ex diversis aliis compositum fossile quodam corpus, quod ab humido irrigatum primùm mollescit, ac mox avito humore liquidum redditur. Quidquid igitur effoditur, si addito humore solvatur & reseratâ compage emollescat ac defluat, id Terram hoc loco intelligi & nuncupari volumus. Hoc porrò loco aliud non intendimus, quàm per regulas, & observationes quasdam Geognomicas ex probatissimorum Authorum monumentis depromptas, & in epitomen collectas, usu etiam omni vario comprobatas Lectorem breviter informare, ut inspectione terrestrium glebarum earum feracitatem, aut sterilitatem, atquè intimas alias vires, & occultas qualitates ac proprietates perspicere & dignoscere facilè possit. *Terra quid sit.*

§. I.

Regulæ & observationes generales Geognomicæ.

1. Licet Terra ut Elementum secundùm substantiam suam similis censeatur esse in toto & partibus: non datur tamen ulla Terra elementata talis: sed plerasque terras constat esse cum succis & aliis particulis mineralibus permixtas. Hinc diversi tum sapores, tum colores, tum & aliæ facultates oriuntur, quòd secundum qualitatem in suis partibus non sint uniformes. *Terra simplex non datur.*

2. Cùm terra non sit unius generis, rectè *Aristoteles* eam distinxit in *Fossilem*, ac *Transmutabilem*. *Fossilis* eadem manet, & verè Terra est; *Transmutabilis* autem specie solùm, & visu talis est, cùm ea facile in metalla, aut succos, & alia ejusmodi transeat. *Alia Fossilis, alia Transmutabilis.*

3. Veræ Terræ species duæ solent esse, quarum una *Sincera* est, quæ pullo plerumque colore aut huic proximo constat. Altera *Non sincera*, quæ licet metallicum nequicquam contineat, alterius tamen coloris est. *Sincera: & non sincera.*

4. Omnis Terra, quæ alieno colore prædita est, exhalatione permutata censetur juxta mentem *Aristotelis*. At *Theophrastus* putat â calore natam esse varietatem: *Sed utrumque verum est*, ait *Cardanus de subtil. 2. nam modò sub eâ metallica inveniuntur & hæc exhalatione tingitur: modò nihil; & hæc â solo calore provenit. Verùm quæ ab exhalatione tingitur, quasi splendet, quæ solo calore; non splendet, & colorem habet obscurum aut ferreum, aut nigrum.* *Undè Terræ mutatio.*

5. Optima terra non semper unius est coloris; quamvis pulla sit plerumque: Verùm & quædam nigra est argillosa quasi, & quæ nullâ labe corrupta. Labes autem sunt, si sit arida, scabra, exesa, canescens, pumicosa, aut fistulosa. Quæ autem Terra nigricans est, censetur esse calidior, ideò & fœcundior. *Optimæ Terræ color.*

6. Terra pinguis sæpè est subnigra: hunc quippè Colorem exhibet humore perfusa: Verùm exsiccata, ut plurimùm albescit: ubi aquâ diluitur, lutum facit, ac tenacior est, quàm arenosa: Undè humore affuso & manibus subacta vel agitata non facilè dividitur aut dissolvitur. *Pinguis Terræ color.*

7. Terra sterilis & macra citò solvitur, cùm illius partes nullo vinciantur glutine.

8. Solum argillosum, densum & plerumque tenax est atque sterile: Plantarum equidem vegetatio & nutritio cùm fieri nequeat citrà partium resolutionem, terra autem illa cùm tenacior sit, exolvi aut dividi facilè non potest: Undè neque ullum adeò plantis aptum præbere valet succum, cùm nullos habeat meatus, quibus alimentum percoletur, quin *Solum argillosum & tenax.*

quin potiùs plantarum fibras suo glutine implicare solet.

Ab effossâ Terrâ bonitatis ejus cognitio. 9. Effossa ex quocunque loco Terra, si totam rursum expleat fossam, ità ut aliquid etiam redundet, signum est terram esse densam. Si autem tota fossa per egestam terram expleri non possit, censebitur terra tenuis & rara. Undè *Manlius loc. Com. Germ. tit. de Geniis.* Quandò, inquit, *Witteberga* vel *Lipsiæ* fossa conficitur, inque eam iterùm congeritur exacta terra, nunquàm repleri fossa plenè potest, certo argumento terram esse subtilem & tenuem. Econtrà cum in Thuringia iterum expletur fossa terrâ suâ, semper aliquid remanet: quod est indicium soli densi & pleni. Addit deindè *Manlius* experimento deprehensum esse Triticum Wittenbergæ satum tertio anno degenerâsse in secale; Secale autem satum in solo Thuringico tertio anno mutatum esse in Triticum. Ex quâ diversitate crescentiæ diversitatem glebæ terrestris colligere licet.

10. Uti experimentis constat terras aridas citò dissolvi; Ità quoque compertum est, duras vix subigi, aut manibus tractari posse: raras verò igni admotas liquores vix continere.

Terra arenosa qualis. 11. Cùm arenosa Terra minutissimorum lapillorum congeries fit cum permodicâ Terræ portione conjuncta. Hinc arenosa terra humorem non retinet, sed per laxiores poros trajicit, & quantumvis copioso imbre diluatur, non lutescit: ac quia etiam arena corpusculis constat angulosis & penè vitreis, sivè diaphanis, uti per meliora microscopia observatur; hinc sterilis est, & cum humore exsolvi non possit, ideò nec seminali plantarum facultati obsequi valet. Undè indicium magnum sterilitatis est, si terra comperiatur esse candida, levis, aut arenosa.

Tactu quomodo terræ dignoscendæ. 12. Ut attactu terræ comperiantur; observari potest, quod ea, quæ pinguis est, facilè adhæreat digitis: Macra verò & rara absque inquinatione facilè decidat, & inter digitos commolatur; Gravis autem, quæ & grossa ac tenax, facilè non tandem digitis, sed & quibusvis instrumentis adhæreat, atquè difficulter amoveatur. Undè etiam *Cardanus de Variet. lib. 1. cap. 3.* ut pinguis terra dignoscatur, docet parvulam glebam aquâ conspergere & subigere: Si glutinosa est, & adhæret, constat, inquit, *illi inesse pinguedinem: item si effossâ scrobe, eâdemque terrâ repleta dehiscat indita terra exilis est & macra: Si promineat & exuberet, pinguis; si media, mediocris.*

Ex sapore quomodo noscenda. 13. Ex sapore dignosci potest terra, si aqua munda glebæ affundatur & commisceatur, deindè considere permittatur, quousquè aqua denuò limpida ac pura supernatet, hæc degustata si dulcis fuerit, optima erit: Si ingrati saporis haud probatur.

Ex situ. 14. Terra fertilior ex situ discernitur; si nempè ita sit disposita ratione sitûs ad Cœlum, ut solares radios directiùs accipiat, ac diutiùs retineat. Quæ verò magis elongatur à radiis solaribus, ità ut parciùs ac obliquius eosdem concipiat, minùs apta frugibus ac vineis colendis censetur.

15. Quò terrestris gleba ex loco mari, lacubus, fluviisque propinquiore eruitur, eò humidior, pinguior & calidior esse perhibetur. Quæ verò ex loco ab his remotiore, plerumque siccior, & frigidior reperitur. Terra ex humidis locis.

16. Terra bona, quæ rore crebrius perfunditur, mollificatur, impinguatur & melioratur: Si verò arenosa fuerit, vel admodùm lapidosa â copiosiori roris affusione ampliùs induratur & pejoratur.

17. Terra quæ conflatur ex nativâ quâdam pinguedine, ortâ partim ex salinis, partim bituminosis spiritibus, quibus universa terræ moles est referta, quæquè adhæret terrestribus massis, easque fœcundas reddit; eò, quod pinguedo adhærens partes partibus conglutinet; humido deindè accedente terræ massam simul spissam & pinguem reddat; frumenti generationi etiam censetur aptissima. Terræ bonitatis indicium.

18. Est quoddam argillæ genus pingue, quod terris inspersum eas mirificè fœcundat, diciturque Germanis *Marga*, eoquòd sit quædam velut terræ medulla, sivè germanicè Marck. Hujus speciei alia est durior, & lapidi similis, quæ longiore temporis tractu dissolvitur, habeturque humidioribus terris utilior. Alia verò est mollior & siccioribus magis convenit. Utraque tamen suam fœcunditatem sali nitroso aut sulphureo, quo abundare dicitur, acceptam refert. Sal quippè non acidus aut vitriolinus, sed nitrosus & pinguis maximè fertilitatem conferre solet. Compertum enim habetur, nusquam majorem salis nitrosi tam volatilis, quàm fixi copiam in terris se prodere, quàm in Margâ: Undè cùm aëri aliquandò fuit exposita, novo subindè nitro fœtatur, haud secus ac nitrosæ terræ, ex quibus sal petræ eductus fuit, aëri denuò expositæ novò sale petræ imprægnantur. Cùm insuper diu Marga humorem retineat, hinc fit, ut novo ex aëre nitro faciliùs imbuatur. Marga qualis.

19. Quod terrestris agrorum materia tantâ colorum varietate diversis locis affecta cernatur, siquidem alicubi prorsùs nigra, alibi rubra, flava vel candida, cinereaque reperitur, hoc fieri autumat *Kircherus lib. 7. Mund. subterr. sect. 2, cap. 1.* vel ex arenæ, in quâ Juglandium folia, nuces, nucumque involucra, aut gallarum fœtus putrefacta, atquè in terram conversa humorem terræ vitriolatæ inexistentem illicò in aterrimum colorem tingant: Fulva verô originem suam habet â montibus ochrâ, sulphure, aut sandarachâ fœtis, qui in planitiem advecti, ubi terram propagant, fulvam sivè auream; Æruginosam verò â montibus æratis glebis scatentibus oriri dicit. Ego tamen terrarum colores haud aliter fieri existimo, quàm lapidum ex succis potissimùm aut vaporibus intimis, sivè fumis metallicis in terrestres meatus exhalatis, unaque permixtis ac dispersis. Causa diversitatis colorum in terris.

20. Quià etiam pleræque terræ cum succis mineralibus permixtæ inveniuntur, hinc non tantùm eorum colores, ut suprà dictum, sed & sapores, ac reliquæ facultates oriri censentur. Ità succus aluminosus cum terrâ commixtus adstringentem; a- Permixtio terrarum cum succis mineralibus.

tramento-

tramentosus acrem; nitrosus amarum saporem conciliat. Ubi verò terra succo pingui vel bituminoso imbuitur, flammam facilè concipere solet.

Terræ agris colendis ineptæ. 21. Terræ, quæ metallicis succis, miscellisque nimium fœtæ sunt, cùm radices herbarum exedant, & corruptionem inducant, ab Agricolis meritò repudiantur. Arenosæ verò & glareis sabulisque refertæ, uti spinis & tribulis proferendis aptiores; ita etiam ab Agricolis, ut plurimùm tanquàm inutiles reputantur.

Terræ cognitio ex loci & plantarum ibi nascentium constitutione. 22. Ejus etiam proprietatis censetur esse terra, cujus est constitutio loci, è quo eruitur. Undè etiam Agricolæ ex herbis in terrâ aliquâ nascentibus optimè ejusdem naturam arguunt. Ità si ager quispiam suâ spontè herbas producat atras, amaras, & macilentas: Terram ejusdem proprietatis arguunt: Si juncis, arundine, cypero, similibusque abundare comperiatur, uliginosam terram judicant humido abundanti semen suffocantem. Si porrò rhamnos, paliuros & spinosam sobolem producat, cultu arguunt difficillimam, utpotè quæ rastra & vomeres ingentibus glebis oneret; cœteroquin tamen frugibus ferendis non adeò inidoneam decernunt. Arida etiam & inutilis terra judicatur, ubi plantæ vel arbores coniferæ spontè nascuntur, eæque proceræ. Deterior adhuc erit, si humiles ac tabescentes, amaræ quoquè, uti buxus, erica, absynthium & quæ frigiditate noxiæ, ut Apollinaris & cicuta. Filix quoque inter amaras reputatur: Undè & Terra, quæ frigidiora venena parit, frigidior: Quæ amaras plantas, aridior judicatur: Sterilis est & terra, in qua herbæ nudis spinis longis & acutis nascuntur; Item ubi genista uberiùs provenit: Nec solùm hæc, sed cùm frequens est genus unum herbæ, quod in pratis non videtur, sed tantùm in locis incultis.

23. Cùm verò in solo aliquo, sivè terrestri regione herbæ & arbores, præsertim quæ pingue aliàs requirunt solum, ubertim luxuriant, certum bonitatis soli illius argumentum habetur.

Fertilitatis indicium ex ventis. 24. Fertilitatis terræ indicium quoque à ventis habetur. Terra equidem, quam continuò Venti Orientales afflant, temperatè calida, ac inter siccitatem & humiditatẽ quasi mediâ aliquâ qualitate imbuta censetur, ideóque ut *Constantinus* dicit, fœcunda, & floribus & fructibus, magìsque congrua habitationi reputatur. Occidentales venti cùm frigiditatem & humiditatem afferant, terram minus attemperant, minusque fœcundam efficiunt. Venti Septentrionales, quià siccitate & frigiditate suâ terram infrigidant & desiccant ideò poros terræ occludunt. Undè Calor naturalis, & intrinsecus retinetur, proindè terra hæc radicibus quidem herbarum ac plantarum conferre potest, non autem plantis è terrâ enatis ac propatulis: ratione tamen aëris terram subtiliant, & depurant. Venti Australes, quià calidi & humidi terram, quam continuò perflant, potiùs turbant, calefaciunt, inspissant, & incrassant. Verùm hæc universim pro omni regione terrestris globi dicta non sunt.

25. Terra ab exercitio & operatione plurimùm meliorari potest: Unde quantò plus foditur, & evertitur, tantò ejus insita virtus cum singulis partibus ampliùs permiscetur, nitrum etiam aëreum uberiùs concipitur, sicque aptior redditur, ut ex ipsâ uberior fructus progigni possit. Terræ cultura & fodicatio prodest.

26. De Terrâ, quæ ex *Nilo* extrahitur, & deindè exsiccatur, hoc mirabile fuit observatum, quod toto anni tempore non muteturin pondere, sed eadem in gravitate perseveret usque ad diem 17 Junii, quo solitò fit gravior: quo eodem tempore *Nilus* exundare solet. Terra ex Nilo extracta.

27. *Tilon* Indiæ Insulam notavit etiam D. *Augustinus de civitate lib. 21. cap. 5.* eò præferri cœteris terris, quod omnis arbor, quæ in eâ gignitur, nunquam nudetur tegmine foliorum. Idem docet *Solinus cap. 53.* Terra Insulæ. Tilon.

28. Terra alba magìs cognata est serpentibus & serpentes non tantum citiùs indè generari, sed etiam in eâdem libentiùs latibula sua quærere compertum est; cum terra ea, uti & ipsi serpentes, frigidioris sit temperamenti. In terrâ verò nigrâ, quæ calidioris est naturæ, fruges, quarum indoles ad calorem accedit, uberiùs enasci & progigni solent. Terræ albæ & nigræ temperies.

29. Elidis terra cibis mixta efficit eos saporis exquisiti, si credimus *Theophrasto*, inquit *Fournier in Geogr. Orb. not. lib. 10 c. 7.* Terra cibis mixta.

30. Ex *Plinio lib. 2. cap. 94.* admiranda habemus ista. *In agro Ardano frumentum satum non nascitur. Ad aquas Martias in Vejente & apud Tusculanum & in sylva Ciminia loca sunt, in quibus in terram depacta non extrahuntur.*

§. II.

Regulæ & observationes Geognomicæ de Terrâ ad certas in specie plantas aptiore.

1. Terrestris miscellæ gleba, dum plantarum ac quorumvis vegetabilium generationi subservit, fœcundæ cujusdam matris officio fungitur: Cùm velut succuba parens, mox ut ei quodcunquè aliud congruum feminium, veluti vegetabilis cujusdam plantæ intimè commissum, conjunctùmque fuerit, illud intimo suo amplexu in se, velut in utero materno, atquè communicatâ suâ quoquè virtute salinâ, sivè seminio naturali benignè fovere & in vegetationem animare, sive ad eam formam, quam Natura in commixto vegetabilis plantæ semine intendit, quæquè ei jure naturæ debetur, agitare, ac in lucem producere conatur. Dum itaquè duo hæc inter se commixta feminia mutuo attractu & complexu pro fine generationis ad Naturæ intentionem collaborant; fit tandem, ut fœtus ex terreæ substantiæ utero effundatur, & luci externæ concreditus nunc germen, nunc florem, nunc fructum, nunc deniquè semen novum pro perpetuandâ vegetabilis specie emittat. Terra instar matris.

2. In omni seminis cum terrâ conjugio humor apprimè necessarius est, adeò ut ejus defectu nulla progenies suscitari queat: terrestris equidem miscella obstetricante quasi humore fœcunda fit parens mirabilium eorum in Geocosmo proventuum, quos admirari Humor necessarius ad vegetabilium generationem.

rari satis non valemus. Undè rectè etiam cecinit *Lucretius lib. 2. de Terrâ.*

Humorum guttas mater cùm Terra recepit
Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta,
Et genus humanum: parit omnia sæcla ferarum
Pabula cùm præbet, quibus omnes corpora pascant,
Et dulcem ducant vitam, prolemque propagent.
Quapropter meritò Maternum nomen adepta est.

Cur una Terra etiam differentes res producat.

3. Quod una eademque terra quoad oculum tam diversas plantas, germina, aliasque res quascunque differentes producat, haud credi debet ab unâ eâdemque simplici substantiâ id provenire, sed potiùs ex differentis naturæ glebis admixtis, quarum unaquæque inclinatur ad id, quod ipsi magis naturæ affinitate consentaneum est. Undè etiam patet, non unam eandemque sæpè terram omnibus & quibuslibet vegetabilibus producendis aptam esse, cùm desit affinitas partium, quæ productioni, nutritioni, ac sustentationi eorum necessaria est. Haud secus ac in animalium generatione non quævis uteri constitutio, ac quæcunquè seminalis indita virtus ad cujusvis speciei dato suæ propagationis feminio ad quemcunquè fœtum apta reperitur, sed certa quædam dispositio, similitudo, ac conformitas requiritur, ut radiatione suæ virtutis & conformatione matricis fœtum sustinere, fovere & in debitæ formæ statum efflare, tandemque in lucem producere possit: Ità etiam pro vegetabili naturâ non quævis terra quibusvis herbis, plantis, floribus, arboribus, aliisque vegetabilibus producendis apta comperitur, ut & *Ovidius* antiquus Poëta jam pridem decantavit his versibus.

Nec tellus eadem parit omnia: Vitibus illa
Convenit; hæc oleis; hìc benè farra virent.

Sympathia locorum terrestrium ad plantas.

4. Datur idcircò Sympathia glebarum, ac terrestrium locorum in specie ad certas quasdam herbas ac plantas, in quibus uberius, aut tantùm, ac in certâ quadam virtute; alibi autem difficiliùs ac debiliùs producuntur: Ità in terrâ pingui crescit benè omne frumentum, non alibi; in vallibus lilium convallium, in viis centumnodia &c. Vide infrà *Disquis. Phythognomicam.*

Terræ montanæ probitas.

5. Terra montana meliorum & salubriorum fructuum, ut & aromatum feracior censetur: causa imprimis est aëris puritas, quæ in summitatibus montium ampliùs dominatur. Undè & fructus puriores ac dulciores ibi provenire solent. Deindè quià montes solares radios citiùs ac directiùs recipiunt, & susceptam illuminationem diutiùs retinent; fructus etiam ibidem nati melius excoquuntur ac perficiuntur.

Terræ convenientia certis plantis.

6. Quod etiam attinet Soli aut terræ constitutionem secundùm pinguedinem, raritatem, ac levitatem, umbras item ac liberam auram, in ordine ad certas herbas ac plantas congruè proferendas, hæc comperta habentur. Solo imprimis pingui & humido in specie gaudent omnes ferè herbæ culinariæ, ac inter has præcipuè Endivia, Beta, Cichorium, Lactuca, Brassica diversi generis, sicut & Raphanus, Rapunculus hortensis, Cepa, Allium, Porrum, Asparagus, Artiscoca, Portulaca, Phaseoli, flos Solis uterque, Majorana, Rosmarinus, Lupinus cœruleus, Salvia & Cariophylli. In Solo raro ac levi optimè proficiunt Ruta, Allium, Apium hortense, Crocus, Hysopus, Satureia Thymus. Terra mediocriter sivè pingui, sivè siccâ gaudent bulbosæ plantæ, veluti Tulipæ, Anemones, Corona imperialis, Narcissus, Hyacinthus, Lilium sylvestre, sive Martagum & Hemerocallis. Umbroso solo gaudent Fraga, Majorana, Rosmarinus, Pyrola, Branca ursina, Sigillum Salomonis, Viola martialis & Hepatica aurea. Solo aperto & aëre libero lætantur Melones, Cucumeres, Crocus, Fœniculus & aliæ.

Terra pro bulbosis plantis quomodò temperanda.

7. Omnes bulbosæ plantæ cùm terram mediocrem requirant, in ejus defectu contemperari potest: ut si terra habitâ nimis sit pinguis & humida, arenâ rubeâ minutâ admixta præparatur. Cùm nimis est sicca & arenosa, luto recenti siccato priùs, deindè contuso & in pulverem redacto miscetur, & melioratur. Cùm terra nimium pinguis est, ità ut facilè corrigi non possit, ne bulbi putrescant, prodest iis saltem arenam circumponere, atquè ita deindè inhumare, ut adhærentes inferiores radices solæ in bonam terram immittantur. Cùm bulbosis etiam plantis maximè obsit fimus; Si tamen terra impinguationem videatur requirere, id optimè efficitur glebâ putrefactâ admixtâ.

Terra vineis apta.

8. Apta vineis reputatur Terra, si arbusta & virgulta, prunos, pyros, sylvestresque plantas fœcundas, firmas, rectas, densas, proceras, crassas, læves, nitidasque produxerit: ipsa verò gleba rara sit, & pallida.

Quæ Terræ ab Agricolis probentur vel improbentur.

9. Plures tandem terrarum species ab Agricolis observantur, quæ etiam in multiplicem aliam specierum differentiam subdividi possunt. Inprimìs autem *pinguis* est vel *macra*. *Si pinguis*, naturâ dulcis est & fœcunda, ac ab Agricolis unicè desideratur omnibus frugibus producendis apta, modò & simul subnigra sit. Si *pinguis* sit & *rara*, tum ob bonitatem, tùm quia facilè arabilis est, valdè laudatur. Si verò *pinguis* sit & *spissa*, licet ex unâ parte pinguedine suâ fructum promittat; ex alterâ tamen cultu erit difficilis, nec ità probabitur. *Macra* cum est, quià contrariis pingui pollet qualitatibus, Agricolis non placet: Sique *macra* & *spissa* ob lapidosas glebas præter spinas & tribulos nil aliud sui cultoribus promittet. Cùm porrò fuerit *pinguis mediocriter* ex seminum genere siliginem, & hordeum maximè amabit; ex leguminibus fabam, linum, cicer, cannabim. *Macra* verò *mediocriter*, ut observatum, lupinum & avenas amat, frugibus autem pinguioris succi inidonea. Quæ spissa mediocriter rapas, raphanos & avenam amat.

Pinguis

Pinguis denique *mediocriter* omnibus & frugibus & leguminibus ferendis peridonea semper comperta est.

§. III.

Observationes Geognomicæ de Terris ad usum Medicum idoneis.

1. Terra ad usum medicum deserviens, quæque uno verbo Medica, vel Medicinalis dici potest, aliud non est quàm gleba & portio terræ virtute medicamentosâ variâ pro diversitate regionum, mineralium, aliarumque circumstantiarum â Spiritu macrocosmico, vel universali, ut inquiunt Medici, imbuta. Omnis autem terra ad medendi usum recepta *summam & primam vim*, ut ait *Dioscorides*, *habet refrigerandi, atquè hinc meatus obducendi & occludendi: Sed specie distat, cùm alia adjunctis quibusdam ad alia sit utilis.* Specialiùs tamen loquendo Terra in usum medicum alia comperta est, venena arcere; Velut Terra *Armenia*, sivè *bolus Armenus*, Terra *Lemnia*, sive *Sigillata*, & *Melitensis*. Alia vi dicitur adstringente pollere: ut est *Ochra*, *Rubrica Siropica*, *Rubrica fabrilis*, *Eretria*, *Samia*, *Chia*, *Selinusia*, atque omnis reliqua terra. Alia discutere solet: ut *Cimolia*, *Ampelitis*, & *fornacea*. Alia deniquè abstergit: ut *Melia*. (Terra ad usum Medicorum.)

2. Ut verò Terræ ad usum medicum venientes probè discerni queant; bonitatis, ac probitatis earum signa externa hæc proferuntur. Terra imprimis *Armenia Galeno* est colore pallido, Arabibus luteo croco similis. Terra *Sigillata* alia est *Constantinopoli* advecta rubescens, ac in exiguas placentulas formata, characteribus turcicis signata: altera ex cinericio colore candicans in majores placentulas formata, etiam turcicis obsignata characteribus. (Signa probitatis in medicis Terris. Terra Armenia.)

3. *Ochra* levissima & omninò lutea eligitur; saturata non lapidosa, friabilis, natione *Attica*. (Ochra.)

4. Rubrica *Siroptica* probatur gravis, densa, ad jecinoris imaginem vergens, concolor cùm diluitur, impendio fusilis. (Rubrica Siroptica.)

5. *Rubrica fabrilis* optima censetur *Ægyptica*, & *Carthaginensis*, lapidum expers & friabilis. (Rubrica fabrilis.)

6. *Eretriæ* terræ duæ sunt species: Una vehementer alba est: altera cinericia: optima habetur ad cinereum colorem vergens perquàm mollis, quæ si per æramenta tractim ducatur, lineam violaceam refert. (Eritria.)

7. *Samia* præfertur candida, levis, tangenti linguæ glutinis modo adhærens, mollis & friabilis. (Samia.)

8. *Chia* eligi debet candida, vergens ad cinerem, *Samiæ* persimilis: est autem crustosa, albaque, sed fictitiis formis differens. (Chia.)

9. *Selenusia* maximè laudatur, quæ vehementer resplendet, candida, friabilis, & humore dilui solet celerrimè. (Selenusia.)

10. *Cimoliæ* duo sunt genera: Candida una est, & ad purpureum colorem inclinans. Optima reputatur, quæ innatam habet pinguedinem, tactuque frigida sentitur. (Cimolia.)

11. *Pignitis* colore ferè *Eretriæ* similis est grandioribus tantùm glebis: manum si admoveas, refrigerabit: tactu linguæ usque adeò glutinosa est, ut pensilis hæreat. (Pignitis.)

12. *Melia* colore cinerum *Eretriam* imitatur, quæ aspera tactu: cumque digitis fricatur, & derasi pumicis modo crepitat, eligenda est. (Melia.)

13. *Ampelitis* laudatur imprimis nigra, picea, longos carbones referens, modicè alluosa æquabili splendore, quæ detrita accepto oleo statim eliquescit: Vitiosa censetur candida & cinerea, quæque in liquorem non resolvitur. (Ampelitis.)

14. Universim tandem ex omni terrâ ad usum medicum semper eligi debet recens, mollis, non lapidosa, friabilis, quæ si humorem attigerit, facilè resolvatur.

15. Terræ *Lemniæ*, quæ quotannis in Insulâ Lemno â Turcis ad medicum usum solet effodi, minimè in viribus cedere dicitur illa, quæ circà arcem Münchenstein propè *Basileam* reperitur, ut tradunt *Ephem. Germ. Dec.* 2. *Anno* 8. *observ.* 143. (Terra propè Basileam.)

16. In Asiaticâ metallifodinâ sub potestate societatis Indiæ Orient. Belgii confœderati, quæ in Sumatrâ tribus circiter milliaribus â *Sillida* in montibus Tambungensibus invenitur, â quibus etiam denominatur, variæ elegantes terræ rubræ, luteæ, albæ, nigræ, Solares, Lunares, Saturninæ reperiuntur, quæ suos in Medicinâ & Chirurgiâ optimos præstant usus. *Ephem. Germ. Decur*, 2. *Anno* 5. *obs.* 37. (Terræ Tambungenses.)

17. In Chinæ Provinciâ Xensi terram reperiri scribit *Kircherus*, quam *Quei* Sinenses vocant. Est autem mineralis terra candidissima mirificè â mulieribus ad fucum appetita; cosmeticâ siquidem virtute pollet aquâ diluta: & hoc pacto ad nævos maculasque corporis extergendas mirè opportunam tradunt; Unde Sinico nomine *Quei Xi*, id est, *nobilem fœminam* vocant. Cærussam verò mineralem ex plumbo & Antimonio seu Stibio miscellam putat esse *Kircherus*, qualis & in multis Europæ locis reperitur. (Terra cosmetica Quei.)

18. In Taurorum peninsula, in Civitate *Parasimo*, terra est, ut inquit *Plinius*, qua sanantur omnia Vulnera.

§. IV.

Observationes circà Terras, quæ pictoribus, figulis, atquè aliis quibusdam ad Usum probè adhibentur.

1. Terræ pictoribus servientes sunt plerumque macræ & raræ, ut varia Cretarum genera Rubrica, Ochra, & plures aliæ. Improbantur arenosæ & sordibus refertæ. (Terræ pro pictoribus.)

2. Figuli, Statuarii, Plastici gypso, creta vel (Figulis & statuariis.)

vel argillâ pingui, viscosâ, spissâ, lentâ, ac molli uti debent, non terris aridis, ac macris. Sic cùm argilla multo ac pingui humore, & fibris tenacioribus constet, ductilis est, & figuras ultrò facilè excipere solet.

Ad vasa Chymicorum. 3. Vasa ut fiant, quæ ignis violentiâ haud facilè frangi debent, qualia sunt crucibula, cœteraque vasa chymicis operationibus apta; parari ea debent, ex terris pinguibus & spissis. Utiliter autem arena admiscetur, ut ea igne valido liquefacta argillaceam substantiam veluti in saxeam quandam omnibus poris oppletis convertat. Ipsa autem vasa sic parata melioris notæ censentur, si levissima sint, quæ non combibant, neque exundent humorem, nec ità facilè frangantur; & quod summum, ignibus resistant. Cujusmodi *sunt Saguntina* in Hispaniâ, *Mutinensis*, *Aretiensis & Toscanellensis* in Italiâ, *Valdenburgensis* in Germaniâ; Terra verò, quæ vitris liquefaciendis fervit, omnium maximè igni resistere debet, cujusmodi est illa, quæ Savonæ in Liguriâ eruitur.

Ad vestes eluendas. 4. Quædam etiam terræ sordibus vestium diluendis aptæ reperiuntur: Solent autem eligi pinguiores, acres, ac raræ, quales Sardinia & aliæ passim regiones præbent.

Terra Tripolitana. 5. Terra Tripolitana, quæ variarum rerum expolitioni mirè deservit, ac potissimùm ad sordes metallorum, præsertim orichalceorum vasorum, atquè â perspicillàriis comprimis ad splendorem vitreis suis operibus inducendum adhibetur, probatur levis, mollis, flavescens, rara, quæ, attacta calcis more manum nonnihil attineat & stringat, ac etiam cuspide linguæ gustata nullius asperitatis, qualis in cinere, sed propè qualis in farinæ mollitie sensum præbeat. In vino albo, vel spiritu Vini macerata ad præfatos effectus citiùs procurandos melior efficitur.

Pulvis Paretonius. 6. Pulvis Paretonius, quis verè & propriè fuerit olim, uti *Plinius & Vitruvius* inter se discrepant, ità in hunc usque diem quænam species fuerit, ignoratur: inquit *Kircherus in mund. subterr.* Hoc scitur, â Pictoribus maximè usitatum fuisse ex Ægypto & Cretâ insulâ allatum.

Terra ex quâ porcellana vasa conficiuntur. 7. Terram, undè Vasa *Murrhina*, vel, ut aliis placet, *myrrhina*, seu *Porcellana* tantoperè â Regibus & Principibus æstimata conficiuntur, *P. Kircherus Chin. illust. part. 4. cap. 11.* ad Borealem *Po* fluminis Urbem *Joacheu* in Provinciâ *Kiamsi* erui tantùm scribit. *P. Martinius* verò in *Atlante suo Sinico fol. 37.* nullibi in toto regno præstantiora ejusmodi vasa memorat fieri, quàm in pago *Feul canus* civitatis. *Licet enim*, inquit, *alibi terram, ex quâ fortè confici possint, habeant, nullo modo ad eas accedunt, quæ in hoc pago fiunt, imò quod admiratione dignum, terram, ex qua eas* (scutellas) *efformant, non ex hujus provinciæ solo hauriunt, sed ex* Kyanguan *provinciæ Urbe Hoeicheu advectam accipiunt, nec ibi, licet tanta illius adsit terræ copia, ullo modo effingere illas queunt; Sunt, qui id aquarum temperaturæ adscribunt.* Et paulò pòst terram ipsam describens ait. *Terra autem illa non pinguis, ut creta est, sed velut arenula pellucida, quam macerant, & aspersâ aquâ in massam cogunt, quin & ex fractis vasculis denuò frusta comminuunt, atque iterùm nova vasa efformant, sed hæc ad priorem vix accedunt nitorem aut pulchritudinem.* Admiranda tandem quædam addit in his vasis comperta, ajens: *Quod prætereà hæc vascula commendat, est, quod eduliorum etiam ferventium vim innoxia patiantur; imò quod magis mirandum, frusta inter se claviculis æreis; filoque consuta liquorem continent, nec transmittunt.* Hæc *P. Martinius.* Quod verò ex horum vasorum frustis collisis ignis eliciatur, quodque ad præsentiam venenorum rumpantur, & quod tantùm calefiant, quantùm aqua calida aut jusculum iis infusum occupârit, id equidem, ut rectè scribit *Kircherus in Mund. subterr. lib. 7. circà finem*, experimento non comperitur. Porcellanis vasis secundo loco respondent vasa Majorica, quæ & nitore & pretio Porcellanis non parum cedunt.

§. V.

Fossilium aut Erutorum quorundam è Terræ gremio Mirabilium enarratio ex variis Authoribus.

1. *Jacobo Gaffarello* referente inter curiositates inauditas in Galliæ Regno *Provence* propè pagum dissitum uno milliari ab oppido *Foccalquerio* terra rara effoditur, in quâ natura miras figuras avium, murium, serpentum, arborum & litterarum ad miraculum efformavit, ità ut etiam rudes infantes eas discernere facilè queant. In effossâ terrâ miræ figuræ.

2. *Titus Livius lib. 42. Hist.* maximi prodigii loco inter alia narrat *in Gallico agro, quâ induceretur aratrum sub existentibus glebis pisces emersisse.* Et *Aristoteles*, vel quisquis est Author *libelli de mirabilib. auscultationibus cap. 69.* ità scribit: *Circa Babylonem ajunt quidam in cavernis aquosis pisciculos latere. Verùm arefacto flumine ad areas pastum prodire alarum subsidio, caudæque motu. Idem cap. 70. hæc scribit. Heracleæ piscium genus ajunt intrà terræ cavernulas defossum maximè circà flumina, locàque humidiora. Verùm arescentibus in locis primùm contrahi ajunt; mox invalescente siccitate humorem in Sylvas usque persequi, donec eò quoque destituantur. Idem rursum cap. 71. in Paphlagoniâ pisces altè in terram defossos ajunt, virtute præstantes, etiamsi nec aquæ in proximo appareant, neque illabantur flumina, sed solâ nudâque terrâ pascuntur.* Vidè etiam *Theophrastum in libello de piscibus. Plinium lib. 9. Hist. nat. cap. 57. Athenæum lib. 8. Dipnosophistarum cap. 1. Strabonem lib. 4. Geograph. Pomponium Melam lib. 2. de situ orbis cap. 5. Gesner. de Aquatil. lib. 4. Georgium Agricol. in lib. de Animant. subterraneis*, & plures alios. Pisces è Terrâ fossiles.

3. In

Thus & myrrha ubi effodiuntur.

3. In *Moraviâ* Thus & myrrha reperitur, ut *Drubavius* memorat *lib. 4.* non ex arbore desudante, sed è salo terræ eruta uno tantùm in loco, cui *Gradisco* nomen, in quo ad hunc diem thus non solum id, quod *Masculum* vocant â similitudine testium, sed quod alia præterea virorum, mulierumque membra ostendat, effoditur. Addit etiam *Dubravius* sequentia. *Nuper Venceslaus â Quercu, dùm in agro suo Sterenbergensi fundamenta aggeri piscinario molitur, corpus hominis integrum invenit, quod nihil nisi myrrha erat, quam ille per amicos distribuit. Joan. quoque Dubravis plus mediâ parte lacerti humani donavit.*

Lapis igni faciendo aptus.

4. In *Fifâ* Scotiæ Regione effoditur ingenti numero lapis niger faciendo igni suprà modum accomodus, quales *Leodii* quoque effodiuntur tanti caloris, cùm accensi sunt; ut ferrum etiam liquefaciant, fabrisque ferro, ærique molliendo imprimis usui sint; nec usquàm alibi, nisi inter *Taum & Tinam* amnes in tota *Albione* illius lapidis genus invenitur. *H. Boëth. in Scotiæ descriptione.*

Sal fossilis.

5. In Dacia Marmacia, undè Tibiscus oritur in Carpathiis montibus collocata, quam Marmarussam nunc appellant, sal marmoris instar effoditur & tantâ quidem copiâ, quanta universæ Scythiæ satis esse posset. *Bonfin. lib. 1. Dec. 1.* Dicunt & in terrâ *Sopithis* in monte quodam sales effodi, qui toti Indiæ sufficiant, ut tradit strabo *lib. 15.* Estque Hispaniæ Tarraconensis mons in Comitatu *Cardonæ* sale plenus præstatque omnibus regionibus salis fertilitate, quem etiam montem, cùm maximè evacuatur, tunc citiùs in altum crescere nemo dubitat. *Joan. Gerund. lib. 1. Paralip. Hispan.* Sunt adhuc alii montes Hispaniæ nativi salis apud *Ribagorciam* in quibus lapidicinarum modo sal cœditur, & arborum modo posteà pullulat, ac renascitur. Lege *Marin. Sicul. lib. 1. de rebus Hispan.* In Poloniâ quoque montes profundissimi salis sunt, præsertim in *Vielischa & Bochna,* ut *Olaus lib. 13. cap. 43. Septentrion. gent. memorat.*

Navis cum appertinentiis eruta.

6. Anno 1542 in Helvetiæ ditione Bernensis civitatis in fodinâ cujusdam montis, atquè in ejusdem spatho ad 100 Orgyas profundè subtùs terram eruto reperta fuit navis cum anchora, velo lineo, aliisque ad navem pertinentibus, sed penè jam â vetustate corruptis, ut & 40 cadavera humana: quæ omnia, quomodò subtùs terram illam venerint, nemo penetrare potuit. *Bapt. Fregosus, Prætorius.*

Miræ longitudinis corpora eruta.

7. *Plinius* asserit in Cretâ rupto monte inventum esse corpusstans quadraginta sex cubitorum. *Fulgosius* ait tringinta trium; quod alii *Orionis*, alii *Otii*, fuisse arbitrantur. *Orestis* Corpus oraculi jussu resossum septem cubitorum fuisse monumentis creditur. *Cælius Rhodiginus* ait, è Regione Valentiæ Allobrogum in torrente, qui rigat pagum Divi *Peratii* regnante in Galliâ *Ludovico XI.* Gigantis cadaver effosum esse stupendæ & inusitatæ magnitudinis, & quæ, ut ex variis ejus picturis & ossibus deprehenditur, ad octodecim pedes accederet. Mira autem præ omnibus sunt, quæ *Boccatius* & *Philippus Bergonas* de Pallantis corpore narrat. Res ità sese habet. Tempore *Henrici* Imp. ideſt, Anno 1401 ab Agricola quodam non longè ab Urbe *Româ* inventa fuisse, dùm solito altiùs foderet lapidem, scilicet, Tumulum inscriptione ornatum, & in sepulchro viri mortui corpus proceræ adeò staturæ, ut muros urbis excederet. Cadaver integrum erat ac si paulò antè sepulturæ datum esset: in pectore vulnus latissimum gestabat; suprà caput autem corporis defuncti reperta est lucerna perpetuò ignè ardens, quæ nec flatu, nec aquæ alteriusque liquoris ullius superiniectione extingui potuit; Sed in fundo perforata & rupta statim evanuit. Istud autem fuisse corpus Magni *Pallantis* Arcadis, qui filius Evandri Regis comes Æneæ bello singularique certamine dudum interfectus fuit â *Tuono* Rutilorum Rege multo priùs, antequam *Roma* conderetur; ità *Kircherus in mundo subterraneo tom. 2. lib. 8. sect. 2. cap. 4.*

Saxa rotunda ossium instar diversæ magnitudinis.

8. In Episcopatu Potentino locus est subterraneus eodem *Kirchero* referente, ex quo saxa rotunda ossium instar diversissimæ magnitudinis eruuntur, quorum alia formâ cranii humani, alia persici figuram exprimunt. Quæ & *Ambrosinus* recitat unà cum figuris, quæ genera lapidum *Cephaliten*, *Carditen*, aut *Persicaten*, â figuris videlicet, quas referunt, appellant. Quædam ceparum instar suis instructa corticibus spectantur. De quibus & *Agricola lib. 2. de fossilibus* mentionem facit; cujus quot cortices, tot osseas reperias calvarias: Quæ & in monte Carpatho subindè tantæ magnitudinis reperiuntur, ut una multorum modiorum frumenti capax esse possit. Uti *Erckerus* in Germanico de Mineral. libro testatur de origine hujusmodi ossium vide *Kircherum Mund. Subter. lib. 8. sect. 2. cap. 4.*

Carbones fossiles.

9. Carbones fossiles, quos Lithanthraces, passim variis in locis è terrâ eruuntur. Propè *Dresdam* in Misniâ effoditur carbo bituminosus mollis: Alius ibidem durior, quem passim cum lapide Thracio aut gagate confundunt. In Scotiâ pariter *Agricola teste* ab *Edenburgo* viginti millibus passuum dissito, quod Carbonum aream appellant, carbo reperitur ingenti copia terreno bitumine abundans, qui & subinde non sinè gravi incolarum damno incenditur.

Ligna fossilia.

10. In Umbria Italiæ circa loca dicta *Aqua Sparta*, & *Todi* genus quoddam ligni fossilis è terrâ eruitur duritie Ebeni diversi coloris, potissimùm tamen prunei, quod ab arculariis ad ornamenta in operibus thessulatis insigniter adhibetur. In ignem conjectum fortem quidem ignem præbet, non nutrit tamen flammam. Locus, è quo effoditur, cretaceus, est: unde sæpè pars eidem adhuc cretacea adhæret; imò persæpè pars una lignea altera lapidea comparet. Ità *Gottorpius* in seiner Kunst-Kammer. Memorat & Anselmus *Boëtius in suo de gemmis & lapidibus libro* juxtà *Andomarum* suo tempore ingentem copiam lignorum fossilium, subterrâ repertam esse, & nullibi non reperiri. Vidisse

Vidisse etiam scribit *Kircherus in Mund. subterr.* in diversis Italiæ locis ingentes arborum truncos in lapidem conversos tantæ duritiei, ut ex iis non secùs, ac ex durissimis silicibus ignis excitaretur, ac non secùs ac metallum percussi limpidissimum sonum redderent. Memorat *Idem ibidem* lignum sibi ex Boëmiâ transmissum in imis montium receptaculis, & ut dicunt, in *Virgineæ terræ thalamo* repertum nigri ligni formam optimè exprimens & pondere id longè superans. Similiter in Romano territorio detectam fuisse scribit mineram ligni fossilis, ex quo, pulcherrimæ cruces, tabulæ, mensæque confectæ fuerint, quæ Ebeno non cederent.

Nativi lapides molares. 11. In Cubæ Insulæ tractu *Camagulii* vallis quædam ad tria milliaria extenditur, ubi nativi lapides molares diversæ magnitudinis, qui nullam aliam elaborationem requirunt, è terrâ eruntur. *Joann. de Laët.*

Canes vivi eruti. 12. Recenset *Zeilerus* in Angliæ quâdam lapidicinâ erutum aliquandò saxum, & ab aliis abactum in cavitate quâdam suâ duos vivos canes aspectu truces, depiles, qui fœtorem etiam gravem efflarint, quasi ex Averni quâdam palude provenerint, conclusisse. Horum tamen unus brevì devixit, alter verò *Henrico* Episcopo Winthonensi longo admodùm tempore supervivens in deliciis fuit.

13. In altissimis *Veronensium Alpium* jugis non pauca effodiuntur conchilia. *Hirnhaim de Typho gen. hum.*

Pisciculi in Saxis reperti. 14. In littore *Anconitano* saxa ex mari extrahuntur quinquaginta & plurium librarum, quæ malleis confracta dant pisciculos delicatissimos, saxeo interstitio ab invicem divisio. *Antverpiæ* quidam Latomus bufonem vivum in medio marmore invenit. *Idem.*

15. E quodam Hispaniæ campo *Clavigii* nuncupato eruntur & reperiuntur lapides ensibus, lanceis, equorum vestigiis, columbarum figuris insigniti. In quodam *Aragonensis* Regni agro lapides olivarum effigiem perfectè ostendunt. *Idem.*

Miræ figuræ in lapide fissili. 16. In *Mansfeldensi* Saxoniæ Comitatu propè Eislebiam eruitur lapis niger fissilis, qui discissus varias repræsentat formas anguillarum, ranarum, gallorum, Salamandrarum, præsertim verò piscium, qui in vicinio lacu amplissimo reperiuntur, omnia exactissimè expressa. Inventi ibidem sunt aliquandò duo lapides, qui bina planisphæria Astronomicum & Geographicum impressa habebant cum omnibus asterismis, circulis, lineamentis, regionibus, accuratissimo naturæ artificio delineata. Inventus etiam ibidem fuit alius quidam lapis habens ex unâ parte Summi Pontificis effigiem cum tribus thiaris, ex alterâ verò Martini Lutheri formam exhibens. *Idem.* Sed plura ejusmodi mirabilia de lapidibus trademus infrà.

In Insulâ Palmosa ferrum quale eruatur. 17. In Insulâ *Palmosâ* circà oram *Thusciæ* ferrum quidem ibi natum eruitur, quod tamen nulla ibidem ratione potest excoqui, & in massam redigi: Sed cùm effosum est, ad continentem vehi debet, ubi nullo negotio excoquitur & in massas redigitur. Quod etiam quidam de Insulâ *Sardinia* scribunt.

Liber mirabilis in Saxo conclusus & erutus. 18. Circa Annum salutis 1251, cum quidam Judæus in Hispaniâ scinderet rupem vineæ suæ imminentem, ut amplificaret vineam, fertur in concavitate rupis reperisse libellum: cùm tamen nullum antè scissionis in rupe signum invenisset, sed solidam scidisset. Erat liber non ex membranis aut linteo ut olim, sed velut ligneis tabulis compaginatus, qui tribus linguis Græcâ, Hebræâ & Latina Scripturam haberet, magnitudinem æquans Psalterii, & loquebatur de triplici Mundo ab Adam ad Christum; proprietatesque & conditiones hominum de unoquoque Mundo discernebat. Principium tertii Mundi sic dicebatur: Filius Dei nascetur ex *Maria* Virgine; pro salute hominum patietur. Quod cùm legisset Judæus cum omni domo suâ baptizatus est. Erat quoque scriptum in eodem libro, quod tempore *Ferd.* Regis liber ille prodiret in publicum ità *Cranzius lib. 8 Metrop. cap. 34. & lib. 7. Vand. cap. 25.* Verùm *Trithemius in Chron. Hirsaug. Anno Ernesti Abbatis VIII. Indict. Rom. XII*; Christi verò 1249 hujus libri inventionem his describit verbis. *Judæus quidam in Hispaniæ partibus Vinetum ampliare suum disponens quoddam ingens saxum comminuisset in partes reperit quandam in ipso lapide solido concavitatem, & in eâ librum ligneum Hebraicis* Græcis *atque Latinis characteribus scriptum: Primus autem Scripturæ ordo mundi proprietates ab Adam usque ad Legis tempora continebat. Secundus autem proprietates Mundi quasque â tempore scriptæ legis usque ad Nativitatem Christi luculenter & breviter exprimebat. Tertius verò Filii Dei ex Maria Virgine stirpis Davidicæ. Nativitatem passionem, & mortem pro salute hominum exponebat. Et in fine scriptum erat, quod liber iste in diebus Ferdinandi Regis Hispaniarum debebat inveniri â Zachariæ Judæi filio Nathan. Quæ cùm Nathan Judæus legisset, cum totâ domo suâ conversus est.* Pleraque ferè concordant, præterquam in anni designatione, quo liber iste repertus fuit.

Lapidea Tabula effossa in Chinâ. 19. Anno quoque 1625 cùm in *Siganfu* Metropolis Regni *Xensi* pago quodam profundamento ædificii sustinendi apto fossa fieret; accidit ut inter excavandum fossores in lapideam tabulam Sinicâ scripturâ spectabilem, inciderent, eamque effoderent. Verùm de hac tabulâ & contentis in eâ vide. *Kircherum in Chin. illustr.*

Farina è terrâ effossa. 20. *Momenes* scribit Anno 1590, quo dira fames Bohemiam afflixit, Rusticum pauperem de *Kauschim* ad pagum *Steflbenhove* 6 milliaribus *Pragâ* dissitum, inter duos agros limum effodisse & farniam electam reperisse, unde sè suosque urgente fame servavit. At memorabile hoc etiam refertur, quod solis pauperibus panis ex hac farinâ coctus profuisse dicatur: impiis autem delusoribus, ac divitibus ibidem fodientibus, vel ex effossâ farinâ panem coquentibus, arenam locus iste subministrârit.

21. Man-

Ossa & dentes fossiles. 21. Manhemii ex antiquis Nicri fluvii ripis effodiuntur ossa varia, dentes &c. qui suis maxillis inferioribus & superioribus per gomphosin sunt inserti, quorum varia est figura, mox instar caninorum, mox instar molarium; substantiam habent similem Unicornu, interiùs egregiè albentem, striatam, exteriùs partim fuscam, partim ex nigro flavam, ponderosam, adeò ut unicus dens dimidiæ libræ pondus exsuperet, tota maxilla verò decem libras & ultrà pendat, & quasi cute rugisque obducta sit non aliter ac in brutis fauces. Vulgus arbitratur esse rudera ac ossa Elephantum, quorum vestigia & antiquitatem ab ipso *Julio* Cæsare desumunt. *Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 6. obs. 85.*

CAPUT VII.

Præcipuorum in Naturâ Lapidum genesis, aliaque perfectiorem Lithoscopiam concernentia aperiuntur & declarantur.

Lapis quid sit.



LApis à Poëtis vocari solet os terræ: Undè *Ovidius lib. 1. Metam. Pyrrhæ* & *Deucaleoni* mandatum canit:

Ossaq; post tergum magnæ jactate Parentis.

Est autem lapis concretio terræ durioris, quæ effoditur; cujuscunque tamen generis fuerit, propriè nil est aliud, quàm corpus fossile mixtum ac durum, quod neq; est ductile, neq; in aquâ vel oleo exsolvitur, nec per se est liquabile, cùm illius partes ità dissolvi nequeant, ut in communi medio innatent: etsi contrarium fieri aliquandò videatur, id fieri solet ratione metalli, aut rei cujuslibet liquabilis admixtæ. Possunt tamen plerique lapides friari malleo, & ignè in cineres & calcem resolvi. Variæ sententiæ de lapidis origine. *Aristoteles* censuit ex sicco halitu lapides concrescere. *Avicenna* ex humore viscoso & terrestri enasci voluit, ità ut humor continuitatem, terrà soliditatem largiatur. Alii opinati sunt lapides non ampliùs à Naturâ produci, sed à Mundi origine esse procreatos, & ex terræ visceribus duntaxat hominum labore & industria extrahi. Sed contrarium testantur Metalli fossores, qui novos lapides iis in locis inveniunt, ubi anteà non nisi arenam, aut argillam repererant; adeò ut hinc aliqui credant argillam & arenam lapidum esse materiam, & ex multiplicibus ejus granulis variè compactis originem trahere. Succus lapidificus quid sit. Alii ex succo lapidifico per terræ meatus variè percolato lapides formari autumant: Succum autem lapidificum nil aliud esse dicunt, quàm aquam saxeis ramentis prægnantem, sive hic corporum subeat meatus, sive calore sensim concoctus, ubi moveri desinit, statim in lapidem cogatur, sive etiam artificialiter & mechanicè sale vel nitroso, ùt in calce; vel acido, ut in marcasitis, aut forti utriusq; contemperatione, ut in plerisque, coaguletur.

Kircheri Sententia. *Kircherus Mund subterr. tom. 2. lib. 8. sect. 1. cap. 3.* ex Sale Naturæ chaöticæ aquarum moli indito, post aquarum divisionem luto, limoque juncto & spiritu Architectonico sali Naturæ naturaliter juncto lapides provenisse existimat; adeoque materialem lapidum causam nil aliud esse dicit, quàm Salem Naturæ, quo omnia subsistentiam suam, soliditatemq; acquirunt; formalem verò causam esse vim salino generi inditam, id est, lapidificam, indurativam, atque coagulativam: vim verò plasticam, ait esse seminationem Naturæ inditam, sive spiritum polymorphum eidem junctum, qui unumquodque suâ formâ & figurâ eo, quo Natura ejus exigit, quam & causam efficientem & formalem dicit, colore instruit.

Improbatur à D. Boyle. Verùm Doctissimus & expertissimus *D. Boyle* principium hoc architectonicum sive constantem talem vegetum, & ubique regnantem spiritum rationibus seminariis prægnantem, qualem & alii plures Chymici astruunt, haud necesse dicit fingere, cùm minimæ cujusque corporis particulæ eam fortè formam nactæ sint, ut vitriolum, alumen, salem, gemmasq; adeò ipsas certis figuris terminet; cui servire etiam possunt fluidi, in quo innatant, calor circumjecta corpora, item ipsius matricis, seu moduli figura, cui gemmæ primordia, dum adhuc liquida, accommodata & quasi impressa adhæserunt. Sal ad lapidificationem conducit. Salem tamen ad coagulationem & lithogenesin plurimùm conducere videtur certiùs, cùm materia omni sale exhausta vix unquam lapidescat: è contra sal ubivis penè coagulet corpora & induret. Hinc sal metallicas solutiones cogere videtur & cuncta indurare corpora: sic ovorum testæ & marina conchylia & corallia ex sale nitroso suam repetunt duritiem. Sic nitrum & quædam lixivia lapidescunt. Sic referente *Du Hamel phys part. 2. tr. 3. c. 5. de fossil.* cum *D. du Clos* salem tartari multò aceti sæpiùs affusi sale imprægnâsset; atq; experiri vellet, an ex eo sale temperato liquor spirituosus exstillari posset, cum sabulo stambensi miscuit, & igne reverberii parùm phlegmatis extraxit, massam penè fusam è vase extractam, cui decem aquæ ferventis libras affudit, & agitatam per chartam bibulam filtravit: hanc omnis acrimoniæ expertem, & postero die coagulatam invenit, cùmque ignis vi in aquam elicere tentaret, massa in lapidem conversa est. Sic etiam ut in *Zodiaco Medico Gallico* refertur, *D. Moreau* docet artificium in lapidem convertendi quodcunque genus corporum siccorum & poris præditorum hoc modo.

Ratio lignum & alia in lapides convertendi. *Accipe*, inquit, *salis gemmei, aluminis rupei pulverisatorum, pulveris silicum non ustorum, calcis extinctæ, aceti albi ana, partes æquales, commisceantur cuncta: ubi fermentatio inceperit, adde corpus, cui lapidis formam inducere cupis, sive sint ossa humana, sive lignum admodùm aridum, & porosum, sive os sepiæ, aut quicquam simile à materiis prædictis mediante fermentatione penetrabitur: hæc simul in unum corpus coälitura sunt adeò, ut duritiem & soliditatem lapideam intrà quatriduum, aut ad summum, ad 6 dierum spatium sibi sint comparatura.*

Juxtà eundem quoque *D. Moreau* vulgares lapides artificiosè produci possunt ope cerevisiæ, glutinis, salis, calcis, arenæ & fragmentorum ipsorummet lapidum. Similiter jam innotuit artificium factitias gemmas parandi, imò ipsum marmor mediante composito quodam ex gypso, calce, sale, sanguine bubulo additis massæ variis coloribus, quæ sponte exsiccari & indurari sinitur ad usum deinde expolienda. Ex quibus sanè satis perspicuè constare videtur, salem ad materiæ cujusvis indurationem, atque ad lapidum efformationem quàm plurimùm præstare.

Mixtio in partium contactu consistit. Verùm cùm *Doctissimus D. Grew* in dissertatione coràm societate regiâ Anglicanâ de mixtione habitâ palàm ostendat, omnem mixtionem partium contactu contineri; Tres illius gradus exponuntur. tres autem illius contactûs assignet gradus, hinc paulò aliter de lapidum genesi ratiocinari possumus. Vel enim partes sese mutuò quasi in punctis tangunt, ut contingit in fluidis, cùm fluiditatem efficiat partium exiguitas, earumque figura difficulter implexibilis, quâ nempè parùm aut nihil inter se cohærere partes queunt, veluti esse possunt sphæricæ, cylindricæ, pyramidales aut aliæ ex his compositæ; item textura ad motum expeditior, atque ipse etiàm motus ab æthere, vel aëre, vel alio intercurrente profectus (vide *Hamelium phys. gen. tract. 3. dissert. 3. cap. 1.*) undè facilis eorum mobilitas provenire solet. Vel partes secundùm planiores superficies se tangunt, ut sales penè omnes, undè firmiores & quietiores existunt, cùm firma corpora constent particulis crassiusculis ad motum minùs idoneis, quæ in minutiores secari facilè non possunt; & quo majores pro mole suâ habent superficies, hoc ad immediatum contactum, & firmitatis statum sunt aptiores. Vel denique aliæ partes aliis sunt intrusæ, & quasi concentratæ, ac mutuo implexu arctiori inter se vinculo devinctæ, cùm scilicet pars una subit aliam, ac quasi penetrat, dum illius cavitatem subintrat, undè ejusmodi corpora, velut corium, lignum, argentum, atque alia metalla rigida flexibilia redduntur. Quibus ità expositis

Verior Lapidum genesis. Existimo veriùs Lapides omnes ex succo imprimis fluido, particulis tamen crassiusculis ad se planiùs, ac leviùs contingendum aptis impraegnato, dùm ità diutiùs conquiescunt, ac tandem appositarum ad instar laminarum, aut squamarum cohærent & concrescunt, originem ducere. Vis autem effectrix istius cohæsionis & concretionis est vel calor, vel frigus, vel denique ipse succus lapidificus, sive hic corporum subeat meatus, sive plantas, vel animalia obducat & incrustet, sive demùm intrinseco calore sensim concoctus, & densatus, ubi, moveri cessat, mox in lapidem cogatur. Confirmat hoc (ut benè etiam *Hamelius phys. part. 2. tract. 3. de fossil. cap. 5.*) Geometrica & determinata non tantùm salium, sed & gemmarum figura: vix enim corpus certam & regularem figuram adipiscitur, nisi fluido quodam circumfusum sit, ut in nitro, sale communi, & aliis salium generibus experimur. Ità silices aliquandò alios lapillos pellucidos ex succo puriori & percolato coalescentes intùs concludunt, interdum aliis succrescunt, & plures velut ex eâdem matrice exurgunt, ut in iis fossilibus, qui fluores dicuntur. Quocircà nec aliter ferè gemmæ formantur, ac sales ipsi ex variis lamellis, adeò ut vel in Adamante interdum illæ commissuræ & fibræ conspiciantur, & transversim juxtà eas velut fibras à peritis artificibus findi possint, nec dubium, inquit Idem *Hamelius*, quin hæ tenuissimæ lamellæ ex succo paulatim concrescente ferè ut in talco aut crystallis vitrioli accidit, prodierint. Sic etiam distinctè videmus in lapidicinis nostris vulgaribus, ubi crassiora saxa eruuntur, plures ejusmodi planiores superficies ad modum laminarum sibi invicem commissarum coälitas & concretas transversim disponi. Sic item lapides, qui in animalibus reperiuntur, qualis est ille viribus planè admirabilis ex capris Indicis vel Persicis collectus, vocatus *Bezoar*, aut illi, qui ex felle boum tantoperè à Judæis & Turcis eruuntur, plerique tunicatim, & quasi per membranas concrescere solent.

Porrò quo succus ille lapidificus purioribus & defœcatioribus particulis velut lapidiferis seminibus est fœtus, eò lapides, qui exindè concrescunt, puriores magisque pellucidi proveniunt: quò verò impuriori & fœculentiori miscellâ imbutus, eò lapides hinc obscuriores & fœculentiores enasci necesse est. Lapidum perspicuitas ac puritas, aut eorum obscuritas. Si quoque succo illi, dum adhuc fluidus est, minerale quoddam coloratum, aut exhalatio tingens commisceatur, lapides indè colorantur eo quidem colore, quo adventitium hoc pigmentum imbutum est. Colores. Hinc gemmæ coloribus splendidæ non longè à metallorum, aut aliorum mineralium fodinis eruuntur: Hinc quædam aliquando videntur partim tinctæ, partim tincturæ expertes, quòd non satis pigmenti fuerit, ut totam lapideam materiam, dùm adhuc mollis & fluida esset, imbueret: Hinc etiam gemmæ penè omnes ignis vi suis rursùs nativis coloribus exui possunt. Plura alia circà lapidum causas abditas, genesin, ac proprietates paucis meliùs in sequentibus Lectori proferemus, undè tantùm sequentes observationes & regulas Lithognomicas inspicere ac perscrutari libeat.

§. I.

Observationes & Regulæ Lithognomicæ de Lapidibus & gemmis universim ac generaliter.

1. Fragilitas omnium lapidum indè provenire censetur, quod partes eorum se læviter contingant, nec mutuo implexu aliæ alias subeant, undè etiam per microscopium inspectæ, velut arenulæ sæpè comparent, quæ vitri instar pellucent. In metallis autem, quod ductilia sint, & malleo contusa vix divellantur; provenit id à partibus longioribus, ac quod aliæ aliis in longum accedant. Undè lapidum fragilitas.

2. Lapi-

2. Lapides, qui in aquâ subindè dissolvi videntur, argumentum præbent, calore induruisse; qui verò ignis violentiâ liquescunt, ut silices, frigore obriguisse censentur: Calor siquidem, dum humorem superfluum exhalat, tantum reliquit, quantum partibus uniendis satis est. Frigus verò cum aërem expellit, humorem tunc fortiùs congelat, & conglutinat. Hinc lateres & pumices, quos calor effinxit, multis poris hiant; silices & gemmæ occlusos habent poros. Ità *Hamel de fossil. phys. part. 2. tract. 3. cap. 5.*

Undè lapidum figuræ. 3. Vis lapidum effectrix ipsi loco non inest, tametsi figuram fortè largiatur: nam succus lapidificus sui loci figuram induit, adeò ut necesse non sit ad spiritum lapidificum vel rationes seminarias recurrere. Non tamen omnes omnium lapidum figuræ à loco ducuntur, sed partim ab ipso loco, cùm ejus tanquam vasis figuræ materia sese accommodat, partim à caloris vel materiæ diversitate oriantur.

Rotunditas lapidum. 4. Rotunditas lapidum calori æquo nisui humorem expellenti, & materiam sui similem subigenti adscribitur. Undè hujus figuræ lapides ex parvis primùm initiis incrementa sumunt, sive æqualiter succus affundatur, sive ex minutissimis compingatur arenulis. Cùm verò humiditas exprimitur, non ipsius caloris vi, sed quia humor ille sensim exhalat, ac veluti languescit, tùm lapides in diversos scinduntur angulos: idque eo ferè modo perficitur, quo videmus nitrum atque alia salium genera in varias efformari cuspides: Siquidem humore paulatim ad interiora confluente partes leviores ad exteriora vel angulorum apices protruduntur. *Hamel.*

Quinam durissimi lapides. 5. Durissimi lapides non solùm inter gemmas, sed etiam inter marmora censentur, quicunque ignibus multùm, diùque resistunt. Undè porphyrites non facilè absumitur in incendiis, imò proximos etiam lapides ab ignis injuriâ non parùm tuetur, ut scribit *Cardan. de variet. lib. 5. cap. 17.*

Lapides pro cæmento & calce apti. 6. Lapides, qui calci ac cæmento pro structuris murariis servire debent, prœ aliis commodiores seligendi sunt albi duriores, ac solidiores. Sin autem calx solùm ad incrustationem & dealbationem servire debeat, conveniunt lapides molliores ac etiam porosiores.

Lapides fabricis inepti. 7. Lapides duriores ac densiores ad Solem magis indurescunt, nam superfluus humor radiis solaribus extrahitur. Qui verò lapides neque ex tenaci luto, neque ex succo lapidifico induruerunt, ubi longùm & vehementiorem sustinent calorem, tùm humor malè commixtus apertis meatibus facilè exhalatur, & sola remanet terra plerumque instar cretæ alba, mollis, rara, ac friabilis, undè & in pulverem spontè dissolvitur. Hoc lapidum genus fabricis est penitùs inutile; nam Soli expositi humore suo statim privantur, vel cæmento suo distracti solvuntur. Silices quoque, quòd poros habeant angustissimos, nec calcis corpuscula possint admittere, neque facilè ad regulam secari queant, ab Architectis meritò rejiciuntur. Marmor autem, cùm patentiores habeat meatus, & rectà dispositos, serrâ incidi potest, nec calcem recusat.

8. Molliores quoque lapides esse solent, quamdiù conduntur terræ visceribus; sub dio verò durescunt, haud aliter, ac ovorum putamina, aut vesicæ calculi. Hinc *Vitruvius lib. 1. Architect. cap. 7.* docet, pro ædificiis construendis toto biennio antè usum murarium, & quidem æstivo tempore erui debere, & sic erutos sub dio liberoque aëre expositos permitti: qui deindè intereà minùs duràsse, ac vitium aliquod contraxisse reperiuntur, pro fundamentis sub terrâ jaciendis adhiberi posse: qui verò nihil injuriæ passi sunt, eos ad reliquam fabricam aëri cuicunque expositam securiùs & utiliùs adhiberi. *Quales lapides pro fabricis eligendi.*

9. Lapides candicantes, quales in *Umbriâ, Piceno*, & Venetorum Marchiâ *Tarvisinâ* dictâ eruuntur, atque ità molles comperiuntur, ut serrâ facilè incidi possint, structuris quidem interioribus subtectis conveniunt; non autem illis, quæ sub aquis, præsertim salsis, veluti marinis, item subdialibus, quæ pluviis, frigori, pruinis aliisque aëris injuriis exponuntur.

10. Quicunque lapides ità contemperati sunt, ut minùs humiditatis aut terrestris materiæ continere censeantur, quales à peritissimo Architecto *Vitruvio* Tiburtini, ejusque generis indicantur, aptissimi quidem gravibus molibus in quocunque aëre sustinendis comprobantur, quia tamen ignis violentiam unà minimè sustinere valent, sed facilè ad valentiorem ignis calorem in frusta dissiliunt, non undequaque aprobantur. Qui verò lapides parùm in se aëris, ac igneæ substantiæ continent, materiam verò humidam cum terrestri probè contemperatam, ac indè insignem soliditatem, duritiemque nacti sunt (quales in Tarquiniensi Anitianæ Tractu, item ad lacum Vulsiniensem, ac in Stationensi ditione laudat *Vitruvius Architect. lib. 1. cap. 7.*) in igne, aëre, & aquis egregiè durare perhibentur.

11. Cùm præcipuæ causæ lapidum perspicuitatis sint imprimis substantiæ puritas, deindè partium homogenearum continuitas, & earundem in eâdem rectâ lineâ collocatio: Hinc gemmas perspicuas censendum est non à terrâ, sed ab aquâ, vel purissimo succo perspicuitatem illam originaliter deductam obtinere. Terra equidem opacitatem inducit, hinc gemmæ purissimæ ignis ardoribus aliquandò solvit; saxa, quæ multùm terræ continent, nullo liquari igne, sed solùm calcinari possunt. *Causæ perspicuitatis in gemmis & lapidibus.*

12. Magnitudinem & distinctionem lapides utplurimùm tùm à materiæ diversitate, tùm à loci natalis dispositione mutuantur: majores enim exurgunt, cum locus est solidior, & succi copia uberior. Cùm autem locus multis meatibus hiat, tùm calor per hæc spiracula difflatus ipsam materiam dividit, nec tantæ molis lapides efformari sinit. *Magnitudo & distinctio lapidum.*

13. Qui

13. Qui ex ſucco potiſſimùm oriuntur lapides ac gemmæ; plerumque ſunt duriores: nam ex terrâ & aquâ ſubtiliſſimè permixtis coäluiſſe cenſentur, atque occluſos adeo & anguſtiſſimos ſortitos eſſe meatus, ut ità humor exitum non habuerit.

14. Ordine quodam atque multiplici, ait *Cardanus de Variet. lib. 5. cap. 18.* nobiliores generantur gemmæ in anguſtiore foramine & denſiore matris ſubſtantiâ, ut magis attenuetur humor. Quævis autem gemma ſuam matricem habere ſolet; Sic ut Smaragdus innaſcatur Praſio & Jaſpidi quandoque, Silici Jaſpis, Carbunculus Balaſſio, Cryſtallus marmori, Onychi Sarda. Undè meminit idem *Cardanus*, ſe gemmam habuiſſe, quæ imo Onychem expreſſam, ſupremo verò loco Sardam habuerit.

Lapidum colores. 15. Quod Lapidum colores attinet, quatuor eorum potiſſimas agnoſcit cauſas Clariſſ. *D. Du Hamel lib. 2. Phyſ. de foſſil. cap. 5* ut ſunt imprimis temperamentum, deindè varia luminis externi reflexio, quæ ex figuris corpuſculorum, ex quibus lapides compinguntur, provenit; indè tinctura à foris adveniens; Quibus denique lumen quoddam intimum & ſecretum, ac perſpicuitatem quandam omnibus congenitam adjungit.

Gemmarum vitia. 16. Omnis in gemmâ alienus color vitium cenſentur, tametſi ſplendidæ quædam guttulæ in multis lapidibus laudentur. Hinc cùm rubigo quædam gemmas inficit vel quidam ferreus, aut plumbeus color livorem inducit, aut candidior nebula, aut umbra opacior, aut denique fumus obſcurior; gemmarum ſplendor, ac nativus color extinguitur, minoriſque æſtimatur. Ejusmodi vitia plurima enumerat *Cardanus* dicitque, eſſe alia coloris, ut ſunt fumus, umbra, nubecula: alia Corporis, ut ſunt ſcabrities, capillus, ſal, punctum, ſcobs, plumbago, ferrugo, rubigo, vomica. Fumus obſcurior, nubecula candidior, umbra tenuior ac nigrior, capillus in ſuperficie quaſi exeſus, ut limâ tactus lapis videatur; Sal obſcuram intus glaciem vocant. Scabrities aſperitas quædam eſt, quæ tamen à profundo originem ducit; punctum eſt, ut bulla parva in corpore gemmæ; Scobs velut fragmenta ſparſa; Plumbagine ſplendor redditur, ferrugine etiam cum colore obſcuro; vomica puſtula videtur profunda & denſa.

Gemmæ per microscopia inſpectæ. 17. Gemmæ & lapides quicunque pretioſi quantumvis ſint benè expoliti, & æqualiter ſplendores ſuos evibrare exiſtimentur; Si tamen per meliora microſcopia ritè inſpiciantur, pluribus ſæpè maculis, fiſſuris, rimulis, aliiſque vitiis infectæ & oppletæ videntur.

Undè gemmæ dignoſcantur. 18. *Cardano* docente optimè gemmæ cognoſci poſſunt *tactu, viſu, limâ & ſubſtantiâ.* Tactu; quia graviores vitro ſunt ac frigidiores; Hinc Indorum gens hoc in genere ſolertiſſima linguæ contactu eas probare ſolet: Sunt autem optimæ, quæ frigidiſſimæ. Viſu; quod ſplendor nitidior ſit, conſtantior, ac magis oculos implens, nec lucernæ lumine adeò ut in vitro hebetatur. Subſtantia verò vivacior ac magis levis. Limâ denique, quia non atteritur.

19. Cùm figuræ quædam ac imagines totam lapidum ſubſtantiam penetrare videntur, putat *Kircherus Mund. ſubterr. tom. 2. lib. 8. ſect. 1.* id factum ope mineralium ſuccorum, ſaliumque omnis generis edaciſſimorum interventu. Si verò minùs interiorem ſubſtantiam penetrant, minori dictorum ſuccorum copia pollere exiſtimat. Undè figuræ in lapidibus.

20. Gemmæ, quò molliores ſunt, eò minùs nitre cernuntur, cùm radios omnes aut plurimos non reflectant, eòquod molliũ ſuperficies exactè levis eſſe nequeat: quantò autem durior eſt gemma, tantò fortiùs radios incidentes remittere, itaque nitorem vivaciorem & fulgentiorem reflectere poterit. Gemmarum nitor.

21. Cur diluti coloris, ac vitioſi, tum etiam maculoſæ gemmæ prægrandes non paucæ inveniantur, elegantes autem, ac ſine vitio parvæ quidem multæ, magnæ admodùm raræ, cauſam aſſignat *Cardanus*; imprimis dicit, quod materiæ vilioris in unoquoque genere ſemper major ſit copia, quàm perfectioris: deindè quod plures dentur immaturæ gemmæ, quàm quæ perfectam aſſecutæ ſint maturitatem; denique quod res parva â Naturâ melius elaborari poſſit, ac ad finem deduci: Ob id magnæ gemmæ vix unquàm ad exactam maturitatem producuntur. Cur gemmæ perfectiores ſint paucæ & tantùm parvæ.

22. Gemmæ coloratæ, cum ut plurimùm ex metallicis & mineralibus ſuccis tincturam obtineant, ſunt plerumque pellucidis graviores, & quo ſaturatiore colore imbutæ ſunt, eo ſæpè ponderoſiores comperiuntur. Ità teſte ſolertiſſimo *Boylio* marmoris albi gravitas ad aquæ gravitatem eſt ferè, ut 2 cum ſemiſſe ad 1. Magnes ut plurimùm eſt quadruplo gravior aquâ; Similiter Granati Americani etiam quadruplo graviores ſunt: Hæmatites quintuplo; Lapis Calaminaris, quo utuntur ad convertendum cuprum in aurichalcum, eſt ferè inſtar Magnetis; uti Tuthia inſtar Hæmatitis. Gagates, qui foſſilis eſt, ferè ejuſdem ponderis cum aquâ. Cryſtallus rupea eſt ferè triplo gravior aquâ, cum ejus gravitas ut 2 cum $\frac{3}{4}$ ad 1, ita ad aquam juxta principia hydroſtatica comperta ſit. Undè cœteris paribus probabile eſt valdè, pigmentum ac miſcellam quamcunque mineralem ponderis augmentum in gemmis efficere. Gemmarum gravitas.

23. Gemmarum differentiæ communiter deſumuntur velâ quantitate, vel à nitore, vel denique à colore: adduntalii vires & effectus; alii mollitiem & duritiem, ità ut â limâ vel comminui vel non comminui poſſint. Potiſſimæ tamen differentiæ gemmarũ ſumuntur à colore & nitore. Nitoris differentias enumerat *Cardanus* quinque: Suntque Rutilans, ut Adamantis; nitens ut Sapphyri; languidus ut Carneoli; inæqualis ut Jaſpidis; obſcurus; ut lapidis fulminantis. Colorum differentias ſeptem recenſet, ut album, flavum, rubeum, viridem, cœruleum, vinoſum, & nigrum. Niger in quadam Achatis ſpecie invenitur; Vinoſus Gemmarum differentiæ.

in Ame-

in Amethysto, cæruleus in Sapphyro, viridis in Smaragdo, rubeus in Carbunculo, flavus in Chrysolitho, albus in Crystallo. Cœteri autem colores ad hos reducuntur. Accuratiorem tamen lapidum & gemmarum divisionem adducit *D. Becherus in suâ Phys. subterran. lib. 1. sect. 6. cap. 3. ex Jonstono, & Boœtio de Boot*, quæ prolixè ibidem describitur. Vide etiam *Kircherum Mund. subterr. ad initium lib. 8.*

Vires & virtutes gemmarum.

24. Vires & virtutes, quæ passim nobilioribus & rarioribus lapidibus sive gemmis à Magis attribui solent, fabulis communiter propiores sunt, quàm veritati & experientiæ conformiores: Unicam nos eis damus verissimam, quod feras avarorum ac divitum expeditè ad pecunias superfluas aliò avertendas effringere, & arculas egregriè exhaurire possint: his addendum plùs in eis semper efficaciæ ad commovendam phantasiam, ac hominum æstimationem, quàm ad sanum judicium in re visui solùm ac oculis blandiente firmandum compertum esse. Quæ tamen vires medicatæ gemmis inesse deprehensæ sunt, non aliundè videntur ortûs sui causam trahere, quàm ex iis succis mineralibus, qui cùm materiâ lapidum, dum adhuc fluida esset, commixti secutâ deindè induratione concreverunt.

Gemmæ spuriæ quomodo agnoscendæ.

25. Ad cognoscendas gemmas spurias & adulterinas, si per vitra adulterentur: advertendum, quod, si quid pinguedinis adhærescat, id non ægrè abstergatur à veris: non idem contingit in vitris gemmas mentientibus, in quibus & bullæ ignis violentiâ inductæ sæpè etiam fraudem detegunt. Non tamen in omnibus hæ bullæ conspiciuntur, quarè longè tutissimum erit, gemmam annulo eximere, vel pondus expendere, vel denique limæ subjicere. Præterea gemmas veras ait *Cardanus* in Umbrâ, in loco lucido, & sub Sole undique sibi esse similes, adulterinas hominum exemplo mutare faciem. Addit *Agricola* vitra tactu linguæ tepidiora lapidibus percipi, & colorem spargere languidiorem. Quod si ex subjectâ vitri bracteolâ aut folio adulteratio sit facta; Gemma etiam in annulo suô examinari poterit, si nempè inter duos ungues pollicares cum annulo erecta teneatur, deindè visus directè trans gemmam ordinetur; mox enim adverti poterit color, an adventitius, vel an verus sit; sive an ipsâ in gemmâ hæreat, vel à subjectâ bracteolâ afferatur.

Undè lapidum denominatio.

26. His denique addendum, omnes ferè lapides vel à similitudine rerum, quas Natura in ipsis depictas exhibet; vel à figuris solidis rerum in lapidem conversarum; vel à membris tùm hominum, tùm animalium; vel à colore rerum, quo imbuuntur, vel à sono, odore, sapore, tactu; vel ab effectu, quem in morbis præstant; vel denique à contentis, ut Enhydros, qui aquam in se continet, denominari. Cum enim nihil ferè in rerum Naturâ sit, quod in lapidem converti nequeat; non mirum est tot genera lapidum reperiri, quot res differentes in lapides transformari possunt; undè & nomina meritò hinc illis secundùm convenientiam aliquam & similitudinem indita sunt, ut ex ipso nomine de ipsis jam aliquid differentiam concernens, indicari queat; sicuti meliùs ex ipsâ tabulâ sequente videre licet, in quâ comprimis nomina præcipuorum in Naturâ lapidum; ac gemmarum indicantur, quibus deindè convenienter à latere apposita sunt forma, color, loci natales, vires etiam ac proprietates; ex quibus tamen plures fabulosas & vanas, plures etiam superstitiosas palàm profitemur. Universim tamen omnes, sicut nec probare, sic nec reprobare & omnimodam iis fidem derogare possumus. Lectoris erit sano judicio in his uti, & hæc ipsa, quæ solius doctrinæ ac scientiæ causâ proferimus, æquâ mentis lance dijudicare.

§. II.

TABULA SYNOPTICA

Præcipuorum in Natura Lapidum, ac Gemmarum unà cum eorum formis, coloribus, locis natalibus, viribus, proprietatibus, ac usibus Alphabetico Ordine disposita.

Nomina, ac Species.	*Forma, color, Loci natales.*	*Vires, Proprietates & Usus.*
Adamas vitiosus qui rubet, at rarior est. Vitrei coloris frequens, ac durior.	Lapidum omnium & Gemmarum præstantissimus, durissimus & ponderosissimus: instar aquæ diaphanus. Præfertur Indicus è rupe potiùs quàm terrâ effossus, optimus tamen, qui in fluminibus reperitur. Optimorum magnitudo ordinaria vix avellanam excedit, melior sexangulo lævore in mucronem turbinatur.	Ferro, igne, vetustate, & usu creditur impermutabilis. Orientalis confricatus noctu lucet, & paleas trahit. Sinistro brachio alligatus nocturnos arcet timores, atram bilem sistere, animamque confirmare dicitur. Intrò tamen sumptus venenum habetur, à magis portatus dicitur gemma reconciliationis, fortitudinis, & constantiæ.
Achates Dendrachates. Coralloachetes. Leoninus. Phasachates. Cerachates. Sardachates. Hæmachates, & Leucachates.	Lapis variis figuris & coloribus differentibus spectabilis, nullumque colorem respuit, cum in medio atros circulos & albos junctos ac variatos sæpè habeat, nemora, flumina, arbores, hominesque ipsos sæpè ostentet. Invenitur in Indiâ, Europa & passim in Germaniâ.	Venenis pestiferis, viperarum, atque scorpionum ictibus adversari dicitur, prodest oculis, sedat æstus febrientium, accensio ejus odorifera est.
Ætites Africus. Arabicus. Cyprius. Taphiusius. Saxonicus.	Lapis aliàs turpis in nidis aquilarum inventus lapidem alium calyminium dictum in utero continens. Africus cinereus fœmineus, ac optimus, mollis etiam, & pusillus. Arabicus Mas: durus gallæ similis, subrutilus, Cyprius Africo similis amplior tamen. Taphiusius juxtà Leucadem reperitur candidus & rotundus. Pessimi rotundi in fluminibus & alveis inventi. Saxonico cellulæ in superficie.	Gravidis continet partum. Parturientibus alligatus dolores mitigat, & partum accelerat. Tritus & cerato exceptus Cyprino & Glaucino, aut alio excalefaciente contrà comitiales magnificè juvat.
Agapis Leontias.	Colorem pellis leoninæ ostentat.	Plurimùm valet contrà ictus scorpionum.
Alabastrum.	Est marmor mollius ac splendidum varii coloris, ut albi, nigri, mellei. In Ægypto, Sicilia, Hetruria, Germania reperitur.	Ustum & resinæ mixtum duritiem resolvit; cum cerâ mixtum stomachi dolores sedat, cum lacte potum dysenteriæ medetur.
Alectorius.	Lapis fabæ magnitudine repertus in ventriculo aut jecinore decrepiti galli. Crystallo obscuro similis, interdum fuscus, aut sanguineis venis distinctus. Optimus, qui stagnantem injecti cibi micam ostentat.	Sub linguâ tentus sitim sedat, fertur reddere gestantem gratiosum, constantem, & audacem.
Amethistus.	Ejusdem penè est cum crystallo mollitiei, unaque simul invenitur. Colore violæ est, & visui maximè gratus.	Dicitur efficere sedatos & vigilantes. Creditur ebrietatem reprimere, acuere ingenium & somnum minuere.
Amianthus Amianus. Asbestinus. Carystius. Bostrichites. Corsoides. Iscultos.	Alumini scissili similis, fibrosus, mollis, flexilis, ductilis in fila, candidus & subviridis est, nascitur in Cypro.	Conjectus in ignem ardet, nec comburitur, sed exit splendidior. Telæ indè paratæ lotione non indigent, purgantur in ignem conjectæ. Creditur omnibus veneficiis resistere.
Arabicus Lapis.	Lapis est maculoso ebori similis.	Tritus & illitus hæmorrhoidas exsiccat, ejus cinis dentifricio optimus.

Nomina

Nomina ac species.	*Forma, color, Loci natales.*	*Vires, proprietates & Usus.*
Armenius Lapis.	Ex viridi cæruleus, invenitur melior in *Ultabado* Urbe celebri Regni *Balaquatæ*. Ætate in viridem degenerat colorem. Germanicus lævis est colore cæruleo perquàm æquabilis & friabilis.	Flammas haud patitur. Melancholiam purgat innoxiè, at validè cum vomitu; datur in pondere scrup. 4.
Asius Lapis, aliàs Sarcophagus.	Probatur pumicis calore fungosus, levis & friabilis, venasque in profundo luteas habens, ejus flos sive salsugo melior.	Vim habet adstrictoriam & modicè erodentem. Phthisicis linctus prodest, podagras lenit, ex ejus flore fabæ lomento misto fit cataplasma pro podagricis. Item lienosis ex aceto & vivâ calce.
Asterias Astroites aut Lapis stellaris.	Stellas exactè refert, aliquandò rosas, vermium & caudarum gyros sæpè confusè maculas, in variis Italiæ locis reperitur.	Affuso aceto spontè hinc indè se movet. Variolis mederi creditur pueris alligatus.
Balanites.	Glandis figuram habet, duo sunt genera, subvirides aut subflavi, variis in locis inveniuntur.	Dicuntur vi adstringente pollere, atque adeò diarrheæ mederi.
Balassius seu Ballacius.	Mater Rubini est cermesino, sed admodum diluto colore tinctus.	Virtute gaudet Rubini aut Carbunculi.
Basaltes.	Species marmoris est, quæ exactissimè politur. In Misnia propè Dresdam magnâ copiâ eruitur.	Auro & argento probando aptus ad modum Lydii lapidis.
Belemnites sive Lyncurius.	Varii coloris reperitur, sagittæ figuram habet, & latâ radice in cuspidem crescit, nunc plenus, nunc concavus, crustis tanquam membranis compingitur.	Pulvis vulnera curat, calculos frangit, in carbones ignitos projectus illos extinguere dicitur, pellit phantasmata nocturna.
Beryllus.	Cum Crystallo maximè convenit. Ex viridi cæruleum colorem aquæ marinæ similem mentitur. Optimus ex India venit, qui plurimùm fulget. Babylonicus pinguem quendam colorem præ se fert. Germanicus olei colorem habet.	Oculis prodest pulverisatus, ac cum aquâ rosaceâ aut liliaceâ subactus. Vitia Hepatis corrigit, animos conciliare dicitur.
Bezoar seu Pazahar.	Ventriculo certi caprarum generis innascitur, tunicatus instar ceparum splendidus seu lævis, pullus, plerumque spadiceus, rarus aut ex viridi nigricans, cui festucæ aut herbæ fragmentum in meditullio innatum.	Venenis potenter resistit, pulvis ejus vulneri impositus à mortiferis animalibus ictos liberat, in peste venenum exsugit. Valet adversùs inveteratos morbos melancholicos, ut scabiem, lepram, prurigines & impetigines.
Bufonius sive Batrachites. Chelonites.	In Bufone repertus lapidis stellaris figuram habet. Varii coloris est.	Venenis resistit applicatus ad partes infectas. Renum & vesicæ calculos prohibet. Præsente poculo venenatò fertur mutare colorem.
Carabe sive Electrum. Succinum. Ambra.	Bituminis terrestris est species, formicas, culices, muscas, & ejusmodi sæpè in se continet. Invenitur in littoribus maris.	Magnis virtutibus pollet in superfluis humoribus tollendis, paleas, stipulas & quævis levia attrahit.
Carbunculus Pyropus. Rubinus. Spinella.	Lapis est rubri coloris ac micantis ut ignis. Orientalis noctu superfusâ aquâ splendet, ut ignis, optimus pyropus aut spinella dicitur, Germanicus durus, sed nigricans minoris pretii. Spinella clarior & jucundior.	Pesti ac venenis resistit, Libidinem coërcet, animum exhilarat, vitalem spiritum confirmat, promptum & alacrem facit, fortunat, infortunio instante colorem mutare perhibetur.
Carneolus.	Sardæ species est. Lapis aliàs rufus & obscurus, sanguinolentæ carni similis: undè & nomen habet.	Aptus sigillis incidendis. Creditur à Magis surgentes iras mitigare, & quemcunque sanguinis fluxum sistere.
Caymanum Lapis.	In ventriculis prægrandium lacertorum reperitur. Similis est calculo fluviatili.	Indi & Hispani ad tollendam febrem quartanam adhibent.

Nomina & species.	*Forma, color, loci natales*	*Vires, proprietates, usus.*
Cenar.	Lapis est Sinensis.	Impedire rugas in corpote dicitur.
Ceraunias Cunei formis Lapis fulminaris.	In albo fuscus vel niger duritie est siliceâ, foramine aliquandò pertusus, rotundi & nigri vocantur Betuli, Longi Cerauniæ, perforati Disci. Sunt & securibus similes, qui cum pluviis decidit, ombrias dicitur, aliàs Brontias.	Fertur dulces somnos afferre: dicitur & contrà fulmen valere, in conflictu & prælio victorem efficere.
Chalcedonius	Varios colores refert, prout diverso lumini exponitur. Semi diaphanus est & inter Onyches computatur.	Atræ bili & Melancholiæ medetur, timores, illusiones & phantasmata melancholica avertere dicitur.
Chelidonius	In ventre juvenum hirundinum reperitur, color in convexo pullus, dilutior, in cavâ parte purpurascit nigris injectis maculis magnitudo seminis lini: qui aureis guttis superbit, probatissimus.	Oculis medetur. Valet etiam contrà noxios humores, febres, & iras. Volunt & contrà insaniam, ac epilepsiam prodesse.
Chrysoprasus	A splendore auri, quo fulget, dictus viriditatem tamen aliquam admixtam habet. Melior ex Æthiopiâ, & ex Indiâ provenit.	Visum acuit & mirificè recteat.
Chrysolithus Chryselectros Leuco chrysos Melli chrysos & Capnias	Lapis est Æthiopicus post Adamantem ferè durissimus lucens, acut ignis scintillans, mari in colore similis est declinans ad virorem.	Frigidissimus perhibetur, undè & sub linguâ tentus sitim febrientium mitigat. Confortare dicitur intellectum, nocturnos timores & melancholiam arcere.
Cobra de Capelos sivè Coluber pilosus aliàs & Lapiedra della Cobra.	Naturalis est & Artificialis. Lapis est rotundus lenticularis ut plurimùm figuræ, coloris in medio albi & circum circà glauci, ac cærulei.	vulneri veneno infecto applicatus per seipsum adhæret: veneno verò ex sucto plenus sponte decidit. Lacti posteà immersus venenum remittit, & ad statum naturalem reducitur.
Coccus Paraquayanorum	Est crassi farciminis specie: extrà ex rubro impuro & albo mixtus. Expolitus cũ optimo chalcedonio coloris est & in meditullio vacuus.	Spontè rumpitur vacuus & ingentem edit crepitum.
Coluber	à Colubro suspenso evomitur.	Hydropicis ad ventrem alligatus aquas exhaurit & liberat à morbo.
Comensis Lapis lebetum Lapis colubrinus	Spongiosus, viridis & candicantibus maculis respersus, quæ argenteis micis radiant.	Formantur hinc vascula tantæ tenuitatis, ut penè ductilia sint.
Conchitis	à Conchyliis nomen habet in lapidem conversus.	Sympathicâ quadâm actione calculo ejus pulvis mederi dicitur.
Corallum Lithodendron Dendritis Gorgonius	Color antequàm lapidescat, varius est, ejus rami sub aquâ candidi dicuntur & molles: extracti cum retib' rubescunt & lapidificantur.	Dicitur potissimum valere contrà fluxum sanguinis, & adversus spectra diabolicâ. Fulmina etiam & tempestates arcere creditur.
Cos	Lapis est prædurus, varios colores habet, plures sunt ejus species, Inter aquarias *Naxia* præcipua. *Laconiæ* olei indigæ. *Flaminitanæ* salivâ hominum proficiunt. *Olearia crotica* scalpra & cæla exterunt.	Virtutem habere dicitur deficcativam, repercussivam & sanguinis restrictivam, Ferro atteritur, pilorum incremento medetur. Lienem quoquè attenuare perhibetur.
Crystallus Acentela Montana. Iris Pseudo adamas	Lapis est relucens aquei, vel glacialis coloris, diaphanus, figurâ hexagonâ, nascitur præcipuè in Asia, Cypro, Hungariâ, Bohemiâ, Portugalliâ, Geldriâ, Brabantia, Franciâ, & Septentrionalibus Alpibus.	Usus ad pocula & ornamenta varia destinatur. Virtutem habet ad sitim & ardorem levandum.
Daphnios	Lapis est figurâ Lauri.	Contrà morbos comitiales adhibetur.

Nomina

Nomina & species.	*Forma, color, Locinatales.*	*Vires proprietates & Usus.*
Dendritis	Lapis est arborum fruticumque figuras exprimens, in Hetruriâ passim invenitur.	Stipticâ facultate pollere dicitur.
Diadocus	Lapis est pallidus lucens, ut Beryllus.	â Magis ad responsa â dæmonibus obtinenda adhibetur. Si tamen defuncto applicetur, vires omnes amittere dicitur.
Dracontias sivè Dracontides	Qui ex cerebro Draconum, morientibus absciſſo fieri fingitur: viventibus amputato gemmescit nunquàm invidiâ animalis morientis.	Miram contrà omnia venenorum genera facultatem habere perhibetur.
Dionysias	Lapis est niger vel fuscus rubentibus venis sparsus.	Ebrietati fertur resistere.
Enhydros	Ab aquâ, quam intrà se continet, dictus, lapis est modicus perpetuis guttis irriguus, nec indè liquescit, aut minuitur.	Adversus urinæ infirmitatem adhibetur.
Eneostis	Ossium figuram exprimit.	Vim habet ad ossa rupta consolidanda.
Enorchis	Dictus â similitudine testiculorum, quos figura exprimit.	Vim ad libidinem & Venerem excitandam habere dicitur.
Entrochos	â rotæ similitudine, quam figurâ suâ exhibet, dictus est.	Virtutem adstrictivam arenaceis similem habere fertur.
Epistides	Lapillus est rutilans & rubicundus, oppositus Soli ignem ac radios emittit.	Ex parte cordis gestatus tutum illud reddere dicitur. Si in aquâ ferventem inijciatur, cessare fertur ejus ebullitio, & post modicum frigescit.
Exolicetos	Lapis est sic dictus, eoquod 40 coloribus distinguatur, parvus est, reperitur in Lybiâ apud Trogoditas.	Oculos intuentis tremulos efficere dicitur.
Gagates	Bituminis usti species est potiùs quàm lapis. Odorem Sulphureum habet. â Gage flumine, ubi reperitur dictus. In Siciliâ tamen & Britanniâ frequens. Duplex est niger & glaucus.	Paleas trahit ut succinum. Diareticâ facultate pollet, morbis muliebribus suffitu medetur & Epilepticis. Parientibus partum accelerat, potus confert Hydropicis, fluidos dentes firmat.
Galactites seu Galaricides & Galarictis	Lapis est colore cinereus, â lacteo colore, quem aquâ subactus â se emittit, dictus.	Fœminis lactis copiam ad mamillas appensus augere fertur, alligatus femori facilitat partum, in ore conclusus turbat mentem.
Gelacia	Gemma est candida, grandinis figuram exprimens.	Tantæ dicitur frigiditatis ut nunquam ab igne calefiat.
Geodes Ætites fœmina Bezoar Ægypti fossile	Lapis est rotundus, â terrâ quam intra se continet dictus. Si terra intus mobilis sonet, non Geodes sed Ætites erit. Nascitur in Misniâ & Saxoniâ.	Astringit, siccat, caligines oculorum discutit. Ex aquâ illitus testium & mammarum inflationes sedat.
Glossopetra	Saxum est dictum â figurâ linguæ, quam exprimit. Melitæ ingenti copiâ reperitur, necnon & in Helvetia circa Monasterium Marense.	Adstringenti vi pollet & contrâ venena prodest, sicut & Terra Melitensis.
Grammatias	Jaspidis genus est â literis, & figuris seu lineis, quas exprimit, dictum. In Misnia reperitur.	Venenis resistit. Magi hoc lapide ad plura utuntur.
Granatus Soriana	Similis grano mali punici. Hispanus dilutioris est coloris, magnus tamen flammam coruscantem æmulatur. Æthiopicus Soriana dictus, cœteris pulchrior, reperiuntur & in Bohemiâ in magnâ quantitate & melioris notæ.	Collo suspensus aut potu assumptus tristitiam expellit, minuit tamen somnum. Cor confirmat, nocet autem cerebro. Sanguinem exagitat, incitat ad iracundiam, exsiccandi vi pollet.

Nomina & species.	*Forma, color, loci natales.*	*Vires, proprietates, usus.*
Gypsum	Lapis vulgaris ubivis notus.	Calx ex eodem exusta ad multa utilis, vim habet adstrictivam.
Hæmatites Androdamas Eleutites Miltites	Lapis est rufus ferrugineus. Africus, Indicus & Arabicus, à colore sanguineo, quo fulget, dictus. Varia sunt genera. Aliqui virides punctis sanguineis fulgent. Optimus habetur friabilis Saturato colore niger aut sanguineus, durus & suâpte naturâ æqualis ab omni sorde admixtâ liber, in ferri fodinis maximè reperitur.	Vim habet adstringentem & ex ealefactoriam aliquantùm & extenuativam. Sanguinis fluxui medetur. Oculis cruore suffusis convenit, bibitur contra difficultatem Urinæ, & ab iis, qui sanguinem rejecerunt, cum succo mali punici. Undè sanguinem vomentibus & dyssendericis singulare præsidium.
Heliotropium	Gemma est viridis Jaspidi haud absimilis immixtis venis sanguineis. Expositus Soli sub aquâ ob vivacem rubedinem aut viriditatem colorem croceum spargit ut aërem ob nubilare, atque deliquium Solis ostendere videatur.	Sanguinem stringit. Venena tollit, eâdem, quâ Hæmatites & Jaspis, vi pollet.
Hyacinthus	Nomen habet ab Hyacintho flore. optimus, qui nec nimis clarus, nec nimis est obscurus. Colore nunc cæruleus, nunc subrufus, nunc purpureus, aut venetus. Recentiorũ sanguinis admodum biliosi colorẽ refert, qui & optimus: rubedine verò vilescit alius. Succini flavi vilissim⁹, quia nec translucet.	Juxta ignem positus rubicundior, & obscurior apparet; ab eodem remotus splendescit, aëri maximè se conformat, in nubilo nubilus, in sereno serenus. In os immissus sentitur frigidus, ad sculpendum est durissimus, est virtutis confortativæ, confert lætitiam, pesti, ac venenis resistit.
Hystericus	Lapis est niger ponderosus, majore ex parte teres & rotundus.	Uteri umbilico impositus solatium.
Jaspis Hic Lapis species habet plurimas	Gemma est viridis Smaragdo similis sed crassi coloris: ob colorum varietatem diversa sortitur nomina. Durities est cum pulverulentâ scabritie, nec ità exactè poliri potest. Optimus, qui invenitur in montibus Scythiæ, & qui ex Oriente advehitur.	Cor exhilarat, reprimit febres, appensus sanguinem sistit. Luxuriam cohibet, castum reddit. Visum acuit, & confortat. Maleficiis & incantationibus resistit. Epilepticis & calculosis prodest.
Icterius	Ab Ictero Galgalo flavi coloris volucre nomen habet, flavi enim coloris est.	Ictericis portatus mirum in modum ex naturæ similitudine prodesse perhibetur.
Iris	Gemma dicitur à similitudine colorum Iridis, quos exprimit. Species est Crystalli. Invenitur in Arabiâ, Germaniâ, Hyberniâ & in multis regionibus Aquilonis, cum ad citrinum colorem accedit, tunc pluris æstimatur quamvis sit opacior.	Oculis prodesse dicitur ex Sympathiâ, confert parturientibus, gaudet Berylli virtutibus.
Judaicus Lapis	Lapis est figurâ ovali ad similitudinẽ olivæ, invenitur in Judæâ in monte oliveti, putantur olivæ in saxum conversæ. Candidus est & lineis inter se æqualibus ac quasi torno factis distinguitur.	Calculo & Urinæ difficultati mirificè prodest.
Kabrates	Lapis est translucidus Crystallo similis.	Hepatis, ac splenis tumorem curat, defendit à noxiis & venenosis, creditur dare eloquentiam, honorem, & gratiam.
Kalcophanus	Lapillus est nigro colore depictus.	Ore gestatus claram vocem efficere dicitur ac raucedinẽ tollere.
Kamen	Lapis est in colore nunc albus, nunc subniger nunc rubicundus, nunc variis coloribus distinctus, invenitur in locis sulphureis & calidis.	Hydropisin curare dicitur, à Magis diversis imaginibus sculpitur & expolitur.

Nomina

Nom. & species.	*Forma, color, Loci natales.*	*Vires, proprietates & usus.*
Lazulus sivè Ultra marinum	Lapis est cæruleus aureis punctis ac lineis interstinctus. Opacus est, & Sapphyrum æmulatur colore. Invenitur in venis aurariis & argentariis.	Visum corroborat. Somnum conciliat, podagræ dolores sedat, quartanæ mirificè confert. Vim habet reprimentem & modicè erodentem, contra flammas contumax est.
Leucophtalmus sivè Oculus Cati	Ab oculi figurâ, quam exprimit, ità dictus. Species est Opali, laudatissimus in *Zeilan* invenitur. Nonnulli etiam ex *Pegu*, & regione *Braman* afferuntur.	Oculis medetur. Somnia terrifica pellere dicitur. Arbitrantur Indi ejus, qui hunc gestârit, facultates minui non posse, sed semper augeri.
Ligurius Lapis	Electro in colore similis, dictus â Lynce bestiâ, ex cujus Urina inter arenulas nasci creditur.	Paleas & pennas attrahit, fluxum ventris stringit, valet contra dolores stomachi, prodest Ictericis & decoloratis.
Lithanthrax	Carbo fossilis dicitur & passim in Belgio propè Leodium effoditur ad ignes fovendos.	Capiti vehementer nocet usque ad apoplexiæ periculum.
Litheosphorus sivè Lapis Bononiensis	Crystallinâ propemodùm perspicuitate & pondere plumbi constat, cui intùs etiam â centro instar radiorũ undiq; albæ striæ ad circumferentiam in Stellæ effigiem procurrunt.	Calcinatus & Soli vel flammæ expositus lucem sine calore recipit visuique in tenebris refert.
Lychnites	Parii marmoris species est candidissima, in Hetruriâ passim obvia, sicut & in Siciliâ.	Adstringente vi pollet: Undè humidis infirmitatibus confert.
Lydius Lapis	Marmoris nigri species ad aurum argentumque probandum aptus. Optimus qui hominis halitu protinus sudat, nubemque discutit.	Smecticâ vi pollet & adstringente.
Magnes sivè Magores	â Magnesiâ Regione dictus, ubi primùm inventus, est ferruginei coloris. Optimus, qui densus admodùm gravis cum colore ad cæruleum vergente, quique ferrum facilè trahit.	Virtutes potiores sunt, quod situ libero constitutus ad mundi polos se convertat, ferrum & alium magnetem attrahat, vel obverso altero polo repellat. Ferrum etiàm sibi admotum utrâq; vi imbuat. Vim prætereà habet crassos humores educendi.
Malacensis porcinus	Lapis est in felle hystricis inventus dilucidioris purpuræ colore, amarus, lubricus, & pinguis.	Menses mulieribus manu gestatus movere & abortum facere dicitur.
Malochites	Prasii species est. Malvæ, undè nomen habet, instar viridis variis venis distinctus.	Laxativâ vi pollet. Cordi prodest ventriculum roborat. Epilepticis & spasmo obnoxiis subvenit.
Margarita Unio	Omnium gemmarum candidarum præcipua, invenitur in conchis maris, albæ, claræ, speculares, & rotundæ meliores, sicut & Orientales. Extractæ antè plenilunium præstantiores dicuntur ijs, quæ post plenilunium capiuntur.	Virtutem habent mirè confortativam, valent contrà cardiacam, syncopen, debilitatem ex fluxu medicinæ. Item contrà fluxum sanguinis & ventris.
Marmor	Marmoris species innumeræ sunt; omnes siquidem lapides duri, læves, splendidi variisque coloribus picti vocantur Marmora.	Difficillimè sculpitur & expolitur. propter soliditatem & frigiditatem ad species unguentarias & aromaticas custodiendas utilissimum.
Medus	Lapis in Medorum regione repertus, qui quandoque est viridis coloris, quandóque nigri.	Virtus ei contrà cœcitatem oculorum, & podagram. Nigri solutio in aquâ interficit vomitu, frons eâdem lota, excœcat.
Melichrysus	Chrisolythi species est aureo colore fulgens.	Ad sanguinis fluxum & Epilepsiam confert, varios morbos pellit.
Megaricus Lapis	In hujus lapidis toto corpore conchæ marinæ sparsæ sunt.	Contrà calculos vim habet.
Memphites Lapis	In Ægypto ad Urbem Memphim invenitur, calculorum magnitudine, pinguis & versicolor.	Ajunt hunc lapidem, tritum & illitum locis, quæ urenda vel secanda sunt, sine periculo sensum eis adimere.

Nom. & species.	*Forma, color, Loci natales.*	*Vires, proprietates, & usus.*
Morochtus Morochis. Melites. Morechtis. Galaxias. Leucographida	à Galactide lactario lapide solo colore differt: Unde & Galactides niger dicitur, in Saxoniâ passim reperitur.	Sanguinis sputo confert. Matricis fluxui medetur. Spiracula corporis obstruere videtur, prodest & Cæliacis & vesicæ doloribus cum aquâ potus.
Myexis -	Lapis est, qui in capite bufonis invenitur, color est ferrugineus in viridi, pars exterior tamen nitet, rotundus aliàs plerumque & magnitudine latitudinis fabæ.	Gestatus tollit renum dolores, etiam antiquos & lapidis generationem prohibet. Ventriculi etiam affectibus & febribus confert.
Myrrhites	Gemma est Myrrhæ in colore similis.	Hæc gemma compressa Nardi odorem spirat.
Nephriticus Lapis	à Renibus, quibus confert, nomen habet. Variis coloribus imbuitur, uti Jaspis: Prasio tamen ut plurimum similis, qui ad viridem colorem luteo permistum tendit, præfertur viridior. Ex novâ Hispaniâ defertur.	Schiaticam curare dicitur, naturalique proprietate renibus prodest, ac adversus Nephritidis & stomachi dolores, ac ad calculum expellendum & arenulas mirificè commendatur.
Oculus Beli	Albicans pupillam pingit nigram in medio aureo fulgore coruscans.	à similitudine oculis prodesse dicitur.
Oculus Mundi	Lapillus est pisi magnitudine eboris colore.	Aquæ injectus limpidæ statim ab orâ ad centrum se movet, mox totus translucet & splendet Extractus sensim lumen amittit.
Onyx sivè Camea	Ab humani unguis similitudine dicitur, albo nigro colore imbuitur, lineisque varii coloris distinguitur Opacus est lapis, ex Indiâ & Arabiâ defertur.	Epilepsiæ confert & oculis. Igni eliciendo aptus est. Affrictus milium in modum calefit.
Opalus	Pulcherrima gemmarum ob colorum varietatem, quam in suâ transparentiâ exhibet adinstar Iridis, ex Indiâ fertur.	Cor recreat oculos se portantis illæsos & acutos servare dicitur, omnium gemmarum vires habere creditur.
Ophites	Alius est gravis & niger: alius cinerei coloris: alius punctis variatur: alius lineas habet candidas.	Prodest contrà morsus serpentum, & capitis dolores, qui verò candidas maculas habet, Lethargo & capitis doloribus auxiliari perhibetur.
Parius Lapis	Gemma est marmoris eximii & pretiosi, dictum ab Insulâ *Paron* ubi invenitur.	Aptus est potissimùm ad vasa pro conservandis speciebus & unguentis prætiosis.
Phengites	à transparentiâ lucis sic dictus. Species est alabastri orientalis diaphani.	Marmorum communi vi pollet.
Phrygius	à Phrygia nomen habet, nascitur in Cappadociâ. Optimus censetur pallidus modicè gravis cum solidâ corporis compage intercedentibus albis segmentis, ut in Cadmiâ.	Adstringit, expurgat, crustas inducit, oculis confert. Ambustis cum cerato medetur.
Porphyrites	Durissimum marmor in rubro candidis maculis respersum.	Ad res in pollinem molendas & conterendas optimè valet.
Pramnium Morion	Ex Indiâ defertur, nigra gemma est.	Virtutes non satis cognitæ.
Prasius	à Colore prasii dictus ex viridi flavoque colore mixtus.	Veneno adversatur. Undè & venenum eo præsente colorem amittere solet.
Pumex Lapis Scyrrus, & Thyrrenus Vulcani de Barca. Rupex. Sperator.	Probatur levis, fistulosus, scissilis & non calculosus, quique facilè teri potest & candidus est, liquefactorum & adustorum lapidum fæx, & spuma, fistulis refertus aquæ innatat.	Vi gaudet adstringente, gingivas abstergit, purgat cum calefactione, quæ pupillis caliginem offundunt, corpori crustam obducit, avellendis capillis aptus.
Pyrites Marcasites	Ab igne nomen accepit, quia percussus facilè scintillas emittit.	Exsiccativâ vi pollet emplastri formâ applicatus.
Rubinus	Nomine tantùm à carbunculo & pyropo differt.	Venenis pellendis prodest. Antidotum nobile.

Nomina

Nomina & species.	*Forma, color, loci natales*	*Vires, proprietates, usus.*
Samius Lapis.	In Samiâ terrâ reperitur, undè & nomen habet, quo Aurifices utuntur poliendo auro ut resplendeat. Probatur candore & duritie.	Adstringit & refrigerat. Prodest stomachicis potus. Sensus hebetat. Ad fluxiones oculorum & ulcera cum lacte efficax. Partus etiam accelerare dicitur.
Sanguinalis	Lapis ex novâ Hispaniâ delatus. Jaspidis genus est varii coloris, sed obscurioris, maculis seu punctis sanguineis distinctus.	Sanguinis fluxui quacunque ex parte efficaciter medetur, si lapidem aquâ frigidâ intinctum æger dextrâ comprimat, & subindè id faciat. Utilis etiam est suspensus aut alligatus eidem parti, undè sanguis effluit.
Sapphyrus	Gemmarum pulcherrima cœli colorem refert miro splendore & summâ perspicuitate. Durissima est post Adamantem. In variis locis invenitur. Orientalis & Indica melior judicatur maximè cùm pulveres quosdam aureos immixtos exhibet.	Vires habere fertur mirabiles. Virtute pollet confortativâ, cordis lætificativâ. Dicitur sordescere, cum portatur ab homine impuro. Venenis validè resistit, prodesse creditur oculis, visumque conservare.
Sardius seu Carneolus.	Dicitur à carne sanguinolentâ, cui colore similis est. Semidiaphanus in Sardiniâ probæ notæ reperitur.	Sanguinem mirificè sistit. Animum exhilarat. Malignæ febri prodest. Dentes dealbat.
Sardonyx	Ex duorum lapidum societate, nempè ex Sardo, & Onyche vocatur. Niger est in imo, candidus in medio, rubeus quasi minium in supremo. Invenitur apud Arabes & Indos.	Aptissimus est ad Sigilla. Nam de ceræ substantiâ nihil evellit. Dicitur à Magis luxuriam repellere. Humilem ac pudicum efficere.
Schistus Lavagna.	Ità dicitur omnis lapis in squamas scissilis. Commendatur croco similis, peculiariùs nempè splendet. In Iberiâ Hispaniæ maximè gignitur.	Multum æris continere dicitur. Vim obtinet Hæmatitæ, sed ad omnia inferiorem ad procedentia, rupta. Item genarum crassitiem & uvas oculorum efficax.
Selenites.	Lapis est ex Persiâ & Arabiâ, ut herba virens, cujus color Jaspidi similis est. Translucet autem candida quædam macula quasi fulgore continens Lunæ imaginem.	Macula in hoc lapide pro ratione Lunæ crescentis aut decrescentis crescit etiam ac decrescit. Potens dicitur ad amorem conciliandum, languentes & Phthisicos juvare putatur.
Silex	Durissimum saxi genus: Ovalis plerumque figuræ variis à naturâ coloribus tingitur. In aquis, arenis, & ad ripas fluminum copiosè reperitur.	Calcem non bibit, ideò ad structuram non convenit. Si translucet & albet, plerumque liquabilis, ac utilis vitrorum & factitiorum Lyridum materia est.
Smaragdus Prasinus lapis. Neronianus. Domitianus. item Cholos, seu Chloros	Omnium gemmarum virentium princeps. A nimiâ viriditate dicitur. Tenerrimus est & facilè frangitur. Scythici melioris notæ multiplicis speciei sunt. Optimos dicunt coti lydiæ affricatos æream maculam relinquere.	Aërem propinquum illustri virore afficit. Visum mirè recreat, & conservat. Lascivos motus compescit. Diarrhæam & omnes sanguinis fluxus sanat. Venenis resistit. Epilepticis prodest, memoriam confirmat. Facundiam & amorem ad studia confert.
Smiris.	Inter Hæmatitis species recensetur. Ferruginei coloris durissimus. In Samiâ terrâ reperitur	Ad erodendum & urendum utilis. Gingivis, quas humor vexat, prodest. Dentifricio commendatur. Ad poliendas gemmas adhibetur.
Spongitis	Lapis, qui in spongiis reperitur; undè & nomen habet.	In vino albo vel succo raphani solutus, ac potus lapidem in vesicâ frangit.

Nomina & species.	*Forma, color, loci natales.*	*Vires, proprietates & Usus.*
Spromus.	Lapis est calore primùm subflavo, post Leucaphæo spongiosus.	Injectus in aquam, eam imbibit, quam deindè rursus guttatim expressam quasi destillat.
Strombus. seu Strombites.	Cochleæ aquatili similis ex amplo in tenue turbinis instar deficit in spiram à dextrâ tortus.	Communi Cochlearum virtute pollet.
Talcus Stella terræ Sideritis.	Ab Arabibus nomen accepit. Scissilis est in lamellas subtiles, & tenuissimas. Magis diaphanus vitro quolibet. Species est sideritis & Asbesti.	Igni resistit. Aqua inde educta mulierum carni dealbandæ fervit. Senio non absumitur.
Thracius. Lapis.	In Scythiâ nascitur, in fluvio, qui Pontus vocatur.	Eadem ei vis est, quæ Gagati. Traditur aquâ accendi, oleo extingui.
Thyites	In Æthiopia gignitur sub viridi colore jaspidem imitatus. Cùm diluitur tamen i lacteum succum reddit.	Vehementer mordet, tenebras, quæ pupillis obversantur, expurgat.
Tiburonum lapides.	Sunt valdè albi, magni & ponderosi in capitibus piscium maris Indici, qui *Tiburones* dicuntur, inventi.	Horum lapidum pulvis utilissimus fertur Nephriticis, & adversus urinæ difficultates, renum ac vesicæ calculos.
Topazius.	Ab insulâ Topazâ maris rubri in quâ reperitur, dictus. Est gemmarum maxima & amplissima. Quo est clarior, eò pretiosior habetur. Aquam croco tinctam colore refert. Species habetur Chrysolithi.	Dicitur ad Lunæ motum & cursum vim suam exerere. Efficacior enim censetur esse in Lunæ incremento, quàm decremento. Valet contrà lunaticam passionem. Prodesse etiam fertur melancholiæ, epilepsiæ, & sanguinis fluxui. Ferventes etiam aquas compescere dicitur.
Topbus.	Lapis vulgaris pumex asper, & facilè in arenam resolvitur. Variæ sunt ejus species.	Podagricis conferre, & eorum sedare dolores dicitur.
Turcois Turchesia. Turquesia. Turcosa Turchina. Plinii Boreas. Collais. Jaspis ærizusa.	Inter opacas gemas nobilissima cæruleo colore ultra marino simili fulgentissima. Nascitur in Samarcanda Tartariæ citerioris provinciâ. Servare dicitur colorem de rupe veteri eruta amittere verò de novâ.	Ad capitis oculorumque curam adhibetur. Magi casum impedire volunt.
Umbilicus Veneris. Umbilicus marinus Oculus Marinus. Fabamarina.	Umbilici humani specie conchæ rudimentum spiris in gyrum actis rubello & albo hinc indè colore distinguitur.	Infantibus appenditur adversùs morbum fonticum, sive caducum.
Zingites vel Zingrites.	Lapis est vitrei coloris.	Gestatus in collo valet contrà Nictalopiam. Item Sanguinem stringit, & mentis alienationem repellit. Quod si ad lignum accensum teneatur, flammam extinguere dicitur.

CAPUT

CAPUT VIII.

Admiranda Naturæ miracula in variis Gemmis & Lapidibus Geocosmi recensentur.

NUllum patere credo Theatrum insatiabili curiositati humanæ amplius, ubi nihil in pretio augustiùs ac magnificentiùs, in decore nihil gratiùs ac venustiùs, in viribus nihil efficacius, in varietate nihil ad votum exhiberi potest jucundius, quàm mirabilis lapidum ac gemmarum, aliarumque rerum in lapideam duritiem coäctarum proventus & productio. Quis enim ingentia illa Naturæ ludibria satis expendat? Quis lapidosam Telluris Oeconomiam ingressus altiùs non summâ rapiatur admiratione, dùm videt magnam illam rerum omnium matrem, naturam inquam, polidædalam suis hìc in miraculis adeò fœcundam, ut in iisdem attentiùs perlustrandis nullis non Philosophorum hæserit attonitus. Ea igitur, ut quivis etiam mecum faciliùs admirari, & cum admiratione supremi Conditoris sapientiam collaudare queat, nunc ipsa breviter recensere aggredior.

§. I.

Lapides ac gemmæ â pretio & ingenti valore mirabiles.

Achates. 1. Achates olim tempore Romanorum lapis omnium prætiosissimus fuit habitus: memoratur etiam inter alia, dùm *Pyrrhus* cum Romanis gesisset, excellentiorem præ aliis habuisse.

Opalus. 2. *Nonius* Romanus Senator vir locuples gemmam habuisse dicitur sestertiis viginti millibus æstimatam. Gemmæ verò nomen perhibetur Opalus. *M. Antonius* quoque Triumvir bello civili *Nonium* proscripsisse fertur, ut gemmâ illâ potiretur: Qui tamen fugiens eam relictis omnibus aliis fortunis secum abstulit: Ut *Plinius refert lib. 37. cap. 8.*

Gemmæ liquefactæ. 3. Cleopatra Ægypti Regina *Antonio III. Antonii* filio in calice aliquandò propinâsse fertur gemmas duas arte chymicâ liquefactas & æstimatas 50000. sestertium.

Sardonyx. 4. *Polycrates* Samiorum Tyrannus habuit Sardonychen maximi pretii annulo inclusum, quem in mare projectum, eoquod nihil ei triste accidisset unquam, piscis qui annulum ore exceperat, captus, mensæque illius illatus retulit. Quam gemmam scribit *Petrarcha* multis post sæculis ab *Augusto* Cæsare coëmptam, auroque insertam Concordiæ Templo dedicatam fuisse.

Unio ingens cum mirabili splendore. 5. Referente *Cedreno* in sinu Persico, qui à Mari rubro versùs Aquilonem est situs, Uniones aluntur à pectinibus, quos *Zambaces* vocant. Horum pectinum quidam inventus est intrà se alens unionem ingentem, ac splendidissimum: Qui cum auctus mensuram usitatam excessisset, radiosque fulgentissimos ejacularetur: Canis quidam marinus eum splendorem adamavit, ejusque pulchritudinem perpetuò affectari cœpit; Ità ut quocunque vis undarum pectinis concham impellebat, eò canis quoque raperetur. Id prodigium piscator quidam advertens cæpit insidias struere pectini; Verùm canis marinus id non permittens, pectinem in profundum aquæ abduxit. Exinde piscator Regem de pulchritudine margaritæ admonet, isque viros ipsi adjungit, à quibus in capiendo pectine adjuvetur. Cùm ad mare profecti per aliquot dies præstolati essent: Contigit ut canis aliquantisper discederet. Tum piscator statim se in aquam injecit, & ad fundum delatus pectinem cum Unione abripuit, sursùmque enatavit exertâ manu, qua unionem tenebat, quem & statim illi, qui aderant, ex manu ejus acceperunt; priusquam verò in lembum piscator evadere posset, supervenit canis, miserumque devoravit. Unio ad Regem allatus est, qui ejus spectaculo delectatus, piscatoris filios magnis affecit donis. Eum Unionem, ut redimeret *Justinianus Magnus* certum auri libras Barbaris misit: Verùm ii recusârunt vendere in *Signum*, ut ait *Cedrenus Persicæ Stoliditatis.*

Sanctus Crater Genuensis. 6. Custoditur religiosissimè *Genuæ* sanctus Crater in Sacrario Templi maximi, refertque immensi pretii Smaragdum, gemmam scilicet hexagonam, escariæ patinæ modo excavatam. *Partumque fuit id munus antiquitùs ex Syriacâ Victoriâ, & ad publicum civitatis decus D. Laurentio consecratum* ut inquit *Jovius in Consalvo. Hadrianus* etiam VI. Pont. Maxim. *Romam* ad ineundum Pontificatum contendens *Genuam* delatus, Smaragdinum hoc opus ob pretium, quo alias gemmas facilè superaret, diu humaniter inspexit, miratusque supramodum fuit, quod in tumultu direptæ Urbis à Gallis servari potuisset: Uti *Jovius in Hadriano VI.* memorat.

Gemma pretiosa in Galliâ. 7. Fuit Cardinalis in *Galliis*, qui gemmam habuit, quam ob mirificum splendorem ad centum millia aureorum æstimabat. Hanc dedit asservandam homini fido è famulitio suo, qui eam nulli arcæ aut loco fidebat, sed semper secum diu noctuque sub axillâ ad cor suum circumferebat. *Chresol. Antolog. part. 2. pag. 204.*

Carbunculus Regis Persarum. 8. *Josephus Venetus* Legatus missus ad *Usuncassenum* Regem Persarum, narravit Regem sibi ostendisse inter cætera monilia Carbunculum tantæ pulchritudinis, ut à Rege rogatus, quanti eum æstimaret! responderit: Nullum pretium pecuniæ isti posse adæquari, integro regno vænire. *Engelgrave in Luc. evang. part. 1.*

Adamantes quidam valdè pretiosi.

9. Adamantis pretium vel hinc elici potest, quod ramenta illius non negligantur, sed pretio etiam haud parvo vendantur. *Cardanus* refert, scrupulum unum sex aureis venditum. Hoc verò observandum, quod à pondere, uniformi claritate & integritate pretium ejus maximè æstimetur. Summam eorum quantitatem *Wolffgangus Gabelchover. ad Baccii l. de gem.* notat instar nucis avellanæ: Sed de ordinariâ loqui videtur, ut & nos suprà in tabulâ fecimus. Nam *Joan. Bapt. Tavernier* in signis Gemmarius hoc ævo multo majorem in pluribus à se visis descripsit itinerare *Orient. l. 2. c. 18. & 22.* In *Indostan* equidem *Grandis Mogol* eidem inter rarissimos lapidum, gemmarumque partus ostendit Adamantem eximiè pellucidum in formâ & magnitudine penè ovi dimidii gallinarii, qui omnes Adamantes hactenùs visos magnitudine & pondere excedit. Eum equidem dùm ad libram examinavit, deprehendit pondus ejus fuisse 319½. Ratis, vel juxtà nostrorum Gemmariorum librandi methodum 279$\frac{9}{16}$. carat. Notandum verò, quod pondus unius Ratis apud Orientales appendat in æquilibrio 3½. grana, sive $\frac{7}{8}$. carat: Unius verò carat pondus æquivalet 4. granis. Hujus porrò eximii Adamantis pretium taxavit idem *Tavernier* 11723278. Francorum, 14. stibiorum, 3. obolorum. *Joan. Henr. Seyfrid in Medul. Mir. Nat. lib. 2. cap. 5.* computat pretium fuisse 5861639. florenorum. Magnus quoque *Dux Florentiæ* alium quendam pretiosissimum Adamantem asservare dicitur, qui pendit 139½. carat. Lapisque est eximiæ notæ pulcher & nitidus, aqua tamen illius nonnihil citrinescit. Pretium ejus *Tavernier* computat 2608335. Francorum; *Seyfrid* verò citato sup. loco 1304167. florenorum. De pretiosissimis aliis quibusdam lapidibus vide *Tavernier in itin. suo Orient. Cardan.* quoque meminit Adamantis *Antverpiæ* asservati, qui unciam unam desiderato tamen adhuc unico scrupulo appendere dicitur; æstimari verò pretium ejus 150000. aureis.

Margarita pretiosissima in toto orbe.

10. Inter celeberrimas margaritas omnium æstimatione nobilissima, quæ Anno 1633. in sinu Persico propè *Catifam* reperta, ad Regem Persarum devenit. Laudatur autem mirificè ab absolutâ perfectione & præcellenti magnitudine. Rex eandem 32000. *Toman*, sive 500000. Imperialium nostrorum pretio emisse dicitur, *Idem Tavernier*.

Monstrantia in Einsidel.

11. Inter gemmarum & Margaritarum pretia, si quid ullibi rarum & carum, imò pretio penè inæstimabile videri possit, id certè *in Eremo Almæ Virginis Deiparæ*, vulgò Einsidel summâ cum admiratione spectare licet. Ingens ibidem siquidem thesaurus est ipsa sacratissimi Corporis Christi Hierotheca, aut, ut vulgò dici solet, Monstrantia: Opus certè gemmis & unionibus prædives, vas admirabile, thronus excelsi, qui dignissimè ità pretiosè condecoratur, cùm illum nobis, qui Judæis olim lapis offensionis, & petra scandali extiterat, nunc verò lapis est vivus angularis, fidei nostræ orthodoxæ, panis, inquam, vitæ ac sacratissimum gratiarum omnium munimentum, continere, & complexu suo gratiosè nobis in formâ gloriæ exhibere debeat. Sed quò pretium cum admiratione majori suspici possit, libet hìc curioso Lectori gemmas omnes & uniones in quâcunque hujus Monstrantiæ parte breviter designare.

Lapides pretiosi sive gemmæ & Margaritæ in parte, seu facie anteriori hujus sacratissimæ Monstrantiæ.

Adamantes	503
Sapphyri	38
Smaragdi	154
Rubini	840
Margaritæ sive Uniones	1154

In parte seu facie posteriori.

Granati	36
Adamantes	92
Hyacinthi	18
Amethysti	11
Rubini	17

In Pede hujus Monstrantiæ sunt.

Granati	8
Hyacinthi	8
Amethysti	8
Spinellæ	4
Uniones	20

Summa { Lapid. omnium pretiosorum 1737
Unionum sive Margaritarum 1174 }

Auri optimi pondus extendit se paulò ultrà 320. lothones.

12. Sicuti tempore priùs, ità nec in pretio posterius est opus illud admirabile, Augustissima, inquam, Hierotheca sacratissimi Venerabilis, quam Reverendissimus *D. Dn. Joan. Conradus à Gemmingen* Basilicæ Aichstedensis Episcopus A. 1611. *Augustæ Vindelicorum* fieri fecit. Numerantur in ea 1400. selectissimæ margaritæ, Adamantes 350, Rubini 250, Saphyros, Hyacinthos, Granatos, Amethystos, & Topazios, Rubinique grana, quæ hinc indè miro splendore & omnigenâ varietate oculos, animosque intuentium in Stuporem rapit, enumerare nolo. Opus universum, uti hodiedùm conspicitur, auri libras viginti continet & pretio 60000. florenorum æstimabile censetur.

13. Sed antequam finem de gemmarum pretiosissimis operibus faciamus, haud negligendum, quod *Athenæus l. 12. c. 16.* memorat de Throno *Alexandri Magni* illius Orbis Dynastæ. In Urbe siquidem *Babylon* regium curavit fieri thronum altitudinis 12. cubitorum, ad quem per totidem gradus ex puro auro constructos & innumeris gemmis exornatos ascensus fuit. In singulis gradibus duæ constiterunt aureæ statuæ, quibus incisa erant nomina præcipuorum Regni capitum & procerum. Ipse thronus erat ex pluribus Smaragdis adornatus, latera verò circà thronum pulcherrimis topaziis refulge-

fulgebant. In vertice porrò throni ex conchâ quâdam miro artificio elaboratâ carbunculus promicabat, qui diu noctuque eximium planè splendorem, haud secùs atque ignea facula præbebat. Suprà Thronum tandem corona aurea variis lapidibus pretiosissimis exornata promicabat, in cujus ambitu hic versiculus inscriptus erat.

Ortus & occasus, Boreas mihi servit & Auster.

§. II.

Lapides quidam à fulgore, & igneo splendore mirabiles.

Carbunculus sive pyropus. 1. Familiare quidem est gemmis ac lapidibus pretiosis, quod lucem ac splendorem emittant; præ aliis tamen Carbunculus, vel ut alii vocant, Pyropus lucem flammasque miras evibrare solet; unde & *Ovidius* de hoc lapide cecinit.

- - - - *Flammasque imitante pyropo.* Refert autem *Ludovicus Virtonæ*, Regem *Pegæ* (quæ provincia est Indiæ) tantæ magnitudinis & splendoris habere pyropos, ut si quis eum in tenebris conspicetur, haud aliter eum videat, quàm si solaribus radiis illustraretur.

Carbunculus miri fulgoris. 2. Vix mille passibus *Lovanio* distat Monasterium Regularium *Haverleæ* nomine, in cujus principe arâ olim fuisse perhibetur Carbunculus tanti fulgoris, ut ipsam noctem repelleret, lumenque legentibus præberet. *Beyerlinck in Theat. vitæ hum.*

Smaragdus. 3. De Smaragdo constat tanti subindè fulgoris esse, ut intuentium oculos perstringat, aëremque vicinum illustret. Quin & *Neronem* Imper. ferunt gladiatorum pugnas Smaragdo tanquam speculo spectâsse; Unde etiam *Neronis Gemma* vocari solita est. *Andr. Baccius de Gemmis.* In Insulâ Cypri tumulo Regis *Hermiæ* juxta *Cetarias* marmoreo Leoni inditi fuerunt oculi ex Smaragdis ità radiantes etiam in gurgite, ut pisces thinni fulgore territi refugerent, diu mirantibus novitatem piscatoribus donec mutavêre oculis gemmas. *Plinius lib. 37. cap. 5.*

Topazius in insulâ Ophiade. 4. Invenitur in Insulâ Sinûs Arabici *Ophiade* dictâ Topazius lapis vitro similis, colore aureo, ut memorat *Diodorus lib. 3. cap. 3.* cujus accessus omnibus est interdictus sub pœna mortis ad eum navigantibus statutâ. Pauci custodes Insulæ præsunt vitam miseram ducentes. Ne quis enim eos lapides furto auferre possit, nulla penitus in Insulâ navis relinquitur. Qui propè navigant, Regis timore haud quaquàm propinquant insulæ. Nutrimentum deferentes, è vestigio abscedunt cibo relicto. Cæteri propinqui insulam non adeunt. Deficiente cibo ad littus sedent omnes, vitæ subsidium exspectantes. Hic autem lapis in petrâ nascitur de die ob Solis splendorem minimè apparens; de nocte verò in umbrâ lucet, procul ostendens, quo sit loco. Custodes sorte divisi, ad loca, ubi latent Topazii accedunt. Quem ubi noctu splendentem reperiunt, locum reperti lapidis signant, ac postmodùm de die excisum, opificibus tradunt. Similia penè de hoc lapide tradit *Strabo. lib. 16.*

5. Narrat *Thuanus Henrico II.* Regi Galliarum lapidem ex Indiâ Orientali ab incognito homine allatum, qui totus, quantus erat, ardebat, ipsumque circumfusum aërem longè lateque tanto splendore illustrabat, ut oculis hominum lucis radii importabiles essent: illud quoque mirabile in eo erat, quod, cum sub terrâ tegeretur, vi suæ naturæ propriâ terræ operimentum rejiceret, seque sponte in aërem libraret, nec ullis humanis viribus, aut ullâ hominum arte detineri se pateretur: neque angustiis ullius loci concludi se fineret, sed in latè patente liberoque aëre jacere quæreret. Macula nec minima in eo cernebatur, sed erat totus pellucidus, nullius certi coloris renax, momentis singulis mutabatur. Uti pulcher erat aspectu, ità tangi refugiebat: & qui violenter attingere gestiebat, haud absque damno temeritatis culpam luebat. Testantur Experti, qui in plurium conspectu ejusmodi pœnas dederunt. Ità *Thuanus hist. lib. 5.* & ex ipso *Jonstonus in admirand. fossil. cap. 32.* Lapis mirabilis Regi Galliæ oblatus.

6. *Marcus Polus lib. 3. cap. 19.* enumerat inter thesauros Regis *insulæ Zeilan* Orientalis Rubinum spithamæ longitudine, & brachii humani crassitie, qui haud aliter, ac ignis flammas spargere solebat: Obtulit Regi pro hoc Rubino Magnus Tartarorum Chamus insignem civitatem, sed renuit pluris æstimans donum à parentibus sibi hæreditario jure relictum, quàm civitatem oblatam. Rubinus flammas vibrans.

7. Vir expertissimus *Thomas Bartholinus de luce hom. & brutor. lib. 1. c. 2.* Anno 1637. die 29. Novembris in Galliâ provinciali in viâ publicâ propè Peoniam civitatem, quâ Sabaudiam à Provinciâ discriminat, de Cœlo nullis nubibus aut ventis aspero lapidem formâ ignis, sed inæquali ingenti crassitie, pondere verò quinquaginta quatuor librarum fumo incolarum & spectantium stupore delapsum fuisse scribit; cujus etiam casum tantum comitatum fuisse strepitum, ut vel trecentarum balistarum murmur longiùs superârit, donec in vicino Vassonis monte subsideret. Illum in visæ rei fidem adhuc inter rariora alia Technicothecæ suæ Aquis Sextiis servare *Boryllium* & curiosis Naturæ sectatoribus ostendere memorat Idem, ex quo tamen flamma visa ad oculum jam evanuit in calidioribus aëris regionibus accensum. Non absimilem alium in Musæo Prætoris Lierchæi Lugduni ad Confluentem Rhodani & Aratis se contemplatum addit solertissimus *Bartholinus.* Flammatus lapis in Galliâ.

8. In

Lapis sponte ignem accendens.

8. In *Arcadiâ* Scotiæ Regione, *uti Cardanus* memorat *de variet. lib. 5. cap.* 19. referunt lapidem esse, qui diutiùs manens super stramenta, sponte ignem accendat. Addit deindè *Cardanus id certe miraculo proximum si nulla alia vis adhibeatur. Nam ex humore velut in calce ignis accenditur; hoc autem natura fieri potest, quod ab arte contingit. Sed in lapide duro & gravi hoc fieri difficillimum videtur, & miraculo proximius.*

9. Lapidem noctu lucentem in sylvâ patriâ deprehendit aliquando vir eruditus *Nicolaus Owerberg*, ut notat *Thomas Bartholinus lib. supracit.* qui etiam admotâ candelâ, sed brevi tempore ardebat.

Lapides ardentes miræ proprietatis.

10. In Regione Thracum, qui Agrii id est feri appellantur, fluvium esse tradit *Theopompus*, nomine Pontum, quilapides carbonum similes suo desert alveo. Hi verò lapides accensi hac singulari pollere dicuntur proprietate ustibilibus aliis planè contrariâ. Flabris enim ignis in iisdem sopitur & extinguitur, aquis verò conspersi faciliùs accenduntur & ampliùs exardescunt. Odorem etiam horum lapidum nullum reptile tolerare posse, scribit *Antigonus de mirab. Nat.*

Lapis Bononiensis.

11. In agro Bononiensi lapis Phosphorus sivè luminaris reperitur, qui certâ ratione præparatus, lucique aliquamdiu expositos, ita eam imbibit, ut in locum obscurum delatus eandem non secùs ac carbo vivus diffundat. *Isaacus* Hollandus de *lap. philos. p. 124.* noctilucam memorat eximiam paratam, quæ præstiterit officium Candelæ, & in forma lapidis apparuerit. Verum in Phosphoris elaborandis jam eximii dantur Artifices, qui lapides miri fulgoris in tenebris parare sciunt.

§. III.

Lapides ab insolitâ magnitudine, formâ ac variarum rerum exhibitione mirabiles.

Fanum Crystallinum.

1. Refert historia Regni Chile esse iis in tractibus in profundâ quadam valle, quam Andium juga disterminant in media prægrandis fluminis insula ingentem rupem totam crystallynam, in quâ ab incolis paganis Fanum integrum sit mirâ arte exsculptum ex omni parte diaphanum.

Ingens Smaragdus pro Deo cultus.

2. In Mantâ Peruviæ, ut refert *Christophorus Arnold. in select: Addit ad Abrab. Rogerii lib. de gentilism. Asiatico, Africano & Americano*, incolæ ibidem adorant ingentis magnitudinis ac pretii Smaragdum tanquam Deum, eumque invocant in variis corporis infirmitatibus, variaque litant sacrificia.

Templum ex uno lapide.

3. Testis est *Herodotus* in Ægypto extare templum, quod ex uno quadrato lapide excavatum est. Apud *Ravennam* secùs Adriatici maris littus templum videre est, quod uno lapide contegitur. *Weberus in arte discur. fonte 24. Exempl. 1.*

4. Rex Saracenorum *Taric* cum Hispanias devastâsset, viridem habebat mensam de gemma præparatam, cujus trapezophorum cum superiori tabulâ ex integro lapide suprà fidem humanam longa & lata fuit. *Idem in arte discurr. fonte* 48. §. 17.

Lapis maximus in Emæsa urbe.

5. *In Emæsâ* urbe Phœnitiæ, uti scribit *Cardanus lib. 5. de var. cap.* 19. Lapis erat maximus ab imo rotundus & sensim fastigiatus propemodùm ad coni figuram, niger: in cujus superficie quædam figuræ mirabiliter eminebant, ob id Solis lapidem esse, atque illius veram imaginem dicebant; eratque idcircò in maximâ veneratione non solùm apud eas gentes, sed etiam vicinos Satrapas. Jactabant etiam lapidem hunc è Cœlo decidisse, ut illius venerationem augerent.

Ingentes Smaragdi.

6. *Theophrastus* tradit in Ægyptiorum commentariis reperiri, Regi eorum à Rege Babyloniorum missum Smaragdum munere 4. cubitorum longitudine & trium latitudine: Et fuisse apud eos in *Jovis* delubro in Obeliscum è quatuor Smaragdis quadraginta cubitorum longitudine, latitudine verò in parte quatuor, in parte duorum. Se autem scribente fuisse in Syro Herculis templo stantem pilam è smaragdo; nisi potius pseudo smaragdus sit; nam & hoc genus reperiri in Cypro inventum ex dimidiâ parte Smaragdum ex dimidiâ Jaspidem nondum humore in totum transfigurato. *Apion* cognominatus *Plistonices* paulò ante scriptum reliquit, esse jam nunc in Labyrintho Ægypti colosseum Seraphin è Smaragdo novem cubitorum. Ita *Plinius lib. 37. cap. 5.*

Figuræ cœlestes in lapidibus expressæ.

7. Circà figuras varias lapidibus aut impressas aut exteriùs corpore ac mole effigiatas mira referunt Authores. Narrat imprimis *Ambrosinus in lib. de lapid*, Achatem se vidisse, in quo & circuli & cœlestes unà cum stellis delineati videbantur, & in alio Ursæ majoris asterismum. Similia etiam in lapide Lazuli se observâsse testatur *Kircherus in Mund. subterr. lib 8. cap. 9.* lucidissimis scilicet stellis referto. Habet & eodem *Kirchero* teste, nobilissimus *Magninus* Eques & Patricius Romanis lapidem Heliotropinum, in quo quatuor elementa unà cum coloribus suis propriis ità depicta spectantur, ut non à naturâ, sed ab eximio pictore delineata videantur.

Achates Pyrrhi.

8. Rex Pyrrhus Achatem habuisse dicitur, in quo novem Musæ cum suis insignibus & Apolline cytharam tenente spectabantrr, non arte sed naturæ vi expræssæ.

9. Achatem vidisse se refert *Camillus Leonardus Pisauriensis* qui septem arborum imaginem naturaliter expressam contineret raro miraculo, ut inquit *Cardanus lib. 5. de variet. cap. 91.*

10. In Getarum montibus maximè, qui circa Orientale littus sunt, *Olaus magnus* Upsalensis Pontifex, eodem *Cardano* memo-

memorante ibidem, refert lapides esse, qui caput; alios qui manus, ant pedes cum digitis referunt aliaque plura & varia.

Lapides qui herbas emittunt.

11. Sunt & lapides, ut Idem *Cardanus* indicat, in mari Scotico, tum aliis, qui cum durissimi sint, herbas tamen emittunt, quorum unum cum asservasset, in umbrâ emisit virentia folia perexigua. Addit deindè sequentia: *Tandum vitæ inest omnibus maritimis: Asservari autem, quoniam dum plantas emisisset, indè excidissent, radices in lapidis superficie quasi serpentes transierunt in colubres lapideos candidos, cum lapis, cui hærebant, esset ater. Ità dixisses non à naturâ, sed arte factum, quorum maxima copia in littore est. Hæc Cardanus.*

Alphabetum in lapidibus repertum.

12. In Silicibus ex Tolfensi lapidicinâ erutis *Kircherus ut in Mund. subt.* cum ipsismet lapidum figuris refert, integrum Alphabetum literis vario venarum ductu formatis aliquando extraxit.

Astrolabium.

13. Scaphium se vidisse, *ait Ambrosinus* ex cochleâ fabricatum, in cujus concavo Natura Astrolabium suis linearum ductibus depictum exhibuit.

Lapides cubici & sphærici.

14. In Calabriâ fodina est, in quâ, quotquot lapides reperiuntur, etiam minimi sub cubi figura conspiciuntur. In *Cubâ* verò insulâ, quod mirabile est, omnes Silices sphæricam figuram habent perfectissimam, ità ut ad circinum vis exactiùs elaborari posse videantur.

15. Missos ex Germaniâ ad se lapides parvulos, ait *Kircherus in Mund. subterr. tom.* 2. *lib.* 8. *sect.* 1. *c.* 9. omnes scilicet formâ orbiculari, in quorum medio Natura eleganti sanè penicillo oculi radios diffundentis figuram expressit.

Solis & Lunæ figura in lapidibus expressæ.

16. In nonnullis gemmis Solem radiosâ projectione stupendum Natura effigiavit; ut in *Camæa* quadam *Kirchero* ostendit aliquando ex Musæo suo similibus rebus instructissimo curiosissimus Eques *Franciscus Qualdus*. Pari pacto Lunæ figuram non plenæ tantùm, sed & cornutæ & dichotomæ in lapidibus gemmisque non infrequenter inveniri Selenites docet: inquit Idem *Kircherus in Mund. subterr.* qui proindè à Lunæ figurâ nomen meruit.

Lapides sphærici variæ magnitudinis.

17. Compluribus in locis lapides Sphærici diversæ planè magnitudinis reperiuntur, ità ut *Rueo* teste, tantæ repertæ sint magnitudinis qui onerandis bellicis tormentis loco ferreorum sufficerent. *Agricola* tales testatur reperiri in agro Hildesiensi, inveniuntur & juxta civitatem, quæ *Potentiæ* dicitur in Regno Neapolitano, ac compluribus aliis in locis Germaniæ, Hispaniæ & Franciæ.

Fungi lapidibus adnati.

18. In Italia Mons est Tyburi vicinus, qui lapides habet siccissimos, è quibus fungi grandes instar cucurbitarum prodeunt ad miras delicias accolarum.

Mira figuræ in secto marmore.

19. In marmore secto miras exhiberi figuras notiùs est, quàm ut pluribus describi debeat: Ita persæpè montes sylvæ, flumina, lacus, flores, folia, nubes variæ, urbes insecta, volucres, pisces, atque alia animantia, animantiumque; variorum membra & partes Naturæ penicillo quàm nitidissimè abumbrata spectantur; Variæ insuper aliæ imagines in eodem expressæ observantur. Velut Ticini, vulgò aliàs Paviæ apud PP. Carthusianos, *Ambrosino teste* in quodam marmore Christi Salvatoris in cruce pendentis nec non spineâ coronâ redimiti imago à Naturâ perelegarter depicta cernitur. *Venetiis* quoque Christi Crucifixi figuram in marmore mirabiliter expressam eodem teste videre licet. Altare in templo D. Petri Romæ ubi ingredientibus ad dextram Sacellum S. *Crucis* conditum est, ex flavo marmore & variè mixto exstructum, *Kirchero teste in Mund. subt.* montes & flumina, lacus, sylvas, aërem ipsum, aliaq; plura affabrè à Naturâ depicta repræsentat. Similia Naturæ pictricis monstra in magnifico D. Virginis ad S. *Mariam majorem à Paulo* V. Pont. Max. exstructo Sacello videre licet. Est & in Sacristia Collegii Romani Columna marmorea ex nigro & albo mixta, in quâ eodem *Kirchero teste*. natura pelicanum contorto collo pectus sibi aperientem depinxit. In altari primario Templi S. *Sebastiani* extra Romam marmor, cui Crucifixus insertus est, exhibetur, in quo etiam nubes & lucidæ Cœli partes mirè abumbratæ spectantur. Rursùm *Romæ* in Sacello D. Virginis templum S. *Petri* ingredientibus ad dextrâ juxta Organum spectabilis imago marmorea reperitur, in quâ Beatissima Virgo Lauretana, ità affabrè à Naturâ depicta spectatur, ut artificis manu delineata videatur; veste induitur triplici Zonâ distinctâ, filiolum brachiis tenet coronâ, quemadmodù & mater conspicuum. Spectantur & circum circà Angelorum figuræ. Similem quoque imaginem *Pisis & Bononiæ* spectari *Ambrosinus* narrat. Figuras plurium ejusmodi rerum in marmore depictarum vide apud *Kircherum Mund. subt. loc. supracit.*

Schisti lapidis genus varias imagines exhibens.

20. *Agricola* meminit *Schisti*, lapidis genus ad nemus Hercyniam inventum fuisse, quod exprimeret varias animantiū species ut in genere piscium passeres marinos, lucios, percas; in avibus gallos gallinaceos, nonnunquam Salamandras, imo Pontificis Romani barbati & triplicem coronam in capite habentis effigies reperta fuit, quàm multi viderunt; præterea B. Virginis puerū in manibus gestantis. Sed de erutis hujusmodi lapidib' suprà jam *c.* 6. §. 5. *n* 16. *egimus.*

Saxum, in quo titulus Crucis expressus.

21. In Tiburtini agri quadam fodinâ saxum repertum testatur *Kircherus* quod literas J. N. R. J. quæ Crucifixi titulum referunt, à Naturâ impressas exhibuit. Saxum insuper magnâ pecuniæ summâ extero ucidam venditum fuisse scribit.

Herbula in Crystallo nata.

22. Eximii Philosophi, *Licetus in suo de spontaneo viventium motu, & Laurentius Pignorius in expositione Tabulæ Hieroglyphicæ* testantur, se vidisse virentem herbulam in meditullio crystalli enatam.

Figura S. Hieronymi in lapide.

23. Narrat *Brocardus in suo itinerario Hierosolym.* ad locum præsepis Domini in quodam lapide naturam pinxisse Eremitæ figuram, quam multi *S. Hieronymi* ibidem diu commorati fuisse volunt.

Adamus cœlatus in marmore repertus.

24. Memorat *Alexan. ab Alexandro Genial. dierum l.* 5. *c.* 9. paucis abhinc sæculis, dum *Neapoli* marmora ædificii causâ discinderetur, adamantē mirè splendidū, non nativâ

venâ,

venâ, aut rudi & informi, sed absolutâ Artificis manu confectum & perpolitum mirâ cælaturâ & arte in medio marmoris concretum fabros invenisse, eumque pro miraculo Regi dono datum inter cubiculi arcana conspicuum fuisse, hodieque inter illustria adnumerari.

Oleum in Silice conclusum. 25. Memorat idem sequentia ibidem his verbis: *Palamedes Amicus meus calcariæ, fornacis præcipuus Artifex ingenio gnavo & industrio Author alioqui gravis sæpe mihi retulit, se dum marmora discinderet in medio Silicis, quæ nisi vi malleorum disrumpi haud facilè poterat, oleum quasi in vase conclusum invenisse odoris immensi & aspectu jucundo, cui medica vis fuisse dicebatur: quo effuso manus sibi diu miro odore fragrârunt. Quod ego quo pacto stante semper solidâ illâ materiâ illic coagulari aut occludi potuerit, non equidem scio.* Ità ille.

Caput Panisci in saxo repertum. 26. In *Chiorum* lapidicinis diffisso saxo *Idem præmemoratus Author* ex aliis narrat, caput effictum Panisci aliquando apparuisse: & *ad Bætim* Hispaniæ lapides nasci, quibus scissis ex puro auro frusta, & lapillos conspiciunt.

Conchæ in montibus. 27. Lapidem duri marmoris non unius coloris vidisse se *Idem* recitat in montibus *Calabris* longo à mari recessu, in quo muitiplices conchæ maris congestæ, & simul concretæ cum ipso marmore in unum corpus coaluisse videbantur: quas equidem osseas & non lapideas fuisse, quales in littoralibus vadis inspicimus, facileque discerni potuisse, memorat ibidem.

Lapis varias res exhibens. 28. Jam nominatus *Cardanus cit. cap.* testatur apud *Gulielmum Casanatum Bisuntinum Medicum*, lapidem se vidisse, qui coloribus ferrugineo, paleariquc obscuro distinctus, capuliensis magnitudine: in quo palearis color quasi depictus varias imagines ad unguem referebat. Inter reliqua literas G & C, quæ nominis ejus initia; tum ferrâ, gladius latiore ferro, delphin, olor, omniaque absolutè, quæ totum lapidem penetrabant.

Achates cum D. Virginis effigie. 29. Testatur *Majolus* Romanorum Imperatori à Legatis ex Persiâ, inter alias raritates etiam allatum fuisse Achatem, qui infrà candido imbutus colore, superiùs autem viridi resplendebat, in medio verò D. Virginis Deiparæ cum puerulo effigiem miro naturæ ludibrio exactè formatam exhibebat.

Herbæ odoratæ in lapide Bezoar. 30. Eodem *Majolo* referente *Rudolphus* Imp. lapidem Bezoar habuisse dicitur, in cujus intimo meditullio odoratissimæ herbæ repertæ sint.

Lapides qui varia membra corporis humani exhibent. 31. In regione ac terrestri tractu *Lime* lapides reperiri scribit *Olfredus Dapper in Africâ*, quos Arabes *Hajaracht*, Hispani verò *Los Hechizos* vocant. In quibusdam horum Natura subindè brachium depictum exhibet; in aliis caput, pectus, aut aliud membrum humani corporis; in quibusdam integrum corpus humanum cum omnibus suis membris exactissimè effigiatum: atque hos ultimos summo in pretio haberi comprimis à Vatibus Maurorum, variumque ad usum adhiberi tradit. *Idem.*

Imago D. Virginis mirabiliter ex lapidibus effigiata. 32. Admirandum est, quod in regno *Chilensi* paucos ante annos patuit; nova scilicet Deiparæ Virginis nunquam aliàs visa imago inter inaccessa rupium latibula, non pictoris mortalis ope, sed naturæ penicillo variis diversicoloribus Jaspidum speciebus ad omnes Opticæ leges delineata: de quâ imagine *P. Alphonsus d'ovalle* ità scribit. *Vera effigies B. Virginis in Arauco, quæ in rupis cavitate inmodum Sacelli concamerati, non ab Opifice aliquo delineata, sed ab Authore Naturæ ex Jaspide varii coloris constructa candido vultu, subnigro capillo, pallio interiùs cœruleo, exteriùs rubro colore, veste rosis contextâ conspicitur.* Locum deinde & ipsius imaginis comparentiam his declarat verbis. *In ripâ maris Pacifici, quæ respicit Araucum, dicta Inbulia, montuosus locus est, rupibus & salebrosis saxis penè inaccessus, usquedum perveneris ad planitiem & colliculum amœnum, quæ respiciendo rupem excavatam, spectabis admirandam, & prodigiosam imaginem B. Virginis à naturâ ibidem expressam cum suo pretioso filio in brachiis, & saxum quidem nigrum efformat capillos per dorsum, humerosq; ventilatos & diffusos: candidum verò efformat os ad unum latus distensum, & in porfito, ut loquuntur, ità ut solummodò unus oculus magnâ proportione & elegantiâ delatus appareat. Vestis roseo colore usque ad cingulum, pallium colore citrino infrà comparente colore cœruleo. Effigiata verbo, imago mirum in modum oculos omnium eam spectantium afficit.* Ità *d'ovalle.* Quibus & addit, quomodò imago hæc primùm à puero quodam comperta, & quam deinde mirabiliter plures Gentiles exindè ad veram Christi fidem conversi sint, locusque à piis Christianis haud absque miraculis frequentari & devotissimè cum magno Deiparæ Virginis cultu, illucque peregrinantium fructu visitari cœperit.

Lapis omni ex parte aspectus Crucifixi referens. 33. *Henricus Spondanus* scribit rusticolam quendam aliquandò mirabilem lapidem in agro reperiisse, qui facie & parte quâcunque aspectus imaginem Crucifixi repræsentârit. Fuit hic lapis deindè Marchioni Badensi oblatus, qui eundem inter rarissima sua summo in pretio habuit.

Vestigium humanum lapidi impressum. 34. Triginta milliaribus *Casi* in India versùs meridiem distat Civitas *Gagano*-mine, ubi incolæ firmiter tenent, Deum suum *Wisnou* cuidam lapidi pedem suum impressisse; Civitas idcircò hodiè adhuc fortissimè munita est ad hoc vestigium tutandum, à peregrinis etiam voti causâ illud visitantibus mire colitur. Ut memorat *Rogerius de Gentilism. Asiat. part. 2. cap. 20.* Similis lapis & in Scythia ostenditur, cui Herculis vestigium quatuor propè spithamis longum impressum esse dicitur, ut memorat *Herodotus lib. 4. cap. 82.*

Equina vestigia mirè saxis impressa. 35. In Saxoniâ, ubi rivus *Bode* ex Hercyniâ sylvâ evolvitur, utrinque surgunt præcelsi montes, tristes sine fruge, plantis & arboribus, vulgò der Roßtrapp dicti. In horum uno prærupta saxea moles contra antiquum Castrum Wingenbürg sita, fastigiato

fastigiato sensim vertice elevatur cui duo equina vestigia non artis sed naturæ adminiculo mirabiliter impressa cernuntur, quæ etiam aquis continuo oppleta observantur. Ità *Zeilerus*. Similiter in rupe quâdam ad viam, quæ ducit *Quedlinburgum*, virginis vestigium saxo impressum spectari dicunt, unde & Mägdleinsprung ab incolis dicitur. Sic & in Styriâ vestigium simile in præcelsâ quâdam rupe observari, quocircà etiam vulgò der Jungfrawsprung appellatur, notat *Neitschitzius*.

Humana vestigia. 36. Memorat rursùm *Zeilerus* in Wittenbergensi Ducatu haud longe ab oppido *Heubach*. prope antiquũ castrum Rosenstein dictum, per angustam viam accedi rupem saxeam, ubi exacta dextri pedis humani figura eleganter impressa cernitur: in adverso verò monte haud longe dissito, qui vulgò Schalwelberg vocatur, alterius sinistri pedis humani effigies impressa notatur.

Pisciculi delicatissimi in saxis. 37. In littore Aconitano saxa magni ponderis 50. & plurium etiam librarnm è mari trahuntur: his color & constitutio exterior ea est, quæ Ætiti, rudis nimirum & non difficilis læsu aut tritu; interior verò crusta aut tunica dura est; & quæ poliri possit, haud secùs atque exterior Ætitæ tunica. Colore etiam subcæruleo ne hac quidem nota ab Ætite discedens. Rumpuntur hæc saxa majoribus malleis ferreis magnâ vi impactis, non quò intùs, ut in Aquilæ lapide alius calculus inveniatur, sed quò pisciculi delicatissimi extrahantur ejusdem generis cum solenibus, quas Cappas longas Veneti appellant, sed eò delicatiores, quod non aqua marina, sed rore quodam tenuissimo per lapidem imbibito pascantur. Hi plures numero ad viginti modò plures, modò pauciores ità saxo includuntur, ut singulis suus sit nidus, & magnitudinem & figuram piscis omnibus lineamentis respondens inter nidos saxeo interstitio relicto. Ex his veluti è vaginulis rupto lapide eximuntur integri solenes ad palatum delicatiorum plurimùm facturi. *Bauschius de lapide Ætite.*

Cochleæ in saxis. 38. Ad littus maris Adriatici propè Castrum *Duyno* saxorum, sive petrarum ingentia frusta fortissimis malleorum ictibus avelluntur, è quibus limaces sivè cochleæ cum suis conchis optimi saporis ad esum eximuntur, ostreisque haud cedere dicuntur. *Idem Bauschius ibidem.*

Figuræ variæ in lapidibus. 39. Haud procul à civitate *Calaiate* in Arabiâ felice ad littus sinûs Persici genus lapidum candidorum reperitur, in quorum singulis Natura speciales quasdam figuras efformavit, comprimis verò florum, atque ex his præsertim rosarum icones pereleganter effigiavit. *P. à S. Theresia in itin. Orient.*

Serpens in saxo repertus. 40. Narrat *Baptista Fregosus* in saxo quodam validis ictibus disrupto serpentem repertum, qui *Martino V.* Pont. Max. miraculi causâ exhibitus fuit.

Gemma in arca trium Regum Coloniæ. 14. Asserit *Albertus* M. *l.* 2. *Mineral. tract.* 3. *cap.* 2. *Coloniæ* in arcâ Trium Regum esse gemmam Onychinum habentem latitudinem manus unius hominis & amplius; superque picta esse duo capita juvenum altissima, quibus ad frontes capitum est figuratus nigerrimus serpens, qui colligat capita illa: inferius autem circà mandibulam oris est caput *Æthiopis* cum longâ bârbâ nigerrimum; & situs in collo iterum est lapis habens colorem unguis, qui videtur esse vestimentum decoratum floribus circà capita. Addit tandem totam hanc imaginem esse naturalem.

Figuræ Geometricæ in lapidibus expressæ. 42. Refert *Aben Rhodam* Arabs libro, quem *Historiam lapidum* inscribit, *Suesii* (quod maris Erithræi celeberrimum Emporium est) Astronomum fuisse, qui lapillis à se collectis ad dicti pelagi littus omnia penè totius Euclidis geometrica Elementa singulari naturæ solertiâ iis insculpta non sine spectantium Mathematicorum admiratione exhibere sit solitus.

Figuræ cordis & rotæ. 43. *Nierembergius lib.* 1. *de miris & mirac. Natur in Europ. cap.* 7. *ait. apud S. Catharinam de Vaduia* in Monasterio *S. Augustini* inveniri lapides suaptè naturâ ad cordis speciem formatos, & figurâ rotæ insignitos, quæ sunt insignia *S. Augustini* & *S. Catharinæ*.

Lapides Foyenses. 44. In agro *Foyensi* Dionantinæ regionis in Belgio non procul à Sacello Deiparæ, quæ magnâ ibi veneratione & populorum concursu colitur, splendentes gemmarum in morem effodiuntur lapilli summâ colorum varietate ac venustate; in quibusdam Adamantis candidus nitor, in aliis Pyropi micat ignis, in aliis Crystalli lux effulget, in aliis aliarum gemmarum color emicat, ut ità beatissima Dei Mater omnium gemmarum colores ac pretia ad agellum istum transfudisse videatur. *Schottus Mag. Natur. part.* 1. *lib.* 4.

Glossopetræ. 45. In *Melitâ* insula lapilli magnâ copiâ & variâ magnitudine eruuntur ex illâ specu, in quâ vipera *S. Pauli* manum invasit innoxiè, qui serpentinæ linguæ similes sunt, unde & *Glossopetræ* jam dici meruerunt. Reperiuntur & in lapidibus terrâ aluminosâ scatentibus circà celebre Monasterium *Murense* in Helvetia ord. S. Benedicti, ut & in Carniolâ propè Podgoriz, & quidem in pondere quod mirandum, 10. Unciarum. Propè Antverpiam tales etiam reperiri *Georgius Becanus* refert & propè *Luneburgum Aans. Boëtius*, ut indicatur *Ephem. Germ. Decur.* 2. *Ann.* 8. *observ.* 143.

SS. imagines in lapidibus. 46. Narrat *Jonstonus in Thaumatogr. Nat. sect.* 4. *cap.* 17. *quod tempore Johan. Friderici* Electoris Saxonici lapides inventi fuerint, qui Christum crucifixum, B. V. *Mariam & S. Joannem* exactè repræsentârint.

Lapis cum Signo Crucis. 47. *Ludovicus Moscardi Academicus Philarmonicus Veronensis in musæo suo patav. 1656. edito lib. 2. cap. 15.* mentionem facit lapidis in musæo suo asservati, qui *la pietra della croce* dicitur & invenitur in monte S. *Petri di rubiâ* in Galliciâ & Asturiâ Hispaniæ provinciâ, coloris cinerei, in cujus medio crux nigra signata est, cujus usus medicus quidem nondum cognitus, non contemnendus tamen ob mirandum crucis signaturam.

Nomen Christi Achati impressum. 48. Præ cœteris magnificis ac splendidissimis Augustissimi Gazophylacei Cæsarei rarioribus facilè sibi primatum vendicat Gemma hæc solo Cæsare digna, nec non ab ipsâ Sac. Cæsar. Majestate instar thesauri maximi æstimata. Hujus artificialis figurâ pateram ex unicâ rarissimâ & nunquam ante hac spectatæ magnitudinis Orientali Achate artificiosissimè fabricatam exhibet, cujus circumferentia duas ulnas viennenses cum tertiâ ejusdem parte diameter verò inter duarum ansarum extremitates unam integram ulnam minùs duobus digitis adæquat. In cavitate verò politissimæ hujus pateræ non minùs adorandum, quàm admirandum Christi Redemptoris nomen naturæ penicilio ex nativo nigricantium macularum concursu ad vivum hunc in modum B. XRISTOR. S. XXX. delineatum spectatur, adeò ut ipsa Natura hanc stupendæ magnitudinis gemmam Authori suo Christo Regum Regi imprimis lapidis hujus incunabulis consecrâsse videatur. *Ephem. Germ. Dec. I. An. I. obs. 112.*

Figura fœminæ cum filio. 49. Ex *Theveto* narrat *Gaffarellus* in Archipelagi insulis lapides inveniri, in quibus figuræ fœminæ filium tenentis cernantur. Sic & in inæstimabili Thesauro Lauretano Matrem perlarum esse, quæ exactè repræsentet fœminam brachiis gestantem filium, testatur *Monconnys T. 1. itin. pag. 434.*

50. In Galliis in terrâ Ducis *de Rohan* lapides, pisces & arbores habere maculas, quæ insignia sunt Domûs Rohanensis, ut & insignia Austriaca in marmore aliquandò inventa notavit *Idem Monconnys T. 1. itin. p. 22.*

Silices in forma Cerebri. 61. Referente eodem *Monconnys in itin. Ægypti* ad montem *Sinai* in deserto *Sues* reperiuntur silices, qui formam cerebri exactè mentiuntur. Esse enim ibi terram, inquit, ferè totam nitrosam, quamvis insipidam; ex aëre verò destillare humorem glutinosum, qui terræ isti junctus accedente maximo Solis calore istis in locis frequenter induretur & pro varia roris nocturni allisione particulis quibusdam elevatis quibusdam excavatis cerebri formam efficiat.

Sagittæ lamiarum. 52. Huc etiam pertinent lapides, qui sagittæ Lamiarum dici consueverunt quorum historiam recenset *D. de Straloch in descrip. præfecturæ Abredoniensis* his verbis. Lapillus hic neque pretiosus, neque pellucidus. Materia huic durissima atque fragillima silex, cujus hic plus satis est. Lapilli hi artem referunt, sed qualem ex tam fragili materia nemo Artifex assequatur. Duabus formis reperiuntur: una hamato telo persimilis in tria distincta capita desinens trigona figura; altera speciës venabuli ferrum planè refert, omnes magnitudine, sicut & colore variæ silicem, unde sunt, imitantes. Longitudo duum, aut unius, aut dimidiati pollicis; crassities ad duorum aut unius frumenti granorum accedit. Totus asper, impolitus. Manent tamen ferramentorum vestigia, quæ lævigari desiderent; at latere omnia acuta. Solo hoc lapilli hi mirandi, quod casu aliquando in agris, in publicis, tritisque viis reperiantur, nunquam autem vestigando. Hodie fortassis reperies, ubi heri nihil: item à meridie, ubi horis antemeridianis omnia vacua & hæc ut plurimum sudo Cœlo æstivis diebus. Retulit mihi vir probus & fide dignus sibi equo iter agenti in summa ocrea unum repertum. Idem contigisse scio fœminæ equo vectæ, quæ unum è sinu vestis depromsit. Hos vulgus patrio sermone *Elf Arrowheads* vocant, hoc est sagittarum cuspides, quibus Lamiæ sagittant, sonat. Hæc ille.

§. IV.

Mirabiles Lapidum quorundam vires, & abditæ proprietates ex variis Authoribus recensentur.

1. Ad Ostium Eurotæ, hodie *Basilipotamo, ut Nicanor lib. 2.* de flumin. memorat, gignitur lapis Galeæ simillimus, qui ubi sentit inflari tubam, illic ad ripam exilit quasi ad pugnam: quod si quis tum Athenienses nominârit, extemplò in altum demergitur. *Fournier Geogr. orb. not. part. 1. lib. 5. cap. 17.* Lapis exiliens ad tubæ sonitum.

2. Miratur *Pausanias* in Megarensium montibus lapidem, quem si quis calculo percussisset, quod haud secus, ac lyra resonârit. Lyræ sonitus in lapide.

3. Narrat *Linschottus part. 4. cap. 42.* de lapide quodam in Indiâ Orientali, ad quem Indi magnâ religione afficiuntur, quem & summo in honore habent; quod sibi persuadeant eos, qui hoc lapide inter cibos utuntur, vitam indè non tantùm prolongare, sed iuventam adducere, & deperditas senio vires recuperare posse. Credunt & rugas in facie impedire, colorem vividum & valetudinem totius corporis conservare. Quocircà Reges & Magnates exinde patinas, calices & reliquam mensæ supellectilem procurare solent eâ spe freti, quod ex iisdem potum victumque sumentes se in optimo juventutis statu ac vigore conservare valeant. Lusitani hunc lapidem vocant *Pietra de cevar.* Lapis ad vitam conservandam & juventutem recuperandam.

4. In Atholiâ Scotiæ Regione memorat *Cardanus de variet. lib. 5. cap. 19.* coronam quandam ingentium esse lapidum, qui percussi, ut æs resonant.

5. In

Lapis surdus in Scotia.

5. In Caricta Siluriæ provinciæ, Regione Scotiæ ex *Boethio* memorat *idem Cardanus ibidem* saxum esse, in cujus imo, etiamsi exoneretur machina ignea, ex alterâ parte non exaudiri. *Fournier Geogr. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 9. ubi Chorographium Scotiæ describit in *Kila sive Coila* saxum hoc 12. pedes altum, 33. cubitis extensum reperiri scribit, ad quod si vel tormentum bellicum explodatur, ex adversâ tamen parte nihil penitùs exaudiri dicit. Undè & aliàs *Lapis surdus* dicitur.

6. Refert *Boethius in Fast.* arce Scoticâ lapidem cavum atque exteriùs spongiæ similem reperiri, per quem aqua marina percolata dulcescit.

Lapis sponte mobilis.

7. In civitate *Nayana* propè Regnum *Sindy* mirificum templum exstructum est, in quo lapis rotundus reperitur, qui spontè vel potiùs ope diaboli ut alii volunt, circumagitur. *Christoph. Arnold. in select. Addit ad Rogerii Gentilism.*

Lapis mobilis in loco sed non amovibilis

8. In Scotiæ Regione *Gourea* quarto circiter milliari ab ostio *Tai* lapis est non adeò magnus, inquit *Fournieur Geogr. p. lib.* 5. *cap.* 9. quem possis in quamcunque volueris, partem volvere, nunquam tamen movere loco. Item haud longè à sinu Anglicano *S. Michaelis*, ut *Idem* ait *eod. l. c.* 17. Saxum magnæ molis *S. Amb.* dictum, reperitur, quod etsi vel digito facilè moveatur in loco, nullâ tamen vi ab eodem dimoveri potest.

Lapis ingens situ bare videtur.

9. Circà insignem Chinensem Regiam atque primariam urbem *Pequin* altissimi surgunt montes *Puon* dicti: in horum uno lapis ingentis molis spectatur, qui si quantumvis leviter attingatur, titubare tamen, & loco cedere observatur. *Abentheur.*

Lapis sonitu tempestates indicans.

10. In Americæ provinciâ *Chiapâ* ad *Caliente* rivum lapis reperitur longitudinis 5. latitudinis verò 3. ulnarum Hispanicarum. Hic in medio fissuram habet, unde copiosè fumus emittitur; continuò verò horribilis quidam sonus indè percipitur: quodsi tempestas immineat, tantùm sonus ille intenditur, ut etiam ad dimidii milliaris distantiam facilè percipi possit. *Joan. de Laet.*

Lapis glutinosus.

11. Referente *Majolo* in Insulâ Corsicâ *Catochites* lapis reperitur, qui manu prehensus glutinis instar adhæret, ità ut violenter denuò abripi debeat.

Turcoidis in casu vires.

12. Turcoidis gemmæ magna censetur esse virtus præservandi à læsione ex casu & transferendi damnum in se. *Helmontius* aliquot hujus virtutis exempla recenset *in Tract. posthumo de virtute magnâ Verbor & rerum* his verbis. *Abbas* inquit,

Exempla ex Helmontio.

S. Joannis Baptistæ Oprensis ord. S. Bened. in periculo casûs è navi à suis mirificè detentus non cecidit in aquam; attamen gemma, quam aureo cingulo in digito gestabat, in frusta disrupta est. Marchio Don Carlos Spinella retulit se in venatione præcipitem ab alto devolutum cecidisse à rupe, eoquòd equus cum veloci cursu crus infossula rupis fregisset, ceciderat mortem passus; ille verò præ cursûs impetu ex ephipiis exiliens de rupe lateratim cecidisset ad minimum in petram declíviorem &c. pedibus surrexisse autem illæsum, cumque dudum meditans casum & præservationis causam, tandem vidit, se Turcoide digitum cinxisse, fractamque gemmam. Georgius nobilis Toparcha in Mærebeko retulit, quod semel ex horto veniens & obicem ab ostio removens, audivit clamorem uxoris suæ lapsæ ex alto in penarium, illæsæ tamen & incolumis; cùmque admirans Deo sursum tensis palmis gratias referret; vidit Turcoidem fractam in quatuor partes. Quibus deinde addit *Helmontius*: *Possem adhuc decem casus similes referre, sed dicta sufficiant, quoniam exindè constat gemmæ virtutem magnam esse præservandi à læsione & transferendi ictum in se.* De Turcoidis admirandâ virtute sequentia à se comperta memorat *Anselm. Boet. lib.* 2. *de gem. & lapidib.* his verbis. *Ego sanctè affirmare possum, me unam aureo annulo inclusam perpetuò gestare, cujus facultatem (si gemma est) nunquam satis admirari potui. Gestaverat eam ante triginta annos Hispanus quidam non procul à paternis ædibus habitans: is cum vitâ functus est & ipsius supellex ut moris apud nos, vænum exposita, inter cœtera etiam Turcois exponebatur. Verùm nemo sibi emptam voluit, pristinum enim nitorem & colorem prorsùs amiserat, ut potius Malachites, quàm Turcois videretur. Aderant tunc temporis parens & frater meus, qui ante sæpius elegantiam & gratiam ejus viderant, mirabundi tunc eam esse deformem. Emit nihilominùs eam parens, idque vili prætio (quia omnibus erat contemptui, & præsentes arbitrabantur eam non esse, quàm Hispanus gestaverat) tum verò etiam mihi eam dedit, ego sculptori, ut in ea insignia mea sculperet; paret ille: reddit gemmam, quam dum gesto pro annulo signatorio, intrà mensem redit ille pristinus color, cœterùm in casu mirandas illius vires observavi, quàm Patavio Eques in Bohemiam redirem post Solis Occasum, sistitur ecce equus, nec progredi vult. Conductitius comes vocatus, puteum esse in viâ asserit, adeòque redeundum mihi. Facio & illicò deprehendo casum, meque ex Sella in viam projicio, sed incolumis, rursumque conscenso equo iter prosequor: mane dum manus lavo, Turcoidem induo frusta fractam deprehendo, majorem partem ejus alteri annulo committo & gesto, dùmque onus aliquod supra vires elevare tentarem, subitò ossa pectoris strepitum dederunt, deprehendique ultimam costam suo loco motam, eodèmque die Turcoidem in duas partes iterum ruptam mirabundus adverti. Denique cum Icteritiâ, vel obstructionibus laborassem, & jam corpus sudoribus transpirabile, ac bene constitutum esset, animadverti meam Turcoidem solito pulchriorem, ità ut valetudinis index sit.* Ità Boetius.

13. Relatum est jam pridem, inquit *Rueius lib. & cap.* 1. *de gemm.* à Domina quadam fide dignâ, quod Domina *Heneren*sis è Luxenburgorum illustri genere duos habeat hæreditarios Adamantes, qui alios crebrò producant tanto Naturæ miraculo, ut quicunque eos statis tēporibus intuentur, congenerē sibi prolem eniti — Adamantes qui alios pariunt.

eniti palam judicent. Tradit etiam *Majolus* Principi Raustafio in Laurario adamantes esse, qui fatiscant, & alios pariant.

Adamas ad pectus summi Pontificis Judæorum.

14. Admiratione haud dubiè dignum est, licet soli Naturæ adscribi minimè possit, quod narrat *Bonaventura Baro in Naturæ miraculis*, de Adamante supra pectus gestato à summo quondam Judæorum Pontifice his verbis. *Summus Hebræorum Sacerdos intraturus Sancta Sanctorum suprà pectus pretiosissimum adamantem inter duos Smaragdos gestabat. si autem tum populus peccati reus foret, adamas colorem suum mutabat in obscurum: Si eidem imminebat ultio divina belli, lapis cruentus videbatur: Si mors, niger, Nivis candorem præferebat, cum populus lætus Dei gratiam pollicebatur.*

Lapis Pantaura.

15. Inter miracula Naturæ recenseri quoque debet *lapis Pantaura* dictus, si vera sunt, quæ narrat *Cornelius Agrippa de occult. Phil. lib. 1. cap. 23.* Hunc, ut ait, invenisse fertur *Apollonius*, qui scilicet innatâ speciali virtute alios lapides ad se trahit, quemadmodum magnes ferrum, contra omnia venena efficacissimus. Ab aliis *Pantherus* dictus, quia Pantheræ animali maculoso assimilatur; ideò etiam *Pantocrhas* dicitur, quia omnes colores continet. Aäron illum *Evanthum* nuncupat.

Lapidum quorundam proprietates ex D. Augustino.

16. Meminit *D. Augustin. de civit. lib. 21. cap. 5.* lapidis *Asbeston* Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel non possit extingui. *Pyritem* lapidem persicum tenentis manum, si vehementiùs prematur, adurere, propter quod ab igne nomen accepit. In eâdem Perside gigni etiam lapidem *Selenitem*, cujus interiorem candorem cum Lunâ crescere, & decrescere. Verùm de hoc lapide supra in Selenoscopio jam égimus.

Lapis sarcophagus.

17. In Asso Troadis Sarcophagus lapis fissili venâ scinditur, inquit *Plinius lib. 37. cap. 17.* Corpora defunctorum in eo condita absumi constat intrà quadragesimum diem exceptis dentibus. Ejus generis & in *Lyciâ* saxa sunt, & Oriente quæ viventibus quoque alligata erodunt corpora. Mitior est autem servandis corporibus, nec absumendis *Chernites* Ebori simillimus, in quo Darium Regem conditum ferunt; parioque similis candore & duritie, minùs tamen ponderosus, qui porus vocatur. Ità *Plinius*.

§. V.

Admirandæ Magnetis Lapidis virtutes variis experimentis & exemplis demonstrantur.

Stupendum omninò lapidum omnium in Naturâ miraculum perpetuum est *Magnes*, aliàs *Herculeus lapis* dictus, non ob ferri tantùm, sed ob rerum omnium quasi domitricem potentiam. De hoc lapide, ejusque admirandis viribus ac proprietatibus peregregiè scripserunt comprimis *Guilielmus Gilbertus, Nicolaus Zucchius, Nicolaus Cabeus, Athanasius Kircherus, Eusebius Nierembergius, Laurentius Forerus, Hieronymus Dandinus, Jacobus Graudamicus, Ludovicus Alcazar, Claudius Franciscus* Milliet de Chales, & complures alii. Sunt autem tantæ hujus lapidis vires, quæ paucis certè hic exponi non possunt: præter enim vim ferrri attractivâ, & hujus suæ virtutis in ferrum derivativâ mirabili virtute conversivâ per polos suos ac ad Mundi polos directivâ præditus est, ut adeò liberè collocatus illuc sponte se convertat, itaq; persistat. Deinde vis mira vulnerum sanativa eidem adscribitur, multæque aliæ virtutes emphaticæ, quas apud citatos Authores fusiùs pertractatas videre licet. Nos hìc tantùm experimenta quædam & exempla ejusmodi virium, ac manifestè cognitarum proprietatum Curioso Lectori proferemus.

Solis figura in Templo Serapidis.

1. Narrat imprimis *Ruffinus lib. 11. Histor. Eccles. Alexandriæ* in templo *Serapidis* signum Solis fuisse è subtilissimo ferro manu artificis fabricatum, magnetemque desuper in laqueari fixum, cujus vi; cum temperatè sub ipso ad libram fuisset positum simulacrum, assurgere ferrum, & in aëre pendere visum est.

Magnetes vires à D. Augustino observatæ.

2. De Magnete, ejusque admirandis viribus loquens *D. Augustinus lib. 21. de civitate Dei cap. 4.* Hæc scribit: *Magnetem lapidem novimus mirabilem ferri esse raptorem, quod cum primùm vidi vehementer inhorrui. Quippe cernebam à lapide ferreum annulum raptum atque suspensum; deinde tanquam ferro, quod rapuerat vim dedisset suam, communèmque fecisset, Idem annulus admotus est alteri, eumque suspendit, atque ut ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat: Jamque sibi per mutua connexis circulis non implicatorum intrinsecùs, sed extrinsecùs adhærentium quasi catena pependerat annulorum. Quis istam vim lapidis non stuperet, quæ illi non solùm inerat, verùm etiam per tot suspensa transibat & invisibilibus ea vinculis subligabat? sed multò est mirabilius, quod à fratre & Coëpiscopo meo Severo Milevitano de isto lapide comperi, seipsum namque vidisse narravit, quemadmodum Bathanarius quondam Comes Africæ, cum apud eum convivaretur Episcopus, eundem protulerit lapidem & tenuerit sub argento, ferrumque super argentum posuerit, deinde sicut subter movebat manum, qua lapidem tenebat, ita ferrum desuper movebatur atque argento medio, nihilque patiente, concitatissimo cursu ac recursu infrà lapis ab homine suprà ferrum rapiebatur.* Ita D. *Augustinus.*

Magnetis armati vires.

3. Tantæ potentiæ & virtutis dantur subindè Magnetes, ut nudi etiam nec armati, de qui-

de quibus mox dicemus, ferrum decies septies seipsis gravius ad se trahant, tractumque retineat: Quod expertum se scribit *Mersennus tract. de Magnet.* in parvo septem granorum magnete. *P. Kirchero* narratum fuisse *Romæ* scribit *Schottus in Magia Magnet.* Principem quendam Anglum habuisse exiguam & vix unius unciæ Magnetis particulam annulo inclusam tantarum virium, ut ferè libram ferri traheret.

Magnetis armati vires. 4. Magnetem ferro etiam vestitum & armatum vi attractivâ mirabili pollere pluribus ostendi potest experimentis & exemplis. *P. Kircherus in appendice ad lib. 1. & 2. Art. Magnet.* ait, Magnetem illum famosissimum, qui *Florentiæ* in magni Ducis Hetruriæ armario, seu Galeria (ut Itali vocant) conservatur, ferro munitum, & in aëre à catenulâ suspensum pendere libras 29, & suspensas tenere ferri libras 65. *P. Bonaventura Baro in Natur. miracul.* testatur, se hunc magnetem vidisse, cui circà polos lamina duos digitos lata obducta erat. Addit porrò sequentia: *Apposuimus,* inquit, *claves, aut acus, ut experiremur vim attractivam, & continuò adhærebant ei: Admotæ non solum chalybi obducto, ut etiam una clavis aliam sibi admotam suspenderet, & quotquot addita erant etiam perpendiculo omnium. Ipse etiam ædituus massam ferream habebat pondo 8. librarum curvatam, ut utrâque extremitate chalybem contingeret: Hæc tota tàm fixè adhærebat Magneti, ut vi & impetu subindè utriusque manûs ac brachii opus foret exindè avellendæ.*

5. Quidam apud *P. Ludov. Alcazar in Apocal. cap. 2. part. 4. v. 27. Nota 8.* affirmat, esse apud se Magnetem, qui absque ferri adjumento vix quinque uncias ferri attollat; armatum verò plusquam ducentas: Alium verò exiguum, qui inermis vix duas ferri drachmas attollat, armatum verò plusquam ducentas drachmas ad se trahere.

6. *Martinus Mersennus tom. 1. opus. Mathemat. tract. de Magnet.* ait, se scire Magnetem, qui cùm nudus dimidiam tantùm ferri trahat unciam, armatus verò decem libras, hoc est, trecenties & vigesies plus, quàm nudus ad se trahat.

7. *Manfredus Settala* Mediolanensis fassus est *Romæ P. Kirchero, & P. Schott* habere se in suo musæo seu Galeriâ *Mediolani* magnetem vix libræ unius, qui tamen chalybeâ munitus laminâ attrahat, ac suspensas teneat ferri omninò libras sexaginta. *Schottus in Magiâ Magn.*

Magnes admirandæ virtutis attractivæ. 8. Sed omnem penè fidem superare videtur, quod non semel narravit *P. Schott* & sanctè affirmavit, testibusque adductis viris Religiosis confirmavit *P. Carolus Du Lieu è Societate JEsu*, cum *Romæ* esset; habere nempè se *Lugduni* in Gallia Magnetem quinquelibrem, armatum tantarum virium, ut pro miraculo habeatur, ejusque visendi gratia maximum nullo non tempore Optimatum, Doctorum ac Religiosorum virorum concursum fieri ad Collegium, voluisseque eum *Romam* secum deferre, sed prohibitum à Patribus timentibus, ne ibidem aliorum precibus sibi extorqueretur. Ajebat habere chalybeam laminam, quâ obarmatus est lapis, & tunc è tholo suspensus geminos æqualis altitudinis, quasi pedunculos quadratos extantes, quibus si ferrea clavis, aliudvè oblongum ferrum secundùm longitudinem è longinquo applicetur, tanta vi rapere ad se, ut vix bini aut terni viri retinere illud possint, & ubi semel ad se rapuit, sibique agglutinatum habuerit ferrum, adeò pertinaciter retinere, ut viri decem aut plures alligato ad ferrum fune abstrahere nequeant, si tractio fiat perpendiculariter deorsùm secundùm lineam directionis; ideoque ingentia pondera ferro oblongo alligata eum sustinere, nec dubium esse, quin Virum cataphractum appensum teneret. Ità *Schottus in Mag. Magnet.*

9. De vi mirabili Magnetis in sectione ac vulneris inflictione citrà omnem dolorem hæc tradit *Cardanus libr. 2. de subtilit.* *Laurentius Guascus Medicus empiricus Turonensis magneticum lapidem pollicebatur, qui si stilum aut acum tangeret, stilus ille carnem totam absque ullo dolore penetraret. Quod cùm, ut par est, ridiculum videretur, ego ut tam incredibilis rei periculum facerem, acum ipsam pridie affricatam cuti brachii intuli, sensique primò levissimam punctionis imaginem post, cùm totum musculum quasi directa penetraret, acum quidem in profundum, quà pererrabat, penetrare sentiebam, dolorem verò penitùs nullum sensi, dimisi etiam longo spatio brachium, nec quicquàm molestum sensi. Et lib. 7. de Subtilit.* hæc narrat: *Alexander quidam Circumforaneus Veronensis pueros, servósque suos gladiis Magnete perfrictis noctu vulneratos postridie coram omni populo oleo olivarum, cui sarcocoleam vel thus, vel aloe immiscuit, ne simplex oleum esse videretur. In quo maximum fecit quæstum, quod plebs oleo tantum inesse vires crederet, quùm tamen Natura vulneris esset, quod hac ratione inflictum per se etiam coit oleo parùm vel nihil conferente. Sed hæc ità retulisse sufficiat. An autem huic ultimæ virtuti subscribendum sit, non disquiro, nec ullius peto calculum: Utrumvis sentias; Mihi & meus manet sensus & sententia à tuâ forsan haud multùm dissentiens, si rectè philosophari didicisti.* Vis Magnetis in vulnerum inflictione & Sanatione.

10. *Severus Milevitanus* recensente *Jonstono in Taumatograph.* vidit, cum *Bathanarius* quondam Comes Africæ argentum inter lapidem & ferrum subterposuisset, ità ferrum desuper motum fuisse, atque argento medio nihilque patiente concitatissimo recursu infrà lapidem hominem suprà ferrum à lapide raptum fuisse.

11. Hoc etiam ex *Plinio* non videtur negligendum, quod ait in Sardiniæ Mediterraneis ad radices montium, qua parte Orientem vergunt, magnetem esse, qui tractat ferrum; in Opposita, qui abigat *Theamedes* inde dictus. Admiranda varia curiosa technasmata, quæ magnetis ope

 perfici

perfici queunt, longum foret recensere. Videantur Authores suprà memorati.

§. VI.

Res variæ lapidescentes, & in lapides conversæ.

Trabs cum lapide concreta.

1. Narrat *Alexander ab Alex. Gen. dier. lib. 5. cap. 9. Jovianum Pontanum* in Promontorio *Pausilypi* juxtà *Neapolim* vi tempestatis ingenti lapsu proruto monte vidisse in medio abscissi collis trabem ligneam undique duro lapide cinctam cum montis dorso concrevisse, & in unum corpus coäluisse, & hanc rem mirificam, quæ non minore miraculo fuit, quam conchylia in montibus, non uni tantùm spectaculo fuisse.

Fungi lapidei.

2. Tradit *Idem cit. loco* ab *Europo* usque *Elim* quidquid oræ maritimæ mari abluitur, in saxa mutari; aut quod de pulvere Puteolano traditur, qui marinis aquis tactis durescit in saxum: Et in mari rubro sylvas vivere, oleamque & laurum, in quibus fungi enascantur, qui mox sole tracti convertantur in pumicem. Atque in *Lucaniâ, Cappadociâ, & Hierapoli Mysiæ* nonnullas esse aquas, quibus virgulta & ligna injecta brevi post lapidescunt. Ità ille. *Theophrastus* etiam inter alia recenset, quod ad mare rubrum passim olivæ, lauri, & aliæ arbores unà cum frondibus & floribus in lapides conversæ sint. Ipse etiam fungum aliundè mihi donatum exhibere possum, qui perfectè in lapidem concrevit.

Aurea monet in lapides versa.

3. Nummos aureos *S. Stephani* Regis in saxa conversos se vidisse scribit *P. Adalbertus Tylkowski in Philos. cur. part. 3. phys. part. 4. cap. 1.*

Bucella panis lapidea.

4. Exhibetur adhuc hodie *Eodem teste* in templo Monasterii *Olivæ* Ord. Cisterc. propè *Gedanum* panis buccella versa in lapidem.

Stillatitiæ aquæ lapidescentes.

5. Ad radices Castri *Filleck* in planitie situm est oppidum, ubi natura miram excavavit specum, in quâ destillantes aquæ ad oculum solidantur, & in varias partes humanæ figuræ conversæ continuò lapidescunt.

Truncus lapideus Abietis.

6. Scribit *Matthiolus* se vidisse in montibus Bohemiæ abietem, cujus truncus in rigidissimum saxum erat conversus.

Gammari in lapides versi.

7. In *Chinâ* locus quidam lutosus, arenosus & humidus mari adjacet, qui omnia injecta in lapides convertit. Undè etiam *Gammari* illucè mari, cùm victum petitum adveniunt, in lapides convertuntur. uti refert D. *Grimm Ephemerid. Germanic. Decur. 2. Ann. 1. Observat. 148.* Hujusmodi lapides miræ virtutis dicuntur esse in Febribus, pleuritide, obstructione urinæ, calculo, erysipelade, aliisque morbis propulsandis. Lusitani vocant: *Pedro de Kameron.* Meminit *Idem ibidem* lapidis dicti *Pedro Pouw*, qui ex ligno in lapidem converso in aquâ quadam in *Ternata*, quæ omnia ligna in lapidem convertere solet.

Instrumenta fabrilia in lapides conversa.

8. In Tybuttinis fodinis intrà ipsum Saxorum meditullium varia instrumenta ferrea, clavos, palas, malleos fossorios, quos piccones vocant, similiaque reperiri, quæ ôlim ibidem relicta, & fossâ terrâ, saxorumque ramentis operta tandem post multum temporis denuò cum saxo coäluerint, narrat *Kircherus Mund. Subt. lib. 8. Sect. 1. cap. 9.*

Variæ figuræ ex stillatitiis aquis concretæ.

9. In agro *Tyburtino*, uti & intrà urbem ipsam subterraneæ cryptæ cellæque vinariæ ferè omnes stillicidiis lapidificis refertæ sunt tantâ figurarum varietate, ut satis quis mirari non possit; quarum nonnullæ frondium, arbusculorumque figuram, aliæ raparum, aliarumque rerum formas, uti panem saccareis granis conspersum mentiuntur, & passim ad fontes construendos assumuntur. *Idem.*

Ramus cum nido & pullis in lapides versus.

10. Narrat *Albertus Magnus lib. 1. min. tractat. 1. cap. 7.* juxtà Lubecensem civitatem inventum ramum arboris, in quo erat nidus avium & in nido pulli, omnia in lapidem conversa.

Fons injecta lapidificans.

11. Esse etiam in Gothia fontem *Idem Albertus* narrat, qui quicquid in eo immergitur, in saxum convertit: Cujus rei veritatem ut probaret *Fridericus Imperator* misit ad eum fontem Chirothecam sigillatam: Verùm cum per aliquot dies medietas pellis cum sigillo mersa esset in fontem, tota versa est in lapidem, reliquâ medietate inconversâ remanente. Verùm de pluribus istiusmodi fontibus vide infrà.

12. In Agro *Reatino* teste *Plinio* non tantùm radices arborum, plantarumque, sed & animalium, uti Equorum, callosæ ungulæ in saxeam duritiē constipari solent.

Homines in lapides versi.

13. *Aristoteli* inscriptus *liber. de admirat. audit.* in Lydia quosdam homines, dum declinassent ad antrum quoddam, exanimatos tradit, ac tandem in lapides mutatos cum suis vestibus, cibariis & aliis rebus, quas secum deferebant.

Ingens hominum Carvana in lapides versa.

14. In Tartariæ magnæ deserto etiam hodie adhuc, uti *Geographi* tradunt, spectatur integra hominum legio, quam *Hordam* vocant, cum animalibus, quæ secum ducebant, ac rebus omnibus aliis, in saxa conversorum.

Helmontius tract. de Lithiasi c. 1. Hordam istam describere videtur his verbis: *Circà An. 1320. inquit, inter Russiam & Tartariam in altitudine graduum 64, non procul à palude Kitaya Horda Basschirdorum penitus in petras transmutata legitur cum toto armento, curribus & armamento: dicunturque etiamnum hodie homines, cameli, equi, gregis atque omne concomitans curruum & armamentorum genus sub dio concretum horrendo spectaculo adhuc insanata stare.*

Caput bovis saxeum.

15. In *Schneebergensi* fodinâ erutum fuit aliquandò saxum, quod bovis caput ad amussim repræsentabat, illudque *Rudolpho* Cæsari oblatum scribit *Matth. & Agricola.*

Corpus humanum in saxeum conversum.

16. Spectatur Romæ in horti Ludovisiani palatio totum corpus humanum in saxum conversum ossibus adhuc integris, at lapideo cortice obductis. Hominem totum mammas tenùs siliceum vide in *Musæo*

Musæo Wormiano L. 1. sect. 2. cap. 3. De cerebro humano post mortem in cochleas converso videri potest *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 2. Observ. 137.*

17. Formidabilem historiam, quæ etiam nostro hoc contigit sæculo, refert *Kircherus Mund. Subt. lib. 8. sect. 2. cap. 2.* de pago quodam Africæ Mediterraneæ *Biedoblo* dicto, admiranda quadam metamorphosi unà cum hominibus, animalibus, arboribus, supellectile domestica, cibis ac rebus omnibus in saxum commutato. Volunt autem hunc saxeum rigorem contigisse momento quasi, æstivo tempore, nocte intempestâ adstrepentibus horrendum in modum ab æthere fragoribus non sine frequenti soli concussione. Plures qui horrendum spectaculum intuiti fuerunt, testati sunt homines, & jumenta eundem habitum gestumque retinuisse, in quo divinæ rigor consceleratos deprehendisset. Traditur etiam genus hominum illic habitantium nefandis criminibus obnoxium fuisse, ut ità divina Nemesis justas hasce pœnas aliundè obduratis cordibus infligere coäcta propemodùm sit.

Integra civitas in saxum incolis conversa.

18. Anno 1660. die 8. Octobr. Illustrissimus Comes Hanoviensis *Joannes Philippus* in Urbis suæ *Bobenhausen* pomærii fossâ confodit cervum, cujus in ventriculo, dum exenteraretur serpens comestus petrefactus, aut saltem lapideâ crustâ contectus inventus fuit. Relatus deindè fuit ob raritatem in musæum nominatissimum *Friderici Casimiri* Comitis Hannoviensis. Vide plura de hoc serpente. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 1. Observ. 14.*

Serpens petrificatus.

19. Laridi frustum petrefactum nativo adeò simile, ut plurimis imposuerit, memoratur *in Zodiaco Medico-gall. Anno 4. & 5. mense Martio Observ. 16.*

Laridi frustum petrefactum

20. Cum opifices orto bello, inquit *Jonstonus in Thaumatogr.* in metalla Lydiæ circà *Pergamum* confugissent; obstructo exitu suffocati sunt. Repurgatum post antrum & amphoræ lapideæ succo lapidescente repletæ sunt.

21. Specula, strigiles, vestes & calceamenta eodem *Jonstono* referente illata in lapidicinam, quæ in *Asso* Troadis lapidem fieri *Mucianus* Author est.

22. Pulvis, ut inquit *Plinius l. 35. cap. 13.* in puteolanis collibus maris fluctibus opponitur, mersusque protinus fit lapis unus in expugnabilis undis, & fortior quotidiè utique si cumano misceatur cæmento.

23. *Cantstadii*, sedi Würtembergensi *Stuttgardiæ* vicinæ fons est, acrivulus, juxtà quem, sicut & sub ipsa terra lapides repeririuntur interdùm grandes & solidi lineamenta foliorum salignorum, populorum, aliorumque etiam ramorum crustas, quibus inducti fuerunt, quàm accuratissimè referentes. *Ephem. Germ. Curios. Decur. 3. An. 1. Observ. 121.*

24. Juxtà munitissimam ejusdem Ducatus arcem Hohen-Aurach spelunca cernitur intrà montis viscera admirandis fornicibus, pyramidibus, columnisque admirabili Naturæ lusu constructa, spatiosa satis, ubi muscus tenerrimis barbis velut prælongis propendens temporis diuturnitate stillantes aquas tophigenas imbibens inductus undiquaque, totusque nunc lapis admirabili crispatura & pulcherrima facie cernitur. *Ibidem.*

§. VII.

Lapides mirabiles in diversis humani corporis membris ac partibus reperti.

1. Testatur imprimìs *Mœbius in Fundam. Med. Physiolog. cap. 14.* lapillos tesserarum figuram repræsentantes & instar marmoris variegatos quàm plurimos è Chiliarchæ cujusdam Uxoris hepate post obitum se contemplatum esse.

Lapides in hepate formæ tesserarum.

2. Excrevisse se aliquandò calculum crystallinâ duritie & splendore, tantâque magnitudine, ut pro sigillo potuisset usurpari, retulit *D. Salomoni Riselio* nobilissima quædam Virgo *de Dünheim*, nephritidi valdè obnoxia paulò ante obitum suum Anno 1674, eosque se dedisse pro memoriâ sua tum temporis medico *D. Joan. Wilbelmo Mogio*, qui eo fini etiam asservavit, ut memoratur *Ephem. Germ. Medico-phys. Dec. 1. Ann. 8. Obs. 29.*

Calculus Crystalliformis.

3. In *Caroli Ogeri* Medici Leodiensis octogenario multò majoris vesicâ post mortem exsectum calculum, qui magnitudine ovum anserinum excesserit, duritie verò silicem superârit, testatur *Henricus ab Heer Observ. 26.* Sed maximè mirandum addit præfatum Medicum nunquam in vitâ de vesicæ calculo conquestum fuisse. De calculo vesicæ prægrandi magnitudine capitis annui pueri vide *Thomæ Bartbolini act. Haffniens. vol. 4. Obs. 83.* Et de alio magno calculo caput infantis recens nati magnitudine æquante *Vide Oldenburg. Acta Philosoph. Angl.*

Calculi ingentis magnitudinis.

4. Quamvìs calculi in animalibus concreti sæpiùs loci, in quo coägulantur, figuram induant, admirando tamen aliquo, si ità loqui liceat, naturæ lusu ac planè fortuito particularum concursu in alienas miras figuras efformari solent. Ità aperto cadavere defuncti filii duodennis cujusdam hortulani aulici in vesicâ reperit *D. Joan. Dolæus* lapidem ℥. 11. ponderantem, & figuram infantis exprimentem, ut refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec 2. Ann. 6. Observ. 75.* Calculum renis cordiformem describit. *D. Reiselius Eph. Germ. Dec. 1. Ann. 3. Obs. 191.* Alium vesicæ calculum cordis formam penitùs repræsentantem vidit *Sebast. Scarabicius*, atque à *Bened. Sylvatico* renalem canis figuram exprimentem fuisse repertum testatur *in libello de lapid. concret. in hom. c. 3.* Vesicæ lapidem à viduâ extractum partium in viro genitalium formam exhibentem indicant *Ephem. Germ. Curios. Dec. 1. Ann. 2. Obs. 139.* & alium phaseolo in omnibus similem. *Ann. 3. Observ. 61.* nec non pulli anserini figurâ *Obs. 19.* sistunt. Ubi & Coralli trunci ac surculi æmulus, muris, felini capitis, cochleæ, crucis, fragariæ, & pyri figura alii ex *Bartbolino*, *Eustachio Joan.*

Mirabiles figuræ in calculis.

Joann. Theod. Schenckio, Petro Borello & Th. Bartholino memorantur. Ex rene sinistro Principis Radziwilii Anno 1652. Bononiæ in Italiâ calculum exemptum, qui formam & magnitudinem passerculi præsentabat. Refertur *Ephem. Dec. 2. Ann. 4. Obser. 63.* Per urinarios meatus expulsos lapides, qui absolutè figurâ, substantiâ colore carbones referebant, recenset *D. Panarolus pent. 5. Obs. med. 6.* Amygdalini nuclei formâ & magnitudine post mortem è Mercatore extractum calculum vidit Clarissimus *D. Schröckius*, ut meminit in *Scholio*, ubi hìc adducta pleraque refert ad *Observ. 75.* suprà indicatam.

Calculus in instanti poteſt generari. 5. Calculum in instanti generari posse in renibus hinc colligit *Daniel Crugerus*, quod datis aptis medicamentis cuidam Matronæ sexagenariæ expulerit singulis diebus ad minimum quindecim lapillos, æquales unâ quasi formâ & magnitudine pisorum; continuatâ verò hac excretione expulsorum lapidum tandem ducentesimum numerum expleverit. Post semestre spatium cùm eodem parturiendi calculos morbo affecta fuisset, iterùm eodem modo ducentos edidit lapillos. *Ephem. Ger. Curios. Dec. 2. Ann. 4. Obs. 14.*

Trecenti calculi unico impetu exploſi. 6. Expertiss. *Nicolaus Tulpius lib. 2. Obs. Med cap 47.* refert, defatigatam aliquamdiù à febre, ac dolore lumborum anum quandam septuagenariam, tandem unico impetu, quasi relaxatis renum repagulis egessisse trecentos ampliùs calculos. Quem eundem numerum, inquit idem, licuit quoque observare in Uxore cujusdam præfecti Indiæ Occidentalis: quæ displosis utique tot tormentis vixit deinceps expers omnis belli.

Calculi ad inſtar lapidis Bezoar. 7. Idem *Clarissim. Author Obs. med. lib. 3. cap. 4.* recenset *Joannem de With* Senatorem Amstelodamensem enecatum à calculo & sectum deindè à Chirurgo habuisse in vesicâ suâ viginti novem calculos figurâ & magnitudine inter se, ut dispares, sic formâ, glabritie ac lævitate adeò invicem similes, & tàm propè convenientes cum lapide Bezoartico, quem fert India Orientalis, ut facilè vel oculatissimo imposuissent Aromatario. Lapides verò hosce, ceu industrium sagacis naturæ opus, ubi intueretur *Cornelius Sasboutius*, qui omnem triverat ætatem in exsecandis calculis, asseruit sanctè inter innumerum illum, quem viderat calculorum numerum, occurrisse quidem subindè miras lascivientis Naturæ figuras, verùm hactenus nullam, in quam tantum operæ posuisset polydædala rerum parens Natura. Ità *Tulpius.*

Calculi pisiformes per perinæum spontè excreti. 8. Puer quidam duodecim annis major, ut traditur *Ephemer. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 9. & 10. Obser. 33.* dolore vesicæ ponderoso, at sine suspicione calculi diù laboravit; tandem insperatò auctis doloribus circà perinæum tumor sese prodit in ulcus, quod videbatur, desiturus, sed tamen nullis sive emplastris, sive linimentis ad maturitatem adduci potuit, donec tandem remediorum sepositâ curâ spontè in ulcus transiret rebellis hactenùs tumor. Cum autem certo die pisis in cœnam appositis largiùs indulsisset protervus puer, pruriginem in perinæo sentit intolerabilem, quam ut coërceret, digitos unguesque admovit, qui cùm graves parti incumberent, nonnihil etiam lacerarent emollitum jam tumorem facilè disrumpunt. Aperto sine dolore vulnere, quod minimè puer credebat, retractam manum ponè sequuntur globuli, quos ille viginti numero excipiens, ipsa illa comesta pisa esse putabat, adeò forma & magnitudo erat similis: Sed excussis diligenter sphærulis apparuit lapillos esse pisiformes albos, & superficie glabrâ, velutque expolita. Traditi posteà sunt Chirurgo, cujus curæ sanandum vulnus committebatur, quique illicò lapillos tàm insolenti casu productos Expertiss. *D. Joan. Nicolao Pechlino* ostendit, vulnerisque conditionem explicuit. Acta res Anno 1671. Lugduni Batavorum. Simile exemplum de muliere scabendo 18. lapillos tesserarum magnitudine exprimente vide *Cælium l. 3. c. 12. A. L.*

9. De Religioso quodam narrat *Doct. Henricus ab Heër in fonte Spadano cap. 9.* Hic, inquit, jam tres & quod excurrit annos, hyeme juxtà ac æstate Spadanum fontem magnis potat poculis. Ostendit ille non tantùm plures calculis durissimis plenas capsulas, sed & quod, qui non viderunt, vix credent (viderunt autem hoc triennio ex tota Europâ innumeri) duas vesicas sex latos digitos longas, minimo suo digito crassiores arenis undique confertissimas, simul cum insano, & non tantùm internecino dolore emictas videndas præbet. Qui micturienti, vel potiùs portentosum parturienti fœtum adstabant rustici, intestina ipsum minxisse clamabant, eaque mediâ hyeme pro mirissimo miraculo ad præfatum *Henricum ab Heers* deferebant.

10. Lipsiensis quidam tenuis fortunæ homo per multos annos continuò & acerbissimo capitis dolore affectus, quem esu mori se contraxisse affirmabat, à *Mauritii* Sax. Ducis Medico *Joh. Pfeilio*, qui diu in Italia medicinam fecerat & Florentino etiam Xenodochio præfuerat, in cassum curatus, post mortem sectus in cerebri substantia lapidem cinereo colore, formâ & magnitudine moro similem habuisse deprehensus est. *Joannes Kentmannus de Calculis in hum. corp. genitis. Schenckius in suis observ. Cornel. Gemma, Mercurialis, & plures alii.* Lapis in capite moriformis.

11. Eodem *Kentmanno* referente quidam *Balthasar Arnoldus* Ecclesiastes Torgensis ab ineunte ætate colico dolore excruciatus anno tandem ætatis 63, Christi 1564. grandem lapidem teretem glabrum, levemque articulis duobus pollicaribus conjunctis similem basi utrâque concavâ, venulis albis & luteis in colore spadiceo discurrentibus excrevit. Basis utraque concava speciem præseferebat, alios quoque lapides eidem insertos fuisse, & à naturâ sensim absque observatione ægri, adstantiumque expulsos.

12. In variis corporis humani partibus varios generari lapides multis constat experi-

perimentes. Nec enim in vesicâ ac renibus tantùm (ubi aliàs geuina est microcosmica lapidum officina) lapidosi fœtus generantur, sed in omnibus ferè membris tales observatos Authores testantur. Ita in pulmonum substantiâ ipsâ invenit lapillos friabiles *Philippus Salmuth*. *Marcellus Donatus Histor. medit. mir. cap. 30.* Narrat & *Æginetâ libr. 3. cap. 31.* quendam, qui diu sanguinem ejecerat, tandem quatuor calculos asperos tribulorum modo tussi ejecisse. *Beniventus* scribit quendam, cùm diù tussi inani laboràsset, tandem magnitudine avellanæ lapidem exspuisse. Simile de alio scribit *Fernelius*, & de alio, qui sæpè duros lapillos hordei, & pisi magnitudine per tussim expellebat. E pulmonibus quoque tussi rejectos lapillos observavit *Borellus cent. 1. Observ. 67.* & in nobili Germano *Doct. Dorstenius*, qui aliquot pisi magnitudine lapillos non tamen rotundos, sed oblongos magìs & angulosos durissimæ tamen substantiæ tussi rejicere solitus. Ut refertur *Ephemer. Natur. Curios. Germanic. Decur. 2. Ann. 2. Observat. 167.* Calculum intestinalem ex atro inviridescentem exhibuit *Doct. Rottelius* Professor olim Giessensis. Quid frequentiùs calculis in vesicâ fellis? Tales in cujusdam juristæ fellis vesiculâ 22. repertos testatur *Gesnerus. Fallopius* in loco simili scribit 123. se reperisse. Palati & umbilici calculos Bartholinus refert in *epistol. cent. 1. ep. 62.* Sub linguâ, humero, variisque externis partibus lapillos genitos *Borellus* habet. Quo ferè referenda videtur podagricorum creta, quæ idem ferè principium habet, cùm rarò reperias Arthriticum, qui non calculo plus minùs sit obnoxius. In nasi parte interiori quoque fuisse natos, ac repertos testantur seduli Naturæ Mystæ *Henrigus ab Heër, Thomas Bartholinus, Joannes Victor, Schneiderus & alii:* Curiosam etiam historiam de calculo tali in naribus sexagenariæ fœminæ enato vide *Ephemerid. Germ. Natur. Curios. Decur. 2. Ann. 3. Observ. 79.* De tribus lapillis durissimis colore cinereo fabæ minoris magnitudinem habentibus in digito prognatis vide, ut *supr. Observ. 89. Bartholinus cent. 1. Histor. Anat. rar. Observ. 33.* de virgine Danicâ scribit, quod emunxerit lapides per nares magnitudine dactylorum post præcedentes capitis dolores. *G. Fabricius Hildanus* memorat *cent. 1. Observat. 11.* in aperto filii D. *Bernardi ab Hazfeld, Domini in Wildenberg* capite lapidem ex gypseâ materia concretum & membranæ inclusum in posteriore parte capitis inter duram & piam matrem fortiter adhærentem inventum fuisse. Narrat & *D. Theod. Kerckringius Med. Amstelod. in Obs. Anat. An. 1670.* editis in puero secto *Jo. Nicol. Westphalo* 14. annorum, stulto quasi semper somnolento & capite obtuso, cui glandula pinealis defuit lapidem in dextro priore cerebri ventriculo albicantem repertum fuisse pendentem grana 13. Adeòque verissimum est in omnibus corporis humani partibus calculos generari posse.

Tom. II.

13. Etiam intrà muliebrem uterum fœtum in saxum conversum plurium Medicorum, assertione stabilitur. Ità *Hippocrat. l. 5. Epid.* ait, mulierem quandam diuturno circà uterum dolore vexatam tandem lapidem asperitate insignem ab ore uteri prodeuntem peperisse. Fœtum saxeum non in utero, sed intrà costas productum memorat etiam *Kircherus Mund. Subterr. lib. 8. sect. 2. cap. 3.* Lapidosum quoque fœtum ex *Joan. Georgio Schenckio Angendici* Senonum è matris cujusdam *Columbæ Chatry* utero exsectum recitat *Schottus phys. curios. l. 5. cap. 17.* — Fœtus lapidosi.

Thuanus lib. 76. hist. hunc fœtum lapideum asserit viginti octo annos in utero portatum tandem post mortem matris excisum hodie adhuc Agendici miraculi causa exhiberi.

14. Calculos etiam cum sanguine è venа sectâ prodeùntes observarunt *D. Griselius*, ut indicatur *Ephem. Germ. Decur. 1. Ann. 1. Observ. 65, & D. Joannes Dolæus Encyclop. Med. lib. 3. cap. 13.* non minùs prostant plures aliæ calculorum historiæ, quæ in arteriis & venis fuerunt reperti. Sic in arteriâ aörtâ calculum deprehendit *Tulpius lib. 2. Observ. medit. cap. 25.* In arteriâ propè venam cavam *P. Bartholomæi Conventini S. I.* post subitaneam mortem varios lapillos à *Joanne Trullâ* celebri Chirurgo exsectos testatur *Kircherus in Mund. Subterr. loc. sup. cit.* Alios in arteriarum tunicâ internâ advertit *Laurentius Bellinus de morb. pect.* in arteriæ venosæ & venæ arteriosæ nonnullis ramulis *Christianus Langius miscellan. Med. curios. 12.* in venæ arteriosæ principio *Petrus Marchellus apud Rhodium Cent. 3. Observat. 4.* ipsum venæ pneumonicæ truncum propè cordis insertionem lapidescentem notavit *Thomas Willis part. 2. pharm. rat. sect. 1. cap. 2.* Calculos venarum emulgentium describunt *Thomas Bartholinus cent. 3. histor. anat. 34.* Venarum meseraicarum *Ephemer. Germ. Natur. Curios. Decur. 1. Ann. 3. Observ. 25.* Portæ & hæmorrhoidalium lapides observavit *Joannes Bettosachsius.* De Seminis petrificatione consuli potest *Zodiacus Medico-Gallic. Ann. 2. scilicet 1680, mense Martio Observ. 4.* — Calculi in venis, arteriis & aliis locis reperti.

15. De quodam *Mauritio à Thimen* memorat *Kentmannus de calc. hum. corp.* eum singulis mensibus silente Lunâ lapides ex intestinis, alios pisis majores, alios minores, rotundos, oblongos, asperos absque majore molestiâ ejicere solitum: Interdùm etiam ex arenulis conglobatos instar Amoitis fulvos, subduros, sed leviores egessisse. — Lapides ex intestinis egesti.

§. VIII.

Lapides in diversis aliis animalibus, eorumque membris ac partibus reperti.

Hepar anserinum siliceum.

1. Anno 1191. teste *Alexandro de insulâ in Breviar. rerum memorabilium*, mactavit coquus anserem, cujus totum hepar planè fuit siliceum, ut etiam mallei percussiones eliderent, colore subrusso.

K 2. D. Theo-

Calculus in corde capreoli.

2. *Theodorus à Marwiz* calculum in corde capreoli venatione à se capti deprehendit, ut in literis ad *D. Vollgnadium Uratislaviam* datis patet.

In cerebro Damæ.

3. Calculum in cerebro Damæ repertum *D. Joh. Henr. Tonnenbinderus D. Christiano Menzelio* exhibuit. Vide *Ephem. Nat. cur. Germ. Dec. 2. Ann. 1. Obs. 32.*

Mactati bovis cerebrum lapideum.

4. Ad initium Anni 1670. in quodam urbi Patavinæ vicino pago ad Monachos D. *Justinæ* spectante bos quidam mactatus cerebrum in marmoream planè duritiem concretum exhibuit, qui aliis bobus stupidior capite semper pendulo & quasi nutante incessit, usq; dum tandem planè marcesceret. Unde ipsum jugulârunt; aperto verò corpore omnia membra salva invenerunt preter cerebrum, quod in lapidem penitùs induruerat. Cerebrum hoc etiamnum in præfato Monasterio exhiberi volunt. *Eph. Germ. Cur. Nat. Dec. 1. Ann. 1. Observ. 26. ex literis D. Schrœckii ad Doct. Schenckium* datis.

Aliud exemplum in bove suecico.

5. Simile exemplum de bove suecico recenset *Excel. D. Thomas Bartholin. epist. 8. cent. 3. ad D. Joh. Daniel Horstium An. 1660. die 2. Novemb. data* his verbis. *Nuperis annis, ex Suecia nobis relatum fuit Bovis cerebrum universum in lapidem mutatum esse, quod illo mactato demùm deprehensum, cùm anteà prono semper, & inclinato capite in pascuis vix ossibus hærens ægrè progrederetur. Dubitavi exindè, quâ viâ spiritibus patuerit commeatus? At nuper cùm ex obsessa Urbe Haffnensi benevolè in castra suecica essem invitatus ab Illustriss. Legatis & Senatoribus Dn. Sciringio Rosenhan, & D. Stenone Bielcke magnis literarum fautoribus comperi à laudatis viris rem, prout narrata fuerat, veram esse, servariq; adhuc cranium cum incluso cerebro lapideo in prædio quodam Oxenstirniano; ad spirituum verò liberum transitum relicta videri hinc indè foraminale excavata, quæ per stramen immissos liquores & flatus transmittunt.* Hæc *Bartholinus.*

6. Sub brumam, ac ineunte vere in boum jecoribus & quidem vasis eorum majoribus tubulos reperiri lapideos docet *D. Joan. Jacob Wagnerus* prout memoratur *Eph. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 8. Observ. 147.* qui tunicis ramorum venæ cavæ & venæ portæ arctissimè adhærent, ità & vix ac ne vix quidem ab iis divelli queant. Tubulos etiam hos cum propaginibus suis lapides spongiæ concavos in spongiis marinis natos fermè æmulari scribit, sique illi integri ab Hepatis parenchymate separentur, uti Anno 1690. mense Januario ejus rei se periculum fecisse ait, Coralliorum marinorum ramulos egregiè referre.

7. Hepatis lobulos in Gallinâ ex acinis glandulosis compositos in lapideam duritiem induratos prominulos & colore albugineo præditos spectavit *D. Joan. Mauritius Hoffmannus*, ut indicatur *Ephem. Germ. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 8. Obs. 188.*

Lapis Bezoarticus in cervæ stomacho repertus.

8. Lapidem vel Tartarum lapidosum ovum gallinaceum figurâ & magnitudine æquantem & drachmas sex ponderantem in Cervæ globulo ferreo transfossæ ventriculo repertum possidet *D. Gabr. Clauderus.* Rarum autem atque miratu dignum est, quod fuerit sacculo membranoso vel vesicæ coriaceæ à Naturâ inclusus. Lapidis quoque Bezoardici virtute eundem pollere, arbitratur *Idem Clauderus*, ut videre licet *Eph. Ger. Nat. Cur. Dec. 2. An. 3. Obs. 78.*

Lapillus in capitibus limacum.

9. Limaces, ut innuit *Boëtius de Boodt de lap. & gem. c. 189.* qui cochleâ carent, ac in sylvis & subterraneis fusci coloris inveniri solent; in capite lapillum habere dicuntur, qui gestatus quartanam solvere dicitur. Itali plerumque contrà febres tertianas, nothas & quartanas è collo, ità tamen, ut lapillus præcordia tangat, suspendere solent.

10. Nihil ferè tritius est, quàm è Serpentibus lapides extrahi. Coluber fluviatilis teste *Hollerio*, lapidem eructare dicitur, qui adversùs caducum morbum eximiè probatur. Indi sanè & Æthiopes nihil cariùs habere videntur quàm lapides ex capitibus serpentum magnorum, quos Dracones vocant, extractos. In India & regno *Quamsi*, ut *P. Michael Boimus in suâ florâ Sinensi* memorat in quorundam certi generis serpentum (quos *Cobras de Cabelo*, id est, capillatos serpentes Lusitani vocant) capitibus lapis reperitur contrà morsus ibidem à Serpentibus inflictos homini aliàs spatio 24. horarum interituro. *Vide Kircherum in Chinâ illust. part. 2. cap. 5. & Tabulam suprà.*

Lapis in vaccarum stomacho.

11. In Chinæ Provinciâ *Xantung* è vaccarum stomacho lapis educitur lutei coloris, magnitudine subindè ovum anserinum æquans, soliditate Bezoartico cedens, levioris autem substantiæ est, & illo præstantioris virtutis à Medicis judicatur. Habuit ejusmodi lapidem *Kircherus*, ut in *China illustr.* indicat, qui tamen minimè ex terrestri, ut ipsi videtur, substantiâ, compactus fuit, sed potius ex minutissimis herbarum fibris, quæ indigestam hanc molem consumpto succo in stomacho boum convolutum in globum super inducta subfuscâ pelle efformârunt.

Lapides in piscibus.

12. De lapidibus in piscibus reperiri solitis hæc tradit *Cardanus lib. 7. de variet. cap. 37. sunt lapides in multis piscibus, lupo coracino, capitone, umbrinâ, percâ, scorpione, & generaliter piscibus fermè omnibus, qui magno capite præditi sunt; unde etiam ranæ, soleæ, buglosso aliisque pluribus. Cum enim caput magnum sit, frigidum quoque erit & humorem coget diversâ & contrariâ prorsus ratione, quâ in avibus & quadrupedibus lapides ob calorem in renibus generantur. Itaq; & in asellis, glaucisque nascuntur: in ranâ rotundi, in boope pisciculo oblongi, omnes candidi, molles, splendidique.* Ità *Cardanus.*

Lapides in pluribus aliis animalibus.

13. Lapides tandem in pluribus aliis animalibus reperiri solent, ac plerumque magnæ virtutis esse perhibentur, uti sunt *Alectorius* gallorum gallinaceorum, *Chelidonius* hirundinum; *Bufonius* sive *Bufonites* à bufone; *Mergus* indicus lapidem producit magni à barbaris æstimatum. Etiam ex araneis habetur lapis. *Albertus de lapidibus* in cerebro vulturis lapidem inveniri scribit *Quandrinum* nominatum, ac superstitionis nomine infamem. Deferuntur quoque

TYPUS VENARUM
Metallicarum in Fodinis.

profunda
Vena
obliqua
curva
Intervenium
profunda
Intervenium
Vena
Vena dilatata
Vena dilatata
Vena
Vena humilis
Vena

que ex Indiis magni pretii lapides ex *porco spinoso*, seu histrice extracti, optimum febribus propulsandis remedium. Ex *asino sylvestri*, seu onagro lapidem extrahi, proindè *Asinini* nomine insignitum *Ludovicus Dulcis* refert. Animalia quoque, quæ *Zybethi* vocantur, lapidem producunt, seu potiùs liquorem, qui in lacrymam induratus pretiosum odorem, quem *Zybethum* vocant, profert. His denique adnumerandus est lapis, qui ex *hirco-Cervis*, Perfidis & Indiæ extrahitur, vulgò *Bezoar* dictus, de quo vide alios. Atque hæc sufficiant ad demonstrandum non tantùm lapidum miracula, sed & eos ipsos in omnibus penè animantibus dari, ut compertum sit.

CAPUT IX.

Præcipua ac scitu dignior de Metallorum genesi, inventione, naturâ & variis proprietatibus notitia investigatur.



Acturus hoc Capite de Metallis, timeo, ne pro metâ mihi lis obtingat: Tanta equidem, & tam præclara à præstantissimis Authoribus de his jam dicta & scripta sunt, ut brevi compendio vel nihil dici ingenuè possit, vel si quid dicatur, hoc ipsum sit, quod ab aliis longè præclariùs jam dudùm scriptum, dictumque fuerit, adeoque denuò ad incudem reduci minimè debuerit. An igitur curiosus oculus hic se noster obductis palpebris occulere, vel aliò aciem divertere debebit, atque illos abditè reconditos terræ thesauros inspicere non audebit? imò audebit. Nam in Naturæ arcanis pervestigandis curiosum esse nemo vetabit. Sit igitur curiosus, metalla inspiciat, eorundem matrices venas inquirat, differentias discernat, proprietates investiget: Quod etiam ut eò meliùs fieri queat, præprimìs universim & in genere quædam de metallis noscenda præmittimus.

§. I.

De Metallis quędam in genere proponuntur.

Metalla undè dicta. Imprimìs vox ista *Metallum* græca censetur esse, originaliter derivata ἀ μετ᾽ ἄλλα, hoc est, *inventione post alterum*: Quià juxtà *Plinium* inventâ unâ venâ invenitur altera. *Eustadius* ait, *Metallum* sic dictum, quod ejus investigatio sit excogitata post alia vitæ commoda μεταλλᾶν enim idem est, ac *inquirere*. Hebræi à voce *Metil*, quod significat *fundere*, originem traxisse volunt. Est autem Metallum fossile corpus, idemque liquabile, ductile ac solidum, sivè durum, excepto argento vivo, quod fluidum est ac mobile. Duplicis autem generis Metalla communiter statuuntur. Metallorum duo genera. Alia siquidem *perfecta*, seu *vera* metalla dicuntur: Alia imperfecta veris tamen & nativis affinia, quæ communiter *Mineralia* vocantur; licet verò cum metallis eadem habeant principia, sunt tamen imperfecta mixta, quæ scilicet & quantitatis & qualitatis inequalis existunt, adeoque friabilia comperiuntur. Sed de his ampliùs hoc loco nihil agendum.

Species perfectorum metallorum. Perfectorum metallorum species ab aliis plures, ab aliis pauciores recensentur. Videntur autem inter alias de hac re opiniones plus habere probabilitatis duæ: Quarum una septem numerat species, videlicet Aurum, Argentum, Æs sive Cuprum, Ferrum, Stannum, Plumbum, Argentum vivum. Altera tantùm sex, removendo Stannum, eoquòd decernat ipsum esse indiscretam ab aliis speciem duorum scilicet metallorum Argenti & plumbi. Itaque juxtà hujusmodi placita reliqua metalla aut pertinent ad has species, nec majori quàm accidentario discrimine ab iis differunt: Aut non sunt simplicia, sed ex pluribus speciebus conflata, uti Electrum, quod ex auri & argenti permistione coälescit.

De Materiâ Metallorum sententia Aristotelis. De Materiâ porrò undè generantur metalla, variæ sunt opiniones. *Aristoteles* & cum eodem *Peripatetici* eam statuunt esse halitum humidum intrà terræ viscera lapidibus potissimùm inclusum, & ob terræ lapidumque siccitatem ac frigus coägulatum: Ità ut quemadmodum ros & pruina vapore elevato à terrâ, sed aëris circumfusi frigiditate addensato fieri solet, sic metalla ex vapore adhuc terræ insidenti & prædictâ frigiditate concreto generentur. Non tamen constituit *Aristoteles* solum vaporem metallorum materiam, sed halitum ex vapore & exhalatione compositum, in quo tamen prævaleat humiditas vaporis: Ideoque dicit metalla partim esse aquam, partim non aquam, prout coägmentatur ex siccâ spiratione, cujus etiam permixtionis argumentum est, quod metalla igniantur & liquescant: Igniuntur enim propter siccam exhalationem: Liquescunt propter vaporem humidum: Unde & ab his duobus in unam molem concretis, addensatisque gravitatem accipiunt.

Sententia Scaligeri & Agricolæ. Aliter sentiunt *Julius Scaliger* & *Georgius Agricola*, qui materiam metallis generandis aptam dicunt esse terram aquâ permixtam, ità tamen, ut inter hos ipsos dissensio quædam sit; dùm hic arbitratur aquam jam ab aliis elementis affectam, & alteratam in metallis prævalere: Ille verò in iis plus terræ quàm aquæ inesse putat. Est & *Gilgilis* cujusdam Gilgilis. Arabis

Alberti M. Arabis ab *Alberto M.* citati sententia, quâ dicit metalla ex calce & lixivio, sive ex aquâ & cineribus instar vitri conflari. Ipse verò *Albertus* materiam proximam metallorum esse humidum, subtile, unctuosum & viscidum sicco terrestri attenuato optimè permixtum, prout refert *Kircherus in Mund. subt. l. 10. sect. 1. c. 1.* Hic rursùs ibidem asserit Materiam metallo-geneticam aliud nihil esse, quàm vaporem & exhalationem sulphureo-sale-mercurialem, sicut & communiter Chymici pro metallorum materiâ assignant salem, sulphur, & Mercurium, & inter hos aliqui metalla ex terrâ vitriolicâ, sulphure & Mercurio componunt.

Kircheri.

Chymicorum.

Becheri. Inter Recentiores Chymicos D. *Joach. Becherus in Supplem. phys. subt. cap. 2.* concludit, principia metallorum esse *tres terras siccas, & manus non madefacientes*, in vaporem resolubiles, & si conjungantur in substantiam unctuosam, postmodum in metallicam concrescentes; una est alba, quæ dat metalleitatem; altera est rubra, & dat colorem; tertia est sui coloris, & dat corpus. Has verò terras aliud nihil esse dicit, quàm Salem, sulphur & Mercurium. Per salem intelligit omnem terram, lutum, limum, saxum, lapidem, silicem, calcem, arenam, gloream, cùm salia inde constare experientia docuerit. In sulphure se observâsse dicit, quod omnia metalla penetret, essentialiter alteret, & in terram demptâ adustibilitate conversum, ac metallis injectum ea reverâ augmentet, unde & unum ex principiis metallicis conclusit. Observavit denique Mercurium communem metallicis corporibus amicabiliter & sympathicè uniri, ac post sublimationem frequentem abstractionem super metallis & præcipitationem veram alterationem relinquere; undè conclusit esse, in Mercurio terram, quæ metallis sit pro principio, neque enim totum corpus Mercurii pro principio sumi vult, cùm illud decompositum sit, quod etiam de sulphure & sale seu terrâ intelligendum. Plura alia, quæ ad confirmandum, & uberiùs solidandam hanc suam sententiam affert, videri possunt apud eundem loco citato.

Ego porrò de his ità hactenùs relatis sententiis optimè dici posse arbitror cum doctissimo *Du Hamel phys. part. 2. cap. 7.* dùm ait: *In omnibus fortè ratio consentit, oratio pugnat: Et paulò post: qui metalla ex aquæ & terræ exquisitâ mistione prodire volunt, ii communem fossilium, non propriam metallorum materiam asserunt, & eandem arenæ, crystallo, imò & gemmis omnibus tribuunt originem.* Similia habet *lib. 2. fossil. cap. 9.* Utcunque etiam res sit inter Peripateticos & Chymicos, videtur eos de naturâ & generatione metallorum convenire posse: Utrique enim ex duplici potissimùm materiâ, quarum altera humida est, siccior altera, metalla componunt: Illam Chymici Mercurium vel aquam viscosam, hanc sulphur, animam vel tincturam metalli vocitent, nobis perindè est. *Quæcunque itaque sint Metallorum primordia, quæ satis commodè Aristoteles exemplo roris & pruinæ explicat, id multò est verisimillimum,* ut benè ait *Hamelius, ea non tàm altè esse repetenda, neque ex interiori telluris nucleo* (ut voluit *Cartesius*) *in partem Superiorem specie halituum attolli, sed paulatim ea formari ex substantiâ quadam salsâ, quæ in aquâ est exsolubilis, quæque sensim excocta, & digesta non ampliùs aeris vel aquæ reformidat injurias. Rem ità esse multis saltem conjecturis, imò experimentis suaderi utcunque potest.* Sed hæc de materiâ & origine metallorum perfectorum attulisse sufficiat: Qui pleniorem de his doctrinam requirit, tàm præfatorum, quàm aliorum philosophorum scripta consulat. Nos jam ut pro instituto nostro propiùs laboremus, regulas, & observationes Metallo-gnomicas adducamus, undè plura rem metallicam concernentia brevi compendio addisci poterunt.

§. II.

Regulæ & Observationes metallo-gnomicæ de metallis perfectis, eorum locis natalibus, venis, sive fodinis, ac præcipuis quibusdam proprietatibus.

1. Metalla frequentiùs in montibus generantur, quod ibi terra sit rarior & pluribus meatibus pervia, calor etiam acrior ibidem conservetur, nec restagnent aquæ, ut in camporum planitie: Primum autem rudimentum Metalli censetur esse substantia quædam salsa, in aquâ exsolubilis, quæ paulatim excoquitur, neque aëris ampliùs vel aquæ injurias reformidat. Montes præ locis reliquis metalliferi.

2. Metalla, quæ eruuntur ex locis altioribus, plerumque meliora & puriora sunt iis, quæ ex profundioribus terræ visceribus effodiuntur.

3. Regio temperata metallis perficiendis non tàm apta reperitur ac aliæ minùs temperatæ, cum ut vult *Cardanus de. var. l. 4. c. 16.* humor metallo-geneticus nec à Solis calore, qui ibi moderatus est, nec à terrestri, qui non potest cogi, ità probè concoqui possit. Quænam regiones fœcundiores.

4. Ut in fœcundâ regione plures fœcundi agri, ità in feraci metallorum provincia plerique aut saltem complures montes etiam præter spem metalla ferunt.

5. Montes altissimi ut ad perfodiendum sunt difficiliores, ità ad largiendum sunt liberaliores: Raro enim in humilioribus collibus materia metallicè copiosior reperitur.

6. Plerumque montium cacumina, quæ ad Meridiem tendunt radicibus Boream spectantibus argumentum metalli præbent, & maximè argenti, cujus fodinæ feraciores rectâ ex Oriente in Occidentem solent procurrere. Montes metalliferi.

7. Omnes metalliferi montes steriles sunt duabus ex causis potissimùm: Quià scilicet humor intus absumitur, undè plantæ generari nequeunt; deinde acres halitus jam natas etiam plantas occidunt.

8. Insigne indicium venæ latentis esse censetur, si arborum folia tempore verno sint

no sint livida vel subcærulea. Si rami præsertim superiores nigrore aliquo, aut alio colore minus naturali sint infesti. Si stipites bifidi, si rami nigri aut discolores. Hæc namq; omnia efficiunt halitus sicci & calidi qui ne radicib' quidem arborum parcunt, sed eas adurunt, ac ideò infirmas reddunt. Unde etiam ventorum violentiâ hujus modi arbores facilè sternuntur.

Ex Pruina. 9. Utilissimè observantur pruinæ, quibus omnes herbæ candicant, his exceptis, quæ crescunt super Venas metallicas. Venæ enim, quia siccum & calidum exspirant halitum, pruinæ concretionem impediunt. Quò igitur in loco humidiores herbæ non congelantur à pruinis venam subesse indicant, quæ si valde calidum exspirat halitum, fert ea terra humiles planæ herbas, easque colore sublanguido.

Ex flammis cæruleis. 10. Latentis etiam venæ metallicæ haud leve argumentum desumitur ex coruscationibus & cæruleis flammis, quæ identidem terram allambunt; soletq; sulphureus quidam & calidus vapor ex iis locis erumpere, qui facilè percipitur. Nives etiam in eâ regione statim colliquescunt, nec ros concrescit; neque arbores proceræ, vel lata gramina assurgunt: verùm pallidis & tenuioribus foliis sterile & exustum solum comparet.

Ex nivibus

Ex colore montium & lapidum 11. Color quoque montium & lapidum ac terræ non solùm metallica subesse docet, sed & qualia sint. Ita viridis fit ab ære, niger ab argento & auro, purpureus à pyrite, lividus à plumbo & ferro, lucidus à calchanto & similibus succis, cinereus & obscurus à sulphure, ut ait *Card. de subt. l. 5.*

Quomodo odore venæ indagentur. 12. Etiam odore venarum latentium aliquod indicium percipi potest. Cum enim duos ejusdem montis lapides simul attriveris, si metallum subest, sulphuris haud parùm olent.

13. Plures montium rimæ latentis quoque venæ metallicæ præbent indicium, siquidem eæ ab acribus latentium metallorum halitibus originem trahere soleant.

Ex pondere terræ vel lapidum. 14. Eruta terra vel lapides, si solito graviores reperiantur, quàm ratio exigat haud leve metallicæ latentis materiæ præbent argumentum.

15. Sin etiam lapides à quodam loco effossi aliquâ ex parte nimium splendeant, vel etiam solidiores omni splendore careant, metalli subesse materiam significant.

Indicia ab aquis. 16. Aquæ ex montibus atque aliis subterraneis locis effluentes, si odorem quendam & colorem alienum præseferunt: mineræ metalliferæ haud levem afferunt conjecturam.

17. Ex alveorum quoque fundis indicium datur ab evectis unà cum aquis quibusdam particulis metallicis. Vix enim fieri potest, ut longo temporis tractu aliquid semper addente die ex descensu gravioris partis vestigium metalli non compareat.

Indicia venarum ex plantis. 18. Adhæc non desunt plantæ, quæ metallorum societate gaudent, raræ quidem illæ, at quo rariores, eò si adsint, evidentiùs præbent testimonium. Generaliter tales sunt, quæ fructum non edunt, aut exiguum, ut Juniperus humilis, hædera, caprificus, pinaster etiam & aculeatarum pleræq; sunt etiam folia arborum aut pallida, aut decidua & trunci exiles, marcentque omnia.

19. Licet porrò venæ minerales certiùs cognoscantur longâ experientiâ, & exercitio, cum quælibet vena suos singulares habeat lapides, unde dignosci queat: Terra tamen argillacea nigra & tenax plerúq; mineras circum vel sub se habere solet.

20. Venarum metallicarum multiplex solet esse differentia sivè longitudo, sivè latitudo, sivè altitudo spectetur, unde triplex etiam eas denominandi forma resultat ut aliæ sint *profundæ*, aliæ *dilatatæ*, *cumulatæ* aliæ. *Profunda* ex summa telluris superficie in imam ejus sedem descendit. *Dilatata* veluti medium inter terræ superficiem, ejusque profundum sub terra latens in multũ se spatii dilatat. Quæ verò magnam alicujus loci partem occupat in longum & latum ducta, *cumulata* vocatur. Quod autem est medium inter duas venas, *intervenium* nominatur. Rursus profundarum venarum aliquæ passum unum sunt latæ, aliæ duos cubitos: quædam unum; nonnullæ pedem, quas omnes Metallurgi vocant latas, quæ in nonnullis locis subinde usque ad duodecim passus extenduntur; quædam etiam tantummodò latæ sunt palmum unum, aliæ tres digitos vel duos, vel unum, quæ iterũ variè dividuntur, ità ut aliæ sint *rectæ*, aliæ *curvæ*, quædam *obliquæ & tortæ*, aliæ *transversæ & circulares* sicut in figurâ videre licet. Sumitur etiam venarum differentia ex partium mundi situ, ità ut aliquæ ex Oriente in Occidentem quædam contra ex Occidente in Orientem, nonnullæ ex Austro in Boream & contra ex Borea in Austrum extendantur; Aliæ denique intermedias cardinalium punctorum plagas servent. sed de his omnibus fusius tractantem consule Agricolam.

Venarum varia consideratio.

21. Metalla pleràque certis lapidibus adhærescere solent, quos Græci *pyrites*; Arabes dixêre *marcasitas*. Prout autem pyritæ aureo colore asperſi venas aureas; ità pyritæ albicantes minutis miculati granis venas argenteas indicare solent. Quocircà locus, ubi pyrites candidior, rarior, aut minutior observabitur, majorem quoque venarum argenti spem præbebit. Inventâ verò argenti venâ in eruendo tamdiu pergi potest, donec aluminis minera inveniatur, quâ compertâ argentariæ venæ finis notatur.

Indicia ex marcasitis.

22. Cum pyrites spurius in cupreis mineris reperitur signum est etiam tunc ibi dem deficere ac terminari, ut experientia sæpius demonstravit in mineris Hungaricis Schmolnizientib' & Herrengrundianis.

Indicia finientis mineræ.

23. Reperiuntur sæpiùs duo metalla in unâ eâdemq; venâ; quoniam naturaliter quædam portio auri cum argento, & ære mixta reperitur. In plumbo nigro & in ferro exigua argenti portio; Plumbi nigri aliqua pars in argento, & deniq; aliqua ferri portio in ære. Cumq; venæ argenti quãdoque cuprum & plumbum unà continere inveniuntur: ordinariè quanto plùs eæ venæ argen-

Plura metalla in una vena.

næ argenti versus Septentrionem procurrunt; tantò plùs plumbi continere observatum est.

24. Metallum omne pingue est solo Auro excepto: Unde etiam omne metallum præter solum aurum fœdat tangentes, & ignibus absumitur.

25. Quò partes terrestres in metallis cum aquosis seu humidis exquisitiùs permiscentur, eò metallum graviùs exurgit. Nam pauciores & angustiores meatus admittit; hinc ductilitas oritur; quia partes densissimæ exiguæ, & maximè complicatæ in amplissimam superficiem duci possunt. Quapropter aurum cætera metalla & pondere & ductilitate excellit, neque est cremabile, quod partes ejus sint densiores & magis confertæ, quàm ut exhalari queant. Aqua nempe terram, ne comburatur, terra aquam tuetur, ne avolet: neutra alteram deserit, sed arctissimo vinculo stringuntur: humor ductilitatem, terra verò soliditatem præbet.

Odor metallorum. 26. Aurum solum inter metalla bonum spirat odorem licet exiguum; cui succedit Argentum; æs pessimum. Causa est, ut vult *Cardanus de variet. lib. 4. cap. 16. Magnitudo caloris adurentis in auro, quod suavi calore generetur ejus substantia; unde nullus odor malus relinquitur: ob id multorum annorum spatio auri generatio indiget: reliqua breviore omnia conficiuntur. A moderato autem calore parvam duritiem fieri necesse est, atque ob id molle aurum, & quæcunque bene olent, mollia erunt, ut Ambra*

Recrementa metallorum 27. Omnia metalla sua habent recrementa, si Aurũ exceperis quò enim sunt imperfectiora, eò scorias, cum funduntur uberiores præbent. Sic ferrum, cum sit maximè terrestre & impurum, non solùm ubi funditur, sed etiam cum igne emollitur, vel in chalybem expurgatur, scoriam multam egerit. Ità è chalybe cæruleâ effloresscit vulgari longè præstantior. Plumbi scoria mollem & lentam nec fragilem nacta est naturam in aquâ siquidem exsolvitur; quam luteo colore inficit: Argentum cum à venâ purgatur, scoriam tenuem aliquando cæruleam, aliquando nigriorem expellit.

Nitor metallorum. 28. Inter omnia metalla maximè nitet Aurum, inde Argentum, post Æs indè plumbum; Electrum ut Auro minùs ità argento magis parum admodùm Æs cyprium, ac ferrum, tum nigrum plumbum ac reliqua hujus generis. Nam *nitor fit*, ut ait *Cardanus ex humido puro, levi, ac solido, in quo lux colligitur*, multumque reflectitur, ut *in speculis*.

Plantarum metallicarum origo. 29. Plantæ metallicæ, quæ subindè in fodinis reperiuntur, nil aliud sunt, quàm efflorescentiæ, seu exanthemata quædam, non ex vegetabili naturâ orta, sed ex evibratione & radicatione spirituum mineralium ac salinorum infilamenta quædam adinstar ramusculorum difflata; unde non tantùm à naturâ sed & arte facilè produci possunt, ut docet *Kircherus Mund. subt. lib. 12. sect. 5. part. 1. cap. 5.*

Metalla ut dignoscenda in ipsa liquatione. 30. Possunt metalla etiam in ipsâ liquatione dignosci. Nam quò perfectiora sunt, eò magis tument ac in orbem curvantur: Imperfecta verò, sivè ratione aquæ, ut plumbum, sive terræ, ut stannum, cum liquantur, magis subsidunt, nam igni non resistunt, aqueæ nempè partes avolant; terrestres verò in calcem aut scorias abeunt Aurum vero vel Argentum nullum in igne patiuntur dispendium, sed liquata in orbem se gyrant, eoquòd conclusus calor partes eorum extenuare, ac sursùm movere non valeat: Unde in ordem duntaxat circumducit, cessare enim non potest.

31. Reperitur & inter metalla quædam amicitia ac inimicitia: Nam Aurum & Argentum plumbum nigrum diligunt, & cum eo unà liquantur, ac simul commiscetur. Æs verò refugit plumbum. Item tam Aurum, quàm Argentum odit plumbum album sivè stannum. Ità cum plumbum album liquatur, auro & argento supernatat crispante undâ in fornacibus atque sic baculis ferreis solet extrahi. Illud quoque magis, est mirum quod plumbum nigrum argento, dum fusum est, supernatet, quamvis sit gravius. Rationem dat *Cardanus de subtil. l. 6.* quod plumbum licet, dum concretum est, graviùs sit argento dum tamen liquatur, redditur tenuius cum in fumum transire paratum sit, atque perpetuò evanescat. Argentum verò ab igne non absumitur, neq; etiam attenuatur. Si enim attenuaretur, etiam ut absumeretur, prorsùs necesse esset. Amicitia & inimicitia inter metalla.

§. III.

Regulæ & observationes Metallo-gnomicæ de metallis & eorum proprietatibus in specie, ac comprimis de Auro.

1. Viliora metalla, cum in imo terræ magis sint recondita, atq; ea sint plerumq; impura, natura auri liberalis, ac velut prodigia purum illud ac colore proprio magis nitens, nullisque ignibus aut arte indigens in ipsâ superficie collocare consuevit. Auri qualitates & proprietates.

2. Hæc tria sunt Auro peculiaria: non consumi igne, non tingere, & esse tenuissimum.

3. Usu vix atteritur, nec decidua materia manus inquinat.

4. Sui vel alterius coloris lineas alicui corpori non imprimit, nisi coticulæ, sivè lydio lapidi atteratur; tunc enim lineas sui simillimas reddit.

5. Non est sonorum, neque tinnulum; cum poros habeat angustiores, unde & quovis modo percussum nullum aut exiguum edit sonum.

6. Quod si passivæ qualitates auri considerentur: constat imprimis illud ab acribus succis in suâ quantitate nullâ sentire noxam. Passivæ qualitates Auri.

7. Non est fragile quamvis sit molle: quare malleo percussum in bracteolas adeò tenues, argento præsertim substrato, diduci ac dilatari potest, ut color tantùm superesse videatur.

8. Rubigine aut squalore non infestatur, nisi fuerit alteri metallo permistum: tunc enim rubiginem cærulei coloris amœnissimi, qualem pictores Ultramarinum vocant, effundere solet. Rubiginis expers.

9. Si ponderentur internæ qualitates puri Auri; constat Internæ qualitates.

constat igne ità liquari ac fundi, ut nihil prorsùs substantiæ decedat, imò magis inde purificetur, ac splendidiùs evadat, nihilque soliditatis deperdat.

10. Si aurum in aquis acutis, quas Aurifices ad segregandum aurum ab argento præparant, ponatur; in limum minimè solvitur, sed in particulas insensibiles dividitur, quæ siccata aqua pristinæ denuò formæ reuniuntur.

Externæ qualitates auri. 11. Inter qualitates externas auri censenda est meritò gravitas omnium aliorum metallorum gravitatem excedens, cum sicut puritate, sic & pondere eadem superet; deinde calor, qui diutiùs in auro candenti conservatur, nec non & color fulvus ac nitor fulgentissimus.

Aurum purum in parva mole reperitur. 12. Aurum purum non invenitur facilè in magna copia, sed in parvis granulis cum quæ perfectæ sunt, modica eadem cum parvula mole veniant ad perfectionem, & non in magnâ.

Auri ligatio. 13. Aurum non nisi cum argento & ære apprimè ligari potest; cum argento autem liberius, quàm cum aliis quibusvis conjungitur. Hinc mixti auri color citrinus & pallidus: sed ubi expurgatur, majorem accipit rubedinem.

Antipathia auri cum fulgore. 14. Cum sulphure habet aurum maximam antipathiam: si enim sulphureo & fœtido vapore perfusum fuerit; illicò gratum amittit colorem; quamvis postea eodem sulphure in aqua fervefacto unà cum tartaro est modico salis pristinus eidem splendor restitui queat.

cum plumbo. 15. A plumbo pariter gravem offensam: recipit nam fumo plumbi imbutum in pulverem tenuissimum redigitur & interdum odore plumbi adeò rigescit, ut malleo dilatari nequeat. Aurum etiam plumbo purgari solet, cum simul liquefcunt; cum plumbo insit multum humoris, in quem quidquid est sordidum in auro transit, & cum eo vaporabiliter avolat.

Sympathia ejusdem cum Mercurio. 16. Ingens verò Sympathia est inter Aurum & Argentum vivum, cum, ubicunque illud repererit, illicò amplecti, conjungi & couniri videatur.

§. IV.

De Argento.

Argenti loci natales. 1. Argentum concrescit plerumque in lapide cinerei vel grisei coloris, præterea in duro quodam lapide non absimili Tyburtino.

2. Vena argentaria gravis esse solet, & ponderosa lucentibus veluti quibusdam punctis prædita. Luculentum sanè melioris notæ argenti indicium.

3. Quod si argentum inveniatur in lapide candido & plumbeo, tunc maximè appetitur, eoquod à terrestreitate suâ facilè purgatur.

3. Argentum etiam ut plurimùm reperiri solet sociatum marcasitis, seu pyridibus: quantò autem aureo colore plus superbiunt, tantò minus argenti spondent: quanto verò plus ad candidum colorem accedunt, tantò fœcundiorem argenti venam pollicentur.

5. Argentum è fodinis non ità purum, ut aurum colligi solet, sed terra & sordibus adeò permixtum, ut illius depuratio immensum requirat laborem.

6. Argentum purificatum malleo quidem dilatatur, sed minus quàm aurum; cum majorem duritiem & crassitiem habeat. Ejus ductilitas.

7. Diuturno igne diminuitur, & in locis humidis corrumpitur, sicut & rerum acutarum vapore suam aliquando rubiginem exspuit. Diminutio

8. Lineas nigras corporibus imprimit & manus collybo inficit, quod non aliundè, quàm ab impuritate metalli dimanare solet.

9. Amicè sociatur argentum cupro, & magis quàm aliis metallis: imo in excoquendo ab eodem ad majorem puritatem evehitur. Cavendum tamen ne inter excoquendum ab insita eidem commixtâ malignitate totum deperdat, cum vel maximè vires suas in ramentis cupri, quæ commiscentur, exerat. Amicitia.

10. A naturâ porrò abhorret societatem sulphuris, stanni, & ferri, quibus commisceri refugit. Inimicitia.

11. Argentum denique auro & plumbo levius est, siquidem liquefactum illis haud aliter, ac oleum supernatat.

§. V.

De Ære, seu Cupro.

1. Signum venæ æratæ alicubi latentis præcipuum præbent saxa flavi & cærulei coloris; ita fissurarum ac rimarum copia. Causam dat *Kircherus Mund. subt. lib.* 10. *sect.* 4. *cap.* 9. quod Mercurius calore nimio exaltatus lapides intrinsecâ humiditate exsiccet. Unde fissuras rimasq; tanquam continuationis vinculo dissoluto nasci necesse est. Signa venæ æratæ.

2. Ubicunque saxa cærulei coloris in saxo grisei coloris, cum viridi colore venialiadumbrato reperiuntur, certum optimæ & uberrimæ venæ æratæ indicium habetur.

3. Proximum quoque latentis venæ signum est, si pyritis fœturâ saxa resplendeant.

4. Aquæ vitriolatæ ex monte erumpentes subvirescentis coloris, odorisque metallici, quæque fundum putri quâdam viridi, tenui, ac mucosâ materiâ, veluti cuticulâ quâdam obducunt, montem ære prægnantem indicant. Æs regulare.

5. Æs regulare, quod ignis ardoribus à sociis repurgatur, non differt specie à caldario, quod ut obscurius, ità viliùs existit; illud autem colorem auri magis refert, & duci ac fundi faciliùs potest. Hoc fusile quidem est, sed minùs ductile, cum plurimùm habeat terrenæ impuritatis.

6. Magnâ æs & ferrum societate jungitur: Utrumque enim durum est & sonorum, Amicitia æris cum ferro.

rum, vel quod ambo multâ terrâ abundent, vel quod partes habeant densiores. Quocircà acutiùs resonant, ac crebriores edunt vibrationes: ambo etiam adusti sulphuris fuliginem exspirant.

7. Solet æs mixtum stanno fragile reddi, non ductile; quod in ære non est perfectum mixtum humidum terreo, & addito stanno unius humidum alterius terreo non bene uniatur, & solum quasi in globulos coëat.

Ærugo. 8. Æs politum, aquâ vel sanguine madefactum citiùs æruginat imo sale vel aceto, vel urinâ aspersum statim mutatur in viridem æruginē. Hæc enim omnia poros efficiunt laxiores, atque adeò halitus excrementitius faciliùs erumpere & in æruginem concrescere potest.

Variæ species æris. 9. Variæ denique sunt æris species: cum rubro & pleniore induitur colore, tunc *æs cyprium*, vel communi vocabulo *Cuprum* appellatur. Ubi lapidi calaminari vel Cadmiæ fossili admixtum fuerit, dilutiorem auri præfert colorem, & *Orichalcum* vocatur; etsi id quoque fossile inveniri, Author sit *Plinius*. *Corinthicum* dictum est aliud, quod in urbis conflagratione cum diversis metallis permistum fuit. *Æs coronarium* dicitur, quod in tenuissimas diductum bracteolas felle tauri tingitur, atque aurum ipsum colore exprimit: Ex illo quondam Histriones teenbant coronas.

§. VI.

De ferro.

Ferri progeies. 1. Ferrum optimum reputatur, quod ex iis montibus eruitur, ex quibus aquæ frigidæ & gustui haud ingratæ emanant; præsertim si locus salubriori constet aëre.

2. Generatur etiam in candido quodam saxo marmori haud absimili. Invenitur quoque in terrâ flavâ & rubra minerâ ferri in arenam facilè resolubilis, aut etiam instar maltæ mollis, in cujus tamen glebis colligendis tempus & sumptus haud perdendos suadent Metallurgi, cum nihil boni afferant.

Optima gleba mineralis. 3. Cum mineralis gleba reperitur admodùm ponderosa, compacta, à terræ, saxi, cœterorumque metallicorum corporum societate sejuncta coloris pruni perfecta, & unicè desiderata habetur.

4. Quæ verò nescio quem adjunctum splendorem unà cum granosâ substantiâ, quæ digitis facilè in pulverem conteritur, habet; ea passim tanquam malæ venæ indoles reprobatur. Sæpe etiam ex rubricâ, pyrite, ochrâ, sandaracâ, nonnunquam ex argillâ, arenâ, limoque ferrei colloris molli & pingui excoquitur: multi quoque lapides terræ, aliæque misturæ, atque innumeræ rerum formæ terreas quasdam substantias, sivè rudimenta, aut semina quædam ferri continent, quæ spuriæ concretionis indumento ignium vi exutæ in sobolem ferream transmutantur.

5. Gleba etiam mineralis grossioribus referta granis nigri coloris, quæ insuper æs seu cuprum olet, ea passim quoque negligitur. Species tamen minutioribus granis constans pro matricis conditione nunc melior, nunc pejor æstimatur.

6. Martis sidere in cœlestibus infirmato, aut ab inimicis obsesso ferrum apud nos hebetari, & horologiorum trochleas lentescere; econtrà eo bene constituto ferrum rigescere & agilescere tradit. *Hirnhaim de Typho gen. hum. cap. 17.*

7. Candens ferrum admoto sulphure statim liquescit & guttatim decidit, atque ingratum odorem fœtet.

8. Rubiginem citò contrahit, tanquam adusti sulphuris fuliginem quæque tangit corpora, eadem inficit. Rubigo ferri.

9. Cum ferrum recens fuerit à venâ, faciliùs liquatur, atque ita instar aquæ decurrit, sed ubi semel conflatum fuerit; vix funditur.

10. Cum in fusione additur, figit volatabilia, auget fervorem, arcet fugacia.

11. Chalybs præfertur optimus, qui minutissimis granis, ac nitentibus punctulis lucet ferrugine nullâ, nullisque rimis affectus, ferroque levior reperitur. Optimus quoque chalybs è venis perfectè magneticis producitur, qui naturalis dicitur; cum arcte quoque aliàs per multam coctionem fieri soleat. Chalybs optimus.

22. Sunt & vegetabilia ac plantæ, quæ cum ferro habent amicitiam, solentque libenter super mineras ejus crescere. Inter has plantas Isatis potissimum sylvestris ac erytrodanum, sivè lacca ac coccus noster recensentur, quoniam ferreâ quâdam qualitate insignitæ non solùm magneti conservando conferunt, sed & in cineres redactæ, & fornacibus vitrariis inditæ sedimentum quoddam ferrugineum in fundo catini relinquunt. Plantæ amicæ ferro.

13. Adversantur etiam ferro quædam plantæ velut Ozymum. Pariter ferrum cum Mercurio, Auro, & Argento nullo amicitiæ vinculo conjungitur, cum illis difficillimè copuletur, & propterea catinis ferreis officinæ monetariæ nec quidquam prædictorum metallorum adhæsisse unquam observârint. Quænam inimica ferro.

§. VII.

De Stanno seu plumbo albo.

1. Stannum candidum est, fragile, sonorum, leve nec ductile, si plumbo nigro temperetur. Stanni proprietates.

2. Odit metalla omnia, auroque & argento, vel ex centesima parte additum, ea fragilia reddit.

3. Cum in stanno halitus siccus vel sulphur dominetur, oriri ex illa siccitate ejus levitas vel stridulus sonus creditur.

4. Tenuibus partibus constat stannum: Unde fit, ut exiguâ admodùm parte æri admixtum, album ipsi conciliet colorem: quod non contingeret, nisi tenuissimas haberet particulas, quæ magnam æris molem pervagari possent.

5. Cùm

Vasa ænea stanno obducta.

5. Cùm vasa ænea stanno obducuntur, vix eorum pondus augetur: impedit tamen, ne ex vasis æneis ærugo venenata effloreſcat, & ne tam citò liquentur: nam meatus occludit igneis particulis, nevè halitus æruginem facturus clausis meatibus erumpat.

6. Stannum ni plumbo admiſceatur, nullius erit uſûs: plumbum enim, humore ſuo ſtanni ſiccitatem temperat, & viciſſim ſtannum tenuitatem & firmitatem plumbo largitur.

§. VIII.
De Plumbo nigro.

Plumbi natura & genesis.

1. Plumbum nigrum molle eſt colore livido, potiſſimùm in diverſis ſaxis, glebisque terreſtribus ac ſemper ferè cum aliqua auri & argenti mixturâ reperitur, primò quidem in ſaxo quodam ſpongioſo, candido & duro, quod *Columbinum* vocant; cujus indicium dant nigræ quædam maculæ, & grana per lapidis ſuperficiem hinc indè diſſeminata. Subindè quoquè invenitur in lapide rubri vel ferruginei coloris; deindè & in certis terreſtribus glebis.

2. Uti plumbum facili negotio â venis ſuis ſeparatur: ità quoque haud diſſimili labore depuratur.

3. Exiguo igne liqueſcit & funditur, aliisque metallis mixtum facilem quoque fluxum procurat. Mirum eſt, quod & reliqua metalla, dum iis admiſcetur, ne potenti igne ab arſenico comburantur, aut ne cum Mercurio avolent, conſerventur.

Argento & æri admixtum.

4. Cùm argentum & æs ſint metalla arida, ſi plumbum iis admiſceatur, fit ut aquoſitas plumbi illorum ariditati juncta lentore ſuo aquoſo eadem impinguet & faciliùs fluere faciat.

5. Obtuſiorem ſonum etiam reddit plumbum, quocircà etiam mutum metallum vocari conſuevit; quòd in illo humor prævaleat, & partes habeat non multùm implicatas.

6. Si plumbum calcinetur per ignem reverberationis potentiſſimum, vel in ceruſſam redigatur, fit gravius, idquè habet cum coctis lateribus commune.

7. In fornace fumoſam exhalationem emittit, ſub dio verò expoſitum, vel etiam ſub terrâ ſepultum, vaporoſam attrahit ſubſtantiam, atque mole creſcit & pondere.

8. Manus decolorat, ac ſordium & cujusvis halitûs acceſſu creſcit.

9. Nullam contrahere ſolet rubiginem; undè tutò ſub aquis & terrâ ſepelitur.

10. Gemmæ ſordidiores in plumbo fuſo excoctæ etiam longè puriores & ſplendidiores reddi ſolent.

Affinitas cum aliis metallis.

11. Magnam habet cum reliquis metallis affinitatem: illorum enim abſtergit ſordes, cum auro & argento funditur & facilè commiſcetur, ſed quià ignis violentiam ſuſtinere haud valet, recedere compellitur, & unà ſecum quidquid alienum & excrementitium auro vel argento ineſt, aufert, adeò ut neque aurum, neque argentum citrà plumbum expurgari probè queant.

12. Plumbum cùm ſit humidum & molle ablatis per ſales ſordibus atque debitè exſiccatum albedinem, ſiccitatem, & ſtridorem ſtanni conſequitur.

§. IX.
De Mercurio ſivè Argento vivo.

Mercurii deſcriptio

1. Benè deſcribitur Mercurius â *Kirchero in Mund. ſubter. & Art. Magn.* quod ſit liquor mineralis ex aquâ metallicâ viſcidus, terreus, ſulphure exactè contemperatus, ſpirituoſus, frigidus, humidus, albus in maniſeſto: Calidus verò, ſiccus, rubeus & omnicolor in occulto, penetrat metalla quibus adhæret intimè, eaque reſolvit: eſt omnium metallorum materia, ad quorum ſubſtantiam ſicut & ſal requiritur.

2. Etſi reverà diſtinctum ſeparatumque foſſile ſit, aliorum tamen more non conſiſtit, nec durum eſt, ſed potiùs liquor argenti ſpecie, & colore quaquaverſum propriâ & ingenitâ virtute fuſilis.

3. Quamvis liquoris, ut dictum eſt, ſubſtantiam habeat, cœteris tamen omnibus ac ſingulis, excepto ſolo auro, gravior & ponderoſior exiſtit, cùm omnia metalla eidem haud ſecùs ſubereus cortex aquæ innatare ſoleant.

Mercurii venæ quomodo inveniantur.

4. Inter metalla nullum argento vivo excellentius licet invenire: Solerti equidem induſtria, ubi oriatur, facilè deprehenditur: Menſibus Aprilis, ac Maji ſub aurorâ Cœlo ſereno in montibus ſpectantur aſcendentes vapores; cùm advertitur velut nebula non altiùs ſe attoliens, ſed humillima ac quaſi hærens terræ, conjicitur optimè, quod ibidem argenti vivi ſedes ſubſit.

5. Montes & loca, ubi argentum vivum oritur, virere etiam pulchrè ſolent, & fontibus ſcatere, ut meminit *Cardanus*: cùm ejus humiditas iis officere non cenſeatur.

6. Licèt Argentum vivum effuſum in minutiſſimas easque infinitas penè particulas globulares diſſipetur; nullam tamen earum facilè perdere poteſt, ſed univerſæ continuò confluunt, ac ſeſe profundiori loco recolligunt, & denuò in priſtinam unionem, ſocietatemque coëunt.

7. Mercurius Auro commixtus inſtar ceræ mollem facit maſſam, qua illitæ priùs laminæ inaurandæ ignis ope aurum ita iis unitur, ut vix ullâ arte ampliùs ſeparari poſſit: Ipſe enim ubi ignem ſentit, tenues mox evaneſcit in auras.

8. Igne tortus Mercurius miros etiam colores exhibere ſolet.

9. Singulare quoque hoc habet, quod non coäguletur per ſe, ſed cum ſulphure & cum plumbi ſubſtantiâ.

10. Mercurius vitreo aut lapideo vaſe concluſus, ſi non poſſit reſpirare, non ſecùs ac pulvis pyrius (eâdem tamen ratione igni admotus vehementiori) vas diſrumpit, ac tenui calore commovet.

11. Cùm Mercurius calore abactus in clauſo loco fugam meditatur, ſi aureum vas eidem offeratur, mox redit, & in ejusdem amplexum ſe demittit.

12. Libram unam argenti vivi unica liquoris rubicundiſſimi guttula teſte *Sennerto de conſenſu & diſſ. cap.* 2. in aurum *Kellejus* Anglus convertit, tantarum hic pulvis fuit virium, ut uno grano quinque tingeret millia, & uno decem circiter auri puri extraheret uncias.

13. Licet porrò Mercurius ſit graviſſimus & ponderoſiſſimus; exiguo tamen tempore, vel ad ignis tactum in tenuiſſimam, leviſſimam ac fugaciſſimam ſubſtantiam convertitur.

Antipathia Mercurii cum aliis metallis.

14. Antipathiam habet cum omnibus metallis, quæ etiam invadit, penetrat, abſumit, & excedendo deſtruit: Sympathiam verò ad ſolum aurum, nobiliſſimum ſcilicet metallum habet, quod unicè appetit, amplectitur, ac in ſinum ſuum recipit. Eſtque hæc primaria ejus virtus, quod miro quodam conſenſu auro adhæreſcat, illudque promptiſſimè penetret. Atque hæc de Metallis perfectis tam in genere, quàm in ſpecie. Nunc Tabulas ſubjicimus, ex quarum priore facilè principia generationis metallorum juxtà Chymicos, corpus item, fluxus, pondus, ſympathia & antipathia ſingulorum cognoſci poteſt. Secunda verò Tabula exhibet gravitates & magnitudines corporum metallicorum inter ſe comparatas. Dividitur autem in duas triangulares areas ABC & DEF: In quarum primâ ABC ponitur corpus metallicum quodcunque ut 1, & cœtera ad illa in pondere & gravitate comparantur. In ſecundâ Areâ DEF ponitur corpus metallicum ut 100 & reliqua ſecundùm magnitudinem ad illud comparantur. Verùm quia uſus harum tabularum facilè Lectori patere poteſt: de iis plura ſcribere neceſſarium haud judicamus.

TABULA I.

In quâ ſynopticè principia generationis Metallorum juxtà Chymicos, ac quorumvis eorundem Corpus, fluxus, & pondus: item Sympathia ac Antipathia, quam habent tam inter ſe, quàm res alias, unico intuitu facilè videri poſſunt.

Metalla perfecta.	*Principia Generationis Metallorum.*	*Corpus, fluxus & pondus in Gradibus Infimo, medio, ſummo.*	*Sympathia.*	*Antipathia.*
Plubum ♄	*Salis - multum* *Sulphuris - parum* *Mercurii - multum*	*Corpore croſſo medio* *fluxu facili medio* *pondere gravi medio.*	*Cum reliquis metallis præcipuè tamen Auro, & Argento.*	*Ignis violentiam non ſuſtinet.*
Stannum ♃	*Salis - multum* *Sulph. - parum* *Merc. - parum.*	*Corpore croſſo infimo* *fluxu facili infimo* *pondere levi ſummo.*	*Cum plumbo: quo enim admixto tenuius & firmius efficitur.*	*Odit omnia metalla, quibus commixtum fragilitatem adducit.*
Ferrum ♂	*Salis - multum* *Sulph. - multum* *Merc. - parum.*	*Corpore croſſo ſummo* *fluxu difficili ſummo* *pondere levi medio.*	*Amica ſunt æs, magnes; inter vegetabilia Iſatis ſylveſtris, Erythrodanum.*	*Inimica Mercurius, aurum, argentum: inter plantas Ozymum.*
Cuprum ♀	*Salis - parum* *Sulph. - multum* *Merc. - parum.*	*Corpore tenero infimo* *fluxu difficili medio* *pondere levi infimo.*	*Ferrum & Argentum.*	*Mercurius, Sal, Acetum, Urina, Sanguis.*
Mercurius ☿	*Salis - parum* *Sulph. - parum* *Mercur. - multum.*	*Corpore tenero ſummo* *fluxu facili ſummo* *pondere gravi ſummo.*	*Cum ſolo Auro habet amicitiam.*	*Adverſatur reliquis metallis excepto Auro.*
Argentum ☽	*Salis - parum* *Sulph. - multum* *Merc. - multum.*	*Corpore tenero medio* *fluxu difficili infimo* *pondere gravi infimo.*	*Optimè ei convenit Cuprum.*	*Inimica ſunt Stannum ſulphur, loca humida & rerum acutarum vapores.*
Aurum ☉	*Salis - Satis* *Sulph. - Satis* *Merc. - Satis*	*Corpore pulchro* *fluxu puro tenui* *pondere pleno.*	*Amiciſſimè convenit Mercurius.*	*Adverſatur ſulphur, & plumbi fumus.*

TABULA

TABULA II.

In qua Metallorum gravitates & magnitudines inter se comparatæ exhibentur.

Gravitates metallorum inter se comparatæ.	A		F	☉	☽	☿	♀	♂	♃	♄	E	Gravitates & magnitudines Metallorum inter se comparatæ.
	♄	1		100	$54\frac{12}{37}$	$71\frac{3}{7}$	$47\frac{7}{19}$	$42\frac{7}{19}$	$38\frac{18}{19}$	$60\frac{10}{19}$	☉	
	♃	$1\frac{41}{74}$	1		100	$76\frac{8}{37}$	$87\frac{1}{31}$	$77\frac{11}{31}$	$71\frac{19}{31}$	$89\frac{59}{69}$	☽	
	♂	$1\frac{7}{16}$	$1\frac{5}{137}$	1		100	$66\frac{6}{19}$	$58\frac{18}{19}$	$54\frac{10}{19}$	$84\frac{14}{19}$	☿	
	♀	$1\frac{5}{18}$	$1\frac{2}{37}$	$1\frac{1}{8}$	1		100	$88\frac{8}{9}$	$82\frac{2}{9}$	$78\frac{59}{69}$	♀	
	☿	$1\frac{29}{101}$	$1\frac{221}{259}$	$1\frac{30}{56}$	$1\frac{12}{63}$	1		100	$92\frac{1}{2}$	$69\frac{13}{23}$	♂	
	☽	$1\frac{7}{62}$	$1\frac{44}{111}$	$1\frac{7}{24}$	$1\frac{4}{27}$	$1\frac{69}{219}$	1		100	$64\frac{8}{28}$	♃	
	☉	$1\frac{15}{23}$	$2\frac{21}{37}$	$2\frac{3}{8}$	$2\frac{1}{9}$	$1\frac{38}{95}$	$1\frac{26}{31}$	1		100	♄	
	B	♄	♃	♂	♀	☿	☽	☉	C		D	

§. X.

Mirabilia miscellanea de Metallis, eorumque fodinis & mineris ex variis Authoribus.

Æs seminatum in Cypro.

1. Prodidit *Aristoteles*, ut refert *Alexander ab Alexandro Gen. dier. lib. 4. cap. 9.* in Cypro genus quoddam æris gigni auro non absimilis, quod in frusta minutissima concisum agricolæ serunt, mox ad pluviam exoriri & coalescere, & postquàm adoleverit ad justam maturitatem colligi & recondi. Vel quod idem compertum in *Iberia* dicit; pastores quandoquè sylvam incendisse, mox tellure concisâ multùm argenti deliquati effodisse, judicatumque est glebam refertam venulis orichalcum, argentumque educere.

Auri vegetabilis exemplum.

2. Mira sanè res est interdum metalla more vegetantium ex terræ gremio exsurgere, & plantæ figurâ è terrâ progerminare. Ità ex *Aristotele de admirand.* refert *Fortunius Licetus de spontan. vivent. ortu L. 4. cap. 72.* Aurum defossum aut in terram projectum aliquandò excrevisse: nec non ex *Fulgoso lib. 1. cap. 6.* constat *Firmii* in Pannoniâ juxtà vites capreolos verè aureos enatos, ex iisque monetam eximiam fuisse cusam. Memorat & Fournier *Geogr. lib. 11. cap. 10.* propè *Schemnitium*, vulgò *Cremniz*, auream esse fodinam prædivitem, ubi etiam ex vitibus claviculi & folia ex puro auro aliquando sint enata.

Aurum vegetabile instar fili contorti.

3. In Augustissimo S. Cæsar. Majest. cimeliarchio inter alia rariora Naturæ & Artis Aurum vegetabile instar fili contorti è terrâ prognatum, refertur â *D. Philippo Jacobo Sachs â Löwenheimb Ephem. Germ. cur. Dec. 1. Ann. 1. obs. 131.* Hoc aurum obryzum â Rustico quodam, ut *loc. cit.* memoratur, in fluvio *Tartza* propè pagum ejusdem nominis quatuor milliaribus â civitate *Eperies*, in superiore Hungariâ distantem, inventum fuisse dicunt, ponderâsse quoque Unciam ß drachm. ij longitudine verò adæquâsse ferè ulnam.

Arbores auriferæ.

4. Narrat *& Petrus Martyr in rebus Oceanicis Dec. 3. lib. 8. in Insulâ Hispaniolâ* Americæ auri feracissimâ in montibus quibusdam esse arbores habentes vivam Auri venam, quacunquè pateat iter, ê radice per apertas, mollesque scatebras ramos ad superna supercilia montis emittere, nequè unquàm quiescere, donec cœli auram assequantur. Formare ibi viso aëris fulgore bactras, & grumos auri pro fructu animadverterunt.

Palmes aureus.

5. In Galliâ pariter ad Ann. 1602 in Lugdunensi Territorio propè pagum *de S. Martin la plaine*, cùm in vineâ cujusdam Rustici ditissimæ auri mineræ inventæ fuissent, ex erutis particulis unâ hujus auri Virginei ac vegetabilis palmitem aureum gemmas protrudentem extractum fuisse, recenset *Petr. Matthæus in Hist. Gall. T. 2. lib. 5.* additque hunc aureum palmitem, ut magnum Naturæ miraculum Regi *Henrico Magno* cum stupore oblatum fuisse.

Vites aureæ.

6. In citeriori Germaniâ inter Danubium loca etiam esse tradit *Alexander ab Alex. Gen. dier. lib. 4. cap. 9.* in quibus, *nisi contrà frigora & gelu, ac feram sævamque hyemem vites maximâ parte anni sub nivibus humo contectæ jaceant, cum nulla his contra immodica frigora tempestatesque firmitas sit, utpote in tractu gelidissimo prorsus algore inte reant. Eas demùm liquatis nivibus æstate anni ingruente & calore cœli mirificè germinare & frondes geniculatas emittere, sed vini parum effundere: inter que eas nonnullas nescio, quâ cœli temperie seu occultâ & cæcâ origine vites existere peculiari miraculo & admirationis præcipuæ, quæ claviculos & plerumque candicantia folia ex puro auro germinent & simùl coalescant.*

Funiculus aureus in vineâ repertus.

7. Haud ità pridem in vineis Germaniæ circà *Dresdam* ad Albim vinitior ex vineæ cujusdam fertilissimæ terrâ prominentem videns funiculum illum lentè ad aliquot ulnarum longitudinem extraxit, donec disrumperetur funiculus: quod autem extraxerat, aurum obryzum fuisse lapis lydius comprobavit, ut in *Ampelograph. suâ curiosâ L. 1. c. 5. recenset Sachsius.*

Botri aurei.

8. Scribit *Isibordus ab Amelunxen in Breviario rer. memorabil. Anno Chr. 1073* quendam *Ekenricum de Bade Witha* ex Ungariâ reversum attulisse botros aureos, quos nisi *Fridericus* Abbas toti conventui, aliisque

aliisque oſtendiſſet, pro fabulâ habuiſſet. Viditetiam Anno 1651 *D. Matthæus Held* Princ. Sigismundi Ragozi Archiater in arce *Batak* propè *Toccavium* in botris acinos compactis auri atomis ſplendentes Principi oblatos, & *D. Joan. Joach. Becher* in Hungaria vitem ſupra auri venam prognatam teſtatur, cujus truncus non ſolùm aureis velut filis obvolutus fuit, ſed & in quibusdam granis ſeu acinis auri obryzi granula inventa notat in *Metallurg. part. 1. cap. 1.* Similiter *D. Martin. Henr. de Franckenſtein* Phyſicus Eperienſis teſtatur in litteris *ad D. Sachſium* Ann. 1659 ex Ungariâ perſcriptis, ſe poſſidere aliquot acinos circà *Toccavium* inventos auri granis impregnatos. Addit & in iisdem litteris duas ſequentes hiſtorias.

Dentes aurei effoſſi.

9. In Hungaria Nobilis quidam nomine *Walpataky* Vinitorem habuit, qui dum aliquandò laſſus â labore in vineâ ſederet, fortè conſpicit ex terra exurgentem materiam quandam flavam, eandem dum amovere tentat, videt altiùs in terrâ radices egiſſe, & ſolo firmiſſimè adhærere: itaque cum ligone aliquoties percutit iſtam materiam, quæ tamen immobilis permanet, donec tandem multo labore dentem quaſi aureum extrahit, quem ubi Aurifabro monſtraſſet, audit optimum eſſe aurum. Locum hunc Vinitor probè obſervat, & dùm rurſus eò devenit, alium auri dentem videt rurſus progerminâſſe, quem vi denuò detruncat, & hunc laborem toties repetiit, donec ipſi cum Nobili & tandē cum Principe ipſo de jure poſſeſſionis hujus vineæ lis mota fuiſſet, quem proceſſum judicialem ibi locorum fuiſſe notiſſimum præfatus *D. Franckenſtein* atteſtatur.

Funiculus aureus plurium ulnarum.

10. Mirabilis eſt & altera hiſtoria de Ruſtico, ut Idem in præfatis literis recenſet, qui aratro terram vertens ſimul aliquot ulnas aurei fili ex terra extraxit: dum verò ligna poſteà in Urbem Eperienſem veheret, jugum bobus hoc funiculo nectere voluit; & ubi propè Aurifabri ædes moratus eſſet, & ille aurum cognoviſſet, ac quæſiviſſet, undè ruſticus funiculum hunc acquiſiviſſet: Reſpondit ille, inter ſulcandum è terrâ extractum fuiſſe; quod ſi Aurifabro placeret, non refragari, quo filium hoc etiam parvo pretio ſuſciperet: quod & Aurifaber præſtitit, rogavitquè, ut impoſterum ſimilis telæ fila apportaret, quod ruſticus quidem promiſit, vanâ tamen ſpe, cùm non reverteretur, Aurifabrum eluſit. Hæc *D. Sachſio Franckenſteinius.*

Nativum filum aureum.

11. Præter vitem etiam alias arbores metalliferas enarrat *Joannes Chryſoſt. Magenius in Democrit. Rediv.* juxtà aurifodinas *in Monomotapa* auri ramentis inſignes. In Sileſiâ denuò addit *D. Sachſius Ephem. Germ. Decur. 1. Ann. 1. obſ. 131.* paucis abhinc annis ad fines Moraviæ circà *Oppavium* filum aureum cum propriâ radice â Ruſtico è terrâ germinans inventum fuiſſe non contemnendi ponderis, dùm agros foderet & aratro verteret.

Aurum in ventriculis perdicum.

12. *Picus Mirandulan.* narrat ſuis temporibus aurum in ventriculis perdicum fuiſſe inventum: verùm ut benè *Kircherus in Mund. ſubt.* ait, nil mirum eſt, *quis enim neſcit gallinas, perdices, anates, ſimilesque volucres nil magis appetere quàm metallica corpora?*

Dentes caprarum aurei.

13. Narrant, ut *Idem Kircherus* meminit *ejusd. operis lib. 10. ſect. 4. cap. 4.* in montibus Cretæ capras, *ibices* nuncupatas, fuiſſe viſas, quarum dentes aureo colore erant ſuffuſi in illâ potiſſimum parte, qua herbas vellebant, quod haud dubiè ex ſpirituum auriferorum tincturâ, quâ herbæ imbuebantur, accidit.

Aurum in cerebro humano repertum.

14. In humano quoque cranio inventum eſſe aurum *Albertus M.* refert: quod ſi verum eſt, aliunde non accidit, niſi ex halitibus, qui dum eliquabatur aurum, in cranium exhalatis, atque haud ſecus ibidem, ac hydrargyron in cerebro coägulatis.

Dens aureus puero enatus.

15. Puero cuidam ſuccreviſſe dentem aureum aliquandò notat *Fournier Geograph. lib. 11. cap. 10.* in Hungaria: filium verò Molitoris cujusdam fuiſſe recenſet *noſter Hirnheim de Typho gen. hum. cap. 10.* aſſeritque dentem illum aureum in inferiori maxillâ ſiniſtræ partis enatum fuiſſe. Anno verò 1594 ut habet *Nemo peregrinus, Weichſeldorffi* in Sileſiâ puero ſeptenni natus eſt dens multis teſtibus comprobatus aureus.

Minera cum filamentis aureis & argenteis.

16. Pretioſam mineram, ubi argentum purum in filamenta ſua efflorescens cernitur, & flavum quod in eo ſplendet, puriſſimum eſt aurum, quod verò nigricat, argentum eſt auro permixtum, ex Hungaria ſibi transmiſſam in figurâ exhibet *Kircherus Mund. ſubterran. lib. 10. ſect. 3. cap. 1.*

Aurum nativum eximia quantitate.

17. Quamvis nativum aurum vegetabile optimum parvâ aliàs in quantitate reperiatur. Narrat tamen *Franciſcus Doviedo in ſua de novo Regno* hiſtoriâ in Hiſpaniola inventam aliquandò fuiſſe puram putam auri maſſam 3600 Reales ponderantem.

Aurum in vegetabile in formam arboris.

18. Paucis ab hinc annis, ut recenſet *Joan. Bapt. Tavernier*, Grandis Mogor in *Indoſtan* â Rege Abyſſinorum inter alias raritates transmiſſas donoque oblatas etiam obtinuit aurum vegetabile optimum enatum in formâ arboris, cujus altitudo fuit duorum pedum & 4 pollicum, trunci verò craſſities 5 aut 6 pollicum. Rami in hac arbore ſpectabantur propè 12, quorum aliqui longiores ad dimidium pedem protendebantur, aliqui verò breviores, quidam etiam ex longioribus exaſperabantur ac tandem in grumum nodularem convolvebantur. Neque caruit hæc arbor mineralis nativa ſuis pariter aureis radicibus, vix tamen ultra 5 pollices longis.

Auri mira ductilitas.

19. Admirabilis planè eſt ductilitas auri præ omnibus aliis metallis, usquè adeò, ut tertia pars grani *Cardano* docente *de variet.* extendi poſſit in filum longitudinis 134 pedum, & unica auri unica in eam tenuitatem & ſubtilitatem malleo duci poſſit, ut decem terræ jugera tegere queat. Lege etiam *Kenelmum* Digbæum in diſcurſu de Sympath. *Stephanus Chauvinus in Lexico*

Lexico Philosophico, maximam auri ductilitatem bracteatoribus potissimùm notam ità ex iisdem designat. Ex auri, inquit, unciâ unicâ bracteas 2790 quadratas præcisas efficiunt, quælibet lateraliter duos pollices & decem lineas habet; imò deducta hinc, quam vocant, præcisione, ob præsegmina, quæ ad mediam partem propè accedunt, superficies cujusque bracteæ continet 1156 lineas quadratas, ità ut omnes simul junctæ & lateraliter ad invicem unitæ efficiant superficiem linearum quadratarum 3155088. Si his tertia tantùm pars hujus quantitatis addatur pro decessione factâ, sequetur Bractearios Artifices ex unciâ unicâ auri cudere 4207840 linearum quadratarum. Quanquam tamen hæc auri in laminas divisio stupenda est, longè tamen est inferior ei, quam instituunt auri in fila ductores, ejus enim unicum granum in fila deductum quadringentis pedibus coëxtendi potest, atque adeò unica uncia pedibus ducenties tricies mille & quadringentis, adeò, ut si in bracteas diducatur, decem jugera coöperire posse quidam sunt, qui referunt. Ità *Chauvinus*.

Marcasita ♀ instar arboris.

20. Marcasitam Veneris instar arboris enatam observavit *D. Hermann. Nicolaus Grimm*, ut refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 3. obs. 39.* cùm nempè promontorium *Bonæ Spei* transiisset, quæ erat extùs rubea & flava, intùs verò pulchrè viridescentibus, cæruleisque floribus consita atque orta in loco limoso, pingui & humido ulnæ unius cum dimidiâ longitudinem adæquans.

Peru & Potosina regio auri & argenti feracissima.

21. In toto terrarum orbe nullus hucusque locus inventus est, qui majorem auri argentique copiam præbuerit, quàm illa Americæ pars, quam *Novum Regnum Peru*, & *Potosinam* Coloniam vocant. Nam ut *Acosta lib. 4. cap. 4.* narrat; indigenas in *Peru* vasis aureis, trullis, pateris, cyathis, lagenis & hydriis prægrandibus etiam minimè contentos, sellas etiam & vehicula integra ex auro fabricari curâsse: Idolorum simulacra ex puro & obryzo auro fecisse. *Pizzarrus* quoque postquam *Atabalipam* superâsset, dicitur tantùm in Gazophylacio Regis auri invenisse, ut inter laminarum aurearum longo ordine per strues dispositarum congeriem ad earum altitudinem vix gladio extento pertingere posset, jumentorum ungulis non ferreas, sed aureas soleas subderent. *Ortelius in Theatro Orb. ad Gabr. Peru* memorat, *Atabalipam* Hispanis pro suâ redemptione obtulisse tantum auri, quantum locus, quo ipse captivus detinebatur, capere posset. Erat autem hic viginti duos pedes longus, septendecim latus: hunc implere promittebat in eam altitudinem, quam ipse erecto brachio, ejusq; ultimo digito pertingere posset; aut si mallent, eandem bis argento ad summum usque tectum replere cupiebat. Negotialis etiam libellionis Acta teste *Fournier lib. 7. Geogr. cap. 15.* referunt ab Anno 1519 ad Annum 1617. è novo orbe advectos 1536 auri milliones.

Domus auro tectæ.

22. Asserit *Majolus in Colloq.* in *Colao* Provincia domus auro contegi aureis filis velut paleâ contectis. Sed omnes domus, ut inquit, in hoc genere præcellit illa, quæ in Insulâ fluminis ibi ædificata est, cujus trabes, tecta, pavimentum, & muri aureis laminis tegebantur. Numerabantur in eadem Urbe viginti domus, quarum quæque interiùs auro tecta visebatur. Erat verò ipsius *Atabalipæ* Regis Thesaurus ingens, adeò ut tres domus aureæ glebæ massæque rudis impleverint. Numerabantur etiam in aliis quinque domibus centies mille auri laminæ, quarum singulæ quinquaginta aureis æstimatæ.

23. Hispaniam metallis prædivitem etiam memorant omnes Geographi. Fodinas ibidem numerari propè 500 notat *Fournier Geogr. lib. 7. cap. 1.* Ex quibus Phœnices tantam aliquandò copiam argenti exportârunt, ut cum navibus onustis adhuc superesset, anchoras ex ipso conflaverint.

Hispania metallifera.

24. Tradit *Girana*, circà *Quito* in America aurifodinas esse, undè plùs auri, quàm terterræ effodiatur. Incolas etiam *Anhermæ* Provinciæ ab imo calcaneo ad cervicem auro ad prœlia armari, loricas, thoraces, tibialia omnia ex auro ab ipsis fabricari.

Aurifodinæ Quitenses.

25. In Arabia aurum effoditur *Diodoro* referente *lib. 2. cap. 12.* quod igne non decoquitur, ut apud alios consuevit; sed è vestigio effossum, colore ità est lucido, ut pretiosos lapides ab Artificibus auro inclusos reddat splendidissimos.

Auri lucidissimi effossio.

26. *Caspar Baldus* maxima vasa ex argento apud Indos observavit, ex quibus Elephantum pedes lavabant in aulâ Regis. *Etruscus* Civis Romanus thermas ex argento possedit, de quibus *Statius*:

- - - *Argento felix propellitur unda*
Argentoq; cadit.

27. In *Aulâ Soteris* Antiochi omnia coquinæ instrumenta argentea fuisse dicuntur, sicut & in Hispaniâ Tuditanâ præsepia argentea notat *Strabo*.

Culinæ instrumenta argentea.

28. Incredibilis ferè nisi sacris literis assereretur, videtur esse abundantia illa auri & argenti (taceo æris & ferri copiam) quam unicus in Judæa Rex *David* ad fabricam templi, quo exciperetur Arca, congessit. Auri scilicet talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, ut ipse memorat *1. Paral. cap. 22.* quibus adduntur *cap. 29.* tria millia talenta auri de *Ophir* & septem millia argenti: ità ut summa aurea à Rege *Davide* congesta pro templo accedat ad centum octo millia talenta auri; Argenti verò summa decies centena millia & septendecim millia talentorum conficiat, quæ summa si reducatur ad computum Romanum hodiernum, ut vult *Baro in Nat. mirac. areâ 12. §. 4.* aurum solum efficiet sexcentos tres milliones aureorum, insuper octingenta duodecim millia trecentos sexaginta quinque. Argentum verò conficiet mille ducentos octo milliones centum nonaginta sex millia aureorum. Si tandem utraque summa in unam rursus colligatur, evenient bis mille octingenti & duodecim milliones, adhuc & octo millia aureorum trecenti septuaginta quinque. Atque hoc quidem juxtà humiliorem computum Talenti veterum cum

Auri & argenti copia à Davide pro Templi fabricâ congesta.

Summa Auri 603812365

Summa Argenti 1208196000

Summa totalis 2812008352

cum ære Romano hodierno: nam juxtà alias rationes illa 108000 talenta auri, & 1017000 talenta argenti faciunt 327772158 aureorum summam tantam, quam vix tota Europa in numerabili pecuniâ utriusque metalli obtinet. Has divitias *Davidis* perpendens *Budæus*, ejus opes, ait, decies fuisse majores opibus Darianis. Ejus quoque sepulchro *Salomon* filius magnas intulit opes. Quod indè colligi potest, teste *Josepho lib. 8. Antiq. cap. ult.* quod post 1300 annos, cùm *Hircanus* Pontifex *Antiochum Pium* cognomine, qui Hierosolymam obsederat, pactâ mercede ab obsidione revocare vellet, aperuit unum loculum sepulchri Davidici, & tribus millibus talentorum repertis partem dedit *Antiocho*; Multò post *Herodes* Rex alium loculum aperiens plurimas opes reperiit.

Immensæ Salomonis divitiæ. 29. Fuerunt & ingentes divitiæ *Salomonis*, ut testatur *Liber 3. Reg. cap. 5.* ubi scriptum est: *Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis, quia classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annnos ibat in Tharsis deferens indè aurum & argentum.* Et paulò post: *Fecitq; ut tanta esset abundantia auri & argenti in Hierusalem, quanta & lapidum.* Ex impensis etiam in Templi sui fabricam conjici possunt immensæ illius opes: Impendit enim in Templi sui columnas & vasa aurea quadragies sexies centena millia; argenti verò ad clavos & alia instrumenta mille ducenta & triginta duo talenta; æris verò in columnis, fornicibus & cœteris talenta octodecim millia. Sacris quoque literis proditum est, decem millia talenta auri, totidem, & ampliùs argenti ab eo possessa. Ex quibus omnibus ingentes illius divitiæ colligi possunt.

Æs lucidum instar auri. 30. Apud Indos, teste *Aristotele in moral.* æs adeò lucidum & purum, necnon rubigine carens invenitur, ut neque colore distet ab auro. Sed & in *Darii* poculis cados nonnullos inveniri scribit Idem, qui nec alio pacto, quàm odore æenei, an aurei sint, internosci possint. Inter relata etiam ex Babylone memorantur *I. Esdr. cap. 8.* duo vasa æris, quæ pulchritudine aurum æquabant.

Imago Christi crucifixi argentea nativa. 31. Ex puro puto argento à Naturâ in visceribus terræ formatam iconem Christi Domini Crucifixi cum Virginis Matris effigie repertam fuisse testatur *Oswaldus Grembs in Arbor. homin. lib. 1. cap. 7. sect. 5. §. 18.*

ImagoDeiparæ in ferri minerâ expressa. 32. Admiratione dignissimum est, quod refertur *Ephem. Nat. Cur. Dec. 1. Ann. 1. obs. 113.* de imagine Beatissimæ Virginis Deiparæ cum filiolo Salvatore in minerâ ferri expressâ, recenter inventâ, his verbis: *Elapso Anni 1669. curriculo metalli fossor quidam ferrifodinarum Innerbergensium Simon Weißenbacher 13 annorum edixerat, se octavo mense Octob. hora 10 matut. in fossâ suâ S. Dorotheæ nomine indigitatâ* im Hinderfahrt *bujus montis* Innenbergs *quoddam mineræ ferreæ frustum duarum circiter librarum pondere in profunditate unius & mediæ orgiæ ex improviso reperisse, quod more solito malleo fossore percussum in duas prosiliit partes, quarum major parte avulsâ superiùs eminente rari quid alere videbatur: Undè advocato vicino socio nomine Balthasare Millauer eidem inquit: En mineræ hujus facies B. Virginem refert. Inspectâ itaq; & alterâ parte eidem quoq; simulacrum hoc impressum invenit, id quod minimè observâsset, si & major pars uti & minor figura illa inscripta terram spectâsset, verùm unà cum aliis intactam reliquisset hanc mineram. Binæ hæ mineræ deindè S. Cæsar. Majest. fodinarum Commissariis oblatæ fuerunt.* Extractum ex Actis ferrifodinarum 13. Octob. 1669.

33. Metalla quævis in suâ nativâ venâ mirificas sæpè recipere formas & figuras arborum, piscium, ungularum, capillorum, integrorum animalium docet *Keckermannus ex Münstero in Cosmographia.* Præ reliquis omnibus autem inquit, argentum est mirabile, ut docet gravissimus rei metallicæ Scriptor *G. Agricola lib. 10. de nat. fossil.* ubi inter alia inquit: *Vidimus parvam Viri statuam, qui infantem humeris suis sustinebat, ex argento à Naturâ factam, non ab arte effictam.* Ea quondam *Schonbergæ* ex fructuosissimâ & celeberrimâ argentifodinâ, cui imposuerunt nomen *Georgii*, effossa fuit.

34. In *Javâ* majore herbam dari scribit *Hirnheim de Typho Gen. hum. cap. 10.* cujus medulla sit ferrea ab imo usque ad summum; fructum quoque gignere ferro impenetrabilem. Herba, cujus medulla ferrea.

35. In *Hyberniâ* lacum esse scribit *Fournier Geogr. Orb. not. lib. 5. cap. 6.* in quem si immittatur hasta, immissaque aliquamdiu permittatur; quæ pars hærebit in solo aquis subjecto, ferri naturam induet; quæ verò aquis immersa est, saxea evadet; quæ extat, lignea permanebit. Lacus immersa commutans.

36. Oculatus testis est *D. Jo. Caspar. Westphalus* ligni querni in metallum & vitriolum transmutati, prout Collegio Curiosorum Germaniæ communicavit, & refertur *Ephem. Dec. 2. An. 8. observ. 217.* his verbis: *Cùm Anno superiori 1689. Molda fluvius propè Bitterfeldum limites suos transcenderet, fractâq; simul glacie agros adjacentes undique inundaret; non procul à vico Pouch, ubi Illustrissimus Comes de Solmez & Nobilis quidam de Rabiel resident, ingentia frusta quercini ligni cortice suo adhuc dotata, exq; hoc facilè cognoscibilia in metallum tantæ duritiei transmutata reperiebantur, ut mediantibus his collisione cum chalybe factâ promptè ignis elici potuerit. Non superficietenùs pariter transmutatum est hoc lignum, aut crustâ saltem lapideâ obductum, sed potiùs intùs & extrà verè immutatum Minerale hoc quercinum, si tempore vernali, aut Autumnali per paucas septimanas aëri libero exponatur, simili modo ac minera Martis Solaris in vitriolum, Martis vitriolo quoad saporem, ut ovum ovo simile, imò simillimum fatiscit.* Ligni querni in metallum & vitriolum commutatio.

37. In ferrifodinis, aut locis ferri minerâ fœtis mirabiles sæpè fructus aliasque res in ferream substantiam conversas reperiri multorum constat testimonio. Ità *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 7. obs. 1.* Describitur ferreus fructus juglandis fortuitò & Naturæ casu ità affabrè in terrâ natus, ut nucem juglandem per dimidium apertam cum suo nucleo emicante exquisitissimè repræsentet. Res variæ in ferrum conversæ.

Fit

Fit etiam ibidem mentio ostreæ ferreæ Clivis Anno 1666 propè fontem *La fontaine* dictum repertæ. Hæc constabat ex utrâque testâ, dùm primùm reperta fuit; Verùm dum indè per crebriores contusiones, ut aperiretur nucleus ejus inquisitus fuit; Melior testa rupta & confracta fuit; ipse verò nucleus ochram obscuriorem, pictoribus umbram dictam arctè alterutri testæ adhærentem præbuit. Pars autem exterior multis lapillis & arenulis obsita fuit. De Mineris ferri mirabilibus sub diversis figuris lapidum scilicet, leguminum testaceorum marinorum, fructuum exoticorum atq; confectionum consule *Ephem. Germ. Cur. Decur. 2. Ann. 8. obs. 149.*

Ferrum in nativo loco igne indomabile. 38. In Insulâ *Palmosâ* circà Oram *Tusciæ* ferrum quidem nasci perhibetur, quod nullâ tamen ratione ibidem excoqui & in massas redigi valet: effossum verò si ad continentem vehatur, nullo negotio excoqui, & in massas redigi potest. *Hirnheim de Typho. cap. 10.*

39. In *Dalecarliâ* ferrum aquâ mutari in præstantissimum æs notat *Fournier Geog. orb. Not. lib. 2. cap. 13.*

Minera chalybis undè pannus effici tur, igne incombustibilis. 40. De Minerâ chalybis, undè pannus effici potest, qui fit incombustibilis, *Marcus Paulus Venetus lib. 1. itiner. sui cap. 47.* hæc tradit: *Est in provinciâ Chinchin (quod est Tartariæ regnum) mons, in quo inveniuntur mineræ chalybis & Salamandræ, de hac fit pannus, qui in ignem projectus non comburitur. Fit autem pannus ille de terrâ in hunc modum, uti quidam è sociis meis Vir singulari præditus industriâ curiosior nomine Turcus, me edocuit, qui in Provinciâ dictâ Mineralium operi præfuit. Invenitur in monte illo minera quædam terræ, quæ fila producit lanæ haud dissimilia, & hæc ad Solem consiccata in mortario æneo conteruntur, deinde lavantur, & quidquid terrarum illis adhæserit, submovetur; demum illa fila purgantur, & attenuata, ut alia lana, nentur, atque in pannum contexuntur, & quando pannos illos volunt dealbare, projiciunt eos ad horam integram in ignem, & tunc ex flammis illæsi educuntur nive candidiores, haud secùs purgant eos, si maculas aliquas contraxerint, nam alia præter ignem lotura illis non adhibetur.* Hæc illæ. Verùm quæ hic Author de minerâ chalybis refert, Ego potiùs de Asbesto, sive Amianto lapide intelligenda puto, qui instar lini filari & texi potest. Undè deindè non tantùm pannus igne incombustibilis, sed & charta effici potest, quæ literis exarata mox, ut in ignem conjecta fuerit, consumpto rursum atramento tota candida novis inscribendis literis apta educi potest.

Ex limo effosso, ubi ferrum paretur. 41. Teste *Joan. Matthesio in Sareptâ sive concionibus metallicis* loca nonnulla palustria in Misnia reperiuntur constantia limo quodam aquoso, ex quo intrà quatuor aut quinque annos ad Solem velut ematurato, & in officinam metallicam delato expeditè paratur ferrum probatissimum. Sic & in Sueciâ certissimum est, ut inquit *Keckermannus system. phys. lib. 5. cap. 4.* multis locis limum quendam rubentem ex palustribus locis extrahi, à quo optimum ferrum paratur, ubi unico saltem anno à solaribus radiis limus iste percoctus fuerit, Mirabile & hoc addit: *Si profundiùs fodiant, quo scilicet solares radii ità efficaciter penetrare non potuerunt, haud reperiunt limum ejusmodi, qui in ferrum continuò transeat, ut prior iste.*

42. Scribit *Picus Mirandulanus* suis temporibus accidisse, quod argentum vivum cum plerisque aliis rebus pro Equi medicinâ permixtum in purum argentum fuerit transmutatum. Argenti vivi in purum argentum mutatio.

43. Narrant in osse Calvariæ mulieris, quæ jam biennio ex capitis dolore mortua fuerat, ne quidquam agentibus medicis inventum argentum vivum pondere duarum unciarum. *Nempè colligebatur sensim*, ut inquit *Card. de subt. lib. de Mystis in cerebro, cùm quotidiè fuco uteretur ob humidum, quod sicco cogitur. Fribergæ* in Misniæ civitate in metallicorum pulmonibus ex ipsa inventa sæpè metalla fuisse dicunt, in quibus fodiendis laboraverunt vivi: Causa attractis metallicis spiritibus assignatur. Argentum vivum in Calvaria repertum.

44. Seplasiarius quidam, ut memorat *Matthiolus in lib. 6. Dioscor. ex Conciliatore*, cùm ardentissimâ febre correptus siti intollerabili vexaretur, & delirio oberrans in pharmacopolium descendisset, ut aliquid ad potandum inveniret: fortè fortuna in argenti vivi vas incidit, multùmque ex eo potavit, aquæ fortassè vice: posteà statim in suum cubiculum se recepit, ubi paucis post horis congelatus interiit. At cùm ejus domestici sub cadavere magnam argenti vivi quantitatem invenissent jam per sedem egressi; advenerunt Medicos, ut ejus rei, quam miraculum existimabant, diligenter causam investigarent, ii statim ex pharmacopolio argenti vivi vas adferri jusserunt. Quod ubi ferè vacuum reperissent, rem, uti se habuerat, deprehenderunt: auxitque fidem, quod eviscerato homine adhuc argenti vivi libram in ejus ventriculo invenerunt, quin & sanguinem circà cor concretum. Ità *Matthiolus.* Argenti vivi potus noxius.

45. Ludicrum etiam atque mirabile est, quod de Mercurio innoxiè non tantùm poto, verùm ad salutem & vitæ tutelam collato decantatur ab *Ausonio* his versibus: Argentum vivum fit antidotum.

Toxica Zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum;
Miscuit argenti lethalia pondera vivi,
Cogeret, ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum:
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergò inter sese, dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ
Protinus, & noxios alvi petiêre recessus
Lubrica dejectis, qua via nota cibis.
Quàm pia cura Deûm! prodest crudelior uxor,
Et cùm fata volunt, bina venena juvant.

46. De

Argentum vivum Cœlo delapsum.

46. De Cœlo delapsum nonnunquam Argentum vivum diligentissimè observavit *Guil. Arrogosius* referente *Jac. Zwing. Medico Basil. in examine princ. chym.* Cum nebulâ descendisse currentem Mercurium circa medium Maji Anno 1672 testatur *Balduinus Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 5.* Tantùm de Metallis, eorumque mineris & fodinis.

CAPUT X.

De Igne Geocosmico, ejus Activitate, Proprietatibus & Miraculis.



Gnis, ut quidam volunt, derivatur ab *In* & *gigno*, quasi nihil gignat, ut etiam notat *Ovidius* canens:

Nataque de flamma corpora nulla vides.

Varroni tamen rectiùs à *gignendo*, ignem dici placuit, quod per eum omnia gignantur & producantur. Est autem Ignis è quatuor Peripateticorum Elementis unum maximè naturâ suâ efficax, & activum, Tyrannus quasi & domitor cœterorum; præter omnium etiam morem seipsum aggrediens & impetens, materiamque suam absumens. Stricta solvit, soluta stringit, dura mollit, mollia durat, ubique latet & ubique patet, ubivis sese explicat, ut benè etiam cecinit *Manilius in Astronomicis* his versibus:

Sunt autem cunctis permisti partibus ignes,
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes,
Et penetrant terras, Ætnæq; minantur Olympo,
Et calidas reddunt ipsis in fontibus undas.

Ignis præterea inter alia elementa & naturâ & hujus operatione censetur dignior, ideoq; dictus est à Veteribus *Magister artium*: igne ferrum gignitur, & domatur, igne excoquitur aurum, præparatur, perficitur & purificatur: igne metalla omnia liquescunt, alterantur, & permutantur. Ejus tandem locus est in alto supra reliqua Elementa, quod suadere videtur flammæ ab igne volatilis in illum locum conatus. Est enim idem locus totius & partis, ut rectè denuò *Manilius lib. 1. Astron.* canit:

Ignis ad æthereas volucer se sustulit auras,
Summaque complectens stellantis lumina Mundi,
Flammarum vallo Naturæ mœnia fecit.

Triplex autem à *Platone in Timæo* distinguitur ignis. Primus est, qui in corpore ignito, putà ferro candente, vel carbone vivo reperitur. Secundus dicitur flamma, estque urens & lucens. Tertius ignis est, qui lucet, at non urit, qualis est lux Solis & stellarum; radii tamen hujus collecti, ut experientia constat, ignem producere valent. Alius adhùc ignis artificialis est, qui certarum rerum collisione excitatur: est insuper ignis subterraneus, qui in terræ gremio latet, hicque à *Kirchero in Mund subterr. lib. 6. sect. 1. cap. 1.* describitur *Portio ignis elementaris non puri, sed variâ combustibilium rerum miscellâ contaminati intrà terræ cavernas, seu pyrophylacia à Deo Opt. Max. ab ipso Mundi exordio ad sublunaris Naturæ tutelam, conservationem & rerum omnium proventum conclusa.* Alius denique ignis est, qui in mixto quovis corpore consideratur à Philosophis, isque tàm potentialis, quàm actualis. Sed his ità præmissis nunc Ignis ergasteria penitiùs perlustremus.

§. I.

Regulæ & Observationes pyrognomicæ.

1. Ignis elementum inter reliqua elementa obtinet meritò principatum, tùm quia de se & ex Naturâ suâ ignis natus est super alia elementa efferri, & altiorem semper appetit locum, tùm quia vim & qualitatem habet summè activam, aliisque præcellentem calorem. *Bodinus in theatr. Nat. lib. 2.* Ignem dicit omnium Elementorum efficacissimum ac violentissimum, quippè nunquam, ut ait, à suâ Naturâ mutari patitur, nisi penitus extinguatur, cùm cœtera Elementa sine interitu mutari, ut terra madefieri, aër & aqua rarefieri possint. — Ignis Elementum aliis præcellentius.

2. Forma ignis, ut docet Clariss. *Thomas Willis de ferment. cap. 10.* dependet à particulis sulphureis in subjecto quopiam agglomeratis & confertim erumpentibus. Undè secundùm Eundem Ignis nihil est aliud, quàm ejusmodi particularum impetuosiùs concitarum motus & eruptio. Sive autem ejusmodi particulas quis sulphureas, aut igneas; sive cum Epicureis atomos, aut cum aliis corpuscula ignea vel sulphurea nominet, parùm interest. — Ignis forma. Ignis quid sit.

3. Quod olim Philosophi de materia primâ, ferè idem pronuntiari potest de igne, ut etiam innuit *Willis ibidem*; quod nimirum potentialiter sit ubiq; & in omnibus, verùm actu in nullis. Etenim ut Idem Doctiss. Author meminit, inter hæc sublunaria ignis ex sua naturâ nullibi existentiam aut certum durationis modum obtinet; in quolibet ferè subjecto producitur, verùm in nullo diu retinetur, quia brevi evanescit & exspirat: imò nisi quod externa quædam accidentia ad ejus productionem sæpè concurrerent, putat Idem *Willis*, quod in terrarum Orbe vix omninò superesset. — Ignis potentialiter ubique.

4. Ignis tum ardere censetur, cùm illius effluvia, ut inquit *Du Hamel de consensu vet. & nov. phil. l. 3. c. 2.* motu celeri & velut reciproco dilatationis & compressionis partes aëris aut cujusq; interjecti corporis medii exagitantur. Cum verò igneos & solares spiritus, qui — Ignis quando urat, & quando luceat.

qui poros aëris implent, vehementiùs impellunt, tum radios lucidos vibrant. Sicut *Idem* ait. Lampyrides lucent, nec urunt tamen, quia particulas aëris non commovent.

Vis urendi undè dimanet. 5. Vis urendi in igne licet à calore dimanet, non tamen ex quovis, sed tali, qui conjunctus fit cùm mixturâ quâdam & densitate, per quam corpus urens corpori urendo firmiter adhæret. Idcircò ignis purus, qui à nonnullis putatur existere super aërem, licet fortè calidissimus sit; non tamen urit ut ignis impurus & focalis cum tantâ voracitate, quæ corporum constitutioni adversatur, cùm nihil habeat densitatis, neque cum alio corpore sit mixtus: ideò aliis corporibus ità adhærescere nequit, ut ea adurat. Undè etiam paradoxi loco statuit *Keckermannus system. phys. lib. 2. cap. 10.* dum ait: *Ignis non urit, sive urere non est proprium ignis, scilicet, quatenus est ignis per se, sive Elementaris: quod verò ignis urat, indè est, quod sit in crassâ materiâ.* Idipsum hoc etiam confirmat sententia *Scaligeri Exerc. 9.* dicentis: *Elementaris ignis non urit, non consumitur, nec ullo alitur pabulo.*

Ignis lucens non est expers caloris. 6. Nullus tamen etiam, si benè consideretur, ignis lucens est expers caloris: quod enim si non urat, indè potissimùm evenit, quod nimiùm spargatur, neque idoneum offendat subjectum, in quod vires suas explicet. Undè radii solares convexo vitro aut concavo speculo collecti sulphurea adurunt corpora, in quæ dispersi calorem vix ullum videntur inducere.

Quæ facilè aut difficulter ignem admittant. 7. Quæ corpora activis principiis, sale scilicet, sulphure & spiritu, ut ea Chymici vocant, abundant, laxiora insuper existunt, aut minùs firma: eadem ignis aculei citiùs penetrant & exustione destruunt; non enim ibi diu hærent, sed unà cum prædâ citiùs avolant & abscedunt. Densa verò & compacta corpora, veluti, quæ coctione magis indurantur, & partes habent à se minùs dissociabiles, velut lateres, metalla & lapides arenacei, hæc ignis corpuscula haud diu retinere valent. Quæ verò dura quidem sunt, igne tamen calcinata, quodammodò fatiscunt & laxantur, quæque humidioribus exhalatis partibus lapideam & duram non admittunt formam ut magna lapidum pars; hæc intrà poros volatilium elementorum fugâ excavatos ignis spicula & Empyreumata libenter admittunt, & cum salis atomis facilè cohærent.

Ignis impurus magis & minùs urens. 8. Ignis impurus, qualis est focalis, alter quidem magis, alter minùs urit, prout magis aut minùs partium crassiorum ignitioni aptorum habet adjunctum.

Ignis quomodo duriora corpora subigat. 9. Manifestum est, ut inquit *Digbæus de nat. corp. cap. 5.* Ignem, cùm in durius aliquod corpus impellitur, posse illud, licet ex naturâ suâ magis densum subigere: corpus quippè, in quod impellitur, vel poros aliquos habet; vel nullos. Si habet: tunc ignis violento externi motoris impetu actus corpuscula iis contenta expellit, & in expulsorum loca succedit, novarumque subindè partium accessione auctus eos demùm effectus producit, qui calori adscribuntur. Si nullos habet poros; rarum erit vel densum: Si rarum; tum si vis ignem impellens resistentiam illius superet, igne dividitur; si verò densum fuerit, & primo conflictu dividere nequeat; temporis tamen diuturnitate, impetúsque, quo illud invadit, continuatione, aliquam tandem partem deradere poterit impellentis vi paulatim illud subigente, dejecto scilicet in certam aliquam ejus partem, continuo velut torrente minotum particularum ignis: ità *Kenelmus Digbæus.*

10. Sicut igneæ aut sulphureæ particulæ in mixto quovis corpore quantò plures in subjecto fuerint, tantò ignitionem ampliùs promovent: ità ècontrà salinæ, aqueæ, & terreæ, ut cum Chymicis loquar, si infrà aut suprà mediocritatem ibidem extiterint, accensionem aut impedient, aut copiâ obtundent: harum igitur mediocritas sola ad ignitionem constare valebit. Ità bituminosa, pinguia, oleosa, stramen aridum, ligna exsiccata & minùs ponderosa, ignem facilè concipiunt, metalla verò mineralia, telluris gleba, stramen madidum & ligna viridia non ità facilè ignem concipere valent. Quænam ad ignitionem conducant.

11. Licet ignis variis modis generari & excitari possit, generaliter tamen comprimis motu & contagio alterius ignis fieri solet. Ignea siquidem corpuscula, cùm oleosam aut sulphuream materiam contingunt, cognatas & congeneres sibi mox particulas sollicitant, quæ cùm sint ad motum promptæ, uno velut agmine proruunt, atque humores, quibus obsidentur, evincunt, & unà secùm efferunt. Ignis quomodo generetur.

12. Cùm actio ignis potissimùm sit separativa eorum, quæ in mixto sunt: Hinc illa vix possunt incendi, quorum pinguis humor à siccis & terrenis particulis separari nequit; ut metalla. Non enim corpus incenditur, nisi cùm ignea spicula unà cum humidis in aëtem simul erumpunt.

13. Ignea corpuscula dato exitu in rectas lineas diffundi affectant, ut in luce, quæ ignis est purus & à crassiori corpore solutus, censetur à plutibus, manifestè videre licet. Quamdiu tamen cum aliis miscentur corporibus, atque cum iisdem anfractuosos subire debeant meatus, etiam motus ille præceps perturbatur, ac hinc quas obvias sibi habeant particulas contorquent, easque instar torrentis, quà patet procursus, unà secum evolvunt. Ignea corpuscula in rectas lineas diffundi petunt.

14. Corpora dura velut chalybis & silicis, quod invicem illisa ignis scintillas excutiant, id certè alteri causæ haud assignari posse videtur, quam ignearum particularum in superficie residentium agitationi: Cum enim ob duri corporis resistentiam intrò subire nequeant (quoniam in duris non datur partium à loco in locum cessio) nec tanta vi excussæ sensim dissIari queunt, quin ob ictus vehementiam necesse habeant confestim erumpere: quâ de causâ, cùm earum plures commoveantur & simul aggregentur, ignis apparitionem exhibent: Scintilla verò vel unica linteo semiusto vel alio fomite exceptâ in majorem mox ignem dilatatur, quod ibi sulphureæ sive igneæ parti- Ex attritu & collisione quomodo ignis excutiatur.

particulæ ab aliis magis exsolutæ persistant, & ad ipsum eruptionis velut apicem productæ à minimâ scintillâ avocaræ pareant, fugamque quâ datâ portâ capessant.

Ignis ex attritu & pressione diversorum Corporum.

15. Ex attritu & pressione corporum diversorum, cur id, quod duriùs est, magis incalescat eò, quod est mollius, ut fit in serrâ, quæ lignum secat, causa videtur esse non alia, quàm quod spiritus sulphurei in molliori, velut ligno dissolutiores & ad egressum proniores citiùs exspirent: in serrâ, velut corpore duriori sint compactiores, & ex prædominio sulphuris constipatiores: hinc fit, ut ii in ferro ex attritu magis, quàm in ligno exagitati faciliùs accendantur.

Quomodo fœnum humidum & calx accendatur.

16. Ignis etiam persæpè ex intimâ partium agitatione excitatur, ut in fœno humidiori (quod sine flammâ deflagrat, & ignis cœcus appellatur) aut in calce, quæ affusione aquæ non tantùm incalescit, sed in nocturnis tenebris flammam emicare finit; tnnc enim atomi, sive particulæ caloriferæ jam liberæ, & quasi sui juris fiunt, cum terrestris molecula, quâ priùs coërcitæ & vinctæ tenebantur, aquâ exsolvitur, atque ignis atomi sive particulæ obsessæ, & densiores factæ sese excitant, & unà cum vaporibus prorumpunt. Accessu enim aquæ ignei spiritus jamjam erupturi, & ad egressum prompti intùs revocantur, ruptisque, quibus à se invicem separati erant, repagulis, simul confluunt, & cum aqueis atomis, sive particulis in amplius spatium explicantur.

Ad diversum motum particularum quid succedat.

17. Observare licet in quocunque subjecto ignito, quando sulphureæ particulæ segniùs commotæ paulatim avolant, quod nec calor, nec ignis, verùm siccitas tantùm & marcor succedant: Si verò rapidiùs commoveantur, quàm ut sensim exhalare potuerint, quod in subjecto calor excitetur: si dein & adhuc vehementiùs & impetuosiùs agitentur, simulque densiùs agglomeratæ confertìm erumpant, quod calori deflagratio superveniat.

Ignis eget pabulo.

18. Ignis potissimùm impurus, veluti focalis, quia diversis constat partibus, ut conservetur, eget pabulo, quo partes istæ inter se foveantur & firmentur. Pabulum verò istud igni necessarium, proportionatum esse debet tàm ratione quantitatis, ne scilicet nimia alimenti copiâ obruatur, aut defectu marcescat; tàm etiam ratione qualitatis, ut illud nempè sit aëreum & terreum proportionatè: aër enim ratione humiditatis, terra autem ratione siccitatis inimica sunt igni.

Rarefactio primarius ignis effectus.

19. Ignis primaria causa est rarefactionis, quia cùm particulæ materiæ subtilis, quibus constat, in continuo sunt motu, facilè aliorum corporum meatus ingrediuntur, atque illos dilatant & extendunt. Hinc fit, ut aqua, quæ diu super ignem ebullit, citiùs quàm frigida; aut quæ de novo è puteo aut flumine extracta est, congeletur, eòquod subtilissimæ ejus partes, quæ agitatione & motu congelationi maximè obstabant, egressæ sint, dum ebulliret.

20. Non liquores duntaxat, sed & ipsa metalla & solidiora alia corpora ignis calore aliquatenùs rarescunt & distenduntur: Quo fit, ut metalla fusa nonnihil subvehantur, & filo sulphureo accenso commune fit vitrum resecare: quoniam scilicet vitri partes calore commotæ ampliorem postulant locum, quàm nancisci queunt; undè partes continuas rumpunt, aliò amandant, & propellunt.

Ignis indiget aëre.

21. Cùm per ignem generetur rarefactio, ità quidem ut etiam quicquid in ignem convertitur ex pabulo, id etiam rarefiat, & resolvatur, ideò ignis etiam aëre indiget ambiente, ut nempè id, quo rarefit, possit in eodem majorem occupare locum, & liberiùs flamma se valeat explicare. Deindè ut exhalatio ista materiæ rarefactæ, & in ignem non cedentis possit liberè diffundi; atque adeò, ut ignis possit sua excrementa, veluti sunt fumus, fuligo & favillæ aptiùs quasi exspuere. Denique indiget ignis aëre ambiente, quia non tantùm alitur ex materiâ, in quâ succensus flagrat, sed etiam ex aëre vicino, quem veluti sibi cognatum lambit, eoque fovetur.

22. Hinc patet ratio, cur si aër ambiens non sit liber, ut alius mox novus succedere valeat, vel crassis fumis undique obductus, vel etiam in fornace nimiùm occlusus sit, ignis emarcescat & extinguatur.

Ignis minùs est efficax in aëre pluvioso & humido.

23. In aëre quoque turbido & nebuloso aut pluvioso minùs efficax esse solet ignis, ut Chymici & Metallurgi testantur, quod ignis excrementa sua ità libere ut appetit, in aërem densum & nebulosum aut pluviosum effundere non possit, nec ità blandè ab aëre tali, qui impurior sit, & aquæ naturam magis accedat, foveri queat.

Ignes plures invicem structi sese impediunt.

24. Hinc patet & ratio, cur duo ignes juxta se structi invicem sese impediant: tùm scilicet, quia excrementa ità in viciniâ conjuncta non ritè propelli, nec ità liberè dissolvi & dissipari queunt; tùm etiam, quia ignis alteruter debitâ caret ventilatione, ut mox dicemus, ob aërem inter duos ignes interjectum nimis calidum, & indè magis rarefactum.

Ventilatio ignis virtutem auget.

25. Ut ignis vires suas aptiùs exerere & munus suum expeditiùs obire valeat, juvat comprimìs etiam ventilatio sive agitatio. Nam quia aër, qui afflatur velut in interiora flammæ receptus, statim in ignem convertitur; aut si flamma penitùs sopita & extincta sit, ac carbo tantùm remaneat, aër afflatu illo ad carbonem allisus incenditur, novamque flammam generat; flamma hinc etiam istâ ventilatione dilatatur, ut plures materiæ ignem alentis partes occupet, atque ità augmentum ampliùs concipiat.

Reverberatio ignis.

26. Multùm facit ad ignis intensionem & augmentum, ejusque diuturniorem conservationem reverberatio sive repercussio: quia partes ità strictiùs continentur, nec tàm citò aut pronè ut effluant, inhibentur; itaque calor intensior efficitur. Ubi autem in libero aëre talis repercussio non est, atque ignis ipse distractus est, citò materia

materia absumitur, & ignis tàm efficax esse non valet.

Aëris vicini agitatio ab igne. 27. Ubi major ardet ignis, vicinus aër non parùm agitatur: & si occlusus fuerit locus, etiam per rimas & oscula minora cum sibilo intrò subire tentat, vela etiam fenestris appensa intùs propellit, ut ejus, quem flamma secum rapuit, locum occupet.

Ignis ad Solem instructus minùs validus. 28. Ignis ad Solis radios in aprico loco ubicunque tantùm instructus, minùs validus & efficax observatur, quàm in loco obscuro & à radiis Solis remotiori. Quocircà & *Scaliger Exerc. 73. Ignis*, inquit, *in Castrensibus coquinis, si Solis radiis feriatur, minùs validus est.* Causam quidem affert unicam, dicitque dissipari ignem in aëre similiore & tenuiore, id est, aërem nimis per calorem Solis rarefactum & attenuatum non præbere igni commodam satis ventilationem. Aliam tamen adhuc rationem affert *Keckermannus syst. phys. lib. 2. cap. 12.* ajens: *Quia Solis radii in eo excremento, quod ignis exspuit, nempè in fumo consumit partes tenuiores & subtiliores, quibus absumptis relinquuntur terrestres & crassiores, quæ suâ naturâ graves descendunt versùs ignem, eumq; turbant ac languidum reddunt.* Hanc deindè causam addit se collegisse ex fumo è camino egrediente, minùs altè elato, dum Sol meridianus eundem suis radiis feriit, ut ità sæpè planè impeditus, & retrorsum ad focum molestè coactus fuerit descendere.

Ignis flamma quid sit. 29. Flamma, quæ diversimodè describitur à quibusdam Ignis magis cum aëre mixtus: ab aliis ignis fluens: ab aliis verò fumus pinguis accensus: Mihi verò aliud haud esse putatur, quàm oleosus humor igneis corpusculis fœtus & accensus tàm diu perseverans, quàm diu oleosus ille humor alitur aut alimento suo non destituitur.

Flammæ figura est pyramidalis. 30. Figura flammæ ab igne profluæ solet esse pyramidalis; quod circà materiam incensam, ubi flamma est latior, pabulum ignis & copiosius sit & crassius; longius verò remotum ab ista materia, pabulum quia tenuius est, indè flamma ibidem acuminatur, & in pyramidem desinere videtur.

Flammæ motus. 31. Quod flamma non continuò & æquabili motu, sed quasi subsultans sæpè moveatur, ratio est, quod variè ab aëre agitetur; vel quod pabulum non æqualiter flammæ nutriendæ suggeratur.

Aër flammam fovet. 32. Flammam non modò accendit aër, sed eam quoque accensam fovet. Undè in cellâ vinariâ, quam ferventis musti crassiores halitus implent, & in cryptis subterraneis, in quibus humidus torpet & stagnat aër, accensa candela vix se tuetur, eaque tubo ex superiori parte occluso altiùs immersa statim extinguitur, quod subeunti aëri non pateat aditus.

Ignis efficacia ex flammæ colore. 33. Optimè ignis efficacia & virtus ex ipsâ flammâ, ejusque colore conjici potest. Rubra siquidem flamma indicium uberioris facultatis terrestrium partium in urendâ materiâ præbet: uti etiam cùm terrestres vapores in altum elati, dum copiosiùs aërem obsident, is etiam rubere conspicitur, præsertim in Occasu Solis, ubi serenitatem spondet ob gravium ejusmodi vaporum in nocturno frigore dilapsum; in Ortu verò Solis pluviam, in quam ejusdem calore resolvuntur, præsignant. Si flamma ignis cœrulea apparet, denotat multùm aquæ admixtum ardenti materiæ, ut patet in rebus salsis, si urantur, in quibus flamma cœrulea comparet. Si verò materia est tota subtilis, arida, multumque aëris admixtum habet, flamma albet, optimumque ignem in efficaciâ & virtute designat.

Quænam inflammari queant. 34. Vix quicquam inflammatur, nisi id tenues emittat halitus, quos non à solo colore, sed ab igne lucente eo modo, qui ad flammam excitandam requiritur, agitari necesse est. Undè ferrum, quia compactius est, quàm ut sinat tenues elici particulas sulphureas, neque aëri subeundi præbet locum, inflammari non potest.

Ignis cæcus non lucens. 35. Cœcus ignis ac lucis expers, quem & potentialem vocant, atque in fœno aut lino malè exsiccatis, aut fimo observare licet, ideò talis est, quod pinguis humor aqueo humore intrinsecùs diluatur & quodammodò resolvatur. Quod si aqua sit uberior, hæc unà cum sulphureis particulis in sese mutuò reflexis & incitatis specie fumi egreditur. Quod si verò aqua sensim diffletur, ignea corpuscula faciliùs sese expediunt, nec densis stipata vaporibus occultari ampliùs valent, sed extenuata ingenitam promunt lucem, & incendium minantur.

Fumus quid sit. 36. Fumus medium quid est inter flammam & aërem, ut etiam sentit *Cardanus de subtil. lib. 2. atque ideò*, ut inquit, *duplex. Quidam, qui flammæ succedit, & hic tenuis & necessarius. Omnis enim flamma in fumum vertitur: Sed hic cùm tenuißimus sit, in aërem celeriter transit, atque ob id nec suffocat, nec oculos urit, sed solùm calefacit & siccat. Alter est fumus, qui flammæ præit generationem, atque humidior est, ac oculos urit, & suffocat, quod in aerem non facilè convertatur. Idem plerumque ex carbonibus pravis, ac humidioribus lignis excitari solet.* Ità *Cardanus*.

Ignis extinctio. 37. Duplici comprimis causâ ignis sopitur & destruitur, marcore scilicet, & distractione, sive extinctione. Marcore interit, cùm pabulum deficit, aut materia igni fovendo & conservando inepta est, aut etiam, cùm ignis nimiâ copia obruitur & suffocatur, aut denique si in seipso nimis accrescat, aut minuatur, ità ut seipsum consumat. Distractione sive extinctione: quando vel aëris flatus vehementer, vel aquæ effusio ignitas particulas divellit, cumque negatus exitus vapori, is in sese reflexus, partes ignis dividit, aut nimio gelu oppugnatur & expugnatur.

Faces à ventis inextinguibiles. 38. Sunt tamen quædam sulphurea & bituminosa corpora, quæ partes habent adeò viscosas & confertas, ut nullius venti afflatu, quamvis aliàs is igni destruendo satis validus existat, extingui possunt. Sic faces, ut nonnulli perhibent, quæ ex sulphure & cerâ pari portione commixtis

mixtis & liquefactis; vel ex camphoræ sesqui unciâ, picis sesqui unciâ, in pulverem contritis & ceræ liquefactæ libræ immersis conficiuntur, nullo vento extinguibiles fiunt. Nam flatus aëris idem in his flammis, quod in magnis præstat incendiis. Auget enim vim ignis, & viscosi alimenti plicatiles fibras non abrumpit, sed extenuat.

Vapor est hostis ignis. 39. Experientia docet, vaporem ignis domandi hostem esse addictissimum, aqua siquidem subtùs ignem in vaporem sat densum resoluta ignis violentiam coërcet: hinc plures camino ardenti supponunt ahenum aqua plenum, quæ si evaporare incipit, vim quandam flammæ inferre solet, ignemque extinguere.

Cinis. 40. Id quod deflagrationem diutinam referata sensim accensi corporis compage remanet, salis & terræ plusculum sub formâ cineris remanet. Undè etiam cinis, ut vult *Isidorus*, à cadendo dictus est, cùm de substantiâ materiæ terrestris vi caloris resolutus decidat & ità generetur. Virtute autem pollet collativâ, seu mundificativâ, vi insuper corrosivâ & desiccativâ: undè hinc optima lixivia parari solent.

Flammæ variè coloratæ quomodo fiant. 41. Flamma, quia sequitur colorem materiæ inflammabilis, seu olei quocunque tandem colore imbuti, ideò diversi colores artificialiter in flammam hac arte induci possunt: imprimis viridis, si spiritui vini ærugo probè commisceatur, & ellychnium simili colore imbutum adhibeatur, & incendatur. Rubra flamma procuratur oleo, cui cinnabaris admiscetur; si & sulphur addatur, cærulea evadet flamma. Si tandem fuligine sepiæ liquore mista ellychnium, oleumque imbueris, flamma elucens atro colore conspicua fiet, quæ adstantium vultus non sine horrore spectatoribus exhibebit.

Ignis quales proprietates 42. Axioma est apud solertissimum *Kircherum in Mund. subterr. lib. 12. sec. 4. cap. 2.* de igne, quod ità se habet: *Ejus est ignis proprietatis, cujus est res combustibilis: quæ si bona, salubris, sanitati proficua; & talis erit flamma rei, quam depascitur: Si verò res combustibilis noxias habuerit qualitates, tales & flamma in se continebit.* Pro varietate itaque materiarum combustibilium, quæ certè innumeræ sunt, etiam ignis flammarum varietas constituetur. Quæ omnia etiam de cineribus, calce, fuligine ac fumo intelligi possunt.

§. II.

Varia curiosa Mirabilia miscellanea de Igne.

Asbestus ab igne non consumitur. 1. Inter ingentia Naturæ miracula, in quibus divina ludit Sapientia, Asbestus lapis est; cujus suprà jam aliquam mentionem fecimus, naturæ ab igne prorsùs indomabilis: Soletque hic lapis à natura formari sub figurâ capillari, colore quandoque albo, subindè cinereo, interdum ruso, aliàs ferreo, siccus quoad externam superficiem, & in filamenta solubilis; *habet* tamen *in centro suo*, inquit *Kircherus Mund. subterr. lib. 8. sec. 3. cap. 1. nescio, quam humiditatem stabulantem, viscidam & oleaginosam nullo igne domabilem. Filamenta ità constituta sunt, ut & neri, & texi queant non secùs ac vulgare linum.* Experientia docuit frustum hjus lapidis vitriariæ fornaci inditum incorruptum fuisse extractum. Pannus hinc contextus aliâ lotură non indiget, quàm igne: Charta hinc parata literis inscribendis apta, ubi denuò inscriptas literas abolere, & chartam mundare cupis, in ignem conjecta id præstat. Meminit idem *Kircherus*, se ellychnium asbestinum lucernæ inditum ad biennium sine ullâ sui consumptione conservâsse. Undè verò tanta proveniat contumacia, ut ignis violentiâ non consumatur ex iis, quæ maximè igni adversantur, asbestum constitui Idem Author arbitratur; suntque imprimis ipsa materia, quæ uti lenta, crassa & viscida humiditate à naturâ instructa est, ita quoque ab ignis actuosissimâ naturâ non facilè consumi potest. Alia causa est, quod dicta materia sit inexhalabilis, sive inevaporabilis, adjuvat rursum ipsa materiæ sinceritas, nulla alterius heterogeneæ rei miscellâ adulteratæ, ut proinde puræ homogeneæ naturæ corpus existat.

2. Præter Asbestum sunt alia adhuc, quæ igni mirâ virtute resistunt, velut Aurum & Selenitis, sive Talcum viscositate scilicet nativæ materiæ. Selenitem tamen cum tempore ab igne consumi, experientia docuit: Aurum verò & Asbestum nunquam. Adamantem etiam domitorem ignis prædicant; nec non & alumen nonnihil in resistendo igni virtutem habere ex Romanâ colligunt historiâ, quod olim linteis alumine illitis domos ab igne immunes in incendiis conservâsse ferantur. Verùm de ordinario alumine falsum esse experientiâ constat: Si de fossili, sive Asbesto loquantur, permittitur. Alia quædam igni adversa.

3. Esse volunt in humano corpore os quoddam minimum, ut etiam memorat *Cornelius Agrippa phil. occult. lib. 1. cap. 20.* quod Hebræi *Luz* appellant, magnitudine ciceris mundati, quod nulli corruptioni obnoxium, nec igne quidem vincitur, sed semper conservatur illæsum. Ex quo, ut dicunt, velut plantâ ex semine in resurrectione mortuorum corpus nostrum animale repullulascet. Os Luz in homine.

4. Refert *Theophrastus*, ut memorat *Cardanus de variet. lib. 10. cap. 49.* in Pino masculâ subnasci interiùs (loco tædæ in fœminâ) rubidiorem materiam graviter olentem, à quâ ignis resiliat. Ignis resilit à pini quadam materiâ.

5. Famosa est *Aristotelis* musca grandior in fornacibus nata cuprariis, in Cypro dicta *Plinio Pyraulis* aut *Pyrausta*. *Solinus* etiam narrat, aves carystias in igne vivere; ajunt & limacem in supprimendis ignibus ac Salamandram valere, imò ex igne nasci & vivere. Experientia tamen jamdudum monstravit contrarium; aliquamdiu quidem durâsse, tandem tamen in cineres abiisse. Pyrausta & Salamandra.

6. Nostrâ

Ignem innoxiè tractans.

6. Nostrâ ætate, inquit *Valerius lib. 16. cap. 6.* visus est *Romæ Benedictus* quidam Teutonicus arte speculorum faber, qui non temerè profitebatur se per flammas medias incessurum citrà ullum, vel capilli unius detrimentum. Hunc *Pierius* testatur liquefacto plumbo manus impunè immisisse, illudque sic liquidum ex candenti patellâ in volam accepisse, quasi argentum vivum aut aqua tepida fuisset. *Pet. Servius diss. de unguento Armario* narrat de una Æthiope, quæ quotidie nudis manibus portabat ignem velut in vase testaceo ad focum quotidianum. Memorat & *Martinum Cechonum* in oppido Italiæ vulgò *Monte Lupone* manibus ignem prunasvè candentes tractasse instar nivis. De *Simone Mago* refert *Anastasius quæst. 23. in script.* impunè fuisse volutatum in ignibus ope Dæmonis. *Unirus 2. de fascin. cap. 11.* scribit *Salutatores* illos, qui se de *S. Catharinæ* genere mentiuntur tractare ad tempus carbones ignitos; in fervens Oleum aut aquam manum immittere; in furnum succensum ingredi illæsos. Teste quoque *Tullio 1. de divin.* dum combureretur *Romæ* Saliorum curia, inventus est Lituus, qui fuit bajulus auguriorum illæsus inter cineres de aliis prunas ardentes calcantibus, vide paulo infra num. 26.

Semen Bardanæ diu candens.

7. Observavit *Borrichius*, ut memorat *in dissert. de ort. Chem.* de semine *Bardanæ*, quod postquam semel incanduerat, exemptum & in frigido loco repositum adusque quinquaginta solidas horas candere & adurere sit observatum.

Cineres facilè ardentes.

8. Refert *Magnanus*, se *Romæ* vidisse cineres frigidos è scobe buxeâ post Oleum pridiè extractum superstites, quos in ipsâ hyeme solares radii per fenestræ vitra sub euntes incenderant, adeò ut subjecta charta cum assere populeo fuerit exusta: quod igni secum ferenti & sulphuri in cineribus accenso, atquè jam velut ad exaltationis apicem evecto & inflammationi proximo meritò adscribi potest.

Arbor noctu fulgens.

9. In Insula *Zeila* arbor crescere dicitur, prout ex *Ludovico Romano* refert *Thomas Bartholinus de luce hominum cap. 3.* robusto trunco, proceritate mediocri, minuto & crispo folio, colore corticis cinereo noctu fulgores igneos vibrans, ut obscurissimam etiam noctem rutilo splendore vincat.

Arbores scintillantes.

10. Ex Cannâ Indicâ scintillas excuti vulgò jam satis notum est: magis verò admirandum arbores dari, ut scribunt *Thucydes & Lucretius*, quæ venti flatibus ex mutuo collisu ignem concipiant; quod etiam de Tabaxis traditur.

Viatores ignescentes.

11. Viatores, *dum Andes*, sivè montes Peruviæ & *Chiles* transeunt, toti ignescere solent halitibus & sudoribus inflammatis, ipsaque jumenta ore, & naribus flammas vomere videntur.

12. Ignes montium *Heclæ & Chymeræ* non aquâ, sed stupâ, & fœno extinguibiles esse dicuntur.

Equi igniti comparentes.

13. In Daniâ locum esse ferunt, quem si Equi transeunt, undiquè quasi igniti comparere solent. Quod à terrâ ipsâ, non exhalationibus provenire suspicatur *Albertus Kyperus lib. 11. inst. phys. cap. 4.* Credit tamen *Bartholinus de luce brut.* eam esse Equorum naturam, ut ab exhalationibus terrenis facilè interni luminis splendor evocetur & promoveatur.

Ignei putei in Chinâ.

14. In Chinæ Provinciâ *Xansi* putei ignei non secus ac aquei apud nos passim in dicta provinciâ visuntur, magnoque compendio, ac sumptuum parsimoniâ ad cibos coquendos adhibentur. Hoc autem pacto procedunt, ut indicat *Kircherus in Chin. illust. part. 4. cap. 11.* putei orificium ità clauditur, ut præter ollam aut cacabum nihil aliud admittat eo fine, ne calor per laxiora foramina dissipatus obturatis strictè terminis magis, magisque intendatur, atque ità nullo penè labore cibos intrà breve tempus indigenæ excoquere consueverunt. *P. Martinius in Atlante Sinico* ait: *audivisse se, quandoquè hunc ignem crassum esse neque admodum lucentem, aut diaphanum: calidus quidem est, sed ligna injecta non comburit, quin & tuborum majorum concavitate collectus, constrictusque facilè circumferri possit, & cum libuerit, ad coquendum eo uti quis valeat; Siquidem aperto in tubo foramine erumpens ignis res leviores facilè elixat, donec expiraverit miro sanè naturæ artificio.*

Similes ignes in Italiâ & Siciliâ.

15. Similia prodigia in pluribus *Italiæ & Siciliæ* locis potissimùm in *Puteolano* Vulcani foro seu Campis *Phlagræis*: Undè & Sulphaturam vocant, se observasse *Kircherus* meminit *ibidem.* Siquidem hujusmodi canales adeò ardentem exspirant ventum, ut siquis orificio ejus ollam carne infertam imponat, intrà quadrantis horæ spatium haud dubiè carnem optimè coctum sit reperturus.

Fons Dodonæ.

16. De fonte *Dodonæo* scribitur, quod quamvis sit gelidus, & immersas faces extinguat, extinctas tamen si admoveantur, accendat. De alio quoque in *Illyriis* scribitur, quod cum sit frigidus, vestes tamen nihilominùs super ipsum expansas accendat. De pluribus ejusmodi fontibus mirabilia vide *infra cap. seq.*

Lacus re-tia immissa comburens.

17. Admiratione hoc quoquè dignissimum censetur, quod in lacu quodam Comitatûs *Mansfeldici*, quem *salsum* vocant, retia piscatorum paulò profundiùs immissa adurantur, haud secùs, quàm si admoto igne fuissent concremata.

Ignis subterranei violentia juxtà Modonem.

18. Ignis subterranei quanta sit violentia multis claret exemplis. *Strabo lib. 1.* scribit, juxtà *Modonem* aliquando igneam exhalationem erupisse à continenti (intumuerat enim tellus ad septem stadia in altum tanto insuper comite fervore, ut mare proximum ad 5 stadia ferveret; Turbaretur autem ad viginti) tantamque fuisse lapidum ejectorum congeriem, ut turres æquaret.

19. In Hispaniâ ad *D. Georgii* è terræ cavernis per terræ motum emissus ignis omnia depopulatus est, homines, pecora, domos & fruges, ut memorat *Keckermann. in syst. phys. lib. 2. cap. 12.*

Ignis è terrâ spirans inextinguibilis.

20. Ante mortem *Henrici I.* Angliæ Regis terra horridè mota est, ut *Polydorus* refert *lib. 1.* ità, ut ædificia passim corruerint.

rint. Ignis etiam in plerisque locis spirans neque aquâ neque aliâ re extingui potuit.

Lapidum congeries ejecta.

21. Anno 1638 ad insulam *S. Michaëlis* in mari Atlantico stimulantibus ignibus subterraneis tantum lapidum in medio maris egestum fuit, ut indè Insula lapidibus in montes coäcervatis nata sese ad 5 Milliarium latitudinem extenderit. *Kircherus in Mund. subterr. lib. 2. cap. 12. §. 1.*

Ignis ex hiatibus Coloniæ erumpens.

22. Anno illo antequàm moreretur *Agrippina Claudii* Uxor, cùm esset in Germania *Ubiorum* Urbe, quæ ab ejus nomine *Agrippina Colonia* posteà fuit dicta, ut refert *Fulgosus lib. 1. cap. 4.* in eâ Urbe, agroque magnis hiatib⁹ aperta tellus ignem emisit omnia consumentem, qui neque aquis, neque alio humore extingui potuit, saxis autem & pannis duntaxat opprimebatur. Id quod Imperante *Tito* quoque contingit, Anno post Vesuvii incendium nec multò ante ejus mortem in Urbe *Româ*. Ignem enim terra emittebat, quo Capitolium, compluraque alia ædificia, ut *Dion Græcus* scribit, incensa fuerunt; neque ab hoc multùm dissimile fuit, dùm *Carolus* Burgundionum Dux Gendrensem cepit Urbem. Incensâ enim humo nullâ conspectâ flammâ herbarum, arborúmque radices comburebantur, atquè ab eâ regione penè in Burgundiam usquè malum illud penetravit.

Cinis flammas excitans.

23. Mira de cinere ex lignis flammas artificio magico provocante refert *Pausanias lib. 5.* his verbis. *Sunt in Lydis, qui Persici cognomine vocantur, Urbes Hierocæsarea, & Hippæpæ: in templo utriusque Urbis amplissimo cellæ cum aris, super his cinis alio longè colore â vulgari cinere. Huc ingressus Magus, ubi foco lignis imposito, tiarâ caput velârit, implorat cognomen Dei, quicunquè ille sit (ex libro enim carmen recitat barbaricum) ubi peroravit, sponte suâ è lignis nullo Igne admoto purissima emicat flamma*, ut ipse *Pausanias* etiam se vidisse testatur.

Ignis in puteo occultatio.

24. *Cum Hierosolymis captis, ut 2. Macch. cap. 1.* refertur, *Nabuchodonosor Sedeciam* Regem cum omnibus Judæis abduxisset *Babylonem Hieremias* propheta monuit Sacerdotes, ut ignem ex arâ sumptum in quodam puteo arido abderent. Qui deinde post 70 annos à Nehemiâ cum Judæis reverso sub aquæ crassæ specie inventus, eoque â Sole refulgente resuscitato templum Hierosolymitanum expiatum fuit.

Lampades subterraneæ.

25. In variis locis subterraneis lampades per plures annos ardentes inventas communiter tradunt Authores, velut in agro *Patavino, in Nesîde* insulâ, & in sepulchro *Tulliolæ* filiæ *Ciceronis*, quæ sub *Paulo III.* Sum. Pontifice reperta est, postquam annis mille quingentis & quinquaginta arsisset.

Per ignes & prunas illæsi arte magicâ transeuntes.

26. Sub monte *Soracte* Urbs est *Feronia* dicta, quo nomine & Dea quædam in templo ibidem exstructo mirifico cultu honorata fuit. Nam ut *Strabo lib. 5.* memorat, qui ejus numine afflabantur, nudis pedibus prunas ardentes calcabant: eoquè ingens mortalium multitudo conveniebat, & celebritatis ipsius, quæ quotannis celebrabatur, gratiâ pariter & spectaculi, *Castabalis* quoque Dianæ Persicæ Fanum fuisse tradit *Idem lib. 12.* quod Sacræ mulieres illæsæ nudis pedibus super prunas ingrediebantur.

27. Neque hoc, dum mirabilia de Igne conscribimus, hìc reticendum. Circa *Nivernam* in Galliis, undè prima in Terram Sanctam suscepta fuit expeditio, mirabile genus morbi innotuisse. *Cranzio* siquidem referente *lib. 5. Saxon. cap. 15.* Tacti scilicet homines igne invisibili ardebant, qui facilè penetrabat præcordia: alii pedes, alii manus eâ occasione præciderunt. In Americâ etiam, si Relationibus credimus, tantus subindè homines solet ardor invadere, ut ægri hinc potiùs comburi, quàm dissolvi videantur.

Ignis invisibilis homines infestans.

28. Vini adusti largior potus quàm facilè interna accendat, & flammas evomere faciat, mira declarant exempla *apud Clariss. D. Thomam Bartholinum lib. 1. de luce hom. cap. 18.* narrat enim de Equite Polono sumptis duobus ardentis vini cyathis flammam evomuisse tempore Reginæ *Bonæ Sfortiæ*, qui indè etiam combustus fertur. De alio Equite Polono simile quid *Neapoli* inaudivisse scribit *Clarissimum virum Everhardum Vorstium*, cui tamen lac haustum profuit. Fumum crassiorem ex ventre expuere se vidisse Persam in foro Navonæ *Romæ* post sumptum vini adusti & tabaci haustum Idem Bartholinus testatur: Addit & alia Exempla; quendam nempè *Hafniæ* sibi non ignotum urgentibus compotatoribus spiritum vini copiosius hausisse, cui deindè flamma extrà fauces extiterit; eam tamen assumptâ frigidâ denuò extinxisse. Anno item 1656 extra portam Haffniensem repertum fuisse rusticum scribit, vino adusto obrutum, è cujus collo flamma emicuerit. Verùm Exempla ejusmodi plura passim observantur.

Adusti vini largior potus quàm sit noxius.

29. Miraculum naturæ scribit esse *Cælius lib. 10. cap. 10. A. L.* quod ideò etiam reticere hìc nolumus. Laricem non solùm succi amaritate, ut inquit, vehementi â carie tineâque non corrumpi, verùm nec flammam recipere, nec ardere per se nisi, ut saxum in fornace ad incoquendam calcem lignis uratur aliis; nec flammam ideò sic quoque recipit, nec carbonem remittit, sed spatio longiore vix comburitur, quod fit minimâ ignis & aëris temperaturâ. Cognitum id summâ C. *Julii* Cæsaris admiratione apud *Laringum* oppidum in Padi præcipitiis situm ex arboris copiâ nuncupatum, quando ignibus obvallata turris superfuit citrà nocumentum, ità *Cælius*.

Laricis lignum ab igne innoxium.

§. III.

Ignes mirabiles in variis hominum, & aliorum quorundam animalium partibus ac membris conspicui.

1. Ignis ut latere semper nequit, sic agitatus ubique se prodit. Quod rectè affirmat *Cornelius Agrippa Occult. Phil. lib. 1. cap. 5.* his verbis. *Est in lapidibus*, inquit, *qui*

qui ictu chalybis excutitur: est in terrâ quæ ex refossione fumat: est in aquis, qui fontes & puteos calefacit; est in profundo mari, quod ventis agitatum tepescit: est in aëre, quem sæpè fervescere videmus: & animalia quæquè & viventia omnia, & vegetantia calore nutriuntur, & omne, quod vivit, propter inclusum ignem vivit. Plurima certè exempla ignem non tantùm in hominibus, sed & animalibus diversis luculentis flammis & scintillis emicuisse testantur. Ita de *Servio Tullio* Romanorum Rege consentiunt omnes, quotquot temporum istorum acta literis consignârunt, ex puerili crine flammam emicuisse. Ingens hoc Naturæ miraculum adnotârunt *Plinius, Livius, Florus, Valerius Max. Apulejus, Dionysius Halicarnassæus,* aliique plures.

Flamma ex crine Servii T.

2. De *Lucio Martio* narrat *Livius lib. 25. & Valerius lib. 1. cap. 6.* Pœnos aggressuro, & Ducem *Astrubalem* flammam concionanti fusam è capite sine ipsius sensu cum magno pavore circumstantium militum. *Commodo* quoque Imperatori lucens capillitium adscribit *Herodotus.*

Flamma è capite L. Martii.

3. Ex toto corpore *Theodorici* Patris Gothorum Regis scintillas prosiliisse memorat *Cælius Rodiginus in Ant. Lect.* additque sapientem quendam prodidisse, scintillantes flammas hinc indè etiam cum sono prodiisse.

Scintillæ ex toto corpore.

4. *Bambam* Gothorum Regem ad supremum Regni fastigium efferendum per flammam in formam columnæ à capite ascendentem secuturi imperii omine Proceres Curiæ admonuisse scribit *Sabellicus lib. 1. cap. 4.*

Flamma columnaris è capite.

5. Dignum posterùm memoriâ recenset *Th. Bartholinus de luce hom. cap. 9.* in sepulchro cujusdam *Romæ* visam lucem, quæ præsente Cardinalium purpuratorum ordine in Æde 12 Apostolorum festo *S. Bonaventuræ* cum fumo exiliit, cumque sepulchrum reseratum esset, diutiùs ex Defuncti cadavere ardere observata fuit, sicut internuncius Gallicus ad Legatum Pontificium missus eidem retulit, qui id se oculis conspexisse, etiam fassus fuit. Terribile quoquè Exemplum flammæ emicantis ex sepulchro cujusdem facinorosi hominis ibidem depositi recenset *D. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 32.* Verùm de hujusmodi mirabilibus, sivè potiùs suprà creatam Naturam miraculis hìc non agimus.

Flamma è sepulchro Romæ.

6. Narrat *Libavius lib. 1. de orig. rerum,* de puero quodam Jenensi, quod detractâ per occiput interula scintillas copiosas unà deterserit. De *Antonio Cianfio* Bibliopolâ Pisano scribit *suprà cit. Bartholinus*, eum, cùm subuculam, lineamque interulam arctiorem, quàm pro corporis necessitate requiritur, exueret, flammas è dorso, brachiisque cum crepitu magno familiæ totius horrore efflâsse.

Scintillæ ex interulâ excussâ.

7. De quodam *Francisco Gnidio* refert *Idem Bartholinus*, quod dùm nudus in lecto recumberet, casu brachia sibi manu lævigans conspicuas flammas indè excitârit. Addit utriusque veros tam brachii, quàm pedum fulgores in matronâ *Veronensi* elapsis annis advertere licuisse. Narrat & ex *Ezezechiele de Castro Ill. Jo. Francisci Rambaldi Patritii Veronensis Uxore*, eam hac mirâ Naturæ affectam proprietate, ut quoties leviter saltem linteo corpus tangeret, scintillæ ex artubus copiosè prosilirent, haud secùs ac si è silice comite stridore ab omnibus facilè perceptibili excuterentur. Plura alia adhuc addit de hac Matronâ: Sed vide *Bartholinum de luce hom. lib. 1. cap. 19.*

Scintillæ ex brachiis & artubus.

8. Apud *Scaligerum Exerc. 174.* legitur de quadam Gaumontiæ Heroinâ, quæ in mediis tenebris, dùm pecteretur, ignem evomere visa est. Fuit & puella quædam *Jo. Fabro* in palladio chymico oblata, cui inter pectendum è capite in gremium ignis scintillæ ruentium stellarum instar deciderunt magno astantium stupore. Scintillæ.

9. De *Gothofredo Antonio* Juris consulto perhibet *Jo. Dan. Horstius in comp. phys. Hippoc.* quoties post infestissimum artriditis paroxismum somno indulserat, lambentes flammas emisisse.

10. Produxit aliquando in Belgio *Bartholino teste de luce hom. cap. 13. Nicolaus Sojerus* dentium compagem, quæ instar silicis ligno quodam indico percussa scintillas emittere visa est. Commune etiam est nostris lanionibus, dum securi dentium compagem in animalibus feriunt, scintillas indè excutere. Ignis ad dentes concussos elicitus.

11. Ex oculis persæpè miræ scintillæ atque lucis faces illustres, quibus externa perlustrari queunt, prosilire solent. Sic *Cæsar lib. 1. de bello gall.* ait: Gallos dixisse sese sæpenumerò cùm militibus Germanis congressos, ne aciem quidem oculorum ferre potuisse. Scribit etiam *Nicolaus Olaus* Aquileienses milites, qui subitò eruptione ex occulto cuniculo factâ *Attilam* paucis comitatum invaserunt (quem tamen non noverant) posteà fassos esse; se nullâ re perterrefactos fuisse, quàm quod in oculis ejus scintillas velut igneas, cùm pugnans eos fremebundus aspiceret, emicantes conspexerint; à spirituum certè incandescentiâ in certamine præliari oculi hoc ritu scintillârunt. Plura alia exempla miræ visionis in tenebris ob igneorum spirituum facem ac lucem ex oculis ejectam Vide *in oculo meo artific. Fund. 1. Synt. 2. cap. 15.* Scintillæ ab oculis prosilientes.

12. Ex Utero mulieris cujusdam difficili partu laborantis in *Thuringiâ* tantam erupisse aliquandò flammam vehementi adeò cum fragore, ut putaretur minutum aliquod bellicum explosum tormentum scribit *Cornelius Gemma lib. 7. Cosmo.* Memoratur etiam in *Append. Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 6. num. 41.* fœminam quandam gravidam turpi canum lascivientium aspectui nimium indulgentem, posteà in enixu partûs promicante prius luculentâ ex utero flammâ unà cum valido fragore, quasi minus aliquod sclopetum manuale exploderetur, horrendum monstrum Canino-humanum peperisse. Flamma ex Utero mulieris promanans.

13. Externum Equi Calabrici splendorem

Equi in tenebris lucentes.

rem describit *Scaliger Exerc.* 174. ajens *ad cataphracti usum è Calabriâ habuimus, is in tenebris ubi strigili fricaretur, scintillas ejaculari videbatur.* Verùm id ipsum hoc in pluribus aliis Equis obvenire, experientia passim edocet. Mirabilius est, quod de *Tyberii* equo *Cælius Rhodigin.* tradit *lib.* 5. *cap.* 5. *Lect. Antiq.* ore scilicet flammas evomuisse, dum furens per ardores præliorum agitaretur.

Flamma ex ore bovis.

14. Ex ore bovis sub *Coss. T. Gracchos & M. Juventio* enatam lucem flammeam inter prodigia reponere videtur *Julius obsequens*: *Cum*, ut inquit, *ad forum Esii bovem flamma ex ipsius ore nata non læsit.* Alios tauros Ætæ finxit antiquitas fabulosa æreis pedibus nixos, ore ignem vomentes, quos *Apollonius Rhodius* in Archonauticâ expeditione *Jasonem* domuisse fingit. Verùm nos ejusmodi fabulas hic non prosequimur.

15. Idem suprà memoratus *Obsequens* inter prodigia relatum, inquit, Vidi *Coss. C. Valerio & M. Herenio in Lucanis gregem vervecum, cùm pasceretur nocte in stabulo flammam circumdatam nihil adusisse.*

Caro agnina lucens.

16. Narrat *T. Bartholinus de Luce Animal. cap.* 6. cùm Anno 1641 cum fratre suo *Casp. Bartholino Juniore ad* Montem Pessulum concederet, carnem agninam lucidissimè splendentem & totam viciniam clara luce illustrantem advertisse. Historiam, quam ille fusiùs recenset, contractiori nonnihil stylo ità ex ipso referre libet. Mulier quædam cùm emptam carnem adhuc calore congenito fumantem propter alia negotia coquere distulisset, in tuguriolo suo sequentis diei usum suspendit. Noctu vero nescio quo insomnio dùm quies excussa, & oculos graves huc illuc ægrè circumduceret, carnem suspensam mediâ nocte in obscuro angulo ità vidit lucentem, ut totam qua se diffundebat, cellam illustrissimo lumine repleret. Res ad vicinos summo manè delata certam stupendi miraculi fidem fecit. Hinc ad omnes perlata desiderio videndi cunctos pari sollicitudine excitavit. Catervatim accurrunt emendi & spectandi gratiâ. Portiuncula lucens ad Illustrissimum Principem provinciarum istarum nomine Christianissimi Regis Gubernatorem *Henricum Borbonium Condæum* allata, illius considerationem pariter & stuporem per aliquot horas meruit. Lux autem effulgens non ignea erat, sed alba, ut Stellarum non æqualiter totam carnis pinguedinem irrigans, sed hinc inde gemmarum lucentium ad instar inæquali splendore dispersa. Tempus durationis cum putredine terminatum est, cui sensim lux extincta cesserat. Extinctâ tandem luce tantus in carne successit nigror, quantus antè splendor præter aliorum putrescentium sortem, quæ in candorem solent faciliùs declinare. Memorat *Idem Bartholinus cap.* 4. *præced.* carnis etiam bubulæ mactata *Monspelii*, quæ similiter in carnario ibidem, ac præfata caro agnina luxit.

17. Aliam historiam carnis agninæ lucentis ex *Hieronymo Fabricio ab Aquâpendente* insigni Anatomico Patavino in singulari opere *de oculo visûs organo cap.* 4. *idem Bartholinus* affert his ferè verbis: Anno 1592, quo tempore Christi redivivi solemnia celebramus tres Romani juvenes studiosi & nobiles agnum emerunt, ejusque partem ipso Paschæ die commederunt, quod supererat, appensum (ut fit) quodam loco servârunt: atque eò noctu cùm venissent, candelarum specie complures illius agni partes collucere viderunt. itaquè agnum ad præfatum Anatomicum miserunt: quem cùm in loco obscuro contueretur, carnem & adipem tantùm argenteo quodam splendore nitere advertit, simulque observavit, particulam hœdinæ carnis, quæ illam agninam contigerat, itidem splendore perfundi. Quod si etiam aliquis easdem carnes digitis contrectaret, agninas, vel hœdinas; Statim digitis ejus splendor adhærescebat; nec digitis modò sed & faciei & cuicunque deniquè corpori, quod contrectaretur & obtineretur. Addit tandem memoratus *Patavinus ab Aquâpendente*, non se unum tantùm, ac domum suam, verùm etiam plerosque viros Patavinos hoc miræ lucis spectaculum observâsse.

Historia alia carnis agninæ lucentis.

Ignis ex canum pilis.

18. De Canibus & eorum incalescentium pilis sæpè compertum est quod si adversâ manu pertractentur, & crebrâ attritione demulceantur, igneum eosdem splendorem dispergere.

Ignis in pericardio Hyænæ.

19. Interiores quasdam faces ex Hyænæ catuli viventis disciffo pericardio in Ægypto vidisse se testatur *Veslingius* insignis Anatomicus, ut cor igneo quasi fulgore aliquantisper micuerit, mirante qui dissectioni curiosæ pariter & accuratæ tùm favebat, Illustriss. *Aloysio Cornelio* Venetorum in Urbe *Alcairo* Consule.

Ignis emicans ex oculis & pilis felium.

20. In felibus præter oculorum jubar, ex pilis etiam præsertim nigrarum & quidem ex earum demulsarum dorso facilè micantes scintillas excuti, notius est, quàm ut pluribus describi debeat, si nempè vel levi saltem frictione pilis comprimis in adversum reductis attrectentur; idque tanto evidentiùs accidit, quanto ad ignem priùs magis incaluerint.

Dracones flammivomi.

21. *Ælianus lib.* 16. *cap.* 39. scribit apud *Chios* fuisse in quâdam *Pellæi* montis valle enatum Draconem, qui cum ingenti sibilo flammas dùm respiraret, eructabat. Idipsum hoc etiam *Chelidro* serpenti attribuit *Lucanus lib.* 9. canens

- - - *tractique viâ fumante Chelidri,*

sunt & aliæ historiæ, quæ Dracones igneos cum flammarum eructatione visos testantur: cur verò ignem spirare videantur: Respondet *Kircherus in mundo subt. lib.* 8. *sect.* 4. *cap.* 2. illos viscosâ quâdam materiâ, cujusmodi nonnulli pisces, & putrida ligna, & cicindelæ constant, innatâ luce fulgente constare, quæ in tenebris vel maximè elucet; Undè homines dracones luce coruscos intuentes igneis corporibus constare sibi imagi-

imaginantur. Verùm Ego spiritibus ab exitiali eorum corpore genitus ac perfluxis plùs fortè tribuendum autumo.

Coluber ignis splendore. 22. Auctor historiæ Mexicanæ *F. Fernandez cap. 58. lib. 4. de rept.* meminit Colubri depicti ab *Igualâ* provinciâ missi, brachii crassitie & quaternos cubitos longi, qui nocturnis subtenebris splendere & lethalem morsum inferre solet.

Oculi viperarum & aspidum ignei. 23. Oculorum faces quasi ardentes in Viperis memorat *Arnoldus lib. de Venenis* ajens. *Vipera serpens est minimus, oculos habens valdè luminosos, quos igneos alii dixerunt.* Haud absimile de aspidis oculis prodidit *F. Ponzettus lib. 3. de Ven. cap. 11.* quos ignitis carbonibus similes perhibet. Aliud quoquè serpentum genus Stellionem fertur, sivè â notis, maculisque Stellarum æmulis, sivè â Stellarum luce vel figurâ.

Vermes igneo splendore lucentes. 24. Apud Indos in insulâ *Hispaniolâ*, ut recenset *Oviedus lib. 15. hist. Ind cap. 2.* multiplices inveniuntur vermium species, nonnulli ad humani digiti magnitudinem: in quorum junctarâ brachiorum lux plurima emicat; at caput ipsum non minore fulgore coruscat, quàm ardens carbò. In Historiâ quoque Mexicana *cap. 23. lib. de insectis*, memoratur vermis fulvus, teres, tenuis, & parvus, qui in tenebris mirum in modum lucere solet. Sunt & præterea *Vermes* alii, eodem *Oviedo teste*, noctu *adeò fulgidi, ut etiam eminus lucem mittant, atquè non minore intervallo eluceant, quàm passuum centum*: is fulgor non â toto est corpore, sed ab ipsis tantùm brachiorum juncturis (sivè ab intermodiis juncturarum, ut interpretatur *Thom. Bartholinus de luce brut. cap. 11.*) suntque iisdem pedes multi.

Cicindelæ lucentes. 25. Cicindelarum, quas & vocant nitedulas, nitelas, Luculas, vel Luciolas â nire insigni, vel luce, quàm in tenebris ex alvo emicant, sic dictas, duplex inter insecta genus est; aliud nempè alatum, aliud sinè alis. Singulare verò est, quod annotavit *Kircherus*, ut memoret *de Lum. & umb. lib. 1. part. 1. cap. 6.* se nempè dùm *Melitæ* degeret, ingentem ibi noctu lucentium deprehendisse multitudinem, magnumque earum numerum collegisse, ut & naturam earum observaret, & lucis hujusmodi animatæ originem penetiùs scrutaretur: notâsse verò animalculum voluntario quasi motu nunc retrahere, nunc eijcere lucidam illam materiam; prout amici aut inimici præsentiam præsentiebat: *nam*, ut inquit, *Velliculum lacessitumquè retrahebat, & post paululum temporis retrotractam reproducebat materiam, tùm autem vel maximè, cùm plures cicimdela sivè lampades simul ponerentur, quasi ambitiosâ lucis gloriâ gestiens superba luceniis humoris ornamenta vel maximè exercebat: diceres ipsam ut aspiceretur ambire.* Tempus porrò anni, quo splendore illo illustre hoc animalculum se magis conspicuum reddit, licet potissimùm sit æstivum; Ego tamen currente Anno 1691 ad initium Martii summâ mea & aliorum admiratione inter vix enascentes herbas comperi, cepi, mecumque tuli, ac vitreæ phialæ per aliquod tempus inclusum continui. Plura de ejusmodi insectis alatis scilicet maribus; inalatis verò fœminis, earum generatione & ovis etiam lucentibus consule *Th. Bartholinum de luce brut. cap. 12.*

Muscæ lucidæ. 26. In Insula *Solebe* muscas dari tàm excellenter nocturnis in tenebris splendentes, ut singulæ faces ardentes appareant, scribit *Libavius lib. 1. de Orig. rer.* quibus haud multùm fortè, dissimilis est musca illa, quam *Cælius Rhodiginus lib. 17. cap. 11.* scribit *Toleti* in macello unam per integrum annum insigni candore notabilem comparuisse.

Mirabiles Lampirides apud Indos. 27. Admirationem omnem meretur, quod narrat *Ovidus hist. Ind. cap. 8.* apud Indos Lampyrides spectari grandioris molis scarabæis non absimiles, quorum oculi elucent velut lucerna. *Noctu enim*, ut inquit, *non minore coruscatione aërem illustrant, quàm quævis candela cerea solet illustrare. Quin si quis noctu manu hoc animal deferat præ manibus facilè enim quisquè falli potest dùm ad eam accendendi luminis causâ accesserit, tantam veræ lucernæ procul speciem præ se fert. In cubiculis ardentes luminis vicem reddit perspicuam tùm legentibus, tum scribentibus, aut aliud opus perogantibus. Itinerantibus per Sylvas aut alia quævis loco tres quatuorve noctilucæ hujusmodi laternæ vicem præstant. Sed etsi turma, cohorsve proficiscatur, omnibus lux hujus noctilucæ vias dirigit, nec itinere ab errare permittit.* Magis admiranda addit deindè his verbis. *Solent plerique sibi vestes ex iis cincindelis conficere, & collo appendere noctu modo torquium, atque ex eâ copiâ tanta lux emicat, ut conspici possint eminus non paucis passuum millibus imò ultrà quatuor millia passuum; securiusque agitur cum hoc noctilucarum lumine, quàm cum reliquis facibus ignitis, quandoquidem ventorum impetus obesse nil possit: totaque hæc lux ab oculis tantùm micat. Habet autem prætereà consimilem lucem ab axillis, adeò ut volans longè fulgidiùs splendescat, quàm quiescens. Itaquè hujus fulgoris lumine integra familia mensæ, cœnæque accumbit. Hæc Oviedus.* Sed & plures alii meminerunt hujus insecti, velut *Ortelius*, *Nierembergius*, *Joan. Bapt. de Laët. &c.*

Erucæ splendentes. 28. Admiratione non vacat Erucis sericeis antè metamorphosin, cùm ad justam scilicet pervenerunt magnitudinem circà collum singularem splendorem enitescere circuli ad instar, ut notavit *Carolus Offredus.* Scribit & *Herrera* in montibus *Guatimalensibus* Novæ Hispaniæ erucas reperiri, quas nemo impunè ob veneni virulentiam attrectare audeat; habere verò ventri innatam quandam lucem sivè lampadem, quâ viatores moneat, ut attactum devitent.

Aves Hercyniæ illustres. 29. De avibus Hercyniis retulit *Plinius lib. 10. cap. 47.* illarum plumas ignium more collucere nocturnis in tenebris. Clariùs

riùs *Solinus in polyhist. cap. 20.* *Saltus Hercynius*, ait, *aves gignit, quarum pennæ per obscurum emicant & interlucent, quamvis densa nox denset tenebras* Undè subinfert *Th. Bartholin. de luce brut. cap. 14. homines plerumque nocturnos excursus sic destinant, ut illis utantur ad præsidium itineris dirigendi, præjactisque per opaca callium rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium.*

Ignea lux Galli, gallinæ & ovi.

30. Galli gallinacei *Monspeliensis* mirè lucentis *Idem Bartholinus loc. supracit.* meminit: addit & Gallinam â *Scaligero* exterioribus plumis fulgere visam, uti *Exercitat. 174.* enarrat. *Albertum* quoque *Magnum* addubit 2. *in Animal. tr. 3. cap. 12.* de viso ovo Gallinæ lucente & quibusdam gallis talibus & cicadis & hujusmodi animalibus.

Piscium genera quæ lucent.

31. Res satis nota & comperta, plures è piscium non tantùm vivorum, sed & emortuorum ac putridorum genere, ac comprimìs eorum capita, ossa atque spinas admirandam in tenebris lucem diffundere. Ità Lucius, Gobio, Rana piscatrix, tùm ostreacea, & crustacea, ut & reliqua Maris soboles, velut aspera Soleæ marinæ cutis, Osculum Erinacii marini atquè pastinacæ marinæ cauda miram lucendi vim obtinent. Imò quandoque Ostreæ in loco obscuro positæ tantum perfundere lumen comperiuntur, ut ab ignaris inter prodigia existimentur. In Scotiâ se vidisse testatur *Cardanus* in spinis quorundam piscium Lucem in nocturnis tenebris instar prunarum scintillantem, quæ tandem quinto post circiter die evanuit. In recenti quoque Jurunca pebâ, sive Itajarâ pisce squamoso in Brasiliâ lumen observâsse *Georgium Marcgravium* scribit *Joann. de Laët in hist. naturali.* Gammaros fluviatiles, eorumque frustra ac reliquias igneo fulgore præditas Romæ *Leonem Allutium* advertisse notavit *Th. Bartholinus de luce brut. cap. 15.*

Pholdus & Solenes marinæ mirè lucentes.

32. Pholades & Solenes marinæ Sobolis germina è testaceorum genere, quos quidam *Dactylos*, nonnulli *Cappas* longas appellant eâ naturæ proprietate pollent, ut in tenebris haud secùs atque ignis effulgeant: Triti quoque lumen velut scintillas quasdam ex se spargere advertantur, quemadmodùm *Melitæ* in Siciliâ, Calabria, & Ligustici Maris oris non sine admiratione â piscatoribus & nautis instructioribus se comperisse meminit *Kircherus Art magn. Lum. & Umb. lib. 1. part. 1. cap. 6. Idem* quoque seq. *cap. 7.* recenset, humorem aspergillo in tenebrosum aërem dispersum mox igneam quasi pluviam ostendere; manus etiam vetesque, & quidquid lucentis humoris glutine inficitur, non minùs ac scintillis, flammisque coruscum reddi dicit. In pulmone marino, sive Urticâ, dicto ità animali, quod verenda manusque uredine quâdam occultâ mirum in modum afficiat, similem liquorem observavit *Kircherus, ut ibidem* meminit, qui virgis illitus eas non secùs ac igne eoruscas in tenebris exhibeat.

Vermiculi lucentes in testis Conchyliorum.

33. In testis Conchyliorum *D. de la Voye* Parisiis observâsse vermiculos lucentes, qui facilè corrumpuntur, resoluti in materiam glutinosam & aquosam, quæ digitis attrectantium splendeat spatio 20 secundarum, & si particula ejus in terram decidat, speciem frustuli sulphuris inflammati præbeat, memorat *Diarium Eruditorum 31. Martii Anno 1666.* ac licet materiæ hujus lucidæ colores varii comperiantur, lumen tamen omnium violaceum esse compertam fuit. Plura de vermibus his vide in *cit. Diario.*

Pisces mirabili oculorum fulgore.

34. De insuitatæ tam magnitudinis quàm etiam nominis piscibus micanti oculorum face in Norvagico mari conspicuis refert *Olaus M. lib. 21. Hist. Sept. cap. 5.* Oculorum ambitus octo, vel decem cubitos excedere; pupillam verò unius cubiti rubeum & flammeum referre colorem, qui â longè in tenebrosis temporibus inter undas veluti ignis accensus piscantibus appareat.

Monstrum marinum valdè terrificum.

35. Dignum est & Monstrum nominis incogniti â *Bleskenio in Islandiæ descript.* memoratum, quod hisce Mirabilibus nostris inseratur. Hoc itaque menstrum Balenæ speciem referre dicitur, dumque caput ex marinis fluctibus exerit, homines quosque igneo suo splendore ità perterrere solet, ut ferè exanimati concidant. Corpus ejus nigrum esse perhibetur, atrisque pennis obsitum, dumque noctu conspicitur, igneis oculis totum caput è mari exertum illustrare solet.

Igneæ lucis ab halecibus evissio.

36. De Harengis piscibus testatur *Jonstonus in Thaumatographiâ piscium*, tam magnis simul agminibus illos natare ut præ multitudine capi nequeant: ventribus verò versùs summum æquor obversis lucere in aquâ, & tantum de se splendorem emittere, ut non solùm mare fulgurare hinc videatur, sed & vicinus aër ità illuminetur ut indè uberrimæ piscaturæ indicium præbeant certissimum. De oculis Halecis instar luminis noctu in mari lucentibus, fulguribusque & coruscationibus per æquora hinc excitatis etiam mentionem facit *Olaus M. lib. 20. Hist. Sept. cap. 29.* De Scorpii marini piscis exuviis & diversis luculis ex quatuor diversis captis partibus emicantibus suprà quemvis scilicet oculum una, & ad inferiorem mandibulam utrinque unà consuli potest *Bartholinus loc supracitato.*

Stellæ marinæ minoris ignea virtus.

37. Concludimus tandem hanc tractionem mirabili planè proprietate, quam Solertissimus *Plinius lib. 9. cap. 60.* addicit Stellæ marinæ minori his verbis. *Huic*, inquit, *tam igneum fervorem esse tradunt, ut omnia in mari contacta adurat. omnem cibum statim peragat.* Meminit etiam *Olaus Magnus lib. 21. cap. 37.* Atquè hæc de ignis, Lucisque miraculis in animalium æconomiâ compertis ex variis Authoribus collecta Lectori rerum mirabilium sciendarum avido ità ingenuè relata transcribimus; adeoque etiam verum esse ex hisce deducimus, quod *Plato in Timæo* scripsit: *ignis pro omnibus generibus*

neribus ex minimis partibus constat, undè per aquam, Terram & aërem & ea, quæ ex his constituuntur, secedit, & nihil ipsum continere potest.

§. IV.

Incendia memorabilia in diversis sæculis & locis Geocosmi.

Verissimè est illud à Sulmonensi Vate *Ovidio Nasone* decantatum

Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Cœperit, ardentes inferet ille faces.

Ita quidem nihil est igne ad humanos usus utilius, nihil ejus, nihil ejus virtute ad hominum, aliorumque animantium vitam tutandam, ac conservandam accommodatius, ut etiam inter gravissimas olim pœnas fuerit ignis & aquæ interdictio: Verùm ut omnia in usu tantùm bona solent esse; in abusu verò damna & detrimenta; ita etiam ignis, si temerè, si incautè, aut malitiosè tractetur, exindè lugendæ sæpè tragœdiæ ac funestæ calamitates enasci queunt, ut jam hoc ipso loco Curioso Lectori nonnullas recensere lubet.

Incendia funesta & luctuosæ quædam Exustiones à causâ & origine mirabiles.

Incendium comparandi nominis causâ. 1. Famosum est de celeberrimo per *Orbem templo Dianæ Ephesiæ* illud à nequissimo *Erostrato* immisso in illud igne hac solâ de causâ incensum fuisse, ut hoc nefando scelere æternum sibi nomen apud posteros compararet.

Roma per ludum incensa. 2. Neroniana crudelitas ac Tyrannis proverbio etiam celebris adeò desæviit, ut magnam Urbis Romanæ partem obscuris ædibus infamem per ludum incenderit, ut *Trojæ* repræsentaret incendium. Hujus deindè culpam pœnamque in Christianos transtulit, quos *Romæ* ideò edictis insectatus est primus. *Tursellin. Epit. hist. lib. 4.*

Falso persuasu plures combusti. 3. In excidio Hierosolymitano, cùm ex populo Judæorum sex millia in porticum templi, quæ sola restabat, confugissent, falso persuasu Prophetæ cujusdam, quasi ibi signa salutis à Deo accepturi essent, igne injecto à Romanis omnes ad unum periêre. *Joseph. lib. 7. belli judaici.*

Incendium è terrâ obortum. 4. Sub *Tito* Imperatore incendio è terrâ oborto *Romæ*, *Serapidis*, & *Isidis* fana, septa, templum *Neptuni*, Thermæ *Agrippæ*, *Pantheon*, Diribitorium, Theatrum *Balbi*, Scena *Pompeii Octaviæ* porticus cum Bibliothecâ, Templum *Jovis* Capitolini cum Fanis suis vicinis igne consumpta periêre; & malum id divinum potiùs quàm humanum fuisse *Dion* asserit.

5. Constantinopolitanæ Urbis incendium, quod Anno Chr. 465 contigisse *Evagrius* notat: ità *Sigonius lib. 14. Imp. Occid.* descripsit: *Dæmon quidam mulieris pannosæ, ac stipem corrogantis speciem gerens eâ horâ quâ lychni accendi solent, lucernam in forum detulit, quasi aliquod salsamentum empturus, ac relictâ ibi lucernâ dis-essit. Flamma indè è lucernæ stuppâ erumpens horribile fudit incendium, quo ædificia circumforanea subitò correpta flagrârunt, indè proximis comprehensis ædibus passim ad universam Urbem ea calamitas serpsit, in quo desperata salus usquè adeò laboravit, ut Aspar Patricius Dux clarissimus aquam ad id restinguendam humeris suis attulerit, & singulis opem ferentibus nummos aureos pro mercede promiserit. Quatriduò Urbem flamma depasta est; imprimis curia arsit, quo Senatus convenire solebat & Nymphæum, in quo qui propriis ædibus carebant, sponsalia celebrabant, Regia, Templaque Urbis celeberrima ac Nobilium ædes magnificentissimæ multæ item accensæ.* ità *Signonius.* Incendium Constantinopoli à Dæmone.

6. Anno decimo *Leonis Isauri*, Christi 927 æstivo tempore vapor, ut ex camino ignis visus est ebullire *inter Theram & Therasiam* insulas ex profundo maris per aliquot dies, quo paulatim incrassato & dilatato igniti æstus incendio totus fumus igneus monstrabatur. Porrò crassitudine terrenæ substantiæ petrinos pumices grandes ut cumulos quosdam transmisit per totam minorem Asiam, & Lesbon & Abydum, & maritima Macedoniæ trajecit, ità ut tota superficies maris his pumicibus esset repleta. In medio autem tanti ignis insula ex terræ congerie facta, insulæ, quæ *Sacra* dicitur, copulata est nondum prius existens. *Paul. Diacon. lib. 21. Rer. Roman. & Cedrenus, ac Sigonius lib. 3. Reg. Ital.* Incendium è mari erumpens.

7. *Guilielmo* Normanno Angliæ Regnum occupante, Angli exules, ut *Polydorus lib. 9.* memorat, *Canutum III.* Danorum Regem in insulam duxerunt *Eboracum* versùs. Normanni, qui Urbis præsidio relicti erant, ne suburbana ædificia Danis usui forent, incenderunt. At subortus repentè ventus vagantem flammam adeò in altum lateque evexit, ut ignis frequentes globi intrà mœnia cadentes majus intrà, quàm extrà incendium fecerint, quo penè omnia ædificia cum Templo *D. Petri* absumpta sunt. Quarè omne præsidium, ac cives exire compulsi confertim fugientes in hostes, qui jam appropinquabant, inciderunt. Urbs à suburbio spontè incenso præter opinionem concremata.

8. *Hadingus*, Danorum Rex, *Handuanum* Hellesponti Regem in *Dunâ* urbe obsidens diversi generis aves loci illius domicilii assuetas capi jussit, earumque pennis accensos igne fungos suffigi curavit. Illæ propria nidorum hospitia repetentes urbem incendio compleverunt. Cujus extinguendi gratiâ concurrentibus oppidanis vacuas defensoribus portas reliquerunt, itaque *Handuanum* cepit. *Saxo lib. 1.* Incendium ab avibus excitatum.

9. Sub *Alexandro III.* Scotorum Rege tribus aut quatuor diebus à festo Epiphaniæ Ventorum tanta tempestas cum ingenti grandine Ab ingenti tempestate ignis difflatus incendiorum causa.

grandine per totam Scotiam facta est, ut dejectis passim ædibus ignis ex focis enatus pagos complures ac oppida perdiderit. Incensis turribus altis campanæ partim confractæ, partim liquefactæ, tùm aliæ, tùm præsertim templi Arbitbrothii cum ipsis unà absumptæ. Insignia prætereà oppida *Aberdonia & Perthum* majori ex parte conflagrârunt cum pagis. *Hector Boët. lib. 15.*

Urbs per corvos incensa. 10. Sub *Philippo II.* Rege Francorum *Carnutum* urbs incendio fortuito maximâ ex parte fœdata est. Ædes Virginis cremata & septum, in eóque quam plurimi mortales absumpti. In Bellovacorum finibus corvos rostro carbones candentes tectis intulisse, incendiumque conflâsse, creditum est. *Æmil. lib. 6.*

Schiltachum oppidum à veneficâ mirabiliter incensum. 11. Oppidum Germaniæ *Schiltachum* 4 Idus April. qui dies erat Jovis ante pascha, Anno à Christo passo 1533 conflagravit à Venefica incensum, uti *Henricus Glarcani* refert, & *Cardanus lib. 19. de subtil.* dæmon sibilo signum dedit è quadam ædium parte. Caupo suspicans furem esse, ascendit, neminem reperit. Sed idem signum rursus ex altiori cœnaculo redditum est; & huc conscendit caupo furem persequens, cùm nec illic quisquam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarii: illicò tetigit cauponis animum esse dæmoniacum quiddam; jubet suos esse præsenti animo. Acciti sunt sacerdotes duo, adhibitus exorcismus; Respondit se esse dæmonem. Rogatus quid illic ageret; ait, se velle exurere oppidum. Aliquandò post mulierculam, quâ cum habuerat consuetudinem annis 14 sustulit in aërem, imposuitque fumarii fastigio; tradidit ollam, jussit ut inverteret; invertit, & intrà horam totum oppidum exustum est.

Calcaria aurata causa incendii. 12. Bello Flandrico Anno 1382 *Curtracum* receptum Franci incenderunt ex irâ, quod in æde sacrâ viderent affixa aurata calcaria Francorum Procerum prælio Curtracensi ab Anglis cæsorum octoginta antè annis, cùm Robertus *Atrebas* occidit. *Æmilius lib. 9.*

Pueri funesta combustio. 13. Terribile planè est, quod *Fulgosius lib. 9. cap. 2.* recenset, *Othonem Antonium* Montis Ferrati Comitem atquè *Urbinatium* Principem puerum, quem in cubilis ministerio habebat, linteo resinato atquè sulphure perfuso involutum vivum in candelæ morem combussisse, quod horâ, quam ei præfixerat, se non excitâsset.

Casarum incensionis causa mirabilis. 14. *Jacobus de S. Andrea* Patavinus Nobilis à *Dante Aligerio* meritò apud Inferos inter prodigos collocatus cum magno aliquandò comitatu ex Venatione imbre madidus & algens rediret, paleariam tegetem cujusdam Rustici accendit, ut repentè se & socios sine morâ exsiccaret, pro eo verò damno illato dedit Villico decem terræ jugera majoris proventûs & pretii, quàm tres tegetes, quippè qui *Cortarodulum* & *Marsangum* ac *Manfredolium* vicos Citadellæ subjectos penè totos possideret. Dùm & ruri aliquandò esset, & amicos quosdam per noctem adventantes præstolaretur, & luminis & gaudii testandi causâ jussit agrestes aliquot & humiles casas seorsim ab aliis juxtà viam positas incendi. Tandem ob immensas divitias & amicitiam cum *Accio* Estensi habitam, *Acciolino* Tyranno suspectus redditus cum aliis multis occisus est. *Bernard. Scard. lib. 3. hist. Patav.* Addimus & hoc, licet hujus loci non sit, cùm tamen admodùm sit mirabile, reticere vix possumus. Tanto ludibrio huic Nobili verè prodigo fuisse divitias, quod cùm *Venetias* aliquandò veheretur, nec haberet, quibuscum aleâ luderet, ne prorsus otiosus sederet, argenteos, aureosque nummos perindè atquè lapillos è navis prorâ in subjectum amnem jactarit, quotque saltus quilibet faceret in summâ undâ, annumerârit.

15. *Venetiis* claro ac sereno Cœlo Anno 1507 urbanis in navibus, dum pulverem ad tormenta exercenda confectum in arculas ligneas Operæ infarciunt ictu mallei favilla emicuit; ea ingentem mox ejus pulveris acervum comprehendit, disjectisque immani cum fragore, ac tonitru terræque motu ejus conclavis, in quo assumebatur, parietibus & tecto, ut tegulas, asseres, tignaque ipsa longo per aëra tractu volantia ignis vis atquè impetus in diversa tulerit, fumo & caligine urbem totam puncto temporis integens civitatem perterrefecit: Senatúsque, qui habebatur, miraculo exterritus in forum frequens descendit. Eo igne & cadentibus passim iis, quæ sublime ierant, fragmentis, ex Fabrûm collegio quamplurimi, Magisterque ipse fabrûm & honesti aliquot homines interiérunt, habitaque pro ostento res fuit, ità *Bembus lib. 7. hist. Venet.* Ictu mallei lugubre incendium.

16. Narratur ab *Æmilio lib. 10. & Fulgoso lib. 9. cap. 12.* de *Carolo VI.* Francorum Rege, eum, cùm adulta quædam Virgo nuberet cuidam Nobili adolescenti in aulâ gratissimo nocturnis ludis, cœtero ornatu deposito, vultu in Leonini oris imaginem personato, reliquum corpus pice delibutum, multoque lino depexo ac in villos confecto ità contexisse, ut hispidi ac semiferi portenti speciem præberet spectatoribus: Alios item quinque similiter personatos in cœtum principum matronarum ac virorum prodiisse, resteque data in orbem choreas duxisse; Totâ etiam ex regiâ cùm factus fuisset concursus ad picatorum spectaculum, *ac Ludovicus* Aurelianensis Dux, Regis frater studio clariùs personatos videndi facem propius admovisset, scintillam ex eâdem in Regem fortè incidentem repentinum in omnes illos personatos effusâ flammâ conflasse incendium: Quo factum, ut duo inopes auxilii consiliique pertinaci conflagratione miserabili fœdoque nidore tosti perierint: Duo inter manus elati, cùm biduum animam traxissent, etiam lamentabiliter exspirârint; unus ruens in propinquam promi cellam aquâ vinoque cùm se perluisset, salutem sibi pepererit; Exustio personatorum in aulâ regiâ Gallicanâ.


Heu triſtes curas! Heu quæ tormenta doloris!
Vulcano ſuperante ferus cum ſidera lambit
Ignis, et ex omni manant incendia tecto.



pepererit: concursu verò præ cœteris ad Regem facto, antequam ad vivum flamma jam corpus lambens pervenisset, Uxor Regis *Biturgis*, veste ut caudatâ fluxâque erat, Regem involens ignem restinxerit, itaque ab exustione liberârit.

Exustio memorabilis Caroli Regis Navarræ. 17. Eodem narrante *Æmilio lib. 9. Carolus* Navarræ Rex Francorum Regis gener sub *Carolo VI.* Anno 1387 exustione mirabiliter interiit. Nam cùm ad morbum ex intemperantiâ libidinis contractum, quo viribus penè exhaustis & enervatis valdè conflictabatur, depellendum linteo fuisset insutus, quod vino adusto omninò erat intinctum, ardens verò candela ab incauto sartore ad exurendum ex acu filum propiùs fuisset admota, flamma portinùs fusa ità insutum Regem adussit, ut intrà biduum expirârit.

Exustio personarum in arce Hohenloensium Valdenbergâ. 18. Funestum ac tragicum memorabilis illustrium virorum exustionis exemplum etiam habemus in arce *Valdenbergâ* apud *Eberhardum* Hohenloënsem Comitem: Convenerant illuc Germani aliquot Comites tempore bacchanalium, ut verò Nobilibus matronis & Virginibus, quæ aderant, ludicrum de nocte spectaculum exhiberent, Faunorum personas multâ stupâ lineis vestibus pice, resinâque agglutinatâ imitati, sub facibus progressi convivas ad ludum & saltus provocarunt. Ludo intentis omnibus accidit, ut malè auspicatâ tesserâ in terram fortuito casu delaberetur. Eam puer personatus dùm repetit, funalis incautiùs adhabiti flamma concepta opem adstantium implorare cœpit. *Eberhardus* pro suâ pietate puero opitulaturus, eodem malo correptus socios reliquos inflammavit. Novitate rei adstantes primùm delectati, mox ubi ex horrendis clamoribus rem seriam agi viderunt, ad labrum proximum pro dubio eventu cautè anteà repletum aquâ certatim omnes accurrunt: Sed aqua omnis, incertum quâ forte, exaruerat. Erat qui psyeterem aquâ plenum afferret, sed in ipso limine præ nimiâ festinatione collapsus aquam effudit. Alterius cadus ligneus aquam jamjam infundere parantis fatiscens auxilii desperatione calamitatem non abstulit, sed auxit. Vix tandem copiosâ veste injectâ sopitus est ignis, ut personæ quidem illæsæ, nisi quantum de stupâ picatâ flamma absumpserat; carnes verò subjectæ tàm miseris ustulatæ modis fuerunt, ut nullis medicamentis vel ardor conceptus extingui, vel dolor mitigari potuerit, adeòque paucis post horis *Greg.* Tubingensis, *Albertus & Eberhardus* Hohenloënses Comites in ipso ætatis flore vitam cum morte commutarunt Anno Chr. 1570. Adeò flamma vorax serpit celerrimè, non parcit ubi sæviendi concepit vires; adeò ludere ad flammas, lusus est non tantùm dubius, sed periculo plenus, vergit pronissimè ad malum maximum.

19. His adnectere lubet lugubre & hactenùs penè inauditum, proximo abhinc anno 1689 die 19 April *Hafniæ* in Daniâ mirabiliter inter ludicra enatum incendium, quod nempè inopinato ædem Comœdiæ per Galliæ Comœdos actæ & in Regis favorem habitæ; ideò etiam singulari placito & pretio Regis ex asseribus propè arcem *Amalienburgum* exstructam fortuito lampadis casu corripuit: ubi frutices & arbusculas Juniperinas studio antè pro scenâ vel exornandâ, vel ad ipsam accommodas, sparsim dispositas subitò incendit: conceptâ autem flamma dùm voracitatem amplè naturæ suæ genio protendit, locum totum fumo & igne indomabili mox replevit: undè ludente Tragico Actore Vulcano trecenti homines diversi sexûs, ætatis, statûs & dignitatis implexi & impediti igne fatali miserabiliter exusti periêrunt. Ipsa etiam propinqua arx cum vicinis ædibus flammâ volante involuta tandem in cineres lugubres desedit. Atquè isthæc incendia & exustiones mirabili sæpè de causa enatas adduxisse sufficiat; plurium exempla passim apud Historicos reperiet Lector. Nunc tantùm superest, ut incendiorum memorabilium Chronicon â Nato Salvatore subtexamus. Hafniense incendium theatrale cum ædificiis propinquis.

CHRONICON

Incendiorum memorabilium in diversis Sæculis & locis Geocosmi à nato Christo Salvatore.

An. Christi

73 Hierosolyma à Tito capta & concremata cum Templo totius Orbis celeberrimo. *Josephus & plures alii.*

139 Tactum de Cœlo Capitolium & magna bibliotheca Romæ conflagravit. *Theoph. Raynaud. in Chronico.*

193 Pacis templum cum universis spoliis ex Templo Hierosolymitano illic à Vespasiano repositis cum palatio & magnâ Urbis parte repentino in incendio absumptum est. *Idem ibidem.*

249 Roma nocturnis ignibus incensâ magnâ ex parte in cineres abiit. *Idem.*

254 Amphitheatrum Romæ incendio destructum. *Idem.*

263 Templum Dianæ Ephesinæ illatis facibus combustum. *Idem.*

337 Templum Delphicum nefariis ibi Sacris operante Juliano fulminibus deletum. *Idem.*

419 Roma ab Alarico Gothorum Rege capta, atque ex parte incensa fuit. *Orosius & Paul. Diaconus.*

451 Aquileja ab *Attila* Hunnorum Rege capta & incendiis deleta. *Sigonius lib. 13. Imp. Occid.*

457 vel ut alii 459 Roma à *Genserico* non solùm direptione, sed & incendio deformata fuit. *Evagrius lib. 2. cap. 2.* Sub *Totila* denuò miserabile passa fuit excidium: Capitolium incensum, mox passim ædificia publica & privata subjecto igne deflagrârunt, Urbsque tota vastata & excisa fuit. *Sabell. lib. 4. Enn. 8.* A *Roberto Guiscardo* ad liberandum *Gregorium VI.* Papam rursùm incensa à Campo Martio usque ad S. Sylvestrum & S. Laurentium In Lucina incendio consedit. *Crantzius lib. 5. Saxon. cap. 10.*

465 Incendium prodigiosum Constantinopoli à Dæmone mulieris pannosæ ac stipem corrogantis speciem gerente excitatum. *Evagrius & Sigon. lib. 14. Imp. Occid.*

476 Bibliotheca Constantinopolitana continens librorum millia centena vicena in cineres desedit. *Raynaud. in Chron.*

718 Saracenica classis navium trium millium igneâ grandine cœlitus tacta vix quinque navibus salvis ultorem sensit Deum. *Idem.*

726 Incendium Bibliothecæ Constantinopoli tricenorum & trium millium voluminum. *Idem.*

847 Urbs Paderbornensis præviis ostentis in Cœlo cum Ecclesiâ incendio conflagravit. *Lycostr. in prod. Crantzius lib. 6. Metrop. cap. 23.*

864 Saraceni ex Africâ in Italiam magnâ classe navigantes, Beneventanorum fines hostili more aggressi omnia igne ferroq; depopulati sunt. *Tritbem. in Chr. Hirsaug.*

873 Wormatia ictu fulminis incensa conflagravit. *Marianus Scotus.*

893 Oppidum Bingionum vulgò *Bingen* à Nortmannis injecto igne funditùs destructum fuit, atque deindè trans fluvium *Naham*, inter hunc nempè & Rhenum reædificatum. Eodem quoque anno ab iisdem Nortmannis Castellum Osterburgum in Navagio situm juxtà villam *Stauronesum* vulgò Creutzenach cum omnibus in circuitu villis in favillam redactum. Indè moto exercitu etiam *Castellum S. Rufi* funditùs eversum incensis & desolatis in omni circà regione villis & hominum mansionibus cunctis. Tandem & *Moguntia*, *Wormatia* atque alia loca ad Rhenum igne consumpta fuerunt. *Tritbem. in Chron. Hirsaug.*

926 Ungari Salardo Duce Italiam pervagantes *Papiam* obsidione cingunt, capiunt & incendunt multis hominum millibus interfectis. *Idem.*

938 Tria Ordinis S. Benedicti Monasteria incendio periêrunt, videlicet S. Bonifacii *Fuldense*, S. Galli in *Sueviâ*, & *Scutterense* in Alsatia, quod *S. Pyrminius* olim Episcopus Meldensis in Gallia fundavit. *Idem.*

940 Rex *Otto* Lotharingiam cum suorum exercitu ingressus omnem circà regionem igne ferroque vastavit. *Idem.*

901 Ignis è Rheno exortus ingentem calamitatem edidit. *Raynaudus.*

1004 *Papia* ut fortuito, sic miserabili incendio propè unversa consumpta fuit. *Sigonius 7. Regn. Ital.*

1071 Mediolani incendium excitatum, quo magna pars Urbis ad solum exusta est. *Idem 9. Regn. Ital.*

1081 Civitas Moguntina ex maximâ parte incendio conflagravit, principali & aliis tribus Ecclesiis sive Monasteriis consumptis. Item hoc ipso anno in Vigilia Paschæ Bambergensis Ecclesia Major cum domiciliis in vicino positis circumquaque non paucis incendio concremata fuit. *Trithemius in Chron. Hirsaug.*

1092 Rex Teucrorum nomine *Betzeth* Græciam mari transmisso cum maximo suorum Exercitu ingressus omnia devastavit, urbes nonnullas cepit, incendit & solotenùs æquavit. *Idem.*

Venetam

An.Christi

1109 Venetam Urbem duplex incendium unum post alterum duorum mensium spatio inter utrumque interjecto absumpsit; sed posteriùs multò fuit calamitosius 16 Insulis continuâ clade consumptis, & cum his parte unà Ducariæ domûs. *Sabell. lib. 4. Enn. 9.*

1112 Plusquàm dimidia pars Moguntinæ urbis incendio periit unà cum bis mille hominibus, inter quos & Ducissa Lotharingiæ *Mathildis* numeratur. *Valent. Manc.*

1127 *Osterburgum* incendio deformatum, ac penè totum periit. *Beyerlinck in Theatro.*

1129 *Cracovia* Poloniæ Metropolis penitùs conflagravit. *Cromerus lib. 5.*

1135 In Galliâ tellus præ calore flammas emisit. *Raynaudus in Chronico.*

1136 Moguntia & aliquot Monasteria Spiræ atque Argentorati & tota penè Goslaria & Salinæ Saxonum uno eodemque die conflagrârunt. *Chron. Saxoniæ.*

1152 Dimidia pars oppidi Audomari cum Templis SS. Dionysii Joannis & Martini surgente incendio ex Cœnobio S. Bertini nonis Septemb. conflagravit. *Chron. Flandr.*

1154 Patavium incendio vastatum est exustis 2614 ædibus. *Bucelinus.*

1160 Nonis Aprilis urbs Frisingensis penitùs cum universis templis, Sacerdotumq; contuberniis cœlesti igne absumpta fuit. *Radevicus lib. 4. cap. 13. de Gestis Friderici.*

1174 Patavium quarto nonas Mart. ferè totum à scelesto quodam injecto igne absumptum fuit, cùm anteà à Longobardis etiam atque indè adhuc paulò ultrà ab Attila fuisset excisum & incendio penè devastatum. Ultimâ verò clade ad 2614 domus conflagrâsse memorantur. *Bernard. Scardeonis in histor. Patavinâ.*

1188 Die 28. Octob. Bardluicum incendio deletum. *Crantzius lib. 7. Saxon. cap. 7.*

1209 Lubeca usq; ad quinque domos incendio deperiit, quæ idcircò adhuc hodiè nomen retinet, vocaturque locus vulgò *Vicus quinq; domorum. Crantzius lib. 7. Vand.*

1215 Die 2. Maji Urbs S. Galli incendio tota periit excepto Monasterio. *Stumpfius.*

1234 Die 22. Junii Wormatia casuali igne de nocte succensa, cujus pars magna non sine multorum dispendio civium miserabiliter consumpta est. *Trith in Chr. Hirsaug.*

1240 Lubeca ad mediam ferè partem incendio miserabiliter exusta fuit. *Crantz. l. 7. Vand.*

1242 Die 13. mens. April. hora vesperarum casuale incendium Wormatiæ ortum majorem Urbis partem consumpsit, & damnum civibus ingens attulit; in quo quidem incendio plusquàm trecenti homines perierunt. *Idem.*

1258 Basilea Raucorum unà cum summo templo incendio fortuitò conflagravit. *Beyerlinck in Theatro.*

1276 Lubeca incendio valdè deformata fuit. *Crantz. lib. 7. Vand.*

1286 Berna Helvetiorum incendio tota periit. *Beyerlink in Theatr.*

1289 Tripolis Urbs à Mahometanis expugnata, incensa & funditùs eversa. *Æmilius lib. 8.*

1294 Basileæ Raucorum in cendio ædes sexcentæ absumptæ fuerunt. *Beyerl in Theatr.*

1297 Carliolum facto intùs incendio Scoto exploratore in cineres concidit. *Polydorus lib. 17.*

1308 Romæ Ecclesia S. Joannis Lateranensis cum palatio & universis Canonicorum mansionibus igne consumpta est præter Capellam solam, quæ *Sancta Sanctorum* nuncupatur. *Trithem. in Chron. Hirsaug.*

1314 Constantia ad lacum Podamicum igne in ædibus Judæi excitato, qui ob religionem Sabbathi manus igni extinguendo admovere nolebat, ingenti damno plurimùm deflagravit. *Stumpfius.*

1337 Rotavila Imperialis civitas fulmine incensa ac miserè devastata est, sexaginta etiam hominibus cœlesti flammâ consumptis. *Rockenbachius.*

1368 Urbem S. Galli ignis invasit, & haud exiguam ejus partem absumpsit. *Stumpfius.*

1372 Schaffhusia igne fœdè devastata est, ut vix quarta pars integra & intacta remanserit. *Idem.*

1380 Berolinum igne sic fuit exustum, ut vix aliquæ ab exustione domus intactæ remanserint. *Beyerlinck in Theat.*

1383 Berna Helveticorum magna ex parte conflagravit. *Idem.*

1417 Basileæ Raucorum à Xenodochio usq; ad D. Albanum 300 domus conflagrârunt. *Id.*

1418 Mense Aprili Urbs S. Galli cum Cœnobio igne vastata est, tantùm 17 domibus residuis. *Stumpfius.*

1423 Massilia ab Alphonso Aragonum & Siciliæ Rege direpta & incensa fuit. *Caracell. lib. 1. belli Hispan.*

1424 Tribus uno tempore locis satis dissitis (quod prodigii loco habitum est) exorta sunt incendia; Gedani scilicet in Prussiâ, Tanclemii in Vandalia, Duderstadii in Saxoniâ; Ecclesiæ etiam & Cœnobia unà conflagrârunt cum multis mortalibus. Ferunt nullâ vi aquæ, nullâ denique subversione domorum succurri potuisse, donec à fundamentis omnia consumerentur, quæ illud incendium attigerat. *Crantzius lib. 11. Vand. cap. 2.*

1462 Cracovia horrendo incendio in Cœnobio PP. Dominicorum exorto miserabiliter arsit, ità ut dimidia ferè pars Urbis ad Meridiem & Occidentem Solem vergens absumpta fuerit *Cromerus lib. 24.*

1472 Erfordiæ magna pars incendio periit. Concrematæ sunt & duæ Ecclesiæ Collegiatæ cum ponte Mercatorum & insigni Urbis parte. *Crantzius lib. 12. Saxon. cap. 10.* Volunt quidam 6000 ædificia ab igne tunc consumpta fuisse.

Ultimo

An. Christi

1493 Ultimo die Maji Cracoviæ atrox incendium post Occasum Solis grassatum maximam Urbis partem, quæ ad Septentrionem & Occidentem Solem vergit, cum tectis turrium, mœnium, atque templis absumpsit. *Cromerus lib. 30.*

1494 Arbor felix Urbs ad lacum Podamicum sita incendio tota periit subjecto igne à quibusdam nebulonibus in prytaneo Arbonensi à teneris educatis, quorum pater suspendio à Magistratu fuerat necatus. *Stumpfius.*

1509 Feldria à *Maximiliani I.* Rom. Imp. militibus incensa conflagravit. *Bembus l. 9. Hist. Venet.*

1514 Tertio Idus Jan. Venetiis de primâ Vigilia in Riualto frequentissimâ Urbis regione repentinus & validus ignis multiplicis mercimonii tabernas primùm inflammavit: mox verò juvantibus ventis Aquilonaribus ingens & horrendum damnum ædificiis attulit. *Jovius lib. 12. Histor.*

1518 Mense Junio horrendâ tunc Cœlo eclipsi Solis dominante *Viennæ* maximum incendium excitatum fuit, quo platea amœnissima Urbis, quæ Cantorum vulgò dicitur, magnâ ex parte exusta fuit. *Cuspinianus.*

1524 Trojæ in Campaniâ 5000 ædificia incendio consumpta fuerunt. *Nemoperegrinus.*

1535 Berna Helvetiorum gravissimo incendio devastata fuit.

1540 Insolitus per Europam æstus multa passim excitavit incendia, potissimùm in Saxoniâ, Bohemiâ & aliis locis.

1542 Francisco Gallorum Rege adversùs Carolum V. Cæsarem dimicante, ejusq; ditiones passim invadente Longevallus Princeps adjunctâ Martino Rossenio, coäctisq; aliquot peditum equitumque millibus Belgium ex improviso invasit, & passim omnia incendiis & cæde devastavit. Undè hodienum nomen Rossenii apud Belgas probrosum est, & à pueris decantatur. Eo quoque tempore duo Martini Ecclesiam turbabant; hic quidem rapinâ & incendiis eam fœdando, & Martinus Lutherus erroribus eam involvendo. *Chronicon Surii.*

1564 Mechlinia oppidum Brabantiæ pulcherrimam incendio miserabiliter destructum fuit fulmine in turrim, quâ pulvis pyrius reconditus erat, dejecto. *Sur. in Comm.*

1571 Mense Majo ipso Ascensionis Domini Festo Urbs Moscha à Tartaris Præcopensibus funditùs exusta cum ingenti & innumerabili hominum multitudine in urbe & arce flammâ fumoque suffocatâ & combustâ.

1576 Constatinopoli incendium pergrassatum damnum suprà 100000 flor. æstimatum attulit. *Nemoperegrinus.*

1600 Die 4 Martii Herbipoli arx monti proximo imposita Marienburgum conflagravit.

1621 Holsatia, Franconia aliæque Catholicorum provinciæ & ditiones à collectis Copiis Mansfeldii incendiis & rapinis plurimùm fœdatæ fuerunt. *Beyerlinck in Theat.*

1622 Henricus Nassoviæ Comes Mauritii Orangiæ Principis frater ineunte vere aliquot equitum turmas inopinatò in *Brabantiam* duxit, pagosque plures & templa incendit, eoque facto Henrici incendiarii nomen, titulumque apud Brabantes demeruit. *Idem.*

1662 Passavium ferè totum incendio periit.

1666 Die 2. Septembr. *Londini* in Angliâ ingens excitatum incendium in domo cujusdam pistoris, quo per quinque dies flagrante duodecim millia domorum, atque octoginta Ecclesiæ (quidam plures volunt exustas) in rogum conversæ considerunt; has inter & celeberrima ad S. Paulum fuit, quæ inter maximas totius Christiani orbis computatur. Vide *Happelii Relationes Curiosas.*

1668 Nova aula Imperatoris Viennæ vastatur incendio.

1670 Ab hoc anno & deinceps per plures annos Galli Hollandiam invaserunt, Belgium deindè & regiones varias Superioris Germaniæ ad Tractum Rheni, Mœnique igne & ferro subverterunt.

1681 Neapoli in Februario Theatrum *S. Bartholomæi*, postquam musicalia opera ibidem peracta, insciâ causâ in cineres penitùs desedit; damnum ad 25000 ducatorum æstimatum est. *Diarium Europ.* Eodem anno Florentiæ Ducis de Toscana palatium conflagravit damno 200000 Scudi.

1683 Turca Hungariam & Austriam ingentibus copiis invadens rapinâ, ferro & incendiis omnia circumquaque loca devastavit; ex quibus numerantur potissimùm quæ sequuntur, vulgò sic dicta: Ebersdorff, Vischamund, Hainburgum, Lützeldorff, Bischoffdorff, Hundtsheimium, Kitzee, Brillenkirchemium, Kleenburgum, Schwagarium, Enzerdorff, Gallenbrün, Bruck ad Leitham, Arx Petronella, Stixneusidel, Schwadorff, Rackendorff, Ramersdorff, S. Margaretha, Oberlaxendorff, Sarndorff, Mosbrunna, Götzendorff, Greimand Neusidel, Neudorff, Hainberga, Wienerherberg, Wulffendorff, Achau, Leopoldsdorff, Laxenburgum, Rheinberga, Underwaldersdorff, Muckendorff, Pottendorff, Dranavium, Günterdorff, Inzendorff, Liechtensteinium, Giessibel, Stegfurtum, Draskirchemium, Waltersdorff, Schönavium, Tettendorff, Sigersdorff, Wintpässing, Sols, Vischa minor, Badena, Stinckenbrun, Driebwinckel, Leichersdorff, Satenacum, Harsteinium, Weissenbachium, Signfeld, Ad S. Crucem, Altmarck, Joannisstein, Lumpenburgum, Bergecka, Drienst, Fischenmünd, Winckelberga, Mitterkasten, Altenburgum, Arnsteinium, Rapotn, Heiderbachium, Reithobachium, Pottenbrun, Mannersdorff, Bixndorff &c.

Die 23.

Anno Christi.

1685. Die 3. Julii suburbium *Riganum* in Livoniâ ignes conceperat, quibus omnium tam Polonorum, quàm Russorum mercatorum fornices cum tribus millibus privatis domiciliis trium horarum spatio flammis consumebantur. Similiter & Revalia in Livoniâ paucis domibus exceptis flammis devorata fuit. Eandem incendiorum injuriam oppidum Budstadt 8. Julii: & die 14. ejusdem mensis Urbs Bruna experiebantur. Lobarium quoque Borussiæ oppidum mense Julio fulmine incensum totum deletum fuit.

1688. Galli rupto fœdere, ingenti perfidiâ Imperium Romanum invaserunt, Philippsburgum expugnaverunt, indignis deindè modis immaniterque nobilissimas Germaniæ provincias, Palatinatum nempè universum, partemq; magnam Sueviæ Ducatûs Würtemburgici, Marchionatûs Badensis, ut & Franconiæ incendiis, rapinis, imperatisque immensis tributis & collationibus contra datam sæpe fidem exhauserunt & devastârunt.

1689. Pragæ in Bohemiâ immisso clam igne per conductitios à Gallis, eorumque factioni addictos, ingens incendium in Judæorum coloniâ exortum fuit, quo intrà decem horas ter mille domus in diversis ibidem urbibus incineratæ; homines verò 372. unà fatalibus bustis deleti fuerunt. Simile infortunium eodem anno mox subierunt oppida vulgò dicta Bresnitz, Brandeis, & Hураschritz. Hafniæ quoque hoc anno incendium ex improviso obortum fuit, quo domus Theatralis in Vulcaniam conversa officinam plures homines peremit, arcemque propinquam Amalienburgum aliasque domos exussit. Ad Rhenum verò à Gallis eodem labente anno non tantùm plures pagi, villæ, & minora quædam oppida combusta passim, destructaque sunt; sed idem fatum nobilissimæ & antiquissimæ quædam Germaniæ Urbes, velut Manhemium, Oppenhemium, Wormatia & Spira fide, quam Galli priùs dederant, perfidè violatâ subire coactæ sunt: cujus ultimæ Urbis Excidii annum, fuit, qui sequentibus versibus designârit.

SpIrenses InVIsa Deo fera GaLLIa Vt orbI
EXILIVM passos Igne fVrente ferIt.

Hoc eodem quoque anno sub initium mensis Septembris Monclassus Philippsburgo egressus Lichtenavium, Hagenoam, Oberkirchium, aliaque loca pari truculentia Gallicâ in cineres favillasque redegit: Comes autem Averniæ, qui cis & ultrà Rhenum passim & ipse cuncta incendiis & populationibus vastari jusserat, tunc etiam missis incendiariis latronibus Urbem Frankentalensem succendit, & in rogum convertit. Alzeia quoque non ignobile Palatinatûs oppidum subjectis flammis à Gallis ibidem deletum est. Tum & ad Simmeram aliisque in Regionibus Boufflero & La Bretecho Ducibus ferales ignes passim circumlati & mense adhuc Decembri nonnulla loca ab iisdem inflammata fuerunt.

1690. Gallicus furor haud minori clade desæviit, tum ad Ebenburgum Boufflero, La Bretecho, & Melaco Ductoribus, conglobati incendiarii præter alia loca etiam Ockenheimium, Wolgeshemium, Zortenhemium, Sprenlingam, Badenhemium, Steffershemium, Altleyum, Halinum, Messershausen, Peterswald, & Löffelscheid cum arce pervetustâ in valle Leiningensi cuidam rupi ibidem impositâ subito igne deleverunt. Reliquis etiam Brusali superiori anno ex magnâ parte incensi & combusti, ut & Wessendorffeno oppido, atque arci Stauffenæ ferales faces admoverunt. Postea quoque multi alii pagi, ut Gopshemium, Stadeken, Essenheim, Udenheim, Sagenheim, Schwabenheim, Bergenloch; uti & Moguntinæ ditionis oppidum Algeshemium pari fato in cineres conciderunt. Adulto autem magis hoc ipso anno etiam Casalgrasso, aliisque vicis & in Marchiâ Salutiensi ultrà 60. pagi à Gallis concremati fuerunt: Parem conditionem plures etiam pagi & loca in partibus Inferioris Germaniæ sustinuerunt: Utque his tandem incendiis finis obtingat, nemo non avidissimè exoptat & intensissimè precatur, cum uti nihil est Ignis elemento voracissimo sæviente perniciosius ità nihil inter damna ab hostibus illata feralibus facibus, ac illatis flammis detestabilius.

1694. Mense Februario in *Ferrara* civitate Bibliotheca per totam Italiam famosissima Comitis *Bondeni* præter alia ædificia incendio deflagravit. Eodem Anno die 7. Junii in Seelandia urbs *Sora* dicta penè tota in cineres desedit.

CAPUT XI.

Abditæ aquarum venæ, & scaturigines, nec non recondita earundem natura, vires, miracula & proprietates explorantur.



Pportunè Igni Geocosmico Aquam nunc adserimus, cum domando validissimo & actuosissimo Ignis Elemento, nihil sit Aqueo Elemento efficacius. Ingens autem præprimis est Authorum dissensio de fontium & fluminum sivè præcipuarum ad extimam Geocosmi superficiem prosilientium, indeque profluentium aquarum materiâ, causâ & origine, ità ut difficile sit in tanto sententiarum discrimine veritatem discernere. Opinantur omnes, prout in re dubiâ opinari volunt meliùs; statuunt, quod autumant vero quidem, utputant, similius; concludunt uti pro formata crisi judicare se posse arbitrantur certiùs; sententias tamen sic proferunt conclamato assensu nondũ conclusas nondũ presso, quod ajunt, pollice, comprobatas. Ars nempe Dei, quæ Natura est, in abditis & reconditis terræ recessibus delitescens non ità facilè etiam à quantumvis sagaibus Naturæ scrutatoribus penetrari; multò minùs apprehendi, & ad lucem protrahi potest. Sed nunc rem ipsam auspicemur.

§. I.

Variæ Sententiæ de Aquarum Origine recensentur.

Difficultates in determinandâ fontium origine. Duo imprimis summa capita pervidere licet, unde omnis de fontium & fluminum origine controversia promanare solet: quorum primum ità ipsam eorum originem exponere debet, ut Sacræ Scripturæ testimoniis non contradicatur. Alterum, ut naturis rerum & naturalis Philosophiæ principiis nihil contrarium statuatur vel admittatur. Pro primo constituendo in ipsâ origine veluti principio naturali seu physico scaturiginis & profluxûs designando laboratur: pro altero modus est exponendus, quo Aquæ natura graves & ad decliviora impetu suo connaturali prolabentes, vel terram è recondito originali suo principio subeant, vel postquam subierunt, ipsa etiam altissimorum montium juga, unde præcipitari utplurimùm maxima flumina conspicimus, ascendant: quomodò deinde licet longis terrarum tractibus ac spatiis à maris littore distracti erumpentes quidam fontes tam exactè nihilominùs maris motibus consentiant, adeòque hujus æstum imitando nunc intumescant, nunc detumescant, nunc augeantur, nunc minuantur; quomodò alii stato anni, vel diei tempore scaturiant, alio verò abscedant & dispareant, & ità complura alia.

Variæ sententiæ de fontium & fluminum origine. Ut verò præcipuas has ipsas sententias differentes de fontium & fluminum origine paucis memorem: *Aristoteles* Author est & cum eo sentit Peripatus, ex aëre & vaporibus intra terræ cavernas conclusis, atque frigore in aquam condensatis scaturiginem eorum provenire; ita quidem ut sicut ex aëre & vaporibus frigore condensatis & in guttas resolutis fit pluvia in aëre & suprà terram; ità etiam ex iisdem fiat pluvia intrà terrã, sicq; colligatur aqua & deindè effluat. Alii à collectitiis pluviarũ ac nivium aquis fontes erumpere dicunt. Alii ex *Plutonis* abysso seu Tartaro aut barathro eorum scaturiginem deducunt. Cartesiani volunt infra campos & montes esse multas cavitates aquis plenas, quæ vi caloris in vapores resolutæ ascendunt per terræ poros, & cum istiusmodi vapores crassiores effecti non possunt relabi eò, undè venerunt, sed laxiores meatus nacti ascendunt sursùm, & jam in aquam conversi erumpunt, ac in fontes scaturiunt. Inter Recentiores *D. Becherus in phys. subterr.* fontium originem ex centro terræ sivè inferni loco ità deducit, ut primò quidem aqua marina per transcolationis modum hoc terræ centrum petat: ibi autem in vaporem resolvatur, ac à centro rursùs ad circumferentiam tendat, atque denuò ibidem in aquam condensetur. Centrũ verò hoc non vult intelligi imaginariũ quoddam punctum geometricum, sed dicit sumi debere pro aliqua cavitate in meditullio terræ, & hanc quidem cavitatem ingentis capacitatis esse statuit, cujus nempe diameter sit 20. milliarium, quocircà ad spatium haud exiguum extendi debet. Verùm plùs ità fingi, quàm ex vero dici potest. Optimorum Philosophorum sententia est; non aliundè, quàm ex mari immediatius fontium ac fluminum origines derivari; cum hoc facer *Ecclesiastes cap. 1. v. 7.* apertè doceat, dum ait. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locũ, undè exeunt flumina revertuntur, ut iterũ fluant.* Sententia melior.

Modus, quo fontium fluxus procuratur. Quodsi jam modus inquiratur, quò scilicet ex mari fluxus fontium deducatur: sunt, qui hunc aquarum marinarum agitationi & succussationi addicant; sunt alii, qui Spiritibus aquas in altum propellentibus; sunt, qui terræ ponderi eisdem incubanti; sunt, qui maris moli ponè urgenti; sunt, qui spongiosæ telluri, aridisque venis aquas prolectantibus, aut cœlestibus influxibus easdem allicientibus, aut virtuti attractivæ per totum telluris corpus dispersæ, aut intelligentiis attollentibus, aut ipsi deniq; ac soli divinæ providentiæ adscribant. Quibus omnibus si & mihi calculum aliquem adjicere licet, arbitror & ipse ex mari fontes & flumina potissimùm derivari, non tamen uno simplici modo ad terræ superficiem per meatus subterraneos deduci, sed aliquandò naturali fluxu, aliquando per cõpressionẽ ab aëre mari incũbente; aliquãdò per maris

per maris recessum, ejus æstum, & extollentiam; aliquando per ejusdem impetuosum ad littora recursum, atque ità his, similibusque modis aquas marinas in subterraneos cuniculos intrudi. Quod si deindè continuò eodem tractu, ac diductione ad locum exsilitionis cuniculi subterranei non procurranr, saltem ad loca ampla, cavernosa, & abdita quædam sub terrâ receptacula, quæ hydrophylacia dici solent, priùs diriguntur; undè deindè per novos eosque varios meatus distribuuntur, ac versùs varias terræ plagas educuntur: & licet quandoque aquarum accursus aliundè intercipiatur, apta tamen & ità ordinata sunt eadem hydrophylacia ad eundem effluxum continuandum, quousque novâ denuò accurrente lymphâ repleantur.

Becherus contradicit.

Nec officit hìc nobis, aut quicquam efficit contrà *Schottum D. Becherus in phys. subt. lib. I. sect. 2. cap. I. num. 6.* ingerens; in ejusmodi ductibus subterraneis non solam & nudam quandam viam imaginariam statuendam, *sed potiùs*, ut ait, *ad praxin recurrendum, atque Naturam in ductibus suis practicè considerendam; cum ut per canales seu tubos plumbeos aqua elevetur, magna eorum soliditas requiratur, si vel ad minimam altitudinem aut distantiam aliqua aquæ quantitas in illis contineri, & ab uno loco ad alterum duci debeat &c.* Ad quod Respondeo: Etiam dum in ollâ, aheno: cacabo, labro, situlâ aut vase quocunque aqua conservari ac contineri debet, magna requiritur soliditas, cum per minimos porulos, rimulas, aut foraminula mox elabatur; non autem in lacuum & stagnorum fundis tanta soliditas requiritur, cum ipsa aquarum copia dispendium facilè compensare queat. Ità & machinæ illæ hydraulicæ, quæ construuntur vel ex catenâ perpetuâ cum excavatis intùs globis, iisdem tamen & perforatis, ut aqua subire possit intrà canales congruos aptatis; vel quæ conficiuntur ex haustris, situlis, aut coriaceis saccis ferreæ catenæ ad rotam accommodatis, licet in ascensu per rimas & scissuras sæpe multùm aquæ, donec ad petitum locum extollantur & transferantur, remittant; nihilominus tamen ob abundantem nimis aquarum copiam & earum successum continuo motu auctum probè suo muneri satisfaciunt. Ità Natura, ubi abundanter provisa est, etiam dùm dispendia patitur, mox divite affluxu damna resarcit. Deindè quod si & hydraulici stuppâ, lanâ vel quocunquè lacinio, imò & luto vel argillâ rupturas obturare soleant: cur ingens ab omni circumquaquè latere subterraneis cuniculis aggesta gleba, lutum, vel argilla, imò & saxa vel metalla durissima undas perfluas continere non possint? Nimis parcè Naturæ œconomiæ provisum putat, quisquis in maximâ abundantiâ tanti ejus æstimat dispendia.

Atque his ita constitutis facilè jam est judicare, quomodo fontes aliqui cum mari consentiant, dum æstu quotidiano effervescunt, & denuò hunc congruo tempore remittunt. Cur & aquæ quædam dulces, aliæ salsæ vel amaræ, aliæ puræ ac limpidæ, aliæ turbidæ & impuræ, aliæ virtutibus aliis imprægnatæ, aliæ frigidissimæ, aliæ calidissimæ sint, cum à locis subterraneis, quæ perlabuntur, ejusmodi proprietates, ac qualitates nanciscantur. Verùm cum de his præclarissimè tractent *Kircherus in mundo subterr. & Schottus in anatomia font*: iis ampliùs declarandis immorari nolo. Restat igitur, ut nunc ea, quæ in aquarum scrutinio utilissimè observari ac discerni queunt, propius adducamus.

§. II.

Regulæ & observationes hydrognomicæ de Aquis fontanis, earum venis, scaturigine & bonitate.

1. Cum purum & simplex Elementum in rerum naturâ dari non possit sequitur hinc & aquam quamcunque simplicem aut puram hìc dari non posse; sed substantiam ejus variis heterogeneorum mixtorum corpusculis necessariò esse imbutam, mixtam, & confusam. Si enim fontis limpidissimi attendatur origo; fieri non porest, quin ex subterraneis cuniculis, per quos longo itinere transit, terrenorum succorum, lapidumque diversâ proprietate pollentium tincturâ, corpusculorumque rasurâ non inquinetur. Aqua simplex & pura non datur.

2. Constat, aquam omnium Elementorum commune quasi vehiculum esse: in hoc enim velut in communi quodam medio natare solent, dum eorum partes minimæ ab aquâ solutæ huc illuc fluctuant. Vix etiam elementa vel principia activa quicquam moliri aut vires suas promere valent, nisi aquâ diluantur. Hæc enim illa quodammodò separat, cum mutuis amplexibus irretita moveri non possint. Commune est vehiculum elementorum

3. Constat etiam sic aquam esse vehiculum Elementorum commune, ut cum iis non adeò pertinaciter cohæreat, quin caloris vi facilè excedat: undè in destillatione & resolutione corporum aqua semper primùm exhalat. Hinc etiam ubi in mixto aqua est copiosior, illud frigidius & languidius comperitur. Deindè etiam sicut aqua facilè cum reliquis elementis (sulphure tamen & oleo exceptis) permiscetur: ita corpora, quorum minùs firma est concretio, permeat & solvit, atque ex iis quædam velut ramenta & minutias delibat, hoc faciliùs, quò aqua calidior fuerit, & mixta erunt laxiora.

4. Aqua semper per se tota esse appetit, & si facilè quidem dividatur, jungi tamen cupit, & quò pars una labitur, aut labi cogitur, eodem mox & altera comitari vult, cùm partium omnium sit ratio eadem.

5. Vix etiam aqua potest comprimi, cum tamen facilè dilatetur. Evenit hoc autem, Aqua vix comprimi potest.

autem, quod plures aquæ partes, quæ sibi mutuò incumbunt (ut bene docet *Hamelius*) & vix ullum inane spatium admittunt; hoc magis aëris pressioni resistant, quo densior & compactior est aqua: nam millies ferè aëre gravior censetur esse: unde ut comprimatur, resistentia millies ferè major evincenda est.

6. Commune est omni liquori & fluido corpori, ut rotundam induat figuram, cum à circumfuso alio corpore æqualiter premitur; ut cernere est in aeris ipsius bullulis, quæ ex aqua erumpunt, ac in olei guttulis, quæ per aquam diffunduntur.

Est frigida & humida. 7. Aqua naturâ suâ est frigida & humida. Nam corpora, quæ sunt aquosiora, sunt & frigidiora. Quamdiu autem fluida est, intensè frigida esse non potest, cum frigore intenso partes aquæ rigeant. Humida etiam est, cum madefaciat, & suis terminis non contineatur.

Praxis detegendi scaturigines. 8. Ad inveniendam sub terrâ latentem scaturiginem *Vitruvius lib. 8. Architect. cap. 1.* hanc praxin præscribit: *Antequam Sol exoritur, procumbatur in dentes iis in locis, quibus vena inquiritur; & in terrâ mento collocato & fulto prospiciantur ex regiones: sic enim non errabit excelsius visus, quàm oporteat, cum erit immotum mentum; sed ad libratam altitudinem in regionibus certâ finitione designabit tunc, in quibus locis videbuntur humores se concrispantes, & in aërem surgentes, ibi itaque fodiatur; non enim in sicco loco hoc signum potest fieri.* Vult igitur, ut ex vapore se attollente, & in tenuem nubeculam se crispante, tremuloque motu aërem feriente judicium de Venâ subtùs latente feratur.

Aliæ praxes. 9. Aliæ ab eodem præscriptæ praxes hæ sunt: Cum de aliquo loco peculiari dubitatur, num Vena subsit, vult fieri fossam latitudine trium pedum, ad profunditatem verò quinque pedum, pelvimq; aut scaphium oleo prius inunctum, inversumque ibidem recondi, & arundinibus, paleâ imo & terrâ operiri. Si postero die in eo guttæ aquæ apparent; signum est latentis aquæ. Item si in eâdem fossâ collocetur vas figulinum crudum aut cretaceum necdum coctum, quod humidum apparebit; vellusque si ibidem collocatum apparuerit postero die madidum, ita ut humor exprimi possit. Non minùs si lucerna olei plena & accensa in eâdem fossa frondibus cooperta collocetur, postero verò die comperiatur exstincta, nullo olei vel elychnii defectu; certum dicit esse signum aquæ latentis. Rursùm si ignis accendatur, & terra adusta nebulosum exspiret halitum; latentis aquæ indicium erit.

Venarum latentium signum ex herbis & arboribus. 10. Si locus quidam herbis viridantibus, nec non proceris admodùm arboribus copiosâ foliorum fœturâ luxuriet; aquarum copiam subesse manifestat: Unde & montes, qui arboribus ac sylvis uberiùs investiuntur, ac integuntur, pluribus venis divites esse solent: econtrà qui non omni facilè germinum ac arborum viriditate gaudent, ac steriles esse solent, aquarum venis non ità abundare compertum est.

11. Quibus terris dulcis humor non longè subest, quorundam germinum ubertas quasi semper arridet, ut est *Juncus aquaticus, arundo levis, rubus validus, salix, lenta, populus virens*, & reliqua arborum genera, quæ tamen ultrà naturam suam felici luxuriant propagine. Aquarum etiam latentium notæ certæ sunt *Salix erratica, alnus, vitex*: ex herbis *ranunculus, Nymphæa, pulicaria, cyperus, mentastrum aquaticum, tussilago*, & similes, quæ & aquam amant, & sine eâ ferè nec ali nec conservari possunt, maximè si earum viror magis in nigrum degeneret colorem.

12. Signum haud leve quoque latentium aquarum esse solet, ubi stabulantes ranarum cöaxantium greges advertuntur. *Plinius* etiam ex ranis latentem lympham cognoscere docet, si nempe rana super ventrem & pectus diu jacens observetur. Ex ranis.

13. Ex locorum qualitate, ac terrestris glebæ naturâ & proprietate etiam latentis aquæ indicium habetur. In argillosâ equidem terrâ ab omnibus quisquiliis defæcatâ aqua semper dulcis; frigidior in topho reperitur: dulces enim utarque locus levesque facit aquas, & colando retinet fordes. Glarea incertas, sed boni odoris promittit: Sabulum ex arenâ carbunculosâ certas, stabilesque, & quod potissimùm salubres spondet. Rubea quoque saxa optimas, speique certissimæ. Sub saxosis montium radicibus & filicibus uberiores, frigidiores, salubriores que. Ubi verò cretaceum occurrit solum variâ miscellâ corruptum, ibi nec copia, nec boni saporis aqua speranda. Ex terræ qualitate.

14. Quando à fossoribus & metallariis in locis subterraneis lapides roscidi & terra vapore plurimùm humectata reperiuntur; fontium & aquarum capita certè se attigisse augurantur. Signa venæ proximæ lapides roscidi.

15. Cum in quærendâ scaturigine lutum subcæruleum invenitur: ipsa scaturigo illicò censetur esse præsens. Generale namque axioma est, & experimento sæpiùs compertum, nullam scaturiginem sine tali luto reperiri; Econtrà præfati luti præsentiam certissimum signum esse propinquæ Scaturiginis. Licet etiam nonnullæ scaturigines ex durissimis montibus & saxis profluant; si tamen profundiùs in eas inquiratur, tale lutum non emanebit: ut docet *Becherus*. Lutum cæruleum.

16. Fontes frequentissimi oriuntur plerumque in montium lateribus, fluuntque uberiùs hyeme quàm æstate, in quâ aliquandò exsiccantur, ut tradit *Cabæus lib. 1. Meteor. text. 62. q. 1.*

17. Plantæ quædam primùm siccis locis & temporibus gaudent, quibus multitudo aquarum noxia est, veluti sunt *Cappares, Rosmarinus, Anacardus*: Aliis aquarum abundantia non prodest, sed mediocritas ut plerisque: Quibusdam utiles quidem sunt aquæ, sed non qualescunque, verùm dulces ac frigidæ. Quæ verò aquas multas perferunt & qualescunq; Sunt *Nymphæa, Juncus, lenticula, alga, colocasia,*

colocasia, plentago aquatica, tribulus, salix, ac similes. Nihilominùs eorum fructibus adeò nocet aqua, ut non omninò proferant, aut saltem inutiles.

18. Regiones, quæ ab humido plurimùm cœlo irrorantur, fontibus, rivis, ac fluminibus, adeóque aquâ ubertim scatere solent; ut sunt Germania, Gallia, Italia, & præcipuè regiones Septentrionales. Econtrà, quæ Solis ardore plurimùm torrentur, atque imbribus rarò perfunduntur, paucioribus fontibus aut fluviis beantur, ut sunt Æthiopiæ Solitudines, Interior Africa, aliique loci Solis ardori magis subjecti.

Optima aqua qualis. 19. Optima aqua colore, odore, & sapore caret, pellucidaque existit, atque epota non moratur in ventre. Talis, ait *Cardanus*, est Eulæi fluminis, quæ per Susianam è Zagro monte profluit: Nam Persarum Reges hanc secum in expeditionibus deferebant. Aphorismus *Hippocratis* est *Aphor. 26. lib. 5. Aqua quæ citò calefit, & citò refrigeratur, levissima est.* Ab effectu nempe, ut commentatur *Cardanus* quod levissima sit his, qui eam bibunt & sani sint atque boni habitûs, qui eâ utuntur. A signo etiam naturali artificiosoque: Ut celeriter incalescat & refrigeretur, ut hic dicit *Hippocrates*, quod leguminain eâ celeriter coquantur, quod ex distillata nihil remaneat fecis, quod gustu, odoreque nihil habeat insuave, quod corruget palatum epota, quod effusa stridеat, quod clara mundaque sit. A causâ denique, quod pluvia sit aut è fonte deducta longiùs ab origine, ex Oriente, vel per sabulum.

20. Fontanæ aquæ, ut docet *Galenus*, ad Orientem vergentes, humidiores, tenuiores, sinceriores in odore, & moderatæ in calore & frigore sunt. Quæ autem ad Septentrionem, dulces quidem illæ sunt, sed immoderatè refrigerant. Quæ verò ad Meridiem spectant, magis salsæ & calidæ sunt.

Aquæ optimæ fontanæ conditiones. 21. Aqua fontana, ut sit optima, requirit in eâ *Cardanus* tres conditiones. Prima est, ut ex sublimi loco descendat, moderatè tamen, id est, ex collibus. Secunda, ut fluat per terram & arenam, non per lapides aut lutum. Tertia, ut fons respiciat Orientem. Communiter tamen Medici laudant eam velut optimam, quæ visu est pellucida seu crystallina, nihil fæcis diutiùs in vitris servata deponens; omnis saporis & odoris alieni expers; quæ citò incalescit, & citò iterùm refrigeratur; levissima est pondere; quæ pota facilè venas permeat; quæ in hyeme calidior est, at in æstate frigidior; in quâ legumina facilè coquuntur; quæ à fonte velut origine exoriente & per arenas ac siliceslongiùs est deducta; quam denique communiter homines bibentes sunt boni habitûs & coloris.

Quomodò aquæ bonitas deprehendatur. 22. Ut de contentis aquæ certior quis effici possit: Conducit ejus evaporationem ad ignem instituere. Quod si in fundo nihil remaneat, & facilè omnis evolat aqua, optima censenda est. Si tophus, limus, nitrum vel salia mineralia relinquuntur, dubium est de bonitate, & in vires experientiâ notas inquirendum.

23. Cùm igne aqua acuitur, sales imprimis exsolvit, vegetabilium omnium vires induit, & tenuiores partes longâ maceratione vel incoctione decerpit: Ne metallis quidem parcit, maximè cùm salium aculeis instruitur. Hinc ros, quem mense Majo colligunt, pluvia ipsa aquæ acidulæ rebus dissolvendis maximè deserviunt, quod in iis, sicut docet *Hamelius de cons. vet. philos. lib. 3. cap. 4.* Sal quidam nitrosus insit aut volatilis.

24. Ut sciri queat de duabus aquis, quæ sit subtilior in substantia, & ideò præstantior ad potum: Intingatur pannus lineus benè mundus in unâ, & alius similiter in aliâ. Deindè ambo panni intincti exponantur Soli; Qui ptiùs exsiccatur, in aquâ subtilior censetur. Aquæ subtilitas.

25. Aquæ post ventos validos haustæ non sunt tàm salubres & bonæ, quàm quæ pacato tempore ex quocunque loco exhauriuntur; eòquod ex commotione illâ vehementi, dum terra nimium concutitur, etiam noxiæ quædam evaporationes, vel pulveres ac sordes qualescunque eidem commisceantur, quæ idcircò minùs salubrem efficiunt. Undè & benè *Cardanus in Hippocrat. lib. 2. de aëre & aquis text. 24.* dicit, non esse bonum uti aquis post validos ventos; nam etiam hyeme à ripis & alveo conturbantur. Aquarum post validos ventos qualitas.

26. Aqua qualiscunque tantò minùs damnanda, quantò ex frequenti haurientium commotione magis, magisque emendatur; vel si è subterraneo fonte scaturiat, necità diu cœlo aperto sit exposita. Undè aquæ palustres, lacustres, & stagnantes omnes censentur esse pessimæ, imò sæpè malignæ, cùm motu careant.

Nam vitium capiunt, ni moveantur aquæ.

Hinc juxtà Medicos tales aquæ ventriculum offendunt, viscera obstruunt, humores corrumpunt, & non rarò febres putridas & malignas, imò pestem ipsam excitant.

27. Quod *Cardanus de subtilit. lib. 7.* docet, pro regula haberi potest: Quod omnia, quæ ignis plus justo exussit, ut carbones, æs, sulphur: Ab aquâ nunquam, etiamsi millibus annorum in eâ perstiterint, corrumpentur.

28. Cur fontes aliqui in hyeme pauciorem effundant aquam, quàm in æstate, causa haud improbabilis videtur esse, quod hyeme origo, undè oriuntur, magis turbida fiat & lutosa, ob idque crassiorem devehat aquam, quæ non facilè terram penetrare potest. Æstate verò. quod minus sit turbida, faciliusque intrà glaream, terræque ac saxorum rimas procurrat. Ex harum aquarum genere plerumque videntur esse puteales non adeò profundæ, & quæ effossâ terrâ inveniuntur.

§. III.

De Aquis fluentibus & consistentibus Observationes.

Aquarum fluxus.

1. Omnis aqua & humor qualiscunque liberè fluens tendit naturaliter ad loca decliviora; hoc est, centro gravium sublunarium propinquiora, si liber patet aditus, sive rectus is sit, & perpendicularis, sive obliquus.

2. Aquæ consistentis superficies superior semper est sphærica, licet ad sensum non semper talis advertatur. Si enim cessante fluxu & consistente seu quiescente aquâ superficies superior non esset sphærica, & consequenter non omnes dictæ superficiei partes æqualiter distarent à centro Mundi, sed una esset altior, altera humilior; non omnes partes sublatis impedimentis fluerent ad loca decliviora, sed detinerentur in statu violento. In exiguis tamen vasis suprema superficies ad sensum Horizonti potest censeri parallela.

3. Aqua fluens naturaliter non ascendit ad locum altiorem suâ origine, sive liberè fluat, sive meatibus constricta fluat, ut patet experientiâ. Undè & aqua non fluit naturaliter ab uno loco ad alterum, nisi terminus *à quo* altior sit, quàm terminus *ad quem*, ut in Scholis loquuntur, sive liberè fluat, sive non. Ut igitur aqua vel qualiscunque humor fluat, requirit aliquam declivitatem spatii, quod perfluit.

4. Ut fiat motus physicus ac sensibilis aquarum ab uno loco ad alterum pro ratione spatii etiam certa requiritur declivitas saltem sufficiens, ut motus ille perficiatur. Itá si aqua stagnans fieri debeat fluens, vel si fieri debeat aquæ ductus in spatio unius milliaris: Ità debet disponi aquæ ductus, ut saltem quatuor unciis, quarum duodecim exæquant pedem, sit inferior, ac centro terræ vicinior Terminus *ad quem*, quàm sit Terminus *à quo*. Sic & in altero milliari subducendæ sunt ex libellatione quatuor unciæ.

Aquarum libellatio.

5. In aquarum libellatione, dùm per dioptram libellatico instrumento (sive pinnacidia illa sint, sive canaliculus secundùm instrumenti longitudinem excavatus, sive extantes cylindruli, sive aliud quodcunque) visus ad signum aliquod dirigitur; notari debet punctum signi, quàm potest fieri minimum; sive circà medium signi visi, sive circà partem ejus superiorem. Instrumenta etiam parva, in quibus aut canalis seu aquâ plenus, seu perforatus brevis est, aut pinnacidia sunt invicem valdè vicina; fallaciora sunt, quàm magna, in quibus contrariæ conditiones observantur. Ratio est, quià radius visualis per foramina pinnacidiorum remotiorum, aut per canales longiores transiens minùs deviare potest à lineâ Horizontali, etiamsi negligenter agatur, quàm si transeat per foramina propinquiora, canalesque breviores.

Aquarum levitas.

6. Levior est omnis aqua *Aristotele* teste non solùm in fluminibus, sed & fontibus ac puteis, quæ supernatat: sicut gravissima, quæ in imo. Eadem enim est ratio partium, quæ totius: Descendunt enim quæcunque gravia, quæ autem levia supernatant. Cùm itaque inter flumina cernitur unum alteri supernatare, ut *Titaresus Peneo; & Poristhenes Hypani*, ratio est in gravitate unius & levitate alterius, vel etiam aliis causis, cur non misceatur; ut si alterum sit oleosius.

7. Aquæ fluentes moventur velociùs in superficie quàm in imo: quod experimento eorum, quæ transferuntur, apparet, nisi ventus obsistat, impediat ac retardet. Id autem contingit, quod aqua levior sit in supremâ parte, adeóque supernatet, & quod ibi nullo prematur pondere, velut ea, quæ fluit in fundo, quæ à superiori premitur. Media autem medio fluit, & commovetur motu. Contrà quæ in imo, majori vi movetur, & ob id rapit secum lapides & arenam, quoniam majori pondere premitur: Et ideò etiam quò profundior est, eò & validior, & ob id onerata lentiùs movetur, sed majore nisu objecta evertit. Motus aquarum fluentium.

8. Aqua majoris perpendiculi premit & pellit aliam minoris perpendiculi, si in canalibus, vel siphonibus communicantibus, vel quovis receptaculo connexo concludatur non obstante majori copiâ aut pondere hujus, vel illius. Quocircà etiam per subterraneos cuniculos aqua tunc per pressionem educitur ad fontium receptacula, cùm nempè originis perpendiculum majus est, quàm Scaturiginis.

9. Flumina eodem cursu, quo aërem refrigerant, purgantur plurimùm à terrenâ sorde; ideóque nullum salsum; possunt tamen esse, ubi è proximo loco materia salsa in illud influeret. Verùm hoc etsi contingere possit, haud tamen fieri potest facilè.

10. Flumina etiam, quæ magna sunt, lentè fluunt; Et quæ lentè fluunt aquæ, omnes concoquuntur à Solis vi, tùm etiam terræ; quæ autem concoctæ, pingues; ait *Cardanus de variet. lib. 1. cap. 4.* Quare magnorum fluminum aquæ omnes pingues esse, & fertiles reddere solent agros. Aquæ pingues.

11. Cùm fluvialis aqua maximâ ex parte ex pluribus fontibus confluentibus oriatur, ac varias qualitates à terrâ, quam transit & alluit, accipiat; modò etiam à nivibus in montibus solutis, modò à pluviis & imbribus diutiùs cadentibus augeatur; Ideò valdè mixtam habet naturam. Cruditas tamen ejus, dùm sinuosis anfractibus per multa terrarum spatia decurrit, nonnihil corrigitur & attenuatur. Qui perspicuis undis fluvius rapidè per saxa & arenas volvitur, imprimìs salubris judicatur.

12. Solent flumina plerumque matutino tempore nonnihil excrescere: Nocte equidem multum roris in æstate; in hyeme verò multum nebulæ decidit: Quò fit ut sequenti Solis ortu crescere incipiant, & quidem maximè temporibus mediis, in Autumno scilicet, aut Vere. Fluminum excrescentia.

13. Cùm

13. Cùm aliquo tempore insueto scaturigines disparere, flumina diminui & fontes exsiccari solent, commune æstus vel incepti vel mox futuri præsagium. E contrà dùm repentè scaturigines insueto tempore redire, flumina, & fontes excrescere solent, humiditatis ingruentis, vel præsentis indicium præbetur; sicut in æstate Anni 1687. factum, dùm in Julio scaturigines hìc rediêre & flumina intumescere cœpêre, mox deinceps continua humiditas subsecuta fuit.

§. IV.

Observationes de aquis pluvialibus & earum proprietatibus.

Fontes crescunt, cùm pluviæ frequentes fiunt.

1. Quibus temporibus & locis solent esse pluviæ copiosiores, etiam plures, & majores ac diuturniores sunt fontes & fluvii: Quibus verò aut nullæ aut raræ pluviæ contingunt; Fontes etiam rari, pauci, aut exigui sunt, aut facilè exsiccantur. Non tamen hinceſt concludendum, fontes idcircò & flumina ex solis pluviis ortum trahere; sed quod ubi multi fontes & venæ reconduntur, ibidem plures vapores attollantur; Undè pluviæ concrescant. Quocircà cùm pluviæ frequenter accidunt, etiam venas magis turgescere, & terram humiditate magis repletam plùs evaporare credendum est.Ità cùm ab aliquot abhinc annis aquarum fontanarum & fluvialium penuria haud modica fuerit; Paucæ etiam ac rarò pluviæ deciderunt. Jam autem hoc anno 1687. in æstate, dùm scaturigines hactenùs ferè exsiccatæ rediêrunt, fluvii inundantur, & aquarum ubivis magna copia emergit, cœlum perpetuò humidum magno exspectatæ melioris vindemiæ nocumento existit.

Aquarum copia fructibus noxia.

2. Dum copia aquarum maximè pluviarum major est, efficit ut fructus abundent humido aqueo, & ob id, ut sint excrementitii, insuaves, & minùs cocti ac minùs durabiles. Undè *Theophrastus 3. de cauſ. plant. cap. 11. Fructus omnium penè plantarum, quæ plus aquæ capiunt, deteriores redduntur.* Et rursùs 5. *de cauſ. plant. cap. 21.* declarat uberiùs dicens: *Nam & stabilis aqua, si arboris magnitudinem excesserit, perdit; ut cùm imbres increbuerunt, aut loca inundationibus concreverunt.*

Aqua ad fœcunditatem maximè conducens.

3. Inter omnes aquas ad terræ fœcunditatem maximè conducit pluvialis, præsertim, quandò cum tonitru cadit: Suo enim motu tonitru discutit vaporem; undè fit, quod aquam subtiliet & depuret. Aquæ autem nitrosæ, aluminosæ, & salsæ obsunt plantis; licet mistæ aliquandò sint utiles, veluti pluviæ cum fontanâ, & crudæ cum crassâ & lutulentâ. Dulces autem qualescunque magis plantis sunt salutares.

Aqua pluvialis qualis optima.

4. Aqua porrò pluvialis, seu cœlestis censetur esse tenuis, & subtilis, parùm tamen de nitro participans. Mense Martio, & Aprili (cùm vitiosos vapores eo tempore terra suppeditet) uti & in locis paludosis, & ubi mineralia effodiuntur, decidens, non omni vitio caret. Melior alio tempore, & in locis salubribus depluens.

5. Ex aquis pluvialibus rursùm, ut docet *Hippocrates lib. 2. de aëre, & aquis,* quæ ab æthere est (id est, puro aëre, ut commentatur *Cardanus*) optima est, cùm pars cœli serena est, pars non admodùm nigrâ nube tenetur, sive quæ nubibus albis excerni solet, aut cum decidit sine tonitru guttatim ac quasi repentè, ut in æstate fieri solet, cum hæc purissima fit. Alia quæ cum tonitru decidit temporaria, id est, conveniens tempori, quo tonitrua fieri solent, velut à fine Veris per Æstatem usque ad initium Autumni, non autem à fine Autumni per Hyemem, ac in principio Veris: Tunc enim hæ temporum perturbationes cùm sint præter naturam, fiantque à violentis exhalationibus; hinc & aquas non satis tutas delabi credendum est. Procellosa autem mala est, sive quæ insolito tempore & confestim, acbrevi tempore perdurans effunditur, ut exponit *Cardanus*, quasi immoderatis concreta ventis, nec à Sole concocta, cùm tempus undiquaque serenum extiterit, ipsa verò repentè proruens exciderit è Cœlo; Undè & quæ grandine venit, omnis procellosa est, quoniam frigida & altiùs concreta, ubi fit grando.

6. Aquæ, quæ ex nive ac glacie resolutis fiunt, omnes malæ sunt: Cùm enim, ut ait *Hippocrates*, semel concretæ fuerint, non ampliùs in pristinam naturam restituuntur, sed quod in ipsâ clarum, leve, ac dulce est, incernitur, ac deperditur: Quòd verò turbidissimum est ac ponderosissimum, relinquitur. Undè etiam glacies maris dulcis fit, quòd aqua salsior frigore condensata gravitate suâ subsidat; dulcis verò exutâ salsedine, & pluviis, nivibusque continuò aucta, uti levitate suâ graviori supernatat, ità circumfuso gelu facilè constringitur. Nam ut experientia decet, aqua salsa ob crassitiem, & pinguedinem tantò in glaciem difficiliùs, quantò dulcis ob levitatem faciliùs convertitur. Aquæ ex nive ac glacie.

7. Licet aqua dùm congelatur, à frigore vehementi juxtà communem persuasionem constringente fieri putetur densior: In rei tamen veritate fit rarior, ità ut ampliorem exigat locum, sicut variis constat experimentis, de quibus videatur *Schottus Mag. nat. part. 3. lib. 5. synt. 3. Erot. 5. Hamelius lib. 1. de corp. affect. cap. 4.* Unde & glacies supernatare solet illi aquæ, ex quâ concrevit: Qui datâ paritate molis levior est, quàm aqua: hoc est, palmus cubicus glaciei levior est palmo cubico aquæ, ex qua glacies illa concrevit. Est enim glacies dùm rara est, plena poris, & cavitatulis aëre repletis. Mirum est, quod observavit *Hamelius,* Aqua congelata est levior.

bus, aquam, quæ deferbuit & omninò frigida iterùm reddita eſt, tardiùs congelari, quàm ea, quæ igni admota non fuit.

Signa aquarum veneno infectarum. 8. Dantur etiam ſigna, quæ aquas veneno infectas, & ad peſtem inferendam diſpoſitas indicent. Aquatica ſiquidem animalia, dùm aqueum Elementum infectum eſt, hoc ſentiunt. Ità multorum experimento compertum eſt, piſces extingui, mergos, anates, fulicas, cygnos, deſertis aquis puriora ſtagna petere & flumina aquarum fluxu defœcatiora incolere: Cancros quoque fluviatiles relictis rivis in ripis diffuſos latentem inquinatæ aquæ lernam fugâ ſuâ teſtari.

§. V.

De Aquis medicatis mineralium fœturâ imbutis, earumque viribus & proprietatibus.

Omnes aquæ inter ſe differunt. 1. Quemadmodum nulla, ut ait *Kircherus in Mund. Subt. lib. 5. ſect. 2. cap. 2.* in homine facies eſt, nulla vox, nulla inclinatio naturalis ingenii, nullum temperamentum in homine dari poteſt, quod non ab alterius temperamento differat: Ità nulla eſt aqua, ſive ſimplex, ſive compoſita, quæ non ſpecialem ab aliis quibuſcunque aquis differentiam ſortiatur, adeoque dici queat, tot eſſe differentes aquarum ſpecies, quot differentes ſunt terreſtrium glebarum, mineralium, metallorum, ſuccorumq; tàm liquidorum, quàm concretorum ſpecies: Quæ cùm ſub numerum non cadunt; Ita quoque innumeræ aquarum ſpecies, præſertim ſi ſingularum cum ſingulis mixturæ aptè combinentur, exiſtunt; ut proindè poſſibile non ſit de medicatis aquis exactum penitus judicium ferre.

Aqua ſalſuginoſa quam miſcellam unà deferat. 2. Aqua præſertim ſalſuginoſa, dùm per mineras aliquas ſubterraneas fluit, nonnihil ex ambeſis ramentis devehere ſolet, eaque hinc miſcellâ impregnari ſolet, prout loca illa ſubterranea, quæ perlabitur, conſtituta ſunt. Ità fontes, & vicini rivi, fluminaque tantò in ſe majorem aurearum arenarum copiam continere ſolent, quantò aut flumina fontibus, aut fontes cuniculis auriferis fuerint viciniores.

Aquarum medicatarum diſcretio. 3. Solent aquæ medicatæ certis quibusdam qualitatibus dignoſci. Ità aluminis, ſulphuris vel lapidis calcarii admiſtiò colore lacteo aquas inficit; bitumen ſubnigras, æs ærugineas præbet. Ex ferro rubiginem contrahunt. Aquæ lutoſæ etiam pro diverſâ miſcellâ; prout lutum infitum eſt, diverſâ etiam qualitate imbutæ ſunt. Sic cretaceæ, & argilloſæ graves, & ſanitati minimè conducibiles: Gypſeæ ſeu gypſo tinctæ, uti externæ lotioni plurimùm conferunt, in hauſtu tamen ſumptæ periculo ob cauſticam quandam virtutem, quâ pollent, haud carent: plerumque autem bibentes ſtrumoſos efficere, & ob nocivam & ſuffocativam vim quandam inditam plurimùm obeſſe ſolenr.

Aquæ acidæ. 4. Quæcunque aquæ ſunt acidæ, incidendi facultatem tantò majorem habent, quantò ſapor acidus in his magis exuberat.

5. Fontes & rivi alumine fœti vix quidquam herbarum hinc inde in ripis patiuntur: Neque enim, quod & *Theophraſtus* notavit, aluminoſæ lymphæ plantam ullam aut patiuntur, aut gignunt; potentis ſiccitatis, quæ ei prædominatur luculentiſſimum indicium. Aquæ aluminoſæ plantis noxiæ.

6. Aluminoſæ aquæ ex ſapore plurimùm dignoſci poſſunt. Primò enim in guſtu ſapor eſt ſubdulcis ac tenuis, pungens linguam & palatum mirificè vellicans, dentes etiam obſtupefaciens; deindè verò in amarulentum & inſigniter adſtringentem paulatim abit. Quas vires etiam aquæ cum his perfectè mixtæ participant. Morbis autem, qui ex nimiâ humiditate, ſive frigiditate originem trahunt ſanandis mirum in modum conducunt. Quomodò cognoſcantur.

7. Aquæ nitroſæ, ſeu nitro infectæ, uti Smecticâ ſive abſterſivâ vi pollent, undè & in attactu molles reddunt manus; ità catharticæ ſive laxativæ ab omnibus Medicis habentur, niſi aliarum aquarum mixturâ differentes præſtent effectus. Aquæ nitroſæ.

8. Vitriolatæ & bituminoſæ aquæ guſtu & olfactu maximè cognoſcuntur: Guſtûs enim linguam acredine quadam, olfactum verò potentiſſimâ mephiti percellunt. Vitriolatæ & bituminoſæ.

9. Effectus aquarum *Calefacientium* potiſſimi ſunt Rarefactio, fuſio, digeſtio, & attenuatio: *Frigefacientium* Repletio & diſtenſio: *Siccantium* Adſtrictio & condenſatio: *Humectantium* Mollitio & lenitio. Effectus aquarum.

10. Thermæ calidæ magis calere ſolent de nocte, quàm de die, eòquod vapores externo aëris frigore coërceantur, & ità diutiùs calorem tueantur.

11. Licet aquæ medicatæ, ut ſunt Acidulæ, & Thermales per aliquas qualitates mixturarum ſuarum ſpecies prodant: niſi tamen ex omnium unicuiq; miſcibili competentium qualitatum complexu dignoſcantur; ob aliarum ſimilium confluxum perfectè æſtimari non poſſunt. Aquæ medicatæ quomodò cognoſcendæ.

12. Optimè cognoſcuntur aquarum mixturæ vel per coctionem ad tertiæ partis conſumptionem, & reſiduæ aquæ adhibito panno groſſiori filtrationem, vel per evaporationem, vel diſtillationem adhibito unà vaſe refrigeratorio; deindè ſedimentum extractum & exſiccatum examinetur hoc modo: Exponatur Sedimentum ſuprà tabulam ferream pœlitiſſimam igne candentem: Quod ſi deindè aquis fuerit commixta calx, marmor & gypſum, videbuntur iſta in candenti laminâ non comburi, ſed poſtquam alia fuerint combuſta, remanebunt illa colore multò ac ante candidiori fulgentia, hac tamen differentiâ: Quodſi gypſum aderit, id ſtatim candidiſſimum fiet; calx verò & marmor ad candorem manifeſtandum nonnullam moram requirent, ſi ſulphur immixtum adſit; id ſtatim ſolitâ odoris graveolentiâ ſe prodet: Si verò Sal & nitrum; Illa dum comburuntur in candenti tabulâ ſcintillabunt, ità tamen, ut Sal cum crepitu, nitrum ſine crepitu. Si

pitu. Si cerussa adsit: In intensam vertetur rubedinem, atque adeo plumbi inexistentis apertum signum erit. Si denique alumen adsit; id liquefactum lactei prorsùs coloris signa post se relinquet.

13. Ut discernatur etiam oculari inspectione, an metallicæ species & quales aquis admixtæ sint, hac methodo procedi potest. Sedimentum metallicæ aquæ infundatur in acetum generosissimum atque acerrimum, vel in erodentem alium liquorem causticâ virtute pollentem, cujusmodi sunt aquæ fortes, seu erodentes Chymicorum. Inspectâ deindè aquâ, si suprà sedimentum observaveris concrevisse ferruginem, certus sis, medicatas aquas ferri mixturam continere: Si verò æruginem crevisse videris, erit id æris mixturæ signum. Si auruginem, id auri latentis signum erit, & sic de reliquis. Quomodò levitas etiam ac gravitas aquarum practicè explorari possit per instrumenta adhoc idonea; videri potest *Kircherus in Mund. Subt. l. 5. sect. 2. c. 5.* Sed his adnecta mus Tabulas, ex quarum titulis earundem usus & utilitas sufficienter perspici potest.

Tabula I. Combinationis Misturæ quatuor Salinorum corporum, Salis, nitri, aluminis & Vitrioli cum effectibus primigeniis & prædominantibus.

Commixtum	*Sali*	*Nitro*	*Alumini*	*Vitriolo.*
Sal *mixtum, calidum & humidum.*	*Siccat.*	*Siccat attenuat.*	*Siccat penetrat.*	*Siccat, attenuat, incidit.*
Nitrum *mixtum, calidum & siccum.*	*Attenuat. Siccat.*	*Attenuat dissipat.*	*Attenuat penetrat.*	*Attenuat incidit.*
Alumen *mixtum frigidum & siccum.*	*Penetrat Siccat.*	*Penetrat attenuat.*	*Penetrat. densat.*	*Penetrat incidit.*
Vitriolum. *mixtum, frigidum & humidum.*	*Incidit Siccat.*	*Incidit attenuat.*	*Incidit penetrat.*	*Incidit calefacit.*

Tabula II. Aquarum medicatarum pro balneis servientium cum earum viribus & usu medico adversùs morbos, & infirmitates adscriptas.

Balnea	*Vires & qualitates.*	*Conducunt specificè adversus morbos & infirmit.*
Aquæ dulcis frigidæ.	Condensant, digestionem confortant, vires roborant, totum corpus refrigerant, oppilant & constipant.	Prosunt juvenibus & carnosis contrà morbos calidos & siccos, febres omnes siccas, quæcunque profluvia, convulsionem, spasmum, sanguinis profluvia quæcunque, articulorum dolores & podagram. Nocent verò hominibus frigidis & humidis maximè pueris, & crescentibus, gracilibus, mulieribus, senibus &c.
Aquæ dulcis calidæ.	Emolliunt & humectant corpus & membra, humores liquant & evacuat, calorem nativum & humorem augent, somnum conciliant, carnem & cutem restituunt, mundificant & abstergunt.	Conferunt Infantibus, mulieribus, senibus, cholericis & morbis calidis, extenuandis, consumptis. Alopeciæ, appetitui canino, alvi obstructioni, capitis dolori, calori interno, pulmonis vitiis, pleuritidi, hecticæ, morbis spleneticis, melancholicis, siti, vigiliæ, febribus tertianis & quartanis. Usus tamen immoderatus nocet cordi, syncopen inducit, appetitum laxat & debilitat, calorem naturalem resolvit, & ulceribus nocet.
Aquæ mineralis salsæ.	Exsiccant, & frigidas ac humidas intemperies curanr, asperitatem manibus loturâ suâ inducunt.	Medentur Hydropicis, frigidis nervorum doloribus, podagræ, resolutioni, asthmaticis, ventriculo humido & calido, humoribus laxis, pituitosis, scabie infectis, capitis & thoracis fluxionibus, spasmo obnoxiis, vesicæ, nervorum ac renum doloribus: Valent adversus calculum, articulorum dolores, humorum putrefactionem, epilepsiam, aurium dolores, splenis duritiem &c.

Balnea	Vires & qualitates.	Conducunt specificè adversùs morbos & infirmitates.
Aquæ nitrosæ.	Mediocrirer adstringunt, & valenter abstergunt, attenuant ac dissipant.	Conferunt scabiosis, aurium ulceribus, incertos earum sonos atque humores discutiunt. Conferunt capiti, thoraci, ventriculo pituitoso ac humido, hydropi, tumoribus laxis, nervorum vitiis, defluxionibus ad pectus, prüritui, visui, surditati, paralysi, ventris doloribus, vermibus, carni excrescenti, ulceribus & venenis.
Aquæ aluminosæ.	Exficcant valdè, calefaciunt, coägulant, penetrant, multùm adstringunt & corroborant.	Valent adversùs omnes morbos humidos & frigidos, ad sanguinis rejectionem, ventriculum vomiturientem, adversùs ructus, hydropem, tormina, ulcera maligna & putrida, morbum articularem sudores superfluos, dyspepsiam, varices, ulcera vesicæ, tumores laxos, visûs obscuritatem.
Aquæ sulphureæ.	Calefaciunt, siccant vehementer & in quarto gradu. Resolvunt, aperiunt, attrahunt, consumunt, attenuant.	Conducunt ventriculi morbis, nervis frigidis, & humidis, scabiei, spleni indurato, calculo, tenesmo, Jecoris, matricis, & lumborum doloribus, paralyticis, membris contractis, tremulis, epilepticis, Lethargicis, Apoplecticis, Asthmaticis, tussientibus, hydropicis, ictericis, surdis, obliviosis & venenatis.
Aquæ bituminosæ.	Enixè calefaciunt & prolixè molliunt.	Aquæ intercute infectis prosunt, diutiùs immorantibus uterum, vesicam, & colum emolliunt. Cæterùm caput replent & sensuum instrumenta lædunt.
Aquæ gypseæ.	Infrigidant, exsiccant, conglutinant, oppilant.	Prosunt calidis & humidis morbis, fluxui sanguinis è naribus, ophthalmiæ & omnibus aliis fluxionibus.
Aquæ plumbariæ.	Exficcant & mundificant.	Medentur omnibus morbis exulcerationem adducentibus.
Aquæ ferreæ.	Exficcant, stypticant.	Prosunt calidis & humidis morbis, asthmati, podagræ, & articulorum dolori, ventriculi debilitati, & mollitiei, aurium saniei, fluxui stomachi, hydropi, colicæ, fluxui urinæ, hæmorrhoidibus, ani egressioni, & venenis.
Aquæ cupreæ, seu æreæ, item Vitriolatæ ac atramentosæ.	Calefaciunt, siccant, abstergunt, resolvunt, incidunt, stypticant, incarnant, consolidant, constringunt.	Conferunt articulorum doloribus, podagricis, asthmaticis, Nephriticis, ulceribus malignis, oculis, ori, tonsillis & uvæ. Conferuut & morbis frigidis ac humidis, laxitati & rupturæ membrorum, malis cutis, membris contusis, carbunculo, alvo constipato.
Aquæ aureæ.	Calefaciunt, siccant.	Conducunt colicis doloribus, volvulo, fistulis, podagræ, malignis ulceribus, ventriculo frigido, calculo, rupturis, oculorum vitiis, scabiei, lepræ, cordi, ejusque tremori, & affectibus aliis. Item oris fœtori.
Aquæ mixtæ ex pluribus prędictis.	Vi pro cujuscunque vincentis qualitatis ratione pollent.	Conferunt etiam iis morbis & affectibus plùs, aut minùs pro ratione prædominantis virtutis mineralis. Undè cognitâ misturâ etiam quarumvis medicatarum aquarum vires facilè explorari poterunt.

Tabula

TABULA III. Præcipuarum in Germaniâ Thermarum cum earum locis, compositione, viribus medicis, & proprietatibus Ordine Alphabetico disposita.

Nomina & loca Thermarum.	*Compositio.*	*Vires medicæ, & proprietates.*
Abechenses in Bavariam propè Ratisbonam.	Sulphure, alumine, & nitro constant.	Calculo renum & vesicæ conferunt.
Abudiacenses in Bavaria.	Sulphure, alumine, & nitro pollent.	Odore ova frixa referunt. omnibus morborum generibus profligandis prosunt.
Annæbergenses in Misniâ.	Alumine cum venæ cupreæ misturâ pollent.	Rheumaticis symptomatis multum prosunt.
Antigastrenses in Hercinia sylvâ propè Oppenacum oppidum.	Sulphur, alumen, & nonnihil vitrioli continent.	Pravis humoribus evacuandis prosunt.
Aquenses juxtà Aquisgranum.	Sulphure, sale & alumine tinctæ sunt.	Nervorum morbis potissimùm sanandis conferunt.
Avenses, vulgò Au juxtà Rottenburgum ad Nicrum.	Acidulæ sunt cum excessu quodam sulphuris.	Nervorum vitiis mirificè conducunt.
Badenses in Austriâ.	Sulphureo-nitro-aluminosæ sunt.	Frigidis medentur morbis.
Badenses Helvetiorum.	Sulphureo-aluminosę sunt.	Calefaciunt & exsiccant frigidis morbis opportunæ.
Badenses. in Marchionatu Badensi propè Argentinam.	Sulphure, sale & alumine tinguntur.	Frigidis morbis conferunt.
Badenweilenses intrà Friburgum & Basileam.	Multum sulphuris; halinitri, verò & aluminis parum habent.	Asthmaticis & viscerum oppilationibus conducunt.
Bassenheimenses In Archiepiscopatu Trevirensi.	Alumine. nitro, halinitro, & sulphure pollent.	Variis languoribus conferunt.
Brinzbacenses.	Cupro & ferro constant.	Hypochondriacis, lienosis, & febribus quartanis conferunt.
Carolinæ juxtà Elenbogen in Bohemiâ.	Sulphureo-almuinosę sunt.	Glandulas, strumas, Schiaticam, paralysin & similes morbos curant.
Cellenses. ad Martianam sive nigram sylvam.	Sulphureo-nitro-aluminosæ sunt.	Febribus diuturnis medentur.
Conterthalenses. in valle cognomine propè Memmingam.	Alumen, halinitrum, & sulphur cum portione Calchanti habent.	Variis prosunt languoribus.
Curienses seu Piperinæ.	Aureo-sulphureo-ferreo-nitrosa constant materiâ.	Omnibus infirmitatibus medentur.
Deinacenses in Herciniâ sylvâ juxtà oppidum Kalb.	Ferro, cupro & alumine tinguntur.	Prosunt oppilatis.
Embsenses. juxtà lacum Acronianum.	Alumine & nitro pollent.	Dolori capitis, nervorum resolutionibus à colicis doloribus ortis prosunt.
Ferinæ in Ducatu Wittenbergensi, vulgò Wildbad.	Sulphureo-nitro-aluminosæ sunt.	Morbis pluribus comprimìs frigidis prosunt.
Fiderinæ.	Alumen, cuprum cum pauco sulphure continent.	Vinum colore & sapore imitantur: Hemoptoisi medentur.

Nomina & loca Thermarum.	*Compositio*	*Vires medicæ & proprietates.*
Gasteinenses in Bavariâ diœcesis Salisburgensis.	Auro, sale, nitro, argento & ære constant.	Omnibus morborum generibus profligandis prosunt; Ad mulierum fœcunditatem conferunt.
Gerbersweilenses in Alsatiâ.	Alumine, ferro & nitro pollent.	Lienosis, hypochondriacis, omnibus & vitiis cutis opitulantur.
Glottorbacenses inter Friburgum & Wald-Kirchen sitæ	Cuprum continent cum pauco sulphure.	Ictericis, Hepaticis aliisque morbis prosunt.
Goppingenses in Ducatu Wirtenbergensi ad oppidum Goppingam.	Acidulæ sunt modico sulphuris permixtæ.	Pectoris & pulmonum vitiis medentur.
Hubadenses vulgò Huberbad/ vicinæ Badensibus.	Sulphure, cupro, pauco alumine & sale permiscentur.	Obstructionibus potenter subveniunt.
Kesselbrunnenses in Archiepiscopatu Trevir.	alumine, nitro, halinitro, & sulphure pollent,	Variis infirmitatibus subveniunt.
Kibbadenses in Brisgoiâ.	Sulphur, halinitrum, alumen, & sal in se continent.	Omnia morborum genera curant.
Kirchenfeldenses in Palatinatu inferiori, & eo tractu, qui vulgò Hundsrück dicitur.	Ferro, cupro, & vitriolo constant.	Morbis variis medentur.
Laubacenses in Sueviâ propè Ulmam.	Sulphureo-nitrosæ sunt.	Omni ætati & temperamento conferunt.
Leuningenses & Fürstenbergenses.	Sale-nitro-aluminosæ sunt.	Diversis morbis conferunt.
Lucenses & Brigenses in Wallesiâ.	copioso ære & modico sulphure constant.	Variis infirmitatibus profligandis prosunt.
Plumbariæ in Lotharingia.	Plumbeâ misturâ: undè & nomen sortitæ, constant.	Medentur omnibus morbis exulcerationem adducentibus.
Saltzbergenses	Sulphure & halinitro constant.	Omnibus medentur morbis ulcerosis, præterquàm venereâ lue infectis.
Spigelbergenses propè Hameliam Saxoniæ inferioris.	Alumine, vitriolo & ochrâ infectæ sunt.	Arthriticis morbis conducunt.
Teplizenses in Bohemiâ.	Sulphure, nitro, alumine, bitumine & saxo calcario constant.	Omnibus morborum generibus profligandis prosunt.
Vogtsbergenses in Alsatiâ.	copiosum continent halinitrum cum modico aluminis & sulphuris.	Scabiosis ut plurimum conducunt.
Uberkirchenses & Nideravenses propè Rotenburgum ad Nicarum.	Sulphure constant cum vitriolo, seu calchanto.	Catharrosis prosunt.
Wattonnuweilenses in Alsatiâ superiori.	Sulphuris & nitri portione tinguntur.	Asthmaticis & viscerum oppilationibus conferunt.
Wembdingenses in Bavariâ.	Sulphure, alumine & nitro constant.	Calculo renum & vesicæ conferunt.
Willingenses ad Herciniam sylvam.	Sulphureo-aluminosæ sunt.	Exsiccant & corroborant.
Wisbadenses propè Moguntiam ex adversâ Rheni parte ad pagum Wißbaden.	Sulphure constant cum exiguâ aluminis & nitri parte.	Frigidis conferunt morbis.
Wolchensteinenses in Misnia.	Variâ miscellâ dotatæ sunt.	Variis conducunt morbis.
Zuckerthalenses & Salzenses.	halinitro, alumine & sulphure pollent.	Scabiosis plurimùm conducunt.

§. VI. Ob-

§. VI.

Obſervationes & Experimenta circà mirabiles, quorundam fontium, fluminum, lacuum, aliarumque aquarum differentias, ac miras planè proprietates in diverſis regionibus & Geocosmi partibus.

Nusquam credo, major & in tota rerum Naturalium contemplatione mirabilior apparet Naturæ Majeſtas, quàm in admiranda aquarum ex intimis terræ conceptaculis eruptione & effluxu, in tam mirificâ earundem naturâ, varietate, ac ſtupendis planè proprietatib⁹, quæ humanã fidem penè videntur excedere, ut proindè jam olim *Plinius*, cum easdem ſcribendo vellet commemorare, legentium quaſi gratiam, & fidem præoccupans rectè præmonuerit: *Si quis fide carere ex his aliquà arbitratur, diſcat in nulla parte majora eſſe miracula.* Ut igitur Lectori Curioſo horum in Aqueo Naturæ Regno miraculorum quædam proferamus, viſum eſt, ex innumeris pauca, quæ ſequuntur, ex probatiſſimis Authoribus tàm priſcis, quàm recentioribus collecta breviter recenſere.

Aquæ fluentes quæ in fluxu aliis non commiſcentur.	Lacum Acronianum ſupermeat Rhenus; Lemanum Rhodanus; Benacum Mintius, Verbanum Ticinus; Larium Addua; Sevinum Ollius; Fucinum Marcia; Nilus lacum Zaire, ſivè Bed; Ula Moſcoviæ flumen per decem Lacus profluens haud commiſcetur.
Lacus nec acceſſu ſivè augmento nec emiſſione fluminis mirabiles.	In Hetruriâ Thraſymenus; in Veſtinis Fucinus; in Latio Rigillus; in Americà Parime lacus maximus ſub Æquatore in longitudine 300. in latitudine 100. milliarium circiter.
Lacus, qui fluvios quidem recipiunt, per nullum tamen aquas remittũt	Mare Caſpium ſcopuloſâ montium catenâ undique concluſum; Lacus Aſphaltites; ſeu Mare mortuum. Lacus Soram in Moſcoviâ; Calgiſtan in Perſiâ. Cytur in Africâ.
Lacus, qui nullum flumen recipiunt, flumina tamen emittunt.	Lacus Chiamus è Regione Orientali Gangis. Cyacuyhay in finibus Chinæ. Lacus Titicain in Chareâ Americæ provinciâ 80. leucarum in circuitu. Lacus Vulſinius in Hetruriâ. Lacus Bruccianenſis.
Auriferi Fontes & flumina.	Tagus in Hiſpania: In Italia Padus. In Aſia Padroſus; Chryſorrhoas: in Bactris Oxas: In Carneniâ Hyramnis: In Africâ Nilus, Niger, & Zairus: In Americâ juxta Podoſium omnes fluvii aureis ſcatent ramentis: In Germaniâ & Hungariâ plures quoque rivi.
Fontes vinoſi, ſivè vini ſaporem referentes cum vinis permiſcentur.	Lyceſtis aqua acidula. Fons vinoſus in Naxo inſula. Fons in comitatu Cazenelobogenſi non procul Moguntiâ diſſitus, ab oppido, cui adjacet, Schwalbach, dictus. Alius juxta Confluentiam Andernaci vulgo nunc Dünſtein. Alius in Agro Lugdunenſi Galliæ ad oppidum S. Baldomanni fons Fortis dictus: acidulus, vinoſus in Aquitania non procul ab urbe Beſſà. In Hiſpania alius apud Valentiolas. In Liguriâ, Paphlagoniâ & Caleno agro fontes ſunt, qni inebriant inſtar vini. Ad Occidentale latus montium *Campſey*, qui agrum Sterlingenſem à Leviniâ provinciâ dividunt, fons eſt cujus aqua epota vim inebriandi habet.
Fontes æſtum maris imitantes, & Oceani motibus conſentientes.	Fons Gaditanus delubro Herculis proximus. Putei in ripâ *Boetis* propè oppidum quoddam. Fons alius in Hiſpali oppido. Fons *Louzaræ* in montanis *Cebretti* juxta exordium *Lori* flnvii in Conachia Hyberniæ regione: Similis in Walliâ. Burgidalæ in Gallia, in Sabaudia propè civitatem *Chamberi*. Calis in Hiſpanià. In Chinæ provincia *Suchurâ* propè urbem *Ninkiang*. In vertice montis *Hueung* provinciæ *Fokien* infra civitatem Hinghoam. In Provinciâ Chiapu non longè ab urbe Real fons ſingulis ſex horis affluens & aliis ſex refluens. In Weſtphalia juxta pagum *Altenbek* fons dictus Boller Brunn, interdiu bis cum magno impetu & fragore erumpens, ac denuò evaneſcens. In Galliæ Provinciâ *Aniou* propè pagum *Varo* rivulus per diem bis profluit & bis exareſcit.
Fontes, qui ad Lunæ phaſes alterantur.	In Gallià extra civitatem Bordeaux aquæ in quibusdam ſepulchris cœmeterii S. Severini ad Lunæ phaſes alterantur. In Chinæ montanis *Hucung* propè *Tremiſen* urbem, à Turcis vocatam *Climſan* fons eſt in Novilunio frigidiſſimus, in plenilunio calidiſſimus: intermediis temporibus tepeſcit, ac nunc ad fervorem accedit, nunc recedit.
Fontes ſolares & diurni.	Apud Troglodytas *Fons Solis* dictus circà meridiem in novilunio frigidiſſimus eſt, mox tepeſcens usq; ad medium noctis, ubi calidiſſimus cum maximo fervore & amaritudine. In Sardinia fons de die tantùm emanans, nocte abducitnr. In Moſcoviâ fons reperitur, qui manè tepet, meridie frigidus eſt, veſperi plurimũ calet. In provincia Americanâ *Chulutheca* fons matutino tantùm tempore usq; ad meridiem aquã fundit: reliquo tempore ſiccus eſt. In Cantabriâ tres ſunt fontes octenis pedibus diſtantes & in unum alveum cöeuntes, qui duodecies per diem erumpunt & toties evaneſcunt. Fons, qui *Pluviana* Italis dicitur in Comenſi diſtrictu circà Larium Lacum ſingulis ſex horis, aut ſaltem ter in die intumeſcit, & toties reſidet.

Fontes Nocturni.	In Provincia, *S. Salvator* dicta propè *Nixapam* fons per noctem tantùm aquas effundit; mane verò inter septimam & octavam, sicut & reliquo diei tempore abducitur. In Regno *Peru* in montibus *Pira* dictis fons Puquilo dictus, nocte per totum annum fluit, de die exarescit.
Fontes Solstitiales.	In montibus Pyrenæis fons *Esforbe* à monte, ad cujus radices adjacet, sic dictus, circà Solstitium æstivum, sivè festum Nativitatis S. Joannis Bapt. ingenti cum impetu ac fragore erumpit: Subducit verò se denuò circà Solstitium hybernum, sivè Festum Nativitatis Christi Salvatoris. In insula Archipelagi *Metellino* fons quidem ubertim scaturit ad tempus Solstitii; reliquo verò tempore exarescit.
Fontes æstivi, sivè per æstatem & certa ejus tempora profluentes.	Fons propè *Tridentum* æstate ubertim profluit, hyeme verò exarescit: Similiter fons quinque milliaribus à *Tasixa Chiapæ* distans. In Latio propè *Agnavulam* fons *Tosoni* dictus Vere, Æstate & Autumno aquis abundat; Hyeme exsiccatur. In Lusitaniæ oppido, quod *Villa nova* dicitur mille passibus circiter à *Caurâ* civitate fons oritur Calendis Maji usque ad Calendas Novembris ubertim profluens, per hyemem verò occultatur. Balneum piperinum vulgò Pfefferbadt in Curiensi territorio propè Helvetios tertiâ die Maji, festo nempe Inventionis S. Crucis aquis plenum est usque ad diem 14. Septemb. S. Crucis exaltationi sacrum; reliquo tempore per hyemem aquâ destituitur. In Galliæ comitatu *Foix* in finibus Cataloniæ 2. milliaribus à *Mirepoix* mensibus Junio, Julio & Augusto per singulas dimidias horas scaturigo quædam nunc effluit, nunc emanet: reliquo per annum tempore constanter fluit. In Bernensium ditione non procul ab Hastiensium municipio Alpes Engistiliæ occurrunt Junio, Julio & Augusto habitabiles: iisdem mensibus tantùm ex scopulo fons profluit uberrimus bis in die manè, & vesperi, quandò pecora adaquantur, iisdem refectis sensim evanescit.
Fontes & lacus reciprocicertis aliis temporibus emanantes vel evanescentes.	In Provinciâ Americanâ *Chiapâ* fons propè *Trafixam* per tres continuos annos fluit, posteà verò tribus annis occultatur. *Silöa* fons ad radices montis Sion non jugibus aquis, sed certis diebus ac horis ebullit, & per terrarum concava & antra saxi durissimi cum magno venit sonitu. In Persiæ civitate *Schiras* fons est, qui ad 15. annos sensim accrescit: indè verò denuò per 15. annos sensim rursùs decrescit usque ad fundum Scaturiginis; abindè verò rursùm ut anteà intumescit. In Burgundiæ Vallensi districtu, qui ab incolis Bonvalli dicitur, lacus est, qui singulis septem annis per aliquot septimanas exarescit, deindè rursùm, ut antea impletur aquis. Lacus Poloniæ dictus *Crinice* secundo vel tertio anno cum magnâ tempestate attollitur, deinde evanescit, speluncas proximas subiens & per aliquot tempus denuò revertitur. In Syria flumen sabbaticum per totam septimanam fluit excepto Sabbato.
Fontes accessu mirabiles.	In Regno *Peru* propè civitatem *Quito* fons est, ad quem cum silenter acceditur, aqua permanet quieta; cum clamore verò aut garritu aqua effervescit & commovetur tantò ampliùs, quantò clamores fiunt vehementiores. In Regno Neapolitano provincia Basilicanâ ad 1000. passus ab oppido *Lucaniâ* fons salsus effluit, ad quem si quis cum silentio & vultu converso accedat, aquam reperit claram: si verò voce garrulâ aut obverso dorso, aquam reperit turbidam & lutosam. In Siciliâ propè Syracusam fons scaturit in aperto campo per se in aquæ fluxu parcus; quamprimùm verò homines copiosiùs accedunt, fluit uberiùs. In Regno Bohemiæ ad castellum Riesenberg, quod unâ horâ distat à *Taus* in monte præalto fons scaturit, ad quem si mulier immunda ac menstruo laborans accedat, mox exsiccatur, & aliquot annis aquas negat. Hinc fons ille cautè à Domino Castelli seniculo in custodiam demandatur, qui omnem fœminis accessum prohibere debet. In Regno Chinæ propè Urbem Ciuning fons effluit accessu facto cùm sonoris instrumentis musicis plurimùm effervescens & ebulliens.
Fontes frigidissimi.	In Africæ Regno *Fessa* in monte *Aragan* fons scaturit frigidissimus, ità ut innoxiè manibus tangi nequeat. Propè montem *Cosne*, in loco, qui *Charon* dicitur, emanat fons, qui in æstate summâ congelatur & glacie obducitur; in Hyeme vero fervet & plurimùm evaporat. In Galliæ provinciâ Averniâ quatuor milliaribus à *Clermont*, fons est *à la Chere* dictus, qui in summo æstu mensibus Julio & Augusto congelatur, in hyeme verò calet, nec glacies observatur. Apud *Garamantes* fons est tam frigidus, ut in potum sumi nequeat, idque de die: de nocte verò ita calidus evadit, ut attrectari nequeat.

Fontes aquæ duplicis.

Propè Asiæ civitatem *Choövven* scaturigo est de *Hanuen* dicta, quæ simul frigidam & calidam effundit aquam. Propè Urbem *Linchang* in districtu *Siganfu* in altissimo vertice montis Limon fons reperitur in profunditate habens vix quinque pedes, cujus aqua in superficie est valde frigida, in imo verò adeo fervida & calens, ut innoxiè attrectari non valeat. In Provinciæ Gallicanæ arce, quæ *Maguelone* dicitur, fons simul dulcem & salsam effundit aquam. Acidulæ dictæ *insanæ* in Elbogano oppido Bohemiæ frigidæ sunt; ad modum effervescentis tamen ebulliunt.

Fontes flammivomi ignem concipientes & accendentes.

In Delphinatu non longè ab urbe Gratianopoli, atque propè locum *Vif* fons parvus ebullit ab accolis dictus *La fontaine qui brusle*; hic crebrò flammas evomit. In Illyriâ fons attactu frigidus reperitur, qui tamen lanam & pannos injectos incendit ac comburit. In Albaniâ scaturigines reperiuntur, quæ continenter flammas emittunt. In Dodonâ fons est frigidissimus; faces, si quis ardentes immergat, extinguit; si verò extinctas, accendit. In Insulâ *Terzera* Austrum versùs in montanis fons reperitur, qui cum immodico fragore, ac impetu flammas, & ignitos lapides ejicit. In ditione Civitatis Parmæ lacuna reperitur, quæ ab admotâ face aut titione ardente mox accenditur, nec extinguitur, nisi operiatur, aut ventis flamma comprimatur. In Islandia fons igneus propè *Heclam* est, qui aquas infusas, aliasque humiditates absumit; linum tamen injectum aut cannabin non lædir.

Lacus & fontes ad injecta tumultuantes atque tempestates & tonitrua cientes.

In Bohemiâ propè pagum *Vopalko* dictum, lacus est ad injecta quævis mirum tumultuans & effervescens tamdiu, quousq; injecta denuò ejiciantur. Similis lacus reperitur in confinibus Bohemiæ & Bavariæ propè Schittenhoff. In Episcopatu Tridentino lacus ad injecta tonat & pluvias accersit. In Marchionatu Badensi quatuor horis à civitate *Badenâ* lacus reperitur, qui ad quævis injecta tempestates, pluvias & tonitrua adducit. Similis huic lacus est in Stiriæ montanis, quæ vulgò Schwanberger-Alben dicuntur. Item alius in monte *Pilati* propè Lucernam Helvetiorum. Lacus Averniæ Gallicanæ provinciæ prodè *Besse* ad montana *Dor* vocata mox ut quid injicitur, tempestates, fulmina, tonitrua & pluvias adducere solet. Similes lacus reperiuntur in montbius Pyrenæis, ac in monte *Canado* Hispaniæ. In Sicilia lacus *Camarina* dictus, ad frivolè injecta tempestates & tonitrua causat: dum verò casualiter quid incidit, quiescit. Lacus quoque *Dragon* in monte *Tientu* provinciæ *Quantung* injecto lapide horribiliter tumultuatur & effervescit, cum ingenti procellâ, fulmine & tonitruis. In Æthiopiæ Regno *Angote* lacus *Pilati* dictus lapide vel quocunque alio injecto cum tumultu exuberar, & omnia circùm inundat. Solet & *Acidula furiosa* dicta versùs *Ægram* magno & horrisono tumultu ebullire, ac tonitrui instar fragorem emittere. Similiter contingit ad fontem Cappadociæ propè oppidum *Tyanæ*. In insulâ *Tenedo* non longè à *Troja* fons scaturit, qui lapidis injectori anditum adimit, resumenti auditum restituit.

Lacus & fontes, qui aquas coloratas, & tingentes fundunt.

In Thessalia duo sunt amnes, ex quorum uno, dum bibunt oves, lanam acquirunt nigram, ex altero albam; cum verò ex utroq; simul, lanam maculosam ex nigro & albo colore. Similiter *Crates*, & *Cesiphus* pecoribus candorem, *Penius* verò nigritiem inducunt. In Chinâ fluvios est magnus *Hoang* dictus, colore croceo aquam turbidam volvens. Urbem *Zeè* præterfluit amnis *Tun* dictus, cujus aqua sanguinis colore imbuta est. Infra civitatem *Fouing* ex monte *Talo* effluit rivulus, cujus aqua in Autumno cœruleo colore tincta est; quæ & ad pannorum tincturam adhibetur. In Provinciâ *Quantung* propè Urbem *Nanhiung* amnis *Mekiang* fluit nigerrimi coloris. In Novâ Hispaniâ plures rivi sunt aquæ nigerrrimæ, sicut & in *Guianâ* fluvius nigerrimi coloris aquam vertit. In Provinciâ *Amapaiâ* Regni Guianæ rivi manant sanguinei, quorum aqua ad meridiem innoxiè potatur: ante verò & post meridiem veneno infecta nocet. Solet & lacus Palæstinæ *Asphaltites* ter de die colorem mutare. Fons Samariæ alternis coloribus quater in Anno variatur, viridi scilicet, sanguineo, turbido & limpido. Apud Hierapolim Syriæ aqua quædam adeò tingendis lanis idonea est, ut ex radicib' tincta cum his decertent, quæ ex vermiculo purpurâq; tinguntur. Apud *Joppen* fons aquam sanguinei coloris fundit, sicut & in Æthiopiâ *Crathus* & *Sibaris* aurei coloris sunt fluvii. In Armeniâ lacus est cœrulei planè coloris, sicut & *Blava* fluvius in palæstinâ similis coloris aquam volvir. Lacus *Xanchi* propè urbem *Xin* sanguineâ stagnat aquâ. *Alterius* verò lacus prope urbem *Henchen* aquâ insigiter & gratè virescit. Similter & lacus *Loxui* prope *Vuping* colore viridi saturo imbutus est. Lacus in Poloniâ *Biale* dictus mensibus Aprili & Majo homines ejus aquâ ad loturam utentes fusco colore inficit. Apud *Bistricum* Hungariæ aqua plane viridis ebullit.

Fontes

Fontes, quorum aquæ sapore vel odore mirabiles.

In Islandia reperiuntur fontes sapore cerevisiæ. In Mesopotamiâ *Caburæ* fons est suaveolentis aquæ in Æthiopia fons reperitur cujus aqua violas olet. Aqua Attica sivè Agri Atheniensis ob saporem laudatissima censetur. *Tungri* in civitate Galliæ fons est plurimis bullis stillans ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus advertitur. In Lybiâ haud longè à fluvio, qui *Niger* dicitur, fons aquæ dulcissimæ quasi Saccharo imbutæ reperitur. In *Azania* Arcadiæ parte fons est, cujus aquam qui gustaverit, adeò à vino abhorret, ut nec odorem ferre queat.

Fontes aquarum levitate aut gravitate mirabiles.

Fons est in Æthiopia, in cujus aquâ ne lignum quidem vel palea supernatat, sed omnia pessum eunt in profundum. Aqua fontis *Pyrenes* dicti in Corintho totius Græciæ levissima habetur. Flumen Asiæ *Kiemo* alluens civitatem *Paogan* tantæ levitatis aquam habet, ut neque ligna neque ex iis naves sustinere queat. Subtilior adhuc est aqua rivi *To* propè urbem *Cacheu*, quæ nec stipulas nec stramen sufferre valet. In Toscana propè montem *Rufoli* scaturit aqua, quæ vix ulli alteri in levitate cedit. In Italia quoque inter *Florentiam & Vico* lacus reperitur, in quo & ligna quæcunque merguntur. Lacum *Alcyonium* apud *Leonam*, siquis etiam natandi peritus ingressus fuerit, is sivè volens, sive nolens statim mergitur ad ima magnâ vi raptus. In Lacu verò Siciliæ *Agrigentini*, in Asphaltico *Palæstinæ*, in *Acuscidamo* Africæ, in Armeniæ *Arethusa* omnia fluitant, nihil mergitur, ne quidem lateres.

Aquæ sensus corporis & animæ potentias, acuentes, vel minuentes. Item animi pathemata excitantes vel cohibentes.

In Ciliciâ apud oppidum *Lescum* rivus fluit *Nus* ex quo bibentium subtiliores fieri dicunt sensus. In *Cæâ* verò insulâ fons esse dicitur, qui sensus habetat. In *Bœotia* ad Trophonium Deum juxta flumen Orchomenon duo sunt fontes, quorum alter memoriam, alter *Lethe* dictus oblivionem affert. *Zamæ* in Africâ fons emanat, qui canoras efficit voces. In Sicilia fontes esse dicuntur vocati *Cleon & Gelon*, quorum ille à fletu, quem in bibentibus efficit; hic à risu, quod potantes in eum dissolvat; nominatur. In *Selenio* Achaiæ fluvio amores deponi volunt.

Fontes & aquæ canitiem aut calvitiem: Item & juventutem adducentes.

In Hyberniæ provincia *Connachiâ* fons est, qui bibentes efficit canos: cui propè scaturit alius; qui canos commutat in nigros. In montibus *Cignien* provinciæ *Honau* in speluncâ quadam lacus reperitur, cujus aqua aspersi depilantur & calvescunt. In *Bonicâ* Insula non procul ab Hispaniolâ in vertice montis fons scaturit juventutem, ut dicunt, restituens.

Fontes immersa diversimodè commutantes.

In Campaniâ Italiæ provincia, dicta aliàs Terra *di Lavoro*, fons scaturit continuò fervidus & calens, in quem si quid ad coquendum immittatur, mox coctum extrahitur, sed non integrum defectu quodam remanente. In Islandia haud longè ab ignivomo monte Hecla fons emanat, qui immersas ad fundum usque virgas in ferrum commutat. In Palæstina infrà montem *Carmelum* scaturit fons, qui mineralia quævis injecta in vitrum commutat: vitrum autem injectum in arenam reducit ac convertit. Arborum folia in Lacum *To* provinciæ *Pequin* cadentia commutantur in hirundines. Similiter in Lacum *Hæniao* folia dejecta in nigras aviculas convertuntur. In Hyberniæ provincia *Ultoniâ* prope urbem *Armac* lacus *Niach* dictus, aquam continet hujus naturæ, ut si baculus ligneus usque ad fundum attingens immittatur, in infimâ parte, quâ fundum attingit, convertatur in ferrum, media verò pars aquæ immersa lapidescat; reliqua verò extrà aquam remaneat lignea, uti fuit.

Aquæ lapidescentes, & injecta quævis in lapidem convertentes.

In Islandia fons est, qui exhalatione suâ omnia in lapideæ naturæ duritiem rransmutat. Aqua fontis ad *Zepusium* Hungariæ oppidum, quacunque vadit, lapidescit. In Gothia fons reperitur, qui in lapidem, quidquid immergitur, convertit. Similis est in Regno *Barnagasso* propè urbem *Abbarach* injecta quævis paucarum horarum spatio in lapidosam duritiem convertens; dantur & alibi complures, velut in *Peruvia*, fons calidus *ab A Costa* observatus: *Aniensis* Italiæ fluvius: Lacus amplus in Cappadociâ: Aquæ calidæ *Hierapoli Phrygiæ* non longè ab Augusta Tiberii: *Mieze* in Macedoniâ: in antris *Coririis* & alibi. In Bohemiâ propè *Falckenavium* fluit rivus, cui injectæ pinus brevi tempore lapidescunt. Similiter *Chemnitii* propè arcem Rabenstein dictam, stagnat aqua, quæ injectas arbores brevi tempore in lapides convertit. Propè Persiæ civitatem *Tauris* mons est, ad cujus radices plures emanant scaturigines, quarum aqua in pellucidum lapidem vitri instar incrassescit & induratur. Lacus Italiæ dictus *Lago delpie di Lugo* per unam diem injectum lignum crustâ obducit

ducit lapideâ. Propè Peruvianam civitatem *Guanca-vilcam* fons calidus ebullit, cujus aqua mox lapidescit; à quibuslibet etiam animantibus pota, eadem mox interimit, cum in ipsis similiter indurescat ac lapidescat. Est in Gallicano vigesimo circiter lapide Româ dissitus locus, in quo aquæ sedimentum in lapidem concretum & exuberans pontis vicem præbet. Idem observatur in fonte Claromontanæ Galliæ. In Buchania propè Castrum *Slaines*, quod sub ditione est nobilissimi Comitis *Errolliæ* magni Conestabularii Scotiæ aqua è naturali fornice guttatim destillans statim in lapidum pyramides vertitur. Abundat Cœnobium nostrum Cellæ Dei superioris Præmonstratensis Ordinis aquis clarissimis & limpidissimis per canales ex proximo monte inductis, quæ hyeme sunt admodùm calidæ & vaporosæ, in summâ verò æstate valde frigidæ, ità ut immersæ manus vim frigoris vix sustinere queant: Sunt verò prætereà adeò lapidificæ, ut parvo tempore quælibet injecta lapideo obducant cortice. Ipsæ etiam facili augmento in lapidem concrescunt, ita ut solarium, quod in horto nostro versùs Mœnum patet, meritò super aquas exstructum dicere possimus, cum saxea ea moles ex aquis nostris cöaluerit: quæ ipsa meo etiam tempore à 30. circiter annis, quo Ordinem ingressus sum, in longè ampliorem magnitudinem accrevit, licèt sæpius plures indè partes resectæ, & ad alios usus avulsæ sint.

Fontes, lacus, & fluvii præsagiis malorum memorabiles.

Althemii in ditione Civitatis Ulmensis fons *Famis* dictus, cum uberiùs emanat, famem & Annonæ caritatem prænuntiat. In Galliâ propè civitatem *Chasteau Dun* Lacus est, qui nunquam à pluviis accrescit aut quovis modo turbatur: quando autem insueto more accrescit; indicat in Autumno pestem & sequenti anno caritatem annonæ. Lacus Vadimonis nunc Lago *di Bassanello* dictus, cum limites excedens sese per campos effundit, caritatem prænuntiat. Similiter scaturigines quædam propè Lohn-See in Hassiâ, dum siccissimis temporibus erumpunt, & circumsita prata inundant, temporum mutationem indicant. In Sultzbacensi dominio Palatinatûs superioris *Fontes mali* dicti, prout erumpunt, durant, aut denuò disparent, ità pretium annonæ, & caritatem prænuntiant: ubi primùm effluunt, ingens fundulorum copia observatur. Glanitzii in Misnia scaturigo quædam rivulo suo Albim influit: cum verò aquam volvit rubram sanguinis instar, bellum; cum cinerem effundit, pestem & mortalitatem indicat. In Helvetia amnis est Incolis dictus die Siedmansbach, qui annuatim in Autumno evanescit, in Vere autem denuò erumpit, & fluit, cum seriùs more consueto in Autumno fluxum continuat, annum bonum ac fertilem venturum prænuntiat; cum verò solito citiùs exarescit, damnum in frugibus à frigore futurum præsagit. In Salinis fontibus *Bochnæ* in Poloniâ, cum audiuntur latrantes canes vel galli cantantes vel etiam aliorum quorumlibet animalium clamores, infortunium imminens prænuntiant. Similiter in Alsatia propè Obernaheimb, cum amnis dictus Schandli-bach fluere incipit, speciale quoddam infortunium aut malum belli, famis, aut pestis indicat. In Italiæ regione *Toscana*, ac ditione urbis *Sienæ* propè *Rosiam* pagum fontes *Lucales* dicti, idem fons *Reguli* cum erumpunt, fit caritas annonæ, dum verò hæc decrescit: etiam ipsi deficiunt & exarescunt. *Narni* quoque Status Ecclesiæ fons est, qui suâ emanatione annonæ caritatem indicat. Propè Volaterras in Toscana scaturigo quædam ad decem pedum altitudinem aquas affundit: cum ultrà eam fons accrescit, pluvias ac tempestates significat; cum verò infrà ordinariam altitudinem exundat, ità ut tantùm ferè ex scaturigine fundi ebulliat, serenitatem & siccitatem futuram præmonet. In Provinciâ *Foquien* in montibus *Chini-ven* lacus *Chang* reperitur, qui tempestates imminentes sonitu quodam, quasi campanæ pulsus indicat. *Monachopoli* (quod prædium est propè *Edenburgum*) fons est vulgò *Theroutingwell* dictus, qui tempestates prædicit strepitu emisso ex illâ fontis parte, quæ Cœli cardinem respicit, undè tempestas oritura est.

Fontes & aquæ perjuris exitiosæ.

Indi per aquam Sandaricinem, quæ apud Magos è fonte manabat, jusjurandum æstimârunt, ità ut dejerantes gravi noxâ & certissimo exitio tenerentur. *Alexand. lib. 5. cap.* 10. Amnis *Olachas* in Bathyniâ alluit *Briazum* (hoc est Templo & Deo nomen) cujus gurgite perjuri notantur pati velut flammam urentem *Plinius lib. 31. cap.* 1. Memorant & *Palici* stagna in Siciliâ intrà Symethum amnem, ubi tabellæ Juramenti veri innatabant, falsi mergebantur; illis morientibus semper qui falsum jurantes in eis se lavissent: contrà autem vera jurantes nullâ in parte lædebantur. Ità *Alexander ab Alex. lib. 5. c. 10. ex Aristotele*, qui fontem hunc *Acadinum* vocat. In Sardiniâ quasdam aquarum scaturigines esse memorat Idem, in quibus si perjuri immergerentur cœcitate

admissum facinus luerent: hi autem, qui benè juràssent, incolumi famâ clariùs cernerent. Juxta Tyanam aqua *Jovi* olim sacrata perhibetur, quam indigenæ inextinguibilem vocant. Hæc puris & Juramenti fidem servantibus aspectu placida & gustu dulcis esse dicitur; perjuris verò & infidis palàm adversatur. Epota namq; oculos pedesq; ac manus pejerantis invadit, pustulis ac vomicis totum corpus inquinans, neq; illic discededi datur facultas; sed, ut ajunt, ibidem permanentes coram ipsâ aquâ suam deplorare coguntur calamitatem. Ex *Philostrato*.

Fontes & aquæ miris aliis Naturæ miraculis illustres.

Abula Romanorum aqua argentea perspicuitate ingredientibus quidem frigida artubus horrorem infert, postmodùm non leniter calefacit, ac si potionem calidam ebibissent, qui eâdem se abluunt. In Aponiâ fons medicinalis, sive Balneum esse perhibetur uni soli proficiens, nunquam duos præsertim diversi sexûs admittens, mox enim ut ingressus contingit, commovetur aqua, atq; incalescere, deindè ebullire incipit, ac inter hoscè ebullitionis strepitus eadem aqua, quæ ante recreabat, paulò post offendere, & cum magnâ læsione corpus adurere solet. *Herodotus l.3.* memorat in Æthiopiâ fontem esse, in quo loti efficiuntur perindè atq; inuncti violam redolentes: Ea verò aqua adeò invalida est, ut in eâ ne lignum quidem vel palea innatare possit. Hæc aqua illis præstare videtur, quod sint longævi & pleriq; ad centum & viginti annos perveniant. Propè Cynæthensium Arcadum Urbem fons est prægelidæ aquæ, quem *Alyson* vocant, quod per eum rabies sedetur. Si quis ex rabidi canis morsu vel vulnus vel noxam quovis modo traxerit, aquæ illius fontis haustu statim sanatur. Ab *Edenburgo* Scotiæ Urbe plus minùs duobus passuum millibus fons est, cui olei guttæ innatant, ut si nihil indè collegeris, nihilo plus confluat. Quantumvis autem abstuleris, nihilo minus remaneat. In Ponto Thraciæ flumine lapides carbonibus ligneis persimiles reperiri tradit *Theopompus*, qui flabris extinguuntur, aqua verò conspersi faciliùs ardent: odorem etiam horum nullum reptile tolerare posse dicunt. In Peruviâ haud longè ab oppido *Cuzco* lacus esse perhibetur, qui pridie diei Cinerum usque ad Sabbatum sanctum, adeoq; per totam Quadragesimam omnis generis piscibus abundat; reliquo verò tempore, nec unicus quidem pisciculus ibidem reperiri potest. Plures ejusmodi Quadragesimales lacus observavit *Antonius de Calancha* in diversis aliis locis, comprimis verò in Gorgona & Zarzania, ut memorat *P. Hazart. in Ann. Ecclesf. Aristoteles* in admirandis refert fontem in Illyrico reperiri frigidum, qui tamen accendat vestes, quæ super eum expanduntur.

§. VII.

Mirabilia quædam miscellanea circà aquas referuntur.

Terribilis Catadupa Velini.

1. Inter mirabilia comprimis meritò recensenda est Catadupa Velini, vulgò *la Cascata di Terni*, in tota Italiâ celeberrima, ubi nempe Velinus amnis excelsissimis, præruptissimisque cautibus immenso fragore præcipitatus in profundissimam voraginem altitudine circiter 300. pedum *Nari* flumini se commiscet. (Fig. 1.) Locus verò, ut tradit *Kircherus in Latio lib. 4. part. 3. cap. 3. & Mund. subterran. lib. 2. cap. 19. §. 4.* Horrore adeò plenus est, ut vertiginem inspicientibus facilè incutiat. Tanto etiam fragore vasta aquarum moles in subjectam monti voraginem devolvitur, ut nullus quantumvis voce intensissimâ clamans alterum præ soni vehementiâ audire queat. Horrendum omninò spectaculum; ut infernum quis meritò dicere possit; spumosis equidem gurgitibus, & confusa Undarum repercussione formidandum tanto labentium aquarum mugitu, quæ vel Interamnium oppidi quinque milliaribus dissiti spatio nocturni temporis silentio facilè percipi queat. Ex lapsu etiam inter exasperatos rupium dentes aqua ità atteritur, ut quis in perpetuâ ibi se nebula constitutum juraret, neque indè nisi egregiè perplutus abire possit. Id quoque notatu etiam censetur dignum, quod Sole lucente, non secùs ac in roscidis nubibus perpetua illic iris non sine admiratione conspiciatur. De admirandis pluribus aliis Catadupis Consule *Happelium. Mundi mirabil. part. 3. cap. 13.*

Horribilis sonitus ex aquarum decursu.

2. Testatur *Olaus M.* ex horribili tum littorum Maris Bodnici & Finnici, tum lacuum, quos *Venner* vocant, tum denique ex montium formidabili sonitu (qui quidem sonitus aliundè haud oritur, quàm ex aquarum subterranearum, quæ ex vicinis maribus, finibusque aliò derivantur, longè lateque exporrectis ductibus, aquarumque in præruptis, tortuosisque terræ meatibus, sivè catadupis) homines persæpè propiùs accedentes non tantùm surdos, sed ità attonitos reddi, ut horrore ipso stupefacti exanimentur,

Pie de luco.

Velinus flu.

Aqua Sparta.

Piedeluco Lacus.

Mons Æolius, sive ventosus.

Catadupa Velini.

Velinus.

Pons Regulatorius.

Ternì.

Cæsis

Nar flu.

Narni.

CATADUPA VELINI fluminis et Mons Æolius Cæsianorum, situsque circum jacentium locorum.

Fig: 1.



exanimentur, nisi tempestivè sese à funestis Charontis antris removeant & subducant.

Ingens fragorin Nili præcipitatione. 3. De Nylo Ægypti flumine refert P. *PetrusPais*, ubi terram irrigat, quâ Alata dicitur, quinque leucis ab Epistomio Lacûs per 14. brachiorum altas rupes præcipitari immenso simul & fragore & fumo aqueo qui eminùs existimatur nebula; præcipitatum verò paulò post itâ intra duas ingentes rupes absorberi, ut vix oculis attingi queat.

Thermæ Selenuntinæ. 4. Mons S *Caloceri* ob aquarum & vaporum varietatem verè mirabilis est, quem etiam ex industriâ nobis optimè describit *Kircherus in Mund. subt. lib.* 5. *sect.* 3. *cap.* 1. §. 8. his prope verbis: Inter cœteras thermas celebres sunt illæ, quæ in Selenuntinæ Urbis (in Sicilia) reliquiis, hodiè *Sciacca* vocatur, producit varietate admirabili: siquidem in medio altissimi montis S. *Calocero* dicati varii hinc inde specuum labyrinthi occurrunt, quorum alii rectis, transversis alii cuniculis patent; alii in imum terræ Tartarum profundissimâ voragine porriguntur, qui semper horrendo ac formidabili fragore resonant; sivè ob inclusam ignis latentis multitudinem; sivè ob ventorum hinc indè currentium inclementiam, sive ob undarum maris in cuniculos montis magnâ vi agitatarum impulsum, certè tonitruum fragoribus haud absimiles constitutis temporibus edit. Res horrenda nulli non metum incutiens. Antrum inter cœteros est vastum, in cujus medio puteus profunditatis immensæ, & visu ad imum tenebrosus & horridus; hic calentibus hinc indè pluribus scatet venis, quæ ex diversarum cavernarum canalib' relabuntur, ac vapores simul emittit, qui ad supremam antri concamerationem salubres excitant intrantibus sudationes. Visuntur & in hunc diem in saxo vivo à Veteribus ab immemorabili tempore incisa sedilia variis exornata inscriptionibus, quæ tamen uti temporum injuriis exesæ sunt, itâ omnem spem penetrandi Curiosis eripiunt: sunt in hoc antro syphones, sivè artis, sivè naturæ industria, nescio, facti calidis referti vaporibus, ad quos ii, qui capitis intemperie, aurium tinnitu, ac surditate laborant, auribus applicatis exiguo tempore ab infirmitatibus liberantur; nervis quoque corroborandis prosunt; Unde insigni infirmorum illuc magno numero, præsertim in Festo *S. Caloceri* confluentium emolumento visitantur; Xenodochio publicis sumptibus in eum finem illic exstructo. In planitie hujus montis alia mox exurgunt Thermarum genera, & inter cœteras aqua, limpidissima miræ ad laxandum alvum virtutis quam qui non cognitam biberit, is utique magnis se adspectantium ludibriis exponet, cum operatio adeò à potatione subitanea fit, ut vix tempus & locus se honestè subducendi detur. Undè indigenæ nugatores ridiculum cum exteris dolosâ inductione ad bibendum inductis sæpenumero exhibent spectaculum. ita *Kircherus*.

aquæ proventus in insula Pantalaria. 5. Africam inter & Siciliam insula interjicitur Pantalaria nomine; quæ solo, quocunque inceditur, est arido rubro & calido, ut vix nudis pedibus calcari possit, *quæ utique ex imis*, ut existimat *Kircherus loc. supra memor. æstuariorum, quæ Vulcaneis officinis Æthneis & Liparitanis per subterraneos cuniculos correspondent, originem trahit, & ex specubus montium patet, qui aquis & vaporosis flatibus exagitati, jugi intùs perpetuoq; sonitu fremere sentiuntur.* Summum porrò, ut idem ex *Fazelo* testatur, in ea naturæ prodigium cernitur; cum enim terra nimio ardore sitibunda aquæ dulcis summam penuriam patiatur; miro sanè naturæ consilio hiscè incommodis provisum est. In medio siquidem insulæ ingens antrum horridis undique & undique saxis concameratum; in hujus verò antri umbilico immensæ profunditatis vorago comperitur, ex quâ perpetui exurgentes halituum vaporumque fumi in vasto fornice condensati in dulcis aquæ latices resolvuntur tantâ copia & multitudine, ut ea inde intra Syphones partim arte, partim natura factos extrà corrivata toti insulæ ad potum, aliumq; usum abundè sufficiat.

Aquæ ardentissimæ in Japonia. Fig. 2. 6. Variis in Japoniæ locis exundant, & ebulliunt aquæ ferventissimæ cum teterrimo fumo, & intolerabili pene exhalante mephyti, quæ acutissimo suo ardore injectorum tam hominum, quàm animantium quorumvis corporum brevi temporis spatio ad ipsa usque ossa denudant, exedunt, & absumunt. *P. Cornelius Hazart in suis Annal. part.* 6. *Japon. cap.* 11. Meminit sulphureæ ejusmodi Charonticæ paludis in regione *Ugen* dicta, quæ aquam adeò penetrabili caloris virtute vigentem; ut carnem brevi ab ossibus facile exsolvat, tam tetro verò & virulento fœtore imbutam continet, ut pecudes propiùs accedentes continuò suffocet, & exanimet, ipsas & per aêrem ilic commigrantes aves mox interimat, & miserando spectaculo ex alto delabi faciat. In stygiam hanc paludem Anno Christi 1628. insignis Christi athleta *Michael Nacaxima S. I.* ut *P. Joannes Cardim* refert, post varias alias fortiter toleratas pro Christi fide pœnas, sub Tyranno *Daifusama* tandem dejectus fuit, cum paulò ante illum sexaginta alii diversi statûs & conditionis die 28. Februarii, & iterum decem alii die 17. Maji præcedentis anni pro fide Christi in eandem præcipites acti fuissent. Meminit etiam *Schottus lib.* 1. *Hist. Font. cap.* 5. §. 4. in *Tacacu* apud Japones editissimum esse montem *Ungen* dictum, qui subtus ardere solet; erupisse verò dicit in aliquas voragines, interque illas unam esse immaniorem cœnosâ & ferventissimâ aquâ plenam, in quam Tyrannus Japonicus sedecim Christianos demergi jussit, ni fidem & legem veri Dei desererent. Addit verò horum adolescentiorem non expectato impulsore sponte se in eam præcipitâsse; reliquos verò ab aliis violenter dejectos

dejectos fuisse. Omnium tamen ejusmodi Charonticartum paludum ferventissimam asserit *Arnoldus Montanus in Legat. ad Jap. Imperatorem*, esse eam, quæ ad *Singock* reperitur, cujus exæstuans calor ipsa etiam intima penetrare solet ossa, & intolerabili conficere dolore. Hujus aquæ laniatu horrendo scilicet cruciatûs genere, & infandi pene supplicii more haud aliunde quàm ex stygii & avernalis hostis instinctu huc adductus *Toxogunsama* immani furore haud impar Patri Tyranno *Konbosamæ* filius in dominio succedens ad Ann. Christi 1631. diversâ admodùm sorte atrocissimè in Christianæ fidei Confessores desævire cœpit, ut apud eundem *Montanum* videre licet.

Præsagium malorum ex fontibus sanguine manantibus.

7. Fontes nonnullos & flumina quandoque sanguine manâsse diro mortalibus omine & imminentium malorum præsagio Historiæ declarant. Sic An. 935. *Genuæ* in vico, cui *Fonticulo* nomen, nunc autem *Bordigotus* dicitur juxtà portûs molem fons per integrum diem sanguinem anavit: Urbs deindè à saracenis capta & direpta fuit. Ungari etiam Italiam ingressi longè latéque omnia depopulati sunt. *Platina, Luitprandus lib. 4. cap. 2. Sigebertus. Sigonius lib. 6. Reg. Ital. Anno 931. Neronis* quoque principatu, dum Isthmum Peloponesi perfoderet, sanguis è terrâ erupit, fluvii sanguine manârunt; Oceanus inter Britanniam & Galliam sanguine totus inundavit. Eodem anno in Brittannia duæ urbes expugnatæ, & 80000. Romanorum civium & sociorum perempta sunt. *Dio Svetonius.* Antequam *Constantinus* Scotorum Rex Danis junctus, ut tradit *H. Boeth. lib.* 11. magno prætio ab *Athelstano* Anglorum Rege ad *Broningfeldum* superatus esset: paulò ante conflictum ex latere monticuli cujusdam in Gallonidiâ sanguis erupit, perque septem dies fluxisse & Oceanum Hibernicum ad aliquot passuum millia cruentâsse perhibetur.

Lacus à glacie mirabiles in Scotia.

8. Ex relatione D. *Georgii Makenuzis* Equitis & archivorum publicorum custodis recenset 9. *D. Sibbaldus in prodr. Nat. Hist. Scotiæ part. 1. lib. 1. cap. 9.* Lacum esse quendam exiguum in loco dicto *Strath errik* in Domini *Lovetii* agris, cujus aqua nunquam tota congelascit in vehementissimis etiam frigoris morsibus usque ad Februarium: Verùm post illud tempus unius noctis gelu totam lacus superficiem glacie operiet. Quod si per duas noctes duraverit gelu, glaciem efficiet non modicè crassam. De hoc cum integerrimi & maximè sobrii ex incolis loco illi vicini studiosissimè fuissent requisiti, à tot testibus comprobatum hoc fuit, ut nullus de rei veritate dubitandi locus esse possit. Memorat idem *Sibbaldus* etiam adhuc de duobus aliis lacubus, quorum alter dictus *Loch-monar* satis spatiosus, qui eundem semper tenorem servat cum lacu jam memorato. Alter lacus in *Straglash* ad locum dictum *Glencanich* in agris ad *Chisholmum* quendam pertinentibus situs est in solo quodam inter celsissimi montis cacumina, adeò ut ipsum illud solum sublime satis fit. Lacus autem hujus media pars nunquam est sine glacie, cùm maxime etiam fervet æstatis ardor, licet prope ejusdem ripas regelet. Conspicitur in eo hæc glacies, etiamsi radii solares à montibus in ea regione repercussi vehementem calorem excitent, & alii ejusdem viciniæ lacus in loco non minùs sublimi siti nihil ejusmodi patiantur. Observatu etiam dignum est, quod in locis lacui proximè adjacentibus semper vireat gramen, quasi perpetuum ibi ver esset; idemque gramen pecudes una tantum septimana meliùs pascat, & pinguiores reddat, quàm ullum aliud gramen præstare potest. Rarum etiam est, quod de lacu Myrtoo iu Gallovidia refertur, cujus una pars hyeme congelat, altera nunquam congelare visa est.

9. Ex iisdem recensetur, quod in *Glevelg* ad locum dictum *Achigniglium* rivulus sit, qui ità Agrifolium in lapidem subviridem mutat, ut plerumque ex eo formas efficiant ad fundendas plumbeas glandes sclopetis inservientes: fabri etiam illi, qui in ære operantur, ex eodem conficiant suas formas & ollulas fusorias, & mulieres quoque rotundas suas verticulas, quibus fusos cingunt, ut eò commodius fila deducant à penso. Aqua lapidifica mirabilis.

10. Mirabile quoque hoc est, quod idem *Sibbaldus* refert his verbis. In *Hoia* Orcadum insula tres altissimi montes sunt, qui sublimitate sua miranda navigantibus à terra longissimè adhuc distantibus cursum, quò dirigunt rectâ phari quasi præstantissimi speciem & vicem præbent. In ipso cacumine unius ex hiscè tribus montibus hic contiguis fons est ex ipso corde seu fundamento montis ortus miræ claritatis, raræ dulcedinis, siti sedandæ convenientissimus, & stupendæ adeò levitatis, ut si quis potando integrum dolium de illius aqua in stomachum trajicere posset, nullatenus se graviorem inde effectum sentiret. Aqua miræ levitatis.

11. In præcelsâ rupe Castri *Britannoduni*, ut D. *Andersonus in tractatu de gelido fonte Kingorni* refert, duo sunt fontes, quorum alter ab altero duos aut tres tantùm pedes distat: superioris, cujus cursus est à Borea versus Austrum, aqua valde salsa est; alterius cujus cursus est ab Austro versus Boream, aqua dulcis est, & limpida, quod mirandùm satis Naturæ phænomenon est. Duo fontes propinqui diversæ naturæ.

12. Lacus in Anglia *Gufer* dictus *Majolo* teste, e â valde admiranda pollet proprietate, ut si cuilibet piscandi in illo libertas permittatur, copiosam piscium capturam retibus permittat: Si verò strictâ libertate uni vel alteri tantum piscandi jus addicatur, vel pro pecuniæ pretio vendatur: omnes continuò pisces effugiunt & disparent, nec revertuntur, quousque plena rursus omnibus piscandi libertas sit restituta. Lacus Gufer.

13. De lacu quodam in Armenia refert Lacus in Armenia mirabiles.

Joan

Joan. Baptista Tavernerius, quod cum expugnata à Turcis civitate *Van* primarius ibidem Bassa cuidam institori piscandi jus in eodem lacu pro certa pecuniæ summâ contulisset, illeque piscaturam ibidem instituisset, nullos unquam pisces, sed meros serpentes capere potuerit. Hoc Bassos reliquos ità terruit, ut jam piscandi jus nulli amplius pro pecuniæ prætio divendere præsumant, sed liberam omnibus in eo piscandi facultatem permittant.

14. Memoratu quoq; dignum est, quod recenset *Valvasor in Carn. descrip. l. 2. c. 30.* de lacu Urainensi propè *Tarischendorff* ad Mirnam fluvium vulgò *Neyring* dictum sito. Hic enim in specu seu crypta quadam rivulo *Urainepotok* per Montem ad Mirnam profluo se prodit: Quem cum quidam piscator scapha sua accessisset, ingentem auraturam copiam ibidem deprehendit. Quandò autem cupidior nimiam earum multitudinem expiscari tentavit, subita illic exorta tempestate ad ostium lacus abactus exitum quærere coactus fuit: Quod non est factum cum Mediocri earum captura contentus egressum specus maturavit. Tandem post nimis frequentem illic institutam piscationem collapsa intus petra os lacus obstruxit, & ingressum cum navicula instituit.

15. In Mokrizensi Carnioliæ sylva, ut idem *Valvasor* testatur *memorato l. 2. c. 47.* lacus piscibus abundans persæpè reperitur incuriè sylvam illam, & in ea montem *Mokriz* adeuntibus: De industria verò & studio illum accedere conantibus minimè in conspectum venit, nec reperiri potest. Similem alium hujusmodi lacum in Reiffnirensi sylva ad montem *Velka Ribenska Gora vulgo* dictum reperiri posse memorat idem ibidem, ut & plura alia fabulosa, quæ apud eundem legi possunt. Lacus subindè comparens & disparens.

CAPUT XII.

De Oceano, sive Mari, ejus divisione, variis motibus, & admirandis aliis Naturæ miraculis.

NE quicquam præterire videamur, quod ad pleniorem Terraquei globi cognitionem conferre possit, etiam nunc Oceanus nobis est adeundus, ejusque non tantùm notabilia sed & mirabilia perlustranda. Est autem Oceanus juxtà *Bocatium* sic dictus, quod in modum cinguli orbem terræ ambiat; Unus igitur est, ex quo velut à radice surculi, alia maria particularia sparguntur & dividuntur. Sed nunc varias præprimìs ejus divisiones & denominationes adducamus.

§. I.

Oceani divisio & varia Marium nomina, & Appellationes adducuntur.

1. Unus quantumvis sit Oceanus, sive Mare magnum, quod ambitu suo totum circumfluit terræ globum; prout tamen diversas alluit ejusdem portiones, & in varios Sinus aut Tractus funditur, diversa quoque sortitur nomina. Antiqui comprimis Oceani magni quatuor generales denominationes à quatuor Terræ plagis Cardinalibus deductas usurpârunt. Ità ab Oriente suprà Asiam Oceanum dixerunt Eoum, sive Orientalem: Ab Occidente infrà Europam, & Africam vocarunt Occiduum, sive Occidentalem: à Meridie circà eandem Africam appellârunt Notium sive Australem; tandem à Septentrione circà Europam, & Asiam nominârunt Boreum, aut Borealem, sive Septentrionalem. 4 Generales Oceani denominationes juxtà Veteres

2. Nostris temporibus Hydrographi Oceano generales hascè attribuunt denominationes. Imprmis quidquid aquarum inter Asiam, Americam, & Terram Australem sive Magellanicam à *Ferdinando Magellanes* ejus inventore sic dictam, interfusum est Mare Austrinum, item Mare Pacificum à fluctuum placiditate; ab Hispanis verò *Mar del Zur* nominatur. Quod verò inter Americam, Europam & Africam usque ad lineam Æquinoctialem protenditur, Mare Septentrionale sive *Mar del Nort* appellatur. Quod est ultrà lineam Æquinoctialem Austrum versùs inter Americam, Africam & terram Magellanicam Mare Æthiopicum, sive *Mar di Ethiopia* nominatur. Quod denique est inter Africam, Asiam, atque eandem Magellanicam Orientem versùs Mare Indicum, sive *Mar di India* nuncupatur. Juxtà Recentiores

3. Præter generales has appellationes Veteres Oceanum etiam juxtà certas portiones, tractus, oras, littora, atque regiones, quas allambit, aliter quoque denominare consueverunt. Ità Oceanus quà Sarmatiæ affunditur inter Lappiam, & flumen Obium, Sarmaticus; quà Scythiæ, sive Tartariæ, Scythicus, sive Tartaricus ab iisdem fuit dictus: In toto verò Septentrione etiam Hyperboreus fuit appellatus à gente scilicet in extimo hoc Septentrionis littore positâ, ut ait *Cluverius Geogr. l. 1. cap. 10.* Idem rursùs Oceanus etiam Mare Cronium fuit dictus, quod Saturnus frigidissimum sidus his locis potissimùm dominari dicebatur; quâ etiam de causâ Mare Glaciale, concretum, & Almachium, quod lingua gentis illius olìm significabat, idem quod congelatum, ut & Morimarusa, sive mare mortuum fuit nominatum *ob perpetuam caliginem & alienum molliorum siderum inibi aspectum, malignâ ac pruinæ tantùm albicante luce*, ut inquit *Plin.* à *Tacito* verò Mare pigrum & imotum fuit dictum. Oceani denominationes juxtà loca quæ alluit.

Oceanus porrò in Oriente, ubi Sericam Regionem aquis suis alluit, Sericus; ubi verò Sinarum terras rigat, Sinensis appellatur. Hinc sequitur Hippadis pelagus, nunc Archipelagus *S. Lazari.* Indè à Meridie Oceanus Indicus ad Indos, Persas, Arabes, & Æthiopes procurrit: Quâ verò parte Gangem Indiæ prædivitem recipit fluvium, Gangeticus appellatur. Totum etiam mare Indicum, quod Gangetici, Persici, Arabici & Asperi nominibus distinguitur, alio nomine Rubrum Latinis; Erythræum Græcis fuit dictum. A Promontorio Bonæ spei occasum versùs Oceanus vocatur Æthiopicus ab Æthiopiâ Occidentali; Atlanticus, quà Atlantem Mauritaniæ montem, quâ verò parte Cantabriam Hispaniæ Regionem alluit, Cantabricus; quâ Aquitaniam Galliæ provinciam, Aquitanicus & universim Gallicus; Britannicus verò inter Britanniam & Galliam; Hybernicus inter Hyberniam & Britanniam; Caledonius, vel ut alii minus aptè Deucaledonius, suprà Scotiam, quæ olim Caledonia fuit dicta; & tandem ultrà Britanniam ad Germaniæ utriusque littora Germanicus appellatur.

Sinus Oceani. 4. Oceanus aliter non tantùm vocari consuevit, dùm libero affluxu suo certas terræ amplectitur & allabitur oras, sed etiam dum coärctatus & coërcitus angustis spatiis intrà terram irrumpit, quæ angustiæ communiter Freta ab Hydrographis appellantur, aliterque dum terræ gremio ità infunditur, ut primùm angusto tramite, mox laxioribus anfractibus dirimatur, & in magno spatio copiosè velut in ingentem lacum colligatur; Soletque profusa hæc aquarum collectio vocari Sinus; ejusmodi verò maximus est Sinus, qui medius inter Europam, Africam, & Asiam ad paludem Mæotin usque protenditur, ac maris ideò mediterranei atque interni nomen obtinuit. Alius est sinus ingens à *Plinio* quondam Codanus appellatus ad Septentrionem inter Pomeraniam, Daniam, Suediam, Livoniam ac Prussiam protensus, nunc autem Mare Balthicum nuncupatur: cui insinuantur alii Sinus, Bodnicus, scilicet & Finnicus, sic dicti à provinciis, quas alluunt. Alius est Persicus ad mare Indicum inter Arabiam & Persiam. Alius rursùm est sinus Arabicus disterminans Arabiam ab Africâ, qui & Mare rubrum olim, nunc verò vulgò *Mardi Mecca* ab adjacente urbe dicti nominis *Mahometis* natalibus ac sepulturâ celebri. Ad partes quoque Orientalis Americæ, quâ Europam & Africam respicit, situs est sinus Mexicanus: Ad partes verò Occidentalis Americæ, quà Asiam respicit, sinus est Californiæ sive Vermilius. Granduicus Sinus adjacet mari Septentrionali, ac nunc mare album appellatur. Est rursùm Sinus etiam Gangeticus, qui & *Golfo di Bengala* dictus est præter alios plures, velut Sinus inter Malaccam & Cambodiam, Mare *Pezora* sive mare album inter Russiam & Lappiam, *Mar Lantichdol* inter Beach & novam Guineam. Sinus alius inde versus Occidentem procurrit inter Beach ac terram *Antonii de Diemen*: Denique est & Sinus inter novam Franciam & Canadam, Mare Hudsonii appellatus.

Freta Oceani. 5. Freta celebriora ab Hydrographis memorantur sequentia. 1. *Fretum Herculeum* à scissis utrinque montibus *Calpe* scilicet ab Hispaniâ, *Abyla* verò ab Africâ (quos Veteres Columnas Herculis dixerunt, quasi laborum ejus metas) sic dictum, ut & *Gaditanum* à Gadibus insulâ, vulgò verò nunc *Stretto di Gibraltar*, & *Gibilterrâ* disterminans Europam ab Africâ ad partes Occidentales, per quod Oceanus Atlanticus irrumpit, ac mare mediterraneum sive internum efficitur. 2. *Fretum Magellanicum* ad partes Americæ Australis, quam & à terrâ Australi incognita sive Magellanicâ dirimit. Vocatur vulgò *Stretto di Magellanes.* 3. Fretum *Maire* haud procul à priore à *Jacobo Le Maire* Batavo ingressu breviore in mare Pacificum tentatum. 4. Fretum Anianum vulgò *Stretto di Anian* dictum, ad partes Americæ Septentrionalis Americam versùs Occidentem ab Asiâ dirimens. 5. Fretum *Davis* (quod tamen alii dubitant, sinus sit, an fretum, cùm Tractus ille nondum sit per navigationem plenè detectus) in eâdem parte Septentrionali Orientem versùs. 5. Fretum Nassovium seu *Waygaz* inter Sarmtaiam Asiaticam & Novam Zemblam. Fretum *Manithas* inter Luconiam & Mindanao ad Insulas Philippinas propè 70. milliaribus germanicis procurrens. 8. Fretum Glaciale inter *Spitzbergam* & Novam *Zemblam.* 9. Fretum Sunticum, vulgò *de Sont*, Germanicè der Sunth inter Sconiam & Zelandiam Daniæ Regiones. 10. Fretum *Forbischeri*, per quod ex Mari Atlantico in sinum *Hudsonii* navigatur. 11. Fretum *Babelmantel* ad Insulam hujus nominis, quod circà initium Arabici, sive Rubri maris haud procul à civitate *Aden* situm est. 12. Fretum, quod Hellespontus & Bosphorus Thracius constituunt propè Constantinopolim, ubi à mari Ægæo ad Nigrum mare fit transitus. 13. Fretum Siculum, sive Mamertinum ubi *Virgilio* canente:

Dextrum Scylla latus, lævum implacata charybdis
Obsidet, atque imo barathri cum gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursùmque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat Unda.

Alia deniqúe adhuc Freta reperiuntur ad Indici maris Insulas, veluti inter Ceilon & Indiam, inter Sumatram & Malaccam, inter Javam & Sumatram, ut & Fretum *Sunda* haud procul à Regiâ civitate Bantâ. Verùm quia Tellus miras sæpè patitur alterationes ab interioris Oeconomiæ dissidio, ideò nec Sinus nec Freta omnia constare semper queunt, quod & Ovidius agnovit Metamph. 1. canens:

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus

Esse

Esse fretum; vidi factas ex æquore terras,
Et procul à pelago conchæ jacuêre marinæ,
Et vetus inventa est in montibus anchora summis.

Mare Caspium.

6. Præ cæteris omnibus maribus Mare Caspium sive Hircanum, nunc verò dictum *Mare de Sala*, & *Mare de Bacha* hoc habet singulare, quod terrarum ambitu undique instar lacus quidem concludatur, nec ad visum ullibi cum Oceano aut alio quovis mari vicino communicare videatur: Existimant tamen gravissimi Authores haud levi argumento inducti, Oceanum Indicum per canalem subterraneum in ipsum infundi. Imò *Kircherus in Mund. Subterr. lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 10.* ostendit cum Sinu Persico, & cum mari Euxino per occultas semitas ultò citròque negotiari. Evidens autem argumentum est communicationis cum aliis maribus, dum innumeros recipit fluvios, nullum tamen emittit, neque amnium in se id se deponentium multitudine augeri videtur, quod per occultos quosdam meatus in alia vicina maria sub eâ proportione, sub quâ aquarum multitudinem recipit, exonerare sese debeat.

Mare mediterraneum, ejusque varia nomina

7. Inter omnia maria nullum est, quod tàm varia pro variis regionum littoribus, quibus affunditur, assumat nomina, quàm Mediterraneum, sive internum Mare. Oceanus equidem Atlanticus per Fretum Gaditanum, sive Herculeum progressus à sinistro latere, quo Europa sita est, mox Iberiam, sive Hispaniam alluens dicitur Ibericum, sive Hispanicum mare: Circà Baleares insulas Balearicum: Ad Narbonensem Galliæ provinciam Sinus Gallicus: Indè ad Liguriam vadens Ligusticus Sinus dicitur. Ab eo ad Siciliam usque Tuscum est mare, quod Græci Tyrrhenum, Latini inferum vocant. Circà Corsicam Insulam Corsicum est mare; circà Sardiniam vocatur Sardoum Mare: à Siciliâ ad insulam Candiam sive Cretam usque, siculum indè Creticum ad Asiæ usque continentem, sive *Mare de Candie* appellatur. Inter Siciliam, Italiam & Græciam Jonium dicitur mare, cujus pars est Sinus Adriaticus ab Adriâ Urbe quondam sic dictus, qui situs inter Italiam & Illyricum sive Sclavoniam, diciturque etiam Mare superum, vulgò nunc *Golfo di Venetiâ*. Adriatici maris sive Sinûs iterùm partes sunt Mare Illyricum, & hujus rursùm aliæ partes duæ, Dalmaticum Mare ad Dalmatiam, & Liburnicum ad Liburniam sive Croatiam situm. Inter Siciliam & Adriaticum sinum Ausonium jacet mare à parte Italiæ, olim Ausonia dicta, habens nomen. Inter Peloponesum, qui hodie Moræa dicitur, & Achaiam procurrit Corinthiacus Sinus; inter Græciam verò, Candiam & Asiam Ægæum est mare, quod nunc Archipelagus nominatur, ac innumeris insulis refertus est, à quibus etiam varia sortitur nomina, ut à Myrto insulâ Myrtoum mare, ab Icariâ Icarium, à Carpatho Carpathium, ab aliis aliter. Vastum deindè Mare quod inter Europam, atque Asiam angusto primùm meatu, qui Hellespontus, & Fretum Galipolitanum à *Galiopoli* Urbe vicinâ, vulgoque *Stretto di Galiopoli* dicitur, in laxitarem quandam, quæ Propontis, seu vestigium ponti, ac mare *della marmora* vocatur, irrumpit, & per alteram angustiam, quæ Bosphorus Thracius, nunc *Stretto di Constantinopoli*, & Fretum Constantinopolitanum appellatur procurrens tandem in Sinum diffunditur, qui Pontus Euxinus, vel Mare nigrum, & vulgò *Mare Maggiore* dicitur, magnoque littorum flexu jungitur Mœotici lacûs ostio, quod olim Bosphorus Cimmerius dicebatur: Ipse verò lacus Mœotis, nunc *Mare della Tana*, & *mare delle Zabacky* dictus, Tanaim amnem recipit, qui terminus Europæ & Asiæ à Recentioribus Geographis statuitur. Ad Asiam porrò post Ægæi maris fluxum Carium occurrit Mare ad Cariam nempè, indè sequitur Rhodium ad Rhodum insulam, Pamphylium ad Pamphyliam situm, Cilicium à Ciliciâ, Syrium vel Syriacum à Syria appellatum. Inter Ciliciam, Syriam, & Cyprum mare vocatur Cyprium, & Issicus Sinus ab Isso Ciliciæ Urbe. Ad Phœnicem porrò phænicum, ad Palæstinam Palæstinum, ad Judæam Judaicum, ad Ægyptum Ægyptiacum, ad Cyrenaicam Regionem Cyrenaicum diversis hiscè nominibus juxtà Regionum littora, quæ allambit, distinguitur. Hinc tandem ad Lybiam sive Africam Libycum sive Africum dicitur Mare, ad Numidiam Numidicum ad Mauritaniam Mauritanicum, ad alias oras aliter nominatur. Vide tabulam hic appositam & in eadem fluxus currentes & naturam motionum expressam.

Tabula maris mediterranei.

MareRubrum unde sic appeletur.

8. De Mari Rubro magna est dissensio inter Hydrographos, an reverâ Rubrum sit. *Plinius lib. 6. cap. 13. Philostratus lib. 3. Vitæ Apollonii. Solinus cap. 45.* & alii tradunt. Rubrum sive Erythræum à Rege *Erythra*, hoc est, Rubro *Persei* & *Andromedæ* filio, qui primus in insulâ hujus maris regnavit, ità nomen sortitum esse. Alii contendunt ex repercussu Solis colorem hunc exprimi navigantibus, & ità Rubrum appellari. Alii volunt aquas ejus esse aliis planè similes, totasque pellucidas, ex fundo verò rubro hunc colorem emergere. Imò *Philostratus* loco cit. Rubrum mare vehementer cæruleum quosdam tradere scribit. Verùm Controversiam istam dudum diremisse videtur Navigatio Lusitanorum, qui ut tradit *Joannes Barrius hist. Ind. Decad. 2. l. 8. cap. 1.* dum mare illud pervagati sunt, observârunt aquas ejus esse limpidas & omnis ruboris expertes, colorem verò hunc repræsentari solùm ex rubris arenis, quibus maris illius fundus scatet. Ab hoc igitur colore Mare rubrum appellatum est. Sed plura de diversorum marium & maritimarum Regionum, sive Tractuum coloribus vide in sequentibus.

§. II.

§. II.

Observationes Oceanicæ, & mirabiles in diversorum Marium Tractibus ac locis maritimis compertæ proprietates, & Naturæ miracula.

Ignis & aqua in terreno globo.

1. Quemadmodum in Megacosmo supremus Naturæ artifex Solem & Lunam, id est, igneum & aqueum globum constituit eo naturæ consilio, ut hoc pacto ad Geocosmicam Oeconomiam ritè administrandam unus alterius frangeret imperium, & ad temperiem reduceret: Ità in Geocosmi globo ignem & aquam rursùm mirabili quadam sagacitate disposuit, & sapientissimè sic coördinavit, aquam quidem, ne subterranei ignis æstu vel ardore omnia exurerentur, ac in cineres, favillasque converterentur; ignem verò, *ut aqua digesta per calorem spermaticam vim*, ut docet *Kircherus, ex centro eductam & generationibus rerum aptam exerceret, atque unum alterum, dùm foveret, utrumque in perpetuo suo operationum tenore conservaretur.*

Maria suis coërcentur terminis.

2. Admirando quoque divino consilio globus terraqueus ità sapientissimè ordinatus est, ut quamvis maxima sint in eo maria, & aquarum ad eadem ingentes ex plurium fluminum illapsu fiant affluxus, nulla tamen ferè unquàm contingat redundantia, quâ terminos à divinâ Architectrice sapientiâ constitutos evagentur. Causam verò non tàm subtus terram, quàm super eam existere censendum est; quod nempè vel per occultos meatus subterraneos tantundèm aquæ denuò ad alia maria, lacus, flumina & fontium scaturigines abducatur; vel ut etiam rectè notavit *Kenelmus Digbæus Instit. peripat. lib. 3. Lect. 4.* quod ea superficiei amplitudini possit adscribi, ex quâ siquidem fit, ut à Sole, inquit, *tantùm delibetur in nubes & ventos, quantùm tot fluminibus aggeritur*. Per seipsa proindè maria sistuntur, & terminantur, nec ultrà littorum suorum terminos facilè evagantur, sicut ipsa quoque sacra Scriptura memorat *Prov. 8. Jerem. 5. Job. 38.*

Marium communicatio.

3. Est plerumque marium terrarumque, quas allambunt, quoad vires, & proprietates reciproca quædam communicatio: Undè Mare Asphalticum, quod & Mare mortuum dicitur, quià littoribus & terris continetur bituminosis, & Mare rubrum, quod cum eodem per occultos subterraneos meandros communicat, etiam fœturâ bituminosâ quibusdam in locis refertum est. Sic in orâ maritimâ maris Rubri, ut refert *Kircherus Mund. Subterr. lib. 2. cap. 13. §. 1.* ex eâ parte, quæ Arabiam desertam alluit, locus valdè celebris est *Eltor* dictus, ubi ex visceribus maris nullo non tempore ingens Naphtæ & bituminis copia eructatur: Hanc autem bituminis ebullitionem non nisi ex bituminoso Palæstinæ, quod ob lentorem Mortuum dicitur, id per subterraneum cuniculum exonerante mari provenire, *Idem* existimat.

4. Quemadmodum Continentis Terræ moles extrà mare prominens suâ constat inæqualitate, montibus, ac vallibus exasperatâ, ità & fundus maris non æquâ superficie procurrit; verùm miris etiam inæqualitatibus exasperatur; ac proindè sicut in terrestri superficie sunt parvi, magni, mediocres, & altissimi montes, sunt valles, prata, sylvæ, & ejusmodi alia; Ità hæc omnia in fundo maris scopulis innumeris subaqueis exasperato reperiuntur. Sic in diversis maribus dantur sylvæ submarinæ corallinæ; sic prata submarina videntur ad Tractum Maris propè Melitam & alibi; sic plura alia, quæ in terrestri superficie spectantur, etiam in submarinâ solent observari, ut ità fundus maris haud secus ac Terræ scabrosus, inæqualis, asper montibus, vallibus & abyssis impenetrabilibus refertus sit, suis quoque fontibus, aquarum aliarum fluxibus & refluxibus abundet.

Fundus maris non æquâ constat superficie.

5. Manifestum est ex fluminum decursu maria terris esse humiliora: Hoc facilè convincitur ex eo, quod omnia flumina in mare tandem sese exonerent. Defluunt porrò ad humiliora, atque ipsorum alvei ità versùs caput ascendunt, ut in paucorum milliarium spatio multis centenis pedibus sæpè altiores sint, ut ex accuratis mensurationibus geometricis constat: Alii quidem minùs alii magìs ad æqualia spatia, imò idem diversimodè; omnes tamen notabiliter sensibilibus decrementis versùs mare sunt inclinati. Neque hoc mirum videri debet attentâ geometricâ proprietate inclinationis, secundùm quam certum est, ut *Derkennis in opere 3. diei* computat, *Si 100. v. g. pedes inclinationis dent unum digitum depressionis in termino plani inclinati, unum milliare italicum, id est 5000. pedum dabunt digitos 500, seu pedes 5. Inclinatio porrò ista admodùm parva est, & anguli perexigui, vixque sensibilis, si visus consulatur in hac tantilla 20. milliaria Italica, id est, septem circiter leucæ belgicæ itineris dabunt differentiam altitudinis pedum 100.* Nihilominùs tamen littora mari affluente navigantibus depressiora & longè humiliora comparent, cujus phœnomeni causam *P. Adalbertus Tylkowski Phys. part. 3. de Meteor. c. 1.* in nigredinem conjicit; quod nempè littora nigra sint, aqua verò maris subalbida, aut subviridis: *Huic verò colori*, ut inquit, *composita nigredo fingit depressionem.*

Maria sunt littoribus humiliora.

6. De Maris profunditate variè sentiunt Authores. *Baptista Benedictus ep. ad Horat. Mutum*, profunditatem maris, ut se à Nautis didicisse scribit, milliare dimidium Italicum non assequi tradit. *Priscianus* scribit, Cæsarem olim per universum terrarum orbem missis exploratoribus competiisse profunditatem ejus se extendere ad 15. stadia, quæ nondùm adæquant milliare Germanicum. Alii posterioribus temporibus testantur, se in profunditate reperiisse 30. stadia. *Solinus cap. 54.* tradit, mare in multis locis esse imperscrutabile, quod etiam *Plinius* ait *lib. 6. cap. 22.* *Olaus M.* asserit in Norvegiâ non posse sufficere funem explorando fundo, etsi totam navim occupârit.

Maris profunditas.

cupârit. Circà Inſulas quoque Maris Pacifici nullâ bolide aſſequi fundum potuerunt Hollandi. Nautæ hodierni experimentis compertum aſſerunt, communiter mare extrà vortices & abyſſos, ubi profundiſſimum eſt, ad duo milliaria & dimidium vix ſeſe protendere. Ad Septentrionem verò profundiùs, quàm ferè alibi, compertum dicunt: Quæ etiam maria magis nigricant, profundiora cenſeri; quæ verò albicant, non ità profunda.

Maris amplitudo.

7. Exacta maris, ſive Oceani magni in Globo terraqueo amplitudo nondum ſatis detecta eſt, ut conſtat ex mappis generalibus; quantumvis accuratè delineatis. *Julius Scaliger Exercit. 38.* è totius globi terraquei ſuperficie duas partes tribuit aquæ; *Piccolominius* ampliat terram; *Bodinus* pares elemento utrique attribuit ſuperficies.

Marinarum aquarum claritas & perſpicuitas.

8. Aquarum marinarum licet ingens in diverſis tractibus ſit diſcrimen, ut mox videbimus, ubi tamen claræ ſunt & perſpicuæ, fontanas quasvis claritate & perſpicuâ limpiditate longè ſuperare ſolent. Circà Inſulam verò *Ternate*, quæ una eſt ex Moluccis, *Davitus de Mundo, tom. I.* tradit omnium aliarum aquarum marinarum clariſſimam reperiri, ità ut ad ſummam illic profunditatem injectæ ad fundum anchoræ, uti & minuta illic arena optimè diſcerni poſſit. Ubi tamen valdè profundum eſt mare, radii nihilominùs ſolares illud penitùs ad fundum usque colluſtrare haud valent, ſicuti teſtatur *Kircherus in Arte magn. Lum. & Umb. lib. I. p. I. cap. 3.* ſe ab eximiis urinatoribus, mancipiis Turcicis audiviſſe, qui in mari Erythræo unionibus, coralliſque inveniendis multis annis operam impenderunt, quod ad certam tantùm profunditatem ſolaris lux illud penetrare ſoleat: ubi verò altiſſimum ſit mare, fundum ſine ullo lucis veſtigio in perpetuis tenebris relinqui; quarum rationem aliam non eſſe cenſet *Idem Kircher.* quàm multiplicium ſuperficierum conſtipationem.

Braſiliani maris aquæ.

9. De Braſiliano mari admodùm pacato ſcribit *Piſo Hiſt. nat. & Med. Ind. Occid. lib. I. p. 6.* illius externam ſuperficiem ſubcæruleam aut ſubatram comparere, interiùs verò vireſcere. Quod ſi verò contingat nocturnis procellis & turbinibus agitari, igneo micare colore ac miro ſplendore coruſcare: aquas tamen adeò limpidas & pellucidas ſundere, ut etiam ad 20 orgiarum profunditatem natantes illic piſces diſtinctè cerni queant.

10. Ad Americanam quandam provinciam *Chiribichi* mare ſingulis annis ſanguinis inſtar rubere ſolet: quocircà & Mare ſanguineum appellari conſuevit, ut memorat *Nierembergius lib. I. Hiſt. Nat. cap. 20.* Volunt autem Seniores accolæ ab innumeris piſcium ovis ibi generatis hanc rubedinem ortum trahere.

Mare ſanguineum

Mare mortuum.

11. Mare Mortuum à lentore, & Asphalticum à bitumine ſic dictum, *Joſepho teſte*, ter de die colorem ſuum mutare dicitur: manè equidem atro, ad meridiem cæruleo, veſperi rubeo infectum colore conſpicitur.

Mare circà Bandinas Inſulas.

12. Mare, quod *Bandinas Inſulas* 30 milliaribus versùs Ortum diſſitas circumfluit, quotannis bis, Julio nempè & Auguſto noctu adeò candeſcit, ut nivis inſtar ſplendeſcat: interdiu verò conſuetum cum aliis aquis marinis colorem habet. Mare tunc noxio aliquo humore inſici creditur. Vide *Ephemer. Natur. Curios. German. Decur. 2. Ann. I. obs. 22.*

Mare lactis coloris.

13. Ad certam parvam quandam Inſulam Americanam non ità procul à celebri Inſulâ *Cubâ*, *Nierembergius lib. 16. Hiſt. Nat. cap. 56.* propè ad 40 milliaria in circuitu mare inſtar lactis albeſcere tradit: vel potiùs argenteo colore reſplendere, aut diſperſam undique candicantem farinam exhibere ſcribit. *Cardanus* quoque *de ſubtil. lib. 10.* diverſos marium quorundam colores, eorumque cauſas referens ait: *Adeò magnum eſt aquarum diſcrimen in mari, ut juxtà Indiam Æthiopiæ directo paſſuum millibus fermè trecentis albeſcat ut lac; alibi cæruleum ſit, alibi nigrum, alibi viride. Album eſt, cùm arena alba ſubeſt mari minimè profundo; viride cùm mediocris fuerit profunditatis; cæruleum, cùm magnæ, moveturq; : ſed ſi quieſcat, color ſit argenteus.* Ità *Cardanus.* A peritiſſimis, inquit *Au. Gellius Noct. Attic. lib. 2. cap. 30.* rerum Philoſophis obſervatum eſt, Auſtris ſpirantibus mare fieri claucum & cæruleum; Aquilonibus obſcurum atriusque; Tempore Caniculæ turbidum.

14. Qui marinis tempeſtatibus frequenter ſunt jactati, teſtantur mare per tempeſtatem commotam apparere velut metallum ignitum & fuſum; ſimiliter manus eodem tinctas videri ignitas, quod haud dubiè magnum Naturæ miraculum exiſtimari debet.

Sylvæ ſubmarinæ.

15. Sylvæ ſubmarinæ Corallinæ admirandâ Naturæ induſtriâ conſtructæ reperiuntur in compluribus Maribus, velut in Mari Siculo propè *Drepanum*, in Gallico propè *Tolonem*, in Liguſtici maris oris circà *Majoricam*, ut & propè *Capo Cerchich*, in Provence, atque in variis aliis Oceani Tractibus & locis maritimis; comprimìs tamen Erythræum, ſive rubrum mare plantis corallinis ſubmarinis mirè ſcatet, ut etiam jam olim Judæi ab exilio quadringentis circiter annis tolerato revertentes, dum expugnato portentis Ægypti Rege *Pharaone* illud ſicco pede tranſeuntes in profundo ejus hujusmodi nemora, & quaſi hortos conſitos herbis virentes & arboribus frondentes ad ſummum oblectamentum conſpexerint. Noſtris verò etiam temporibus ingens in dicti maris fundo corallinarum arborum copia reperitur, quæ tantam ſubindè in altitudinem excreſcunt, ut extrà ipſam pelagi ſuperficiem cornua non ſine navium impedimento, & periculo extollere videantur; nec in uno aliquo tantùm loco, aut exiguo aliquo tractu, ſed in pluribus dicti maris locis, & in tractibus ad aliquot milliaria exporrectis hujusmodi ſub marinæ ſylvæ comperiuntur, uti ab Arabibus Rubri maris accolis ſe didiciſſe teſtatur *Kircherus Mund. ſubt. lib. 2. cap. 14.* & Ejusdem operis *lib. 9. ſect. 3. cap. 6.* refert, ſe à Mercatore quodam Arabe, qui multis annis ad dictum mare mercatum exercuit, intellexiſſe integras hujus plantæ ſylvas in dicti maris fundo ſæpè tantâ fruticum coral-

linorum copia condensatas reperiri, ut non tantùm urinatoribus, sed & piscibus aditum negent: audivisse porrò à piscatoribus unà cum stirpibus subindè extracta fuisse conchylia, lateres, saxa, ossa, tabulas ligneas, ferramenta, omnia corallis, quæ in iis excreverunt, conserta, quin & Delphinum, ex cujus duro corio planta corallina excrevisset, extractum aliquandò fuisse. Ex *Polybio* narrat *Jonstonus* in mari Lusitanico gigni quercus, quarum glande Thynni vescantur & pinguescant. *Thaum. claß.2. c. 6. n. 5.*

Prata submarina.

16. Prata submarina variis in Tractibus marinis observari docet idem *Kircherus in Mund. subt. loc. supracit.* velut, ubi ex Hispania & Lusitania in Americam ultrò citroque commeatur: ibi enim tota maris superficies herba submarina, quam vulgò *Sargasso* vocant, haud secùs, ac in prato quodam amœnissimo multorum dierum spatio efflorescit, loco stare nescia, huc illucque perpetuò agitata. Rursùm prata alia ad littus Novi Regni submarinis floribus mirè referta reperiri Idem ibidem tradit, qui etiam ab Urinatoribus in fundo maris decerpti, mox ac in auram educuntur, crystallini lapidis naturam quasi induere, florumque formam perfectè exprimere solent, undè & adornandis altaribus ad mirum decorem adhiberi dicuntur. Haud procul etiam Melità Insulà Eodem *Kirchero* teste, tractus maris reperitur piscatu comprimis celebris, ubi ad magnum spatium veluti in montis alicujus planitie pratum jucundo virore & pergratà amœnitate eximium infrà aquas 20 ferè palmis abditum non sine oblectatione intuentium panditur, in quo innumeri piscium greges, velut in pleno venustatis campo stabulantes cum maximo piscatorum lucro deliciantur. Maris etiam herbidi meminit *Petrus Martyr de reb. Oceani Decad. 3. lib. 5.* Mare Parium quod novum Orbem alluit, tot herbis virentibus implicitum est, ut navigari non possit obsistentibus retium more longissimis herbarum ramusculis ex *Ovetano* tradit *Jonstonus loco proximè citato.*

Maris salsedo.

17. Uti nihil in Tetraqueo globo, sive Metalla & Mineralia, sive plantas & animalia, sive Elementa ipsa spectes sine salis dote (qui haud immeritò Naturæ balsamum appellari potest) subsistere valet, cujus defectu omnia virulentà putredine invaderentur: ità nec Oceanus cùm aquis suis, ut tantò meliùs conservaretur, hoc destitui debuit à salsuginosis igitur spiritibus providè à Naturà Naturante subordinatis & aliundè adductis Oceanus suà imbutus salsedine persistit, quam indesidenter ad Mundi consummationem usque retinebit.

Undè proveniat.

18. Salsugo autem Maris sive Oceani à salinis particulis oriri videtur certiùs, quàm ut quidam arbitrantur, à solari adustione, sive illæ sint mari coævæ, sive aliundè decisæ, & marinis aquis commixtæ, adeoque à submarinis salis fodinis dissolutæ, quæ continuò renascuntur: Salis equidem copiam marinis aquis subesse confirmat ipsa Insula *Ormus* dicta, quæ nihil penè est aliud, præter durum & candidum salem, ex quo ædes ipsæ conficiuntur, uti neque ullus etiam in prædictà Insulà puteus aquæ dulcis reperitur.

19. Hoc tamen etiam compertum est, maria quò calidiora sunt, Solis ardori magis opposita, ac ab eodem magis aduruntur, eò majori salsugine infecta comperiuntur. Nam Sol majorem dulcis aquæ copiam attollit, & in vapores convertit, qui sæpè versùs polos recidunt. Undè Oceanus sub Zonà torridà multo sale abundat; & Mare Hyperboreum minùs habet salsuginis, vel ob pluvias ac nives uberiores, vel propter fluminum plurium affluxum. Undè planissimum est argumentum, aquam maris non æquè salsam ubique existere: Ubi enim longior imber eandem de Cœlo perpluit, aut ubi major aquæ dulcis copia aliundè corrivata eandem influit, minùs salsa existit. Ità in littore Malabrico mensibus præsertim pluvialibus propter magnam aquæ copiam, quæ ex montium jugis delabitur, aquam Oceani penè dulcem experiuntur. Cumque in locis borealibus per totum ferè annum pluat, fit indè, ut Oceanus etiam Septentrionalis minùs habeat salsedinis, quàm versùs Zonam Torridam. Accedit & illud, quod aqua frigidior in locis prædictis minùs salis ex abditis ibidem fodinis exsolvat. Ingentes quoque fluvii, qui magnà aquarum dulcium copià in mare sese exonerant, salsedinem maris haud mediocriter attemperant. Ità fluvius ille magnus in Brasilià, vulgò *Rio della plata* dictus, Oceanum influens ejusdem aquas ultrà 15 milliaria ità attemperat, ut in grato dulcedinis sapore perseveret. Idem ferè contingit in Africà, ubi *Zaire* fluvius in Oceanum infunditur.

Aqua maris non æquè sal est ubivis

20. Licet *Scaliger* & quidam alii cum ipso sentiant, aquas in fundo maris esse dulces, superficiem verò non dulcem, sed salsam, quod dulce existat in levi, leve verò à Sole facilè absumatur. Verosimiliùs tamen est, cœteris paribus, aquam maris in imo salsiorem esse, quàm in superficie, quod aqua salsa sit dulci gravior; omne autem grave descendat. Deindè cùm ex salis fodinis mari subditis salsedo potiùs, quàm à Solis exustione suam ducat originem. Etiam aquæ his fodinis propiores majori salis copià imbui debent. Idem dicendum est de littoribus maris: Nam ubi vicinam salis mineram mare continuis fluctibus alluerit, id salsugine in litore intensiùs, quàm in medio imbui necesse est: ut etiam salinæ, quæ ad ripas maris magno mortalium instrumento instruuntur, satis testantur.

Mare in fundo salsius quam in superfi cie existi

21. Illud etiam haud abludit à vero, maris salsuginem non ab unà salis specie promanare, sed plures sæpè concurrere, adeò ut vitriolum, nitrum, alumen & bitumen multùm conferant ad majorem in uno, quàm alio maritimo tractu salsedidem inducendam. Ità propter bituminis copiam in mari Asphaltico sive Mortuo aquæ illius salsissimæ comperiuntur. Ex salis porrò multiplicis copià littoribus accedit fœcunditas, quà de causà maritima loca longè aliis fœcundiora esse solent.

Variæ spe cies ad sal sedinem conducen tes.

22. Experientià notissimum est, aquam marinam tùm ob salsedinem, tùm ob crassam ac visci-

ac viscidam suam indè natam densitatem, quibus imbuta est, ineptam planè esse lavandis linteis & extinguendis ignibus. Compertum etiam, eos, qui mari nunquam se commiserunt, & primò illud navigare tentant, nauseâ & vomitu imprimis laborare: quod nempè circumfusus aër multo sale, bituminoso, aut etiam vitriolino imbutus, & attractus ventriculi fibrillas vellicare soleat, undè nausea & vomitus provocari potest. Quanquam & ipsa jactatio etiam multùm conferat. Quocircà in malaciâ & cœlo, marique pacato vix nausea excitatur. Salem tamen volatilem undique diffusum hujus effectûs potiorem causam esse, apud plures in confesso est. Ex salsedine etiam, quæ provenit densitas & gravitas efficiunt, ut aqua marina gravioribus deportandis oneribus aptior aliis quibusvis aquis existat.

Nausea & vomitus à mari.

Maris Incendia.

23. Quamvis mare de se humidum compescendo igni pugnacissimo hosti suo satis validus æstimari queat; compertum tamen est, sæpè aquas ipsius non tantùm vulcaniam ejus sævitiam extinguere, & enervare non valuisse, sed plenum huic etiam dominium in mediis undis permittere debuisse, ut ità in suo satis valido contrario virtus ignis activior ad stuporem intuentium prævalere conspecta sit. Sic Mare ipsum aliquandò arsisse testatur *Livius Decad. 3. lib. 31. & Theophane teste apud Baron. tom. 9. Anno Christi 726* æstivo tempore vapor, ut ex camino ignis visus est ebullire inter Theram, & Therasiam Insulas ex profundo maris per aliquot dies; qui paulatim incrassato & dilatato igniti æstûs incendio totus fumus igneus monstrabatur. *Porrò*, ut inquit Author, *crassitudine terrenæ substantiæ petrinos pumices grandes, & cumulos quosdam transmisit per totam Asiam & Lesbon, & Abidum, & maritima Macedoniæ, ità ut tota superficies maris his pumicibus esset repleta: in medio autem tanti ignis Insula erumpens, Insulæ, quæ Sacra dicitur, adhæsit.* Ità *Theophanes. Alarico* quoque Italiam invadente, & *S. Joanne Chrysostomo* à suâ sede pulso, ut memorat *Nicephorus*, cùm cerræ motus invaluissent, ignis è cœlo labi visus est, quem divina benignitas vento vehementi in mare abjecit. Videre erat fluctus ipsos perindè ac regiones quasdam marinas igni ardere. Mare etiam ad Insulam *S. Michaelis* hoc nostro Sæculo è profundo exarsisse spurâ jam meminimus.

Regiones marinæ aliæ steriles, aliæ piscosissimæ.

24. Illud quoque admiratione non vacat, quod etiam *Cardanus* annotavit *de Subtil. lib. 10.* scribens: *In mari haud secus contingere, regiones esse quasdam in eo steriles, alias piscosissimas: nam in quibusdam pabulum abundat, in aliis autem non adest: tùm verò diversa terrarum genera odore ac sapore vario aquas inficiunt, quas pisces aut sequuntur, aut fugiunt. Littora tamen piscibus abundant ob pabulum & gurgites, ob securitatem.* Ità *Cardanus*. Marinos verò tractus ad Septentrionem admirandâ piscium copiâ & multitudine plurimùm abundare, tradunt communiter Hydrographi, ut ità maximi proventus accolis illorum tractuum hinc contingant. Quocircà facetum & acutum fuit dictum illud Dani cujusdam, quod refert *P. Fournier Geogr. orbis notit. lib. 2. cap. 10.* Europæorum Regum Legatis in comi congressu differentibus aliquandò de potentiâ suorum Regum, uno aurum, alio aromata & gemmas, alio denique frumenti ac vini copiam prædicante, Danum subjunxisse: Si potentissimi Europæ Regis gazæ & latifundia venum exponerentur: tàm grandi pecuniâ vix posse emi eum lignearum lancium numerum, qui necessarius esset, ut in singulis singuli ponerentur pisces, qui in littoribus Daniæ quotannis captantur. Dictum sanè mirum, & jocosum!

Homines & animalia marina.

25. Ut in obscuris ac inciduis sylvarum, nemorumque recessibus homines dantur sylvestres, sive animalia sylvestria humanâ formâ & effigie prædita, velut sunt Fauni, Satyri, Centauri, Hippocentauri, Onocentauri, aliaque similia monstra; ut & in subterraneis regionibus dantur incolæ & homines subterranei, de quibus mira referunt *Gaffarellus in suo de cryptis toto orbe celebribus libro, Guilielmus Neubrissensis de rerum Anglicarum revolutionibus lib. 1. cap. 27. P. Martinus Martinius in Atlante Sinico, Kircherus in Mund. subt. & itin. Hetrusco.* Ità Oceanus suos habet homines submarinos, suos, inquam, Tritones, Nereides, seu Nymphas & Sirenes, atque alia complura animalia marina terrestribus similia: uti sunt Equi, Canes, Boves, Vituli, Lupi & ejusmodi alia, quorum plures collegit historias ex variis Authoribus Professor meus olim *P. Casparus Schott in Phys. cur. lib. 3. & 4. Joan. Henricus Seyfrid in Medullâ Mirabilium Naturæ lib. 2. part. 3. cap. 1. & 2. Happelius Mund. mirabil. part. 3. lib. 1. cap. 18.* Monstra verò hujusmodi frequentiora dicuntur observari in Mari Indico propè Insulas *Philippinas*, certis tamen temporibus per annum: item propè *Babiam*, sive sinum vulgò dictum *Todos los Sanlos*, ac propè Brasiliensem provinciam *Porto securo*. Sed de his monstris marinis consule Authores citatos.

Spongiæ mirabiles.

26. De Spongiis quibusdam Norvagici maris littorum etiam admiratione quid dignum, refert *P. Fournier in Geogr. orb not. lib. 2. cap. 5.* eas nativis fibris frequenter saxis ibidem adhærere, ac sensûs apparentiam in iisdem observari. Ubi enim avulsorem sentiunt, compertum est eas sese contrahere, ac cum difficultate abstrahi, avulsas verò etiam in petris veluti cruoris quoddam vestigium relinquere.

§. III.

De variis Oceani motibus Observationes.

Sapienti planè Naturæ consilio provisum est aquis marinis, ne stagnantes eæ inducta facilè tetrâ putredinis tabe perverterentur, sicque perversæ ei, ad quem conditæ sunt, fini minimè deservirent, ut præter naturalem salsedinem etiam extrinseco motûs & agitationis adjumento in perpetuo suo vigore

gore continerentur. Plures proindè motus Oceano ejusdem Conditor conciliavit; de quibus nunc agendum.

Motus generalis ab Oriente in Occidentem.

1. Motus maris imprimìs generalis, directus sive naturalis esse solet ab Ortu in Occasum. Undè qui ex Indiâ Occidentem versùs in Africam, aut ex Lusitaniâ vel Hispaniâ in Americam solvunt, multò breviori temporis spatio iter maritimum conficiunt, quàm si ex Africâ aut Lusitaniâ in Indiam, vel ex Americâ in Hispaniam navigent. Observatur etiam hic motus ab iis, qui ex Europâ versùs Canadam navigant: in Oceano quoque Tartarico per fretum Waigats, in mari pacifico versùs fretum Anian; à Japone Oceanus citatur versùs Chinam & alibi passim motus iste notari solet, omnium tamen maximè in Zonâ Torridâ inter Tropicos, isque adeò validus est, ut alii motus aut venti eum impedire nequeant. Conturbant tamen venti, qui ab Austro aut Boreâ, vel à plagis collateralibus perflant; undè in his regionibus etiam non adeò validus deprehenditur. Causa verò hujus motûs potissimùm Soli, ejusque ex Ortu in Occasum devolutioni adscribitur: *Cùm enim*, ut inquit *Kircherus Mund. subt. lib.3.cap.2. maxima Oceani pars Zonæ Torridæ subdatur, Solque perpetuò ferè hanc plagam alicubi normaliter radiis suis feriat, atque adeò ingentem aquarum molem quotidiè radiis suis attractam, attenuatamq; vel in aërem, vel in vapores convertat, necesse est, ut in consumptarum, attractarumq; aquarum locum aliæ ab Ortu, aut ab utroq; latere substituantur: cùm verò hæc aquarum attractio semper continuetur, effectum hunc fluxus maris in Occidentem pariter duraturum nemo videt.* Lunam deindè multùm etiam hunc motum Euro-Zephyreum promovere suadent observationes nauticæ. Compertum est enim in conjunctione aut oppositione Solis & Lunæ hunc motum multò concitatiorem & vehementiorem esse, segniorem verò & tardiorem in quadraturis: in conjunctione equidem vacuatæ à Sole Oceani semitæ potenter premuntur, ex quâ pressione mare semper in anteriorem partem juxtà Lunæ, Solisque motum pellitur: in oppositione verò Luna noctu pariter Oceanum in Occasum premit, undè *undâ* trudente undam perpetua quædam fit ex Ortu in Occasum Oceani fluctuatio, quâ defectus aquarum à Sole attractarum per subsequentes à Lunâ compressarum concitationes resarciatur: in quadraturis verò, uti Luna mare non perfectè respicit, ità minorem quoque compressionis effectum præstat: & experientia docet, motum hunc ferè semper in quartis Lunæ oppidò debilem esse, ut docet *Kircherus loco cit.* Ex motu porrò generali alios duos motus pronasci volunt: unum nempè ex Austro in Boream, alterum verò ex Boreâ in Austrum, quorum causam assignat ibidem *Kircherus*.

Motus generalis non recta semper fertur.

2. Licet motus generalis & directus maris, ut jam dictum, fiat ab Ortu in Occasum: non ità tamen intelligendus est, quasi mare continuato semper fluxu rectâ planè semitâ feratur ex Ortu in oppositam continuò plagam: Verùm subindè obliquo etiam tramite progredi ac nonnihil deflectere, imò nonnunquam circulari fluxu pro occurrentium impedimentorum constitutione motum continuare cogitur. Ità mare per Archipelagum fluens ob innumerarum Insularum frequentiam veluti carminatum ob varias insequentes Insulas obvias miris planè fluxibus prolabi debet.

Ubi motus hic fiat concitatior.

3. Ubi Freta sive maris angustiæ in Oceano ab Ortu in Occasum porriguntur, motus ille naturalis longè incitatior compertus est: sicut in Freto Magellanico patet, ubi mare illud percurrens cursu vehementiore in Pacificum mare defertur: Uti quoque, dùm pro vallium submarinarum constitutione mare aliter vel in has, vel in illas dirigi solet oras; ità etiam per earum profundiores declivitates labens aliter, imò concitatiori motu naturali, quàm Fundo plano incumbens percurrere solet.

Fluxus & refluxus, sive æstus maris.

4. Alius directus motus Oceani componitur ex motibus contrariis, & dicitur communiter Æstus maris, sive fluxus & refluxus; item accessus & recessus maris. De hoc motu jam suprà aliqua indicavimus, in Selenoscopio: est verò nihil aliud, quàm intumescentia & detumescentia maris; Cùm verò detumescens aquas denuò remittit, refluxus & recessus appellatur. Solet verò hic motus, æstus scilicet maris, magis ad littora, quàm in alto mari observari.

Contingit in tota mole aquæ marinæ.

5. Æstus sive intumescentia & detumescentia maris non superficietenus tantùm, sed in totâ Oceani massâ, moleque a fundo usque ad superficiem commotâ contingere solet. Colligi hoc potest ex ingenti strepitu & fragore collisorum lapillorum, conchyliorum, similiumque rerum in fundo jacentium, quæ æstûs tempore rapiditate maris agitatæ, & identidem inter se collisæ hunc strepitum efficiunt.

Dependet potissimùm à Lunâ.

6. Consentiunt ferè communiter Hydrographi, æstum maris à lunari corpore, & ejus motu præcipuè dependere, cùm tanta sit inter ipsum, & Oceani motum connexio: constans equidem experientia docuit, ità maris æstum adstrictum esse certis temporibus & locis juxtà lunaris corporis motum, ut comprimis ad illius exortum maris inchoët tumor, & usque eò continuet, quousq; Luna in meridiano constitutâ summum fiat æstûs incrementum: indè cum Lunæ progressu ad Occasum detumescere solet mare: rursùm verò ab Occasu denuò inchoat tumor, qui perseverat, quousque Luna in imo Cœlo constitutâ maximum iterum contigerit incrementum, quod deniq; detumescentia cum Lunæ ascensu consequitur, sicut intrà 25 horas mare ad idem littus bis accedat, & ab eodem bis recedat. In Noviluniis etiam & Pleniluniis longè fit major æstus, quàm in quadraturis; In Æquinoctiis quoque notabilior, ac manifestior, quàm aliis Cœli locis. Undè argumentum præbetur, æstûs marini causam adscribendi non tantùm Lunaris corporis viribus, sed & Solaris globi radiis validis quoque ad majores æstus ciendos; cum ejusmodi Planetæ invicem aut conjunguntur aut opponuntur. Sentiendum & ipsum

TAB

GEOGRAPHICO-HYDROG

CURRENTES, ABYSSOS, MONTE

ORBE INDICANS, NOTAT HÆC FA



LA
APHICA MOTUS OCEANI
IGNIVOMOS IN UNIVERSO
ABYSSOS MONTES VULCANIOS.



Tom. II. p. 132.

& ipsum mare ex parte suâ concurrere salinis scilicet particulis suis, nitrosis, vitriolinis, aut alterius cujusdam convenientis succi, quæ virtute radiationum cœlestium ad talem motum aptiùs concitantur & agitantur. Vide dicta suprà *Scrutin. 2. Disquis. 1. cap. 3. §. 3.*

Diversus in variis locis & temporibus.

7. Licet ex se & naturâ suâ Æstus maris similiter contingere videatur; variari tamen, impediri, retardari, aut accelerari, aliterque in diversis locis ac temporibus accidere ex variis solet causis. Sic enim licet communis sit experientia, summam maris intumescentiam contingere, dum Luna est in Meridiani supremo, vel imo puncto; in multis tamen locis intumescentia illa contingere solet alio Lunæ situ, ut infrà in catalogo videre licet. Deinde licet mare communiter ad pleraque littora sex horis cum 12 minutis affluat, & totidem horis defluat: in nonnullis tamen locis pluribus horis affluit, paucioribus refluit, & è contra: Semper tamen, ut observatum est, tempus fluxûs & refluxûs simul collectum conficere solet 12 horas & 24 minuta, vel ut alii volunt, ferè 25 horas. Ità Garumnæ fauces in littore Aquitaniæ septenis horis subit Oceanus, quinquè refugit. Africæ Promontorium quaternis accedit, octonis regreditur. Item solet æstus quoque maris alicubi esse maximus & vehementissimus, alibi mediocris, in nonnullis verò locis maritimis propè nullus & planè insensibilis, ut in mari Balthico, in sinu Mexicano, in insulis Moluccis, Philippinis, Antillis, & pluribus aliis, in mari interno, sivè Mediterraneo. Causæ verò ejusmodi Variationum ac differentiarum plures esse queunt, prout nempè ex acccidenti se illis aliqua impressionum cœlestium, locorum, ventorum, & ejusmodi quorundam aliorum auxilia vel obstacula immiscent. Sic Lunâ in signis Austrinis constitutâ majores æstus, quàm in Borealibus versante cieri dicuntur; Sic & à parte ipsius maris â dispari continentium terrarum, promontoriorum, obviarum insularum ac sinuum occursu, atque aliâ & aliâ constitutione, ut in præfatis insulis Antillis, Philippinis, aliisque copiosè mari immersis; ab ingentium fluminum in Oceanum evolutione, â maris fundo inæquali, aut innumeris canalibus perfosso, aut ejusdem alia, atque aliâ dispositione, ex ventorum denique diversitate, eorùmque nullo non tempore mare nunc in hanc, nunc in illam partem agitantium flatibus, quibus currentes maris tam recti, quàm reflexi oppidò aut retardantur, aut velociùs concitantur, æstus maris mirificè variari, atque ità vel inhiberi, aut retardari aut etiam promoveri potest.

Ubi maximè exoticus fiat.

8. Omnium, qui in mari fiunt, fluxus & refluxus, maximè exoticus fieri solet juxtà *Panamam* in mari *Del Zur*: nam ibidem tam excessivo recessu deficere videtur mare, ut in littore stantibus videri ampliùs nequeat, ac omninò disparuisse judicetur: in affluxu verò incrementoque tanto in littora fertur impetu, ut omnes obvias insulas, sinus *S. Michaelis* fluctibus suis contegat primò; Deindè domus ipsas in littore stantes unà cum arboribus obruat. Quod autem magis admirandum in opposito mari Orientali seu boreali, vulgò *Del Nord*, eodem prorsùs tempore vix sensibilis maris motus comperitur. Causam utriusque effectûs exponere nititur *Kircherus Mund. subt. lib. 3. cap. 8. sed citato loco* videatur. In littore quoque Cambajæ, quæ est in faucibus Indi mare binis horis 30 circiter leucas accessu obtegit, binis totidem recessu detegit: ibique tantâ rapiditate agitur, ut homines ingruentem è pelago undam vix cursu evadere queant. Ne verò incautos æstus abripiat, cymbali sonitu admonentur. Nec naves ibi possent commorari, nisi haberent lacunas ad eum usum defossas, in quibus mari abeunte consisterent. Ad oram Guineæ quoque tantus solet esse impetus æstuantis maris, ut tres anchoræ vix sustinere queant navem, ne allidatur.

9. Quantitas fluxûs & refluxûs maris ex se & naturâ suâ inconstans ac diversa ad diversos dies in quocunquè etiam loco observatur, eoque major & minor, quo Luna remotior, vel propinquior, aliterque applicata alicui loco extiterit. Dum enim Luna, quæ potior causa æstûs marini solet esse, singulis diebus aliis locis fit verticalis, & per consequens â quovis loco vel remotior, vel eidem vicinior etiam effectus alius atque alia quantitas fluxûs & refluxûs, sivè ea sit sensibilis, sivè insensibilis, consequi debet. Quod proindè etiam tam dispar fluxûs & refluxûs ratio in diversis littoribus accidat, id non tam Lunæ nunquàm in eodem aut certo loco stabili, quàm diversæ continentium terrarum, sinuum, insularum, ventorumque conditioni meritò adscribi debet.

Quantitas æstus inconstans.

10. Non tantùm ipsum Mare, sed & flumina ac fontes, qui cum mari vel occultis meatibus subterraneis, vel apertis ostiis communicant, similes fluxûs & refluxûs patiuntur motus. Tanto autem mare plus temporis cœteris paribus in affluxu atque incremento alicujus fluminis efficiendo insumit, & tantò faciliùs defluxus contingit, quantò flumina, quorum intrat ostia, fuerint rapidiora, declivioraque: Contrà verò mare tantò minuš in fluminibus affluxu attollendis, & plus in refluxu minuendis laborat, quantò flumina fuerint planiora, quietiora, & tranquilliora: hæc enim incremento maris facilè replentur. Contrà in declivioribus fluminibus mare plurimùm ad eorum undas superandas laborat: Undè jam facilè datur intelligi in tantâ Oceani & diversorum marium amplitudine, cum sub ipsis sæpè ingentes pateant meatus subterranei, è quibus copiosa flumina evolvuntur, quod indè æstuum ipsorum motus multùm omninò infringatur, ac immutetur, ut adeò consueto ubivis ordine & modo similiter contingere non valeant. Diversitas quoque esse solet in fluminibus, quæ intrant Oceanum: Nam Lusitana flumina æstu retrocedunt, Atlantica minimè. Tamisis in Britanniâ regreditur ad fontes 50 milliaribus

Flumina quædam simili æstu percelluntur.

milliaribus dissitos, totidem fermè *Boëtis* in Hispania. Plura alia de compositi hujus motus argumento in medium adduci possent, sed quia ea ipsa potiùs admirari, quàm intellectu assequi, ac penitus perscrutari valemus; ideò ignorantiam nostram palam magis profiteri, quam ea ipsa, quæ in profundo divinæ sapientiæ pelago recondita jacent, curiosius ultrà disquirere & cum Regio Psalte *Ps. 92.* occinere libet: *Elevaverunt flumina Domine elevaverunt flumina vocem suam: Elevaverunt flumina fluctus suos à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* Qui tamen plura de æstu maris scire cupit, consulat *Georgium Fournier in Hydrographiâ*; *Theodorum Moreum de æstu maris; Kircherum in Mundo subterr.* & alios Recentiores Hydrographos. His solùm annectere libet Curioso Lectori ex *P. De Chales Mundi Mathem. T. 2. tract. 17. lib. 6. prop. 8.* Catalogum portuum & locorum maritimorum, in quibus ad certum tempus horarium diebus Novilunii & Plenilunii accidere solet maximum maris incrementum. Item Tabulam Universalem, ex qua juxtà ætatem Lunæ cognita hora incrementi maris ad diem Novilunii aut Plenilunii, in quovis etiam die erui facilè potest hora incrementi maximi pro illo die. Usus verò tabulæ hic est:

Tabula.

Explicatio & Usus Tabulæ.

Numeri in capitali transversâ serie ab 1 usque ad 30 significant ætatem Lunæ; qui verò in laterali columnâ primâ collocati sunt, horas per diurnum temporis spatium, & quidem ij, qui vulgaribus notis conscripti, ut 1. 2. 3. 4. etcæt. indicant horas post mediam noctem. Qui verò latinis literis notati sunt, ut I. II. III. IV. &c. horas post meridiem significant. His præscitis, si velis scire e. g. primo die Lunæ quotâ horâ sit summus æstus Luna ad situm Euro-boreum, vel Notozephyreum constitutâ: Quære I in fronte, seu capitali transversâ serie & horam e. g. 8 antè meridiem è latere, in qua Luna tunc in situ Euro-boreo existit, & angulus communis dabit quæsitam videlicet horam 10 & $\frac{1}{5}$. sivè 12 minuta. Similiter si sit dies 12 Lunæ & scire velis incrementum maris Lunâ tunc in Euro-boreâ plagâ existente hora IV post meridiem; quære 12 diem Lunæ in fronte & in latere horam IV post meridiem, ingressu deindè hinc in tabulam facto videbis in angulo communi horam I & $\frac{1}{5}$. sivè 12 minuta post mediam noctem: haud secus in aliis procedes. Porrò si Novilunium aut Plenilunium contingat in quacunque tandem horâ, quæ in primâ columnâ describuntur. Ex. gr. si scire velis si Novilunium contingat hora 5 post mediam noctem, quandò prima die Lunæ sit maximum incrementum: quære tunc in primâ columnâ 5 post mediam noctem & I in fronte tabulæ, & angulus communis dabit horam 7 cum $\frac{4}{5}$. hor. sivè 48 minutis. Haud secùs in aliis procedes. Notandum, fractis illis numeris in tabula respondere minuta, ut hìc videre licet.

Fractiones	0	$\frac{1}{5}$	$\frac{2}{5}$	$\frac{3}{5}$	$\frac{4}{5}$
Respondent minuta horaria	0	12	24	36	48

CATALOGUS

Portuum & horarum, quibus accidit affluxus die Novilunii aut Plenilunii.

In Hispaniæ littoribus & locis maritimis	Horæ	Quadr.
Ad Taviles	12.	
Fretum Gaditanum	1.	
C. Carteiæ, C. Trafalgar & C. S. Mariæ	1.	$\frac{3}{4}$.
S. Lucar de Barfaneda	2.	$\frac{1}{2}$.
In orâ Argarby. Ad Villa Condo, & ad Montego	3.	
Ad Palos, & Ayamonte, ac in reliquis quibusdam locis Oræ Hispanicæ	3.	$\frac{1}{2}$.
C. Carteiæ. C. Trafalgar. C. S. Mariæ ad ostia Tagi. Ad S. Ves & Tones & Maestrol.	3.	$\frac{3}{4}$.
Ad S. Audero, Laredo & Castro	4.	
In Galliæ littoribus & Ora maritima		
Bell' isle	1.	$\frac{1}{2}$.
Ad Fontenau violentissimus. Brest Boleda	2.	$\frac{1}{4}$.
In littore Aquitaniæ Gascogne. In ostio Garumnæ. Os Ligeris Loyre. Australis ora Britanniæ. Isle de Re â Wert & Pennaques.	3.	

Ad

TABULA Univerſalis maris incrementu

Ætas Lunæ à Novilunio ad plenilunium.

	0	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	1
	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H.
Horæ ante meridiem, ſive à media nocte, in quibus fit Novilunium aut plenilunium.	12.0	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	13⅖	1
	I.	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	I
	2.	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III
	3.	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV
	4.	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V
	5.	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI
	6.	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VI
	7.	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VI
	8.	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII
	9.	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX
	10.	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X
	II.	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VII⅗	IX⅖	X⅕	X
Horæ poſt meridiem uſque ad mediam Noctem in quibus fit Novilunium aut plenilunium.	12.	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI
	I.	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII
	II.	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖
	III.	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕
	IV.	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3
	V.	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘
	VI.	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗
	VII.	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖
	VIII.	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕
	IX.	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7
	X.	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘
	XI.	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗
	XII.	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖

…ta menstruum Lunæ motum indicans.

	Ætas Lunæ à plenilunio ad Novilunium.														
….	16.	17.	18.	19	20.	21.	22.	23.	24.	25.	26.	27.	28	29.	30.
…M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.	H. M.
	15⅘	16⅗	17⅖	18⅕	19	19⅘	20⅗	21⅖	22⅕	23	23⅘	24⅗	1⅖	2⅕	3
	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘
	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗
	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖
	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕
	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7
	VIII⅗	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘
	IX⅖	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗
	X⅕	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖
	XI	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕
	XI⅘	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11
	XII⅗	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘
	1⅖	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗
	2⅕	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖
	3	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕
	3⅘	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III
	4⅗	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘
	5⅖	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I 2/4	II⅕	III	III⅘	IV⅗
	6⅕	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖
	7	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕
	7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII
7⅘	8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘
8⅗	9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗
9⅖	10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II.⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖
10⅕	11	11⅘	12⅗	I⅖	II⅕	III	III⅘	IV⅗	V⅖	VI⅕	VII	VII⅘	VIII⅗	IX⅖	X

	Horæ	Quadr.
Ad Ollonam. Bolienas	3.	$\frac{1}{2}$.
Infra flumen Garumnæ. Brouage, Rochelle, Garaude, S. Nazario A. C. Fourne Ou Four	3.	$\frac{3}{4}$.
Ad Uly, & Conguer, ad Insulam Uschant, ad feptem Insulas	4.	$\frac{1}{2}$.
A Raziu. Ad Insulam Hebas	5.	$\frac{1}{4}$.
Ultrà insulam Uschant. Ad insulam de Bos, & A. S. Malo	6.	
A Bresont	7.	$\frac{1}{2}$.
Ad Portland. Carneful. Blenchernes, Caletum	9.	
A Caen. Ad Honfleur & ostia Sequanæ. Ad Depam. S. Valere. Ad Fescamp & littus Normandiæ & Picardiæ, Boulogne ac Rothomagi violentus	10.	$\frac{1}{2}$.
In Anglia, Scotia, & Hybernià.		
In Syrtibus propè Wicht. C. Bsouve & Sonapton	12.	
In orâ Hyberniæ Orientali, Occidentali & Australi. Valper & in ostio canalis	1.	$\frac{1}{2}$.
Lith Edenbotou	2.	$\frac{1}{4}$.
Montrot	2.	$\frac{1}{2}$.
Ad ostia fluvii Curlid. Propè Londinum. Baruvich in Nortumbria. Tynmout, & Stokton. Wilibray. C. S. Tabs, Albrodt & Oerz. In ora Scotiæ Orientali. Bucahan & Slates. Inter Scotiam & Orcades. In Hirlandiæ littore Occidentali.	3.	
Ad Insulam Sorlinges, Flamborouhead, Catafurda, Corca, Semieris & Bajam	4.	$\frac{1}{2}$.
Ad littora Walfiæ in Hirlandiæ portubus australibus. S. Michel. C. Neuton	5.	$\frac{1}{4}$.
Plimuthi Ora Orientalis	5.	$\frac{3}{4}$.
Plimuthi Ora Occidentalis. Darmour. Lin. Boston. Briston. Lund & Hul. Ex Morath Lime	6.	
Pessans Musol	6.	$\frac{1}{4}$.
Inter Fauvich. Unelmugan in Canali	6.	$\frac{3}{4}$.
A Plimutho ad C. Lezardum, Fajut. Falamui, C. Starte	7.	$\frac{1}{2}$.
A Wicht ad Beuefier	8.	
In Portu Artemu	8.	$\frac{1}{4}$.
In Orientali littore insulæ Wicht. S. Nicolas & ante Hul. in mari propè Varmout, ad ostia Humbri fluv. C. Sporne Bremold Wiaterton	9.	
Yarmout. Extra Harwich in mari	10.	$\frac{1}{2}$.
Harwich in portu. Dover Dubrin. Ostia Tamisis. Winfel & Porchester.	11.	$\frac{1}{4}$.
Ad Insulam Wicht. S. Helena, & S. Margarita. Schelaven	11.	$\frac{1}{2}$.
In Belgio.		
Duncherke. Ostende. Neuport. ad flumen Weper, & ad Unk. ad ostia Eyder. Ad insulas Jutlandiæ. Melesvard, & Wangeruoc. Ad portus Ripen, Huysum, Numit, Huvir & Doodebergh. in orâ Jusandiæ.	12.	
Flissingæ	12.	$\frac{1}{4}$.
Ad littora & portus Zelandiæ. Ut Borgen, Briela Mides. Borova, & Upzooa. Ad ostia Scaldis, Mosæ, Goredæ. Goer. A Cales ad Gravelingam. Edam, & Der Noellæ Doodebergh	1.	$\frac{1}{2}$.
Ad ostia Scaldis & Mosellæ	2.	$\frac{1}{4}$.
Ad Syrtes Zelandiæ contrà Flandriam. Armentiers. Descendendo ex Flandriâ versùs Canalem Angliæ. Ad Caput Dobla. Amsterdam, Dodras, Campen.	3.	
Roterdam, Delfe, Haven, Tuer	3.	$\frac{3}{4}$.
Aleos dunem. A Texelia ad littus australe Irlandiæ. Quartuvich, & Sanfoord. Monster. Suarzith.	4.	$\frac{1}{2}$.
Anvers. Ante Texeliam. Ante Amburg & Bremum	6.	
In statione Texeliæ	7.	$\frac{1}{2}$.
In littore Holland. Extra Fleuum	8.	$\frac{1}{4}$.
Cambray. Enchusa. Horn. Embden. Bloy. Dorkam, & Witlam. Ante ostia Amisis, ante Fleuum, in Frisiæ littoribus, Straven, Harlingia, Groninga, Ameland, Bukam, Oldersum, Rottomi	9.	
In Finmarchia, Finlandia, Livonia, Laplandia, Russia		
Bosford Laplandiæ	12.	
Nort Caep. C. Thehers & Ponoy	12.	$\frac{3}{4}$.
In littore Finmarchiæ & Finlandiæ in portu Morzorem insulæ Candenox	1.	$\frac{3}{4}$.
Vadhous. Ad insulam Cogien. ad ostia Pecoræ fluvii	3.	
		Archangel

	Hor.	Quadr.
Archangel Russiæ. ad ostia divinæ fluv. - - - -	6.	
Archangel Ruff. deorsum - - - - - -	7.	
Insula Kildem - - - - - - -	7.	½.
C. S. Mariæ - - - - - - -	8.	¼.
Mare pianco Laplandiæ & Russiæ - - - -	10.	
In Africa.		
C. Spartel. C. Gruer, & Cantin. Ad Capita Matas & Roxo & indè usque ad Æquatorem. Ad Caput nigrum. Ab Æquatore ad Caput Bonæ spei. Ad Canariam & Tenerifam - - - -	3.	
Promontorium Sierra Liona - - - - -	8.	½.
C. Blancum Africæ - - - - - -	9.	¾.
In Asia.		
Macai - - - - - - - -	8.	¾.
In America Boreali		
Kebec in Nova Francia - - - - -	6.	
In Floridæ portu S. Aug. - - - - -	7.	½.
Ad tria Flumina - - - - - - -	9.	
In America Australi		
In porto Desire - - - - - - -	12.	
Ad Caput Caribum in sinu Pariæ - - - -	2.	¼.
In littore Chilensi - - - - - -	3.	
Ad ostia fluvii Amazonum - - - - -	6.	¼.

Motus maris reflexus.

11. Præter Generalem, directum maris motum etiam reflexus motus communiter â Nautis in diversis maribus observatur. Contingit autem motus ille vel ex motu generali, dùm illo scilicet mare aliquod ad oppositarum regionum littora effunditur, & denuò repellitur; vel dum ventorum vi reflexione tali mare in aliam partem fluere cogitur. Communiter autem hujusmodi motiones ad extrinsecam solùm maris superficiem contingunt, atquè â Nautis Currentes vocari solent. Ità Currentes in mari Atlantico versùs littora Americæ potissimùm inter fauces Novi Regni, & insulas Cubam, & Hispaniolam potentissimi observantur, & tantâ aquarum mole sese intrà dicta gurgustia insinuant, ut naves ibidem haud secùs ac rapidissimo flumine, aut ex montis alicujus declivitate non tam vehi, quàm ruere videantur; adeóque ex Mexico aut Peru in Europam soluturis impossibile contingat hunc maris impetum superare; Sed variis circuitibus versùs littora Virginiæ & Floridæ cursus teneri debeat, ut sic circulatione quâdam quam ibidem mare ad dictas insulas efficit, tandem concupitus Europæ portus attingatur.

Æstûs maris à motu reflexo mutatio.

12. Ratione currentium etiam maris incrementum sivè æstus aliter contingere plerumque solet; ità quandocunque currens Maris alicujus recta sibi obvium vel sinum, vel littus habuerit, in illud quoque vim suam maximè exeret: Ut fit in littoribus Hyberniæ, Scotiæ, insulisque Frislandiæ & Islandiæ. Contra verò, si littus aliquod obliquè raserit, aut illud prorsùs aversum habuerit, in illo quoque incrementum nullum fieri potest, ut in littoribus maris Britannici, nisi obstaculum aliquod ad insulam vel promontorium post illud invenerit: in illud enim illisus maris currens, refluxusque, tandem in loco, quem priùs præterierat, aliquo post tempore incrementum causat.

Motus proprius & specialis quorundam marium.

13. Proprius præterea & specialis sivè peculiaris etiam suus quisque motus cuilibet mari solet esse, ac quidem is vel perpetuus aut Anniversarius. Perpetuus diversis modis contingit. 1. Ex absorptione aquæ maris, ut fit in vorticibus, motus que ille circularis est, dum mare in gyrum agitatur, & hic utplurimùm naturaliter, vel per accidens contingit: Naturaliter, quandò aqua ad abdita in fundo maris abysso absorbetur: Per accidens autem dùm ventis contrariis ibidem consuetis in turbines agitatur. 2. Ex vehementi fluminis alicujus subterranei irruptione in subaqueis regionibus factâ mare continuò aliquousque movetur & agitatur. 3. Ex fluminum ingentium amniumque in mare sese exonerantium impetu, quo mare vel rectà aliquousque propellitur, vel in turbines agitatur, vel aliam inconstantiam nanciscitur. Anniversarius motus est, qui certis anni mensibus vel diebus in aliquo mari contingit; ad hunc motum revocatur Oceani motus ex Austro in Boream, vel ex Borea in Austrum.

Motus anniversarius periodicus maris.

14. Motus Anniversarius periodicus, qui licet per annum diverso accidit tempore, alius denuò constans & regularis: alius inconstans & irregularis est. Inconstantissimus omnium observatur in Euripo inter Negropontum & Moream, qui aliquot horis in unam, & aliquot horis in contrariam fertur partem, cujus motus causam, dum Magnus ille Philosophus *Aristoteles* capere non posset, in eum se præcipitem dedisse fertur. Item observatur ejusmodi motus inter Calabriam & Siciliam valdè irregularis, ut & inter Sardiniam & Corsicam. Constans verò & regularis est motus in sequentibus marinis tractibus.

Ephe-

Ephemeris Maris motuum in diverſis locis & Temporibus per Annum.

Inter inſulam Celebes & Maduram fluit mare ad Sudeſt.	In Decembri, Januario & Febr.
Ad inſulam Ceilam fluit mare verſus Auſtrum.	A Martio ad Octobrem.
Ibidem propter diverſos ventos mare verſus Boream fluit.	Reliquis menſibus.
Ad Javam inſulam in Freto Calappâ mare verſus Orientem fluit.	Menſe Majo.
Inter Cocinum & Malacam ad Orientem fluit mare.	Ab Aprili uſque ad Auguſtum.
Ibidem verſùs Occidentem fluit.	Reliquo tempore.
In Maldivis ad Orientem fluit mare.	Poſt 25 Februarii per aliquot menſes.
Ad littora Chinæ & Camboyæ mare fluit verſus Nordweſt.	In Octobri, Nov. & Decembri.
Ibidem verſus Sudweſt maximo impetu verſus pulvinos de Chamba.	Menſe Januario.
In littore ſinûs Bengalenſis à Patana ad Malacæ promontorium incitatus maris curſus eſt verſus Auſtrum.	In Novembri & Decembri.
A Chinâ ad Malacam vehemens eſt maris motus â Pulo Cato ad Puſo Cambir in littore Camboyæ.	In Junio Julio & Auguſto.

15. Ut quoque exactè ſciri queat proprius ac ſpecialis frequentior certorum quorundam marium, ac Sinuum motus; Viſum eſt hic etiam Catalogum attexere Oceani currentium, ſivè eorum locorum maritimorum, in quibus maris fluxus frequentiùs ita moveri ſolet.

Catalogus locorum Maritimorum, in quibus certo fluxu mare labitur, & ſponte ſecum naves abducit.

Circà Guineam à Promontorio viridi motus vehemens eſt. Vitatur littus ad diſtantiā unius gradûs.	Verſus curvaturam ſivè ſinum Ferdinandi Poo. Eſt ferè ad Sudeſt.
Circà Sumatram fluit mare.	Ab Auſtro verſus Septentrionem in Sinum Bengalenſem.
Inter Javam & terram Magellanicā fluxus maris eſt.	Ab Auſtro verſus Septentrionem.
Inter Inſulam Madagaſcar, & Promontorium Bonæ Spei à littore Africæ inter hoc promontorium & terram de Natal.	A Græco ſive Nordeſt ad Sudeſt; & in multis â Nord ad Sud ſecundùm littorum extenſionem.
In mari pacificio ad littora Peruviana.	Ab auſtro ad Boream.
In mari pacifico à littoribus remoto.	Nullus motus deprehenditur.
In mari Americano â promontorio S. Aug. Braſilia ad Inſulas Antillas.	Ferè ab Auſtro ad Septentrionem.
In oſtio Freti Manilienſis ad Inſulas Philippinas.	Ab Auſtro ad Septentrionem.
In Japoniâ à portu Xibariâ verſus Arimum, incitatiſſimus eſt motus.	Ab Auſtro ad Septentrionem.
In Freto Le Maire.	Ab Occidente in Orientem.
Mare quod inter Tropicos ponitur, præſertim inter Indiam Orientalem & inſulam Madagaſcar, & inter eandem Indiam & Africam.	Ab Oriente in Occidentem.
In Oceano Pacifico inter novam Hiſpaniam & Sinam & Moluccas.	Ab Oriente in Occidentem.
In Freto Magellanico concitatiſſimus.	Idem.
Per Canales inter Maldivas.	Idem motus.
Oceanus in mediterraneum influens legendo littora Barbariæ in toto illo tractu ſecundùm littorum extenſionem fertur in Orientem poſt Tunetanum Sinum, ſeu promontorium Bonum deſcendit in Sinum Sidræ verſùs inſulam Gerbe, exindè ad Tripolim Barbariæ. Ubi Sidræ Sinum ſubiit, rurſum aſcendit in Ægyptum, reflectitur deinde ad Septentrionem ſecundùm Syriæ littora, vehementiùsque currit, dùm Nilus exundat.	Verſus Orientem.
Inter Cyprum & Caramaniam mare currit.	Ad Occidentem.
Ad Helleſponti fauces ſicut & in Boſphoro currit mare.	Ad Meridiem.
Inter Siciliam & Calabriam ſecundùm littus Calabriæ fertur mare.	Ad Septentrionem.
In Italiæ oris, ſicut & ad Provinciæ & Hiſpaniæ littora fluxus maris eſt.	Ad Occidentem.
In tractu inter Sardiniam & Siciliam fluit mare.	Ad Meridiem.
Inter Melitam & Siciliam mare fluxu ſuo tendit.	Ad Auſtrum.

Motus contingentes.

16. Observantur rursum alii quidam accidentales & contingentes motus in Oceano, qui vel ab ipsis Ventorum flatibus, quibus mare ferè nunquam est liberum, originem habent, dependentque â subitaneâ aëris commotione, atque etiam nullo certo, aut ordine, aut tempore mare nunc in hanc, nunc in illã partem agitare solent: Vel proveniunt ii ex subterraneis spiritibus,&Halitibus, qui ex fundo maris erumpentes illud turbare, nulloque rursùm certo ordine vel tempore exagitare solent. Hujusmodi verò Commotiones potissimùm contingunt cum terræ motibus, de quibus in sequenti capite dicturi sumus.

Motus circulatorius generalis.

17. Ultimus tandem motus Oceano circulatoribus adscribitur, qui vel Generalis est, aut specialis seu particularis. Generalis ille est, quo Oceanus ex polo Arctico per polum Antarcticum juxtà *Kircheri* sententiam per viscera terrestris globi se perpetuò circulare dicitur. Suppolares autem tractus quamvis nemo hactenus naturaliter lustrare potuerit, credibile tamen videtur memorato *Kirchero in Itin. Extat.* duo utrinquè in præfatis polis esse ingentia orificia, seu immensas voragines, & per unam quidem sub polo Arctico aquas in occultas terræ latebras, & subterraneæ Naturæ conclavia derivari, procursu verò subtus Terræ globo factum tandem sub Polo Antarctico per alterum orificium exitum denuò obtinere. Oceanus igitur in dictâ voragine Arctico Polo subjectâ absorptus, per canalem subterraneum devolutus post expleta arcanioris Naturæ receptacula, atquè decoctiones defœcatione peractâ per alterum orificium Polo Antarctico subjectum denuò regurgitatur, atque ità Oceani ex Austro in Septentrionem fluxus, qui ab Arctico Polo incipit, & ab Antarctico refluit certâ Naturæ lege continuò perfici censetur. Cur autem aquarum absorptio potiùs ex parte Borealis Poli, quàm Australis contingat, cum eadem Poli videatur esse constitutio, *Idem Kircherus in itin. extat. 2. dial. 2. cap. 2.* causam existimat esse ipsammet naturalem Geocosmi constitutionem, & fabricam, quam Mundi opifex sapienter ità disposuit, ut indè dictus effectus consequeretur. Undè partes Borealis Poli terrestris aliquantum altiores partibus Australis Poli arbitratur sine centri tamen gravitatis præjudicio. *Haud secus atque in canali*, inquit, *qui in duo orificia incurvatur, unâ extremitate altius alterâ eminet, quam si humido interim brevioris cruris orificio digiti ope clauso ad summum repleveris, videbis statim deposito digito aquam ex breviori crure cum impetu elabi, donec in æquilibrio consistat. Aquarum itaque ingens pondus altiùs ruens fluxum continuò per magnæ Venæ canalem sollicitat, donec eum per Antarcticum terræ Polum expellat; quam quidem expulsionem perpetua quædam pericyclosis, seu circumvolutio aquarum, ut consequatur, necesse est.* His deindè addit sequentia: *Accedit fluxum versus Boream magno impetu ruentem violentiâ suâ naturalem absorptionis impetum ruentium aquarum pondere plurimùm promovere: hinc fit, ut expulsæ per Polum Terræ Antarcticum aquæ, atque in omnem circumferentiam diffusæ suas versus Polum Borealem semitas teneant, quæ tametsi variis occurrentibus obstaculis impediantur, alibi tamen fluxum recompensant.* ità *Kircherus.*

18. Specialis ac particularis denique circulatorius motus marium contingit, dum vel omnia maria communicantia per subterraneos meatus reciproca negotiationis commercia invicem exercent, vel dùm mare aliquod hoc motu per subterraneos meatus intrà montium receptacula sese exonerat, ac circulatione hac peractâ origini suæ restituitur. Sed quæ fusè hactenus de variis Maris motibus prosecuti sumus, compendio nunc in Tabulam reducta Curioso Lectori unico intuitu facilimè addiscenda subijcimus. — *Motus specialis & particularis circulatorius.* — *Tabula.*

§. IV.

Periculosa quædam Marium diversorum loca Naufragiis infamia referuntur.

1. Celeberrimus, & maximus comprimìs Vortex sivè Gurges periculosissimus in Oceano spectatur Septentrionali ad eam Norvegiæ partem, quâ â Lappia dividitur. Tredecim in ambitu continere dicitur milliaria testibus omnibus Geographis, ejusque centrum occupat rupes ab indigenis Muscke dicta, cujus ea voracis naturæ vis est, ut sex horarum spatio omnia, quæ casu in perpetuo agitatæ voraginis craterem illabuntur, mox ac vel ultimam circumferentiæ oram attigerint, vastos aquarum acervos, balenas, onerarias naves, aliasque res veluti vertigine agitatas absorbeat; totidem horis rursum inglutita revomat, & magno impetu incredibili cum fragore, & fremitu, qui non sine formidine auscultantium remotissimis etiam in locis percipiatur, eructat. *Ziglerus in Scandia* inter tres insulas Norvegiæ *Lofoth, Langanas, & Vastral mare Muskostron* sivè Æstum appellari scribit. Hic mare sorberi intrà cavernas accedente fluxu & reflari refluxu; naufragiorum reliquias perrarò reddi, & si quandò reddantur, reperiri robora attrita collisione scopulorum ut lanugine quasi obducta videantur. — *Vortex Norvegiæ.*

2. In sinu Maris Persici ad Promontorium *Mossendam* haud dissimilis spectatur vortex, cujus vim abditam *P. Joris â Jesu Maria* in itinerario suo Orientali in Indiam oculatus testis his recensent verbis: *Est locus in sinu Persico periculosissimus, ac ordinariè tempestatibus agitatus: in Promontorio quippè Mossendam sunt plures scopuli, quos vocant Salemas, inter quos unus ità ad promontorium accedit, ut angustum mari vix jactus lapidis præbeat aditum: ibi mare etiam, dùm aliàs tranquillum est, continuò fervet, ac tam magnos edit vortices, ut in medio illorum, maximè dum mare agitatur, per aliquod spatium possit lapis magnus dimitti absque eo quod aquam tangat; præterea infestus & periculosus est ibi Nautis transitus; nullusque transit mari turbato: Ipso verò quieto remis illud* — *Vortex in Persico Mari.*

Diverſorum motuum, quibus Oceanus ſive Mare

Oceani ſivè Maris motus alius eſt

- Directus
  - Conſtans & perpetuus Generalis ab Oriente in Occidentem d
  - Compoſitus ex motibus contrariis fluxûs & refluxûs dependens à Luna, contingit
- In tempore
  - Æquali vel Inæquali
  - eſtque
    - Diurnus juxtà motum Lu quo mare in oppoſitis bis per diem 6. horis cre horis decreſcit.
    - Vel
    - Menſtruus, quo ſequitur m proprium C. S. S. per me ſcendo, & bis decreſcend octo dierum.
- Reflexus ſeu repercuſſus ex
  - Motu Generali Euro - Zephyrio contrà immine Currentem appellant.
  - Ventorum flatibus, quibus mare ad oppoſita li rentes à Nautis vocantur.
  - Motu fluxûs & refluxûs reflexo vi Lunæ cauſat
- Proprius & ſpecialis ſeu conveniens alicui Mari
  - Perpetuus & conſtans eſt, qui fit in certo
  - Anniverſarius & periodicus, qui fit cert
- Contingens accidentaliter ex
  - Ventis & eorum flatibus, dependens à quâcunq
  - vel
  - Subterraneis Spiritibus & halitibus ab æſtuariis
- Circulatorius, eſtque vel
  - Generalis, quo Oceanus ex polo Arctico fluens a regurgitatur, & ità perpetuò circul
  - Specialis, quo vel
    - Maria quædam communi peragunt.
    - Mare aliquod per ſubterra factâ origini

Motibus his rapidi volvuntur ma
Et refugæ pelagi præcipita

BULA

n aquarum sublunarium receptaculum, nullo non
ce agitari solet.

issimum à Sole; est { Velocior, ubi Freta & profundæ valles ac declivitates submarinæ, & in ☌ vel ☍ luminarium | Tardior in mari amplo suprà fundum planum, & in □ Luminarium.

Uterque est { Regularis, qui semper similis | vel | Irregularis qui alteratur à { Motu Generali. | Lunæ variâ constitutione in aliis signis. | Diverso Oceani appulsu & repulsu. | Fundo maris aliter & aliter disposito. | Ventorum flatibus super mare dominantibus. | Fluminum in Oceanum devolutione. | Subterraneis æstuariis.

mpulsus & hinc denuò repulsus; quem Nautæ communiter

& in aliam partem deflectit. Hujusmodi motus etiam Cur-

aris tractu ex { Absorptione aquæ maris, ubi sunt vortices, estque motus circularis | vel | Vehementi subterranei fluminis irruptione | vel | Ingentium fluminum sese exonerantium impetu in mare, quo vel { Recta aliquo usque propellitur | turbinatur | In varios & inconstantes æstus agitur.

anni tempore, estque { Constans & Regularis | vel | Inconstans & irregularis.

utatione

ris erumpentibus.

um ibidem absorptus per intima terrestris globi viscera devolutus in polo Antarctico

subterraneos meatus reciproca communicationis negotia

s intra montium receptacula se exonerat, & circulatione quadam
itur.

Ponti,
quæ.

mis illud decurrunt. Rapidissimo siquidem aquarum impetu feruntur, & ita ad Promontorium accedunt, ut penè transeundo attingant. Timent enim, ne ad ipsum scopulum & ad vortices rapiantur; ità ille. Ajunt alii hunc vorticem cum opposito Mari Caspio per subterraneum meatum communicare; affluxu siquidem maris Persici per fauces ab Oceano agitati eodem tempore in littoribus Australib' Mare Caspium ingentes æstus volvere dicunt, quibus cessantibus vortices sequuntur.

Inter Angliam & Normandiam. 3. Inter Angliam & Normandiam similis rursùm vortex observatur, ad quem mirabili velocitate navigia non tam tendunt, quàm æstûs ferociâ violenter trahuntur. Est tamen & hoc mirum visu, quod eâ celeritate, quâ remotè quædam attracta sunt, eâdem ea vicina jam gurgiti repellantur.

Circà Polum Arcticum. 4. Adeò vehemens fluxus est maris in Tractibus marinis Polo Arctico magìs subjectis, ut nullus tam validus ventus dari possit, qui naves in hunc æstum incidentes retrò agere valeat; nec ulla hactenus excogitata est vis contraria, quæ vorticibus reniti, & retrogressum legere possit. Undè si quacunque datâ operâ, aut casu in dictos tractus ventorum impetu delabi homines contingat, iis mox irrevocabili sævientis naturæ contumacia in abyssum raptis necessariò pereundum esse statuunt. Quæ causa est, quod de suppolari constitutione nullas hactenus experientias habere potuerimus. Testantur etiam peritissimi Nautæ, qui illas oras maritimas navigârunt celerrimum pariter, & impetuosissimum versùs Boream Oceani æstum esse, ut vix ulla navis tam valida, quæ ruentium aquaru n impetum, tametsi contrapositο validissimo vento sustinere possit: ut proindè nemini ob æstuantium fluctuum, ac veluti ex monte quodam præcipitatorum contumaciam dictos tractus adire concessum sit. Vide etiam quæ diximus *supra cap. 4. hujus disq.* §. 5.

Circa Novam Zemblam. 5. Ad Novam Zemblam Oceanus valdè periculosè navigatur obstrictissimam glaciem plurium mensium spatio. Experti fuerunt *Guilielmus Barentsonus* & alii nomine illustrissimorum Ordinum Inferioris Germaniæ, dum Annis 1594 & 1596 illac transitum in Chinam quæsiêrunt; glacie siquidem ad Grad. 76 tandem obsessi tuguriolum ibidem exstruere coacti fuerunt, in quo horrenda spatio trium mensium pertulerunt. Siquidem cæcis in tenebris cum ursis & vulpibus sæpiùs illis certandum fuit, imò & ipsum tuguriolum nonnunquàm adeò obductum iis fuit, ut exitus solummodò per summitatem camini patuerit. Divino tandem auxilio constructis duabus naviculis domum rediêrunt. Anno 1609 eò denuò navigatum, sed re infectâ redire debuerunt.

Ad littora maris Bodnici & Finnici. 6. Horribiles planè sonitus fieri memorat *Olaus Magnus* ad littora tum maris Bodnici & Finnici, tum lacuum, quos *Venner & Vetter* vocant, qui in multis locis tanti esse solent, ut homines priùs accedentes surdos & veluti attonitos, stupefactosque, subindè exanimes reddant, nisi tempestivè sese funestis Charontis antris removeant. Testatur *idem lib. 21. Hist. Septentr.* Mare septentrionale ob marinas belluas infestissimum esse navigantibus: illas tamen solo tubarum clangore, ne naves evertant, abigi.

Inter Cubam & Hispaniolam. 7. Qui ex canariis insulis in Mexicum solvunt, currentibus Oceani maximâ parte vehuntur, qui *intra Cubam*, & *Hispaniolam* & continentem Novæ Hispaniæ adeò vehementes sunt, ut fluminis impetum referre videantur, navibusque semel in hujusmodi fauces conjectis nulla recedendi facultas detur. Inter *Cubam*, & *Jucatan* mare influit magno impetu in sinum Mexicanum. In sinu quoque Pariæ, qui *os Draconis* dicitur, vehementissimus est influxus. Sentitur etiam hic motus propè Terram Canadensem.

Scylla & Charybdis. 8. Mamertinum Fretum periculis infame semper fuit habitum, in quo nominatissima Antiquis *loca Scylla* & *Charybdis*, horrendis naufragiis famosa. *Scylla* adjacet Promontorio, quod olim *Cenys* dicebatur, nunc verò Scyllæum, vulgo *Sciglio* vocatur; cujus ea est natura, ut ingenti ultrò citròque commeantium aquarum perturbatione agitetur. Quandò affluxu agitatur, tanta ejus est violentia, ut navis ei concredita omni evadendi spe sublata, montium saxis illisa inevitabili naufragio committatur: nisi idcircò periculis obstaculum ponatur â Nautis, dum per Fretum istud navigant, terminíque fluxûs tempestivè observentur, facilè contingit, ut ex Scyllæ syrtibus in Charybdis æstuaria devoluti, quod evasisse putant, tunc primum incurrant. Hinc natum proverbium

Antra Charybdis adit, qui vult evadere Scyllam.

Et contra:

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin.

De hoc freto ait *Pausanias lib. 5.* quod si navem *Ulysses* fregisset, non ille quidem in Italiam incolumis enatâsset. In eâ 35 pueri cum Chori magistro & tibicine ad festos Ludorum dies â Rheginis missi ad unum periêre. Plena sunt de Freti hujus calamitosis naufragiis Historicorum & Poëtarum monumenta innumeris implexa fabulis, quæ apud *Cluverium* & alios videre licet.

Ad Maleam. 9. Author est *Strabo lib. 8. Geogr.* Corinthiorum Urbem in Isthmo positam duos habuisse portus, alterum Asiam versùs, alterum Italiam. Verum quod Freti instar esset non sine discrimine eò navigari velut in Mari Siculo inter Scyllam & Charybdin, maximè autem ad Maleam propter reflantes indè ventos. Undè & proverbium celebre fuisse scribit: *Maleam legens, quæ domi sunt oblivíscere.* Est autem *Malea* promontorium Laconiæ, quod â *Maleo* Archivorum Rege olim sic dictum fuit.

In sinu Africæ. 10. In Africæ sinu, quem *Ferdinandi Poo* dicunt, aqua in subterraneos meatus tantâ rapitur vehementiâ, ut nulli navi, cùm illam Currentem incurrerit, retrocedendi detur facultas, sed multorum mensium spatio veluti trabalibus clavibus fixi transfretantes summo navium periculo hæreant, indubiè perituri, nisi ventis iis locis propriis invalescentibus ex angustiis eruantur.

Indicum Mare. 11. Indicum mare tùm ob vortices, quos continuò agitat, tùm ob inscrutabilem profunditatem; undè Abyssus potiùs, quàm mare dici potest, sævissimisque & inevitabili-

bus tempestatibus ex fluctuum inconstantiâ, & varia Curentium nunc huc, nunc illuc repercussum circulatione laborat; Unde quotidiana penè naufragia ibidem contingere solent.

Euripus Calcidicus.

12. Celebris est Euripus inter Peloponesum & Eubœam; Sed hic periodicus esse videtur: cujus causam dum ratiocinando perscrutari non valeret *Aristoteles*, in eum se præcipitem dedisse fertur.

In sinu Leonis.

13. In Sinu, quem vocant *Leonis*, id est, ad littora Catalauniæ post magistralem & Boream diuturnum, si Lybicus incipiat, aquæ magno impetu ad littora feruntur: undè abducuntur naves & sæpè ad littora impingunt. Vel indè etiam periculosus est sinus ille quod profundus non sit, ventique per Rhodani ostia per exiguum quasi tramitem magno impetu ferantur.

Inter Japoniam & Chinam.

14. Inter Japoniam & Chinam mare nunc ex Occidente in Orientem, jam in circulum abjens tam sævas causat tempestates, ut naves his persæpè involutæ vix se extricare valeant. Tantus enim maris in iis locis impetus esse solet ex contrariorum fluctuum concursu, ut vel ipsas naves elevet in altum, & à maris superficie semotas, ac præsertim accedente Cæcia per aërem in vicinos scopulos illisas in mille partes diffringat. *P. Fournier in Hydrogr. lib. 6. cap. 8.* Autumnali verò potissimum tempore hujusmodi tempestates ibidem sævire referunt nautica itineraria, tantâ cum rabie, quantam nemo animo concipere possit: adeò etiam tunc periculosam ibidem esse navigationem, ut beatum & felix censeatur iter, si ex tribus navibus una cursum tenens evadat.

Inter Malacam & Sumatram.

15. In freto inter Malacam & Sumatram fluxus maris ex Oriente in Occidentem continuatus, dum inter Philippinas insulas & littora Conchinchinæ paulò profundius insinuatur: in hujusmodi gurgustiis tam insolitæ cieri solent tempestates ac æstus, ut cum omnium rerum jacturâ eas Nautæ vix queant evadere. Mare equidem per dictum Conchinchinæ canalem, quia per profundissimam vallem intrà angustias freti insinuatur, ibi tantæ aquarum molis sustinendæ impotens, partem in circulos agitat, partem in littora reverberat; undè motus maris generali ejusdem motui omninò contrarios concitari, adeoque ingentia naufragiorum pericula excitari necesse est.

Ad Cambayam.

16. Ad introitum Aynan propè Sumatram & Cambajam mirabiles spectantur vortices, periculosus etiam est currens ex Cambajæ angulo resultans iter suum dirigens versus littora Africæ, ubi torrentis instar partim in mare rubrum, partim in littora Africæ continuato fluxu per canalem Africam inter & insulam S. *Laurentii* interjectum veluti ex monte quodam in profundam vallem labens, eos ibidem tum æstus, tum procellas excitat, quales nullo non tempore suo damno Nautæ experti sunt. Hæc enim plaga uti scopulis & syrtibus intricata, ità naufragiorum frequentiâ non exiguam sibi peperit infamiam. Verè Horror nautarum, ut inquit *Kircherus in Mundo subterr.*

Ad littus Guineæ.

17. Locus est juxtà littus Guineæ, quem *Ferdinando Poo* vocant, in angulo, quo Guinea longo littorum tractu ex Occidente in Orientem porrecta tandem in Austrum flectitur. Hic motus maris motui generali ex ortu in occasum perpetuò contrarius est; ità verò vehemens est, ut quotquot in hunc locum naves appulerint, abditâ quâdam vi rapiantur, ità ut nulla se vi, nisi Ecnephiis, validissimisque ventis chronicis adjuti retroagere possint. Locus infamis est naufragiis, cùm motus ille nautis non satis perspect⁹ sit.

Fretum Magellanicum.

18. Fretum Magellanicum ob ingentes illic procellas, & tempestates nautis infestissimum esse multorum constat relatione. Neque id mirum videri debet cum datis illic oppositis ventis & considerata angusti illius loci dispositione vehementes turbines excitari necesse sit. Ex Oceano enim Africam inter & Americam cùm afflet ventus Orientalis sivè Generalis: in opposita verò parte ex mari pacifico occurrat Occidentalis, qui sibi planè contrarii, dùm uno eodemque tempore flantes angustissimum Fretum illud ingrediuntur, id mirè haud dubiè exagitare, horrendos fluctus excitare, aquam in circulos, & cumulos montium instar elevare, itaque transfretationem non tantùm difficillimam sed extremè periculosâ reddere debent. Tradit etiam *Petrus Martyr in Hist. Ind.* ad introitum Freti Magellanici Oceanum prorsùs formidandis æstibus procellosum inexplorabilis profunditatis esse, adeò quidem, ut multi mare ibidem in ultima terræ viscera hoc loco descendere sint arbitrati. Hæc & plura alia præ cœteris loca in diversis marinis tractibus naufragiorum periculis famosa potissimum habentur; quanquàm si rectè perpendere velimus, nullam non sit mare, aut maris locus, qui periculis careat, & afferente *Tacito Annal. lib. 14. nihil tam capax sit fortuitorum quàm mare*: ut adeò tutò nunquàm se quisquàm mari committere possit, vetusque illud perennet: *Qui nescit orare, vadat ad mare*, recteque etiam consonet Terentianum illud *Hec. 3.*

> - - *O Fortunate! nescis quid mali*
> *Præterièris, qui nunquàm ingressus es*
> *mare.*

Et Propertianum

> *Ventorum est, quodcunque paras: haud*
> *ulla carina*
> *Consenuit; fallit portus & ipse fidem.*

Quocircà & *Anacharsis* percontanti quænam naves essent tutissimæ, rectè respondit: quæ in siccum protractæ sunt: dixit & tantillum abesse navigantes à morte, quanta est spissitudo navium. Ad quod Philosophi dictum allusit *Juvenalis sat. 22.* ità canens.

> *I nunc & ventis animum committe dolato*
> *Confisus ligno, digitis à morte remotus*
> *Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.*

§ V.

Memorabilia quædam Naufragia in diversis locis & temporibus ex variis Authoribus.

Classis Darii ad Athon montem.

1. Classis *Darii* Regis ex Thaso ad Acanthum profecta, ut *Sabell. lib. 1. Enn. 3.* refert. Violento Aquilonis flatu ad Athon montem in Macedoniæ orâ, quâ mare maximè est impetuosum miserè ac fœdè fluctibus attrita & disjecta fuit. Trecentæ memorantur naves

vi maris

vi maris, absumptæ & cum his supra viginti Persarum millia, quorum plures natandi peritiâ destituti, mediis fluctibus absorpti sunt: alii cautibus & scopulis allisi perierunt.

Xerxis classis in Calcide disjecta.

2. Narrant *Herodotus lib. 7. & Strabo. lib. 9.* Xerxis classem in Calcide â Boreæ vehementiâ disjectam & partim ad loca Furni, quæ sunt in Pelio, partim in oram Sepiadum illisam, partim in Oram Castaneam, partim in Melibæam, itâ ut navium ultra 400 periêrint cum magnâ vi pecuniæ & hominum multitudine. Quod Naufragium, ut etiam prius illud ad *Athon* montem sub *Dario* Græcis libertatem peperisse dicunt, ut adeò nihil tam infaustum & funestum, quod aliis fortunam & lætitiam conferre non possit.

Persarum classis demersa & cæsa.

3. Memorat *Idem Herodotus lib. 7.* Persas classem suam ad Aphetas, Græcos, ad Artemisium habuisse: dimisisse verò trecentas naves, quæ Eubœam circumnavigarent, & Græcos circumvenirent: Sed cum ad Eubœæ concava venissent, naufragio plures interiêrunt, reliquas adorti Græci ad Aphetas superârunt.

Pyrrhi naufragium.

4. *De Pyrrho* Epirotarum Rege scribit *Plutarchus*, eum â Tarentinis evocatum multis navibus, quas Hippagogas vocant, tectis insuper & diversis pontonibus *Tarento* adductis, elephantos quadraginta, Equitum tria, Peditum viginti duo millia, sagittarios & funditores quingentos imposuisse: in altum provectum, cùm medium teneret mare Jonium, exortum præter anni morem validissimum Boream, ac classe reliqua disjectâ naves diversas ab Italiâ rejectas in Lybicum & Siculum pelagus; alias, cum Lapygium promontorium superare non valerent, non oppressisse, quas tamen, quia crebræ sævæque undæ ad importuosa loca impellerent, omnes præter Regiam afflixisse. Hanc verò scribit, quamdiu ex alto volverentur fluctus, restitisse, ac mole suâ atque robore impetum maris sustinuisse; verùm ubi conversus ventus â terrâ reflare cœpit, periculumque fuit, ne prora navis adversa undarum vi percussa perfringeretur, abjecisse se in Mare *Pyrrhum*, & vix tandem luce ortâ cadente vento in terram evasisse corpore quidem prorsus invalidum, sed animi magnitudine & vi adversa reluctantem. Addit porrò Messapios, quorum in littus est ejectus, præsentibus facultatibus ad ferendum sedulò auxilium concurrisse, & nonnullas naves, quæ ex tempestate emergebant, collegisse. In his verò Equites erant perpauci, peditum duo millia, elephanti duo. Hæc *Plutarchus*.

Romanæ classis dejectio & demersio.

5. Bello Punico primo Romana classis ut tradit *Sabellicus lib. 9. Enn. 4.* ex trecentis navibus constans, cùm centum & quadraginta Carthaginensium naves cepisset, in conspectu Camerinæ Urbis Siciliæ oram legens in tantam maris sævitiem incidit, ut pro rei atrocitate citrà fidem sit referre. Ex tam opulenta & numerosa classe centum & triginta incolumes superfuêre, trecentæ verò octoginta quatuor aut absorptæ sunt undis, aut scopulis illisæ, universum littus naufragiis & cadaveribus implevêre. Reparata deindè classe ducentarum, & viginti navium trium mensium spatio Consules *Panormo* digressi subitâ, & atroci denuò tempestate jactati centum & quinquaginta naves amisêre. Quæ recentior clades adeò Romanos affecit, ut â mari jam abstinendum multi in Curiâ fremerent. Refecta tamen iterum fuit: Sed non multò post ad Pachynum Siciliæ importuosis locis adeò vehementer conflictata est, ut ex omni navium multitudine nihil, quod utile esset, superfuerit.

Epiclis naufragium.

6. *Epicles* spartanus 50 navibus ad montem *Athos* provectus ingenti ibidem tempestate repentè obvolutus naves omnes perdidit cum magnâ hominum copiâ, quæ iisdem vehebatur, emersis & salvatis tantùm 12 hominibus. *Diodorus lib. 15.*

Atheniensium navium perditio.

7. Refert *Ælianus de var. hist. lib. 5.* Athenienses summo semper studio navium classes instruxisse, & pro temporis intervallis nunc Victores, nunc victos extitisse; amisisse verò naufragiis triremes in Ægyptiaco mari ducentas unà cum supplementis; in Cypro 150; in Siciliâ 240; in Hellesponto 200. Armaturæ gravis milites eis periisse scribit 40000; in Chæroneâ 10000.

8. Lacedæmonios scribit *Diodorus lib. 13.* Ad Arginusas ab Atheniensibus victos, naufragio 77 naves amisisse, in quibus haud dubiè non modica hominum copia unà interiit.

Mithridatis classis naufragium.

9. Atrox tempestas corripuit *Plutarcho* teste *in Lucullo*, *Mithridatem* Asiæ Regem â *Lucullo* ad *Rhyndacum* & *Granicum* profligatum & profugum, qua classis ejus partim abrepta, partim depressa fuit. Omnia littora ejectis fluctu naufragiis per multos dies completa fuerunt. Rex ipse cùm navis oneraria, qua vehebatur ad terram appelli ob molem in tantâ procellâ non posse videretur, & aquam jam accepisset, atque undis penè jam esset obruta, in myoparonem pyraticum transgressus corpore prædonibus permisso incolumis tandem *Heraclæam* ponticam insperato & summo discrimine pervenit.

Valliæ navium interitus.

10. Dùm *Vallia* Gothorum Rex ingentem exercitum in Africam transmittere vellet, ipsam bello petiturus, ejusque causâ numerosam instruxisset classem: ad Fretum Gaditanum subitâ exortâ tempestate, ea mirum exagitata tandem disjecta & fluctibus obruta vim tantam demersit hominum, ut *Siculi naufragii*, ut inquit *Sabellius lib. 10. cap. 5*, quod in primi belli Punici tempora incidit, *memoriam renovârit*.

Henrici I Regis Angl. navium interitus.

11. *Henricus* I. Anglorum Rex bellum adversus *Ludovicum* Francorum Regem tres propè annos continuos gessit: ubi cùm variâ fortunâ sæpè fuisset pugnatum, incolumis ipse in Angliam cum liberis revertens comitante ingenti Nobilium catervâ â tempestate medio in mari obrutus, nullo penitus evadente interiit. *Hector Boeth.* hoc naufragium *Matthæus Parisius* memorat contigisse ad Annum Chr. 1120.

Navis Lubecâ solvens mergitur.

12. Anno salutis 1467 navis oneraria in faucibus scopulorum Sueciæ ac Finiæ *Lubecâ Revalium* vehebat merces pretiosissimas. Adolescentes, fœminæ, virgines, mercatores numero ducenti infelici tempestate involuti periêrunt. Indè constitutum est, ut post *Martini* festa nulla navis in Livoniam solvat ex portu Lubecensi. *Crantzius lib. 12. Vand. cap. ult.*

Naves Saracenicæ demersæ.

13. Naves Arabum Saracenorum, quæ cum *Haumaro* ad obsidionem *Constantinopolis Leonis* Iconomachi Imp. tempore remanserant 15 Augusti die magno cum dedecore reverti coactæ, immisso divinitùs turbine partim ad Perconnesum, partim ad Apostrophos & reliqua littora submersæ sunt; superstites cùm in mare Ægæum pervenissent, ignea grando immissa ebullire fecit mare, ac pice liquatâ solis quinque navibus in Syriam perlatis, reliquæ omnes cum vectoribus periêrunt potentiam Dei nostri testatæ. *Cedrenus*.

Erici Pomerani naufragium.

14. *Ericus* Pomeranus Danorum Rex rebellantes Suecos ad officium redigere volebat. Exortâ gravissimâ tempestate una grandis navis solvitur; centum & sexaginta viris demersis pauci enatavêre. Navis prætoria quassa, dum Rex in Scapham descendit, cum vectoribus in conspectu Regis submersa fuit. *Cranz. lib. 5. Sueciæ, cap. 36.*

Philippi Regis Romen naufragium.

15. Referente *Guicciardo lib. 7. hist. Philippus* Romanorum Rex *Maximiliani* Imp. F. mortuâ socru *Elisabethâ* Hispaniæ Reginâ initio Anni 1506 cum uxore & *Ferdinando* secundo filio suo profectus, conscensis navibus cursum imprimis prosperis ventis Hispaniam versùs tenuit: quibus verò post bidui navigationem in adversissimos conversis, ejus classis ingenti tempestate jactatâ, ubi diu maris furori restitisset, per varias Angliæ atquè citerioris Britanniæ oras dissipata fuit. Ipse tandem cum duabus vel tribus navibus maximo periculo ereptus in Angliæ portum, qui *Antona* dicitur, ejectus est.

Caroli V infelix expeditio.

16. De Classe numerosâ, qua *Carolus V.* Anno 1541 mare trajiciens cum ingenti exercitu *Algerium* expugnare tentavit, oborta verò tempestate turpiter eâ conquassatâ, re infectâ, fœdâ & fatali fugâ reverti debuit, *Vide sup. Scrut. 3. disq. 2. cap. 6.*

Emmanuelis Sosæ naufragium.

17. An. 1553 *Emmanuel Sosa Sepulveda* Diensis Urbis in Indiâ versus Boream & in finibus Cambayæ sitæ præfectus, patriæ Lusitanorum revisendæ desiderio illectus cum *Eleonorâ* Conjuge, duobus filiis & *Garcia Sala* Proregis Indiæ Orientalis filia, ac pluribus aliis nobilibus, atque etiam servis & mancipiis, universim verò 600 capitibus navem multis divitiis repletam Idibus Aprilis ingressus solvit, ac vento primùm leni, & secundo provectus, promontorium tandem Bonæ spei consecutus est. Ibi verò subitò obnitente validissimâ tempestate Naufragus relictâ majori nave, jam dehiscente meliora quævis in scapham conjicere, eamque cum Uxore, liberis, aliisque primariis conscendere, & continentem qua data via appetere coactus fuit: interim autem scaphâ hac abactâ mox navis ad scopulos impacta cum terrificis ejulatibus, validisque clamoribus relictos socios in furentes fluctus, & immaniter desæviens mare præcipites se dare coëgit; quorum plures ab incussu scriniorum multùm sauciati, plures ab obnitentium fluctuum verberibus defatigati penitus tandem demersi & suffocati, desideratis tandem 40 Lusitanis, alterius verò nationis 70 reliqui semianimes vix maris sævitiem evadentes ad continentem appulerunt. Quæ verò *Emmanueli* cum Sociis naufragis indè acciderint, etiam in continente non tantùm pericula, sed & damna, & casus miserandi, latè describit *Petrus Maffæus lib. 16. Hist. Ind.* & ex ipso *Georgius Stengelius Mund. Theoret. part. 2. cap. 9. Hazart Annal. Eccles. tom. 2. Abyssin. Ann. part. 3. cap. 8.* & plures alii. Memorabile non tantùm, sed & miserabile aliud Naufragium ad Ann. 1585 amplè descriptum ex *Petro Martinez* vide apud *eundem Hazart Ann. Eccl. tom. 2. Africæ part. 3. cap. 7.*

Philippi II armatura navalis & ejus interitus.

18. De potentissimo Hispaniarum Rege *Philippo II* memorat Famianus *Strada* famosissimus Author *decad. 2.* Anno 1588. ingentem eum instruxisse classem, ut Anglos expugnaret: Verùm hæc omnis structura infeliciter cessit. Quàm autem vasta ea fuerit, ut damnum tantò magis æstimari queat, indè licet conjicere. Quadriennium integrum in classis hujus fabricam variis in provinciis labor incubuit: *Antverpiæ, Dunkercæ, Slusæ* tanto studio ædificatum, ut ne noctu quidem, aut sacratis diebus operæ intermitterent. Missi quoque *Gedanum* Conquisitores emendis ratibus, nec segnius in Hispania puppes, sociosque navales Rex collegerat. Naves, quæ ex Hispaniâ solâ erant, quinque & quadraginta supra centenas erant. Ex eo numero centum & decem armatæ: nonnullæ septingentarum, eoque amplius vehium, cœteræ commeatûs ac necessitatum alia subvehebant; hominum aliæ octingentos, millenos aliæ tormenta verò duplici ordine quadraginta aut quinquaginta, quorum in universum millia duo, & quinquaginta promiscuæ magnitudinis. Profectò non densior, hispidiorque sentibus suis histrix adversus circumlatrantes canes instruitur, quam crebra hæc tormentis & minax moles suis undique missilibus communiebatur. Ad hæc Nautæ, navalesque socii septem millia & quadringenti quadraginta novem. Militum octodecim millia & octingenti quinquaginta septem. Præterea Dynastæ proceresque Hispani ducenti atque viginti. Milites voluntarii trecenti quadraginta quatuor cum horum famulis, servitiisque sexcentis viginti quatuor. Denique ex Religiosis familiis Sacerdotes, quique aut ad ægros curandos, aut ad militum licentiam manûs injectione coërcendam, aut ad alia Classis ministeria adhiberi solent, sexcenti sexaginta novem. Atque adeò in classe navigabant homines viginti octo millia ac ducenti, nonaginta tres. Naves ipsæ & altitudine & robore castellis pares, ligna quinûm in crassitudinem palmorum contra quamvis communium tormentorum injuriam. Ex indice *Madriti* evulgato constat in classe fuisse ad quatuordecim mille, centum & septuaginta cados vini. Cœtera hinc conjectare in arduo non est. Senum mensium annona universæ classi provisa. Armorum quoque, præter quæ miles quisquè gestabat, ingens vis ad quemvis casum. Tuborum longiorum millia septem, breviorum mille; hastæ altiores & bipennes totidem, ligones & quodvis instrumentum pro fossoribus septingentis congesta erant. Currus præterea carri, funes, terebræ & quæcunque necessaria aut erant, aut videri poterant. Tanta hæc

moles


Hic metus, hic labor est, alti si
Omnia, cum tumidi sic furit


a doloris
eti.

moles tertia Septembris die tandem exortâ repentè tempestate circà Hyberniam adeò disjecta, dissipata, hausta est, ut dierum duntaxat binûm spatio duæ suprà triginta periêrint, amissis ad millia decem hominibus. Cœteræ in Norvegiam aliò delatæ; quædam longè adeò profectæ, ut ne famâ quidem unquam quidquid de iis compertum sit.

Mercatorum Batavorum naufragium.

19. An. 1593. Mercatores Batavi spe lucri plurimas frumento, aliisq; mercibus onerârunt naves, quarum centum circiter & quadraginta inter duas Insulas Texeliam & Fliam Hollandiæ quasi aggeres ad infringendos Oceani fluctus inter Occidentem & Septentrionem objectas stabant in anchoris secundum exspectantes ventum, quo se mari crederent. Vicesimo verò quarto Decembris anni memorati subitò tanta exorta est tempestas, tanta vis ventorum increbuit, ut confractis malis & antennis, laceratis velis, ruptis rudentibus, disjectis clavis naves, partim in vada & brevia adactæ, partim fluctibus coöpertæ perierint, cœteræ concussæ & laceræ vel in Frisiam, vel in alia vicina loca sint appulsæ. Quadraginta quatuor fractas & submersas fama est, ex quibus nihil conservatum, sed & homines simul & merces fluctibus involuti periêrunt. Ab hoc naufragio neque Dania, neque Seelandia, neque Anglia immunis fuit. Desiderati dicuntur ex Hollandis, Selandisque homines circiter mille quingenti. Ità *Beyerlinck in Theat. vit. hum. V. Paupertas.*

Classis Indicæ interitus.

20. Refert *Gramondus lib. 16.* horrendum naufragium ad Annum 1627, quo Classis Indica, dum in Hispaniam remearet, ingentibus farta divitiis propè *Guyenne* Gallorum interiit. Mercium, quæ tunc perierunt, pretium ad octo milliones æstimatum fuit, desideratis unà Lusitanis 4000. Plura alia horrenda naufragia & miserabiles indè natos eventus, ac calamitates passim videre licet in itinerariis nauticis, quæ omnia hîc attexere nimis esset operosum. De bellis etiam navalibus, & eorum felicibus, aut infelicibus expeditionibus in mari consuli possunt Historici.

§. VI.

Alia quædam mirabilia Miscellanea de Mari & naufragiis, aliisq; curiosis ad mare pertinentibus.

Fabula de Maris origine.

1. De populis quibusdam insulanis in Oriente memorat *Petrus Martyr ocean. rerum Decad. 1. lib. 9. pag. 105.* eos de maris origine mira fabulari: *Dicunt enim fuisse quondam in insulâ potentem virùm nomine Jajam, qui filium unicum hominem exeuntem intrà cucurbitam sepulchri loco condiderit. Is Jaja paucis exactis mensibus impatiens de morte filii, rediit ad cucurbitam: eam cùm aperuisset, balenæ ingentes & grandia cete prodiêrunt: quarè inclusum in eâ cucurbitâ mare convicinis quibusdàm prædicavit. Eâ permoti famâ quatuor fratres juvenes eodem partu geniti, ast partu matre peremptâ cucurbitam spe habendorum piscium adeunt, manu capiunt. Jaja superveniente, qui crebrò Nati ossa inclusa revisebat, perterriti sunt Juvenes, sacrilegio furtiq; suspicione deprehensi, veluti qui Jajam observabant, ut celeriùs fugerent, cucurbitam è manu solvunt, ea pondere nimio pressa frangitur, per ejus rimas effunditur mare, valles implentur, ea vasta planities, quæ universum illum insularem orbem sicca occupabat, submergitur, montesq; tantùm ob altitudinem ab eâ inundatione evaserunt, qui nunc eas continent insulas, quas licet adspicere.*

2. Siculus quidam, ut refert *Erasmus in Adagiis*, cùm ficus navi portans naufragium fecisset, ac deindè sedens in littore mare denuò placidum & tranquillum videret, veluti invitans ad iterandam navigationem, dixisse fertur: *Novi quid velis: ficus vis.* — Siculi dictum post naufragium.

3. Negotiator quidam, ut *Idem* refert, navem onustam sale vehebat: Nautis dormitantibus influxu aquæ marinæ sentina vehementer adauctâ, & salem universum solvit, ac corrupuit, navemque demersit. Itaque quod ex aquâ marinâ natum fuerat (nam hinc concrescit sal) in eandem denuò liquefactum abiit. Indè natum adagium: *Salis onus undè venerat, illuc abiit.* — Navis demersio à sale liquefacto.

4. De *Simonide* narrant *Valer. Max. lib. 4. c. 7. de somniis. Cicero lib. 1. de divinat.* eum navigaturum per quietem fuisse admonitum, ut corpus inhumatum, quod in littore jaceret, sepulturæ mandaret; illic deindè moras trahentem, cùm reliqui abeuntes naufragium fecissent, solum periculum evasisse. — Simonidis à naufragio præservatio.

5. Cum *Appius* proscriptum se à Triumviris nôsset, opes quas habebat, servis suis distribut, & cum eis navem conscendit, ut in Siciliam trajiceret, Ortâ ingenti tempestate servi eum in lembum dimiserunt monentes illic à tempestate tutiorem fore, & ipsi cum nave & opibus abiêrunt. Verùm servi paulò post cum navi demersi sunt; *Appius* verò in Siciliam ventorum vi salvus & incolumis perlatus est. *Fulgosus lib. 6. cap. 11.* — Salus insperata in mari.

6. Rem miram narrat de Helluonibus *Cælius Rhodiginus lib. 17. cap. 2 ex Athenæo lib. 2. cap. 1.* his verbis: *Author Timæus Tauromitanus est fuisse Agrigenti domum quandam cognomento* τριήρης *ab eventu tali. Adolescentes aliquot (Tauromitani) illuc convenientes convivium hilariùs agitabant. Mox uti assolet, cùm incaluissent vehementiùs, ità decussimente sunt, itaque externati, ut in triremi se opinarentur constitutos mariq; altiùs undabundo hyemem ingruere atrocem. Proindè velut naufragium veriti, tanquam egestis, quæ intùs forent, navigium facturi levius, vasa omnia & quidquid mero fervidis occurrebat in viam, ceu in mare festinantiùs jactare adorti sunt, accurrentibus hinc indè, qui projecta diriperent. Insequenti die, ubi adfuêre magistratus factum arguentes, cùm illi nec dum satis edormissent; respondere, se metu mortis præoptâsse, quæ in navi forent deperdere, quàm à fluctibus devorari. Admirantibus mentis stuporem universis, qui inter eos videbatur natu grandior: Ego, ô Viri Tritones, præ formidine intrà thalamos me conjiciens, in imo jacui. Cumq; ampliùs delirare animadverterentur, dimittuntur ab ignoscente Magistratu, commoniti modò graviùs; Caverent in reliquum invitationem hujusmodi brutalem. At illi velut gratiam fatentes: Si inquiunt servati ex tam procellosis undis portum fuerimus assecuti, inter marinos Deos, vobis ô Tritones, ut servatoribus in paterâ statuas surrigemus.* — Naufragium in sicco.

7. Scribit

Nauta dementatus ollas confringens.

7. Scribit *Nicetas lib. 4. Annal.* Cùm ex editiore palatii Constantinopolitani loco *Michaël Sicidites naviculam vidisset, quâ ollæ & patinæ vehebantur: carmine magico effecit, ut nauta exurgeret, & vasa non priùs ferire desisteret, quàm in pulverem redegisset. At paulò post barbâ prehensâ lamentari, amotâq; caligine se, ut irâ Numinis agitatum deplorare. Rogatus, cur merces suas ità tractâsset; cum dolore narrabat, se remis intentum horribilem serpentem super vasa porrectum oculis inconniventibus in se conversum instar devoraturi vidisse, qui priùs volutari non destiterit, quàm fictilia omnia confracta essent: indè subitò ex oculis evanuisse.*

Incantamentis naves retineri in cursu.

8. Lappones incantamentis sic pollere scribit *Damianus de Goës de Lapp.* ut inter multa alia dictu mira naves in medio cursu retinere valeant; ità ut nulla ventorum vi dimoveri possint. Quod malum tamen scribit solo Virginum excremento proris navium ac transtris illitis, ut ab incolis accepit, curari, quod spiritus mali, à quo præfatus effectus causatur, illud abhorreant. De ventis arte magicâ produci solitis vide *suprà Scrutin. 3. Disquis. 2.*

Cetus navem detinens.

9. Admirationem meretur maximam, quod narrat *P. Joannes Petrus Maffeus Hist. Indic. lib. 7.* verbis sequentibus: *Classis navium novem Duce Georgio Britto, dum ex Lusitania in Indiam petit, rostrata celsior Roderici Vasei Pereiræ, in medio cursu repentè veluti fræno equus adducto, ità substitit magno cum aquæ sonitu ac motu, qualis ubi in vada & syrtes incurritur, edi consuevit. Eo ipso tempore perculsi nautæ, demissâ utrinq; bolide profundum sine dubio mare comperiunt: cum inflatis vento velis hæreret navigium nihilominùs; dispiciendi causa (quod esset nox) admotis ad marginem luminibus implexam alveo ingentem belluam vident. Carinæ centum & quinque dodrantium longitudine applicuerat corpus, caudâ gubernaculum alligârat, alis immanibus latera ad summum usque cingebat: quas jam in alas per imprudentiam nonnulli manus injecerant. Ad spectaculum adeò tetrum, ingenti videlicet horrore nautæ militesque perfusi. Ut verò dolii magnitudine, vasto hiatu novissimè cap. extulit; metu exanimati penè omnes internum profectò monstrum divinitùs immissum credere, ad vivà tot noxiorum corpora glutienda. Pauci, quib' in tanto discrimine mens animusq; constiterat, consultandi gratiâ in unam partem secedunt. Erant, qui contis & jaculis, balistisque depellendum suaderent cetum: alii contrà nihil magis tali tempore vitandum ajebant, ne tantæ molis animal vulneribus irritatum concussu ipso & agitatione violenta navem everteret. In summâ inopiâ consilii cum nihil explicaretur, & major in singula momenta terror instaret; suppliciter ac demissè veniam, pacemque Dei & Cœlestium exposcere, atq; ad vota precesque confugere, placitum est. Neque ea irrita fuêre. Sacerdos cum linteo & stola & signo crucis in medium prodiit. Ab eo sacris carminibus & exorcismis delinita bellua (mirum dictu) nulla cujusquam noxâ relicto navigio, cùm è portentosis narium fistulis ingentem reflâsset aquæ vim, sese admodùm placido lapsu in mare dimisit. Lusitani tanquam ex orco præter spem erepti debitas divinæ clementiæ laudes & grates agebant.*

Navis piscis incumbens.

10. Simile ferè est, quod recenset *Osorius lib. 11. rerum Emman.* ajens: *Rex Emmanuel Jacobum Lupium Siquierum, ut Lupo Suario succederet in Indiam decem navium classe misit Anno 1517. Cùm verò Promontorium Bonæ Spei prætervеheretur, piscis ingentis magnitudinis in navis latus, cui Joannes Limicus præerat, incurrit, navemque in alterum latus impulit, eamque tantâ vi retinuit, ut progredi nequirent vectores, & Nautæ se in saxum impegisse suspicabantur: sed cùm neque compages dissolvi, nec aquam admitti conspicerent, animos à metu refecerunt, & piscis nave dimissus liberum illis mare permisit.* Quod porrò plures, iique graves Authores narrant de Echineide, sive Remorâ, parvo admodùm, ut omnes asserunt, pisciculo, eum scilicet in mari non tantùm naves in cursu posse impedire, sed etiam omninò sistere & retinere, mihi penitùs incredibile & fabulosum videtur. Nulla igitur exempla ejus effectûs ab aliis decantata hîc adducere libet. Vide *Schottum Phys. cur. lib. 10. cap. 14.*

Caranus Delphini nave fract. ad littus deportatus.

11. Figmenta etiam plura de Delphinis circumferuntur, quæ omnia hîc attexere calamus renuit. Unicum tamen Curioso Lectori recenseo, ut sequitur: *Caranus* sic nuncupatus Delphinos à piscatoribus ab *Byzantium* captos pretio redemit & liberos dimisit. Ex quâ liberalitate hanc collegit gratiam, ut nave actuariâ quinquaginta remorum Mylesiis rectoribus plena, in quâ vehebatur, in freto maris eversa, cœteris aquâ extinctis, illum Delphini in hoc periculo servârint, & acceptæ gratiæ parem retulerint, quod & Promontorium, quo eum exposuerunt nomine *Caranum*, ubi & spelunca in loco visitur, facilè ostendit. Deindè verò *Caranum* mortuum juxtà illud mare cognati sepelierunt; quod ut Delphini senserunt frequentes tanquam ad justa funeri persolvenda, ad littus convenerunt, & quoad pyra arsit, tamdiu sicut fidi amici permanserunt, deindè rogo extincto discesserunt. Ità *ex Æliano lib. 8. cap. 3.* Dignior tamen fide & admirabilior historia est de *Luciano* Martyre, qui cùm jussu Imper. *Maximini* in mare projectus esset, appenso magno lapide in dextro ejus brachio submersus nusquam appareret, & corpus ejus nullam assequeretur sepulturam, nec justa eidem fierent, postquam ibi per 14. dies fuisset, quinto decimo die Delphinus eum in Siccum exportavit. Historiam totam fusiùs descriptam vide *in Surio 7. Jun. tom. 1. Baron. 3. Ann. Eccles. Ann. Dom. 326. ex Metaphraste.*

Cetus insula putatur.

12. De Cetis & balænis admiranda planè scribunt Authores: inter hos verò *Olaus Magn. in Hist. Sept. lib. 21. cap. 25.* ad materiam præsentem nostram Mirabilium sciendorum de Mari magis elucidandam hæc scribit: *Habet*, inquit, *Cetus super corium suum superficiem tanquam sabulum, quod est juxtà littus maris: undè plerumque elevato dorso suo super undas à navigantibus nil aliud creditur esse, quàm insula, itaque nautæ ad illum appellunt, & super eum descendunt, inque ipsum palos figunt, naves alligant, focos pro cibis co-*

quen-

quendis accendunt: donec tandem cetus sentiens ignem sese in profundum mergat, atque in ejus dorso manentes, nisi funibus à navi protensis liberare queant, submergantur. Hæc præter alia verè mirabilia *Olaus*. Confirmat hæc *Sigebertus* Monachus Gemblacensis exemplo mirabili ex vitâ S. *Machovii*, prout etiam *Surius tom. 6. de Vitis SS. cap. 7.* refert his verbis: *Cùm enim præfatus Sanctus ipso Paschatis festo mare enavigaret, cuperetq; vehementer missarum solennia celebrare, nec locum ad id idoneum haberet: toto corde conversus ad Deum oravit obnixè, ut locum aptum ad id offerret: cùm ecce exaudibilis Dei omnipotentis auris affluit præstò orationi utilia petentis, & qui olim periclitanti Jonæ cetum ad salvationem ejus præparavit, hic etiam modò balænam præstò adesse fecit; cui tanta corporis vastitas erat, ut rupes esse ab hominibus putaretur. Porrò eam tanta substraverat immobilitas, ut insula stabilis esse crederetur. Sacramento ergò ordine à Sacerdote solemniter celebrato, & viatico Dominicæ Eucharistiæ omnibus devotè distributo, quo unico inter omnes utriusq; hominis adversitates munirentur subsidio; soluto alacriter navis retinaculo reddunt se suscepto navigandi proposito. Porrò in comitatu illo erant homines numero ferè centum octoginta. Cùm ergò jam altum tenerent, velificante fide securi, tunc demùm reducto visu intellexêre, de quanto periculo eos eruerit misericors potentia Domini, qui Balænam pro insula paraverat eis in medio mari, & eam substraverat immobilitate tam stabili, ut nihil eis periculi incuteret.* Alia multa de Cetis mirabilia congessit *Schottus in Phys. cur. lib. 10. cap. 10.* quæ videri possunt. Unicum hoc tantùm his addo ex *Olao lib. sup. cit. cap. 24.* dum ait ex Cetorum sceleto domos integras erigi; subnectit tandem: *Dormientes inter has costas non alia insomnia videre, quam si continuè in fluctibus marinis laborarent, aut in tempestatibus ad naufragium usque periclitarentur.*

Urinatores præstantes. 13. Piscibus quamvis proprium sit natare, & idcircò ad id habeant à naturâ instrumenta congrua; quod tamen hominibus à naturâ denegatum, ars & consuetudo à teneris compensari potest. Undè Græci non tantùm, sed & Romani olim adolescentes suos in arte natandi instruebant. Et idcircò quamvis contrà *Xerxem* pugnantes Græci plures amisissent naves, ad *Salaminam* tamen milites salvos enatâsse memorat *Herodotus lib. 8.* Guinenses, qui ad maris littora habitant, artis natandi peritissimos nunc esse recenset *Happelius in Mund. mirab. part. 2. lib. 3. cap. 5.* adeò, ut non tantùm diutissimè sub aquis manere, sed etiam apertis illic oculis innoxiè omnia pervidere queant. Quocircà Lusitani eorum peritissimos abindè etiam ad piscaturam margaritarum in Indiam Occidentalem abducere solent. Imò infantes ibidem vix secundum ætatis annum suprergressi aquas natatu ferire docentur. *Bembus lib. 6. Hist.* Urinatores ad insulas *Cubagæ*, *Cumanæ* & *Terarequi*, qui gemmas ibi & margaritas è mari expiscantur, tantam cum mari assuetudinem habere scribit, ut semihoræ spatio conchis margaritarum conquirendis sub aquâ se contineant. De *Andrea Mergo* Genuensi *Fulgosus lib. 7. cap. 4. Jacob. Bracell. lib. 1. Belli Hispan.* narrant ei profundum maris petere, & si quid pessum cecidisset, sursùm referre, ludum & jocum fuisse. Omnes tamen Urinatores hactenùs compertos superâsse visus est famosissimus ille sub *Friderico* Rege Siciliæ *Nicolaus* nomine, vulgò tamen *Pescecola* dictus. Hic, ut narrat *Kircherus Mund. subt. lib. 2. cap. 15.* à puero mari assuetus, & natandi peritiâ comprimìs excellens ostreis & corallis similibusque in fundo maris colligendis ferè unicè destinabatur, quibus posteà venditis vitam tolerabat: Tanto autem marino commercio afficiebatur, ut quatuor aut quinq; dies ferè primis temporibus mari immoraretur, crudis piscibus vitam sustentans: ibat & redibat passim in Calabriam natando tabellarii munere functus; dicitur Liparitanas insulas natatu non semel penetrâsse; inventus fuit nonnunquam à Triremibus in medio æstuantis & procellosi maris sinu è regione Calabriæ nautis marinum quoddam monstrum ad primum aspectum eum opinantibus; sed à nonnullis cognitus in triremem receptus fuit: interrogatus quònam tenderet in mari tot procellis agitato? respondit se literas ad nescio quam urbem coriaceæ bursæ & trochleâ affabrè munitæ, ne ab ambiente humore vitiarentur, inclusas portare: tandem post longam confabulationem benè pastus, nautisque valere jussis mari se denuò commisit. Narrant prætereà ex continuo aquarum contubernio dictum Nicolaum ità naturam, temperamentumque mutâsse, ut amphibio, quàm homini similior esset excrescente inter digitos, in formam pedum anseris cartilagine ad natandum necessariâ, pulmoneq; ità diducto, ut ad integrum diem sufficientem ad respirandum aërem contineret. Ità *Kircherus*. Qui deindè subnectit mirabilem historiam; quomodo nempè *Messanæ* ad instantiam Regis Siciliæ tunc ibi commorantis vicinæ charybdis fundum explorârit, & denuò auri sacrâ fame illectus, injecto scilicet marsupio aureis pleno cum annexâ paterâ magni pretii provocatus secundò explorare tentans tandem omninò disparuerit, nec ad lucem redièrit Euriporum impetu forsan intrà montium labyrinthos abductus, aut piscibus, quos timuerat, præda factus.

14. Etiam navium quædam mirabilia Miscellaneis nostris de Mari hìc inserere non erit injucundum. *Plutarchus in Demetrio* refert, quod *Ptolemæus Philopator* Rex Ægypti fabricari curârit navem octoginta cubitos longam, altam autem usque ad summitatem puppis duo de quinquaginta. Fuerit porrò nautis instructa præter remiges, quadringentis: adhæc milites armatos sustinuerit ter mille. De eodem *Ptolemæo* memorat *Athenæus*, eum navem construxisse *Thalamegon* nomine, cujus longitudo fuerit pedum 312, latitudo major quàm cubitorum 30, altitudo 40. in cujus alvo media cœnacula & cubicula exstructa fuêre: in ambitu duplex ambulacrum non minori circuitu quàm quinque jugerum. His adjunctam fuisse scribit maximam domum Naves ingentes Ptolemæi.

domum uno tantùm columnarum ordine circumdatam, quæ lectos 20. capiebat, maximâ ædificii parte è Cedro fissili materiatâ, cupressoque milesiâ: fores per ambitum, ait, ex assamentis cedrinis coägmentatas fuisse, in quib⁹ ornamenta eburnea resplendebant; in earum fronte clavis & annulis ex ære rubro conflatis colorem aureum igne adscitum fuisse: columnarum scapos è cupresso fuisse: epistylium totum aureum: malum denique navis fuisse cubitorum 70, velum verò byssinum purpureis funibus ornatum. Nolo hîc prætermittere, quod refert *Cœlius Rhodiginus* & *Apollonius* de Navi, quam construxerat *Minerva. Hæc navis indè admiratione digna est, quod in eâ lignum fuerit tali artificio formatum, ut haud secus ac si humano spiritu informatum fuisset, voces articularet.*

Hieronis ingens navis.

15. Recenset porrò *Athenæus lib. 5. cap. 8. Archimedem Hieroni* navem monstrosæ magnitudinis ædificâsse, quæ expeditissimè & securissimè tamen moveretur. *Posteaquam in mare deducta est, frumenti sexaginta millia in navim congesta fuerunt, decem millia fictilium plenorum salsamentis siculis, carnium viginti millia talentorum, atque aliorum onerum viginti millia, præter id, quod aderat etiam navigantium commeatus. Hieron, posteaquàm omnes portus cognovit, atq; hos quidem posse navem excipere, in illis autem esse periculum; Ptolemæo in Alexandriam domum misit, quandoquidem magna erat annonæ penuria in Ægypto.*

Navis insignis magnitudinis Caroli Morieu.

16. Construxit *Redoni Carolus Morieu* Diepensis navem, ut describit *P. Georgius Fournier Geogr. orb. not. lib. 6. cap. 22.* cujus longitudo fuit 200. pedum, latitudo 46, altitudo media 32, proræ 75, summi mali 216, cui pharus nocturna alta pedes 12, perimeter 24; ubi trochlea, cujus pondus 1400 libr. Anchoræ pondus libr. 6355: in cujus velis telæ ulnæ 6000: ubi lebes navis crederetur esse quatuor millionum, & peritissimi quique tantam molem nunquam potuissent movere loco: prædictus tamen *Morieu* cum hominibus 40. Diepensibus, qui tres annos in ejus ædificatione posuerant, securis ictu velociùs sagitta emiserunt in mare.

Navis Roterodamensis effectus frustrà promissi.

17. Anno 1653. construxit navim quandam *Roterodami* ingeniosus quidam artifex natione Gallus propriis suis impensis, quâ infrà aquam navigari commodissimè posse confidebat, promittens hos effectus; nempè navi ista suâ uno die centum naves hostiles se posse destruere, cùm interim suæ neque ab igne, neque à tormentis bellicis, neq; à ventis ac tempestatibus, neq; ab ullis sinistris casibus quicquam passura esset, nisi id Deus peculiari modo permitteret. Et licet hostiles naves intrà portum conclusæ ac probè custoditæ forent; spondebat tamen eas à suâ non fore securas, seque nihilominùs sine impedimento cum eâ accessurum. Licet etiam proditione quadam in hostium manus deveniret (aliter enim quàm proditione impossibile judicabat, ut interciperetur) à nemine tamen præterquàm à se solo, & qui à se modum didicisset, eam dirigi posse; ideoq; hosti prorsùs inutilem futuram. Undè meritò *Fulmen maris* eam dici posse asserebat. Tantam propretereà ejus velocitatem futuram dicebat in mari, quanta vix avis ullius in aëre, adeò ut intrà diem unum ex Hollandia in Galliam navigari, indeque in Hollandiam renavigari; intrà sex verò hebdomadas in Orientalem Indiam penetrari posset. Sed ut deindè compertum est: hæc magnificentiùs quàm veriùs Navis auctor promisit nullo secuto effectu: nam ut *Schottus Techn. cur. lib. 6. cap. 7.* testatur; ea nunquam mari commissa fuit, utpotè ab omnibus inutilis ad promissos effectus æstimata. Figuram & pleniorem descriptionem vide apud *Eundem loc. cit.*

Naves Cornelii Drebellii.

18. *Cornelius Drebellius* tamen ingeniosus Belga inter alia multa inventa insignia Naviculam in Angliâ construxisse dicitur, quæ sub aquis natabat. *Harsdorfferus in deliciis Mathem. tom. 1. part. 13. quæst. 8.* duas ejusmodi naviculas diversæ magnitudinis undique clausas è corio pinguefacto in Angliâ fuisse constructas memorat, in earumq; unâ Regem Angliæ in Tamisi fluvio navigâsse: eundem verò Regem earum alteram Magno Moscoviæ Duci dono transmisisse, velut rem raram & anteà invisam.

Naves mirabiles M. Mersenni; Melitensis & Antverpiana.

19. Meminit *Schottus in Techn. Cur. lib. 6. cap. 8.* navis *Marini Mersenni* sub aquis natantis, & alterius Melitensis super aquas quidem in superficie natantis, at sine remis & velis: Item alterius cujusdam Antverpianæ ex *Famiano Strada lib. 6. Decad. 2. de Bello Belgico*, quæ velo infrà aquam depresso, & aquâ, non vento imprægnato in Scaldi fluvio ad pontem navalem *Alexandri Farnesii Antverpiam* obsidentis subruendum rectà provehebatur. Sed prior sine effectu fuit, altera Melitensis successum quidem habuit, sed non sine periculo, quod commoditati prævaluit. Tertia verò navis effectum, *Famiano* teste, ad quem constructa ab artifice fuerat, fortita est.

Bucentaurus Venetorum.

20. Famosissimi nominis apud Venetos navis *Bucentaurus* est, cujus structura, ut à *Justiniano* Veneto describitur, sublimis est, columnellisque frequentibus culta, auroque à prora ad puppim prefulgida. Ducale solium in frontispicio superioris tabulati collocatum est, ac circà ipsum subsellia pro Patrum senatu disposita. In inferiori contabulato Remiges agunt navigium: Summitas verò holoserico purpureove tegitur opertorio funibus alligato, ne ventus abripiat. Ad proram positum est Justitiæ simulacrum auro fulgens, cujus dextra nudum ensem, læva autem æquilibrium tenet: rostrum etiam insigne prominet, ut navigii forma conspectior fit. Dicitur verò à *Bu*, quod magnum aliquid significat, & Centauro, antiquo navium insigni. Hac verò navi quotannis in festo Dominicæ Ascensionis Dux vectus solennem ritum desponsationis cum mari peragere, hac etiam Respublica Veneta Viros Principes ac Reges ad urbem inducere solet. Cujus inductionis morem *Sabellicus lib. 8. cap. 10.* his ferè describit verbis: *Vetus est,* (inquit) *mos civitatis Venetæ in Regum & Principum ad urbem accessu; Bucentaurum purpura & auro insternere. Est hæc navis totius Senatûs, urbanorumq; Magistratuum capax, agiturq; nunc remo, nunc velis, sæpius remulco. Sedet Princeps in puppi auro strata, & ipsi*

ipsi ferè pallio amictus assidet summus ille ordo dextrâ, levâque majestatis & silentii plenus. Aurum, holosericum, & quod minimum est, purpura hunc vestit ordinem. Tubæ, tibiæq; & alia id genus instrumenta circumsonant. Bucentaurum suburbana præcurrunt navigia, quæ Paraschemos patrio sermone vocant: Hæc publico sumptu aulæis & festâ fronde in topiarii operis modum inflexâ ad tempus instruunt, à prora & puppi pulpita altiusculè attolluntur, quorum fastigiis pueri puellæq; eleganti formâ cultuque exquisitissimo, alii alios mentiri genios latenti machinâ subnixi puro apertoq; librantur aëre. Hi aurea systra, illi thyrsos, aliaque Deorum, Dearumque gestantes insignia inferiore gradu adolescentes in Tritonum & Nympharum speciem figurati suo quisque statu, concentu tamen uno subvehuntur. Aurea ad hæc signa toto navigio defixa, ventoq; agitata spectaculum præbent tàm voluptuosum, ut nullum sit propemodùm aliud, quod meritò huic uni comparari possit. Bucentaurum tanta vis cymbarum sequitur officii gratiâ ac spectandi studio, ut interdum quàm longè latèq; toto stagno fert prospectus. Reguntur aquæ frequenti comitatu. Quam rerum pompam si quis vetustarum rerum peritus diligentiùs spectet, haud multùm diversam agnoscet ab eâ, quam veterum Scriptorum quidam in Quiritium triumphis prodiderunt. Hæc ille.

Desponsatio Venetorum Ducis cum Mari. 21. Supereſt, ut ingentis solennitatis Venetorum mentionem his Miscellaneis nostris de Mari breviter quoque attexamus, quâ scilicet quotannis in festo Ascensionis D. à Serenissimæ Reipubl. Duce Mare aureo injecto annulo desponsatur. Ejus originem hanc scribit *Sabellicus lib. 7. Decad. 1.* his verbis: *Venetis tanquam Dominis maris ejus despondendi jus à Papâ Alexandro III. qui tum temporis Friderici I. Imperatoris minas fugiens apud illos exulabat. Namque Sebastiano Ciano Duci contrà Othonem Friderici filium navali prælio victori occurrens primò gratulatus victoriam, indè annulum porrigens aureum: Accipe,* inquit, *Ciane, & me Auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium redde: quod Tu, tuique Successores quotannis stato die servabitis: ut omnis posteritas intelligat, maris possessionem jure belli vestram esse quandoque factam: atque uti uxorem viro, ita illud vestro subjacere imperio.* Et hic mos etiamnùm quotannis solennissimo apparatu, infinitâ penè hominum inspectante multitudine, incredibili universæ civitatis lætitiâ servatur. *Guicciardinus* tamen *lib. 8.* scribit, Adriatici sinûs imperium atque custodiam ab *Alexandro IV. Pont.* Venetis amplissimis privilegiis concessam fuisse, quod armis, virtute, sumptibusque maximis eam navigationem à Saracenis atque prædonibus defendissent, securamque reddidissent. Atque hæc ità retulisse sufficiat. Hujusmodi enim miscellaneorum colligendorum ac producendorum finis non esset, si cuncta in medium adducere vellemus. Igitur his tanquam inter bellaria propositis tractationem istam de rebus oceanicis concludimus.

CAPUT XIII.

De miro Geocosmi accidente, motu scilicet, sive tremore terræ marique infesto, & miserandis indè natis calamitatibus.



Accidens horrore plenum & terrificum Naturæ subsidentis spectaculum, quo nihil in rerum universitate terribilius formidabiliusque, nihil funestius terræ incolis accidere potest; Terræ motus est, sive repentina illius concussio, assultus, & collapsus cum innumerorum malorum proventu: argumentum non tantùm divinorum operum admirandorum maximum, sed etiam comprimis Notabilium & Mirabilium utilissimè sciendorum locupletissimum. Quocircà à Nobis haud segniter hoc loco nunc est discutiendum.

§. I.

Observationes generales de Terræ motibus, eorum origine, locis magis iisdem obnoxiis, variis modis, & differentiis, aliisque Notabilibus circà ipsos sciendis.

Terræmotus quid sit, & undè fiat? 1. Terræ motus à Græcis σεισμὸς dictus audit communiter apud eos, qui *Aristotelis* doctrinam amplectuntur, commotio quædam Terræ facta ab halitu seu spiritu ejusdem visceribus concluso, & foràs egredi contendente: sive est exhalatio ab infimo edita, & in quantum potuit elata, cùm ulteriorem locum, in quem exeat, non habet, retrofertur, atque in se revolvitur; dumque convellere suum claustrum nititur, motum & tumultum ciet: aut meliùs sicuti sentire mihi libet: Terræ motus aliud non est, quàm terræ convulsio, aut vehemens commotio orta ab aëre variorum spirituum miscellâ turgido, aut variæ combustibilis materiæ copiâ instructo, intrà terræ viscera concluso, rarefacto vel accenso; qui sic dùm ampliorem quærit locum, nec invenire potest, agitatur per varios tractus, ac tandem, vi exitum tentans, terram concutit, effringit, tollit, & egressum, ut potest, molitur. Sicut enim aër, qui super terram fluit, variâ miscellâ eorum, quæ in ipsum exhalant, imbutus est; undè miræ deindè tempestates enascuntur: ità subterraneus etiam variâ miscellâ materiæ subterraneæ combustibilis in ipsum exhalatæ, veluti sulphuris, nitri, aluminis, salis armoniaci, bituminis, cœterorumque spirituum mineralium,

ralium, ac metallicorum velut auri, cupri, ferri, Arſenici, Mercurii, quibus intima telluris conceptacula referta ſunt, inſtruitur. Dum igitur particulæ hujus aëris ità inſtructi vel incaleſcunt, & rarefiunt, aut ab igne ſubterraneo, aut quovis modo accenduntur, ampliorem mox locum, quo dilatentur, appetunt, atque illo negato obſtaculo omnia concutiunt eo ferè modo, quo incluſus cuniculis pulvis tormentarius igne accenſus ampliùs quærendo ſpatium terram quatit, effringit, ac impoſitam quamcunque molem disjicere conatur.

Quibus in locis potiſſimùm fiant terræ motus.

2. Cùm ignis ſubterraneus ad terræ motus excitandos validiſſima cenſeatur cauſa: iis igitur in locis pronum eſt judicare terræ motus accidere, ſub quibus pyrophilaciorum potiſſimùm ſæviunt æſtuaria, ſive ea fuerint infra poſita maritimis oris, ſive inſulis remotiſſimis, ſive mediterraneis tractibus, & locis denique omnibus, infrà quæ ſubterranei cuniculi poſiti longè latèque ramatìm extenduntur. Undè nusquam frequentiores ſunt terræmotus; quàm in locis, quæ thermis vel balneis tepent, ut in Campaniâ, ac in Siciliâ, ubi montes ignivomi perpetuò flammarum ſuarum globos ejaculantur. Tradit etiam *Fromondus* Flandricas inſulas, quæ & *Terzeræ* appellantur, ferè quotannis tremere; tuncque vicinum aërem veluti flagrantem apparere, quod ignis ſubterraneus hujus tremoris ſit cauſa.

Loca nitroſa, ſulphurea & oleaginoſa iis magis obnoxia.

3. Illa etiam loca maximè Terræmotibus obnoxia cenſentur, quæ venas nitri, ſulphuris, aut alterius oleagineæ materiæ in ſe concluſas habent, quia in illis aër ſpiritibus illis & exhalationibus fœtus facilè inflammatur, aut ab aliquâ ignis ſcintillâ (ut cum Saxorum vel ſilicum fragmenta ex cavitatum fornicibus in ſubſtratum decidunt ſolum) accenditur. Cùm autem calorem conceperit, rareſit, ac intrà idem ſpatium ſe continere non valens ſurſùm fertur, carceriſque ſui parietes convellit, donec eidem exitus pateſiat.

4. Ubi crebriores & apertiores ſunt meatus ſubterranei, quos ſpiritus accenſus facilè permeare & exitum parare poteſt, non facilè terræ motus contingere valet. Hinc *Delos*, quod cavis rupibus impoſita nunquam tremuiſſe communiter perhibetur: tremuiſſe tamen circà bellum Peloponneſiacum docet *Seneca lib. 6. Nat. quæſt.*

Cavernoſa & poroſa.

5. Loca universìm magis poroſa, cava & fungoſa frequentiùs terræ motus patiuntur, quod maximam habeant ad generandos ejus halitus, qui malum hoc efficere queant, aptitudinem. Id evidens eſt in Italiâ, Phrygiâ, Cariâ, Lydia multiſque aliis locis, quæ plurimùm poroſa & ſubtùs cavernoſa comperiuntur. Si tamen cavernæ externo pateant aëri, ſecuræ ſunt, quod conceptos ſpiritus facilè exhalent.

Maritima.

6. Undè etiam loca maritima pleraque magis, quàm alia à maribus remotiora (veluti Germania & Gallia) cœteris paribus terræmotuum calamitatibus obnoxia ſunt, quod aqua perpetuò meatus & venas excavare, & veluti cuniculos ibidem efficere ſoleat.

Montoſa.

7. Loca montoſa ſæpiùs quatiuntur, quàm plana; ſunt enim in illis ſpecus & cavernæ ampliores & crebriores, quàm in his. Contingit tamen loca plana ob alias peculiares cauſas ſæpiùs quandoque concuti.

Inſulæ.

8. Inſulæ etiam frequentiùs terræmotibus agitantur, ut conſtat de Cypro, Siciliâ, Eubœa, Tyro, Ænariâ, Liparâ, Moluccis, & his, quas *Tertias* vocant. Cauſam aſſignant ſulphuri, quod in iis copioſiùs, & hinc conſimiles exhalationes, ex quibus terræmotus faciliùs gigni queunt, generentur.

Minùs obnoxia Borealia.

9. Loca Borealia, & in Septentrionem vergentia minùs obnoxia terræ concuſſionibus comperiuntur, ut etiam annotavit *Olaus M. lib. 10. Hiſt. Sept. cap. 13.* & *Albertus M. lib. 3. tract. 2. cap. 20.* quod ſolidiorem habeant ex frigore terram, atque idcircò minùs poroſam & cavernoſam. Oſtendit tamen Experientia, loca illa Borealia neutiquam concuſſionis ſubterraneæ immunia eſſe. Nam Anno 1572. ut etiam *Keckermannus* refert in *Contempl. de Terræ motu* Anno 1601. circà ſextum Januarii gravis Terræmotus in Boruſſiâ plurima ædificia publica & privata magno cum damno quaſſavit: & Anno 1200. vehemens terræ quaſſatio paſſim per Poloniam plurima ſubvertit ædificia, referente inter alios *Funccio lib. 7. Chron.* Quin & ipſa Suecia & Dania Terræmotus experta eſt. Sed fortè *Olaus* & *Albertus* extrema planè Borealia loca polo ipſi viciniora putavit, quæ frigidiſſima ſunt.

Loca arenoſa, & ex limo concreta minùs obnoxia.

10. Loca arenoſa & ex limo concreta rarò quatiuntur, & quidem illa idcircò, quod ſpiritus concuſſorii facilè perſpicerent, ibidemque diſſipentur: Hæc verò, quod receptaculis careant, ubi præfati ſpiritus colligantur, ut in Ægypto, quæ tota ex limo, quem *Nilus* alluit, concreviſſe dicitur. *Seneca* tamen jam olim contradixit, & Ægyptum aliquandò concuti ſcripſit *lib. 6. Nat. quæſt. cap. 26.* ut & *Agathias lib. 2. hiſt. fol. 485.* teſtem oculatum ſe ſcribit *Alexandriæ* urbis commotæ. Vide eum *loc. cit.*

Terræ frigidiores & etiam calidiores rarò quatiuntur.

11. Uti frigidiores terræ tractus haud facilè, aut frequenter, ut ſuprà indicatum, concutiuntur, quod ſpiritus ob frigus ibidem torpeant, nec ità provocentur, ut exhalationes concuſſoriæ indè progigni facilè queant. Ità & terræ admodùm calidæ (ut etiam *Plinius* notavit *lib. 2. Hiſt. natur. cap. 80.* & *Albertus M. lib. 3. Meteor. tract. 2. cap. 20.*) rarò quatiuntur, quod terra æſtu nimio laxetur, ut exhalationes facilè perſpirare, aut diſſolvi & evaneſcere queant.

Conſtantinopolis & Baſilea frequenter patiuntur terræmotum.

12. Nulla ſpecialis Europæ pars freqentioribus & gravioribus terræmotibus hactenùs infeſtata ſcitur, quàm *Conſtantinopolis* in Thraciâ, & *Baſilea* Helvetiorum in Germaniâ. Ità teſtatur *Eutropius lib. 11. Conſtantinopolim* Anno Chriſti 364. terræmotu valdè dirutam. *Procopius* teſtis eſt lo-



Quæ sors est miseris lapsu cum terra laborat,
Et subito casu quæ valuere ruunt?



est locuples Anno 554 quadraginta continuis diebus tremuisse. Anno verò 557 *Sigonius lib. 20. Imp. Occid.* horribiles eam concussisse terræ motus scribit. Anno 740 Eadem Urbs duodecim continuis mensibus quassata refertur. Anno 1504 vel ut alii 1514 è terræ motu ibidem dicuntur oppressi homines ultrà 13000. *Busbequius in epistol. Legat. suæ Turcicæ* celeberrimos motus terræ ibidem factos commemorat. Basilea verò quàm sæpè, quamque graviter Terræmotibus quassata sit, *Munsterus*, *Stumpfius* & alii scriptis tradiderunt. *Benedictus Aretius* decem distinctas vices recenset, quibus intrà 800 annorum spatium magno damno & periculo concussa fuit; velut Annis 801. 824. 829. 1021. 1062. 1356. 1357. 1436. 1444. 1533. His addunt & eum insolitum terræ motum, qui Anno 1601 universæ propemodum Europæ incolas ad stuporem & admirationem commovit, quem etiam non leviter sensisse scribit *Keckermannus in contempl. de illo terræ motu.* Ubi & causam *prob. 3.* amplè describit, cur hæc Urbs præ aliis tam crebris infestari soleat concussionibus. Nos verò utrasque Urbes in fundo multùm cavernoso, & profundioribus cuniculis instructo cum æstuariis aut pyrophilaciis subterraneis haud longè remotis, qui multùm exhalationes concussorias provocare & promovere queunt, superstructas esse judicamus.

Quo tempore per annum & diem frequentiùs terræ motus fiant.

13. Omni licet per annum tempore fit observatum terram ab internâ violentiâ fuisse concussam: constat tamen experientiâ, frequentiùs id accidisse tempore Veris & Autumni, quod tunc vaporum & exhalationum uberior copia congeri, & calor moderatior iis aptius attollendis conducere queat. Hoc ipsum docet etiam *Aristoteles lib. 2. de Meteor. cap. 2.* dum ait: *Terræmotus maximè fiunt Vere & Autumno in pluviis & siccitatibus: æstas enim & hyems, hæc propter gelu; illa propter æstum maximè faciunt immobilitatem, & eodem lib. cap. 7.* plures & majores asserit terræ motus noctu contingere: addit deindè: *qui autem interdiu, inquit, meridie oriri solent, quod meridies sit ferè pars diei tranquillissima.* Universaliter verò ratione aëris, ejusque constitutionis docet Idem *Aristoteles lib. 2. de met. cap. 2.* Terræ motus plurimos & maximos fieri tranquillitate, cum tamen non fit irrationabile fieri posse flatu existente. Sed de hoc infrà acturi sumus. Similiter sentit *Albertus M. in 3. Meteor. tract. 2. cap. 9.* ajens. Terræ motus rarissimè fieri in æstate, quia calor vehemens prohibet materiam: Et in hyeme, quia idem facit vehemens frigus, nisi qualitas loci in contrarium aliquid efficiat. Addit etiam ibidem terræ motum tempore potius sicco, quàm humido, sed per accidens fieri etiam tempore humido, quia pori terræ obturantur, & ab humiditate in unum locum coärctantur de seipso, & sic fieri terræ motus.

Terræ motus miraculosus & mixtus.

14. Terræ motus alius alio solet esse insolentior, magis que extraordinarius, ut docet *Keckermannus loc. supra cit.* ità ut quidam purè miraculosus sit; quidam ex miraculo & Naturâ velut mixtus. Ille immediata Dei vi contingit, dum terra nullis causis naturalibus præsentibus concutitur. Talis fuit ille, qui patiente Christo, ut constat *Matt. 27. v. 51.* & qui Eodem rursum ex mortuis gloriosè resurgente contigit, ut constat Matt. 28. v. 2. Item is, qui notatur à Luca Act. 4. v. 31. Plures alios assignat S. Scriptura velut, Act. 16. v. 26. Exodi 19. v. 28. Num. 16. v. 21. Mixtus terræ motus est, qui causam quidem habet naturalem, sed extraordinariè à Deo intenditur & suprà Naturæ mensuram adaugetur, quique rursùs aut certo alicujus districtûs atque provinciæ cujusdam tractu continetur, ità ut insolitam habeat, atque mirabiliter auctam sub terrâ spirituum vehementiam, quâ funesta eaque ingentia damna causantur: aut insolens & admirandus est ratione latitudinis & celeritatis, quâ scilicet magna pars orbis simul eodem penè temporis momento concutitur. Exemplum prioris esse potest Terræmotus ille, qui sub *Tiberio* accidit, quo 14 Asiæ Urbes unâ nocte corruisse dicuntur: & alius sub Herode magno, quo præter multos pagos, vicos, & urbes subversas etiam 30000. Judæorum *Josepho* teste *lib. 1. de bello Jud. cap. 14.* periêrunt. Exemplum posterioris esse potest is, qui sub *Valentiniano* Imp. contigit, quo totus terrarum orbis concussus narratur. Verùm quando causæ naturales etiam insolitorum quorundam eventuum assignari possunt, non statim ad primam causam recursus faciendus est, & ii inter miracula referri debent, licet Deus eorundem præcipuus Author esse queat, quod tamen à nobis sciri nequit. Non enim est dubium, quin Deus subindè horrendos casus primariò per se & extra communem causarum Ordinem producat aut ordinet ad punitionem videlicet impiorum, ad scelerum abominandorum vindictam & ultionem, ad præmonitionem futurorum quorundam malorum communium, aut ad alios fines, qui à nobis penetrari nequeunt. Quia tamen in naturalibus, quantum licet, & valemus causas naturales etiam inquirere debemus, ideò

Amplitudo Terræ motuum.

15. Quod Terræ motûs amplitudinem attinet; ordinariè quidem non concutitur ingens semper terræ spatium, nec una vasta regio simul, cùm nec cavernæ, quibus Spiritus concussorius continetur, adeò amplæ esse, nec tanta exhalationum copia in unum adeò vastum locum colligi, aut vim suam tam latè extendere posse videatur. Quandò tamen Caverna ingens altissimè defossa propior scilicet terræ centro constituta est, sic ut eidem tanquam fornici plures terræ regiones incumbant, cùm Spiritus concussorius ibidem accenditur & exagitatur; etiam plures simùl regiones concuti queunt, vastumque terræ spatium uno penè momento temporis commoveri potest. Sivè etiam id accidat ob nexum unius terræ cum aliâ, sivè quod Spiritus sulphureus accensus per ramosos subterraneos meatus, quaquà versus dispersus fulminis instar discurrat, & in alias cavernas delatus, similes efficiat concitationes, sicque plura terræ loca in ejus superficie constituta uno penè momento convellat. Cum itaque

que in pluribus orbis partibus valdè invicem remotis uno ferè tempore aliquis terræmotus contingit; originem ejus altè latere conjicitur: quandò verò parvo aliquo tantùm districtu; propius ad terræ superficiem subesse causam arguitur: Quando pluribus intermediis locis intactis diversimodè loca dissita commoventur, spiritum concussorium cuniculos non adeò quidem semper profundè defossos, ramosos tamen & hinc indè dispersos percurrere, atque loca ei superposita concutere censetur.

Amplitudo & latitudo maxima.

16. Ad quantum porrò terræ spatium amplitudo maxima, sivè latitudo concussionis terrestris contingere possit, difficulter decerni potest. *Seneca* opinatus fuit terræ motum non extendi posse ultrà 200 milliaria Italica. Reclamat tamen Experientia: nam constat Anno Chr. 369, sub *Valentiniano* Imp. totum penè orbem; & Anno 1601 eodem penè momento Asiam, Germaniam, Hungariam, Italiam & Galliam contremuisse: Exempla plura vide infra. Videtur tamen nullum motum totam ità concussisse terram, quàm eum, qui tempore Dominicæ passionis divinâ virtute accidit. Quod prodidit gravis Author *Didymus*, cujus hac de re testimonium profert *Catena super Job* collecta è viginti quatuor Græciæ Doctoribus; ut enim inquit: *Terræ motus sæpè fiunt in terris; Verùm qui antè vel post Christum extiterunt, partem quandam terræ occupaverunt; Mei autem Christi tempore non privatus fuit aliquis terræ motus, sed tota ipsa terra conquassata & centro convulsa.* Hæc *Didymus ad cap. 9. lib. cit.* Credibile igitur videtur hujus motûs principium in ipso extitisse inferno, dum ad mortem Christi infremuit, ac mirè perturbatus est.

Duratio Terræmotuum.

17. Solent Terræ motus durare pro copia vel inopia & exiguitate spirituum agitantium: major enim exhalatio tardiùs consumitur, quàm exigua; & tenuis citius, quâm crassa: Item pro majori, minorivè repugnantiâ, quâ terra eorum conatibus resistit. Prout etiam absumitur exhalatio concutiens, & citius vel tardius alia succedit, quæ similiter agitatur, concussio crebriùs & frequentiùs etiam seriùs aut citiùs reciprocatur, ac renascitur. Ità aliquandò momento contingit velut Anno 1601, cùm totam penè Europam in longum, & Anno 1690 die 4. Decembr. totam penè Germaniam pervasit. Aliquandò per aliquot dies ptotrahitur, velut cùm Anno 1538 in Italia diebus quindecim duravit, & Anno 1591 per dies 14 *Viennam* in Austria vexavit. Aliquandò per integrum annum & suprà, velut Anno 571. Plura alia Exempla diversarum durationum damus infra.

Terræmotuum causa cœlestis.

18. Vetus est doctrina, ut inquit *Keckermannus loc. jam supra cit.* quam item ratio, ipsaque adeò, ut vult experientia stabilivit in causandis terræ motibus præcipuam esse vim trium superiorum planetarum Saturni, Jovis & Martis. *Primus enim suo lumine vapores frigidos cumulat, tertius calefacit, secundus ita temperat, ut ne calor vincere, nec vinci possit, undè necessariò flatuosi halitus generantur.* Et paulò ante hæc tradit. *Regula est Astronomica, quam experientia confirmavit: scientiam terræmotus esse ex Saturno, planetæ nimirum frigidi, siccique effectus: at frigida & sicca est prima halituum materia, quæ initio collecta accedentibus aliis causis incalescit & rarescit.* Quòd planetæ superiores aliquid circà aëris externi affectionem & alterationem possint efficere, non videtur negandum, adeoque ab his mediatè disponi posse tellurem ad concussionem, uti in certo tempore annuo & diurno aptitudinem quandam permittimus: Quod verò trium superiorum planetarum, ac comprimis Saturni influxus præcipua terræmotûs causa dici possit, nondum planè assecutus sum. Uti nec ideò Eclipsibus immediata & primaria quædam vis ad terram concutiendam addicenda videtur, quod experientiâ teste plures acciderint, quas deindè terræmotus subsecuti fuerunt: perinde enim & æquè in ea tempora terræmotus incidisse, dici potest, quæ vel Eclipses aliquandò præcesserunt, aut subsecutæ sunt. Si tamen vis aliqua permittenda sit, illa mediata queit esse, quâ aer tellurem ambiens ab iisdem afficitur, & per consensum ille, qui terræ visceribus concluditur: quod videtur etiam sentire *Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 8.* dum ait: *Circa Eclipses contingit terræ motus, quia deficiente lumine deficit calidum, quod est à Sole vel Luna per aërem*: dum igitur hic alteratur, etiam subterraneus aliter efficitur, ut deindè concussiones aliis accidentibus causis pronius consequi possint.

Subinde ex ventis terræmotuum causa.

19. Ventorum quoquè vis multùm potest ad causandas terræ motiones, dum vel spiracula terræ occludit, quibus occlusis vis concussoria magis concentratur & constipatur, auctiorque exhalatio congeritur, quæ tandem ubi incenditur & egressum molitur, fremitu violento terram attollit & commovet. Australes etiam ventos ad hunc effectum accommodatiores esse volunt. Undè & *Aristoteles 2. Metaph. 8. Austrum materiæ terram moturæ tum excitandæ, tum fovendæ idoneum* esse scribit. Vel ipsa ventorum vis in intimis terræ penetralibus concepta, & conclusa dum rarescens ampliorem locum occupare nititur, atque exitum alicubi perquirens, eundem reperire nequit, terram concutere, ejusque motum causare potest. Hujus etiam concussionis modum benè descripsit *Ovidius* his versibus.

Vis fera Ventorum cœcis inclusa cavernis
Exspirare aliquò cupiens, luctataque frustrà
Liberiore frui cœlo, cum carcere rima
Nulla foret toto, nec pervia flatibus esset;
Extensam tremefecit humum, ceu spiritus oris
Tendere vesicam solet.

Canfirmatur hoc ipsum *Aristotelis* sententiâ, dùm *in lib. de Mundo cap. 4.* sic scribit: *Non rarò accidit, ut ventus exterior in terræ cava irrumpens, deindè exitu omni exclusus intus sese versando ingenti vi terram quatiat.*

Potest

Poteſt igitur & ventus extraneus intra cava terræ receptus etiam terræ concuſſionum cauſa eſſe, præſertim ſi craſſior is atq; humidior in terræ ſpeluncas, velut turbine intruſus cum halitibus miſceatur ſubterraneis, atque ità cum iis conjunctus terram concutiat, quod fortè ſeparatim pro ſe facere non poſſet.

Species & differentiæ Terræmotuum. 20. Differentiæ ſivè ſpecies Terræmotûs variæ ab Authoribus aſſignatur. *Cardanus lib. 2. de ſubtil.* tres enarrat nempè *Inclinationem*, *ſucceſſionem* & *vibrationem*: hanc dicit periculo vacare ſucceſſionem nunquàm, ſed rarò etiam ruinâ vacare; Inclinationem verò ruinæ comitem eſſe. Et *lib. 1. de Variet. cap. 5.* differentias quatuor ab effectu ſic deſignat. Alius nempè dicitur *Chasmaticus*, cum perfoditur terra, atque dehiscit, ſucceditque lacus aut ſpecus. *Brasmaticus* alius vocatur, cum terra extollitur, ſicque fiunt montes & inſulæ in mari. *Clitimachus* alius dicitur evertens ædificia, in hoc genere maximus: Et alius denique *Micematicus*, cum quo, dum contingit, ſonus maximus exauditur. *Georg. Agricola lib. 2. de ortu ſubterraneorum* etiam quatuor ſpecies facit; *Tremorem* ſcilicet, cum terra vibratur ad latera; *Concuſſionem*, cum in ſublime & devexum movetur terra; *Arietationem*, cum Undarum & fluctuum inſtar volutatur. Verum *Idem Author lib. 4. de naturâ eorum, quæ effluunt ex terra*, accuratiùs Terræ motûs duas refert ſpecies, atquè ità dividit eundem imprimìs *Simplicem* & *Compoſitum*: deindè rurſùs utrumque ſubdividit in alias ſuas ſpecies. *Ariſtoteles* verò *2. Met. 7.* omnes differentias Terræmotûs ad duo ſumma genera reducit, nimirùm *Tremorem* & *Pulſum*. Ille eſt motus Terræ ſecundùm latitudinem ad latus dextrum & ſiniſtrum; eſtque velut vibratio & palpitatio quædam terræ. Et quidem hæc ſpecies frequentior altera nempè Pulſu: qui eſt motus terræ ſecundùm longitudinem, cùm vel deorſum aut ſurſùm agitatur; eſtque quædã veluti arietatio, cùm videlicet ſpiritus vel magna vi in ſuperna erumpens magnas moles inſtar montium egerit, vel ipſos montes transfert aut rumpit; vel denique profundo hiatu terras haurit, ùt *Plinius* loquitur. Tandem communiter aliqui has Terræmotuum adducunt differentias: *Epichates*, inquiunt, corpus terræ tantùm inclinat; *Braſtes* inflat & inflatum corpus ad modum colliculi, cùm nempè ſe inſtar fornicis ſuſtenſtant, relinquit; *Chasmaticus*, cùm ruptâ tellure patet hiatus partibus â ſe invicem diductis; *Blasmatius* vibrat; *Micetius* denique ſub terrâ mugit, quandò ſcilicet cum fremitu ſolet, ut Poëta canit

Sub pedibus mugire ſolum, & juga celſa moveri.

Terræ motus ſunt flagellum Dei. 21. Si tandem ritè perpendere velimus, videntur Terræmotus eſſe divinâ ſic ordinante providentiâ communis plurium pœna in vindictam peccatorum irrogata, Flagellum maximum, quo Deus ſeveriſſimus vindex homines ſibi perduelles & mandatorum ſuorum contemptores unicè caſtigare ſolet. Undè etiam Scriptura Sacra de Terræmotibus loquitur tanquàm teſtibus iræ divinæ: velut *lib. 2. Reg. cap. 22. v. 8.* legitur. *Commota eſt, & contremuit terra, fundamenta montium concuſſa ſunt, & conquaſſata, quoniam iratus eſt eis. & Job. 9. v. 5. & 6. qui tranſtulit montes, & neſciêrunt hi, quos ſubvertit in furore ſuo: qui commovet terram de loco ſuo, & columnæ ejus concutiuntur.* Nequè ulla videtur eſſe gravior calamitas & pœna Generi humano magis infeſta, quam Terræmotus, utpotè quem non tantum ingentia comitari mala, ſed etiam fatales pœnæ ferè omnes, ut ſunt diluvia & inundationes, quandoque incendia & ambuſtiones, ſterilitates, & indè nata fames, ac tandem communis mortalitas atque peſtis è veſtigio conſequi ſoleant.

Optimè proinde ſapiens Cordubenſis *L. Ann. Seneca lib. 6. quæſt. nat. cap. 1.* ex terræmotuum & inde enascentium publicarum calamitatum contemplatione philoſophatur, dum ait: *Quid cuiquam ſatis tutum videri poteſt, ſi Mundus ipſe concutitur, & partes ejus ſolidiſſimæ labant? Si quod unum immobile eſt, fixumque, in illo, ut cuncta in ſe intenta ſuſtineat, fluctuat? Quàm latebram proſpicimus, quod auxilium ſi Orbis ipſe ruinas agitet? Si hoc, quod nos tuetur & ſuſtinet, ſupra quod Urbes ſitæ ſunt, quod fundamentum quidam Orbis eſſe dixerunt, diſcedit ac titubat? Quid ibi eſſe non dico, auxilii, ſed ſolatii poteſt, ubi timor fugam perdidit? Quid eſt cuiquam ſatis munitum? Quid ad tutelam alterius ac ſui firmum? Hoſtem muro repellimus præruptæ altitudinis caſtella, vel magnos exercitus difficultate aditûs morabuntur: â tempeſtate nos vindicant portus: nimborum vim effuſam & ſine fine cadentes aquas tecta propellunt: fugientes non ſequitur incendium: adverſus tonitrua & minas Cœli ſubterraneæ domus & defoſſi in altum ſpecus remedia ſunt. Ignis ille cœleſtis non transverberat terram, ſed exiguo ejus objectu retunditur; in peſtilentia mutare ſedes licet: nullum ſine effugio eſt: nunquam fulmina populos percuſſerunt: peſtilens Cœlum Urbes non abſtulit, ſed exhauſit. Hoc malum latisſimè patens, inevitabile, avidum, publicè noxium eſt.* ità *Seneca.*

§. II.

Terræmotuum quædam ſigna ſeu præſagia indicantur.

1. Uti ſumma tranquillitas in mari futuræ ingentis tempeſtatis præſagium eſſe ſolet, quod in ſuperioribus aëris tractibus vis omnis ventorum collecta tunc exiſtat; uti jam ſuprà de Ventis indicavimus: ità etiam cum aêr præter morem quietus & valdè tranquillus in regione terræ concuſſioni obnoxiâ, inſuetumque ventorum ſilentium per aliquod tempus obſervatur, terræ motûs ſignum jam â Priſcis temporibus habitum eſt, tunc enim copioſi halitus, qui ſunt materia ventorum cavernis terræ con- Tranquillitas & ſerenitas aëris.

concluduntur, & intus coërcentur, & tandem cum majori violentiâ & impetu erumpentes terram concutiunt. Idipsum quoque docuit *Aristoteles* ajens. *Fieri tranquillitate ad auroram præsertim plurimos & maximos terræ motus.* Unde etiam *Antonius Mizaldus de Signis terræmotus* inter alia sic ait. *Nunquàm intremiscunt terræ nisi sopito mari, cœloque adeò tranquillo, ut volatus avium pendeant subtracto omni spiritu, qui vehit; nec unquàm nisi post ventos in venas terræ & cavernas occulto afflatu conditos.* Sic narrat *Seneca lib. 5. nat. quæst.* ante eum Terræ motum, qui *Neronis* tempore in *Campaniâ* accidit, multis diebus serenitatem fuisse. Testatur etiam *Kircherus in præfat. Mund. subt. cap. 2.* horrendos illos terræmotus Anno 1638 in *Calabriâ* Cœlo silente & sereno accidisse.

Maris tumor, & insuetus fervor. 2. Terræmotûs futuri signum perhibetur, si mare sine flatu repentè ferveat & intumescat & in bullientis aquæ morem agitetur. Nam Tumor hic & effervescentia ex magna spiritûs copiâ confertim egredi tentante & particulatim per venulas exeunte provenit. Explicat hujusmodi fervorem, & ebullitionem maris benè *Kircherus* oculatus testis *loc. cit.* his verbis: *qui tempore pluviæ lacum unquàm vidit innumeris bullulis ferventem, is de maris fervore, cùm terræ nempè motus imminet, judicium formare poterit.*

Aqua puteorum turbida cum fœtore. 3. Compertum est, fluminum, puteorum & fontium aquas antè terræ concussionem absquè manifestâ causâ turbidas reddi, & salsugine fœtorevè aut alio ingrato, miniméque naturali sapore infici. Oritur enim hæc turbatio, fœtorque ex multo spiritu è cavernis copiosè erumpente, & terram sulphuri aliisque metallicis corpusculis admixtam eructante. Undè benè *Cardanus* etiam *de subt. lib. 2.* ait. *Cùm aquæ puteorum sulphur, metallicumvè aliud quid redolent, aut titubant, aut turbantur, aut incalescunt, aut siccantur præter rationem, terræmotus imminere prænuntiat. Sic feruntur Anaximander ac Pherecydes motum terræ imminentem suis quisque temporibus prædixisse: nec absque ratione, nam halitus terræ facilius longè, atque ideo etiam celerius aquas inficere possunt, quàm tam immensum pondus concutere.*

Aquarum ebullitio & fervor. 4. Aliud denuò signum in aquâ volunt esse, si in puteis repentè effervescat, ebulliat, & ascendat, quod convenit cum maris fervore suprà jam memorato. Spiritus enim copiosè è terra erumpentes etiam putealem aquam terræ superpositam attollere, & in sublime efferre solent. Hoc accidisse notatum est antè terribilem illum Terræmotum, qui Anno 1570 *Ferrariam* concussit. Quo etiam tempore Eridanus turbidus bullis in aerem exilientibus fluxisse perhibetur.

Frigus insuetum in tempore calido. 5. Si mediâ æstate vel tempore, quo calor prius dominabatur insuetum ingruat frigus, terræ concussionis futuræ præbere solet argumentum: Siquidem tunc exhalationes à calore præcedente resolutæ constrictâ terra à frigore exteriùs ambiente coërcentur, undè porrò invicem copiosiùs aggestæ, dum effervescunt, terram validè concutere solent. Sic Anno 1197 post maximos calores, ut refert *Tylkowski part. 3. Phys. cur. de Meteor.* in Gallia secuta gravissima frigora, quibus plurima hominum millia periêrunt; Successerunt tandem terræ motus.

Avium & quadrupedum migratio. 6. Aves cum quadrupedibus plerisque loca succussationi Terræ peropportuna reliquisse, ut novas sedes, quò se ab invicem ingruente injuriâ vindicarent, quæsivisse, tam observationibus probatum, quàm Priscorum libris testatum scribit *Mizaldus de sign. Terræmotus.*

Nubes ignea in aëre. 7. Ex aëre quoque præsagium terræ concussionis haberi dicunt; cum nempè ignea nubes columnæ speciem in eodem præseferens in conspectum procedit. Talem aliquandò *Calisthenem* vidisse, & indè Terræmotum prædixisse volunt. Anno quoque Christi 372 post columnam igneam in aëre visam, & Anno 1009 similiter post ignem ibidem spectum secutos terræmotus annotavit *Tylkowski loc. supracit.*

Nubecula in modum lineæ dispersa. 8. Evidentiùs tamen terræ motus Signum in aëre ex *Aristotele libro 2. Meteor. cap. 7. & Plinio lib. 2. cap. 81.* plerique statuunt; Si interdiu vel paulò post occasum Solis nubecula in modum lineæ gracilis oblonga & alba occasum versùs spectetur. Nubeculam enim hujusmodi indicare dicunt, nec minimam spirare auram, proindéque tranquilla esse cuncta, omni scilicet halitu, flatuque intrà terram cohibito. Talem nubeculam â Bononiensibus antè terræmotum, qui factus est *Bononiæ* Anno 1505 pridie Cal. Jan. testatur *Phil. Beroldus.*

Sol obscurior caligine obductus. 9. Solet etiam instante Terræmotu, ut quoque *Aristoteles* annotavit *lib. 2. Meteor. cap. 2.* Solis & Lunæ fulgor hebetari & absque nube obfuscatus, imò quandoque etiam sanguinolento vultu è Cœlo aliàs sereno comparere, quod spiritibus concussoriis paulatim in aërem exhalantibus & caligine quadam eundem inficientibus haud dubiè adscribendum videtur.

Sonitus subterranei. 10. Audiuntur & in iis locis, ubi terræmotus potissimùm contingunt, antequàm concussio ipsa contingat, frequenter ingentes sub terrâ sonitus, fragores & mugitus terribiles, quod sanè certum indicium est spirituum & Ventorum terræ specubus agitatorum & veluti reciprocatione ibidem luctantium, antequam vi terram concutiant, & fracto carcere foras prorumpant. Id etiam *Plinius* annotavit, dum *lib. 2. cap. 80.* scribit: *præcedit, comitaturque* (terræmotum) *terribilis sonus, aliàs murmur simile mugitibus aut clamori humano, armorumque sonantium fragori pro qualitate Materiæ excipientis*

excipientis, formæque vel cavernarum, vel cuniculi, per quem meat.

Montes Vulcanii ignium eructatione ferociores. 11. Denique solent & Vulcanii, sive ignivomi montes instantium terræmotuum temporibus igneos flammarum globos accumulare, horumque magis horrendâ ejaculatione terricolas præmonere. Imò ipsa tellus ex ipsis aquarum conceptaculis parvis quibusdam in fundo rupturis factis fœturam suam exonerare conatur. Ità *Georg. Agricola lib. 4. de iis, quæ effluunt ex terris* tradit, ante Terræ motum flammam etiam ex fonte, cui *Elisæi* cognomen, erupisse. Sed hæc signa, quæ probatiora videntur, ità enarâsse sufficiat.

§. III.

Mirabiles Terræmotuum effectus.

Horrendi planè sunt effectus admirationem non tantùm, sed stuporem maximum attonitis quorumvis hominum animis ingerentes, qui ex terræmotibus pronasci solent. Plures enarrat *Aristoteles lib. 2. Meteor. cap. 8. Plinius lib. 2. Histor. natur. cap. 80. Seneca lib. 6. quæst. natur. cap. 29. Albertus Mag. tract. de Terræmot. c. potissimum 17. & 18.* quorum nonnullos hìc etiam Curioso Lectori in medium proferre libet.

Emotæ molis commutatio in contrarias partes. 1. Imprimis horrendus planè terræ concussionis effectus hic est, quod subindè spiritus in verticem motus egestam Terræ molem non tantùm attollat, & ingenti cum succussione denuò subsidere permittat, verùm etiam in gyrum agendo loca terræ versùs alias mundi plagas commutet. Hoc autem contingit, cum terram solidam subterraneus aliquis turbo in contrarias partes vertit & contorquet. Atque hoc contigisse supremo *Neronis* Anno testatur *Plinius lib. 2. cap. 83.* pratis scilicet oleisque intercedente viâ publicâ in contrarias sedes transgressis in agro *Matrucino.*

Montium in aliam remotam sedem translatio. 2. Uti spiritus nitro-sulphureus incensus è mortario maximos globos, aut ex cuniculis subterraneis ingentem terræ molem elevare & aliò jactare potest, ità etiam succussorius subterraneus spiritus ipsos quandoque montes attollere & aliò cum maximo hominum stupore trajicere valet. Sic constat ex *Nierenbergio lib. 16. Histor. natur. cap. 8.* in novo Regno Granatensi factum; ubi ingens terræ concussio evulsit montem, eumque quasi lapillum per aërem jactavit in aliam sedem à primâ satis remotam. Vide sup. *Scrutin. 4. & Disquisit. 1. hujus cap. 3. §. 5.* Sic & Anno Christi 1116. villam quandam terræ motu excussam, ad alium longè dissitum locum transvolasse narrat *Bonvisius lib. 6. cap. 15.*

Montium arietatio & concursus. 3. In tremore terræ aliquandò juga montium videntur concurrere, mox iterum discedere & quasi arietare; quod exhalatio fremens unam terræ partem attollat, quæ suo pondere relapsa mox vibratur. Quod aliquandò quidem sine noxâ fieri potest, cum scilicet alter motus alteri repugnat, sæpè verò etiam contingit cum noxâ, dùm montes, in quorum medio loca cava posita sunt, sese alterno pulsu ità quatiunt, ut quidquid in eis continetur, elidant. Ità contigisse in agro *Muticensi*, memorat *Plinius loc. supra cit.* Ubi duo montes inter se concurrerunt maximo strepitu assultantes, & denuò recesserunt: Villæ autem omnes intermediæ attritæ sunt, & non pauca animalia interclusa periêrunt.

Ædificiorum inclinatio. 4. Cum latera cavernæ, quæ spiritum concussorium captivum retinent, alternatim & celeriter vibrantur, tremor est, qui inclinata citò restituit: Ubi terra non hinc indè libratur, ut suis locis celeriter reddatur. Inclinatio verò omnis est ædificiis perniciosa; nam parietes & tecta extrà fundamenti perpendiculum suspensa collabuntur. Sic quinto anno *Tiberii* Principis multæ urbes Asiæ corruerunt, ut refert *Eusebius in Chronico.*

Absorptio locorum & hominum nullo relicto vestigio. 5. Succussa aliquandò terra latissimo hiatu sese aperiens sorbet faucibus suis homines, Urbes, pagos, villas, atque integrum persæpè Terræ tractum; Claudit verò deindè rursùs hiatum, nullo eorum, quæ ibidem constiterant, relicto vestigio, cum nempè subterranearum cavernarum capacitas haustæ moli ità respondet, ut ibidem penitus concludatur. Sic *Num. cap. 16. Chore, Dathan, & Abiron*, quod populum DEI contrà *Moysen* & *Aaron* concitâssent, disrupta terra cum tabernaculis & universis opibus absorpti sunt. Sic plura quandoque oppida ab Historicis à terris absorpta & dilatato quasi ore devorata memorantur, velut unum in insula Ænariâ, alterum in Eubæa, aliud in Thracia, rursus aliud in Phœniciâ ultrà Sidonem atque alibi plura.

Terræ oppilatio cum montium novorum genesi. 6. Assurgit nonnunquam terra in ingentem molem in valido spiritu ad perfringendum, idque tàm in continenti, ubi novos excitat montes, utì juxtà Arvernum lacum Mons *Modernus* dictus, exortus esse perhibetur, quam etiam sub mari. Undè persæpè novæ nascuntur insulæ.

Novarum insularum exortus. 7. Aliquandò terræ convulsio absorptâ continentis parte reliquam permittens mari novas facit insulas, quæ continenti priùs adhæserunt. Ità *Plinius lib. 3. cap. 88.* traditâ terræmotibus aliò provolutis montibus insulam extitisse *Prochytam. Namque & hoc modò*, inquit, *insulas rerum Natura facit. Avellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam Bœotiæ, Atlantem & Macrin, Bresbycum Bithyniæ, Leucosiam Sirenum promontorio.*

Undarum marinarum absorptio. 8. Compertum etiam fuit decidentem sub mari terram subitâ voragine undas absorbuisse relictis in sicco piscibus & navibus. Accidisse hoc scribunt Antiqui Historici *Marco Antonio & P. Dolabella Coss.* cùm reciprocus maris fluxus Hostiæ gregem

gem piscium in sicco reliquit; & in eo terræmotu, qui sub *Theodosio* fuit, multisque cladibus orbem afflixit, navigia per mare tranantia in arido consistere visa sunt.

Maris retrocessus.

9. Aliquandò Mare terræ motûs tempore à littore præter consuetam naturæ suę legem retrocedere visum est, ac denuò tandem majoribus fluctibus & aquarum impetu ferociori rediens ingentium malorum extitit causa. Sic Anno Christi 365. Calend. Augusti mare dispulsum revolutis fluctibus retrò abiit, ità ut pelagi profunditate retectâ pisces humo hęrentes cernerentur, valliumque & montium vastitates radiis Solis, quos natura negârat, illustrarentur. Multis autem navibus per undarum reliquias ad capiendos pisces ultrò citroque vagantibus, ex improviso antiquas sedes undę marinę repetiverunt. Quo facto insulis & porrecti continentis spatiis violenter illise innumera ubique ędificia proruerunt, & multa hominum millia absumpserunt, atque ingentia navigia partim in culmina tectorum, partim longè à littore propulerunt. Quam rem etiam recenset *Hieronymus in vita Hilar. Sigonius lib. 7. Imp. Occident.* Similiter *Alexandriæ* mare subindè discedens & recurrens in terrę concussione recursu suo consuetos terminos transiliisse & prolixo spatio aridam inundâsse, ità ut in fastigiis tectorum post undarum delapsum scaphę marinę sint inventę narrat *Marcellinus* & alii.

Maris intumescentia.

10. Erumpente interdùm spiritu vehementi ex imo maris fundo observatum fuit illud non tantum effervescere & ebullire, sed admiram quoque altitudinem instar bullientis aquæ intumescere & elevari. Sic in eo tractu, qui est inter *Euonymum* & *Hieram*, insulas Vulcanias non longè à *Ptolemaide* marini fluctus adeò aliquandò evecti comparuerunt, ut excelsi montis speciem exhibuerint, qui deindè in continentem profusi *Tryphonis* exercitum inopinata eluvione oppresserunt.

Montium & Terrarum absorptio cum successione lacûs.

11. Solidissima quædam Terræ loca ac præcelsi quidam montes ab interioris spiritûs succussorii tyrannide ità subitâ succussione dehiscunt & à terrâ deglutiuntur, ut nullum non tantùm vestigium, sed ingentem sæpè lacum post se relinquant. Ità refert *Plinius* suo tempore *Cybotum* altissimum montem unà cum oppido *Eurite* ità à terrâ devoratum, ut nulla ejus amplius vestigia dignoscerentur. Ejusdem fortunæ sortem obtigisse scribit *Sypilo* in Magnesia monti, quam præcesserat formidabilis *Tantalis* Urbis terræ hiatu absorptæ interitus. Non absimilem sortem expertæ fuerunt *Galanis* & *Ganatus* in Phæniciâ quondam celeberrimæ Urbes; *Phlegium* Æthiopiæ jugum excelsissimum unius noctis concussione violentâ non ampliùs comparuit. Mons in Moluccis insulis famosissimus Picus tantæ altitudinis, ut instar columnæ Nautis multorum dierum itinere in remotissimis maris tractibus appareret; hic nunc, ut refert *Kircherus in Mund. Sub. lib. 2. cap. 12.* terræmotûs violentia prostratus nullo ampliùs vestigio sed lacus in ejus loca exortus basi peripheriæ montis æqualis spectatur. Idem contigisse memorat ibidem in Sinarum Regno Anno 1556. quo integra montosa Sinarum Regio cum universis populis & Urbibus absorpta suo loco lacum ingentem reliquit: Ità quod *Seneca* de Tempore, nos veriùs de Terræmotu canere possumus.

Omnia sede movet, nec finit esse diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora siccat,
Subsidunt montes & juga celsa ruunt.

Fluminum in contrarias vias abductio.

12. Terræmotus non tantùm communes fluminum alveos sistere, sed & in partes alias insueto tramite aliquandò abducere comperti sunt; ut accidisse bello Punico secundo concussa terræmotibus *Liguriâ* & finitimis regionibus memorant Historiæ. In Lusitaniâ quoque sub *Emmanuele* Rege cum *Olisipo*, *Scalabis*, *Almerinum* & alia quædam oppida horribili terræmotu quaterentur, *Tagus* diffugientibus in utramque ripam undis sicca in medio vada ostendit, omnibus, qui spectabant, horrore & stupore perculsis.

Fontium & fluminum deficcatio, ac novorum eruptio.

13. Accidit nonnunquam cum terræ motibus fluminum, lacuum & fontium desiccatio, & novorum etiam quandoque emersio & eruptio, quod lapsu terræ vel meatus obstruantur & obturentur, vel novi reserentur, & aperiantur. Ità Terræmotus *Ladonem* Arcadiæ flumen emisisse perhibetur: Et bello Mithridatico propè *Apameam* Phrygiæ Urbem quassatum solum paludes novosque fontes, veterum nonnullis terræmotu reclusis & obturatis egessisse memoratur.

Commutatio venarum aquas fundentium.

14. Inter admirandos terræmotuum effectus neque hic prætereundus est; venas aquarum è terrâ profluentium aliquandò commutari, ut undè priùs frigidæ profluebant undæ, illic deindè post terræ validam concussionem aquæ calidæ, aut tepidæ promanere cœperint; aut è contrà. Causa alia esse non potest, quod perturbatis venis corrivent calidæ ad frigidas, & frigidæ ad calidas; Vel certè, quod mutatis itineribus calidæ per loca frigida; frigidæ verò per calida & sulphurea decurrere compellantur. Ità *Kirchero* referente in *Mund. Subt. lib. 5. sect. 2. cap. 6.* districtus ille circà Pyrenæos montes cum thermis compluribus fuisset refertissimus, in earum quibusdam post montis ruinam à terræmotu aquæ priùs ferventissimæ tantum frigus contraxisse perhibentur, ut nemo deinceps amplius illis uti potuerit. Causam verò subnectens *Kircherus* ait: *Canalem pyrogogum montis casu vel obstructum alium aperuisse canalem, qui frigidas duceret; vel si hoc non, aquas calore omni per pyrogogum administrato destitutas tandem in nativum frigus transiisse.*

15. Horrendum omnibus spectaculum est cum

Flammarum & ignium è terra eruptio.

cùm cinerum, lapidum, flammarum, igneorumque globorum eruptio cum terræ fremitu commiscetur, adeò ut vel ex ipsis aquis ignei quandoque prodeant rivi cum fœtore sulphureo, fumis, ac nebulis densissimis. Ità septimo *Justini* Thracis Imper. anno, sicut refert *Cedrenus in ejus vitâ*, Terræ motus ac incendium *Antiochiam* corripuerunt. Id media exortum urbe duravit sex dies, multasque domos & homines absumpsit, neque scire quisquam potuit, undè ejus fuisset initium. Quosdam obrutos terrâ & adhuc viventes ignis è terrâ exiens cremavit. Alius ignis ex aëre instar scintillarum decidit, & quos attigisset, fulminis in morem combussit. Ità quoque A. 1601, quo Insula *Georgii*, una ex insulis, quas *Tertias* vocant, horribili terræ motu quassata hiatibus patefactis tantam flammarum vim, tantam saxorum copiam in altum ejecisse dicitur, ut plurima ædificia incensa, incolæ exusti, vineæ & horti miserabiliter vastati narrentur. Anno 1631. Terræ motus, qui Vesuvianum præcessit incendium, horrendam planè exhibuit catastrophen, cum præter igneos torrentes, novorumque fontium, bituminisque scaturigines totum circumquaque aërem fumo, cinereâ pluviâ, ingentium saxorum eructatione *Kircbero* asserente *in Mund. Subt.* replevit. *Et Strabone teste lib. 1. Juxtà Modonem ignea aliquandò erupit à continenti exhalatio: Intumuerat enim,* ut inquit, *tellus ad septem stadia in altum tanto insuper comite fervore, ut mare proximum ad quinque stadia ferveret, turbaretur autem ad viginti. Tanta fuit lapidum ejectorum congeries, ut turres æquaret.* Hæc *Strabo.* Teste tandem & *Theophane* An. Christi 726. æstivo tempore vapor, ut ex camino ignis visus est ebullire *inter Theram & Therasiam ex profundo maris per aliquot dies, qui paulatim incrassato & dilatato igniti æstûs incendio totus fumus igneus monstrabatur; Porrò vastitudine terrenæ substantiæ petrinos pumices grandes & cumulos quosdam transmisit per totam Asiam & Lesbon, & Abidum, & maritima Macedoniæ, ità ut tota superficies maris bis pumicibus esset repleta; in medio autem tanti ignis insula erumpens, insulæ, quæ Sacra dicitur, adhæsit.* Irà *Theophanes apud Baronium To. 9. Anno cit.*

Terræ mugitus terribilis.

16. Quam horrisonus infrà terram mugitus, horrendus boatus, terrifici fragores, inconditæ voces, quasi gemitus sæpè, ut ait *Cardanus*, in prælio cædentium, & malorum sonitus terræ concussiones non tam præcedere, quàm comitari soleant, qui etiam validissimis viris & Heroibus incredibilem incutiant terrorem, vix ullus orator sermone satis explicare poterit. *Kircberus* funestæ illi præsens tragœdiæ, quâ *Calabria* Anno 1638. inauditis Terræ motibus concussa penè ad vastitatem redacta fuit hæc inter alia *Mund. Subt. l. 4 sect. 2. c. 10. §. 2.* scribit: *Memini semper, me antè iuminentem terræmotum, qui sæpè sæpiùs interdiu noctuque reiterabatur, horrendum murmur & incredibiles fragores ad instar multorum sonitus tympanorum percepisse, & quodam die dum Strongylum plus solito ignearum molium eructatione furere notâssem, obtusum quoque nescio, quod murmur ex monte 60. millibus passuum dissito audivi, quod identidem versus nos crescere videbatur, ad quos ubi pervenit, tam horrenda intrà terram tonitrua edidit, ut vix sensus iis tolerandis sufficeret, cui jungebatur tam formidabilis terræ concussatio, ut nemo pedibus amplius consistere valeret, omnibus sociis ferocientis naturæ vi prostratis, tandemque induciis constitutis, cum surgentes Oppidum S. Euphemiæ (à quo non nisi tribus milliaribus aberamus) ingenti nebula tectum intueremur, eâ sensim evanescente urbem nullo ampliùs vestigio relicto absurptam lacu, quo prius carebat, in ejus loco exorto. eâ animi consternatione, quam vix verbis describere queam, reperimus.* Similia aut magis terrifica narrat *Idem in Præfat. dicti operis §. 2.* Tantus certè terror animis quorumvis hominum solet incuti per horrisonos illos terræmugitus & motus, ut etiam Ethnicis persuasum fuisse testetur *Gellius lib. 2. cap. 28.* nullum esse terræmotum tam exiguum, qui non divini aliquid ad hominum percellendos animos in se contineat.

17. Morbi etiam terræmotus sequuntur Epidemici, & contagiosi quia halitus in cavernis terræ vel putredine vel aliis venenatis qualitatibus imbuuntur, præsertim si diutiùs ibidem conclusi fuerint. Dùm verò tandem erumpunt, aëremnobis circumfusum inficiunt, quem cùm aspiramus, necesse est similem quoque in interiora corporis nostri viscera imprimi qualitatem. Nec aërem tantùm halitus isti virulenti, sed & aquam, quâ carere nequimus, inquinare solent. Neque etiam diu nobis pro Exemplis colligendis laborandum est, prostant ubivis apud Historicos. Ità testatur *Seneca lib. 6. quæst. nat.* in Pompejanâ regione sexcentarum ovium gregem terræ motu exanimatum esse, quod oves, quià mollioris sunt naturæ, & terris propiora ferunt capita, virulentos halirus citius attrahant. Anno conditæ *Romæ* 319. post Terræ motum tàm horrenda invaluit pestis, ut eâ ad triennium perdurante 30000. ibidem extincta sint. Sic Anno Christi 748. post Terræmotum in Palæstinâ ingens Pestis Siciliam, Græciam & Thraciam pervasit. Anno 801. quo *Carolus Magnus* imperio inauguratus est, vehemens Terræmotus superiorem Germaniam & imprimis Rheni tractum afflixit, quam deindè pestis secuta est, quæ Germaniam & alia loca horribiliter infestavit. Sic etiam Anno 1309. in festo *Convers. St. Pauli* tota Germania contremuit, horrenda postmodum secuta est pestis. An. 1342. *Venetiæ* priùs concussæ, deindè peste ferè exhaustæ fuerunt. Plura exempla Lector videat infrà. Morbi & pestes à Terræ motibus.

18. Inundationes Terræ motum ideò quoque consequi solent, quod exhalatio violenter è terræ visceribus erumpens venas & cavernas, quibus aquæ continen- Inundationes post Terræ motum.

tur, unà concutiat, difrumpat, & perfringat, quibus ruptis aqua ad venas & scaturigines fontium ac fluminum copiosior, quàm anteà fiebat, ascendere & prolabi potest: Undè inundatio necessariò ob copiam affluxûs aquarum consequi debet. Ità *Procopius lib. 3. de bello Gothorum*, insolitam Ægypti inundationem ex Terræ motu obortam scribit. Anno 1508. Terræmotum gravissimas inundationes per universam Italiam & Germaniam secutas esse, memorant Historiæ.

Sterilitas & fames.

19. Sterilitas deniquè & quæ exindè consequitur dira fames, Terræ motus quandoque comitatur ob halitus venenatos, qui dùm terræ poros permeant, qualitatem imprimunt, tùm in ipsos agros, tùm in semina terræ commissa, quâ vivifica illa vis segeti & frugibus producendis apta corrumpitur. Sic Anno *Romæ conditæ* 313. Terræmotum tanta sterilitas, indequè nata fames consecuta est, ut tanquam memorabile Livius annotet, magnam hominum copiam tunc in Tyberim se præcipitâsse, ibique mutuis sese morsibus devorare cupientes miserabiliter impetivisse. Sic Anno Christi 542. Terræmotum penè universalem, universalis etiam & gravissima fames secuta est, ut tradit *Paulus Diaconus lib. 16.* Idem accidit Anno Christi 832. & 1033. atque quibusdam annis aliis, ut Lector meliùs infrà videbit. Sed visis nunc & benè perpensis tot funestis effectibus ad ipsas terræ concussiones oboriri solitis rectè nunc ex *Seneca* Antiquissimo Philosopho *lib. 1. epist. 91.* hæc subnectere libet: *Non tantum manufacta labuntur, non tantum humanâ arte atque industriâ posita vertit dies. Jugamontium diffluunt, totæ desedêre regiones: Operta sunt fluctibus, quæ procul à conspectu maris stabant, vastavit ignis colles, per quos elucebat, erosit & quondam altissimos vertices, solatia navigantium, ac speculas ad humilem arenam ipsius naturæ opera vexantur, & ideò æquo animo ferre debemus Urbium excidia. Casura omnia extant, omnibus exitus manet: Sive internâ vi, flatuque præclusi venti pondus, sub quo tenentur, excusserint, sive torrentium in abdito vis obstantia effregerit; sive flammarum violentia compaginem soli ruperit; sive vetustas, à quâ nihil tutum est, expugnaverit minutatim; sive gravitas Cœli ejecerit populos, & situs deserta corruperit. Enumerare omnes fatorum vias longum est. Hoc unum scio: Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt. Inter peritura vivimus.* Appositè, bellè, optimè mi *Seneca!* Hoc te nemo meliùs.

§. IV.

Exempla mirabilia & casus quidam memorabiles Terræmotuum temporibus contingentes.

1. Paulò antè Leuctricam cladem magni in Peloponneso Terræmotus contigerunt, & cum iis miranda alia. Comprimis verò accidit, ut ruinis quidem ædificiorum plures fuerint obtriti, alii verò salvi evadentes, & primo diluculo incolumes ex ruinis exilientes, dùm sibi gratularentur, quod ità periculum evasissent, majorem calamitatem incurrebant, mari equidem concitato, altisque fluctibus exundantibus omnes tandem cum domibus absorpti periêrunt. Malum hoc involvit potissimùm Achajæ Urbes nobilissimas *Helicen* & *Buram. Diodorus.*

Animal ex ruptâ petrâ loquens.

2. Anno nono *Constantini Copronymi* contigit terræ motus in Syriâ & terribilis prætereà casus. Asseverarunt enim hi, qui propriis oculis terram Mesopotamiæ contemplati sunt, in longitudine disruptam fuisse ad duo milliaria, & ex profundo ejus ascendisse aliam terram albam & arenosam, de cujus medio, ut ajunt, animal mulinum incontaminatum loquens humanâ voce & prænuntians gentis incursionem ab eremo adversus Arabes: Quod & factum est. Ità *Paulus Diaconus lib. 22. Rer. Rom. Sigebertus* Anno Dom. 755. *Cedrenus & alii. Nauclerus Generatione* 26. putat hæc Translationem Imperii ad Francos portendisse.

Spectrum humanum antè Terræmotum Antiochenum.

3. Anno secundo *Mauritii* juxtà *Sigeberti Chronicon*, Antiochia divinitus eversa est. Vidit quidam vir ex civibus pius & liberalis, largusque in erogandis eleemosynis Seniorem albo indutum vestimento cum duobus sociis stantem in medio urbis, sudarium, quod in manibus gerebat, excutientem super mediam civitatis partem, quæ subitò cum ædificiis & hominibus eversa est. Vix autem retineri poterat à duobus sociis, quò minùs sudarium super reliquam quoque Urbis partem, quæ incolumis stabat, excuteret. Cùm virum hunc blandis verbis esset consolatus ultrà non est visus. Hæc *Sigebertus.*

Spectrum aëreum antè Terræmotum Neo-Cæsareæ.

4 Narrat *Paulus Diacon. lib. 15.* sub *Anastasio* Imper. quendam militem non procul ab Urbe *Neo Cæsareâ* iter facientem, paulò antequam Terræmotu concuteretur, in aëre suprà eam duos conspexisse milites, alterum à tergo clamantem: *Conservate ædes, in quibus sepulchrum extat Gregorii.* Facto autem terræmotu maximam partem civitatis collapsam & eversam fuisse illæsâ manente *Gregorii* Thaumaturgi domo. *Cedrenus.*

Christianorum templa illæsa in terræ motu Constantinopoli.

5. Memorat *Surius in Comment. rerum ab orbe gest.* de Terræmotu Anno 1509 *Constantinopoli* facto inter alia miranda; quod cum tunc rueret sepulchrum *Mahometis* patris *Bajazetis* maximis exstructum impensis, multæque Turcorum ædes ipsis pro cultu sacro constructæ, quas aliàs Moschæas appellant, unà collaberentur: Christianorum tamen templa illæsa permanserint, ingensque illud *S. Sophiæ* templum nil mali senserit præter turrim, quæ à Turcis post captam urbem eidem in fine ornatûs gratiâ annexa est, quæ tota præcipitata periit. Deindè quod terræmotu illo calx & cæmentum in præfato templo, quo Beatorum imagines post urbis direptionem coöpertæ fuerunt, ità separata ab imaginibus ceciderint, quasi arte novâ jam primùm splendori suo essent redditæ.

6. De

Padus mirabiliter in Terræmotu in altum elevatus.

6. De Terræ motu, qui Anno 1117. mense Januario contigit per totum pene orbem miranda hæc scribit *Trithemius in Chron. Hirsaug. Circà Leodium, inquit, in quodam monte, quo præter pluvialem, nunquam videri aqua consuevit, subitò ingens fluvius erupit, qui non modicam civitatis partem diluens cum maximo Leodiensium damno Trajectensium se finibus infudit. Padus etiam unus è quatuor majoribus Europæ fluminibus, qui Longobardiam præterfluit à terrâ in altum se dicebatur erexisse stante aquâ in modum fornicis à fundo separatâ, & sursum in aere suspensâ, sic quod inter terram & aquam via pateret transire volentibus: cumque diutius sic aqua elevata per modum arcûs pependisset in aere, tandem in semetipsam collisa tanto cum strepitu ab alto demittitur, ut per multa milliaria audiretur. Apud Cremovam Longobardiæ civitatem puer infans, qui pannis obsitus jacebat in cunis, repente prorupit contrà naturam in vocem, & seniore fratre suo panem à matre postulante, illaque cibum esurienti præparante quasi compescens utrumque dixit.* Cessate mortales escas præparare, ò mox perituri! Ecce sanctissima Dei genitrix Virgo Maria stat ante Christi tribunal, ut suis avertat judicium precibus, quod Mundo Judex intentat pro peccatis: *& mox siluit, nec quicquam ante naturæ tempus locutus est.*

Incendium ab incuria ignis focalis.

7. Fremente terrâ cum homines nimiâ correpti formidine consuetas repentè deserant ædes, & neglectâ re domesticâ confestim ad loca festinent aperta, & inde tutiora, atque ignis focalis curam negligant; ideò vel hinc etiam sæpe majora, quàm ex ipsâ concussione terræ solent illis emergere damna; uti *Basileæ* contigisse Anno 1356. Mense Octobri memorat *idem Trithemius in Chron. Hirsaug.* Cum enim civitas illa, & plura alia loca præsertim cis Rhenana ingenti laborarent concussione, & plures corruerent domus fortissimæ, eædem ab igne fuerunt incensæ, quem incolæ pro consueto usu in focis structum habebant. Quod quidem incendium brevi usque adeò crevit, ut majorem urbem totam occupârit. *Nemo*, inquit, *in civitate fuit securus, nemo tutus, nemo non pavore correptus, in tantum nempè prævaluit incendium, quod intrà murorum ambitum nullus poterat permanere. Diem adesse novissimam tot calamitatibus subitò irruentibus quis mortalium non timuisset?*

Mons integer mirabiliter aliò translatus.

8. Refert *Ægridius* Neapolitanus in suâ de montis Vesuviani incendiis diatribâ, suo tempore horrendum in Basilicata Neapolitani regni provinciâ casum contigisse: Ex formidabili quippè terræmotu ibidem exorto integrum montem Vinearum culturâ nobilem ex loco suo in alium tribus inde millibus passuum intervallo dissitum, sine ullo in intermediantibus locis sui vestigio relicto translatum fuisse: atque, in hunc usque diem diuturnum inter dicti Montis possessores in Neapolitano Dicasterio, quam Vicariam vulgò vocant, litem pendere, utrum reditus solutionesque pecuniariæ, quas Regius Fiscus exigere solet, ex priori, ubi prius Mons steterat, an ex posteriori, in quem conjectus fuerat, loco petendæ sint. Hunc tamen casum referens *Kircherus Mund. subt. lib. 4. sect. 2. cap. 10. §. 2.* Subdit: *Et mirum sane est, Casum, si verus sit, omnibus sæculis inauditum non à pluribus Historicis descriptum fuisse.*

Infans solus in terræ motu servatus.

9. In Chinensi Provinciâ *Junnam*, ut idem recenset *Kircherus Chinæ illust. part. 4. cap. 5.* visitur lacus *Chin* dictus, de quo referunt Sinarum historiæ, ex ingentis Urbis terræmotu absorptæ ruinâ ob nefanda incolarum scelera lacum successisse, neminemque præter puerum ligna evectum evasisse.

Puer à campana protectus.

10. Anno 1627. in Urbe *S. Severini* decem millia hominum terræ motu periêrunt; cum ipsis ædibus & turribus vasta campana deciderat, quæ cæteris omnibus ruinâ oppressis puerum inter rudera incolumem texit ac protexit. *Garassus doctr. curieus 9. lib. 4. sect. 6.*

Alius matris sugens ubera.

11. Nec minus stupendum, quod *Recupitus* de incendio Vesuviano, *pag. 125. ex Dione* refert, ingenti terræ motu *Antiochiæ* sub *Trajano* exorto neminem inter ruinas vivum repertum præter puerum matris mortuæ ubera sugentem.

12. Vidit jam vetustate corruptam navem *Ammianus*, quæ motu terræ è mari *Alexandriam* tranlata sub *Valente* Imperatore.

Juvenes à lepore Spartam percurrente servati.

13. Tradit *Plutarchus in Cimone*, Anno quarto *Archelai* filii *Zeuxidami* Lacedæmoniorum Regis *Spartam* totam præter quinque ædificia tremore terræ prostratam. *Media autem, ut inquit, porticu, ubi adolescentia & juventus unà exercebant se, fama est, paulò antequam terra quateretur, Leporem percurrisse; Juvenes autem, ut erant uncti, evolâsse ludibundos ad consectandum; Adolescentes verò, qui remanserant, Gymnasii ruina oppressos periisse cunctos. Horum tumulum vocant etiam hoc ævo Sismariam, quod* σεισμὸν *Terræ motum dicunt.*

Abortus gravidarum Venetiis post Terræmotum.

14. Cùm Anno salutis 1342. ingenti terræ motu *Venetiis* pleraque ædificia tam publica, quàm privata corruerent; factum est, ut omnes ferè gravidæ mulieres, quæ dum in urbe erant, abortum fecerint. *Sabellicus lib. 8. Enn. 9.*

Campanarum sonitus spontaneus.

15. Anno 1512. cum eædem *Venetiæ* tremore terræ laborarent, atque turres templorum nutare cacuminibus & commoveri conspicerentur, æs campanum in plerisque earum, maximè verò in eâ turri, quæ in foro est, spontè insonuit; pleræque etiam vitium fecerunt & aqua Urbanis in alveis altè excitata contremuit. *Bembus lib. 11. Hist. Ven.*

Vocis & vitæ privatio.

16. Concussit ingens Terræmotus An. no 1618. die 14. Febr. matutino tempore Peruvianam civitatem *Truxillo*, ac intrà quadrantem horæ totam Provinciam in latitudine 560. milliarium terribiliter conquassavit. Eodem verò tempore ardens in aëre cometa spectabilis fuit, qui tamen ipso Terræmotus tempore disparuit,

succedaneam habens columnam igneam, quæ cum toti provinciæ aliquamdiu præluxisset, tandem adeò cum horrisono fragore disrupta est, *ut Feteus Plores* Jurisconsultus *& Joannes Poncius de Leon* Episcopi illius loci Secretarius nimio præ terrore primùm voce, deindè vita destituti fuerint. *P. Hazart Ann. Peruv. part. 3. cap. 3.*

Incendium ingens in medio Oceano & insula nova exorta à Terræmotibus ad insulam S. Michaëlis.

17. Anno 1638. die 26. Junii spatio dierum octo, ut ex fideli relatione Patrum Soc. suæ refert *Athanasius Kircherus Mund. subterr. lib. 2. cap. 12. §. 4.* adeò formidabiles Terræmotus universam insulam *S. Michaëlis* conquassare cœperunt, ut homines civitatibus, oppidis, castellis derelictis campos apertos coacti fuerint inhabitare, maximè incolæ Terræ dictæ *Vargen*, ubi Terræmotus excipiebat id, quod sequitur, prodigium. A Pico (vulgò *Pico delle Camerine*) sex milliaribus dissitus locus dictus *la Ferreira*, quo cymbis piscatores hujus insulæ sese ad piscandum conferre solebant, præsertim tempore æstivo: ibi enim spatio diei naturalis tandem concludebant piscium omnis generis multitudinem, ut nulla cymba esset, quæ non 10000. piscibus onusta reverteretur. *In hoc itaque Oceani districtu die Sabbathi mensis Julii Anno 1638. ignis cum tam inexplicabili violentiâ non obstante dicti loci Oceani 120. pedum geometricorum à piscatoribus ante hac sæpius exploratâ profunditate erupit, ut ad tantum restinguendum incendium, ne Oceanus quidem sufficeret: spatium, quod ignis ebulliens occupabat, tantum erat, quantum duobus modiis frumenti prosеminandis sufficiebat, cum tantâ violentiâ erumpens, ut non obstante dictâ Oceani profunditate nubibus sese æquaret, in supremam aëris regionem elatus, evectâ secum ipsâ aquâ, arenâ, terrâ, saxis, aliisque ingentibus molibus, quæ eminùs triste intuentibus spectaculum comparabant floccorum adinstar gossipinorum, in mare verò reversa materia liquefacta pultis præseferebat speciem. Subindè adeò immensæ magnitudinis saxa in trium lancearum altitudinem projiciebat sævientis naturæ vis, ut non saxa, sed montes integros ejectos diceres. Accedebat ad horrorem id, quod recidentes in altum projecti saxei montes in alios è visceribus maris evibratos illisi cum terribili fragore in mille partes dissilirent, quæ posteà manibus acceptæ in arenam nigram conterebantur; Porrò ex variâ immensaque rejectamentorum multitudine, saxorumque innumerorum coacervatione Insula nova in medio, eòque profundissimo Oceano exorta in principio quidem parva 5. jugerum, at indies augmentata in tantum excrevit, ut abhinc 14. diebus spatium, longitudinis 5. milliarium occuparit. Tanta autem hoc incendio multitudo piscium periit, quantam vix 8. naves onerariæ Indicæ capere possent, qui longè latèque per insulam dispersi, ne putrefactione contagionem aliquam causarent ab indigenis in profundissimis foveis ad 18. milliaria circum circà collecti sepulti sunt. Odor autem sulphuris spatio 24. milliarium sentiebatur. Ita Kircherus loc. cit.*

18. Anno 1668. die 25. Julii Chinensis Regio *Xantum* ingenti terræ motu per 10. continuos dies contremuit: quo tremore etiam metropolis unà cum sex aliis insignibus oppidis turpiter afflicta & concussa fuit. Ipso Terræmotûs die vesperi in civitate *Taingan* horribilis fragor infra terram personuit instar continui tonitrui, qui viventibus omnibus ingentem incussit metum. Ex terræ deindè maximis rupturis turbidus vapor instar atræ nubis egredi visus est, post quem in aëre sonitus invaluit, quasi compulsatorum plurium tympanorum. In sex aliis civitatibus omnes campanæ sine manu ullius hominis admotâ spontè resonare cœperunt. In Civitate *Lui cheu*, cum eam Terræmotus per 22. horas concussisset, petras disrupit, & ingentes lapides excussit, unde 20. homines & quidem aliqui de primatibus attriti fuerunt. Ingens etiam arenæ cumulus è terræ hiatibus ejectus fuit, post quem torrens lutei coloris aquas profundens erupit, quo etiam tota regio inundata fuit. In sex diversis pagis aqua ad 4. orgias ascendit, atque mons dictus *Mùm yn* ingentis magnitudinis in duas partes scissus fuit. In civitate *Luì cheù*, oppidoque *Châm yé* ex aëre admirandus multarum conclamantium vocum sonus perceptus fuit. Diversis aliis in locis post ingentia tonitrua tam crassa comparuit nebula, quæ manibus etiam palpari posse videbatur. Haud procul ab oppido *Liûbiên* Provinciæ *Nankin* petra ingenti hiatu disrupta magnam candicantis arenæ copiam evomuit, & cum eâ saxum haud modicum, in quo Chinenses characteres exarati fuerunt, qui tamen omnes præter initialem sivè primum perfectè legi valuerunt. Sequenti mense Augusto die 24. subitò disruptus fuit Mons *Txan* (cum anteà per tres dies sanguineus indè promanâsset liquor) ac tandem à terrâ penitùs absorptus disparuit. Eodem rursùs tempore 13. pagi obtritis pluribus incolis corruerunt; similiter duo oppida in diversis quidem provinciis absorpta fuerunt. Pons insignis *Lû Keù Kiâo* multùm conquassatus & eluvione dilutus saxum cum inscriptis antiquissimis literis Chinensibus exhibuit: Post exortam tandem ventosam ac valde turbidam tempestatem in Urbe *Pequin* continui imbres mille ædificia destruxerunt. Adeò non una semper calamitas obtingit in terræ motibus. Plura alia de horrendo hoc Terræ motu vide in P. *Hazart Annal. Chinens. part. 3. cap. 3.*

Campanarum sonitus spontaneus.

Terræmotus Mallagæ.

19. Anno Christi 1680. Mense Novembri *Mallagæ* ingens fuit Terræmotus; antè cujus initium Sol totus erubuit & circà Solem multò rubicundior circulus circumagi visus est, deindè porrò Cœlum totum impalluit ac circà horam septimam matutinam ipse Terræmotus consecutus fuit tam validus ac horridus, ut talis illic nunquam compertus

fit: ex

fit: ex 10. quippe urbis partibus octo ferè ità collapsæ subsiderunt ut 10. millionibus ducatorum damnum vix reparabile æstimatum fuerit. Ultrà 100. homines ruinis murorum & ædium memorantur obtriti, ultrà 300. sauciati. Binis vicibus terræ concussio facta est: Posterior verò priore longè gravior extitit. Memorabile verò potissimùm hoc ajunt, quod aqua, quamdiu durarit Terræ quassatio, tota quieta, & immota perstiterit: post Terræ motum verò horribiliter sævire, intumescere & susque deque omnia pervertere cœperit, ita ut ingentes quoque naves onerarias sustulerit, everteritque; pisces etiam in continentem exiliêrint, quasi vi quàdam hinc essent abacti. Ante Terræmotum in præfatâ urbe numeratæ dicuntur 4196. ædes, illis in *Alta Zara* Castello *Gibral Zaro*, cœnobiis ac parœcialibus habitaculis in summam & numerum non adductis, ex quibus 552. penitùs collapsæ & destructæ; 1259. inhabitabiles inventæ sunt; 2035. reparationis indigæ sunt æstimatæ. Tertia tandem die post Terræ motum ventus tam validus, & turbidus sævire cœpit, quo residuæ domus & in lapsum prona ædificia ad terram penitùs dejicienda timebantur, nullum tamen hinc ampliùs nocumentum illatum fuit. *Diar. Europ. part. 15. contin. 43. pag. 342.*

Aqua in Terræmotu quieta: in Terræ inquiete mota & furens

20. Hic tandem etiam inter casus memorabiles circà Terræ motus haud reticendum videtur, mortem illam toti Christianæ Reipublicæ funestam die 18. Aprilis Anno 1690. Serenissimi *Caroli V.* Lotharingiæ Ducis tot victoriis contra Infideles, aliosque Romani Imperii hostes reportatis insignis ingentes *Oeniponti* terræmotus non tam præcessisse, quam præsignificâsse, & præmonuisse; ut etiam Reverendiss. Episcopus Brixiensis in Epitaphio Eidem Serenissimo Principi posito indicare voluit, quod ita se habet.

Terræmotus œnipontiante mortem Caroli V. Ducis Lotharingiæ.

EPITAPHIUM

Serenissimo Lotharingiæ Duci CAROLO V. ab Episcopo Brixiensi positum.

Ecce primi fructus Terræmotuum Oenipontorum
Metuebat Terra excipere illum, qui Terror erat hostium
Noluit Oeniponti occumbere, ne cum Terrâ
Diceretur mortem metuere.
Mortuus die Martis, Dux Martis
Neque superari poterat nisi à Morte.
Exultabit Luna, sed non Ungaria,
Quam totam substravit pedibus MARIÆ.
Cantabit Gallus sed vacuus in Rheno
Ubi evacuavit Gallos.
Cecidit flos, cadet & Lilium.
Mortuus est in Austriâ, Austriacis charissimus
Vitam posuit in Austriâ,
Quam toties exposuerat pro Austriâ;
Citatis equis morti obviavit,
Ne diceretur timere occumbendo, quam nunquam
timuerat pugnando.
Testis Imperium, Testis Hungaria.
Aggressa est mors Ducem nunc in pede, nunc
in corpore;
Denique superavit in capite; sic enim decebat mori
Ducem.
Vocatus à Cæsare, vocatus à Deo,
Huic obediebat, ut illi serviret;
Patrocinando apud Deum in Cœlis
Cui serviebat pugnando in terris:
Vocatus à Cæsare
Victima cecidit Obedientiæ.
Qui enim legem dabat aliis, ipsemet legem adimplevit.
Somnum cepit, experrexit & mori destinavit.
Stantem oportebat tantum mori Ducem.
Insidiis aggressa est mors, quem non poterat debellare
aperto Marte.

Requiescit

Requiescit nunc in Augusto,
Qui majorem fecit Augustum:
Requiescit, qui semper fuit vigil,
Nocte pro Deo, Die pro Cæsare
In matutinis occumbebat
Qui matutinum frequentabat;
Vocatus est ad Agni nuptias,
Qui totus erat pro Agno.
Tot victorias numeravit, quot belli expeditiones,
Nunc Dux belli in Cœlo
Qui pugnat pro Cæsare.
Luget Tirolis, & noluit consolationem admittere,
Quia non est.
Depone luctum
Et
Cum Ecclesiâ canta
Dux mortuus regnat vivus.
Ita vovet & precatur
Episcopus Brixiensis.

CHRONICON

Memorabilium quorundam Terræmotuum à Nato Christo Salvatore.

Anno Christi

20 vel 22. Sub *Tiberio* Cæsare maximus fuit Terremotus, quo 12. Urbes in Asia prostratæ fuerunt. *Cornelius Tacit. in fine lib.* 2. eas nominat. *Nicephorus* verò 14. urbes periisse scribit *lib.* 1. *cap.* 17. *Hist. Eccles.*

29. Die 14. Augusti terræmotus in *Judæa* fuit, quo hominum 30000. periisse perhibentur. His tamen qui in castris cum *Herode* Rege contra Arabes in aperto campo fuerunt, nullum accidit nocumentum. *Joseph. lib.* 1. *de bello Jud. cap.* 14.

33. Terræmotus universalis per totum terrarum orbem contigit. *S. Augustinus lib. de Mirab. Scripturæ*, Terræmotu illo, qui tempore Passionis Christi fuit, subversas scribit undecim civitates in Thracia. *Eusebius ex Phlegone* scriptore veteri recenset eodem motu in Bithyniâ multa ædificia *Nicenæ* urbis corruisse.

66. Tres Urbes Asiæ percelebres, Hierapolis nempè Colossis & Laodicea terræ motu concussæ conciderunt.

69. Primo anno Imperii Vespasiani tres Urbes in Cypro vehementi terræ concussione absorptæ sunt: inde & pestis emersit, quæ totam Italiam pervagata in Urbe Româ singulis penè diebus 10000. hominum peremit.

114 vel 117 Antiochia terribiliter contremuit, cum in eâdem Cæsar Trajanus per hyemem moraretur. Plures Urbi propinqui montes, & inter hos præcelsior mons, dictus Cassius, conciderunt. Ruinis ædificiorum & turrium in Urbe multa millia hominum oppressa dicuntur, & Ipse Imperator vix periculum evasit. *Dion.*

121. Sub Imper. Hadriano Nicomedia & Nicæa plurimùm collapsæ sunt.

129. Nicopolis & Cæsarea in Palæstinâ terræ motu corruerunt.

143. Horrendi terræ motus contigerunt & urbes aliquot haustæ sunt. *Theoph. Raynaud. in Chron.*

169. Per universum propè orbem Terræmotus fuit. *Idem ibidem.*

177. *Basilea* intrà 9. mensium spatium novies concussa fuit.

260. Adeò validi fuêre Terræmotus, ut plurima ædificia diruta jacuerint, quæ multa hominum millia necavêre. In *Asiâ* itidem plures eversæ sunt civitates, & ab apertione terræ adeò magna copia aquæ salsæ scaturiit, ut lacus inde nasceretur: mare verò sic pertransiit fines suos, ut multas submerserit civitates. *Pet. Messia in vitâ Gallieni Imperat.*

300. In SyriâTerræ motus factus est, quo apud *Tyrum & Sydonem* passim labentibus tectis multa hominum millia prostrata sunt. *Europ. lib.* 10. *Eusebius in Chronico. Orosius lib.* 7. *Sabellic. Enn.* 7. *lib.* 8. Præfatas tamen Urbes terræ motus eversas Anno 302. memorat *Sigonius lib.* 1. *Imp. Occid.*

319. Post

Anno Christi

319. Post Terræmotum pestis secuta est, quâ ad triennium durante 30000. hominum *Romæ* extincta sunt. *Keckermannus.*

344. Terræmotus *Antiochiam* comprimis deindè totum penè Orientem integro jugiter anno concussit. *Hist. Tripart. lib. 4. cap. 10.* Rhodus insula penè tota quoque terræ motu subversa est. *Sigonius lib. 5. Imp. Occid.* Narrat etiam *Eutropius lib. 11. in Beryto* Phœniciæ civitate factum esse Terræmotum, & plurimam ejus partem corruisse, eâque calamitate multos terrefactos ad Ecclesiam confugisse, & spopondisse se Christianam religionem amplexuros, si liberarentur.

345. Dyrrachium totum procubuit. *Idem Sigonius ibidem.* Quin etiam Roma per triduum tremuit, & 12. Campaniæ urbes corruerunt. *Cedrenus.*

347. Cum *Antiochiæ* conciliabulum haberetur, quo decreta Nicenæ Synodi, simul & *Athanasius* condemnabatur ab Arianis; non multò post Terræmotus gravissimus secutus, qui anno integro perdurans damna ingentia dedit. *Hist. Tripart. lib. 4. cap. 5. Evagrius lib. 2. cap. 12. Funccius* tamen ad Annum 344. hunc Terræmotum contigisse scribit: & fortè idem est cum illo, ut ex *Histor. Tripartitâ* attulimus. Eodem anno 347. *Neocæsarea* in Ponto Terræmotu subversa perhibetur exceptâ Ecclesiâ ac Episcopo, cæterisq́; , qui ibidem reperti sunt. *Hieronym. in Chron. Eutropius lib. 11. de Constantio. Sigonius* tamen & *Raynaudus in Chron.* ad Ann 343. hunc Terræmotum referunt.

364. Cum moreretur *Constantinus* Imp. *Mopsucrenis* magno terræmotu pars *Constantinopolis* diruta est. *Eutrop. lib. 11. Honorius* eodem Terræmotu multas alias Orientis civitates dejectas affirmat.

365. Decimo tertio Cal. Aug. propè in toto Imperio Romano post lucis exortum crebris de Cœlo lapsis fulminibus tota Terra vehementissimo tremore concussa est. Mare dispulsum revolutis fluctibus retrò abiit, ità ut pelagi profunda retecta, pisces humo hærentes cernerentur, valliumque & montium vastitates radiis, solis, quos natura negârat, illustrarentur. Ex improviso verò Undæ marinæ redeuntes innumera ubivis ædificia proruerunt, & multa hominum millia absumpserunt, ingentia etiam navigia partim in tectorum culmina, partim longè à littore propulerunt. *D. Hieron. in vitâ Hilarii. Sigonius lib. 7. Imp. Occid.*

369. Tempore *Valentiniani* Imp. totus orbis contremuit, ità ut in Oriente plurimæ insulæ cum ingenti hominum multitudine per inundationem periêrint, ut testis est Socrates lib. 4. *Hist. Eccles. cap. 3. Ammian. Marcellin in fine lib. 26. Paulus* Oros. *lib. 7. hist. cap. 32. Funccius & alii.* Ingentem etiam Christianorum persecutionem subsecutam fuisse, scribunt *Hieron, & Eusebius.*

371. Terræ motus circà *Bithyniam* ingens fuit. *Nicæa*, quæ sæpe ante etiam tremuerat, undecimâ Mens. Octobris funditùs subversa est. *Socrates l. 4. cap. 10.* Nicæam tamen Auno 371 eversam memorat *Hist. Tripart. lib. 7.*

401. Dum ab *Arcadio* Imp. S. *Chrysostomus* in exilium ire jussus esset; prima statim nocte, cum discessisset Chrysostxmus, terribili motu Terræ Imperatoris palatium ità concussum fuit, ut eo prodigio consternatus continuò nuntiis emissis, quem ignominiosè pepulerat, honorificè revocavit. *Theodor. l. 5. Hist. cap. 24.*

410. Septies terra tremuisse scribitur, cum ingenti murmure.

412. Sub Imp. Theodosio II. ingens terræ motus totum pene terrarum orbem concussit.

434. Romæ & in totâ Italiâ terræmotus accidit, & multa ædificia in Romano Comitatu diruta fuerunt; subsecuta fuit & pestis per tres annos. *Dionys. Halicarnass. lib. 10. & Tracognotta part. 2. lib. 13.*

446. Horrendus valde terræmotus Orientem concussit. Theophyl. *Raynaud in. Ch.*

455. Horrendas illas *Attilæ* vastationes ingens Terræmotus præcessit. *Stumpfius lib. 3. cap. 54.*

477. Per dies 40. continuos *Constantinopoli* terra horrendo plane motu tentata est, quo pleraque ædificia publica & privata procubuerunt, suisque ruinis magnam hominum copiam oppresserunt. *Sigonius lib. 15. Imp. Occid.*

480. Referente *Eutropio lib. 10.* Terræ motus *Germaniam* toto mense quassavit.

524. *Antiochia* gravi terræ motu laboravit. *Raynaud. in Chronico. Sigonius lib. 17. imp. Occid. ex Cedreno, & Urspergense.* Memorat tamen *Cedrenus* Anno 531. eam terræ motu pene deletam. Anno 528. *Antiochiam* rursus gravissimè concussam tremuisse docent *Evageius & Nicephorus* & post ipsos *Baronius.*

542. Terræ motum penè Universalem, Universalis etium & gravissima fames secuta est. *Paulus Diacon. lib. 16.*

554. *Constantinopolis* per 40. dies contremuit teste *Procopio. Sigonius* verò *lib. 20. Imp. Occid.* Idibus Augusti hanc urbem sævissimè quassatam scribit. Addit & mare ad duo millia passuum æstu quodammodo undas absorbente recessisse, eâque calamitate magnam partem Orientis involutam esse, inprimis verò *Antiochiam, Nicomediam & Berytam.*

Anno Christi

557. Oriens sævissimis malis divexatus, inter hæc terræmotus validissimi fuerunt, ut meritò homines vererentur, ne uno haustu urbes absorberentur. Primo Terræmotu sedato mare ad duo millia passuum extra fines excurrit, alterque Terræ motus jam ineunte hyeme priorem excepit, qui multò quàm ille non solùm minacior, sed etiam periculosior fuit, præcipuè *Constantinopoli* circà mediam noctem repente concussis omnibus ædificiorùm fundamentis. Hunc Terræmotum secuta est gravissima pestis, quæ per integros quatuor menses Urbem attrivit. *Sigon. lib. 20. Imp. Occident.*

589. Die 30. Sept. *Antiochiæ* multa hominum millia terræ motu oppressa fuerunt. *Bucelinus.*

612. Horribilis terræ motus per 30. dies fuit, signum etiam gladii instar in Cœlo comparuit. *Raynaud. in Chronico.*

740. Ingens Terræmotus 7. Cal. Novemb. incipiens *Constantinopoli* per integrum duravit annum. *Funccius* 741. *Herbipolim* Franconiæ Metropolim viginti terræ motus pene continui concusserunt. *Funccius.*

746. Terræmotus prodigiosi in Oriente fuerunt subsecutâ peste. *Raynaud. in Chron. Syriam* maximè concussam memorat *Sigonius*, ubi templa ac monasteria pleraque corruisse perhibentur, ruinis etiam multa millia elisa *l. 3. Regn. Italiæ.*

747. Urbes *Syriæ* terræ motu ità sunt agitatæ, ut aliæ funditus, aliæ magnâ ex parte prociderint, quædam ex montibus in subjectos campos per sex millia tectis salvis & incolumibus translatæ sunt. *Sigonius lib. 3. Regni. Ital.*

778. Corona circà Solem visa est, & deindè secutus est Terræmotus. *Sabellicus*

791. *Constantinopolis* validissimè concussa tremuit.

801. Quo *Carolus Magnus* Imperio inauguratus est, vehemens Terræmotus superiorem *Germaniam* & comprimis Rhenanum Tractum afflixit: quem deindè pestis secuta est, quæ Germaniam, & alia loca horribiliter exercuit. *Stumpfius lib. 4. cap. 31.*

829. Paucis diebus ante Paschatis festa *Aquisgranum* contremuit.

841. Quarto Nonas Jun. sivè 2. die Junji terribilis terræ motus *Herbipolim* vigesies concussit: indè sæva subsecuta fuit tempestas cum tonitruis, fulminibus & grandine; quæ plures homines & jumenta perdidit, cumque in templo *S. Kiliani* cantarentur Nonæ ingentes subortæ tenebræ fuerunt, & fulmen in ipsum templum decidit, aliquosque Sacerdotes afflans suffocavit; ipsum etiam templum penitùs exustum fuit. Octavo deindè Junji turbo validissimus irruens muros ab incendio relictos prostravit. *Simplicissimus in Calendario* Sed dubium mihi est, an non hic idem sit Terræ motus, quem *Funccius* ad Ann. 741. annotavit.

847. Vehmenti adeò motu terra concussa est, ut sæviorem Romani recordari nequiverint. *Æsernia* pene tota procubuit & magna pars populi cum ipso Episcopo ædificiorum ruinis obtrita est. *Sigonius lib. 5. Regn. Italiæ.*

852. *Moguntia* terribiliter concussa fuit, ac comprimis ibidem magna pars templi *S. Albani* concidit-

862. Terra immaniter concussa horrendùm mugiit. *Th. Raynaud. in Chron.*

872. *Moguntia* denuò concussa mirum contremuit.

890. Pluit lanâ *in Italiâ* hanc pluviam deinde secuti sunt terræ motus. *Sabellicus.*

983. *Beneventum & Capua* in Italiâ contremuerunt.

1009. *In Italiâ* post ignem in aëre visum terræ motus excitatus est. *Sabellicus.*

1012. Luna apparuit sanguinea: paulò post succussa tellus & mare suâ exundatione multas civitates involvit. Secuta fames ac pestis. *Sabellicus.*

1019. Serpens in Cœlo visus, deindè commota fuit terra. *Sabellicus.*

1021. Die 11. Maji Terræmotus *Basileam* ità concussit, ut summum templum in Rhenum præceps rueret. Illud deinde *Henricus II.* Imperator denuò restauravit. *Stumpfius.*

1033. Terræmotum secuta fuit fames. *Keckermannus.*

1047. Terræmotus per biennium in *Bithynia* fuit. *Raynaudus in Chron.*

1053. Contigit gravis Terræmotus, quem fames subsecuta est.

1062. Ingens terræ motus *Constantiæ* fuit, quem pestis secuta fuit.

1068. Ingens terræmotus Germaniam concussit. *Bucelinus.*

1082. Ingens soli mugitus fuit, furente desuper Terræmotu *Raynaud. in Chron.*

1093. Anglia tota plurimum terræ motibus afflicta fuit.

1117. In Mense Januar. Terræmotus diem inter & noctem per totum penè orbem terrarum binâ vicè factus est nimium terribilis & horrendus, qui multa ædificia subvertit & plures homines miserabiliter oppressit maximè in Italiâ; ubi tam horribilis fuit, ut multæ civitates, vici, castella subitò concìderint absorbente terrâ tam homines, quàm ædificia. Montes etiam plerisque in locis scissi ferebantur & flumina deglutiente terrâ subitò fuerunt exsiccata, ita ut, qui vellent, siccis transire pedibus potuissent *Trithem in Chron. Hirsaug. Stumpfius lib. 4. cap. 46.*

1169. Ma-

Anno Christi

1169. Maximi Terræ motus cum horrendis coruscationibus fuêre in Syriâ & in Insula Sicilia, & multa hominum millia terræ hiatibus miserabiliter perierunt. Nam ad terribiles coruscationes terra subitò & crebriùs aperta homines vivos deglutiens traxit in profundum. In Ecclesiâ *S. Petri* Apostolorum Principis *Antiochiæ* 140. dehiscens terra rapuit in Abyssum. Abbas etiam de *Mileto* in Sicilia cum 40. Monachis, & omnis populus circiter 15000. subito teræ motu absorpti miserè perierunt. Plura denique Castella & oppida per Siciliam eâdem horâ corruerunt & multa hominum millia vel ab ædificiis obruta, vel à terrâ sunt absorpta. *Trithemius.*

1170. Terræ motus ingens universi Orientalis tractûs urbes antiquissimas & munitissimas funditùs diruens, habitatores earum ruinâ involvens ædificiorum fastas contrivit, ità ut ad exiguam redigeret paucitatem. *Antiochia, Laodicea, Cæsarea, Edessa, Tripolis* miserrimè eversæ. *Tyrius lib. 20. cap. 19. Belli sacri.* Eodem anno *Catana* civitas Siciliæ terræ motu eversa est, & multi in eâ perierunt. *Robert. Abbas in Chronico.* Grave deindè bellum post Terræ motum Anno 1171. inter *Fridericum I.* Imperat. & *Alexandrum III.* Papam exarsit.

1197. Post maximos calores in Gallia secuta sunt gravissima frigora; hæc autem Terræ motus. *Sabellicus.*

1198. Bohemiam validi terræ motus concusserunt.

1200. Quinto Nonas Maji Terræmotus vehemens meridiano tempore excitatus aliquot consequentibus diebus perdurans multa ædificia in Polonia, & in vicinia ejus conquassavit. *Cromerus lib. 7.*

1202. Die 13. Mensis Maji, quæ fuit dies ante Domini ascensionem tertia Terræmotus factus est in Syria magnus. *Tyrus* pene omninò subvertitur. *Archas* oppidum munitissimum ad solum usque cum muris, turribus & cunctis ædificiis diruitur.

1222. In fine Decembris *Coloniæ Agrippinæ* & in districtu illius magnus Terræmotus fuit, qui domos & turres plures subvertit. In *Cypro* etiam duæ civitates eodem anno & Terræmotu corruentes plurima hominum millia horrendo & inopinato mortis genere peremerunt. *In Italiâ* quoque & *Longobardiâ* præcipuè maximi & horrendi terræ motus per plures dies hoc ipso anno fuerunt. *Brixia* quoque Longobardiæ civitas terræ motu eodem tempore pene tota corruit; rupes de montibus avulsæ sunt, castra dejecta in diversis locis tam Europæ, quàm Asiæ multa hominum millia miserabili morte interiêrunt.

1225. Concussis Alpibus quinque millia hominum oppressa dicuntur.

1232. Terræmotus & ex eo pestis exorta. *Platina in vita Gregorii IX. Blondus lib. 27.*

1241. Mons in *Burgundia* ab aliis montibus dehiscens multa Rusticorum millia obtrivit.

1258. Vehemens Terræmotus *Poloniam* concussit, & animos hominum propter raritatem rei non tantùm metu, sed etiam religione implevit. *Cromerus lib. 9.*

1295. *Constantiæ* Terræ motus decies, novies & ampliùs repetitus est.

1298. Horrendus Terræmotus Italiam concussit. *Th. Raynaudus in Chronico.*

1309. In Festo Conversionis *S. Pauli* tota Germania contremuit, peste paulò post subsecutâ, itaque sæviente, ut *Florentiæ 60000. Lubecæ 90000.* extinctæ ferantur. *Keckermannus in contempl. terræ mot. 1601.*

1342. *Venetiæ* ingenri terræ motu concussæ sunt prostratis plurimis tam publicis quàm privatis ædificiis. *Sabell. lib. 8. Enn. 9.*

1346. Die 14. Novembris *Basilea* vehementer terræ motu concussa fuit *Stumpfius.*

1348. Terræmotus quedragenarius Urbes 26. prostravit in Pannoniâ *Raynaud. in Chron. Aventinus.*

1350. Die 30. Junii *Villacum* terræ motu concussum concidit. Idem pluribus aliis locis & civitatibus in Hungariâ & Ialiâ contigit.

1356. Die S. *Lucæ* circâ Vesperas *Basilea* gravissimè conquassata fuit. Rediit terræ motus horâ noctis decimâ, & decies denuò concussit Urbem: ortum incendium nemo propter Terræmotûs periculum extinguere voluit. Arces etiam in districtu propè 20. eodem terræ motu conciderunt. *Stumpfius.* Eodem anno *Constantinopolis* graviter concussa fuit, magnâ parte mœnium, quâ Pontum spectat, collapsâ, turribusque & ædificiis pluribus corruentibus tredecim millia hominum interiêrunt terræmotu per continuos 18. dies durante.

1357. Mense Majo iterum terræ motus gravis extitit. *Stumpfius.*

1372. Primo Junji horribilis terræmotus *Germaniam* concussit, ac paulò post gravissimum bellum in Bavaria & Suevia exortum est. *Keckermann.*

1384. Ipsa Vigiliâ Nativitatis Christi terra contremuit, & insecutum est paulò post bellum *Leopoldi* contra *Helvetios*, quod & Domui Austriacæ grave, & Juveni Principi Leopoldo summum atque extremum fuit. *Idem.*

Anno Christi

1400. In Persiæ Urbe *Lar* ultrà centum ædes terræmotu corruerunt. *Olf. Dapper.*

1431. In Hispaniâ horrendus Terræmotus multa oppida evertit. *Raynaudus in Chronico.*

1443. Terræmotus gravis *Poloniam, Ungariam & Bohemiam* concussit *Ladislao* Rege magnâ Christianorum clade paulò post à Turcis cæso. *Keckermann.*

1444. Terra concussione multum laboravit. *Stumpfius.*

1448. Neapolis Campaniæ insolito more contremuit succussis aliquot hominum millibus.

1505. Die 30. Novembris circa 11. noctis post ingentes fragores in aëre accidit horrendus Terræmotus *Bononiæ*, qui tertia post die denuò iteratus maximam ædium hominùmque edidit stragem. *Beroaldus.*

1508. Terræmotum gravissimæ inundationes per universam Italiam & Germaniam secutæ sunt.

1509. Die 14. Septembris gravissimus Terræmotus *Constantinopolim* pene totam ruinis evertit, quibus 13000. mortales oppressi. Urbem tamen *Bajazetes* conductis 70000. fabris intra trimestre restauravit. *Nemoperegrinus.* Alii tamen hunc Terræmotum ad Annum 1514. referunt.

1512. *Venetiæ* concussæ & miserabiliter à Terræmotu afflictæ sunt. *Bembus lib. 11. Hist. Ven.*

1520. Imperatore in Saxoniam descendente, & ministris ab ejus communione se retrahentibus transiit in Franconiam: tunc verò tremuit terra mense Junio. *Crantzius lib. 5. Saxon. cap. 40.*

1521. Antequam *Belgradum* â Turcis caperetur tota per triduum vicinia contremuit multis passim collapsis ædificiis. *Keckermann.*

1525. Arcium & civitatum magnus numerus in Regno *Granatæ* à terrâ absorptus est. *Lycost. in prodigiis.*

1532. Ingens Terræmotus *Olisipone* octies iteratus est.

1538. Italia per 15. dies horribiliter concussa fuit. Die 30. Sept. propè Puteolos mons novus exurgit, & Tripergulæ oppidum cum villa Ciceronis obruit. *Bucelinus.*

1541. Die 13. Julii *Scarparium* oppidum non procul *Florentia* situm in valle Mugellana inter montes Vesulanos & Apenninum tremore initio vibratum, post ità concussum fuit, ut pleræque Domus actis ingentibus rimis ruinosæ factæ sint, & ex inquilinis 500. periêrint. *Georgius Agricola de natura effluentium è terra.* In Judeâ etiam ante Terræmotum, è fonte, cui cognomen *Elisæi* flammam erupisse scribit. *Idem lib. 4. citati operis.*

1545. In Septembri tota pene Europa insolitis terræ motibus concussa. *Carol. Scharschmidt.*

1551. Die 7. Septemb. Viennam in Austriâ gravis terræmotus concussit, qui & Templum Abbatiæ Scotorum ac altare medium secuit. Turrim etiam S. Stephani convulsit, aliam in ponte versùs rubram portam dejecit, sub cujus mole 7. homines & 2. equi interiêrunt. Nullum fuisse dicitur in civitate ædificium, in quo non rima aliqua comparuerit. *Ex 6. Tomo Civit orb. terr. in descript. Viennæ tab. 2.*

1551. *Olisipone* 200. ædificia collapsa ultrà 1000. homines obtriverunt.

1552. Sudetes montes, atque in illis exstructa oppida continuis pene concussionibus laborârunt. *Casp. Peucerus.*

1556. Integra montosa Sinarum Regio cum universis populis & urbibus absorpta fuit suo loco ingentem relinquens lacum nullo hominum præter unicum infantem puerulum ligno innatantem, erepto. *Kircherus in China illust.*

1569. Die 6. Aprilis Terræmotus multa pervasit loca. Nam eodem tempore constat Bernam, Thunum, Stefisburgum Blumensteinium & loca plura interjecta tremuisse. *Aretius probl. 172.*

1570. *Ferraria* Terræmotu concussa tunc & *Eridanus* multis subinde bullis in aere exilientibus æstuosè admodùm concitatus est. Meminit ejusdem Terræmotus *Albert M. de passion. aër.* scribens permultos menses durâsse, & multas tam privatas civitatis præfatæ domos atque etiam publica destructa fuisse ædificia.

1571. Ad *Nycæam* Salyum vici aliquot subitò absorpti sunt Terræmotu. Facta item fuit magna retrocessio maris in Angliâ, & mons loco suo dirutus est evulsis arboribus. *Raynaud. in Chron.* Italia etiam per integrum hunc pene annum concussa fuit.

1573. Post tres Soles in aere visos in Sicilia gravissimi consurrexerunt terræmotus. *Sabellicus.*

1580. Gallia & Anglia maximâ ex parte terræmotibus miserè afflictæ fuerunt.

1584. Die 1. Martji Gallia ad districtum 100. milliarium concussa fuit.

1586. In India Orientali per continuos 40. dies quassata insolitis motibus terra, etiam hiatus aperuit, quibus dimidia alicubi Urbium pars absorpta fuit. *Nemoperegrinus.* Eodem quoque anno *Japoniam* ingens Terræmotus concussit.

Anno Christi

concussit. In Urbe *Sacay* 60. ædificia prostravit. Duravit per 40. dies. Populosissima Urbs *Nagasama* partim absorpta, partim igne ex incuriâ neglecto in cineres abiit. Insigne aliud Emporium in provinciâ *Vocata* primò concussum, deinde fluctibus marinis obrutum, tandem cum omnibus incolis in profundam abyssum demersum abiit. Similiter in Regno *Vomi* castrum monti impositum subitò collapsum evanuit, nonnisi putidum & fœtentem lacum post se relinquendo. *Hazart. Annal. Japon p. 5. c. 7.*

1587. Die 30. Augusti ad Occasum Solis in civitate *Chiti* terra multùm concussa fuit, ità ut domus cum incolis haud aliter ac naves in turbido mari hinc indè jactarentur, tali jactatione ipsæ campanæ resonarent. Plura ædificia templaque partim dejecta, partim convulsa fuerunt; plures ex incolis sauciati aut penitùs obtriti occubuerunt. Non longè à Civitate pars montis revulsa pastorem cum grege in subjectâ valle oppressit; ex alterâ parte integrum pagum, ubi nec fons, nec fontis scaturigo erat, cum omnibus pene casis obtexit, & mox fœtens lacus hominibus, pecoribusque infestus successit. *Hazart. in Annal. Ecclef.*

1590. Germaniæ aliquot regiones & comprimis *Austria, Bavaria ac Misnia* contremuerunt.

1591. *Vienna* Austriæ diebus 14. terræmotu laboravit.

1593. In Persiæ urbe *Lar* ultrà 300. ædificia terræmotu corruerunt: vel ut *Texeira* refert ex 5000. ædificiis ad 1200. prostrata sunt. *Olf. Dapper.*

1594. *Puteolis* tantas fuisse terræ commotiones scribit *Scipio Mazzella* ut mare ad 200. passus se retrò agere magnâ intuentium admiratione & consternatione observatum sit.

1601. Die 8. Septembr. primam inter & secundam noctis horam insolitus Terræmotus universos propemodùm Europæ incolas ad stuporem & admirationem commovit. *Keckermann. in contempl. de hoc Terræmotu Stumpfius & alii.* Eodem quasi momento etiam hoc Terræmotu Asiam, Germaniam & Hungariam laborâsse perhibetur.

1618. Terræmotus *Herbipoli* contigit facta labe in immensum profundâ *Raynaud. in Chron.* Eodem anno die 14. Februarii manè ingens terræ motus Peruvianam civitatem *Truxillo* horribiliter concussit, quin & intra horæ quadrantem totam provinciam in latitudine 560. milliarium contremiscere fecit. In quibusdam locis ter aut quater repetitus fuit. *Hazart in Ann. Peruv.*

1626. Ipsâ nocte Festi SS. Apost. *Petri & Pauli* ingens terræ motus cœpit in provinciâ quâdam Sinarum centum leucas dissitâ ab urbe *Pequin.* Per integrum mensem semel singulis horis trepidavit humus. Viginti & octo oppida aut sepulta hiscente terrâ, aut submersa aquis erumpentibus è locis subterraneis *Schott. in Anatom. font. & flum. lib. 1. cap. 5. §. 4.*

1627. Die 30. Julii insolens terræ motus nonnulla Apuliæ hausit oppida. Ingens quoque lacus; qui 20. milliaribus vix circumscribebatur, exsiccatus fuit, aquis utique aliò per subterraneos meatus translatis. *Idem.*

1631. Tantus fuisse dicitur terræ motus ante Vesuvianum incendium, ut rupto maris fundo pisces partim è mari projectos, partim redrocedente mari in littore relictos unà cum navibus ostenderint: quos horrendi sequebantur mugitus, fumus, cinerea pluvia, ingentium saxorum eructationes, torrentes ignei, novorum fontium bituminisque scaturigines; quæ omnia incredibilem & vehementissimam ferocientis Naturæ vim & potentiam ostendunt. *Kircherus Mund. subterr. lib. 4. sect. 2. cap. 10. §. 2.*

1638. Mense Martio horrendi Terræmotus *Calabriam* pene in vastitatem redegerunt, quibus etiam oppidum S. *Euphemiæ* primò nebula contectum; eâ verò evanescente penitùs tandem fuit absorptum nullo sui amplius relicto vestigio, sed exorto in ejus loco fœtido lacu, quo anteà carebat. *Idem Kircherus* testis oculatus ut refert *in Mund. subterr.* Eodem anno Mons Picus in insula Timor concussis per horrendum terræ motum fundamentis unà cum insulâ absorptus nil præter ingentem post se reliquit lacum. *Idem ex Annal. Societ. Jesu.* Eodem rursùs anno, quomodo insula S. *Michaelis* horrendùm concussa vide suprà.

1640. Mense Aprili ingens Terræmotus universam Germaniam concussit duabus ante lucem horis; quod eò proniùs diri ominis loco acceptum; quia glifcentibus ubique bellis spes etiam pacis auferebatur. *Append 2. ad Hist. Tursell.*

1646. Maximus & omnibus sæculis memorandus extitit Terræmotus, quo totum ferè Regnum Chilense cum montibus, quos *Andes* dicunt, aliquibus subsidentibus & prostratis penè ad vastitatem fuit redactum.

1654. Die 2. Julii in agro Sorano Terræmotus exortus est, quo & ipsam Urbem *Romam* ferè triduo distantem ex consensu contremuisse fuit observatum. *Kircherus in Mund. subterr.*

 1660. Men-

Anno Christi

1660. Mense Junio ingens terræ motus infestavit omnem illam Galliæ Regionem, quæ à Burdigalensi urbe *Narbonam* usque se extendit. Erat propè *Bigornium* ingens & præcelsus mons, qui ferocientis naturæ vi ità absorptus dicitur, ut præter lacum ingentem, quem post se reliquit, nullum ejus vestigium ampliùs apparuerit. Addunt districtum illum circà Pyrenæos montes compluribus thermis fuisse refertissimum, in quarum unà post montis ruinam aquę prius ferventissimæ tantum frigus contraxerunt, ut proindè nemo illis amplius uti queat. *Idem Kirch. Mund. subterr. lib. 5. sect. 2. cap. 4.*

1665. Die 16. Aprilis horribilis terræ motus Sinensem urbem *Pequin* cum pluribus aliis circumsitis oppidis ingenti comite fragore concussit; quo plurima ædificia nobilissima prostrata, plura fœdè lacerata fuerunt. Urbis murus ad 100. diversa loca corruisse memoratur & patefactis etiam pluribus terrę hiatibus ingentem incolis terrorem incussit. Ab hominum memoriâ terribilior motus & concussio terrę Sinensibus haud accidisse dicitur. *Hazart Annal. Sinens. part. 8. cap. 8.*

1667. Die 6. Julii manè intrà 8. & 9. horam Cœlo sereno & tranquillo ingens *Ragusæ* obortus terræ motus atque per 6. dies continuatus plurima non tantùm ædificia prostravit, sed etiam ingentem hominum multitudinem ruinis murorum & ædificiorum obtrivit. Auxit calamitatem inopinatò evolutus ignis magno fragore furens & rapaci quæque flammâ depascens. Successerunt prædones Morlaci & Turcæ, qui nactâ hâc occasione urbem vi & armis invaserunt, ac ferro & igne sclopetario rapinas evicerunt. Ex 6000. hominibus vix 500. vitæ periculum evaserunt, atque inter demortuos mille sexcenti memorantur aut fumo suffocati, aut ab igne consumpti. *Arnoldus Montanus. Happelius, Europæi Toroan. lib. 1. cap. 2.*

Eodem anno die 25. Julii horrendi Terræ motus Chinensen regionem *Xantum* terribiliter concusserunt, ut memorat *P. Hazart in Ann. Chin.* Vide supra.

1670. Die 17. Julji vehemens terræ motus Germaniam concussit. *Normbergæ* valido præcedente turbine & tonitrui fragore ædes ità commovit, ut multa in tabulatis disposita dejecerit. *Augustæ Vindelicorum* campanæ in turribus commotæ sponte resonuerunt. *Ratisbonæ* Danubius haud aliter quàm ferventissima aqua in aheno super ignes effervere & ebullire visus est. *Bambergæ*, *Nordlingæ*, *Memmingæ* uti & *Venetiis* sine damno tamen hic terræ motus observatus fuit. *Halæ* verò Inthalensi ingentia attulit damna, dum plures prostravit ædes, ac comprimis turris Ecclesiæ Parochialis pinnaculum à vertice usque ad campanile deturbavit disjectis unà duobus vigilibus, quorum unus ruinis oppressus statim interiit; alter verò adhuc vitæ periculum evasit. Homines numero septem ruinis involutos interiisse tandem compertum est. *Oenoponti* quoque ædificia plurima concussa tremuerunt absque notabili tamen damno.

1673. In Americâ ingenti terræ motu laboravit Urbs *Domingo*, quo plura ædificia in terram prostrata & ex hominibus multi ruinis oppressi interiêrunt.

1680. Mense Novembri ingens ille terræ motus accidit Mallagæ, quem suprà ex *Diario Europ.* descripsimus.

1687. Die 25. Aprilis *Neapoli* terra vehementer contremuit. Eodem anno die 10. Octob. in Americanâ provinciâ *Peru* Metropolis *Lima* terræ concussione penè ad vastitatem redacta fuit.

1688. Die 5. Julji *Neapolis* Urbium omnium totius Europæ penè florentissima & pulcherrima horrendùm denuò succussa tremuit collapsis pluribus ædificiis nobilissimis, ut splendor atque decor illius urbis ad medietatem ferè diminutus fit. Eodem terræ motu *Beneventum* penitus collapsum procidit servatis unicâ Ecclesiâ & duabus ædibus. Locus, cui *Berigello* nomen, omninò ad vastitatem redactus est terris etiam obruto propinquo amne, ut profluxûs ejus trames versùs *Segno* discerni amplius non valuerit. Eodem quoque anno *Smirna* die ultimo Junii terræ motu vehementer laboravit, ubi platea Gallicæ nationi deputata cum magnâ aliâ urbis parte, multis etiam oppressis hominibus subversa est.

1689. Die 15. Decemb. *Augustæ* Vindelicorum Terræ motus observatus fuit absque damno tamen memorabili *Oenoponti* verò multò violentior extitit, ubi nullum non ædificium indemne permansit; quorum plura penitus prostrata corruêre. Insigne quoque Ducis palatium, ac Collegium *PP. Societ. JESU*, sicut & Ecclesiæ PP. Franciscanorum & Capuccinorum damnis haud modicis involutæ sunt. *Dorthemii* eodem tempore duæ turres ad Ecclesiam dejectæ prociderunt.

1690. Die

Anno Christi.

1690. Die 6. April. vesperi circà horam octavam *Nevis* in India Occidentali horrendus Terræmotus cum terribili fragore accidit prostratis ad terram pluribus ædificiis, presertim in civitate *Charles-Jowen* sive Carlstadt. In insulâ quoque S. *Christophori* terre concussio plurima intulit damna, ut & in *Atago*, *Montferrat* & *Barbado* insulis. Eodem anno mense Junio in Regno Neapolitano presertim *Beneventi*, *Carignolæ*, *Caretti* & *Madaloni* terremotus haud levibus sine damnis notatis fuit, quem & altera terre concussio subsecura fuit. Similiter *Dublini*, ut & *Kykenavii* in Hybernia aliisque pluribus in locis terræmotus invaluit. Eodem porrò anno die 4. Decembr. in Festo *S. Barbaræ* tertiam inter & quartam pomeridianam per totam ferè Germaniam terremotus observatus fuit. Carinthia tamen pre aliis subterraneam hanc ferociam experta ingentia tulit damna; præprimis verò *Villacum* ità concussum memoratur, ut tertia pars Urbis illius collapsa dicatur & 20. homines oppressi interiêrint, pluribus aliis ad mortem penè sauciatis & graviter læsis. Arx *Schneeyg* Baronis de *Grotta* tribus *Villaco* milliaribus distans momento quasi collapsa tota concidit obtritis undecim hominibus, & horum quibusdam de illustri illâ prosapiâ cum totidem equis. *Clagenfurti* camini omnes dejecti, & ædificia plura haud modicè destructa fuerunt. Anno eodem die 22. Decembr. *Anconæ* & *Rimino* aliisque adhuc locis terræmotus infestus accidit: Comprimìs autem *Anconæ* quam plurima ædificia oppressis etiam multis hominibus collapsa dicuntur.

1691. Die 1. Januarii Terræmotus proximè nominatas Urbes *Anconam* scilicet & *Riminum* denuò exagitare cœpit; Undè penitus collapsæ scribuntur. Eodem pariter Anno die 20. Februarii circà septimam matutinam terræmotus *Moguntiam* & *Heidelbergam* concutiens ingenti cum sonitu tonitrui adinstar tandem desiit. Eo etiam novum munimentum à Gallis *Moguntiæ* constructum vehementiùs concussum diversis locis hiavit: *Heidelbergæ* verò ædificia ità exagitavit, ut ruinis proxima fuerint.

1692. Mense Martio *Neapoli* terræmotus se prodidit absque damno tamen notabili. In *S. Severino Massa* tamen, Civitate *Conza* & Castello *di Caletti* Calabriæ plura ædificia collapsa subsiderunt. Hoc ipso quoque Anno horrendus Terræmotus *Forum Julii* per longum circà tractum terribiliter concussit, & ferè penitus in vastitatem redegit, undis emergentibus latissimum terræ spatium cum monte absorbendo. Mons etiam *Caryma* in flumen *Tagliamento* dictum deturbatus concidit; hujus & aqua ad 10. milliarium Germanicorum distantiam abscessisse fertur. Dicuntur & pagi 177. ad vastitatem redacti, & plura hominum millia submersa.

Eodem anno die 18. Septembris secundam inter & tertiam pomeridianam gravis terræmotus magnum iterùm Inferioris Germaniæ tractum, comprimìs ad Rhenum concussit. Is & in Batavia & regionibus vicinis fuit observatus. *Coloniæ* plures caminos dejecit, tecta confregit, & ob ingentem fragorem ædium colonos in publicas vias exturbavit. *Leodii* & in ejus vicinia graviùs desæviens præter disjectos caminos etiam muros convulsit, & prostravit, plurésque homines oppressit; Nec ullam penè domum illæsam ibidem permansisse memoratur. *Moguntiæ* & *Francofurti* ad Mœnum mitiùs egit. *Confluentiæ* quoque & in aliis locis eodem die circà quartam vespertinam rediit. Ad diem quoque vigesimum ejusdem mensis circà horam nonam matutinam in præfatis plerisque locis denuò fuit observatus. Alia Concussio quoque terræ hoc ipso anno ad diem 17. Septembr. in Galliâ & Angliâ circà 2. pomeridianam per duo, aut tria minuta horaria perdurans observata fuit. In Festo *SS. Simonis & Judæ* mane inter quintam & sextam rursus terræmotus *Coloniam* perterrefecit. Eodem Anno die 24. Octobris in Nova Hispania Urbs *Havana* terribiliter concussa perhibetur prostratis 1500. ædificiis, & magna hominum multitudine à ruinis consepulta.

1693. Die 11. Januarii Sicila terræmotibus tam fortiter concussa fuit, ut tribus horis ante Solis occasum per medium quadrantem horæ decem venustæ urbes, quadraginta muris vestita oppida castella & arces & plus quam centum pagi corruerent, & aliquot hominum millia intumularentur. *Augusta* terræmotu afflicta & igne simul cœlesti in Turrim pulverariam illapso dissipata cum innumera hominum multitudine terra cineribusque sepulta est. *Syracusa* penitus absorpta ne vestigium post se reliquit. *Catania* cum omnibus suburbanis viridariis eversa est. In summo templo hominum ferè decem millia Benedictionem

Venera-

Anno Christi

Venerabilis Sacramenti præstolantes ibidem vivi sepulti sunt illæso Sacerdote Canonico *D. Giusto Celeste Ventimiglia*, qui ad altare consistens populo *Venerabile* benedicturus exhibebat, & quadringentis aliis, qui in Sacello *S. Agathæ* divinam opem implorabant à ruinâ immunibus. *Nato, Uzivi Ajace, Caltagirone, Mascari* eversæ sunt supra medietatem: *Occhiala, Mineo Leontini, Carlentini, Mililli, Forredia & Avola* cum omnibus incolis in abyssum demersæ ne urbium quidem reliquiis apparentibus, *Militello Francofonte, Spacca furno* ostendunt adhuc rudera. *S. Croce, Vittoria, Chiaramonte, Comite, Monte Rosso, Glatzratone, la Fortza palatzolo, la Cassaro, Buchleron, Nicodia* in Comitatu *Modicâ* venustissima loca: *Miserbiano, Felice Monta, la Motta, S. Giovanna, Palermo, la Brage Mascavil, Torredigrello*, Botello, *Pedasa, Viagrande, Trecartagne, S. Antonio, la Cadena, la Palonia, sancta Lucia*, Jace, cum Castellis *S. Philippo*, Buona corsi, *S. Gregorio il Trapico, la Punta, Tremisterii, Belloverde*, Castello *della* Barcole omnia hæc susque deque versa sunt.

1694. Die 19. Martii *Leodii*, die 23. ejusdem *Bruxellis* & aliis ibidem locis terræmotus fuit observatus. In Aprili Sicilia quoque contremuit in loco *S. Sepolchro* dicto templum cum aliis ædificiis corruit, & plures homines oppresfit. Die 26. Maij in *Alicanten* terræmotus observatus est. Mense Septembri in Pugliæ civitate *Matera* Archiepiscopus cum 4000. aliis diversi sexus & generis hominibus ruina ædificiorum oppressus est. In Provinciis *Montefuscoli Capitaneata*, & *Basilicata* ingentia quoque damna succussa terra evenerunt.



DISQUI-

DISQUISITIO II.

BOTANOSCOPICA SIVE PHYTOGNOMICA.

Quâ NATURÆ vegetabilis Regnum perluſtratur, & abditæ quarumlibet plantarum vires, arcanæ proprietates, & variæ qualitates explorantur ac recenſentur.

NUllibi in Naturâ eluceſcit Majeſtas amplior, nullibi præcellit varietas major, quàm in prædiviti multiplicium plantarum, ac vegetabilium Regno, quod nunc intimè, quantum licet, perluſtrare aggredimur. Sapienter ſcripſit *Seneca* antiquus Philoſophus : *Multum egerunt, qui antè nos fuerunt, ſed non peregerunt: multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec ulli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi.* Ità multum egerunt veteres Philoſophi, & naturalium rerum quantumvis ſtrenui indagatores, qui indefeſſo ſtudio, ſummâ curâ ac induſtriâ, incomparabili diligentiâ quarumvis arborum, ſtirpium, & herbarum, quorumlibet, inquam, vegetabilium ſubſtantias penetrare, differentias diſcernere, abditas virtutes disquirere ſtuduerunt; non tamen circa hæc omnia peregerunt, dum hujus noſtri ſæculi curioſiſſimi Phytomantæ novis tentamentis Naturæ latebras explorare, & conatibus longè aliis ad capeſſenda experimenta ejusdem intimos receſſus perquirere, & ab inventis, detectisque, nec non mirificè patefactis arcanis longè aliter jam ratiocinari didicerunt. Excellit plurimùm in hoc ſtudio ſolertiſſimus Marcellus Malpighius, & cum eodem complures alii; ſingularis tamen & præcipuus planè videtur eſſe vir in Anglia Clariſſimus *D. Nehemias Grew*, qui præclara omninò methodo plantarum Anatomen conſcripſit, ubi à ſemine denuò ad ſemen Vegetabilium hiſtoriam exponit, neque tantum partes omnes & ſingularem in iis anotatam ſtructuram, ordinem & diſpoſitionem declarat, ſed & inſignem quarumvis earum uſum, exactum vegetationis modum, peraptum propagationis, & perpetuationis proceſſum, ſeriem, rationemque oſtendit; ut proindè cum tanti viri licentia (quam haud gravatè indulgebit) ad tam præclaram ejus induſtriam ampliùs per ſpatioſiſſimos Orbis literati campos diſſemiandam, ea, quæ ſagaci admodùm indagine compertus eſt, mutato ac contracto nonnihil ordine, atque methodo recantare, ſicque planiorem viam ad intimam Vegetabilium cognitionem adipiſcendam aperire viſum ſit. Sequentur deinde Regulæ & obſervationes Phytognomicæ ex doctiſſimorum virorum monumentis depromptæ, atque ſic in ordinem collectæ, ut non tantùm vegetabilis Naturæ Regnum eximiè indè perluſtrari, ſed & compendioſa quædam, eaque plurimùm accurata de admirandis plantarum viribus indagandis ſcientia facilè acquiri poſſit. Sed antequam rem ipſam auſpicemur; libet prius breve dictionarium phytologicum, ſive terminorum botanologicorum deſcriptionem & expoſitionem præmittere, ut tum in hujus disquiſitionis decurſu, tum in aliorum Botanicorum monumentis evolvendis facilè omnia intelligi queant.

CAPUT I.

Terminorum phytologicorum brevis descriptio & explicatio.

A.



Cinus est fructus, qui ex succo & parte, quæ velut caro est, & ex vinaceis & ambiente cute vel folliculo constat. Extenditur etiam hoc nomen latius ad fructus minutiores arborum fruticumque spissius & coactius crescentes velut hederæ &c. Distinguitur à bacca, quæ rarius crescit, ut in olea &c.

Ala caulis est angulus, quem folium aut pediculus folii cum caule, vel ramo constituit. Accipitur etiam pro ramulo, ut cum dicitur caulis in multas alas divisus.

Alabastra vocantur folia illa viridia herbacea, quæ flores sepiunt. Sic alabastrum Rosæ notat globum nondum explicitum totum, sed conniventem.

Alburnum à colore albo dicitur à *Plinio* ligni pars mollior & teredini magis obnoxia.

Antheræ Offic. dicuntur summitates seu cacuminula in florum medio staminibus incumbentia.

Apices idem significant quod *Antheræ*.

Arbor est planta lignosa crassitudine & altitudine inter reliquas plantas maxima, è cujus radice unus ac simplex consurgit & attollitur caudex sivè truncus; è trunco autem rami quasi brachia explanantur: è ramis verò surculi, in quibus folia, flores & fructus suo tempore erumpunt.

Arilli offic. dicuntur vinacea gigarta quasi aridula, quod sicci sint, & nullum fructum præbeant.

Asparagus vocatur primum germen herbarum, quod edendo est vel oleris cujuscunque turio antequam in folia explicetur. Hinc ita per antonomasiam dicitur herba quædam, quæ grandes & edules profert asparagos.

B.

Baccæ dicuntur fructus parvo-rotundi, qui sparsim arboribus adnascuntur.

Bulbus vel *Bulba* est radix subrotunda vel pluribus tunicis se amplexantibus, vel pluribus squamis imbricata ferè dispositis coägmentata fibras plurimas ex ima sede seu basi emittens. Aliis Recentioribus *bulbus* est vera planta, ex qua caulis quasi novus fœtus quotannis oritur cum flore & semine etiam deciduis. Latius etiam sumitur pro quavis radice uno tubere constante etiam solida & substantia continua nec divisa in squamas aut tunicarum involucra fibras ex ima sede aut basi emittente sicut croci, & colchici radices bulbosæ dicuntur.

C.

Calix, folliculus, seu involucrum floris dicitur priusquam dehiscat præcipuè Rosæ. Interdum flos ipse Rosæ connivens & nondum expansus sic vocatur. Frequentius accipitur etiam pro folliculo, quo primùm flos, deinde semen herbarum, & fructus arborum cooperitur.

Capillamenta sunt *filamenta* illa tenuia in florum medietate surgentia apicibus plerumque donata.

Capitatæ plantæ dicuntur, quarum flores ex flosculis etiam marginalibus fistulosis componuntur, quoniam calix eorum squamosus in ventrem plerumque, grandiusculum, & subrotundum extumescit: cujusmodi sunt Jacea, Carduus, Centaurium &c.

Capitulum est, quod constat ex pluribus floribus & staminibus arctè in globosam aut circularem sivè disciformem figuram congestis: ut in cyano, scabiosa, carduis &c.

Capreolus est pars quædam auxiliaris filamenti aut funiculi æmula cicinni in modum contorta, è qua planta quævis vicinis stirpibus, aliisque stipitibus se implicans in altum enititur.

Caro dicitur substantia illa mollior fructuum succulentorum, quæ aliàs & *pulpa* vocatur.

Catulus idem est, quod *julus* aut *nucamentum* prælongus nempe quasi vermiculus dependens, ut in salice, corylo, juglande &c.

Caulis est, quod supra terram simplex assurgit, unde folia, frondesque seu ramuli emicant. In arboribus & fruticibus vocatur etiam *caudex*, in frumentis *culmus*.

Cicus & *ciccum* dicitur membrana tenuis acinos in malo punico discriminans.

Clavicula idem est, quod *capreolus*.

Comæ sunt plantarum summitates, vel arborum frondes.

Conus dicitur fructus ex compactili lignosarum squamarum strue compositus coni figuram æmulans. Sic dicuntur coni abietis, pini &c.

Cor sive *corculum* seminis dicitur portiuncula seminis, unde tum radix, tum germen enascitur.

Cortex vocatur exterior arboris crusta, à *Corium* & *tego* sic dicta, quia velut corium tegit. Interior autem tunica ipsi ligno adhærens *liber* dicitur.

Corymbus generaliter notat quodvis summum; apud Phytologos verò *Corymbi* propriè dicuntur Hederæ racemi. Aliis *Corymbus* dicitur extremitas caulis ita subdivisa & floribus, fructibusquè onusta, ut sphærica inde figura nascatur; sicut in sambuco aquatica, cepa, porro &c. Aliis & *umbella* dicitur: sumitur etiam pro flore composito discoide, qui in pappos non resolvitur; qualis in chrysanthemo, Bellide & aliis

aliis cernitur. Hi siquidem flores in latum extensi *umbellam* sive *corymbum* quodammodo æmulantur.

Croci idem sunt quod apices floris stamini incumbentes ut in Croco herba ita dicta comparet.

Culmus Frumenti aut graminis dicitur calamus à radice ad spicam extensus.

Cyma Cymæ & *cyma cymatis* vocatur partus novellus, qui prima germinatione producitur, estquè ipsorum caulium delicatior, teneriorq; cauliculus. Latius adhuc *Cymæ* pro sumitatibus quarumcunq; herbarum sumuntur.

Cytinus flos dicitur mali punicæ sativæ, sed & hic quoquè in officinis *balaustrium* dicitur.

D.

Dactylus, palmula, Caryotis est palmæ arboris fructus à digiti similitudine dictus.

Digitatum folium nominatur, in quo plures laciniæ, seu plura simplicia folia quasi ad unum petioli punctum sivè terminum aptata sunt, ut in pentaphyllo, lupino, fragaria trifoliis &c.

Discus & media pars floris compositi ex compressis & confertis flosculis ita ut unam quasi apparentem superficiem constituant velut in caltha, flore solis &c.

E.

Echinus asperum & spinosum castaneæ operculum dicitur, & in genere quidquid numerosa congerie aculeorum stipatur sive tegmen, sive caput, sive cacumen fuerità similitudine Echini animalis.

Emplastratio servit ad propagationem & translationem plantæ; fit cum amputatis omnibus ramis in arbore, ne succum avocent, nitidissima in parte; quaque præcipue cernitur hilaritas, exempta scatula (ne descendat ultra ferrum) cortici imprimitur ex alia arbore cortex par cum sua germinis mamma sic compage densata cicatrici, ut locus non sit, & statim unitas fiat nec humorem, nec afflatum recipiens; probè tamen luto, vel melius vinculo munitur.

F.

Fibræ sunt veluti stamina rebus nonnullis intertexta v. g. ligno, foliis &c. Melius *Fibra* plantæ pars similaris dicitur in longum per totam ejus substantiam extensa. Ejusmodi *Fibræ* vulgò creduntur esse viæ, per quas alimentum transfertur. Flagella in vitibus dicuntur teneriores palmites in anniculis sarmentis nati.

Flos est quasi neva quædam planta principi plantæ sucrescens, cujus quatuor numerantur partes constitutivæ, scilicet *calix*, *folia*, *stamina* sive *antheræ*, & *stylus*. Aliis dicitur pars plantæ tenuior colore vel figura, vel utroque insignis fructui prævia, eique plurimum cohærens, & tenello tegendo fovendoque fructui inserviens, quæ postquam explicatur, brevi aut decidit, aut inarescit.

Flos alius est *simplex*, alius *compositus* & *aggregatus*. Hic ita dicitur, quod pluribus flosculis in unum totalem florem coëuntibus constet: Estque *discoides*, vel *planifolius* natura *plen*° vel fistularis. Discoides vel disco constat radiato vel *disco nudo. Planifoli*° natura *plenus* seu secundùm speciem *plenus* est, qui ex flosculis quasi planis in aliquot gyros dispositis confarctus est: *Fistularis* est, qui pluribus concavis oblongis flosculis ad margines in longas lacinias dissectis compositus est.

Flos simplex dicitur, qui non dividitur in flosculos, sive qui unico & simplici plerumque stylo seu vasculo seminali donatur. Opponitur interdum *multiplici* seu *pleno*. Flos *simplex* alius est *monopetalus*, alius *polypetalus*. *Monopetalus* sive *unifolius* est, qui unico tantum petalo continuo constat, quod plerumque cavum est aut fistulosum. *Flos simplex polypetalus* pluribus foliis in una serie aut circulo dispositis componitur, diciturque & à petalorum numero denominatur *dipetalus* seu *bifolius*, ut in circæa Lutetiana; *Tripetalus* ut in plantagine aquatica: *tetrapetalus*, vel *pentapetalus*, vel *hexapetalus* &c. ut in aliis. Quatuor, vel quinque, vel sex petalorum floribus.

Folium est quod à sede, cui adhæret, in longitudinem & latitudinem extraditur, ita, ut superficies folii interna seu superior caulem respiciens ab externa seu inferiore differat. *Folium* aliud dicitur *simplex*, aliud *compositum*.

Folium compositum est, quod ex petiolò, seu nervo, seu costa & lobis vel laciniis constat. Distinguitur in *digitatum* vel *pennatum* vel *triangulatum*. *Digitatum* est, ubi plures laciniæ quasi ad unum petioli punctum, sive terminum apertæ sunt. Ut in trifoliis &c. *Pennatum* est, in quo lobi è regione sibi ad idem quasi costæ punctum sive ad eandem costæ distinctionem opponuntur. *Triangulatum* est, cujus costa ita ramosa est, ut bini rami ex eadem distinctione sibi primariò oppositi in tot ramos findantur, quot reliqua exterior cóstæ primariæ portio obtinet. Dicitur etiam *ala foliosa*, sive *folium ramosum*. Alii *folium compositum* dividunt in *digitatum* seu *circumscriptione rotundum* & ad pediculum usque incisum. Secundò in *pennatum*, & tertiò in *multifidum*, sive in plures lobos seu lacinias dissectum.

Folium simplex est, quod non dividitur in lobos seu lacinias disjunctas, estque margine vel integro, vel scisso, vel sinuato, vel sine sinubus, denique vel concavum vel planum.

Folliculus est tenuis theca, quæ granum vel semen continet involutum.

Fructus dicuntur grandiores illi ac succulenti plantarum fœtus sive seminum receptacula: ut poma, pyra &c. *Jungio* Fructus dicitur pars plantæ annua flori cohærens & succedens, qui ubi maturuerit sive ad perfectionem venerit, sponte à planta abscedit, & terra, aliave commoda matrice excepta novæ plantæ fit initium.

Fruges vocant, quidquid de terræ proventu in alimoniam cedit.

Frumenta sive *frumentacea* Botanicis dicuntur, quæcunque geniculato culmo & arundinaceis foliis constant, femenq; pultibus, aut panificio aptum in spicis aut jubis producunt.

Frutex est stirps inter lignosas plantas altitudine ac crassitudine mediocris, cui pro superficie stipes perennis natura multi, lex, quique facilè in naturam arborum stolonum abscissione transit.

Fundus plantæ dicitur limes comunis, in quo radix & pars superior cohærent.

Fungus diversimodè accipitur: aut enim notat excrementum terræ, vel excrementum terræ quoddam variæ formæ & figuræ suntque hujusmodi fungi rudimenta plantarum: quorum tres sunt species, ut *esculenti* sivè *edules*, *officinales*, & *Venenosi*. Alii fungos dividunt in *terrestres* & *arboreos*: terrestres iterum dividunt in *lamellatos* & *pileatos*.

G.

Gemma sivè *oculus* dicitur id, quod in arboribus & fruticibus tumescit, cum parere incipiunt. Unde *Gemmæ* dicuntur arborum & fruticum fætus novelli, quos quotannis æstate, vel autumno pariunt squamosis tegumentis veluti secundinis obvoluti, in quibus per totam hyemem latitant, & vere tandem de novo in surculos explicari incipiunt. *Gemmarum* duo sunt genera, aliæ folia tantùm intra se continent, & in surculos foliosos explicantur: aliæ etiam floribus prægnantes sunt, quæ facilè ab illis veris initio magnitudine sua discernuntur.

Geniculum est nodus quidam herbarum in caule.

Glans dicitur, quod cortice constat crustoso unicum tantum semen continente, cujus pars posterior, quæ arbori adhæret calice coöperitur parte superiore nuda.

Gluma, *utriculus*, *folliculus* grani seu involucrum seminum in frumentis dicitur à *Glubendo*, quod eo folliculo deglubitur granum.

Gramen à gradiendo dicta est Herba, quod geniculatis internodiis mirificè serpat, crebroque novas spargat radices.

Granum propriè dicitur semen frugum.

Gummi est lachryma vel succus tenuis ligni vel corticis poros permeans, ibique coälescens & concrescens, estque novum quoddam corporis genus, plerumque diaphanum aut transparens, & sæpe multum diversum à natura plantæ, ex qua promanat.

H.

Herba est planta in suo genere perfecta haud magna à radice foliata, sine caudice quidem erumpens, sed caule unico semen ferens, quæ postquam semen suum protulit, in nullis ipsa perit: quod de annuis & biennalibus &c. intelligendum venit: non paucæ enim herbæ sunt, quæ radicem perennem habent. Ab aliis dicitur stirps, cujus superficies est ex foliis tantum, vel etiam ex caule, sed illo annuo carnoso, & qui diutius durare nequit, nec lignosus est, nisi cum acuerit.

Herbæ capillares dicuntur, quæ capillis sanitatem & nitorem conciliare, omnibusque illorum vitiis mederi credantur.

Herbæ culmiferæ vocantur, quæ caulem teretem geniculatum, & plerumque concavum edunt foliis cinctum ad singula genicula singulis longis, angustis, acuminatis foliis, quorum etiam semina glumis acerosis tecta sunt.

Herbæ dorsiferæ aut *dorsiparæ* dicuntur, quibus semina aversæ foliorum parti ad nascuntur in punctis illis seu lineolis ferrugineis ibidem efflorescentibus.

Herbæ multisilquiæ sunt, quæ ad singulos flores plures producunt siliquas sivè cornicula disjuncta, undè & *corniculatæ* dicuntur.

Herbæ stellatæ vocantur, quarum folia caulis stellæ radiuntis in modum ambiunt.

I.

Insertimentum in plantis sive *insertiones* sunt, cum radii in plantis osculando alter alteri respondet, ut hinc illud, quod *insertimentum* dicimus, formetur. Communiter *insertiones* facilius in radicibns deteguntur, cum per longitudinem æque & latitudinem radicum continuent cursum.

Inosculationes in plantis fiunt, cum partes sibi invicem occurrunt ita, ut una quidem in alteram incurrat, distinctè tamen feratur eo ipso modo, quo nonnulli nervorum, licet occurrant sibi, per spatium tantum invicem socientur.

Insitio in latissimo sensu accepta est ejusmodi applicatio surculi seu gemmæ ad truncum, ramumq; vel suum vel alienum, ut arte naturam juvante tandem uniantur, & coalescant. *Insitionis* modi præcipuè tres sunt, ad quos alii revocantur: vel enim surculus ligno sive trunco inseritur, & vocatur *insitio truucalis*: vel cortici, & dicitur *corticalis*, vel oculus oculo infigitur, & uno nomine vocatur *inoculatio*.

Internodium est intervallum inter bina genicula, quale in culmis & in arundinibus cernitur.

Juba est arundinacea coma laxè effusa, qualis in milio cernitur.

Julus nucamentum est, quod in corylo, juglande, &c. velut prælongus vermiculus dependet.

L.

Lachryma est humor è plantis tum spontè effluens, tum incisione facta promanans.

Lacinia est portio folii inter duas fissuras seu profundiores scissuras inclusa.

Lanugo est mollis foliorum aut fructuum lana, sicut in cidoniis reperitur.

Legu-

Legumen vel *Legumentum* dicitur, quidquid ex terræ satis in siliqua nascitur, ut faba, pisum &c.

Liber vocatur inferior tunica arboris ipsi ligno adhærens.

Lignum seu lignea plantarum portio dicitur, quæ sub cortice latet, hocque detracto in arboribus fit maximè manifesta, & ex pluribus partibus coägmentata comparet.

Lobi dicuntur in seminibus præsertim siliquosis & leguminosis partes albæ, quibus radicula & pluma cum ramificationibus inserta est, indeque cum semen terræ commissum est, primum trahit nutrimentum. Vocantur ita etiam candidæ illæ particulæ in rosarum foliis, quibus calici adhærent, alias *ungues* dictæ.

Loculamentum est camera quædam seclusa & distincta in seminum vasculis.

Locustæ vocantur avenaceæ glumæ singulares cum seminibus ex longis filis dependentes ob quandam similitudinem cum locustis dictæ. Extenditur hoc nomen ad graminum paniculatorum grana glumis involuta significanda.

M.

Malicorium dicitur proprie mali punici cortex.

Malleolus vocatur novellus palmes innatus prioris anni flagello. Cognominatur à similitudine rei, quod in ea parte, quæ deciditur ex vetere sarmento prominens utrinque malleoli speciem præbet.

Matrix arboris idem significat, quod ejus *medulla* vel *cor*.

Medulla mediam cujusque plantæ partem molliorem significat, quam & *cor* & *matricem* etiam appellant.

Merges dicitur manipulus spicarum, quantum scilicet semel instrumentum messorum mergus dictum inter metendum cœpit.

Muscus herba est, seu potius lanugo in corticibus arborum & circa fontes & loca humida nascens.

Mutica spica dicitur, quæ caret aristis quasi mutila vocata.

N.

Nervus vocatur prælongum & continuum filamentum folia perreptans ut in plantagine, quæ indè quinquenervia & septinervia pro numero nervorum dici solet.

Nucamentum idem est quod *julus*, sive *panicula* quædam è ramis nucum aliarumve arborum dependens.

Nucleus id vescum significat, quod sub putamine nucis latet. Generalius significat semen quodcunque nucibus vel aliis fructibus inclusum & occultatum.

Nux à nocendo putatur dicta; aliis quod ut nox aërem, ita nux succo suo corpus faciat atrum. Est autem *Nux* generale nomen, conveniens omnibus, quæ duro teguntur operimento: Unde *Nux* in genere significat fructum, qui exterius duriori coöperitur cortice, & intus habet latentem nucleum, qui comedi potest.

O.

Oculus idem significat quod *gemma*, nempè tuberculum in surculis, undè germinant.

Olus quæcunque herba esculenta dicitur ab olla nomen sortita, quod in cibum veniat.

Osculationes vide supra *inosculationes*.

Officulum propriè vocatur penetrale fructuum carax contectum, in quo nucleus est ut in cerasis prunisque.

P.

Panicula est lanosa coma, unde semen dependet, ut in arundine, milio, gramine &c. Generatim significat, quidquid sub longa vel subrotunda forma tumet.

Papilonacei flores dicuntur, qui papilionem alis expansis quadantenus referunt ut in phaseolo, & aliis hujusmodi.

Pappus dicitur lanugo è floribus veterascentibus decidua & volatica, qualis in carduis, Hieracio &c. reperitur. Hinc classis herbarum *papposa* seu *pappiflora*.

Parenchyma in plantis intelligitur substantia illa, quæ inter alias denominatas partes, vasorumque capedines interjacet.

Pecten est arboris linearum tractus, qui in longum excurrit in materia seu ligno, cujusmodi in pectine conspiciuntur dentes.

Pediculus est à quo folium, aut flos, aut fructus dependet.

Pennatium folium est, in quo bini lobi seu mavis folia partialia è regione sibi ad idem quasi costæ punctum, sive ad eandem costæ distinctionem opponuntur, ut in fraxino & juglande.

Perianthium est quod florem tegit, atq; etiam calix dicitur.

Pericarpium à nonnullis restringitur ad significandam pulpam mollem seu humidam, semina ambientem, ut in pyris pomis &c. Alii extendunt ad significandam thecam aut involucrum seminis quodcunque sive *membranosum* illud sit, ut in viscis ulmi, staphylodendri &c. Sive *durum*, ut in castanea; sive *carneum* ut in pomis.

Petala dicuntur floris folia seu laminæ illæ tenellæ colore insignes & fugaces. Hinc pro numero foliorum dicuntur plantæ *tripetalæ*, *petiolus* idem est quod *pediculus*.

Puma vel *Plumula* dicitur rudimentum plantæ superius, unde caulis & folia efformantur, in semine, cui infra *radicula* adhæret.

Pomum generaliter significat fructum arboris aptum ad comestionem, sive is molli corio tegatur, sive duro. Strictius autem significat fructum cujus caro esculenta nec duro putamine includitur, nec officulum in se continet.

Pulpa est caro seu substantia fructuum succu-

succulentorum inter corticem ac nucleum comprehensa velut pomorum, cerasorum &c.

R.

Racemus pars est Botryonis, vel ipse botrus, sive uva è multis constans acinis. Extenditur etiam ad alios fructus, qui uvæ in modum ex pluribus acinis sunt conglobati.

Radicula est ea pars seminis, quæ ad basin ejus seu extremitatem duriorem sita est, inde demum eruptura per foramen in cortice vel interiore membrana conspicuum, ut per vegetationem abeat in radicem; ideoque dicitur *radicula*, quia est quasi embryo aut rudimentum quoddam radicis.

Radix est pars plantæ infima terræ condita, qua ipsi firmiter planta adhæret, & ex ea succum alimentitium quasi sugit.

Ramus est, in quem caulis dividitur, estque velut brachium plantæ.

Resina est liquor pinguis & oleaginosus ex arbore sive sponte, sive ea vulnerata destillans, quæ in aqua non dissolvitur, sed in oleo duntaxat, flammamque facilè concipit.

S.

Sagitta dicitur superior pars surculi aut flagelli, sive quia longius recessit à matre, & quasi micuit atque prosiluit, sive quia cacumine attenuata prædicti teli speciem gerit.

Scapus est caulis rectus in columnæ modum; vel est pars caulis ramosi, qui à fundo ad cacumen una linea extenditur, cui rami utrinque adhærent.

Semen minutiores plantæ partes denotat, ex quibus simile nasci potest. Volunt *semen* quasi *serimen* à verbo *sero* dictum. Dicunt & seminium, quod in terra satum aptum est de se simile, undè provenit, producere.

Siliqua est folliculus oblongus, cui leguminum & similium grana includuntur.

Spadix ramus palmæ unà cum fructibus revulsus dicitur: inde & color quidam *spadiceus* denominatur.

Spica quasi *speca* dicta à spe, ut inquit *Varro de re Rust. lib. 1.* in frumento vocatur totum illud, quo granum continetur, cujus partes sunt *glumæ* & *aristæ*. Generatim aliàs dicitur quod culmus extulit, continetque granum, glumen & aristam.

Stamina idem sunt quod *capillamenta*.

Stirps planta est firmitate prædita.

Stolo inutilis & quasi *stolida* dicitur *fruticatio* ex arborum radicibus. Unde & *stolones* sunt inutiles cauliculi à radicibus aut caudicis lateribus succrescentes.

Stylus est pars floris, medium ejus occupans, & rudimento fructus aut seminis cohærens. Dicitur etiam *stylus*, quia in longitudinem tenuem plerumque extenditur.

Suffrutex est planta humilior lignescens, & perennis à radice non foliata & ab imo statim ramosa. Vel est planta inter lignosas minimæ & altitudinis & crassitudinis superficie perenni non gummipara.

Surculus est, quod in ramis simplex oritur, & frondet generat, detrahiturque interdum vel resecatur ex arbore ad alias rursum producendas. Vocatur etiam ramulus novellus, qui inspicatur ad ferendum. *Surculosum* dicitur, quod *surculis* abundat.

T.

Talea nonnullis est surculus præcisus ab utraque parte, ut terræ. *Taleolus* inferatur vocatur pars plantæ transversim secta.

Termes & ramus ex arbore decerptus cum fructu.

Thyrsus est, quod in virgulæ modum aut in teli rectitudinem in planta consurgit.

Tomentum lana brevis forcipibus defecta communiter dicitur; ad plantas autem defertur quæ molli & lanosa coma in capitulis eminente præditæ sunt ut carduus tomentosus, granum tomentosum &c.

Topiarium opus vocant arbores, frutices aliasque plantas egregio artificio in formas animalium aut aliarum rerum ductas & ordinatas. A *topiis* seu *funiculis* nomen obtinuit, quibus frutices aut arbusculæ tonsiles religatæ multis hinc inde distinentur locis, torquentur, & flectuntur ad fingenda, quæ ludunt rerum & animalium argumenta.

Truncus est caudex arboris vel plantæ ramis & frondibus destitutus.

Tuber est fungus subterrancus à tumeo nomen habens. Hinc plantæ, quæ prætumidas habent radices, vocantur *tuberosæ*.

Turiones dicuntur tenella arborum, fruticum aut herbarum cacumina quasi teneriores, quod etiam facile terantur. Item dicuntur teneritates summitatum ipsarum arborum, quæ singulis annis crescunt.

U.

Verticillatæ plantæ vocantur, quarum flosculi caulem articulatim velut verticilli amplectuntur foliolis interceptis, ut in pulegio & marrubio cernitur. Nomen hoc obtinent à *Verticillo* instrumento rotundo, quod fusis adhibetur, ut facilius vertantur.

Vimen dicitur omne virgultum lentum & flexille ad ligandum aptum.

Virgultum sive *cremium* dicuntur ligna tenuia seu germina, quorum usus est ad cremandum.

Umbella vocatur floris feminisque velut pedamentum in plures divisum longiores pediculos, qui simul ex eodem fastigio orti in latius continuò radiantur, singulique florem sustinent in orbem circumactum, ut in fæniculo, anetho &c. Ab aliis vocatur extremitas caulis per multas subdivisiones in Coni inversi figuram aptata à simi-

à similitudine *umbellæ*, qua mulieres faciem à sole arcent.

Umbilicus primò dicitur quod in pomis vel prominet, vel reconditur ab adversa pediculi parte. Secundò media pars floris undè stylus & stamina emergunt.

Unguis est pars ima folii rosæ albida: extenditur etiam ad aliorū florum petala.

Volva pomi medium dicitur, in quo ceu loculo latent semina.

Uruncus vel *uruncum* in segetibus dicitur, quod est in imo spicæ circà summum culmi cacumen minus grano.

Utriculi sunt seminum in fructibus involucra & operimenta, quæ trita & cribro excussa *glumæ* sive *acus* dicuntur.

CAPUT II.

Anatomia Vegetabilium juxtà mentem, & Experimenta Doctiss. Viri Nehemiæ Grew.



Ssentialis licet in Vegetabilibus constitutio partium, veluti Radicis, Trunci, Ramorum, Foliorum, Florum, Fructuum, & in fine tantum omnium seminis nempè iterùm serendi sit eadem, observationum fide tamen partes quasdam magis, quasdam minùs convenire notatum est, ut melius in sequentibus patebit. Ordimur itaque.

§. I.

De Semine.

Tres Seminis partes. Lobi, Radiculæ, & pluma. 1. Ad unumquodque imprimis Semen constituendum concurrunt tres partes Organicæ: *Lobi* scilicet, sive corpus elatius, *Radicula* & *Pluma*. Præter has verò partes Organicas in quovis etiam semine aliæ similiares reperiuntur, quarum prima censetur esse cuticula tenuis semini exquisitè & arctè connexa, quæ non solùm suprà convexas loborum partes, sed & eorum planities, ubi se invicem contingunt, extensa est. Similiter extendit se suprà radiculam & plumā atq; ità suprà integrum semen. Licet verò hæc cuticula cum aliis involucris communis sit; differt tamen ab his, quod dum semen terræ inseritur, hæc succum tantùm suggerant, & officio expleto exarescant; illa verò cum organicis partibus nutriatur, augeatur, & per veram vegetationem extendatur.

Foramen in semine quolibet. 2. In exteriori quorumvis ferè seminum cortice foramen quoddam conspicitur, quod dissectum observatur terminari versus radiculam. Est autem foramen illud adeò sæpè exiguum, ut absque microscopicæ lentis adminiculo vix discerni queat. In quibusdam non videtur, nisi pars quædam seminis visum ejus interceptum abscindat; estque in his ac similibus seminibus à loco, undè pedunculus abruptus est, perfectè distinctum. Omnia etiam semina, quibus durum, & crassum est involucrum, foramen illud similiter eodem vel alio quodam modo perfectum exhibent, licet cuticulæ, quæ semina quovis modo includunt, dum tenera sunt, visibiliter perforatæ non compareant.

Seminum Lobi. 3. Quævis semina lobos suos habent, quædam exilia tamen admodùm, non in duos, sed plures lobos dividuntur, ut semina *Nasturtiorum*: quædam planè non dividuntur, sed continua sunt, ut *grana frumenti*. Exceptis his paucis reliqua omnia etiam exilissima in veros duos lobos dividuntur.

4. Radicula est densior & compactior; candidioris itē coloris & magis nitens ipso corpore elatiori comparet. In quibusdam tamen seminibus aliquantùm supra partem crassiorem sita est, ut in fabâ, si in eo situ, quo ad crescendum disponitur, teneatur. In variis aliis seminibus, *glandibus quercinis, pomorum nucleis*, aliisque ferè juxtà finem prominet. In bonâ insuper Radiculæ parte Truncus integer apparet, ac imprimis versus basim in plures magnos ramos dividitur, quorum medius rectà in plumam incurrit: Posteriores ad latera parvo abhinc spatio in lobos abeunt, ubi rami dicti quandoque in alios minores dividuntur, & hi rursus in plures, & teneriores versus loborum virgas, sive margines utrimque terminantur; qua ratione distributum interius corpus in lobis utrinque Radix vera & perfecta efficitur. Radicula.

5. Pluma, sive plumula radiculæ, cui tanquam basi innixa est duabus exiguis cavitatibus in duobus lobis formatis conclusa inhæret, planè tamen contrariæ cum radicula productionis, dum reverà est ea ipsa pars, quæ in progressu Vegetationis evadit corpus, sive Truncus vegetabilis. Ut autem pluma est pars illa, quæ fit plantæ truncus; sic partes illius tot sunt veræ, & jam formatæ, licet non explicitæ frondes pro ipso trunco designatæ & complicatæ in eâ ipsâ plicaturâ, in quâ post germinationem posteà apparent. Sicut etiam corpus internum ramificatur in lobis; ita & in pluma fieri credendum est, licet non in omnibus seminibus ità manifestè observetur, tum quod in pluribus seminibus quantitas tàm exigua, & parva existat, tum quod etiam à colore, qui in pluribus seminibus cum parenchymatis colore coincidat, ab eo discerni vix possit. Pluma.

6. Parenchyma, sive pars ea seminis, per quam totum interius corpus disseminatur, superficietenus quidem aliquantò densius apparet, interius tamen magis porosum & laxioris texturæ existit. Licet porrò parenchyma omnibus partibus organicis sit commune; hoc tamen in differentibus planè portionibus efficitur: ac licet in quâcunq; seminis parte existat, respectivè tamen ad singulas partes admodùm regulariter distribuitur. Plura de semine vide infrà. Parenchyma Seminis.

§. II. De

§. II.

De Radice.

Duæ radices in plantâ quâvis.

1. Quælibet planta duas revera radices, licet non contemporaneas, sed successivas obtinet, radicem nempè originalem vel seminalem in suo semine, & plantæ radicem, quæ in germinatione fit radix. Parenchyma verò seminis in quâdam similitudine respectivè imprimis ad seminalem radicem idem est, quod posteà matrix ad plantæ radicem; sicut radix seminalis respectivè ad plantæ radicem idem est, quod plantæ radix ad Truncum.

Radicis cutis sivè cortex.

2. Radicis à Radiculâ seminali exortæ pars prima occurrit Cutis, sivè Cortex, quæ ex radiculæ cuticulâ exoritur, & superlobos seminis, & hinc super radiculam expansa cum Radicula in radicem germinante coëxtenditur, atque cutis ejus evadit. Ejus autem substantia à Radiculæ parenchymate ortum habet, quoniam parenchyma radiculæ per vegetationem auctum, & prolongatum in radicem fit corticalis substantia, sivè illud, quod Liber radicis dicitur. Radix autem quælibet successivè duo genera obtinet cutis, alteram coætaneam partibus aliis, quæ ab involvente partes ipsas seminis exoritur; alteram post natam, quæ ubi radix inveterascit, in prioris locum succedit, originemque à libro ducit.

Cutis postnata & coætanea.

3. Cutis postnata ut plurimum, si non semper componitur è duobus generibus corporum (quod itidem probabile censet Author de coætanea) quorum prius est parenchymaticum ac frequenter construitur ex cellis & bullis excessivè tenuibus, quæ sunt magnitudinis differentis, majores nempè & minores; nonnunquam etiam hæ coincidunt & disparent. In omnibus autem radicibus eo ipso in loco, ubi hæ bullæ non apparent, parenchyma cutis ejusdem naturæ substantialis est cum parenchymate altero vividiore & crassiore libri, uti manifestum fit ex eo, quod indè origo ejus derivetur, & similiter conformetur non adjacens, sed continuum illi.

Liber radicis.

4. Liber, qui est plicabilis & extensibilis, atque ex cute & substantiâ corticali formatur, communiter in radicibus, quæ in terram inseruntur, semper ferè est albus, licet nonnunquam & luteus sit velut *in lapatho*, ac ruber, ut in *bistortâ*. Derivatur autem à semine ipso, estque tantùm extensio, aut prolongatio partis unius illorum Corporum, quæ in eo originaliter existunt, quæ aliàs radicula dicitur. Parenchyma libri microscopio inspectum apparet corpus porosum ad modum spongiæ, ejusque pori sunt quasi sphærici & velut massa infinita parvarum cellularum, sivè bullarum fixarum, quæ sæpè adeo exiguæ sunt cum positu earum admodùm regulari, ut absque microscopio difficulter discerni queant. Sunt tamen differentis magnitudinis tùm in eâdem, tùm in diversis radicibus, quas varietates inter omnes radices vult Author *in Ideâ hist. phytol.* cap. 3. reduci posse ad numerum excedentem denarium aut duodenarum. Sunt porrò bullæ hæ receptacula liquoris, qui semper est coloris limpidi ac magis tenuis. Præterea liber non solùm est tramatis diversi, sed & substantiæ compositæ, dum ibi certus est numerus vasorum succiferorum pauciorum vel plurium in alio atque alio loco mixtorum parti parenchymaticæ ad modum filorum tubulosorum, quæ tamen non decurrunt in lineis rectis, sed frequenter invicem ramificantur in formâ operis reticulati. Parenchymaticæ verò partes ubique explent spatia inter fila se amplexantia, ut in *pimpinellâ*, *scorzonerâ* & aliis, si delibrentur, apparet. Insunt etiam libro vasa aërea, quæ successivè ibidem apparent, non formantur tamen ex fluidâ quadam materiâ, uti sunt originales illæ, sed ex parenchymaticis fibris, per mutationem scilicet illarum à sphærico situ in tubulosum, & à circulari in spiralem. Lymphæ ductus plures, vel pauciores potissimum consistunt in annulo ad interiorem libri marginem, quorum succus eatenus à communi natura in omnibus radicibus recedit, quod sit clarus & minus oleosus. Ubi autem mixtura oleosa, gummata aut balsama cum aliàs limpido liquore miscentur, lacteus humor, sivè candidus humor officitur.

Vasa succifera. Vasa aërea. Lymphæ ductus.

Corpus lignosum.

4. Corpus lignosum, quod proximè inter librum continetur, æquè etiam à semine ortum trahit, textura autem in quibusdam partibus est compactior, quàm in cortice, & pori etiam differentes, ac plures ex iis magis aperti, elegantes, & visibiles; non tamen in omnibus radicibus æqualiter, sed in quibusdam minùs, in aliis magis. Extenduntur etiam tantùm in longitudinem, licet corticales tàm in longitudinem, quàm latitudinem porriguntur. Licet etiam partes omnes corporis lignosi in orbem disponantur; Variæ tamen fibræ subtiles hinc emissæ cum corticali substantiâ miscentur. Melius autem dicitur portionem hanc, quæ proximè inter librum & medullam interjacet, è duobus corporibus componi, parenchymatico scilicet, & lignoso, quorum illud ejusdem naturæ substantialis est cum eo, quod est in libro. Textura hujus licet varia sit, communiter tamen tota composita est ex variis bullis differentis magnitudinis, figuræ verò potissimùm rotundæ, nonnunquam tamen oblongæ, & ovalis, ut in *Boragine*, vel oblongæ & quadratæ, ut in *Vite*. Lignosa verò pars, si non semper, communius tamen componitur è duobus generibus corporum, nempè ex vasis succiferis, & aëreis: Utraque verò quoad ramos suos, conjugationes, & configurationes in genere conveniunt cum iis, quæ sunt in libro. Contentum tamen vasorum aëreorum non est purus, sed vaporosus aër. An autem hujus loco quibusdam temporibus liquor insit, dubitat Solertiss. Author in fine cap. 4. Ideæ hist. phytolog. Processus verò spirationis non est accidentalis, sed constanter idem, scilicet in radice per meri-

meridiem ab occidente in orientem: in trunco verò contrà per meridiem ab oriente in occidentem.

Insertiones. 5. Substantia insertionum, quarum origo probabiliter ex Seminis radiculâ derivatur, censetur esse eadem cum parenchymatis radiculæ substantia: pori autem nonnunquam ad minimum per latitudinem radicis aliqualiter extenduntur, per diversos autem lignosi corporis radios, inter quos substantia corticalis inseritur, non per totam radicem totaliter esse discretos, sed totâ viâ arcuatos lignosum corpus tàm secundùm longitudinem, quàm latitudinem hinc ad amplexus, & inosculationes disponere. Inter hos singulos lignosi corporis radios ità connexos corticales radii itidem semet osculando alter alteri respondet, ut hinc illud, quod insertimentum dicimus, observetur. Ut autem hæ inosculationes observentur, radicem transversim secandam, sed librum removendum, monet Author.

Medullæ. 6. Medullæ substantia, quæ in arboribus tenuis, in plantis ut plurimùm elegans, in nonnullis maximam ferè radicis partem constituit, similiter ut insertimenti substantia gaudet naturâ parenchymatis in semine; nonnunquam tamen immediatè à corticali substantia provenit, cum sæpè color substantiæ corticalis & medullæ fit idem, & per insertiones medulla cum substantiâ corticali communicet, illaque magis, minùsque per hanc augmentetur. Ex proportione etiam corticalis substantiæ & medullæ colligi potest, dum circà inferiores radicis partes, ubi medulla exigua est, substantia autem corticalis proportionatè magna; versùs apicem verò, ubi medulla ampliatur, corticalis substantia proportionaliter minor existit; quià scilicet per insertiones suas gradatim in medullam extenditur. Adde, quod & variæ radices, quæ medullam in partibus inferioribus non habent, eandem tamen habeant ad summitatem, ut *Aquilegia*, *Levisticum* &c. Cum partes parenchymaticæ libri per gradus distributæ in portiones diametrales decurrentes inter has lignosi corporis, ac tandem concurrentes, & unitæ in centro medullam hinc indè constituant. Medulla igitur ejusdem substantialis naturæ est cum parenchymate libri, & cum portionibus diametralibus, suntque hæc omnia corpus unum, differens tantùm in figurâ & loco. Textura quoque eadem est constituta ex plurib⁹ bullis, quæ tamen differentis sunt magnitudinis, rarò minores, quàm sunt in libro, comuniter verò multò turgidiores. Situs quoq; similiter uniformis est, ut in libro, figura verò earum communiter circularis magis est, nonnunquam etiam aliquatenus angularis in iis, quæ majoris sunt speciei, ut in flore solis. Est porrò Medulla rete mirabile, ut pulchrè explicat Author factâ comparatione cum textoris tramate, cùm latera omnia constitui videantur cum intertextis filis tenuibus, & fibrosis, quæ sibi invicem à fundo ad summitatem cujusvis bullæ incumbant, & decu- (Medulla velut rete.) satim ab unâ bullâ ad alteram deferantur. Quod verò attinet contenta Medullæ, sunt ea nonnunquam liquor, nonnunquam aër vaporosus. Liquor semper est limpidus, uti libri; aër autem aliquandò magis, aliquando minùs vaporosus aëre libri. Per aërem autem intelligi debet ille, qui continetur in bullis; intra concava fibrarum enim supponitur aliùs, differens ità, ut quemadmodùm in bullis continetur aquosior, & in vasis magis essentialis liquor: ità in bullis nonnunquam continetur magis vaporosus, & in fibris magis simplex, & essentialis aër. Ex his omnib⁹ facilè colligitur partes omnes parenchymaticas fibrarum esse fibrosas, atque ità integrum tandem corpus radicis ex vasis & fibris constare, & fibras ipsas tubulosas esse, aut esse tot vasa, quod probabilissimum est. (Medullæ contenta liquor & aër.)

§ III.

De Caule, & Trunco plantæ.

Coarctatio. 1. In medio Trunci & radicis occurrit imprimis coärctatio sive connexio, quæ omnes illorum partes colligat; indè Truncus assurgens tres partes generales obtinet, librum scilicet, lignum, & medullam, sicut & caulis, aut ramus cujusvis herbacei vegetabilis, vel easdem tres partes habet, vel aliàs tres analogas, corticalem scilicet; lignosam, & medullosam.

Libri partes, cutis extima. 2. Liber consistit ex duabus partibus, cute scilicet extimâ, & substantiâ crassâ. Illa à Semine orta, productaque à cuticulâ lobum seminis utrumque & plumam investiente ex vesiculis exiguis originaliter componitur: Ubi verò planta crescit, cutis arescit, & dictæ vesiculæ plurimùm contrahuntur & disparent. In has cutis vesiculas communiter in arborum truncis miscetur genus lignosarum fibrarum aut vasorum per longitudinem productorum. Substantia etiam crassa libri consistit ex duabus partibus, parenchymate scilicet & vasis. Illud substantialiter cum eo in radice convenit; quoad texturam tamen suarum partium differt. Componitur etiam ex innumerabili copiâ exiguarum bullarum invicem connexarum, largiorum tamen & rotundiorum, quàm in cute. Vasa insuper libri variis modis diversa sunt: in omnibus tamen plantis numerosissimè stant suprà vel probè marginem inferiorem libri: deinde ubique tantùm sunt vasa succifera, quæ etiam sunt ubiq; conjugata, aut connexa invicem in formâ reticuli. Notandum verò lignosas partes vasorum omnium esse tubulares: proindè succus per longitudinem plantæ defertur ex vasis, quæ rursus ex fibris lignosis tubulosis valdè exiguis constituuntur. Vasa porrò aërea similiter uti succifera ex fibris componuntur cum hac solâ differentiâ, quod illa ex fibris spiraliter, & ità magis horizontaliter, aut per latitudinem trunci progrediantur; in vasis verò succiferis stent, & continentur in lineis rectis per longitudinem. (Substantia crassa.) (Libri vasa.)

Pars lignosa trunci. 3. Lignosa pars Trunci inter librum & medullam contenta, ut plurimùm ex duabus partibus generalibus constituitur, paren-

parenchymate scilicet & vasis. Illud licet valdè diversum sit; in truncis tamen arborum propriè disponitur in varios diametrales radios, aut insertiones, quæ inter totidem portiones vasorum à libro ad medullam deferuntur. Sunt insuper plurimū differentes juxta singulas species plantarum cum variâ texturâ ut Author latiùs explicat. Vasa porrò lignosæ partis similiter plurimùm variant: In ramis tamen arborum eatenus conveniunt, quod sint duplicis speciei, alia nempè succifera, alia aërea; cùm proprium sit libro, ut habeat tantùm vasa succifera. Undè vasa aërea cum vasis succiferis antiquioribus, & insertionibus parenchymaticis unà omnia constituunt id, quod communiter appellatur lignum arboris aut trunci. Vocantur autem vasa aërea, quod per principale tempus augmenti plantæ, quandò alia libri vasa succifera liquore replentur, hæc tantùm vapore & aëre vegetabili repleta sint. In omnibus autem fere vegetabilibus proprium videtur esse vasis aëreis, ut habeant multò ampliorem cavitatem, quàm aliquod ex vasis succiferis in ligno: contrarium accidit in libro, ubi vasa succifera crassiora sunt crassimis vasis aëreis ibidem repertis. Textura porrò vasorum aëreorum constat ex fibris rotundis collateraliter stantibus, quæ ut filamenta in artificiali tæniâ, & similiter planè per alias curvas & minores fibras in vicem connectuntur.

Vasa lignosæ partis.

3. Notandum insuper quovis anno novum emergere annulum vasorum succiferorum ad interiorem marginem libri; qui annulus per gradus indurescens ad finem sequentis anni vertitur in aridum & durum annulum perfecti ligni; ità ut quovis anno liber arboris dividatur in duas partes, & duplici viâ contrariâ distribuatur. Exterior quidem pars decidit versus cutim, & tandem fit ipsa cutis: Interior autem portio libri annuatim distribuitur, & additur libro, ut pars ejus parenchymatica novam additionem insertionibus intrà lignum conferat, & vasa novum additamentum lignosis frustis, inter quæ stant insertiones, ità ut annulus vasorum succiferorum in libro hoc anno fiat annulus ligni proximo anno, & alius annulus vasorum succiferorum, & ligni successivè ab anno ad annum.

Annuli in parte lignosâ.

4. Tertia pars generalis Trunci, vel rami est medulla, quæ ex duabus potissimū partibus componitur, parenchymate scilicet & vasis succiferis; communiter etiam hæc ità disposita sunt, ut constituant annulum ad marginem medullæ. Parenchyma Medullæ componitur ex vesiculis, sive bullis minutis, quæ sunt eædem cum iis in libro, & in insertionibus intra librum: diversitas tantùm est, quod eæ, quæ sunt in medullâ, sint molis largissimæ; quæ verò in libro minoris, & quæ in insertionibus omnium minimæ. Sunt porrò Medullares vesiculæ, licet semper comparativè grandes, admodùm tamen differentis magnitudinis. Magnitudo etiam vesicularum non sequitur medullæ magnitudinem, sed usque variat, prout natura medullam pro vario usu destinat. Figura quoque vesicularum varia est, sicut & ipsa medullæ moles variat in diversis plantis; neque est eadem in duobus quibuslibet ramis. Inter omnes tamen plantas herbæ & frutices generaliter habent medullas in proportione reliquarum rami partium largissimas.

Medulla Trunci.

5. Trunci radices & capreoli, sive claviculæ constituuntur ex iisdem partibus, ex quibus truncus: sunt autem Trunci radices duplicis generis; aliquæ per directum descensum germinant, earumque locus eruptionis est tota longitudo trunci, ut in *menthâ*. Aliquandò solùm ab extremo ejus puncto, ut in *rubo*: aliæ procurrunt normaliter ex trunco. Claviculæ etiam sunt quid compositum ex radice & trunco, ut apparet in earum circumvolutionibus sive gyrationibus, in quibus sæpè mutuo ascendunt, descenduntque.

Trunci radices, Capreoli & claviculæ.

§. IV.

De Germine, Ramis & foliis.

1. Partes germinis & ramorum eædem censentur esse cum partibus trunci, ità tamen, ut illarum origo non à trunci superficie, sed etiam à corticali & lignoso corpore, sicut & insertimento, ac medullâ, quoad intimas & centrales partes proveniat. Positus etiam germinis in trunco semper invenitur inter truncum & ramum seniorem, basimque pediculi foliorum, qua ratione etiam meliùs ab omnibus injuriis tùm frigoris, tùm aliorum contingentium violentiarum præservatur.

Partes germinis.

2. Dùm germen in ramum prolongatur, ejus folia hinc indè distribuuntur, quorum partes in substantiâ suâ eædem sunt, quæ rami; cùm folii cujusvis cutis sit tantùm cutis ampliata rami partim accretione novarum, & partim jam tunc existentium ejus partium extensione in latitudinem ampliata, Fibræ autem vel nervi per folia dispersi sunt tantùm ramificationes ligni ramosi, sive corporis lignosi. Parenchyma frondis nervis intextum, omniaque replens nihil est aliud, quàm continuatio corporis corticalis, aut partis interioris corticis à ramo in ipsam frondem propagata.

Folia.

3. Fibræ in foliis nec per ramum aut truncum feruntur, nec per scapum, sive pediculum excurrunt in lineâ rectâ, sed ubique vel angulari vel circulari formâ; communiter autem vel triangulum, vel semicirculū, vel circuli chordam constituūt, Quodsi etiam folium aliquod unico tantùm majori nervo instructum sit, exprimit hic nervus circulum, aut lunarem figuram. Numerus item horum nervorum, sive fibrarum, ut Author benè observavit, solet esse impar, isque vel ternarius, vel qui narius, vel septenarius. Prout autem intima fibra, aut fibræ scapi sunt proportionaliter majores, folia quoque sunt longiora: Si omnes æqualis sint magnitudinis; magis ea in rotundum expanduntur. Observandum porrò, quod singulæ fibræ pediculi inosculentur folio cum variis admodùm subdivisionibus: Prout

Fibræ foliorum.

Prout etiam hæ fibræ inoſculantur propè, vel circa marginem, vel directè feruntur in folii marginem; redditur hic vel levis, vel ſcaber. Ubi hæ inoſculationes deficiunt, ibi folia non efformantur, ſed tantùm congeries aliqua ramulorum, ut in fœniculo. Sicut inſuper folium quodvis diſtinctum ſuam habet figuram, ita & pro congruentiâ proprium ſitum, ac plicaturam obtinet. Plicaturæ etiam potiſſimum tùm ad elegantiam, tùm & imprimis ad ſecuritatem, & protectionem conferre ſolent. Plura circà hæc videri poſſunt apud Authorem, ubi cumprimis ſex vias, ac rationes protectionis foliorum obſervandas docet, perfolia, nempè, ſuperfolia, interfolia, caules, vela, & amicula.

§. V.

De ſpinis, pilis, & globulis.

Spinæ lignoſæ & Corticales. 1. Spinæ duplicis ſunt generis, lignoſæ ſcilicet & corticales: priores ex iisdem ſubſtantialibus partibus conſtituuntur, ex quibus ipſum germen & in proportione ſimili. Affines his ſunt ſpinulæ & aculeatæ ſentes in extremitate virgarum, in foliis veluti *Berberum* &c. quas omnes putat Author eſſe extremitates filamentoſas corporis lignoſi cuti intruſas. Spinæ Corticales, ut in rubo idæo ferè totæ à corticali, & cute ſive libro propagantur.

Pili. 2. Pili, qui ſuper folia diverſarum plantarum obſervantur, ordinariè ſunt læves, iique teneri & denſi, ut in pluribus germinibus piloſis videre licet; aut ſunt teneri & rari, appellanturque lanugo. Nonnunquam tamen læves haud ſunt, ſed ramoſi à fundo ad ſummitatem ab utroque latere reciprocè ut in *Verbaſco*: nonnunquam in formâ ſtellæ, ut in *Lavendulâ*.

Globuli. 3. Si quandoque in foliis ſphærulæ, aut globuli obſervantur, conſtat eos naturalem & conſtantem plantarum illarum progeniem: Sunt autem vel transparentes, ut in foliis *Hyſopi, menthæ*, & aliarum; vel albi, ut in *foliis Salviæ, chamedrios* &c.

§. VI.

De Flore.

Floris partes Sepimentum. 1. Floris partes generales tres recenſentur ab Authore, Sepimentum ſcilicet, aut calix, foliatio, & coma ſeu ſtamina. Sepimentum ſive ex uno corpore, ſive ex pluribus conſtet, pars tamen extima eſt flori reliquas duas ambiens: Componitur autem ex tribus partibus generalibus, cute ſcilicet, corpore corticali & lignoſo. Flores, quorum folia ſatis craſſa ſunt, & firma, & ſingula baſi largâ & robuſtâ fulciuntur, Sepimentum nullum habent, velut Tulipæ. Ii verò, qui folia habent quorum pes admodum longus & tener exiſtit, ut in Cariophyllis, ſepimentum habent ſatis firmum & integrum: Summitas etiam ejuſmodi inciſuras habet, tum ut eæ ſuprà folia nondùm expanſa inductæ, ea ipſa cuſtodire, tùm etiam ut quando poſt expanſionem flori ſubſternuntur, ea peraccommodè ſufferre & fulcire queant. In floribus verò, ubi pedes foliorum ſunt longi aut tenerrimè acuminati, ſepimentum eſt numeroſum, licet è pluribus partibus conſtans; hæ tamen in variis circulis exiſtunt cum mutuo ad ſe invicem reſpectu.

2. Foliatio cenſetur eſſe ejusdem cum foliis viridibus ſubſtantiæ; quocircà etiam membranæ pulpa ac fibræ ſimiliter cenſentur eſſe continuatio cutis corporis corticalis & lignoſi. Floris autem ſive foliationis plicaturæ variant. Generaliſſimæ tamen imprimis ſunt ſinus planus, deinde concavus; proximè plica, quæ eſt vel ſimplex aut duplex: Hinc ſinus & plica in eodem flore ſunt, ubi foliorum in plicas collectio primò apparet in ſinu: ſed ubi folia eriguntur; ſingulum eorum obſervatur in ſeipſo duplicem habere plicam; Inde cylindrus, ubi lata cujusvis folii extremitas duplici cylindro verſus interiora involvitur; poſteà ſpira, quæ principium eſt convolutionis. Tandem plicatura & ſpira conjunctæ. Ubi pars analoga foliationis eſt unus integer flos, plicaturæ ibi ſituantur & protrahuntur per lineas ſpirales ad floris extremitatem. Foliatio. Ejus plicaturæ.

3. Præter communia florum tegmina, ut ſunt folia & ſepimenta, nonnulli flores aliud adhuc magis peculiare duplex velum habent. Aliquorum etiam florum folia circà baſin ſuam villoſa capillamenta habent, quæ ſepimenti cavitatem explent: quædam etiam folia licet non planè ubivis obteguntur pilis, in particularibus quibusdam partibus ſæpè eleganti lanuginoſo holoſerico ornantur. Sicut etiam in foliis viridibus, ità etiam in floribus nonnunquam quidam globuli obſervantur, ut in poſticâ parte *Enulæ*, & clarius in *Blattaria* flore albo cum pedunculis etiam. Florum tegmina. Duplex velum. Capillamenta. Pili. Globuli.

4. Coma, ſive ſtamina ſunt vel ſeminalia vel floralia: Componuntur illa ex cæpulis, & ſeminulis ſuprà illas ſitis. Seminalia ſimilitudinem habent tot ſeminum minorum, ſunt tamen, ut Author obſervavit, aliud corporum genus: Nonnunquam etiam ſtant erecta ſuper ſuas cæpulas, nonnunquam verò, & communiter parum deorſum dependent in figurâ & modo renis. Rima ſive fiſſura eorum, per quam pulveres ſuos diſpergunt, aliquando ſimplex eſt, aliquando, & quidem communius, eſt duplex. Hæ quoque fiſſuræ maximè cum recentes ſunt & plerumque ante floris apertionem obſervantur. Particulæ autem horum pulverum, licet nudo oculo appareant, ſimiles minutæ farinæ, armato tamen per melioris notæ microſcopium videntur habere regularem figuram, nec aliud eſſe, quàm congeriem tot perfectorum globulorum. Coma duplex ſeminalis. Fiſſuræ. Pulveres.

5. Coma florida ſeu ſtamina floralia notantur quaſi villi: ſingula autem ſtamina, ac filamenta, quibus coma componitur, licet in variis floribus differant, in eo tamen conveniunt, quod ex pluribus, quàm unâ, duabus nempe vel tribus partibus differentibus, concinnam tamen formam Coma florida.

formam habentibus componanrur. Exterior cujusvis ſtaminis pars eſt ejus floſculus, floris velut epitome, cujus corpus, ſive tuba circà extremitatem in plura diſtincta folia dividitur: gaudent etiam ordinariè quinque foliolis. Poſt expanſionem proxima ex interioribus pars ſtaminis tubam referens, quæ & aliàs *Vagina* appellatur, figurâ ſuâ concavâ benè fiſtuloſas admodùm perulas, ſive capſulas, *Ari* vel *Dracunculi* refert. Diviſa ad ſuum cacumen vagina ex interioribus tertia, & intima ſtaminis pars, *Enſis*, dicta emergit, quæ ſolida eſt, & ad ſuam cuſpidem non originaliter, ſed aliquandò poſt, ut plurimùm in duas dimidietates diſpeſcitur: intrà verò hujus cuſpidis aperturam æquè, ut in apertione ſeminuli pulvis globularis reperitur, qui ejuſdem naturæ eſt cum globulis ſeminuli, quamvis non adeò copioſus ibidem exiſtat.

Tuba ſive Vagina.

Enſis.

§. VII.

De Fructibus.

Generalis fructuum compoſitio.

1. Generalis omnium fructuum compoſitio eadem cenſetur quoad eorum partes eſſentiales, ſive ferè vitales, & continuationem earum ſaltem partium, quæ communiter in reliquis vegetabilis partibus reperiuntur: quia tamen ob conſtitutionem harum partium & diverſas earum tincturas notabilis differentia obſervatur; ideò Author noſter magis notos, & principales fructus, in ſpecie verò mala, pyra, pruna, nuces, & baccas ità deſcribit.

Pomi ſive Mali partes.

2. In malo transverſim diſſecto imprimis notatur cutis, parenchyma, ramificatio, & pericarpium. Cutis eſt tantùm extenſio & dilatatio partis extimæ, ſivè cutis libri in ramis. Parenchyma, ſive caro tenera & mollis in malo, eſt tantùm continuatio, ampliatio, aut intumeſcentia ſive luxuriatio partis libri interioris. Ramificatio à ramificatione lignoſi corporis oritur, ubi majores rami per minorum inoſculationes æq; ac in foliis invicem uniuntur. Majores plerumq; ſunt 15. quorum 10. per parenchyma diſperguntur, omneſque arcuatim procedunt verſus aream ſubeream, aut ſedem floris, ſive umbilicum. Reliqui 5. à caule, & ab uno intra ipſam orti per longitudinem centri in caule progreſſi in lineâ rectâ ad dictam aream tendunt, ubi & cum ſuperioribus concurrunt & inoſculantur, quibus & loculi nucleorum annectuntur. Pericarpium à medulla ortum habet.

Parenchyma.

Ramificatio.

Pericarpium.

Pyri partes deſcribuntur.

3. In Pyro 5. partes diſtinctæ obſervantur: Cortex ſcilicet, parenchyma, ramificatio, corpus ſabulorum & acetarium; Priores partes ſimiles ſunt Mali partibus, niſi quod differentia ſit in numero interiorum, ſive ſeminalium ramorum, quorum hic decem ſunt. Corpus ſabuloſum eſt congeries exiguarum arenularum, quæ licet per totum parenchyma diſpergantur, verſus centrum tamen propiùs ſe contingunt, & compinguntur, atque acetarium formâ nonnihil globulari cingunt: Juxta petiolum etiam magis à ſe invicem diſtant; verſus umbilicum verò arctius compinguntur. In medio hujus ſitum eſt Acetarium, corpus ſimplex ejuſdem cum parenchymate naturæ & ſubſtantiæ.

Pruni & ſimilium fructuum partes.

4. In Pruno, ſicut & in Ceraſo, armeniaco, perſico, juglandibus &c. quatuor partes præcipuæ ſunt: Cutis nempè, parenchyma, ramificatio & nucleus. Priores tres partes ſimiliter, ut in malis & pyris oriuntur, niſi quod in ramificatione diſpergantur rami in differentiâ quadam. Quinque majores rami externi ſunt, qui per longitudinem nuclei à baſi ad extremitatem feruntur, & quidem eorum quatuor per unam ſeriem, & unus per alteram ipſi oppoſitam. Rami minores eodem modò feruntur ſub alterâ ſpecie, non obſtante tamen differente ramorum ſitu unus occurrit unò & eodem modo conſtitutus, cujus introitus eſt ad baſin nuclei, undè & ipſius corpus pervadens & tandem inclinans aut vergens verſus ejus concavum ſupra ejus conum ibi emergit, ubi cuticulæ ſeminales iis appenſæ ſunt. Ramus autem hic ſeminalis intrà fructum delatus ſemper ibi in notabilem latitudinem prolongatur. In nucleo, cujus origo à medullâ procedit, interior pars pertenuis eſt alba, lævis, & ſimplex: Exterior multò craſſior. Ramus ſeminalis magnam partem medullæ circumcircà ſibi ſuper inductæ tanquam parenchyma ſuum longitudinaliter ſecum trahit, quæ poſt introitum ſuum in nuclei concavum ſuprà extremitatem ulteriorem ſpeciatim ſibi ſuper integitur tanquam ejus linum.

Nucis partes.

5. In Nuce & huic analogis glandibus tres partes ſunt in genere: Cortex viridis, putamen, & medulla. Prior pars corticalis componitur ex cortice & parenchymate à libro ac ramulis à lignoſo corpore ramorum derivatis. Putaminis pars exterior ſuperficialis à cortice, vel cute corticis viridis oritur; pars interior craſſior ex parenchymate, ex quo & cortex viridis, conſiſtit, ac congerie quâdam quaſi in lapillum præcipitatorum repletur. Ramuli exteriores numeroſi à parenchymate corticis viridis egrediuntur. Ramus interior ſeminalis ſimplex ad centrum putaminis per medullam ad conum uſque, cui ſeminales cuticulæ appenſæ ſunt, defertur.


Baccarum vel Uvarum partes.

6. Baccæ vel uvæ præter ſemen generaliter ex tribus partibus conſiſtunt, folliculo ſcilicet, parenchymate & ramificatione. Folliculus ab exteriori parte, parenchyma verò ex interiori parte libri ortum habet. Ramificatio duplex eſt Exterior & interior; Illa licet variet numero circà pedunculum; ad coronam tamen plerumque principales habet ramulos decem; quinque ſcilicet pro quinque floris foliis, & quinque pro cæpulis. Interior duos majores habet ramos diametraliter ſibi oppoſitos, qui ad coronam cum reliquis inoſculantur. Ab his duobus alii minores egrediuntur, quorum ſinguli appenſum habent ſemen, cujus cuticulas duplici filamento, altero ad baſin, altero ad conum ingrediuntur.

§. VIII.

TABULA SYNOPTICA AN

Essentiales ac Constitutivæ partes in Vegetabilibus imprimis sunt



IIÆ VEGETABILIUM.

reconditum, cujus forma variat in diversis.
foramine aperto.
seminalis incurrens aliter in diversis distribuitur.
icta.
axioris texturæ.
duo sunt communiter
plures, ut in semine Nasturtiorum
Unicus, ut in granis frumenti
situs { Supra partem crassiorem ut in fabâ, Vel juxtà finem prominens, ut in variis communiter.
sunt partes veræ etiam formatæ in suâ plicaturâ, quot post germinationem apparent.

marginem in annullo consistunt
arent & formantur ex fibris per mutationem ex situ { Shhærico, ut in tubulosis & circulari in spiralem
co
d communiter denuò constat ex vasis { Succiferis & Aëreis.
cum corticali substantiâ communicat.
, quarum contenta sunt { Liquor limpidus vel Aer magìs aut minùs vapidus,
ris est

nnihil angularis,
ficulæ exiguæ
&
nus lignosarum fibrarum per longitudinem productarum.
parenchymate
&
vasis tubulosis { aëreis spiraliter magis per latitudinem & succiferis, magis per longitudinem progredientibus
{ radios diametrales sivè insertiones vel juxta singulas species plantarum cum variâ texturâ

m locus eruptionis { est tota longitudo trunci, & in menthâ vel ab externo ejus puncto, ut in rubo
claviculæ,
, ut in floribus, quorum folia satis crassa sunt, firma & cum robustâ basi,
x, ubi pedes foliorum
ngi ac teneri. Partes sunt { Cutis Corpus { corticale & lignosum,
osum, ubi pedes in foliis sunt longi & tenerrimè acuti,
us { planus vel concavus

ca { simplex vel duplex, ubi folia eriguntur
us & plica simul
lindrus
ra
alia componuntur ex { cæpulis & seminulis cum fissurâ { Simplici aut duplici

lia, quorum partes { flosculus Tuba seu vagina Ensis.

a, lævis, simplex
- - { Cortice parenchymate à libro Ramulis à ligno derivatis.
viridis
nchymate corticis viridis oritur,
nerosis
simplici
riat numero, { quinque pro floris foliis & quinque pro cæpulis.
ulos habet
habet, à quibus minores cum appenso semine egrediuntur,



§. VIII.

De Semine.

Seminis partes generales.

1. Sicut origo, ità & finis ultimatus ac perfectio vegetationis eſt Semen: hujus autem ſunt partes generales, ejus nempè integumenta & corpus. Integumenta ab Authore recenſentur quatuor. Primum eſt extima capſula, cujus forma plurimùm variat, ac notabilior eſt ob ſuam heterogeneitatem, quam propriæ ſeminis capſulæ, ut in ſiliquis, thecis nucum, fructuum parenchymate apparet. Alia duo integumenta ſeminis ſunt propriæ ipſius capſulæ, quarum una externa, alia interna eſt. Externæ color ſicut & figura variat in diverſis ſeminibus. Superficies itidem nunc ſplendida, nunc incruſtata, nunc favoſa, conciſa vel ramoſa obſervatur: Quandoque etiam mucilagine quadam, eâque vel alba vel transparente obtegitur: Natura etiam externæ capſulæ membranoſa, cartilaginea, vel dura ſive lapidea eſt. Omnium inſuper ſeminum exterior pellicula aperta eſt, ac particulari quodam foramine gaudet, ratione cujus aperturæ fit, ut proximè adjacens radicula liberum & paratum in terram tranſitum obtineat. Origo à partibus ejusdem ſubſtantialis naturæ procedit, cum quâdam tamen differentiâ, ut ab Authore latius exponitur. Capſula ſeu pellicula interna licet in arido, vetuſto & contracto ſemine difficulter à ſuperiori externâ pelliculâ diſtinguatur; reverà tamen in prima juvenili ſuâ conſtitutione eſt corpus ſpongioſum atque ſucculentum, & in eo quidem ſtatu genuinum ac elegans parenchyma, in quod corpus lignoſum, vel ramus ſeminalis incurrens aliter in diverſis diſtribuitur. Quarta & intima pellicula ſecundina vocatur, communitet autem adeò eſt exilis, ut difficulter adverti poſſit. In quibusdam ſeminibus non diſtincta, ſed quaſi interioris pelliculæ duplicatura obſervatur; in pluribus aliis tamen diſtinctè cernitur.

Propriæ capſulæ. — Velut Externa. — Interna. — Pellicula intima ſecundina.

Liquor contentus.

2. Membranæ hujus cavitas liquore maximè transparente repleta eſt, ex quo ſemen eſt formatum: per hanc etiam membranam rami ſeminales in interiorem pelliculam diſtributi rectà tandem verſus inferiora duas fibras ſubtiles tanquam umbilicos duos ſingulum in ſingulum ſeminis lobum dimittunt; Loca autem fibrarum umbilicalium ingreſſus propè radiculam exiſtunt, & ſatis benè ob nigredinem ſuam cognoſcuntur. Fibræ porrò adeò tenues ſunt, ut difficulter diſcerni poſſint. Advertuntur etiam duæ maculæ in iis, ſeu rotundæ duæ minutæ cavitates cartilaginei nitoris, quæ fibrarum illarum umbilicalium extremitates ſunt: Fibræ quoque iſtæ à ſinguli lobi ſuperficie via exiguâ directè deſcendunt, ac mox quælibet dividitur in duos ramos, quarum alter in lobos, alter in radiculam & plumam defertur. Sed jam, ut quæ paulò fuſiori ſtylo ad mentem Authoris adducta ſunt, in ſummam contraham, viſum eſt Tabulam ſequentem apponere, ubi unico intuitu Lector facilè integram plantarum Anatomen ſynopticè exhibitam pervidere poterit.

Fibræ umbilicares. — Tabula.

CAPUT III.

Vegetationis plantarum hiſtoria, ſeries ac ordo, ſicut & partium quarumlibet uſus in vegetabilibus declaratur & explicatur.



Ropoſitâ vegetabilium Anatomiâ nunc oſtendendum venit, quis vegetationis modus, ſeries, & ordo ſit, partium etiam quarumlibet qualis uſus, ut ità nihil à natura fruſtraneum, nihil ſuperfluum efficii, ſed concatenatis ſuppetiis ad certum quælibet finem deſtinari, perſpicuè videri poſſit. Excerpſimus autem hæc ipſa, quæ nunc traditurі ſumus, ex Laudatiſſimi Authoris Præcedentis evulgatis elucubrationibus, id quod cum venia ipſius nos facturos ſperamus, tùm materiæ affinitate cum præcedente illecti, tùm ut eruditum illud ſcriptum, ſicut digniſſimum eſt, plurium Naturæ Scrutatorum ad manus pervenire queat.

§. I.

Seminis in terrâ conſiti vegetatio & germinatio exponitur.

Fermentatio cauſa generalis germinationis.

1. Cauſa generalis germinationis cujusvis ſeminis imprimis eſt Fermentatio: Semine enim quocunque in terræ gremio collocato accedente aliquâ humiditate partim diſſimilari, partim affini fermentatio oritur, cujus ope ſemen intumeſcit, & ſuccus ſemper augetur, ac continuò ità pergit quousque opus habet. Non tamen ſufficere cenſetur nuda fermentatio, ſed ut ea, ſicut & ſuccus in illâ productus proficiat, requiritur, ut diverſarum partium eidem inſervientium multiplici quaſi imperio ſubjiciatur.

Pelliculaſrum uſus.

2. Involucra ſive pelliculæ non tantùm uſum filtri pro ſucco tranſeunte obtinent, ſed & vaſis vicem gerunt ratione ſucci illius, qui jam in iis depoſitus eſt. Undè dum ſemen ſolo terreno commiſſum eſt, ſuccus, quo nutriri exigit, per has pelliculas tranſire & percolari imprimis debet, ut non tantùm in quantitate proportionatâ, ſed etiam decenter quaſi per gradus

gradus purior cum quædam forte tincturâ vegetabili transmitti queat.

Foraminis usus. 3. Quoniam etiam aërearum particularum ingressu fermentatio faciliùs excitatur, citiusque promovetur; aut è contrario cum plures subinde tales particulæ aëreæ veluti halitus, quæ genuinum fermentationis progressum suffocare, aut quovis modo impedire possunt, in semine continentur: Quocircà ut hæ facilem exitum ac elapsum, illæ verò liberum sortiantur accessum vel ingressum, foramen semini naturaliter inditum est, quod sit veluti spiraculum, aut communis porta, per quam halitus tum necessarius ingredi, tùm justò copiosior, & indè noxius egredi facilè, ac elabi possit.

Pelliculæ interioris ulusus. 4. Involucrum Seminis interius, sive cuticula eo deservire videtur, ut succus, qui pelliculam exteriorem penetravit, denuò, antequam parenchyma pro novâ digestione subintret, magis filtretur & purior evadat. Succus autem dum ad parenchyma translatus est, versùs seminalem radicem dirigitur, & quia parenchyma laxioris & amplioris est molis, præter ulterioris percolationis beneficium satis etiam spatii continet, ut liberior tàm activa fermentatio quàm maturatio perfici possit. Et quia insuper propriis seminalitatibus ac tincturis sufficienter impletur; succus proindè ibidem non tantùm satis spatii, sed & materiæ inveniet, undè fermentatio ejus faciliori processu promoveri possit.

Quomodo radicula efficiatur Radix vera. 5. Succus in parenchymate præparatus mox in omnes seminalis radicis ramos digeritur; & quia haud secus hæc radix, quàm ipsum parenchyma suis seminalitatibus dotatur: Ideò succus pro complenda radiculâ, & efformandâ verâ radice ibidem præparatur. Unde ut radicula fiat radix, efficitur succo hucusque præparato, & in lobos priùs dimisso, qui deindè illicò in radiculam emanat, & exindè in plumam dispensatur. Quocirca etiam congruenter radicula prius surculos, quàm pluma emittere observatur; Uberiore siquidem succo turgida capillares fibras, sive radices in terram spargit, atque ità in perfectam radicem abit, quæ prius crescit, & uno vel altero pollice porrigitur, quàm ipsa pluma emergat.

Quomodo pluma germinare incipiat. 6. Radiculæ ita in veram radicem efformatæ cùm novus indesinenter succus tum ex lobis affluat, tùm etiam ex ipsâ terrâ, cui insita est, ubertim in radiculæ truncum exundet: Pars illius succi subtilior vel spiritibus magis fœta in trunco ipso radicis digesta & calore dilatata sursùm nititur, quâ pluma nutrita paulatim increscit & seipsam explicat, ac germinare incipit. Quocircà etiam, ut observatum est, vix pluma germinare & sese dilatare incipit, quàm ipsa radix jam penè absoluta capillares fibras acquisiêrit; Eòquod truncus ab ipsâ radice dependeat, succumque probè percolatum, & variis tincturis, aut fermentis imbutum à radice excipiat.

Lobi quomodo nutriautur. 7. Cum succus in radice eodem turgida, atque in plures ramos divisa fermentescens ex angustiis suis sese expedire nititur, non tantùm comprimis in truncum radicis, indè verò in plumam exundare solet, sed etiam obliquo interim ductu à radice in lobos revertitur; ut vel circulatione hac magis depuretur, vel in seminali parenchymate tanquam promptuario quodam colligatur; vel, ut ex fibris per corpus seminis diffusis aliæ sint arteriarum similes, quæ succum vehant, aliæ instar venarum eundem revehant, sicque lobos seminis impregnent. Hi quippè primum radicis (ut rectè *Du Hamel* explicat *phys. part. 2. de plant. differt. post. cap. 1.*) rudimentum continuo humoris affluxu in perfectam radicem convertunt; Sed & radix, dum vicissim penè absoluta, nutrit, & auget lobos, eòsque in folia convertit. Unde etiam quot lobi sunt in seminum granis; tot ejusmodi folia exindè emergere solent, adeò ut in Nasturtio sex conspiciantur: in raphanis ex utroque latere folium quasi duplicatum, ut in grano ipso lobi erant dispositi, quia lobi utrique levem habere solent incisuram, & utrique unus super alterum plicatur; in fabâ communi & hortensi hæc folia non assurgunt, sed pluma, seu caulis statim è terrâ erumpit, quod duo rami, qui à radiculâ in lobos sparguntur, sint minusculi, & succus penè totus in plumam abeat. Granum verò frumenti veluti secalis aut tritici quod sit mollioris, & minùs oleosæ substantiæ, nec satis firmum, simulque non dividatur in lobos, sed unum corpus solidum persistat, in terra putrescit & corrumpitur.

Usus porrò ejusmodi foliorum dissimilarium emergentium videtur esse, tùm ut parti germinis tenuiori sint munimento, cùm pars illa plumæ texturæ sit admodùm subtilis & exquisitæ, tùm etiam ut rore vel pluviâ perfusa, si fortè à radice succus parcior ascendat, tunc supplere queant: Undè etiam aquam ferè ut vasa nonnihil excavata continere, & quasi labrum aquæ continuò plumam, ne in recenti suâ in aërem irruptione marcescat, macerare ac emollire solent. *Usus foliorum dissimilium.*

§. II.

Radicis vegetatio describitur.

1. Radicula impregnata, & in terram protensa contiguam imprimis humiditatem aptiorem per librum sive corticalem substantiam tanquam laxum & spongiosum corpus admittit: Hæc ità admissa humiditas licet hinc clarescat; mixtura tamen particularum tàm propriarū, quàm radici congenitarum, adeòque aliquantum invicem ob heterogeneitatem adversarum leni fermentatione agitatur: Qua deinde separatio sequitur, ac quidem earum quædam circumferentiæ corticalis corporis insinuantur, undè cuticula ampliatur, & in cutem degenerat, per quam deinde succus in corticalem substantiam defluens filtratione ampliùs depuratur. *Radiculæ excrescentia & vegetatio.*

Quo

Quo fucco fubftantia corticalis eousq; dilatatur, quousque fine continui folutione ferre poteft; fuccusque alius de novo femper fuppletur, & pars puriffima, aptiffimaq; cum congruis fuis tincturis à corticali fubftantiâ in lignofum corpus tranfit. Hoc porrò itidem dùm fuas proprias tincturas in dictũ fuccum transfert, is jam ad præparationem fummam deductus fit Ros vegetans, cujus pars nobiliffima tandem coägulatur & affimilatur in fubftantiâ lignofi corporis. Reliquæ licet ipfi non unitæ in ipfâ tamen tincturâ dotatæ hinc rceedunt, & per continuum fucci appulfum partim in corticalem fubftantiam revehuntur, ubi à fucco ejus in alimentum proficuum convertuntur, quo partes corticalis fubftantiæ jam anteà laxatæ & dilatatæ inrealem partium quantitatem, & numerum excretæ jam verè nutriuntur: corticalis autem fubftantia ità vitali fucco quantùm fufficit, faturata, remanentiam ad cutem fecundam dimittit, quâ eadem ipfa nutritur & augmentatur.

Ros vegetans.

2. Quoniam autem corporis lignofi pori omnes per longitudinem extenduntur; fuccus iisdem infinuatus fecundùm formam & fitum illorum principaliter movetur. Qua verò viâ fuccus movetur, eâdem quoque partium generatio procedit, per longitudinem nempè. Corpus autem lignofum ità motum unà fubftantiam quoque corticalem movet; moderatur tamen in lignofo motus per corticalem fubftantiam. Nam ficut principalis motus corporis lignofi fit per longitudinem; fic ejus propria tendentia eft afcenfus. Dum autem corticalis fubftantia valdè excedit tàm in ambitu, quàm in quantitate, prout in partibus minoribus radicis exiftit: Neceffariò hæc in crescendo fuperat; unde per defcenfum, ubi datur penetratio, obliquè indè procedit, & viam inter afcenfum & defcenfum mediam init five mixtum, aut medium quendam motum inftituit, cùm, ut benè Author infinuat, quævis declinatio à lineâ perpendiculari mixtus fit motus inter afcenfum & defcenfum.

Corporis lignofi motus in longitudinem.

3. Quomodò porrò & incrementum juxtà latitudinem fiat; fcire oportet, licet corpus lignofum juxta pofitum & figuram fuorum pororum præcipuè in longitudinem crefcat, nihilominus tamen etiam per latitudinem crescere & augeri, quod ità contingit. Succus puriffimus, cum non omnis poffit à dictis poris abfumi, fed pars aliqua fuperficialibus eorum partibus fuper natans, fimiliter tincturam fuam accipiens, agglutinetur illis; porique cùm per earum longitudinem prolongentur, & admodùm laxum fit corpus lignofum, atque difficulter hac viâ dividatur: accidit hinc, ut dum à centro verfus circumferentiam germinat, ibique plus fpatii reperit, dicta ejus laxitas originalis facilè jam in quibusdam locis augeatur, ac tandem in apertas fiffuras abeat: In quarum medio fubftantia corticalis ex una partè, ac ambiente cute ut matrice cincta, & ex alterâ à lignofo corpore furfum adacta neceffariò inferitur, & ità in contrarium à circumferentiâ verfus centrum movetur; ubi dictis motibus contrariis, uti cæperunt, continuantes, hæc invicem concurrunt, & medullam vel efficiunt, vel augent. Ufus autem medullæ genuinus cenfetur effe pro meliori progreffu fucci: infert enim citiorem & intenfiorem fucci fermentationem. Succus igitur ibidem depuratur & fermentatio magis activa evadit. Ut autem medulla infervit exaltandæ fucci fermentationi, fic ejus infertiones puriori diftributioni.

Ejusdem motus in latitudinem.

Ufus medullæ.

§. III.

Trunci vegetatio exponitur.

1. Succo debitè in radice præparato pars ejus prima per coarctationem intermediam elapfa in juftâ temperaturâ & puritate tandem à trunco excipitur, atque fuccus hic ob puritatem magis volatilis ità per fe magis etiam aptatur ad afcenfum: quatenus etiam truncus à fucco in fpecie difponitur, à pofitu partium ejus refpectivo, & quantitate in effectu vires acquirit.

Succus per coarctationem magis præparatur.

2. Trunco in aëre patulo exiftente corpus lignofum ab impetu & preffura fucci in motu fuo collaterali nunc liberè magis dilatatur; hoc dilatato fubftantia corticalis neceffariò proportionaliter inferitur: Et ficut corticalis fubftantia imminuitur, ità medulla increfcit, & eâdem proportione major efficitur. Auctâ medullâ pori ejus neceffariò quoque largiores evadunt: dumque ità lignofi corporis dilatatio continuatur; accidit hinc, ut ea verfus apicem non tantùm producatur, fed etiam ibi proportione æquali amplior evadat præ eâ, quæ eft in aliquâ parte inferiore. Prout verò efficientis fucci energia major aut minor exiftit; ità etiam truncus magis aut minùs dilatari folet, Cum fucci energia valdè eximia eft, eousque corpus lignofum extendit, ut non tantùm ejus medullam, omnesque poros ampliet, fed infuper eo usque illud diftendit, ut patiatur rupturam. Undè vel rurfus in corticalem fubftantiam recurrit, vel verfus eam fe contrahit; atque ità truncus nonnunquam fit fcapus cavus excretâ vel totâ, vel quoad partem aliquam medullâ. Communiter tamen integer confervatur.

Trunci vegetatio.

3. Ifthinc primò fequitur Trunci proceritas & robur: dum enim corpus lignofum largius exiftit; acquirit Truncus majus robur, & aptitudinem pro ejus incremento perpendiculari. Deindè fecuritas & ubertas fucci etiam procuratur: Dum enim medulla in centro fita eft, fuccus in ea maximè ab aëre & fole remotus, ficut & à libro, & in fpecie à ligno circumdatus duplici quafi muro cinctus fecurè admodùm & copiosè in omnes collaterales partes, ac ad apicem

Trunci proceritas & robur quomodo fiat.

cem trunci deduci poteſt: Ob amplitudinem quoque & poroſitatem ingentem medullæ fermentatio quoque citior efficitur; citiori porrò fermentatione factâ ejus quoque motus fit fortior, & diſtributio cum majori effectu jungitur non tantùm pro dilatatione trunci, ſed etiam pro emiſſione ramorum. Demùm exaltatio ſucci etiam magis prompta, & ſufficiens ſequitur. Sed plura circa hunc effectum videantur apud Authorem. Quare ubi ſuccus per latitudinem medullæ motus indè exprimitur in poros corporis lignoſi, quibus ſufficienter refertis aliqua pars ejus per eundem motum collateralem retrò adigitur in regionem adhuc altiorem medullæ, atque indè partim ab eâ ſucci portione, quæ in perpendiculari ſuo aſcenſu priùs inibi reponebatur, hic quoque ſicut in ſpatio quodam inferiore æqualiter repletur. Unde virtus & vigor motus ſucci perpendicularis inibi ſimiliter renovatur, ut & motus ejus collateralis, & ejus preſſura in poros corporis lignoſi, & conſequenter ejus aſcenſus in illo: Atque dum itâ ab his exprimitur in medullam, & à medulla in hos reciprocè retrahitur, aſcenſus ſucci maximè proclivis, & copioſus à fundo usque ad cacumen altiſſimi quoque trunci continuatur. Claviculas & radices trunci quod attinet, inſerviunt eæ ſuſtentationi, & ſupplemento. Exemplum prioris patet in vitibus; poſterioris in hæderâ. Sed de his, ſi plura requiras, conſule Authorem.

Uſus clavicularum & radicum trunci.

§. IV.

Germinis, ramorum & foliorum vegetatio, nutritio & uſus.

Quomodo germen proveniat.

1. Ut modus, quo communiter germen & rami formantur, intelligatur, notandum imprimis; quod ſuccus in trunco aſcendens non tantùm per longitudinem, ſed etiam latitudinem, atque per inſertiones quoad partem moveatur: Et quia non omnes ejus particulæ ejusdem ſunt qualitatis, ſed nonnullæ magis craſſæ & torpidæ; aliæ verò vegetiores & mobiliores: Undè illæ dùm in motu retardantur & torpeſcunt, tantum annuatim circulum ſive annulum ligni efformant: Hæ verò, quia vigore proprii ſui motûs, dum à centro æqualem niſum aliquibus partium interiorum corporis lignoſi medullæ proximè adjacentium imprimunt, & inſuper quia corpus lignoſum integrum non eſt, ſed frequenter in partes diviſum; per iſtas diviſiones dictæ partes interiores poſt ſuam nutritonem corpore ſcilicet lignoſo ſimul movente & ſecum vehente corticale ipſo actu erumpunt, & propagines ac germen producunt. Quâ productione, dum motus fit æqualiter admodum & per gradus vis talis ſimiliter blandè ac modeſtè tàm per extenſionem ſuarum partium, quàm per novarum accretionem germen prolongatum, atque adeò ſingulas ſuas partes diſpandens in ramum tandem degenerat.

2. Eodem modo, quo germinis partes propagantur, etiam nutriuntur: Cùm enim omnes germinis partes in ſuâ progerminatione divaricentur à perpendiculo ſuo in lineam crucis, prout hæ & aliæ creſcunt, atque invicem craſſeſcunt, ligantur & comprimuntur univerſæ in nodum; per quem nodum filtratus ſuccus in ramos defertur ſub debito moderamine & puritate. Sunt autem hujusmodi nodi omninò neceſſarii, ut etiam in ſimplici caule excreſcant, ſicque ſuccus magis percoletur, magisque reſinatus in ſpicam transmittatur. Uſus idcircò generalis nodorum eſt, ut & firmior ſtet caulis & elegantius progeminet.

Nutritio germinis partium.

3. Folia reſpectu ſervitii ſui pro ipſâ plantâ deſerviunt imprimis protectioni, quam non tantùm ſibi invicem conferunt, ſed etiam flori & fructui afferunt, atque itâ ab injuriis tùm aëris, tum ſolis tutantur. Deinde ſerviunt pro augmentatione ſive capacitate ad debitam expanſionem & ampliationem arboris vel plantæ, dum ſuccus itâ aptè à radice & matrice promovetur. Quod ſi non contingeret, reſtagnaret ſuccus in radice, atque indè fermentatio impediretur, nec alia officia aptè peragi poſſent. Tandem etiam ſicuti folia inſerviunt copioſiori ſucci vehiculo, itâ & puritati ejus magis exaltandæ: Succo enim optimè fermentato tàm in radice, quàm aſcenſu ſuo per truncum, partibusque ejus ulteriori ſeparatione præparatis craſſiores hinc in folia, magis verò elaboratæ & eſſentiales tantùm in florem, fructum & ſemen tanquam conveniens ipſis alimentum diſpenſantur. Quando foliis lanugo adhæret tàm ad diſtinctionem, quàm protectionem confert; protectionis tamen, & conſervationis foliorum finis primarius eſſe videtur.

Uſus foliorum.

Lanugo foliis cur adhæreat.

§. V.

Floris partium uſus deſcribitur.

1. Sepimentum in flore tùm ſecuritatis, tum & vinculi duarum reliquarum floris partium à Naturâ conſetur ordinatum: antequam enim flores aperiantur, inſervit injuriis & violentiis tempeſtatum arcendis: poſtea verò vincit, firmat, ac decenti & decoro admodùm ſitu eas conſervat, dum flos aliàs absque ſepimento diſſolutè & neglectim dependeret. Undè ubi deficit, folia craſſa & firma admodùm ſolent eſſe maximè circà baſim, ut in Tulipis apparet. Cum ſepimenti ſummitas inciſuras habet; inſerviunt eæ imprimis aptiori floris concluſioni & defenſioni ab injuriis externis, cùm nondum expanſus, ſed ſepimento incluſus eſt: poſt floris autem expanſionem percommodè flori ſubſternuntur, ut eò melius eum expandant, ſufferant, & fulciant. Cum autem florum foliis circà baſim villoſa capillamenta admodùm

Uſus ſepimenti.

Cur inciſuras habeat.

modum tenera adhærent & cavitatem ſepimenti explent, miti & conſtanti calore foliorum conſervationi ſubſervire ſolent.

Uſus foliationis. 2. Floris ſivè foliationis uſus imprimis cenſetur eſſe protectio comæ, deinde & fructuum: Undè in quibusdam fructibus, qui teneriores, ac magis pulpoſi eſſe ſolent, veluti ſunt ceraſa & mala armeniaca, flos eorum germen anteſtat, ac includit, ut ità fructus flori in medio innaſcatur: alii verò fructus ſolidiori parenchymate præditi veluti poma, pyra, & plures alii fructus à tergo, & poſt florem enaſci ſolent, cùm tantam pro tectionem ab aëris injuriis non requirant. Sicut porrò flos inſervit tutelæ fructus, ita & ejus augmento; prout igitur natura fructûs eſt, & ſucci ejus nutritii ubertas requirit, etiàm flos major aut minor exiſtit, ut ſuccus ita juſtâ proportione, & aptâ temperie aſcendat, nec ubi flos major exiſtit, in ſe ſuccum avidius attrahat, nec ubi minor eſt, aut fructus contabeſcat, aut quovis modò intereat, aut ſaltem minor evidenter efficiatur.

Uſus comæ. 3. Comæ in floribus uſus non tantùm videtur eſſe ad ornatum & diſtinctionem, ſed etiam ad victum pro quibusdam animalculis: Unde etiam hic frequenter hoſpitare advertuntur, ut ita liberaliſſimè providente Naturæ conditore flos quivis fiat diverſorium, & cœnaculum, ſicut rectè loquitur noſter Author, dùm in quovis flore animalcula diverſa utrumque reperiunt.

§. VI.

Fructuum uſus declaratur.

Fructuum uſus. 1. Fructuum uſus eſt non tantùm pro hominibus, ſed & aliis animalibus. Quod autem fructus ſuper alias partes cibus fiat adeò delicatus: efficitur id partim â ſucco puriore, cùm craſſior in foliis deponatur: partim â figurâ fructûs plerumque ſphæricâ: Succus enim usque huc in quantitate majore, & in omnes partes æqualiter diffunditur, indè ejus concoctio maximo emolumento hîc fovetur & promovetur. Inſervit deindè etiam fructus pro ſemine, ut illud imprimis convenientiſſimo & decentiſſimo ſucco repleatur, dùm major minusque elaborata ſucci pars in ſuo verſus ſemen excurſu, ab hoc intercipitur; & ità fructus idem præſtat ſemini officium, quod fructui præſtabant folia. Deindè ut ſemen protegatur, quò felicius protendatur generatio ejus, & ſecurius perficiatur.

§. VII.

Seminis præparatio & maturatio explicatur.

1. Succus dùm diverſas concoctiones & ſeparationes in radice, trunco, & foliis ſubit, ità tandem in maturitate juſtâ ſemen accedit. Copioſior imprimis, & crudior ejus pars, dùm liberè â fructu aut ab aliis partibus fructui analogis recipitur, rurſus ſeparatur: Pars autem magis eſſentialis in ramum ſeminalem, aut alios ramos recipitur, & quia ſunt admodùm notabilis longitudinis, ſuccus inibi in ſuo tranſitu tanquam vaſculis ſeminalibus magis perficitur & maturatur. In hoc ſtatu maturationis â ramo ſeminali intrà pelliculas ſeminis velut in uterum proximè dimittitur; ità quidem, ut major ejus pars rurſus exteriori pelliculæ velut alimentum relinquatur; pars autem ſubtilior interiori transmittatur: quæ cùm ſit corpus parenchymaticum laxius, ſuccus ibidem non ut merum alimentum, ſicut in externâ pelliculâ, ſed in ordine elaborationis ſuæ perfermentationem ulterius præparatur. Succi decurſus pro ſemine formando.

Seminis præparatio. 2. Succus ità præparatus in interiori pelliculâ velut liquor aptus jam ut fiat ſubſtratum futuri ſeminis embryonati ope ſupplementi recentis hinc diſtribuitur: ne tamen abundet nimiùm, idcircò interior pellicula ab exteriori tota eſt cincta & ſuccus ibidem retinetur; per ſecundinam autem ſivè membranam filtratus, & quaſi tranſpirans ſimilis colliquamento ovi in ejus cavitatem deponitur. Altera porrò puriſſimi ſucci pars in ramulos ſeminalis rami circulatur, ſive ad aliquod ſpatium intrà eos decurrit, & ita adhuc magis elaboratur: Ubi dum, ne ejus affluxus tandem fiat copioſior, aut magis præceps, per coarctationem & divaricationem circa inoſculationes retardatur, & nobiliſſima ſolùm pars tranſitum obtinet. Puriſſimo hoc ſucco dum ramuli memorati replentur, demùm emittunt fibras umbilicales per ſecundinam in dictum liquorem in eâ contentum, intrà quem jam emiſſus ſuccus, cum ejusdem proprio ſucco, ſivè ſignaturis mixtus coägulatur, & è liquore fit corpus verè conſiſtens parenchymaticum: Supplementum verò ejusdem liquoris continuatur, & germina fibrarum umbilicalium usque procedunt, ſimulque coägulatio & fixatio. Atque dum ità coägulationis hujus negotium peragitur, congerie fixatarum bullarum, prout totius ſeminis parenchyma verè notatur, atque ita ſemen novæ generationis, & vegetationis origo & principium perficitur. Sed hæc ſatis dilucidè juxtà Clariſſimi Authoris mentem explicata eſſe exiſtimo; quæ ideò huc transferre volui, ut Lectori pro reliquo ſtudio Botanoſcopo facem perilluſtrem præferre quam.

✿

CAPUT IV.

Regulæ & obſervationes variæ circa ſtructuram plantarum.

Differentia inter ſemina.

Inter ſemina plantarum, ſponte enaſcentium, & illa, quæ in plantis contexuntur, hoc advertitur diſcrimen; quod eorum ſeminum, quæ à plantis derivantur, partes arctius inter ſe compingantur, & folliculis ſepimentisque cuſtodiantur: Illa autem, quæ ex partium inter ſe concurrentium evolutione (ut docet *Le Grand Inſtit. philoſ. part.7.*) mixturæ item compoſitione exurgunt, minùs aggeſta ſint, ac tardius abſolvantur, & ſerius ex illis plantæ proveniant.

2. Semen verum omnium plantarum plus olei continet in proportione, quàm aliqua partium reliquarum.

Duo genera Corporum in vegetabilibus.

3. Omnes vegetabilis partes, ut docet *D. Grew*, velut radix, truncus, ramus, folium, flos, fructus, & ſemen ex duobus corporibus quoad ſubſtantiam differentibus fiunt: & ſicut pars quævis duo habet corpora; ità vegetabile totum completè ſumptum eſt compoſitum ex duobus tantùm, non pluribus corporibus. Quocircà omnes partes propriè lignoſæ, veluti ſunt funiculi & fibræ, unum ſunt corpus; atque omnes cortices ſimplices, medullæ, parenchymata, pulpæ quoad naturam ſubſtantiæ ſuæ, itèm putamina, & cuticulæ omnes ſunt unum corpus. Singulę autem vegetabilis partes in eo ſaltem ab invicem differunt, quod iisdem variæ inſint proportiones, mixturæ, & differentiæ, ac ſituati pori horum duorum corporum.

Plantæ citius, vel tardius germinantes.

4. Prout eſt pororum in plantis diſpoſitio, & jam citius vel tardius eæ progerminare ſolent. Unde illæ, quæ caule carent, aut non niſi decurtatum eum habere ſolent, lentè nutriuntur: aliæ verò, quibus meatuum textura favet, & trunci fibræ liberius exſpatiantur, in majorem molem expanduntur.

5. Stirpes ac plantæ, quarum pori duriora habent latera, quique difficilius comprimuntur, ac ſubiguntur, tardius adoleſcunt, atque non niſi lentè accreſcunt & mole augentur: quarum verò pori tractabiles admodùm ſunt, atque ità intorti ac inflexi, ut ſuccorum particulæ, quæ ſubtili materia agitatæ cum impetu quodam ſurſùm feruntur, ulterius facilè progredi non poſſint, nec reverti, citius accreſcunt, magisque augentur, & mole dilatantur. Ob eandem rationem arbores hyberno tempore tardè, aut penè nihil increſcunt, eò quod meatibus frigore conſtrictis parùm caloris agitatio valeat ad eorum latera dilatanda & laxanda pro ſucco uberiori è radice transmittendo.

Cognitio vaſorum aëreorum.

6. Vaſa aërea cum eorum magnitudine, ac numero optimè in radicibus obſervantur, ſi radices ad tempus ſeponantur, donec exareſcant, & deindè transverſim abſcindantur teſſulæ admodùm exiguæ, & hæ deinde occulis opponantur, ità ut viſus per dicta vaſa trajiciatur, atque ita adhibito etiam vitro auctorio in luce clarâ examinentur. Spiræ tamen fibrarum in vaſis aëreis facilius obſervantur in trunco, quàm radice, & meliùs in junioribus plantis: nec adeò benè ſi ſecentur, quàm ſi findantur; aut evellatur pars quædam exigua, per quam ea feruntur, cùm earum conformatio hoc modo non corrumpatur.

Vaſa lactea quomodò obſervanda.

7. Ad obſervanda vaſa lactea convenientius eſſe docet *Grewius*, lac non digito, ſed linguâ removere toties, donec non amplius, aut parùm ſaltem aſcendat: quasdam etiam radices macerare convenit in aquâ, qua ratione ſitus vaſorum lacteorum magis viſibilis fiet per colorum obſcuriorem libri, ubi hæc conſiſtunt.

Succi lactei quomodo fiant.

8. Omnium lactearum plantarum ſucci lactei quamvis colore & aliis qualitatibus differant, in eo tamen conveniunt, quod ſint magis oleoſi, ſintque mixtura partium oleoſarum cum alio liquore limpido, ſed differentis naturæ, quæ colorem hunc producit; eomodo, quo nempè oleum commune & liquamen tartari fortè invicem concuſſa in phialâ, ſtatim ità commixta liquorem album producunt: Et quamvis maximam partem iterum ſecedant, quædam tamen partium earum ſine ullâ coctione, aut digeſtione tantum in calore per ſolam agitationem, aut ſi unà ſtent ad tempus quoddam, incorporantur in formam lactei ſucci tenuis, qui etiam in aquâ diſſolvitur. Undè ſupponit Grewius, ſal volatile præprimis iſtarum plantarum eſſe id, quod mixtum earum oleo efficit hunc liquorem albi, aut alterius coloris.

Gummata & balſama quomodò fiant.

9. Omnia gummata & balſama vaſis ſucciferis lacteum humorem præbentibus adſcribuntur: hæc enim & lactiformes liquores propè admodùm unius ſunt generis. Ita lac fœniculi ubi ſteterit, abit in purum balſamum, ſcorzoneræ, Taraxaci, & aliorum in gummi, & in aridis Angelicæ radicibus fiſſis lac juxtà continuationem horum vaſorum apparet velut ſanguinis coägulum in venis condenſatum in duram & lucidam reſinam.

Diverſi tubuli pro diverſis ſuccis in plantis reperiuntur.

10. Compertum etiam eſt diverſos ſuccos in plantis per diſtinctos tubulos traduci, & quidem aquoſum ſuccum ex parte ſummâ deſcendere, ſuccum autem magis ſpirituoſum ſurſum efferri. Sic experimentum factum eſt in Ulmi ramulo enodi trium ferè digitorum ità reſecto, ut utrique parti aptari potuerit parvum infundibulum cereum: aqua deindè per infundibulum ſuperiori

superiori parti aptatum transmissa surculum penetravit, spiritus autem vini ex eâ parte subire non potuit: contrà aqua alteri infundibulo immissa surculum non subiit, quem tamen pervasit spiritus vini. Quocircà suadendum fabris lignariis, ut trabes, & tigna, quæ sursùm erigi debent in aëre libero, non in eo situ, quem à naturâ habuerunt, sed in contrario collocent, sic enim aqua non facilè ligni meatus subibit, & corrumpet. Ità & sudes ac pali diutius in aëre libero durabunt, si inverso situ terræ committantur: Vasa insuper lignea torno excavata aquam exactiùs continere poterunt, si contrà situm, quo crevit lignum, hoc ipsum torno aptetur, excavetur & elaboretur.

Quid lanugo in discerptis foliis. 11. Lana sivè lanugo, quæ ex diffractis aut discerptis foliis & teneris scapis, aut aliis plantarum partibus apparet, aliud nihil est, quàm numerus fibrarum resolutarum â suo spirali positu in his vasis & in longitudinem protractarum, & ità invicem compactarum, tanquam sint totidem fila, aut funiculi minores.

Radices quomodò crescunt. 12. Omnibus radicibus proprium solet esse, quod in mucronem sivè conum desinant, eò quod radicis cujuslibet pars superior plus hauriat alimenti è terrâ, diutiusque nutriatur, adeòque majorem in molem excrescere, sicque parte superiori amplior fieri debeat.

Discrimen inter flores & folia viridia. 13. Inter flores & folia viridia hoc discrimen annotatum est, quod nullus flos posticam convolutionem habeat, sicut folia viridia, ob duplicem nempè rationem, ut docet *Grewius Anatom. Vegetab. cap. 5.* quod scilicet florum folia non habeant fibras per tergum maximè excurrentes, ut habent folia viridia: deinde quod semper à comâ suâ cingantur, quod ità fieri non posset, si convolutionem posticam haberent.

Pulvis & globuli in floribus. 14. Omnibus floribus suus est pulvis, & globuli, uti vel in suis feminulis, sivè staminibus feminalibus, vel etiàm in suis flosculis observare docet sæpè memoratus Author *Anatom. Veget. cap. 5.* In nullo verò flore clariùs, quàm in Blattariæ flore albo globuli conspiciuntur, ubi omnes sunt transparentes, & simul in caule & foliis florum erumpunt, singulique eorum pedunculum, â quo eriguntur, habent. Pulvis etiam, qui in feminulis Hyoscyami flavi admodùm elegans, & candidus velut nix apparet; per microscopium inspectus apparet congeries globulorum transparentium instar crystalli. Ejusmodi autem globulos & pulveres pro victu potissimùm animalculorum quorundam minutorum, quæ idcircò ibidem hospitare solent, â Naturæ Authore ordinatos esse, credibile videtur, quamvis & pro ornatu & distinctione florum etiam servire possint.

Filicis structura. 15. Rara valdè & elegans quædam structura in filice ac aliis hujusmodi plantis semen in posticâ foliorum parte habentibus observari potest, dum enim granula illa in dorso filicis hærentia microscopio melioris notæ inspiciuntur, apparent aliud nil esse, quàm multa parva folia ità sibi invicem apposita, ut bursulam quasi, seu folliculum constituant, in quo multæ rotundæ siliquæ delitescunt veri seminis visum nudum penitus fugientis receptacula: quælibet autem illarum siliquarum peculiari suo pedunculo in folliculo firmatur, qui non tantùm imam siliquæ partem attingit, sed totam penè ejus peripheriam cingit: ac quod imprimis curiosum est, pedunculorum quilibet siliquâ ad maturitatem accendente elateris in modum se expandere nititur: adultâ verò illâ, ac jam perfectâ tandem etiam subitò dissilit, ac disruptâ per medium siliquâ, cui firmiter junctus est pedunculus, contenta seminis granula (qualia in unâ siliquâ interdum ultra 40. numerari possunt) è longinquo spargit & in terram quasi disseminat. Vide plura de herbis istis infra cap. XVI.

16. Farciminula illa, quæ in betula, nuce, alno & pluribus aliis ejusmodi arboribus dependere solent, mirabili structurâ gaudent: quævis enim minuta particula, quæ nudo oculo seminulum apparet, microscopio subjecta, videtur esse bursa, aut siliqua, cui plura seminula oblonga duplici fibrâ aut nervo per dorsum procurrente instructa, pedunculis verò singula suis infrà affixa adhærent, ut sæpius à me observatum est.

17. Plantarum adurentium, velut urticæ mirabilis quoque constructio observatur, ut & *Hoockius meminit Microgr. observ. 25.* Harum enim spicula licet apum aculeis simillima sint: microscopio tamen inspecta apparent in iis vesiculæ adhærentes, quæ pungentem humorem vulneri inflicto infundunt, simul enim ac cuti illa spicula infiguntur, in basi eorum hærentes vesiculæ comprimuntur, ità ut humorem acrem contentum fundant, qui per fistulosos apices vulneri infusus pruritum, ruborem, & ardorem in cute molestum excitare solet. Urticæ structura.

18. Fructus omnes, quibus crudis vesci possumus, quàm exiles etiam sunt, omnes solent esse figuræ globosæ, aut ad eam accedere: Et quò magis appropiant globosæ figuræ, eò solent esse delicatiores. Fructus meliores globosi.

19. Omnes colores (exceptâ albedine, quæ nonnunquam communis est partibus continentibus & contentis) omnes item odores & sapores, qui immediatè magis & sine resolutione principiorum essentialium in vegetabili quodam percipiuntur, non censentur adscribi posse partibus organicis, aut continentibus, sed iisdem potius, quæ in his continentur. Colores unde procreentur.

20. Color omnium magis communis in plantis reperitur viridis, omnium magis rarus, niger: magis autem mutabilis rubeus in floribus, magis verò constans viridis in foliis. Respectu autem habito ad singulas partes unius ætatis evanidus est viridis in fructibus, durabilis verò luteus in floribus, magis simplex is, qui in semine, magis compositus, qui in floribus reperitur: respectu habito ad locum plantis aquaticis magis usitatus & communis est flos albus.

Saporis in plantis. 21. Circa sapores observatur, quod ex omnibus saporibus, qui in plantis repe-riuntur, amarus & acidus sint communissimi; dulcis verò & salsus rarissimi.

22. Arbores, frutices & similes firmiores plantæ, nisi impediantur, rectâ sese erigunt: quocircà arbores ità excrescere solent, ut ad superiorem superficiem acclivem ipsius montis efficiant angulum acutum; ad inferiorem verò obtusum. Infirmiores porrò plantæ, velut cucurbitæ, hæderæ, portulacæ, ac similes cùm sint valdè graciles, suomet pondere in seipsas recurvatæ deprimuntur.

23. Dantur ex plantis & herbis enascentibus signa terræ & soli latentis; Sic ubi atræ, amaræ, & macilentæ herbæ potissimùm reperiuntur, terra subjecta ejusdem proprietatis arguitur: Si junci, arundo, cyperus similesque herbæ copiosè progerminent, uliginosa censetur terra, quæ humido abundant semen facilè suffocet: Ubi rhamni, paliuri, & spinosa soboles abundè producitur, terra cultu indicatur difficillima, utpote quæ rastra & vomeres ingentibus glebis oneret, cæteroquin tamen frugibus ferendis non eritinidonea. Signa soli in eo enascentibus ex plantis.

CAPUT V.

Regulæ & Observationes circà plantarum vegetationem, nutritionem, propagationem, & conservationem.

Sal conducit plantis.  Uæ sale volatili abundant, ea potissimùm vegetationem promovere solent, ut rectè docet Clarissimus *Malpighius*: plurimùm autem conferunt vegetationi ac fœcundationi aquæ sale delibutæ, aut quadam pinguedinis portione commixtæ; cum iis irrigatæ stirpes mirum in modum luxuriant. Pura siquidem aqua nimis citò stirpium partes penetrat, nec sufficienter in iisdem immoratur, ità ut difficilius in alimentum cedere possit.

Alimentùm plantarum. 2. Sicut se habent variæ herbæ animalium nutrimenta ad ipsa animalia, ità varii humores variis qualitatibus imbuti vegetabilium alimenta ad ipsa vegetabilia, plantas scilicet. Sed sicut ipsa animalia ea nutrimenta vegetabilia naturaliter appetunt, quæ naturæ suæ magis fuerint similia & consentanea, ità & Vegetabilia eos humores substantiæ suæ magis similes, & congruos attrahere solent. Undè unaquæque herba & planta trahit liquorem illum, qui ad naturam propriam conservandam illi aptior fuerit. Sic quod est Solare in terrâ, solares vindicabunt plantæ, quod Lunare Lunares, quod Saturninum Saturninæ, Joviale Joviales in se derivabunt. Ità rectè philosophatur *Kircherus in Arte magnet. lib. 3.*

Affinitas in plantis. 3. Illi etiam potissimùm liquores stirpibus enutriendis accommodatiores sunt, qui affinitatem quandam cum illis habent, & figurâ convenienti donantur. Proindè quanquam omne alimentum plantarum sit pinguis terra cum aquâ, sivè humor pinguedini commixtus; non tamen quivis talis cuilibet plantæ idoneus esse valet, cùm particulæ, quæ hujusmodi succos componunt, variæ sint, & pro diversâ texturâ diversi indè oriantur liquores, qui non æquè texturas etiam plantarum diversas, ac dissimiles permeatione suâ afficere possunt. Sic allio propè rosam consito gratior rosæ accedit odor, eòquod corpuscula fœtori gignendo accommodata ad allium deferuntur, sicque pauca ex illis in rosæ radicem incurrant, & corpusculis iis immisceantur, quæ suavi odori procreando sunt nata. Plantæ etiam quæcunque uberius, & fœcundius progerminant, si lixivio ex cineribus suæ speciei parato irrigentur, & quantò cineres isti sunt simpliciores, tantò majorem suis speciebus fœcunditatem conferre solent. Ità si *vitis*, *rosa*, *triticum* aut alia quævis planta in cinerem redigatur, & exindè lixivium paretur, quo planta appropriata irrigetur, mirè hinc fœcunda redditur. Similiter ad pulchros, nitidos & uberes flores producendos, veluti Tulipas, anemones, lilia atque omnis generis rosas, similesque alios flores, conducit ex eorum, postquam effloruerunt, combustis, ac in cinerem redactis scapis & caulibus lixivium parare; quo affuso singularum plantarum appropriatarum radicibus mirâ fœcunditate & nitore propullulabunt.

4. Quod aliquæ plantæ aliarum subindè consortio delectentur & uberius progerminent; aliquæ verò aliarum societatem & propinquitatem refugiant, nulla sympathia, aut antipathia excogitanda est, sed solùm hoc provenit indè, quod tales plantæ in viciniâ constitutæ communi succo vescentes una alteri alimentum subtrahat, aut deprædetur, quò fit, ut altera alimento uberiori destituta vel languescat vel penitùs emoriatur. Ex opposito dicuntur plantæ amicæ, si diverso succo alantur, & id, quo una vivit, solùm appetat altero intacto relicto, quo altera vivere solet. Amicitia & inimicitia plantarum.

5. Omnes plantæ certum quendam cœli statum, ac soli indolem requirunt, atque suis gaudent quæque locis natalibus, in quibus sine vigoris jacturâ dimoveri nequeunt. Undè benè *Cardanus de variet. lib. 6. cap. 20.* ità docet: *Sicut lapides alendis tenacibus plantis conducunt.* Ità pinguis terra fructibus, qui sine nucleo sunt, velut ficubus, uvisque: at his, qui nucleum habent, plurimùm obest. Appositè etiàm *Virgilius lib. 2. Georg.* Loca plantis amica.

Nec

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt:
Fluminibus salices, crassisque paludibus alni,
Nascuntur steriles saxosis montibus orni,
Littora myrtetis lætissima; denique apertos.
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora Taxi.
Divisæ arboribus patriæ. Sola India nigrum
Fert Hebenum, Solis est thurea virga Sabæis.

Ut porrò convenientia locorum ad certas quasdam herbas & plantas melius addisci queat, subnectimus sequentia:

In terra pingui crescit	Omne frumentum, non ita alibi.
In aqua - - -	Nymphæa, non ita in terrâ siccâ.
In rivulis - -	Nasturtium.
In locis paludosis	Barba hirci.
In vallibus -	Lilium convallium.
In Sterquiliniis -	Atriplex fœtida.
In locis nitrosis -	Absynthium.
In Sabulis - -	Flos Trinitatis.
In Salebris -	Erica.
In Grumis - -	Taraxacum.
In tumulis -	Serpillum.
In viis - -	Centumnodia.
In pratis -	Trifolium.
In musco terrestri	Polytrichum aureum.
In spinis -	Cascuta.
In sepibus -	Bryonia.
In arboribus -	Hedera arborea.
In muris -	Cheiri flos.
In saxis -	Capillus Veneris.
In montibus -	Carlina.
In montium superciliis - -	Doronicum.
In rupibus - -	Sempervivum. minus.
In sylvis -	Myrtillus.
Apud quercum -	Urtica.
Sub arbore Salicis	Polypodium;
In apice Coryli -	Viscus corylinus
- - quercûs -	quercinus
Sub cortice quercûs	Pulmonaria.

Seminatio quando opportunius instituatur.

6. Semina omnia sicca tempestate serere convenit tertio, quartoque die, cum fieri potest, à pluvia largiore: *nec tamen*, ut inquit *Ferrarius Horticult. lib. 3. c. 1. simul, ac magnis imbribus terra permaduit, feres, sed tantisper exspectabis, dum pluvius ille mador modicè exsiccetur, ne madenti limosoque solo statutæ radices exputrescant.* Hoc autem in seminibus: quæ humore nimio in mucilaginem facilè solvuntur, ut e. g. *Myrrhide*, *Ocymo*, *Scorzonera* præcipuè servandum est, ne solo madido serantur, nevè, recens sata irrigentur. Cavendum etiam, ne recens sata quæcunque tempestate frigidâ irrigentur, neque aqua gelida fontana aut puteali, nisi probe insolata fuerit.

7. Quocunque tempore seras, semina conducit eligere recentia æstatis proximè præteritæ, si haberi possint. Omnia enim semina, quo vetustiora, eò difficiliùs & parcius germinant. Quot annis autem plantarum semina fœcunda durare possint, difficile videtur *Raio tom. 1. histor. plant. lib. 1. cap. 13.* definire. D. *Morrisonus* non ultrà decennium affirmat: alii fœcunditatis spatium quinquennio circumscribunt. Sed quoniam magna inter ipsa semina differentia est, ideo magno hic etiam opus est respectu, quædam enim diutius fœcunditatem suam custodiunt, quædam citius eam amittunt & sterilescunt, ut verisimile sit nonnulla fœcunditatem suam ultrà decennium prorogare, alia ante quinquennium amittere. Multum autem conducit ad seminum fœcunditatem conservatio: Cavendum idcircò ne in humido loco reponantur, sicque nimium humorem bibant, indeque putredinem contrahant; nevè etiam in calidiore loco asservata nimium calefiant, & evarescant. Nonnulla etiam frigus vehementius urit & corrumpit. Seminum electio.

8. Quæ in aqua subsidunt semina, ea firmiora censentur, & ad serendum fideliora: quæ fluidant, languidiora, & propagationi inepta. In siliquis & spicis media potius, quàm ima aut summa probantur, quamvis *Ferrarius* ima in cariophyllis commendat. Seminum probatio in aqua.

9. Quodsi flores multiplices & variegati desiderentur, præstat semina colligere è siliquis aut conceptaculis ejusmodi floribus multiplicibus & variegatis succedentibus: sive enim varietates illæ morborum, ut quidam volunt, symptomata sint, sivè Naturæ errores, sivè Lascivientis ejusdem lusus: pronior certè erit Natura in his ad sic iterum deerrandum vel lasciviendum: Hocque præcipuè in *mirabili Peruvianâ* servandum existimat *Raius*, si floribus striatis insignem plantam obtinere cupias. Semina pro floribus multiplicibus.

10. Observatio nonnullorum ad obtinenda Leucoia flore pleno est, ut semina colligantur ex siliquâ flori succedente per luxuriam pentapetalo. Alii seligunt in caule medio ac primario siliquas præsertim incurvas easque primis ac circà plenilunium apertis floribus si fieri possit etiam pentapetalis succedentes recissis aliis omnibus tum siliquis, tum caulibus lateralibus, ut virtus vegetatrix tanto plenius & uberius in has effundi possit. Aliqui ad quascunque plantas florigeras multifloras acquirendas semina majora, & pleniora armatis etiam oculis per Micro-Scopica conquirunt cum exoptato deinde proventu. Semen pro Leucoiis pleno flore.

Semen ad cariophyllos pleno flore.

11. Ad Cariophyllos flore pleno & variegatos novos acquirendos feminum ferendorum electionem fuadent ex florum cariophyllaceorum aurantii mali colore tinctorum tam purorum, quàm variegatorum feminibus, unde pulcherrimos acquiri perhibent. *Ferrarius* ex albis cariophyllis femina colligere fuadet, ut & ex iis, qui fufcis maculis diftinguuntur: ficque multiplicem varietatem acquiri poffe fcribit. Ex fimplicibus verò cariophyllis multiplices iterata de loco in locum translatione fieri *Laurembergius*, aliique complures experti funt. Nec dubium alias quoque plantas fimili translatione pro fimplicibus multiplices flores proferre poffe.

Praxis vetufta femina corrigendi.

12. *Henrici Corvini* Romani praxin in vetuftis & aridioribus aut exoticis feminibus ferendis refert *Ferrarius Horticult. lib. 3.* his verbis. *Antequam contumacis, lentæque duritiæ femina folo committat, aquam defundit in catinum, nitri modicum fuperfundit, ac diftabefcere finit: in eam nitratam aquam femina immittit per duodenas horas pro variâ duritie plus minusque macerari & medicari patitur: exinde ferit: tandem eandem aquam infpergit, ut nitrum ex igneo terræ habitu concretum feminalem contumaciam ad uberem germinationem proritet.*

Exoticarum plantarum femina.

13. Exoticas plantas & calidiorum regionum alumnas fi habere velimus, oportet ut eorum femina vernali tempore feramus, quandoque illæ hyemes noftras non tolerant, fed à frigore facilè corrumpuntur, Quinimo fi præcoces fructus è tenerioribus defideramus fivè rariores & delicatiores omninò ad maturitatem perducere cupimus; oportet, ut pulvino calenti è fimo equino recenti paleis permixto exftructo: deinde terra pingui cribrata ad trium quatuorvè digitorum altitudinem inftrato & operculo è ftoreis fuperinducto tecto femina committamus.

14. Quo femina maturius feruntur vere, eò plantulæ inde enatæ diligentius à frigore tutandæ funt: quò ferius eò largius irrigandæ, & inumbrandæ.

Foliorum variegatio quomodo fieri poffit.

15. Foliorum variegatio, qualis in *Alaterno, Buxo, Rofmarino* & aliis hujusmodi plantis cernitur, morbidæ potius conftitutionis fymptoma in planta aliqua cenfetur; Hocque vel calce radici fuppofita, vel pari mixtura calcis cum terra ruderata induci poteft: unde in ramis depactis durat, in plantis à femine ortis evanefcit.

Vegetabilium perpetuatio.

16. Perpetuatio radicum & plantarum diverfimodè contingere folet; quædam enim in totum perennes exiftunt veluti radices arborum, fruticum, & variarum lignoforum plantarum. Quædam aliæ quoad partem propagantur, aut per novam radicum progeniem à capite vel corpore antiquæ in locum illius, quæ quotanis moritur, fuccedentis, aut per certum tempus, ut in *lilio* non bulbofo, flore *Solis pyramidalis cynoforchide napello, chelidonio* minori, & aliis, in quibus plantis una aut plures harum radicum firmæ funt, reliquæ verò fpongiofæ, ac effœtæ, atque partim per raptum trunci, & aliarum radicum juniorum ad confumptionem & interitum reducuntur. Radices autem bulbofæ veluti Tuliparum & aliorum florum & herbarum bulbofarum perpetuantur fingulis corticibus & putaminibus, ex quibus præcipuè bulbus conftat, fucceffivè pereuntibus, ita ut contrahantur in varias easque tenues & aridas cuticulas; inter quas autem in earum centro aliis putaminibus fucceffivè formatis bulbus hinc perpetuatur. Eodem modo radices fibrofæ una alteri annuatim fuccedit, ita ut fub finem annorum diverforum alia plane quoad fingulas fuas partes exiftat. Aliæ rurfum radices perpetuari folent per defcenfum trunci, ex quo annuatim reparantur & per gradualem inferiorum iftarum partium interitum diminuuntur, velut in radicibus tuberofis *Ari, iridis, fragariæ, cariophyllatæ* & aliis fieri folet, in quibus nempe extremæ & vetuftiores earum partes primò marcent, & tandem graduatim computrefcunt.

Propagatio plantarum per ramulos abfciffos.

17. Plantarum propagatio quomodo etiam per ramulos abfciffos terræ impofitos feliciter effici poffit, optime docet *Laurembergius Horticult. cap. 21. §. 1.* Nulla, inquit ferè, ftirps eft, quæ non queat propagari. Per ramulos anniculos modo primò inferior extremitas abfciffâ oblinatur emplaftro fequenti

R. Ceræ communis
Terebinth. ana ℥. 1.
Refinæ commun. ℥. 11.
Mifce: fiat emplaft.

Deinde non directè ramulus terræ infigatur, fed oblique fivè incurvo arcu, ita ut fuprema pars è terrâ promineat, media tangat imum, infima, qua oblinenda eft, furfum nonnihil vergat: ita tamen ut delitefcat. Ita *Laurembergius*.

Fimus quid præftet.

18. Solet fimus potiffimùm fuo calore fructus accelerare, aut terram recreare, non folùm quod fimus humore fubactus agros impinguet & plantis in alimentum cedat, fed inde potius, quod fimus plurimis igneis particulis turgens terræ vires frigore fractas, vel cruditate debilitatas reparet & reficiat. Non tamen omnis fimus æque utiliter convenit: Alii turdorum, columbarum, gallinarumque fimum probant rejecto natatilium volucrum plus æquo cauftico, velut anferum, anatumque excremento: alii caprarum fimum præcellere ftatuunt, deinde ovinum, poftea boum ac jumentorum.

Plantæ aërem liberum affectant.

19. Quod plantæ aërem liberum, & apricum affectent, luculento experimento oftendit *D. Scharrocus lib. hiftor. propag. vegetabilium* plantam tenellam à femine ortam fictili exceptam in feneftra collocavit, cui unica vitri, quo obturata erat, quadra deerat. Plantula, quæ aliter furfum fucreverat, relicta hâc directione illicò fe inclinans verfus foramen rectâ tendit fitu ad fuperficiem terræ in fictili propemodum depreffo, & ferè parallelo. Deinde fictili converfo, ita ut inclinatio caulis à foramine averfa aliorfum fpectaret. Plantula caule reflexo & in formam literæ C incurvato

situ ad foramen iterum se direxit. Mutato denuò fictilis situ & superiore curvaturæ cornu à foramine averso caulis pariter summa pars directionem suam mutavit, & versus patentem quadram sese retroflexit, & in literæ S. figuram incurvavit, & interdum animi causâ ut admirationem excitaret amicos aut adstantes rogavit, ut dicerent versus quam partem vellent, ut planta crescendo traderet, eamque nota aliqua in margine fictilis signarent: quod cum fecissent parte illâ fictilis fenestræ foramini obversa intra paucas horas sponte sua nulla vi adhibita planta illa caulem suum illorum inclinavit.

Fodicatio terræ. 20, Ut plantarum vegetatio melius promoveatur, conducit rastro, vel quovis instrumento sulcatorio, aut carminatorio terram fodicando aperire, ut subintrans aër radici pro fermentatione succi aptius procurandâ sufficienter accommodetur. Conclusâ autem undique terrâ, & crustâ durâ penitus obductâ nullæ plantæ ad votum progerminare queunt ob causam oppositam.

Ventorum afflatus. 21. Mitis Ventorum afflatus plantas mirè non tantum siccis temporibus recreare, sed & ad uberiorem ac meliorem fructificationem adducere potest. Nam ut rectè scripsit *Hippocrates lib. de nat puer. Ex nubibus, quæ sunt aqua continua, semper spiritus prodeunt, & terra, quæ aquam, plus minusvè semper in se continet, vento perflatur, & per eum spiritus percolatur.* Unde licet Cœlo diutissimè sereno nec ros copiosè, nec ulla decidat pluvia; nihilominus sæpe tamen fruges & vegetabilia feliciter progerminare possunt: ut factum est Anno 1684. ubi frumenta potissimùm hyberna culmis & spicis luxuriantibus feliciter succreverunt, atque grana polline plus panis quàm frumenta aliorum annorum elargiente tulerunt. Ut benè annotavit. D. *Sommerus* (prout refertur *Ephem. Germ. Ann. 4. Decur. 1. obs.* 123.) quotiescunque, inquit, nubes in aëre suspensæ se in pluvias jam resoluturas terræ aquis anxiè inhianti promittebant, toties inter Septentrionem & Occasum oriebatur Ventus frigidus, à Physicis *Cyrcius* vocatus, qui quamvis nubes dispelleret, & abs præeunte pluviâ redderet cœlum sudissimum; interea nubium spiritu imprægnatus reficiebat vires omnium suprà & infrà terram viventium. Quâ ratione terra crebriùs novis spiritibus imprægnabatur, sicque frugibus subindè nova vis vegetans, & occultum alimentum afflabatur, & ita frumenta imprimis hyberna ad vix exspectatum maturitatis & perfectionis gradum feliciter pertingebant.

Fructuum maturatio. 22. Temporum varietates, in quibus vegetabilia florent, aut fructum citiùs aut seriùs maturant, contingunt juxta gradum caloris necessarium cuilibet plantæ pro aptiore fermentatione, aut meliori distributione succi ejusmodi plantæ, aut convenientiori imprægnatione aëris miscendâ, aut debitâ dispositione Soli, ut reddat convenientissimum alimentum.

Plantæ sine visibili semine nascentes. 23. Plurimarum herbarum, arborum, aliorumque vegetabilium ortus ab occultis seminibus sæpè dependet. Ita sanè visibili semine crescunt & propagantur salix, ulmus, populus, fraxinus, adiantum, & aliæ capillares herbæ, scolopendria, filix, hepatica, parietaria, & mille fungorum genera. Sed de his vide plura infra Cap. XVI.

Quomodò bulbosæ plantæ propagentur. 24. Citius & melius bulbosæ plantæ ac flores per sobolem adnatam, quàm per earum semen propagantur. Quia tamen sæpè etiam per semen novi quidam flores acquiri possunt; Observandum, ut illud de albis colligatur floribus, ac terræ bonæ intra canicularium dierum tempus Lunâ crescente seratur.

Bulbi quando exhumandi. 25. Quamvis ad meliorem etiam & uberiorem sobolem obtinendam conducat plurimùm bulbos triennio circiter in terrâ permittere? rariorum tamen florum bulbos etiam annuatim exhumare & desiccare convenit, ne matrix bulbosa facilè intereat. Ita *Narcissi nobilis* bulbus sicut & *Hyacinthi coronati* singulis annis per mensem utiliter terreo suo carcere exsolvitur & desiccatur. Communis tamen, Hyacinthi bulbus post duos solum annos exhumari potest. Cavendum tamen ne bulbis quibusvis, dum ad eosdem exsiccandos exhumantur adnatæ infra radices prius abscindantur, quàm in ipso eo tempore, quo rursùm terræ commitantur.

Plantæ quomodò primùm excrescunt. 26. Cum plantæ quædam ex ramis terræ commissis, uti *Vitis & Salix*; aliæ verò innumeræ ex bulbis, ut multæ ceparum species; aliæ ex radicibus, ut arundines & pleraque gramina fruticentur: id tamen omnibus penè commune est, ut turgente succo propè nodos fistulæ lignosæ, cum trachæis, ut vocant, & utriculis appensis primùm in gemmas producantur; tum in caules non aliter ac surculi in ramis. In bulbosis autem ex lignosâ & solidiori coronâ, quæ est in infimâ basi truncus & folia assurgunt. Hinc partes eæ à planticolis cautè tractandæ, ac plurimùm observandæ sunt, ne quovis modo lædantur.

Cælestium corporum irradiatio. 27. Licet cœlestium corporum radiatio ac influxus plurimum possit in hæc inferiora, atque ita in vegetabilium regno multum efficere queat ad felicem arborum plantarumque proventum seminationes, scilicet plantationes, insitiones, & cœtera hujusmodi, ut ita ex Antiquis ille *Mecubalim* hinc non inconvenienter dixerit: *Nullam esse herbam inferiùs, quæ non habeat stellam suam superiùs, quæ ei dicat: Cresce*, Solis tamen ac Lunæ tantùm motus radiique prævalere censentur: reliquorum autem astrorum sivè fixorum, sivè Erraticorum vis admodùm dubia est: imò si quæ sit; observatu difficilis aut penè impossibilis erit ob nimiam ipsorum tùm multitudinem, tùm distantiam, radiorumque exortam inde debilitatem, tùm & imperceptibilem illam ex radiorum & effectuum adeò diversorum commixtione combinationem. Nihilominus ut Curiosi Lectoris appetitui serviamus, ea, quæ communiter circà hæc ab Astrologis statuuntur, paucis referre libet. Inprimis ajunt: Si Luna constituta sit in signis aqueis, omnem plantationem ob vim quandam

humorum

humorum ſuffocativam penitus omittendam eſſe, quamvis terram tunc fodicare & præparare, plurimùm conveniat. Si verò in ſignis terreis conſtituta ſit ob humoris beneficam vim plantationem opportunè auſpicandam, atque tunc omnes plantas firmiùs radicare & uberiùs radices in terram diſpergere. Lunâ in aëreis ſignis conſtituta plantationem feliciter quoque ſuccedere, & quidem plantas terræ commiſſas plurimùm excreſcere, & ubertim in germen extrà terram ſeſe efferre. Eâdem Lunâ verò in igneis ſignis morante, bonum ajunt, plantas in terram humilem ac humidam quidem inſerere, non ita tamen convenit, eas locis aridis atque altis committere. In his etiam igneis ſignis aſpectûs rationem habendã eſſe volunt: qui ſi cum Lunâ quadratus fuerit, electionem omittendam; ſecùs ſi trinus, vel oppoſitus fuerit. In ſeminum jactu attendi debere volunt, ut electio fiat creſcente lumine, non decreſcente: aliàs enim ſemen præterquam, quod humiditate flacceſcat, etiam vermibus obnoxiam partem ſuſcipiet. *Cardanus* etiam *de variet. lib. 6. cap.* 23. omnia ſemina creſcente Lunâ tepidiſque diebus ſerenda docet. Plantaturo arbores ſuadent aſpectum ſextilem, & trigonum Saturni cum Lunæ poſitu in Geminis, Virgine, aut Librâ. Alii præſcribunt Lunam in Tauro cum Veneris conjunctione; cum enim Venus humida ſit & calida; Lunare verò lumen frigidum, calore temperabitur, & ſeminationibus ac plantationibus maximè aptum in aptiſſimo ſigno reddetur. Præter hoc ſignum eligi quoque poſſe dicunt Aquarii, Piſcium & Virginis ſigna. Ad vites ponendas probant Lunam in Tauro, Virgine & Capricorno cum aſpectu ſextili aut trigono Saturni. Calendariographi tamen communiter pro fauſtâ ſeminatione præſcribunt ſextilem & trigonum aſpectum Saturni cum Lunâ, pro infauſtâ verò conjunctionem, quadratum & oppoſitionem ejuſdem cum Lunâ. Item ſigna bonæ ſeminationis volunt eſſe Taurum, Cancrum, Scorpium, Libram, & Capricornum; inſitionis & transplantationis Taurum & Aquarium, cum ſextili aut trigono aſpectu Saturni, Jovis aut Veneris. Quæ verò ſigna, in quibus Luna moratur in ſpecie ad certas plantas & ſemina conveniunt, melius ex ſeq. Tabulâ colligi poterit.

TABULA plantationis & ſeminationis Vegetabilium in ſpecie.

Signa & eorum Natura	*Seminatio & plantatio in ſpecie.*
♈. *Igneum. calidum. ſiccum.*	*Bonum ad flores.*
♉. *Terreum. frigidum. ſiccum.*	*Bonum ad vites cum aſpectu* ♄. *ad flores & ſemina præſertim in momento* ☍. *ad arbores cum radiis* ♀.
♊. *Aereum. calidum. humidum.*	*Ineptum ad flores & plantas.*
♋. *Aqueum. frigidum. humidum.*	*Bonum ad cepas, caper ſerendum & herbas plantandas.*
♌. *Igneum. calidum. ſiccum.*	*Optimum ad ſemina florum & plantationem præſertim in momento* ☍.
♍. *Terreum. frigidum. ſiccum.*	*Bonum ad vites cum radiis* ♄. *& ad alias plantulas inhumandas, & abſcindendas.*
♎. *Aereum. calidum. humidum.*	*Bonum pro cultinatione hortorum & transplantatione vegetabilium.*
♏. *Aqueum. frigidum. humidum.*	*Malum ad flores & arbores, cicer ſerendum, raphanum & rapas.*
♐. *Igneum. calidum. ſiccum.*	*Bonnm ad Cariophyllos, exhumandos, excolendos, purgandos.*
♑. *Terreum. frigidum. ſiccum.*	*Bonum ad vites cum radiis* ♄. *ad flores, frutices, & caper ſerendum.*
♒. *Aereum. calidum. humidum.*	*Bonum pro cultinatione hortorum, inſitione & putatione arborum ad Perſicum. Sed malum ad flores.*
♓. *Aqueum. frigidum. humidum.*	*Ineptum ad omnia. Cum radiis* ♀. *bonum tamen ad vineas.*

Sed his ita relatis nunc & curioſo Lectori Hortenſium terrarum cultori pro diverſis arboribus ac quibuslibet plantis florigeris feliciùs inde producendis Tabulas ſubnectamus, quæ compendioſè imprimis præcipuarum arborum, ac fruticum, deinde & quorumlibet florum ac plantarum nobiliorum florigerarum oculos maximè oblectantium nomina cum ſolo congruo adnexo, ſeu terrâ conveniente exhibent: Culturam etiam ſpecialem ſingulis conducentem, & propagationis modum breviter indicant, ut ita hinc ſecretiores Horticulturæ praxes & exercitia, præprimis tamen pro noſtris his regionibus Germaniæ Superioris facilè addiſci poſſint.

Unicum tamen pmrmittam hoc loco arcanum pro fœcundandis terris quibuslibet ex- Arcanum mirificæ fœcundationis terrarum.

bet ex ipsa aliqua terra lutosâ, prout *Clarissimus Vir D. Joachimus Becherus in phys. suâ subterranâ lib. 1. sect. 2. cap. 3. num. 7.* tradit eam ad miraculum usque vegetabilium vegetationem promovere. Sume itaque terram lutosam subcæruleam, sivè lutum dicti coloris, quod ad fontium scaturigines reperitur, signumque evidens, præsentis scaturiginis esse solet; atque per cucurbitam adaptato igne etiam lentissimo destilla. Illicò subtilissimus transiens spiritus alembicum ita calefaciet, ut manu tangi nequeat, striasque interdum faciat spiritui vini prorsùs similes, cum tamen in vas recipiens, nihil nisi insipida aqua prodeat, quæ à Galenistis pro inutili phlegmate reputaretur; sed maximarum, ut ait, virium est, tum quoad metallicas operationes, tum quoad medicas, imo quoad vegetationem vegetabilium vix quicquam in mundo huic aquæ palmam præripere existimat, cujus una gutta, plus quàm plaustrum fimi fœcundat. Plura alia de hâc aquâ vide apud ipsum loco citato.

TABULA I. Arborum præcipuarum ac Fruticum cum adnexo solo terrestri singulis congruo, propagatione, culturâ ac conservatione.

Arborum & Fruticum Nomina.	Solum & Terra conducens.	Propagatio.	Cultura & Conservatio.
Acer.	Aptum quodcunque solum.	Propagatur sobole, sivè surculis ex radice enatis.	In implantatione, quo amplius putatur, hoc uberius progerminat.
Amaracus, seu Majorana.	solum pingue humidum, & umbrosum.	semine & distractione. Item contusione germinis, seu fruticis.	Hyeme servari debet in loco calido.
Amygdalus.	solum commune, macrum, calidum. sterilescit in solo pingui.	per inhumationem nucleorum aquâ mellis aut fimi prius illitorum. Item per insitionem & inoculationem.	transplantatur in Vere & Autumno. sterilis pertebratur, & inserto lapillo fructificat.
Buxus, arborescens & humilis.	solum quodcunq; in implantatione primum frequenter irrigari debet, ut radices agat.	Distractione & divisione radicum.	transplantatur vel statim post caniculares, vel mox ad veris initium. Prodest singulis annis putare.
Castanea.	solum boreale umbrosum humidum. Odit tenax, lutosum & arenosum.	per fructus proprios initio veris inhumatos; aut sobolem radicalem. Item inoculationem in juvene quercu.	transplantatur in Vere, & Autumno. Ramis abscissis ac radicibus fimo equino tectis.
Cedrus plurium differentiarum.	crescit feliciùs in locis montanis.	semine propagatur.	cum radices non altè defossas habeat, conducit palis alligari.
Cerasus.	Commune mediocriter pingue versus meridiem aut orientem. Odit solum arenosum ac siccum.	nucleorum inhumatione & sobole. Melius Emphiteusi truncali in parte profundiori.	transplantatur in Autumno relictis tot ramulis, quot habet radices. Flores primo anno non permittuntur.
Cerasus acida nigricans.	conducit mediocriter pingue.	per nucleos & sobolem. melius tamen per insitionem in parte profundiori	transplantatio autumnalis conducit: at vernalis vix aut nunquam succedit.
Cerasus Duracina, sivè Amarellus.	solum bonum. Vallense non montanum.	nucleorum inhumatione & sobole. Item emplastratione, sivè inoculatione.	magis fructificat, si aliis suæ speciei associetur.
Chamelæon.	Humidum & umbrosum.	semine propagari solet.	transplantatur in autumno.
Colutea Vesicaria.	solum mediocriter bonum	propagatur semine.	Tutanda à frigore hyemali. Semen ab attactu suarum siliquarum perit.
Corylus, seu nux diversarum specierum.	solum quidem bonum, quod tamen fornacea terra congruè obtegitur.	per sobolem seu fœturam ex radice ad medium Autumnum.	Aquosa germina diligenter putanda, resterilescat.

Arborum & Fruticum Nomina.	Solum & Terra conducens.	Propagatio.	Cultura & Conservatio.
Cupressus.	Solum rarum molle. Obest tenax & densum.	Semine & surculorum inhumatione.	Frigore facilè læditur, cacumine deciso perit.
Ficus.	Solum bonum & pingue congruentius.	Per sobolem seu fœturam à radice enatam.	Prodest fimus avium, præsertim Gallinarum. Frequenter in æstate irrigatur.
Gelsiminum, sivè Jasminum.	Solum calidum rarum, non adeò tenax.	Sobole radicali, sive surculis è radice enatis.	In æstate frequenter irrigari debet.
Genista. Hispanica.	Solum commune.	Semine propagatur.	Prodest annuatim ad novos usque oculos putare. Frigus haud sustinet.
Juglans.	Solum commune quod vis. Magis conducit solum paulò siccius & montanum.	Per sobolem è radice, & nucleos terræ commis sos.	non transplantatur commodè. Cum infirmatur effossâ terrâ radix scinditur & fimus apponitur.
Juniperus.	Commune: melius tamen paulò humidum.	Baccarum sive seminis inhumatione. Item effossione & discerptione.	Refugit incastos & fœminas immundas. Putatur utiliter lunâ crescente.
Laburnum, sive lignum putidum.	Solum rarum & humidum.	Suis fructibus sivè fabis.	In æstate sæpius irrigatur
Laurus plurium specierum.	Solum conducit pingue & bonum.	Baccarum & Surculorum inhumatione. Ultima melior.	In æstate sæpiùs, in hyeme vix aut rarò irrigari debet.
Larix.	Solum quodcunque.	Semine propagatur.	Non indiget culturâ. Cacumine deciso perit.
Malus seu Pomus plurium specierum.	Convenit omne Solum; humidum tamen & pingue ad majores fructus conducit. Sterile etiam & arenosum adurit truncum, unde fructus exigui obtinentur.	Per inoculationem & insitionem truncalem & corticalem. Melior tamen est corticalis.	Ne fructus facilè dilabi sinat, confert radices findere & aquam lacte, sanguine vitulino & stercore vaccino mixtam immittere ac irrigare.
Malus Armeniaca.	Requirit Solum rarum fimo vaccino impinguatum. Odit lutosum & tenax: Item auram borealem.	nucleorum inhumatione melius tamen insitione, aut inoculatione super prunum aut Amygdalum	Transplantatur in Vere: conducit fimus & crebra fodicatio.
Malus Cydonea vel Cotonea.	Terra mediocris & levis, quæ sæpiùs fodicanda, præsertim dum pluvia ingruit.	Per sobolem è radice enatam. Item per insitionem vel in seipsâ, vel communi malo, vel pyro.	Transplantatur melius in autumno. Stolones adnati diligenter resecandi.
Malus Granata vel Punica.	Solum mediocre in loco tamen calido. Conducit etiam fimus equinus.	Propagatur optimè per sobolem è radice natam, vel per insitionem truncalem in Gelsimino.	In æstate rarius irriganda, in hyeme verò sæpiùs & quidem aqua tepidâ: caveatur frigida aut nix.
Malus Medica, Assyria sivè Citrus.	Rarum bonum in loco calido. Conducit fimus præsertim equinus tempore hyberno.	nucleorum inhumatione & emplastratione, quæ melior.; nam fructus ejus citius hac provocantur.	Conducit fodicatio menstrua: prodest radicem è terrâ modicùm prostare. Optima irrigatio fit vino secundario, aut aquâ fimo equino mixtâ.
Malus Persica flore simplici.	Rarum, bonum, in loco calido. Conducit fimus præsertim equinus tempore hyberno.	Per nucleorum inhumationem tempore autumnali, vel per inoculationem in pruno.	Conducit crebra fodicatio & irrigatio in æstate cum aquâ tepidâ.

Malus Per-

Arborum & Fruticum Nomina.	Solum & Terra conducens.	Propagatio.	Cultura & Conservatio.
Malus Persica flore pleno.	rarum, leve, bonum in loco calido.	propagatur tantùm per inoculationem. cùm non senescat, citius iteranda propagatio.	prodest in hyeme radices fimo equino obtegere.
Malva arborescens sivè Ketmus.	Solum requirit humidum boreale.	propagatio fit sobole radicali, semine & inoculatione super sambucum roseam vel Syringem.	sterilescit, aut flores ac folia exigua acquirit, ni continuò irrigetur.
Mespilus, sivè Epimecida.	Quodvis solum, aër ac situs convenit.	nucleorum inhumatione meliùs tamen insitione truncali in seipsâ vel pyro, pomo, cotoneâ, aut rubo canino.	fructus decerpi non debent ante factam pruinam.
Morus	Solum bonum benè cultum in loco calido propè muros.	per sobolem & surculorum inhumationem.	transplantatur in vere ramí arescentes & putridi item surculi spurii & aquosi resecandi.
Myrtus.	Solum pingue, humidum & rarum in loco calido meridionali.	per sobolem è radice, vel inhumationem aliorum surculorum.	in anno tertio transplantari. Idem sæpius purgari, irrigari debet. frigus haud patitur.
Oliva, Olea vel Oleaster.	Convenit solum mediocriter bonum in loco & regione calidâ.	per insitionem corticalem, emplastrationem & surculorum inhumatio.	culturam specialem non requirit.
Pistacia, item Acacia vera.	Solum humidum, pingue, bonum in loco calido soli opposito.	nuclei sivè seminis inhumatione.	non indiget cultura singulari præter frequentem irrigationem.
Prunus diversarum specierum.	solum commune: melius tamen est humidum præsertim myrobelanis & Damascenis. Convenit sæpius fodicare.	per sobolem radicalem & nucleorum inhumationem. melius tamen per insitionem & inoculationem.	Cortices aridi, gummi & fœtura surculosa spuria auferenda. Nocet fimus recens: conducit tamen antiquior vitulinus.
Pyrus plurium specierum	licet mediocre quodcunq; solum conveniat: campestre tamen ligonibus & aratro cultum melius. odit macrum, siccum, lapidosum & salsum.	Omni Emphiteusis specie & modo propagatur. melior tamen censetur corticalis.	cavenda transplantatio in signo cancri vel scorpii, conducit stercoratio, emuscatio, purgatio & putatio aridorum ramorum.
Ribes. Uva crispa & grossularis. item Berberis.	convenit omne solum. in arenoso tamen aliquandò irrigari debet.	semine ex fructu collecto, vel distractione fruticum	senescentes amputari debent, & juvenes restitui.
Rosa diversarum specierum.	Quò terra est melior, eò floret uberius. Rosa damascena amat aërem liberum, locum soli oppositum & frequentem irrigationem.	propagatur distractione & sobolis resectione. Item surculorum inhumatione ac inoculatione.	convenit transplantatio in Autumno & putatio in Vere. Applantatione allii dicitur odoratior fieri.
Rosmarinus.	Solum bonum pingue, humidum & umbrosum. conducit fimus antiquus & terra putris ex salice.	Germine novello infra dissecto, conciso vel contuso & in terram pinguem ac bonam insito.	in æstate frequenter irrigari, ac flores decerpi: in hyeme verò à frigore & sulphuris fumo tutari debet.
Sabina sivè Savina.	convenit quidem commune vallense? at melius montanum & umbrosum	Surculorum inhumatione.	culturam singularem non requirit.
Sambucus rosea.	requirit solum umbrosum, & humidum.	per sobolem è radice aut surculorum inhumationem.	transplantatur aptius in Autumno. in anno 5. vel 6. antiquior frutex amputandus & juniores educandi.
Siliqua S. Joannis.	Solum pingue, bonum.	semine seu nucleorum inhumatione.	in æstate sæpius irrigari debet.

Arborum & fruticum. Nomina	Solum & Terra conducens.	Propagatio	Cultura & conservatio.
Sorbus.	Solum frigidum, humidum ac montanum, quodque aliàs ſterile.	Semine & inſitione in ſeipſâ vel pyro & rubo canino.	Melioratur transplantatione unâ vel alterâ.
Stychnodẽdron, ſive ar buſcula corallii.	Solum mediocre immixtis ſarmentis lignorum. nocet pingue & humidum.	ſemine ſive fructu propagatur.	à frigore facilè læditur.
Sumach ſivè Rhus.	Omne ſolum, ſitus & aër convenit.	Per radices diſtractas & diſcerptas.	Perit, ſi juvenis emiſſo lacte frangitur.
Syrinx.	Convenit omne ſolum, melius tamen paulò humidius.	Per ſurculos radicum avulſos.	transplantatur in autumno lunâ creſcente.
Vitex, ſivè Agnus caſtus.	Solum commune mediocriter bonum.	Propagatur ſemine & ſobole radicis.	ſingulari curâ in hyeme tutari debet, ne vel nimium exſicceſcat, aut nimium humectetur.
Vitis plurium ſpecierum.	Congruit optime ſolum rarum, pallidum ac ſoli magis oppoſitum. macrum & tenax, fimo antiquo meliorandum.	Inhumatione palmitum, inoculatione & malleolis propagatur.	ſingulari diligentiâ & labore plantatur, putatur, colitur ac à frigore cuſtoditur.
Zizyphus item Sebeſte, ſivè Myxa.	ſolum mediocre.	Per ſobolem è radice enatam. Sebeſte aptiùs per nucleos & ſemen propagatur.	In hyeme diligenter ab humidis tutari, nec irrigari debet.

TABULA II. Plantarum florigerarum bulboſarum cum earum ſolo ſeu terrâ convenienti, plantatione, ſeu culturâ ſpeciali ac tempore florendi.

Nomina florum ex bulbis enaſcentium.	Solum ſeu terra conveniens.	Plantatio ſeu cultura ac tempus florendi.
Colchicum Autumnale, ſive Orientale, vulgare & pleniflorum.	requirit ſolum commune & mediocre.	Inhumatur circà finem Julii Luna creſcente. Floret ad initium Octobr. viret modò in vere. cum herbâ exareſcit, exhumatur, & ſervatur denuò ad tempus inſitionis.
Corona imperialis, ſivè Archityrſum.	Gaudet ſolo pingui.	Rarò exhumari & transplantari debet. floret in vere.
Crocus Vernus, aut Autumnalis.	Amat ſolum commune & mediocre.	Extra tres annos non exhumatur, odit attactus mulier. Floret in Vere & Autumno.
Fritillaria ſeu Gaviana item Meleagris.	Commune & mediocre ſolum appetit.	Cum exhumatur ultra 10. vel 12. dies è terrâ permitti non debet. Floret ad finem Veris.
Gladiolus.	Convenit umbroſum ſolum.	Profunde inhumari non debet. Floret ad initium æſtatis.
Hyacinthus diverſarum ſpecierum.	ſolum commune bulboſis planis ſufficit. Pluмоſus tamen levi raro ac mediocri ſolo gaudet	Secundo anno exhumatur, coronatur ſingulis annis, floret diverſimodè in Vere.
Irides bulboſæ diverſorum colorum & ſpecierum.	Convenit commune ſolum pro bulboſis plantis	In plantatione bulbi bene erigi debent. florent ad finem Veris.
Leucoium trifolium ſivè Triphyllon. Item Hexaphyllon.	ſolum commune ac mediocre pro bulbis.	Gaudet ſocietate, floret ad finem veris.
Lilium candidum.	Amat Solum bonum.	Radices dependentes in exhumatione, quæ diuturna eſſe non debet, non ſunt decerpendæ, niſi quando denuò terræ committitur.

Lilium

Nomina florum ex bulbis enascentium.	Solum & Terra conveniens.	Cultura & tempus florendi.
Lilium cruentum purpureo-croceum.	gaudet solo umbroso & pingui.	communem liliorum culturam admittit. Floret in æstate.
Lilium intortum seu Cymbalum, Martagon.	amat solum umbrosum & pingue, odit siccum, arenosum & apertum.	propagatur sobole adnascente. Floret in æstate.
Lilio-narcissus, sive Tulipa diversarum specierum & colorum.	Tulipæ flavæ coronatæ meliori & humidiori solo gaudent; cœteræ communi.	cùm propagatio novarum tuliparum ex semine instituitur; illud de albis sumptum mox seri debet. Sunt aliquæ præcoces, aliæ serotinæ. Omnes tamen florent in vere.
Narcissus variarum specierum.	Solum conducit paulò humidum.	Communis per tres annos in terrâ permittitur. Nobilis autem singulis annis exhumatur.

TABULA III. Plantarum tuberosarum florigerarum cum solo & situ congruo, culturâ, & tempore florendi.

Nomina plantarum tuberosarum.	Solum & Terra conveniens.	Cultura & Tempus florendi.
Anemone ac Pulsatilla.	Gaudet solo bono raro, ac levi.	Propagatur discerptione radicum. Culturam reliquam habet communem cum ranunculis. Floret circà finem Veris citiùs aut seriùs, prout Radix terræ commissa.
Asphodelus albus & flavus.	conducit solum bonum, ac pingue.	cultura communis cum Iride tuberosa. Floret in vere cum Tulipis.
Cyclamen diversarum specierum & colorum.	gaudet vehementer solo umbroso & obscuro.	odit attactus mulierum. Quod floret in Vere, inhumatur in Autumno. Quod verò floret in autumno, inhumatur in vere.
Iris tuberosa plurium specierum. Primariæ sunt Chamæiris, Latifolia & Iris Susiana.	solum pingue & bonum admittit. Gaudet & luto	propagatur discerptione radicum. Transplantatur in Autumno ad initium Octobris. Cùm inhumatur, radices ubi discerptæ sunt, luto obduci & profundiùs imponi debent. Quò major est radix cum sociis aliis, eò floret uberius.
Lilium convallium.	gaudet solo pingui & umbroso ac humido.	Ex sylvâ in Autumno transplantatur. Floret mense Majo.
Orchis sivè Satyrion. diversarum specierum.	Convenit solum pingue & humidum.	propagatur radice per discerptos testiculos. Ab exhumatione non diu extra terram permitti debet.
Ranunculus diversarum specierum & colorum.	requirit solum bonum. Conducit fimus antiquus cloacarum & terra putris è salice.	antequam floret, indiget sole plurimum & loco calido. Post florem in umbrâ siccari permittitur & denuò eximitur. In Februario & Martio circà plenilunium iterùm terræ committitur. Floret diversis temporibus pro ratione inhumationis ordinariè ad veris finem.
Tuberosa.	inserenda in Martio vel Aprili solo pingui & bono. Terrâ ad duos digitos superfusâ.	Hyeme servari debet in loco calido. Cavenda autem tunc irrigatio.

Tabula IV. Florum aliorum hortensium, non bulbosorum, aut Tuberosorum, cum solo congruo, culturâ, & tempore florendi.

Florum aliorum hortensium non bulbs. aut Tuberos. nomina.	Solum & Terra conveniens.	Cultura & Tempus florendi.
Acanthus, sivè Branca ursina.	gaudet solo humido, & parùm lapidoso, sivè arenoso.	Semine & sobole propagatur. floret in Majo.
Aconitum hyemale.	amat solum humidum, umbrosum, & frigidum.	propagatur semine. Non indiget culturâ speciali. floret in Aprili & Majo.
Alcea Veneta, sive Malva Venetiana.	convenit solum hortense quodvis.	annuatim semine propagatur. Floret in mense Julio.
Amaranthus baccifer.	solum speciale non requirit.	maturo fructu ablato ad radices usquè putatur.
Amaranthus Mexicanus sivè Blitum marinum.	convenit solum commune.	Seminatur, & initio hyemis putatur & vere denuò regerminat. Floret in æstate.
Amaranthus vulgaris, cristatus & tricolor.	commune solum admittit.	propagatur semine, deinde transplantatur. Floret in Julio & Augusto.
Amerius Flos vulgaris, ac flore pleno.	requirit solum leve, & rarum ex putridis lignis.	Vulgaris semine; Pleniflorus abscisso germine, vel terræ insito propagatur, nocet irrigatio frequentior ac frigidior. Floret in æstate.
Anthirrhinum majus & minus, flore albo, rubro & incarnato.	Commune solum convenit, magis tamen parùm arenosum.	effusione seminis propagatur. Floret in Majo & Junio.
Aquilegia vel Columbina.	Convenit solum bonum pingue & humidum.	semen Lunâ crescente ad initium veris inserendum terræ: transplantatur deinde circà plenilunium. Floret in Junio & Julio.
Arundo indica sivè Canna Indica, aut Flos Cancri.	requirit solum bonum leve ac rarum.	post florem putanda, ac hyemè à frigore tutanda, nec irriganda, sed relinquendain vase usque dum exsiccetur. Vere deinde discerpta radice propaganda. Floret in Julio.
After flore luteo & albicante. Item Atticus purpureo-cæruleus.	convenit solum commune.	seipso per radicem propagatur vel jacto semine. Floret ad finem Julii.
Auricula Ursi species est Saniculæ.	convenit hortense solum quodvis, magis tamen montanum & parum lapidosum.	propagatur radice & ejus sobole.
Bellis hortensis diversorum colorum ac specierum.	requirit solum bonum & umbrosum.	propagatur radice discerptâ. Transplantari debet in plenilunio. Floret per totam æstatem magis, tamen in vere.
Beta sylvestris sivè pyrola.	gaudet solo lutoso ac tenaci.	semine ad finem Julii collecto propagatur. Floret in Julio.
Calendula seu Caltha diversarum specierum.	solum speciale non requirit.	semine progerminat, deinde adulta tribus diebus ante plenilunium transplantatur. Floret à Majo deinceps per totam æstatem.
Cardinalis sivè Trachelium Americanum.	conducit solum humidum, pingue, lutosum & lacunosum.	fæturâ sivè sobole propagari solet.
Cardamus Hortensis vel Cnicus.	convenit solum pingue & humidum.	sobole propagatur vel semine in plenilunio cœlo pluvioso, floret in Julio & Augusto.

Florum aliorum hortensium non bulbos. aut Tuberosorum nomina.	Solum & Terra conducens	Cultura & Tempus florendi.
Cariophylli diversarum differentiarum & specierum.	Solum bonum amant, cum terrâ putridorum lignorum, præcipuè Salicis remistum. Fimus ovillus apprimè etiam convenit.	Semine post primam quadraturam obtinente Lunâ signum Tauri. Leonis, vel Capricorni jacto propagantur. Item inhumatione vel insitione germinum novellorum. Refectio suadetur ad plenilunium. Florent in Julio & Augusto.
Cariophyllus Indicus, seu flos Africanus vel Tunetanus.	Convenit solum hortense commune.	Seminatur imprimis in plenilunio. Deindè aliò transplantatur.
Cariophyllus plumarius, flore pleno & simplici.	Speciale solum non requirit.	Per discerptionem radicum ad initium veris propagatur. Floret circa festum Pentecostes.
Chamæmelum nobile flore pleno.	Commune solum convenit, magis tamen parum siccum.	Propagatur radice: post primam quadraturam transplantatur, floret in æstate.
Chrysanthemum creticum. Est species Asteris.	Commune solum hortense convenit.	Semen terræ committendum in novilunio. Floret in Julio.
Clematis flore cæruleo, albo, & purpureo pleno vel simplici.	Commune solum sufficit. Daphnoides autem sivè vinca pervinca solo pingui gaudet.	Propagatur per discerptionem radicum aut inhumationem palmitum. Folret diverso tempore pro ratione speciei.
Consolida regalis flore simplici & pleno: coloribus variis.	Commune hortense convenit.	Semen auferendum in plenilunio, si pleniflora petatur. In plenilunio deinde serendum in autumno, vel initio Veris. Floret in Julio & Augusto.
Cotyledon sive Umbilicus Veneris: item Acetabulum ac sanicula montana.	Requirit solum pingue humidum & umbrosum.	Radices in vere discerpuntur & transplantantur.
Convolvulus major & minor. Item Indicus vel flos noctis flore violaceo & albo.	Speciale solum non requirit.	Propagatur semine, quod post Novilunium seri debet.
Dictamnus hortensis.	Amat solum bonum.	Per semen vix propagatur; melius autem per discerptionem radicum in Autumno.
Digitalis flore albo & purpureo.	Convenit solum commune.	Semine à se jecto facilè propagatur, floret per æstatem.
Eryngium cæruleum.	Solum commune hortense convenit.	Propagatur semine, melius tamen per discerptionem radicum.
Ficus indica spinosa: item Opuntia indica.	Requirit solum bonum in loco calido Soli opposito.	Propagatur folio aliquo fortiori ad medietatem inhumato. Mediocriter tantùm irrigari appetit. Refugit attactus, Unde & perire dicitur.
Flammula Jovis flore albo.	Speciale solum non requirit.	Abscinditur annuatim & per radicum discerptionem propagatur.
Flos Mexicanus, & flos mirabilis de Peru flore pleno & vario.	Non requirit solum speciale.	Statim in vere seri debet & rapæ provenientes per hyemem in loco valdè sicco à frigore tutari debent. Serius floret.
Fols Solis maximus Peruvianus.	Convenit solum hortense commune: melius tamen humidum.	Annuatim per semen propagatur.
Galega flore purpureo & albo.	Solum speciale non requirit.	Semine propagatur. In Autumno herba omnis abscinditur.
Gentiana vel Gentionella alpina minor verna: Item Gentiana pratensis.	Quodcunque solum aptè convenit.	Propagatur in vere discerptione radicum. Cùm floruit, facilè interire solet.
Gentionella autumnalis, foliis centaurei minoris flore cæruleo.	Speciale solum non affectat.	Acquiritur primùm ex semine: deindè & per juvenculas radices adnatas propagatur.

Geranium

Florum hortenſium non bulboſ. aut Tuberoſorum nomina.	Solum & Terra conducens	Cultura & Tempus florendi.
Geranium variorum colorum. Geranium moſchatum flore cæruleo, albo & ſanguinario. Americanum album reticulatum.	Commune convenit: amat tamen & macrum, & incultum.	Semine propagatur: melius tamen per diſcerptionem radicum. Floret in Aprili & Majo.
Granadilla ſeu flos paſſionis, aut Maracot.	convenit ſolum mediocre hortenſe.	propagatur hîc ſemine ex Italiâ allato: vel diſcerptione radicum. Flore evanido herba abſcinditur.
Gramen tremulum & gramen ſtriatum.	Speciale ſolum non requirit.	propagatur per radices diſcerptas in Vere vel Autumno.
Hedyſarum clypeatum, ſeu Onobrychis ſemine clypeato.	requirit ſolum bonum in loco calido ſoli oppoſito.	Semine propagatur, primo anno non floret. In hyeme à frigore tutari debet, nec multùm irrigari. Floret per totam æſtatem.
Helleborus flore albo, & viridi.	commune hortenſe ſolum convenit. Albus tamen amat frigidum.	propagatur radicum diſcerptione. Albus & viridis floret in hyeme, aut ad initium veris.
Hepatica aurea ſeu nobilis flore cæruleo & violaceo ſimplici aut pleno.	hortenſe & benè cultum ſolum magis convenit.	Si pleniflora optetur propagari debet per radicum diſcerptionem in plenilunio. Floret ab initio veris.
Hyjucca, Canedana Jucca.	amat annuatim novum & bonum ſolum.	propagatur ſpontè novellis radicibus abtruſis. Non appetit multùm irrigari, floret in Julio.
Lathyris ſeu Cicercula Narbonenſis.	Speciale ſolum non requirit.	Semine diu prius humefacto & inhumato propagatur. Floret in Auguſto.
Lavendula flore albo & cæruleo.	convenit ſolum paulò macrius, odit pingue.	propagatur diſcerptione radicum. Albi floris frigus haud patitur.
Leucojum rubrum, luteum, album, violaceum & variegatum flore pleno & ſimplici.	ſolum bonum mediocriter pingue aut humidum convenit.	Pleniflorum per inſitionem vel inhumationem furculorum ſive germinum propagatur: item per ſemen mox ad initum veris in ſigno Leonis vel Capricorni Lunâ plenâ ſatum.
Linaria aurea, ſivè Oſyris flore albicante & vulgaris.	ſolum commune convenit.	Semine propagatur. Floret in Junio, Julio & Auguſto.
Lunaria, Græca ſiliqua oblonga & rotunda.	convenit ſolum commune: magis tamen humidum & Umbroſum.	Floret uno anno poſt alterum. Propagatur dejecto ſemine.
Lupinus luteus & albus, major & minor cæruleus.	Speciale ſolum non requirit: cæruleo tamen melius convenit humidum & pingue.	propagatur fructu ſeu fabis ſuis terræ commiſſis. Flores ter in anno diverſis tamen in partibus.
Lychnis Calcedonica vel flos Conſtantinopolitanus flore ſimplici & pleno, miniatus & albus. Itẽ Coronaria ſylveſtris.	convenit commune ſolum hortenſe.	quæ ſimpliciter floret, per ſemen propagatur. Pleniflora autem inſitione & inhumatione germinum aut diſcerptione radicum propagatur. Floret ad finem Julii.
Malva hortenſis diverſorum colorum, flore ſimplici aut pleno. Item Malva criſpa.	ſolum convenit hortenſe cultum.	propagatur ſemine tempore plenilunii ſato, vel diſcerptione radicum. Malva criſpa annuatim per ſemen acquiritur.
Matricaria flore pleno ac ſimplici.	ſolum cultum hortenſe convenit.	quod ſimplici flore gaudet, per ſemen: quod verò pleniflorum, per diſcerptos furculos inhumatos & benè irrigatos propagatur. Floret per autumnum.
Millefolium rubrum, luteum & album.	ſolum bonum ac humidum amat.	demptis in vere juvenculis radicibus ac terræ commiſſis propagatur. Floret in Julio.
Muſcipula flore rubeo & albo.	ſolum ſpeciale non affectat.	à ſeipsâ facilè propagatur. Floret in autumno.

Florum hortensium non bulbosor. aut Tuberos. Nomina.	Solum & Terra convenicens.	Cultura & Tempus florendi.
Napellus major latifolius, & minor angustifolius, seu Thora & Anthora.	Solum appetit humidum.	Semine seu fructu propagatur terræ commisso.
Nasturtium Indicum.	Convenit solum commune.	Propagatur Semine. Cúm tamen facilè absiliat, ideò sollicitè colligi debet. Floret in autumno.
Nigella flore pleno.	Solo gaudet pingui & bono.	Semine propagatur in plenilunio, quod ipsum etiam in plenilunio colligi debet. Floret in Junio & Julio.
Odontis seu flos cuculi flore pleno.	Speciale solum non requirit.	Propagatur discerptione radicum floret in Julio.
Orminum, seu Gallifricium.	Convenit solum commune, paulò tamen lutosius.	Semine ejecto facilè propagatur, floret in Junio & Augusto.
Papaver flore multiplici pleno, variorum item colorum corniculatum, rubrum. Erraticum cum flore albo, rubro, incarnato pleno.	Commune solum quodcunque conducit.	Spontè ejecto Semine propagatur. Conducit tamen magis tribus diebus ante plenilunium in autumno, vel initio veris serere. Semen eriam de albis in plenilunio colligendum. Floret in Julio & Augusto.
Periclymenum perfoliatum, matrisylva, caprifolium.	Commune quodcunque solum amplectitur.	Semine aut palmitum in humatione propagatur. Floret in Majo & Junio.
Phaseoli Brasiliani & peregrini.	Speciale solum non requirunt.	Fabis terræ commissis & inhumatis propagatur. Florent in Autumno.
Pœonia, vel herba casta flore purpureo & incarnato, simplici aut pleno. Rosa Albadiera.	Conducit quodvis ferè solum.	Propagatur per discerptionem radicum in vere, vel quod meliùs est intrà tempus festi S. Barthol. & S. Michäel.
Primula veris diversarum specierum, & colorum.	Solo speciali non indiget.	In vere vel Autumno per radicum discerptionem propagatur. Floret ad initium veris.
Pyramis seu Pyramidalis Lutetiana.	Solum commune convenit.	Propagatur annuatim juvenculis annuis radicibus adnatis. Floret per totum autumnum. In hyeme minimè irrigari debet.
Saponaria flore rubro & albo pleno.	Conducit solum commune.	Abundè per radices propagatur. Floret ad initium Autumni.
Scabiosa flore cinereo purpurascente rubeo & cæruleo.	Solum commune hortense convenit.	Semine acquiritur. Floret per Autumnum.
Spica Nardi flore cæruleo & albo.	Gaudet communi solo in loco tamen calidiori.	Propagatur per discerptionem radicum. Floret in Julio.
Thlaspi Pannonicum flore albo, incarnato & cæruleo.	Commune solum convenit.	Semine acquiritur, & eodem ejecto per se facilè propagatur. Floret ad initium Autumni.
Valerina rubra & alba.	Commune solum conducit.	Cùm floris causâ seritur, semen in plenilunio serendum. Cùm herbæ causâ in novilunio.
Viola Martia flore ceruleo & albo, pleno vel simplici.	Gaudet solo pingui humido & umbroso	Propagatur per radicum discerptionē in Novilunio. Floret in Mar. & Apr.
Viola flamea sive Flos Trinit. Item Viola montana, lutea, major, seu grandifolia. Flos Trinitatis pallidus major.	Requirunt solum bonum ac humidū.	Per discerptionem radicum in Vere propagantur. Florent in Julio.
Viola matronalis flore albo & incarnate pleno & simplici.	Contenta est solo communi.	Simplex annuatim per semen facilè deciduum propagatur. Flori plena per germinum insitionem vel inhumationem. Item per adnatarum radicum discerptionem. Floret in Jul.
Viola marina alba, cærulea & hispanica.	Speciale solum non requirit.	Semine in Vere sato propagatur & sequenti deindè anno modò floret.

TABULA V.

Differentiæ Plantarum Vegetabilium juxta variam figuram, ac formam, germinationem, & crescendi modum, foliorum, florum, aut fructuum productionem.

Steriles	Alleternus, seu physia, Salix.
Sempervivæ.	Pinus, Abies, Ilex, Laurus, Viticella, Laurus imperialis, Juniperus, Cupressus.
Pinguifoliæ semper vivæ.	Omnium Sedorum genera, Portulaca, Perfoliata, Hyraphita, Cotiledon, sive Umbilicus Veneris, Telophium, Critamum.
Umbelliferæ.	Fœniculum, Anisum, Ammi, Anethum, Cuminum, Coriandrum, Menni, Daucus, Branca ursina, Levisticum, Angelica, Pimpinella, Imperatoria, Apium, Petroselinum, Pastinaca, cærifolium, cicuta, Oenanthe, Filipendula, Laserpitium, Sesilis, Siler montanum, Ligusticum & Ulmaria.
Bulbosæ.	Alliorum & ceparum variæ species, omnium Tuliparum, Narcissorum, Hiacynthorum, & Anemonum species, Cyclaminus, Peucedanum, Orchidum omnium, Gladiolorum sexaginta novem, Liliorum decem species.
Tuberosæ.	Arum, Arisanum, Asphodelus, Cyperus liliacea, Cyclamea, Glans Malacensis, Nucula terrestris, Heliocacabus Peruvianus.
Florigeræ.	Tulipæ, Anemones, Hiacynthi, Narcissi, Ranunculi, Doronicum, Pardalianches, Heliotropium, Lichnides, Bellides, Aquilegiæ, Chrysanthemum & innumeræ aliæ.
Foliorum differentiæ multiplices.	Monophyllum, Teverium, Dyphyllum, Melilothus, Triphyllum, Herba S. Trinitatis, Pentaphyllum, Millefolium, aliæque foliorum multitudine differentes: Ut Tormentilla, Ruta, Fumaria; Aparine, Ophioglossum, Agrimonia, Mercurialis, Verbena, Vincetoxicum, Scrophularia, Eupatorium & innumeræ aliæ.
Acutifoliæ spinosæ.	Urticæ, Chamæleon, Cnicus, seu Carthamus, Borago, Labrum Veneris, Carduorum omnes species, Ficus indica, & quæcunquæ urendi & pungendi vim habent.
Capillares.	Adyanthum, seu Capillus Veneris, Filix, Muscus, Fungi, Polypodium, Ceterach, Phyllitis, Lingua cervina, Scolopendria, Nummularia, Ruta muraria, & innumeræ aliæ.
Nervosæ.	Plantago, Coronopus, Holostium, Pyrola, Psylium, Cynoglossum, Bursa pastoris, Gentiana, Bistorta, Farfara, Lappa, Isalis, Poligonatum, Nicosiana.
Repentes in terrâ, seu aliis suffultæ, aut scandentes.	Hedera terrestris, muraria & arborea, Cuscuta, Convolvulus, Smilax, Peryclimenon, Lupulus, Clemates, Saxifragia, Cucurbita, Salsaperilla, Polygonum, Nasturtium indicum, Aristolochia, Chelidonium, Herniaria, Kerta Turca, Paronychonia.
Lactariæ.	Titimallorum omnium species, Esula, Latiris, Peplus, Chamesicæ, Hippoloës, Beiltalzart.
Tomentosæ, seu Languinsæ.	Gossipium, Verbascum, Pilosella, Gnaphalium, Leontopodium, Borago, Hyoscianus, Blattaria, Sanicula, Althæa, Pulmonaria, Helenium, Horminum, Malva.
Fructicales majores.	*Fœcundæ bacciferæ*: Ut Aspalathus, Berberis, Ribes, Capparis, Cerasus marina, Amomum, Cardamomum, Chamelea, Coccus, Corylus, Costus, Laureola, Oxycantha, Juniperus, Ligustra, Myrthus, Rosa, Sambucus, Smilax, Storax, Timelea, Viburnum, Paliurus, Vitis, Cassia. *Steriles sine fructibus*; ut Buxus, Salix, Saliunca, Tamariscus, Genista, Titimallus arborescens, Acacia, Glycyrrhiza, Gelsaminum, Syringa, Anagyris, Vitex, Agrifolium, Ricinus.
Fruticales minores.	Ruscus, Myacantha, Halimus, Portulaca marina, Myrtillus, Genista, Spartum, Spinosa & omnes plantæ lignosæ & spinoso caule instructæ.

Glan-

Glandiferæ.	Cerrus, Ilex, Efculus, Fagus, Phyllodris, Robur, Smilax, Suber.
Nuciferæ.	Amygdalus, Anacardus, Avellana, Ben, Caftanea, Siliqua, Ebenus, Fraxinus, Guiacum, Juglans, Myriftica, Miricolanus, Piftachia.
Coniferæ & Refiniferæ, quæ balfamum, picem, refinam & gummi fudant.	Abies, Arbor vitæ, Cedrus, Cupreffus, Larix, Lentifcus, Myrrha, Pinus, Styrax, Thimiama, Terebinthus, Ulmus, Caphur.
Pomiferæ.	Pomorum omnium fpecies, Arbutus, Aurantiorum, Citriorum & Limonum fpecies, Ficus, Granata feu punica, Mufa, Nuciprunus, Palma, Perfica, Prunus, Pyrus, Cerafus, Ebaften, Sorbus.
Bacciferæ.	Acer, Agallochus, Alnus, Laurus, Lotus, Mefpilus, Morus, Olea, Platanus, Populus, Santalum, Taxus, Tilia.
Leguminofæ.	Lens, Capreolus, Convolvulus, Crocus, Cicer, Fœnum Græcum, Fabæ, Lupinus, & quæcunque filiquâ conftant, & fructibus efui aptis.
Holeraceæ.	Napi, Raphani, Thlapfi, Sinapi, Nafturtium, Braffica, Rumex, Spinachia, Acetòfa, Beta, Blitami, Atriplices, Cichoreæ, Portulacæ.
Corymbiferæ.	Artemifia, Millefolium, Tanacetum, Matricaria, Abrotanum, Abfynthium, Cotula, Nigella. Chelidonium majus.
Lanigeræ.	Goffipion, Malabarthrum.
Capitatæ & pomiferæ.	Papaver, Hyofciamus, Heliocacabus, Stramonium, Mandragora, Scabiofa, Lacca, Scorzonera, Succifa, Coreula.
Guttantes five Lacrymofæ.	Galbanum, Acacia, Oppoponax, Storax, Maftyx, Camphora, Lentifcus, Myrrha, Bdellium, Berula, Cerafus.
Venenatæ.	Napellus arborefcens, Taxus, & variæ in Indiis arbores.
Admirandæ.	Herba mima, Lunaria, Heliotropiorum quoddam genus, Hæmanthes, Aaras Boniza, Arbores contra ftimulos venereos: ut vitex, aqua ftillans, arbor cujus folia decidentia mox animantur. Arbor anatifica & de quibus infra plures aliæ.

Quæ graminis nomine gaudent;

Sunt:
- Ea, quibus multiplex eft fpica, & in aliis partibus differentia, quorum 25. funt fpecies.
- Arundinaceæ herbæ, ut funt omnia arundinum & juncorum genera & Species, funtque
  - *Caule nodofo*, ut funt arundines, Equifetum, Pligonum, Zinziber, Zedoaria, Acorus Coftus, Curcuma.
  - Vel
  - *Caule enodi & levi*, ut juncorum omnes fpecies.
- Edulia quæ funt
  - *Frumentacea atque Spicâ & Semine conftant*, ut Triticum, Hordeum, Avena, Legumina, Fabæ, Phafeoli, Pifa, Oriza & fimilia.
  - Vel
  - *Sine granis*: ut lactucarum omnium fpecies: Intybus, Endivia, Cichorium, Beta, Atriplex, Oxalis & quæ Acetariis inferviunt.



CAPUT VI.

De Tulipis, earum cultura & propagatione Obſervationes ſpeciales.

ulipæ ſunt flores è Syria advecti & à Turcico galero nomen ſortiti, Belgis modò tam familiares, ut etiam in cibum adhibeant. Cùm autem ob Colorum varietatem noſtris hiſce temporibus præcipuum ſint hortorum ornamentum, ſpeciali tractatione earum culturam & propagationem potiſſimum ex *Joanne Rajo Hiſt. plant. lib. 21. Cap. 6.* aliiſque eximiis Botanicis ab ipſo citatis in medium producere libuit.

Tuliparum tria genera.

1. Tuliparum tria genera ſtatui ſolent à Botanicis, præcocius unum, ſerotinum alterum, dubium tertium medio nempè tempore florens. Quæcunque autem bonitate aliis præſtare judicantur, colores habere debent petala penetrantes: Deindè etiam pretio & pulchritudine prævalent eæ, quæ plures veluti tres vel quatuor in ſe continent colores.

Ex quibus major varietas.

2. In Tulipis præcocibus ad producendas varietates purpureæ, aut purpurea marginibus albis ſemina omnium optima obſervavit *Parkinſonus*: In mediis quæ, coloribus lucidioribus ſunt, reliquis præferuntur. E mediarum etiam tuliparum genere ſerotinas, è ſerotinarum verò medias exortas obſervavit idem *Parkinſonus*: nunquam è mediarum ſemine præcoces, quamvis Expertiſſimus *Cluſius* contrarium affirmet.

3. Serotinarum tuliparum, quæ vel flavi, vel rubri coloris flore præditæ ſunt, nullæ hactenus, inquit *Cluſius*, varietatem in ſatione pepererunt, niſi quod interdum ex rubræ ſemine flavæ contra, ex flavæ ſemine rubræ natæ ſint unguibus ſæpenumero variantibus.

Ex ſeminibus quæ propagatio.

4. Ex ſeminibus tuliparum quæ fit propagatio planè incerta eſt in præcocibus nempè & dubiis: Nam ſerotinæ magnae ex parte ſuum genus conſervare videntur: aut ſi aliquam mutationem acquirant, exigua ea eſt, & plerumque in unguium, & ſtaminum varietate aut coloris intenſione vel remiſſione exiſtit.

Seminum electio.

5. Seminum electionem *Carolus Cluſius* è præcocibus, & albæ ſemine prognatas plantas inſignem colorum varietatem præ reliquis nanciſci experientia & diligenti obſervatione didicit. *Parkinſonus* pro ſemine eligendo albo puro flori præfert eum, cui aliquid rubri aut purpurei coloris admiſcetur; præ aliis autem ad hunc uſum purpureo flore inſignis ſemen commendat: poſt illud purpurei marginibus albis, tandem rubri marginibus flavis.

6. E mediis pro ſemine præfert albas flavis, purpureas rubris; flavas & rubras omninò rejicit idem ſupra memoratus *Cluſius*. Albis etiam puris maculoſas præfert. Verùm in his fundi floris præcipuè rationem habendam monet: Nam ſi flos albus ſit, aut albidus maculoſus, vel ſtriatus fundo cæruleo, vel purpureo, hæc omnium præſtantiſſima eſt ad producendas ex ſato ſemine plantas colorum varietate & raritate ſpectabiles.

Seminatio præſtat Autumnalis.

7. Cùm bulboſarum & tuberoſarum plantarum ſatio vernalis comperta ſit inutilis & vana: Idcircò ſemina tuliparum præſtat Autumno terræ committere. *Parkinſonus* ſerotinam potius ſationem probat circa finem Octobris, quam Autumni initio, aut cum ſemina jam penitus matura & exſiccata ſunt. Nam quæ maturius ſeruntur præcoci ortu interdum Ver antevertit, & ſupervenientibus pruinis corrumpuntur.

Semina quomodo ponenda.

8. Semina non nimis denſa ſeu crebra ſerere convenit in terra laxa & opulenta: Nam quò ſolum laxius, rarius & uberius eſt, eò major florum elegantium & variegatorum proventus exſpectandus eſt.

Tuliparum è ſemine ortarum cultura.

9. Tulipæ è ſemine ortæ cum jam trimæ ſunt (nonnullæ etiam bimæ, ſi ſolum & Cœlum faveat) è terra eruendæ ſunt, & vel aliò transferendæ, vel eodem terræ loco iterum deponendæ ſunt, poſtquam tamen paulatim exſiccaræ & mundatæ fuerint: equidem natura ſua altius in terram deſcendere ſolent, unde ſubindè ad ſuperficiem eaſdem levare convenit. In repoſitione cavendum, ne denſius collocentur, ſicque mutuo ſibi impedimento fiant. Satæ biennio relinqui poſſunt, aut ſingulis annis transferri pro libitu, modò id tempeſtivè fiat, nimirum circa finem Julii aut Auguſti initio. Quinto plerumque à ſatione anno florem producunt, rarius quarto: Interdum etiam non ante ſextum & ſeptimum, aut etiam fortè octavum & decimum Annum.

Unde ſciatur quænam floreant.

10. Omnes tulipæ cujuſcunque ſint generis quam diu unicum tantum folium protrudunt, florem non ferunt: at ſi unum emerſit folium, ac ſe ſe explicare incipiat, alterumque folium incluſum pateat, ſpes eſt illo Anno florem proferendum.

Tuliparum in terra deſcenſus.

11. Omnes tulipæ nondum adultæ, & antequam flores proferre incipiant, ut plurimum ſingulis annis rectà & quaſi ad perpendiculum in dodrantalem & palmarem altitudinem profundius deſcendere ſolent, exceptis Apenninis & quibuſdam aliis, quæ non in altum, ſed in latus & obliquum, antequam flores ferant, proles è longis venis dependulas ſpargunt. Serotinæ autem illæ & dubiæ jam dictæ etiam in veteris bulbi exuvio aliquid ſubſtantiæ relinquere ſolent, quod in alium bulbum tranſit ita, ut ſi quis cum aliqua dexteritate & induſtria trimos & quadrimos eruat exuviorum veſtigia ſectando, nonnunquam veluti catenam aliquot bulborum cohærentium, & ex primo exuvio ortum

ortum ducentium inveniat: Licet interdum accidat, ut radix serotina jam grandior nondum tamen plenè adulta instar tulipæ Apenninæ sive Bononiensis proles in latus spargat.

Ex foliis noscitur differentia. 12. Præcocium tuliparum folia, ut *Parkinsonus* observavit, hac nota à dubiarum & serotinarum foliis discerni possunt, quod è terra tota exstent, pediculum, cui insident, ostendentia, cum dubiarum & serotinarum folia è terra nunquam penitus emergant, & appareant, verùm inferior eorum pars terræ perpetuò immersa latitet.

Tutamen à frigore. 13. Ad tuliparum rariorum & teneriorum bulbos à frigore & pruinis defendendos consulit *Parkinsonus*, ut paulò altius in terram demergantur, probatque morem eorum, qui hyberno tempore soli superficiem stramine operiunt.

Tuliparum fertilitas. 14. Inter præcoces tulipas nulla fertilior, quàm rubra & alba. Omninò autem maximè serotina rubra, quæ adeò fœcunda est, ut etiam semine sata, & vix bima alias proles generet, biennio aut triennio antequam florere incipiat, quod etiam faciunt pleræque dubiæ.

Petalorum variatio. 15. Petalorum figura in tulipis variat, in nonnullis enim omnia acuta sunt, in aliis obtusa, aut subrotunda. In multis tria exteriora acuta sunt, tria interiora subrotunda: in aliis è converso interiora tria acuminata, exteriora subrotunda. Præterea in nonnullis petala omnia longa sunt & angusta; in aliis breviora & latiora.

16. E præcocibus nonnulla flores per amplos, & serotinarum ferè pares; aliæ eosdem parvos nec Bononiensis tulipæ majores. Quin & petalorum fundi in tulipis plurimum variant, & differunt, uti & stamina, & apices in aliis nigri sunt, in aliis albi &c.

Diversitas in odore. 17. Est & in odore florum diversitas: nonnullarum flores valdè sunt odorati, aliarum propemodum inodori: aliarum denique odore satis vehementi sunt & ingrato. Quæcunque verò odorem spargunt, citrini aut subflavi coloris esse comperiuntur.

Alia Tuliparum distinctio. 18. Clariss. D. *Christianus Mentzelius in indice Nominum plant. universali* Tulipas omnes juxtà sex colorum cardinalium in iride observabilium seriem cum Anemonibus distingui posse autumat in rubras, flavas, virides, ceruleas, purpureas & albas. Notandum quoque, ait, quod ubi tanta colorum mixtura, quæ in Tulipis observatur, excellentis picturæ artificium desit, Tuliparum descriptoribus imposterum sequentia erunt observanda. I. Colores sex citati simplices per florum substantiam spectabiles. II. Origines foliorum florum sive ungues cum suis staminibus & apicibus. III. Punctula & Lineolæ in florum foliis variè colorata. Punctasunt vel minima, vel majora: Illa roris minutissimi foliis aspersi faciem habent: Hæc magnitudine & figura discernuntur, & nomine macularum veniunt. Lineolæ cujuscunque coloris sunt vel rectæ vel curvæ. Hæ variè incurvantur: Plurimùm flammæ aut serpentis instar; undè flammulæ, virgulæ, radii, striæ, lituræ vocantur. *Hæc*, subdit tandem, *circa tulipas requisita si Descriptor observaverit, & sibi ipsi & Lectori mea sententia clariorem distinctionum lucem afferet. Nam & naturam Tuliparum color unguis & staminis prodere videtur. Si enim ungues foliorum floris & stamina cum suis apicibus sunt lutea, color per totum florem diffusus luteus quoque aut albus est: Si vero ungues cœrulescant vel nigricent, & stamina sint atro-purpurea, color Tulipæ Cardinalis, vel qui basis loco est, ruber aut purpureus cœruleusvè invenitur, sive Tulipa sit multiplex sive simplex:* Ita *Mentzelius.*

Colorum Variatio. 19. Non omnes tuliparum flores diu in sua coloris elegantia & venustate perdurant, verùm nonnullarum magis caduci sunt, brevique marcescunt, aliorum firmiores coloris gratiam diutius retinent præsertim serotinæ & dubiæ. Neque omnes etiam versicolores tam præcoces quam serotinæ singulis annis eandem coloris gratiam perpetuò retinent, sed alternis sæpius variare comperiuntur. Experientia quoque constat tulipas omnes colorum varietate & pulchritudine spectabiles, si in eodem loco atque cultura diu permittantur, paulàtim degenerare & colores mutare, atque ex variegatis unicolores evadere.

20. E contra testatur *Carolus Clusius* tulipam se habuisse, cujus flos præcedentibus annis eleganti rubedine imbutus fuit, posteà variè commixtus ex rubro & flavo inter se confusis coloribus modò flavi medium, quasi folium occupante, modo rubro vel utroque radiatim per oras discurrente fuerit. Similiter flavam se tulipam habuisse scribit, quæ flavum & rubrum; item purpuream, quæ album & purpureum colores variè inter se commixtos & radiatim folia seacntes habuerint. Atque illud etiam se observasse scribit, quotquot sic nativum colorem mutarunt, subindè corrumpi solita; Voluisse tamen, ut inquit, antea hac colorum varietate Heri sui oculos oblectare tanquam postremum valedicturæ. Hinc probabiliter colligi volunt colorum varietatem in tulipis morbidæ potius constitutionis symptoma esse, quàm luxuriantis naturæ lusui adscribi debere.

Quotannis exhumare convenit. 21. Ex his deducitur optimum esse tulipas, si colorum elegantias tueri, nec degenerare velimus, quotannis opportuno tempore eximere, & exemptas aliquandiu detinere, antequam iterum deponantur.

Tuliparum translatio. 22. Tulipas transferre cum jam fibras novas ex ima sede seu basi egerint (hoc & à septembri mense ad florendi tempus) valdè periculosum est; Verùm cum defloruerint, foliaque & caules exsiccati sint, tutissimè è terra eximi possunt, & per sex etiam mensium spatium modo in loco sicco solaribus tamen radiis, aut ventis minimè exposito fuerint, repositæ extrà

trà terram absque damno, & nocumento servari.

Quales extra terram diutius permitti queant.

23. Generatim etiam constat omnes bulbos, quorum fibræ imæ quotannis emoriuntur, novis subnatis absque ullo detrimento vel injuriâ è terra eximi posse, quo tempore emarcuerunt, & novæ nondum subnatæ sunt, atque etiam diu extra terram servari: Quæ verò fibras perpetuò servant, sine detrimento è terra erui nequeunt.

Aliarum plantarum consortium non amant.

24. Tulipæ aliarum plantarum consortium non amant, præsertim illarum, quæ solum pingue & humidum requirunt. In terra etiam humidiore sicut & à crebra irrigatione facile computrescunt & intereunt.

25. Numerus Tuliparum ex Semine oriundarum infinitus propè esse videtur, vel certè indefinitus sive indeterminatus: Annuatim enim novæ ex semine prognatæ in conspectum prodeunt; sic ut Flora in nullo vegetabili fœcundæ variationis magis prodiga, & superbo Colorum luxu magis lasciva comperiatur. Unde etiam varia à Florum cultoribus nomina ad earum distinctionem imposita sunt, velut in Gayravensi horto *D. Valvasor in Carniol, descript. part. 3. lib. 11. pag. 174.* ultra centum diversas species numerat addito nonnullarum pretiô, quo comparatæ sunt, sicut curioso florum cultori hic etiam Alphabetico ordine recensere libuit.

1. Admiral de Gandavo.
2. Admiral del Mar.
3. Agatha d' Rampar.
4. Agatha.
5. Amadis.
6. Assure.
7. Armida.
8. Arateur.
9. Aria.
10. Africana.
11. Agatha Giocosea.
12. Agatha Martin.
13. Alagrand Groll.
14. Amoraglio Deman.
15. Apollo.
16. Aurora cœleste. Constans pretio 15. florenorum.
17. Brabantea.
18. Bella de Ramar.
19. Bellina.
20. Belvedere.
21. Bella Diana.
22. Bella d' Brüssel constante.
23. Bella d' Brüssel Vagabunda.
24. Bagina.
25. Blumasche.
26. Bauger.
27. Ballada d' Olanda.
28. Bella Sylvia. 3. Florenis.
29. Blanc Bichot.
30. Bella Helena.
31. Beleonberg.
32. Cæsar d' Marans. Const. 36. Flor.
33. Cardinal Constante.
34. Cardinal Vagabondo.
35. Cittadella.
36. Cornart.
37. Corno di Cervo.
38. Clairmond.
39. Gistenmoher.
40. Cyrus.
41. Duste.
42. Doclman.
43. Don Diego.
44. Dulsina.
45. Echomede.
46. Angles.
47. Ephemerides.
48. Euphrosyne. Const. 8. Flor.
49. Foret.
50. Florida Doman. Const. 6. Flor.
51. Gial Gandore.
52. Gial Forlat.
53. Gial Doman.
54. Gial Monde.
55. Grand' Duc d' Fiorenz.
56. Graf Curtz.
57. Gial Blucart.
58. Gial Alagrand.
59. Gial Holandia.
60. Gial Horlat.
61. Giallo Coronato.
62. Gatta Biatana.
63. Giallo & Rosso.
64. Gabriel.
65. Hondes.
66. Jocosa.
67. Liste. Const. 30. Flor.
68. Lydias Bizar.
69. Lacle Bleionberge.
70. Marstion superbe.
71. Monsuest.
72. Maller.
73. Marent Starcluit.
74. Magnifeur.
75. Molsuich.
76. Meliaris.
77. Orgelosa.
78. Ottoman Paragon constante.
79. Palamedes. Const. 25. Flor.
80. Paraches raissele. Const. 15. Flor.
81. Perfetta.
82. Pussart.
83. Pastor Fido. Const. 7. Flor.
84. Piccardo.
85. Portuges.
86. Purpur Foret.
87. Purpurea bianco obscura.
88. Pypinis.
89. Romana.
90. Rex.
91. Revul.
92. Rottau.
93. Solo sicut Sol: hujus tulipæ Flos ducenta habet petala.
94. Solo Regal.
95. Senateur follicitant. Const. 2. Flor.
96. Spiegelle.
97. Salamelech.
98. Semper Augustus.
99. Sol. Flos iste petala numerat 24.
100. Tornei Delphin.
101. Tragena.
102. Triumphante. Const. 15. Flor.
103. Veste Diana.
104. Vilana.
105. Vice-Re d' Ingil-terra.
106. Zystenmacher.

Alii

Alii tuliparum numerum longè majorem computant, aliaque nomina imponunt. D. *Henricus Munting* ducentas earum species refert. Berolensis Medicus *D. Elbolstius* 216. computat, & singulis propria nomina virorum illustrium attribuit. Verùm quia ejusmodi nomina arbitraria sunt, nec similiter ab omnib' vocari solent, eadem recensere supersedemus; præsertim cum ipse præfatus *Elbolstius* Tulipas omnes ad 20. species etiam reducere conetur, ut apud ipsum videre licet. Nominum quoque affictorum à curiosis Tuliparum amatoribus hisce impositorum indiculum refert *D. Christianus Mentzelius in indice Nominum plant. universali pag.* 312. *& seq.* Curiosa mirabilia de valdè amplo tuliparum pretio vide infra *cap. ult.*

CAPUT VII.

Regulæ & observationes perutiles Botano-gnomicæ ex variis aliis hortensium rerum cultoribus collectæ.

§. I.

Regulæ & observationes hortenses circa culturam, insitiones, & plantationes arborum.

1. Sicut terra nigra mollis & pinguis arborum vegetationi maximè conducit: Sic è contrà lapidosa, arenosa uti & argillosa vel nimis humida aut arida minimè prodesse solet.

2. Per renovationem terræ ipsæ quoque arbores renovari videntur.

3. Lunâ existente in signo Scorpionis aut Cancri nullus omninò labor circa arborum culturam adhibendus est.

4. Nulla arbor est putanda, vel scindenda dùm floret.

5. Utiliter tamen subindè scinditur cortex arboris incipiendo ab infimis ramis usque ad imam radicem: Sic enim & humor superfluus tollitur & attractioni de necessario succo optimè providetur.

6. Cœteris paribus præferuntur insitiones, quæ fiunt in ejusdem rationis arborum truncos, quàm quæ fiunt in truncos arborum diversæ rationis.

7. Insitiones etiam cœteris paribus meliùs fiunt in truncis arborum hortensium, quàm sylvestrium.

8. Ramusculus inserendus requirit has conditiones. I. Ut sit unius anni, quod facilè cognoscitur ex nodulo seu articulo: quot enim articulos ramusculus habet, tot etiam numerat annos. II. Ut paulò infrà primum articulum seu nodulum scindatur. III. Ut nodulus ille, quandò ramusculus inseritur plano trunci, in quem inseritur, perfectè congruat & inhæreat. IV. Ut dum pro insitione adaptatur, & ex parte scinditur, ejus medulla minimè lædatur. V. Ut cortex illius in ipsâ insitione cum cortice trunci conveniat. VI. Ut ex arbore optimi generis decerpatur, & quidem tali, quæ illo anno fructificat. VII. Ut sit recens & levis, multarumque gemmarum sive oculorum. VIII. Ut sit unius rami, vel ad summum duorum. IX. Ut decerpatur ex illa parte arboris, quæ est ad ortum Solis, idque ex summitate vel medio ramorum arboris. X. Quoad tempus, optimum erit ramusculos tales pro insitionibus decerpere in ipso plenilunio vel statim post illud. XI. Ut non immediatè inseratur, ubi decerpitur, sed per aliquot dies in loco humido & frigido conservetur; quod fiet, si infodiatur terræ ex parte illa, quâ scissus est. Caveatur ne decerpatur ex arbore, quæ actu floret.

9. Insitiones recentes ante tertium annum non sunt attingendæ ferro, sed solùm digitis & unguibus stolones ex iis decerpi debent.

10. Si insitiones incipiant florere statim secundo anno; decutiendi sunt flores; aliàs ubi excrescerent in arbores, non essent valdè fructiferæ.

11. Augmentantur fructus valdè, si insitiones Ex. gr. cerasorum, prunorum, fiant in truncos arborum magnos fructus proferentium: ut sunt pomus, pyrus &c. Confert etiam ad illorum augmenta, si arbores fuerint raræ, multumque à se invicem distantes.

12. Si pruni insitio fiat in nucem juglandem, exterior cortex habebit formam nucis, interior pars manebit prunum.

13. Cujuscunque arboris ramusculi, si inserantur in cotoneam, hujus naturam imbibituros constat. Ita possunt haberi pomo-cotonea, pyro-cotonea, pruno-cotonea &c.

14. Insitio pomi in persicum vel pyrum, & harum iterum in pomum, admirabilem gustu & aspectu fructum profert.

15. Si amygdali insitio fiat in prunum, & vicissim; arbores ex ipsis producent fructus dulcissima grana & nucleos habentes.

16. Poma castanei coloris pronasci dicuntur, si insitio ramusculi pomi in pyrum sylvestrem fiat, & similiter alba mora; si mori insitio fiat in populum albam.

17. Si ramusculi pomorum & pyrorum aut prunorum aliarumque arborum ficui implantentur, talis arbor fructus sine ullis præviis floribus producet.

18. Insitiones si transplantari debeant; optimum erit, eas tunc transplantare, quando sunt duorum vel trium annorum; idque vere vel autumno.

19. Si quis desideret, ut insitio citiùs excrescat & fructificet: instituat illam transplantationem in defectu Lunæ. Si verò

verò velit, ut meliùs radicetur & roboretur, atque altiùs excrescat; faciat id crescente Lunâ.

20. Flantibus ventis frigidis, quales sunt Boreales, non sunt effodiendæ insitiones pro transplantationibus, nec loco movendæ: Tales enim Venti penetrant radices arboris, easque exsiccant.

21. Humidiores dies transplantationibus præferendæ sunt siccis, & temperati valdè calidis aut frigidis.

22. Tempus maximè accomodum arborum transplantationibus, est Autumnale. In vallibus tamen frigidioribus, vel terrâ naturâ suâ humidâ præstat, ut eæ etiam initio veris fiant.

23. Omnes arbores & plantæ sive ex nucleo, sive ex semine, sive ex avulso ab arbore ramo, terræque injecto prodiêrint, per transplantationem ad alium locum longè fiunt meliores.

24. In omni transplantatione arborum attendendum, ut situs eis denuò versùs easdem mundi plagas detur, quem in loco nativo habuerunt.

25. Dum arbori transplantatæ fimus circumponitur, ità terrâ misceatur, ne fimus immediatè radices arboris attingat: hic enim suo calore requisitum humorem tolleret.

26. Quandò in tantum deficiunt arbores, ut paucos vel vermiculatos proferant fructus; radices earum discoöperiendæ, & in uno atque altero loco perterebrandæ sunt, foraminibusque incuriendus est clavus quercinus, ac rursus optima terrâ radices coöperiendæ sunt.

27. Si ob humorum copiam arbor tota se effundat tantùm in folia; tunc ut simul etiam fructus proferat, repurganda erit à musco & postulatis corticibus, aliisque herbis viridibus, quæ in ea excrescunt.

§. II.

Regulæ & observationes hortenses circa florum culturam, transplantationem & propagationem.

1. Pro omnium florum plantis in transplantatione terra optima censetur ex lignis vel herbis putridis fimo mixtâ.

2. Tempore frigido & flantibus ventis septentrionalibus nec semina, nec radices, nec bulbi florum terræ imponi debent. Idem sentiendũ de tempore valdè humido.

3. Aptissima florum semina seliguntur plena, succulenta, minimè exesa, quæ attrita candorem & pinguedinem quandam exhibent. Lentibus etiam vitreis auctoris optimè discerni possunt, præsertim cùm radicula & pluma in illis perfectè dignosci possunt.

4. Antiqua florum semina revalidantur & apta denuò redduntur, si macerentur ante seminationem in aquâ fermentatâ.

5. Florum, quorum semina terræ injecta sunt in plenilunio; transplantari debent etiam in plenilunio vel duabus diebus ante.

6. Pro transplanratione florum eligendum potiùs est tempus humidum, quàm calidum & temperatum præ frigido.

7. Nec plantationes, nec transplantationes fieri debent in meridie: sed fiant sub vespertinum tempus potius quàm matutinum.

8. Plantæ plurimorum foliorum plantentur in plenilunio, vel circa illud: paucorum foliorum Lunâ crescente. Ea verò, quæ præter florem etiam fructum proferunt in defectu Lunæ.

9. Omnes flores per frequentem transplantarionem & in quantitate, & in qualitate, etiam in colorum varietate mirum in modum proficiunt.

10. Terræ fodicatione & circumfossione maximè indigent flores, tum ut sic ab inutilibus aliis herbis requisitum humorem extrahentibus repurgentur; tum ut magis pateant aëri, quem attrahant ad vasa aërea, rori quoque matutino, aspersionibus pluviis, & influxibus cœlestibus.

11. Florum bulbos in Augusto sicco tempore exhumare, & denuò terræ implantare convenit circa finem Septembris post æquinoctium.

12. Radices florum implantandæ sunt quatriduo post Novilunium, vel totidem diebus ante plenilunium.

13. Generaliter convenit radices, bulbos & semina florum, qui ex naturâ sua pleni sunt, imponere terræ ante plenilunium, vel in ipso plenilunio: Eorum verò florum, qui ex genere suo rari sunt, convenit unâ vel alterâ die post novilunium terræ committere.

14. Omnes rotundi florum bulbi terram desiderant, quæ neque nimiùm sit pinguis, neque nimiùm sterilis & arida, sed quæ sit aliquantulum argillosa.

15. Florum Indicorum bulbi profundiùs, quam cæteri terræ implantari debent.

16. Rotundi florum bulbi ad minimum saltèm tertio quovis anno in alium locum transplantari queunt, si sola bulborum propagatio spectetur: Si tamen florum copia intendatur, singulis alternis annis transplantari debent, ut experientia constat in Tulipis Belgicis.

17. Universim iis florum generibus, quæ Muscaria appellantur, ut sunt flores, quorum bulbi etiam radices adjunctas habent, velut lilia alba, Narcissi, Hyacinthi &c. dum exhumantur, radices tolli non debent, sed tunc quando benè exsiccati iterum terræ committuntur, cultello aliquantulum circa finem putari queunt.

18. Semen Tuliparum, quarum fundus non nigrescit, pro pessimo habetur: neque enim ex eo crescentes tulipæ diverso variegantur colore.

19. Tulipæ aliarum herbarum consortium non amant: Optimè crescunt in terrâ, in qua priore anno Anemone erat inseminatum, aut quæ apportatur ex horto caulium, si tamen ea prius benè percribretur.

20. Tulipæ Belgicæ maximè durabiles comperiuntur in servando colore cum

aliæ

20. Tulipæ belgicæ maximè durabiles comperiuntur in servando colore, cum aliæ singulis penè annis colorem mutent, & plurimùm degenerent.

21. Nullæ tulipæ odorem spargunt præter eas, quæ sunt coloris citrini, aut subflavi, sed minorum foliorum.

22. Persicis tulipis, ne profundius terræ se immergant, testa perforata supponatur, ne plus æquo in terram descendant.

23. Rosarum variæ sunt species; omnes tamen pinguem, densam & mediocriter humidam terram amat. Argillosa & arenosa prorsus inepta comperitur. Ad pinguem ergò terram implantari debent in Octobri, Novembri vel Decembri.

24. Expedit valdè radices rosarum frequenter transplantare, & ad minimum semel intrà quinquennium, prius tamen excisis partibus exsuccis.

25. Variegati odoris rosæ liberam auram humidam & solis radiis expositam amant.

26. Semina Cariophyllorum, uti & Tuliparum priùs in vino recenti vel adusto macerata maximam colorum varietatem producunt.

27. Cariophyllorum semina seligenda sunt ex plenis, seu multorum foliorum caryophyllis, præcipuè verò ex iis, quæ sunt albi coloris, vel certè rubei nonnihil ad nigredinem deflectentis.

28. Caryophyllorum sicut & violarum semina biduò ante plenilunium excipienda sunt, sed violarum ex violis paucorum foliorum.

29. Radices Caryophyllorum ex semine ordinariè durabiles non sunt.

30. In terram pinguem inseminari & quidem in plenilunio debent Amaranthus tricolor, caryophyllum, lavendula, Leucopum, Canna indica, Convolvulus Hispanicus, Malva, Nasturtium Indicum, Lupinus, flos Mexicanus, flos Africanus.

31. Cyclaminum delectatur loco arenoso: penes sepes etiam feliciter crescit.

32. Anemone benè perpurgatâ & arenosâ delectatur Terrâ. Implantatur verò terræ in Februario, Martio & Aprili: prout quis citius vel serius florem desiderat, qui tertio post implantationem mense provenit.

33. Flores aliqui felicius etiam proveniunt ex radice, quàm semine: quales sunt Antirrhinum, Aster Atticus, Althea, Auricula ursi, Asphodelus filiaticus, Caryophyllus Plumarius, Dictamnus digitalis, Helleborus, Millefolium rubrum, Rosa Jerichuntina, Primula veris, Pæonia, Lilium convallium, Viola.

34. Narcissi & Hyacinthi ante autumnum ollæ vel cistulæ terrâ repletæ implantati, si in calido loco conserventur & subindè aspergantur aquâ, etiam in media hyeme gratiosè olentes proferunt flores.

35. Hiacynthi tamen radios quoque solis amant, terram tenuem; oderunt pinguem vel etiam lapidosam ac duram.

36. Corona Imperialis ex semine producta nonnisi octavo floret anno.

37. Peculiare hoc est lilio cruento, quod inter folia, & culmum subindè excrescentes habeat alios bulbulos crocei coloris, ex quibus ejusdem rationis lilium prodire solet, non secus ac ex ipso illius semine.

38. Lilium, quod Martagon dicitur, optimè crescit in terrâ pingui, præsertim cui proximè caules implantati fuerunt. Non amat radios Solis potentes, nec nimium appetit humorem: aurâ gaudet temperatâ: Transplantari cupit, quamprimùm florere incipit.

39. Flores aliquandò deficere solent in radicibus, cujus defectûs signum est, si aliqua folia eisdem incipiant flavescere: quod contingere poterit etiam ex ineptâ terrâ radices florum circum ambiente: Cui malo avertendo ut consulatur, radix erit effodienda, & ab exsiccatis vel vermiculosis fibris repurganda, lavanda, & ubi scissa est, terpentina terræ immixtâ obliniendа aut alia terra bona circumponenda.

§. III.

Regulæ & observationes tam Generales quàm Speciales circa herbas, & plantas culinarias: earum seminationem, culturam & transplantationem.

1. Inter qualitates terrræ pro rebus hortensibus nigra judicatur omnium aptissima, modò non sit palustris, uliginosa, & nimiùm humida.

2. Quæ intrà terram crescere debent, decrescente Lunâ; quæ verò extrà terram ac sursùm crescere debent, opportunè Lunâ crescente inseminanda sunt. Unde omnia semina herbarum, quarum radicibus pro culina non utimur, opportunè terræ injicienda sunt Lunâ crescente: quarum verò radicibus utimur, decrescente Luna terræ committenda sunt.

3. Expedit ut terra illa, quæ inseminari debet in vere, fodiatur & præparetur in Autumno: ècontra, quæ inseminari debet in autumno, fodiatur & præparetur in vere.

4. Terræ fodicatio & inversio non benè fit flantibus ventis septentrionalibus.

5. Ad omnem seminationem eligatur ventus Ortivus vel Occiduus: caveatur Meridianus. Seminationi etiam nocet ventus inter Ortum & Meridiem: parva enim facit grana.

6. Semen omne communiter probatur, quod est benè maturum, plenum, grave, pingue, densum, pluchrique ac vividi coloris. Optimè omnium discerni valet per microscopia aut quævis alia vitra auctoria.

7. Semen corruptum à vivido & recenti distinguitur attritione: quia medulla alba instar farinæ apparens, vividum ostendit;

ostendit; atri verò coloris vel instar pulveris, corruptum & prorsus inutile demonstrat.

8. Semen omne facilius & felicius concipitur, si aura temperata sit, quàm si frigida aut æstuosa plurimùm fuerit.

9. Communiter semen laudatur unius anni. Lactucarum & cucumerum semen (non ità peponum) quo recentius est, eò citius progerminat. Semen tamen petroselini, betæ, nasturtii, coriandri, quò est candidius (modò tamen corruptum non sit, vel excessivè nimis antiquum) eò probatur melius.

10. Seminatio omnis utiliter fit Lunâ existente in signis mobilibus: ut sunt: Aries, libra, cancer, capricornus. Vel certè dùm est in tauro, virgine, sagittario, vel piscibus, in aspectu ejus sextili, vel triangulari cum Saturno.

11. Si terra sit admodùm humida, vel semen humidius; seminatio fiat paulò ante novilunium, dum Luna est decrescens in signo virginis vel Capricorni vel Arietis. Si verò terra fuerit arida vel semen aridum: seratur Luna crescente in Cancro vel Piscibus cum aspectu Sextili vel triangulari Sarturni vel Jovis vel Veneris. Si verò terra nec arida sit nimis aut humida: optimè fit Lunâ in Libra existente.

12. Omne genus caulium amat pinguem, bene fimatam, benèque perfossam, elaboratam, mollem ac nigram terram. Frequenter aquis perfundi cupit.

13. Putrescentes caules & illarum aqua, uti & odor plurimùm nocet aliis herbis vicinis.

14. Fimatio hortorum, si quæratur seminis copia, fœcunda est lunâ decrescente: si verò herbæ vel surculi; Luna crescente.

15. Finis transplantationis est, ut plantæ melius crescant, & augeantur magis. Ex quibus delicatiores transplantandæ sunt, quando sunt quatuor aut quinque foliorum, idque circà plenilunium.

16. Quædam tamen plantæ nullam patiuntur transplantationem, ut Spinata, petroselynum, Beta, albæ & flavæ rapæ, aliæque his similes.

17. Sicut arboribus, ita & plantis culinariis conducit foliorum superfluorum putatio: Sic enim & melius crescunt, & vividiores sunt, nequè in semen perfacilè excrescunt: quas inter præcipuè numerantur Abrotanum, Amaracus, Lavendula, Spicanardus, Salvia, ruta, melissa, pimpinella, cerefolium & plures aliæ.

18. Si ex caulium & lactucarum cauticibus decerpantur prima folia, multò melioris fiunt saporis. Similiter raphanus & rapæ melius crescunt, si à primò succrescentibus foliis liberentur.

19. Pro lactucis sit terra pinguis soli opposita & ab omni umbrâ libera, priori adhuc Autumno præparata, benè elaborata, & fimata.

20. Endivia initio statim veris seminari debet in benè fimatâ terrâ tempore novilunii: & ubi 4 aut 5. folia habuerit, transplantetur, ut circà finem Junii novum ferat semen, quod rursus terræ injiciendum, ut inde Endivia hyemalis acquiri possit.

21. Cepæ inseminandæ sunt maturè, quamprimùm terra aperitur, idque in defectu Lunæ.

22. Porrum tàm in vere, quàm autumno inseminari potest, idque paulò post novilunium: sed quando transplantatur vel implantatur; terra non fimo, sed arenâ misceatur.

23. Petroselyni semen, antequam Seratur, paulisper conteratur, ut gratiosa producat folia. Et si penes aquam aut fontem inseminetur, majus & pulchrius proveniet.

24. Apium Lusitanicum, vulgò Zelleridh maturè terræ pingui est inseminandum, & ubi pullulans 5. vel 6. folia habuerit, transplantari debet.

25. Rosmarinus melius & uberius crescit, si aspergatur aquâ, in quâ caro recens macerata, vel lota fuit. Attendendum etiam, ne terra circà radices ejus induretur. Quocirca frequenter fodicari & aperiri debet, sic tamen cautè, ne radix lædatur.

26. Quodsi cornua agnorum in frusta concisa terræ immisceantur, & hæc sæpius aspergantur, inseminatus in eam Asparagus copiosior excrescet. Fimus etiam columbarum putrefactus ad 4. digitorum crassitiem aspersus, majorem efficiet asparagum.

27. Pyrethrum multiplicatur valdè, si divisis radicibus transplantetur in vere.

28. Betarum semen seratur in vere potius quàm in Autumno, idque crescente Lunâ & in terram pinguem, beneque prius maceratam.

29. Cucumeres fiunt majores, si in plenilunio; minores, si alio tempore inseminentur.

30. Singulare est in semine peponum, quod illud ipsum septem annorum præferatur, pauciorum aut plurium annorum seminibus: optima verò terra pro peponibus judicatur esse ex cespite.

31. Pro raphanis requiritur terra mollis, tenera & benè purgata.

32. Crocus quidem non desiderat terram valdè pinguem, bonam tamen, & aliquantulùm argillosam, ac sæpius transplantari cupit.

33. Acetosa ut diu in eâdem terrâ permaneat, foliis exsiccatis in vere liberetur.

34. Salvia utiliter plantatur penes rutam, ne serpentes ac bufones infestent. Radices illius fimari non debent, sed aspergi cineribus, qui ex lixivio remanent.

35. Satureia uberiùs crescit, & gratiorem spargit odorem inter cepas plantata.

36. Phaseolus pinguem & benè elaboratam amat terram, locum spatiosum & radiis solis, ventisque expositum. In plenilunio plantari, sæpius perpurgari & circumfodi convenit.

37. Fabæ contentæ sunt terrâ sterili, imò ipsæ sterilem terram impinguant, cùm contrà cicer terræ pingui inseminatum eandem efficiat sterilem. Optimè crescunt in terra, ex quo paulò antè frumentum est demessum.

38. Pisa inserenda sunt in plenilunio vel ultimo quadrante Lunæ aliquot diebus ante novilunium. Terram requirunt

medicorem:

medicorem: optimè succedunt, cùm in terram inseminantur, cui priùs rapæ increverant.

39. Articoca crescente Lunâ inseminatur terræ bonæ, pingui & humidæ, & eadem transplantatur Luna crescente. Amat singulariter fimum equinum, uti & cinerem; quocircà etiam cinerea appellari consuevit.

40. Borago solum requirit pingue & humidum: ex seminatione plus quàm transplantatione proficit.

41. Cichorium in profundè effossam terram implantari cupit, odit fimum equinum. Solem amat, aspectu sequitur & flores versus eundem expandit atque in ejusdem occasu claudit.

42. Piperitis in omni solo facillimè crescit, ità ut difficulter iterùm extirpari queat: in pinguiori tamen & humidiori terrâ plantata dulciorem acquirit saporem.

43. Siser terram quidem bonam requirit, eam tamen arenâ permixtam, cui post plenilunium optimè implantatur. Folia & stolones eidem amputari minimè debent; potius autem invicem innecti & nonnihil comprimi debent, ut flores impediantur, quos in semina mutari non conducit. Sed hæc ad olitores & hortulanos pertinent: non enim horticulturam conscribendi munus suscipere volui; sed cùm in ordinem incurrerent, inhonorata transire nolui.

CAPUT VIII.

Regulæ & observationes circà morbos, mortem, & interitum plantarum.

Plantarum incurvatio.



Um solum nimium exarescit, duriores que alimenti partes ministrat, quàm ut commodè subigi, aut tubulosas fibras permeare queat, plantis, & earum truncis communiter accidit incurvatio, atque in unam partem deflexio, ex quâ earum interitus prænosci potest.

Foliorum delapsus.

2. In frigidioribus regionibus cùm plurium plantarum folia spontè delabuntur, accidit id potissimùm, quod tunc temporis plantarum pori frigore imminente claudantur, & fibræ illæ, quæ oscula jungunt, siccentur, atque contrahantur.

Viscus adnascens nocet plantis.

3. Viscus arboribus adnascens earum germinationi & fructificationi ideò plurimum obest, quod dùm rami corticem inter & lignum profundas agit radices, succum rami ipsius, cui adnascitur, ad se rapiat: quò fit, ut cùm rami ipsius dispendio ipse ramus aut contabescat, aut surculos non proferat. Idem de musco dicendum.

Morsus animalium venenatorum noxius.

4. Ab omni ævo observatum scribit *Clariss. Dominus de Die in Tract: de anima plant.* Si recentes alicujus arboris surculi animalis venenati morsum experti fuerint, arborem tabescere & emori, nisi quàm primùm præcisi fuerint. Causa est, quod succus corruptus, qui in caudicem descendit, simili corruptione illum inficiat; hinc deindè in totam arborem diffunditur, non secus ac in animali pars gangrænâ infecta universam massam sanguineam destruit.

Noxiarum herbarum satietas.

5. Herbæ ac plantæ, quæ mordaci atque acri succo aluntur, lædunt alias herbas & plantas appositas miti succo gaudentes. Hinc satis, pascuis, & vineis plurimùm obsunt Aconitum, Helleborus albus, Colchicum, Urticæ, & cardui, quod succus, quo aluntur, acre quidpiam & mordax contineat, â quo absumitur mitis liquor necessarius conservationi, & ubertati utilium plantarum. Undè & Oeconomiæ intenti animadvertentes in pratis corudam scorpioidem & tythimalum non falluntur prædicentes eo anno pascuorum sterilitatem.

Surculi insociabiles

6. Cur sæpè arbores emoriantur, cùm ipsis insociabiles inseruntur surculi, alia causa vix esse poterit, quàm succus, quod â foliis & ramis per surculum redux, trunci & radicum poris aut tubulis minus sit accommodatus.

Foliorum denudatio noxia.

7. Pleræque etiam arbores emoriuntur cùm foliis nudantur, quòd succus, qui in foliis penè ut in radicibus excoquitur, abstrahatur. Quocircà si vitis palmites suis foliis æstate nudentur, uvæ vix unquàm maturescent, quòd succus à foliis redux fructui nutriendo servire debeat. Folia siquidem uti radices totius plantæ alimentum præparant, nec succum tantummodò, qui â radicibus ascendit, sed etiam eum, qui ex rore, aëre humido, & pluviis extrinsecus accedit, excoquunt & digerunt.

Medullæ aut Corticis læsio.

8. Cùm medullæ & corticis, sivè libri in plantis & arboribus maxima sit affinitas & communicatio, alterutrâ parte destructâ, abrasâ, aut quovis modo corruptâ adhuc arbores germen proferre possunt, ut patet in salice. Utrâque autem hac parte læsâ, destructâ, & abactâ germen nullum amplius pronasci poterit, cùm succi progressus germinationi necessarius undiquaque impediatur. Unde pro naturæ miraculo habetur, quod platanus, quæ in *Antandro* & alia, quæ *Philippis* enata, cortice deraso, & dolata, denuò Corticem receperit, & regerminârit.

Arborum sauciatio tempore æstivo.

9. Arbores & plantæ dùm æstivis & valdè calidis temporibus sauciantur, citius intereunt. Quocircà Cardanus *de variet. lib. 6. cap. 23. Arbores*, inquit, *occides, si terebrâ sub diebus Caniculæ ad medullam perforaveris, petroleumque cum sulphure injeceris: nam æstu sauciæ plantæ facilius pereunt: quamobrem & cortice circumsecto aliæ similiter sub eodem tempore intereunt. Certum est enim animam vel in cortice, vel medulla contineri, ut in arcanis demonstratum est: hæc autem utraque & in trunco & in ramis &* in radice,

in radice. Si ergò inutiles herbas exsecueris his temporibus, sulphureque ac cinere insperseris, morientur.

Arborum senectus. 10. Eodem *Cardano* docente *de subtil. lib. 8. Ostendit plerumque senectutem longam arborum magnitudo, radicumque amplitudo. Causa diuturnioris vitæ paucitas fructûs ac sterilitas, tùm verò solida substantia ligni. Item nulli propemodùm arbori longævæ folia ampla, nam humido copioso indigent magna folia; hoc autem cùm plurimùm sit & pingue mortem affert celeriter. Ob id etiam agrestes cultis, & quæ nascuntur in terrâ his, quæ in aquis vitæ diuturnioris.*

Vegetabilium vivacitas aut imbecillitas. 11. Vegetabilium atque plantarum vivacitas, robur & validitas, sicut & debilitas, imbecillitas, ac infirmitas plurimùm â soli & terræ, cui implantantur, dispositione ac constitutione dependent. Quocircà rectè scribit *Idem Cardanus*: *In calidis ac humidis regionibus omnia proceriora, succosiora, vivacioraque, nisi propria plantæ natura obstet, adeò ut nemora etiam in occidentali India aspalathi inveniantur. At in calidis & siccis regionibus minores sunt plantæ, & sicciores, validæ tamen in humidis ac frigidis imbecilles succi plenæ. At quæ naturâ calidæ sunt, proceræ, ampleque. Frigidæ parvæ; quamvis quædam etiam naturæ frigidæ, ut Cicuta loco humido & umbroso melius proveniant, viribus etiam efficaciora.* Unde etiam observatum est, quod, cum pleræque arbores & plantæ appropriato gaudeant solo, si in alias transferantur regiones, in alias facile species degenerent. Sic ex indiis â Lusitanis translatæ hæ arbores degenerarunt, cedrus in juniperum, cinamomus in laurum, piper in hederam.

Arbores oleosæ minus putrescunt. 12. Arbores ac plantæ oleosæ minus putredini obnoxiæ compertæ sunt. Undè rursum *Cardanus de variet. lib. 6. Quæ oleum ferunt seu in baccis, seu in tuberculis, velut junioribus cedris, quæ oleo copioso redundant, non putrescunt.*

13. Neque hîc silendum, quod clavus ex tumbâ ligneâ, in quâ cadaver computruit, arboris cujuspiam trunco impactus, illam faciat, si non perire, saltem sterilescere, *Ita Hirnheim de Typho gen. hum. cap. 9.*

14. His addendum, quod nulla ferè sit planta, quæ non noxium quoddam ex se & substantiâ suâ animal producat, undè corrumpitur, aut aliis corruptionis seminarium communicatur; sic arbores prægrandes in suis caudicibus nobis *cossos*, *tineas*, *teredines*; *ficus cerasten*; *pinus buprestin*, olea *raucam*, sorbus vermem rufum & pilosum; Mespilus vermes varios; vites erodentes *butyros* & *ipem*; pampini ejusdem *volucram*, seu *convolvulum*; vinum verò *volucellam*, sivè *muscam vinariam*, *musciliones*, *vinulas* producere notum est. Evonymus frutex vermem gignit *Ephemerum*, qui absumptis foliis moritur. Folliculi Ulmi, Terebinthi, Lentisci fructus vermes *psenes* dictos, & sunt velut erucæ vel araneæ, aut simile quid. Gramen *grotones*, solanum vermem viridem & croceo colore tinctum; porrum *prosacuridem* seu *blattam*; brassica, lactucæ, olera omnis generis erucas producunt. Asphodelus vermes gignit volucres, sub flosculorum specie. Malva *cimices* agrestes, uti & in omnibus plantis florigeris videre est. Imò saluberrimæ plantæ, ut sunt ruta, salvia, fœniculum vermes generant prorsus exitiales; Triticum *curculiones*: omnia denique legumina fructusque vermes sibi proprios producere nulli ignotum est. Ità notavit & *Kircherus in Mund. subt. lib. 11. sect. 2. cap. 8. circà finem.* Singulæ plantæ habent sua noxia animalia.

CAPUT IX.

De Hortis & eorum apparatu observationes.

Quid per hortos intelligatur Orti communiter intelliguntur loci ad amœnitatem, gratamque animi voluptatem apparati, in quibus diversæ vegetabilium species herbæ scilicet, flores, arbores & olera miro ordine, & grata oculis serie distributa proveniunt, ac jucundissimam non tantum amœnitatem exhibent, sed & uberem quorumvis fructuum, olerum, herbarumque proventum œconomiæ animalis vitæ tum conservandæ & sustentandæ, tum etiam morbis fractæ persanandæ maximè perutilem creant.

Hortorum cultura peranti-qua. 2. Hortorum cultura & studium perantiquum est, imò cum orbe natum, illique coævum. Deus enim, ut sacra scriptura memorat *Gen. 2.* ab initio plantavit paradisum voluptatis, quem omnibus deliciis instruxerat, & omnis generis plantis, herbis & arboribus adornarat: in quo posuit primum hominem â se creatum, ut operaretur operatione non laboriosa, ut exponit *S. Chrysostomus*, sed deliciosa; & custodiret illùm tum â feris, quæ erant extra paradisum, ut inquit *S. Basilius*, & *S. Augustinus*; tum ab ipsis animalibus, quæ erant in paradiso, ne ejus decorem & amœnitatem læderent, aut inquinarent. Ex quibus colligitur, quanti DEUS primum hunc â se creatum hortum sive paradisum, voluptatis æstimarit. Qui plura de hoc paradiso scire desiderat; legat *Cornelium â lapide in Gen. cap. 2. v. 8.* Hortorum igitur cultura amœna, laudabilis, & utilis est, atque primo parenti *Adamo* ab ipso etiam DEO commendata. Unde etiam D. *Augustinus lib. 8. de Genesi ad literam* Horticulturam laudans

laudans ait: *Quid hoc opere innocentius vacantibus, & quid plenius magna consideratione pendentibus?*

Distinctio inter hortum & paradisum. 3. Præfatus jam doctissimus commentator *Cornelius à Lapide in cap.2. Ecclesiastis v.5.* distinctionem facit inter hortum, & paradisum. Hortus, ait, communium est olerum; unde hortus quasi ortus dicitur, quod in eo olera oriantur: paradisus verò est hortus exquisitarum arborum, fruticum, florum, fontium, statuarum, avium, piscium, & vivariorum caprearum, Cervorum, ferarum, omnisque generis amœnitatum, & deliciarum, quales fuêre veterum Romanorum *Luculli*, *Pompeji*, *Ciceronis* &c. in agro Tusculano, & Tiburtino, quibus modò vel pares vel suppares sunt Estensium, Aldobrandinorum & similium, qui amœnitate & pretio certunt cum hortis *Alcinoi*, si non superant. Verum hortorum plures assignari possunt differentiæ. Ita Arboretum sive Arbustum in nostra Germanica lingua dicitur ein Baumgarten; pomarium ein Obsgarten; vinetum, sivè vinea ein Weingarten; rosetum ein Rosengarten; olivetum ein Oelgarten; palmetum ein Dattelgarten; Ficetum, ein Feigengarten; plantarium ein Pflantzgarten; hortus sativus ein Beethgarten; culinarius vel oliterius ein Kuchelgarten; Herbarius vel Botanicus sive Medicus ein Kräuter- oder Artzneygarten; Floridus aut floricomus ein Blumengarten. Quibus adde vivarium ein Thiergarten; Aviarium ein Vögelgarten; viridarium ein Lustgarten; paradisus autem omnes hortorum delicias & amœnitates in se complectitur. Præfati tamen horti simplicius & accommodatius distingui posse videntur in fructuarios sivè fructuosos œconomicos, qui nempè cum fructu ac proventu ad œconomiam conducente coluntur, & in speciosos sivè voluptuarios ac deliciosos, qui multiplici & vario deliciarum genere & apparatu magnificè ad voluptatem instructi sunt.

Terræ bonitas horti cujusvis fundamentum. 4. Omnis horti melioris fundamentum in bonitate soli sivè terræ tanquam uteri vel matricis, unde plantæ pronascuntur, situm est adeò, ut, cum hujus defectus est, apparatus quiscunque hortensis diu durare, & persistere non possit. Sic in solo arenoso, arido, & sitibundo nulla quantumvis sæpè irrigata proficiunt germina; sed ob ariditatem semper ferè languent, conceptaque tandem uredine emarcescunt, & emoriuntur. Nec ex paludoso ac nimium humido solo optatus germinum proventus exspectari potest; nimio Siquidem oppleta humore perfacilè suffocantur. Quæ verò terra probetur aptissima, videri potest supra *Scrutinii hujus disqu.1. cap.6. §. 1.*

Ordo. 5. Ordo, qui communiter describitur *parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*, in hortensium amœnitatum apparatu maximè congruus imò necessarius est. Sicut enim res etiam quantumvis præclaræ dispersim, inconcinnè aut confusè sine ordine collocatæ hoc ipso vilescunt & despiciuntur: Sic è contrà res etiam viles & abjectæ dum opere topiario, vel alio artificiali in ordinem rediguntur, & ad figuram vel imaginem aliquam repræsentandam probè disponuntur, maximam pariunt admirationem, & inde haud levem enasci faciunt oblectationem; ut patet in areolarum subordinatione & figuratione, quæ per communes herbas cinguntur & distinguuntur; in ambulacris, quæ per sylvestres etiam arbores velusi fagos, abietes pinus, myrtos, sabinas & alias hujusmodi ad optices regulas artificiosè vestiuntur; in cryptis seu crottis, ut vocant, quæ ex diversis lapidibus construuntur, ac variis conchilibus & ostreis ad miraculum inspectantium exornantur. Ita *Trigautius lib. 4. cap. 6.* mirè deprædicat Sinensium hortos, & inter hos quendam in Sinensi quadam civitate, qui non tantum ob flores, & plantas exoticas easque rarissimas curiosis blanditur oculis, sed & ob montem ibidem admirando planè artificio ex politissimo marmore constructum, in quo variæ cryptæ & cameræ ad summam voluptatem mirificè elaboratæ sunt: juxta quem montem & alia persplendida ædificia, aulœa, testudines, vivaria, & piscinæ ordinatissimè apparatæ & dispositæ sunt, ut nihil ab arte melius effingi posse à spectatoribus credatur.

6. Hortos ab amœnitatis commendatione magis illustres facit situs, si nempè is fuerit planus in loco nonnihil elevato, ut in circumsita loca quantumvis dissita amplius pateat prospectus. Est enim humanis oculis ita comparatum ut sint insatiabiles, nihilque magis eos oblectare valeat, quàm multa simul perlustrare, & in longè dissita obtutum formare posse. Hinc adeò celebres fuerrunt horti illi pensiles Antiquorum, de quibus *Plinius lib.19. cap.4.* his ait verbis: *Antiquitas nihil prius mirata est, quàm Hesperidum hortos, ac Regum* Adonis & Alcinoi, *itemque pensiles sive illos Semiramis, sivè Assyriæ Rex* Cyrus *fecit. Josephus lib.1. Contra Apionem* de pensili horto Babylonio scribens ait: Nabuchodonosor *Magnus* Babylone *lapideas moles excelsas excitavit aspectu montibus similes, omnique genere arborum consitas. Hortum quoque pensilem fecit fama nobilem, eò quod uxor ejus montanum prospectum desideraret in Medorum religione educata*, de hoc Babylonio horto plura vide infra *cap. ult. hujus disq. Bononiæ* quoque ad urbis confinium celebris olim fuit Poëtarum hortus: multò autem nunc celebrior ibidem extra urbem visitur alius hortus Monasterii *S. Michaelis* â multitudine perpetuò virentium circumsitarum cupressorum *in Bosco* dictus Tubi natura & Ars miro consensu omnis hortensis jucunditatis scenas exhibere solent. Maximis verò encomiis celebratur mirabilis ipse hujus horti situs, & ex eodem in remotissimam distantiam prospectus, quo celeberrimæ urbes *Ferrara*, *Mantua*, *Mirandula*, & complures aliæ cum *Marcha d' Ancona*, Alpes Lombardiæ, & ipsum etiam Adriaticum Mare summo oculorum oblectamento spectari possunt. In ipso verò Situs.

Dd 3 horto

horto maxima cùm admiratione insignes conspiciuntur fontes salientes, viri, piscinæ, catadupæ præter rarissimas æque ac pulcherrimas arbores, flores & plantas, quibus curiosis spectatoribus nil gratius & jucundius exhiberi posse videtur, *Mantuæ* etiam ad Ducis ac Principis palatium horti spectantur pensiles & sublimes, qui pulcherrimis instructi sunt viridariis, umbraculis, fontibus salientibus, artificiosis statuis, atque etiam eximiis valdè illustrati sunt puctiris, qui omnem spectatoribus pariunt oblectationem ut, idcircò perapte sequentes versus aureis literis ibidem expressi sint:

Hic lenire æstus licet, & quandoque licebit
Ducere sollicitæ jucunda oblivia vitæ,
Et canis æstivos radios vitare sub umbra.

Novitas & raritas. 7. In ipsis hortis nihil ità curiosos oculos animumque oblectare potest quàm novitas & raritas: illa enim admirationem parit & gratiam; hæc æstimationem. Sic igitur omnis hortus, qui amœnus oculisque gratus & jucundus esse debet, apparatus sit, ut semper quid novi ibidem spectari possit. Idcircò etiam *Isidorus lib. 17. cap. 16.* vult, quod *hortus* ab *ortu* sit dictus, quod ibi semper novus ortus florum scilicet, plantarum, diversorumque fructuum compareat. Raritas autem requiritur ad æstimationem: quia si communia ibi tantum, & ubivis obvia vegetabilia conspiciantur, hortus ille non æstimabitur.

Statuæ. 8. Magnificum paradisorum ornamentum sunt statuæ à peritis Artificibus elaboratæ, si tamen repræsentent tales historias, quæ ab omnibus indemni conscientia tutò spectari possunt. Absint turpes, & obscenæ, quæ teneras inquinant mentes, sermones provocant impuros, & immundis Blateronibus os incautum aperiunt; nec quisquam etiam illarum aspectu gravatus cùm Poëta tandem queri possit:

Ut vidi ut perii; sic me malus abstulit error.

Rupes ac petræ artificiosæ. *Neubosius* recenset Sinenses maximis impensis artificiosas rupes ac petras ex variis conquisitis lapidibus, comprimis verò marmore ita ad Naturæ æmulationem cum inserta terra, & implantatis fruticibus in hortis suis exstruere, ut exteri, & peregrini ex earum intuitu satis oblectari non queant. Ejusmodi verò artificiosas petras circa urbem *Pequin* complures erectas esse scribit, easque non tantum intus excavatas, sed earum cavernas in pulcherrimas aulas, ambulacra, testudines aliasque admirandas structuras apparatas & adaptatas esse traditur: imò in quibusdam Labyrinthos stupendo artificio instructos esse meminit, ita ut ingeniosissimos Europæos Artifices & Architectos nihil simile construere posse videatur.

9. Inter omnes plantas nihil videtur esse, quod in tot figuras & elegantias effingi, flectique aut tondendo formari possit, quàm Ligustrum; cùm lenta admodum & flexibilia habeant vimina, surculosque densos & folia gratè virentia. Undè etiam ad topiarias scenas, quas elegantissimè convestit, maximè ab hortorum cultoribus expeti solet. Huic succedunt myrtus sabina, Cupressus; imò & Gelsiminum in præclaris nonnullis hortis calidiori cœlo sotis eorum ambitus amænissima æque ac rarissima gratia afficere & exornare solet. In famoso jam & percelebri Franconiæ nostræ Geibacensi haud procul *Herbipoli* Eminentissimi & Celsissimi Principis ac Domini Electoris Archiepiscopi Moguntini *Francisci Lotharii* Paradiso pinus perpetua sua eaque eleganter grata viriditate vias quaqua versus ad optices regulas ordinatas ita convestit, ut ipsa *Flora* illic incedens risu sibi applaudere de tam amœno apparatu possit. *Valentiæ* in Regno Hispaniæ, ut refert *Valla lib. 3. hist.* horti non tantum citris consiti, sed etiam citreis parietibus vivente materia conclusi spectantur, *ut, sicut*, inquit, *dubitari queat hortine sint, an ædes. Num cum nihil aliud insit, quam arbores frugiferæ, atque felici manu positæ, institutæ, & digestæ, quid nisi horti dicendi sunt. Parietes enim ex truncis citrorum confecti sunt, & amnen frondibus vestiti, ut perspici introrsum nequeat, necdum intrari. Ita cum rami adolescunt, intorquentur, & inflectuntur, itaque insiti ac inserti, consiti atque conserti coalescunt, ut omnes rimæ expleantur, nihilque vacuum relinquatur, ut parietum firmitas ex truncis, & decoris ratio ex frondibus constet. Eodem pacto introrsum, quo indicatum, Compacta & conserta sunt omnia.* Ita *Valla.* Opera topiaria.

10. Artificia hydraulica sive fontes artificiosi ad varietatem paradoxi, lacus, stagna, rivi, Vivaria, aviaria, viridaria, cryptæ artificiales, Labyrinthi, ambulacra proceris in longum æquissima serie dispositis arboribus convestita, quæ vulgò Alleæ vocantur: artificia item topiaria, quibus scenæ curiosæ veluti Leonum, cervorum, caprearum, canum venaticorum, hominum, item aquilarum & aliarum istiusmodi imaginum ex myrto, sabina, ligustro similibusque plantis instruuntur præcipuum, imò ferè necessarium paradisorum sive hortorum ad omnimodam oculorum recreationem adaptatorum censentur esse oblectamentum. Eximii talis paradisi exemplar in villa amœnissima *Hypolyti Cardinalis d' Este*, quæ *Tybure* hodierna adhuc die superstes est, summaque advenarum admiratione visitur, recenset *Kircherus in Latio lib. 3. cap. 9.* his verbis: Primo à palatio plano per varias lucorum vias ad quinque planities descenditur: in quarum prima cyathus immensæ magnitudinis occurrit aquarum jocis exhibendis opportunus; in secunda *Herculis* statua, qua artificiosius quicquam vix spectare licet quatuordecim palmorum Artificia varia hortensia.

morum altitudinis. Hinc descensus fit ad principale villæ ambulacrum, quod initium sumit à catadupâ illâ mirabili, quæ *Anienis* portio per occultos montis mæandros ingenti strepitu, aquarumque murmure per saxosas rupes in Concham vastissimam evoluta, hinc in vastam piscinam, qua platanis, qua simulacris undique & undique circumdatum præcipitatur. Ex hoc intratur in ambulacrum paulò ante dictum 300. passus longum, 48. salientibus fontibus ordine dispositis instructum, in quorum abacis tota *Ovidii* metamorphosis subtilissimo plasticæ artis ingenio effigiata cernitur. In fine hujus ambulacri alia mox scena panditur, & *Roma* vocatur, eò quod *Romæ* antiquæ celebriores fabricæ juxta requisitam loci conditionem exstructæ videantur; ubi ex læva integer erumpens rivus ex flumine derivatus, per sinuosas rupes arte factas in catadupam desinit. Ludicra aquarum spectacula, quæ hoc loco exhibentur, vix explicari possunt. Hinc fit descensus in aliud planum, cujus muri tessellato opere elaborati in medio paradisum exhibent cum arboribus, in quibus cuculus cuculat, luscinia modulatur, dsensat anser, canarias volucres multiplici vocum mutatione cantillantes te sentire jurares. Verùm locus dolosis aquarum ludicris non caret; intentos enim avium modulationi inopinus ex omnibus muris & pavimentis erumpens imber ita perpluit, ut ex flumine extracti videantur. Aperitur hoc loco aliud ambulacrum arboribus utrimque consitum, in cujus medio pulcherrimæ piscinæ theatrum aperitur, in cujus medio exitium opus in quatuor Draconum, in quatuor mundi partes continuò aquarum diluvia evomentium formas elaboratum, in quorum dorso ingens canalis, qui jocum aquarum, quem *Girandolà* vocant, exhibet, aquasque in tantam altitudinem jaculatur, ut præcelsam Cypressi figuram proximè æmuletur. Hinc verò per gradus conchis hydragogis instructos descenditur in horti planitiem, ubi quatuor vivaria occurrunt piscibus, cygnis, anatibus, cœterisque aquaticæ stirpis volucribus conserta, quæ peridromidum cancellati ordines circumdantes, mira spectantes voluptate afficiunt. Implentur hæ piscinæ sive vivaria ingenti aquarum copia per catadupam dilapsa; supra hanc catadupam nobilissimum sese aperit theatrum juxta omnes architectonicæ artis regulas nitidissimè exstructum, nec non vasto aquarum receptaculo visendum, in cujus interiori recessu organum hydraulicum automatum dispositum mira sonorum varietate auditorum aures demulcet. Nec hic locus insidiis caret; abditis enim aquarum canaliculis ita repletus est, ut harmonica organi suavitate abrepti derepentè aquarum diluviis tantum non obruantur. Hactenus *Kircherus*.

Labyrinthi 11. Ad ludicra hortorum comprimis serviunt Labyrinthi, qui nempe sunt horti arboribus, fruticumque obicibus instructi, aut in varias areolas distincti, ut ingredientes per varios itinerum flexus, & tortuosos ingressus sic per ambages deducant, ut ægrè, & nonnisi post multam indaginem valeant se expedire, exitumque invenire, cum progredientes semper in eundem redire soleant errorem, semperque per novos erroneos occursus fallantur. Binos hujusmodi *Bruxellis* videri ad pallatium Ducis Brabantiæ testatur *Beyerlinck in theat. V. H.* plures quoque miro artificio constructi alibi reperiuntur, quos omnes nominare nimis foret operosum.

12. Honestum plane & perutile studium est, quod colendis hortis impenditur. *Homerus* ideo laudat Reges hortorum cultu- rę deditos. Ita sapientissimo omnium Regum *Salomoni* hortos excolere, serere, manibus plantare pervolupe fuit; sunt & *Herculi* manu suâ quercus conserere, ut scribit *Plinius lib. 16. cap. 4.* atque etiam *Agamemnoni* plantare platanos ut idem *Plinius* refert *eodem lib. cap. 44. Attalus* Pergami Rex hortos fodiebat, herbas seminabat, sed noxias innoxiis permiscebat animi morbo, ut inquit idem *Plinius ibidem. Cyrus* teste *Cicerone de senect.* gloriari solitus erat, agrum se habere suis manibus consitum & directos in quincuncem ordines, multasque arbores suâ manu satas. Nimirum fructus hortensis principum Regumque manu educatus sapit melius curioso palato, quàm quem plebeja manus produxit: quia ut bene *Venantius* canit. Horticulturæ studium honestum est.

De cultore trahit mellitum planta saporem.

Laertem Ulyssis patrem describit *Homerus odyss. ult.* repertum à filio rus colentem. *Romæ* celebres fuerunt *Hortensii* ita dicti à culturâ & studio Hortorum. *Diocletianus* Imper. abdicato spontè imperio *Salomon* in rus suum secessit, ibique plantationi, & horticulturæ operam dedit. *Tarquinium* Regem in hortis molliter ambulantem, & summa papavera resecantem introducit *T. Livius, Suetonius* & alii. *Cato* Censorius rei hortensi sic addictus erat, ut & de eâ seriò scripserit. Post Asiaticam victoriam *Lucullum* in hortis otiatum Annales prodidêre. *L. Sylla* quoque abjecta dictatura reliquum vitæ spatium in iisdem exegit. Celebres Poetis quoque fuerunt Horti *Alcinoi Adonidis*, *Tantali & Hesperidum. Simon* Athenis, ut *Plutarchus in præcept. polit.* memorat, forum platanorum consitione & ambulationibus magnificè adornavit. *Cotys* omnium Regum, qui unquam regnarunt in Thracia voluptatibus maximè deditus regionem circumiens, ubi loca arboribus densa, ac fontibus irrigua comperisset, ibi convivabatur teste *Athenæo lib. 18. cap. 14. Josephus lib de bello Jud. cap. 6.* describit ortum *Herodis* Regis, aitque, quod miris floribus, herbis, plantisque rarissimis exornatus fuerit, arboresque peregrinas ad maximum decorem blandis oculis exhibuerit, quod & aquæ ductibus ac cisternis variis insigniter instructus fuerit: ambulacra item lata ad spatiandum, & ad piscinas multas domesticarum columbarum turres habuerit. Hortorum curam quoque Ægypto familiarem scri-

rem scribit ex *Callixene Athenæus*: quam obrem accedente aëris temperatura florum copiam quâcunque Anni parte abunde suppetere præter aliarum rationem terrarum. Quo ductus argumento *Martialis lib. 6. Epigram.* sic jocatur.

Ut nova dona tibi Cæsar Nilotica tellus
Miserat, hybernas ambitiosa rosas.
Navita derisit phario Memphiticus hortos
Urbis ut intravit limina prima tuæ.

Fuerunt Syri quoque in hortis operosissimi: unde *Plinius* scribit inde productam parœmiam: *multa Syrorum olera.* Si paulò propiùs ad nostra tempora respicere velimus: quis satis expendat impensas & sumptus in Hortis ad omnem magnificentiam construendis, & maxima rerum omnium curiosarum varietate exornandis? Quis omnes illos Zephyritidis amatores, Hortorumque, arborum atque florum cultores enarret, pro meritis deprædicet, & condignis extollat laudibus? Ex summis Pontificibus hoc præconii genere famosi ac celebres fuerunt *Pius IV. Julius III. Paulus V.* Ex sacrâ Cardinalitia dignitate claris *Hypolytus d' Este, Alexander Farnesius, de Medicis, Altems, Scipio, Franciscus Gambaro* & alii plures. *Wolfgangus Theodoricus Archiepiscopus Salisburgensis, & modernus Moguntinus Franciscus Lotharius.* Ex Episcopis præter complures alios Celsissimus Princeps ac Dominus *Joannes Conradus de Gemmingen* Episcopus Aistettensis. Ex Imperatoribus & Regibus *Julius Cæsar, Carolus V.* ex Galliæ Regibus *Franciscus I. Henricus IV.* & Christianissimus modo *Ludovicus XIV.* Ex aliis Principibus, Ducibus & Magnatibus *Franciscus* Dux Magnus *Florentiæ, Fridericus* Dux *Mantuæ, Lucas Pittius*, Princeps *de Auriâ, Cyriacus Matthæus, Julius Henricus* Dux Sachsenlauenburgicus; deinde *Garcias Toletanus, Petrus Toletanus, Bernardinus Martizanus, Horatius de Negro* præter innumeros alios. Ipsi hodiedum in diversis terræ partibus & regionibus magnificè ad luxum omnem & voluptatem exstructi omniumque rerum ubertate & varietate superbi spectatores arridentes paradisi suos collaudant cultores & constructores, veluti Regius Pragensis & Schlackenwerdanus in Boemiâ, Geraueinsis in Carnioliâ, Weinmariensis in Saxoniâ, Altenburgensis in Misniâ, Monacensis Electoris Bavarici, Dresdensis Electoris Saxonici, Oranienburgensis Electoris Brandenburgici; Heustadianus comitis de Schwarzenburg, Gothanus Principis Anhaltini, Stutgardiæ & Wirtembergæ Ducis Wirtembergici, Archiducalis Oenipontanus, Aranguensis in Hispaniâ, Parisienses & Regii *Luxemborg, Fauxborg. S. German, Versalies, Fontane bleau* in Galliâ; ad loca *Grinwich* aliàs *sinus viridis* dicti, *Richmont Kingston, Nonsuch, Hamptoncourt, Windsor, Thebal* sivè *Thebault, Adeline, Loo, Walton* in Angliâ. Villarum *Batghesiæ, Aldobrandinæ, Montaltanæ, Ludovisiæ, Matthæorum* in Italiâ & alibi complures alii, quos ita breviter tantum indicâsse sufficiet.

13. Hortorum culturæ, rerumque hortensium finis multiplex esse potest. **Horticulturæ finis.** *Justus Lipsius* hortos colendos vult, ut sint modestæ voluptati, non vanitati, quieti non torpori, ad salubrem quendam secessium à curis, atque turbis. *Jovianus* Poeta celebris varium eorundem finem & usum his versibus decantat:

Oblectat hortus, advocat, pascit, tenet,
Animoque mœsto demit angores graves,
Membris vigorem reddit, & visum capit,
Refert labori planiorem gratiam,
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Itaque licet insignioris horti eum in finem potissimum apparentur, ut post varios labores mens à serioribus ibidem ferietur curis, & relaxetur, atque etiam velut delicioso quodam otio reficiatur, dum curis feriis nonnihil remissis gratuita Naturæ munera, ac varios illius lusus in tanta florum, herbarum, stirpium, arborum ac quarumcunque plantarum varietate accuratè perpendens admiratur, atque ipsum hinc etiam eorum omnium opificem Deum velut ex quodam Naturæ libro agnoscit, ad eumq; amandum Magni illius *Augustini* exemplo suaviter incitatur; Nihilominus alii has hortorum delicias aliâ suavitate condiunt, nec animi tantum, corporisque relaxandi causa eosdem subeunt, colunt, & ordinant, sed illud etiam specialiter in hortis curant, ut herbarum ibi consitarum species & genera, vires & qualitates cognoscant. In quem finem ex longè dissitis Geocosmi partibus & regionibus rarissimas plantas, earumque semina conquirunt, sata fovent & nutriunt, ut in celeberrimis per Europam Hortis medicis velut *Patavii, & Bononiæ* in Italiâ, *Lugduni* in Batavia, *Altdorffii* apud Noricos, *Edenburgi* in Scotiâ ac variis aliis locis & regionibus videre licet.

Atque hæc de hortis & eorum apparatu sufficiant.

CAPUT X.

CAPUT X.

De primis atque manifeſtioribus Vegetabilium qualitatibus cognoſcendis.

Duplices qualitates in vegetabilibus: Primæ & ſecundæ.

NOtandum 1. duplices imprimis dari qualitates in vegetabilibus, quarum aliquæ dicuntur primæ, aliæ ſecundæ. Primæ ſunt illæ Elementares Philoſophis omnibus notiſſimæ; ut eſt caliditas, frigiditas, ſiccitas, & humiditas. Hæ quomodo cognoſci valeant, ſequens Tabula compendioſè indicat. Secundæ verò qualitates ſunt eæ, quæ ex primis illis conſequi ſolent: ut cum vegetabile eſt calidum, conſequi poteſt eſſe ſubtile, abſtergens, aperiens, maturans, concoquens, diſcutiens, adurens &c. Vel ſunt qualitates, quæ aliam, quam ab Elementis aut temperamento cauſam primariò & unicè habent.

Qualitates ſecundæ tiiplicis generis

Notandum 2. Triplicis generis ſecundas qualitates ſivè virtutes in plantis ac vegetabilibus conſiderari poſſe; vel manifeſtas ex primis qualitatibus emanantes; vel ſpecificas, ſivè occultas à formâ rei profluentes; vel medias ex utrisque reſultantes, quæ iterum vel plantas eſui aptas ac ſalutiferas reddunt, vel venenatas ac deleterias, aut mediæ qualitatis alexitericas conſtituunt.

De ſpecificis qualitatibus nihil conjectari poteſt.

Notandum 3. de ſpecificis ac maximè occultis abditisque Herbarum virtutibus difficilius poſſe phytomantum aliquid conjectare à priori: ſiquidem ita abditæ rerum vices cum nullâ ratione â naturali temperamento dependeant, ſed ſuam habeant originem ab ipſâ formâ ſivè eſſentiâ rei. Hanc autem cum phytomanta ſagaci ingenio ſuo penetrare nequeat, idcircò difficile eſt illi de iis viribus judicium formare. Nos hoc loco perpaucas.

Qualitates manifeſtè per ſenſus cognoſcuntur.

Notandum 4. cum manifeſtiores qualitates ſenſuum beneficio maximè innoteſcant, ideò ſufficiet pro earundem indagine ſequens Tabula, ex qua abundè illæ addiſci poterunt. Pro cœteris verò occultioribus, ac minus manifeſtis regulas phytognomicas ex probatioribus Authoribus collectas, tum etiam per exempla aliquorum vegetabilium vires à Signaturis in ſpecie indicatas & perbreves regulas circâ primas tantùm & manifeſtiores Vegetabilium qualitates cognoſcendas addita Tabula, ex quâ compendioſè eædem per ſenſus externos facilè indagari poſſunt, in medium proferemus.

Regulæ & obſervationes phytognomicæ circà primas ac manifeſtiores Vegetabilium qualitates cognoſcendas.

1. Plantæ quæcunque, quò juniores ſunt, eò ſolent eſſe humidiores; quò verò vetuſtiores, eò ſicciores, Creſcentes item auſteriores, & acerbiores, adeoque & frigidiores comprobantur. *Ætas plantarum*

2. Quò plantæ facilius aut difficilius calefactionem aut frigefactionem recipiunt, eò magis aut minus calidæ aut frigidæ perhibentur; tum & quæ velocioris ſunt congelationis frigidiores; quæ verò velocioris inflammationis, calidiores meritò æſtimantur. *Calefactio & frigefactio.*

3. Omnes plantæ, cum ad loci conſtitutionem vires, ac qualitates acquirant, in locis itaque humidis humidiores, aridis & ſiccis ſicciores, ſicut & in frigidis frigidiores, calidis calidiores enaſci ſolent. *Loci conſtitutio.*

4. Similiter omnes plantæ tempori & aëris conſtitutioni ſeſe accommodant, ita ut in tempore, ac aëre plurimùm humido majorem humiditatem; ſicciori verò tempore atque aëris conſtitutione, ſicciorem etiam acquirant naturam. *Temporis & aëris ratio.*

5. *Cardano* docente *de ſubtil. lib. 8.* quæ plantæ fructum unicum edunt, & celeriter maturantur, parùm habent pinguis humidi, & adeò maturantur, ut facilè putreſcant, ſicut ceraſa: quæ verò non maturantur, unicum tamen habent fructum, frigida ſunt & ſicca, ut ſorba & meſpila. Quæ verò multiplicem edunt fructum, ut ficus, vitis, ſuntque humida valdè, & humido quidem pingui, & multùm nutriunt, & ſerò concoquuntur. Hæc *Cardanus.* Alia ſigna primarum qualitatum vide in Tabulâ ſequenti. *Fructuum maturatio*

TABULA

Cognitionis primarum qualitatum manifestiorum in plantis & vegetabilibus ex signis & indiciis exterioribus sensu exteriori perceptibilibus.

Ex colore	Indicatur.	Ex odore	Indicatur.	Ex sapore	Indicatur.
Albo aut pallido.	Humiditas temperata.	Grato, bene olente.	Caliditas.	Acri	Vehemens caliditas.
Flavo	Caliditas.	Fœtente	Frigiditas & humiditas excrementitia.	Acuto	Extrema caliditas.
Lutulento.	Pinguis humiditas.			Acerbo	Frigiditas ac siccitas terrea.
				Acido	Humiditas cum frigiditate, quæ priore paulò minor.
Rubente croceo.	Magna siccitas& caliditas	Mordaci, amaro.	Caliditas.	Amaro	Caliditas, Siccitas.
		Acerbo, acido.	Frigiditas.	Austero	Frigiditas cum humiditate, quarum illa tamen prævalet.
Viridi, porraceo.	Magna humiditas.	Inolido	Humiditas.		
Nigro.	Caliditas.	Cum mordacitate declinante ad dulcedinem	Caliditas.	Dulci	Humiditas & caliditas temperatæ.
				Salso	Caliditas, Siccitas.
		Acido, mucido, lento	Frigiditas.	Pingui & unctuoso	Subcaliditas.
				Insipido Aqueo.	Frigiditas & Humiditas.

In attactu cum sentitur.	Indicatur.	A Loco natali.	Indicatur.	Ab effectu & operatione.	Indicatur.
Crassities.	Frigiditas & Siccitas.	Lacustri	Humidit. Frigiditas.	Calidum.	Reddens subtile, resolvens. Abstergens. Aperiens. Molliens, maturans, concoquens, incidens, attrahens. Mordicans. Adurens, rubefaciens.
Tenuitas.	Caliditas, humiditas.	Palustri	Frigid. Siccitas.		
Densitas.	Frigidit, Siccitas.	Fluviatili	Siccitas cum magnâ caliditate.		
Raritas.	siccitatis consortium.	Marino	Frigid. Siccitas.		
Durities.	Siccitas terrea.	Pingui humido.	Calidit. & humiditas contemperat.		
Mollities.	Humiditas.	Jejuno, sterili.	Calid. Siccitas.	Frigidum.	Repellens, incrassans. Crudum reddens. &c. Magis crescens. Velociùs congelascens.
Gravitas.	Densitatis consortium.	Mediocri	Tepiditas.		
Levitas.	Raritatis consortium.	Arenoso	Calid. Siccitas, tenuitas partium.		
Lenitas.	Humiditas.	Littorali marino.	Calid. Siccitas.	Siccum.	Constringens. Exprimens &c. diutiùs perdurans.
Ariditas.	Siccitas.				
Lævitas.	Humiditas. aërea vel aquea.	Montano	Calid. Siccitas, tenuitas partium.	Humidum	Inflans. Abluens, lubricans. Lævigans, tenuius. Faciliùs computrescens.
Asperitas.	Siccitas.	Campestri	Mediocris caliditas& siccitas.		
		Profundo humili	Frigid. Humid.		
		Collestri	Temperies.		
		Sylvestri	Siccit. Frigidit.		
		Domesticc	Mitis debilitas		

CAPUT

CAPUT XI.

Regulæ & obſervationes phytognomicæ circà alias quasdam abditas qualitates ac proprietates Vegetabilium indagandas, & cognoſcendas.

Similes plantæ ſimiles habent qualitates.



1. Plantæ aſpectu ſimiles congeneres etiam vires habere cenſentur. Quocircà rectè *Grewius in Ideâ ſuæ hiſtoriæ phytologicæ part. 1. Herba*, inquit, *vel planta quævis quousque notas aliquas viſibiles cum aliis plantis communes habet, eousque de naturâ etiam participat.* Ita pluribus conſtat experimentis plantas, frutices & ligna quædam, quæ aſpectûs ſimilitudine cum aliis conveniunt, congeneres habere vires: ſic, ut *Baricellus* refert *in hortulo Geniali*, multi Medicorum peritiſſimi loco ligni Guiaci buxo utuntur, loco ſalſæ parillæ ſmilace aſperâ, loco ſaſſafras ſylveſtri fœniculo, pro polypodio filicem eligunt, pro tipſana hordeum, pro myrto liguſtrum, pro epulo ſambacum, pro Chinâ radicem noſtræ arundinis, pro Rhabarbaro hippolapathum; hæc enim facie, corporeque aſſimilantur, proinde conſimiles vires habere exiſtimantur. Sic etiam docente *Kirchero in Art. Magn. Lum. & Umb.* omnes flores plantarum, qui aureâ quadam foliorum in orbem diffuſâ fœturâ radiantis Solis diſcum proximè mentiuntur, ut Tragopogon, cydamen, chamæleon, chryſanthemum, Lupinus, omnes cichorearum ſpecies, Tulipæ, Lilium Perſicum, Anemones, Scorpiurus, Heliotropium propriè dictum, Acacia, Lotus, aliaque innumera mirâ vi converſivâ ad Solem prædita ſunt, & neſcio quid amicitiæ cum Sole habere comperiuntur.

Plantæ aliàs differentes, in aliquo tamen convenientes juxta convenientiam, etiam ſimilem aliquam qualitatem habent.

2. Licet quæcunque planta aliquid individualis proprietatis ſemper obtineat, ſi tamen viſibiles aliquas notas cum aliis plantis communes habeat, ſemper etiam cum iiſdem de communi quâdam naturâ aliquid continere exiſtimatur, cum per affinitatem illam viſibilem in notis partes conſimiles in vegetatione ſuâ ad unam communem & analogam formam dirigantur. Ita Cucumeres ſylveſtres & hortenſes licet in eo differant, quod alterum genus purget vehementer, alterum planè non, conveniunt tamen in eo, quod utrumque genus diureticum ſit. Sic Tulipæ, Lilia, Croci, Hyacinthi & quævis ceparum genera licet differentes aliàs proprietates habeant, in vi tamen anodyna aut aliâ quadam natura communi convenire cenſentur. Sic etiam plantæ umbelliferæ licet variæ ſint, & plurimùm aliàs differentes in naturâ, probabile exiſtimat tamen *Grewius* omnes in hoc uno convenire, quod ſint carminativæ.

3. Cum inſtitutâ comparatione tam inter partes ſingularum plantarum, quàm inter ſingulas unius: & hìc rurſus vel inter duas aliquas partium, vel inter unam aliquam earum, & totam plantam ſeorſim, aut omnes reliquas junctim proportiones quædam inveniantur; prout eæ inter varias plantas occurrunt, & cum quibusdam plantis aut partibus in ſpecie altera reperiantur, comparando itidem in quonam alio proprietatum genere, ut vult *Grewius* inter dictas partes inveniatur convenientia. Inſtruemur hinc pro eligendis communibus quibusdam proprietatibus, quæ convenientes ejusmodi proportiones concomitantur.

Convenientes proportiones concomitantur convenientes proprietates.

4. Cum varia item ſint diſcrimina, quæ in plantarum, earumque partium motibus obſervantur, tam quoad genera eorum, quàm quoad gradus, aſcenſus, deſcenſus collateralis, rectilinei & ſpiralis motus. Quocircà ſi ii rectè annotentur, quibus plantis conveniant, & in quo horum aliquis analogus ſit ei, qui eſt ex animalibus, de plantâ quoque ut idem præmemoratus Author innuit, judicium & conjecturam communium proprietatum ſubjiciunt.

Motus plantarum.

5. Ad differentias plantarum, earumque proprietates & cauſalitates differentes cognoſcendas non tantùm convenit ſcire generaliter unamquamque plantam intrinſecè differre ab aliâ, ſed & in quo differat; ità ut non tantùm externa figura conſideretur, ſed & interior partium organicarum ſtructura, quidque illud ſit, aut quænam ſint illæ res ac partes, per quas plantæ aut ſpecies plantarum ab aliquâ aut ab omnibus diſtinguantur. Secundùm quas autem partes notabilis differentia obſervatur, juxta easdem virtutem & qualitatem differentem obtinere cenſebitur.

Differentiæ plantarum quomodò cognoſcendæ.

6. Facultas aut virtus propria atque ſpecifica corporis vegetabilis non in uno principiorum ejus ſeorſim reſidet, ſed reſultat ab iis omnibus principiis peculiari quodam modo, ac methodo invicem unitis ac combinatis. Ita Principia partium purgantium in Rhabarbaro, licet ea ſupponeremus exiſtere in terrâ circumdante, dicere tamen nequimus, eam terram aut principia in eâ contenta eſſe purgantia, ſed ejusmodi ſaltem, quatenus combinantur invicem, adeò peculiari modo fieri talia. Unde ope partium organicarum in plantis licet fiat, ut earum contenta evadant peculiaris cujusdam mixturæ; eæ tamen unica cauſa non ſunt diſtinctarum ſemper facultatum, ſed & ab aliis principiis conjunctis enaſcuntur. Ita Perſicus, quæ fructus noxios proferre ſolet in Perſia, in Europæis tamen regionibus plantata minime noxios imo ſalutares & eſui pergratos eosdem proferre ſolet,

Virtus propria plantarum in combinatione plurium conſiſtit.

solet, eoquod etiam manente eâdem partium organicarum structurâ aliud in aliâ terrâ alimentum, vel alterius cujuscunque principii conjunctio applicetur.

Plantarum vires plurimum à terræ & aeris constitutione dependent.

7. Naturæ particulares plantarum à propriorum locorum situ aut aëris constitutione, ubi eæ vel ex seminibus, vel alio propagationis modo sponte proveniunt, simili ratione ac à temporibus suis diriguntur; ita ut quatenus conjecturâ assequimur naturam ejusmodi aëris, soli aut sedis, eatenus quoque de tali plantâ conjicere possimus, quæ iis gaudere solet. Itâ ratione sitûs & loci constitutionis, quia omnes plantæ alimentum ex terrâ potissimùm trahunt, naturam etiam metalli reconditi, suprâ quod crescere solent, assumunt. Quocircà jumenta in Norwegia herba illâ ossifragâ pasta, quod robur perdant in ossibus & debilitatem in iisdem sentiant, adscribit *D. Simon Paulli* Mercurii & plumbi mineris ibidem reconditis. Similiter *Quercetanus lib. 1. defens. Herm. cap. 8.* bene etiam inquit. *Videre est simplicia vehementis evacuationis in montibus potius & saxosis locis, aut inter rupes, ubi nativa sedes est metallicorum spirituum, quàm in pingui & fertili loco luxuriare, quæ ut mitiora & correctiora reddantur, ac silvestrem illam suam naturam exuant, in domesticos hortos traducenda sunt.* Deinde etiam ratione aëris, quia in Ægypto ille solet esse plurimùm tum nebulosus à Nilo flumine, tum roscidus & ordinariè valde humidus; odor autem non in humido, sed in sicco fundatur; ideò floribus ibidem odor adimitur, ac plantæ minimè odoratæ enasci solent. Sic pariter fructus agrestes Urbanis sui generis odoratiores sunt, eoquòd in aëre ficciore proveniant, quod & *Theophrastus 6. de caus. plantar.* annotavit.

8. Licèt universi Geocosmi superficies infinitâ quâdam herbarum, fruticum arborumque multitudine cum incredibili virium diversitate efflorescat; pro ratione tamen Climatis & certi cujusdam interrâ districtûs plantæ quædam ac arbores solùm, aut saltem uberiùs, aut cum validioribus viribus pronasci solent. Sic universa Septentrionis juga abundant Taxo, Thusio, & Celausto: sub Zonâ torrida odorata proveniunt aromata: Arabia balsamum, Thus, Myrrham; Ægyptus Sycomorum, cassiam, colocasiam; Rhodus Aspalathum; Babylonia Quajacum; China Rhabarbarum, aliasque peregrinas plantas, arboresque feliciùs producunt.

Venti conferunt viribus plantarum.

9. Augentur & confirmantur facultates Vegetabilium plurimùm à ventis & aëris perflatu ac commotione, quæ longè aliter proveniunt filente cœlo & in aëre quieto. Quocircà rectè scribit *Dioscorides in præfat. lib. 1. ad Areum. Magni refert, si ea loca, in quibus herbæ prodeunt, clivosa & ventis exposita sint & perflata, frigidaque & aquis carentia, cum his in locis vires earum longè validiores intelligantur, cum ea contra, quæ in campestribus, riguis, & opacis, cœterisque locis à vento silentibus enascantur, plerumque degenerent & minus viribus valeant.* Sic & *Avicenna lib. 2. tr. 1. c. 5. Illæ* inquit, *plantæ quarum collectionis loca sunt ventosa, vel quæ sunt aeri & vento exposita, & sunt versus Orientem Soli expositæ, sunt fortiores aliis.*

sympathia plantarum ad certas mundi plagas.

10. Plantæ, sub quibus semper & arbores comprehenduntur, singulæ singulas sibi convenientes mundi plagas adeò observant, ut à Botanicis rectè in Orientales, Occidentales, Australes & Boreales ideò dividantur. Ita compertum est Quercum, Fagum, Juniperum Boreales partes amare, Meridionalium verò planè impatientes esse. Econtra Pinus, Abies & aliæ complures arbores Meridionalem expetunt, plagam; ubi longè sublimiùs verticem non tantùm extollere, sed & perpetuò virentes suos ramos latiùs diffundere solent.

Halitus noxii è terrâ vires plantarum comotant.

11. Halitus noxii mineralium sub terrâ conditorum plurimùm vegetabilium nativas proprietates commutant ac depravant. Unde ad plantas ac herbas sanitati congruentiores colligendas plurimùm prodest loca nativa contemplari ac discernere, inter ea, quæ mineras noxias & veneñatas sub se continent, & ea, quæ nullam latentis virulentiæ suspicionem movent. Hinc rectè docet *Mesue* polypodium non ex lapidibus & mineralibus locis, sed super arborem natum colligi debere, non alia de causa, nisi quod ea ex prædictis halitibus malignitatem quandam acquirant. Hinc quoque suadet Serpentariam, arum esualem, Mazeron, Squillam, Absynthium, Hermodactilos, colocynthidem, quæ semper aliquid venenosi continent, non in mineralibus locis, aut thermalium aquarum ripis colligendas esse: alioquin enim ob nimiam virulentiam medicinæ non proderunt. Undeloca ab hisce, in quibus crescunt, libera inspicienda, atque ex iis collecta in usum converti debent.

Umbræ arborum quales salutares: quales non

12. Omnium illarum arborum aereâ quâdam naturâ constantium umbræ, ut rectè docet *Kircherus*, humano corpori salutiferæ sunt, & tanto quidem magis, quantò fructus earum homini plus conferunt. Ita salutiferæ censentur Pyri, Pomi, Cydoniæ, Amygdali & omnium aurantiorum citrorum arborum umbræ. Hæ siquidem arbores vapores exspirant vaporibus naturæ, id est, spiritibus valdè consimiles; Unde & iis spiritus æstuans confortatur & humana membra mirificè instaurantur. Idem sentiendum de herbis & floribus aliisque plantarum speciebus: dum enim æstu resolutæ salutiferis suis, vapidisque halitibus umbrosum aërem fœtant, iisdem corpus humanum ibidem commorans mirificè confortare solent, & singula quidem membra eâ qualitate, quâ imbui naturaliter appetunt. Ità in umbra cardiacorum halitus cordi, pulmoniariorum pulmonibus, & pectori; hepaticorum jecinori, aliorum aliis membris in umbroso aëre, vapidoque medio impressis mirificè conferunt. Umbræ verò ècontra arborum graveolentem odorem spirantium capiti comprimis noxiæ, sicut & omnium venenosam qualitatem diffundentium lethiferæ & exitiales reputan-



TA

Cognitionis Herbarum sivè vegetabilium quibu
sivè extern

Herbæ.	*Saturninæ* ♄	*Joviales* ♃	*Martiales* ♂	
Planta. Stirps. Rami. Caules.	Proceræ. Altæ. Prominent & superant ferè omnes. Rami ponderosi, penduli, nec benè proportionati, caules lignosi, ut plurimùm cavi : & fragiles.	Mediocris longitudinis cum pingui crassitie, lævi, humidâ. Rami ad longitudinem tendentes parùm deflectunt.	Duræ, proceræ, linguam adurentes. Asperæ.	Firmic tatis : plenæ
Folia.	Hirsuta, dura, sicca, macra, crassa, aspectui ingrata.	Lævia, æqualia, parùm incisa & acuminata, venosæ costæ non sunt multum eminentes, nec lineæ profundè incisæ. Color ferè cæruleus.	Dura, procera, nonnihil gravia. In cacumine & pendula. Aspera, linguam adurentia, aspectui ingrata.	Succul sa. Pr rescun perluc in ped
Flores.	Adversi, inamœni, atri, virides. Ex pallido candicantes. Lividorubicundi. Undique villosi, spinosi & inconcinni.	Pulchri. Grati. Clari. Succulenti. Transparentes, rubei. Incarnati. Cærulei. Lutei.	Coloris inter flavum & rubrum aut cæruleum. Vel virides. Purpurei & rubicundi. Facilè mutabiles. Copiosis floribus & semine.	Lucei nusti, obliti,
Radices.	Latissimè intrà terram sese expandunt & vago cursu perreptant.	Parvæ mediocriter cum parvis capillamentis ac per terram disseminatæ.	Fibrosæ valdè. Reptiles, infrà terram.	Robus fixæ.
Odor.	Fœtidus. Limosus. Putridus.	Valde subtilis. Cerebro gratus. Confortans glandulas. Fermentum promovens.	Gravis cerebro. Ingens. Acutus. Acris.	Gratu Veher brum
Sapor.	Inconditus. Biliosus. Amaricans, aut urinosus. Fervidus. Adurens. Ructus faciens, nauseosus.	Gratus. Acceptus. Aromaticus. Cor & ventriculum confortans. Lymphæ fermentum promovens.	Amarus. Biliosus. Ingratus. Subtiliter adurens.	Acris lato ar ne os
Loca nativa.	Paludosa. Deserta in antiquis viis, monumentis, templis, montibus saxosis & obscuris vallibus, ad rivos, fontes & paludes.	Ad montium cacumina, ripas fluminum, agros pinguiores, hortos benè cultos. Magis ex semine, quàm radice propullulant.	Loca arida, excelsa. Ventosa. Oderunt præpinguia, humilia, cœnosa, & fimo fœcundata. Ubi sæpè tantum lolium progerminant.	Monta ta. Pir soliqu minim radicib
Interitus	Ab injuriis aeris nimis æstuosi, vel frigidi. Communiter pereunt aut carie exeduntur.	Sensim languescunt & exarescunt à nimio æstu, vel radiis solaribus. Non putrescunt facilè, aut fœdè corrumpuntur.	Citius exarescunt, quàm putrefiunt tàm in foliis, quàm in caulibus.	Frigor Radix quàm
Virtus medicinalis.	Communiter pro interno usu parùm conducunt. Solùm complexioni Saturninæ proficiunt, cæteris venena. Delicatioribus complexionibus tàm internè, quàm externè adhibitæ nocent.	In Hominis corde, cerebro, pulmonibus, hepate, ventriculo nutriens promovent fermentum. Corrodunt succos effervescentes vel putrefacientes. Revocant spiritus animales & calorem nativum.	Usus tàm internus, quàm externus Martialibus magis, quàm aliis conducens. Aliàs glandulosarium partium obstructiones reserant. Internè & externe impertiunt calorem. Mundificant & curant vulnera. Cerebrum gravant.	Solarit rant. sum ac

...LA I.

...Planetis respondentium ex certis signaturis, ...arentiis.

☉	*Venereæ* ♀	*Mercuriales* ☿	*Lunares* ☾
...diocris proceri- ...ramos & caules ...t.	Mediocris altitudinis quoad apices admodùm concinnæ.	Communis proceritatis ad brevitatem tamen vergentis, in incremento valdè sunt mutabiles. Quædam diu durant.	Crassæ & contractæ proceritatis: quoad truncum & apices robustæ, crassæ citò crescunt & tardè maturescunt.
...petiolis nervo- ...eata. Gratè vi- ...m fusco colore ...ent rubedinem	Mollia, tenera, petioli proceri. Color amœnè & gratè virescit cum aliquâ rubedine. Nervi seu lineamenta sunt decentia.	Mediocriter crassa & valida benè nutrita. Crassiora & robustiora. Humida, succulenta cum nervis multis profundis, firmis, subtilibus.	Pallida. Valdè succulenta hyalini coloris cum crassis, robustis altissimis nervis, lævia. Colore subviridia.
...t purpurei, ve- ...s vernice quasi	Pleni. Oculis grati. Candidi, Cærulei. Rosei. Blandientes. Copiosi.	Varii generis. Mixti ex omnibus coloribus. Grati, amœni, Oculis blandientes.	Aqueo-lutei. Pallido-flavi. Aquei. Cærulei. Mellini. Minùs grati ac amœni.
..., altè telluri in- ...amen diffusæ.	Maturè crescentes, nec altè defixæ. Citò & pulchrè prodeuntes.	In terrâ perdurantes, ac longè lateque se diffundentes.	Facilè fundos aquæ terræque penetrantes. Minùs durabiles, sed facilè corruptibiles. Non citò nec latè se diffundentes.
...tus, penetrans. ...culos & cere-	Subtilis. Gratus. Acris. Cerebrum recreans.	Subtilissimus, penetratissimus cor & cerebrum reficiens.	Vilis. Ferè nullus. Aquosus. Minùs confortativus. Tetram, pluvias aut melleam dulcedinem redolens.
...s. Subdulcis. Pa- ...pro refocillatio- ...etrans.	Suavis. Subtilis. Aromaticus. Gratus. Communiter subdulcis & diuturnus.	Multifarius. Acerbus. Subtilis. Subacris. Cor & ventriculum recreans.	Aquosus. Subdulcis aut cum aliquâ amaritie subdulcis. Minimè cor & ventriculum roborans.
...lana. Benè cul- ...olles. Loca aëri ... Sub arboribus ...is semine quàm ...erminant.	Limpida. Pluviis irrigua. In tetrâ tatâ, pingui. Calidâ. Alias quasvis herbas aversantur.	Calida & frigida at sicca, maximè arenosa, sabulosa. Per semenè caplulis exemptam magìs progerminant.	Umbrosa. Humilia. Pinguia. Benè culta. Non patiuntur propè Solares aut Venereas herbas.
...tur & pereunt. ...languescit priùs, ...ta.	Diu durant antequàm corrumpuntur. Exarescunt magis & decidunt, dùm æstum vel ariditatem ferre nequeunt.	Diversimodè læduntur, injuriantur & pereunt.	Facilè corrumpuntur à frigore. Modico tamen solis calore aut fundi terræ fuliginosi revirescere solent.
...ecipuè cor robo- ...ugent vitale. Vi- ...firmant.	Venereis efficacissimè & præsentaneè prosunt. Saturninæ & martiali complexioni minimè.	Gaudent sulphure volatili calefaciente; undè internè sanguinem attenuant. Tàm internè quàm externè laudantur & commendantur.	Humectant. Dissolvunt. Lunaticis autem cerebrum & hepar reficiunt. Aliis calidioribus complexionibus salinos & acidos humores dissolvunt. Item æstuosas partes refrigerant. Cæteris complexionibus nec in victu, nec medicinâ facilè prosunt.

reputantur. Ità verè *Kircherus*. Regula insuper apud *Plinium* est. Omnis arbor, cujus folia adeò sunt densa, ut umbram opacam reddant; umbra noxia est, ut Juglandis, pineæ & piceæ: etsi aqua non pervia est, ut etiam in his stilla insalubris. Ità refert *Cardanus de venenis. lib. 1. cap. 16.*

Cura qualitatis nocivæ ex umbrâ.

13. Herbarum, quæ sub umbrâ alicujus arboris proveniunt, nociva qualitas pellitur ac dissipatur alterius herbæ antidotæ umbrâ. Ità Idem. Sicut enim se habet vis herbæ unius sumptæ ad vim alterius, quam profligat, ità & vapor seu halitus unius alterius vapore, utpote eidem contrario & antipathico profligatur.

Herbæ venenatæ.

14. In Vegetabilium Regno inter potentissima venena recensentur *Napellus, Euphorbium, Cicuta, Aconitum, Tithymallus, Lathyris, seu Cataputia, scammonea, colocynthis, Helleborus, cucumis asininus, Rhododendrum, Apium risus, Thapsia, Stramonium, Solanum maniacum, Mandragora, psyllium*, ac plurima fungorum genera. Quædam tamen per totum, sivè in totâ substantiâ, quædam secundùm partes tantùm deleteria censentur. In totâ substantiâ reputantur venenata, velut *Napellus, Aconitum, Lycoctonum, aliàs Luparia, cicuta, hyoscyamus, Tithymallorum genera, cataputia, omnes Solanorum species. Apium risus, Mandragora, Veratrum* & ex arboribus *Taxus*. In semine inter venena censetur *semen coriandri, Nigellæ, psyllis*: In succo velut *Carpasi, Thophæ, Colocynthidis & Colchici*: radices venenatæ habentur Chamæleontis, *Aconiti pardalianchis* &c.

Odor potissimùm in floribus.

15. Cùm, quæcunque gratum odorem diffundere solent, humidum benè concoctum & probè nonnihil exsiccatum habere conveniat, tale autem sit tenuissimum, ut ait *Cardanus de variet. lib. 6. cap. 21.* Quocircà in Vegetabilibus flores omnes præprimis benè olere solent, quoniam tenuissimus iis inest humor, ac admodùm exiguus, qui idcircò facilè concoquitur. Quæcunque autem benè olent ex herbis, odorem nisi in radicibus, ob tenuitatem diu retinere nequeunt. ut *Idem ibidem* asserit.

Herbæ quales odoratiores.

16. Ubi in Vegetabili flores sunt plures aut largiores, & in quos particulæ magis odoratæ copiosius sunt absorptæ; folia viridia parùm vel nihil odoris habent, velut *in rosis, cariophyllis, flore africano, Tulipis* &c. Econtra ubi flores sunt nulli vel minores, folia quoque ipsa viridia odorem præbent fortem; ut folia *Absynthii, Tanaceti, Melissæ, Menthæ, Rutæ, Geranii moschati, Angelicæ*, aliorumque.

Plantæ, quæ certis planetis substant, quibus conveniant.

17. Cum nulla res sit in Geocosmo, sivè Mundo inferiore, quæ cum aliquo cœlesti corpore non habeat consensum, & ab alio dissensum; idcircò omnis herba vel planta, quæ cum cœlesti aliquo corpore planetario cognationem habet, & ad illius motum movetur, aut eidem quovis modo subjicitur, confert illis hominibus & eorundem humoribus ac membris eidem corpori cœlesti subjectis ac sympathiam ad illud habentibus: dissimilaribus autem & eidem corpori cœlesti inimico substantibus nocet, aut saltem non prodest. Sic Lunares herbæ Lunaris complexionis hominibus, item cerebro ac pituitæ, morbisque à Lunæ influxu exortis conferunt; Solares solaribus complexionibus, Joviales Jovialibus &c. Econtrà autem herbæ, quæ substant planetæ, qui inimicus est ei, sub quo homo aliquis aut humor vel membrum humanum continetur, etiam nocivæ sunt, vel saltem non proficuæ ei homini & illi humori vel membro, qui alteri illi planetæ subest. Undè

Plantæ inter se congnatæ, sicut planetæ quibus subsunt.

18. Herbæ & plantæ eundem habent inter se consensum & dissensum, sicut earum corpora planetaria in superiori mundo invicem habent, quibus subjiciuntur. Ita quià Lunæ amici sunt planetæ ♄ ♃ ♀, etiam eorundem herbæ, quæ iis subsunt, erunt herbis lunaribus amicæ, adeoque iisdem conjunctæ virtutem Lunarium herbarum promovebunt, ac magis efficacem reddent. Econtrà sicut inimici Lunæ sunt ♂ & ☿, etiam herbæ iisdem subjectæ erunt Lunaribus inimicæ, adeoque virtutem Lunarem retundent & retardabunt, dum iisdem conjunctæ fuerint. Quomodo autem herbæ aut plantæ cognosci queant, quæ singulis subsunt, planetis, ex Tabulâ adjectâ facilè addisci potest; siquis etiam in specie herbas quasvis planetarias requirat, is inspiciat *Microscopium physiognomiæ Joan. Friderici Helvetii*, ubi nomina singularum ordine alphabetico distributa facilè perspiciet. Addere tamen his adhuc libuit tabulam aliam phytologicam Affectuum morbosorum, & congruorum remediorum, ut indè perfacilè videri possint Affectus & quænam vegetabilia in specie iisdem conveniant, undè multa utiliter addisci poterunt.

Tabula I.

TABULA II. PHYTOLOGICA,

Ordine Alphabetico Affectus, eorumque Remedia è plantarum & Vegetabilium Regno compendiosè exhibens.

Affectus.	Remedia ex Vegetabilibus.
Abortus.	Semen plantaginis, *Radix* Bistortæ, Coccus ilicis, Opobalsamum, Sanguisorba.
Abstergentia, seu extergentia.	*Rad.* Ari, Aristolochiæ, Bryoniæ. Cucum, Gentian. Gramin. Rubiæ, Scyllæ, *Fol.* Abrotan. Absynth. Agrimon. Mercurial. Nasturtii, Parietariæ, Persicariæ, Sabinæ, Saponariæ; Gummi & Lachrymæ variæ, Ambaiba.
Adstringentia.	*Rad.* Acori adult. Bistortæ, consolidæ majoris, Filipendulæ vulg. Geranii cujuscunque. Pentaphylli, Fol. Alchimillæ, Argentinæ, Bursæ past. Chamæcisti vulgar. Equiseti, Fragariæ, Gellii, Geranii, Glasti, Gnaphalii, Hernicariæ; Quercus cortex, & folia. Pilosellæ; Pimpinellæ, Plantaginis, Polygoni, Saniculæ. Sophiæ chirurgorum. Telephii. Trachelii, Virgæ aureæ; Ulmariæ; Ulmi cortex, & folia, quin & radices quoque in nonnullis harum plantarum non minus efficaces sunt in astringendo, quàm folia; fructus, & semina. Berberis sive oxyacanthæ, Castaneæ nucis membrana interior, Glandium Calices, Limonii semen, Pruna sylvestria, Pyra sylv. Mora rubi immatura, Sorba, Cerasa acida. *Item:* Cotinus, Tamariscus, Macer, Cocal, Gummi arabicum, Mastiche, sanguis Draconis, Thus, Balaustia, Rhabarbarum tostum; Myrtus, Sumach, Gallæ, Acacia, Cistus, Chamæcistus, Hypocistis, Gramen tomentosum, Palma dactylifera; Katon-indal, Ambaiba, Fagus, Angelica, Ilex, Suber, Cupressus, Cort. salicis, Morus, Cydonia, Guagava, Mespilus, Rosa; Lotus arbor, Grossularia, Ribes, Vaccina nigra, Cassia Poëtica, Nux moschata, Oenoplia, Cornus mas, Acaja, Guiti-iba, Therebinthus, Lentiscus, Phyllyrea, Viburnum, Lycium, Cajou, Tiliæ fructus, Coru.
Alexipharmaca.	Omnia cardiaca, & diaphoretica. *Rad.* Allii, Angelicæ, Bistortæ, Carlinæ, Eringii, Helenii, pimpinellæ vulgaris & saxifragæ, succisæ, Tormentillæ; *Fol.* Absynthy Centaurii minor. Pimpinellæ vulg. Quinquefolii vulg. Scabiosæ, Scordii, Veronicæ, ulmariæ, Flores centaurii min. Croci, Ericæ, Hyperici, Nymphææ, Violæ, Fructus & semina Acetosæ, Hyperici, Herbæ paridis, Nux juglans, Juniperi, sambuci buccæ. His accensent alii Argemonem, Boni Henrici succum, Cardiacam, Cruciatam, Cyanum minorem, Helleborinem, irionis semen, Mentastrum, Personatæ succum cum vino haustum, Rapi semen, Sparganii & Valerianæ minoris radices. Carduus benedictus, Imperatoria, Galega, Acorus, Ninzin, Contragerva, Serpentaria virginia, Zedoària, Coccus de maldivia.
Alopecia.	Abrotanum; Capillus Veneris, Verbena, Ladanum, Cepa.
Ambusta.	Filicis mucilago, Hyoscyamus, Populi albæ cortex, Sambuci cortex interior, Sedi minoris Succus, solanum vulgare, Telephium, Tiliæ folia, *item* Lilium album, Rosa, Nymphæa, Verbascum, Linum, Camphora, Canabis, Stramonium:
Angina.	Emollientia, Anodyna, & detergentia, Fragaria: Fungus sambucinus: Prunella, Ribes nigrum, Papaver, Rhæas, Scabiosa, Sedum majus, Succisa. Trachelium.
Anodyna.	Althææ radices, Chamæmeli flores, Crocus, Cynoglossa, Malvæ radices & folia, Meliloti flores, Sambuci *fol.* Verbasci flores, Violariæ *fol.* Telephium. *item.* Leucojum luteum, Papaver, Primula veris, Lilium album, Triticum, Secale, Hordeum, Nymphæ, Acool Rosæ sylv. Liquidambar.
Aperientia.	Attenuuntia & incidentia. Ruscus, Apium, Petroselinum, Asparagus, Cappares; Rubia; Capillus veneris; Ceterach, Fumaria, Cochlearja, Genista, Centaur. Min. Chamæmelum; Daucus, Sinapi, Juniperus; Laurus, Aloe. Ammoniacum; Myrrha, Opoponax, Sagapenum, Curçuma, Gramen caninum, Lacca.
Apoplexia.	Cerasa dulcia, Crocus, Eruca, Leucojum luteum, Lilium convallium, Pæoniæ semen, Primula veris, aqua florum Tiliæ, Viscus, Salvia, Rosmarinus, & cephalica omnia, Sinapi, Coccus illicis.
	Rapum, rubus, Geniput, Salvia.
Aphthæ. Arthritis.	Barbarea, Brassica, Bryonia nigra, Caryophyllata, Centaurium min. Oleum è nucleis Cerasorum, Chamædrys, Chamæpitys, Consolida major, Ebulus, Erica, Genistæ semen, Geranium, Helenii *rad.* Hyoscyamus, Hypericum, Lens palustris, Pentaphylli *rad.* Primula veris. Rhamnus Catharticus, Scabiosa, Sambucus, Sedum majus, Ulmus. *item* Solanum Halicacabum, Betonica, Acacia, Trifol. palustr. Thè.
Asthma.	Bellis major, Crocus, Erysimum, Lichea arborum, Marrubium album, Origanũ, Periclymenum, Petasites, Pimpinella saxifraga, Saponaria, Scabiosa, Sonchus, Urticæ *sem.* & quæcunque inter pnevmonica recensentur *item* Balsam. Peru.

Hyssopus,

Aurium affectus.	Hyſſopus, Porrum, Roſa.
Calculus.	Vide infrà *Lithontriptica.*
Cancer.	Detergentia, Anodyna & Siccantia. Deinde Eryſimum, Solanum, Carduus benedictus. Vide etiam *Ulcera.*
Cardiaca.	*Rad.* Biſtortæ, Carlinæ, Caryophyllatæ, Helenii, Petaſitidis. *Fol.* Acetoſellæ, Agrimoniæ, Calaminthæ Montanæ, Cardiacæ, Pimpinellæ ſanguiſorbæ. *Flor.* Cordiales 4. dicti Boraginis, Bugloſſi, Roſarum, Violarum, Leucoii lutei, lilii convallium, Ulmaria; & præter hæc Alexipharmaca pleraque.
Cardialgia.	Cardiaca ut ſupra.
Catharrus ferin'.	Vide *Tuſſis convulſiva.*
Catharrus.	Anodyna & adſtringentia. Eryſimum, Fragaria. *Item* Hyoſcyamus, Papaver, Nicotiana.
Cauſtica.	Ranuculi plerique, Ros ſolis, Tithymali omnes, Sinapi, *item* Laureola, Mezereon, Ahovai, Anacardium, Euphorbium, Apocynum, Manchinello, Hordeum Cauſticum.
Cephalagia.	Peucedanum, Serpyllum, Solanum vulg. externè adhibitum. Succus Verbenæ depuratus. Hederæ terreſtris ſuccus, Coffe & *Hypnotica.*
Cephalica.	Lilium Convall. Betonica, Pæonia, Salvia, Roſmarinus. Opobalſamum, Majorana, Verbena, Theè, CoffèTilia, Lavendula, Meliſſa, Origanum, Primula veris, Adianthum verum, Fumaria Split dicta, Caryophyllus, Cyperus, Ninzin, Ceraſa nigra.
Cholera morbus.	Anodyna, Aſtringentia, Hypnotica. Vaccinia. Ligna Colubrina.
Colicus dolor.	Anodyna & Hypnotica. Agrifolii baccæ, Folia aculei. Cerefolium, Chamæmelum, Daucus, Ericæ flores, Filipendula, Geranium, Pimpinella ſaxifraga, Veronica. *Item* Buxus, Hedera terreſt. Eryſimum.
Convulſivi mot'.	Cephalica, Hyplnotica, & Antiſpasmodica. Chamæmelum, Ceraſa nigra, Helenii *rad.* Lilium convall. Phyllitiſ. Item Balſamum Peru, Ebenum.
Coſmetica.	Argentinæ aqua ſtill. Arum, Dipſaci aqua, Florum Fabæ, & Frugariæ aqua deſtill. Radix polygonati, Primulæ floris, Solanum lethale. *item.* Triticum, Seſamum, Betula, Sabina, Ulmus, Amygdalus. Ag. Limonum, Camphora.
Dentium dolor.	Vide Odontalgia.
Diaphoretica ſive Sudorifera.	Buxi ligni decoct. & extract. Chamædrys, Chamæmeli decoct. aqu. Chelidonii maj. decoct. Extract. cicutæ rad. Crocus & ejus extract. Ebulus, Fraxini Cortex & lignum. Fumaria, Juniperi ligni decoct. & extract. Laureolæ decoct. Lupuli radicis decoct. Milii decoct. Petaſitidis rad. Pimpinellæ aqua. Polygoni ex vino decoct. Sambuaci baccæ. Saponaria, Tormentillæ *rad.* Veronica. Ulmaria. *It.* Angelica, Carduus benedic. China, Contrajierva, Suſaparilla, Zedoaria, Scordium, Scorzonera, Calendula, Gujacum, Saſſafras, Camphora, Alexipharmaca omnia.
Diarrhæa.	Berberis, Farina Fabarum, Lens, Muſcus, Oxilapathi ſem. Phyllitis, plantago, Polygonum, Sorbus, Virga aurea, Ulmaria, & reliqua ferè adſtringentia. *item* Tormentilla, Nil, Pimpinella ſpinoſa, Coffeè, Macer, Papaver.
Digerentia.	Ocymum, Majorana, Ruta murar. Chamæmelum, Crocus, Lilium album, Bardana, Scrophularia, Napus, Bdellium, Tacamahac, Amoniacum, Elemi, Opoponax, Pix.
Diſcutientia.	Rad. Althaæ, Curcumæ, Iridis, Scyllæ. Fol. Chamæmeli, Meliloti, Verbaſci. Flores Sambuci, Croci. Sem. Cumini, Fænugræ. Lini, Lupin. Gummi Ammoniac. Copal. Opoponax, Sagapenum, Tacamahaca, Galbanum, Myrrha, Bdellium.
Diuretica.	Abſynthium, Acorus. Adianthum. Agrifolii ſummitates. Anonis, Apium, Aquilegia, Aſparagus, Barbarra, Bethonica, Bryonia nigra, Calamintha, Cardui quicunq;, Cerefolium, Chamædrys. Chamæmeli flores, Cichorium, Crocus, Daucus, Eryngii cujuscunque radix. Eryſimum, Eupatorium *Avicennæ*, Aqua florũ Fabæ, Filipendula, Fœniculæ *rad.* & *ſem.* Fraxini lignum & *ſem.* Geniſtæ flores, Juniperi baccæ, Linaria, ſemen Lithoſpermi, Hedera terreſtr. Hypericum, Kali, Lupulus, Meum, Naſturt. aquat. percepier, Periclymenum, Perſicaria ſiliquoſa, Peucedanum, Pulegium, Plantaginis ſuccus, Raphanus ruſticanus, Rubia, Ruscus, Salvia agreſtis, Saxifragia alba, & Pratenſis, Siſon, Sium, Solani halicacabi baccæ, Tiliæ Cortex, & folia, Valeriana, Urticæ *ſem.* & racemuli.
Dyſenteria.	Berberis, Clematis Daphnoides, Cynogloſſum, Lamium rubrum, Lens, unguentum de Lunaria, Muſcus, Piloſella, Plantago, Polygonum, Sophia Chirurgorum, Tiliæ baccarum pulvis, Verbena, Virga aurea, & pleraque adſtringentia. Item papaver, Filipendula, Ciſtus, Nymphæa, Faba Ægyptica, uva quercina.
Dyſuria.	Daucus, Cineres ſpongiolæ Roſæ caninæ, Syrupus mororum Rubi vulgaris, Malva, Hordeum.
Emetica.	Aſarum, Artriplicis *radix & ſem.* Betonicæ *rad.* Digitalis flores, Ebuli radices, Eunonymi baccæ, Eupatorii Cannab. Radices. Geniſtæ *ſem.* Hederæ baccæ, Juli & cortex interior Juglandis. Laureola, Narciſſi bulbus, Polygonati baccæ, Sambuei aquat. Baccæ. Sedi minimi ſuccus, ſemcionis herba, Spergulæ ſemen. *item* Nicotiana, Gutta Gemon, Helleborus albus, Cicuta aquat. Scylla, Cataputia,

	putia, Cyclamen, Ricinus, Nux vomica, Asarum, Anagyris fœtida, Glans unguentaria.
Emollientia.	Alcea, Althæa, Atriplex, Beta, Chamæmelum, Lapathum, Malva, Mercurialis, Parietaria, Violaria. Allium, Lilium album, Melilotus, Verbascum, Gummi & lachrymæ variæ, Bdellium.
Epilepsia.	Cerasa dulcia, Digitalis, Filipendula, Lilium convallium, Pæoniæ *rad.* & *sem.* Sinapi, Succisa. Aqua florum Tiliæ, Valerianæ radices, Viscus. *Item* Muscus clavatus, & omnia Cephalica, Bryonia alba, Helleborus, Pastinaca sylv. Buglossum, Horminum, Ruta, Galega; Ninzin.
Erysipelas.	Lens palustris, mali sylv. succus, Malva præcipuè hortensis, Solanum vulgare, Tussilago. Umbilicus Veneris. Item Sedum majus, Pomum Amoris, Malva Rosea, Secale, Stramonium, Parate, Sambucus, Camphora.
Febris & ardor Febrilis.	Acetosa, Argentina externè, Cerasa acida, Cichoreum, Dens Leonis, Geranium, Lichen, Lujula, Papaver, Rhœas, Portulaca, Rosæ caninæ fructus, mora Rubi idæi, Vaccinia, Violaria.
Tertiana.	Alsine *in Epithem.* Caryophyllata, Centaurium minus, Hypericum, Pentaphyllum, Sinapi *in Epid.* ad carpos, Verbena.
Quartana.	Cicuta, Hypericum, Linaria vulg. Oxyacanthini visci pulvis vino albo infusus, Pentaphyllum, Rapum, Sambuci baccæ, Sedi minoris succus.
Quotidiana.	Lupulus *in Epidem.*
Febres continuæ.	Endivia, Lactuca, Berberis, Cynoglossa, Nymphæa, Tamarinthus, Aurantia, Limones, Myrtilli, Ribes, Sorbus, Sempervivum, Citria mala.
Febres intermittentes.	Myxa pyriformis, Ligna colubrina, Fraxinus, Contreyerva, Serpentaria virginiana, Piper, Cortex peruvianus, Chamæmelum, Chamædrys; Gentiana, Sinapi, Adianthum verum, Bardana maj. Absynthiũ, Imperatoria, Fœniculum, Prunella.
Flactus.	Cari semen, Mei semen, Fœniculi sem. Ari siccat. radices. Tanacetum. *Item* Aurantia, Cardamomum, Caryophylli, Cubeb. Macis, Nux Moschat. Acorus, Galanga, Zinziber, Anethum, Chamæmel, Cuminum, Carum, Zedoaria, Anisum, Piper Jamaycense, Bac. Lauri.
Fonticuli, seu Fontanellæ.	Hedera, Saponaria.
Fracturas ossium consolidantia.	Consolidæ majoris & Polygonati radices. Ruscus. *Item* Gummi varii & vulneraria.
Gangræna.	Absynthium, Alliaria, Camphora.
Gargarismis idonea.	Folia Aquilegiæ, Periclymeni, Aqua Fragorum.
Gonorrhœa.	Cichoreum, Cynoglossum, Dens Leonis, Lichen, Millefolium vulg. Nymphæa, Plantago, Polygonum. *Item* Resinæ, Gummi, & omnia consolidantia. Aparine, Bursa pastoris, Abies, Opobalsamum, Santala.
Hæmoptysis.	Argentina, Asplenium, Bardana major, Pes Cati, Plantaginis succus, Urticæ succus, & eorundem aqua stillat. Vinca pervinca.
Hæmorrhagia.	Bistorta, Clematis Daphnoides, Gallium luteum, Geranium sanguineum, Glastum, Gnaphalium, Millefolium, Pentaphyllum vulg. Ros Solis, Salix, Pulvis baccarum Tiliæ, Urticæ & in genere omnia adstringentia.
Hæmorrhoides.	Chamædrys, Chelidonium minus, Cynoglossa, Fungus Betulæ, Fungus pulverulentus, Galeopsis succus, Filipendula, Linaria, Scrophulariæ *rad.* Serratula, Sideritis, Verbascum, Vinca pervinca, Genista, Becabunga, Anonis, Cacao.
Hepatica.	Absynthium, Acetosella, Agrimonia, Asperula, Betonica, Centaurii Minoris flores, Cichorium, Fragaria, Fumaria, Lichen, Mentha.
Hernia.	Alchimillæ exsiccatæ pulvis, Consolida major, Cruciata, Dentaria, Filix præcipuè florida, Geranium Columbinum, Herniaria, Lens palustris, Lunaria, Nummularia, Perfoliata, Polygonatum, Serratula, Telephium, Valeriana major. Anonis & omnia adstringentia. Adianthum album.
Herpes.	Chelidonium majus, Gummi Cerasi, & pruni sylvest. Erica. Pilosella.
Hydrops.	Absynthium, Alnus nigra, Ebulus, Genistæ semen & summitates, Kali, Linaria, Polypodium, Pulegium, Ranunculus hederaceus, Rhamnus Catharticus, Solanum lignosum, Soldanella. *Item.* Bryonia alba, Ruscus, Nasturtium, Sambucus, Gujacum, semen Fraxini, Asclepias, Trifol. Palustr. Iris, Betula, Cynosbatos.
Hypnotica.	Narcotica omnia, unguentum Populeum, Primulæ maj. flores & conserva eorundem.
Hypochondriaci affectus.	Orobanche, Hellebor. Polypod. Agrimon. Centaur. min. *Cort.* Aurantior, Ammoniac. Galban. Cerasa acida, *Cort.* Mali citri.
Hysterici affectus.	Atriplex olida, Daucus, Meum, Parthenium, Pastinaca sativa tenuifolia, Peucedanum, Phyllitis, Sphondylium, Xyridis *rad.* *Item.* Crocus, Asafœtida, Galbanum, Bryonia alba, Matricaria, Ballote, Cardiaca, Ruta.
Icterus.	Apium, Aquilegia, Asparagi *rad.* Asperula, Berberis cortex interior, Centaurium minus, Chamædrys, Chelidonium majus & minus, Crocus, Cyani flores, Eryngium,

	gium, Eupathorium *Avicennæ*, Fragaria, Fraxini femen, Fumaria, Geniftæ *fem.* Hedera terreftr. Hypericum, Lens paluftris, Lichen, Linaria, Marrubium album, Mercurialis *fem.* Origanum, Oxylapathi *rad.* Pulegium, Rufci radices, Solani veficarii Baccæ, folani lignofi feu Dulcamaræ *lign.* & *folia*, Thalictrum, Verbena, Urtica. Radices Curcumæ, Rubiæ. *fem.* Cannabin. Nil, Mufcus Quercinus, Aquilegia.
Incraffantia.	Lactuca, Symphytum maj. Cynogloffa, Papaver, Plantago, Solanum, Nymphæa, Viola, Gummi Arabicum, Sarcocolla, Tragacantha.
Ifchiadicus dolor.	Artemifia, Afparagi *rad.* Centaurium min. Confolida maj. Helenium, Jacobæa, Populus alba, Thlaspi, Ulmi cortex, & quæcunque præterea Arthritidi conducunt. *Rad.* Bryoniæ albæ. Fœnum Græcum, Oleum Laurinum.
Letharg°.	Sternutatoria & Cephalica, Sinapi, Nafturtium hortenfe.
Lienteria.	Farina fabarum.
Lithontiptica.	*Rad.* Acetofæ, Acori, Cardui fullonum, Caryophyllatæ fylv, Eryngii, Helenii, Filipendulæ vulg. Filicis, Peucedani, Pimpinellæ faxifragæ, Urticæ, Folia Altheæ, ut & radix & femen Anonidis, Aparines aqua deftill. Argentina, Afparagus, Avellanæ fylv. cortex. Raphani ruftici *rad.* Rubi, Tragopogi. Becabungæ, Betonicæ, Brafficæ, Cardui ftellati, Cerefolii, Chamædryos, Chamæpityos Nafturtii aquat. Parietariæ, Parthenii, Percepier, Perficariæ, Pilofellæ, Pulegii, Quercus, Salicis, Saxifragæ albæ & pratenfis, Sifymbrii, Sium, aqua Tanaceti, Thalictri, Veronicæ, Virgæ paft. Virgæ aureæ, Capillares herbæ. *Flores* Chamæmeli, Confolidæ regalis, Ericæ, Geniftæ ut & fummitates. *Fructus* & *fem.* Bardonæ maj. & min. Dauci, Irionsi, Juniperi, Lithofpermi, Oxyacanthi, Peucedani, Rofæ fylveft. Solani haliacacabi, Violæ purpureæ; quibus adde Gummi Cerafi, nucleos & Oleum è nucleis ceraforum, & graminis radices. *Sem.* Sophiæ Chirurgorum, Refina, Terebinth. Aperientia, & Anodyna. Hedera terreftris, Fragaria, Ruta, Cicer fativ. Nil, Phalaris, Lachryma Jobi, Avena, Gramen caninum, Gramen crucis, Perficaria filiquofa, Anana, Pinus, Betula, Mefpili officula, Nuclei Armeniaci, Thee, Limon. Batfama indica, Lignum Nephriticum, Cubebæ.
Lues venerea.	Lignum Buxi, Saponaria, Scorodonia, Succifa, Gujacum, China, Sarfaparilla, Santala, Smilax afpera, Bardana major, Saffafras, Tamarifcus.
Lumbrici inteftinorum.	Abfynthium, Allium, Cannabis fem. aut foliorum fuccus. Centaurium min. Corallina, Filicis fœm. radix, Gramen Caninum, Helleborafter maj. Hypericon, Juniperus Alpina, Marrubium album, Parthenium, Sabina in hoc genere excellit, Senecionis fuccus aut decoct. fcordium. Tanacetum, Vifcus, His adde Enulæ recentis fuccum, Petafitidis radicem, Rutam Caprariam, Ageratum Vulg. Cepam, Aloëm, Feftucam Avenaceam, *Folia* & *Flor.* Mali Perfici, Aurantiorum, Cordi feu Myrt. Brabant. Ligna Colubrina, Agallochum.
Mania.	Tinctura Florum Hyperici, Agrimonia, Fumaria, Meliffa, Anagallis mas, Hellebor. Idou-moulli.
Melancholia.	Fumaria, Pimpinella.
Mictus involuntari°.	Confolidantia omnia, & adftringentia. Agrimoniæ exficcatæ Pulvis, Plantago.
Morfus venenatus.	Ligna Colubrina, Lychnis fylv. Flore mufcofo, Opobalfamum, Serpentaria Virginiana, Ruta, Allium. Alexipharmaca. *Rad.* Granadillæ feu *Flor.* Paffion. Phyllon Marificum, Scorzonera, Pimpinella Vulg. Calamintha, Ballote, Pulfatilla, Anagallis mas, Malum Citrium, Caniram, Laurus, Platanus, Rofa.
Narcotica.	Croci flores, Cynogloffum, Hyofcyamus, Lactuca fylv. Lolium, Papaver, Napellus & alia Aconita. Stramonium, Nuces Mofchat. recent. Odallam, Cocculus indus, Nux Vomica.
Odontalgia.	Argentina, Chelidonium minus, Clematis Daphnoides, *Lepidii* radices, Primula veris, Ptarmica. Anodyna & Narcotica: Nicotiana, Quercus, Morus.
Ophtalmica.	Caryophillata, Chelidonium Majus, Lichorei, & Cyani Flores, Dypfaci Aqua, Enula Campana, Erica, Euphrafia, Fumaria, Fœniculum, Horminum, Holofteum, Linaria, Lyfimachia Spicata, Pomorum Agreftium fuccus, Salicis Lachrima, Valeriana. Acacia, Anagallis mas, Ulmus, Camphora, Arbor triftis, Ebenum, Sarcocolla.
Oris & gingivarum vitia.	Areca feu faufel, Cochlearia, Maftiche, Herba Britannica, Fagus, Hondir-Aloæ, Mefpilus, Balauftia, Caryophyllata indica, Nux Mofchata, Malabathrum, Rhus, Agallochum.
Paralyfis.	Cephalica omnia. Cerafa dulcia, Ericæ Flores, Leucojum Luteum, Lilium Convallium, Primula Veris, Sinapi, Vifcus.
Paronychia.	Paronychia vulga. Telephium.
Partus difficilis.	Dictamnus, Caltha, Crocus, Galbanum, Myrrha.
Pediculi	Cocculus Indus, Staphis agria.
Peftis.*	Alexipharmaca. Anagallis mas, Arum, Hederæ Baccæ, Herbæ paris, Juniperi Baccæ,

	Baccæ, Petasites, Ranunculus Bulbosus, Scordium, Scorodonia, Thalictrum. Galega, Nicotiana, Ruta, Juniperi Baccæ, Opobalsamum. Myrrha.
Phthisis.	Bellis major, Consolida major, Crocus, DensLeonis, Glycyrrhiza, Helenium, Linum, Tussilago, Betulæ succus, & reliqua Pnevmonica. Chelidon. maj. Hedera terrestris, Muscus Pulmonarius, Papaver, Resinæ, Balsama, Equisetum, Carduus Fullonum, Pulmonaria maculosa, Anagallis mas, Linum, Xylon, Arum, Acanthus sativus, Palma coccifera angulosa, Rosa, Alcool Cynosbati, Cacao, Balsama Indica.
Pleuritis.	Glycyrrhiza, Aqua Florum pruni, Fraxini *sem.* Linum, Papaver, Rhæas, Scabiosa, Tragopogi *rad.* Violaria, Viscus, Urtica & pleraque Pneumonica, Hordeum pleraque Anodyna.
Pnevmonica.	Adianthum album & aureum, Althæa, Arthemisia, Arum, Calamintha, Crocus, Filipendula, Glycyrrhiza, Hedera terrestris, Helenium, Lichen arborum, Marrubium album, Pes Cati, Peucedanum, Pimpinella Saxifraga, Pulegium, Pulmonaria, Scabiosa, Tussilago, Verbascum album, Veronica, Trichomanes, Urticæ semen. Allium, Ficus, Amygdalus, Jujuba, Sebesten, Perin-Nirouri, Terebinthus, Baccæ Lauri, Opobalsanium.
Purgantia.	Alnus nigra seu frangula, Asarum, Bryonia alba, Cuscuta, Digitalis, Dulcamara, Esula, Eunonymus *Theophrasti*, Eupatorium *Avicennæ*, Genistæ semen, & Summitates, Juglandes immaturæ Saccharo conditæ, Oxiacanthæ Cortex Medianus, Pinguicula, Polygalon, Polygonati Baccæ, Polypodium, Rhamni Cathartici Baccæ, Sambuci & ebuli semen, Cortex & Succus, Soldanella, Sorbi sylvest. seu Aucupariæ Baccæ, Thalictrum, Valerianæ radices, Xyridis radices, Kali, Laureola, Linum Catharticum, Tithymali omnes, & siquæ prætereà inter Emetica recensentur. Alypum sive herba terribilis, Agaricum, Aloes, Cassia, Hederæ Baccæ, Psyllium, Colocynthis, Elaterium, Jalapium, Manna, Mechoacanna, Helleborus albus & niger, Scammonium, Senna, Tamarin. Gutta Gemou, Euphorbium, Hermodactyli, Gratiola, Ricinus, Rhabarbarum, Eupatorium Cannabium, Cnicus, Valeriana maj. Thapsia, Thymelæa, Siliqua edulis, Colutea Vesicaria, Sagapenũ, Amoniacũ.
Rachitis.	Aperientia, Chamædrys spuria, Filix præcipuè mas, & florida Ruta muraria, Trichomanes.
Repellentia.	Rosa rubra, Plantago, Portulaca, Quercus, Balaustia, Berberis, Gallæ, Bistorta, Tormentilla, Mespilus, Prunus sylv. Sorbus, Sumach, & adstringentia ferè omnia, Gummi Arabicum, Sanguis Draconis.
Resolventia	Dulcamara, Tacamahaca, Liquidambar. Vide etiã Attenuantia & emollientia.
Sanguinem Purgantia.	Fumaria, Nasturtium Aquaticum, Urticæ turiones.
Scabies.	Lapathi *rad.* & aqua stillat. Chamædrys, Conyza, Fumaria, Lichen, Origanum, Scabiosa, Scrophularia, Veronica, *item* Aristolochia, Enula Campana, Nicotiana, Camphora, Nasturtium Indicum, Pix, Cedrus, Larix, Juniperus, Sabina, Alnus nig. Baccif.
Scorbutus.	Abies, Aceris Lachryma, Becabunga, Betulæ lachryma, Radicis Ari siccatæ, Centaurium minus, Chamæmorus, Chelidonium minus, Cochlearia, Fumaria, Nasturtium Aquaticum, Nummularia, Oxylapathi radix, Raphanus rusticanus, Pisa viridia rapa cruda & cocta, mora rubi vulgaris & *Idæi*, Scorodonia, Sorbus sylv. Soldanella. *Item.* Cortex Winteran. Trifolium palustre, Vaccinia nigra, malum Aurantium, Vermicularis, Cynosbatos, Sinapis, Resinæ Pini, Aquilegia, Adianthum album, Herba Britannica, Acetosa, Carduus Benedictus, Brassica.
Scrophulæ.	Aparine, Bardana minor, Bellidis minoris radices, Chamædrys Clematis Daphnoides, Cynoglossæ radices, Digitalis, Genista, Lamium album, malus sylv. Paronychia foliis rutaceis, Perfoliata, Scrophularia, umbilicus Veneris, Xyridis *rad.* Bryonia alba, Chamæmelum, Marrubium album, Lamium album, Chelidonium minus, Cupressus.
Siccantia.	Abrotanum, Absynthium, Acacia, Agrimonia, Aquilegia, Aristolochia, Artemisia, Betonica, Bursapast. Calaminth. Cardiaca, Chamæpithys, Dictamnus, Equisetum, Erysimum, Filipendula, Hypericum, Majorana, Mentha, Millefolium, Myrtus, Quercus, Rhus, Rorismarinus, Sabina, Salvia, Satureia, Scordium, Serpyllum, Thymus, Ulmaria, Abies, Pinaster, Tamariscus, Sassafras, Musci varii, Cupressus, Juniperus, Laurus, Gujacum, Santalum, Bdellium, Sanguis Draconis, Sarcocolla, Benzoinum, Caranna, Colophonia, Ladanum, Myrrha, Styrax, Tamahaca, Thul, Mastich.
Singultus.	Daucus, Mentha, Papaver, Anethum.
Splenetica.	Ceterach, Cicuta, Fraxini semen, cortex & lignum, Genista, Orobanche, Polipodium.
Sternutatoria.	Ptarmica, Saponaria, Sinapi, Thlaspeos Semen. *Item Sem.* nigell. Hellebor. Nicotian. Lilium Convallium, Horminum, Alliaria, Curcuma.
Stranguria.	Consolidæ majoris flores, Daucus, Linaria, Populus alba, Rusci *radis* sonchus. *Flores* Chamæmeli, seminis Dauci, Baccæ Juniperi, Lauri, Terebinthina, Althæa.

Stru-

Strumæ.	Vide *scrophulæ*.
Suffusio.	Fœniculum.
Tabes.	Anagallis, Dens Leonis, Eryngium: Marubium album, Parietaria, Pimpinella Tragopogi radix. Chelidonium majus. Vide supra *Phthisis*.
Tinctoria.	Alni cortex, Genista tinctoria, Glastum, Lichen Petræus, Luteola, Rubiæ Radix, Curcuma, Anchusa, Anil, Gallæ, Notte, Ligna varia, Brasilli, rubrum, Candel, Orellana.
Tormina.	Anodyna, Emollientia, Discutientia, Repellentia vel Maturantia pro re nata. Deindè Cerefolium, Oleum Chamæmelinum, Cicuta, Cynoglossa, Fagi Folia, Galeopsis succus, Lamium, Oleum Lini, Malva, Orchidum radices, Parietaria, Rapum, Selinum sii foliis, Sphondylii rad. urtica.
Tussis.	Enula Campana, Erysimum, Daucus, Glycyrrhiza, Baccæ Juniperi, Linum, Marrubium album, Parietaria, Periclymenum, Petasites, Peucedanum, Scabiosa, Tragopogi radix, Tussilago, Verbena, Violaria, Urticæ radix, & semen, Castanearum farina. Decoctum pectorale, Papaver, Rapum, Musa, Avellana, Amygdalus, Siliqua edulis, Bdellium, Benzoinum. Vide *Pneumonica*.
Tussis convulsiva sive Catharrus ferians.	Antispasmodica omnia, Muscus Pyxidatus, Succus Pulegii, Origanum. Muscus Quernus, Agallochum, Cubebæ, Opobalsamum, Balsamum Peru.
Variolæ sive Morbilli.	Ad præcavendum vide *Alexipharmaca*. Ad expellendum verò Aquilegia, Crocus, Rapi semen.
Ventriculum roborantia sive stomachica.	Aromatica, Amara, Absynthium, Acorus, Acetosa, Agresta, Berberis, Caryophyllata, Cerasa acida, Fraga, Mentastrum, Calamintha, Pruna sylvest. & eorum succus, Pulegium, Prunella, Sorba, Ranunculus, Zingiber, Galanga, Contrayerva, Cinnamomum, Sasafras, Thé, Cortex mali Citrii, & Aurantii, Zedoaria, Piper, Xochoxochitl, Cariophyl. Aromata, Nux moschata.
Verrucæ.	Mercurialis, succus in foraminibus populi Collectus, Lac Tithymalorum, præcipuè Helioscopii, Dipsucus, Galeopsis succus, Sedum maj. Heliotropium maj. Brassica.
Vertigo.	Cephalica omnia. Primula Veris, Aqua florum Tiliæ, Viscus, Chærophyllum, Sinapi.
Ulcera.	Caprifolium, Negundo, Ligustrum, Lycium, Mandihoca, Opobalsamum, Myrrha.
Ulcera cancrosa.	Detergentia, Anodyna, Siccantia. Deindè Elatone, Gallium, Laureolæ pulvis, Heliotropium, Solanum, Symphytum maj. Ladanum, Schœnanthus.
Vomitoria.	Vide *Emetica*.
Vomitum sistentia.	Hypnotica. Sal Absynthii, Menthæ aqua stillat. Polygonum, Rubus idæus, Vaccinia.
Urinæ ardor vel acrimonia.	Semina 4. frigida, Emulsiones, Anodyna, Emollientia, & incrassantia. Castanearum emulsio, Malva, Glycyrrhiza, Portulaca, quamvis ad acrimoniam urinæ mitigandam nihil conducibilius sit, quàm lac recens copiosè ingestum, aut lactis defectu serum, vel cerevisia tenuis.
Urina cruenta	Vide adstringentia & consolidantia.
Vulneraria seu consolidantia.	Agrimonia, Alchimilla, Anagallis, Androsæmum, Argentina, Artemisia, Bellis major, & minor, Betonica, Bonus Henricus, Bugula, Centaurium, Ceterach, Chamædrys, Cicuta, Consolida major, Cruciata, Cynoglossum, Equisetum, Eupatorium *Avicennæ*, Fœniculum, Geranium, Glastum, Hedera terrest. Herniaria, Hypericum, Jacobæa, Lamium, Lilium convallium, Lunaria minor, Melilotus, Millefolium, Nummularia, Ophioglossum, Panax Coloni, Parietaria, Pentaphyllum, Perfoliata, Persicaria, Peucedanum, Pilosella, Pimpinella, Pinguicula, Plantago, Polygonatum, Polygonum, Prunella, Rubia, Salvia agrestis, Sanicula, Scordium, Serratula, Sophia Chirurgorum, Succisa, Tanacetum, Telephium, Tormentilla, Valeriana, Verbena, Virga aurea, Veronica utraque, *item* Balsamina mas, Delphinium, Ulmaria, Nux myristica, Resinæ & lachrymæ variæ, Clematis Daphnoides, Pyrola, Quercus pix, Alnus Vulg. Cada-pilava, Ol. Olivarum, Opobalsamum, & Balsama Americana, Sarcocolla, Elemi.

 CAPUT

CAPUT XII.

Quomodo per signaturas atque characterismos in plantis & vegetabilibus repertos, eorundem vires ac qualitates indagari possint.

Natura ad sui communicationem prona.



Verissima est illa *Polemonis* sententia; *tacitam quandam responsionem præbet de singulis Natura, quibus virtutes uniuscujusque manifestet.* Sapientissimè enim Ordinante divinâ Providentiâ, Natura ad sui effusionem & virium suatum communicationem pronissima est; quoniam ipsamet sese homini facilè prodit, ut ab eo tantò citius & avidiùs appetatur, & pro bono, quod nata est eidem communicare, admittatur. Sic dantur non tantùm in animalibus, verùm & vegetabilibus certi quidam Characterismi, signaturæ, & notæ, ex quibus eorundem vires & qualitates sagaciter conijci possunt. Ex hiscè signaturis Æygptios prima Medicinæ sumpsisse fundamenta docet *Kircherus in Oedip. Ægyp. Medicina Hieroglyphica*, qui & in variis aliis suis eximiis operibus veluti, *de Luce & Umbra, in Mundo subt. & Arte Magnet.* ejusmodi Characterismos mirè deprædicat. Placet solùm hic adducere, quæ in *Arte Magn. lib.* 3. *part.* 7. *cap.* 5. præclarè his verbis memorat. *Cum omnia*, inquit, *& singula humani corporis membra cum omnibus & singulis rebus creatis Naturæ quâdam sympathiâ & antipathiâ ita sagaci Naturæ genio ordinante consentiant aut dissentiant; fit ut sicut singulis membris, ita & rebus creatis quædam ad amica sibique consimilia corpora quærenda, aut ad inimica naturâ sibi dissimilia vitanda à providâ Naturâ reciproca quædam sit implantata propensio, quâ bona, quibus foveantur, desiderant; mala verò & quæ ad destructionem vergunt, fugiant. Hinc reconditior illa Medicinæ pars, quæ signaturas, seu Characterismos rerum naturalium cum humani corporis membris confert & similia similibus magneticè applicando prodigiosos in hominis conservandâ valetudine producit effectus, emanavit. Occultæ igitur plantarum proprietates primò eorum, quæ animâ prædita sunt, mox animæ expertium similitudine demonstrantur. Omnia enim homini signaturis suis, & Characterismis non vires tantùm, quibus mederi possunt, sed & morbos indicant. nec partibus suis duntaxat, ut radice, trunco, fronde, flore, fructu, semine, sed & suis actionibus & moribus: ut frondes retinendo, abjiendo, sobole, numero, pulchritudine, deformitate, figurâ colore, quod homini conveniat & quod humani corporis membrum figurent, ostendunt.* Ità verè *Kircherus*. Sed de his uberiùs ipse suis locis suprà citat, videri poterit, ubi perdoctè non tantùm philosophatur, sed etiam exempla & experimenta plura adducit; inter quæ rariora & magis curiosa mihi videntur, quæ sequuntur.

Kircherus quid de signaturis plantarum sentiat.

Exempla & Experimenta rara circa signaturas.

Chelidoniæ radix vino albo, quod flavedine simili bilioso humori inficit, imposita, certissimum & infallibile contra icterum flavum remedium est. Hoc ipsum experimento didici verissimum, cum id suasi aliquibus, qui hoc morbo laborabant, & feliciter mox liberati sunt. Deindè qui Apoplexiæ obnoxii sunt; lineam in formâ anchoræ in manibus expressam habent, quam cùm Acorum quoque in foliis suis exprimat, contra apoplexiam probatissimum remedium est. Sic & lineam quandam in manu colicis affectibus laborantis Natura in foliis Melabathri signatam Colicæ profligandæ disposuit. Rhabarbarum croceum & graveolens flavam bilem referens eam attractione purgat: quod si incorporetur & antequam trahat, vincatur, efficitur venenum augendo bilem; & multò magis Helleborus, cujus fœtor omnes pravorum humorum fœtores refert, ideò omnes ad se trahit ac deindè expellit; quod cum non facit eos augendo, juvandoque contra naturæ vires occidit. Dracontium majus, in cujus foliis Natura serpentis insculpsit figuram, ad primas serpentum venationes se exerit è terrâ, & cum iis in terrâ conditur, nec ullus toto illo occultationis tempore serpens apparet officioso naturæ munere remedium demonstrantis & formidinis tempus præmonentis. Chondrilla quoque hæmorrhoidalis, quià in radicum fibris nodulis quibusdam accretis mariscas, seu ficus sedis perfectè refert, eas vel tactu solùm exsiccat curatque; imo & easdem, quas curavit, denuò irremedicabiliter accersere, certâ tamen ratione applicata dicitur. Sed hæc sufficiant. Plura alia Exempla vide Infra.

Regulæ phytognomicæ circa signaturas Plantarum, quibus occultæ vegetabilium vires, & qualitates indagari possunt.

1. Vegetabilia, veluti herbæ ac plantæ, vel earum fructus, semen, flores &c. quæ similitudinem alicujus membri humani in figura, colore, qualitate & consistentiâ referunt: censentur plurimùm conferre illi membro, & ad illud virtutem medicam dirigere. Sic malum Citrium cordi, cui multum assimilatur, multum etiam confert. Sic Capitata capiti velut Juglans, nux Indica &c.

Plantæ, quæ similitudinem membri habent.

2. Omnes herbæ vel plantæ, quæ floribus aut succo aliquem in quatuor humoribus, videlicet sanguinem, bilem flavam, phlegma & bilem atram referunt, eidem humori vel augendo vel illum expellendo, ut plurimùm conferunt. Unde

Repræsentantes aliquem ex humoribus.

3. Plan-

Plantæ crocei coloris. 3. Plantæ crocei coloris, aut quæ fulvo aureoque ſucco turgent, ſi ſint edules, flavam bilem continuo uſu augmentare ſolent. Hujus generis ſunt Atriplex, quæ, *Pythagora* teſte, morbum regium cauſat & pallorem. Melopepones, mel, crocus, rapi fulvi, Indicæ nucis ſuccus & omnes plantæ, quæ præter colorem dulci ſapore imbutæ ſunt. Si verò plantæ illæ mediam naturam ſortiuntur inter edules & deleterias plantas, ex utrisque participantes, bilem vehementer attrahunt, attractamque ſubducunt, ut ſunt Aloes, centauriæ, tithymalli, colocynthidis ſive cucumeris ſylveſtris ſuccus croceus &c.

Atri coloris. 4. Quæcunque plantæ vel herbæ atro colore triſtes vel luteo, ſeu ſubfuſco, maculoſoque amictu ſe exhibent, atræ bilis alumnæ cenſentur: Unde earum quædam eandem augere, aliæ autem educere & evacuare ſolent. Sic Hyoſcami ſemen devoratum non tantùm homines, ſed & omnia animalia triſti vertigine perculſa demergit. Sic etiam Smilax, Mandragora, Apii, ſolani & papaveris plura genera partim atris, partim luteis, cinereisque & maculoſis pallore interfuſo floribus conſtantes herbæ, ſomnia tetra, triſtia, & formidanda, imò bilem atram augmentando, ſcotomiam, vertiginem ac Epilepſiam non ſolùm excitare, ſed etiàm funeſto lethargo homines interimere ſolent. Napellus etiàm formidabile venenum ſuum ipſo flore mortui hominis cranium exprimente abundè ſatis demonſtrat.

Albicantis coloris. 5. Plantæ, quæ floribus albis ſuccoque craſſiore præditæ ſunt, quæ & natales ſuos in uliginoſis ac plurimum humidis locis plerumque habent, ſimilitudine quam ad phlegma, ſeu pituitam habent, eundem etiam humorem, quem referunt, augere ſolent. Aliæ vero ſiccioris temperamenti eundem emendare & purgare valent. Lacteæ verò plantæ velut *Tithymallus, Polygala, Sonchus, Britalzar Ægyptiaca planta* lac in nutricibus augent & accumulant.

Rubei coloris. 6. Plantæ, quæ rubeo colore præditæ ſunt, nonnullæ ſanguinem augent & ex ſimilitudine naturæ facilè coire faciunt, ut rapum rubrum, vinum rubrum, imò Mori ſuccus totus in ſanguinem abire creditur. Nonnullæ eundem vitiatum emendant & purgant, velut *Roſæ, centaureum minus* &c. Quædam verò Hemorrhoidibus & dyſentericis affectibus proſunt ex ſimilitudine coloris, ut *lapaver, Rhœas, Balauſtia, Roſæ ſiccæ, Mala punica, Rhus, Pœonia, Amaranthus, Corallus* &c.

Mixti coloris. 7. Mixti coloris plantæ cùm ex diverſo conſtent temperamento, diverſos quoque ſortiuntur effectus; Unde bicolores herbæ duplici virtute conſtare ſolent. Sic flores albi croceique pituitam ſimul & bilem purgant velut *Anthemis* ex *Galeno, Parthenium, Sambucus, Ebulus* ex Ælio. Pari ratione radices *Leucomelanæ* ex atro, candidoque pituitam & melancholiam purgare compertæ ſunt. Hac ratione diverſi colores diverſos curant in humano corpore humores, ut *Tripolium, Panacæa, Triphera* cunctis humoribus prodeſſe cenſentur.

8. Plantæ, quarum decoctio & infuſio, ipſarumque color (magis autem ſi & conſiſtentia) alicui corporis noſtri humori ſimilis eſt, aptam virtutem ad evacuandum illum humorem per attractionem, vel augendum illum per incorporationem habere ſtatuuntur. Ideò *Bugloſſæ* & *Meliſſæ* decoctio ſimilis aquæ in pericardio, cordi refrigerando & fovendo, ſicut ea ipſa aqua confert. Sic *Rhabarbarum* croceum flavam expurgat bilem; quod ſi incorporetur & antequam eandem attrahat, vincatur, in venenum convertitur; ut ſuprà indicatum. Decoctio & infuſio plantarum

9. Quæcunque plantæ morbum aliquem aut habitum morboſum repræſentare videntur, ad ejusdem curationem facere cenſentur. Sic proſunt calculo expellendo, quæ lapides repræſentant, veluti *milium ſolis, radix ſaxifragæ albæ*, cortices lapidei nucleorum & nuclei ipſi: Sic abolent maculas plantæ & herbæ maculoſæ, ſquamas ſquamoſæ: Sic vulnera & corporis perforationes ſanant herbæ per foratæ: Sic plantæ, quæ gummi & reſinas exſudant, ad gummi & pus valere ſolent: Sic plantæ tumentes proſunt tumentibus, quæ caudicis fiſſionem, & vulnera patiuntur, ad vulnera glutinanda faciunt, quæ corticem cutemque abijciunt, ad cutem quoque mundandam conducunt. Plantæ morbum repræſentantes.

10. Qualiter etiam plantæ ac herbæ in actionibus deprehenduntur, taliter etiam in homine ſtatuuntur operari. Sic res ſteriles velut Lactuca, filix, ſalix, Sabina & plures aliæ ad ſterilitatem in hominibus procurandam facere creduntur. Sic res & plantæ ſalaces ac fœcundæ conferre cenſentur fœcunditatem: Sic plantæ longævæ perpetuoque virentes vigorem corpori humano conciliare dicuntur &c. Atque hæ ſunt Regulæ, quas pro ſignaturis communiter Botanici ad vegetabilium vires ac qualitates occultas ſagaci indagine colligendas præſcribunt. Nunc ſignaturas & characterismos plantarum in ſpecie varia quædam repræſentantes curioſo Lectori placet ſubijcere. Actiones plantarum



PINAX I.

Exhibens characteriſmos & ſignaturas Plantarum in ſpecie humorem aliquem in Corpore humano repræſentantes *ex Schrödero*.

Repræſentant Bilem flavam	Plantæ floribus vel ſuccis fulvis croceisque, ut Cuminum lividi coloris, Crocus, Beta, Ficus mel. quæ Edulia. Inter Medicamenta reputantur Aloë, Sena floribus ex pallido luteis, Abſinthium aureo comatum flore, Tithymalli floribus croceis, Colocynthis flore & fructu luteo, Ricinus flore flaveſcente, Rhabarbarum &c.
Bilem praſinam.	Quæ viridi & herbaceo colore prædita, ut Blitum, Atriplex herbaceis floribus.
Bilem pallidam.	Bryonia floribus pallidis.
Bilem atram.	Quæ floribus, foliis vel ſucco nigreſcunt, purpuraſcunt, aut cœrulei ſunt floris: ut fabæ floribus maculoſis, multaque leguminum genera floribus purpureis obſcuris, velut lens, Smilax hortenſis, Vicia, Blithum folio nigro, Tubera, Cicer flore cœruleo, Veronica flore cœruleo vel purpureo, Borrago, Bugloſſa &c.
Pituitam.	Plantæ albi floræ: ut Cucurbita floribus candidis, Fungi albi, Lactuca, Agaricum &c.
Sanguinem.	Quæ rubei coloris ſunt, vel rubeo colore tingunt: ut Santalum rubeum, radices Chinæ, filicis, acetoſæ.
Miſtos humores.	Quæ miſti coloris: ut Iris.
Lac & ſperma.	Quæ humorem lactis inſtar fundunt, ut Lactuca, Sonchus, Carduus lacteus &c.

PINAX II.

Exhibens herbas ac plantas in ſpecie certarum partium corporis humani ſignaturam præbentes. *Ex Helvetio.*

Capitis.	Antyrrhenon, Braſſica, Crocus, Geraneum, Hemerogallis, Juglandes, Lilium Convallium, Majorana, Nux moſchata, Papaver, Roſæ, Spica Celtica, Tiliæ flos, Violæ.
Crinium.	Aſparagus, Barba caprina, Coriandrum, Diptamnus Creticus, Fœniculum, Ireos noſtratis radix, Linum, Muſcus Arboreus, Nigella, Polytrichum aureum, Roſarum fungus, Tiphacanna, Vitis, Vini cortex.
Oculorum.	Flores Acaciæ, Bellidis, Cyani, Dentis canini, Euphraſiæ, Fabarum, Geranei, Hyacinthi, Ireos, Lupini, Malvæ, Narciſſi, Ononis, Rhanunculi, Solani, Trinitatis, Vitis, Perſicaria maculata.
Aurium.	Auricula Urſi, Braſſica marina, Cyclamen Doronicum, Echium pullo flore, Faba Ægyptiaca, Gentiana, Hypericon, Lagopus, Marum, Origanum, Philantropos, Rubea tinct. Serpillum, Trifolium Cochleatum, Unifolium.
Linguæ.	Acetoſa, Bifolium, Cynogloſſum enophyllum, Gramen Parnaſſi, Hippogloſſum, Lappatum acutum, Lingua cervina, Morſus ranæ, Nicotiana longa, Ophiogloſſum, Prunella, Roſæ radix, Salvia, Sempervivum, Tribulus aquaticus, Uvularia.
Dentium.	Abietis folia, Balauſtiæ, Cervicaria major, Dentaria, floris Solis ſemen, Gramen caninum, Hyoſcami ſacculi. Juniperi folia, Limonii ſemen, Muſcus denticularis, Nuces avellanæ, Sedum æſtivum, Taraxacon, Vermicularis,
Cordis.	Anacardiæ fructus, Borago ſemper vivens, Cardiaca, Fragorum fructus, Granatorum Flos, Hepatica, Ireos Flos, Lotus Ægyptiacus, Meliſſa, Nardi montani radix, Pœonia, Roſæ, Signaria, Tunicarum Flos, Viola.
Pulmonis.	Aniſi caulæ, Beta, Cauda equina fœmin. Dipſacus ſativus, Eryſimum, Fœniculum, Gingidium, Hippolappathum ſativum, Lactuca criſpa, Muſcus marinus virens latifolius, Nicotiana rotunda, Pulmonaria, Rhabarbarum, Scabioſa, Tuſſilago, Valeriana græca.
Hepatis.	Aloë, Becapunga, Carduus Mariæ, Draba ſiliquoſa rarior, Endivia hortenſis, Faba major, Gentiana, Hepatica maculoſa, Intybus criſp. Lactuca, Mercurialis, Nymphæa, Corylapathum, Portulaca, Raphanus ruſticanus, Sanicula alpina.
Follis Veſicæ.	Abſinthium, Aſavum, Botrys, Cappares, Cochlearia, Elleborina, Galanga, Helleborus niger, Mechoäcanna; Naſturtium, Perſicaria, Rhabarbari veri radix; Sennæ folia, Tithymallus latifolius, Trifolium anglicum, Verbuſcum nigrum, Vinca per Vinca, Xiloſtrum majus.

Lienis.

Lienis.	Agrimonia, Bursa Pastoris, Cichorium, Dens Leonis, Erysimon, Filix, Genista, Hieracium, Jacca, Limonium, Morsus Diaboli, Napus, Onopteris mas, Polypodium Quercinum, Raphanus Aquatic, Spleneticum, Thlaspus.
Stomachi.	Acori Radix, Bulbo Castanea, Cyclamini Radix, Enulæ, Galangæ, majoris Ireos florent, Pastinacæ, Raphanus, Schenophrasum, Zedoariæ radix, Zingiber.
Renum.	Agnus Castus, Bombacis Semen, Cyno basti, Doronicæ radix; Fabæ, Genistæ Semen, Hædera terrestris, Jasmini Semen, Lupini, Mespilorum, Lapiauli, Nummularia, Orobus, Phaseolus, Ribes, Saxifraga, Testiculus Pastoris, Uvæ passæ grana, Xilocaracta.
Vesicæ Urinariæ.	Alkekengium, Allium, Alcæa, Bulbo, Cepæ, Colutea, Hyacinthus stellaris, Iris tuberosa, Lupulus vesic. Nasturtium, Orobanchæ, Primulæ veris, Porrum, Raphani radix, Solanum, Staphilotendium, Testiculus luteus, Vesicaria, Violariæ vesicula.
Intestinorum.	Alsine, Bryonia, Cuscuta, Dulcamara; Fœnum græcum, Graminis radix, Hermodactylus verus, Lupulus, Mechiocanna, Nasturtium Polypodii radix, Scammonea volubilis, Aconitum pardal. Bupthalmi
Umbilici.	Flos, Caprifolium, Chamomillæ Flos, Hipocharis, Orchis Lutea, Perfoliata, Rhodiæ radix, Sanicula Alpina, Thymelea, Umbilicus Veneris.
Manuum, Digitorum & Nervorum.	Agnus Castus, Allium, Bryonia, Bursa Pastoris, Cannabis, Caravum, Ficus, Fraxini Cortex, Geraneum majus, Gratiana, Heptaphyllum, Helleborus albus, Lupinus, Lachryma Jacobi, Latifolia, Melo magna & parva; Ophoris, Oxitriphyllon, Palma Christi, Plantago, Ribesia, Ranunculus Asiaticus gummosâ radice, Sanicula officinaria, Saponaria, Tormentilla, Thora Valdensis, Vitis Idæa, Vincetoxicum.

PINAX III.

Exhibens vegetabilia morbos & Corporis infirmitates repræsentantia. *Ex Schrödero.*

Calculum.	Milium Solis, Radix Saxifragæ albæ, Cortices lapidei nucleorum, & nuclei ipsi, Crustacea omnia.
Exanthemata.	Lentes.
Excrescentias.	Agaricum, Gallæ & reliquæ arborum excrescentiæ. Lichen Petræus vesiculis insignitus, quæ referunt vesicas hepati nonnunquâ adnatas.
Ficus ani.	Scrophularia radice nodosâ, Chondrilla.
Herniam.	Perfoliata.
Hydropem.	Bryoniæ radix: habet enim signaturam pedum hydropici.
Icteritiam.	Chelidonia succo flavo, Crocus, Centaurea.
Lentigines, Lichenes ac impetigines.	Cortex betulæ albis maculis interlitus, Lichen arboribus innascens.
Maculas.	Allium, Arum, Arisarum, Persicaria, Pulmonaria foliis scilicet maculosis.
Polypum.	Chelidoniæ minoris radix, Polypodii radix.
Scabiem.	Polypodium in dorso scabritiem referens, Sabina superficie scabra.
Vomicas & abscessus.	Tubercula arborum cum lachrymis inibi contentis: uti lachryma, seu resina novellarum abjectum è tuberculis.
Vulnera.	Perforata. Millefolium, quia pertusa sunt, & sanguinem expressum exhibent.
Tumores.	Bardanæ tubercula.

Atque hæc de signaturis & characterismis vegetabilium sufficiant; qui uberiorem de hiscè doctrinam & instructionem petit; consulat *Phytognomicam* J. Bapt. Portæ. *Signaturas* Grollii *Basilicæ suæ* annexas, Quercetani *signaturas in libro de priscâ medicinâ* collectas. Nollium *in Physicis*. Joan. Schröderum *in Pharmacopæja Medico-chymicâ*. Kircherum *in lib. suprà cit.* M. Friderici Rosencreützers *anatomiam & physiognomiam simplicium*. Joannem Francum *de signat. plant.* Zimaram *in Antromagico-medico.* Fabium Columnam *in exposit. histor. Mexic.* Fridericum Garmannum *de plantis monstrosis* & plures alios.



CAPUT

CAPUT XIII.

Herbæ & plantæ à natali origine sive ortu, modo progerminandi, aut flores & fructus producendi mirabiles.

Tritici granum enatum in fœminâ.

1. Dmiratione maximâ comprimis dignum est, quod de matre suâ narrat *Tackius*; Vice quadam in summitate pectoris à vespâ ictum accepisse, ex quo usque in senectam obscuros senserit dolores; quibus ante obitum recrudescentibus globulum velut quendam sub cute læsæ volutari deprehendisse & perfectum tritici granum indè posteà extraxisse, quod non nisi à vespâ tritici granis pastâ acceperat. Certè mirabile est potuisse virtutem seminalem totius grani adeò parvâ capi proboscide atque in tantillum foramen implantari.

2. In cujusdam corde, ut scribit *Hirnhaim cap. 10. de Typho.* post mortem ejusdem repertum est officulum amygdali formâ geminam & expresissimam demortui effigiem exhibens.

Planta è latere Hispani enata.

3. Cuidam Hispano enata è latere planta, referente *Kirchero in Mund. subt.* Sed adeò infelici fœcunditate se propagabat, ut eam forficibus tonderi sæpius oportuerit, extirpare licitum non fuerit, quia usque ad femur radices egerat.

Spica farris è naso mulieris.

4. Constat spicam etiam farris è naso cujusdam mulieris Aretinæ aliquando prodiisse & hæderam è cervino cornu enatam. *Hirnhaim de Typho. cap. 9.* Spicam siligeneam ex rupto tumore infantis circa costas extractam fuisse memorant *Ephem. Germ, Cur. Decur. 1. Ann. 8. obs. 81.*

Ramulus rorismarini in manibus sepulti Mercatoris germinans.

5. *Sedini* Pomeranorum, ut refertur *Ephem. Germ. Dec. 2. Ann. 4. obs. 43.* antè multos jam annos Mercator quidam primarius sepultus fuit, cujus manibus sueto more ramulus Rorismarini inditus, aperto verò post aliquot annos loculo ramulum istum adstantes consanguinei in tantam longitudinem excrevisse viderunt, ut barbam affabrè perreptando faciem integram egregio spectaculo virens contegeret.

Planta germinans in stomacho Elephantis.

6. De plantâ mirabiliter in Elephantis stomacho efflorescente hæc tradit *Kircher. Chin. illust. part. 2. cap. 5. pag. 79.* Contigit non ante multos annos in ludis Elephantum insignem & Regi maximè charum arundinum esu stomachum ità onerasse, ut gravem indè infirmitatem incurrerit; quam Medici curaturi solitis suis medicamentis nihil profecerunt. Bellua interim proboscide intrà fauces adactâ apertè aliquid sibi in stomacho, quod ipsam molestaret, latere, demonstrare videbatur. Quod Medicus Europæus advertens brachio pariter in fauces ejus adacto belluâ id haud illubenter permittente tandem invenit arundinem in stomachi fundo radicatam in folia effloruisse; undè materiam prius catarcticis magnæ efficaciæ medicamentis præparatam tandem radicitus evulsam foliis virentibus conspicuam extraxit, & una belluam pristinæ suæ sanitati restituit, magno Regis gaudio, nec non pari Medici lucro. Anno quoque 1180. ut testatur *Alexander ab insulâ in Breviar. rer. memorab. num. 42. Sigebodo de Schnackenburg* vidit in Lotharingia cervum captum, cui inter cornua elegans è capite chamomilla cum floribus suavem exhalans odorem enata fuerat.

Hordei planta mirè fertilis.

7. Christianæ doctrinæ Patres Parisienses, ut tradit *Tylkowski phys part. 3. de Meteor. cap. 3.* apud se instar momumenti asservant quandam hordei plantam 249. caules aut culmos continentem, qui omnes ex uno grano originem ducunt, & in quâ ipsi ultra 18000. grana hordei numerant.

Miræ aliæ germinationes.

8. Curiosa est historia de germinatione granorum avenæ in ventriculo militis, quæ commederat, quæque deindè intrà ventriculum ejus non solùm radicem projecerunt, sed etiam spicam & aristas protulerunt, ut grano tamen gluma fuerit destituta. Vide quæ *D. Martin. Bern. à Bernitz obs. 53. Ann. 2. Dec. 1. Eph. Germ. Cur.* memorabilia congessit, & quæ *D. Paullini* observatio inter illas Anni 81. de spicâ siligineâ in tumore circa costas affert. *Cramerus* quoque *lib. 4.* der Pomerischen Kirchen-Histori *cap. 31.* tradit, ex ulcere dissecto in dorso infantis aristam siligineam cum adhærente pure extractam fuisse. Anno 1524. è tumido pueri genu, postquam ferro apertum grana siliginis hordei & avenæ excidisse notavit *Tylkowski in phil. curiosâ.*

Oleaster arma ferens.

9. In foro Megarensi diu stetit oleaster, cui viri fortes appenderunt arma sua, quæ cortice ambiente ætas occultaverat. Fuit autem arbor illa fatalis excidio Urbis præmonitæ oraculo, cùm arbor arma peperisset, quod succisæ accidit; ocreis, galeisque intus repertis, ut habet *Plinius lib. 16. cap. 39.*

Florum ubertas principatum portendens.

19. Cæso ex insidiis *Alexandro Medice* Florentinorum Duce, eo ipso die in *Cosmi Medices* villa omnis generis florum ubertas contrà anni constitutionem cunctis stirpibus erupit, & soli Cosmiani horti adulti veris similitudinem retulerunt. *Sabell. Supplic. lib. 22.*

Arbores hyeme mirabiliter florescentes.

11. De *Alberto M.* mira refert *Tritbemius in Chron. Hirs. ad An. 1254.* eum nempe Coloniæ Agrippinæ Regi *Wilhelmo* in die festo *Epiphaniæ* tempore hyberno tunc admodum gelido convivium lautissimum

in hor-

in hortulo sui monasterii nivibus aliàs obtecto exhibuisse, ubi derepente algore omni profligato & in æstivum calorem commutato arbores floruerunt, imò & fructus jam maturos protulerunt. *Unaquæque siquidem arbor ejusdem horturi*, ut scribit *Trithemius*, *in quo sedebant, fronduit, floruit, fructumque subitò maturum in suo genere produxit. Vinea florens odorem suavitatis dedit & recentes uvas in ubertate magnâ in instanti cunctis mirantibus procreavit. Multitudo quoque avium diversi generis illic visa est convolâsse, quarum unaquæque juxta proprietatem apparentis conditionis concussis alacriter pennis dulci cantilenâ gariens convivantes lætificabat, convertitque non parùm in admirationem, ut non Januarii sed Maji aut Junii tempus potius esse putaretur, quo vernalis finis æstati solet præbere initium. Expleto tandem mirando convivio, mensisque ex more levatis turba ministrorum omnis subitò disparuit, avium cantus omninò desiit, arborum & graminum viror confestim aruit, & omnis jucundæ mentis & oculorum delectatio cessavit. Nivis copia, quæ prius videbatur, iterùm apparuit, tantum subitò frigus aërem simul & illos, qui discubuerunt, rursus occupavit, ut omnes, qui vestes suas præ calore antè deposuerant, nunc frigore nimio algentes, resumptis quantocius indumentis, ad ignem & focos properarent. His visis Rex Wilhelmus nimiùm obstupuit et quod Albertus mortalium omnium esset doctissimus, apertè recognovit. Undè pollicitus ei se daturum, quidquid postulâsset. Qui locum pro fratribus suis ad construendum monasterium sui Ordinis in civitate Trajectensi ab eo petiit, impetravitque cum libertate & multis muneribus.* Ità *Trithem. Ex historiâ Trajectensium.* Quæ num vera sit vel falsa, non vult disquirere: Virum tamen optimum & sanctum fuisse contendit.

Laurus ex petrâ enata in sepulchro Virgilii.

12. In sepulchro *Virgilii Maronis*, quod est in monte *Pausilippo* propè *Neapolim*, Laurus ex petrâ nata cernitur, cui hæc inscriptio apposita est:

Qui cineres? tumuli hæc vestigia, conditur olim
Ille hoc, qui cecinit pascua, rura, Duces.

Scipio Martel. in laudem Vergilii hæc addidisse memoratur.

Ut viret hæc laurus tumulum & super ossa Maronis:
Sic viret illius gloria, fama, decus.

Olea fructifera in natali die Torquati Ep.

13. In civitate Accidana Hispaniæ ad tumulum *Torquati* Episcopi, ut *Marullus lib. 6. de revel. cœlest. beat.* recenset, in ejus natalitio, hoc est idibus Maji Olea florem mittere, fructum facere dicitur. Undè expressum oleum cujusvis generis infirmitates curare perhibetur.

Scopæ florentes.

14. Sub *Valentiniano* & *Valente* Cæsaribus scopas in palatio floruisse memorat *Cardanus de variet. lib.* 15. *cap.* 78. Atque vilium & infimæ sortis hominum exaltationem prænuntiâsse.

Cornus insolito tempore fructus offerens.

15. Narrat *Dubravius lib. 6.* de S. Procopio, eum aliquando famelicum conspectâ arbore corno conqueri de hyeme cœpisse, ob quam corna esui matura nulla reperiret: arborem verò subitò ad ejus suspiria & folia & fructus induisse, conversosque ob rei novitatem in eum omnium oculos, miratosque *Procopium* tam avidè oblatos fructus invadentem.

Plantæ hyeme germinantes.

16. Admiratur *Cardanus lib.6. de Variet. cap. 22.* petrosilium tàm Macedonicum quàm Alexandrium, ut & Crocum hyeme germinare. Causam verò humido benè pingui adscribit.

Flores mirabiles insolito tempore & copiâ.

17. Vidisse se in Japonia testatur Expertiss. Dom. *Andreas Cleyerus* rosas centifolias colore elegantissimas rubeas, purpureas, candidas in altis arboribus mense Januario aëre adhuc frigido enatas, odore tamen carentes: ut & variorum generum lilia fruticibus lignosis innata; nec non pœonias flore egregio plenas arborescentes, quales in Europâ nunquam conspexit. Ait insuper insitionis artificium nationem hanc optimè callere, quale quid alibi videre ipsi nunquam licuit. Siquidem arbusculas summo cum oblectamento magnis ollis implantatas vidit florum 20, 30, quin & 40. specierum fermè, qui omnes insitionis artificio illic excreverant. Arbores insuper uti cerasos conspexisse se scribit flores solum foliorum loco etiam in Januario frigore adhuc sæviente, nullum verò fructum ferentes. *Ephem. Germ. Curios.*

Cupressi progenies.

18. Cupressus, ut scribit Cardan. de subt. lib. 8. cùm magna sit valdè attamen in Cretâ aut spontè nascitur, aut, è semine minimo. Est insuper siccissima arborum pinguissimum habens humidum & maximè concoctum. Undè odit fimum, stercora, & juxta aquas arescit. Est lignum illius odoratum, nec vetustate odorem amittit, nec tineis eroditur nec corrumpitur. Quin imò folia ipsius tusa vestibus, aut granis permista omnem ab animalculis his, qualia sunt tineæ, blattæque injuriam prohibent. Illud tamen subnectit *Idem Cardanus* mirum, quod semen ejus ametur à formicis.

Oleæ sympathia cum castis.

19. Ferunt Græci & inter eos *Rutilius Taurus* oleam ità sympathiam habere cum castis, ut amplius evirescat & fructificet, si à pueris mundis & puris tractetur. Unde & *Anazarbi* in Cilicia reperiri fœcundissimas, quià à castis ibidem tantummodò coli solent. *Pierius lib. 54. Hieroglyph. cap. 15.*

Ficus in radice fructus gerens.

20. In China dantur ficûs arbores cum latissimis foliis, quæ fructus suos, ficus nempè, non ex ramis suspendunt, sed contra naturam aliarum arborum è radicibus protrudunt.

Nymphæa aquæ appetens.

21. Nymphæa adeò appetens aquæ dicitur, ut si in sicco plantatæ vas aquâ plenum supponatur, toto veluti corpore inclinata, aquæ conjugium ambire videatur.

22. In oleâ, ficu, quercu fructus sine flore est: & in Iride, Jesemino, Narcissi quadam specie flos sine fructu. In Thymo flos idem, qui & fructus.

Sympathia inter ficum & caprificum.

23. In ficu & Caprifico in Calabria *Kircherus* meminit in *Arte Magnet.* Se observâsse, quod Caprificus ficus mas & sylvestris ficus quidem innumeras producat, at quæ nunquam maturescant. Nihilominus quod ipsa non habet, aliis, videlicet fœminis abundè largiatur. Undè Agricolæ, quò ad maturitatem ficus citius producantur, atque in arbore firmentur folidius, ficus immaturas Caprifici fructibus fœminæ circumponere solent; quo fit, ut & ficus brevi tempore & perfectè maturescant & ità arbori firmiter adhæreant, ut de decidentiâ nullâ ratione imposterum metuant.

Inter Palmam marem & fœminam.

24. Mira etiam inter palmam marem & fœminam sympathia est comperta, quâ vehementi quodam amore ità se prosequuntur, ut altera alteram propensione quadam depereat, nec prius hæc desiderio levetur, quàm eam adamatus mas præsentiâ suâ consoletur.

Fruticis Cocao cum Ebeno sympathia.

25. Cocao Novæ Hispaniæ frutex est, ex cujus fructibus celebrrimus ille potus, vulgo *Chocolate* dictus conficitur. Hæc planta ita deperit Ebeni umbram, ut sine hac veluti indignabunda pereat, nec nisi sub umbra ejus adolescere possit. Hinc nullus ferè hujus herbæ frutex reperitur, qui non sibi adjunctum habeat Ebeni fruticem se inumbrantem, & contrà solis ardores defendentem.

Arbor crepidans.

26. Apud Indos Arbor crepidans dicta foliis mori cum fructu orbiculari memoratur *à Nierembergio lib. 15. Hist. Nat. cap. 10.* de quâ mirum hoc dicitur; quod cùm fructus maturuerit, striis aliquot crepidantibus dehiscat, rumpaturque tanto impetu ac sono, ut velut tormento quodam bellico exploso inclusus quàm longissimè avolet fructus.

Pyri arbores mirabiliter fructiferæ.

27. In insulâ *Bermude* pyri arbores sylvestres reperiuntur, quæ rarò & per annorum intervalla ferunt fructus. Quandò verò fructificant per integrum annum sine intermissione optimi saporis, eaque sanitati multum congrua producunt *pyra. Happel. in Mundo mirab.*

28. In Americana provinciâ *Peru* vallis est *Mala* dicta 13. milliaribus distans â civitate Los Reges, ubi ficus arbor spectari dicitur, quæ dum in montanis æstivat aër, in mediâ versus Austrum parte virescit: dum verò in planitie versus mare aër existit calidior, in alterâ reliquâ parte virescit non tantùm ubertim folia, sed & fructus emittens. Idem.

Eadem diversimode florescens.

29. In novo Regno *Granatæ* arborum quoddam genus reperitur ingentis amplitudinis, ita ut singulas vix quindecim viri suis brachiis amplecti possint. Hæ arbores singulis 12. horis folia dejiciunt, & in eorum loca mox alia recentia succrescunt. Narrat & Montevillan in *itiner.* Sub imperio *prete Joannis* ex arena quotidiè procrescere arbusculos usque ad meridiem, & post ad occasum solis denuò redire in terram, ita ut non amplius appareant: atque id quotidie; nisi quis reditum in terram hujus plantæ cum Stengelio de monstris *cap. 1. §. 15.* fieri putet, quando arbores hæ ephemeræ aridæ quotidiè decidunt, & in pulverem redigûntur.

30. In Americana provinciâ *Quatimala* ad locum vulgò dictum *Iztepeke* quinque reperiri dicunt arbores, ex quibus alumen & sulphur enatum colligitur.

Arbor habens folia in usum Chartæ.

31. Reperitur & in Americâ arbor *Copeja* dicta, cujus folia chartæ loco literis inscribendis serviunt, possuntque iis ad utramque faciem haud aliter ac in virgineam pergamenam scitè quæcunque inscribi. Quamdiu verò virescunt folia, literæ inscriptæ comparent albæ; dum exarescunt, indurantur hæc folia instar ligneæ tabulæ, ac literæ in ipsis exaratæ flavo comparent colore, nec aboleri abstersione aut abrasione queunt, nisi igni committantur & comburantur. De alia quadam arbore Canschy, ex qua Japones papyrum conficiunt, consule Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. An. 6. obs. 54.

Arbor florigera Floribondio.

32. In Nova Hispania arborum genus esse refertur *Floribondio* nominatum, quæ nullum ferunt fructum, florent tamen per totum annum: flores porrò sunt nostratibus liliis candidis persimiles, iis tamen paulò majores.

Hoitzmamaxalli.

33. In præfatæ Novæ Hispaniæ districtu propè Mexicum arbores reperiuntur, quæ ab Indis Hoitzmamaxalli vocantur, quæ truncis suis pinis nostris assimilantur, flores emittunt flavos: fructus verò est tunicatus, ac leguminosus boni saporis, qui Indis etiam in cibum avidè carpitur. præter anteà nominatum fructum arbores hæ ferunt & cornua mirifica bubulis cornibus simillima, quæ ex ramis copiosè excrescunt. Folia sunt insipida, venenis tamen & serpentum morsibus adversantur, quos etiam intra sex horas curare dicuntur; solentque venenum per modum vaporis extrahere: Unde & atro colore inficiuntur. In memoratis verò cornibus


Planta Tartarica Boromez.
Fig: 1.


Fig: 2.
Rapa monstrosa Antropomorpha.




Granadilla sive flos Passionis
Fig: 5.


Fig. 4.
Imago Crucifixi in caule crambes.


Fig: 3.
Dauci sativi radix monstrosa manuformis.

nibus parvæ reperiuntur formicæ, quarum morsus dolorificus & noxius est: ova verò formicarum vermiculis parvis similia aurium doloribus mederi perhibentur.

Herba serica. 34. In Virginia herba est, in cujus foliis præstans sericum nascitur membranæ tenui, quæ inde detrahitur, simile. Alta est duos pedes & dimidium: foliorum longitudo duorum pedum, latitudo dimidii. In Anglia specimen hujus texturæ confectum est; nam ex ipsa planta tela integra à stamine sericeo parata pro bona & legitima est habitu. *Ariotb. in Virginia.*

Arbor pater noster dicta. 35. In Hispaniola reperitur arbor *pater noster* dicta fructus nucis avellanæ magnitudine ferens. Huic si ferrens super fundatur aqua, inque ea lineas aut laneus obversetur pannus m ulis extensis præstat egregiè; Nimia vi tamen corrodit. *Ovetanus lib. 9. cap. 1.*

Arbores mirandæ Cariarienses. 36. In Cariariensium terrâ, ut & in ipso mari propinquo arbores gigni recenset *Petrus Martyr Decade 3. lib. 4.* quæ ramos incurvent, postquam altius emerserint ad profundum: quo applicatæ cuspides, uti propagines vitium solo demersæ radices creant & in sui generis arbores perpetuò virentes producunt. Hujusmodi arborum, ut Idem etiam subnectit, *Plinius* meminit *lib. 12. Nat. hist.* sed in solo arido, non in mari.

Fabella de tribus arboribus ex ore Protoplasti enatis. 37. Non possum hìc reticere fabellam haud injucundam, quam nonnulli Græcorum & Hebræorum tradunt, & ex ipsis recitat *Joan. de Villa in itiner. ter. Sanctæ lib. 1.* de Adam protoparente nostro, eum nempe, dum ante obitum extremum ægrotaret, misisse filium suum ad Angelum, qui paradiso custodiendo præfectus erat, ut sibi mitteret oleum de arbore misericordiæ, quo membra sua inungerentur, & reconvalesceret: Verùm Angelus Adæ filium non admittens, tria tamen grana eidem de pomo dedit commendans, ut ea patri suo, dum sepeliret, in ore poneret, fore, ut, quandò arbor ex eisdem nata fructum ferret, morbo liberaretur. Rediens filius patrem jam vitâ privatum invenit, & ad præceptum Angeli tria grana ejus ori imposuit. Ex tribus porrò his granis tres arbores enatas volunt Græci, & Hebræi, ex quibus crux Christi confecta sit, in qua Adamus & universum ab eo descendens genus humanum liberatum fuerit. Atque his ita enarratis nunc ad alia procedamus.

CAPUT XIV.

Plantæ à structurâ, partium constitutione variarum rerum exhibitione, aliisque Naturæ miraculis insignes.

Arbor maximè ampla. 1. ARborem referunt quandam *Cardano teste de subt. lib. 8.* inventam è ceibæ genere trifidam inter cœteras, cui singuli trunci viginti pedum ambitu cingebantur. Spatia verò ipsa inter truncos juxta terram totidem distabant pedibus; per ipsa verò spatia currus onustus pulchrè duci poterat. At ubi trunci in unum coibant (hoc autem à terra procul ferme pedibus quindecim) crassitudo arboris pedum erat 45. Ab imâ parte crassioris trunci usque ad locum, ubi primò prodibant rami, pedes 80. Superior pars, ex quâ rami pedebant absque mensuræ modo.

Arbor mille annorum. 2. In quâdam provincia Sinensis Imperii arbor esse dicitur, quam incolæ vocant Arborem mille annorum; propterea quod tantæ sit magnitudinis, ut sub unico ejus ramo 200. oves stare & circumire possint. *Ex Annal. Sinicis.* Admirandum est, quod *Kircherus* scribit olim in Ætna se vidisse in illo loco, qui *tre Castagne*, ab exoticâ & incredibili trium castanearum, quæ ibi spectantur, magnitudine, dicitur; Castaneæ corticem tantæ amplitudinis, ut intra eam integer pecorum grex â pastoribus tanquam in caulâ commodissimâ noctu concluderetur.

Abietes altissimæ. 3. Abieti unica laus est, quod rectà maximè inter arbores assurgat: in tantam verò longitudinem crescit, ut teste *Cardano de subt. lib. 8.* in *Zofingen* Bernensis provinciæ Helvetiorum pleræque centum & triginta pedes longitudine superent; pars verò recta crassa undique æqualiter enodis pedes centum & decem.

Planta Tartarica Boromez agniformis. Fig. I. 4. Admirabilis valde est frutex Tartaricus sivè planta, quam Indigenæ *Boromez* id est agnum vocant; Crescit enim Agni figura ad pedum ferè trium altitudinem, quam pedibus, ungulis, auribus, toto inquam capite, præterquam cornibus refert. Pro cornibus pilos gerit singulares cornu specie: obducitur corio tenuissimo, cujus detracti usus ad capitum tegmina incolis esse solet. Ferunt internam pulpam Gammari referre carnem. Cœterùm ex vulnere quoque sanguinem manare. Radicem exertam surrigere ad umbilicum usque. Illud miraculi facit magnitudinem, quandò vicinis obsidetur herbulis tamdiu vivere quasi agnum in læto pascuo, absumptis illis contabescere & interire. Quin & appetit â lupis non item ab aliis bestiis carnivoris dicitur. Quod tamen ultimum hoc *Scaliger quasi condimentum atque intritum* ad fabulæ & Agni allusionem adjunctum arbitratur.

Sanguis Draconis. 5. Scribit *Manardes* arborem indicam esse, ex cujus fructibus sanguis Draconis exprimitur, quæ fructu suo perfectissimam Draconis effigiem referat, cujus humor intrinsecus sit sanguis ille Dracosin, qui ad nos defertur, quòque hic uti solemus.

Orchides Antropomorphæ. 6. Orchides Antropomorphas memorat & describit *Kircherus in Mund. subt. lib.* 12. *S.* 2. *c.* 3. ut vix in corpore humano membrum sit, quod non quantum potuit Natura exprimere, imò in floribus integram humani corporis structuram sub utroque sexu architectata, quos exhibet quasi homunculos frondium extremitatibus, appensos ut videre licet in ejusdem *Authoris Art. mag. luc. & umb.* Vidi & Ego flores mirabiles aliquandò in Franconiæ nostræ Cartusiâ *Tückelhausen*, qui perfectè apes, vespas, & muscas singulari Naturæ ludentis industriâ mirabiliter expressas exhibebant, quos Religiosi illius loci è proximâ sylvâ exhumatos ad hortorum suorum delicias transtulerant. Sic & psylii semen pulicem, cynocepha caput canis, semen Echii serpentes, Anthirrinum caput hominis formam, Napelli flos cranium mortui præferre solent.

Rapa antropomorpha. Fig. 2. 7. Rapa monstrosa antropomorpha non tam integram hominis, quam humanas partes omnes figura suâ perfectè æmulans, quæ in horto pagi Weiden cujusdam Nobilis Anno 1628. prognata excrevit, describitur in *Ann.* 1. *Decur.* 1. *Eph. Germ. obs.*48.

Daucus monstrofus manuformi. Fig. 3. 8. Dauci sativi sive altilis, quem aliqui pastinacam tenuifoliam sativam radice lutea nominant, radix monstrosa manuformis exactè scilicet humanam exhibens manum in gippa præsertim ejus parte memoratur *Ephem. Nat. Cur. Dec.* 1. *An.* 9. & 10. *obs.* 82. Figuram vide in iconismo hic apposito.

Imago crucifixi. Fig. 4. 9. In Regno Granatensi poma quædam reperiuntur, quæ incisa singulis incisuris crucifixi exhibent imaginem. Idem visus est in radice & caule crambes perfectissimè efformatus, sicut in figura apposita videre licet, cujus verò imaginis origo, totaque historia recensetur *Ephem. Nat. Cur. Dec.* 1. *An.*1. *obs.*111.

Granadilla sive flos Passionis. Fig. 5. 10. In India Occidentali comprimis verò in Brasilia & Peruvia omnes in admirationem rapit memorabilis planta à fructuum suorum similitudine, quam cum malis Punicis sivè Granatis habet, dicta aliàs Granadilla, à florum vero similitudine, quam cum armis passionis habet, nuncupata communiter flos passionis. Indi vocant illam *Murucujam*: In Virginia nominatur *Maracot*. Variæ sunt ejus species, inter quas præcellit ea, quæ *Murucuja Guazu* appellatur. Variat etiam pro ratione & terræ soli, ubi progerminat. Nos hic in iconismo Peruvianam exhibemus. Plenior descriptio videri potest apud *Olf. Dapper in America*, & *Erasmum Francisci* in Ost- und West-Indianischen Lust-Garten.

Uvæ barbatæ. 11. Uvæ barbatæ Anno 1541. in Germaniæ quodam pago Albersweiler non procul ab oppido Lindavio visæ sunt, quæ deinde primùm ad *Ludovicum* Bavariæ Ducem, deinde ad *Ferdinandum* Regem & alios Principes Imperii transmissæ memorantur ab eodem *Aldrovando lib. de monstris.*

Buglossum monstrificum. 12. Anno 1670. *Vratislaviæ* in publico foro venum expositum fuit buglossum sylvestre monstrificum, quod tam ob spectatorum curiositatem, quàm vulgi varias ac superstitiosas speculationes non solùm monstrosum, sed & prodigiosum fuit habitum. Fuit autem buglossum hoc sylvestre monstrificum magnitudine digitorum majorum, seu Unciarum geometricarum 25. longum, & paululùm flexuosum: latum verò palmi minoris imò quatuor unciarum, caule monstroso & latissimo fibrarum ordine in directum distante, floribusque copiosissimis & unâ saltem radice præditum. *Ephem. Germ.*

Aloë. 13. Aloë vulgaris, sivè Aloë Hispanica, Botanicorum semper vivum marinum scyllæ similitudinem referens solo aëre diu perdurat, si parietis indatur foraminulo, vel cum filo ad aerem pendatur, vel laquearibus appendatur. Unde nonnulli illam magneticè aërem attrahere & coägulare, vel ejus atomos allicitas sibi unire statuunt. Ratione æstatis olim creditum, quod centesimo floreat anno: compertum tamen breviori tempore flores emittere; uti *Salitiana* quædam post 55. & *Silesiana* post 31. annum copiosè effloruit. Quandò caulis erumpit ratione temporis, summa est varietas: à Majo autem plerumque usque in Julium à primo exortu caulis usque ad florum perfectionem. *Borellus cap.* 1. *obs.* 1. intrà 36. horas ad 28. palmos Gallicam succrevisse, & aliam Romanam 4. diebus nimis festinantem persuadere cupit. Caulem etiam cum terræ motu & strepitu summâ violentiâ ex Aloë perrumpere *Item* affirmat *Borellus.*

Plantago marina. 14. Inter plantas mirabiles rectè numerat *Cardanus de var. lib.* 6. *cap.* 21. quam appellant Plantaginem marinam, cujus folium mensæ formam cum quatuor cornibus refert. Vulgare etiam apud nos, inquit *Idem*, Labrum Veneris est, herba scilicet, quæ binis utrinque foliis in modum vasculi coëuntibus aquam colligit, ex quâ aviculæ in siccitatibus bibere solent, si aquam excutias, rorem colliges. Labrum Veneris.

Arbor hydragoga. 15. In Brasiliâ ad tractum, qui dicitur *S. Salvator*, in locis aridis reperitur arbor, in cujus ramis tam hyeme quàm æstate profundi scrobuli visuntur, qui aquâ

continuò

continuò ſcatent, nec tamen effundunt. Dicitur autem ad unam talem arborem quingentos homines commodè poſſe ſub ramis ejus conſiſtere, & abunde ſitim indè reſtinguere. *Acta Anglicana.*

Arbor diſtillans aquas. 16. Ferrea inſula, una Canariarum fluviis, fontibus, puteiſque carere dicitur: verum tamen unica in eâ arbor eſt, ut refert *Metellus*, muris uti fons circumdata; nuci arbori ſimilis; hæc aquam quæ pecoribus hominibusque ſufficiat è foliis ubertim ſtillat. Hanc arborem meretrix quædam ejus inſulæ, cum primùm inſula ſubigeretur, Hiſpanis prodidit, quam perfidiam â ſuis clam avecta ſupplicio luiſſe ſupremo dicitur.

Planta deſtillatoria. Fig. 1. 17. Mirabilis plane eſt planta *deſtillatoria* dicta, cujus radix ex terrâ humorem attrahit, qui beneficio radiorum Solis in plantam ipſam aſcendens per caules & nervos foliorum defluit, & in hoc naturali vaſe recipiente tandem reſervatur, donec ad neceſſarium hominis uſum adhibeatur. Receptacula hujus humoris quamdiu nondum ad extremam pervenerunt maturitatem, ſuperius operculo eleganter clauſa ſunt, quod interdum digitis preſſum diſſilit, hanc que dulcem limpidam, amabilem confortantem & frigidam ſuppeditat aquam, ita ut interdum ſex vel octo receptacula plus minus tantùm aquæ contineant, quantùm unius hominis ſitim maximâ cum delectatione bene reſtinguere poſſit.

Bandura Cingalenſium. Fig. 2. 18. Bandura Cingalenſium, vel *Priapus vegetabilis* planta eſt mirabilis Zeilanica, quæ in extremo foliorum folliculum pyriformem appenſum habet, cujus figuram videre licet *in Ann. 1. Decur. 2. Eph. Germ. obs.* 23. Nervus in dorſo folii excurrit, inde ligula nervoſa vel elater in ſummo apice folii incipiens & dorſum folliculi peniformis excurrens folium cum folliculo jungit.

Vermes & Serpentes ex foliis cujusdam arboris. 19. In *Chili* Americæ Meridionalis provinciâ arbor eſſe perhibetur, in cujus foliis vermes primò naſcuntur, qui dum in terram concidunt, in ſerpentes tandem mutantur qualium tota terra plena eſt. Cujus rei rationem vult eſſe *Kircherus in Art. Magnet. lib. 3. part. 5. cap. 1.* quod arbor per radices ad ſe attrahat ſuccum ſemine ſerpentifero fœtum, qui virtute Solis, ſuccoque arboris in vermes, ac inde in ſerpentes tandem animatos degenerent.

Catopa planta. 20. In Moluccis inſulis ac præcipuè in inſulâ, *Ternate* haud procul ab arce ejusdem nominis planta cum parvis foliis excreſcit, quam incolæ *Catopam* vocant: quæ hâc proprietate dotata eſt, ut ſi unum alterumve folium decidat, mox in papilionem convertatur. *Acta Anglicana.*

Arborſenſitiva Provinc. Guianæ. 21. In Provincia Guiana prope fluvium *Amana* dictum, parva arbor ſenſitiva excreſcit: mox enim, ut unum folium aliquod attingitur, convolvitur & dependulum ſe demittit. Si verò forfice vel unum folium diſcinditur mox omnia folia comprimuntur & convolvuntur; ad ſpatium verò dimidiæ horæ denuò ſe evolvunt, explicant & erigunt. Ita *Olf. Dapper in America.* Inter *Nombre & Dios & Paama* ad anguſtum tractum ibidem ingens ſylva ejusmodi arborum ſenſitivarum reperiri dicitur, ubi ſi ramus aliquis attrahatur, mox omnia folia cum magno fragore & ſonitu in ſphæras ſivè pilas convolvi dicuntur, itaque permanent, ut referunt *Acta Societatis Regiæ in Anglia.*

22. *Euſebius Nierenbergius* in ſuo *Plinio Indico* ſcribit de herbâ quâdam, quàm *mimoſam* vocat, quod manu admotâ ſeneſcat & marceſcat; manu verò remotâ priſtinum recipiat virorem, ſed non adeò celeriter, ut prius; ſingulis etiam noctibus Sole occidente ſeneſcit & ſiccatur quodammodò, ita ut contabuiſſe videatur; oriente verò Sole vigorem recipit; quantoque Sol magis fervet, tantò magis viret, totoque die & anno folia ad ſolem convertit. Eadem planta creditur eſſe, quæ ab Arabibus *Haret* nominatur. Herba mimoſa.

23. In Inſulâ *Quilola Mindanao* aliisque circumjacentibus frutex reperitur, cujus flos adeò conſtanter Solem intuetur, ut ne unguem quidem ab eo unquam declinet. Nam Sole primùm Æquatorem ſubeunte, atque in ortivo puncto conſtituto flos veluti gravi expergefactus ſomno ſponſi ſentiens præſentiam omni mox torpore excuſſo, expanſâque decoris ſui ſupellectile ultro obviam ei prodire videtur. Quod dum facit in utroque Horizontis puncto ſe parallelo quodam ſitu ita ad Solem diſponit, ut Meridiani tum Orientalem, tum Occidentalem faciem; in meridie verò flore tyrſo normaliter inſiſtente Horizontale planum perfectè referat; Verbo Hemicyclum Æquatoris diurnum ad motum Solis eâ conſtantiâ deſcribat, ut ſtipula centro ejus orthogonaliter infixa in limbo horario non ſecus ac in ſciaterico quodam horas diurnas deſignet. Sole verò ſe condente & flos intra calicem ſuum abditus usque ad ſponſi reditum quieti tantiſper ſe committit. Porrò Sole Auſtralia ſigna percurrente flos in Auſtrum declinans unà cum Sole Auſtrales, eo verò Borealia ſigna ſubeunte in Boream declinans boreales deſcribit parallelos: ita ut in uno flore tota ſolaris motûs ratio patefiat; quod ſane magnum Naturæ miraculum cenſeri debet, ut rectè etiam agnovit *Kircher. in Art. Mag. lib. 3. part. 4. cap. 4.* Frutex inſulæ Quilolæ ſ lem conſtanter reſpiciens

24. De Loto Ægyptiâ ſcribit *Theophraſtus lib. 4. cap. 10.* Naſcitur fructus in capite, modo quo in fabâ flos candidus liliis foliorum anguſtiâ proximus; multi ac denſi promiſcuè exeunt. Sole occidente ſe comprimunt, caput integunt; ad ortum aperiuntur, & ſuper aquam aſſurgunt, idque facit dum caput perficiatur, floresq; defluant. Capitis magnitudo quanta papaveris maximi, & præcingitur inciſuris non alio modo, quàm papaver; niſi quod in his fructibus frequentior habeatur, qui milio non ab- Lotus Ægyptia.

non abſimilis eſt. In *Euphrate* caput floreſque mergi referunt, atque deſcendere usque ad medias noctes, tantumque abire in altum, ut ne demiſſâ quidem manu carpere ſit: diluculò deinde redire, & ad diem magis ſole oriente jam extrà undas emergere floremque patefacere; quo patefacto amplius aſſurgere, ut plane ab aquis abſit alte. Hæc *Theophraſtus*; quæ omnia ſingulari ſtudio exanimata ab iis, qui dictas partes luſtrârunt, vera ſe comperiſſe ſcribit *Kircherus loc. ſupra cit.* Similiter & aliæ plantæ ſolaris corporis ſectandi aviditatem habere compertæ ſunt. Ita Calendulæ flos in ſolis ortu aperitur, in occaſu clauditur. Sequuntur etiam Solis Sphæram non modò papaver & illud tithymalli genus, quod vocant Helioſcopon, ſed etiam malva, lupini, cichorea ac plurimæ aliæ plantæ.

Lunaria herba.

25. Lunaria vel *Boriza* ſive herba Lunæ ideo dicitur, quod creſcat & decreſcat ad Lunæ viciſſitudines. Cum enim Luna habuerit ætatem unius diei, & planta hæc uno quoque folio augetur, durante hoc continuo foliorum augmento usque ad decimam quintam Lunam: Lunâ verò decreſcente tandem ordine ſequuntur foliorum acquiſitorum caſus, atque ita interlunii tempore omnibus orba foliis ſe condens veluti luctus agit.

Acacia.

26. Acaciæ folia à medio noctis puncto usque ad meridiem unà cum ſolis aſcenſu ità paulatim ſe explicant, ut grati hoſpitis comitatu plantæ veluti lætitia quadam geſtientes pulcherrimum foliorum apparatum non ſine intuentium admiratione exponant; Sole verò verſus Horizontem declinante eâ proportione ſe complicent, quâ ſe à Solis aſcenſu explicuerant, ita ut poſt Solis Occaſum folia in ſpinoſam ſobolem, Juniperorum adinſtar transmutata videantur; atque adeò diurnum Solis motum exprimant, quemadmodum annuum folia, Ulmi, Populi, ſimiliumque mox ubi ſolſtitii æſtivi punctum Sol attigit, foliis inverſis affectare ſolent.

Arbor triſtis.

27. In Provinciâ Malabar arbor pronaſcitur *Triſtis* dicta aut *triſte da notte*, quæ per totum quidem annum floret, ſed tantum de nocte. Quamprimum enim Sol oritur, omnes decidunt flores ne uno quidem relicto: poſt mediam verò horam ab Occaſu Solis abundat denuò novis candidis viſuique gratiſſimis floribus. *Lindſchott in itiner. Ind.* vide figuram. Aliud genus arboris eodem teſte ibidem reperitur vocaturque *Arbor de die*, quod contrario modo ſe habeat, floreatque diu; noctu verò floridam comam deponat.

Fig. 3.

Angelina.

28. In eadem terra Malabar propè urbem *Cochin* creſcit & arbor *Angelina* dicta ſatis alta & craſſa, in cujus tantùm vertice ramuli quidam progerminant, eſtque in medio craſſior quàm circà radices. Ex hâc ſolent Indi ſcaphas nauticas, quas *Tones* vocant, conficere in tanta amplitudine, ut 20. vel etiam 30. vaſa pro avehendis aquis capere poſſint. *Eraſmus Franciſci in Oſt-Indianiſchen Luſt-Garten.*

Fig. 4.

Saamoum.

29. In denſiſſimis Braſiliæ ſylvis mirabilis ſpectatur arbor *Saamoum* dicta, quæ ſuperiore & inferiore trunci parte communem & mediocrem habet craſſitiem, in medio verò multum protuberat. Totus etiam truncus undique ſpinoſus eſt. Ex ſpinis expreſſus ſuccus oculorum defectibus mirè opitulari perhibetur. Fructus hujus arboris ſunt piſa rubra oblongis ſiliquis recondita. *Idem ibidem.*

Fig. 5.

Arbor mirabilis humorem refugiens.

30. Arbor & palmæ ſimilis in Japoniâ, quæ aquas, omnemque humorem refugit, ita quidem, ut ſi truncus vel minimum humectetur, continuo marceſcat & intereat haud ſecus, quàm ſi veneno infecta fuiſſet. Quod ſi verò arbor arida cum radicibus exhumetur, & ad Solem penitus deſiccetur, deinde verò rurſum in novam terram implantetur cum arenâ appoſitâ & ferri ſcobe ſive ramentis; abſciſſi quoque rami ſi ferreo clavo denuò trunco affigantur: iterum revireſcit, novoque frondium & foliorum decore exornatur. *Alnoldus Montanus & P. du Val. Geograph. univers.*

31. In Americæ novo Regno Granatenſi arbores ſunt, quas *Zeibas* incolæ vocant, hoc ſpatio 12. horarum omnia folia dejiciunt, & intra idem ſpatium nova alia illorum loco acquirunt. *Joannes de Laet & Olfredus Dapper in America.*

Herba lignum attrahens.

32. In Indiæ Orientalis regno Bengala ſingularis quædam herba creſcit, quæ lignum tantâ vi attrahit, ut quaſi hominibus illud ex manibus eripere videatur, ut refert *Nierenbergius.* Similis quoque herba in Inſula Zeilan reperiri dicitur, quæ ſi inter duo ligna ad 20. paſſus à ſe invicem remota ponatur, nihilominus ea contrahit & conjungit, licet quis unum vel alterum lignum teneat, ſummâ tamen vi ita attrahit ut vix obſiſti queat. Ita *Du Val.*

Planta ab igne tuta.

33. In Tartariæ regno *Tanju* in ſaxoſis & petroſis locis excreſcit planta ab igne incremabilis & inconſumptibilis. Licet enim incaleſcat & præ calore etiam rubeſcat in igne; quamprimùm tamen denuò exempta & ab igne remota refrigeſcit, priorem formam recuperat. In aquâ nihilominus computreſcere ſolet. *Nieuhof.*

Babaras Judææ.

34. In Judæâ Regione mirabilis radix inveniri dicitur, ut refert *Joſeph. de bello Jud.* quæ *Babaras* dicitur. Hæc colore flammam imitatur. Circa Veſperum veluti jubar fulgurans accedentem & evellere cupientem tamdiu refugit, nec prius fugere deſinit, quàm urina muliebri aut menſtruo ſanguine conſperſa fuerit.

Sycomori lignum.

35. Sycomori lignum in aëre nunquam ſiccatur, in alveis tamen fluminum & aquarum gurgitibus celeriter. Cum enim, ut ait *Cardanus de ſubt. lib. 8.* humido præpingui abundet, aeri reſiſtit, ne ſiccetur. Ab aqua autem multis modis humidum diſſipatur.

Herba nunquam putreſcens.

36. Inter herbas, quæ in aquis naſcuntur, teſte *Cardano de Var. lib. 6. cap. 21.* genus eſt, quod in lacu Moraviæ, regionis cujusdam Scotiæ abundat; hujusmodi herba nun-


Planta destillatoria
Fig: 1.



Fig: 2.
Bandura Cingalensium sive Priapus vegetabilis.


Fig: 3
Arbor tristis.



Fig: 4.
Angelina.


Fig: 5.
Saamouna.





Fig: 6.
Papaye.

ba nunquam putrescit, etiamsi super campos sternatur, olorumque herba appellari solet, quod olores libenter illius semine vescantur. Cumque in fonte aliquo oriri cœperit, in paludem eum traducit.

Arbor non sentiens teredinem. 37. Apud Indos Occidentales *Cumanæ* provinciæ plantam vel arborem reperiri scribit *Idem Cardan. de var. lib. 6. c. 20.* cujus tabulis, si naves conficiantur, non sentiunt teredinem, Siarcæ: quæ reponuntur omnia bene olent. Quod verò mirum dictu est: Edulia tantùm amaroris contrahunt, ut esui ingrata reddantur.

Ficus bis in anno fructificat. 38. Ficui familiare est bis in anno eodem ferre fructum, primò rariorem & majorem, secundò tantò frequentiorem, quantò etiam minorem. Palàm est autem, ut scribit *Cardan. de subt. lib. 8.* omnem arborem præter ficum toties florere, quoties fructum editura.

Herba cum ferreâ medullâ. 39. In *Java* majore datur quædam herba, cujus medulla est ferrea ab imo usque ad fastigium, fructum quoque gignit ferro impenetrabilem, ut scribit Noster *Hirnhaim de Typho cap. 10.*

40. In Germania ad Danubium, & Hungaria vitium claviculi & folia sæpe in aurata spectari solent, quod latentis auri signum esse perhibetur.

Melt planta mirabilis. 41. Abundat juxta Mexinum planta mirabilis valde, quam *Melt* vocant; alii *Magnei*, cardui genus, crassitudine cruris humani, altitudine duorum hominum latior in imo, quàm supremo: circiter 40. habet folii crassa in imo & in spinam desinentia, lata; & ut cardui scapus in imo crassus, supra in acutum valde tendit. Spicam edit, florem & semen. Folia ardent ut tæda, truncus pro ligno est, tabulisq; conficiendis aptus, ejusque cinis lixivium optimum efficit. Antequam crescat multùm præciditur stipes & excavatur, destillatque aqua similis Syrupis vocatis: hæc cocta transit in mel: si repurgetur, saccharum: si aquæ immisceatur, tempore exiguo transit in acetum. Si fœcem auferant, fit vinum. Germina & tenuiora folia condiuntur. Succus viridium foliorum calefactorum super vulnera recentia positus ea celeriter sanat. Succus radicum, partiumque propinquarum cum germinant, cum succo absynthii mixtus sanat morsus vermium venenatorum. Folia eadem materiam præbent conficiendæ chartæ, qua ad picturam & sacrificia utuntur. Contexunt & ex filo ejus arbusti vestes, calceos, funeos & stamineos lectos: fermè enim illud commune est filis, ut pectinatim divisa idonea reddantur tenuibus telis: quod reliquum est, crassioribus funibus aut stagula. Aculei verò spinarum adeò robusti, ut veluti ferrum trajiciant tabulas; atque his sunt, non veluti acu, sed trajecto prius corio, aut panno inde immisso filo. Itaque constat hanc plantam post coccum esse utilissimam & pluribus usibus accommodatam. Ita *Cardan. lib. 6. de Variet. cap. 20.*

42. *Erasmus Francisci in horto Indico part. 1. pag. 626.* meminit arboris in Americâ, cujus flores instar cordis effigiati ex multis candicantibus foliis constant, qui intus rubent, ac mirum suavitatis exhalant odorem, cor etiam mirificè confortare & recreare dicuntur: Unde & ab Indis magno in pretio haberi solent.

43. In Chinæ provinciâ Chechinang, ut *Kircher.* tradit *in Chin. ill. part. 4. cap. 6.* juxta urbem *Sungiang* pinus spectantur tam insolitæ crassitiei, ut plurium hominum amplexum non detrectent, imo quæ intra trunci corticem ad 38. homines contineant, ut P. *Philippus Marinus* quoque dè nonnullis arboribus in Tinchino recenset, uti & de arundinibus tantæ crassitiei, ut quot internodia sint, tot ex iis vasa, quæ Barilia vocamus, conficiantur. Pinus insolitæ crassitiei.

44. Antillæ insulæ arborem ferunt, quæ *Papaye* vocatur. Hæc in 20. pedum altitudinem exsurgens, nec frontes nec ramos ullos emittit, sed tantum ex prælongis petiolis triangularia profert folia. Suprà truncum verò & circà ipsum in cortice fructus enascuntur cotoneis persimiles. Ejusmodi arbores reperiuntur etiam in insulâ *S. Crux* appellata, quæ tamen plura habent folia, & cortice flavo cum rubeis striis integuntur fructusque proferunt mulierum mamillis persimiles optimi saporis. *Dapper in America.* Arbor Papaye. Fig. 6.

45. In *Bryoniæ* albæ radice inventam effigiem humanam, & adhuc in publico Musæo Bononiensi conservari testatur *Ambrosinus & Aldrovandus demonst.* Rudimentum quoque integram hominis figuram referens in radicibus Mandragoræ & Bryoniæ conspici *Idem* asserit. Dono quoque *Aldrovando* radix data est, quæ artificiosè hominis simulacrum figuravit. Effigies humana in radice Bryoniæ.

46. In filicis radice certa lege sectâ Naturam depinxisse Aquilam imperialem scribit *Kircher. Art. Mag. Lum. & Umb. lib. 10. part. 1. cap. 2.* In radice quadam ab effectu ὀφιώδης dicta serpentem adumbrâsse, *Idem* memorat. Astragali quoque radicem stellarum habere imagines. Aquila imperialis in filicis radice.

47. In ligni *Quiaci* trunco caput caninum cum perfectâ avis figura pinxisse *Idem* meminit; ut & in ramusculo pyri adhuc tenero sectoque casu imaginem pectoralem figuræ ovali inclusam se invenisse eâ industriâ à Natura insitam, ut cum arte concertare posse videretur. Aliæ figuræ in plantis.

48. Truncum cujusdam arboris cuneo dissectum in interiori facie sequentia verba Danica expressa ostendisse. JENS HAMERS HOLTER AFF KONGEN ARBEDT FOR ENTIFF. Refert *Hirnhaim de Typho. cap. 9.* Verba Danica.

49. Furem in patibulo pendulum in fago à lignario dissectâ Naturæ penicillo mirabiliter depictum, & in alio ligno, quod priori cohæserat, partem scalæ, quâ in suspendio carnifices uti solent similiter effigiatam memorant *Ephem. Germ. Nat. Cur. Decur. 2. Ann. 7. obs. 239.* Figuræ ipsæ non adeò profundè ligno immissæ erant sub nigro colore conspicuæ: reliquæ partes consuetum ligno fagino servabant colorem. Anno quoq; 1628. in dissecta pomo arbore propè *Harlemium* in Bataviâ fœminarum, Episcoporum, Furis imago in fago dissectâ. Fig. 1.

coporum, chelium & plurium aliarum rerum imagines. Naturæ penitus effigiatas referunt *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 6. & 7. obs. 239. & observ. 4.* ibidem memoratur *Francofurti* ad Mœnum à percelebri Medico *D. Scheffero* propè eandem civitatem repertum esse frustum ligni, in quo Natura ordinatissimam stellam cum sex radiis mirè exaratam exhibuit.

Pyri fructus mirabilis. Fig. 2. 50. Anno 1644. circâ finem Junii Stutgardiæ in horto aulico Arbor pyrifer fructum longioribus pediculis ferens (german: Langstielerbirn) pyrum notabilis magnitudinis facie humana insignitum, circa ejus umbilicum octo foliolis instar coronæ ornatum, ac exindè duos surculos tenellos in eorundem apicibus efflorescentes, de se in utroque latere sursum spargens, effundensque protulit; quod pyrum Serenissimo Principi Wirtembergiæ oblatum fuit. *Ephem. Germ. Cur. Decur. 2. Anno 6. obs. 127.*

51. Nummum argenteum grossum, scilicet Imperialem Anno 1645. cum effigie Augustissimi Ferdinandi III. Imper. excusum in rapâ, cui cordis loco increverat, esse repertum memorant *Ephem Germ. Cur. Decur. 2. Anno 2. observ.* 133.

Arbor sævum producens. 52. Narrat *Atlas Sinicus* in provinciâ *Che Kiang.* arborem nasci, cujus fructus pinguedinem adinstar sævi producat tantâ copiâ, ut ex illa collectâ candidissimæ candelæ conficiantur, quæ manus non inficiant, quâcunque tandem ratione tractentur, neque extinctæ fœtorem ullum exhalent. Descriptionem vide apud *Kircherum in China illust.*

Fructus arboris exterius semen proferens. 53. Nascitur in Chinâ arbor teste *Kirchero in Chin. illust. Kagiu* dictâ, bis in anno fructus producens, quæ inversâ ratione semina non intus sed exterius in capite portat. Alius est Fructus cauli insistens, Ananas dictus tanti, & tam exquisiti saporis est, ut inter nobilissimos Indiæ & Chinæ fructus primum facilè obtineat locum. In hac verò plantâ hoc admiratione dignum est, quod non solùm semina in terram projecta, sed & surculi, quin & folia ipsa terræ implantata novas similesque plantas & fructus producant, adeò ut spermatica vis omnibus hujus plantæ partibus insita sit.

Ficus paradisi. 54. In *Hainam* insulâ Sinicâ, provinciisque *Quamsi Fockien & Quantung* arbor seu potius arbustum quoddam reperitur, ut Idem scribit, quod semestri spatio ex sex vel septem foliorum medio ramum multiplici fructuum dulcissimorum ficuum adinstar, fœturâ onustum sine ullis foliis producit. Folia tamen hujus plantæ in tantam amplitudinem dilatantur, ut homo commodè sese illis involvere queat. Nonnulli fructus nominant *Ficus Paradisi*, Protoplastosque post innocentiam deperditam istiusmodi foliis se vestivisse arbitrantur.

Pelonie Fig. 3. 55. Arbor quoque in Chinâ reperitur, quæ ob pungentium spinarum multitudinem à Sinis Po-lo-nie appellatur. Hæc quamvis amplissimis foliis oneretur, neque fructum tamen, neque florem in iis fert ullum, sed in trunco producit cum tempore fructum tuberosum tantæ vastitatis, ut singulis portandis singuli homines sint necessarii. Cortex ejus spinosus est, & melleos fructus cortici concavitati sub pulpâ adnatos monstrat: Nucleus tostam castaneam sapit, fructus plures in uno fructu, veluti in bursâ quâdam reconditos habet, & quemadmodum *P. Michael Boimin suâ Florâ Sinicâ* docet, tantæ granditatis, ut vel unicus fructus decem aut viginti hominibus ad comedendum sufficiat: Unde non incongruè saccum melleis fructibus confertum Sinæ nominant.

56. Ad Indiæ tam flumina quàm loca alia palustria arundinum copiam ita crassarum reperiri scribit *Diodorus lib. 2. cap. 5.* ut nequaquam homines ulnis ea complecti queant. Ex his autem & naves optimas fieri memorat ibidem. Ingentes arundines.

57. *Gorgonis* arboris rami præcisi humorem quasi sanguineum sudare dicuntur, eò rubicundiorem, quò propiùs ad radices cæduntur. *P. Fournier Geogr. orb. not. part. 1. lib. 7. cap. 15.* Succus instar sanguinis ex ramis arboris.

58. *Joan. Baptista Tavernier* memorat *in suo itiner. Orient.* se in Saxoniæ castro, quod *Augustoburgum* nominatur, arborem vidisse, quæ usque adeò ramos suos extendit & dilatavit, ut sub iis tot mensæ fuerint dispositæ, quot sunt dies in Anno. Arbor ingentis amplitudinis.

59. In Indiæ Orientalis Regno malabrico stupendæ magnitudinis arbor enasci dicitur *Atti-meer-alou* indigenis vocata, caudice quinquaginta plerumque ambitu: cujus generis in Provincia Cochinensi propè templum *Beykam* habetur, quæ bis mille annos vixisse dicitur. *Hortus Malabr.* Arbores altissimæ.

60. In Insulis fortunatis Arborum proceritatem ad 144. pedes adolescere prodidit *Sebosus*. In Insulâ Barbados Antillarum unam palmitas regules dictas sesquipedali non majore trunci diametro ad trecentorum pedum altitudinem adolescere notavit *Ligonus*. Arboris in Insulâ Cypro natæ meminit *Matthiolus*, quæ ad 144. pedum altitudinem excrevit.

61. Sylvestris circà *Memphim* regio, referente *Plinio*, tam vastas arbores producere dicitur, ut terni viri eas circumplecti nequeant. Arborum ad Gambræ fluvium nascentium 37. pedum diametro meminit *Julius Scaliger*. Alii in *Nicaragua* & *Gambra* arbores tantæ crassitudinis nasci referunt, ut 17. homines ulnis extensis eas ægrè complecti possint.

62. *Dn. Robertus Plot in Pist. Natu. Oxon.* Quercum memorat inter *Newenham Courney & Clifton* spectari, cujus diameter ab extremo ad extremum ramorum extensorum est 81. pedum aream 560. ulnarum quadratarum inumbrans, in quâ 2420. homines commodè consistere possunt: Et aliam adhuc majorem propè januam Quercus exoticæ magnitudinis.




Fig: 1.
Furis imago
in fago dissecta.


Fig: 2
Fig: 3
Polonie Arbor.
Pyri fructus mirabilis Stutgardiæ
in Aulico horto natus A. 1644.


Fructus Polonie apertus.

nuam ambulacrorum Collegii Magdalenensis Oxonii, cujus rami â caudice ad 16. ulnas extenduntur: aliam denique *Ricoti* in parco Baronis *Dom. Norreys*, cujus rami à trunco 54. pedes porrecti, 304. equitibus, peditibus verò 4374. opacandis sufficiunt. Aliam hujus generis memorat idem in vireto de *Kidlington* Comitatus Oxoniensis adhuc stantem, cujus interior cavitas carceris extemporanei usum præstat: ei etenim incarcerandos tantisper includere solebant, donec ad carcerem publicum commode transmitti possent. Quercuum etiam nonnullarum in Westphalia incredibilis vastitas perhibetur, quarum altera Arcis & Propugnaculi loco munita, altera 130. pedes alta, 30. verò pedum diametro esse fertur. De celeberrima quercu Basileensi vide *Urstisium in epitome Hist. Basil.*

Ingentis platani descriptio. 63. Platani ingentis meminit *Plinius lib.* 12. his verbis. *Nunc est clara in Lycia gelidi fontis socia amœnitate itineri opposita domicilii modo cava 80. atque unius pedis specu nemoroso vertice, & se vastis protegens ramis arborum instar agros longis obtinens umbris: ac ne quid desit speluncæ imagini saxea intus crepidinis corona muscosos complexa pumices: tam digna miraculo, ut Licinius Mutianus ter Consul & nuper provinciæ ejus legatus prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodevigesimo comite large ipsa toros præbente fronde ab omni afflatu securam, optantem imbrium per folia crepitus latiorem, quam marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro cubuisse in eadem.* Ita *Plinius*

Tiliæ admirandæ magnitudinis. 64. Tiliam admirandæ magnitudinis & staturæ *Depehamiæ in Norfolciâ* à se visam & mensam literis ad *D. Joannem Evelyn* datis describit clarissimus vir *Thomas Brown* Norwicensis, cujus hæ dimensiones erant. Trunci ambitus gracillima sui parte duobus supra terram ulnis 8½. minimum ulnarum, sivè 24. pedum erat. Imâ parte terræ & radici proximâ 16. ulnarum: superius ad cubiti distantiam 12. ferè ulnarum: Altitudo ad summos ramos 30. Tiliam illam famosam Tiguri in Helvetia omnibus dimensionibus superans: an à quaquam in Tilicetis externis hoc genus arborum excedatur, incertum. Nam prodigiosa illa *Neostadii* in Ducatu Wirtembergensi, conspicienda tilia ob enormem magnitudinem tantopere celebrata, ut ipsi etiam urbi cognomentum dederit Germanis Neüstadt an der grossen Linden inde dictæ, humilior fuit, ut cujus trunci circumferentia non plus 27. pedum & 4. digitorum erat; ramorum extensorum ambitus 403. ejusque diameter à Meridie ad Septentrionem 145. ab Oriente ad Occidentem 119.

Taxi ingentes. 65. Taxum ingentem describit *D. Evelyn* ita citante *D. Joanne Rajo in Hist plant. lib.* 1. *cap.* 22. in Cæmeterio Ecclesiæ de *Crowberhst in Surreia* decem ulnarum ambitu: & aliam annosam visendæ magnitudinis in cœmeterio Brabournensi *in Cantio* cujus truncus 58. pedum & 11. insuper unciarum erat in circuitu; unde colligitur diametrum 20. ferè pedum fuisse.

66. Salicis enormis crassitiei meminit *D. Plot in Moravan* Moraviæ pago crescentis intus concavæ 27. pedum ambitu. Salix enormis.

67. Pyrum propè *Rossam in Herefordia* 18. pedum ambitu memorat *D. Evelyn*, quæ septem quotannis dolia majora pyracei exhibuit. Ait & fraxinos in Essexiâ 132. pedes longas esse venundatas. Plures alias exoticæ magnitudinis arbores sæpè præfatus Author memorat. Pyrus ingens.

68. Accidit, prout *Laurentius Surius in Chron. ad Annum Dom.* 1559. annotavit, in ea regione Angliæ, quam Veteres *Cambriam*, hodiè verò *Walliam* vocant. Annosa quædam fraxinus vi tempestatis fuit dejecta trunco ad septem pedes è terrâ extante, qui verò cum in mediâ sui parte ventorum turbine dissectus esset, in parte ejus inferiore crucis admirandæ effigies humano pede longior colore nucisavellanæ apparuit. Ager in quâ arbor diffracta est, hominis fuit non vulgaris, sed torquati Equitis. Et quod majori admiratione dignum est, ea arboris pars, quam Ventorum impetus à trunco avulsam humi statuerat, eandem omninò figuram crucis referebat: atque ut ad plurimorum notitiam stupendæ rei miraculum perveniret, crux illa pluribus annis perduravit non sine stupore eam adspectantibus hominibus, qui frequenter eò confluebant rei novitate permoti. Prodigii verò loco habitum fuit, quod eo tempore, quo impia *Elisabetha* piissimam *Mariam Stuartam* regnò exuit, & Calvinistis aliisque sectariis infestis sacrarum imaginum hostibus omnem debacchandi permisit libertatem, qua deinde immaniter in statuas & sacras imagines sævitum est, & à Templis ita illic exturbatæ fuerunt, ut nihil ab Ethnicorum delubris usque in hodiernum diem differre videantur. Admiranda crucis effigies in dissecta fraxino.

69. Lubet tandem his annectere brevem & genuinam, juratisque fide dignissimorum virorum testimoniis, nec non & Archiepiscopali authoritate confirmatam in dissecta fago reperti SS. Nominis JESU relationem, prout mihi *Colonia* ab ordinis nostri Religiosis transmissa fuit. *Hermannus Cuchenheim* civis Rhenobacensis vir à vitæ & morum integritate inter suos commendatus hyemi consulturus Anno 1681. quinque adolescentiores fagos in sylvâ Rhenobacensi dimidiæ ab oppido horulæ spatio juxta regiam Trevirorum viam dissitã sibi coëmerat, quarum unam nepoti suo *Joanni Thynen* 15. annorum adolescenti in partes diffindere præcepit; qui dicto obediens securim renovatis iteratò viribus in lignum impingit; quod dum in quatuor frusta dispartitum à terrâ levare vellet: nebulam quandam aut nebulæ similem telam quasi araneæ ligni medullæ offusam videre ratus paululò curiosius intuetur; sed rei insolentia obstupefactus avunculum alteri tunc

tunc forsan operi intentum inclamat; quâ nepotis sui voce accitus accurrit, mysterium observat, & SS. nomen JESU fusco in nigredinem defluente colore ex utrâque fagi divisæ parte binis duntaxat literis I & S incaute securis ictu nonnihil mutilatis in ipso arboris corde nitidissimè expressum advertit. Quare admiratione plenissimus lignum jam in frusta quaterna divisum in pristinam formam componit, suisque, ne quid periret, illigatum vinculis domum reportat, quod in cubili juxta lecticam collocatum Hermanni uxor ex morbo diuturno afflicta occulta veneratione honorando in virium suarum restaurationem quotidianæ suæ devotionis manifestum dicitur sensisse solatium. Mansit autem hoc arboris prodigium nescio quo fato in occultis per menses omninò 16. usque dum *Henricus Wilbelmus* sartor & civis Bonensis *Rhenobacum* excurrens lignum hoc in ædibus *Luchenheim* juxta lecticam, ut superius dictum, repositum cum admiratione conspicit; & quia cultu majori dignum judicabat, sibi donari petit, asseritque, quod illud *R. P. Henrico Salm* strictioris Observantiæ in conventu Coloniensi tum Guardiano affini suo ad augendum SS. nominis honorem offerre vellet. Annuit non invitus *Henrici* postulatis *Hermannus Cuchenheim*: quo insperato munere superbiens illud 2. die mensis Junii *Rhenobaco Bonnam* per famulum suum asportari curat. Sub idem verò tempus divina omninò providentia contigit, ut Serenissimus Elector & Princeps Imperii *Maximilianus Henricus*, quem communis bellorum calamitas hoc ipso malo involutum *Coloniæ* ab Anno 1673. in D. *Pantaleonis* monasterio tenebat, *Bonnæ* revisendæ desiderio, animique gratia tractus 1. die Junii in nomine JESU (hæc Serenissimi fuêre verba) rhedam ingressus itineri se voluit committere: Quo perveniens ab urbis Gubernatore Generoso & gratioso D. *Wilhelmo Hermanno* L. Barone de *Enschering* pro danda ex more tessera militari submisissimè rogatus familiarissimum sibi & cordi suo impressum nomen JESU præ omnibus elegit. Postridiè verò, quæ erat 2. dies Junii, qua & Serenissimus *Coloniam* iterum redire voluit, *Joannes Bernardus Schorn* Serenissimi quondam Artographus seu panescriba sartoris supra dicti domum ingressus lignum, quod vix duas ante horas *Rhenobaco* delatum fuerat, â sartore sibi monstratum avidâ manu præhendit sive quod hoc munere Serenissimi gratiam, qua exciderat, de novo sibi promereri se posse speraret, sivè quod Serenissimo potius quam privato hoc istud prodigium permitti debere judicaret, sartore ne quicquam renitente lignum pallio involutum ad Serenissimi jamjam abiturientis aulam defert, & aulæ Magistro Generoso D. *Joanni Wilhelmo* L. Baroni *de Roest.* ostendit, qui ligni similiter admiratione perculsus, illud Serenissimo post absoluta divina ad abitum composito, rerumque ignaro, postquam familiare sibi, & quotidianum dictum (in nomine JESU *Coloniam* regredimur) pronuntiâsset, ex inopino præsentat. Videbatur quidem primo intuitu ligneum hoc donum Serenissimo aliquantulum displicere: sed cum nominis JESU interius latens mysterium adverteret; gaudii & affectuum piorum plenus venerabunda manu lignum amplexatus *Coloniam* secum detulit; ubi post accuratissimam rerum omnium in tabulas relatam, & instrumentis publicis firmatam inquisitionem Serenissimus Elector sacrum hoc lignum argento divite vestitum publicè omnium devotioni exponi voluit, ejusdem & nominis *Bonnæ* sumptuosam Ecclesiam: In loco verò præcisæ arboris transeuntium Viatorum excitandæ venerationi & nominis JESU in fago reperti nunquam moriture memoriæ sacellum exstrui curavit. Abinde etiam hoc SS. nominis prodigium multis clarere cœpit miraculis, quæ aliis describenda relinquimus: nobis autem hic ista recensuisse sufficiat. De admirandis pluribus aliis vegetabilibus quoad eorum structuram, partium constitutionem, variarum rerum exhibitionem consule *Everh. Gvernerum Happelium in Mundo mirab. part. 3. lib. 24. per plura Capita.*



CAPUT

CAPUT XV.

Admirabiles quædam virtutes, vires ac operationes quorundam Vegetabilium recenſentur.

Arbor Aquapun miræ virulentiæ.



Narrat *Herrera in Hiſtor. Amer.* in novo Regno Granatenſi arborem *Aquapun* dictam eſſe tam potentis virulentiæ, ut Hiſpani primùm exitialis facultatis ignari ſub umbrâ ejus dormientes, hydropicorum inſtar immodico omnium membrorum tumore diſtenderentur: Barbaros quoque nudos aut ebrietate ſopitos ſub ipſâ diutius commorantes ruptâ nimio tumore cute omnibus fuſis inteſtinis miſerando quodam mortis genere interire.

Mandicocca ſivè Hyucca Americæ.

2. Mira ſunt valde, quæ traduntur de plantâ quadam venenoſâ Americæ, quàm *Mandicoccam*, alii *Hyuccam* vocant. Succus hujus radicis primò expreſſus adeò perniciofus, viroſuſque dicitur, ut qui eum ſumpſerit, ſine ullo remedio perire neceſſe ſit. Si verò ſecundo caloris gradu coquatur; jam perdito veneno acetum fit acerrimum omnibus uſibus aptum. Si verò ulteriùs coquatur, in melleam prorſus dulcedinem abit. Succo verò omni expreſſo, & aridâ radicis maſſa contuſa & aquâ ſubacta panis efficitur toti regioni communis non indigenis tantùm ſed & exteris. Adeoque herba omnium venenoſiſſima ritè præparata neceſſarium, ſalutiferumque alimentum, acetum, mel, panemque mortalibus præſtat. Magis adhuc admiratione dignum eſt, hujus plantæ virulentiam in Hyucca tantùm inſulanâ, id eſt, Cubâ & Hiſpaniola, cœteriſque Americæ adjacentibus inſulis notari: in continenti verò Novi Regni terrâ hanc plantam, uti *Kircherus* ex PP. ſuæ Societ. qui multos annos in dictis locis commorati ſunt, oretenus accepit, totam quantam ſivè coctam, ſivè crudam, ſivè ſucculentam, ſivè aridam ſalutiferam eſſe & innoxiam nullo prorſus veneni relicto veſtigio. Quomodo autem & unde hoc accidere poſſit, explicat *Kircher in Mundo ſubt. lib. 9. ſect. 2. cap. 6.*

Mirabilis planta venenoſa Novæ Hiſpaniæ.

3. In Novæ quoque Hiſpaniæ Epiſcopatu *Antequera* circa vallem *Guaxaca* dictam, mirabilis planta venenoſa reperitur, quæ ubi recens alicui in cibo vel potu datur, mox interficit; ſi exſiccatur & quocunque transfertur, pro ratione temporis, quo abſciſſa eſt, occidit; ita ut ſi per annum decerpta jacuit, poſt annum interficit; ſi per menſem, poſt menſem etiam mortem affert. *Olf. Dapper in Americâ.*

Apium riſus.

4. Scelerata eſt herba, quæ *Apium riſus* dicitur, quod ridendo homines interficiat. Si quis enim guſtaverit jejunus, utique ridendo exanimabitur ut *Apuleius* tradit. Unde & proverbium natum: *Sardonius riſus.* Vocatur enim & *Sardonia.* Porrò non ex riſu, qui hanc guſtaverint, moriuntur, ſed potius, ut placet *Saluſtio*, nervos labiorum & oris muſculos illius qui comedit, contrahere facit, adeò, ut ridendo mori videatur.

Gelotophylis planta.

5. In Bactris etiam & circà Boryſthenem planta provenire dicitur. *Gelotophylis* vocata, quæ ſi cum vino & myrrhâ bibatur, varias efficit, obſervari ſpecies, ridendi finem non fieri. Impeditur vis ejus impoſitis ex palmeo vino, pineæ nucis, pipere & melle additis. Idem efficit *Arum* ægyptiacum devoratum.

Umbra laricis valdè noxia.

6. *Carolus Cluſius in Exotericis* tradit, quod in Americâ Laricis genus ſit, ſub cujus umbrâ dormientes tam potenti delirio invadantur, ut expergiſcentes extra ſe facti inde miros aſſumant mores: alios prophetas agere, quoſdam milites, nonnullos mercatores, unumquemque id tunc temporis agere, ad quod eum naturalis incitat propenſio.

Solani maniaci effectus.

7. Solanum maniacum, ut tradit *Dioſcorides*, varias efficit ſpecies, imaginesque non injucundas cauſat, ſi ejus radicis dragma ex vino bibatur.

Theangelides.

8. Theangelidem in Libano Siriæ naſci ſolitam ab homine devoratam futura eum præſagire dicunt, quod tamen non ita facilè, ut aſſeritur, credi poteſt.

Planta lymphaticæ Hiſpaniolæ.

9. In Hiſpaniola inſula Occidentalis Indiæ *Cobobba* planta dicitur eſſe Lymphatica, quæ ſolo odore inebriat & phanaticos reddit. Herbam hanc credit *Cardanus de ſubt. lib. 8.* è ſtramoniæ genere eſſe, quæ ſi bibatur, in furorem vertit. Nullo modo verò ſimilis eſt ei, quam Turcæ *Aſſeral* vocant, cujus apud eos plurimus eſt uſus, quod non ſolùm lætos reddat & alacres, ſed etiam curam omnem ac metam pellat, ut ad munia etiam belli ſint promptiores.

Solatri majoris vis.

10. Solatri majoris ſivè herbæ *Bella donna* radicis virtus mirabilis hæc eſt: Si contrita & exſiccata unius ſcrupuli pondere per horas ſex vino infundatur, illudque facta collatura jejuno homini ita potandum præbeatur, efficiet, ut ille cibum guſtare nequeat: Sanatur talis verò confeſtim aceto bibito. Idem facit radix Aron, ſivè minoris ſerpentariæ in Acetaris recens contrita: qui enim guſtaverit, apparebit ſuffocari cibumque relinquet. R. Aron.

Daturæ virtus ad riſum.

11. Mira eſt Daturæ potentia in faſcinandis, ut ita dicam; hominum mentibus adeo, ut qui flores vel ſemen ſumpſerit, à riſu, cachinniſque non deſiſtat, donec mens alienata ex planta viribus in priſtinum reddat temperamentum. Apud Indos *Datura* à furibus uſurpatur: flores enim vel ſemen in cibos eorum, quos deprædari volunt, miſcent, & in mentis alienationem ac riſum concitant: itaque furandi parant induſtriam. Durat illorum riſus & mentis error 24. horarum ſpatio. *Ex Garcia ab Horto.*

Folia arboris visu privantia, & alterius visum restituentia.

12. Haud longè à Brasiliâ in insulâ, quæ nominatur aliàs *Fernando di Noron ha*, arbor jucundissima esse dicitur, cujus folia Lauri foliis haud dissimilia. Quodsi autem quis folium hujus arboris attigerit & manu deinde faciem ac oculos attrectârit; mox visu privatur cum maximis oculorum doloribus. Distat autem non longe inde alia quædam arbor, cujus foliis, si oculi affricentur, visum restituunt, & dolores auferunt. Ita *Joan. de Laet.* De arbore excæcante, vide etiam *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 3. obs. 22.*

Vis inflammatrix Chamæleontis nigri.

13. *Chamæleontis* nigri radix eâ virtute pollet, ut cuti applicata ipsam adeò inflammet, ut nec Squillæ, nec urticæ ullæ centesimâ parte, ita adurant. Prurigo tamen non adeò celeriter se prodit: post unam enim alteramve horam cutis inflammari adeò solet, ut quò magis ea confricatur, eò prurigo magis excitetur. *Vide Hoockium in micrograph. observ. 25.*

Tetlatia sive Guao.

14. In Regione circà *Mexicum* arbor *Tetlatia*, aliàs *Guao* dicta virides promit fructus cum succo intus lacteo igneæ planè virtutis, adeò ut animalia ad prædictam arborem se affricantia forti adustione sua depilare solet. Quod ipsum quoque hominibus contingere dicunt, si in illius umbra somno succumbunt. Cortex econtrà frigidæ & siccæ naturæ comperitur sicut & aqua, in qua fructus decoquitur valde salubris perhibetur: succus verò lacteus lepram & Elephantiasim curare dicitur: sanis verò membris illitus, adurit ea atque scabie & pure inficit. *Erasmus Francisci* in Ost- und West-Indianischen Lust-Garten.

15. In Africæ Regno *Congo* palmæ genus enasci perhibetur, cujus folia aptissimè conferunt pannis texendis, qui sericis etiam æquiparantur. *Olf. Dapper in Africa.*

16. In ejusdem Africæ Regno *Soffala* arbor nascitur, quæ per totum annum nullum emittit folium. Quon si verò ramulus 10. annorum abscindatur, & in aquam immittatur, intra 10. horas virescit, & folia ubertim profert: quamprimum verò rursum extrahitur ex aqua, continuò folia dimittit. *Du Val. Geogr. univers.*

Arbor mortem aut reconvalescentiam, in morbis indicans.

17. In Peru arbor invenitur mirabilis, quæ *Theomat* vocatur, ex qua si infirmo ramus in manus detur, ac infirmus inde exhilaretur, signum est, quod denuò convalescat. Quodsi verò tristetur, nec signum aliquod lætitiæ exhibeat, certum signum perhibetur mortis mox secuturæ. *Erasmus Francisci* in Ost-West-Indianischen Lust-Garten.

18. Mirabilem arborem in insulis Philippinis reperiri tradit *Kircher. in arte Magnet. lib. 3. p. 5. c. 1.* cujus folia orientalem respicientia plagam salutifera, occidentalem verò plagam versus venenosa sunt.

19. Urticæ folia in lotio infirmi posita vitam vel interitum præsagire dicuntur. Si enim recens planta excerpatur, ac 24. horarum spatio in ægri lotio asservetur; utique si viridis colore permanebit, ex multorum experimentis salutem & vitam infirmi significare dicitur; Sin autem haud viridis permaneat, coloremque mutet, mortem vel grave periculum denotare. *Baricellus ex Castore Durante.*

Incessus per herbas salutiferas aut noxias.

20. Observatum est, ut scribit *Kircher. in Mund. subt. lib. 12. sect. 4. cap. 5.* inflammari vulnera, ulceraque eorum, qui pedibus iter confecerunt per loca perniciosis plantis scatentia; ut sunt cicuta & reliqua aconitorum genera: contra verò sanari morbos, ubi ab itinerantibus vulneratis salubres calcatæ fuerint, uti de plantaginum speciebus ferunt. *Hemionitidis* etiam contactu spleneticos sanatos, comitiales suspensa collo *Pœoniæ Romanæ* radice; Ictericos substrato in calceis nudis pedibus *majori Chelidonio*, aut *pastoria bursâ* referunt Botanici *Aconitum Pardalianches* fœminis necem afferre; tamdiu quempiam lippitudine haud tentari observatum est, quamdiu is *sylvestris ruminis radicem* secum nitidissimè habuerit. Desinet stranguariâ cruciari, qui *tamarisci lignum* ardens suâ extinxerit urinâ. *Taxus* quoque *barbatus* canali urinario applicatus mox laborantem disuriâ sivè difficultate urinandi laborare solet. Inguinis tumorem haudquaquàm iis succrescere putant, qui *myrti* surculum secum gerunt. *Scordii* contactu præservari cadavera non solùm *Mithridatis*, sed & *Galeni* testantur monumenta.

Herbarum quarundam attactus.

Narcotica vis cujusdam herbæ.

21. *Therionarca* in Cappadocia, & Misia nascente omnes feras torpescere, quibus fuerit admota, nec nisi Hyænæ urinâ aspersâ recreari tradidêre Veteres. Verùm id omnes herbas narcoticâ vi præditas ac Solanorum species, *Stramonum* & similes præstare notum est, comestas tamen.

Herba causans terrores serpentum.

22. Ophiusa in Elephantina Æthiopiæ nascitur livida & horribilis aspectu, quâ pota terrorem minasque serpentum observari, ita ut mortem sibi eo metu conscicant, qui biberint. Adversari tamen ei dicunt palmeum vinum.

Radicis Carlinæ virtus.

23. Radicis Carlinæ, quæ aliàs *Cheleb & Chamæleon albus acaulis* dicitur, vis mira est in defatigando: plena enim succo & viribus evulsa mumiæ humanæ contemperata tanquam fermento, ex homine, cujus umbrâ premitur, vires & robur naturale in portantem trahit. Exemplum clarissimum *vide infra cap. seq.*

Herba ossifraga Norvegiæ.

24. In Norwegia datur herba *Ossifraga*, quæ ferè ad *junci* speciem accedit, pollet que mirabili vi emolliendi jumentorum ossa, si illa vescantur: adeò verò boum, si eâ vescantur, ossa emolliri dicuntur, ut non tantùm ad ambulandum fiant inepta, sed etiam baculo quasi circumvolvi queant. Non tamen inde mori dicuntur. Curari verò possunt, si ipsis ossa exhibeantur alterius animalis hujus herbæ esu perempti. Magis autem

gis autem videtur mirum, quod incolæ ex herbâ illa ipsa medicamentum conficiant pro ossibus glutinandis.

Herba, quæ firmat ossa. 25. Contrà meminit *Jacob. Bontius lib. 5. med. ind. cap. 33.* herbulæ, quæ semen fert instar hordei, sed nigrius & hirsutius in Malacâ, & continentis quibusdam Indiæ locis crescentis, quæ ossa adeò firmat & roborat, ut si eo succo solum modò dentes imbuantur, silicem in pollinem redigere possint.

Arbor mollis. 26. Arbor *mollis* dicta *Cardano* docente *variet. lib. 6. cap. 20.* Quæ fructum sola fermè fert inter arbores, quæ inter montes crescunt folio parvo, odore fœniculi, hujus cortex adeò salutaris est, ut si aquæ incoquatur, solvat lotio lassitudines ac tumores: ramuli gingivis ac dentibus utiles sunt, cum eis dentes fricantur purganturque. Fructum fert exiguum, qui incoctus aquæ solâ coquendi diversitate mel, vinum & acetum facit.

Herba medica. 27. Herba *Medica* ut, refert *Idem Cardan. ibidem* semel sata triginta annis durat. Sexies secatur in anno; cùm minimum quater, animalium vitiis plerisque medetur. Adeò suavis & nutriens est, ut pecus arcere necesse sit, ne vel disrumpatur, aut sanguinem detrahere oporteat.

Herba scythica. 28. Scythæ *Scythicam* herbam circà Bœotiam nascentem adinvenerunt gustatu prædulcem, cujus magna commendatio, quod in ore habentes famem, sitimque ad exiguum tamen tempus non sentiant. Idem præstare dicitur apud eosdem herba quædam *Hippice* dicta, quod equis eundem præbeat effectum. Tradunt quidam ejusmodi herbis scythas etiam in duodenos dies durare posse in fame & siti, quod tamen minus credibile videtur.

Valerianæ cum felibus sympathia. 29. Valerianæ herbæ radice mirum in modum delectantur Cati sivè feles, adeò ut ejus odore illecti mox accurrant, lambant, basient, circumcursitantes tripudient, circumvolutent se, & incredibiles ferè gaudii ac lætitiæ gestus exhibeant, quod haud aliter, quàm ob odoris aut alterius qualitatis amicæ effluvium felibus sympathicum & conveniens evenire credendum est.

Aristolochiæ virtus in pisces. 30. Mira est Aristolochiæ virtus in pisces: ipsa enim illos odore ad se allicit, & mox stupidos reddit: proptereà si ejus radix contrita calcique commixta, sivè ejus decoctio cum calce in pacatum flumen aut maris littus injiciatur, pisces agminatim confluere videbuntur: pulvere autem degustato, velut exanimati supernatantes manibus facilè capi poterunt.

Alciomenes herba. 31. Alciomenes herba, ut tradit *Apollodorus*, vino aspersa folia in se contrahit; meraco aspersa omnium animalium feritates domat collo alligata vel jugo suspensa.

Polemoniæ virtus. 32. Qui Polemoniæ herbæ radicem secum fert, à Scorpione non lædi posse dicitur: si tamen fortuitò quisquam ictus fuerit, eum tamen hinc nihil molestiæ passurum volunt.

23. Herbula *Ros solis* dicta, quod rorem in foliis habere dicatur etiam ipso meridie sole eum non consumente, passim enascitur locis incultis, aridis & sabulosis, prodest phthisicis, quòd vires insigniter reparare credatur, generandi quoque facultatem promovere putatur, quasi ut ipsa roris & humoris tenacissima est, ità nativum & genitalem in corporibus humanis augere possit.

Coriocesia Herba. 34. Coriocesia herba, quin & *Callitia* herba *Pythagoras* aquam glaciari tradit, quod verum esse docet *Kircherus in Mund. subt.* de herbis in nitrosam primò substantiam coägulatis, sed hic effectus non ab herba, verùm â nitro, uti experientia constat.

Raponticum. 35. *Dioscorides* radicem illius herbæ, quam vulgus *Raponticum* vocat, carnes in lebete dum coquuntur, jungere docet; quod & de ericâ alii affirmant.

Cepæ suspensæ. 36. Cepæ in conclavi suspensæ aëris vitium vel contagionem indicare solent ex punctulis rubeis adscitis, quibus minimè suspectis, suspicio malignitatis in aëre adhuc abesse creditur. *Mnasitheus* Medicus hoc quoque observâsse dicitur: initio morbi pulmonum eum, qui cepas appetat, servari, qui secus, perire, quod temperamentum affectui appetitus sit consequens.

Miræ virtutes Sambuci. 37. In Sambuco ubique terrarum nascente comperitur, quod siquis hydropicorum carne radicum ejusdem vescatur, aqua interiùs ejus corrupta inter exonerandum alvum validissimè dejiciatur, & quod ipsius nucleus nequaquam purget, sed laborantibus Atrophiâ humores corruptos augeat: & quod viridis corticula caulis ex omnibus tumoribus humores per pellis poros extrahat, & quod ejus Leucophæa cortex externus poros obstruat, atque ex humido faciat lentum crassumque humorem: & quod ejus lignum omnes obstruentes vapores acidos in intestinorum excrementis ad sese magneticè attrahat: & quod hujus ligni medulla per suum humorem attractivum sistat dysenteriam; & quod ejus frondium summitates cieant fortem vomitum, neque alvum moveant: & quod latus folii interius suscitet ulcus cruentum, latus verò interius ejusdem resanet vulnus: Et quod florum anthera morbos soporiferos depellat, flores verò veternum promoveant; & quod succus baccarum maturarum sudorem mensesque concitent; & quod earum siliquæ excessum istorum amborum fortissimè obstruant: & quod immaturæ florum gemmæ in aceto asservatæ promoveant ciborum potûsque fermentum; & quod florum suavis odor recreet spiritus vitales, fœtens verò foliorum odor operetur contrarium sedando suffocationem uterinam. Totius quidem arboris partes sunt ingrati saporis, sed flores & succus baccarum coctus sunt grata & accepta. *Hæc Frideric. Helvetius in Dirib. medi. cap. 18.*

Diverſæ quædam virtutes in aliis herbis & plantis.

38. Diverſæ quædam virtutes etiam in aliis pluribus plantis & herbis compertæ ſunt. Sic Herbæ *Lapathi* acuti ſulphuris abundantia non tantùm per correctionem acrimoniæ ſalis in Lymphaticis liquoribus ſcabiem ſanat, verùm etiam radix ex hydropicis aquam intercutem expurgat, ejus autem ſemen contra ſiſtit diarrhæam. Sic arbuſculæ *Roris marini* pars radicis inferior purgat, ſuperior verò pars verſus caulem vomitum concitat. Sic *Ireos* radix una ſurſum extans ſpinas ex carne attrahit omnes, altera verò deorſum vergens ſanat vulnera. Sic herba *parietaria* inflammat inferiora corporis viſcera, contrà verò ſemen ejusdem refrigerat. Sic nuclei nucum avellanarum barbatarum albi alvum cohibent, circumjacens verò in illis molliuſcula caro rubicunda generat dyſſenteriam. Sic *Orchis* recens gignit caſtum amorem, *Orchis* ſicca compeſcit amorem laſcivum.

39. Herbæ maximâ ex parte omnes, arborum folia, ut ſcribit *Helvetius in Dirib. Med.* Sunt æmula magneti adverſus ferrum, quoniam equidem eorum interiora latera ſemper pollent vi attractivâ ad aperiendum ulcera vulnerum, & ad attrahendum humores. Contra verò valent exteriora ipſorum latera ad ſanandum vulnera & ad repellendum eorum humores, veluti liquet ex *Bardana*, *Nymphæâ*, *vitis* foliis & cœteris aliis.

Radix Brunellæ.

40. *Crollius* Author eſt, radicem *Brunellæ* ſivè *Conſolidæ minoris* aridam denti affrictam, ut ſanguinem ſuſceperit, magneticâ vi dolorem ſedare, ſi Salici indatur perforatæ, foramenque mox tubulo è faſice obturetur.

Herba ad amorem conciliandum.

41. Eſt herba quædam paſſim obvia, teſte *Helmontio*, quam ſi quis manu teneat & foveat, donec intepeſcat, mox alterius manum detineat, donec & illa tepeſcat, illum mox amore ſui inflammat. Addit *Helmontius*, ſe, id eſſe verum etiam in cane comprobaſſe, cujus pedem cùm dicto modo detinuiſſet, ille confeſtim eum licet peregrinum ſecutus eſt, & multis noctibus ad ejus cubiculum, herâ ſuâ, cujus erat, abrenuntiatâ, ejulavit.

Globi ligneі natatio.

42. Globus ex quocunque ligno tornatus & aquæ immerſus, eâ parte, quâ cœlum, dum eſſet in arbore, reſpexit, ſupernatare, imò & cœteras partes ad partes univerſi conformare ſolet.

Alnus.

43. Alnus aquam attrahit & viciſſim ab aquâ attrahitur, unde virgula vel tabella ex alno prodere ſolet aquam ſub terrâ latentem.

44. In Arabiâ felici herba quædam invenitur, cui incubantes ſuaviſſimo ſomno deliniti intereunt. *Hirnheim de Typho cap.*8.

Herba monetam emolliens.

45. Stagna Chinenſium, *Eodem* referente *cap.* 10. fructum quendam comeſtibilem producunt, quem incolæ *Peci* appellant. Si quis cum hoc fructu monetam cupream in os mittat, poteſt illam non minori facilitate, quàm fructum ipſum comminuere, & in pulpam comeſtibilem redigere, quod ſe non uno experimento comprobâſſe ſcribit *Martinus in Atlante Sinico*.

H. Scoſſo cavallo.

46. In quibusdam Italiæ montibus naſci dicitur herba quædam ab indigenis *Scoſſo cavallo* dicta, quæ ab equis calcata ferreas eorum ſoleas disrumpit.

Ligna ficûs Ægyptiæ.

47. Ligna cujusdam ficûs Ægyptiæ ſcribit *D. Auguſtinus lib.* 21. *de civit. cap.* 5. non ut ligna cœtera in aquis natare, ſed mergi & quod mirabilius eſt, cùm in imo aliquamdiu fuerint, inde ad aquæ ſuperficiem rurſus emergere, quando madefacta debuerunt humoris pondere prægravari.

Oleæ cinis.

48. Oleæ cinis in fundo argentei vaſis aquâ pleni poſitus ad lunarem cum ſole congreſſum mox turbatur & in gyrum vertitur, usque dum illa ſe â Solis complexu extricaverit. *Hirnhaim de Typho cap.*17.

Pulvis ex ſtrobulis pineorum.

49. Pulvis ex flavis ſtrobulis pineorum, vel ex muſco terreſtri collectus eſt inflammabilis, & cochleari argenteo inditus cum tanto impetu inflammatur, ut aurum fulminans. *Edmüller*.

H. Alſine.

50. Herba Alſine cum aceto trita cicatrici impoſita vulnus aperit ſine ulla ſectione. *Idem.*

H. Zaclon.

51. Herba Zaclon contrita & in vinum conjecta illud in aquam mutare dicitur, ut tradit *Fournier Geogr. orb. not. lib.* 10. *cap.* 5. *ex Plutarcho.*

Muſci terreſtris vis fulminans.

52. Muſcus terreſtris, qui variis nominibus â Botanicis inſignitur, velut Lycopodium, ſive, pes lupi, pes leoninus, muſcus repens, Cingularia, Selaginis ſpecies altera: â Germanis Gürte-Kraut / St. Johannis-Gürtel / Teuffelsklau / Löwenfuß / Seil-Kraut; menſibus Julio, Auguſto atque etiam Septembri collectus pulverem dat ſubtiliſſimum qui, non tantùm exſiccat vulnera, ſi farina ejus excuſſa inſpergatur, ſed & infantibus utilis eſt cardialgia & ventris torminibus laborantibus; Unde Moſcovitæ eum ad ignes jocularios & ludicros adhibere ſcribit *Olearius lib.* 3. *itin. cap.*23. Huic pulveri ſi aliquid addatur de thure, maſtyche, ſuccino, & Benzoe palo, & per flammam ſuffletur, non ſolùm fulgur edit, ſed & odorem ſuaviſſimum excitat inſta pulveris pro ſuffumigio.

Roſa Hierichuntina.

53. Roſa Hierichuntina, potiùs tamen frutex, quæ aliàs aperitur & clauditur aquæ aſpergine & ſiccitate; ad ægri tamen jam jam moriturі præſentiam etiam humore aſperſa; aut parturientis, cujus fœtus in utero mortuus eſt, non aperitur. Habuit tamen *Laurent. Beyerlinck* unam, quæ circà Natalem Dominicam ſponte ſuâ hiabat absque aquæ adminiculo, ut ipſe teſtatur *in Theatro V. H. tom.* 6. *V. Roſa.* Aſſerens ſe tunc eam, quam in ſcrinio reliquit, inveniſſe inter manus explicatam. *Joannes Sturmius* idem expertus eſt in ſuâ circà alias feſtivitates, refertque eam aliquandò toto anno, quo Hæreticus Calviniſta domi paternæ hæſit, clauſam fuiſſe, eo verò profecto ſponte hiâſſe, *in Tract. ſuo cap.* 35. & 36.

Pulegium.

54. Pulegium etiam ſiccum indicare dicitur Solis ingreſſum in Capricornum.

Effloreſcit

Efflorescit enim sicut Carduus sole cancrum intrante.

Aproxis. 55. A *Pythagora Aproxis* quædam herba nominatur, cujus radix adeò ignis avida perhibetur, ut ignes etiam à longinquo concipiat, haud secus ac Naphta.

56. In Apæsanto monte juxta Inachum fluvium Argivæ regionis herba Σελήνη, id est Luna provenit; à qua manante spuma pastores initio veris collecta pedes illinunt, & â serpentibus degunt immunes.

H. Clavis Diaboli. 57. Herbula est *Clavis Diaboli* dicta, quæ in semine vim maximam veneni habet. Id si vel equus vel bos depascatur, intumescere & perire dicitur. Quod si ità affecto animali herba & folia ejusdem plantæ exhibeantur: Venenum dispellitur & liberatur animal. Semen aperire ac reserare meatus adeò potenter solet, ut homini etiam periculosissimum sit, nisi folia ei conjungantur, quæ seminis venenum expellunt.

Nictegredum. 58. Nictegredum sivè, ut ab aliis vocatur, *Chenomychon* plantam anseres ità aversari dicuntur, ut ad primum ejus aspectum expavescant. Vocatur & aliis *Nyctilopa*, quod è longinquo de nocte fulgeat.

Arbor noxia. 59. In Hispaniola arbor est, quæ poma fert odoris fragrantissimi, degustata verò noxia sunt & lethifera. Sub hujus umbra si quis longiùs se detineat, visu & ratione privatur, nec sanari potest nisi largo somno. Similes arbores & in insula *Cogdegâ* reperiuntur.

Alia. 60. In eadem Hispaniola aliud genus arborum reperitur, quæ fructus pyri formes, visui pergratos, odorisque optimi proferunt, sub harum umbris si quis decumbat ac dormiat, facies eidem intumescit & ingenti dolore capitis corripitur cum summâ gravedine. In eadem quoque insulâ aliæ reperiuntur arbores, quarum si quis etiam folium attigerit, eidem mox tubera magno cum dolore erumpunt, quæ haud aliter, quàm frequenti lotione aquæ marinæ compesci & denuò sanari queunt.

Arbores pestilentes. 61. In Nova *Andalusiâ* arbores spectantur valdè venenosæ, quarum si vel folium in quempiam ceciderit, eum interficere mox valet, nisi locus statim illinatur sputo jejuni hominis. Vocantur etiam hæ arbores pestiferæ & pestilentes à subitaneâ, quam pestis more afferre queant, morte.

62. In insulâ *S. Joannis di porto Ricco*, in Tractu maris ibidem parvæ crescunt arbores pomiferæ; sub iis si quis decumbat & somnum capiat, paralysi corripitur, ita ut loco moveri nequeat. Quod si & pisces ex deciduis earum foliis quidpiam degustent, & homo eosdem comedat, vel inde mox perimitur, aut saltem omninò depilatur.

Arbores venenatæ in montanis Peruvianis. 63. In montanis Peruvianis reperiuntur frutices, qui communiter ab incolis *Icho* nominantur. Horum ligna & virgulta metallorum solutionibus & separationibus plus aliis lignis conferre solent, ut observatum est.

Venenum atrox ex arbore in Regno Macassar. 64. Incolæ Regni *Macassar* in Insula *Celebes* singulari quadam arte tela mirabili veneno ex arbore quadam desumpto inficere nôrunt, quibus deinde dum vel leviter cutis sauciatur, mors infertur. Terra, in qua hujusmodi lethiferæ crescunt arbores, in ambitu circùm nec gramen, nec quodcunque aliud vegetabile progerminare permittunt. Est verò venenum illud propriè aqua sivè liquor, qui promanat ex læsione vel sectione corticis illarum arborum instar lactis, coloris obscurè rubei, cùm liquor subsidet, obrigescit in lapideam quandam duritiem servato eodem colore; cumque sauciato cortice liquor primùm colligitur, neminem propius accedere oportet, quod vel levi attactu liquoris artus contrahantur & obstupescant. Quocircà ut omne periculum collectores evitent, longiores applicant arundines ex *Bambus*, quibus ex ferro acutissimos præfigunt cuspides, hisque summa vi cortices secant & vulnerant, emanantemque inde liquorem excipiunt, qui in forma granorum vel globulorum majorum aut minorum ad Regulos defertur. Cùm verò tela veneno illo inficiunt plura alia adhuc adhibent. Malum autem quod exinde homini accidit ex sanguine potissimùm, cum quo miscetur in corpore humano existimandum est. Nam licet â Macassariis & Bougiis multa alexipharmaca contra hoc venenum adhibeantur, etiam vulgatum remedium ab excrementis humanis sumptum: tamen ea omnia nihil efficiunt contra validissimam veneni atrociam, quod sine mora operatur mortem, quamprimùm corpus humanum contigerit: & licet quandoque alexipharmaco quis vim toxicam veneni retardet & subitanem tunc mortem effugiat, post unum, duos aut tres annos tamen telo tali sauciatus crudeli fato vitales auras deserere debet. In super periculum intereà maximum subeunt, qui mulieribus miscentur, fungosque & ubera terræ comedunt; his enim certior inde mors appropiat.

Vide Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 3. oberv. 45.

CAPUT

CAPUT XVI.

Plantarum & Vegetabilium quorundam vires & proprietates miris exemplis demonstratæ.

Herba rum efusoblivionem adducens.

I. Memorat *Appianus* Parthos à *M. Antonio* fugatos, cùm fame premerentur, inquandam herbam incidisse, quam qui comederent, nihil aliarum rerum reminiscerentur aut intelligerent, nisi quod lapides continuò effoderent, quasi quippiam magni operis facturi, & sic debacchati bilem demùm revomentes interirent. At hoc *Plutarchus* in *Antonio* Romanis accidisse scribit cùm è patriâ reducerent exercitum.

Mandragoræ vis inebriandi.

2. Mandragoram vino mixtam miram habere vim inebriandi, antiquis etiam his inclaruit exemplis. *Polynæus Hannibal* enim, ut *Julius Frontinus* narrat, missus â Carthaginensibus adversus rebellantes Afros, quam sciret gentem esse avidam vini, magnum eis modium Mandragoræ miscuit; tum levi prælio commisso ex industriâ cessit. Nocte deinde intempestâ relictis intra castra quibusdam sarcinis & omni vino infecto fugam simulavit. Cumque Barbari occupatis castris in gaudium effusi medicatum merum avidè hausissent, & in mortuorum morem strati jacerent, reversus eos cepit, & trucidavit. *Polydoro* quoque referente lib. 8. *Cæsar* versus *Nicomediam* navigans juxta *Malaam* à latronibus civilibus captus est, qui cùm grandem mercedem pro liberatione peterent, ille duplicem summam promisit. Appulerunt *Miletum* homines extra mœnia accurrebant; Cæsar Epicratem Milesium servum mitti ad Milesios rogans, ut sibi pecuniam mutuò darent, qui eas confestim miserunt. Epicrates mandatum habens à Cæsare cum pecuniis magnum convivii apparatum, vinumque mandragorâ mixtum & hydriam plenam ensibus præparavit. Ipse autem Cæsar summam pecuniæ numeravit atque convivium apposuit. Illi exultantes pecuniarum multitudine largiter genio indulgebant, & vinum infectum bibentes in somnum incidebant. *Cæsar* dormientes interfici jussit, ftatimque pecunias Milesiis reddidit.

Asini temulenti ab esu Hyoscyami.

3. De Asinis temulentis ab esu Hyoscyami albi & solani facetam narrat historiam *D. Christian. Franciscus Paullini*, ut videre licet *in Append. ad Ann. 6. Decur. 2. Eph. Germ. Cur.* his verbis. *Mihi olim*, inquit, *præfatus Author, Eresbergam in Westphaliâ profecturo occurit Rusticus cum tribus asinis, qui mox ad lævam, jam ad dextram titubantes, mox super proprios pedes lapsi, mox quasi nescirent, quo vaderent, subsistentes miras temulentorum gesticulationes non sine cachinno meo æmulabantur. Indaganti causam monstrat Hyoscyamum album & solanum cum floribus suis clamans: Ecce! hinc ista comœdia! pluriesne fit? ita. Qua arte igitur discutis tu auritis sociis crapulam? Si ad Dimolam venero, videbis. Quamprimùm se balneârint, gressus suos firmius figent. Et sic etiam erat. Audacter enim descendentes ad ventrem usque pleno ore bibentes, & egressi statim modestius ambulare cœperunt.*

Asini velut mortui concidentes ab esu cicutæ.

4. Ridiculam aliam de Asinis historiam in Thuringia olim factam recitat *Idem ibidem*, quæ ità se habet. Molitor cum novem asinis in proximos pagos detulerat farinam: ibi â Sociis suis invitatus comparuit, sivitque auritum intereà gregem extra pagum, ad sepes & publicas vias pabulari. Qui reperientes carduos cæsos, aliudque pabulum cicutâ commistum securè vorant ad satietatem. Sub crepusculum molitor abitum simulans facilè â sociis detinetur, clamantibus: brevem esse viam & faculam ei præferre Cynthiam; Asini intereà vim cicutæ in corporibus sentientes omnes in campo, viisque publicis passim concidunt, omni motu sensuque privati. Tandem molitor circa noctis medium ad suos remeaturus asinos, ut dictum, reperir. Quos cùm dormire putaret, insigniter flagellavit; at mortuos. Vocantur in auxilium rustici: Una omnium vox. Asinos esse defunctos, & altero die excoriandos: tunc demùm indagari posse causam repentinæ hujus mortis. Age dicebat ille, si mortui sunt, quid cædam eos? jaceant, quiescant, valeant! Venite. O mei! remeabimus in cauponam: cras mihi eritis testes. Vocantur interim excoriatores; quorum unus: Vin ergo Molitor, ut detrahamus corium, aut num singulos redimere placet duobus nummis capitalibus? in nostrâ enim potestate sunt. Dic quod velis & factum crede. Ille cum stupore & gemitu: En dextra fidesque. Dabo quod vis si revocaveris in vitam. Subridens Nequam arrepto flagello omnes è veterno maximâ ex parte discusso suscitat. Stupuêre coloni. O lævæ mentis, aiebat! Ecce hæc herba (cicutam monstrat,) in viciniâ hac luxurians somni asininî effectrix! Rustici sub tiliâ more pagano confluentes legem condidêre, ut quilibet pater familias in horto & agro, seu ubicunque noxiam istam plantam offenderet, ocyus avelleret, ne quid detrimenti amplius ab eâ caperent homines, seu bestiæ.

Cicutæ vis mirè noxia.

5. Admirandas planè tragœdias ex cicutæ esu describunt plures Botanici, quas longum foret omnes hìc recensere: Unicum igitur *ex Kirchero in libello de peste sect. 2. cap. 2.* retulisse sufficiet. Novi, ut inquit, duos ex insigni familiâ Religiosos, qui quodam die ex Evangelicæ jacturâ sementis redeuntes, dum mensæ vires lassas relaxaturi accumbunt & Cocus iis primo loco ferculum ex radicibus petroselini carnibus incoctis apposuisset (radices autem, quas ipsi petroselini putabant, cicutæ fuerant,

quas

quas petroselino magnâ quantitate mixtas per summam ignorantiam raptim extraxerat, carnibusq; incoxerat (Patres appetitu stimulati mox adoriuntur plenum toxico ferculum mortis in ollâ hospitantis ignari; Vix enim ut in stomachum descenderat cibus, cùm ecce virulentæ virtutis copias explicat: Si quidem caput utriusque tam horrendis fuliginum exhalationib' opplevit, ut uterq; protinùs mente captus, insignis & exoticæ insaniæ signa dederit. Primus urgente peregrini veneni furore in vicinum lacum se præcipitans, in anserem se transmutatum afferebat; alter omnibus spoliatis disruptisq; vestibus in publicum prorumpens nil nisi flumen ad intestini incendii vehementiam extinguendam appetens in anatem se transformatum sine aquis vivere non posse clamabat. Cognitis tamen à Medicis ex totius corporis livore veneni incendiis tantum catharticis, cardiacis & bezoarticis remediis effecerunt, ut veneno aliquo usque suppresso mortem quidem effugerint, totâ tamen vitâ languidi, & paralytico tremore ex veneni in intimas fibras implantatione perculsi vitam reliquam summis doloribus exantlaverint intrà triennium uterq; tandem extinctus est. Ità *Kircherus loc. cit.* De nocivâ cicutæ vi pleni sunt Medicorum tùm veterum, tùm Recentiorum libri. Experimenta cicutæ succi infusi canibus & porcellis referuntur *Ephem. Germ. Cur. Decur. 2. Ann. 3.* Ingentium quoque noxarum in aquaticâ Cicuta historias tragicas videre licet cum omnibus circumstantiis amplè descriptas *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 6. obs. 116.*

Rutæ vis acris.

6. Ruta adeò acris est, ut meminerit *Cardanus lib. 6. de variet. cap. 22.* in Scotiâ se curasse hominem, qui hortum curaret putaretque rutam, quæ inibi copiosa erat & manibus & fronte igne sacro laboravit. Id verò illi contigisse ajebat odore rutæ: ut minimè mirum sit abigere serpentes, si copiosè feratur.

Citri fructus serpentum morsibus adversatur.

7. Citri fructus serpentum morsibus adversari sequens declarat historia *ex Athen. peipnos. lib. 3. Quidam cui Ægypti demandata est procuratio, in maleficio deprehensos aliquot ad serpentum morsus damnavit, quos oportebat omnibus ejusmodi bestiis lacerandos objici. Productis illis, & ad theatrum euntibus destinatum latronum supplicio in viâ fortè caupona quædam misericordiâ commota, quod in manibus tum habebat & rodebat, malum citrium dedit: acceptum verò illi comederunt, ac paulò post ingentibus & ferocissimis anguibus oblati & ab aspidibus morsi nihil læsi sunt. Hæsitabundus & attonitus judex custode carceris interrogato, num quid bibissent antidoti? cum comperisset quod erat; postridie alteri rursum dari jussit, alteri minimè; tùm vero secundus statim periit, prior supervixit.*

Amygdalæ amaræ venenum sunt vulpibus, sciuris & gallinis.

8. Amygdalus amarus vulpibus non tantum venenum esse *Dioscorides* jam olim prodidit, sed & aliis quoq; animalibus, veluti felibus notavit *Hoffmannus*, Sciuris *Jænisius* ac gallinaceo comprimis generi mortem inferre observavit *Matthiolus* & *Tabernæmontanus*, quod etiam recenti historia confirmatur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 8. obs. 99.* his verbis, *Accidit mense Julio An. 1677, ut in officina D. Jeremiæ Schoepfii Pharmacopæi Uratislaviensis more solito oleum ex amygdalis amaris exprimeretur, famuloque partem magmatis residui in aream domûs projiciente accurrerent gallinæ altiles aliquot majores diversi coloris & cristatæ ferculo hoc novo gavisuræ: cùm verò degustassent eam escam, ecce paulò post gressu vacillante tanquam temulentæ incedere, caput & collum torquere, in terram pectore procumbere, pedes explicare, mox denique mori. Coqua hoc spectaculo perterrita coram domesticis reliquis conqueritur de clade tàm inopinâ suarum gallinarum, illorumq; opem, & consilium implorat, ipsi verò nescientes subitaneæ istius mortis causam, mirantur valdopere eam, donec ille, qui oleum expresserat, in terrâ magmatis partem deprehendens, conjecturam faceret idem magma mortis causam esse. Unica ex septem gallinis vitâ non penitùs functa erat, quæ exhibita theriacâ morti sola erepta est. Hinc idem pharmaceutices studiosus rei certitudinem scire desiderans, pullum gallinaceum dicto magmate amygdalino pavit, & brevi temporis spatio eundem parilem mortem subire vidit.*

Carlinæ radicis vis in defatigantis aliis

9. Carlinæ radicis vis in defatigandis aliis itineris sociis & robore illorum naturali in portantem transferendo nullo non tempore à Botanicis fuit decantata. Exemplum paulò recentius produxit *D. Emanuel König*, communicavitq; Collectoribus *Eph. Germ. Curios.* ut & refertur *Dec. 2. Ann. 1. obs. 169.* in hunc modum: Fortè fortuna contigit, ut quidam rerum medicarum adeò haud imperitus cum comite pagum Marchionatûs Badensis Superioris peteret, offenderetque in viâ piscatorem, rusticum ex Urbe Basileâ reducem, quem prædicti duo allocuti itineris socium sibi optârunt, quos tamen ille ceu sibi in eundo inæquales, minùsque exercitatos post se relinquere mox animo fovit: Prædictus verò chyrurgus hominis festinationem eludere volens, frustulum radicis præfatæ, quod secum gestabat, ori indidit, observandoq; ventilationem aëris halitum ex ore de radice prodeuntem ad piscatorem direxit, undè paulatim factum, ut piscator de lassitudine corporis insolita conqueri cœperit, ut dum tandem summè defatigatus ad pagum destinatum cum comite, qui ei vehiculum minimè erat, perveniret, humi se prosternens, artus summoperè fessos de se protenderet, fascinatumq; se ob insolitum eventum omninò crederet. Chirurgus de experimento sibi jam ex parte noto certus in diversorio vino & pane illum refecit, sicque ei valedixit, quem tamen paulo pòst in pago haud procul distante rursus velut semianimem offendit, sicque de virtute radicis hujus defatigante satis superque factus est certior.

Satyrii genus ad Venerem stimulans.

10. Satyris genus dari compertum est, quod potenter valdè ad Veneris illecebras naturam incitare solet. Exemplum mirabile de adolescente quodam adducit *Kircherus de luc. & Umb. lib. 1. part. 2. cap. 5.* quod ab *Henrico Corvino* celebri *Romæ* Botanico ipsi relatum fuit. Adolescens enim quoties in horto suo locum quendam non viriditate minùs, quàm umbrarum amœnitate

nitate conspicuum visitaret, toties adeò vehementibus libidinis stimulis agitabatur, ut insolitâ quadam prurientis corporis affectione agitatus satyriasim contraxisse videretur. Contigit autem, ut cum dicto *Corvino* Nobili seplasiario quodam tempore amiciùs tractans ei passionem suam revelaret. Is quod erat, suspicans locum sibi monstrari postulat; quo facto totum locum satyrii quodam genere, cujus nomen consultò tacemus, repletum invenit; quo invento nihil faciliùs perito Botanico fuit, quam causam tam vehementis symptomatis assignare.

Stramonii virtus soporifera. 11. Stramonii quàm potens sit virtus in sopiendis & dementandis hominibus abundè notarunt Botanici. De Milite narrat *Kircherus loc. supra cit.* qui viatores ad bibendum invitatos succo dictæ herbæ vino misto, haustoque ità dementare solebat, ut quidem lethargo contracto, simul & vita & bonis cederent latroni: nonnulli nisi multo post tempore ad se redirent, at omnibus bonis spoliati.

Napelli atrox venenum. 12. Napelli atrox venenum non tantum ipsâ suâ substantiâ assumptum interimere, verùm & umbram ipsius ob lethifera sub eâ stagnantia effluvia homines necare compertum est. Exemplum adducit *Kircherus* ibidem de duobus caprarum pastoribus, qui in summitate montis *Januarii* dicti, aliàs *Monte Gennaro* sub arbore quadã extincti reperti sunt. Quos dum Medici ad examinandam mortis causam inspexerunt, omni equidem plagâ & vulnere carentes, vultuum tamen livorem cum manifesto veneni latentis indicio deprehenderunt, causamq; fuisse cognoverunt, Napellum tacemosum virulentissimi veneni fruticem in hac montis solitudine non infrequentem, sub cujus umbrâ æstuantes se prostraverant, virulentâq; evaporatione oppleti dormierant simul, & æternum obdormierant. Quo deinde exemplo reliqui pastores moniti umbram hujusmodi fruticum veluti leænam fugere cœperunt. Plures alias historias de Napelli venenatis viribus vide in *Sylloge memorab. & mirab. Naturæ Camerarii Centur.* 3.

Convivium lautissimum, cujus cibi ex solis herbis Europæis conditi. 13. Tradit *P. Fournier Geogr. Orb. not. lib. 6. cap.* 5. Vina, flores, herbulas & frutices odoris & saporis longè gratissimi passim in Galliis enasci, quarum aliæ aliis certâ ratione permixtæ, si temperentur debitè, Molucarum cariophylli, Brasiliæ saccarum, & omnia Indorum aromata sapore, odore, & suavitate superare solent. Addit in hanc rem luculentum Exemplum de prudentissimo Galliæ Cancellario *D. de Syllery*, qui Legatum Hispaniæ nimiùm fortassis extollentem delicias & utilitatem, quæ Gallis ex commercio cum Hispanis obveniebant, experientiâ docuit, cum lautissimo & percelebri eum excepit convivio, in quo non panis, non vitrum aromatites, non carnari, non piscaria artocreata, nec ullum genus deerat pistutæ dulciariæ: eum tamen nulla re alia, quàm herbis francicis, nec bellaria, nec carnes imbutas summâ fide Legato asseveravit, producto etiam, qui id præstiterat, Artocopolo.

Solani sylvatici dementativa. 14. Solanum sylvaticum, quod à multis etiam *Bella donna* dicitur, tantæ est *Jul. Cæs. Baricello teste in Horto Geni.* immanitatis ut insaniam & furorem hominibus ejus acinos comedentibus inducat. Accidit cuidam (referente *Hieron. Trago lib. 1. hist. stirp.* qui in sylva plantam viderat, talis casus; hic multos decerpsit acinos & devoravit; alterâ verò die in tantam insaniam & furorem devenit, ut plerique illum à Dæmone obsessum crederent. Intellecto tamen morbo vinum fortissimum à *Trago* illi propinatum est, quo facto consopitus, paulò post convaluit, & absque læsione vixit.

Periculosum est Basilicum continuò odorari. 15. Herbæ Basilicæ odoratus quanti sit periculi, ex *Hollerii* observatione constare videtur. Quidam enim Italus ex continuo ejus odoratu in vehementes & longos incidisse dicitur dolores capitis ex scorpione, ut ait, in cerebro enato, cujus causâ mors etiam consecuta fuit. Undè etiam compertum volunt, quod Basilici folia sub testâ fictili putrefacta in scorpiones mutentur; ex quo proindè arguunt frequentem ejus odoratum animalia quædam scorpionum instar in cerebro generare. Basilici tamen odoratus à pluribus Medicis contra Syncopen & animi deliquia commendatur.

16. Multa traduntur à Physicis, quæ vultûs colorem in hominibus deflorare possunt. Ita panis hordeaceus frequenter comestus *ex Aristotele*, homines pallidos efficere dicitur. Aquæ etiam lutulentæ potus, usus salitorum, & immoderata venus colorem valdè deturbant. Inter ea tamen, quæ ex proprietate singulari vultum decolorare putantur, Gymini usus & olfactus est. Duo etiam de hoc Exempla refert, *Plinius lib. 20. cap.* 24. Unum sectatorum *Portii* Latronis, qui ut illius imitarentur pallorem, cymino frequentet utebantur. Alterum est *Julii* Vindicis, qui ut *Neronem* falleret, pallorem sibi cymino conciliabat. *Ex Mercuriali de Decorat.* Inter ea verò, quæ nitorem & pulchritudinem corporibus inducere perhibentur, asparagorũ usus connumeratur, cujus efficacia à multis in corpore colorando ferè mirabilis judicatur. Asparagi equidem fœtentem urinam reddunt, & per illam pravos corporis expurgant humores; ob id mirum non est, si iis evacuatis corpus reliquum non modò odoratum reddatur, sed etiam nitidum & coloratum, quippè ex humorum pravorum, ut *Avicenna* docet, congerie, & palliditas & deflorescentia nobis innascitur, quibus cessantibus cessat deformitas & color nitidus exoritur.

Cymini usus decolorat faciem.

Asparagorum esus nitorem affert.

Betonicæ radicis vis inebriativa. 17. Solettissimus *Bartholinus* de Betonicâ *cent. 3. hist.* 97. observatum fuisse refert, eidẽ recenter collectæ vim inesse inebriativam; quod probat exemplo Rusticorũ, qui dùm hortum aliquem, in quo herba illa copiosiùs progerminabat, expurgârunt, effossamq; radicem masticarunt, adeò corpore & membris gravati sunt, quasi largo Lyæi flumine mersi fuissent, ut temulenti, & pedibus vix insistere valentes in terram tandem conciderint; atq; haud aliter ipsis radicis hujus masticatio conduxerit, quàm ut *Lucretius lib.* 3. canit. *Homi-*

- - - *Hominem cum vini vis penetravit*
Acris, & in venas discessit plurimus ardor:
Consequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt.

Galegæ herbæ virtus adversus viperarum morsus.

18. De Galegæ herbæ mirabili adversus viperarum venenum virtute hanc refert historiam *Forestus lib. 2. de incerto Urin. jud.* Senex quidam ad fluminis ripam aliquando deambulans, cùm videret lacertam cum viperâ dimicantem, humi se prostravit, ut pugnam aptiùs bestiis non advertentibus spectaret. Lacerta utpotè viribus inferior ictu validissimo à vipera sauciatur, adeò ut moribunda pedibus cespitaret. Verùm paululùm ad se rediens per gramen longiusculum viperâ non vidente, lacertâ repsit per ripam fluminis ad quandam herbam (galegam) in proximo ibi crescentem, quâ devoratâ pristinas vires ex tempote recuperavit, atque denuò ad viperam convertens tandem non aliter, quàm antea adoritur, sed vulneratur rursus à viperâ ictâ non minùs lethali. Mox lacerta denuò ad herbam clam digreditur, ut viribus recuperatis, atque refectis cum hoste capitali rursùm congrediatur, sed frustrà; eodem enim modo, utpotè vipera longè inferior, quo antea excipitur. Animadvertens senex non minùs herbam ipsam, quàm pugnam mirabatur, & ut periculum faceret, utrum herba alias vires sublatentes in se haberet, eandem clanculum, dum lacerta denuò cum viperâ congreditur, avellit. Lacerta denuò saucia ad herbam redit, quam cum in loco consveto non inveniret, exspiravit. Ità *Forestus.*

Absynthium viride.

19. Absynthium viride intra calceos calcatum frigidam ventriculi intemperiem emendare compertum est non sine fructu in nobili viro, qui hujus calcatione non exiguum levamen se percepisse coràm exposuit, sanctèque affirmavit. *Georg. Horstius obs. 22. lib. 7.*

Fraga quibusdam noxia.

20. Sunt qui ex fragorum solo odore in animi deliquium incidunt, ut Nosocomii præfectus *Eslingæ.* Virgo quædam Austriaca ex esu fragorum epileptica facta est, atque exinde quotannis tempore, quo efflorescunt, paroxismo obnoxia est. *Ex observat. Achillis Gasseri apud Hieron. Velschium.* Novi ego Sacerdotem parochum hic in Franconia, qui quoties fraga comedit, mox intumescit in toto corpore, & miris planè symptomatis perindè quasi venenum sumpsisset, afficitur.

H. bellæ donnæ vis demendativa.

21. Tempore *Urbani* hujus nominis *ultimi pont. max.* accidit, ut quidam de familitio Cardinalis magni nominis infunderet in Vino malvatico herbam illam, quam *bellam donnam* vocant, *Daturam* aliàs, per noctem, ut ejus herbæ effectus disceret, infusum hoc propinavit cuidam fratri mendicanti ex conventu *S. Hieronymi Patavii*: à cujus haustu mox in delirium incidit continuò Cachinnos emittens, & miras gesticulationes exhibens. Successit deinde insania vera, ac mentis stupor, qualis in ebriis adverti solet: unde & Cardinalis pro ebrio illum habens eum, carceri includi mandavit. Medicus autem, qui rem subolfecerat, innocentem pronunciavit, & aceti propinato cyatho à dementia, quam *bella donna* causare solet, liberavit. *Hœchstetterus de cad. 7. Observ.*

Fructus Halicacabi morbo articulari conferunt.

22. Civis quidam Augustanus morbo articulari gravissimè laborans, ita ut sæpè per integrum semestre decumberet, cujusdam suasu cæpit singulis Lunæ mutationibus in ipso illarum puncto octo fructus Halicacabi comedere, vel contusos ex vino bibere; ita expelli sibi per urinam materiam mirè fœdam, totumque se ab hoc morbo liberum affirmabat. Alius ex consilio Ducis Ulrici Wirtembergici intra singula decendia semel majorana vel origano naribus indito extraxit magnam muci & pituitæ copiam, nec unquam amplius sensit podagram. *Joan. Rajus in hist. plant.*

Pœonia mas contra epilepsiam.

23. Pœoniæ maris tardioris sic dictæ grana & radix de collo suspendi solent pro arcenda epilepsia. Cujus virtutis exemplum refert *Galenus 6. simp.* his verbis. *Vidi puellum quandoque octo totis mensibus morbo comitiali liberum ex eo, quo gestabat radicem pœoniæ tempore. Ubi autem fortè fortuna, quod à collo suspensum erat, decidisset, protinus morbo correptus est; rursusque suspenso in illius locum alio inculpatè se habuit. Visum ergò est mihi satius esse denuò id certioris experientiæ gratia detrahere: id cum fecissem, & puer iterum esset convulsus, magnam & recentem radicis partem ex collo ejus suspendimus, ac deinceps prorsum sanus factus est puer, nec postea convulsus.* Experimentum hoc confirmant *Montanus, Fernelius, Apollonius Menubenus lib. de Alce cap. 7.* Verum qua hoc virtute & qualitate fiat, difficillimum est definire. Aliqui effossionem sub certo siderum positu fieri debere volunt; alii mali genii adjutorio virtutem hanc procurari autumant; alii alterius regionis eam radicem virtutem hanc habere dicunt; alii aliter de virtute hac discurrunt: nobis virtutem istam experimento comprobatam ita retulisse sufficit.

Semen sinapeos scorbuticis conducit.

24. Semen sinapeos in mortario tritum & cum vino albo mixtum multas centurias scorbuticorum, & languentium hominum in obsidione Rupellensi sanitati restituit: plerique enim obsessorum, & urbe inclusorum fame & inedia pressi multa sordida, & quæ natura abhorret esitare coacti respirandi difficultatem, gingivarum putredinem, dentium nigrorem & vacillationem, aliaque scorbuti symptomata contraxerunt, undè multi moriebantur, donec tandem sinapi in fossis circà urbem copiosè inventum, &, quo dictum est, modo adhibitū omnes liberavit. Ex relatione *D. Mervoult*, qui toto obsidionis tempore in urbe mansit, *Rajus in hist. plant. lib. 16.*

Idem contra apoplexiam;

25. Dantiscanus quidam valdè pronus ad vertiginem, & appoplexiam consilio medicorum solebat semen sinapeos ad præservationem masticare. Cum verò propter senium ulterius id facere non posset, in pollinem redactum assumebat ore volvendo & volutando. Tandem cum ne hoc quidem modo eodem frui posset, in linteolo ligatum olfaciebat. Hoc autem efficiebat, ut dulcissimè diutissimè vivens ab his malis omninò immunis degeret. *D. Soame ex observ. Hieron. Reusneri à Velschio editis.*

Croci virtutes mirabiles.

26. Crocus mirabiles habet vires: moderatus ejus usus cerebro prodesse, sensus vegetiores reddere, & torporem excutere perhibetur. Omnium consensu corroborat cor, & lætitiam gignit. Quod experimento confirmat *Amatus Lusitanus* asserens se mercatorem vidisse, qui cum in ollam, in qua carnes coquebantur, multum croci injecisset, post earum esum in tam profusum risum erupit, ut parum abfuerit, quin risu nimio & cachinno è vita excessisset. Simile exemplum est apud *Julium Alexandrinum in salut. Nos ait nobilem fœminam Tridenti vidimus horarum circiter trium spatio immodico risu concuti ab illius immoderato usu.* Cœterum Crocus nimia dosi noxius & lethalis censetur. Quæ verò dosis illa sit, à qua periculum emanet, communiter asserunt ʒ iii. vel ut *Julius Alexandrinus* ʒ iii.

Demorsi à cane rabido.

27. In Hetruria abstinent demorsi à cane rabido per integrum annum à quorundam lignorum præsertim corni maris, & fœminæ contactu : Si quidem, ut restantur ij, qui rem experimento compertam habent, si harum virgæ tantisper manibus teneantur, donec concalescant, illicò demorsi rabie exagitantur. *Ex Matthiolo Joan. Rajus hist. plant. lib. 27.*

Sangvinis motus suffocatio.

28. Observatum est simplex decoctum menthæ crispæ ita sanguinis motum circularem suffocasse, ut ne gutta quidem illius è pede stillaret, quamvis scalpellum ter vel quater satis profundè in vasa pedis maxime conspicua adegisset Chirurgus solertissimus, ita *Simon Paulus quadrip. Botan. clas. 3.. p. 39.* pararat autem famula pediluvium prius ex aqua in quam injecerat fasciculos aliquot menthæ: hoc verò pediluvio usu fuerat domina.

Hysopus oculis confert.

29. Quantoperè Hysopus sugillationi sanguinis oculorum conferat, testis est *Riolanus* senior. Expertus sum verum inquit, quod affirmabat *Archigenes* apud *Galenum*, quod si Hysopi coma nodulo infuso bulliat in aqua, & tepidè nodulus oculo cruento applicetur, tam manifestè fugit sanguinem, ut linteum ipsum sanguinolentum videri possit. *Simon Paulus* loco aquæ sacculum in vino bulliendum curavit, & ex voto sugillationes evanuisse compertus est, dum lectum petentibus succulus subtepidus clausis palpebris fuit applicatus.

Pimpinellæ vis contra hydrophobium.

30. *Henrici* II. Galliarum Regis Venator gravi morbo decumbens bona fide *Joanni Fernelio* asseverasse fertur Pimpinellam ad præcavendam hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis vel in acetariis, vel alio quovis modo apparatam post demorsum comederit, nihil indè incommodi sentire possit. Quod in canibus regiis se primum expertum fuisse dicebat, quibus demorsis illam felici successu offerebat. *Jul. Palm. constant. de morbis Contag. lib. 3. cap. 3.* Ex quibus omnibus hactenus relatis exemplis constat, quam etiam vilissimis aspectu plantis mirabilis insit virtus, quod etiam poëta testari volens canit:

Magnus inest herbis vigor & vis insita Cælo
Graminibusque sua est vel vilibus addita Virtus,
Nilque adeò abjectum est, nihil est tam vile, sacratum
Quin medicamen habet.

Et si verè perpendere cupimus, ex ipsis plantis & miris earum viribus maximam Creatoris sapientiam, & summam planè potentiam advertere possumus, quam nullis satis laudum præconiis deprædicare valemus; quod alius poëta quoque his versibus indicare voluit, dum cecinit;

Aut mihi planta suis numen demonstrat in herbis,
Præsentemque refert una vel herba Deum.
Aut operis series Authorem tota recenset,
Qui facit, & læto cuncta vigore fovet.
Emicat ex ipsis divina potentia campis
Nec levis est cespes, quin probet esse Deum.



CAPUT

CAPUT XVII.

Mirabilia quædam experimenta Botanica.

Seminum fœcunditas in Helenio. 1. ADmiranda planè est in Regno Naturæ vegetabili ipsa plantarum fœcunditas respectu seminis. In uno Helenio solertissimus *Petrus Laurenbergius*, ut testatur *Horticult. lib. 1. cap. 17.* numeravit ultra 3000. semina, neque tamen pervenit ad finem. Helenium autem in eodem caule multos producit flores, unde multo plura semina colligi possunt. Ex uno grano frumenti Turcici alias *Mayz* dicti iterum 1050. in virginio 2000. semina Colligi queunt; seriturque bis quotannis Martio scilicet & Junio; unde quam ingens & verè mira granorum copia proveniat, facile colligi poterit.

In flore solis maj. 2. Ex uno flore solis majore prognata ex uno semine eodem anno expertissimus *Camerarius* exemit circiter 4000. semina: Clarissimus D. *Joannes Rajus*, ut memorat *Histor. plant. lib. 1. cap. 12.* semina 3000. & paulo plura numeravit: sed hæc nihil sunt, si cum Tabaci veri fœcunditate conferantur. Idem *Rajus* numerare aliquando cœpit, quot granula seminum Nicotianæ penderent drachmam unam, & expertus fuit ponderi unius grani medica (quæ est In tabaco. minima mensura) respondere grana Tabaci 1012. Jam verò ex una planta collegit seminum maturorum drachmas circiter sex, quæ faciunt medica grana 360. Hæc multiplicata, per 1000. (omissis 12.) largiuntur grana 360000. quorum ferax fuit una planta Tabaci nata ex uno granulo.

In Papavere albo. 3. Papaver album, ut supputavit *D. Grevius*, semina 32000. annuatim producit, quam summam ita colligit. Quatuor plurimum plantæ hæc capitula matura profert, in quorum uno quoque denæ minimum membranæ seu parietes totidem cellulas disterminantes, quarum uniuscujusque alterutri lateri semina adnascuntur circiter 800; quibus in 10. numerum membranarum ductis exurgit summa 8000; quæ iterum per 4. ducta numerum scilicet capitulorum, producunt 32000. Notandum autem, quod si cœlum & solum faveat prædictam plantam non tantum quatuor, sed etiam, duplo aut triplo plura capitula posse producere, undè reverà multò major numerus seminum colligi poterit.

In Typha maj. 4. Typha major eodem *Grevio* observante ultrà 120000. quotannis semina perficit, quod ita demonstrat. Semina enim unà cum lanugine spicam seu clavam cylindricam efficiens 6. uncias longam diametro $\frac{5}{8}$ unciæ æquali circumferentia $1\frac{3}{4}$ unicæ. Horum autem seminum 9. latere ad latus juncto, ut in spica collocantur $\frac{1}{8}$ duntaxat unciæ partem efficiunt adeò, ut 72. lineam uncialem expleant. Verum quoniam in spica pili seminibus interpositi sunt, 10. detractis, 62. tantum supputabimus; quibus si addamus $\frac{1}{4}$ numeri 62, hoc est 46, exurgit pro circuitu cylindri summa seminum 108; cumque cylindrus 6. unias longus sit; sexies 62. hoc est 372. semina unam longitudinis lineam component. Quo numero in 108. ducto producitur summa 40176. pro numero seminum unius clavæ, proque trium, quas planta illa singulis annis plurimū profert, 120000.

5. Numerosissima tamen omnium semina producere videntur Herbæ capillares. In herbis capillaribus. Unius linguæ cervinæ plantæ annuus proventus ad decies centena millia seminum ascendit. Hujus enim plantæ vascula semina, prout à Clarifs. Domino *Grevio* præstanti microscopio examinata describuntur, hujusmodi fuere. Una quæquæ Capsula seu Vasculum seminale pediculo à semiuncia, ad uncium & amplius longo insidebat crassitudine ad basim, ut apparuit, setæ equinæ dupla ad cacumen paulò crassiore. Capsula ipsa coloris erat argentei magnitudine circiter officuli cerasini figuræ sphæricæ valido tendinæ coloris aurei circum cincta. Tendinis hujusce superficies cochleam delicatam seu vasa ligni äerea referebat: Quamprimum autem seu äeris inclusi vi, seu aliter tendo hic satis rigidus evadit dissiliens capsulam illicò bifariam in duos scyphulos distrahit, & semina disiicit. Capsulæ hæ in obliquis sulcis averso folio exaratis nascuntur à semiuncia ad unicam longis & $\frac{1}{8}$ circiter unicæ partem latis. Singulis sulcis unciam longis plures 300. capsularum prædictarum innascuntur, ideoq́ue si 10. tantum semina singulis capsulis attribuimus plus 3000. semina, quo numero in summam sulcorum ducto & producto iterum in numerum foliorum, quæ una radix plerumq́ue emittit; exurgit summa 1000000. seminum pro annuo proventu hujus plantæ.

6. Memoratu dignissimum est, quod *Robertus Hockius* de capillaribus herbis observavit. Hocki observationes de herbis capillaribus. Pixidulæ, inquit, seu capsulæ semina continentes in plerisque hoc genus plantis perquam exili granulo arenæ vulgaris cinereæ plus duplo minores sunt, imò in nonnullis speciebus vix tertiam, quartamque arenulæ partem magnitudine æquant, vesicularum quarundam annulis, aut fasciolis vermiformibus obvolutam speciem exhibentes. Nonnullæ ex his vesiculis centum circiter semina continere deprædhendebantur, quatenus scilicet supputando, aut potius conjectando, advert potuit. Folia filicis utriusque præcipue fæminæ (quæ præ reliquis omnibus feminibus scatet) si cautè colligantur, & asserventur, ne comprimantur, aut ullatenus violenter brevi deinde Soli aut äeri sereno exponantur vesiculæ feminales quotquot maturuere, fasciolis se contrahen-

trahentibus disrumpentur, & semina quaquaversus spargent ad eundem ferè modum, quo aliarum aliquot siliquæ cardaminis puta, aut persicariæ siliquosæ per maturitatem dissiliunt, & semina cum impetu ejaculantur. Quin si quantitas modica seminum à foliis ad subjectum chartæ mundæ, aut pergameni schedam decutiatur, de tergaturvè, & deindè in acervum convertatur, vesicularum seminalium plurimis unà dissilientibus, & sibi invicem allisis acervatas variè moveri per partes videbitur non secus, ac si syronibus aut istiusmodi bestiolis repletus esset: motu modo etiam oculo perceptibili; quia si locus tranquillus sit aure proximè admota crepitantium inter rumpendum vasculorum sonitus haud difficulter percipietur, & si microscopio circumducto chartam oculis oberres, semina per eam undique sparsa & ad notabilem ab acervo distantiam projecta comperies. Osmunda regalis, quæ aliis omnibus filicis speciebus mole, pulchritudine, & viribus præfertur, & communiter sterilis habetur, vascula nihilominus seminalia obtinet æquæ cum reliquis congeneribus magnitudinis, ejusdemque proximè figuræ, quorum immensa & visum fugiens parvitas cum magnitudine plantæ collata (quam integram cum radice & superficie totam appensam decem interdum libras pondere superare observatum est) adeò nullam gerere proportionem invenietur, ut totam plantam è tantillo semine produci attentum observatorem meritò in admirationem rapiat. Observatum insuper animalcula diversarum specierum plurima ibidem stabulari inermi oculo prorsus inconspicua; imò nec lentibus vitreis simplicibus magnitudinem valdè augentibus interpositis visibilia, quæ microscopia tamen in planta recens collecta inter vesiculas seminales velociter discurrentia jucundo spectaculo haud difficulter potuere discerni; è quibus nonnulla adeò infimæ parvitatis fuêre, ut bina è seminibus vesiculis inclusis corpusculorum moleculis vix adæquarent. Ita ex *Hockio Joannes Rajus in Hist. plant.*

Vegetabilia ex aquæ elemento prodire. 7. Demonstrat *Helmontius*, ut indicat *David* von der Becke *in experim. & meditat. circa naturalium rerum principia*, omnia vegetabilia immediatè & materialiter è solo Aquæ elemento prodire. Cœpit enim vas terreum, in quo posuit terræ in clibano arefactæ libras ducentas, quam madefecit aqua pluvia, illique implantavit truncum salicis ponderantem libras 5. Ac tandem exacto quinquennio arbor inde prognata est pendens 169. libras & circiter uncias tres: Vas autem terreum sola aqua pluvia vel destillata semper, ut opus erat, maduit. Ac ne quidem computavit pondus foliorum quaterno Autumno deciduorum. Tandem iterum siccavit terram vasis, & compertæ sunt eædem libræ ducentæ duabus circiter unciis deficientibus. Libræ ergo 164. ligni corticum, & radicum è sola aqua surrexerunt. Quod quidem reverà ita esse debuit, subinfert præfatus *David*: *præter aquam enim, & terram nihil fuit, quod materia salicis esse potuerit; Terra verò non est mutata in salicem, quia eodem planè pondere, & quantitate perstitit: Quarè affusa aqua fuit, quæ à fermento*, ut inquit, *seminis in lignum, cortices, radices & folia mutata tantum salici incrementum, & pondus materialiter dedit.*

8. Huic simile est Experimentum Clarissimi *D. Boyle Chymist. scept. p.* 52. jussit ipse hortulanum suum, convenientem bonæ terræ quantitatem effodere, & in fornace exsiccare, ponderare, immittere ollæ, fictili, quæ ferè æquam cum fundo haberet superficiem, eiq; selectum semen, indicum peponis genus, quod festinanter crescit, inserere, nonnisi aqua pluvia sive fontana quotidie irrigandum. Neque sine delectatione incrementum plantæ licet intempestivè consitæ humani corporis crassitiem tum æquantis observasse dicit. Curavit igitur effodiendam ab hortulano plantam ac ponderandam & peponi cum pediculo & foliis trium librarum pondus fuisse compertum est. Excoctæ terræ, uti antea æqua planè priori quantitas depræhensa est. Hocce Experimentum subjungit *Boyle* æstivo tempore à se reiteratum, atque tum peponum decem librarum cum semisse pondus repertum esse, ramusculos cum radicibus habuisse quatuor libras duabus unciis detractis. Experimentum Boylianum.

9. Fungi nihil commune cum plantis perfectioribus habere videntur: brevissimo temporis spatio plerique oriuntur, & brevis pariter ævi sunt. A ligno autem plerumque aut ejus frustulis elevantur. Clarissimus *Sennertus* probabile existimat, fungos omnes in plantis & è plantis provenire & nasci. Quæ sententia *D. Rajo in hist. plant. lib. 2. part.* 2. non improbatur. *Malpighius* & *Scharrocus* fungos ex fungis frustulatim discerptis, & disseminatis pullulare, ut vulgo etiam creditum est, opinantur: *Etenim contentus in utriculis transversalibus adhuc succus*, ut inquit *Malpighius*, *superveniente exteriore humore fermentatur, & extra turgendo quasi netur: effluvia namque pilorum instar concreta contextum probabiliter efficiunt; unde ulteriori subsequente fermentatione, & quasi vegetatione urgente exterioris äeris elastica vi congesta sursum in caulem eriguntur, & deficiente vi effluviorum, prementeque äeris gravitate quasi reflexa in capitulum desinunt.*

10. Notavit *Simon Paulus* non solùm ad Polygoni minoris, seu Polygoni angustissimo & acuto vel gramineo folio repentis radices circà solstitium æstivum ad festum S. *Joannis* Bapt. bacculas aut coccos æmulantes coccos baphicos seu grana Kermes; uti etiam ad Pilosellæ majoris hirsutæ repentis radices reperiri, quæ ova alicujus ignoti insecti putantur, quod ex iis scapho pennæ anserinæ aut cygneæ inditis mox epistomio chartaceo obturando, ac deinde apricationi commissis cernamus sponte sua intra sex vel septem dies prodire insectum non diu superstes, quod etiam alatum avolasse observatum est. Bacculæ circa radices Polygoni min. & Pilosellæ.

11. Mu-

Lycopodii vis fulminans. 11. Muscus clavatus, sive Lycopodium mirabilem *Joanne Rajo* afferente *Hist. plant. lib. 3. part. 1. cap. 2.* fulminandi virtutem habet. Mense Augusto & Septembri, inquit, pulverem dat subtilissimum flavum, qui vi fulminante gaudet Persis non ignota, ut notat *Olearius itiner. Moscovit. Persic. lib. 4. cap. 24.* Persæ enim, ut & Moscovitæ pulverem Augusto colligunt, in fornacibus siccant, & ignibus artificialibus sub nomine *Plauen* instar pulveris pyrii adhibent. Pulvis recens cum est, & probè exsiccatus majus concipit incendium præ illo, qui dudum collectus est. Prunis injectus non tonat, sed flammæ, puta candelæ accensæ immissus aut inflatus. Pulvis resinæ idem præstat teste *Oleario*. Huic pulveri si aliquid addatur de thuris, mastichis & Benzoë pulveribus, & per flammam suffletur, non solùm fulgur edit, sed & odorem suavissimum excitat instar pulveris pro suffumigio. Si folia Betulæ pulverisata simul misceantur, strepitum majorem edet. Lappa major etiam, ut refertur *Ephem. Germ. Curios. Dec. 1. An. 3. obs. 222.* incensa defragrare in modum salis petræ, & pari ratione ignem spuere solet.

Tincturæ insignes. 12. Singulare est, inquit *Simon Paulus*, quod aliqui practici pro secreto habent, quod acetosæ vulgaris radix siccata, & decocta rubello eleganti colore aquas tingat; cujus tamen secreti *Rulandus* jam pridem meminit. Ad spiritum vini pulcherrimo colore Carmesino imbuendum nihil præstantius seminibus Heliotropii majoris: ad miraculum inde rubet, si semina eidem injecta per diem & noctem permittantur. Hujus secreti communicationem pharmacopæus quidam in aula cujusdam Principis Germaniæ, ubi experimentum hoc exhibitum fuit, magno pretio ab Artifice quodam exprocari voluit, nec potuit. Pimpinellæ sanguisorbæ quoque adnasci in quibusdam locis solet granum rubrum, quo utuntur tinctores ad colorem carmesinum: unde sunt, qui pro cocco habent, & coccum radicum appellant.

Rubia tinct. ad quid serviat. 13. Rubiæ tinctoriæ folia ad stannea vasa avidè à mulieribus expetuntur: *Si* quidem mirum dictu, quàm pulchrè nitescant, quæ rubiam fuerint experta, à tinctoribus etiam hujus radix adhibetur ad coloris rubei præparationem.

Ad muscas pellendas. 14. Expellendis muscis vix quicquam efficaciùs reperias Persicaria: nam quæcunque in pecoribus vulnera vel ulcera succo Persicariæ oblita fuerint, ea abinjuriis muscarum tuta manent etiam ferventissima æstate, Ita *Tragus*.

Lanugo ad radices Tussilaginis. 15. Tussilaginis radici adnasci dicitur subalbida quædam lanugo, quæ à radicum segmentis prius expurgata, & deindè linteolis involuta, & in Lixivio parum decocta addito salis nitri aliquanto, ac demum siccata omnium optimus est fomes ad ignem ex silice excussum excipiendum: quippè adeò ignis capax est, ut primo statim chalybis concussu accendatur. *Joan. Bodæus in Theophr. hist. lib. 7. cap. 12.*

16. Vulgus Narboacase ut tradit *Joan. Rajus hist. plant. lib. 3. part. 2 sec. 3. cap. 6.* pro signo infallibili bonitatis & levitatis aquarum habet Adianti circà puteos & fontes proventum. Aquæ bonitatis signum.

17. Carduus Benedictus si sub initum Junii collectus fuerit, vulnera recentia mirabiliter sanat: si alio tempore: nunquam id præstabit. Idem Rajus. lib. 7. Ad sananda vulnera

18. Puncturæ vesparum & araneorum curantur repetita applicatione foliorum recentium salviæ: aciditas enim fermenti venenosi obtunditur ab Alkali vegetabili. *Ephem. Germ. curios. Dec. 1. An. 8. 9. 10.* Hæc etiam planta nigrescit cum vitriolo ut Gallæ. Contra puncturas vesparum & araneorum.

19. Rustici certo experimento vulnera recentia consolidare norunt Becabunga recenti, si ei modicum salis & telæ aranearum misceant, atque ita duplicato linteo instar cataplasmatis obducant, ac vulneri applicent. *Simon Paulus.* Ad vulnera consolidanda.

20. *Forestus lib. 28. obs. 32.* pro secreto habuit succum foliorum Levistici in secundinis retentis. Erat magnum arcanum inquit, famosæ cujusdam obstetricis, quæ id obtinuerat à quodam Judæo medicæ artis perito. Ad secundinas expellendas.

21. Chamæmelum nobile sive odoratum, quo magis pedibus conculcatur, eò lætius excrescere, & latius se diffundere vulgo asseritur: ut tradit *Rajus hist. plant. lib. 8.* Chamæmelum verò luteum nudum capitulo aphylio apibus ingratam & odiosam imò funestam & exitiosam esse plantam prodidit *Ruellius*: Ideoque apiarii hac suas fricant manus, cum alvearia castranda sunt, atque sævientium impetus cohibendi: illico enim furore hujus sensu edomito mitescunt. Chamæmelum apibus odiosum.

22. Palam etiam est apes odorem matricariæ ferre non posse: quarè plethorici, quos præ aliis pungunt apes & culices in hortis ambulaturi optime sibi consulunt si serviam ex matricaria sibi parent, & circumferant: sic enim apes hujus graveolentia offensæ quasi manu ab actæ illis non nocent. Eundem effectum exspectare possumus à cotula fœtida. Matricaria etiam apibus inimica.

23. Pulegium sacculis in clusum & in lecto positum pulices efficaciter abigit: Sed intra spatium septimanæ sacculi sunt renovandi. *Joan. Rajus à D. Palmer.* communicatum notat *Hist. plant. lib. 11.* Ad pulices abigendos.

24. Verbena capiti, vel sub pulvinari imposita, vel fermento acerrimo & oleo rosaceo in emplastro subacta capitis dolorem à vino ortum mirabiliter levare perhibetur. Idem. Ad capitis dolorem à vino.

25. Plebi nostrati, inquit *Schröderus in Pharmacop.* Judæisque amuletum est familiarissimum Allium alpinum, quæ à spectris, aëreque infecto se tutos fore persuasi sunt, unde & Victorialis nomen obtinuit. Contra spectra.

26. Vinum turbidum, quod colorem amisit, herbæ Clematis Daphnoidis minoris sive Vincæ Pervincæ q. s. vasi imposita intra quindecim dies purum, cla- Ad vinum turbidum clarificandum.

rumque

rumque & genuini coloris reddet. Præstabit tamen, ut vinum prius in aliud vas rransferatur. *Tragus.*

Ut Vino & Cerevisiæ gratus sapor conferatur.

27. Iridis radix in vino vel cerevisia suspensa hanc dulcem conservat, illud jucundo tum odore, rum sapore commendat, illius planè æmulo, quem mora rubi idæi communicant, ut in vino rubro compertum est.

Vinum Muscatellici sapore imbuere.

28. Horminum etiam sive scarlæa constat non cerevisiæ tantum, sed & vino impositum planè muscatellicum mentiri, & facillimè decipere incautos. Semen etiam Hormini scarleæ dicti oculis inditum utile esse traditur ad excutiendam eorum caliginem, & ad educenda corpuscula, quæ in illos inciderunt: multa equidem revolutione circà oculi bulbum circumductum tandem humore prægnans & sordibus onustum elabitur.

Folia Quercus ubi in æs commutentur.

29. Folia Quercuum nascentium circa ripam percelebris rivuli ad oppidum *Smolnicium* in provincia Hungariæ Zepusiensi non procul à monte Carpatho siti Autumni tempore delabuntur in rivum, & sic metamorphosi quadam in æs mutantur, sicut ferrum in hac aqua infusum in cuprum transmutatur. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. An. 6. & 7.*

30. Succus Ananæ ferrum corrodere dicitur non secus ac aqua fortis. *Joan. Rajus in Hist. plant.*

Fructus Anacardii.

31. Fructus Anacardii ab Indis cuspidi cultelli infixus, & candelæ ardenti impositus dum uritur, mirum strepitum edit, ignisque scintillas quasi fulmina ejicit variorum colorum, eaque ratione impostores mulierculis & rudioribus imponere solent. Vide *Acostam.*

Cineres pro conflandis vitris optimi.

32. Cineres omnium optimi & firmissimi pro vitris conflandis sunt, quæ à Carduo viarum vulgatissimo fiunt, ut docet *Rajus Hist. plant. lib. 7.* Quamvis alii cardui quicunque huic usui satis commodè inserviant. Carduis bonitate proximi sunt lupulorum cauliculi torsiles floribus decerptis. Horum duorum utilitas noviter inventa est. Videntur autem plantæ spinosæ & aculeatæ optimum & copiosissimum in suo genere omnium salem præbere. Vide *D. Meret Observ. in Anton. Neri de arte vitraria.*

Ad Vinum clarificandum.

33. Ad vinum clarificandum spondylii herba ut & radix optimè conferunt, si prius laventur & purgentur, & iterum siccari permittantur. Quantitas herbæ cum radice convenit æqualitate capitis humani ad integrum vini plaustrum clarificandum hoc modo: Suspendatur imprimis hæc herba cum radice in vino per tres dies: Deinde extraharur, & iterum siccetur: Postea iterum per tres alios dies in eodem vino suspendatur, & denuò extrahatur, ac resiccetur. Tandem herba eadem exsiccata per 14. dies adhuc in vino suspendatur: Quo facto tollatur herba, eritque vinum sivè illud sit album, sivè rubellum optimè clarificatum. *Taberæmontanus.*

Cerevisia ut non acescat.

34. Cerevisia ne acescat: Sume duas aut tres uncias radicis herbæ pyrethri minutim concisæ, adde manipulum unum herbæ centaureæ etiam minutim concisæ; pone in sacculo, & Sacculum suspende in cerevisia. *Idem.*

35. Ut Cerevisia acida emendetur; Artemisiæ herbæ combustæ cinis cum fagi (Vulgo Büchenholtz) cinere commixtus, & in acidam cerevisiam conjectus acorem tollit, & dulcem denuò reddit. *Idem.*

Herbæ Botrys virtutes.

36. Botrys herba vestimentis gratum non tantum odorem confert, sed & tineas arcet, ac prohibet. Semen aliis hortensium herbarum seminibus commixtum, & seminatum pulices noxios prohibet. Quod si & frumenta in granariis hac herba tegantur, eadem à vermibus innoxia & tuta servat. *Idem.*

Vinum penduli ut emendetur.

37. Adversus vini penduli vitia nihil efficacius prunis sylvestribus reperitur. Pruna antequam flavo tingantur colore, leguntur, & in mortario tusa pro magnitudine vasis multa aut pauca vino injiciuntur, cumque probè vino agitatione crebra commixta fuerint, obturatur vas per dies octo vel decem, tum intra paucos dies vinum restituitur. Cœterum possunt pruna sylvestria tusa & in aëre siccata ad eos usus per totum annum conservari. *Joan. Rajus hist. plant. lib. 27. pag. 1528.*

Ad aves capiendas.

38. Ligni Molucensis (quod alias *Pavana* dicitur fructu avellanæ) semen ad aucupia utilissimum comperitur: ejus enim pauxillum cum oriza cocta mixtum avibus sylvestribus exponunt, quæ eo degustato illicò decidunt sopitæ & stupidæ: Quæ verò avidius id edunt, moriuntur, antequam auxilium præberi possit, quod est, ut frigida caput porfundatur.

Venenata animalia ut innoxiè attrectari valeant.

39. Ruta montana vehementi odore suo pellit quæcunque insecta venenata: *Aëtius* scribit, quod si quis hujus succo manus imbuat, securè possit absque ullo nocumento quævis venenata animalia attingere. Quodsi Gallinis, columbis, aliisque ejusmodi altilibus ea sub alis alligetur, vulpes, feles, martes, & alia ejusmodi minimè nocere poterunt. Quodsi & vestimentis apponatur, à tineis & quibusvis noxiis vermibus ea tuta servantur. Asserunt &, si quis verbenam herbam appendat, & secum portet, à serpentum veneno tutum esse.

Ut linum in sericum commutetur.

40. Si ex calce & cinere isatidis herbæ acerrimum fiat lixivium; Linum in eo coctum in sericeam abit materiam splendidam, & subtilissimam filationi aptissimam. Est & hoc mirabile, si plumeæ partes pennarum ex volucribus abrasæ hoc lixivio coquantur, non secus ac gossipium neri, & texi poterunt.

Ad vino optimum saporem conciliandum.

41. Arcanum est Oenopolarum ad vino optimum saporem conciliandum: Mense Majo vel Junio colligunr flores plantaginis majoris; siccant in umbra supra chartam & servant ad usum. Quando recens vinum sive mustum fervet, ejusmodi flores in sacculo suspendunt in dolio, unde gratissimo sapore afficitur. Melius hoc ipsum præstatur ex vitis floribus, quod paucis indicasse sufficiat.

Sideritis herba contra scorpiones.

42. Herba sideritis, ut *Tarentius* ad *Constantinum*

stantinum Cæsarem *lib. 3. cap. 9.* memorat, secum portata vel appensa sine noxa attrectare facit scorpiones. Pariter si quis verbenam herbam appendat, vel secum ferat, à serpentum veneno tutus asseritur.

Pisces ut recreentur.

43. Ad infirmos pisces recerandos nihil melius esse volunt, quam Apium sive petroselinum piscinis injectum: hac enim herba mirè confortari, & recreari dicunt.

Ad crispandos capillos.

44. Ad capillos crispandos suadent, ut post capitis lotionem capilli succo spondylii herbæ Vulgo Beerenklaue dictæ illinantur aliquoties, & spontè resiccari permittantur.

Fructus impregnans fœminas.

45. Admirandum valdè, sed creditu mihi difficillimum est, quod *Ecchelensis Histor. Orient. pag. 221.* Citante ita *Jonstono* refert in insula quadam Indorum, arborem reperiri, cujus fructus dulcissimus, & palato gratissimus sit, qui fœmineum genus impraegnare dicitur. Hunc enim fructum dum fœmina comedit, inde starim uterus tumescere incipit, & post biduum aut triduum fœtum humano præter vitam, qua caret, simillimum in lucem edere facit. Hæc credat qui vult. Nobis hoc ut plura alia admirationis tantum causa inter mirabilia botanica retulisse sufficiat.

CAPUT XVIII.

Mirabilia varia miscellanea Botanica.

Salomon insignis cultor Botanices.

1. Regum omnium sapientissimus *Salomon Ecclesiastis cap. 2. v. 5.* palàm testatur insignem se Botanices, hortorum & maximarum in iis raritatum cultorem fuisse, aiens: *Feci mihi hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus.* Quidquid igitur in orbe, adeoque in India rarum & pretiosum; per naves in Judæam advehebat. Undè dubium non est, *Salomonem* rarissimos flores, plantas, arbores & vites pretiosos ex peregrinis, & remotissimis regionibus, ubi illæ eximiæ sunt, evocasse. Doctissimus interpres *Cornelius à lapide* in citatum locum egregiè comentans ait. *Verisimile est* Salomonem *frutices & arbores pretiosas ex Arabia, Ægypto, India, totoque orbe conquisitas in suos Hierosolymitanos paradisos transtulisse.* Undè *Josephus lib. 8. Antiq. Cap. 2.* etiam tradit, plantam Balsami dono allatam à Regina *Saba* feliciter à *Salomone* suo satam in solo ubertim deinceps in palæstina provenisse, atq; adeò in tanta Copia, ut scripserit postea *Plinius lib. 12. cap. 25.* Balsamum uni terræ Judææ concessum. Quod autem proprium antea fuerit Sabæ & Arabiæ felici, ac felicissimè provenerit apud *Mecham* & *Medinam* præcipuas Arabiæ felicis civitates, docet clarè *Prosper Alpinus dial. de Balsamo cap. 2. Strabo lib. 16. Diodorus Siculus lib. 2. Pausanias lib. 9.* & plures alii. Rursus idem supra memoratus *Cornelius* verisimile existimat omnes frutices, & arbores præsertim aromaticas, quæ in *Canticis cantic.* nominantur à *Salomone*, ab eodem in suis paradisis planratas fuisse, nempè Cedros, Cypressos, Calamum, Myrrham, Thus, Cinamomum, Alöen, favum cum melle. *Cant. 5.* Id est cannam mellitam sivè sacchaream, ex qua saccharum eruitur, ut nonnulli interpretantur. Porrò paradisos sapientissimi hujus Regis fuisse eximios, & superasse hortos illos pensiles *Nitocris*, quos mirâ arte & immensis expensis eidem *Nabuchodonosor* erexit & exstruxit adeò, ut orbis miraculum, sicut *Plinius lib. 15. cap. 4.* memorat, habiti sint; facilè persuadet *Salomonis* cupiditas, opulentia, & magnificentia. Illi autem, ut *Cornelius in cit. loc.* innuit, partim erant in urbe *Jerusalem*, puta in palatio Regali *Sionis*, partim extra urbem, ubi speciosiores sunt campi: Citat etiam *Vilalpundum tom, 3. part. 1. lib. 2.* ex *Josepho lib. 6. de bello Jud. cap. 6.* docentem portam *Jerusalem* dictam *Genat*, sive portam gregis fuisse pariter portam Hortorum, per quam egressus & descensus in vallem *Hennon* amœnissimam & torrentem *Cedron* hortis nobilem arque ad vallem *Josaphat.* Ibi ergo horti erant amœnissimi, inquit *Cornelius*, qui rigabantur torrente *Cedron.* Unde illud sponsæ *cant. 8. v. 10. descendi in hortum nucum ut viderem poma convallium. Septuaginta vertunt: poma torrentis.* Undè ibidem ab *Adrichomio in descript. Jerusalem* depingitur hortus Regius, qui in canticis dicitur *Hortus conclusus*, in quo erat Fons *Rogel*, & omnis amœnitas.

Hortus pensilis Babylonias qualis fuerit.

2. Hortum pensilem Babylonium rari artificii & stupendi operis miraculum ita nobis describit *Diodorus lib. 1. cap. 4.* Ba bylone *erat hortus pensilis juxta arcem non à Semiramide, sed à quodam Syro Rege in gratiam pellicis factus. Quæ cum Persa esset genere cupiens in montibus videre juxtà morem persarum prata, viro Persuasit, ut artificio excitaret hortum qui arboribus, pratisque patriam repræsentaret. Hujus horti singula latera jugeribus quatuor extendebantur. Aditus velut in monte erat ædificiis altero super alterum constructis, ut ex eo conspectus longè lateque pateret. Testudines in solo positæ erant, quæ totius horti pondus sustinerent. Indè aliæ super alias excrescente semper magnitudine ædificatæ. Nam superiores, in quibus horti murorum superficies continebatur, altitudine quinquaginta cubitorum eminebant: Earum latitudo pedum erat duodecim. Muri magna impensa constructi spissitudine erant pedum viginti duorum. Solum hoc modo constabat: Erant positæ lapideæ trabes longitudine pedū sexdecim, sex latitudine. Semper has pro pavimento stratæ arundines alphalto compactæ. De super cocti lateres*

teres duplici ordine gypso structi; tertio tegulæ plumbeæ, ne qua humiditas ad testudines manaret. Aquarum insuper receptacula, quibus humor efflueret. In hoc pavimento congesta humus profunda, ut magnarum arborum radicibus satis esset, hortum efficiebat. In eo proceræ omnis generis arbores aspectum jucundum reddebant. Lumen quoque adeò testudines invicem præbebant, ut in eis regia diversoria haberentur. Præterea aquæductus occultè fabricatus rigabat hortum. Ita *Diodorus*.

Horti in Indostan. 3. In *Indostan* sub dominio Magni *Mogoris* insignes reperiuntur horti, qui tamen ad morem hominum illorum Orientis raris magis & fructiferis ornantur arboribus, quàm aliis hortensibus deliciis. Inter *Cambajam* & *Amadabach* propè locum *Serguntram* spectabilis est hortus *Tzietbagh*, qui totam Indiam fama celeberrimæ ibidem à Magno *Mogore* obtentæ victoriæ replevit: Unde & *Tzietbagh* sive *lucratus hortus* appellatur. Spectantur ibidem insignia palatia, arbores fructiferæ rarissimæ. Situs est amœnissimus. Juxta lacum spatium habet amplissimum; à parte verò *Amadabach* prælalto cingitur muro: Versus hortum verò multa habet ædificia & umbracula sive solaria ad omnem voluptatem exornata. Rarissimæ arbores veluti citrus, Magnas, Palma, Amygdalus, Ficus, Morus, Tamarinthus, & complures hujusmodi aliæ sine numero ibidem spectantur, itaque invicem innectuntur, ut condensam sylvam efficiant. Ex fructibus harum arborum annuum proventum Regi computant 4000. Rupiorum. In ædificiis, viridariis, & umbraculis omnis generis cercopitheci ac simiæ discurrunt miras scenas ludicras spectatoribus exhibentes. In suburbio civitatis *Amadabach* ad fluminis ripam peramplus etiam Regius spectatur hortus *Schabach* dictus, qui muro undiquaq; munitus est. Ad cujus finem magnificum prominet ædificium variis ad omnem voluptatem conclavibus instructum, aquis etiam ex amne inductis circumdatum. Ex horto isto in alium fit aditus progressu facto per lapideum pontem 400. passus longum. Ipse porrò hortus adeò magnus non est; optimè tamen situatus, ut ex eo circumsita pomaria, palmeta, & viridaria amœnissima summo oculorum, animique oblectamento spectari possint. Ardentius terram adurente sole cum aquæ subterraneæ deficiunt, Hydraulico illæ artificio ac boum ministerio ex profundis fontibus attolluntur. Horto huic insignis adjacet specula, ex qua in circumsita loca amplissimus & amœnissimus patet prospectus. Ex urbe quoque *Amadabach* ampla via *Bagbaban* dicta altissimis utrinque palmis instructa per sex milliaria protenditur, qua itinerantes ardente quantumvis sole sub umbra lætissimè progredi possunt. Similis alia via ab *Agra* ad *Brampor* per 30. cursus, adeoque plura miliaria Germanica extenditur.

4. Nullibi terrarum horti speciosiores & amœniores favente his plurimum solo & sole spectari possunt ac in Italia. Horti speciosiores in Italia. Quis enim hos omnes describat? quis raritates omnes in eis explicet? Ad unum *Tusculum*, quod nunc *Frascatium* dicitur, quàm insignes paradisi sese curiosis oculis objiciunt? Eminet inter omnes amœnitate ac pulchritudine speciosior *Villa Aldobrandina*, aliàs *Bel-videre* dicta, ubi propè palatium omni splendore & magnificentia ad omnes architectonicas leges exstructum jucundissimus paradisus spectatur, quem etiam non fontes, sed flumina in hunc finem perfosso monte è remotis scaturiginibus deducta ad maximam spectantium delectationem non irrigant solùm, sed & organis hydraulicis, aliisque aquarum ludibriis mirum in modum spectatores afficiunt. *Burghesianum* plures habet villas hortis eximiis illustres. Primaria inter illas *villa Burghesia* vulgo *Mondragone* nominatur, quæ à *Paulo V.* Pont. Max. *Burghesio* fundata est: Ubi juxta palatium regia prorsus munificentia sive statuarum, sive exquisitissimarum picturarum copiam spectes, adornatum, horti, prata, sylvæ circumsitæ nil gratius & speciosius oculis exhibere posse videntur. Reliquæ Burghesianæ villæ vulgò *Mondragoncino*, & *Villa Vechia* nominantur. Percelebres aliæ villæ in agro Tusculano sitæ sunt, comprimis *Ludovisia*, quam *Gregorius XV.* Pont. Max. fundavit: Deinde *Belpoggio* villa *del Sr. Duca de Ceri*, ut & *Aqua viva* villa *del Sr. Cardinalis Moltalto*. Item *Arrigogne* villa *di Mons Varesiè Mons Rocci*: quæ villæ omnes mirè speciosis decorantur hortis. Villa *Moltaltina* à *Sixto V.* Pont. Max. fundata hodie principi familiæ Sabellorum subesse dicitur. Villa *Roccio-Varesiana* à Cardinale *Roccio* & *Varesiis* partitis juribus incredibili pensilium hortorum amœnitate exculta est.

5. *Carolus Stengelius* Abbas Anhusanus in sua *Hortorum florum & arborum historia* ad miraculum numerat in ipsa urbe Veneta & proximè circumsitis locis 185. hortos amœnissimos: inter quos tamen rerum hortensium magnificentia & incredibili varietate præcellere videntur horti, scil. Monasterii *S. Georgii majoris*, palatii *Antonii Barbari*, & *Andreæ Vendromini*, procuratoris aliquandò ad *S. Marcum*. In quo ultimo rarissimæ non tantùm, & planè exoticæ reperiuntur plantæ, sed etiam complures statuæ, columnæ, fontes eximii, ut nihil his ad oculorum oblectationem animique delicias gratius & jucundius desiderari posse videatur. Nunquam etiam satis laudanda est Venetorum Respublica, quæ *Patavii* magno ære, studioque hortum excolit medicum, in quo exotica quævis & peregrina toto orbe advecta non solùm, sed & cætera officinis pharmacopœorum usitata florum, herbarumque discrimina Medicinæ operam navantes videre, excutere, & distinguere valeant addito viro aliquo excellenti Botanices expertissimo, Horti plures Venetiis.

qui

qui sub annuo, eoque optimo salario culturæ præsideat, adventantes instruat, ac singulorum rationem reddat magno certè Reipublicæ & Academiæ istius ornamento. Verùm de hortis & eorum miraculis multa narrari possent, si illorum historiam scribere vellemus; quæ cum integrum requirat opus, studiò filum hîc abrumpere cogimur, & ad alia quædam mirabilia Botanica enartanda progredimur.

Mira amœnitas in summitate montis Kindaculle.

6. *Olaus Magnus* refert apud Austrogothos, non longè, à lacu veneris montem esse eminentissimum vulgari generis sermone *Kindaculle* dictum tantæ altitudinis, ut à navigantibus ultra 40. milliaria Italica in eodem lacu quasi atra nubes inter Cœli hiatus appareat: Ideoque multi tempestatibus, vique Ventorum agitati summis viribus conantur ejus pedem attingere, ubi tranquillissimum portum esse meminerunt. In illius montis summitate mira amœnitas frondium, varietas herbarum, suavitas fructuum, copia diversarum arborum sua sponte nascentium non varietate magis quàm dulcedine velut satarum, reperitur. Accedit avium concentus, quæ mellitissimos cantus fundunt, & totum montem exhilarant. Tota cœteroque regio undique aspera suam habet arcem amœnissimæ jucunditatis.

Flores perpetui circa Æthnam.

7. Circa *Æthnam* in Sicilia neminem ferunt cum canibus venatum ire, quod prata collesque perpetuò illic flores mittant, quorum fragrantia, quæ eam oram occupat, obfuscentur ferarum anhelationes.

Florum ubertas contra anni constitutionem.

8. Cœso ex insidiis *Alexandro Medice* Florentinorum Duce eo ipso die in *Cosmi Medicis* villa omnis generis florum ubertas contra anni constitutionem cunctis stirpibus erupit, & soli Cosmiani Horti adulti vetis similitudinem retulerunt. *Sabellic. Supplem. lib. 22.*

Rosarum acervi mirabiles.

9. Inter portenta meritò referendum videtur luxuriosum illud *Cleopatræ* convivium, in quo talentum expensum est in solas rosas, ut per omnia discumbentium triclinia foliorum passim acervi cubiti mensuta pavimentes undique extarent. *Bonaventura Baro in Nat. mirac.*

Hortus ex auro confectis plantis in Insula Puna.

10. *Phalegin descript. Provinciæ Gujanæ* narrat Peruvianum Regem *Huayanam Capac* in Insula *Puna*, ad quam subindè mutandi aëris gratia divertit, hortum habuisse, qui omnis generis flores, herbas, & arbores ex argento & auro elaboratas exhibuerit tanto pretio & artificio, ut simile nihil ante hac ab ullo hominum visum fuerit. Confirmant *Acosta* & *Nirembergius* addentes omnes arbores & plantas cum suis ramis, foliis & fructibus ad justam naturalium ejusmodi arborum & plantarum magnitudinem ex purissimo auro confectas habuisse. Similiter in certo quodam conclavi omnis generis animalia ex pretiosissimis unionibus, margaritis, & avium plumis artificiosissimè congesta & compacta fuisse; Nec mirum id viderit debet, cum ante Hispanorum adventum ad illas terras auri pretium haud secus atque apud nos lapidum ibidem nullum fuisse constet.

11. Similia ferè refert *Fournier Geograph. orbis notit. lib. 4. cap. 50.* de admirando quodam paradiso à *Margaretha* Hungariæ Regina constructo his verbis: Ubi, inquit, *Scaldis* amnem excipit *Henium*, à quo *Hanoniæ* nomen ortum in saltu carbonario propè *Bingium*, ubi & *Margaretha* Hungariæ Regina Carolum V. fratrem suum excepit Anno 1549. & palatium hortosque ad delicias excitavit; in quibus laudabatur *Ceres* alta pedes 28. & mons *Parnassus* ex cocleis Gemmarum & Corallio; Fons *Helicon* cum novem *Musis* ex marmore & Mallavio ex prophyrete, mensa operis musivi, & innumeris tessulis versicoloribus, quæ urbem *Bingium* referebant ad vivum. Herbulæ & flores tanto artificio ficti, ut licet ij ex solido essent metallo, levissima tamen auræ flabello moverentur. Plantæ ex remotissimis conquisitæ orbis partibus, columnæ marmoreæ, fictitium Cœlum, quod præsente *Carolo V.* intonuit, pluvias & fulgetra immisit, & alia innumera, quæ Anno 1554. Rex Galliæ in cineres redegit, memor injutiæ ab eadem Regina acceptæ, quandò vastata Picardia hortis regiis & palatio *de Folambray* prope *Noviodunum* faces intulerat.

12. Singulare est, nec admiratione vacat, quod de *Cyriaco Matthæo* scribunt; eum testamento legasse hæredibus suis 6000. Coronatos annuatim impendendos in hortum, quem haud procul *Novicella* apparari fecit.

13. Sed jam admiranda quædam circà pretium immensum in flores impensum proferamus: *Abrahamus Gollnitz in itinerario suo Belgico-Gallico pag. 115.* de Bruxellensibus hortis hæc tradit: *Hortorum*, inquit, *non amœnitas sed luxus est: Et invenies, qui flores suos septem aut octo florenorum millibus æstiment exiguo in bortulo natos.* Florum ingens pretium.

14. Pauci sunt anni, inquit *Beyerlinck in Theat. v. h.* quod *Antverpiæ* bulba una Coronæ, quam vocant, imperialis venerit 60. aureis scutis, tandemque decrescente pretio modo ita vili habeatur, ut vix honestiorum inter flores locum obtineat. Hic flos autem, ut memorat *Erasmus Francisci in part. 1.* Deß Ost- West Indianischen / wie auch Sinesischen Lustgartens maximè laudatur, cum plures coronas five series florum supra se ordinat: Uti *Constantinopoli* duas aut tres ordinasse compertum est. Anno 1581. *Viennæ* in horto clarissimi viri *Caroli Clusii* flos talis repertus est, qui quinquaginta & plures campanulas suspendit. *Londini* quoque repertum memorat ibidem apud *Jacobum Garet*, qui 72. hujusmodi campanulis floridis luxuriavit. Coronæ imperialis pretium.

15. Tulipas nonnullos mirum est insano nimiùm amore prosecutos. Ita suprà memoratus *Beyerlinck* memorat, quod nonnemo tulipam novo, eoque exotico colore enatam ita deperierit, ut alteri etiam non minùs hac insania detento, & mille flo- Tulipa mille florenis æstimata.

le florenorum pretium offerenti eam vendere recuſarit. At ecce nocte ſubſequente ſubterraneus mus aut ſorex bulbam ipſam voravit, & tanta ſpe Dominum defraudavit fortunæ ſuæ vicem deplorantem. Recte hic ſubdit *Beyerlinck* : *Romanum* Hortenſium *riſerit aliquis, quod propter interemptam murenam atratus in publicum proceſſerit; iſtos propter arroſam, aut emortuam plantam.*

16, Stupenda ſunt, & nonnullis penè incredibilia, quæ de admirando valdè Tuliparum pretio clariſſimus Author *D. Abrahamus Muntingh*, Medicinæ Doctor & Botanices in Academia Gröningo-Omlandicâ Profeſſor *in de Wäare Oeffening der Planten lib. 3. cap. 430. pag. 635. & ſeq.* recenſet: quæ ipſa ex Hollandico ad ſuperioris noſtræ Germaniæ idioma translata Amicus quidam communicavit. Ne verò latinitate donatis aliquid affinxiſſe viderer, ea ipſa, prout communicata ſunt, Curioſo Lectori in Germanicâ noſtrâ linguâ hic ſubijcere volui.

Hiebey kan ich nicht umhin des Blumen-Handels dieſer Tulipanen zu erwähnen / welcher im Jahr 1634. 1635. 1636. und 1637. in Holland ſehr in Schwang gegangen/ und dahmals vor die gröſte Kauffmannſchafft geachtet worden / unerwogen dabey ein groſſer Gewinn zu erhalten war/ſo/daß einige Weber ihre Stühle und Werckſtätte / auch einige geringe Krämer und Händler ihre Wahren verkaufften/und lediglich den Tulipanen-Handel übernahmen / welche man beſſer als Gold/und köſtlicher als Perlen / oder auch einig hochgeſchätztes Kleinod achtete ; Dann man erhandelte damahls vor einen Vice-Roy (ſo eine nichtige Blumen-Zwiebel) dieſe folgende Wahren/ als nemlich)

Zwey Laſten Kern/am Werth von - -	448. fl.
Vier Laſten Korn - - -	558. fl.
Vier gemäſtete Ochſen - - -	480. fl.
Acht gemäſtete Schwein - -	240. fl.
Zwölff gemäſtete Hämel - - -	120. fl.
Zwey Ochshöffte Wein - - -	70. fl.
Vier Tonnen 8. Gülden Bier - -	32. fl.
Zwey Tonnen Butter - - -	192. fl.
Tauſend Pfund Käs - - -	120. fl.
Ein Beth mit Zubehör - -	100. fl.
Ein Pack Kleider - - - -	80. fl.
Ein ſilbern Becher - - -	60. fl.
Werths	2500. fl.

Welches von vielen vor recht anmerckenswürdig geſchätzet worden.

Allein hiebey blieb es nicht/ dann man verkauffte nach der Hand zu noch gröſſerer Verwunderung offentlich nach den Gewicht/ und ein jedwedere Blume mit Nahmen/als folgt:

400. Aaſen Admiral *Liefkens* - -	4400. fl.
59. Aaſen von eben denſelben - -	1015. fl.
446. Aaſen Admiral von der Eyck -	1620. fl.
214. Aſen von der Eyck - -	1045. fl.
523. Aaſen Grebber - - -	1485. fl.
106. Aaſen Schilder - -	1615. fl.
200. Aaſen *ſemper Auguſtus* - -	5500. fl.
200. Aaſen mit einer doppelten Blum	1200. fl.
410. Aaſen *Vice*-Roy - -	3000. fl.
658. Aaſen erſtbemelter Blum -	4200. fl.
1000. Aaſen Gouda - -	3600. fl.

Und noch viel andere mehr/ſo unnöthig alle hier anzuführen/ingleichen iſt verkaufft worden an N.N. ein Viertel Pfund weiſſe Cronen vor fünff hundert fünff und zwantzig Gulden/ zuſambt noch vier Kühen / die ſo gleich / wann die Lieferung geſchehen / bereit ſtehen / aus dem Ball geholt/ um in des Verkauffers Hauß geführt zu werden.

Ingleichen hat N. N. übernommen zwey Pfund Schweitzer vor tauſend zwey hundert Gulden / anbey auch noch ſich verbündig gemacht über dieſes dem Verkauffer ſo gleich einzulieffern ein Quartal Pflaumen / und innerhalb vier Wochen ferner tauſend vier hundert Gulden / entweder gleich zu ſchieſſen / oder in Banco ſchreiben zu laſſen ;

Ingleichen iſt verkaufft worden an N. N. ein Pfund gelbe Cronen vor acht hundert Gulden / der anbey auch dem Verkauffer noch über die beſagte Summ verehrt Tuch zu einen Kleid und Mandel/ ſo jeder/der es geſehen/ die Ellen acht Gulden wehrt geſchätzt.

Ingleichen iſt von N. N. erhandelt worden/ ein Pfund weiſſer Cronen vor drey tauſend zwey hundert Gulden / der über dieſe Summ auch noch dem Verkauffer geſchenckt zwey hundert Gulden / nebſt einer ſilbern Schalen ſechtzig Gulden wehrt.

Auch iſt überlieffert worden an N.N. fünff Pfund gelbe Cronen von dem/ der ſie gekaufft hatte/ vor drey hundert fünff und ſechtzig Gulden jedes Pfund / welchen Kauff er nicht nur übernommen / ſondern dem andern auch über die ausgelegte Summ/ſein Caleſch/das Pferd/ zuſambt aller Zugehör/ benebſt zwey ſilbernen Bechern/und hundert und funfftzig Gulden an Geld zugeſtellt.

Auch haben zuſammen N.N. und N.N. ſich verglichen und accordirt/ daß der eine ſoll annehmen ſechzehen Morgen Lands / welche von guten und verſtändigen Leuten ſechzehen tauſend Gulden wehrt geſchätzt worden/ worgegen ihm der andere ſoll lieffern ſo viel Tulipanen-Zwiebel/von erwähntem Werth/nebſt dem / daß der Liefferer der Tulipanen-Zwiebeln / alle Jahr ſollte anzunehmen verbunden ſeyn / die Abſetze/ und was davon abfällig iſt/ die fünff fortwährende Jahr / zu einem fünfften Theil der Capital-Summa. *Auf gleiche* Condition iſt auch ein Haus verkaufft worden / ſo man vier tauſend vier hundert Gulden wehrt geſchätzt.

Ingleichen iſt auch von N. N. ein Pfund *Genten* vor ein tauſend acht hundert Gulden erhandelt worden / worzu er noch gegeben ſeinen beſten Rock / ein alten Roſenobel und ein Schau-Pfenning mit einem ſilbernen Kettlein/umb ſolches einen Kind an den Halß hengen zu können ; Ein Perſohn hatte gekaufft einen *Vice-Roy* von 175. Aaſen / der ſchon in die Erde gepflantzt war / für neun hundert Gulden / die ein anderer von ihm wieder übernahm / und ihm noch darzu verehrte ein Kleid und Mandel / ſo koſtbar er es verlangen würde / und noch über das / ſo die Liefferung würde geſchehen ſeyn / an paarem Geld tauſend Gulden. Das Kleid ware ihm alsbald abgefolgt/ welches er mit guldenen Borten ausbordiren

diren ließ/mit köstlichen grünen Banden / und den Mandel durch und durch mit Sammet gefüttert.

Jngleichen ist auch verkaufft worden an N. N. ein Brabandische *Ypern*, schon in die Erde gepflantzt/ wägend drey hundert und siebentzig Aasen / vor sieben hundert Gulden / benebst zwey hundert/die also gleich zu erlegen/einen Cabinet-Cästgen von Eberholtz gemacht/ zusambt einem vervielfältigenden Spiegel darinnen / anbey auch eine grosse Schilderey / so einen Blumen-Kopff fürstellig machte.

Auch ward an N. N. verkaufft ein *Semper Augustus* von hundert und drey und neuntzig Aasen an Gewicht / für die Summ von vier tausend sechs hundert Gulden / und noch über dieses ein wohlzugerichtete neue Carosse / mit zwey Apffel-grauen Pferden und aller Zugehör/welches innerhalb einer Zeit von vier Wochen solte gelieffert / das Geld aber so gleich in der Banco abgeschrieben werden.

Auch ist erkaufft worden von N. N. ein *Gouda*, wägend hundert und eilff Aasen / vor sieben hundert Gulden mit der Liefferung zu bezahlen / alsobalden aber vier Rosenobel/ nebst einem schönen Schlitten / ein Pferd/ Zaum/ Sattel / und alles/was zu einem Pferd gehörig.

Jngleichen ist an N. N. ein Hoff mit Blumen und Gewächsen / so als damahls es in Stand war / erkaufft worden / umb 8000. Gulden zu bezahlen / doch solte dem Verkauffer einige Blumen / oder Tulipanen / die er daraus kiesen oder nehmen solte/auf die zwey tausend Gulden sich belauffend/frey stehen/ welche er aber dem Kauffer zu benennen.

Noch ist von N. N. übernommen / ein verbesserter Spinnen-Kopff von vier hundert Aasen / so bereits eingepflantzt / und vor sieben hundert Gulden erkaufft worden/ wofür man nebst der erkaufften Summa so gleich hundert Schiffs-Pfund Edamer Käs verehrt.

Ferner ist verkaufft woroen ein Semper Augustus vor zwey und neuntzig Aasen / vor die Summa von zwey tausend Gulden / welche so gleich in Banco abgeschrieben worden / mit diesem Vorbehalt und Bedingnus / daß dem Kauffer nicht erlaubt seyn solte / diese Tulpen-Zwiebel / sonder Consens des Verkauffers / wieder zu verkauffen/ und zu veralieniren.

Auch ist an die meist-Bietende auf den 5. Hornung 1637. auf den Saal / der so genanten Neuen Schütters-Döele zu Alckmaer, vor die Erben Walther Bartholomäus / ehemahligen Casteilans von der Alten Schütters Döele von Alckmaer, die Summa vor neuntzig tausend Gulden lediglich vor Tulipanen-Zwiebeln verkaufft worden. Jn eben dieser Zeit/ist/Krafft einiger Anmerckung/so eine Curieuse Persohn gethan / gantz freywillig und unangebotten vor eine Tulipan-Zwiebel / 12. Morgen-Feldes in den Scheemer gelegen gebotten worden.

Jngleichen hat gemeldte Person angezeiget/daß ein fürtrefflicher Mann zu Amsterdam an jemand zu Hattem den Semper-Augustus verhandelt hätte / doch mit diesem Vorbehalt/ daß niemand von ihnen beyden / sonder beyderseitiger Consens diese Tulipanen-Zwiebel solte mögen verhandlen; Dessen ohngeacht/so ward der Erste wankend gemacht durch das Anerbieten von einen gewissen sehr sinnreichen Spannischen Cabinet / warum er schon lange Zeit gebuhlt/ und gern 10000. Gulden darfür gegeben hätte / welches man ihn benebst 3000. Gulden an Geld vor diesen Semper-Augustus gegeben. Als der ander dieses in Erfahrung gebracht / nahm er auch hiebey seine Schantz wahr/und verhandelte drey Zwiebeln von dem Semper Augustus vor die Summ von 30000. Gulden/und solche in der Banco zu erheben; Eben diesen Herrn in Amsterdam/ward vor seinen Garten 15000. Gulden Zins jährlich angebotten/ und zwar auf 7. Jahr nacheinander / welches dann diese kurtze Zeit die Summa von 115000. Gulden ausgetragen; und noch über das mit diesem Bedingnus die Quantität und Qualität aller Zwiebeln und Blumen nach Verfliessung der 7. Jahr darinnen zu lassen / so / daß der Vortheil des Beständners bloß in dem Anwachs bestehen solte.

Hierdurch ward dieser wunderbarliche Kauffhandel (an welchem ein jeder einen Lust hatte / als vermittelst dessen eine einige Persohn / geschweige viel andere / in der Zeit von 4. Monden über die 60000. Gulden gewonnen) durch Edelleute/ burgerliche Persohnen/ Bauren/Schiffer / Fuherleute / Weber / Turfftrager / Schorsteinfeger und andere / ja wohl gar auch durch Frauen und Dienstmägde / von Tag zu Tag/ aus Hoffnung in kurtzer Zeit zu grossen Reichthumb zu gelangen / vermehrt/ und ihre Gesellschafft vergrössert; So / daß endlich Einige der Fürnehmsten diesen Handel für keine aufrichtige und ehrliche Kauffmannschafft zu halten begunnten/ unerwogen sie daraus mehrern Schaden als Profit gezogen/und noch mehrere Ungelegenheiten vermutheten / indem Einige in Bezahlung des Gelds so sie schiessen solte/ angefangen zu hincken/andere im Gegentheil/ die sich bey dieser Handlung einen Vortheil gemacht/ und vormals in ihre Haußhaltung kaum dünn Bier und Miehlbrey mit genauer Noth überkommen / und haben können / nun nicht wusten / wie sie sich toll genug aufführen sollten ; indem ihnen die schlechte Wein kaum mehr gut genug / sondern selbiger zuvor heiß und best gezückert seye/ oder wenigstens Spannischer Wein / statt eines Tisch-Truncks/ benebenst einen delicat-zugerichteten Bißlein dienem muste / und in solchem Stücke die natürliche Regel und Manier zu leben überschritten ; Sie kaufften Carossen / Calesche/ Pferd/und lebten herrlich und in Freuden / niemand von ihnen wuste / wie hoch er seinen Stand setzen solte/ und war der Eine ein grösserer Herr und Meister als der Ander/und wolte keiner dem andern etwas zuvor geben / oder weichen. Haben demnach bey sogestalten Sachen diese Herren Floristen von allen Ständen in Holland sich nach Amsterdam versamelt/und folgenden Accord getroffen / daß aller Handel von Tulipanen-Zwiebeln / so biß den letzten November im Jahr 1636. zugeschossen worden / gehalten werden müste/ die Kauff aber / so nach dieser Zeit geschehen / solte der Kauffer nachlassen / falls der Verkauffer zehen pro Cento bezahlte / und solte also in dem Monath Mertz des 1637. Jahrs der Verkauffer

den Kauffer anfragen / ob er den Kauff halten wolte oder nicht.

Nachdem dieses geschehen / blieben einige noch in Gedancken/aus Forcht/ dieser Accord / obwohlen er sowohl von Einigen heimlich als offentlich unterschrieben worden/ (weil die von Amsterdam hierein nicht consentirt) möchte keinen Bestand haben / und daraus geschritten werden/weßhalben/zu mehrer Befestigung dieses Accords / eine Suppliquen an die Herren Staaten von Holland und Westfrießland in den Haag einliefferten. Welche dann nun mehrern Inconvenientien bey diesem rasenden Handel vorzubeugen / und die Ruhe und Wolfahrt ihrer Einwohner besser zu beförderen / den 27. Aprill 1637. ein Placat in allen Holländischen Ständen publiciren und anschlagen liessen. Hierdurch bekam dieser unerhörte Kauffhandel so einen gähen Fall und Untergang/daß man kurtz darauf eine Zwiebel vor 50. Gulden kauffet / die wenig Wochen zuvor über die 5000. gekostet hatte; Wodurch man überall eine allgemeine Veränderung der Gemüther dieser Kauffleute gantz deutlich verspührete / indem einer den andern mit grossen Ingrimmen ansahe/weil sie mit ihren Wahren nicht mehr zum Vorschein kommen durfften. So / daß Einige nach dieser Zeit ihr Leben in Ruhe und Stille anstellten / und bey diesem Kauffhandel sich ziemlich bereichert hatten/ dahingegen andere gar schlecht davon abkommen/ und dieses Ecclyptische Schrecken-Jahr in der Finsternuß ihrer Beutel und Seckel nicht vertragen kunnten/weßhalben sie unvergnügt wiederum zu ihren gewöhnlichen Webersspuhlen/ oder anderweitigen Handthierung mit betrübten Gesicht die Ruckkehr nehmen müssen. Und so auch dieser in Warheit thorhaffte und tölpische Hülsenhandel im Stand länger solte geblieben seyn / würde gantz Holland dadurch in ihrem Kauffhandel einen unumgänglichen Verderb gespühret haben/ unerwogen man vor die allerschlechteste Zwiebel / die man ehedessen und auch jetzo auf den Misthauffen wirfft / bekam/ was man nur wolte und verlangte / und solte wohl endlich die Bezahlung nicht mehr mit Geld / sondern mit diesen Blumen geschehen seyn; Auch hab ich von verschiedenen Lob-würdigen Männern gehört/die hievon Kundschafft gehabt / daß in einer einigen Stadt von Holland/ innerhalb drey Jahren/mehr dann zehen Millionen Gulden an diese Blumen und Zwiebeln verhandelt worden.

Ingleichen hatte mein Vatter im Jahr 1636. an einen Mann von Alckmaer gebürtig/ einige wenige Tulpen-Zwiebel verkaufft / vor die Summ von 7000. Gulden/doch mit diesem Beding / daß / so fern in der Zeit von sechs Monaten kein Abschlag vorfiel / alsdann der Kauff fest verbleiben: Falls aber selbiger geschehen/der Kauffer zehen pro Cento geben solte / welches dann auch geschach/indem sich der Abschlag innerhalb dieser Zeit ereignete / empfieng dannenhero 700. Gulden vor nichts / und behielt seine Zwiebeln / die er viel lieber vor die bedungene Kauff-Summa sollte ausgelieffert haben.

Dieses alles/geneigter Leser/hab ich darum nicht verschweigen wollen / ausdaß unsere Nachkömmlinge dieses als im Spiegel schauen und zur Warnung hieran gedencken sollen/ wir auch selber dardurch ermahnt werden / zu solchen unbehörigen Handel nicht wieder zu verfallen; Es scheint aber / meinem Gutdüncken nach / als ob dieses Ubel erstlich seinen Ursprung in Franckreich genommen / unerwogen alldort die grosse Herren / insonderheit innerhalb Paries/ ein wenig vor dieser/und auch um selbiger Zeit dieser Raserey /vor eine schlecht abgebrochene Tulipan einige hundert / ja tausend Gulden (nachdem sie schön von Farben waren) gaben / die sie ihren Maitressen und andern Dames / deren Gunst sie suchten / verehrten. Welche bey Empfang dieser Blumen auf ihre lincke Seite / worunter das Hertz verborgen/hefften / und damit prahleten / auch selbige höher als alle Diamant und Perlen der Welt achteten / so bald sie aber den Abschlag dieses Holländischen Blum-Handels vernommen / ward auch die Hochachtung mit ihrer geschwind-verfallenen Schönheit vermindert / und verschwunde alles gleich dem Rauch.





DISQUISITIO III. ZOOSCOPICA.

Quâ Regnum naturale Animale perluſtratur, ac multa in eo Notabilia & Mirabilia ſcienda deteguntur & proferuntur.

SPectavimus hactenùs magna & admiranda Dei opera; ſuprà nos Cœlum, juxtà nos Aërem, infrà nos Terram, ſivè Terraqueum globum: In Cœlo perluſtravimus lucidiſſima illa corpora, quibus tanquam perpetuò ardentibus faculis perampla & mirifica Mundi hujus fabrica colluſtratur: In aëre vidimus mira phænomena & quidquid illic cognitione & admiratione conſpicuum eſſe poteſt: In Terrâ perſcrutati ſumus glebas, lapides, metalla, ignes, aquas, maria, plantas & vegetabilia: Supereſt, ut nunc & Regnum Naturæ animale accedamus ac perluſtremus. Huc etiàm jamdudum nos invitavit Magnus ille divinorum oraculorum interpres Sanctus Job *cap. 12. v. 7.* ajens: *Interroga Jumenta & docebunt te, & volatilia cœli & indicabunt tibi: Loquere terræ & reſpondebit tibi: & narrabunt piſces maris;* magnam ſcilicet Conditoris Sapientiam & providentiam, gloriam & Majeſtatem. Sed his ſic breviter præmiſſis rem ipſam auſpicemur.



CAPUT

CAPUT I.

De Animali in genere, ejus animâ sensitivâ, primariis ejusdem facultatibus, divisione in certas classes, ac variis differentiis.

Animal quid sit.

1. Animal communiter alii dicunt esse *Corpus animatum sensitivum*, aut *Vivens constans corpore organis sensoriis instructo, & animâ sensitiva*: aut *substantiam animatam sensitivam*: Nos brevissimè & simplicissimè dicimus *esse Vivens sensitivum*. Sic enim sub Genere *Viventis*, & differentiâ *Sensitivi* proxima principia constitutiva Animalis optimè complectimur. Non igitur omne vivens est animal, ut sunt plantæ & vegetabilia: nec id, quod vitam non habet, animal esse potest: quocircà stellæ, cœlum, mundus ipse, lapides, metalla & sexcenta alia meritò ab animalium censu excluduntur. Distinctio verò animalis licet communissima, eaque præcipua sit in *Rationale* & *Irrationale*, illudq; præcedentiam meritò habere debeat, ejus tamen perscrutationem in sequentem differimus disquisitionem; hîc autem Irrationalis cognitionem præsumendam duximus.

Anima sensitiva qualis sit.

2. Anima sensitiva, quæ est forma Animalis Irrationalis, sive Bruti corporea & materialis est, non spiritualis, ipsaque per omnes animalis partes diffunditur, quas simul perficit, continet, vegetat, & in varios actus impellit. Est igitur omniũ actionum principium, quas ritè actuat, format, ordinat, & discriminat. Esse etiam corpori coextensã & divisibilem non tantũ probant distinctæ functiones, quas per diversa exercere solet organa, sed ipsæ corporis animati partes, quæ etiàm cum resectæ fuerint, adhuc vivere, seq; movere comperiuntur.

Anima brutalis ignea est, aut igni cognata.

3. Cujusmodi verò sit Anima sensitiva, aut ex qua materia Elementari composita, ut explicetur, opus habemus œdipo. Nolo hic plures tàm veterum, quàm Recentiores opiniones attexere. Probabilior autem videtur esse sententia eorum, qui Bruti animam non modò corpoream, extensam, & divisibilem esse statuunt, sed insuper esse naturæ cujusdam igneæ, ejusq; actum sive subsistentiam aut flamam esse aut halitum flãmæ proximum & affinem. Ità sentit Doctiss. *Thomas Willis de animâ Brut. cap. 2. Du Hamel de corpore animato lib. 1. cap. 1. Gassend. ac Honoratus Fabry tract. de plant. & Cenerat. animal.* Sicut enim ignis ex particulis constat subtilissimis jugi & perenni motu agitatis, quod partes ejus decedentibus aliis continuò renoventur, dum pabulum sulphureum depascuntur, & aliud ab aëre ambiente velut nitrosum, quo foveantur continenter arripiunt & admittunt, Ita pari ratione anima sensitiva continua in actione & motu versatur, dumq; ejus particulæ quædã abeunt, aggesto iterum tam sulphureo à cibis & elementis, quàm nitroso ab aëre ambiente pabulo continenter abscessus particularum restauratur. Undè illius actus seu vita in jugi motu versatur, qui ubi desiêrit, statim anima sentiens instar flammæ extinguitur.

4. Incendium istud sulphureæ & vitalis materiæ in perfectioribus animalibus clariùs elucescit, ut rectè notat *Du Hamel loc. cit. Nam & in iis*, ut inquit, *calor manifestè se prodit, & fuliginum exhalatio & alia flammæ apparent indicia. In iis quæ sunt frigidiora, cujus generis sunt insecta, tenuis illa substantia tam vegeta & velox magis halituosa, quàm flammea dici potest, neq; tamen ab ignis natura & atomorum subtilitate & motu, & pabuli cùm sulphurei. tùm nitrosi necessitate multũ abhorret: quod si enim aër non accesserit, brevi extinguuntur.* Ità plurimis constat experimentis nullum animal visum posse conservari, dum aëre destituitur, sicut & ipse ignis, ubi aëre veluti pabulo suo privatur, in se marcescit & extinguitur. De insectis multa congessit experimenta Solertiss. *Boylius*, quæ demonstrant ea machinæ pneumaticæ imposita, exsucto dein aëre ad vitæ sustentaculum necessariò mox interire. In vermibus & eorum annulis, quæ ad latera cernuntur foraminula, velut quædam puncta nigricantia, quæque in asperas arterias, seu bronchia excipiendo aëri idonea desinunt, si eà melle vel oleo illinantur, vermes mox interire compertum est: Et pisces, qui per branchias cum aquâ attrahunt aërem, si lacus, quo continentur, totus glacie constringatur, ut aër permeare nequeat, nitrosi quoque pabuli defectu emori ubivis compertum est. Nullum igitur animal aëris ceu pabuli sui usu destitutum vitam protrahere potest.

5. Ipsa Brutalis animæ subsistentia, & hypostasis licet ab ipso corpore animato, ejusque materiâ non sit diversa; eam tamen censet *Willis tract. de anim. Brut. cap. 2.* ex maximè subtilibus & actuosis particulis constare; crassioribus materiæ partibus in organa conformatis, undè subtiliores ab his solutæ in animæ sentientis substantiam facessant. Verba autem, quibus opinionem suam declarat, hæc sunt: *Opinari fas sit, animam brutalem particulis ejusdem materici, è quâ corpus organicum formatur, iis verò selectis, subtilissimis, & maximè activis constare; quæ tanquam flos è crassiori massâ emergentes mutuò coëunt, atque ductus idoneos, quos per totam corporis compagem ipsæ procudunt nactæ, hypostasin unam continuam, scilicet pertenuem, & quasi spirituosam toti adæquatam & coëxtensam constituunt.* Modum verò, quo hoc ipsum fieri putat, describit paulò prolixiùs, ut apud Eundem videre licet. Quamobrem anima Brutalis

Brutalis animæ subsistentia.

talis organis suis quodammodò prior esse debet; Hæcque velut telam orditur suam, cujus ipsa quasi subtegmen est, non oculis, sed effectibus conspicua, utetiam ad mentem *Willisii* explicat *Du Hamel.* Est enim velut flos quidam corporis & subtilior flamma, quæ ex alimentis continenter reparatur. Cùm enim crassiores succi nutritii partes corpori alendo destinantur, tùm subtiliores quæ sunt, restaurandæ animæ serviunt; ac portio illius succi purior flammam sanguinis fovet; ex cujus incendio spiritus gignuntur, qui in cerebro præparati animæ sentientis partem sensûs & motûs opificem constituunt.

Duæ partes animæ brutalis, nempè Vitalis & Animalis. 6. Partes animæ brutalis comprimis duæ censentur esse, Vitalis scilicet, & Animalis; quarum illa sanguini, hæc tenui succo, quo nervi replentur, insidere statuitur: ill,aut *Willisius* notat *cap.4.de Anim. brut.* flammea est, hæc lucida: Illa in corde potissimùm, venis & arteriis; hæc in cerebro & nervis viget. Sanguini animam brutalem insidere ipsa declarare videtur Scriptura Sacra, dum *Levit. cap.17. v. 10. dicitur*: Homo quilibet de domo Israël, & de advenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem; obfirmabo faciem meam contrà animam illius, & disperdam eam de populo; quia anima carnis in sanguine est. *Et Deuter. cap.12. v.23. Hoc solùm* cave, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum anima est: & idcircò non debes animam comedere cum carnibus.

Animalis conservatio. 7. Quoniam verò in animâ brutali & ejus corpore organico omnia ad vitæ continuationem & animæ conservationem naturaliter destinantur: ità meritò etiam membra & organa omnia ac singula ità sibi invicem subordinantur, ut finis à Lege Conditoris designatus obtineatur. Sic quia vitalis nutritio perpetim indiget pabulo; idcircò Ventriculus, Jecur, lien, intestina, & alia abdominis viscera nutritioni dicata continuò suas operas mutuò conferre debent; Et quia Animalis pars in cerebro residens spiritibus potissimùm indiget, quibus sensum & motum in animali peragat: ideò sanguis in vitali parte elaboratus spiritus animalium functionum opifices in cerebrum exstillat, qui deinde per nervos in universum Animalis corpus diffusi sensum, motum, & vim omnem corpori impertiunt. Horum impulsu & cor denuò movetur, & circumfusus aër pulmones implet, & partes omnes corporis animati sua quæque munia ritè obeunt, sicque animal in suo esse & statu conservatur.

Animalis propagatio. 8. Ut etiam cujusvis animalis genus & species propagetur: datur in animali vis prolifica & propagativa generis & speciei, quæ aliud haud esse videtur, quàm partis vitalis portio quædam subtilissima in totius animæ epitomen contracta generis & speciei propagationi subserviens, quæque in humore prolifico velut promptuario quodam delitescit, atque nactâ occasione alteram velut in flammam novi Animalis formatricem accenditur.

Tres animæ sensitivæ facultates. 9. Facultates potissimum partis Animalis in animâ sensitivâ, quibus animales producunturactiones, tres comprimis numerantur hæ: *Cognoscens. Appetens* & *Locomovens. Ubi datur*, ut inquit *Sperlingius Zoolog. phys. cap. 3. primò essentia, secundò potentia, tertiò. Operatio.* Diversæ autem sunt ejusdem facultates, prout diversa diversimodè tractare solent.

Facultas cognoscens. 10. Facultas cognoscens est, quâ anima brutalis in rerum quarundam cognitionem procurrit, ac juxtà illam actiones animales præstat: eaque vel ingenita est & naturalis, vel acquisita: Illa propter usus quosdam vitæ prorogandæ necessarios à summo Conditore infusa & characteris instar ipsis animalium principiis, sivè naturis à primâ formatione impressa est, quæ etiam communiter *Naturalis instinctus* appellari solet: hac cognitione animantia quævis contra famem & frigus se tutari, aves nidificare, agnelli vix nati & secundinis exuti inter mille oves matris ubera exquirere & exsugere; hac pullus gallinaceus vix ovo exclusus grana aspersa arripere, sub alis gallinæ se recipere, milvumque imminentem fugere; hac pecora in pascuis salutares herbas eligere, ac primo statim libamine, quæ in alimenta, quæque in medicinam nata, quæ veneno lethali imbuta sunt, discernere solent. Altera cognitio, quâ Cognoscens facultas irradiatur, est Acquisita, quâ nempè anima species ab objecto sensibili ad se delatas organo certo recipit ac dijudicat. Communiter vocatur *Sensus*: qui itidem duplex est: Externus & Internus. Illius quinque sunt species, nempè Visus, Auditus, Gustus, Odoratus & Tactus: Hujus verò communiter à Philosophis assignantur quatuor: & sunt Sensus communis, Imaginatio sivè phantasia, Potentia æstimativa & Reminiscentia sivè Memoria.

Instinctus naturalis. Sensus.

Facultas appetens. 11. Facultas appetens media est inter Cognoscentem & Locomoventem, atque ferè cum utrisque conjuncta; hac animal ad bonum prosequendum & malum fugiendum fertur. Dividitur in *Concupiscibilem* & *Irascibilem.* Facultas concupiscibilis est, quâ animal simpliciter fertur ad bonum cognitum prosequendum aut malum fugiendum. Irascibilis verò, quâ cum difficultate laboratur circà boni assecutionem, aut mali declinationem. Illius affectus, qui communiter Passiones dicuntur, sunt Amor, desiderium, gaudium, & his contrarii Odium, fuga, tristitia: Irascibilis verò sunt Spes, Audacia, desperatio timor & ira. An verò in utrâque facultate appetente, sivè appetitu censûs iste passionum ritè designetur, in dubium vocat *Willisius de anima Brut. cap. 9.* viderique dicit, spem malè ad appetitum irascibilem referri, atque odium, & fugam potius ad hunc quàm ad concupiscibilem pertinere: insufficientem etiam videri numerum; quoniam nonnulli affectus insigniores, uti sunt pudor, misericordia, æmulatio, invidia, & plures alii prorsus omittuntur. Subnectit deinde sequentia.

Profectò anima sensitiva Protei instar *ità diversimodè perturbari, ac in species multiformes cum variâ spirituum animalium, sanguinis, aliorumque humorum fluctuatione, inclinationèque diversimodè alterari solet, ut passionum omnium census sivè lustrum vix condi potuerit.*

Facultas locomotiva. 12. Facultas locomovens, seu locomotiva est, quâ animal, aut ejus membra seu partes de loco in locum commoventur, transponuntur aut transferuntur juxtà electionem sivè appetitum naturalem ad objectum aliquod vel prosequendum aut fugiendum. Vis autem motiva illa in spiritibus animalibus residere censetur, & per nervos veluti ductus diffunditur in musculos, quorum deindè agitatione motus varius perficitur. Considerari verò possunt variæ Animalium motiones & transpositiones; aliæ comprimis Externæ, velut Capitis, crurum, pedum, & ejusmodi: aliæ Internæ viscerum, cordis, arteriarum, venarum aut musculorum, ossium & aliarum partium hujus generis. Aliæ rursùm fluxus & motiones liquorum per cavitates & per vasa animalis, ut Sanguinis & aliorum humorum. Nullus verò, quantùm hactenus compertus sum, melius & illustrius hoc motivæ facultatis argumentum pertractavit, quàm solertissimus, æquè & ingeniosissimus *Joannes Alphonsus Borellus* Matheseos aliquandò *Neapoli* Professor, ut videre licet *in opere posthumo de Motu animal.* Illustravit etiam nonnulla & amplius demonstravit Joan. Christoph. Sturmius Professor *Altorfi* Noricorum, ut in diversis *Annis Ephem. Germanic. Curiosor.* videre licet: quæ ipsa, dum brevitati studemus, hìc tantùm indicare libuit.

Differentiæ animalium à motione locali. 13. Juxtà motum, quo Animalia molem suam transferendo de loco in locum commigrare solent, eorum quædam differentia designatur: Siquidem dum hujusmodi transitus fit supra terram, dicitur gressus, ambulatio, gradatio, aut reptio: convenit gressilibus & reptilibus animantibus, dum per aërem, liquidam regionem fit translatio, dicitur volatus: convenit avibus & altilibus: dùm autem per aquas transportatio contingit: dicitur Natatus: sivè natatio: convenit piscibus & aquatilibus. Verùm adhuc aliæ animalium differentiæ, & eorum in certas classes distributio aliundè solet deduci, ut in sequentib. videre licet.

Animalium differentia juxta Aristotelem ratione loci. 14. Juxtà Aristotelem comprimis ratione loci dividuntur Animalia in *Terrestria*, *Aquatilia*, & *aërea*. Animalia *terrestria* subdividuntur in *Gressilia*: ut sunt Equus, bos, leo, canis, &c. in *Reptilia*, uti sunt Serpens & multa insecta, & in *Immobilia*, qualia sunt Zoophyta. *Aquatilia* alia sunt purè talia, ut pisces propriè dicti, quorum nempè tale est Temperamentum, ut extrà aquam vivere non possint: Alia sunt *Amphibia*, quæ nimirùm & in aqua, & extra aquam vivere possint, ut sunt Lutra, Castor, &c. *Aërea* animalia sunt, quæ in aëre vivunt, eundemque pervolant, ut sunt volucres diversarum specierum, & insecta etiam quàm plurima, velut apes, vespæ, muscæ, papiliones, &c.

15. Dividuntur etiam Animalia *ab Aristotele lib.* 1. *histor. Animal. cap.* 5. *in Vivipara*, *Ovipara*, & *Vermipara*, quibus addunt nonnulli quartum membrum *Expertium genituræ*, propter animalia, quæ sui simile non generant, si quæ sunt. Vivipara sunt, quæ intrà se formant animal totum atque perfectum, & deindè in lucem emittunt; ut Equus, leo, canis & reliqua, quæ pilis integuntur ex genere Terrestrium, & ex genere Aquatilium, quæ Cete & cartilaginea appellantur. *Ovipara* sunt, quæ intrà se conceptum ovum prius pariunt, ac deinde incubando excludunt; ut gallinæ, Anseres, anates & reliquum genus Avium. *Vermipara* sunt, quæ prius vermem progignunt, ex quo deindè illius speciei animal prodit. Verùm alii juxtà generandi & propagandi rationem ità distinguunt animalia, ut quidem primò in ea, quæ animal generant, perfectaque censentur: deindè in ea, quæ ova quidem edunt, ea tamen non fovent, & hæc imperfecta sunt: denique in Imperfectissima, quæ omninò sine semine sunt. Communissima omnium ratione generationis est Animalium distinctio in *Perfecta*, & *Imperfecta*: Illa nempè sunt, quæ ex semine sui similium aut etiam dissimilium procreantur. Hæc verò, quæ ex putrescenti materiæ, aut terræ, aut aquæ, aut stirpium aut cadaverum oriuntur; uti muscæ, apes, ranæ, mures, serpentes & innumera alia. Ratione generationis & productionis.

16. Distingui rursus animantia non tantùm solent quoad varia respirationis organa, quæ nempè in quibusdam sunt branchiæ numerosæ per totum corpus dispersæ, ut in plerique insectis videre licet; vel sunt branchiæ piscibus appropriatæ, vel denique pulmones, quibusvis aliis animantibus communes; sed etiam juxtà variam humoris vitalis constitutionem, cujus respectu, ut docet *Willisius de Anim. brut. cap.* 3. vel sunt primò exsanguia, vel secundò Sanguinea minas perfecta & frigida; vel tertiò sanguinea perfectiora & calida, sicut melius in tabulâ hìc appositâ videre licet. Juxta humoris vitalis distributionem.

Bruta

Bruta animantia juxta variam humoris vitalis constitutionem dividuntur in

- Exanguia
  - Terrestria: ut insecta pleraque, veluti sunt apis, formica, bombyx, &c.
  - Aquatica, ut præter insecta quædam sunt etiam pisces
    - Molles; velut sepia, lepus marinus, &c.
    - Testacei: ut ostreæ, conchæ &c.
    - Crustacei: ut Astacus, cancer, &c.
- Sanguinea
  - Minus perfecta & frigida
    - Terrrestria: ut lumbrici &c.
    - Aquatica sivè pisces
  - Magis perfecta & calida, quæ omnia corde biventri & pulmonibus sunt donata.
    - Volatilia: ut volucres.
    - Quadrupedia plurimarum specierum.

Verùm quia de omnibus ita sigillatim juxta assignatas differentias tractare nimis esset operosum: ideò communissimâ viâ procedendo in sequentibus, comprimis de Animalibus terrestribus, aëreis sivè volatilibus, Aquaticis sive natatilibus, denique, & de imperfectis & insectis materiam magis illustrem pro Notabilium & Mirabilium scientiâ è Regno Animali depromenda producemus.

CAPUT II.

Observationes Zoognomicæ generales de Animalibus in Communi sivè genere.

Certum tempus pariendi singulis animalium speciebus.

1. Omnia - comprimis animalia certum & determinatum quoddam pariendi tempus habent, prout Author Naturæ singulis animalium speciebus designavit. Ità Elephantes 18. mensibus gravescunt utero: Equæ mensibus 12. vaccæ 10. cervæ & damæ 9. oves 5. canes 2. Aves etiam definito tempore à conceptione fœturam emittunt, sicut & certo quoque tempore ovis incubant, donec pullos excludant. In humano etiam genere mulieribus assignatur mensis nonus ac decimus: quod spatium si prætervehatur, partus non naturalis aut legitimus æstimatur.

Animalia quomodò nascantur.

2. Cuncta animantia, si nascuntur juxtà Naturæ legem, inversa deferuntu, & in caput prona os uteri solent aperire; quod corporis pars ab Umbilico ad caput multò sit gravior & ponderosior illâ, quæ ab eodem umbilico infernè demittitur: graviora verò cum ad humiliora propendeant, ideò etiam superna cum capite primò in partu naturali pronasci debere conveniens est.

Magnitudinis conjectura ex tibiis animalium nascentium.

3. Cuicunque animali recens in lucem edito præaltæ fuerint tibiæ, id maximum evadet. *Omnium enim*, ut tradit *Xenophon*, *quadrupedum ut tibiæ progressu temporis in magnitudinem non admodum excrescunt. Ità reliquum corpus ea sumit incrementa, quæ tibiis respondeant.*

4. Tamdiu crescit animal, quamdiu humiditas in corporis partibus abundat, quam calor possit subigere, hoc est; quamdiu sunt ossa humida, quæ calor diducere possit. Similiter venæ ac nervi: sed si humiditas deficit, ista omnia durescunt, ac proindè incrementum cessat: humiditas verò deficit, cum ætas advenit fortior, & in qua calor in summo constitutus est. *Animalia quamdiu crescant.*

5. Terrestria animalia diutiùs vivunt, quàm aquea: minus enim terrestria humida sunt & plus calent, adeoque minus obnoxia sunt putredini. Quædam tamen aquea longæva sunt, ut quæ oleoso abundant humore, & talia plerumque sunt in mari. *Terrestria longioris vitæ.*

6. Animalia Masculina in unoquoque genere majora sunt ob majorem calorem; item perfectiora, quià serius absolvuntur, fœminis quoque mitiora, nisi cùm prolis causâ fæviunt. Audaciora etiam cum capite majore, & rotundiore solent esse. Aves verò masculæ formosiores & magis canoræ compertæ sunt, sicut in coloribus pavones & galli; in voce cardueles, & philomelæ; in piscibus, qui lac habent, masculini generis, qui ova fœminini censentur. Gammarorum, Astacorum, Squillarum & generaliter cortice contectorum species, quæ caudam longiorum & magis arctam habent, maribus accensentur. *Masculina prævalent fœmininis.*

7. Conveniens cujusvis bruti animalis naturæ fuit, ut ea daretur corporis structura *Corporis structura conveniens.*

ſtructura & compages, quæ apta eſſet animæ ejuſdem moribus, ſeu qualem animæ illius facultates requirunt. Hinc cornua habet bos, quod pugnax ſit, canis ferit dente, quod mordax ſit, ridiculum habet ſimia corpus, quod ridiculam habeat animam.

Animalia imperfecta ſterilia.

8. Quia fœcunditas eſt perfectio perfectis conveniens animalibus, ideò bene conſultum eſt perfectorum animalium potius, quàm imperfectorum propagationi, ut hæc ſint infœcunda & ſterilia. Sic mulus cum ſit quoddam monſtrum, quia oritur ex mixtura duarum diverſarum ſpecierum, eſt infœcundus & ſterilis.

Animalia ex commixtione diverſæ ſpeciei.

9. Animalia quantumvis manſueta juxta ſpeciem ſuam, ſi tamen ex commixtione cum ſævo & feroci alio animali ſint progenita; de ſævitie & ferocitate participant. Sic canes *Lyciſci* dicti, qui ex commixtione cum lupis nati ſunt, valde ſævi & feroces eſſe ſolent. Acerrimi autem, licet fortiſſimi (quibus tamen minus fidendum) qui ex commixtione cum Tigride nati ſunt.

Sævis nunquam fidendum.

10. Sævis à naturâ, aculeatis, & venenatis animalibus blandiri tutò nemo poteſt: licet enim aliquando non noceant, & ſævitie depoſita manſueta & blanda videantur: nocere tamen improviſò poſſunt, cum ſæva ſint à naturâ, & poſt aucta tandem blandimenta ſubitò malum inferant, ſicque maleficium pro beneficio rependant.

Fœtus cuſtodia & dilectio.

11. Animalia quæcunque pro ſenſûs magnitudine & prudentiæ, ut inquit *Cardanus lib. 10. de ſubt.* fœtum diligunt ſuum, atque cuſtodiunt: ſiquidem cuſtodia fit propter dilectionem; dilectio autem à cognitione oritur. *Quamobrem quæ imperfecta ſunt, valdè curam fœtus ſolùm gerunt, quamdiu in utero ejus continent: quæ perfectiora, donec in lucem ex ovo prodierint: Ova enim cuſtodiunt, natum animal negligunt. Quæ verò perfecta, donec robuſta ſint, ut canes, aquilæ & corvi. Quæ verò perfectiſſima, ut homo & Elephas perpetuò fermè natos ſuos diligunt.*

Animalia magis ſalacia.

12. Quæcunque animalia magis ſalacia, & in libidinem magis prona ſunt, minus diu vivunt, quòd nempe puriſſimum ſanguinem citius abſumant.

Quæ ſanguine carent.

13. Animalia quæ carent ſanguine, etiam verâ carent pinguedine. Habent quidem aliquando pinguedinem aqueam ſed veram non habent: Hæc enim oritur ex Sanguine.

14. Nullum animal ſub terrâ perpetuò vivens ſanguine præditum eſt præter talpam: Undè etiam animal ſimile parere non poteſt, ſed ova aut nihil;

Rex in quovis genere.

15. Unumquodque genus animalium regem ſuum habere ſolet: ita quadrupedes Leonem, Aves Aquilam, Piſces Delphinum, Serpentes Boa regem agnoſcunt.

16. Animalium pleraque certas quaſdam amant regiones, in quibus bene vivere, at in diverſam à proprio abducta locum, ut plurimùm ægrotare, aut penitus interire comperiuntur. Ita cervi in Helleſponto ad alienos fines non commeant. In Mælia ſylvâ Italiæ non niſi certa parte reperiuntur glires. In ſylvâ Brigantina ab oppido Brigantio ad initium lacûs Podamici, cui adjacet, ſic dicta, Martes reperiri dicuntur noctu lucentes, unde nomen illis vulgò Liechtmarter vel Zündtmarter: de quibus tamen nihil ſciunt noſtri pelliones. In Olympo Macedoniæ monte lupi minimè habitant, nec in Cretâ inſulâ. In Africa nec Urſi, nec Apri, nec cervi, nec capreæ videri dicuntur. In Illyria, Thraciâ, & Epiro Aſini parvi generantur. In Scythicâ terrâ & Celticâ nec ſunt Aſini, nec vivunt Leones in Europa, Pantheræ in Aſiâ. Ibis in Ægypto ſolùm commoratur. In Creta nec Vulpes, nec Urſi ſunt, nec aliud animal maleficum præter Phalangium. In Ebuſo cuniculi non ſunt, ſcatent verò in Hiſpania & Balearibus. In Scripho Inſulâ ranæ mutæ ſunt; ſi tamen aliò transferantur, Vocales fiunt. Sunt & plura alia animalia, quæ certas amant regiones, extra quas verò non generantur, nec ubivis bene vivunt.

Animalia certas regiones diligunt & alias quaſdam averſantur.

Animalia gregalia

17. Omnia animalia, quæ regionem ex ordine naturæ mutant, gregalia ſunt, quoniam aliter tuta ab infeſtis animalibus eſſe vix poſſent. Non tamen omnia gregalia mutant regionem ut apes & formicæ. Quædam ſolis quibuſdam temporibus, ut riparia æſtivis imbribus.

In Regionibus frigidis animalia pleraque ſunt alba.

18. In Regionibus frigidis animalia pleraque albo colore prædita reperiuntur: rationem dat *Cardanus lib. 10. de ſubt.* his verbis: *Canities*, inquit, *à mucore fit, mucor à ſitu, ſitus à caloris imbecillitate, caloris imbecillitas ab aeris immodica frigiditate. In cute propriè quæ & aeri exponitur perpetuò, & parvum calorem continet ex ſe, fit & quandoque, licet rarò ob calorem externum exhalante innato calore. Ob id in calidis regionibus, ut Lybiâ lepores albos fuiſſe non abſurdum.*

Animalia in puriore aere.

19. Animalia, quæ in aere puriore degunt & cibis veſcuntur melioribus, ingenio & ſagacitate præ aliis valere comperiuntur. Ita Pſittacus quod in Indiâ cœlo ſincero naſcatur, & fructibus, non plantis aut deteriore aliquâ colluvie veſcatur, ob ingenii aptitudinem docilior comperitur.

Animalia minus ingenioſa & timida.

20. Animalia, quò minus ingenio valent, & timidiora ſunt; eò minus manſueſcunt. Sic parum manſueſcunt piſces, quoniam parvo aut hebeti ſunt ingenio. Magis tamen manſueſcunt Delphini, cum celerrimi ſint piſcium ac ingenioſiſſimi, affectuum humanorum haud expertes, præcipuè miſericordiæ. Quadrupedia verò, ut ſunt medio ingenio inter aves & piſces; ita aliqua manſueſcunt, aliqua non. Quædam etiam timor non ſinit manſueſcere, veluti mures & lepores.

Animalia in regionibus calidis aut frigidis

21. Quæ etiam in regionibus calidioribus aluntur animalia, ingenioſiora comperiuntur ob ſanguinem temperatiorem: In frigidis

frigidis verò regionibus, quia animalia magis ferventem habent sanguinem ob id hæc magis fera & indomita solent esse, quæ etiam vix unquam mansuescunt. Quæ igitur magis ingeniosa sunt, etiam mitiora & mansuetiora censentur. Calida quoque animantia tenuem habentia sanguinem, quia hic facilè effervescere solet, etiam in iram magis prona, ac plus sævire & mordacia solent esse.

Animalia pili mollioris. 22. Animalia, quæ molliores & tenuiores habent pilos, magis ingeniosa & docilia comperiuntur: proveniunt enim tales ab humore & sanguine tenuiori, qui ad ingenium & docilitatem valdè conducit. Quæ autem perpetuò sub dio jacent animalia, atque frigus & pruinam magis sustinent; asperiore solent esse pilo: atque hæc est causa, ut inquit *Cardanus*, cur in montibus omnia animalia pilo sint caprillo, non ovillo, frigore pilum durante, ut capræ & cœtera hujus generis.

Multùm pilosa. 23. Multùm pilosa & villosa animalia, cum citius à motu incalescant, & inde fatigentur ad cursum ineptiora sunt, sicut & magis carnosa ac pinguia.

Eorum generatio. 24. Omnia pilosa animalia sibi generant simile, quoniam perfecta sunt, atque ob id necessariò vehementer calida. Quæcunque autem setis prædita habent caudam, minore sunt capite, mandibulisque majoribus, ut Equi & Asini. Constat tamen hæc non converti.

Pilorum mutatio. 25. Commune est omnibus animalibus pilos mutare pro aquarum, quas accolunt, & bibunt, natura in his quæ à naturâ pilos habent diversorum colorum, ut inquit *Cardanus*. Unde narrat *Aristoteles* ex aquâ *Psychri* Thraciæ fluminis agnos lanâ nigrâ nasci; atque in Antandria duos esse fluvios, quorum alter nigras, candidas alter efficiat oves.

Caudæ erectio aut dejectio. 26. Caudæ erectio in quibusvis animantibus censetur esse signum animositatis, sicut econtrà ejus dejectio & dependentia timiditatis & infirmitatis. Unde *Plinius* ait: *Leonum animi index cauda, sicut equorum aures*. Similiter & in avibus alarum dependentia imbecillitatis & infirmitatis signum constat esse certissimum.

Animalia cornibus prædita. 27. Animalia, quæ cornibus prædita sunt, alia solidis, alia vacuis munita sunt: quæcunque autem vacuis cornibus armata sunt, duo tantùm habent, veluti boves: quæ autem solidis, alia quidem uno tantùm prædita sunt, velut Monoceros, Rhinocerosque; alia duobus ut capræ damæque; alia pluribus, ut cervi, & quæ ex eorum sunt genere, ut Capreoli. Sunt enim ramosa illa cornua loco plurium.

Animalia quæ ramosa habent cornua. 28. Quæcunque animalia cornua habent ramosa, adeoque solida, sicca & dura, cum ex cerebro eorum materia affundatur, & ex sanguine generetur, sanguinem & cerebrum habent siccum & terreo plurimùm elemento abundans: Tale autem omne crudum est; ob id omnia ejusmodi animalia stupida, stulta & timida sunt: Hi enim effectus sunt Melancholiæ, sive in cerebro, sivè in sanguine redundantis. Fiunt autem velocia hujusmodi animalia metu & consuetudine: Quæ verò duo tantum solida habent cornua, remissiùs stulta ac timida censentur.

Quæ duo habent cornua. 29. Omne animal duo habens cornua, scissam & in pedibus habet ungulam. Et idcircò quia Asinus Indicus non habet nisi unum cornu: ungulam non findit; *ut docet Aristoteles lib. 2.* Non tamen omne animal findens ungulam, habet cornua, sed potiùs è converso, quod habet cornua, findit ungulas, ut apparet in cervo, tauro, capro, & aliis hujusmodi.

Fœminina animalia quæ cornibus careant. 30. Commune esse videtur animantibus plura quàm duo habentibus cornua, ut fœmina cornibus careat. Ratio duplex est à fine scilicet & efficiente causâ deducta ut ait *Cardanus*: Cum enim matres fœtus in alvo gerant, levitate & agilitate opus habent: unde cornua prægrandia & ramosa illis essent impedimento. Est etiam genus illorum animalium timidum, uti fœminæ sunt timidissimæ: quamobrem illis cornua nulli essent usui. Deest etiam calor, qui materiam cornuum gignere possit, & genitam extrudere, simul atque extendere. Ob id velut hominibus barba, ita cervis cornua; ut ad solum ornatum facta videantur, & neutrum absit fœminino sexui illorum. In jugis tamen montium frigidissimarum regionum alicubi quoniam ob frigus aëris calor naturalis confirmatur, etiam fœminæ cornua habent. Ita *Cardanus*.

Dentes animalium. 31. Animalia, quæ herbis vescuntur, dentes habent obtusos, non præacutos: & omne animal habens cornua & non habens dentes superiùs ruminat, & habet plures ventres; unum valde magnum, & alium minorem, & alium amplum, & hoc ob multiplicem digestionem, ut docet Idem *Cardanus*. Bestias etiam, quæ primores dentes habent utrinque, compertum est, non ruminare, ut patet in Cane.

32. Quæcunque animalia non facilè prædam inveniunt, sicut lupus & vulpes ac lutra, cum eis occurrerit, ita replere se solent, ut rumpi posse videantur; quod his non contingit, quæ fructibus & herbis vescuntur, quoniam cibus iis ubique in promptu est.

33. Quæcunque animalia valde frigida & crasso plena sunt humore, sine cibo longiori durant tempore.

Prima animantis profectio in cibum. 34. Prima profecutio Animalis, ut docet *Digbæus instit. peripatet. lib. 4. lect. 5.* fertur ad cibum: cibus verò est conformis qualitati corporis, & conservat & causat rectam dispositionem. *Cum itaque animal, ut inquit, conveniat cum cœteris corporibus in eo, quod sit instrumentum ab alio applicandum: ex eo verò instrumentum est perfectius, quod faciliùs efficaciusque plura & nobiliora opera perficiat: Id animal præstabit cæteris,*

quod facilius applicabile est & ad plura. Plerumq; enim nobilior operatio pluribus partibus constat & quod facilius applicatur; efficacius operatur. Cibus itaque illius animalis optimus est, qui reddit illud phantasiæ tranquillæ & appetitûs maximè indifferentis, quæ ferè sese consequuntur mutuò & illud animal præstantissimum, quod naturaliter ad talem cibum fertur primariò. Hæc *Digbæus*.

Actus Animalium Virtuosi quales.

35. Actus Animalium Virtuosi, ut docet Idem *Digbæus Instit. peripat. lib. 2. lect.* 24. utpote cupiditatis, gloriæ, gratitudinis, generositatis &c. *Non sunt nisi tales materiales impetus, quos quia in nobis sentimus conjunctos cum virtute; idcircò credimus similiter in animalibus evenire.* Actus verò concatenati, ut Idem ibidem docet, *sunt effectus partim priorum actuum, partim dispositiones ambientium. Horum* autem *actuum admiratio.* ut bene subinfert, *non in animalia, sed in eorum Conditorem deberet desinere, qui fecit talem concatenationem, ex quâ sequitur effectus post tot causas.* Quod etiam bruta aliis sint dociliora, contingere inde docet Idem, quod meliori gaudeant phantasmate, & membris ad exprimendum subtilioribus.

Physiognomica Animalium

36. Docente *Aristotele in physiog: Manifestum insuper est, quod virtutibus animæ similis corporis formæ fiunt, quare erunt omnia similia in animalibus ejusdem cujuspiam declarativa.* Quo cupit indicare, virtutibus, id est, potentiis sivè propensionibus peculiaribus cujusque animæ similes corporis formæ, seu figuræ externæ in membris accommodantur. Unde si membra in animalibus quibusdam similia sint; declarabunt ea etiam propensiones & affectiones iisdem animalibus similes. Sic quæ pedes habent similes; in cursûs velocitate similiter valere bene dicemus: & sic quia extrema corporis insigniter magna communia sunt Tauro & Leoni, & utriq; commune est robur ac fortitudo: ideo rectè judicari poterit aliud animal, quod extrema corporis æquè habet magna, robore & fortitudine valere. Hinc itaque discitur, quod si sciatur cujuscunque animantis proprietas, quæ vernacula affectio & proclivitas, quæ item corporis conformatio: si in conformatione innotescat similitudo, etiam propensionum, proprietatum, affectionum, & proclivitatum similitudo judicari poterit. Propriæ autem affectiones variorum quorundam animalium à Zoologis hæ indicantur. Aper est irâ præceps, Leo generosus & fortis, Lepus & Cervus timidi; Equus superbus, Formica provida, Asinus stolidus & piger, Pavo invidus, Vulpes astuta, Serpens callidus & cupediosus, Ovis mitis & stolida, Porcus stupidus, immundus & salax, Taurus & Crocodilus ferox, Pica & Elephas docilis, Lupus vorax, Tigris crudelis, & immitis, Turtur casta, Passer luxuriosus, Hircus ignavus, immundus, Canis fidelis, assentator, impudens &c.

In quibus animalibus fit reminiscendi virtus.

37. Quibuscunque animantibus datus est motus localis, quo necessaria degendæ vitæ quærerentur, atque compararentur, his memoriam sivè reminiscendi quandam virtutem necessariam fuisse docet *Pererius in Gen.* ne scilicet motus eorum vagus aut omninò incertus ageretur, Unde *S. August. lib. 3. in Gen. ad lit. cap.* 8. pisces quoque memoriâ valere contra *S. Basilium* refellit.

38. Omne Animal gressile, quod pedes habet, pari numero eos habet, non impari: nullum enim tripes aut quinque pedum, neque mopes reperitur; dum enim gressio est de loco in locum motio & corporis animalis translatio, ex pede in pedem progressio fieri debet, quod uno pede fieri non potest: & dimidium dum in transferendo laborat, alterum dimidium sustentare debet corporis molem: datis enim tribus pedibus Ex. gr. Equo, dum duos elevaret, uno se portare deberet, quod fieri non potest. Similis est ratio de alio numero impari.

Pedes semper numero pares in animalibus.

39. Animal, quod incessu movetur, ut rectè notat *Digbæus instit. peripat. lib.* 2. *lect* 17. dum stat, centrum gravitatis suæ rectâ ad centrum collocatum habet: dum verò pedem aliquem protulerit in eam partem centrum gravitatis & totum perinde corpus vergit. Sic itaque vergit corpus, donec translato alio pede sistatur, & hoc ita multoties repetito fit incessus.

Animal quomodo stare aut progredi soleat.

40. Quomodo verò saltatione, reptatione & natatione animalia progressum faciant, explicat *idem Digbæus his verbis: Saltans*, inquit, *animal cum superiores vel priores partes ad inferiores vel posteriores contraxerit, effusis subitò per convenientes nervos spiritibus priores pellit antrorsum tantâ vi, ut superiores sequantur.* Simile quidpiam est reptatio, quâ Apoda feruntur: fixo enim pectore, sivè aliâ parte spinam, vel quod loco spinæ est, incurvant: & sic posteriores partes ad priores trahunt: deinde fixâ aliquâ posteriorum partium ad terram promovent dirigendo spinam ad priores. Natatus ex saltu fit: incurvato enim & directo natatûs instrumento ab oppositâ aquâ corpus in anteriora pellitur, & tantundem in volatu fit. Ita *Digbæus*. Melius adhuc motus quoscunque Animalium explicat *Joan. Alphons, Borellus lib. de motu Animal. part.* 1.

Animalium saltatio, reptatio & natatio quomodo contingat.

41. Omnia animalia in progressu naturali à dextris moveri notatum est, non tantum quadrupeda & bipeda; sed etiam, quæ omninò pedibus carent, ut sunt serpentes: à dextro enim latere in sinistrum, si quis diligenter attendat, advertet omnia moveri. Videtur autem esse causa, quod in singulis pars illa dextra sit calidior & robustior, & inde mobilior; Alia verò magis ad quietem & firmitatem destinata.

Motus animalium incipit à dextris.

42. Experientia constat, ut & *Vairus* annotavit *in lib.* 2. de fascino. Animalia ad laborem adstricta, ac jumenta comprimis clitellaria in laboribus, & itineribus cantu & sibilo multùm alleviari: propterea Mu-

Animalia in laboribus quibus subleventur.

rea Muliones, ut muli, cœteraque jumenta clitellaria farcinam & alia quævis onera minus sentiant, tintinnabulorum torques in illorum collis suspendunt, quorum sonitu valde delectari cognoverunt, ac perindè refici & à lassitudine sublevari.

43. Quamvis animalium vita à pluribus causis dependere videatur, ut ostendit Doctissimus *Borellus de motu animal part. 1. prop. 112.* nempe à totius corporis & præcipuarum ejusdem partium integritate, veluti capitis, cordis, arteriarum, venarum, stomachi, intestinorum & viscerum: ab humoribus, velut massâ sanguineâ & aliis: ab eorundem motionibus; ut à sanguinis circulatione, sicut & succi spirituosi ac chili: ab instrumentis & officinis, quibus assumpti alimenti substantia decoquitur & novæ partes præparantur, quæ in abeuntium & dilapsarum partium tam solidarum, quàm fluidarum locum succedunt: tandem & à causis externis, veluti calore, frigore, humiditate & hujus generis aliis potissima tamen & primaria operationis vitæ causa in his non videtur consistere, eoquod etiam si deficiant, non perinde, *ut Idem Borellus* bene declarat, vita totaliter & eodem modo extinguatur, sed per aliquod etiam quantumvis breve tempus & imperfectè producatur. Ex omnibus tandem concludit & statuit *Idem* potissimam & principalem causam vitalis motûs animalium aërem esse, qui per respirationem ab iisdem excipitur. Experimenta varia, quibus causam hanc confirmat, vide apud ipsum *loc. cit.* Vide etiam *propos. 116. Ejusdem 1. parte.*

Certum vitæ tempus singulis animalium speciebus conveniens

44. Singulæ animalium species videntur habere certum quoddam vitæ tempus, ultra quod vix aut raró vitam producere valent. Sic lepus 10. annis vivere communiter solet, capra 8. ovis 10. dux verò persæpè ad 15. annum pertingit. Canes 14. ordinariè vivunt, sæpe tamen etiam ad 20. annum perveniunt. Taurus 15. bos castratus 20. sus & pavo annis 25. vivere dicuntur. Equus communiter ad 20. robustior ad 30. pertingere potest. Inventi quoque ad 50. & ultra, qui pervenerint. Columbæ & turtures 8. perdix 25. ut & palumbes, sed & hic nonnunquam ad 40. annum pervenit. Asinus 30. annos assequi dicitur: Cervus verò & corvus diutissimè etiam longe ultra 100. imo ad 300. annos vivere dicuntur. Unde etiam versus antiqui:

Annos tercentum memoratur vivere Cervus:
Vivere vix homini paucula lustra datur.
At vivat, crocitetque diu corvina senectus,
Uno plus hominum me juvat esse die.

Sed de his abundè satis indicavimus, nunc Tabulam Synopticam subjicere licet, ex qua generaliter variæ Animalium proprietates facilè cognosci possunt: & quia etiam certa quædam animalia planetis subjici solent, hic quoque alteram Tabulam inferere placuit, ex quâ animalia, quæ singulis planetis ex mente Astrologorum subdi dicuntur, facilè addisci poterunt. Addimus & tertiam signorum & apparentiarum in animalibus cum significationibus virtutis & qualitatis nutritivæ.

TABULA

TABULA I. Synoptica apparentiarum & Signaturarum in Animalibus cum earum significationibus & proprietatibus.

Animalia cum Signaturis & apparentiis externis.	Significationes in membris & partibus animalium cum eorum propensionibus & proprietatibus.
Animalia masculina.	Calidiora fœmininis, audaciora, fortiora, cum capite majore & rotundiore.
Magna corpore.	Minus ingeniosa & minus prolifica.
Sanguinea, quæ nempe sanguinem habent.	Majoris corporis & virtutis. Habent cor, hepar, & medullam. Divisa non vivunt.
Cornuta, quæ dentibus superioribus carent.	Sunt quadrupeda excepto Ceraste serpente ægyptio. Habent soleas pedis scissas excepto Unicorni. Item cornua habent vacua excepto cervo: ruminant, habentque plures ventres ob multiplicem digestionem.
Cornuta cum ramis aut pluribus cornibus quàm duobus.	Stolida sunt, timida & stulta.
Quæ habent dentes serratos.	Sunt gulosa, bellicosa, partusque effundunt informes & imperfectos.
Quæ conjunctos ac fotulares habent dentes.	Sunt minus fœcunda paucorum fœtuum.
Quæ habent dentes divisos & auctos ac etiam pedes multæ fissuræ.	Sunt fœcunda, multi spermatis & multorum fœtuum.
Quibus ad os labium utrumque completum & æquale.	Bibunt sugendo ut homo, Equus, vacca & hujusmodi.
Quæ incompleta habent labia eaque inæqualia.	Lambendo bibunt ut Canis, Catus &c.
Quæ sunt pilosa.	Generant animal simile, & quæ mollium sunt pilorum magis ingeniosa sunt. Valde autem pilosa calida & inde ad cursum inepta sunt.
Quæ Sanguinem tenuiorem & puriorem habent.	Vivaciora, ingeniosiora & sagaciora sunt.
Quæ sub terrâ perpetuò vivunt.	Exanguia sunt, nec animal simile generant; exceptâ Talpâ.
Ovantia sive Ovipara.	Sine renibus ac vesica & tenuis sunt somni.

TABULA II. Exhibens Animalia, quæ ſingulis Planetis ſubjiciuntur juxta Aſtrologos.

	Animalia. terreſtria.	Aves.	Piſces.	Inſecta.
♄	Solitaria, nocturna, triſtia, tardè gradientia, veluti ſunt Aſinus, Baſiliſcus, Catus, Lupus, Talpa, Mulus, Urſus, Sus mures.	Grues, Struthio, Bubonoctua, Pavones, Veſpertilio, Upupa. Corvus.	Anguilla, Muſcipula, Canicula Teſtudines, Oſtreæ, Conchylia, Spongiæ marinæ.	Serpentes Bufones, Scorpiones Formicæ, vermes multiplices.
♃	Cervus, Taurus, Elephas, Ovis, Agnus.	Gallinæ. Perdix, Phaſianus, Hirundo, Pelicanus, Cucupha, Ciconia, Aquila, Columba.	Delphinus, Silurus, Anchia.	Nulla.
♂	Bellicoſa, Impetuoſa, Binoſa. Rapacia. Canis, Equus, Mulus, Hircus, Lupus, Pardus, Onager, Cynocephalus. Vulpes.	Aquila, Falco. Accipiter. Vultur. Noctua Tinnuli. Ululæ. Mylvi. Corvi. Cornix. Picus.	Lucius. Paſtinaca. Canis marinus, Perca.	Serpentes, Dracones, Pulices. Muſcæ.
☉	Generoſa & hilaria. Leo. Lynx. Aries. Caper. Equus. Taurus. Crocodilus. Cynocephalus.	Phœnix. Aquila. Vultur, Cygnus. Gallus. Corvus. Accipiter.	Vitulus marinus, Dactylus. Pulmo. Stellà. Strombi. Margari.	Scarabæus pilularis, Cantharides.
♀	Delitioſa. Laſciva. Manſueta, blanda, fœcunda, mitia. Catulus. Cuniculus, fœtoſæ oves, Capreæ, Hircus. Taurus. Vitulus. Stincus.	Cygnus, Motacilla. Hirundo. Pelicanus. Chenalopex. Corvus. Columba. Turtur. Paſſer Aquila. Gallus. Perdix. Pica. Phaſianus.	Grues. Scari. Cancharus. Tithymallus.	Nulla.
☿	Ingenioſa. Aſtuta. Sagacia. Adblandientia. Loquacia. Canes. Simiæ. Vulpes. Muſtelæ. Cervus. Mula. Lepus. Hyena. Omnia animalia Hermophroditica.	Cardueles. Ficedulæ. Merulæ. Turdus. Alauda. Philomela. Calandris. Pſitacus. Picaibis. Porphyriæ.	Trochus. Polypus. Paſtinaca. Mugil.	Scarabæus. Unicornis. Apis, Formica, Gryllus, Locuſtæ.
☽	Canes omnes. Chamæleon. Porcæ. Cervæ. Capræ. Cynephalus. Feles Panthera. Hyena. Caſtor. Lutra. Mures.	Anſeres. Anates. Merguli. Ardeæ.	Aurata. Cancer. Carpio. Cochlea. Ranæ. Torpedo. Echeneis.	Veſpæ. Apes. Scarabæus bicornis. Aranea. Bufo.

TABULA III. Signorum & apparentiarum in Animalibus cum figificationibus ratione virtutis & qualitatis Nutritivæ

Animalia cum Signis & apparentiis externis.	Virtus & qualitas in nutriendo.
Animalia Mafculina.	Calidiora fœmininis : minus humida, ideoque melioris nutrimenti exceptâ carne hircinâ.
Caftrata	Mediocris in nutriendo virtutis inter fœminina & mafculina.
Macra.	Sunt nervofa, minus fanguinolenta, minus humida & nutritiva.
Media inter maciem & craffitiem.	Temperatiora & falubriora.
Domeftica.	Cum carnibus vifcofioribus, durioris nutrimenti & tardioris digeftionis.
Sylveftria.	Calidiora, ficciora, macilentiora cum durioribus carnibus & indigeftibilioribus, minus fapidis ac nutritivis, exceptis capreolis.
Humidiora, quæ in locis humidioribus pafcuntur.	Majora, pinguiora cum carnibus multùm nutritivis & velocioris digeftionis, fed quæ citò à membris diffolvuntur.
Sicciora, quæ in locis montofis pafcuntur.	Temperatiora cum carnibus laudabilioribus, & fanitati magis congruis, & in fortitudine & duratione.
Altilia.	Quadrupedibus ficciora exiftunt.
Aquatica, five Pifces.	Frigidiorem & humidiorem præbent cibum atque vix tam bonum fuccum, quàm fruges & animantia terreftria; putredinem quoque facilè concipiunt.
Infecta.	Non nutriunt, fed plerumque noxia cenfentur vel in toto, vel fecundùm partes.

CAPUT

CAPUT III.

De Animalibus perfectis terrestribus ac Quadrupedibus Observationes Zoognomicæ.

Quadrupedes dignitate præcedunt alia animalia



Quadrupedes dignitate cœtera bruta meritò superare censentur, quod nempe perfectiorem habeant animam & corpus perfectius, unde operationes sensitivæ magis in iisdem resplendent: ad hominem, qui omnium animantium Rex est, propius accedunt. Hinc etiam *Danæus* bene ait. *Terrena animalia reliquis animalibus perfectiora sunt: nam habent & membra plura, eaque ipsa magis distincta, quàm aves & pisces, & plures vegetioresque animæ functiones, & quæ etiam ista generant, sunt omninò perfectiora.*

Animalia defectuosa unde proveniant.

2. Uti Quadrupedes, & perfecta animalia terrestria ex parentum semine ducunt originem: idcircò ut fœtus & animal per omnia simile & perfectum generari queat, defluxus seminis ex omnibus animalis corporis partibus, ut Medici statuunt, prolabi debet, id verò si haud fiat, animal aut monstruosum, aut quovis modo mancum, imperfectum, aut defectuosum progigni necesse est. Ita canem proponit *Gassendus*, quæ catulos prius integros & perfectos enixa fuit, postquam verò lapidis ictu crus illi confractum fuit, catulos deinde omnes edidit claudos. *Digbæus* etiam mulierem à se visam in Barbaria refert, quæ duos in sinistrâ manu pollices habebat, quam puellæ quatuor, quas pepererat, in hoc vitio etiam imitatæ sunt.

Quadrupedes in quibus conveniāt aut differant.

3. Quadrupedes omnes in quibusdam conveniunt, in quibusdam verò differunt. Conveniunt omnes in his, ut etiam *Sperlingius* notavit *Zoolog. phys. parte speciali cap. 1.* Quod animam habeant sensitivam & corpus organicum, constans nempè capite, collo, ventre ac cœteris partibus: deinde & moribus quibusdam communibus, cum ad pastum abjectæ sint, ventrem curent, & terram spectent. Differunt autem imprimis indole & aliis affectibus, dum quædam ex illis sunt mansuetæ ac domesticæ, quædam feræ, ac sylvestres: deinde differunt modo pascendi, dum illarum quædam ruminantes, quædam verò non sunt ruminantes; quædam etiam carnivoræ, quædam herbivoræ, quædam omnivoræ sunt. Differunt iterum divisione pedum, dum quædam Unguifidæ sunt, quædam solipedæ: differunt denique & munditie, dum quædam mundæ, quædam immundæ, dicuntur non ratione essentiæ, sed ratione usûs & esûs.

Differentia quadrupedum in gressu & statione.

4. In statione & gressu differunt etiam quadrupedes ab hominibus, primò quia eorum corpus prælongum prono situ stare, & sic incedere soleat, homines verò corpore erecto. quod etiam Poeta voluit indicare, dum canit:

Pronaque cum spectent animalia cœtera terram,
Os homini sublime dedit, Cœlumque tueri;
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Secundò illa habent pedes acutos, homines verò ampliores & prælongos. Ab Avibus verò differunt etiam non tantùm in plantarum amplitudine, sed etiam quia harum centrum gravitatis incumbit super pedes: At in illis centrum gravitatis non fulcitur perpendiculariter ab ullo pedum, ut observat *Borellus* de motu anim.

5. Quadrupedes duplicis generis habere solent facultates; Communes scilicet & proprias. Illæ sequuntur animam aut sensitivam, aut Vegetativam: & quidem hujus facultates denominantur istæ: *Nutrix* scilicet, *Auctrix & Procreatrix*: Illius autem facultates esse solent sensus tam internus, quàm externus, & facultas *Motrix*, sivè *locomotiva*. Propriæ facultates propriam & specificam cujusque comitantur formam: Unde sicut hæc alia est aliis: ita etiam propriæ & distinctæ eam consequi solent facultates. Facultates duplicis generis.

6. In Quadrupedum genere; quæ ferendis aut trahendis oneribus in hominum usus Naturæ conditor destinavit, eadem solido pede & ungulâ munito instruxit. Ita *Cameli, qui gravia portant onera, sed non trabunt, lato & solido pede, non ita duro ut Equi & boves donantur; tum pelle duntaxat firmâ muniuntur* ut notat *Cardanus*. Quadrupedia ferendorum onerum.

7. Animalia, quæ in terra aut aqua cibum quærunt, quo nutriantur, eò crura habent longiora, quò magis collum porrigitur, ut in equo, cervo, & grue licet advertere. Apri aut suis collum est contractius: In Elephante item breve est, licet crura sint longiora, quod proboscide utatur, ut ex terrâ aut arboribus alimenta conquirant. Crura animalium

8. Quia cibus ad quadrupedum, aliorumque animantium nutrimentum assumptus in ore primam subire debet digestionem, dum nempe dentibus ibidem conteri & humore salivali exolvi solet. Ideò quò convenientius & aptius hoc perficiatur, natura animalibus triplex incidit genus dentium, quorum aliqui sunt incisivi, alii canini, alii molares. Pleraque autem animalia ruminantia incisivis dentibus in maxilla inferiori donantur: Sic enim dentibus ad lignam applicatis teneras herbas facilius evellunt, easque integras in primum ventriculum demittunt, ex quo inter ruminandum in os rejiciunt dentibus molaribus conterendum. Dentes animalium varii: Incisivi.

Canini. 9. Dentes canini in animantibus reliquis ſunt longiores: In apris & porcis cavi ſunt, & ex ore prominent. Triplici quoque donantur ſuperficie inſtar priſmatis & in arcum ſunt inflexi. In Crocodilo multi ſunt dentes inciſivi aut molares, ſed omnes canini, duri, acuti, candidi, ſtriati. In Caſtore, Lepore mure, & pleriſque animantibus, quæ dentibus duriſſima quæq; ſolent corrodere, inciſivi longiores ſunt, & pene ut forfices ſecant: adeo ut unius acies in alterius aciem non incurrat: cum in aliis animantibus, quibus dentes inciſivi ſunt breviores, inter ſecandum mutuò ſibi occurrant, pene ut forcipes. Dentes autem molares in animantibus, quæ herbis veſcuntur aut granis, ſunt inſtar molarum complanati, ut cibos conterant, ut patet in Bove & Equo. In voracibus ſunt aſperiores, & acutis velut ſpiculis muniti, ut carnes aptius dilacerare potius, quàm conterere valeant. Quæ omnis generis cibis veſcuntur, ut homo, dentes molares nacti ſunt non adeò acutis velut ſpiculis armatos, uti habent Leones, nec ita complanatos ut Equi, ſed mediæ cujusdam naturæ.

Molares.

Animalia voracia. 10. Quadrupedes & Animantes magis voraces magnis & validis muſculis habent maxillas inſtructas, adeò ſicut *Du Hamel Phys. part.* 3. *tract.* 3. *diſſert.* 1. *c.* 1. *ex D. Perault* refert ut his muſculis collocandis quærendus locus fuerit, & in ſummâ capitis parte criſta hunc in uſum promineat, quæ in Leone, tigride, Urſo, ſpectabilis eſt, minor in lupo, cane & vulpe.

Quomodo facilè impinguantur. 11. Belluæ communiter nonniſi naturali appetitu urgente cibos ſolent aſſumere. Omnia verò animalia non ſolùm quadrupeda, ut docet *Cardanus de variet. lib.* 7. *cap.* 32. maximè & celeriter impinguantur poſt tridui inediam, cibo, *qui maximè iis conveniat. Exiſtimant equis hyoſcyamum & teſtudinum carnem convenire, tum bordeum ac talia. Ovibus cum cibo ſalem, quia potu præcipuè impinguantur. Cauſa hujus eſt, quod fames in his animalibus ſuperfluum humidum abſumit, caloremque auget & appetentiam cibi per plures dies excitat.*

Cur quadrupedia caudata. 12. Cur quadrupedia pleraque caudata ſint, hanc *Tylkowski part.* 5. *phyſ. curioſ. de Animal. ſect.* 2. affert rationem. *Quadrupedia*, inquit, *ardent cerebro, ideò lucent noctu oculis, ſomno ſunt exiguo, niſi humor pituitoſus in quibusdam exundet. Datum itaque ſpiritibus, ne exurantur, ut poſſint usque in caudam procurrere, in eaque ab aere externo ambiente refrigerari.*

Somno indigent animalia. 13. Nullum animal ſine ſomno cenſet eſſe *Ariſtoteles lib.* 4. *Hiſt. cap.* 10. quia ſomnus eſt ad reptationem ſpirituum. Omnia verò animalia & maximè quadrupedia, quæ ad labores & onera ferenda aut trahenda adhibentur, plurimos abſumunt ſpiritus, quocircà egent illorum reparatione, quæ per nutrimenti aſſumptionem & ſomni captationem perficitur. Unde etiam benè canit Poeta:

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Ut igitur animalia functiones ſuas naturales continuare queant, requie ſivè ceſſatione à laboribus & ſomno indigent.

14. Quorum animalium corpora graviora ſunt & magis à labore fatigantur, jacendo quieſcunt melius; quorum verò leviora, reſpectu ſcilicet ſuarum virium, aut minus à labore fatigantur, ſtando etiam aptè quieſcunt. Priora ſiquidem fatigationem potiſſimum ſentiunt in vertebris, poſteriora verò in corpore. Quomodo animalia melius quieſcunt.

15. Quæcunque Animalia ſunt magis frigida & viſcoſa, habentque multas ſuperfluitates, ac ſunt denſæ pellis, dormiunt multum: quæcunque verò ſubtilem habent humiditatem paucam, raramque pellem, dormiunt parum. Omnia etiam quadrupedia & reliqua animantia in frigido magis, quàm calido aëre dormire ſolent, quod frigus externum adjuvet concretionem vaporum, qui ſomnum valent inducere. Quænam plus dormiant.

16. Quod animalia quædam aliis ſagaciora, ingenioſiora ac dociliora ſint, non ex ſolâ primarum qualitatum temperie ſolet provenire, ſed magis ex aptiore cerebri conformatione, figurâ, magnitudine, partium texturâ, ſpirituum animalium ſubſtantiâ & motu. Itaque ſi minor, quàm par ſit, aut major fuerit cerebri moles; ingenium in animantibus erit præceps, aut tardum: vel quod ſpiritus ipſi ſpatium ſatis liberum & patens non habeant; vel quod æquabilis eorum motus figuræ vitio inhibeatur; vel quod interdum in ampliore mole vilior ſit minutarum partium contextus, aut alia quædam ſubſit cauſa occultior, quæ eorum imagines diſtortas & malè delineatas exhibeat. Videatur *Williſius de Anim. brut. in cerebri pathologiâ.* Unde Animalia quædam ingenioſiora.

17. Animalia quadrupedia, quæ ejusdem ſunt coloris in tota ſpecie etiam in ingenio & moribus pene ſimilia cenſentur, quod hinc eadem temperies & ſimilis organorum conformatio conjectari poſſit. Quæ verò in eâdem ſpecie figuram aut colorem variant, cum inde etiam diverſa quoque temperies & organa conjici poſſint, etiam diverſa ingenia & mores poſſunt conjectari. Sic quia nulla animalium quadrupedium ſpecies magis variat colorem & externam figuram quàm canes; ideo etiam canis unus alio ſagacior, ingenioſior & docilior comperitur. In eadem ſpecie.

18. Ætas omnium quadrupedum dignoſcitur tractâ cute, ut docet *Cardanus de variet. lib.* 7. *cap.* 32. nam in juvenibus ſtatim ad locum ſuum redit, extenditurque in ſenibus autem non ita. Ætas quadrupedum.

19. Uti veriſſimum etiam eſt illud Poetæ.

- - - - Non omnis fert omnia tellus:

Ita nec Regio omnis omnium jumentorum, pecudum-

Regiones certæ pecudum præ aliis feraces. pecudumque æque ferax esse potest; sed ex his aliquæ, quæ ex ipsâ scilicet terrâ ubertatem pastûs meliorem proferunt, etiam ipsas pecudes & copiâ & bonitate, præstantiores producere solent. Ex omnibus autem Orbis regionibus Frisia & Hungaria armentorum feracissimæ perhibentur, ità ut quotannis multa millia in alias Mundi provincias exindè mittantur. Sic testatur *Beyerlinck in Theat. vit. hum.* ab annis non multis in solo oppidulo Lirano, quod tribus passuum millibus *Antverpia* (in quo velut Nundinæ quotannis exercentur, ità ut armenta omnia eò primùm deduci debeant & venum exponi, priusquam in alias provincias educantur) reperta ac divendita fuisse aliquandò vix bimestri spatio quadraginta & amplius boum millia, quos omnes Brabantiæ, ac Flandriæ paucæ urbes absumpserunt.

Quadrupedia majora. 20. Inter quadrupedes Elephanto, Rhinocerote, & illo, quod Alce sivè magnam vocant bestiam, atque Camelo nullum animal mole corporis majus esse solet: Æqualia verò Bobus & Tauris plura, reliqua his omnia minora. Animalia verò majorum corporum plerumque diutius vivere compertum est, quàm minorum, quod in iis plus calidi & humidi sit, quàm in minoribus; quæ duo sunt vitæ principia: Sed opus est, ut humidum sit oleosum; hoc enim non facilè putrescit, neque calorem obruit.

Quando debiliora. 21. Omnia animalia in juventute & senio sunt debiliora, quia sicut in juventute nervi, in quibus robur est ab interno, ita in senio ab externo humido, sivè phlegmate mollescunt: omne verò robur nervorum in siccitate positum est.

22. Singula Quadrupedia, cum certâ, eâque ab invicem diversâ, habere soleant organa vocis, ita etiam ex iisdem alias ac diversas etiam voces solent emittere: quæ verò singulis propriæ sint, versibus his olim jam Poëta quidam complexus est.

Tigrides *indomitæ rancant, rugiuntque* Leones.
Panther *caurit amans:* Pardus *hiando felit.*
Dum Lynces *orcando fremunt:* Ursus *ferus uncat,*
Ast Lupus *ipse ululat: frendet agrestis* Aper.
Et Barrus *barrit:* Cervi *glocitant & Onagri;*
Ast Taurus *mugit; sed celer hinnit* Equus.
Quirritat Verres: *tardus rudit, uncat* Asellus.
Blaterat hinc Aries: *& pia balat* Ovis.
Sordida Sus *pascens ruris per gramina grunnit:*
At mutire capris Hirce *petulce soles.*
Ritè Canis *latrat: fallax* Vulpecula *gannit,*
Claucitat & Catulus: *sed* Lepores *vagiunt.*
Mus *avidus nutiat, præceps* Mustelaque *dintrit:*
Et Grillus *grillat, discіat inde* Sorex.
Ecce venenosus serpendo sibilat Anguis:
Garrula limosis Rana *coäxat aquis.*
Sed cunctas species Animantum nemo notavit
Atque sonos, ideo dicere quis poterit?
Cuncta suo Domino depromunt munera laudum,
Seu semper sileant, sive sonare queant.

His ita de quadrupedibus generaliter indicatis, nunc Tabulam adferamus, in quâ synopticè præcipuorum terrestris globi quadrupedium in specie natura, corporis forma ac constructio, ejusdem nutritio & conservatio, mores deinde atque indoles & affectiones facillimè addisci possunt. Singula enim quadrupedia speciatim per capita disquirere nimis foret operosum.

TABULA SYNOPTICA

Præcipuorum terreni globi quadrupedum Animalium perfectorum in ſpecie, cum brevi eorundem deſcriptione, nutritione, congruis moribus, indole & affectionibus Ordine alphabetico diſpoſita.

Animalium Nomina & Natura	Forma Corporis	Nutritio	Mores, indoles & Affectiones.
Achaus, ſivè *Tamandoä* Animal eſt quadrupes exoticum Americæ mirmecophagum, noctambulum, ferox. Duplex eſt, nempè Tamandoä major & minor.	Animal hoc eſt capite, promuſcide & ore anguſto, acuminato, edentulo: lingua in ſtar durioris chordæ tereti prælongâ in majori Tamandoä ad 2. pedum longitudinem, atque duplicatâ.	Solo formicarum venatu vivit, cicuratum tamen & carnibus veſci ſolet, ſed iis minutim conciſis.	Invadentia animalia adeò vehementer prehendit unguibus, ut neque in fruſta diſſecta divelli permittat. Tàm pervicax & ſtolidum quoque eſt, ut ſi animal ſemel apprehenſum emori contingat, non prius ungues explicet, quàm cum eodem occumbat & pereat.
Alce eſt animal quadrupes ſimplex ſtolidum, miſerabile, flebilem habens vocem, gregatim degens, loca amans frigidiora, morbo caduco valdè obnoxium.	Major eſt cervo & hirſutior, cornua habet porrecta in tergum primo egreſſu exilia indè latiora. Ungulam habet biſulcam, quæ magno habetur in pretio, quod epilepſiæ medeatur.	Simplici veſcitur cibo, veluti herbis, gramine, fœno & aliis hujusmodi.	Motu velox eſt inſtar cervi. Sagaciſſimum eſt animal, homines olfactu etiam ad longum ſpatium percipit, & fugiens requirit foveas aut ſpecus.
Anna eſt animal quadrupes Indiæ mirè fœtens.	Animal hoc fele domeſtico minus eſſe dicitur.	Vivit ex raptu minorum animalium & quorumvis eſculentorum.	Valdè peſtilentis eſt fœtoris, ut noctu obambulans ſeipſum hoc prodat, cùm ad 100. paſſuum diſtantiam etiam intrà occluſas undique domos ſentiatur.
Anta ſive *Tapjierete*, eſt animal quadrupes Americæ ſalax, iners, noctambulum, aſpectu fœdum.	Magnitudo juvenci ſemeſtris, dorſo incurvàto ſimilitudine porci comprimis in oculis, capite & pedibus, promuſcide ſuper os prominente, ore dentato in utraque maxillâ.	Arborum fructus & arundines ſacchareas depopulatur, noctu tantùm venatur, non interdiu.	Licet amphibium non ſit, fluvios tamen rapidiſſimos transnatat. Fugit comprimis lucem, & in denſiſſimis mediterraneis dormire ſylvis amat.
Aper ſivè Sus ferus eſt animal quadrupes valde ſævum, audax, immite; Mas fortior eſt fœminâ.	Color eſt ferè niger vel Spadiceus nigrican, ſoculos habet iracundis ſimiles cum apertis palpebris. Dentes habet magnos duos recurvos acutos ad incidendum prominentes. Os ad modum ſcuti.	Victus idem, qui ſuibus domeſticis, veſcuntur tamen comprimis glandibus, pomis, hordeo, herbis, lumbricis, radicibus & aliis. Potus eſt aqua turbida, limoſa.	Auditu mirè præcellit: lædit præcipuè culmis ſurſum feriendo. Spumat ore dum pugnat, iraſcitur aut laſcivit. Gregatim libenter incedit, amat denſas & umbroſas valles & ſylvas.





Animalium nomina & natura	Forma Corporis	Nutritio	Mores, indoles & affectiones.
Asinus Brutum quadrupes rudens, stupidum, lascivum, famis, laboris, ac verberum patiens est, nullius disciplinæ capax & valdè impudens.	Equo subinde major, vel minor. Aures habet longas ac latas, labra crassa, caput magnum: cutis est dura densa & solida. Color murinus ei vulgaris, cauda æqualis corpori.	Exiguo & qualicunque contentus est pabulo, in viis etiam carduis, tribulis, spinis aliisque vilissimis vescitur plantis. Lautitiæ ipsius sunt furfures hordeacei aut triticei. Potus est aqua turbida.	Auditu pollet acerrimo. Motu est tardus, in viâ hominibus non cedit, onus cum fert impar fortitudini, demittit aures, rudit post laborem & cùm blanditur fœminæ.
Archopithecus. sivè *Pigritia.* Est animal quadrupes pigrum, iners, tardum in pedibus tamen valdè robustum, aspectu tristi & lacrymabundo, ad commiserationem quoscunque commovens. Nocturnum creditur animal, quod noctu canat.	Binos palmos longum est. Crassitudo longitudini respondet. Faciem habet orbiculatam: parvos oculos & rotundos. Os exiguum, nares simas, exiles pedes cum unguibus. Collum habet in sublime erectum caret caudâ, Pili sunt ex albo cinerei.	Nescitur, quo cibo vescatur. Ex aëre quidam vivere putant: alii ex arborum foliis, Acosta formicis vesci dicit. Nierenbergius parvis bestiolis, ut muscis, vespis, vermiculis & scarabæis.	Animal est motu tardissimum. Inter 15. dies vix ad lapidis jactum progredi dicitur. Nullâ acclamatione, nullis minis, aut impulsibus ad velocitatem commovetur. Amat libenter arbores & palos conscendere.
Armadillus sivè *Ajatocbtlus*, vel *Ta.* Animal est quadrupes loricatum, astutum, salax, noctambulum. Variæ sunt ejus species & differentiæ.	In variis locis variæ est magnitudinis. Lorica ossea ex squamis elegantibus componitur. Rostrum habet oblongum, quo terram fodit, ut talpa. Caudam habet longam, teretem, & geniculatam.	Formicas venatur, vescitur & lumbricis, piscibus & vermiculis. In Galliam delatum, observatum fuit feminibus & fructibus vesci. Alii gallinis quoque vesci dicunt.	Amat loca calida, uliginosa & lacustria. Nunc sub terrâ in cavernis latet: nunc in aquis degit: nunc supra terram. In insidiis venatorum conglobatur instar pilæ, ut ne â validissimâ quidem manu discerpi & aperiri possit.
Baby-roussa Animal est quadrupes insulæ *Bouro*, monstrosum ex diversæ speciei animalibus, veluti porco & cervo prognatum.	Magnitudo penè cervi, aut canis majoris. Pili sunt fusci & grisei Caput & rostrum est porcinum cum parvis oculis & auribus Cauda est tortuosa veluti suis. Pedes habet & ungulas cervi. Rostrum perforatum est. Unde prodeunt dentes validi & curvati.	Nutritur herbis, plantis, radicibus & fructibus suæ regionis.	Motu valdè velox est animal & ferox ac sævum, longævum etiam seu longæ vitæ.
Biarataca Aliis Maritacaca est animal quadrupes Americanum à tetro & putrido fœtore nomen trahens: ad mustelas sylvestres referri potest.	Forma felis mole oblonga est viverram æmulans: dentes habet leporinos, uti & pilos, barbamque, oculorum pupillas cærulescentes, caudam longam cum corpore villosam. Color totius corporis ex pallido flavo cum multo fusco mixtus, ad latera dorsi linea alba excurrit: quibusdam pro lusu naturæ crucis in modum eleganter distincta.	Volucribus, earumque ovis victitat. Imprimis ambræ griseæ est avida, cujus appetitu sæpè in littore vagatur.	Animal mansuetum est & velox, tamen non imbelle, irritatum ventris crepitum cum intolerabili fœtore emittit; innoxium cæteroquin, eâque solâ ratione horridum, quod urina, stercus & ventris utrepitus fœtidissima existant. Caro tamen in Mexico salubri eventu comeditur.

Animalium

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis	Nutritio	Mores indoles & affectiones.
Bison eſt animal quadrupes, ferox, penè indomabile, bovi fero perſimile.	Forma eſt bovis cum collo ſetoſo & jubis equinis. Caput eſt breve. Oculi magni, torvi, ardentes. Frons lata cum remotis & diductis rectis cornibus. Tergum eſt gibboſum.	Veſcitur herbis, gramine & quibusvis penè fructibus.	Animal hoc equo pernicius & truculentius eſſe ſolet. Captum nunquam domari ritè poteſt. Pili moſchum redolere dicuntur.
Bonaſus Sivè *Monepon* eſt animal quadrupes jubatum inſtar equi, ſpecie & forma Tauri.	Caput & corpus eſt velut Tauri. Cornua habet recurva in ſe reflexa. Cervix eſt jubata armorum tenus inſtar Equi. Color pili totius corporis eſt flavus. Jubæ prolixæ color eſt inter cinereum & ruffum.	Veſcitur herbis, gramine & obviis fructibus.	Excitat pulverem & fodit ut Taurus, repugnat, calcitrans & proluviem alvi pro præſidio ad plures paſſus ejicit, cujus contactus ut ignis, quævis adurit & lædit.
Bos ſivè *Taurus* Brutum eſt quadrupes mugiens, animoſum, robuſtum, laſcivum, homini multùm deſerviens.	Equo haud cedit magnitudine. Frons ei valida, pugnæque idonea. Cornua habet bina. Columrobuſtiſſimum, pedum ungulæ ſunt bifidæ, color pili varius. Boves Indici unicornes & ſolipedes dicuntur.	Nutritur gramine, fœno, palea, hordeo, & aliis fructibus. Panem avidè captat & devorat. Loca nemoroſa & frondoſa. Reliquiis ciborum valdè pingueſcit.	Ad pugnam rivales provocat mugitu. Victoriam promittit, cùm validiorem ſuum, quàm hoſtis, ſentit mugitum. Ab hoſte proſtrato redux victorem ſe indicat mugitu.
Bubalus ſivè *Buffelus* Animal eſt quadrupes, ſpecie bovis feri ſivè ſylveſtris, truculentum, ferox; irritatum penè indomabile.	Magnitudo bovis communis. Caput oblongum, frons aſpera, atque hirſuta cum cornibus retortis ac nigris, parvo pilo & caudâ, cute durâ.	Nutritur fœno, gramine & communi pecudum pabulo.	Viſo colore rubro valde irritatur, Ducitur, & regitur circulo ferreo per nares trajecto. Ocyſſimè fertur, nec ſiſtit curſum, niſi pallio in caput aut oculos injecto. Oneratus nimiùm procumbit, nec aſſurgit, niſi deoneretur.
Butro eſt animal quadrupes Floridæ regionis Americanæ, non abſimile Biſonti.	Forma penè eadem quæ Biſontis. Pilum prolixum habet & fulvam caudam leoninam.	Veſcitur gramine, herbis, & frugibus variis.	Animal eſt ferociſſimum, indomabile, quod nunquam cicurari poteſt. Ex cornibus inſigne paratur alexiterium contra venena. Ex pellibus fiunt tegmina à barbaris contrà frigus.
Camelus Duplex eſt Bactrianus, & Arabicus, eſt brutum quadrupes ſtridens, calloſum, robuſtum, gibboſum, manſuetum aptiſſimum ad onera portanda.	Vaſtæ eſt magnitudinis longo & gracili collo, capite exili, amplo pectore: caret dentibus in ſuperiori maxillâ. In dorſo habet unum aut duos gibbos: crura ſunt præalta.	Veſcitur gramine fœno & frugibus, pabulo modico contentus, ſitis eſt patiens etiam ad 15. dies. Potat aquas turbulentas, refugit puras, cibum totâ nocte ruminat.	Animal eſt motu velociſſimum, inſuper laborioſiſſimum: etiam cùm infirmatur & morti penè appropinquat, onera refugit.
Camelo-cervus Animal eſt quadrupes Indiæ ſalaciſſimum, villis penè nudum, manſuetum, cicur, at frigoris impatiens.	Capite, collo, ore ſuperioris præſertim labii ſciſſura ac genitali Camelum ferè refert. Caput tamen oblongius eſt, aures habet cervinas, oculos inſtar bovis, collum ſenſim prominet.	Veſcitur gramine, herbis & iis penè quibus cervus.	Neminem offendit hoc animal niſi irritatum: tunc autem, ut ſe vindicet, in irritantes vomitum vel cibi, vel humoris protenſo retrorſum collo cum impetu ejaculatur.

Animalium

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis	Nutritio	Mores, indoles & affectiones.
Camelo-pardalis sivè *Ovis fera* est animal quadrupes Æthiopiæ maculosum, & varium, intimè mansuetum licet aspectu feroci conspicuum.	Corpus est maculosum reticulatum. Caput habet parvum, collum oblongum, aures exiguas, pedes longos, os mediocre & tenerum instar cervi, cornua exilia erecta: oculos splendidos, caudam parvam nigris in extremitate pilis hirsutam.	Vescitur herbis & frondibus & earum summitatibus, quas tereti linguâ ad duos ferè pedes prælongâ celeriter valdè decerpere solet. Cibum ruminat, ut bos.	Obsequiosum est & mansuetum animal: trahentem mansuetè sequitur magistrum. In gradiendo claudicare videtur, nunc dextris non modò auribus, sed etiam lateribus.
Canis Est animal quadrupes latrans, sagax, vigilans, hero suo mirè blandiens & favens, aliàs lascivum & iracundum.	Magnitudo est varia. Sunt enim majores, mediocres & minimi. Forma etiam corporum varia: alia in venaticis, alia in aliis.	Voracissimum est animal: resumit quod vomuit. Vescitur ossibus, carnibus, pane & esculentis aliis. Cadavera omnia etiam humana invadit & devorat, caninam tamen non tangit carnem.	Odoratu miro pollet, vigilat diu noctuque: motu celer est: docilis ad multa utiliter & ludicrè peragenda.
Caper sivè Hircus & Capra. Animal est quadrupes, barbatum, lascivum, frigoris impatiens.	Laudatur magni corporis, mollioris pili, coloris albi, brevis colli: cui crura sunt crassa, costæ firmæ, coxæ amplæ. Barba prolixa. Habet cornua duo, aut etiam plura.	Vescitur gramine, fœno, foliis arborum, & fructibus ac corticibus. Delectatur valdè fruticum summitatibus, urinâ & sale.	Saltu excellit. Animal est & pugnax cornibus. Cum barbâ capræ unius in grege apprehenditur, reliquæ omnes stupent. Vita hircis, caprisque brevis, nec facilè decimum superant annum.
Cappa Animal est quadrupes ferox, canibus quoque infestum.	Villosum est, nigrum, asino majus, forma pedum insolens, ungula similis est calceo gallico à fronte lata, rotunda, non scissa à calcari acuta.	Omnivorum est. Obvium quodvis animal haud secus ac lupus pecudem rapit.	Quamvis ingenti de sæviat ferociâ, hominum tamen aspectum formidare dicitur.
Capra Bezoärtica sivè Cervi-capra Est animal quadrupes Indiæ, ferox, agile & ad saltum pronum, offerens lapidem contrà venenum, qui Bezoär dicitur.	Magnitudine est cervi partim tamen capræ præseferens formam, binis cornibus latis in extremo mucronatis atque in dorsum recurvatis, pilis brevibus cinerei coloris ruffedine permixtis.	Post devoratos serpentes ad extinctionem caloris herbas quærere dicitur, quæ venenis resistunt: ex his deinde concrescere volunt lapidem Bezoärdicum. Alii tamen sentiunt aliter.	In antris latet. Gregatim procedit, vocem gemebundam edit. Ferox est adeò ut subinde homines invadat & occidat. Lapis Capræ Indiæ Orientalis præfertur ei, quæ ex Occidentalis Indiæ caprâ obtinetur.
Capra Moschifera Est animal quadrupes, nondum planè satis compertum, Moschum offerens.	Leporis aut vulpis magnitudo & forma illi asseritur: ab aliis capræ; ab aliis alia.	Pasci dicitur spicis nardi, & aliis plantis odoratis.	Traditur abscessum folliculi modo innasci animali petreo sanguine à naturâ illuc exonerante plenum, qui miri odoris solet esse, & moschus dicitur.

Animalium Nomina & Natura	Forma Corporis	Nutritio	Mores, Indoles & Affectiones.
Carigue sivè *Garaguega.* Animal est quadrupes vulpeculæ simile manticatum; masque fœminæ est planè similis.	Magnitudine est vulpeculæ, caput habet vulpinum, linguam longam, dentes instar felis, nares patentes, oculos rotundos pulchros, aures amplas & longas, collum breve, caudam pedis longitudine ad 4. digitos pilosam, deindè nudam. In ventre propè crura posteriora pellis ejus est dupla, & fissâ rima bursam exhibet intus pilosam cum mamis, in qua catulos concipit, & ad libitum emittit & recipit.	Vescitur libenter gallinis, quas ut vulpes astutè rapit: arbores etiam scandendo avibus insidiatur. Vescitur & sacchari cannis aliisque optimis vegetabilibus.	Arborum ramis mirè se caudâ instar simiæ solet appendere. Fœtet valdè instar vulpis aut martis. Mordax est. Catulos tam diu ad bursam recipere & retinere solet, quousque sibi ipsis victum necessarium possint acquirere.
Catoblepa Animal est quadrupes Africanum ferox & truculentum, mirè noxium hominibus & bestiis.	Animal est simile Tauro alta & densa habens supercilia, oculos sanguine perfusos, quibus directè versus terram intuetur. Juba equinæ similis à verticè incipiens per frontem promittitur.	Lethales & venenatas depascitur herbas, undè halitus ejus summè virulentus, exitialis & lethalis est.	Exhalatione & respiratione mirè inquinat aërem: undè obvia quæque animantia, dùm propiùs accedunt, interimit.
Cervus Est brutum quadrupes, velox, timidum, cornigerum, pro voce rancorem edens, libidinis tempore valdè sæviens.	Magnitudo & pulchritudo corporis est excellens. Superbit cornibus solidis & ramosis. Nasus est simus, aures sunt scissæ ac divisæ. Collùm habet oblongum & gracile, caudam brevissimam, pedes graciles & agiles. Cerva cornibus caret.	Vescitur frugibus, oleribus, graminibus, agrorum, pratorum, & hortorum fructibus, carne non vescitur.	Velocissimo fertur cursu per devia & avia. Pullos ad prærupta ducit saltum monstrans. Odoratu plurimùm valet. Orto Arcturi sidere valdè fit falax & lascivus. Quotannis cornua dejicit. Occultat, cùm dejecit.
Chamæleon Est animal quadrupes parvum, valdè timidum, frigidum, pauci sanguinis, coloris mutatitii.	Faciem habet lacertæ, oculos in cavo recessu prægrandes, corpus asperum, cutem duram, ad modum crocodili, caudam longâ, à medio capite retrorsum ossea pars triquetra eminet, reliqua antrorsum colligitur.	Ex aëre aut rore vivere dixerunt Antiqui. Verius est tamen muscis, culicibus & cyniphibus captis vesci quas exertâ linguâ prælongâ, in cujus extremitate glutinosus quidã nodus est, captare solet.	Motus ejus est gravis, colores omnes recipit, juxta rerum colores, quibus insidet, ut sæpè discerni non valeat.
Ciacalis Animal est quadrupes Turciæ, lupini generis dolosum & vafrum. Alii vocant thoam.	Lupis communibus est minor; aliàs formâ & voracitate atque edendi ingluvie par.	Furto magis & dolo, quàm vi quærit victũ. Clam noctu domos intrat, & quidquid esculenti reperit, devorat: in horum defectu, quidquid ex corio offendit, absumit.	Gregatim incedit: hominibus armentisque non nocet. Ad ululatum alterius mox respondet; undè sæpè in furto seipsum prodit.
Cojotl Est animal quadrupes Indiæ ex vulpium genere, ferox, morsu noxium, astutum & sagax, cui per omnia penè simile est aliud *Cuitlaxcojotl* dictum.	Lupino est capite; vividis oculis parvis & acutis auriculis. Rostro nigro & longo, cruribus nervosis, caudâ hispidâ & crassâ, fusco & longo pilo, magnitudine inter vulpem & lupum mediâ.	Victitat imbecilliorum animalium prædâ, maizio & arundinibus sacchareis. Invadit aliquando homines & cervos atque alia animantia.	Sagax est vulpinis moribus. Illatæ injuriæ & abreptæ prædæ valdè est memor, ut post plures dies agnoscat raptorem & sociis assumptis invadat. Beneficii quoque non immemor de cohortalibus captis offert prædam.

Animalium Nomina & Natura	Forma Corporis	Nutritio	Mores, indoles & Affectiones.
Cuanda Animal est Brassiliæ è genere Echini, estque major & minor.	Totum corpus depile est, armatur verò spiculis rigidis, acutis, diversis coloribus ad spithamam longis. Caput est aculeatum exceptâ aurium regione & ore. Circà nares habet pilos multos instar barbæ felinæ. Oculos habet prominentes fulgidos. Caudam oblongam ad medietatem aculeatam, deindè nudam.	Vescitur fructibus, delectatur gallinarum & columbarum pullis, quibus multum affert damni, & iisdem perpetuò insidiatur.	Interdiu dormit, noctu circumvagatur, irritatum aculeos peculiari veneno infectos profundè in persecutores vibrat, ac sensim enecat. Spirat naribus, quasi anhelaret. Vocem edit ut porcus *Ju Ju.* Gressu tardum est, in arborum descensu caudam arbori circumplicat, ne labatur.
Cuniculus Est animal quadrupes lascivum, fœcundum, timidum, semiferum, cuniculos agens sub terrâ.	Animal est simile lepori: ungulas habet divisas & ruminat. Color est varius. Plurium candidus, vel cinereus. Aliquorum niger ac fuscus.	Nutritur brassicâ, malvâ, oleribus, pomis, piris & aliis fructibus, pane quoque delectatur. Noctu potius, quàm interdiu cibum capit.	Motum habet velocem, flexuoso utitur cursu, posterioribus pedibus sæpe terram pulsat, & magnum excitat sonum. Visu minus valet, plus auditu. Irritatum pugnat & murmurat. Mane & vesperi potissimùm egreditur latibulum.
Cynocephalus Est animal quadrupes mirè astutum & solers. Reperitur in Æthiopiâ, Ægypto & Arabia.	Forma est ferè Cercopitheci. Corpus tamen habet validius, crassius & corpulentius. Caput habet instar canis.	Cibo vescitur eodem, quo simiæ. Fructus testaceos dum edit, abjicit involucra. Carnes quoque assas & elixas admittit, neque respuit vinum.	Est animal petulans, ridiculum; Utriusque Æquinoctii tempore per singulas horas mingit & clamorem quendam edit. Mas interlunio nec comedit, nec quidquam intuetur. Fœmina verò sanguinem è genitali emittit.
Dabuh Africanis dictum *Jeseph.* Est animal quadrupes Lybicum vivis innocuum, infestum verò cadaveribus.	Formâ & mole est lupinâ, pedes & manus habet quasi hominis, caput adhæret spinæ sine ullis vertebris: unde si velit respicere, totum corpus vertere debet.	Vivit ex cadaveribus: unde etiam suffodit sepulchra & extrahit cadavera, portatque ad suam speluncam.	Miræ stoliditatis est. Rusticâ tympani aut calami melodiâ lenitum venatores non fugit, nec resistit, imò patitur se capi & ligari.
Danta sivè Indorum *Capa*, aliorum *Taptrousa*, aut *Ducanaris* est animal quadrupes, mulis & vaccis simile, magno apud Barbaros in pretio ob pellem.	Magnitudo est mularum mediocrium fulvo ac promisso pilo. Mularibus auribus sed pendulis. Vitulinis labris, collo contractiore sine cornibus: tibiis gracilibus, ungulâ continuâ, caudâ brevissimâ.	Duos habet ventriculos, quorum unus alimenta excipit, alter impenetrabili adhuc Naturæ sacramento reperitur plenus putrefactis lignis & virgulis.	Phlebotomiam fertur docuisse homines. Nam cùm crassescit, inferna crura vulnerat arundine dissecta. Pellis magno habetur in pretio, quod nullius teli ictu transfigi queat.
Dantes Est animal quadrupes Africanum ferum valde sævum & immite.	Bove paulò minus est forma capitis & corporis eidem simile colore subrufo, cornibus caprinis politis & nigris.	Vescitur herbis, gramine, fructibus, aliisque.	Sævissimum est: Venatorem suum nisi celerrimè fugiat, ore correptum dilacerat & pedibus substratum continuò ad mortem usque conculcat. Caudæ usus ad parmas, & scuta contra telorum vim adhibetur.

Animalium nomina & natura	Forma Corporis	Nutritio.	Mores, indoles & affectiones.
Dasypus Pinuum sivè *Ocotochtlus.* Animal est quadrupes Indiæ virulentum & valdè noxium, feris tamen aliis beneficum.	Vertagi est magnitudine, tereti humiliq; corpore; auriculis parvis, facie felinâ, crassis cruribus, aduncis unguibus, fusco circa dorsum pilo, candido, circà ventrem, reliquum corpus cinereum nigris ubiq; conspersũ maculis, rostro & cauda brevibus lingua asper & virulentâ.	Venatur cervos & alia hujus generis animalia, homines quoque invadit, enecat, & devorat.	Incredibi, pollet velocitate. Linguæ mira inest vis veneni, cujus linctu animalia excœcat & enecat. Occisorum cadavera herbi & frondibus tegit, deindè conscendens arbores ululatu feras convocat ad epulum, & post eas saturatas descendit & reliquias absumit.
Dromades sive Dromedarius est animal quadrupes specie Cameli, velocissimum motu, calidissimum ex naturæ complexione.	Animal hoc minus est Camelo, unico dorsi tubere, gracilia & longa habens crura multumque nervosa. Reliqua penè cum Camelo conveniunt.	Vescitur gramine, corticibus, fœno & frugibus, paucissimo pabulo reficitur delectatur potissimùm dactylorum ossibus, ruminat ut bos.	Ingentia portare valet onera, motu adeò valet ut 100. milliaria infrà diem conficere posse dicatur ob passuum amplitudinem.
Ejulator Animal est quadrupes orbis novi, astu nocentissimum.	Forma & moles corporis canem leporarium imitatur.	Vivit ex raptu, carnibus vescitur.	Infantilem ejulatum imitatur noctu potissimùm decipiens, quo audito accurrunt miserentes plorantem adjuturi, quos verò bestia incautos invadit & necat.
Elephas Est brutum quadrupes barriens, robustum, ingens, horridum, longæ vitæ, cùm 200 aut 300. annos vivere dicatur.	Ingens magnitudo, proceritas sæpè 16. pedum, caput prægrande, aures & oculi parvi, à naso proboscis porrigitur. Dentes habet prægrandes duos prostantes, crura sunt infrà & suprà crassa instar columnarum.	Vescitur herbis & fœno, radicibus & eversis arboribus: oblatum panem non respuit: plurimùm bibit, nec à vino abhorret, quo etiam magis ad pugnam animatur.	Laudatur in eo probitas, prudentia, æquitas, gloriæ cupiditas, sermonis patrii intelligentia. Opera humana etiam ad virtutes æmulatur, irritatur colore rubro. Beneficiorum & injuriarum memor est.
Entiengie Est animal quadrupes Africani Regni *Congo*.	Magnitudine est sciuri, pellem habet maximi pretii, Quam solus Rex & quidam proceres de Regis licentiâ gestare audent.	In arboribus perpetuò vivit, nec unquam ad teram venit, quàm si contigerit, statim emoritur.	Comitatum habet continuò 20. aliorum animalium Embis dictorum, decem ante & decem post se.
Equus Est brutum quadrupes, hinniens, generosum, docile, fidele, humanis usibus maximè idoneum, salacissimum præterea & generationi per totam penè vitam indulgens ab anno 6. ad 40. Optima ætas â sexto ad vicesimum.	caput laudatur erectũ oculi sunt aliàs magni & prominentes, aures breves, arrectæ acutæ & explicatæ, collũ mediocre cum jubâ: laudatur in pectore latitudo, dorsum latum, venter moderatus, latera demissiora, fœmora nervosa, clunes rotundæ solidæ, cauda prolixa, densa, setosa & crispa, pedes cum soleâ non fissi.	Nutritur avena, hordeo, siligine, stramine conciso, gramine, fœno, paleis & aliis. Frusto panis cum sale multum confortatur, aqua crassâ, turbida melius quàm clarâ & purâ reficitur.	Motu & cursu celerrimus est presertim in planitie. Acriter púgnat mordendo, calcitrando, saliendo tuncque jubam erigit, nares inflat, maxillas huc illucque torquet, terram fodit, fremit & hinit Actâ pugnâ, cum victor evasit, gestit audaciùs: victus autem dolet. Agnoscit humanas voces, iis & obedit.
Erinaceus Est animal quadrupes aculeata pelle vestitum, malignè astutum, sed & timidum.	Parvum est animal instar porcelli: rostrum habet parcino rostro simile: ipsum corpus totum aculeis vallatum est.	Vescitur pomis, piris, uvis & fructibus aliis.	Arbores conscendit & fructus decutit, deinde in iis se volutat & spinis affixos secum auffert: insidias cùm sentit, in formam pilæ convolvitur.
Felis Est animal quadrupes blandiens, astutum lascivum, velox, omne genus murium persequens.	Caput habet rotundum leoninum, oculos splendidos, pedes unguibus acutis instructos. Fœtus mense Martio editus probatur, at Augusto improbus rejicitur.	Avibus & muribus captis mirè delectatur: cœterum aliis quibusvis penè cibis vescitur, uti canes. Mures, cùm etiam satur est, captat & occidit.	Amat munditiem; undè tegit sua excrementa. Ex altissimâ turri, cùm dejicitur, non læditur: mirè sæpe gesticulatur: motum habet pro arbitrio, scandit, graditur, reptat & salit.

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis.	Nutritio.	Mores, indoles & affectiones.
Felis Zibetica. Sive *Sivetta* aut *Civetta*. Est animal quadrupes in Regno Congitano, Chinâ, Pegu, Cambaya, Sylvis Æthiopiæ atque alibi degens.	Magnitudine vulpis est colore lupi nigris maculis, rictu oblongo instar Taxi. Folliculum circa inguina gestat, in quo Zibethum pretiosissimum scilicet odoramentum colligitur.	Comedit carnes, dulciaria orizam cum ovis, & alia.	Cicuratur adeo ut innoxiè super humeros gestetur & cum eodem colludens vellicet nares, labia & aures. Majorem autem Zibethi copiam fundere dicitur, si virgis cædatur, ut in iram & furorem dissolvatur.
Glis. Est quadrupes somnolentum, validum, mordax, vorax mirè fœcundum, gallinis infestum.	Magnitudine felis est: membra sunt valida color varius, dentes sunt exerti, acuti, quibus ova etiam captare solet.	Vescitur fructibus arborum, sed maximè appetit ova gallinarum & ipsas gallinas.	Præcellit odoratu, dormire dicitur totâ hyeme, Gallinas, quotquot invenit, jugulat. Catulos, cum alit maxima damna infert.
Gulo. Aut *Rosomacha* Est animal quadrupes Livoniæ voracissimum.	Magnitudine est canis, facie felis, corpore & caudâ vulpis, colore nigro. Pellis animalis hyeme occisi in maximo habetur pretio.	Vescitur libenter cadaveribus & quovis modo interemptorum animalium carnibus.	Ob nimiam voracitatem tantùm ingerit, ut tympani instar infletur & angustias arborum quærat, ac cõprimendo extrudat superflua, & tandem redeat ad cadaver, ut voret.
Hippotamus. Sive *Equus fluviatilis* aut *Bos marinus*. Est animal quadrupes amphibium astutum, in majoribus fluviis & mari ut plurimum degens.	Magnitudo est Asini: jubam habet equinam caudam apri, vocem equi, aures ursinas breves subrotundas, oris rictum adeo vastum, ut Leoninum superet: dentes equinos obtusos, linguam & oculos prægrandes, pedes breves cum divisis ungulis ut in sue.	Sata depascitur, & satur averso regreditur vestigio, ne advertatur à Venatoribus.	Astutum est animal, caudici arundinis tamdiu se affricare dicitur, donec apertâ vena effluat Sanguis superfluus; quem ut rursus cohibeat, cœno venam obturat.
Hyæna. Est animal quadrupes astutè dolosum. Aliqui cum Fele zibeticâ & Sivetta seu Civetta confundunt.	Magnitudine & colore est Lupi. Corpus habet nigris conspersum maculis, sub oculis binæ sunt maculæ. Pedes nigro pilo obsiti, crura maculata, cauda oblonga.	Carnibus vescitur; vivas non tantùm invadere feras dicunt, sed erutis etiam è terrâ cadaveribus ali.	Cum indignatur nigros in dorso erigit pilos: sermonem humanum perfectè imitatur, ut evocet, quem laceret. Vomitionem quoque hominis imitatur, ut canes advocet, quos invadat.
Hystrix. Animal est quadrupes ex Erinaceorum genere, spinis & aculeis undique contectum.	Os habet leporinum, dentes quatuor prælongos, aures humanis similes, pedes anteriores instar Taxi, posteriores instar Ursi. Dorso & lateribus spinæ bicolores albæ & nigræ prælongæ insunt.	Vescitur pomis, rapis, piris, pastinacis & pane etiam comminuto.	In dumetis & vepribus latet; noctu magis quàm interdiu ad pascua egreditur; ingressum in cavernam spinas dimittit: in insequentes verò canes & homines surrigit & ejaculatur.
Jaguara. Et *Jaguarete*. Animalia sunt quadrupedia, rapacia hominibus æque ac bestiis infesta: Differunt hæc solùm mole capitis, corporis cauda & maculis.	Lupi sunt magnitudine & mole: pilos habent longiores in juventute & paululùm crispos instar lanæ ovillæ, oculos habent igneos, barbam & ungulas felinas, dentes acutissimos.	Famelicæ homines æquè ac bestias invadunt, & dilacerant: prædâ potitæ in ipsum cadaver caput immittunt & sanguinem præprimis exsugunt.	Terribilem de nocte clamorem U! U! instar canis edere solent horrent ignem & rogo accenso in fugam aguntur.

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis.	Nutritio.	Mores, indoles & affectiones.
Ibex. Est animal quadrupes montanum, frigida quærens loca de genere Caprorum.	Hirco major est: colore fulvo, cruribus gracilibus, ungulis bisulcis & acutis, oculis pulchris & splendentibus, cornua habet magni ponderis longissima in dorsum reclinata.	Vescitur herbis, plantis & radicibus.	Saltu longè superat rupicapram. Nulla rupes tam edita aut præceps est, quàm saltibus aliquot non superet.
Ichneumon. Animal est quadrupes amphibium, parvum, astutum, vafrum, nascitur in Ægypto.	Speciem habet muris majoris: rostrum nigrum & suillum, collum oblongum, aures rotundas, breves, caudam longam, crura nigra, pedes digitatos.	Vescitur muribus, serpentibus, limacibus, lacertis, chamæleonte, ranis & aliis: aves & comprimis gallinas vehementer appetit. Hepate Crocodili delectatur.	Infestum est Crocodilo, cui insidias struit, mortemque infert: Ventum maximè abominatur, eoque flante latibula subit.
Izquiepotl. Est animal quadrupes peregrinum astutum è vulpium genere.	Maizum tostum colore imitatur: duos ferè dodrantes longum, humile, caudâ longâ, brevibus cruribus, parvis auriculis piloso corpore.	Vescitur scarabæis & vermiculis: cohortales etiam jugulat & solùm eorum devorat capita.	Injuriam astutè vindicare novit dejectis fecibus etiam ad octo, pluriumque passuum intervallum in vestes persequentium cum indelebilibus maculis quarum etiam fœtor nunquam satis exspirat.
Lacerta. Cui similis *Salamandra, Chamæleon, Stellio & Crocodilus.* Animal est quadrupes solers, velox, venenosum, homini amicum.	Corpore est parvo, flavo, viridi cum variis punctis, caput habet exiguum, caudam ejusdem cum corpore longitudinis linguam bifidam pedes minimos, crura brevissima.	Pastu herbarum vivit, nec carnes respuit: Vermiculis, muribus & talpis vescitur. Ad omnivora refertur animalia.	Motu velox est, hominum amans, caudam, agitat crebrò & motu illo blanditur, totâ penè hyeme dormire dicitur.
Leo. Est quadrupes Animal rugiens, generosum, superbum, ferox, lascivum, magis tamen fœmina: nam & pardum admittit, unde Leopardus.	Caput habet firmum, pectus validum: Juba est durior, latera robusta, nervi solidi, ungues magni, oculi terribiles, ossa solidissima, rugitus horrisonus magnitudo egregia.	Vescitur animalibus, prædâq; vivit. Herbas non nisi ægrotus ad vomitum ciendum sumit. Prædâ prostratâ primò sanguinem sugit, deinde corpus dilaniat & devorat.	Cursu licet velocissimus sit tamen tardè & graviter incedit. Vestigia confundit aut oblitterat. Parcit prostratis. Gratus est erga beneficos; memor est beneficii aut injuriæ. Hominem non facilè lædit, nisi irritatus.
Lepus. Animal est quadrupes timidissimum, velocissimum. Superfœtat etiam ferens uterum.	Caput habet breve & in acutum definens, aures longas, oculos exporrectos, palpebras præcisas, pedes inæquales, posteriores prioribus longiores, caudam brevem.	Vescitur brassicâ, malvâ, Atriplice, lactucâ, uvis, & aliis pluribus, noctu potius quàm interdiu cibum capit.	Saltat magis quàm currat. Apertis dormit oculis. Mediæ naturæ est inter fera & mansueta, flexuoso utitur cursu: Eâdem tamen viâ exit & redit.

Lupus.

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis.	Nutritio.	Mores, indoles & affectiones.
Lupus. Est quadrupes ululans rapacissimum & voracissimum, ovibus infestissimum, valde astutum.	Magnitudine canis majoris, dentes habet acusatissimos, oculos splendentes, crura longa, genitale osseum, intestina magis recta & spiris minus involuta, caudam villosam.	Voracissimum est animal & insatiabile. Sævit valde pro cibo, nec ulli parcit animali, ut nec ipsi homini, noctu potissimum pro alimento grassatur.	Frigidiora loca cum calidioribus commutat, tempestates præsentiens; cursu celerrimo insequitur anseres & fatigatos rapit. Lepores etiam nunc cursu, nunc astutia vincit.
Lynx. Est quadrupes animal visu præ aliis animalibus pollens.	Capite est parvo, oculis fulgentibus, facie alacri, pilo molli & densatâ lanugine maculisque distincto: auriculas habet parvas, barbam ex setis albis instar felis: pedes digitatos villosos.	Vivit ex præda & raptu.	Velocis est cursus, æstate depilatur, hyeme hirsutam habet cutim. Obliviosum valde est ut prædæ mox ac solum respicit, obliviscatur & aliam inquirat. Urinam egestam abscondit.
Mabach. Est animal quadrupes Indiæ Occidentalis, astutum, fallax suapte naturâ, mordax ac perfidum, facilè tamen cicurabile.	Cane Melitensi paulo majus est animal humile, teres, pilis vestitum albo nigroq; colore promiscuè variatis; magno capite, parvis auriculis rostro canis venatici longo & tenui, cauda longa, humanis pedibus ac manibus.	Quibusvis vescitur cibis & escis oblatis. Alitur tamen lautius sanguine cohortalium aut galli pavonum, quos per insidias rapit & dilacerat.	Furto surripit quidquid offenderit. Terrorem industriè incutit invadentibus so nitu quodam rauco & horrido: astutè blandimentis provocat, quæ incauta adoritur animantia.
Maripetus. Animal est quadrupes Japoniæ, quod tandem mare petens in piscem mutatur.	Magnitudine est canis cruribus brevioribus, aureo colore præmolli pilo.	In Regno Goto sylva esse dicitur, in quâ solùm gignitur & sylvestribus nutritur.	Hoc animal cum senuerit, dimissa terrâ sponte mare ingreditur, ibique paulatim in piscem mutatur.
Melis. Sive *Taxus.* Est animal quadrupes somnolentum, obesum, lucifugum, mordax & timidum, cavernas terræ amans	Caput habet crassum, breve ac humile, cutem duram, fordidam, spissam, villosam & rigidam, dentes acutos, dorsum latum, crura brevia, ac caudam villosam.	Vescitur melle, radicibus, frugibus, uvis, pomis, piris, cæterisque fructibus. Pinguescit valdè pomorum & pirorum esu.	Pigrum est animal: vix egreditur cavernam; frequenter dormit: non longè à cubili discedit. Luna crescente ejus adeps augetur: naturale diffidium cum vulpe habet.
Melis montanus aliàs Texon. Est animal quadrupes Novæ Hispaniæ vorax, & facilè mitescens.	Rostro est prolixo, tenui versus superna contorto, prolixa caudâ, pilo longo, circà alvum candido, aliàs fusco & atro, circa dorsum nigriore atris pedibus, incurvis unguibus.	Omnivorum est animal, & quibusvis oblatis vescitur cibis.	Placidum est animal, ac mille modis abblandiens ac colludens, noxium tamen ignotis.

Monoce-

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis.	Nutritio.	Mores, indoles & affectiones.
Monoceros. Est an mal quadrupes unicorne, unde & unicornis dicitur: atrox, sævum, diram edens vocem: vit im agens solitariam: mansuefcit ta-m n amoris & partûs tempore.	Magnitudinis equi: capite simili cervo, pedibus Elephanto, reliquo corpore Equo: Unicum cornu è fronte protendit spiris contortum, celeritate pedum maximè valet, Jubam habet rariorem quàm Equus & breviorem. Pili color est pallidus. Coxæ villosæ.	Vescitur herbis, gramine & frugibus.	Animal est ferocissimum & rarissimum, nunquam cicurabile, nullis vinculis, artibus aut beneficiis facilè capitur: visis tamen puellis mansuescere dicitur: cum libidine accenditur, horrendas edit voces.
Mus Est animal quadrupes p rvum, timidum, velox & callidum. Plures murium dantur species. Sunt enim agrestes, domestici, aquatici, majores & minores.	Corporis exigua magnitudo pro generis ratione. Caput habet longiusculum caudam proceram, coloris est cinerei, nigri, fusci, & rufi.	Omnivorum est: Poma & Pira etiam arrodit, quandoque segetes populatur, agris, hortis, horreisque incredibile infert damnum.	Præcellit odoratu, hinc odoribus allicitur: motum habet velocem, noctu discurrit, interdiu ferè dormit. Mus muri favet, lapsum, qui in aquis juvat & apprehensâ causâ extrahit.
Mustela. Animal est quadrupes solers, timidum, callidum, malignè astutum.	Corpus habet exiguum flexibile, caput breve, dentes acutos, aures rotundas, caudam pilosam, & longam, in dorso plerumque rubescit, in ventre albescit; quæ totæ albescunt, præferuntur.	Venatur mures, eosq; devorat, plures capere dicitur quàm felis, nec talpis parcit. Aviculis insidiatur: ova rapit & sorbet, & pullos gallinaceos aufert.	Domum ruituram præsentit & priùs emigrat. Velox est gressu: continuatis saltibus etiam fluvios transit innoxiè, dormit plurimùm, præsertim hyeme.
Mustela Zibellina Est animal quadrupes Septentrionalium regionum. Agile ac semper inquietum.	Paulò minor est marte, tota obscuro colore fulva.	Insidiatur aviculis dum in opaco saltu latitant.	Pellis ipsius in pretio habetur: superpositis in arca vestibus compressa invitiata resurgit, manibus tractata æqualis permanet, soli exposita corrumpitur.
Noerza. Est quadrupes animal de mustelarum genere.	Magnitudo est martis pili ad colorem lutræ accedunt.	Mustellarum victu nutritur.	In remotissimis nemorum recessibus vivit, putridum de se emittens fœtorem.
Onager. Sive Asinus sylvestris est animal quadrupes, agile, indomitum, lascivum, degens in solitudine, locis petrosis & prealtis.	Equi facie est colore cinereo: nec aliud est, quàm asinus ferus sivè sylvestris.	Vescitur herbis præsertim virentibus, in quas cum incidit, præ gaudio rudit, nec ab iis se abigi sinit, tametsi insidiis se peti videat.	Ob agilitatem difficulter capitur. Valde patiens est sitis. Pollet odoratu. Odit hominum frequentiam.
Oryx. Est animal quadrupes ex caprarum sylvestrium genere.	Unicorne est & bisulcum contrario vestitum pilo & ad caput verso.	Nutritur herbis & fructibus sylvestribus	Caniculæ exortum sentire dicitur, eamque tunc contueri & velut adorare. Ad Solis & Lunæ exortum indignari dicitur & variis signis detestari.

Ovis.

Animalium nomina & natura	Forma Corporis	Nutritio.	Mores, indoles & affectiones.
Ovis. Est animal quadrupes simplex, patiens, mansuetum & timidum.	Vellus habet nigrum, albū aut varium molle. Caput est parvum & infirmum: pedes habet bisulcos, caudam longam, crassam, oculos habet prominentes & patulos.	Vescitur gramine & fœno: panem etiam cum voluptate devorat. Salis est appetens. Aqua frigida & limpida delectatur: odit impuram & turbidam	Ovi semper vultus idem: forte suâ ubivis contenta: gressus moderatior est, eadem illi vox cum ad pascua aut lanienam ducitur: agni statim à nativitate matrem agnoscunt.
Papio. Sive Pavio. Animal est quadrupes salacissimum, ex cercopithecorum genere	Magnum est & hirsutum horrido capite, brevibus cruribus, caudâ ferè vulpinâ breviori & plerumq; erectâ, pedes habet humanis similes.	Vescitur pomis, piris, & aliis arborum fructibus, pane etiam & vino valde delectatur.	Salacissimum est, ac ad fœminarum conspectum mox effervescit.
Pardus. Est animal quadrupes robustum, forte, fævum, astutum, pulchris maculis respersum, adeo lascivum, ut cum diversis speciebus congrediatur.	Magnitudine propè canis venatici: parvo capite, parvis oculis, fronte longâ, ore magno, auribus rotundis collo longo, ac tenui, caudâ prolixâ, clunibus carnosis: unguibus magnis & acutis. Corpus totum maculosum feli persimile est.	Venatur animalia, vivit ex raptu, aggreditur apros, cervos, lepores, & ipsos etiam homines.	Gaudet aromatibus & vino: motu velocissimum est, tamq; cursu, quàm saltu pernix. Recondit ungues, & non nisi, cum necesse est, promit.
Pena. Animal est quadrupes circà *Bengalam.*	Catelli est magnitudine.	Vivit ex prædâ, Tigrides etiam insequens sæpè præ inediâ, prædæque defectu in agris expirat.	Ubi Tigridem conspexit, illius vestigiis insistit, & allatrat continuò, ut audito latratu tàm feræ quàm homines latebras petant, & sibi ab instanti ferâ caveant.
Putorius. Sive *Ictis.* Est animal quadrupes à fætore forditum habens nomen.	Magnitudine propè martis circà collum arctior, circà ventrem est latior, in cauda & cruribus nigrior, ad latera flavior. Pellis duplici constat pilorum ordine.	Victitat muribus, gallinis, avibus, quibus statim caput aufert; piscibus, ranis, & aliis ejusmodi.	Putidum semper efflat halitum, incolit horrea, stabula, sylvas & ripas: pelles olent graviſſimè, magis in vere, quàm in hyeme.
Rana Est animal quadrupes coaxans, invalidum, timidum, saliens potius quàm currens. Ranæ similis est Rubeta.	Parvo est corpore: fœmina major est mari: oculos habet pellucidos, pectus latum, pedes posteriores prioribus longiores, caret vesicâ. E clunibus fæpe humorem noxium & virulentum irritata ejaculatur.	Nutritur herbis & floribus: etiam carnes & mortuas talpas devorat.	Tempestates præsentit & prædicit. Totâ hyeme dormire perhibetur. Aqua frigidâ delectatur maximè & pluvia cadente ex cavernis quantocyus accurrit.
Rangifer. Est animal quadrupes E cervorum genere, Septentrionalium regionum incola.	Major est cervo ordinario, tres cornuum ordines habet, ita ut in singulis bina existant cornua, & caput quasi virgultis compositum exhibeant.	Vescitur muscho montano, præsertim hyemis tempore, quo nives quantumvis altas perforat, & victum quærit: æstate foliis & frondibus arborum vescitur.	Animal est ad fugam & vehenda onera celerrimum.

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis.	Nutritio.	Mores, indoles & affectiones.
Rhinoceros est animal quadrupes scutulatum, seu clypeatum, à cornu quod in naso gerit, ita dictum. Mansuetum quidem, at implacabile cum lacessitur.	Corporis mole & magnitudine eximiâ, colore ex nigro & cinereo cutem habet glabram, rugosam, rostrum suillum cum cornu sursum è naso erecto. Paucissimis pilis corpus est obsitum.	Vescitur carnibus, herbis, fructibus & aliis. Cum hominem prosternit, asperrima linguâ lingendo illum enecat, tum cutem & subjectam carnem abradit usque ad ossa.	Elephanti adversatur ante pugnam cum eo cornu ad saxum acuere & limare solet, quo crura subiens elephantis alvum faciliùs discerpat.
Rupicapra. Est animal quadrupes in altissimis montibus & rupibus degens.	Magnitudo est instar capræ villaticæ: color inter fuscum & rufum, qui tamen per annum mutatur; oculos habet rubros, atra linea spînæ dorsi longitudinem notat. Frons signo stellæ quasi insigni ta: cornua nigricant & reflexa sunt versus dorsum.	Nutritur radicibus, herbis & plantis: arenosas petras & arenam quoque lingere solet, ut inertem pituitam defricet & appetitum excitet.	Cum in venatione urgetur, semper ascendit altiùs, cumque venatores insequentes cernit, de saxo in saxum transilit & montium cacumina petit, aliquando se cornibus retinet & suspendit.
Sciurus Est quadrupes animal solers, astutum, velox & somnolentum.	Magnitudo parva, forma egregia & jucunda est, caput habet subtile & breve, dentes acutos, auriculas rotundas, caudam villosam & longam ad reliqui corporis longitudinem: pilos habet rufos.	Nutritur glandibus, nucibus, pomis, piris & aliis fructibus. Delectatur suavioribus cibis, saccharo & amygdalis dulcibus. Pedibus anterioribus cibum carpit, & ori admovet, posterioribus verò insidet.	Horret canes, magnoque clamore fugit infestantes: in fugâ de arbore in arborem saltat. Trajiciens fluvium assere vel cortice pro navi utitur, cauda pro velo, ridiculis gestibus mire blanditur: perpetuò se lambit & mundat.
Simia Est brutum quadrupes, ridiculum, hominem externâ formâ referens & in plerisque imitans: Ejusdem generis est Cercopithecus.	Magnitudo varia. Major homines ferè adæquat: facies est fœda, nares suppressæ, oculi profundi & parvi, rugæ turpes, ubera fœda in pectore, corpus totum pilosum at validum, ungues crassi, caret caudâ.	Verscitur nucibus, pomis, piris & variis aliis cibis, promiscuè delectatur melle & vino usque ad ebrietatem.	Animal est malignè astutum: vanè omnia æmulatur, amat quæcunque pulchra ut vestes, specula, fœminas. Petulanti agitatione mira patrat: fœtus ardentissimè amat & sæpe nimio complexu enecat.
Snack sive *Schak* Est animal quadrupes *Tartariæ*, cursu velocissimum, visûs acutissimi.	Magnitudine est ovis lanam habet crispeam duo habet & cornua.	Vescitur gramine, herbis quibusvis obviis atque teneris satis & frugibus velut ovis.	Ducem se præbet capreolorum gregibus. Acerrimo pollet visu, & auditu, ideoque longè lateque circumspicit & persequentium observans insidias sibilo comites ad fugam monet.
Su. Vel *Succarath* Est animal quadrupes apud *Pantagones* torvum juxta fluvios degens.	Facies pene Leonis, aut hominis, ab aure barbatum est haud promissis valde pilis pectore propendente; circà lumbos multum constringitur: caudam habet amplam & longam instar Sciuri.	Vivit ex raptu, herbis & fructibus variis.	Cum urgetur, catulos in dorso admissos caudâ contegit & fugâ elabitur, capta & inclusa cum catulis, eosdem obtruncat præ rabie & horribili clamore venac tores, terret donec sagittis cæsa excorietur.

Sum Xu

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis	Nutritio	Mores, indoles & affectiones.
Sum Xu Est animal quadrupes domesticum in *Chinâ.*	Feli haud absimile est, nigri & subinde crocei coloris : pilos habet mire splendidos.	Mures avidissimè venari perhibetur.	Cicuratur à Chinensibus & corollâ argenteâ circumdatur. Ob raritatem magno habetur in pretio.
Sus Sive *Porcus.* Animal est quadrupes ruminans, lascivum, immundum & vorax.	Contemptæ ac vilis est formæ. Frons angusta, oculi concavi ac profundi, rostrum longum & latum, collum crassum, venter amplior; crura brevia, ungulæ bifidæ, cauda minus hirsuta & intorta.	Omnivorum est: Vescitur enim herbis, frugibus, radicibus, glandibus, pomis, piris: & aliis fructibus delectatur glandibus, & carnibus; vescitur cadaveribus, ac etiam stercoribus aliisque spurcissimis. Famis causâ sobolem invadit; Estque intemperans & inexplebile animal.	Delectatur luto & fœtore : odit rosas, & bene olentia. Peculiare est grandine affici: irâ siquidem concitatus facillime hoc morbo tanquam leprâ inficitur. Sus sui auxiliatur & clamante uno accurrunt omnes
Talpa. Est animal quadrupes sub terrâ vivens, cumulumque excitans: timidum, oculorum usu fermè captum.	Parvum at crassum & solidarum est partium rostrum habet instar porcelli, quo terram effodit: caput depressum crura brevissima, pedes digitatos, oculos imperfectos & membranâ tectos.	Vescitur vermibus, quos etiam sub terrâ longiùs remotos audit, radicibus etiam herbarum & arborum nec etiam frumentis parcit.	Auditu valde pollet, cum tamen careat auribus: lucem fugit & amat tenebras: quieti magis sub terrâ quàm motui indulget
Tigris. Brutum est quadrupes rabidum, ferox, robustum, indomabile, pulchritudine mirâ, quâ sicut pavo inter volatilia, ita Tigris inter quadrupedia excellit.	Magnitudinis est eximiæ: ungues habet aduncos, dentes acutos oculos igneo splendore micantes, cutem variis distinctam maculis.	Vivit ex raptu: cervos, boves, oves, equos, & canes invadit & necat: homines etiamsi prius occurrant, quàm brutum, carnis humanæ avidissima fertur.	Animal cursu velocissimum est. Hispanis parcere dicitur: Indos verò invadere & inter multos Europæos internoscere Barbaros.
Tlaquatzin Sive Hispanorum *Tlaquacum.* Cardani *Chiurca*, seu *Chiucia.* Est animal quadrupes Indiæ manticatum, innoxium, ac valdè simplex.	Parvi canis forma & magnitudine : rostrum habet tenue, prolixum & depile, caput exile, tenuissimas auriculas, caudam teretem depilem Alvum habet manticatum, cujus in cavitate catulos concludit & secum portat.	Vescitur cohortalibus quas vulpecularum & mustelarum sylvestrium more jugulat, illarumque sanguinem sugit.	Quidquid semel apprehendit, fortissimè retinet. Incredibili pernicitate scandit arbores: interdiu in cavernis latet. Astutè decipit venatores simulando se mortuam, ut incautos apprehendat.
Ursus. Est animal quadrupes murmnrans, deforme sævum, robustum, perniciosum, iracundum ac vindictæ cupidissimum: cicuratum, ludicra varia exhibere potest.	Corpus habet magnum & deforme: pellis est spissa & villosa: caput invalidum: pedes habet humanis manibus similes: vis illi maxima in lumbis & brachiis: color ad nigredinem accedit: dantur tamen etiam candidi.	Vescitur piris, pomis, nucibus, castaneis, & aliis fructibus. Mirè delectatur dulcibus, præsertim melle. Vescitur & formicis ad medicinam: nec abstinet à cadaveribus, quæ secum aufert.	Sensus in naso est illi tenerrimus: delectatur valde musicâ: impensè diligit prolem. Motu aliàs est tardò paratus tamen ad omnem nequitiam incedit pedibus duobus: consistit erectus, saltat, ludit, saxa projicit, & ad magistri nutum se componit.

Animalium nomina & Natura.	Forma Corporis.	Nutritio.	Mores, indoles & affectiones.
Urus Sivè *Bosferus.* Est animal quadrupes specie, colore, & figurâ Tauri, admodùm robustum, velox & ferox.	Magnitudine longè major est Tauri: corpus habet valde crassum, tergo summo ferè gibboso: cornua habet densa, nigra, brevia: os latum, nasum simum, caput amplum, crassum, faciem latam, tempora villosa, mentum barbatum.	Vescitur herbis, gramine & variis fructibus sylvestribus.	Magna ei inest vis & velocitas. Nec homini, nec feræ ulli parcit, quam conspicit. Tam fortis & robustus esse perhibetur, ut equum cum sessore in altum ventilare queat.
Vulpes Est animal quadrupes ganniens, callidum, astutum, malitiosum & gulosum.	Figura cani haud dissimilis. Pilos habet densos coloris plerumque rufi, caudam habet crassiorem & prolixiorem; semper claudicat, quia dextra crura breviora sunt sinistris.	Omnivorum est animal: vescitur tamen libenter gallinis, anseribus, anatibus, muribus, piscibus, uvis, vespis & aliis.	Rarò vulpes gravida capitur, cum mirè se tunc abscondat. Animal est nequitiosum & malitiosè astutum, fraudes fraudibus semper novis eludens, amat vehementer catulos: nulli aliàs amicum.
Zainus Sive Zachinus: Aut Saynus est animal quadrupes Indiæ ferum, truculentum, deforme.	Simile est nostrati apro, eo tamen minus umbilicum habet supra dorsum & circà renes, nec tamen verus est umbilicus, sed mollis quædam & glandulosa pinguedo.	Vescitur glandibus, radicibus & aliis montanis fructibus, nec non vermiculis, lumbricis & aliis hujusmodi. Dum cicuratur, quibusvis cibis alitur.	Mirè adversatur Tigridi. Cum gregatim incedit, dux eligitur: Animal ex omnibus debilius & minus; Cum Tigridem invadit, convocatur à Duce pluri um imo ad 300. usque cohors ut vincat ita multitudine, non tamen sine strage sociorum.



CAPUT

CAPUT IV.

De præcipuis quibusdam animalibus quadrupedibus domesticis observationes speciales.

Domestica animalia quadrupedia, de quibus hoc capita specialius tractare, eorumque mores, affectiones ac proprietates accuratius disquirere cupimus, sunt illa, quæ mitia & mansueta magis domi nobiscum agunt, & ad varios rei familiaris usus & emolumenta sustentantur ac adhibentur.

§. I.

Observationes speciales de Equis & probitatis eorum signis.

Equi præstantiores undè adducantur. 1. Equorum genus, teste *Strabone*, excelluit olim Arcadicum, Argolicum & Epidauricum. Ætolorum etiam & Arcananum solitudo pascendis equis accommoda valdè fuit, non minus quàm Thessalia. Antiquitus tamen laus prima fuit equorum Thessaliæ. *Marinæus verò lib. 1. de reb. Hisp.* Equos quàm optimos scribit alere Hispaniam, sed Bœticam plures, Lusitaniam velociores, Asturiam fortiores, quos veteres *Asturcones* appellabant. Hodie tamen Germania equos non tantùm ad prœlia aptissimos, sed etiam propter tolerantiam laborum, famis, frigoris & tenebrarum, ut etiam annotavit *Olaus M. lib. 17. cap. 6. Gent. Septentr.* ex Suetiâ & Gothiâ aliisque Septentrionalibus regionibus adducere solet. Ob pernicitatem verò pedum præcellunt Turcici. Unde versus,

Turcus acer campis, parvis contentus, obesus
Tergore, per lætos celeri pede fertur agellos;
Sed plerumque suis, ut fertur, testibus orbus.

Equi minores. 2. Equi minores etsi ad maxima ferenda & provehenda onera tàm validi esse nequeant, quàm majores sunt: solent tamen esse fortissimi & laboris patientissimi, Ità scribit *Olaus M. lib. 2. cap. 23. in Elandiâ* insulâ Gothici maris plurimos greges equorum parvorum, sed validissimorum pasci, qui fortitudine & agilitate multis eximii corporis equis prævaleant. Et in Orcadibus insulis scribit *H. Boëtius in Scot.* dari equos parvis asinis haud majores, interim laboris patientissimos.

Equus est animal valdè lascivum. 3. Salacissimum animal habetur Equus: Mas tanto libidinis furore solet exagitari, ut vel odore equarum percepto nullâ penè vi cohiberi possit. Equarum etiam famosior est salacitas quam Equorum. Generant etiam per totam penè vitam ad annum usque quadragesimum. Optima tamen ad congressum ætas est ab anno sexto ad vigesimùm usque. Partum edunt mense duodecimo. *Aristoteles* etiam masculum Equum à tertio ætatis anno ad trigesimum usque generare posse scribit; fœminam verò, cùm diutius vivat, usque ad quadragesimum annum.

4. An etiam imprægnata pullum masculum utero ferat, aut fœminam; ex decubitu discerni posse volunt. Si enim, cùm decumbit, in sinistrum latus procumbat; masculum gerere dicunt: si verò in dextrum; alterius sexûs fœtum utero conclusum afferunt. Equâ quem sexum ferat.

5. Qui in Julio nascuntur Equi, cum maximè vigent muscæ & vermes, maculas plerumque similes muscis habere solent: Tales verò Equi debiles censentur, quod matres gramen in campis jam semiaridum inveniant, nec ità alimentum satis bonum suppeditare queant; instet porrò hyems, quæ pullos nondum probè educatos malè afficiat.

6. Pullorum conditiones optimæ hæ sunt: si mansuetus sit, tractabilis, & hominum amans, obediens, & laxatus ad celerem cursum, si mox inhibeatur & reverti velit. Pullorum bonorum conditiones.

7. Si genua pullus in incessu molliter inflectat, existimare licet, habiturum crura valdè mollia. Undè ad equitationis usum minus futurus est idoneus. Omnes tamen equi progressu temporis flexus genuum molliores acquirunt, qui minimè improbantur; cùm ejusmodi equi minus offendant & fatigentur, quàm ii, qui rigidis cruribus præditi sunt.

8. Color omnis sincerus in equis malus est, *ut docet Cardanus de variet. lib. 7. cap. 33.* quod unum tantum humorem, unamque dominari qualitatem significet; quæ qualiscunque sit in animali docili, non probatur. Aut enim immodicè iracundi, aut segnes, aut contumaces erunt, alio aut vitio laborabunt. Consentire videtur *Xenophon* ajens: *Albi & albicantes & nigri unicolores improbantur, nisi in pede, fronteque aut jubâ, aut aliquâ corporis parte notam habeant.* Econtrà magno pretio rubri insigniti præter alios censentur, quos *Virgilius Spadices*, & *Bajos* Itali vocant. Huc etiam referri possunt ii, qui albi sunt & maculosi, quos Itali à muscarum similitudine *Muscatos* vocant. Color unicus in equis improbus.

9. Colores eodem docente *Cardano*, in Equis magis noti sunt septem. *Albus. Saurus sivè rubeus, leucoteus vel griseus, saggenatus griseo obscurior & purus, fuscus quem & morellum vocant. & castaneæ cortici similis, vocant Bajum obscurum: nam roseus* & *ipse Bajus dicitur. Generaliter & Saurus medius est inter Bajum & fuscum maximè Saurus maurus. Liardus autem albus est cum maculis fuscis prægrandibus.* Ità *Cardanus.* Subnectit etiam significationes colorum tales. *Albus, inquit, color segnes, timidos & molles significat, à pituitâ enim hic color procedit. Niger melancholicos, graves, viles, contumaces: sunt & fusci tales plerumque, si â nigra bile tunc exustionis notæ aderunt, quæ illis apparent: erunt enim rubicundiores. Tales autem plerumq; fortes ingenio præditi, furibundi, sed magnâ ex parte* Colores magis noti in Equis. Eorum significationes.

fallaces malorumque morum. Rubei autem à flavâ bile iracundi, leves, ardenti animo, non multùm laboris patientes. Color hic splendore non debet carere. Qui sanguineâ naturâ sunt, communiter Baji sunt, & color is ad roseum declinat, læti agilèsque bonorumque morum. Ita penes *citatum Authorem.*

Optimi colores in Equis. 10. Optimi colores sunt temperati, qui corticis castaneæ colorem referunt, & quos vocant Liardos maculis undique conspersos; & faggenati præcipuè, qui nigram zonam quasi transversam in fronte & collo habent, sivè simplicem, sivè multiplicem. Castanei coloris Equi probantur à plerisque, quod sint sanguineæ complexionis & robur illis faciat sanguis calens. Tales equi sunt expediti, hilares, in laboribus constantes, dociles, vulnerum patientes, sed non verberum; sponte potiùs quàm coactè omnia faciunt.

Equus spadix. 11. Equus spadix, sivè sanguinei fulgoris solet esse iracundus, quod color ille ex bile trahat originem: Et quia ignis citò flammescit, citòque subsidit; ita equus hujusmodi citò documenta suscipit, citò remittit. Impetuosus cœteroquin est cursu, sed citò deficit, audax, hilaris, nisi irâ corripiatur. Obscurior tamen color ejusmodi præcellit clariori. Laudatur maculis respersus, quòd bilis phlegmate temperatæ signum sit.

Equus canus. 12. Equus cànus pejor est clari coloris, quàm obscuri: claritas enim phlegma denotat & inde in habilitatem ad multa; obscuritas verò attemperationem ex sanguine, & inde meliorem complexionem indicat.

Nigredo in Equis quid denotet. 13. Nigredo in Equis melancholiam arguit, quæ provenit ab humore frigido & sicco: Ejus species sunt Murinus & cinereus, omnes parvi momenti. Nigerrimus equus subinde est optimus, quia bilis in melancholiam aliquando ità est exusta, ut tamen calorem retineat, sed hic rarus est casus.

Equi maculosi. 14. Generaliter maculosi & nigris comprimis maculis, zonisque distincti, sivè per crura extensis; sivè per dorsum, sivè in collo, nobilissimi reputantur equi, eòque præstantiores erunt, quò in his ordinem quendam natura servâsse videbitur, seu numeri, seu paritatis aut loci, seu rectitudinis. Post quos sunt, qui maculas aut zonas habent rubras aut rubiginosas. Maculæ verò & Zonæ hæ insignem animum, acremque ac nobilem in Equis referunt. Maculæ etiam albæ in toto corpore probantur, nigèrque color in extremis partibus, ut sunt pedes, cauda, aures &c.

15. Maculæ nimis albæ vel plures in Equi capite stupidum arguunt, ob multiplex phlegma in cerebro. Optimus tamen judicatur equus, qui stellulam in fronte albam habet, & præter hoc signum etiam zonam albam, quæ nec os, nec supercilia tangat: lineam enim vel zonam albam in fronte moderatam cerebri qualitatem significare dicunt, nec contumacem, nec iracundum, nec dolosum, nec ancipitis animi, aut dubii equum denotare. Quod si & pedes posteriores candidi sint; nihil ad præstantiam addi posse dicunt. Quibus autem nullus est candor, neque in fronte, neque in pedibus: hi dubii & ancipitis animi judicantur.

Equus candidus. 16. Candidus equus mitis esse solet & conspicuus, sed magis ostentationi ob formam, quàm usui ob virtutem deserviens: debilis enim est, multisque obnoxius morbis, cùm sit frigidus, solet & maximè pedibus deficere descendente in illos phlegmate; Unde à Græcis Apalopedes tales appellantur. Otidem imitatur debilitate, nam & in hoc phlegma prævalet. Sturninus, quamdiu illum Juventus calefacit, ad omnia observatur utilis: postquam verò cum ætate ad suum frigus pervenerit, phlegma & melancholia, quæ illum occupant, omnino tandem vilescit.

Signa probitatis Equorum ex pedum inspectione. 17. Signa probitatis Equi ex pedum inspectione hæc à *Cardano* traduntur, ità ut post eum, qui pedes posteriores solos habet albos, hoc ordine probetur Equus juxtà pedum candorem & ejusdem dispositionem.

I. Optimus est Equus, qui pedes posteriores solos habet albos.
II. Qui pedem sinistrum posteriorem solùm habet album.
III. Qui ambos pedes posteriores habet albos & sinistrum anteriorem.
IV. Qui ambos pedes posteriores habet albos & dextrum anteriorem.
V. Qui habet quator pedes albos: is quidem animi vitio carebit, non tamen erit satis validus.
VI. Qui pedem dextrum anteriorem solum habet album. Hic docilis est, sed sinistri eventûs.
VII. Qui pedem sinistrum anteriorem solum habet album.
VIII. Qui pedem dextrum posteriorem habet album, specie quidem fortis est & acer: sed tamen infelix, superbus, animoque improbo.
IX. Qui albos ambos anteriores habet pedes, alternumque posteriorem: horum tamen præstantior, qui sinistrum.
X. Qui solùm anteriores pedes habuerit, vilior erit.
XI. Qui trabeatus est, ambos dextros vel sinistros pedes habet albos, pessimus censetur, & quidem is, qui ad dextram albos habet pedes, deterior censetur eo, qui ad sinistram tales habet.
XII. Qui transtrabeatus est alternatim pedes habens albos; pessimus omnium & vilissimus æstimatur, sivè dextrum anteriorem cum sinistro posteriore, aut vicissim posteriorem dextrum & anteriorem sinistrum habeat album. Quorum tamen deterior, qui sinistrum anteriorem & dextrum posteriorem habuerit album.

Candorum

Candor pedum unde proveniat. Candorem autem hunc in pedibus equorum à pituita dominante procedere vult *Cardanus*: ut verò moderatior fuerit, eò magis modestum & patientem equum indicare statuit. Si abundet; pigrum, timidum & segnem denotare: si nulla sit, praeferocem, stolidum & indomitum significare: Robustam verò naturam & rectè agentem, quaecunque non necessaria sunt, ad viliora loca protrudere dicit; sunt autem viliora sinistra dextris, posteriora anterioribus.

Umbilici in Equis. 18. Candores tamen praepósteros jam indicatos aliis quibusdam signis tolli communiter volunt: vel si umbilicos habeat Equus praeter naturam in locis illis, quae inspicere nequeat Equus; vel si maculis rubris aut nigris ad muscarum similitudinem candor ille conspersus sit. Praestant tamen rubris maculae nigrae. Sunt porrò umbilici nil aliud, quàm loca quaedam circulis quibusdam parvis è pilis contortis in formâ & magnitudine umbilici praedita: quorum loca propria communiter solent esse frontis medium fermè infra supercilia, colli medium in latitudine & longitudine fermè, pectoris medium, Unbilicus ipse & ilia. Notatum autem fuit, quod si praeter haec loca ordinaria appareant umbilici aliis in locis, ubi ab Equo videri possint, degenerem Equum significare: si verò existant in locis, ubi ab Equo ipso spectari nequeant, velut in collo, aut natibus juxtà caudam; adeò bona censentur esse signa, ut generosissimum Equum per se sola significare soleant: eò etiam meliora signa dicuntur esse hi umbilici, quò praelongioribus quoque pilis, velut pennis aut setis quibusdam sunt praediti.

Probata forma Capitis equini. 19. Generaliter ratione formae in equis probatur caput parvum arietinum cum majore quidem vertice, at parvis auribus & maxillis. Os tenerum & amplum laudatur, praeterquam in levibus Equis, in quibus angustum praeferri solet. Nares etiam convenit esse amplas & magis patulas; cum hae perspirabiliores sint compressis.

Signa quaedam ex naribus 20. Equorum etiam ferociam denunciari dicunt diductis naribus: Undè cùm Equus in equitatione succenset, aut alteri irascitur Equo, nares solito magis diducere videtur. Cùm vocem raucam per nares emittit; timorem significat, hicque equus calcitrare & ferire solet, si generosus fit. Docet *etiam Solinus indicia* Equi generosi in potando ex naribus observare: quo enim, inquit, quis acrior fuerit, speique majoris, eò profundius mersitat nares inbibendo.

Oculi Equorum. 21. Quicunque Equus albicantes habet oculos, cùm plus lucis in organo visorio recipiat, & species facilè diluantur, minus quidem benè videre valet de die, melius tamen de nocte: qui verò nigros habet oculos, melius de die, & peius de nocte videre comperitur. Undè oculi crassi & nigri laudantur prae albis, quod de die à luce magis vividâ & inter nives minus offendantur. Oculi verò extantes vigilem denotant Equum, sicut concavi & retracti acutiùs & longiùs videntem.

22. Aures in equo laudantur parvae, quas in irâ & rabie ad collum dimittit: in timore verò erigit & in anteriora protendit. Aures.

23. Equus probatur melior, qui post aures verticem habet planum, quàm qui acutum; quod planities illa à calore temperato proveniat, qui non ità materiam elevavit. Materia etiam est terrea & solida, quae constantiae & robori servit: qui verò acuti verticis est, ob praedominium caloris, volaticus quidem est, agilis & audax, sed minùs stabilis. Vertex post aures

24. Elati capitis equi stupidiores sunt, quia calor, qui caput elevat, cerebrum adurit & stupidum reddit.

25. Dentes Equus habet 40. ex illis quatuor mense trigesimo mutantur, duo suprà, duo infrà. Cùm incipiunt quartum annum agere, rejiciunt supernè ac infernè duos ab utrâque parte. Inchoâto quinto anno rejiciunt reliquos superiores, ac inferiores, & eos, qui nascuntur, cavos habent. Annum sextum Equo ingresso primorum dentium cavitates explentur. Septimo expletos habent, & jam non amplius indicium ex dentibus sumi potest: quocircà aliqui jam ex juncturis caudae judicant. Ità *Aristoteles* & *Plinius*. Canini aliis decidunt initio quarti; aliis in fine, aliis in quinto, prout Equus in aestate vel autumno natus. Continua verò notatum est experientia, ut & *Aristoteles* atque *Avicenna* annotârunt, Equos accrescentibus annis tandem projicere dentes & quantò seniores fiunt, tantò albiores eos absumptis in iis nigris illis maculis, quas fabas equinas communiter vocant, acquirere. Indicia in equis ex dentibus.

26. Equum sexies mutare sonum Naturae illius sagaciores scrutatores observârunt, & his mutationibus solet diversos exprimere affectus. Dum enim gaudet, hinnitum in longum trahit, & in fine acuit: cùm hinnit longâ voce, quam in fine deprimit cum gravi sono, desiderat & vocat socium aut equam: in dolore gemit: cùm irascitur abbreviat hinnitum cum acuto sono: obscurus & demissus est sonus, cùm timet: Equus tamen generosus in tali occasione solùm comprimit aures & pedibus pulsat terram. Denique cùm crassam & interruptam edit vocem instar cachinni humani, complacentiam testatur de re amatâ, quae propè est. Hinnitus porrò alacris semper alacritatem & generositatem declarat. Equos etiam alacriore & ferociore fremitu inituris praelia victoriam ominari militibus omninò persuasum est, ut etiam annotavit *Casp. Peucerus com. de venat. de aug. & arusp.* Mutatio vocis in Equis.

27. Equus qui duram habet carnem, robustus censetur: in duro enim corpore nervos etiam, qui robur faciunt, duros esse omninò credibile est. Cutis dura in Equis.

28. Pectus in Equis laudatur paulò amplius, tùm venustatis, tùm roboris gratiâ: cervix verò à pectore non prona valdè & praeceps enata sit, sed ità recta, ut gallinacet, sicut loquitur *Xenophon*. In ipso flexu parum sit incurva. Qui verò equi Pectus & cervix.

erectâ

erectâ cervice habenas relinquunt: signum dant elati & generosi animi & robustæ cervicis.

Probitas armorum.

29. Armorum eminentium sublimitas & sellam Equiti latiorem, & armis atque corpori firmiorem compagem tribuit; eademque duplex simplici commodior est ad insidendum, & aspectu delectabilior. Qui etiam equi non subsident in dorso penitus, valdè robusti & indefessi in laboribus probantur: at si etiam præter id ascendente Equite dorsum non contrahunt; hoc roboris & tolerantiæ maximæ signum est.

Laterum & lumborum convenientia.

30. Latera demissiora, ventrisque respectu turgidiuscula pariter efficiunt, ut Equus & sedem præbeat ampliorem, & robustior sit, ac pabulo meliùs fruatur. Lumbi autem quò latiores & succinctiores erunt, eò faciliùs equus anteriores partes attollere & posteriores attrahere poterit.

Alvus in equis.

31. Alvus magna deformat equum, ac debiliorem & minùs idoneum oneribus gestandis reddit. Testes etiam magnos non convenit habere: coxas tamen latas & carnosas esse conducit, ut lateribus & pectori respondeant.

Fœmora & crura quæ conveniant.

32. Fœmora sub scapulis crassa & robur præstant & elegantiam. Ossa verò, quæ suprà ungulas existunt, & intrà callos tamen, quos caninos vocant, sese porrigunt, neque nimis decet esse recta, veluti capræ; solidiora enim cùm sunt, equitem facilè succutiunt: deinde hujusmodi etiam crura citiùs inflammantur. Neque etiam convenit nimis esse depressa: calli enim facilè denudarentur, & exulcerarentur sivè per glebas, sivè lapides equus agitetur. Crura probantur optima, quæ sunt inflexa retrorsùm uti cervis; nam his ad cursum promptiores fiunt equi: si autem multò humiliores sint pedes anteriore parte: nihil periculosius ad casum, præsertim cùm anteriores pedes junguntur.

Ungularum probitas.

33. Ungulas equorum convenit esse rotundas, latas, concavas, siccas, nigras, duras & firmas; sicut econtrà os tenerum. Ungulæ etiam spissæ tenuibus longè ad bonitatem pedum præstant, sicut & sublimes humilibus ac depressis. Teneræ tamen ungulæ leves & agiles indicant equos.

Equorum progressus.

34. In progressu Equorum prodest observare pedes posteriores: si enim eorum vestigia anteriorum vestigia antecedunt, necessarium est, ut Equus duorum pedum motu posterioris scilicet & anterioris plus progrediatur, quàm sit spatium, quod inter pedes nempè posteriorem, & anteriorem interjacet. Semper autem verum est illud, equos quò magis in incessu pedes elevant, eò difficiliorem efficere equitationem: quò minus autem, eò periculosiorem; quia pedes allidendo facilè cespitant: undè moderata elevatio solummodò conducit. Qui autem equi calcitrare solent, postquàm susceperunt Equitem, minus etiam probantur. His tandem addere libet, quæ *Oppianus lib. 5. de venat. v. 173.* de Equorum præstantiâ dignoscendâ compendiosè ità descripsit:

Præstantissimi Equi descriptio ex Oppiano.

Equum inter omnes præstantißimum observârunt
Gnari equestrium cursuum & armentorum magistri,
Formis qui talibus toto corpore cinctus fit.
Argutum suprà cervices arduum sublime caput
Erigat magnus ipse teretibus membris,
Alto capite: extremam autem genam ad collum inclinet:
Amplum sit, latumque intercilium: ex capite autem
Circà frontem capillorum densi quatiantur cincinni:
Oculus ei sit torvus, flammeus, superciliis truculentus:
Latæ nares, os autem amplum, aures breves:
Reflexum collum sit cervices hirsutas habentis equi,
Perindè quasi setosa cristam moveat galea:
Latum sit pectus, oblongum corpus, lata terga:
Et spina gemina in medio coxas pinguefaciens:
Procurrat verò prolixa â tergo & pilosa cauda,
Femora autem bene compacta ac musculosa sint;
Rectæ prolixæque sint pedum longæ tibiæ,
Et valdè graciles ac carne destituta crura,
Qualia sunt longa cornua habentibus & pernicibus cervis,
Et latum inclinet, currat verò rotunda ungula
Alta admodùm à terrâ, densa, concava firma.
Talis mihi pergat ad acre ferinum prælium
Animosus, socius laborum, martius strenuus Equus.

§. II.

De Bobus & Tauris Observationes speciales.

Feracissimæ Boum regiones.

1. Feracissima præ aliis quibusvis regionibus Boum, armentorumque censetur Frisia, Polonia, & Hungaria, ità ut quotannis multa millia hinc in alias terræ provincias abducantur. Imò *Sigismundum Herbersteinium* Baronem scripto reliquisse dicunt, per solam Viennensem viam ex Hungaria uno quodam anno plusquam octoginta millia in Germaniam acta esse.

Lascivia.

2. Lascivum animal est bos, sed non æquè omni anni tempore flagrat libidine. Optimum congressûs tempus est medium Veris: & licet primo ætatis anno generare incipiat, tamen ante tertium annum admittendi non sunt. *Aristoteles* docuit, boves fœminas, seu Vaccas post annum & octo fortè menses stimulari ad copulam, & tempus

tempus imprægnationis esse per novem menses, fœtumque esse in decimo. Acer quoque bos est auditu: Audit enim vocem vaccæ prurientis ad copulam per triginta stadia.

Gradus ætatis. 3. In Bubulo genere, ut ait *Varro de re rust. lib. 2. cap. 5.* primus ætatis gradus est Vitulorum, secundus Juvencorum, tertius Boum novellorum, quartus Vetulorum. Discernuntur in primâ ætate Vitulus & Vitula; in secunda ætate Juvencus & Juvenca; in tertiâ & quartâ Taurus & Vacca. Quot autem & nodos habet bos aut vacca in cornibus, tot esse dicitur annorum.

Vitulorum ablactatio & castratio. 4. Vituli opportunè ablactantur circà plenilunium; castrantur verò post annum: Etsi non castrantur, illo tempore non adeò proficiunt. In Interlunio quicunque nati sunt vituli ob vertiginis morbum, quo facilè corripiuntur, non adeò tuto educantur.

Vitæ longitudo. 5. Fœminæ sivè Vaccæ vivunt in majore parte ad annos 15. maresque similiter. Si tamen castrentur, efficiuntur fortiores, & vivunt 20. aut etiam adhuc pluribus annis.

Naturæ institutio. 6. Naturæ institutio optima boum fit in trimatu: post trimatum autem nimis est fera, sicut & ante hoc tempus præmaturior. Ut itaque ad laborem bos assuefiat cum bove alio adhuc juvencus jungi debet, antequam contumacior evadat.

Bos castrats. 7. Bos castratus in corpore & in cornibus majus acquirit augmentum, pariter etiàm proficit. In robore tamen & virtute animositatem & audaciam perdit; magis autem efficitur mansuetus, quietus, patiens laboris ac motûs tardioris & incessûs gravioris.

Voces. 8. Omnium animalium voces sunt fortiores & grossiores in masculis exceptis vaccis, quæ vocem habent masculis grossiorem & fortiorem.

Palearia. 9. Palearia quo magis ad crura dependent bobus, eò magis probantur & majoris censetur esse signum generositatis: Unde & *Virgilius* bubulcos, quales boves eligere debeant, his versibus instruit.

- - - *Optima torva*
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.

Unde boves magis pinguescant. 10. Nullâ re adeò pinguescere dicuntur boves atque abstinentiâ à Venere, aquæ calidæ ablutione, sole & frondibus ulmi, ervo & fabis: Quod benè etiàm *docuit Cardanus* ajens: *pinguescunt boves dulcibus frondibus ulmi, sole & lotione aquæ.*

11. Vehementer boves amant frondes, virgulta & nemora, solique inter animalia retrò ambulantes pasci solent. Inter herbas porrò, quas amant, parvum quoddam animalculum delitescere solet simi-

Buprestis. le Scarabæo, quod *Buprestis* nominatur: Hoc autem ab incautis deglutitum eos vehementer pungit, adeò, ut sæpè indè intereant. Unde etiàm *Buprestis* à premendo bove nomen habere dicitur.

Cornua. 12. Bobus castratis nasci solent cornua tortuosa, gracilia, longa; non castratis verò secundùm radicem crassa, recta, minùsque prolixa. Hi tamen latiore, quàm illi solent esse fronte, Causam reddit *Ælianus lib. 12. cap. 19.* Vacca verò, ut observavit etiam Aristoteles cornua habet fortiora & grassiora magisq; nodosa, quàm masculus, non tamen ità magnà.

13. Boves nigri coloris parva habentes cornua minùs reputantur utiles ad operandum: Et quandò cornibus capitum conjunguntur, plus laboris possunt sustinere, quàm quando solùm cervicibus invicem copulantur, & onera trahere coguntur: Consuetudinem etiàm in judicium vertunt, ut ferendis pondetibus assueti non patiantur illa augeri.

14. Jugum facilè abijcit Bos in pinguatus, cui assuetus, minus tamen pastus optimè subjectus est.

Boum potus. 15. Armenta boum quæcunque diligunt bibere aquam mundam & claram; turbidam autem & impuram vix aut nunquam bibunt. Quocircà jam olim *Cato* benè monuit bubulcos, ajens: *Boves aquam bonam & limpidam bibunt, semper curato ut valeant.*

Tauri fortitudo ubi sita. 16. Maxima fortitudo Tauri (qui animal est superbum & cervicosum) in collo & cornibus à cervice solet esse. *Unde Plinius lib. 8. cap. 45. hist. nat.* Generositas, inquit, tauri patet in aspectu & in cornutâ fronte, & in auribus setosis, ac in cornibus in procinctu dimication m præofferentibus, cujus tota comminutio in prioribus pedibus stat, quibus in altum spargit arenam, & in tali sparsione singulariter inter animalia inardescit. Addendum his, quod *docet Seneca: quod sicut mappa alba* Ursos & Leones proritat, ità Tauros rubicundus ad iram maximè color excitet.

Unde lac augeatur. 17. Lac omnibus pecoribus mirificè augeri dicitur, si cytiso sivè tàm odorato, quàm pratensi pascantur. Mense tamen Februario, & Martio lac omne valdè insalubre perhibetur.

Caro bubula qualis. 18. Caro bubula dura & siccâ atque concoctu difficilis esse dicitur, præsertim si bovis sit veteris: Docet tamen *Baptista Porta* corrigi posse, si bos mactandus priùs à canibus agitetur. Experientiâ siquidem constat, ut ait, congressos boves cum Ursis & irâ interfectos carnem adeò habuisse teneram, quæ etiàm in ore liquesceret.

Pecudum mortalitas. 19. Ulmi & persici folia, cùm præter morem & tempus decidere comperiuntur; in omni Jumentorum & pecorum genere pestem & mortalitatem præsagire docet *Cardanus.* Suis quoque infirmæ stercus inter boves afferre pestem dicitur. Pluma etiam gallinæ devorata boves occidere perhibetur.

20. Si boves, uti & oves consistant per autumnum in loco lutoso; in vere communiter ægrotant: opus itaque illis est loco sic-

co ficco, & stramen novum sæpius subijci debet, ut fimus augeatur.

§. III.

Observationes Zoögnomicæ notabiliores de Agnis, Arietibus & Ovibus.

Ovium generatio. 1. Minus salax animal est Ovis: maturè quidem cöire solet, sed absque profectu, cùm sterile emittat semen. Nostris in regionibus anniculi rarò implentur: Pariunt annis septenis maximâ ex parte singulos, rarò binos, vel ternos.

2. Arietes octo, vel novem ovibus centum admiscentur, sed non ultrà, quindecim dies inter illas morari permittuntur. Oves fœtum portare solent quinque mensibus.

Quando nam mares concipiantur. 3. Agni concepti flante Boreâ cœlo insuper sereno sunt meliores, quàm concepti vento australi & cœlo pluvio ac turbido: tunc enim plerumque mares concipiuntur: ut etiam docuit *Aristoteles lib. 5. de ovibus.*

Velleris ovium præcognitio. 4. Talem solent agni colorem habere in lanificio sivè vellere, qualem habent parentes nempè Aries & præprimis ovis in venis sub lingua. Undè hac inspectâ dum ovis fœtum portat, si fuerint venæ nigræ sub lingua, agnus nascetur nigri coloris in vellere; si albæ; albi: si variæ varii coloris.

Agni vernales sunt meliores. 5. Cum agni quidam nascantur tempore veris, quidam Autumni tempore: compertum tamen est, vernales esse corpore validiores & pinguiores, quàm sint Autumnales. In aliquibus tamen regionibus hyberni agnis vernis præferuntur; diciturque hoc solum animal utiliter nasci brumâ, ut annotavit *Plinius lib. 8. cap. 47.*

Agnoscunt facilè matres. 6. Sagacitas magna & singularis industria in ove non datur. Memorabile tamen esse dicunt, agnos statim ab ipsâ nativitate matres suas agnoscere & vocem inter multa millia discernere, aliena præterire ubera, & solius matris sugere.

Undè bidentes & arietes dicantur. 7. Bidentes vocantur oves & arietes, eò quod inter octo dentes, quos communiter omnes habent, duo illis sint albiores. Post annos etiam tres oves mutare dentes, vetulásque habere debiles & læsos compertum est. Dictus etiam videtur Aries aut vervex â viribus, eo quòd tanquam vir ovium, cum sit masculus, cœteris bidentibus sit ampliùs virtuosus, ut dicit *Isidorus.*

Corporis in ariete descriptio. 8. *Aristotele & Avicennâ* annotantibus, aries frontem habet durissimam corneâ duritiè ferè præstantem: tempora verò habet debilia & quodammodò cartilaginosa: & ideò ad munimen partis debilioris natura dedit cornua magna circa temporum loca ad modum scuti rotundi convoluta, quæ tamen in extremitate aliquantùm sunt acuta ut cornuum duritie ac firmitate caput defendat; eorum verò acumine adversarios infestos impetat & impugnet. Solet etiam Aries erecto capite & fixo pede ungula divisa vestigio firmiori terram premere: Vellus etiam habet pinguius & in villis prolixiùs diffundit pilos ac fortiori corio sivè cute spissiori contra extrinsecas äeris calidi aut frigidi injurias se defendit.

9. In dormiendo etiam arietes super latus alternare solent vices: nam, ut ajunt, à Vere usque ad Autumnum dormiunt in uno latere, deinde usque ad Ver dormiunt in alterno latere: & quidem cùm dormiunt, id faciunt erecto capite, nisi fortè infirmentur: ruminant etiam & masticant cibum cum dormiunt æquè ac dum vigilant. Quomodò dormiunt Arietes.

10. Valdè gaudent Agni gregis societate; solitarii enim plurimùm dolent ac timent: Undè & *Plinius* dicit, agnos dimittere solitarios est periculum: *Quia si supervenerit fortè tonitruum, de facili moriuntur. Agnus equidem naturaliter debile habet caput, & ideò remedium est eos simul aggregari, ut ex conjunctione animentur & præsentia plurium confortentur.* Item de ovibus sentiendum: Cùm enim ovis sit animal valdè timidum tonitrua mirè expavescit, & indè facilè damnum acquirit, ut idem *Plinius lib. 8. cap. 42. ait*: Tonitrua solitariis ovibus inferunt abortum: Remedium est, ut in unum pariter congregentur. Agni & oves gaudent societate.

11. Delectantur oves Salicis ramulis, quantum vis amaris, item esu salis: Undè prodest sæpè canales, undè cibum capiunt, sale conspergere, aut particulas panis sale imbutas exhibere. Quibus delectentur.

12. Oves optimæ sunt, quæ collo sunt longo, lanâ molli, ventre piloso, & magno, caudâ longâ. Talis & probatur Aries, qui etiam fit mitior, si cornua illi propè aures perforentur. Ad discernendas etiam oves meliores commendat Varro eas, quæ sunt albo corpore, lanâ multâ & molli, villis circà cervicem densis, ventre piloso & cruribus humilibus. Quæ autem oves caudam habent longiorem, aut pilos paucos & crispos: graviùs sustinent hyemem, quam eæ, quæ amplam habent caudam, aut copiosiori pilo, sive vellere obteguntur. Communiter autem frigus agnis admodùm nocere solet, ac præcipuè illud, quod humido sive pluvioso contingit tempore. Oves meliores.

13. Eò mollior & tenuior lana solet ovibus esse, quò temperatioribus in locis pascuntur. Undè in Anglia, ubi mitius est cœlum, oves lanam valdè mollem habere solent. Pabula quoque sterilia præ fœcundis & pinguibus subtiliorem lanam efficere dicuntur: Undè *Virgilius* Undè mollior illis lana.

Sit tibi Lanicium, curæ primum aspera sylva,
Et lappæ, tribulique absint: Fuge pabula læta.

14. Etsi oves quocunque gramine vescantur, cytisi tamen fœnum magis illis prodest in pabulo sumptum, ut & arundinis radices tenerrimæ. Pabulum melius.

15. Ut oves lac præbeant copiosiùs, urticis pascere conducit, in æstate etiam magis illis conferre dicitur aqua Septentrionalis, & in autumno Meridionalis tepida, & juvat eas imprimis pastus in fine diei atque motus. Lactis copia.

16. Ut

Ut ab infirmitatibus præserventur. 16. Ut ab infirmitatibus præcaveantur oves, non conducit ducere ad pascua, priusquàm sol rorem & rubiginem aut pruinam desiccârit. Quando maximus solet esse calor, versùs occasum pasci prodest. Vespere cum ad ovile reducuntur, nocet loca transire pulverulenta. Cavendum pastoribus, ne in locis humidis oves pascant, aut ubi avena crescit.

Mirabile in ovibus anglicis. 17. Admiratione dignum est, quod oves (ut etiam annotavit Polydorus lib. 1.) in Anglia præter rorem cœlestem nullum sumant potum: Experientia quoque notatum est, quodsi alius illis detur potus, is iis lethalis existat. In nostris verò regionibus ros ovibus & capris minimè conducit: Undè eo tempore, quo ros cadit, aut herbæ illo adhuc madent, ejusmodi pecora à pascuis arcenda sunt.

Antipathia cum lupis. 18. Lupi stercus in pecudum stabulis occultatum, non solum eas à consueto cibo deterret, ut docet *Mizaldus*, sed etiam velut œstro quodam maleficii actas ultro citroque exagitari, balare, & continenter trepidare cogit, acsi præsens esset ipse lupus infestissimus illarum hostis. Imò verò quodvis ex eodem voracissimo animali ad caulas translatum ob maximam vim antipathiæ, sivè naturalem discordiam, plurimùm eas inquietare solere docet *Rhasis* & *Albert. Magnus*.

Ovium tonsura. 19. Oves neque frigore adhuc existente, neque æstivo fervente calore, sed medio veris tempore tondendæ sunt, ac potiùs circa meridianum tempus, quo ros lanis adhærens penitus resiccatus fuerit.

Infirmæ unde cognoscantur. 20. Discernuntur oves sanæ ab infirmis; Si nempè folia alnorum lecta in Autumno dentur ovibus in Januario: quæ enim illa comedet, sana erit; quæ verò abstinebit; infirma. Vel inspiciantur oculi; si venulæ rubræ in illis compareant, sana erit: Si pallidæ; ægrotabit. Vel apprehendatur ovis per lanam in dorso, si retrahit pellem; sana erit; si extendi permittit; infirma.

Undè illis scabies. 21. Scabiem contrahunt oves, si sudantes non abluantur. Si affricent se rubis; si maneant in stabulo cum mulis & Equis. Si diu famem tolerent.

Signum pestis in illis. 22. Cum mactantur oves; si reperiatur in unâ vel alterâ vitiatum esse hepar; pestis futuræ inter oves signum est. Ovium tussis, sanguis capitis, & pestis rarò sunt curabiles.

23. Oves infirmæ in aliam opportunè regionem traducuntur, ut neque sanæ ipsis permixtæ inficiantur, aut ipsæ infirmæ ulterius langueant, sed aërem & aquam aliam captantes citiùs revalescant.

Mortis ex pelle cognitio. 24. Facilè ex pelle ovis demortuæ cognosci potest, an ea naturali morte, aut violenta sit extincta. Si enim in parte non pilosâ venulæ compareant rubeæ; mactata est. Si pallidæ, naturali morte defuncta est.

Venenum ovium. 25. Ovium venenum est Sabina, Nerion, & aqua, in qua folia Rhododandri maduerunt. Glires ovibus infensos esse, videri potest *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 9. Observ. 60.*

26. Pascua facunda & pinguia ovibus lethifera sunt, quia hinc nimis pinguescunt: quæ verò pinguedo maximè renes invadit, unde urinam non attrahunt, quæ dum redit ad hepar, illud corrumpit.

27. Versùs Atrebates pagus est *S. Gatiano* Sacer, in cujus agro, quæ oves pascuntur, nunquam afficiuntur tabe. Tabidæ verò huc traductæ convalescunt: Quod beneficium acceptum fertur *S. Gatiano*, qui hic fuit pastor ovium, ut docet *Fournier Geograph. lib. 6. cap. 11.*

§. IV.
De Hircis & Capris domesticis notabiles quædam observationes.

1. Hircus petulantissimum animal, & valdè lascivum citò ad generandum movetur in septimo etiam à nativitate mense. Quò verò magis, est pinguis minùs fœcundus est. Valdè autem sudat & fœtet hircus tempore libidinis. Hircus animal lascivum.

2. Capræ, ut etiam annotavit *Plinius lib. 8. cap. 1.* pariunt plures fœtus, rarò tamen quatuor: ferunt in utero 5. mensibus sicut oves. Ante triennium minùs utiliter generant, pinguedine sterilescunt. Concipiunt opportunè in Novembri, ut pariant in Martio vel Aprili. Ubi major cœli clementia & pabuli copia anno bis parere valent. Vivunt etiam Capræ ad 10. vel 11. annos. Fœtus Caprarum.

3. Cavendum, ne capræ prægnantes verberentur, ne edant glandes, aut salem, quià hinc facilè abortiuntur: pugna quoque cum aliis eandem ob causam noxia est. Abortûs causa.

4. Capri maximam habent amicitiam cum Ovibus, Tigride, Sargo, Pulegio & Eryngio. Singulariter autem benè cum ovibus cohabitare & convesci dicuntur. Etsi tamen cum ovillo grege bene conveniant, nolunt tamen postremum tenere locum, sed fiduciâ barbæ freti amant ubivis præcedere. Sympathia.

5. In Arabia mirificè amant surculum cynamomi, quo monstrato duci possunt ad quemvis locum; eo verò negato murmurant & conqueruntur adeò, ut peculiarem sympathiam inter ovillum genus & surculum intercedere planum fiat.

6. In Africæ quadam parte, ut *Wolffgang. Frantzius hist. anim. part. 1. cap. 23.* memorat, tonsiles capræ dicuntur esse à Textore, ex quarum villis nautæ rudentes conficiunt. Caspiæ ad magnitudinem Equorum accedere ab *Æliano* perhibentur, & tam molles habere pilos, ut ditissimi vestes indè conficiant. Capræ tonsiles.

7. Mirabile est, quod è mento Capris quibusvis dependens villus, qui aruncus dicitur, cùm manu prehenditur, omnes in grege consistere cogat. Mirabile de Arunco.

8. Volunt quidam, Capras acutissimi auditûs esse, & non tantùm auribus, sed & quadam Ac. auditu.

quadam gutturis parte audire. Negat tamen *Sperlingius in Zoolog. phys. cap. 13.* Alii quoque non tantùm per nares, sed & aures spirare hircos & capras, observatum dicunt.

Mores & ingenium. 9. Juxtà mores & ingenium mobiles sunt & celeres, ac plus curant dumeta ac loca aspera & montosa, quàm campestria plana & pratosa. Decerpere etiam comprimìs solent summitates arborum, gaudereque corticibus betularum & foliis fruticum: diligere etiam rubos, neque offendi Pabulum. vepribus. Cibus etiam & pabulum maximè conveniens est illis præter fruteta & arbusta quæcunque, cytisus agrestis, folia querna, & aliarum arborum oleæ, præsertim, fraxini, tamarisci, barbæ hircinæ, rosæ caninæ & vitis tenelli palmites, aliæque complures herbæ. Mirè autem salsedine delectatur.

Attonita quomodo reddantur. 10. Capra cùm devorat herbam, quæ dicitur Eryngium, confestim quasi attonita stat, & reliquæ quoque quiescunt, neque moventur, nisi pastor eam eximat.

11. In occasum declinante Sole in pascuis capræ non sese contueri solent invicem, sed aversæ jacere: Reliquis autem per diem horis adversæ decumbere in terrâ solent.

Linctura & morsus nocet. 12. Noxia est caprarum linctura & morsus valdè teneris arbusculis, ac plantis: Undè & oleam, si lambendo contingant, dum primò germinat, sterilescere faciunt.

Lactis copia. 13. Ut capræ multùm præbeant lactis, mirè conducit pentaphylli, sivè quinque folii herba; si antequam bibant, per dies quinque ad esum præbeatur; juvat & ad hoc ipsum, si venter, ut volunt, dyctamno circumligetur. Plus lactis præbent albæ, quàm nigræ: harum tamen phthisicis magis convenit.

Caligo oculorum quomodò tollatur. 14. Cum oculorum caliginem sentiunt capræ, eos ad rubi spinam adfricare perhibentur, ut pituitosum humorem eliciant, ita tamen cautè hoc ipsum præstare nôrunt, ut pupilla minimè lædatur.

15. Hyeme egent calore; vident de nocte satis clarè; non timent rorem in pascuis aut pruinam, meliùs tamen ista vitant. Cornua in ipsis per incrementa nodorum ætatem notant. Senescunt maturè ob nimiam libidinem, & vita communiter brevis est.

Undè illis hydrops. 16. Hydropem ex nimio potu contrahunt, cujus remedium est cutis sub scapulâ aperta, ut effluat aqua, pice deindè oblita, ut denuò sanetur vulnus.

Caprarum venenum. 17. Caprarum venenum est ægolethros: Coyzam quoque edentes moriuntur siti. Folio evonymi & fructu gustato intereunt, ni purgentur anocho. Aqua, in quâ folia Rhododendri maduêre, ab ipsis hausta intereunt.

Salivam hominis fugiunt. 18. Horret caprillum genus salivam hominis: Undè quod illa imbutum est, vel ab homine præmorsum aut prægustatum, refugit.

§. V.

De Porcis sive Suibus Observationes.

Generatio & partus. 1. Lascivum valdè sus est animal atque multiparum. Tàm mares, quàm fœminæ lascivire incipiunt octavo ætatis suæ mense. Prægnans per quatuor menses fert utero fœtum. Parit sæpè octo, decem aut duodecim porcellos uno fœtu. Communiter verò tot gignit, quot habet ubera; cùm pauciores partu egerit, bona adeò non reputatur; cum plures, reliqui intereunt. Porca quæ pauciora habet ubera, eò melior reputatur. Quæ nimìs est pinguis, parum habet lactis.

2. Præstantior est proles mense Martio nata; minùs præstans hyeme, pessima æstate.

3. Porcelli, qui dentes nigros habere comperiuntur, nisi illis effringantur, intereunt.

Fames. 4. Suillum genus adeò impatiens est famis, ut si non adsit, quo vescatur, sobolem ipsam invadit. Intemperans etiam vix repleri potest: Omnia appetit, & jucundissima putat, quæ fœtent etiam maximè: luto proindè delectatur, & si quid illo fœdius est. Econtra rosas & suaves odit odores.

Odoratus. 5. Præsentire sues pluviam solent; undè ore stramina portant, & ad stabula properant. Odorantur panem, poma, pira & alia esculenta congrua etiam à longinquo.

Pastus. 6. Sus animal adeò addictum est pastui, ut nullam nôrit satietatem, & suprà modum repleatur; adeoq; interdùm pinguescat, ut planè de loco moveri nequeat, atque in clunibus ipsius mures sibi comparent foveas & saginentur ipsius pinguedine. Sic *Otto Melander in suis Joco-Seriis* habet: In Arcadiâ spectatam fuisse suem, quæ prę pinguedine carnis non modò surgere non posset, sed etiam, ut in ejus corpore sorex exesâ carne nidum fecisset, & alios peperisset mures.

Sues valent memoriâ. 7. Memoriâ sues plurimùm valere quoque dicuntur, quod *Ælianus* confirmat sequentibus verbis: *Porculatoris vocem*, inquit, *suillum pecus sic agnoscit, ut etiamsi ab eo procul seductum fuerit, appellantem intelligat, cui quidem rei testimonio est id, quod sequitur. Cùm maris prædones ad Tyrrhenam terram pyraticam navem appulissent, ex harâ permultos sues furto abactos imposuerunt in navim, quam solventes ad navigandum incubuerunt. Subulci præsentibus piratis silentium tenebant, suesq; eatenus abduci quiescebant, quoad ex portu latrones se eripuissent, & à terrâ solvissent. Tùm voce suibus audiri solitâ suarii, quàm maximè poterant exclamantes eos retrò versus ad se revocabant. Porci primum, ut sublatum clamorem pastorum exaudierunt, statim se in alterum navis latus compellentes eam everterunt. Malefici piratæ naufragio quam mox funditùs periêrunt, sues ad suos enatarunt.* Ità *Ælianus*.

Se amant & tuentur. 8. Porcus gaudet porco & clamante uno omnes accurrunt opem laturi. Fœtum quoq; proprium amat & vehementer grunit, si clamorem audit charæ sobolis.

Grandinea Suum 9. Ex malo victu sues facilè contrahunt

hunt grandines; sunt autem hæ grana alba & rotunda magnitudine lentis, hinc inde grandinis glacialis instar dispersæ, quæ dolorem afferunt; si tangantur. Accidit hoc iis malum tùm ex malo victu, tum ex irâ, quâ sanguis inflammatur, & facillimè sues hoc morbo tanquam leprâ corripiuntur. Caro horum valdè est insalubris, ac pessimi succi: cognoscuntur autem tales è gressu comprimis, dum nempè pedibus stare nequeunt; deinde ex setâ è dorso evulsâ, quæ cruorem in radice pili evulsi exhibet; & aperto ore in linguæ parte inferiore. Quæcunque autem lactant, hoc malo carere dicuntur. Glandes etiam solæ & diutius comestæ faciunt humidiores, ut & stabula brevia, non pura, atque potus simplex ipsis dum præbetur non admixtâ aliquâ parte salis. Sale enim & exercitiis, seu discursu per campos, probo cibo atque benè purgatis stabulis grandinum vitium in iis prævaetur. Grandines quoque propelli volunt, si in lintre, quo pascuntur, affigatur plumbea lamina.

Sus animal internè homini simile. 10. Sicut hominem partibus externis referunt Simiæ, ita internis nullum animal homini tam simile quàm porcum esse testantur Anatomici. Unde etiam priusquam ad humana corpora secanda se conferunt, sues velut exemplar præmittunt. Majori autem cum fructu sectio instituitur in macris, quàm obesis, cùm in illis vasa rectiùs inspici queant, nec pinguedo multùm impediat. Suillæ quoque carnis cum humanâ similitudinem ex eo colligere docet Gesnerus, quod quidam humanas carnes pro suillis sine ullâ in gustu vel olfactu suspicione comederint.

Castratio Suum. 11. Castrantur porcelli aptiùs in Vere vel Autumno Lunâ decrescente: qui Juniores castrantur, meliorem offerunt carnem, sed non ita citò crescunt: maturiores excisi magis accrescunt, sed carnem dant viliorem.

Saginatio. 12. Citius saginantur sues, si per triduum ante saginam nil edant, gaudent pabuli mutatione. Dicitur Verres intrà duodecim dies cucurbita saginari & impinguari: & suadetur, ut ante saginam porco dentur sex grana Antimonii præparati; hoc enim modo intrà mensê pinguabitur.

Signum sanitatis ex cauda. 13. Sanitatis in porcis indicium est cauda contorta; ècontra verò pendula signum infirmitatis perhibetur. Herbas cum immaturas devorant, facilè maciem & dyssenteriam concipiunt. Sus autem ferbiens caput transversum gerit & currendo concidit.

Præservatio à morbis & cœrumeura. 14. Sues à peste præservari dicunt, si asphodeli radix ponatur in potu. Sanantur in morbis cancris aliquot devoratis: tusses pellunt radices cucumerum sylvestrium cum aquâ illis datæ. Ab omnibus vero morbis præservat Alumen, sulphur, lauri baccæ æqualibus partibus permixtæ, quibus modicum fuliginis additur & mixtura immittitur sacculo, qui potui bis quotannis immergitur.

§. VI.

De Asinis & Mulis Observationes.

Asinus quale animal. 1. Asinus est Animal simplex & ferè sine sensu, triste, melancholicum, stupidum, frigidum, siccum, ideò naturaliter ponderosum, tardum atq; pigrum, stolidû & obliviosum, onigerum tamen & laboris patiens, uti & modico cibo contentum.

Descriptio corporis. 2. Colorem habet ut plurimum criseum aut murinum; ilia alba aut albicantia, in collo & pedibus nigras quasdam lineas: in dorso à tergoris exordio caudam versus cruce nigrâ insignitur. Pilos etiam duriusculos habet, cutem solidam ac duram, caput proportione magnum, labia crassa, aures prælongas, & latas, caudam minus quàm Equus setosam.

Generatio. 3. Salacissimus est asinus: parit mense duodecimo & lac habet crassissimum Fœcundus etiam valdè est, quia generare incipit maturè, & totâ vitâ pergit usque ad ætatis annum trigesimum. Post æquinoctium Vernale ad libidinem ardentiùs stimulari & tunc horribiliter rudere, ac terrifico sonitu fœminam ad amorem exposcere solet.

Partus. 4. Raró Asina geminos parit asellos, & quando fœtum est paritura, lucem, fugit & tenebras quærit, ne ab homine videatur,

Amor fœtûs. 5. Fœtus suos tam ardenter diligit, ut ad eos per aquam & ignem pro defensione in necessitate currere dicatur.

6. Asellus licet juvenis pulchrioris sit formæ ac dispositionis, quantò tamen magis fit annosus, tantò plus deformatur & fit hispidus ac villosus.

Frigoris impatiens. 7. Frigoris valdè impatiens est asinus plus omnibus penè animalibus. Unde & *Plinius* docuit *lib. 8. cap. 44.* in frigidis regionibus vel Ponto non generari. *Aristotele* verò docente, licet magnæ sit frigiditatis & siccitatis, magnæ tamen est etiam lasciviæ & libidinis.

Esu cardui delectatur. 8. Delectatur Asinus Cardui esu, quod linguam & labia habeat crassissima & sensus admodùm obtusos, ut illa punctura sit illi pro titillatione. Sic ut non sine causâ riferit aliquando *M. Crassus* videns asinum carduis vescentem: risûs causam ajens, quod habeant similes similia labra lactucas.

Auditu valet. 9. Exquisiti planè censentur auditûs esse, ut præter solos mures cœteris animantibus penè omnibus auditu præstet, ad quod longas aures multùm conferre credendum est.

Horret aquas. 10. Ob cerebri debilitatem, quia asinus plurimum vertigine tentatur, non facilè, nisi coactus pontes, ubi aquas subterlabentes inspectat, transire solet.

Torpor ab esu cicutæ. 11. Cicutam ubi comederit asinus tam profundo somno & torpore capi dicitur, ut vel excoriari possit sine ullo sensu: id aliquando rusticos in Etruria hujus rei ignaros fefellisse scribit *Matthiolus in Dioscorid. lib. 4. c. 74.* nam dum asinis, quos mortuos credebant, pellem ad usum detraherent, accidit, ut in medio ferè operis asini expèrrecti sint non sine magno excorantium terrore atque ingenti spectan tium risu.

Potatio. 12. Non bibunt asini facilè, nisi assue- tos

tos fontes in pecuariis & quamvis multum sitiant, si mutentur aquæ, vix potant, nisi reddantur similes iis, quas frequenter potant. Dum etiam potant, parcè os mergere solent, ne fortassis aures, quarum umbram & imaginem in illis vident, unà immergant & humectent. Amant tamen præ cœteris aquas turbidas.

Onerum portatio. 13. Cùm ponderis, quod gestare debent, impares se viribus advertunt asini, aures demittunt. Tantus porrò in iisdem amor esse dicitur erga genus suum, ut si aliquem mori videant, animo deficiant. Creduntur etiam linqui animo, cùm ficus dorsuarii portant, sed objectu panis revocantur. Canthelii asini onere pressi sursùm curvari dicuntur.

Impudentia. 14. Insignis planè impudentiæ sunt asini, ut qui nulli in viâ cedunt: Etsi duo contrà se progressi invicem occurrunt, impudenter se invicem quasi pertransire contendunt. Undè ridiculum est, quod scribit Schottus in Phys. cur. lib. 8. cap. 7. §. 1. quod ubi in regione quadam hoc ipsum à mulieribus vidisset quidam fieri, & admiratus fuisset, responsum acceperit: Asinorum & mulierum ejus regionis privilegium esse, ut nulli cedant.

Motus. 15 Motu Asini sunt admodùm tardi, ut verberibus etiam ad progressum adigi debeant. Ælianus tamen lib. 14. hist. anim. cap. 10. scribit: Asinos Mauritaniæ, cum primùm in viam se dant, tantâ velocitate iter capessere, ut non currere, sed volare videantur: Mox verò pedes & spiritus ità deficere, ut Mauritani ab equis desilientes illos collo alligatos ad suum quisque equum tanquam captivos trahere debeant.

Spondilia dorsi. 16. Spondilia dorsi asinini fortiora docet esse Aristoteles, & nervis fortioribus compacta à parte posteriori circà clunes, ut & renes; quàm à parte anteriori: Ideò etiam in dorso potiùs circà renes, quàm circà humeros imposita onera graviora sustinere valent.

Antipathia cum avibus. 17. Aves asinis valdè sunt infestæ ut tradit Franzius hist. anim. part. 1. cap. 14. quia fricat se ad spinas, in quibus nidificant minutæ aves: Deinde horrendo suo clamore terret pullos avium, unde oculos asino pungere solent, quos etiàm vehementer læderent; nisi magna esset profunditas oculorum.

Muli generatio. 18. Ex asinino & equino genere Mulus generatur, sed ad tales partus eliguntur Equæ, quæ nec quadriennibus sint minores nec decennibus majores: Hoc autem duplici modo perficitur: vel enim Equus cum Asinâ permiscetur, vel Asinus cum Equa: aptari tamen ab infantia ad hoc debent, ita ut pullus equinus asinino, & pullus asininus equino lacte enutriri, itàque invicem coaptari debeant.

19. Mulus sequitur naturam Matris quidem ut asino major, pulchrior, & velocior; sit tamen equo pigrior, deformior & minor.

Ubi generari nequeat. 20. In Eleo agro Græciæ, ut comper-tum volunt, muli nequeunt gigni, quamvis nec locus sit adeò frigidus, nec ulla alia compareat causa. Undè cum tempus advenit conceptus equarum, in loca finitima equas educunt, ibi posteaquam admiserint asinos, eas reducunt, ut tradit *Herodot. lib. 4. Pausan. lib. 5.*

21. Omnis mulus aut mula sterilescit, nec potest ultrà speciem, propagare. Apud Cappadoces tamen ut tradit *Plinius lib. 8. cap. 43.* mulas optimas tàm generari, quàm etiam parere vulgò creditur. Sterilis est

22. Asinus & mulus; sicut Equus comedunt fructus & pascuntur herbis & impinguantur aquâ: diligunt tamen plus aquam turbidam, quàm claram ac limpidam. Pabulum.

23. Asininum genus omne inimicitiam gerit cum Ægitho & Spino avibus, & cum cicutâ. Ægithus asinos odit, quod spinetis se atterentes scabendi causâ nidos illius dissipent: Cum Spino verò, quod flores spinarum, in quibus ille degit, devorent. De cicutâ jam suprà mentionem fecimus. Antipathia.

24. Amicitiam asini cum Scorpio & vitis palmite colere dicuntur: Si enim percussus à scorpio super asino rectus desideat ad caudam, pro ipso dolorem sentire asinum docet *Merula*. Ejus etiàm signum addit, quod pedendo moriatur. Observatum quoque dicunt abraso ab asino vitis palmite feraciorem provenisse vindemiam. Sympathia.

25. Stygiæ sivè forti aquæ nullum aut æneum aut ferreum vas resistere potest, Ungula tamen mulæ valet, nec ab eâ læditur.

§. VII.

De Fele sivè Cato domestico Observationes.

1. Leoni aut potiùs Leænæ non absimile est hoc animal quoad faciem, dentes, & ungues; sed auriculas rotundiores habet felis, quàm Leæna. Similitudo cum Leænâ.

2. Color feli agresti tantùm griseus, glaciei vehementer congelatæ similis; domesticæ verò color varius est, ita tamen, ut griseus convenientissimus naturæ ipsius videatur. Color.

3. Libidinosum est animal, magnòque clamore coit; marem tamen quidam magis libidinosum esse dicunt, quàm fœminam. Parit uno partu quaternos aut plures. Fœtus Martio mensæ editus probatur; Augusto verò enixus reijcitur. Sævire solet mas in fœtum, eumque interimere; hinc mater sollicita toties mutat loco, ut contrà maris rabiem defendat sobolem: Si mas, ex quo fœmina concepit, occidatur, fœmina abortiri solet. Lascivia & generatio.

4. In juventute hoc animal mirè velox, agile, jucundum & ludicrum est, scandendo, reptando atque saliendo in omne id, quod videt, moveri: Ludit etiàm cum calamis & baculis ante se protractis: In senectute verò redditur somnolentum & ignavum Agilitas in motu.

navum. In Provinciâ *Malabar*, ut refert *Julius Cæsar Scaliger*, reperiuntur tantæ agilitatis feles, ut instar Sciurorum volare putentur.

Oculorum mutatio. 5. Oculi felium ad Lunæ vices ampliores & minores evadere communiter dicuntur. Imò hoc animal secundùm nonnullos Solis vices sentire, & pupillas oculorum sideris cursu mutare; diluculo protendi, meridie in orbem contrahi, vespere obscuriores tabescere dicitur. *Cardanus* tamen arbitrio felium hoc adscribit, sed *Scaliger* conrradicit & validè expugnat.

Memoria. 6. Quamvis feles memoriâ minùs valere putentur, longiùs tamen elati, ad proprias revertuntur ædes: In quo à canibus differunt: Hi enim altores sequuntur, feles autem loca, in quibus aluntur, etiam migrantibus dominis non facilè deserunt.

Odoratus & visus. 7. Felis odoratu valet plurimùm, atque mures etiam priusquam videat invadit. Oculos habet noctu radiantes in tenebris instar ardentium carbonum, atque idcircò visu in tenebris acutissimo pollet. Noctu discurrit per omnes angulos, ut mures captet; quos dùm cernit, roto irruit impetu, fingit se quandoque dormire, etiam dum agit excubias. Interdùm ludit cum muribus dimittens eos, ac denuò captat, sed finito lusu occidit, & devorat prædam. Simili modo avibus insidiatur, delectatur etiam piscibus, refugit tamen naturaliter aquas.

Calidissimum est animal. 8. Calidissimum felis est animal: Undè etiam pelles felinæ calorem optimè fovere dicuntur: Noctu etiam dum stringitur in tenebris, scintillas ejaculatur.

Anhelitus noxius. 9. Anhelitus felium valdè noxius est: Undè, quibus in lecto accubare solent, ij sæpenumerò gravibus infestantur morbis. Mordet enim serpentes & bufones, & tempore pestis in alienis ædibus pestilentem haurit aërem. De quo Exemplum vide suprà *Scrut. 3. Disq. 1. cap. 7. §. 2.* Quidam etiam homines ex naturali antipathia per tenuem felium & valdè acrem halitum statim persentiunt, nec tolerare valent, sæpè etiam non viso animali deliquium patiuntur. Causam hujus diffidii communiter volunt, quod mater gravida à fele abhorruerit: Undè in prolem propagatum sit inimicæ qualitatis odium.

Virus inest sanguini & morsui felino. 10. Virus inest sanguini felino & morsui, undè haud sine noxâ facilè palpantur, præsertim adulti. Exemplum virulenti sanguinis adducit *Bonaven. Baro in Nat. mirac. areâ 4. §. 11.* de puellâ quadam *Uratislaviæ*, quæ, dùm spectâsset latronem capite truncari, territa spectaculi fœditate in epilepsiam incidit. Inter remedia, quæ magno numero tentata, quisquam suasit felis sanguinem hauriendum, & factum, sed eventu pessimo; paulò post enim puella felis naturam induit, sed per intervalla; & quod animal solet, id omne æmulatur voce, saltu, gestu, vestigiis, mures silentio venatur &c. dum paroxismi violentia remiserit. Similiter qui felis cerebrum comedunt, felinam naturam induere dicuntur, felemque voce, saltu, vestigiis & murium silentiosâ venatione imitantur.

11. Abhorret felis à proprio felle, undè hoc cum eduliis gallinarum aliquandò miscetur, ne à felibus attingantur.

12. Ex altissimâ turri, cùm deijcitur felis, nullum capit detrimentum, & sinè noxâ pedibus insistit, quomodocunque fuerit dejecta.

Amat munditiem felis. 13. Munditiem amat impensè Catus: Undè subindè seipsum lambit, abhorret verò ab omni tetro odore: Undè etiam excrementa sub terram occultat, pedibus priùs effossâ foveâ. *Plinius* adducit causam, dicitque ideò hoc fieri, ne odore prodatur muribus. Improbat *Sperlingius in Zoolog. physic. part. 1. cap. 21.* causamque unicam dicit esse amorem munditiei: *Ne fœtida, inquit, ista materia ædes, hortos, terrasque conspurcet: Sicut ob munditiem pedes, ventrem, caudam & cæteras partes perpetuò feles lambunt.*

Antipathia. 14. Antipathiam & singularem inimicitiam feles habent cum muribus, bufonibus, serpentibus, vulpanfere, aquilâ, rutâ, felle proprio, suavi odore & humiditate. Rutâ à columbariis pelluntur: Unguentorum odore aliquando in rabiem agi dicuntur: Si aquâ mergantur, nec statim abstergantur & reficcentur, intereunt. Bufones infestant haud minùs ac mures: Etiam chamæleontes venantur.

Sympathia. 15. Sympathiam verò & amicitiam habent cum herba Valerianâ, & mentha catariâ, cujus odore illecti accurrunt, lambunt, basianr, circumcursitantes tripudianr, arreptam dentibus vellicant, circumvolutantur, & miros alios delectationis & gaudii gestus edunt. Causam volunt esse odoris vel alterius qualitatis effluvium Catis sympathicum, quod spiritus suscitat, recreat, sanguinemque ac cor exhilarat.

16. Rabiem feles haud aliter ac canes persæpè contrahere solent, quorum deinde morsus summè noxius perhibetur. Mirabile est, quod *Kircherus in tract. de peste narrat*, hospitem quendam tribus Helvetis juvenibus felem rabidam instar cuniculi assatam in cibum dedisse: Hanc illi, cùm absumpsissent, & itineri se post prandium accinxissent, omnes in rabiem acti felium more clamare cœpisse, manusque digitis in unguium felinorum morem incurvatis obvios quoslibet impetiviſſe, captos, & vinculis constrictos intra paucas horas interiisse.

§. VIII.

De Canibus notabiles quædam Observationes.

Canis undè dicatur. 1. Canis animal est domesticum satis notum, ut quidam volunt à canendo ità dictum, quod diu noctuque vigilans in venando assiduus hostis aut feræ nocivæ præsentiam canorâ voce significet. Latini verò meritò Catulos, quasi cautos à sagaci sensu dixerunt, ut inquit Varro. Imò & à cavendo canem, quod in custo-

custodia det signum. Sunt certè Canes vigilantissimi, somnoque vix immerguntur. Proindè rectè *dicit Plinius lib. 8. Nat. Hist. cap. 40.* Ex animalibus, quæ nobiscum degunt, multa sunt cognitu digna: Fidelissimus autem ante omnia homini Canis; deinde Equus.

Lascivia. 2. Libidinosum animal Canis est; nec suâ specie contentus est, nam & cum lupis, vulpibus & aliis miscetur animalibus. Mares de fœminis maximè pugnant ad sanguinem usque.

3. Canum generis, ut inquit suprameMoratus *Plinius*, annuus partus, justa ad pariendum annua ætas est. Post annuam itaque ætatem gignere solet, sexaginta diebus, ut idem notat *Plinius*: Alii tamen paulò plures asserunt. Uno partu eijcit sæpè quinque & adhuc plures. Cœcos tamen parit catulos occlusis oculis & auribus naturâ ab imperfecto ad perfectum procedente, qui quanto longiori tempore lactantur, tantò tardiùs visum acquirere dicuntur. Nunquam autem visum perfectum accipiunt, nisi post 21. nec ante 7. diem. Dicunt aliqui, quod cùm unus solus nascitur, die 9. cum gemini 10. cum trini 11. & itâ quantò plures nascuntur, quod tantò tardiùs eorum oculi ad ritè videndum aperiantur. *Cardanus de variet. lib. 7. cap.* 32. tradit totidem diebus canire fœminas quot cœcutiunt catuli. (Generatio & partus.)

Catulus quinam melior. 4. Optimus dicitur esse catulus, qui novissimus videre incipit, vel quem mater primò defert ad cubile; vel cui primò lac solet porrigere. Primus partus cujusvis canis improbus reijcitur.

Alia de Catulis. 5. Canis fœmina mirè diligit catulos, quos non patitur sibi facilè adimi: Diligit humana consortia, sed tamen ita, ut inter notos sit audax, inter extraneos tamen timeat. Catulus primogenitus communiter patri similis esse solet: Ut melior fiat, non permittendum ut multùm dormiat. Dicunt quidam: quod catuli sint patri similes futuri, si in coitu pater sit jejunus, mater verò satura: si verò mater sit jejuna, pater satur, catuli sint futuri similes matri. Natos vero plerosque, cùm sol est in Geminis, volunt insaniâ affligendos, uti & eos qui sole in Aquario existente nati.

Indicia ex dentibus. 6. Antiqui canes à Juvenibus discerni possunt ex dentibus: Senum equidem minùs albicant & obtusiores sunt; juvenum verò candidiores & acutiores observantur. Mutant Canes duos caninos dentes mense quarto.

Canes mollium pilorum. 7. Canes, qui tenuissimo & valdè molli sunt pilo, ingeniosiores & dociliores, magisque obedientes & laborum patientes esse solent: Quoniam mollis pilus sicci animalis esse non potest, nisi ob tenuitatem: Undè tenues humores & tenuem sanguinem significant. In cane autem & quocunque calido animali tenuis sanguis prudentiam affert. Quoniam verò etiam quod tenuè est & calidum, hocque facilè effervescit: ob id plerumque hi canes sunt mordaces.

Quinam valdè dociles. 8. Mirè dociles fieri dicuntur canes, si cum simiis educentur: quod si & mares canes cum fœminâ simiâ propignant catulos, erunt enati ad ludos optimi.

9. Ingeniosiores etiam sunt canes, qui caput rotundum habent, & nasum admodùm depressum ac in medio fissum.

10. Canes ratione regionis dociliores sunt Gallici ac maximè Belgici nunc præferuntur Danici. In Albania tamen, sicut & in Corsicâ Insula ferocissimi & robustissimi, maximique olim sunt crediti. Anglia tamen hac ætate ferocissimos educat canes, ita ut singulis tauris opponi queant, & victores evadant; imò & Leones invadunt, atque in angustias compellunt.

11. Qui ab Indis in Belgium deferuntur canes pellem habentes versicolorem eamque glabram absque pilis, vixque latrare solent; in deliciis quidem habentur, nostratibus tamen lasciviores, sed & ferociores, non tamen æque dociles, & ad commercium cum homine idonei esse solent. Canes Indici.

12. Canes maculosi plerumque mordaces sunt, sicut & rufi, ferruginei, & qui pilos hirsutos in dorso habent. Maculosi.

13. Canes Licisci dicti, qui ex commixtione cum lupis nati sunt, admodùm sævi & feroces sunt. Acerrimi verò & fortissimi, sed & simul infidissimi, qui ex commixtione cum Tigride nati sunt. Licisci.

14. Canes villosos nasci dicunt, si mater perpetuò incubet villosæ pelli arietis. Glabri nascentur, si parentes eorum unguento deglabrante inungantur, & sic per aliquot generationes procedatur. Nani fient, si dum parvi sunt, insuantur relictis foraminibus ad necessaria. Nasum fractum habebunt, si dum est catellus suprà nasum nodus alligetur. Veloces canes ex vulpe & cane nascuntur; vel si lacte lupæ aut cervæ alantur. Artificialis canum efformatio.

15. Canis quoque parvus manere dicitur, si catellus bellidis radices in aquâ elixatas ederit, vel lacte nutriatur, cui nitrum inditum sit.

16. Non solent sudare canes, quia omnis materia sudoris illis per linguam & membranam naribus prætensam abit, quæ semper est humida. Canes non sudant.

17. Masculis canibus agiliores sunt caniculæ ob membrorum flexibilitatem, & faciliùs instrui queunt. In cursu tamen ob nervorum debilitatem minùs durant.

18. Canes, qui ad domûs custodiam applicantur, convenit de die in loco obscuro vinculis adstrictos tenere, & sic de nocte magis sæviunt contra fures.

19. Terrentur canes quidam à Lunâ & à Spectris nocturnis: Undè subinde quorundam perpetuus latratus esse solet, dum Lunam præsertim allatrant: hi autem minùs probantur, quod domesticos custodes decipiant. Ad Lunam latrantes.

20. Canes qualescunque minùs apti sunt ad cursum, qui multùm sunt pilosi, aut villosi, carnosi, & caudas longiùs habent dependentes. Dum enim nimis pilosi sunt citiùs, incalescunt, & indè fatigantur: à mole etiam carnis opprimuntur ac retar- Ad cursum minus apti

retardantur: Cursumque valdè impedit cauda longiùs inter crura dependens.

Canis venatici qualitates

21. Canis venatici qualitates optimè describit *Seneca.* Prima est, inquit, *sagacitas, si feræ investigandæ*; secunda, *cursus, si consequendæ*; tertia, *audacia, si mordendæ & lacerandæ.* Ut verò canis certæ feræ hostis fiat, illam solùm primâ vice insequi addiscat calido, non frigido tempore: Hoc autem exercitium faciat junctus senioribus canibus. Canis autem venaticus fit animosior, si ejus feræ sanguine alatur, ad cujus capturam destinatur.

Canes venatici à Xenophonte descripti.

22. Optimi canes venatici ità describuntur à *Xenophonte lib. 4. Cynopædiæ c. 7.* Primùm magnos opportet esse: Deindè levia habere capita, sima nervosa, inferiori frontis parte fibrosa; oculos sublimes, nigros, claros, magnas frontes ac latas, discrimina profunda, parvas aures & tenues posteriore parte glabras: Cervices longas, molles flexilles, pectora lata non macilenta, scapulas ab humeris parùm distantes; anteriora crura parva, recta, teretia, firma, flexus crurum rectos, latera non admodùm profunda, sed in obliquum tendentia, lumbos carnosos, magnitudine mediâ inter ea, quæ longa & brevia sunt, ilia nec valdè mollia & rigida, inter magna & parva: Coxas teretes posteriùs carnosas, superiùs non convexas, interiùs contractas, inferiora ventris cum ipso ventre lata; caudas longas, rectas, flexiles; femora non dura; Partes femoribus subjectas longas, teretes, satìs spissas; posteriora crura prioribus multò grandiora, & superiore parte incurva; pedes deniquè rotundos. Ità *Xenophon.*

Defectus in canibus venaticis.

23. Vitia & defectus in canibus venaticis sunt: Si sint exigui, naribus aduncis, oculis fulvis, luscìosi, deformes, rigidi, debiles, pilis rarioribus proceri, proportione corporis inconcinnâ, non animosi, naribus idoneis destituti & vitiosi pedibus, ut docet idem *Xenophon cap. 5.* Lusciosi enim fulvisque præditi oculis deteriorem habent visum: Deformes aspectu sunt turpes: Rigidi difficulter à venationibus regrediuntur: Debiles ac pilos habentes rariores tolerare nequeunt labores; quibus altiora nec proportione satìs concinna sunt corpora, gravatè discursitant; non animosi labores relinquunt; ex Sole sub umbras se recipiunt, humi procumbunt: Qui nares bonas non habent, vix ac rarò leporem sentiunt: Quibus pedes vitiosi sunt, etiamsi sint animosi, labores tamen perferre nequeunt, adeoque propter pedum dolorem deficiunt.

Canes odoratores.

24. In canibus, qui vestigant, singulariter requiritur, ut tritis hominum tramitibus celeriter excedant, capita terræ obliquè admoventes ad vestigia subrideant, auresque dimittant, oculos hinc indè crebrò moveant, & caudis blandientes multis in utrumque latus ambagibus per vestigia simul omnes progrediantur. Quicunque autem canes vestigia cubilium ignorant, cursu verò impressa celeriter percurrunt, non sunt indolis bonæ, ut docet idem *Xenophon cap. 6.*

Sagacitas canum.

25. Caninum genus singulari gaudet sagacitate, ut non tantùm odoratu valeat; verùm etiam asperrimum se præbeat ergà ignotos, blandissimum verò ergà domesticos. Imprimis autem cùm mendicis lethale quasi exercet odium, quos novit sibi præripere panem. *Ælianus* tradit tantum esse canibus nativam sagacitatem, ut nunquam caninam carnem, ne condimentorum quidem varietate fallacissimâ temperatam, mixtam aut confusam deguftet. In Britannia tradit *Fournier lib. 5. Geograph. orb. not. cap. 2.* Canes dari, quos antiqui dixerunt *Agasseos*, nunc *Agasse hound*, qui villosi sunt, avesque imò & pisces acutissimè odorantur: esse quoque rufos, respersos maculis scribit, quorum tanta est sagacitas, ut fures & abigeos ad 20. leucas sine ullo errore assequantur tantâ audaciâ & fide, ut in iis plus quàm in forti milite spem salutis reponant. In hoc etiam bello Gallorum contra Germanos, & his confœderatos illi canes eduxerunt, qui reconditos sub terrâ aliisque locis thesauros, pecunias, aliaque mobilia sagaci odoratu quamprimùm detegere valent; subprofluente tamen aquâ, quæ reconduntur, investigare non possunt fluxu aquæ semper novæ species odoris unà devolvente, nec ad sensum pervehente.

Fidelitas canum.

26. Vix aliud quodpiam animal adeò fidum est, & quod adeò diligat herum, sicut canis, quem semper, quocunque vadit, comitatur, odore investigat, vocem agnoscit, quin & mortui corpus non deserit, homicidam morsu & latratu prodit, pro domino etiam contrà latrones pugnat. Sic refert *Plutarchus* de Pyrrho rege, quod dùm in itinere invenisset canem, qui per integrum triduum interfecti Domini cadaver custodivisset, interimque famem tulisset: In lustratione deindè exercitûs cædis auctorem mordicùs apprehendendo indicârit, qui tormentis etiam subjectus cædem fassus fit. Similiter ut refert *Vincentius l. 19. c. 13. Antiochiæ in remotiori Urbis parte necatus est quidam, qui canem habebat adjunctum: Jacente autem cadavere frequens spectantium vulgus astabat. Canis interim vultu lacrymabili domini sui ærumnas deflebat. Homicida autem, quò præsumptam fidem innocentiæ adsciseret, ad illam circumstantis populi coronam quasi miserans accessit; dum canis deposito paulisper sensu doloris audaciam ultionis assumpsit, & apprehensum homicidam tenuit, ac veluti epilogo quodam miserabile carmen immurmurans, universos in lacrymas convertit, fidemque probationi fecit. Plura alia exempla fidelitatis canum passim apud Historicos reperiuntur.*

Canum memoria vegeta.

27. Memoria in canibus valdè observatur vegeta; quia meminit itinera quantumvis longissima & redit ad domicilia Dominorum etiam longissimè abductus: meminit etiam longo tempore, à quibus fuerit læsus: Metuit aquas & lapides: Reponit ossa superflua ut posteà, dum eget, requirat: Noctu etiam repetit imagines interdiù

terdiù visas: Undè sæpè in somno latrat nullâ ab adstantibus datâ causâ. Docet etiam *Plinius libr. 8. cap. 40.* nulli animali præter hominem memoriam esse majorem, quàm cani. Ità de *Ulysse* scribit *Homerus*, cum ad Trojanum bellum proficisceretur, canem habuisse, quem apud *Eumerum* subulcum reliquit; exactis autem variis laboribus post 20. annos redeuntem à cane consuetâ adulatione acceptum fuisse. Rariora & recentiora exempla tradit *Schottus in Phys. curios. lib. 8. cap. 13.*

Docilitas canum. 28. Docile animal est canis, ad omnia ludicra; omnisque generis exercitia præstanda assuefieri potest: Ità variis in locis instruuntur, ut vertant verua, excurrant in macellum & afferant carnes, & jussa omnia ad nutum Domini peragant. De quibus miræ possunt historiæ produci. Sufficit Exemplum unicum, quod refert *Julius Scaliger* his verbis: *Justiniano Imp.* quidam canem mirificum in urbem adduxit, ad quem spectandum confluente populo multi suos annulos in unum acervum congestos ante canem posuerunt, quos ille Domini jussu, cuique suum citra errorem ore attulit. Idem quæsitus quis ex præsentibus dives esset? Quis pauper? quæ meretrix? quæ vidua? quæ uxor? & id genus alia; ea quoque omnia absque errore demonstravit, veste cujusquam ad quæstionem prætensâ. In bello etiam præsenti utuntur Galli canibus ad thesauros & omne genus monetæ sub terris abditum explorandum, ut variis jam relationibus confirmatum est.

Studium honoris in canibus. 29. Honoris quoque & gloriæ studium videtur esse in canibus: Ut etiàm annotavit *Franzius hist. anim. part. 1. cap. 21.* Sic enim *Plutarchus* docet, canes venaticos oblinire ora sua sanguine & dilaniare leporem, quem ipsi ceperunt vivum, id quod non faciunt, si leporem in ipso cursu exanimatum reperiêrint: Tunc enim repertum exanimem non attingunt, sed circumstant & movent caudam, ut apertè significent, se non carnis sed victoriæ causâ certare. *Plinius* etiam clementis simul & excelsi ingenii significationem canes præbere scribit, quod statim, ut quis se demiserit, & humi consederit, impetum, sævitiam & ardorem remittant. Addit *Homeri Scholiastes*, naturale etiam ad avertendos canes præsidium esse, si quis considat & baculum demittat, ne possint insidias suspicari.

Rabies canum undè veniat. 30. Multis morbis infestari solent canes, ac comprimis rabie, præsertim exurgente Canicula, dum Sol est in signo Leonis. Accidit quoque hoc illis malum ex esu morticinarum putridarum, vermibusque scatentium carnium, & marcescentis eorum sanguinis. Quodsi hæ carnes fuerint eorum animalium, quæ pestilentiâ, aut ictu fulminis, aut venenosorum morsibus interiêrint, eò faciliùs majorique rabie affici solent. Ex menstruo tamen immundarum mulierum fluore, si hunc lamberint canes, hanc rabiem potissimum generari docet *Kircherus Mund. Subterr. lib. 9. sect. 2. cap. 5.*

31. In omni verò naturâ vix aliquid adeò stupendum videtur esse, quàm canum rabies. Urina ipsa rabidi canis calcata nocet, saliva supremè noxia est; lotium licet non rabidi humano infusum generationem impedire dicitur. In hominis Urinâ quoque, quem rabidus canis momordit, subindè catulos conspici volunt. Rabies ipsa ex morsu talis canis in quæcunque animalia mirè transferri solet. *Surius in Com.* Author est in Ducatu Würtembergensi cauponem quendam hospitibus carnes porci rabidi canis morsu infestati edendas proposuisse; post earum esum verò homines se mutuis morsibus laceràsse. Puer eques apud nobilem quendam, ut *Esaias Meschs* refert, fortè invenit sub spondâ gladium delitescentem, quo exactis pluribus annis canis rabidus confossus fuerat, quem rubigine obductum, cùm tergere vellet improvidus digito vulnusculum infixit, undè rabie percitus nemine advertente periit. De Sartrice quadam refertur, eam chlamydis à cane rabido morsicùm laceratæ filamenta dentibus extraxisse; tertiâ die deindè in rabiem actam fuisse; alii eodem malo correpti dicuntur ex solo sputi de ore canis rabidi contactu. Quidam dilectum suum caniculum rabientem, priusquam traderet carnifici, osculans, hydrophobiam contraxit & mortuus est. De veneno morsu canis rabidi inducto, & post annos octo in puellâ modò excitato *Vide Ephemerid. German. Decur. 2. Anno 7. Observ. 203.* Tragica plura alia Exempla de rabidi canis morsu tradunt varii alii Authores. Illud non reticendum est, omnes à cane rabido morsos aquas abhorrere & siti inexplicabili torqueri. Quàm nociva sit.

32. Signa canis rabidi sunt hæc: Imprimis rabie infectus semper est profugus, solivagus, vadit deindè nutando & cancellando sicut ebrius. Currit prætereà ore aperto & linguâ exertâ pendulâ, cum nimiâ salivâ & spumosâ ex ore profluente. Oculos habet reversos ac rubicundos, aures retractas, caudam involvit inter coxas, & quamvis oculos habeat apertos, offendit tamen ad omne objectum: contra quamcunque rem pugnat, & contrà umbram suam latrat. Signa canis rabidi.

33. Ut canes à rabie præserventur, prodest linguæ catellorum nervum quendam rotundâ & tereti formâ vermiculi effigiem præ se ferentem cultello eximere. Hoc enim nervo canes à rabie non tantùm immunes redduntur, sed etiam mansuetiores, ità ut latratu vix alios infestent, nec quemquam noxio morsu impetant.

tant. Ne insaniant in canicularibus, conducit refrigerari balneo frigido. Contrà morsum etiam canis rabidi præsentaneum remedium esse volunt pulveres ex combustis vivis fluvialibus cancris, si in aquâ vel vino sumuntur.

Cura à rabie. 34. Canes ut à rabie curentur, dari illi volunt decoctum Calamandriæ, ut bibant; vel ignito ferro perforetur pellis intra caput & aures, & hoc fiat aliquoties. Tutissimum tamen est citò necare. Illud autem mirum est, quod etiam notavit Noster *Hirnheim de Typho Gen. hum. cap. 9.* vulnera quorumcunque patientum aggravari solâ illorum præsentiâ, vel introitu, qui aliquando à cane vel serpente læsi fuerunt ac demorsi.

35. Canum venenum est spongia frixa in pinguedine, & hanc evomere non possunt. Necantur & nuce vomicâ ac vitro: Curantur autem oleo copiosè epoto. Canum venenum.

CAPUT V.

Animalium quadrupedum exempla mirabilia in variis actionibus producuntur.



EGregium hoc est insignis curiositatis argumentum, quod quidem jam ab aliis eruditè, & prolixè satis est discussum. Ne tamen ejusmodi mirabilium de quadrupedibus sciendorum cognitione tractatus iste destitueretur, Exempla tantùm magis curiosa & scitu dignoira hìc breviter adducere libuit, insinuata quoque obiter hic solùm ipsa hac generaliter, quám profitemur, sententiâ: Etsi animantia bruta multa peragant, quæ videntur in ipsis demonstrare aliquam subesse mentem, intellectum, discursum, rerum quarumlibet inventionem, indifferentiam, libertatem, electionem, mores, virtutes, disciplinæ capacitatem, providentiam, aliasque communes cum hominibus dotes: Longè tamen à vero hæc omnia abesse, sed instinctu solùm naturæ, aut passione quadam, aut phantasiâ, aut simulachro quodam sivè umbra tantùm rationis, aut ad summum internâ quadam facultate belluinâ, humanæ rationi analogâ: Aut etiam subindè speciali quadam in altioribus iisque magis admirandis operationibus divinæ Providentiæ directione ea facere, & peragere, quæ tantoperè suspicimus & admiramur. Sed videatur Doctissim. *Deusingus dissert. de ratione & loquela brut. Kenelmus Digbæus de nat. corp. tract. 1. cap. 36. 37. & 38. Ludovicus Vives libr. de anima capit. de ratione. Schottus Phys. cur. lib. 7.* & complures alii. His ità præmissis exempla ipsa adducamus.

§. I.

Exempla mira religionis & sacri cultûs in Quadrupedibus variis.

1. Antiquum est Canis apud *Plutarch. libell. utra animal: &c.* Sacra tutantis exemplum his verbis ab ipso productum: *Æsculapii templum homo quidam clam subiens magni ponderis auri, argentique donaria surripuit, ac latere putans facilè sese subduxit. Canis autem, qui tum custos erat templi, Capparus nomine, quoniam latratus æditorum nemo curabat, sacrilegum fugientem insecutus est ipse. Ac primò quidem saxis petitus non destitit; mox exortâ jam luce propè quidem non accessit, sed oculis diligenter hominem servans sequebatur: Cibum verò objectum non contingebat quidem, jam ubicunque quievisset ille, excubabat hic juxtà: Rursus cùm procederet, surgens insequebatur. Idem Viatoribus etiam quicunque se obviam tùm forte tulissent, adulabatur, cùm hunc infestè semper allatraret, impeteretque. Hæc cùm qui furem persequebantur, ex obviis colorem simul & magnitudinem canis narrantibus sciscitando comperissent; avidiùs jam insequentes tandem prehensum hominem à Crommyone usque reduxerunt. Canis autem in reditu exultans gestiensque prævolabat veluti suam prædam capturamque Sacrilegum illum faceret,* Ità *Plutarchus*.

2. Rhodienses milites, cùm adhuc insulam Rhodum tenerent, canes alebant stipendiarios & excubitores 50. valdè robustos, quos custodiæ causâ & contrà insidias noctu extrà muros excubare faciebant: Ii, si quis Christiani generis accederet, comiter adire & blandiri, ac gannitu quodam & velut plausu ad oppidum deducere; Si verò quis barbarorum; statim intonare, invadere, & lacerare attentabant. *Sabellicus.* Canes Rhodienses Christianos à Turcis discernebant.

3. Anno Christi 897. ut refert *Isibordus in Breviar. rerum memorabil.* Theodulus Gottschalck pius pater habebat canem punicei coloris staturæ mediocris, robustum tamen, valdeque religiosum & penè rationalem. Quoties signum dabatur ad sacra, quocunque diei tempore, velociter ad templum currens lentè & modestè intrabat, considebatque ante summum altare, continuò fixis id oculis intuens. Ad lectionem Evangelii quasi admonitus promptè stabat erectus, recitato eo iterùm considebat. Sub elevatione Sacramenti totus prostratus immotusque jacebat ore ad terram presso, ductoque ex præcordiis gemitu. Finitâ communione more solito pedibus posterioribus insidebat, stans demum ad lectionem Evangelii. Benedictionem humi prostratus oculis ad presbyterum elevatis accipiebat; & sic suo more iterùm lentè modesteque exibat de templo. Si videret Canis religiosus missæ sacrificio devotus.

deret socios suos ad parietes Ecclesiæ mingentes, acriter mordebat: Nunquam etiam permisit, ut alieni canes aut nostri sacris interessent: Imò si quos in areâ latrantes inter missam audiret, tardè exiens compescebat petulantiam eorum. Quo facto redibat. Dies abstinentiæ tàm accuratè distinguebat, ut nullis blandimentis ad esum carnis perduci posset. Audito nomine JESU subitò in terram prostratus concidebat.

Canis Ulyssiponens venerabili Sacram. addictus. 4. Mirabilius & recentius est Exemplum de cane quodam Ulysfiponensi, quod narrat *Joh. Eus. Nierenb. l.9. hist. nat. c.94.* & ex ipso *Schottus phys. cur. lib. 8. cap. 19. §. 1.* qui singulari planè cultu devotus & addictus fuit SS. Venerabili Altaris Sacramento. Nam audito comprimis quocunque tempore parvo cymbalo, aut æreâ campanâ in turri, quâ vicini ad corpus Domini honorandum, dum ad infirmum portatur, admonentur, domi retineri haud valuit, sed mox foras erumpens Ecclesiam accurrit, præcinentes pueros reverenter circumdiscurrendo ad ædes infirmi comitatus, atque ante fores præstolans tamdiù, quosque assueta venerabili comitate redeuntem Dominum ad templum reduceret. Noctu etiam, dum clamore cymbali excitatus occlusam reperit januam, eam non tantùm unguibus pulsare, & ululatu apertionem efflagitare, sed etiam domesticos sollicitare, levi dente eorum vestes admordere solebat, ut patefactâ portâ sinerent excurrere. In comitatu sacratissimi Sacramenti obvios quosque honoris deferendi allatratu admonere, & subindè morsibus levibus adigere solebat: Equitantes etiam, ut ex equo desilirent & proni in terrâ Dominum adorarent, sollicitare non intermittebat. Ungulâ percussus aliquando ab equo, retineri haud tamen valuit, ut aliò medicatum duceretur, sed claudicans pendulam gerens manum non abscessit à sacro comitatu, donec moram suo gessisser mori. Viginti quatuor horarum spatio adfuit concluso SS. Sacramento in repræsentationem sepulchri hebdomadæ sanctæ. Quinimò cubabat subtus monimentum dormiens: Aliàs interiora templi leni deambulatione circuibat: Aliàs per gradus scandens quieto corpore, fixoque obtutu contemplabatur arcam. Variæ artes modique complures tentati sunt, quibus canis ille ab hoc more compesceretur; sed frustrà. Dum aliquando abeunte Sacerdote cum sanctissimo Sacramento in odeum superius reclusus fuisset, per lignatæ frontis intercidia circumcursans, & caput intromittens ab alto desilire tentavit, tandem adeò vehementi incessanter latratu templum complevit, ut janua illicò aperiri debuerit. Quo facto magnâ vi se effudit & pernicissimè per medias turbas transvolans ante omnes se solitâ in statione locavit. Aderat aliquando ante templi fores juvenis quidam Consalvus nomine, cani notissimus; quia tamen erectus stabat, in illum bestia valido irruit impetu, complicare coëgit genua, ac tùm denuò dimisit locum de more deducto foras Sacramento occupaturus. Plura & fusius descripta de hoc cane vide apud cit. Authores.

5. Ex *Annal. Societ. tom. 2. lib. 2.* Anno 1536. constat in villa *Salzan* ditionis Venetæ, Sacerdotem aliquandò ad ægrotum S. Eucharistiæ panem sine pompâ, comitatuque detulisse, asellos verò quosdam in viâ obvios habuisse, qui cùm Sacerdoti occurrissent, veluti sentirent, quod ille deferret, ex utroque viæ latere repentè discretos in genua procubuisse: Sacerdotem verò ipsum puero comitante attonitum inter ipsos medium processisse, eosdem deindè asellos præeuntem Sacerdotem, quasi pompam ducerent, fuisse secutos: Presbytero tandem in ædes infirmi ingresso præ foribus substitisse, nec indè discessisse, quàm is ab ægro reversus eosdem datâ benedictione ad pascua dimisisset. Nota etiam est historia asini, quem *S. Antonius de Padua* post triduanum jejunium, objecto etiam largo pabulo ad adorandum Creatorem in S. Eucharistico pane exhibito provocavit: Cui ille parens etiam neglecto pabulo cultum submisso capite ad poplites usque detulit. Aselli venerabile Sacramentum venerantes.

6. In Marchiæ Anconitanæ loco, qui *Muxus* dicitur, extat conventus Ord. S. Francisci, in quo Religiosi aluerunt agnum notabili pietatis specie. Nam quotiescunque dabatur ad divina officia signum campanæ, ut moris est, ille semper chorum adibat, nunquam exibat, nisi officiis absolutis. Mediâ nocte, quando Æedituus ad matutinum pulsabat officium, non erat necesse, ut singulorum portas excitandis fratribus circumiret; nam agniculus protinus dormitorium incedebat, & singulos excitabat ad cujusque portam cornibus arietando. Tum in dormitorium exiliens fratres ad chorum comitabatur, quem ingressus planè ac si ratione præditus foret, respiciebat sedilia, si quis fortè abesset; quod dum contingeret, ille protinùs ad ejus cellam pergens tamdiu & valenter corniculis portam pulsabat, dùm Religiosus intrò erigeret se & portam referaret. *Ex part. 4. Chron. lib. 8. Bonav. Baro in Nat. mirac. area 4. §. 15.* Agnus notabilis pietatis.

7. Admiranda planè est historia de Simia, quam varii tradunt Authores, comprimis *Thomas Roe* magnæ Britanniæ Regis Anno 1615. Legatus ad Magnum Indiæ Mogorem, ex quo repetiit *Erasmus Francisci* Ost- und West- Indianischen Lustgarten. *Joan. Hen. Seyfrid in med. mirab. nat. Jean. Cyprianus Hist. anim. append. de quadruped. exoticis*, quæ ità se habet. Incola quidam Regni Bengalensis Anno 1614. adduxerat *Schach Selimo* Magno Indorum Mogori grandem simiam, quam vaticinari posse ajebat. Rex *Selim* digito suo annulum detractum jussit à puerorum ministrantium uno sub cingulo occulrari, & à Simiâ indicari eum, qui annulum teneret. Ipsa puerum accedens produxit illum. Rex majori cupiditate accensus voluit duodecim peculiaribus Schedis inscribi literis persicis duode- Simia grandis vaticinans.

duodecim nomina Legislatorum, veluti sunt: *Mahomet, Solon, Lycurgus, Zaleucus, Theseus, Plato, Moyses, Jesus Christus, Romulus, Draco, Minos, Radamanthus:* quas ipse receptas permiscuit, & in sacculo repositas concussit; post hæc advocavit Simiam, ut veri Legislatoris nomen extraheret, sibique traderet. Bestia in sacculum manum inserens, eduxit schedulam, in quâ nomen *JESUS CHRISTUS* scriptum erat ac Regi porrexit. Hic initio exteritus mox suspicari cœpit, magistrum Simiæ fortè linguam persicam callere, atque illi celeritate quadam subvenisse. Exaravit igitur eadem nomina denuò juxta literas linguæ aulicæ, obtulitque Simiæ iterum ex iis veri Legislatoris nomen eligendum. Illa itidem nomen *JESUS* non solùm protraxit, sed & osculata fuit. Ad hæc indignabundus unus ex Procetibus Regis adstantibus dixit esse meras præstigias, petiitque sibi concedi licentiam miscendi schedas, subjiciens se simul pœnæ, si Simia ipsum deciperevaleret. Rege annuente ille ipse nomina scripsit, atque undecim eorum in sacculum conjectis duodecimum retinuit. Bestia diligenter inquitens nullum eorum, quæ in sacculo erant, extraxit, sed manum vacuam reduxit. Rex severè imperabat, ut unum sibi asportaret, sed bestia omnia dilaceravit signis quibusdam indicans veri Legislatoris nomen se non reperisse. Cum Rex ulterius interrogâsset, ubi desiderata schedula esset; accessit illa Nobilem, apprehendit manum ejus dextram, qua occultaverat schedulam, cui nomen *JESUS CHRISTUS* inscriptum erat. Sed hasce Brutorum animantium actiones nemo non admirati debet: instinctu autem & causâ purè naturali ea tales edere & perficere nemo facilè credet.

§. II.

Exempla miræ capacitatis disciplinæ & docilitatis in Quadrupedibus.

1. Industria atque exercitium multùm valent in brutis animantibus erudiendis, ut etiam, quæ planè stupida, ignava & stolida putantur, mirè tamen edoceri queant. Asinus semper stupidissimum & ignavissimum animal fuit creditum: docuit tamen solertia ignaviam in illo vincere, & circà multa ad stuporem erudire. Ita testis est *Aldrovandus lib. 1. Quadrup. cap. 2.* Circulatorem quendam Germanicum *Joannem à Grua* asinam & capram per omnia Italiæ loca secum duxisse ingenti lucro: asinam enim imprimis tripudium immutâsse pro soni diversitate, saltâsse summâ alactitate superioribus pedibus erectis, mox velut semianimem concidisse velut apoplecticam, & calcatam etiam pedibus non surrexisse: jussam verò ut spectatores salutaret; oculos caputque humano more ergà omnes convertisse, flexisque anterioribus pedibus *Asinus mimicus.* salutâsse. Et quod maximum erat cum adstantium summo stupore ad nutum heri per ligneum circulum trajecto corpore saltâsse. Denique projectum in terrâ sudarium vel chirothecam ore collegisse & Domino retulisse. Confirmat hæc ipse *Gesnerus* testis oculatus *in his: Quadrup. cap. de Asinis.*

2. *Cardanus de subtil. ex Joan. Africano* oculato teste narrat circulatorem quendam in suburbio civitatis Cairi Ægypti, *Asinus saltans.* nomine Bebelloch asinum habuisse ita instructum, ut singulis diebus Veneris (qui festi sunt Mahometanis) ad tibiam saltaret, & voce in aurem insusurratâ concideret supinus sponte clausis oculis, inflareturque quasi venenum bibisset, nec minis adductum, nec verberibus ut surgeret, blanditiis verò ac spe vehendi formosas mulieres propositâ alactem surrexisse. Ubi verò audivisset anus vehendas esse, dimissis auribus claudicâsse, aliaque plura similia fecisse, quæ magnæ solertiæ indolem ostentâtunt.

3. Cynocephali ingenio sunt singulari. In Ægypto didicisse literas & ad personas sibi indicatas detulisse testis est *Strabo*: inibique quoque visos esse à circumstantibus protensâ manu nummos petere, & ad heros suos deferre, testis est *Bellonius.*

4. Natrat *Paulus Zebender in promont. malæ spei lib. 3. §. 3,* ante annos non multos Simium in gladiatoria arte peritissimum, quoties ad congressum provocatus fuit, armatum duplici ferro, atque in pedes erectum non tantùm scivisse doctissimâ agilitate devitare ferientis ictum, *Simius Gladiator.* sed inferre quoque modò cæsim, modò punctim non exspectata vulnera; ridente sæpius Belgio (cujus oculis hæc stratarìa pugna in spectaculum data fuit) & applaudente turpi Simio, quoties bestia hominis victor corollam abstulit. Audivisse se scribit etiam *Digbæus de nat. corp. tract. 1. cap. 37.* affirmantes vidisse se Cercopithecum ad certos modulos cytharam pulsantem. Meminerunt etiam, inquit Idem, Indicarum rerum Scriptores, Simiarum quarundam, quæ Oenopolium petentes vinum inde ad Dominos reportârunt, Inventę quoq; quæ aurigæ munus obibant, latrunculis ludebant. Verùm Simias ita edoctas facilè multa ludicra exhibere palàm sæpe apud Agyrthas contuemur.

5. Elephantes funambulos *Claudium* Cæsarem exhibuisse nec uni tantum funi sed *Elephantum mira opera.* duobus inambulantes scribit *Suetonius.* Narrat *Idem in Galba cap. 6. Galbam* ante impetium exhibuisse spectaculum Elephantis, qui ad fastigium Theatri conscenderit, atque illinc per funes decurrerit sessorem insuper ferens. *Augerius Busbequius* Legatus Cæsateus ad Imperat. Turcicum in suo itinere Constantinopolitano scribit, vidisse se Elephantem juvenem mirè lepidum, qui & saltaret & pilâ luderet; quippè ad cantum pedes movebat alternos, perinde ac si tripu- diare

diare vellet; pilam verò in se conjectam promuscide excipiebat & repercutiebat prout palma faciunt homines. Vidit *Ælianus*, ut testatur *lib. 2. var. hist. cap. 11.* Elephantem quendam in tabulâ Romanas literas promuscide rectè & non contortè scribentem. Sed omnium maximè videtur admirandum, quod de 12. Elephantorum accubitu testis & spectator refert Idem *Ælianus*: Hi enim præeunte bestiario eleganti ad numerum saltu ingressi sunt Theatrum, quo finitio ad paratam mensam per distincta lectisternia pulchrè & more veteri accubuerunt, ità ut singulis singuli ad latus Ephebi assisterent pro ministerio. Sed nunquam majorem, ut inquit *Ælianus*, risum moverunt belluæ, quàm cùm cibos è patinis carpserunt vice manûs longâ promuscide; præsertim verò quandò pueris vina ministrantibus ex argenteâ pelvi, postquàm hauserant, quod satis erat siti extinguendæ, etiam proximè adstantes liberali pluviâ asperserunt.

Equus inimicus. 6. Equum ad mira ludicra exhibenda instructum recenset *Cæs. Scaliger Exercit. 209.* his verbis. *Equum pusillum deformem circumducebat Agyrtha quidam, cujus jussu atque etiam solo interdum nutu ille omnia faceret, ambulare, succussim properare, currere, saltare, vel quadrupes vel bipes; vinum bibere vidimus, in clunibus sedentem, anteriores pedes ad pateram ferre, pelvim sivè maluvium cruribus sustinere, quasi â tonsore lavaretur, humo se sternere, projectum atque porrectum jacere, ciliorum compressione annuere, caput ad Heri nutum attollere, in terga vertere: Postremò nullum canem unquam dociliorem vidimus, si unus excipiatur, qui super anteriores pedes erectus elatis clunibus illustri hominum coronæ miraculo fuit.* Ita *Scaliger*. Haud pridem quoquè per Germaniam ductus equus, qui trajecto per ligneos circulos corpore promptè saltare potuit; Canis item mirè lepidus, qui posterioribus in altum elatis super anteriores verò pedes erectus incedere, aliaquè plura ludicra curiosis oculis exhibere valuit.

Equi Sybaritarum saltantes. 7. Eventum mirabilem ex Equorum instructione enatum memorat Diodorus lib. 12. Sybaritæ, inquit, Italiæ populi deliciis notanter addicti docuerunt Equos ad tibiam saltare; quod intelligentes Crotoniatæ bellum Sybaritis intulerunt. Nequè tamen tubam bellicam canentes sumpserunt secum in castra, sed tibias & tibicines, qui, commisso prælio, cecinerunt cantilenam saltatoriam. Audientes Sybaritarum Equi memores domesticæ disciplinæ excusserunt equites atque exultantes ipsi & saltantes turbatis ordinibus victoriam hosti dederunt. Similem historiam de Cardianis Equitibus â Bisaltis simili astu devictis recenset *Athenæus lib. 12. Dipnosoph. cap. 6.*

Equi Elandiæ ingeniosissimi 8. De Equis parvis & deformibus *Elandiæ* insulæ Gothici maris scribit *Olaus M.* eos esse ingeniosissimos, ut saltibus & choreis buccinæ vel tympani sono audito assuescant, & ut circulos ferreos vel ligneos non admodùm amplos transiliant, saltuatimque vivacissimâ pernicitate sese gyrando revolvant. Hujusmodi equum fuisse illum suprà ex *Scaligero* citatum haud improbè autumat *Aldrovandus*.

9. Testatur *Dio Cassius lib. 49.* Nervæ Parthorum & Armeniorum fines ingresso Satrapas regionis occurrisse, ipsosque mox Reges cum muneribus, equumque duxisse ità edoctum, ut Regem adoraret. Nam pedes anteriores in modum supplicantis flectebat, caputque pedibus ejus, qui proximus erat, subjiciebat. Equus Regem adorans.

10. Annotavit *Textor*, ut ex ipso quoque refert *Scotus Phys. curios. lib. 8. cap. 34. §. 2.* cùm in adventum & gratulationem Mariæ Britannicæ, quæ Ludovico XII. Gallorum Regi nupserat, spectacula Lutetiis ederentur, visum sibi Equum, qui sessore hortante Reginam inclinatis salutabat genibus, moxque consurgens volucri saltu in aëra sese efferebat. Equus alius Reginam salutans.

11. Cùm Florentiæ Ducis nuptiæ celebrarentur, ut memorat *Digbæus de nat. Corp. tract. 1. cap. 37.* fertur ostensos fuisse Equos ad numeros musicos exactè tripudiantes, eosdemque, ut id facerent, in hunc modum eruditos fuisse: *Primò*, inquit Author, *crura eorum vinculis ità adstringebantur, ut non nisi certâ quadam lege, & ad determinatas mensuras attollere ea potuerint: Deindè in pavimentum educebantur à subjecto igne ità calefactum, ut eundem locum ferre non valentes continuo se motu agitare cogerentur, tibicine interim modulante cantus iis motibus aptatos: Quorum omnium frequens repetitio equos illos ità assuefecerat, ut quotiescunq; tibicen eundem concentum ederet, illi more solito pedes attollerent, atq; adeò, prout edocti erant, tripudiarent.* Simili modò & Camelos, cùm adhuc juvenculi sunt, ad saltus & tripudia facienda instrui docet *Le Grand Hist. nat. part. 8. cap. 7.* Visos enim esse scribit Alcaici, qui tripudia miscerent, & ordine servato ad tympani sonum interdùm in orbem, interdùm laxatis disjunctisque corporibus moverentur. Equi tripudiantes.

12. Mirabile non tantùm, sed & ludicrum docilitatis argumentum est in Equo, quod narrat *Gregorius Tolossanus lib. 13. de Republ. cap. 13. §. 4. Herm. Hugo de mil. equest. lib. 3. cap. 3.* Episcopo cuidam præstantem fuisse equum, quem Episcopi frater homo militaris tàm vehementer ambiebat, quàm Episcopus amabat. Is homo, cùm sciret Episcopum, dum iter equo faceret, solitum canonicas preces recitare; clanculum sæpiùs equum Episcopi inscendit, asperâque voce identidem repetens exordium illud canonicarum precum: *Deus in adjutorium meum intende*, simul equum calcaribus stimulabat, adeò, ut Equus aut calces excuteret, aut in pedes se erigeret ad excutiendum vectorem. Id ergò cùm fecisset frequentiùs, equum tandem eâ precum præfatione admonitum territumque assuefecit calcitrare. Episcopus fraternæ sycophantiæ ignarus, preces fortè equo vehens cùm de more ordiretur: *Ecce tibi equus solitâ precum inchoatione auditâ erigit se, excutitque Sessorem.* Tùm Episco- Equus astutè doctus sessorem dejicere.

Episcopi frater, qui hanc scilicet ansam dudum captârat, equum sternacem, ut sibi Episcopus daret, perinsignem astum impetravit.

Canis Bruxell ex marcello carnes afferens. 13. De Canibus passim obvia sunt miræ docilitatis Exempla. Nota comprimis est historia Canis Bruxellensis, quem *Lipsius* ita describit. *Bruxellæ*, inquit, *me puero canis fuit Britannici generis ex illis grandioribus, quibus Cerdones hìc uti solent ad currum coriis onustum in forum & è foro trahendum. Ille præter hanc operam doctus fuit ad macellum ire, pecuniam ferre, carnem referre. Id ita faciebat. Corbem vimineum collo appendebat pecuniâ in tot libras carnis impositâ. Ille rectà & nusquam resistens ferebat; in marcello apud notum Lanium se sistebat; carne acceptâ redibat. Sed eveniebat interim, ut in via canes alii odore moti adspirarent & accederent quasi erepturi: tum ille corbem propugnare, fugare, & si copia aut robore vinceretur, unà irruere & partem prædæ capere: Hæc publicè nota erant, & à nobis aliisque jucundè spectata.* Meminit Idem *Lipsius* alterius Canis Lovaniensis, qui literas millo, sive collari insertas accepto signo ab Hero *Bruxellam* deferebat in notam, ibique certam domum: atque illi religabant ibi collare, canem pascebant, literas à se vel aliundè acceptas iterum inserebant & ad Herum *Lovanium* remittebant.

Canis Lovaniensis literas deferens.

Canis scenas ludens 14. *Vespasiani* imperio, ut *Plutarchus* notavit, Canis fuit Mimo Domino: is varia argumenta & personas inscena repræsentabat, ut nemo histrio doctiùs, aptiusque; atq; inter alia hominis veneno in specie tollendi: panem sumebat, sive offam sapore temperatam (fingebatur autem venenum esse) ac repente adsimulabat tremere, lapsare, gravedine tentari. Denique cadebat ac porrectis membris velut mortuus jacebat: tractus, fublatus, elatus, ut argumentum poscebat. Dein cum tempestivum esset ipso sermonis articulo primùm quasi ex somno ad se reverti, leviter caput & membra movere, oculos aperire & circumferre, tum denique surgere & lætus gestiensque ad illum ire & se exhibere cui debebat. Hæc ita decorè & efficaciter, ut torum theatrum & ipse Cæsar (aderat enim) commoverentur, ac mente quasi afflatâ exclamarent.

Cervus equitari patiens. 15. Vidisse se scribit *Salisburgi P. Georg. Stengelius Mund. Theorit. part. 2. c.* 14. ansosum & cornua alta ferentem cervum, qui & frænum, sessorem, & quod magis est mirum, bombardæ à sessore intrà cornua illius collocatæ explosionem pateretur; equitemque ad unum ferè milliare principes curru celerrimo vectos comitantem portaret quovis equo agiliorem.

Lupus venationi accomodatus. 16. Memorat ibidem *Stengelius*, *Jacobum Christophorum Blarer*, Episcopum Basileensem Collegii Bruntrutani Fundatorem lupum habuisse non solùm domi atque in arce inter canes familiariter & amice versantem, sed etiam cum iisdem canibus in sylvas prodeuntem, nec segnius quàm canes cœterorum luporum venationi instantem.

17. De *Mithridate* Pontico scribit *Ælianus lib. 7. cap.* 56. eum, cum somnum caperet, sui corporis custodiam non modò armis & satellitibus excubitoribus commisisse, sed magis etiam tauro, equo & cervo, quos mansuefactos habebat: ii enim ad custodiam ejus dormientis advigilantes, si quis accederet, illius sensum ex ipsâ respiratione, quem mox percipiebant, atq; ex mugitu ille, alter hinnitu, alius sua propriâ voce eum à somno excitabat.

Taurus, Equus, & Cervus Custodes Mithridatis.

18. *Sindrigul*, vel ut alii nominant *Suidrigel* post *Vitoldum* Lithuaniæ Princeps ursam habuit, ut *Jonstonus ex Volaterrano & Textore* scribit, quæ matutinis horis relicto nemore ædes illius accedens anterioribus pedibus fores percutiebat, quibus apertis cibum porrectum accipiens in sylvam remeabat.

19. Ne quis autem Leonem omnium quadrupedum Regem adeò ferum esse putet, ut domari nequeat, omnemque respuere credat disciplinam; ex *Dione & Xiphilino* memorandum videtur, *Antonium Caracallam* Rom. Imperatorem habuisse Leonem, quem Acinacem nominabat, alebatque inter complures alios: hunc autem non tantùm publicè deosculabatur, sed etiam ad mensam lectumque admittebat. Constat etiam eundem Antonium à Leone admonitum esse, ne domo egrederetur, cum exeuntem dentibus teneret, cui cum non obtemperasset, interfectum esse. Recentius est, quod narrat *Stengelius loc. supracitt.* Bavariæ Ducem *Albertum*, vel Germaniæ illum nominatissimum Heroem Serenissimi Electoris Maximiliani Avum itidem ad mensam admisisse jubatissimum Leonem; quem etiam Augustæ in comitiis Imperii canis instar habuit sequentem & inter publicos consessus Principi suo ad pedes accumbentem, patientemque, ut sibi scabelli loco vestigia Princeps imponeret.

Leones mirè mansuefacti.

20. Fidem pene superare videtur, quod narrat *Stengelius Mund. Theorit. part. 2. c.* 14. de Cane, fele, ave & mure, ad convescendum ex unâ simul patina mirè edoctis. *In Helvetiis*, inquit *locus Lucernâ distat quatuor miliaribus, ubi Parochus stupendo Naturæ miraculo solebat hospites suos inter prandendum oblectare. Pultem transfundebat in patinam & certo loco constituebat: mox signo dato admirabiles convivas ad unam quadram evocabat. Prosiliebat è cavo hinc musculus, inde prodibat è caveâ avis: aliunde cum cane adventabat felis, nec felis cani, nec muri felis, nec mus avi quidpiam hostile faciebat. Summa erat inter omnes amicitia, maxima concordia; nulla invidia: omnes ex una patina epulabantur. Et absumptâ dape ad sua unumquodque animal cubilia quietè redibat; ita ut avis ipsa sibi ostium caveæ reseraret & clauderet; & musculus quoties nominatim ab Hero evocaretur, de cavo suo procurreret; nec cane oblatrante, nec fele insidiante.* His tandem subnectit præfatus Author: *Tantum homini adbuc dominium est à Deo relictum:* si vult pacem, amicitiamque; colunt avis, canis, felis; & musculus quoque non respuit disciplinam: quod admirationem meretur maximam.

Canis, felis mus & avis simul convescentes.

21. Ut

Triumphus ex diversis quadrupedibus adornatus.

21. Ut tandem materiam hanc de quadrupedum docilitate & efferatæ in illis naturæ domatione, atque ad omnem disciplinam institutione concludamus, breviter adhuc libet memorare triumphum verè mirabilem ex diversis quadrupedibus adornatum, quem ex *P. Henrico Roth* oculato teste refert *Kircherus Chinæ illust. part. 6. cap. 7.* his verbis: *Rex Bengalæ ad Regem Mogorum, in nescio cujus beneficii recognitionem, solennem cum pretiosissimis muneribus adornatam legationem expediebat Anno 1660. in quâ in omnium admirationem rapiebat currus triumphalis auro, atque omni gemmarum lapidumque pretiosorum genere refulgens, non humanâ sed belluina directione ducebatur. Trahebatur currus à duobus candidissimis & perquam mirificè adornatis caballis, in superiori currûs loco, veluti in solio regio ingens sedebat Molossus pretiosis phaleris, monilibusque mirificè adornatus, qui uti sese tanto splendore fulgentem aspiciebat, ita quoque superbiâ quadam elatus aliquid se supra belluinum esse putare credebatur, siquidem incredibili gravitate Proceribus obviis debitam profunda capitis inclinatione reverentiam exhibebat. Non deerat huic satellitium splendidum; simii enim superbè vestiti thronum Ephebororum adinstar circumdabant ad nutum Domini promptissimi; quidquid enim caninum Regem facere in reverentia obviis præstanda videbant; id omnes unanimi capitis inclinatione pariter præstabant. Aurigam agebat grandis Simius aureâ chlamyde indutus, cujus pileolus capiti impositus auro pariter, gemmisque fulgebat; manu sinistra frœni lorum tenebat, alterâ Scuticâ tam dextre suos regebat caballos, ut non à bruto, sed à peritissimo veredario agitari viderentur: Verbo, humanæ belluæ triumphum adeò scite adornabant, ut quid homines belluinos deceret, belluæ humanæ mirâ quadam metamorphosi docere viderentur. Quantâ autem ex hoc mirifico spectaculo Rex voluptate perfusus fuerit; inde patet, quod brutorum solertiam opiparo, verius belluino convivio recompensandam duxerit, dum quid equis, quid simiis, quid molosso ex optimis cibis unicuique congruebat, in pavimento tapetibus exornato apposuit, ubi pari gravitate jam ad omnia prius instructo sedentes, quisque suo contentus pabulo deliciabatur.* Addit his *Kircherus. Acta fuerunt hæc Agræ civitate regiâ præsente præmemorato P. Roth, ut vel hinc appareat, quantum Indi in hujusmodi belluis instruendis industriâ valeant, quam & in Elephantis erudiendis ad stuporem omnium præstant.* Sed his ita relatis jam ad alia progrediamur.

§. III.

Exempla singularis astutiæ & miræ solertiæ in Quadrupedibus.

Armadilli mirabilis astutia in captandis & suffocandis formicis cervis.

1. In Occidentalis non tantùm, sed & Orientalis Indiæ partibus frequens est animal loricatum formæ planè inusitatæ, quod ab Hispanis communiter Armadillus, sive animal cataphractum; à Belgis Porcellus scutulatus; ab Indis Aiatochtus; ab Incolis verò Brasiliæ Tatus nominatur. Omnes verò Zoographi miram de hoc animali notant astutiam. *Nierembergius* narrat singulari astu formicas venari, supine scilicet cubando, proprியamque caudam prælongam ori admovendo, qua rectâ formicæ procedentes incidunt in insidias, cibumque deludenti suggerunt. Cervum hac fallacia vincere dicitur. Pluente cœlo supinus jacet, in ventre autem qui exermis est, colligit aquam contentam inter crustas laterum; sicque perdurat transacto imbre fermè diem integrum, donec occurrat incautè cervus sitibundus, qui accedens ad potum immergit buccam, sed tunc Armadillus ventrem concludit & labra naresque fortissimè comprehendit. Qui deinde furibundus huc illuc discurrit, Armadillus verò prædam non dimittit, donec fatigatum interimat angustia spiritus suffocando. Sed vide Aldrovandum, Nierenbergium, Pisonem, Jonstonum, Schottum in phys. cur. Joann. de Laet in descript. Ind. Occident. Olf. Dapper in America & plures alios.

2. Pæphagus Indicum est animal, dimidio, ut *Ælianus* refert *Hist. anim. lib. 16. cap. 11.* quàm Equus majus, caudâ longissima & nigerrimâ setis subtilissimis, quibus Indicæ mulieres crines exornant & revinciunt. Ob eam se appeti gnarus ut fertur, quoties venatorum canumque indagine se cinctum videt, ut effugio nullus jam locus sit, caudam inter crura quoquo modo possit, occultans stare solet & contra tueri, fiduciamque capere, securum se fore, quod insectatores venationis prœmium non cernant. Sic telo ictus cadit, resectâque caudâ & detracto corio relinquitur feris, alitibusque in pabulum. — Pæphagi astutia in occultandâ caudâ.

3. Magna in cercopithecis ac simiis non tantùm astutia, sed & in omnibus facilè imitandis & expediendis actionibus solertia atque dexteritas plane singularis comperitur. Ita quandò hominum agmen sylvas transire conspiciunt, duces eorum plebeja variarum specierum convocatâ multitudine procurrere obviam, clamoribus horrendis ex arbore in arborem transilientes viatores insequi, & mille scurrilitatibus ac gestibus ridiculis deridere solent. Fingunt sæpius velle se turmatim transeuntes appetere, sed ubi ad arborum jam truncos demissæ vident sagittas aut sclopeta, quæ experti aliquando, aptari atque in se dirigi, vento velociùs ad arborum culmina se recipiunt, ibique rabidis querelis editis frendent dentibus minitabundi. Excussas etiam contra se sagittas tantâ dexteritate evitare ac persæpe manu prehendere sciunt, ac si sponte porrectas acciperent. Dum arbores conscendunt transeuntibus viatoribus quilibet eorum manu gestat & ore, quotquot potest lapides, quos deinde in transeuntes conjiciunt, dum sagittas & glandes plumbeas in eos ejaculari cessarunt. — Cercopithecorum astutia & solertia.

4. Magnam

Mirabilis astutia Simiorum.

4. Magnam familiaritatem contrahere Simios ac cercopithecos cum barbaris Regionum Occidentalium, proque argento cum illis ludere, ex lucro parato invitare ad tabernam, solvereque pretium vini numeratâ ritè pecuniâ; scribit *Joann. Ardois* & plures alii. Singulare autem est, quod *Nierenbergius* ab oculato teste se didicisse narrat: adfuisse inter milites Hananæ, dum luderent, Simium, observâsseque illum, qui plus lucraretur, hæsisseque ejus lateri, donec colludium largiretur pro more: si nolebat, pugnis cædisse: si donabat, statim ad tabernam convolâsse & manu acceptum vas porrexisse vendenti vinum, ut sibi infunderet: coronato calice tunc ebibisse, mox solvisse pretium colludio tradito & recessisse: quod si excederet pretium colludii, exspectâsse ut rursùs venditor infunderet merum; quod bis aut ter repetebat pro valore argenti. Imo Simias, quod miraberis usque ad periculum fidei Arithmeticam novisse, scribit Idem.

Simius è tabernâ potum afferens.

5. Narrat *Josephus Acosta*, alium Simium ab hero ad tabernam missum, ut pro se vinum emeret, non priùs autem tradere solitum fuisse pecuniam, quàm acciperet lagenam, quàm in viâ adversùs pueros defendebat, fugans eos conceptis per intervalla lapidibus & quamvis vini avidissimus esset potator, illibatam tamen lagenam retulisse domum. Eundem scribit mulieribus fuco ornatis valde infensum fuisse, earumque crines & vultum discerpere solitum.

Simiæ saltantes.

6. Refert *Gregor. Nyssenus* de Simia valde bene vestita, quæ saltabat artificiosè in urbe Alexandrina tamdiu, donec aliquis nuces amygdalas projiceret in medium, ad quas accurrens & ita saltationem interturbans risum movebat spectantibus. De Simiâ mirè personatâ, quam aliquando secum Eques quidam Ferrariensis in præsentiâ Principum Ferrariensium ad publicum tripudium adduxit, tandem verò casuali prolapsu pomi è manu cujusdam in pavimentum prodita legi potest *Bignoni in Encyclopædia. vel Joan. Adam Weber. in arte convers. Reg. 6. sect. 5.*

Astutia cujusdam Cercopitheci.

7. Hispali aliquandò astuto hoc stratagemate usum fuisse Cercopithecorum aliquem, dum illum quidam occidere tentabat, notat *Schottus phys. cur. lib. 8. cap. 22.* per domorum tecta siquidem fugax, dum vidit se à sagittario peti, descendit illicò per fenestram quandam & casu obvium infantem ab incunabulis corripiens complexus est, iterumque se tectis restituens, quoties sagittarium vidit arcum intendentem, pro clypeo puerum objecit, sciens utique non emissurum sagittam cum periculo innocentis.

Canum solertia.

8. In canibus quanta solertia & astutia reperiatur, nemo verbis satis exponere valet: Quotidie siquidem & ubivis occurrunt exempla: ita canem fuisse constat, qui amphoræ oleariæ insidiaretur, & cum parùm plena ad lincturam non pertingeret, lapillos injecisse dicitur, donec oleum ad os adsurgeret, sic ut linguâ posset lambere.

Canum singularis solertia, & fortitudo.

9. Indiam petenti *Alexandro M.* Rex Albaniæ dono dederat inusitatæ magnitudinis canem, cujus specie delectatus jussit ursos, mox apros & deinde damas emitti contemptim jacente eo. Quâ segnitie tanti corporis offensus Imperator eum interimi jussit. Nunciavit hoc fama Regi, itaque alterum mittens mandato addito, ne in parvis experiri vellet, sed vel in Leone vel Elephanto; nec distulit Alexander, leonemque fractum protinus vidit, postea & Elephantem jussit adduci haud alio spectaculo magis lætatus. Horrentibus ergò per totum corpus villis ingentem primò latratum intonuit, mox ingruit insultans contrà belluam exurgens, hinc & illinc artificiali dimicatione infestans, donec assiduâ rotarum vertigine eum afflixit, ad casum ejus tellure concussâ.

Mulorum astutia.

10. Mulorum astum humanis sensi bus accedere scribit *Ælianus lib. 7. cap. 7.* *quod*, ut inquit, *deprehendit Thales Milesius & ingeniose ultus est. Cum enim Mulus Thaletis onusta fluvium transmitteret, contigit, ut caderet & sarcina everteretur, sal autem aquâ perfusus liquesceret. Ex quo illa plurimùm gavisa, quippe jam ferè exonerata; cum deinde aquas transiret data operâ in ipsas se dimittebat, quò sal liquesceret & ipsa exoneraretur. Id cum Thales adverteret, astum animalis alio ultus, mulum spongiis & lanâ oneravit, quæ cum fluvium transiret, pro more ad exonerandum se in aquas sidit, tanquam invita caderet, tum verò spongiæ & lana aquam intrò haurientes mulum duplò gravârunt, quod illa dolens deinceps in aquas non sidit.* Ità *Ælianus*.

Hyænæ astutia.

11. Multa mira, ut inquit *Plinius Hist. Nat. lib. 8. cap. 30* de Hyæna traduntur, inter quæ potiora decantantur: *eam scilicet maximè sermonem humanum inter pastorum stabula assimulare, nomenque alicujus addiscere, quem evocatum foràs laceret. Item vomitionem hominis imitari ad sollicitandos canes, quos invadat. Ælianus etiam lib. 6. cap. 14. ex Aristotele* tradit, in lævâ manu vim sopiendi habere, & solo tactu somnum conciliandi, sæpeque numero in stabulâ ingressam, cum dormientem aliquem deprehenderit & pedetentim ad illum progressa fuerit, soporiferam manum ejus naribus admovere, sicque opprimere.

Vulpis astutiæ & doli.

12. Inter omnia tamen animalia quadrupedia nullum videtur esse tam astutum, fallax & versutum animal, quàm vulpes; quocirca & plures confícti de illâ vadunt apologi, quibus mira indoles & versutia illius declaratur. Ità dum fame vexatur, aperto & hiante ore mortuam se simulare, aves verò ad ipsam tanquam ad cadaver accedentes mox arripere & devorare dicitur. Quando canes insequentes videt, caudam suam inter crura recolligere solet: cum videt extrema instare pericula nates canum laniat, ut co-

ut copiosius effluat cruor, sciens illam partem cruento attactu maximis affici doloribus. Echino terrestri insidiatur valde, sed dum is visa vulpe in globum se contrahit, intactis aculeis, aut ventrem illius solum petit, aut fœtidam in os urinam mittit & suffocat. Ut canes decipiat insequentes, subinde & ipsa vocem canum imitatur, aliquando ex arborum ramis se suspendit & eludit sectatores. Sic meminit *Digbæus tract. 1. de natur. corp. cap.* 36. vulpem olim se venatum, quæ, cum venatores ei canesque jamjam imminerent, ramum obliquæ fraxini, quàm ad satis magnam altitudinem conscenderat, arripuit, suspendens se per sepis latera, in quâ fraxinus illa crescebat: cumque eam impactis in costas venabulis exagitaret, canum timor tam altè phantasiam possederat, ut immota nihilominus penderet, nec prius ramum dimitteret, quàm gravioribus ictibus ipsum caput peteretur. Cum per aquas glacie constrictas transire tentat, aurem prius admovet & explorat aquarum fluxum, ut de crassitie judicium ferat, num tutò fidere queat. Piscibus etiam insidiatur oberrando juxta ripas, & caudam immergendo in aquam, quam posteà, cum villis ipsius involuti sunt pisces, repentè extrahit. Cum vesparum vexatur multitudine, in locum concavum sese abdit, caudam solùm extentam relinquens: dum vespæ deinde sese caudæ implicuerunt, ad murum, vel arborem fugit, easque ibidem perfricat, excutit, & mortuas devorat.

Rariora vulpinæ astutiæ experimenta

13. His adhuc rariora sunt circà Vulpium solertiam & in fallendo subtilitatem experimenta, quæ *Digbæus* memorat *loco sup. cit.* nempè quod nocturno tempore, cum reliquum corpus tenebræ abscondunt, oculos in gallinas defigat, ut eorum scintillatione allectæ quietis suæ locum deserant & ad ipsam volent. Quod pulicibus, quibus æstate mordetur, sese liberatura, corpus paulatim in aquam immergat eo consilio, ut pulices, ne ipsi sub aqua pereant, primò in ejus caput, deinde in ramum arboris, quem ore *tenet, insiliant, quo demùm unà cum ipsis relicto in aquâ, ipsa enatet.* Quod Meli *antrum suum per fraudem eripiat, in eo mingat, tanquam gnara animantem alteram mundiorem rancido Urinæ suo odore arceri. Quod denique à Venatoribus insectata, jam jamque imminentibus ei canibus caudam urinâ suâ perfundat, eandemque hinc inde excutiendo conetur scilicet liquoris istius acrimonia canum oculos pungere, ut retardata eorum prosecutione ipsa per fugam evadat.* Alia quoque adhuc majorem in hoc animante astutiam præ se ferentia subnectit *Idem Digbæus*, quale nempe est de quadam *canibus à tergo pressâ, quæ vivarium ingressa est, ubi dentibus se inter occisorum animantium cadavera suspendit, donec à canibus locum illum prætereuntibus perderetur.* Item de alterâ, quæ simili urgente necessitate genistam, quæ fortè imminebat speluncæ suæ in prærupto clivo positæ, & ad quam facilior per aliam viam aditus patebat, ore prehendens, se in illam injicere solebat, canibus, qui festinè eam insectabantur, *nec periculum suspicabantur, præcipiti per scopulos lapsu sese interficientibus.* His tamen omnibus adhuc mirabiliorem astutiam in hac animante subdit, dum de quadam refert, quæ interfecto ansere in ripâ fluminis speluncę suæ oppositâ, cupiensq; eum trajecto fluvio speluncæ inferre; priusquam id aggrederetur (ne fortè gravius foret prædæ onus, quàm ut natare cum ea posset, adeoque dimittere eam cogeretur) anserem suum contra ligni fragmen quoddam in ripâ repertum primùm pensitabat, deinde tentabat cum hoc tranare fluvium, prædâ interim in tuto aliquo repositâ loco: factoque per facilem ligni istius gestationem virium suarum experimento ulteriorem ripam denuò petens ansere suo onusta absque hæsitatione revertebatur.

14. Sed quis omnes vulpinas fraudes & technas enarret? Unicam tantùm adhuc narrationem ex Bonav. Barone Nat. Mirac. arca. 4. §. 6. his libet attexere. In *Hyberniâ*, inquit, *nostrâ* (*proh jam vix nostra*) *alebatur à Nobili quodam Vulpes innexa catenæ: circus ferreus collum ejus includebat, huic catena ad palmos aliquot promissa ut vulpi area aliqua ad exercendum se concederetur, quod & illa factitabat continuò miris artibus ingeniosa. At enim non diu ibi ex culinâ & penuario sublata, pernas, gallinas, & id genus: familiæ quisque alterum cogitare hujus furti reum, & centum suspiciones vibrabat; cum nescio cui in mentem venit aliquid de fide vulpis dubitare: sed cum deinde cogitaret circum ferreum, cui mordicus innexa degebat, dubium tanquam phantasma somno dignum abegit. Sed cum nusquam author appareret, rediit is ad suspicionem, cui ut satisfaceret, statuit noctem unam insomnem ducere; & fecit vulpe nihil noctante. Ille autem notavit vulpem intempestiva nocte, cum domesticos omnes sopitos judicâsset, anteriores pedes circo laxando erexisse, atque ita caput, etsi benè pressum ac contractum illo exemisse; tum verò ad triclinium se contulisse,* unde gallinam tum occisam deportans primò deplumavit, tum verò igni (nam in aulâ ignis superfuit) admovisse, versâsse, seipsa veru usam & denique semiassam vorâsse, relictis ossibus, quæ item callidè cineribus occuluit, ne statim domesticis apparerent; eo opere defuncta & satur collum circo inclusit, & postero mane modestiam suam induit. Hoc si ita se habet, ut præfatus Author narrat, certè astutiùs nihil in animante cogitari potuisset.

Vulpes Hyberniæ valdè astuta.

Singularis

§. IV.

Singularis Obſequentiæ, Fidelitatis ac Reverentiæ erga homines in Quadrupedibus Exempla.

Elephas Pontifícem Max. ſalutans. 1. Inter alia ſingularis comprimis reverentiæ erga homines Exempla de Elephantis initium facere libet. Refert *Hieron. Oſorius lib. 9. de geſtis Emanuelis* Regis Portugalliæ, hunc Anno 1514. Elephantum Romam ad Leonem X. Pont. Max. miſiſſe, quem dum ille præteriens è feneſtrâ proſpicientem obſervavit, ter genibus flexis, & dimiſſo corporis habitu venerabundum ſalutâſſe. Narrat etiam *Pierius* de hoc Elephanto (qui *Hannonis* nomen habuit) quod nullâ vi aut ratione adduci potuerit, ut navem conſcenderet: quandò autem inſinuatum illi fuit Regis voluntatem eſſe, ut ad primum Orbis Dominum ac Principem duceretur; ultrò & continuò paruerit.

Elephanti Regem Pegu venerantes. 2. In Regno *Pegu* bis ſingulis diebus è ſtabulis emiſſos Elephantos Regem in aureâ ſellâ ſedentem præterambulando venerari ſcribit *Caſpar Balbus Venetus in itinerar.* hoc verò modo: præcedunt nempe magni quatuor albi; reliqui ordine ſequuntur; promuſcides in altum tollunt, ora diducunt, ter conclamant, in genua procumbunt & rurſum erecti in ſtabula redeunt.

M. Mogor ab Elephãtis honoratur. 3. Cum M. Mogor aliquando nominalem ſuum celebraret diem, Elephantorum pulchrè & pretioſè veſtitorum duodecim ferè cohortes prætereundo Regem adoraſſe ſcribit *Eraſm. Franciſci* Oſt- und Weſt-Indianiſchen Staats-Garten *pag.* 1447.

Elephas obediens & venerans Regẽ Luſitaniæ. 4. In Urbe *Cochin* Elephantem fuiſſe narrant, qui operas diurnas ad portam & res marinas præbere ſolebat. Hunc verò ſatis feſſum nihilominus Præfectus aliquando urgebat, ut Liburnicam porrò in mare deduceret. Ille abnuebat: ſed alter multis iiſque blandis verbis inſtabat ſed Elephas ſemper abnuebat; quouſque tandem in Luſitani Regis gratiam ut faceret, rogare cœpiſſet; hinc motus duo hæc verba ingeminavit *Hoo Hoo*, hoc eſt: *Volo, Volo*: & ita ſine morâ navim traxit in mare. *Chriſtoph. à Coſta in Hiſt. Indicâ.*

Elephanti honorant eos, qui ſtrenas dãt. 5. Calendis Januarii, ut refert *Joan. Hugo apud Nierenberg. lib. 9. Hiſt. natur. cap.* 88. Elephantiſtæ *Goæ* ad Proregem Archiepiſcopos & Officiarios alios Xenia pro more loci petitum, oſtiatim circumeunt cum Elephantis ſuis. Ad quorum aulas ſeu portas ubi deventum eſt, Elephanti cum quadam quaſi humanâ reverentiâ ſe incurvant modicè primùm, deinde verò ſi quid ſtrenæ aut munuſculi acceperunt, in genua ſe totos demittunt, quaſi gratias dicturi pro honorariis, quæ Magiſtris ſuo (ut perſuaſum habent) nomine collata ſunt. Poſteà quoque à longo tempore, quoties ædes illas obiter pertranſeunt, ad januas illorum capite annuunt, & veteris benefacti gratiam memores renovant.

Elephantorum pugna reverentialis. 6. De pugnâ Elephantum cum ſingulari quodam reſpectu ac reverentiâ ad Regis Mogorum ſive Mogulum præſentiam hæc admiratione digniſſima refert *Kircherus Chin. illuſt. part. 2. cap. 5. bis verbis*: Si quandoque Rex ad ſolitas animi relaxationes ſe confert, ingenti equitatu aſſociatus ipſe Elephanto magnitudinis inſolitæ vehi ſolet, cui tapes aureus inſternitur, unà cum throno inæſtimabilis pretii apparatu inſtructo. Bellua verò ſe regiâ majeſtate onuſtam ſentiens proboſcide, auribus, pedibus, annulis, armillis aureis ornata dici vix poteſt, quàm ſuperbiat, quàm ſibi ex hujusmodi ornatu complaceat. Ubi verò ad locum recreationi deſtinatum pervenit, ibi complures Elephantes ad pugnandum dextrè inſtructi, prius genu flexione in debitæ reverentiæ honorem Regi exhibitâ, quaſi rationis compotes varia promuſcidis agitatione ſalutem & felicitatem imprecari videntur: deinde ad pugnam dato ſigno committuntur; ubi ad ſtuporem omnium belluarum in pugnando dexteritatem, atque plenam ſollicitamque ob Regis præſentiam in victoriâ obtinendâ ambitionem quâdam cum admiratione videre eſt. Pugnâ verò, ne acriùs pugnando ſe interimant, ſigno dato finitâ pacis fœdus reciproco quodam proboſcidum complexu ineuntes ſe ad quietem componunt. In præmium verò concertationum mox illis ingentes arundinum ſaccarearum faſces, quibus libenter veſcuntur, cum cœteris pabulis ipſis gratis apponuntur: Spiritum quoq; vini, quem aquam vitæ vocant, ex Saccharo elicitum ad bibendum, quo ipſis nihil gratiùs accidere poteſt, porrigunt.

Bucephalus Alexandri M. 7. *Bucephalus Alexandri M.* equus, cum aliàs ab equario molliter ſederetur, accepto regio ornatu neminem unquam præter Dominum vehere dignatus eſt. Ipſum autem Alexandrum, cum conſcendere vellet, ſponte ſuâ genua ſubmittens excipiebat, ut crederetur intelligere, quem admitteret ſeſſorem. Id verò de Equo hoc valde adhuc memorabile eſt, ſicut Agellius refert, quod cum eo vectus *Alexander* bello Indico in hoſtium cuneos incautiùs penetrâſſet, conjectiſque undique telis equus confoſſus eſſet; nihilominus moribundus peneque exanguis è mediis hoſtibus curſu vivaciſſimo Regem ferens extrà telorum jactum extulerit, ac quaſi Domini jam ſuperſtitis ſecurus, cum ſenſûs ſolatio animam exhalârit. In cujus rei gratam memoriam Alexander eo bello victor Urbem eo loco condidit, quam de Equi ſui nomine *Bucephalon* appellavit.

Equus valde fidelis. 8. In bello Punico ſecundo, ſicut Antiqui memorant Hiſtorici, gravi illâ Cannenſi clade eques Romanorum *Cœlius* fuit vulneribus confectus, & inter mortuos relictus. Mane facto *Annibal* pugnæ locum petit, ut oculos tam immani cæſo-

rum ſpectaculo paſceret. Cælius moribundus ad ſtrepitum caput & linguam movens extremam vocem animamque cum gemitu effudit. Agnovit vocem Domini ſui equus, cui *Numida* juxta Annibalem inſidebat, aures arrigit, ſeſſorem proſternit, currit per cadavera & ante Dominum jam mortuum conſiſtit colloque & armis ſubmiſſis invitat ad ſcandendum diro illo Annibale fidem animantis admirante.

Canis Heri occiſorem detegens. 9. Fideliſſimum ante omnia animalia Canis, inquit *Plinius lib. 8. Hiſt. nat. cap. 40.* recitans exempla complura, quæ apud ipſum videri poſſunt, nos tantùm pauló recentiora producemus. *S. Ambroſius lib. 6. Hexam. cap. 6.* canem Hero ſuo valde fidelem ita deſcribit. Antiochiæ ſub veſperam civis ſolo cane comitatus domo egreſſus à latrone ex inſidiis confoditur & omnibus exutum, nudum ac ſaucium cadaver deſtituitur. Non tamen herum mortuum canis deſeruit; ſed fidus cuſtos totam noctem ei adhæſit, viciniam omnem ejulatu & latratu infeſtans. Dum ſole exorto ingens hominum turba confluxit, qui hominis adeò truculenter occiſi ſortem miſerati, inſuper canis illius fidem, qui loco dimoveri nequibat, ſatis demirari non poterant. Cœteros inter, quo ſuſpicionem omnem à ſe dimoveret, homicida quoque accurrit; cum è veſtigio, mox ut hominem canis conſpexit, Leonis inſtar ferocire, atque hunc horrendum ac inceſſanter allatrare aggreſſus eſt. Nec hoc ſatis, ſed canis ſequeſtrato paulìſper doloris ſenſu (ut ait Ambroſius) arma ultionis aſſumpſit, inque eum toto impetu irruit, dentibus apprehendit, prenſúmque mordicùs detinens horribiles dabat latratus, quo ſpectaculo tota adſtantium corona attonita de homine quod ſuberat, ſuſpicari, & de facto ad carcerem duci juſſerunt, nec multò poſt juſtas homicidii pœnas perſolvit.

Canis inſidias hoſt ü detegens 10. Erat canis apud virum Principem, ut Juſtus *Lipſius cent. 1. epiſt. ad Belgas* memorat, qui caſtris Belgarum præerat; adorti quadam nocte 4000. Hiſpani deſtinati ad Principis tentorium ire, eoque potiri. Fallunt vigiles nec longe à tentoriis, ſed canis ſagax in vultum dormientis inſilit, ſcalpit pedibus & excitat; qui audito demùm ſtrepitu ægre ſe è manibus propinquantium eripuit.

Amor Canis mirus. 11. In aulâ ſua paternâ aliud domeſticum Exemplum *Idem Lipſius* ita narrat; *Margaretha Eeckbuſia* avia canem habuit rufulum ex eorum genere, qui cuniculos ſubterraneos ſubeunt. Is toto tempore valetudinis, quæ aviæ ſuprema fuit, à lecto non abſcedere, nec depelli quidem poterat. Cum verò obiiſſet, ille ululans & caudâ reducta in hortum ſe proripuit, ibi ſub corylo arbore pedibus ſcrobem leviter effodit, ſe impoſuit & ſpiritum depoſuit. Hæc totâ Familia ſuâ teſtante geſta eſſe *Lipſius* aſſerit.

Alterius canis amor 12. Ex oculatis quoque teſtibus ſcribit *Nierenbergius* in Belgio mortuo filio Marchionis *Cannetenſis* canem ejus ſe in ſepulturam unà immiſiſſe terrâ condendum; violenter verò extractum nunquam ex loco ſepulchri diſcedere voluiſſe *lib. 9. Hiſt. nat. cap. 40.*

13. Admirabilius videtur quod narrat *Michael Voſmer. in vita Comit. Holland. Florentio V. Hollandiæ Comite* inter venandum à perduellionibus pluſquam 20. vulneribus confoſſo canes venatici cadaver comitabantur & cuſtodiebant. Demùm in navim repoſitum ut Alcmariam deferretur, eandem ingrediebantur ab omni cibo aut potu alieni. Funus in templum illatum proni venerabantur & aſſiduo deſiderio Domini ſui, donec, per vim repellerentur, ægrè vitam ſuſtinebant. Simile exemplum Canis venatici recitat Scaliger de ſubt. *ad Cardani exercit. n. 6.* Allud quid de Cane Gallico *lib. 17. cap. 32.* Ibidem. Canes venatici cadaver Heri comitantes.

14. Cum aliquando Romæ animadverſum eſſet in *Titium Sabinum*, ejusque familiam, jacerentque cadavera jugulatorum; unius ex his canis ab Heri latere avelli nunquam potuit, ſed mœſtos ululatus magna admirantis populi coronâ edebat; cumque cibum projeciſſent quidam, ille ad os defuncti detulit, & deinde cadavere in Tiberim projecto adnatare canis & Dominum ſuſtinere conabatur. Ita *Ex Plinio Patritius lib. 3. cap. 6. de Regno.* Canis etiam poſt mortem amans Herum.

15. Canes aliquando etiam Dominos deſeruiſſe & ſponte aliis ſe ſubdidiſſe non ſine prodigio notavit *Juſtus Lipſius loc. ſupramem.* Nam cum bellum, inquit, inter Helvetios Galloſque eſſet, canes ingenti numero, qui heros ſuos ſecuti fuerant, paucis diebus ante prælium relictis Gallicis, caſtris Novariam & in Helvetiorum ſtationes veniſſe narratur, eorumq; pedes lambendo & caudâ adulando, quaſi futuri eventûs præſcios ſeſe mox victoribus ſubmiſiſſe. Quo velut divinitus oblato prodigio Helvetii animati alacriter in prælium, manuſque vénêre & nobilem illam victoriam peperêre. Pari modo Anno proximè præterlapſo 1691. ante ingentem illam cladem Turcicam propè *Salanckemen* à Chriſtianis feliciter factam Equi Turcici magno quoque numero ultrò in Chriſtianorum caſtra profugerunt, ipſis quaſi Dominis ſponte ſeſe ſubmittentes & victoriam prædicentes. Plura alia mira & curioſa Exempla de Canum fidelitate, obſequentiâ & reverentiâ ergà Heros inveniet Lector apud *Schot phyſ. curioſ. lib. 8. cap. 9. Happel. Mundi mirab. Tripart. part. 3. lib. 1. cap. 4.* & alios. Canes prodigioſè Dominos mutantes.

16. Singularis reverentiæ & obedientiæ Exemplum in Lupo furaciſſimo animali recitat *Hugo Præmonſtratenſis Abbas in vitâ SS. Patris noſtri Norberti cap 73.* petiit aliquando puer ovium *Paſtor* à *S. P. Norberto* ſibi dari adhuc canem in gregis cuſtodiam: Cui *Norbertus* reſpondit: cum Lupus advenerit rapueritque ex grege aliquid; Lupus obediens reddit ovē

quid; jubeto nomine meo, ne illud attingat. Paruit *Norberto* puer, ob id etiam Lupus paruit puero. Revertens ad gregem advertit lupum in gregem jam irrupisse, ovemque raptam abstulisse; Sed puer præcepti memor mox cursu prædonem persequi & inclamare imperiosissimè cœpit, ut Domini ovem dimitteret, sic Dominum mandare. Auditâ hac voce lupus ovem illæsam reddidit.

Lupus depositâ feritate mansuetus fit.

17. Aliud adhuc magis admirandum singularis submissionis & obedientiæ exemplum in Lupo videre licet *in Chron. Minor. lib. 10, cap. 29.* quod ità se habet. Lupus quidam fame rabidus civitatem *Eugubinam* infestabat, ut tutò solus, nec etiam fere adjuncto comite quisquam egredi posset. Auditâ hac sævitie *D. Franciscus* Urbem ab incommodis liberare statuit. Prodiens ergo in campum, vix in conspectum belluæ venit, & illa in eum irruere tentavit: At S. Franciscus hostem ultrò provocans signo crucis mirabiliter compescuit: Nam statim caput dimittens in agnum quasi mutatus ad S. Viri pedes se prostravit, increpans deindè vir sanctus, & expositis civium querelis castigans lupum, de injuriis imposterùm inferendis dehortans pacis conditiones inter ipsum & cives has obtulit: Ut nempè posthac nulli damnum inferret, cives ei non nocerent, sed injurias oblivisc erentur; Addidit fore ut alimenta nunquam deessent. Post hæc audita & velut intellecta Lupus capitis inclinatione, aurium, caudæ & totius corporis gesticulationibus annuebat, ut signis ejuscemodi omnia approbare videretur; quin & petenti dexteram in signum fœderis S. Viro dextrum pedem porrexit invitantemque in oppidum, ut coram pacta & conditiones firmaret, velut agniculus secutus est. Facto totius populi concursu S. Franciscus severam de inferni rabie, in peccatores ardentisque fornacis voraciori rictu concionem habuit; postquam conditiones initas cum Lupo proposuit; quibus à civibus approbatis & confirmatis Lupus poscenti S. Francisco pedem inspectante & plurimùm obstupescente populo rursùs elevavit & in ejus manu reposuit. Deinceps autem Lupus quotidie blandissimi canis instar urbem obivit, atque ad singulorum fores subsistens alimenti sui portionem ostiatim emendicavit: Quocunque etiam veniebat gratissimus cum applausu in omnium ædibus excipiebatur. Quod autem magis adhuc mirandum, nullus eum unquam canis allatravit, nulli & ipse ferox visus est. Duos annos id tenuit miraculum: Posteà lupus cum magno populi luctu vivere desiit. Hinc certè patet, eos, qui Dei nutibus omninò se subdunt, creaturas etiam quantumvis sævas ad nutum reddere sibi subditas, & obsequentes.

§. V.

Exempla Amoris, beneficentiæ, gratitudinis, & recompensationis beneficiorum in Quadrupedibus.

Leo Androclo servo beneficus.

1. Memoriæ vim admirandam, quæ beneficia recognoscat & cognita recompensare studeat Brutis animantibus rationis expertibus inesse sine ulla arte vel industriâ, atque adeò solius naturæ instinctu multa declarant exempla, quorum aliqua nunc ex probatissimis quibusdam Authoribus recensere cupimus. Nota comprimis est Historia de *Androclo* (quem tamen *Gellius Androcum, Ælianus Androclem* appellant) servo à Leone rarò beneficii compensationis exemplo conservato, quam *Ælianus lib. 7. de Anim. cap. 48. Aulus Gellius Noct. Att. lib. 5. cap. 14. Schottus Phys. cur. lib. 8. cap. 44. §. 8.* recitant, itaque se habet. Romæ in circo maximo venationis amplissimæ pugna populo dabatur; multæ ibi sævientes feræ magnitudine bestiarum excedentes, omniumque inusitata aut forma erat aut ferocia. Sed præter alia omnia Leonum immanitas admirationi fuit præterque cœteros unus aliquis corporis impetu, terrifico fremitu & sonoro, toris comisque cervicum fluctuantibus oculos, animosque omnium in se convertit. Introductus inter cæteros complures ad pugnam bestiarum Dacus servus viri consularis, cui nomen *Androclus*, quem Leo ille, ut procul vidit, repentè quasi admiratus stetit, ac deindè sensim & placidè tanquam noscitabundus hominem accedit, tum caudam more adulantium canum clementer & blandè movit, hominisque se corpori adjungit, cruraque ejus & manus propè jam exanimati metu linguâ leniter demulsit. *Androclus* inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat, paulatimque oculos ad contuendum Leonem refert, tùm quasi mutuâ cognitione facta lætos & gratulabundos videres hominem & Leonem. Quare tam admirabili excitati sunt populi clamore, vocatusque à Cæsare *Androclus* causam tàm inusitati spectaculi respondit fuisse, quod cùm Provinciam Africam Dominus ejus Proconsul rexisset, ipse quotidianis flagris ejus ad fugam coactus in sylvam & specum concesserit, quo deindè Leo iste accessit cruento pede gemitus edens: *Ego, inquit, tremui totus, sed Leo viso me mitis accessit, sublatum pedem porrexit, quasi opem postularet. Ego stipem ingentem vestigio ejus hærentem avulsi, conceptamque saniem expressi: ille pede inter meas manus deposito recubuit paulisper & convaluit, atque ex eo die ego & Leo eodem specu, eodemque cibo viximus triennium. Nam ferarum, quas venabatur, opimiora membra ad me in specum deferebat. Sed cum tæderet me vitæ illius ferinæ, indè etiam fugi, & deprehensus à militibus Domino meo Romæ redditus sum,*

qui ob fugam me ad bestias damnavit. Intelligo autem hunc *Leonem interim captum, nunc beneficii gratiam mihi referre.* Simile ferè est, quod scribit *Camerar. Centur. 1. hor. succis. cap. 22. Helpidi Samio*, quod cùm ex gutture Leonis os evulsisset, tamdiù gratiam ex venatione retulit, quamdiu cum navi in littore stetit.

Leones alii benefici. 2. De *Gottefredo Bouillonio*, qui Palæstinæ recuperator extitit, fertur, eum aliquandò in Leonem incidisse luctantem cum Serpente, qui spirarum volumine ità leonem adstrinxit, ut propè mortem esset. Exemit ergò ensem, & serpentem in frusta dissecuit. Cui beneficio gratus Leo eum quocunque sequebatur etiam venatum catulum ipse agens, sed cùm Gotfredus aliquandò navem repetens nollet Leonem admittere, hic se in aquas præcipitavit etiam invito obsequuturus, usque dum occurrentibus nautis cum scaphâ extractus est. *Baro Natur. mirac. area 4. §. 1.* Similem aut eandem recitat Historiam *Sperlingius in Zoologiâ physicâ lib. 3. cap. 2. ex Nierembergio* de Nobili Hispano, qui leonem luctantem cum Dracone liberans, eundem deindè, quocunque iret, obsequiosum comitem habuit. Navim verò dùm conscenderet Hispaniam repetiturus Leonem in littore reliquit; is primùm rugitu aliisque signis dolorem ob discessum & relictionem ostendens, deindè in aquam se conjecit, eundemque natatu tamdiù secutus, quousque ex luctâ cum fluctibus defatigatus submersione tandem periit. Persimilem adhuc historiam refert *P. Damianus Epist. 5.* Veneti, inquit, institores mare Adriaticum remigantes haud procul à littore ingentem draconem intuentur Leonem complexu tenentem, eumque ad antrum suum inextricabilibus nodis pertrahentem. Cœterùm qui huic spectaculo supervenerant, miserantes vicem Leonis audenter arma corripiunt, Draconem perimunt, leonem liberant & abire permittunt. Sed Leo gratum se exhibere volens, quotidiè pellem unam captiâ se animalis advexit, quoad illi eo loco remanserunt.

3. Famosa est præ omnibus Historia apud *Sophronium in prato spirit. cap. 107.* de Leone, qui ob spinam sibi evulsam à *Gerasimo* Abbate, à cœnobio illius recedere noluit, eoque mortuo magno quoque rugitu & ipse exspiravit. Ità etiam scribit *Ravisius Macarium* Confessorem in desertis nemorum locis vicinam cellæ suæ habuisse Leænam, cujus catulis cæsis cùm restituisset visum, feram obsequii memorem eidem pelles ovium & pecudum, quas venabatur, attulisse. Divo etiam *Hieronymo* Leonem ad omnia paruisse, quod spinam è pede aliquando evulsisset; imo Asello ducatum ad pascua instar agasonis præbuisse; scribit *Marulus lib. 4. cap. 5.*

Pantheræ gratitudo. 4. Panthera licet dicatur esse animal præter morem ferox, scit tamen his gratiam rependere à quibus beneficium novit acceptum. Ità *Eborensis in Exempl.* narrat. Cùm Pantheræ catuli in fossam cecidissent, mater in viam publicam profecta hominem transeuntem conspicata, apprehensâ ejus veste ad locum, in quem ceciderant catuli, deduxit; & licet homo trepidaret, quia tamen feræ violentiis resistere non poterat, cessit; pervenit ad locum, ubi causam sui adventûs intelligens, catulos è foveâ eduxit, illæsos matri restituit. Cujus meriti ut illa gratiam referret, per totum iter hominem est comitata, eumque ab aliis feris & hostibus defendit. Scribit etiam *Ælianus lib. 6. Animal. cap. 2.* Pardum à teneris consuevisse cum hædo, tandemque hœdum à Domino studiosè laniatum & pardo famelico ad edendum fuisse projectum; Pardum nihilominùs ab hoc suo contubernali abstinuisse, nec ut eum depasceretur ullo impulsu induci potuisse.

5. Insigne amoris & beneficentiæ in quadrupedibus exemplum recitat *Athenæus lib. 13. Dipnosoph. cap. 30.* & ex ipso *Lipsius cent. 1. Epist. miscellan. ep. 50. Schottus phys. cur. lib. 7. cap. 19.* Antigono Regi Elephantem fæminam fuisse nomine Nicæam: *Huic Elephanti*, ut inquit *Athenæus*, *cùm ministraret Indi mulier; filium suum, qui cùm trigesimum diem agebat, apposuit: posteà verò mortuâ muliere miro quodam amore pueri bellua capta fuit: Neque enim seorsim esse ab infante patiebatur, ac nisi puerum videret, molestè ferebat admodum: Cum igitur nutrix ipsum infantem lacte saturavisset, illum inter pedes feræ in scaphâ quadam ponere consueverat. Quod nisi fecisset, elephas pabulum capere nolebat; ac posteà per totum diem calamis & pabulis sibi appositis eo præsente vescebatur. Cùm dormiret infans, muscas abigebat: Ubi verò lugeret, scaphum promuscide motabat, puerumque dormire faciebat sæpius.* Elephantis amor & beneficentia in puerum.

6. In Urbe *Goâ*, sicut *Acosta* refert, elephas erat, qui annuo furore correptus, dum ruptis catenis vagaretur, servulum infantem ulnis gestantem in ædes proripisse relicto infante videt; hunc elephas attollit, in tectum vicinum securè collocat, & iter prosequitur. Interpretati verò sunt omnes ex veteri beneficio pepercisse, quod illius mater transeunti subindè panem & fructus obtulisset. Gratitudo Elephantis.

7. Narrat *Joannes Busæus lib. de vitiis tit. de Ingratit.* in Assyriâ se lyncem habuisse, quem aliquamdiu nutrivit, ità benevolum & affectum ergà eum, qui curam illius gerebat, ut abeuntem aliquando & redeuntem velut complecteretur atque oscula figeret; imò abeuntem oculis prosequeretur, mœstusque sederet in eam partem, quà iverat prospiciens donec rediret. Quin cum ad castra Turcica trans mare profectus fuisset, desiderii vim continuâ ægritudine testabatur, sic ut post inediam paucorum dierum interierit. Lyncis mira benevolentia.

8. De Lupo beneficium requirente ab homine, & datum recompensante memorat *Cæsarius lib. 10. cap. 66.* & ex ipso *Stengelius Mundi Theorit. part. 1. cap. 22.* sequentia: *Lupus aliquando puellam adultam invasit, dentibus brachium illius tenens, quam cùm secum traheret, quoties illa clamare cœpit, clamantem* Lupus beneficus.

mantem duriùs preßit & tacenti pepercit. Quid plura? ducta est ab eo in sylvam ad alium lupum, cujus gutturi os fuerat infixum, qui cùm nimis torqueretur, per os alterius lupi manus puellæ in guttur biantis mittitur, à quâ os, quod inhæserat, extrahitur; Sanatus verò mox cum suo collega puellam ad villam propriam reduxit.

Lupi gratitudo in fidejussorem. 9. Fama est, ut inquit *Strabo lib. 5.* celebrem admodùm fuisse quempiam, qui sponsionibus faciendis facilis esset, quæ ex re & hominum jocis carperetur. Is in venatores aliquandò incidit, qui irretitum haberent lupum, & illis per jocum rogantibus; vellet ne pro Lupo vademsse constituere, ut illata ab eo persolveret damna, sic è retibus belluam dimissuros: fide jussurum sese confessus est. Emissum deindè Lupum, magnum equarum armentum nullo notatum cauterio ad fide jussoris stabulum adduxisse. Eum recepta gratia equabus lupi notam inussisse: Indè Λυκοφόρος, sive lupiferas nominasse velocitate magis, quàm pulchritudine præstantes. Cujus successores & signum & nomen equarum generi servârunt, atque solis eis stirps ipsa legitimè perduraret, fœminam nullam alienare voluerunt. Genus verò iterum deindè intercidisse notat *Idem Strabo ibidem.*

10. Admirandæ beneficentiæ & amoris exemplum in Caprâ desertum infantem lactante recitat *Procopius lib. 2. de bello Gothico* his verbis: *Cùm in agrum Picenum Romanorum exercitus Joanne Duce venisset; ingens, ut par erat, ejus regionis homines terror invaserat. Fœminæ itaq; cùm derepente fugam capesserent comprehensæ partim indecorè & turpiter agerentur; quædam edito partu & pannis ut licuit, involuto sive profuga sive rapta nusquam comparuit. Infantem vagientem capella quædam advertit & miserata (nam & ipsa recens fœtum ediderat) ubera illi sugenda præbuit, cavens diligenter, ne quis canis, aut alia bestia eum offenderet. Labente tempore compositis rebus Picenorum domos suas repetunt, ubi fœminæ puerum adhuc superstitem conspicatæ, cœperunt singulæ arripere, & admotâ mammâ lactare, puero autem lac humanum omninò respuente, capella mox adfuit, & crebriori balatu fremens hunc circumibat, ut etiam ægrè ferret mulierum consessum circà infantem; Unde ipsa eum alere perrexit, & puer Ægisthus dictus est.* Testatur etiam *Procopius*, cum illuc iter faceret, incolas eum ad puerum duxisse & de industria infestâsse, ut vocem ederet gemebundus, tum verò mox capellam, quæ ad jactum lapidis aberat, festinam ac balantem accurrisse, ut auxilium adferret. Notissimum quoque exemplum est ex antiquis Scriptoribus *Romulum* & *Remum* infantes à *Rheâ Sylviâ* virgine Vestali editos *Amulii* jussu in Tiberim projectos fuisse, & à Lupâ beneficâ servatos, Romam postmodùm pastorum auxilio condidisse. Testatur etiam *Ælianus l. 13. de var. histor.* Atalantam à patre expositam ab Ursâ susceptam & enutritam fuisse.

§. VI.

Vindictæ & ultionis in Quadrupedibus Exempla.

1. Virtutis memorativæ in Quadrupedibus ad vindicandas injurias tam sibi, quàm aliis illatas varia legimus exempla apud Historicos, quorum aliqua hîc nunc breviter etiam in medium producere libet. Severioris comprimis vindictæ & ultionis exemplum memorabile in *Leone* ob catulum molossi, quem amabat, à Leænâ interemptum narrat *P. Hieron. Baptista de Lanuza in suo Quadragesimali hom. 23.* hunc in modum. Valentiæ in urbe Hispaniæ percelebri, ejusque palatio regio alebantur Leo & leæna cum quatuor catulis, quos ibi genuerant. Amabat autem Leo valdè catulum molossi, cui sibi ad dilaniandum objecto pepercerat; ejus ludibundos insultus, pedibus ictus, ore morsus gratos & jucundos habebat, cumque eo vicissim ludebat. Cùm portio carnis daretur, abstinebat tamdiu, donec catellus cibum suum præripuisset; indignata est super hæc, quæ per annum viderat, leæna, sive ex invidia, quod præ suis catulis amari putaret canem, sive ex Zelotypiâ non posset basiationes atque amplexus catelli in marito suo perferre. Itaque cùm aliquando Leo ad latus paulò discessisset, ipsa catellum uno injecto ungue interemit. Reversus autem Leo, dum cadaver amici conspexit, mox unguibus & ipse Leænam invasit & discerpsit. Catuli matre amissâ, & ipsi matris ulciscentes mortem suis verendis ungues injecerunt, easque evulserunt & deindè expirârunt. Ipse verò Leo senex suam videns orbitatem, ab omni imposterum cibo abstinuit, & partim ex mœrore, partim fame mortuus est. Leonis vindicta ergà leænam.

2. Memorabile rursum exemplum vindictæ Leoninæ de Ursâ ob illatam injuriam narrat *Ælianus* & ex ipso *Baro in Nat. mir.* quod ità se habet. Ursa in Leonis lustro catulos, qui per ætatem se tueri non poterant, interemit. Parentes ex venatione recurrentes, dum catulorum cædem vidissent, ursam insecuti sunt. Hæc leonis furores vitans arborem conscendit, & leæna secùs arboris truncum consedit; Leo autem furore plenus per montes vagabatur, donec materiarum fabrum offendit, è cujus manibus ob timorem Leonis securis decidit, Tum Leo blandè ipsum complectebatur, linguaque faciem ejus abstergebat, quam benignitatem faber observans suis rebus fidere cœpit, Leo hunc caudâ amplexatus ducebat, denique illum ad lustrum duxit, ubi mortui catuli jacebant, posteà hunc impellebat ad aspiciendam ursam in arbore sedentem, & ad illam arborem cædendam invitabat. Faber hoc intellecto arborem excidit, tunc ursam delapsam Leo & leæna dilacerârunt. Leoninæ vindicta de Ursâ.

3. Ferunt & *Jubæ* Maurorum Regi, ut idem *Ælianus* narrat *l. 2. Anim. c. 5.* præstantis animi juvenem fuisse comitem, dum per Africæ deserta rerum suarum componendarum studio cum exercitu proficisce- Leonis vindicta in juvene ob vulnus inflictum.

ficifceretur; obvium verò in itinere illo leonem à juvene illo præfato fagittâ percuffum in fylvam receffiffe. Succedente verò anno cùm *Juba* rebus ex voto compofitis eâdem viâ copias reduceret, eundem illum leonem obfervato juvene, à quo vulnus acceperat, unum è tam magno militum numero violentiffimo curfu hoftiliter aggreffum nullâ vi cohiberi potuiffe, quin eundem miferabiliter dilaceraret, nemine ex aliis læfo, atque ex ultione contentum difceffiffe.

Elephas vindicans injuriam de hordeo fubtracto. 4. In Elephantibus manifefta perfæpè vis ultrix in maleficos & injuriofos illata patuit. Ità *Æliano* referente *lib.6.cap.51.* cùm aliquando is, qui Elephanto hordeum admetiendi procurationem habebat, hordei partem fubtraxiffet, illi tamen debitam menfuram cumulatè fervâffet, lapidibus ejus loco fuppofitis, ut Dominum utriusque, fi quandò vidiffet, falleret. Elephas videns eum aliquando polentam coquere, probofcide fabulum collegit, deindè in ollam infudit, injuriam illatam vindicans.

Elephas verbera diutina vindicans. 5. *Michaël Glycas* narrat *in Annal. 1. part.* Elephantem, cum in circum deduceretur, fedentem in foro militarium magiftrum ferarum fubitâ irâ interfeciffe: caufam verò aliam violentiæ hujus non fuiffe, quàm quod idem ille Magifter eum antè decennium eo loco, ferro feverius percuffisfet; quam injuriam fibi tot annos recondiderat.

6. Aliud Elephantinæ vindicationis exemplum recitat *A Cofta Medicus Hifpanus.* Miles, inquit, putamen vitis in urbe Cochin in Elephantem conijcit. Ille tollit ftudiofè & condit: Poft dies paucos militi obvius, idipfum in faciem ejus magno eijcit rifu, & exultabundus abit.

Elephas ludicro fpectaculo fe vindicans. 7. Eâdem in urbe, ut idem *A Cofta* refert, miles Elephanto obvio cum Rectore detrectavit illi cedere. Elephas in fui & Rectoris contumeliam factum hoc interpretatur, ulcifci tamen à Rectore prohibetur. Poft aliquot dies in ripâ fluminis *Mangaræ*, quod urbem alluit, militem otiofè ambulantem reperit, & cùm rector non adeffet, corripit illicò hominem, in altum tollit, nec precibus, nec clamoribus motus aliquoties flumine mergit, elevans fubindè ac demittens, cumque lufum eum fatis diù lufiffet, eâ contentus vindictâ hominem vitæ fuæ diffidentem, illæfum tamen iterum loco eo, undè fuftulerat, reftituit & abit.

Elephantis vindicta de Adulteris. 8. Vindicant etiam Elephantes feverè injurias Dominis fuis illatas. Præclarum ejusmodi vindictæ exemplum refert *Ælianus* eveniffe nempè *Romæ* Imperatore *Tito*, ut uxor Elephantiftæ cum alio mœcharetur. Vidit Elephas, & Domini injuriam non ferens utrumque dente transfigit. Deindè ità copulatos relinquit; dumque Dominus adveniret, ftragulo retecto facinus oftendit & fe ultorem. Simile de Magiftro adulterante refert *Idem lib. 3.c.17.*

Elephas furem prodit. 9. Addam præcedentibus exemplum recentius de mirabili cujusdam Elephantis erga furem animadverfione, prout refertur *Ephem. Germ. Cur. Decur. 2. An. 8. Obferv. 161.* Quidam Elephantis ductor vel cuftos aliquam magnam belluam quæftus lucrique gratia fpectandam circumduxit, venitque etiam *Amftelodamum* in Hollandiam; illic quoque fit magnus hominum concurfus ad hanc belluam videndam, quæ varia mirifica peregit. Hoc autem comprimis notatu, memoratuque dignum eft. In ifta hominum turba, ubi folent mali effe mixti bonis, furesque honeftis, cujusdam fœminæ à latere folvitur catena argentea unà cum aliis pretiofis appendicibus: Hæc jacturam illam, furtumque fuæ catenæ animadvertens, gemitu & planctu indicat. Cuftos belluæ iftius rei certior factos jubet belluam circumire quæfitum furem. Bellua dicto obediens circumambulat, fefeque fiftit coram quodam fplendidè veftito Domino. Cuftos ifthinc abigit belluam, rurfumque ut circumiret, mandat: Quo dicto fecundâ vice coram illo pedem figit; jamque tertia vice in coronam remeare juffus Elephas, & hoc circulo fuæ circum ambulationis abfoluto, rurfum coram dicto homine fubfiftit, eum promufcide fua vehementius trudens, ut in terram decideret. Quo cafu ex pera ejus catena argentea excuffa eft, furtumque manifeftatum: Itaque hoc Brutum hominem furti non folùm accufavit, fed & convicit, & in terram præcipitando quodammodò fupplicium fumpfit.

10. *Alexio* Imperatori Græcorum equus fuit Arabicus, ut inquit *Nicetas*, fulvi coloris, qui tyrannum fratricidam ab Ifaacii fratris cæde redeuntem idex fagacitate cognovit, dorfo excuffit, calce impetiit. De equis Mamalucorum in *Ægypto* fcribit *P. Jovius*, quod inter prælia hoftes morfu petant. Equus vindicans.

11. In Carpania, ut Author eft *Cæfar Heifterbach. lib. 10. Hift. cap. 74.* die vocationis multi difcipuli in fylvam fe contulerunt, ingreffique lupi antrum catulos omnes ejecerunt, eorumque pedes unusquispiam è turba bipenni amputavit. Reverfâ lupa vifâque catulorum ftrage, illicò ftudiofos infecuta, eum tamen folùm, qui facinus patraverat, jugulavit; quamvis & ipfa pofteà à cæteris interfecta fuerit. Lupinæ vindictæ exemplum.

12. Canis heri fui mortem mirâ interfectoris fui proditione vindicantis exemplum tradit *Patritius lib. 3. cap. 6. de Regno.* In palatio, inquit, Henrici Imper. cognomento Aucupis, in multo populo canis quendam confidentem confpicatus clam & tacitè accedens manum ejus dextram rabido morfu invafit quafi re bene geftâ, capite & caudâ plaudens ad fuos rediit. Mirati omnes, ille ultrò confiteri divinâ ultione merenti hoc fibi accidiffe. *Nam diutius factum, inquit, cùm herum hujus invaforis mei dormientem in viâ reperi, malo genio atque animo impellente occidi. Ibi iftum impugnantem, infequentemque vix evafi. Nunc cum oblivione fepultâ hæc cenferem, inopinatò me invafit & (DEO ità placitum) punivit.* Canis heri fui mortem vindicans.

13. Anti-

Alius canis interfectores Domini sui prodens.

13. Antiquius est, quod sequitur: *Pyrrhus* Epiri Rex iter fortè faciens, vidit interfecti militis canem heri sui cadaver per triduum sine ullo cibo custodire. Miratur & miseretur, illumque sepeliri jubet; hunc verò comitem sibi adduci jubet. Post aliquot dies exercitum lustrat Pyrrhus, canis verò ad pedes Regis quietus accubat. Sed cùm interfectores heri sui transeuntes observavit Canis, mox ingenti cum ferociâ eosdem insiliit & invasit identidem ad Pyrrhum se reflectens & quasi significans, illos esse Domini sui interfectores. Hinc Rex commotus atque alii cum ipso severè examinant, convincunt, plectunt. Simile est quod de *Hesiodo* insigni Poëtâ traditur, cùm à Ganyctoris filiis occisus esset, eos à cane indice mirabiliter detectos fuisse.

Exemplum canis alterius vindicantis Domini mortem.

14. Minùs adhuc antiquum est, quod etiam *D. Ambrosii* fide ac testimonio confirmatur. Antiochiæ miles quidam in publico interfectus jacuit incerto authore. Canis adstitit, tutatus est, latratu suo & lugubri voce populum attraxit. Verùm cùm magna hominum turba accurreret, ipse etiam percussor se immiscuit, quem canis mox agnitum insiliit, mordicùs tenuit, qui tandem crimen confessus pœnas luit.

Interfectio Domini mirè à cane prodita.

15. Sed omnia caninæ vindicationis exempla mirabilia hactenùs enarrata superare videtur, quod in Galliâ aliquandò evenisse testatur *Jul. Cæsar Scaliger Exercit. 202. num. 6.* ut ipsius etiam verbis hìc apponere libuit. *Offensus amici sive potentiâ sive perfidiâ quidam Regis aulicus eum ex insidiis obtruncat, atque in avio agro sepelit. Venaticus canis ibi tùm fortè comes hero fuerat, is amore victus diu sedit in tumulo: postea quam fames pietatem superavit, atque in aulam sine Domino reversus est, rati illius contubernales bestiam temerè vagari, cibum ei dare jubent. Satur ille ad tumulum redit: It, redit toties ut primum suspicio invaderet animos incerta quædam ac fluctuans; mox etiam certi esse sibi viderentur heri id fieri desiderio. Abeuntem prosecuti, deprehenso telluris tumore effossum cadaver atque agnitum afficiunt sepulturâ. Canis exequiis peractis socius fit eorum, quibus fuerat dux ad vestigandum. Tandem aliquando in aulam ubi homicida rediisset, eum canis conspicatus magnis illicò editis latratibus ægrè ab impetu cohibetur; quo tandem indice aucta suspicio in multorum animis certa fides evasit. Cœterum bestiæ perseverantia in illius odio atque persecutione etiam Regem movit, ut juberet hominem etiam causam dicere. Ille negari factum, persistere inficiatione. Canis ejus orationem latratibus atque assultibus obturbare, ut eam interpellationem pro facinoris exprobratione, quotquot aderant, interpretarentur. Eò res deducta est, ut jussu Regis homicida cum provocatore singulari certamine dimicaret.* Pictam deindè affert Scaliger canis victoriam in cœnaculo quodam Regio, & vetustate dilutiorem aliquoties restauratam, dignamque dicit Gallicâ magnanimitate, quæ ære fusili assequatur perpetuitatem. Meminit hujus Canis *Fournier Geogr. orb. not. lib. 6. cap. 16.* dùm ait: Vadicassii in palatio ad caminum insculptam legi fidissimi canis historiam, qui coram Rege Domini sui mortem ulturus percussori ejus Aulico cataphracto gulam fregit.

Catellus adulterum prodit.

16. De Catello adulterum prodente memorat *Ælianus lib. 7. Histor. Anim. cap. 21.* sequentia. Catellus Siculus adultero cuidam infestissimum se præbuit. Nam etsi adulteræ familia omnis corrupta faveret admisso adultero, tamen repentino mariti adventu necessarium fuit certo quodam loco adulterum occludere. Catellus totus fidelis vindicare volens injuriam hero suo factam nunquam cessavit ostium illud adlatrare, pedibusque fores convellere adnitens marito indicium fecit aliquid ibi latere mali: Reserato ostio inventus est adulter armatus, ut maritum proximâ nocte occideret adulteram ducturus.

§. VII.

Casus quidam & eventus mirabiles, ab ereptione ex ferocissimorum Quadrupedum periculis memorabiles.

Inter curiosa mirabilia exempla, quæ de Quadrupedibus hoc capite hactenùs adduximus, etiam casus quosdam verè mirabiles, omnique admiratione dignissimos his placuit apponere, in quibus non tantùm mira DEI providentia perspicienda, sed à nobis meritò collaudanda cognoscitur.

Mira ex tigridis & Crocodili præsentaneâ sævitiâ liberatio.

1. Ex itinerario comprimìs *P. Joann. à JESU Maria* Carmelitæ sequentem mirabilem producimus casum. Hic dum *Goâ* in Europam redux ad ostium fluminis Indi pervenisset, ibidem exscensione factâ quendam ex itineris sui comitibus præsentissimo vitæ periculo expositum miro & raræ felicitatis eventu salvum & incolumem recepit. Etenim ingens quoddam arundinetum paulò altiùs ingressus ingentem ibi crocodilum obvium habuit, qui hiante rictu eum jam in prædam sibi destinabat. Interim ex interioribus arundineti recessibus veloci cursu in eum fertur truculenta tigris. Quid misellus ageret inter tam immania monstra, quorum utrumque obviæ sibi prædæ inhiabat? Omni itaque humano destitutus auxilio ad aram divinæ misericordiæ per invocationem Deiparæ & Sanctorum confugit. Cùm ecce tigris velocissimo saltu priùs in eum insiliens, dùm se ictum declinans profundiùs incurvaret, illa saltu evanido rectà in rictum Crocodili fertur, qui uti apertis faucibus erat, itâ tigrim capite arripiens loco miseri hominis tamdiù attinuit, donec illa tot acutorum dentium ordinibus suffocata exspiraret, in quâ dilaniandâ tantoperè occupabatur Crocodilus, ut jam de nulla alia re sollicitus homini commodam evadendi præberet occa-

occasionem; qui divinâ protectione tàm lætus, quàm magnitudine periculi, omniumque stupore membrorum attonitus ad suos redux, quid sibi accidisset, exposuit; qui omnes debitas pro tanti muneris beneficio Deo Opt. Max. gratias reddentes infidâ statione relictâ iter suum profecuti sunt. Hanc eandem historiam referens *Kircherus Chinæ illust. part. 2. cap. 5.* Subnectit tandem: *Fides sit penes Authorem.*

Ex magno cum Ursâ periculo liberatus.

2. Admirabilem planè historiam de Venatore & Urso refert *Ludovicus Richeomus in libr. de valedict. animæ colloq. 12.* his verbis: Decimus hic admodùm est annus, inquit, cùm in Ducatu *Sabaudiæ* opifex *Nicodemus Valerius S. Albano* oppidulo oriundus venatui cum permissu Principis propter egregiam dexteritatem incumbebat. Hic cum nonnullis sui ordinis die quodam egrediens sclopeto instructus rupem vicinam conscendit, ubi quod Ursam enixam esse sciebat, eamque experientiâ suâ & jaculo ignivomo fretus cum catulis se consequi posse arbitrabatur, quodque locus præcipitio inaccessibilis esse videretur, solus ipse relictis sociis ad infimum montis penetrale descendit velut avis prædam suam persequens, ità quoque ipse spectatores suos in sublimi habiturus. Pergit ergò sine magna difficultate: Cùm ecce jam ad partem rupis inferiorem, loca paulò faciliora invenit, specumque mediâ ex parte vacuam, & naturâ, non arte cæsam ingreditur: Imminebat illa cavernæ ursorum, ità ut non difficulter ex eâ os & ingressum antri posset conspicari. Advertens ergò abesse non posse, quin mater simul ac adventum suum persensura foret, confestim sibi obviam exiret, clavam manibus prehendens salutaturus illam exspectabat. Cum ecce adest illa irâ fremens. At hic repente Longorium suum capiens, rectâ bestiam intrà utrumque oculum percussurus collimat, jamque propiùs accedente hoste, dum feliciter rem casuram arbitratur, rotam laxat, fallitur, aberrat, & jam pavere occipit. Quare necessitatem in virtutem commutans continuò bombardam velut in statione retinet, certus animal aut ferire aut saltem habitu illud suo terrere. Verum Ursa sclopo jam eluso bombardam ei manibus excutit & confestim impetu facto brachium ei dextrum invadit. Quid tum generosus ipse ac strenuus Sagittarius? Capit repentè in ipsa acie consilium & metu mortis jam imminentis mirificè impellente bestiam non aliter, quàm jumentum conscendit, sicque in horridum illud dorsum enitens, quantùm potest dexterâ pilos apprehendit, & instar canis venatici dentes in collum belluæ adigens animosè eam morsicat atque pervellit. Animal à novo hoc Equite gravari se & devorari etiam pungique indignans timore aucto, furore exæstuat, & cùm teneriarbitraretur, captivo eluctari studet, & rabidæ in morem feræ concitatissimo saltu de rupe in rupem subsultat. Ergò quantum importunius indomitus ille vector per saxa ruit, tantò ille fortiùs manu pilos stringit & dentes effreni infigit, non ut cursum illi adderet, sed quò firmiùs dorso inhæreret. Cùm itaque venator & præda per rupes ac nemora nunquam quiescentes vagari, ambo salutem suam deplorare, hæc ob onus suum exanimari, iste ob ascensum periclitari pergerent; ferebatur illa nihilominus rapidissimo saltu collum, dorsumque domitore suo tenente, cui & vires ad sustentandum se deficiebant, & modus descendendi non occurrebat, cùm ab uno latere finistrâ pro freno uteretur & alia ratione sibi opitulari non posset, metuens ne si defluxisset in partes à jumento tractus discerperetur. Capite ergò nonnihil elevato ubi nam terrarum feratur, in quemve locum delatus sit explorare gestit: Cum ecce ad marginem novi præcipitii rapi se videt, ad quod magno impetu bestia equitem suum, cui jam finistra ægrè sufficiebat, agebat. Hoc ergò consilio repentè capto & novo timore stimulatus & horrendum ob oculos suum conspicans cœmiterium sensim ac lentè, nec ut ante cum impetu quando ascendebat, in terram defluit. Hic jam Ursam novo horrore percitam, jamque sarcinâ suâ liberatam novum iter & transversum arripere, ingentique cum furore & fremitu per sylvas, nemoraque cursitare videns. Miser ergò ex vulnere saucius, mirificeque sibi periculum evitatum & à DEO juxtà auxilium sibi præstitum gratulans viam ad primam rupem capit, catulisque profugæ repertis, qui in exiguo loculo latitabant & matrem suam exspectabant, in prædam omnes aufert & sociis donat, cum quibus attonitus juxtà ac hilaris in pagum rediens spolium & livorem reportat.

Leo Henrico Ferreo obsequens paucit.

3. Henricus cognomento *Ferreus* Comes Holsatiæ Regi Angliæ *Edouardo III.* ob virtutem acceptissimus atque gratissimus fuisse dicitur. Indignabantur idcircò Anglorum proceres. Itaque absente Rege apud Reginam conqueruntur Saxonem hunc ignobilem multis nobilibus Anglicis præferri, cujus nobilitas vel Leonis periculo deprehendi queat; hunc enim natura internoscere nobilem sanguinem ab ignobili. Ergo Reginæ permissu Leo noctu laxatur, ut Henricum ante lucem auras captare solitum aggrederetur. Henricus de more seminudus baltheum cum gladio appensum gestans in gradibus Leonem habuit obvium; Cœterum interritus, Quiesce, inquit, quiesce ferox canis. Ad quod verbum Leo ad pedes ejus procubuit, quem deindè ille

ille incolumis reduxit ad caveam. Ità *Crantzius lib.9. Sax. cap.24.*

Infans leoni erep tus.

4. Memorat *Spondanus in Annal. ad Ann. 1259. n. 18.* cùm Florentiæ Leo ferocissimus incuriâ custodis è caveâ elapsus per urbis compita ingenti omnium terrore discurreret, arreptum infantem unguibus tenuit; quod videns mater vidua, cui unicus hic erat, dolore & præpotenti amore abrepta in Leonem insiliit, filium eripuit non repugnante aut lædente leone, sed aspiciente tantùm & abeunte. Audax in matre facinus, sed amor coëgit.

Robertus Rex Scotiæ à Tauri sævitie liberatus.

5. *Robertus* I. Scotorum Rex, ut *H. Boethius* refert *in Scotiæ descript.* in sylva Caledonia feras persequebatur: Obvium verò habuit taurum sylvestrem ictu venabuli in furorem actum, nec quicquam erat, quò imminens periculum subterfugere posset. Universus propè metu stupentibus quidam arreptis feræ cornibus quantâ potuit maximâ vi renitens non modò cursum impetentis retinuit, sed belluam quoque prostravit, quæ confestim accurrentium venabulis confossa impendens Regi exitium avertit. Hunc virum Rex ob servatam salutem magnificè donatum *Turnbul*, id quod Tauri dejectionem significat, appellari exindè voluit. Extant etiam hujus nominis Familiæ Nobiles.

Mulier à vulpe, & lupo in foveâ manet illæsa.

6. Ceciderunt aliquandò in fossam Mulier, Vulpes & Lupus. Singuli occuparunt certa loca, & quieti fuerunt totâ nocte: Lupus neque vulpem, neque mulierem attigit, sed in statione suâ perstitit timidus. Venator manè prædam triplicem conspexit, & ad conspectum fœminæ vicinæ suæ cohorruit. Insiliit fossam subitò, & primò lupum interfecit, deinde vulpem, deniq̀ue extraxit mulierem semimortuam & unà nocte canam factam. *Sperlingius Zoolog. physf. lib. 3. cap. 16.*

Aristomenos à morte per vulpem liberatus.

7. Huc arbitror etiam pertinere, quod *Pausanias in Messenicis* refert de *Aristomene Messenio* à Lacedæmoniis capto & capitis damnato. Pro more enim fuit conjectus in foveam, ut ibi præfame interiret, sicut in illam ipsam foveam alios maleficos præcipitabant & fame enacabant. Cùm igitur ipse tristis jaceret & lentam mortem exspectaret; vidit clam & sensim appropinquantem vulpeculam & devorantem cadavera. Statim igitur ipse vultum veste suâ velavit, donec etiam ad ipsum accederet vulpecula devoratura ipsius quoque carnes, quasi rata ipsum extinctum esse. Accedentem manu alterâ comprehendit & fortiter continuit, sed alterâ, quâ vestem tenebat, contra morsum muniebat. Dùm vulpeculam violenter insequitur, quam tamen alterâ manu tenet, simul ducitur per cuniculos occultos & tandem ad angustum aliquod, sed longum foramen, per quod aliquid luminis cœlestis intromittebatur. Cumq̀ue ipse per illud exire non posset, liberam dimisit vulpeculam, & suis manibus foramen dilatavit, & sic incolumis rediit ad suos. Cùm autem Lacedæmoniis hoc narrarent, vivere Aristomenem apud suos, pro miraculo habebatur quasi ex mortuis resurrexisset. Post hæc enarrata subdit *Pausanias. Fuit ejus*, inquit *Aristomenis fortuna, cùm captus est, mira & inopinata: Major enim viri spiritus erat: Major ex rerum gestarum magnitudine audacia, quàm ut quisque capi illum posse sperare debuerit: Sed nihil fuit admirabilius, nullum certiùs præstantiæ hujusce argumentum, quàm quod è Ceade* (sic altè dehiscentem illam foveam appellabant) *elabi potuerit.* Ità *Pausanias.*

Lupus juvenem mirabiliter liberat è carcere & manu latronum.

8. Insolens & lectu perjucunda est Historia, quæ sequitur ex *P. Georgio Stengelio Mund. Theorit. part. 1. cap. 23.* de Lupo adolescentem è carcere & latronum manu mirabiliter liberante. Adolescens erat studiosus in Germania non obscuris natalibus oriundus, neque opibus destitutus, qui ad alias Athenas non improbâ de causâ jussus à parentibus viam pedes & solus sine comite ingressus, quâ

Prominet Hercyniæ confinis Rhætia sylvæ:

rectum quidem tenuit tramitem, sed opinione prolixiorem. Itaque diu destitutus angi animo cœpit, & compendia non sine dispendio quærltare: Per invia multa, per tesqua densa, per paludosa cœca illum nox duxit molestissimis ambagibus, donec tandem per rariora arborum conspexit, nescio undè, lumen quoddam allucere. Hominum habitationem inventurum se ratus, sequi cœpit, quo radii invitabant, tandemq̀ue difficulter eluctatus ad mapalia pervenit, in quibus existimavit pastores cum pecoribus suis habitare. Adit, pulsat, sperat. Sed mox intelligit ad orci se januam delatum esse. Nam ad ostium cum lumine progressa anus, ubi juvenem vidit, haud illiberalem miserta periclitantis, illicò facessere jussit & aliò properare. Juvenis inhumanitatem rusticæ Baucidis interpretatus impensiùs rogare instititit, ut id noctis admitteretur, promittens, se sine molestia mansurum, stramine aut fœno in lecti vicem contentum esse posse, & si quid panis aut offæ daretur, pecuniâ abundè compensaturum. Non est, mi fili, ajebat anus, quod ista excuses: Mihi à te nullum metuo incommodum; Tibi, tibi metuo, cui certum est exitium, si hìc divertis. Non sunt hæc pastorum mapalia, non colonorum casæ, sed immanissimorum latronum receptacula; qui cùm bonâ tuâ fortunâ nunc absunt aurigæ insidiantes, quem eorum unus in pago proximo exploravit hac nocte transiturum. Iverunt ergò ad funestam homicidii tragœdiam, cui tuo exitio epilogum addes, si vel hìc permanseris, vel in eorum hinc abiens incideris crudelitatem. Dixit hæc anus & flens juveni manum simul ac panem dedit lacrymis testata dictorum veritatem: Sed ut periculum declinaret, semitam ostendit, in diversum à latronibus ducentem. Discedens indè viam volare potiùs quàm ambulare cœpit: Spatium jam

jam sufficiens se existimaverat evasisse, cùm repentè in eos ipsos latrones, quos fugit, incidit, adhuc occisum aurigam terrâ obruentes. Frustrà ille elabi, frustrà innocentiam, frustrà inopiam, frustrà adolescentiam obtendere conabatur. Post varia habita consilia tandem placuit suadentis unius, ut vacuum è curru dolium deijceretur, cui velut caveæ inclusa præda tantisper sineretur vivere, donec cœnâ repletiad eum cum ludo ac voluptate ad plures mittendum reverterentur. Hoc acceptato consilio illicò dolium de curru, & Adolescens in dolio fuit. Discedunt ad latibulum suum latrones. Adolescens in capulo, non in dolio se reperit, vivumque sepultum credit. Ubi longè salutarius, quàm unquàm *Diogenes* ille *Cynicus* in suo dolio philosophari cœpit; tandem voto se obstrinxit in proximo Societatis *JEsu* domicilio, si ferale illud claustrum, manusque sanguinarias evasisset, petiturum, ut in album sociorum reciperetur; voverat & extemplò serenitas menti reddita est nondum etiam cognita securitate. Erat tunc non sine lunâ cœlum & per os cupæ radii clariores in captum incidebant. Eâ dolii aperturâ pro fenestrâ usus ad luporùm accurrentium ululatum excitatus prospexit: Ibi novus eum horror invasit: nam complures vidit lupos dolium undique in omnem parrem circumeuntes & naribus hariolantes, quid intùs esset: Cœnam nimirum famelici ex odore indagabant. Ibi demùm cœpit juveni carcer suus esse charus, cujus effractores nolebat esse lupos. Sed mira ecce potentis Dei potentia! Dùm lupi circà dolium susque deque vagantur; casunè dicam, an divinâ manu, unus appendiculæ summitatem per os vasis immersit, eâque faciem adeò ipsam intùs prospectantis leniter demulsit. Ibi seu natura, seu bonus potiùs genius suggessit, extemplò juvenis palpum utraque manu arripit, caudamque lupi omnem adversis pilis intrò ad se trahit, antè inreritum suum ultimò lusurus. Lupus ubi se captum sensit, primò horrendum cœpit ululare; ad quam vocem cœteri omnes in fugam se dederunt; deindè conari instituit, an se possit è vinculis liberare. Lepidum erat funesto tempore certamen hinc lupi trahentis, indè retrahentis Adolescentis, lupumq; quanta maximâ vi poterat tenentis. Bestia quò magìs se adstrictam colligatamque animadvertebat, eò magìs nitebatur in contrarium evadere, tantoque impetu ferebatur, ut dolium ipsum unà cum incolâ suo post se ad abruptum aliquem, saxosumque locum raperet. Ridebat intùs vector, mirabaturque tàm citò è cupâ rhedam esse factam, & ex victimâ aurigam. At ubi acto per præceps & lupo & dolio, impactoque identidem in scopulos, ac tandem etiam rupto, solutoque vase se in auras editum vidit, lupum manumisit, qui libertate acceptâ, ne respiciens quidem diffugit. Adolescens autem in pedes pariter & spem evadendi erectus per avia & invia se quàm longissimè indè proripuit, inter currendum laudes dicere non oblitus: Ipsâ die redditâ aliò quàm priùs iter instituit, atque ad proximum Societatis Collegium profectus admitti in tyrocinum flagitavit, ubi & admissus in religione deindè pro tam mirabili vocatione Deo nunquam se satis gratum esse posse agnovit. Hæc paulò fusiùs ex cit. Authore recensere licuit. Ne verò quis de fide dubitet, aut fabulam esse putet, testatur Stengelius se ex ore illius, cui mirabilis hic casus obtigit, ità percepisse, nominatque illum hominem fide dignum, pium, doctum, & verè Religiosum, in quo dolus non erat, & in cujus ore non sit inventum mendacium.

9. *Joannes Lerius* Burgundus, ut ipse narrat *in hist. suæ Navigationis in Brasiliam cap. 10.* & ex ipso *Joan. Cyprianus in append. de Quadrup. exoticis.* Cùm aliquandò duobus Gallis comitantibus iter faceret visendæ regionis gratiâ, neque, ut mos erat, viæ duces Barbaros haberet, ideoque oberraret in sylvis vallemque profundam pedibus metiretur, audito strepitu venientis ad ipsos animalis, imbellem esse feram opinatus, non secùs iter inceptum persequentes securo erat animo: Statim verò ad dextram triginta ferè passuum intervallo in colle lacertum conspicit; corpore humano crassiorem quinûm aut senûm pedum. Ille in modum ostrei squamis albicantibus & asperis tectus, altero pede anteriori erecto, capite sublimi, collucentibus oculis ipsos intueri cœpit. Quare omnes attoniti (nemo enim eorum sclopetum tùm ferebat, gladiis tantùm accincti, arcusque suppetebant & sagittæ, quæ tela illi monstro tam duris armato squamis nocere admodùm non poterant; Nihilominùs veriti, nec si fugâ sibi consulere vellent, celeritate superius ipsos unà conficeret, alter alterum trepide cùm intuerentur, eodem in loco steterunt. At postquam ille prodigiosus & formidabilis lacertus ore aperto, & quod æstus magnus esset (sudum enim erat cœlum meridiano ferè tempore) altè anhelans ut facilè exaudiretur per quadrantem horæ, eos esset intuitus, derepentè montis verticem petivit, tanto fragore virgultorum atque ramorum, quantùm cervus sylvam cursu penetrans vix ederet. Itaquè *Lerius* & Socii, quintùm valdè timuerunt, de illo insequendo non admodum solliciti Deo liberatori gratias egerunt, & iter institutum denuò sunt aggressi.

Lacertus formidabilis.

CAPUT

CAPUT VI.

Mirabilia varia exotica miscellanea de Quadrupedibus ex variis Authoribus recensentur.

Ræsentem tractationem de Quadrupedibus hoc capite conclusurus, mirabilia quædam varia exotica miscellanea adhuc afferre & breviter recensere libet.

Animal sanguinis effluxum prohibens.

1. Animal in Java dicunt esse, quod Incolæ *Cabim*, *Antonius à S. Romano Cabal*, *Hastæus* animal *Sionicum* appellant, ejus oscilli extremitatem, si quis gestet, quantumvis mille transverberatus sit vulneribus, ne guttam tamen sanguinis dare asserunt. Experimentis rem pluribus comprobatam volunt. Illud tamen maximè insolens & recenti memoriâ percelebre, ut *Nierenbergius lib. 9. Hist. nat. c. 3.* refert, quod cum *Naodabeguea* Malacensis infensis Lusitanis & adversùs illos egregiè dimicans, tandemque oppressus, multisque confossus ictibus corrueret, ex patulis vulneribus nihil omnino cruoris manaret. Mox inter spoliandum, ut primùm detracta ejus brachio est aurea armilla (mirum dictu) tanquam vase confracto mox sese cum animâ universus repente sanguis effudit. Cujus rei stupore defixi Lusitani, cum ex aliis captivis causam quæsiissent, cognovêre inclusum esse in armillâ os ejus animalis, cujus in sistendo sanguine tam efficax esset vis.

Vis spinarum sagittatoris animalis.

2. Admirandum genus est bruti Sagittatoris, quod novus alit orbis. Animal hoc est mediocris canis magnitudine; spinas verò, quibus undique est obsitum, jaculatur in canes persequentes, quas illi nullo conatu vel industriâ possunt excutere, donec sensim magis magisque corpus subingrediantur & viscera confodiant. Si corio quantumcunque crasso spicula illa admoveantur, unius noctis spatio corium totum instar aciculæ manu hominis adactæ perforant. Utuntur illis Indi loco Sanguisugarum: admovent enim fronti ac temporibus in dolore capitis, ut noxium sanguinem ebibant. Fœminæ etiam aures suas ad inaurium suspensionem illis perfodiunt. *Hirnhaim de Typho* Gen. hum. c. 7.

Fœtoris horrendi vis in animalculo americano

3. Biarataca, vel ut alii vocant Maritacaca, animalculum est Americanum felis mole formâ oblongâ viverram æmulans, ut describit bene *Guilielmus Piso l. 5. Hist. nat. & Med. cap.* 24. licet si mansuetum, mirum tamen à feris æque ac hominibus timetur, non solùm quod tetro & gravissimo odore insequentium insidias eludat, sed plus noxæ eis quoque afferat, quàm aliæ feræ unguibus vel dentibus etiam venenatis armatæ. Quippe adeo virulentus est fœtor, ut quibusdam si non mortem, saltem capitis dolores, vomitus, animique deliquia adducat. Admiranda certe proprietas huic bestiolæ concessa est, quod vel solo anni flatu longè lateque aerem non solùm, sed saxa, militum arma, vestes, capillos &c. inficiat ut ne quidem fortissimo lixivio & insolatione viginti dierum spatio fœtorem deponant. Quidam ad capillitii rasuram, indusii, imo ad ædium totalem abdicationem coacti fuerunt, cum nullum tanto malo hactenus inventum sit remedium. Sagaciores autem barbari, si quando ejus certiores fiant, nudi vento secundo, eoque forti eam diuturnâ fatigant venatione donec telis suis venenatis aliquoties frustrà emissis fœtoris expers fiat, tandemque capiatur & cicurata domi reservetur more sciuri.

Animal fœtidum pro stercore colubros emittens.

4. *Ex Petro Mart.* recenset *Eusebius Nierenberg. lib. 9. Hist. nat. cap. 8. Schott. phys. cur. lib. 8. cap. 8.* apud Chiribicenses esse animal gestu mirabile strigosum ore vulpem, pilo lupum imitans, cubitales loco stercoris emittens colubros. Unum domi suæ nutrivisse PP. Dominicanos, & aperto experimento rem ita esse deprehendisse, qui & asseruerunt colubros illos ad vicinas tendere sylvas & ibi brevem ducere vitam: putere verò animal plus quàm qualecunque cadaver fœtidum in sterquilinia projectum, & ideo dictos Patres putoris impatientes interfici animal jussisse.

Venenum atrox in pilis circà labra Tigridis.

5. De Tigride & pilis ejus circa labra mira scribit *Kircherus in China illust. part. 2. cap. 5.* his verbis. Circà labra Tigridis, inquit prælongos emittit pilos, quos adeò venenosos experientia docuit, ut si quispiam sive homo, sive ipsamet bellua illorum vel unicum incautius susceperit, irremedicabili sui ipsius toxico intereat. Fig. 1. Unde à Bengalensibus, apud quos ingens in sylvis hujusmodi animalium multitudo stabulatur, observatum fuit, quod quando in Gange vel alio aliquo flumine ad bibendum se confert, id faciat ore admoto ad secundum fluminis cursum, nunquam ex adverso, ne aqua pilorum veneno infectâ sibi ipsi interitum causet, neque ex lacu, aut fossis, aquisque immotis eâdem de causâ bibere solet. Unde Regio edicto cautum est, ne quispiam hujusmodi pilos occisâ Tigride retineat, sed sub pœnâ vitæ omnes ad curiam *Mogolis* mitti debent, ubi à Medicis Regiis pilulæ conficiuntur exitiali veneno turgidæ, quæ iis, quos Rex clã destinæ destinat morti, exhiberi solent.

Linguæ Dasypodis venenum

6. Dasypodis pinuum (ut Hispani vocant; Indi verò *Ocotochtli*) linguæ tanta inest vis veneni, ut si prædæ oculos vel allambat vel attingat, eam confestim excæcet, imò interimat. *Nierenberg. l. 9. Hist. nat. c. 1.*

Canes qui in pisces mutantur.

7. Admirationem haud dubie meretur, quod *Petrus DuVall in univ. Geogr.* narrat in Insulâ *Japon* reperiri quoddã genus canum, qui, dum sæpius lavantur, in pisces mutan-

mutantur. *Aloysius Almeida* & ex ipso *Nierenbergius Maripetum* vocant animal, ut etiam supra descripsimus *in Tabula Quadrup.* Affirmat etiam *Almeida* aliquando contigisse piscem hujusmodi inventum nondum omnibus corporis quadrupedis prorsus transformatis, nondum scilicet elapso tempore, quo omnia piscis membra effici potuerint: Pars enim adhuc formam habebat quadrupedis, altera jam squamis & pinnis formata videbatur. Meminit etiam *Schottus phys. cur. lib. 8. cap. 53.* se legisse in annuis literis è Japoniâ scriptis, quendam è Patribus Societatis suæ in convivio apud Dominum quendam ex hoc animali nondum penitus in piscem transformato comedisse.

Cerebrum ursi comestum quid efficiat.

8. Notant *Plinius & Edovardus cerebrum ursi* devoratum gignere imaginationes, quasi in ursum quis transmutatus sit. Id etiam *Wierus lib. 3. de præstig. dæm. cap. 21.* Nobili cuidam Hispano in esum oblatum fuisse confirmat, qui deindeper deserta & montes vagatus se in ursum conversum vitiatâ phantasiâ credidit. Dicunt etiam poculum ex ursino cerebro confectum referente *Cornel. Agrippa occult. philos. lib. 1. cap. 42.* & ex ejusdem cranio propinatum ursinam rabiem induere, ita ut homo ille, qui biberit se in ursum transfiguratum putet, omniaque visa sub ursorum specie dijudicet, & sic in illâ rabie perseverare, quousque poculi vis fuerit resoluta nullo alio malo in complexione suâ inde percepto.

Cerebrum felis.

9. Similiter qui felis cerebrum comedunt, felinam induere naturam, felemque voce, saltu, gestu, vestigiis & murium silentiosâ venatione imitari dicuntur, ut habet *Noster Hirnhaim cap. 9. de Typho Gen. hum.* Epoto quoque sanguine ferino ferinos indui mores, docet ibidem, puellam adducens Wratislaviensem, quæ suaso solo felini sanguinis haustu contra Epilepsiam, naturam deinde & mores omnes felium induit voce, saltu, gestibus, murium venatione, eorum scilicet foraminibus insidiando, imitans.

Feles volantes.

10. In *Malabar* Provincia feles esse dicuntur agrestes, ut refert *Scaliger Exercit. 217.* in arboribus agitantes: saltu autem valent plurimùm; sed & peculiaris eorum volatus est, idque, quod magis mirum est, sine alis. Membrana ab anterioribus pedibus ad posteriores usque producta tenditur, quàm dum quiescunt ad alvum contrahunt: ubi volare instituunt, pedum, crurumque agitatione, protentâ, collectaque membranâ tum sustinentur, tum feruntur; mirabilisque est eorum per aerem currentium species. In Regni *Mogor* Provinciâ *Casmir* volantes quoque feles dari notat *Kircher. in Chin. illust.* quos tamen veriùs Vespertiliones felium magnitudine alii existimant. Indi eorum esum magni æstimant, quocircà avide iis capiendis insidiantur.

Crocuta.

11. Crocuta animal velut ex cane & lupo conceptum omnia dentibus frangit, protinusque conficit ventre, ut inquit *Pierius in Gen. lib. 11.*

Porci absque setis.

12. In Insulâ *Javâ* porcos dari absq; setis adeo pingues, ut venter illis in terram propendeat, scribit *Mandelslo lib. 3. pag. 209.*

Vacca velox.

13. Meminit *Kircherus in Chin. illust. part. 3. cap. 7.* animalis, cui nomen *Vacca velox*, quod tantæ velocitatis esse dicitur, ut 300. stadia vel uno die conficiat. In fronte oblongo & tereti cornu instructum esse dicitur; unde multi id Monocerotem esse putant, sed hallucinantur, inquit *Kircherus*, cum monocerotis descriptio in nullo ei conveniat.

Animal homini persimile.

14. Refert Atlas Sinicus, ut *Idem ibidem* commemorat, in Provinciâ *Fokien* animal reperiri pilosum homini prorsùs simile: in regno quoque Junnam, & *Ganan* simile inveniri recitat *Fefe* nomine Antropomorphon longioribus brachiis, corpore nigro, & piloso, cursûs velocissimi, & Antropophagum; homini etiam obvium vocem edere risui humano similem, deinde eum invadere dicitur.

Aquiqui Cercopithecus Brasiliæ.

15. Inter Cercopithecos Brasiliæ, ut memorat *J. Laet lib. 15. cap. 5.* species est quædam cœteros magnitudine multum excedens, *Aquiqui* vocant Barbari, nigris villis & longâ infra mentum barbâ: è quibus interdum nascitur masculus colore subrubente, quem Regem Simiorum vocant Barbari, facie subalbicanti & barbâ inter auriculam utramque eleganter compositâ, quasi attonsa esset. Is arborem non raro conscendere dicitur & stridulâ voce veluti concionari tam altè ut procul possit exaudiri; habet id peculiare sub palato organum à naturâ comparatum, concavum è tenuissimâ sed validissimâ membranâ ovi magnitudine, quod levi momento distenditur. Inter stridendum autem longam eructat spumam, quam catulus juxta positus, successorem illius vulgò autumant, studiose è barbâ illius abstergit.

Vacca Chinensis.

16. In *Cinchcu* Chinæ Provinciâ cornuta reperitur bestia Vaccæ specie cornibus in capite ebur albore superantibus, mirè salis appetens. Unde Venatores, qui eidem insidiantur, saccos salis exponunt, in quos incidens tam avide lambendo exsugit, ut sui & venatorum imminentium oblita vinciatur & occidatur. *Neuhov. Legatio Batavica part. ult. c. 16.*

Tigris appetens carnem humanam.

17. Tigris cum semel humanam carnem gustaverit, eam tantâ aviditate appetere dicitur, ut in villas irrumpat, & ex ipsis ædibus atque casis homines rapiat. Tecta enim & parietes nullo negotio diruit: nil obseratæ fores, nil objectæ trabes juvant. In naves audacter insilit, arbores conscendit; indeque, qui in eas se receperunt homines, detrahit, magnarum avium nidos vastat, pullos devorat. Una Tigris memoratur aliquando militum cohortem invasisse, ac in medio omnium uno Hispano & tribus Indis dilaceratis incolumem evasisse. Fœminas quando


Fig. 1.


Fig: 2.


Fig: 3.

quando adoritur, ubera comprimis appetere fertur.

Equi feri monocerotes. 18. Vidisse se in Æthiopia apud Agawos in regno *Chamatæ* animal pulchro in fronte cornu quinque palmos longo & albicante præditum mediocris equi magnitudine & formâ coloris spadicei, nigris sed brevibus & tenuibus, quanquam & alibi dicatur visum crassioribus & longioribus jubis; atque caudâ testatur *Joan. Gabriel Tribunus Lusitanus*. Fig. 2. Ajunt verò in densissimis sylvis vivere solitarium & rarò in campos progredi, cursuque velocissimo valere. In finibus *Canadæ* etiam aliquando conspici animalia equis similia, cornu longum & rectum in fronte habentia cum jubis hirsutis, caudâ incurvâ instar aprorum, oculis nigris, collo cervino: morarique in densissimis locis, ac se invicem timere, ita ut mas nunquam cum femella pascatur, nisi coitus tempore, quo feritatem deponunt, sed illo exacto non solùm alias feras, sed & proprium genus invadere, tradit *Olf. Dapper in Descript. Amer.* Similiter in *Quivira* memorat *Idem* multos equos feros in pascuis conspici, qui magnum cornu in fronte habent, quorum caput cervis, pellis mustelæ similis, collum breve cum jubis ex uno latere dependentibus, crura tenuia & pedes caprini sunt. Narrat etiam *Nierenbergius lib. 7. Hist. Natur. cap. 2.* se in aulâ Philippicâ equum quendam cornutum vidisse. In stabulo Principis Stiliano equum vidit superioribus annis *Leo Allatius* magnitudine exilem, sed ferociâ summum, ut refert *Thom. Bartholin Unicornu cap. 19.* cui post aurem dextram incurvum cornu extabat, cui similem, nisi idem fuerit, se observasse *Neapoli Nicolaus Angelus Elisæus* Gymnasii regii Professor præfato *Bartholino* narravit. Ipse quoque *Bartholinus loc. cit.* testatur in equili Serenissimi Regis Daniæ *Friderici III.* equum generosum se vidisse, cui ex auribus cornua nigra succrescebant, & ex deciduis nova semper generabantur, quæ clementissimè Rex Augustus eidem & monstravit & donavit.

Ingens Equorum nigrorum copia. 19. Mirabile est, quod *Elmacinus Hist. Saracenicæ lib. 1. cap. 17.* narrat *Cyriacum* Nubiæ seu Abissinorum Regem Christianis in Ægypto Christi nomine gravia perpessis contra Saracenos opem laturum duxisse exercitum centum millium Equitum nigrorum, centum millibus equis nigris insidentium: quæ certè copia ob numerum haud dubie mira est.

Vermes ex pilis equorum. 20. Experimento compertum est, pilos ex caudis equorum in aquam pluviam scrobibus exceptam impositos animari & in longos, graciles que vermes paulatim converti. Idem aliqui docent de jubarum setis fluenti aquæ impositis, quas dicunt transire in serpentes.

Sudor equinus noxius. 21. Sudor equinus puerperis abortum inferre dicitur, si vera narrat *Albertus M.* & ex eo *Jonstonus in Thaumatogr.* Etsi cultelli calefacti eum imbiberint, adeò dicuntur infici, ut locus ab iis vulneratus sanguinem ante mortem animantis profluere non desinat.

22. Mirabile exoticum meritò censetur, quod scribit *Trithemius in Chron Hirsaug.* ad Ann. 920. *Lupum Acarium* Vasconem militem *Rudolphi* Regis Gallorum virum fortem ac strenuum equum habuisse plusquam centum annorum ætatis, & adhuc toto corpore validissimũ, sanum, robustum, & velocissimum ad currendum. Equus plusquam 100. annorum.

23. Animal quoddam parvum in magna copia alit Carniola, quod in aliis Europæ terris vix reperitur magnitudine paulò superans glirem, colore verò eidem persimile dictum vulgò *Poub*, ab aliis & *Bilich* & *Bilch* & *Bulich* nominatum vescens diversis fructibus uti sciurus cui & magnitudine pene æquiparatur. Parva animalia Bilich in carniola. Abundat verò Carniola ejus fœtura, ut subinde plura millia ex uno foramine post hyemem sub terræ cavernis peractam procedant, Fig. 3. præsertim in sylvis faginis; quodque admiratione dignissimum & de hujusmodi animalibus communi sermone & ore dicunt Dæmonem in terrifica forma loci aut flagelli excussi sono eadem convocare, & ad pascua ducere. Quod si ejusmodi sonum comitetur aut proximè subsequatur sibilus quasi fistulatorius, periculum ajunt imminere his, qui ad capturam illorum egressi sunt. Capiuntur autem facilè à rusticis illorum gregibus objectis vestibus, in quas continuò se involvunt & recondunt, diciturque Dæmon in illâ sic recondita jus nullum amplius obtinere. Observatum etiam constanter dicunt, quod illa omnia, quæ vel semel ad pascua à Dæmone sunt acta, scissuram in alterutra ex auribus habeant, qua ab eorum Duce creduntur signata: Carent tamen hac scissura juniora, quæ ab arboribus in terram nondum descenderũt. Plura alia de hujusmodi animalibus videri possunt apud *Valvasor in Carniol. l. 3. c. 31.*

24. Dari medium aliquod naturale, quo quis se ferro reddat impenetrabilem, plures tenent, quo etiam rupicapræ, sive capræ sylvestres aut alpinæ, quas Germani Gembsen / Itali *Camozza* vel *Camuzza* vocant, uti dicuntur. Compertum enim volunt frequentius globos è bombardis emissos costas, aliaque in illis ossa confregisse, cutem tamen nunquam penetrasse.

25. Lupos subinde in rabiem agi & horrenda mortalibus damna inferre, plurium constat Authorum testimoniis. Horrenda luporum rabies. Memorabilem eorum rabiem describit *Trithemius in Chron. Hirs. ad Ann. Ch. 1335.* his verbis. Permultas Sueciæ villas prope Weil oppidum & circum circà, Lupi quos rabidos seu rabiosos vulgariter Wehrwölff appellant, gravissima damna pauperibus intulerunt: non enim pecora solùm, sed etiam homines devorabant, & neq; capi quolibet ingenio poterant humano, neq; canum vellatratu vel immissione terreri. Aliquando unus gradiebatur solus, aliquando duo simul, rarò tres, nunquã quatuor aut plures. Tantæ verò agilitatis ferebantur,

bantur, ut vento incursando putarentur velociores. Erat res omnium judicio monstro aut præstigio simillima, quoniam & visibiles erant, & subitò quasi spiritus aut phantasmata à conspectibus hominum evanuerunt. Anno quoque 1542. *Solimanno* Imperium Occidentis obtinente tantam fuisse *Constantinopoli* vim luporum scribit *Jobus Fincelius lib. 2. de mirab.* ut armatus etiam Imperator cum Prætoriano milite procedens ad centum quinquaginta simul compulerit, qui universo populo prospectante ex urbe disparuerunt. Verùm de rabie hac diversimode sentiunt Authores, Consule ipsum *Tritbemium loc. cit.* Collegit etiam in hanc rem multa *Schottus phys. cur. lib. 1. cap. 26.* Ubi non tantùm de Lycantropiâ differit, sed & hominum in plures alias bestiarum species metamorphosi.

Jucundum & ludicrum Simiarum spectaculum.

26. Jucundum & lepidum est, quod *Tavernerius* refert de Simiis ad districtum *Coromandelii* Indiæ Orientalis; haud procul, inquit, Portugallensi civitate S. *Thomæ* & insigni Batavorum castro *Paliacatte* versùs interiorem regionem inter pagos *Serravaron*, & *Oudecut* ingens occurrit arundinetum, cujus arundines arboribus proceris haud impares, in quibus ingens Simiarum, quæ pertinaci semper odio sibi adversantur, copia solet degere. Per medium verò hujus arundineti strata procurrit via, quam dum itinerantes curioso haud minus quàm jucundo objecto spectaculo transire volunt, Orizam in propinquis emunt pagis, eamq; vimineis aliquot imponunt corbibus, quas in præfata collocant viâ intervallo 40. aut 50. passuum dissitas appositis unà cum liguris aliquot fustibus duobus circiter pedibus prælongis, unoque latis pollice. Quamprimùm verò corbes reteguntur, mox utrinque Simiæ accurrunt truci comprimis vultu & dentium fremitu se contuentur ad horæ persæpe dimidiæ spatium; corbes etiam quandoque accedunt, quandoque rursum ab iisdem recedunt; quousque fœminæ, quæ catulos habent, oblatum pabulum primùm degustant. Quo facto ex improviso utrinque Simiæ sepugnaciter invadunt, frementes unguibus dilacerant, nec his contentæ fustes tandem prehendunt, iisque ad mortem usque se cædunt, ut ita plures hinc intereant, aliæ brachiis, pedibusque confractis in viâ deinceps inertes decumbant. Quando autem pars una tandem victrix evadit, orizam omnes accedunt, avide devorant, & tandem saturatæ fœmellam adversæ partis etiam accedere & reliquias absumere patiuntur.

Animal colorem mutans ad cujus vis objecti præsentiam.

27. In Barbariâ ad montem *Atlantem* animal quadrupes lanigerum incomperti hactenus nominis solet vivere colore & formâ haud absimile agno candido: hanc autem admirandam habere dicitur proprietatem, ut naturalem suum, quem habet, colorem ad cujusvis obvii objecti aut loci haud secus ac Chamæleon mutare possit.

Excrementum animalis ejusdam utile.

28. In Abissinorum ditione animal haud procul à regno *Tigremahon* generis nempe Catorum motu velocissimum reperiri dicunt; magnitudine est Leopardi, non efferum, sed timidum, quod præaltos & invios incolit montes, nec ad planitiem campi facilè descendere comperitur. Hujus autem animalis excrementum in pretio est ob varias, quibus medetur, propellendas infirmitates: utuntur hoc etiam incolæ ad pannos cæruleo colore tingendos.

Animal viatores fascinans & abducens

29. In Palæstinâ prope *Nazaretbum* canum quoddam genus esse fertur teste *P. Electo Zwinnero*, quod *Vabu* communiter vocant: magnitudine est canis fortioris, caput habet Ursi, pedes caninos, linguam verò undique uncinatam instar gracilium hamorum: quocircà etiam cibum semel ingestum reddere non amplius valet. Hoc itaque animal cum ad vesperam pabulatum vadit, hominemque contuetur; eum à tergo comprimis accedit, neque tamen lædit: inde sensim comitans à latere ipsum tandem præcedere satagit; quâ verò præcessione miser homo ita fascinatur, ut feram ad ipsam speluncam (nisi alius occurrat viator & à lethali divertat tramite) continuò prosequatur, ubi deinde miserabiliter infestatur, dilaceratur & enecatur. Solet etiam hoc animal nocturno tempore valde lamentabilem emittere vocem hominis quasi in extremis vitæ periculis laborantis & opem implorantis, incautos verò accedentes crudeliter invadit ac perimit. Videtur hoc animal haud aliud esse, quàm *Ejulator, de quo sup. in Tabula.*

Albi Elephantes quando in pretio.

30. Vix exarari potest, quantum Zeylamenses, Peguani, Coromandelenses, Malabares, aliique Orientalis Indiæ populi Elephantos comprimis albos venerentur & colant, ut Reges non tantùm nigrorum sed & divinitatis alicujus ut opinantur, participes. Hinc etiam funesti quandoque belli causam tales Elephantos extitisse constat, præcipuè ad Annum 1568. quo Rex Peguanus cum à Rege Siamensi album Elephantum nec donis maximis, nec precibus sæpe repetitis impetrare potuisset, adducto exercitu millionis militum, 200000. Equitum, 500. Elephantorum, & 300. Camelorum regnum devastavit, urbem Siam cepit, & multis magnisque cum spoliis adduxit secum magnum scilicet belli pretium, Elephantem album. *Jodocus Schouten in descript. Regni Siam* & complures alii. Testatur etiam *Tavernerius part. 2. lib. 3. cap. 18.* à Rege *Siam* eundem Elephantis demortuis honorem exhiberi tali pompâ funus eorum concremandò, quâ Principum in regno virorum defunctorum corpora concremari solent.

Elephantini furoris Exemplum memorabile.

31. Cum Elephantes amoris æstu in furorem aguntur, in summo vitæ discrimine insidentes versantur. Extat hujus furoris exemplum à pluribus jam repetitum apud *Tavernier part. 2. Itinerarii.* Cum enim Rex in India *Chan Getban* belluas

luas venaretur, elephas, cui ipse cum filio insidebat, æstu tanto corripiebatur, ut servus amplius regere non posset, indicaretque fore ut omnes tres inter obvias arbores perirent, nisi unus se bestiæ necandum exponeret: offerebat ergò se pro Rege ac Principe filio in mortem; commendatisque suis tribus filiis regiæ clementiæ præcipitem se dabat de illâ in terram, à quâ proboscide apprehensus, pedibus subjectus, & attritus fuit. Quo facto ipsa mox furore deposito regi se patiebatur, Rex vitam mortis faucibus ereptam gaudens, pauperibus 200000. Rupios vel 100000. Imperiales distribuit servique liberatoris filiis munera lauta in aulâ suâ contulit.

Ursorum sævities 32. De Ursis Septentrionalium regionum tàm nigris, quàm albis ferocissimis, ac sævissimis multa tradit *Olaus M. Hist. Septentr. cap. 24. & seq.* sævitiem alborum magno suo damno experti sunt Belgæ circa finem superioris sæculi *in Nova Zemblâ* hybernantes. Quàm truces sint ac sævi ergà homines non solùm vivos sed & mortuos, quorum cadavera etiam à sepulchris solent eruere, secum portare, ac devorare in Livoniâ & Moscovia; videre licet apud *Olearium in itinerar. Persico.*

Ursi quomodo hyeme nutriantur. 33. De Ursis passim narratur imminente hyeme montium cryptas petere, ubi etiam quadraginta dierum spatio somno indulgent: quo peracto anteriores pedum digitos ori insertos reliquâ hyeme sine alio nutrimento sugunt, suctu pinguescunt; reliquo verò æstatis tempore in apertum prodeuntes venationi insistunt. Cavernas verò denuò subituri, arborum ramis, virgultisque obstruunt, & ne vestigia eorum deprehendantur supino corpore per foramen ibi datâ opera relictum sese insinuant, quod intus dein obstruunt.

Mus Alpestris 34. Pari modo Mus Alpestris, animal minoris canis magnitudine, quod in Alpibus ut plurimùm reperitur, toto hyemis tempore intrà montium cavernas latet somno sopitum; æstivo verò tempore tandem prodit provisioni intentum. Ejusmodi etiam mures, ut certò compertum habetur, intrà cavernas magnam fœni copiam solent convehere veluti strata quędàm, quibus ibidem commodius quiescant: os verò cavernæ multiplici sarmentorum contextu, ne aeris temporumque injuriis aut vulpium, leporumque insidiis infestentur, mirâ arte obstruunt, in quibus subinde quatuor, quinque aut sex sopiti reperiuntur. His & alia adhuc animalia, quæ hyberno potissimùm tempore sub cavernis terræ aut cavitatibus arborum delitescũt, adnumerari possunt, veluti sunt Glires, Erinacei, Histrices, Talpæ, &c.

Murium communium mira fœcunditas. 35. De muribus communibus parvis quantumvis animalibus & mirâ eorundem propagatione stupenda habentur experimenta. *Aristoteles l. 6. hist. anim.* & ex ipso *Plinius* afferunt, quod dum parvus aliquando mus fuisset dissectus murium fœtus ejectos deprehensos fuisse rursùm aliis musculis prægnantes. Dicunt etiam quod dum semel mus prægnans in vas quoddam in quo prius oriza servata fuisset, conclusus esset, quod dum post tempus aliquod non diuturnum vas denuò fuisset apertum musculi numero 320. reperti fuerint.

36. Observatum esse à ruricolis dicunt, si fagus & quercus abundent glandibus, ita ut à porcis absumi non queant, quod mures campestres & sylvestres copiosius alimentum habentes ita fœcundentur ut partus tam uberes effundant, qui sequenti anno ingenti cumulo proveniant, atque in horrea & campos ita effundantur, ut pene nihil ab iis tutum esse queat, prout Anno præsertim 1652. contigisse variis in locis volunt.

37. Communicavit Collegio Germaniæ Curiosorum D. *Schelhamerus* Univer-sitat. Jenensis Professor Publicus, muris majoris partum monstrosum verè mirabilem, ut videre licet *Ephem. Dec. 2. Ann. 9. obs. 147.* cujus narratio cum dignissimâ sit ut mirabilibus accenseatur, eam hìc etiam succinctè recensere libuit. In ædibus viri dignitate conspicui sub mensâ cibis præparandis dicatâ in culinâ auditus fuit frequens horum animalium sibilus: visa etiam nonnulla subinde ire atque redire non sine horrore eorum, qui cibis præparandis erant destinati. Cœptum fuit consilium in locum, ubi degerent, sub pavimento aquam bullientem infundere, sicque eos exterminare. Quod ubi factum quatuor eorum foràs magno impetu & clamore erumpunt: at miseranda ejulatio plures subesse prodit. Una ancilla animosior remoto latere forcipe majori arripit unum, qui apparebat prodproducturus, sed ejus caudam avulsam solam educit; Repetit & magna vi educit ingens monstrum: Quatuordecim enim mures majores omnes justâ staturâ parte posticâ invicem cohærentes ingentem edentes clamorem viventes, spirantesque in medio caudis instar comæ Megæræ alicujus aut capitis Medusæ intricatis & contortis. Hoc progredi neutiquam poterat, in circulum enim pectora & capita disponebantur. Enecatum atque in locum abjectum est, unde repetere non licuit. Non est etiam dubium quatuor illos priores hoc monstrum alimentis allatis sustentâsse & fortè adhuc plures adfuisse. Unde veterem traditionem de Rege murium domesticorum: *Habere nempe hæc animalia, quibus in locis commodè possunt degere, reges suos proprii generis, sed longe aliter fictos, atque vulgares, nec hos procedere è Regiâ suâ, sed ubi opus, à ministris portari & unum ex iis solii speciem habere cui insideat*, non adeò vanam arbitratur *Idem.* Subnectit deinde mirabilem aliam historiam: totum nempe exercitum horum murium aliquando sub molâ aquariâ repente ex muro erupisse: Quatuor ex istis monstrum simile aliter tamen ac præcedens fabrefactum portâsse, quibus hoc pulchrè ad id accommodatis insederit: omnibus non sine periculo fugatis atque delapsis

Muris majoris monstrosus partus.

delapsis ultimò quatuor istos dejecisse nobile onus suum, reliquosque secutos id, quod conspiciente ingenti habitantium numero contigit.

38. Insula à *Jambolo* reperta in oceano versus meridiem ut ex *Joan. Buemo* recenset *Jonstonus Thaumatog. clas. 7. cap. 40.* animalia producit magnitudine quidem parva, sed naturâ & sanguinis virtute mirabilia. Corpore sunt rotundo, ac testudinibus simili, duabus lineis invicem per medium transversis, in quarum cujuslibet extremo sit auris & oculus, ut quatuor oculis videant, totidemque audiant auribus. Unicus venter absque intestino, in quæ comesta fluunt. Pedes circum habent plures, quibus in utramq; partem ambulant. Sanguis mirabili afferitur virtute: Omne enim corpus concisum dum spirat, hoc tinctum sanguine cohæret.

Quadrupedia articulatas voces loquentia.

39. Hæc etiam inter mirabilia exotica de Quadrupedibus minimè videntur reticenda, ea nempe persæpè voces articulatas protulisse, & mira quædam humano more elocuta esse, quâcunque etiam virtute aut solertiâ contigerit. Ita ex Sacro Codice *num. cap. 22. v. 28.* constat Asinam *Balaamo* se percutienti locutam fuisse: *cur percutis me ecce jam tertiò* &c. Bello Punico secundo Bovem locutum esse: *Cave tibi Roma*, recitat *Plinius lib. 8. Hist. nat.* Quarto *F. Fabii Maximi* Consulatu & *M. Claudii Marcelli* tertio in Sicilia Bovem locutum: item quinto ejusdem *Fabii & Q. Fulvii Flacci* Consulatu durante Hannibalis bello alium Priverni in Latio bovem in hominis vocem prorupisse; & postea *L. Veturio & Q. Cæcilio Marcello Coss.* prope urbem *Romam Fulgosus* scripto reliquit. Ante *Cæsaris Dictatoris* mortem in agro quoq; Romano bos arator ad Rusticum conversus dicitur hæc loqui cœpisse: frustra sese stimulis agi, prius enim homines, quàm frumenta defutura esse bellorum civilium certo præsagio, ut idem memorat. Paulò etiam antequam Urbem *Romam M. Otho* egrederetur cum Exercitu adversùs *Vitellium* profecturus, à quo deinde victus prælio mortem sibiipsi postea conscivit Romæ nuntiatum fuisse *Idem Fulgosus* annotat *l. 1. cap. 4. in Etruria* bovem clarè locutum, nimirum quasi *Vitulus Vitellio* regnum portenderet. Bovem etiam pastorem suum ter humanâ voce allocutum fuisse atq; Hierosolymam brevi à Christianis capiendam præmonuisse recitat *Trithemius in Chron. Hirsaug.* Narrat & *Isigonus Cittiensis* in Rhodo Jovis insulâ Taurum locutum. Anno quo *Tarquinius superbus* regno pulsus fuit, testantur Historiæ Canem & Serpentem locutum fuisse. Canem quoque *Simonis Magi* humano more locutum tradit *Clemens Romanus* in itinerario: quod & à Saga factum ut canis loqueretur memorat *Grillandus de sortilegiis cap. 7.* Locutum & canem *Arimini & vaccam Romæ*, quo anno in Macedonia Thraces subacti *C. Mario & C. Flacco Coss.* narrat *Julius Obsequens l. de prodig. c. 10. Eusebius Pamphili* testatur, ut refert etiam *Fulgosus l. 1. c. 4.* agnum in Ægypto mansuetum *Bocbori* ingenium, Ægyptiq; felicitatem sub tam bono Rege apertis prædixisse verbis. Cervum quoq; in Venatione *Juliano* militi articulatâ dixisse voce: *Tu me insequeris, qui patris ac matris occisor eris*, ut etiam deinde factum, refert *Magel. Aldour de Quadrup. l. 1.* Sed hæc & ejusmodi alia inter prodigia meritò habenda, quæq; bonorum aut malorum Angelorum ministerio potius, quàm causæ alicui naturali adscribi debent.

Mirabiles virtutes ac proprietates in partibus quorundam animalium

40. His denique subjicimus adhuc quædam exotica Mirabilia de partibus quibusdam animalium quadrupedum mirâ, ut volunt, virtute pollentibus: plura attexere possemus, si vanitatis incurrere censuram non vereremur. Cerebrum apri adhuc calidum exemptum podagricis appositum continuò lenire dicunt dolores. Cingulum ex lupi pelle confectum & corpori applicatum ita ut pili ventrem tangant, colicam abigere volunt; ad dentitionem infantibus conducere dentem lupi appensum. Lupi stercus pecudes in furorem agere dicitur: Sic latomus quidam Batavus, ut refert *Beyerlinck in Theat. vit. hum.* lupi stercus clam in præsepibus abscondebat; pecudes ejus odore territæ, velut in furorem agebantur: ille cum se incantationum removendarum artificem profitetur, remoto clam stercore malum amoliebatur & quæstum inde faciebat. Potus ægro consuetus per guttur lupi transfusus, si bibatur, illarum partium dolores curare perhibetur. Pulsato tympano è lupi corio confecto dicuntur ea dissolvi, ac pene obmutescere tympana, quæ ex agnino corio sunt confecta. Lupi caput suspensum in columbario creditur arcere viverras & mustelas. Caudam lupi in quocunq; loco sepultam ibidem muscas fugare referunt. Chamæleontis jecur amatoria dissolvere putatur. Dentem taxi vel sinistrum pedem brachio dextro hominis alligatum memoriam roborare dicunt. Oculus canis nigri in manu detentus prohibet ne canes latrent. Ad ericii pinguedinem pulices congregari ajunt; uti & ad hirci sanguinem in foveâ positum. Literæ Hirci adipe lapidi inscriptæ & prorsùs occultæ, quando submergitur lapis aceto prodeunt & quasi sculptæ eminentes extant. E summo gutture cervi ustis ossibus congregari serpentes tradit *Cornel. Agrippa philos. occult. lib. 1. c. 43.* Cornu verò cervino suffito fugari. Similiter accenso pulmone Asini venenata omnia fugere docet *Idem*; ut & ex ungulâ equi suffita in domo aliqua effugari mures: idem fieri ex ungulâ mulæ: muscas quoque eâ ipsâ fugari, si de sinistro fuerit pede. Annuli ex cornu & ungulis Bubali gestati probantur contra spasmum; ex ungulâ verò Alcis confecti contra epilepsiam. Secundina Cati primipari de collo suspensa valere dicitur ad oculorum affectus. Oculus dexter Ursi exsiccatus infantibus contra nocturnos appenditur terrores. Tauri sanguis recenter epotus atrox censetur venenum; congelatur enim in ventriculo, respirationemque impediens suffocat,

focat. Ita *Themistoclem* Athenienſem interiiſſe ſcribit *Plutarchus*. Carnium eſu longæ vitæ animalium vitam produci poſſe, autumant plures ſolidum conſulentes nutrimentum multum diuque nutrire & à morbis defendere. Hac ratione cervi carnes præcipuè juvenis ad longitudinem vitæ conferre plurimùm volunt. Retulit *Plinius* etiam quaſdam ſe noviſſe principes fœminas omnibus diebus Cervi carnes depaſtas, & longo ævo febribus caruiſſe. Officulorum, quæ in Cervorum corde reperiuntur, geſtatio à beſtiarum venenoſarum morſibus & ictibus præſervare dicitur, adeps etiam cervinus feras venenatas arcere fertur. Maxima creditur efficacia dentis Apri in curandâ Cynanche: ſi enim pulvis ejus oleo lini excipiatur, & locus affectus tangatur cum pennæ extremitate, *ex Arnoldo & Avicennâ* habetur hunc morbum præſtantiſſimè curari. In curanda pleuritide non minor cenſetur eſſe virtus illius. Sed hæc potiùs ad Medicos pertinent: cum tamen in ordinem incurrerent, inhonorata tranſire noluimus.

CAPUT VII.

Regulæ & Obſervationes de Avibus univerſim & in genere.



Oſt expeditum de Quadrupedibus, Animalibus ſcilicet terreſtribus perfectis argumentum in Regno Naturæ animali; nunc & alterum aggredimur de Avibus, Animalbius ſcilicet volatilibus aereis potiùs, quod de Elemento aeris in compoſitione plus quàm de aliis participent: vel quod naturam aeream nacta aerem potius incolant, aut eundem magis appetant. Generales verò Regulæ & compertæ magis obſervationes de iisdem ſunt tales.

Avium eſſentia. 1. Aves comprimis omnes conſtant animâ ſenſitivâ & corpore organico: & quamvis in hoc conveniant, quod aptitudo volandi & in aerem ſe elevandi ipſis ſit connata: plurimùm tamen differunt formis ſpecificis, indole & affectionibus.

Proprietates generica. 2. Altilia inter cœtera animalia generaliter ſunt ſubſtantiæ purioris, levioris & nobilioris, motûs fortioris, viſûs acutioris, carnis digeſtibilioris, ſapidioris, ſalubrioris, ac in nidificando, educandisque pullis ſolertiæ majoris: ut communiter teſtantur omnes Ornithologi. Aves etiam generaliter vivaciores eſſe quadrupedibus ſicut & piſcibus, docet *Cardan. de variet. lib. 7. cap. 24.* cauſam hanc addens: *purius enim*, inquit, *ac minus obnoxium corruptioni eſt pingue humidum earum, ob id igitur diutius vivere ſolent.*

Amor ſocietatis. 3. Præ reliquis animalibus, ut tradit *Frantzius Hiſt. anim. part. 2. cap. 1.* Aves pleræque amant ſocietatem & honeſtatem in generatione, quia magna cum ſollicitudine tempore veris quærunt ſibi ſocias, illis ſeſe applicant, certis nutibus valde diligunt, pro ipſis pugnant, & in gratiam liberorum nidulos conſtruunt, fœtus ſuos nutriunt, & toto illo tempore generationis voluptatem ſuam declarant perpetuis cantillationibus. Idquod inde manifeſtum redditur, quia poſt completum amorem & abſolutam generationem etiam canere ceſſant. Ita ille.

Ova fœcunda & infœcunda. 4. Ab ovis primùm de avibus genitis proveniunt aves: præcipua verò ovorum differentia eſt, quod alia ſint fœcunda, alia infœcunda: quæ dicuntur improlifica, irrita, hypenemia, ſive ſubventanea & zephyria: ut recte notat *Harveus Exercitat. de generat. animal. exercit. 13.* Hypenemia dicuntur, quæ ſine maris coitu edita ad pullationem inepta ſunt, quaſi à vento prognata forent: quemadmodum *Varro* teſtatur equas in Luſitania vento concipere. Ova autem fœcunda cenſentur, quæ maſculino concubitu concepta & ſeminali Spiritu penetrata ablatis impedimentis extraneis fotu blando de ſe pullos producunt. Ovant etiam generaliter Aves in fine Veris & principio æſtatis, ut docet *Ariſtoteles lib. 5. de Animal.* præterquam avis marina, quæ Alceon dicitur. Aves tamen quædam domeſticæ ovant totâ æſtate, ſicut gallinæ & columbæ; præcipuè cum bene paſcuntur, & locus earum eſt calidus.

Ova ſuperventanea. 5. Ova venti, ſive ſuperventanea non ſunt in avibus boni volatûs, quoniam ſuperfluitas earum pauca eſt, & ideo ovant ova pauca: ſunt etiam Ova venti plura ovis generationi pullorum convenientibus, minoris inſuper quantitatis, quoniam non ſunt completa.

Fœcundorum ovorum cognitio. 6. Ova infœcunda, irrita ſive Cynoſura, ut etiam vocantur, à fœcundis internoſcuntur poſt decimum ſextum à primo incubatu diem: Ova ſiquidem dum in aquam tepentem molliter dimittuntur: quæ fundum petunt, irrita habentur; fœcunda verò, quæ innatant. Si fœtus in ovo grandior factus ſe alacrius moverit, ovum non modò huc illuc volutatur, ſed & ſaltus edit: Et ſi auris propiùs admoveatur per aliquot dies ante excluſionem, pullus intus etiam *Harveo* docente *loc. ſupracit.* calcitrare, obſtrepere & pippire auditur. Sed de ovis plura vide apud *Harveum.*

Avium incubatio.

7. Generale omnibus avibus esse docet *Cardanus de variet. lib. 7. cap. 24.* ova ter septenis diebus incubare, neque longiori tempore vacare posse dicit fovendis pullis, neque breviori tam perfecta animalia conformari; atque eam causam esse, ut opinatur, quod non adeò evidens sit discrimen inter aves, velut inter pisces aut quadrupedia. Plus enim, ut inquit, differt *Elephas in solertiâ & prudentiâ* à cuniculo, quàm Aquila à Regulo. Eâdem de causâ aves generaliter diu vivunt, quanquam exiguæ: tametsi referant passeres propter fœcunditatem bimatum non excedere.

Progressus formationis pulli in ovo.

8. Progressus formationis pulli in ovo Gallinaceo (ad cujus exemplum facilè alterius avis concipi potest) talis ab Ornithologis adstruitur. Gallinâ, inquiunt, primo die incubante & ejus germine calore excitato fibræ explicantur per diversos orbes concentricos. Testatur tamen Clarissimus *Malpighius* in omni ovo fœcundo etiam ante Gallinæ incubationem prima pulli rudimenta comparere, haud secus ac prima plantarum stamina in ipso germine nonnunquam etiam ab inarmatis oculis distinguuntur. Secundo incubationis die cavitatem in obtusiori angulo dilatari & in bullam abire dicunt, exhalatis nimirum vi caloris tenuioribus particulis, iis remanentibus, quæ limpidissimam aquam, qua bulla illa repletur, componunt. Die quarto maculam purpuream, velut rubicundum aliquod punctum apparere memorant, Cordis scilicet primordium, ex quo exiguo post tempore multæ venulæ ejusdem coloris, sed propter subtilitatem pene invisibiles abeunt. Quinto die in eo cordis primordio duos ventriculos & pari numero aures conspici dicunt: quia verò ventriculus sive cavitas dextra contrahitur, dum conjuncta ei auricula expanditur, duas vesiculas esse apparere. Eodem etiam die aliquid instar exigui vermiculi oriri venulæ annexum, cui globatum corpusculum appenditur, sed illo majus in quatuor bullas liquore cristallino & limpidissimo repletas distinctum, quas quatuor bullas, binos oculos, cerebrum, & cerebellum repræsentare asserunt. Sexto die ajunt, pedes & alæ fabricantur, incipiunt etiam oculorum tunicæ & eorundem membranæ comparere, atque etiam pulmonum & jecoris primordia, rostrum item, intestina & viscera omnia. Asserunt etiam compertum tunc pullam leviter se movere, incipereque caput attollere. Ossium etiam rudimenta veluti subtiles araneæ telas porrigi. Die septimo omnia tandem distinctiora conspici volunt, & ad decimum usque diem sensim crescendo pullum omnibus suis partibus absolvi, totumque fieri conspicuum. Post decimum quartum diem membris omnibus distinctè comparentibus fœtum dicunt plumis vestiri, viscera occultari, cerebellum calvariâ obserari, pippire pullum & demùm habitaculi sui angustias dedignantem consumpto prius albumine, deinde vitello, quibus in ovo nutritur, illud demum effringere & excludi. Sed prolixiùs hunc processum pulli efformationis cum pluribus aliis circumstantiis explicatum videre licet *apud Harveum de gener. anim. ab Exercitat. 25.* & deinceps.

Avium variæ differentiæ.

9. Avium variæ sunt differentiæ, quarum præcipuæ hæ possunt esse. Ratione morum quædam sunt mites, velut columbæ, gallinæ, anates &c. quædam rapaces, ut Aquila accipiter, vulrur &c. Quædam societatem amant, ut anseres, columbæ, anates, gallinæ. Quædam Solivagæ, ut Aquila, vultur, accipiter. Ratione temporis differunt; & sunt æstivæ, uti ciconiæ, hirundines, alaudæ. Quædam hybernæ, ut Bombycilla. Quædam perpetuæ, ut columbæ, passeres, picæ, &c. Ratione nutritionis & victûs differunt Aves, ut sequitur.

Ratione victûs differunt aves, & sunt aliæ	Carnivoræ & Prædatrices.	Rostri adunci: ut Aquila, Pygargus, sparverio seu Nisus, Falco &c.
		Rostri directioris & quasi mucronati, ut Corvus, Cornix, Graculus, &c.
	Vermivoræ	Quæ vermibus vescuntur, ut Luscinia, Upupa, Parus, Trochilus &c.
	Baccivoræ	Quæ baccis vescuntur, ut Turdus, Merula, Sturnus &c.
	Granivoræ	Pulveratrices, quod in pulvere se volutare soleant, ut Gallinæ, Phasianus, Otis, Perdix, &c.
		Lotrices, quæ se aquis proluere solent, ut Carduelis, Spinus, Linota, Alauda, &c.
	Omnivoræ.	Ut sunt Corvus, Cornix, Pica, &c.

Ratione

Ratione loci, quem potissimùm incolere petunt, ità aliquæ sunt domesticæ; veluti Anseres, Anates, Gallinæ &c. aliæ sylvestres, aliæ aquaticæ & paluſtres &c. Ratione nidificationis differunt etiam aves, prout nidos diversis in locis exstruere & in iis pullos excludere solent. Ratione pedum quoque differunt aves, quarum aliquę sunt palmipedes ob membranam, quę digitis intercipitur & intertexitur, quò faciliùs natare queant, ut patet in oloribus, Anseribus, Anatibus &c. Aliæ sunt multifidæ ut Aquilæ, Passeres, Columbæ &c. Ratione colli rursùm patet in avibus differentia, quarum aliquæ sunt brevicolles aliæ longicolles &c. Tandem ratione coloris in plumis, alis, caudis, &c. differunt. quæ omnes enumerari facilè non possunt.

Aves masculæ quomodò à fœminis discernantur.

10. Mares à fœminis facilè discernuntur, cum adulti fuerint; difficulter autem adhuc cùm pulli sunt: Ob id observatione uti decet sumpto à pavonibus exemplo, quorum tam manifestum discrimen, cùm jam creverint, antè tam obscurum. Itaque colore ferrugineo sunt & vario, mixtoque, & sub alis pennæ, quas gladios vocant, rubent. In fœminis color in dorso livet, nec ulla varietas, neque sub alis gladii rubent. Plerisque in generibus mares canunt, silent fœminæ: ut Philomelæ, Cardueles, Galli, Coturnices &c. In quibusdam diversitas vocis sexum ostendit, & plerumque mares vocem habent robustiorem, caput majus, motum velociorem, suntque vegetiores & oculis alacriores.

Rostrum in avibus.

11. Omnes aves in hoc conveniunt, quod habeant rostrum; in dispositione tamen est differentia: Quædam enim habent rostrum breve & latum; & harum vita solet esse quieta & mansueta. Quædam habent rostrum longum & acutum, sicut & collum longum, acquiruntque cibum de profundo. Quædam rostrum habent recurvum & acutum, & talis figura videtur esse necessaria ad dilacerandam & comedendam crudam carnem, ut notat etiam *Cardanus*.

Aves rapaces.

12. Commune est omnibus avibus rapacibus, ut sint rostro & unguibus aduncis: Quæ verò feriunt, ungulam habent maximè dextri pedis superiorem acutam, robustam & firmam. Pectus harum avium est acutum, ut facilè per aërem transferri queant, & cauda alæque sunt amplæ.

Grandioris rostri.

13. Grandiore sunt aves rostro, quæ cibis valdè crudis vescuntur: Ut Ciconia, Corvus, Anser, Anas. Materia equidem dentium ad hæc laceranda abit in rostrum.

Rostrum quale juniorum & Seniorum

14. Avium juniorum rostrum magis flavescit seniorum rostro, quod in illis humidum aqueum abundet; in Senioribus siccum est, & terreum, quod inducit nigredinem.

Aves canoræ magis.

15. Aves, quæ in gutture plurimos habent musculos & quietiora phantasmata, insuper pulmones habent ampliores cum angustiore gutture, sunt melius, & magis harmonicè canoræ, velut Luscinia. Nam per plures musculos, quibus variè distenduntur aut stringuntur, vocum variatio provenit: Et ubi quietiora sunt phantasmata, illis magis intendere valent: Et quæ pulmones ampliores habent cum angustiore gutture, non uno statim flatu aërem sonorum emittunt, sed tractu aliquo, quo vox protenditur.

16. Sicut inter homines clamant, non canunt, qui magno sunt corpore ob guttur, quod habent amplius, per quod velut per portam totus aër pulmonum simul erumpit: Ità in avibus majoribus vox canora, & concinna non est, sed ingratior & insuavior, quod ex pulmonibus major aëris copia simul effletur. Prætereà aves majores minùs canoræ sunt, quod majori præditæ sunt calore, qui vocis suavitati officit, quod vocalem arteriam magis adurat & induret. Undè etiam in hominibus exemptione calidarum partium temperatur calor, ut suavitas vocum conservetur. Minores etiam aviculæ continuò ferè cantillant, non ità majores; quòd in minoribus, uti cœtera membra sunt inquieta, ità & lingua, nam quovis phantasmate circum aguntur: Majores verò egent phantasmate robustiore, quod eas moveat.

Aves hyeme cur minùs canoræ.

17. Raræ sunt aves, quæ hyeme canunt; quia sanguis hyeme refrigescit, hinc cessat hilaritas, quæ illas ad cantum excitet: Stringuntur etiam frigore aut solis abscessu plures musculi ad vocem spectantes.

Aves calidiores & sicciores.

18. Volatilia, quæ calidioris & siccioris naturæ sunt, montana & rupium cacumina plerumque inhabitare, & frequentare solent: Veluti sunt aves prædatrices, quæ & caudam subtilem, tenuem, & longiusculam habere solent. Omnes autem ejusmodi aves, teste *Aristotele*, solitudinem amant, nec cum aliquo Sociorum cohabitare possunt; sed eos rostro expellere & abigere solent.

Aves magis pennosæ & minùs carnosæ.

19. Aves quò magis pennosæ seu plumosæ sunt minùsque carnosæ, eò faciliùs se elevant sursum altiùsque volare queunt, & in volatu velociores & fortiores sunt. Solent etiam visûs esse acutissimi & magnæ animositatis, quales sunt omnes aves prædatrices ut Aquilæ, Falcones, Accipitres & consimiles. Quibus, ut supra etiam jam meminibus, natura dedit ungues recurvos & pedes nervosos, rostrum curvum & acutum, ut prædam fortiùs retinere, & carnem dilacerare queant.

Venenata in avibus

20. In omnibus avibus rapacibus anhelitus, pedes, pennæ, & sanies, quæ suprà caudam est, veneno infecta censetur.

21. Aves carnivoræ carnes habent nigras & duras: Quia in ipsis abundat calor, qui utrumque facit, nigredinem scilicet & duritiem.

22. Aves prædatrices velut accipitres & aquilæ, quamdiu viventibus animalibus vescuntur, aquam non bibere perhibentur. Satis enim illis esse dicitur sanguis, quem exsugunt: Bibunt verò aquam, cum cicures factæ cibariis siccis utuntur.

23. Aves, quæ longos habent pedes & crura longa, etiam collum habent longum, & volare solent collo extento: Si tamen collum sit debile & gracile, declinant ipsum in volando. Omne verò volatile habens breve collum, etiam brevia habet crura, & è converso.

Cauda in avibus. 24. Quod gubernaculum est navi, hoc etiam volanti avi dicunt esse caudam; quâ dum aliquæ carent, crura oblonga, quæ illis natura concessit, in longum retrò proijciunt, ut caudæ munus suppleant. Aves igitur, quæ carent caudâ, longis instruuntur cruribus. Sic etiam pyrobolis adduntur tenues bacilli, qui eos dirigant, dum in aërem feruntur.

Pedes in avibus. 25. Omnes aves sunt bipedes; at in pedum dispositione hæc est differentia, quod quæ pedes habent uncorum unguium, cùm sint fortes, & acuti, conveniant prædationi & venationi. Pedes autem aquaticarum & palustrium sunt clausi ac indivisi & lati, quod tales conveniant natationi: Plumas etiam magìs compactas habere solent, quæ aquas non ità ad corpus penetrare sinunt.

Crura in avibus. 26. Quarumcunque avium crura introrsum flexa sunt, ambulare solent, & talis pes venit sub centrum gravitatis in ave & eam sustinere valet, si eidem soli insistat. Quæ verò aves crura habent extrorsum reducta, saltitant, cùm tales uni pedi insistere non possint, ideoque nec progredi. Quod etiam aves binis stare pedibus & progredi soleant, sed non eo modo, quo homines, disertè ostendit *Clariss. D. Joannes Alphonsus Borellus de motu Animal. part. 1. prop. 144.* ex diversâ articulorum structurâ dependere. Differunt enim, inquit, primò quoad numerum ossium; secundò quoad formam eorundem; tertiò quoad distributionem & structuram musculorum; quartò quoad articulos: sed vide ipsum loc. cit.

Carnivoræ rariùs ovant. 27. Compertum est aves curvorum unguium, quæ scilicet carnivoræ sunt, raro ovare, atque nonnisi semel per annum præter hirundines, quæ solæ inter carnivoras bis in anno pullificare comperiuntur.

Avium volatus quomodò contingat. 28. Ut aves alarum ope aërem pervolent, percussione aëris efficitur & resultu quodam, dum instar lapilli complanati, uti nempe ille aquam oblique perstringit, in aëre sustinentur. De volatu altilium eruditè scripsit *D. Perrault* citatus *à Du Hamel phys. part. 3. de corpore animato cap. 6.* Tria verò comprimis ad volarum avibus naturam contulisse tradit: primum, ut organa ad volatum idonea firma essenr & levia: secundum, ut vi satis efficaci ad celeritatem hujus motûs donarentur. Tertium, ut eorum organorum beneficio aves sursum efferri & in aëre suspendi possent. Sed hæc ipsa paulò fusiùs explicata vide apud *Du Hamel loc. cit.* aut apud Authorem ipsum. *D. Le Grand instit. philos. part. 7. cap. 20. num. 10.* duo ad volatum requiri vult. Primum, inquit, ut pennæ explicentur, quarum pili ità inter se sint implexi, ut per tenuia sua interstitia aëri quidem, sed difficulter commeatum præbeant: Ex quo resistentia oritur. Secundum, ut alæ expansæ sint, & earum agitatione aër verberetur, aut per longiores vices repetita, ut fit in milvis, aut per crebra, ut in columbis, aut creberrima ut in collurio. Hinc prævalente ea resistentia vis gravitatis superatur, & corpus in earum medio libratum permanet. Ità *Le Grand* vide etiam *Joan. Alphons. Borellum de motu animal. part. 1. cap. 22.* Ubi argumentum hoc de avium volatu præ cœteris omnibus magìs dilucidè & ingeniosè explicare conatur.

Avium voces. 29. Sicuti quadrupedibus singulis suas supra adduximus voces, prout illis organa vocis diversa ab Authore Naturæ collata sunt; ità quoque nec avibus suæ desunt voces propriæ; ex quibus tamen perfectiores illæ, quæ disciplinam & institutionem facilius capientes, alienas etiam æmulari, imò & hominum voces distinctè & articulatè proferre discunt: Ut sunt meruli, picæ, & præ reliquis omnibus psittaci. Voces autem propriæ, quales singulis in specie conveniant avibus, haud improbè nonnemo his olim versibus declaravit à Philomelâ suavissimi præ omnibus cantûs alite sumens initium.

Dulcis amica veni noctis solatia præstans
Inter aves etenim nulla tibi similis.
Tu Philomela *potes vocum discrimina mille:*
Mille potes varios ipsa referre modos;
Nam quamvis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulis æquivalere tuis.
Insuper est avium spatiis garrire diurnis:
Tu cantare simul nocte dieque potes.
Parrus *enim quamvis per noctem tinniet omnem,*
At sua vox nulli jure placere potest.
Dulce palara sonat, quam dicunt nomine Drostam:
Sed fugiente die nempe quieta silet.
Et Merulus *modulans tam pulchris concinit odis:*
Nocte ruente tamen carmina nulla canit.

Vere

Vere calente novos componit Acredula *cantus*
Matutinali tempore tunc mutilans
Dum Turdus *trutilat* ; Sturnus *tunc pinsilat ore*,
Sed quod mane canunt, *vespere non recolunt*.
Cacabat hinc Perdix ; *gratitatque hinc improbus* Anser ;
Et castus Turtur, *atq;* Columba *gemunt*.
Plausitat arboreâ clamans de fronde Palumbes :
In fluviis natam sorte retrivit Anas.
Grus *gruit* ; *inque glomis* Cygni *propè flumina drensant*,
Accipiter *pipat* ; Milvus *hiansque lipit*.
Cucurrere solet Gallus, Gallina *gracillat* ;
Pupillat Pavo ; *trinsat* Hirundo *vaga*.
Dum clangunt Aquilæ ; Vultur *pulpare probatur* ;
Et grocitat Corvus ; Graculus *ast frigulat*.
Gloterat immenso de turre Ciconia *rostro*
Pessimus ast Passer *tristia flendo pipit*.
Psittacus *humanas depromit voce loquelas* ;
Atque suo Domino χαῖρε, *valeque sonat*.
Pica *loquax varias modulatur gutture voces*,
Scurrili strepitu quidquid & audit, *ait*
Et Cuculi *cuculant* ; *fritivit rauca* Cicada.
Bombilat ore legens munera mellis Apis.
Bubulat horrendum ferali carmine Bubo ;
Humano generi tristia fata ferens
Strix nocturna sonans & Vespertilio *strident*
Noctua *lucifugis concubat in tenebris*.
Ast ululant Ululæ *lugubri voce canentes*,
Inque paludiferis Butio *bubit aquis*
Regulus *atque* Merobs *& rubro pectore* Progne
Consimili modulo zinzizulare sciunt.
Scribere me voces avium Philomela *coëgit*,
Quæ cantu cunctas exuperat volucres.

30. Avium venenum est, quo citissimè necari & interire solent milium Arsenico coctum, vel veratrum album cibo mixtum, aut Nux vomica. Inebriat omnes aves, ut manu facilè capi possint, Tormentilla in vino cocta cum hordeo, vel aliis granis subacta: Inebriantur & allio sylvestri. Sed his regulis & observationibus ità generaliter de avibus adductis, nunc Tabulam Synopticam subtexamus, in qua præcipuarum comprimis avium nomina, ac brevis earundem descriptio, uti & nutritio ac victus, mores, indoles, ac magis compertæ proprietates perfacilè addisci possunt. Avium venenum.

TABULA

TABULA SYNOPTICA

Præcipuarum avium cum brevi earum descriptione, nutritione, moribus, indole & proprietatibus ordine Alphabetico disposita.

Avium nomina.	Forma corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates.
Acanthis sive *Carduelis*, *Ligurinus*, *Spinus* aut *Spinula*.	Avis & parva & formosa diversis ornata coloribus, dorsum habet cinereum & fuscum, alas croceas, & albis maculis permixtas.	In spinis & carduis degit, eorumque semine vescitur.	Valdè canoram habet vocem. Odit asinos, quod dorsum in spinis torqueant; odit & parum. Visco capta & denuò liberata cavet valdè capturam.
Accipiter sive *Astur* est avis pipens, animosa, robusta, volatum citissimum & altissimum habens.	Color ex albo, fulvo, & nigro maculis inspersis distinguitur. Pectus habet acutum, & firmum; lutea crura; pennas in alis & cauda magnas & densas.	Rapax avis est, gallinas, columbas, corvos ac lepores devorat. Vilior muribus, ranis & talpis victitat; nobilior nec piscibus parcit: cancrorum carne delectatur maximè.	Vicenis diebus incubat: visu & memoriâ valet: adversatur naturaliter gallinis: pullos quamprimùm volandi facultatem nacti sunt, nido expellit.
Acitli sive *Lepus aquaticus*, est avis Americana ex anatum genere.	Anatum nostrarum magnitudinem non superat: femora ità reliquo corpori connexa habet, ut natationi, non incessui subserviant.	Piscibus & his, quæ in aquis venatur, victitat.	Lacubus innatat, & juxta eos perpetuò versatur. Volandi potis est: commodè tamen per terram haud ambulat.
Acolin sive *Coturnix aquatica*, avis est lacûs Mexicani.	Coturnicis est magnitudine, fusca, prolixo rostro & curvo inferius, pedes habet longos.	Pisciculis victitat.	Juxta summitatem aquarum celerrimè solet currere, vix unquam tamen volare.
Alauda Avis est communiter nota, à laude, ut volunt, dicta.	Parva hæc est avis: duplicis verò generis. Quædam habet cristam, undè dicitur Cassita, & Galerita; Quædam verò cristam non habet, & est paulò minor.	Victitat feminibus & aliis obviis in campis. Gustato semine sinapis perire dicitur per hyemem.	Nidificat in terra inter segetes. Pullos maturè fugere docet, cùm instat tempus messis: initio veris omnium prima & manè potissimùm cantat.
Anas Est avis garriens, libidinosa, timida, sordida, lacus & flumina amans, fera est & domestica.	Ansere & gallo minor est: mas fœminâ major, rostrum, dorsum & pedes habet latos. Color pennarum varius est.	Nutritur feminibus, vermibus, ranis, araneis, lacertis & quibusvis reptilibus. Sordibus delectatur maximè.	Libentius in aquâ, quàm in terra versatur. Gaudet aquis fluminum, gressum habet cum gravitate tardum.
Anser Est avis gingriens, robusta, natationi magìs quàm volationi dedita. Anceps, undè terras & aquas amat. Ferus est & domesticus.	Corpus habet magnum, collum longum, rostrum latum, crassum & serræ instar dentatum: pedem infimum habet latum & planum, coloris est albi vel cinerei.	Nutritur herbis, frumentis, oleribus & aliis quibusvis penè esculentis.	Auditu pollet eximio. Timidus est, & ad quemvis strepitum exhorrescit. Tempestates præsentit.





Avium Nomina.	Forma Corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates.
Aquila est avis clangens, generosa, bellicosa, visûs acutissimi, volatûs altissimi, halitûs pessimè olentis. Species variæ sunt, ut *Chrysaëtus*, *Haliaëtus*, seu Aquila marina, *Melanaëtus*, sive aquila valeria; *Pygargus*, *Morphnus*, seu clanga & *Perenopterus*.	Communis Aquilæ magnitudo est ultrà anserem, rostrum habet durum, aduncum, ungues recurvos, carnem duram, ossa solida, oculos rubros, concavos, profundos, crura ità longa ut pes dexter sinistro sit major: pennæ sunt rigidæ ac duræ: collum longum, cauda brevis.	Vivit ex raptu, infesta est brutis, tauris, canibus, columbis, anseribus & piscibus. Appetitum cibi habet insatiabilem. Juxtà senium crescit aduncitas rostri, undè carnem & alios cibos deglubere non valens sitit & bibit tantùm sanguinem.	Naturale habet odium cum cygno, grue & dracone. Volatum habet velocissimum & altissimum. diutissimè vivit. Astuta est, audax, fortis & grata. Nidum suum servat contra venena & alias sordes. Implumes pullos explorat ad solem. Solitariam amat vitam.
Ardea est avis clangens, fagax, animosa, arduum habens volatum. Species variæ sunt, ut cinerea, alba, castanei coloris & stellaris.	Corpus habet tenue, parvum, leve & macilentum; rostrum verò longum, cavum, & capiendis piscibus aptum: collum longum, digitos ternos in pedibus.	Vorax hæc avis est, devorans non tantùm pisces minores, sed & majores, integras etiam anguillas; Ostreis maximè delectari perhibetur.	Tempestatem præsentit, qua imminente multò cum clangore avolat. In maximis angustiis, dum pugnat cum accipitre, anum eidem opponens pennas illius conspurcat, quæ indè comburuntur.
Asio sive *Otus*.	Capite est rotundo, auribus velut cornibus plumeis insignito, vario est colore, oculis amplis, rostro adunco, cruribus & pedum digitis ad ungues propemodum usque villosis; pedibus magnis & robustis.	Vivit ex præda & raptu, quidquid offendit.	Montes inhabitat & altiora loca, nidificat in cavernis arborum. Noctu horrisonam edit vocem quasi hominis frigore afflicti. Mimica est avis, quidquid videt, effingens
Attagen Sive *Gallina corylorum*.	Corpus habet grave, carnosum, pennas paucas, alas breves, ob quas difficulter volare potest.	Vermibus & insectis inter arborum cortices repertis vescitur, ac comprimìs corylorum oblongis fructibus. Victitat granis & frugibus.	Avis est vocalis, capta tamen prorsùs obmutescit. Multùm infestatur à pediculis: Ut his se liberet, crebro volvitur in pulvere.
Aura *Gallinaza*, aut Peruensium *Suyuntu*; Mexicanorum *Tropillotl*. Avis est Americana, corvini generis, frequentior in Nova Hispaniâ.	Aquilæ est magnitudine coloris nigri, ungues habet aduncos & atros, crura fusca, rostrum instar psittaci. Frons depilis plicatili cute obtegitur, quam circumstant pili nigri, & rari similes Æthiopum.	Vivit ex morticinis, stercore humano, & aliis sordibus. Quidquid immundum & exanime reperit, hoc devorat.	Perspicax est & præpes miri silentii. Pernoctat in Arboribus & rupe. Manè urbes petit & immunda rapit. Cùm infestatur, se exonerat ut levior fiat. Pari festinatione evomit, quidquid deglutivit. Gregatim volat.

Avium nomina	Forma Corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates.
Britannicæ Aves quas diversis nominibus vocant *Brantas, Bernicias, Barliatas, Bernestas, Barbastas Clakis, Clacuse, Claiks, Claikgres, Baumgens, Rotgens* aut aliter. Ex anserum sunt genere.	Anseribus pene similes sunt, illis tamen paulò minores, pectore sunt aliquo usque nigro cœtero cinereo, mentum ad collum usque & sub oculis est candidum, caudam habent brevem & nigram, alas & dorsum coloris plumbei.	Vescuntur iis, quibus anseres communes. Egressæ aqnas, etiam quandoque segetes depopulantur.	Incessu, clangore, & voce Anseres imitantur. Plures crediderunt eas in Hibridibus insulis ex fructibus & foliis arborum in mare deciduis generari. Probabilius tamen est eas more aliorum anserum ex ovis per incubatum oriri.
Bubo Sive Noctua avis est nocturna ab imitatione vocis *Bu*, quàm noctu clamando edit, sic dicta.	Omnium nocturnarum avium est maxima plumeum corporis tegumentum ferrugineum, seu obscuro quodam æris colore infectum est maculis nigris inspersis caput habet grande, frontem orbicularem plumis velut auribus insignitum, oculos maximos: collum breve, rostrum aduncum ungues aquilinos, crura btevia.	Noctivaga est & mures comprimis venatur, iisque lautissimè vescitur.	Roboris est eximii in pugna, cum se sentit imparem, in dorsum supina procumbit, rostrumqne & ungues hosti obvertit, incolit loca deserta, arborum concava, & ædium latibula. Cum interdiu comparet, ab aliis aviculis deplumatur.
Butorius Sive *Butcarus Butaurus, aut Bootaurus.* Avis est ardeæ similis in figurâ & quantitate, colore verò dissimilis.	Collum habet longum & valde plumosum. Caput nigrum corpus reliquum est fuscum inspersis nigris maculis, pedes habet longissimos, uti & ungues, caudam verò brevissimam, ventrem capacissimum; arteria aspera illi tota continua est, larynx nulla.	De venatione piscium & ranarum victitat. Dum piscatur, adeo quieta est & immobilis stat, ut mortua putetur.	Horride strepit instar tauri, ut etiam ad unius horæ distantiam audiri queat. Illaqueata manet immota, accedentem verò incautum vulnerat.
Caprimulgus Nocturna est avis.	Magnitudine paulò major est merulâ, minor cuculo, capitis verticem habet longum & compressum, oculos grandes, rostrum vix passerino majus ac modice aduncum.	Noctu intrat caprarum stabula, earumque exsugit ubera, ita ut inde etiam emoriantur & capre persæpe excœcentur	Astuta & callida avis est, adeo terribilem habet clamorem ut audientibus pavorem incutiat.
Cenotzque Avis nivis evocatrix	Caput habet nigrum fasciâ cinereâ cinctum, rostrum parvum, oculos nigros, palpebras pallentes. Color in pectore est fulvus illustris varietatis, in ventre permixtus notis candidis, & atris, color sub alis est candidus & cinereus.	Arborum quibusdam fructibus, vermibus, ac muscis alitur.	Antequam ningat, clamare perhibetur, deinde silet. Quovis cœlo gaudet, montana colit & veris tempore educat sobolem, caput contorto in varias partès scit vertere, ut immota persistens cuncta tamen aptè circumspicere possit.

Ceoan

Avium Nomina	Forma Corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates
Ceoan sive avis nivea.	Turdo viscivoro paulò major est: circà pectus, ventrem & alarum exortum fulvescit permixtis ad caudam cinereis plumis. Rostrum habet parvum, mentum candescit insertis tamen nigris aliquot pennis, crura fulvescunt.	Fructibus in terrâ repertis, aliisque esculentis nutritur.	Sermonem humanum imitatur velut irridens transeuntes, quos tamen, ubi licet, insequitur.
Cinamomus sive Cinamolgus, aut Cinnamulgus. Avis est Arabiæ & Æthiopiæ.	Passere aliquantò est major, coloris partim flavi, partim cærulei, rostro longo, ejus colore ad flavum vergente.	Rapax avis est, & carnivora.	Nidum struit in summis arborum ramis ex cinnamomi præstantissimis surculis.
Ciconia est avis æstiva, glotterans, prudens casta, & justa.	Crura habet longa, collum longum, pennas albas nigris distinctas, rostrum crassum rubei coloris, caudam brevem.	Nutritur ranis, lacertis, bufonibus, serpentibus, & aliis ejusmodi.	Frigus præsentit, undè certo tempore avolat. Odit Serpentes, bufones, & vespertiliones: amat stagna, hortos & alia irrigua loca.
Circio avis est Indica.	Magnitudine est sturni; diversicolor & semper caudam movens, ut motacilla.	Nutritur insectis & aliis cibis suæ regionis.	Vocalior est psittaco, atque humanum sermonem exprimere valet. Magnâ prædita est docilitate & ingenio; capta tamen non facilè canit.
Collurio est avis rapax, quæ inter minores accipitres & falcones refertur.	Non dissimilis est merulæ quoad figuram, & quantitatem. Hyeme colore est fusco, terreo & ità obscuro, ut cùm humi sedet, vix possit à terrâ discerni.	Vescitur vermibus, muscis, aliisque pluribus cibis per prædam correptis.	Libenter degit in novalibus agris, ubi & hyeme capitur.
Columba est avis gemens, simplex, munda, mitis, innocens, fœcunda; species sunt palumbes, & turtur.	Quantitas corporis modicæ est, caput planum, quibusdam cristatum; pedes aliis plani, aliis pennis ornati: Color est varius.	Nutritur tritico, hordeo, lolio, milio, piscis atque aliis granis & seminibus.	Servat jus conjugii, nec alteri facilè sociatur. Plurimum valet sensu visûs, auditûs, & gustûs, pernicissimum habet volatum.
Cornix sive Cornicula.	Avis hæc est corvini generis; undè corvo persimilis, eo tamen minor.	Victitat frugibus, vermibus & carnibus: delectatur nucibus & olivarum baccis: immundis etiam pascitur & venenosis.	Avis est valdè garrula, nidulatur in summis arborum frondibus, amica est ciconiis, inimica noctuis, ætates humanas tres supervivere dicitur. Occisa & donec puteat relicta elicit mures.

Avium Nomina	Forma Corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates.
Corvus Est avis crociens, nigra, vivax, vorax & sagax.	Magnitudo egregia est, rostrum habet atrum, durum, crassum, acutum, color pennarum est niger.	Vario nutritur cibo vescitur cadaveribus vermibus, piscibus, pomis, piris, uvis, nucibus, pane & aliis.	Odoratum habet sagacissimum: Vitæ solet esse longævæ adeò ut ultrà centum annos vivere dicatur.
Coturnix Sive *Ortyx*, aut *Curleicus*. Avis est magìs terrestris, quam aërea Coturnicum duces cùm aliò abeunt, dicuntur esse *Matrix*, *Lingulaca*, *Cynchramus* & *Otus* sive *Asio*.	Avis est paulò major alauda, similis tamen coloris, at eâdem corpulentior, ob gravedinem etiam difficulter volat, atque pene semper manet humi.	Vescitur muscis, vermibus, formicarum ovis & aliis insectis: seminibus item & granis frugum: Cibos gratissimos habet semina venenosa; Undè & helleboro delectatur.	Avis est mirè fœcunda, eo loco non parit, ubi incubat, difficilem habet volatum, humi velocissimè decurrit & salit: Ventos amat ob faciliorem decursum: Nidificat non in alto sed in planitie. Vocem habet insignem, morbum caducum patitur.
Cozacoanthli Dicitur aurarum avium regina. Incola est Mexicanæ provinciæ.	Magnitudo æquat penè aquilas Gnesios seu Chrysaëtos. Corpus totum præter collum & partes circà pectus ex nigro purpurascit, cœtera cinerea: Crura sunt rubra ungues unci, rostri extrema albescunt, cœtera sanguineo colore tinctæ. Cauda est Aquilæ, inferne cinerea foris nigra.	Victitat anguibus, lacertis, muribus, sed maximè morticinis, & stercore humano.	Sublimipeta est avis: nimium, extensis, expansisque volat alis, vi incredibili obsistit ventis, eisque adversantibus obnititur. Pedibus persistens tota immobilis consistit.
Cuculus	Coloris est asturis, punctis tamen, non lineis ut ille distinguitur. Aliàs ferè columbis similis.	Fructibus arborum muscis, culicibus, aliisque insectis victitat.	In alienis parit nidis: hyeme abdit se in terræ, lapidum & arborum cavitates quâ & pennas mutat & deplumescit: Timida quoque est avis & solitaria.
Cuntur Avis est Indiæ plurium specierum.	Mole vasta est, ità ut expansis alis sæpè 15. aut 16. pedes occupet. Rostro est valido, pedes habet gallinis similes, caret unguibus aduncis, cristam habet parilem, instar movo catæ & non serratam instar gallinacei.	Est avis carnivora, duæ illarum vaccam occidere & devorare possunt, nec etiam ab hominibus & eorum carnibus abstinet.	Avis est robusta, valida, astuta, ingentis roboris, sæva, ferox;

Curia-

Avium nomina.	Forma corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates
Curiacaca Avis est aquatica Brasiliæ à clamore sic dicta.	Magnitudine est mediocris anseris, capite anatis, collo sex digitis longo, rostro totidem, sed plane incurvo: oculos habet nigros cum circulo rufo in capite & collo plumas albas, flavo colore mixtas habet; reliquum verò corpus nigris vestitum est pennis.	Vescitur piscibus & aliis, quibus aliæ vescuntur aves aquaticę	Aquas amat optimam habet carnem; quare à Brasilianis plurimùm in deliciis habetur.
Cygnus Sive *olor*: est avis drensans, candida, robusta, natatum magis quàm volatum amans.	Ansere paulò major est, totus candidus, pedibus nigris pennas habet mollissimas, rostrum latum & in extremitate obtusum ferratumque collum longissimum.	Vivit ex herbis & granis: carnibus non vescitur nisi in pugnâ, ubi ex iracundiâ alterum devorat.	Aquis delectatur maximè stagnantibus, pacem amat, pugnam non incipit, sed lacessitus fortiter se defendit. Bene natat, male ambulat, mediocriter volat.
Daie Avis est Americana ovimagna.	Columbam magnitudine non excedit, ova tamen anserinis majora ponit & pugnum fere lata quinquagena.	Vivit ex præda & raptu.	Exclusis pullis pronum est statim avolare ova citra incubantis parentis opem excluduntur.
Diomedeæ Aves à Diomedis insula Maris Adriatici sic dictæ.	Coloris sunt candidi: oculos habent igneos, ora dentata, ardeis, aut ciconiis similes.	Orientem, dum ad pascua exeunt; Occidentem, dum revertuntur, spectare dicuntur.	Acervatim volant, duos habent duces, unum ducentem agmen, alterum cogentem. Blandiuntur Græcis, impugnant exteros.
Emeu Sive *Eme*. Avis est in insulis Moluccis, pręsertim in Branda; Item in Sumatra & vicinis insulis. Vocatur & hæc avis *Cassuaris vel Cassobares*.	Caput habet exiguum, fere glabrum coloris ex atro cærulei: oculos habet ardentes: rostri pars utraque est arcuata; à cujus medio ad verticem usque capitis assurgit diadema coloris ex flavo fusci. Pedes habet crassos & duros: Plumæ duræ sunt & rigidæ.	Omnivora est avis, libenter tamen vescitur recentibus gallinarum ovis, quæ etiam integra cum ipsa testâ deglutit. Sin infirma fit, illa rursus integra per anum ejicit & rursus vorans retinet & concoquit.	Rostro non antrorsum sed oblique se convertens aversis retrorsum pedibus eos, quibuscum pugnat, impedit ova, maxima excludit, 15. unciarum per longitudinem ambitus, 12. per transversum.
Ficedula Sive Melancoryphus, aut Atricapilla.	Parva hæc est avis, mutat per annum formam & colorem: quando autem mutavit colorem, tunc appellatur Melancoryphus, sive Atricapilla ab atro capitis vertice.	Delectatur ficubus valde; unde dum primum prodit, cum maturescunt. Captat & muscas ac culices ad esum.	Vivax est avicula, purissimi sanguinis, unde & eum, qui multas earum comedit, toto die hilarem esse perhibent.

Avium nomina	Forma Corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates.
Frigellus. E Turdorum est genere vocatur & Vinosus Turdus.	Multas habet maculas rubras & latas per totum corpus intus & foris.	Valde delectatur uvis maturis: vescitur & aliis baccis & fructibus.	Hyemalis avis est, ac vindemiæ tempore advenit, frigusque adventu suo nuntiat.
Fringilla Avis est à frigore dicta, quod etiam sub hoc cantet & vigeat.	Notissima hæc avis est. Optima quæ rubra.	Victitat seminibus, nucibus, granis, muscis & cibis pluribus aliis.	Canora est avis habens vocem clarissimam. Excœcata dulciùs cantare perhibetur.
Fum, Hoam Avis est Chinensis: mas Fum, fœmina Hoam vocatur, in montibus Tan, Leotung, provinciæ Pekino confinibus. Peregrina pavonum species putatur.	Avis hæc est extremæ pulchritudinis; in capite assimilatur pavoni, caudam gerit sicut gallus, caput draconis in morem, pedes simillimos habet testudini.	Fructibus & cibis suæ regionis vescitur.	Avis regia est, quæ si quandoque humano conspectui se subduxerit; sinistri id in Regiâ familiâ alicujus eventûs omen habetur. Avis est piissima, ante instar Rhinocerotis, retrò tanquam cervus graditur.
Gallus Et Gallina avis est cucuriens, animosa, superba, lasciva, tardi volatus.	Mas cristam in capite erectam habet singularis cujusdam substantiæ rubeæ carnosæ, jubas sive longiores plumas in collo gerit, caudam habet egregiam, in eàque duas pennas longiores. Sub mento utrinque à malis palleam habet egregiam instar barbæ dependentem; in fœminâ omnia sunt minora.	Avis omnivora est. Nutritur omnis generis granis. Vermes quoque & varia insecta devorat, imo & stercora. Pane tamen maximè oblectatur & carne.	Gallus acriter pugnat pro gallinis. Visu pollet, animosa est avis, iracundiâ in certamine pertinax, superba est. Perfores cum incedit, se inclinat: diem venturum præcinit.
Gallus Indicus Sive Gallo-pavo est avis crocitans pulchra, superba, lasciva maximè, cum pavone conveniens.	Magna est avis collo, & cruribus & pennis collum haud secus ac caput plumis nudum est, tantumque pelle purpurascente obductum: Mas fœminâ major.	Nutritur avenâ, tritico, hordeo, & aliis fructibus, instar gallinarum & anserum, arenas & minutos lapillos quandoq; devorat, urticis quoq; & herbis ac oleribus pascitur.	Avis est admodùm iracunda: cum irascitur, tota inhorrescit plumis, caudamque in rotam versat. Sentit facilè frigus, parum volat, incessus Maris superbus est. Rubeo colore offenditur.
Gavia Avis est aquatica.	Instar fulicæ plus habet pennarum, quàm carnis: citò solet augescere.	Vivit ex spuma marina, vescitur piscibus.	Stupida est avis, nidificat in petris, quando partuit, vociferatur quasi magnum quid editura. Matutino clangore tempestatem præsagit.
Graculus A sono, qui molestus est, sic vocatur. Plures sunt ejus species.	Cornicis est magnitudine rostro totundo & rutilo.	Frugum variarum granis vescitur. A vini potu mirè lasciviat; fastidium purgat lauri folio.	Amat genus suum, astuta est avis ac difficulter capitur, manibus detenta oculos impetit. Cicur articulatè discit loqui. Amica est Gaviæ.

Grus

Avium Nomina	Forma Corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates
Grus Est avis æstiva gruens prudens, societatis amans & ordinem inter volandum observans.	Viri mediocris est magnitudine, collum habet longum, pedes altos, pennas in alis longiores.	Nutritur frugibus & granis, vescitur & serpentibus ut ciconia.	Visûs est boni, tactum habet exquisitum, pullos amat, volatum habet altissimum & ordinatissimum. Frigus præsentit, illudque fugiens mature aliò migrat.
Gryps Avis est Indiæ.	Species est aquilæ rapacissima & vastissima. Rostrum habet maxima aduncum.	Vivit ex rapina, ut Aquilæ: equos & homines maximè infestat.	Ingentis & roboris, ut etiam equum cum equite tollere & auferre queat.
Guitguit Sive avis corvipeta.	Minima hæc est avicula Regulo persimilis.	Muscis & minutis aliis animalculis ac seminibus victitat.	Audaciæ est singularis, ut etiam integra corvorum agmina in fugam & latebras agere queat.
Galcyon Sive Alcyon aut Alcedo.	Avis est passere non multò major colore cæruleo & luteo subpurpureoque mixto insignis, rostrum habet longum tenue subluteum.	Pisciculis, muscis & aliis insectis circà aquas victitat.	Mari adeo delectatur ut pectus aquis aspergat cauda in sicco posita. Singularis hæc avis est in nido construendo, quem mari pacato etiam construit. Fœminarum erga mares tantus est amor, ut illis semper adsint, in gravi ætate portent & nutriant.
Herodius Sive Falco & Filica, avis est regia prædæ avida & manu gestantis assueta.	Paucæ quidem est carnis respectu sui corporis, at multæ pennositatis, & ideo levissimi est volatus, quia parum est in eo quod aggravat, & multum quod erigit & levat.	Vivit ex præda aliarum avium & animalium. Fugit cadaver, nec in famis vehementiâ putridas carnes tangit.	Avis est animosa, acutissimi pectoris & fortis unguis plus latens prædam super ipsam irruendo pectore quàm rostro & ungue. Habet affectum pium & animum circa pullos.
Hirundo Quasi arundo ab aere est dicta, eoquod cibos non sumat residens. Avis est æstiva.	Duo sunt genera: quedam enim sunt majoris corporis dorsum habentes nigrum, pectus rubeum & ventrem album. Aliæ sunt minoris corporis nigrum habentes pectus & hæ in riparum foraminibus ad aquas nidificant.	Vèscitur carne, muscis culicibus papilionibus, vespis & aliis animalibus minutis. Insidiatur & apibus, amat vesci volando, non residendo in arbore vel in terrâ.	Avis est vocifera per tortuosos orbes & circuitus vaga, certa custodit tempora adventùs sui & recessûs, indocilis est. non mansuescit, pluvias præsagit volatu propriore ad terram.
Ibis Ægypti avis est extra quam portata fame interire dicitur.	Ciconiæ similis est nigra & alba, capite est corvi aquatici, rostro mucronato, incurvo fornicato rubente. Intestina 96. cubitorum habere dicitur.	Vescitur serpentibus bruchiis & locustis.	Nidificat in plumis metu felium, vivit diu, cubile petens se purgat.

Lagopus

Avium nomina	Forma corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates
Lagopus Sive perdix alba. Duorum est generum: unum ad coturnices, alterum ad columbas refertur.	Columbini generis eximiè candet, pedes tamen & rostrum habet nigrum; collum maculis quibusdam nigris distinguitur. Alterum genus colli colore gallinaginem æmulatur, in alis habet albas, fuscas, & fulvas pennas. Decem remiges cinereæ sunt. Pars anterior & venter albent. Torquem versicolorem in pectore rubro gerit.	Vermibus & insectis inter cortices arborum repertis victitat atque fructibus longis corylorum & aliis ejusmodi.	Delectatur frigore, nive, & glacie, ita ut cum in locis inferioribus liquantur nives, altiora & soli obversa petat loca. Fugit homines & motu se prodere cavet: Simplicissima aliàs est avis, ut ideo facilè capi queat.
Larus Sive Fulica & Fulix, avis est aquatica.	Avis est palmipes à rostri acie ad alarum finem ferè duas spithamas longa capite maximo & crasso: ex albo & cinereo variegato: rostro crasso lutescente, in extremo nigricante & insigniter acuto, corpore deniqúe est lævissimo.	Præter pisces vescitur lumbricis, cochleis, locustis & phalangiis Delphinis etiam in littus ejectis vescitur.	Volatûs est præcipitis & facilis. Aquas amat marinas & stagnantes: ejus pennæ aliarum avium pennis leviores esse dicuntur, & decumbentes in iis, dum intumescunt, elevare perhibentur.
Loxia Sive Corvirostra.	Rostrum habet contra omnium avium morem ab utraque parte recurvum, crassum, & valde robustum, colorem constantem non habet, sed eum sæpius mutat.	Voracissima est avis victitans seminibus cannabis, nucleisq; abietum.	Nidificat in abietibus hyemali tempore suaviter cantat, æstate verò silet. Caveis inclusa psittacorum more sursum & deorsum reptat.
Luteola. Sive Lutea & Cirlus	Parva est avis sicut alauda, nomen habens à luteo colore suæ partis inferioris.	Vescitur granis & seminibus aliisq; projectis in publicum.	Nidum ex limo & lana construit, ejus cum cerebro humano mira dicitur esse Sympathia, ita ut cantus & vox illius hoc mirificè recreet.
Manucodiata Sive Avis Paradisi & Avis Dei. Reperitur in Indiâ, insulis Moluccis, Java majore & aliis peregrinis regionibus. Species quinque notavit Aldrovandus.	Pulcherrima hæc est avis, caput habens rotundum juglandis ferè magnitudine, pennas tenuissimas similes pavonum pennis absque oculis tamen longissimas, mari comprimis gemina veluti fila in dorso annexa sunt.	Aliqui rore cœlesti, aut puro aere nutriri volunt: Alii verò etiam cibo solidiori, insectis scilicet tam volucribus quàm apteris vesci dicunt.	Celerrimi volatûs esse dicitur, perpetuò aut plurimùm in aere degens.

Merugs

Avium Nomina.	Forma Corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates.
Mergus Variarum est specierum ut Rhenanus, Glacialis, Longirostias, Raucedalus, Ruber, albus, circatus, Merganser &c.	Amphibii generis est anati similis, brevia habens crura plus natationi quàm gressui apta, brevia etiam intestina habet.	Famelica est avis, vescitur piscibus, ideo & aquas piscosas, stagna & paludes amat.	Summa pollet natandi peritiâ, nidificat in maritimis saxis & in arboribus interdum. Cicurari potest, & ad piscandum instrui. Pellis ejus stomacho applicata concoctionem juvat.
Merops Sive Melissophagus avis est migratoria.	Magnitudine superat sturnum, pennæ inferiores sunt pallidæ superiores cæruleæ, ut halcyonis.	Apibus, quibus nutritur, & cicadis insidiatur.	Nidificat in cavernis profundis, volat gregatim, in volatu caudam versus volatum erigit. Pia est erga parentes.
Merula	Palumbo vel columbâ paulò minor est, nigri & albi etiam est coloris, uti & fusci. Mutare solet colorem pro temporis ratione.	Vermibns, muscis, granis & seminibus cannabis, aliisq; frugibus victitat. Lauri folio annuum purgat fastidium.	In spinetis, arbustis densisque arboribus versatur libenter. Omnium avium prima ante exactam hyemem parit. Hominum sermonem & alias voces æmulari discit.
Milvus Ex Accipitrum est genere.	Aldrovandus tria notat genera, nempe album, nigrum, & regale, forma & constitutio similis accipitri. Corpus habet satis magnum.	Vivit ex præda, rapax est valde, ita, ut quandoq; carnes ex macello & panem pueris è manibus rapiat. Gallinis valde insidiatur.	Sublimem valde habet volatum, dum prædam ex alto speculatur in orbem circumvolat, & mox delabitur. Circa Solstitium podagra laborare dicitur.
Molliceps Avis est à molli capite dicta.	Habet quidem caput grande, sed valde cartilagineum: paucas habet pennas, optimos verò pedes.	Vescitur muscis, culicibus & aliis insectis quæ prædatur.	Caro illius optimum gignit sanguinem, unde & lætificat animum.
Monedula De genere est graculorum; à moneta, quam amat, sic dicta.	Corpore pene similis est cornici aut graculo.	Vescitur granis frumentorum & similibus, reliquias in terra condit, & spicas sequenti anno ex iisdem colligit. Delectatur vermiculis sub segetibus in agris repertis.	Amat in capite fricari. Mira in ea est auri, argentique appetentia & furacitas, curiosa est libenter umbram suam spectans. Insidiatur locustis.
Motacilla Sive *Cinclus*: à motu dicta est, quia caudam continuò movet.	Ficedulæ pene est similis. Partem posteriorem habet valde debilem, unde caudam semper motat & agitat.	Victitat formicis & muscis.	Astuta est avis & difficulter capitur; capta verò citò mitescere dicitur. In alieno nido parere perhibetur.
Ners Ingens est avis Africana ex genere Aquilarum.	Maxima hæc est avis grue procerior & crassior. Longæva est, ideo plerumque calvo & deplumi capite observatur.	Vivit ex præda, vescitur carnibus aliorum animalium.	Rarò sola sed plerumque gregatim volat. Sublimem valde habet volatum; conspecto autem cadavere, illico in illud irruit, in senio à pullis nutritur.

Avium nomina	Forma corporis	Nutritio & victus	Mores, Indoles & proprietates
Nycticorax Sive *Corvus nocturnus.*	Noctuarum de genere est: ungues habet aduncos.	Noctu vagatur & vivit ex præda, frangit & devorat ova columbarum & monedularum.	Solem ferre nequit, nidificat in sepulchris & locis ruinosis; noctu circumvagans molestum edit sonum.
Onocrotalus De genere est ardearum, vocatur ab aliis & *Pelicanus*, item *Platea & Planipes.*	Cruribus, pedibus & collo similis est Cygno. Rostrum habet longum, rubeum, acutum, & in fine instar hami recurvum: sub rostro sacculum habet protuberantem, quem ingluviem vocant. Magnitudo & latitudo supra Cygnum est. nullam habet linguam.	Vorax est, obvium quemque piscem etiam 5. librarum absorbet. Conchas etiam devorat quidquid deglutit, citò digerit, anguillis comprimis insidiatur	Avis alacris est & animosa, facilè cicurabilis, rostro dormit ad cœlum erecto, vocem edit terrificam instar ruditûs asinini, quem ut procuret, in aquam vel limum prius rostrum infigit, deinde violenter extrahit.
Parus Hujus variæ sunt species.	Avicula est cinerei coloris cum nigro, luteo & albicante immixtis.	Vescitur muscis, seminibus, granis. Delectatur nucibus juglandibus, insidiatur apibus.	Modicè & valdè tenuiter cantillat, odit Carduelem. Est præterea avis fœcundissima.
Passer Nomen à patiendo habere putatur. Variæ sunt species.	Vulgaris, parva est avis domestica, notissima, coloris cinerei.	Vescitur granis, seminibus frugibus, caseo, & insectis variis, ut papilionibus, araneis, muscis, vespis, crabronibus, formicis, gryllis scarabæis & aliis.	Valdè lasciva est, astuta & callida avis, diligens gentem suam, valdè zelosa est pugnans pro uxore. Summo manè vigilat. Morbo caduco frequenter laborat.
Passer solitarius	Avis est merulâ vulgari paulò minor, tota nigra, rostro longiusculo parumque acuminato. Capite pro corporis proportione parvo, superius plano.	Vescitur granis & variis seminibus atque etiam insectis.	In saxis & tectis habitat solitaria, neque cum aliis sui generis avibus unquam, nisi generationis tempore, versatur.
Pavo Est avis pulcherrima superba, libidinosa. Mas pulchrior est fœmina.	Caput habet exiguum, collum longiusculum, dorsum maculis quamplurimis respersum in capite speciosa extat crista instar coronæ, pennæ sunt egregii coloris varii. Oculi pennarum instar gemmarum nitent, pedes cinerei sunt & maculis nigris conspersi.	Vescitur hordeo, avena, tritico, & omnis generis frugibus. Parum requirit alimenti.	Præsentit venena, & fugit loca venenata. Amat munditiem, parum volat, gressu majestatem præfert, superbit valde & ad Solis lumen caudam vertit gemmantem, ut speciosior compareat. Cantu suo serpentes fugat.
Perdix Sive Gallina agrestis, est avis cacabans valde lasciva è gallinaceo genere.	Paulò major est columba, paucas habet pennas, sed multùm carnis, unde non altè volare valet.	Vescitur granis & fructibus repertis in agris, delectatur ovis formicarum.	Astuta valdè & fraudulenta est, ac mirè hinc eludit venatores. Non laborat ut aliæ aves incubando & ovando.

Phasianus

Avium nomina	Forma corporis	Nutritio & victus	Mores, Indoles & proprietates
Phasianus Frequens circa fluvium phasiadem est; unde & nomen fortitur.	Gallinacei generis avis est pulchra, diversicolor ac variis punctis & maculis insignis.	Communi gallinarum cibo vescitur; saginatur ovis formicarum. Victitat granis, seminibus & baccis.	Animosus est & audax, stoliditate tamen non caret, quia sæpe rostrum in terrâ figit putans quod totus lateat. Ejus caro inter alimenta delicatiora refertur.
Phœnix Ab aliis *Semenda* dicta est avis fictitia unica putata in mundo.	Aquilæ magnitudinem creditur habere gestans in capite coronam ut pavo, fauces etiam cristatas & caudam longam cærulei coloris cum roseis pennis immixtis, rostrum etiam trifistulare habere putata est.	In cedris absque cibo & potu, ventis tantùm pasci falsò asseritur.	Præsentire putata est mortem, & ideo ligna comportare credita ad rogum construendum quo seipsam concremaret: inde verò enatum vermiculum, qui in avem priorem denuò renasceretur.
Pica	Avis est vulgariter nota partibus prioribus alba posterioribus nigra, longam habens caudam, quã frequenter movere solet ut motacilla.	Omnivora pene est avis: vescitur enim carnibus, vermibus, insectis, granis, & pluribus aliis fructibus.	Garrula est. Frequenter vocem mutat: aliorum animalium voces imitatur. Valde docilis est & astuta, volatum habet humilem & brevem.
Picus martius	Rostrum tectum habet, durum rotundum ad pertundendum arbores accommodum, linguam acutissimam, & in extremitate quasi cartilagineam, caudam rigidam & duriusculam, crura brevissima, at robusta.	Victitat vermibus & insectis; ut sunt culices, formicæ & vermiculi sub arborum corticibus & medullis latitantes.	Nidificat in cavis arboribus. Tanto artificio nidum construit & excavat ut circino rotundius foramen reddi non possit; & ligna quibus inter se consertis constat manibus facilius separari, quàm ferro dissecari queant. Nunquam humi consistit, nec in saxis, ne aciem obtundat unguium.
Pinguias Avis est valde pinguis Magellanica, à pinguedine sic dicta; vocatur & Anser Magellanicus.	Prægrandis anseris est magnitudine, pronâ parte nigris tegitur pennis, supinâ & in ventre albis, collum habet crassum & breve albis pennis tanquam torque cinctum. Cutis est crassa & densa instar Suillæ. Alarum expers est & earum loco pinnas parvas coriaceas habet.	Victitat piscibus, carnes tamen ejus non ingrati sunt saporis, nec piscem sapiunt.	In mari & aquis plerumque versatur & terram tantùm fœtificationis causa petit scrobem in littore valde profundam fodit instar cuniculi totum solum ita excavando, ut nautæ sæpe genu tenus incidant.

Avium nomina	Forma corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates
Porphyrio Quasi Purpura.	Formosissima hæc est avis magnitudine galli. Laudatissima in Comagenâ reperitur	Sola hæc avis morsu bibit cibumque aquâ prius tingit: tinctum pede velut manu adfert rostro in pastu odit Spectatores, unde latebras quærit.	Delectatur volutatione in pulvere & lotione in aquis, in quibus prius columbæ sunt lotæ. Ante lotionem prius obambulat. Odit meretrices & adulteras.
Psittacus In utraque Indiâ reperitur magno numero.	Avis est pulcherrimorum colorum, rostro est hamato ac duro. Variæ magnitudinis & diversi coloris pro ratione regionis reperitur.	Omnivora est avis, fera, frumentis leguminibus arborum fructibus victitat. Cicur etiam carnibus, pane, saccharo. Delectatur dulciariis, vinum ad ebrietatem usq; potat.	Ingeniosa est avis, hominum mores & voces æmulans. Nidos construit in sylvis ex surculis ad tenellos procerarum arborum ramos pensilibus relicto foramine perquam exiguo.
Querquedulæ Anatum ferarum species sunt majores & minores.	Anatibus sunt minores, rostro, pedibus, & cœteris iis similes. gula ipsis alba atris notata est punctis. Venter candidus, alæ in cæsio viridantes.	Vescuntur piscibus, ranis & cibis aliis quibus anates communes victitant.	Vivæ in ventre deplumatæ colicę morbum sanant, abdomini appositæ.
Quirapanga Avis est Brasiliæ.	Tota est alba ac modicæ magnitudinis.	Pascitur fructibus ejus regionis.	Stentoriam habet vocem, quæ instar tintinabuli ad dimidiam penè leucam auditur.
Regulus	Avis est parva, rutilam è pluma elatiusculа cristam erigens.	Vescitur vermiculis, muscis, adeò aliquando ingurgitatur ut de vita periclitetur.	Audax est & animosa avis ut etiam cum aquila contendere audeat. Hyeme degit in urbibus & foraminibus, reliquo tempore inter fruticeta & vepreta.
Rubetra E genere est Turdorum.	Omnium minimus est Turdus: avis aliàs pulchra & blanda.	Victitat fructibus rubi & baccis Sambuci aliisque fructibus, muscis valde insidiatur.	Leniter cantillat, capta citò mansuescit.
Ruch Ingens avis est in Insulâ Madagascar.	Vasti corporis est & similis aquilæ; pennas enim 8. passus longas & similiter latas habere dicitur, alæ expansæ ab unâ extremitate ad aliam sedecim passuum intervallum æquare dicuntur.	Vivit ex prædâ, vescitur carnibus etiam Elephantorum.	Fortissima & robustissima hæc avis perhibetur, ut etiam elephantem unguibus corripiat & in altum elevet ac deinde delabi permittat, ut mortui carne vescatur.
Scolopax Sive *Perdix rustica aut Gallinago & rusticella.*	Magnitudine ferè est gallinæ, colore attaginis longiori rostro prædita.	Cibus illius sunt vermes, quos spiritu in cava immisso solet extrahere.	Volatum habet debilem, cursu tamen est velox. Astuta est & mirè venatores deludit.

Avium Nomina	Forma Corporis	Nutritio & Victus	Mores, indoles & proprietates.
Struthio Sive *Struthio camelus*, est avis lugens, maxima at stolida, gressum solùm habens.	Caput habet anserinum & parvum, ac cerebrum ferè in eo nullum: Collum & caput plumis carent exiguis pilis tantùm flavent, collum est longissimum, longa crura ac pedes in ungulas divisi. Pennæ in dorso nigerrimæ sunt mari: fœminæ verò fuscæ. Pennæ in caudâ sunt mari subalbidæ, fœminæ verò subfuscæ.	Vorax est avis, nutritur frugibus sine delectu etiam sæpè quid offertur, devorat. Ferrum quoque devorat & digerit.	Avis est lasciva, stolida valdè. Multa edit ova durissima & maxima quibus tamen non incubat, sed ea recondit in arenâ, nullamque illorum curam habet. Gressum habet potiùs quàm volatum. Plumæ illius serviunt ad ornatum.
Sturnus	Magnitudo eadem penè, quæ cornici. Color pennarum est fuscus.	Uvis maturis delectatur, & idcircò vineis nocet, vescitur & carnibus suspensorum & vermibus ex stercore. Helleborum devorat sine noxâ.	Garrula & strepera est avis, catervatim volat. Docilis est & humanas voces, & varia linguarum vocabula, ac cantiones addiscit. In locutione tamen semper aliquem sibilum profert.
Tinnunculus	Accipitris est genus.	Victitat papilionibus locustis vespis & muribus.	Avis hæc est amica columbis, nidulatur in altis ædificiis, turribus & cavis quercubus.
Tlacoquanhtli Sive *Aquila Virgæ*.	Asturis est magnitudine avis fusca & cinerea.	Rapax est avicularum lacertarum, & colotorum, quibus vescitur.	Frigidas amat plagas.
Trochilus	Avis est instar Turdi cristatam habens plumam acutam & plicatilem, qua solet palatum figere.	Victitat Vermibus, muscis & aliis insectis ac cibis.	Avis amica & utilis est Crocodilo, cujus dentes purgat & à noxiis hirundinibus liberat.
Turdus pilaris.	Magnitudinis est merulæ & per totum annum maculoso valdè apparet pectore.	Vescitur seminibus & fructibus variis.	Acutum edit sonum, & propter cantum alitur in caveis.
Turdus viscivorus	Paulò minor est picâ, murini coloris.	Libenter vescitur resinâ, visco, & Juniperi baccis. Saginatur ficubus, farina & milio.	Non nisi hyeme cernitur, atque in nive capitur, quando volat ad loca consita Juniperis.
Tyringas	Gallina est aquatica.	Piscibus & his, quæ in aquâ prædatur, vescitur.	Aquas & loca paludosa diligit.

Avium nomina.	Forma corporis	Nutritio & victus	Mores, indoles & proprietates
Vespertilio A tempore nomen sumpsit, quod lucem fugiens circumvolitet in crepusculo vespertino.	Avis hæc est similis muri, speciem simul volatilis & quadrupedis habens. Mamillas enim habet, nares vituli instar, dentes in inferiori & superiori maxillâ, auriculas interdum binas, interdum quaternas asininis similes alas habet pellitas.	Noctu evagatur ad victum, vescitur culicibus, muscis, lardo, candelis sevaceis, fugit oleum ex lampadibus.	Pullos ex mamillis lactat, amat loca obscura & cavernas tenebrosas. Volando fessus hamis digitulorum parietibus, arboribus, saxis & ædificiorum fornicibus suspenditur.
Upupa	Avis formâ spectabilis est, duplicem in capite gerit cristam, in vere candida, in æstate maculosa est. Aliquibus hæc avis regia dicitur: Vel Gallus sylvestris.	Versatur in sepulchris & fimetis. Stercora etiam comedit humana.	Fugit homines, loca quærit deserta, semper clamat πῦ, πῦ. Ex stercoribus hominum nidum fingit. Herbâ, quæ Amiantus dicitur, se contrà morbos præservat.
Urogallus Sive *Tetrix*, *Tetrao*, *Pavo sylvestris* & *Phasianus agrestis*; è gallinaceo genere Gallus est maximus.	Caput habet nigrum, rostrum breve, supercilia & pelliculam circà oculos pectus & ventrem nigrum, alarum pennas longas nigricantes, poplites & femora plumis albis crura ad digitos usque fuscis vestita sunt.	Variis campestribus fructibus & seminibus & communi gallinarum cibo victitat.	Ore coire dicitur, nidum suum ponit non in terrâ, nec in arbore, sed in frutice. In Septentrionalibus terris per tres menses sub nivibus latitare perhibetur.
Vulpanser Sive *Schenalopex*, Anglis *Bergandra*. Avis est aquatica.	Anseris est species in pectore rubescens.	Vescitur piscibus & communi aliorum anserum cibo.	Nidificat in cuniculorum foveis, interdum & in rupium cavernis. Parit etiam ova subventanea sive hypenemia.
Vultur Est avis pulpans. Variæ ejus sunt species: ut *Vultur cinereus*, *Baticus*, *Leporinus* & *aureus*.	Magna est corporis moles. Rostrum habet aduncum, oculos fœtos ac torvos, guttur longum, pennas in capite & collo parvas.	Incredibilis est vulturis voracitas, vescitur cadaveribus, nec parcit humanis.	Audax est. Visum habet acutum, olfactu etiam celebris. Amat fœtida, fugit suaveolentia. Unguenta tantum abhorret, ut etiam eorum odore perire dicatur.
Yzquanhtli Sive *Aquila cristata*.	Insignitur capite regio, rostrum habet ad radicem luteum, deindè verò nigrum, habet & nigros ungues, pedes pallidos.	Avis rapax est, & prædatrix ex prædâ victum quærens.	Avis hæc mansuefacta pro aucupio non minùs atque accipitres utilis est.

CAPUT


Fig: 1.


Fig: 2.
Gallinæ
Lanigeræ.


Fig. 3.

CAPUT VIII.

Aves quædam magis admirandæ cum exoticâ earum formâ, moribus, indole & proprietatibus.



Uantum supremus Naturæ Conditor seipsum & mirabilis virtutis suæ potentiam in altilium regno & Oeconomiâ commendet mira, quæ hoc capite adducimus, palàm & manifestè videntur declarare; ut ità verissimum sit, quod jam olim sapiens divini haud dubiè spiritûs instinctu promulgavit *Sap. 13. v. 5. à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Sed rem ipsam auspicemur.

Avis mirabilis in Peruvia. 1. In Americanâ Regione *Peru* avem reperiri scribit *P. Hazart. Ann. Eccles. Peruv. part. 1. cap. 1.* cujus pennæ coloris sunt cinerei, magnitudine verò est picæ: Cujus & cantus buccinæ sonum æmulatur. Hanc porrò avem innoxiè flammas incolere, imò ardentes carbones rostro vellere & corpori applicare adverrisse scribit quendam Sacerdotem *Bartholomæum Polum* nomine.

Aves cornicines in Asia. 2. In Asiâ genus quoddam anatum reperiri scribit *Nierenbergius Hist. nat. lib. 10. cap. 25.* quod non immeritò quis inter cornicines retulerit. Ità enim voce cornuum sonitum imitantur, quæ inflare solent per dispositos equos iter facientium Duces. Est quoque avis ea, quamvis inermis, audax & strenua, ut etiam malos dæmones terrere posse credant Turcæ. Libertatis verò adeò tenax est, ut etiam per totum triennium in corbe nutrita facultatem nacta libertatem sagenæ præferat, & natales volatu repetat sedes.

Anatis mira species. 3. Anatis quandam speciem circà insulam *S. Laurentii* natare scribit *Beyerlinck in Theat.* quæ toto corpore pennata pedes habet squamarum instar, at alas exiguas versicolores easque solidas & velut osseas.

Aves sub nive reclusæ mirè frigoris patientes. 4. Narrat *Olaus M. lib. 19. Hist. Sept. cap. 33.* in Borealibus terris sylvestres dari gallos, quantitate phasianorum licet multò breviore caudâ & absolutâ nigredine in toto corpore præterquam in extremitate alarum & caudarum, quod candicent aliquot pennæ. Mares etiam rubeâ, & eminenti crista, fœminas verò simili ac latâ colore criseo decorari scribit. Hæ porrò aves mirabili, ut inquit, naturæ vi immensum frigus sustinere valent in nemoribus, haud secus ac anates in aquis. Verùm cum nives instar collium terræ superficiem ubique cooperiunt, ramosque arborum diutiùs deprimunt & condensant; certos fructus betulæ arboris in formâ longi piperis vorant & deglutiunt indigestos, idque tantâ aviditate ac quantitate, ut replerum guttur toto pectore majus appareat. Deinde partitis agminibus sese in medios nivium colles immergunt, præsertim in Januario, Februario & Martio, quando nives ut turbines, typhones, vel tempestates gravissimæ è nubibus descendunt; cumque coopertæ sunt, penitusque, ut nulla videatur, conglobatæ certis hebdomadis cibo in gutture collecto, egesto, & resumpto vivunt. Quod si præsenriunt imminere nivem majorem, prædicto fructu iterùm devorato aliud domicilium captant, in eoque manent, usque ad Martii finem, aut resolutionem nivium factam, tunc porrò naturæ instinctu è latebris surgunt in montes, ubi vepreta sunt & arbores densæ se conferunt ova pullosque producturæ.

Fig. I.

Avicula ex flore nascens. 5. In Chinæ provincia *Suchuen* dictâ aviculam ex flore *Tunchon* nasci scribit *Kircherus Chin. illust. part. 4. cap. 8.* quæ proindè *Tunchon fung* Sinicè appellatur: Hanc Sinenses dicunt etiam vitam suam mensurare ad vitam floris, quo intereunte & ipsa avicula intereat: Est & tanta quoque colorum varietate à naturâ dotata, ut alarum remigio aërem tranans florem expansis alis pulchrè exprimat.

Gallinæ lanigeræ. 6. Gallinarum lanigerarum ex Atlante *Sinico* in Regno *Suchuen* meminit *idem Kircherus ibidem*, quarum lana ovinæ simillima sit. Ipsas verò Gallinas air corpore parvas esse brevissimis pedibus, audaces ramen & generosas, nec non fœminis in deliciis. In Sinensi quoque provinciâ Quangsi gallinas dari perhibent, quæ ab ore longas depromunt pennas lanigeras instar gossypii, undè valdè pretiosi panni confici possunt: Verùm pennæ illæ citò illis abripi debent, ne denuò deglutiant. Fig. II.

Prægrandes vespertiliones in formâ catorum volantium. 7. Vespertiliones, qui ob corporis molem ac formam aliàs *Cati volantes* dicuntur, in Regni *Mogor*, provinciâ *Casmir* dictâ reperiri memorat *Idem Kircherus Chin. illust. part. 2. cap. 5.* in eâ verò magnitudine scribit esse, quâ gallinam aut anserem, si non superent, saltem equent. Alas verò hujusmodi vespertiliones habere notat non pennigeras, sed cartilagineas, quibus non secùs ac nostrates aëra sulcare valent. Cartilaginea verò alarum membranas rot osseis ad longitudinem alarum fibris discriminaras esse dicit, ut pennigeras alas proximè adumbrent: Hisce etiam membranis veluti sacculo quodam obtectos interdiu concavis arborum truncis, ramisque, uri & cavernarum fornicibus, ut ab insectis animalculis inimicis hoc pacto se rutos reddant, sese suspendere, ut non animalia, sed suspensi sacculi credi possint; hos porrò nocturnos catos in Indiæ Solitudinibus indigenas ad singulares delicias studiosè venerari scribit.

Avis Tune in Angola. 8. In Angola avis reperirur ut tradit *P. Hazart Ann. Eccles. Afric. part. 2. cap. 12.* Corporis mole parva, pennis albis & cinereis vestita, quæ ab incolis *Tune* vocatur. Huic omnes aliæ aves tanquam principi ac

Regi

Regi servitium præstare solent. Eam quocircà ac primum observant, mox turmatim advolant, ac tanquam servi stipant, & comitari satagunt: Tempore verò, quo ova ponere velle cognoscunt, nidum ei construunt in altiori quadam arbore planè regium latitudinis 12. palmorum, in quo duos educat pullos; toto porrò incubatûs tempore eandem victu & potu abundè reficiunt.

Avis Bialozer. 9. In Jurrha Scythiæ *Bialozor* avis est, teste *Cardano de Subtilit. lib. 10.* sub ventre candida cum quodam quasi splendore, alis & caudâ etiam ipsâ Aquilâ major, quam cœteræ aves adeò formidant, ut eâ visâ etiam Aquila exanimetur, cùm tamen corpore Aquilam ipsam non excedat.

Avis quædam rapax Indiæ. 10. In India etiam referunt avem esse rapacem, Aquilâ longè majorem, ut *idem Cardan. ibidem* memorat, nigram purpuream que intercursantibus pennis candidis: Cujus rostrum fulvum, cæruleoque seu phœniceo colore distinctum adeò pulchrè, ut nihil jucundius visu esse possit: Undè & ob pulchritudinem & magnitudinem capuli ex rostro hujus avis fieri solent. Constat autem prædurum hoc rostrum esse oportere. Hanc volantium avium maximam esse constat. Ità *Cardanus*.

Alcatraz. 11. Genus avium piscosum est etiam eodem Authore, rostri magnitudine & corporis celebre in Occidentali India, *Alcatraz* dictum, cinereâ croceaque pluma distinctum, rostro duorum palmorum in acutum tendente, cum tamen parum ab hac magnitudine absit rostrum tum ciconiæ; tum gruis.

Passer muscatus. 12. Verba reddo sæpè memorati *Cardani eodem jam cit. lib.* de passere muscato avium omnium minimo. India, inquit, mittit muscatum passerem, quem qui volantem viderit tum ob celeritatem, tum ob parvitatem, crabronem, aut vespam jure existimet: Pennis aureis viridibusque versicoloribus ornatur, magnitudo ape paulò major, rostro velut acus tenuissima, totus cum nido grana tritici 24. vix pondere æquat, hunc Cotto conficit. Audax est & nidum petentibus oculos invadit celeritate & parvitate tutior.

Passer stultus. 13. De passere alio, quem stultum vocant, *idem Cardanus* hæc tradit: In eadem India solertissima habitat avis, quam *Stultum* vocant *Passerem* à contrario sensu. Nigra est avis intermicantibus pennis albis in collo, Turdi magnitudine, quæ adversùs caudatas simias, quarum ibi numerus est incredibilis, hoc modo se munit, ut nec homo tot commoda adversùs periculum invenire queat. Eligit primò arborem excelsam & spinis obsitam, ut metu terreatur ob altitudinem & à spinis arceatur ob incommodum. Ramis hujus arboris maximè aculeatis suspendit nidum prædurum, ne frangi ab inimico possit, instruit aditum angustum, ut hostis arceatur, ipsum ingredi; latum in imo, ut commodè cum pullis degere possit, tum maximè, quòd in eodem excrementa illorum colligere cogitur nullo exitu patente alio, per quem in suprema parte est ingressus. Verum quia hostem, uti novit, manu non secus, quàm hominem nidi longitudinem ad 4. palmos extendit, ut cum manum immiserit, etiam procul absit ab imo atque eâ ratione ova vel pullos, qui intùs latent, tutatur. Hactenus *Cardanus*.

14. In finibus *Fessæ* regni ad montem, qui dicitur *Atlas*, avium singulare quoddam videtur genus quatuor instructum pedibus corporis magnitudine adæquans Gallum Indicum, caput specie ululæ nigrum habens, pennas corporis criseas cum caudâ latâ: Volatum autem tardum habere solet: Unde facilè telo vel plumbeâ glande lædi & in terram dejici potest. Aves quatuor pedum.

15. Admirationem maximam mere- Avis certo tempore vivax, alio exanimis. tur Avicula quædam minima Americana, si vera sunt, quæ de illa tradunt Authores. Indi eam vocare solent *Hoitzitziltototl*, ut *Franciscus Hernandez apud Nierembergium Nat. Hist. lib. 10. cap. 1.* refert. Ejusdem quoque meminit *Gomorra in Historia de Mexicanæ Urbis expugnat.* & *in hist. General. Indic. cap. 194.* eamque vocat *Vicilin.* Scribunt autem præfati Authores eam esse minimam plumis variorum pictam colorum: non verò diutiùs vivere, quàm flores herbarum, quarum alitur mellugine, durent superstites; postquam verò emarcuère, ad pinus aliasve arbores sese quadam naturæ providentiâ conferre, eisque se rostro affigere, sicque appensam hærere, donec sex plus minus transactis mensibus ac decidentibus jam pluviis, vernantibus agris ac amicis herbis rursùs ortis atque florescentibus denuò reviviscat, similes vices plures subitura. Addit porrò Hernandez (qui Philippi II. Hispaniarum Regis jussu in Americam profectus novi orbis miracula testis oculatus vidit ac scriptis mandavit) rem hanc esse verissimam & fide dignissimorum hominum comprobatam: Servatam quippe non semel avem affixam stipiti intrà cubiculum: Et cùm sex menses exanimis jacuisset, tempore à Naturâ sibi præscripto revixisse ac dimissam in agros avolâsse. *Cardanus lib. 7. de varietat. cap. 36.* Hanc aviculam vocat *Passerem vicilinum*, ac sic breviter describit. *Hic ape magnâ haud major est, seu crabrone. Pluma tamen vestitur, ut par est, tenuissima, rostro longo & gracili: Alitur rore ac melle & florum succis. Octobri mense uno pede annixus ramusculo hæret usque ad Aprilem loco tecto, atque ita mortuus veluti jacet: cùm redeunt flores, reviviscit, atque eâ de causa passerem resuscitatum vocant.*

16. Plures testantur Authores, velut Aves maximæ. *Joannes Laurentius*, *Ananias*, *Matthias Michovius* & *Sigismundus Herbensteinius* citati à *Schott. phys. cur. lib. 9. cap. 62. §. 3.* apud Moscovitas nasci aves Aquilis similes, sed majores dictas ab illis *Kreutzet*; à Polonis verò *Bialozar*, quæ omnibus avibus corporis vastitate, audacia & feritate terrorem incutiant.

17. Retulisse sibi scribit *D. Sibbaldus in* Aquila infantulum aliò deportans. *prodromo Nat. Hist. Scot. part. 2. lib. 3. cap. 2.* *D. Matthæum Mackaile* pharmacopæum Abredo-

Abredonienſem plurimas eſſe aquilas in Occidentali parte terræ firmæ Orcadum, quæ *Pomona* dicitur, ut & in inſula *Hoja*, unamque ex iis infantulum unius anni pannis involutum arripuiſſe, quem mater teſſelas uſtibiles pro igne allatura momento temporis depoſuerat in loco *Houtonbeud* dicto, eumque deportaſſe per quatuor milliaria paſſuum ad *Hojam*; qua re ex matris ejulatibus cognita quatuor viri illuc in navicula profecti ſunt, & ſcientes, ubi nidus eſſet, infantulum, illæſum & intactum deprehenderunt.

Aquilæ ingentis magnitudinis.

18. In *Tlaltelulco* Mexici teſte *Nierenbergio hiſt.nat.l.20.c.87.* inventa fuit aliquando Aquila tantæ magnitudinis, ut vervecem uno prandio abſumpſerit. Sed longè mirabilius eſt, quod tradunt paſſim plures Authores, ac comprimis *Geſner.l.3.de Avib.* inter *Miſniam* & *Dresdam* Germaniæ oppida, cùm ruſtici multa pecora, vitulos & ſues, amiſſa in ſylvis perquirerent, anno ſcilicet 1550. inventum ab iis fuiſſe nidum ingentem per tres extenſum quercus tanto ſpatio, ut currus ſub illo converti potuiſſet, ex magnis arborum ramis & baculis vel palis conſtructum. Quâ re in urbe nuntiata, homines multos ad nidum miſſos; qui cùm aſcendiſſent, pullos tres maximos inveniſſe, & in urbem aſportâſſe: Ex is mox unum eſſe mortuum, ejus verò alas per transverſum extenſas, ſeptem ulnarum menſuram æquâſſe, ungues autem viri magni & corpulenti digitis nihilo fuiſſe inferiores, crura leoninis majora. In nido multa vitulorum & ovium coria reperta & hinnulum recentem & capita animantium varia. Ex *Geſnero* quoque recenſet *Sperlingius Zoolog.phyſ.l.4.c.2.Frantzius hiſt. anim.part.2.c.1.* in uno Aquilæ nido inventas aliquandò trecentas anates, centum anſeres, quadraginta lepores, & plurimos piſces. Meminit etiam *Valvaſor* in Carniola dari Aquilas, quæ oves & hircos è paſcuis abripiant. Vide Figuram III.

Fig. III.

Avicula Gonambuch.

19. Braſilia, ut *Olfred. Dapper* recenſet in America, aviculam alit admirandæ pulchritudinis pennis mirè candicantibus illuſtrem, quæ tamen magnitudine majorem veſpam, aut ſcarabæum cornutum vix ſuperat, à Barbaris *Gonambuch* dictam, tritici & Indicæ ſiliginis ariſtas depaſcentem. Hæc verò avicula quantumvis modica adeò concinnè & ſuaviter cantare novit, ut vocis ſuavitate & claritate luſciniam ſuperare dicatur. Similem Aviculam admirandæ pulchritudinis in novo quoque Belgio reperiri ſcribit Idem, quæ ex floribus haud ſecùs ac apis mellu ginem depromit. Longitudinis vix eſt pollicis, adeò verò tenellum corpus habere dicitur, ut vel paucis aquæ guttulis, ſi illud irroretur, mox avicula procumbat & intereat.

Aves cornutæ.

20. Aves etiam cornutas dari varii docent Authores. Ità *Scaliger Exerc.231.* inſulam *Catigau* aves ferre gallinę magnitudine cornutas ſcribit. Eſt & avis cornuta, quam Indi *Topau* vocant, alii *Rhinocerotem*, qualis in ipſo volatu occiſa dicitur, cùm Turcas Chriſtiani navali prælio ad Naupactum ſuperarunt: Caput verò hujus admirandæ avis *Jonſtonus ex Aldrovando* ſcribit fuiſſe duorum propemodum dodrantum cirris nigris & altis deorſum ſpectantibus ornatum: roſtrum quatuor ferè dodrantes longum inſtar arcûs recurvum, inferiorem partem totam ex luteo albicâſſe, ſupinam autem verſùs caput colore miniaceo, reliquam ex luteo fuiſſe albidam: cornu porrò è fronte enatum ac ſupinæ roſtri parti adhæreſcens propè frontem palmum unum fuiſſe latum, in fine recurvum colore ſuperâ & inferâ parte miniaceo, mediâ luteo. Meminit etiam *Clariſs. D. Eraſmus Franciſci* im Guineiſchen und Americaniſchen Blumen-Buſch Avis cornutæ ab Indis Occidentalibus *Anhima* in Huiana verò *Mouton* dictæ, coloris nigri & fuſci, magnitudinis Gallinæ Indicæ. Mas, ut ſcribit, ſupra caput, quod Indici galli ſimile eſt capiti, cornu habet oſſei coloris in longitudine duorum digitorum, aliquando verò etiam unius ſpithamæ è capite enatum: rotundum inſuper in craſſitie & latitudine calami ſcriptorii, quod in ambitu circumdant pennæ albæ & nigræ. In anteriori parte alarum & earum oſſibus procurrunt alia duo cornua triangularia, quibus ſe contra hoſtes acriter defendere poteſt; quæ etiam haud ſecus ac illud in capite vim mirè alexiteriam habere ſolent. Ipſa etiam hæc avis, antequam ex obviis potet aquis, cornu illud capitis immergere perhibetur, ut vim veneni deleteriam hac merſione dispellere valeat. Vidit etiam D. Chriſtianus Franciſc. Paullini, ut teſtatur in ſuis *obſerv. Medico-phyſ. num. 14. Ann. 6. Dec. 2. Ephem. Germ. Curioſ.* adnexis, Anſerem marem grandem niveum animoſum, cui ex capite parvum & acuminatum cornu fuit enatum. Meminit ibidem etiam corvi eleganter cornuti & palumbi unicornis.

21. Teſtatur *Alexander de inſulâ in Breviar. rerum memor. Anno 1171. Blanckenaviæ* aluiſſe villicum quendam anatem maſculum, gallinas crebrius comprimentem: Hinc unam ex iis peperiſſe pullos verè gallinaceos, roſtris tamen pedibusq; planè anatinis, fuiſſe quoque animalia amphibia & pulchrè monſtroſa ſcribit. Pulli gallinacei pulchrè monſtroſi.

22. Memorabile etiam eſt, quod Idem ibidem memorat de Anatibus in quercu natis his verbis. *Anno 1174. abſtulerant pagani pueri corvæ, queîs incubabat, ova in monte Köterberg. Illa prolis cupide amans iterum aufert, neſcio ubi ova anatum ſuppoſita, eaque in nido ſuo in vertice quercûs ſtructo excludit. Pulcherrimas tandem anaticulas numero quatuor fortè repertas, omnes tamen ad nigredinem aliqualem vergentes unà cum corvâ & nido apportavit Venator noſter.* Subnectit deinde *Idem loco* ſcholii ſequentia. *Dixit mihi comes ab Ittern, ſe quondam fractis ovis corvinis ſuppoſuiſſe columbina & inde veras quidem enatas eſſe columbulas colore naturali, oculis verò roſtriſque corvinis.* Anates in quercu natæ.

23. Anno 1179. ut *Idem ibidem* recenſet, Gallina Parochi in Lüchtringen nidum ſibi fecerat Milvi ex ovis gallinæ perterritæ.

fecerat in angulo areæ ova sua ibi exclusura. Sed quotidiè aliquoties terrebatur à pervolitante milvo, adeò ut ad levem auræ flatum milvum adesse crederet. Ex hoc terrore & errore phantasiæ tres demùm exclusit milvos è propriis ovis, qui adultiores facti rapax suum ingenium manifestè ostendebant.

Gustarda avis. 24. De *Gustardâ* Ave mirabili hæc tradit *Cardanus l.7. de variet. c.36. Ubi inquit, Bervvicum Scotos nunc ab Anglis disterminat, Pictique olim habitabant, Tuedafluvius regionem Merchiam distinguit, atque in eâ regione licet rara avis est Gustarda ab incolis vocata, quæ magnitudine superat cygnos, plumâ & carne perdicibus non absimilis: hominem maximè fugit, & si ova attrectata senserit, vel solo humano halitu infecta, quod naturæ beneficio facilè sentit, statim relinquit & aliò se confert nov umque laborem suscipit.* Haud stulta in hoc cùm prolem propriam hominum crudelitati ac gulæ alendam non existimet. Ova autem in nudâ humo, ut par est, parit, cùm propter magnitudinem nidos sibi conficere nequeat.

25. Alterius quoque avis mirabilis meminit ibidem *Cardanus*, quam juxtà flumen *Alvarad* in Novâ Hispaniâ reperiri scribit, esseque rostro anatis, colore ex candido, cinereoque, picæ corpore & formâ, pede altero accipitris, reliquo anatis, quæ simul aves venatur & pisces. Verisimile autem putat ex duobus generibus genitam aut propagatam, quod facilè credi potest. Avis mirabilis ad flumen Alvarad in Novâ Hispania.

26. His tandem etiam accenseri debet Avis illa admiranda in Hispaniæ Urbe *Ambgenita* Anno 1628. plumbeis glandibus dejecta & Comiti *Schafgotio* missa 27. pedes longa, quæ in fronte oculum humanum, caput autem bovinum habuit, & verè etiam bovis instar mugiit; cœterum in vicem aurium flaccidarum alę dependebant; vertici cornua, vitta, tergo tuber testudineum, pectori lorica & his asperi aculei, caudæ gemini enses, collo monile carneum, corallio haud absimile munimen addiderunt. Plura de hac ave recenset *Mercurius Germanicus Valentini Pistoris.* Admiranda avis Hispanica.

CAPUT IX.

Avium exempla mirabilia in certis quibusdam operationibus adducuntur.

UTi superiùs *Cap. 5. hujus Disquisit.* Exempla varia, eaque mirabilia quadrupedum animalium in variis actionibus protulimus, ità nunc etiam quædam volatilium in similibus actionibus curioso lectori ex variis Authoribus in medium afferre libet.

§. I.

Exempla Religionis, sacri cultûs & observantiæ in Avibus.

Aves reverentur S. Franciscum. 1. Non naturali quidem virtute factum est, quod sanctis viris aves etiam reverentiam, cultum & obsequentiam præstiterint; admirationem tamen habet; quocircà non penitus hìc negligendum duximus. Maximo illi servo DEI viro inquam Seraphico *D. Francisco* aves ad nutum obsecutas, vitæ ipsius declarat historia. Ad eum equidem in solitudine concionantem aviculas confluxisse refert, nec manum ejus refugisse usque adeò obsequentes, ut non nisi cùm jussisset, abierint; non nisi cùm innuisset, garritum compresserint; non quidem quod jussa intellexerint, sed quod jubentis maximi servi Dei authoritatem, virtutemque senserint. Multum etiam fuit, quod, dum aliquando in horto inter fruteta deambulasset, cicada ficulnèam deserens super evocantis manum consederit, & Deum laudare jussa, voce ut potuit tinnulâ & gutture fistulato suaviorem solitò stridorem ediderit. Ob quam causam hodiedum sacra illa Familia hujus Seraphici Patriarchæ latè undique per orbem disseminata pio Parentis exemplo aviculas colere, escis reficere ac ad manum assuefacere solet, ut multis persæpè miraculi viam obtinere videatur servis supremi creatoris agrestes has creaturas captivam addicere libertatem.

Cultus aliorum Sanctorum ab avibus. 2. Etiam non tantùm, ut ex sacro liquet codice, sicut & primum illum Eremi cultorem *S. Paulum*, atque *Erasmum* Episcopum Diocletiani persecutionem declinantem crocitantes paverunt corvi, sed & *S. Blasio* Sebastæ urbis Episcopo in solitudinem declinanti victum pennigeræ volucres suppeditârunt, ut ex *Marulo* constat.

3. *Severus* Agathensis Abbas passerem habuit manibus ejus intrepidè advolantem & porrectum capientem cibum. Ad *Maxentium* Pictaviensem Abbatem sylvestres aves relicto nemore advolare solebant, & absque ullo metu è manibus ejus tritici grana & panis frustula, miculasque surripere satagebant.

4. *Ivonem* Presbyterum ad mensam recumbentem avis quædam albo viridique colore spectabilis de improviso adiisse dicitur, & tangi se ac contrectari ab eo passa fuit: post acceptam verò ab eodem benedictionem aliò rursùs avolâsse memoratur.

5. *A Jodoco* Britanniæ Regis filio, dùm contempto regno terrestri cœlorum Regi servire cœpit, omni metu deposito columbas & pisces escam porrectam acceptasse fertur.

6. *S. Stanislaum* Cracoviensem Episcopum sacrificantem, ut constat ex *Martin. Cromero de reb. Pol. Jo. Longino Canon. Cracov. Surio & aliis*: Cùm impius Poloniæ Rex Boleslaus ferro trucidasset, neque cæde tam barbarâ contentus corpus exanime è templo extractum militibus discerpendum tradidisset, ac gravi propositâ pœnâ prohibuisset, ne quis aut justa funeri persolveret, aut disjectas hinc indè sacri corporis particulas collige-

colligeret, aut in sepulchrum inferret; id unicè cupiens, ut à canibus aut avibus aliisque feris absumeretur, memoriaque omnis & Martyris ac sceleris sui auferretur. Alterâ tamen ab ejusdem cæde die à quatuor mundi partibus totidem raræ formæ, ac magnitudinis aquilæ advolarunt, & sollicito studio loca, in quibus dissipata jacebant fortissimi Præsulis membra, per aërem in orbem circumeuntes, & veluti à DEO constituti custodes non permiserunt ea ab ullis aut feris, aut avibus attingi. A quo miraculo pii homines admoniti accurrerunt, & dispersas hinc indè sanctissimi corporis partes magnâ diligentiâ ac reverentiâ collegerunt novo prodigio recreati. Nam membra illa irà collecta divinitùs rursùs in corpus unum coierunt, ut qui integerrimè vixerat, mortuus quoque integer sepeliretur.

Aquilæ aliis obsequiosæ. 7. *S. Medardum*, cùm puer esset in campo pluviæ expositus, ab Aquilâ alas, & corpus super eum expandente, immunem servatum esse, habet ejus vita. *Josephum* quoque *Anchietam* ab eâdem Jovis armigerâ supervolitante contrà solis ardores, veluti clypeo protectum legimus.

8. De S. *Cuthberto* Episcopo Linstardiensi refert *Beda*, quod aquila miraculosè piscem è flumine ceperit, eumque sancto viro, ne fame periret, detulerit.

Anas religiosa Mons fortii. 9. Illud certè ter maximè admirandum est, quod *Baptista Fulgosus* refert de Anate. *In eâ*, inquit, *parte, quæ olim sub Venetorum & Morinorum nomine censebatur (nunc Britanniam dicunt) propè Urbem Rhodensem oppidum est Mons fortis nomine, ubi Decembri mense, cùm festum S. Nicolai agitur, á parvo lacu propè sito tempore Missæ vel Vesperarum Anas templum init, cum tredecim pullis, quæ postquam aram circumdedit, regreditur uno pullorum deficiente, nescitur, ubi relicto. Quod si quis scire volens comprehendat eam aut mactet, vel rabie corripitur vel moritur.* Verùm *P. Fournier Geograph. orb. not. lib. 6. cap. 22.* ad diem 9. Maij, quo festum translationis *S. Nicolai* celebratur, hanc Anatum è proximo lacu processionem in Ecclesiam eidem Sancto dicatam fieri perhibet his verbis: *Monfortii non longè à castro ejus urbis ex stagno ultrà 200. jam annos frequenter prodire solet anas ferè cum pullis, quæ 9. Maij per medios homines interdum ad 4000. convenientes intrepidè sibi viam aperit & ad ædem D. Nicolao sacram pergit, in eâque aliquantulum commorata cum pullis redit ad stagnum.*

Avis Ave Maria cantans à morte liberatur. 10. Testatur *Alexander Calamato sylv. discur. 44. n. 20.* rem à S. Melitone relatam. Fuisse nempè Dominum singulari in Deiparam pietate conspicuum, adeò ut domesticis, cunctisque sibi subditis non modò amorem, & venerationem summam commendaret, sed & præciperet, ut à quocunque ad quodcunque ministerium aliquis suorum vocaretur, hoc responsi daret: Ave Maria. Quam piam consuetudinem ipse Dominus usque eò cordi habebat, ut volucrem, quam aviario inclusam alebat, has etiam voces Ave Maria articulatè pronuntiare docuerit. Aliquando autem nescio, quânam incuriâ avis è carcere suo elapsa, ac vix libertatem captans accipitri in prædam obvenit, cumque jam ungues sentiens miseræ discerptioni subesset; illicò consuetas voces Ave Maria dolor expressit: Quo facto è vestigio accipiter velut fulmine ictus in terram corruit, toto, quem confecerat, aëris tractu teterrimâ mephiti infecto, atque ità ipsa volucris denuò quasi victrix de hoste epinicion assuetum argutissimâ, ut potuit iterum iterumque voce scilicet *Ave Maria, Ave Maria* cantillavit.

11. Simile penè est, quod recenset *Nierenbergius* de Psittaco *lib. 3. Hist. Nat. cap. 12.* hic enim doctus ista verba: *Sancte Thoma ora pro nobis:* Correptis à milvo clamavit pro opportunitate periculi invocato Sancto. Res mira! exanimis raptor derepente concidit, liberato & incolumi precatore. Sed ista de sacri cultûs & observantiæ in avibus argumento, cùm altiori, quàm purè naturali virtute fiant, haud plurium exemplorum cocervatione sunt dilatanda. Psittaci mirabilis à morte liberatio.

§. II.

Benevolentiæ & gratitudinis in avibus Exempla.

1. Memorabile exemplum gratitudinis de Aquila refert *Crates Pergamenus l. 5. Ælianus l. 17. c. 37. & complures alii.* Cum enim sedecim messores quendam è sociis æstivo tempore ad fontem misissent, reperit is apud eundem serpentem, qui Aquilam complexu suo penè suffocabat; ille falce messoriâ, quam manu tenebat, miseratus aquilæ, serpentem dissecuit, & aquilam liberavit. Quæ liberatorem suum insecuta, cùm is aquam è fonte illo haustam ad socios detulisset & eadem vinum sociis omnibus temperatum ministrasset: Ii quidem avidissimè bibere cœperunt: hic autem, qui aquam hausit, cùm post illos & ipse bibiturus ad labra poculum admovisset, repentè obvolitans Aquila poculum involavit, illudque alis suis excussit ac fregit, ità ut omnis potio in terram effusa fuerit. Ille hinc quod vehementer sitiret, indignatus ait: hancce gratiam servatori tuo rependis? Quæ præfatus cùm ad alios se converteret, vidit eos palpitantes animam agere ex venenata illâ potione, quam serpens intoxicavit. Undè tandem advertit, hanc excusionem fuisse beneficium, cùm suum liberatorem similiter ex gratitudine à morte liberavit. Aquila rependit beneficium.

2. Memorat & *Plinius Nat. Hist. l. 10. c. 5. In Sesto educatam à Virgine quadam fuisse Aquilam, libertate deindè donatam gratiam duplicis beneficii retulisse: Primò ut aves*, inquit, *deindè venatas aggereret, cùmque virginem obiisse diem & rogum exurendæ illi paratum vidisset, in accensam pyram se injecit & simul conflagravit, quod mallet pari fato interire, quàm altrici supervivere.* Simile penè est quod recenset *Ælianus l. 6. hist. animal. c. 37.* Puer quidam, inquit, Aquilam educavit, mutuoque se ità amarunt, ut cùm puer ægrotaret, Aquila assideret; cùm ille non ederet, Aquilæ gratitudo in Virginem.

nec ista: denique cùm is è vitâ excessit & efferretur ad monumentum, ea prosecuta est volando; cùm cremaretur, ipsa in medios rogos se injecit.

Gruis gratitudo. 3. Refert *Busbequius epist.* 3. vidisse se gruem Balearicam, quæ amoris signa maxima exhibuit ergà militem Hispanum, qui eum nutrierat, tantum enim gratitudinis signum exhibuit, ut cum eo ambulante ambularet, assistenti adstaret, seque ab eo reliquorum contactum aversata, tractari & demulceri pateretur.

Ciconiæ gratitudo. 4. Ciconiam communiter dicunt inter alias aves adeò in benefactores beneficam, ut quotannis pullum nido dejiciat & velut pensionem locagii pro hospitio annuè pendat. *Ælianus lib. 8. de Anim. cap.* 21. refert de quadam viduâ muliere Terentinâ. *Hæc enim*, inquit, *cùm æstivo tempore pulli ciconiarum maturius evolarent, & unus infirmior delaberetur, itàut crus frangeret, mulier eum sanavit, & tandem sanatum ex manu in libertatem dimisit. Sequenti anno cùm illa ipsa vidua in aprico loco sederet captandi solis gratiâ, ciconia quædam humili volatu se dimisit ad mulierem & ex unguibus lapillum quendam elabi permisit, posteaque in tecto consedit. Noctu iste lapis tanquam stella quædam lucebat, quæ erat pretiosissima gemma, ut cùm caperet illam ciconiam, ex cicatrice agnovit esse illum pullum, quem ante annum sanaverat.* Ita *Ælianus*.

5. *A Justino Goblero* Jurisconsulto hoc quoque contigit in Imperiali quondam liberâ civitate *Vesaliâ*: Sibi transcriptum recenset *Conradus Gesnerus. Ibi*, inquit, *quædam Ciconia (patrefamilias curante) cùm à nemine unquam infestaretur, semper abiens & rediens ad ostium domûs solita fuit se præsentare, & solito clarius quasi valedictura vel salutatura strepere. Paterfamilias pro more semper ei quasi comprecans respondit. Quodam igitur tempore reversa simul attulit ad pedes hospitis radicem magnam recentis zinziberis.* Quod certè munus non aliter quàm in gratitudinis signum obtulit.

Cucuphæ avis gratitudo in parentes. 6. Cucuphæ avis meminit *Jo. Pierius l.* 17. *c.* 5. quamvis ambigat, an sit distincta species à Ciconiâ, quod genitoribus senio confectis eodem modo gratiam rependat, quo ales ipsa fuerit educata. In eodem enim loco, ubi à parentibus enutrita fuerat, eis nidum parat, pennas vellicat inutiles, eoque cibum importat, idque quoad pennis resumptis ipsi sibi sufficere queant. Undè etiam Ciconiæ & gratitudinis & pietatis erga parentes symbolum perhibentur, quod Antverpiæ antè certam domum, ut testatur *Beyerlinck in Theat.* cui Ciconia pro signo est, legitur his versibus annotatum, quibus ità loquens Ciconia inducitur.

Præscia sum veris venturi, hyemisque futuræ.
Exemplum O vobis Juvenes, pietatis amatæ
Longævos erga, charosq; insigne parentes.

Ciconia miræ pietatis & gratitudinis. 7. Stupendæ pietatis ac gratitudinis exemplum in Ciconiâ recenset *Alexander ab insulâ in breviar. rer. memor. num.* 55. *Anno* 1196. inquit, *Ciconia è vicina ob incendium cum conjuge laribus pulsâ domicilium sibi elegit Corbiæ. Conatum ejus fratres juniores ultrò promovent, lignumque pro structurâ nidi largiter suppeditant. Circà autumnum discessuri missam inter, templum intrant Seniores, subsequentibus, quos eò pepererant anno, quatuor junioribus. Ibi coram altari è latere singulæ uno eodemque consistentes pede omnium occulos in se convertunt. Finito Sacro, cùm nemo tributum suum peteret, seniores cum junioribus natu minimum alis rostrisque ad Sellam Abbatis quasi protrudunt. Qua retenta templo exeunt, eâdemque nocte discedunt.*

Fringilla alias aves adducit ad retia. 8. *Camerarius p.* 2. *hor. succis. c.* 81. notam sibi familiam memorat, quæ aluit Fringillam admodùm vetulam, quæ in aucupio liberè dimissa huc illuc volitabat & ità se aliis aviculis admiscebat, quasi cicurata non foret: Accidit itàque ut plerumque alias sui generis, in nota sibi retia comites adferret, seque capi unà cum illis permitteret. Usu enim docta erat, quod liberè in caveam dimitteretur, quod & præstitit prædam istam adducendo, ut compensaret præstitam sustentationis gratiam.

Accipitris genus gratum altonibus. 9. In Thraciâ dicitur esse quoddam genus Accipitris, ut memorat *Franzius part.* 2. *bist. anim. c.* 12. quod habet commercium cum hominibus. Nam dum homines solent tendere retia, interim ipsi compellunt aves; hocque tamdiù faciunt, quamdiu fiunt participes prædæ. Si enim non fiunt participes, non amplius præstant. In Ægypto dicuntur quidam esse, qui nunquam discedunt à Dominis suis, modò ipsorum advertant benignitatem. De Accipitre quoque referunt communiter Ornithologi, eum quamvis rapacissimum & voracissimum, parcere tamen passeri, & illæsum denuò dimittere, quem applicavit sibimet unguibus, ut contra nocturnum frigus illo se tueatur tempore aliàs frigidissimo.

Cygni incendium restinguunt. 10. De Nobili Mecklenburgensi scribit *D. Christ. Franc. Paullini in obser. Medico phys. obs.* 58. eum funestos cineres arcis suæ ex insolito ac perpetuo ferè cygnorum, quos in stagno alebat, murmure, stridore, & pugna præscivisse; qui tandem etiam cùm in flammis crepidaret ædificium, eas restinxisse visi sunt.

Avis Osonfoo benevola. 11. Avis Africana *Osonfoo* dicitur, quæ corvo in magnitudine & pennis haud dissimilis est, rostrum habet longum & satis latum. Hæc ex terrâ nidum intrà arbores construere perhibetur; cùm autem fœmina incubat ovis, sibiipsi pennas omnes evellit, ut pullos in iis reponat: adeoque hæc avis nuda permanet apud pullos singulari naturæ benevolentiâ huc adacta, donec adolescant, & ipsa novas recipiat pennas. Intereà verò mas quotidiè cibum apportat, ut conjugem alat, & gratiam pro pullificationis beneficio rependat. *Happel. Mundi mirab. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 9.

§. III.

Fidelitatis & obsequentiæ Exempla in Avibus.

Cornix literas deferens. 1. Cornicem apud *Marthem* Ægyptiorum Regem educatum ferunt, quæ literas, quo

ras, quò jubebatur, deferebat; cui & sepulchrum ad lacum myridis prope urbem Crocodilorum exstructum perhibetur.

Columbæ tabellariæ. 2. De Columbis Tabellariis mira tradunt Authores. Exemplum memorabile adfert *Paulus Æmilius lib. 3. de gestis Francorum, & Petrus Justin. lib. 2. hist. Venet.* in hunc modum. Cum Tyrus ab exercitu Christianorum obsideretur, ferunt columbam advolasse: quam cum nostri usu edocti tabellariam esse cognoscerent, tantum à navalibus terrestribusque copiis clamorem sublatum, ut ales tanquam turbine acta in terram deciderit. Hanc ubi ex plorarunt literas de Barbarorum auxilio brevi adfuturo reperiunt. Quibus acceptis & aliis eodem idiomate de impossibili istiusmodi subsidio substitutis columbam avolare ad obsessos permiserunt, & post paucos dies Tyrios obtinuerunt. Similiter in Harlemensi obsidione ejusmodi tabellariæ crebrius emissæ literas ad Orangium pertulerunt, & ab eodem retulerunt. Et jamolim etiam *Hircius & Brutus* in Mutinensi obsidione pro tabellionibus usi sunt columbis. Romani quoque in Circum vel Theatrum euntes, quæ vellent earum operâ domum renuntiâsse perhibentur.

3. Christianos *Ptolemaidem* obsidentes per columbam Tabellariam eam memorabili stratagemate, simili illi, cujus jam meminimus obtinuisse, narrat Egnatius, & ex illo Aldrovandus prolog. in Ornitholog. In Oriente etiam adhuc vulgare esse columbis tabellariis, uti per centum etiam milliaria notavit *Stephanus Mantegazza Dominic. in suo. itiner. Hierosol. l. 2. c. 22.*

Hirundines Tabellariæ. 4. Referunt & Historici *Cecinnam* Volaterranum Ducem comprehendisse secumque abstulisse in castra & post victoriam illis alligâsse schedulaa & dimisisse, quæ fideliter eas ad ædes assuetas detulerunt.

Perdices obsequentes custodibus. 5. Perdices aves aliàs feræ & agrestes in *Chio* insulâ mansuetæ obsequuntur Custodibus ad pastum egressæ, inde pro placito circà vesperam redeuntes: custodes enim eas interdiu agminatim ad montes inquirendo victui educunt, sub vesperam verò edito sibilo revocantes simul omnes domum reducunt, & aliæ alias sibilo custodum non assuefactas, & etiamnum feras comites sibi adsciscunt.

6. Admiratione dignissimum est, quod *Odericus de foro Julio* refert: In regionibus circa *Trapesuntem*, aliàs *Pontum*, ut inquit quidam duxit secum quatuor millia perdicum. Is iter faciebat per terram, Perdices per aerem volabant, quas ducebat ad quoddam castrum nomine *Thanega*, quod à Trapesunte distat trium dierum itinere. Hæ perdices, cum Duci ipsarum homini quiescere aut dormire libebat, omnes quiescebant, circà eum sicut pulli gallinarum, & sic ducebat eas Trapesuntem usque ad palatium Imperatoris. Cum verò sic quiescebant circà eum, capiebat de ipsis, quantum volebat, numerum, reliquas ad locum, in quo prius erant, reducebat.

7. Anates in Provinciâ Chinensi *Quantung* non secus, atque Cairi in Ægypto fornaculis in hunc finem affabrè instructis excludi scribit *Kircherus Chin. illust. part. 4. cap. 8. in naviculis*, ut inquit, *magnos sæpe harum anatum greges alunt, eosq; vel ad maris littora vel fluminum ripas exponunt, ut æstu recedente ostreis, cancris, tellinis, similibusq; maris fructibus, quibus summopere delectantur, cibentur, & quoniam in variarum navium confluxu illæ variè dissipantur, mirum tamen eas noctu ad sonum pulsatæ pelvis columbarum adinstar ad nidos suos, quasi signo receptui dato, in suam quasque navem reverti.* Addit deinde *Kircherus. Est & hoc experimentum in ovis anatum admirabile, quod si ea condire cupias, id nunquam consequêre, si aquæ salsæ aut muriæ ea imposueris, at si terra cretacea aut argilla sali mixtâ ova illa illiveris salsedine imbuta gratissimum saporem acquirent.* Anates ad pulsum pelvis obsequentes.

§. IV.

Sumptæ ultionis & vindictæ in Avibus Exempla.

1. Observatum aliquando Coloniæ dicunt hirundinem cum passerem ex occupato nido ejicere non valeret, stridore suo plures alias convocâsse; has deinde cum impetu volantes luto, quod singulæ ore gerebant, nidi foramen obstruxisse & passerem intus conclusum suffocasse. Hirundinis vindictæ.

2. Historiam sequentem recitat *Michael Neander in Physica*, ubi ex Aventino ista in pago *Tangen* Bavariæ sub Duce *Bacaro Huberto* accidisse scribit. Ciconia quædam mare avolante ad pabula convehenda pullis aliquoties interea consuevit alteri ciconiæ propinquæ, ac ne maritus reversus adulterium persentisceret, mox à congressu corpus suum in vicino lavit fonte, donec hospes illa re animadversâ eam à fonte arceret. Etsi autem de adulterio constaret reverso, tamen dissimulavit, pullosque solam educare coegit, & tandem cum migrandum esset ante hyemem adduxit agmen ciconiarum, cui adulteram laniandam tradidit. Tantus inest abominandi criminis Adulterii etiam in brutis animantibus horror & vindictæ cupiditas. Ciconiæ ultio de adulterio

3. Non in suo tantùm genere Ciconiæ oderunt crimen adulterii, sed etiam in hominibus, ac de ipsis vindictam audent sumere. Refert enim *Ælianus lib. 8. cap. 19.* de quadam adulterâ, quæ rem habuit cum servo in absentia mariti. Itaque ciconia irruit in ingratum servum & eruit ipsi oculos, ut ita vindicaret injuriam absenti Domino illatam.

4. Ab aliis quandoque animalibus contra volucres vindictam sumi patet ex eo, quod narrat *Schott. phys. cur. lib. 9. cap. 62.* picum quandoque cancrum è fluvio abreptum in vicinam arborem deportâsse, ut devoraret: sed miserè ab eo interemptum collo sub forcipibus compresso.

Corvorum & accipitrum certamen.

5. In agro Leodiensi, ut *Æneas Sylvius* testatur, Corvus in altâ rupe sibi nidum construxerat, & ova posuerat, diuque foverat. Id conspicatus Accipiter nactus horam, qua corvus abesset, compactis ovis nidum occupat. Rediens Corvus injuriam ulcisci pergit. Pugnant ambo diu, postremò non tam sauciati, quàm lassi veluti ex composito certamen relinquunt, alius in Orientem, alius volat in Occidentem. Postridie in eadem regione Accipitrum Corvorumque tot per aera turmæ volitare visuntur, ut cœli aspectum tanquam nubes auferant. Implentur clamoribus vicinæ valles & magnus insonat æther. Nec mora velut à peritissimis Ducibus ordinatæ prælium committunt & hi unguibus, illi rostro alacriter præliantur, nunc hi, nunc illi cedunt, vulnerant, pennas evellunt, & cadentibus plurimis impletur regio, victi tandem Corvi magnâ strage relicto nido abierunt. Sed rectè subdit *Æneas Sylvius* hanc avium pugnam augurium fuisse & prænotâsse pugnam illam crudelem, quæ eodem in loco contigit, cum duo de Pontificio Leodiensi contenderunt, ibi verò duo & triginta millia deinde ex victis corruerunt. Sed de ejusmodi auguriis fusiùs paulò infrà.

§. V.

Admirandæ loquacitatis & variarum vocum expressionis in avibus Exempla.

1. Inter omnes aves nulla est, quæ articulatæ loquacitatis formandæ ita capax est, quàm Psittacus: Unde de illo mira passim apud Authores prostant Exempla: quorum nonnulla jam proferimus. *Basilium* Orientis Imperatorem tradit *Constantinus Manasses in Annal. Leonem* filium in carcerem conjecisse Santabareni persuasu, quasi parenti insidias struxisset, cum tamen innocens esset *Leo*: hinc ortos esse ploratus & ejulatus matris casum filii lamentantis & apud Patrem deprecantis: Sed Patrem nullis precibus flecti potuisse, adhibitas porrò mulieres lamentatrices, quæ præficarum in morem nænias quasdam lugubriter occinerent, & calamitatem Leonis acerbè deplorarent. Adfuisse porrò Psittacum tradit, qui frequentet lamentationes illas concipiens reddebat eas & deplorabat adolescentem expresso *Leonis* nomine: cum verè aliquando *Basilius* Psittacum ita loquentem audivisset, simulque vidisset eos, qui aderant, acerbas lacrymas profundentes, iram illicò remisisse, filium è carcere eductum mitiùs tractâsse, ac tandem moriturum imperio præfecisse.

Psittacus Angliæ Regis.

2. Narrat *Gesnerus* ut & *Aldrovandus lib. 2. Ornith.* ac complures alii, Londini in Anglia è palatio Regis *Henrici Octavi* Psittacum in præterlabentem aquam decidisse, & mox portitorem nautam ex oppositâ ripâ inclamâsse *à both, à both for tu ventye pound.* quod latinè sonat: cymbam *cymbam vel pro viginti libris,* Venit cum cymbâ quidam & liberavit avem, Regique, ad quem pertinebat, rursùs obtulit, sperans mercedem illam, quam avis promiserat. Respondit Rex tantum se redditurum, si avis adhuc semel illud pretium confirmaret. Verum avis tunc in hunc modum respondisse fertur; *Gibe the Knabe à groath,* id est: *da nebuloni solidum.*

Historia ridicula de Psittaco calvo.

3. Comiti *de Flasco*, ut narrat *D. Gockelius in epist de mirab. quorundam anim. Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Anno 5. annexâ:* Psittacus humanas voces æmulans in deliciis erat, qui cum aliquando in culina aliquid carnis assæ clam subduxisset, ab inflammata coquâ fervente aqua profusus quasdam capitis plumas amisit atque hinc calvus redditus fuit. Cum autem abhinc non longo tempore Religiosus Abbas ad Comitem inviseret, eidemque ob reverentiam raso nudoque capillitio aliquamdiu adstaret; ab alite non sine summâ admiratione sequentibus argutè admodùm allocutus fuit: *Ha, he, numnè & tu de carne assata furatus es?* His ad miraculum usque perauditis facti prius recitata historia, ambo in profundum risum soluti fuerunt.

Psittacus risum æmulans.

4. *Carolus Clusius apud Nierenberg. lib. 10. hist. Natur. cap. 26.* testatur audivisse se sæpius Psittacum cujusdam viri nobilis cachinnum humano more extollere, cum ab astantibus gallico sermone compellaretur hoc modo: *Riez perroquet, riez.* id est. *Ride Psittace, ride.* Cumque effusissimè risisset, gallico etiam sermone illicò subjecisse: *Ole grandsot, qui me faict rire.* hoc est. *O magnum fatuum! qui me ad ridendum provocat.* Illaque verba iterum ac tertiò repetere solitum.

5. Ex *Joan. Fab. Lync.* refert *Bonavent. Baro in Naturæ miracul.* Psittacum Belgæ cujusdam *Balduini Bragel* tam articulatè linguam belgicam elocutum, ut etiam Germaniæ superioris accolæ eam intelligere potuerint, ipsam etiam avem loquentes intellexisse & ad Rombum respondisse; cachinnum tam verum variumque sustulisse, ut si quis avem non vidisset, certissimè hominem ridere jurâsset. Tubæ quoque sonitum verissimè expressisse, canumque latratus graphicè effinxisse.

Psittacus Ascanii Cardinalis.

6. Narrat *Cœlius Rhodiginus* Romæ Psittacum fuisse *Ascanio* Cardinali centum aureis nummis comparatum, qui continuatâ verborum serie latino idiomate articulatissimè Christianæ fidei symbolum integrè pronuntiare valuerit.

7. De nobili quadam fœmina dicunt, ipsam Psittacum ita bene habuisse, ut sibi cuncta ab aliis prædicta atque enarrata ad amussim recitando reiterare potuerit: Unde animi recreandi causâ cum garrulâ hac ave Dominam persæpe fenestræ domûs astitisse: Cumque forte fortuna aliàs

aliàs maxime familiaris Medicus in ipsâ plateâ præteriret, ab altrice Psittacum informatum, instigatumque quasi irridentem medicum cornutum exclamâsse: integrum porrò virum illum maculam quidem hanc indignè ferentem per jocum nihilominus respondisse; *fortè an mea Domina causam ignoras, ob quam garrulus tuus cornutum me vocaverit, & me judice nullam aliam subesse reor, quàm quod arbitretur, te meam conjugem uxoremque esse.*

8. *Guileilmus Harveus de generat. anim. Exerc. 5. recenset*, Psittacum insignem doctéque garrulum uxorem suam diu in deliciis habuisse, eum porrò describens. *Erat is adeo familiaris*, inquit, *ut quocunque vellet, liberè per ædes vagaretur, absentem Dominam inquireret; inventæ bilari voce abblandiretur, vocanti etiam responderet, advolaret, vestemque rostro pedibusque vicissim apprehendens ad summum humerum scanderet, indeque per brachium descendens super manum semper se sisteret. Jussus loqui aut cantare etiam noctu & in tenebris morem gessit, sæpe ludibundus & lascivus sedentis gremium adibat, ubi caput sibi attrectari, dorsumque demulceri gestiebat; quassatisque alis & blando strepitu summam animi lætitiam testabatur. Ita Harveus.*

Admiranda psittaci loquacis astutia.

9. Anno 1200. uti recenset *Alexander ab insulâ in breviar. rerum memorab. num. 62.* his verbis. *Alebat Abbas noster astutissimum Psittacum, & ad mira quævis ingeniosè eruditum. Singulis matutinis jussu Domini sui distinctè prompteque recitabat* Pater noster &c. *cum annexo* Gloria Patri &c. *Si quando Fratres juniores musices nostræ nondum satis gnari in decantandis Psalmis fortè errarent, statim animadvertebat iste nequam & inclinato capite, rostroque ad pectus presso, altâ voce cantabat*: O mea culpa! mea maxima culpa! *cum verò agnito errore rectà procederent, tunc iste cum cachinno*, Deo gratias. *Prælatus in vicinio aliquando in conventu volebat ut recitaret* Pater noster. *Sed cum non nôsset bonum virum, parere noluit, aliàs Domino suo obsequentissimus. Interim Abbas iste semper præibat dicens*: Pater noster. *Et cum adhuc repugnaret repetens verba ista subdidit*: Ey bete du Schelm. *Tunc avis clarâ voce*: Qui es proch! *quantus iste cachinnus. Intererat missæ nobilis at fastuosa mulier, quam cum videret, capiti ejus insedit faciens opus naturæ & clamans.* Pulvis & umbra sumus.

Lepida historia de Psittaco.

10. Lepidum est, quod & *Nierenbergius* de Psittaco refert *Hist. natur. lib. 10. cap. 63.* hisce verbis. *Psittacus tabernarii vinarii solitus audire illum domi querentem vinum non vendi, quod acetum esset; didicit hæc verba, atque ad januam suspensus garrulus repetito præconio*: Acetum est, acetum est, *quod facilè fuit ementibus credere: donec herus madefaciens (aquam enim odio habent hæ aves) & castigans Psittacum, dictavit*: Optimum merum! optimum merum! *quod Psittacus sic animadversus didicit, & postea ad januam identidem publicabat, optimum esse merum, quod venale erat in taberna.*

11. Simile ferè est & æquè ludicrum ac jucundum, quod de Pica refert *D. Gockelius loc. supramem. Hospes*, inquit, musti venditor loquacem Picam nactus, quæ vespertino tempore, dum herus unà cum uxore venalem potum degustaret, in cellâ se continuit, cum illi inter se de doliolo vacuo pronuntiarent, nihil musti amplius in eo contineri. Quare altero die, cum emptor quidam mustum peteret, Pica eum heri auditis verbis Domini sui vacuum dimittit dicendo: mustum deest, mustum non habemus: hocque modo per totum diem emptores omnes sine musto domum remitrit. Mirantibus verò viro & muliere, quod hac die nihil vendidissent, & ipsi verba illa dehortatoria Picæ mirabundi percipiunt, irâque commoti misellam alitem vel ter vel quater nubilo & gelido cœloaquæ frigidæ immergunt, quæ frigore tremens ad ignis calorem se recolligit, & quasi per pennarum exsiccationem vires reassumit. Eo ipso momento verò vitulum frigore etiam concussum & modò à matre productum in hunc modum alloquitur. Fortassis & tu aliis penuriam musti annuntiâsti.

Lepida alia historia de picâ loquace

21. De Pica quâdam narratur, quam hebuit Clericus aliquis, cui nomen Petrus ad miras suas delicias, hæc omnia, quæ domi viderat & audierat, articulatissimè ad stuporem audientium referre solebat. Accidit, ut absente Domino ancilla conclavis januam apertam relinquens Pica evagari, ædes altius conscendere & feli obtingere cœperit, quâ cum diu lusum habuit, tandem ei tamen in fauces invasit, supervenit Dominus & more suo ad primum conclavis ingressum Picam advocavit, sed responsum nullum accepit. Suspicans igitur, quod erat de eâ periculum, felem extra conclave acclamavit: illa igitur ex superiori domûs contignatione descendens Picam ore prehensam attulit, quæ ad primum Domini conspectum eundem sic allocuta dicitur: So ziehen wir miteinander dahin Herr Peter: So ziehen wir miteinander dahin Herr Peter. Hoc est. Sic unà commigramus Domine Petre: Sic unà commigramus Domine Petre.

Picæ loquacis alia historia.

13. *Mergenthemij* in oppido primario Celeberrimi Ordinis Teutonici in nostrâ hâc Franconiâ ante aliquot annos habuit Picam vir quidam Aulicus non infime sortis, ut mihi pro certo asseveratum fuit, quæ è caveâ ad fenestram exposita versùs propinquum fontem omnia observabat, quæ tum ad illum, tum per transeuntes illac in publica viâ contingebant, Dominoque suo articulatè referebat. Sæpius autem fuit observatum, quod ancillas circà fontem diutiùs confabulantes his vocibus domum compellârit, clarissimè eloquendo: Blauterlein/ Blauterlein! will ein Stühlein bringen. Blauterlein / was blauterstu lang! hoc est. Garrula, garrula, sellam apportabo, Garrula, quid diu blateras!

14. Mi-

Pica vocibus variis illudens

14. Mirum est, quod à pica sibi contigisse *Oppianus* recenset. Hœdi hæc primùm velut à matre separati querulam vocem edens *Oppianum* ad inquirendum animal juxta arborem, cui illa insidebat, invitabat. At dum in quærendo intentus esset, mutatâ mox voce rursus vituli instar mugiebat, dein ovis more balabat, tum adinstar pastoris post pascua oves ad potum deducentis sibilabat, tandemque per ramos saliens sese videndum præbuit, mirabundumque illum reddidit tanta in avibus divinæ largitatis dona resplendescere cernentem.

Pica tubicinem agens.

15. Narrat *Plutarchus lib. 1. de solertia animal.* de Picâ sequentia *Romæ tonsor quidam tonstrinam habebat ante templum, quod Forum Græcum appellant. Is mirificè vocalem & garrulam alebat picam, quæ & hominum voces & boum redderet, instrumentorumque sonos non cogente quopiam, sed quod ipsa impensè studeret omnes voces prodere. Fortè evenit, ut in eadem vicinia dives quidam efferebatur multis tubis accinentibus; cumque ibi pro more locorum fieret institio, tubicines, quia placebant, jussi cantum protraxerunt: ab illâ die muta pica ita voce omni destituta fuit, ut ne eam quidem redderet, quæ sibi necessaria indicaret. Quibus antea vox ejus, illis nunc silentium fuit admirationi. Non deerant, qui veneficio factum adscriberent; Alii sono tubarum auditum ejus perculsum existimabant, unaque vocem extinctam. Verùm nil tale erat in causa, sed exercitatio, ut apparuit imitandi illa in se conversa & vocem tanquam instrumentum concinnante ac apparente. Subitò enim rursum emicuit nihil usitatum, & veterum imitationum, sed cantus tubarum modulans ipsis conversionibus, omnesque immutationes ac pulsationum numeros exprimens, ut intelligi posset in animalibus facultatem à seipso discendi majorem orationis habere vim, quàm docilitatem magistro aptam. Ita Plutarchus.*

Pica vagitum infantis exprimens.

16. *Pausanias* etiam in *Arcad.* memorat, Picam pueruli vagitum tam naturali voce expressisse, ut Herculi dux fuerit & causa inventi filii Æchmagoræ.

17. *Athanasius Kircherus*, ut testatur *Schottus Mag. Nat. part. 2. lib. 1. cap. 3.* Picam vidit, quæ non loqui tantùm, sed & cantare didicerat tantâ industriâ, ut qui eam non videret, hominem putaret.

Corvus articulatè loquens

18. De Corvis articulatè loquentibus mira dantur exempla. *Plinius Nat. hist. lib. 10. cap. 43.* exemplum tale profert. *Tiberio* Principe ex fœtu supra castorum ædem genitus pullus in oppositam sutrinam evolavit. Is maturè sermoni assuefactus omnibus matutinis evolans in rostra forum versus, *Tyberium*, deinde *Germanicum & Drusum* Cæsares nominatim, mox rransfeuntem populum Romanum salutabat. Hunc sive æmulatione incitatus manceps proximæ sutrinæ, sive iracundia subitâ, ut voluit videri, excrementis eis imposita calceis macula exanimavit tanta plebis consternatione, ut primò pullus ex eâ regione, mox interemptus sit; funusque aliti innumeris celebratum exequiis, constratus lectus super duorum Æthiopum humeros præcedente tibicine & coronis omnium generum ad rogum usque.

Corvus Cæsarem salutans

19. Cum ex Actiacâ victoriâ regrederetur *Augustus*, ut refert *Macrobius lib. 2. Saturnal. c. 1.* occurrit ei inter gratulantes quidam corvum tenens, quem instituerat hæc proferre verba: *Ave Victor Imperator.* miratus Cæsar tam officiosum, avem 2000. HS. hoc est, 500. aureis solutis, multasque similes comparavit. Quo exemplo motus pauper sutor instituere ipse quoque aggressus est corvum ad parem salutationem, sed impendio exhaustus ad avem non respondentem dicere solebat; *opera & impensa perit.* Cœpit tamen Corvus optatam salutationem exprimere, ac fortè auditam, dum transiret *Augustus*, respondissetque: satis talium salutatorum habeo: superfuit corvo memoria, ut & illa, quibus dominum querentem solebat audire, verba subjungeret: *Opera & impensa periit.* Ad quod subridens Cæsar, avem eam jussit emi, quanti aliam nullam emerat.

20. Refert *Scaliger Exercit. 237. in Cardan.* Religiosos quosdam domui suæ proximos Corvum habuisse, qui dum fame premeretur, coquum Conradum tam articulatè nomine hoc vocare potuit, ut æstimaretur vocari ab homine.

Merula loquax,

21. In arce Neüensteiniensi Comitissam Sophiam Hohenloicam Merulam caveæ inclusam habuisse, scribit *Gockelius in epist. de mirabil. quorund. animal.* quæ quotidie ad prandium & cœnam famelica humanâ voce jusculum petiêrit clarè proferendo: Sophele Supp essen. Famulum item & Rhedarium Georgium stultum & insipientem ac si ipsa saperet, pronuntiâsse dicendo: Narren-Jörg / Narr.

Turdus saxatilis mire vocalis.

22. Turdi saxatilis meminit *Hierem. Drex. in aurifodina*, quæ domus psalteria non minus hyeme quàm æstate hilaris continuabat, mediis etiam sæpe noctibus audita. Cantilenas iterabat non agrestes, sed quas à domesticis fuit edocta, fidium ærearum organo, dum ludebatur in illo, manubriis quandoque insidere, attentissimè modulos excipere, quandoque suos interponere, nonnunquam sola symphoniam pertexere, atque æmulari paulò ante auditam symphoniam, & eâ quidem ratione aliquot cantilenas ediscere. Cum etiam domûs familia ad prandium accumberet, illâ sæpius apertâ caveolâ evagandi libertatem accepit; hic ei primus volatus ad patremfamilias fuit, cujus vel humeros, vel etiam digitos cantillans insedit. Ita demum sylvestrem exuit naturam, ut reserata caveâ, patulis quoque fenestris & januâ nunquàm fugam meditari visa fit.

Calandra loquax.

23. Narrat *Schottus Mag. natur. part. 2. lib. 1. cap. 4.* Romæ Patrem quendam Dominicanum in cœnobio ejusdem Ordinis *La Minerva* dicto, Calandram caveæ inclusam

inclusam in suo habuisse cubiculo, quæ ità instructa erat, ut Litanias Sanctorum quasi humanâ voce pronuntiaret, & multa alia garriret summâ spectantium atque audientium admiratione, ut si non apparuisset, nullus sibi persuadere potuisset avem esse, quæ verba humanis ita similia pronuntiabat.

Sturni loquaces. 24. Constat & Sturnos omnium avium cantus & voces imitari & iis illudere posse. Ita *Plinius etiam lib. 10. Hist. natur. cap. 42.* scribit.: *Habebant & Cæsares juvenes item sturnum, luscinias græco & latino sermone dociles: præterea meditantes in diem, & assiduè nova loquentes longiore etiam contextu.*

Lusciniarum colloquium. 25. De admirando quodam Lusciniarum colloquio *Ratisbonæ* ad Ann. 1546. cùm illic commitia tractarentur Imperialia, notissima passim apud diversos Authores legitur historia *ex Aldrovando lib. 18. Ornithol.* quæ tamen quia fabulam magis sapit, quàm veritatem, his inferere nolumus. Videatur *Schott. loco proximè citato. Bonav. Baro in Natur. mirac.* & plures alii.

CAPUT X.

Mirabilium Eventuum ex Avibus Indicia, prognostica sive Auguria.



Veteres olim ex Avibus, earum cantu, & volatu sumpsisse futurorum eventuum prognostica, ex multis patet Historicis. *Alexander ab Alexandro Genia. dier. lib. 5. cap. 13.* præcipuos, qui ex avibus omnia observârint, scribit fuisse Cares, postea Arabes, Phryges, Cilices, Piscides, Pamphilios & Gallos: Avium enim, ut ait, cantus & volatus religiosè observârunt, ex quibus vera auspicia ominati sunt, quibus observatis haud secus, quàm ex Oraculis eventa rerum & negotiorum præsumpsêre. Licet verò hæc ipsa magnâ potissimùm nitantur vanitate; ex insueto tamen avium conspectu & certâ quâdam operatione insuetorum quoque & insolitorum eventuum quædam indicia fuisse data, variis jam declarabimus exemplis.

§. I.

Bonorum & lætorum eventuum ex avibus indicia.

Semiramis ab avibus feliciter educata. 1. *Semiramis* circà Syriæ stagnum, ut *Diodorus lib. 3.* refert, cum exposita esset infans, ab avibus diu alita & educata fuit, magno felicitatis præsagio: ut quæ mox sublata à pastoribus post varios casus regia conjux fieri, & latè imperitare meruerit.

2. Gordium, ut scribit *Alexander ab Alex. lib. 3. cap. 31. & lib. 5. cap. 13.* dum conductis bobus agros coleret, aves omnis generis circumvolitantes illum ex infimâ fortunâ ad summum honoris culmen processurum ostenderant.

Aquila Tarquinio regnum præsagit. 3. Aquilam memorat Idem *Alexander Tarquinio Prisco* pileum detraxisse in sublimi, deinde capiti reposuisse, regnum ominatum ferunt. Sicut *Aristander* Aquilæ augurio Victorem *Alexandrum* prædivinavit. Rursus correptum jaculum è manu satellitum abstulisse & in profundum dejecisse velut prodigiosum ostentum.

Duæ aquilæ Alexandro imperium duplex. 4. In natali *Alexandri* Macedonum Regis Aquilæ duæ præpetes suprà culmen domûs insedetunt, omen duplicis imperii Europæ & Asiæ præseferentes.

Maximino auspicatur Aquila. 5. Nato *Maximo* (qui turbulentissimis Reip. temporibus Imperator electus est à *Senatu*, ut *Maximini* obviam iret crudelitati) quamvis ex humili, & obscuro genere, auspicium dedit Aquila, dum carnem bubulam, & quidem multam in patris cellam projecit, eam denique cum nemo auderet attingere religionis metuiterum sustulit, & in proximum Sacellum *Jovis* Præstitis detulit.

Aureliano. 6. *Aurelianum* adhuc infantem, ut tradit *Flavius Vopiscus ex Gallicrate Tyrio in Aureliano*, fascia cinctam simili ostento sine ullâ noxâ de cunis sustulit & in aram, quæ intra Sacellum fortè sine ignibus erat, deposuit.

Romulo 7. Regni auspicium *Romulo* allatum ab Aquilis ex *Ennio* docet *Cicero lib. 1. de Divin.* Agonem verò ab Aquilâ demonstratum ad Regni culmen evectum docet *Plutarchus*.

Albino. 8. *Albino* vix nato, dum in natalitio convivio nomen inderetur, septem Aquilæ parvæ allatæ sunt, quæ cunas pueri circumsteterunt, omine à patre ad altiorem dignitatem indè capto.

Octavio Augusto. 9. *Octavio Augusto* puero, & ruri in nemore prandenti Aquila ex improviso advolans panem è manibus eripuit, moxq; altissimè evolavit, ac paulò post rediens eidem restituit, *Xiphilino*, *Suetonio*, ac *Dione* testibus.

Marciano. 10. *Marciano* decumbenti in terra Aquila expansis alis umbram fecit, & virum divinum atque imperio dignum demonstravit. Item contigit *Basilio* Macedoni, ut testatur *Zonaras*.

Lecho I. Polonorum Regi. 11. Narrat Martinus *Cromerus lib. 1. de reb. Polon. Lechum* I. Polonorum Ducem nidum aquilarum invenisse, ibique Ducatus & gentis præsidium, ac quasi arcem construxisse vocasseq́ue Gnesnam in nido, quem Bohemi Gnisdo vocant: Unde etiam hunc usq; diem Regis & Regni Poloniæ insignia gentilitia sunt Aquila alba expansis alis hiante rostro.

Galbæ. 12. *Galba*, ut primùm Consul cum fascibus forum ingressus prætervolans aquila dextero confidens humero imperium indicavit, ut testatur *Suetonius*.

Hieroni. 13. *Hieroni* Siculo admodum adolescenti privatæ homini vitæ primum bellum ineunti Aquila in clypeo resedit, & ita regem aliquando futurum præmonuit. *Aldrovand. Ornithol. cap. 1.* de Aquila.

14. *Ægon* rex designatus fuit ab oraculo, quod aquila se cœlo demittens ejus, qui rex futurus, ædes sit insessura: quod ad *Ægonis* ædes factum. *Plutarch. orat. de fort. Alex.*

Liviæ. 15. *Liviæ* cum recens *Augusto* nupsisset per Vejentanam villam suam eunti, aquila in gremium ejus, gallinam candidam in ore lauri habentem ramum demisit in bonam partem augurio accepto, cum curari diligenter gallinam jussisset, magnus ex eâ candidorum pullorum numerus provenit: plantatus quoque lauri ramusculus ingens lauretum protulit, ex quâ sylvâ postea observatum fuit, ut triumphaturi laureum sumerent, quem manu in triumpho gestabant, peractoq; triumpho restitutus ramus plantaretur, radicesque mitteret. *Sueton. & Plinius lib. 15. cap. ult.*

M. Antonio. 16. Ut *Sabellicus* refert *lib. 8. Enn. 6.* cum in Philippeis campis *M. Antonii* & *M. Bruti* starent acies in procinctu signum certaminis exspectantes: Duæ Aquilæ, magno alarum clangore ex adverso conflixerunt rostris sese, infestoque volatu incessentes. Suspendit id ostentum utrumque agmen in præsentis pugnæ eventum: Postremò quæ ex Antonii plagâ stetit valide adversam volucrem fugavit. Quo nomine Antoniani in spem certam victoriæ erecti sublato clamore in hostem decurrerunt. *Dione* teste *lib. 43. Cæsari* contra *Pompejum* dimicanti victoriam nuntiârunt Aquilæ.

Vitellio. 17. Antequam ad *Bebriacum* haud longè à Brixellâ *Otho* atque *Vitellius* manum consererent, conspectæ sunt in cœlo inter se duæ Aquilæ dimicare, earumque victricem à tertiâ, quæ ab Oriente veniebat, depelli. Sic Imperii sors ostensa fuit. Siquidem victorem in prælio Vitellium revertens ab Oriente *Vespasianus* superavit. Ita *Suetonius*.

Othocaro Bohemorum Regi 18. Eo prælio, quo *Othocarus* Bohemorum Rex sedecim millia *Belæ* Ungarorum Regis prostravit ad Teysam fluvium, qui Austriam à Moraviâ dirimit: tunc cum acerrimè præliaretur, visam Aquilam nive candidiorem ferunt, quæ supra vexillum *D. Wenceslao* consecratum, in cujus nomine læsum pæana Bohemi pro more cecinerant, placidè volitabat, sensimque per incrementa alas extendebat, donec totum Bohemorum exercitum amplecteretur. Ipse tamen Rex sine ullâ ostentorum commemoratione in Epistolâ, quàm ad Urbanum Rom. Pont. dedit, Soli Deo Opt. Maximoque acceptam retulit victoriam. *Dubravius lib. 17.*

19. Anno 1595. cum Dux *Sigismundus* Transylvaniæ Princeps copias adversus *Sinanem* Bassam Turcicum educeret, arcemque Tergovistam obsideret, Aquila ingens de vicinâ rupe per aerem delapsa in illius tentorio resedit, seque capi à militibus permisit. Quæ res secuturæ mox victoriæ fugati Sinanis & expugnatæ arcis non leve exercitui augurium fuit *Ant. Privat. in sua Pannon. historia.* Sigismundo contra Sinanem.

20. Aquilas præter morem in Turciâ visos ante præsens hoc bellum Turcicum, quod etiamnum cum juratis illis Christiani nominis hostibus durat, & prosperos Christianorum successus prænotâsse, literæ Orientis nuntiârunt.

21. Noctuæ volatus apud Athenienses victoriæ semper fecit auspicium, ut tradit *Alexand. Genial. dier. lib. 5. cap. 13.* Quod avis hæc *Minervæ* sacra crederetur. Inde etiam *Zenodoto* & *Suida* testibus, rebus feliciter & ex animi sententiâ succedentibus dici consuevit: *Noctua volat. Plutarchus* quoque tradit, *Pericli* è superiori navis tabulato concionanti noctuam ad dextram advolâsse, ac malo insedisse; quod omen effecit, ut omnes irent in illius sententiam. Noctuæ volatus felicitatis auspicium.

22. Agrippa referente *Josepho lib. 18. cap. 8.* cum Romæ à Tiberio Imperatore in vincula conjectus, inter alios vinctos staret ante regiam incumbens præ mœrore in quandam arborem: advolavit aliquando bubo, & in ea ipsa consedit arbore. Advertens hoc unus è vinctis & accedens eidem sequentia prædixit. *O Juvenis! contristat te quidem tam repentina & improvisa fortunæ mutatio; nec facilè credes prope esse effugium sic consulente rebus tuis providentiâ. Fiet brevi ut mutatis rerum vicibus ad amplissimam dignitatem, simul & potentiam pervenias usque ad eorum invidiam, quibus nunc videris miserabilis. Memento autem quando hanc alitem denuò videris, quintum ex eo diem fatalem tibi futurum.* Verus hic fuit Vates, nam post sex menses Tiberius periit, cui successit Cajus, qui Agrippam Regem fecit. Bubo Agrippæ capti libertatem & regnum præsagit.

23. Turtur aliquando Bavaros teste *Aventino lib. 5. Annal. Bojor.* contra Ungaros durâ obsidione se prementes animavit, ut portis catervatim erumpentes hostem profligârint. Turtur

24. Testatur *Eusebius lib. 6. cap. 29. Fabiani* Episcopi, dum eligeretur, vertici repentè & de improviso columbam insidentem omnium movisse animos, ut Episcopum divinitus monstratum agnoscerent. Similiter *Joannis Angeli* Cardinalis Medicæi sedem in conclavi columba circum liberè obvolitans, ac tandem in eâdem considens, Summi Pontificatûs honorem præmonstravit, qui deinde Pius IV. dictus est. Ut *Ascan. Capricorn. in Ann. Ital.* refert. Columbæ.

25. In

25. In memorabili illo ad Lipsiam prælio, quod inter *Gustavum Adolphum* Sueciæ Regem & Cæsarianos commissum est, observârunt plurimi, ut recitat *Scheffe-rus lib. memorab. Suet. gentis cap.3.* cum jam esset acies utrinque disposita, impetusque fieri deberet, in militari signo Sueticorum consedisse columbam, eandemque paulò post universam illam aciem circumvolitâsse: & victoriam Suecis designâsse.

26. Anno 1683. die 12. Septembr. cum Turcæ ab obsidione *Viennæ* feliciter per confœderatorum Imperii Romani copias propellerentur, læti eventûs omen ante conflictum columbam in aere obvolitantem dedisse perhibetur.

Falco. 27. Falconis augurium tam auspicatissimum, ut scribit *Alexander loc. supracit.* Thuscis fuit, ut viso augurio Capuam in solo felicissimo condiderint.

28. Dario ut *Idem* inquit *ibidem* Accipitrum visio duo vulturum paria vellicantium omen fuit, quod è conjuratis sumpto supplicio haud multò post Persarum regno potiretur.

Luscinia. 29. Luscinla, refert *Idem*, quæ in ore *Stesichori* infantis cecinit, talem illum futurum designavit, quantus postea fuit.

Cantus gallinaceorum. 30. *Themistocli* pridie quàm in *Xerxem* duceret exercitum, auditus Gallorum cantus victoriæ mox futuræ prænuntium fuit; idque ideo quod victus nequaquam canit; Victor verò obstrepit & murmurat. Quin etiam ducens exercitum gallinaceorum pugnam ostendit, & ad patriæ defensionem milites adhortatus est. *Plutarchus in Temistocle.*

Aves quæ naves prænuntiant. 31. In Zingala Orientis Insulâ, uti memorat *Christoph. Schweiger in suo itiner. Orient.* aves quædam nocturnæ reperiuntur, quæ noctu, dum cantant *Navi, Navi*, Lusitani ex hoc cantu conjiciunt brevi naves aliundè adventuras.

Ingens anatum & anserum copia in Croatia. 32. Anno 1587. mense Decembri in Croatinis finibus ad Wihizium Caroli Archiducis Austriæ castrum, quasi nubes quædam Anatum & Anserum aliquot fanè myriadum advolavit, seque in stagnum proximum dimisit: ubi noctu ingens strepitus pugnantium inter se volucrum in totâ illâ viciniâ sese mutuis conficientium vulneribus auditus fuit. Egressi postridiè milites, cives, agricolæ tantam & Anatum & Anserum copiam ad fumum & ad aerem exsiccandorum congesserunt, ut diu tam opimâ commodè victitaverint prædâ: Alii siquidem 100, alii 200, plures alii, paucioresque collegerunt. Tandem è prato quodam spatiosissimo superstites sublatis alis avolârunt. Ita *Leonclavius in supplem annal. Turcic. Nemoperegrinus* breviter hoc Anserum certamen ad præfatum annum describit ità *Decembris*, inquit, *initio in pago Wibitz anserum numerus supra 100000. æstimatus cum nebulâ spissa advolans in stagno proximo, & Unna flumine consedit: qui postmodum mutuo certamine tot reliquêre cadavera, ut accolis diu in alimentum salubre servîerint. Leonclavius* addit, sub finem anni Croatinis in finibus aliquot millia Turcorum à Nostris numero longè imparibus fuisse cæsa, & inter eos Bassæ Bosnensis fratrem. Anno quoque sequenti mense Februario Nostros *Copanium* arcem non procul sitam, lacu *Balatone* tunc temporis congelato cepisse. Item Mensis Augusti die 8. *Georgium Serinium* Comitem cum alis cis-Danubiani limitis custodibus Turcos non absque ingenti prædâ suprà *Carzerolacum* ad unum à Canisa milliare vicisse & profligâsse captis & cæsis hostibus circiter 5000.

33. Onocrotalum *Culmannus Geppingensis in ep. ad Gesner.* scribit in omnibus expeditionibus circà Annum 1509. Maximiliano Romanorum Regi præcessisse, ac castris quasi locum signâsse. Quamobrem ea avis mansuetissima in aulâ Cæsaris, quam ipsa sibi visa est, elegisse boni ominis spe debito victu multis annis sustentata est. Onocrotalus.

§. II.

Malorum & tristium eventuum ex Avibus indicia.

1. Referente *Plutarcho in Trisimacho & Cælio lib. 13. cap. 20. Antiq. lect. Amphiarai* hastam bello Thebano abreptam Aquila in altum sustulit, moxque dimisit. Ea terræ impacta lauri speciem præbuit veram. Insequenti die hostibus ibidem acri prælio congredientibus terræ hiatu repentino haustus Amphiarus cum curru periit. Ubi loci Harma Urbs ædificata est. Aquila male ominosa Amphiaro.

2. Aristotimo Eliensium Tyranno decumbenti antequam à civibus interficeretur; aquila lapidem ingentem sustollens supra tecti partem, ubi cubabat, dejecit: vindictam, quam cives contra ipsum sumpturi erant, præmonens. *Plutarch. de mulier. virt.* Aristotimo.

3. Ante primum bellum civile Passer cicadam discerpens & partem in æde *Bellonæ* relinquens cum altera parte avolans *Romæ* belli civilis augurium fecit, ut tradit *Plutarchus in Syllâ.* Passer belli civilis indicium.

4. Pridie Idus Mart. avem Regaliolum, ut memorat Suetonius, cum Laureo ramulo Pompejanæ curiæ se inferentem volucres varii generis ex proximo nemore persecutæ ibidem discerpserunt: Sequenti die interfectus *C. Jul. Cæsar.* Mors Julij Cæsar per aves indicata

5. Triumvirali tempestate cum *Augustus* atque ambo Collegæ cum omnibus copiis *Bononiæ* convenissent, Aquila tentorio ejus insederat. Eam gemini corvi dextrâ lævaque perstringere cœperunt. Illa resistens utrumque prostravit. Communis omnium militum id spectaculum intuen- Dissensio ab avibus indicata.

intuentium sententia fuit inter tres scilicet Duces, qui tunc unanimes viderentur, dissensionem emersuram & collegarum finem. Victum enim *Lepidum* relegavit Augustus, mori verò coegit *Antonium. Zonaras.*

Augurium ab aquilarum copia. 6. Cum è Scythiæ sedibus Hunni emigrantes Pannoniam patriam repetituri sub Amadocis & Peucinis montibus defatigati substitissent, & de incolendis iis locis fortè decertarent: tanta è montibus teste *Bonfinio lib. 9. Dec. 1.* aquilarum multitudo delata est, ut non solùm equos & pecora cætera unguibus rostrisque peterent, verùm etiam epulas è mensis eriperent. Quo quidem augurio stativa movere persuasi in Transylvaniam penetrârunt.

Aves Aquilejæ direptionis causa. 7. Aquilejam obsidens *Attila* cum desperatâ expugnatione obsidionem solvere haberet in animo, oblato auspicio perstitit. Quippe ciconiam quandam pullos suos è turri subinde mœnium exportantem & contra morem suum in agrum deferentem notavit. Quod visum ille continuò militibus abire parentibus indicavit, Aquilejenses crebris demùm eruptionibus fusi & rei frumentariæ penuriâ ad summam difficultatem adducti, atque omnibus deniq; malis usq; ad desperationem afflicti, ut minore cum periculo ex urbe excederent, sub noctem ligneas statuas armatas in stationibus murorum ad decipiendos inani defensorum specie hostes disposuerunt, atque inadvertente *Attila* à parte ad mare vergente evaserunt. *Attila* verò postquam luce exorta aves hastis capitibusque armatorum in muris consistentium hærere securas ac sine metu conspexit dolum agnovit & exercitui signo dato ad invadendam Urbem vacuam mœnibus scalas admovit, ac statim eam partem, in quâ nidus Ciconiæ hæserat, suâ sponte labentem animadvertit, sicque Urbem absque ulla vi resistente occupavit.

A Corvis malum augurium. 8. *Valdemari* Regis Danorum exercitum ad bella progredientem integri Corvorum greges intervolâsse produntur, ut complures se erectis militum hastis feriendos objecerint. Victus ab eo Sueno Rex Suecorum & totus ejus exercitus corvorum laniatui objectus augurii declaravit eventum. *Olaus M. lib. 3. cap. 13.*

9. Notat etiam *Alexander ab Alex. Genial. dier. lib. 5. cap. 13.* de Corvis sequentia. *Corvus pullos devorâsse, reliquiasque in nidum detulisse, dissidium inter* Syllam *&* Marium *quàm plurimo sanguine pugnatum designavit: Corvos quoque aurum corrosisse velut dirum malique portenti procuratum fuit. Eædem quoque aves involantes obstrepentesque Alexandro Babyloniam ingressuro, & Ciceroni imminens periculum, extremasque ærumnas præmonstrârunt. A Dextrâ tamen corvus, & à sinistrâ cornix, vel Picus spem non ambiguam, & rarum auspicium fecêre.* Ità *Alexander.*

10. Argesilao regnum tenente, ut Author est *Herodotus lib. 4.* candidus corvus apparuit, de quo grave responsum ferebatur. Et mox ad Democratiam status civitatis recidit. *Bessus* cum ad Hesperides decessisset, occisus est.

11. *Alexandro M.* Gazam oppugnante corvus supervolitans cespite sive glebâ quadam supernè dimissâ Alexandri humerum percussit; inde in turre bitumine oblitâ sedens, implicitis tenaci materiâ alis, captus est. Id intuitus *Aristander* vates, fore dixit, ut Urbs brevi caperetur, verùm periculum esse, ne Rex eo die vulnus aliquod acciperet; quod utrumque contigit. *Sabell. lib. 4. Enn. 4.* Corvus Alexandro M. vulnus indicat.

12. *Cælius Pontius*, cum ei jus dicenti picus supra caput insedisset, & aruspices respondissent demissâ ave hostium victoriam fore; necatâ Reipublicæ; moriturum tamen eum, qui oppressissent; ipsam statim exanimavit. Ex quo accidit, ut ipse eum quadraginta alis Cæliis interficeretur. *Volat. lib. 14. cap. 2. Antrop.* Picus præsagus.

13. Prope *Leodium* Galliæ urbem, paulò antequam orta de urbis Episcopatu contentione ab eo, cujus partes Burgundionum Dux *Joannes* fovebat, adversa pars superata est cæsis utrinque 30. millibus. Eo verò in loco, ubi prælium commissum est, corvi impetu facto falconem nido effractis ovis expulerunt. Postero die reversus falco, qui pulsus fuerat, magno aliorum falconum numero comitante, corvis quoque ex adverso magnum in numerum coactis grave prælium commisit: in quo superati corvi ad unum omnes periêrunt: Id circà Constantiensis Concilii tempora contigisse refert *Fulgosus lib. 1. cap. 4.* Corvi falconem nido expellentes.

14. *Almadel*, ut citat *Corn Agrippa phil. occult. lib. 1. cap. 54.* Bubones & Nycticoraces, cum ad insolitas regiones, mansionesque divertunt, indicio esse dicit earundem regionum & ædium homines morituros; propterea quod aves illæ delectantur cadaveribus, eaque præsentiunt morituri aut homines jam potestate cadavera sunt. Bubones & Nycticoraces.

15. Notavit *Alexander ab insulâ* ad An. Chr. 1119. illo die, quo ignis cœlitùs delapsus circa Vesperam Civitatem *Corbejam* funditùs delevit, vespertiliones gregatim per aream, templum, dormitorium & pomarium Cœnobii ipso meridie magno strepitu circumvolâsse. Vespertiliones incendium præsagiunt.

16. Meminit *Christian. Franc. Paullini in observ. Medico phys. Ann. 6. Decur. 2. Ephemerid. Germ. Cur. annexis observ.* 58. Abbatis cujusdam Ord. S. Bened. retulisse eum ciconias in monasterio suo nidulantes, pridie quàm illud Anno 1629. die 27. Junii flammis cederet, frequentiùs ad ripam fluminis volâsse, haustamque aquam ad parietes & tecta templi reovmuisse, jam in areâ, mox in vertice Ecclesiæ etiam nocte multum glotterantes. Ciconiæ incendii vates.

17. Me-

Cygni. 17. Memorat *Idem ibidem* Nobilem Mecklenburgensem arcis suæ cineres præscivisse ex insolito ac perpetuo ferè Cygnorum, quos in stagno alebat, murmure, stridore & mutuâ pugnâ; hos etiam, cùm in flammis crepidaret ædificium, eas restinguere visos esse.

18. Ex Relationibus quoque publicis Anni 1685. die 17. Nov. constat in magno illo incendio Hafniensi duos semper olores circumvolitâsse, & volatu gyrisque suis quasi limitem Vulcano posuisse, quousque domaretur.

19. *In Chronico Walkenriedensi* Clariss. *Eckstormii* inter alias quoque memoratur per totam noctem, antequam altera die arx ad Hercyniam igne periret, gallos in castro & viciniâ perpetuò cantâsse, ità ut vix per horæ quadrantem cantum abrumperent. Galli perpetuò cantantes.

CAPUT XI.

Mirabilia varia Miscellanea circa Aves, & quæ ad ipsas pertinent.

§. I.

De Ovis mirabilia quædam miscellanea.

Felis excludit ova. 1. INter mirabilia meritò reputari debet, quod in *Breviar. rer. memorab. Isibordi ab Amelunxen* & *Alexandri de insula num. 21.* refertur de fele anatis ova excludente, his verbis. *Anno 1091. Anas molitoris nostri in remoto stabuli angulo novem posuerat ova solito more ea exclusura, ni à petulantibus pueris ob capturam piscium indimola, ipsi operi intenta ocyùs fuisset occisa. Interim felis domestica nescio quo casu nidum anatis infestigat, obque commoditatem loci & murium copiam, quos ibi poterat venari, habitaculum ibi seligit, di noctuque ovis incubans: Stato tempore prorumpunt pulli benè conformati, felinæ tamen indolis. Nam pusilli adhuc musculos cupidè vorabant, adulti autem majoribus insidias struxêre præsertim aquaticis. Felis mater summo mane eas ad pastum educebat gregem præeundo, & dum pulli in aquâ hærerent, ipsa ad littus cubans canes, hominesque prætereuntes quasi in rabiem acta invadebat aut arcebat. Serò demùm vespere in hospitium suum reducebat.* De Cane quoque ova excludente Consule *Cynograph. Franc. Paullini S. 11. memb. 3. cap. 2. §. 1.*

Pullorum ex ovis exclusio mirabilis. 2. In Ægypto gallinarum ova, ut excludantur pulli, vel defodi in fimo terrâ obruto vel fornacibus Cairinis indi constans est assertio plurimorum. Syracusis potatorum quendam ovis sub storeâ humo stratis tamdiu potare nunquam intermissa opera solitum fuisse scribunt, usquedum ova excluderentur. *Liviam* etiam Augustam in sinu exclusisse ovum notavit *Plinius*. De eâdem fertur ovum gallinæ incubanti subtraxisse, subductum nunc sua, nunc ancillæ manu tamdiu fovisse, donec pullus excluderetur.

3. Author est *Florentinus* in Alexandria illâ, quæ ad Ægyptum spectat, gallinas quasdam Monosiras dici, ex quibus pugnaces oriuntur galli, quæ bis aut ter incubent post absolutionem scilicet pullis suis subtractis, seorsumque nutritis. Ità contingit, ut una gallina 40. aut etiam 60. pluresque unico incubatu excludat.

4. De Gallis oviparis multa constant exempla, estque communis opinio ex ovis illis basiliscos excludi. Ovum ejusmodi scitè describitur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 5. Observ. 212.* cultello scriptorio in orbe ligneo divisum, inventumque liquorem, vitello tamen destitutum, in viscositate albumini ordinario non multùm dissimilem, eo tamen paulò obscuriorem: In centro verò ovi compertum fuisse vermem quadrupedem coloris nigri & quoad figuram lacerto parvo similem cum caudâ inter pedes inclusa, quæ postea ab astantibus ope cultelli separata & ad posticam partem translata fuit. Hoc porrò ovum posteà dum unà cum orbe ligneo in culinâ Vulcano consecratum fuit, flammam varios induisse colores, & abominabilem fœtorem excitasse memoratur ibidem; Gallum demùm etiam, qui septimum jam agebat annum, è vivis ablatum fuisse, ne pariendo alia ova, alia pareret incommoda. Mira etiam virulentia ejusmodi Galli gallinacei ovipari refertur *Ephem. Germ. Curios. Decur. 2. Ann. 1. Observ. 145.* in quo scilicet *Grünbergæ* Silesiorum Anno 1682. mactato tanta extitit malignitas, ut non solùm illa fœmina, quæ occisionem peregerat, subitaneis animi deliquiis & vertigine fuerit correpta, sed etiam gallinæ ipsæ sanguinem ejus gustantes, alterâ die exspirârint, imò & canis, qui has plumas in fimeto degustâsset, in rabiem protinus fuerit redactus. Sed de ejusmodi Gallis oviparis & eorum ovis videatur, *Oologia curiosa Oribasii.* Galli oviparì.

5. Anserem masculum in pago *Walpen* non procul *Günsburgo* Ann. 1683. rotundum ferè peperisse ovum, in quo vitellus nullus, parvulus tamen vermis repertus fuerit, memoratur in *Scholio ad Obs. 212. suprà memoratam.* Anseris masculi ovum.

6. Ovorum partum etiam per incantamenta & veneficia mirabiliter procurari, lepidissima simulac verissima hac comprobatur historia, ut ea refertur *in Schol. Obs. 117. Ann. 8. Dec. 2. Ephem.* his verbis. *Cum Ann. 1675. Wismariam (quam eodem Triumphator* Ovorum partus mirabilis per incantamenta & veneficia.

phator expugnabat anno) oppugnâsset Potentissimus Danorum Monarcha Christianus V. quæstum sibi sine magno instituit impendio fœmina rustica è plurimis, quæ in castris vendidit, ovis: hoc cùm suboluisset militi lucro inhianti consimili, sensim in hujus villicæ amicitiam se insinuavit, exploraturus, ecquid hæc suis faceret Gallinis, quæ longè minorem, quàm pro numero ovorum, gesserunt speciem. Tandem ubi observâsset easdem singulari quadam escâ pastas crebris singultibus interjectâ voce acutâ totam opplere domum & ova sine intermissu edere: Pellectus nescio quo sive visûs, sive olfactûs, sive cœci cujusdam impulsûs illicio aliquid è conditiis hisce furtim devoravit cibariis. Nec mora: Quid de se factum esset, nesciens Avarius, ipsemet ova ponere cœpit. Miser iste æquè infelix ac curiosus inexspectatis delusus technis veneficæ huic supplicare coactus est, ut ab alvo sua oviparum redimeret maturè supplicium. Similem historiam recitavit mihi aliquandò Assessor quidam Judicii civilis *Herbipoli D. Franciscus Gervinus Hartman*: Ubi in judicium adducta mulier Tuberana fuit, quæ singulari quodam pane gallinis objecto ovorum complurium partum ex iis procuravit. Hoc porrò etiam pane vicinæ fœminæ dato, ut tentaret artificium, cùm supervenisset vir, ut panem suo meliorem probans comedisset, haud diu post ventris dolores advertens, cùm secessisset naturam levaturus ingentem ovorum gallinaceorum cumulum exclusit. Persimilem etiam historiam allegat ex *Stengelio Frommanus de fascinatione magicâ.* De Cane oviparo Consule *Obs. 250. Ephem. Decur. 1.*

Ovum alio prægnans ovo. 7. Ovum alio prægnans ovo à curiosis Naturæ inspectoribus fuit in diversis observatum locis. Tale se vidisse testatur *Harveius Exercit. 11. de generat animal.* Perexiguum contentum scilicet intrà aliud gallinæ ovum majus perfectum & cortice circumcircà obtectum, quod Serenissimo Angliæ Regi *Carolo* multis aliis coram inspectantibus fuit exhibitum. Aliud etiam ovum alio prægnans ovo rusticus quidam ostendit *Thomæ Bartholino*, ut refertur *Ephemer. Germ. Cur. Anno. 1. Dec. 2. Obs. 36.* Habuit verò interius ovum litui figuram. Tale quoque ovum alio prægnans servari in Technicothecâ Daniæ Regis, idem scribit *Bartholinus.* Gallinam quoque in regno *Araan* aliquandò insolitæ molis ovum alio prægnans exclusisse testatur *Cleyerus.*

8. Monstrum adducit *Ambrosius Paræus demonstr. lib. 24. cap. 2.* quod *Augustoduni* in ædibus *Dancheronis* Causidici inventum, dùm ancilla ova multa frangeret butyro incoquenda, in medio, intimoque ovo repertum, monstrum, facie quidem humanâ sed capillitio colubris undique horrente, & cui mentum tribus aliis colubris velut barba vibratis germinavit, quod Regi *Carolo IX.* Metis agenti transmissum fuit. Testatur etiam *Jo. Faber Lynceus expos. in Nard. Recchum, Romæ* in diversis ædibus, & temporibus cocta & aperta ova, durum unum, alterum, molle & sorbile & in utroque Scorpionem inventum esse, in hoc vivum, in altero mortuum. *Aldrovando* etiam in ovo vermis monstratus est, qui piscis formam exhibuit.

9. Ova in tenebris lucentia describit *Clarifs. D. Christ. Francisc. Paull. in obs. Medico-phys. Anno 6. Decur. 2. Ephem. annexis n. 26.* scribit etiam *Albertus M. lib. 2. in anim. tract. 3. cap. 12.* de ovo gallinæ lucente. De pluribus ovis Solis imagine insignitis & flammulas de se spargentibus à diversis gallinis *Ulmæ* exclusis videri potest *Observ. 128. Ann. 6. Dec. 2. Ephem. Germ. Cur.* Ova lucentia in tenebris.

10. Anno 1679. die 14. Sept. Bataviæ in Javâ Majore Indorum teste *Clarifs. D. Cleyero*, ut videre licet *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 1. observ. 16.* exclusit gallina ovum ordinariæ magnitudinis exteriùs versùs apicem in testâ figuram serpentis exactissimam cum omnibus corporis partibus præsentans. Figuram quoque flagrantis cometæ Anno 1680. in ovo, quod à gallinâ *Romæ* in Decembri fuit exclusum mirabiliter expressam refert *Zodiacus Medico-gallicus Anno 1681. Mense Febr. obs. 8.* Ovum etiam cum Eclipsi in testâ adumbratâ aliquando exclusum fuisse constat. Figuram humanam quoque in ovo Gallinaceo repertam *Zodiacus Medico-gall.* declarat *Anno 1681. obs. Mens. Septemb.* Plura alia magis curiosa & mirabilia inveniet Lector in *Oologia curiosa Rosini Lentilii*, qui omnem de ovis sciendi materiam optimè pertractavit imò pene exhausisse videtur.

§. II.

Mirabilia quædam alia miscellanea de Avibus recensentur.

1. Admirationem comprimis maximam meretur Convivium illud lautissimum æquè ac rarissimum, quo *Carolus V.* (ut ex *P. Vivero* se didicisse scribit *P. Engelgrave in cœlest. Panth.*) *Franciscum* Galliarum Regem *Madriti* excepit, dum centum lances argenteas mensæ ejus inferri jussit non nisi cerebellis avium refertas; alias insuper centum aureas totidem porcellanas omnes cerebellis avium instructas. Mensis denique remotis Regem per duodecim conclavia deduxit harum omnium volucrum plumis convestita. Convivium Francisco Regi Galliæ ex cerebellis avium paratum.

2. Author est *Lampridius Heliogabalum* sexcentorum Struthionum capita unâ cœnâ multis exhibuisse ad edenda cerebella. *Aulus Vitellius* teste *Suetonio* summas mensarum cupedias exstruebat, quæ de meris Phasianorum & Pavonum cerebellis, Psittacorum linguis, Murenarum & Lampredarum lacte constabant.

3. Res mira est, imo stupenda, quam ex *P. Drexelio* refert *P. Engelgrave Luc. Evang. p. 1. Dom. 2. Advent. Fuit*, inquit, *Anno 1518. Princeps Sacri Ordinis, qui talarem tunicam habuit suffultam plumis, quas* Tunica talaris ex capitellis acanthium.

pellio

pellio è carduelium seu acanthium capitellis opere prorsus incredibili confecit. Benè etiam subnectit. Heu quot centuriis, quot millibus avicularum ad unam hanc togam convolandum erat? Nimirùm ut unicus homo ad insanam varietatem vestiretur, tot avium turmæ & vitâ & vestibus erant spoliandæ.

Aves quæ nidos edules miri saporis construunt. 4. Admirandum valdè est, quod recenset *Kircherus Chin. illust. part. 4. cap. 8.* de miris quibusdam volucribus & earum nidis edulibus. *Conchinchinam inter & Hainan insulam*, inquit, *tractus quidam Oceani non procul à littore Sinico scopulis magnis, parvis, minimis confertissimus reperitur, intrà quos aquarum æstus horrendis fluctibus collisus cavernas & angiportus rupium tanta spumosorum voluminum coacervatione exagitatur, ut formidinem spectantibus proculincutiat. Intrà meditullium harum rupium in vere constituto illis à Naturâ tempore aviculæ quædam incognitæ, quas alii passeribus, alii hirundinibus similes esse perhibent innumerabili multitudine, undè nescitur, adveniunt, quæ hirundinum instar mox littori insistentes nidos ædificant, quos rupibus istis singulari artificio affigunt, quali ex materiâ, hucusque incompertum fuit, atque hisce ovis pullisque exclusis denuò aliò avolant relictis in nautarum potestate nidis, qui integras naves iis onustas Chinæ & Japoniæ in mensarum delicias divendunt.* Hos porrò nidos ex oculari inspectione observatos (quoniam tres se in musæo suo asservasse memorat Idem *Kircherus*) ità describit. *Nidi sunt quasi diaphani subflavi coloris, nescio ex quo aromaticâ compositione hucusque incognitâ elaborati, tali autem proprietate à naturâ imbuuntur, ut cuicunque cibo sive ex piscibus, sive ex carnibus herbisque parato misceantur, iis fercula miri saporis gratiâ condiantur.* De materiâ horum nidorum loquens, ait, illam aviculas aliundè non portare: *Sed materiam viscosam ex stomacho, visceribusque putantur eructare, quam rupibus affixam in nidum efforment, & quia humido opus habent, mucilaginoso quodam liquore ad scopulos spumante (uti à nautis harum venatoribus observatum est) supervolitando & alas & rostrum implent, eoque nidulos ad firmiorem materiæ agglutinatæ consistentiam identidem alarum agitatione aspergunt.* Hæc de verè admirandis istis aviculis & earum nidis. *Kircherus.*

Avium innumerabilis copia circà Britannicas insulas. 5. De ingenti avium multitudine, quæ quotannis in desertis Scotiæ insulis Orientalibus observatur, stupenda refert *Guilielmus Harveus de generat. animal. Exercit. 11.* comprimìs verò de insulâ *Basse* tradit sequentia. *Est*, inquit, *insula parva, Scoti Basse nominant (ex quâ reliquæ nosci possunt) non procul à littore in alto mari sita, abrupto & confragoso clivo editissima (veriùs ut vult, saxum ingens sive scopulus dici posset) haud ampliùs mille passuum circuitu amplitudo ejus clauditur. Hujus insulæ superficies mensibus Majo & Junio nidis, ovis, pullisque propemodum tota instrata est, adeò ut vix uspiam præ eorum copiâ pedem liberè ponere liceat; tantaque supervolitantium turba, ut nubium instar solem, cœlumque auferat, tantusque vociferantium clangor & strepitus, ut prope alloquentes vix audias. Si subjectum mare inde tanquam ex editâ turri, & altissimo præcipitio despexeris! idem quoquoversum infinitis generum avibus natantibus, prædæque inhiantibus opertum videas. Quemadmodum verno tempore stagna alicubi ranis refertissima cernuntur & aprici colles montesque acclives frequentissimis ovium, caprarumque gregibus obsessi eminus spectantur. Si circumnavigando imminentem clivum suspicere libuerit; videas in singulis prærupti loci crepidinibus & recessibus avium cujuslibet generis & magnitudinis ordines innumerabiles; plures sane quàm illuni nocte & sereno cœlo stellæ conspiciuntur. Si advolantes, avolantesque eminùs aspexeris, apum profectò ingens examen credas. Ita Harveus. Hector Boet.* Scotorum Historicus harum quoque avium videtur meminisse dum ait: *Prope Glegornum ad duas leucas rupes est Bassensis, in quâ est arx inexpugnabilis, circa quam magnarum anatum, quas Sollandas vocant, piscibus viventium est mira multitudo. Hæ in vere turmatim à meridie ad rupem de Bass quotannis veniunt, & rupem duobus vel tribus diebus circumvolitantes nidificare incipiunt, & totâ æstate manent, ac piscibus vivunt, & incolæ rupis piscibus ab illis captis pascuntur. Ascendunt enim illarum nidos & ad libitum pisces rapiunt. Ex Bellovadio & Ibuano* de his avibus *Jonstonus in Thaumatographia* hæc recenset: *In æstuario Forthæ est insula Magotia: in hac aves anserum ferinorum specie nidulantur tanto numero, ut præsidiarii centum, qui Castellum Bassum dictum tenent non alio cibo, quàm recenti pisce in horas ab his avibus delato, nec ligno aliunde petito, quàm arborum frustis, quæ nidis illæ construendis comportant, ad frigus pellendum utantur.* De copiosissimo fœtu anatum vel anserum circa insulas Britannicas, ac de diversis sententiis circa eorundem originem consule *Schottum phys. cur. l. 8. c. 21.*

6. In lacu Albo inter *Scricfinnos & Biarmos* ac *Moschos* infinitas avium species habitare tradit *Olaus M. Septent. gent. l. 9. c. 49.* quæ continuum garritum ferè sex mensibus sub clarissimâ luce dierum ac noctium usque ad grave fastidium emittunt. Has aves à consuetâ voce, quam continuò edunt; *Alle Alle* vocari dicunt. In Insulâ quoque *Cologoyâ* infinitum anserum copiam degere scribit *Fournier. Geogr. orb. not. lib. 2. cap. 3.* qui æstate implumes sint. Avium ingens copia in lacu Albo.

7. De rupe quâdam Norvegiæ *Flug-lefang* dicta, perpetuâ aliàs nive obtecta refert *Pet. Claudii in Norvegiæ descript. cap. 16.* quod in ea profunda quædam foramina & fissuræ sint, ubi infinitæ degunt aviculæ albæ, nigræ, virides, flavæ, rubræ, aliorumque colorum, nec capi possint. Avium copia in Norvegiæ quâdam rupe.

8. Admiratione quoque dignum est, quod narrat *Du Valle in Geogr. univers.* inter Indum & Gangem aviculas quasdam commorari, quæ in acie progignant ova sua, in lapsu Aves quæ in aëre excludant pullos.

in lapsu verò, priusquàm terram attingunt, excludunt etiam pullos.

Martinettæ aves.

9. In Hyberniâ, *Cromero* teste, genus quoddam avium reperiri dicitur, quas *Martinettas* vocant. Hæ etiam mortuæ, si suspenduntur, nunquam putrescere: Quod si & in cistas, cum vestibus reconduntur, eas à tineis præcavere perhibentur.

Aves calculo obnoxiæ, calculo medentur.

10. In Italiâ, ac comprimìs in Lombardiâ, & in Romano districtu aves quædam spectantur, quæ ab *Alberto M. in lib. de Sec. Secret. Salone*, à Lombardis verò *Saffaruoli*, Romæ *Palombette* dicunrur. Hæ porrò aves calculo valdè obnoxiæ traduntur. Undè venit, quod si captæ in aviariis concludantur, haud diu vivant, quamvis iis naturalis victus præbeatur, omnia siquidem in iis converti in lapides dicuntur. Quod si verò aëri libero permittantur, tunc ad maris littus, fluminumque ripas speciales quosdam lapillos alibi invisos, nec facilè notos exquirere perhibentur, quos deglutiendo se contrà calculum tueri, vitamque producere solent: Qui etiam lapilli in demortuis magnâ persæpè copiâ reperti, insigne adversùs calculum tum renum, tum vesicæ remedium præstare dicuntur. *Fiorovanti.*

Spasmus ex esu coturnicum.

11. In Poloniæ quibusdam locis, *Cromero* teste, Coturnices inveniuntur, qui pedes habent virides, esui penitùs inutiles: Quod si verò contingat, quendam earum carnibus vesci, continuò infestatur spasmo & miserè torquetur.

Usus clysterum ab ave.

12. Clysterum usum docuisse mortales ibidem Avem Ægyptiam plures sentiunt Authores. Hæc enim avis cùm sit calidissima & multorum cubitorum longissima habeat intestina, indeque sæpius alvi laboret obstructionibus; ex singulari naturæ providæ instinctu ipsa sibimet avis novit congruam applicare medicinam. Rostro equidem adunco & prælongo aquam marinam injicit in podicem, & sic intestina reddit lubrica, ut excrementa facillimè possint excerni.

Adamantum & aliarum gemmarum per Aquilas venatio.

13. Mirabilem adamantum venationem per aquilas albas describit *Marc. Paulus Venetus*, quæ scilicet in quibusdam montibus & vallibus Regni *Murfili*, quod ait esse longè ultrà *Malabar* per plurima milliaria hoc modo instituitur. Inquisituri adamantes, dum sepè ob prerupta saxa & precipitia pervenire non possunt ad valles, ubi adamantes jacent, projicere solent in illas frusta recentium carnium videntibus aquilis, quæ in montibus illis habitare solent: Hæc porrò frusta, cùm super adamantes illos proijciuntur, & adamantes illis adhærescunt, sublata deinde ab aquilis in altum evehuntur. Advertunt deindè venatores, quò aves sublatas carnes reponunt, accurrunt, abigunt & adamantes carni adhærentes colligunt. Quod si in ipsis vallibus aquilæ carnes devorent, scrutantur locum, ubi noctu dormiunt & egesta stercora discutiunt, ac lappillos colligunt. Similem penè gemmarum venationem recenset *Anastasius Nicænus apud Nierenberg. lib. 10. Hist. Natur. cap. 79.* dicens in Magnæ Scythiæ solitudine esse barathrum seu fossam profundissimam, ad quam non patet aditus hominibus; in illam agnos excoriatos conijcere accolas; ad carnes adglutinari hyacinthos ibi repertos; aquilas in rupibus petrarum habitantes ad odorem carnium descendere, carnes lapidibus adhærescentibus sursum ferre, devorare carnes & lapides in montibus relinquere, ibique ab hominibus reperiri.

Otus avis hominis imitator quomodò capiatur.

14. Teste *Athenæo lib. 9. cap. 14.* Oti avis in Lybiâ mirabile est aucupium, quod ità se habet. Quoniam hæc avis omnia, quæ homines facere advertit, & ipsa imitatur: Hinc Venatores, ut eam capiantè regione coram illâ stantes oculos pharmaco sibi inungunt, aliaque pharmaca tenacia parant oculorum & ciliorum, quæ non longè ab ipsâ ave in exiguis vasculis deponunt ac discedunt; cùm aspexerit Otus hos ità se unguentes, & ipse accedit, capit ac inungit, undè oculi conglutinantur & ità capitur.

Ardea miræ voracitatis.

15. *Julius Cæsar Scaliger* refert, cognatum suum habuisse Ardeam in ædibus, quæ tantæ fuit voracitatis, ut ipso aspiciente una vice devorârit integrum os vervecinæ coxæ. Prætereà addit ardeam sensim accessisse ad alveolum, ex quo bibebat, passer quem incautum & nihil tale metuentem propter distantiam satis magnam repentina colli porrectione transfixerit, posteàque integrum deglutierit, non tamen priusquam aquâ illum abluisset. Ità ex *Scaligero Franzius hist. anim. part. 2. c. 13.*

Rostri fortitudo in Picis.

16. Pici dicuntur rostri fortitudine adeò valere, ut quidam apud *Aristotelem* memoretur amygdalum tertio ictu pertudisse, & vel nucleum, vel latentem in eo verminulum comedisse. Simile quid etiam recenset *Albertus Magnus.*

Gallus auri appetens.

17. Mirus est amor Galli gallinacei in aurum & nummos aureos, æreosque, quos magnâ aviditate devorare vidit etiam *Kircherus*, ut testatur *in Mund. Subterr. lib. 10. Sect. 4. cap. 3.*

Vox Pavonis serpentibus inimica.

18. Experientiâ notatum constat, ad Pavonis vocem serpentes se in cavernas recipere, quòd vox illa ingrata sit serpentibus: lædit enim & malè afficit eorum auditus organum.

Avis quæ in piscem mutatur.

19. In Chinæ regione *Quantung* propè civitatem *Hoëicheu* avis volat *Hoangcioju* crocei coloris, quæ æstivo tempore in pinquis montibus alimentum quærit: ad autumni verò initium in proximum spontè delabitur mare, & in gratissimi saporis piscem commutatur: qui inter primas etiam mensæ delicias illic locorum habetur. *P. Mart. Martinius in Atlante Sinico.*

Avis Fonton.

20. Africæ regni *Quoia* & finium ejus fruticeta incolit avis *Fonton*, alaudæ magnitudine accolis illarum terrarum mirè benefica: ac primùm enim inter frutices & arbores advertit quamcunque bestiam noxiam, vel etiam innoxiam, quæ vicinorum accolarum usibus deservire possit, indigenas mox clamore incessanter provocat, viamque volatu monstrat; Subsistens deni-

denique in arbore eum ipsum locum, ubi bestia degit, demonstrat. *Olfredus Dapper in Africâ.*

Avis itineraria Æthiopiæ.

21. Admiranda penè similis Æthiopiæ quædam avis est, quæ viatoribus horridos illic sylvarum nemorumque recessus à sævis pluribus, venenatisque bestiis cultos transeuntibus funesta præcavet damna; dùm velut dux & antesignanus eis prævio volatu securiorem tramitem monstrat, & cautè à periculis abducit, vel penitùs reducit. Ubi verò itinerantes extrà vitæ constituit pericula, denuò avolat & disparet.

Avis sanans morbum regium.

22. *Suidas* & ex eo reliqui naturalis historiæ scriptores mentionem faciunt cujusdam aviculæ, quam Græci vocant *Charadrion*: Alii verò communiter *Regulum* appellant. Ejus autem aspectu qui Ictero sive morbo regio laborant, sanari perhibentur. Ob eam causam venditores hujus aviculæ solent eam occultare, ne eo morbo laborantes gratìs sanentur. Hinc etiam proverbium natum esse dicunt: *Charadrion imitans*. De iis, qui occultantur.

Avium abundantia signum salubritatis aëris.

23. Concludimus hanc tractationem de Avibus, unicâ adhuc adductâ observatione, avium scilicet omnis generis abundantiam in aliquâ regione salubritatis aëris in illâ signum esse maximum: Quod & *Cardanus* docuit. *Indicio est avium omnis generis abundantia duplici modo, quod ipsæ sentiant maximè aëris qualitates, & quod pabulum etiam suppetat.* Tantum de Avibus.

CAPUT XII.

De Aquatilibus in genere.



Volatilium regno perlustrato disquirendum succedit Aquatilium: Vocantur autem Aquatilia, omnia illa animalia, quæ in aquis degunt: & idcircò etiam à terrestribus & aëreis distinguuntur. Antequam verò ulteriùs progrediamur, variæ comprimis Aquatilium differentiæ sunt producendæ.

§. I.

Variæ Aquatilium differentiæ recensentur.

Quædam aquatilia perpetuò in aquis degunt, quædam non.

1. Aquatilium imprimìs alia sunt perfectè talia, quæ perpetuò scilicet in aquis degunt; uti sunt pisces communiter. Undè etiam piscis propriè dicitur *animal in aquis & sub aquis degens*. Alia, quæ licet in aquis plurimùm vitam traducant in siccum tamen exeunt, & in terrâ more terrestrium partum suum effundunt; ideòque Amphybia meritò dicuntur, quod utrobique vitam degant, in terrâ nempè & aquâ; uti sunt lutra, biber, crocodilus & ejusmodi alia.

Differentia quoad locum.

2. Piscium locus naturalis quoniam Aqua est: alia meritò hinc nascitur eorundem differentia, juxta ipsius aquæ differentiam quasi specificam & essentialem: dum nempè alia est dulcis, veluti lacustris, fluviatilis, &c. Alia salsa aut amara; uti marina. Pisces igitur differre necesse est, eos nempè, qui ad vitæ sustentationem requirunt aquam dulcem, vel salsam, vel in utrâque degere valent.

3. Alia rursùm differentia piscium emergit quoad locum, quem appetunt, accidentaliter aliter constitutum, ut dum aliqui pisces amant aquas dulces, stagnantes, & lacustres; alii profluentes, & in fluentibus rivis, amnibus, & fluminibus vivere appetunt.

Marinorum differentiæ.

4. Marinorum etiam tres sunt differentiæ communiores. Alii siquidem dicuntur Pelagii, qui amant profundum maris, & loca remota à littoribus; quorum aliqui sunt Cetacei, aliqui non cetacei. Marinorum alii vocantur littorales, qui amant habitationes juxtà littora. Alii vocantur Saxatiles, qui versantur circa saxa, rupes, ac scopulos, sive illi sint in medio mari, sive ad littora. Sic in medio mari vivere diligunt Glauci, pastinacæ, aselli &c. Ad littora muli, gobii, canthari, &c: Ad Saxa, rupes, promontoria, scopulos Turdus, phuca, Elephatis, & hi palmam, dum ad escam adhibentur, *à Galeno* dicuntur obtinere *lib. 3. de facult. alimentor.*

Aquatilia sanguinea & exsanguia.

5. Aquatilium quædam sunt & sanguinea, ut sunt communiter pisces: alia exsanguia, quæ nempè carent sanguine; alium tamen humorem loco sanguinis habent; quorum quinque numerantur genera & sunt μαλάκια, seu mollia, quæ non habent ossa, ut polypi, loligines, sepiæ; μαλακόστρακα, sive crustata quæ tenuibus crustis teguntur, ut sunt cancri. Ostrea sive testacea, quæ durioribus crustis & siliceis testis concluduntur, ut sunt cochleæ, conchæ, &c. His addunt ἔντομα, sive insecta aquatica & Zoöphyta, quæ videntur habere geminam naturam, & esse partim stirpes, partim animalia, ut est urtica marina &c.

Branchiata & pulmonata.

6. Pro fovendo, & contemperando calore intrinseco differunt aquatilia vel branchiis, vel pulmone. Branchiatis ob sanguinis paucitatem frigidiusculis sola aqua ad refrigerationem sufficit: Pulmone preditis ob sanguinis ubertatem calidioribus aërem trahere aliorumque sanguineorum more spirare necesse est. Illa diutissimè sub aquis degere valent sine ullo suffocationis periculo; hæc autem minimè, sed facilè suffocantur. Undè fluitant, & subindè exerto & erecto capite aërem attrahunt & respirant, imò & dormiunt ob respirationis necessitatem. Primi generis Aquatilia ab *Aristotele* vocantur pisces, secundi Cete.

Differentia ratione tegumentorum.

7. Tegumentorum quoque ratione Aquatilia differunt, & ex iis quædam corio & pilis

& pilis operiuntur, ut vitulus marinus, hippotamus &c. Alia corio teguntur, ut Delphini; alia cortice ut Testudines; alia silicum duritie, ut conchæ & ostrea; alia crustis, ut locustæ; alia spinis ut Echini; aliasquamis, ut pisces communiter.

Ratione figuræ. 8. Figuræ & quantitatis ratione differunt Aquatilia, ac comprimis pisces; quorum aliqui sunt corpulenti, iique lati aut rotundi: Lati sunt, ut Aurata, Coracinus, Alosa, Mugil, Asellus, Umbra, Faber, Glaucus, Mus, Caprifcus & similes. Corpulenti rotundi & quasi Lyxiformes sunt, ut Mullus, Sargus, Cuculus, Hirundo, Milvus, Lyra, Draco, Scorpio marinus, Hippurus, Lupus marinus, Mustela, Lampreta, & alii. Ex planis piscibus alii sunt spinosi, ut Rhombi, Passeres, Soleæ, aliàs singulacæ dictæ; quarum plures sunt iterùm species, unde & pisces dicti Buglossi, Cynoglossi, Arnoglossi, Hippoglossi ac Cithari, prout nempe sua externa forma repræsentant linguam vel Bovis, vel Canis, vel Agni, vel Equi, vel etiam Citharam. Alii plani pisces sunt cartilaginei, velut Raja, Squatina vel Rhina, Pastinaca, Torpedo & rana piscatrix. Cartilaginei longi pisces sunt Musteli, Anguillæ marinæ, Conger vel Grillus, Muræna sive Fluta, Belone sive Raphis, Thynni, Pelamydes, Scombri, Gladius, Silurus, Amiamarina, Acipenser, Scarus sive Ruminalis, Anthias, Turdi, Julides, sive Junckeri & similes alii.

Ratione propagationis. 9. Ultima Aquatilium differentia, quam communiter afferunt Authores, videtur esse circà generis propagationem; & ex his alia sunt ovipara, ut pisces communiter: alia vivipara, quæ animal partu effundunt, suntque cartilaginata & cetaria, uti Delphinus & vitulus marinus. Illud tamen neque negligendum, multos etiam pisces sortiri nomina ab animalibus aliis, quibus similitudine quâdam respondere videntur: Undè pisces quidam appellantur canes, qui mordent reliquos pisces; porci, qui fodiendo quærunt cibum. Similiter appellantur à quadam similitudine aselli, lupi, capræ, turdi, alaudæ &c. *Isidorus* tandem *lib. 12. Ethym. cap. 6.* distinctas Aquatilium species 144. reperiri docet, idque secundùm *Plinium lib. 9. & 32.* Quamvis ipse *Plinius* 74. species videatur indicare, præter intecta crustis, quorum numerus 30. species constituit. Atque hæc de Aquatilium differentiis.

§. II.

Observationes & Regulæ quædam generales de Aquatilibus.

Aquatilia sunt imperfectiora reliquis animantibus. 1. Aquatilia generaliter omnia censentur esse animalia imperfectiora terrestribus & volatilibus, cùm sint temperamenti imperfectioris, & modicùm præstent alimentum. Comperitur & in iis obscurior membrorum & corporis digestio, habentque sensus communiter hebetiores ac magis imbecilles. Unde ut etiam notavit *Plutarch. in opusc. Ethic. in tractatione de comparatione natantium & reliquorum*, Aquatilia stupidiora sunt reliquis animalibus. Causam communiter assignant Authores, quod ea continuò versentur in elemento frigido & humido, quod obest ingenio & docilitati; cùm ad ingenium & calliditatem requiratur calor & siccitas.

2. In majori tamen numero Aquatilia esse, quàm sunt reliqua animantium genera colligi imprimis potest ex ovorum, quæ pariunt multitudine, & varietate. Causam etiam indicat *Aristoteles*, quòd generentur ex humore, qui naturam habet aptiorem & habiliorem ad effingendum, efformandùmque. Deindè patet ex locorum, quæ incolunt, amplitudine, quam considerans Regius Psaltes *Psalm 103.* canit: *Hoc mare magnum & spatiosum manibus*: illic reptilia (sive Aquatilia) quorum non est numerus. Sic insula *Icarus* primùm *Ichthyoëssa* fuit dicta ob piscium, qui ibidem nascebantur, copiam, teste *Athenæo lib. 1. cap. 28.* Author est *Herodotus lib. 5.* Pæones Prasiadem paludem incolentes ob nimiam piscium copiam, equis etiam & subjugalibus pisces pro pabulo præbuisse. Ità sinûs Gothici accolis tanta esse dicitur optimorum piscium copia, ut in omnium necessariarum rerum permutationem sufficere queat. Britannis ingens piscium captura non tantum ad totius insulæ pastum sufficit, sed inde etiam circumsitæ ac vicinæ nationes, velut Gallia, Flandria, Zelandia, Batavia, uti & tota penè Germania pascuntur. Tibisci Hungariæ fluminis memorante *P. Fournier Geogr. orb. not. lib. 11. cap. 19.* tantus est proventus piscium, quorum præcipui sunt sturiones, lucii & carpiones, ut cùm intra regionis illius limites distribui nequeant, neque evehi ad circumsitas provincias, his porcorum greges alantur, & ejecti quoque in ripas aërem subindè, pestifero imbuere valeant miasmate. Vide etiam quæ *suprà Disq. 1. hujus Scrut. c. 12. §. 2. num. 23.* de ingenti piscium proventu apud Danos ex eodem attulimus.

In majori tamen numero quàm alia animantia.

Aquatilium propagatio. 3. Aquatilium propagatio non ex limo, ut quidam volunt, arenâ, pluviis aut spumâ, fieri censetur, sed omnium etiam minimorum pisciculorum exortus & propagatio rectiùs ex semine provenire statuitur. Nec obstat, quod in novis & puris piscinis quidam subindè pisces proveniant, cum per anates, ardeas, ciconias aliaq; animantia eorum semina eò facilè transportari queant.

Aquatilium ova quænam fœcunda. 4. In illis Aquatilibus, quæ ova pariunt, ne ob multitudinem eorum, quæ effundunt, nimius imò infinitus proveniat numerus Aquatilium: Volunt communiter Authores ea ipsa ova per se fœcunda non esse: effici verò fœcunda à semine maris superfuso. Quoties enim, ut ajunt, fœmina circà radices arborum, herbarum, aliarumque rerum circà littora, inter arundines aliaque loca emittit ova: tunc mas insequitur fœminam & lac sive semen, quod est instar lactis eijcit super ova. Quæcunque igitur ova à semine maris tanguntur, illa fœcunda reddi volunt, non item reliqua.

liqua. Et hæc dicitur esse causa, quod piscium immodica multitudo non fit, cùm tamen ova ab iisdem posita esse videantur innumera. Majores quoq; pisces ova ponere in petris compertum volunt, vel in limo; minores verò circa radices plantarum aquaticarum. Omnes verò marini pisces hoc specialiter habere dicuntur, quod in introitu aquarum dulcium libentiùs deponant ova propter pastum affluentem, & aquæ dulcedinem.

Modus propagationis.

5. Experientia quoque ostendit plurima aquatilia ad propagandam speciem admotis invicem partibus supinis coire, séque confricare, ac plerumque citissimè absolvere coitum, exceptis vitulis marinis, qui tanquam canes diu cohærere observantur.

Aquatilia diversa non commiscentur.

6. Nullum Aquatilium *Alberto M. teste lib. 24.* commiscetur generationis causâ cum alio, quàm sui generis animali, exceptis monstris humanam speciem præferentibus. Alii quoque Rajam & squatinam invicem commisceri dicunt, & fœminam in quovis genere majorem esse & vivaciorem: marem verò licet minorem, cibum tamen præbere suaviorem, & ad gustum gratiorem.

Victus Aquatilium.

7. Victus Aquatilium, etsi varius sit, dum aliqua terrâ, limo & algâ pascuntur, & quædam lambunt herbas ac radices, multa vescuntur carnibus, & sibi invicem insidiantur: Nulla tamen ex his sunt magis agilia, & vaga, quàm quæ carnibus vescuntur. Admirationem quoque meretur, quod licet plurima aquatilia se invicem comedant, præcipuè marina, præter Fasta leonem, qui carnes non comedit, sed tantùm herbis pascitur: Parcunt tamen pullis, donec compleantur, ex naturali quadam speciem propagandi amore & propensione in sobolis educationem.

Aquatilium species invicem succedunt.

8. Sicuti sunt intervalla dierum & noctium, vicissitudinesque hyemis, & æstatis; sicut item non omne terrestre genus animalis uno parit anni tempore, sed nunc anseres, nunc gallinæ, nunc aliæ species quadrupedum & altilium post alias eveniunt; Sicut etiam in rebus terrestribus diversos plantarum & fructuum diversis temporibus proventus advertimus: Ità Supremus Naturæ conditor in Aquatilium regno alias quoque species post alias in maribus & fluminibus suos, ut terræ incolis proventus exhiberent, ordinatissimâ lege disposuit. Quocircà etiam certæ quædam Aquatilium species mare nunc ingredi ex aliis fluminibus, nunc etiam ex mari in flumina egredi ad uberes hominibus ministrandos eventus observantur.

Piscium partus.

9. Pisces, qui ova edunt, ut docet *Aristoteles lib. 6. Hist. cap. 13.* semel in anno pariunt, præter phycides pusillas, quæ bis, ut *Idem* scribit, pariunt per annum. Quem locum explicans *Aldrovand l. 1. de pis. c. 8.* non vult intelligendum, quod majores aliter parere docuisset Aristoteles, sed quod phycides omnes, etsi pusilli sint pisces, bis tamen per annum parere soleant.

Corporis forma, & ex hac indicium.

10. Circà formam & constitutionem corporis in Aquatilibus hanc tradit observationem generalem *Cardan. l. 7 de variet. cap. 37.* ajens. *Quibus pinnæ val è magnæ, his corpus leve, atque ob id osseum, naturaque ignea, ut volare possent; veluti cuculus est & hirundo. Quibus squamæ, his plerumque in pinnis aculei ob naturæ siccitatem.*

Aquatilia sunt magis humida & frigida.

11. Aquatilia communiter & generaliter sunt valdè humida, magìs autem, quæ squamis carent, proindè etiam nutrimenti à Medicis arguuntur deterioris; Cùm in talibus humiditas indigesta sit. Pinnulæ equidem & squamæ ex sicco nascuntur. Quibus igitur tales insunt, temperatiora judicantur. Quia etiam pisces plurimùm solent esse frigidi, singulari providæ naturæ consilio junguntur iis simùl partes calidiores, ut mutuo fotu se meliùs conservent; undè cor & hepar simul illis sunt.

Quibus fel maximum.

12. Piscibus iis plerumque fel est maximum, qui in aquâ dulci agunt. Dulce enim nutrit fel, amarum autem absumit. Sic etiam, quæ absynthio pontico vescuntur animalia, comperiuntur felle carere.

Oculi piscium.

13. Pisces ab oculis incipere formationem, fuit observatum, quod ità natura meliùs iis providerit, dum natare mox solent, videant quò se dirigant. Proprium etiam est piscibus habere oculos immotos & pupillam duriorem, cujus rationem dare voluit *Aristoteles in probl.* quod degant in elemento, quod non est obnoxium offensionibus.

Pisces dormiunt

14. Omnibus ferè piscibus convenit modicùm dormire, idque apertis oculis, ut docet *Albertus M. l. 24.* eo quod palpebras non habeant, sed duos oculos; in somno autem semper caudam parumper movere solent. Parùm autem dormiunt, quià propter frigiditatem vaporibus ad conciliandum somnum destituuntur.

Visum habent hebetiorem.

15. Cùm, ut dictum, piscibus sint oculi duriores, visus etiam hebetior in iis esse colligitur: Undè putant nonnulli ex coloribus eos non nisi extremos discernere, aut de mediis non nisi clarissimos, ac comprimis flammeum, aureum, rubicundum ac quovis modo splendentem. Quocircà peritiores piscatores vestes lucidorum colorum non induunt, prætereaque noctu, & in aurorâ potissimùm piscari eligunt, quòd pisces tunc minùs videant, & ad pastum ampliùs moveantur: Advocantur tamen flammis, & ignibus de nocte, quòd color hic sit valdè motivus illorum visûs.

Pisces auditu & odoratu pollent.

16. Pisces licet auribus careant, minimè tamen surdi perhibentur, cùm foraminula quædam propè oculos habere comperiantur, quæ illis non tantùm loco aurium, per quæ auditus formetur, servire; sed etiam per illa percipere odores queant. Odoratu enim pollere pisces evincit, quod vetera non tantum gurgustia piscium odore perfusa, sed & retia antiqua magìs abhorreant, & fugiant quàm nova: E cont a si odore escæ, quo delectantur, instru-

 men-

menta, quibus capiuntur, sint imbuta, iis faciliùs capiantur. Oleo etiam & sulphure aquatilia quævis & ferè omnia enecentur; quod odor ille & sapor iis fit venenosus.

Respiratio. 17. Respiratio & ventilatio aquatilibus etiam necessaria est ad calorem tum cordis, tum sanguinis ac spirituum contemperandum, sine quâ vivere non possunt. Ità constat experientia, quod pisces in stagnis glaciatis pereant, nisi perforetur glacies: Et tunc tantâ aviditate ad sorbendum aërem accurrunt, ut turmatim buccis apertis ad aëris confinium accedant. Similiter pisciculi, qui in amphoris vitreis inclusi natant, aperto ibidem orificio diu vivunt, eo verò clauso citò pereunt.

Natatus piscium. 18. Natatus piscium & quorumvis aquatilium in æqualitate gravitatis specificæ piscium & aquæ, cui innatant, rectè constituitur à *Borello de moto Anim. part. I. propos. 209. & 210. Quia enim,* ut benè inquit, *videmus, quod pisces in quolibet situ profunditatis aquæ quiescant immoti absque ullo conatu & impulsione caudæ aut pinnarum: Fatendum est æque graves specie esse ac aqua; & hinc fit, ut pisces meliùs & faciliùs ab aquâ fulciantur, quàm nos sustinemur à terræ duritie, cui innitimur. Undè subjectæ piscium partes à dorso & scapulis incumbentibus non comprimuntur scilicet nonfatigantur sustentando pondus proprium*: Deindè ex his deducit sequentia. *Et ideò primùm non indigent pedibus, sicut terrestria & volatilia: Secundò non fatigantur, neque ullam lassitudinem percipiunt stando, quia membra æquilibrata non gravitant, nec comprimunt partes subjectas. Tertiò, Vastiora esse possunt corpora piscium, quàm terrestrium animalium, ut docuit Galilæus, quià pisces non coguntur sustinere proprium pondus, quod nullam vim compressivam exercent ob æquilibrium cum aquâ.* Modum verò, quo natura tale æquilibrium piscium cum aquâ conservat, ex legibus hydrostaticis pendete docet *Idem Borellus. Posuit enim,* inquit, *in ventre piscium vesicam quandam aere plenam, ut nimirum aëris levitate compensaret nimium pondus carnium & ossium eorundem piscium, & sic moles composita ex partibus solidis piscis & ex aëre incluso æque gravis redditur, ac est moles aquæ ei æqualis: Nec alio instrumento magis præsentaneo uti solet Natura præter aerem in vesicâ contentum: Nam videmus, quod pisces ostreacei, conchylia, soleæ & alii, qui semper in fundo maris degunt, tali vesicâ aereâ carent. Et nos observavimus in Academia experimentali Mediceâ, quod piscis, cujus aerea vesica in Vacuo Torricelliano disrupta fuerat, non potuit per mensem integrum, dum vixit in piscinâ natando sursum ascendere, sed semper rependo adinstar serpentum per piscinæ fundum gradiebatur.* Hactenùs *Borellus.* Quomodò verò pisces gravitatem specificam immutent, quandò necessitas urget; ac quibus organis & operationibus alterato æquilibrio piscium illud in aquâ denuò ad eandem mensuram æquilibrii reduci possit, per auctionem nempè vesicæ præfatæ novum aërem sorbendo, & diminutionem ejusdem superfluum aërem per os evomendo, *Idem* præclarè ibidem demonstrat, uti videre apud Eundem licet.

19. Aquatilia pleraque muta sunt & voce destituuntur, nec enim in iis colla nec linguas explanatas videre licet. Quæ enim in aliquibus videntur esse linguæ; palata potiùs carnosa censeri debent. In marinis quidem vocis quidam usus observatur; verùm si rectè perpendatur, non vox illa est, sed quidam alius sonus, qualis etiam excitatur collisis inter se lapidibus. Similiter piscium quorundam latera aërem comprimentia tales sonitus possunt edere, qui tamen proprie voces non sunt. De Sirenibus aliisque monstris marinis, quæ cantu & voce canorâ audientes sopiant, ut celebrant Poëtæ, nihil se audire scribit *Conradus Gesnerus de Aquat. lib. 4.* Aquatilia pleraque muta.

20. Omne genus cartilagineorum Aquatilium ex aliorum piscium rapinâ vivere, cibumque nisi conversa resupinentur, capere non posse ex *Aristotele* docet *Aldrovandus de pisc. l. 3. c. 31.* & *Plinius lib. 9. c. 24.* idipsum confirmat his verbis: *Omnia autem cartilaginea sunt talia & supina vescuntur.* Cartilaginea quomodo victum capiant.

21. Crustata omnia aquam ore excipere, *Idem* docet *Aristoteles*, sed cancros ait, exceptam oris parte exiguâ reijcere: Qua de causâ circà cancrorum os spumam apparere ex aquâ & aëre unà cum aquâ hausto attractu & rejectu agitatis: Locustas etiam per branchias (has ità impropriè in iis dici vult Gesnerus) quas majores habent, transmittere. Crustata quomodo capiant aquam.

22. Cetaceum genus omne, ut compertum est, branchiis caret, fistulam verò sui pulmonis causâ continet, quâ humorem admitti necesse est, cùm cibum in aquâ submersum capiat & admissum emitti necesse est. Nam branchiæ iis, quę spirant, incommodæ habentur. Haud enim fieri potest, ut id branchias habeat, & spiret, sed & iis ad respuendam aquam fistula data est, quæ ante cerebrum sita est; nempè postposita id interciperetur à spinâ, æditaque summa æquoris fistula dormiunt & spirant, quod marina animalia plus caloris sibi requirant, ut possint moveri. Quapropter pulmo iis inditus est plenus caloris sanguinei, ut tradit *Aristoteles de part. An. l. 4.* Fistulam Cetacea cur habeant.

23. Omne etiam Cetaceum fere genus duce ad se moderandum eget, illius que oculis ducibus ad videndum utitur, ut docet *Ælianus* à *Gesnero* citatus *de Aquat. l. 4.* Omnia etiam cetacea, ut *Gillius* inquit ex *Oppiani Halieut. l. 5.* exceptis canibus tarda in natando sunt, neque sine pisciculo duce quoquam progrediuntur. Hic singula illis ostendit, sive præda capienda sit, sive quodpiam periculum instet, sive propinqua vada vitanda. Huic ad solam caudæ motionem illa parent, per hunc audiunt & vident; neque tantoperè vastis belluis vires possunt, quàm astutia parvuli ejusmodi pisciculi. Cetacea ducem habent pisciculum.

24. Coch-

Cochleæ. 24. Cochleæ inter testacea sunt, quæ sanguine carent. Omnes equinam seu potius bovinam effigiem præferre (quapropter Veneti ab ejusmodi similitudine eas bubulos appellanr) tradit *Massarius:* omnes etiam siliceo tegmine clauduntur claviculatim intorto, quæ cum exerunt caput, bina cornicula prætendunt, equinam seu potius bovinam effigiem præferunt. Augentur hæ, ut alia Testaceorum genera crescente Lunâ, & eâdem decrescente minuuntur, ut docet *Albertus.* Moventur autem omnes cochleæ & serpunt parte dextra non ad vertiginem, sive claviculam sed in adversum. Vidisse se scribit *Gillius* cochleam marinam, quæ ad eam magnitudinem accederet, ut tantùm vini caperet, quantùm piscator exsiccare posset uno prandio; perdices & ardeas hostes suos agnoscunt cochleæ atque sibi fugâ cavent, ubi aves illæ pascuntur. Lacertæ etiam inimicissimum genus cochleis ut docet *Plinius.*

Moles & quantitas ingens Aquatilium. 25. Prodigiosam, & vix credibilem in aquatilibus molem corporum reperiri experientiâ constat, & ex eorum comprimis navigationibus, qui mare præsertim Septentrionale & Oceanum Orientem versùs peragrârunt. Quin adeò magnas balenas itinerum maris periti à se visas scribunt, ut in dorso sæpe insulæ cujusdam speciem, sicut alibi jam memoravimus, exhibere viderentur. Conducit autem plurimùm ad hanc molem inducendam, tum ipsa materiæ aqueæ ubertas, tum habilitas ad quamvis extensionem, cui in elemento fluxo & facile mobili nulla obsistit renitentia. Nullum etiam fere est animal in terrâ vel aere, ut recte innuit *Hirnhaim de Typho Gen: hum. cap. 9.* quod mare ob salis ingeniti fœcunditatem in piscibus non exprimat. Reperiuntur enim ibidem canes, vituli, porci, equi, mures, aranei, monachi, Sacerdotes cum Sacerdotalibus, Episcopi cum Episcopalibus insignis & plura alia ludendis Naturæ monstra.

Anima in Aquatilibus qualis. 26. Anima tamen in Aquatilibus imperfectior, quàm in aliis animalibus reperitur, sic ut aliquos etiam nec animalia vocare libeat, & *Philo* dissertissimus Judæorum illis animam pro sale tantùm, ne corrumpantur inditam esse contendat: Quod tamen solùm fortassis locum habere censeo in iis generibus, quæ marinis affixa scopulis sedem stabilem servare solent.

Aquatilia morbis non multùm obnoxia. 27. Hoc tamen singulariter commendatur in Aquatilibus, quod non item cæteris convenit animalibus; ea nempe tot morbis obnoxia non esse, ut pleraq; sunt terrestria. Unde tamen etiam proverbium: Sanior pisce. Quod etiam notavit *Aristoteles lib. 8. Hist. Animal. cap. 19.* morbos tamen nonnunquam habere evincit eorum maciès, cum quandoque decrescunt & debilitantur; quandoque verò accrescunt & magis roborantur: aliquando penitus moriuntur, quam tamen mortem Natura haud aliter, quàm per præcedentes morbos intendere solet.

28. Pisces, qui in lympidis fluminibus & puris rivis pascuntur, boni succi habentur; non ita qui in impuris & lutosis. Marini verò pisces, qui aliis salubriores ob salsedinis marinæ naturam, quæ nimiam humiditatem & frigiditatem temperat ac consumit, variorum sunt generum & discriminum, ut quæ desumunt ab ipso mari, quo educantur; quod an Austro, an Boreæ exponatur, multùm interest ad salubritatem. Salubriores pisces *Galenus lib. 3. de facult aliment.* sentit illos, qui in puro mari, quod ventis agitatur, vivunt. *Aldrovandus de piscib. lib. 1. cap. 1.* piscium ad esum salubritatem describens hæc tradit. *Pisces marini vel ideo salubriores sunt, quod marinæ aquæ salsedine frigiditatem & humiditatem piscibus omnibus communem quodammodo obtundant. His fluviatiles & sapore & carnis salubritate proximi sunt; cum quod fluminum cursu & sæpe etiam adverso sese exercentes defatigentur, ac in perpetuo fere motu sint; tum verò maximè, quod cibum ex limpidissimis amnium aquis aut fontanis fluviorum minimè stagnantibus, fontiumque subter erumpentium scaturigine temperatissimis, lucidissimisque captant. Illorum verò pessima est conditio, qui aut in stagnis aut lacunis degunt. Nam & motûs exercitiive & cibi ratione à marinis & fluviatilibus, quàm maximè degenerant, frigidi nimirùm, humidissimique & palato nostro non solùm ingrati, sed etiam nescio, quâ extraneâ qualitate afficientes, quandoquidem cœnum limosumque resîdis, & semicorruptæ aquæ escam depascuntur.* Ita *Aldrovandus.* Pisces ad esum salubriores.

29. Aquatilia veneno infecta à *Cardano lib. 7. de variet. cap. 37.* censentur, ut Draco, Scorpius, Pastinaca, Torpedo, Muræna Julis, Porcus marinus & Coluber, sed omnibus deterior est Lepus: is enim vel solo tactu male afficit. Sunt qui & Araneum adjiciunt. Quibus autem diversis modis noxia sint hæc animalia, vide apud eundem loc. cit. Signa verò quibus venenati pisces cognosci possint, subnectit his verbis: *Qui pisces aut forma corporis quemadmodum serpens, & murænæ sunt sinuosa, quippe aculeis prædìti, ut Scorpius, reliquique dicti, aut vario colore distincti, ut Julides, quas constat pisces omnes formæ elegantiâ superare, omnes venenati sunt.* Non tamen per se tota hæc Aquatilia venenata censentur, sed in his solùm quædam partes tales sunt: ita in Dracone marino sive Araneo solæ spinæ; in Pastinaca solus radius; in Hippocampo solus venter venenatus reputatur. Julides solò morsu venenum infundunt; aliæ partes sine pernicie sunt edules. Aquatilia veneno imbuta.

30. Pisces horridi, deformes, peregrini in tenebrosis subterraneis aqueis conceptaculis educati, una verò cum aquis subitò è terræ thalamis prorumpentes, nec ad gustum grati, nec immunes ab omni labe esse possunt. Ita in *Cariâ*, cum hoc aliquando contigisset, quicunque pisces sic emersos comederunt, omnes ad unum periisse, literarum monumentis proditum asserit *Anton. Muretus l. 9. var. lect. cap. 4.* Pisces ex subterraneis locis emergentes.

31. Genera

Lapides in piscium capitibus 31. Genera omnia lapidum, qui in capitibus piscium reperiuntur, trita & cum vino mista colicum dolorem compescere, & calculum, qui in renibus defixus jacet, atterere & comminuere ex *Galeno & Avicenna* tradit *Mizaldus*. Sed finis dicendorum non esset, si quæ Medicis in usum ex Aquatilibus deservire queunt, ea omnia recensere vellemus. Unde his relictis nunc ad speciales quasdam observationes de Aquatilibus enarrandas progredimur.

§. III.

Admirandæ quædam proprietates ac curiosæ observationes de Aquatilibus quibusdam in specie.

Alosa 1. De Alosâ sive Culpeâ memorabile hoc tradit *Ælianus*, quod campanis parvis, cantu & strepitu testarum advocetur & capiatur præsertim juxta lacum Mareotin. Piscatores enim in casulis suis saltant adhibitis instrumentis musicis. Hunc modum saltantium dum æmulatur Alosa per imprudentiam incidit in expansa retia.

Chalcis. 2. Peculiare est pisci, qui dicitur Chalcis, quod plurimos habeat pediculos parvos, certi scilicet generis bestiolas sub branchiis, à quibus sæpe interimitur, quod nulli alteri accidit pisci.

Capriscus. 3. Nullum dicunt omninò esse piscem ex squamosis, qui tam duro opertus tegumento, & tanquam firmis armatus sit dentibus, quàm Capriscus, adeò, ut ne acutissimo quidem gladio penetrari possit.

Physa & hyrudo. 4. Physa piscis & hyrundo marina etiam exsiccatæ ad eam partem, quâ proflat ventus, in intimis conclavibus se convertere solent.

Scari. 5. Ex *Bellonio* recenset *Aldrovandus lib. 1. de pisc. cap. 2.* Scaros incredibili amore se prosequi, sodales scilicet è nassis non sine egregiâ ac hominibus imitanda industriâ mirabiliter liberantes, aut si hamum quis eorum devoraverit. Sicut etiam his verbis memorat *Plutarchus*; Scarus, inquiens, ubi glutivit hamum, cœteri, qui tum adsunt, appropinquant, funiculum abrodunt: iidem, si quis in nassam aberravit fortè, caudam intro porrigunt, & hunc mordicùs inhærentem foràs extrahunc atque ad se reducunt. Plura ex *Oppiano* vide apud eundem *Aldrovandum loc. cit.*

Delphinus 6. Animalium velocissimus creditur Delphinus; sagittam enim explosam superare dicitur. Fame dum concitus fugientem in ima vada piscem persequitur, nec possit spiritum diutius continere, velut arcus emissus ad respirandum emicat, tantâque vi exiliit, ut vela maxima transvolet. Nomen *Simonis* libenter audit, & gaudet sic appellari. Homines non expavescit, ut alienos, imo obviam navigiis venit, alludit exultans, certat etiam & vela quamvis plena præterit; nec id tantùm, sed etiam musicæ artis mulcetur symphoniâ, & præcipuè hydrauli sono. Incredibili amore erga homines præsertim impuberes duci, quibus & miris blandimentis gratificari & colludere gestit, *Plinius*, *Aristoteles* & alii tradunt. Sicuti etiam dum liberi sunt & sui juris mirè exultant & cantu delectantur: itaècontrà dum captivi tenentur, gemitu & lamentatione atque magnâ lacrymarum vi deplorant suam conditionem, ut alios etiam ad commiserationem moveant. De quo ex *Gillio* historiam recitat *Aldrovandus lib. 3. de Cetis. cap. 7.* In Promontorio Bœticæ prope Gaditanum fretum certis anni temporibus innumeram Delphinorum multitudinem ad littora accedere *Rod. Santius* scribit *part. 1. Hist. Hisp. cap. 2.* quasi piscatoribus ultrò se offerant.

7. Polypus ad quodcunque corpus se applicat, ad illius colorem se mutat: Unde pro qualitate saxorum nunc albet, nunc rubet, nunc livescit, aut alium congenerem assumit colorem. Fortissimè adhæret rei, quàm appetit, ut inde facilè avelli non possit, nisi pulicariâ herbâ admotâ, cujus odore protinus resilit. Hoc stupidi habet, ut ad manum hominis natet, nec persequentem, aut venantem refugiat: illud prudentis, quod quidquid nancifcitur, asportet, ut in suo domicilio recondat: cumque sumserit, quantùm utile est, abigit testas, & cancrorum crustas & putamina conchularum, ac deinde adnatantes ad ea pisciculos vorat; quin etiam tam subita sui tincturâ egregiè illos fallit: redditur immobilis rutâ injectâ: piscatorum hamos non morsu, sed brachiis complectitur, nec prius dimittit, quàm circumraserit. Locustis terror est adeo ut hæ viso illo juxta se intereant. Polypus

8. Merula piscis est omnium maximè Zelotypus: mas enim in hoc genere, ut ex *Æliano* tradit *Aldrovandus de pisc. lib. 1. cap. 6.* cum semper aliàs, tum maximè cum ejus uxores pariunt. Cum enim parturiendi doloribus eæ tenentur, domi quiescunt: Mas autem tanquam maritus foribus incubans cavet ne extrinsecus insidiæ inferantur metu parvulorum. Videtur is nondum genitos amare, metuque paterno motus his timere, & totos dies in eorum custodiâ permanet nihil gustans: cura ipsum alit. Sub crepusculum vespertinum intermittit hanc custodiendi necessitatem, cibumque exquirit. Singulæ verò conjugum, quæ sunt intus, sive sint in partûs doloribus, sive jam enixæ cubent, algas multas in cavernis, & circum petras ad victûs comparationem comperiunt. Ita *Ælianus*. Merula.

9. *Aristoteles* author est *lib. 4. Hist. c. 10.* Auratas tam profundo nonnunquàm somno interdiu premi, ut fuscinâ etiam capiantur, cum aliàs sic capi posse non credatur. Timidissimus præterea piscis est Aurata; Auratæ.

Aurata; quamque exitialis ei fit timiditas *Ælianus lib. 11. cap. 34.* his verbis declarat. *Timiditatis summæ esse fertur; nam sub Arcturi tempus, cum maris accessus & recessus maximè fiunt, & eò altius exaggerata arena ad littus relinquitur, ut naves sæpe ab omnibus aquis nudæ in terrâ maneant. Tum piscatores postquam arborum ramos frondibus convestitos paxillorum modo in mucrones acutos in arenam defixêre, descendant. Post autem rursus accedens mare secum imbellem auratarum multitudinem attrabit: quæ ubi æstus reciprocavit & recessit in exiguâ aqua concavis locis retentæ relinquuntur, & verò ramorum metu quiescunt: adeo nimirum ramos vento agitatos exhorrent, ut ne loco quidem movere se audeant. Quamobrem primo cuique magnum meticulosorum piscium numerum capere & ferire licet; neque modo ab usu piscandi instructi, sed etiam totius piscationis rudes atque adeo pueri & fœmine capere possint.*

Amor Sargorum & Capratum. 10. Sargi, ut *Oppianus* tradit, tantopere amant capras, ut cum illæ à pastoribus in magnis æstibus ad littora, ubi laventur, aguntur, sargi mox adnatantes confertim eas circumdent, ac circumsilientes mirifico gaudii augmento lambunt: nec aspernentur eos capræ tanquàm amantes. Ubi verò è mari jam exeunt capræ, tum sargi mœrentes universi ad extremum usque littoris marginem comitantur & inviti deserunt. Meminit etiam hujus amoris *Ælianus lib. 11. c. 11.* licet paulò aliter describat: *Capras*, inquit, *vehementissimè amant Sargi; namque cum caprarum proximè & secundum littus pascentium unius aut alterius umbra in mari apparuerit, protinus gaudio exilientes summo studio adnatant, ac saltu non admodum ad saltandum idonei capras contingere affectant, sensum caperini odoris percipiunt, etiamsi sub fluctibus natent, itaque voluptate gestientes ad eas accedere student.*

Salpæ interiora rigida. 11. Salpa piscis notissimus vivens dum aperitur, interiora summe frigida habere comperitur. Calorem enim habere censetur, quem insecta & plantæ, qui sensum fugit: frigus verò illud putatur esse quidam nitri effectus.

Torpedinis vis stupefactiva. 12. Torpedo hamo capta manum piscatoris torpefacit. Eandem vim per rete & quemcunque baculum ipsam tangentem transmittit. Idem piscis torpidissimus alios etiam vivacissimos ita expugnat: dum efurit immotus hæret in arenâ, vel loco ubi multi piscium greges stabulantur: Si qui ex his illum propiùs accesserint, eos torpore suo ita stupefacit, ut omni motu privati eidem in escam cedere cogantur. Illud & mirum notavit *Hirnhaim de Typho gen. hum. cap.* 8. quod Torpedo viva inter mortuos pisces posita eos moveri parumper faciat, tremorem etiam mortuis inducens. Idem testatur *P. Godingus de reb. Abyssinorum.*

Conchylii stuporem inducens. 13. Est etiam Conchylii quoddam genus, ut *Idem Hirnhaim ibidem* tradit, à naturâ elegantissimo quodam artificio elaboratum, quod solo sui attactu stuporem & siderationem membris quibuscunque inducit. De pisce quoque in *Zeilam* memoratur, quod attectatione solâ febrem accendat. Pastinaca quoque marina punctûrâ sui aculei nervorum distensionem inducere perhibetur.

Uranoscopus. 14. Uranoscopus sive Callionymus piscis est marinus solivagus, carne vescens, adeo vivax, ut inquit *Bellonius apud Aldrovandum de pisc. l. 2. c. 51.* Ut si internis omnibus spolies, nihilominus adhuc moveatur: Estque omnium piscium & ignavissimus & voracissimus; quare ut ventrem suum famelicum saturet, ad astum refugium habet, parvisq; pisciculis insidias molitur apophysi illâ, quàm extra os protendere solet. Eam enim ex ore demittit, & pisciculos tanquam ad vermem ad eam adnatantes, eamq; prehendentes unà cum ea deglutit: nunquàm tamen insaturabilem suam rabiem explere potest; quin eò usque progreditur ejus inexhausta cibi helluatio, quoad cibo onustus in terram se abjiciens pœnas det majori alicui pisci, qui humi stratum in ventrem demittit suum. Esse autem insatiabili abdomine vel hoc declarat, quodsi edendum cibum capto objeceris eousq; vescatur, donec cibus exaggeratus ad ipsum os redundet. Unde de eo bene *Oppianus* interprete *Lippio.*

Non modus est luxûs, non est mensura ciborum:
Quam saturare potest nunquam, sed crescit edendo.
Inversus tento moriatur corpore in undis,
Est tantæ signum crapulæ, ventrisq; rapacis,
Est cibus ore tenus pastu summa ora replentur;
Non tamen est ardor tantus compressus edendi.

Amiæ mirè se amant & pro se invicem pugnant. 15. Amiæ mirè se amant mutuò, & opem, cum necesse est, mutuam ferunt acerrimè se defendendo: audaces enim & celeres sunt. Pugnam earum cum belluis aquaticis describit *Aristoteles lib. 9. Hist. Anim. cap. 37.* his verbis. *Quin etiam Amiæ cum belluam viderint aliquam, colligunt sese, & quæ magnitudine præstant, lustrantes gregem circumvallant; & si quæ violatur, defendunt. Dentes his validi, & jam cum aliæ belluæ, tum lamia aggressa vulnera accepisse acriùs visa est.* Amiarum pugnam cum Delphinis descripit etiam *Oppianus.* Similia quoque refert *Ælianus lib. 9. de Animal. cap. 5.* de Amiis, quas tamen *Troctas* vocat.

Anguillæ 16. De Anguillis hæc tradunt Authores. Imprimis *Aristoteles lib. 8. hist. Anim. cap. 2.* eas non superfluitare mortuas scribit, nec sursùm, ut cœteri pisces, maximâ parte efferri: aquis exemptas vivere posse, vel ad quintum & sextum diem, & Aquilone flante diutius durare, Austro minus. Nullam quoque vehementem mu-

tem mutationem tolerare, & quidem æstate, etiamsi in frigidam transferantur aquam, omnes plerumque interire. Frigoris quoque impatientes esse tradit *Gesnerus*, adeo ut aliquando ob nimium frigus ex vivariis egressæ intra fœni cumulos se abdiderint, & ibi nihilominus mortuæ fuerint deprehensæ. *Rondeletius apud Cardanum de variet.* refert in stagno *Magalone* projecto equi cadavere innumeras anguillas procreatas. In *Mincio* amne quandoque mille simul glomeratas capi. *Albertus ex Beda* recenset in quâdam Britanniæ parte tantam anguillarum copiam esse, ut inde anguillarum terra vocari meruerit, sed non omni tempore; velut in ortu cosmico Plejadum mense Junio: quoniam tunc aqua nunquam luto turbatur propter ventos oppositos, qui è terrâ erumpunt initio veris, cum jam terra aperiri incipit. Contra circa Virgilias maxime capi constat fluminibus tunc præcipuè turbidis.

Anthias 17. Quod belluæ non sint, ubi Anthias piscis moratur peculiari antipathiæ adscribendum putat *Aldrovandus lib. 1. de pisc. cap. 19.* Mirum porrò aliud de hoc pisce tradit *Ælianus lib. 12. de Anim. cap. 47.* *Anthiæ*, inquit, *cum sunt capti, miserabile præbent spectaculum: mortem suam lugere, & quodammodò supplicare videntur. Ac mirum quemadmodum homines, qui in latrones immisericordes & cœdis avidos incurrerunt, aufugere conantur; Sic sane ii retibus insultantes, insidias transilire conantur. Hæc dum molliuntur, trucidantur ferro. Qui hoc genus mortis evadunt, in terram antehac eis inimicam exiliunt, atque ibidem mortem obire malunt, quàm gladio perire.* Ita *Ælianus.* Quomodo etiam hi pisces socios captivos insigni astu liberare conentur, docet *Plutarchus opusc.* Utra animantium plus &c. his verbis. *Violentius Anthiæ succurrunt contribuli rejectum in tergum funiculum surrectis aculeis resecare, spinæq; asperitate conscindere soliti.* Vide etiam *Plinium Hist. Natur. lib. 9. cap. 59.*

Haleces. 18. Haleces sive Harengi non tantùm lucent de nocte in aquis ventribus versùs summum æquor obversis, atque tam vehementer, ut mare hinc fulgurare videatur; sed etiam ipsi luminis sunt appetentes: Ubi enim illud de nocte observant, gregatim adnatant & hoc astu alliciuntur in retia. *Author de Naturâ rerum apud Aldrovandum lib. 2. de pisc. cap. 10.* Harengum tradit aquâ vivere, omnium autem piscium ferè ea tantummodò, & nisi in eâ vivere posse. *Nam statim*, inquit, *ut aeris serena contigerit, exspirat, nec nullâ morâ est inter contactum aeris & exspirationem.* Non defuêre, qui ex puro aquæ elemento nutriri voluêre, quod in ventre ejus nihil reperiatur; quorum tamen opinionem refellit *Albert. M.* ut eum citat *Aldrovandus loc. supracit.*

Huso 19. Husonem *Author de Nat. rerum* scribit piscem esse mitissimum & timidissimum, quippe vel adversùs minimum pisciculum sese defendere vix possit, sed statim in fugam verti: captum potari vino generoso vel lacte, & vino inebriatum vivere posse pluribus diebus, bibere autem vini sextarios quatuor, antequàm inebrietur. *Gesnerus* ait Husones gregatim natare & cantum sequi tubarum, ad quem etiam ex adversâ ripâ accedant, & sic irretiuntur & exrrahuntur uncis. In aquâ robore valere dicuntur, ita ut si piscatorem cauda percutiant, è navi ejicere possint: quamprimùm verò caput extra aquas eminet, invalidi & quasi mortui perhibentur.

20. Murænæ carnis humanæ appetentes sunt. E vivariis egressæ quandoque piscatores adoriuntur, & è navibus in mare pronos dejiciunt. Reti circumdatæ maculas appetunt ipsas consciæ teretis ac lubrici tergi cum multiplici flexu laxari, donec evadant, ut tradit *Plinius lib. 32. hist. nat. cap. 2.* hamo inescatæ amplius devorant quàm hamum, admoventque dentibus lineas atque ita erodunt eodem teste. Infixæ hamo, quod sine cultellato dorso sese invertunt, cauda ictæ celerrimè dicuntur exanimari; capite verò ictæ difficulter: Unde animam in cauda habere *Plinius* statuit *ibidem.* Concentu etiam & tintinabulis à piscatoribus dicuntur evocari. *Ælianus* scribit, si plagam unam acceperint, torpescentes persistere, si plures, funditus irâ accendi. Aceti quoq; gustu in rabiem agi dicuntur. *Plinius hist. nat. lib. 9. cap. 23.* in Galliâ Septentrionali murænis omnibus in dextrâ maxillâ septenas maculas ac formam Septentrionis aureo colore fulgere duntaxat viventibus, pariterque cum animâ extingui, testatur. Murænæ

21. Phoca sive Vitulus marinus amphibium est animal, humore tamen victitat, nec diu extra aquam vivere potest. Phoca sive Vitulus marinus. Differt corporis figurâ ab omnibus piscibus & cetis, adeo ut quadrupedem vocaverit *Aristoteles.* Vorax est & piscibus & carnibus vescitur: partum suum effundit in littore, fœtus paulatim aquæ assuefacit, donec plene natare noverint. Pinnis, quibus in mari utitur, humi quoque vice pedum serpit. Vagatur per littora, & vicinos agros terrestrium more depopulatur; quin etiam vineta & pomaria suis spoliat fructibus, etsi quando colliculum ascenderit, unde descendere cogatur, tum pedibus ac capite in ventrem contractis & toto corpore in globum compacto maximo impetu in mare devolvitur, eòquod difficilis sit illi pedum usus. Maximus ei consensus cum mari, adeò ut eo mortuo & excoriato pili in pelle naturali instinctu similiter mari moveantur. Si mare turbatum in fluctus surrexit, illi pariter erecti insurgunt: Sin verò pacatum fuerit, illi pariter sternuntur. Hujus & corium corpori detractum sensum maris retinet, semperque comis recedente æstu inhorrescit. Hinc etiam corrigiæ ex eo factæ mutantur prout mare fervet aut quiescit.

quiescit. Nullum animal graviori somno premitur. Stertit etiam inter dormiendum & sæpe tam altè ut mugitum edere videatur. Animal quantumvis ferum sit, sæpe tamen mitescit, & ferinam deponit naturam, imo & disciplinam accipit. Nomine dum vocatur, incondito fremitu respondet. Homines & amare & odisse discit.

Reversi Indici natura inaliis piscibus capiendis. 22. De Reverso Indico pisce mirabiliter alios pisces capiente mira tradunt Authores: Vocatur autem Reversus ab officio, quod scilicet reversus, hoc est retractus venetur: quem in finem etiam squamis rugosis, spinisque acutissimis & maximè in dorso, & ab umbilibo ad caudam munitus est. *Aldrovandus de pisc. lib. 3. cap. 15.* hæc de ipso tradit. *De mira ejus alios venandi naturâ si scripsero, aniles omnino nugas nugari videbor, maximè si piscis cum sit palmi tantùm magnitudine magnos capere dixero. Ingenti animo atque intellectu præditus est, & ut Rondeletius ait, eodem quo Elephas ingenio præditus: nam facilè cicuratur, docilisque est, & loquentes intelligere videtur. Haud quovis tamen in venatione utuntur Indi, sed parvum & necdum adultum*, inquit, *Clusius lib. 6. Exotic. cap. 18. diligunt, & in aquâ marinâ esca ejus naturæ conveniente alunt, donec eum quam dixi, magnitudinem attingat. Venationi jam aptum alligato tenui sed valido funiculo secum in cymbâ ad mare deferunt, conspectoque aliquo Manati, aliovè pisce summâ aquâ natante, illicò Indus sumptum in manus Reversum piscem alterâ demulcet & blanditur vernaculo sermone admonens forti & valido sit animo, maximumque quem conspexerit piscem alacriter aggrediatur, atque cum commodum videtur eum in magnos pisces conspectos emittit. Reversus summâ celeritate in testudinem, aliumve quemlibet magnum piscem impetum faciens ejus lateri vel ventri se affigit & validè stringit. Piscis ictum & comprehensum sentiens à parvo illo pisce nunc in hanc modò in alteram partem se convertens per mare fugit: interea piscator Indus funiculum multas orgyas longum laxat & tandem dimittit, quia in extremo vel lignum vel super annexum habet, ne subsideat, sed sui indicium præbeat. Post modicum temporis Manati aut testudo vel alius quilibet captivus cui Reversus adhæret, defatigatus versùs littus fertur; piscator autem sensim funiculum in suam cymbam colligit paucarum orgyarum tenùs, quibus paulatim Reversus eum suo captivo trahitur. donec terram attigerit undis etiam ipsum propellentibus. Illico Indi piscatores in arenam desiliunt, atque si testudo capta est, eam convertunt, vel etiam in ipsa aquâ (nam periti sunt natatores) & in siccum pertrahunt: Si verò Manati, eum feriunt donec mactetur. Præda in littus pertractâ summâ cum animadversione & sensim amoliendus est piscis Reversus nam adeo fortiter adhæret prædæ, ut si quis ei vi adimere vellet in partes disceperet. Inde blandis id verbis peragunt, magnas gratias agendo pro præda acquisitâ. Adeo autem stolidi, sunt isti Indi, ut istum piscem eorum sermonum & blanditias intelligere existiment, nec animadvertant hanc esse piscis istius naturalem proprietatem, cum plerumque contingat tuburones & testudines in eo Oceano capi, quibus affixi & inhærentes reperiuntur Reversi: Unde apparet, posteaquàm alicui pisci sese affixerunt, sese ab eo liberare non posse nisi cum temporis intervallo. Ita Aldrovandus.* De altero pisce *Reverso* Cubæ insulæ Guaicano dicto, ejusque singulari naturâ pisces capiendi consule *Gesnerum lib. 4. de Aquat.*

Sturio ejusque natura. 23. Sturio vivit in aquis fluvialibus, quæ magnæ sunt & divisæ, in stagnis vivere diutius non potest, nisi ad dulces fluviorum aquas transire possit. ipse ut & muræna toto ore extrahunt humorem eorum, quæ sugunt ad suum nutrimentum, ut tradit *Albertus*. Cibi parum aut nihil admittit, cum sola aeris serena tranquilitas ad cibum ei sufficiat; quare ventrem angustum & intestina parva habet, ut docet *Author de nat. rer.* Austro etiam citius pinguescere, Aquilone verò flante subsidere in profundo dicitur. In lacte etiam positus diu, sicut in aquâ vivere perhibetur. Magnâ vi caudâ impellit moles non parvas, & sæpe ligna impetu caudæ quasi dissecat, ut tradunt *Eberus & Peucerus.* Husonem impugnat & vincit, ventre quem subierit crustarum in dorso aculeis sauciato: & similiter Crocodilum in Nilo, si modò piscis in Nilo Delphini præseferens formam, sturio est, ut inquit *Gesnerus.*

Thynni. 24. Sicuti Salmones in vere ex Oceano subeunt flumina, ascenduntque subinde dulcioris & purioris aquæ desiderio, & supremis demum locis pariunt; inde rursùs in mare descendunt, sive ipsi, sive fætus tantùm perpetuis fere migrationibus occupati: Sic etiam Thynni eodem tempore sive ex Oceano in Mediterraneum mare venientes, sive primum ex inferioribus Mediterranei locis ascendunt, donec in pontum ad summitatem pervenerint: ibi pariunt, ac rursùs egrediuntur. Dextrorsum autem subeunt pontum terram contingentes, sed remeant contrà: lævum enim in latus se admovent, quod propterea facere dicuntur, quia dextro oculo clariùs vident, lævo hebetiùs, ut *Aristoteles* tradit. Temporum quoque commutationes Thynnos exactè sentire & solstitia præclarè nôsse, nihilque iis ad hanc rem cœlestium rerum peritis opus esse: ubi eos hyemis initium deprehenderit, ibi libenter commorari, & ex eo loco ad vernum æquinoctium non se commovere docet Idem *Aristoteles, Ælianus, & Plutarchus.*

Xiphia sive Gladius. 25. Xiphias, sive Gladius piscis quidem tenuissimâ, ut ait *Oppianus*, pelle præditus, peculiari tamen telo validissimo armatus est, quo in alia aquatilia & res quasvis obvias sævire solet. Testatur *Jovius* in Oceano Indico validissimis rostris Lusitanarum navium latera ad sesqui palmum

palmum aliquando perforari; & *Gesnerus* ex amici cujusdam Viri docti & fide digni relatu scribit, quendam cum in Syriam navigaret, natantem juxta navem vidisse medium ab hoc pisce discissum. Veruntamen non ob hoc tantùm piscatoribus timori est maximo, verùm etiam quodsi in retia inciderit, rostro, corporisq; nisu omnia disrumpat, multoq; plus damni afferat, quàm lucri. Testatur etiam *Ælianus*, Gladium cum famelicus est, cibiq; inopia laborat, mucronati rostri incursu non solùm interficere pisces alios & devorare, verùm etiam ingentia Cete propellere & ulcisci: & ubi magnitudine profecerunt, contra navem in eam verso defixoque mucrone venire audere. Exortu Caniculæ ab œstro sive asilo ita divexari dicitur, ut in terram navesque se quandoque præcipitet. Quod *Oppianus* etiam his versibus indicare voluit.

Dum Canis ardenti turbatur sidere cœlum
Qui fixus madidis illos contundit in alis,
Incutit hæc celeres vires, stimulosque feroces,
Invitosq; agitat pestis furibunda natantes:
Hi torti stimulis incursant navibus altis,
In tanto volvunt luctantia membra dolore,
Et Thunni & Gladii diro vexantur asilo,
Non arcere queunt, non hanc propellere pestem,
Concitat, armatur rabie, furiuntq; dolore,
Exhorret vulnus, bacchantur in æquore lato,
Et sæpe in terram saliunt è gurgite vasto,
Et vitam in tanto mutant cum morte furore.

Zygæna piscis terribilis. 26. Zygæna terribilis piscis est, ut etiam *D. Basilius* notavit *Hex. hom.* 7. non solùm pisces aliquos, etiam magnos atq; natantes homines, si qui obvii occurrant, suæ frontis acie vulnerare, ac subvertere, sed amplo etiam ore & valde denticulato dilaniare solet. Unde qui piscandi aut quavis aliâ causâ longius à littore per pelagus natant; haud abs re eam exhorrescunt: quin cum sit aspectu ipso horribili, trucique, occursus ejus navigantibus & natantibus infaustus, inauspicatusq; olim habitus fuit, ut *Ælianus* quoque memorat. Vocatur Romæ, ut docet *Salvianus Ciambetta*: & in aliquibus Italiæ locis, *Pesce Martello*; in aliis *Pesce Balestra*, eoquod suâ figurâ utrumque repræsentet, ut docet *Gesnerus in coroll. de Zygenâ.*

Pastinaca marina. 27. Pastinacam piscem latum & cartilagineum non tantum natare, sed & volatum exercere restatur *Ælianus* his verbis. *Cum enim natandi cupiditate affecta est natare potest; cum rursus volandi studio tenetur, sursum versus sublimis volat.* *Gillius* tamen & *Salvianus* ob corporis molem volare posse negant. Carnivoram dicit *Aldrovandus de pisc. lib. 3. cap. 46.* & ex raptu vivere, & si quos ob motûs sui tarditatem assequi non valet, astu aggredi, atque ex insidiis: quod his etiam verbis meminit *Plinius lib. 9. cap. 42. pastinaca latrocinatur ex occulto transeuntes radio, quod telum est ei figens.* Quoscunque autem capit pisces sive vivos, sive mortuos, eos non attingit, nisi telo suo vulneraverit. Ingenio valere etiam hinc noscitur, quod radii sui veneno tueri sese calleat. Prætendentis enim manum subinde vulnerat, venenumque pestilentissimum infundit. Gaudet quoque musicâ, saltationibus & dicteriis. De veneni atrociâ in pastinacâ *Plinius* scribit sequentia: *Nullum usquam execrabilius* (inter venenata scilicet animalia marina) *quàm radius super caudam eminens pastinacæ, quinunciali magnitudine arbores infixus radici necat: arma sicut telum perforat vi ferri & veneni malo.* Refert *Ætius*, si quis pastinacæ caudam, quæ ictum intulit, auferat, & in arborem maximè quercum infigat aut suspendat, ipsam quidem arborem arescere, ægrum autem sanari, atque id quidem juxta contrariæ affectionis & remedii rationem contingere.

28. Bos marinus cetarius licet corpore sit magno, viribus tamen imbecilli & molli constat. Vorax est præterea valde atque *Æliano* teste non tantùm plurimos devorat pisces, sed etiam humanam præprimis appetit carnem. Cum porrò virium suarum infirmitatis omninò conscius sit, solâ corporis mole fretus est. Itaque si fortè natantem aut piscationi intentum aliquem observaverit, adnatans in altum se tollit & incurvatus desuper se injicit, ac suo pondere deprimit, & corpore toto gravis tecti instar superemineus & membris omnibus suis, ceu vinculis impediens emergere hominem & respirare prohibet. Quamobrem homo spirandi facultate ereptâ extinguitur, bos prædâ fruitur. Ita *Aldrovandus l. 3. de pisc. cap. 52.* Bos marinus.

29. Rana marina à *Plinio* & aliis *Piscatrix* ideò dicitur, quod singulari astu & solertia eminentia sub oculis cornicula turbato limo in mari exerat, assultantes pisciculos pertrahens, donec tam prope accedant, ut assiliat. Huic & pisci si per os ventriculus, intraneaque omnia eximantur, corpusque quoad fieri potest, distendatur, totum pellucidum fit, immissoque lumine laterna apparet horrifico aspectu, quemadmodum & piscis ipse vivus tetro, fœdoque est conspectu: Unde ab Italis *Diavolo marino* nuncupatur. Rana marina sive piscatrix.

30. Squatina à squalore dicta pisces cum ob gravitatem corporis assequi nequeat, clam venatur & ex insidiis, ut docet *Aristoteles* his verbis: Obruit se arenâ, cumque se totam occultaverit, verberat Squatina.

berat oris vi radiolos, ut piscatores vocant, quos pisciculi cum aspexerint, adnatant quasi ad algas, quibus vesci soliti sunt. Piscis est tam asperæ, scabræque ac validæ cutis, ut eburnea, neque non ligna, quantumlibet dura illâ poliri exactè queant: quod etiam *Plinius* docuit: & *Bellonius* piscatores Italos pellem ejus deglubere, foroque venalem exponere, assulisque distentam & exsiccatam fabris lignariis ad opera perpolienda utilem esse scribit.

Mustela sive lampetræ. 31. Mustelas, sive lampetras majores è mari ad fluvios ascendere certum esse scribit *Aldrovandus lib. 4. de pisc. cap. 13. Salvianus* majores rariores, contra minores frequentiores flumina ingredi. *Gesnerus* à docto quodam Medico Miseno se accepisse refert, veris initio migrare, & circa *D. Donati* diem, qui est septimus decimus Februarii nullas amplius apparere aut enim recedere, aut interire corpore reliquo tabescente, licet capitis moles magna relinquatur. Idem & ex Argentinensi perito quodam piscatore cognovit lampetras Salmonum è mari flumina subeuntium comites esse adhærendo eis. Initio Maji optimas esse; ab eo tempore quotannis irrequieto motu & natatione adeo exhauriri & emaciari, ut pleræque intereant, priusquàm pariant circà finem Maji aut postea. Quod si etiam fortè pariant aliquando, sobolem evanescere, nec unquàm apparere fœtus earum circà Argentinam. Adultas etiam, quæ non pereunt, cum fluvio aquâ secundâ exacto Majo auferri, nec amplius toto anno apparere. Hæc de mustela majore marino pisce. Mustela minor fluviatilis & lacustris piscis est voracissimus, nec ullus puto, inquit *Gesnerus*, pro suâ magnitudine pisces majores devorat. Sæpe in parvis etiam pisciculi integri inveniuntur. Profunda semper petit, adeo ut *Albertus* scribat, in lacu circa Constantiam ad trecentos passus sub aqua hamis extrahi. Piscem etiam valde dolosum & insidiosum esse ajunt, forte quia plerumque in fundo degit, vel ex cavernis, vel aliter latens ex improviso magnâ celeritate in prædam fertur. Ex piscibus solâ senectute obcœcari creditur, ut *Aldrovandus docet l. 5. de pisc. cap. 7. ex Ant. Ludovico* Ulyssiponensi Medico tradit *Mizaldus*, quod lampetræ pestis tempore frequenter comestæ innatâ vi contra diram luem summe efficaces sint.

Truttæ fluviatiles. 32. Trutæ fluviatiles in fluviis comprimis frigidioribus Saxosis & inter montes delabentibus nasci & degere solent. Ascendunt per aquarum præcipitia altissime cum magnâ vi contrà aquam luctari & saltu se promovere ad tres vel quatuor ferè cubitos interdum in ascensu queunt, propter aquæ puræ frigidæque delectationem aquarum scaturigines miro desiderio conquirere & in fontes, amnesque ex altis & præruptis scopulis proruentes incredibili impetu ferri solent. Tonitruis tanto metu & stupore affici dicuntur, ut quandoque loco manentes & erectæ propemodùm à piscatoribus aut aliis vulnerentur & capiantur.

Thymallus 33. Piscem Thymallum, ut *Ælianus* scribit, sic nominatum Ticinus Italiæ fluvius procreat. Ejus capti odor non indignam admirationem habet: *Non enim ut cæteri pisces pisciculentum mittit odorem: imo verò existimes te ejus gentilem herbam recentem ex terrâ lectam manibus tenere. Tanta sane odoris suavitate fragrat, ut qui eum ipsum non videt gratissimam apibus herbam, unde nomen duxit, in manu latere putet.* Ejusdem odoris meminit *D. Ambrosius. Cardanus* branchiis thymum olere asserit. Piscatores etiam noctu præsertim, cum in ripis ac naviculis sunt, suavi quodam & singulari odore hausto Thymallos pisces, priusquam videant, præsentes cognoscere, docet *Aldrovandus de pisc. lib. 5. capite 14.*

Percæ. 34. Narrat *Gesnerus* piscatores in Lemano observâsse percas hyeme emittere per os vesiculam quandam rubram ex ore pendentem, quæ vel invitas supernatare cogit; ut *Idem* inquit. Conjectare verò se, id ab eis fieri præ iracundiâ, quod in retia inciderint: hoc enim maximè tunc pati cum retia trahunt piscatores. Cœterum percæ celerrimum dicuntur exercere natatum. Citat etiam *Gesnerus*, *Georgium*, *Mangoldum* docentem in omnibus Jecur grandine affectum esse, & vix aliunde, quàm jecoris vitio laborare.

Lucius voracissimus audacissimus & vivacissimus piscis. 35. Lucius voracissimus & audacissimus piscis est. Ob Voracitatem non tantùm in pisces, sed & in ranas & quidquid ranarum more serpit, & in animalia etiam grassari non veretur. Exemplum adducit *Rondeletius* his verbis. *Narravit mihi*, inquit, *vir fide dignus, vidisse se mulæ, quam iter faciens in Rhodanum potatum duxerat, labrum inferiùs à Lucio dentibus apprehensum, cujus demorsu cruciatam & territam inde fugisse, & crebra capitis quassatione Lucium in terram dejecisse, quem ille palpitantem & in aquam redire conantem cepit, domumque tulit.* Scribit etiam *Gesnerus* Cracoviensem quendam Polonum sibi narrâsse, anseris pullos in ventre Lucii à se visos & hujus generis piscem aliquando pedem ancillæ in piscinâ apprehendisse; apud suos denique etiam fulicam in ventre Lucii repertam esse. Tam avidè verò pisces persequitur, sicut notavit *Aldrovandus*, ut præ nimio celeritatis impetu ita aliquando supra aquam efferatur, ut in scaphas interdum incidat. Vivacissimus est & longissimè vivere perhibetur. Ultrà enim ducentos annos vivere dicitur, nisi violentâ morte intereat. Quod confirmatur exemplo illius, qui à Friderico II. Imp. captus & cum certâ inscriptione in aquas immersus & post annos 267. inventus est. Erat autem inscriptio græcis quidem literis, in latinum autem trans-

translatis ita efformata in annulo: *Ego sum ille piscis huic stagno omnium primus impositus per Mundi rectoris* Friderici *secundi manus die 5. Octob.* Captus autem fuit Lucius iste Anno salutis 1497.

Abarmon. 36. Abarmon, vel, ut aliis dicere placet, *Abremon*, piscis est fœcundissimus, qui ova nonnisi ventre ad arenam asperam confricato emittit: in arena autem complet & educat. Hoc autem singulariter admirandum est in hoc pisce, quod dum mare tempestatibus agitatur, sobolem suam ventre recipere & denuo rursum emittere soleat.

Ova Barbi valde noxia. 37. Ova Barbi maleficâ vi pollere plurium constat testimonio. *Platina* testatur Ova barbi venenata esse, vimque turbandæ alvi & ventriculi subvertendi habere, idque Maji potissimum tempore. *Ant. Gazius* recenset cum experiundi causâ duos duntaxat de ovis hisce bolos comedisset, nihil se inde per aliquot horas noxæ percepisse: demum sub horam cœnæ plurimam in ore ventriculi sensisse inflationem, quam ut dissolveret, anisum sumpsisse, sed frustrà. Post horam faciem apparuisse tanquam à Syncope, ita ut adstantes & admirati & de salute timere inceperint; se interim magnam non solum in stomacho & ventre: sed omnibus membris externis alterationem & intemperiem quandam in unaquâque carnis parte sensisse. Tum supervenisse passionem cholericam, donec infra supraque simul pluries ova purgarentur magnâ cum anxietate, & virium prostratione & maximo vitæ periculo. Affirmat & *Gesnerus* quosdam degustatis his ovis similiter ferè affectos se novisse & quendam intra duas horas ab eis assumptis suprà infraque magna cum anxietate vehementer fuisse exinanitum. *Ephem. Germ. Cur. Ann. Dec. 2. obs 25.* refertur Anno 1678. die 22. Mart. gravidam quandam fœminam apud amicum in cœnâ magnâ cum aviditate insignem Barbum comedisse & præcipuè ejus ova, quæ satis habebat multa; tribus autem à cœnâ horis noctu summa sensisse tormina cum ejulatu: adfuisse anxietatem præcordiorum, vomitiones cum sudore ferè frigido, copiosas per alvum dejectiones, utrinque nil nisi biliosas, amaras, flavas, viridibus commistas, tenues, &c. Calorem itidem, sitim, inquietudinem, dolorem oris ventriculi, pulsum celerem & inæqualem ac debilem. Imo Barbiones non tantum ova habere maleficâ vi imbuta, sed ipsos etiam oculis nocere posse ex *Montano* refert *Schönbornius in manual. Med. pract.* In altero quoque Scholio *citati sup. loci Eph.* memoratur, ova piscis hujus non tantùm absterforiâ & purgatrice facultate pollere, sed etiam exacerbari quandoque in morbido vim illam maleficam & sub cute tumores steatomati aut meliceridi similes producere. Additur & exemplum illius maleficæ vis; quod cùm Anno 1678. mense Junio piscis ejusmodi tumore laborans à provida coquâ in fimetum fuisset projectus, isque à glocitante gallinâ frustillatim discerptus pullis fuisset objectus, dum avide devoraretur, pulli illi numero decem paucarum horarum spatio omnes extincti fuerunt sola pullastrâ manente salvâ, quæ dum suis salutem quæsivit, mortem attulit. Additur & æstum tunc fuisse maximum & communiter sentire Neptuni asseclas barbum tali squalida tempestate plerumque ægrotare & minus vescum esse, hyeme autem & sub rigidissimo gelu suavissimum & esui commodissimum esse.

38. Mirum plane est, quod de Dracone marino scribit *Ælianus lib. 5. cap. 37.* eum, si manu dexterâ quis attrahere conetur, non sequi, sed violente reniti; sinistrâ verò si injiciatur, cedere & capi. Nec illud quoque reticendum, quod *Gillius* scribit apud *Aldrovandum lib. 2. de pisc. cap. 50.* ex multorum relatione piscatorum eo tempore cum piscium genus amore tenetur, in vulnere, quod marinus Draco infixisset, pisciculos illi similes procreatos fuisse. Hujus etiam piscis tam viventis, quàm mortui ictum venenatum esse tradunt multi, & quotidianum piscatorum docet periculum. Ut Idem memorat *Gillius*: quocirca & captis statim aculei & capita tolluntur. Draco marinus.


39. In Italiæ fluvio Ticino piscis quidam natare dicitur, qui vocatur *Thymus*, ideo sic dictus, quod non oleat quidquam pisculentum, ut cœteri pisces, sed herbam suavem manibus contritam hujus nominis. Singulare etiam in hoc est pisce, quod non patiatur se seduci ullâ escâ, vel ullis insidiis, sed tantùm hamo comprehendatur, cui affigitur animalculum, quod hominibus interdiu & noctu molestum est, nempe culex. Thymus.

40. Peregrinus plane & exoticæ formæ piscis est triangularis *Guamaiacau Ape* dictus, qui *à Jonstono Hist. nat. de pisc. l. 4. Tit. 1. cap. 1. Art. 1.* inter exoticos læves pisces describitur: huic autem cornuto pisci peculiare hoc est, quod dum caret squamis, tegatur densâ cute in ventre quidem albâ, reliquo verò corpore fuscâ, atque ventre & lateribus usque ad altitudinem oculorum figuris mathematicis, trigonis scilicet, tetragonis, pentagonis, hexagonisque mire distinctâ & notatâ. Piscis exoticus.

41. Piscis est inter exoticos ab eodem *Jonstono* numeratus art. 3. ibidem, qui *Puraque* vulgò, à Lusitanis vero *piexe viola* ob citharæ figuram, quam habet, ita nominatur: hujus verò caro comesta dicitur semifatuos reddere. Comestores per tres horas; deinde verò homines sponte denuò ad se redire. Attactus etiam crepitum articulorum manûs & brachii causare, & si in medio tangatur, artuum tremorem efficere dicitur, caput ejus recens noctu lucere perhibetur. Puraque


42. In Orientalis Indiæ mari ad insulas Vissaias *Kirchero* docente in *Arte magnet. lib. 3.* capitur certis anni temporibus piscis Piscis anthropomorphus.


Tænia falcata.



Murena.


Gladius.


Squatina.


Rana piscatrix.


Raja.


Solea oculata.


Carangon.


Leo.


Leo


Milvus alatus.


Hipocarcinus


Scorpius marinus.





Sturio.


Cancer maias.


Orbis spinosa.



Craben.


Strombus.
Polypus.


Orbis.


Cancer marmoreus.


Orbis Rana rictu.


Mytulus.
Tellina cum dentalibus.


Balæna.


Ostracion.






Spondylis.




Corvus Niloticus.


Cancer brachijochelos.


Scarus.


Concha Tridachnes.
Stella marina


Amphisbœna marina.


Barbota.


Cancer Heracleoticus


Asellus


Cataphractus.


Delphinus.


Carpio.


Squilla ursa minor.


Squilla gibba.




Guacucuia.


Guebucu.


Guamaiacu.


Tiburunis.


Narinari.


Puraque.



...iversus.
Corvulus.
Asellus.
Pastinaca.
Canis Marinus.
Zingæna.
...ephantus.
Astacus similis pediculo marino.
Astacus marinus.
Piscis gibbosus.
...phinus.
Scolopendra cetacea.
Cancer marinus.
Phycis.
Testa Nautili.
Cancer.
Histrix.
Cancer maia.
Acus.
Cochlea olearia.
Anthias.
Piscis triangularis.
Pagurus.
Echinus.
Cochlea cylindroides.
Milvus.
Cochlea cælata.
Sargus.
Cancer Heracleoticus.
Hirundo.
Cancer.
Stella marina.
Pagurus.
Cete.
Scorpius.
Squilla.
Squilla lata.
Solea lingulata.
Sepia.
Camaripuguacu.
Paru.
Farra.
...perua.
Guaracapema.
Mesoro vel Blennus.

piscis *Antropomorphus*, id est, humanâ prorsus formâ, quam ideò *peche Muger* vocant, indigenæ verò *Duyon* nominant. Hujus verò piscis ossa insignem vim sanguinem sistendi, & attrahendi habent. Visu ut *Jonstonus* ait in *Hist. nat. de pisc. lib. 4. tit. 3. cap. 1.* ità sanguinem currentem stringere, quasi vena ligaretur. Efficaciora tamen fœminarum & ex his quæ maculis ad nigrorem accedentibus distinguuntur. Alius quidam dicit carnem carni hominis applicatam ita omnes spiritus ad se attrahere, ut hominem veluti stupidum reddat.

Piscis monstrosi vis se conglobandi. 43. Narrat ex *Hugone Linschotano Jonstonus lib. cit. cap. 2.* ex flumine quodam *Guæ*, cujus ostium hyberno tempore pro loci more obstructum erat, piscatores quosdam monstrosum extraxisse piscem, cujus similem nec in Indiâ, nec in aliis locis videre contigit. Hoc autem in hoc pisce admiratione maximâ dignum occurrit. *Grandibus & frequentibus*, inquit, *non secùs ac incus quædam plagis contusus, nil aliud faciebat, quàm convolvebatur & echini more caput, caudamque intrò condebat, ut globi exquisitam rotunditatem præstaret: Nemine interim juncturarum proportionem satis observante. Conglobatus nullâ vi, vel machinâ divelli, aut expediri poterat: Relictus tamen sponte se iterùm pandebat aut explicabat & quâ via patebat, errabat.* Ità *Jonstonus*.

Echinus marinus tempestates prænuntiat. 44. De Echino marino tradit *Cardanus lib. 7. de rer. variet. cap. 38.* eum ingruente tempestate in mari, ne agitatus spinas conterat, lapillis se obruere. Similia ferè recenset *Albertus M. l. 24. de Anim. in cap. de Eschyno*, uti sic vocat; his verbis. *Hic piscis prænuntiat tempestates: Sentiens enim materiam ventorum elevari, de fundo rapit lapidem stabiliens se ad ipsum, sicut ad anchoram: Et cum hunc lapidem Eschinum trahere vident nautæ, etiam ipsi anchoris figunt naves.*

45. Scombros beneficii memores *Ælianus Hist. animal. lib. 14. cap. 1.* prodidit, dum ait: *Manè à piscatoribus cibati feras Scombros gentiles suos cogunt & corporum suorum objectu ità concludunt, ut fugâ sibi consulere non possint, hinc capiuntur.* Plura ejusmodi alia circà admirandas in Aquatilibus compertas proprietates de industriâ transcurrimus: Neque enim omnia colligi in tanta rerum varietate possunt. Tabulam verò tantùm synopticam ex optimorum hujus argumenti Scriptorum, comprimis verò Clariss. *Joannis Jonstoni* operibus collectam subjicimus, ubi notabilia potiora de iisdem scienda facilè in compendio addisci poterunt. Atque etiam cùm tanta sit animalium Aquatilium varietas, ut integris libris eorum historia exponi non valeat; hinc visum est præcipua tantum quædam tàm peregrina, quàm obvia, communia & nostris in regionibus cognita ex abditis aquarum gurgustiis & profundissimis pelagi recessibus adducere, & contractâ periphrasi Curioso Lectori exponere. Scombri.

TABULA SYNOPTICA

Præcipuorum Aquatilium cum brevi eorundem descriptione, nutritione, naturali inclinatione, congruis moribus, & aliis quibusdam proprietatibus.

Aquatilium Nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Natura, mores & aliæ proprietates.
Acaraja Vulgò Garanha.	Piscis est peregrinus 3. pedum longitudinis, specie carpionis, squamis tegitur argenteis sanguineo colore umbratis. Pinnæ omnes sanguinei sunt coloris.	In Brasiliensibus aquis habitat.	Edulis est. Sale etiam conditur & servatur.
Acaramucu Brasiliæ piscis.	Compresso est corpore, nec crasso, verùm oblongo. In dorsi summitate directè supra oculos corniculum obliquè erectum habet instar fili paulò majoris, sive chordæ violinæ.	In mari vivit, & algâ muscoque marino vescitur.	Non est edulis. Pariti in tenebris & noctu appensus mirificè lucet.

Aquàtilium nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Naturæ mores& aliæ proprietates.
Acara Pinima.	Piscis est latus dorso incurvato. Totus vestitur squamis argenteis ex auro splendentibus. Omnes pinnæ & cauda coloris sunt lutei sive aurei.	Inter scopulos marinos degit.	Edulis est & boni saporis.
Acara pitamba.	Piscis est oblongo corpore ut mullus, vel barbus. Squamis tegitur ex purpureo cæruleis. Dorsalis pinna & tota cauda aurei sunt coloris.	Habitat in mari.	Edulis est. Assatus melius sapit, quàm coctus. Pinnæ ejus de nocte & in tenebris lucent.
Acara pucu.	Totus splendet squamis argenteis, in quolibet latere 6. maculas cæruleas habet.	Piscis est peregrinus fluviatilis, & in aquis fluvialibus nutritur.	Edulis est piscis.
Acus Major est, & minor. Item Vulgaris & *Aristotelis*.	Piscis est longus & tenuis. Rostrum habet acutum, tenue, longum & durum. Rimam habet in ventre, undè effundit ova.	In arenosis & saxosis locis marinis vivit.	Stolidus est: Nam ubi retia evasit, redit irâ percitus in eadem & lacerare conatur: ubi denuò irretitur & capitur.
Adonis *Exocætus*. Constantinopolitanis *Glnon*. Genuensibus *Una bavecqua*. Massiliensibus *UnGabot* vel *Gavot*.	Piscis est semipedali magnitudine, formâ terete, colore aureo, partibus quibusdam virescente, aliis magis rubescente. A branchiis ad caudam continuam habet lineam candidam. Plurium est specierum.	Saxatilis est piscis & in saxosis locis degit. Delectatur urticis ad littora.	Vivax supra modum est. Somni causâ sæpiùs in siccum exit. Diutius vivit in sicco, quod aëris magna copia, à qua suffocari possit, affatim non trahatur ob branchiarum structuram.
Age Vel *Aquo*, seu *Chalcis*: Aliis *Saracbus*.	Squamis tegitur tenuibus facilè decidui. Argenti tersi modò splendet. Os habet magnum. Branchiarum opercula incisa sunt. Pinnis, cauda, partibus internis sardinas refert.	Marinus & lacustris est piscis. In lacubus ità pinguescit, ut cum in craticulâ assatur, pinguedò velut oleum destillet. Maza ex eruis frictis, & myrrhâ vino odorato excepta delectatur: Uti & foliis betæ. Aliis etiam maris recrementis vescitur.	Ab aquâ nomen habet, quod sit illi tàm necessaria, ut ab eâ remotus celerrimè intereat.
Alauda *Galeritia* est sive *cristata* & *non cristata*.	Galeritia scorpioidi similis, est digiti magnitudine: Tenui corpore, coloris fusci maculis notata. Non cristata est capite parvo & rotundo, corpore lævi & lubrico multis maculis asperso.	In saxosis & petrosis locis degit. Sub lapidibus vel in cavis cautium quiescit frequentiùs. Aquâ, muco, parvis antherinis & aphiis vescitur.	Non cristata, si manibus incautè attrectetur, ferit & piscatores mordet.
Alburnus Ab albedine nominatus piscis est communissimus.	Parvus est albedine insignis, molli carne, 3. aut 4. digitos longus. Oculos habet magnos rubescentes, caput parvum, corpus latiusculum sed depressum, squamis tegitur tenuibus.	In fluviis & lacubus degit. Vorax est: vescitur vermibus, ranis & aliis in aquam injectis.	Valet bono odoratu. In cavernis cùm degit, escæ in hamo positæ odore facilè evocatur & capitur.

Alosa

Aquatilium nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Naturæ mores& aliæ proprietates.
Alosa Sive *Thrissa.* Hispanis *Saboga,* Italis *Chieppa,* Batavis *Helft.*	Figura est oblongius-cula & in latera ità compressa, ut imus venter rectâ lineâ peracutis aculeis constructa terminetur. Caput est in latera valdè compressum Os patulum & edentulum. Rostrum acutum. Suprà oculos utrinque gemmæ quasi smaragdinæ relucent.	Piscis marinus est frequens circà Siciliam: Frequentior in Aquitaniâ. Vere & æstate dulces fontes & amnes petit & ibidem pinguescit.	Ex mari intrat fluvios maximè ineunte vere, dum in utero habet. Mirè delectatur cantu, & pulsibus testarum crepitantium. Valdè terretur tonitruis, ut etiam indè exanimetur.
Amia Sive *Trotta Æliani.*	Rostro est acuto; ventre crasso, caudâ tenui, dorso cæruleo, atque splendente. Oculos habet parvos auri æmulos, dentes ferratos.	Magna ex parte carne & piscibus victitat; algam quoque tangit.	Gregalis est piscis, audax & celer, cum Delphinis & Lamiis pugnat.
Amore Geacu Cui ferè similis *Amore tinga.*	Corpore est oblongo, capite crassiusculo; squamis tegitur majusculis, piscis in totum ferrei coloris est: In ventre nonnihil albescit; longitudinis semipedalis.	Peregrinus piscis est in Brasiliensibus aquis vivens.	Edulis est.
Amore pixunca Vulgò aliàs *Amorea.*	Capite est lato, ore amplo & edentulo: corpore oblongo, coloris obscurè ferrei. In ventre qui extuberat, albi. Cute tegitur molli.	Peregrinis Indiæ Occidentalis aquis innatat.	Carne est siccâ & bonâ ut Tamoäta, cui etiam magnitudine similis.
Anguillæ Duplicis sunt generis: Majores & Minores.	Anguis habent speciem: Unde & nomen: Os habent satis apertum dentibus acutis munitum multiplici ordine. Læves sunt & lubrici.	Aluntur radicibus, herbis & similibus in limo. Ranis etiam, vermibus & piscium partibus delectantur.	Quamvis limo gaudeant, aquam tamen puram amant & turbidam fugiunt. Frigoris sunt impatientes. Æstate, cum in alia loca transferuntur, facilè intereunt; non ità hyeme.
Antherina	Pisciculus est marinus littoralis Aphytis similis. Dorso est spisso, ventre leviter depresso: Ore parvo sine dentibus, oculis magnis, colore vario.	Pascitur in algoso maris littore.	Gregalis est. Circa vernum æquinoctium juxtà terram arenæ atterens alvum parit.
Anthias Sacer ab Antiquis piscis fuit habitus.	Cujus ferè magnitudinis sit, non convenit inter Authores. Variæ sunt ejus species.	In Saxosis locis degit, ea tamen quandoque etiam deserit explendæ gulæ causâ. Vorax est.	Ubi sunt anthiæ, belluas non conspici volunt communiter.
Apuæ Sive *Aphiæ*, quarum plura sunt genera apud Oppianum.	Communis est omnibus candidus color. Caput habent majusculum, oculos elatos & nigros.	In scopulis, quorum multiplices sinus excavavit unda, versantur.	Natant agminatim, ità ut cæruleum marehinc album compareat. Mirè se implicant, ut earum occursus pactarum naves etiam retardet.

Aquila

Aquatilium nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio & Victus.	Natura, mores, & aliæ proprietates.
Aquila marina. Sive *Pastinaca major.*	Milvi & aquilæ rostrum & oculos habet. Palatum dentibus latioribus velut tabellis tàm supernè, quàm infernè constratum est. Tergum livet; venter albicat, caudam habet longam.	Frequens est in mari Adriatico apud Clodiam insulam. Vescitur piscibus, quos subito abripit & devorat.	Acuti in aquis visûs est. Lapis in capite contrà ebrietatem valet appensus aut in vino potus. Caudam habet venenatam.
Aramaca Lusitanis *Lingonda* vulgò *Cubricuncha.*	Soleæ est similis, cujus & figuram habet. Compresso est corpore, caret linguâ, vestitur squamulis parvulis, & in toto sinistro latere, ubi oculos habet, lapidei est coloris, in latere dextro albi.	Vivit in mari, inter arenas victum quærit.	Edulis est, & boni saporis.
Asellus Cujus plures sunt species, à cinericio colore, qualem & asini habent, dictus est. Ad hunc refertur *Melanurus* & *Perca.*	Tumidum habet ventrem & grande caput: vocatur idcircò nunc ventricosus, nunc capitosus Asinus. Os habet amplum, carnem minùs laudabilem.	Nutritur quibuslibet contentis in aquâ, algis & herbis marinis. Vescitur & stercore. In mari Britannico & juxtà Bataviam ingens illorum degit copia.	Recens carnem habet albam mollem, & friabilem palatoque non ingratam. Exsiccatus osseam ferè duritiem habet.
Astacus Marinus est, vel fluviatilis.	Crustatum est animal colore toto nitido sed nigritiâ insperso. Facies acutior, pectus autem latius, totumque corpus carnosius & mollius est quàm locustæ.	Frequens in Oceano; in Euxino tamen nullus reperitur. In saxis habitat. Sine humore longiùs à mari deportari nequit.	Loci patrii amantissimus est, ut haud longiùs deportatus eodem denuò adrepat. polypum valdè extimescit.
Attilus Padi incola.	Piscis est cartilagineus magnus Sturioni similis; hujus enim more ossa gerit clypeata, quæ tamen cum tempore abiicit. Os clausum ad obliquam lineam incisum est, sed apertum hians, rotundum est. Oculos habet parvos.	Pado est peculiaris. Loca pisculenta maximè frequentat, hyberno præsertim tempore vorticosas ad pastum & cibum subit voragines.	Tota vis hujus piscis sita est in capite. Inimicitiam habet cum culpeâ, quæ venæ cuidam in faucibus hujus piscis mirâ cupiditate insidiatur, morsuque sic exanimat.
Aurata Ab aureo colore nomen habet.	Piscis corpulentus est & latus: Pinnis natat quaternis, imò & quintam habet in inferiore & posteriore parte præter caudam & branchias utrinque quaternas. Cor est in pectore quadratum.	Vescitur pisciculis, tellinis, & conchulis parvis, quas validis maxillis frangit, scarique more ruminat.	In mediâ æstate latet, in hyeme ægrotat. Piscis est omnium timidissimus, & frigoris valdè impatiens, parit iis in locis, ubi flumina exeunt in mare.

Aquatilium nomina.	Deſcriptio & Forma	Locus, Nutritio, & Victus.	Natura, mores & proprietates.
Balæna Cetacei eſt generis.	Piſcis eſt grandis, viviparus, pulmone præditus, ideoque ſpirans & branchiis carens, quarum loco prægrandem fiſtulam in fronte gerit, per quam humorem, quem ore excepit, magno impetu effundit & rejicit.	Piſcibus victitat, quos vivos deglutire ſolet. Piſciculo *Lodel* devorato in furorem agitur, nec ulli parcit. Incolit maria vaſta, comprimis circà Islandiam, Grœnlandiam & vicinia Septentrioni loca.	Dormit editâ per ſumma fiſtulâ, ſtertens auditur, inimicitiam cum Delphinis, thunnis & orcâ gerit. A Gladio piſce vehementer timetur.
Barbota Gallorum.	Anguillæ vel congri more glabram habet cutem & caput. Continuam in tergo habet pinnam ad caudam definentem. Tergus & latera fulvum & ſublividum colorem habent, venter autem albicat.	Mucore & cœno veſcitur, in eoque delitescit.	Cœnum & lutum anſerum modo roſtro ſolet commovere.
Barbus Gallis Barboau, Barber & Balbario. Vocatur & Myſtus ac Muſtacatus & Mullus.	Piſcis eſt oblongus & in latera modicè compreſſus, ſquamis exiguis præditus barbâ gemina celebris. Roſtrum habet longius & acutius, cartilagineum & molle.	Veſcitur algis, piſcibus, cochleis, & cadaveribus. Adeò vorax eſt, ut ne ſuo quidem parcat generi. Sub collibus & ripis prominentibus libenter verſatur.	Frigoris impatiens eſt. Parit æſtate prope littora. Ejus ova malignâ virtute ſunt prædita. Amicitiam cum ſqualis habet.
Belone Sive Raphis.	Piſcis eſt aculeatus, longus, tenuis & lævis. Roſtrum habet peracutum ac durum quaſi corneum.	Hoc piſce Tibiſcus Hungariæ abundat.	Serò fœtificat & hyeme parit. Unus ex omnibus piſcibus parit dehiſcente utero.
Blennus	Piſcis eſt colore vario, licet totus ferè liveat, plerisque tamen locis rubet aut flaveſcit. Squamis tegitur paucis, tenuibus, & facilè deciduis, caput habet magnum.	In algoſo littore verſatur. Veſcitur apuis, ſquillis, ſimilibusque piſciculis. Horum inopiâ ipſas depaſcitur herbas.	Guloſus eſt ſed ſtupidus, carnis eſt mollis, glutinoſæ & excrementitiæ.
Camaripuguaca	Piſcis eſt dorſo recto, ventre paulùm extuberante: pinguis ad tactum, longitudinem acquirit 11. aut 12. pedum, craſſitiem viri, ſquamis majoribus tegitur.	In mari vivit.	carnem habet lentam quæ diu coqui debet, multas in carne ſpinas: magis aſpectabilis eſt piſcis, quàm edulis.
Camuri Luſitanis *Robalo.*	Lupo noſtrati ſimilis eſt figurâ corporis, ſquamas habet ut carpio.	In mari capitur.	Edulis eſt.

Aquatilium nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio & Victus.	Natura, mores, & aliæ proprietates.
Cancer *Gamarus sive Astacus fluviatilis.*	Est animal aquatile exangue, crustaceum corpus habet rotundum non longum; pedes denos cum forcipibus, seu brachiis: caret caudâ, id verò quod cauda putatur, pars est corporis.	Vescitur conchiliis, & carnibus. Urgente fame etiam propriam invadit gentem. Lacte sine aquâ & potari potest & nutriri multis diebus.	Mas valde lascivus est, fœmellas plures in unâ cavernâ habet & pugnat pro iis. Pollet odoratu unà cum lunâ crescit & decrescit. Autumno & vere pinguescit, hyeme latet.
Canis maximus	Cetaceus est, branchiatus, magnitudine Thunnos vincens. Os non in rostro, sed ut in aliis canibus, supinâ est parte. Dorsum est breve & latum, cauda minus crassa & spissa cute asperâ tegitur. Oculos habet maximos.	Voracissimus est, cœteris piscibus infestissimus. In ipsis nassis aliquando pisces adoritur. In alto pelago degit: aliquando & ad littora se recipit, carnis humanæ præ cœteris avidus est.	Infestus est Urinatoribus, & pugnat cum iis. Fortissimus est, ut etiam captus caudæ vibratione prope adstantium nuda brachia aut crura dissecare queat.
Cantharus Sive *Canthenus* à similitudine Canthari sic dictus.	Scorpionis est forma Branchiis, pinnis, & aculeis auratæ vel sargo est similis, squamis tegitur parvis. Caput, & quæ circà oculos sunt partes ex nigro rubescunt.	Littus amat & in cœnosis littoribus ac portubus versatur. Vescitur sordibus, herbis, carne, pane, caseo & rebus omnibus ex navi in mare projectis.	Turget amore & pugnat pro conjuge. Zelotypus est. Luto & sordibus delectatur. Piscis aliàs vilissimus est.
Capeuna	Corpore est oblongo, non lato, long. 7. digitorum. Squamis parvis argenteis tegitur, in quibus & quid auri resplendet.	Inter Scopulos marinos capitur.	Coctus boni saporis est.
Capito A capitis magnitudine dictus. Vocatur & *Squalus.* Huc refertur etiam *Orfus.*	Varia sunt genera, utr. Capito sive squalus Veterum. 2. minor fluviatilis 3. fluviatilis rapax. 4. subruber sive Orfus Germanorum, qui in dorso rubicundo, in ventre albicante est colore.	Vescitur cœno, sordibus & animalculis, quæ in aquæ superficie natant.	Piscis est callidus, gregalis. Laudatur mensibus Aprili & Majo captus. Assus in cibis præplacet.
Caraunâ.	Squamulis universim lunatis tegitur. Coloris est miniati per totum, & ubique punctula nigra inspersa habet, præterquam in ventre.	Inter Scopulos marinos degit.	Edulis est, mollis ad modum carnis ac boni saporis.
Carcharias	Magnitudine Galeos omnes excedit. Cute tegitur asperâ. Os in mucronem exporrectum non in rostro, sed supinâ est parte. Caput habet amplissimum.	In alto mari degit, nonnunquam tamen ad littora & amnes natat prædam insequens: carne vescitur, & pisces ex insidiis adoritur. Delectatur carne humanâ.	Cum caniculis acriter dimicat. Thunnos persequitur. Dentes illius puerorum dentitionē juvare, & pavores arcere perhibentur.

Aquatilium nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio & Victus.	Natura, mores, & aliæ proprietates.
Carupo Cujus duæ sunt species.	Corpore oblongo est, dorsum habet crassum & obtusum. Venter acutus est ut culter. Coloris est ex fusco & puniceo rubro mixti, in dorso tamen & capite magis nigrescit.	In lacubus capitur.	Edulis est & boni saporis piscis.
Catan *Ostracioni* affinis.	Longus est pedes aliquando 15. cortice tegitur durissimo laminis Rhomboidis figuræ contexto. Rostrum habet prælongum & acutum.	In lacubus aut magnis provinciæ Panucensis fluminibus degit. Ex aliorum piscium canumque raptu vivit. Homines etiam interdum aggreditur.	Edulis est & salubre confert nutrimentum. Editur verò melius assus, quàm coctus & elixus.
Cataphractus Vulgò Steinbicker/ Müller & Bursboll.	Longitud. est 2. palmorum, caput habet ferè triangulare depressum, angulosum ac latum. Rostrum habet resimum 4. apiculis munitum. Totus squamis osseis tegitur. cauda in pinnam subnigram desinit.	Frequenter capitur circa Nortslandiam Oceani insulam, Ostia, Albis & Ederam. Victitat squillis & aliis pisciculis.	Dulcem habet carnem & ob id in magnis habetur deliciis.
Ceixupira	Corpore oblongo est & crasso; squamulis exiguis vestito. Colore totus est niger excepto ventre, qui cretæ instar albissimus est, in lateribus canescit.	In mari apud Indos capitur.	Gravis est pondere, &, pinguis piscium omnium reputatur optimus in Brasiliâ, præsertim, quando mediocris est magnitudinis.
Cetus Cujus variæ sunt species: ut *Delphinus*, *Balæna*, *Orca*, *Phocæna &c.*	Piscis est maximus pulmonem habens. Quintuplo sæpe major est Elephante. Linguam habet latam, non adhærentem palato, neque osseam sed carnem.	In profundissimis & amplissimis maris tractibus degit, voracissimus est. Pinguescit valde: insidiatur maximè halecibus.	Vitam ducit otiosam, vocalis est. Magno boatu ingentia sæpe replet loca. Ova non parit, sed vivum & perfectum ex se parit animal.
Conger Sive *Congrus* Cujus duo sunt genera, quorum unum albicat, & pelagium est: alterum nigricat, & littorale est.	Longus est & lubricus serpentis habens figuram. Rostri extrema sive labra sunt carnosa. Dentes habet parvos pectinatim coeuntes. oculos magnos, branchias binas, pinnas duas. Cauda acutè terminatur.	Marinus est piscis circà Siciliam frequens in paludibus & ad Ostia fluminum aquæ dulcis & cœnosis locis libenter degit. Carne & piscibus aliisq; victitat. Proprium genus etiam adoritur.	Hybernis mensibus latet ob frigus. Pugnat cum murænis, locustis & polypis. Quidquid dentibus aut morsu impetere potest, vincit.
Coracinus Pro variâ ætate alia habet nomina. Major vocatur *Platistacus*. Medius *Millus*: minimus *Globis*. Vulgatè & *Corvus* nominatur.	Auratæ similis est, cubitalis aliquando magnitudinis. Dorso est repando, colore subnigro, squamis tegitur magnis & latis. Oculos magnos habet, ore est mediocri, dentibus parvis.	Vescitur alga. In mari capitur: cum inde extrahitur, caput subaureo colore micat ad purpureum exsaturatum vel ad nigrum accedente, ita ut aurum subesse videatur.	Celerrimè adolescit, parit bis in anno, amat gregem & societatem. Continuò movet oculos.

Aquatilium Nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Natura, mores & aliæ proprietates.
Cerocoro	Piscis est dorso incurvato, capite & ore obtuso, pedalis longitudinis, squamis majusculis vestitus argentei coloris.	In mari capitur.	Edulis est.
Cuculus	Piscis est rotundus & carnosus, glaber est toto corpore præterquam in latere medio squamis obtecto.	Inter Brasiliam & Portugalliam ingens illorum copia reperitur, pelagum incolit, nec littora refugit.	Celer est motu adjutus pinnarum magnitudine.
Cucupu - Guacu Lusitanis *Meros*.	Piscis est magnus 5, aut 6. pedum. Squamas habet parvas, nigris minutis punctulis est distinctus.	Capitur in mari.	Edulis est & bonam satis carnem habet.
Curema Species Tachinæ.	Piscis marinus est longitudinis 2. pedum. Corpore est oblongo ferè cylindraceo, crasso, & prepingui. Squamis tegitur magnis clypeatis. Color folius piscis obscurè cinereus est.	In mari vivit, ibique capitur.	Præpinguis est & coctus & assatus sine oleo & butyro comedi potest. Salitur quoque & in muria servatur ad esum. Optima illius pars venter.
Curimata	Carpioni figurâ, colore & carne penè similis est.	Non capitur nisi in dulcibus aquis.	Edulis est & boni saporis sicut carpio.
Curvata pinima Lusitanis Böinto.	Piscis est corpore oblongo satis tamen lato & crasso, amplis branchiis & oculis grandibus argenteis, caret squamis. Color in dorso & lateribus subvirescit, in ventre albet & splendet lineâ aureâ per medium laterum insigniter notatur.	In mari vivit, ibique capitur.	Edulis est & boni saporis.
Cururuca Species est *Corvina*.	Oblongo est corpore sesquipedali. Squamas habet mediocres & argenteas cum auro & subfusco parum mixtas.	Piscis est fluviatilis dulcis aquas incolens.	Edulis est.
Cyprinus Sive *Carpio*.	Crassus magis quam longus esse videtur. Squamis validissimis & latissimis præditus est. Caput habet breve, dentes inæquales, barbam geminam, pinnas varias caudam latam.	Fluviatilis est & lacustris. Vescitur herbis, muco, tritico & aliis frumentis. Luto delectatur ac terrâ argillosâ.	Piscis est fœcundissimus quinquies aut sexies uno anno pariens, & numerosâ prole brevi tempore piscinas replens.
Delphinus Cetacei est generis.	Rostrum habet simum, linguam mobilem brevem latam, carnosam, dentes parvos acutos, oculos magnos, sed cute adeò tectos, ut sola pupilla promineat, dorsum gibbosum, fistulam suprà emittit.	In omni penè mari reperitur. Piscibus victitat præsertim minoribus, quos pernicissimè insequitur etiam ad fundum usque maris.	Gregatim natat. Fœtus magno fovet amore. Cantu & musicâ delectatur. Gaudet hominum societate. Celerrimè natat. Non ova sed vivum parit animal.

Draco

Aquatilium nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Naturæ mores & aliæ proprietates.
Draco marinus Italis *Pesce Ragno.*	Forma est oblongâ, capite magno & rotundo: In dorso & ventre est aculeatus.	In mari vivit, piscibus victitat.	Hujus piscis tam viventis quàm mortui ictus venenatus est.
Echineis Sive *Remora.*	Diversimodè à diversis describitur & formæ valdè diversæ ac magnitudines eidem tribuuntur.	In Oceano vivere, & inter saxa lentè serpere perhibetur.	Naves retardare & sistere; lites remorari; conciliare & conservare impurum amorem; aurum attrahere ac partus continere fabulantur.
Echinus marinus Siculis *Rizo.*	Forma est in rotunditatem conglobata, demptâ unâ parte parùm compressâ, in quâ os est rotundum: reliquâ formâ jucundum maris præbet spectaculum.	In fundo maris versatur & inventis ibidem victitat.	Præsagit tempestatem futuram rotando se per maris fundum & correptis lapillis se operiendo. Ova ipsius eduntur cruda, orique grata sunt, etsi salsa & subamara.
Enchrasicholos	Parvus est piscis argenteo colore micans, tergore ad cæruleum accedente. Si soli opponatur, transparet.	Arenæ spurcitiis ac cœno vescitur.	Gregalis est. A Decembri usque ad Quadragesimam copiosè capitur.
Eperlanus A nitido & splendido colore, quo unionem refert, sic dictus est. Marinus est & fluviatilis. Anglis *Schmelt* vocatur.	Parvus est piscis tenui à terete compage. Dentes habet in maxillis & linguâ. Cauda bifurca est. Corpus transparet demptâ lineâ nigra, quæ spinæ internæ parti adhæret.	Caridibus, culicibus, Aphiis, æstro, lendibus, millepedibus, pediculis & ejusmodi aliis dejectamentis vescitur, in ostiis fluminum, quę mare influunt, est frequens veluti Rhotomagi & Antverpiæ.	Violam hic piscis gratissimè olet: Quamobrem quidam violam vocari posse censent. Carnem habet mollem & friabilem in fine æstatis: Et autumni initio capitur.
Erythrinus	Ruber est ut mullus, dilutior tamen, & latus ut Aurata. Rostrum habet acutum, sed non valdè extensum, os parvum, caput utrinque compressum.	Peculiaris est mari. Hyeme in alto degit. Æstate circà littora versatur. Carnivorus est: Cancellis & aliis pisciculis insidiatur, nec locustis & cicadis parcit.	Gregalis est, parit ineunte æstate. In cibo sumptus venerem concitare & alvum sistere dicitur. In vino putrefactus vinum hoc bibenti tædium vini perhibetur efficere.
Faber Romæ *Citula*, Liguribus *Rotula*, Hollandis *Gallus marinus*.	Coloris est varii. Caput & dorsum obscura sunt, pinnę nigrescunt, latera partim ex cæruleo virent, partim aurea sunt. In medio corpore macula nigra orbicularis colore cœlesti cum tribus imagunculis figura quasi Hippocampi aureo colore spectatur.	In saxis degit. Carnivorus est, nec alia maris excrementa spernit.	Omnia fabrilia instrumenta in eo comperiuntur, unde & nomen accepit. Carnem habet satis teneram & friabilem.
Fundulus A fundo fluviorum, ubi plurimùm degit, nomen sortitus est.	Piscis est parvus digiti longitudine: Maculas à capite versùs caudam habet nigricantes. Squamis tegitur parvis: Caudam habet exiguam.	In fluviis & lacubus habitat. Nutritur musco, hirundinibus aliisque in aquâ contentis: Cadavera etiam submersorum invadit. Calvariis bubulis maximè delectatur.	Parit bis aut ter in anno. Ova singulari folliculo inclusa habet. Amat fundum. Præstantior cùm arenis & saxis adhæret.

Aquatilium nomina	Descriptio & Forma	Locus, Nutritio & Victus	Natura, mores & aliæ proprietates.
Galeus *Acanthias, sive mustelus spinax aut spinus.*	Corpore est sensim gracilescente, dorsum habet cinereum. Venter albicat.	Cœnosa maris receptacula incolit, flumina nunquam subit, piscibus victitat.	Gregalis est. Carne est durâ & insipidâ.
Galeus Asterias Sive *Mustelus stellaris.*	Lævi Galeo similis, cute tamen est læviori, maculis in dorso stellarum speciem exhibentibus insignis.	Incolit mare & piscibus victitat.	Galeorum optimus & tenerrimus habetur.
Galeus Canis Sive *Mustelus.*	Corpore oblongo est & rotundo cinereo: à podice ad extremã usq; caudam gracilescit. Oculos habet oblongos.	In cœnosis maris locis habitat. Carne vescitur.	Cregalis non est. Natantes homines adoritur. In cibis plebi tantùm inservit.
Galeus Lævis Romæ *pesce columbo*	Colore est albicante, corio lævi, ore edentulo: cœteris cum Galeo cane convenit.	Degit in mari, victitat piscibus.	Inter gregales habetur.
Glanis Sive *Glanias, aut Glanus*, ab insulâ Glanide Italiæ nominatur.	Spinæ pro ossibus insunt, non cartilagines. Corpus habet fuscum nigris maculis distinctum corium crassum est & lubricum sine spinis, caput grande depressum; Venter est magnus deformis, subalbidus, magnitudinis est eximiæ.	Vescitur carnibus, nec minoribus tantùm pisciculis ventrem implet, sed & in majores, imo homines & equos grassatur. In locis maris cœnosis habitat. Nunquam aquam salsam ingreditur.	Caudâ concussâ pisces præsertim minores ori admovet. Caniculæ exortu sideratur: fulgure etiam sopitur.
Glaucus *Æliani*	Forma est galei, ad quorum genus refertur. Piscis est cute lævi, dorso cæruleo, ventre candido, rostro acuto, magnitudinis 4. aut 5. cubitorum.	In mari habitat. Carnis humanæ avidissimus est, & ad littora deambulantibus hominibus insidiatur.	Parvulos suos instante periculo excipit. Præterito revomit.
Gobias *Capitatus* à capite pro ratione corporis majore nominatur.	Capite est magno lato, & depresso cum oris magno hiatu sine dentibus, quorum loco labra instar limæ asspera habet. Oculi pectant sursùm.	In rivis frigidis & montanis ac fluminibus præcipitibus sub lapidibus degit. Carnibus vescitur. Proprium etiam genus invadit.	In aquæ fundo non tam natat, quàm subito impetu instar teli se vibrat & quo cupit, momento trajicit.
Gobias *Fluviatilis, non capitatus.*	Barbatulus est cirris singulis in angulis labiorum perbrevibus à capite versùs caudam maculas utrinque per media latera nigricantes rotundas habet.	In fundo cœnoso degit. Vescitur musco vel algâ: item arenulis & hirundinibus minimis. Submersa etiam hominum cadavera depascitur.	Æstate vermiculis quibusdam in ventre vitiari dicitur. Salubrior est ubi aquas arenosas in nutrimentum habet.
Guacari	Piscis est subrotundo, seu pyramidali corpore. Squamæ tactu sunt asperæ, quasi exsculptæ, & totum corpus loricatum est. Color totius piscis est croceus dilutus, in ventre saturatior: per totum etiam maculis rotundis notatus est.	Reperitur in aquis Brasiliensibus.	Vivax est & diu etiam extra aquam vivit ad 5. horas. Editur detractâ loricâ, paucam tamen habet carnem, intestina habet longissima instar fili, quibus vela consuuntur.

Aquatilium nomina	Descriptio & Forma	Locus, Nutritio, & victus.	Natura, mores & proprietates.
Guabi coara Brasili. *Buraco* Lusitanis *del velba.*	Piscis est corpore latiusculo, dorso elevato, & à capite arcuato. Squamas habet mediocres instar percæ. Caput totum est aurei coloris.	In mari inter scopulos capitur.	Piscis est edulis boni saporis.
Guaperua Piscis exoticus ad orbium classem pertinens.	Os habet satis amplũ & elatum instar canis. Linguæ loco habet lapidem instar carpionis. Squamis caret. In fronte corniculum gerit erectum & retrorsum ante corniculum filum tenue cum appendiculo, ut in liliis appensum habet.	Degit in mari. Vescitur squillis.	Natans explicat pinnas & inflat se, ut instar orbis sive pilei appareat rotundus. caro ejus non comeditur.
Guaracapema Mas *Doradæ.*	Piscis est compresso corpore & lato licet non ita crasso, squamulis minutis tegitur totum corpus cæruleis maculis variegatur.	In mari vivit, vescitur pisce longo *petambo* appellatur.	Velocitate natandi superat porcos marinos, & eodem modo saliendo movetur. Carnem habet siccam boni saporis.
Guara Tebera	Magnitudinis est 7. vel 8. digitorum, capite obtuso, dorso incurvato, oculis crystallinis in circulo aureo.	Peregrinus est piscis Brasiliæ notus.	Edulis est.
Guarera	Piscis est corpore lato & compresso; ore patulo cum denticulis minutis. Squamulis degitur nigri coloris.	In India reperitur.	Edulis est.
Guaru-Guaru	Minutus est pisciculus exili corpore oblongo, fusci coloris squamulis tectus.	In lacubus & stagnis reperitur.	Edulis est.
Guatacuba Juba	Piscis est longitudinis 2. pedum, dorso nonnihil incurvato: vestitur squamis paulò majoribus argentei coloris cum striis flavis & ex argento rufescentibus.	Inter scopulos marinos degit, ubi & capitur.	Edulis est boni saporis, præsertim lingua & caro circa mandibulas.
Guatucusa Congensibus *Bala bella* Lusitanis *Corvina.*	Piscis est corpore oblongo. Longitudinis est 2. pedum. Squamis minuris tegitur.	Capitur apud Indos in mari.	Edulis est optimi saporis.
Guebucu Lusitanis *Bicuda.*	Piscis rostratus est oblongo & fermè tereti corpore, capite porcino, caudâ in duo cornua diductâ.	In mari degit & piscibus vescitur.	Edulis est & carnem habet copiosam, non spinosam; pinguem non glutinosam.
Gupreva Aut *Guapreva* Brasiliensibus. *Piexe porco* Lusitanis.	Corpore est paulùm compresso & lato: dorso arcuato, ventre adhuc magis curvo. Capite porcino, squamis tegitur elegantibus, punctulis thalassinis cum cœruleo indico umbratis in superficie; in dorso magis cœruleis.	In mari apud Indos capitur.	Assatus boni saporis est; non ita si coctus fit.

Halex

Aquatilium nomina.	Descriptio & Forma.	Locus, Nutritio & Victus.	Natura, mores & proprietates.
Halex Sive *Harengus*	Longitudinis est pedalis, unicum habens intestinum. Dorso est cæruleo, ventre albo, squamis acutis cutique pertinaciter cohærentibus tegitur.	Nutriri creditur aquâ, verosimilius tamen est contentis aliis in aquâ vesci. Marinus est piscis & extra aquam mox interit.	Fœcundissimus est. Noctu lucet ventre licet versùs summum æquor obverso. Squamæ etiam emittunt splendorem, ut mare hinc fulgurare videatur.
Hippocampus Ab Equo, cui similis est, nomen habet.	Toto corpore incisuras habet. Rostrum habet oblongum tubuli modo cavum sine scissurâ. Ab inferiore ejus parte operculum foramini opponitur. In capitis vertice pili eriguntur tenuissimi. Equo valde similis est.	Marinum est animal aquâ tantùm & luto vescens.	Venter est venenatus non ita partes reliquæ Hippocampi cibus adversus canis rabidi morsum valere perhibetur.
Hippurus A caudâ equinâ sortitur nomen.	Piscis est pelagius, cui specialiter à rostro, sive capite crista quasi erigitur & pinna magna ad caudam usque protenditur.	Carnivorus est. Gaudet naufragiis ac naufragiorum fragmentis.	Equi more salit. Si quid in mari vagum & fluctuans advertit, adnatat, & ita facilè capi potest.
Hirundo Aquatica, aliàs *Rondela*, *aut Rondola* & *Rendinella*. Hispanis *pesce volador*.	Pinnis caudaque expansis hirundini volucri persimilis est. Capite est osseo quadrato, duro, aspero. Corpus totum squamis asperis tegitur. Color corporis ex nigro rubescit.	In mari tantùm vivit, nec ad dulces aquas natat aut volat littora tamen etiam frequentat.	Noctu mirè lucet, ut carbones ardentes in ore continere videatur. Volat extra aquam, ne piscibus majoribus fiat præda
Huso Antœcus *Æliani*.	Magnitudinis est insignis 24. sæpe pedum. Dorsum habet asperum, nullum os in capite, & loco spinæ dorsi ipsi cartilago, est adipem pinguedini immixtam sicut porcus habet.	Terrâ argillosâ & pingui gaudet. In Danubio frequens. Copiosissima ejus captura fit juxta chiliam. Captus lacte vel vino potus servari potest.	Gregatim natat, Tubarum cantum sequitur; in aquâ maximum habet robur. Capitur potissimùm ab Autumno usq; in Januarium.
Jaguaraca.	Piscis est mediocris percæ magnitudine squamis eleganter dispositis tegitur. Color totius corporis est argenteus. In ventre plane albicat.	Inter marinos scopulos degit.	Pinguis est & boni saporis, comprimis affatus.
Ichtycolla Alias & piscis *Judaicus vel Barbota* Tanais Accolis.	Cetaceus est piscis figurâ oblongâ prope tereti, ossibus & spinis carens. Capite est crasso & ore lato. Quatuor apophyses carnosæ velut barbæ è superiore maxillâ dependent.	In Tanai & ponto frequenter capitur.	Glutinum ex folliculo sive vesicâ tam ad medicos, quàm fabriles usus valde conducit.

Julides

Aquatilium nomina.	Descriptio & Forma	Locus, Nutritio, & Victus.	Natura, mores & proprietates.
Julides Sive *Junckeri.*	Parvi sunt pisciculi longitudine digiti & similiter ita dicti, sicut turdi & merulæ pulchri sunt.	Voraces sunt: mordent alios pisces & homines in aquis persequuntur & sanguinem appetunt. Morsus venenatus est.	Os habent veneno refertum& tanquam muscæ marinæ infestant nautas & Urinatores. Quemcunque piscem ore contigerint ineptum ad esum dicuntur efficere.
Juruuca Peba Aut *Itajara*	Squamosus est piscis, squamis ità complicatis tectus, ut lævis videatur: totus rubet in ventre ex rubro & albo maculatus est.	InterScopulos in mari apud Indos capitur	Pinguis est piscis, parieti recens appensus de nocte toto tempore lucet.
Lampetra. Serpentinæ speciei piscis, cujus plura alia sunt genera.	Corpore est oblongo gracili instar Serpentis. Cute tegitur lævi, nunc albicante, nunc nigricante maculisque conspersâ. Os habet cavum, in quo hamosi dentes sunt dispersi.	In mari & fluviis degit. Vescitur aquâ & musco aliisque in aquâ contentis.	Flexuoso corporis impulsu movetur. Spumarum indiciis in aquis proditur. Certo anni tempore mare exit & in illud redit.
Lavaretus	Truttarum generis est, umbræ similis, nisi quod simus sit & dentibus careat.	Lacum Allobrogum propriè incolit.	Carnem habet candidam, mollem, suavem, minimè glutinosam. In Galliâ habetur in deliciis.
Leuciscus. Aut *Scouranca* Venetorum. *Leucornius* Græcorum.	Similis est Alburno: albo colore nitet, caudam bifurcam & pinnas albas habet.	Major copia potissimùm in Epiri lacubus capitur.	Sale conspersus & fumo infectus ac defiecatus ad exteros mittitur.
Liparis.	Capite terrestrem curriculum refert. Os ei parvum sine dentibus. Squamis tegitur parvis.	In mari reperitur.	Adeò pinguis est, ut sub cute pinguedinem loco carnis habeat, asservatus totus in oleum abit.
Locusta marina.	Crustatum est animal capite multùm prominente. Duo habet cornua magna ante oculos initio aspera & aculeata, deinde rotunditate præpilata. Oculos habet corneos, dorsum asperrimum.	In petrosis maris locis vivit. Pisciculis victitat. Murænas etiam & congros devorat.	Hyeme aprica littora sectatur: æstate in opaca gurgitum recedit. Vita illi diuturnior. Lædi non potest nisi sub caudâ. Antipathiam habet cum polypo.
Loligo.	Corpus habet rotundum in acutum desinens, magnitudinis interdum est 3. cubitorum. Cutis est mollis ac pedum numero & promuscide insignis.	Nutritur variis in aquâ contentis & diligenter atterit, quidquid in ventrem dimittit.	Astuta pollet & in metu atramentum effundit, ut se abscondat.

Ddd Lucius

Aquatilium nomina	Descriptio & Forma	Locus, Nutritio, & victus.	Natura, mores & proprietates.
Lucius.	Piscis est oblongus parvis ac tenuibus squamis præditus egregiæ magnitudinis. Caput habet macrum, osseum & quadratum, rostrum longum, dentes acutos, caudam brevem.	Voracissimus est & crudelissimus in propriam sæviens gentem, nutritur piscibus ranis & aliis. Carnibus etiam vescitur.	Vivax est & diuturnioris vitæ. Audax est. Vulgus in capite instrumenta dominicæ passionis reperiri censet. Carnem habet friabilem, coctu non adeo difficilem.
Lyra. Quibusdam *Cephalus Orphus & Erythrinus*	Piscis est à cornibus anterioribus, quibus similitudinem lyræ exprimit, vel quod lyræ sonum edat, dictus. Duæ verò sunt ejus species.	In mari habitat & excrementis maris vescitur.	Plures capi non solent. Vocem similem grunitui emittit. Carnem habet duram & minus aptam ad esum
Manati Belgis *Vacca marina.*	Capite terrestrem bovem refert. Pedes circà caput binos & crassos habet tanquam alas brachiorum loco, quibus natat. Corio tegitur simili ustulati porci corio cinerei coloris & raris pilis vestito.	Bovis more herbis. Pascitur circa insulam Hispaniolam capitur. Subit tamen & flumina, ac secundùm ripas eorum herbas depascitur.	Cantu delectatur. Facilè mansuescit, ut inclamatus sequatur vocantem, aquas quandoque egreditur.
Maturaque	Oblongo est corpore & fermè parallelogrammo. Magnis tegitur squamis ordinatim dispositis.	In lacubus & paludibus tantùm reperitur.	Edulis est boni saporis.
Milvus Sive *Milvago.*	Corpore est rotundo, oblongo majori ex parte nigro rubescente: pinnis caudâque expansis milvum avem refert.	In mari solùm vivit: licet edentulus sit, carnivorus tamen est	Extra aquam volat, juxta littora humiliùs, ubi minor; altius. Ubi major est insequentium piscium metus.
Mœna	Pisciculus digitalis est longitudinis, hyeme candidus, æstate varius. Pennæ omnes sunt versicolores. Venter albicat, cauda fusca est.	In mari tam supero, quàm infero frequens est: inter herbas in littore algoso & arenâ herbosâ victitat. A carne non omninò abstinet.	Gregalis est. Parit hyeme. Fœcundissimus est piscium.
Mola Sive *Orthragoriscus*; Massiliensibus *Luna.*	Monstrosum est animal, molam informem referens. Cute tegitur asperâ argentei coloris ventre sub albido, dorso cinereo. Os habet exiguum, dentes tantùm geminos.	In mari vivit.	Ex internis ejus partibus noctu è longinquo cæruleus color, imo ignis splendidus eminet. Grunire solet dum capitur. Pinguedinis est multæ candidissimæ.
Mormyrus Sive *Mormyr* aut *Mormur.*	Piscis est corpore paulò longiore & minus ad latera compresso, capite tenuiore, rostro acutiore.	Littoralis est nullum non cibum attingit. Parva animalia conchulas; & minora crustacea venatur, nec à terrestribus sordibus abstinet.	Parit in æstate: astutus est valde. Retibus captus imis in undis crebrò caudæ motu dispulsis arænis, factoque sulco subterlabitur.

Mucu

Aquatilium Nomina	Descriptio & forma	Locus, Nutritio & Victus	Natura, mores, & proprietates.
Mucu	Piscis est tereti corpore instar lampetræ oblongus. Caput habet acuminatum, caret pinnis.	Capitur in lacubus & paludibus Brasiliæ.	Edulis est.
Mugil Cujus plures sunt species.	Caput nonnullis magnum & depressum: Rostrum verò breve & retusum: Aliis minùs est, & rotundius, rostrumque magis extentum & acutum. Os omnibus parvum est & edentulum: lineis subobscuris notatur.	Limo, muco, cœno & aquâ victitat. Piscibus etiam vescitur, quos inanimatos offendit.	Motu velocissimus est irritatus in sublime fertur. Salax est, cautè escam attingit: Undè non facilè capitur hamis.
Mullus A mollitie nomen habet. Variæ sunt ejus species.	Magnitudinis est mediæ: Capite est repando multis velut cancellis aureis exornato. Barbatus est. Venter planus albicat, totus piscis figurâ oblongiuscula est.	Pelagius est & circà littora & saxa vagatur. Alga vescitur, ostreis, limo, & aliorum piscium carne.	Servitutis est impatiens, ideò in piscinis non proficit. In cibo assumptus lasciviam compescere dicitur. Vini potus, in quo suffocatus est, nauseam vini creare perhibetur.
Mustela Fluviatilis & lacustris.	Corpus utrique lubricum, sine squamis flexuosum, quod caudam versùs attenuatur. Coloris varietas maculosa; caput est magnum latum & veluti compressum.	Carnivora utraque est, vorax piscium quoscunque devorare potest.	Utraque profunda petit. Sola piscium senectute obcœcatur, commendatur præ cœteris, quæ in puris rapidisque fluviis capitur.
Muræna Aliis nonnullis *Draco marinus*.	Corpore est oblongo & lubrico; Serpentis habet formam. Cutis tenuissima est diversi coloris. Caput habet rotundum, tenue & acuminatum, rictum oris latissimum, dentes acutissimos serratos & solidos.	Vivit in petrosis locis maris. Petit etiam fluviorum ostia. Victitat carne & ideò in petris, quæ chamis & patellis plenæ sunt, degit. Delectatur carnibus polyporum & Ozænarum.	Hyeme latet. Fortis est & audax. Piscatores etiam invadit. Antipathiam habet cum locusta, polypo, ozænâ, congro, aceto & ferulâ.
Mysticetus Dux Cetorum & Balænarum.	Longus est colore albo, capite longo, angustâ caudâ & tenui, toto corpore aspero, squamis experte, corio osseo.	In mari cum Balænis vivit & iisdem penè cibis victitat.	Cum cetis & balænis miram habet amicitiam, oculorum vice fungitur prænatans vada demonstrat. In faucibus balænæ dormit, pericula præcavet.
Nasus A naso valdè crasso nomen habet. Degenere est squali aut Leucisci.	Oris & nasi figuram peculiarem habet: Similis aliàs est capitoni fluviatili, sed tenuior naso valdè crasso.	In fluviis & rivis capitur. Cœno & spurcitiis aliis vescitur. Frequens est Danubii piscis.	Lapidem in capite gestat. Verno tempore magis pinguescit. Libenter in rivos ascendit.
Nhaquunda	Corpore est oblongo ferè ubique æquali, squamis tegitur mediocribus. Dorsum & latera sunt obscurè grisei coloris argenteo transparente. Venter albescit.	In fluviis degit.	Edulis est boni saporis.

Aquatilium Nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Natura, mores & aliæ proprietates.
Niqui Belgis *Pieterman*.	Piscis est capite crasso, ore ranæ amplo & edentulo, crassâ linguâ. Color cutis ex nigro, umbrâ griseoque mixtus, punctulis nigris variegatur.	In arenâ absconditus jacet prope littus maris ac incedentes vulnerat.	Edulis est, si jecur & fel bene separentur; aliàs lethalis est.
Orbis. A figurâ orbiculari dictus. *Granium* quoque *Apulejo* vocatur.	Quatuor sunt genera. 1. Sphæricus est squamis prorsùs carens. 2: Scutatus seu scutifer est corpore tereti & mucoso; ovi figuram habens. 3. Echinatus seu muricatus aculeis totus hispidus. 4. Stellatus sive Asterias totus stellis insignitus.	In Mari Ægyptiaco, in Ostio Nili & mari rubro reperitur.	Sympathiam cum ventis habet: corium detractum & tomento impletum, ornatûsque causa suspensum rostro partem, à quâ flat, ventus, indicare solet.
Orca A vasis olearii seu vinarii similitudine dicitur. Cetacei est generis.	Delphino est toto corpore multò crassior, potissimùm circà ventrem. In toto tergore est atra ventre ex albo rosea, ad latera ferè cærulea.	In Oceano vivit. Piscibus nutritur.	Inimica est Balænæ, cum quâ acriter præliari solet.
Parati Lusitanis *Tainbu*.	Piscis est pedalis longitudinis, figurâ corporis ut *Curema*, præterquam quod circulum aureum circà oculos habeat.	Capitur in mari, ubi eleganti spectaculo aliquando retia transilit.	Gregalis est. In maciâ quandoque magno numero ex aquis exsilit.
Paratiapa	Piscis est oblongo corpore satis crasso. Dorsum & infimus venter cinabrii sunt coloris: latera ex griseo fuscescunt. Totus etiam maculis est respersus.	Peregrinus est piscis. In mari Indico capitur.	Edulis est: Optimi saporis habet carnem, si coquatur.
Passer. *Lævis*: Hollandis *Scholle*. Aliis *pecten*.	A Rhombis situ differt, si enim hos ita in latus constituas ut oculi in cœlum suspiciant, & mentum deorsum versùs spectet, supina erit dextra: si passerem similiter constituas, supina pars erit læva.	Marinus est piscis, & dulcium aquarum studiosissimus.	Vadum, ubi piscatorem sensit, petere, terræ adhærescere, aquam, ne videatur, turbare solet.
Pavo. Romæ *Papagalo*, Lusitanis *Budia*.	Bilibris est communiter. Caput habet crassum ex cœruleo virescens, maculis quamplurimis rubescentibus, ac nonnullis cæruleis totus pingitur. Caudam habet rotundam violaceam maculis & plurimis lineolis cæruleis insignitam.	In mari reperitur. Vescitur algâ & aliis marinis excrementis atque pisciculis.	Solitarius est. Vere & Autumno prodit: æstate verò ob caloris; & hyeme ob frigoris impatientiam latet. Ignobilis inter cibos reputatur.

Perca

Aquatilium nomina.	Deſcriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Naturæ mores & aliæ proprietates.
Perca major	Corporis figura lata eſt& compreſſa. Dentibus caret, labia tamen habet denticulis horridula: Squamis tegitur parvis & aridis. Color ei varius.	In dulci vivit aquâ. Devorat alios piſces & proprii generis ſobolem.	In omnibus jecur grandine affectum eſt. Vulnus, quod aculeis pinnarum dorſi infligitur, non facilè ſanari perhibetur.
Phagrus. Sive *Pagrus*.	Corpore eſt lato, rotundo & recurvo ad aquilini naſi figuram Squamis tegitur rotundis tenuibus & latis.	Victitat algâ & luto, ſed & fæpiolas, ſquillas& loligunculas venatur.	Hyeme latet ob lapidem, quem in capite habet.
Phoca. Sive *Vitulus marinus*, aliis & *Bos marinus*.	Amphibium eſt animal, differt corporis figurâ ab omnibus piſcibus & cetis. Caput habet breve, collum longum quod pro arbitrio extendit & contrahit. Corio tegitur duro & ſolido pilis nigricantibus & cinereis veſtito.	Locus illi & terra & aqua. Piſcium carnibus veſcitur. Maxima ex parte per littora vagatur & vicinos agros, vineta, & pomaria depaſcitur.	Furit vehementer immiſſus in vivaria. Parit in terrâ. Difficulter interficitur, niſi capite eliſo, graviſſimo ſomno premitur; homines amare, & odiſſe diſcit.
Phocæna Delphini ſpecies eſt.	Delphini eſt magnitudine, breviore tamen craſſioreq; corpore. Caput habet obtuſum, roſtrum tam ſimum, ut cum capite ferè rotundetur.	Nullius non maris incola eſt. Nutritur piſcibus in mari capitis.	Lacrymatur, cum ſe captum videt. Parit magnâ ex parte binos vel ſingulos fœtus.
Phycis Aliis *Phycida*, *Fuca*, *phycea*, *pephycatisme-na aut Lampiana*.	Caput habet craſſum, os magnum dentibus majoribus in ſuperioribus maxillâ munitum. In capite & branchiarum operculis lineolæ & puncta quædam cærulea conſpiciuntur. Pinna tergoris duodecim aculeis munita eſt.	Luto, algâ & muſco veſcitur, quanquam aliàs carne abſtineat, ſquillas tamen ſæpiſſimè inſequitur & capit.	Nidum ex alga ſibi conſtruit & in eo parit, ſicque fœtus contra tempeſtates tuetur. Bis in anno parit.
Phyſeter Sive *Phyſalus*. Cetacei eſt generis.	A Balæna hoc ſolo differt, quod nullas prætenturas habeat, neque tam vaſtâ ſit corporis mole, figurâque ſit magis tereti.	Piſcibus victitat: in mari degit.	A flando dicitur, quod copioſorem aquarum eluviem præ cœteris efflet. Hac etiam naves quandoque mergere poteſt.
Piaba	Piſciculus eſt duorum aut trium digitorum ſquamulis tegitur. Caput ad latera auro, & argento reſplendet. Totum dorſum argenteo, viridi & multo indico nitet.	Capitur in omnibus fluentibus aquis Braſiliæ.	Summâ vi contra aquas nititur. Edulis eſt. Involvitur arborum foliis & ſub cineribus conditur, & ita præparatur ad eſum.

Aquatilium nomina	Descriptio & Forma	Locus, Nutritio & Victus	Natura, mores & aliæ proprietates.
Piabucu	Pisciculus est sex digitorũ, tegitur squamulis argenteis. Pinnas habet albas: per medium laterum linea alba & lata non splendens protenditur.	Aquarum Brasiliæ & Indiæ est incola.	Sanguinis valde est appetens, itaut si quis vel leviter vulneratus uno vel altero membro vel ulcusculum habens aquam ingrediatur, statim hic piscis aderit & vulnus morsu petet.
Piquitinga	Figurâ similis est Parabucu. Tegitur squamulis albis. In dorso tamen olivaceus color translucet.	In mari capitur.	Edulis est.
Pirabete. Brasiliens: *Myvipera* Lusitanis *peixe volador.*	Piscis est volans variæ magnitudinis. Major figuram habet teretem, duas alas magnas in quolibet latere ex tenui membrana instar chartæ ex albo seu cinereo subfusci coloris. Totum corpus elegantibus squamulis vestitur.	In mari solùm vivit.	Volat super aquas instar Hirundinis usque dum siccescant alæ. Gregatim volat. Infestatur à Doradâ. Edulis est & boni saporis.
Piracoaba	Pedalis est magnitudo corpore oblongo. Vestitur squamis mediocris magnitudinis argentei coloris.	In arenosis maris tractibus habitat.	Edulis est & boni saporis.
Piraya Et *Piranha.* Brasiliens. Harum plures sunt species.	Piscis est pedalis longitudinis lato corpore 6. digitos. Dorso incurvato & capite obtuso. Variæ tamen species sunt, quæ in formâ nonnihil differunt.	Alia cœnoso, alia vero species arenoso fluminum fundo gaudet.	Edulis est carnem habens albissimam paululum siccam & boni saporis.
Pira jurumenbeca. Vulgò *Bocamolle.*	Oblongus est piscis haud latus, squamas habet toto corpore argenteas mediocris magnitudinis.	In cœnosis maris tractibus reperitur.	Edulis est boni saporis. Molliore constat carne. Extractus ex aquis statim moritur
Piraumba Lusitanis *Chayque varona.*	Piscis est carpionis magnitudine, squamas majores habens. Os est denticulis minimis vix sensibilibus præditum.	Indis magis notus est	In ore superiùs & inferiùs lapidem habet. Edulis est, boniq́ue saporis.
Pira pixanga.	Auratæ similis est. Parvis tegitur squamulis, ad tactum est glaber. Totum corpus flavescit. Sanguineis distinctum maculis.	Intra Scopulos in mari degit.	Captus per trihorium extra aquam potest vivere. Edulis est & boni saporis.

Piratia

Aquatilium nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio & Victus.	Natura, mores, & aliæ proprietates.
Piratia Pua	Ingentem acquirit magnitudinem. Corpore est oblongo, dorso paulùm incurvato. Corpus posterius quadratè extenditur. Squamis parvis vestitur coloris per totum est ex obscuro auro Epatici.	Piscis est peregrinus in mari degens.	Junior assatus in carne valde probatur; adultior verò tenacem lentam, & difficilis concoctionis præbet carnem.
Pompilus	Squamis caret, in dorso varius & maculosus est, in quo à branchiis ad caudam linea magna curva, ab hac verò ad ventrem plures transversæ descendunt.	In mari & imis ejus degit, ibidemque victum venatur.	Navigia velis plenis euntia comitatur, nec facilè abigi potest: inimicum habet Delphinum.
Pranema	Piscis est mediocris percæ magnitudine. Os habet amplum, edentulum quidem, sed acutissimis eminentiis asperum. Totus argenteus est, & laccatus quasi lacca florentina.	In mari degit ac victum quærit.	Edulis est, & boni saporis.
Pudiano verde Lusitanis.	Oblongus est squamis latis vestitus, quæ ita sunt compositæ, ut meri cubi sibi appositi videantur lutei seu aurei coloris, ac per totum ambitum linea sive fimbria elegantissimi azuri, sive cærulei coloris procurrit.	Vivit in mari apud Indos.	Insignis est coloris & visu admodum jucundus. Edulis est.
Pudiano vermelho. Aut rectius vulgò *Bodiano*. Brasiliensibus *Aipimixira*, & *Tetimixira*.	Mediocris piscis est, tegitur squamis valde subtilibus ut glaber esse videatur. Color totius corporis est flavus auro mixtus.	Peregrinus est piscis in Brasiliensibus aquis vivens.	Edulis est.
Punaru	Pisciculus est 4. digitos longus corpore oblongo, capite crassiusculo, oculos superius & in fronte positos habet, & supra hos duo rubra fila brevia prominula.	Intra Scopulos vivit & testaceorum subintrat domicilia.	Edulis est.
Puraque Lusitanis *piexe viola*. Ob citharæ figuram ita dictus.	Cartilagineus est piscis latus. Caput in coni formam acuitur & cordis figuram habet. Inde reliquum corpus teres aliquantulum, tamen procurrit compressum.	In Bibribi fluvio capitur mensibus pluviosis, quando tempestuosum est.	Attactus crepitum articulorum manûs & brachii, artuúmque tremorem causat non comeditur caput recens noctu lucet.

Pustes

Aquatilium nomina.	Descriptio & Forma.	Locus, Nutritio & Victus.	Natura, mores & proprietates.
Pustes Cetacei generis est.	Caput longum & angustum habet. Rostrum planum firmum exporrectum. Binos oculos in pronâ parte capitis habet, binas nares in supinâ.	Plerumq; in Oceano occiduo reperitur. Piscibus victitat.	Natatu valet pernicissimo.
Raiæ Quarum plures sunt species, ut: *Lævi-raia undulata, oculata, stellaris, clavata, spinosa, aspera fullonica & asperrima.*	Ex cartilagineis & planis sunt piscibus: earum aliæ læves sunt, aliæ asperæ. Lævium aliæ stellatæ, aliæ non: Asperarum aliæ minus, aliæ magis tales. Omnibus membranulâ obtenditur oculus. Cuticulari teguntur operimento, cauda omnibus procera est & aspera.	Degunt in cœnosis maris locis non procul à littore. Vescuntur piscibus.	Hyeme latent. Pariunt animal; abditæ movent pinnas exertas specie vermiculorum, ut allapsos pisciculos capiant.
Rana marina Sive *Piscatrix*. Ob monstrositatem *Diabolus marinus*. Ob oris hiantis amplitudinem *Lamia* alicubi dicitur.	Magnitudine est pedali aut cubitali; cute capitis, aculeis exceptis, lubricâ & molli. Caput habet toto corpore grandius aculeatum, asperum, orbiculatum ac depressum. Os vastum, in eo dentes permultos acutissimos & recurvos.	Universa simul juxta terram edit. Æstate capit pisciculos. Astuta est, & singulari arte venatur.	Solitaria vivit, etiam extra aquas ad duos vivit dies. Numerosè quidem fœtificat, sed fœtus perfacilè perit.
Reversus Indicus Sic dictus, quod ad piscandum dimissus revertatur.	Anguillæ similitudinem habet, nisi quod caput habeat grandiusculum. In capite pelliculam quandam crumenæ similem gerit. Corio nigro, rostro acuto, mirabili denique figurâ præditus est.	Vivit in Oceano & piscibus vescitur.	Usus ejus mirabilis est in piscibus aliis capiendis, quibus etiam captis revertitur. Cicurari & homines loquentes intelligere posse volunt.
Rhombus Cujus duo sunt genera Aculeatum & læve.	Aculeatus pronâ parte multos habet aculeos circa caput, quod grandius & elatius est, & ab hoc plures versus caudam maximè.	In Oceano & mari mediterraneo capitur. Vorax est uterque & piscium avidissimus.	Abditas pinnas astutè exertas movere solet specie vermiculorum ad alliciendos pisciculos, quos capiat.
Salmero Sive *Salmerinus*.	Corporis formâ, pinnarum numero & situ cum truttis & salmonibus ferè convenit. Cœterum squamis caret: rotundus potiùs quàm latus est.	In frigidissimis saxosis fluminibus libenter degit. Vescitur pisciculis & in horum defectu, excrementis.	Solitarius est, non gregalis. Piscis est delicatissimus. Caro valde tenera est & friabilis. Facilè tamen putrescit.

Aquatilium nomina.	Descriptio & Forma	Locus, Nutritio, & Victus.	Natura, mores & proprietates.
Salmo Æstatis tempore circa Rhenum usque ad festum *S. Jacobi Salmo* vocatur: inde verò ad Festum *S. Andreæ* usque *Lachsi* nomine gaudet.	Maximam partem bicubitalis est. Squamis tegitur exiguis, maculis rotundis subrufis & luteis insignis. Os habet amplum & valdè denticulatum, oculos magnos. Cauda in unam latam & rotundiusculam definit pinnam.	In mari æquè & fluminibus degit. Non aquâ, ut quidam volunt, sed aliis quoque cibis victitat. Ut pediculis aquaticis & piscibus. Aqua etiam quæ nivibus colliquentibus ex herbis variis & agrorum pinguedinem crassior fit, magis delectatur.	Vitæ est tenacissimæ. Saltu adversùs aquarum præcipitia se mirè in altum conjicere valet. Adeo verò nativus est illi saltus, ut Salmunculi etiam inter alios pisces in vase contenti facilè exsiliant.
Sardæ Aut *Sardinæ*; sive *Sardinellæ*.	Pisciculi sunt eâ prorsùs formâ quâ Harengi: grandiores vocantur Sardæ: minores Sardinæ sive Sardinellæ.	In mari mediterraneo circa Siciliam innumerabiles capiuntur.	Ad visum ignem aut lumen agminatim accurrunt. Optimi sunt saporis.
Saurus Duplicis est generis. *Nostras* scilicet & *peregrinus*.	Uterque corpore oblongo est & rotundo instar lacerti. *Peregrinus* supinè subviridis, pronè castaneus lineis, maculisque orbicularibus subviridibus decoratus est.	*Peregrinus* in mari vivit, & cœnosis locis delectatur. Carne vescitur, nec à putridis abstinet.	Rarò capitur, quia solivagus magis, quàm gregalis est.
Scarus sive *Ruminalis*	Corpus Scari ex livido rubet. Squamis tegitur latis & translucidis, Caudam & pinnas habet obtusas. Corporis magnitudo spithamam vix excedit.	Cautibus asperis, atque herbosis scopulis in aquâ gaudet. Phaseolis & pisis delectatur.	Turmatim ad pabulum procedit. Ruminare dicitur. Carnem habet tenerrimam & delicatissimam.
Scolopendra Cetacea.	Corpus habet triremis magnitudine. Caudâ perindè ac locustæ latâ. Narium pili magnâ excelsitate apparent. Color totius ad cœruleum vergit, in ventre tamen nonnihil rufescit.	In Oceano vivit, & piscibus aliisque cibis ibidem repertis victitat.	Exerit alquando totum caput è mari. per multis pedibus ordinatim positis tanquam ex salmis appensis natat: Eâ quoque natante ipsi fluctus resonare putantur.
Scomber	Corpore est tereti, denso, carnoso, capite rotundo, totus lineis obliquis nigricantibus insignitur. Squamis caret.	Mari peculiaris est, & quandoque juxtà arenosa littora degit in petris, quę chamis & patellis plenę sunt, libenter habitat.	Gregalis est. Beneficii memor est. A frigidioribus ad calidiora loca se recipit.
Scorpius	Corpus habet rotundum anteriore parte crassius, posteriore tenuius. Exiguis tegitur Squamis. Caput habet magnum, angulosum, durum & osseum. Cauda unicâ ac latâ constat pinnâ.	Carnivorus est. Vescitur & aphiis, spatulis, bobionibus, comprimis verò cancris; nec algam spernit.	Fœtificat in alto mari: bis in eodem anno parit, Vere & Autumno. Ictus illius venenatus est, mullus autem dissectus, & impositus remedio est.

Aquatilium nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Naturæ mores & aliæ proprietates.
Sepia	Magnitudo aliquandò ad 2. cubitos se extendit: Tenui sed satìs firma cute contegitur. Foris carnoso est corpore, intùs quid solidum continente.	Maris cavernas incolit: Minutis vescitur pisciculis, quos extensis suis promuscidibus ceu lineis captat.	Mutat colorem uti polypus. Brevis est vitæ. Tam pedibus quàm pinnis natat. Captari se advertens atramentum eijcit, & piscantium oculos hoc inficit.
Serpens marinus Vel *Draco marinus*.	Ingentis sæpè magnitudinis est. Varia tamen est pro ratione locorum. Dentes habet acutissimos.	Maris est incola & in profundissimis gurgitibus nascitur. In terram tamen nonnunquam etiam egreditur.	Comedi quidem potest, sed propter similem cum terrestri formam reijcitur.
Simia marina	Bellua est in mari rubro cartilaginea simiæ terrestri tàm corpore quàm facie persimilis. Tegmen corporis testudinis involucrum est.	In mari rubro reperitur.	Velox est motu, cùm natat, volare videtur.
Sparus Vel *Aspargus* à spargendo dictus.	Haud parvam cum Auratâ & Sargo habet similitudinem.	Carnibus vescitur, & majores pulices venatur, gaudet marinis stagnis.	Gregalis est. Æstate circa saxosa littora parit.
Squatina Aut *Squatus*.	Pondus ejus ad 160. libras sæpè accedit. Coloris est cinerei ad fuscum vergentis. Cute tegitur asperrimâ: Supinè albescit & lævis est. Pars corporis anterior est lata, circularis retusa. Rostro caret.	Cœnosa incolit loca. Astu venatur pisciculos. Obruendo se arenâ radios quasi vermiculos egerit, quibus allicit pisciculos.	Astu pollet. Colorem mutare potest. Bis parit in anno, nempè vere & autumno. Secundus verò partus felicior est.
Squilla Hujus variæ sunt species.	Crustatum est animal corpore verè nigrescente, posteà albescente. Cornua habet in summo capite posita.	Vivit in marinis, palustribus & saxosis locis. Victitat ostreorum carnibus.	Cum laborace inimicitiam habet; & à phycide ac lucio comeditur.
Sturio Hujus variæ sunt differentiæ. Namque *Ponticus* est, *Adriaticus*, *Gallicus*, & *Germanicus*.	Piscis est magnus & pinguis, corpore tamen tereti & oblongo. Caput est quadratum, totumque durâ potiùs cartilagine quàm ossibus constat. Os sine dentibus est à reliquorum piscium formâ planè diversum. Barbam habet geminam.	In Ponto, Rheno, Danubio, Tibisco, Tanai, Vistulâ & Garumna frequens est. Victitat fordibus, muco, & aliis excrementis. Dum etiam cibum quærit, terram sub aquis fodit.	Cùm branchiis careat, naribus refrigeratur, quam etiam hauriendo concepit aquam, ore statim regerit. Validissimus & robustissimus est, qui piscatoribus tàm in aquâ quàm terrâ crura frangere queat.
Synodon Sive *Dentix* aut *Dentatus*, & *Dentalis*.	Dorsum habet repandum, latera satìs compressa, caput nonnihil fastigiatum, rostrum acutum, os satis amplum & denticulatum. Venter argenteus est.	Littoralis magis quàm pelagius est. Carne vescitur maximâ cum aviditate. Polypi carne comprimis delectatur. In ostrea quoque ac innoxios pisces grassatur.	Astu polypos exturbat è suis cavernis. In capite lapides gerit, qui *Synodontides* vocantur.

Taia-

Aquatilium Nomina	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio & Victus	Natura, mores, & proprietates.
Taiasica	Piscis est squamosus, cujus caput grossiusculum & compressum. Tegitur squamulis parvis coloris hyalini.	Latet in arenâ absconditus, ideoque pedibus capitur comprimendo super arenam, ubi latet.	Coctus & assatus benè sapit. Albissimam habet carnem.
Tamoata	Animal aquatile loricatum est. Lorica ex oblongis squamosis corporibus composita est, suntque in ambitu illa serrata. Colore est obscurè ferreo & præsertim in capite.	Fluviatilis est piscis, ac in aquis dulcibus reperitur.	Dum aquâ caret, abducto fluvio etiam in sicco graditur & aquam inquirit. Edulis est & bonam habet carnem.
Tareira. *D'alto*, sive marinus & *do Rio* sive fluviatilis.	Oblongus est piscis. Prior est tereti corpore caput habens colubrinum: alter dorsum habet rectum & venter paulùm protuberat. Venter etiam utriquè albicat.	Prior in mari: alter in fluviis capitur.	Edulis est uterque. Prior assatus melior est quàm coctus. Alter saporis est magis grati.
Testudo Varia sunt genera.	Omnes sunt pectore plano & tabellato; sed tergo tumido & incurvato sunt capite. Dentibus carent, vesicam habent.	In mari & cœnosis paludibus vivunt. Carne, piscibus & quibusvis sordibus ac excrementis vescuntur.	Rostri acie omnia comminuunt. Tenui voce & abruptâ strident. In dorsum si invertantur, amplius erigere se non possunt.
Thunnus Aut *Thynnus & Pelamis*.	Piscis est lubricus lævi cute præditus. Mas à fœmina distinguitur, quod hæc sub ventre pinnulam habeat, quâ caret mas. Veram descriptionem & differentiam in Thunnos & pelamides non afferunt Authores.	Piscibus victitat, aliquando & algâ. Circa Hispaniam glandibus ex quercubus ad mare nascentibus delectatur & pinguescit. Fœturæ tempore ligurit, quidquid invenit, nec à proprio abstinet partu.	Gregalis est. Tempore gaudet. Sub Caniculæ exortum œstro exagitatur & in Euxinum natare contendit. Somno deditus est, ut sæpè in illo capiatur. Valdè pinguescit, ut inde quandoque rumpatur.
Thymallus A Thymo, quem olet, dictus est. Italis *Temarus* quasi *Temerarius*. Truttarum est generis.	Caput pro corporis ratione parvum est in acutum desinens. Os quadrato hiatu aperitur. Ventre est prominentiore. Cauda in duas latas pinnas desinit. Per latera rectas lineas habet, & ipsa latera punctis & lituris nigris temerè asperguntur.	Gaudet puris frigidis & saxosis aquis, in quibus & circa saxa reperitur. Victitat insectis aquatilibus dejectamentis, mille pedibus, pediculis, caridibus, pulicibus aquaticis & terrestribus.	Stolidus est piscis. Odorem habet non pisculentum ut cœteri, sed valdè gratum herbæ Thymi. Majò mense maximè appetitur. Omnibus suis partibus commendatur ad esum.
Timucu Lusitanis *Piexe Agulha*.	Corpore tereti est instar anguillæ, longitudinis 2. pedum. Rostrum habet osseum 3. vel 4. digitorum, Caret squamis, & cute tegitur.	In mari & salsis aquis capitur.	Edulis est & boni saporis, præsertim frixus butyro. Caro ejus non est spinosa.

Aquatilium nomina.	Descriptio & Forma.	Locus, Nutritio & Victus.	Natura, mores & proprietates.
Tinca	Piscis est brevis, at crassus, squamis exiguis præditus, capite crasso & retorto. Rostrum habet breve & rotundum, ac pro dentibus serrata ossa.	Sordibus rerum putrescentium vescitur, à carne verò abstinet. Amat lacus & paludes. Rarò in fluminibus reperitur.	Vilis est piscis. Putridis delectatur & sordibus, nec gratisa poris, nec boni succi ejus caro habetur.
Torpedo Sive *Stupefactor*.	Ex piscibus cartilagineis planis est. Alia maculosa est, alia non. Utriusque corpus est orbiculare molli, & lubrica cute contectum.	Habitat in mari & locis cœnosis. Reperitur & in Nilo. Vescitur piscibus, quos astu capit.	Hastâ vel virgâ etiam à longinquo contactus quantumlibet prævalidos percussoris lacertos reddit torpidos, & pedes ad currendum ineptos ac stupidos.
Trachus	Formâ propè est ovata. In medio corpore lineam habet à capite ad caudam deductam multis officulis ita horridam, ut serra esse videatur. Squamis caret, lævi tantùm cute præditus.	Versatur circà littora magno numero capitur singulis anni temporibus.	Gregalis est & duræ carnis.
Trutta	Oblongus est piscis maculis varius, squamas habet exiguas. Caudam habet brevem non divisam. Rostrum minus acutum dentes acutissimos, oculos rubentes.	Vescitur vermibus, locustis, limacibus, variisque in aquam immissis. A piscibus non abstinet, sed & percas, barbos, fundulos aliosque invadit. Diligit aquas claras & limpidas.	Ingenti laborat aviditate; ob eam sæpe extra aquam in scaphas effertur. Minor in bonitate majori præfertur, macra pingui, & maculas rubras habens cœteris.
Turdus Hujus plura sunt genera.	Alvus ut turdi avis varius est. A corporis figurâ & magnitudine potior illorum distinctio est. Color mutatur pro anni tempore.	In Oceano inter saxa reperitur. Vescitur non algâ solâ & herbis, sed & pisciculis, sepiolis, loligunculis, minoribusq; crustatis.	In natando fortis est & velox. Vagabundus non est, nec longè à saxosis domiciliis recedit. Hyeme conjugatim latet.
Umbra Vel *Umbrina* à colore nigrescente. alicubi *Ovis marina*.	Piscis est cetaceus 40. plerumq; librarum 4. cubitos longus. Squamæ ejus veluti obliquæ apparent. Capite est magno, cœterum coracino ferè similis.	Marinus est piscis, arenosos gurgites amat & saxa herbosa incolit. Carnibus vescitur	Solivagus est & agilis propter lapides in capite frigoris impatiens est. Dum movetur adumbrantem quendam colorem iridis in morem rutilantem exhibet.
Uranoscopus Sive *Cœli speculator*: aliàs & *Callionymus* dictus.	Lævi & durâ cute tegitur. Corpore est ferè rotundo, capite magno & osseo, duobus aculeis ad caudã spectantibus aspero.	Littoralis est. Carne vescitur & pisciculis, quibus apophysi extra os propendente insidias struit; valdè gulosus est.	Adeò vivax est, ut si omnibus internis partibus suis privetur, adhuc tamen moveatur.
Uribaco	Dorso est incurvato, ventre protuberante 15. aut 16. digitos longus. Squamis magnis tegitur argentei coloris; cui parùm cinabrii translucet.	Capitur in mari	Edulis est.

Aquatilium Nomina.	Descriptio & forma.	Locus, Nutritio, & Victus.	Natura, mores & aliæ proprietates.
Vubarana	Truttæ similis. Corpore est oblongo, similiter ferè crasso, pedalis longitudinis est. Supernè conspectus olivacei coloris comparet, lateraliter verò eminus argenteus & splendens.	In mari intra scopulos habitat.	Assatus boni saporis est, nec opus est desquamare. Coctus non ita commodus ob spinarum multitudinem per carnem dispersarum.
Vulpecula marina	Piscis est ad centenas libras excrescens. Cute tegitur. Caudam habet falcatam, & quasi ensiformem.	Locis cœnosis & maculis à littore remotis gaudet. Pisces etiam grandiores devorat.	Astu & ingenio valet. Sobolem metu periculi intrò recipit eo præterito rursùm emittit.
Wallrus Sive *Mors*. Phocarum generis est.	Bellua est marina vituli magnitudine, Phocæ haud dissimilis. Cute est crassâ, pilisque brevibus & tenuibus obsita.	Pabulo vivit ex foliis oblongis & magnis cujusdam herbæ è fundo maris enascentis.	Grunnitū instar apri solet emittere. Repit per arenam extra aquam quotidiè per semihoram.
Xiphias Sive *Gladius*.	Piscis est rostro gladium præferens magnitudinis insignis. Corpus est teres: pelle tegitur tenuissimâ.	In mari degit. Rarò accedit littora. Piscibus victitat, quos rostri incursu transfigit & interficit.	Gladius est ferro acutior, sed extincto pisce corrumpitur. Balænam exhorrescit. Græcanicum sermonem ab Italico distinguere valet.
Ziga Ab hircino sapore dicitur.	Aureus, tenuis & siccus est piscis Albis fluvii. Caput Harengi capiti persimile est.	Ex Oceano in Albim natat.	Boni saporis non est sive assatus, sive elixus, sed ferini & quasi hircini.
Zygena Sive *Gaza* & *Piscis Judæus*.	Monstrosus hic est piscis, in capite Librile exhibens, corio tegitur. Ventre est albo. Dorso cinereo. Pro spinis cartilagines habet.	Versatur in profundo maris. Pisces obvios & natantes homines frontis suæ acie subvertit.	Fortis est, & ob vires Leoni similis perhibetur. Occursus ejus navigantibus olim infaustus fuit habitus.

CAPUT XIII.

De variis Exoticis Aquatilibus & Monstris quibusdam marinis diversis in locis, & temporibus observatis.



Abet raritas leporem, & animum admiratione percellit, quidquid est inusitatum, aut minùs oculis humanis obvium. Hujusmodi sunt & monstra illa in Aquatilium regno comperta, quæ dum rariùs in conspectum prodeunt, ipsa suâ inusitatâ comparentiâ animos non tantùm mirificè oblectare, sed etiam ad maximam Conditoris in rerum quarumlibet varietate producendâ potentiam cognoscendam ingenuè instruere & erudire valent. Horum Exempla varia tàm à canâ vetustate petita, quàm recenti hominum observatione literis commendata, nunc etiam Curioso Lectori paucis indicare libet.

1. Tritones comprimis & Nereides sive Nymphas, hoc est belluas marinas humanâ specie præditas utriusq; sexûs, sive homines marinos aut pisciformes sæpiùs diversis locis & temporibus observatos esse varii referunt Scriptores. Horum enim ex Antiquioribus meminit *Plin. l. 9. Hist. nat. c. 5. & Pausan. in Bœoticis* sive *l. 9.* Sed ex paulò recentioribus istorum testimonia allata magis arrident. *Alexander ab Alexandro l. 3. Genial. dierum c. 8.* refert *Draconettum Bonifacium* Neapolitanum patritiæ gentis virum insignem & multarum rerum cognitione

Tritonum exempla. Fig. 1.

nitione clarum se præsente & audiente narrâsse, dum in Hispaniâ militaret, vidisse se marinum hominem vultu & corpore prorsùs humano absolutissimâ similitudine pubetenùs, postremis verò in piscem desinentibus. *Fuisse autem facie hominis vetusti, capillo & barbâ hispido atque hirto, colore cœruleo; staturâ procerâ & majore humanâ: Alis quoque tenui cartilagine, quibus marinos fluctus secabat & membranâ passim interlucente munitum.* Addit & aliud exemplum marini hominis valdè petulantis in Epiro capti, qui è speluncâ, quam fortè ibi nactus fuerat, fœminas solas ad aquas accedentes, aut per littus obambulantes leni gressu, tacitisque vestigiis à tergo insilire ac vi compressas ex insidiis adoriri, secumque ad mare concubitûs causâ arripere, arreptas sub undas deferre consueverit. Narrat & *Ludovicus Guicciardinus in descript. Belgii*, & ex *Bapt. Fulgoso Gesnerus lib. 4. de Aquatil. Eugenio IV.* Pont. apud Urbem *Sibinicam* in Illyrico captum marinum hominem, qui ad mare puerum trahebat: Ab accurrentibus verò, qui rem aspexerant, lapidibus fustibusque vulneratum, in solum retractum fuisse. Ejus autem effigiem penè humanam fuisse scribit, nisi quod cutis anguillæ similis erat, & in capite duo parva cornua habuisse, manus quoque duorum tantùm digitorum formam expressisse, pedes autem in duas veluti caudas desiisse, à quibus ad brachia alæ, ut in vespertilione extenuabantur. *Petrus Gillius* hæc inter alia admiranda de ejusmodi Tritonibus memorat ad mare rubrum persæpè capi solere, è quorum durissimis pellibus calceamenta tam robusta conficiantur, ut ad quindecim annos durent. Plures historias de ejusmodi hominibus marinis adducit *Majolus in diebus canicul. Colloq. 9. Nieremb. l. 5. Hist. nat. c. 14. Schottus Phys. cur. l. 3. c. 3. Seyfrid. in medul. mirab. Naturæ lib. 2. part. 3. c. 1. & 2.*

2. Nereidum seu Nympharum historias aliquot compilavit *Schottus lib. cit. cap. 4.* inter has autem maximè memorabilis est, quam plurium testimonio Authorum comprobatum ità proponit. Anno scilicet Christi 1403. captam in Hollandiæ lacu marinam mulierem fuisse eò è mari rejectam, & in Harlemum urbem delatam; cùm nuda esset, passam se vestibus indui, panis, lactis & cœterorum usum admisisse, didicisse quoque fila è colo ducere, & obsequi rebus multis muliebri more: Simul & Christo crucifixo genua flexisse venerabundam, docilem ad omnia, quæ mandaret patrona, nunquam tamen locutam fuisse, sed semper mutam mansisse, ac multos annos ibi vixisse.

Monstra marina viri & mulieris. 3. De Marino tàm viro, quàm muliere sequentem refert historiam *Theophylact. Simocatta lib. 7. Historiæ Mauritii Tiberii Imper. cap. 16. Menâ Ægypti præfecturam gerente in Nilo flumine mira quædam & inopinata apparuerunt. Nam cùm præfectus hic in locum Ægypti, quià à figurâ elementi Delta nomen accepit, negotii causâ venisset, maneque ad littus accessisset, ab imo fluvio vir obstupescendæ molis emersit, facie gigantem referens truci aspectu, comâ subflavâ canis intermixtâ. Male quales habitiorum & ad palæstram institutorum esse solent: Lumbi nautici, pectus validum, tergum latum, quale heroum; brachia torosa: Porrò usque ad naturam sese spectandum præbebat reliqua membra aqua cooperiebat. Imitabatur enim virum prudentem, nolentemque partes illas liberorum procreationi idoneas spectantium oculis exponere. Hunc contemplatus Alexandriæ sive Ægypti præfectus crebriùs adjurat, ut si quidem ex dæmonibus sit, spectatores illæsos dimittat & quiescat. Sin aliquid naturæ opificio productum, ne antè se subducat, quàm omnes præsentes intuendo oculos animosque satiaverint. Rumor fuit, eum ipsum fuisse Nilum Poëtarum fabulis nobilitatum. Hoc igitur Niloticum animal* (hominem enim dicere vereor) *adjurationibus obligatum diutiùs in aperto mansit, corpusque videndum omnibus objecit. Tertia horâ post etiam ex undis rectâ emergit mulieri simile animal, quod ipse vultus fœmineus glaber, item mammæ, comæ, quæ partim in nodum collectæ, partim solutæ pendebant, totaque corporis apparentis constitutio indicabant. Fœmina erat pulchritudine eximia; capilli nigri admodùm, facies candidissima, nasus bellè formatus, digiti elegantes, labia rosea; sororiabant ubera & papillæ ex recenti pubertate aliquantùm prospicere, ac sese exertare videbantur. Præfectus igitur & circumfusa cohors usque ad occasum solis spectando voluptatem capiebat; imminente jam nocte visa illa in ima aquarum, undè extiterant, descendunt, cùm se cupidè lustrantibus vocem quodammodò eripuissent, ità altùm omnes admirabundi silebant.* Hæc *Theophyl. Simocatta.*

Homines marini loquaces. 4. Mutos produximus Tritones & Nereides, sive homines marinos; jam & aliquos etiam articulatè vocales producamus. Cum Anno 1619. Rex Daniæ *Christianus IV.* ob regni quædam negotia duos Viros primarios à suis consiliis in Norwegiam expedivisset: Dùm mari illac tenderent & cœlo toto sereno aliquandò in navi deambularent, undasque marinas considerarent; adverterunt longiùs infrà illas marinum virum optimè formatum erecto corpore cum fasciculo graminis marini sub brachiis contento gradientem. Hunc dùm nautæ deindè insidiis captum in navem pertraxissent, isque aliquamdiù quasi debilis & iners factus decubuisset, & ex circumstantibus quidam in hujusmodi verba prorupisset: *Mirabilis certè Deus esse debet, qui tam miras humanæ speciei creaturas & plura alia Naturæ monstra in profundo pelago & sub terræ latebris habere solet.* Continuò monstrum hoc marinum articulatâ voce reposuit. *Imò verò; si tu æquè scires, ac ego; rectè diceres, quod reverà DEUS sit mirabilis, pluresque admirandæ DEI creaturæ sub ipsis aquis & intimis terræ recessibus, quam suprà terram existerent.* Post hæc etiam in aquas remitti petiit sub gravi comminatione, quod omnes cœteroquin cum rebus omnibus sint in mare demergendi. Ad quod exterriti, qui in navi erant, monstrum istud vinculis exsolventes libertati restitue-

tuerunt: Quod dùm advertit, sponte ex navi in mare desiliit, & sub undas se subduxit. *Erasmus* quoque *Lætus in historiâ nati & renati Christiani IV.* narrat de quâdam Nymphâ marinâ, quæ tempore *Friderici II.* haud procul à promontorio *Samo Danica* dicto itineranti occurrit, & cum eo sermones varios miscuit: Inter hos etiam quędam Regi Daniæ specialiter renunciandа commisit, hocq; comprimis: Quod fœtus, quem utero Regina gereret, masculinus sit, futurusque sit regni hæres: Quod & factum est: Nam fuit is *Christianus IV.* qui regno deindè potitus est. Addebat etiam vocari se *Ibrand*, habereque ętatis annos octoginta, matrem, etiam & aviam, proaviamque jam ultrà plures centenos annos in hoc pelagi districtu versari. Coeterùm Nympha hęc pulcherrimam virginem cum prolixis albis capillis, uberibus etiam, facie admodum nitidâ & pulchrâ, oculis magnis, naribus, auribus, ore, & aliis omnibus decenter compositis & optimè formatis repræsentabat. Corpus etiam totum cute parvis pilis albescentibus obsitâ illius instar, quæ in vitulo vel Lupo marino comparet, obtegebatur. Inferior autem pars plicatili quasi togâ ad modum cutis, quæ in Delphinis spectatur, operiebatur.

Pisces monachi formâ. 5. In Norvegiæ Oceano marina quædam monstra esse, tradit *Olaus Magnus lib. 21. cap. 1.* quibus non tantùm humana sit species, sed insuper cuculli quædam similitudo, quasi monachi essent.

Fig. II. Hujusmodi piscem monachiformem describit *Rondeletius* his verbis: *Inter marina monstra est & illud, quod nostrâ ætate in Norwegia captum est mari procelloso. Id quotquot viderunt, statim Monachi nomen imposuerunt. Humanâ facie esse videbatur, sed rustica & agresti; capite raso & lævi, humeros contegebat veluti monachorum nostrorum cucullus. Pinnas duas longas pro brachiis habebat. Pars infima in caudam latam desinebat, media multò erat latior sagi militaris figurâ.* Similem piscem monachum accuratiùs describit *Gesnerus lib. 4. de Aquat.* ex *Ge. Fabricio*, qui captus est in mari Balthico juxtà Elboæam oppidum, quod quatuor milliaribus distat Coppenhagâ Danici regni metropoli. Caput, collum, humeri, thorax humanâ specie erant, caput rasum ut monachi: De collo, humeris, thorace cucullus quasi pependit, qui nigris maculis fuit variatus, cucullus desiit in fimbriam, quali perizomate lumbos & femora tegere solemus, brachiorum loco pinnæ fuerunt, pedum quoque cauda piscis. Totius monstri longitudo quatuor cubitorum ad Regem delatum, & tostum ob raritatem & miraculum asservatum est. Captum est Anno salutis 1546.

Piscis Episcopi formâ. 6. Testibus *Majolo*, *Rondeletio* & *Bellonio* apud *Aldrovandum* & *Gesnerum* in Balthico mari Anno Domini 1531. captus est vir marinus & dono datus *Sigis-*

Fig. III. *mundo* Regi, qui Episcopum infulis ornatum corporis habitu quodammodò exprimebat.

7. Memorat *Lycosthenes de prodigiis Romæ*, aliquandò in amne Tyberino monstrum mirabile aquaticum comparuisse, quod erat corpore humano squamoso, capite asinino; Ventrem habebat fœminæ mammis ornatum; pedum alter aquilinos, alter bovinos ungues exprimebat.

8. Anno 1578. sub *Mauritio Imp.* in Thraciâ, sicuti *Zonaras tom. 3.* tradit, peperit quædam mulier puerum sine manibus & pedibus, caudâ verò piscinâ usque ad coxendices.

9. Capitur etiam *Kirchero* memorante *lib. 3. Art. magnet. part. 6. cap. 2. §. 6.* certis anni temporibus in mari Orientali Indiæ ad insulas Visayas, quas insulas *Pictorum* vocant, sub Hispanorum dominio, piscis quidam antropomorphus, id est, humanâ prorsùs figurâ, quem ideò *peche muger* vocant, ab indigenis *Duyon*: Caput habet rotundum nullâ colli intercapedine trunco compactum: Extremæ aurium fibræ, quæ & auriculæ nominantur, ex cartilagineâ carne eleganter vestitæ; quarum inferior pars amplissimis formata anfractibus veram hominis refert aurem, oculos suis ornatos palpebris, situque & colore non piscis, sed hominis judicares; Nasus nonnihil aberrat; nam inter utramque malam non usquequaque eminet, sed lævi tramite bipartitur; sub eo verò labra magnitudine specieque nostris simillima: Dentium non quales insunt piscium generi, serratilium, sed planorum & candidissimorum series: Pectus albâ cute contectum, hinc atque hinc paulò latius, quàm pro corpore in mammas extuberans, nequeeas ut fœminis pendulas, sed quales virginibus globosas plenas lactis candidissimi; brachia non longa, sed lata ad natandum apta, nullis tamen ipsa cubitis, ulnis, manibus articulisque distincta, in administris sobolis propagandæ membris in utroque sexu nulla ab humanis distinctio: posthæc in piscem cauda definit. Ità *Kircherus*. — Piscis peche muger.

10. De terribili monstro igneis oculis quosvis perterrente in mari Islandico ità scribit *Ditmarus Blefhenius* tanquam testis oculatus. *Habet quoque mare Islandicum Monstrum, cujus nomen incognitum est. Balenæ speciem judicant primo intuitu, cùm caput ex mari ostendit: Homines ità perterret, ut ferè exanimati decidant. Caput quadratum habet, oculos flammeos circùm circa longis cornibus munitum, corpus nigrum & atris pinnis obsitum est, si quando noctu conspicitur, oculi igniti sunt, ut totum caput, quod ex mari exerit, illustret, horribilius nihil aut pingi aut comminisci potest. Olaus M.* hujus etiam monstri meminit, dicitq; duodecim cubitos esse longum. Pergit *Blefhenius*: *ejusmodi monstrum*, inquit, *scapham piscatoriam mordicus tunc temporis continuerat suis dentibus, in quâ tres erant piscatores, ut illi submergerentur, unus qui funiculum, quo hamum & pisces ducere solebat, manu prehensum retinuit, tabulæque,* — Monstrum terrificum in mari Islandico.

quæ

quæ in mari natabat, adhærebat; ità ille ex imo in afferem reluctatus est, servatusque enatavit, meque præsente regio Præfecto hæc narravit, addens: Se divinitùs servatum, ut liberis alioquin perituris victum quæreret, cùm exteri duo, mariti quidem, sed sine liberis fuissent. Hæc *Blefkenius*.

Piscis leonis formâ. 11. Anno 1284. ad *Castrum* oppidum in Tyrrheno mari captus est piscis Leonis formâ: Et alius Anno 1295. mense Februario, qui clamorem hominis ejulatui persimilem edidit, & ob admirationem spectaculi causâ Romam ad *Martinum IV.* Pontificem missus est; ut *Philippus Forestus lib. 13. Chron* notavit.

Herill marina belua. 12. In Selandia Anno salutis 1522. postridiè Paschatis bellua quædam marina *Herill* dicta longitudine pedum 72, altitudinis pedum 14. in littus ejecta & inter *Wikkam* & locum vel oppidum à *D. Werpio* nominatum reperta fuit. Interstitium ab oculis ad rictum pedum 7. fuit observatum. De hoc pisce concisô dolia, quæ ab Harengis denominant nostri, 140. avecta sunt. Jecur etiam dolia replevit quinque. Capitis figura tanquam apri fuit, corium munitum tanquam conchis pectinum. *Gesner. lib. 4. de piscib.*

Piscis Harlemensis. 13. Anno Domini 1531. ejectum est in Hollandiâ ex Oceano ingens piscis cadaver non procul *Harlemio*. Is longus fuit pedes 68. crassus vel altus pedes 30. oris rictus latitudine patuit pedum 12. ut in *Naucleri Chron. appendice* legitur, & *Hedio in suis Chronicis Germanicis* prodidit.

14. Anno Dom. 1537. juxtà insulam *Thylen*, quæ supra Orcades in mari versùs Septentrionem sita est, *Olaus M.* feram marinam porco persimilem (quam tamen *Gesnerus* Hyænam existimat) apparuisse scribit; in quâ mirum hoc compertum fuit, quod in latere tres velut oculos expressos habuerit.

Cyprinus monstrosus. 15. Anno Dom. 1545. Idibus Nov. in Acronio sive Constantiensi lacu captus fuit propè urbem *Retz* cyprinus monstrosus in præsentia illustris & Generosi viri Comitis *Wolff de Schaumburg*. Duos ferè dodrantes fuit longus, cujus prona pars nigro colore fuit picta latere fusco, supino luteo. Spectabilis in eo mirabiliter fuit comprimis facies æmula humanæ latitudine sua, nec non oculis, ore, naso, buccis ac mento. Eundem tamen etiam piscem paulò aliter descriptum & in Austriæ flumine, quod vocant die Cirß sub ditione Comitis *Julii de Hardegg* propè Urbem *Retz* Anno præmemorato & mense Octob. captum tradit *Gesnerus lib. 4. de Aquat.*

Alius Cyprinus mirabilis. 16. Anno 1546. *Omburgi* in ditione Comitis Palatini Marchionis *Joachimi* Brandenburgensis captus & *Augustam* ad *Carolum V.* Cæsarem in Comitiis tunc agentem missus est cyprinus longè pulcherrimus, nec specie tantùm, sed & coloribus rarus & admirabilis, qui eum Sorori *Mariæ* donavit; coctus etiam colores retinuit. Longitudo fuit trium dodrantum, latitudo digitorum novem, quæ est à medio dorso ad ventrem medium: Pinnæ dorsi initium partim aureo, partim rubro colore fuit; deinceps verò pulcherrimè cæruleum. Reliquis pinnis omnibus color aureolus ut capiti etiam magna ex parte ac ventri: Sed passim etiam rubedo intervenit, quæ barbulas quoque quaternas tingit. Dorsum ex viridi cæruleum; latera superiùs viridia, inferius aurea. In summâ suavissimis floridissimisque coloribus undequaque adeò eleganter pictus & distinctus fuit, ut vel cum rubri maris elegantissimis quibusdam, maximeque variis piscibus certare potuerit.

Haleces mirris Characteribus signati. 17. Anno 1587. die 21. Novembris capti sunt duo haleces, unus quidem in Danico, alter verò in Norvagico mari absque aliorum consortio: Ambo verò in utroque latere variis insigniti fuerunt Characteribus sicut figuræ exhibent; & Daniæ Regi *Friderico* oblati sunt. Fig. IV. Similiter Anno 1609. *Novesii* in Silesia piscis captus est iis figuris & Characteribus signatus, sicut in icone hic repræsentantur. Fig. V. Cutis etiam detracta Romanorum Imperatori *Rudolpho* miraculi causa transmissa scribitur.

Piscis monstrosus Quiozamus. 18. In mari Veneto Venetias inter & Ravennam duobus suprà *Quiozam* (*Clodiam*, sive *Chiaozam*) milliaribus Anno 1550. captus est piscis volans valdè horribilis & monstrosus quatuor pedes longus: Capite erat crassissimo, binis oculis ad pendiculum non regione positis, duabus auribus & ore duplici, rostro valdè carnoso & viridi, alis geminis, quinque in gula foraminibus lampetræ foraminum æmulis, caudâ ulnam longâ, in cujus summo duæ visebantur aliæ exiguæ. Vivum id monstrum Quiozam allatum est, & Urbis primatibus, ut nunquam antea visum est, oblatum. *Aldrovandus lib. 3. de pis. cap. 47.*

Monstrosus piscis capite suillo miræ magnitudinis. 19. Propè insulam Thitam Septentrionalem *Olao Magno* teste, Anno 1538. monstrosus piscis comprehensus est capite quidem suillo, sed reliquo corpore squamoso cum figurâ veluti crescentis lunæ in dorso & ternis in medio lateris utriusque oculis. Animal erat incredibilis ferè magnitudinis, quippè longitudinem duorum & sexaginta pedum & altitudinem quatuordecim æquabat; interstitium inter oculos erat septem pedum. Jecur habebat tàm vastum, ut quinque dolia impleverit.

Cetorum magnitudo. 20. Visa est in Indico mari Balæna, ut testatur *Jonstonus de Cetis lib. 5. cap. 2. art. 1.* quaternum jugerum, seu nongentorum sexaginta pedum longitudine. Centum & quinquaginta cubitos obtinebat Cetus, quem *Nearchus* ejectum vidit. In ejus balænæ, quam *Gesnerus* describit, ventriculo tria dolia crudorum pisciculorum (inter quos erat Salmo unius ulnæ longitudine) inventa sunt. *Plinius lib. 32. cap. 1.* ex Juba in voluminibus, quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti filium ait: Cetos sexcentorum pedum longitudinis & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrâsse. *Albertus M. lib. 24. cap. de Ceto §. 1.* scribit foveam, seu cavitatem oculorum in cetis subindè tantam esse, ut quindecim ac etiam


Triton sive bellua marina humana specie.
Fig: 1.



Satyrus marinus.


Fig: 2.
Monstrum marinum specie Monachi.


Fig: 3.
Vir marinus episcopi specie An. 1531 captus in mari Baltico.


Fig: 4.
Haleces monstrosi in Dania et Norvagia capti. An: 1578.




Piscis monstrosus in Silesia captus Anno 1609.
Fig: 5.


Stella et Crux in Lucio.
Fig: 6

etiam viginti homines capiat: Vastitatem quoque oris tam amplam, ait esse, ut dùm spirat,& aquam ex fistula evomit, aliquandò integras naviculas impleat & submergat. Meminit etiam capti in Frisiâ ceti, cujus cùm scinderetur cervix, capitis pondus, dum illud à cervice resectum laberetur, tantum dedisse sonum, ac si domus fracta corrueret.

Monstrosus piscis in Anglia. 21. *Olaus M. Hist. Septentr. gentium lib. 21. c. 13.* describit monstrosum quendam piscem in littore Septentrionali Angliæ repertum Anno 1532. mense Augusto. Rictus oris longitudine erat sex ulnarum, circuitus alicubi ulnæ unius & dimidiæ, alicubi minùs: Omninò sicut quercus grandis erat. Triginta costas in lateribus habebat magnâ ex parte longitudinis viginti & unius pedum, circuitu unius pedis & dimidii: Tres ventres velut vastas specus & triginta guttura, quorum quinque prægrandia erant. Habebat duas pinnas, utraque quindecim pedes longa erat; vix poterant decem boves alteram earum abstrahere. Palato adhærebant quasi laminæ carneæ unâ ex parte pilosæ. Longitudo capitis à principio usque ad rictum erat septem ulnarum. De linguâ variabatur: Major pars censebat septem ulnarum fuisse longitudine. Ajunt genitale ei fuisse prodigiosæ magnitudinis: Membrum masculinum vir quidam cùm dilaniaret, fermè submersus fuisset in ventrem belluæ cadens, nisi costâ ereptâ se sustentâsset. Spatium inter oculos sex ulnas tenebat: oculi & nares tanto corpori valdè impares & quales bobus esse solent. Cauda bifurcata & ferrata latitudine erat septem ulnarum: In capite duo magna foramina erant, per quæ putabatur belluam plurimam aquam veluti per fistulam ejectâsse. Nulli denique illi fuêre dentes (undè colligitur non fuisse balænam. Nam balænis ajunt maximos esse dentes) exceptis laminis aliquot carneis, quæ in ore hujus piscis erant. Ità *Olaus* ex relatione alicujus Nobilis in Anglia.

Belluæ marinæ in sinu Orontigna. 22. Ex *Ovetano Hist. l. 13.* recenset *Majolus in dieb. canic. colloq. 9.* in sinu *Orontigna* novi orbis compertum aliquando piscem, cujus capitis amplitudo in altum fuerit ad pedes quindecim latitudine longè majori, reliquo corpore ultrà triginta: Ejus pinnas fuisse grandes, uti ingens dolium longas pedes viginti. Addit in eodem sinu visum esse aliquando piscem è mari rectâ exerentem caput suum cum duabus anterioribus pinnis,& in iis solis exertis partibus altitudinem majorum navium superâsse; frequentiùs sese demersisse & emersisse erecto semper corpore,& longa maris spatia deturbâsse.

Piscis mirabilis in sinu Lusitaniæ propè novam Lisbonam. 23. De admirabili quodam pisce, qui Anno 1575. decimo Cal. Maij ad *Benichæ* stationem pervenit, hæc scribit *Ludovicus Granat. l. 1. introduct. ad symbol. fidei cap. 21. Hunc, inquit, jam mortuum ad littus mare projecit. Hoc nihil admirabilius visum unquam. Erat enim ejus longitudo 40. cubitorum, in dorso ejus corium erat nigrum, in ventre album. Caudæ verò longitudo ab extremitate pinnæ ad aliam extremitatem erat quinque cubitorum & ejus latitudo 15. palmorum. Erat tanta corporis crassitudo, ut duos homines satis grandes in utrisq; partibus collocati vix se conspicerent. Uterque oculus unius cubiti longitudine erat. Caput in sublime ferebat altum 4. cubitos; os non, ut alii pisces habebat in capite, sed in ventre; majores illius dentes erant singuli octo cubitorum. In ore præterea sedecim habebat dentes, & quilibet in circuitu dimidium cubiti. Spatium inter dentem & dentem erat unius palmi.* Et paulò post subnectit. *Illud quoque audivi, hunc piscem in ventre unguentum ad medendum satis accommodatum & pretiosissimum habuisse.* Aliam ejusmodi belluam Anno 1598. tempestate ejectam in littus occiduum Hollandiæ ex *Clusio* recenset *Nieremberg. lib. 11. Hist. nat. cap. 61.*

Bellua pisciformis. 24. Ingentem quoque belluam marinam pisciformem se in Oceano cum navigationis sociis vidisse testatur *Aloysius Cadamustus*, quæ concitatissimo gradu versùs navem, quâ vehebatur, contendebat, ut propterea ex nimiâ consternatione velis vento datis fugere fuerit coactus: describit deindè belluam his verbis: *Cùm caput extrà aquam efferebat, videbatur alas quasdam habere instar alarum molendini, quod vento circum agitur, ubi non adest aquarum copia. Ob id nostrâ sententiâ visa est bellua non minor Liburnicis, id est, Galeis nostris. Quam obrem Hispani omnes, qui affuêre magnis navigationibus, fatebantur ingenuè, nunquam vidisse vastiorem, atrocioremvè bestiam, quam tantoperè formidavissent, licet innumeras vidissent balænas. Confessione igitur eorum hæc bellua balænam superat magnitudine.*

25. Sub *Philippo II.* ut *Nierembergius* refert *Hist. nat. lib. 11. c. 62.* visa in Oceano bellua duabus velificans alis navis specie. Fregit unam bombardæ ictus. Irrupit per fretum Herculeum bellua furens & horribilibus frendens mugitibus, atque illapsa per mediterraneas Hispaniæ oras Valentiam appulit, ubi demùm exanimata centum & quinquaginta dodrantes prolixa, molis circuitus centum, vacuitas cerebri septem homines capiebat. Eques in ore consistere posset. Maxillæ servantur in Escuriali usque ad decem & septem pedes porrectæ viginti armatæ dentibus duorum dodrantum, minimi unius. Genitalia immodica. Appellatum idcircò monstrum *Piscis mularis.* Aliqui eruditi Lamiam fuisse putarunt ob fauces & ingluviem. Duo cadavera in stomacho reperta. Hæc de pisce mulari *Nierenbergius*,& ex ipso *Jonston.* & *Schottus.* Monstrum piscis mularis.

26. Anno 1577. capta fuit in Scaldi decem ab Antverpia milliaribus Balæna monstrosa, quam *Pareus* descripsit: Longitudo ejus erat pedum 58. altitudo 16. cauda erat 14. pedes lata; ab oculo ad extremum intervallum 16. pedum; maxilla senûm in singulis lateribus pedum erat 25. dentibus armata, qui totidem foraminibus in superiore dentibus omninò carente excavatis, recondi poterant. Tot dentium longissimus 6. pollices non excedebat. Balæna in Scaldi capta.

27. Refert ex *Bizarto Stengelius Mund. Theor. part. 2. c. 47.* in urbe *Ceutâ* Idib. Maij Cetus mirabiliter pictus.

Ann. Chr. 1563. ejectum & ad littus inventum esse non solum mole conspicuum Cetum, sed etiam ad morem Brasilorum pictissimè variegatum non hominis penicillo, sed naturæ artificio. Cernebantur in ejus lateribus plurimæ triremes, velut coloribus scitissimè expressæ cum suis remis, arboribus, antennis, velis, funibus, nautis, bellicis tormentis inter fluctuantes undas, velut impulsæ. Nonnullę harum navium haud exiguâ magnitudine circà ingentem quandam triremem stabant undequaque ad certamen quàm optimè instructæ atque armatæ. Quædam aliæ reliquas tanquam harpaginibus injectis jam adoriebantur & prælii acerrimi imaginem luculentam referebant. Quæ omnia naturali quodam miroque artificio in pelle & carne piscis expressa cum eo adolevisse videbantur: Itàque clarè & distinctè, ut tanquam spectaculum nunquam antè visum, aut auditum incredibilem omnibus undique accurrentibus stuporem gignerent. Misit hujus prodigii exemplar ad Hispanię Regem *Licentius Voleranus* Urbis Gibelterræ Præfectus per *Joannem Fructuosum* scribam Regium ejusdem Urbis civem, qui testimonio sex gravium virorum id verissimum esse dictitavit.

Pisces cornuti, 28. Piscem mirabilem monocerotem Batavi ex orientali Indiâ Anno 1601. reduces attulerunt, quem, ut *Thom. Bartholinus de Unicornu cap. 14.* memorat, Mercator tanti æstimavit, ut nisi ingenti pretio redimi non posse putaret. *Ab extimo ore usque ad caudæ pinnas*, ut ait, *paulò longior erat tribus unciis: medio corpore paulò plùs unciâ latus à summo capite, ubi supra oculos cornu eminebat, ad infimam alvi partem, quæ etiam in parvum aculeum desinebat, sescunciam latus; corio fusci coloris & scabro totum corpus tectum erat. Os præterea habebat prominulum, angustum semi unciam longum, binis osseis denticulis munitum, qui in denos supernè secti videbatur, infernè verò in pauciores, nisi ij fuerint abrupti: oculos, qui eruti fuerant, satis magnos habuisse videbatur; suprà quos in capite corniculum gracile eminebat quadrangulare penè unciam longum decem spinulis instar hamusculorum deorsum spectantibus binis lateribus armatum, à quo ad pinnam, quæ à medio dorso continua ad caudam usque porrigebatur, interstitium erat uncialis longitudinis depressum instar sulci cujusdam, in quem corniculum, dum natat, inclinare videtur.* Ità *Bartholinus*. Narrat etiam *Scaliger Exer. 226. n. 1.* ad insulam *Cimbuton* captum esse piscem suillo capite cum geminis cornibus: Et *Plinius lib. 9. cap. 27.* de Lucerna pisce cornuto ait: *Attollit è mari sesquipedanea ferè cornua, quæ ab his nomen traxit.* Et *Olaus M.* de piscibus Norvagicis scribit *in hist. gent. Septent. lib. 21. c. 5. Horribilis formæ sunt, capitibus quadratis undique spinosis & acutis ac longis cornibus circumdatis.*

Monstrosus piscis propè Warsaviam captus. 29. Anno salutis 1623. ut *Stengelius loc. supracit.* recenset die octavâ Septembr. sive in festo Nativ. *B. V. Mariæ* in Poloniâ propè *Warsaviam* in Vistulâ ejuscemodi monstrosus piscis captus est. Longitudo erat 36. pedum; crassities seu latitudo 3. ulnarum cum duabus partibus, altitudo 10. ulnarum & itidem semis. Huic tàm vasto pisci caput erat instar hominis carneum, quin & cœtera erant instar carnis humanæ ac mollia, sed squamis ità duris atque asperis amicta, ut cornu esse putarentur. A capite per collum usque ad caudam cruces tanquam stellæ quædam per cœlum dispersæ cernebantur. Quæ omnia si cui minus mira esse censentur, audiat magis portentosa. Siquidem nulla unquam Pallas adeò armata, neque ità Mars ipse adamantinâ tunica tectus horridè bellum spiravit. Pisci enim huic in tergo tormentum curule suis rotis nixum impositum stabat, & antrorsum quidem os porrigebat ad ignem exspuendum, retrorsum autem syrma à dorso projectum trahebat more draconis. In pinnis rotundi hærebant globi infrà supraque transfixi. Ad latera utrinque longæ velut hastæ suspendebantur. Armamentarium quoddam esse credidisses. Neque deerant bipennes in modum crucis decussatæ, vexillum utrimque secùs insignientes. Atque ne naturam existimes illiteratam uni vexillo literæ A. D. I. H; alteri F. R. F. inscriptæ legebantur interpretatione spectatoribus relictâ. Præter hæc gladius & fistula ænea jaculationibus apta, itemque mortui hominis caput cute & carnibus denudatum, ut in cranio mortis effigies esset, nec non undique tubera, vulnera, cicatrices exprimebantur. Cauda sanguinei coloris erat fissa in eum modum, ut prærubra quædam parva spicula in unum fascem viderentur colligata. Ità *Stengelius*.

30. Anno 1624. trigesimò ab urbe lapide, non procul à castro *S. Severi* inter duos scopulos inventa est Balæna, quæ jam tum extincta apparuit. Erat bellua 91. palmos longa, crassa 50. Os, in quo aperto, & trabibus suffulto commodè homo equo insidens capi potuit. Lingua longa palmos viginti.

31. Refert *Christianus Franciscus Paullini in suis Observat. Medico-phys. observ. 11.* Anno 1646. ipso die *S. Joannis Baptistæ Conradum Busch* in pago *Waarth* ad Vierram Lucium librarum novem ponderis Crux & stella in Lucio. civilis patri suo seu singulari fautori suo Fig. 6. vivum adhuc obtulisse, in cujus ventre exteriùs manifestum albæ crucis signum rubris punctulis artificiosissimè distinctum; in capite autem stellæ figura conspicua erat: Delectatum parentem venusto Naturæ miraculo, & aliis, qui aderant fortè spectandum exhibuisse: Cùm verò languere piscem animadverteret, ocyùs suâ manu exenteràsse, & ecce! in ventriculo integram; eamque magnam anguillam, sed mortuam, è cujus ventre elegantem ranunculum, quem à colore dicimus Laubfröschlein in mensam prosiliisse. Vide etiam *Thomam Bartholin. Centur. 2. hist. 33.* de passere pisce crucigero.

32. Anno 1661. circà Fretum Gaditanum, ut *Jonstonus* recenset *de pisc. l. 1. tit. 1. cap. 2. art. 1.* captus est Thunnus pedum 32. Classis in Thunni pelle depicta.

longi-

longitudine, 16. latitudine, in cujus pelle integra classis naturæ penicillo delineata conspecta est.

Monstrum marinum 4. oculorum & 6. pedum.

33. In Sinicâ provinciâ *Quantung* piscem quatuor oculis & sex pedibus instructum dari scribit *Joan. Neuhofius c. 16. descript. Regni Sinici*: Ex quibus itidem margaritæ habeantur, quas tamen rectiùs unà cum ipsis ostreis fuisse deglutitas arbitratur. Quem etiam piscem in insulâ Ainàn margaritas evomere in historiâ secundæ legationis Batavorum in Sinas memoratur. *Kircherus in Chin. illustr. part. 4. cap. 9.* Hepatis quoque figuram repræsentare scribit.

Piscis mirabilis in insulâ Re.

34. Anno 1680. circà medium Februarium in insulâ *Re* propè pharum, alias turrim Balænarum, ut memoratur in *Zodiaco Medico-gallico, Ann. 2. sive 1680. Mens Martij obs. 2.* conspectus est ingentis magnitudinis piscis instratus, & involutus arenâ, adeò ut tantùm eminerent unus oculus, cauda, & portio ventris. Remotis, quantùm licuit, arenis dimensiones sequentes observatæ sunt: Scilicet, summò rostro ad oculum intercessêre pedes undecim cum duobus pollicibus: Ab oculo ad pinnam proximè subjacentem pedes duo: à pinnâ ad matricem viginti pedes: Tres pedes ab extremo uno matricis ad aliud: Ab extremo matricis ad caudæ bifurcationem quatuordecim pedes, & quatuor pollices. A furcâ unâ caudæ ad alteram interjacebant sedecim pedes: Ac tandem, ut nihil prætermittatur, pinnæ totius longitudo fuit trium pedum & aliquot pollicum. Latitudo autem quatuor pedum, si excipias aliquot pollices. Universum autem corpus grandis illius piscis, cui *Sufflonis* nomen inditum; ab aliis Balænæ, amictum erat nigrâ pelle, lævi, & bombycini instar, ad tactum lenis exteriori parte, crassitie circiter digiti transversi: Internâ verò superficie propemodùm lanuginosa aut potiùs adinstar interioris partis fungi. Nonnullis referentibus illicò apparuêre quædam stellulæ per superficiem sparsæ; nominatim circà caput, nonnullæ figuræ quasi exsculptæ coronam quandam non malè referentes: Proximæ autem extremitatem maxillæ inferioris repertus est cumulus concharum quarundam, quàs Galli vocant *ails ou couteliere*, carni at profunde infixarum. Caudam porrò observatum est hunc piscem alio ritu ac cœtera animalia gerere. Plura alia de hoc pisce vide *loc. cit.*

Zifius bellua marina.

35. Bellua quædam marina est, quæ *Zifius* vel *Ziphius*, à *Cardano Ziphus* nominatur: Hæc adeò formidabilis est, & omnium animalium generi valdè dissimilis, forma singularis: Hujus enim si caput videris, inquit *Gesnerus ex Authore lib. de nat. rerum*, monstrosum est omninò; si oris abyssum, fugies velut imaginem mortis: Si oculos, horrebis: Si reliquum corpus nihil in rebus simile te vidisse fateberis. Germanicè Zyffwal / vel Sauffwal à deglutiendo dicitur, quod etiam magna animalia, ut phocas, devoret.

Piscis ingens & mirabilis Gripswaldi captus.

36. Captus fuit aliquando *Gripswaldi* in Pomeraniâ ingens & mirabilis piscis; ibidem etiam in summo templo depictus hodie visitur cum duobus Epigrammatis, quæ Vir doctissimus *Georgius Curio* Medicus Ducalis *Stettini* ad *Gesnerum* misit. Ea verò sunt:

Epigramma I.

Hilla vocor piscis ad flumina fertilis Hildæ
Indigenis captus præda stupenda fuit.
Nec dubita quisquis picturam videris istam;
Sic caput & dorsum, sic mihi cauda fuit.

Epigramma II.

Talis flucti-vomis est captus piscis in undis,
Quæ sita ad Arctoum est Hilda vetusta salum.
Hic ubi dives agri Pomerania numine Divum
Subjacet imperio Celse Philippe tuo.
Quisquis in hac tantam miraris imagine molem
Picturæ certam certus habeto fidem.

Ingentes pisces circà insulam S. Helenæ.

37. Ex *Ludovico Romano* recenset *Gesnerus* circà *S. Helenæ* insulam enormes pisces deprehendi tantæ quidem vastitatis, ut singuli singulis magnis ædibus conferri possint: Ii enim ubi suprà aquas tolluntur, hianti ore prominent, videnturque cùm supernatant, frontem retegere instar loricati militis. Iisdem dùm urinant frontem condunt latum ternos passus. Cùm renatant pelago mirè conturbant aquas, ut etiam tormentis bellicis omnibus explosis bellua abigi debeat.

Astacus Humer.

38. Astacus marinus, quem *Humer* vocant Germani ex descriptione *Olai Magni* ingens inter Orchades & Hebrides insulas reperitur, & tam validus ac fortis, ut hominem natantem chelis apprehensum suffocet.

39. In Sinensi flumine *Siang* dicto visitur animal aquatile equi magnitudine, pedibus verò Tigridis horridum, quod ad autumni initium ex aquis in terram egreditur, hominesque & alia animantia invadit ac discerpit.

Piscis pedatus Gothanus.

40. In aulâ Serenissima *Gothanâ* immixtus aliquando reliquis coctis & principum Juniorum mensæ appositis repertus est hinc in ministrantium fercula cedente patinâ à puella 12. annorum monstrosus piscis pedatus, ut refertur *Ephem. Ger. Curios. Ann. 1. Dec. 2. Obs. 157.* Hæc enim ori ingerendum pedibus instructum conspicata à proposito destitit, eumque territa aliis monstravit. Caput, os, pinnæ, oculi, & totus superior ac medius venter piscem verum exhibuerunt; cauda tamen paulò latiùs desivit: Anticè verò gemini pedes cum coxis adhærentes æquo cum caudâ spatio exporrecti, & officulis suis conspicui fuerunt. Vide figuram ibidem.

Monstrum mirabile post terræ motum cum aquis effusum.

41. Anno 1679. mense Martio, ejusque die comprimis 22. cum horrendus terræmotus in Tuscia factus esset in *Padule* ad *Sienam*, quo diversæ corruerunt structuræ, & scissa magno hiatu terra aquas amnium instar protrusit: Tandem duobus illinc milliaribus auditus est mugitus insolitus metum

tum audientibus incutiens. Dies aliquot quæsiêre exploratores, & in agro protrusis prioribus aquis sepulto reperêre horrendum & informe monstrum, cujus caput fuit cornutum simile bovino sed majus, pedes testudini, cutis squamigera, tergum quatuor habuit operimenta seu Chelonia diversimodè oculata instar Rhinocerotis & pantheræ, motus & cœteræ actiones imitabantur testudinem, bovinam è continuo mugitu naturam velantes: Cauda similis crocodili, quantum oculi judicabant, viginti pedes longa & crassa duodecim ubi crassior. Non adverti potuit, quo pasceretur cibo, existimantibus plurimis erui cibum è paludinoso, quem tardè peragrabat, campo. Figura hujus monstri patet in Iconismo apposito. (Fig. 1.)

42. Anno 1688. Mense Septembri bellua terrifica pisciformis longitudinis 14. pedum Rhenum pervagata est, quæ Coloniam natatu pertransiens cum horrisono strepitu & mugitu *Bonnam*, *Moguntiam*, *Argentinam*, ac tandem *Basileam* usque permeavit; ubi denuò regressa Rheno descendens, sequenti Anno 1689. die 8. Aprilis ad locum *Reebl* unâ horâ Coloniâ dissitum, in arenoso Rheni tractu exanimis reperta fuit, notatis in eâ tribus vulneribus inductis à globis sclopetariis in eandem injectis. Ejus totam ac genuinam figuram vide in iconismo. An non verò hæc ipsa bellua mala bellica, quibus etiamnum ac comprimis circà Rhenum involuti sumus, portenderit, & horrisono suo mugitu quasi præco ampliùs sævitura prænuntiârit, aliis discutiendum relinquo. Certè *Olaus M.* non inconvenienter hoc ipsum confirmat ajens *lib. 21. Septentr. hist. c. 1. Est notatum apud Septentrionales, quotiescunq; extrahuntur à mari monstrosi pisces leoninâ vel humanâ & similibus, quod semper discordiam & bella terris portendant:* Ità *Cœlio* referente *lib. 8. cap. 11. Ant. Lect.* ex *Procopio*, Cetus 30. cubitorum apud Bizantium apparens portendit belli Gothici exitum in Italiâ. Et ut tradit *Crantzius lib. 8. Vandaliæ cap. 17.* Anno 1335. prodigii loco habitum est, Cete grandia innatâsse *Travenam*, perveniesseque ad Lubecæ Urbis vicina, latitudine octo & decem, longitudine quatuor & viginti pedum, quæ fuit necdum adultorum, sed mediâ ætate crescentium magnitudo. Eodem verò tempore cœpit inter Reges Franciæ & Angliæ diuturna illa de Regno Franciæ conflictatio. Similiter tradit *Zieglerus in Scandia* apud Norvegos in lacu *Mos* appellato, apparere monstrum serpentis miræ magnitudinis, quod haud secùs ac cometæ reliquo orbi, sic illud Norvegiæ rerum mutationem portendat. Ità serpens hic visus est Anno salutis 1522. altè eminens super aquas convolutus in spiram conjecturâ procul institutâ existimatus cubitorum quinquaginta: Et fuit secuta Regis *Christierni II.* ejectio è Regno. (Bellua terribilis in Rheno. Fig. 2.)

43. Finiam caput hoc, si de Serra pisce exotico adhuc pauca retulero. Cetacei generis est magnæ interdum molis: Cujus capiti quoddam veluti rostrum adnascitur per medium latum, in mucronem verò desinens; ad latera multos veluti dentes utrimque serratim habet, in quo à Xiphia præcipuè differt; est enim huic plana tantùm & nullis dentibus distincta excrescentia. Hic porrò piscis in mari Indico & magno frequens esse dicitur. Rostrum verò serriforme, quod singulariter in illo spectatur longitudinis propè tricubitalis, sesquipedalis verò latitudinis esse per medium planè cartilagineum ac flexile perhibetur; asperiuscula, eaque subcinereà cute contectum, ad cujus latera octo & quinquaginta dentes propemodùm osseos connumerare, ut ait *Bellonius*. Ejusmodi rostrum serriforme ad modum gladii vaginæ suæ reconditum *Vorchemii* in armamentario asservatur, & curiosis spectatoribus miraculi loco exhiberi solet. Atque hæc de exoticis Aquatilibus retulisse sufficiat. (Serra piscis.)

CAPUT XIV.

Aquatilium in variis quibusdam actionibus Exempla mirabilia.



Sicuti superiùs cùm argumentum de Quadrupedibus; & alterum de volatilibus expedivimus, eorundem varias actiones curioso Lectori in medium produximus: Ità nunc quoque breviter mirabiles etiam quasdam actiones & operationes Aquatilium per Exempla ex variis Authoribus collecta producemus.

§. I.

Reverentiæ, pietatis ac gratitudinis Exempla in Aquatilibus.

1. Testis est oculatus *Aldrovandus Boniæ* non ità pridem visum esse vitulum marinum, qui à circumforaneo per totam Italiam atque etiam Europam circumferebatur ad quæstum & admirationem. Hic ità institutus erat à circumferente, ut ad nomen cujusvis Principis Christiani, ceu gaudio affectus, nescio quid voce obstreperet; ar contrà nominatum Turcam, vel Hæreticum aliquem planè obmutesceret. (Vitulus marinus reverens.)

2. In *Ægis* insulâ, sicut *Philostratus* refert *in vita Apoll. lib. 2.* Damis vidit Phocam, sive Vitulum marinum à piscatoribus captum, filium, quem in caveâ pepererat, ità mortuum luxisse, ut triduò à cibis abstinuerit, quamvis omnium animalium sit voracissimus. (Pietas Vituli marini)

3. Fidem penè excedere videntur, quæ de gratitudine Delphinorum varii scribunt Autho- (Gratitudo Delphini.)



Fig: 1.
Monstrum horrendum post terræ motum in Tuscia repertum
Anno 1679.


Fig: 2.
Bellua pisciformis
in Rheno exanimis reperta.
Anno 1689. die 8. April:

Authores. *Pausanias in Lacon.* refert in Porosélene Joniæ Urbe fuisse Delphinum, qui à puero, quod illum manibus piscatorum eripuisset, inclamatus ad illum properabat, & ad vecturam se illi subjiciebat.

4. Puerum fuisse scribit *Philippus Camerarius*, quem ita Delphinus deperiit, ut ex ipsius conspectu viveret & defectu moreretur, atque id duntaxat ob nutritionis obsequia à puero sibi impensa. Sed credo *Camerarium* de Jasensi illo puero loqui, cujus historiam prolixè admodùm describit *Ælianus lib. 6. de Anim. cap. 15.* & ex ipso *Schottus phys. cur. lib. 10. cap. 12. §. 6.* Vide etiam *Gesnerum*, qui eandem historiam ex diversis refert.

Delphinorum gratitudo in Cæranum. 5. Insigne planè gratitudinis exemplum in Delphinis recitat *Plutarch in lib. Utra animal.* in hunc ferè modum. *Cæranus* genere Parius Delphinorum jactum Sagenæ irretitorum, qui concidendi erant, emit, dimisitque omnes. Brevi post navigabat in quinqueremi, quâ, uti fama est, piratæ vehebantur. Navi in freto, quod inter *Naxon & Paron* est, haustâ fluctibus, cœterisque submersis illum feruntsubsternente & sublevante eum Delphino expositum fuisse ad *Zacynthi* speluncam, quæ monstratur etiam nunc, dicuntque *Cæranion*: in hujus honorem fecisse fama est Archilogum hoc carmen. (num.

Quinquaginta Viris superesse dedit Cæra-
Neptunus Pater.

Quo post defuncto cum corpus necessarii juxta mare cremarent, accessit ad littus Delphinorum agmen velut ostendentium adesse se ad funus: neque ante, quàm omnia justa peracta essent, discessêre. Eandem historiam refert *Ælianus de Animal. lib. 8. & Athenæus lib. 13.*

Gratia Hesiodo à Delphinis exhibita. 6. Hesiodi à latronibus interempti cadaver, cum in mare injiceretur, Delphinorum grex suscipiens ad Rhium & Molycriam exportavit, ut pluribus tradit *Plutarchus in convivio septem Sapientum.*

7. Leonides Byzantius, referente *Æliano de Animal. lib. 2. cap. 6.* in urbe *Pleroseleno*, vel melius *Poroseleno* nuncupata, se cum Æolida navigando prætervеheretur, Delphinum in illius Urbis portu habitantem civibus hujus tanquam hospitibus suis utentem vidisse confirmat: idemque affert, hunc Delphinum de manu aniculæ cujuspiam, ejusque mariti educari solitum fuisse, plenosque invitamentis cibos illi ab eisdem suppeditatos; neque tamen puer cum eis esset infans pariter alendus, illum alere destitisse, sed ambos educasse: ex quo convictu Delphinus, puerque mutuum inter se amorem conciliârunt. Delphinus urbem, quam dixi, veluti patriam suam flagranti studio amplexabatur, portumque tanquam domum suam amanter incolebat, & suis nutritiis gratiam educationis sic persolvebat, ut cum ætate grandis factus esset, deque manu educantium cibum capere non haberet necesse, jam longius progrediens, ex prædis, quas capiebat, partim sibi ad prandium haberet, partim suis educatoribus adferret: quod illi cum scirent, hoc ceu vectigal libentissimè exspectabant: nomen quoque similiter Delphino, ut puero, imposuerunt. Puer ex illa vivendi cum Delphino consuetudine hanc collegerat fiduciam, ut ex crepidine, locisq; è mari eminentibus illum auderet appellare, facileque ad se leni appellatione evocaret. Ac sive ille cum alicujus navis remigatione contenderet, sive cum aliis gregatim errantibus luderet, & variis in quosvis assultibus gestiret, sive multa famè pressus venaretur; ad puerum tamen tantâ celeritate redibat, ut vehementi impetu more navis plenissimis velis impulsæ ferretur, atque ad suos amores adpropinquans luderet & adsiliret nunc circum illum aduans, nunc illum ipsum velut provocans ad certamen secum amasium suum alliciebat. Et quod magis mireris ut honore ei cederet, seque vinci in gratiam ipsius simularet, submittere se illi natando aliquando visus est.

Scombrorum gratitudo. 8. De Scombris piscibus tradit *Philarchus* apud *Athæneum*, quod prolixius etiam recenset *Ælianus*; esse insulam haud procul ab Epidamno, quæ *Athenas* vocatur, ubi piscatores habitant: in eo locum reperiri, ubi scombrorum cicurum alitur multitudo. Hi verò ut gratiam referant nutritorib', pasti in altum denatant ad alios sui generis feros, eosque ad piscatorum capturam deducunt tanquam recompensam pro accepta nutritione referentes.

Piscis Manati cicur in Hispaniola. 9. Summopere admirandum est, quod de pisce quodam non solùm amante hominis & grato ob beneficium nutritionis, sed & beneficiorum memore recenset *Petrus Martyr ab Angleria Oceanoæ Decadis. 3. l. 8.* in hunc ferè modum. Apud Indos Occidentales in ditione Reguli Caramatexii ipse Regulus piscatione delectabatur. In ejus retia Piscis catulus incidit de genere piscium immanium, qui ab incolis dicuntur *Manati*. Infantulum piscem domi Regulus aluit, dies aliquot pane patrio ex juccâ & panico putà confecto, radicibus etiam aliis, quibus homines vescuntur. Adhuc parvulum projecit piscem in lacum suis ædibus proximum, ubi per 25. annos crevit in immensum. Pisci autem nomen impositum est *Matum*, quod significat generosum aut Nobilem. Quando ex Reguli familiaribus ei notis præcipuè quisquam in lacunæ ripâ *Matum*, *Matum*, hoc est, Generose Generose proclamabat: humani beneficii memor caput elevans ad vocantem pergebat; pascebatur hominum manu. Si verò quispiam transfretandi cupidus signa dabat, prostratu suo trajecturos invitabat. Decem aliquando monstrum conscendisse uno receptu, transportatosque fuisse omnes incolumes psallendo & cantando compertum est. Sed si Christianum quempiam erigens caput cerneret, submergebatur & parere recusabat, quia fuerat à Christiano Juvene quodam petulanter affectus injuriâ. In piscem namq; mitem & domesticum fuerat jaculatus hastam acutam, licet haudquaquam læsus fuerit ob duritiem corii, quod habet verrucosum, asperumq;, illatam tamen sensit injuriam,

injuriam. Et si quando vocabatur à notis, ex illo die circum adspectabat prius diligentissimè, ne quis vestitus Christiano more adesset. Luctabatur in ripa cum Reguli cubiculariis, sed præcipuè cum Adolescente Regulo grato, cum quo domi cibos aliquando sumpserat. Cercopitheco lepidior erat. Fuit longo tempore universæ insulæ singulari solatio: nam & Incolarum & Christianorum multitudo ingens ad monstri miraculum quotidiè confluebant. Amissus est tandem facetus iste piscis ad mare devectus ab Attibunico uno è quatuor æquè dividentibus insulam fluminibus ex alluvie inaudita Typhonibus horrendis comitatâ, quàm ipsi vocarunt Furcanum. Hæc ille. Hujus *Manati* meminit etiam *Cardanus de variet. lib. 7. cap. 38.*

§. II.

Obsequentiæ, mansuetudinis, astutiæ, aliarumque operationum mirabilium in Aquatilibus Exempla.

Trutta. Glani, Cyprini. 1. De Trutta refert *Rondelletius in Villâ D. Antonii* juxta Ambianum vocatam ad cibum venisse. Et Glanos, cyprinosque in vivario Patritii viri à Sarnaco pariete pulsato ad cibum properâsse, tradit *Cardanus de variet. lib. 7. cap. 38.*

Vitulus marinus mansuetus 2. Vitulum marinum memorat *Idem Cardanus ibidem* educatum in Levini insulæ Cænobio: & alium in Scotia tribus annis, ita tamen, ut aditus illis ad aquas non prohiberetur; ascendisse verò cicures scalas, dumq; somno gravissimo tentarentur, stertisse more hominum dormientium, ut inquit, quibus collum breve & crassum, vel columella excidit, cum distillatione tentarentur.

Delphinus puero obsequiosus 3. *Augusto* Cæsare ad Lucrinum lacum ut *Plinius* refert *Hist. nat. lib. 9. cap. 8.* inventus Delphinus quispiam pauperis cujusdam puerum ex Bayalono *Puteolos* in ludum literarium itantem, cùm meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine sæpius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit: quocunque diei tempore inclamatus à puero, quamvis occultus atque abditus, ex imo advolabat, pastusque è manu præbebat adscensuro dorsum, pinnæ aculeos velut vaginâ condens, receptumque puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, simili modo revehens pluribus annis, donec puero vi morbi extincto subinde ad consuetum locum ventitans tristis & mœrenti similis ipse quoque, quod nemo dubitaret, desiderio extinctus est.

Lupi & anguillæ. 4. *Nymphrodorus Syracusius* in circumnavigationibus scribit, lupos anguillasque magnas ita mansuetas esse in flumine Eloro, ut panem accipiant ex manibus porrigentium.

5. Testatur *Athenæus lib. 8. cap. 1.* vidisse se in Aretusâ in Calcide mugiles domesticos & anguillas inaures aureos & argenteos habentes, cibumque ex præbentium manibus capientes, victimarumq; intestina & caseum recentem.

6. Cicurari etiam & mansuescere murænas patet ex illâ *L. Crassi*, qui cum *Cn. Domitio* Censor fuit, inauribus & gemmis distinctô monili ornatâ, quæ vocem *Crassi* cognoscebat, ad eum adnatabat & porrectâ cum gaudio accipiebat. Idem dicitur de Murænâ *Antonii Drusi* in villâ apud Baulos in parte Baianâ. Murænæ cicuratæ

7. De Polypi astutia ex *Berchiario* recenset *Baro in Natur. miracul. areâ 5. §. 2.* piscatores in mari *Quinciæ* in littore super carbones locustas coquendas posuisse, & cum circà ignem dormirent, polypum unum odore locustæ tractum, de mari exivisse, & ad ignem venientem cum pede locustam accipere vellet, caloremque ignis sentiret, ad mare rediisse & quandam tunicam, quam capitil loco habebat super caput, aquâ replevisse, totiesque eundo & redeundo super ignem projecisse quoad ipsum extinxit & sic locustam cepisse, secumque ad mare detulisse, nisi unus, qui hoc videbat, ipsum tandem accipiens locustæ loco super carbones coquendum posuisset. Polypi astutia.

8. *Ex eodem* refert *Idem*, quod Polypus aliquando captus fuerit à quodam, dumque uxor ipsius illum in pelvi coquendum cùm aquâ posuisset, & paululum divertisset, non invenerint amplius in pelvi; tandem verò suspiciens super domûs trabem viderit: sentiens enim calorem aquæ, per catenam in quâ pelvis pendebat, eò ascendit, unde denuò eundem fœmina retraxit coquendum. Polypus catenam ascendens.

9. Mirum de captis Anthiis sortem suam lugentibus tradit *Ælianus lib. 12. de animal. cap. 47.* his verbis: *Anthiæ*, inquit, *cum sunt capti, miserabile præbent spectaculum: sortem suam lugere & quodammodò supplicare videntur. Ac mirum quemadmodum homines, qui in latrones immisericordes, & cædis avidos incurrerunt, aufugere conantur; sic sane ei retibus insultantes insidias transilire conantur; Hoc dum moliuntur, trucidantur ferro. Qui hoc genus mortis evadunt; in terram antebac eis inimicam exiliunt, atque ibidem mortem obire malunt, quàm gladio perire.* Hæc *Ælianus.* Anthiæ captiliu gent.

10. Delphinos captos etiam flere ac ejulari experimentô certo compertum se testatur *Gillius* apud *Aldrovandum lib. 1. de Cetis cap. 7.* Cum enim in navi, ubi permulti Delphini capti tenebantur, pernoctaret; mirabiles eorum fletus & gemitus acerbissimum sibi dolorem inussisse scribit: adeò enim advertit humano gemitu & lamentatione & magnâ lacrymarum vi suam conditionem deplorasse, ut eorum miseratione tactus lacrymas tenere non potuerit. Quare proximum, quem magis gemere sentiebat, dormiente piscatore in mare projecit. Maluit enim lædere piscatorem, quàm sibi ad pedes stratum quasi supplicantem non sublevare. Sed nihil promovit illo abjecto: reliqui enim Delphinorum gemitus & fletus.

enim magis magisq; gemitum auxerunt, nec obscuris signis similem liberationem petiverunt. Itaque totam noctem in acerbissimo luctu versatum se scribit *Gillius.*

Delphini injurias vindicant. 11. Delphinos etiam injuriæ vel cujusvis damni aut mali illati memores esse, hincque vindictæ cupidos *Bellonius* innuere videtur, dum ait: Est adhuc in hodiernum diem persuasio quædam vulgaris non inter Græcos tantùm, sed Italos quoque præsertim Venetos nautas, si quispiam coortâ tempestate in navi ipsorum inveniatur, qui aliquando Delphinum occidit, omnes Delphinos circumquaque colligi, ut navi perniciem moliantur in ultionem ejus, qui Delphinum interemit. Itaque religiosè eis lædendis, aut etiam si alius interemerit; in comedendis abstinent. Contrà verò homines eorum generi innoxios ab ipsis amari, ideoque comitari naves præsertim tempestatis tempore, ut si opus, naufragos servent. His etiam recensitis addit *Schottus Phys. cur. lib. 10. cap. 12. §. 5. mihi certissimè constat, Siculos piscatores, si quando cum Thunnis incurrit in nassas Delphinus, eum liberum dimittere tanquam hominum amatorem.*

12. In Syriâ fluvium nomine *Chalum* memorat *Cælius Ant. lect. lib. 18. cap. 34.* in quo visuntur pisces magnitudine insignes ac miti mansuetoque ingenio. Eos quoque Deos arbitratos esse scribit Syros, nec injuriâ affici passos. *Plato* etiam *in lib. de Regno* refert, circà Nilum & regios lacus esse, qui pisces mansuefaciunt. Pisces miti ingenio.

13. Serræ piscis in Indico mari astutia singularis hæc est; subtus natans naves adoritur, rostroque suo ferriformi secat, ut intrante aquâ homines dolosè mergat, eorumque carnibus satietur, ut tradit *Author de naturâ rerum.* Serræ piscis astutia.

CAPUT XV.

Mirabilia miscellanea varia de Piscibus & Aquatilibus

Admiranda illa adhuc in Aquatilium regno, quæ ad argumenta in præcedentibus capitibus pertractata reducere non potuimus, hìc saltem inter Miscellanea congessimus.

Tibiscus Hungariæ fluvius piscibus abundat. 1. Nullus est fluvius, ut *P. Fournier tradit Geogr. orb. not. lib. 11. cap. 19.* qui Tibiscum superet proventu piscium, sive rationem habeas diversarum specierum, sive magnitudinis, sive saporis: præcipui sunt Sturiones, Lucii, Carpiones, quorum omnium tantam largitur copiam, ut cum intra regionis illius limites distribui nequeant, neque evehi ad circumpositas his porcorum greges alantur, ut ejecti in ripas aere pestem inficiant. Sic & Pæones Prasiadem paludem incolentes equis & subjugalibus pisces pro pabulo præbuisse scripsit *Herod. lib. 5.*

Harengorum ingens copia. 2. Nunquam oræ piscariæ vel sinus Persici uniones, ut scribit *Idem Fournier. cit. opusc. lib. 2. cap. 4.* nunquam Indici maris ambara, Æthiopici pulvis aureus, Mediterranei corallium, vel maris Balthici succinum emolumenti mortalibus tantum attulerunt, maximè iis, qui piscatorio quæstu vitam tolerant, quantum morhuarum & harengorum, qui exercetur in mari subviridi, quod Hollandi propterea vocant Hering-See/ quod inter Orcades, Islandiam, & Norvegiam medium est. *Fidem superant,* inquit, *quæ dicturus sum de harengis: numerum Romano ore non licet eloqui, characteribus expressum accipe; 14800000000. tot harengos quovis anno soli Batavi à festo D. Joannis ad Natalitia Christi expiscantur, partim in hoc mari, partim in Britannico, Hic numerus si tibi videatur immanis, minorem tamen justo colliges, si attendas quotannis in eum finem solvere ex Hollandiâ 1400. circiter naves, quas Losbos dicunt, præter grandiores 40. probè armatas prò aliarum tutelâ, deinde quod singulæ referant domum 20. ut minimum (sunt enim quæ 45.) onera, quorum unumquodque continet doliæ 12. hoc est millia harengorum 12. Ter autem ut plurimum ex Mari Norvagico onustæ domum redeunt, ter item ex Britannico: Denique in hoc numero Anglorum & Francorum naves non comprehendo, quæ ut minimùm sunt quingentæ.* ita *Fournier.*

3. De Terrâ Sanctâ, Oceani Germanici insulâ mirum quid recensetGeorgius *Fabricius apud Gesnerum lib. 4. de Aquat.* nimirum circa annum Virginei partûs 1530. ex captura Harengorum bis mille homines vitam sustulisse; & cum aliquando per petulantiam harengum virgis cæcidissent, adeò imminutos fuisse pisces illos, ut cum illud scribebat annis 24. post vix centum homines ex illo quæstu viverent. Mirum & hoc quod quidam à viduâ, quæ jus piscandi habebat, jactum unum trecentis florenis emisset, sperans se plurimum lucraturam, quoniam plerumque ingens eorum copia pariter irretitur; eo jactu non nisi tres cepit. Uno ergo prandio trecentos florenos absumere potuit, nec famem sedare. Harengorum captura mirabiliter minuitur.

4. Est ad ostia Nissæ Scotiæ fluminis, inquit *H. Boet. in Scot descript.* oppidum *Envernes* nomine numeroso halece olim foecundum, nunc irâ Numinis eo beneficio privatum. Causam vulgò in hominum quorundam insolentiam referunt, qui immani cupiditate armis certantes pro piscibus, scelerato sanguine undas commacularunt. Id persuasum habent, cum pro conchis halecibus atq; id genus piscibus, quos benignâ Dei Providentia ad pauperum inopiam largitur certamen uspiam initur, multò inde tempore nihil aut exiguum quiddam eorum apparere. Piscium inopia ex hominum sceleribus.

5. *Heliogabalum* Cæsarem ad mare piscem nunquam comedisse, scribit *Lampridius in Heliogabalo* in longissimis verò à mari locis omnia Pisces pretiosi.

omnia marina semper exhibuisse: murænarum lactibus & luporum in locis mediterraneis rusticos pavisse. *Asininum Celerem* Virum Consularem mullum unum septem millibus nummûm (hoc 200. Philippicis nostris) mercatum fuisse fuisse *Serenus Samonicus* refert. *Juvenalis Satyricus* de *Crispino* quodam sic scribit in *Satyr.*

- - - - - mullum sex millibus emit.

Æquantem sane paribus sestertia libris.

6. In Ponto, ut *Theophrastus in fine libelli sui de pisc.* habet, contingit pisces glacie & gelu occupari neque sentire aut moveri, priusquam in ollas coquendi injiciantur; præ cæteris autem Gobio hoc accidere ajunt.

Crocei coloris piscis in avem mutatio.

7. Admiratione dignissimum est animal in Sinensi Provincia *Quantung Kirchero* referente *in Chin. illustr. part. 4. cap. 9.* quod *Hoangeioya* id est croceum piscem vocant Sinæ. Est enim iste modò piscis, modò avis: per æstatem siquidem avis est crocei coloris Galgali instar per montes volitans more avium sectatur nutrimentum; autumno verò finito ad mare redux in piscem convertitur, quem hyberno tantum tempore ad delitias, cum sit suavissimi saporis, piscantur indigenæ.

Animalis quadrupedis in belluam marinam mutatio.

8. Eodem *Kirchero* memorante, apud Japones in insulâ, quæ *Gotum* vocatur, animal quoddam esse solet, corporis magnitudine & figurâ simile cani, vel, ut alii narrant, lupo: quod primò quidem in terrâ vivit, deinde constituto à naturâ tempore mare incipit frequentare, ubi assiduo natatu exercitatum pelagoque commissum, omnibusque membris in formam piscis compositis in belluam marinam tandem convertitur.

Abides piscis in terrestre animal mutatio.

9. *Albertus M. lib. 24. in Astoitz* asserit esse animal marinum, cui nomen *Abides*, quod cum reliquis piscibus in mari natales habeat; cum verò senuerit mutatâ formâ terrestrem assumere & terram incolere terrestriumque animalium more vesci, mutatoque nomine, quod primò dum piscis adhuc erat, *Abides*, modò terrestris animalis assumptâ formâ *Astoitz* appelletur. Econtrà in Oceano Orientali quadrupes esse testantur *Conimbricenses lib. 1. de Gen. & Corr. qu. 17. art. 1.* quod in senectute omnibus membris in piscem degeneret.

Mira aquatilia in China.

10. Ex *Atlante Sinico* recenset supramem. *Kircher loc. cit.* in provinciâ *Quamsi* animal reperiri, quod capite volucrem, caudâ piscem refert. In eodem quoque tractu Cancros reperiri scribit, qui ubi aquâ relictâ aerem subièrint, statim figurâ antiquâ servatâ in lapidem convertantur durissimum. Observatum & in Chinâ ac Japoniâ, antequam vera Christi religio ibidem fuit inducta, quod omnes cancri in quibusvis rivis & fluminibus crucis figurâ mirè fuerint insigniti.

Pisces miri in conchis.

11. Prope *Malaccam* Indorum civitatem, quæ olim Lusitanis, nunc autem Batavis subjecta est, piscium quoddam genus reperiri dicunt, quod in conchis delitescit; ipsi autem pisces non adeo magni sunt: conchæ verò peramplæ & graves, adeò ut illarum una tres etiam centenarios pendat, vix & à duobus robustis viris portari queat. *Erasm. Franc. in Horto Indico.*

12. Piscis est, quem Germani Petermanche vel Petermenches nominant; aliis & *Torpor* vocatur, quod nomen fortè à Scorpio factum fuerit, ut ait *Gesner. lib. 4. de piscibus* similiterque venenatis ut ille aculeis feriat. Hunc & ajunt, si quem suo in capite aculeo læserit, homini insaniam quandam ad horas ferè 24. vel, ut aliis placet, sex adducere. Piscis aculeo insaniã causans.

13. In Carniolâ superiori ad *Beuckla* lacus est *Umustach* dictus, qui medio in prato situs & aquis constanter exundat; in quo persæpe pisces reperiuntur, qui undique musco obtecti sunt. *Valvasor Topogr. Carn. lib. 2. cap. 14.* Rutam è capite carpionis undecim ferè librarum enatam recenset *Christ. Franc. Paullini in obs. Medico phys. obs. 113.* Anno quoque 1600. Jenæ magnum Gammarum esse captum, in cujus dorso anagallis flore cœruleo efflorerit radiculis altè infixis: & Lucium Salfeldiæ visum satis ponderosum, cujus caudæ annata fuit fumaria; aliumque Anno 1664. Hamburgi captum, è cujus capite nata fuit anserina: Ranam quoque etiam repertam, cujus corpus à pilosellâ innatâ totum ferè obumbratum fuit, Idem ibidem enarrat. Plantæ piscibus innascentes.

14. Neque hoc inter vere admiranda reticendum, quod Idem Clariss. D. *Paullini obs. 56.* de fœmina ejusque infante recenset his verbis: *Emerat hæc aliquando Hamburgi minutißimos istos pisciculos, quos* Gründling & Ehrlitzen *vocamus: dumque pecuniam numeraret, ollam in quam conjecerat ferculum suum unà cum infante in terram deponit. Pusio arripit unum valde exiguum in aqua salientem, orique admovet, qui ultrò per gulam descendit. Altero die patitur aliqualem Urinæ difficultatem, qua tandem excreta simul pisciculus heri devoratus vivus adhuc elapsus est.* Ita ille. Pisciculus vivus cum Urinâ excretus.

15. Pisces uti & frutices ac herbulas in saxis fissis prope *Kelhemium* in Bavariâ inventos vidit in Rotensis Cœnobii Bibliotheca *P. Stengel.* ut ipsemet testatur *lib. de Monstris cap. 2. num. 12.* *Eusebius* quoque *Nierembergius lib. 6. Hist. nat. c. 13.* de piscibus intra lapides conclusis hæc tradit. Fertur in Anconitano littore ac mari compertos esse lapides omni ex parte integros ac solidos, in quorum medio pisces latebant, quorum egressûs, ingressûsque nullum fuit vestigium, aut potuit esse. Dejectis tamen lapidibus illis erumpunt ad hominum esum percommodi. Igitur pisces vixisse ibi & adolevisse putantur innato lapidis humore ac frigore. Pisces inter lapides reperti.

16. Pisces etiam subterraneos & fossiles dari supra *Disq. 1. hujus Scrut. cap. 6. §. 5.* jam indicavimus: hic denuò aliquot confirmamus exemplis & experimentis. Ita teste *Agricola* in Narbonensi agro, qui montes Pisces fossiles subterranei.

montes Pyrenæos interjacet, planities quædam camporum maritima variis irrigatur fluviis, in qua non infrequenter pisces vivi eruuntur. Invenitur & ibidem quoddam genus saxorum oppidò porosum ex quibus, referente *Kirchero in Mund. subt. lib. 8. sect. 4. cap. 1.* molitores in usum frumenti terendi molares lapides conficere solent, in quorum medio, dum finduntur, ut plurimùm rubetas vivas inveniunt; unde magnopere ipsis cavendum, ne similes lapides primò sine legitimo examine molis adaptent, ne ubi versatione continuâ incaluerint, latentis alicubi intùs rubetæ diffusum toxicum frumento inducant. In Germaniâ quoque hujusmodi pisces fossiles, ranas, imo & serpentes inventos testatur *Agricola lib. de anim. subterr.* Quomodo verò hujusmodi animalia saxis innasci queant, explicat *Kircherus loc cit.* Pisces etiam effodi in Heracleâ & apud Titium Ponti Milesiorum coloniam scripsit *Theophrastus. Eudoxus* etiam notavit fossiles pisces esse in Paphlagoniæ locis siccis: item in humidis circa lacum Ascanium, qui apud Chium est. *Gesner. lib. 4. de Aquat. ex Epist. Georg. Fabricii* ad se scripta recenset, pisces fossiles, vulgò *Beisker* nominatos; comprimis verò in Misena trans Albim duobus locis effodi memorat: ad Polnitium amnem prope Orrantum, & ad Dobram rivum prope Hanam oppidum: item in pratis ad Rederam fluvium copiosè effodi scribit, si flumen inundet. *Ex terræ cavernis*, inquit, *ingrediuntur etiam lacus & paludes, cum aquæ extra ripas excrescunt, è terra prodeunt. Aquis autem residentibus in pratis, campisque relinquuntur; & ubi greges sunt, relicti vorantur à suibus.* Juxta Ruscinonem quoque ut *Strabo refert lib. 4. Geogr.* lacus est, & ager, quem aluit exiguis supra mare refertus salinis. Habet is effossiles pisces Cestrias: nam si quis duos aut tres fodiat pedes, & in limosam aquam fuscinam demiserit; piscem eximiæ magnitudinis fixum penetrat; limo autem instar anguillarum alitur. Hæc *Strabo. Rondeletius* etiam apud *Gesner.* è terra defossas anguillas aliquoties spectâsse in villâ *Joannis Scironii* Viri doctissimi narrat.

17. Esse etiam pisces in subterraneis fluminibus & abditis aquarum recessibus varia docent Exempla. Ita *Plinius* scribit, cum in Græcia magnus terræ motus exortus esset, terra aperta ingentem piscium copiam unà cum flumine ejecit, qui pisces haud dubiè in subterraneo aliquo flumine originem suam habuerunt. Ita etiam *Seneca Nat. quæst. lib. 3. q. 19. magna*, inquit, *vis aquarum in subterraneis occulitur fertilis fœto situ piscium. Si quando erupit, affert secum immensam animalium turbam horridam aspici & turpem ac noxiam gustu. Certè cum in Curiâ circà Myndum urbem talis exilisset unda, periêre quicunque illos ederant pisces, quos ignoto ante eum diem cœlo novus amnis ostendit.* Est & in Carniolâ prope *Labacum* campus ingens, ex quo quotannis verno tempore tanta aquarum copia unà cum piscibus erumpit, ut intra paucos dies campum in lacum piscibus refertum commutet. Ita *Kircherus in Mund. subterr.* Meminit etiam *Cluverius lib. 1. Italiæ antiquæ cap. 21.* ajens. *Scrobes sunt, quibus aquæ evomuntur, rursum absorbentur ita in saxeo solo natæ, ut humano opere excisæ videantur. Lucii heic capiuntur lacu exundante, qui duos cubitos longitudine excedunt. Unde certum est, eos gigni intrà eas voragines & augeri; cum fieri nequeat, ut dum foris stagnant aquæ ad tantam magnitudinem perveniant.* Vide etiam *Valvasor in Carniol. Topogr. lib. 4. cap. 46.* In Helvetiâ pisces subinde cum magnâ etiam aquarum copiâ ex montibus erumpere scribit *Cysatis à Kirchero* ciratus ajens: *Flumina sunt in Helvetia, quæ ex montium antris evoluta à Majo usque ad Septembrem ferè fluunt, reliquo anni tempore à fluxu desistunt.* Addit deinde: *Flumina post primam aquarum è montibus evolutionem statim piscibus repleri apertum signum eos è subterraneis aquis unà cum flumine erupisse.* Patet igitur etiam in fluminibus subterraneis aquatilia animantia atque pisces, haud secùs ac in lacubus, fluminibus, maribusque super terram habitare solent.

Pisces in subterraneis fluminibus.

CAPUT XVI.

De Serpentibus, Anguibus, Viperis & aliis hujusmodi reptilibus.



Absolutam doctrinam Notabilium & Mirabilium Sciendorum de Quadrupedibus, Volatilibus & Aquatilibus ordine consequitur ea, quæ de Serpentibus, anguibus, viperis & aliis hujusmodi reptilib⁹ acquiri potest. Rectè autem comprimis *Jo. Euseb. Nieremberg.* Naturæ eximius Paraphrastes *Hist. Exot. l. 12. c. 1.* de his ait. *Non sine Naturæ usu reptilia sunt, nec minus Majestatem Creatoris humilitate suâ exaggerant, non minus bonitatem peste suâ commendant: Scit pessimis Deus juvare, scit veneno mederi. Liberalem medicina opem è noxiis istis usurpat.* Sed de his breviter. Argumentum ipsum auspicemur.

§. I.

De Serpentibus in genere.

1. *Serpens* à serpendo dictus, animal est quod pedibus caret & per terram rependo volvitur. Generaliter verò hoc nomen omnia illa animantia, quæ citrà usum pedum repunt, vel tam exiguos habent pedes, ut repere potius, quàm incedere videantur, complectitur. *Coluber* dicitur, quasi colens umbras. *Anguis* quasi angu-

Serpens unde dicatur.

losus & complicatus conspiciatur, aut quod angulos amet, quanquam hoc nomen Aliqui solùm aquaticis attribuant: Vipera dicitur, quod vi pariat, aut vivipara, quod vivum partum excludat.

Serpentum ortus & generatio. 2. Generatio serpentum varia est, ut ex variis constat exemplis. Ex sanguine quarundam avium confuso enatos *Democritus* tradit, ut notavit *Plinius*: Ex cadaveribus humanis & corruptâ spinæ medullâ docet *Idem Plinius*, *Plutarchus*, *Ælianus*, *Pierius*, *Camerarius* & plures alii. Concinit *Ovidius lib. 15. Metamorp.*

Sunt quæ cum clauso putrefacta est spina sepulchro
Mutari credant humanas angue medullas.

Ex terrestris materiæ putredine enasci docet *Kircherus Mund. subt. l. 9. sect. 1. c. 6. disq. 3.* Ex Salvia putrefacta naros ab aliis asseritur. Arte quoq; fieri posse ex torrefactis prius serpentibus & in minutissimas partes discissis, terræ uliginosæ commissis docet *Idem Kircherus ejusdem Mund. subt. l. 12. sect. 2. c. 8.* *Avicenna* asseruit ex mulierum præcipuè capillis enasci, quod productiores sint, humectioresq; naturâ. Per coitum tandem etiam progigni nimis quàm certum est. Coeunt enim complexu adeò circumvolutæ sibi ipsæ, ut una existimari biceps possit, ut inquit *Plinius*. In vasto etiam & solido marmore, quod magnam admirationem meretur, *Martini V. Pont.* tempore inventum esse serpentem ex *Baptista Leone* apud *Paræum* legitur. Cur verò in terrâ alba potius gignantur serpentes, quàm in nigrâ, causa videtur esse, quod alba sit temperamento frigida & serpentes pariter ex naturâ suâ sint frigidi:ècontra nigra calidioris est temperamenri, unde & aptiùs progignit fruges, quarum indoles ad calorem accedit.

Vita & victus. 3. Vivaces sunt serpentes, & diu inediam ferre possunt. Ita *Ambrosinus* in vasculo per 6. menses sine cibo conservâsse testatur. Exiguo etiam interdum cibo contentos & inediam benè tolerare posse vel circulatores nôrunt qui angues in capsulis modico furfure pastos circumferunt. Hyeme latent, nec per id tempus quicquam comedunt. Carnem edunt & herbas, ut tradit *Aristoteles*. Insectis etiam omnis generis vescuntur, ut docet *Bellonius*. Vino, lacte, aquâ & ovorum vitellis delectantur. Vini incontinentes ipse prodidit *Aristoteles* ideo circà sepes quidam vino apposito viperas venantur. Avibus devoratis plumas & ossa evomunt. In Regione *Senegæ* pullis psittacorum insidiantur.

Corporis forma & partium constitutio. 4. Forma Serpentes lacertis valde similes sunt, habentq; caput aliqui leve, alii grave, alii latum, alii angustum, alii nigrum: nonnulli flavum, & variegatum. Colores variant pro locorum diversitate, ut scribit *Nicander*: *& vulgatum est*, ut inquit *Plinius*, *colorem plerosque terræ habere, quâ occultentur.* Sunt etiam qui, dum velociter caput in utramq; partem verrere possunt, ut intuenti bicipites vel amphicephali videantur, quamvis reverà etiam tales dari constet, ut *Ephem. Germ. Cur.* docent. Aures habent, etsi non semper videantur, sed tantùm foraminula quædam sivè internæ caveæ ad audiendum accomodatæ. Oculis sunt durioribus; palpebras superiores non movent, inferiore tantùm connivent. Collo carent; Dentium tria sunt illis genera, serrati scilicet, continui & exerti: serrati pectinatim coeunt, ne contrario atterantur occursu; lingua serpentum tenuis est & longa atroq; colore referta, ideoq; longiùs protrahitur. In summitate plerumq; bifida & secundùm nonnullos pilosa, seu potiùs exilis instar pili. *Plinius* serpentum linguam trisulcam nominavit, quia tantâ celeritate illam vibrant, ut triplicem linguam exerere videantur. Cor illis exiguum est & longum, figuram renum exhibens, naturâ verò calidum est, ob quam causam etiam Galenus serpentes inter cœteros animantes maximâ audaciâ præditos asseruit. Tot verò costas serpentibus inesse volunt, quot dies mensem complere solent: Unde *Plinius* in singulis costas tricenas enumerabat.

5. De virulentiâ serpentum scribit *Isidorus*, *Tot eorum venena, quot genera; tot pernicies, quot species; tot dolores, quot colores.* Venena serpentum. Diversa hinc illorum operatio; Mares fœminis, senes junoribus, magni parvis, jejuni saturis, omnes æstate quàm hyeme sunt perniciosiores, ut inquit *Jonstonus de serp. l. 1. tit. 1.* vulnere autem à serpente inflicto stupet primò æger; mox vulnus dolore afficitur, color mutatur, inflammatur, rubet, livet, nigricat & æger totus ardet, ut *Idem Jonstonus* docet. Omnes autem tunc maximè perniciosi sunt, quando devorarunt aliquem de suo genere.

6. In nullo orbis terrarum loco omnium Historicorum testimonio, ut inquit *Kircher. Mund. subterr. l. 9. sect. 1. c. 6. disqu. 6. Consect. 3.* Ubi major serpentum copia. major virulentorum serpentum, draconumq; copia, quàm in Ægypto, deinde in Africæ, Lybiæq; arenosis desertis reperitur, ut quemadmodum *Kirchero* Abyssini retulerunt, populi sabulosis desertis vicini, quotannis facto ex multis hominum millibus exercitu ad incredibilem serpentum propullulantium multitudinem quâigne, quâ armis extirpandam in prælium ire cogantur, quod nisi fieret, regionem brevi hominibus viduatum iri. Causam verò tantæ multitudinis Serpentum addit *Kircherus* ajens: *neque id mirum est, cum vel unica roris guttula, uti est apud Rhamnusium, congruæ materiæ mista serpentem producat. Accedit, quod sabulosa illa deserta multùm nitri & salis ammoniaci producant, quod à solis æstu sublimatum, adustumq; ubi nocturno frigore materiæ congruæ inciderit, virulentissimam putredinem efficiat, ex quâ deinde serpens enatus, vel pro materiæ differenti dispositione nunc aspidem, jam cerastem, modo phtiadem aut dypsadem producat. Rursus cum subinde in hujus modi desertis integri exercitus quos Caravanas vocant, inopiâ aquæ siti pereant, ex hominum, jumentorumq; cadaveribus putrefactis nova fundantur serpentũ seminaria.* Ita ille. Confirmat

præfata

præfata *Pierius* ajens in Æthiopia tantam subinde serpentum vim convenire, convolvique in gyrum invicem, ut montis speciem procul aspicientibus reddant.

Ubi venenum in serpentibus lateat.

7. Dissentiunt Authores in quibusdam Serpentum partibus potissimum venenum quo quævis animalia inficere & enecare valent, delitescat. Sub linguâ quidam cuticulam inveniri dicunt, quæ tanquam vesicula dentes operit, in quâ venenum occultari volunt, quod postmodum mordendo per cavitatem dentis communicant. Clarissimus *D. Franciscus Redi in observat. de viperis* ad Generosissimum *D. Laurentium Magalotti* Magni Hetruriæ Ducis Camerarium submissis & *Ephem. Germ. Cur. Dec. I. Anno I.* adnexis declarat experimentis variis, viperarum venenum non in felle, non in salivâ sive sputo, non in dentibus, non in caudâ, sed in virulento succo ad vaginas dentium transmisso latere: insipidum verò hunc succum esse, amygdalorum dulcium oleo persimilem, colore flavum: hunc item liquorem virulentum non aliâ viâ quàm per ductus salivales novissimè *à Thoma Warthono* inventos in vaginas illas derivari.

Serpentes natura frigidi.

8. Serpentes natura suâ frigidi sunt: hinc etiam loca magis calida, ubi vegetiùs vivant, requirunt: dantur quidem & in frigidioribus terris ad Septentrionem iique pessimi: quoad naturam tamen veneni debiliores sunt, quàm sunt Africani ut testatur *Olaus M.* Quatuor etiam frigidissimis mensibus imbecilli valde sunt veneno: Urgente verò Caniculâ adeò æstuant, ut nunquam ferè quiescant.

Sympathia & Antipathia Serpentum cum aliis rebus.

9. Sympathiam Serpentes cum paucis quibusdam rebus habent, ut cum Vulpe, fele, muribus, anguillis, & hedera: cum pluribus verò antipathiam, ac comprimis cum homine & præsertim ejus salivâ; cum aliis verò animantibus variis, ut Aquilâ, Accipitre, Araneo, Basilisco, Bufone, Butone, Cancris, Cervo, Chamæleonte, Ciconiâ, Dorcade, Elephante, Erinaceo sive Echino, Gallinaceo genere, Hirundine, Ibide, Ichneumone, Leone, Lacerta, Locusta, Mustelâ, Ophiomacho ave, Pavone, Soricibus, Sue, Testudine & Vulture. Cum quibusdam etiam terris ut Cretâ, Sardiniâ, Britanniâ Hyberniâ. Cum plantis variis, ut Fraxino, Smilo, Quercu, Onochilo, Nepeta, Agno, Libanotide, Helenio, Ruta, Allio, Trifolio, Abrotano, flore Vitium, Cappari, Betonicâ, Galbano, Therionarcâ, Hyperdixi. De quibus omnibus fusiùs differentem consule *Gesnerum Animal. lib. 5. de Serpent.* Ubi & rationem ac varios modos serpentes fugandi prolixè docet.

Senectus & Vernatio Serpentum.

10. Revirescunt Serpentes, ut inquit *Plinius*, pelle sequestrata, quam nunc Senium, nunc senectutem appellant. Vocatur etiam hæc senectus, sive cutis exutio à pluribus vernatio, quod ea vere contingere soleat: quamvis etiam autumno quidam etiam fieri velint. Cum autem senectutem exuere incipiunt, ab oculis primum detrahi ajunt, ita ut obcæcari videantur iis, qui rem non intelligunt, tum caput exuitur: glabrum enim hoc omnium antequam reliquum corpus apparet: atque unâ ferè nocte & die senectus tota exuitur à capite orsa ad caudam, & cute altera intus subnascente ipsa removetur. In Septentrione senectutem serpentes exuere inter saxa docet *Olaus M.* Communiter tamen per quodcunque foramen, cui per vim se ingerunt, veterem pellem exuere solent. Degustato etiam fœniculo velociores ac perspicaciores fieri serpentes, tradit *Nicander* & alii. Fœniculum tamen illud *Mercurialis l. I. de Venen.* quo oculos affricant & visum acuunt, tradit esse illius generis, quod Florentini appellant baccatum atque pro venenato aliàs habetur.

11. Terram (quod mirabile est, si verum) serpentes hominis percussores non amplius recipere notavit *Plinius*, nec latebras amplius permittere, sed posteà errare & vagari, & pluribus jactatos miseriis æstivo & hyberno subdio ærumnosum omne ætatis tempus degere, etiam tradit *Ælianus*: neque à conjugibus amplius adiri, neque ab iis, quos ex se procreaverit, parentem agnosci: rectè proinde subnectit *Ælianus. Ergò pœnas divina Providentiâ vindice etiam rationis expertia ob cædes hominum factas dependunt.*

12. Quamvis atrox in se venenum contineant serpentes, quo etiam non tantùm homines, sed & alia animantia citò perimant: non omnes tamen venenatos esse sed etiam ad esum accommodos, neque venenatorum etiam anguium partes omnes virulentas esse constat. Ita Troglodytas Æthiopes serpentibus, lacertisque & aliis id genus reptilibus vesci scribit *Herodot. l. 4.* & plures alii. Præter Troglodytas etiam Candæos serpentibus vesci assuetos memorat *Plinius*. In Indiâ & Æthiopiâ multos esse serpentes etiam esculentos docet *Scaliger*. Sic & in Macino provinciâ Asiaticâ serpentes assos pro deliciis haberi scribit *Nicolaus Venetus*. Insulam ab *Jambolo* repertam in Oceano versùs Meridiem, in quâ serpentes degunt permagni & innocui, imò miræ dulcedinis carnem habentes tradit *Joannes Bohemus*. In Provinciâ *Manzi* Indiæ superioris maximos capi serpentes, qui inter summas delicias ad esum adhibentur *Odoricus de Foro Julij* docet. Vidisse apud Indos *Americum Vesputium* quosdam scribit *Jonstonus Thavmatog. class. 7. cap. 33.* qui in cibum cedebant. Capreolorum illis erat magnitudo, longitudine sesquibrachium æquabant, pedes longi, fortibus armati ungulis, discolor pellis, serpentis rostrum. A naribus ad extremam caudam seta quædam per tergum sic protendebatur, ut animalia veros serpentes autumaret. Similes, ut idem *Jonstonus* refert *ibidem*, Calecutum habet aprorum magnitudine, vastiori etiam aliquando capite, pedum quatuor, morsu noxio. *Ex Ludov. Rom. in Navig.* plura alia testimonia vide apud *Gesnerum*.

Serpentes esculenti.

Differentiæ serpentum.

13. Differentiæ serpentum variæ & multæ quidem sunt; præcipua tamen & primaria

maria est Terrestrium & Aquaticorum. Terrestres sunt ut Acontias, Ammodites, Amphisbæna, Anguis Æsculapii, Aspis, Cæcilia, Cenchrus, Cerastes, Dypsas, Drynus, Elaps, Hæmorrhous, Scytale, Seps, Vipera; quibus accedunt plures Indici. Aquatici sunt Boa, Natrix, RubetariaNatrix, Natrix Torquata, Hydrus marinus, Scolopendria muraria; quibus accedunt plures alii Serpentes exotici, ut infrà in Tabulis videre licet.

Differentia serpentum Terrestriũ & Aquaticorum.

14. Sicut animalia Terrestria & aerea sunt sagaciora & callidiora, Aquatica verò stupidiora: ita & Aquatici Serpentes sive Angues in aquis degentes communiter stupidiores reliquis terrestribus serpentibus perhibentur. Sicut verò in aquis animalia solent esse majora aliis terrestrib' animalibus; ita & angues quidam majores in aquis comperiuntur. Sic in mari exoticæ magnitudinis & stupendæ longitudinis quædam species Serpentum esse solet, quæ naves complexu suo subvertere & submergere dicitur.

Antipathia serpentum cum bufonibus.

15. Antipathiam Serpentes cum bufonibus & rubetis habere plures scribunt Authores. Testatur etiam mira historia à *Crusio Annal. Suev. lib. 12. p. 3. cap. 37.* ad Ann. 1590. notata, & à *Libavio* quoque *L. 2. Batrachiorum c. 23.* recensita: Causam verò inimicitiæ *idem Libavius cap. 17.* ex aliis refert, ut Serpentes bufonibus comestis venenum nanciscantur fortius. Atque hæc de serpentibus in genere sufficiant.

§. II.

De Serpentibus in specie, & miris quibusdam in iis compertis qualitatibus & proprietatibus.

Domina serpentum

1. Atrox imprimis Serpentum genus est, quod *Teuthlaco Kaubgui*, sive Dominam Serpentum vocant Barbari, Viperam Hispani, sive ob similitudinem capitis, sive pestis. Per saxa fertur celeri cursu, at per terrestria planaque (quod mirum videtur) non adeò. Quot annos natus est, tot accedunt caudæ perstrepentia sonalia posteriore in parte caudæ vertebrarum instar connexæ. Sinuosè graditur, ictus toto corpore hiantibus rimis fatiscit & 24. horis transactis à morsu animam dicitur agere. Narrant multi, qui eum Serpentem domi alere solent, atque educare annum integrum durare absque ullo cibo potuque. Nôrunt permulti ipsos cicures reddere, qui eos etiam domi in deliciis habent. Venenum jaculatur caninorum tubulis, cavi enim sunt. Cum læsus irascitur, sonalibus concussis vehementer perstrepit, erigitq; collum non sine adstantium timore, nec tamen mordet, nisi compressus, aut incitatus.

Ingens serpens in campo Macra.

2. In Syriæ campo *Macra* dicto, ut ex *Possidonio* recenset *Strabo lib. 16.* visus fuit aliquando Serpens mortuus jugeri longitudine; crassitudine verò tantâ, ut equites ex utraq; parte adstantes se invicem intueri non possent: hiatu autem tanto, ut hominem equo insidentem reciperet: Exuviarum Squama quævis clypeo major fuisse dicitur.

3. In Americano flumine *Urguaia* exotici dantur serpentes quatuordecim, passuum longitudinis, duarum ulnarum latitudinis, qui capitibus super undas eminentibus natant, & homines natandi vel bibendi causa flumen accedentes caudâ involutos in illud trahunt. *Jonst. de serp. lib. 1. circà finem.*

Serpentes Bambæ.

4. De Serpentibus *Bambæ Nierenberg. Ann. Exot. l. 12. c. 38.* mira hæc inter alia recenset. Horrendæ sunt magnitudinis præcipuè palustres; ventre tam capaci sunt, ut totum cervum aut aliud ejusdem magnitudinis animal unà vice devorare queant. Ascendunt quasvis altissimas arbores, in quibus vagabunda animalia quasi è speculâ contuentur, & ubi ea victum quærentia accesserunt; summâ vi se in ea demittunt, atque ita & morsu & mole occisa in solitudinem aliquam vicinam tracta tota cum pelle, ossibus, & carnibus deglutiunt. Sæpius etiam accidit, ut cibo nimium repleti quasi ebrii reddantur, & in somnum maximum incidant, ita ut vel puer exiguus eos occidere valeat. Durat hæc satietas per 4. aut 6. dies continuos, post quos demum exporrecti ad consuetas suas venationes redeunt; pellem statis temporibus mutant. Aliquando etiam nimiâ dilatatione ex cibo nimio rugosam ante tempus exuunt, quæ inventa homines in admirationem ob belluæ inde cognitam magnitudinem rapit.

Serpentes valde magni in India Orientali.

Fig. 1.

5. Stupenda plane sunt, quæ de Serpentibus magnis Indiæ Orientalis, cervos, capros, hystrices, Urobubalos, similiaq; animalia deglutientibus plusquam 25. pedes operarios, sive Rinlandicos longis recenset Clariss. D. *Andreas Cleyerus*, ut videre licet *Ephem. Germ. Curios. Decur. 2. Ann. 2. obs. 7.* Hi quidem, ut inquit, Serpentes etsi ob angustiam faucium, quam præ se ferunt, minimè videantur, animalia deglutire posse, id tamen verum esse experimentis variis declarat. Interemptum enim talem se à Venatore scribit emisse, ex quo dissecto extractus fuit cervus mediæ ætatis cum cute & omnibus partibus integrum: alium, qui continebat sylvestrem caprum magnis præditum cornibus similiter omnibus partibus totum: tertium, qui ingluvie suâ totam hystricem sagittiferis suis aculeis armatum occultabat. In Ambona quoq; Moluccarum insula quondam & mulierem gravidam à serpente tali insuctam esse scribit. Modum verò, quo serpentes isti quævis animalia sugendo quasi deglutire soleant, ita describit. *Fame maceratus serpens quibuscunque animalibus, quæ saltu petere & morsu apprehendere valet, insidiatur. Captum hoc modo animal à Serpente cauda & reliquo corpore circumligatur, atque adeò strictè vincitur, ut vel ipsa in corpore animalis ossa franganturs & comminuantur. Quodsi animal quoddam robustius renitatur, ut spiris anguinis enecari non possit, serpens crebris cum animali convolutionis caudâ suâ proximam arborem in auxilium*

Fig: 1.
Serpens Magnus Indiæ orientalis.

Fig. 2.

Serpentau Chaperon.

Cobra de Capelos sive Coluber pilosus.

Fig. 3.

la piedra della Cobra.

auxilium & robur corporis arripit, eamque circumdat, quo eò fortius & valentiùs gyris suis animal comprimere, suffocare & demùm enecare possit. Ad hoc facinus morsu simul prehendit animalis nares, quò spiritum non tantùm intercludat, sed & sanguinem ex iis ad internecionem usque eliciat. Factum est hoc modo (quod à fide dignissimis habeo (in Regno Aracan in confinio regni Bengalę talis vasti corporis anguis propè flumen quoddam cum Urobubalo, sive sylvestri bubalo aut uro (quoniam Bubalus sylvestris in istis regionibus magnitudine Urum ferè superat, & hinc Uro-bubalus meritò dicendus) immani spectaculo congredi visus fuerit, eumque dicto modo occiderit: Quo conflictu & plusquam hostili amplexu fragor ossium in bubalo comminutorum ad distantiam tormenti bellici majoris, hoc est, quousque globus ex tali tormento pertingere potest, à Spectatoribus sat eminùs stantibus exaudiri potuit. Aliud deindè admiratione dignissimum subdit, quod serpens talis, cùm fauces videatur habere graciles, animalia tamen integra non particulatim dilaniata cum omnibus partibus deglutiat: Modum verò, quo id præstet, cùm sit verè admirandus, etiam ex ipso placet recensere, qui ità se habet. *Serpens*, inquit, *qui gulam & fauces contractas quidem, sed ultra modum extensibiles habet, cum animal præfato modo occidit, atq; ossa ejus minutissimè confregit, adeò ut cadaver tanquam rude chaos jaceat, linguâ id priùs extendit, deinde sputo suo viruleto illud ad deglutiendum aptum fingit, disponit, & secundùm pilos lambendo levigat, ut cadaver è longinquo tanquam glutine obductum resplendeat, & sic aptum ad absorbendum videatur. Quo facto incipit serpens rictu suo cadaveris caput apprehendere, & suctu fortiori quasi absorbere, donec animal interemptum cum omnibus suis partibus paulatim in ventrem secesserit. Hac actione juxtà cadaveris molem & quantitatem serpens quandoque ultrà biduum insumit. Postquam igitur cadaver tali insuctu in serpentis ingluviem secessit, inibique tanquam sepultum est: Serpens tali crapula insigniter turgidus adeò invalidus redditur, ut nec pugnare amplius, nec aufugere, nec movere se de loco valeat: Hinc fit, ut à rusticis sive ejus loci venatoribus solo reste circà collum adstricto serpens tutò stranguletur & non rarò fustibus occidatur. Interemptus ità serpens in frusta & partes secatur, caroque ejus in civitates venum portatur, ubi ab incolis in expetitum, palatoque gratum cibum emitur, abjecto tamen capite tanquam summè noxio.* Ità *Cleyerus*. Meminit etiam *Aulius Gellius lib. 6. Noc. Attic. c. 3.* ex *Tuberonis* fide serpentis Africani 120. pedum longitudinem excedentis non nisi integri exercitûs Romani conflictatione interfecti. Et *Olaus M. lib. 21. hist. Septen. cap. 43.* anguis tam vastæ molis, ut ducentorum pedum & ampliùs longitudinem & viginti pedum crassitiem æquaret. Visos etiam testatur circà Norvegiam tantas aliquando super mare spiras erigentes, ut navis per unam transire potuerit.

Serpens maximus Cobre de veado. 6. De *Boiguacu* sive *Iiboya*, aliis & *Bodguacu* scribit *Piso Med. Brasil. lib. 3.* quod serpentum facilè maximus sit, pectus crassius habens ferè ut homines, vocetur verò Lusitanis *Cobre de veado*, quod Dorcades integras devoret sugendo potiùs quàm masticando; *Ex horum genere*, ut inquit, *quidam 18. vel 24. pedes reperiuntur longi, cinericeo, spadiceo, variegato sunt colore. Non æquè veneno, ut multi alii turgent. Famelicus hic anguis vel ex dumetis prosilit, caudæque suæ nitens horrendè se erigit & strenuè cum feris & hominibus luctatur & sibilat territulus. Ex arbore insidiosè in viatorem desilit, eumque validissimis cingit amplexibus, ità ut vel solâ amplexione interimat.* Ex quâ descriptione apparet *Pisonem* loqui de serpente Indicis illis suprà descriptis persimili, ut & sunt illi, qui dicuntur *Ambo* & *Cucuracia* hominibus æquè ac capreis insidiantes: Quibus & accenseri valent *Caninana*, *Macino* & *Vocià* nihil vel parùm tamen hominibus nocentes: Undè & inter non venenatos numerantur.

7. Ex *Paulo Veneto* & *Gillio* recenset *Gesnerus in appendice de Serpentib. nonnullis ignotis & innominatis*, in regione, quam *Caraiam* nominant, seque pedibus obivisse testatur *Paulus Venetus* serpentes dari longitudine 10. passuum & crassitudine decem pedum, nasci prioribus pedibus quidem carentes, sed eorum loco ungues habere leoni similes, tùm grandi capite, tum oculis quoquoversus pedem unum amplis, tamque oris rictu largo imminere, ut hominem devorent: Nullumque esse neque hominem, neque aliud animal, quod non horreat eas intueri. Cùm gradiuntur, tam altè vestigia sua imprimunt, ut sui corporis pondere in eâ terrâ sabulosâ mirabilem foveam efficiant, ut dolium quoddam vino plenum circà sabulum versatum dici queat, nullam animalium nationem extimescunt; imò Leones & Ursos exedunt & conficiunt. Vide etiam *Kircher. in Chin. illust. part. 4. cap. 10.* qui tamen putat ejusmodi serpentes Draconibus adnumerari posse. Serpentes in regione Caraiam.

8. Contumax viribus est quidam serpens, quem *Nierenbergius Hist. Exot. l. 12. cap. 41.* describit, *Cuilcahuilia*, quod idem sonat ac cum quinq; pugnans. Hic in obvios homines impetum cum facit, eâ vi opprimit, ut si collo semel se advolverit, strangulet, interimatq;, aut salvo homine ipse coluber disrumpatur suo obnixu. Qui hujus naturam novêre, eum deludunt opponentes arborem aut aliud, cujus nexu disrumpatur, putans comprimere hominem, ut ità tandem convulsus intereat.

9. In *Malabar* serpentes reperiuntur memorante *Gesnero loc. supra cit.* octonum pedum, horribiles quidem aspectu, innoxii tamen, nisi irritentur. Ii verò miro puerorum amore capiuntur: Quocircà pœderotas eos vocare solent: Pueros enim diuturno, contentoq; aspectu sine maleficio contuentur. Dum jacent, anguillina eorum facies est: Ubi surrexerunt, ità dilatant illam, ut ad humanam effigiem propiùs accedant. Pœderotæ Serpentes.

10. De *Boa* serpente miranda hæc tradunt Authores: quod bovem integrum deglutire possit, quodq; armentorum quoq; greges sequatur, & rigua vaccarum ubera sugat, & ità bubulo lacte alatur. Quocircà Boa serpens.

circà & nomen hinc traxisse videtur. In ingentem verò hic serpens excrescit molem, ità ut sub *Claudio Imp. Solino* teste occisa fuerit Boa, quæ integrum infantem in alvo gestabat. *M. Antonius Cuccinus* Episcopus Anglonensis ad *Thomasinum* scribit, in agro Oppidi S. Archangeli, Anglonensis Diæcesis à pastore sclopi ictu interfectum ejusmodi serpentem, qui armenta & greges depascebat, cujus mandibulæ duorum ferè palmorum longitudinis in Templo Deiparæ de Urseolo appensæ exhibentur.

11. In flumine Argade ad Persicam Sittacem sito copiosi dantur serpentes capite albo, reliquo corpore nigro, ut testatur *Ælianus Hist. Animal. lib. 16. cap. 42.* quatuor cubitorum longitudine; qui interdum sub aquâ latent, noctu aquantibus exitio solent esse, in Lacu insano, qui ter singulis diebus saporem mutat, primoque amarus, mox salsus, tandem dulcis evadit vicenûm cubitorum conspiciuntur. Testatur *Gesnerus* Anno 1399. die 25. Maij sub ponte *Ursæ* amnis anguem vicenum cubitorum fuisse visum.

Ferrei coloris serpens.

12. Serpens est Brasiliæ ferrei planè coloris & in ventre albi (inveniuntur tamen & virides) dictus *Borobi* longitudine est 3. pedum aut circiter, unius crassitie, ubi maxima digiti articularis amplum habet os, estque venenosus valdè. Hic verò in ædibus habitat, & ovis gallinarum insidiatur, eaque inventa absorbet.

Serpens Polpoch.

13. Serpens *Polpoch*, de quo *Nierenbergius Hist. Exot. lib. 12. cap. 48.* ità ab ipso describitur. *In agris Provinciæ Jucatanensis offenditur monstrificum quoddam serpentum genus tres dodrantes cùm maximè longum, brachiorum crassum, aut fusco, ex saturatoque tinctum colore, sed à capite ad quinque unciarum longitudinem nigro & candenti varium lato & compresso capite, oculis magnis & splendentibus, & caudâ, quæ reliquo corpori crassitudine non cedit, non dissimilis scorpioni, nec unguium terrore œlurorum magnitudini cedit. Nec uno tantùm modo maleficum est animal, sed caudâ pungens & ore mordens. Visuntur magnâ ex parte hi serpentes arbores amplexi; cùm verò ictu virus jaculari volunt, si solo consistant, visum hominem è longinquo insectantur caudâ supra caput contortâ & convolutâ se rotantes in eum, atque ità brevi saltibus attingentes. Cùm verò arboribus inhærent; ità caudam capiti adjungunt, ut arcûs repræsentent figuram & jaculi, sagittæque more sese non sine strepitu, qui sentiri posit, jaculentur, atque contorqueant. Ictus est exitialis intrà tres dies ictæ carnis parte deciduâ atque putrescente, ossibus verò nudatis, & in colorem fulvum vergentibus & adeò fœtido odore exhalante, ut omne rapacium avium genus invitetur ad carnificinam. Ajunt indigenæ ictum ejus non inferre vehementem dolorem, sed universum corporis sensum potius hebetari atque torpescere, ictumque hominem velut temulentum mori.*

Serpentis ictus sanguinem proliciens

14. In agris Lucatensibus, ut *idem* tradit *Nierenbergius eod. lib. cap. 2.* Serpens quidam reperitur ad Hæmorrhoi nostratis pertinens genus, quatuor dodrantes longus fusco colore, sed cyaneis & rubescentibus maculis conspersus. Hujus ictus adeò pestilens esse perhibetur, ut intrà unius horæ spatium cogat ictum hominem sanguinem rejectare & intrà diem unum ex omni corporis parte effundere, atque ità demum mori.

15. Idem *Nierenbergius cap. 11.* in montosis editis atque arescentibus locis versari serpentem scribit duas Spithamas longum Aquasen dictum fusco colore, lato capite atque compresso: Ictum verò adeò exitialem esse, ut intrà dimidiæ horæ spatium interimat decidente carne vulneri vicinâ ac miserè putrescente.

Caro decidua & putredo ab ictu serpentis.

16. Meminit *Aristoteles* pusilli cujusdam serpentis, quem aliqui *Sacrum* appellant, & reliqui etiam Serpentes magni vitant; cujus morsu omnia putrescere dicuntur. Legitur etiam apud *Ælianum Hist. Anim. lib. 8. cap. 7.* virum quendam solo serpentis attactu periisse & vestem ægri paulò post computruisse.

Putredo à morsu serpentis.

17. Serpens est Polonis *Podalitza*, isque nocentissimus, ità dictus, quod concisi etiam frusta sub siliant. Maculosus est valdè; pulcherrimus in pratis. Agnoscitur à rusticis sibilo, Morsi carnes decidunt. *Gesnerus.*

18. Meminit *Strabo* serpentis cujusdam punicei coloris (qui fortè est *Porphyrius Æliani*) apud Indos dodrantali magnitudine, capite candido, dentibus nullis; quem Venatores in montibus meridiei obversis, ex quibus Sardius eruitur, indagant. Hic verò non mordet, sed vomitu eijcit virulentiam & conspergit locum, qui subitam contrahit putredinem. Quapropter caudâ suspensus duplex veneni genus eructat; alterum nigrum & speciem electri referens, quod à vivo eijcitur: alterum simpliciter nigrum de ore animantis prodit: illud grano sesami exhibitum cerebrum per nares excutit; hoc tabem inducit.

Serpens vomitu venenum effundens.

19. Mentionem facit *Ælianus* serpentis cujusdam *Hyæna* dicti, quem utriusque sexûs participem esse narrat altero nempè anno marem, altero fœminam observari.

20. Inter *Calecutum* & *Cranganon* serpentes dari volunt, qui ab ore suavissimum moschi instar spirant odorem.

Suavis odoris serpentes.

21. In Lybiæ solitudinibus serpentes plurimos alatos & volucres dari scribit *Herodotus in Euterpe*, qui Africo vento in agrum Ægyptium cum magnâ indigenarum pernicie se effundunt. In *Floridâ* quoque reperiri dicunt Serpentes alis instructos, ut demissè propè terram volare possint. Meminit etiam *Olfred. Dapper in Africâ* Serpentum alatorum coloris cyanei, longitudinis 10. pedum, qui potissimùm in Regno *Congo*, & aliquibus Guineæ partibus stabulari solent. Præterea in hunc usque diem ex Arabiæ partibus post inundationem Nili peractam alatos advenire serpentes ad insecta, quæ ex putri remanentis limi materiâ magnâ illic copiâ enasci solent, devoranda ex *Plinio*, *Æliano*, &

Serpentes alati.

Solino confirmat *Kircherus in Mund. Subterr. lib. 8. Sect. 4. cap. 2.*

Igniti Serpentes. 22. Serpentum genus est, ut *Jonstonus* narrat, qui aspectu referunt ignem, octo pedes longi, colore sanguinei, qui noctu inflammati apparent, ut ignis aliquis videatur. Ex *Antonio Herrera.* Scribit etiam *Franciscus Hernandus* colubrum *Cumcoatl* vocari, qui nocturnis tenebris splendeat, & lethifer sit morsu, longitudine adæquet 4. cubitos, crassitie brachium. Igneus etiam coluber *Tleoa* dictus, lethalem infert morsum, urentemque, undè ei nomen advenit. Est & alius serpens *Theocatl* sive ignitus dictus, cujus color est fulvus sed dilutior, circà ventrem vergens in cinereum.

Viperæ Chiappæ. 23. De Viperis *Chiappæ* ità scribit *Nierenbergius lib. 12. Hist. Exot. cap. 3.* Genus viperarum *Giappa* nutrit magnum similem putrido ligno pestilentem spiritum quatuor fenestris fundens. Quædam morsu equum intrà diem occidunt fuso per omnes juncturas sanguine. Sunt aliæ variegatæ, aliæ nigræ & prolixæ. Quemcunque momorderint, perimunt. Crescente lunâ mitescunt, decrescente irritantur. Aliæ sunt pallidæ nigris distinctæ lineis, interstinctæ maculis albis, morso ab iis decidit per frusta caro. Aliis tanta pestis superest, ut si fuste contingantur, propagent virus usque ad brachium. Aliæ sunt hujus conditionis, ut si mordeant manè, morsus evomens sanguinem pereat. Sub vesperum non sunt lethales. Ità ille.

24. Ab Ammoide serpente percussos *Matthiolus* docet festinanter opprimi, & à vulnere eorum, qui tam brevi tempore non obeunt, sanguinem primò dimanare, labiaq; vulneris intumescere, deindè paulò post saniem effluere, capitisq; gravitatem & animi deliquium generari. Imò addit homines etiam robustos ab hoc serpente ictos triduo interire, & celeriùs qui à fœminâ sauciantur; quamvis observârit nonnullos ab hoc serpente percussos ad septimum usque diem vitam protraxisse.

Præster. 25. Præster serpens à se percussum hominem immobilem veluti quadam sideratione menteque alienum reddit, mox pilis defluentibus & urgente pruritu, alvique fluxu patientem absumit.

Parvi serpentes in India. 26. In India, ut ex *Francisco Hernando* refert *Nierenbergius Hist. Exot. lib. 12. cap. 40.* colubri quidam virides dantur, qui allati ab agris pollicari tantùm magnitudine in femoris crassitudinem amplianturr & adolescunt: Ubi pro antro est illis dolium stramento indulgentiæ gratia emollitum, ubi magnâ ex parte quiescunt, vivuntque, nisi cùm edendi est tempus: Tunc enim egressi cubile aut humeros heri amicè conscendunt benevolè terrifici animalis amplexus tolerantis, aut è pistillis in medio contracti in spiras, rotamque magnam æquantes innocentissimi vescuntur oblatis atque quiescunt.

Serpentes innoxii. 27. Abbatia olim fuit in *Fiscâ* Scotiæ D. Virgini sacra *Loudoris* dicta Ord. *S. Benedicti à Davide* Guilielmi Scotorum Regis fratre post reditum ex terra sanctâ ædificata in media valle sylvis & rivulo cincta, serpentibus abundantissima, sed qui neminem mortalium læserint. *Ipse vidi*, inquit *Hect. Boet. l. 13. in descript. Scot. adolescentem per lusum in medium colubrorum gregem incidisse, sed illæsum indè abiisse.* In superiori quoque Germaniâ haud procul *Deckendorffio* montem dicunt esse, qui abundet serpentibus adeò, ut si quocunque loco quis tollat aut removeat lapidem, serpentem ibi reperiat; omnes tamen innoxii sunt.

28. Apud Babylonem *Euphrate* trajecto exigui dicuntur esse angues, qui peregrinos feriant, ab incolis abstineant, ut notavit *Plinius* & *Apollonius in hist. mirab.* Serpentes quoque parvos in Tyrinthe è terrâ natos *Idem Plinius* tradit indigenis innoxios, advenis lethiferos. Ophiusa insula in mari Balearico, quam latini *Colubrariam* dicunt, serpentes parere dicitur teste *Plinio lib. 3. cap. 5.* omnibus infestos nisi Ebusitanam terram ferentibus. In Arabia viperas minùs esse lethales scribit *Alexand. lib. 3. cap. 17.* nec morsus lethiferi, quod odoratis depastæ virulentæ non sint. In Phœnicia verò & omni Africæ tractu truculentiores esse, ut vel solo halitu necem afferant. Aliquibus noxii, aliis innoxii.

29. In India Occidentali apud Quirenses, ut scribit *P. Jo. Nadasi in anno dierum memorabil. die 10. Maij* sudo cœlo & sole flagrantissimo in locis apertis & ab omni montium societate remotis cadere solent è serenissimo aëre serpentes quartam ulnæ partem longos & ferè pollicis mole crassos, squamis colore argenteo lucidis, geminisque capitibus insignes: nam & caudæ locum alterum caput occupat, teneris dentibus ex ore armatum non secus ac alterum. Videntur tamen in eo talparum quid habere, quod oculos in illis nulla hactenùs diligentia repererit. Veneni sunt immedicabilis, eorumque morsu sauciatus sanguinem oculis, auribus, naribus, ore inter horribiles dolores effundere perhibetur. Rationem verò singulorum istorum reddere conatur *Tylkowski part. 3. phil. cur. sect. 12.* ut videre apud eundem licet. Serpentes venenati.

30. Sæpè hactenùs memoratus *Nierenberg. Hist. Exot. lib. 12. cap. 44.* tradit in Orientali Indiâ nonnullos angues, ut fallant instans senium aut factum post certum tempus mare petere, ubi concussa in undas caudâ & velut flagellante scindi in multos ramos velut pedes: Quâ astutia miro naturæ miraculo evadere in genus quoddam polypi tam simile illis, quos Lusitani vocant *Poluos*, ut fallant ignaros. Serpentes maripedi.

31. In Africæ regno *Melinde* & *Mosambique* teste *Jo. Bapt. Tavernier* serpentum genus reperitur, quos Galli vocant *Serpent au chaperon* eam ob causam, quod iis velum quasi aut cappa quædam post caput dependeat, ubi lapis quidam mollis ac friabilis innascitur cum tenaci intùs liquore, qui communi aquæ commistus, & contrà venenum potus miram habet efficaciam. Angues velati. Fig. 2.

32. Inter Chinæ serpentes *Cobra de Capelos*, Coluber capillatus.

Capelos, sive coluber capillatus aut pilosus celebris est à lapide, quem in capite gerit eximiæ contrà venenum virtutis: Hic enim lapis vulneri Ex. gr. à viperâ animali inflicto appositus protinùs ità agglutinatur, ut vix ampliùs distrahi possit, manetque tamdiu affixus vulneri, donec exsucto omni veneno hirundinis adinstar jam satur sponte suâ decidat: Quo peracto animal paulatim jam à veneno liberum etsi aliquanto tempore torpidum ad se tandem redit pristinæ sanitati propediem restitutum. Experimenta vide apud *Kircherum in Chinâ illustr.* & *Tachenium in Hippocr. chymico*.

Serpens Macaçoatl 33. In Americano tractu circà Mexicum Serpentes dari scribit *Erasmus Francisci* in longitudine 19. aut 20. pedum, crassitie verò corporis humani. Caput habent instar cervi, undè & à Barbaris *Macacoatl*, sive coluber cervinus appellantur. Cornua etiam in senectute acquirere dicuntur. Americanischer Blumen-Busch.

34. Insulam Cubam incolit Serpentum genus peregrinæ & exoticæ planè formæ *eodem* referente *Erasmo*; magnitudine siquidem assimilantur lepori, specie verò vulpi, cujusmodi & caudam habet, sed multò prolixiorem. Caput est instar mustelæ, pili quasi Melis sive Taxi, pedes veluti Cuniculorum. Vesci dicuntur animalculis Guabinikina dictis. Cœterum innoxii sunt & edules. Serpens exoticæ formæ in insula Cubâ.

35. His tandem adhuc Serpentem mirabilem, quem *Scytalem* vocant, addere libet, de quo *Solinus* tradit, quod tanta præfulgeat tergi varietate, ut notarùm gratiâ videntes retardet: Et quoniam reptando pigrior est, quos assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes: Et talem fuisse, qui protoparentes nostros seduxit, & è paradiso exturbavit, nonnulli putant. Atque hæc de Serpentibus quibusdam in specie dicta sufficiant. Vide Tabulam sequentem Synopticam, in qua plura de Serpentibus brevi compendio exhibemus. Scytale Serpens venustus.

TABULA SYNOPTICA

Præcipuorum Serpentum tàm terrestrium quàm aquaticorum cum brevi eorundem descriptione, victu, natura & aliis proprietatibus.

Nomina Serpentum	Descriptio & forma	Locus & victus	Natura & proprietates.
Acoatl Vel *Miocaoatl.*	Serpens est aquatilis, colore imitans spicam maizii, dentibus est parvis. Longus 5. dodrantes, pollicem crassus.	Reperitur in paludibus, & aquis stagnantibus regionum temperatarum.	Innocuus est morsu, vivum effundere partum perhibetur.
Acontias Sive *Jaculum, Serpens volans*, *Chersydrus*, *Acoran Sagittarius* &c.	Colore est cinereo sub ventre albo juxtà dorsum obscuro. Squamosus est & juxtà ventrem laminis munitus. A cervice duæ lineæ albæ per dorsi longitudinem ad caudam procurrunt. Maculis nigris distinguitur.	Reperitur in Ægypto, & Lybiâ potissimùm. Visi & in Norvegia. In Germania non reperitur; vescitur carnibus hominum & aliorum animalium.	Dolosus est valdè, in publicis viis inter frondes & arbores se recondit, & jaculi modo in obvia ruit animalia. Spatium 20. cubitorum transilire valet. Morsum illius majora quàm viperinum consequi solent, symptomata putredo comprimìs & carnium defluxus.
Ammodytes Aliis *Centrias*, aut *Centrites* ob caudæ duritiem. Item *Vipera cornuta*, Illyrica & Monoceros.	Serpens est arenacei coloris, cornutus longitudine cubitali viperæ persimilis, capite tamen est ampliore: Pellem habet maculis nigris distinctam & caudam præduram.	In multis Italiæ & Illyrici locis, comitatu comprimis Goritiensi stabulatur.	Veneno suo interimit festinè. In morsu causat dolorem & tumorem, sanguinis fluxum è vulnere, deindè saniem. Gravitatem capitis & animi deliquium. Fœminæ venenum atrocius est, quàm maris.

Amphis-





Nomina Serpentum	Descriptio & forma	Locus & victus	Natura & proprietates.
Amphisbæna Sive *Amphicephalos. Amphiselene* & *Armena.*	Biceps esse perhibetur colore terreo, quem Latini pullum appellant. Cœcusetiam dicitur, quià tam latas habet genas, ut oculos quodammodò premant.	Reperitur in Lemno; maximè tamen in Lybiâ. Germaniæ ignota est.	Transeuntes gravidas abortire facit, circulatis tractibus serpit. Ejus morsum consequi volunt ea, quæ ad apum puncturam, vel ad viperę ictum consequuntur.
Anguis Simpliciter, vel *Anguis Æsculapii*, aliis *Pareas, Pharia* & *Pagerina*, Duplicis est generis, pallidior & nigrior.	Oblongus est sublutei aut potius porracei obscurioris coloris, magis tamen circà tergus nigricantis: Pars interior albescit paulò subviridis. In quibusdam ex squamarum ordine forma crucis notata comparet.	In plerisque Germaniæ, Italiæ, Hispaniæ & Poloniæ locis reperitur. Nec Asia, Africa & America eundem ignorat.	Mitis est & mansuetior aliis Serpentibus. In Italia tàm familiariter cum hominibus versatur, ut etiam in lectis reperiatur, minùs nocet, irritatus tamen ferit: Excrementa ejus moschi odorem spirant.
Apachycoatl	Serpens est squamis nitidis albo nigroque colore variantibus quinque sæpè cubitos longus.	Apud Parimenses reperitur.	Morsus est minùs exitialis.
Aspis Ab aspergendo vel aspiciendo, vel cutis asperitate nomen habet.	Serpens est cærulei coloris, dentes habens extrà labia, ut in apro exporrectos. Longitudine & latitudine est mediocris anguillæ.	Calidiore gaudet aëre: Ideò Africam & ripas Nili imprimis incolit. Umbrosis tamen locis delectatur. Fumo ari ità in ebriatur ut torpeat.	Mas nunquam nisi fœminâ comite è speluncâ egreditur, occisorem unius alter inquirit. Ictus est valdè subtilis, qui soporem, oculorum caliginem, faciei pallorem inducit.
Bambæ Serpentes, sive magnæ natrices.	Horrendæ sunt magnitudinis ac comprimis palustres, quorum aliqui longitudine 25. & latitudine 5. Spithamas excedunt; ventre tam capaci sunt, ut integrum cervum devorare queant.	In Æthiopia repetriuntur. Carnibus quorumvis animalium, quibus insidiantur, astuque venantur, victitant.	Ex aquis egrediuntur, & pasti eò revertuntur; altissimas etiam conscendunt arbores, undè vagabunda speculantur animalia. Pellem statis temporibus mutant. Edules sunt & in magnis deliciis.
Bitia	Terrifico serpens est aspectu punctis nigris rubeis, ac candidis respersus. Vitulino est capite, amplâ fronte ad oculos usque, qui nigri sunt lucidique, & virenti circumdati iride.	Incolit montana, rapit boves & apros, aliaque hujus generis animalia devorat. In Insula Cubâ frequens est.	Conscendit arbores, unde se vibrat caudâ & quæcunque animalia aggreditur.
Boa *Anguis capri mulgus*, & *Cervone* dictus, Italis *Serpe de aquoa.*	Aquatilis est serpens ingentis molis. Dentium ordo in eo supernè quadruplex est, infernè duplex. Oculi quasi vitrei.	Bubulo lacte delectatur. Insidiatur armentis: Devorat & homines. Vescitur quibusvis carnibus.	Persequitur armentorum greges, & uberibus lacte riguis se innectit & exsugendo interimit.
Boiguacu Lusitanis *Cobra de veado.*	Serpentum ferè maximus: Pectus habet crassum instar hominis, cinericeo, spadiceo & variegato est colore.	Vorax est, carnibus victitat, dorcades integras devorare solet, idq; fugendo potiùs quàm masticando. In ędibus habitat, & ova gallinarum sorbet.	Fortissimus est, ut amplexu etiam homines interimat, venenatus non est, & caro illius comeditur.

Nomina Serpentum	Descriptio & forma	Locus & victus	Natura & proprietates.
Boiobi Lusitanis *Cobre verde*	Serpens est ulnæ longitudine & pollicis crassitie, porracei & pulchrè micantis est coloris.	In Brasilia reperitur. Ædificiis gaudet	Nulli est noxius nisi irritetur. Morsus tamen ejus venenatus est.
Boiquira Sive *Boicininga, Teutla cocauhqui, Cascavela* & *Tangedor.* Nierembergio *Domina Serpentum.*	A variis variè describitur: Brachii est crassitie, longitudine interdum 5. pedum, linguam habet bisulcam. Quotannis articulus, quo infestare solet, in caudâ crescit. Dorsum insignitur catenâ pallidè flavâ hamulis figurâ cubicæ constante, quibus cymbali more in serpendo sonum edit, ut è longinquo audiri queat.	In Indiâ & calidis aliis regionibus reperitur. Frequentius in deviis locis observatur.	Celerrimè repit ita ut volare potiùs videatur. Singulis annis nova perstrepentia sonalia caudæ accedunt, ut hinc ætas illius cognosci queat. Cum irascitur, valdè perstrepit concussis sonalibus. Ex vulnere à concepto veneno mox sanies cruenta effluit, caro livet, ulcusque paulatim serpit.
Boitiapo Lusitanis *Cobra de cipo.*	Serpens est 7. vel 8. pedes longus, brachii humani crassitie, teres ac in posticâ instar subulæ acuminatus: Coloris olivacei, in ventre flavescens: Elegantibus squamulis quasi triangularis vestitur.	Peregrinis in regionibus Indiæ comperitur, ranis victitat.	Venenosus est.
Cæcilia A cœcitate nomen habet. Aliis dicitur *Cæcula, Cærialla.* Germanis Blindschleiche.	Fusci & obscurè maculosi coloris est cum subrufo exiguo vix notabili. Color hic ad latera magis variat, cum nigricantibus maculis diluta purpura distinctis. Linguâ est bifida.	Germaniæ communiter nota est. In vepretis degit.	Velociter repit. Fœtus vivos viperarum more enititur. Virus bobus est lethale.
Caninana	Serpens est flavo ventre, dorso viridi, octo ferè palmos longus.	Ovis victitat & volucribus. In Africâ & Americâ reperitur.	Inter minùs venenatos reputatur, capite & cauda rejectis reliquum ab Afris & Americanis comeditur.
Cenchrus Aliis *Miliaris*, quod milii instar ornetur, vel quod milii tempore tantùm appareat, vel eo florente fit perniciosior.	Figura est crassa in tenuem abeunte; Colore viridi ad luteum tendente, qui maximè juxtà alvum apparet. Longitudine est duorum cubitorum.	Invenitur in Lemno, & Samo. Animalia caudâ implicans apertis eorum venis jugularibus sanguinem exsugit.	Maximo æstu per montes vagatur. Ejus morsus lethalis cum viperæ morsu convenit. Tandem post aquas in ventre collectas, ejusque tumorem lethargum causat & necat.
Cerastes Vel *Thebanus* coluber aliis *cristalis*, aut *ceristalis, Sirtalis* & *Triscalis.*	Serpens est cubiti longitudine, corpore arenacei coloris juxta caudam desquamato, partibus aliis per ordinem squamosis, in capite habet cornicula.	Invenitur in Lybia, vias, per quas plaustra aguntur, frequenter incolit. Obvios aggreditur & perimit. Diutissimè ferre potest sitim præ omnibus aliis serpentibus. Exertis ex arenâ corniculis aviculas allicit & capit.	Ritu viperarum fœtus effundit vivos, gressu flexuoso volutatur. Demorsis ingerit tumorem, saniem nigricantem, mentis alienationem, visûs hebetudinem inguium & poplitum dolores.

Cum-

Nomina Serpentum	Descriptio & forma	Locus & victus	Natura & proprietates.
Cumcoatl	Coluber est quatuor cubitos longus & brachium crassus.	In Americâ reperitur.	Nocturnis in tenebris splendet, morsum habet lethiferum.
Dipsas Isidori *Situla.*	Cubitalis est longitudinis. Corpus albicat maculis tamen partim rufescentibus, partim nigris variatur.	In Africâ, Arabiâ, Lybiâ & Syriâ vagatur.	Concepti illius veneni signa sunt: sitis vehemens, urinæ & sudoris continentia, abdominis tumor, hydropis species.
Drynus Sive *Querculus. Ilicinus, Andrias, Bryinus, Durissos, Glandosa* &c.	Corpus habet obesum, squamas asperas, in quibus parvæ muscæ nidulantur. Coloris est subatri, caput hydro æquale est, sed latiusculum, nec ita acuminatum. Alii tamen aliter describunt.	In interioribus Africæ plurimùm reperitur, prata petit humida, ubi moluridas locustarum species & partus ranarum imperfectos venatur. Quercus amat.	Fumum è terra excitare solet. Venenum morsu illitum nigros causat tumores, mœrorem & mentis caliginem, angorem, tremorem membrorum, morsos etiam instar ovium balare facit. Excitat vomitus biliosos & cruentos.
Elaps Vel *Elops* & *Elapis.*	Ventrem habet lutei, tergus Leuphæi coloris cum tribus lineis nigris à capite ad caudam, usque procurrentibus.	Reperitur variis in regionibus, comprimis verò in Apulia.	Multum veneni non habet; morsum tamen ejus volvulosa sequi solent tormina.
Hæmorrhous A sanguinis fluxu, quem causat, morsu dictus. Aliis & *Hæmorrhois*, *Afrodius*, *Asudius* & *Thonias* dicitur.	Pusillo est corpore, oculis igneis quasi fulgore ardentibus, cute splendidissima. Dorso multis albis & nigris maculis distincto, cervice angustâ, caudâ pertenui.	Reperitur in Indiâ & Ægypto. Saxorum cavernas incolit, & in petrosis recessibus commoratur.	Segniter & lentè serpit. Color in loco morsûs est cruentus; sequitur morsum sanguinis effluxus ex morsis non tantùm foraminibus, sed etiam naribus: subsequitur spirandi difficultas, cicatricum quarumvis in corpore etiam obductarum recrudescentia.
Hydrus Sive *Natrix* & *Coluber aquaticus.*	Aspidis est formâ excepta cervice, quæ non est ità lata: cinereo quoque est colore quibusdam maculis spectabilis linguam bifidam habet: reliqua cum aliis serpentibus conveniunt.	Reperitur in Corcyra, lacu Mycleo, circà Terracinam in Italiâ, in palude Aynani inter Puteolos & Neapolim: Comprimis autem in aquis calidis & Thermis vivit. Gulosus est, piscibus & ranis vescitur.	In terrâ sævior est quàm in aquâ, adeò virulentus & perniciosus est, ut etiam cadaveris attactus perimere valeat.
Hydrus marinus	Ingentis persæpè magnitudinis est: Formâ aliis serpentibus persimilis.	Nusquam in aquis dulcibus reperitur, sed marinis tantùm in aquis vivit.	Captus si dimittatur arenam rostro quamprimùm adacto terebrare & subire pertentat.

Nomina Serpentum	Descriptio & forma	Locus & victus	Natura & proprietates.
Ibiboboca Brasiliensibus *Anguis pulcher*. Lusitanis *Cobre de Corais*. Vel *Coral*.	Exotici generis est serpens duos pedes longus, pollicem crassus. Colore est albo, nigris rubeisque maculis distinctò. Caput habet squamulas albas cubicas.	In Brasilia & aliis Indiæ regionibus reperitur.	Morsus ejus est summè exitialis, non quidem extemplò interimit, sed tardè virus promovet & necat.
Iraraca	Parvus est serpens rarò semicubiti longitudinem excedens, terreo est calore & nigris maculis insignitur.	Peregrinus est serpens in calidioribus regionibus vivens.	Venenatus est & morsus ejus viperarum morsui similia symptomata inducit.
Maripetus Anguis.	Anguis est aquatilis certo tamen solùm tempore.	In Orientali India reperitur.	Ut instans fallat senium mare petit, & concussâ caudâ in marinas undas illius rami in polypos mutantur.
Porphyrius	Magnitudine est dodrantali: Capite candido, dentibus nullis.	In Indiæ montibus meridiei obversis, ex quibus Sardius eruitur, à venatoribus indagatur.	Non mordet, sed vomitu conspergendo inducit putredinem, venenum continet, quo etiam cerebrum excuti posset.
Rubetaria Natrix Polonis *Podalica*.	Valdè maculosa est & venustate admirandâ prædita. Sibilo se prodit rusticis.	In Polonia & aliis locis reperitur.	Vocem sonoram rubetarum æmulam edit.
Scolopendra marina	Similis est Scolopendræ terrestri; in extremo caudæ loco corniculum & aculeum supereminentem habet. Alia nuda est, alia pedibus hirtis & coloris amethistini.	In mari degit.	Hamo devorato omnia interanea evomit, donec hamum egerat, deindè resorbet egesta, tetrum habet odorem. Morsus instar urticæ urit.
Seps Aliis *Patrio*, *Sepes*, *Sepedo* & *Selsie*.	Serpens est capite lato, collo parvo, caudâ brevi, tergore lineis diversi coloris variegato. Duorum cubitorum longitudine.	In Syriæ & Arcadiæ regionibus invenitur.	Vulneratorum ab hoc serpente caro mox putredinem concipit & defluit.
Tetrauhcoatl	Serpens est 3. dodrantes longus, ac digitum crassus, dorsum habet nigrum, venter candescit ex pallido & cauda infernè rubescit. Caput est nigrum torque luteo cinctum.	In America & calidis invenitur regionibus.	Ictus ejus pestilens est. Remedium contra est locum vulneratum sugere commanso prius piciethe venenum exsuctum noceat.
Thecoatl Ignitus Serpens.	Coluber est sex dodrantes longus, tres digitos crassus. Colore est fulvo, sed dilutiore circà ventrem & in cinereum vergente.	Vivit in montanis locis comprimis in montibus Teportlanicis.	Sinuosè incedit in utraque se latera contorquens. Lethalem infert morsum.

Nomina Serpeneum.	Descriptio & Forma.	Locus & victus.	Natura & proprietates.
Theoa. Ignitus est coluber.	Sesquidotrantem longus est, ac digitum crassus. Squamis albis, nigris, fulvis, fuscisque distinguitur. Caput est viperæ. Cauda circa finem subitò attenuatur & in sonalia definit.	Peregrinus & Americanus est hospes.	Lethalem infert morsum. Lentè progreditur in latera utrinque se convolvendo. Igneo fulget splendore.
Torquata Natrix. A circulis velut torquibus nomen habet. Aliis dictus *Nerophis*, *serpens niger*, *& Carbonarius.*	Corpore est crasso in tenuem caudam procedente, capite. Color tergi nigricat: alvi inter luteum & viridem est medius color nigris lineis virgatur.	In pratis uliginosis, aquis stagnantibus & sterquiliniis stabulari solet. Muribus victitat. Vaccarum quoq; ubera ad sanguinem usque exsugere perhibetur.	Dormientib' sæpe per os irrepere vapore tamen lactis denuò allici ad regressum solet. quos ita ingreditur, ad suaves cantus incitare dicitur.
Vipera Sic dicitur, quod vi pariat, aut quod vivum pariat fœtum.	Longitudinis communiter est cubitalis colore subflavo pluribus maculis conspersо. Mari caput est angustum & acutum, collum crassius, corpus tenuius, cauda longior. Fœmina admodum agilis, colli est magis exporrecti, caudæ brevioris.	In Italia, Hispania, India, Melita, Cypro, Chio circa Amyclas frequens est; delectatur locis montosis, aquis, populeis arboribus. Hyeme latet sub saxis. Vescitur herbis, erucis, stellionibus, scarabeis, bufonibus, scorpionibus ac picæ pullis. Delectatur & vini potu ac lactis.	Fœniculo oculos affricat ut visum acuat & senectam deponat. Morsus fœminæ est magis exitialis. Virus ejus causat singultu corporis tumorem, pustulas ambustis similes, sitim, gingivæ cruorem, hepatis inflammationem vomitus biliosos, vertiginem, soporem, membrorum tremorem & urinæ difficultatem.

§. III.
Mirabilium quarundam actionum in Serpentibus exempla proferuntur.

Serpentes reverentur Viros sanctos. 1. Serpentes quantumvis venenatos viros etiam Sanctos fuisse reveritos, nec mali quicquam non solùm intulisse, sed etiam humillimè iisdem obsecutos varia declarant Exempla. *Act. c. 28.* recensetur viperam ex sarmentorum strue super ignem posita prosiliisse & invasisse manum *D. Pauli: ut verò viderunt barbari*, inquit, S. Textus, *pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant, eum moriturum. At ille excutiens bestiam in ignem nihil passus est. Diu autem illis exspectantibus & videntibus nihil mali in eo fieri; convertentes se dicebant, Deum esse.* Tanti faciebant à viperâ non lædi hominé, quia à viperâ morderetur. Hoc nempe est, quod prædixit Servator: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra Serpentes & Scorpiones & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Luc. 10. v. 15.* Sic *Didymus* Abbas & Anachoreta colubros & serpentes pedibus innoxiè conculcavit. Sic humilem, mitem, & obedientem Antonium timuerunt & fugerunt serpentes teste *S. Athanasio in ejus vita.* Et Boas serpens obedivit pio, sanctoq; *Hilarioni*; cum enim homines & boves deglutiret, jussit ei *S. Hilarion* pyram præparari, & oratione ad Christum missâ evocato præcepit struem lignorum scandere; mox ignem ipse supposuit, immanemque bestiam concremavit, ut inquit *Hieronymus in ejus vita.* Sic Abbas *Paulus* manibus illæsis tenebat aspides, Serpentes, & Scorpiones, eosq; secabat per medium: Rogatus quomodo gratiam hanc accepisset? Respondit: si quis possederit puritatem omnia subjicientur ei, sicut Adæ, quando erat in paradiso ante prævaricationem divini mandati; ut habetur *in Vitis PP. lib. 6. tit. 2. n 11.* sed hæc naturali virtute minimè peracta nemo non asseret.

2. Naturali tamen virtute fit, quod multi nunc etiam Agyrtæ & circumforanei serpentes non tantum innoxiè capiant, manibusque oontrectent, sed etiam eosdem de collo & brachiis suspendant. Ità etiam jam olim apud Ethnicos quidam ita dictus *Hexàgon* Cyprius Ophiogenus *Romæ* in dolium serpentibus repletum conjectus fuit & nihilominus illæsus extractus. De *L. Roscio Fabato Tullius Cic. l. 1. de divin.* ità scribit: *Quid amores & deliciæ tuæ Roscius? num aut ipse aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui cum esset in cunabulis, educareturque in Selonio (qui est campus Lanuvini) noctis lumine apposito experrecta nutrix animadvertit, puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu, quo aspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad Aruspices retulit, qui responderunt; nihil illo puero clarius, nihil nobilius* *serpentum familiaritas cum hominibus*

 fore,

fore. Nempe quia & *Herculem* serpentes in cunis clarum fecerunt, ut etiam Poeta cecinit.

Angues cunarum labor est superare tuarum.

Legimus & *Tiberium* Cæsarem serpentem in deliciis habuisse, eique ex consuetudine manu suâ cibum porrexisse. Quamobrem magnum adhuc nobis relictum est in bestias etiam maximè feras & noxias dominium, ut verè dixit *S. Jacobus in suâ Canon. cap. 3. v. 7. omnis natura bestiarum & volucrum & serpentium domantur & domita sunt à naturâ.*

Serpens Ætolæ virginis amasius.

3. Extat memorabile exemplum apud *Plutarchum* de serpente, qui *Ætolæ* cujusdam Virginis amore captus noctu eam adire suetus puellæ corpori circumfusus hac atque illac illabens illam nunquam neque ultrò, neque invitus lædebat, opportuneque sub diluculum recedebat. Quod cum ii, quibus puella curæ fuerat, intellexissent, eam aliò migrare compulerunt. Serpens per triduum & quatriduum non adesse cum advertisset, diligenter & accuratè circumivit, illam quæritans; quam ubi mox invenit casu illi obviam factus, non uti solitus erat, mitis, & blandus, sed asper & horridus in eam insiliit, manibusq; primùm spirâ ad corpus adstrictis caudæ residuo fœmora flagellavit, levem quidem iram præseferens, sed quæ licet indulgentiâ aliquâ permixta esset, castigatione tamen aptè demonstravit. Hæc *Plutarchus.*

Amor pueri in serpente.

4. In quadam Ægyptiorum pastione ab *Hercule* denominatâ, ut refert *Baro de Nat. mir.* fuit puer quidam formosus anserum custos ab aspide ita adamatus, ut dormiens excitaretur ad declinandas insidias, quas aspidis conjux ei machinabatur.

Aspidum mansuefactio.

5. Tradit *Plutarchus lib. 10.* aspides ab Ægyptiis vehementer coli, & ex eo cultu prorsus mansuescere ciboque cicures fieri, neque simul cum pueris infantibus viventes eis quicquam nocere. Similia tradit *Ælianus* dicens: Ægyptii in aspidum nationes hospitalissimi: primùm ut pransi sunt, statim temperatas vino & melle farinas in mensam, in qua pransi sunt, exponunt; posteà crepitu digitorum dato eas tanquam convivas ad prandium vocant: illæ velut ad condictam cœnam invitatæ aliæ aliunde prorepentes accedunt & mensam circumstant, ac reliqua omni spirâ in solo terræ relictâ caput allevantes circumlambunt, sensimque atque immoderatè explentur. Cum Ægyptii verò de nocte habent necesse surgere, ne ipsas in tenebris conculcent; iterum percussione digitorum utuntur, eis, ut de viâ discedant, signum dantes: illæ sanè sonitûs discrimen intelligentes confestim in latibula abstruduntur. Itaque is, qui de lecto surgit, postea in nullas ipsarum incurrit. Ita *Ælianus.*

Serpentes mansueti in monte Ziz.

6. In Mauritaniæ monte Ziz, res accidit ferè incredibilis ut ait *Leo Africanus.* Serpentes enim adeò hominibus non nocent ut prandendi tempore non aliter atque feles & catelli micas è mensa cadentes colligant, neque aliquam cuiquam inferunt injuriam, nisi ab eodem prius lacessiti.

Serpentum familiaritas cum hominibus

7. Ad Pyrenæos Bigerones ut memorat *Julius Scaliger*; innoxii sunt angues incolis permixti, quibusdam eodem lecto ac pene eadem utuntur mensa. Cibum enim familiariter capiunt ex iis, quæ analectis cecidêre. Noctu diversantur in ædibus cum sibilis etiam interdiu. Teste quoque *Gesner. lib. 5. de serp.* est oppidum quoddam *Vuiszliza* dictum, distans 9. milliaribus Cracoviâ, ibi, ut inquit, plurimi serpentes sunt: in tanta etiam copiâ, ut aliquando in lectis inveniantur: sed non sunt venenati, & nemo unquàm ab illis læditur.

8. In Indiâ, teste *Linschotano*, à circulatoribus & Ægyptiis circumferuntur Serpentes, qui eosdem ad instrumenti musici sonitum tripudiare cogunt.

Astutia mirabilis in capiendis avibus.

9. Mirabilis astutia circa capiendas aves in Ceraste serpente comperitur: nam ut *Solinus & Isidorus* tradunt, totum corpus arenis contegit, nec ullum sui præbet indicium, nisi eâ ex parte (nempè cornuum, velut escæ ostentatione) quâ invitatas aves dolo decipit & aucupatur. quod etiam Poeta his versibus complexus est:

Crinalem attollunt squamæ stridore Cerasten
Bis gemino Cornu, quo capit hæc volucres.

Viperæ astutia & blandimenta.

10. Vipera, ut rectè inquit *S. Ambrosius*, nequissimum genus bestiæ & super omnia, quæ serpentini sunt generis astutior: cum autem crudelis valde sit, fœminæ tamen conjugi mirè blandiri solet; blando equidem sibilo provocat & ubi comparem adventare senserit, venenum evomit ob reverentiam ejus honorans gratiam nuptialem, ut inquit *Vincentius Bellovac.* quâ peractâ venenum resumere perhibetur.

Serpens à muliere lactatus.

11. Narrat *Ludovicus Borgoise de obstetr. offic. part. 1. cap. 49.* de rusticâ muliere, quæ in aperto campo ad duo propè milliaria Argentinâ dissito infantulum lactavit; cùm verò inter lactandum somno obruta indormivisset & infantulus ubera dimisisset; quod ex latebris egressus serpens ea ipsa adrepserit & dulcem inde succum prolicere cœperit, quo ità etiam delectatus fuerit ut nulla amplius ratione avelli potuerit, donec tandem post decem mensium spatium incantamentis abactus per campos in sylvam discedere compulsus sit.

Injuriæ vindicta à serpente.

12. Mulier Ægyptiaca, ut *Plutarchus* recenset, in caveâ aspides aliquot aluit quasi agnos & columbas. Cum autem aliquandò domo abfuisset, aspis aliqua invasit infantem filium ejus, quem domi in cunis dimisit. Illa redux cum infantem

fantem extinctum videret, ingemuit, exclamavit veluti lymphata & sui impos. Interim dum insano dolori indulgeret, arrepsit pedibus ejus grandævus serpens inter dentes ferens aspidem illius homicidam, & jam extinctum veluti in pœnam cœsi innocentis.

Serpens medicus venenum exsugit.

13. Neque hoc reticendum, quod *Baro ex Cæsar. Heisterb. lib. 10. c. 70.* recitat his verbis: *Quidam accepto vulnere, quod in ulcus putridum degeneravit, quâdam die nudato latere super truncum succisæ arboris se inclinavit, ut irrumpenti saniei commodiorem locum præstaret, ibi interim soporatus est, sed ab angue adveniente & ulcus sugente expergefactus veneni metu eum non excussit. Intereà tamen levamen percepit, ut sequenti die in prædicto loco sugendi ulceris facultatem serpenti dederit, indeque valetudinem recuperavit. Exinde à serpente cœpit adeò diligi, ut aliquo in loco cubare non posset, quin ad eum serpens accederet. Unde homo ab hujusmodi consortio abhorrens regionem mutavit, & per anni dimidium anguem non vidit. Denuò reversum ad patriam serpens sectabatur, ut cum non posset ad viri cubile ingredi, juxta januam moraretur. Multi ei suadebant, ut serpentem occideret; ille autem respondebat, se id nunquam medico suo facturum.*

Serpens custodit hortum.

14. Mirabilem historiam recenset *S. Gregorius lib. 1. Dial. c. 3.* de serpente hortum custodiente & à fure tutante his verbis: *Fundensis Monasterii Monachus, cui excolendi horti cura erat, cernens in eo olera, partim pedibus conculcata, partim sublata furto & reperto aditu, quo fur ingredi consueverat, serpenti præcepit, ut illum custodiret, nec inde nisi jussus discederet. Irrationale animal servo Deo obedivit, homo damnum irrogare non dubitavit. Fur ergò perversus cum serpentem circumspexisset, præ timore se retroferre voluit & pede vepribus implicato pronus pependit, donec ab ipso olitore superveniente expeditus fuit.* Benè subnectit huic historiæ *P. Stengelius* eandem referens *in Mund. Theorit. part. 1. cap. 22.* Sic serpens, qui in primo horto hominem fecit nocentem, in hoc horto innocentis excubitor fuit, & qui olim furtum pomi suasit, nunc obstitit, ut homo neque olusculum possit furari.

Gratitudo serpentis.

15. De Serpente & Leone memorabilem historiam recitat *Matthæus Paris in Hist. Anglic.* quo nempe pacto liberatus uterque ex foveâ profunda, in quam inciderant, per sylvanum quendam pauperculum liberatorem suum sit prosecutus: Leo quidem hinnulum obtulerit, tanquam prœmium liberationis, eique applauserit: Serpens verò insignem magnique pretii gemmam dederit & se convolvendo ante illum posuerit. Hanc historiam prolixiùs narratam vide apud *Joannem Busæum lib. de vitiis. tit. de Ingratitudine.*

Pugna serpentum aquatilium & terrestrium.

16. Mirabilibus Serpentum actionibus meritò adhuc annumeramus pugnam illam inter aquatiles & terrestres serpentes, quam *Gesnerus* recenset *lib. 4. de Aquat.* his verbis: *In Regno Genyck vocato Urbs est nomine Sampson. Eam colubri aquatiles & serpentes terrestres innumeri circumquaque per milliaris ferè spatium circumdabant. Venerant autem hi è sylvis, quæ multæ sunt in vicinâ regione Trievick dictâ: illi verò è mari. Hi dum colliguntur per novem dies, nemo præ metu ex Urbe egredi audebat, quamvis nec hominem nec alia animalia læderent. Quamobrem Urbis ac Regionis Princeps, nequisquam etiam hominum eos læderet, edicebat. Non sine jussu divino rem adeo mirabilem & magnæ alicujus mutationis signum evenire intrepretatus. Decimo die duo hæc serpentum genera incohatum diluculo conflictum ad solis usque Occasum produxerunt. Quo animadverso Princeps cum paucis equitibus Urbem egressus, pugnam spectare voluit. Cedebant autem aquatiles terrestribus; Reversus in Urbem ac postridiè summo mane denuò egressus nullos amplius vivos, sed occisorum tantùm serpentium octo millia reperit, quos omnes scrobe defossâ humo tegi curavit; & Weinsitæ Regi eâ Urbe potitò rem omnem literis nuntiavit, qui hoc ostento tanquam prospero sibi & felicia portendente gavisus est.* Ita ex *Gesnero.*

§. IV.

Mirabilia quædam Miscellanea de Serpentibus adducuntur.

1. De puero Serpentivoro Brachmani cujusdam filio in urbe *Agra* exoticum quid & admiratione dignissimum recenset *Kircherus Chin. illust. part. 2. cap. 5.* his verbis: *Ferebatur in urbe Agra puer septennis* ὀφιόφαγος *Brachmani cujusdam filius, qui tantâ aviditate in cibum sectabatur venenosa animalia, Araneos, Scorpiones, Serpentes omnis generis, ut iis vix satiari posse videretur. Quam rem cum primum intellexisset P. Henricus Roth,* (à quo oretenus hæc ipsa *Kircherus* accepit) *bujus rei à se experimentum sumendum censuit: præcepit sibi sisterent, atque unà serpentes, quos poterat magis pestiferos, eâ tamen cautela absconditos adferrent, ne puer primo statim intuitu in eos nimio appetitu perculsus incurreret, quod uti præceperat, factum fuit: sed desideratæ tametsi studio absconditæ lethææ deliciæ puerum minimè latere potuerunt: ingressi siquidem cum canistro nonnullis serpentibus, iisque omnium exitiosissimis referto, vix dum ei se stiterunt: cum ecce sive ex odore, sive ex naturali quodam Sympathici affectûs consensu puer* ὀφιόφαγος *moram non sustinens in canistrum veluti impetu facto irruit, & mirum dictu ruptis canistri claustris sine ullo delectu unum post alium manu ereptos, sine ulla virulenti fellis intestinorumque exemptione à capite ad caudam usque famelici canis adinstar ad unum omnes devoravit tanto cum gustu & voluptatis sensu, ut non pestiferum quid, sed deliciosum cibi suavissimi edulium devorare videretur.* Ita *Kircherus*, qui causam hujus exotici appetitûs in gravidæ cum hoc puero matris picam conjicit: *hæc enim,* ut inquit, *prægnans serpentem intuita, vehementis imaginationis vitio carnem anguilla-*

Mira de puero serpentivoro

rem

rem rata anxiè appetiit avidè comedit & unà similium rerum appetitum fœtui impressit. Existimat tamen *Happelius in Mund. suo mirab. part. 3. lib. 1. cap. 25.* eandem referens historiam hujus admirandi appetitûs causam in speciale quoddam fermentum stomachi & intestinorum, quod ab atrâ bile, & illius humore ortum trahit, juxtà doctrinam *D. Burchardi Medici* Basileensis esse conijciendum. Vide etiam *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 3. obs. 178.*

Lues serpentina in Hungaria

2. Non istud tantùm memorabile sed verè mirabile est, quod *Gesnerus* refert: Anno scilicet 1551. æstivo tempore circà *D. Margarethæ* festum in Hungariâ propè Zichsam accidisse, ut in multorum hominum corporibus serpentes & lacerti naturalibus planè similes enascerentur: Unde lævissimi dolores oborti tandem eos miserè necârint, ita ut tria circiter hominum millia sic periisse feratur. Quibusdam humi ad solem jacentibus serpentes & lacertos per os aliquatenus emersisse, sed mox iterum sese in ventrem abdidisse perhibetur. Nobili etiam puellæ diris cruciatibus vitâ defunctæ, cum venter secaretur duos prodiisse serpentes memoratur. Fidem penè excedit, quod de iisdem serpentibus refert *Jonstonus Thaumatog. clas. 7. cap. 33.* inventos nimirum innumeros in strue manipulorum frumenti: quos cum exurere vellent rustici, prodiisse cæterorum maximum & humanâ, ut abstinerent, monuisse voce. Non secundum naturæ se genitos cursum, sed divinitus propter hominum immissos peccata.

Serpentes in corde cujusdam enati

3. Ex Relationibus publicis Anni 1676. die 31. Decemb. *Lutetiâ* Parisiorum habetur è Principis cujusdam Galli corde prorepsisse serpentem & adhuc in eodem viscere multos alios inventos esse vermes. *Franciscus Paullini in observat. Medico-phys. obs. 13.* testatur circa anatis cor pusillum se deprehendisse serpentulum gyros suos mirè facientem.

Coluber mirabilis.

4. Visus est aliquando *Pragæ*, ut noster *Hirnhaim de Typho* narrat, in distillatione Spiritûs Vitrioli cum Spiritu vini intra recipientem coluber quidam ex albo & griseo variegatus in gyros se contorquens, mansitq; duabus horis in spiritum ardentissimum deinde resolutus.

Serpens cum fœtu exclusus

5. Partum à quâdam fœminâ editum, cujus ventrem juxta regionem stomachi instar bathæi militaris circumdederat serpens, quem inde apposito lacte saccharato calente abstraxerunt infante superstite vivo & sano jam adulto memorant *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 2. obs. 55.* Serpentes quoq; à puellâ picâ laborante ejectos, vide *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 1. obs. 39.*

6. In Indiâ spurcum quoddam & fœtidum esse animal tradit *Nirenbergius lib. 6. c. 9.* quod cum excrementis nil nisi colubros emittit.

Serpentis imago in testa ovi.

7. Anno 1679. die 14. Sept. Bataviæ in *Java* majore Indorum exclusit gallina ovum ordinariæ magnitudinis exterius versus apicē in testâ figuram serpentis exactissimam cum omnibus corporis partibus præsentans. Aderant non tantùm lineamenta serpentis in superficie ejus, sed etiam trina corporis anguini dimensio tanquam foret ab insigni quodam sculpturæ artifice cælatum, aut cerâ, gypso aliâve materiâ formæ cuidam impressum & ad vivum serpentis exemplar expressum opus. Conspiciebantur in capite aures, bifida ex ore lingua, & oculi emicantes, qui omnes & internas & externas partes cum suis coloribus adeò exactè referebant, ut ipsi ad stuporem intueri vel ipsos intuentium oculos viderentur. *Ex litteris D. Andr. Cleyeri ad D. Chr. Mentzelium datis die 15. Mart. Anno 1680.*

Portenta ab insolitorum serpentum apparentia

8. Est in Norwegiâ lacus *Mos* dictus, referente *Jacobo Zieglero*, in quo apparet ostentum subinde, serpens scilicet admirandæ magnitudinis, qui non aliter ac cometes reliquo orbi, sic is Norwegiæ mutationem rerum portendere perhibetur. Anno 1522. altè eminens super aquas convolutus in spiras visus est, & existimatus conjecturâ procul institutâ longus 50. cubitos; fuitq; secuta ejectio Regis *Christierni.* Plura quoque alia mala serpentes insueto more visos portendisse notârunt Historici. Sic *Cræso* Lydorum Regi visos præter morem serpentes imperii excidium portendisse scribit *Herod. l. 11. c. 51.* Sic anguis insusitatæ magnitudinis conspectus infelicem pugnam adversus Numantinos *C. Hostilio Mancino* Cons. Rom. præsignificavit, ut memorat *Valer. M. l. 1. c. 6.* Sic angues etiam conspectos in cubili *Sempronio Gracchio*, item *T. Gracchò* ad jaram mortem portendisse *Idem ibidem* recenset. Serpentem etiam *L. Syllæ* temporibus editum bellum civile notâsse scribit *Alexand. l. 2. c. 31.*

Bonorum eventuum ex serpentibus indicia.

9. Verùm non infaustorum tantùm casuum portenta ex serpentibus tradunt Authores, sed etiam faustorum. Ita *Fulgosus l. 1. c. 4.* tradit in pelvi, in quâ lavabatur, sæpius conspectum serpentem, qui occidi non potuit, *Aureliano* imperium portendisse. Testatur & *Jovius in vita Actii*, ingentem viperam in galeam irrepentem *Actio* Vice-Comiti victoriam adversus Bononienses portendisse. In somno quoq; serpentem visum futuræ felicitatis indicium præbuisse, Exemplum habetur in matre *Georgii Castrioti*, qui à Turcis *Ischenderbeg*: vulgò autem *Scanderbegus* dictus fuit. Ferunt enim, quod dum illum mater concepisset, somniavit serpentem se enixam ingentis magnitudinis, qui totum ferè operiens Epirum caput inter Turcarum fines protenderet & cruentis faucibus eos absorberet; caudam verò teneret in mari inter Christianos & Veneti imperii terminos. Narratum id sibi *Joannes* Epiri Princeps ejus Pater ingenti lætitiâ solatus uxorem, nasciturum ex eâ virum facilè ominatus est clarum bello, factisque, qui Turcarum simul hostis acerrimus, idemq; Dux felicissimus & Christianæ fidei propugnator ac Veneti cultor Imperii perpetuò existeret: quod ita etiam contigisse maximo Christianæ Reip. emolumento orbis novit universus. Plura alia admiranda de serpentibus vide in *Happelii Mund. mirab. part. 3. l. 1. c. 25.*

CAPUT

CAPUT XVII.

De Draconibus, bestiis serpentiformibus maximè stupendis varia notabilia & mirabilia adducuntur.

Sicut inter minora reptilia *Regulus* appellari solet Basiliscus, ita inter squamosos & horridos Serpentes *Rex* haud immeritò vocatur Draco; quocircà etiam Clarissimo *Kirchmaiero in dissertat. de Dracone* dicitur Serpens marinus terribilis validitatis, desertorum amans, Serpentum Rex caudæ robore imprimis valens. Nos jam ad pleniorem illius cognitionem acquirendam abditas Naturæ latebras ingredimur & terribilem omnibus bestiam in theatrum literarium provocamus.

§. I.

De Draconibus quædam in genere producuntur.

Dracones quid sint. 1. Etsi Dracones à nonnullis tanquam certa quædam repentium animantium inusitatæ magnitudinis species à serpentibus distincta possit æstimari: Communis tamen Serpentes adultiores magis annusi & corporis mole auctiores à plerisque censentur, sicut etiam *Franzio hist. Animal. part. 4. cap. 5.* aliud nihil sunt quàm Serpentes valdè annosi admodùm aucti in quocunque genere: idcircò ut inquit, non differunt à reliquis serpentibus, nisi magnitudine: Et ut *Pierius* loquitur, inter Serpentum genera Dracones ii vocantur; qui corpore sunt immaniore, vastioreque magnitudine. Nomen autem Draconis communiter ἀπὸ τοῦ δέρκειν sive à videndo, aut aspiciendo derivatum volunt, quod nempe Dracones visûs sint acutissimi.

Eorum exortus. 2. Ne Draconem tam mônstrosorum, horridorum & virulentorum animantium multitudo in ingens naturæ damnum accresceret, ipsa huic præcavendo optimo jure providisse videtur, ut plerumque unus tantum Draco in subterraneis montium speluncis nasceretur ex variorum animantium differentibus seminibus, quam vim spermaticam in cadaveribus per vultures, corvos, aquilas aut alia rapacia animantia illuc comportatis adhuc remanere docet *Kircherus in Mund. subterr. lib. 8. sect. 4. cap. 2.* ubi illorum exortum ex putredinis diversorum seminum confusione provenientis fermentatione enasci scribit.

Loca & regiones. 3. Loca, in quibus stabulari solent, plerumquè sunt deserta, sylvestria, avia, inculta & inhospita tesqua, & in regionibus quidem magis calido cœlo subjectis, ut sunt: Ægyptus, Arabia, Lybia, Æthiopia ac similes: volantes tamen nullibi magis quàm in Helvetiâ comperti fuerunt: ut etiam *Jo. Cysatus* notavit in *Helveticarum Urbium descriptione.*

4. Forma communis est non omnibus: Aliqui enim sunt apodes, alii bipedes, quadrupedes alii: aliqui ex his rursum alati, alii sine alis. *Nicander in Theriacis* Draconis formam describit his versibus. Forma.

Formosa apparet species pulchro illius ore
Triplici conspicui se produnt ordine dentes,
Magna sub egregiâ scintillant lumina fronte,
Tinctaque felle tegunt imum palearia mentum.

Squamis præterea corpus illis totum esse solet obtectum asperrimis; oculos verò habet magnos & super eos prominentias quasdam similitudine pellium flexibilium superciliorum: in mento etiam excrescentiam quandam habere solent, quam barbam appellant. Os quibusdam velut Epidauriis est parvum, Indicis, Æthiopicis, & Phrygiis communiter magnum. Palustribus crista non est; montanis verò juvenibus quædam adnascitur crista mediocriter prominens. Linguam habent longam, dentes longos instar apri, quibus, cum mordent, etiam ossa corporis frangere valent.

5. Colorum una species in omnibus & singulis non est, sed plurium diversa etiam in eodem persæpe cernitur: Aliqui enim sunt nigri, alii cinerei, alii rufi, alii aliorum colorum. *Nicander* vult Draconem nigrum, ventrem habere subviridem. *Pausanias* Epidaurios colore fulvo esse scribit: aurato fulgore nitidos Africæ Dracones cecinit *Lucanus* his versibus: Color

Serpunt aurato nitidi fulgore Dracones
Africa quos ardens parturit exilio.

6. Magnitudo in omnibus Draconibus insignis est; in multis notabilis valde, imo stupenda comperitur. Sic à *Ptolomæo* secundo Rege Ægypti teste *Diodoro Siculo* captus fuit Draco 30. cubitorum: alium hoc duplo majorem, nempe 60. cubitorum vidisse scribit *Alexander* in Indiâ, qui oculos habuit instar clypei macedonici. Et *Plinius lib. 8. Hist. Nat. cap. 14.* refert tempore belli Punici secundi (ut ex *Livio* colligi potest) ad flumen Bagradam (quod nunc Megerada dicitur) *Attilium* Regulum Imperatorem cum universo exercitu egressum Draconem 120. pedum longitudine oppidi adinstar oppugnâsse, & tandem internecioni dedisse. *Maximus Tyrius* tradit apud Indos *Alexandri* tempore Draconem fuisse quinque jugerum longitudine, cui boves & oves Indi in cibum ministrarent. Magnitudo

Victus

7. Victus Draconum varius est: pomis vesci tradit *Aristoteles*; herbis & venenis *Ælianus*: bestiis aliis tam terrestribus quàm aereis variæ probant historiæ. In Phrygia Dracones paulatim laxato ore hiante volucres supervolantes, tametsi sublimè & perniciter transmeent aerem, suâ aspiratione & halitu velut amatorio quodam attrahere & attractas in ventrem dejicere, docet *Ælianus*; occultè etiam gregibus ex pastu ad stabula redeuntibus insidiari, multamque perniciem inferre ipsis etiam pastoribus sæpe interemptis tradit *Idem*. De Draconum voracitate scribit *Sperlingius Zoolog. l. 6. cap. 2.* unâ vice totum cervum consumere posse; fame compulsos homines etiam aggredi, necare & devorare.

Fortitudo & astutia

8. Fortissimi sunt caudæ robore potissimùm: Unde cum ipsis Elephantis decertare, eisdemque prævalere solent: *spirarum* equidem *nexu*, ut ait *Diodorus Siculus*, *crura illorum implicant arctissimè, ut movere se nequeant Barri: arrecto quoque sub proboscidem collo Elephanti oculis obvertunt caput, igneisque visûs radiis tanquam fulgetris excæcatos ad terram profligant & profligatos dilaniant.*

Visus & Auditus

9. Plurimùm etiam visûs & auditûs sensibus pollere inter plures alios comprimis docet *Ælianus* his verbis. *Draco bestia est ad audiendum acerrima, & ad videndum acutissima.* Unde etiam sicut supra memoratum ab aspiciendo illis nomen esse datum communiter afferunt. Et *Claudius Minos* idcircò scribit, quod, cum acutissimo visu sint præditi, vim quandam excubandi, vigilandique obtineant, nec facilè venatione capi possint.

Quomodo ignem spirare videantur

10. Quod ignem aliquando spirare Dracones videantur: Respondet *Kircherus in Mund. subterr. loc. sup. cit.* illos viscosâ quadam materiâ, cujusmodi nonnulli pisces & putrida ligna & cicindelæ constant, innatâ luce fulgente constare, quæ in tenebris vel maximè elucet: Unde homines Dracones luce coruscos intuentes, igneis corporibus constare sibi imaginantur.

11. Natura Draconum ferè omnium, ut docet *Gesnerus de serp. lib. 5.* ex Ardoyno, à *celeberrimis Auctoribus ponitur esse parùm vel nullatenus venenosa: proinde reponuntur, in tertio serpentium ordine morsuris eorum lædentes potius vulnere quàm veneno, quanquam à quibusdam dicatur Dracones ubicunque fuerint, aerem inficere.* Constat tamen variis ex historiis Dracones insigni virulentiâ præditos non halitu tantùm, quo aerem inficiunt, sed & cruore, similibusque aliis facilè necem inferre posse. Ita *Aristoteles* tempore *Philippi* Macedonis duos Dracones in vicinorum montium antris latitâsse scribit eâ veneni virulentiâ, ut nemo sine vitæ periculo inde transire posset. Cruoris virulentia patet ex sequenti historiâ, quam ex *Stumpfii chronicis* recenset *Gesnerus loc. sup. cit. & Kircherus in Mund. subt.* hoc ferè modo. Ab ipso statim initio, cum Helvetorum Regio primum purgari cœpisset, vetus in eâ serpens & horribilis Draco repertus est, supra pagum Wiler. Is pecudes simul & homines ita profligabat, ut pagus Oedtwiler diceretur, quasi *Villa deserta*. Ibi quidam Vir nobilis & generosus nomine *Winkelried* ob commissum homicidium extorris illâ patriâ cum exularet, magistratui significavit, Draconem illum sese peremptorum, si bonâ cum gratiâ in pristinam sedem ac libertatem reciperetur. Magistratus acceptâ conditione omnem ei satisfactionem habiturum promisit: sed cum deindè Dracone debellato, eodemque occiso brachium illicò, quo cruentum gladium tenebat, hilaris attollens & de victoriâ sibi & popularibus gratularetur; Draconis sanguis in corpus destillans virulentiâ suâ eidem improvisam mortem attulit.

12. Quod mores Draconum concernit, ev Authoribus constat, palustres magis pigros tardosque & sine cristis decerni; montanos verò acriores, grandioresque & cristatos, ut comprimis *Cælius* tradit *ex Philostrato in vitâ Apollonii*, cujus etiam hæc sunt verba. *Omnis Indiæ regio Draconibus abundat & multitudine & magnitudine mirandis: Itaque paludes plenæ sunt, & montes, neque tumulus ullus iis vacuus reperitur: Verùm palustres pigri, tardique sunt longitudine cubitorum 30. & vix caput attolentes: Sunt etiam alii in radicibus aut cacuminibus montium habitantes, qui quandoque in planitiem venationis causâ descendunt, eâ quæ ad palustres pertinent, rapientes: nam & in majorem porrecti sunt magnitudinem, longitudinemque, & velociùs fluminibus, quamvis rapacibus feruntur, ita ut ab illis evadere nihil possit. His autem crista nascitur juvenibus mediocriter prominens, provectis verò ætate grandior & ob idipsum in alteram partem deflexa. Qui verò coloris ignei sunt & quasi dorso serrato, iis etiam barba adnascitur, & altius cervicem attollunt & eorum squamæ instar argenti fulgent.* Ità *Cælius* & ex ipso *Gesnerus*. Mores Draconum

13. Ætas Draconum magna est, & ad summam senectutem pervenire communiter solent: Unde etiam Draco à multis annosus serpens dicitur, qui nempe multâ ætate in insignem magnitudinem excrevit. Atque hæc de Draconibus in genere dicta sufficiant. Ætas.

§. II.

De Draconibus quibusdam in specie & memorabilium casuum circà ipsos exemplis.

1. Nota comprimis historia est in *lib. Danielis* Propheta de maximo quodam Dracone, cui Babylonii quotidiè pluri- Draco apud Babylonios.

mùm

mùm cibi cogebantur offerre, quem *Daniel* interfecit conjectâ in os ejus massâ quâdam piceâ: nam ut habet sacer textus *c. 14. v. 26. Tulit ergò Daniel picem & adipem & pilos & coxit pariter: fecitque massas, & dedit in os Draconis & disruptus est Draco.*

Draco Cracoviensis. 2. Simile penè est, quod *Guagninus in vitis Regum Polonorum* narrat: Cum enim ad Poloniæ regnum evocatus *Cracus* nepos *Cechii* Boemorum Principis deserta loca, solitudinesque agricolis frequentaret, civitatem celebrem cum arce in Scopulo *Vavel* dicto ad *Vistulam* fluvium condidit, quam à suo nomine *Cracoviam* appellavit. In eo scopulo Draco ingens tunc temporis delitescebat, qui cum esuriret, de antro prorepens multos interficiebat & omnia obvia devorabat. Quam ob causam incolæ civitatis ordine tria jumenta per diem ei ad antrum offerre cogebantur. Rex *Cracus* populi misericordia commotus, pellem vituli excoriati, pice, sulphure & nitro infartam illi jussit objici, quâ devoratâ cum materia ignem concepisset, ad eum verò restinguendum ex Vistulâ copiosè aquas hausisset, Draco tandem medius crepuit & interemptus est.

Dracones variis in locis visi diversæ magnitudinis. 3. Duos in Indiâ Dracones fuisse scribit *Onesicritus Astypalæus* referente *Gesnero de serp. lib. 5.* quos *Aposisares* Indus enutriverit, alterum sex & quadraginta, alterum octoginta cubitorum, eosdemque *Alexandrum* ardenter videre expetivisse. Regnante *Philadelpho* duos item ex Æthiopiâ Dracones in Alexandriam deportatos fuisse visos, apud Ægyptios pervulgatum est, alterum magnitudine quatuordecim, alterum tredecim cubitorum. *Evergetis* Regis quoque temporibus tres etiam advectos fuisse, unum novem, alterum septem cubitorum, tertium magnâ curâ in *Æsculapii* templo nutritum fuisse, ex Antiquis historicis constat.

Draco ingens apud Chios. 4. Supramemoratus *Gesnerus ibidem* recenset ex antiquis Scriptoribus ad quandam Pellenæi montis vallem proceris arboribus frequentem atque opacam maximâ magnitudine Draconem procreatum fuisse, cujus sibilum *Chii* vehementer perhorrescerent: magnitudinem verò nulli neque agricolæ, neque pastores accedendo propiùs considerare auderent, sed ex solo sibilo ingentem quandam & formidolosam feram bestiam suspicarentur; ejus tamen magnitudinem tandem mirabili quadam machinatione cognitam fuisse. Vento nimirùm vehementissimo vallis arbores concussas & violenter collisos ramos ignem concepisse, & simul inde ingens incendium excitatum locum omnem comprehendisse, feramque circumdedisse, & interceptam, cum elabi non posset, ardore flammæ conflagrâsse: Itaque nudato loco omnia conspicua facta fuisse, & verò Chios metu liberatos cum spectatum venissent, inusitatâ magnitudine ossa & immane caput offendisse, ut ex iis qualis quantusque vivus ille fuisset, conjici posset.

5. Circa turrim *Babel*, & in desertis illius antiquæ *Babylonis* ac ruinis ejus maximi dicuntur habitare Dracones, quorum vox ac rugitus homines valde perterret, ut recenset *Author libri de naturâ rerum. Iphicrates* etiam scripsit apud Hesperios Æthiopes magnos etiam Dracones esse observatos, ut eis adeò herba innasceretur, sicut *Strabo* recenset. Circa turrim Babel & in desertis illic plures habitant Dracones.

6. Delatus aliquando fuisse perhibetur ad *Franciscum* Gallorum Regem Draco pennatus apud Sanctones à Rustico quodam, cum in eum involaret, ligone cæsus. Hunc multi eruditi, spectatæq; fidei homines se vidisse testati sunt, ut *Gesnerus* refert. Mirum autem omnibus visum est, quomodo in illam regionem pervenerit: plurimi verò existimârunt, eum ex transmarinis regionibus vento pulsum in eam provinciam commigrâsse. Draco in Gallia interemptus

7. Integra alatorum Draconum cadavera diligentissimè condita se vidisse in Ægypto narrat *Bellonius*: erant autem, ut ipse refert, circà alvum crassi, duobus pedibus & alis totidem more Vespertilionum integrati cum caudâ anguinâ. Imò hujusmodi Draconum cadaverà condita sibi *à Gabriele Barbaro & Francisco* Cretensi communicata in musæo suo conservare *Aldrovandus* scribit.

8. De Dracone Mediolanensibus viris, non fœminis infesto *à Mariangelo* tandem cæso memorabilem hanc tradit historiam *Chalcondylas lib. 4. Draco*, inquit, *ex monte in urbem Mediolanensem irruens magnam stragem hominum, qui ad operas & agros pergebant; facere non cessabat. Mulierem quidem nullam, ut ajunt, lædebat, viris tantum infestus erat. Plurimi bestiam illam ut interficerent, contra eam ibant. Verùm nihil proficientes, extrema quæque patiebantur. Tandem Mariangelus, Mariangelorum familiæ Princeps, natione Britannus, sive Anglus, ministrum suum semetipsum armaturâ quæ totum corpus tegeret, armans obviam belluæ processit. Ministrum igitur cum belluâ voraret, & medium in rictu portaret, nec eum in ilia demittere & evomere posset, securi belluæ caput amputavit. Draco in hunc modum periit, civitasq́; liberata ab istâ bestiâ, à qua subinde oppugnabatur*, Mariangelum *Ducem elegit & contra hos ire jussit.* Draco Mediolanensis

9. Memorabilis etiam casus est circà domesticum Draconem *ab Haraldo S. Olavi* Regis Norwegorum fratre interemptum, quem *Saxo lib. 11.* hunc in modum recenset. *Haraldus S. Olavi Regis Norvegorum frater, Magni Norvegorum & Danorum Regis patruus exul Bizantium fugerat. Cœterum ibi homicidii crimine damnatus domestico Draconi lacerandus objicitur. Cui in carcerem eunti fidus servus ultrò sese comitem obtulit. Utrumque is, qui custodiæ præerat, curiosiùs observatum per os antri inermem excussumque immisit. Vestibus exuto ministro Haraldum verecundiæ ergò linteo tantum distinctum excepit, Ab eodem clam armillâ* Draco mirabiliter cæsus ab Haraldo.

armillâ donatus pisciculis pavimentum instravit, ut haberet Draco, in quo primæ fami impetum effunderet, reorumque oculi paulatim se in tenebris recolligerent. Haraldus lecta cadaverum ossa telæ implicuit, iisdemque in unum globum coactis veluti clavam effecit. Cumque Draco in objectam prædam irrueret, dorsum ejus veloci saltu conscendens cultellum tonsorium, quem secum clam attulerat, umbilico, qui solus ferro patebat, immersit, Servus interim clava extemporaria belluæ caput crebris ictibus contudit. Rex fortitudinis admiratione captus, navigio, stipendioque donatos abire permisit, virtutemque colore, quàm culpam punire maluit. Reversus Haraldus mortuo jam Magno nepote Norvegiam occupavit, & inde arma in Daniam transtulit, victoque duplici prælio Senone in Angliam evocatus cæditur. Hinc Mali cognomen traxit. *Ita Saxo.*

Draco in insulâ Rhodo.

10. Anno 1345. *Clemente VI.* Pontifice, Magno Melitensium Equitum Ordinis Magistro *Elione de Villâ novâ* existente res omnibus sæculis admiranda & prorsus memorabilis accidit in occiso mirabili astu & dexteritate valde terribili Dracone in insulâ *Rhodo* ab insigni quodam Equite *F. Deodato de Gozon* ex Gasconiâ oriundo, ut *Kircherus* prolixè admodùm recenset *in Mund. subterran. lib. 8. sect. 4. cap. 2.* Nos formam hic solùm Draconis ex eodem adducimus, quæ talis erat: *Corpus magni equi aut bovis crassitiem habebat, collum longum & asperum in serpentis caput desinebat; auribus constabat ad similitudinem muli sat prælongis: os horrendo rictu, acutissimisque dentibus instruebatur, oculos prægrandes habebat præfulgidos & veluti ignem spirantes quaternis pedibus acutissimis in morem Ursi unguibus instructis incedebat, quoad caudam & reliqua membra crocodilo prorsus similis totum corpus durissimâ squamarum intricatim dispositarum incrustatura armatum muniebatur, duabus alis cartilagineis lateribus protensis instruebatur, colore branchiis delphini haud absimilibus, è superiori quidem cæruleo ex inferiori sanguineo flavo misto imbutis, quo colore & totum reliquum corpus mixtim tingebatur; adeò celeri & concitato motu ferebatur, ut nullus equus esset tantæ velocitatis, qui ejus velocitatem cursu quantumvis effugere posset; ita ut partim volare, partim pedibus incedere videretur, quod quando in pabuli inquisitione fiebat tum testacearum strepitu squamarum, tum horrendo sibilo, qui longè latèque percipiebatur, etiam quàm dissitissimos metu & formidine pene exanimabat. Quo porrò ingenio, quâ mirabili so*lertia & dexteritate Eques ille prænobilis *F. Deodatus Gozonius* Draconem hunc interemerit: Quo etiam vitæ periculo post eundem felicissimè interemptum nihilominus involutus ad supremos tamen honorum gradus, ipsiusque summi tandem Magisterii dignitatem provectus sit, Apud *Kircherum loc. cit.* Curiosus Lector reperiet.

Casus mirus in Dracone Bernensi hominem deglutiente

11. Stupendum alium casum ex *Joanne Cysato* Helveto recenset *Idem Kircherus ibidem* de Dracone Bernensi his verbis. *Est in Bernensi territorio perantiqua Urbs* Burgdorpium *dicta à duobus fratribus, quorum prior Syntram, alter* Beltram *dictus fuit, Duces Lenzenburgenses. Hi Anno Christi 712. venatum per immensas illas solitudines montiumque recessus intimos abeuntes, multumq; hinc inde errabundi in scopulosum montem inciderunt, ubi ferale immensæ molis monstrum Draco inquam, in profundo antro stabulabatur, qui ingenti sævitie susque deque invertens omnia, regionem animalibus viduabat hic mox ac Equitum adventum advertit, veluti de prædæ cupidine tripudians in eos grandi impetu irruit, ut statim juniorem fratrem Baltramum vivum absorpserit: Syntram verò adeò fortiter quà hastis quà gladiis comitum ope sese belluæ opposuit, ut tandem eam peremerit, scissoque bestiæ ventre fratrem adhuc spirantem inde extraxerit eodem prorsùs loco, ubi hodie juxta Bernam Sacellum S.* Margaritæ *spectatur, quod ad rei patratæ memoriam ipsi Duces exstruxerunt, historiamque depingi curarunt in hunc usque diem spectabilem.*

Admiranda historia de Vietore cum duobus draconibus habitante.

12. Æquè stupenda sequens historia, quam ex eodem *Cysato* refert *Kircherus* de Vietore quodam semestri spatio cum duobus Draconibus innoxiè habitante. Fuit enim *Lucernæ* in Helvetiâ vietor quidam. Hic dum ad fabricanda dolia congrua conquisiturus ligna in condensam inter alpestres scopulos sylvam se recepisset; nescio quo fato à viâ abductus, dum in feram noctem viam relictam inquireret, in ingentem subterraneam decidit voraginem. Ubi cum illucescente die ejus altitudinem humanâ arte insuperabilem advertisset, & in lateribus ejusdem voraginis cryptas alias in longum latumque protensas conspexisset, easdem subingressus mox duos horridos Dracones sibi obviam procedentes habuit; quorum intuitu pene exanimatus, Deo & Sanctis omnibus suam commendans calamitatem ad priorem voraginem regressus est: Dracones verò eundem accedentes tametsi corpus ejus nunc caudâ nunc collo stringerent, ei tamen nullam aut noxam aut violentiam intulerunt. Ita igitur cum iisdem per semestre spatium habitavit nullo alio cibo aut alimento corpus viresque sustentans, quàm salsugineo quodam liquore ex scopulorum parietibus exstillante, cujus lingendi exemplum à Draconibus didicisset. Hyeme jam adultâ, cum aer tepidior calore solis sentiretur, & alati hospides ad pabulum extra latebras subterraneas indagandum stimularentur, & prior quidem magnâ alarum agitatione præmissâ confestim etiam evolâsset, alter verò idem ipsum

ipſum hoc tentaret: Victor hanc ſe liberandi optimam occaſionem ratus, belluæ caudâ apprehenſâ extrà voraginem illam unà deportatus fuit: Ubi dimiſſis draconibus, divinâ utique directione ſtatim ſemitam invenit, qua Lucernam reverſus ſuos, qui eum jamdudùm perditum credebant, inviſit, & quæ ſibi contigiſſent, ſtupentibus omnibus & præ admiratione attonitis enarravit. Et quoniam liberationem à tam horrendo ſtatu nulli magis, quàm magnæ Matri Deiparæ, cui devotisſimè ſemper addictus fuerat, adſcribere valuit, in perpetuam rei memoriam & poſterorum admirationem teſtem eſſe voluit Caſulam Sacerdotalem, in quâ totius rei ſeriem acupingi juſſit, quæque in hunc usque diem Lucernæ in Eccleſiâ *S. Leodegarii* ſuperſtes, omnibus peregrinis oſtendi ſolet. Victor verò dùm cibum ampliùs uſitatum ex ſtomachi corruptelâ ſumere non poſſet, bimeſtri ſpatio poſt ejus è lacu draconum exitum piè in Domino obdormivit.

Dracones igniti.

13. Dracones etiam ignitos, ſive qui ignem vomerent, aut ſcintillas ignitas eijcerent aliquando viſos eſſe plures narrant Hiſtorici. Leſſæus in ſuâ Scotia Anno Domini 1558. refert, apud Marchinam & Landoniam Draconem quendam tantos ignes evomuiſſe, ut iis ſegetes & fruges incenderet: Quocircà colonos pervigilare debuiſſe, ut eos aſſiduè extinguerent. *Solidurno* ex Helvetiâ quoque ſcripſit *Romam* ad *P. Kircherum* quidam *Chriſtophorus Schorerus*, ſe Anno 1619. noctu, cùm cœli ſerenitatem contemplaretur, præfulgidum draconem advertiſſe ex immenſi ſcopuli antro montis, quem *Pilati* vulgò nominant, ad aliud in oppoſita lacûs parte antrum, quod *Flue* vocant, transvolantem, qui inter volandum haud ſecùs ac candens ferrum, dum in incude tunditur, ſcintillas ſparſerit.

Dracones tantùm grandioris vulturis magnitudine.

14. Magna licet plerumque monſtra ſint Dracones, minore tamen etiam nonnunquam corporis mole conſtare, ſequens docet hiſtoria, quam ex ſæpè hactenùs memorato *Kirchero* præcedentibus libet annectere. *Anno*, inquit, *1660. menſe Novembri Lanio quidam Romanus, dum aucupii cauſâ in paluſtres maritimæ oræ partes ſe conferret; ecce loco avium paluſtrium draconem grandioris vulturis magnitudine obvium habuit, qui volucrem arbitratus, ſclopum contrà ipſum exoneravit, quo ala læſa ità belluam exacerbavit, ut ſtatim præcipiti, quà curſu, quà volatu de hoſte ſuo ſe vindicaturus venatorem invaſerit: Is denuò exploſo ſclopo guttur ità diſrupit, ut ſtatim occubuerit, ſed ſive virulento ſanguinis fluxu, ſive halitu infectus domum reverſus, eâdem nocte mortuus eſt, toto corpore diffuſione veneni viridis. Quæ res inſolita uti toti Urbi accidit, ità quoque relatione, morientis curioſior quiſpiam inſtructus locum certaminis adiit, draconemque jam putrefactum invenit, ut tamen redux rei geſtæ veritatem conteſtaretur, ſecum caput Draconis attulit*, quod etiam *Kircherus* ſibi monſtratum, & veri draconis caput à ſe compertum fuiſſe teſtatur.

§. III.

Mirabilium quarundam operationum in Draconibus exempla.

Draco S. Mariæ Magdalenæ & Marthæ obſequens.

1. Dracones quantumvis feros, immites, ſævos & atroces varii afferant Hiſtorici; Sanctis tamen hominibus ſubmiſſè & humiliter patuiſſe & ad juſſum votumque obſecutos fuiſſe, varia confirmant Scriptorum teſtimonia. Ità legitur in vita *S. Mariæ Magdalenæ*, cùm occultiorem ſolitudinis receſſum quæreret, Marſiliâ relictâ intrà ſcopuloſum quendam tractum quinque indè leucis diſſitum, quem hodie *Sainte Beaume* vocant in præcelſi montis ſpeluncam, in quam non niſi Angelorum ope deportari poterat, conceſſiſſe: Ubi horridum & inuſitatæ magnitudinis draconem cùm offendiſſet, mox eum illinc abire in nomine Chriſti præcepit, qui ſanctæ perculſus imperio, avolans in locum deſertum ad Rhodanum, ubi *S. Martha* tunc temporis commorabatur, deceſſit; qui & ejusdem ſanctæ ope, inſtantibus indigenarum precibus, ob ingentia, quæ inferebat, damna à ſanctâ captus, funibus ligatus, atque in eum locum, qui poſtea *Taraſcum* appellatus fuit, ductus, ab incolis interfectus dicitur. Cujus rei hiſtoriam in Eccleſiâ Cathedrali affabrè depictam Taraſci ſe vidiſſe teſtatur *Kircherus in Mundo Subter*.

Draco theſauri cuſtos à S. Hypatio abactus.

2. *Conſtantio Conſtantini* filio regnante immanis quidam Draco theſauro Imperatoris ità incubuiſſe fertur, ut nemo illuc auderet aſpirare. Quod ſi quis audentior accederet, illicò vita mulctabatur. Imperator ergò inops conſilii famâ ad ſe de viro ſancto *Hypatio* Gangrenſi Epiſcopo perlatâ mittit, qui illum eant accerſitum. Ubi venit, gazophylacium ſolus accedit, januam reſerat; ſcipione, quem geſtabat, crucem præferente draconem icit, trahensque velut cetum virgâ captum extraxit, ingentique rogo in foro illius juſſu excitato peremptum baculo concremavit. Imperator perculſus admiratione, ne quid impoſterum ejusmodi accideret, ſanctam illius viri imaginem ad ingreſſum ærarii juſſit figi. Sic etiam *S. Philippus* Apoſtolus Draconi imperâſſe dicitur, ut innocuus abiret ad latebras nemini injurius. Sic & *S. Narciſſus* & *S. Magnus* draconibus & Serpentibus necem vel fugam mandâſſe perhibentur, quibus confeſtim obedivevunt.

Draco Alevam paſtorem amans.

3. Ex *Hagemone in Dardanicis* recitat *Ælianus* ab inuſitatæ magnitudinis Dracone *Alevam* paſtorem ad Theſſalium fontem *Hæmonium* boves paſcentem mirè fuiſſe adamatum: Ad eum enim amoris œſtro percitum draconem ſenſim adrepere ſolitum, ejusque comam auream ſive flavam deoſculari, & linguâ faciem lambendo

bendo detergere & varia de venatu munera adferre. De Serpente magno, sive ut aliis placet, Dracone *Æthol*æ virginis amatore suprà jam mentionem fecimus.

Puella à dracone adamata. 4. Refert *Idem Ælianus* puellam quandam à Dracone valdè adamatam fuisse; sed cùm parentes filiæ metuerent ex hoc amore periculum, puellam aliò dimisisse: Draconem verò mirè indè tristatum fuisse: Cùm verò tandem puella reducta fuisset, eam leviter complexum & leviter etiam verberâsse, quasi indicare vellet, ne ampliùs discederet & amoris complexu privaret.

Gratitudo Draconis. 5. Non minùs rarum est & mirabile, quod scribit *Democritus*, & ex eo *Lilius Giraldus lib. de ingratis*: Draconem servâsse *Thoantem* in Arcadiâ. *Thoas*, inquit, *Draconem puer nutriverat, qui cum adolevisset, veritus naturam, magnitudinemque in solitudinem detulit. Digressus indè cùm in latronum insidias incidisset, exclamavit; cujus vocem audiens Draco, eamque educatoris sui Thoantis esse cognoscens, accurrit illicò, & eum à latronum manibus eripuit.* Similis narratur historia ab *Æliano de variâ historiâ lib. 13.* his verbis: *Civitas est in Achaja nomine Patræ. In eâ puer draconem parvulum emebat, magnaque eum curâ educabat: Cumque crevisset, loquebatur quasi cum intelligente ludens & dormiens cum ipso. Cùm verò ad ingentem magnitudinem Draco pervenisset, in solitudinem à civibus est dimissus. Post cùm puer adolescens factus, reversus à spectaculo quodam cum aliquibus æqualibus in latrones incidisset & clamorem extulisset: Ecce Draco præsto est, & alios in fugam vertit, alios interimit, ipsum verò salvum conservat.*

Vindictæ & Ultionis exemplum in Dracone. 6. Similis vindictæ & Ultionis exemplum narratur à Dracone sumptum de occiso puero, quem Draco ab eodem relegatus mirè adamaverat. *Cùm enim puer in sylvâ à fratribus propter hæreditatem malè divisam occideretur, & valdè exclamaret, accurrit & homicidas compulit in aquam, ut suffocarentur & aliquot dies defendit corpus interfecti, donec hoc factum innotesceret, & cadaver sepeliri posset.*

Dracones Pellæi valdè mansueti. 7. Miratu & memoratu quoque dignum est, quod tradit *Lucianus in Pseudomante*. *Pellæ* in Macedonia fuisse immani magnitudine Dracones placidos admodum ac mansuetos, adeò, ut à mulieribus alerentur, & cùm pueris unà cubarent, & calcantes ferrent, neque commoverentur, si quis stringeret, premeretque, denique perindè atque infantes lac è papillâ sugerent.

8. De *Heraclide* Pontico Philosopho *Laërtius in ejus vitâ* refert, quod cùm adhuc puer esset, Draconem enutrierit, quem, quoad vixit, habuerit deinceps quocunque iret, aut consideret, comitem.

9. Næ illud quoque memorabile videtur ac summè admirabile, proindè silentio non prætereundum, quod *Valerius Max.* refert *lib. 1. cap. 8.* de Dracone Epidaurio.

Draco Epidaurius. *Cùm enim Romæ pestis miris modis grassaretur, & metuerent, ne populus omnis interiret: Suasu suorum miserunt legatos in Epidaurum, quod scirent ibi detineri insignis alicujus magnitudinis Æsculapianum Draconem: Hunc igitur petiverunt sibi concedi, ut Romam advectus navigio pestis sævitiam inhiberet. Mirabile autem dictu est, quod ingens ille Draco magnâ navi vectus sese passus est placari delicatis cibis, ut sponte in navem ingrederetur. Mirabile etiam, quod cùm in itinere navis in portu quodam staret, Draco vastissimus ex navi quidem fuit egressus, & prorepsit in vicinam sylvam, ità ut de ipso desperaretur, sed tamen tandem rediit in navem, & Romam ductus fuit, ibique cum gaudio & tripudio ineffabili exceptus & divinis honoribus cultus, cum successisset sponte in illum locum, quem ipsi præparaverunt.* Ità *Valerius.*

§. IV.

De Draconibus mirabilia quædam miscellanea recensentur.

Draconites gemma. 1. Author est *Plinius lib. 37. cap. 10.* in abscisso, contritoque Draconis capite pretiosam valdè gemmam *Draconitidem* nominè reperiri. *Draconites*, inquit, *sive Dracontia è cerebro fit Draconum, sed nisi viventibus abscisso nunquam gemmescit.* Undè *P. Raulinus* clavam in Draconis caput destinatam pinxit cum lemmate: *Contritus gemmam dabit.*

Lapis à Dracone dimissus mirabilis virtutis. 2. Narrat *Joannes Cysatus in Helv. Urb. descript.* Quod cùm rusticus aliquando gramen demeteret, viderit ex Monte *Pilati* propè *Lucernam* ad oppositum montem ingentis molis Draconem transvolantem: Quo viso parum abfuerit, quin metu exanimatus conciderit; observaverit tamen illum à se liquorem quendam dimittere; quem excusso metu ad locum, ubi decidit, procedens in prato quodam invenerit sub concreti sanguinis specie, & intrà eum lapidem varii coloris, qui hunc usque in diem *Lucernæ* tanquam inæstimabilis pretii cimelium conservatur, omnibus morbis præsertim venenosis & pestiferis præsentissimum, ut Acta testantur, remedium.

Incendii portentum à dracone. 3. Dracones in aëre volantes dira portendere Historici tradunt. Ità in Germaniâ factum & observatum non procul à Rheni littore propè oppidum *Niderburgum*, ut ter sereno cœlo diversis temporibus Draco ingens in aëre velut pendens, caudamque vibrans mediâ luce conspiceretur; secutumque fuit, ut toties idem quoque oppidum incendio conflagraret maximo omnium indigenarum malo atque infortunio. Observatum quoque sub idem ferè tempus fuit, quod in fonte non procul à conflagrato loco visi sint Dracones, quasi se lavantes; è quo deinde, qui fortè improvisò biberunt, & aquam hauserunt, tàm homines, quàm alia animalia inflatis mox ventribus conciderunt, interiêruntque. Quibus ità malis compertis tandem fons terrâ lapidibúsq; oppletus fuit, ne pluribus porrò internecioni foret. *Gesn. lib. 5. de Serp. à Justino Goblero.*

4. In-

Romæ Draco visus in inundatione, quam pestis subsecuta.

4. Ingentem Draconem cum aliis serpentibus diram pestem aliquandò non tàm prænuntiâsse, quàm ejusdem causam extitisse ex antiquis constat Annalibus. Anno siquidem 690, qui fuit tertius Justiniani, aquæ diluvium ingens in Italiâ fuit, & Tyberis Romæ in tantum excrevit, ut aquæ illius suprà muros influerent, & omnem latè regionem effusione suâ inundarent. Tunc etiam per alveum ejusdem fluminis cum magnâ serpentum multitudine Draco insignis magnitudinis per Urbem transiens usque ad mare descendit. Subsecuta fuit è vestigio pestis gravissima, quam Inguinariam appellant, quæ tantâ clade populum confecit, ut ex inæstimabili multitudine vix pauci remanerent.

Auspicia & prodigia ex Draconibus.

5. Quædam etiam auspicia atque prodigia ex Draconibus celebrantur apud Scriptores antiquos. Sic *Mammæam Alexandri Severi* matrem, pridie quàm puerum eum pareret, somniâsse dicunt, Dracunculum se enixam edidisse. Ajunt & *Alexandro* Macedoni Draconem, qui Matri *Olympiæ* congressus erat in Somnis, dominii claritatem præsagiisse. Idem hoc de *Pomponiâ Africani Scipionis* matre tradunt, quodque ipsi Draco circumfusus nihil attulerit mali. Angusto quoque Imperii præsagium ex Dracone ejusque effigie in *Actia* matre impressâ extitisse scribunt. Ajunt & *Spartacum*, cùm venalis Romam delatus esset, deprehensum, dum quiesceret, habere sub capite Draconem in spiram complicatum, quem cùm *Tracia* mulier vaticinandi peritissima conspicata fuit, mox edixisse, signum hoc esse magnæ cujusdam & formidabilis potentiæ, quæ tamen infaustum esset exitum habitura.

CAPUT XVIII.

De Insectis.



PRæclarè naturalis historiæ Scriptor clarissimus *Plinius lib. 11. cap. 2.* Insectorum contemplationi vacans in hæc tandem erumpit verba: *In magnis corporibus aut certè majoribus facilis officina sequaci materia fuit: In his tàm parvis, atque tàm nullis quæ ratio, quanta vis, quam in extricabilis perfectio? Ubi tot sensus collocavit in culice? Et sunt alia dictu minora. Sed ubi visum in eo prætendit? Ubi gustatum applicavit? Ubi odoratum inseruit? Ubi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit? Quâ subtilitate pennas adnexuit? Prælongavit pedum crura? Disposuit jejunam caveam uti alvum? Avidam sanguinis & potissimùm humani sitim accendit? Telum verò perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio? Atque ut in capaci, cùm cerni non possit exilitas, ità reciprocâ geminavit arte ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendoque fistulosum esset. Quos teredini ad perforanda robora cum sono teste dentes affixit: Potissimùm è ligno cibatum fecit? Sed turrigeros elephantorum miramur humeros taurorumque colla & truces in sublime jactus, Tigrium rapinas, leonum jubas, cùm rerum natura nusquam magis quàm in minimis tota sit.* Hæc præclarè inquam & genuinè *Plinius.* Nullibi enim magìs Natura admiranda, quàm ubi tota compendiosè multam ingerit notitiam: Nec ullibi magis tota quàm in minimis istis, quæ multùm admiramur, insectis; *Inest enim omnibus*, sicut loquitur Magnus *Augustinus lib. 3. de Genesi, quoddam Naturæ generis decus, sic ut in his sit admiratio benè considerantis, & laus uberior omnipotentis Artificis, qui omnia in sapientiâ fecit.* Ut itaque in parvis hiscè & abjectis quasi animalculis etiam Magni Conditoris sapientiam meliùs cognoscamus, & indè illam magìs admirari & collaudare valeamus, hujus quoque argumenti de Insectis præcipua Notabilia & Mirabilia investigare hoc capite attentamus.

§. I.

De Insectis in genere.

1. Insecta, quæ à Græcis ἔντομα vocantur, sunt animantia plerumque exanguia aliis imperfectiora, variis incisuris aut annulis prædita, & commissuris multis insignita: Vel sunt animalia illa exanguia, ut loquuntur alii, quæ incisuras parte sui vel supina vel etiam prona, vel etiam utraque habent, & corpore intùs forisque duro constant. — Insecta quid sint.

2. Quamvis autem pleraque insecta ex putrida terræ & aquæ substantiâ nasci videantur: Non tamen ità ex elementis illis purè effici, statuendum est, sed ex abditâ in iis latente seminali virtute, in qua vis formatrix talis, & talis insecti insit. Non enim possunt exteriores solùm causæ tam opportunè convenire, ut animalium fabricent organa, quorum structura nullo potest humano intellectu comprehendi; nisi saltem vis quædam seminaria, & plastica in ipsis iis elementis, aut quibusvis illis corporibus, undè originem trahunt, delitescat. Undè licet nonnulla insecta E. G. ex plantis oriri videamus; nunquam tamen illa ex ipsis immediatè: (cùm altioris insecta sint ordinis, quàm plantæ) pronasci posse credendum est. Sed quod ex cadavere alicujus animalis, vel excremento spiritûs seminalis intrà plantæ rimas dilapsus, & deindè calore ibidem suscitatus insecta illa producere valeat. Quod etiam intrà ipsos duros nucleos subindè vermis nascatur, causa esse potest, quod cùm floreret eidem musca, vel vermis insederit, semenque ibidem reliquerit, quod tandem à solis calore — Insectorum generatio.

lore excitatum vermem illum produxerit. Ex quibus etiam patet, omnem generationem non esse æquivocam, sed univocam & ex semine omnia animantia ortum trahere. Verùm de hac genesi insectorum, ac quidem magis specificâ consule *Kircherum Mund. Subterr. lib. 12. Sect. 2.*

Animæ insectorum igneæ sunt. 3. Insecta quantumvis frigidæ pleraque sint naturæ, animas tamen illorum haud secùs ac brutorum calidorum & perfectorum igneas esse probare videtur pabulum ipsorum sulphureum & nitrosum, quoniam, ut rectè scribit *Clarissimus Willisius de anima brutor. part. 1. cap. 3. flammæ accensæ ritu pabulo copioso & plurimi aëris accessu opus habent.* Et quidem priùs, ut ibidem subdit, observatione vulgari constat, *quatenus insecta segetes & plantarum folia sæpè tota devorant, gratamque adeò æstatis viriditatem tollunt:* Alterum verò vitas scilicet illorum constantem aëris affluxum exigere per experimenta Clarissimi Viri *Boylii* evinci posse scribit, *cùm insecta globo vitreo imposita post aërem insuctum citissimè emori videantur.* Hoc ampliùs *Eodem Willisio* Censore declaravit Doctissimus *Malpigius in Tractatu suo de Bombyce*, ubi observat, insecta non tantùm pulmonem habere, sed ità abundare, ut quilibet ipsorum annulus duobus polleat, quin & quæque pars etiam viscerum derivatis pulmonibus gaudeat. Cùm enim in lateribus insectorum per totam corporis longitudinem puncta nigricantia utrinque extent, comperitur hæc foramina sive hiatus reverà in totidem tracheas, sive asperas arterias ducentia, quæ mox in cor, ventriculum, spinalem medullam aliaque omnia viscera & partes ramificatæ aërem iis omnibus ingerunt, egeruntque. Porrò cùm hæc orificia omnia oleo aut melle illinuntur, vermis illicò interit. Si aliqua tantum foramina tali illitu obturantur, partes viciñæ mox convelluntur, & deindè resolutæ concidunt reliquis motum servantibus: Sin verò intactis tracheæ orificiis caput, os, venter aut quævis aliæ partes oleo aspergantur, exindè nec mors, nec molestiæ sensus inducitur, quodque magis est mirum, insecta, quæ oleo aut consimili tracheis affuso ità subito concidere videntur, cordis motum per aliquod tempus conservare, nunquàm tamen revivifcere comperiuntur. Omnia itaque insecta oleo vel melle delibuta perire necesse habent, quod aëre, quem ad vitam sustentandam necessariò requirant, viis respirationis occlusis destituantur. Confirmat hoc ampliùs experimento in araneis sumpto Expertis. *D. Christianus Fridericus Garmannus*, ut refert *Ephem. Ger. Curios. Decur. 1. Ann. 1. Obser. 120.* Nam cùm eas vitro inclusisset, clausoque exactè foramine omnem ferè aëris usuram iisdem abstulisset: Decreverunt de die in diem adeò, ut grandiores vix pisum etiam minimum ampliùs æquarent. Adincitas, cùm easdem putâsset, redactus & acu foramina quædam operculo induxisset, illicò tanquam famelicæ foraminibus istis sese applicarunt, & postunum alterumvè diem notabile sumpserunt incrementum; ut etiam modò locus fuisset commodus à texturâ non abstinuisset.

Insectorum genera & differentiæ ratione motûs. 4. Insectorum diversa sunt genera & species numero penè infinito tantæ varietatis, ut à nemine etiam solertissimo conscribi possit. *Cardanus de rerum variet. lib. 7. cap. 28.* omissis marinis ratione motûs & progressionis ea ad tria reducit summa genera: *Alia*, inquit, *volant, alia repunt, alia ambulant. Quæ volant, quatuor differentiis distinguuntur: Quædam enim memoriâ præstant domos sibi eligentes, ut apes: Quædam non, sed vaga & dura, ut scarabæi, quos à cornibus cervos vocant: Quædam oblonga, quæ ex aureliis fiunt, quatuor alis prædita, quod duabus difficulter sustinerentur ut papiliones & locustæ: Quædam brevia, quæ duabus alis contenta sunt, ut muscæ. Quæ verò repunt, omnia sub uno genere continentur vermium, tametsi plures etiam eorum sint species. Quæ autem ambulant, alia ut Erucæ, quas neque rectè dixeris pedibus carere, nec habere. Alia, ut aranei & scorpiones manifestis, imò etiam longis pedibus. Sunt præter hæc animalia singulis rebus propria formâ viribusque diversa, sed tamen quæ ad hæc prima genera reducantur.* Ità *Cardanus*. Alii ratione ortûs & originis hanc in iis faciunt differentiam: Quædam enim ex terrestribus quisquiliis, quædam ex aquâ, quædam ex aëre, quædam etiam ex igne originem suam nancisci dicunt. Alii rursùs ea distinguunt in terrestria, & aquatica comprimis, ut hic in Tabula Synopticâ meliùs videre licet.

Varietas ratione ortus.

Insectorum septem classes. 5. *Kircherus in Mund. Subterr. lib. 12. Sect. 2. cap. 1.* universum insectorum regnum in septem classes, veluti in totidem respublicas dividit, quarum *Prima* est eorum insectorum, quæ favis construendis mirâ quadam, ut inquit, industriâ & ingenio ad Regni normam adaptato insudant; & sunt apes, fuci, vespæ & crabrones. *Secunda* est Analytrorum seu insectorum, quæ quadruplici alarum remigio aërem irregulari motu sulcant; & sunt papiliones, Bombyces, Curculiones, Erucæ, Chysalides, Xylophtori, Orsodunæ, Cicadæ. *Tertia* est Analytrorum bipennium; uti sunt Muscæ ordinariæ, Vinulæ, quæ ex vino & aceto suam nanciscuntur originem, & vulgò Moschini vocantur, Ephemerus sic dictus ab unius diei vita, Cyniphes, Culices Oestri & Tabani. *Quarta* est Colcopterorum, sive eorum, quæ alas suas vaginis conditas habent, & inde Colcoptera, sive vaginopennia vocantur; ut sunt Locustæ, Bruchi, Grylli, Scarabæi, Cantharides, Buprestæ, Cincindelæ, Blattæ. *Quinta* est eorum quæ aptera, sive sine alis vocantur, & multiplici pedum usu mota vitam agunt; & sunt Formicæ, Cimices, Pediculi, Ricini, Pulices, Lendes, Scorpiones, Araneorum cœterorumque multipedum genera & species; uti sunt, quos Oniscos, Julos, & Scolopendras vocant. *Sexta* est eorum, quæ nec alis nec pedibus instruuntur, sed lento motu terram verrucoso ventre radunt, & in innumera vermium, reptiliumque genera & species dividuntur; cujusmodi

TABULA Divisionis & L

Insecta sunt animalia parva habentia incisuras seu annulos, unde & Annulosa dicuntu *Alberto*,

Horum alia vel sunt


Terrestria quorum alia

Pedes habent, quorum ruralia sunt vel

Pedibus caren

Aquatica atque hæc sunt quoqu

…erentiæ Insectorum ex Ulysse Aldrovando.



modi sunt Lumbrici, Teredines, Tineæ, Limaces, Serpentes. *Septima* est eorum, quæ in aquis natales suos sortiuntur; & sunt Tineæ, Scolopendræ, Pulices marini & pedibus instruuntur: Ex apodibus sunt Hirundines, Lumbrici marini, Hippocambæ, Uva marina, Stellæ marinæ; quibus tanquam perpetuo loco affixa quæ Zoophyta dicuntur, adjungi possunt. Ità ille.

Insectorum quatuor classes juxtà modum generationis & productionis. 6. Verùm qui acutè cernunt, inquit *Stephanus Chauvinus in suo Lexico Philosophico*, Insectorum quatuor velut classes distinguunt. In *Primâ* locantur ea, quæ ex ovo excluduntur. In eo genere sunt Aranei multiplicis speciei: Ea etiam animalcula, quæ in caseo plurima occurrunt, Gallicè mites dicta, quæque vagantur in farina, seminibus, doliis &c. Huc quoque pertinent Lumbrici, qui ex ovis sic prodeunt, ut nullam subeant mutationem, estque in his sanguis ruber, non albus, non aquosus, ut in cæteris insectis. In eodem censu haberi possunt limaces, quin etiam Pediculi, Pulices, Acari & alia hujus generis animalcula. *Secundæ classis* sunt ea, quæ ex ovis imperfecta quidem, & ceu Vermiculi nascuntur, sed in progressu magìs ac magìs expoliuntur, donec in nymphas abeunt, & depositis exuviis alas nanciscuntur: Nec tamen omni privantur motu etiam cùm pellem deponunt. Itaque hæc animalcula ex vermiculo per epigenesim, ut loquuntur, seu per additionem partium paulatim crescunt. Vermes illi dum excluduntur, sex ut plurimùm pedibus sunt instructi. Hujus generis sunt Cimices, cùm terrestres, tùm aquatiles, utrique volantes; Item Ephemerus, Locustæ &c. *Tertiæ classis* sunt, quorum ventriculi ovis excluduntur admodùm imperfecti, adeò ut pedes interdùm aut crura non appareant. Membra quidem inchoantur sub pelliculâ, nec vermis adolescere videtur, nisi cùm membranam disrupit. Cum autem jam adoleverunt, atque à gemmis uti teneri flores emersêre, disrumpunt pellem omni penè motu, nisi in cauda, quæ eadem ferè & sicca permanet, sunt destituta. Crura, alæ, antennæ & aliæ partes sub nymphæ membranâ augentur per epigenesim: Tùm intumescentes pellem attollunt, atque omnes miro quodam modo dispositæ ferè ut flores in gemmis distinguuntur & disrupta pelle manifestè se produnt, nec moveri incipiunt, nisi cùm omnis humor superfluus exhalavit. Huc pertinent omnia Apum genera, nec non innumeræ Muscarum species, Scarabæi, atque illa etiam insecta, quorum membra plus satis aucta pellem, quâ involvuntur, tandem disrumpunt, & nymphæ aureæ, seu Chrysalidis vel Aureliæ formam præ se ferunt. *Quartæ classis* sunt ea, quorum generatio paulò est obscurior, in quo etiam genere, quod gignitur animal, vermis figuram retinet. Cum nymphæ formam subit, duas simul pelles exuit, quarum exterior cùm plerumque dura sit & firma, speciem ovi præbet, cùm tamen vermiculus sit, non ovum, motu quidem omni privatur, cùm in nympham convertitur, sed humore superfluo per transpirationem exhalato intrà paucos dies motum suum recuperat, cumque duplicem pellem deposuit, jam omnibus suis partibus & ornamentis decoratus apparet. Ad hunc censum pertinent vermes illi, qui ex carnium putredine gigni creduntur; ex quibus varia deindè muscarum genera prodire solent. Ità ex *Chauvino*.

7. Alii cum *Aldrovando* insectorum differentias etiam à loco & rebus, in quibus vivere aut degere comperiuntur, desumunt, sicut hic videre licet. Insectorum aliæ differentiæ.

Ità in
- Igne: Pirausta reperitur.
- Nive: vermes hirti & rubidi.
- aquis
  - marinis: Scolopendra, Pulex marinus & infinita alia.
  - dulcibus: Hirundines, Scarabæorum quoddam genus corpore lato compressoque, quod & in fundo natat.
- terra: Vermes, Lumbrici Juli &c.

Plantæ diversi generis insecta fuerunt.

Velut
- Arborum caudices; Cossos & Teredines
- Ficus; Cerasten
- Olea plantata, ubi quercus effosa: Ranam vermem, nonnullis & Raucam dictam.
- Sorbus; vermiculos rufos pilosos
- Vites; Butyros à Tullio dictos; Ipem vitiarium verno tempore potissimùm Austro flante oculos Vitium erodentem, & Involvulum in pampini foliis intortum eaque lædentem
- Vinum; Volucellam obvolitantem in cellis vinariis.
- Cupresso & Esculis: Galbas.
- Ulmi & Populi nigræ vesicula; Psenes
- Coccus; Bestiolam Conopi similem
- Gramen; Crotones
- Solani folia; vermem viridi & croceo colore distinctum cornu in fronte gerentem digiti longitudine.
- Porrum; Prasocuridem sive Blattam ac Porricidam.
- Malva; Cimices agrestes.

In fructibus insecta dantur peculiaria.

Ut in { Tritico Curculiones
Farre Vermiculus teredini similis
Fabâ Mida
Aliis alia.

In animalibus & eorum partibus insecta nascuntur.

Ut in { Hominis capite; Lendes & Pediculi.
Manibus sub cute; Pedicellus omnium insectorum minimus.
Hominibus & Canibus; Pulices.
Linguâ Canum; Litta.
Ovibus, Capris, Bobus, canibus; Cynomiæ.
Mullo; Scolichia.
Leuciscis; Lumbrici.
Apum alveis; Clerus sive Pyraura.
Omnibus penè animalibus; Pediculi.
Carnibus quorumvis animalium sale inveteratis; Barbegiæ & Carpæ vulgò Blattæ dictæ.

In Artificialibus insecta reperiuntur.

Ut in { Vestibus; Teredines & Ips vermis vestiarius.
Lanis & operibus lanificio confectis; Tingolæ.
Chartâ & libris; Blattæ & aliæ bestiolæ scorpioni sine caudâ similes.
Lignis supra terram locatis, palis terræ infixis & truncis arborum; Multipedæ & Centipedæ.
Aliis rebus quibusvis alia etiam dantur insecta.

Insecta sunt media inter sanguinea animalia & plantas.

8. Insecta autem cujuscunque sint classis aut differentiæ inter sanguinea animalia & plantas medio loco constituta esse, asserit *Chauvinus in Lexico Philos.* & cum utrisque magnam affinitatem habere dicit, esseque extremis inter sanguinea, supremis inter vegetabilia finitima. Utque etiam docet *Plinius lib. 11. Hist. nat. cap. 4. Non videntur nervos habere, non ossa, nec spinam, nec cartilaginem, nec pinguia, nec carnes, nec crustam quidem fragilem, ut quædam marina, nec quæ jure dicatur cutis; sed mediæ cujusdam inter omnia hæc naturæ corpus arenti simile, nervo mollius, in reliquis partibus siccius veriùs quam durius.* Undè constat, sicut subinfert *Aldrovandus*, insecta inter cartilaginea non posse numerari.

Vitæ tenacitas in Insectis.

9. Haud minùs admiratione quàm observatione dignum est, vitam plerisque insectis tenaciùs inhærere, quàm reliquis omnibus animantibus, tàm aëreis, quàm terrestribus & aquatilibus. Undè etiam divulsa & in partes dissecta vivere comperiuntur. Diutiùs autem divulsa vivunt ea, quibus corpus oblongum pedesque multi. Docet quoq; *Aristoteles l.4. Hist. Anim. c.7.* Insecta divulsa omnia vivere posse, exceptis iis, quæ admodùm frigeant, vel præ suâ exiguitate quamprimùm refrigerantur.

Variæ partes in Insectis.

10. Omnia Insecta constat habere caput & alveum ventris & oculos duros sine palpebris, & ante oculos antennas ad corniculа in capite, ut videre licet in papilionibus, cervis volantibus, aliisq; pluribus. Lingua in aliquibus reperitur dura, in aliquibus mollis; & quæcunque habent linguam, illa omnia aut carent aculeo, aut habent aculeum in alvo: Quibus autem non in alvo aculeus est, linguam hujusmodi veluti arma gerunt. Nec ulla ex cœteris sensoriis partibus, ut etiam tradit *Aristotel. l.4. Hist. Anim. c.7.* magis manifesta est, præterquam lingua, quâ & gustant & cibum attrahunt. Quæ verò habent linguam, ea etiam dentibus carere solent, exceptis tamen muscis & apibus, in quibus sunt dentes, dissimiles tamen reliquorum animalium dentibus: Quæcunque autem dentibus carent, cibo utuntur humido.

Morsus Insectorum.

11. Morsus insectorum maculosorum magis perhibetur esse noxius, nec ità facilè curari potest, ac ille, qui à non maculosis efficitur; quod nempè illa temperiem sicut corporum, ità & veneni valdè permixtam habeant; undè dum uni persæpè noxæ succurritur, altera è contra invalescit.

Pedes insectorum.

12. Pedes quibus sunt, in obliquum gradiendo moventur. Quorundam extremi longiores foris curvantur. Quæ verò saliunt, vel crura posteriora habent longiora, vel gubernaculis quibusdam saltui accommodatis fulciuntur retrò curvatis. Numero verò plures pedes habere solent illa, quæ pro corporis longitudine plurimùm frigent: Pauciores quæ volucres; pennarum enim adjumento pedum inopia compensatur.

Pennæ insectorum.

13. Insecta volatilia pennas habent non adeò distinctas, fibris tamen quibusdam notatas: Quæ autem quaternas gerunt, grandiora sunt, aut aculeo in alvo armantur. Quædam etiam, quæ habent valdè subtiles alas, nactæ sunt vaginas, quibus includuntur pennæ, ut salvæ permaneant: Sicut accidit Scarabæis, cùm non longè avolent ut sint tutiores. Vaginipennis audem ordinis nullum est insectum, ut docet *Aristoteles*, quod aculeum gerat. Similia refert *Plinius l. 11. Hist. Nat. c.28.* ajens. *Insectorum quædam binas gerunt pennas ut muscæ, quædam quaternas ut apes: Membranis & cicadæ volant. Quaternas habent, quæ aculeis in alvo armantur. Nullum cui telum in ore pluribus quàm binis advolat pennis: Illis enim ultionis causâ datum est, his aviditatis. Nullis eorum pennæ revivişcunt avulsæ. Nullum cui aculeus in alvo bipenne est. Quibusdam pennarũ tutelæ crusta supervenit ut Scarabęis, quorum tenuior fragiliorq; penna est, his negatus aculeus.* Hæc ille.

Insectorum victus

14. Insecta quædam simili ratione ut testata

testata & crustata, sicut docet *Aristoteles lib. 4. de part. cap. 5.* aut promuscidem habent ore prodeuntem, ut apum muscarumque genus: Aut in ore conditam partem ejusmodi possident, ut formicæ, & si qua alia sint generis ejusdem. Quæ autem dentes habent, multùm comedunt, & varia: Quibus verò aculeus aut promuscis in ore, parùm & humore aliquo contenta sunt. Quædam sine discrimine omnibus vescuntur, ut apes quædam magnæ, quas *Albertus M.* Lupos nominat. Insectorum genus tamen communiter minimo alimento contentum est, ut propè sibi ipsa sufficiant: In causa est exiguitas corporis; cùm parvis parva sufficiant; deindè frigiditas; cùm pleraque sint exanguia, & exanguia in naturâ suâ sint frigida. Quædam igitur vivunt succis plantarum & fructuum, quædam sanguine animantium, quædam promiscuè omnibus vescuntur, nec tam utuntur potu quàm cibo.

Sonus & cantus insectorum. 15. Quæcunque canere & sonum edere quendam comperiuntur, membrana septo transverso subdita, ad quem spiritus inclusus atteritur, obstrepunt. *Non enim*, ut inquit *Franzius Hist. Anim. part. 5. cap. exteriore aliquo spiritu sonitum illum movere possunt, quia nullum insectum spirat, seu aërem attrahit, sed aër spontè illabitur in ipsa, quem ità aptè tractant, & frangunt.* Aëre tamen indigere ad vitæ conservationem jam suprà indicavimus. Undè etiam exanimantur sub aquis multa insecta, & in cineribus reviviscunt. Non quod inspirare non poterant, sed quod interior ille spiritus ab humore suffocatus fuerit, quo per calorem discusso sibi restituuntur, ut inquit *Jonstonus.*

Insectorum nidi, & hospitia. 16. Illud etiam magnâ dignum esse consideratione censet *Franzius loc. suprà cit.* quod insecta excludendis suis fœtibus quærant tales nidos, seu talia cubilia vel loca & subjecta, quæ simul ipsis sint hospitia tuta, & tamen contineant simul pabuli humidi aliquid. Hinc pediculi animalium corpora, hinc Scarabæi stercora equina, hinc vermes carnium crudarum poros, hinc araneæ per cistarum foramina & aditus vix tam benè sensibiles irrepunt: Hinc alii vermiculi intrà segetes, frondes, frumenta arida, intrà feces vini, cerevisiæ, intrà stercora brutorum vivere comperiuntur. Subdit deindè paulò post: *Summatim insecta corporibus & in corporum variis partibus, in chartis, ceris, stagnis, lectis, in singulis arboribus, ut & in graminibus & floribus, frugibus; tantùm cicer ab insectis non infestari dicitur. Non est animal ullum pediculis expers, nec pisces vermium certorum, ipsis quoque inter se parvis insectis tamen alia quædam innascentia insecta molestiam creant, apibus cleri seu pirauta.* Ità *Franzius.* Certè ab invento Microscopio tam multa & mira insecta in rebus etiam, de quibus nemo quicquam suspicari potuisset, reperta sunt, ut ea viros etiam peritissimos non tantùm in admirationem ducere, sed etiam præ stuporè planè attonitos reddere soleant. Vide *Micrographiam Roberti Hookii*, & ea, quæ in *Oculi mei Artific. Fundam. 3. synt. 3. cap. 3.* Experimenta ex variis Authoribus referantur.

17. Quanta denique damna & incommoda communesque calamitates persæpè insecta etiam minima copiæ & multitudinis suæ exuberantiâ afferre soleant mortalibus, omnium sæculorum testantur historiæ: Nam indè non tantum aërem persæpè corruptum, pestem inductam, sterilitatem cum annonæ caritate enatam novimus, sed & innumera alia mala originem traxisse compertum habemus. Sed de his vide quæ in sequentibus adducimus.

§. II.

De insectis in specie admirandæ quædam observationes.

1. Papilionis quandam speciem circà Mosam fluvium quotannis mirè produci solitam memorat *Zodiacus Medico-gall. Ann. 2. mens. Sept. Obs. 3.* his verbis. Singulis annis octiduo aut decendio ante vel post festum *D. Laurentii*, si serenum fuerit tempus per biduum aut triduum circà vesperam animadvertitur emergere è flumine Mosa insignis papilionum copia albissimorum, pellucidissimorum, extremæ tenuitatis, exiguo post tempore in flumen relabentium, eapropter mannæ cœlestis nomine donatorum: Ejusmodi insecta planè inter se similia ope binarum alarum summâ tenuitate & pellucididate præditarum non secùs ac reliquum corpus volitant: In extremitate, quæ capiti obversa est obtinentia duas productiones capillari tenuitate, pollicari longitudine, caudæ bifurcatæ quandam speciem præbentia: Luminis appetentissimi sunt: Si enim candela aut cereum circà flumen adferatur, paulò postquam ex eo emerserunt, jucundo spectaculo eorum densa adeò nubes advolat, ut exiguo admodum temporis spatio luminare extinguatur. Nativitatis illorum tempus constitutionis tempestatis augurium est certissimum. A non paucis enim annis observatum est, si ante festum *D. Laurentii* exoriantur, hyemem procul dubio præmaturam fore, cùm ex opposito sereni dies diutiùs perdurent, si post illud festum apparuerint. Vitam illorum quod attinet, vix trihorium excedit, sicuti eorundem generatio per solum triduum perficitur. Maxima illorum pars fluminis ripam occupat, vel naves, quæ loca ab illis tunc temporis invaduntur ad pollicis crassitiem circà horam octavam vespertinam, hoc est, eâdem, quâ recidunt: At verò cùm levitatis sint insignis, ideò à ventis citò dissipantur. Sunt porrò piscibus dicti fluminis incolis esca gratissima: Singulis enim momentis exilientes conspiciuntur extrà aquæ superficiem illos captaturi, imò ipsi astaci flumen egrediuntur illis insidiaturi.

Papilionis quædam species circa Mosam.

Vultus Salvatoris in alis papilionis. 2. Narrat *Kircherus in Art. magn. Lum. & umb. lib. 10. part. 1. cap. 2.* in horto domestico se papilionem deprehendisse, in cujus alis Natura vultum Salvatoris perfectè expresserit, quem & à pictore summâ diligentiâ inter alia naturæ pictricis opera curiosis exhibere solitus sit. Meminit & Chrysalidem quondam se reperisse, quæ perfectam infantis fascibus involuti formam exhibuerit.

Formicæ insolitæ magnitudinis. 3. In Æthiopia *Berco* scribit formicas dari magnitudine haud absimiles lupis, quæ homines ob fortitudinem nimiam prosternere soleant. Hæ ex montanis magnam vim auri congerere dicuntur, quod adeò sollicitè custodiunt, ut nemo se illuc ad auferendum conferre audeat. Infervescente verò solis ardore cùm refrigerii causâ in latibula se recipiunt, homines audacter montes conscendere, & aurum collectum auferre dicuntur. In India quoque formicas dari canum propè magnitudine, qui aurum è terrâ effodiunt, non quidem auri ipsius colligendi gratia, sed ut latibula tantùm effodiant ac construant, plures tradunt Authores. Quod tamen *Aldrovandus* non credit: *Cardanus* tamen *lib. 9. de Subtil.* ex *Rasi* recenset in *Susîde* inclyta Persidis regionis Urbe formicam publicè nutritam, siquidem in foro Aviano, quæ singulis diebus libram carnis ederet.

Formicæ edules. 4. In Brasilia alatæ magnæ ac rubri coloris dantur formicæ, quas Indi nuncupant *Iza*. Hæ dum conteruntur, odorem Cedri fundunt, quæ & magna sibi latibula seu casas sub terra effingunt: Verno autem tempore, hoc est, Mense illic Septembri magnum sensim fœtuum agmen educunt, idque eo potissimùm die, qui pluviam ac tonitrua subsequitur, cumque solis æstus viget maximè. Parentes verò præcedunt, ducesque sunt liberis ore aperto huc illuc cursitantes, & vias undique complentes: Morsus etiam, quam aliis temporibus acerbiores inducunt ad sanguinis effusionem usque. Sequuntur subinde liberi magnitudine prævalentes, volatuque novas sibi habitationes quærunt, tanto sæpè agmine, ut velut densissimam in aëre nubem efficiant: Ubi quiescunt, terram eo in loco mox effodiunt, & quælibet sibi latibulum construit. Vita earum brevis est, at ex singularum ventre ingens fœtuum numerus erumpit. Cùm latibula sua egrediuntur, accurrunt Indi, accurrunt & volucres cœli. Indi magno cum desiderio tempus hoc exspectant, formicas istas ceu novos fructus in cibi usum colligentes. *Aldrovandus lib. 5. de insect. cap. 1.*

Formicæ è frondibus nidulantes. 5. Tradit *Olaus Magnus lib. 22. Hist. Sept. cap. 5.* formicas in Aquilonari regione in plura dividi genera, inter quæ speciem unam compertam, quæ sibi è frondibus nidum conficiat è pino & abiete in quodam edito campestri loco. *His*, inquit, *insidiatur ursus; at illæ adeò solerter in eum invadunt, ut ejiciant: quia si fortè unicam formicam in foveam suam pilis occultam intulerit, eaque fortè ibidem nidificaverit, & fœtus protulerit, etiam indè ursum cum universa prole perpetuò exulem faciet.*

Formicæ valdè noxiæ. 6. In novo quoque Orbe, comprimis verò in *Baja Salvatoris* ingens esse copia formicarum perhibetur, quibus in ore extant velut forfices ad quæcunque sata, aut fruges abscindendas, quarum etiam morsu arescunt omnia. Student tamen incolæ eas diligenter alere, ut saturæ agris fertilibus parcant. Eædem etiam formicæ in Brasiliâ reperiuntur; ut tradit *Aldrovandus loc. supracit.*

Formicæ rubræ & albæ. 7. Meminit *Scaliger Exerc. 96.* in provincia *Mangi* formicas rubras dari, quibus incolæ haud secus ac nos gammaris cum pipere vescuntur. Prægrandes etiam & colore albas apud Indos in regno *Negritarum* reperiri tradit *Aloysius Cadamustus*.

Apes. 8. Quamvis in frigidioribus terris magna fit apum cultura: Asserit tamen *Olaus Magnus lib. 22.* in extremo climate polari apes non esse ob vehementiam venti Circii: At tum crabronum tum vesparum ac locustarum innumeram ibidem esse multitudinem.

9. Ex punctione apis traditur aliquandò tumorem enatum, tandem apertum solidum frumenti granum obtulisse, de quo videri potest *Borellus cent. 1. Medico-phys. observ. 10.* & *cent. 4. ult.* uti & *Bartholinus in Actis medicis Volum. 1.*

Apes sub aquis in mari. 10. In Brasilia circà *Fernambuco* civitatem in mari sub aquis etiam apes reperiri scribit *Olfredus Dapper in America*, quæ etiam longè multis milliaribus à littore per piscatores extrahuntur. Apum verò istarum alvearia spongiosa scribit esse, quæ & suas infrà radices habent, quibus petrosis locis submarinis aquis adhærent: Cum è mari extrahuntur, cellæ omnes vermiculis cyanei coloris scatere comperiuntur, qui deindè non ità diù post in atri coloris apiculas magnitudine muscis persimiles transformantur. In eâdem etiam Brasiliæ regione, uti & in Guaianâ aliud genus nigrarum apum reperiri tradunt *Acta Soc. Reg. in Anglia*, quæ & mel & ceram atri coloris conficiunt ejusdem probitatis cum melle & cerâ communi.

Apes raræ in Indiâ Occidentali. 11. Ex Oviedo recenset *Aldrovandus* in Indiis Occidentalibus magnum esse apum numerum generantium in cavitatibus arborum, sed admodum exiguas esse, magnitudine scilicet muscæ alarum extremo obtuso & velut abscisso: Eas item transversalem albedinem quandam percurrere: Non pungere, aut dolorem inferre; carere utique aculeo, favos tamen facere maximos, in quorum singulo plura habeant foramina, quàm quatuor nostrates: Mel etiam esse bonum, & salubre, sed album & quasi vinum coctum. Albas etiam apes in *Peru* memorat *Cardanus lib. 7. de variet cap. 28.*

Scorpionis cauda. 12. Inter omnia insecta, testantibus *Aristotele* & *Plinio*, nullam habet caudam præter Scorpionem: Hæc autem Scorpionis irati lethifera est; viventi tamen ex improviso amputata innoxium vulnus facit. Ipse verò Scorpius vulneri à se inflicto appositus venenum denuò extrahit & vulnus sanat.

13. Oci-

13. Ocimum tritum & in sole positum Scorpiones gignere, imo & solo odoratu eosdem in cerebro producere perhibetur, de quo exemplum recitat *Mizaldus*.

Ingens Scorpionum copia

14. Bidui itinere *Susis Ecbatana* Mediæ contendentibus locus est Scorpionibus ita refertus ut Rex Persarum illac iter facturus triduò ante plurimos emittat ad venandos Scorpiones amplissimis etiam muneribus ei, qui plures confecerit propositis. *Ælianus lib. 15. Hist. Anim. capite 26.*

15. Albani vel Caspii ad flumen *Alazoniam* lethiferos habet scorpios, & araneas, quarum alteræ cogunt ridendo mori, contra verò flendo suorum desiderio alteræ, ut *Bonfinius* recenset *lib. 1. Dec. 1.* In *Larmo* verò Cariæ monte ex *Aristotele* tradit *Plinius lib. 8. cap. ult. & Antigonus in Hist. mir.* à Scorpionibus hospites non lædi, indigenas interimi. In *Melita* Insulâ ferunt quoque Scorpios esse innoxios, unde eos, qui manibus etiam contrectant, non lædere perhibentur. Hydapsis autem fluvii accolæ Æthiopes impunè etiam Scorpionibus & Serpentibus vesci dicuntur.

Araneæ & earum telæ.

16. In Cumanâ Novi Urbis parte aranearum telas dari tradit *Aldrovandus* adeò firmas & validas, ut difficulter disrumpantur, perinde ac sericum. In nova etiam Hispaniâ inter alia Naturæ memorabilia aranearum genus reperiri dicunt, quæ citrium pomum magnitudine adæquant; telas etiam illarum non tantùm ad mirum candorem lavari posse, sed ex iisdem quoque retia prò capiendis avibus & alia ejuscemodi hinc parari posse scribunt. Testatur & *Oviedus* in insulâ *Hispaniola* araneas adeò magnas dari, quæ pilæ lusoriæ comparari queant, nuces verò adæquare plerumque solâ corporis soliditate.

Aranei valde magni.

17. In Brasiliâ quoque genus est araneorum prægrande, quales sunt cancri; cum nihilominus crabro exiguus illi sit infensus hostis: insidiatur enim huic araneò tametsi longe majori, captumque in suâ trahit latibula & depascitur. Ita ut apud Indos musca venetur araneas; in Europâ aranea muscas. India quoque Occidentalis araneos alere fertur, qui ad passeris magnitudinem excrescunt.

Araneæ venenum attrahunt.

18. Araneas compertum est, virus & venenum ex aere attrahere; Unde pestis tempore eas abigere aut interimere non suadent. Prope Urbem *Gratianopolim* in eâ Galliæ parte, quæ Italiam respicit, *Gaudentius Merula lib. 4. memorab. cap. 50.* vetustam turrim esse scribit, quæ araneas nesciat, neque aliud venenosum reptile, quin potiùs, si quid hujusmodi in eam fuerit immissum, è vestigio emori.

Tarantulæ & earum venenum.

19. Exotica plane natura est Tarantulæ, sive Apulæ, araneæ scilicet in Apuliâ frequentis, cujus morsus non nisi saltu per musicam excitato sanari potest. Quâ verò ratione id fiat, declarare conatur *Kircherus in Phonurgiâ lib. 2. sect. 2. qu. 1.* Si quem igitur momorderint, per solam musicam remedium quæritur: eâ igitur perceptâ homines ab illis demorsi, etiamsi jam semimortui videantur, moventur, surgunt, saltant & saltando sanantur. Ut verò sciatur, quænam musica ægrò sanando excitandoque conveniat, quæritur, cujus coloris fuerit Tarantula, quæ ictum inflixit: deinde itur ad similes Tarantulas, & tamdiu luditur, donec ejusdem coloris Tarantula saltare incipiat, idemque tonus infirmo adhibetur. Mirum etiam hoc fuit observatum, quod ii, qui à viridi Tarantula sunt demorsi, etiam viridia appetant: qui verò à rubrâ læsi, rubicundis delectentur. In urinis illorum quoq; tarantulas spectari dicunt, sicut in urinâ & excrementis illorum, qui ab araneo puncti sunt, aliquid simile aranearum telis excerni asserunt. Plura alia vide apud *Kircherum loc. cit. & in Arte Magnet.* Item *Weberum Art. convers. reg. 12.* ubi mira quædam refert Exempla.

Vermes & muscæ miri splendoris.

20. In plerisque insulis *Coromandel*, *Ceylons*, *Java*, aliisque permultis locis inveniuntur vermes, & muscæ, quæ vespere & noctu turmatim hinc inde obversantur. Sunt autem hi vermes teste oculato *Hermanno Nicolao Grimmio*, conglobati coloris scarlatici sericei in rotundam formam convoluti, in quibus nec oculi, nec alæ, nec pedes animadvertuntur. Aliquot talium vermium cum modico, cui incumbebant, terræ secum domum deportasse scribit Idem, ut ex eorum lumine porrò delectationem aliquam captaret, & inditis in phialam vitreis iisdem per menstruum spatium tantum splendorem se affecutum fuisse memorat, cujus beneficio & literas exarare & legere poterat: ab eo autem tempore cum vitâ & lucem defecisse. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 1. obs. 172.* Addit & consimilem ferè splendorem in insulâ *Ceylon* observasse in Scorpionibus leviter compressis, quoad liquidi quid ex eis efflueret, qui deinde liquor sulphureum lumen exhibuerit veneni sui ardentis sulphurei indicium, ut quis ex iis ictus tanquam ab aquâ forti, vel oleo sulphuris, aut vitrioli vel cauterlo actuali fuisse læsum se putaret.

Coccoius Indiæ insectum noctilucum.

21. De *Coccoio* Indico insecto noctiluco tradunt Authores, noctu Coccoium volitantem non minore corusсatione aërem illustrare, quàm quævis candela cerea soleat. Quin si quis noctu animal hoc manu deferat, procul putabitur lucernam portare, & facilè quivis falli poterit, dum ad eum accendendi luminis causa accesserit. Idcircò & in cubiculis coccoium ardentis luminis loco Indi assumunt legentes, scribentes aut aliud quid operis ibidem peragentes. Iter per sylvas noctu, aliave loca tenebrosa facientibus tres quatuorve coccoij laternæ vicem præstant; atque ubi turma cohorsque proficiscitur omnibus prælucens viam monstrat, nec ab itinere aberrare permittit. Solent etiam plerique sibi restes ex hujusmodi animalculis conficere, & collo torquium modo de nocte appendere, unde

tanta ab inde lux emicat, ut si fides *Oviedo*, quatuor millibus passuum eminùs conspici possit. Insignis autem hujus lucis sedem partim in oculis, partim in partibus sub axillis locatam deprehenderunt, quæ causa est quod coccoji volando longè fulgidiùs ac remotiùs, quàm dum quiescunt, hanc lucem ejaculentur. Extinguitur sensim tandem hoc lumen marcescente animalis vitâ, adeò vis hæc lucivoma vitali animæ connexa est, quanquam adhuc sustineat *Cardanus* vim aliquam adhuc lucis etiam post mortem animalis remanere, brevi tamen tempore elanguescere & extingui tradit Petrus Martyr.

Grylli

22. Gryllorum generi sonum vehementiorem molestum esse ad necem usque ostendit Exemplum, quod refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 7. obs. 46.* A Turbâ enim gryllorum cum quædam materfamiliàs valde molestaretur, & aliquando hilares convivæ sono tubarum & tympanorum angustum conclavis spatium implevissent & tympana prope fornacem, gryllorum habitaculum locata fuissent, sequenti die omnes grylli exanimes strati cum gaudio fœminæ ibidem reperti fuerunt.

Cicadæ cum capite abscisso.

23. Cicadas ut & locustarum genus, quod *Gryllos* vocant, canere etiam capite abscisso notavit *Cardanus*, & ante hunc *Albertus M.* sicut testatur *lib. 26. de anim.* ajens: *quod si cicadæ cantanti excidas caput, vivit adhuc, diuque canit in pectore, quandoque etiam avolat.*

Cicadarum in plantas transformatio

24. In Brasiliâ inter cicadas quædam est species *Caajara* dicta, insolitæ planè figuræ & naturæ, ut tradunt *Acta Anglic. Soc. Reg.* Hæ equidem cicadæ verno tempore vitam sensitivam & animalem deferunt, & in plantas abeunt, victitant comprimis rore. Cum verò mutationem subire tentant, pedibus primùm terræ inhærent, qui in filamenta veluti parvas radiculas abeunt tantò longiores, quantò profundiùs terræ immittuntur. Inde sequitur transformatio. Accidit persæpè ut ima pars plantæ formam acquirat supremâ adhuc mobili & sensitivâ permanente, quousque tandem successu temporis sensu omni deperdito tota insecti species in plantam transeat.

Vespæ venenatæ.

25. In Nicesiâ insulâ, ait *Ortelius*, vespas esse, quarum punctiones homini mortem inferunt. Indis quoque eædem sunt præsertim, qui Occidentalem mundi plagam incolunt, grandiores corpore & magis quàm nostræ, venenatæ.

Culices leonibus infesti.

26. Narrat *Cœlius lib. 13. Ant. lect. c. 8.* inter Mesopotamiæ fruteta Leones vagari innumeros, quos anni tempore præfervido mirè infestent culices: appetere verò dicuntur potissimùm oculos, ceu humecta, & collucentia membra palpebrarum libramentis mordicùs insidentes; agitati gravius aut in flumen Leones merguntur, aut vorticibus absorpti pereunt, aut amissis oculis, quos unguium assultu labefactant crebrò, fodicantque, occœcantur, & tandem intereunt, aliàs præscateret eo ferarum genere Oriens universus. De Culicibus etiam homines à Leonibus tutantibus consule *Aldrovandum lib. 3. de insect. cap. 5.*

Muscæ

27. In Palatio Veneto nulla dicitur deprehendi musca; *Toleti* verò in macello publico per integrum annum tantùm unica, quæ albedine insigni notabilis est. *Cælius lib. 17. Ant. Lect. cap. 11.* ut porrò *Plutarchus* docet; duo sunt animantium genera, quæ nostro utuntur consortio, muscæ scilicet & hirundines, quæ nullâ queunt arte cicurari.

Muscæ ex aquis enatæ.

28. Muscarum genus mirabile memoratur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 1. obs. 30.* quod mensibus Martii & Aprilis ingruente calidâ tempestate, ventis à meridie spirantibus subitò culicum instar ex aquis erumpit, & mirâ agilitate aerem confertim implet, vixque per biduum aut triduum viventes eæ ipsæ denuò emoriuntur & in aquas dilabuntur. Aliud genus ibidem memoratur, quod mensibus Junio & Julio ex aquis prorepit & circà eas maximâ copiâ aerem obvolitando implet. Hoc insectum lupuli recentis odorem exactè spirat: nulli tamen animalium nocivum est. Solo vivit aere, & cum per septimanam vitæ cursum in aere peregit, naturæ debitum emisso in aquas spermate solvit, languidumque cadit denuò in aquas, ibidemque in escam piscibus procumbit.

Muscæ pestis prænunciæ

29. Paulò ante nuperam pestem *Lipsiæ* & in vicino tractu mense Augusto muscas culiciformes comparuisse testantur *Ephem. loc. supracitato.* Erant verò illæ unciam nondum dimidiam longæ, sex pedibus, quatuor alis, duobus longis instar pilorum caudæ appendicibus præditæ, totæ cùm alis suis albæ. Hæ prædicto mense præfatam Urbem & totum circà eam ad Albim usque tractum incredibili ad stuporem hominum (unde & Angst-Fliegen pro August-Fliegen vocabant) multitudine non sine malo subsequentis pestiferæ luis omine occupârunt.

Hippuri Muscæ

30. Tradit *Ælianus lib. 15. de Anim. c. 1.* muscas degere in Astræo fluvio à nostris penitus differentes, *Hippuros* ab indigenis appellatas; de quibus etiam miram hanc recitat historiam: *In fluvio nomine Astræo, qui inter Boream & Thessalonicen medius fluit, distincti variis coloribus pisces gignuntur, qui indigenis muscis à fluvio volitantibus pastum sibi comparant: Eæ nec simile de specie quidpiam aliarum muscarum habent, quæ ubique sunt, nec ad apum similitudinem accedunt, nec Vesparum, nec denique Anthedonum (crabronum, speciem gerunt, harum tamen aliquam cujusque propriam particulam referunt. Nam in audaciâ quiddam simile cœterarum muscarum habent, tum magnitudine Anthedoni similes sunt, tum Vesparum colorem reddunt, & similiter quidem atq;*

apes bombo strepunt. Eas Hippuros appellant indigenæ. Eæ ad summam aquam versantes sui gratiâ alimenti piscium nationem non latent. Nam ut his quispiam earum aliquam per summa apparentem conspexit, silentio sub aquas subiens, ne prædam aquæ agitatione moveat, proximè ad illius umbram accedit, & quemadmodum vel de grege ovem lupus, vel anserem ex coborte aquila rapit, sic is ore bianti atque imminenti eam devorat, & mox sub aquæ superficiem denuò mergitur. Quod quidem ipsum etsi piscatores haudquaquam ignorant, non iis tamen muscis ad inescandos pisces utuntur: simul enim ac hominis manu continguntur, & nativum colorem perdunt, & pennæ evanescunt, & ineptæ ad escam piscium omninò redduntur. Quæ causa est, cur earum odio incensi ipsas à se detestentur. Ita *Ælianus.*

Muscæ in Hispaniola. 31. In *Hispaniola* Insulâ, sicut *Aldrovandus* tradit *lib. 3. de insect. c. 1.* & præcipuè in Urbe *S. Dominici* muscarum genus viride pictumque reperitur magnitudine vespæ terram pedibus effodiens & subterraneos sibi nidos exstruens, in quos cicadas, aliaque animalcula, quæ passim venatur, numerosè pro futuro, dum latet, alimento, congerit. Quibusdam enim tantùm diebus foràs prodit, cum nimirùm maximè calet, & solum humidum est.

Erucæ. 32. Erucarum tot censentur esse genera, quot sunt genera plantarum. Docuit verò experientia, filis quæ ducunt super folia, semen eas implicare: observatum quoque est hirsutiores esse noxiores glabris. Cum rodunt sonitum quendam edere manifestum est. Observatum præterea est cutem aduri, pustulasque relinqui, cum per hominis membrum calefactum serpunt. Ingens subinde illarum copia ingentem causat perniciem. Author est *Pompejus Vizanius Bononiæ* aliquando tantam natam esse erucarum multitudinem, quæ frondes & pampinos omnes, atque ipsas etiam fruges absumeret. Sed de his infra.

Lumbricorum productio. 33. Ex Lumbricis siccatis, in pulverem contusis, conchæ lateritiæ terrâ pingui ac dulci repletæ impositis ac sepultis, aquâ pluviali subinde rigatis intra tres aut quatuor dies novi lumbrici producuntur, totaque illa terra lumbricorum pullagine scatere comperitur.

Gangrænæ causa. 34. Gangrænæ causam in solos vermiculos carnem rodendo corrumpentes sunt, qui referant & dicunt, fuisse observatum, quod unus talis vermiculus folio chartæ impositus spatio unius *Miserere* alios 50. produxerit. Hinc est quod gangræna tam perniciosa, tamque cito & velociter proserpat, ut vix ullâ Machaonis arte tolli queat.

Vermes & cimices in cerebro nati. 35. Testatur *Cornelius Gemma de divin. nat. charact.* fœminæ cujusdam post vehementissimos & diuturnos maximè cruciatus, nec quicquam proficientibus medicorum consiliis ac medicamentis, post mortem dissectam calvariam magnam mox putredinis vim ostendisse circa substantiam cerebri; inter menynges verò tum vermiculorum tum cimicum copiam incredibilem fuisse enatam. Intra hepatis quoque substantiam alterius cujuspiam viri post mortem secti insignem vermium fœturam incogniti morbi causam fuisse *Idem* refert.

36. In omni caseo, lacte, aceto, carnibus aliisque similibus Lunæ præsertim plenæ radiis per noctem expositis vermes enasci Microscopium docuit. Natos etiam in caseo vermes in chrysalides & tandem in muscas transmutari probant ea, quæ referuntur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 1. obs. 135.*

37. De verme quodam narcoticâ virtute prædito in prato Urbi insigni Ingolstadiensi vicino memoratur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 7. obs. 231.* Fuit hic digito major, nec perinde crassus, multicolor tamen secundùm caput, præduro & acuminato cuspide armatus, insolitum plane spectaculum; quocirca inventor domum illum deferre decrevit: quia tamen suspicabatur esse venenatum, ipsum manibus attrectare noluit. Itaque abscisso ramo ita eum implicavit, ut extricare sese, nisi ipsemet vellet, non posset, & à manu suâ, quâ ramum tenuit, duos minimum pedes distaret. Sub viâ, dum aliis de rebus, uti fieri solet, cum sociis disputaret, parum sollicitus de verme ex ramo pendulo, ita subitò manus ejus torpere cœpit, ita fatigari, ac si in eâ aliquot ferri pondo fuissent suspensa. Mirari, dein id, quod erat, suspicari cœpit, hunc nempe torporem à verme provenire: quam rem ut certiùs deprehenderet, dissimulato torpore manum mutavit, & sinistræ dextram in onere ferendo substituit, brevique idem in dextrâ, quod antea in sinistra sensit, sociis interea, quid ageretur, penitus ignaris. Re denuò dissimulatâ quasi aliud agendo, vermem ex ramo suspensum alteri tradit socio; idem brevi sensit hic: idemque tertius. Ita vermis in viâ relinquendus erat, si domum integri redire vellent: neque enim quacunque manuum vi adhibitâ ulteriùs ferri poterat. Vermis narcoticâ vi pollens.

38. In *Peru* existere perhibent vermes, ex quibus lethifera parant venena Occidentales Indi: & olim apud Judæos *Thamur* vermis vitrum confringebat, uti tradit *Aldrovandus.* Vermem in radice quercuum deprehensum adeò venenatum esse dicunt, ut solùm calcatus plantas pedum excoriet. Vermes venenati.

39. Apud *Aldrovandum* legitur, in vermibus ex homine expulsis alios etiam vermiculos repertos fuisse. Unde constat etiam intra hominem quosdam vermes generare alios vermes, sicut ex insectis alia generantur insecta. Mirabilis etiam fuit vermis ille, de quo *Antonius Benevenius* narrat, & ex ipso *Pareus lib. 19. cap. 3. Joannem Menusiarium* quadragenarium assiduis stomachi doloribus divexatum sæpe in mortis propinquo extitisse, nec multis medicorum consiliis, quibus usus erat,

erat, adjutum. Tandem cum ei vomitorium fuisset propinatum, ejus vi magnam corruptæ & putridæ materiæ copiam reddidisse, & unà vermem quatuor digitos longum capite rubro, rotundo, pisi crassioris magnitudine, lanugine primâ toto corpore obsitum, cauda increscentis Lunæ modum bifurcatâ, quatuor pedibus ingredientem duobus anterioribus, & totidem posterioribus. In Insulâ prope Masecum etiam memorante *Viero lib. 3. cap. 15. de præstig. dæm.* Rusticus quidam post continuum ventris dolorem & sumptam contra id mali theriacam vermem excrevisse fertur octo pedum longitudinis & digiti unius, quasi cornuto ore non admodum dissimili anatis rostro. Memorat *Idem Vierus ibidem* in Ungariâ circà Thaysæ flumen Anno 1549. inventos homines, in quorum corporibus absolutæ lutræ & lacertæ essent inventæ.

Locustæ 40. Locustas in India trium pedum magnitudine reperiri & cruribus suis serrarum usum subire perhibetur à *Plinio*, & cum ibi volant, aves esse putantur, & solem obscurant. In Syria scribunt imperio militari coactos homines ad necandas locustas prodiisse, & in *Czrenaica*, regione legem esse ter in Anno eas debellandi; primùm ova obterendo, deinde fœtum, postremò adultas. *Livius* etiam recenset de locustis, quæ Apuliam devastârunt, ad quas delendas fuerit designatus Prætor *Cneus Sicinus*, & cum imperio in Apuliam missus cum magno hominum agmine; & in colligendis iis aliquantùm temporis insumpserit. *Diodorus Siculus* tradit Veris tempore à Zephyro & Lybico ventis infinitum pene locustarum numerum ex deserto ad Æthiopes Acridophagos deferri. De alâ locustæ literis hebraicis decoratâ consule *Ephemerid. Decur. 2. An. 5. observat. 120.*

41. Illud etiam admirationem haud modicam meretur, quod illæ pelles ovium, quas lupus occidit, magis sint obnoxiæ pediculorum generationi, quàm aliæ. Causam aliqui putant, quod lentè peremptâ & dilaniata non ita purgentur à materiâ putrefactioni accommoda, quampostea pediculi libentiùs inquirunt, & occupant. Pelles magis obnoxiæ pediculis.

42. In pulicibus oculo per microscopium armato observata fuisse alia adhuc quædam animalcula minutissima, quæ & ipsa pulices haud secus, ac illi nos vexare & noxium ab iisdem sanguinem exsugere creduntur, tradit *Schottus Mag nat. part. 1. lib. 10. circà finem.* Plura alia experimenta curiosa in minutissimis insectis observata vide in *oculo meo Artif. Fund. 3. Synt. 3. cap. 3.* Alia notabilia scitu digniora de insectis variis aliis in sequenti Tabulâ Synopticâ facillimè addisci possunt. In pulicibus alii pulices observati

TABULA SYNOPTICA

Insectorum præcipuorum cum brevi eorundem descriptione, victu, nutritione, naturâ ac compertis quibusdam affectionibus & proprietatibus.

Insectorum Nomina	Descriptio & Figura Corporis	Victus & Nutritio	Natura & proprietates
Apis Insectum est nobilissimum & utilissimum	Caput respectu aliarum partium est magnum. Breves habet alas candidas interfusis flavis lineolis, antennas habet breves. Color corporis ad cinereum vergit. Tota apis fermè hirsuta est.	Vescitur melle & succoè floribus extracto aliisq; dulcibus. Bibit è fontibus limpidissimis.	Insectum est laboriosissimum & ingeniosissimum. Gregale est & sub Regis dominio vivit. Odoratu multum pollet: tempestates aeris præsagit.
Aranea	Parvum est animal, octo habens pedes diversæ longitudinis ob diversas, quas illis edit operationes.	Ex raptu muscarum & aliorum minutorum animalium vivit	Astuta est & prudens, venenosæ naturæ; industriâ singulari telas format & ordinat.

Aurelia

Insectorum Nomina	Descriptio & Figura Corporis	Victus & Nutritio	Natura & proprietates
Aurelia Sive *chrysalis* aut *Neydalus*.	Animalculum est aurei coloris potissimùm. Scarabæo simile. Datur etiam viridis, pallidi & alterius adhuc coloris.	Succo vario ex herbis & plantis collecto nutritur.	Mirum hoc est ex brassicâ fieri erucam; ex erucâ chrysalidem sive ovum: inde papilionem; à papilione poni ova sub brassicâ & inde denuò excludi erucas.
Blatta Cujus species *Mylæcius*, *pistrinaria*, *frumentacea*, *libraria*, *lucernaria*, *lucifuga*, & aliæ.	Pennatum, turpe & fœtidum est animalculum, diversæ formę pro ratione speciei.	Farina, frugibus, aliisq; exesis aut exsuctis victitat.	Fœtida est & valde ingrati fœtoris, quo res quælibet, duminsidet, inficitur.
Bombyx Sive Vermis Indus, vermis lanificus. Item *Ser*.	Coloris est albi, cinerei, aut subflavi. Septem habet annulos, pedes quatuordecim. Inter singulos annulos macula conspicitur.	Mori folia peculiare bombycibus præbent pabulum.	Naturæ est frigidæ Auster & Boreas venti eidem noxii sunt. Siccum amat locum. Cum dormit, anteriore corporis parte erigitur.
Buprestis	Animalculum est scarabæo persimile altis ingrediens pedibus.	Vescitur rubo, cichorio, urticâ, conyzâ & aliis herbis.	Fœtore est valde tetro. Frondes & fructus, per quos incedit, inficiens. Veneno scatet.
Cantharis	Ex Scarabæorum est genere, viridis plerumque coloris cum aureo interlucente; quamvis & aliorum quoque colorum reperiatur.	Foliis arborum nutritur, inter segetes etiam frequens frugesq; absumit.	Calidiora amat loca. Viridis, cujus in medicina usus insigniter urendi ac causticâ facultate pollet.
Cicada. Cujus plura sunt genera, quæ differunt corporis magnitudine.	Caput respectu corporis magnum & crassum, cui & breves insunt antennæ; oculi immobiles lucidi, eminentes more cancrorum, alas habet apum, pedes subtilissimos: corporis pars superior est pleraque nigra, inferior cinerea.	Rore potissimum & aquâ nutritur, vescitur tamen & herbis, ac plantis quibusvis.	Mas sonoram habet vocem, fœmina silet. Oleas propter umbram diligit. Aspernatur loca frigidiora. Ægyptus cicadis abundat.
Cicindela Sive *Lampyris Nitedula aut Noctiluca*, & *vel impennis vel pennata*.	Pennata è Scarabæorum est genere. Capitulum habet exiguum nigrum, oculos protuberantes, alvum annulosum multis segmentis divisum, in cujus extremitate duæ guttulæ instar ignis pellucidæ resplendent. Impennis vermis aut erucæ speciem habet cum variis annulis ac pellucida particulâ in alvo.	In pratis herbosis, fossis & lacunis siccis potissimùm vivit.	Benignę plane est naturæ attactum patienter sustinens; frigoris tamen impatiens est: unde hyeme latet. Noctu & in locis tenebrosis insignem lucem emittit.
Cimex *Domesticus & Lecticularis est*, ac etiam *sylvestris*.	Corpus habet latum potiùs quam longum adeò sanguineus est, ut levi manu comprimatur; compressus autem pessimè fœteat.	Sanguinem humanum appetit: sylvestris olera & stirpes.	Fœtore suo & morsibus omnibus est odio. Generatur potissimùm in lectorum rimis & ex humanis excrementis.

Insectorum Nomina.	Descriptio & Figura Corporis.	Victus & Nutritio.	Natura & proprietates.
Coccojus	Insectum est Indicum magnitudine & forma Scarabæi: oculos habet magnos & quatuor lucidas particulas veluti specula; nempe duo in oculorum sede & duo in ilibus sub vaginâ, quibus lucem spargit.	Venatur potissimùm culices: unde & ab Indis capitur & in ædibus asservatur ad eas ab infestis culicibus repurgandas.	Noctu insigniter lucet, ac comprimis in oculis & ilibus sub vagina. Unde expansis alis volans magis lucet, quàm dum iisdem attractis sedet.
Crabrones	Similes sunt apibus, & vespis, iis tamen multò majores: coloris sunt citrini. Sævissimis aculeis armati.	Carne magnâ ex parte vivunt. Venantur etiam muscas: vescuntur & fructibus molliore cortice vestitis.	Duces apum more habent. Curam omnem respuunt nunquam cicures. Magna in iis concordia, societas & communis labor observatur: per hyemem jejuni latent.
Culex Diversorum est generum.	Animal insectum est bipenne aculeum duriorem in ore habens.	Acida petit, iisque potissimùm delectatur, nec unquam dulcibus.	Olfactu plurimùm valet: lumen diligit, paluſtribus & lacustribus locis maximè gaudet.
Curculio Sivè *Gurgulio & pediculus frumenti.*	Insectum est parvum in frumentis nascens.	Frumentis vescitur, & nutritur.	Napi semine interimitur. Brevis est vitæ
Eruca Cujus permultæ sunt species.	Vermis genus est, qui mollis, saniosus, & diversis coloribus distinctus est: aliquando hirsutus, aliquando glaber.	Oleribus & frondibus tenellis herbisq; variis pro ratione speciei vescitur.	Veneno turget. Insectum est dirum, hortis & plantis maximè nocivum.
Formica Alata est, & sine alis.	Corporis quantitas est exigua: omnia tamen membra benè ordinata habet.	Vescitur frugibus, & granis: Unde & frugilega & Granilega à Poetis decantatur.	Sedula est & laboriosa, provida, temporis præsaga. Ei proprium est mordere. Destruit agros, arbores &c.
Gryllus Alius agrestis & alius domesticus.	Insectum parvum forma corporis locustæ ferè persimile.	Agrestis herbas in agris & pratis depascitur & absumit.	Vocalis est valde; calorem amat: Unde domesticus circà focos & fornaces habitare solet.
Limax Sive *Cochlea aut domiporta*, quod domum vel concham secum portet.	Insectum est Vermiforme, fuscum, albicans, vel etiam ex cinereo nigricans cum albis per tergus maculis, è capite cornicula protendit, quibus viam prætentat.	Folia sectatur & herbas depascitur. Fursure pinguescit, noctu magis, quàm interdiu ad pascua progreditur.	Motu tardissimùm est animal, pituitosum & humidum; providum cùm viam prætentat, in campis hortis & locis etiam uliginosis subterraneis habitat.
Locusta Cujus plura sunt genera.	Diversâ est quantitate & structurâ prædita pro generis ratione. Pennas habet fragiles, pedes inæquales, cum sedet, alata esse non putatur.	Insectum est vorax herbis & frugibus infestissimum; arboribus etiam stragem inferens.	Inquieta est in saltu continuo. Non simpliciter ingreditur, neq; volat, sed instar pulicis salit.

Lumbrici

Insectorum Nomina.	Descriptio & Figura Corporis.	Victus & Nutritio.	Natura & proprietates.
Lumbrici. In homine alii sunt consueti, alii insolentes. Item longi, lati, rotundi, Ascarides & parvi.	Sunt vermes in humano corpore & variis ejus partibus deprehensi, plerique candicantes.	Cibis præsertim dulcibus, ut & phlegmate, sanie, ac pure, quin etiam sanguine nutriuntur.	Circa Autumnum à cibis crudis & pituitoso humore refertis faciliùs generantur.
Lumbricus terrestris.	Vermis est longiusculus colore subalbido, aut prope sanguineo.	Nutritur pingui terræ succo: radices etiam plantarum, quibus dulcis inest succus depascitur.	Cadentibus pluviis mox è terrâ prodit. Odit terram tenuem, arenosam & lapidosam: Gaudet glareosâ, pingui, argillosâ, ac humidâ.
Muscæ Quarum ultra 70. genera numerantur.	Magnitudine & figurâ variant. Proboscidem habent, quâ omnia libant & assumunt. Alas habent ex pelliculis conflatas.	Omnivoræ sunt, omnia liguriunt, omnia degustant, maximè verò sanguini inhiant.	Audaces sunt, impudentes, importunæ, inquietæ, indociles.
Oestrus Sive *Asilus* terrestris est & marinus.	Insectum est exiguum scorpionis effigie aranei magnitudine, pro ore tantùm habens tubulum sive fistulam.	Sanguinem exsugit, hirudinum more usque dum præ plenitudine decidat & moriatur.	Horrisono est strepitu in summo tantum æstu caniculæ tempore Thynnos infestat, & sub pinnis ejus latet.
Oripa *Sive Olipa.*	Vermis est hirsutus in nive habitans.	Nive victitat & alitur	Difficulter movetur, non est adeò vivax.
Papilio Cujus centum & plura sunt genera.	Quantitate & figurâ variat cum plurium sit generum. Plerique tamen antennas habent & alas farinaceas ac fragiles. Color est varius, in aliquibus maculosus, in aliis non.	Minimum caput cibum. Ex floribus, eorumque succo maximè victitat.	Insectum est fragile, vernum tempus indicat. Flores amat.
Pediculus Distinguitur, prout reperitur in hominibus, & aliis animalibus aut plantis.	Quantitatis est minimæ, diversæ tamen in diversis: in hominibus tria reperiuntur genera: primum est, caput magis infestans, corpore oblongo anteriore acuto. Secundum pilare corpore lato & plano. Tertium minimum & subalbum, manus & pedes magis infestans.	Nutritur succo hominum, brutorum, & plantarum, in quibus reperitur.	Insectum est valde ignobile & vile. Odium possessori pariens. Deserit morituros, magis fœminas & pueros, quàm viros & adultos infestat.
Perla A capitis rotunditate & splendore perlam æmulante dicitur. Cujus plura sunt genera.	Insectum est volatile quatuor habens alas, alvum admodum proceram, oculos prominentes & protuberantes.	Succis florum, herbarum & fructuum vescitur.	Volatûs est velocissimi. Hyeme latet aut moritur.

Insectorum Nomina.	Descriptio & Figura corporis.	Victus & nutritio.	Natura & proprietates.
Pityocampe Sive *Eruca pinorum.*	Cœteris erucis similis & congener, loco tantùm differt.	In Tridentinis montibus, ubi pinorum copia est, potissimùm reperitur.	Easdem vires cum cantharidibus & bupresti habet. Hyeme latet. Nidos amplos habet, ut inclusi sæpe millenarium numerum excedant.
Pulex Nigua & pulicellus.	Exiguum est animalculum loricatum; mare fœmina duplo est major.	Carnis ac sanguinis appetens.	Salit quasi volando, noctu magis ac interdiu est morsibus suis homini molestus.
Ricinus Sive *Engula* aut pediculus agrestis, *Croton* & *Cycca.*	Minutum est insectū turpissimum pediculi specie: in lupis & canibus frequens.	Sanguinis suctu vivit & delectatur.	Infixo sanguini capite ita intumescit, ut dehiscat, nimia satietate & alimento ipso moriatur.
Scarabæus Cujus variæ sunt species: ut *Buprestis*, *pilularius*, *seu Cantharus Carabus*, *serpentarius*, *cornutus* &c.	Insectum est volatile vaginipenne, dentibus munitum, diversi quoque coloris pro ratione speciei.	Vario nutritur cibo pro ratione differentiæ. Pleriq; tamen ex animalium excrementis victitant.	Natura varia est, in quibusdam exactè præsentiens tempestates, lunæ etiam motus & dies indicans.
Scolopendra Terrestris est & marina.	Vermis est specie, pedes multos habet ac pilosos. Pennis caret. Color ei plerumque est æneus. Corpus habet tenue & latum	terrestris in arborum truncis aut in lignis super terram locatis, aut in palis terræ infixis vivit.	Non repit: partem corporis mediam tanquam arcum intendit; cum bacillo tangitur, se contrahit.
Scorpius Aut *Scorpio.*	Animal est oviforme, rotundum, octo habens pedes & caudam oblongam vertebris multis tanquam articulis instructam.	Inter testas facilè generatur & degit. Ex terrâ vivere perhibetur.	Solem fugit: sub lapidibus & in foraminibus latet. Ictu venenum infert: in oleo etiam vivus persistit diu.
Tarantula Sive *Aranea Apula.*	Insectum est simile araneæ; viridis aut rubri coloris.	In agris & campis reperitur in Apulia; herbis & plantis victitans.	Venenum habet exitiale, quod saltatione pellitur. Musicâ mirè delectatur, quâ non ipsa tantùm ad saltum provocatur, sed etiam ab eâ percussus.
Teredo Sive *Vermis ligni*	Vermis est caput habens rubrum & corpus album.	Ligna exedit & arbores deperit exceptâ tiliâ, quercu, cupresso & taxo.	Vermis est vilis, exanguis & flexilis occulte mordens, lignis nocivus.
Vespæ Sive *Vespilones*	Vespæ apibus figurâ prope similes sunt, iis tamen longiores & graciliores: aculeatæ sunt, & non aculeatæ; veluti fuci.	Variis maturis fructibus vescuntur. Delectantur uvis. Carnivoræ etiam sunt, nec à Serpentibus abstinent.	Audaces sunt & operosæ; amant prolem, & pro eâ dimicant. Promptè se defendunt, & de illatis malis ulciscuntur.
Vermis Cujus plurima sunt genera.	Magnitudine & figurâ variat pro generis ratione. Dantur enim maximi, medii, minimi: omnes pedibus carent, & motum plexibus variis perficiunt.	Nutritur succo earum rerum, in quibus reperitur.	Insectum est ignobile & abjectum, è putredine maximè ortum habens.

Xyloph-

Insectorum nomina	Descriptio & figura corporis	Victus & nutritrio.	Natura & proprietates.
Xylophthorus Aut Vermis *ligniperdus.*	Vermis est in supremâ parte: Reliquum corpus araneosâ tunicâ integitur.	Ligna exedit & depascitur.	In lignis nascitur, & festucas secum trahit.

§. III.

Publicæ calamitates à variis infectis diversis temporibus obortæ.

Quàm horrendæ persæpè calamitates publicæ & communes à vilissimis insectis, & abjectissimis, animalculis hominum generi non nisi ex singulari quadam DEI ulciscentis contrà nefandorum scelerum patratores ordinatione provenerint, tùm ex ipsis sacris literis, tùm etiam ex profanis historiis variis grandia tenemus monumenta. Ita in libro *Exodi* legimus inter alias Ægypti plagas à Domino per *Moysen* immissas fuisse, quod virga suâ *Aaron* jubente *Moyse* pulverem percusserit, qui in Sciniphes conversus homines & bestias miserè afflixit per universam Ægyptum exceptâ Terrâ *Gessen*, quam incolebant Israëlitæ. Quod prodigium etiam cùm magi imitari non possent, confessi sunt digitum esse Dei. *Cap.8.* similiter immisit Deus diversi generis muscas, uti & tandem etiam locustas, quæ vi Euri invectæ per integrum diem & noctem vastarunt omnia circumquaque, ita ut tota Ægyptus iis cooperiretur, & quidquid à grandine superfuerat, consumeretur. Eas tandem rursùs vento marino vehementissimo Moyses in mare rubrum abripiendas curavit *Pharaone* deprecante *Exod. cap. 10.*

Sed ut ad profanas Historias transeamus. Citrà Cynamolgos Æthiopas latè deserta est regio à Scorpionibus & Solpugis gente sublata. A Scolopendris abactos esse Trerienses Author est *Theophrastus*, ut ex ipso recenset *Plinius lib. 8. Hist. Nat. cap. 29.* *Myuntem* Joniæ oppidum in Asiâ Oppidani olim deserere coacti sunt. Parvus enim fuit in agro Myusio ad mare sinus, quem Mæander fluvius aquarum impetu latè submotis ripis & oblimato ostio stagnum reddidit, exclusis itaque marinis aquis tanta repente coörta est à palude culicum vis, ut eâ lue victi homines rebus omnibus suis Deorum etiam signis asportatis Miletum migrarent. Eadem verò calamitas, quæ *Myuntem* delevit, Alamitis, qui infrà *Pergamum* sunt, exitio fuit, ut refert *Pausanias in Achaicis.* Æthiopibus Acridophagis regio adjacet perampla, ut tradit *Diodorus lib. 3. cap. 3.* varietate pascuorum fertilis, sed deserta; & quæ penitus adiri nequit. Non tamen hominibus à principio caruit, sed postmodùm intempestivâ ex pluviâ deserta est, multitudinem aranearum Scorpionumque ferente. Tantam enim harum bestiarum excrevisse copiam ferunt, ut morsibus pestiferis incolæ vexati patriam deserere, & ad alia loca confugere compellerentur. *D. Hieronymo* recensente *in cap. 2. Joel.* Cùm suo tempore in provinciam Judææ locustarum agmina venirent, & aërem, qui inter cœlum & terram est, occuparent; tanto ordine ex dispositione jubentis DEI, ut inquit, volitârunt, ut instar tessularum, quæ in pavimentis manu artificis collocatæ sunt, suum locum tenerent, & ne puncto quidem vel ungue transverso declinarent ad alteram. *Gregor. Turon. lib. 6. Hist. cap. 44.* facit mentionem locustarum, quæ per quinquennium Carpitaniam provinciam vastaverint & posteà in aliam provinciam avolaverint. *Cedreno* narrante Anno sexto Romani Argyropoli Imp. cùm locustæ aliquamdiù Orientales essent depastæ Provincias: Coacti sunt incolæ liberos suos divendere, & in Thraciam migrare. Memorat etiam *Hector Boët. lib. 13* Anno decimo septimo Alexandri III. Scotorum Regis tantam erucarum per totam Scotiam & Angliam vim fuisse, ut omnes fructus arborum, herbarumque absumpferint, olera & caules penitùs arroserint. Sed his ità obiter præmissis lubet nunc breve Chronicon adferre memorabilium maximè calamitatum, quæ per insecta diversis temporibus à Nato Christo Salvatore diversis locis immissæ fuerunt.

CHRONICON

Memorabilium quarundam calamitatum publicarum ab insectis variis obortarum post Natum Christum Salvatorem.

Anno Christi.

73. Locustas ferunt turmatim in Italiam advolantes circà *Brixiam* & *Mutinam* omnia terræ germina inexplebili voracitate devastâsse & ingentem ac immanem mox subsecutam fuisse pestem, quæ plusquam 50000. hominum interemerit.

591. Locustæ mortuæ & ad littora ab Africa delatæ tantam intulerunt pestem, ut 80000. hominum hinc periisse scribat *Julius obsequens.*

870. Locustæ per universam ferè Galliam segetes & arbusta depascentes miserabilem terris cladem famis & penuriæ intulerunt. *Trithemius in Chronic. Hirsaug.*

852. Viginti millibus passuum uno die Locustæ instructâ acie per aërem ferri sunt visæ & permulta loca vastârunt compositis ordinibus, & terræ incumbentes castra fecère. Præter *Fincelium Aldrovandus.*

873. Universam Galliam, maximè verò Lotharingiam & terras finitimas, ac vicinas Germanorum invaserunt innumerabiles bestiæ & vermes locustis longè grandiores, habentes sex alas, & sex pedes: Indè porrò grassata est tanta pestis in animalia bruta, ut canes etiam fugientes hoc malum omnes amiserit Lotharingia, & diu quidem nec mortui, nec vivi ibidem reperti fuerint. *Richardus Wassenburgius* ex historiographis apud *Wolffium.*

874. Ingentes Locustarum copiæ antè Solis ortum visæ à suo loco, cui insederant, non movebantur: Orto sole demùm per cohortes suas proficiscebantur; à vento denique sublatæ in Belgicum Oceanum dejectæ fuerunt, sed per maris æstum rejectæ diram excitârunt pestilentiam. *Cuspinianus.* Ajunt has locustas senis pedibus & duobus dentibus durissimis fuisse instructas; Duces præmissos pridie castra metatos: Volitâsse etiam itinere diurno quatuor aut quinque millia passuum.

970. Post vermium sub terrâ latentium pestilentiam *Ravennæ* mox frugum omnium inopiam consecutam refert *Carolus Sigonius de Regno Italiæ.*

1091. Visi sunt per multas regiones Vermiculi earenus in his terris ignoti non longè à terrâ volantes, sed ità quod vel manu vel baculo contingi potuissent, crassitudine quidem muscis æquales, sed longitudine satis productiores, quorum infinitus propè fuit exercitus, ut unum penè milliarium latitudine, duo vel tria longitudine occupare viderentur; densitate verò suâ ipsam solis lucem terris interpositi negabant: Per quam prodigiosam visionem illam, quæ post quadriennium facta est, Hierosolymam tendentium profectionem sub Comite *de Bullyon* quidam interpretabantur figurari. *Trithemius in Chron. Hirsaugiensi.*

1096. Primam expeditionem Sacram Hierosolymitanam, ut *Sigonius* testatur, *Claremonte* institutam locustarum repentè nata vis tanta præcessit, ut nubium adinstar solis lumen adimerent.

1104. Ignei vermiculi incertâ specie per aërem vecti, seu densæ nubis objectu Solis etiam lumen humanis oculis auferebant, & tunc etiam alia nefanda prodigia in terris spectata: Quantus verò bellorum turbo mortalibus immineret, demonstravit posteà eventus. *Crantzius lib. 5. Saxon. cap. 13.*

1145. Erucæ stirpes ac segetes omnes dirâ quadam proluvie consumpserunt: Undè ingens annonæ caritas subsecuta fuit. *Sigonius lib. 11. Reg. Ital.*

1339. Mense Junio, & per duos menses integros sequentes tanta locustarum multitudo per totam Franciam Orientalem, Sveviam quoque & circumjacentes regiones apparuit, quantam nullius memoria hominis comprehendit. Maximo enim numero instar densissimæ nubis circumvolantis totam penè superficiem terræ quasi nix operuerunt, rostra habentes contra morem durissima, quibus segetes, gramina, vites, botros & omnia terræ nascentia simul & arborum fructus consumentes miserabiliter destruxerunt: Et quanquam homines multis modis & variis mediis eas delere satagerent; nihil tamen profecerunt, quoniam ex earum stercoribus aliæ nascebantur, elapsis tandem mensibus aliquot turmatim avolantes nusquam comparuerunt. *Trithem. in Chron.*

1364. Mense Augusto maxima & incredibilis per totam Sveviam & Alsatiam multitudo apparuit locustarum, quæ in modum nubis latissimè, densissimeque aërem implevit, & viridia quæque devoravit: Undè territi homines insolito spectaculo, cùm nihil aliud potuissent, pulsu campanarum eas fugare conabantur. Tandem vento raptæ ab invicem dissipantur & putrefactæ

circà

Anno Christi

circà littus Rheni magnam infecto aëre pestilentiam causaverunt. *Trithem. in Chronico Hirsaug.*

1475. Siradiensem & Lencicensem oram atque Moscoviam Locustarum vis ingens ex Hungariâ, Moraviâ, & Silesiâ veniens pervagata incredibile damnum attulit. *Cromerus lib. 28.*

1527. Vehemens ventus ex Turciâ in Poloniam attulit maxima agmina locustarum, quæ plurima præbuêre damna, coloreque fuerunt aureo & cano, alis constantes quaternis. *Sansonius Chronol. lib. 1.* Addit anno subsequenti pestem ingentem diversas Italiæ partes permeâsse, quæ multa hominum millia absumpserit. Itemque Germaniam & Angliam morbum quendam Sudorem Anglicum depopulâsse.

1536. Ventus ex Ponto Euxino in Podoliam tanta agmina locustarum detulit, ut per viginti milliaria circumcircà omnia devorârint & pascua infecerint, undè secuta est ingens pecorum pestis, nec tamen ipsæ abierunt, sed demum in hyeme præ frigore obiêrunt.

1541. In Walachia exortæ hac æstate miræ magnitudinis locustæ confines Poloniæ terras ad 60. milliaria devastârunt, depastis, quæ humi nascuntur frugibus: Quatuor succrescentibus alis armatæ arborum non solùm fructus, sed & folia deroserunt: Tum in altum sese tollentes tam spissas coëgerunt in aëre turmas, ut instar nubis radios solis interciperent. Mense tandem Octobri frigidus Aquilo illas enecuit. *Trithem. in Chron. Hirsaug.* De locustis istis scribit etiam *Laurentius Surius in Chronico*, primò eas nullas habuisse alas, sed magnos dedisse saltus: Paulò verò post adeptis alis tantâ multitudine aërem pervolâsse, ut duo milliaria in longum & latum cubito tenùs ità occupârint, ut Solis quoque splendorem à toto illo terræ spatio suâ densitate excluserint: Totâ etiam æstate nullâ vi abigi potuisse, sed in autumno cœlo frigescente extinctas fuisse alio post se relicto semine. Undè proximo anno vermes orti sunt. Addit etiam extitisse primùm in Walachia, cunctaque in circuitu Leopolim usque milliaribus circiter 60. ad solum usque devorâsse.

1542. In Italiam involârunt locustæ mensibus Augusto & Septembri partim canæ, partim nigræ, partim virides; quædam in alis habuerunt literas nobis ignotas. *Aldrovandus* de his locustis scribit jussu Ducis Mediolanensium duodecim mille saccos iisdem collectis fuisse impletos. Eodem etiam anno ex Sarmatia, Turcicâ in Austriam, Silesiam, Lusatiam & Misniam volârunt, quæ habuêre in capitibus coronulas, longos ventres, fueruntque pessimi fœtoris: Alicubi etiam in Marchiâ profundè ad equi ungulam jacuisse memoratur.

1543. Locustæ, ut recenset *Surius*, quæ ab oriente per Illyricum stupendis agminibus in Italiam convolârunt, maximaque damna dederunt, Turcarum adventum portendere visæ sunt, Romæque trepidatum est, dum Hostiæ subsedisset, Nicæum cepit, & multa Christianorum millia, ex quibus 200. Sacræ Virgines abduxit cum prædâ sexcentorum millium ducatorum; quam tamen iterùm amisit in Freto Siculo à *Garsiâ* Neapolitano Prorege recuperatâ magno DEI beneficio.

1549. In Hungaria *Lycosthenes* scribit ad tria millia hominum serpentibus, ranis, similibusque intrà viscera eorum ortis periisse.

1553. Post ingentem siccitatem quinque ferè annis continuatam ingens locustarum exercitus supervenit, & ingentia damna intulit.

1556. Locustæ *Mediolani* comparuerunt longitudine spithamæ, sex habuerunt pedes, & eos instar pedum in majoribus muribus; multiplicibusque coloribus & scissuris in toto corpore variarunt. Una reliquis quadruplo major capta alebatur à cive, quæ instar serpentis sibilavit, quoties nihil cibi ante se repositum vidit.

1580. Mense Majo ingens culicum multitudo visa per quatuor dies continuos evolare exitialia in Occidentem significavit bella in parte Occidentali. *Aldrovandus ex Andrea Marchio.*

1672. Die 20. Novembris propè *Neosolium* Hungariæ oppidum & *Eperiessinum* horrendi vermes coloris luteo-nigricantis & insolitę magnitudinis cœlo tempestuoso densissimâ cum nive tantâ multitudine ex aëre in terram delapsi feruntur, ut subjectum vicinæ terræ longè lateque non sine incolarum horrore contexerint. Addunt memoratum hoc insectum triduò vixisse, agminatim huc illucque serpsisse, & hostiliter inter se congressum esse, donec tandem id, quod notabiliter grandius, & luteo colore infectum nigricante succumbens ab eodem suppressum, morsibus necatum, & omninò devoratum fit. Utrumque genus Viennam delatum, & tanquam verè quid portentosum plurium censuram subiisse. *Relationes Francofurtenses.*

1675. In agris *Oeniponti* Ducatus Tyrolensis Metropoli vicinioribus sub Januarii epilogum nivi cœlo delabenti vermes & telæ araneæ magna vi fuerunt immistę, quæ varias & anxias vicinis mentes gignebant. *Relat. Francofurtenses.*

In oppi-

1679. In oppidulo *Czierko*, ejusque viciniâ æstivo tempore ignota quædam alata insecta visa sunt, quæ stimulis suis homines, brutaque lethaliter vulnerârunt, insignemque eorum stragem ediderunt, homines comprimis 35, boum verò, equorumque magnum numerum. In hominesetiam non lacessiti cum impetu ferebantur, insuperque habitis membris veste tectis, aculeos suos faciei, collo, manibus, & nudæ cuicunque cuti infigebant. Puncturam verò tumor durus excipiebat, & nisi primo statim trihorio vulnus curabatur, & venenum scarificarione, aut aliâ ratione extraheretur, inanis postea erat omnis auxiliandi conatus: Læsi quippè paucos intrà dies moriebantur. Sanè non fine Numine factum videtur, quod intrà fines Czierkienses se continuerint, & missis Germanis solos Polonos, eosque viros tantùm impetiêrint & læserint. Vide *Ephemer. German. Curios. Dec. 2. Ann. 10. Obs. 184.*

1682. Tempore æstivo circà *Francofurtum* ad Viadrum & in viciniâ Neomarchiæ, Crosnæ, & Züllich locustæ majores tantâ agros infestârunt copiâ, ut cum legionum multarum ordine (quibus singulis dux præfuit) per aërem volarent nubium instar interdiu tenebras aliquo modo induxerint, cùmque se in terram demitterent, pascua herbis agrosque frumentis penitus spoliârint.

1690. In Hungariâ circà regionem *Segedin* ingens locustarum multitudo per aëra volitans ipsos Solis radios impediens, nec non omne gramen & folium arboris depascens observata est. Singulariter autem fuit notatum, quod ipsarum alæ literas quasdam hebraicas exhibuerint, de quibus earumque interpretatione consuli possunt *Ephemer. German. Curios. Dec. 2. Anno. 9. Observ. 120.*

1693. Magna locustarum copia Saxoniam involavit & ibidem gramen, arbores & omne viride campi depascens ingens nocumentum attulit.

§. IV.

Mirabilium quarundam actionum in variis insectis exempla.

Cicada S. Francisco morem gerit.

1. Narrat imprimìs *Aloysius Lipomanus Tom. 5. de vitis Sanct.* cicadam *S. Francisco* morem in omnibus gessisse hunc in modum. Apud S. Mariam de Portiuncula juxtà cellam Seraphici Viri cicada super ficum residens ad cantandas laudes divinas ab Eodem provocata, veluti cœlitùs commonita, mox advolans super manum Servi DEI consedit: Cui cùm dixisset: *Canta Soror mea cicada, & Dominum Creatorem tuum jubilo lauda.* Sine morâ obediens canere cœpit, nec destitit, donec jussu Patris ad locum proprium revolârit; Mansisse verò per octo dies ibidem perhibetur, quolibet die veniendo, cantando & recedendo ejus jussa perficiens; licentiâ tandem à Viro DEI eidem factâ, ab eo discessit, nec ampliùs comparuit.

Muscæ S. Narcissi.

2. Præclarus Scriptor *Cæsar Baronius ex Annalibus Hispanorum* recenset Anno Servatoris 1286. *Carolum* Siciliæ & *Philippum* Francorum Reges bellum fecisse *Petro* Regi Aragonum, in eoque bello *Gerundam* cepisse. Ibi milites victoriâ insolentes vi templis illatâ ausi sunt sacrilegis manibus *D. Narcissi* Patroni & Tutoris illius Urbis sacrum tumulum invadere, & ut spolia legerent, diripere. Sed nemo putet mortuos impunè violari, præsertim Sanctos, pro quibus DEUS ipse etiam vilissimis creaturis pugnare & illatas injurias insigniter vindicare valet. Igitur & tunc è *D. Narcissi* sepulchro repentè erumperunt tota muscarum examina, magnitudinis & formæ antehac inauditæ, ut & aspectu terrerent, & nocerent morsu. Nam muscæ magno impetu, quâ data portâ sese effuderunt, & in obvios milites undique furiosissimè involantes eos venenatis aculeis ità convulnerarunt, ut intrà paucos dies hominum plusquam quadraginta, & equorum plus viginti quatuor millia ea pestis absumpserit. Quinetiam ipse *Petrus* Aragonum Rex in epistola ad *Sanchium* Castellæ Regem datâ scripsit ad quadraginta millia periisse; Neque ità multo post Rex ipse Galliæ mortuus est *Pepiniani*. Ex hoc divino Sacrilegorum militum supplicio muscæ *S. Narcissi* in proverbium abierunt.

Crabrones & culices urbem servant.

3. Memorante *Theodoreto in Eccles. Hist. lib. 2. cap. 30. Sapores* Rex Persarum à *Nisibis* urbis, quam nonnulli *Antiochiam Migdoniæ* vocant, ab obsidione crabronum & culicum copiis plus, quàm militaribus repulsus est. Quod inopinatum auxilium *S. Jacobi* Nisibiensis Episcopi precibus attributum est.

Apes furtem persequuntur.

4. De Apibus furem persequentibus admirandam recitat historiam *Fortunatus Presbyter in vitâ S. Medardi* apud *Surium tom. 3.* his propè verbis: Fur nocturnus apum alvearia furatus erat, quæ juris Ecclesiæ *S. Medardi* erant. Illæ collecto agmine furem aggressæ in fugam verterunt aculeatis stimulis hominem pungentes, nec dimittentes, donec ad ipsum *S. Medardum* ipse totus vulneratus pervenisset adhuc undequaque apibus circumseptus, ubi provolutus ad *S. Medardi* vestigia supplex sibi admissum crimen dimitti postulavit. *Medardus* pro suâ clementia ignovit efflagitanti, manumque extendens benedictionem signo crucis edito eidem absolutionis signum impendit. Apes velut non ignaræ Episcopalem benedictionem homini crimen abrogasse & Ecclesiæ reconciliatum non esse ulteriùs defatigandum,

dum, à molestiâ cessarunt; dimissoque homine velut parentes *Medardi* jussis in loca sua rediêrunt.

Urbes ab apibus servatæ. 5. *Hieronymus Osorius lib. 8. de rebus Africis & Indicis* scribit in Africanâ expeditione *Barrigâ* Lusitanorum Duce Xiatimenses fortissimè oppugnante, reque ad ultimum discrimen adductâ, innumerabilia alveária apum, quibus abundabant, incensa atque è mœnibus fuisse præcipitata. Itaque Lusitani & alveárium flammis ambusti & apum aculeis stimulati receptui canere & oppugnationem deserere coacti sunt. Idem Turcis in Hungaria & Episcopi Agriensis ditione contigisse memorant Historiæ. *Jovianus* quoque *Pontanus de gestis Regis Alphonsi*, scribit *Vicarium* oppidum simili stratagemate diu ab hostibus, ne caperetur, fuisse tutatum, donec vi majore subrutis mœnibus in ditionem venire cogeretur.

Exemplum munditiei & mutuæ dilectionis in Apibus. 6. Munditiei & mutuæ dilectionis in apibus singulare exemplum recitat ex *Clutio Vossius de Ido 4. c. 72.* hunc ferè in modum. Repererat in hortis suis apiculam in olla mellis submersam; alteram item ab imbre sic afflictam, ut & ipsa quasi exanimis jaceret in herbâ. Utramque igitur manui imposuit, cujus calore sic fotæ planè sunt refocillatæ. Ut verò se mutuò agnovêre, utraque alteram osculari & amplecti amicum in modum: ac illa quidem mundior, quam imber sic straverat, membratim purgare cœpit alteram melle sordidatem, inque operâ hac propemodùm horam insumpsit. Tum quæ beneficium id acceperat, os admovit alteri, eique grati animi ergò de pectore suo eduxit aliquid mellis, quod ea hausit, satiataque in alveare revolavit.

Apes S. Eucharistiam venerantes 7. De Apibus Sacrosanctum Domini corpus Eucharisticum singulari cultu venerantibus plura prostant exempla apud Historiographos: Ex his unicum recensere libet, quod *Author libri Apum* refert his propè verbis: *Quidam fures, ut argenteum vasculum, in quo condita erat Eucharistia, auferrent, & illam secum abstulerunt; Sacratissimum verò Christi Corpus sub alveari projecerunt. Post aliquot dies Dominus alvearis videt apes certis horis sexies demissis operis ad cibos convehendos totos esse in quodam mellifluo concentu edendo. Cumque fortè de mediâ nocte exurrexisset, conspicatur super alveare illustrissimam lucem suavissimeque super omnem modum modulantes apes, Rei novitate inusitatâ & prorsus admirandâ perculsus, Deique monitu intimo agitatus rem defert ad Episcopum. Is plurimis secum assumptis eò se conferens aperto alveari videt vasculum elegantissimè effectum è candidissimâ cerâ propè alvearis fastigium: In eo reposita erat Eucharistia, circa illud choros videt apum circumsonantes & excubias agentes. Acceptum igitur Episcopus Sacramentum maximo cum honore in templum reportavit, quo multi accedentes ab innumeris sunt morbis curati.* Hæc ille.

Pratum ubi muscæ, vespæ & crabrones innoxii. 8. Narrat *Crantzius lib 4. Saxon. cap. 29.* Luderi Comitis *Hermanni* Saxoniæ inferioris Ducis filiam *Emmam* multa bona contulisse in Ecclesiam Bremensem. Inter alia verò, quæ donavit, permisisse quoque scribit pratum non longè ab urbe feracissimum cujus usque hodie illa præcipua est indulgentia, ut nullis ibi pecora muscis aut crabronibus aut vespis vexentur

Locustæ inter se pugnantes. 9. Mirum, quod scribit *Gregorius Turonensis*, duas locustarum acies per Avernum & Lemovicinum transeuntes Romaniacum campum venisse, in quo prælio magno inter se acto maximæ sunt concisæ; cum *Clotarius* cum *Chranno* filio suo esset pugnaturus, quem victum unà cum uxore & filiis comburi jussit.

Urbs à formicis deleta. 10. Recitat *Anius in Quæstion. de Tulciâ*, veterem urbem ad Volsiensem lacum, *Contenebram* appellari solitam à formicis deletam & locum illum vulgò *Castrum formicarum* fuisse nominatum.

Scorpiones locusti. 11. Mirabile planè est, quod à *Philippo Camerario lib. 2. Succis. cap. 12.* recensetur de Scorpionibus locustis. Anno nimirùm 1549. in Hungariâ tritici acervus (uti ibidem, sicut & in Bohemia mos est, acervos maximos per hyemem & aliquot annos in agris sub dio relinquere) cujusdam nobilissimi viri Scorpionibus refertus deprehendebatur. Cum igitur ex eo ad triturandum manipulos auferre servi vellent, capita semper exerere comperti sunt, tandem comburere totum acervum jussu Domini voluerunt, sed major quidam supremo loco stetit & dixit: *Desinite; non sponte huc venimus, sed à DEO in vestram pœnam huc missi.* Plura alia exempla mirabilium ab insectis actionum adduci possent; sed hæc sufficiant.

§. V.
Temporum ab insectis quædam præsagia.

Præsagia à Vespis. 1. Imbres ac tempestatem, longam hyemem vespæ præsagiunt: Ut si ante finem Octobris apparuerint, sicut *Carolus Stephanus* refert *de Agricult. l. 1. cap. 8.* longam fore hyemem portendunt. Item si multis in locis ante vespertinum vergiliarum exortum subterraneas specus glomeratim ingrediantur, pluviosæ hyemis ac frigidæ signum est.

ab Apibus. 2. Si apes propè sua alvearia, quod longiùs progredi formident, flosculos ad mellificium sedulò excerpant, tempestuosam & pluviosam auræ constitutionem augurantur. Quod si verò ad pabula longiùs ab urbe avolaverint, præviderintque tunc imminentem aliquam turpem tempestatem, totis viribus & quo celeriùs per alarum debilitatem licet ad alveos suos properant.

à Papilionibus. 3. Sunt, inquit *Plinius lib. 18. nat. Hist. cap. 25*, qui certissimum veris indicium arbitrentur ob infirmitatem animalis papilionis proventum. Papiliones etiam visi sunt nonnunquam nimia copiâ luxuriantes aëris perniciem indicasse. Videatur *Cornel. Gemma lib. 2. Cosmocrit. cap. 1.*

à Erucis. 4. Erucarum omnium major contingit pro-

git proventus humidis temporibus, maximè cùm humor resederit & post sol acrior inusserit:

à Cicadis. 5. Cicada æstatem certò præsagit: Hirundines & papiliones Ver potiùs quàm æstatem: Et cicada si apparuerit, metum frigoris deponi jubet. Cicadas verò omnes autumno accedente silere compertum est. In æstate cùm cicadæ citiùs solito canunt, illius diei æstum majorem fore indicant. In quodam etiam libro *Aristoteli* adscripto, quem *Secreta Secretorum* vocant, legitur, cicadas copiosiùs genitas morbiferi anni signum esse. Cujus rei facilis est ratio. Quippe *Aristoteles* prodidit cicadarum magnum fore proventum copia imbrium, sed imbres siccitatibus longè insalubriores & magis mortiferi, ut testatur *Hippocrates Aphorism. lib. 3.*

6. Insitum est à natura animantibus, ut imminente tempestate & pluviis celeriùs, quàm alio tempore quærant pabula, sintque voraciora: Cujus potest esse ratio, quoniam frigidiori reddito jam aëre, coloreque earum naturali appetitus magis excitatur.

à Muscis. 7. Sic muscæ alteratione aëris permotæ ad pastum festinant & avidiores factæ vehementiùs mordent, nosque infestant. Muscæ etiam, ut & pulices solito infestiùs suâ proboscide vellicantes ad hominum, jumentorumque faciem & oculos sæpiùs abactæ, mox tamen revertentes brevi venturas pluvias nuntiant. *Ælianus* etiam docet *lib. 7. Animal. cap. 8.* muscas pluvias præsignificare, cum in aromatis apparent. *Mizaldus* etiam docet parvulas muscas sub solis occasum pyramidis aut globuli in modum sursum passim coactas longis observationibus serenitatis esse indices.

à Locustis. 8. Locustarum, ut inquit *Mizaldus*, vermium, erucarum & hujus picturæ Bacchi, cererisque prædonum ingens idoneis temporibus facta irruptio, vitibus & terræ fatis, nec non fructibus detrimentum portendit.

à Bruchis. 9. *Hieronymus Mercurialis* pestis Venetæ & Patavinæ signum ponit, quod per vias & parietes multi apparuissent Bruchi.

à Scarabæis. 10. Interlunium ex Scarabæorum generatione prodi ac manifestari scripsit *Ruellius lib. 2. de nat. stirp. cap. 151.* his verbis: *Quin & Scarabæus omnibus cognitum animal totidem digitis vel potius pedibus innititur, quot mensis diebus constat, in quibus exoriens Sol suos persequitur cursus. Is Solis & Lunæ coitum nobis apertè demonstrat. Quandoquidem ex bubulo stercore pilulam ab ortu ad occasum rotando.*

ab Araneis. 11. Aranearum filamenta per aërem motu vago multipliciter delata ventorum & pluviarum certissima præsagia veteribus dederunt: Et ipsi aranei, si spontè decidant, & à nemine molestati imminentem pluviam præsagiunt. Telarum eorundem multitudo pestis perhibetur esse signum.

à Lampyridibus. 12. *Plinius lib. 18. cap. 27.* docet, Lampyrides indicare tempus maturitatis hordei & ultimæ sationis, quo solet milium & panicum servi; quod etiam Mantuanus Poeta his versibus notat.

Ver rediit, jam sylva viret, jam vinea frondes,
Jam spicata Ceres, jam cogitat hordea messor
Splendidulis jam nocte volant Lampyrides alis.

13. Tradit *Theophrastus l. de sign. pluviæ*, formicas in depressiori & cavo loco commorantes, si ova ex cubili ad eminentiorem locum exportaverint, imbrem spondere: Sed si importaverint ad proprias sedes, tranquillitatem. Si densioribus agminibus prædam trepidè adeò convectent, ut per semitæ angustias in se invicem incurrant & allidantur; pluvias quoque imminere putant. Observatum etiam fuit, quod formicæ, cum futura est annonæ caritas & fames, tum maximè ad recondenda frumenta & reliqua semina suo usui apta operosiores existant. Notat etiam *Olaus M. l. 22. c. 20.* Formicas Anno 1521. in regiis hortis *Upsaliæ* & *Holmiæ* infestis coëuntes animis *Christierno II.* Regi apud Svecos exitium denotâsse. à Formicis.

14. Pulices temporibus frigidioribus pigrescunt, vel omninò deficiunt; æstivis calidisque vigent maximè & infestant. Si frigus circà Junium mensem fuerit, citò perire pulices, nec copiosum eorum proventum reliquâ æstate fore, compertum est. Calidis etiam temporibus, cùm imminent pluviæ, maximè mordere notatum est.

§. VI.

Ad noxia insecta & alia quædam animalia fuganda, vel interimenda Observationes perutiles.

1. Omnia insecta fugiunt tabacum.

2. Omnia reptilia in dolium à salsamentis inveteratum descendunt, si in terram defodiatur.

3. Omnes vermes occiduntur aquâ salsâ, in qua fuit allium decoctum. Hac eâdem aquâ granarii pavimentum abluatur & parietes: Nam ipso odore peribunt vermes. Flores item Sambuci, absynthium, ruta, filix, mentastrum & abrotanum inimica sunt vermibus. Ne quoque caulibus Vermes noceant, juvat in vicinia plantare mentham, aut alio tempore non seminentur quàm die 4. Lunæ, aut nisi priùs aliquo tempore jaceant in cortice testudinis. Vermes

4. Vermes in arboribus necantur suffitu cornuum cervi vel ungulæ caprinæ, vel radicis liliorum, vel fimo bubulo. Idem assequêris, si allio trito arbores illinas.

5. Lumbrici res hortenses inficientes exanimantur aquâ calida vivâ calce remixta. Lumbrici.

6. Millepedes & vermes alii congregantur ut mactari queant, si intestina alicujus animalis cum suis sordibus in loco illis obnoxio deponantur. Millepedes.

7. Nullæ bestiolæ nocebunt sementi, si cancros mortuos fluviatiles decem diebus in aquâ maceraveris, & illâ hortum

aspferseris; Nec ullæ aves attingent semina, si ea macerata priùs fuerint in aquâ persimili.

Formicæ. 8. Formicæ arcentur ab herbis & plantis hortensibus, si eæ aspergantur pulveribus albæ & rubræ cretæ. Penitus exturbantur, si earum cumuli perfundantur aquâ in quâ esula decocta fuerit: Aut si contusa Origani grana iisdem injiciantur. Similiter arcentur, si earum semitæ calce vivâ aspergantur, humusque cineribus: Vel earum via fimo porcino cum urinâ humanâ vel asininâ mixto intercludatur, nec etiam quicquam conscendunt, quod tauri felle pertitum est. Non tangunt etiam plantas, quarum radices lupino cum amurcâ trito, vel cocto sunt illitæ: Nec tangunt mel, si albam lanam illi circumposueris.

Erucæ. 9. Contra Erucas juvat segetes aut hortos lixivio è cineribus vitium parato aspergere: Nidor etiam ustorum foliorum allii easdem propellit: Aspersio quoque succi absynthii juvat, aut si circà herbas plantetur cicer. Item si fiat sulphure vivo suffumigium aut bitamine vel pice: Vel si ipsæ erucæ in aquâ cum anetho coquantur, & aquâ illâ fiat aspersio. Ajunt & erucas non posse caules absumere, si formicæ copiosæ super eas spargantur: Hæ enim erucas devorare perhibentur. Prodest & inter caules crebros ramusculos arboris sorbi sylvestris defigere. Erucas etiam præcaveri dicunt, si semina terræ inserenda madefiant ante in lixivio ficulneæ. Enecantur verò, si fumo fungorum, qui sub Juglande crescunt, suffumigentur.

10. Pulices necat primum ex melanchio seu nigellâ, ebulo, rutâ, psylio, vel cucumeris asinini decoctum, & per pavimentum cubiculi sparsum. Nil tantoperè fugat pulices, quàm fortis odor plantæ ut allium, mentha, lupulus, urina equi, absynthium. Amurca quoque per pavimentum sparsa: Pulegium recens incensum. Decocto rutæ, si cubiculum sæpiùs aspergatur, liberabitur à pulicibus. Brassica à pulicibus sylvestribus tuta erit, si ejus semini parum herbæ erucæ commisceatur. Idem obtinetur, si ante sationem brassicæ semina in succo semperviva macerentur. Pulicaria verò & sanguis hirci pulices congregant.

Pediculi. 11. Contra pediculos nullum potentius est remedium, quàm hydrargyron oleo staphysagriæ aut hyosciami amalgato: Hoc enim pediculos nullibi remanere permittit lituris vestium illitum. Item filum madefactum aut intinctum oleo, in quo semina staphysagriæ attrita fuerunt, pediculos necat, si capiti circumdetur.

Cimices. 12. Cimices, qui plerumque nascuntur in lignis sub lunâ plenâ cæsis, aut si muscus qui miscetur ædificio tali fit tempore collectus, Varro cucumere anguino aquâ macerato; Didymus pice liquidâ & cucumeris sylvestris succo cubilibus sparsæ fugari dicit. Alii scylla aceto macerata, aut felle bovis vel hirci unà mixto aceto parietes irrorari volunt. Nonnulli quoque putant ichtyocolla, id est, glutine piscium eos fugari. Est & aqua, quâ lupini macerantur, potens adversùs eos remedium. Aqua etiam perimi dicuntur, sicut & pulices, dum cubilia illâ asperguntur, in quâ nempe fuit decocta cicuta, vel melanthium vel sinapi. Multi nihil ad eos, sicut & ad pediculos abigendos efficacius esse docent quàm sulphur & argentum vivum, quo axungiæ mixto plerumque utuntur. Absynthium quoque ruta, filix, lavendula aceto macerata; item genista sub pulvinari posita eos fugere perhibentur. Enecant & cimeræ folia lectis attrita vel inspersa; neque piperis longi suffitum posse ferre dicuntur.

13. Culices ad fossam, in qua conjecta est Rododaphar, congregari solent. Fugiunt verò pulegium, odorem sulphuris usti vel fimi bubali: Pelluntur etiam suffitu nigellæ. Canabem quoque non dicuntur accedere; nec pungunt inunctum oleo olivæ thure permixto: Abiguntur etiam culices, sicut & muscæ aquâ decoctionis rutæ, si hac locus aspergatur. Culices.

14. Chantharides pelluntur suffitu galbani cum fimo bubalo, vel ex radice cucumeris sylvestris facto. Cantharides.

15. Bruchi fugantur, si arbores suffumigentur fumo ex aliis occisis & combustis bruchis excitato. Bruchi.

16. Limaces prohibet sparsa fuligo per hortum. Limaces.

17. Cicadæ pellentur irrorando eas absynthio aut porris, aut centaureâ in aqua contusis, vel decoctâ lupinorum amarorum, aut cucumeris sylvestris cum aquâ salsâ. Cicadæ.

18. Vespæ non pungunt inunctum malvæ sylvestris succo cum oleo, quæ unctio etiam puncturas vesparum sanat. Vespæ.

19. Grilli arsenico cum cicere mixto intereunt. Grilli.

20. Muscæ pelluntur aspersione decocti foliorum sambuci. Congregantur ad Scrobem, in quâ jacent contritæ radices Rhododaphnes: Nec tangunt hominem, qui oleo cum cassia trito illitus est. Idem contingit bobus, si baccis lauri coctis cum oleo fuerint inuncti: Idem Equis, si succo cucurbitarum cum alumine & origano trito fuerint inuncti. Intereunt continuò ab arsenico albo, lacte vel aquâ intrito & commixto. Muscæ.

21. Nux avellana pedibus lectorum alligata scorpiones pellere perhibetur. Moriuntur & cùm raphanus minor imponitur. Pelluntur etiam, si unus exuratur; Abiguntur & fumo uvæ immaturæ cum galbano, ut & fumo sevi caprini. Contrectari innoxiè posse dicuntur, si manus imbuantur succo raphani. Scorpiones.

22. Sorices abiges, si diebus canicularibus in earum cavernas injicias semen cicutæ cum Helleboro & farinâ. Sorices.

23. Mures agrestes pelluntur, si in eorum foramina Rhododaphne radices imponantur. Mures domestici verò abiguntur cinere querno eorum cavernis imposito. Congregantur autem ad amurcam in pelvi æneâ positam. Enecat Arsenicum album farinæ immixtum: Ex hortis Mures.

hortis extirpantur, si folia lauri aut fabæ intoxicatæ aquâ cocta foraminibus imponantur.

Mustelæ. 24. Mustelæ pereunt, si in aliquo cibo Sal ammoniacum gustent. Earum perit omne genus nidore felis exusti. Occidit vel fugat frumentum, aut ut aliis placet, fermentum cum Sale ammoniaco maceratum.

Locustæ 25. Locustæ non accedunt, cùm vespertiliones circum appenduntur: Ubi autem venerint, lupinis amaris, aut cucumeribus sylvestribus in muria maceratis aspergantur. Si captas locustas & bruchos combusseris, fiet, ut aliæ mox vertigine invadantur, vel moriantur, vel alis depositis à sole comburantur.

Vespertiliones. 26. Vespertiliones suffitus ex hæderâ fugat, nec manere possunt, ubi platani appensa sunt folia.

Tineæ. 27. Tineæ arcentur & caventur, si cista, in qua res servantur, fuerit ex junipero, vel uncta sit oleo juniperino: Vel si eidem abrotanum imponatur: Vel si absynthium siccum in pixide clausum inter res jaceat, vel res sint in sicco loco.

Talpæ. 28. Talpæ abibunt, si in earum foramina immiseris allium, cæpas, porrum, vel Juglandis lignum stramine involutum & aceto madefactum addito sulphure. Eliminantur etiam ex hortis odore camphoræ, allii, & cæparum.

29. Ubi periculum est à serpentibus, origanum spargatur. Eosdem pellit fumus galbani vel cornuum cervi, vel radicum lilii, vel ungulæ capri & hysopi, vel sulphuris, vel pyrethri, vel veterum calceorum. Prodest etiam in loco serpentibus obnoxio plantare fraxinum aut sambucum. Serpentes non sunt, ubi crescit absynthium vel abrotanum. Serpentes.

30. Noctuæ fugiunt, ubi ex hederâ fumus excitatur. Noctuæ.

31. Scilla distillata dat aquam, quæ mixta farinæ aut pani dat venenum glirium addito modico litargyrio. Glires.

32. Ranæ ad locum, in quo sepultum est fel capræ, colligi dicuntur.

33. Ad Curculiones perimendos accipe allii, salsuginis q. s. coque, & hac salsugine pavimenta & parietes irriga: Vel accipe sagapeni, amurcæ, castorei, savinæ, sulphuris, cornu cervi, hederæ, galbani; singulorum quantum satis est, & exindè fiat suffitus. Curculiones.



INDEX

INDEX
Rerum notabilium Tomi II.

 Auri

Equi

Mus

T.

V.

X.

Z.

ERRATA

ERRATA

In Tomo II. ſic corrigenda ſunt.

1. numerus paginam, 2. columnam, 3. lineam denotat.

Pag	Col.	Lin.	
1	0	29	Complecitur. lege complectitur.
2	0	5	Eruntur. l. eruuntur.
4	1	1	Juducat. l inducat.
7	1	19	Tanei fluvio. l. Tanai fluvio.
7	2	52	Hungariæ in Danubium. l. Hungariæ inter Danubium.
11	2	33	Batavium petunt l. Bataviam petunt.
15	2	35	Proſpectam formari, l. proſpectum formari
18	1	17	Corvo nigriore. l. Corvo nigriorem.
21	1	18	Cucumeram à figura. l. cucumerem à figura.
22	1	56	Similes fodinæ l. ſimiles fodinas.
23	1	48	Vucanus Liparitanus. l. Vulcanus Liparitanus.
24	2	14	Maloſus. l. Majolus.
24	2	28	In inſulis Molucris. l Moluccis.
24	2	48	In longinquo. l in longinqua.
26	2	32	Mirabiti. l mirabili
26	2	40	Corycum oppidum. l. Corycium oppidum.
26	2	ult	aepritur. l aperitur.
29	1	10	Præ dictus. l. præditus.
29	2	56	pe quarum l. per quarum.
35	2	1	Cujus adiacet l cui adjacet.
43	1	14	Dubravis. l. Dupravio.
43	2	21	à Tuono. l. Turno.
43	2	45	Lithanthraces, paſſim. l. Lithanthraces vocant, paſſim.
44	1	21	eruntur. l eruuntur.
44	1	39	diviſio l. diviſo.
44	1	43	eruntuntur. l. eruuntur.
44	1	53	in vicinio lacu. l. in vicino lacu.
45	2	50	vi in aquam elicere. l. vi aquam elicere.
47	2	59	aliquandò ſolvit. l aliquandò ſolvi.
48	1	31	cenſentur. l. cenſetur.
48	2	13	nitre cernuntur. l. nitere cernuntur.
50	1	14	Corallochetes l Coralloachates.
53	3	26	diaretica facultate. l. diuretica facultate.
59	1	22	nullis non. l. nullus non.
59	1	34	cum Romanis geſſiſſet l. cum Romanis bellum geſſiſſet.
59	2	31	certum auri libras. l. centum auri libras.
60	2	46	in ſtuporem rapit. l. in ſtuporem rapiunt.
62	1	*infra in margine.*	Sugens pmargdus cro Deo jultus ingens Smaragdus pro Deo cultus.
62	2	45	circuli & cœleſtes. l. & circuli cœleſtes.
62	2	47	aſteriſmum. l aſteriſmus.
63	2	22	deqinxit. l. depinxit.
63	2	42	ad nemus Hercyniam. l. ad nemus Hercynium.
63	2	57	extero ucidam l. extero cuidam.
66	1	10	ob mirandum. l. ob mirandam.
66	1	14	rarioribus. l. raritatibus
69	2	*linea antepenult.*	tractat ferrum. l. trahat ferrum
75	2	49	coagmentatur. l. coagmentantur.
79	1	34	eſt modico ſalis l. & modico ſalis.
80	1	32	teenbant. l. tenebant.
80	1	38	*in margine* aurum in vegitabile. l. aurum vegetabilu.
85	2	20	quam terterræ l quam terræ.
87	2	35	advenerunt medico. l. advocarunt medicos.
87	2	64	protinus & noxios. l. protinns & nocuos.
92	1	18	id quo deflagrationem. l. id quod poſt deflagrationem.
93	1	56	Thucydes. l. Thucydides.
93	2	38	carnem optimi coctum. l. coctam.
94	1	19	contingit. l. contigit.
95	2	23	artridititis l. arthritidis.
97	1	17	genitus ac profluxis plus forte tribuendum. l. genitis ac profluxis potius fortè tribuendum
97	1	19	ſtellarum lece. l. ſtellarum luce.
97	1	42	nire inſigni l. nitore inſigni.
97	1	50	numerum colligiſſe l collegiſſe.
97	1	60	cicimdela. l. cicindelæ.
97	2	31	perogantibus l. peragentibus.
98	1	16	addubit l adducit.
98	1	45	*in margine* pholdus l. pholades.
98	1	60	vetesque. l. veſteſque.
98	2	27	menſtrum Balenæ. l monſtrum Balenæ.
99	1	17	nihil ejus nihil ejus virtute. l. nihil ejus virtute.
101	1	18	inuſutum. l. inſutum.
102	0	9	repentino iu incendio l repentino incendio.
105	0	46	reliquis etiam l reliquiis etiam.
111	2	64	qui dati paritate. l. quia data paritate.
112	2	56	ferream pochtiſſimam. l politiſſimam.
115	1	6	in Bavariam. l. in Bavaria.
119	2	49	fluvios eſt magnus. l. fluvius eſt magnus.
119	2	69	inſigter & gratè vireſcit, ſimilter & lacus. l inſigniter & gratè vireſcit, ſimiliter & lacus.
121	2	37	dictus die Stedmansbach. l. Stedmansbach.
124	1	2	charoaticartum. l. charonticarum.
124	1	49	recenſer 9. D. Sibbaldus l. recenſet D. Sibaldus
125	2	9	eum navicnla inſtituit. l. inhibuit.
127	1	20	ſemitas uto citrquoue. ſemitas ultro citroque
131	1	22	validus æſtimari queat. l. validum æſtimari queat.

Pag.	Col.	Lin.	
3	1	47	cum eertæ motus. l. enm terræmotus.
132	1	39	nemo videt. l nemo non videt.
138	1	17	circulatoribus. l circulatorius.
138	1	31	terræ globo factum. l. terræ globum factum.
140	2	37	nullam. l nullum.
145	1	15	auris affluit l auris affuit.
145	1	48	compenſari poteſt l. compenſare poteſt.
143	2	41	facilè perſpicerent. l. facilè perſpirent.
151	2	14	ut novas ſedes. l & novas ſedes.
152	2	27	ibidem ſpectum l. ſpectatum.
154	2	6	ejus loca l ejus loco.
155	2	15	abſurptam lacu l. abſorptam lacn.
155	2	50	30000 ibidem extincta ſint. l. 30000 hominum ibidem extincta ſint.
157	2	16	ligna evectum. l ligno evectum.
158	1	26	tandem concludebant l. tantam concludebant
161	2	43	Chryſoſtxmus. l Chryſoſtomus.
161	2	63	Evagius. l Evagrius
163	2	13	faſtas contrivit. l. faſtus contrivit.
169	0	29	anotatam. l annotatum.
171	1	26	diſcus & media pars. l diſcus eſt media pars.
172	2	8	credantur. l. creduntur.
172	2	24	ſtellæ radruntis l radiantis.
172	2	48	inſitio truncalis l. truncalis.
173	2	13	carax contectum l. carne contectum.
175	2	20	gtandibus. l. glandibus.
175	2	23	trunens integer l. truncus integer.
176	2	30	humor officitur. l. humor efficitur.
177	1	5	orig porobabiliter l. origo probabiliter.
177	1	10	per diverſos autem lignoſi corporis radios, inter quos: *hic inſere & lege.* Per diverſos autem lignoſi corporis radios perſæpè intercipiuntur, proindè ſingulariter notandum ſingulos lignoſi corporis radios, inter quos ſubſtantia corticalis &c.
179	1	41	eos naturalem. l. eos eſſe naturalem.
180	1	59	corpus ſabulorum. l. corpus ſabuloſum.
181	1	48	ſuperfluum efficii l. effici.
183	1	13	hinc reedunt. l. hinc recedunt.
183	2	55	augeri, quod ita l augeri conſtat, quod ita.
184	2	18	elegantius progeminet. l. progerminet.
185	2	14	ruſus exteriori. l. rurſus exteriori.
186	1	40	& iam. l etiam.
186	2	23	per colorum obſcuriorem. l. per colorem obſcuriorem
181	2	8	quæ humido abundant. l abundanti.
189	2	30	evareſcant. l exareſcant.
190	1	27	ex igneo terræ babitu l. halitu.
191	1	14	caulem ſuum illorum l illorſum.
193	4	ult.	re ſterileſcat. l ne ſterileſcat.
199	1	43	fols ſolis. l. flos ſolis.
200	3	37	flores ter in anuo. l floret ter in anno.
201	1	43	Valerina rubra l Valeriana rubra.
201	1	45	flore ceruleo. l. cæruleo.
201	1	52	incarnatè pleno l. incarnato pleno.
201	2	2	convenicens. l. conveniens.
201	3	23	propagatur l propagantur.
202	1	2	plantarum vegetabilium. l. plantarum & vegetabilium.
202	2	38	iſalis. l. iſatis.
204	1	44	propagatio planrè incerta. l planè incerta.
204	2	19	ver antevertit. l ver antevertunt.
205	1	55	virides ceruleas l cæruleas.
205	2	45	folia ſcacntes l. folia ſecantis.
205	2	64	hoc & à Septembri. l hoc eſt à Septembri.
208	1	41	poſtulatis corticibus. l paſtulatis corticibus.
208	2		*duas ultimas lineas dele.*
209	1	13	amat. l. amant.
209	1	42	Leucopum. l Leucojum.
211	2	36	aſcndit. l. aſcendit
212	1	2	ca cinere. l. ac cinere.
212	1	38	nilaurum l in laurum.
213	1	19	pretio eertunt. l. pretio eertant.
203	1	30	vel oliterins l. vel olitorius.
213	2	11	veluſi fagos. l. veluti fagos.
213	2	60	Tubi natura. l. ubi natura.
214	1	2	viri. l. vivi.
214	1	12	puctiris, qui omnem l picturis, quæ omnem.
214	2	7	habeant. l habeat.
214	2	30	Num cum nihil aliud l Nam cum nihil aliud.
214	2	34	& amnem. l. & amænis.
215	2	17	ſunt & Herculi. l ſicut & Herculi.
215	2	60	deſcribit ortum. l deſcribit hortum.
216	2	8	Adelene, Loo *dele* Loo.
216	2	9	Villarum Batgheſiæ. l Burgheſiæ.
216	2	26	inſignioris borti l inſigniores horti.
217	1	32	phytomantum l. phytomantam.
217	1	39	Nos hoc loco perpaucas. *dele hæc verba.*
219	1	23	ſambacum l ſambucum
221	*in Tab. I. cognit herb. in columnæ herb. martial quadratulo infimo*		Glanduloſarium partium. l. Glanduloſarum partium.

Pag

Pag.	Col.	Lin.	
222	2	37	Contragerva. *l.* Contrayerva.
222	2	49	Nymphæ *l* Nymphæa.
222	2	58	*juxta lineam ubi notantur* Rapum, rubus. &c. *apponatur in margine* Aphtæ. *& reſpondeant.* Rapum. Rubus &c.
223	2	29	primulæ floris. *l.* primulæ flores.
223	2	36	ſanbuaci. l. ſambuci.
223	2	lin.	penult. ſemcionis herbæ. l. ſenecionis herba.
224	2	5	vaviæ *l* variæ.
224	1	20	flactus *l.* flatus.
224	1	*lin.*	*antepenult* Hyſtericii. *l.* Hyſterici.
225	1	8	lithontiptica. l lithontriptica.
225	2	23	Bardonæ. *l.* Bardanæ.
225	2	24	irionſi. *l.* irionis.
225	2	30	Batſama. *l.* Balſama.
226	2	17	opobalſanium. *l.* opobalſamum.
227	1	8	Tormina *Adde & appone in ſequ. columna* Anodyna & narcotica Meum ſerpyllum, Tanacetum Trifolii prat purp. flores *deinde in marginali columna ubi ponitur* Tormina. *pone.* Tumores & inflammationes : *& reſpondent benè deindè* Anodyna emollientia, diſcutientia &c.
227	1	16	*in margine.* Catharrus ferians. *l.* ferinus.
227	2	28	Dipſucus. l. Dipſacus.
229	1	57	ut lapaver *l* ut papaver.
230	0	3	repræſeꝑtantes. *l* repræſentantes.
230	1		*linea ultima* follis veſicæ. *l.* tellis veſiceæ.
230	2	61	aſavum *l.* aſarum.
230	2		*lin ultima* verbuſcum. *l* verbaſcum.
231	2	18	*è regione umbilici ponatur à capite.* Aconitum pardal Buptha!mi flos caprifolium &c.
231	2	45	novellarum abiectum. *l.* abietum.
233	1	16	gariens *l* garriens.
233	2	18	Alexandrium. *l* Alexandrinum.
234	2	1	Los Reges *l.* Los Reyes.
235	1	14	eſt habitu *l.* eſt habita.
235	1	17	Huic ſi ferrens *l* fervens.
235	1	18	inque eas Sineas *l.* Lineas.
235	1	48	rami pedebant. *l.* pendebant.
235	2	58	quin & appeti. *l* appeti.
238	2	11	arbor & palmæ. *l.* arbor eſt palmæ.
238	2	27	hoc ſpatio 12 horarum *l* hæſpatio 12 horarum
238	2	56	urina muliobri, *l* muliebri.
239	1	30	juxta Meximum *l.* Mexicum.
240	1	2	penitus. *l.* penicillo.
242	1	20	Bonenſis. *l.* Bonnenſis.
243	2	40	ac metam. *l* ac metum
243	2	51	in Acetaris. l in acetariis.
244	1	23	cirea *l.* circa.
244	1	28	depilare ſolet *l* depilare ſoleat.
244	1	45	Quon ſi *l* Quod ſi.
244	2	41	Stramonum *l* Stramonium.
245	2	53	floron. *l* florum
246	2	50	inſta pulveris *l* inſtar. pulveris.
247	2	51	ſubitanem *l.* ſubitaneam.
249	1	64	amygdalus amarus. *l.* amygdalas amatas.
249	2	63	ſatyris *l.* ſatyrii.
251	1	29	icta. *l* ictu
252	2	10	ſucculus. *l.* ſacculus.
253	2	17	ſemina *l.* ſeminalia.
253	2	27	tendinæ *l.* tendine.
253	2	60	advert potuit. *l* adverti potuit.
255	1	26	defrag are *l.* deflagrare.
255	2	1	vulgus Narboacaſe. *l* Narbonenſe.
256	1	68	Taberænmotanus *l* Tabernæmontanus.
257	2	24	Vilalpuudum *l.* Vilalpandum.
257	2	44	hortus peuſilis. *l.* penſilis.
257	2	49	arboritus. *l.* arboribus.
259	1	1	optimo. *l.* opimo.
259	1	41	cunctis ſtirpibus erupit. *l.* cunctis è ſtirpibus.
259	2	50	honeſtiorum inter flores locum. *l.* honeſtiorem inter flores locum.
264	2	23	viſum poſſe conſervari. *l.* vitam poſſe conſervare.
265	1	20	ill, aut. *l.* illa, ut.
266	2	50	in plerique *l.* in plerisque.
266	2		*linea antepenult* ſanguinea minas perfecta. *l.* minus perfecta.
267	1	31	inverſa deferuntu *l.* deferuntur.
269	1	30	ſetis prædita *l.* ſetis præditam.
269	1		*linea antepenult.* abundans *l.* abundanti.
270	1	24	bruta aliis ſunt. *l.* bruta alia aliis ſunt.
273	1	37	eynecephalus *l.* cynocephalus.
275	2	47	alimenta conquirant. *l.* conquirat.
275	2	54	incidit genus *l.* indidit genus.
276	1	61	ad reptationem, *l.* ad reparationem.
277	2	5	tardur. *l* tardus.
277	2	36	quadrupedium *l* quadrupedum.
279	4	48	ventris ut repitus. *l.* ventris crepitus.
280	3	12	devorat. loca nemoroſa. *l.* devorat. amat. loca nemoroſa.
280	4	52	onera refugit. *l.* onera non refugit.
228	4	9	nunc dextris non modò aurious ſed etiam lataribus. *l* nuuc dexteris nunc ſiniſtris non modo cruribus, ſed etiam lateribus.
284	2	12	aſper. *l.* aſpera

Pag.	Col.	Lin.	
284	4	17	infra diem. *l.* intra diem.
284	4	51	hinit. *l* hinnit.
288	4	19	lapſum, qui in aquis. *l.* lapſumque in aquis.
290	3	28	verſcitur *l.* veſcitur.
290	4	61	venactores. *l.* venatores.
293	1	5	hoc capita *l* hoc capite.
293	1	18	Arcananum. *l.* Acarnanum.
293	1	*lin. penult.*	à tertio ætatio anno. *l.* à tertio ætatis anno.
299	2	3	paſcua facunda. *l.* fœcunda.
301	1	59	ferbiens *l* febriens.
301	2	54	martio menſæ *l* menſe.
302	2	58	mutat loco *l.* mutat loca
305	2	11	tantum eſſe. *l.* tantam eſſe.
309	2	28	inibique *l* inibi.
314	2	46	noctante *l.* notante.
316	1	52	à tentoris. *l* à tentorio.
320	2	18	factes *l.* factus.
320	2	45	die vocationis. *l.* die vacationis.
323	1	50	malificos *l.* maleficos.
324	2	60	quincum valdè timuerunt. *l.* qui tum valdè timuerunt.
325	1	55	licet ſi manſuetum. *l* licet ſit manſuetum.
327	1	34	Stiliano. *l* Stilliani.
328	1	40	Liguris aliquot fuſtibus. *l* ligneis aliquot fuſtibus.
329	1	52	ſtrata quedum. *l.* ſtrata quædam.
333	2	58	meminibus *l* meminimus.
338	4	49	in varias partes ſcit. *l.* in varias partes colleſcit.
340	2	26	tinctæ *l* tincta.
343	2	10	maxima. maximè.
349	3	5	quid offertur. *l* quidquid offertur.
351	2	49	cartilaginea verò. *l* cartilagineas verò.
353	1	30	Ex is *l* Ex iis
354	1	*lin. ultima*	miraculi viam *l* miraculi vim.
355	2	17	correptis *l.* correptus.
356	2	8	omnium occulos. *l.* oculos.
357	1	33	cuſus jam meminimas. *l.* meminimus.
358	2	25	ab alite *l* ales eum.
358	2	64	bene habuiſſe. *l.* benè edoctum habuiſſe.
361	1	24	omnia *l.* omina.
361	2	55	item. *l.* idem.
364	2	21	qui oppreſſiſſent *l* qui oppreſſiſſet.
365	1	29	infeſtigat. *l.* inveſtigat.
365	1	31	di noctuque. *l.* diu noctuque.
365	2	5	alias quoque *l* alia quoque.
366	1	29	ut panem *l* & panem.
368	1	31	qui pedes *l.* quæ pedes.
373	1	46	epiſcopalibus inſignis. *l.* inſignibus.
373	2	1	lympidis *l* limpidis.
374	1	54	foras extra hunc *l.* foras extrahunt.
374	1	63	vi exiliit. *l* vi exilit.
375	1	42	caperini odoris. *l* caprini odoris.
376	1	60	nec nulla morâ eſt *l.* nec ulla mora eſt.
380	1	34	paſſionem cholericam. *l.* colicam.
385	3	10	Grœnlandiam & vicinia. *l.* Grönlandiam & vicina.
388	2	25	ſolius. *l.* totius.
390	2	46	Sſpera *l.* aſpera.
391	2	4	eapite arecuato. *l.* capite arcuato.
393	4	45	aſtuta *l* aſtutia.
394	2	44	pennæ omnes. *l* pinnæ omnes.
401	4	14	agrorum pinguedinem *l.* pinguedine.
405	3	6	& maculis à littore remotis. *l.* & magis à littore remotis
405			*in titulo capitis XIII.* de variis exoticis aquatilibus ex monſtris. *l.* & monſtris.
406	1	49	comprobatum *l* comprobatam.
409	2	59	decem ab Antverpia *l.* decem Antverpiæ.
419	1	5	in quibusdam. *l.* in quibusnam.
420	2	12	Ann Exot. *l.* Anim Exot.
420	2	ult	convolutionis. *l.* convolutionibus.
426	3	22	venis ugularibus. *l.* venis jugularibus.
431	1	39	ſervo Deo *l.* ſervo Dei.
433	1	24	communis tamen *l* communius tamen.
433	1	25	magis annuſi. *l.* magis annoſi.
433	1	40	Draconem *l.* Draconum
434	2	26	ev Authoribus. *l.* ex Authoribus.
440	1	24	poſt aërem inſuctum *l* ex ſuctum.
440	2	54	colcopterorum. *l* coleopterorum.
440	2	56	colcoptera *l* coleoptera
442	2	54	vaginipennis audem *l.* autem.
443	1	6	ſi qua *l.* ſi quæ.
443	2	42	cereum circa. *l* cereum lumen circa.
445	1	14	habet *l.* habent
450	3	6	venatur *l* venantur.
450	3		*Antepenult.* frugibus infertiſſimum. *l.* infeſtiſſimum.
451	3	23	minimum caput cibum. *l.* minimum capit cibum.
452	2	25	animal eſt oliforme. *l.* oviforme.
452	4	42	vermis eſt eſt vilis. *l* vermis eſt vilis.
453	1	27	diverſi generi muſcas. *l.* diverſi generis muſcas.
456	2	39	pepiniani. *l.* Perpiniani.



Prima DEI cognitio est Scire HOMO quid sit. S. August. in Ps.
Mirabilis facta est Scientia Tua ex me. Ps. 138.
Dedi tibi Virtutem continentem omnia. Sap.
Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Ps. 10.
SPECULÆ
Physico-Mathematico-Historicæ
TOMUS III,
Continens
Microcosmi sive Hominis notabilia et mirabilia
scienda.
Authore IOANNE ZAHN, Can: Ord: Præmonstr.
Sicuti Mundum propter Hominem machinatus est DEUS Ita ipsum propter Se, tanquam Divini Templi Antistitem Spectatorem Operum rerumque Coelestium. Lactantius Firmianus de Opif.

SPECULÆ PHYSICO-MATHEMATICO-HISTORICÆ
TOMUS III.

Continens

MICROCOSMI

Sivè

HOMINIS

Notabilia & Mirabilia ſcienda,

Eaque

Vel Corpus humanum concernunt, & ſunt ejusdem formatio, partium tam externarum, quàm internarum diſtributio, Symmetria, Signatura ad internas propenſiones indicandas, & varia alia humani corporis accidentia & miracula:

VEL

Spectant ad ejusdem Spiritum animaſticum ſive Animam, ſuntque facultates & potentiæ, ſenſus item tam externi quàm interni præter complura alia, quæ utiliter de Homine ſciri poſſunt, eumque verè Microcoſmum, & admirandum Magni Conditoris in eodem Opificium mirificè declarant.

AUTHORE

JOANNE ZAHN

Sacri & Candidi Ordinis Præmonſtratenſis Canonico Regulari, nec non Parthenonis Cellæ inferioris ejusdem Ordinis propè Herbipolim

PRÆPOSITO.

Cum PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.



NORIMBERGÆ,

Sumptibus JOANNIS CHRISTOPHORI LOCHNER Bibliopolæ.

Literis KNORZIANIS.

ANNO M.DC.XCVI.

REVERENDISSIMUS PERILLUSTRIS AC PERGRATIOSUS DOMINUS D. CAROLUS SIGISMUNDUS AB AUFSESS, ECCLESIARUM IMPERIALIS BAMBERGENSIS ET CATHEDRALIS HERBIPOLENSIS RESPECTIVE DECANUS ET CANONICUS CAPITULARIS AD S.S. GANGOLPHUM ET IACOBUM EXTRA URBEM PRÆPOSITUS, et coet.

humiliter offert ac dedicat
Joan. Christoph Lochner Bibliopola Norib.

[illegible] imago, animalium [illegible] [illegible], coelestium fratet [illegible] inventor artium, [illegible]
[illegible]mus, & receptaculum, pactet [illegible], in hac terra Vita De-
a 3

REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI

DOMINO
D. CAROLO SIGISMUNDO
AB AUFFSESS

Ecclesiarum Imperialis Bambergensis & Cathedralis Herbipolensis respectivè Decano & Canonico Capitulari, ad SS. Gangolphum & Jacobum extra urbem Præposito &c. Domino perquàm Gratioso.

INvaluit hæc jam olim apud Gentes consuetudo, ut si quod animal aut magnitudine rarum, aut forma prodigiosum, aut ingenio sagax & acutum reperissent, id Magnatum aulis destinarent velut dignum magni liminis hospitem. Hinc Ægyptii Hippocentaurum, & Antiocheni Faunum, cum vivos non possent, melle conditos illum *Claudio* Principi, hunc *Constantino* Cæsari transmiserunt gratiam ab illis inituri, si formas informes, & Africæ solitudinis prodigiosa monstra commonstrassent. Hominem marinum incolæ Libyci in Hispaniam; portentosæ molis Elephantem Lusitani *Romam* ex ultima India deportarunt magnum longæ navigationis pretium pacti, ut monstrum mirabilis belluæ maximum terrarum Principem ac Pontificem trina genu flexione salutaret. Certè si Hydram suam *Hercules*, aut Sphyngem suam *Oedipus* reducerent, ad Magnatum postes adducerent. Quid autem in hoc orbe mirabilius, aut magis prodigiosum est HOMINE (cujus formam & indolem ut variata satis verborum pompa extendat Rhetorica) quos non miscet colores, quas non texit periodos? Passim in rostris & eloquentiæ palæstris floridis audit Cœli simulacrum, Conditoris imago, animalium Monarcha, Orbis compendium, creaturarum Epilogus, cœlestium frater Spirituum, inventor artium, scientiarum thesaurus, & receptaculum, patrator mirabilium, in hac terra Vice-Deus & Domi-

Dominus; qui subtilitate ingenii penetrat in Naturæ recessus absconditos, & aptatis alarum remigiis velut divinus *Dædalus* suo ratiocinio evolat usque ad Cœlorum orbitas, ubi explorat stellarum numerum quasi innumerum, metitur vastitatem planetarum, decircinat polorum distantias, determinat velocitatem motuum, librat globorum moles & altitudines, detegit influxus luminum, præsagit Eclipses, Solis Lunæque labores. Tum quasi augusta cœlorum palatia forent angustiora, quam ut exsatiarent humanum ingenium, in terram revolat, ubi speculatur rerum causas, examinat effectus, rimatur abyssos, expiscatur ingenii sui bolide lacus & maria, ad libellam vocat montium gibbos & vertices, ponderat virtutes herbarum, aquarum, gemmarum, animalium, ut nihil tam profunda caligine videatur Natura potuisse occulere, quod lynceum hominis oculum effugiat. His nondum contentum mirabile ingenium Hominis in urbium certibus Stoäs, Peripatos, Academias, Lycæa, & Scholas erigit, ubi Theologus homo disputat de DEO; Philosophus rerum naturalium rimatur causas, & præcipit leges sapientiæ; Rhetor benè dicendi viam aperit, Poëta veritates jucundis implectit fabulis, Grammaticus Solæcismos castigat, & concinnum struit vocabulorum ordinem. Sic quicquid hic orbis rarum, admirandum, ac stupendum exhibet, id omne in se complectitur HOMO velut mirabilium epitome, & omnium prodigiorum prodigium supremum. Hunc HOMINEM, qui verè Micro-Cosmus omnia magni Mundi mirabilia in se solùs cömplectitur, ego in conspectu Magni DECANI adduco, ut in hoc uno conspiciat, quidquid orbis suspexit, vel miratus est in multis, si non universis. Molis quantitatem exhibet in Gigantibus, quantitatis diminutionem in pygmæis, velocitatem in *Camilla*, & Amazonibus, Sanitatem in Athletis & pancratiastis, ævi longitudinem in *pylo* & *Nestore*, memoriæ felicitatem in *Cyro* & *Mithridate*, & hujusmodi mirabilia sexcenta in aliis prodigiosis hominibus annotata. Sed hæc omnia non habet, nec exhibet hic HOMO mirabilis in finem alium, quàm in obsequium Reverendissimi Domini & gratiosi *Mecœnatis* sui, ut quantumvis sit mole magnus, se tamen inclinet ad reverentiam, quantumvis parvus, se tamen erigat ad nutum Gratiosi sui *Mecænatis*; quantumvis velox, studeat tamen esse velocior ad jussum & ipsos Euros vincere; quantumvis sanus sanitatem imprecetur, & communicet; quantumvis longævus, vitam dividat, & de sua Gratioso suo Domino adjiciat; quantumvis oculis lynceus, tamen non spectet nisi Gratiosi sui Domini commoda; quantumvis aliis sensibus mirabilis; illis tamen non utatur, nisi ad illud, quod senserit esse ad sensum sui Domini. Per hunc *Hominem* seu Micro-Cosmum contestari volui summam meam erga Reverendissimum & pergratiosum Dominum æstimationem, simulque submissam devotionem. Quod deëst mirabili huic HOMINI in talentis nobilibus, comparabit ex consuetudine Gratiosi *Mecænatis* sui, si quem angulum in illius favoris scrinio repererit, ut deinceps gloriari possit verè, quod Homo sit literatus, & omnibus numeris absolutus. Cœli liberalitas Reverendissimam Dominationem suam Benedictionibus ita accummulet, ut nusquam queri possit *Hominem non habeo*; cum habeat hunc *Hominem* in Notabilium & Mirabilium Sciendorum *Specula*, & me, qui cupio perennare æternis vinculis

REVERENDISSIMÆ PERILLUSTRIS & PERQUAM GRATIOSÆ DOMINATIONIS SUÆ

Servus obstrictissimus

F. JOANNES ZAHN,
Parthenonis Cellæ Inferioris Can.
Ord. Præmonstr. Præpositus.

PAR-



PARNASSUS CELLENSIS

Mirabilia Hominis

In perillústri & Gratioso Mecænate suo miratur.



Ualem te memorem virtus Aufffessia! *Divum*
An mortale genus? Divo de sanguine cretam
Te probitate probas: Hominem *testaris humano*
Morum illo accentu, quem toto pectore spiras
Ceu Phœbi vultus radios. Hominemque Deumque
In te suspiciunt Homines: imitando Deorum es
Æmulus & factis illustris idea Virorum,
Ad quam componant magnæ sua nomina mentes.
Quid sit homo, *qui nosse cupit, quas occupet artes,*
Quas legat intus opes, sacros quos nutriat ignes;
Hunc videat, dicetque Hominem *Miracula Mundi.*
Hic Dij divitias non parco munere cunctas
Congessêre suas; hic culta modestia vultum
Finxit amica Charis *ciliis velut iride cinxit*
Fulgentes oculos, suadæ stillantia mella
Affudit linguæ, frontem sine nube serenis
Temporibus statuit, palmas ad muneris usus
Tornavit faciles: Belli, pacisque labori
Robur adaptavit, parvi velut Herculis *olim*
Tergum humerosque; caput docta velut ægide Pallas
Artibus instruxit; pectus Constantia firmis
Munivit clypeis; totam sibi denique mentem
Et pietas & prisca fides construxit in aulam
Quam si cœligenum hic foret Augustale Quiritum,
Tales & tantis opibus, donisque Deorum
Emicuêre viri, niveis dum solibus irent
Sæcula nascentis primâ sub origine Mundi
Dum terras habitaret adhuc Astræa *recentes*
Et fasces orbis gererent Virtutis Atlantes
Astrisque æqualem urbs Romana supremam
Eveheret, rerumque potens versaret habenas.
Vidit & obstupuit Tellus hæc nostra figuras,
Quas Heros teneris hic ludere cœpit ab annis
Musarum dum castra colens, laurosque, decusque
Parnassi meteret; Dum Phœbi è pulvere Martis
Ad campos properaret Ovans cum casside fulva
Fulmineo accinctus gladio, sclopoque minaci
Quadrupedem premeret, cum duceret agmina, turmas
Cum legeret promptus dubiæ in certamina pugnæ.
Irruere, hostilesque acies confundere, dexter
Rebus adesse; viris queis arserat ignibus, ignes
Subijcere & pulchram per vulnera quærere mortem.
Tunc vidit campus Martis *succrescere castris*
Nestora *vel juvenem, juvenis vel pectus* Achillis
Ex illo splendore sago, quo Aufffessius *Heros*
Armatus, calidasque suas stetit ante cohortes:
Seu radio scribenda forent vestigia campi,
Seu valli jacienda strues, molesve domorum
Educenda, suis seu castra secanda maniplis
Seu rumpenda quies, dubiaque excurrere nocte,
Seu compellendus peregrino idiomate miles,

Artes

Artes & linguas, animosque probavit, ut unus
Omnibus in curis haut esset pluribus impar.
Non satis at sic Marte *sagum: juvat insuper ausu*
Consimili celebrare togam, sacra Numinis alti
Castra sequi, vigilesque dies Virtutis ad aras
Et noctes agere: innocuus celebrare triumphos
Ipso se victo: sacris altaria donis
Imbuere, & sacros coeli exorare favores
Clara sago, jam sacra togam, quam claret & ornat
Per varios celebris casus Aufffeffia *virtus,*
Cum Mœno *liquidis spumans* Regnisius *undis*
Laudisono ore canat. Laudum mea Musa suarum
Vita modesta legit, quia majus Viribus æquor
Panditur à nostris vix perscrutabile remis,
Est ergo hic Vir, qui libro conquiritur isti,
Vel libro hoc scriptus: calamum suspendò, suosque
Rivos Castaliæ claudunt hoc carmine Musæ:
Incolumem ut Cœli clementia sidera servent.
Hunc Hominem *placidis tegat illum ut Gratia pennis,*
Et texant longis parcæ illi stamina filis,
Gaudebitque liber portum tetigisse quieti.



ELEN-

ELENCHUS ET SERIES TITULORUM
TOMI III.

Speculæ Physico-Mathematico-Historicæ Notabilium & Mirabilium sciendorum.

SCRUTINIUM V.

Micro-cosmicum

Quo Homo totius creatæ Naturæ finis, Mundi Epitome & mirabilium omnium Miraculum maximum investigatur & perlustratur.

PROOEMIUM pag. 1.

Disquisitio I. Somato-scopica.

De Corpore humano ejus formatione, partium distributione, symmetria, signatura ad internas propensiones indicandas, variis aliis accidentibus & circa ipsum miraculis.



Disquiſitio II. Pſychoſcopica

Quâ Microcoſmi Spiritus animaſticus, ſive Anima humana, ejus facultates & potentiæ, atque varia circa Ipſam notabilia & mirabilia inveſtigantur. Pag. 89.



SPECU-



SPECULÆ
PHYSICO-MATHEMATICO-HISTORICÆ
MUNDI MIRABILIS
Notabilium, & Mirabilium
Sciendorum

SCRUTINIUM V.
MICRO-COSMICUM
QUO
Homo totius creatæ Naturæ Finis, Mundi Epitome, & Mirabilium omnium Miraculum maximum investigatur & perlustratur.

PROŒMIUM.



E *Abdala* Saraceno memorant importuna eum quæstione sollicitatum, ut responderet, quid in rerum naturâ maximè putaret admirabile; ingenuè & præclarè pro summi Philosophi Sapientia & gravitate respondisse, *Hominem unum esse, qui admirationem omnem superet:* Cum Homo in anima insculptam, expressamque DEI gerat imaginem, & corpus obtineat cæteris rebus creatis ità præcellens, ut corporeorum mensura & regula dici possit. *Favorinus* nihil in terris magnum præter Hominem agnovit, nihil æquè stupendum, ac Hominem asseruit *Sophocles*: *Plato* ille divinus Hominem ausus est dicere admirabilium omnium admirabile: Sapientes Ægyptii DEUM mortalem edixerunt: *Mercurius* ter maximus appellavit animal divinitate plenum, Deorum nuntium, Dominum rerum inferiorum & amicum, familiaremque Superiorum. *Synesius* vocavit Horizontem corporeorum & incorporeorum: *Plinius* Mundi epitomen & Naturæ delicias: Princeps Philosophorum *Aristoteles* animal politicum, plenum ratione & consilio, quod omnia est, scilicet non secundùm materiam, ut volebat *Empedocles*, sed per specierum receptionem. Taceo, quod alii Hominem nominent Rectorem mundi, summum DEI Technasma, perfectissimum divini operis Exemplar, nucleum elementorum, vinculum universi, rerum omnium scopum & finem; Hoc tamen maximè videtur esse verum, quod etiam trâditur ab Antiquis, recipitur à posteris, nullo

nullo non tempore creditum est à cunctis, & nunc in confesso est apud omnes, Hominem esse *Mundum parvum*, sive ut ajunt *Microcosmum*; aut sicut loquitur *Plotinus* latere in homine rerum omnium semina; aut sicuti *Picus* eidem assentiens in *Heptaplo*, Deum in hominem velut operum suorum omnium compendium congessisse omnia; aut sicuti *Plato* asseruit in *Timæo*, ratione Angelum, motûs celeritate cœlum, oculis solem & lunam, vegetatione plantam, sensu animal, essentiâ lapidem præfigurare; aut tandem sicut *D. Gregorius* nominavit *universam Creaturam*; quod cum omnibus creaturis naturæ communicatione conspiret: Existat nempe cum lapidibus & metallis, vivat & crescat cum plantis, sentiat cum brutis & animalibus, intelligat & ratiocinetur cum Angelis & spiritibus. Optimè proindè etiam in Thesibus suis inauguralibus Herbipolensibus præclarus nostri temporis Philosophus *Fridericus Geiger* S. I. Microcosmum hunc depinxit, *thesi* 5. cum ait: *Homo cœlum est, in cujus capite est Zenith, in pedibus Nadir, in oculis stellæ, in intellectu Sol, in voluntate Luna, in fronte aurora, in vigiliis Oriens, in somno Occidens, in membris Zonæ, in nervis Poli, in membris cœteris signa Zodiaci, in ligamentis circuli, in ætatum gradibus climata. In bile ignis, in sanguine aër, in pituita aqua, in melancholia terra: In lachrymis rores & pluviæ, in paßionum motibus fulgura & fulmina, in respiratione venti, Aquilones & Zephyri. Homo parvum mare est, cujus venæ sunt flumina, cujus membranæ sunt ripæ, cujus affectus sunt fluctus, cujus circulatio est æstus reciprocus, cujus ossa sunt scopuli, cujus interitus naufragium. Homo parvus annus est, cujus infantia Ver, cujus Æstas adolescentia, cujus Autumnus ætas virilis, cujus hiems senectus decrepita.* Sic ille. Cum itaque hactenus *Macrocosmum* & in eo res consideratione maximè dignas & admirandas è specula nostra Physico-Mathematico-Historica contuiti simus: Æquum erit etiam illius Epitomen, scopum aut finem; hoc est *Hominem* sive *Microcosmum*, & in illo quæcunque notatu magis digna & admiranda comperiuntur, sagaci indagine perscrutari, & Curioso Lectori in medium adducere.



DISQUI-

DISQUISITIO I.

SOMATO-SCOPICA.

De Corpore humano, ejus formatione, partium distinctione, Symmetriâ, signatura ad internas propensiones indicandas, variisque aliis accidentibus, & circà ipsum miraculis.



Umani corporis præstantiam non ex eo solùm capite licet conjicere, quod spiritus cujusdam excellentis, hoc est, animæ domicilium sit, totque nobilium actionum instrumentum; Sed etiam ex mirâ illius efformatione, partium constructione & fabricâ, membrorum omnium Symmetriâ & ordinatione mirabili quadam consignatione ad internas animæ propensiones indè metiendas, & pluribus aliis eximiis prærogativis, quas omnes hìc adducere nimìs foret operosum. Visum tamen est præcipuas quasdam, easque magis notabiles & mirabiles ex variis Scriptoribus collectas proponere. Ut verò ordinatiùs omnia Disquisitione hac peragam, quædam de Homine in genere sunt præmittenda.

CAPUT I.

De Homine quædam in genere proferuntur.

Homo quid sit.

1. Omo *Platoni in Alcib. 1.* dictus *Animus, qui corpore imperando utitur; quibusdam Compositum mentis corporisque in se invicem naturaliter agentium;* Ut ostendit *Chauvinus in Lexico Philosoph.* Aliis *Res composita ex mente finita & corpore Organico,* ut explicat *Le Grand, Instit. Philos. part. 8. cap. 8. num. 8.* Communiter tamen à Priscis non tantum sed & Recentioribus Philosophis definitur *Animal mente præditum,* sive *Animal rationale.* Vocatur autem Homo non ab Humo, ut sensit *Varro*, quoniam id etiam de aliis animalibus dici potest sed magis à concordia: Nam ὁμόνοια: Undè vox Homo derivata credi potest, concordiam sonat & consensum: Est enim Homo omnium animalium maximè sociabilis.

Partes Hominis essentiales, Corpus & Anima.

2. Partes Hominis essentiales sunt duę: Materia & Forma, Corpus scilicet Organicum & Anima. Illud verò, sicut *Chauvinus in suo Lexico Philos.* tradit: Est Compages capitis, membrorumque huic famulantium præscripto mentis imperio tractabilis. Constat enim partibus tam sensibilibus, quàm insensibilibus, multitudine, serie, & commissurâ verè admirandis; quæ tamen omnes ad se invicem & ad caput velut ad principium & finem continuatæ, perennisque illius motionis, quæ vita corporis haberi solet, ordinantur, ad nutum etiam mentis pleræque ex iis diriguntur. Anima verò, quæ generaliter est actus primus substantialis corporis organici potentiâ vitam habentis: Hic verò specialiter est in situm principium spirituale cogitandi; vel potius substantia spiritualis cogitans finita; sicut Idem *Chauvinus* docet, cum Corpore Organico hominem constituens, aut constituere apta. Communiter & breviter Alii principia Hominis constitutiva afferunt Materiam, Corpus humanum, & Formam, Animam rationalem.

3. Uti Artifices suis operibus notam solent attexere, sic imaginem vel Idæam sui mentibus nostris insculpsit Deus. Divinæ siquidem Majestatis fulgor non alibi clariùs, quàm in nobis ipsis micat. Undè illius etiam imago sic animis nostris impressa est, ut difficile sit mentem humanam paulò attentiùs intueri & summi conditoris & Artificis luce non perfundi. Quocirca rectè *Pierius lib. 4. in Gen. cap. 1. de Creat. hom.* ait. Ratio, propter quam dici potest homo ad similitudinem DEI factus multiplex & hæc esse potest: Nam sicut in DEO omnia sunt eminenter & causaliter,

Homo ad similitudinem DEI factus.

ter, ità sunt in homine quodammodò omnia tùm per participationem (habet enim communem cum rebus inanimatis existentiam, cum stirpibus vitam, cum animalibus sensum ac motum, cum DEO & angelis mentem & intelligentiam) tum etiam propter intellectionem; *Siquidem intelligendo omnia fit quodammodò omnia.* Etenim intelligens actu & intelligibile actu Autore *Aristotele* unum sunt. Quapropter Idem Philosophus dixit, animam nostram esse quodammodò omnia. Deindè sicut reverà potest omnia facere; sic homo potest quodammodò facere omnia, vel per artem imitando naturam & similia veris faciendo, vel imaginatione fingendo, vel cogitatione mentis informando. Posteà sicut DEUS finis est omnium rerum, ità videtur & homo quodammodò finis esse rerum omnium corporearum. Adhæc sicut animus hominis preest ac præsidet corpori ipsum vivificans, movens & regens, & est totus in toto corpore, & totus in qualibet ejus parte sine ulla sui divisione, diminutione aut inquinatione: Sic DEUS habet se ad universum Mundum. Deniq́ue sicut in Deitate credimus esse Patrem, qui est ingenitus, & Filium, qui ex Patre genitus & Spiritum Sanctum, qui ex Patre & Filio spiratur & procedit: Ità & in genere humano simile quidpiam licet animadvertere. Adam enim à nullo generatus est; Eva ex solo Adam formata, Seth ex Adam & Evâ procreatus. Sed de hac DEI imagine in Anima plura vide infrà.

Homo etiam ad majoris Mundi similitudinem factus.

4. Non tantùm DEI Supremi Conditoris imaginem in se continet Homo, sed etiam Majoris Mundi, perfectissimi, scilicet Operis divini in se exhibet ideam. Undè benè *Lactantius Firmianus de Orig. Err. cap. 13.* ait: *Ficto corpore spiravit ei animum de vitali fonte spiritûs sui, qui est perennis: Ut ipsius Mundi ex contrariis elementis similitudinem gereret*: Et ut *Firmicus in præfat. lib. 3. Astron.* ità *hominem artificio divinæ fabricationis exposuit, ut in parvo corpore omnium elementorum vim atque substantiam naturâ cogente conferret, ut divino illo spiritu, qui ad sustentationem mortalis corporis ex cœlesti mente descendit licet fragilè, simile tamen Mundo pararet hospitium.* Sed omnium doctissimè & clarissimè *Kircherus itin. Extat. dial. 2. cap. 10.* sic ait. *Hominem DEUS producere voluit & ipsum veluti Mundum quendam parvum ex omnium Mundi Entium gradibus constitutum. Nam quæ super cœlos sunt Entia beatissima & primæ Mundi substantiæ, uti omnium Exemplaria, Archetypi, & abstractissimæ formæ sunt, ità Mundum constituunt purè intellectualem: Et ne Mundus sensibilis & corporeus otiari videretur, DEUS alium providit Mundum intellectualem in humanâ mente constitutum, in quo abditus est rationalis fulgor & spiritualis emanatio; in quem etiam tanquam in sensibilis Mundi epitomen, omnium mundi Entium gradus congessit, quibus humana mens non jam mundo inferior cunctarum rerum intellectuali ubertate vigens nullis non imprægnata speciebus in alteram se intellectualis Mundi regionem extendit, atque adeò fit & animo, & corpore universæ Naturæ opus ex materiâ longè spatiosissimum Mundi utriusque vinculum & connexio & totius materiæ finis.* Post pauca deindè subdit sequentia: *Ex quo colliges, hominem esse velut animam quandam mundi; mundum verò esse veluti corpus quoddam, quo constituitur hominis, atque adeò admirando quodam consensu Mundus Major & Minor, uterque stet in utroque, uterque utriusque capax. Major omnia exhibet, Minor omnia indicat, intuetur, speculatur. Major omnium est objectum, omnem in se claudens veritatem; Minor omnium speculum, omnia continens, dum per phantasmata speculationum omnia fit.* Ità *Kircherus.*

Homo tribus præcellit.

5. Homo, ut docet *Cardanus lib. 8. de variet. cap. 40.* omnibus Mortalibus tribus rebus videtur præcellere: Quod scilicet multa habeat solus; quod, quæ cum aliis communia habet, sint meliora; quodq́ue omnium sit capax. Propria autem homini sunt Mens, atque hæc eum Superis æquat: Indè ratio, quæ mortalibus eum præfert. Tertium quod & nobilissimum est, manus. Clarissimus *Digbæus instit. peripat. lib. 2. lect. 24.* Tria Hominem scribit ultrà gregem extollere in sensu quidem interno, quod instrumenta cognitionis ordinet & quærat, & agnoscat & utatur: In linguâ & voce, quod non purè exprimant passionem, sed etiam mentem: In corpore, quod habeat manus; instrumentum non ad determinatam aliquam operationem adaptatum, sed etiam universitati cuidam agendorum destinatum. Ipse *Card.* rursum *l. 11. de subt.* tria hominis dona præcipua hæc narrat: Ingenium scilicet ad inventionem necessariorum; sermonem ad auxilium, & manus ad perfectionem.

Mira de humano intellectu.

6. Inter admiranda meritò poni debent, quæ *Kircherus* recenset *itin. Extat. 1. Dial. 1. cap. 1.* quatuor scilicet esse stata, fixa & immobilia universa, utpotè quæ omnem ab eis ortum atque interitum excludant, suntq́ue illa: *Divina Mens, Angelicus intellectus, materia & humanus intellectus. Divinæ quippè Menti,* ut inquit, *actu insunt omnia ab æterno, eique semper substantialiter inerunt: Angelicus quoque intellectus à suæ creationis initio actu est omnia, semper omnia futurus: Materia & humanus intellectus à sua item creatione (quanquam non eodem modo) potentiâ sunt omnia, id est omnium potentia, eruntque perpetuò id quod sunt, id est, potentia universorum. Æternus est DEUS sine principio, sine fine. Angelus, Materia, & intellectus humanus æviterna sunt, facta quidem sed semper futura, principium sortita, finem nullum habitura. Nullus siquidem humanus intellectus interibit, nulla quoque materiæ pars secundùm naturam annihilari potest, nulla insuper oriri nova. Hæc tria DEUS, Angelus, materia toti sunt ab initio, toti semper futuri, neque innovari aut multiplicari possunt, neque interire aut imminui: Humanus verò intellectus multiplicari quidem potest, nec totus est ab initio, qui quotidiè suo numero perficitur,*

ficitur, donec evadat in actu totus, & donec humana species impleatur; attamen imminui poterit nunquam.

Numerus hominum major quã Angelorũ.

7. Numerus intellectuum humanorum sivè hominum omnium tam eorum, qui jam in mundo fuerunt, aut adhuc sunt, quàm etiam illorum qui futuri sunt, major videtur esse numero omnium angelorum, sivè spirituum tàm malorum, quàm bonorum simul. Nam quia communiter asserunt, tertiam partem Angelorum, cum suo principe Lucifero è Cœlo decidisse & ad tartara fuisse relegatam; & quia horum prolapsorum partem in Cœlo restituere debent animæ bonæ sivè homines beati; longè autem major sit numerus damnatorum, quam sit numerus illius tertiæ partis deciduæ Angelorum, cum ex mille hominibus vix unus salvetur: multò plures damnabuntur, quàm contineat ea tertia pars decidua Angelorum, imò quam sint in duabus illis tertiis partibus in Cœlo relictorum Angelorum, adeoque si tam beati quàm damnati homines in unam summam colligantur, major futurus erit numerus hominum & beatorum & damnatorum simul, quàm numerus omnium Angelorum sivè spirituum tàm bonorum quàm malorum simul.

Natura hominis quintuplex.

8. Circa Naturam Hominis hæc non inconcinnè conscripsit *Cardanus lib. 8. de variet. c. 43. Hominis*, inquit, *natura quintuplex; partim scilicet ut Elementum; atque sic vel in vitus cadit ab alto: partim ut planta, sicq; revirescit & germinat: partim ut animal. Ob idq; voluptatibus atq; doloribus agitatur. Est & divinus, quo munere multa potest.* Verùm ut subdit *Cardanus; propria peculiarisque natura miserrima est. Undè cum primùm nascitur prius quidem plorat quam rideat, ostendens originis suæ calamitosam conditionem; cumque primùm plorat, vigilat: cum autem ridet, dormit: indicans vitæ hujus infelicitates, futuræ autem ac succedentis jucundam & lætam conversationem.*

Raròhomo æquè valet in corpore & in animâ.

9. Raro fit, sicut idem *Cardanus ait l. 8. de variet. c. 40.* ut natura humana in utroq; præstet scilicet in anima & corpore. *Robur enim*, ut inquit, *immensum plerumque stultam de se confidentiam præstat & ferinos mores: immodica sapientiæ ac morum integritas imbecillibus viribus sociari solet.* Homines verò præstantissimos Idem *Cardanus eodem lib. c. 42. circà finem* hos asserit: *In universum tamen omnes præstantissimi sunt, qui auditu aut olfactu valent aut alio exteriore sensu aut etiam memoria vel ingenio, quod magis mirum est: multò minus robore, aut corporis agilitate, sed qui optimè reminiscuntur; proximi his, qui judicio valent.*

Sentiendi facultas in homine præstantior, quàm in aliis animantibus.

10. Inter omnia animantia homo sentiendi facultate videtur præcellere: & quamvis aliqua ex animantibus plurimùm pollere sensibus cognoscantur, adeoq; hominem in sentiendo videantur superare; ut visu aquilæ, odoratu canes, auditu anseres, gustu gallinæ, tactu serpentes, velocitate cervi & aliis alia animantia, ut etiam notavit *Sperlingius in sua Antropolog.* notique sunt illi versus antiqui.

Nos Aper auditu, Lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcellit Aranea tactu.

Verùm in sensuum actionibus, quia homo non acquiescit, sed ad intellectionem eas dirigit: ideò sensus & sentiendi facultas in homine multò est perfectior & præstantior. Quod confirmat etiam *Plato in Crat.* ajens, *Cætera quidem animantia, quæ vident, non considerant, neq; animadvertunt, neq; contemplantur: Homo autem & videt simul & contemplatur, animadvertitq;, quod videt.*

Terror reverentialis hominis ingenitus in cætera animalia.

11. Inter hominis mirabilia meritò censeri debet terror quidam reverentialis eidem ingenitus naturaliter, quo etiam cœtera quæcunque animalia quantumvis sæva, ferocia, & fortia viso homine tanquam Rege & Domino percellantur: ut inde dominium & imperium super illa primo homini à Deo collatum luculenter adhuc cognosci queat. Sic etiamnum Leones hominem verentur, & si putant se ab hominibus conspici, in fugam se conjiciunt; quin & cum tempore ab humana cicurantur industria juxta illud Poetæ,

Longa dies homini docuit parere Leones.

Unde & nonullos Imperatores triumphasse legimus curru triumphali à Leonibus tracto. Æthiopes & Indi præsunt Elephantis, eosque regunt, & ducunt, quo volunt, in præliis adhibent, & ipsos contra hostes etiam in pugnam educunt. Pisces hominis umbram vereri & fugere docet *S. Basilius hom. 10. Hexam.* Denique vocem hominis, quantumvis parvi sæpe & invalidi verentur equi, cervi, boves cœteraq; animalia, quantumvis robusta & valida: & si domestica sunt, illi ad nutum obsequuntur: sin fera, horrent & aufugiunt. Audi præclare hac de re differentem *S. Ambrosium initio lib. 6. Hexameron. Videbatur Elephantis nihil habere natura proserius atque robustius, nihil terribilius leone; nihil sævius tigride: Verum hæc serviunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt. Obliviscuntur quod nata sunt, induuntur, quod jubentur. Quid multa? docentur ut parvuli; serviunt, ut famuli; adjuvantur ut infirmi; verberantur, ut timidi; corriguntur, ut subditi; in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt.* Insignis itaque & præcellentis cujusdam authoritatis character homini impressus, quem licet nos haud advertamus, cœteris tamen animantibus occultum quendam terrorem injicit & reverentiam.

Inter animantia solus homo figuram corporis habet erectam.

12. Inter omnia animalia, solius hominis corpus figuram habet erectam & in sublime spectantem. Idque oportuit sic effici ut esset idoneum instrumentum quarundam nobilissimarum functionum, ac comprimis aptioris contemplationis causâ ut homo Cœlum & ea omnia, quæ sub ipso sunt, citò & facilè posset contueri: nec simpliciter tantùm, sed & per idonea instrumenta observare & dimetiri, atq; ità ex sensibus & eorũ adminiculo pervenire ad

istarum rerum intelligentiam. Unde etiam Poëta cecinit:

Pronaque cum spectent animalia cœtera terram:
Os homini sublime dedit, Cœlumque tueri,
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Deinde praxis & actionis causâ: quia homo tanquam animal politicum & sociale debebat cum aliis loqui & conversari: hoc autem demisso in terram vultu & figurâ pronâ penitùs incoveniens foret: deinde etiam ad civilem conversationem hoc imprimis requirebatur, ut homo suos vultu patefaceret affectus, atque adeò ex oculis humanis cognosci possit internus animi sensus. Tandem ratione expeditioris operationis illius nempè, quæ ex arte instituitur; cum prono & versus terram perpetuo vergente corpore ea, quæ ex arte perfici debent, exerceri probè haud possint.

Caput amplum & rotundum.

13. Solus homo inter omnia animalia caput habet maximè rotundum, & amplum; propterea quod non tantùm sensibus operari debeat, sed etiam intellectu & cogitationibus tum gravibus, tum variis: quâ de causâ etiam cerebrum quâ parte amplius est, frigidius esse oportuit in homine, ne ex illa vehementi & frequenti spirituum agitatione, quibus mens ad cogitandum utitur, nimis incalesceret, atque adeò Spiritum animæ ministrum inflammaret; quæ inflammatio & vertiginosas cogitationes pareret, & affectus nimis furiosos gigneret, ut docet *Keckermannus Systemate phys. lib. 4. cap. 1.* Illud etiam memorabile est, quod scribit *Cassiodorus lib. de anima cap. 16.* de capitis rotunditate Cœlum repræsentante his verbis. *Caput nostrum sex ossibus compaginatum in similitudinem cœlestis Sphæræ rotunda concavitate formatum est: secundò duo oculi sunt quasi* Sol *& Luna, quæ vicissim abscondunt se & occuluntur uti oculi, qui indè nomen acceperunt; dicti enim sunt ab occulendo vel occultando.*

Diversitas & varietas facierum in hominibus.

14. Sicut hominis admiranda conceptio & nativitas meritò inter naturæ miracula censeri debet, ità haud minori admiratione digna videtur infinita illa in vultu humano varietas: Varia partium structura, color multiplex in oculis, elegans proportio, figura admiranda; in rotunditate, formâ sublimi erecta, glabra insignis decor, decora, suavis, omnibus grata venustas & elegantia, ut corda & affectus omnes surripiat, & in ipsâ sit thronus amoris & pulchritudinis & risûs & gaudii sedes, aliarum etiam omnium internarum mutationum imago & speculum. Præ cœteris tamen omnibus verè admiranda est in partibus non ità multùm diversis & dissimilibus ingens tamen diversitas & dissimilitudo: nec enim per omnia sibi similes in vultu duos in toto terrarum orbe deprehendere quis hominespoterit. Opus equidem admirandum, quod in nullâ aliâ re facilè comperitur. Cujus quidem varietatis causam efficientem quidam ponunt in variâ partim imaginatione parentum, & imprimis Matris, à quâ imaginatione diversimodè formatur fœtus in utero; præsertim quoad vultum seu faciem, ad quam major copia & vis spirituum formativorum confluit; partim etiam in varia dispositione & temperamento instrumentorum animæ rationalis: quælibet enim anima individualis requirere & apparare solet singularem individuæ naturæ dispositionem. Porrò insignis ista varietas admodùm utilis imò hominum societati comprimis ad distinguendos homines necessaria videtur, cujus etiam distinctionis meminit *Cardanus lib. 15. de Variet. cap. 86.* his verbis. *Dignoscuntur* inquit, *homines maximè quinque signis: Faciei habitu, colore, statura, voce ac vestibus. Vestes facillimè, inde color, post vox mutari possunt: Faciei habitus & maximè hominem prodit, & difficillimè pervertitur.* Tria etiam maxima in facie humana miracula agnoscit, & describit *Idem Cardanus de subtil. lib. 12.* sic ajens. *cum multa tenuitatis experimenta in homine Natura ostenderit, nihil tamen ad eam subtilitatis rationem, quæ in facie videtur, accedit. Ex qua duo miracula pendent: unum quod in tam magno hominum numero, tamque parvo humanæ faciei spatio adeò omnes inter se distinguantur, ut non duo similes esse non possint, sed etiam notis dignoscantur: Alterum, quod tam parvâ parte tantam quandoque pulchritudinem humano corpori affinxerit, ut pro illâ sponte mori cupiamus, & non visæ amplius formæ stimulis ad insaniam usque agitemur: quandoque tantam adiicit turpitudinem, ut vel sola memoria nauseam & abominationem exsuscitet. Quamvis in utraque structura oculorum, nasi, oris, dentium, frontis genarumque haud sit oblita. Accedit tertium hujus partis & ipsum ingens Naturæ augmentum, quod tam parvis illius mutationibus læti ac tristis, audentis & timentis, irati ac miserentis, amantis & odio habentis, sperantis ac desperantis, sani, ægri, morientis, infinitorumque tum animi, tum corporis affectuum aliorum discrimina ac species appareant.* ità bene *Cardanus.*

15. In sexu etiam hominis quædam differentia est omnibus notissima: alius enim masculinus, fœmininus alius. Quidquid tamen de homine absolutè docetur, id licet mari & fœminæ ex magnâ parte applicari possit: principaliter tamen refertur ad marem, tanquam ad sexum perfectiorem. Sexus itaque fœmininus licet alius sit à masculino, specie tamen non differt à masculino: siquidem sexus est ordo quidam individuorum sub unâ specie contentorum non à formâ, sivè animâ rationali desumptorum, sed tantùm à diversâ corporis & partium ejus comprimis Genitalium dispositione. Hermaphroditus verò sivè Androgynus utrumque sexum habens abortientis naturæ monstris potiùs, quàm perfectis hominibus accenseri debet. Sexus in homine diversitas.

16. Uti præcipua multa bona habet Homo, ità multis etiam malis præter cætera Mala quædam propria hominibus.

tera affligitur, teste *Cardano lib. 8. de variet. cap. 40. Soli enim*, inquit, *cor palpitat, solus titillationis sensum habet, solus plorat fermè, quanquam & Equos & phasianos & thynnos plorare quidā existiment, sed solum lacrymas fundunt: solus mutus nascitur, claudusque Lithiasin natus solus & pene vitiliginem patitur. Equis sanguis profluens è naribus, à pulmonibus venit, undè letiferum; homini soli per nares è capite. Solus linguâ hæsitat, soli è cicatricibus pili non prodeunt. Tardissime verò perficit vocem, sternutatio illi frequentior & oculorum situs perversio.* Sed quam multis malis obnoxius sit homo, ostendere etiam voluerunt prisci Sapientes, dum *Aristoteles* Philosophorum Princeps eundem appellavit Fortunæ lusum, inconstantiæ imaginem, corruptionis speculum, temporis spolium, invidiæ & calamitatis trutinam: *Trismegistus* corruptionis vinculum, mortem vivam, sensitivum cadaver, sepulchrum circumvertibile, velamen opacum: *Epictetus* calamitatis tabulam, mancipium mortis: *Secundus* Philosophus phantasma temporis, animam laboriosam: *Pindarus* Umbræ somnium: *Seneca* imbecillum corpus & indigens alienæ opis: *Solon* denique putredinem in ortu, belluam in omni vitâ, escam vermium in morte. His tamen non obstantibus manet nihilominus Homo nobis altioribus hìc titulis & nominibus insignitus, Finis scilicet, nexus, nodus & centrum omnium mundi creaturarum; Dominus, participium & vinculum totius universitatis, cujus efficiens causa Deus ipse; Materia limus terræ; Forma spiraculum vitæ; Exemplar est Deus; Dei enim imago est homo; Finis ut sit anima vivens, id est, res vel animal vivens aut sentiens, seipsum movens, se & alia noscens, omnia vitæ opera exercens, utque præsit omnibus animalibus, totique mundo, sicut commentatur *Cornelius à lap. in Gen. cap. 2. v. 7.*

CAPUT II.

De humani fœtus in utero formatione, partium configuratione, animatione, & perfecti totius compositi humani in lucem productione.



Quatuor modis hominis productionem fieri posse, notavit jam olim *S. Anselmus*. 1. sine viro & fœmina: uti primus homo *Adamus* à Deo in paradiso productus. 2. Ex homine viro sine fœmina, uti prima parens Eva. 3. Ex homine fœmina sine viro, uti *Christus* Salvator ex Virgine Matre 4. Ex viro & fœmina, idque juxta communem & ordinarium Naturæ cursum, de quo circà hominis productionem notabilia potiora & mirabilia varia hoc capite proferimus.

§. I.

Observationes nobiliores de fœtûs in utero conceptione, formatione, animatione, & in lucem productione.

Fœtus humanus quid sit. 1. Fœtus Græcis κύημα, propriè est conceptus in utero materno ex semine utriùsque parentis factus ad corpus humanum cum omnibus suis partibus ritè constituendum ordinatus: est verò imprimis rudis & inanimatus, deindè animatus. Ille est, quandò principalium viscerum cordis, jecoris, cerebri indistincta adhuc & informia adsunt rudimenta, nec amplius liquida prorsus & seminalis, sed carnea tantùm apparet substantia: Animatus verò est, cum dispositis debitis organis hic ab anima informatnr. Duplex etiam est Masculinus & fœmininus.

conceptio generatoria. 2. De Conceptione generatoria duæ sunt sententiæ, quarum una communior Antiquorum tenet, eam nihil esse aliud, quàm Spiritus seminalis prolifici masculini cum fœminino in uteri fœcundi substantiam & cavitatem factam concursionem & commixtionem talem, qualem formatio fœtûs proximè sequitur. Spiritus autem seminalis non seminis dicitur fieri concursio & commixtio, quia scilicet seminea massa, seminisque corpulentia non aliter requiritur aut inservire solet, quàm eatenùs, ut spirituositatis fœtificæ vehiculum est, quo ad uteri bene affecti perveniat penetralia, ibidemq; fœmineo confluenti spiritui seminali ansam præbeat conceptioni & formationi cupitam; adeòque fœmineum Spiritum seminalem congruenter permëet ac perficiat: sicuti explicat *Chauvinus in Lex. Philosoph.* Alteram sententiam recentiores tenent, & ad prolis quidem productionem duplex semen requiri docent, Masculinum scilicet & fœmininum. Verùm hoc materiæ potissimùm, illud Efficientis rationem habere dicunt. Volunt & liquorem genitalem, quem mater fœtui constituendo suppeditat, distinctis vesiculis, ceu ovulis inclusum tenere; quæ ideò & propter magnam, quam cum alitum vitellario habet analogiam, Oviaria Neotericis audiunt. In hac sententiâ dicunt materiam conceptioni solam matrem, nihilque patrem suggerere, concurrere autem semen masculinum efficienter non per quandam irradiationem, sed per corporeum contactum, quatenus scilicet particulæ illius agiliores & actuantes per uteri porosam substantiam Oviario muliebri adducuntur. Ità recenset *Idem Chauvinus lib. cit.* Sed nostrum hìc non est arbitria de his sententiis facere.

3. Generatio hominis quamvis eadem esse, & eodem modo fieri censeatur, quàm reliquorum animalium: diversa tamen in homine idcircò est, quod præter corpus, & ejus Generatio hominis in quo diversa à generatione animalium cæterorũ.

& ejus organa etiam mens sivè anima rationalis non ex traduce aliquo sed ex Deo per creationem ibidem existat. Ut igitur homo hominem gignere dicatur, sufficit ab illo præparari materiam, in quam Deus mentem sivè animam rationalem infundat, intimæque corpori conjungat.

Quo tempore anima fœtui infundatur

4. Quo verò tempore anima à Deo fœtui humano in utero materno infundatur, plurimùm dissentiunt Authores. *Antonius Le Grand Instit. philosoph. part. 8. cap. 4.* statuit (salvis tamen Canonicis & civilibus regulis sicut addit) animam rationalem corpori infundi in ipso conceptionis momento, sivè eo tempore, quo semina ita sunt in utero commixta, ut conformationis actio incipiat & inchoëtur. *Thomas Fienus lib. de form.* fœtûs, animæ infusionem ad diem tertium à conceptione constituit. Alii communiter cum *Aristotele* tenent, absoluto toto corpore cum omnibus organis & membris ritè distributis & constitutis animam infundi à Deo: quod contingere dicunt in masculino fœtu ad diem quadragesimum secundum aut quintum, etiam & sextum: in fœminino ad nonagesimum à conceptione diem: quam sententiam canones & jura tam civilia, quàm Ecclesiastica etiam amplectuntur. Vide *infra disq. 2. cap. 1.*

Progressus in formatione fœtûs.

5. Ordinem progressûs in efformatione fœtûs humani hunc quidam statuunt Anatomici & Medici. A primo die, inquiunt, ad septimum usque in materia seminali utero contentâ, quæ lactis similitudinem refert, plurimas comprimis & subtilissimas emergere fibras, ex quibus primùm omnium bifurcata quædam vena per umbilicum postea fœtûs ad uterum matris directa ducitur: in altero hujus venæ ramo sanguinem colligi dicunt, ex quo primum hepar generatur; in reliquo ramo verò generari volunt texturas illas venarum cum aliarum venarum dilatatione: Undè venæ omnes ad unum truncum in superiori hepatis parte, nempè ad venam cavam referuntur. Afferunt deindè cor cum suis venis ope virtutis seminalis hoc modo produci: venas nempè calidissimum & subtilissimum sanguinem attrahere, ex quo cor naturaliter carnosum & crassum in primordio generatur: ubi etiam arteria Aorta observatur, quæ omnes alias arterias spiritum vitalem per totum corpus diffundentes progignit. Et quia ex utrâq; etiam cavitate cordis erumpunt venæ, & inferuntur pulmoni, ex his quoque pulmonem generari statuunt: Ex magnâ verò cordis & hepatis venâ nimirùm Cavâ & Aortâ non modò totum pectus, sed successivè etiam crura cum brachiis generari volunt. Alii Physici & Anatomici communiter de processu formationis humani fœtus in utero hæc comperta tradunt. Fœtus, inquiunt, in utero sex prioribus diebus attractu lactis venas concipit cum tribus albis notulis, seu punctulis primariis ad tria primaria membra. Novem succedentibus diebus attractu sanguinis formantur, hepar cor & cerebrum; deinde usque ad 27. formatur Vena umbilici, qua alimenta fœtus attrahit; hæcque omnia contingunt intrà mensem In succedentibus deinde aliis 18. diebus reliqua membra formantur, adeòque totum fœtus corpusculum completur intra dies 45. Interim etiam fœtus, cum debilis admodùm sit, quiescit usque ad diem 90. à conceptione, ubi primùm validior factus se movere incipit, hoc est post 13. septimanas à conceptione. Duplicato deindè hoc numero 90. (qui efficit 180. dies, hoc est, annum dimidium) omninò confortatur; tandem additis rursus 90. diebus tempus partûs ordinarium completur 40. septimanarum, sivè novem mensium, computando 30. dies pro singulis mensibus.

Quatuor gradus formationis fœtus.

6. Solertissimus *Bartholomæus Anglicus in lib. de propr. rerum*, infantis in utero efformationis quatuor his tribuit gradus. Primus est, inquit, cum adhuc fœtus est vicinus lacti. Secundus cum jam semen sanguini se commiscet; tunc enim nondum hepar cor & cerebrum perfectè formantur, sed sunt quædam massa sanguinea, quem gradum *Hippocrates* fœtum vocat. Tertius gradus est cum corde, cerebro & hepate jam formatis alia membra informia & indistincta sunt. Ultimus gradus est *ab Hippocrate* Infans vocatus: jam enim corpore organizato & ad susceptionem animæ dispositio vivificatur & jam incipit se movere & pedibus calcitrare, & si fœmina est, in sinistro latere re plus movetur: & si est masculus plus in dextro, ut dicit *Galenus*. In lactis autem gradu est infans per sex dies: in gradu verò sanguinis per novem: in gradu massæ carneæ per duodecim: in quarto autem anre plenam perfectionem per octodecim. Undè versus

Sex in lacte dies; ter sunt in sanguine trini;
Bis seni carnem; ter seni membra figurant.

A die conceptionis usque ad diem completionis & vivificationis fœtûs sunt dies quadraginta sex, ita ut primus & ultimus inclusivè teneantur. Ex quo patet, quod in quadragesimo sexto vivus & completus est fœtus, quantùm ad effectum generationis, hæc juxta Authorem citatum.

Tribus tunicis involvitur fœtus.

7. Tribus tunicis sivè panniculis communiter asserunt involvi fœtum, nempè secundinâ, Allantoide & Amnio, ut proindè mira sit Analogia inter fœtum humanum & fructum arboris: sicut enim hic ex arbore, ità fœtus pendent ex utero mediis vasis umbilicalibus tanquam stylo, tunicisque custoditur velut fructus cortice & foliis.

Nutritio fœtus in utero.

8. Quia fœtus in utero materno incrementum capere debet ex uteri materni venis: ideò providè formantur vasa Umbilicalia in illa Embrionis parte, ubi futurus est umbilicus infantis: quibus semel iterumque corpus infantis circumdatur, inde ad uteri venas deducta, illiq; adhærentia sanguinem vehunt pro alimento ad fœtum. Non ergò infans nutritur in utero per os, sed per umbilicum originem habentem à vasis umbilicalibus, quæ aliud non sunt, quàm plures venæ fundum uteri materni petentes unà cum arteria

Fridaria diurna.

Suprema media et infima sympathetice respondent in Homine

Fridaria nocturna.

Natus de die ab ortu ☉ ad occasum.

☉ ab An. 1. ad 11.
♀ ab An. 11. ad 19.
☿ ab An. 19. ad 32.
☽ ab An. 32. ad 43.
♄ ab An. 43. ad 55.
♃ ab An. 55. ad 62.
♂ ab An. 62 ad 68.
☊ ab An. 68. ad 70.
☋ ab Anno 70. ad Mortem usque.

Natus de nocte ab occasu ☉ ad ortum.

ab An. 1. ad 10. ☽
ab An. 10. ad 21. ♄
ab An. 21 ad 33. ♃
ab An 33. ad 40. ♂
ab An 40 ad 50. ☉
ab An. 50. ad 58. ♀
ab An. 58. ad 71. ☿
ab An. 71. ad 74. ☊
ab An. 74. ad 76. ☋
vel Mortem usque.

Iuventus ab An. 22. ad 41. ☉ — Vegetus, foecundus, prolificus.
Virilitas ab An. 41. ad 56. ♂ — Fortis, animosus, cholericus.
Senectus ab An. 56. ad 68. ♃ — Bonus intellectu, iudicio, consiliis.
Decrepitus ad finem vitæ ♄ — Fastidiosus, melancholi-cus, phlegmaticus.
Infantia ab An. 1. ad 4. ☽ — iners, debilis.
Pueritia ab An. 4. ad 14. ☿ — vivax, audax.
Adolescentia ab An. 14. ad 22. ♀ — Studiosus, comptus, ornatus et delicijs gaudens.

Tempus partus maxime legitimum est Mensis nonus et decimus, a Die nempe 15. noni Mensis ad Diem 15. Mensis decimi.

1. ♄ Concipitur, rudite disponitur.
2. ♃ Confortatur.
3. ♂ Membra distinguuntur.
4. ☉ Calore nativo fovetur.
5. ♀ Decorem recipit.
6. ☿ Motus organa complentur.
7. ☽ Completur et nutritur.
8. ♄ Laborat egressu.
9. ♃ Expellitur.

Foetus in utero materno per circumscriptos Menses.

Aetates humanæ cum Dominio Planetæ. Homo in Ætate respondente est.

dies ter sunt in ... ter seni carnem, ter seni membra figurant.

Anni scalares sive Climacterici 7. 14. 21. 28. 35. 42. 49. 56. 63.
Anni Enneacterici 9. 18. 27. 36. 45. 54. 63.
Anni prosperitatis ad lucra, commoda, gaudia et dignitates: 21. 22. 23. 26. 29.
Anni felices et fortunati, 23. 34. 35. 38. 41. 45. 46. 47. 50. 54.
Anni infelices morborum, damnorum, invidiarum et aliorum casuum infaustorum, 13. 30. 32. 36. 42. 44. 48. 55. 56. 60. 63.

arteria ex iliacis fortè natâ, ac deniquè Urachus seu meatus urinarius: hæc enim omnia simul sumpta, dum fœtus in utero existit, ingrediuntur & subeunt peritonæum: post ingressum verò statim à se invicem separantur, & vena quidem interius peritonæo annexa sursum tendit ad cavum jecoris, illiusque rimæ inferitur, & per hanc venam infans trahit ex placentâ Uteri materni, seu ut Bauhinus & alii vocant, ex hepate uterino alimentum ad suum hepar, perindèac si proprio alimento in Ventriculo decocto nutriretur.

Fœtûs humani situs in Utero.

9. Situs infantis in Utero determinatus perfectè sciri haud potest, quando quidem non unum eundemque semper sed varium in mulieribus utero gravidis deprehenderint Physici. *Pareus* aliquandò infantem cum pedibus sursùm elatis, interdum deorsum porrectis advertit. Imò testatur, se fœtum vidisse dissectâ matre statim postquam exspirasset, in longum exporrectum, facie sursùm conversa, & manibus veluti ad supplicandum junctis. Communiter tamen fœtus conglobata ac veluti orbiculari figurâ gaudet, capite nimirum in genua reclinato, ac geminis manibus sub genis, calcibus autem ad nates junctis.

Abortus quid, & ejus causæ.

10. Abortus, qui propriè nihil est aliud, quàm præpropera ac intempestiva fœtûs exclusio ex materno Utero, loquendo de causis intrinsecis, dupliciter accidere solet, nimirum vel propter affectiones infantis, vel Uteri. Ratione infantis accidit, quandò vel cotelydones sunt adeò debiles, ut acetabula citò rumpantur, vel membranæ fœtum continentes adeò tenues sunt, ut ante tempus scindantur, humorésque diffluant; sicque fœtus deficiat. Ratione Uteri, sivè matricis accidit, si mulier infirmæ sit naturæ, & matrix obnoxiis quibusdam affectionibus infestetur. Generaliter autem, si causæ externæ spectentur, uti *Cardanus lib. 1. de tuenda sanit. cap. 10.* recenset: *Gravidæ, ne abortum patiantur, cavere debent à crapulâ, tristitiâ, saltatione, multitudine hominum, & maximè in loco arcto, esu multorum fructuum, cincturâ arctâ, & breviter ab omni malo per se, ab omni vehementi, ab omni insueto.* Eodem etiam *lib. cap. 11.* docet: *prægnantes, quæ vino plurimo aut potenti utuntur, aut cepis multis, aut quæ multùm jejunant, stultos edere fœtus solent: aliæ etiam oblæsos aut cœcos aut surdos: continere autem se à cibis valdè desideratis, valdè nocet.*

Tempus gravidis periculosum.

11. Tempus gravidis magis infestum, quo faciliùs abortum facere possunt, ex *Hippocrate* recenset Idem *Cardanus eod. lib. cap. 11.* his verbis: *Quoniam*, inquit, *menses primus & octavus, seu secunda & sexta quadragenaria sunt periculosissima, sed & ultimi dies sub partu: nec est spes in hujusmodi, nisi quod quantò faciliùs abortiunt, eo etiam fœtus faciliùs servantur*: & post pauca: *Similiter & in primâ quadragenaria ab initio sunt periculosissimi, quia tunc debilissimi in septem primis diebus & in tribus, & in ipsa primâ die. In Octavo autem mense jam ob labores septimi, & octavum mensem & sextam quadragenariam infans debilis est, quasi æger cum maximè valet, ob id & illum cavere oportet inde mensem post tertium.* Hæc *Cardanus.*

Tempus partûs legitimum.

12. Tempus partûs maximè legitimum juxtà Medicos & Physicos censetur esse in utrisque masculis scilicet & fœmellis mense nono & decimo, à die nempe 15 noni mensis ad diem 15 mensis decimi. Hinc communiter dicunt, fœtum totum intra dies 45 perfici, ac cum omnibus membris compleri: ad diem 90 à conceptione, duplum scilicet prioris spatium sivè quadrantem anni moveri: quod deindè tempus, si triplicetur, fieri dies 270, hoc est 40 Septimanas, sivè tres anni quadrantes, tempus scilicet partûs legitimum. Quia tamen nonnulli fœtus citiùs aut tardiùs excludi solent, de Universali prænotitiâ temporis, quo mulier partum aliquem editura est, hæc ab *Hippocrate* traditur regula. *Dies primi motûs in infante triplicati indicant tempus partûs.* Si igitur infans utero contentus moveri incipit die 90 à conceptione, nascetur die 270 sivè mense nono completo: Si 80 die incipit moveri; nascitur die 240, seu mense Octavo completo: Si denique movetur die 100, nascitur die trecentesimo seu mense decimo, quod tempus in fœmellis est valdè usitatum.

Tempus vitalis partûs.

13. Antè dimidium annum fœtus humanus non edi creditur vitalis: Septimo mense editus vitalis comperitur. Octavo mense natus vix unquam superstes esse solet. *Schenkius*, tamen memorat *lib. 4. observ. 152, 153, 154 & seq.* mulieres aliquas quinto, sexto, septimo, octavo, nono, decimo, & undecimo mense peperisse & infantes enixos fuisse vitales. *Plinius* asserit in Ægypto nihil familiarius, quàm octimestres partus vivere. *Cæsoniam* quoque *Caij* Principis Uxorem in exemplum adducit, quæ in mense Octavo in lucem edita fuit. *Cardanus* etiam Cardinalem *Sfondanum* & alios refert octimestres genitos esse, & longam etiam posthac æstatem duxisse.

Consensus etiam Lunæ in conceptione & nativitate hominis.

14. Indubitata experientia huc usque innotuisse docet *Kircherus in Art. magna Lum. & Umb. lib. 1. part. 1. cap. 15. circa finem*, conceptionem hominis cum nativitate ejusdem maximum habere consensum ob aspectum, ætatémque Lunæ, ejusque in Zodiaco eodem temporis momento constitutionem, ita quidem, ut infantem tempore novæ aut plenæ Lunæ conceptum, eodem penè momento novæ aut plenæ Lunæ eundem quoque fœtum in lucem effundi videamus. Ex quo rationem quoque patere vult Idem *Kircherus*, cur septimestres & novimestres partus sint perfecti, octimestres verò vel molam, vel omninò monstrum omnino, vel etiam quid imperfectum informe atque monstro simile, seu carneam quandam

dam massam producant gravidæ. Atque huc etiam non immeritò Aphorismum illum 50 apud *Ptolomæum* respicere scribit Idem, qui ita se habet: *Signum Zodiaci in quo morabitur Luna horâ & momento nativitatis, & Signum, in quo Luna tempore nativitatis erit idem, quod ascendebat tempore conceptionis.* Verùm an observatio ista universaliter subsistat, si assumatur quiscunque dies initio cujusdam anni in diario aliquo pro conceptione, computetur deinde legitimum tempus partus seu nativitatis, facilè adverti poterit, an Lunæ phases & situs in Cœlo respondeant.

15. Planetas etiam cœlestes fœcundo opinionis errore pro fœtûs in utero progressu aliquid contribuere recenset *Chassanæus catal. glor. Mundi part. 12. consid. 8.* Afferunt enim nonnulli primo mense ♄ frigiditate & siccitate sua utriusque sexûs principia miscere & ad conceptionem rudiora filamenta subministrare: Secundo mense ♃ vitali suo calore principia illa fovere & excitare: Tertio mense ♂ vi suâ ingenitâ membra distinguere: Quarto ☉ vitalem calorem ad futuri animalis vitam immittere: Quinto ♀ animal hoc admirandum pulchritudine & decore convenienti vestire: Sexto ☿ motûs organa afferre & totum corpus perpolire: Septimo tandem ☽ animalis hujus spatia fibris, carne, pinguedine &c. implere, denique uteri oscula cum partibus internè & externè adjacentibus aperire, & ita animali ad productionem & exclusionem viam præmunire.

Signa fœtus masculini aut fœminini in utero. 16. Signa fœtus masculini in utero latentis communiter hæc assignantur. 1 Bonus calor in facie fœminæ gravidæ. 2. Sensus gravitatis in dextro latere. 3. Levitas & agilitas in motu mulieris. 4. Dextra mamilla crassior quàm sinistra. 5. Rubedo in oculis & in papillâ dextræ mamillæ. 6. Lac spissum. Hæc enim omnia arguunt copiam caloris vitalis, qui ad generationem masculi requiritur. Signa verò contraria fœmininum fœtum in utero conclusum arguunt.

Sympathia mamillarum cum fœtu. 17. Mira perhibetur esse mamillarum in gravidis consensio cum fœtu in utero: quæ si duræ sunt, fœtus benè valet; Si flaccidæ aut molles, fœtus infirmatur.

18. Quidquid edulii abhorret mater conceptionis aut gestationis tempore, illud idem abhorrere communiter solet fœtus toto vitæ decursu.

19. Fœminæ nigricantes albis sunt fœcundiores propter abundantiam caloris naturalis; cujus indicium est color niger, sicut albedo est indicium frigoris.

Quomodò fœtus aërem requirat. 20. Fœtus enixus & secundinis exutus, si semel aërem hauserit, posteà ne momento quidem temporis absquè eo durare potest, sed eo deficiente confestim moritur. Licet enim in utero naturaliter absque respiratione vita servari possit; cùm talis defectus suppleatur à respiratione matris, quatenus continenter in ejus sanguine copiosè admiscentur aëris particulæ, à quibus maternus sanguis mobilitatem vivicam acquirit; sicque vivificatus per umbilicalia vasa ad cor embrionis perducitur ubi idem præstat, quod efficeretur, si fœtus ipse respiraret. Vide *Joan. Alphons. Borellum de motu Animal. part. 2. propos. 118.* Verùm postquam fœtus in lucem editus, cùm non amplius à tali sanguine in maternis pulmonibus præparato nutriri queat, sed necesse sit, ut totalis elaboratio & compositio sanguinis in propriis officinis perficiatur, ideò oportet, ut maximè necessarium aëris additamentum in seipso absolvat. Et quia impossibile est, ut vita absque sanguinis circuitu, & hic absque respiratione, ista verò absque aëre continuari queat; hinc est, quod vita exclusi ab utero fœtûs tamdiu duret, quamdiu respirat, adeóque sine aeris respiratione ne momento quidem temporis durare possit. Vide *Borell. lib. cit.*

§. II.

Occultæ nonnullæ & admirandæ quarundam rerum vires & Sympathiæ, aut antipathiæ cum Concipientibus, gravidis, parturientibus & earum fœtibus.

1. Tempore conceptûs si mulierem contingat sedem leporis pertransire, infans natus bifurcato notari labio perhibetur.

2. Si mulier conceperit fluentibus mensibus; natus infans Lunaticus, leprosus, maleficus, obliviosus, aut alteri obnoxius malo redditur.

3. Urina arietum à muliere epota conceptum inhibet. Idem præstare perhibetur stercus leporis gestatum.

4. Sterilitatem inducit vinum potatum, in quo mullus suffocatus est.

5. Asa fœtida uterum furibundum compescit.

6. Personaria vel lappa, si summo vertici applicetur, matricem pendulam retrahit; Si plantis pedum applicetur, detrahit.

7. Brassicæ folia idem præstant eodem modo adhibita.

8. Sulphuris odor pacat furores uterinos.

9. Stannum, & ex eo composita medicamenta uterum furibundum compescunt.

10. Succus betulæ martialis solvit impotentiam veneream.

11. Umbilicus infantis spontè cadens quocunque modo insumptus conceptum juvat.

12. Cicuta Satyriasis muliebris antidotum.

13. Cingulum ex lupina pelle uti & ex corio equi marini conceptum retinet.

14. Smarag-

14. Smaragdus & Sapphirus adversantur venereis actibus, & in ipsis cutem tangentes, aut rumpuntur aut saltem nitore privantur.

15. Corallium si carnem mulieris hystericæ, aut fluxu menstruo laborantis attigerit, colorem perdens pallescit; Si removeatur, pristinum recuperat splendorem.

16. Mespili lignum pro amuleto liberat gravidas abortu.

17. Sardonius lapis ventri alligatus conceptum firmat.

18. Serpens uterum gerenti fœminæ occurrens partum abortu vitiat.

19. Ursa prægnantem mulierem ex toto cœtu invadit non solùm uteri gravitate notam, sed etiam quæ pridie conceperit.

20. Thymelæa ventri prægnantis applicata partum extinguit.

21. Mora vel fraga in gravidas projecta Signum fœtui in parte respondente, quo mater tacta est imprimunt. Signa vero ita impressa quotannis viridescunt, flavescunt, rubescunt, cum moris arboreis & fragis terrestribus: Subsident verò & penè evanescunt, cùm tempus mororum fragorum transiit.

22. Lapis Aetites mirabiliter trahit fœtum: collo vel brachio alligatus firmat & continet fœtum, & ejusdem præcavet abortum: femori verò applicatus partum facilitat: post eum tamen removeri debet, ne & uterum trahat.

23. Exuviæ serpentum mulieri prægnanti circumdatæ aut plantis appositæ partum accelerant.

24. Pennæ vulturis parturientium pedibus subditæ idem præstare perhibentur.

25. Facit & ad partum accelerandum dictamnus.

26. Caltha menses Sympathicæ movet, uti & sanguis mulieris benè valentis caltham redolet.

27. Polypodium contusum & plantis pedum parturientium applicatum partum accelerat.

28. Helleborus niger femori interno alligatus menses movet, partum acclerat & fœtum mortuum attrahit.

29. Si mulier terretur ab inopinato Lunæ conspectu tempore conceptûs, fœtus macula Luniformi signabitur, quæ incrementum & decrementum ejus æmulatur.

30. Fœniculum in nutricibus lac ubertim generat.

31. E duobus gemellis in lucem editis unus dextram, non sinistram: alter verò sinistram non dextram mamillam ad sugendum libentiùs arripit.


32. Lac muliebre si super prunas ardentes fundatur, ubera facit sterilescere, inflammari, & exulcerari: Sal verò desuper projectis malum removet.

33. Cibus aut bolus ab aliâ fœminâ lacte plenâ masticatus vel demorsus alteri nutrici oblatus & ab eadem manducatus occultà virtute ubera lacte replet.

34. Secundina si non comburatur aut defodiatur & sepeliatur, damnum affert puerperæ.

35. Ut post partum aliquem obtineantur deinceps masculi; Secundinam prodest sepelire sub arbore piro: Si femellæ requiruntur, sub pomo.

36. Cùm omnium maximè admiranda sit Sympathia illa, quam fœtus habet cum imaginatione matris, ob quam persæpè subitæ ac admirabiles in ipso contingunt impressiones; ideò speciali magis tractatione eam disquirere sequenti capite libet.



CAPUT III.

Sympathia virtutis imaginativæ in gravidis cum earum fœtibus, & de Signaturis ab inde exortis.



Phantasiam multa posse circà fœtum humanum, ejúsque in utero mutationem ostendit præclarè *Thomas Fienus in Tract. de viribus imagin.* Confirmat etiam diversorum magnorum virorum tam Medicorum, quàm Philosophorum authoritatibus, veluti *Galeni, Plinii, Avicennæ, Isidori, D. Augustini, Marsilii Ficini, Citadini, Jacobi de Forlivio, Tartareti, Pomponatii, Thomæ à Vega & Valesij.* Experimenta etiam & Exempla passim prostant apud varios Authores. Nos hìc imprimìs virtutem illam imaginativam, & quæ per ipsam fœtui impressiones & qualitates accidere possint, ostendemus: Quædam deindè Exempla etiam ex diversis Authoribus subjiciemus.

§. I.

Quomodo & quæ Signa virtus imaginativa Gravidarum in fœtum humanum imprimere possit?

Phantasia quomodo fœtum immutare possit.

1. Certum est Phantasiam per se & immediatè sivè per simplicem actum imaginationis (cùm Phantasia sit potentia cognoscens atque immanens) non posse immutare quiccam in fœtu humano, ut variis argumentis ostendit *Fienus l. cit.* sed omnem, quæ fieri potest, immutationem efficere, vel mediantibus animi passionibus per humorum & Spirituum motum, vel directione conformatricis facultatis: Hæc enim sola proximè totum corpus fœtûs conformat, sivè benè sivè malè fiat: phantasia verò seducit aliquandò potentiam conformatricem, & dirigit ad id, quod non est conforme materiæ seminis, sed simile ei, quod est imaginatum conformandum per species exemplariter, seu objectivè speciem nimirùm conceptam objiciendo, ad quam tanquam exemplar seu regulam opus conformationis exequatur conformatrix facultas. Quod verò species in phantasia matris perceptæ ad fœtum ordinentur, contingit, quod illæ imprimantur spiritibus & sanguini matris, & continuitate quadam & sanguini & spiritibus fœtûs, & ibi per modum exemplaris disponunt & dirigunt conformatricem potentiam ad conformandum secundùm exemplificationem & determinationem earum. Vide *Fienum lib. cit. quæst. 14.*

Materia debet esse idonea ad recipiendam immutationem.

2. Phantasia in gravidâ non potest facere aliam mutationem in fœtu neque alias inducere Signaturas, quàm illas, ad quas materia corporis est apta duci, & ad quas facultas conformatrix habet ordinem aliquem naturalem. Ita cum *Fieno quæst. 22.* Unde licet Phantasia possit dirigere conformatricem, ipsa tamen non potest semper sequi directionem, si materia non sit disposita & idonea ad id formandum, ad quod dirigitur, sique non habeat aliquem instinctum, inclinationem & ordinem ad illud. Sic non potest generare leonem, cervum, piscem, vulturem aut aquilam: item inducere fœtui plumas, squamas, aut vera cornua; quia nullum habet ordinem ad illa, neque materia idonea est in fœtu, ut inde tale quid efformetur. Sic etiam Phantasia non potest mutare speciem aut genus fœtus: nec potest efficere fœtum aliis animalibus perfectè similem in toto vel etiam in parte. Phantasia enim est tantùm dirigens: quod autem dirigit, tantùm modum addit actioni; non autem totam essentiam ejus permutare potest. Unde quomodocunque conformatrix dirigatur, non potest sic dirigi, ut extra totalem semitam suæ aptitudinis & inclinationis naturalis dirigatur.

3. Potest tamen Phantasia figuram fœtûs secundùm quid mutare, sive secundùm aliquas ejus partes. Ita potest facere, ut fœtus aliquo modo & ruditer ad figuram alicujus animalis bruti permutetur. Sic mulier perterrita à Simia, cane, vel alio animali producere solet fœtum, qui habeat caput Simiæ, canis aut alterius animalis. Hoc enim non est contra naturam conformatricis facultatis humanæ, cùm principaliter maneat caput humanum, nec præcisè adeò determinata sit ad aliquam certam figuram, cùm habeat certitudinem suam, sub qua possit capita formare sub aliis figuris. — Phantasia secundum quid mutare potest fœtum.

4. Etsi notæ ac Signaturæ illi potissimùm imprimantur parti, quæ fuit in Phantasiâ, quia tamen natura in nullius partis confirmatione tanto utitur artificio, quanto in confirmatione faciei humanæ, & idcircò illius efformationi est maximè intenta: cùm itaque sic dirigitur à Phantasiâ, ut aliquam rem externam velit imitari & exprimere, maximè illam solet exprimere in facie, ut constat experientia & exempla passim obvia demonstrant. — Signaturæ potissimùm fiunt in facie.

5. Signaturæ pleræque evenientes post conceptum tempore nimirum graviditatis potissimum contingunt circa mensem tertium. Ratio est: quia tunc mulieres propter menses retentos & putridos vapores in stomachum & cerebrum ascendentes solent laborare picâ, ut vocant, & variis inordinatis desideriis & appetitibus moveri: tunc & phan- — Quando signaturæ potissi. mum fiant.

& Phantasia magis depravatur & conformatrix debilitatur, fœtùsque quoad externas & carnosas partes, circa quas notæ ac signaturæ eveniunt, magis perficitur & elaboratur.

Quem colorem & quas maculas possit phantasia producere.

6. Potest phantasia mutare colorem & varias producere maculas: non potest tamen producere maculas omnis generis, sed tantùm tales, quales humores corporis apti sunt inducere, præcipuè autem rubeas, purpureas, quæ â sanguine fieri possunt; cum is ubique & maximè abundet; interdum etiam lividas & flavescentes. At perfectè virides, cæruleas, flavas, & ejusmodi alias non potest, quia nulli sunt in corpore humores, qui eas causare possunt.

Signaturæ differentes ut fiant.

7. Signaturæ licet non tantùm tempore conceptûs, sed etiam graviditatis effici possint: non quovis tamen tempore possunt Signaturæ quævis in fœtum induci, sed aliquæ quidem omni tempore & idcircò etiam in fine, aliquæ non nisi in principio & primis mensib⁹. Sic totalis mutatio quoad ossium figurationem non potest sub postremos menses fieri, sed solummodò in primis: nam postremis mensibus ossa jam sunt indurata & conformata; in primis verò adhuc flexibilia & tenera. In fine tamen gravidatis possunt adhuc induci notæ in colore, in pilis, aut maculæ rubræ aut lividæ aut pilis consitæ: Possunt etiam produci carneæ aliquæ adnascentiæ, & tubercula fragi, mori, uvæ aut cerasi similitudinem habentia. Potest etiam magnitudo aut parvitas alicujus membri adhuc mutari naturâ hanc vel illam partem magis minusque nutriente & magis minusque sanguinem alimentarium ad eum trahente, & sic mulier quinto aut sexto mense deterrita â picturâ vel homine enorme caput vel pedem habente posset adhuc producere fœtum similem earundem partium magnitudinem habente. Posset etiam adhuc nonnihil partium figura immutari saltem quoad partes carnosas nondum induratas. Totalis autem mutatio quoad ossium structuram & compagem, sicut dictum, non nisi in primis mensibus effici potest.

Mutatio circa numerum quando effici possit.

8. Nulla videtur fieri posse mutatio aut variatio circa numerum vel ipsius fœtûs vel membrorum ejus in postremis mensibus; Sed si quæ per vim imaginationis fieri potest, ea tantùm in principio conformationis fœtûs effici potest, nempè vel in conceptu, vel primis mensibus, vel fortè tantùm in primo mense aut in primis diebus. Ratio est: Nam quandò conformatrix semel delineavit fœtum, non potest ampliùs illum dividere, sic ut fiant bini; Nec potest decursu temporis ex residuo feminis facere alterum, quia residuum post circumscriptum unum fœtum acquiescit & fit inidoneum ad secundi fœtûs constitutionem.

Pili & excrescentiæ quando fieri possint.

9. Vis & facultas imaginativa potest in fœtu & in variis ejus partibus pilos & excrescentias causare in tempore etiam posteriori gravidatis, ut jam memoratum. Ratio est, quia materia ad hoc præstandum idonea præsens est, ad quam conformatrix dirigi potest, ut constat experientiâ. An autem possit facere toto corpore hirsutum, dubitat *Fienus*. Dubium tamen hoc resolvit, ajens: Nihil impossibile sibi videri, cùm fœtus necessarios & convenientes partibus ejusmodi generandis humores trahere possit è corpore matris, etiamsi in se non habeat. An verò cornua & ungulas producere valeat? magis illi dubium est: Perfectas enim ungulas & cornua producere posse videtur illi impossibile, cùm materia ad id producendum idonea non sit præsens: osseas tamen excrescentias similes illis producere posse concedit & confirmat exemplis.

Multiplicatio membrorum nunquam perfectè efficitur.

10. Cùm mulier gravida terretur â monstro habente quatuor ex. gr. brachia: Non videtur impossibile: quin non valeat etiam prolẽ aliquandò cum quatuor brachiis producere, non tamen iis omninò perfectis, sed solùm cùm aliqua excessus aut defectûs adumbratione, & quidem hoc in primo principio, antequam illa membra suo numero naturali sint constituta & aliquò usque perfecta.

Sexus mutari non potest.

11. Non videtur possibile, quod phantasia possit mutare sexum: Ratio est, quod hic plurimùm dependeat â feminis temperamento, quod phantasia suâ virtute exemplificandi mutare non potest.

Membrorum quantitas quomodo fieri possit.

12. Potest phantasia mutare membrorum aliquorum quantitatem, ita ut caput fiat justo majus. Quidquid enim Phantasia facit, immutando facit & dirigendo conformatricem: Tam benè verò potest eam dirigere & seducere ad malè conformandum partes secundùm quantitatem, quàm secundùm figuram; & conformatrici perturbatæ & seductæ æquè facilè est errare circà quantitatem, quàm variare figuram.

Quæ passiones sint magis signativæ.

13. Cum suprà dictum sit, phantasiam, quidquid in immutatione fœtûs potest, id comprimis mediantibus animi passionibus efficere posse: inter omnes tamen passiones, quæ Signaturas fœtui imprimere valent, primariæ compertæ sunt & magis signativæ Desiderum & Terror. Sic mulieres gravidæ frequentibus & intensissimis esculentorum desideriis teneri solent, ac comprimis illo tempore, quo pica laborant. Possunt tamen & aliæ passiones etiam signare præsertim valdè intensæ & subitò ortæ.

Venustas & pulchritudo in fœtu etiam â phantasiâ provenit.

14. Sicut phantasia notas varias & Signaturas deformitatis in fœtum eo modo, ut docuimus, inducere potest: ità quoquè, cum gravidæ venustorum infantium & quorumvis hominum contemplatione, eorumque imaginibus persæpè delectantur, optimam membrorum omnium conformationem, proportionem & venustatem eidem imprimere possunt, juxtà illud *Oppiani*.

Illâ solent etiam sæpè usurpare Lacones,
Dum uxores cernunt utero catulire tumenti,
Eximiè pictas tabulas & splendida ponunt;
Dum tabulas lustrant oculis, formasq; venustas
Attractæ pariunt formosos ore Lacenæ,

Est enim hoc commune hominibus & bestiis pro specie tempore conceptionis & graviditatis per imaginationem agitata vel sæpiùs recogitata fœtum gignere: undè quoque patet, quâ ratione verum sit adagium illud: *Filium ex adultera excusare matrem à culpâ.* Significatur enim hoc ipso, filios ex adulterio natos plerumque magis similes esse marito adulteræ, quàm vero genitori; eòquod mater continuò de marito cogitans metuendo, ne ab illo deprehendatur, vel vultus suæ prolis prodat verum genitorem, illâ imaginatione reddat eam magis similem marito, quàm vero genitori. Cùm verò fœtus præter morem & ordinem hîc designatum, ut sub causas adductas cadere non possunt, sunt deformes, eæ potiùs causæ, quæ monstra efficiunt, & infrà dabimus, sunt consulendæ.

§. II.

Exempla mirabilia virtutis imaginativæ Gravidarum in mutatione & signatura fœtuum.

Puella tota hirsuta. 1. Testatur ex *Marco Damasceno Petrus Mesias lib. variar. lect. cap. 7.* in confiniis *Pisæ*, in loco quodam *Peta sancta* appellato natam fuisse puellam totam hirsutam, ex eo, quod mater tempore conceptûs imaginem *S. Joannis Bapt.* pelliceâ veste obtecti ad lectum pendentem intuita fuisset.

Proles villosa cum ursi ungulis. 2. Narrat *Puradinus in hist. Saband.* neptim *Nicolai III.* Pontificis, qui erat de Familiâ *Ursinorum*, peperisse prolem totam villosam, ungulis armatam instar ursi, eòquod imagines ursorum in ædibus illius familiæ depictorum attentiùs intuita fuisset: propter quod Pontifex exindè jussit omnes imagines ursorum in urbe Româ existentes aboliri, ne simile malum plures incurrerent gravidæ.

Fœtus diaboli figuram habens. 3. *Ludovicus Vives in Comment. ad cap. 25. lib. 13. D. August. de Civit. Dei* recitat, *Sylvæ Ducis* in Brabantiâ virum quendam, qui dæmonem publicis ludis exhibuerat, domum reversum iisdem adhuc scenicis vestibus indutum cum uxore rem habere voluisse: dicendo, quod ex eâ dæmonem progignere vellet: ipsam autem deterritam fœtum postea diabolicâ præditum figurâ produxisse.

Proles cornuta deformis. 4. Scribit *Wierus lib. 4. de præstigiis dæmonum cap. 18.* quendam ægrè ferentem suam uxorem uterum gerere: iratum accenso animo eidem dixisse; se credere, quod diabolum in utero gestaret: ipsa verò postmodùm prolem peperisse cornutam in formâ diaboli & satyri multis deformitatibus præditi.

Niger fœtus. 5. Notavit *S. Hieron. in quæst. super Gen.* mulierem quandam nigrum peperisse fœtum, eòquod fortem de Æthiope viso imaginationem habuisset. Persina Æthiopissa referente *Le Grand, Hist. nat. part. 9. art. 6.* candido vultu filium produxit: & contrà regina alia alba nigrum infantem genuit.

Fœtus bini vultibus oppositis cohærentes. 6. *Sebastianus Münsterus lib. 3. Cosmogr.* scribit suo tempore propè *Moguntiam* accidisse, cùm duæ mulieres ex opposito sibi in plateâ confabularentur, aliam ex improviso venientem à tergo capita utriusque collisisse, & alteram earum, quæ prægnans erat, duas indè filias peperisse capitibus oppositis, id est, frontibus usque ad nasum cohærentes, quæ sic decem annis continuis conjunctæ vixerunt.

7. Cujusdam nobilis fœminæ meminit *Forestus*, quæ gravida, cum brachium fregisset, filium peperit, cujus quoq; brachium fractum fuit.

Trum Regum partus. 8. Scribit *Cornelius Gemma lib. 1. Cosmocrit. cap. 6.* quandam mulierem *Lovanii* inter confabulandum, cùm fortè mentio fieret de ejus gravidate, dixisse se tempus partûs computare in festum Trium Regum; convivas verò ei precatos esse, ut tres Reges in lucem proferret: ipsam ad hæc animo hilari respondisse: quod felix, faustumque sit. Elapso dein tempore tres filios peperisse, quorum unus erat nigrior & bituminoso colore.

Fœtus in fronte vulneratus. 9. Idem recenset Lugdunensi cuidam mulieri gravidæ accidisse, quod cùm jam tempus partûs instaret, & maritus stricto gladio aliquandò eam insequeretur & ejus fronti minaretur: ipsa posteà peperit prolem magnum in fronte vulnus gerentem; ex quo tam abundè mox sanguis fluxit, ut sisti nequiverit & ità obierit.

Ronchus caninus à fœtu enixo. 10. Admirandum verè est, quod refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 1. obs. 40.* his verbis: Nobilissima quædam matrona prægnans filiolam cum canicula in mensa locaverat. Mater mensæ assidens videt filiolam durius vellicare aures caniculæ lusûs gratiâ secum jacentis: Ecce canicula cum inimico faucium strepitu in filiolæ faciem involat, ejusque nasum dentibus petit. Hoc Nobilis mater perterrita: paulò post justo quidem tempore, sed laboriosè enitebatur filium, qui simul ac in lucem editus esset, ex faucibus ronchum sonorum per 36. horas edebat, qui roncho canis in hostem involaturi non erat absimilis. Cumque hic ronchus usu medicamentorum aut parum levaretur, aut paulò post rediret, mulieres dictæ caniculæ os, aures & caudam per os recens nati stringebant, quo facto ronchus quidem disparuit, sed epilepsia pertinax subsecuta, quæ per DEI gratiam medicis auxiliis sublata est. Post paucos dies in totâ corporis peripheriâ, imprimis autem circà caput ultrà centum ulcera solo

ferè

ferè sanguine repleta exorta sunt, quibus maturatis & consolidatis infans convaluit, & incolumi sanitate diu gavisus est.

Suis grunnitus à fœtu enixo.

11. Simile ferè est, quod *ibidem* recensetur in hunc modum. Molitoris cujusdam uxor tempore gestationis uteri horrendo suis grunnitu perterrita stato quidem tempore peperit filium strepitum huic grunnitui similem gutture edentem. Plebejæ mulieres insolito hoc in casu quid agendum quæritant anxiè: tandem à vicinis edoctæ in fimeto corruptas quasdam fetarum suillarum reliquias ab illa sue (carne ejus nullâ ampliùs superstite) infanti per os strinxerunt, quo facto strepitus ille crassus desiit; qui infans deindè inrobustum juvenem adolevit.

Fœtus croco in utero tinctus.

12. Magnâ quoque admiratione dignum refert *Amatus Lusitanus curat. Med. cent.* 5. mulierem quandam ab epoto medicamento, cui crocus admixtus esset, duas puellas ab extra coloris lutei peperisse, & hanc coloris causam ipsi croco attribuit, signo desumpto, quod color loturâ aquæ disparuerit.

Puella chelis cancri pro pedibus habens.

13. Quomodo prægnans Gammarum attentiùs aspiciens in Silesia puellam cum pedibus quasi chelis cancrinis Anno 1665. *Lorzendorffii* ediderit, refert *Sachsius à Lewenh. Gammarolog. lib. 2. S. 1. cap. 4. §. 14.*

Piscis figura in tibia.

14. *Gaffarellus rer. inaudit. part. 2. cap. 5. §. 12.* de Sorore suâ refert, quod figuram piscis in tibia gesserit tam affabrè effictam, ut pictorem accuratissimum præstiterit: mater namque gestationis tempore piscibus admodùm delectatam fuisse, ignotam verò, cui hæc effigies impressa, nunquam piscem potuisse comedere, nisi simul in tibia acutissimum sensisset dolorem.

Fœtus lacertam in pectore habens.

15. *Thomas Fienus* narrat *in tract. de Virib. imagin. qu. 13.* à quodam viro gravi & fide digno pro certâ historia sibi relatum, mulieri cuidam gravidæ juxtà murum ambulanti lacertam in pectus insiliisse: indè ipsam graviter consternatam paucis post diebus peperisse fœtum in pectore carneam lacertam habentem, quæ caput in carnem pueri infixum & occultatum, reliquam corporis partem foris haberet.

Facies turpata multis excrescentiis.

16. Scribit *Balduinus Ronsæus libello de primord. hom. cap. 10. Gaudæ* in Hollandia mulierem quandam videntem greges gallinarum indicarum sic consternatam fuisse, ut posteà pepererit fœtum habentem faciem multis excrescentiis carnosis multiformis coloris instar galli indici deturpatam.

Fœtus raniformis.

17. *Pareus Chirurgiæ lib. 24. cap. 7.* scribit Anno Christi 1517. in Bosci Regis parœciâ in *Byera* sylva viâ ad fontem Bellæ aquæ natum fuisse monstrum facie ranali ex eo, quod mater ipsâ nocte, qua concepit, ranam manibus contrà febrem alligatam habuisset.

Fœtus occipitis osse carens.

18. Miram hanc notat historiam *Theod. Kerckringius in spicileg. Anatom. obs. 64.* de muliere gravida 7½ mense: illius filia trium annorum in caput decidit: Chirurgus accersitus narrat gravidæ huic filiæ ex casu os occipitis fuisse fractum; mater hoc nuntio quasi ictu perculsa post octo dies infantem edit vita & toto occipitis osse carentem, illius autem loco pelliculæ dilaceratæ & divulsæ ab invicem.

Menstruum fluxus mirabilis.

19. Idem *Kerckringius obs. 87.* de alia gravida narrat, quæ irâ percita menses statim sensit fluentes, qui singulis mensibus fluxerunt, quindecim verò diebus ante partum absque intermissione fluxerunt: peperit puellam, cui inaudito exemplo ipso nativitatis die usque ad 15. dies menses fluxêre; deindè suppressi redierunt post exactum mensem, & post alterum iterum, tertium iis correpta mense Octobri 1668. Amstelodami epileptica puella mortua est.

Appetentia carnis humanæ.

20. A *Marco Donato lib. 4. Med. hist. mirab. cap.* narratur historia gravidæ morsu viri cujusdam carnosi & succulenti armos appetentis, atque post primam avulsam carnem à novâ lanienâ, cum repulsa fuisset præ mœrore ac dolore gemellos, unum vivum, alterum mortuum parientis. Cui similem historiam de aliâ refert *Joan. Hellwigius obs. phys. med. 137.* quæ post unum à viro concessum suræ nudæ morsum, cùm secundus denegaretur, mœsta abiens paucos post dies gemellos itidem peperit, viventem unum & alterum demortuum. Aliam adhuc refert *Jo. Langius lib. 2. epist. med. 2.* duos humero pistoris denudato morsus cùm inflixisset, tertio non concesso tergeminos fœtus fuisse enixam, duos vivos & tertium mortuum.

Caput suillum in fœtu.

21. Novisse se fœminam scribit *Sennertus de cons. chym. cum Aristot.* quæ cùm vidisset à Lanione caput suillum securi dividi; filium deindè genuit, cui tota superior pars cum maxillâ & labio superiore ad nares divisa erat.

Manus digitis orbata.

22. Uxor cujusdam lanionis circà dimidium gravidationis tempus in malâ occupata ex improviso cum spectaret manum ministri molitoris digitis quatuor mutilatam; hinc perterrefacta adstantibus mulieribus factum narrat, à quibus animatur, ut manum ministri paulò accuratiùs contempletur. Illa paret dictis, sed postmodùm enixa est filiolum cœterà vegetum, cujus manus dextra pollice quidem donata, ast quatuor reliquis digitis naturæ conformibus erat orbata, quorum loco particulæ carneæ breviores parùm mobiles absque ullis articulis cartilagineis protuberantiis aut unguibus, quales adhuc dum apparent, extabant. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 6. observ. 30.* Mulieris gravidæ meminit *Tulpius obs. med. lib. 4. cap. 55.* quæ decerptura racemosum palmitem ab hortulano fuit prohibita: Fœtum deindè edidit cum digitis non tam ex articulis, quàm ex acinis, uvisque à tereti pediculo pendentibus planè adinstar illius racemi, quem denegârat hortulanus, instructis.

Intestina in fœtu extrà corpus.

23. Villica quædam Berenstattensis Ulmanæ ditionis, sicut refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 6. obs. 126.* messis tempore, sed primis gestationis mensibus, suburbanis, rusticisque operationibus incumbens & frumenti per agrum hinc indè sparsos manipu-

manipulos colligens, sub eorundem uno reptantium viperarum acervum subitò advertit, harumque & motum & figuram umbilicali regioni superimpositâ manu ità strenuè sibi imaginata est, ut roto quidem gestationis tempore utcunque benè habuerit, ac denique circà crepusculum filiam enixa, quoad reliquas partes vividam quidem peperit, sed ex radicata illâ imaginatione non benè formatam, adeò ut omnia natæ hujus intestina aliàs secundùm naturam in inferiori ventre occultanda, hìc præter naturam per relaxatum umbilicum extrà corpus tanquam magno in culeo recondita, soloque peritonæo investita conspicienda se præbuerint.

Vulnus sub pectore fœtûs. 24. Gravida aliquandò quatuor ultrà menses conscendit templum; tumulum, cui ossa Matronæ nobilis inferenda erant, cum mulierculis curiosis aliis visitatura. Adstans incidit in statuam Salvatoris crucifixi humi jacentem, vulnusque insculptum lateri, & cum sanguine manante affabrè depictam defixis oculis contrectat, ut à fœminis, quas comites habebat, abstrahenda esset: puerperium destinato instat tempore, & filium enititur vulnere sub pectore, quasi studio inflicto conspicuum, quod sanguinem lymphatico humore mixtum stillabat, elapsis demùm aliquot hebdomadibus consolidato. *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 6. obs. 150.*

Partus monstrificus à viso testaceo vase hortensi. 25. Horrendum imaginationis prodigium istud refertur *Eph. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 9. & 10. obs. 23.* his verbis: Non ità pridem opificis conjux filium peperit mortuum prodigiosum cerebro planè destitutum, cujus loco folliculus aderat grumoso sanguine repletus. Facies erat depressa, collum apparebat nullum, sed colli vertebræ suprà aures monstrosè erant elevatæ; cutis in dorso erar aperta & quasi dilacerata, ità ut musculi dorsales in conspectum venirent, illaque dorsi apertura caudam Martis referebat, manus & pedes valdè erant distorti. Causa monstrifici hujus partûs erat, quod mulier gravida medio gestationis tempore à vasis quibusdam testaceis in superna parte apertis terrâ repletis vultum virilem repræsentantibus (quibus diversa florum & plantarum genera inferi solent) valdè perculsa fuerit, & paulò ante partum inopinatus Martis excoriatæ aspectus magnum ipsi incussisset horrorem.

Caput transfossum in fœtu. 26. De gravidâ quadam muliere narrat *Sennertus*, quæ cùm duorum monomachiam vidisset, atque alterum ab altero transfodi aspexisset, vehementer perterrita, digitis oculorum palpebras contigit, & paulò post mortuum puellum edidit, cui caput erat transfossum.

27. Admirationem summam etiam merentur, quæ *Helmontius cap. de injectis material.* testatur propriis oculis conspexisse; itaque describit: *Sartoris uxor* Mechliniæ *præ foribus vidit in conflictu quendam manum amittere, statim perculsa horrore peperit filiam una manu, altero autem cruentoque brachio extinctam, quod manus ejus non reperiretur, & hæmorrhagia infantem interimeret.*

Fœtus brachio in utero privatus. 28. *Uxor Marci de Vogeler Mercatoris Antverpiensis*, eodem *Helmontio* teste *Anno 1592. videns militem mendicantem, cui pila ferrea in obsidione Ostendanâ dextrum brachium abstulerat, illudq́ adhuc cruentum circumferebat; mox abindè filiam peperit orbam brachio, & quidem dextro, cujus cruentus adhuc humerus per Chirurgum solidari debuit.* Subdit porrò *Helmontius*, *nuspiam reperibile fuit brachium dextrum, nec ossa, nec ulla apparuit putrilago, in quam brachium contabuisset parvâ horulâ. Attamen nondum conspecto milite fœtus bina habebat brachia, nec potuit brachium avulsum annihilari?* Concludit deindè *Idem Helmontius*: *Certè non quadrant triviales rationes in tanto portento aut paradoxo.*

29. Aliam historiam *ibidem* subdit Idem præfatus Author his verbis: *Uxor cujusdam Mercatoris Antuerpiæ, ut audivit, quod uno manè decapitarentur tredecim, statuit spectare detruncationes. Ascendit ergò cnbiculum familiaris sibi viduæ in foro morantis, visoque spectaculo statim illam adorsus est dolor parturientis, peperitq́ maturum infantem cruento collo, cujus caput nusquam apparuit.* Hæc verè admiranda sunt, quæ recenset *Helmontius*, nec obviam adeò habent causam, quocircà inter miracula meritò reponenda sunt, quæ bonorum vel malorum Geniorum ministerio ob finem supremo Conditori notum potiùs, quàm viâ quadam naturali perfecta credi possunt. Caput fœtui in utero mirabiliter ablatum.

30. *Camerarius in Sylloge memor. & mirab. Nat. cent. 2.* ex *Sennerto* meminit cujusdam mulieris, cùm sub moro versaretur, & mora plura in ipsam deciderenr, filiam genuisse, quæ in iis corporis partibus, in quas in matre mora deciderunt, verrucas instar mororum habuit. Mororum signaturæ in fœtu.

31. *Digbæus in tract. de Sympat.* memorat fœminam nobilem, quæ uterum gerebat, & nigras sericas particulas diversimodè figuratas ornatûs causâ faciei impositas ad speculum frequenter contemplabatur, se persæpiùs monuisse, ut illas removeret, ne signaturas similes imprimeret fœtui; admonitione hac nihil profuisse: filiam deindè enixam, quæ ut præmonuerat, in facie turpiter signata fuit. Aliæ signaturæ nigræ.

32. De puero nobili sanè prosapiâ oriundo narrat *Stengelius Mundi Theorit. part. 2. cap. 51.* qui Buntruti literis operam dedit, omnibusque ferè quotidiè spectandum dedit, ex utero secum natum maternum monumentum: erat autem id retrò aurem expressum nativis literis parentis sui nomen, quod hoc modo accepit. Mater illius ante conjugium cum bonâ parentum voluntate efflictim amabat sponsa sponsum: eàpropter illum semper mente volvens, quidvis oblatum manu arripere solebat, & in omni re obviâ perpetim scribere sponsi nomen: prægnans posteà aliquandò territa aurem fricuit, quo contactu id nomen, quod animo intuebatur, fœtui impressit.

33. Fœmina quædam prægnans, uti refert *Hirnbaim de Typho gen. hum. cap. 6.* vidit Aethiopem inopinatò accedentem, & exhorruit tam inexspectato accessu, ut deliquium indè ferè pateretur. Ex adstantibus unus, quod insignem imaginationis vim probè perspectam haberet, prudenter metuens, ne fœtus Ab Æthiopis conspectu nigredo contracta & ablata.

ne fœtus aliquandò edendus nigrâ cute vestitus prodiret, author fuit, ut fœminam totam lavarent. Quo præstito & peracto gestationis tempore fœtum enixa est candidum quidem, ast nihilominùs aliquot in locis impressis sibi nigroris vestigia ostendentem. Observabantur enim omnia adhuc loca nigredine imbuta, quò diligens lavantis manus non pertigerat, interstitia nempè digitorum, manuum, æquè ac pedum, inguinis, ac præter hæc unus in dorso locus, cœteræ partes omnes omni nævo liberæ videbantur.

Caput ex media parte piscem referens in fœtu.

34. Pragæ contigisse narrat Clarissimus *D. Marcus Marci*, & ex ipso *Hirnhaim loc. supracit*: quod sequitur. Mercenaria quædam mulier uterum gerens, mensæque accumbens avidius comedebat de capite carpionis; accedens coqua, quod hanc sibi partem destinârat, graviter increpat fœminam, quæ pudore suffusa in patinam rejecit ambesum piscem: & quamvis ab adstantibus fœminam uterum gerere cogitantibus, ad caput carpionis comedendum posteà invitaretur; pudor tamen, dolorisque acerbitas ipsam de mensâ surgere fecerunt. Surrexit ergò incœnata continuas lacrymas fundens, cubitoque capiti admoto (uti mœsti solent) nihil nisi piscem illum meditabatur infelicissimo eventu: peperit namque infantem, cujus caput non prorsus humanum, sed ex dimidio piscem referebat, illâ videlicet parte, quæ cubito matris fuerat compressa, ità ut ipsum quoque os in duo semiora, inque partes humano ori & quale carpioni est, assimiles divideretur, quin & color cyaneus & squamarum similitudo eidem inessent.

Angelicus vultus ab Angeli picturâ.

35. Vixisse suâ ætate bello æquè ac sanguine nobilem virum scribit *Stengel. Mund. Theorit. part. 2. cap. 51.* cui in pueritia omnes angelicum vultum fuisse dictitabant: ipsum autem solitum fuisse dicere, matrem suam, cùm esset prægnans, scitissimæ formæ angelum in pixide depictum identidem secum in manu gestasse, & ad hunc ipsum finem assiduè contemplatum esse.

36. Uxor quædam fabri rusticani gravida, in cujus caput deciderat sacculus carbonibus plenus, exclusit puerulum, cujus capillorum media pars nigerrima, tandem facta est albissima altera media. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 7. obs. 155. in Scholio.*

37. Wittenbergæ quædam mater uterum gerens obvio cadavere subitò pavefacta puerum posteà peperit, qui usque ad longam ætatem facie fuit cadaverosa. *N. Domnent cap. 30. Genes.*

Fœtus humanus specie gliris.

38. Isenaci pudica matrona glirem pepe-risse fertur, eòquod ex vicinis aliquis gliri nolam appendisset, ad cujus sonitum reliqui fugarentur; deindè occurrisset mulieri gravidæ; hæc verò rei ignara subito occursu & aspectu gliris ità fuisset conterrita, ut fœtus in utero degenerârit in formam bestiolæ.

Infans imaginem Crucifixi referens.

39. In *Bilsen* Bohemiæ oppido An. 1542. ut *Peucerus de Teratoscop.* & ex ipso *Lycosthenes lib. de prodigiis & ostentis* memoriæ tradidit, natus est infans similis imagini Crucifixi aut pendentis in cruce, qui collum tortum & in latus inflexum habuit, quemadmodum pingitur imago Filii Dei de cruce ablati, ut difficulter ipsius ori propter obliquitatem cibus inferi potuerit. Crura etiam transversa & inflexa habuit, quæ etsi aliquoties sejungerentur, sua sponte tamen ad priorem figuram relapsa sunt. Vixit aliquamdiu Viennæ in Austria. Suspectam de fide habet hanc historiam *Stengelius Mund. Theorit. part. 2. cap. 52.* quia pro eâ Hæreticus hæreticum testem citat, tum quia videtur illi ad Crucifixi imaginem abolendam excogitata. Videtur enim, inquit *Stengelius*, id innuere, ut fœminæ prægnantes abstineant à cruce intuendâ: sed non est magnum hîc periculum, cùm paucæ tales eam effigiem imaginationi imprimant adeò vehementer; etsi vel vehementissimè eam apprehenderent, tamen Deus non censendus est, sic earum remuneraturus pietatem: potiùs igitur existimo, subdit *Idem*, si vera est illa historia in pœnam id fœminæ hæreticæ contigisse, quæ quod in Dei filio irriserit, coacta sit intueri in suo.

Gemelli cancellatis cruribus conjuncti.

40. Certius arbitratur *Idem Stengelius ibidem*, quod aliquando ipsi à viro erudito & fide digno scriptum Anno 1599. die 29. Octobr. quandam scilicet matronam alioquin honestam Venetiis uno partu gemellos edidisse, quorum non tantùm corpora invicem concreverant, sed etiam cancellatis cruribus ità juncta erant, ut ægrè sexus discerni posset. Diu fuerat à Medicis & Chirurgis inquisitum, quî dissolvi possent; sed opera omnis elusa, omnes artes, omnes industriæ in irritum ceciderunt. Mortuo uno, alter quinque dies supervixit. Pudendi partûs pudenda causa fuit: sed quæ meritò terrere potest conjuges illos, qui existimant nihil obesse, si thalamos suos suspensis undique obscœnis imaginibus exornent, dicam, an dedecorent. Repertum est enim Venetæ illius domûs dominam propudiosam quandam in conclavi suo imaginem exposuisse, quâ complexus sponsorum exprimebatur.

41. In annuis Societatis *Jesu* legitur *Moguntiæ* hæreticam fuisse fœminam, quæ exosa & execrata Jesuitas odium execrationemque prodigio luit: prolem enim peperit Jesuitico pileo tectam. Eam nimirùm coronam meruerat mater, quæ ne Jesuitarum oblivisci posset, in fœtu suo pro pilo pileum intuebatur, ut inquit *Stengelius Mund. Theorit. part. 2. cap. 53.*

42. His tandem addo, quæ *D. Philippus Meurs* Protonot. Apostolicus & *Lovanii* in æde *S. Petri* Canonicus Clarissimo viro *Thomæ Fieno* narravit, ut testatur in *tract. de viribus imagin. quæst. 13.* se nempè habuisse sororem toto reliquo corpore perfectam, quæ nullum habebat caput, sed loco capitis collo superpositam concham testaceam ad similitudinem mytali constantem duabus valvis, quæ aperiebantur & claudebantur, per quas cibum cochleari ministratum sumebat: quam dicebat, ità natam esse, quod mater ejus gestationis tempore in utero musculos marinos, quos in foro viderat venales, nimìs intensè desiderâsset & potiri non potuisset. Addebat etiam

etiam illud monstrum usque ad undecimum ætatis annum pervenisse & mortuum fuisse ex eo, quod semel præ iracundia cochlear, quo cibus ministrabatur, nimis fortiter præmordisset; undè contingebat illas valvas testaceas frangi, quibus fractis ipsum moriebatur.

Hæc & plura alia Exempla, quæ passim Authores varii recensent, mirabilem ostendunt sympathiam, quam fœtus habet cum imaginatione maternâ: & quamvis *præced.* §. varios modos, quibus naturaliter signaturæ in fœtum imprimi, ejusque immutationes effici possint, adducere conati simus: ad omnes tamen eventus recensitos genuinè explicandos & declarandos fateor humanum ingenium plurimùm laborare, nec quid efficere posse; cùm veram naturalem causam eorum omnium, si veritate subsistant, in medium adducere, difficillimum mihi videatur; quocircà admirationis causâ inter verè mirabilia hîc ità tantùm retulisse sufficiat.

CAPUT IV.

Exotici partus monstrosi, & eorum causæ recensentur.



Onstrosos partus propriè hoc loco intelligimus illos, qui contrà naturæ ordinem contingunt, & notabilem deformitatem habent extraneam humanæ speciei, ideoque digni, ut monstrentur & aliorum admirationi subjiciantur.

§. I.

De Monstris humanis nullo non tempore in lucem editis Regulæ & Observationes generales.

Monstrum quid sit? 1. Monstrum, ut rectè *Aristoteles lib. 4. de generat. Animal. cap. 3.* sentit: Dissimile quiddam est & obliquum ac læsum, atque vitium est naturæ ob aliquod impedimentum à fine suo deficientis: in eo verò producendo, licet causa per se impedita non tendat in ipsum producendum; ratione Dei tamen, qui rerum omnium eventus & providentiâ suâ prævenit & sapientiâ disponit, non est effectus casualis & fortuitus, sed benè etiam ordinatus: Undè licet in illius procreatione causa impedita & particularis dicatur à scopo suo deflectere, Deus tamen fœcundus naturæ parens & moderator, sicut nihil frustrà disponit & ordinat, ità fine suo, qui in monstris etiam est gloriosus, ut infrà meliùs declarabitur, nunquam frustratur.

Duplicis generis monstra. 2. Cùm verò natura impedita in productione monstrorum dupliciter à fine suo, qui est speciei secundùm similem membrorum dispositionem & structuram, quam species ea sibi vendicat, propagatio & generatio, deflectere & errare possit: Duplicis etiam generis monstra dari solent: in aliquibus enim ex toto contingit error, & deflexio à fine, in aliis tantùm ac communiter ex parte. Undè & monstra ex toto & monstra ex parte nominari possunt. Sic monstrum ex parte erit puer, Ex. gr. cum canino capite: Ex toto verò fœtus totus cani persimilis, vel habens omnia membra externa deformia & dissimilia membris speciei competentibus, ità ut fœtus totus in aliam formam & effigiem prorsus declinet & deflectat.

Causæ monstrorum aliquæ intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. 3. Duplicis etiam generis causas ad monstrorum generationem concurrentes assignant aliqui: Intrinsecas scilicet & Extrinsecas. Inter has numerant naturam loci, sive regionis, ubi generantur, & constitutionem aëris, in quo perficiuntur. Inter Intrinsecas censetur materia seminalis, virtus formatrix, receptaculum fœtûs, membrana fœtum involvens vel distinguens, aliæque similes.

4. Materia seminalis causa censetur esse materialis monstrorum, cùm ea materno utero infusa peccat in ritè conformando fœtu, vel ob ejus defectum, vel ob excessum, vel ob incongruam commixtionem, vel indebitam collocationem, vel ob uteri, in quo recipitur, angustiam & constrictionem, vel ob ejusdem in membranas non probam distinctionem, aliamve pravam dispositionem aut conformationem, vel ob similia accidentia seminis atq; uteri. Sic ob defectum materiæ monstrosus partus carebit aliquibus membris, aut ea debitam magnitudinem non attingent: ob excessum plura fœtus membra obtinebit, quàm requirantur; aut erunt ea justo majora. Ob confusam permixtionem partus obtingere potest bigener: ob indebitam in utero collocationem & uteri coarctationem partus accidere potest distortus, obstipus, gibbosus, repandus, aut quovis alio modo difformis. In semine ipso vitium est, cùm nimis erit crassum ac siccum, aut nimis aqueum & fluxile. Huc etiam pertinet vitium hæreditariæ materiæ seminalis, ratione cujus, sicut ex strumosis strumosi, ità ex nanis nani, ex gigantibus gigantes progigni possunt. Materialis causa monstrorum.

5. Virtus formatrix seminali materiæ inexistens causa efficiens monstrorum est, cùm nimiùm imbecillis ac hebes distinctè fœtum, ut debet, exprimere atque exactè elaborare non valet. Quò fit, ut interdum partes corporis confusæ & indiscretæ, atque ad ea munia, quibus destinantur, peragendæ, inutiles prodeant: nonnunquam etiam deterioris speciei formam induant, eoque pacto homines arietino capite Ex. gr. nascuntur, ut refert *Aristoteles lib. 4. de generatione Anim. cap. 3.* Aliquandò etiam membra suo loco non collocantur, aliquandò Hermaphroditi nascuntur, cùm nempè virtus formatrix paribus ad utrumq; sexum effingendum viribus in materiam incumbit. Virtus formatrix.

6. Ratione formatricis facultatis obtingere solet partus indebitè figuratus & magis monstrosus in partibus à corde & jecore remotioribus; minùs verò monstrosus in partibus eidem cordi & jecori propinquioribus, ut etiam In quibus partibus partus magis monstrosus accidere queat.

ut etiam notavit *Albertus M.* Ratio est, quod virtus formatrix & membrorum delineatrix vegetior sit in membris circà cor & jecur, quàm circà partes & membra remotiora; undè ibi validiùs, hîc segniùs operari potest.

Causa monstrorum ab utero.

7. Uterus maternus sive fœtûs receptaculum (idem penè est de membranis fœtum involventibus) monstroso partui occasionem præbere potest cum indebitâ suâ dispositione & constitutione aut constrictione fœtui liberum accrescendi modum à naturâ requisitum permittere non valet, atque ità justis ab incrementis prohibet; undè necessariò monstrosus partus enasci debet. Atque hoc modo sortiri potest fœtus plura membra, quàm naturæ cursus requirit, aut geminus, vel aliter vitiatus effici potest.

Ex ipsis fœtibus.

8. Causa monstrosorum partuum etiam ex ipsis fœtibus in utero contentis provenire potest: cùm nempè plures uno utero contenti se invicem impediunt, ac ità quovis modo deformant. Hinc in Ægypto frequentiùs generari monstra docet *Cardanus de subtil. lib. 12.* quod fœminæ plures uno partu edant infantes: *ob id*, inquit, *tùm ex imbecillitate, tùm ex concussione fœtuum invicem plurimùm degenerant à naturâ propriâ, & in monstra transeunt.*

Vis imaginativa causa monstrorum.

9. In ipsis parentibus & alia quædam monstrorum causa sita est, vis nempè imaginativa matrum præsertim, ut *superiore Cap.* ostendimus. Hæc enim imaginandi virtus facultatem formatricem persæpè facit à scopo suo aberrare, & absurdas ac peregrinas formas dum concipit, fœtui potenter eas imprimere solet. Undè scribit *Isidorus*, propterea vetari mulieribus, ne inspiciant deformes animalium picturas, ne earundem intuitu affectâ imaginatione consimiles proles progignant. Sic & *Hippocrates lib. de Superfœtatione*, egregiam illius vim agnoscit, dicens: Desiderium mulieris prægnantis posse fœtum signare (si qua, inquit, mulier terram edere concupiscat, aut carbones, eademque edat, in capite pueri ejus signa à talibus apparebunt) Hanc signandi vim *Hippocratem* imaginationi tribuisse, etiam colligi potest ex *D. Hieronymo in Tradition. Hebraicis super Genes.* ubi dicit, *Hippocratem* semel liberâsse unam mulierem ab infamia & suspicione adulterii per hoc, quod in ejus cubiculo pependisset pictura fœtui similis, in quam ipsa intentam habuerat cogitationem. Simile quid scribit *Cælius Rhodiginus lib. 20. Ant. lect. cap. 14.* de *Fabio Quintiliano*, eum scilicet mulierem quandam à suspicione adulterii liberâsse, quæ nigram pepererat prolem, per hoc, quod in cubiculo pictura nigri Æthiopis pependisset. Sed vide ea, quæ *cap. præcedenti* attulimus.

Primarum qualitatum asymetria.

10. Primarum etiam qualitatum justa contemperatio & symmetria sicut fœtum optimè conformare valet; ità econtrà earundem intemperies atque asymetria fœtum difformare & miras naturæ obliquitates inducere potest; quatenus nempè in causâ est, ut facultates munia sua incongruè administrare queant. Ita cordis calor intempestivè atque ultrà modum æstuans & terrestrium partium quasi fumum elevans infantibus in utero barbam effundere; aliis caloris defectus cum humido abundantiore canos imponere potest.

Regionis qualitas causa monstrorum.

11. Deformes quoque species, easque monstrosas Regionis ac circumfusi aëris affectio & constitutio plurimùm ingerere solet: unicuique enim patria quasi patens est non minimam in educendo & efformando fœtu partem vindicans, cùm ei suas etiam qualitates impertiat nunc quidem propitias & beneficas, nunc adversarias & maleficas ac deformitatis effectrices. Sic in Ægypto ob regionis naturam frequentiùs, quàm apud nos monstrosi nascuntur homines. Sic etiam monstrositati conciliandæ vim non modicam afferunt strumosorum nationes, Stiria præsertim & Valesia, ubi propter aquarum per salem, metalla, lapidesque prolabentium insalubritatem viri æquè ac fœminæ strumas à collo tanquam carneas quasdam crumenas dependulas cum gutturali & ingratè pingui absonæ vocis ruditate nanciscuntur.

Cœlestes influxus causa monstrorum.

12. Multùm etiam ad generationem monstrorum conducere solent cœlestes influxus & superiorum corporum operationes & afflatus, qui sicut animalium generationi plurimùm observiunt, ità & partus multiformiter afficiunt & vitiant. Quo respicere videtur *Ptolemæus in centiloquio* asserens; terrestres vultus vultibus cœlestibus subjici. Ità *Laurentius Stengelius in lib. de monstris cap. 5. §. 6.* memorabile exemplum recenset de Juvene Tyrolensi Judæo mirabiliter à Lunæ phasibus affici solito hunc in modum: *Nostrâ memoriâ Halæ in Tyroli juvenis cæterà egregius, sed ibidem patre Judæo natus, nomine Bonaquistus admirabiliter in ventre monstrosus fuit: quippè crescente Lunâ indè sic illi quoddam taurinum excrescebat caput non sine cornibus, ut caligæ illius nequaquam satis possent constringi. Qua de causâ semper crescente Lunâ domi se continebat: decrescente verò eâdem, quia & monstrum decrescens sese intra viscera revocabat aut detumescebat potiùs, foras prodibat Zonâ jam arctiore.* Addit aliud Exemplum de juvene Ingolstadiensi, cui itidem semper Lunâ auctiore alterâ maxillarum atque labra oris in immensum turgescebant; Lunâ verò lumen amittente redibat clementior forma. Quod igitur Luna fecit in his natis, utique inchoavit adhuc in utero, dùm concluderentur. Et quod de Lunâ hîc attulimus, idem ab aliis astris effici posse credibile videtur.

Plures causæ simul efficiunt monstra.

13. Quamvis una præcedentium causarum per se sufficere queat ad monstrositatem fœtui imprimendam: nullum tamen est dubium, quin persæpè plures tales causæ difficiles, simul tamen concurrere, & tunc majorem etiam monstrositatem & difformitatem in fœtu efficere possint. Sic quando animal gignitur, non tantùm Solis, aliorumq; astrorum influxus, aut regionis vel salubritas vel inclementia & insalubritas id extrinsecus attingunt, sed & alia concurrunt, ut virtus formatrix, quæ semini inhæret, materiæ quâ fœtus coälescit receptaculum item fœtus & comple-

completio primarum qualitatum: in quarum omnium vel plurium causarum concursu totum fœtûs opificium haud dubiè extrà naturæ ordinem mirabiliter deformari ac deturpari potest. Esse etiam plures adhuc causas monstrorum effectrices præter hîc allatas, facilè ex eo potest evinci, quod cùm ea sint vitia & peccata naturæ, hæc verò innumeris modis peccare possit; ideò etiam pluribus iisque innumeris de causis ortum suum etiam monstra habere possunt.

Monstra non ubique sunt talia. 14. Multa tamen etiam vocantur monstra non apud eos, apud quos & à quibus oriuntur, sed ab iis duntaxat, apud quos tanquam insolita pariunt admirationem. Quapropter apud Caphres, Æthiopes, Mauritanos & Ægyptios nigri homines, quia ità Soli natura & Solis fervor & flagrantia fert, non æstimantur deformes, sed venusti: at si Europæus aut albæ cutis homo ad ipsos accedat, pro monstro reputatur: quod etiam in gigantibus apud gigantes, & in pygmæis apud pygmæos fieri censendum est: sic & in Stiriâ ac Valesiâ strumæ quanrò majores incolis illarum regionum adhærent, tantò iis hinc major etiam venustas adesse creditur.

Monstrosi partus rari. 15. Rariùs monstrosorum quàm aliorum fœtuum abortus contingere notavit *Cardanus de subtil. lib. 12.* hanc addens rationem: *Causa, quæ naturæ ordinem superavit, necessariò potens est, ut nisi permutatione vinci non queat; nunquam ergò, sicut ait, spontè monstra abortiunt matres.*

Monstra meliùs vivunt intrà, quàm extrà uterum. 16. Cur etiam monstra pleraque, dùm in utero sunt, meliùs vivant, cùm verò nata fuerint, faciliùs denascanrur & morianrur, *Idem Cardanus lib. cit.* hanc affert rationem: *Principio quidem*, inquit, *monstra in utero facillimè vivunt & absolvuntur, quantum generantur ab eisdem causis etiam servari necesse est, quibus fiunt. Verùm cùm à natura propriâ remota sunt, & imbecillia & insaluberrima, cùm primùm nata fuerint, intereunt. At nata etiam convivunt, quia congenita participant vitam eorum, quibuscum genita fuêre. Difficiliùs enim multò vivere quàm convivere. Quamobrem nata protinus moriuntur, quæ in utero vivunt.* Aliam deindè adhuc rationem subdit, quam apud ipsum videre licet; tandem concludit: *Monstrum quantò magis augetur, tantò fieri imbecillius & morti propinquius, natum etiam occurrere aëri frigidiori, qui magis illi noxius est.*

Aër quis meliùs conveniat? 17. In calido aëre monstra Eodem *Cardano* docente *ibidem* vivunt faciliùs, quàm in frigido: & quæ supervivunt, ut commodiore sunt formâ, eò diutiùs vivunt. *Et magnitudo*, inquit, *situ, & sitûs formâ, & forma numero minùs à naturâ recedunt: cumq; à formâ humanâ recesserint, ut magìs ab eâ recesserint, ad formamq; belluarum & ferarum, & piscium, & colubrûm, eò minùs vivunt.* Item *alibi* ait *Idem*: *Vivunt monstra, quæ minùs à naturali statu remota sunt, & minùs in principalioribus membris.*

Natura defectum in monstris aliundè compensat. 18. Sicut communiter tradunt Physici, quod ubi Natura deficit in uno, illud ipsum compenset & restituat in altero: irà compertum est, homines monstrosos supervíventes dùm variis membris destituti adoleverunt in labores & varias operum functiones, in aliis membris solito etiam majorem agendi dexteritatem habuisse, naturâ defectum in aliis membris & partibus compensante. Ità *Cœlius* refert *lib. 4. Ant. lect. cap. 12.* inter munera *Augusto* Cæsari ab Indis transmissa fuisse quoque Adolescentem sine humeris, qui tamen pedibus manuum functiones obiret; arcum namque intendebat sagittas etiam excutiens; quin & tubas, ut inquit, inflabat. *Georgius Pictorius lib. 4. serm. conviv.* ait, se novisse Hispanum sine brachiis natum, pedibus verò admodùm fuisse celerem, quibus nebat, & acu expeditiùs pingebat, quàm mulier citissima ambabus manibus, imò arma bellica ità affabrè pertractabat, ut nullus miles majori agilitate illis uti posset. *Scaliger Exerc. 334.* ait, se virum quendam *Antonium* nomine *Neapoli* natum ambobus brachiis carentem vidisse in *Allobrogum* provinciâ, qui dextro pede hastam vibrabat, vestem suebat, edebat, scribebat, & in acum filum mittebat, clavum etiam in asserem penitùs malleo adigebat, ac deindè mirâ celeritate conversis mallei auriculis illum extrahebat, multaque alia peragebat, quæ omnibus miraculo fuerint. Plura alia similia exempla ex variis compilata Authoribus vide apud *Schottum phys. cur. lib. 5. cap. 7.*

19. Quamvis monstra universim sic dici videantur, quod ob raritatem & insolitam formam monstrentur aliis, sintque potiùs naturæ aberrantis à scopo suo defectus & vitia; Sapientissimo tamen Dei consilio persæpè illa provenire, nec sine suo destitui in confesso est apud plures. Quocircà benè jam olim *Cicero lib. 2. de Nat.* hoc ipsum judicavit his verbis: *Prædictiones & præsensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quæ futura sunt, portendi, prædici, ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur.* Undè monstra insolita pœnam aliquam persæpè non tantùm significant secuturam & post se, sed etiam secum ipsa non per oracula per ostenta in aëre, per sidera in cœlo, per Prophetas in terris: ità etiam per monstra aliaque prodigia *dat metuentibus se significationem, ut fugiant à facie arcûs, Ps. 59. v. 6.* per monstra verò, præsertim illa, quæ nimiùm planè insueta, nec ulla illorum causa cognosci potest. Quin & improbos & totas gentes præmonet de futura aliquâ clade & publica quadam calamitate, ut variis exemplis declarari potest. Sic *Constantio* imperante *Cælius lib. 24. Ant. Lec. cap. 3.* scribit, editum infantem ore gemino, quatuor oculis, dentibus binis, barba, & duabus brevissimis auribus, qui partus, ut inquit *Marcellinus*, Rempublicam in statum deformem reclinaturam portendit. Sic Anno Christi 578. puer in Thraciâ natus sine brachiis, & ab umbilico deinceps in piscem desinens, & juxtà *fasciculum temp.* puer quadrupes & alter duos habens vertices; sicut & canis capite leonino portentosum *Mahometis* adventum prænotâsse dicuntur. Monstrum bicorpor ex homine & cane compositum Albaniæ in Epiro natum Anno 1233. civitatem illam caninis morsibus

Causa finalis monstrorum.

bus & clandestinis proditionibus divexandam ostendit. Plura ejusmodi alia exempla recitat *Schottus Phys. cur. lib. 5. cap. 29. §. 1.* Deinde non signa tantùm sunt monstra, sed etiam supplicia à Deo scelerum ultore, vel in ipsos monstrosos, vel parentes, vel magistratus vel communitates inflicta & quidem variis modis ob varia peccatorum genera; sicut pluribus exemplis ostendit *Idem Schottus* §. *seq.* Unde rectè subnectit, ajens *tantùm abesse ut Deus sit iniquus, si non modò bestias, sed homines quoque informes nasci sinat, ut summam potiùs sapientiam, bonitatem, ac justitiam in ijsdem ostendat: quandoquidem id vel in pœnam ut Judex, vel in medicinam ut medicus, vel alios in fines sapienter ac providè ordinat.* Unde præclara est similitudo, quam in hanc rem adducit *Boëtius lib. 4. de consol. pros. 6. Quemadmodum*, inquit, *lineæ à centro ductæ omnes circumferentiæ ambitu continentur, neque ulla exorbitat, quâcunque parte tendatur* (si enim in hoc peripheriæ punctum non incidit, in aliud necessariò incurrit) *ità in hoc Universo, si quidpiam à præscripto sibi ordine particulari discedit, in alium ordinem redit universalem.* Itaque licet non intendat monstrum natura particularis, intendit tamen natura Universalis, intendit ipse Deus, qui causam impeditam & impedientem non sine sapienti consilio sinit concurrere. Monstrum ergò qualecunque sit etiam, si rectè perpendimus, cùm ipse faciat, benè facit, quià omnia benè facit: Summus quippè est artifex, qui etiam in ipsis Naturæ erroribus non potest errare, & quæ deformia sunt, novit convertere in pulchritudinem Universi sine injuriâ cujusque.

§. II.

Partus monstrosi magis notabiles & mirabiles ex variis Authoribus referuntur.

Visis monstrosorum partuum causis, & his, quæ de ipsis generaliter sciri queunt, nunc præcipuos quosdam in specie diversis temporibus in lucem editos ex adscriptis Authoribus afferamus.

CHRONICON

Memorabilium & Mirabilium monstrosorum partuum in diversis locis & temporibus à Nato Christo Salvatore ex adscriptis Authoribus.

Anno Christi.

123 *Romæ* in lucem prodiit puer cum quatuor oculis. *Aldrovandus in monst. hist.*

131 *Romæ* nata est puella cum quatuor pedibus. *Lycosthenes de prodigiis.*

308 *Constantini* temporibus apud Daphen *Antiochiæ* suburbium natus infans ore gemino, quatuor oculis, dentibus binis, barbâ, & duabus brevissimis auriculis. *Lycosthenes.*

578 *Mauritii* Imperatoris ætate puer in Thracia natus sine brachiis & pedibus ab Umbilico deinceps in piscem desinens *Lycosthenes.*

595 *Constantinopoli* puer biceps natus. *Lycosthenes.*

601 In Surburbanis vicis puer biceps natus. *Idem.* Mulier quoque in Thracia partum edidit oculis, palpebris, superciliis, brachiis ac manibus carentem, & ab umbilico divisam in caudam instar piscis desinentem, nec ullâ corporis parte justam effigiem ac formam habuit. *Theoph. Simocatta lib. 6. cap. 1. & 2. Hist. Maurit.*

914 Mulier edidit partum corpore quidem humano, sed capite canino. *Wernerus in fascic. temporum.*

1044 In confinio Normanniæ & Britanniæ monstrum fuit natum, cui duo erant capita, quatuor brachia, cœtera gemina usque ad Umbilicum; inferiùs singula omnia. *Lycosthenes.*

1063 *Constantiæ* ad lacum Acronium duo infantes, masculus & fœmella duobus capitibus, quatuor brachiis totidemque pedibus membris omnibus absolutis, sed circa Umbilicum conjunctis corporibus nati sunt. *Lycosth. Trith. in Chron. Hirsaug.*

1106 Mense Jan. *Argentinæ* fœtus monstrosus bicorpor fœminei sexûs natus, capitibus, collo, pectore & ventre concretis. *Schenckius*, & ex ipso *Aldrovandus.*

1112 In Angliâ natus est puer geminus à clune ad superiores partes ita divisus ut duo haberet capita, duo corpora integra ad renes cum suis brachiis. *Lycosthenes.*

1118 *Namuti* natum est monstrum biceps: infantulus scilicet tam sexu duplex, quàm cœteris; Simplex autem compage corporis. *Lycosthenes.*

1233 *Albaniæ* in *Epiro* natum fuit monstrum bicorpor ex homine & cane integratum. *Arnoldus Sorbinus lib. de monstris.* In Alpibus Noricis, quas *Taurum* incolæ vocant, *Ruthstadii* infans cornutus est natus. Vagitus & ploratus ejus 14 dies, antequam ederetur in lucem, auditus est. *Lycosthenes.*

1234 In montosis *Bononiæ* locis ex muliere fœtus monstrosus prodiit, cujus pars superior duos infantes & inferior unum solùm referebat, *Aldrovandus.*

1236 In Villa *Gebrah* masculus biceps natus vixit sex menses, & totidem dies. *Trith.*

1255 Apud Samnites monstrum triceps natum, tres Imperii Rom. competitores prænuntiâsse fertur.

1274 In Germania propè *Lauffenburgum* oppidum in finibus Helvetiorum ad Rhenum fluvium situm natus est infans manibus & pedibus anserinis. *Lycosthenes.*

An. Ch. 1282 Ex illuſtri quadam fœminâ natus eſt puer villoſus & in ſpeciem Urſi ungulis armatus. *Lycoſthenes.*

1290 In agro Conſtantienſi mulier Leonem peperit capite humano præditum. *Lycoſthenes.*

1293 *Bizantii* natus eſt puer monſtroſus à pedibus ad umbilicum continuus: indè verò ſeparatus, ita ut duo capita, duo pectora cum quatuor brachiis haberet. *Aldrovandus.*

1310 In agro Florentino puer natus bicorpor geminis capitibus circa genitales partes connexus, ſic ut non niſi in geminos pedes deſineret. *Lycoſthenes. Petrarcha in opere de rebus memorandis.*

1316 In pago *Vallis ſuperioris Arni*, nomine *Tertanio*, monſtrum eſt natum habens duos pueros uno umbilico ad invicem conjunctos, cui ab uno latere & genitalia erant membra, & bina quoque pendebant invalida crura: ab altero verò latere crus ſolùm exibat imperfectum, vixitque diem unum. *Lycoſthenes.*

1388 In oppido *Bopart* natus eſt puer monſtroſus, qui ab umbilico ſurſum ventre diviſus erat, homo per omnia duplex, brachia habens quatuor & capita duo. Ab umbilico verò deorſum homo extitit omnibus unus. *Tritheмius in Chron. Hirſaug.*

1389 Eo ipſo die, quo pax Venetos inter & Genuenſes firmata eſt, infans natus eſt crura, brachiaque quatuor habens. *Lycoſth. & Sorbinus.*

1393 Monſtrum horrendum ex fœmina ruſticâ natum in villa *Berg* Trevirenſis Diœceſis: cujus inferior pars corporis hominem cum ventre umbilico, pudendis, cruribus, & pedibus præferebat: Superior verò pars manus, brachia, collum, oculi, os & caput bufonis erant horribilis & tam formidabilis, ut nemo ſine pavore potuerit intueri. *Trith. in Chron. Hirſ.*

1413 Puella biceps in Bojaria Aquilonari inter *Danubium* atque *Alemannum* amnes in *Sandersdorff* nono Cal. April. nata eſt in mola pagi, quæ quaterna brachia, totidemque manus & pedes habuit. *Lycoſthenes.*

1431 *Bononiæ* penes portam Viæ majoris in Viculo *Torlione* nuncupato, quædam mulier enixa eſt maſculum omnibus ſuis integratum membris: mox etiam fœmellam ſine capite, brachiis, & cruribus atque in regione colli parvum veluti orificium apparebat. *Aldrovandus in monſt. Hiſt.*

1472 *Bernæ* in Italia puella nata eſt uno capite, duabus poſterioribus corporis partibus totidemque pudendis. *Lycoſthenes.*

1487 Biceps infans natus eſt *Patavii*, in quo præter Naturæ luxuriam nihil alioquin fœdum aſpectu. Alius biceps per eosdem dies *Venetiis* editus ore plurifariam ſciſſo. *Lycoſthenes.*

Eod. an. *Venetiis* puer natus eſt, qui genitale membrum vertici adnatum habuit; quem parentes propterea obſcœnitate rei deterriti non fuerunt auſi in propatulum deferre. *Aldrov.*

1493 *Romæ* puella filiam Semicanem peperit parte nimirùm ſuperiore hominis, inferiore canis. *Lycoſthenes.* Ibidem & Gemini nati uno corpore conjuncti. *Idem.*

1494 In oppido Germaniæ *Rotwil* ad Herciniam Sylvam ſito infans duobus capitibus, quatuor manibus, duobus pedibus natus eſt. *Lycoſthenes.*

Eod. an. *Cracoviæ* mulier in ſuburbana Villâ, cui *Nigræ* nomen, ad duodecim. Cal. Novemb. monſtrum edidit, cœterà quidem formâ humanâ, ſed collo & auribus leporinis & uno grandiore inteſtino totum ventrem occupante, diducto rictu ſpirans. *Idem.*

Eodem *Bernbeldiæ* in villâ non procul *Heidelbergâ* nati ſunt duo gemini pectoribus ſibi affixis unico Umbilici dependentis vinculo conſtricti.

1495 Propè *Wormatiam* ad dextram Rheni partem in Villâ *Birſtadt*, quæ ſita eſt inter *Wormatiam* & *Benſterim*, mulier quædam monſtrum enixa eſt quarto Idus Sept. Erant duæ puellæ corporibus integræ, ſed in vertice fronte tenus connexæ inſeparabiliter & ſe mutuò inſpicientes. *Munſterus in Cosmograph. Trithemius in Chron. Hirſaug. Lycoſthenes.*

1496 In *Tyberi* repertum eſt monſtrum horrendum corpore humano ſquamoſo, capite aſinino, manu dextra humanâ, ſiniſtrâ ad inſtar pedis Elephantici, pede dextro aquilino, ſiniſtro bubulo, ventre fœmineo, pectore mammis turgente, cum capite ad podicem barbato alioque draconem æmulante, quod differentiam membrorum diverſitate & varietate diverſas ac varias tempora illa conſecuturas hæreſes aut perditos hominum mores denuntiâſſe fertur.

1497 Die 6. Decemb. in pago *Dirliſtorff* natus eſt puellus corpore quidem benè compacto, cui tamen brachia, pedesque ob naturæ defectum non conveniebant. Dextra enim manus cùm omninò deeſſet, eo loco, quo pollex eſſe ſolet, carnoſus tumor inſtar verticuli, aut nucis parvæ eminebat. Siniſtræ autem manus pars dimidia in tres tantùm digitos, ſed planè conjunctos, ut quoquè pedes in totidem digitos deſinebant. *Lycoſthenes.*

1498 In ditione *Werdenbergâ* monſtrum fœminei ſexûs natum eſt duobus capitibus, brachiis quatuor, pectore & ventre uno, pedibus duobus. *Lycoſthenes de prodig.* Meminit & *Cornelius Gemma lib. 1. Cosmocrit. cap. 6.* ſed refert ad An. 1589.

1503 In Haſſiâ infans benè diſtinctis membris natus eſt, niſi quod auribus, oculis, ac naribus careret, & in facie ſolùm os haberet. *Lycoſthenes.*

Eod. an. In pago *Goſſow* agri Tigurini apud Helvetios mulier honeſta peperit duos maſculos duobus capitibus, uno corpore & umbilici vinculo conjunctos, cum quatuor verò manibus, totidemque pedibus.

1511 *Ravennæ* natum eſt monſtrum cum cornu in capite, alis ſine brachiis, pede uno avis rapacis, oculo in genu, literâ V & crucis effigie in pectore, atque ſexûs utriusque ſignis: cœtera erant humana. *Lycoſthenes ex Joan. Multivalle ac Caſparo Hedione.* Alii hoc monſtrum ad ſequentem Annum referunt, & aliâ etiam figurâ exhibent, prout in primâ figurâ iconiſmi patet.

In



Ionstrum
Ravennense
n: 1511.
Monstrum alatum et cornu-
tum instar Dæmonis.



Monstrum
Ravennense
An: 1511.
alia forma.



lonstrum tetrachiron Hunga-
ricum. An.1577.





Monstrum triceps
Ægyptiacum capite
Vulpis, Dr aconis et
Aquilæ.



Honstrum cum
imalium in
acoviæ
promuscide et capitibus
Belgio, vel ut alii
natum. An:1543.



Monstrum
Waldersdorfiense
specie Vitulo-mo=
nachi, natum 1523.

An.Ch. In Germaniæ Villâ *Elceffelbach* natus eſt infans oris foramine anguſtiſſimo, cujus etiam
1512 tota facies maſſam carnis æmulabatur, & in medio ſimulacrum pugionis ex eadem carne formatum reſidebat, & ſub eâ carnis maſſâ oculi magni ac diſſimiles erant locati.

1514 Quinto Idus Mart. in *Sarzano* infans biceps natus in capitibus crines habens aliquanto longiores ac nigricantes: inter utrumque caput ex collimitio humerorum tertia porrigebatur manus, ſed quæ aures longitudine non excederet, nec integra videbatur omninò. Reliquum corpus prorſus benè compactum, ac citrà ullam maculæ fœditatem erat. *Cælius Rhodig. lect. ant lib. 24. cap. 3.*

Eod.an. Die 10 Maji puella nata eſt *Bononiæ*, quæ naſo & ejuſdem foraminibus caruit. *Cornel. Gemma in Coſmocrit.* Ibidem Conjux *Dominici de Malatordis* peperit puellam cum duobus orificiis & quatuor oculis. *Aldrovandus.*

Eod.an. *Colmariæ* quoque natus infans virilis ſexûs, ex cujus pectore aliud integri hominis ejuſdem ſexûs corpus omnibus membris abſolutum ad genua usque propendebat Solo capite in alio corpore infixo. *Lycoſthenes.*

1515 Die 11 Maji *Bononiam* venit Adoleſcens Hiſpanus, qui ſub axillâ infantem geſtabat omnibus membris abſolutum, prætet caput, quod intrà thoracem juvenis occultari videbatur. *Ovidius Montalbanus* apud *Aldrovandum.*

1516 In Germaniâ viſus eſt juſtæ ætatis vir, qui aliud caput ex Umbilico exereret, quod pro more alterius etiam caperet. *Lycoſthenes* ex *Jacobo Rufo in lib. de hom. concept.*

1519 Ex *Sabaudiâ* in Helvetiam venit quidam juſtæ ætatis, integra forma, membris benè compactis omnibus, ex cujus tamen ventriculo prætereà aliud hominis corpus ità propendebat, ut caput tantùm atque brachia ſola deeſſent. *Lycoſthenes.*

1523 Natum eſt *Waldersdorffii* uno à *Friburgo* lapide, pago ditionis Cellenſis Villâ Ruſtici cognomento *Stecheri* monſtrum terribile, quod â figura Vitulo Monachum æmulabatur, præterquam in vertice, ubi tuberculum carneum rotundum conſpiciebatur, quod affabrè verticem Sacerdotis in orbem tonſum referebat. Deinde carnea quædam ſubſtantia à collo in dorſum ita eleganter formata dependebat, ut cucullum monachalem repræſentaret. Crura prætereà habebat circumquaq; lacera atq; diſciſſa. *Lycoſth. Rufus, Pareus, Sorbinus* & alii.

1525 In Herciniæ Sylvæ quodam pago non procul à *Kniebis* infans monſtroſus natus eſt virilis ſexûs, in cujus corpuſculo circà pectus aliud præterea corpus membris omnibus abſolutis propendebat ad genua usque, ſolo capite in alio corpore tecto. *Lycoſthenes.*

Eod. an. *Wittenbergæ* mater enixa duos pueros, unum ſine capite, alterum retortis in tergum pedibus. *Nemoperegrinus.*

1528 Infans natus carens brachiis, qui deinde pedibus manuum officium præſtitit. *Lycoſth.*

1529 Propè *Eſſelingam* Neccari infans natus uno capite quatuor verò aures & totidem brachia, crura pedesque habens. *Lycoſthenes.*

1530 *Auguſtæ* capta eſt fera à Venatoribus capite vultuque hominem, reliquo verò corpore nec vulpem, nec lupum, vel hædum referens, ex ſingulis tamen aliquid. *Nemoperegrinus. Pariſiis* etiam conſpectus infans, qui circà pectus aliud corpus innexum habuit. *Pareus.*

1531 In pago *Goslaw* Helvetiæ natus eſt infans duobus capitibus, ternis brachiis, totidemque pedibus. *Lycoſthenes.*

1535 *Bremopyrgi* in Marchiæ urbe infans natus eſt ità in corpore circumfluâ & laxâ carnis mole, ut indutus ſago militari germanico crederetur. *Fincelius,* & ex ipſo *Lycoſthenes.*

1536 In agro Tigurino natus eſt infans uno quidem corpore, ſed duobus capitibus, tribus manibus, totidemque pedibus. *Lycoſthenes.* Viſi etiam hoc anno *Lovanii* gemelli ità commiſſi, ut capite diſtincti, brachiis, manibusque quatuor, ventre verò & Sterno pectoris copularentur. *Cornelius Gemma lib. 1. Coſmocrit. cap. 6.*

1537 In Villâ *Nepriz* non procul ab oppido *Würzenſi* ad *Moldam* natus eſt infans ſine pedibus. *Lycoſthenes.*

1538 Natus eſt quidam & adperfectam viri ſtaturam excrevit capite & humeris tantùm geminus, ità ut caput alterum ante alterum retrò eſſet mirâ inter ſe ſimilitudine: barbis etiam & oculis ſeſe referebant mutuò. Idem erat appetitus, fames eadem, vox ſimillima. *Jacobus Rufus lib. 3. de concept. hom.*

1540 Fœtum vidit *Haſſia* editum 5. Idus Jan. geminis capitibus reflexis in dorſum, quorum ſeſe facies obverſæ invicem minaci aſpexerunt vultu. *Lycoſt.* Eodem anno *Bononiæ* viſus adoleſcens annorum ſedecim, *Thomas Buganellus* vocatus, cui brachium dextrum in cubito terminabatur, ubi rudimenta quædam digitorum & unguium apparebant. *Aldrov.*

1541 Die 19 Februarii *Friburgi* Myſorum editi gemelli juncti totius anterioris thoracis cohæſu. *Lycoſth.* Eodem anno in Bavariâ viſum eſt monſtrum, mulier ſcilicet 26 annorum duobus capitibus, quorum tamen unum ſatis deforme erat. *Idem.*

1542 In Ducatu Wirtenbergenſi nati ſunt gemelli coalitu pectoris ad umbilicum uſque connexi. *Lycoſthenes.* Eodem anno in *Bilſen*, Bohemiæ oppido, natus eſt infans ſimilis imagini Crucifixi, de quo vide ſupra.

1543 Natum eſt monſtrum teterrimum in Belgio planè dæmonem referens. *Sorbinus*. Alii volunt *Cracoviæ* natum eſſe. Forma illius ab aliis deſcribitur tetra admodùm, & horribilis aſpectu, flammeis & radiantibus oculis, ore narribusque bovinis, cornu figura exertis & prominentibus, dorſo pilis caninis hiſpido, ſimiarum faciebus in pectore extantibus, quâ mammarum locus, oculis felium ſubtùs umbilicum hypogaſtrio adfixis: tetris ac minacibus canum capitibus ad utrumque cubitum & pedis utriusque patellam antrorſùm ſpectantibus. Figura pedum cygni, cauda ſurſum reflexâ & recurvâ longitudine ulnæ dimidiæ; loco naſi promuſcidem gerebat, pedum & manuum digiti

An. Ch. digiti quatuor accipitrinis unguibus erant similes, quorum tres more anseris membranâ quâdam colligabantur. *Lycosth.* ex *Peucero, Münstero, Bruschio.Aldrov.* ex *Rufo & Card.*

Eod.an. In pago *Rinack* non procul *Basilea* Rauracorum mulier geminos edidit concretis corporibus duobus supra umbilicum, quatuor habebant brachia, à lumbis in duos pedes desinebant. *Lycosth. Schaffhusiæ* quoque duo gemelli fœminei conjuncti memorantur esse nati.

1544 *Mediolani* mense Januario nata est puella biceps. *Cardanus. Lycosthenes. Heidelbergæ* ad Neccarum die Pentecostes nati sunt duo infantes masculi conjuncti cum duobus capitibus, quatuor manibus & pedibus. *Idem.*

Eod.an. *Argentinæ* nobili Alsatiæ metropoli 5. Cal. Sept. infans fœminei sexus horrendo monstroso atque superiori parte aperto planè capite, lato ore, bovinis oculis, naribus aquilinis natus est. *Lycosthenes.*

1545 *Avenione* natus est ex muliere fœtus partibus supernis humanis, at infernis caninis. *Magius in miscellaneis.*

Eod.an. In Saxoniâ mense Febr. infans natus est horrendo aspectu, corpore quidem integro & benè compacto, sed contusis, laceratis & laxatis membris omnibus excepto capite oblongo & quasi turcico pileo insignito. *Lycosthenes.*

1546 In *Ackern* oppido Saxoniæ ad Albim infantes femoribus latere tenus concreti nati sunt, quà crura subnectuntur coxæ, eo situ ut dexter sinistra manu humero dextro alterius incumberet, sinister dextram thoracis ulterius transversim prætenderet. *Lycosthen.*

1547 In *Ploâ* Voitlandiæ oppido natus est infans monstrosus, in quo neque dorsum, neq; venter apparuit, præterquam, quod intestina circa pectus ex aperto corpore longè dependerent. Pedes versùs caput inclinavit, umbilicum in molâ sinistræ tibiæ habuit, capite fuit acuminato ad similitudinem tiaræ. *Lycosthenes. Lovanii* quoque Sept. Idus April. gemelli nati sunt distinctis corporibus uni adhærentibus capiti. *Idem.*

1548 *Mysenæ* 18 Cal. Maji natus infans diviso in fronte cranio, unico crure, sine labiis, oris loco exiguum habens foramen reliquo truncatus corpore. *Lycosthenes.*

1549 Simiarum aspectu & ursinis villis obsito dorso toto visos partus ex *Peucero* testatur *Lycosth.*

1550 *Fribergæ* infans natus est obscœno vultu, qui in fronte & occipite massam carnosam & prominentem habuit. *Lycosthenes.*

1551 In Marchiâ villâ *Dammewalde* prope *Witstock* infans natus est toto corpore spadicei coloris, capite cornuto, oculis crassis prominentibus absque naso, patulo ore, quod longitudine spithamæ distentum fuit, in cujus medio lingua candida eminuit, & quadrata colli expers; Corpus totum inflatum & rugosum, brachia in lumbis hæserunt, pedes longè tenuissimi, ab Umbilico autem species laxi intestini dependit ad pedes. *Fincelius.*

1552 *Widensbachi*, quod distat milliare unum â *Schleusingâ* monstrum natum est ex muliere imagine infantis absque pedibus, quorum loco habuit cuspidem demissam, à tumoribus etiam cuspides prominentes habuit. *Jobus Fincelius de miraculis.*

Eod.an. In Hassiâ *Witzenhausiæ* tertio post festum Trium Regum die infans masculus biceps, collo duplici, duobus capitibus & corpore optimè cum reliquis membris compacto natus est. *Lycosthenes.* In Angliâ quoque non procul *Oxonio* fœtus biceps natus est reliquo corpore benè compacto. Quatuor verò brachia & tres pedes malè formati fuerunt. *Rufus.* Hoc eodem anno puer monstrosus Illyricus sex annos natus & optimè constitutus venit *Anconam*, ex cujus Umbilico thoracem versùs aliud infantis corpusculum pendebat cum duobus brachiis & totidem pedibus absque capite. *Amatus Lusitanus* citatus ab *Aldrovando.*

1553 In Misniæ pago quodam *Zigest* non procul â *Pirnaw* natus est infans duobus capitibus membris omnibus absolutis. *Lycosthenes.*

1554 In Festo Trium Regum *Stetini* monstrum in Suburbio natum est talis formæ. Capitis loco massa informis erat mobilis, ut exta ovilla, loco unius auriculæ brachium stabat, alterum brachium è latere prominebat: Sed neque pectoris, neque dorsi effigies aderat, præterquam, quod lineola notabatur rachi: loco faciei concinnis erat pilis felinis; ocelli vitrei inde renitebant, nullius erat sexus, nec androgynus. *Jobus Fincelius de miraculis.*

Eod.an. In Misnia infans natus absque capite oculorum effigie in pectore expressâ. *Lycosthenes* & *Jobus Fincelius.*

1555 Die 15 Febr. in pago *Pfeffelbach ad Vinariam* natus est puellus sine facie humana, habuit verò loco illius carnem glabram, nisi quod duos oculos grossos & dissimiles exstantes habuerit non collocatos in cavitatibus tetro aspectu. In loco frontis cuspis carnea prominens erecta stetit: mentum habuit pendulum, exiguum foramen loco oris, quo omnes videntes conterriti fuerunt. *Fincelius* & ex ipso *Lycosthenes.*

Eod.an. *Genevæ* apud *Allobroges* â Gallâ quadam muliere natum est monstrum, quod binas habuit facies, sivè fuit bifrons, uti Janus depingitur: Utrumque habuit Sexum: ad dextram nempè fuit Mas, ad lævam fœmina. Mense Decembri in Pomeraniæ villâ *Roslow*, quæ unum tantùm milliare distat à *Palewalck*, horrendum natum est monstrum. Corpus fuit vitulinum, caput glabrum & rotundum instar globi ad Simiæ similitudinem, mentum hirsutum, prominens lingua, pedes anteriores fuerunt sine ungulis cum globulis rotundis: posteriores verò bovini; cauda fuit absque notis, ac planè per omnia immobilis. *Lycosthenes.* Eodem quoque anno die 27. Dec. in pago Freywerck non procul *Altdorffio Voitlandiæ* oppido biceps infans natus est, quatuor manibus, & pedibus totidem absque Secreto Sexum prodente. *Idem*

1556 Non procul *Lipsiâ* biceps natus est infans quatuor manibus, totidemque pedibus, uno verò corpore. *Lycosthenes.*

Eod.an. Monstrum humanum natum est, quod à vertice ad hypochondria figuram repræsentabat

An.Ch. bat humanam ore tamen prominente & facie torvâ. Ab Umbilico verò relictâ hominis figurâ in formam pyramidalem terminabatur referens in cuspide similitudinem caudæ suis inflexæ. Præterea circa spinam dorsi umbilici effigies alia conspiciebatur, nullum verò prorsus sexum exhibebat. *Aldrovandus. Argentinæ* quoque Masculus natus est, cui sub cartilagine ensiformi transversa manu moles infanti non absimilis propendebat, cujus caput cum cervice ad scapulas, si modò caput habuit intrà cognati pectus latebat, manibus, pedibus & pene præditus, sub axillis hispidus & in pube lanuginem habens. *Langius lib. 2. Epist. 8.* Hoc etiam anno *Francofurti* ad *Mœnum* visa est mulier, quæ manibus omninò carens, arrepto nihilominùs ad pedem calamo literas non tantùm elegantissimè pingere, sed etiam trahere colum, nere, numerare pecuniam, & subtilissima quæque pedum digitis conficere potuit. *Lycosthenes. Basileæ* etiam hoc anno circa festum Paschatis infans adeò scissis & apertis naribus est natus, ut indè in ejus cerebrum facillimè sit conspectum. *Idem.*

1557 Masculus natus est corpore satis quidem benè compacto, sed sine collo, monstrosâ planè facie, oculis insolitæ magnitudinis quasi in fronte sitis, ac superior capitis pars omninò deerat. In occipitio autem habebat foramen justæ magnitudinis, ex quo sanguis aliquantùm fluebat; Undè statim etiam, ac in lucem fuit editus, diem suum obiit. *Lycosthenes.*

1562 Die 2 Novemb. *Villæ Francæ* in Vasconiâ nata est puella sine capite. Circà regionem colli eminebat tuber, & aures super scapulas conspiciebantur. In dorso oculi & rostrum instar proboscidis apparebant, quæ omnia simul collata, oculorum, nasi & quodammodo faciei rudimentum repræsentabant. Cœtera muliebre corpus affabrè compactum exhibebant, nisi quod umbilicus paulò longior propendebat. *Aldrovandus in monst. Hist.*

1565 In Hungaria mulier enixa est puellum capite Elephantis, reliquo corpore benè constituto. *Lycosthenes.*

1566 *Basileæ* Rauracorum puellus natus est crudeli aspectu, corpore quidem benè compacto, sed capite hirsuto canem aut catum magìs simiam, quàm hominem referente. *Lycosthenes.*

1569 Natus est fœtus ex quadam muliere Turonensi, quæ peperit duos gemellos mutuò se complectentes. *Aldrovandus.*

1570 Mense Julio *Lutetiæ Parisiorum* in Vico *Gravillierorum* ad insigne Tintinnabuli duo parvuli nati sunt, quos unitas natium & unus umbilicus copulabat, qui per diametrum sese intuebantur cum distinctione sexûs. *Ambrosius Pareus.*

1572 Mense Februar. in *Viabani* parœciâ, viâ qua Lutetia *Carnutum* itur, in pagulo, cui parvarum Bordarum nomen est: *Cypriana Giranda Jacobi* Mercatoris Agricolæ uxor peperit puellos ad nates copulatos & per diametrum se mutuò conspientes, quibus quatuor brachia & crura. *Idem Pareus.*

1573 In Indiæ Orientalis oppido *S. Laurentii* die 6. April. delatum est monstrum horrendum ad Ducem *de Medinâ*, quod oculos, os, aures, & nares habuit valdè deformes; in fronte duo cornua instar capræ cornuum primùm excrescentium, pilos oblongos in ventre cingulum carneum duplicatum cum frusto carneo ex eo dependente instar peræ; in sinistrâ manu Sonalium seu campanulam carneam similem illis, quibus Indi ad tripudia utuntur; in cruribus ocreas carneas albas reduplicatas; in dextro crure quasi cingulum, aut compedem cruri circumductum. Totum hoc monstrum figurâ valdè horribili fuit, simile ferè diabolo humanâ specie tripudianti. *Peramatus lib. de hom. procreat. cap. 17.*

1575 Mense Junio *Venetiis* monstrum admirandum ab Hebræâ prodiit in lucem. Erant duo infantes juxta nates & perinæum coaliti cruribus invicem complicatis. Locis Secretis & naturalibus destituebantur, quorum vices umbilicus supplebat, singulique oppositis inter se vultibus cibum & potum sumebant. *Aldrovandus.* Eodem anno quoque natus est infans biceps, qui dextro carebat brachio. *Pareus* apud *Aldrovandum.*

1577 Die 12 Februarii circa ripas Danubii propè *Budam* Hungariæ visum est monstrum alatum tetrachiron, seu quatuor manuum, facie humanâ, auribus asininis, pedibus & reliquis partibus ad umbilicum bovinis atque alatis, manibus quatuor non paucos jaculabatur lapides, quibus plures accolas occidebat.

1578 Die 17. Januar. apud Subalpinos in *Quiero* oppido duobus milliaribus *Taurino* dissito, honesta mulier edidit fœtum cum quinque cornibus arietinis; qui præterea à Summâ fronte ad occiput & totum ferè dorsum oblongum carnis appendicem capitium muliebre æmulantem gestabat: deindè circa collum alia substantia carnosa tanquam collare subuculæ volvebatur, præterquam quod digiti manuum erant unci, & poplites à genibus occupabantur: crus cum pede dextro rubescebat, cum reliquum corpus colore esset bætico. *Pareus.*

od. an. Sub *Mauritio* Imperat. in Thracia mulier quædam puerum peperit sine manibus & pedibus caudâ piscinâ usque ad coxendices. *Zonaras Tom. 3.*

1584 Mense Septembri *Parmæ* natus est puer, qui naso carebat, in fronte verò duos testes cum portione carnis mentulam æmulante gerebat. Utraque etiam infantis manus sex digitos habebat, & pars anterior sexum maris, posterior verò fœminæ referebat. *Aldrov.*

1586 *Halæ* Suevorum conspectus est homo, appellatus *Thomas Schweick* qui utroque carens brachio, ingeniosissima tamen Opera, quæ manibus alii peragunt, pedibus perficiebat. *Schenckius.*

1587 *Eusingi* in regione Pedemontanâ natum est monstrum heptacephalon instar hydræ cum cruribus & pedibus bubulis, reliquo corpore humano cum septem brachiis & totidem capitibus uni thoraci affixis. *Aldrovandus.*

1590 Mense Octobri in pago *Piceni* diæcesis Asinensis ex Agricolis conjugibus natum est monstrum,

An. Ch. monstrum, cui caput erat unicum magnum oculis prominentibus instar oculorum bufonis naribus sursùm repandis, ore patulo & ad aures usque diducto more ranarum fibris carnosis instar capillamentorum ex mento pendulis, crispis & infernè sursum nonnihil contortis; ideoquè appendices carnosæ Satyrorum barbam quodammodò æmulabantur: ei unicus thorax, venter & umbilicus erat, sed brachia quaterna & crura totidem habebat, nec non & mammas tumentes. Cœtera membra inferiora cum essent duplicata sibi invicem per diametrum erant opposita: quocircà nates & podices ad latera monstri erant locati distincto sexu fœmineo, ita ut fœmina duplex ab hoc monstro repræsentaretur. *Aldrovandus.*

1592 *Bononiæ* visus homuncio quidam Indicus statura senum dodrantum, qui inter os & aurem dextram habebat propendentem ad pectus duplicem carnosam molem; quarum ori proximior erat alterâ brevior & auri adhærebat. Similis caro laxa in humerum devolvebatur & quibusdam villis erat tecta, sicut & alia. Sub mento & circa initium thoracis alia maxima moles carnosa primò humerum tegens deorsum pendebat per totum ferè ventrem extensa: deinde à mamillâ ad axillam dilatabatur: crassitudo molis carneæ erat semidigiti, manibúsque sursum attolli poterat, quia cuti non nisi in exortu suo adhærebat. *Aldrovandus.*

1593 Die 6 Octob. in ditione Monasterii *Wolmerstadt* Uxor Cauponis puellam bicipitem peperit. *Schenckius* apud *Aldrovandum.* Eodem anno *Königsbergæ* masculus natus aure leporinâ cum portione carnis instar pilæ. *Schenckius.*

1594 Nata in Urbe *Bisōn* Territorii Avenionensis *Catharina Manzina* venustæ formæ & altitudinis trium dodrantum palmo ampliùs, cruribus ac pedibus carens. Brachia fuere perfectè constituta, pectore & trunco longiora: pars verò corporis inferior quodammodò bifida apparuit imaginem lyræ æmulans. Androgyna præthereà fuit prævalente tantùm sexu fœminino: loquebatur, Cytharam pulsabat, tripudiabat manibus, & ad concentum lyræ gestus imperfecti corporis ita componebat, ut pedibus saltare videretur. *Aldrov.*

1595 Natus in lucem prodiit infans pedibus & auribus leporinis. *Sorbinus.*

1596 Die 4. Februar. natus infans, cui in occipite mola adnata magnitudine capitis humani vix't viginti quatuor horis. *Bartholin. obs. pet. pav.*

1597 *Coloniæ* natus infans, qui benè compacta habuit corporis membra, nisi quod femora pedésque ab imo ventre usque ad extremitatem pedum coaluerant digitis pedis sinistri omninò deficientibus, quorum loco regioni calcis ejusdem pedis sinistri massa quædam carnis adhærebat. *Schenckius.* Rursùs eodem anno *Coloniæ* natus pusio aspectu pulcherrimus, nisi quod in cervice duas continuas appendices carnis instar duorum ovorum ex utero matris attulerit. *Idem Schenckius.*

Eod. an. Die 29 Maij in vico *Lustnaw* Ducatûs Wirtenbergensis partus monstrosus in lucem prodiit geminis capitibus, quæ craniis defunctorum hominum non erant dissimilia. Crura habuit bina, manus parvulas, & pedes macros in angustum contractos. *Schenckius.*

1598 Die 26. Octobris in oppido inter *Angerium* & *Tortanam* sito natum est monstrum humanum biceps cum caudâ, duobus pedibus, quatuor brachiis, quorum duo ritu humano proprium occupabant locum, alia duo juxtà dorsum exordio utriusque capitis ortum habebant; cauda suprà podicem spatio duorum digitorum erat longitudine palmi; fœminei sexûs creditum fuit. *Aldrovandus.*

1599 Mense Augusto in vico *Zeitern* distante mille passuum spatio â *Bruxelle* Episcopatûs Spirensis Uxor prætoris bicipitem & admirandum enixa est partum: Duo capita Simiarum faciem æmulabantur: reliqua pars corporis puello benè constituto similis erat præter brachia, quæ ex parte manca videbantur. Pedes formam potiùs pedum simiarum quàm hominum referebant, & denique circà clunes rudimenta caudæ vulpinæ cernebantur. *Aldrovandus.*

1606 Natus est infans, qui supra Umbilicum foramen habuit patulum, & rotundum ad intimas ventris partes penetrans quasi pugione factum. *Schenckius.*

1607 Mense Martio *Genuæ* natum est monstrum duorum infantum juxta nates coalitorum *Aldrovandus.*

1608 Mense Septembri *Hagenoæ* Alsatiæ puer natus est, qui toto corpore benè compositus, nisi quod circa superioris labri & nasi interstitium monstrosa caro veluti quædam proboscis erat adnata, & referebat oris ovini exertâ quasi linguâ balantis figuram: & hæc monstrosa caro spatium nasi non excedebat, reliquo superiori labro ad utrumque latus scisso.

1610 Mense Martio in agro Pistoriensi nati sunt duo infantes circà nates adeò connexi, ut sexus distingui non ritè posset. Horum infantium alter unum tantùm crus possidebat, quamvis manu Chirurgi observantis ossa amborum crurum optimè persentirentur. *Aldrovandus.*

1615 *Bononiæ* mulier puellam genuit satis grandem sine capite, & ubi collum esse solet, os cum dentibus videbatur; cernebatur etiam in parte oppositâ membrana Meninges æmulans. *Aldrovandus.* Mense quoque Julio ejusdem anni duæ gemellæ conglutinatæ in lucem prodiêrunt: Et Mense Novembri *Regii* Gemelli nati, quorum unus niger, alter albus conjuncti ventre & unico umbilico, cœteris partibus perfectis quodammodò in mutuis complexibus hærere videbantur. *Idem.*

1617 *Venetiis* duo infantes juxtà nates & perinæum coäliti in lucem fuerunt editi. *Aldrov.*

1620 *Haffniæ* Danorum visa mulier destituta brachiis, quæ calamo scriptorio ore apprehenso literas exarabat, filium linguâ intrudebat, aliaque plura præstabat ore, quæ manibus perficere solent. *Olaus Wormius in Musæo lib. 4. cap. 12.*

An. Ch. 1621 *Bajonæ* in Aquitaniâ natus infans, qui quoad membra erat benè constitutus, sed multi oculi totum corpus deturpabant. *Aldrovandus.*

1624 *Firmi* in Italiæ civitate nata fuit puella perfectis membris omnibus integrata præter caput, quod aspectu erat horrificum cum fronte rugosâ, sub quâ orbitæ quædam absque oculis cernebantur, & loco nasi frustum carnis pyriforme mediam occupabat faciem: sub hac massa carnis pellis rubra quadrangularis figuræ erat, quæ utrimque oculos veluti gallina repræsentabat. Oculus unus obscurus in occipite, alter clarus & humanus supra suturam coronalem visebatur: Sed sine palpebris & ciliis, quorum vicem capilli capitis gerebant.

Eod. an. Mense Augusto in Territorio Bononiensi natum est monstrum fœminæ speciem referens, cui in summitate colli mollior caro instar Pyramidis eminebat: deindè lingua, larynge, & pulmonibus carebat, quorum loco quædam carunculæ costis utrimque adhærebant, cum cœteræ partes rectè erant constitutæ. *Aldrovandus.*

1626 Mense Martio *Perusii* prodiit in lucem puellus membris rectè constitutis formatus, præter faciem, quâ præter hirtam frontem effigies bubonis repræsentabatur ab ore erecta. *Schott. phys. cur. lib. 5. cap. 4.*

1628 *Bononiæ* visus Juvenis brachiis carens, operationes autem varias manuales pedibus peragens. Similiter *Ingolstadii* visus vir staturæ mediocris, brachiis & manibus carens, qui tamen admiranda pedibus perficiebat. *Stengelius lib. de monstris cap. 16. §. 9.*

1630 *Bononiæ* in viâ S. *Felicis* mense Aprili natus est puer cum massâ carnis in fronte instar cornu. Orbita oculorum una tantùm cum magno oculo conspiciebatur in facie sine naso: oris foramen rotundum, & adeò angustum fuit, ut ubera matris apprehendere non posset, sed nutritionis gratiâ lac per fistulam parvo orificio aptatam instillabatur. *Aldrovandus.*

1638 *Olyssipone* ex honestis parentibus natus est infans armati similitudinem referens: nam variæ carnis & cutis appendices ac figuræ habitum illum repræsentabant. Ex eadem materia & galeatus & ocreatus erat. *Aldrovandus.*

1639 In *Norvegiâ* nata est puella in ore gerens pudenda sexûs virilis: fronte insuper carebat & cerebro, cujus locum occupabat caro informis rubra instar mitræ foris productæ mobilis, ut pro arbitrio detrahi & reponi posset. *Thom. Bartholinus cent. Hist. anat. 38.*

1640 *Bononiæ* visus adolescens annorum 16 *Thomas Buganellus*, cui brachium dextrum in cubito terminabatur, ubi rudimenta quædam digitorum & unguium apparebant. *Aldrov.*

1641 *Norimbergæ* abortus est editus sine cerebro & spinali medulla, capite humeris incumbente (collo enim carebat, cujus tres tantùm vertebræ in sceleto apparebant) & in cervice perforato, itá ut digitus in cavitatem vertebrarum thoracis dimitti posset. *Veslingius Epist. & observ. 44.*

1663 Mense Febr. Lanii uxor primùm peperit filium sextimestrem, posteà alium fœtum masculinum, ac illum solo dimidio corpore præditum. Monstrum hoc cum fratre germano ejusdem erat magnitudinis. Carebat capite, collo, pectore, & brachiis: instructum solummodò lumbis, natibus, cruribus & pedibus: nullibi os, nasus aut oculi apparuerunt. *Anton. Everhardi.*

1665 Die 25 Martii *D. Joan. von Horne* oblatus abortus septimestris monstrosus, in quo mentum pectori adeò vicinum erat, ut collum neutiquam distinctum appareret: quidquid suprà oculos cranii erat, non fornicatum; sed planè depressum cernebatur, nullaque cute tegebatur; totum os occipitis compressum erat versùs anteriora, & extrinsecùs membranas quasdam coagulato sanguine infectas utrinque dependentes monstrabat. Vide *Biblioth. Anatom. part. 3. de capite.*

1666 Die 12 Novemb. *Regensdorffii* in agro Tigurino nata est puella aspectu terribilis, carens fronte, axillis & collo. In regione frontis prominuit nasus; sub illo os patulum, lingua exerta: suprà nasum erant oculi: post illos retrorsum siti erant duo humores similes cornibus detruncatis: tota spina dorsi aperta hiabat adeò, ut renes aliaque viscera conspici possent. Pedes decussatim abdomini incumbebant, brachia sine axillis è trunco pendebant & versus pedes extendebantur. *Biblioth. Anatom. part. 3. de capite. D. Joan. Jacob. Wepferus de puellâ sine cerebro natâ.*

1667 Die 3. Januarii *Possonii* in suburbio nata est puella, quæ cranio & cerebro caruit, cujus loco massam carneam in supremitate pulsantem, & quid serosi stillantem habuit. In lucem edita more infantum non vagiit, sed vagitûs loco stertens aliquot ronchos duxit.

Eod. an. Mense Martio propè *Jenam* in pago propè *Liechtenham* puella nata est caput non convexum sed depressum ac planum à fronte ad occiput habens. Circa verticis regionem protuberavit excrescentia carnea rosæ quadrifoliæ similis, cervice destituebatur capite humeris affixo. *Biblioth. Anat.* Rursum eodem Anno in *Langen* ad lacum Bodamicum fœtus prodiit monstrosus spithamâ longior: carebat collo: caput humeris affixum destituebatur mento, os apparuit, ubi alias collum thoraci proximum. Nasus aderat, oculi extra orbitas ceu duo globuli foris ab imo earum limbo pendebant, carebat fronte, sincipite & maximam partem occipite, nec per os, nec per nasum spirabat, sed crebro linguam horribili aspectu exerebat. In posticâ parte capitis duo corpuscula testiculis caninis similia protuberabant, quibus levatis rima apparuit, per quam monstrum spiritum ducebat & reddebat, illis ampliùs in altum levatis conspectæ fuerunt duæ verrucæ, cui incumbebat corpusculum, adeò ut penem cum testiculis referret. Sexûs fuit fœminini *Biblioth. Anatom.*

1674 Rustica Wiegelobiana in Ducatu Saxo-Gothano monstrum peperit masculinum, quod pectus habuit aliqualiter gibbosum: loco abdominis illi fuit saccus membraneus, isque

An.Ch. pellucidus monstrosè ad pedes usque propendens, in quo intestina cum cœteris infimi ventris visceribus contenta, quæ singula accuratè & distinctè cerni poterant. Ex capite dorsum versùs dependebat informis massa carnosa acuminata. Pes sinister curvus & intortus. Cerebri vice fungebatur ossea aliqua, porosa tamen substantia. Facies fœda & abominabilis erat. Collum ferè nullum. *Christ. Franc. Paullini in obs. medico-Phys. num. 45.*

Eod. an. Vigesima tertia Novemb. *Hagæ Comitum* natus est puer, cujus occipiti inhærebat spina, quali solet superbire sexus muliebris, vulgò Germanice *Vronck*, constans osse, adeò visu curiosa, ut penicillus pictoris pulchriorem depingere nequiisset. Spira hæc naturalibus circumamicta capillis, seu dependentibus antiis vulgo Haarlocken repræsentabat fastu & multis procerum desideriis efflatas fœmellas, quæ non solùm oc-sed etiam sinciput comis adulterinis ad formam calamistratæ seu crispatæ caudæ equinæ passim exornant, frontemque depravant, quam decorari putant. Proles illa die altera obiit. *Relat. Francof.*

1680 Ipsis Calend. Maji in Oppido *Ebeleben* ab ancillâ quadam monstrum prodiit uno quidem capite, at in eo tres oculi, duo nasi, ora duo, menta duo, aures duæ: in corporis posteà superficie unicus quidem thorax, at duo ventres conspiciebantur, in quorum medio abscissus vasorum umbilicalium unicus funiculus prominebat, duo quoquè muliebria membra genitalia, duo ani, quatuor brachia & manus, quatuor etiam pedes erant conspicui. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 2. observ. 102.*

Eod. an. Die 4 Maji Eifeldensis mulier abortum monstrosum enixa fœminei sexûs cum duplici facie. Caput sine collo axillis insitum erat: Universum occiput aspectu horrendum additamento carneo deforme, intus cruore refertum sed laceratum & pendulum. Pars superior dorsi gibbosa, media inversa, infimaque iterum elata, sed totum cartilaginosum tenuissimâ cuticula obductum, frons exigua & penè nulla, in eâque supernè hinc inde tenelli capilli nigricantes: oculi tres leporinis similes & aperti, unus quidem cum duobus pupillis in medio frontis, duo in utroque temporum latere siti: duo nasi compressi: ora duo leporina cum unâ lingua humanâ ad utraque ora se flectente & superioribus maxillis fissis: ambæ aures latæ & flaccidæ, cutis totius corporis pilosa. *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. An. 1. obs. 143.*

1681 Die 19 Decembr. fœtus fœminei sexûs in *Allenthan* natus est, in quo alterum caput tenello fœtûs corpusculo continuum naturale habitudinis similitudine repræsentabat, & ejusdem tegmen superius capillis obductum ossa subtus mollia tactui hinc inde cedentia, ac circa suturarum locum disjuncta exhibebat, auris pendulæ conformationem debitam ostendebant, nec minùs oculus sinister apertus, dexter autem clausus æternis tenebris delitescebat. Thorax tumidus protuberabat; oris hiatus sese pandebat insignis, ex cujus palato medio monstrum enatum horrendum informe, massa scilicet osseo-carnosa communibus integumentis obvelata, capitis rudimentum monstrabat. In Regione siquidem hujus superiore alterius capitis naturalis ossi frontis contigua cerebrum menyngum ambitu cinctum prominebat solum ossibus & integumentis destitutum; alioquin ad partis principis tutelam comparatis. Sub isto frons capillata dignosci poterat, nasi quoque penitùs ossei sedes levi prostabat vestigio, nullâ tamen cavitate pervii. Porrò per transversum ductum excurrebat linea oris vices repræsentans, quam sinistrorsum exporrectæ duæ minores excipiebant rimæ; tandem à sinistris caro laxa rubicunda auri vel cordis auriculæ potiùs ob figuræ similitudinem æquiparanda adjacebat *Eph. German. Cur. Dec. 2. An. 6. obs. 165.*

1684 Die 2. Febr. *Marburgi* gemelli duo in ventre monstrosè concreti nati sunt. Caput sinistrum altero minus fuit & pedes justo graciliores. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 3. obs. 90.*

Eod. an. Die 16. Febr. in superiori *Gunzburgo* præfectura nata est puella corpore quidem non informis, in capite verò tres oculos duplicem nasum, os itidem & aures duplicatas habuit. Oculorum præcipuus & major in mediæ frontis parte elatiore situs duas habuit pupillas reliquis duobus oculis ad aures declinantibus, planitie autem, quæ duplicatum hunc vultum intercedebat calvâ existente & in medio punctum aliquod monstrante, quod æqualem ab utroque oculo distantiam obtinebat. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 3. obs. 156.*

1686 *Alzææ* paupercula gemellos peperit, quorum alter vesicam sanguine plenam totum os occupantem, & extra illud etiam pendentem habuit. *Eph. Ger. Cur. Dec. 2. Anno 6. obs. 199.*

1690 Die 13 Febr. *Possonii* in suburbio fœmina puellum peperit monstrosum: moles quædam figuram vesicæ repræsentans totum corpus obsidebat, eratque hæc excrescentia duplo major puelli capite non admodum rotunda sed parumper angulosa, tactu mollis, strias formabat ex rubro nigricantes lividas. Superius cranium totum ferè abfuit; in fronte & occipite officula quædam, sed minutissima & admodùm mollia apparebant, occipitis pars infima & radix hujus excrescentiæ pilosa. Superiora oris labia cum palato ad nares usque fissa & bifurcata erant leporinorum ad instar labiorum. *Eph. Dec. 2. Ann. 9. obs. 117.*

Eod. an. Mense Aug. monstrum partus deformis vivæ, & altero die seq. demortuæ puellæ *Magdeburgi* editum. Hanc Sutoris uxor excluserat benè quidem formatam, nisi quod in latere dextro ferè usque ad oculum dextrum labium esset fissum gingivâ crassa existente: in fronte autem caro rubra ornamentum illud muliebre, *Fontange* dictum, referens, & in utroque capitis latere caro crispa comparebat non inconcinnè capillitium crispum muliebre referens. *Eph. Dec. 2. An. 9. obs. 148.* Similis partus horribilis etiam *Arnstadii* in lucem editus fuit à prægnante, quæ leporem & pullos gallinaceos ad verua præparans & simul peregrinum in fronte sexûs sequioris ornatum *Fontange* dictum, vittasque pendulas intentis oculis contemplans, ut eod. An. *Eph. obs. 98.* memoratur: puellã enim peperit mortuam absq; calvaria & fronte membranis crebrò cristæ instar erectis rubentibus, cum sacco de occipite pendente carnoso, oculis prominentib', aure sinistrâ orbiculari, labio leporino, palatum etiã

& narem

An.Ch. & narem dextram deturpante, collo tumente, foramine pectoris parvo & rotundo, corde ex eo pendente foras nudo & bifido &c. *Magdeb.* quoq; eod. anno die 25. Oct. pauperis Nautæ uxor monstrum peperit crassum & pingue, postquam ante bihorium benè formatam, sed teneram & macilentam puellam exclusisset, in cujus dextro brachio duo appendices videbantur instar digitorum: in sinistro autem, quod dexro triplo majus erat loco manûs pes ursinus tribus unguibus instructus comparebat. Caro non carni similis, sed instar aquosæ pinguedinis, vel molliusculi porcini lardi erat, atque compressa instar aquæ diffluebat. Vide *Eph. Dec. 2. An. 9. obs. 148.*

1691 Inter diem 14. & 15. Septembr. noctu circà 12. gregarii militis uxor sinistro pede mancum, anticâ & posticâ parte imperforatum nullo sexus manifesto discrimine partum enixa est. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 10. obs. 162.*

Eod. an. Die 8. Decembr. vix uno milliari procul *Patavio* rustica mulier talem edidit partum. Erat nempè Masculus, cui capita erant absolutissima duo, unumcuodque cum collo suo: pectora etsi duo, unum tamen exhibere videbantur: brachia benè coälescebant in morem amplexantium sese gemellorum, erantque quatuor: pedes autem nonnisi duo: Tertium tamen visa est moliri natura, quem ex cruris dextri parte posticâ nonnisi inchoatum oppressa reliquit: proportio corporis erat congrua facierum formositate spectantes omnes ad admirationem cogente. Fœtus in lucem vivus editus mox extinctus est baptismate tamen priùs felici sorte donatus. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 10. obs. 33.*

1692 Die 31. Febr. *Romæ* ab Hebræa natus filius, qui instrumenta generationis palato annexa in oris cavitate tenebat. *Ephem. Dec. 3. An. 1. obs. 111.*

Eod. an. Die 10. Julii in suburbio *S. Sebastiani Æsii* paupercula mulier peperit binos masculos in latere & in ventre conjunctos, atque decenter ulnis amplectentes, qui in exitu perierunt, postquam crura prius apparentia baptisma ab obstetrice receperunt. Medici in exenteratione invenerunt duos ventriculos ab ingenti hepate æqualiter amplexos cor unicum, sed quadam profunda linea ferè divisum, intra tamen duas habens solitas cavitates, splenes duos perparvos, renes duos magnos, qui quidem quatuor æquare poterant; pulmones ritè divisos, & intestina denique utrinque distincta usque ad proprium cujusque terminum. *Ibidem.*

CAPUT V.

Insoliti quidam partus à naturæ geneticæ fœcunditate mirabiles, aliaque in fœtibus humanis accidentia curiosa miscellanea recensentur.



Xoticos monstrosos partus ut Naturæ geneticæ aberrantis à scopo suo ludibria præcedenti cap. adduximus: nunc verò alios quosdam insolitos partus ejusdem, ut præter morem prodigæ & fœcundæ matris profusos largiùs fœtus haud parùm admirandos in medium producimus.

§. I.

Numerosi quidam insoliti partus à diversis mulieribus nullo non tempore in variis locis exclusi.

Trium fœtuum partus. 1. Geminorum partus insolitus non est, neque rarus: Trium fœtuum aliquantùm rarus, quod non ità novus & freqens: hoc tamen mirum, quod *Jacobus Capellus in fragm.* scribit, *Helionoram Salviatam Bartholomæi Friscobaldi* Florentini civis uxorem duos & quinquaginta liberos enixam esse, nunquam verò pauciores tribus uno partu.

Quatuor fœtuum partus. 2. Testatur *Plinius lib. 7. Hist. Nat. cap. 3.* & *Solinus cap. 2.* supremis annis Augusti Cæsaris *Faustam* quandam è plebe *Ostiæ* in Italiâ duos mares & totidem fœmellas, universim quatuor fœtus uno partu enixam.

3. Memorante *Paulo Juris Consulto in Pandect. lib. 5. tit. 4.* & *lib. 17. ad Plautum*, quatuor aliquandò puellæ à Matrefamilias uno partu effusæ sunt. Temporibus etiam *Lotharii II.* ut *Wernerus in Fasciculo Temp.* notat, mulier quædam uno partu quatuor mares enixa est. Sed admirabilius est, quod alii graves tradunt Authores, memorante etiam *Schotto phys. cur. lib. 3. cap. 29.* Mulierem Peloponesiam quinquies quaternos edidisse liberos.

4. In pago *Resynit* (*Schottus* vocat *Keswyt*) propè Acronium lacum Anno 1535. rusticam quandam fœminam scribit *Stumpfius* quatuor masculos uno partu incolumes edidisse, non diu tamen superstites vixisse.

5. An. 1683. die 30. Nov. *Augustæ* Murarii cujusdam uxor, annorum 29. parvæ staturæ quatuor jam liberorum diverso tempore editorum mater, in fine mensis octavi post ingravidationem duos puellos & duas fœmellas enixa est, è quibus filiola ultimo è materno claustro emissa adhuc eodem die denata, quam paulò post altera secuta, filiolo natu minori insequente, ac demum primogenito pariter vivere desinentibus, sicque vitam ordine in nativitate observato, inverso deposuerunt. De quatuor fœtuum uno partu exclusorum enixu in pago *Quocsdorff.* Vide *Ephem. Germ. Dec. 2. An. 4. obs. 69.*

6. Quinque fœtuum partus frequentior videtur esse quàm quatuor; ut multa illorum testantur exempla. *Antigonus in Mirab. Nat.* scribit, *Alexandriæ* mulierem quandam partubus quatuor 20. edidisse fœtus: horum partuum videtur etiam meminisse *Aristoteles lib. 7. Hist. Anim. cap. 4.* Eâdem in urbe alia quædam mulier memoratur quinque infantes edidisse, tres scilicet masculos & duas fœmellas, quas suis sumptibus ali jussit *Trajanus* Imperator. Ea ipsa rursum mulier Quinque fœtuum humanorum partus.

sequenti anno tres alios infantes uno partu edidisse scribitur, ut testatur *Phlegon de mirab. & longævis.*

7. Ancilla quædam *Augusti* Imper. in agro *Laurenti* quinque pueros uno partu enixa est, ut scribit *Gellius lib. 10. Noct. Attic. cap. 2.* Eam etiam hinc defunctam cum ipsis pueris, ut *Idem* memorat, in *Viâ Laurentinâ* honorificè sepeliri curavit, cum ipsis pueris & sepulchri inscriptione.

8. Anno, quo *Henricus II.* è vivis discessit, *Altaichii* in Inferioris Bojariæ monasterio mulier quædam quinque filios enixa est, ut refert *Aventinus Annal. Bojar. lib. 5.*

9. Ex *Alberto Magno* narrat *Cœlius lib. 4. Ant. lect. cap. 23.* mulierem quandam in Germaniâ sexaginta filios peperisse, & singulis semper partubus quinque effudisse in lucem.

10. Testatur etiam *Lycosthenes lib. de prodig. Joannis Gislingeri* Tigurini uxorem circà annum 1553. tres simul pueros & duas fœmellas, universim quinque fœtus uno partu edidisse.

11. Memorant *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Anno 4. obs. 151.* in pago Königshoffen propè *Eisenbergam*, Misniæ urbem unico partu septimestri, quatuor filiolos in lucem editos: & *Dec. ejusdem Anni 9. obs. 50.* memoratur *Imolæ* fœminam quandam Annorum 35. uxorem cujusdam Barbitonsoris An. 1688. quinque filios uno partu peperisse, qui tamen pauco post temporis intervallo obierunt, quos eodem quoque fato paulò post mater insecuta fuit.

12. Mulierem non ultrà quinque fœtus uno partu effundere posse sensit *Aristoteles*, sed contrarium ostendunt Exempla sequentia. Ex *Ambros. Pareo* recenset *Aldrovandus c. 1. de monst.* Uxorem cujusdam Domini nobilis familiæ *Maldemeræ*, primo, quo nupsit, anno, gemellos; secundo ternos; tertio quaternos; quarto quinos; quinto senos fœtus peperisse. Seni tamen partus sunt rariores.

7. fœtuum partus. 13. In *Ægypto*, ubi fœtifer potu est *Nilus*, septenos uno utero simul infantes gigni referente *Plinio lib. 7. Hist. Nat. cap. 2.* Author est *Trogus*. Sub *Zenone* Imperat. quoque mulierem septem liberos uno partu edidisse dicunt, quos & crudelem in piscinam abjecisse. *Sigebertus* Eam fuisse scribit matrem *Algemundi* Regis Longobardorum: *Paulus Diaconus* verò *lib. de gestis Longobard. cap. 10.* meretricem fuisse notat.

9. Infantulorum partus. 14. Comitissa quædam *Querfurtensis* uno partu novem infantulos effudisse fertur, quos omnes ad unum usque voluit interimere, sed patre fortè fortunâ superveniente conservati fuerunt, ut tradit *Brotuffus lib. 4. Hist. Anhalt. Princ. cap. 4.*

9. & 11. fœtuum partus. 15. De Germanâ quâdam muliere tradit *Franc. Picus Mirandul.* eam primo quodam partu novem; altero undecim, sicque gemino partu viginti edidisse proles: *Pareus* apud *Aldrovandum cap. 1. de monst.* addit, dum uterum gestaret, longâ & latâ fasciâ circà humeros nodatâ alvum ad genua usque procumbentem fulcire coactam fuisse.

16. Tradit *Facellus*, Anno 1430. mulierem quandam *Massanæ* annos natam viginti quatuor novem uno partu infantulos edidisse, ac statim cum iis exinctam fuisse.

17. *Isenberti* Comitis de *Altorff* Uxor *Irmentridis*, quod pauperculam fœminam tres masculos uno partu enixam tanquam impudicam reprehendisset; ipsa Deo sic judicium temerarium puniente viro absente 12. mares edidit: Ex quibus unico servato, reliquos undecim obstetrici aquis submergendos commisit: Superveniente viro cùm quid velatum gestaret, inquisivisset, illa verò *Welffos* (h. e. catulos) respondisset: videndi desiderio accensus & velum vi removent, cùm infantes advertissent, clam illos enutriri curavit, & benè tandem enutritos uxori cum increpatione restituit, ac deinceps non Comites de Altorff, sed *Welfios* appellandos decrevit. 12. Masculorum partus.

18. *Matthiam Golancerium* Episcopum Uladislaviensem in Poloniâ dicunt, *Cromero* teste *lib. 11. Hist. Pol.* unà cum undecim aliis fœtibus uno partu editum, & reliquis omnibus mox à partu denatis solum supervixisse.

19. *Albucasis* apud *Aldrovandum* meminit mulieris abortum quindecim fœtuum benè formatorum passæ: *Avicenna* verò alterius, quæ duos & viginti fœtus uno abortu profudit. 15. fœtuum partus.

20. A. 1270. in Cracoviensi regione quædam matrona *Margarita* nomine *Virboslai* Comitis uxor triginta sex pueros uno edidisse partu fertur. *Cromerus lib. 9. Hist. Polon.* 36. fœtuum partus.

21. *Facellus* tradit *Joannam Pancicam* Agrigentinam mulierem ætate suâ *Bernardo Bulluardo* Agrigentino nuptam tantæ fuisse fœcunditatis, ut tricies circiter enixa septuaginta circiter liberos ediderit.

22. *Albertus M.* & ex ipso *Cœlius Rhodiginus* narrat, fœminam quandam fecisse abortum septuaginta fœtuum optimè figuratorum. *Idem* etiam memorat ex *Eodem*, aliam quandam fœminam ejecisse in pelvim embryunculorum auricularis digiti magnitudine corpuscula centum & quinquaginta. 70 fœtuum partus.

23. Memorabilis est historia, quam plurimi conscribunt Authores de *Margarita* Comitissâ *Holstenii*, quæ uno partu tot edidit infantulos, quot sunt dies in anno, nempè 365: omnes etiam vivi baptizati sunt. Vide *Annales Brunsvicensium*, *Cranzium in Vandalia*, *Brotuffum lib. 4. Hist. Princ. Anhalt. c. 4. Fulgosum lib. 1. cap. 6.* & plures alios. Vide etiam de hoc partu plura sup. *Scrutin. 2. Disquis. 3. cap. 9. §. 4. num. 10.* 365. fœtuum partus.

24. *Machtildis* Comitissa ab *Henneberg*, filia *Florentii IV.* Bathavini Comitis, soror *Guilielmi* Regis Romanorum sub *Friderico II.* Imper. mille quingentos quatuordecim simul genuisse perhibetur, qui in malluvio ab *Othbone* Trajectensi Episcopo Avunculo ejus sacrâ aqua lustrati & posteà continuò obiisse dicuntur. *Aventinus Annal. Bojar. lib. 7. Cuspinianus* tamen tantum 350 puerulos memorat à præfata Comitissâ natos esse. 1514. fœtuum partus.

§. II.

Partus insoliti aliorum quorundam mirabilium cum exclusis fœtibus humanis, aut etiam sine illis.

1. Inter verè admirandos partus meritò censeri debet, quem *Clariss. Dominus Corn. Stalpart van der Wiel* Medicus Batavus in suâ *Cent.* Canis vivus ante humanum fœtum editus.

Cent. obs.72. describit his fermè verbis: *Elisabeth Tambey* Obstetrix *Hagæ Comitis* ordinaria 21. Sept. An. 1677. ex cujusdam fœminæ utero extraxit canem vivum benè formatum, fuisque secundinis involutum, & quidem sequioris sexûs catellum: quæ fœmina nihilo tamen minùs gravida elapsis 14. Septimanis deindè vivum fœtum & quidem masculum enixa est.

Serpens cum infante exclusus.

2. Memorant *Ephemerides Germ. Cur. Dec.2. Anno 2. obs.55.* partum à quadam fœminâ editum, cujus ventrem juxtà regionem stomachi instar balthei militaris circumdederat serpens, quem indè apposito lacte saccharato calente abstraxerunt, infante superstite vivo & sano etiam adulto.

Serpens, aper & humanus fœtus simul exclusus.

3. An. 1530. *Augustæ* post Comitia mulier uno partu hominem, serpentem bipedem & aprum sylvestrem effudit. *Nemoperegrinus.* Meminit hujus partûs etiam *Lycosthenes de prodig.* paulò aliter in annum 1531. conjiciens ac dicit *Augustæ Vindelicorum* mulierem quandam eodem partu enixam primò caput humanum membranis involutum, mox serpentem bipedem, tertiò porcum integrum.

Ranunculi ante fœtum humanum prævii

4. Narratur ab *Anton. Torquemada Horti florum Dialo. 1.* quibusdam regni Neapolitani locis, quando fœminæ enituntur, puero nasciturо præire unum, vel plures ranunculos, sive rubetulas: quorum si quis terram contigerit (statim verò incipere saltare huc illuc) confestim puerperam emori: quapropter solere storeis inferni totum solum & parietes unndequaque aulæis vestiri, ne funesti anteambulones isti dum cadunt ex utero vel subsiliunt, terram contingant. Ideò etiam obstetrices lebetes penes se habere solitas, vel poculum aliud aquâ plenum, in quod animalculum hæc conjiciant, & probè obturatum deferre ad fluvium ibique demergere.

Ranunculorum partus.

5. An. quoq; 1203. puellam 16. annorum die de doloribus uteri conquestam, tandem unà cum mensibus undecim minutissimos ranunculos rejecisse omni dolore cessante scribit *Alex. de Insulâ in breviar. rer memor.*

Accretio dentis cum partu.

6. Matrona quædam *Lipsiæ* tres filios in matrimonio enixa est; cum quibus singulis dens unus eidem enatus est: morientibus illis singuli dentes eidem pariter denuò exciderunt. *Hirnheim de Typho cap. 6.*

7. De muliere in partu ex utero flammam cum ingenti sonitu unà cum fœtu monstroso excludente consule suprà *Scrutin. 4. Disq. 1. cap. 10. §. 3. num. 2.*

8. Olim bello Marsico *Alcippen* elephantem peperisse scribit *Alexander ab Alexandro lib. 2.*

9. Anno 1278. apud Helvetios mulierem quandam Leonem peperisse recitat *Stumpfius in Chron. Helvet.*

Felis ex ore partus.

10. Stupendum est, quod de muliere quadam narratur. Hæc cùm aliquot felium clamores audiret, ut suam sibi charissimam liberaret, accurrit: sed accedens ad locum, ubi ejulatus ejusmodi audiebatur, invenit felem in puteo, quam ut eriperet, urnam dimisit, eâque illam extraxit. Hoc labore lassata & sitiens ex urnâ bibit aquam, ex quo tempore malè habuit; vomitorio tandem assumpto felem ex ore projecit.

11. Alia canem felemque peperit teste *Jacobo Philippo Bergomensi Ord. Erem. S. Aug. in supplemento Chron.* Venetiis impressi. Partus canis & felis

12. Mulier alia glirem peperit, ut testatur *Bartholinus cent. 1. obs. 10.* quod & *Isenaci* factum esse refert *Weinreich lib. de monst. cap. 7.*

13. Refert *Hellwaderus in Sylvâ Chronol.* circà Balth. Anno 1600. ancillam Schwahstensem tres peperisse catulos, in Ducatu Sleswicensi à cane anglico imprægnatam.

14. *Alexandro VI.* in Cathedrâ sedente alia mulier ex cane peperit catulum. *Simon. Majol. t. 1. colloq. dierum Canicul.*

15. In Insulâ *Madagascar*, ut & in India Orientali mulieres subindè præter partum humanum & crocodilos unà effundere perhibentur; qui studiosè in aquariis custodiuntur. Communis verò persuasio incolis illis est, ut quicunque filii unà cum crocodilis geniti sunt, multùm boni regionibus illis, in quibus partus contingit, ab iisdem enasci. *Mandelslob.* Crocodilorum partus cum humano.

16. Anno 1202. fœmina quædam post venustam sanamque filiam tandem & cum maximis doloribus verum vivumque cancrum peperit. Vide *Breviar. rerum memorab. Alexandri ab Insulâ num. 62.* Cancri partus post fœtum humanum.

17. Narrat *Panarol pent. 4. obs. 12.* fœminam quandam quolibet mense sine ullo dolore quamplurimos vermes loco mensium exclusisse. Vermium partus.

18. *Macrinus* Imperator, *Cuspiniano* teste, filium habuit *Diadumenum* formosissimum, quod diadema *Triviæ*, cum nasceretur, in capite haberet, ità fore quod rumpi non potuit veris intercedentibus nervis: & hinc *Diadematum* puerum appellatum credunt plerique. Cum diademate natus.

19. *Callæ* Suessionensi in villa tribus hebdomadibus laborans mulier in partu, persuasa à vicinis voto se obstrinxit B. Virgini Deiparæ: indè statim doloribus levata est, ac primò peperit tres lapides, unum magnitudine ovi anserini, alterum gallinacei, tertium nucis: hos secutus est infans, qui baptismate tinctus paucos vixit dies. *Chron. Anton. circà Ann. 1070.* Partus 3 lapidum prævius fœtui humano.

20. Rarissimus & summè admirandus est casus relatus in *Eph. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. I. obs. 62.* his verbis: In Hungariâ fœmina partui vicina Anno 1669. incepit parere fœtum, ut jam extrà uterum totum exereret caput, sed fœtus ejulatu bis, ter edito iterum in uterum fuit abreptus, & per duas septimanas ibidem adhuc hæsit, ac dein legitimo partu fuit exclusus. *Sagunti* quoque, ut scribit *Plinius lib. 8. Hist. Nat. cap. 3.* puer reversus est in uterum matris eo anno, quo *Saguntum* delata est. Fœtus ejulatu edito in uterum reversus.

21. *Schenckius lib. 4. obs. 185.* recenset de muliere, quæ tredecim annorum spatio in utero suo sceleton embryonis portavit omninò à reliquo corpore segregatum. Idem *Author lib. de abd. rerum caus.* de muliere quadam in Castello dicto *Pomponio* hæc observatu digna notavit, quod cum longo tempore sceletum pueri in utero suo mortui portâsset, tandem illud, quamvis cum præsentissimo vitæ suæ periculo è latere suo sibi scindi

ſcindi curaverit, atque ità fœtum mortuum eduxerit. Porrò cùm vulnus jam obductum convaluiſſet, vivus ex eodem utero infans prodiit, nec per antecedens vulnus ſterilitatem incurrit, quin paucis abhinc annis novam rurſus prolem in lucem edidit.

§. III.

Regulæ quædam & Obſervantiæ ſpeciales de natis partubus certo aliquo modo, vel tempore.

1. Infantes recenter nati primo vagitu, ut obſervatum conſtat, A & E, ſcilicet, illud mares, hoc fœminæ proferre ſolent, quaſi conquerentes de utriusque ſexûs authore Adam & Evâ.

2. Nati in terræ motûs momento timidi ſemper & imbecilles exiſtere perhibentur.

3. Mulieres in navibus enixæ mutos pariunt: quod tamen *Simon Majolus* intelligendum putat, non ut ſic editi nunquam poſteà loquantur, ſed quod non vagiant infantes, dùm ex utero prodeunt.

4. Nati interlunii tempore vel non vivunt, vel admodùm debiles exiſtunt, & atrâ plerumpue bile laborant.

5. Nati in die limpidiores dicuntur his, qui de nocte nati ſunt.

6. Præpoſterè natos, ſive pedibus primùm non capite vitalem lucem ingreſſos, infelices & infortunatos ſcribit *Gellius lib. 16. cap. 16.* ex *Varrone* & *Solino*. Sic *Domitius Nero* toto principatûs ſui tempore hoſtis generis humani pedibus genitus dicitur, ut teſtata fuit parens ejus *Agrippina* memorante *Plinio lib. 7. Nat. hiſt. cap. 8.*

7. Septimeſtres ſine vagitu & ſine matris dolore naſci, quorundam opinio eſt, quod ad partûs imbecillitatem referunt.

8. Septimeſtres partus rarò vivunt.

9. In continuatâ maſculorum generatione ſeptimus mirabilem habere virtutem, comprimìs ſtrumas, febres, aliosque ſanandi affectus creditur.

10. Quicunque natus eſt Æquinoctii tempore potiſſimùm meridiano, hoc ſolo magnus evadere dicitur.

11. Natus in vere boni coloris eſt, & probæ ſtaturæ pulchros habens oculos.

12. Æſtate natus corpus acquirit benè proportionatum, & oculos plerumque magnos.

13. Autumno natus flaveſcit colore, mollis eſt, & macer, vocem habens ſubtilem.

14. Hyeme natus planos & raros plerumque obtinet capillos.

15. Nati in die Dominicâ negantur videre poſſe lemures.

16. In Dominicâ tamen die aliquâ quatuor temporum nati ſpectra nocturna videre, & theſauros altè defoſſos reperire poſſe perhibentur.

17. Habent quidam in Flandriâ donum curandi febres: qui ſcilicet nati ſunt ipſo die *Paraſceves*: hi quoque & mortuos & ſubterranea omnia videre poſſe creduntur.

18. Nati die 25. Januarii, in die feſto *Converſionis S. Pauli*, non horrere ſerpentes, & ſolo ſputo morſibus illorum mederi poſſe dicuntur.

19. Natorum die 27. & 29. Januarii, uti & die 13. Februarii corpus incorruptum ſervari, nec unquam computreſcere poſſe nugantur.

20. Infortuniorum & quorumvis malorum omina ſunt partus in utero materno plorantes auditi. Ità *Colbergæ* Anno 1624. accidit; ubi in templo fœminæ nono menſe gravidæ fœtus à matre & vicinis ſæpiùs plorans auditus fuit: poſteà fœtus in lucem editus unà cum matre ab ancillâ veneno peremptus fuit, maritus peſte extinctus, domus incendio abſumpta; reliqui liberi aut in ſummâ miſeriâ vixerunt, aut acerbo occubuerunt fato; quin & ſubſequente in Septentrione bello & urbi *Colbergæ* & toti Pomeraniæ funeſtus prænuntius fuit hic vagitus.

21. Abeunt mores & morbi parentum cum ſemine & ſanguine plerumq; in natos: undè non tantùm fortes creantur à fortibus, ſed & imbelles ab imbellibus, triſtes à triſtibus, læti à lætis. Hinc etiam ut *Lemnius* docet, qui in ſenectute generantur, plerumque graciles exiſtunt, tenelli, imbecilles, invalidi, & qui minus virium, minusque roboris obtinent; quod vires in ſenibus dejectæ ac collapſæ, naturales vitalesq; ſpiritus imminuti: quo etiam venit, ut animus dejectus & demiſſus exiſtat, mens minus agilis, viva, alacris, erecta, quoniam omnia parciùs contractiusq; confecuti ſunt.



CAPUT

CAPUT VI.

Corporis humani partes, earundem usus, & variæ proprietates exponuntur.

POst fœtus & corporis humani debitè formati & in lucem editi considerationem venit nunc ejus compages ex variis constructa partibus perlustranda.

§. I.

Partium Corporis humani externarum brevis descriptio.

Partes similares & dissimilares. 1. Humani corporis pars generatim duplex est: nempè *multiformis*, *& uniformis*. Pars *multiformis* ea dicitur, cujus insitæ partes uti forma sic & naturâ differunt: vocatur communiter à Medicis Dissimilaris, quod ex variis partibus *Similaribus* contexatur, ut est manus, pes & plures aliæ, quæ in cutim, carnem, ossa, venas, arterias, sanguinem, nervosque dividitur diversæ naturæ & denominationis. Pars *Uniformis* ea vocatur, cujus partes insitæ, uti formâ sic & naturâ conveniunt, sensu faltem judice. Unde & à Medicis *Similaris* nominatur: cujus nempe substantia est eadem & ubique similis, quæque non aliter quàm in partes similis naturæ & denominationis dividi potest. Tales partes in corpore humano à Medicis communiter numerantur Undecim. Ut os, cartilago, tendo, ligamen, fibra, membrana, arteria, vena, nervus, caro, & cutis. Ad quas etiam adeps, ungues & pili referri possunt, cum similarem naturam habere videantur.

Partium similarium distinctio. 2. Partes similares distinguntur, quod sint vel reverà tales & simpliciter similares, quæ scilicet in partes alterius naturæ dividi non possunt, quales censentur os, cartilago, tendo, ligamen, membrana, fibra, caro & cutis; vel sunt tantùm *Similares* quoad sensum: ut sunt vena, arteria, & nervus: venæ enim & arteriæ ex fibris & membranis componi videntur, arteriæ ex pluribus tunicis; Nervorum etiam interior pars est magis medullosa, exterior verò magis membranosa. Quamvis & cutis his accenseri possit quæ & excarnosa substantia & ex membranâ aliisque componi videtur. Imo si accuratiùs partium omnium *Similarium* constitutio armatis præsertim oculis per microscopia consideretur, vix aliqua purè talis reperiri poterit; Unde quæcunque partes *Similares* pure dici possunt, erunt tales tantùm secundùm sensum, & vulgarem considerationem.

Os quid sit 3. Os in specie pars est corporis animalis organica insensibilis medullam & succum includens durissima, siccissima & frigidissima ex seminis crassamento vi caloris formatricis indurato ad stabilimentum cæterarum partium, corporis erectionem & rectitudinem, ut & munimentum ac propugnaculum partium contra externos impetus concessa. Compages ossium aptè cohærentium sceletus vel sceletum vocari solet: de quo infra acuratiùs loquemur.

4. Cartilago pars dicitur Similaris ex seminis crassamento viscosiori genita ad partium tutelam & motum, facit etiam ad motûs facilitatem, securitatem & diuturnitatem suâ lævitate capita ossium lubricando. Differt ab osse secundùm magis & minus, nempe ut osse minus est sicca, sic & minus est dura. Quin & ossa cartilaginea prius fuerunt, & sensim sine sensu exsiccata osseam duritiem adepta sunt. Inter specialiores cartilagines sunt Ensiformis, sivè mucronata, innominata sivè annularis, scutiformis sivè peltalis &c. Omnes autem nutriuntur succo mucoso, ut tradit *Galenus*, ipsis circumfuso, quia nullas habent cavitates secùs ac ossa. Cartilago.

5. Tendo dicitur à tendendo, quod ejus actio præcipua sit in tensione aut contractione, estque finis seu cauda musculi albicans, qui & *Chorda* appellatur; quia ex nervorum tenuissimorum fibrarum, ligamentorumque cöalitu exsurgere creditur. Modò teres, modò latus est, modò longus, modò brevis; in quolibet autem musculo bini sunt, rarò trini, utrique ejus extremitati continui. Tendo.

6. Ligamen sivè ligamentum dicitur pars corporis simpliciter exanguis, alba, solida, cavitatis expers, cartilagine mollior, durior verò nervis & membranis corporis partes præsertim ossa funiculi adinstar mutuò colligans & muniens. Ità *Galenus lib. 1. de motu muscul. cap. 1.* Ligamen.

7. Fibræ sunt corporis animati partes similares tenues ex semine genitæ ad carnium commodum & motum. Dicuntur etiam villi, stamina, & filamenta. Dicuntur ex semine genitæ, quia semel deperditæ regenerari nequeunt, quod partibus spermaticis pecrliare est. Dividuntur *in nervosas & sanguineas*: illarum potissimùm tres sunt. *Rectæ* scilicet, quæ trahunt; *Obliquæ*, quæ retinent; *transversæ*, quæ expellunt. Sanguinearum meminit *Hippocrates lib. de carn. & lib. 2. de morb.* Fibræ.

8. Membrana, *hymen* seu *tunica* communiter dicitur pars similaris frigida & sicca ex seminis portione lenta & ductili genita, lata, tenuis & densa tactûs organum partes subjectas custodiens & colligans, dividensque ab aliis. Recentiores paulò aliter describunt, eamque dicunt esse partem fibrosam, tenuem, longam, & latam ex fibrarum plurium in latum expansione Membrana

fione ortam, alia membra linteaminis instar constituentem, adeoque ad plurium organorum tunicas formandas, cavitates & meatus constituendos, vasaque fulcienda comparatam. Differentiæ variæ reperiuntur apud Anatomicos. Aliæ enim immediatè à semine aut sanguine prodeunt; ut Meninges: aliæ ex ossibus producuntur adinstar ligamentorum. Aliæ crassæ sunt, ut dura mater: aliæ tenues, ut pia mater: aliæ communes toti corpori, ut epidermis: aliæ peculiares certarum scilicet partium, suntque vel capitis vel thoracis, vel infimi ventris.

Arteria. 9. Arteria est pars similaris secundi generis; vel rectius Organica, simplicior, teres fistulosa, vel aërem vel sanguinem continens. Duæ sunt arteriæ: una pulmonum,, quæ ex dextro cordis sinu provenit, & dicitur *aspera arteria*: altera è sinistro cordis ventriculo capit exordium, & dicitur *aorta*, sivè *arteria magna*, quæ etiam propriè arteria, ac postquam à sinistro cordis sinu prosiliens varios circà ipsum absolvit circuitus, in duos dispescitur truncos, nempè *Ascendentem & Descendentem*. *Ascendens* sursum fertur ad jugulum, ubi rursùs in duos ramos dividitur, qui dicuntur *subclavii*, dextrum scilicet & sinistrum. Ab utroque rursus quatuor propullulant surculi, sivè arteriolæ, nempè intercostalis superior *mammaria, muscula cervicalis, carotis*. Ubi autem subclavius ad axillas pervenit, tunc axillaris arteria dicitur, duas ex se fundens, nempè thoracicam utramque ut & basilicam. Descendens pariter truncum habet & ramos: ille novem surculos emittit, nempè utrumque intercostalem, phrenicum, celiacum, mezentericum, superiorem & inferiorem, renalem seu emulgentem, spermaticum, lumbarem & musculum. Ramos duos habet iliacos: quisque etiam fundit quinque arteriolas, nempè sacram, hypogastricam, umbilicalem, *epigastricam & pudendam*. Ramus hic iliacus ubi ad crura pervenit, arteria cruralis dicitur. Aspera verò arteria per collum ità ducitur, ut ima ad pulmones usque immissis pluribus suis calamis descendat, summa verò ad radices linguæ procurrat, ubi suo operculo, quod *Epiglottis* dicitur, probè munitur.

Vena. 10. Vena sivè phleps est vas oblongum & rotundum fistulæ in modum excavatum simplici & pertenui tunicâ omni villorum genere textum sanguinem ad cor refluum continens. Primariæ numerantur tres. *Vena pulmonaris, vena cava, & vena portæ*. Vena *pulmonaris* in eum finem per pulmones incedit, ut per illam redire sanguis à pulmonibus & mediante auricula ventriculo sinistro cordis infundi possit. Venæ *cavæ* officium est sanguinem ab universo corpore redeuntem cordi inferre. Vena *portæ* per organa tertii vel infimi ventris sivè abdominis procurrit. Sed de his videantur Anatomici. Proprium verò est venarum sanguinearum ut valvulas habeant in pluribus locis sivè membranulas in interna cavitate venarum occurrentes, impedientes sanguinis recursum ad partes admittentes verò ad cor. Præter venas sanguinem vehente sunt & aliæ à liquore, quem continent, nominatæ, ut venæ *lacteæ*, venæ *lymphaticæ*: quæ tamen alii non venas sed vasa magis propriè appellare solent.

11. Nervus & vas oblongum continendis, deferendisque Spiritibus accommodatum: Undè strictè dicitur de canali spiritum animalem ad partes sensui & motui locali destinatum deferente: Estque instrumentum sensûs & motûs. Nervi omnes in medullâ oblongatâ radicantur; emanant tamen ex eâdem, vel intra cranium existente, vel postquam hoc elapsâ vertebrarum spinæ cancellos subintravit. Intrà cerebrum nervorum à medullâ prodeuntium decem paria observantur. De quibus consule Anatomicos. Nervus.

12. Caro generaliter loquendo medicis est: quidquid ex sanguine partium fibris aut vasis circumfuso concrevit mollius aut durius à calore stipatum, prout comparatur vel ad compaginandas firmandasq; fibras vice glutinis, vel ad replenda spatia. Quadruplex verò distinguitur nempè propriè dicta caro viscerum, caro partibus addicta peculiariter seu substantia carnosa, & caro glandulosa. Propriè verò dicta est pars solida quanditate, situ, connexione, figura varia, calida & moderatè humida, mollis, rara, ad albedinem vel rubedinem vergens ad id, ut corpulentiam, roburque adferat, & ad motum partium conferat, aut humorum segregationi, vasorum tutelæ, similibusque usibus deserviat. Caro.

13. Cutis est pars solida exterior, ceu integumentum corporis commune, & tactûs instrumentum. Substantiam verò cutis quidam duplicem agnoscunt exteriorem scilicet nerveam atque porosam; internam carneam, & veluti glandulis refertam. Recentiores Anatomici observarunt primam cutis laminam formare pelliculam tenuem, ac densam, exanguem & exanimem vasibus destitutam, quæ cutis subjacentis substantiæ cohærescit, & ubi perforata est, per suos poros sudoris vasculorum orificia ostendere. Hâc verò sublatâ deprehendi reticulare quoddam corpus ejusdem crassitiei, ac in linguâ observatur, intrà cujus foramina crebriora non solùm sudoris vascula continentur, sed etiam papillulæ nerveæ cum illis à subjacente substantia emergunt, ità ut hæ in cuticulam tanquam ultimum terminum abeant. Sub hâc verò expansione cutis demum adverterunt substantiam fibrosam & plurimis arteriarum, venarum, nervorum atque tendinum extremitatibus contextam conspici, cui glandulæ numerosæ, miliares & conglomeratæ, vasisque suis lymphaticis excretoriis donatæ densissimè imponuntur. Atque hæ sunt partes similares. Cutis.

14. Inter partes *dissimilares* præcipua censetur esse caput, in quo omnes ferè sensus Partes dissimilares Caput.

ſenſus recluduntur, & in quo velut in throno anima potiſſimum dominatur. Rotundum eſt ad capacitatem; totum offeum ad ſecuritatem. Dividitur in *Calvariam*, *& vultum*, vel juxta alios in partem *capillatam*, quæ & *Calva* dicitur: & non *Capillatam*, quæ facies nominatur. Calvæ pars à fronte usque ad ſuturam coronæ dicitur *Sinciput*; pars poſterior *Occiput*; pars media *Vertex*. Pars quoque ſuperior faciei dicitur *frons*, quaſi animi ferens ſigna: ſub fronte bini inſiguntur *Oculi* veluti duo vigiles, & rerum, quæ foris geruntur, exploratores. Ad faciei genarumque latera duæ *aures* eminent cum flexuoſo introrſùm itinere, per quod ſonus transmittitur. In medio *Naſus* locatur cum duplici nare: naſum inter & mentum *Os* interponitur, cujus apertione duo dentium ordines apparent oſſium maxillarium alveolis infixi, quorum anteriores acuti & *inciſorii* vocantur, intimi ſivè laterales *plani & molares*. Calva pars capitis partes habet continentes præter communes *pericranium*, *perjoſtium*, *muſculos*, *oſſa* & duas *meninges*, ſcilicet tenuem, quæ immediatè cerebrum involvit, diciturque *pia mater*: & craſſam, quæ *Dura mater* appellatur. Contenta ſunt *Cerebrum & cerebellum*, à quibus medullæ ſpinalis nervorumque origo procedit.

15. Collum ſubjicitur capiti, eſtque vocis organum; nam per illud halitus emiſſus ſonum edit. Duæ ſunt ejus partes præcipuæ. Anterior vocatur guttur, ſivè jugulum, poſterior cervix. Anterior habet duos canales inſignes; primum in parte anteriori, diciturque *fiſtula* ſeu *canna vocis*; ſecundum in parte poſteriori & dicitur *Os ſtomachi* ſeu *Oeſophagus*, quo cibus & potus ex ore in ſtomachum defertur. Cervix ſeptem habet vertebras, ex quibus ſumma ſpinæ pars componitur, quæ poſtmodùm per dorſum continuatur.

16. A collo, quod in axillas definit, pectus incipit, ſivè thorax, *Hippocratis* Venter ſuperior, eſtque illa pars corporis, quæ cor, pulmoneſque partes vitales continens & coſtis undique circumſcripta à clavibus ad diaphragma diſtenditur. Pars Thoracis poſterior præter ſcapulas, dorſum, partemque ſpinæ continet & vertebras duodecim, ex quibus, quæ hinc inde cartilaginibus revinctæ prodeunt coſtæ ſeptem, idcircò perfectæ & veræ dicuntur, quod per latera deflexæ ad axillas nempe circuitum veluti abſolvant ad anteriorem ſcilicet pectoris partem, vel *os* ejus *ſpongioſum*, quod *ſternum* appellant, pertingentes inferiùs, qua cavitas eſt ad cartilaginem *Xiphoidem* dictum terminentur. In parte anteriori binæ ſunt mammæ cum papillis, præſertim in fœminis, glanduloſæ ad lac elaborandum.

Thorax ſive pectus.

17. Sub Thorace ſive pectore exiſtens regio à diaphragmate ſcilicet ad genitalia usque vocatur Venter infimus, cujus anterior pars *Abdomen* appellatur in medio habens Umbilicum. Partes continentes præter cuticulam, cutim, pinguedinem, panniculum carnoſum & muſculorum tunicam, quæ communes dicuntur; hæ ſolent diſtingui *Muſculi* ſcilicet & *peritonæum*. Muſculi autem abdominis, ſeu qui ventrem inferiorem obtegunt, numerantur communiter decem: Utrimque ſcilicet quatuor, quorum duo ſunt obliqui aſcendentes, ſeu interni, duo autem obliqui deſcendentes ſeu externi. Duo recti & duo transverſi duo demùm pyramidales. Augent alii numerum, de quibus videri poſſunt Anatomici. Peritonæum eſt membrana inveſtiens viſcera ventris inferioris, eſtque craſſius in fœminis propter geſtationem fœtûs. Partes verò contentæ in tribus regionibus ſunt diſpoſitæ hoc modo. Prima ſeu ſumma regio infimi ventris dicitur Epigaſtrica, & exhibet utrinque hypocondria: in medio verò Epigaſtrium. In dextro hypocondrio totum ferè ſitum eſt hepar, in ſiniſtro lien: In Epigaſtrio hepatis portio & ventriculi. Mediæ regionis umbilicalis latera vocantur Lumbi: in dextro latere ren dexter continetur, pars item coli inteſtini & jejuni, & totum ferè cœcum: in ſiniſtro verò ren alter unà cum coli & jejuni portione: in medio autem totum ferè jejunum. Infimæ regionis hypogaſtricæ latera dicuntur Ilia ob contentum in illis Ilæum inteſtinum: media verò pars dicitur ſimpliciter hypogaſtrium: in hoc rurſus ſpectantur inguina, quæ ſunt pars dextra & ſiniſtra: pecten ſivè pubes eſt pars media, ibique continentur partes generationi & excretioni naturali dicatæ.

Venter infimus.

18. Corporis humani partes poſteriores ſunt imprimis ſcapulæ, à quibus humeri pendent, ab iis gemina brachia cum cubito extenduntur. Brachii verò nomine intelligitur quidquid ab ipſo humero, quà claviculæ deſinunt, ad digitos usque extremos exporrigitur: vulgò tamen brachii nomine Manus excluditur. Brachium tribus conſtat partibus, ut lacerto, cubito, & manu. *Lacertus* unicum os habet: *Cubitus* autem bina, inferius ſcilicet *ulnam*, quam paſſim *Cubitum* vocant, & ſuperius, quod *radium* paſſim nominant. *Manus* tribus partibus diſtinguitur *carpo* ſcilicet, ſivè *brachiali*; *metacarpio* ſivè *poſtbrachiali* & digitis. *Carpus* non excedit pollicis radicem: metacarpium à carpo usque ad radices digitorum extenditur: *Digiti* tria habent oſſa mutuò commiſſa, & articulis conjuncta. In quavis verò manu quinque ſunt digiti: primus, & cæteris oppoſitus craſſior vocatur *Pollex*: Secundus *Index*, item *Salutaris*: Tertius medius longiſſimus: quartus medio proximus *Annularis*: quintus minimus *Auricularis*. In poſteriori quoque parte infrà humeros ſunt lumbi, quibus *os ſacrum* nominatum, in quinque alia veluti diſtinctum habens hinc inde ilium ad modum arcûs eminens, & coxâ depreſſius. In podice tandem ſunt *nates*.

Partes humani corporis poſteriores.

Pedes cum suis partibus. 19: Totam humani corporis fabricam sustentant pedes, quos crura & femora cum interjectis genibus absolvunt. Femoris in utroque pede unum est os, in cujus superiori parte præter rotundam apophysim Ischii acetabulo insertam, & colli quædam species, cui apophyses duæ succedentes Trochanteres appellantur. In parte autem inferiori hujusmodi os lacerti adinstar sic cum præcipuo osse committitur, ut in anteriore apophysiōn capacitate os intercipiatur *Rotula Genu* vocatum, obstetque, ne recurvando antrorsum flexura fiat. Infimam pedis partem tria constituunt: *Calx* sive calcaneum solum veluti illius dorsum, quod in medio concavum, ut firmius terræ adhæreat; deinde quatuor *digiti* cum *Halluce*, qui maximè ad motum progressivum conducunt. Atque hæ sunt partes præcipuæ externæ corporis humani; Qui fusiùs eas descriptas requirit, consulat Anatomicos.

§. II.

Osteologia compendiosa Corporis humani.

Os quid sit. 1. Os quod, Veteres *Ossium* voce deductâ à græco ὀστέον nominârunt, est pars similaris, ut *præced.* §. docuimus, siccissima, durissima, alba ad stabilimentum cœterarum partium corporis humani concessa.

Sceletus. 2. Compages ossium aptè cohærentium *Sceletus*, *vel sceletum* appellatur voce deductâ à græco verbo σκελετός, quod idem latinis sonat ac *arefactus sivè exsiccatus*.

Apophysis. 3. Ut sceleti constitutio ritè intelligatur, prius cognoscenda sunt quædam ad partium conjunctionem pertinentia, suntque *Apophysis*, & *Epiphysis*. Illa Latinis dicitur *processus*, *eminentia seu productio*: Est autem legitima pars ossis ex osse prorumpens,& extrà planam superficiem protuberans. Usus horum processuum duplex est: Unus ad aliarum partium, præcipuè musculorum exortus & insertiones. Alter, ut partes muniant & tueantur; qui usus manifestus est in vertebris.

Epiphysis. 4. *Epiphysis* Latinis idem sonat ac *appendix*, *sivè additamentum*, quod ubi os cum osse ad unionem coit, reperitur. Sivè est os annatum ossi, cujus appendix est. Est igitur os per se ossi per Symphysin seu concretionem annexum. Substantia epiphyseos rara est & laxa, atque à primâ nativitate ferè cartilaginea; tractu verò temporis magis induratur & in osseam plane naturam abit. Usus Epiphysis varii sunt scilicet, ut ossibus medullosis pro operculo deserviant, ne medulla effluat: ut articulatio firmior fit propter latiorem basin: utque ligamenta ex ossibus oriantur.

Modus quo ossa conjunguntur. 5. Modus etiam, quo ossa ossibus conjunguntur, duplex est: unus scilicet fit per *Arthron sivè articulationem*. Alter fit per *Symphysin sive connaturationem*. Articulatio communiter cum *Galeno* dicitur naturalis ossium compositio, sivè talis structura, quâ extrema ossium se contingunt. *Symphysis* vero est naturalis ossium unio, sivè talis conjunctio, quâ ossa continuantur, & unum fiunt.

6. Articulatio duplex est, nempè *Diarthrosis*, *sivè dearticulatio*: & *Synarthrosis sivè coarticulatio*. Illa est articulatio ossium quorum motus evidens est. Hæc verò est articulatio ossium, quæ neque validum, neque manifestum, sed obscurum & difficilem habent motum.

7. *Diarthrosis* triplex est, nempè *Enarthrosis*, *Arthrodia* & *Ginglymus*. *Enarthrosis est*, cum cavum excipiens valde altum sivè profundum est, & caput, quod illi inseritur oblongum; talis est conjunctio femoris cum ischio. *Arthrodia* est, cum cavum excipiens leviter & in superficie depressum est & caput etiam depressum: talis articulatio est maxillæ inferioris cum osse temporum. *Ginglymus* vocatur, cum ossa invicem ingredientia conjunguntur. Fit autem duobus modis: vel enim os ab osse excipitur & idem simul excipit, ut fit in cubito & brachio; vel excipit unum & excipitur ab alio; ut fit in vertebris, quæ tali modo à parte posteriore connectuntur cum internâ parte adnatas habeant epiphyses & cartilagines. Diarthrosis triplex Enarthrosis Arthrodia & Ginglymus.

8. *Synarthrosis* quoque triplex est: *Sutura*, *Gomphosis* & *Harmonia*. *Sutura* est compositio, quæ similitudinem rerum consutarum, uti vestium refert. Talis reperitur in ossibus capitis. Est etiam duplex *Serrata* scilicet, cum occurrit similitudo serrarum contrario occursu congredientium: hæc datur in ossibus sincipitis: altera est *ad unguis instar*, cum gibbæ partes ad unguium figuram strictæ subeunt in sinus, quibus excipiuntur: atque hæc datur in ossibus temporum. *Gomphosis* est articulatio, qua os ossi instar clavi infigitur: ità dentes infiguntur alveolis maxillarum. *Harmonia* est articulatio per simplicem lineam: ita conjunguntur ossa superioris maxillæ. His duabus articulationis speciebus, nempè *Diarthrosi* & *Synarthrosi* addunt aliqui tertiam, quam *Neutram* & *Dubiam, aut Diarthrosin spuriam* appellant. De qua vide Anatomicos. Synarthrosis triplex. Sutura Gomphosis & Harmonia.

9. *Symphysis* duplex est: vel enim fit sine medio, cum scilicet unum os alteri immediatè sivè absque interventu tertii alicujus conjungitur; ut cum ossa molliora & fungosa coalescunt, quod in *Epiphysi* fit, vel cum medio sivè interventu tertii alicujus, quod fit in conjunctione ossium sicciorum & duriorum. Symphysis duæ species.

10. Conjunctio per medium triplex est: ut *Synchondrosis*, *Synneurosis*, & *Syssarcosis*. *Synchondrosis* est, cum conjunctio, fit mediâ cartilagine: ut in costis & sterno. *Synneurosis*, cum fit conjunctio per nervos sivè tendines & ligamenta, quæ hic per nervos intelliguntur: talis est in diarthrosi, sivè cum hæc cum Synneurosi contingit. *Syssarcosis* est, cum unio fit per musculos, & carnē, sivè car-

five carnem musculosam, ut fit in osse hyoide. *Adrianus Spigelius de hum. corp. fabr. libr. 1. cap. 3.* quinque species *Symphyseos* statuit pro diversitate quintuplicis medii, quibus junguntur: Quæ sunt nempè 1. *Synchondrosis*, unio scilicet ossis continua intercedente cartilagine. 2. *Syssarcosis*, unio, quæ per carnem, hoc est, per musculos fit. 3. *Syndemosis*, cùm nexus fit per ligamentum. 4. *Syntenosis*, cùm per tendinem. 5. *Synymensis*, cùm ope membranæ. Sicut recens natis ossa Syncipitis junguntur cum osse frontis.

Caput. 11. Quibus ità præmissis: Ut ossa ipsa jam proferamus; Sceletum imprimis dividere libet in Caput, Truncum, & Artus. *Caput* sic dictum videtur, quod indè corpus aut homo capiat initium. Constat verò cranio, & facie, seu maxillis.

Cranium. 12. In Cranio octo numerantur ossa, sex propria: Os frontis, unum occipitis, unum sincipitis, duo intra quæ tria ossicula, stapes, incus & malleolus continentur, duo communia, scilicet, cunei forma; quod etiam dicitur *Basilare*, quia situm est in basi calvæ, è qua emittuntur processus concavi aliformes, & os spongiosum vel Ethmooides, seu cribriforme, in modum scilicet cribri perforatum, & ad summam nasi radicem situm. *Arnoldus Senguerdius in suâ Osteologia c. 5.* octo ossa cranii sic enarrat. Os frontis, duo ossa sincipitis, duo temporum, Os occipitis, sphænoides & Ethmoides: Quorum sex priora cranio à Recentioribus dicuntur propria; duo verò posteriora ipsi cum maxillâ superiore comunia. Vide illum latiùs de his discurrentem *loc. cit.*

Facies. 13. Facies duas habet maxillas: Superior constat ossibus undecim secundùm *Laurentium*; secundùm alios tredecim: Aliis novem tantùm sunt: Imò & quibusdam quatuor duntaxat: Prout scilicet quisque curiosiùs ossicula parva distinguit, & communia cranii ossa maxillis accenset. Inferior maxilla ex duobus conflatur: utrique inserti sunt sexdecim dentes, quorum sunt quatuor incisores, duo canini, decem molares. In universum ergò dentes triginta duo: Aliquandò tamen triginta tantùm: Mulieribus plerumque dentes sunt viginti octo.

Truncus. 14. In Trunco sunt spina, costæ, & os anonymum. Spina quatuor habet partes, cervicem, dorsum, lumbos & os sacrum. Cervix constat vertebris septem; dorsum duodecim; lumbi quinque; os sacrum quatuor: quorum ultimum degenerat in substantiam cartilagineam quibusdam parvulis ossibus constructam, quæ vocatur coccyx. *Hippocr.* in principio *l. de ossium nat.* viginti quatuor agnoscit vertebras. *Fernelius* autem *physiolog. l. 1. c. 3.* ponit triginta vertebras spinæ. Ratio diversitatis numeri est, quia *Fernelius* reliquis viginti quatuor addit sex vertebras ossis sacri. Verùm ab aliis partes ossis sacri inter vertebras non numerantur.

Costæ. 15. Costæ utrinque sunt duodecim: Septem scilicet veræ & quinque spuriæ, quibus os sterni seu pectoris anteriore parte, claviculæ superiore parte & scapulæ parte posteriore adnectuntur.

16. Os anonymum, sive innominatum vocatur amplum illud os, quod ad latera ossis sacri positum est. Hujus tres sunt partes: Os ilium, os ischium, sive coxendicis, & os pubis. Os ilium ità dicitur, quod intestinum ilium contineat. Os coxendicis, coxæ, Ischium. Situm est inter ossa ilium & pubis. In hoc osse ampla & profunda datur cavitas, sive magnus sinus, quo excipitur caput femoris; Vocari solet Coxendicis acetabulum. Os pubis aut pectinis in anteriore parte situm est utrinque unum. Os innominatum.

17. Post truncum sequuntur artus, qui duo sunt manus & pes. Manus verò nomine hìc intelligitur, quod à summâ scapulâ ad extremos usque digitos extenditur, atque in humerum, brachium, & extremam manum dividitur. Artus.

18. Os humeri vocatur illud, quod interjectum est inter scapulam & cubitum. Hoc ab utraque parte unicum est: Substantiâ constat admodùm durâ & solidâ in medio per longitudinem instar fistulæ excavatum est. Figuram habet teretem, sed inæqualem & variis lineis exasperatam. Os humeri.

19. Ossa cubiti duo sunt, quorum unum, quod interius est, vocari solet *Ulna*, & absoluta *cubitus*: Dicitur etiam *Focile majus*; Alterum, quod exterius est, vocatur *Radius*, aliàs *Focile minus*. Ossa cubiti

20. Extrema manus quadruplicis generis ossa in se continet Carpi, Metacarpi, digitorum & Sesamöidea. *Carpus* constituitur ex octo ossiculis figuræ admodum diversæ. Extrema manus.

21. Metacarpus etiam Post-bachiale & *palma* dicitur: Constat ex quatuor ossibus oblongis gracilibus substantiæ duræ solidæ & fistulosæ. Metacarpus.

22. Digitorum ossa numero sunt quindecim, quibus ossicula Sesamöidea manuum & pedum condylis unà cum ligamentis implicantur. Ossa digitorum.

23. Pes magnus dividitur in *Femur, crus & extremum pedem.* Os Femoris unicum est. Cruris duo, fibula scilicet & tibia cùm rotulâ seu patella in genu. Pedis ossa.

24. Pes extremus dividitur in tarsum, metatarsum & digitorum phalangem: apponunt aliqui quartam partem, quam innominatam vocant, cujus ossa sunt *Talus, calx, os naviculare*: Ex quibus omnium maximum os est *calcaneus*, deindè *Talus*. Est autem *Talus* os tibiæ subjectum variæ formæ. Vocatur & os balistæ. *Calcaneus* verò sive os calcis præcipuè ad stabilimentum corporis datum est, sicut *Talus* ad motum. *Os naviculare*, sive naviforme à figura scaphæ seu cymbæ dicitur. Reliqua ossa Tarsi quatuor sunt. Omnium verò crassissimum *Cuboides*. Tria quæ restant, cuneiformia nominantur: Quorum id, quod internum est, maximo digito sive pollici substratum, maximum est.

Ossa Metatarsi. 25. Metatarsi ossa quinque sunt: crassitie reliqua superat id, quod pollicem sustinet: Ex reliquis longissimum est, quod indici substernitur, tum quod medio digito, & ita porrò longitudo minuitur.

Digiti pedum. 26. Digitorum pedum ossa quatuordecim sunt: Quilibet enim digitos tria habet ossa, excepto pollice, cui duo tantum concessa sunt.

Ossa Sesamoidea. 27. Sunt etiam ossa quædam pedibus & manibus communia, quæ *Sesamoidea*, sive Sesaminis ossa à figurâ & parvitate nominantur. In pedibus minora sunt, quam in manibus excepto pollice. Situm habent in internodiis digitorum manuum & pedum. Figuram habent rotundam & depressam: Comparantur patellæ non tantum ratione figuræ, sed etiam ratione usûs: Numerus illorum incertus est, & varius pro subjectorum diversitate, ut aliquandò decem, aliquando duodecim, aliquando etiam plura quàm viginti observentur. Cum enim parva sint & sub ligamentis lateant, facilè in ossium expurgatione auferuntur.

Os Hyoëides. 28. His denique ossibus adhuc adnumerandum est os *Hyoeides*, à figurâ sic dictum ad linguæ radicem situm, mento, sterno, scapulis per musculos alligatum & in quinq; ossicula diremptum. Ex his itaque ossibus totus sceletus conficitur, quem si quis vel sibi vel aliis ex cadavere parare velit, ità practicè procedere potest.

TECHNASMA

Sceletum practicè ex cadavere humano conficere.

1. Cadaver totum discoquendum est excepto osse pectoris, sive *Sterno*, quia hoc cartilagineum magnâ ex parte est. Ab eo igitur cruda caro patienter solvenda est; Deindè ipsum os in umbrâ siccandum: Sed servanda diligenter ejus figura est modicè gibba. Quapropter claviculis minimis per extremas ejus cartilagines transfixis super gibbum aliquem afferem est affigendum.

2. Os hoc cùm prædicto modo exsiccatur, fit quandoque ut cartilagines sterno adhærentes & costis continuatæ ab eo decidant: Quod ut præcaveatur, præstat filo æreo ipsa adhuc cohærentia adstringere: Atque utì *Sternum*, ità & aliæ cartilagines coqui non debent cum reliquis ossibus, sed solùm exsiccari. Curâ quocircà singulari cartilagines spuriarum costarum tradimi debent, ut cum *sterno* conjungantur. Similiter & os *Hyoeides* non opus est, ut coquatur, quod etiam quibusdam ferè cartilaginibus constet.

3. Cœtera ossa percocta & à carne mundata insolantur, donec Sol omnem exsuxerit humiditatem: Aliàs enim semper sordescunt. Optimum verò factu erit, si in arena mundâ & albâ Soli exponantur: Sic nempe redduntur albissima: Si verò non ponantur in arenâ: Exsiccari poterunt super duos bacillos: Nec enim in terrâ recondi aut reponi debent, sed in libero aëre, ut ab illo probè perflentur. Albescunt & siccescunt ferè intrà duos menses: Ossicula verò pedum & manuum filo colligari poterunt, atque ità siccari.

4. His peractis, cum sceletum erigere libet: Non benè fit, si spina transmisso ferro tota normaliter erecta statuatur, cùm nequaquam in corpore vivente ità se habeat, sed non nihil incurvari debet: Imprimìs verò vertebræ colli introrsùm etiam protuberare, extrorsùm verò concavari debent. Vertebræ verò Thoracis introrsùm acclinari & cavitatem aliquam efformare, extrorsùm verò protuberare & gibbum aliquem efficere debent: Vertebras verò lumborum rursùm uti colli introrsùm convexare, extrorsùm concavare præstat.

5. Os *Sacrum* denique rectâ extrorsùm protendatur, ut magnum illud cavum pro vesica & recto intestino atque fœminarum utero efformet. Ut itaque sceletus secundùm naturalem dispositionem omnium ossium benè constituatur; Ferrum erectorium, quod vertebrarum cavitatibus immitti debet, diversimodè curvare & variis modis inflectere oportet.

§. III.

Principalium Humani Corporis partium internarum brevis descriptio.

1. Præcipua interior humani corporis pars est *Cerebrum* primo quidem intuitu globosum apparens, eoquod calvariæ convexitati se accomodet, levi tamen enchiresi evolvi potest, ut in planitiem variis protuberantiis ornatam abeat. Licet verò continuum appareat, in duas tamen partes divisum est, Anteriorem scilicet & posteriorem. Anterior Cerebri nomen retinet, posterior verò *Cerebellum* nominatur & deorsum abit, vel in spinalem medullam continuatur. Substantiam cerebri duplicem esse, ipsius sectio docuit Anatomicos, per hanc enim transversìm factam, altera exterior & corticalis, altera interior & medullaris apparet; quæ duæ quoque partes colore, consistentiâ & usu differunt. Anterior quoq; cerebri pars duplex est, dextra & sinistra, duosq; sinus seu ventres habet dextrum & sinistrum, qui à corpore callosoPiloides dicto dirimuntur. Hi posteriore sui parte in tertium sinum mediocrem sub psalloide concurrunt, à quo meatus est longus natibus subditus, qui in sinum quartum omnium postremum minimumque inter cerebelli basin, spinalemque medullam situm incidit. Ambitur etiam cerebrum duabus meningibus ità dictis; quarum crassior adhæret cranio & *dura mater* vocatur: Quæ verò immediatè cerebrum continet, *pia mater* appellatur. Cerebrum.

2. *Cerebellum* quasi parvum cerebrum est pars sita in interiori parte occipitis infrà orbiculares medullæ oblongatas prominentias. Illius figura nonnihil globosa, aliquantulum tamen depressa est: Gyris atque anfractibus insignitum inæquale ma- Cerebellum.

le magis quàm cerebrum apparet: Ità quidem, ut anfractus illi haud incerto quodam modo, sed serie quadam ordinatâ disponantur. Durius est sicciusque reliquo cerebro, quod quò ulterius procedit, eò siccius evadit: Colore quoque diversum est: Nam cùm illud candidum sit, cerebellum velut ustione quadam subflavum est plenum spiritu animali, quem nervis duris à spinali medulla prodeuntibus impertit.

Arteriæ. 3. Tota cerebri, cerebelli atque medullæ interioris oblongatæ non solùm exterior facies arteriarum atque venarum reticulationibus obducitur, quarum propagines extremæ illorum substantiam & interiora subeunt, sed & per ipsam quoq; cerebri concamerationem progrediendo plenum choroideum appellatum formant. Arteriæ hoc præstantes quatuor sunt; Duæ scilicet *carotides*, & totidem *cervicales*; quarum illæ ex utroque infundibuli latere emergunt; hæ verò foramen cranii penultimum penetrant.

Nervi à cerebro progressi. 4. A cerebro etiam septem nervorum paria derivantur, quæ versùs diversas corporis partes protenduntur. Primum par est Nervorum opticorum: Secundum par oculis movendis deservit: Tertium & quartum par gustui opitulantur: Quintum auditui: Sextum collum excurrit, & in alios minores nervos subdividitur, qui separatim ad cor, pulmones, ventriculum, jecur, lienem, intestina & partes cæteras, quæ in ventre tam superiori, quàm inferiori continentur. Septimum linguam movet. Septem horum nervorum usus his versibus non inconcinnè decantantur.

Optica prima; oculos movet altera; tertia gustat,
Quartaque; quinta audit; vaga sexta est; septima linguæ.

Medulla spinalis. 5. Cùm etiam medulla spinalis aliud non sit quàm continuatum cerebrum; pari modo constat ex illâ, ac per vertebrarum foraminula ad commissuras, varia Nervorum paria ortum habere; septem nempè ad collum, duodecim ad dorsum, quinque ad lumbos, sex ad os sacrum: Ità ut utrâq; meninge usque ad os sacrum etiam continuatâ nullus nervus sit, qui non ex utraque contexatur.

Cor. 6. Cor, quod in pectore hæret instar nucis pineæ pyramidatum ratione necessitatis, & utilitatis principalissima pars solida, organica corporis est musculosa, sive ex musculosis fibris transversis, obliquis & directis contexta. Duos habet thalamos, sive ventriculos, qui aliquâ carnis portione quæ *septum medium* appellatur, sejunguntur. Unus dexter amplior & latior; alter verò sinister angustior comperitur. Septum multis scrobiculis sed imperviis præditum est cum duabus distinctis ad basim sive partem latiorem annexis appendiculis, quæ auriculæ vel aures cordis vocantur. A venâ cavâ ad auriculam dextram sanguinem à toto corpore refluum excipit, abhinc in ventriculum dextrum assumit eundem, indè per contractionem & coarctationem ad arteriam, pulmonalem refluentem in auriculam sinistram, & ex hac in ventriculum sinistrum recipit, mediante que contractione cum coarctatione ventriculi dextri coincidente in aörtam sive arteriam magnam per totum corpus distribuit. Ipsum etiam cor in capsulâ sive nervosâ membranâ, quæ *Pericarpium* appellatur, continetur: In quâ liquore, qui urinæ haud multùm dissimilis, repletâ innatat. Medium verò pectus ità basi occupat suâ ut mucro lævorsum atque deorsum ad diaphragma pertingat.

7. In eodem pectore continentur pulmones, quorum corpus rarum & spongiei instar molle, quod intrinsecùs contextis cùm asperæ arteriæ, tùm similium vasorum cordi acceptorum redditorumq; calamis; extrinsecùs verò lævi membranâ constans alternis perpetuum, quo sanguis ventiletur, spiritum aspirat & respirat. Recentiores Anatomici totam pulmonum compagem, quæ asperæ arteriæ & vasorum sanguiferorum vasis appenditur, aggregatum aliquod tenuissimarum & levissimarum membranarum existere dicunt, quæ extensę & variis modis sibi intertextę & combinatæ infinitas quasi vesiculas diversæ figuræ & capacitatis efformant; Veluti in favis apum alveolos ex cerâ formatos videmus: Quæ vesiculæ talem inter se situm atque connexionem habent, ut ex trachea in ipsas mox ex una ad alteram patens sit aditus, omnes verò tandem terminentur in ambientem membranam, ità ut vesiculæ illæ formatæ videantur ex desinentia tracheæ, quæ extremitate & lateribus suis in ampullosos sinus facessit. Totam igitur pulmonum compagem merè fistulosam esse dicunt, ac ex tubis diversi generis atque magnitudinis variè imò intricatissimè dispositis conflatam, qui tamen ubique sibi continui & cum mutuâ ad se invicem habitudine protensi aërem, lympham & spiritus animales propter necessarios quosdam usus huc illuc ordinatim & regulariter convehunt atque disponunt. Habent etiam pulmones suam Diastolen & Sistolen; illam cùm aër per arteriam bronchiasque inducitur; hanc cùm aër per easdem quasi elisus expungitur. Pulmones.

8. Infrà cor & pulmones distenditur *Diaphragma*, quod septum medium, seu transversum indicat. Est enim major quidam musculus, qui velut interjectus paries jecur & lienem à corde & pulmonibus dirimit. Aliis dicitur membrana fat densa superiorem ventrem ab inferiori disterminans, eo situ verò ordinatur, ut stante homine perpendiculum ferè observet neutrum in latus deflectens. Binis foraminibus venę cavæ ascendenti & Oesophago in ventriculum descendenti transitum præbet. Inservit etiam Diaphragma respirationi, ad quam non tam ut musculus, quam ut musculosa membrana conducit. Diaphragma.

9. Sub diaphragmate *Hepar* dextrum occupat latus; lien autem eidem oppositus sinistrum. Est autem Hepar viscus magnum abdominis, quod sanguinem *venæ portæ* intrà Hepar.

intrà se receptum à bile, arteriosum verò à lymphâ abundante liberat, illumque per cavam cordi advehit. Dividitur in partem convexam & cavam: illa recurvata levitate sese diaphragmati aptat: hæc inferior est, & magis inæqualis venas continet ordine duplices; Superiores, quæ *venæ cavæ* surculi & sanguinem in magnum illius truncum, tanquam viam regiam diducunt: Inferiores *venæ portæ* radices sunt ab ejus trunco intrà jecur in latitudinem deducto ortæ, à quo suprà canaliculum in Embryone umbilicalis vena nascitur. Porriguntur etiam hepati arteriæ à ramo cæliaco dextro paucæ; nervuli verò à paris vagi ramo interno dextro & externo sinistro stomachico; lymphatica verò à capsula portæ, quæ juxtà vesiculam biliariam & venam portam alveum constituunt. Quamvis verò Hepatis substantia ex consensu ferè omnium parenchimatica statuatur, sitque sanguinis circà vasorum ramificationes affusio quædam & coägulatio: Sunt tamen, qui ejusdem substantiam nihil aliud esse dicunt, quàm conglomeratam glandulam. De quo vide *Chauvinum in Lex. Philosoph.*

Folliculus fellis. 10. Hepati folliculus fellis adnascitur, ex quo canaliculus egreditur, qui statim in duo bifurcatur membra, quorum unum ità deflectitur, ut ad ipsum Hepar denuò redeat; aliud verò *Canalis Colidoquus* appellatum jejuno intestino inseritur, quo fit, ut fel per exiguum foramen, & penè insensibile defluat. Confert autem fel plurimum ad secundam, tertiamque concoctionem, quæ scilicet fit in intestinis: Unde non inutile excrementum est, sed dissolvens necessarium perficiendæ coctioni jam in ventriculo inchoatæ. Asserunt etiam nonnulli fel aliud non esse, quàm Uliginem quandam bilis sub flavo colore tinctam, quæ ex percolatione sanguinis in hepate facta cum seri vehiculo excernitur & per canales destinatos in folliculum traducitur.

Lien. 11. Lien sive splen viscus est sub hypocondrio sinistro latens totum ferè ex fibris atque membranis contextum. Elatiore & gibba sui parte diaphragmati connectitur; inferiore verò sui parte reni sinistro utrinque gracilibus & tenuibus membranis; simâ verò & antica parte interveniente arteria & venâ splenicâ omnibus membris, quibus nominata vasa inserviunt, ventriculo scilicet, pancreati, hepati aliisque cohæret. Figuram illius quod attinet, duplo ferè longior est, quam latus communiter superiùs in arcum, inferiùs in angulum obtusum protenditur, in medio verò nonnihil depressius est. Usu verò suo aut excrementi cujusdam secretioni, aut humoris laudabilis confectioni eundem subservire contendunt. Quem in finem vasa habet diversi generis; Inter quæ comprimis occurrit arteria cæliacæ sinistræ propago, rariùs autem ab ipso arteriç magnæ trunco immediatè oriunda. Alterum sanguiferum lienis vas est vena, cujus truncus exterior licet ut plurimùm simplex observetur, geminus tamen aliquandò visus est. Adsunt & nervi à plexu intercostalium primo, & stomachico prodeuntes, qui involucro quodam membranoso cum prædictis vasis communi gaudent: quin etiam fibrillas reticulariter productas eidem involucro communicant, è quo cum arteriis eorundem extremitates excedentes globulis glandinosis implantantur. Vasa etiam lymphatica in Liene detexerunt Recentiores Anatomici, qui consuli possunt.

12. Interjecur & lienem situs est ventriculus, communiter stomachus appellatus, vas extrinsecùs instar utris inflati ovatum, intrinsecùs instar senilis frontis rugosum, quo cibus potusque contenti permisto liquore acido digeruntur. Dividitur communiter in fundum & orificia, ità ut totum hoc, quod orificia bina interjacet, fundus appelletur. Alterum verò orificiorum superius, alterum inferius dicitur: Quod superiùs cibum potumque per Oesophagum excipit, ipsum dissolvendo deindè in chylum convertit, & partem ejus puriorem in communem quendam Oceanum sive stagnum, *conceptaculum Pecquetianum* ab ejus inventore *Joanne Pecquetio* dictum, transmittit. Alterum inferius orificium *Pylorus* dictum à dextro Stomachi latere cum antro capaci & longo sensim angustiato in foramen parvum desinit, per quod excrementa ad intestina deferuntur. Prodit tamen æque hoc è superiori ventriculi parte, imò nonnihil adhuc super ventriculum ad Superiora reflectitur, ne proprio pondere alimenta ventriculum præterfugerent, sed hujus potiùs excernendo robore ad intestina propellerentur. Ventriculus, sive stomachus

13. A *Pyloro* descendunt intestina corpus tabulatum substantiæ membranaceæ, seu potiùs tunicaceæ, tribus scilicet involucris instructum, carnoso scilicet, nerveo, & glanduloso. Accuratè verò loquendo unicum tantùm est intestinum, cui tamen secundùm varias ejus partes diversa dantur nomina. Prima illa pars quæ ventriculo immediatè adhæret, *Duodenum* appellatur; cui succedit *Jejunum* vacuitate penè continuâ: Indè tertia vocatur *Ilium* à variis convolutionibus ità appellata. Quarta vocatur *Colon*, à quo colicus dolor etiam nominatur. Quinta & ultima nominari posset *rectum*, nisi inter Ilium & colonem appendicula quædam essent, quæ *Cœcum* vocatur. Undè passim sex intestina (rectiùs sex intestini partes) numerantur. Tria priora gracilia, alia crassa, quibus *Omasi* nomen tribuunt. Omnia verò intestina *omento*, adipe scilicet tanquam capsulâ integuntur: Proximè autem ab Adipotâ membranâ, mesenterio scilicet, ambiuntur. Longitudo intestinorum est notabilis, in homine saltem adulto viginti ulnas propè longa. Munus verò non tam chylum ac fæces per totos ipsorum ductus traijcere, sed simul chyli fluidiorem & tenuiorem partem sive substantiam in vasa lactea ac venas mesaraicas exprimere. Intestina.

14. Eodem abdomine continentur etiam *Renes*, qui sub hepate & liene, super verò principium musculorum *Psoas* ità siti sunt, utin Renes.

ut in homine dexter sinistro profundior; in brutis verò dexter sinistro elatior existat. Compages illorum non ex affuso & coägulato solum sanguine constare, sed esse etiam fibrosam, & nihil aliud, quàm infinitorum canaliculorum atq; capillarium meatuum, per quos urina in pelvim defluat, congeriem Recentiores docent. Membranâ gaudent duplici: externâ scilicet & latiore *Fasciâ*, ideò dicta, aut propter copiosiorem pinguedinem adnatam *Adiposa* appellata: interiore, alterâ & arctiore cum vasis ad renis interiora reflexa. Vasa renum substantiæ inservientia sunt primò arteriæ emulgentes & renales: Deindè venæ, quæ in venam cavam infra adiposas se exonerant. Nervos etiam duplices recipiunt renes, alios à stomachico ramo, alios ab intercostali & hujus plexu abdominis primo & secundo; quorum illi tenuissimis surculis in membranam solam renum propriam absumuntur. Hi vasa emulgentia variè stringunt & complectuntur, hinc cum iisdem interiora subeunt, imò eosdem sub vagina comuni per totam renum compagem disseminant.

15. Renes vesicæ correspondent per duos canales angustos Ureteres dictos, nunquam fermè urina vacuos, qui ità arctè vesicæ collo insinuantur, ut nullus meatus deprehendi queat, per quem urinam exonerent. Vesica porrò urinaria est infimi ventris pars organica, quę susceptum à renibus serum asservat, & tandem vel onere vel acrimoniâ molestum expellit. Membranarum triplici complexu constat, è quibus externam *Peritonæum* largitur; mediam, intimamq; propriam agnoscit. Harum illa crassior est carnosisque referta fibris singularem ad urinæ expulsionem operam affert: Altera intima tenuior, sensuq; vegetior inducta mucosa veluti crusta contenti liquoris mordacitate vindicanda fuit. Accedunt vesicam venæ & arteriæ ab Hypogastricis: Nervi ab infimis sexti paris internis ramis, tum propaginibus ossis sacri. Dividitur etiam in *fundum & cervicem*. Fundus superior & latior vesicæ pars est: ab eo sursum ad Umbilicum porrigitur Urachus; in adultâ jam ætate ligamentum membranosum duplex, cujus interventu fundus vesicę suspensus detinetur. Cervix est vesicæ portio inferior & angustior, carnosa item & diffusis in orbem potissimùm fibris *Spincterem* constituit, cujus auxilio ne involuntariè urina excernatur, ostium adstringitur. Ipsa etiam vesica figurę similitudine pyrum adumbrat, atq; in infimo abdominis collocata fundo per *Urachum* umbilico jungitur; cervice verò in viris intestino recto & glandulis prostatis, in fœminis vaginæ uteri anteriùs, ossibusque pubis alligatur.

Vesica urinaria.

16. Postremò tandem *Testes* ac vasa generationi dicata sequuntur. Quod verò illorum concernit substantiam, eam communiter asserunt esse glandulosam, albam, mollem; adepti quoq; sunt venas arteriasq; exiles à spermaticis, nervum à paris sexti ramo interno, illas ad vitę nutrimentiq; hunc ad sensûs communionem. Cinguntur membranâ propriâ validâ & densâ, quam ob coloris speciem albugineam vocant. Plura alia circà hæc Medicis & Anatomicis relinquàmus. Nobis hìc ità internas principaliores partes breviter descripsisse sufficiat.

Testes.

§. IV.

Miræ quædam partium Humani Corporis Observationes & proprietates.

1. A capite & ejusdem vertice capimus initium. Hic est inter frontem & occiput locus medius à vertendo (quod ibidem capilli in gyrum se vertant) sic dictus. Est verò hic in primùm natis apertus osse scilicet vacuus. Ossiculum verò, quo natura hanc claudit hiaturam, reliquis ossibus capitis nunquam similem postmodùm induit crassitudinem & soliditatem. Lumini objectum si calvam intuearis, transparentem hancut plurimùm cernes locum. Undè etiam *Hippoc.* asseverat *de vul. c.* nullum in toto capite locum periculosè adeò, ut huncce lædi. Etenim infirmum hoc ossiculum à levi causâ pertunditur facilè, nec hoc solùm, verùm insuper & eâ de causâ, quod perpendicularis cerebro, imò universo corpori hic cùm sit locus, omnes eum ferientes ictus, cùm sint rectilinei, ac in se recurrentes: idcircò major longè cerebri concussio, commotio & perturbatio ibidem nascitur.

Vertex capitis.

2. In mulierum cranio suturam deesse communis vulgi persuasio est, undè & majora pondera in capitibus, quàm viri portare posse creduntur. Claris. tamen *Andreas Laur. c. 6. de cathar.* non pauca virorum capita absq; sutura se notasse scribit, & talia gravibus obnoxia doloribus fuisse compertus est. Undè etiam sicut infantes illi, quibus illa capitis pars, quæ ad suturæ coronalis & sagittalis commissuram est, in qua nempè pulsus longè fortius sese exerit, quàm in alia quavis corporis parte, quæ & propter singularem acrium nervoso generi infestarum fuliginum transpirationem ab Anatomicis fontanella, & fons pulsatilis appellatur, à nativitate continuò clausa est, vel justo citiùs osse obducitur, aut gravissimos capitis patiuntur affectus, aut vitam perbrevem habent: ità quoque omnes adulti, qui suturas habent arctè coälitas, intensiores & crebriores dolores capitis sentiunt: veluti sectiones eorum testantur, qui propter defectum omnium vel quarundam suturarum cranii multos passi sunt capitis dolores: quod scilicet fulginosus ichor in cranii ergastulo conclusus nec insensibiliter, nec per sudorem dissipetur. E contrario observatum est, quod ii, qui benè transpirabiles suturas, aut loco illarum quædam foramina in cranio, aut cranium tenue & porosum sortiti sunt, illi cephalæa, epilepsia, aliisq; gravibus capitis affectibus minùs affligantur.

Sutura in capite.

3. Os illud, quod coronalem suturam in capite concludit, epilepticis in cibo vel potu exhibitum mirabiliter eisdem mederi perhibetur. *Conrad. Gesnerus.*

4. In moribundis, cùm deficit auditus, prodest per verticem & suturam inclamare & audire solent infirmi.

5. Homo cœterorum animalium comparatione cerebri plurimum habet; ità ut unius

Cerebrum hominis.

unius hominis cerebrum duorum boum quantitate superet. Tantæ molis & gravitatis est, ut aliquando in publicâ anatome teste *Camer. mem. & mirab. cent. 5.* ponderis libras 4. & aliquando 5. librare compertum sit: tam ponderosum etiam & grave est in pueris & infantibus, ut caput præ pondere vix sustinere queant.

6. Quò cerebrum humidiùs est, eò somniculosior est homo, patet hoc in infantibus & ebriis.

Canities circà tempora. 7. Citius canescunt homines circà tempora, quàm in aliis partibus, quia ibidem magni & carnosi sub cute locantur musculi, qui ob humiditatem faciliùs putrescunt.

8. Vir potiùs calvescit quam mulier, puer aut Eunuchus: quia viri temperies processu temporis fit frigida & sicca, undè pili defluunt.

Homines undè steriles redduntur. 9. Earum arteriarum, quæ secùs aures palpitant, incisione homines sterilescere & ad generandum inhabiles reddi post *Hip. l. de aëre & aquis*, etiam Recentiorum peritissimi annotârunt, & quidem inter hos *Andreas Vesalius, Joannes Langius, & Francis. Valesius*: quia prolifici seminis potiorem partem à cerebro & spinali medullâ per venas & arterias temporum & lumborum ad vasa seminaria defluere comperti sunt: Iis autem incisis & præpeditis defluxum cohiberi, & ità inhabilitatem ad generandum induci, verisimillimum censetur.

Aurium immobilitas. 10. Omnia animalia movent aures præter hominem. Rationem assignat *Aristoteles*, quod homo musculum quendam habeat circà mandibulam, qui prohibet motum in auribus: reliqua verò animalia hoc musculo carent. Undè si quos homines aures movisse legatur, illo musculo caruisse censendum est. Sic referente *Card. l. 8. de var. c. 40. Vesalius* narrat, se vidisse *Patavii* Jurisconsultum *Claudium Symionium* Foro juliensem virum facetum & *Petrum Ravascherium* Genuensem virum fortem & strenuum, qui aures habuerint mobiles.

Oris apertio. 11. Surdastri ore aperto meliùs audiunt, quàm eodem clauso: undè cùm etiam è longiore distantia loquentes alios auscultamus, naturali instinctu os aperimus ut meliùs loquentes audiamus.

12. Dum quis tamen gannit, auditus deficit, nec voces aut sonos percipit: quòd auditûs organum eâ deductione oris audire præpediatur.

13. Ad singultum cohibendum auriculari digito aures intùs fricare & obturare continuo juvat. *Lysimachus* verò apud *Platonem* sternutamento, aspersione aquæ frigidæ & respirationis cohibitione singultum excuti declaravit.

Saliva hominis. 14. Hominum saliva scorpionibus adversatur adeò, quod illâ tacti confestim intereant.

15. Qui splenis obstructionibus & aliis ejus vitiis laborant, juvare se possunt suâmet saliva jejunâ manè ad splenis regionem illita.

Lingua. 16. Quo lingua in ore mollior est & flexibilior & latior, eò loquacior & articulatæ vocis proferendę censetur quis esse aptior: Undè experientia constat, non tantùm aves, quibus lingua est mollior & latior, acutiùs & clarius canere, sed etiam homines ac comprimis fœminas, quibus ordinariè mollior & latior solet esse lingua. Infans intrà triennium cùm non loquitur, signum est hominem futurum mutum, nec unquam loquelam accepturum. Undè etiam Ægyptii teste *Kirch. in Oedipo Æg. To. 2. part. 1. clas. 3. cap. 6.* Hominem mutum per numerum 1095. significabant. Continet enim numerus iste dies unius triennii, sive trium annorum, si 365. diebus unius anni constituatur curriculum, intrà quod tempus, dum puer non loquitur, etsi linguam habuerit, vocem tamen & loquelam nunquam amplius manifestaturus est.

17. Quemadmodum longevi teste *Hip. Sec. 6. l. 2. Epid.* plurimos habent dentes: ità è contraroi, quibus dentes sunt pauciores, hi brevioris sunt vitæ, ut notat *Arist. in probl. sect. 10. q. 47.* qui causam assignans docet, raritate dentium significari, quod densum sit os capitis, seu calvaria, utpotè in cujus substantiam materia dentium abierit: Ac proindè cerebrum esse invalidum, eòquod minus sit idoneum & opportunum respirationibus, ideoque facilè putrefactum iri ob innatam suam humiditatem. *Andreas Laurentius* etiam in suâ Anatomiâ dicit, quod raritas dentium, ut signum & ut causa damnari debeat. Ut signum: quia aut spermaticæ materiæ inopiam aut formatricis facultatis imbecillitatem arguit. Ut causa; quia qui paucos habent dentes, cibos bellè non mandunt, nec præparant ventriculo, undè imperfectior chylosis, ex quâ speranda non est laudabilis hæmatosis, qui defectus, cùm sint notabiles, notabiliter etiam sanitatem lædunt, vitamque abbreviant. Communiter verò viris dentes tribuuntur triginta duo; fœminis viginti octo. Dentium pluralitas aut raritas.

18. Dentibus caninis sic dictis, quod canum dentibus simillimi sint, convenit etiam nomen, quod *Oculares* dicantur. Denominationis hujus rationem *Barthol. An. l. 4. c. 13.* designat, quod in eos deferatur portio nervi oculos moventis; undè etiam eorũ extractio oculis periculosa comperitur. Dentium ocularium extractio periculosa.

19. Circà dentes etiam observatum est, quod duabus constent particulis; quarum una pars est radix, cui altera quasi superimposita est: Si tollatur radix, non solet dens recrescere; crescit autem de novo, si sola pars superior tollatur. Renasci idcircò possunt dentes, anteriores non tantùm, sed etiam molares, hi tamen rariùs. Dentes quando renasci queant.

20. Dentes in ignibus durare, nec in rogis comburi tradunt: causa potest esse siccitas, ob quam neq; cineres comburi possunt. In igne durant.

21. Quibus magni dentes insunt, iisdem & ossa magna sunt: siquidem eadem utrorumque ratio. At verò ossa magna sunt robustorum; undè & ex magnis dentibus robur corporis colligitur.

22. Vitium lippitudinis contrahunt oculi, dum alios lippientes aspiciunt, quod Poëta confirmat his versibus. Lippitudo undè.

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi.
Multaq; corporibus transitione nocent.

23. Fron-

Frontis cum pectore consensus. 23. Frontis cum pectore talis est consensus, ut si quis nevum in fronte habeat, alium similem & velut sodalem habiturus sit in pectore, aliquandò in medio dorso: quantò verò descendit à recta per medium frontis demissâ lineâ in dextram vel sinistram partem, tantò etiam versùs alterum brachiorum deflectit: Si capillis vicinus erit nævus, alius vicinus erit collo: Si ad supercilia & circà nasum: Observabitur quoque in inferiore parte impressus.

Superciliorum cum Scapulis consensus. 24. Superciliorum etiam consensus cum scapulis observatur, & quidem superciliorum principium naso proximum, arcus & finis concordant cum scapularum parte anteriore, summâ & posteriore. Indè si semicirculus supercilii duplicatus sit, significat quoque scapularum rotunditatem.

Oculorum consensus cum axillis. 25. Oculorum cum axillis notatur consensus, ità ut nævus in cavo oculi alium habeat in axillis analogum.

Aurium cum brachiis. 26. Aurium cum brachiis consensus est; ut enim brachia corporis, sic aures capitis sunt alæ. Idcircò auris, lacertum; latus, cubitum; conchæ latus internum, volam manûs; latus externum dorsum manûs indicant.

Buccæ cum abdomine 27. Buccæ cum abdomine consensus est adeò, ut tribus divisionibus, seu regionibus abdominis, lateribus, buccâ geminâ: Pubi menti apex & Umbilico, commissura menti cum labio inferiori consentiat.

Lacrymæ calidæ & frigidæ. 28. Flentibus ex lætitiâ lacrymæ calidæ sunt; flentibus ex dolore frigidæ: quòd lætis facies calefiat inflammato sanguine, idcircò lacrymæ licet temperatæ sentiantur tamen frigidæ: lugentibus autem facies fit frigida adducto ad cor sanguine, ideò contrarium evenit.

29. Qui mento sunt acuto, calidi & sicci arguuntur; quià caloris est acuere & desiccare.

30. Qui minus per os & nares excernunt, minùs somniculosi sunt, & cerebrum habent siccius, ècontrà qui cerebro sunt humidiore, per os & nares magis excernunt, & somniculosiores sunt.

Quomodo sanguis è naribus fisti queat. 31. Si à nare dextrâ fluat sanguis; cohibetur si manus dextræ digitus auricularis incurvetur, & quantum fieri potest, comprimatur. Si verò à sinistra nare fluxus sanguinis fiat, sistitur sinistræ manûs digito auriculari incurvato & plurimùm compresso.

Maculæ nigræ in facie. 32. In facie seu genis ægrorum, præsertim acuto morbo laborantium nigræ maculæ obortæ, languentis exitium minantur: Arguunt enim venenosæ & pestiferæ materiæ in corpore prædominium redundare, ex quo mors sequitur.

Ex capillis indicia. 33. Incarceratis & itinerantibus magis crescunt capilli, quòd in illis incommodis congeratur materia capillorum, & hanc ob causam magis & crescunt Melancholicis, quàm aliis.

34. Qui crispo sunt capillo, vigilantiores & minùs somno addicti sunt, quod hi capilli ex ficciore prodeant cerebro, quale minùs somno addictum est. Qui verò planiores habent capillos, somniculosiores sunt, quod illi ex humidiore cerebro, somniculosiore prognati sint.

35. Qui in morbo facti sunt cani, reparatâ sanitate capillum mutant. Quia ex morbo fuit calor debilitatus: hinc materia capillorum in poris computruit, ex quâ canities provenit: Cùm verò sanitatem recuperant etiam calorem reparant, qui materiam tingit. Canities.

36. Qui longæ sunt faciei, calidi habentur, quòd calor ità faciem in longum extendisse censeatur.

37. Collum crassum robustos indicat: quia collum crassum ampla habet vasa, quę totum corpus stabiliunt, id est, nervos, venas, vias laxas, per quas decurrunt spiritus: Partes verò non erunt amplæ, nisi calor magnus fuerit, qui addit audaciam. Collum crassum quid notet.

38. Quò collum oblongius plures habet vertebras & pectus angustius pauciores habet vertebras, eò majorem proclivitatem ad phtysin indicat: Quò verò collum erit brevius pauciores habens vertebras, ad apoplexiam facilè dispositum notat. Collum longum quid notet.

39. Quibus humeri inæquales sunt, unusque altero elatior, vitium tabis in pectore residere indicium præbet.

40. Pectus latum roboris & fortitudinis signum est, quià cor virtutem suam maximè in pectore exerit, in quo situm est. Pectus.

41. Nævi brachiorum similes in cruribus indicant.

42. Arteria brachialis inuncta oleo, in quo Scarabæus cornutus decoctus est, confestim febrem & accensiones corporis producit. *Cardanus*.

43. Raro mors in Arthritide & Chyragrâ timetur, quod in corporis partibus ignobilioribus humor resideat. Hinc (novo haud superveniente morbo) tales vexati doloribus à mortuis periculo vindicantur. Hos tamen mori compertum est, quando circà sinistrum pectoris sinum, cui cordis turbinatus mucro subest, humorum colluvies decumbit, atque sinistræ manus digitus annularis nodum acquirit, ac valdè intumescit. Ex *Lemnio*. Indicium mortis ex sinistro pectoris latere.

44. Annularis digitus cum corde maximum habet consensum, ut in animi defectibus & syncope comperitur. Qui enim à talibus passionibus vexantur vellicato articulo digiti annularis, seu Medici, vel attritu auri cum croci momento mox eriguntur. Per hunc itaq; digitum vis quędam refocillatrix ad cor pervenit, quæ ab animi defectu collapsi vigorantur, & in pristinam reducuntur valetudinem. Ex eodem *Lemnio*. Digiti annularis cum corde consensus.

45. Filii legitimi omnes patrium aliquid aut avitum ad unguem retinere solent, verrucam scilicet vel cicatricem, vel effigiem, vel mores, vel manuum lineas. Ut docet *Cardanus de subt. l. 12*.

46. Experimento compertum est, volam manûs hominis expansam & ventri impositam cruditatibus adversari.

47. Dextera manus, ut plurimùm agilior & ad motum promptior est sinistrâ: Quia nimirum in dextro latere homini vena est sine pari, quæ fortè in ambidextris gemina est. Deindè quia ossa graviora in scapulis, hu- Dextra manus agilior quam sinistra.

lis, humero, & totâ manu dextra esse quidam pro certo & comperto tenent: quod fieri potuit ab impressione uberioris caloris in utero matris, cujus pars dextra calidior esse solet. Hinc etiam docet *Aristoteles* primum impetum vel principium motûs esse in dextrâ parte, ut homo progressurus priùs moveat dextrum pedem. Vide *Barthol. Anat. lib. 4. cap. 8.*

48. Ad pharmaca in stomacho retinenda, ne vomitu rejiciantur, prodest manus imponere frigidæ.

Longæ manus quid notent. 49. Qui longas habent manus, audaces sunt: quia calor, qui audaces facit, idem & membra extendit. Qui lineam in formâ anchoræ manibus impressam habent, apoplexiæ obnoxii sunt.

Experimentum in manuum lotione. 50. Fœmina si manus aquæ puræ imponat & abluat, idque novæ aquæ mundæ affusione sæpiùs faciat: Fiet ut aqua tandem clara & pura permaneat. Si verò mas in aquâ lavet manus, & novæ quantumvis aquæ claræ affusione perluat, nunquam pura & clara relinquetur, sed semper impuritatem aliquam continebit.

Contrà tremorem manuum. 51. Ad manuum tremorem ex nimio potu prodest, si manè semel aut bis manus aqua frigida madefiant & per se desiccari curentur.

Cordis auriculæ. 52. Observatum est inter omnes cordis partes ultimo moveri in morientibus auriculas. Nam imminente morte primùm moveri desinit cordis mucro, deindè ventriculi conquiescunt; basis posteà. Solis autem auriculis se distendentibus & contrahentibus, quarum ultima dissolutio est naturæ & vitæ extinctio. *Knobloch disp. Anat. 9. c. 3.*

Arterialis pulsus. 53. In homine benè valente & robusto ac perfectæ ætatis, complexionis melancholicæ, aut consenescente ferè singulis secundis minutis existunt singuli pulsus arteriales nullo discrimine inter systolem & diastolem. Ità essent in uno minuto pulsus sexaginta: sed rara est tarditas: Vulgariter numerantur 70, in cholericis & fœminis 80. quatuor internâ secundâ: Breviter in unâ horâ quatuor mille plus minùs. Ità *Camerarius in sylloge mem. & mir. nat. c. 5. D. Crugerus in progn. Anni 1638.* docet, pulsum arterialem in homine sano esse 4450. partem unius horæ; sive tot vicibus arteriam in homine benè constituto pulsare per horam.

Intestina & eorum longitudo. 54. Intestina longitudine notabili in homine saltem adulto viginti ulnas longa esse perhibentur. Imò ambitus eorum talis esse dicitur, ut sexies aut septies, imò & novies secundùm quosdam hominis, cujus sunt, longitudinem superent. Expertis. *D. Bauhinus* in eo, quem de *Anatom.* edidit libro, testatur se cum familiaribus sibi Anatomistis observâsse, quod humani corporis intestina septies totius corporis longitudinem, ùt plurimum contineant; ipsum quoque *Hipp. l. de hominis structurâ* affirmâsse; benè proportionati hominis intestina 13. cubitorum longitudinem vendicare: cùm verò mediocris & benè compositi hominis statura sit $5\frac{1}{2}$. circiter pedum, sive quod idem est 66. pollicum: ac proindè juxtà *Baubini* mentem longitudo intestinorum sit 462. pollicum, *Hippocratis* verò 13. cubitorum cuilibet cubito $35\frac{7}{13}$. pollicis tribuentis: hæc ipsa in idem omninò ferè coincidunt: Discrepant autem in sola cubiti acceptione.

55. Quibus corpus florescit, ut constanter observatum est, his lien decrescit: ac vice versâ quibus lien crescit, illis corpus tabescit, & vitiosis repletur humoribus. Causa est, quod lien ab infarturâ factus imbecillis nequit melancholicum succum attrahere ad se: Hinc demissus ille cum sanguine corporis atro colore ambitum maculat. Corporis affectio ex liene.

56. Ridiculum videtur esse, quod apud *Fallopium* legitur; *Os sacrum execrandum* vel ideò dici, quod qui hoc magnum & productum habent, caudati appellentur: qui verò caudati, pro Execratis hominibus habeantur. Verùm alii hinc *execrandum* nominatum volunt ab execratione, quod qui in juramentis antiquitus execrabantur, partes hujus ossis adjectæ exsecarentur, si falsò jurarent. Verùm alia adhuc superest ratio, quia nempè in hoc osse aliquid sacri & arcani occurrit, cùm ejus connexio cum ossibus ilium tempore partûs divinitùs aperiatur & posteà educto fœtu miro modo denuò consolidetur. Os sacrum cur execrandum dicatur.

57. Sortiunculam umbilici infantis in annulo gestatam dicunt nonnulli contrà morbum caducum & colicos dolores præsidio esse.

58. Observatum à se multiplici experientiâ scribit *Adrianus Spigelius in suo Opere de humani corporis fabricâ l. 1. c. 11.* eos, qui longos habent pedes ut plurimùm alvo esse fluentiore. Undè subdit, Medicis observandum hoc esse, ut cautiores sint in præscribendis purgantibus, ne talibus validiora offerantur, quod facilè in periculum conjici possint. Idipsum etiam in praxi verum esse testatur *D. Petrus Romelius Eph. Ger. Cur. Dec. 2. An. 6. Obs. 227.* longè enim faciliùs tales moveri scribit ac alios: sed an semper & in omnibus regionibus hoc accidere queat, anceps dubitat. Longi pedes quid significent

59. Calcaneus mulierum non tantùm terret Serpentes, sed vel leviter hoc etiam percussos interimit. Calcaneus mulierum.

60. In Epilepsiâ, ut *Cardanus* docet, pollex pedis vellicatus laborantem à paroxismo excitat. Pollex pedis.

61. In humano corpore, ut suprà jam de igne Geocosmico agens memini, os quoddam minimum esse dicitur, quod, referente *C. Agrip. oc. phil. l. 1. c. 20.* Hebræi *Luz* appellant, magnitudine ciceris mundati, quod nulli corruptioni sit obnoxium, nec igne quidem vincatur, sed semper conservetur illæsum. Ex quo, ut dicunt, veluti plantâ ex semine, ità in resurrectione mortuorum corpus nostrum animale repullulascat. Sed hoc antiquorum Hebræorum nugamentum est. Os Luz dictum.

62. In corpore humano, ut Anatomici designant, sunt musculi ferè quadringenti, cartilagines plusquam ducentæ, ossa verò ducenta viginti quatuor (alii numerant 304. nempè alia rotunda, alia acuta, alia trilatera, alia solida, alia cava, vide *Lex. Phil. Chauvini*) inter se artificiosè compacta & coordinata, ut *Galeno* teste, singula ossa quadraginta Quot musculi, cartilagines, & ossa in homine

draginta usus habeant; itaque sola ossa in humano corpore octo millia officiorum habere debent, ut vel hinc intelligatur naturam otii ac desidiæ inimicam esse.

Medicinæ ex ossibus. 63. Officulorum hominis quodcunque appensum, ut carnem attingat, doloribus ventris, qui certâ periodo redeunt, prodesse, ac profluvium ventris cohibere perhibetur. Ossium etiam humanorum pulvis ex vino rubro adstringente dyssentericis propinatus sanguinolentum fluxum cohibet.

64. Compertum est per Anatomistas nervum quendam circà micham, scribit *Corn Agrippa philos. occult. lib. 2. cap. 27.* qui tractus si cuncta hominis membra moveat, ut singula propriis motibus moveantur. Cujusmodi tractu putat *Aristoteles* etiam mundi membra moveri.

65. In collo quoque duas venas, *Idem ibidem* scribit, esse, quæ in jugulo, ubi scinduntur, caput subeunt: quibus foris validè apprehensis mox collabuntur homines sensibus ereptis, quousque revertantur.

Pulvis è cranio. 66. Scobs aut pulvis è cranio masculi Viro, è calvâ fœminæ mulieri ex vino vel oximelite scillitico diebus aliquot jejunis exhibutus præsentaneo auxilio epilepsiæ succurrere dicitur.

Partes dextræ quales. 67. Generaliter in homines partes dextræ magis sunt vivaces, & ad operationes magis promptæ & robustæ à calore majore in iisdem delitescente: sicut è contrario major torpor & lentitudo à majori frigore, qui in sinistris partibus latet, proficiscitur.

Partes exangues. 68. Partes exangues in corpore humano carent sensu, quia humidum & calidum faciunt temperamentum aptum ad sentiendum, hoc verò corpus habet à sanguine.

69. Sanguis humanus cum putrescit, plerumque in pediculos abit.

70. Sudor in homine si fœteat, malus: si solùm fit in parte superiore corporis, deterior: si fit frigidus, erit pessimus: si tantùm in facie est signum resolutionis virium, quod totum corpus possit sudare. Sudor in homine.

71. Nihil ita dolores mitigare dicitur, sicut hominis pinguedo.

72. Deformes præsumi possunt mali, quia deformitatem plerumque humorum perturbatio inducit: ubi verò humoris perturbati, multæ inclinationes inordinatæ moventur. Hinc etiam Jura decernunt, quando plures de aliquo crimine sunt accusati, & capti, primum quæstioni subjici debere, illum, qui facie deformior; quoniam credendus sit animo quoq; pravior. *Bald. in lib. 2. n. 5. C. quorum appel. non recip. Paris de Syndicatu. Hippolitus Marsi & alii.* Deformitas corporis.

73. Homo quisque jejunus ponderosior est seipso pranso. Ratio est, quia cibo & potu augentur Spiritus, qui cùm aereæ & igneæ sint naturæ, addunt corpori levitatem. Similiter hilaris ac lætus levior est tristi ac mœrente, & mortuus vivo longè gravior; quia vivus abundat Spiritibus, quibus caret mortuus, & hilaris plures minusque impeditos habet Spiritus, quàm mœrens. Jejunus gravior se pranso.

74. *Santorius* Justinopolitan' collegit per speculum cavum, ut refert *Tylkowski part. 3. de meteor. c. 3. §. 4.* halitum in illo resolvendo, quod homo per os libram aquæ per diem exhalet. Sumpto verò per diem cibo librarum octo, quod per poros libras quinq; exspiret: & si hoc variet pro tempore & æstate. Nam hyemalis halitus 50. uncias attingit. Idem advertit pororum nullam perspirationem fieri in fluentibus alvo, aut vomentibus. Cœterum & cœnosus aër hanc perspirationem impedit poros oppilando. Jejunus non perspirat noctu ultra octodecim uncias. Satur verò, si cibos benè concoquat ad 40. uncias. Aeris exhalati pondus.

CAPUT VII.

Perfecta humani corporis partium symmetria, & mirabilis earundem inter se proportio ostenditur.



Rovocat jam & calamum pulchra illa & ordinata humani corporis compages, in quâ mirabilis verè cunctarum partium in situ ordo, in distantiâ proportio, in dimensione symmetria, in numero concentus reperitur. *Homo* equidem, ut rectè docet *Cornelius Agrippa occult. philos. l. 2. c. 27. quoniam pulcherrimum absolutissimumq; Dei opus, & imago, & minor mundus, ideoq; etiam perfectiore compositione ac suaviori harmonia, sublimioriq; dignitate omnes numeros, mensuras, pondera, motus, & elementa, cæteraq; omnia illum componentia in se continet ac sustinet, omniaq; velut in supremo artificio supremam quandam sortem ultrà communem consonantiam, quam habent in aliis compositis, consequuntur.* Hinc jam olim quoq; *Pitagoræ* rationi consonans adagium fuit, *Hominem rerum omnium mensuram esse*; ut adeò corpus ejus respectu omnium operum artificialium instar statuæ *Polycleti* sit, ad cujus similitudinem cœteras formatas scimus. Quâ de causâ etiamnum ad humani corporis commensurationem templa, ædes domos, theatra, insuper & navigia & machinas, & quodcunq; artificii gen', & artificiorum, ædificiorumq; quæcunq; sunt parres & membra veluti columnas, epistylia, bases, antes, stilobates & hujusmodi cœtera omnia partiuntur. Quin & ipsa *Noëmi* arca Dei jussu ad hanc mensuram ædificata esse constat, ut præclarè ostendit *D. Aug. l. 15. de civit. c. 26. & S. Ambr. l. de arcâ c. 6. & seq.* prolixè universam Arcæ fabricam homini accommodat, *P. Vilalpandus* quoque de templi *Salomonis* architectura inimitabili in certis ejus partibus eandem proportionem, quæ in humani corporis partibus reperitur accuratè se annotasse scribit

 Eandem

Eandem veterum quoque Architectorum præstantissimus *Vitruvius lib. 3. suæ Architecturæ* plurimum commendavit: & inter recentiores *Albertus Dürerus* pictor summus de mirabili partium humani corporis symmetriâ volumen integrum in lucem publicam evulgavit, ubi quæ sagaci curâ & indagine conquisivit singulari, eòque ingenuo & præclaro candore omnibus Artificibus communicavit. Sed ne diutiùs hìc calamus hæreat, eum ad præclaras & eximias quasdam hoc super argumento conscribendas observationes & experientias promoveamus.

Regulæ & observationes circà humani Corporis dimensionem & partium omnium proportionem.

Quantum homo possit crescere. 1. Quilibet homo crescit magis vel minus secundùm conditionem potentiæ nutritivæ & caloris naturalis, ac aliorum concurrentium. Est tamen certus terminus, quem nullus homo excedit, licet determinatè nesciatur. Nam ut bene *D. Thomas. 1. part. q. 7. art. 3.* ait: *Omnis forma viventium est determinatæ perfectionis, ut patet, ac proindè petit determinata accidentia sui conservativa: sed quantitas est unum ex illis: ergò est determinata secundùm magnitudinem: aliàs effectus excederet virtutem suæ causæ.* Hæc ille.

Quamdiu crescit homo. 2. Tamdiu crescit homo secundum extensionem, quamdiu ossa adhuc sunt mollia, ut extendi possint. Cum verò ità sunt indurata, ut amplius extendi nequeant, etiam reliquum corpus non potest in longitudinem augeri.

3. In homine, cum est puer, superior pars major est & gravior, ut ab infante caput ægrè portari possit, & sub hoc pondere frequenter idcircò corruat.

4. Infans trimus dimidiam habet staturam ejus, quam habiturus est in ætate perfectâ & staturæ maximæ consistentiâ.

Infantile corpus. 5. Infantile corpus, ut *Dürerus* tradit *lib. de symmet. part. corp. hum.* habet tertiam partem longitudinis maternæ, ejusdem verò altitudinem nonnulli statuunt esse suorum capitum 4¼.

Hominis bene compositi altitudo. 6. Hominis bene compositi longitudo (quæ communis altitudo nuncupatur) æqualis est distantiæ extremitatum utriusque digiti longioris utrâque manu, quantum fieri potest, brachiorum extensione ab invicem elongatâ, spatio quoque quod utroq; pede summè extenso intercipitur.

Hominis extensi figura circulo circumscripta. 7. Tota corporis humani mensura, ut inquit *Corn. Agripp. philos. occult. lib. 2. c. 27.* tornatilis est & à rotunditate provenìens, ad ipsam tendere dignoscitur. Undè si quis manibus pedibusque extensis jaceat posito uno circini pede in ejus umbilico circulum perfectum manuum extrema pedumq; contingentem circumducet.

Quadrato circumscripta. 8. Est etiam quadrata mensura corpus proportionatissimum, ut *Idem Agrippa* innuit; si nempe statuatur expansis brachiis in conjunctos pedes erectus homo: quadratum enim constituet æquilaterum, cujus centrum erit in imo pectinis.

Pentagono inscripta. 9. Quod si super eodem centro circulus formetur per summum caput; demissi brachii, quousque extremi digiti circuli illius circumferentiam contingunt: expansi quoque pedes in eâdem circumferentiâ, quantùm extrema manuum à summo vertice distant: tunc circulum illum, super imi pectinis centro ductum in quinque æquas partes divident, perfectumque pentagonum constituent: ipsique pedum extremi tali ad umbilicum relati triangulum æquilaterum efficient.

Æquilatero quadrato inscripta. 10. Quod si immotis talis pedes dextrorsum & sinistrorsum in utrumque latus protendantur & manus ad capitis lineam eleventur, ipsi tunc extremi pedum, manuumque digiti æquilaterum quadratum dabunt, cujus centrum supra umbilicum est, in cincturâ corporis.

Trianguli æquilateri figura in homine. 11. Quod si manibus sic elevatis taliter pedes & crura pandantur, quò homo decimâ quartâ parte erectæ staturæ suæ brevior sit, tunc pedum distantia ad imum pecten relata æquilaterum triangulum faciet, & centro in umbilico posito circumductus circulus manuum, pedumque extrema continget.

12. Quod si manus suprà caput quàm altissimè extendantur, cubiti ambo capitis verticem æquabunt: & si tunc junctis pedibus ità stans homo in quadratum æquilaterum constituatur, per extrema pedum, manuumque conductum; centrum illius quadrati in umbilico erit, qui idem medium est inter summum verticem, & genua.


Partium quarundam dimensiones. 13. Circuitus hominis sub alis, medietatem continet suæ longitudinis, cujus medium est in imo pectine: abindè verò sursùm ad medium pectus inter utrasque mamillas, & à medio pectore usq; ad summum verticem utrobiq; pars quarta longitudinis. Similiter ab imo pectine usque ad genua & à genibus ad extremos talos utrimque rursùm pars hominis quarta computatur.


14. Quartam partem longitudinis etiam adæquat latitudo spatularum ab uno extremo ad alterum, & longitudo à cubito ad extremitatem longioris digiti. Unde etiam quatuor cubiti longitudinem hominis constituunt.


15. Centrum sivè medium altitudinis humani corporis est concursus pedum.


Hominis longitudo. 16. Tota longitudo hominis adulti est novem ejusdem capitum hoc ordine: 1. à radice capillorum ad mentem: 2. à claviculâ colli ad diaphragma: 3. inde ad umbilicum: 4. ab eo ad fuscum: 5. & 6. Femur: 7. & 8. tibia: 9. componitur ex reliquo à clavis tibiarũ incipiendo, & ex vertice capitis incipiendo ad radicẽ capillorum, & ex collo.


Facies quanta. 17. Facies hominis benè proportionati & provectæ ætatis æqualis est palmæ manûs in longum protensæ, sivè longitudini manûs à brachii juncturâ usq; ad longissimi digiti extremitatem sumptæ. Novem verò manus totius corporis longitudinem adæquant;



Fig: 1.


Fig: 2.


Fig: 4.


Fig: 3.


Fig: 5.


Fig: 6.

adæquant; quàm pinguis & facies est, tàm pinguis est venter imus.

18. Spatium ab humero ad humerum triplicatum totius corporis longitudinem præstat.

19. Frontis altitudo, longitudo nasi, latitudo oris per supremum labrum, auriculæ longitudo, uti & pollicis invicem prorsùs æqualia sunt.

20. Cincturæ diameter, & quod à restricta manûs usque ad interiorem plicaturam cubiti est: & quod à pectore usque ad utrasque mamillas sursum ad suprema labra, sivè deorsum usque ad umbilicum est. quodque est inter extrema ossium supremi pectoris gulam cingentium, & quod à plantâ pedis ad finem lacerti, & exinde in mediam genu rotulam: omnes hæ partes æquales sunt.

Caput hominis. 21. Caput hominis ab imo mento in summum verticem, pars longitudinis octava: totidem à cubito ad finem spatularum: tantus etiam reperitur proceriori hominis cincturæ diameter.

22. Circulus capitis per supremam frontem & imas radices occipitis ductus, facit totius longitudinis partem quintam. Tantundem etiam præstat latitudo pectoris.

Corpus proportionatissimum cum descriptione partium. 23. Quodcunq; corpus 10. facies constituunt, ipsum, ut *Agrippa* computat, est propotionatissimum. Hujus itaque prima portio est à summo vertice ad imas nares: abinde ad supremum pectus secunda: ab eo ad umbilicum quarta: & inde ad imum pecten quinta; ubi est centrum & medium humanæ longitudinis, à quo usque ad extremas plantas sunt quinque aliæ partes, quæ priorious junctæ faciunt decem, integram scilicet longitudinem proportionatissimam.

Quarundam partium æqualitas. 24. Quantum spatium est à mento ad summum pectus, tanta est latitudo colli. Quantum à summo pectore ad umbilicum, tanta est collicirculatio. Quantum est spatium à mento in supremum verticem, tanta est latitudo cincturæ. Quantum est ab interciliis ad summas nares, tantum à jugulo distat productio menti: quantumque à summis naribus ad mentum, tantum à jugulo ad imam gulam.

25. Oculorum ab interciliis ad interiores angulos concavatos ac summarum narium prominentiâ; & quod ab imis naribus ad extremum supremi labri interstitium est: hæc tria inter se æqualia sunt.

26. A summo ungue indicis ad imam ejus juncturam, atque abindè, ubi manus brachio colligatur in parte sylvestri; in domesticâ quoque à summo ungue medii usque ad imam juncturam, & abindè ad restrictam manûs: omnes hæ portiones inter se æquales.

27. Magni digiti in manu magnum jecur denotant. Quanta verò est latitudo palmi circa digitos, tantus est & medius digitus in longitudine. Major indicis articulus altitudinem frontis æquat: residui duo ad extremum unguem æquant nasum ab interciliis, videlicet, in summas nares primus & major articulus medii æqui pollet illi spatio, quod est ab imis naribus in extremum mentum: & secundus medii tantus est, quantum ab imo mento ad supremum inferioris labri: tertius verò quantum ab ore ad inferiora narium. Major pollicis articulus dat oris operturam, & quod est ab imo menti ad supremum inferioris labri: minor verò quantum à supremo imi labri ad imas nares, omnium extremorum articulorum, quo onychios vocat, ungues obtinent justam medietatem.

28. Æqualia sunt crura & brachia, pedes & manus, crura & collum quoad crassitiem seu latitudinem.

29. Ab interciliis ad extremos oculorum angulos tantum est spatium, quantum ab angulis illis ad primas aures.

30. Altitudo, quæ est ab imo talo ad summum pedis æqualis est longitudini, quæ à summo pedis est ad extremum unguem.

31. Circuli oculorum, aurium & aperti oris sunt æquales. Et latitudo nasi est quanta longitudo oculi: hinc spatii illius, quod est inter utramq; extremitatem oculorum duas partes oculi retinent, tertiam nasus intermedius excipit.

32. A summo vertice in genua medium facit umbilicus; à supremo pectore ad imam narem medium designat nodus gulæ: à summo vertice ad imum mentum medium locat oculus: ab oculorum interstitio in extremum mentum medium dat imas nares: ac imis naribus in imum mentum dat medium inferioris labri extremum, ejusdem autem distantiæ pars tertia dat ab imis naribus labrum superius.

33. Proportiones etiam harmonicas *Cor. nel. Agrippa* tales quibusdam partibus ad se invicem attribuit Proportiones harmoniæ Corporis partibus assignatæ.

I. Pollex ad brachium in extremo lacerti apud pulsum & juncturam manûs incirculari mensura est in proportione — subduplâ sesqui alterâ.

II. Ejusdem ad armum brachii in lacerto propinquo spatulis — subtripla.

III. Cruris sivè tibiæ magnitudo ad eam, quæ illius ad brachium.

IV. Coxæ proportio ad brachium tripla est.

V. Totius corporis ad truncum proportio est — sesqui octava.

VI. A Trunco sivè thorace ad crura usque ad plantas — sesqui tertia.

VII. Pectoris à collo usque ad umbilicum, ad lumbos vel alvum usque ad finem trunci — dupla.

VIII. Latitudo iliorum ad coxæ latitudinem — sesqui altera.

IX. Capitis ad collum — tripla.

X. Capitis item ad genu — tripla.

XI. Longitudo frontis inter prima tempora ad ejus altitudinem — quadrupla.

Atque hæ dimensiones & proportiones partium humani corporis ex *Cornel. Agrippa* potissimùm adductæ sunt. Sequentes verò Tabulæ aliam magis in specie determinatam partium dimensionem & proportionem exhibent.

Humani

Humani corporis partium dimenſio & proportio juxta *Cardanum l. 11. de ſubt.*

Facies - - eſt partium	18.
Ab hyrco ad hyrcum	12.
Naſi longitudo	6.
Naſi ambitus in imo	6.
Auris longitudo	6.
A Capillorum radice usque ad naſum	6.
Naſi imum à mento	6.
Oris longitudo	4.
Oris ambitus	12.
A vertice ad imas cervices	24.
A ſummo pectore ad capillorum ſummas radices	30.
A ſummo pectoris, ſeu furcula ad verticem	36.
Auris ambitus	12.
Oculi longitudo	4.
Oculorum diſtantia	4.
A naſi imo ad os	2.
Ab ore ad mentum	4.
Naſi foramen	1.
Frontis ambitus ſummus	18.
Palma manûs ab articulo, ubi jungitur ad ſummum medii digiti	18.
A mento ad verticem	24.
Pes	20.
Cubitus	30.
Pectus	30.
Totum corpus	180.

Tabula ſequens primo loco exhibet partes integras, in quas tota ſtatura diviſa eſt: Secundo loco ponuntur particulæ ſexageſimæ, in quas una integra dividitur. Omnes obſervationes fuerunt factæ in maſculis & eorum ætate, ut tabula monſtrat. Refert eam Tylkowsky phys. cur. part. 7. de ſenſu & ſenſili; ſed hîc in meliorem ordinem reducta eſt.

TABULA Proportionis & Commenſurationis partium humani Corporis *ex Adalberto Tylkowsky.*

Ætas eorum, in quibus dimenſio facta eſt.	Ann. 10.		13.		16.		20. Nobilis		20. Ruſtici.	
Statura tota in partibus adſcriptis.	52.		56.		61.	30.	73.		67.	
Frontis altitudo	1.	30.	-	-	2.	0.	3.	0.	1.	30.
Frontis latitudo	5.	0.	5.	10.	4.	0.	7.	0.	6.	0.
Naſi longitudo	1.	30.	2.	0.	2.	0.	3.	10.	2.	0.
Naſi latitudo	2.	10.	2.	0.	1.	30.	-	-	1.	30.
Naſi altitudo	0.	40.	0.	50.	0.	36.	0.	36.	0.	50.
Longitudo aperturæ naris	0.	30.	-	-	0.	30.	-	-	-	-
Naſi circuitus	-	-	-	-	2.	15.	3.	10.	2.	20.
A naſo ad os	0.	45.	0.	40.	0.	40.	0.	40.	0.	45.
Ab extremo naſi ad finem menti	5.	0.	-	-	2.	30.	-	-	2.	30.
Oris latitudo	2.	10.	2.	0.	2.	12.	2.	30.	2.	10.
Summa diductio oris	2.	0.	1.	40.	2.	0.	-	-	1.	50.
Ab ore ad mentum.	-	-	1.	30.	1.	50.	-	-	2.	0.
Menti longitudo	-	-	-	-	1.	40.	1.	30.	-	-
Menti latitudo	1.	0.	-	-	1.	0.	-	-	1.	30.
Oculi longitudo	1.	0.	-	-	1.	36.	1.	10.	1.	30.
Ab extremo unius oculi ad alterum	-	-	-	-	4.	50.	4.	30.	-	-
Ab angulo uno oculi ad alterum	-	-	4.	10.	4.	30.	-	-	4.	0.
Aurium longitudo	2.	10.	2.	30.	1.	30.	2.	30.	2.	30.
Aurium latitudo	2.	20	1.	20.	-	-	-	-	1.	20.
Ab aure ad oris initium	3.	50.	-	-	4.	10.	-	-	4.	0.
Ab aure ad mentum	-	-	5.	0.	5.	30.	-	-	5.	0.
Ab aure ad aurem per os	-	-	-	-	11.	30.	-	-	10.	50.
Ab aure ad verticem humeri.	-	-	9.	0.	8.	0.	-	-	5.	30.
A capillis ad mentum	5.	50.	-	-	7.	0.	-	-	7.	0.
A capillis ad finem ſpinæ	19.	15	21.	0.	22.	0.	-	-	26.	30.
A collo ad humeros	4.	50.	-	-	3.	0.	-	-	5.	0.
Colli craſſities	13.	40.	12.	20.	12.	0.	14.	0.	14.	30.
Colli latitudo ſuprà ſcapulas	1.	30.	-	-	4.	0	-	-	4.	0.
Colli longitudo ad jugulum	-	-	-	-	-	-	-	-	5.	0.
A mandibula ad nodum gutturis	0.	30.	-	-	1.	6.	-	-	1.	30.
A jugulo ad { pectus	-	-	-	-	7.	0.	-	-	8.	0.
A jugulo ad { mamillam	4.	50.	-	-	6.	0.	-	-	6.	50.
A jugulo ad { umbilicum	-	-	13.	0.	13.	30.	-	-	15.	0.
Ab humero ad cubitum	8.	30.	-	-	11.	0.	-	-	11.	0.

Ab hu-

Ætas eorum, in quibus dimensio facta est.	Ann. 10.		13.		16.		20. Nobilis		20. Rustici.	
Statura tota in partibus adscriptis.	52.		56.		61.	30.	73.		67.	
Ab humero ad humerum	—	—	—	—	15.	0.	—	—	16.	0.
Ab humero ad axillam	—	—	—	—	5.	30.	—	—	3.	30.
Ab angulo sub humero ad os lumbi	—	—	13.	0.	11.	0.	—	—	13.	0.
Scapularum latitudo	—	—	5.	0.	4.	0.	—	—	5.	0.
Scapularum longitudo	—	—	6.	40.	5.	40.	—	—	6.	0.
Spatium inter scapulas	4.	40.	6.	0.	5.	0.	—	—	5.	0.
Sub scapulis corporis crassities	26.	0.	28	30	30.	0.	33.	0.	36.	0.
Sub scapulis ad terminum costarum.	7.	5.	9.	40.	9.	96.	—	—	3.	0.
A papilla ad finem ventris	—	—	15	0.	16.	10.	—	—	16.	0.
Longitudo thoracis	6.	10.	6.	10.	7.	0.	—	—	8.	0.
Latitudo inter mamillas	6.	20.	6.	0.	6.	40.	8.	0.	6.	0.
Crassities per ventrem.	24.	0.	26.	40.	27.	0.	32.	0.	33.	30.
Ab osse pectoris ad umbilicum.	—	—	—	—	6.	0.	—	—	6.	0.
Latitudo extremi ventris	—	—	—	—	3.	30.	6.	0.	3.	30.
Ab umbilico ad finem ventris	6.	0.	6.	10.	7.	0.	5.	30.	6.	50.
Crassities corporis in cincturâ.	—	—	—	—	25.	0.	23.	0.	32.	0.
A ventre ad genu.	12.	20.	11.	0.	14.	30.	17.	0.	—	—
A ventre ad cespitem	—	—	—	—	—	—	17.	0.	17.	30.
Cespitis diameter	—	—	2.	30.	2.	40.	2.	30.	3.	0.
Crassities fœmoris sub ventre.	14.	0.	18.	0.	18.	0.	22.	30.	22.	30.
Crassities femorum supra genu.	10.	30.	13.	0.	13.	0.	16.	0.	15.	0.
Circuitus per ventrem ad lumbos	8.	30.	—	—	28.	30.	—	—	33.	30.
Ab osse femorum ad genu	—	—	—	—	20.	0.	—	—	18.	3.
A femore ad femur per ventrem.	—	—	—	—	11.	0.	—	—	13.	0.
A gibbo sub crure ad genu.	3.	0.	—	—	5.	30.	—	—	11.	30.
Crassities cruris per gibbum.	14.	0.	12.	0.	16.	0.	—	—	14.	0.
Crassities per genua.	11.	0.	12.	4.	14.	0.	—	—	14.	40.
Crassities tibiæ sub genu	—	—	—	—	11.	0.	—	—	12.	30.
A talo genuum ad talum pedum	11.	0	12.	0.	15.	50.	15.	30.	—	—
A talo ad plantam	2.	30	2.	30.	2.	40.	2.	0.	2.	40.
Crassities tibiæ ad plantam.	6.	0.	8.	0.	8.	30.	—	—	9.	0.
Longitudo plantæ	10.	0.	9.	40.	9.	45.	—	—	10.	30.
Longitudo plantæ circà digitos	3.	10.	3.	40.	4.	10.	—	—	4.	0.
Calcis longitudo post tibiam	—	—	0.	30.	2.	0.	—	—	—	—
Calcis altitudo	—	—	—	—	3.	0.	—	—	1.	30.
Vertex plantæ à crure ad finem.	—	—	—	—	7.	0.	—	—	6.	30.
A centrò calcis ad digitum minorem.	9.	9.	—	—	6.	50.	—	—	6.	40.
A talo ad pollicis extremum	—	—	6.	30.	6.	20.	—	—	8.	0.
Crassities digiti majoris in pede.	3.	30.	3.	30.	3.	30	—	—	4.	2.
Aliorum digitorum in pede	2.	20.	2.	0	2.	30	—	—	2.	40.
A vertice humeri ad hircum	4.	30.	4.	0.	5.	0.	—	—	6.	0.
Brachii crassities intrà cubitum	6.	30.	9.	0.	8.	30.	—	—	10.	50.
Brachii circuitus circà scarpum.	5.	30.	6.	0.	6.	30.	8.	0.	7.	0.
A Scarpo ad pollicis extremum	6.	0.	6.	30.	6.	40.	7.	0.	3.	0.
Latitudo palmi	3.	0.	—	—	3.	5.	3.	30.	3.	30.
Circuitus palmi sub indice	6.	40.	—	—	7.	50.	—	—	8.	30.

Ætas eorum, in quibus dimensio facta est.	Ann. 10.		13.		16.		20. Nobilis		20. Rustici.	
Statura tota.	52.		56.		61.	30.	73.		67.	
Circuitus palmi circà extrem.	5.	50.	—	—	8.	0.	—	—	—	—
Palmi longitudo	6.	40	—	—	6.	30.	8.	0.	7.	0.
Pollicis longitudo extrema	2.	50	—	—	3.	40.	—	—	2.	30.
Craſſities pollicis	2.	30	2.	30.	2.	40.	2.	50.	3.	40.
primus	1.	30.	2.	10.	1.	10.	—	—	1.	30.
Articulus pollicis secundus	1.	0.	—	—	1.	0.	—	—	1.	20.
tertius	0.	40.	—	—	1.	0.	—	—	1.	0.
Longitudo indicis	2.	30.	2.	15.	4.	0.	2.	5.	—	—
primus	1.	10.	—	—	1.	0.	—	—	—	—
Articulus indicis secundus	0.	5.	—	—	0.	40.	—	—	1.	30.
tertius	0.	40.	—	—	—	—	—	—	—	—
Longitudo minimi digiti manûs.	—	—	1.	50.	2.	0.	—	—	2.	30.
Indicis circuitus	—	—	—	—	2.	30.	—	—	3.	0.
Minimi craſſities	—	—	—	—	—	—	2.	50.	2.	30.
Minimi circuitus.	—	—	—	—	2.	0	—	—	2.	30.
A flexurâ interiòre ad pollicem.	—	—	2.	30.	1.	50.	—	—	2.	0.
Ab eadem flexurâ ad indicem	—	—	2.	20.	3.	20.	—	—	—	—
A cubito interiore ad hanc flexuram	—	—	8.	20	11.	0.	—	—	9.	0.

Tabulæ ſequentes deſumptæ ſunt ex *Alberti Düreri* celeberrimi pictoris & Geometræ *libro de Symmetriâ partium corporis humani.* Supponunt longitudinem humani corporis primò in tres partes diviſam: harum unamquamque in decem alias diviſam: & iſtarum iterum unamquamque in alias decem ſubdiviſam, & rurſus harum quamlibet in alias decem particulas diviſam. Pro muliebri tamen corpore linea 18. part. brevior aſſumenda eſt quàm pro virili. In prima itaque columnâ Tabulæ ponuntur partes lineæ in 3. partes majores diviſæ; in ſecundâ columnâ partes decimæ, in quâ una prima diviſa eſt; in tertiâ columnâ partes decimæ, in quas una ſecunda diviſa eſt; & in quartâ columna partes decimæ, in quas una tertia diviſa eſt.

TABULA 1. Proportionis partium Corporis Viri Ruſtici.

Altitudo

A ſincipite ad verticem	0	0	5	0
Ad frontem	0	1	6	0
Ad imum mentum	0	8	5	0
Ad jugulum	1	0	6	0
Ad ſummas ſcapulas	1	1	6	0

Æquale ſpatium habent frons, naſus, & infima bucca.

A ſummis ſcapulis ad pectus	0	2	3	0
Ad alam averſam	0	4	0	0
Ad mammas	0	5	4	0
Infra easdem	0	6	9	0
Ad cingulum	1	5	0	0
Hinc ad umbilicum	0	1	5	0
Ad ſinus coxarum	0	5	0	0
Ad ſummum femur	0	6	7	0
Ad finem ventris	0	8	0	0
Ad etxremas nates	1	1	0	0
A natibus ad ſulcum femoris	0	4	5	0
Supra genu	0	8	0	0
Ad medium genu	1	1	0	0
Ad imam ſuram exterius	0	6	0	0
Ad imam ſuram interius	0	7	2	0
Ad ſummum montem pedis	1	2	6	0
Ad imum talum extern.	1	4	0	0
Ad imam plantæ	1	5	9	0
Calcis longitudo	1	0	3	0
Ab humero ad nexum cubiti	1	0	6	0
Ab hoc ad juncturam manûs	0	7	6	0
Hinc ad extremos digitos	0	6	5	0

Latitudo Corporis adverſi.

Caput per verticem	0	5	5	0
Per frontem	0	7	2	0
Per tempora	0	7	8	0
Per ſupercilia	0	7	3	0
Per aures	0	8	0	0
Per naſum	0	6	0	0
Gulæ latitudo	0	4	3	0
Per imum mentum	0	6	6	0
Per jugula	1	4	3	0
Per humeros	1	5	8	0
Per pectus	1	8	0	0
Intra alas	1	2	3	0
Intra mammas	0	8	2	0
Per cingulum	1	1	4	0
Per umbilicum	1	2	8	0
Per ſinus coxarum	1	2	8	0
Per ſummum femur	1	4	6	0
Diſtantia Coxendicum	1	0	5	0
Femur ſub natibus	0	6	7	0
Per ſulcum femoris	0	6	0	0
Supra genu	0	4	6	0
Per medium genu	0	4	4	0
Infra genu	0	4	0	0
Per mediam ſuram	0	5	0	0
Per imam ſuram exterius	0	4	6	0
Per imam ſuram interius	0	3	9	0
Per imam tibiam	0	2	2	0
Per montem pedis	0	2	7	0
Infra talos	0	3	4	0
Extremi digiti patent.	0	4	2	0
Brachium ſub alâ	0	3	5	0

Super

Super nexum cubiti -	0	3	4	0
Infra nexum per cubitum	0	4	0	0
Per junƈturam manûs	0	2	4	0
Palmæ latitudo -	0	4	3	0

Averſi corporis eadem eſt latitudo quæ adverſi.

Sed à ſummis humeris ad alas	0	5	0	0
Calcaneus - -	0	3	0	0

Lateralis Corporis.

Per verticem -	0	5	8	0
Per frontem - -	0	7	0	0
Per ſupercilia - -	0	8	2	0
Per naſum - -	0	7	5	0
Per labrum -	0	7	0	0
Per mentum - -	0	7	0	0
Colli craſſities - -	0	5	0	0
Per jugula - -	0	6	0	0
Per peƈtus -	0	9	7	0
Juxta alam - -	1	0	4	0
Per mammas -	1	0	3	0
Infra eas - -	0	9	7	0
Per cingulum - -	0	8	6	0
Per umbilicum -	0	8	4	0
Per ſinus coxarum -	0	9	5	0
Per femur -	1	0	4	0
Juxta extremas nates femor.	0	7	8	0
Supra genu -	0	5	7	0
Per medium genu - -	0	5	3	0
Infrà genu -	0	4	5	0
Per mediam ſuram -	0	5	4	0
Per imam ſuram exterius	0	5	3	0
Per imam ſuram interius	0	4	5	0
Per tibiam ubi anguſta -	0	3	2	0
Per montem pedis -	0	3	5	0
Per imum talum exterius	0	5	3	0
Palmi craſſities - -	0	2	3	0

TABULA II. Proportionis partium Corporis muliebris in fœminâ Rusticâ

Altitudo

A ſincipite ad verticem	0	0	8	0
Ad frontem - -	0	1	6	0
Ad imum mentum	0	8	3	0
Ad ſcapulas ſummas -	0	9	0	0
Ad jugula - -	1	1	4	0

Frons, naſus & mentum æqualia ſunt.

A ſummis jugulis ad peƈtus	0	0	6	0
A alas adverſas - -	0	2	7	0
Ad alas averſas	0	4	8	0
Infra mammas -	0	6	7	1
Ad cingulum - -	0	8	2	1
A lumbis ad umbilicum	1	2	5	0
Ad imam alvum	0	5	6	0
Hinc ſupra genu	0	3	5	0
In medium genu -	0	7	2	0
A medio genu ad illud	0	9	5	0
Ad imam ſuram exterius	0	2	0	0
Ad imam ſuram interius	0	6	4	0
Ad mentem pedis -	0	8	2	0
Ad imum talum exteriorem	1	2	6	0
Ad plantam - -	1	3	6	0
Plantæ longitudo	1	5	5	0
Brachii longitudo	1	0	0	0

Ab humero ad nexum cubiti	1	0	2	0
Ab eodem ad junƈturam manûs - -	0	7	6	0
Manus - - -	0	6	8	0

Latitudo Corporis lateralis in fœminâ Ruſticâ.

Per verticem -	0	5	2	0
Per frontem -	0	6	3	0
Per ſupercilia - -	0	8		0
Per naſum -	0	7	0	0
Per labrum -	0	6	[illegible]	0
Per mentum - -	0	6	0	0
Collum - -	0	4	0	0
Per ſummas ſcapulas -	0	4	4	0
Per jugula - -	0	5	5	0
Per humeros - -	0	6	6	0
Per peƈtus -	0	8	3	0
Per alam - -	0	9	2	0
Per papillas -	0	9	0	0
Per mammas -	0	8	5	0
Per cingulum -	0	8	0	0
Per umbilicum -	0	9	3	0
Per femur ſummum -	1	2	0	0
Per imam alvum -	1	1	0	0
Per ſulcum feminis -	0	7	8	0
Supra genu -	0	6	4	0
Per medium genù -	0	5	0	0
Infrà genu - - -	0	5	0	0
Per mediam ſuram -	0	5	2	0
per imam ſuram exterius	0	5	0	0
per imam ſuram interius	0	4	2	0
Per anguſtam tibiæ -	0	3	1	0
Per montem pedis	0	3	1	0
Per imum talum exteriorem	0	5	7	0

Adverſi corporis muliebris latitudo in fœminâ Ruſticâ.

Per verticem - -	0	5	2	0
Per ſummam frontem	0	6	9	0
Ptr mediam frontem	0	7	5	0
Per ſupercilia -	0	7	2	0
Per aures -	0	8	0	0
Per naſum - -	0	5	6	0
Collum - -	0	4	0	0
Per ſummas ſcapulas -	0	4	2	0
Per jugula -	1	1	0	0
Per ſummos humeros -	1	2	2	0
Oſſa humerorum diſtant -	1	0	1	0
Per peƈtus & humeros -	1	4	8	0
Intra alas - -	0	9	6	0
Intra papillas	0	7	2	0
Per cingulum - -	1	0	2	0
Per umbilicum -	1	3	7	0
Per coxam ſummam -	1	5	2	0
Ibidem diſtant coxendices	1	1	1	0
Per imam alvum -	1	5	4	0
Per ſulcum feminis -	0	6	9	0
Supra genu	0	5	3	0
Per medium genu -	0	4	5	0
Infra genu -	0	4	5	0
Per mediam ſuram -	0	5	0	0
Per imam ſuram exterius	0	4	5	0
Per imam ſuram interius	0	3	8	0
Per montem pedis	0	2	5	0
Infra talos - - - -	0	2	5	0
Per extremos digitos	0	4	0	0

Brachii latitudo

Sub alis per muſculos	0	3	4	0
Supra nexum cubiti	0	3	0	0
Infra nexum per cubitum	0	3	8	0
Per juncturam manûs	0	2	4	0
Palma	0	3	9	0

Averſi ut Adverſi.

Intra alas	0	2	0	0
Rima	0	7	5	0
Calcaneus	0	2	5	0

TABULA III. exhibens Viri gracilis dimenſionem,

Altitudo

A ſincipite ad verticem	0	0	7	0
Ad frontem	0	1	8	0
Ad imum mentum	0	7	0	0
Ad ſummas ſcapulas	0	8	0	0
Ad ſummos humeros	1	0	0	0
Ad jugula	1	0	9	0
Hinc ad pectus ſummum	0	1	9	0
Infra alam	0	3	3	0
Infra alam adverſam	0	3	8	0
Ad mammas	0	4	4	0
Infra has	0	5	5	0
Ad imum thoracem	0	7	0	0
Ad cinctum	1	0	0	0
Hinc ad umbilicum	0	2	0	0
Ad ſinum coxæ	0	2	5	0
Ad ſummum femur	0	5	9	0
Supra genu	1	9	1	0
Medium genu	0	1	8	1
Infra genu	0	1	6	0
Ad furam { exterius	0	6	2	0
Ad furam { interius	1	6	8	0
Ad montem pedis	1	4	8	0
Ad imum talum exterius	1	5	6	0
Ad imam plantam	1	7	3	0
Plantæ longitudo	0	8	5	0
Ab humero ad cubiti nexum	1	0	6	0
Ad juncturam manûs.	0	8	5	0
Ex junctura ad extr. digit.	0	5	4	0

Lateralis Latitudo Corporis,

Viri gracilis.

Per verticem	0	4	7	0
Per frontem	0	6	1	1
Per ſupercilia	0	6	7	0
Per naſum	0	5	8	0
Per labrum ſuperius	0	5	2	0
Collum	0	3	4	0
Per ſummas ſcapulas	0	5	7	0
Per ſummos humeros	0	4	3	0
Per jugula	0	5	0	0
Per pectus	0	7	1	0
Juxta alam	0	7	5	0
Per mammas	0	7	6	1
Infra has	0	7	1	0
Per imum thoracem	0	7	0	0
Per cinctum	0	5	8	0
Per umbilicum	0	5	8	0
Per ſinum coxæ	0	6	0	0
Per coxam	0	7	7	0
Ibidem femoris	0	5	4	0
Per ſulcum femoris	0	5	2	0
Supra genu	0	3	8	0
Per medium genu	0	3	2	0
Infra genu	0	3	6	0
Per mediam ſuram { exterius	0	3	6	0
Per mediam ſuram { interius	0	3	4	0
Per imam tibiam	0	2	0	0
Per montem pedis	0	3	3	0
Per imum talum extern.	0	3	5	0
Per humerum	0	4	0	0
Per muſculos	0	3	0	0
Per nexum cubiti	0	2	1	0
Infra hunc	0	2	2	0
Per manûs juncturam	0	1	2	0
Palma	0	1	4	0

Adverſi corporis latitudo.

Per verticem	0	4	4	0
Per frontem	0	5	5	0
Per ſupercilia	0	5	2	0
Per aures	0	5	8	0
Per naſum & buccas	0	4	3	0
Per collum	0	3	1	0
Per ſummas ſcapulas	0	3	6	0
Per ſummos humeros	0	8	8	0
Per jugula	1	1	2	1
Oſſa humerorum ibidem	0	9	4	0
Per humeros	1	3	2	0
Intra alas	0	9	0	0
Ibidem à tergo	1	4	0	0
Intra mammas	0	7	0	0
Infra has	0	9	6	0
Per imum thoracem	0	9	0	0
Per cincturam	0	8	1	0
Per umbilicum	0	9	1	0
Per ſinum coxæ	0	9	0	0
Per coxam	1	0	0	0
Coxendices ibidem diſtant	0	7	5	0
Per femur intra nates extr.	0	4	7	0
Per ſulcum feminis	0	3	7	1
Supra genu	0	2	8	0
Per medium genu	0	2	6	0
Infra genu	0	2	6	0
Per mediam ſuram	0	3	2	0
per imam ſuram { exterius	0	2	8	0
per imam ſuram { interius	0	2	5	0
Per tibiam imam	0	1	2	0
Per montem pedis	0	1	6	0
Infra talos	0	1	5	0
Planta	0	3	0	0

Averſa.

Rima	0	5	8	0
Calcaneus	0	1	6	0

TABULA

TABULA IV. Dimensio & proportio partium corporis in muliere siccâ.

Altitudo.

A sincipite ad verticem	0	0	5	0
Ad frontem	0	1	2	0
Ad imum mentum	0	6	7	0
Ad summas scapulas	0	8	2	0
Ad summos humeros	1	0	6	1
Ad jugula	1	1	2	0
Hinc ad pectus	0	1	6	0
Infrà alam	0	3	2	0
Infrà alam a tergo	0	3	9	0
Ad papillas	0	4	8	0
Infrà mammas	0	1	1	0
In cinctu	1	1	2	0
Hinc ad umbilicum	0	1	3	0
Ad coxam	0	6	0	0
Ad fulcum feminis	0	4	5	0
Supra genu	0	9	5	0
Medium genu	1	1	6	0
E medio genu infrà	0	1	6	0
Ad imum furæ exterius	0	6	2	0
Ad imum furæ interius	0	6	9	0
Ad montem pedis	1	4	0	0
Ad imum talum exterius	1	5	0	0
Ad imam plantam	1	6	5	0
Planta	0	8	4	0

Lateralis latitudo Corporis in muliere siccâ.

Per verticem	0	3	7	0
Per frontem	0	5	5	0
Per supercilia	0	6	2	0
Per nasum	0	5	5	0
Per superius labrum & vert.	0	5	0	0
Per mentum & collum	0	4	7	0
Collum	0	2	8	0
Per scapulas	0	3	1	0
Per summos humeros	0	4	5	0
Per jugula	0	5	0	0
Per pectus	0	6	5	0
Per alam	0	7	0	0
Per papillas	0	7	0	0
Infrà mammas	0	6	2	0
Per cinctum	0	5	5	0
Per umbilicum	0	6	7	0
Per coxam	0	8	8	0
Per sulcum feminis	0	5	3	0
Supra genu	0	3	8	0
Per medium genu	0	3	2	0
Infrà illud	0	3	0	0
Per mediam suram	0	3	2	0
Per imum suræ exterius	0	3	2	0
Per imum suræ interius	0	2	9	0
Per angustam tibiam	0	2	0	0
Per montem pedis	0	2	2	0
Pec imum talum ext. & ped.	0	5	3	0

Brachium.

Ab humero ad nexum cubiti	0	9	7	0
A nexu ad juncturam manûs	0	9	0	0
A juncturâ ad extr. digit.	0	5	4	0
Per humerum	0	3	6	0
Per musculos	0	3	3	0
Per nexum cubiti	0	2	1	0
Infra eundem	0	2	3	0
Per manûs juncturam	0	1	2	0
Palma	0	1	4	0

Adversa Latitudo.

Per verticem	0	3	6	0
Per frontem	0	5	1	0
Per mediam frontem	0	5	5	0
Per supercilia	0	5	2	0
Per aures	0	5	6	0
Per nasum	0	4	5	0
Collum	0	2	8	0
Per summas scapulas	0	3	0	0
Per humeros	0	8	5	0
Per jugula	0	9	8	0
Distant ossa brach.	0	8	4	0
Per pectus & humeros	1	1	5	0
Infra alas	0	7	3	0
A tergo	0	9	0	0
Intra papillas	0	7	0	0
Intrà mammas	0	8	0	0
Per cinctum	0	7	3	0
Per umbilicum	0	9	9	0
Per coxam	1	1	2	0
Infrà coxendices	0	8	0	0

Adversa.

Per sulcum feminis	0	4	8	0
Supra genu	0	3	5	0
Per medium genu	0	3	0	0
Calcaneus	0	1	5	0
Infrà genu	0	2	8	0
Per mediam suram	0	3	3	0
Per imam suram exterius	0	2	9	0
Per imam suram interius	0	2	7	0
Per angustiam tibiæ	0	1	2	0
Per talos & montem pedis	0	1	6	0
Infra eosdem	0	1	5	0
Plantæ per digitos	0	2	9	0

CAPUT VIII.

De Conjectatione Physiognomicâ, quâ ex inspectâ membrorum in Corpore humano configuratione, magnitudine, habitudine, coloribus aliisque signis externis animi passiones, naturales propensiones & mores conjectari possunt.



Physiognomia, ut definit *Joh. Baptista Porta lib. 1. Physiognom. cap. 17.* est morum inspiciendorum Naturæ ratio ex iis, quæ corpori insunt, fixis signis, & accidentibus, quæ transmutant signa corpori non inexistentia, sed eo alterato advenientia. Communiùs verò dicitur Scientia conjecturalis, quæ ex certis notis & & signaturis externi corporis de internis animi propensionibus & affectibus conjectare solet. Licet verò hanc nonnulli erroris & improbitatis damnent, atque idcircò ut illicitam, & homine sapiente indignam despiciant: nihilominùs alii, qui cum moderatione & æquiori mentis lance scientias naturales explorant, & expendunt, eandem non tantùm licitam, sed etiam probè fundatam, ac perutilem admittunt. Undè jam olim veteres Medici, *Hippocrates & Galenus* hanc diligenter excoluerunt. Hanc etiam *Avicenna* Medicis utilissimam demonstravit, ut ex oculis & vultu de hominis ægritudine judicarent. *Aristoteles* eam integro libro præclarè exposuit. *Pythagoras* ad hujus disciplinæ regulas discipulos vel admittebat vel dimittebat. *Socrates* eâ docente deprehendit *Platonem* fore, qualis deindè extitit: Idem *Alcibiadem* ex specie, & optima membrorum corporis proportione ad supremum Reip. gradum perventurum prædixit: Illos etiam, quorum indoles probata ex vultu eminebat, ad philosophiam rapiebat, ut ex *Platone* habetur. Nestor vultûs similitudinem *Telemachi* conspicatus apud *Homerum* ità de animo conjicit:

- - - - Si vera viri puer optimè talis
Et soboles, stupor altus habet me clara tuentem
Lumina, & ora patrem referentia? quid? quod & illi
Assimilis fandi tibi copia? quis queat alter
Ista loqui puer? ingenti nisi cretus Ulysse.

M. Tullius Cicero hinc petitis jaculis adversarios suos mirè lacessivit, & ideò tam accuratus fuit in describendo à calce ad caput *Verre, Vatinio, & Antonio*, ut vel ex ipsâ corporis descriptione audita, Populus Romanus faciliùs eorum sceleratos mores crederet. Gymnosophistæ eum tantùm ad Regnum assumebant, qui eximia oris formâ cæteris antestaret, utpotè quem ad excellentium virtutum dotes natum arbitrarentur. Persæ homines adunco naso honorabant, eòquod *Cyrum* adunco naso honorabilem fuisse à Majoribus accepissent. *D. Gregorius Nazianzenus*, cùm *Julianum* Apostatam, antequàm imperio potiretur, *Athenis* vidisset, ex vultu & corporis habitudine conspectâ, ejusdem crudelitatem ominatus, exclamasse fertur: *Bone Deus! quantùm malum Romanum fovet Imperium. S. Isidorus* Hispalensis Episcopus, cùm *Mahometum* intuitus fuisset, ex ipsâ physiognomia nefandos ipsius mores prædixit. *S. Carolus Borromæus* ad famulitium suum formosos admittebat; ajens, in corpore pulchro pulchram etiam habitare solere animam. Plura alia non memoro: Quocircà mirum videri haud debet, quod viri tàm pietate, quàm eruditione præstantes publicis etiam scriptis eandem excoluerint, inter quos *P. Honoratus Niquetius* eam insigniter à mendis repurgatam doctè admodùm & methodicè quatuor libris exposuit: ex quibus etiam sequentes Tabulas extraximus itaque ordinavimus, ut totam hanc scientiam utiliter contractam tantò faciliùs & jucundiùs addiscendam Curioso Lectori communicare possimus. Sed antequam ad ipsas tabulas descendamus, Regulas quasdam & præcautiones in praxi hujus facultatis observandas præmittere libuit.

Regulæ & præcautiones in Judicio physiognomico observandæ.

I.

Signa physiognomica in humani corporis partibus conspicua sunt illa, quæ præter suam speciem naturalis alicujus inclinationis, aut propensionis in animo latentis indicium præbent. Horum alia proba sunt, alia vana. Illa sunt, quæ naturalibus principiis & veris comprobantur experientiis: Vana verò sunt, quæ talibus principiis & experientiis non subsistunt.

II.

Licet plura signa proba alicujus inclinationis & propensionis naturalis in aliquo homine reperiantur: Non potest tamen Physiognomus nisi de sola dispositione seu naturali inclinatione judicium ferre & non de actibus inclinationem sequentibus;

bus; cùm hos quilibet libertatis usu cohibere possit. Undè nequaquam licet Physiognomo judicare de facto seu operatione vel actuali hominis vitâ; scilicet hunc esse talem, hæc ac talia facere: Sed solùm de pronitate & inclinatione, eum nempè ad ejusmodi naturaliter esse inclinatum.

III.

Non potest Physiognomus judicare de donis divinis & gratuitis: Cùm non pendeant ab ullis signis aut notis à naturâ corpori impressis.

IV.

Neque potest de extrinsecis accidentalibus eventibus judicium ferre, ut de morte violentâ, opibus, honoribus, & cœteris fortunæ bonis aut malis; neque de nuptiis, aliisque negotiis, quorum electio est prorsùs libera & voluntaria.

V.

Cum status vitæ, sexus, educatio, convictus & societas, climatis etiam sive regionis alicujus habitatio multùm possint in mutatione affectuum & morum: Hinc in judicio physiognomico ad ista specialiter attendi debet.

VI.

Evidentior conjectura sumitur ex illis signis, quæ in eminentissimis locis sunt collocata. Eminentissimus verò locus est caput, deindè Thorax, tum crura &c.

VII.

Item potiora sive validiora signa sunt illa, quæ ex iis membris petuntur, per quæ actio vel passio aliqua, quam indagamus, magìs exercetur. Sic quia caput rationis, ingenii atque memoriæ regia est sedes: in eo etiam potiora ingenii & memoriæ vaticinia quæri debent. Similiter quià corporis robur constat potissimùm in humeris, brachiis, manibus; inde etiam præcipua roboris & fortitudinis argumenta peti debent.

VIII.

Cùm propensionis alicujus signum in aliquo membro habetur, & ejusdem propensionis signum in alio uno vel pluribus membris confirmatur: Fortior fit indicatio & judicium tantò probabiliùs formari potest, quantò pluribus signis in diversis corporis partibus indicatur & confirmatur. Unde etiam

IX.

Nunquam facilè uni signo credendum, sed juxtà artis principia plura alia coäcervanda, & ad unum significatum accommodanda, ut probabilior conjectatio fieri possit.

X.

Vix inveniuntur homines temperamenti puri; Undè cùm sint mixti; etiam secundùm mixtionem judicandum est.

XI.

Licet omni & cuicunque climati, sive regioni certi mores, affectiones, inclinationes, vitia & virtutes conveniant: Non tamen censendum est eadem omni homini, qui illic locorum natus, educatus, aut habitator existit, strictè convenire. Undè in Galliá non omnes levis, vani, præcipitis animi: sicut non omnes Germani potatores strenui, nec omnes Hispani superbi, ambitiosi, crudeles; aut omnes Itali sunt avari, libidinosi, &c.

XII.

Communibus affectibus, quia communes corporis dispositiones & propriis propriæ plerumque respondent: illæ in judicio physiognomico formando probè respici possunt. Ità *Plato* sentiebat hominem illis affectibus & moribus imbui, cujus animalis figuræ maximè conformaretur. *Aristoteles* quoque docuit in homine omnium animalium mores reperiri.

XIII.

Etiam per signa è contrario sumpta mores & inclinationes dijudicari posse docuit *Aristoteles* in suis physiognomicis; ut Ex. gr. Si capillitium durum, fortis & animosi signum fit; molle è contrario argui potest, timidi & pusillaminis.

Tabula

Tabula pro conjecturis ex Temperamento Hominis.

	Temperamentum.	*Sanguineum Aëreum.*	*Cholericum Igneum.*	*Phlegmaticum Aqueum.*	*Melancholicum Terreum.*
Temperamentum indicant.	*Habitudo corporis externi.*	*Hirsuties. Caro multa & mollis. Agilitas velox incrementum. Sudores frequentes.*	*Durities, Agilitas, gracilitas, cutis nigra, capillitium crispum & retortum. Caput exile oculi parvi, gressus celer, lingua aspera, pauca saliva.*	*Caro multa & obesa, crassities, pinguedo, salvia multa, rara sitis, recrementa nasi multa, canities præcox, venæ & arteriæ exiles ac angustæ; tarda concoctio.*	*Corpus tenue glabrum, cutis sicca & aspera, ossa dura.*
	Facies.	*Rosea, rubra, amœna, pulchra.*	*Subnigra, subfusca, citrina.*	*Alba, fœminea, pinguis, carnosa.*	*Fusca, obscura, nigra plumbea, demissa.*
	Vox	*Firma, dulcis, concinna, querula.*	*Velox, præceps.*	*Subtilis, acuta.*	*Humilis, demissa, timida.*
	Pulsus	*Fortis, magnus, plenus.*	*Vehemens, durus, frequens.*	*Tardus, rarus, mollis.*	*Tardus, parvus, subdurus.*
	Somnus	*Multus & suavis.*	*Paucus sæpè interruptus.*	*Suavis, multus, facilis.*	*Turbulentus.*
	Somnia	*Jucunda de choreis, saltu, equitatu, volatu.*	*Turbulenta, belli & furoris plena.*	*Frequentia de aquis & humidis.*	*Tristia de mortuis.*
A Temperamento indicantur & conjectantur.	*Qualitates primæ.*	*Caliditas, humiditas.*	*Caliditas, siccitas.*	*Frigiditas, humiditas.*	*Frigiditas, siccitas.*
	Affectus Animi.	*Lætitia, gratia, amor, hilaritas.*	*Animositas, ira, impatientia, Audacia.*	*Timiditas, tristitia mediocris, Amor remissus.*	*Appetentia magna Tristitia, morositas, amor cum pertinacia, invidia.*
	Virtutes.	*Mansuetudo, gratitudo, affabilitas, urbanitas, obsequentia.*	*Promptitudo agendi fortitudo, constantia, vigilantia.*	*Mansuetudo, tranquillitas mentis, pax in conversatione.*	*Fidelitas, mentis stabilitas, prudentia, sapientia, major tamen in juventute, quàm senectute.*
	Vitia.	*Garrulitas, levitas, infidelitas, mendacia, Amoris proclivitas, inconstantia.*	*Iræ, rixæ, percussiones odia, Ambitio, jactantia, importunitas, inurbanitas, invidia.*	*Pigritia, somnolentia, Libido, luxuria inurbanitas.*	*Avaritia, Taciturnitas, pertinacia, tenacitas, suspiciones malæ.*
	Ingenium.	*Volatile, inconstans ineptum pro studiis.*	*Acre, solers, velox.*	*Hebes, retusum.*	*Profundum, constans, pertinax, maturum.*
	Sanitas.	*Inconstans & minimè firma.*	*Optima.*	*Parva.*	*Nulla, pessima.*
	Vita.	*Longissima & maximè diuturna.*	*Longa & diuturna.*	*Brevior.*	*Brevissima.*

Corpus

Corpus	1
Magnum, procerum	tardum, segne, si humidum & frigidum. Bonum, longæ vitæ, si calidum & siccum.
valdè longum & crassum	calidum humidum.
Parvum	Ingenii acuti & prudentis. Forte. Audax.
cum siccitate	malum ob præcipitantiam & confusionem.
cum humiditate	optimè affectum.
citò crescens	calidum & humidum.
Habens inferiora majora superioribus	somniculosum, argumentum loquacitatis, Hominis obliviosi ac debilis memoriæ.
Habens superiora inferioribus majora	Maribus proprium calidioris naturæ.
Mediocre	optimè constitutum.

Caput	2
Magnum cum proportione & macilentum	Optimi ingenii, non tamen subtilis. Magni judicii, longæ vitæ.
Magnum, improportionatum & corpulentum	Somniculosum, obtusi ingenii, hominis ignavi, indocilis, meticulosi sine judicio.
Parvum sine proportione ad reliquas partes corporis	Cerebri sicci & calidi. Hominis indocilis, ignavi, præcipitis, iracundi: est tamen prudentis, versuti, callidi, debilis memoriæ, ingenii, imaginativæ; morbis obnoxium.
Parvum cum proportione	Simpliciter malum, meliùs tamen capite magno sine proportione.
Sphæricum	confusi ingenii.
Inclinatum	timidi, pudibundi.
Cavum in sincipite & occipite	pessimum.
Habens eminentias	optimum.
Habens compressa tempora	debilis rationis.

Efformat Natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum juvat aut impellit ad iram;
Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit,
Post effert Animi motus interprete lingua. *Horat. de Arte poët.*

Capillitium	3
Album	Frigidi humidi.
Nigrum	Calidi.
Rufum	Iracundi, fortis, acuti, audacis, subtilis.
Crispum	citò calvescentis, tardè calvescentis.
Planum, rectum & simplex	citò canescentis, tardè calvescentis.
Prolixum	Agilis.
Breve	Pigri.
Molle	Timidi, pusillanimis.
Durum	Fortis, animosi.
Nimis pilosum	Luxuriosi.
Mediocriter durum & molle	Ingeniosi.

Facies cum colore stabili	4
Magna & longa	Humidi, ignavi, pigri.
Parva	Callidi, rixosi, præsumptuosi.
Macilenta	Ingeniosi, agilis, diligentis.
Crassa	Pigri, ignavi, timidi.
Alba	Pituitosi, effœminati, libidinosi.
Pallida	Pituitosi, timidi, tristis.
Subnigra cum rubedine	Turbulenti, sed ingeniosi.
Rubea cum albedine	Optimi temperamenti sanguinei, ingeniosi.
Rubea cum adustione	Vitiliginosi & lentiginosi.
Purpurea	Verecundi.
Flava aut rufa.	Cholerici, iracundi, magnanimi, audacis, astuti, mobilis, inconstantis.
Maculosa	Astuti.
Alba cum rubedine & corpore leni	Indolis bonæ.
Flammea	Maniaci.

Ut Sol in Cœlis, ut Lux in Sole videtur;
Virtus in vultu sic habitare solet.
Non tantùm nitet oris honos, quàm vivida pulchro
Gloria virtutis corde vigente micat.

Frons 5	
Parva, angusta	Imperiti, stolidi, phlegmatici.
Longa aut lata	Bonæ imaginationis ingeniosi.
Magna	Pigri, torpidi.
Mediocris, magis tamen parva	Acuti ingenii.
Rotunda	Stupidi ignavi.
Carnosa & magna	Stupidi
Quadrata	Magnanimi, ingeniosi.
Rugosa	Cogitabundi, Melancholici.
Exporrecta	Liberi sine curis lætabundi.
Torva & depressa ad supercilia	Audaces, magnanimi.
Extensa	Cholerici, iracundi.
Lævis & splendens	Ingeniosi.
Tranquilla, serena ac protensa	Adulantis.
Prominens	Optimæ imaginationis, apti ad studia mathematica & quaslibet artes.

Tempora, Supercilia, Palpebræ, Papillæ 6	
Tempora tumida & rotunda	Sanguine abundantis, confusi ingenii, insensati.
Mediocriter cava	Ingeniosi, optimæ notæ.
Multùm cava	Pertinacis, iracundi, capitis sicci.
Pilosa	Luxuriosi.
cum venis sanguine turgentibus	valdè iracundi.
Supercilia parva	Pusillanimis.
Demissa	Tristis.
Conjuncta in origine nasi cum pilis densis	Cholerici, Audacis.
Divulsa juxta nasum & extensa ad tempora	Fatui, stolidi, parvi ingenii.
Arcuata	Magnanimi.
Recta	Timidi.
Palpebræ tumentes	Somnolenti.
Interiores retractæ	Brevis vitæ.
Sanguineæ & crassæ	Inverecundi, tardi ingenii.
Nictantes crebro	Timidi.
Pupillæ parvæ	Acuti visûs, ingeniosi.
Inæquales	Malum signum.

Frontis ut est index speculum; sic prorsus in ipsâ
Fronte velut speculo Mentis imago patet.
Illud quisq; suo tantum non lumine captus,
Perspicit; at sapiens solus utrumque videt.

Oculi 7	
Ingentes	Pigri.
Parvi	Astuti, ingeniosi, sed & timidi & pusillanimis.
Fulgentes benè proportionati	Optimi.
Illachrymantes	Timidi, melancholici.
Volubiles	Ingeniosi, audacis, magnanimi, rapacis.
Conniventes crebrò	Timidi.
Gratiosè ac diffusè intuentes	Effœminati, luxuriosi.
Fixi stantes	Cogitabundi.
Prominentes	Stupidi.
Parùm depressi	Magnanimi.
Valdè depressi	Mansueti, humilis.
Rubentes	Iracundi, furiosi.
Ignei splendentes lucidi	Lascivi libidinosi.
Prosilientes	Debilis cerebri, mali visûs.
Concavi, retracti & parvi	Optimi visûs.
Sicci splendentes	Ingeniosi.
Albi	Frigidæ Complexionis.
Fulvi	Ingeniosi, audacis, magnanimi.
Flavi	Ingeniosi, biliosi.
Cœrulæi	Animosi, benè videntis optimi.

Nares & Labia 8	
Nares cum pinnulis crassis	Pigri.
cum foraminibus patulis	Iracundi, sed facilè placabilis.
Oblongæ acutæ	Iracundi, contentiosi.
Nasus rotundus & in extremis obtusus	Iracundi, magnanimi.
Longus & ad os protensus	Sagacis odoratûs.
Parvus	Obtusi odoratûs, servilis, inconstantis.
Rubens valdè	Caloris magni in hepate.
Aduncus	Magnanimi, aut impudentis.
Simus	Intemperantis, luxuriosi.
Superiori parte densus	Stupidi.
Concavus superius in cartilagine	Lascivi.
Labia rubentia	Puritatis sanguinis
Non rubentia	Impuritatis.
Exporrecta	Cogitabundi.
Crassa	Segnis, pigri.
Humilia in ore parvo	Timidi.
Inferius ab ore dependens	Inertis.
Superius prominens	Iracundi, facilè convitiantis ac maledicentis.

Est speculum mentis facies, oculiq; revelant,
Quales sint intus mens animusque viri. *Martialis.*

Os, Den-

Os, Dentes, Lingua, Mentum 9	
Os magnum	Audacis & intemperantis.
Parvum	Timidi, minus comedentis.
Hians apertum	Stupidi ac stolidi.
Dentes rari pauciores quàm 32	Vitæ brevis.
Multi, validi ac solidi	Vitæ longæ, hominis robusti.
Fortes, acuti, longi	Gulosi, fortis, audacis, magnæ iræ.
Plus æquo vacillantes	Ægri capitis.
Lingua subtilis, acuminata	Sagacis, ingeniosi.
Grossa	Rudis ingenii.
Crassa	Brevis vitæ.
Longa, lata, rubicunda	Bonorum humorum.
Alba	Corruptorum humorum.
Mentum acutum, subtile	Audacis, ingeniosi, iracundi.
Bipartitum	Boni temperamenti.
Subquadratum	Optimum in viris.
Subrotundum	Optimum in fœminis.

Vox & Barba 10	
Vox gravis & intensa	Fortis, magnanimi.
Acuta & remissa	Pusillanimis.
In principio gravis, in fine acuta.	Queruli, calamitosi.
Acuta, blanda, compta	Cynædi, effœminati.
Blanda & debilis	Mansueti.
Acuta & valida	Edacis.
Barba copiosa	Crassi humoris, fortis, audacis, ad libidinem proclivis.
Citò proveniens	Valdè calidi & humidi.
Rara	Defectus in frigore nimio, aut calore nimio.
Tardè proveniens	Valdè frigidi, aut nimis calidi.

Vina parant animos faciuntque caloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente Deo. *Ovid. de Arte amandi.*

Collum, Cervix, Humeri, Claviculæ, Scapulæ 11	
Collum carnosum, crassum plenum	Animosi, iracundi.
Tenue, prolixum	Timidi.
Breve	Voracis.
Plenum, rotundum	Manduconis.
Cervix pilosa	Liberalis.
Brevis, angusta	Obnoxii Apoplexiæ.
Oblonga & crassa	Magnanimi.
Breviuscula	Insidiatoris.
Pertenuis & prolixa	Timidi.
Humeri lati, magni, distantes	Fortis.
Laxi	Infirmi, timidi.
Inæquales	Phthisici.
Benè soluti	Robusti, fortis.
Claviculæ agiles	Acuti sensus.
Difficulter mobiles	Insensati, obtusi ingenii.
Scapulæ latæ, magnæ distantes	Liberalis.
Strictæ contractæ	Illiberalis.

Dorsum, Metaphrenum, Pectus, Brachia 12	
Dorsum magnum, amplum	Robustissimi.
Parvum	Imbecillis.
Pilosum	Melancholici.
Angustum, imbecillum	Mollis, effœminati.
Metaphrenum magnum carnosum	Robusti.
Curvum	Malè morati, vafri, astuti, fraudulenti.
Eminens	Gloriosi, superbi, jactabundi, elati.
Mediocriter constitutum	Benè constituti, boni.
Pectus amplum ac pilosum	Valdè calidi.
Gracile	Pusillanimis.
Carnosum	Rudis, timidi.
Rubescens	Difficilis iræ.
Brachia ossata	Robusti.
Valdè longa	Calidi, robusti.
Carnosa	Mollis.
Pilosa	Lascivi, libidinosi.

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret;
Et mala prorumpet furtim fastidia victrix. *Horat. lib. 1. cap. 10.*

Manus 13	
Manus carnosæ	Copiosi humoris.
Duræ	Hebetudinis sensuum & intellectus.
Molles	Vivacitatis, solertiæ.
Subtiles, longæ	Timiditatis.
Magnæ, articulatæ, nervosæ	Robusti, validi, vivacis, benè temperati.
Parvæ, graciles	Timidi, imbecillis.
Crassæ & breves cum parvis digitis	Pinguis, obtusi, hebetis.
Pilosæ	Feri, agrestis, luxuriosi, calidi.
Ardentes	Intemperiem indicant.
Complanatæ sine lineis penè	Debilis, corporis malè affecti.
Manuum lineæ longiores, productiores, profundiores	Longioris vitæ, boni temperamenti.
Breviores	Brevioris vitæ.
Profundæ, amplæ, rectæ, altæ, benè expressæ	Sanitatis, valetudinis, roboris.
Tenues, abruptæ, concisæ	Imbecillitatis, infirmitatis.
Splendentes rubentes	Ardoris jecoris, abundantiæ sanguinis, audacis, robusti.

Costæ, Lumbi, Venter, Coxæ, Crura, Pedes 14	
Costæ magnæ apparentes	Fortis.
Parvæ	Loquacis.
Lumbi compacti egregiè & firmi	Fortis, oblectantis venatione.
Tremuli	Luxuriosi valdè.
Venter amplus, non tamen tumens aut prominens	Fortis, robusti.
Obesus	Fortis & libidinosi.
Pilosus	Garruli, libidinosi.
Coxæ osseæ	Robusti, validi.
Carnosæ	Mollis, timidi.
Graciles	Libidinosi.
Valdè tensæ	Celeris in cursu.
Crura gracilia & nervosa	Libidinosi.
Parva	Timidi.
Cum suris deorsum contractis	Fortis.
Sursum deductis	Prægnantis, timidi.
Pedes agiles	Ingeniosi, vivacis.
Exigui	Mollis.
Infra plani	Versuti.
Magni	Valdè calidi.

Nec species sua cuique manet, rerumq; novatrix:
Ex aliis alias reparat Natura figuras. *Ovid. l. 15. Metam.*

Corpus externum 15	
Corporis validi ac robusti signa	Pili duri. Ossa & costæ magnæ. Extrema corporis magna, dura & robusta. Collum breve, carnosum. Cervix erecta & dura. Capitis posterior pars alta, magna & elevata. Frons dura, brevis, acuta, cum crassis capillis. Pedes magni, crassi magis quàm longi. Vox dura, inæqualis clangens. Complexio cholerica.
Corporis imbecillis ac debilis signa	Caput parvum sine proportione. Dorsum parvum. Caro nimium mollis. Complexio melancholica.

Vita 16	
Longæ vitæ signa	Dentes multi ac solidi. Temperies sanguinea. Statura mediocris. Lineæ manuum longæ, profundæ, rubicundæ. Corpus magnum. Humeri incurvi. Pectus latum & amplum. Caro solida. Color nitens. Accretio tarda. Aures amplæ. Palpebræ magnæ. Inferior pars umbilici æqualis superiori.
Brevis vitæ signa.	Lingua crassa. Molares ante pubertatem. Dentes rari, debiles & inordinati. Lineæ manuum minùs distinctæ. Accretio festina & pauca. Inferior pars umbilici major superiore. Temperies melancholica.

Omnia deficiunt, animus tamen omnia vincit;
Ille etiam vires corpus habere facit. *Ovidius.*

Ingenium

Ingenium 17	
Boni ingenii Signa	Caro mollis Cutis subtilis Statura mediocris Oculi cœrulei aut flavi Color candidus Capilli plani & mediocriter duri Manus longæ digiti longi Aspectus mitis Supercilia conjuncta Risus modicus Frons exporrecta Tempora modicè concava Caput habens figuram mallæi.
Hebetis & mali ingenii Signa.	Collum, brachia, lumbi, costæ valdè carnosæ Caput Sphæricum Occiput cavum Frons magna, carnosa Oculi pallidi Aspectus hebes Articuli pusilli Nares obstructæ Aures arrectæ Risus multus Manus breves Pupillæ latæ Caput nimis parvum aut nimis magnum sine proportione. Labia crassa Digiti breves Crura carnosa.

Animus 18	
Animi fortis Signa	Mentum acutum Os magnum Vox canora, gravis, lenta & semper æqualis. Figura erecta Oculi cæsii, mediocriter aperti, immobiles Rari fletus Capillus supra frontem erectus Caput mediocriter compressum Frons quadrata eminens Extrema corporis robusta & magna Cervix firma, nec adeò carnosa Pectus latum, corpulentum Color squalidior.
Animi audacis Signa	Os exertum Vultus horridus Aspera frons Supercilia arcuata Nasus longior Dentes longi Breve collum Brachia longiora Pectus latum Humeri elevati Aspectus torvus.
Animi prudentis Signa	Caput ad latera compressum Longa frons, quadrata, in medio subcava, Vox lenis, Pectus latum, Pili tenuiores, Oculi magni, cærulei, fulvi, nigri, Aures majores aliquantulum, Nasus aquilinus.

Non oculis opus est Lyncis, Momique specillis:
Ipsa foras per se graditur dum Mentis imago.

Virtutes Animæ 19	
Virtutis memorativæ sive bonæ Memoriæ Signa	Superiora minora inferioribus, pulchra benè formata non pinguia, sed carne vestita, Caro tenuis & mollis, Extans Occipitium, Nasus incurvus, aduncus, Denres minimè rari, Aures magnæ, sed copia cartilaginis.
Malæ memoriæ Signa	Superiora majora inferioribus, carnosa, Caro persicca, Calvities.
Boni Judicii sive bonæ virtutis judicativæ Signa.	Occiput, sinciputque protensum, mediocre & mensuratum, Longa frons, quadrata, in medio subconcava, Pili tenuiores, Nasus aquilinus.
Bonæ imaginationis.	Frons prominens, longa & lata, intentus obtutus.
Cogitativæ aut discursivæ interius.	Frons caperata, vel in medio sui elevata, Respiratio non adeò frequens, Collum incurvum, intentus obtuctus.

Sensus Externi 20	
Optimi visûs Signa	Cilia nigra, densa, recta, palpebræ magnæ, crassæ pupillæ parvæ, oculi concavi & intus retracti.
Hebetioris visûs	Cilia revulsa, procidentia obliquata, palpebræ tenuiores & breviores, pupillæ magnæ, oculi prosilientes, Somnus multus.
Optimi Auditûs	Auriculæ magnæ & benè imbricatæ, pilosæ, spiritus valde puri, Auris sonans velut cornu.
Boni odoratus	Nares temperatæ, Nasus longus ad os protensus, Nares non nimis humidæ neque nimis siccæ.
Boni Gustûs	Linguæ pellicula spongiosa & porosa, item mollis rara ac salivali humiditate in statu naturali semper imbuta. Temperamentum linguæ calidum & humidum.
Boni Tactûs	Cutis membrana ac caro mollis, Nervi vegeti. Temperamentum partium moderatè calidum ac magis siccum, quàm aliarum partium.

Naturæ sequitur semina quisquè suæ   *Prop. lib. 3. eleg. 8.*

Passiones	21
Iracundiæ Signa	Figura erecta Color rutilus Vox gravis Nares patulæ Tempora, venosa, humida Collum crassum Ambidexteritas Cursus contentus Oculi sanguinei Dentes longi, inæquales & inordinati Complexio Cholerica.
Timiditatis Signa.	Occiput cavum Color pallidus Oculi imbecilles, crebrò nictantes Pili molles Lumbi imbecilles Collum longum, gracile Pectus depile, carnosum Vox acuta, tremula Os parvum, rotundum Labia paria Manus longæ subtiles Pedes parvi, inarticulati.
Tristitiæ Signa	Facies rugosa Oculi demissi Supercilia conjuncta. Incessus tardus Obtutus fixus & intentus Respiratio non adeò frequens.

Passiones	22
Amoris signa	Facies alba, macra Capillitium pilosum Tempora pilosa Frons protensa, serena, oculi gratiosè & diffusè intuentes, splendentes limi. Nasus simus Dorsum angustum, imbecillum Brachia & manus pilosæ Crura gracilia & nervosa.
Lætitiæ	Frons Serena, tranquilla, exporrecta, Facies rosea, amæna Vox garrula, concinna, dulcis Corpus agile Caro mollis.
Invidiæ	Frons rugosa, caparata Intuirus obliquus, demissus Facies tristis, pallida Cutis sicca, aspera Ossa dura.
Audaciæ	Corpus parvum Capillus rufus & durus, facies flavescens aut rufa frons quadrata: torva supercilia conjuncta, arcuata Oculi volubiles, fulvi aut cærulei Os magnum Mentum acutum, subtile Barba copiosa Lineæ manum rubentes.

Heu mihi difficile est, imitari gaudia falsa
Difficile est tristi, fingere mente jocum
Nec benè mendaci risus componitur ore
Nec benè sollicitis ebria verba sonant. Tibullus.

Virtutes Morales	23
Mansuetudinis Signa	Caro mollis & humida oculi sæpè clausi motus tardior vox tardiloqua capilli molles, plani & flavi.
Verecundiæ	Oculi humidi, non valdè aperti, conniventes & mediocres. Genæ rubentes Motus moderati Tarda loquela & submissa. Corpus inclinatum Aures rubentes, purpureæ
Temperantiæ	Anathelitus temperatus spatium à ventre ad summum pectori, ei æquale quod est à summo pectore ad clavem colli. Os neque extensum, neque planum Temporæ depilia Oculi mediocres, flavi aut cærulei Venter succinctus.
Fortitudinis	Capillitium rufum, durum Corpus parvum Oculi fulgentes, parùm depressi Vox gravis & intensa barba copiosa Humeri lati, magni Dorsum magnum, amplum.

Vitia	24
Signa superbiæ	Supercilia arcuata Os magnum, tumens Palpebræ valdè apertæ Latum pectus Gressus tardus Collum erectum Humeri vibrati Oculi salientes.
Libidinis	Color rubeus, aut subpallidus. Tempora hirsuta Calvities Oculi pingues Collum grossum Facies magna Nasus magnus Venter pinguis. Pili palpebrarum decidentes Manus pilosæ.
Loquacitatis	Mentum oblongum. Digiti longi. Lingua acuta. Oculi subrubei. Labium superius prominens. Venter pilosus. Nasus in extremitate acutus.
Pertinaciæ	Frons alta Collum firmum, breve, immobile, crassum. Loquela velox. Risus immodicus Oculi sanguinei. Manus breves carnosæ. Digiti mutili.
Impudentiæ & inverecundiæ	Oculi aperti, ignei, rubei. Acutè intuentes. Frons circularis. Facies rotunda. Rufa, Thorax gibbosus. Risus altus. Nasus crassus.

Tam pudor accendit mentem, nec conscia fallit
Virtus pressa loco — — — Silius Italicus.

Atque

Atque hæ sunt tabulæ, quarum ope quilibet facilè Physiognomiam naturalem addiscere & probabiliter solùm de hominum quorumlibet vitiis ac virtutibus, Animi passionibus, moribus & quibuslibet propensionibus ex signis ac notis externis dijudicare poterit; exactè autem certum quid concludere de facto, vel operatione non valebit: Nam educationis, disciplinæ, studii, habitationis, societatis, ætatis, ac consuetudinis vis magna est ad inclinationes tollendas. Unde benè scripsit *Seneca* de moribus. *Educatio & disciplina mores facit, & id sapit unusquisque, quod didicit. Itaque bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit*; *benè docet loqui, benè docet facere.* Uti exemplo comprobavit *Socrates*. Cum enim, ut refert *Cicero 3. Tusc. quæst. Zopyrus* quidam, qui se profitebatur ex habitu corporis & oris lineamentis posse hominis ingenium certè deprehendere, inspecto *Socrate* pronuntiasset illum esse hominem bardum ac stupidum, tum mulierosum, ac puerorum amoribus deditum, impurum, violentum, & intemperantē: Cum Amici hoc audientes vehementer essent indignati, *Socrates* illos cohibuit dicens: *nihil* inquit, *mentitus es*; *omninò talis eram futurus, nisi me Philosophiæ gubernandum tradidissem.* Undè clarè patet; licet quis ad aliqua naturaliter inclinatus sit, quod tamen rationis loro, libertatis usu, aliarumque qualitatum indicatarum adminiculo se cohibere ab actu & operatione queat.

Physiognomiæ incertitudo.

Exemplum.

Sed, quod negligendum non est; possunt præcedentes etiam tabulæ insigniter instruere pictores, statuarios, sculptores & quosvis Artifices, qui ad vivaciter exprimendas humani corporis imagines operam impendunt. Multùm enim confert scenas ad Naturæ Exemplar proponere, Historias graphicè ita depingere, quasi simul Animi vis & intus abdita virtus oculari inspectione penetretur. Quocirca benè *Kircherus de luc. & umb. lib. 2. part. 2. in Arte Scenographica* inter alias regulas pictorias hanc quoque quartam præscribit his verbis: *Discant* (ait pictoribus) *Physiognomiam corporis humani, qualitatesque hominum quos adumbrare cogitant, summo studio addiscant, ut corpus forte & validum à molli, tenero & debili; virile à Juvenili, Gigantis à Nani distinguere sciant; vivacitatem à tristitia, iram à mansuetudine, tristitiam à luctu, cæterasque passiones virtutibus contrapositas, prout illum docebunt historiarum circumstantiæ lineamentis, umbris, luceque exprimere studeant. Mortuorum quoque à vivis, dormientium à vigilantibus discrimen observandum est.* Ita ille. Potuissem his annectere Metoposcopiæ ac Chyromantiæ compendiosam tractationem: sed quia in eis nihil soliditatis Physicæ, & meram tantùm vanitatem video, consultò prætereo, & ad alia me confero, subnexâ tantùm adhuc tabulâ de signis salutis & mortis ex qualitatum corporis mutatione, undè de infirmorum statu facilè judicare quis poterit.

Physiognomia utilis pictoribus & sculptoribus.

TABULA Signorum Salutis & Mortis ex corporis infirmi inspectione.

Corporis Partes.	Sig.	Signa bonitatis aut Malignitatis ad Salutem vel mortem.
Corpus.	B.	Totum æquè calidum & molle, sano haud multum dissimile. Color ab ictero criticè in febribus mutatus.
	M.	In morbis non se mutans; in acutis inflatum, bellè comedens, & nihil proficiens. Ægrè mobile.
Facies.	B.	Similis benè valenti.
	M.	Coloratior, incensa cum sudore: multum mutata, ut si nasus acutus, oculi cavi, adstricta tempora, Aures frigidæ, contractæ, fibræ earum inversæ, cutis circa frontem dura, intenta, arida, color viridis aut niger.
Oculi.	B.	Similes benè valentibus, pleni splendidi, clari, benignè intuentes, sine modestia lumen ferentes, palpebras rectè aperienres & claudentes sine lachrymis & excrementis, Album eorum valdè purum & clarum.
	M.	Caliginiosi, illachrymantes, fixi, distorti, in somno non benè clausi, continenter conniventes. Album eorum rubescens, lividum nigris venis retortum. Lucis impatientes, cavi, vehemens eorum expressio, splendoris elisio. Cilia retorta, nil videntes; Cornei & corrugentes Mortis propinquæ signum.
Nasus.	B.	Plenus, carnosus, rectus.
	M.	Acutus, retorrus, pruriens.
Aures.	M.	Frigidæ, nigræ, lividæ, pellucidæ, contractæ.
Dentes.	M.	Glutinosi præter consuetudinem. Siderario dentis cum delirio, Mortis Signum.
Lingua.	B.	In acutis sanorum similis.
	M.	Frigida in Febribus, tremula, viridis, nigra, livida, ex virore pallescens; valdè sicca, spissa, scabra, aspera, dura.
Fauces.	M.	Exulceratæ in acutis, dolentes sine tumore, pusilli & strangulantes, inrortæ, ut vix deglutire quid possint.
Hypocondria.	B.	Mollia, æqualia, sine dolore.
	M.	Inflammata, distenta, inæqualia, pulsantia, dolentia.
Exrremitates Corporis.	B.	In Febribus non intermittentibus algentes cum interno ardore & siti.
		Caput, pedes, manus frigidæ: venter verò est contrà & larera calentia. Digiti & ungues lividi cum corporis gravitate signum Mortis propinquæ Testiculi & genitalia retracta. Fœtores ex toto corpore.

CAPUT

CAPUT IX.

Homines corporis formâ & habitudine exoticâ mirabiles in diversis Geocosmi locis & temporibus comparentes recensentur.



Agna planè & admiranda varietas est hominum in corporis formâ & habitudine à capitis nempè, oris, aurium, nasi, oculorum, pedum, aliorumque membrorum, ac etiam totius staturæ & corporis diversitate desumpta; Unde etiam diversa sortiuntur nomina. Sunt enim nonnulli majoribus labris præditi, & vocantur *Labeones*: alii tumidioribus buccis, & dicuntur *Buccones*: alii fronte prominentiore & appellantur *Frontones*. Quidam vocantur *Bronci*, quia sunt ore producto & dentibus prominentibus: alii *Mattici*, quia magnas habent malas & os patens. Alii nominantur *Fenestellæ*, quia sunt capite calvo: alii *Achyli*, quia carent labris: alii *Anci*, quia brachium habent aduncum, quod exporrigi non potest: Alii *Acyloglossi*, quia linguam habent membranulis quibusdam duriusculis adstrictam. Alii *Atypi*, qui non habent expeditum linguæ usum, ut intelligi probè possint: Alii *Hossimi* vocantur, qui sine naribus sunt, quarum tamen loco foramina quædam habent: Ratione visûs alii sunt *Myopes*, qui abbreviatum habent illum, nec ad magnam distantiam videre queunt. Alii *Presbytæ*, qui ægrè propinqua, bellè verò vident longius remota: Alii *Lusciosi*, qui in luce parum vident. A hirsutie capillorum quidam vocantur *Capellæ*; alii qui crura habent obtorta, suntque pedibus incurvis, & in se contractis, vocantur *Vari*: alii ab iracundiâ & oris torvitate vocantur *Cottæ*: alii ab aduncitate nasi dicuntur *Epigryphi*: Alii *Gutturosi* dicuntur ab intumescente gutture: alii *strumosi* à propendentibus è collo strumis: Alii *Halæ* à fœdo oris halitu: Alii *Monogrammi* à tenuitate & macredine corporis: Alii *Nervæ* à fortitudine nervorum: Alii *Obstipi* à brevitate colli, ejusque in humerum inclinatione: Alii *Petauri* à corporis per circulos se immittentis agilitate. Alii *Varicosi* à venis plus æquo intumescentibus. Ratione pedum alii diversa sortiuntur nomina, uti *Pansæ* à latitudine pedum: Alii *Plauti* à planitie pedum; Alii *Scauri* ab eminentibus talis: alii *Vaccii* à pedibus extrorsùm obtortis, alii *Valgi* à suris in diversum actis: vocantur alii pluribus aliis nominibus ab aliâ corporis forma, & habitudine: ut *Capitones, Nasones, Silonæ, Simones, Flacci, Strabones, Pæti, Contvoli, Macrini, Lipsades, Athletæ, Mutii, Balbi, Bombaliones, Thartaliæ, Pselli, Longimani, Sedigiti, Scevolæ, Mancini, Planci, Plotii, Varones, Hirci, Coxones, Compernes, Calvi, Bruti, Ruffi, Nigri, Fusci, Bestiæ, Byrrhiæ, Belpharones, Falcones, Cicerones*, & plures hujusmodi alii, de quibus omnibus planè discurrere nimis foret prolixum. Unde nomina hæc ipsa tantùm retulisse sufficiet. Alii tamen restant homines, qui insuetâ magis, eâque exoticâ corporis figura, aut magnitudine præditi majorem inducunt admirationem, de quibus rariora quædam exempla Curioso Lectori proferre libet.

§. I.

Gigantum & exoticæ magnitudinis hominum exempla ac testimonia ex variis scriptoribus.

1. Gigas communiter dicitur de homine Staturæ & molis suprà communem aliorum hominum magnitudinem extensæ. Sicut Nanus de homine infrà communem aliorum hominum magnitudinem staturæ brevis aut parvæ. Hinc Poëtarum quidam canit: *Gigantes fuisse ex S. Scriptura constat.*

Monstra Gigas, Nanusque duo contraria formis;
Vir Gigas immanis; Nanus inanis homo.

Verè autem tales homines, qui proceritate & mole corporis alios longè præcellerent, semper esse datos, non tantùm ex S. Scripturæ testimoniis abundè constat; Sed etiam temporum quorumlibet Scriptores declarant. De Gigantibus antè diluvium mentio fit *Gen. cap. v. 4.* his verbis: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis*: post diluvium primus Gigas videtur fuisse *Nemrod*, ut patet *Gen. cap. 10. v. 8. & 9.* & *Deutron. cap. 2. v. 10.* de Moabitis dicitur: *Emim primi fuerunt habitatores ejus: populus magnus & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe quasi gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enacim. eod. cap.* de terrâ Ammonitarum cùm Scriptura loquitur *v. 20. & 21.* Gigantum meminit. Et rursum *eod. libro cap. 3. v. 11. Og Rex Basan* de stirpe Gigantum fuisse memoratur, ejusque lectus describitur apud *Amos cap. 2.* Amorrhæus indicatur, cujus altitudo erat tanquam cedri, & robur ut quercus. *Josue cap. 14. & 15.* memoratur *Arba* gigas maximus Pater *Enaqui. Lib. 1. Reg. cap. 17.* describitur *Goliath* Gethæus Palæstinus, qui singulari certamine à *Davide* ictu fundæ prostratus interiit. *2. Reg. c. 21. Jesbi-benob* gigas & alius ibidem *Saphus* Gigas à *Sobochæo*, Husathensi *Davidis* Regis milite apud *Gob* interfectus narratur. Omitto alia Scripturæ loca, cùm hæc sufficiant.

2. Inter veteres Authores *Plinius Hist. nat. lib. 7. cap. 16.* narrat in insulâ *Cretâ* sive *Candiâ*, à motu terræ in imum descissâ humo inventum esse cadaver 16 cubitorum *Gigantum cadavera in Creta repertâ.*

torum longitudine, quod aliqui *Orionis*, alii *Oti* fuisse arbitrati sunt. *Solinus* Historiographus *cap. 5.* refert tempore belli Cretensis post inundationem hominis cadaver 33 cubitorum, sivè, quod idem est, 49½ pedum in arenâ repertum esse. Hujus ergò faciem juxta proportiones suprà declaratas 5 pedum fuisse necessum est.

Ossa Gigantis in Lydia. 3. In superiori Lydia haud magna videtur Urbs, quæ *Temeni porta* dicitur: ibi ambeso tempestatibus sepulchro *Adriano* imperante ossa fuerunt detecta, quæ nisi humanorum ossium figuram retinuissent, propter magnitudinem, nemo ea hominis fuisse ut crederet, adduci facilè potuisset. *Pausanias in Att. Hylli Terræ* filii fuisse scribit.

Dentes gigantum notabilis magnitudinis. 4. Narrante *Apollonio Grammatico Neronis* ætate, cùm ingens terræ motus multas Asiæ Urbes prostravisset; & in Sicilia quoque multæ Urbes ac loca, comprimis *Rhegio* vicina corruissent, terra disrupta ingentia cadavera in conspectum produxit: dens verò uni exemptus pedis mensuram non modò attigit, sed & superavit. Undè vastam totius corporis molem facilè conjicere licet. *S. Augustinus* quoque *lib. 15. de civit. cap. 8.* asserit, se vidisse in littore *Uticensi* molarem hominis dentem tantæ magnitudinis, ut centem dentes nostræ ætatis hominum facere potuisset.

Pori & Gangis magnitudo. 5. *Porum* Indiæ Regem ab *Alexandro* devictum quatuor cubitos palmo excedentem ob egregii corporis eminentiam & molem, elephanto, quo vehebatur, quantumvis fuerit grandis equitis portione respondisse narrat *Plutarchus in Alexandro*. Et *Ganges* Rex Æthiopum ab *Alexandro* occisus statura decem cubitorum fuisse perhibetur *Suida* teste.

Antæi cadaver. 6. In Dalmatiæ quadam speluncâ, quæ *Dianæ* dicitur, ut *Phlegon* tradit *de mirabil. & longævis*, videre licuit multa corpora, quorum costæ 16 ulnas excedebant.

7. De *Antæo* illud quoque mirabile apud *Strabonem lib. 7. & Plutarchum in vitâ Sertorii* legitur. Etenim dum *Sertorii* jussu ejus sepulchrum perfossum & demolitum fuit, repertum est in eo cadaver 60 cubitorum. Obstupuit Imperator, & instaurato monumento nomen ejus famámque adjunxit.

8. In *Bosphoro* Cimmerio scribit *Theopompus Sinopensis lib. de Terræmotibus*, subitâ terræ concussione quendam colliculum dissiluisse, ejectaque fuisse ingentia ossa, ita ut compage eorum in morem humani corporis composita, longa ea fuerit 24 cubitos, quæ deinde in Mœotidem paludem ab accolis injecta fuerunt.

Ajacis corpus. 9. *Ajacis* corpus tantæ molis à *Pausania* & *Nicephoro lib. 12. cap. 37.* refertur, ut unum os pedis ejus pro lanceâ esset usui, & ipse pedis ejus talo pro disco uteretur.

10. Tradit *Joannes Bocacius in Genealog.* suâ ætate rusticos quosdam in Sicilia propè *Drepanum* fodientes incidisse in gigantis cujusdam cadaver, quod lævâ contum teneret navis cujusdam malo majorem; quo in cineres, ut fieri solet, statim soluto, plumbum, quod conto inerat, plusquàm mille & quingentas libras excessit, dentes libras novem, cranii verò pars multa frumenti modia excepit, undè supputatione factâ credit totum ad ducentos cubitos extensum, & *Poliphemi* fuisse.

11. *Maximinus* Imperator adeò procerus fuit, ut calceamentum ejus quidam in loco, qui est inter *Aquilonem & Ariciam* memoriæ causâ posuerint, quod constat pede majus fuisse hominis vestigio. Unde etiam vulgò de longis & ineptis hominibus dici cœpit: *Caliga Maximini*. Idem Uxoris dextrocherio (id est ornamento brachiorum) pro annulo utebatur. Maximini proceritas.

12. In Regno Helsingorum ut tradit *Saxo Grammaticus lib. 7.* Gigas fuit *Hartbenus* nomine, novem cubitos longus, habuitque duodecim Athletas contubernales quorum insignis proceritas dimidio inferior videbatur. Hartbeni magnitudo.

13. *Henrico III.* imperante Anno salutis 1028 corpus Giganteæ molis incorruptum in sepulchro *Romæ* inventum est; quod erectum Urbis mœnia superavit: in cujus pectore ut inquit *Nauclerus*, vulnus fuit quatuor pedum & dimidii: ad caput verò facula ardens, epitaphiumque præterea ejusmodi inscriptum. Corpus Gigantis Romæ repertum.

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo jacet hic.

14. Sub *Carolo VII* Gallorum Rege in montana Narbonensis Galliæ parte juxtà *Valentiam* Urbem Rhodanus sepulchrum detexit, in quo inventa sunt hominis ossa, ex quibus dimensionem triginta pedum ejusdem staturæ colligere licuit. *Fulgosus lib. 1. cap. 6.* Ossa Gigantis in Gallia Narbonensi reperta.

15. In Peruviana Americæ regione *Trugillio* non procul Gigantum ossa immanissima reperta testatur *Joannes Metellus*: inter hæc dentes trium digitorum crassitudine, latitudine quatuor fuisse memorat. *Josephus à Costa lib. histor. Ind. cap. 19.* tradit in *Peruviâ* reperiri Gigantum ossa, quos ter majores nobis fuisse manifestum est. Ossa Gigantum in Peruvia.

16. In Assyriorum agro *Orontis* fluvii præruptam rimam Ariadnis viri Æthiopis sivè Indi (ut quidam dixerunt) cadaver 30 cubitorum magnitudine in lucem edidisse; & in speluncâ *Segei* montis deprehensum Gigantis cadaver duorum & viginti cubitorum: in *Lemno* etiam Gigantis cadaver cum calvariâ plusquam duarum amphorarum cretensium capace à *Menecrate* Stirensi repertum *Philostratus in Heroicis* commemorat.

17. Memorat *Aventinus lib. 4. Annal. Bojorum Carolum Magnum* Imper. habuisse Gigantem, *Ænotherum* nomine in exercitu suo ortum ex *Durgia* pago Sueviæ, qui Venetos Avaresque hostes in modum fœni demetebat, & in modum avicularum hastâ velut cuspide fixos humeris suspendebat. Ænotherus Gigas.

18. Anno 1171 ossa cujusdam gigantis in Anglia alluvione detecta fuisse, cujus longitudo fuerit 50 pedum, refert *Sigebertus*.

19. Ad *Juliam Cæsaream* in Africâ effossam aliquandò fuisse calvam ambitu 12 Spithamarum Authore *Marchio* recenset *Fortunius Licetus*.

Juvenis miræ proceritatis.

20. Post victoriam, quæ sub *Ludovico* Rege ad *Laudam Pompejam* obtenta fuit, *Mediolani* in nosocomio Juvenis tantæ proceritatis visus est, ut stare non potuerit eodem Liceto memorante: neque enim poterant à naturâ satis cibi & alimenti ad crassitudinem roborisque suppeditari. Unde continuò jacens explevit lectos duos simul junctos.

21. *B. Odoricus* Uticensis in Secunda itineris sui ad Indos descriptione testatur se vidisse in Curia *Magni Cham* Gigantem altitudinis 20 pedum. *Melchior Nugner in lit. Ind.* scribit, in regia urbe *Pequin* Chinensis regni portarum Custodes esse giganteæ staturæ quindecim pedum.

22. *Olaus M.* Episcopus Upsalensis *in hist. Septentr.* celebrat maximè *Rollonem* & *Starchaterum* procerrimæ staturæ, viriumque robustissimarum gigantes.

23. E regione *Valentiæ* Allobrogum in torrente, qui rigat pagum *D. Perutii* regnante in Galliâ *Ludovico XI* Gigantis cadaver effossum esse stupendæ, & inusitatæ magnitudinis, quæ scilicet, ut ex variis ejus picturis atque ossibus deprehendi potuit ad 18. pedes accederet, tradit *Cælius Rhodigin.*

Lusitanus Gigas fortissimus.

24. Narrante *Fortunio Liceto in lib. de spont. rer. ortu Venetiis* aliquando visus est Lusitanus Gigas vastissimus adeoq; robustus, ut alligatis utrique brachio funibus, quos in oppositum 12 bajuli, utrinque scilicet sex omni suo conatu traherent: diducta verò brachia sensim ad pectus invitis & contranitentibus illis trahebat stans immotus, quæ manibus gestabat, poma imperturbatus per notabile temporis spatium comedebat sudantes bajulos & manus ab ore frustra divellere tentantes irridens.

Gigas miræ voracitatis.

25. Anno Chr. 1511 teste *Surio* vir giganteæ magnitudinis ex Poloniâ oriundus *Maximiliano* Cæsari oblatus fuit, qui & pro magnitudine corporis cibo eidem proportionato utebatur, ac singulis prandiis vitulum & ovem absumebat. Similis etiam *Ferdinando II.* Cæsari in Comitiis Ratisbonensibus Anno 1623. exhibitus fuit.

26. Anno 1516 in agro, cui *Gibilo* nomen est, propè *Mazarenum* oppidum cadaver hominis staturæ cubitorum circiter viginti ligonibus erutum est: caput fuit instar dolii, dumque rudiùs attrectatum fuit, illico in pulveres abiit, molaribus solùm integris relictis, quorum quilibet Unciarum 5. podus appendit.

Gigas 18 cubitorum.

27. Anno 1547 in agri Panormitani quadam specu à *Paulo Leontio* nitrum ibidem effodiente repertum est cadaver hominis 18 cubitorum, quod incautius attrectatum in cineres concidit molaribus solùm dentibus integris relictis, quorum singuli quatuor unciarum pondus confecerunt. Similia alia hujusmodi cadavera *Syracusis*, *Calafrati*, *Petraliæ*, aliisque Siciliæ locis reperta testatur *Fazellus Decad. 1. lib. 1. c. 4.*

Sceletum Lucernense.

28. Anno 1577 ut tradit *Cysatus*, in Comitatu *Willisaw* Lucernensis Jurisdictionis sub annosa quercu repertum fuit Sceletum Gigantis vastæ magnitudinis, quod in Prætorio Lucernensi apud Helvetios hodiedum asservari dicitur.

29. In Cretæ insulæ loco subterraneo, ubi *Dedali* Labyrinthus constructus fuisse creditur, ab oculato teste *Joanne Sommer* ad annum 1590 visæ sunt inter alia mira etiam ingentes calvariæ & ossa longissima, quæ gigantum illic locorum aliquando habitantium fuisse memorantur.

30. *Antonius Pigafetta* apud *Majolum colloq. 2. & Jonstonum in Thaumatol. class 10. cap. 4. art. 1.* testatur visum à se Gigantem apud *Cunibales*, qui suprà nostrates homines à cingulo emineret. *Idem* scribit ad Fretum Magellanicum se vidisse giganteos populos quorum cervix ad brachii dimidium longitudine protendebatur. *Argensola* etiam apud *Nierenberg. lib. 5. Hist. Nat. cap. 1.* testatur *Petrum Sarmientum*, cùm Magellanicos exploraret sinus occurrisse gigantibus cepisse unum & cæteros fugasse.

Gigantes quinque ulnarum cum vultu canino.

31. In expeditione, quam *Joannes Alvarez Maldonatus à Cuzeo* instituit, ut novas exploraret terras: tradit *Petrus Simon* inventos fuisse gigantes quinque ulnarum penè canino vultu, rostro, & dentibus acuminatis ac productis: occisum unum utroque sexu monstrosum, tectum fulvo, raro, nec prolixo pilo.

32. Eodem referente *Simone*, cùm villa quædam PP. Societatis Jesu ædificaretur, quatuor â *Mexico* leucis in cœmiterio reperta fuêre ossa gigantum & dens molaris humanæ manui contractæ, seu pugnò æqualis.

Fœminæ magnitudinis insolitæ.

33. Ex Bertio in descript. Zelandiæ refert *Jonstonus in Thaumatol. â Guilielmo Bono Hollandiæ* Comite ad nuptiarum solemnia *Caroli pulchri* Franciæ Regis adductum fuisse insusitatam corporis mole fœminam, natione Zelandam, præ qua proceri etiam viri pusiones videbantur: Talis etiam è Saxonia adducta fœmina paucis ab hinc annis raritatis & miraculi causâ per nostram Franconiam ducta fuit, & ob insolitam magnitudinem multùm à suis spectatoribus collegit pecuniæ.

Marduchi Gigantis ossa.

34. In speluncis *Calabriæ* juxtà urbem *Consentinam* ossa gigantis cujusdam reperta fuisse testatur *P. Lucas Mandellus Ord. S. Aug. in ep. ad P. Kircherum* eam ob causam data: quam etiam refert in *Mund. Subterr. lib. 8. sect. 2. cap. 4. §. 1.* Credit verò memoratus *Mandellus* ossa illa *Marduchi* Salernitani cujusdam Gigantis fuisse, qui in singulari certamine, cùm Urbs Salernitana ab exercitu *Henrici VI.* Cæsaris obsideretur à *Joanne Cala* ibidem devictus, occisus, ac deindè loco memorato sepultus fuit.

35. In *Orontis* fluvii alveo cadaver undecim cubitorum longitudinis repertum fuisse asserit Dalechampius in Plinianis annotationibus.

Gigantes in Peruvia.

36. In *Peruviâ* Solemnes fiunt grates ab incolis

ab incolis per singulos annos die quadam in hunc finem festivâ constituta pro interemptis Gigantibus, quos Colonias illic locorum habuisse firmiter credunt, quorum etiam statuæ variis in locis erectæ spectantur. Testatur & *Cornelius Weitfliet*, quod *Joan. Holvius* Præses urbis *Puerto Viejo* diversa monumenta, quæ Gigantum fuisse dicebant, studio aperiri fecerit, in illis verò non nisi ingentia repererit ossa, quæ nisi humanæ calvariæ præsentes fuissent, cetorum magis quàm hominum ossa fuisse credidisset. *Happel. Mundi Mirab. part. 2. lib. 4. cap. 5.*

Joannes VIII Herculanus. 37. In illustri apud Batavos familiâ *Herculanâ Joann.* eo nomine *octavus*, Gigantis cognomen tulit ob vastam corporis staturam, robur incredibile & animum infractum cunctis formidabilis, quem Annalium monumenta perhibent caballum ingentem solo attollere, adverso parieti appressum immobilem sistere potuisse, unum *Junio Valenti & Miloni Crotoniatæ* parem. *Had. Junius in Hist. Batavicâ.*

Ossa Gigantum in Austria reperta. 38. Anno 1645 cùm circa festum *S. Martini* Ep. ad Austriæ Urbem *Crembs*, in monte quodam Sueci fossam pro tutelâ eruerent: ingentis Gigantis cadaver repererunt, ex quo varia ossa distracta, atque miraculi & raritatis causâ tùm in Sueciam, tum in Poloniam in antiquariis reponenda transmissa fuerunt. Dens ex eodem ablatus quinque librarum pondus appendisse dicitur, qui hodiedum in Collegio Soc. Jesu ibidem asservatur. Caput hujus Gigantis instar rotundæ tabulæ fuisse, & brachia virilis corporis crassitiem habuisse dicuntur. Fuêre & alia adhuc duo corpora priore tamen paulò minora ibidem reperta. *Theatrum Europæum part. 5.*

Ossa cujusdam Little John dictæ. 38. *H. Boëthius in descript. Reg. Scot.* refert, quod serventur in templo Pette regionis Moraviæ ossa cujusdam per ironiam *Little John* id est minoris Joannis dicti, quem figura, quantitasque ossium 14 pedum longitudine fuisse demonstrant pari cum ea crassitudine: *vidimus enim ipsi*, inquit, *abhinc sex annis os coxendicis ipsius non minus longitudine totius cruris humani crassitudine suræ, cujus in concavitate brachium inseruimus. Quæ prodigiosa moles fuit, & suprà nostrorum temporum observationem.*

39. Hodiedum adhuc in nobilissima civitate Veneta templum visitur; quod antehac ad patres Cruciferos spectabat, in quo os de gloriosissimo *S. Christophori* latere conservari dicitur tam monstruosæ proceritatis, ut penè omnem fidem exuperent, quæcunque de hoc memorant. Etiam in Franconia nostra pagus est in arvis Oxoviensibus vulgò *Rettersheim* dictus, in cujus templo suspensa spectatur costa admirandæ longitudinis, quæ Gigantis fuisse, Perhibetur.

§. II.
Nanorum sive Pumilorum & Pygmæorum Exempla mirabilia.

1. Gigantibus staturæ magnitudine monstrosus opponuntur Nani sivè Pumili & Pygmæi staturæ parvitate mirabiles, quorum aliqui sunt mediocres, alii minores, alii minimi. Spithamæi quoq; dicuntur ab aliquibus, quod aliquas tantùm spithamas adæquent. Troglodytas etiam vocari, quod in quibusdam locis sub terræ cavernis habitent, testatur *Aristoteles lib. 8. Hist. anim. cap. 12.* integras illarum regiones dari docet *Photius ex Ctesia Gnidio lib. Indicorum, & ex Nonnosi historiâ Legationum ad Æthiopes & Homeritas atque Saracenos.* *Plinius* etiam variis locis Pygmæorum facit mentionem, ut *lib. 4. Nat. Hist. cap. 11. de* Thraciâ agens, inter alia ejus oppida *Geranium* nominat, ubi Pygmæorum gentem fuisse prodit *lib. 5. cap. 29.* in Cariæ oppidis Pygmæos habitâsse tradit. Indiæ montana pygmæos incoluisse scribit *lib. 6. cap. 19.* Iterum *eodem lib. cap. 30.* Pygmæorum gentem ante paludes, ex quibus Nilus oritur, quosdam credidisse narrat: tandem & *lib. 7. cap. 2.* de Asiæ populis ad extremos Indiæ fines ab Oriente circà Gangis fontem habitantibus hæc tradit. *Suprà hos extremâ in parte Montium Spithamæi pygmæi narrantur ternas Spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes salubri Cœlo semperque vernante montibus ab Aquilone oppositis, quos à Gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est in sidentes arietum, caprarumque dorsis, armatos sagittis veris tempore universo agmine ad mare descendere, & ova pullosque earum alitum consumere, ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti.* Hæc *Plinius.* Pygmæos etiam in extremâ parte montium Indiæ sivè Ægypti habitare agricolationi deditos refert *Scholiastes in tertium Iliados*: horum quoque mulieres quinto anno parere & senescere octavo tradit. *P. Mela* in Arabia interiore scribit fuisse pygmæos minutum genus, & quod pro satis frugibus contra grues dimicando defecit. *Ælianus lib. 15. de animalibus cap. 29. Pygmæorum*, ait, *gentis proprium & peculiare regnum esse audio, & cùm masculum genus Regium aliquando defecisset, mulierem Geranam nomine ipsis imperitâsse.* Vide etiam *Philostratum lib. 3. vitæ Apollonii*: *Solinum in Polyhist. cap. 15. Aulum Gellium lib. 9. cap. 4. noct. Attic.* & plures alios.

Pygmæorum integræ regiones juxta veteres historicos.

2. Ex Recentioribus Authoribus Pygmæorum Regiones asserunt *Paulus Jovius* in *Moscoviâ* ajens ultrà *Lapones* in regione inter Corum & Aquilonem perpetuâ oppressâ caligine pygmæos reperiri. Meminit *Olaus M.* pygmæorum *lib 2. hist. Septentr. cap. 11.* cùm de incolis *Grönlandiæ* agit. *Antonius Pigafetta apud Majolum colloq. 2.* testatur pygmæos reperiri inter Moluccas in insulis *Arucheto & Caphi.* Idem testatur *Argensola apud Nierenberg. lib. 5. Hist nat. c. 16. & Ode-* Juxta Recentiores.

& Odericus lib. 1. *de rebus Indicis.* Ultra *Andes Pygmæos* à *Joanne Alvarez* Maldonato deprehensos, qui ætatis anno quinto gignerent, asserit *Petrus Simon apud Nierenberg.* Memorabilis est inter *Æbudas* seu occidentales una, quæ *insula pygmæorum* dicitur. In hac insula, ut *Buchananus Rerum Scotic. lib.* 1. refert, fanum est, in quo credunt vicini populi olim pygmæos fuisse humatos. Multi exterorum terra altius effossa repererunt, & adhuc deprehendunt capita parva & rotunda, aliarumque Corporis humani partium officula nihil famæ vetustæ derogantia. Similia referunt plures alii Authores recentiores, comprimis ij, qui varia conscripsêre itineraria, ut ità de fide istorum pumilorum in certis locis habitantium dubitari minimè posse videatur.

Pygmæi in variis dispersi locis.

3. Pygmæi non unà in regione, sed in diversis sparsi ab Authoribus varii memorantur. Sub *Augusto Imp.* testatur *Plinius lib. 7. Hist. nat. cap. 6.* minimum hominem duos pedes & palmum longum, qui *Conopas* nominabatur, in deliciis *Juliæ* neptis ejus fuisse, & *Mulierem Andromedam Libertam Juliæ Augustæ.* Refert & *ibidem* ex *Varrone* Manium *Maximum* & M. *Tullium* equites Romanos binûm cubitorum fuisse.

4. Fuerunt semipede majores sub *Augusto*, ut *Idem Plinius* memorat, *Pusio & Secundilia*, quorum corpora miraculi gratiâ asservata sunt in conditorio Sallustianorum hortorum.

5. *M. Antonius Sisyphum* pumilionem habuisse fertur infra bipedalem staturam, ingenio tamen vivacem. *Augustus* etiam, narrante *Ravisio*, exhibuit spectaculis Lucium Adolescentulum honestè natum bipedali minorem.

6. De *Colono* Martialis *epigr.* 11. sic canit:

Hæredes nolite brevem sepelire Colonum;
Nam terra est illi quantulacumque gravis.

Asinius Gallus.

7. *Asinius Gallus Drusi* frater Uterinus, ut de illo recenset *Dion*, & si *Claudio* Augusto insidiatus esset; non tamen extremo supplicio, sed exilio tantùm mulctatus est: ideò quia nec ad suum facinus exercitum paraverat, neque pecuniam contraxerat: Item quod statura minimâ, ac summâ deformitate, velut monstrosus despiceretur, ridiculusquè magis, quàm metuendus esse videretur.

Pipinus pusillus.

8. Refert *Michael Ritius lib.* 5. de Francorum Regibus, *Pipinum, qui Childerico* Rege fugato ex Austrasia migrans prætorii præfectus creatus est, tam brevem corpore fuisse, ut pusilli cognomen illi sit inditum.

Pygmæus perdicis magnitudine.

9. In Ægypto natus est homo infra incredibilem staturæ brevitatem consistens sub *Theodosio*: actalem quoque nostrâ ætate vidi ipse, inquit *Nicephorus lib. 12. cap.* 37. pro monstro habitum, quem brevis admodum staturæ mulier in lucem edidit. *Ægyptius tam brevis fuit, ut perdici similis esset. Neque ingratum spectaculum erat, si cum illo globus hominum conversaretur, & ad contentionem excitatus colluderet: porrò quod mirabile dictu est, prudentia ei inerat, qualis homini formoso competit; quippè cui corporis exilitas eâ de re nihil ademisset. Vox à Musis non abhorrebat: Sermo mentis generositatem spectandam exhibebat. Non vixit ad annos viginti quinque.* Hæc *Nicephorus.*

Miles procerus à pumilione occisus.

10. Expugnato per *Solimannum* Turcarum *Imperatorem Pesto*, ut narrat *Surius in Comment. Rerum in orbe gest.* Anno 1541. adducti ad eum Christiani captivi circiter octingenti, qui paucis demptis omnes ejusdem jussu interempti sunt. *Erat in ijs;* inquit, *Surius, proceræ staturæ Noricus miles, hunc in Germanorum contemptum jussit pumilioni vix militis ejus genua capite attingenti necandum tradi. Erat hoc fœdissimum Spectaculum, virum fortissimum imbecilla nani manu per risum & jocum crebris ictibus humi prosterni, & ægrè tandem præ virium imbecillitate jugulari. Hujusmodi spectaculo Turcarum Principes sese suaviter oblectabant.* Subjungit *Stengelius* ad historiam relatam: *Et hic quidem Solimannus id sibi jucundum esse ostendebat, ut magnum parvi faceret, parvum magni æstimaret. Mund. Theorit. part. 2. c. 50.*

Pumilio in caveâ circumportatus.

11. Pumilionem virùm perfectâ ætate cubiti longitudine in psittaci caveâ per Italiæ loca miraculi causâ suo tempore circumferri solitum, scribit *Card. lib. 11. de subtilit.*

Jucundum mensale spectaculum.

12. Ridiculum est, quod narrat *Platerus lib. 3. observ.* his verbis. *In nuptiis Ducis Bavariæ nanus erat, qui integrè armatus cum brevi hasta, gladio accinctus in artocreas occultatus, ut non conspiceretur, & in mensam appositus, fracto artocreate erumpens & stricto gladio gladiatorum in morem saliens omnibus risum, & admirationem incussit.*

13. *Aldrovandus in Monstrorum historia* testatur, *se Bononiæ* vidisse nanum Ducis *Caroli de Crequy* Franciæ Mareschalli, & duos huic non absimilis staturæ simillimos, elegantique membrorum constitutione formatos domi aluisse Equitem *Ferdinandum Cospium. Lugduni* quoque duos Nanos cubitalis mensuræ vidisse se scribit *Joan. Cassinon lib. de Gigant.* quorum alter barbam habens promissam, eleganti sat erat formâ.

14. Fœminæ ulnæ longitudine visæ in *Hollandia* meminit *Jonstonus in Thaumatograph.*

Pygmæi Ulzenses.

15. In *Ulzen*, vicinísque plagis Luneburgicis, ut tradunt *Relat. Vernal. Francofurt.* Anno 1675 non pauci, incertum quibus è cavernis occurrebant Pygmæi magnitudinis octo annorum pueri: barbas gerebant oblongas. Dum levissimè digito baculové tangebantur, altius vagiebant, lingua muta erat, certis tamen ex signis illa, quæ à loquentibus hominibus audiebant, videbantur capere: rusticorum invisebant casulas, & digitis aliisque signis se monstrabant esurire. Plura Exempla non affero, cùm passim nunc in aulis Principum Pumili & Nani occurrant, qui ob raritatem dùm admirationem multis pariunt, ut rariora Naturæ ludentis monstra æstimantur, & diliguntur.

§. III.

Homines à partibus & membris humani corporis mirabiliter alteratis famosi & memorabiles.

Homines Cynocephali.

1. Homines Cynocephalos, sivè canina habentes capita varii memorant Authores tam Veteres,


Cynocephalus.
Fig. 1.
Homo magnis auribus.
Fig. 2.
Astomus
Fig. 3.


Arimaspus sive monoculus.
Fig: 4.
Fig: 5.
Blemmius.
Homo cum aversis plantis.
Fig: 6.


Homo Sylvestris et pilosus.
Fig: 8.
Ouranus Outanus.
Fig: 9.
Homo caudatus.
Fig: 7.

Veteres, quàm Recentiores. Inter Veteres est *Photius ex Ctesia Gnidio*, *Plinius lib. 7. c. 2.* & *Ælianus lib. 4. Hist. Anim. cap. 46.* docentes, eos degere in montibus Indicis ad Indum fluvium, vestiri ferarum pellibus, sermone nullo uti, sed tantum more canum latratum edere, colore esse nigro, insignesque justitiæ cultores esse, cœterorum Indorum more: intelligere quoq; ea, quæ ab Indis dicuntur, licet ipsi loqui minimè possint, vocariq; ab Indis *Calistrios*, sive *Cynocephalos* aut *Canicipites*; carnibus vesci crudis, totiusque gentis capita numerari ad centum viginti millia. *Joan. Plancarpius apud Vincent. Belluacensem lib. 31. Spec. Hist. cap. 11.* testatur apud Tartaros terram quandam esse, in quâ fœminæ quæcunque natæ haberent quidem formam humanam, masculi verò speciem caninam. *Solinus in Polyhist. cap. 43.* inter populos Æthiopiæ etiam numerat *Cynamolgos*, quos ait habere caninos rictus & prominula ora. *D. August.* etiam *l. 16. de Civ. Dei c. 8.* mentionem facit Cynocephalorum: uti & *Isidor. l. 11. Erym c. 3. Ælianus l. 10 de Animal. c. 25.* *Cynoprosopos* vocat, qui caninam habent faciem & ultrà *Oasin* Ægypti solitudinem maximam ad septem dierum iter extendi scribit, quam deindè regio excipit, quæ à Cynoprosis incoli dicitur in via Æthiopiam versùs: quorum corpus hirsutum esse dicit adinstar canum, manus validissimis & acutissimis unguibus armari, barbam infrà, suprà; os gerere: sermonis verò usu carere & acuto solùm quodam stridore sonare. Vide etiam *Majolum in diebus canicul. colloq. 2. Torreblancam lib. 2. disquis. magic. cap. 33. Stengelium de monstr. cap. 5. §. 5. & plures alios.* Fig. 1.

2. In *Peruaco* provincia *Caraqui* homines occipite & syncipite carere scribit *Hispalensis sylv. p. 5. cap. 35.* statim enim edito partu tabulis complanari caput adjicit. In Gujana Epumerocacos quosdam in navigationibus suis ponit *Rhalegus*. Circades populi ultrà *Taprobanam* oblonga sunt facie, capite equino, si *Arriano* apud *Ramus. tom. 1.* credimus.

Homines magnis auribus. Fig. 2. 3. Circà insulas Scythicas in *Ponto* gens esse perhibetur teste *Plinio*, quæ tàm grandes habet aures, ut tota ipsorum corpora iis contegi queant, *l. 4. Hist. nat. c. 13. & l. 7. c. 2.* Similia recenset *Pomponius Mela l. 3. cap. de Hispaniâ*, & Septentrionis insulis, in quibus homines reperiri scribit, quibus magnæ aures & ad ambiendum corpus omne patulæ sunt. *Maximilianus Transylvanus in ep. de Moluccis* ait, ibidem homines conspectos auriculis adeò longis atq; pendulis, ut humeros attingerent: Aliam quoq; illic insulam haud longè remotam esse scribit, ubi homines non solùm pendulis, sed adeò latis amplisq; sint auriculis, ut ex usu altera earum universum caput iis contegi possit. *Antonius Daza* & *Petrus Simon apud Nierenberg. lib. 8. Hist. nat. cap. 1.* recenset, homines versùs *Californiam* inveniri, *Tutanuchas* dictos, quibus adeò prolixæ sint aures, ut usque ad terram dependeant. *Antonius Pigafetta* apud *Ramusium tom. 1.* asserit, in quibusdam insulis non admodùm remotis ab insulis Latronum homines reperiri, qui auriculas habent adeò longas, ut iis brachia tegant. Item inter Moluccas insulam quandam *Aruchetum* nominari, ubi viri & mulieres quidem cubitales cum adeò longis & expansis sint auribus, ut in alterâ extensâ jacent, alterâ se obtegant.

4. *Plinius lib. 6. c. 30.* de Æthiopiæ populis hæc refert: *Ferunt certè ab Orientis parte intimâ gentes esse sine auribus, æquali totius oris planitie: alias superiore labro orbas; alias sine linguis: pars etiam ore concreto & naribus carens uno tantum spirat foramine, potumq; calamis avenæ trahit, & grana ejusdem avenæ spontè provenientis ad vescendum: quibusdam pro sermone nutus, motusq; membrorum est.* Similia recenset *Pomponius Mela l. 3. cap. de Æthiopia.* Homines sine auribus.

5. Ad extremos fines Indiæ *Idem Plinius* memorat *lib. 7. cap. 4.* ab Oriente circà fontem *Gangis* Astomorum gentem esse sine ore corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantùm viventem & odore, quem naribus trahunt, nullum illis cibum nullumque potum esse, tantùm radicum florumque varios adores & sylvestrium malorum, quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus: graviore paulò odore haud difficulter exanimari. Similia refert *Nieremberg. lib. 8. hist. nat. c. 1. de populis in Xamocobuyca*: & *Gregorius Garzias* de quibusdam *Peruensibus*. Vide etiam *Solinum cap. 43. in descript. Æthiopiæ. S. August. lib. 16. de Civit. Dei*, & plures alios Authores. Homines Astomi. Fig. 3.

6. In Æthiopiâ rursùm gentem esse scribit *Isidorus*, nomine *Azanaghi* labro inferiore ultrà mensuram ulnæ propendente, quod ipsi sale condiunt, ne aëris infectione computrescat. Azanaghi.

7. Hominum *Monoculorum* meminit *Plinius lib. 7. Nat. Hist. cap. 2.* eosq; scribit unum oculum in fronte habere, vocari *Arimaspos*, & haud procul ab ipso Aquilonis exortu, specuq; ejus & loco *Gesclitron* appellato produci. Idem afferit *Aulus Gellius lib. 9. cap. 4. Solinus cap. 25.* In *Taprobana* Insulâ homines quoque nonnullos habitare scribit *Lycosthenes*, qui unicum in fronte oculum habeant. Monoculi. Fig. 4.

8. Testatur etiam *S. Augustinus serm. 37. ad Frat. in Eremo* se, cùm in *Æthiopiam* perrexisset ad Christi Evangelium prædicandum, vidisse ibidem multos homines capita non habentes, sed oculos grossos fixos in pectore, cœtera verò membra æqualia, nobiscum habentes. *Blemmyos* ejusmodi populos vocat. *Plinius lib. 5. Hist. nat. cap. 5.* Consentit *Solinus cap. 44. polyhist. & P. Mela lib. 1. cap. de Cyrenaica* in fine: ubi dicit Blemmiis capita abesse, vultus verò esse in pectore. Blemmyi Fig. 5.

9. Memorato *Majolo* in Tartariâ reperti fuerunt homines unico in pectore brachio, unicoq; crure ac pede præditi, qui tamen sagittariorum officium bini & bini implebant, uno arcum tendente, altero sagittam evibrante. Homines uno brachio & crure instructi.

10. Sæpè hactenùs memoratus *Plinius lib. 7. Nat. Hist. cap. 2.* ex diversis antiquis tradit Authoribus, in quadam convalle magna *Imai* montis in Scythia regionem esse, quæ vocatur *Abarimon*, in eâque sylvestres vivere homines aversis post crura plantis, eximiæ nihilominùs velocitatis & passim cum feris vagantes. Item in monte, cui *Milo* nomen est, homines esse aversis plantis, octonos verò Homines aversas plantas habentes. Fig. 6.

digitos in singulis pedibus habentes. Aliud hominum genus non longè à *Troglodytis* abesse scribit, qui *Monosceli* vocentur miræ pernicitatis ad saltum, eosdemq; *Sciopodas* vocari, quod in majori æstu humi jacentes resupini umbrâ se pedum protegant. *Solinus* etiam apud *Majolum colloq. 2.* narrat, homines monoculos apud Indos nasci singulis cruribus, qui ubi se defendere volunt à calore, resupinati plantarum suarum magnitudine inumbrantur. Aliam quoque gentem adhuc memorat *Plinius* inter Nomadas Indos narium loco foramina tantum habentem, anguium verò more loripedem, vocarique *Syrictos*.

Monosceli.

11. *Münsterus lib. 3. Cosmogr.* scribit, in *Stiriâ* & *Valesiâ* homines esse adeò strumosos, ut non solùm strumæ pondus sermonem impediat, sed fœminæ quoque lactantes illas post terga perindè, ut saccum projiciant, ne infantibus ad nutritium lactis succum sugendum sint impedimento.

Strumosi homines.

12. *Guilielmus Harvæus de animal. generat. Exerc. 5.* scribit, Chirurgum quendam virum probum, sibiq; familiarem ex Indiâ Orientali reducem bonâ fide sibi narrâsse, in insulæ *Borneæ* locis à mari remotioribus & montosis nasci hodiè genus quoddam hominum caudatum, è quibus captam virginem (sunt enim Sylvicolæ) ipsum vidisse cum caudâ carnosâ crassâ spithamæ longitudine intrà clunes reflexa, qua loca secreta operiebat. Bornœensibus adnumerari possunt *Montani* quoq; provinciæ *Kelung* aut *Quelung* in Insulâ *Formosâ* deformes incolæ, quorum caudæ calvæ porcinis caudis assimilantur. Hominum caudatorum etiam meminit *Plinius lib. 7. Hist. Nat. cap. 2.* Ad insulas quoque *Satyridas* in extremis Oceani oris sitas, narrat *Pausanias in Atticis* appulsos vi tempestatis fuisse nautas atq; incolas deprehendisse illic rufos, qui caudas haud multò equinis minores intrà clunes habuerint. De Regno *Lambri* insulæ *Javæ* minoris narrat etiam *M. Paulus Venetus lib. 3. cap. 38.* inveniri in regno illo homines, qui caudas habeant ut canes longitudinis unius palmi, & hos in civitatibus non habitare, sed in montibus. Mirabilius est, quod scribit *Petrus Martyr*, Regionem esse, dictam *Inzignanin*, ad quam advectas aliquandò gentes caudatas ad spithamæ longitudinem & lacerti proceritatem, caudam verò non habere mobilem, uti quadrupedes habere solent, sed solidam in turbinem, ut in piscibus & crocodilis videre licet. Quocircà cùm sedere cupiebant, sedilibus perforatis utebantur, & illis deficientibus effossâ tellure ad spithamalem aut paulò ampliùs scrobem immissâ caudâ quiescebant. Vide *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. An. 7. obs. 124. & An. 9. obs. 129.*

Homines caudati. Fig. 7.

13. His inserere & afferre libet, quod *Trithemius* annotavit in *Chron. Hirsaug. ad Annum Chr. 1335.* de Hominum tunc temporis in Lupos vulgò Wehrwölff dictos transmutatione. Esse nempè, qui dicant se observatione curiosâ expertos, quod homini jam propè transformando in lupum, caro priùs à spinâ dorsi excrescens in modum caudæ, futuræ metamorphoseos certum præstet indicium. Subdit deindè *Trithemius*, vidisse se mendicum quondam in Terrâ Mosellanâ, cujus spina dorsi caudam in extremitate circà posteriora habebat in longitudinem unius fermè digiti excrescentem, cujus novitatis spectaculum & multi mirabantur, & nemo tunc fortassis intellexit. Metuisse, quoq; hominem illum se tùm futurum lupum, ut ex ejus ore se audivisse scribit Idem: pôst menses etiam quatuor vel quinque ejusdem cùm inquisitionem apud notos fecisset, dictum sibi fuisse, illum nusquam comparere, & penitùs nesciri, quid circà illum sit actum.

Caudæ excrescentia indicium transmutationis in lupos.

14. Ex divinâ vindictâ ad hominum peccaminosam castigandam licentiam caudas quibusdam adnatas probant Exempla sequentia. Narrat enim *Polydorus l. 13.* cum *D. Thomas* Cantuariensis Episcopus aliquandò apud *Strodum* Angliæ vicum ad ripam fluvii *Meduciæ*, qui *Roffensem* sive *Rostrensem* alluit agrum, divinis in Ecclesiâ ibidem officiis, & sacri verbi prædicationi incumberet; quidam verò illius irrisores per ludibrium equo, quo advectus erat, caudam amputâssent, continuò ob hoc divinâ ultione factum, ut incolis illius loci caudæ adnascerentur pœnâ hac etiam in posteros translatâ: quod etiam antiqui versus declarant sequentes:

Caudæ adnascentia à divinâ punitione.

Fertur equi Thomæ caudam amputâsse Britannos;
Hinc Anglos caudas constat habere breves.

Neque multos annos esse scribit *Paradinus*, quod Generosi sanguinis Anglus non semel affirmaverit se ex posteritate hujusmodi Caudatorum devenisse, & caudam eorundem oculis perspexisse, ac manibus insuper contrectâsse: eamq; referebat ossi sacro adhærere quantitate medii palmi, & in acumine caudam desinere, qualem in cuniculis videre licet. Aliam persimilem historiam scribit *Joannes Major lib. 2. de gestis Scotorum* ad *Rochestriam* transeuntem *Augustinum* Monachum in Angliam à *S. Gregorio* M. missum verbum Dei evangelizare cœpisse; incolas verò contrà virum Dei caudas piscium irrisoriè projecisse; ipsum verò divinum implorâsse Numen, quatenùs illius loci parvuli caudati in peccati pœnam nascantur, & ità moniti addiscant non temnere Divos: & hinc, ut etiam Anglici Annales testantur, parvulos illic omnes caudatos nasci, pœnam tamen hanc cessâsse volunt. In *Hispaniâ* quoque aliam hujusmodi gentem fuisse, quæ caudas adnatas habebat, testatur *Nierenbergius lib. 1. de miraculis Europæ, capite ultimo.*

15. Hominum sylvestrium & pilosorum in diversis Geocosmi partibus repertorum Exempla varia nota sunt ex Authoribus. Ità *Pomp. Mela lib. 3. cap 43.* Carmaniæ populos recenset præter capita toto corpore pilosos. *Solinus in Polyhistor. c. 43. Artbabathitas* memorat Æthiopiæ populos haud secùs ac feras sine sedibus evagantes: Meminit & *Himantopodum*, quos & *Loripedes* vocant, qui nempè flexis nisibus crurum repunt potiùs, quàm incedunt & pergendi usum lapsu magis destinant, quàm gressu. Idem quoque *Solinus cap. 65.* in Indiâ collocat sylvestres homines hirtos corpore, caninis dentibus, stridore terrifico: quod & *Plinius* facit *lib. 7. cap. 2.* ac post ipsum *Aulus Gellius lib. 9.*

Homines sylvestres & pilosi. Fig. 8.

Barbara Urslerin Augustaña hirsuta et barbata. Fig. 1.

Fig. 2.

Prænob: et Illust: Dn̄s Andreas Everhardus Rauber.

lib. 9. Noct. Attic. cap. 4. Similiter in insula *Bathuan* homines degere feros, pilosos & Antropophagos scribit *Antonius Pigefetta*: in *Javâ*, quos incolæ *Ourang-Outang*, Afri *Quoias Morrou*, sive homines sylvestres vocant, *Jacobus Bentius lib. 5. Hist. Nat.* & *Medicæ cap. 32.* In Montanis Regni *Ferlech M. Paulus Venetus lib. 3. cap. 14.* In *Guacciarima* Hispaniolæ provinciâ *Petrus Martyr.* Quibus & *Aldrovandus in hist. monstr.* accenset Cinnamios populos, quos asserit ornatu prolixæ barbæ & pilorum totius corporis esse admirandos, & à finitimis Barbaris homines sylvestres vocari. Reperiri quoq; etiamnum ejusmodi sylvestres homines in subsolanis Indiæ montibus, uti & in Africa intra *Sierram, Lionam* & Promontorium montis, docet *Nicolaus Tulpius observ. medic. lib. 3. cap. 56.* ubi & hominem talem Indicum ex *Angolâ* delatum, & *Friderico Henrico* Arausionensium Principi dono datum describit. Meminit etiam sylvestrium hominum villosorum circà Norvegiæ littus in montibus illic repertorum ab Oratoribus à *Jacobo IV.* Scotorum Rege ad Galliarum Regem missis, illucque abreptis *Hector Boeth. in Scotiâ.*

Homines pilosi recentiores. 16. De pilosis & hirsutis hominibus etiam in nostris terris & temporibus prognatis varia extant exempla. Ità die 28. Sept. A. 1676, ut memoratur *in Zodiaco Medico - Gallico Anno 2. mense Octob. obs. 9. Nicolæa Vallæa* uxor *Noachi Marchandi* in Diœcesi Veromandua non procul *Courtanvalle* peperit puellum, qui in lucem exiit capillitio aurei coloris donatus: exactis sex mensibus caput illi adeò increvit, ut æquaret caput viri 30. annos nati: mentum barba investiebat, nec mystax deerat satis densa: hirsutum erat dorsum pilis aurei coloris coopertum. Pubes tàm densa pilorum, eorumq; longissimorum segete vestita erat, ut prodigio proxima res esset. Brachia solùm & tibiæ devilia erant, vixit ad tertium usque annum & semis. *Eph. Germ. Cur. Dec. 1. An. 9. & 10. obs. 95.* Mulier quædam Augustana *Barbara* dicta filia *Balthasaris Ursleri* hirsuta & barbata describitur, quæ scilicet per totum corpus ipsamque faciem pilis crispis flavescentibus & instar lanæ mollissimis obsita erat. Barbam insuper alebat prolixam cingulum usque pertingentem; ex auribus quoq; cirrhi longiores, iique flavescentes propendebant *Volfius lib. 8. de variet.* refert in Gynicæo *Alberti* Ducis Bavariæ fœminam repertam, cui spissa barba & hirsuta nigri coloris de vultu pependerit. In Musæo quoque publico Bononiensi imago cernitur mulieris Germanæ, quæ eam patriam transeundo mentum videri fecit barba nigra duas spithamas longa decoratum. *Aldrovandus in Hist. monstr.* refert, *Bononiæ* etiam suâ ætate visam puellam octo annorum pilosam filiam cujusdam sylvestris hominis annorum 40. orti in insulis Canariis, qui non solùm dictam filiam genuerat, sed aliam natu majorem annorum tunc duodecim, & filium annorum viginti. *Majolus* in colloquiis adducit quoq; puellam quandam oblongis villis toto corpore tectam, & in oppido *Petrasancta* Agri pisani ex muliere glabrà natam. *Scaliger Exercitat. 114.* mentionem facit Hispani pueri, quem ex India advectum aliqui; alii verò parentibus Indicis in Hispaniâ natum putabant: is candidis pilis totus fuit tectus: idcircò *Barbet* à Gallis dictus, quo nomine *villosum* vocant canem, quem Flandri *Watterhund* nominant. *Henricus* etiam Gallorum Rex Auctore *Bossio apud Aldrovandum Lutetiæ* Parisiorum curavit, instrui literis humanioribus adolescentem non minùs cane villosum. Indicorum montium incolus prodidit *Ctesias* à pueris statim canos fieri, in senectute nigrescere referente *Salmasio in Exercitat. Plinian pag. 190. Kiliæ* aliquandò visum senem, cujus capilli erant maximè virides, testantur *Ephem. Germ. Cur. Decur. 2. Ann. 7. obs. 155.*

Fig. 1.

17. Inter miracula corporis humani aliter longè solito constituti memorare meritò etiam libet ex *Ctesia Gnidio lib. Indicorum ap. Photium in Bibliotheca*, pygmæos olim in *India* habitantes comam aluisse longissimam ad ipsa usque genua demissam, atque etiam infra cum barbâ longiore, quàm apud ullos hominum, adeò ut capillos retrò, barbam antè circà corpus colligantes iis pro veste uterentur. *Longobardi*, ut plures affirmant, à barbæ prolixitate nomen suum adepti sunt. Inter maximè barbatos præcedente sæculo excelluit in *Carniola* prænobilis & illustris Eques D. *Andreas Eberhardus Rauber* Augustissimo Cæsari *Maximiliano II.* à consiliis bellicis, prout recenset *Joan. Weichardus Valvasor in descript. Carniol. lib. 11. p. 631.* Hujus statura tres ulnas excedebat, fortitudo insolita omnium tunc temporis robustorum hominum vires & robur superabat, barba verò tàm prolixa erat, ut in cinnos circumacta non tantùm ad pedum plantas profflueret, sed indè denuò mediam versùs cincturam corporis reversa ibidem tandem in nodum aut fasciculum colligaretur, sicut loc. cit. annotat *D. Erasmus Francisci.* Ridiculum verò est, quod narrat *Schottus in Phys. lib. 3. c. 23. §. 2.* Helvetium quendam susceptâ peregrinatione Romanâ ad osculum pedis & pontificiam benedictionem ab *Urbano VIII.* admissum. *Is autem* (verba do Authoris) *tam longam ac latam rufi coloris barbam gestabat, ut totum pectus ad genua usq; tegeret, adeò ut Pontifex, dum eum in genua provolutum humanissimè alloqueretur & patriam, patriæq; statum exquireret, paternitatis titulo, quo Monachos Itali compellant, uteretur; existimabat enim primò aspectu non barbam, sed Monachorum Scapulare à collo ad genua defluere, ut ipsemet posteà errorem suum agnoscens, est fassus.* Anno Chr. 1165. visus est in aulâ *Conradi Imp.* vir metallifossor ex sylvâ *Hardgo* annorum 42, cujus capilli & barba erant cærulei coloris. Eruditi causam conjiciebant partim in vapores metallicos, partim in singulare viri temperamentum, partim in bilis quandam speciem, quam æruginosam dicunt, ut tradit *Alexander ab Insulâ in breviario rerum memorabilium num. 33.*

Homines mirabiliter barbati.

Fig. 2.

18. Cutis externæ color non omnibus hominibus idem Æthiopes toto corpore nigro nasci dentibus exceptis, quos ebore candidiores habent, notorium est. Non tamen perindè omnes in summo gradu nigri sunt, nam quidam fusci, duntaxat & subnigri tantùm

Homines in cutis colore diversi.

tùm ſunt. Candoris in dentibus cauſam Naturales referunt in mandibularum calorem excoctum humorem eis detrahentem ad eum modum, quo cera albeſcit calori Solis expoſita. Legatur *Ariſtot. lib. de Hiſt. anim. c. 9.* & *in problem. ſect.* 10 *q. 65. & 66.* Quantùm verò Regio poſcit ad inducendum cuti humanæ certum aliquem colorem, ut benè inquit *Cardanus de ſubtilit. lib.* 11. *Senegæ* flumen (ea provincia in extremâ Africæ parte in Occidentali latere) oſtendit, ubi qui citrà flumen ad Boream habitant, cinerei coloris ſunt & parvi corporis, qui verò ultrà, nigri, procera ſtatura ac robuſtâ ſunt: ſiquidem ea parte regio tota viret, alterâ ſqualet. *Ptolomæus Lagi* filius duo quædam inuſitata in Ægyptum induxiſſe, ſcribitur à *Cœlio lib. 7. Ant. Lect. c. 8.* Camelum nempè Bactrianum inſigniter nigrum, bicolorem item hominem, ità ut medietas quidem ex æquilibrio ſummè foret nigra, reliqua portio albedinem præferret eximiam. Sunt nonnulli toto corpore maculoſi, uti *Suetonio* teſte fuiſſe traditur *Auguſtus* Cæſar diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis in modum & ordinem ac numerum ſtellarum cœleſtis Urſæ. *Nero* etiam Cæſar corpore fuit maculodùm maculoſo & fœdo, ut *Idem Suetonius* tradit. Ex *Guilielmo Neubrifenſi* Scriptore Anglico miram recenſet hiſtoriam *Kircherus Mund. ſubterr. lib. 8. ſect. 4. cap. 3.* de duobus pueris toto corpore viridi colore tinctis, qui ex ſubterraneis ſpeluncis, quas *Wulfputes* Angli, ſive luporum latibula vocant, propè pagum in Occidentali Anglia quatuor vel quinq; milliaribus à nobili Monaſterio *S. Edmundi* Regis & Mart. diſſitum eruperunt. Cauſam verò viriditatis corporum provenire putat *Kircherus* ex nativâ loci ſubterranei, undè proruperunt, humiditate & humido, quo ſubterreſtres illi homines fruuntur, ſucco. Vide ipſum *loc. cit.*

19. Mulieris cornutæ meminit *Thomas Bartholinus*. Similem caſum recenſet D. *Sibbaldus in Prodromo Nat. Hiſt. Scotiæ part. 1. lib. 2. cap. 9.* ità narrans. *Eliſabetha* quædam cornu exciſum habuit decimo quarto die Maji Anno 1671. à Chirurgo ſatis celebri *Arcturo Temple*: accreverat autem capiti ad tres pollices ſuprà dextram auriculam, & per ſeptem annorum ſpatium in eam magnitudinem & formam crevit. Fama erat abſciſſum renaſci licèt 50. Annorum eſſet, cum abſcinderetur. Ipſum autem cornu abſciſſum in Bibliotheca Academiæ Edinburgenſis conſervatur. Similem ſubſtantiam, ſi non planè corneam, ſuper digitos pedum narrante eodem *Sibbaldo* accreſcentem habuit paupercula quædam in urbe *Selkirk*. Mulieres cornutæ.

20. Circà dentes obſervatum fuit, quosdam cum iisdem natos, alios omninò ſine dentibus fuiſſe. De *Timarcho* Meſtoris Cyprii filio legitur, eum cum duplicato dentium ordine genitum, ſicut & *Direpſimam* filiam *Mithridatis* Regis. *Jon Chius* apud *Cœlium* virum eruditiſſimum tres dentium ordines *Herculi* attribuit. *Columbus lib. Anat. cap.* 10. ſe infantem noviſſe ſcribit, qui pariter triplicato dentium ordine dotatus fuerit.

21. Multò magìs ſtupendum eſt oſſa dari, quæ absq; medulla ſint: ità à *Solino* habemus certum quemdam Licdamum Syracuſanum hominem robuſtiſſimum, poſtquam è viris deceſſiſſet, confractis oſſibus inventum fuiſſe ſine medullâ. Hinc evenit, ut nunquam ſitibundus eſſet, nec ſignum unquam vel minimi ſudoris dederit. Hic autem è certaminibus olympicis nunquam niſi victor reverſus eſt.

CAPUT X.

Accidentia quædam exotica mirabilia corporis humani in variis hominibus miris exemplis demonſtrata.



Accidentia quædam phyſica exotica mirabilia circà corpus humanum hoc capite producimus, quæ ſingulari quodam Naturæ ordine vel modo quibusdam acciderunt, non verò omnibus æquè impertiuntur, & idcircò admirationi plurium meritò ſubjiciuntur.

§. I.

Ætas infantilis & juvenilis mirabilibus quibusdam ludentis Naturæ prærogativis præventa oſtenditur.

Lac ex infantulis. 1. In infantulis recenter natis ex mamillis lac effluxiſſe teſtatur Clariſs. *D. Joannes de Muralto in ſuo Vade mecum Anatom. pag.* 15. & *D. Joſephus Lanzonius Ephem. Germ. Cur. Dec.* 2. *An.* 10. *obſ.* 144. afferit ſibi relatum ab obſtetrice bis ſe vidiſſe infantulos recens natos exiguam lactis quantitatem ex uberibus emittentes.

Fœtus recenter natus alium pariens fœtum. 2. Rarus & inſolitus planè caſus eſt, qui contigit An. Chr. 1672. propè *Naumburgum* in ditione Nobiliſſimi Domini de *Breitenbauch*, in pago *Betzgendorff*, ubi uxor molitoris debito tempore filiolam cœterà ſanam, niſi quod abdomine præter ſolitum tumido fuerit dotata. Elapſo verò octiduo hæc ipſa recens nata filiola improvisò inopinatis & inſolitis correpta torminibus edidit aliam filiolam viventem longitudine medii digiti, quæ & ſacro initiata baptiſmate fuit. Altero dein die denata rurſùm hæc tenerrima filiola cum tenerrima ſuâ matre vitales reliquit auras; genuinâ tamen & primariâ puerperâ, molitoris ſcilicet uxore, manente ſuperſtite. *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 3. obſ. 72.*

3. Inſolitus etiam eſt partus, qui à *Bartholino cent. 6. hiſt. 10.* recenſetur his penè verbis: In *Fionia* paucis abhinc annis *Joanna* uxor *Nicolai Petri* genuit embryonem, in cujus tumido fœtûs fœmelli ventre in loco conſueto alius fœtus ſexûs fœminini omnibus modis perfectus inventus fuit circiter ſpithamam longus, unguibus & pilis inſtructus. Vide *eundem Bartholinum de part. inſolitis viis cap.* 16. & *cent.* 3. *ep.* 23.

4. In *Breviario rer. memorab. Iſibordi ab Amelunxen num.* 20. ſequentia narrantur. Anno 896. puella novendecim annorum ob ingravi- Infans in utero prægnans.

ingravidationem famosa, ideoque coram Judice accusata negabat omnia, dicens: Si ego gravida sum, faxit Deus, ut & infans in utero meo talis sit! Paulò post peperit puellam mortuam ventre prætumido, ut jam jam rumpi videretur. Mulierculæ rem insolitam mirantes judici indicant ordinario. Aperto corpusculo, ecce alia puella in puellâ modo natâ etiam mortua, omnibus tamen membrulis benè conformata producta est.

5. *Glaterus*, *Antigoni* Regis frater, novisse se scribit quendam hominem, qui spatio septennii & puer fuerit, & adolescens, & vir, & senex, & uxorem duxerit, & progeneratâ prole mortuus sit. *Plegon de mirabil.*

Puer dentatus, eodem, quo natus est, die, distinctè loquitur.

6. Sub *Boleslao* pudico Polonorum Principe, ut refert *Cromerus lib. 9.* in Cracoviensi territorio, puer quispiam dentatus eodem, quo natus est, die, distinctè & articulatè locutus est, donec Religioni Christianæ initiatus & dentes & sermonis usum amisit. Alius verò semestris in urbe Cracoviensi locutus, Tartaros adventuros, & Polonorum capita præcisuros esse prædixit; rogatusq; divinitùs id se scire, & sibi quoq; illud malum impendere respondit; quod post duodecimum annum evenit. Memorat etiam *Trith. in Chron. Hirsaug.* Anno 1095. mulierem quandam biennio prægnantem, tandem effudisse puerum loquentem. *Valerius Maximus lib. 1. c. 6.* narrat, Romæ infantem semestrem aliquandò in foro boario triumphum proclamâsse.

Puer maximarum virium.

7. Tempore *Andronici* Junioris Imper. puer circà *Trajanopolim* visus est, qui anno tertio balbutiebat, sed iis erat præditus viribus, quibus vir viginti annorum, & viro non minùs comedebat: sed priusquàm annum quintum explesset, febri correptus obiit. Nam, ut ait *Gregor. l. 10.* penuria humoris infantili ætati debiti tantam aviditatem in ejus corpore excitavit, quanta vel in vicenario fit.

Incredibile corporis incrementum in puero quinquenni.

8. De incredibili ferè corporis humani incremento in puero quinquenni refert *Tulpius obs. medic. cap. 55.* quod delatus ex Geldriâ *Amstelodamum* ibiq; bilanci impositus penderit centum & quinquaginta libras. Corpore quippè erat tàm pingui & amplo, ut lumbi ipsius cingerentur, nisi sesqui ulnæ longitudine. At nates luxuriabant tàm uberi carnis mole, ut viderentur quadruplices: in brachiis verò ac manibus posuerat tantum roboris exuberans ipsius natura, ut manum non minùs fortiter feriret, ac si egisset vicesimum ætatis annum.

Puer Septennis latinè & teutonicè ornatè loquens.

9. Ad annum 1367. notavit *Tritbemius in Chron. Hirsaug.* hominem quendam pauperem *Basileâ Moguntiam* parvulum circumduxisse filium suum, nomine *Theodoricum*, annum ætatis septimum agentem, qui verbis, moribus & gestibus tàm se maturum & compositum coram hominibus exhibuit, ac si vir quadraginta fuisset annorum latinè, teutoniceq; loquebatur expeditè ornatè tamq; disertè, ut eum Oratori etiam facundissimo comparandum, qui audivisset, nemo dubitârit. Ad interrogata quælibet tàm promptè, tàm propriè tamq; prudenter potuit respondere sive latino sive teutonico postularetur eloquio, ut audientes omnes verteret in stuporem. Addit verò *Tritbemius*, creditum à pluribus hoc à spiritu quodam malo, sive pithone in eo latente provenisse. De admirando ingenio poëtico pueri Itali consule *Weberum in art. convers. Reg. 7. Sect. 5.*

Roboris specimen in puero.

10. *Scioldus*, *Lotheri* Danorum Regis filius, qui deindè Patri in regno successit, etiamnum puer, cùm à Tutoribus fortè, quorum summo studio educabatur, inspectandæ venationis licentiam impetrâsset, obvium sibi insolitæ magnitudinis ursum inermis, solo cingulo involutum, constrictumque necandum comitibus præbuit. Sed & complures fortitudinis pugiles per idem tempus viritim ab eo superati produntur: è quibus *Attalus* & *Scatus* clari illustresque fuêre. Quindecim annos natus inusitato corporis incremento perfectissimum humani roboris specimen præferebat; tantaq; indolis ejus argumenta fuêre, ut ab ipso cœteri Danorum Reges communi quodam vocabulo *Scioldungi* nuncuparentur, ut testatur *Saxo lib. 1.*

Puer tertio ætatis anno barbatus.

11. A. 1673. in districtu *Rockoniensi* septem milliaribus dissito *Pragâ* ex pago *Teirzowitz* natus est puer, nomine *Jacob' Sima*, parentib' rusticis, hic tertio jam ætatis anno in tantum staturæ & roboris excrevit, ut triturare & omnia munia robusti rustici peragere potuerit, barbaq; eodem anno eidem crescere cœperit. Vid. *Eph. Ger. Cur. Dec. 2. An. 4. obs. 163.* Puerum sexennem benè barbatum memorat etiam *Alexander ab Insula in breviar. rer. mem.*

§. II.

Sexûs permutationis in hominibus Exempla mirabilia.

1. Fœminarum in viros permutatio variis constat exemplis probata; non ità virorum in fœminas. Fit autem hoc indè, quod tales sint vel Androgyni, nec ità primâ ætate appareat sexus, successu verò temporis manifestetur magis virilis. Vel contingit id per retractionem membri virilis, quod cum tempore protrahitur. Ità *Plinius lib. 7. Hist. Nat. cap. 4.* inventum scribit in Annalibus *P. Licinio Crasso, & C. Cassio Longino Coss. Cassini* puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque Auspicum deportatum in Insulam desertam. Testatur *idem Plinius*, se in Africâ vidisse mutatum in marem nuptiarum die *L. Cossicium* civem Tisdritanum.

Virginis in puerum mutatio.

Mutata in virum Arescusa.

2. *Licinius Mutianus* prodidit visum à se *Argis* Arescontem, cui nomen *Arescusæ* fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem provenisse, uxoremq; duxisse. Ejusdem sortis & *Smyrnæ* puerum à se visum.

Phaëtusa.

3. Memorat & *Hippocrates lib. 6. Epidem. pag. 8. aphor. 45.* *Abderis Phaëtusam* uxorem *Pythei* partui vicinam misso in exilium marito cunctis in membris magnos perpessum dolores corporisque habitu dein in virum esse mutatam, totam etiam hispidam redditam, barbam emisisse, & vocem asperiorem fuisse nactam. Idem quoque accidisse scribit apud *Chasios Anamisæ* uxori Gorgippi.

Mulier Spoletana.

4. Virum ex muliere quoque sexûs permutatione factum *Spoleti Q. Fabio Maximo*, & *M. Claudio Marcello* Consulibus, testatur *Livius lib. 4. secundi belli punici.*

Corbilii metamorphosis.

5. Antiochiæ, quæ est ad *Mæandrum* sita, uti narrat *Phlegon Trallianus Adriani Libertus*

tus l. de mirab. & longævis, præsidente *Athenis Antipatro*; *Romæ* verò M. *Vinitio* & *T. Statilio Tauro Coss.* puella fuit androgyna, sive mixto sexu, cui *Corbilii* deindè cognomentum fuit: prævalente igitur fœmineo sexu, uti virgò parentibus illustribus nata, cùm annorum esset 13. à multis procis petita ob pulchritudinem, postquàm de parentum sententiâ desponsata est, ipso nuptiarum die domo progressura, subitò dolore vehementissimo ventris & intestinorum quasi conversionis correpta, exclamavit. Verùm dolore per triduum continuum perseverante, cùm omnes illius urbis medici nullam affectûs causam invenirent, quartâ tandem die sub auroram intendentibus se acriùs doloribus, puellâque magno cum ejulatu exclamante, subitò virilia prodiêrunt, ac è virgine vir factus est, qui aliquandò post *Romam* fuit adductus ad *Claudium* Cæsarem, atque hic prodigii istius causâ in Capitolio *Jovi Averrunco* aram posuisse perhibetur.

Virgo Mevaniensis mutata. 6. Alia fuit virgo Androgyna *Mevaniæ*, quæ urbs est Italiæ in diversorio *Agrippinæ* Augustæ sub Coss. *Romæ D. Junio Syllano Torquato* & *Q. Asterio Antonio* Smyrna oriunda *Philotis* nomine: quæ cùm matura nuptui tradita esset à parentibus, masculino enato membro in virum abiit, ut *idem Phlegon* recenset.

7. Eodem tempore, sicuti rursùm *Phlegon* commemorat, *Epidauri* alius Androgynus natus inopibus parentibus, cui nomen priùs *Sympherosa*, in virum autem mutatus *Sympheron* vocatus est, vitamque colendis hortis trivit.

Æteta. 8. Quin & *Laodiceæ*, quæ est in Syriâ, eodem Authore, mulier *Æteta* nomine, cum marito degens è fœmina vir extitit, cui nomen *Ætejus* deindè fuit sub Consulibus *Romæ L. Lamia & Æliano vetere*. Hunc ipsum quoque *Phlegon* se vidisse scribit.

Mutatio sexûs in 2 Sororibus. 9. Antiqua dedimus exempla, sequuntur Recentiora. *Neapoli* regnante *Ferdinando I.* ut tradit *Fulgosus lib. 1. cap. 6.* cùm *Ludovicus Guarna* Salernitanus civis quinque filias suscepisset, quarum natu majoribus duabus, alteri *Franciscæ*, alteri *Carolæ* erat nomen: posteaquàm ad quintum decimum annum pervenerunt, ambabus genitalia membra in marium morem erupêre, mutatoq; habitu pro maribus habiti sunt, *Franciscus* & *Carolus* nuncupati. *Idem Fulgosus ibidem* recenset, *Ebuli* sub eodem Rege puellam quandam primâ nuptiarum nocte effractis membranis sexum mutâsse, domum deindè reversam, proq; viro habitam etiam dotem repetivisse.

In Cajetana muliere. 10. *Jov. Pontanus in hist. Neapol.* narrat, *Cajetæ* mulierem piscatori cuidam annis 14. nuptam tandem in virum migrâsse: & aliam, cui nomen *Æmilia* nupsisse *Antonio Spensæ*, civi Ebulano, post annum verò nuptiarum duodecimum in virum mutatam soluto matrimonio uxorem duxisse, & liberos procreâsse.

In Moniali. 11. De Moniali quadam *Magdalena Mugnoz* dicta, ex civitate *Ubeda* oriunda, ex oppido *de Sabiore* scribit *Torreblanca in practicab. lib. 3. cap. 11. num. 13.* eam post septem annos Professionis suæ ex fœminâ in marem conversam, expulsam deindè è monasterio virilem suscepisse habitum, ac barbam acquisivisse, mutato etiam nomine *Franciscum Mugnoz* audivisse. Alii volunt Monialem dictam fuisse *Munnez*, & Monachum fuisse *Madriti Ord. S. Dominici*.

12. Testatur *Michael Montanus lib. 1. Exper. cap. 21.* suo tempore *Vitriaci* fuisse puellam nomine *Mariam*, quæ cùm saltaret vehementiùs, subitò virilibus erumpentibus in virum mutatam fuisse, & ab Episcopo Suessionensi in dato Confirmationis Sacramento mutato nomine *Germanum* vocari cœpisse: cujus etiam mento deindè barbam adnatam fuisse, diuque vixisse ad decrepitam usq; ætatem, absque uxore tamen vitam traduxisse. In puellâ Vitriaci.

13. Non procul ab urbe Beneventanâ Hispaniæ uxor rustici cujusdam durioris fortunæ, quæ quod sterilis esset, minùs benignè à marito habebatur; pertæsa malæ tractationis quadam nocte aufugit sumpto vestitu famuli domestici, sicque ornata, virumque mentita variis in locis opere servili vitam sustentavit. Post aliquod tempus, sive quod calor in eâ naturalis tàm efficax foret, sive quod imaginatio nata & confirmata continuo habitu ministerio virili eam efficacitatem nacta sit; certè ipsa se in virum mutatam deprehendit. Statuit ergò, quæ diu fuerat uxor, maritum agere, fœminam sibi matrimonio copulat. Diu res latuit, illâ non audente cuiquam rem narrare, donec agnitus ab eo, qui rustici uxorem novit, ipseque rem omnem fassus est. Ità *Anton. Torquemada apud Delrium lib. 2. disq. magic. qu. 22.* In muliere rusticanâ propè Beneventum.

14. Author *Antimologii* apud *Delrium* asserit, sibi visum *Auscis* in Vasconiâ virum plusquam sexagenarium, canum fortem & hirsutum, qui ad annum decimum quintum fuisset puella; ex casu verò ruptis ligamentis tenuibus sexum mutâsset.

15. *Amatus Lusitanus cent. 2. consult. curat. 39.* à variis Scriptoribus citatus tradit in oppido *Esquerra* novem leucis à *Conymbrica* puellam genere nobilem, nomine *Mariam Pachecam* ex fœminâ masculum factam, qui & *Manuel* vocatus, atque ad Indos profectus, indè verò dives & clarus rediens uxorem duxerit. In Mariâ Pachecâ.

16. His addi potest inter mirabilia sexûs permutationis Lactatio, quæ fœminis propria scitur, nonnullis tamen viris æquè concessa à variis traditur Authoribus. Ità *Cardanus de subtil. lib. de hominis naturâ* scribit. *Vidi Januæ Antonium Benzum* ex oppido portûs *Mauritii*, annum agentem 34. pallidum, barbâ rarâ, pingui habitu, è cujus mamillis lactis tantum profluebat, ut infantem fermè lactare potuisset. *D. Christ. Franciscus Paullini in suis observ. medico-phys. num. 96. Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 5.* annexis meminit sexagenarii viri Ecclesiastis, qui repertum aliquandò infantem expositum lacte priùs caprino diu aluit, aliquandò verò assumptum ad lectum noctu cùm pectori more mulierum admovisset, infans suctu creberrimo lac tandem copiosum provocavit. Quin & qui novum lustrârunt orbem, narrant, viros earum regionum penè omnes lactis abundare copiâ.

§. III. Ju-

§. III.

Juventæ ſenibus reſtitutæ Exempla quædam proferuntur.

1. Non obſtat Naturæ humidum radicale poſſe reſtaurare, nimiam ſenectutis ariditatem temperare, corrupto ſucco vivaciorem & meliorem ſufficere, elanguidas vires reparare, cœteraque vigoris naturalis deperdita recuperare, ut variis Exemplis naturalis probari poteſt. Sic *Petrus Maffejus lib.* 11. narrat, Indo cuidam Nobili intra trecentos & quadraginta annos juventutis florem ter exaruiſſe & toties refloruiſſe.

Indus ter rejuveneſcens.

2. In Orbe novo Inſulam quandam eſſe dicunt *Bonticam*, vel, ut aliis placet, *Bonicam* nomine, in quâ perhibent eſſe fontem, cujus aqua pota ſenium cum juventute commutare ſolet, ut noſter *Hirnhaim* notat *de Typhogen. hum. cap.* 7. & Nos ſuprà etiam notavimus *Scrutin.* 4. *disq.* 1. *cap.* 11. §. 6. Similem fontem in *Lucaya* etiam reperiri teſtatur *Petrus Chieza part.* 2. *hiſt. Peru. cap.* 41. & *Petrus Martyr* tradit, Indum ſenem cujusdam fontis lotione & potione omninò adoleviſſe repetitâ juventute.

Fontes juventutem adducentes.

3. Narrat *Torquemada Dial.* 1. *Horti floridi Tarenti* in Italia An. 1531. fuiſſe Senem centenarium capularem, qui pilis, cute, unguibus & ſitu atque ſqualore ætatis decidentibus, & in melioris ætatis vigorem omnibus mutatis de ſene juvenis prodiêrit & quinquaginta poſt adhuc annis ſuperviverit. In *Caſtellâ* quoque *Rivia*, ſive in *Rioxâ Caſtiliæ* ſimilem cuidam viro ſeni obtigiſſe ſortem memorat *Nierenbergius lib.* 8. *Hiſt. Nat. c.* 9. idque vulgi famâ notum fuiſſe ſcribit.

Senex centenarius rejuveneſcens.

4. In oppido regni Valentini *Monvedro*, quod olim *Saguntus* dicebatur, ſe vivente monialem Abbatiſſam fuiſſe ſcribit *Valescus Tarentaſius*, cui dentes renati, comæ denigratæ, rugæ & ſulci cutis adæquati, vultus & totum corpus juventutis flore exornatum fuerit, ità ut rei novitate perculſa præ verecundia ſe cunctorum oculis ſubtrahere conata ſit.

Monialis juventæ florem recuperans.

5. *Ferdinandus Lopez de Caſtagneda* Regis Luſitaniæ hiſtoricus memorat *lib.* 8. *Chronic.* quod dum *Nunius de Acunia* Anno 1536. Gubernator fuit in India, miraculi cauſâ oblatus illi fuerit vir hominum fide digniſſimorum teſtimoniis confirmatus ætatis ſuæ annorum 340, cui etiam adhuc in memoria hærebat, quod civitas illa, quam incolebat, absque habitatoribus inculta fuerit, quæ tamen tunc temporis una ex populoſiſſimis Indiæ fuit habita. Hic porrò quater depoſita ſenectute juventam recuperavit, ità ut canos capillos cum nigris quater commutârit, & novos etiam dentes acquiſiverit; quales etiam capillos & dentes habuit, dum ad Gubernatorem adductus fuit. Et quia hoc ipſo tempore adfuit inſignis quidam Medicus; juſſit Gubernator, ut ejus pulſum attactu exquireret, quo deprehendit talem vigorem, qualem vix in juvenibus obſervare licet. Conſtat etiam ex eodem Chronographo Indum hunc ultra 370 annos vitam produxiſſe. An verò non idem ſit, quem ſupra ex *Maffejo* adduximus, haud levi argumento credi poteſt.

Indus quater juventutis florem acquirens.

6. Inter mirabilia hominum recenſet etiam *Schottus Phys. cur. lib.* 3. *cap.* 16. vidiſſe ſe *Panormi* in Sicilia virum, qui, cum diu barbam & capillos canitie venerandos anteà circumtuliſſet, nigrum capillum & barbam acquiſierit, nec quadragenario major apparuerit: perſpicilla etiam, quibus ob viſûs debilitatem diu uſus fuerat, renovato viſu depoſuerit. Meminit etiam *ibidem* cujusdam vetulæ in Galliâ recentiſſimè ad juventutis florem reverſæ Gallico metro honoratæ.

7. De duobus Senibus 120. annorum ætatis, quibus integra dentitio in Senectute, anno nempè ætatis 118. rediêrit. Vide *Ephem. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *obs.* 15. De lapide quodam mirabili juventutem reducente à Luſitanis dicto *Pietra de Cevar*. Vide, quæ diximus ſupra *Scrutin.* 4. *Geocosm. disq.* 1. *cap.* 8. §. 4. *num.* 3.

Dentitio ſenilis.

8. His jucundum & facetum quid ſubjicimus, quod aliquandò *Hailbronnæ* in urbe Imperiali ad Nicrum ſita contigiſſe ferunt. Illuc dicunt ſuperioribus annis veniſſe quemdam Hiſtrionem ore, quàm ære & arte potentiorem, ut ejusmodi perſæpè hominum genus eſſe ſolet, qui tubis & tympanis, nec non & ſesqui pedalibus verbis eam de ſe per urbem illam divulgabat artem, qua juventam poſſet & vellet vetulis reſtituere, & multis annis ſingulas reddere juniores. His tam feſtivè proclamatis & promulgatis agminatim accurrebant illicò quamplurimæ marcidæ, ſqualidæ, edentulæ & deformes vetulæ ad ſuum, ut illæ quidem rebantur è cœlo delapſum *Machaonem*: hic etiam viſo & perluſtrato illarum agmine jubet, ut ſingulæ nomina ſua accuratè conſignarent in ſchedula, annosq; ætatis adjungerent. Quod etiam ſingulæ præſtiterunt, & aliæ quidem ſe centenarias, aliæ nonagenarias, aliæ octogenarias, plures ſe ſexagenarias annotârunt. Altero mane, ſicut juſſæ fuerant, parent, & comparent denuò: verùm Hiſtrio ſtatim ad earum acceſſum dolenter conqueſtus eſt, ſibi per furtivas cujusdam Harpyiæ manus ablatas eſſe omnium ſchedas; rogavit itaq; ſingulas, ut rurſus aſſignarent nomina, & ætatem, ſe certò ſtaturum promiſſis: illud tamen ſe præmonere debere ſuperdixit, quod eam, quæ plurimos ex omnibus numeraret annos, rogo & *Vulcano* conſecrare & in pulverem concremare deberet, ut ex ejus cineribus potum præparet reliquarum ſenectuti profligandæ & juventutis flori reproducendo percommodum. Ad quæ omnes obſtupeſcunt, & quid facere jam ſingulæ vellent, ſecum perpendunt. Credunt tamen ſuperſtitioſæ mulieres clamoſo ſuo ſtentori, domumque reverſæ novas conſcribunt ſchedas, in quibus tamen ſingulæ multis annis ætatem imminuunt, ità ut jam nulla amplius ex toto illarum cœtu & numero fuerit, quæ ſe vigeſimum ætatis annum ſupergreſſam fateretur. Colligit tandem Hiſtrio novus iterum ſchedas, & primas confert cum ſecundis, atque ex propria illarum atteſtatione proclamat ſingulas unâ nocte factas eſſe multò juniores.

Faceta hiſtoria de juventa vetulis reſtituta.

§. IV.

Canities præcox in juvenibus variis Exemplis demonstrata.

Canities unde proveniat? 1. Canities generaliter ex vitiato sanguine videtur provenire: vitium verò sanguinis non ipsum tantùm senium, sed & vel maximè etiam tristitia, metus, & alia quævis adversa animi pathemata ac magna perturbatio & consternatio inducere valet. Undè pluribus constat Exemplis metum, consternationem, terrorem repentinum subitamque mortis intentatæ formidinem ætatis etiam floridæ adhuc alumnis canos apposuisse, & subitam metamorphosin induxisse. Sic *Jacobus* quidam *Osorius Erigeni* in carcerem conjectus adolescens etiamnum unâ noctè totus incanuit, ut tradit *Ludovicus Vives in præfat. in Somnium Scipionis.*

Canities à visione nocturnâ. 2. Cùm *Ludovicus Bavarus* Imperator ad Rhenum in armis esset, *Maria Brabantina* ejus conjux *Werdæ* habitans binas literas uno quidem annulo diversâ tamen cerâ atrâ & rubrâ obsignatas, illas marito, alteras *Henrico Ruchoni* Decurioni equestri mittit. Atque is, qui Epistolas detulit, errore seductus rubrâ cera conclusas tradit *Ludovico*; qui lectis literis amatoria agi suspicatus, re dissimulata; relicto apud Rhenum exercitu, quàm maximè potest, accelerans iter ad uxorem diu noctuque contendit, & indictâ causâ adulterii condemnatum *Henricum* securi percuti jubet: posteà veluti conscius sceleris *Helicam* virginem Prennebergensem cultello confodit & aliam nobilem fœminam, quam Gynecæo præfecerat, de turri præcipitavit. Ob id horrenda illi occurrit nocturna visio, quâ una nocte totus incanuit: pœnitentiâ deindè ductus monasterium condidit Furstenfeldense, ut *Cuspinian.* scribit in *Ludovico Bavaro Imp.*

A nuntiatâ morte. 3. *Franciscus Gonzaga* affinem suum suspectum conjurationis, cùm in turri portæ Cæsareæ ad quæstionem aut supplicium servari jussisset, nuntiatum est manè totum repentè canum factum, quod quasi prodigium flexit Principis animum, qui ei propterea & vitæ & veniæ gratiam dedit. *Scaliger Exercit. 312. in Card.*

A nimio mœrore & formidine. 4. Juvenis quidam generosus ac nobilis, qui apud *Carolum* Cæsarem, dum in aula versaretur, virginis, quam deperibat, pudicitiam expugnârat, quod capitale in eo cœtu etiam non reluctante puellâ ob decus aulicum fœdâ libidine contaminatum in carcerem conjectus, atque postridiè ad supplicium tractus, præcedente nocte totus incanuit, adeò, ut amisso florido & spectabili colore, nec Cæsari, nec familiaribus notâ facie prodiret. Cæsar suppostititium suspicatus aut dolum, explorari jussit, an ipsus esset, & num ementita canities, atque indecorâ canitie barba delibata pharmaco fotet. Re deprehensa Cæsar miseratione flexus crimen ei condonavit, satis pœnarum arbitratus in tanto fuisse mœrore, ac conceptâ animi formidine, quæ canitiem istam mortis prodromam attulisset. *Hadr. Junius lib. de Coma cap. 10. Schenckius lib. 1. observ. 1. Lemnius & alii.*

A negata dispensatione. 5. *Albertus Cranzius lib. 9. Metropol. c. 47.* refert, quod cùm *Vipertus* Juvenis adhuc in *Ravenburgensis* Ecclesiæ Episcopum fuisset electus, *Romamq;* profectus, ut dispensationem super ætate à summo obtineret Pontifice; à Pontifice verò postulatis non annueretur, nocte sequenti totus incanuerit. Quo viso deindè miraculo Pontifex tandem annuerit, electionem confirmârit, & dispensatione factâ etiam in Episcopum consecrârit.

6. Quidam, ut *Cœlius Rhodiginus antiq. lect. 13. cap 27.* memorat, è rupe pendens, dum accipitrum pullos scrutaretur, interimque funes, quibus sustinebatur, dissiluissent, subitâ formidine correptus totus incanuit. A formidine ob funes ruptos.

7. *Libavius lib. 2.* sing. tradit, mulierem quandam incidisse in foveam, in quâ lupus & vulpes attinebantur, itaque hinc conterritam unâ nocte incanuisse, totâque reliquâ vitâ tristem semper vultum exhibuisse. A casu in foveam.

8. Juvenis quidam nobilis, uti referunt *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 4. obs. 60.* annorum 24. ex antiquissimo stemmate *de Meinesdorff* (quod unà cum ipso annihilatum est) in militiâ contrà Barbaros captus, carcerique mancipatus, ex metu imminentis mortis, quam Barbari minati sunt, unius noctis pervigilio canus factus est, tandem tamen peticulo liberatus. Ex metu mortis intentatæ.

9. Exemplum etiam mirabile recenset *B. Vincentius* natione Hispanus *Conc. in Sexagesimâ*, de quodam juvene, qui somniando à Christo in judicio fuit interrogatus, & subitò ex timore totus factus est canus. A somnio formidoloso.

10. Quibusdam canities præcox non à terrore, metu vel alio quodam adverso casu seu accidente adventitia est, sed naturalis & nativa. Sic memorant *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 1. obs. 69. Buxtebudæ* in Ducatu Bremensi fuisse militem præsidiarium juvenem annorum 18, qui canitie laborârit. *Mart. Zeilerus* etiam narrat *cent. 1. ep. 17.* vidisse se Studiosum crispis & canis capillis præditum: Alios item duos ejus fratres simili capillitio conspicuos fuisse. Scribit quoque *Schottus phys. cur. lib. 3. cap. 6. §. 2.* vidisse se *Romæ* infantulum canis capillis natum. Sed horum eventuum causa matrum imaginationi adscribi potest, quæ vel maritum vel adulterum senem & canum vehementiùs tempore gestationis partûs sibi imptesserunt; aut potest causa virtuti alicui particulari inditæ parentum semini provenienti ex loci & alimentorum constitutione attribui. *Solinus polyhist. cap. 19.* refert, populos Albanos hoc quoque nomine dictos, quod omnes cum canitie in lucem prodirent. Canities præcox nativa.

11. Sed nec hoc loco videtur omittendum, quod contrà accidisse scribit *Rasis*; hominem nempè se novisse, qui drachmate vitrioli potato unico noctis intermedio, quidquid canitiei in capite gesserat, totum amiserit. Verùm *Galenus* vittioli usum ab internorum medicamentorum genere omninò excludit.

§. V.

Admirandum corporis robur, in variis hominibus pluribus declaratur Exemplis.

1. A nervis, eorumque densitate ac firmitate roboris præcellentioris in corpore humano vires agnoscunt Physici. Undè benè, inquit Undè corporis robur?

inquit *Solinus cap. 4. polyhist.* maximam virium substantiam nervos facere, quantoque fuerint densiores, tantò propensius augescere firmitatem. In Sacris literis roboris firmitate claruisse memorantur imprimis *Nemrod* filius *Chusi*, Nepos *Cham*; *Samson Manue* filius & *David* filius Isai, sivè Jesse, de quibus Sacra Historia consuli potest.

Robusti ex S. literis.

2. Ab antiquis Scriptoribus maximè celebris ob eximias corporis vires & robur habitus semper fuit *Hercules Jovis*, ut ajunt, ex *Alcmena Amphytrionis* Principis Thebani conjuge filius. Cujus labores, quibus immortalem sibi peperit gloriam, plures decantant Poëtæ: Nos eosdem breviter ex *Boëthio lib. 4. cap. 17.* his versibus complexos referimus.

Herculem duri celebrant labores:
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sævo spolium Leoni,
Fixit, & certis volucres sagittis:
Poma cernenti rapuit Draconi
Aureo læva gravior metallo,
Cerberum extraxit triplici catena:
Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sævis dominum quadrigis
Hydra combusto periit veneno:
Fronte turbatus Achelous amnis,
Ora demersit pudibunda ripis:
Stravit Antæum lybicis arenis,
Caccus Evandri satiavit iras.
Quoque pressurus foret altus orbis
Setiger spumis humeros notavit
Ultimus cœlum labor irreflexo
Sustulit collo; pretiumque rursus
Ultimi cœlum meruit laboris.

Herili vires.

3. Fingit *Virgilius lib. 8. Æneid. Herilum* tres habuisse animas, ter letho sternendum fuisse, non aliam ob causam, ut conjicitur, quàm propter insuitatas & portentosas hominis vires. Sic enim apud *Eundem* canit *Evander*.

Et Regem hac Herilum dextrâ sub tartara misi:
Nascenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat: terna arma movenda
Ter letho sternendus erat, cui tunc tamen omnes
Abstulit has animas dextra & totidem exuit armis.

Milo Crotoniata fortis & robustus describitur.

4. De *Milone Crotoniata* & prodigiosis illius viribus multa verè admiranda recensent Authores, ac comprimis *Plinius lib. 7. cap. 10.* Item *lib. 10. cap. 37. Pausanias lib. 6. Herodotus lib. 3. Strabo lib. 6. Valer. Max. lib. 9. cap. 12. Suidas, Gellius lib. 15. cap. 15. Ælianus lib. 2. de var. hist.* & plures alii, eum nempè, dùm peruncto disco institisset, neminem vestigio educere valuisse: in Olympia bovem per stadium retento anhelitu portâsse, eundemque ictu pugni interfecisse: caput nervo non aliter quàm redimiculo aut corona cinxisse, intercluso deindè, quanta maxima vi poterat compressis labiis spiritu, cum venæ capitis sanguine plurimo intumuissent, nervum rupisse, eundem ubi porrecta dextra cubitum lateri intendisset, minimum, neminem fuisse qui ullo nisu posset à cœteris abjungere. Miserandum verò ejus interitum viribus suis nimium præfidentis describit *Aulus Gell. lib. 15. cap. 16.* hunc in modum: *Cùm jam natu grandis artem athleticam didicisset, iterque faceret fortè solus in locis Italiæ sylvestribus: quercum vidit proximè viam patulis in parte media ramis hiantem. Tum experiri (credo) etiam tunc volens, an ullæ sibi reliquæ vires adessent, immissis in cavernas arboris digitis diducere & rescindere quercum conatus est: Ac mediam quidem quercum discidit, divulsitque; quercus autem in duas diducta partes, cùm ille quasi perfecto, quod erat connixus manus laxasset, cessante vi rediit in naturam, manibusque ejus retentis inclusisque stricta denuò & cohæsa dilacerandum hominem feris præbuit.* Hæc *Gellius* ita virium, quibus aliàs gloriam comparavit, nimia fiducia exitium & mortem peperit.

Titormus Ætolus.

5. *Titormus* bubulcus Ætolus cum *Milone* Crotoniata etiam certare ausus, ut *Ælianus lib. 12. de var. hist.* & *Cælius lib. 21. cap. 36. Ant. Lect. ex Athenæo* recensent, abjectâ veste ex *Eveno* maximæ molis lapidem primum quidem ad se traxit, deinde remisit: & hoc bis aut ter, tum eum usque ad genua sustulit, atque postremò sublatum in humeros usque ad octo orgias portavit & abjecit, quem *Milo* vix loco movere potuit: Ad gregem deinde abiit, & stans in medio maximum fortissimumque taurum pede prehendit, qui cum vellet effugere, non valebat. Alium item accedentem attractum pede similiter traxit.

Maximus Tyrannus.

6. Ex *Julio Capitolino* aliisque scriptoribus constat *Maximum* Tyrannum tanto robore fuisse, ut currus manibus attrahere, equis pugno dentes solvere, calce crura frangere, lapides tophicos digitis friare, arbores minùs annosas disrumpere posset. Quâ de causâ ab aliquibus *Hercules*, ab aliis *Milo Crotoniates*, à nonnullis & *Antæus* appellari solitus fuit. Hac tamen nimiâ suâ fortitudine abusus à militibus tandem confossus dicitur.

Polydamas.

7. *Polydamam Niciæ* filium è *Scotussa* Thessaliæ urbe scribit *Suidas*; uti & *Pausanias lib. 6.* in monte *Olympo* prorsus inermem *Herculis* æmulatione Leonem præferocem confecisse: apprehensum è grege medio maximum & ferocissimum taurum pedibus posterioribus resilientem & contranitentem tam obnixè detinuisse, ut vix & relictis quidem ungulis effugere potuerit. Ajunt eundem incitante equos auriga alterâ tantum manu retractos à tergo currus sistere solitum fuisse. Plura alia vide apud citatos Authores.

Ægon.

8. *Ægon* pugil in *Zacyntho* insulâ taurum ferum calcibus prehensum è monte in urbe pertractum *Amaryllidi* donâsse dicitur.

 9. *A. Junius*

A Junius Valens.

9. *A. Junius Valens*, qui sub *Augusto* Imper. centurionis locum tenuit, utribus onustum plaustrum solus, cùm deponeretur onus, sustinuisse, currumque equorum vi tractum manu unâ retinuisse scribitur à *Plinio lib. 7. cap. 20.*

Tiberius C.

10. Referente *Suetonio Tiberius* Cæsar erat articulis ità firmis, ut recens, & integrum malum digito terebraret; caput pueri vel etiam adolescentis talitro vulneraret.

Fl. Claudius. Martianus.

11. Fuit & digitis usque adeò fortibus *Fl. Claudius*, ut sæpè equis ac mulis ictu pugni dentes excusserit. Martianus quoque Imperator Rom. in digitis nervos habuisse dicitur, non venas tantâ vi ut nullius manus ad scribendum aut impellendum præstantior tradatur: fortissimum etiam quemque uno digito sic affligere potuisse fertur, perindè quasi clavâ ferroque ictus torqueretur. *Cœlius lib. 4. Ant. lect. cap. 3.*

Gratianus.

12. *Gratianus*, ut refert *Paulus Diac.* & *Sex. Aurelius*, ignobili loco apud *Cibalas* in Pannonia natus robore admirando præditus, *funarius* idem fuit dictus, quod funem venalitium portanti quinque milites extorquere nequivissent.

Cunibertus.

13. *Cunibertum* Longobardorum Regem tantâ brachiorum fortitudine fuisse præditum scribit *Paulus Diac. in hist. Longob. lib. 5. cap. 40*, ut cùm puer esset, duos verveces miræ magnitudinis lanâ dorsotenus singulas manus apprehensos à terrâ levârit.

Tamerlanes.

14. De *Tamerlane* narratur tanto manuum ac brachiorum robore instructum extitisse, ut acinace equum maximum unico ictu medium dissecaret.

Fortes in borealibus regionibus.

15. *Cardanus lib. 8. de variet. cap. 44.* notat sequentia, ajens. *Nunc etiam homines in borealibus regionibus esse dicuntur, qui equum vel bovem in humerum assumant, vas quoque ferreum mille librarum. Audivimus etiam olim occisum quendam Olegianum, qui curruum rotas manibus suspenderet, singulas singulis circumverteret. Idem brentas vini tres simul gestaret singulas singulis brachiis, tertiam dorso; hæ capacitatem complent amphorarum octo seu librarum 672.*

Hildanus.

17. Fidem penè excedunt, quæ narrat, *Joan. Schefferus lib. memorab. Sueticæ gentis cap. 30. de Haldano* Rege his verbis: *Ferunt veteres Memoriæ fuisse tantum non animi modò, verùm corporis etiam illius robur, ut cum aliquandò certamine privato, singularique Solus pugnare cum Siguardo, septemque filiis ipsius deberet, abjecto ense quercum arripuerit, extractamque cum radicibus è terrâ clavæ stipitisque loco adhibuerit in adversarios; hocque unico sologue telo cunctos per virtutem incredibilem prostratos interfecerit.*

Robore præstantes alii.

18. *Idem Schefferus ibidem* adducit Olai *Magni* de nonnullis suorum temporum eximio corporis robore præstantibus viris testimonium, quod nempè viderit inclusam dolio ligneo ferri crudi vim ingentem ad sexcentarum, octingentarum, imò mille librarum pondo gravem humeris gestare ad spatium longissimum. Eundem asseverare scribit rursus visum sibi quempiam, qui equitem armis omnibus pro temporum illorum consuetudine ex ferro solido fabrefactis indutum ornatumque obviam forte factum, non arte aliqua, vel industria ingeniosa, verùm nudo simplicique corporis & membrorum vi roboréque simùl cum ipso equo præcipitem dejecerit in terram.

Ericus Leionhutus.

19. Inter præclari roboris viros nominat Idem supra notatus Author *Ericum Leionhufus* quem scribit soleam ferream, quâ calceantur Equi, recentem ex officina nudis manibus discerpere solitum.

Firmus.

20. *Firmus* è Romanorum tyrannis unus, ut refert *Cardanus de variet. lib. 8. cap. 40. Galeni* temporibus ob hoc nomen adeptus, quod incude super pectus imposito malleorum perferret ictus.

Voërtus.

21. Clarus est in historiis antiquis *Voërtus de Cruce* Mediolanensis, qui equum citatissimè currentem certâ lineâ constitutâ immobilem reddebat ne transiliret, humeris jumentum frumento onustum elevabat, ferebatque. Cum se unico pede statuisset altero è terrâ sublato tantâ constabat firmitate, ut nemo, quantumvis robustus, eum vel tantillum dimovere loco posset.

Paulus Boëmus.

22. Omiseram propemodùm, quod narrat *Bonfinius dec. 4. rer. Hung. de Paulo* quodam humillimo genere in Bohemiâ nato, qui inauditis animi, corporisque viribus fuisse perhibetur statura, robore, ac lineamentis membrorum Herculi planè similis. Hic in paterno pistrino alitus molam frumentariam sine quoquam adminiculo, quandoque vas vinarium vix currui portabile solus humo sustulit. Armatum hominem dentibus surreptum inter militares choreas non inermis saltando circumtulit.

23. Apud Cadurcos, Acarnanes atquè Æthiopes usum vetustissimum invaluisse scribit *Alex. lib. 2. cap. 25.* ut Saxa ingentia fundis intorquere, aut sagittas, aut jacula ingentis ponderis vibrare à teneris ediscerent.

Maximinus.

24. *Maximinus* Imp. tophaceos lapides perforabat digitis & majusculas arbores manibus dividebat. *Sabell. lib. 10. cap. 9.* & *Fulgosus lib. 1. cap. 6.*

Scanderbegus.

25. Manet etiam in Anhalium fide insigne corporis robur *Georgii Scanderbegi*, quem gladium habuisse perhibent, quo unico ictu Turcas transversim dividere & integros eorum artus detruncare solebat. *Mahometes* autem Imp. Turcicus, quamvis hostis ejus accerrimus, sicut memorat *Camerarius part. 1. hor. succis. cap. 76.* illum videre desideravit. Igitur misit illum *Byzantium Scanderbegus* additâ cautione, ut remitteret. Quem cum præstitâ cautione remisisset, nemo repertus in Aula Turcicâ dicitur, qui eo commodè posset uti, ita ut *Mahometes* se suppofititio gladio ad terrorem solùm delusum renuntiaret. Econtrâ *Scanderbegus* absque dolo acinacem suum misisse, non vero brachium; eoque propediem adversùs Turcas usurum se affirmavit.

26. Fuit *Antverpiæ* civis, teste *Beyerlinck in Theatro Vitæ hum. v. robur.* tantâ dextræ fortitudine, ut virum justæ molis in eâ consistentem sustineret & attolleret sine noxâ.

Scribit

Polocava. 27. Scribit *Hieron. Henninges in Geneal. Turc. Imp. Polocavam* generosum Polonum tanti roboris fuisse, ut equorum soleas ferreas etiam recentes nullo negotio manibus instar chartæ vel alterius rei fragilis rumperet.

Georgius Fronsbergius. 28. Eodem memorante *Georgius Fronsbergius* Baro ità membrorum robore valebat, ut extento medio digito robustissimum quemque etiam loco dimoveret: equum currentem arrepto sisteret frœno, tormentum murale solus propelleret. Digito quoque indice sivè salutari *Martium Septimum*, qui ex fabro ferrario imperium tenuit, tantùm valuisse dicunt, sicut tradit *Alexander lib. 4. cap. 6.* ut currus ex adverso nitentes repulerit & fortissimum quemque colliserit.

Matthæus Magnus aliique fortes. 29. Narrat *Arlunus in Hist. Mediol. Matthæum Magnum* Vicecomitem tanto corporis robore fuisse prædìtum, ut etiam soleas equorum disrumperet. Comitem etiam *de Burgstall* memorant, eâ virium valuisse facultate, ut ferreas equorum soleas manu suâ confringeret, duo mortaria ænea aliquot centenariorum pondere unâ manu per scalas portaret, & septem personas jam jam adultas simul humeris excipere potuerit. In Curlandia quoque notum sibi fuisse scribit D. *Rosinus Lentilius Oribasius in parallelis ad obs. Ann. 1. Dec. 1. Eph. Germ. Cur. ad obs. 98.* nobilē tanto corporis robore præsignem, ut non tantùm ferreas equorum soleas & imperiales thaleros negotio haud difficili tum flectere, tùm omnino confringere potuerit, sed & imposita palmâ lapidis molaris motum præsente aliquandò Serenissimo Duce *Jacobo* in plenâ circumgyratione frequenter impedire, imò planè sistere valuerit.

30. De *Ichoglan* quodam refert *Tavernierius descript. Turc. pag. 164.* quod frustum ferri 350 libras ponderans in balneis præsente Turcico Imperatore unâ manu sustulerit. Tradit & *Jacob. Sponius itiner. lib. 2. pag. 19.* Morlachos (gentem Græcæ Religionis in Dalmatiâ bellicosam) adeò membrorum corporis robore valere, ut eorum quatuor equum fortissimum per viginti passus portare queant: idque facere soleant, ubi loca sunt equis inaccessa.

Cleomedes Astipalensis. 31. Consummatæ crudelitatis actiones cum ingenti virium robore de *Cleomede Astipalense* recenset *Plutarchus*. Hic aliquando sine armis fuisse fertur: contigit autem, ut cum *Lacco Epidanio* Luctatore famoso solis manibus dimicarit, quem primo ictu pugno interemit. Sed quod sodalibus suis maximè horrendum apparuit, Summa feritas ac barbaries fuit, quâ ergò Corpus mortuum uti voluit. Cum enim fumantem iram adhuc spiraret, manum lateri ejus applicuit, & cum furibunda violentia de pectore ejus palpitans cor evulsit simul cum intestinis. Itaque ob hoc facinus coram judice comparere jussus, plus quàm antea inexorabilis introeundo scholam publicam, ubi centum pueri sub Ludimagistro suo congregati morabantur, columnam, cui ædificium universum incumbebat, apprehendit, totamque fabricam excussa columna super capita tot innocentum præcipitavit, undè ad unum omnes miserè extincti sunt. Cum ergò ex his sibi mortem certam auguraret, in *Dianæ* fanum se contulit, atquè illic sepulchrali lapide elevato subtus illum se abdidit, vivumque tumulavit, sicque vitam nescio an majori cum gloria quàm ignominia terminavit.

32. Omnem ferè credulitatem excedere videtur, quod *Cœlius lib. 7.* de in enarrabili fortitudine simul & rusticitate *Agathonis Atheniensis* refert. Hic quamvis jucundissimi aspectus esset, comæ prolixioris, naribus aquilinis, vultu hilari, pectore spacioso, & altitudinem pedum octo attingens, semper pelle lupina horridus incedebat. Plerumque Sylvestres feras venando prosequebatur, nil veritus etiam immanissimas Pantheras & tygrides & ursos, imò nec Leones. Qui tam in habitu corporis quàm cœteris alimentis suis omne id cavebat, quod mollem reddere vel delicatum posset. Undè verificari in illo potuisset, quod de *Achille* dictum, qui se Leonum & ursorum medullis cibare solitus sit. Agathon Atheniensis.

33. Illud etiam fermè incredibile videtur & prodigio simile, quod de *Tidæo filio Ænei* Regis Celidoniæ *Tortellius* meminit; eum videlicet in Mycea sibi parem robore non habuisse: ablegatum ad *Etheoclem* provocasse ad certamen Thebanum qualiscunque esset, ei insuper quæcunque arma vellet, ad electionem liberam relinquendo. Quoscunque autem adortus est, eorum victor cum ingenti gloria evasit. Quia verò Thebani jactantiam viri amaro animo ferebant, insidias ei per fortissimos viros in primo juventutis flore eximos collocarunt: Sed eorum damno factum. Ille enim non secus ac alter *Samson* inter Philisthæos, aut *Hercules* inter Pygmæos desæviendo cunctos misera strage trucidavit. Tidæus.

34. Haud minori admiratione dignum videtur, quod de *Seleuco Nicanore* Rege Syriæ memoratur. Hic enim statura sua excelsus eo tempore ad sacrificium quoddam advenit, quo taurus Sylvestris de manibus Sacerdotis evaserat. *Seleucus* vix manu fugientem tetigerat, & confestim cum stupore circumstantium, inter quos etiam *Alexander Magnus* erat, immotum stare fecit. Seleucus Nicanor.

35. De *Fusio Salvio* Antiqui memorant Authores, quod cum promptitudine scalas ascenderit, tenens manu ducentarum librarum pondus, tantundem super humeros, præter hæc & pedibus ejusdem ponderis onus trahens. Fusius Salvius.

36. De *Cynegyro* Atheniensum contrà Persas Duce memorant Historici, quod cum hostes ad mare usque persequendo fugasset, & illi naves jam concendissent, earum unam dextra manu apprehenderit, quam sibi sentiens hostili ferro truncatam, sinistram applicuerit; illâ quoque amissâ Cynegyrus.

amissâ protinus rabido dente hostile lignum mordicus tenuerit. Idem recensetur de *Lucio Glauco* Romano, qui navem quandam *Asdrubalis* pari modo retinere ausus est. Ita tradunt *Plutarchus & Justinus*.

Teuto exoticarum viciun.

36. De Teutone quodam exoticarum virium & actionum Heroicarum exemplum refert *Nicetas*, quod ea ætate contigit, qua *Isaac* Imperator Orientis regnavit. Cum nimirum Germani Iconium vi armorum obtinuissent, hic, de quo narratur, tam corporis robore, quàm animi magnitudine egregius exercitum Turcarum pedes sequebatur manu sua conducendo equum: eum igitur quinquaginta equites invadunt: sed sine mora ille objecto scuto contra hostium sagittas & cœtera armorum genera se inaudito valore defendit quidquid in eum jaceretur, non secus ac festucas levissimas æstimans: inter quos Mahometanus quidam abjecto arcu, & apprehenso gladio impellens equum in Germanum violentus accurrit, ut cominus tantò vehementius pugnare posset; itaque ingenti plaga gladii ferire caput Antagonistæ sui cœpit, certam sibi victoriam spondendo: Germanus autem nil statione sua commotus non secus ac columna ærea impetum ferientis sustinuit. Conversus posthæc ad inimicum suum more fulminis gladium suum vibrat, & unico ictu utrumque anteriorem pedem equi amputat; sicut falce secari fœnum consuevit: Reduplicata deinceps plaga in caput Turcæ furientem ensem impegit ita validè, ut in duas partes hiante vulnere secarit. Ad portentum illud fortitudinis Mahometica turma stetit attonita, & cum nemo ultrà conferere manus cum victore ausus esset, pleni confusione disparuerunt: Teuto verò circà Vesperam hyberna sua illæsus repetiit.

Baro quidam in Silesia.

37. Vixit non ita multis abhinc annis in superiore Silesia, sicut recensetur *Eph. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 1. obs. 98.* Generosus quidam Baro tam insignis roboris, ut ferreas equorum soleas & solidos Imperiales sola rumperet manu. Tres homines unâ vice detineret, binos sub brachiis & tertium dentibus ipsius vestibus infixis. Idem in Venatione equo excussus, dum in terrâ prostratus jaceret, aprum ingentis magnitudinis irruentem una manu pilis sub mento arreptis in cursu detinuit; alterâ verò manu gladio pectori violenter intruso confodit. Quin & jam Septuagenarius, cum à militibus invaderetur, duos ex illis ita unico pugno excepisse dicitur, ut mortuos in terram prosterneret, & se liberaret. Nostra etiam ætate celebris est robore Serenissimus & Illustrissimus Saxoniæ Dux ac Princeps Elector

Fridericus Saxoniæ Elector.

Fridericus, cujus admirandæ vires in monetis confringendis, orbibus, scyphis, & lancibus argenteis comprimendis, maximisque ponderibus attollendis & elevandis omnes in stuporem rapiunt. Proximo etiam abhinc anno ejus fortitudinis robur incomparabile omnibus sæculis memorandum in debellato & trucidato fortiter urso toti Europæ miraculum præbuit.

Gal. Bardasinus.

38. *Galeotus Bardasinus* Catanensis Patritius teste *Thoma Fazello lib. 3. de reb. Sicul. cap. 1. decad. 1.* armatura ponderosa oneratus, galeatusque humi stans sinistrâ ephippium, dexterâ hastam militarem tenens strenuo saltu in equum insiliebat. Asinum magnâ lignorum congerie, sivè quacunque aliâ sarcina gravem manibus è terra in altum extollebat. Duos insuper è robustissimis simul aggrediebatur, dumque alterum attrectaret, alterum genibus compressum urgebat, neq; antè desistebat, quam prius hunc, deindè illum pedibus subjiciendo amborum manus post terga vinciret.

Pilorum robur in quibusdam.

39. *Christian. Franc. Paullini in observ. Medico-Phys. Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 6. appensis obs. 10.* Memorabile pilorum robur enarrat de viro quodam, qui nempè librarum quadringentarum & am pliùs incudem ferream villis capillorum occipitii in altum promptè elevabat. Vidisse quoque parentem suum scribit ibidem in Diœcesi Wormatiensi puerum rusticum 15 tunc annorum densis, robustis, prolixis & nigerrimis capillis conspicuum, qui stanneam lagenam duodecim mensuris repletam & capillis occipitii firmiter annexam ad dimidium milliare promptè portabat.

40. In molâ Arnstadiensi *Güntheri* Comitis, ut memorat *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 8. obs. 93.* ante aliquot annos servus fuit, qui modium frumenti in sacco; miles item, qui hominem quadratum, & satis grandem mensæ tabulam dentibus elevavit, & hinc indè circumtulit. *Georg le Feuer* quoque narrat Ann. 1529. in Misnia vixisse Præpositum quendam nomine *Nicolaum Klunberum*, qui absque ullo alio subsidio integram tonnam cerevisiæ è cella exportârit.

Fœminæ admirandi roboris Cimburga.

41. Quin & in muliebri sexu aliàs debili singularis etiam fortitudinis ac roboris insoliti patent exempla. Cuspinianus scribit *Cimburgam Alexii Massoviæ* Ducis filiam, uxorem *Ernesti* Ducis Austriæ Matrem *Friderici III.* Imperat. mulierem religiosissimam fuisse & suprà muliebrem sexum fortem, quæ digito sæpè avellanam & juglandem fregerit, ac clavum citrà ullam noxam parieti impegerit.

Zenobia.

42. Quoniam de fœminis incepimus, mox aliam adducere libet, *Zenobiam* nomine, quæ à naturâ ita fortis extitit, teste *Tarcagnota*, ut non solùm armatos homines, sed & Leones, ursos, pardos & alia ferocissima animantia aggredi non horreret, sed vinceret & expugnaret.

Joanna Gallica.

43. De *Joannâ* Gallicâ Virgine scribit *Cardanus de Variet. lib. 8. cap. 43.* quod fuerit suprà sexum fortis, suprà ætatem prudens, suprà corporis habitum robusta, docueritque Gallos vincere Britannos, victores alacres repulerit, ac demùm Galliam de servitute liberaverit.

Puellæ mira ponderalevantes.

45. Testatur *Schefferus memorab. Sueticæ, gent. cap. 30. Olaum M.* puellas aliquas spectâsse, quæ singulæ mille librarum massam ferri vel alterius metalli à solo elevare valuerint. Atque hæc meritò admiranda sunt, quia insolita, quia rara, quia haud facilè obvia cuivis spectare & observare contingunt.

§. VI. Ad

§. VI.

Admirandæ agilitatis & agendi promptitudinis quædam in hominibus exempla proferuntur.

Agilitas quid sit. 1. Agilitas virtus seu facultas quædam est in movendi & facilè quid agendi promptitudine ac dexteritate consistens. Hujus in hominibus variis admiranda dantur Exempla. Sic *Tritanus* Samnius gladiator teste *Plinio lib. 17. cap 20. Solino cap. 4. Polyhist.* omnes adversarios levi tantum tactu prosternebat.

2. Vidisse se scribit *Idem Plinius lib. 7. cap. 20. Athanatum* quendam religiosæ ostentationis quinquagenario thorace indutum, cothurnisque quingentorum pondo calceatum per scenam ingredi.

Commodus Imp. 3. *Commodus* Imp. *Faustinæ & M. Antonini* filius centum ictibus in arenâ totidem stravit leones: Et tam validis fuit viribus, ut elephantem hasta & orygis cornu transfigeret, ut plures feras interdùm uno conficeret ictu. Adeò certa illi fuit manus, ut quidquid oculo destinasset, jaculo aut sagittâ contingeret. *Sabell. lib. 5. Enn. 6. & lib. 10. Exemplor. cap. 11.*

Moscovitæ. 4. De Moscovitis scribit *Guagninus in deScript. Moscov. cap. 3.* eos cum ursis indomitis & efferis absque armis solis confisos viribus congredi audere, ursumque per aures arreptum tandiu fatigare, donec prorsùs debilitatum prosternant.

Lapones. 5. Lapones staturæ modicæ, & corpore usque adeò agiles esse tradit *Jac. Zieglerus in Scandia*, ut accincti pharetrâ & arcu sese transmittant saltu per circulum diametri cubitalis.

Lusitani. 6. De Lusitanis scribit *Diodorus lib. 5. c. 9.* mobili eos corpore esse levique, ut facilè & fugiant & insequantur hostem: In pace choreas levi saltu exercere solere cum quadam crurum agilitate: Bella verò ad numerum aggredi pæana, cùm hosti obviant, cantando.

Finni. 7. Finni ut *Saxo l. 9.* refert, lubricorum stipiti celeri allapsu cursum intendere soliti arbitraria velocitatis potentia rapiuntur, promptissimamque propinquitatis vel absentiæ facultatem obtinere creduntur. Mox enim ut hostem læserint, eadem celeritate, qua subiêrunt, avolant, nec procursu languidius reditum tentant. Scritofinnos cursu feras antevertere tradit *Crantzius in Sueciâ.* Monomeros quoq; populos Septentrionales singulis cruribus saltuatim currentes vivacissimæ pernicitatis memorat *Gellius.*

8. In Occidui novi Orbis quâdam provinciâ Indi dicuntur adeò valere cursu, ut integrum diem insequantur feram, nec prius desistant, quàm lassitudine fessam intercipiant.

Hylophagi. 9. Hylophagos Æthiopes agillimos scribit *Stobæus.* Omnium item Æthiopum pernicissimis pedibus asserit Troglodytas *Herodotus l. 4. & Plin. l. 7. c. 2. ex Crate Pergameno.* Marsos quoque populos præcipua pedum levitate cæteris præstantiores notat *Alexand. ab Al l. 2. c. 21.* Americanos etiam plerosque velocissimos esse, ità ut cervos aliasque feras in venatione rarâ cursûs celeritate assequantur scribit *Suidas.*

Asael Asar. 10. *Asael Asar* frater ex *Sarvia* sorore *Davidis* Regis pedum velocitate Sylvestribus capris par fuisse scribitur. Ab *Abner* deindè Polemarcho *Isboseth* filii *Saulis* Regis, quem persequebatur, fuit interemptus. 2. *Reg. 3.*

Cursores eximii. 11. Ab antiquis Scriptoribus ob miram pedum agilitatem & velocitatem in cursu celeberrimi decantantur *Achilles Peli* filius, *Pyrrhus Achillis* filius, *Ophelte Clytoneus, Perseus, Thalus, Epaminondas, Atas* puer, sive ut *Martiali l. 4.* placet, *Addas*, qui *Romæ Fonteio & Vipsanio Coss.* à meridie ad vesperum usq; confecit 75000. passuum perpetuo cursu, cum vix nonum excessisset annum, ut meminit *Plin. l. 7. c. 20. Papyrius* etiam, qui de Samnitibus triumphavit, à pedum pernicitate *Cursor* appellatus fuit. Vicit etiam omnes ætatis suæ juvenes & in præliis milites cursu alacriores promptioresque reddidit.

Indacus cursor mirabilis. 12. In *Suidæ* historiis mira de quodam velocissimi cursûs homine legimus. *Indacus*, inquit, sub *Leone Marciani Imp.* successore floruit homo audacissimus & pedibus valentissimus, lævâ manu robustior, celeritate præstans; fuit enim *Euchide & Assopo & Chrysomazo & Echione*, & si quis alius celeritate pedum celebratur, velocior. In eundo conspiciebatur, & rursùs evanescebat, fulguris instar per præcipitia non currenti magis, quàm volanti similis. Quam enim viam homo equis mutatis uno die conficere non poterat, eam hunc suis pedibus absq; ullo dolore percurrere asserebant. Nam à Castello *Chereo* uno die *Antiochiam* perveniebat, & postridiè in idem revertebatur castellum, ex eoq; denuò quietem non desiderans uno die *Neapolim Isauriæ* proficiscebatur.

Luponus. 13. *Luponum* Hispanum tradunt teste *Jovio in piscario l. 2.* cursu & viribus tantum valuisse, ut ariete etiam in humeros sublato velocissimi cujusq; cursum adæquaret.

Ethus alipes. 14. *Ethus* Scotorum Rex cognomento *Alipes*, narrante *Boëthio l. 10.* tantâ fuisse pedum velocitate perhibetur, ut penè cervos & venaticos canes cursu æquaret.

Starchaterus. 15. De *Starchatero* Sueco gigante fortissimo corporis viribus plurimùm excellente scribit *Olaus M. l. 5. Sept hist. c. 7.* eum tantâ pedum pernicitate valuisse, ut uno die è Superiori Sueciâ in Daniam cucurrerit; quod iter alii vix duodecim dierum spatio equo peregerunt.

Marius. 16. *Marium* annum ætatis agentem septuagesimum grandævum Consulem tradunt Historici, quotidiè nihilominùs se in campo cum adolescentibus exercuisse omnisq; generis & ætatis spectatores provocâsse ad videndum virum, tam maturæ ætatis, corpore tam agili tùm ad arma tractanda, tùm ad decurrendum in stadio.

Lada. 18. De *Lada* quodam verè mirandum est quod scribit *Solinus*, eum tanta agilitate & velocitate præditum fuisse, ut suprà cavum cursitaret pulverem, & arenis pendentibus nulla vestigiorum relinqueret inditia.

Iphiclus. De *Iphiclo* quoque *Philaci & Clymenes* filio, ajunt, eum tantæ agilitatis fuisse ut super frugis aristas sine offensâ curreret. Quidam & immunem super aquas maris incessisse produnt, *Joh. Camers in c.4. Solini ex Hyginio c.35.l.2. Astr.* sed hæc si vera sunt, vix naturali virtute facta fuisse censeo.

Ericus Leionhufus. 18. Id singulare planè est imò stupendum quod nunc memorare placet ex *Scheffero l. mem. gent. Suet. c.30.* fuisse nempè quempiam *Ericum Leionhufus* nominatum, qui singulos dextræ manus digitos inserebat singulis bombardarum, quas *Musquettas* vulgò nominant, fistulis ferreis, omnesque junctim nullâ ope manûs alterius recto, protentoq; brachio elevabat sursum, sublatasq; sic tenebat spatio benè longo.

Saltator & Circulator. 19. Testatur *Card. de subt. l.11.* admirandę hæc agilitatis vidisse se experimenta his verbis. *Saltator quidam geminos in humeris, totidem in brachiis, unum in cervice ferens coram nobis saltabat. Circulator alius lapidem, quem quatuor homines non ferrent, capillis levabat altero prius homine, quod ad alleviandum pondus faciebat in humeros assumpto. Idem malum cymbæ (dictu incredibile) dentibus primò sustinebat, indè in humerum transferebat & ex illo in alterum nullâ adjutus ope manuum, cum perpetuò malus erecta staret.*

Philoræus. 20. De quodam *Philoræo* nomine narrat *Cedrenus*, quod injectâ equo celerrimo veste eidem instit erit rectus, gladium manibus gestans, quem equo concitatissimè currente rotans Euripum circi percurrerit gladium sursum deorsumq; versans & ne minimum quidem vestigio suo elabans. Meminit etiam *D. Valvasor in Topsgr. Carn. l.10. c.30.* insignis cujusdam juvenis ætatis suæ viginti annorum, qui dum Laubacenses moderno August. Cæsari *Leopoldo* homagium præstiterunt, super nudum equum turcicum pedibus insistens dextrâ lanceam quinque ulnis longam utrinq; acutam, sinistra verò frenum, quo equum regeret tenens, inter continuos explosorum tormentorum sonos concitatissimè nihilominùs agitavit equum nec tamen minimè, licet per devia & abrupta sæpiùs equus procurreret, tituvabit aut quovis modo vacillavit, ità ut omnes spectatores in admirationem rapuerit.

Eques in Carniola.

Uffo. 21. Oblatis pluribus gladiis *Uffo*, ut narrat *Saxo Gram. l.4.* manu capulum stringens frustillatim singulos agitando comminuit; nec erat tanti rigoris gladius, quem non ad primum concussionis motum in varias partes diffringeret.

C. Julius Cæsar. 22. *C. Julius Cæsar* equitandi arte fuit peritissimus, ut testatur *Plutarchus in Cæsare*, assuefactus enim erat relictis retrò manibus atque in tergo complicatis incitatissimè equum cursui permittere.

Amelongus. 23. *Amelong. Romual.* Longob. Regis militem, scribit *Paulus Diaconus*, græcum quendam equitantem ictu baculi sellâ exclusisse, & in aëre a supra caput suum levâsse.

Totila Rex. 24. Extat & apud *Procopium l.3. de agilitate Totilæ* Regis præclarum Exemplum, quod ità describit. *In medio campo, ut bellicæ artis peritus ac ludibundus processerat equum diversum calcaribus concitando in orbem frenis agiliter agere, obequitandoq; telum in auras sursum versus aptè diverberare & ipsum id rursùm in terram delatum impigrè, inclinandoq; utrinq; ad terram & vicissim in latera, ut qui à puero fuisset desultandi ac tripudiandi artem edoctus & ludicra peragendi.* Scribit etiam *Olaus M. lib. 8. Sept. hist. c. 15.* hæc Gothis exercitia jam indè à primâ juventâ esse.

25. Hylophagos Æthiopes cum filiis & Uxoribus ad loca campestria accedentes arbores ascendere & teneras ramorum summitates auferre scribit *Diodor. l.3. c.3.* addit verò tantam eos ex continuo usu ramos ascendendi peritiam habere, ut quod incredibile videtur, de arbore in arborem velut aves prosiliant ascendantq; tenues absq; periculo ramos macilentiâ levitateq; corporis freti. Si quando pedes labantur, manibus ramis comprehensis se à casu vindicare. Quod si fortè deciderint, nullâ re propter levitatem corporis lædi perhibentur. Hylophagi arbores mirâ agilitate conscendentes.

26. Silentio hìc præteriri non debet insigne planè admirandę agilitatis exemplum quod recitat *Camer. cent.1. cap.25.* de rustico quodam inter pecora nato hunc in modum. *Habebat ille Princeps* (Papebergensis) *in aulâ nanum quendam Martinettum, qui illum agilem hominem veluti equum conscendebat, quem deindè in gyrum ducebat, & hinc indè cursitationibus variis modis exercebat: Verùm quandò volebat uno saltu sessorem suum licet pertinaciter illius dorso inhærentem absq; omni difficultate excutiebat. Post quadrupes, ille cum molossis & generosis canibus, inter quos erant ferocissimi quos Angli Dockas vocant, certamen inibat, eosq; suo latratu & fremitu canino pendulâque coma consternatos cubiculo exigebat. Mordicùs interdum comprehensis illis mino ribus ex indagatorum genere. Exactis canibus & molossis miris saltibus sursum & deorsum, quadrupes tamen ferè omnes angulos sublimiores cubiculi permeabat; ut simia vix hoc perficere posset; quod tamen rusticum & quadratum corpus absq; omni difficultate, uti videbatur faciebat. Vidi semel atq; iterum, cùm apud principem in prandio essem, postquam suum sessorem nanum excusserat, & canes suo ficto latratu è cubiculo exegerat; eum salientem à tergo super humeros unius è convivis; indè in mensam intactis poculis, & vasis appositis, mox in sublimiora loca tantâ celeritate, ut instar Sciuri vel felis indici volare videretur.* Hæc *Camerar.* qui tamen addit multos opinatos fuisse, eum similia peragendo, præstigiis & fascinationib⁹ hominū oculos perstrinxisse. Rusticus miræ agilitatis.

27. Admirationem propè majorem habet, quod subdo ex *Lirprando Tic. l.6. c.4.* teste oculari, cum *Berengarii* nomine apud Imper. Constantinopol. legatione fungeretur. An. inquit, 393. *Constantinopoli* in aula imperiali histrio quidam otiosus manibus lignum quatuor & viginti cubitorum pyramidali formâ basi bicubitali, cuspide cubitali in fronte tenebat. Duo pueruli nudi pręter femora tecta succinctoriis lignum ipsum rectum histrionis fronte sustentatum, ascenderant nullam in partem illud flectentes, servato semper suæ rectitudinis æquilibrio, perinde ac si clavis aut radicibus in fronte histrionis infixum stetisset: Ubi uterque ad verticem pervenerunt, ludebant ibi ligno semper immobili. Descenderat eorum alter; qui remansit solus elegan- Histrio mirabilis.

elegantissimè ludebat immobili semper ligno. Toto autem tempore ipse histrio fixis pedibus, otiosis manibus, immobili fronte, recto corpore stetit.

Homo volans. 28. *Placentiæ* in Hispania, uti memorat *Ludovicus Lacerda* in 6. Æneidos quidam ad asylum ecclesiasticum confugerat, ut solet fieri metu sæcularis populi. Evadere indè cùm vellet, alas sibi aptavit, ac se è summâ turri cœlo credidit, civitatem totam volando transmisit, & non longè à muris decidit fessus agitatione corporis: nunc & locus ruinæ ostenditur. Hujus etiam facti testes oculos omnium Placentinorum præfatus Author producit, qui hominem volantem viderunt.

Per parietem reptans. 29. *Romæ* etiam sub Cæsaribus inter spectacula populo exhibita productum fuisse scribit *Sabel. l. 10. c. 19.* qui per adversum parietem felis modo reptando scanderet, & qui fabrefactis sibi alis altiusculè à terrâ volans per aërem avis modo veheretur.

Hormyrius eques mirabilis. 30. Addo præcedentibus jucundum æquè ac ludicrum, quod de *Hormyrio* scribit *Dubr. l. 2.* Hic à *Creuomissio* Boëmorum Principe falsò incendii crimine damnatus, post damnationem egit cum Principe, ut sibi ante supplicium liceret inscendere Equum, & in arce occlusâ obequitare. Consensit Princeps: *Hormyrius* sternens equum, verba quædam ei ceu intelligenti in aurem dicit. Mox illo inscenso saltu à portâ usque ad portam, & ab illâ per muros & flumen transvolavit, & in altera Vultaviæ ripâ incolumis constitit in pago *Zlychow* à regione arcis Vicegradensis, sic ab aspersione cognominato, cùm idem Eques ad alteram ripam aquâ conspersus: hoc verbo *Zlychow* usus fuisset.

Proteus. 31. Videtur antiquus ille fabulis celebratus *Proteus*, ut rectè censet *Natalis Comes l. 8. c. 3. Myth.* Saltator quispiam, aut egregius histrio fuisse, qui sciret, se in omnia mirâ agilitate formare, omniaque imitari, ità ut aquæ humorem, & ignis acumen per motionū celeritatem imitaretur leonis feritatem, iram pardalis, arboris susurrum & omninò quidquid collibuisset referret.

Athalanta. 32. Non est etiam hic prætereundum, quod *Ælianus l. 13. de variâ hist.* scribit de *Athalanta Schœnei* filiâ: hanc enim dicit hominum consortium fugientem solitudine, montibus & sylvis delectatam tantâ fuisse præditam celeritate, ut neque ferâ cursu evadere, neque homines insidiantes, si se in fugam conjecisset, eam consequi possent. Sed hæc exempla à nobis raptim ità collecta, & ex variis Authoribus relata sufficiant.

Homo Morinelli qualitate præditus. 33. Singularis quoque ille fuit, de quo relationem Societati Regiæ exhibuit D. *Gardenus*, ut recenset *Sibbaldus prodr. Hist. Nat. Scot. part. 2. lib. 3. sec. 1. cap. 2.* his verbis: Est quidam in hac regione maximè notabilis ob quiddam ei peculiare, cujus ingenium proclive est ad imitandum cunctos gestus & motus eorum, quibuscum versatur, hocque imprudens facit. Ipsi eum nunquam anteà videramus; at inter redeundum cum in valle *Bogiana*, ubi is habitat, unà essemus, quamvis hæc omnia de eo audita essent, nonnihil tamen obstupefacti sumus conspicientes in eo singularem hanc qualitatem avi mimosæ, quæ *Morinellus* vocatur, propriam. *Donaldus* hic *Monrous* (hoc enim illi nomen) homo senex, humilis staturæ, simplex & apertus, tenuis & macilenti corporis huic infirmitati (ut ipse retulit) à puero obnoxius fuit. Molestè fert, si quid tale de ipso observetur. Quocircà quotiescunque per vias publicas ambulat, oculos ad terram dejicit, & in cunctis hominum congressibus lumina avertere solet. Sæpiùs eum probavimus, priùsquam concilium nostrum perspexit: quod cum intellexisset, ægrè à nobis detentus est. Quàm blandissimè cum eo egimus, & tunc animadvertere licebat, eum nos imitari non solùm in capite scalpendo, verùm etiam in manibus comprimendis, naribus emungendis, brachiis extendendis &c. Nec nobis necesse fuit humaniter eum compellando monere, ut caput tegeret: Cum illud semper aperiret aut tegeret, quemadmodum nos facere vidit. Idque etsi accuratissimè, ità tamen ex naturæ impulsu, & procul ab omni affectatione præstitit, ut nullus nobis relictus suspicandi locus, eum dedita opera hoc fecisse. Cum utramque ejus manum contineremus, & aliis annueremus, ut ejusmodi motus ostenderent, luctando conatus est, se de manibus nostris eripere. Cum autem ex eo sciscitaremur, quomodo se affectum senserit, hoc tantùm ab eo simplex responsum redditum fuit *Cor & Cerebrum suum conturbatum fuisse.*

§. VII.

De Longævis Exempla mirabilia.

1. Longævitas idem est, quod annositas sive Senectus provecta, aut longa ævitas, quod etiam verbum est priscum *Varrone* & *Gellio* testibus. Ejus etiam meminerunt *Leges XII. Tabul.* Causam longævitatis *Card. de Subt. l. 2.* in homine ait esse calorem maximum & humidi pinguis abundantiam & tenuitatem solidam: brevitatis autem multam resolutionem. Alii tamen communiter conjiciunt in compagem corporis firmam, probam temperiem, cœli clementiam, soli ac regionis bonitatem, victûs cautam rationem, rerum utilium observationem in cultu corporis, voluptatum detestationem ac fugam; sicutè contrà quæ his contraria sunt, vitam mirabiliter decurtare compertum est. Præcipuè tamen ad vitam prorogandam regionis temperiem & salubritatem conducere volunt. Hinc totæ subindè gentes longissimam ducunt vitam, ut in *Taprobana* insulâ; in tractu Philippico propè terram Australem ad 20. milliaria, cùm aër ibidem fit maximè beneficus; *in Sumatrâ, Javâ* & aliis vicinis insulis; in *Novâ Granatâ, Novâ Galiciâ* & aliis pluribus terræ tractibus & regionibus. Longævitas quid sit & ejus causa.

2. In Brasiliæ terra *Verzino* homines 140. annis passim vivere comperit *Antonius*

Quot annis incertis regionibus homines communiter vivant.

nius Pigafetta: In Arabia felice vivere annis 120, tradit *Lud. Barth. l.2. c. 9.* Americanos in certis locis maturè pubescere, tardè vero senescere, idque sine canitie & calvitio scribit *Guil. Piso l. 1. Hist. Nat.* Quò etiam fieri dicit, quod longè ultrà centesimum ætatis annum viridi senectâ fruantur, totumque adeò territorium *Macrobium* dici mereatur. Cyrnos Indorum genus annis centenis quadragenis vivere refert *Plinius l. 7. c. 2. ex Isigono. Ctesias* gentem, ex his quę appellantur *Pandoræ* in convallibus sitam annos 200. vivere scribit ibidem. Seres ultrà 200. annum vitam prorogare docuit *Strabo l. 15.* Ex gente *Epeorum*, quæ est pars Æteliæ quosdam ducentos explere annos *Hellanius* ait, cui subscribit *Damiates* vel *Damiastes*. Musicanos Indiæ populos 130. annorum ætatem agere notavit *Sabellicus*. In *Timoli* quoque montis cacumine locum esse scribit *Plinius l. 7. c. 48.* qui *Tempsis* dicitur, quo vulgò compertum ait, incolas 150 annos vivere. *Solinus* recenset *Athon* Macedoniæ montem arcem *Acroathon* in vertice habere, ubi incolas dimidio plus cæteris mortalibus vivere scribit. Ponè montes Rhiphæos ultraque Aquilonem gentem felicem ajunt degere, quæ longissimè vitam prolongat. Septentrionales quoque populos, licet frigidissimo subsint cœlo, vulgò tamen 160 & ampliùs annos vivere tradit *Olaus M. l. 4. Sept. Hist. c. 4. Idem & l. 21. c. 4.* Islandenses quamvis Ichthyophagos sine medicinâ ultrà centum annos vivere scribit. *Jo. Nieremberg. l. 8. Hist. nat. c. 8.* memorat in Montanis *Jucutan* longævitatem esse valdè communem; nec mirum ibi repertum *Joannem Na* centum & quadraginta annorum. Inventum quoque, qui trecentesimum ætatis annum attigerat. Trans Æquinoctialem se populos 150. annos vitæ suæ numerantes invenisse tradit *Americus Vesputius*.

3. Primos patres in primis mundi sæculis longam omninò vitam traduxisse ex Sac. Scripturæ testimoniis luculenter patet. Ità juxtà *Christophori Helvici* Chronologiam ab *Adamo* Protoparente usque ad *Abrahamum* Patres vixerunt tot annis, ut sequitur. — Patrum antiquorum longævitas.

Nomina Patrum.	*Natus anno mundi & sui parentis.*			*Mortuus anno vitæ suæ.*
Adam	*Anno mundi o.*	*Anno Patris o.*		930
Seth	130	*Adami*	130	912
Enos	235	*Sethi*	105	905
Kenan	325	*Enosi*	90	910
Mahalaleel	395	*Kenani*	70	895
Jared	460	*Mahalaleelis*	65	962
Henoch	622	*Jaredi*	162	365. sublatus è terrâ.
Mathusalach	687	*Henochi*	65	969
Lamech	874	*Mathusalæ*	187	777
Noäh sive Noë	1056	*Lamechi*	182	950
Sem	1558	*Nöæ*	502	600
Arphaxad	1658	*Semi*	100	438
Salah sive Sale	1693	*Arphaxadi*	33	433
Eber	1723	*Salæ*	30	464
Peleg. sive Phaleg	1757	*Eberi*	34	239
Regu sive Reu	1787	*Pelegi*	30	239
Serug sive Saruch	1819	*Regu*	32	230
Nahor sive Nachor	1849	*Serugi*	30	148
Tharah sive Thare	1878	*Nahori*	29	205

Abraham Thare filium annis 175. vixisse constat; *Ismaelem* verò *Abrahami* ex ancillâ filium annis 130, *Isaacum* legitimum ejusdem ex Sarâ conjuge filium annis 180, ut patet *Gen. 35. v. 28. Jacobum* autem *Isaaci* filium annis 147. sed de his & pluribus aliis longævis consuli potest sacer Codex.

Nestoris longa vita.

4. Apud plerosque profanos Scriptores celebris est memoria *Nestoris Nelei* filii Regis Pyli, quem exegisse tria hominum sæcula fama est: Undè *Juvenalis Sat. 10.* ità de illo canit

Rex Pylius (magno si quicquam credis Homero)
Exemplum vitæ fuit à cornice secundæ
Felix heu! nimium, qui per tot secula mortem
Distulit, atque suos jam dextrâ computat annos.

5. *Ephorus* quosdam Arcadum Reges trecentis annis vixisse tradit, ut testatur *Plin. l. 7. nat. hist. c. 48. Anacreon* Poëta *Arganthonio* Tartessiorum Regi 150. attribuit annos, *Cynicæ* Cypriorum decem annos ampliùs hoc est 160, *Ægymio* ducentos. *Theopompus Epimenidi Gnessio* 157. annos addicit. *Alex. Corn. Dandonem* quendam in Illyrico quingentis vixisse; *Xenoph. in Periplo* Maritimorum Regem 600, filium verò 800 annis vitam produxisse tradit, hæc verè admiranda sunt. — Aliorum quorundam Antiquorum longævitas.

6. M. *Val. Corvinus* tribunus militum sub *Camillo* reliquias *Senonum* perse- — M. V. Corvini ætas.
quente

quente centesimum annum complevisse dicitur, cujus inter primum etiam & sextum consolatum 46. annos intercessisse ferunt. Sellâ curuli semel & vicies, quoties nemo alius, sedisse perhibetur. *Val. lib. 8. cap. 14.*

M. Catonis & quorundam aliorum longævitas.

7. M. *Cato* propè ad tertiam ætatem, sicut *Nestor* vitâ & actionibus pervenit, uti *Plutarchus in Catone* refert *Democritus Abderites* anno 104. ex cibi abstinentia mortuus esse perhibetur. Totidem annis quoque vixisse scribitur *Ctesibus historiæ scriptor*. *Hippocrates Cous* Medicus apud *Perdiccam* Macedoniæ Regem excessit annos natus 104. *Larissæ. Volat. lib. 6. Urban. Comment. Apollonii Tyanei* avus philosoph. annos superavit 130. *ut Philost. in vita Apollon.* refert. *Galenum* etiam Philosophum & Medicum 140. annos vixisse scribit *Cælius lib. 30. Ant. lect. cap. 12.* Idem refert *Marin* quendam 123. vixisse, cujus antica pars corporis humana, postica equina fuerit. *T. Fullonius* Bononiensis in Claudii principis censum dinumeratis ab eo diligenter annis, ne qua inesset fraus, inventus est annos 150. superâsse, ut *Fulgosus tradit lib. 4. cap. 14.*

8. Ex censoriis Tabulis *Phlegon Trull. lib. de mirab. & longævis*, catalogum longævorum contexuit. Eo censu quem intrà quadriennium Imperatores Cæsares Vespasiani Pater & Filius Censores egerunt.

Catalogus longævorum sub Censor Vespasianus.

		Annos
In mediâ Italiæ parte inter Apenninum, Padumque		Annos
Parmæ tres habuere annos	- -	120.
Brixelli unus	- - -	125.
Parmæ duo	- -	130.
Placentiæ unus	- -	131.
Faventiæ una mulier	- -	132.
Bononiæ L. Terentius Marci filius: Arimini vero M. Aponius	-	150.
Tertulla	- -	137.
Circa Placentiam in oppido Velleiaco	sex -	110.
	quatuor -	120.
	unus -	140.
In Regione Italiæ octava homines	54 - -	100.
	57 -	110.
	2 - -	125.
	4 -	130.
	3 - -	135.
	3	137.
	3 - -	140.

S. Severi longa vita.

9. Extat apud *Petrum de Natalibus* in vitâ *S. Severi*, eum excessisse longè annos trecentos. Egit enim annum 297. quando factus est Episcopus Tungrensis, seditque annos 76. vixit ergò annis 373.

Attilæ ætas, & mors.

10. *Attila* Hunnorum rex 124. annos natus in nuptiis periisse fertur, ut memorat *Nicol Olaus in ejus vitâ*, qui & *Sabellicum* reprehendit eidem tantum quinquaginta sex annos vitæ tribuentem.

Mulieris Scoticæ longa vita.

11. Inter mira recenseri debet, inquit *Cardanus de variet lib. 8. cap. 43.* diuturna vita mulieris Scoticæ, quæ *Robertum Brusium* juvenis agnovit: sub extremis annis *Jacobum I.* ejus nominis Scotorum Regem; inter quos centum ferè anni intercesserunt, cum cœca luminibus, integra mente esset.

Auni Regis diuturna vita.

12. Celebratur quoque apud Septentrionales *Joanne Scheffero teste lib. memorab. Sueticæ gentis Exemplorum cap. 36. Auni Regis* vita diuturna, quippe qui vivendo superavit annum ducentesimum & decimum, regno quoque annis centum nonaginta præfuit & amplius, si quibus exulfuit, annumerentur. Ferunt etiam eodem memorante post ætatis annum centesimum atque nonagesimum non potuisse porrò pedibus insistere vel suos moderari gressus, sed circumlatum esse sella, vel decubuisse lecto. Decennio post infantum more præbito per vasculum corneum mammæ specie lacte nutritum esse. Postremò nullâ valetudine adversâ sed ipso senio consumptis viribus diem ultimum clausisse. Unde factum, subdit *idem Author*, ut deindè si quis nullo morbo, sed ætatis senilis vitio & imbecillitate excessisset è vivis, proverbio quodam apud vulgum *Ani seu Aunæ* morbo decessisse diceretur.

Haquini R. senectus.

13. Sunt *eodem Scheffero* teste, qui simillima prodant de *Haquino* Rege, cognomento *Ring*. Nam & ipsum ferunt eousque annorum, ætatisque venisse, ut consumptis omnibus corporis viribus adinstar infantis recens nati, agitatis commotisque cunis debuerit deliniri, somnum quietemque difficulter aliàs reperiens, neque cibum nisi more puerorum ori per siphonem inditum, immissumq; capere valuerit. Subnectit præfatus Author etiam suis temporibus non paucos centum annorum viros fœminasque præsertim inter Dalecarlos & Norlandos repertos; singulare quoq; isthoc subjungit temporibus *Gustavi* primi Holmiæ quendam centum annorum celebrâsse nuptias cum puella triginta annorum, & ex ipsa sustulisse libros. Meminit hujus etiam *Lev. Lemnius lib. 4. cap. 24. occult.*

Militis sub Conrado Imp. vita longa.

14. Tempore *Conradi* Imperatoris circà annum 1540. virum quendam vitâ defunctum scribit *Petrus Mexia*, qui quondam *Carolo Magno* à servitiis bellicis fuerit: factâ verò computatione inventum annos 340 ætatis habuisse. De Indo quodam ætatis suæ annos habente 370. consule supra *hujus capitis* §. 3. *num.* 5.

Archiepiscopus longævitæ apud Mauros.

15. *Franciscus Alvarez* apud Mauros Archiepiscopum se vidisse testatur, qui annos ætatis 150. superavit. Commemorat & *Verstiganus* fœminam Hispaniæ urbe *Sego* vixisse annos ætatis numerantem 160.

Homo 300 annorum in India repertus.

16. Venetus Nauta apud *Ramusium tom. 1.* testatur in portu *Mudefurata* non procul à *Diu* repertum hominem annorum 300. In India ulteriori inter Brachmanes repertum quendam hominem annorum 300. testatur *Nicolaus de comit. Buchananus* meminit *Laurentii Hetblandi* centum quadraginta annos nati, qui adeò vegetus tamen adhuc fuerit, ut etiam sævissimâ hyeme piscatum prodiret. *Thuanus* refert *Emanuelem Demetrium* obscuro loco natum 103. annos vixisse, uxorem verò illius 99. annos, 70 explevisse in matrimonio; alterum verò alteri tres tantùm supervixisse horis & *Delphis* ambos simul 1603. sepultos esse.

Zengnorum longa vita.

17. *Sbkokhos* sive *Zengros* ob auræ salubritatem vitam plurimùm prolongare scribit *Valsator in Topograph. Carnioliæ lib. 12. cap. 11.* Adducit & exemplum patris cujusdam vigiliarum præfecti in Dalmatiæ Urbe *Zeng*, qui ætatis suæ 124. annos habens ibi tandem è vivis excessit. Addit deinde haud procul abinde nempe in Turcico castro *Perusich* quatuor milliaribus Germanicis ab urbe præfata *Zeng* dissito Turcam quendam 190. annos supervixisse, eique non ita diu etiam ante mortem novam dentitionem supervenisse.

Anglicujusdam longævitas.

18. Commendat à longævitate recentior ætas Anglum quendam *Thomam Parre* anno ætatis suæ 152. defunctum, qui æquali simplici victu fruens usque ad annum ætatis suæ 130. quidquid rustici est operis perficere, sicut & frumentum flagellis triturare valuit. Descriptionem prolixiorem vide apud *Thomam Bartholinum cent. 5. hist. Anat.* 28. Huic non dissimilis est rusticus *Petri Borelli*, quem *cent. 2. hist.* 29. adducit, qui nempè 120. annos natus viridi tamen & recta fruebatur sanitate, adeò ut manuum propriarum labore sibi victum terram fodiendo compararet.

Dentitio seni 120 annorum accidens.

19. Mentio fit senis cujusdam 120. annorum *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 3. obs.* 15. Cui dentitio integra in senectute rediit. Hic etiam, ut *ibidem* memoratur, cum *Clivis* Anno 1666. ad aulam Serenissimi Electoris ibi tunc commorantis adductus fuisset, ut ostenderet pulmonis sui robur per vocis elationem, & cantationem elementorum vocalis Musices *Ut, re, mi, fa, sol, la*, stentoriâ voce adeò perstrepuit, ut ad centum & ultra passus exaudiri potuerit. Aperto deindè rictu omnes dentes superiores & inferiores margaritarum instar candidissimos exhibuit, ut vel ipsâ *Helena* elegantiores arrogantiùs desiderare non potuisset.

Senex 110 annorum valdè vegetus.

20. *Patavio* Anno 1690. scriptum ante paucos menses fato ibidem cessisse hortulanum *Camillum Bassanum* nomine, qui præter longævitatem 110. annorum adeò vegetæ & viridis adhuc senectæ ut constanter quotidie terram ligone fatigaverit, nec fatigatus etiam ab ullo cibo & laboribus aliis rusticis abstinuerit, firma etiam memoria, integrisque sensibus raro senectutis exemplo valuerit.

Italus senex valdè robustus.

21. Ejusdem planè conditionis cum priori Hortulano fuisse memoratur quidam ibidem Canonicus *Eganus Vicentinus*, qui longævitatem centum annorum implevit integris sensibus, oculis potissimùm, præsenti memoriâ actorum à juventute stomacho robusto, nisi quod *Atlantis* viribus destitutus, vix posset illud annorum pondus rectò adeò incessu portare. Pro miraculò etiam recenset *Plinius lib. 7. Nat. Hist. c. 40. Xenephilum* Musicum centum & quinque annis vixisse sine ullo corporis incommodo.

Pastor Julensis 125. annorum.

22. Anno Christi 1586. vivere desiit in *Leodiensi* diœcesi Sacerdos quidam Curatus, nomine *Antonius Hasecbus* 125. annorum, qui parochiam Julensem primus ibidem pastor laudabiliter ad 100. annos administravit. Senectam verò illam se obtinuisse fatebatur, quod à tribus constanter abstinuerit, nempè a *Mulieribus*, *ebrietate*, & *irâ*.

23. Quoniam de longævis varia protulimus Exempla, hoc tamen etiam memorabile hic silentio præterire non possumus, quod de Regibus Galliæ notavit *Æmilius lib.* 10. annum nempè sexagesimum eis infaustum ac fatalem esse, ità ut rarò quis ex Regibus eum transcendat. Idcircò etiam *Ludovicus XI.* Francorum Rex sexagesimum ætatis annum ut fatalem semper horruisse perhibetur, quod Francorum Regum nemo vivendo jam ab *Hugone Capeto* generis sui *A*uthore transcendisset. Ipse tamen id temporis spatium 15. diebus excessisse fertur. Verùm in quantumcunque temporis spatium vitam producimus, vivere nostrum aliud non est quàm citiùs aut seriùs mori: *Quotidie namq;*, ut sapienter notat Romanus Sophus, *morimur, quotidie demitur pars vitæ, & tunc quoque cum crescimus. vita decrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deindè adolescentiam; usque ad hesternum quidquid transiit temporis, periit. Hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsidram non extremum stillicidium exhaurit sed quidquid ante defluxit: sic ultima hora, quâ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illum pervenimus, sed diu venimus.* Plura alia longævorum imò & in summâ senectute fœcundorum exempla sistunt *Ephemerides Germ, Cur. Dec. 1. Ann. 3. obs. 163. Acta Med. Hafniens, volum. 1. obs. 49 & volum. 4 obs. 10. Felix Platerus obs. med. lib. 1. Fogerloles de senum affect. part. 1. cap. 8.* & alii physici Doctores passim. Finio, si quædam adhuc indicia & media ad longævitatem ex variis Authoribus indicavero.

Indicia & media ad longævitatem.

I.

Indicium & medium comprimis solidum longævitatis est à semine & sanguine parentum in partum transfuso, sicut docebat ex veteribus ille: *fortes creantur fortibus, immortales ab immortalibus.* Confert ergò natum esse de parentibus bonæ corporis constitutionis ac longæ vitæ, quæ familiæ persæpè agnata est.

II.

Partus hyemales comperti sunt vivaciores iis, qui in aliis anni temporibus effusi sunt.

III.

Præcipuum Longævitatis fundamentum naturæ optimæ temperamentum præstat,

ſtat, quale in aërea ſive ſanguinea complexione comperitur.

IV.

Diu & ſenſim creſcere præſertim ad ſtaturam magnam, bonum eſt, ſicut velociter & multum creſcere malum.

V.

Caro firmior corpus muſculoſum & nervoſum, venæ item eminentiores longævitatem ſpondent, ſicut èçontra caro mollior, corpus obeſum, & venæ graciles brevitatem vitæ denotant.

VI.

Macies corpulentiæ præfertur præſertim ſi ſit cum affectibus ſedatis & tranquillis.

VII.

Cutis durior quam mollior magis longævitati confert.

VIII.

Proceritas moderata cum agilitate & juſta corporis compage longam promittit vitam.

IX.

Pili in capite aſperiores & magis ſeſint mollibus & delicatis præferuntur. Criſpi quoque laudantur, ſi aſperi ſimul fiat; ſecus ſi molles ſint & ſplendentes.

X.

Frons majoribus & profundioribus ſulcis prædita laudabilior eſt, quam plana, nitida & explicata.

XI.

Oculi paulò grandiores, ut & palpebræ magnæ longæ vitæ ſigna præbent.

XII.

Candidiores genis, cutu & capillis minus ſubnigri aut rufi, aut lentiginoſi magis cenſentur eſſe vivaces. Præſtat etiam pallor magis quàm rubor in juventute.

XIII.

Nares patulæ quacunque naſi forma, os longius, auris cartilaginea facilè ſonans, non carnoſa: dentes robuſti, valde contigui & numeroſi longam vitam promittunt.

XIV.

Collum mediocre non oblongum, aut gracile aut tanquam humeris inpactum longævitatem pronuntiant.

XV.

Pectus probatur amplum & latum non tamen elevatum ſicut & inferior pars umbilici æqualis ſuperiori.

XVI.

Manus laudatur longior cum lineis profundis longis & rubicundis.

XVII.

Senſus omnes temperati non nimis acuti probantur.

XVIII.

Pulſus in juventute tardior, ſubvergentem ætatem paulò incitatior longam vitam denotat.

XIX.

Qui corpore aliquanto breviores ſunt, tibiis longioribus longæviores cenſentur iis qui demiſſo ſunt corpore tibiis autem brevioribus.

XX.

Vivacitatem maximam confert tranquilitas animi, & votorum natura congruorum conſtans acquiſitio.

XXI.

Confert etiam talibus intendere occupationibus, ad quas natura & genium maximè inclinatur.

XXII.

Sicut irâ immoderata & longior melancholia hoſtes ſunt vitæ; ita moderata lætitia & hilaritas eandem confirmant, & roborant.

XXIII.

Moderata corporis exercitatio laudatur & valde probatur: Econtrà celer, velox & immoderata improbatur.

XXIV.

Somnus & confert moderatus, quique ſit placidus & non turbatus: Placidum verò ſomnum conciliant viola, lactuca, præſertim cocta, ſyrupus è roſis ſiccis, crocus, meliſſa, panis malvatico vino tinctus, & alia his ſimilia:

XXV.

Aeris & loci, qui incolitur, maxima habenda eſt ratio præfertur editus magis, orientem reſpiciens, ſiccior quam humi-

humidior ac crassior. Non improbatur tamen etiam planities modicè sicca salubribus plantis ac arboribus quandoque inumbrata,

XXVI.

In cibo & potu sit modus, quique naturæ conveniens sit.

XXVII.

Victus sivè diœta pythagorica aut monastica secundùm strictiores regulas aut ad amussim æqualis plurimum addit annis, & vitæ longæ. Media quoque diœta, quæ pro temperata habetur, etiam laudatur & probatur. Antiqui sunt versus.

Parcito sæpè cibis, & sic annosior ibis:

Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.

XXVIII.

Sicut ciborum varietas & multiplicitas plurimùm obest, ita eorundem simplicitas prodest, ut & condimentorum raritas non copia.

XXIX.

Sicut etiam moderata diœta valdè conducit; ita immoderata jejunia nociva sunt.

XXX.

Cibi quicunque assati aut furno cocti, quàm elixi aut cum aqua cocti utiliores.

XXXI.

Potus salubris, qui purus sivè acrimonia, & acedine, ut sunt vina defæcata, antiqua & cerevisia ejusdem generis.

XXXII.

Sitis quæcunque vitanda, & servandus stomachus satis mundus, sed perpetuò humidus.

XXXIII.

Vinum & cerevisia infusionis absynhii cum modico Enulæ rectè per vices adhiberi potest, atque hoc hyeme potius. At verò in æstate haustus ex albo vino cum aqua fragaria diluta, & pulveribus exquisitarum perlarum, vel testarum cancrorum fluviatilium immixtis stomachum optimè confortat & roborat.

XXXIV.

Quemadmodum vina fortia aromata vel similia spiritus incendunt, vitamque abbreviant; ita nitrum è converso illos figit, componit & comprimit, sicque ad longævitatem confert. Usus autem nitri potest esse in cibo inter salem ad decimam partem salis, in jusculis matutinis ad grana à 3. ad 10. etiam in potu confert. Neque nitrum solum conducit, sed etiam subordinata ad nitrum, ut sunt herbæ certæ & radices: ea ipsa tamen conferunt magis cruda, quàm ignem passa, undè melius infusa in potu & cruda sumuntur.

XXXV.

Quidquid etiam in curâ morborum pestilentium & malignorum feliciter adhibetur ut Spiritus sistantur, id optimè quoque ad prolongationem vitæ facit.

XXXVI.

Etiam illa proficua valde perhibentur, quæ os ventriculi bene claudunt ut semen coriandri præparatum, cottonea & pyra fragrantia assata, quæ & placidum somnum inducere solent.

XXXVII.

Radix Betel ex oriente adducta, eaque in ore retenta, & masticata spiritus vitales mirè recreat & confortat.

XXXVIII.

Conferunt & grati odores ad cerebri & cordis confortationem, ii tamen non continuè, sed per vices adhiberi debent.



DISQUI-

DISQUISITIO II.
PSYCHO-SCOPICA.

Qua Microcoſmi Spiritus animaſticus ſivè Anima humana, ejus facultates, & potentiæ, atque varia circà ipſam notabilia, & mirabilia inveſtigantur.



COius ille pictor omnium facilè pictorum celeberrimus *Apelles* cum pulcherrimam & omnibus admirandam *Veneris* imaginem depingeret, clavum fixiſſe perhibetur, quem qui auferret, totam ipſam diſſolveret; in ejus verò clavi ſummâ parte imaginem ſuam depinxiſſe dicitur, ut ex ipſa pateret aſpectanti factor & Author. Ita Deus ter opt. Maximus univerſæ Naturæ faber & artifex, cum hanc Mundi fabricam perfeciſſet, tanquam clavum, quo ſuum obfirmaret opus, tandem adjecit Hominem, in quo ſuam depoſuit imaginem, ex cujus inſpectione ipſe factòr & artifex innoteſceret, hoc ipſum enim docet nos facer Textus *Gen. 1. v. 27.* ajens: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum.* Unde rectè etiam antiquus Poëta *Manilius* canit.

Exemplùmque Dei quisque eſt in imagine parvâ.

Hinc & elevatiſſimus in ſuis ideis *Plato* rationalem animam terſiſſimum ſpeculum appellavit, in quo divinitatis ſumma reſplendet imago. Benè etiam Philoſophus ille *Favorinus* apud *Cœlium Lect. Antiq. lib. 1. cap. 38.* his uſus eſt verbis. *Nil magnum in terris præter hominem: nil magnum in homine præter mentem & animum.* Hinc porrò *Triſmegiſtus*, dum maximè dignitatem commendare voluit, in hanc prorupit ſententiam. *Animal admirandum àc venerandum Homo; miraculum magnum diviniori quodam ſpiritu concitus & coruſcus ſcientia in naturam Dei tranſit tanquam ipſe Deus.* Ex Recentiorum quoque Philoſophorum cœtu Doctiſſimus *Du Hamel in ratione operis de mente hum.* præclarè omnia complectens ait: *Divinæ majeſtatis fulgor non alibi clariùs quàm in nobis ipſis micat: illius imago ſic animis noſtris impreſſa eſt, ut difficile ſit mentem humanam paulò attentius intueri, quin ſummi omnium Principis luce perfundamur. Nam ut Artifices ſolent ſuis operibus notam attexere: ſic imaginem vel Ideam ſui mentibus noſtris inſculpſit Deus; Ita ut hominis & Numinis contemplatio non ſeparatim, ſed ſimul nobis ineunda videatur.* Qualis autem ſit hæc imago, in quo ſita, quàm ſpecioſa, quàm admiranda, quàm rebus creatis omnibus præferenda, nemo unquam ſatis ingenio ſuo aſſequi, multò minus verbis explicare poterit. Quis enim ſatis expendat, quis ſermonibus explicet? quod ſit una & ſimplex, ſicut Deus ipſe; quod ſit materiæ & molis expers, ſicut Deus ipſe; quod ſit incorporea, ſicut Deus ipſe; quod ſit tota ubicunque eſt, ſicut Deus ipſe. In laudem animæ plura alia congerit *Sperlingius in Antropol. lib. 1. pag. m. 62. Simplex*, inquit, *eſt anima noſtra, quia nec ex eſſentialibus, nec ex quantitativis partibus compoſita eſt: intelligens eſt, quia verum cognoſcit & à falſo diſcernit; libera eſt, quia cognita & vel-*

le potest & non velle: immutabilis est, quia non exuit naturam suam, nec deficit unquam: indivisibilis est, quia non partes habet extra partes: illocalis est, quia materiæ expers est: immobilis est, quia nec loci, nec successionis capax est. Quæ omnia divinitatis quandam innuunt similitudinem. Pulchrè idcircò etiam à *Prudentio* describitur his versibus.

Crede animam non esse Deum, sed crede creatis
Majorem cunctis, ipsam quoque crede creatam.
Formata est namque ore Dei, quæ non erat ante,
Sed formata habitu pulcherrima, pictaque rebus
Divinis & plena Deo similisque creanti.

Sed nos hæc latè & fusè hìc disquirere non cupimus: proindè tantum hàc prælusione, quàm præclaram auspicemur Doctrinam de Microcosmi Spiritu animastico, sivè Animâ humanâ, in quâ signaculum hoc divinitatis elucet, præmonere cupimus, & quæ ad summi creatoris laudem maximè in eâdem resplendent mirabilia, hìc breviter attingere & paucis recensere volumus.




CAPUT

CAPUT I.

De Microcosmi spiritu animastico, sivè Anima humanâ in genere.

Animæ cognitio jucunda & necessaria.

1. 
OPtimè scripsit *D. Augustinus lib. de ordine cap.* 5. duas esse præcipuas in omni philosophiâ quæstiones: Unam de anima, alteram de Deo: illam efficere ut nos ipsos noverimus: istam ut originem nostram. Et certè animæ naturam investigare nemini molestum videri debet, cum præcipuam nostri partem nosse, non solùm honestissimum & jucundissimum sit, sed etiam necessarium juxta illud Oraculum: NOSCE TE IPSUM.

Animæ definitio in communi non datur.

2. Animæ generaliter sumptæ nulla videtur dari posse definitio in communi, si, ut communiter docent Authores, triplex, imò triplicis generis fingatur anima vegetativa scilicet, quæ in plantis reperiri perhibetur; Sensitiva, quæ creditur esse in bestiis; & rationalis, quam in uno esse homine asserunt omnes. Etenim tres illæ animæ propriis quæque characteribus ità discriminari videntur, ut nulla afferri possit definitio, quæ omnibus & singulis univoce conveniat. Nisi fortè cum *Fernelio l. 2. physiol.* Animam quis dicere velit esse principium vitæ & operationum omnium corporis viventis.

Anima humana philosophicè quid sit.

3. Anima humana, quam singulariter hâc Disquisitione pervestigamus, philosophicè considerata in homine statuitur substantia illa incorporea & immortalis abstractivè à corpore cogitata. Secundum Recentiores verò, imò novissimos Philosophos è cœtu Christianorum dicitur Ens incorporeum Spirituale, incorruptibile & imortale. Medicis significatur Principium illud activum & proximum animæ in primâ significatione sumptæ instrumentum, cujus beneficio membra corporis vivunt, sentiunt, moventur, & omnes in vitâ actiones edunt. Vulgatissima tamen & communissima animæ definitio apud Philosophos hæc est ex *Aristotole*: quod sit *Actus primus substantialis corporis organici potentiâ vitam habentis.* Explicant verò Philosophi hanc definitionem, & comprimis per actum excludere volunt primò Materiam primam, quæ est pura potentia: deinde omnia, quæ non sunt simpliciter actus: uti sunt composita tàm naturalia, quàm artificialia. Per *actum primum* rejicere volunt actus secundos, præcipuè operationes. Vocant etiam *substantialem*, ad removendos actus primos accidentarios; veluti sunt potentiæ respectu suorum actuum. Addunt *Corporis*, ad excludendos tam substantias separatas, quę corporibus non assident, quàm etiam mentes cœlestium corporum motrices; quæ non sunt actus illorum, quasi eam propriè informent, etsi eis assideant. Pro *Corpore* etiam *organico* intelligi volunt materiam primam affectam organis ad functiones vitæ administrandas: per verba tandem *potentia vitam habentis*, excludere cupiunt omnes formas naturales, quæ per superiores particulas nondum rejectæ sunt: ut formæ lapidis & ignis, quarum corpora sivè, ut propriè loquuntur, materiæ ad exercenda vitæ munia organis distinctæ non sunt.

4. Admittendum est fide divina certum Animam nostram esse spiritum, sivè spiritualem, sicut rectè docet nos Magnus ille gentium Doctor *D. Paulus ad Rom.* scribens c. 8. v. 4. *non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum: Et Ecclesiastis c.* 12. *v.* 7. *revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Idem* habetur *c. Firmiter de Sum. Trin.* ubi dicitur: *Simul ab initio in tempore utramq; de nihilo condidit creaturam, corporalem & spiritualem, Angelicam scilicet & Mundanam, ac deindè humanam quasi communem spiritu & corpore constitutam. Idem in Conc. VI. Constantinopol. actione* 11. definitur, animam nostram incorpoream esse. Teste *Lynceo l.* 9. *Metaph. tract.* 1. c. 1. *n.* 2. Quamvis autem nonnulli cum *Arriaga* & *Oviedo* essentiam spiritûs in absolutâ & omnimodâ penetrabilitate collocēt; rectiùs tamen spiritus censetur esse substantia ritulo suæ perfectionis excludens in se omnem compositionem substantialem, ità ut sit *actus substantialis substantialiter integer*: qui conceprus est primus & radicalis, ex quo fluunt, vel cum quo connexæ sunt, quæ communiter asseruntur substantiæ spiritualis proprietates, scilicet, *simplicitas seu indivisibilitas, invisibilitas immortalitas, penetrabilitas, intellectualitas & libertas.* Nam si est actus substantialiter integer, idcircò quidquid in illo est assignabile, spiritus est, ita ut substantialiter integrum erit ac consequenter nullis partibus integralibus constans, igitur & simplex & indivisibile. Quod si sit indivisibile, idcircò in ratione objecti erit improportionatum sensibus externis; atque ita quoq; visui extensis rebus addicto inconveniens & sic invisibile. Iterum si est actus substantialiter integer, idcircò non componitur ex duabus partibus, quarum uni accidere possit privatio alterius, ut modò accidit alteri hominis parti privatio, quæ mors est, ratione cujus homo dicitur mortuus: Quocircà & immortalis erit spiritus. Erit item impenetrabilis cum quolibet. Illud enim tantùm est penetrabile ratione sui cum aliquo saltem, quod ratione sui exigit extensivè cum aliquo continuari ac molem constituere: illud impenetrabile ratione alterius, quod exigit conjunctum esse cum impenetrabili per se: At substantialiter integrum nec exigit esse extensum, nec esse conjunctum ratione sui cum aliquo tali; ideò non exigit esse impenetrabile cum ali- *Anima spiritus est.*

quo. Erit quoque intellectualis; quia cum titulo perfectionis sit substantialiter simplex, erit perfectior omni materiali cognoscitivo: Unde non poterit non esse intellectivus: & hinc etiam liber, quia illud intellectivum est liberum, quod est propositivum rationum indifferentium, sivè æque ad amandum & odiendum, aut non amandum allicientium, at omne intellectivum est propositivum talium rationum: ergò erit & liberum. Cùm itaque, cuicunque hæc definitio convenit, Spiritus esse debeat; animæ autem humanæ pensatis omnibus conveniat; necessariò etiam Spiritus esse debebit.

Animarum origo. 5. De animarum origine varias constat fuisse sententias Antiquorum. Ex semine propagari censuerunt *Luciferiani*: Ex animâ parentis generari, quomodo lux propagatur & spargitur à luce docuerunt *Tertullianus & Apollinaris*: ab intelligentiis creari senserunt *Avicenna, Seleucus, Hermias* ut constat *ex Hist. tripart. lib. 7 cap. 11.* Existimarunt & nonnulli è potentiâ materiæ educi. *Plato* opinatus fuit, Deum omnes animas ante corpora simul creâsse, & in comparibus stellis constituisse, easque cœlestium rerum tædio affectas per modum pœnæ in corpora tanquam carcerem conjecisse. Sed hæc antiquorum commenta delevit dies. Genuina nos docet veritas omnium meliorum Doctorum calculo comprobata, animas humanas à Deo creari, & sigillatim ipsis infundi corporibus: Quod etiam sacra scriptura indicare videtur, dum *Gen. 2.* hæc tradit. *Spiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Argumenta pro hac veritate vide apud *Paulum Zacchiam lib. 9. quæst. Medico-legal tit. 1. qu. 4.*

Animæ infusio quando fiat. 6. Quandò verò hæc animæ infusio contingat; non conveniunt Authores, Communiter asserunt tunc demùm animam infundi, quando materia corporis & membrorum effigie & accidentibus debitè requisitis: quæ nempe forma exigit, dispoſita est. Quod volunt in maribus accidere ad quadragesimum à conceptione diem; In fœminis circà octuagesimum diem. Verùm *Thomas Fienus* non obscuri nominis Author *lib. de format fœtûs*, ad tertium à conceptione diem (si modò conceptus vivificus fuerit) animam infundi variis argumentis demonstrare conatur. *Æneas Gazeus* voluit animam non in corpus jam effectum immitti, sed in ipsum semen adhuc informe. *Antonius le Grand. Instit. philosoph. part. 8. cap. 4. num. 12.* salvis Canonicis ac Civilibus regulis statuendum censet, animam rationalem corpori infundi in ipso conceptionis momento, sivè eo tempore, quo semina ita in utero sunt commixta, ut conformationis actio incipiat & inchoetur. Similiter ferè sentit *Daniel Sennertus*, ut testatur *Paulus Zacchias qu. Medico-leg. lib. 9. tit. 1. quæst. 1.* asserens animam rationalem à Deo opt. M. tum primum creatam & infusam in ipso primo conceptionis momento præsentem esse: sed quod animam rationalem doceat ex semine traduce esse, eum tanquam Hæreticum solidis confutat argumentis *Idem Zacchias loc. cit. qu. 2.* ut ibidem videre licet.

Fœtus humanus nullâ aliâ animâ unquam informatur, quàm rationali. 7. Quemadmodum primus homo eodem momento suæ creationis recepit animam rationalem, non primò vegetativam, deindè sensitivam, deniq; rationalem sivè intellectivam: eodem quoque pacto quilibet homo in primo suæ generationis exordio recipere censetur animam rationalem, per quam futurus est homo. Unde quamvis varii Authores juxta *Aristotelis* sententiam tradant, diversas sibi invicem in fœtu humano succedere animas, nempe à conceptione vegetativam, deinde sensitivam, & tandem rationalem sivè intellectivam: verisimiliùs tamen est, fœtum humanum nullo unquam in tempore ab aliâ informari animâ, quàm à rationali, eamque in principio conceptionis à Deo creatam eidem infundi. Ità sentire videtur etiam *D. Thomas part. 1. qu. 76. art. 6. ad 1.* dum ait: *Cum una & eadem forma sit per essentiam, per quam homo est Ens actu, & per quam est corpus, & per quam est vivum, & per quam est Animal, & per quam est homo.* Ac certè idem animal pluribus animabus, aut simul eodemque tempore, aut successivè dotari, possibile nullo modo est; ut idem *D. Thomas ibidem* ait *art. 3. in Corp.* Non simul, quia ut idem addit: *animal non esset simpliciter unum, nisi per formam unam, per quam habet res esse ab eodem enim habet res, quod sit Ens & quod sit una.* Plura alia argumenta multùm efficacia in hanc rem adducit *Paulus Zacchias qu. Medico-leg. lib. 9. tit. 1. qu. ult.* quæ hìc adducere nimis esset operosum. Licet igitur in humano fœtu conspiciantur operationes animæ vegetativæ & sensitivæ non apparentibus ullis operationibus animæ rationalis, ut rationalis est: non emanant tamen illæ ab ullâ animâ seorsim existente, quæ tantummodò vegetativa aut sensitiva sit, sed ab ipsâ animâ rationali sivè intellectivâ, quæ simul & vegetativam & sensitivam habet facultatem; sicut etiam in infante recens nato, aut homine quantumvis adulto prorsùs tamen demente videntur quidem operationes animæ vegetativæ, ac sensitivæ, non verò rationalis animæ: illæ tamen nihilominus ab unâ & eâdem animâ rationali promanare censentur: Hujus enim facultas est vegetare & sensum tribuere ab ipsamet Anima rationali fluens. Quemadmodum & vegetativa facultas est etiam Animæ sensitivæ non ulteriùs animæ à sensitivâ sejunctæ, quia neque in cœteris perfectis animalibus aut quibuscunque aliis vegetare & sensum tribuere à duplici Animâ originem ducit, sed Vegetativa est facultas etiam Animæ sensitivæ. Verùm uberiùs de hac materiâ discurrentem vide *supra cit. Zacchiam loc. memor.* Qui etiam ex adductis suis argumentis deducit, quod cum semen conceptum illicò vivat, nutriatur & augeatur, id ab aliâ animâ, quàm rationali, habere non possit, quæ & vegetare

vegetare,& nutrire,& vitam communicare, & sensum non minùs,quàm cęterę quęcunque viventium animæ imò multo meliùs potest,cùm omnibus necessariis ad hæc facultatibus instructa sit. Undè tandem concludit,eam in primo momento conceptionis ipsius seminis à Deo ipso creatam & infusam præsentem esse ac per se,non per aliam Animam, sed per suas facultates conceptum nutrire & augere,illiq́ue vitam & sensum communicare. Quomodò verò leges tàm Canonicæ, quàm Civiles circà fœtûs animationem benè adhuc stante hac sententiâ sancitæ intelligi possint, videri potest ipse *loc. citato*.

Inest in semine humano spiritus nobilitate excellens animas quorumlibet animalium.

8. Ne verò homo deterioris conditionis præ cæteris animantibus esse censeatur, si animam ipsam quandam suo semine non communicet: benè suprà memoratus Author dicit, quod etiamsi homo suæ soboli non conferat animam,ut alia animantia suę communicant soboli; subministrat tamen spiritum omni animâ mortali nobiliorem, qui multo magìs conferat suę soboli,quàm quodvis animal etiam ex perfectioribus, licet illa animam propriam suæ soboli non communicent,hic verò nequaquam. Per spiritum enim illum semen humanum ità disponitur, ut dignum anima rationalis domicilium ex eodem semine sibi parare possit, qua cum primum creata eodemq́ue momento infusa supervenientę spiritus ille pro instrumento illi servit,eoq́ue corpus informans per illum omnes suas operationes postmodùm exercet, quæ ad hominis conformationem,& vitam,ac nutritionem & augmentum in primo ortu,ac per totum deinceps subsequens tempus ad mortem usq; necessarię sunt.Inest enim absq; dubio ex omnium Philosophorum placitis,in quorumcunq; animalium semine spiritus vivificus, qui à progenitoribus cum ipso derivatur semine. Hoc eodem etiam spiritu, semen humanum ditatur, estq; materialis & corruptibilis haud secus ac ille,qui in semine cæterorum animalium residet.Cùm verò homo omnibus etiam minimis suis partibus cætera excellat animantia: certè etiam quoad nobiliorem corporis partem, quæ nihil est aliud, quàm præmemoratus spiritus.Tantum etiam animantia cætera nobilitate excellet, ut nihil supra.Atq; hinc etiam à laudato Authore rectè deducitur: Hunc ipsum spiritum in homine non modo nobilitate atque excellentiâ superare quemcunq; spiritum in animalis cujuscunq́ue corpore existentem,sed ipsam ipsorum quoq; animalium animam, in quibus hic spiritus pro animâ est; licet hic in genere spiritus sit pars tenuissima & maximè spirituali naturæ accedens; nec desint alii spiritus naturæ minùs spiritualis, seu magis terrestres,quibus eorum Anima pro instrumento ad suas operationes obrundas indefinenter utitur.In homine autem hic spiritus nequaquam pro animâ est, sed pro Animæ instrumento: Et si fieri posset,ut liceret ei absq; Animæ rationalis virtute operari; multò plura posset in semine humano operari, quàm possit operari quævis anima perfectiorum animalium in proprio eorum animalium semine. Quin imò circumscriptâ hominis identitate posset pro ipsâ animâ inservire adinstar animarum cœterorum animalium: Nam & esset tale animal ut bruta omnia,corruptibile & mortale quoad utramq́ue partem, nempè tam corpus quàm animam; neque esset absq; dubio hujusmodi Animal homo, sed animal tantùm sensitivum, inter sensitiva tamen omnium perfectissimum.Ità cum *Zacchia*.Sed nunc ulteriùs progrediamur.

Quomodò anima simplex innumeras tamen exerceat operationes.

9. Animæ rationalis substantia quamvis sit unica, simplex, incorporea, & indivisibilis in homine: Nihilominùs juncta corpori plures & innumeras penè obire potest functiones: neq; tamen per hanc conjunctionem confusa miscetur corpori, sed perpetuò illam suam tuetur unitatem, & in quibuscunq́ue fuerit, ea ad suam vitam vertit, non ab iis vertitur, neq́ue propriè continetur à corpore, sed corpus potiùs ab illâ continetur,& per uiversum illud diffunditur singularum operationum in singulis partibus causa. Extendit igitur anima suas operationes, & expandit per totam materiam, atque adeò agit per omnes materiæ partes sic, ut uno materiæ istius membro utatur ad hanc operationem, altero membro ad aliam: Neq́ue ullam planè partem relinquit otiosam. Quo etiam sensu, etsi anima de se indivisibilis & simplicissima sit, à Philosophis tamen partibilis etiam intelligitur; quia partitur suas operationes per diversa instrumenta, atq; adeò per hanc partem corporis aliter agit, quàm per aliam.

Anima à corpore separari potest.

10. Anima cùm actuet corpus humanum, eidemq́ue naturaliter insit, non ità tamen inest, ut ab eo penitùs separari non queat, cùm habeat etiam operationes, quas sine corpore exercere valeat. Naturaliter tamen in corpore existit, quia operationes habet plures omninò à corpore dependentes. Quando autem inest corpori, eidemq́ue unita est, non sicut Nauta suæ navi præsens est, aut sessor equo suo, sed illi intimè unita est, adeò, ut compositum unum cum illo constituat.

Inter animam & animum quæ sit differentia.

11. Inter Animam & animum etsi rem eandem denotent, discrimen tamen nonnulli ponunt, ut Anima sit, quâ vivimus; Animus verò,quo sapimus. Alii, inter quos *Cicero*,volunt, quod animus animâ contineatur, sitq́ue animus velut animæ facultas & vis. Hinc in phrasi est, animum addere non animam; illud etiam memorabile videtur, quod animus soli attribuatur homini,anima verò omnibus animantibus viventibus.Medicis etiam Anima vitalis est, animus verò animalis.

Animæ omnes divinum quid in se continent.

12. Tametsi Animæ inter se plurimùm differunt, & maximè ab alia quacunq; Rationalis sivè Intellectiva, quia immaterialis,ac per se subsistens est: cœteræ verò omnes materiales sunt, nec per se subsistunt, neque etiam à materiâ separabiles sunt: & hæ ipsæ animæ cęterorum animalium cum inter se differant, prout magis aut minùs ad spi-

ad spiritualem naturam accedunt, aut ab eâ recedunt, & prout magis aut minùs in materiâ sunt immersæ, eique affixæ & inhærentes: Anima tamen quæcunque etiam ignobilissima, plurimumque materialis divinum quid ingenitum aut altioris cujusdam virtutis connatæ specimen ritè se contemplantibus insinuat ac demonstrat; ob quam certè tanta & tam multa eaque omni admiratione dignissima, etiam in vilissima viventium corporum materiâ machinari valet, quorum ne minimum quid humanus intellectus summâ suâ industria imitari potest. Ipsa enim insensibilium plantarum & vegetabilium anima quot & quanta non etiam in humillimis plantis efficere conspicitur? quid non in profundè demissis radicibus? quid non in foliis? quid non in floribus? quid non in fructibus? quid non in seminibus operatur, in quibus aliæ continentur animæ, quarum virtute tot numero novæ plantæ eandem omnes & singulæ habentes virtutem procreari possunt? quid non anima sensitiva in animalibus operatur, dùm ex vilissima de se decisa substantia novam individuorum sobolem ad speciem propagandam excitare valet? Quid tandem de humanâ loquemur animâ, quæ primò in pusillâ & abjectâ materiâ seipsam magnificat & magnificentia suâ ità mirabiliter extollit & amplificat, ut universitas naturæ se illi in obsequium demittere debeat. Undè rectè scripsisse censendus est *Seneca ep. 13. ad Lucilium. Quid ergo? animus si hic rectus, magnus. Quid aliud voces hunc, quàm Deum in corpore humano hospitem, hic animus tàm in equitem Romanum, quàm in Libertinum, quàm in servum cadere potest.* Et *Cicero lib. ult. Tuscul. qu. Humanus autem animus decerptus ex mente divinâ cum alio nullo, nisi cum DEO (si hoc fas est dictu) comparari potest.*

13. Ex hoc, quod anima rationalis & intellectiva divinum quid in se contineat etiam idcircò plures illius enumerantur dignitates. I. Quod sit incorporea & individua, sicut est ipse DEUS. II. Quod sit æterna & immortalis. III. Quod sit intellectu, voluntate, & memoriâ prædita. IV. Quod sit liberi arbitrii. V. Quod sit capax sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis, visionis DEI, omnisque boni. VI. Quod cunctis animalibus suâ potestate præsit & dominetur. VII. Quod sicut in DEO sunt omnes res & continentur eminenter, ità quoque res omnes in homine contineantur eminenter. *Creati* siquidem *Mundi*, ut inquit *Cornelius à Lap. in Gen. cap. 1. v. 26. homo est finis, compendium, vinculum & nexus: Omnes enim rerum spiritualium & corporalium gradus in se habet & nectit homo; ideoque est & vocatur Microcosmus, atque à Platone vocatur Horizon Universi, quia disterminat & in se conjungit superius hæmisphærium, puta Cœlum & Angelos, atque inferius, puta terram & bruta: Homo enim partim Angelis, partim brutis est similis.* VIII. Hinc etiam Homo est quasi omnipotens instar DEI, quia multa arte, & omnia mente suâ efformare & comprehendere potest. IX. Sicut DEUS regit & gubernat totum mundum, estque totus in toto mundo, & totus in qualibet ejus parte: Ità quoque anima regit totum corpus hominis, estque tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte. X. Sicut DEUS finis est omnium creatorum, ità eorundem quoque finis est anima. Atque hæ sunt præcipuæ dignitates Animæ humanæ, ob quas meritò imago DEI & splendor æternæ lucis edici potest.

Animæ humanæ dignitates

14. Anima denique in humano subjecto, quamvis sit una simplex & individua substantia à potissima & nobilissimâ suâ operandi facultate dicta Rationalis, sive intellectiva, ac cæteras animas, seu potiùs facultates, vegetativam & sensitivam in se complectatur, & cum iisdem nihilominùs una perseveret, sitque humana anima eadem, quæ ratiocinetur, sentiat, & vegetet: Secundùm istas tamen potentias & operandi facultates communiter distinguitur in vegetativam, sensitivam, & rationalem, sicut & singulas uberiùs declarare & explanare aggredimur.

Animæ distinctio.

CAPUT

CAPUT II.

Animæ vis & facultas vegetatrix exponitur.



ANimæ vis & facultas vegetativa in homine, si Peripateticos sequi velimus, tria comperitur habere facultatum genera, nempè facultatem nutritivam: hauriendi scilicet nutrimenta; Augmentativam sive sumendi incrementum; & generativam, sive facultatem generandi sibi simile ad conservationem generis: Undè benè asseritur radicale principium nutriendi, crescendi & generandi. Illud autem principium potissimùm consistere ajunt in calore nativo, cujus ope succus alimentarius ad eorum conservationem præcipuè præparatur & per totum corpus distribuitur, eique agglutinatur, quo vegetatio sive nutritio & auctio absolvuntur.

§. I.

De Animæ vegetantis potentiâ nutritivâ; seu Nutritione.

Causa efficiens Nutritionis. 1. Causa efficiens Nutritionis duplex est: Principalis, aut minùs Principalis. Illa iterum vel est remotior vel propior. Remotior causa est tum Anima viva, tum ejus facultas nutrix, seu potentia nutritiva: Propior autem causa est tum concoctio, tum agglutinatio.

Concoctio imperfectior. 2. Concoctio alia est imperfectior, qualis in plantis ac vegetabilibus reperitur, ubi succus terrestris per radicem attrahitur, ibidemque præparatur, & indè in ramum ac truncum per vasa succifera transmittitur, atque in substantiam tandem corporis nutriendi convertitur. Alia concoctio est perfectior, quæ in animalibus reperitur, estque triplex: Prima, secunda & tertia.

Perfectior triplex. 3. Concoctio prima perfectior vocatur chylosis, quâ nutrimentum in ventriculo convertitur in chylum, sive massam candidam instar pultis, cujus inchoatio dicitur masticatio & fit in ore, quandò nempè cibus dentibus comminuitur. Secunda decoctio perfectior vocatur hæmatosis, quæ est chyli in chymum atque adeò in sanguinem conversio. Tertia concoctio perfectior fit extrà venas in singulis nutriendi corporis partibus, qua humor quidam specie & similitudine roris multiplici & quasi erratico lapsu per omnem partium substantiam penetrando diffunditur, perque omnes poros diffusus combibitur: Undè & Ros alimentarius nominari solet, qui etiam ex sanguine in vaporem resoluto partim per venarum tunicas exsudat, partim per earum oscula effluit, tandem instar glutinis concrescit, atque adeò cuique corporis parti insita, vi nativi caloris, accrescit: Undè & *Gluten* dicitur. Atq; ista agglutinatio proxima & immediata causa est nutritionis.

4. Magnam vim esse notat *Du Hamel* *phys. part. 3. tract. 3. cap. 2.* salivæ & liquorum, qui ex oris, oesophagi & ventriculi glandulis exstillantur in cibis dissolvendis, adeò ut saliva ipsa menstruum seu dissolvens universale dici possit. Hinc farinæ massam fermentare hydrargyrum ut pleraque acida & austera sistere, cutis vitia sanare, gingivas sæpè exulcerare, & dentes carie inficere, vestigium cupri lydio lapidi inustum delere comperitur. Salivæ vis magna in cibis dissolvendis.

5. Modum verò quod attinet, quo nutritio ipsa perficitur, non erit difficile eum cognoscere, si cibi alterationes, quæ successivè in corpore fiunt, observemus. Imprimìs enim alimentum ore sumptum masticatur servientibus ad hoc dentibus aliis incidentibus, aliis molentibus cibum; humectatur etiam salivâ, atque vi suâ, quâ pollet, ut paulò superiùs indicatum, eximiè alteratur linguâ interim cibum continuò versante, & velut subigente, is tandem ope musculorum deglutitur, statimque à ventriculo colligitur, atque in se se arctè ad profundam sui partem, ne fluctuet, comprehenditur, ubi exsolvitur & decoquitur. Post ejus decoctionem innatâ virtute suâ stomachus partem excrementitiam per venam Cylin, quæ spinæ adjacet, in intestina deijcit; laudabiliorem verò in candidam quandam substantiam, quam *Chylum* passim omnes appellant, convertit. Qui chylus subindè per venas lacteas, non in jecur, ut ab Antiquis creditum, transmittitur, sed ab earum receptaculo usque ad ramos venæ cavæ subclaviculares evectus in ipsumet venæ cavæ ascendentis truncum influit, & per ipsum cum sanguine circulando in cor redeunte in dextrum cordis sinum, sive thalamum jecore nullatenùs trajecto effunditur, sicut paulò antè dictum est, qui postmodùm per cor multoties transiens in sanguinem convertitur, ac denique per varias anastomoses in partes tandem alendas effunditur: ubi verò subit partium nutriendarum poros *Ros* ob aliquam similitudinem dicitur: Ibi deindè cùm paulatim incrassescit, *Cambium* vocatur: tum ubi tenaciùs adhærescit partibus, *Gluten* nominatur, & sic tandem convertitur in substantiam aliti & formaliter alit, & augescit illud, non quidem secundùm omnes partes designabiles, sed solùm secundū omnes partes sensu distinguibiles & poris cavatas eâ semper ratione, ut partes alitæ & augmentatæ retineant prioris figuræ proportionem. Modus quo nutritio perficitur.

6. Sicut porrò in omni concoctione, ità quoque in ultimâ, sivè tertiâ concoctione, quæ nempè fit extra venas in singulis partibus corporis nutriendi aliqua est materia rejectitia, sivè aliquod excrementum. Humor enim secundus, qui ex sanguine & venis effluit, vehit secum etiam aliquid, quod sit impurum & corpori nutriendo ineptum, ità ut vel excerni illud sit necesse, vel in materiam morbosam Excrementa tertiæ concoctionis.

sam & corpori noxiam transire, velut in scabiem & similia. Duplex autem hoc excrementum esse solet, tenuius scilicet, vel crassius: Illud est *vapor* quidam & *halitus*, qui per poros cutis transpirat. Alterum crassius à Medicis *insensibile* dicitur, iterumque est duplex: vel enim egeritur per universam cutem, estque tum *Sudor*, tùm *fuligo* quædam & sordities cuticulæ; tum denique *pili*, qui ex vapore fuliginoso rariori cutis spiracula permeante & per calorem siccato ac protruso nascuntur: vel excernitur per certas ac determinatas corporis partes, ut per nares in muco, per palatum in salivâ, per aures in materiâ quadam biliosa & flavescente.

Instrumentariæ partes facultatis nutritivæ.

7. Facultati Nutritivæ principali partes quædam aliæ velut instrumentariæ subserviunt, suntque hæ quatuor. I. Attractiva sive Attractrix, quâ attrahitur alimentum Animæ nutritivum, sive quâ membrum concoquens per fibras rectas succum sibi convenientem attrahit, ut in ejus fruitione conquiescat. II. Retentiva, sive Retentrix, qua attractum retinetur, donec digeratur: vel per quam membrum concoctioni destinatum ministerio fibrarum obliquarum succum attractum aliquamdiu retinet tùm privatæ, tùm communis utilitatis causâ. Obliquæ autem fibræ vocantur eæ, quæ ex superiori parte ventriculi in inferiorem vergunt quasi à latere; sicuti Rectæ, quæ rectâ quasi lineâ ab inferiori parte ventriculi descendunt. III. Digestiva vel Alteratrix est, quâ attractum vel retentum digeritur vel alteratur; sive qua membrum concoquens nutrimentum efficaciâ caloris vitalis præparat in finem nutritionis. IV. Expulsiva, sive Expultrix, quâ superfluum alimentum egeritur & secernitur; vel quâ membrum concoquens ministerio fibrarum transversarum ejicit & expellit ea, quæ superflua sunt, & nutritioni inepta.

Nutritio alia perfecta, alia imperfecta.

8. Nutritio etiam in corpore vivo duplex esse solet, alia manifesta omninò, perfecta & ordinaria; alia occulta & imperfecta, & quodammodò extraordinaria. Prior illa nempè perfecta & ordinaria materiam externam videlicet alimentum per os assumptum necessariò requirit. Altera verò imperfecta & extraordinaria absque alimento foràs assumpto perfici potest; quandò nempè adsunt interni quidam humores pituitosi dulces, qui vicem sanguinis in debili corpore subire possunt.

Qualitates & mores juxtà alimenta acquiruntur.

9. Prout nutrimentum est qualificatum ac temperatum, undè vivens nutritur, plerumque etiam temperamenta, qualitates, mores, & operandi actiones nutrito viventi accedunt. Cùm nutrimenta sive alimenta transeant in substantiam aliti, mirum non est, si simul æquè temperies & qualitates alimentorum transeant. Undè multùm habent infantes à nutricibus, à quibus lactantur, atque bonitatem vel improbitatem ab iisdem, ut sunt bonæ vel improbæ, unà cum lacte hauriunt. *Tantundem enim*, ait *Agellius l b. 12.* refert, *quo lacte quis nutriatur, atq; ex quo semine nascatur. Cardanus* quoque *lib. 8. de variet. cap. 40.* rectè scribit. *Nutrices afferunt infantibus non solum circà temperiem, sed etiam mores. Undè sapienter seu finxerint, seu vera narraverint, veteres dixerunt; Romulum à lupâ lactatum: Fuit enim ferinis moribus, astutus, fortissimus & omnis incommodi patientissimus. Itaque qui à capra lactantur, stulti ac salaces evadunt: talis enim est hircus.*

Alimentum juxta humidi constitutionem assumitur.

10. Cùm præcipuè tantùm humidi absumpti causâ assumatur alimentum, ut nempè illud instauretur; idcircò quamdiu humidum illud in corpore superest, tamdiu etiam vita durare potest, & quià quantum humidi absumitur, tantum etiam alimenti ut restauretur, necessarium est; idcircò pro caloris humidum absumentis proportione, etiam proportio alimentorum instituenda est, sic ut ubi minùs humidi absumitur, ibi etiam paucioribus sit opus alimentis. Apparet hoc in senibus, quibus calor debilis minùs humidi absumit; ideò etiam modico alimento contenti jejunium etiam faciliùs, quàm adolescentes & juvenes tolerare valent. Item apparet etiam in phlegmaticis & pituitosis, in quibus calor remissior, & velut torpidus minùs humidi absumit; quocircà etiam minori, quàm cholerici & biliosi alimento indigent.

11. Corpus nutriendum prout excellentiorem obtinet vitæ gradum, pro eo etiam requiri videtur alimentum exactiùs & benigniùs temperatum. Idcircò plantæ, quæ infimum vitæ gradum nactæ sunt, nutrimentum requirunt minùs excellens. Animalia vero bruta cùm excellentiorem vitæ gradum obtineant quàm plantæ, idcircò etiam excellentius nutrimentum appetant, videlicet ipsas plantas. Homo autem cùm sit excellentissimum vivens, adhuc excellentius etiam nutrimentum appetit, nempè carnes brutorum animalium, aut inter plantas eas, quæ sunt omnium præstantissimæ.

Requisita in perfectissimo nutrimento.

12. In isto verò etiam nutrimento, quod perfectissimum gradum obtinet, adeoque homini tanquam perfectissimo viventi congruere debet, hæc observanda sunt. I. Substantia; II. Quantitas. III. Qualitas; IV. Ordo; V. Tempus. VI. Denique Consuetudo. *Substantia* nutrimenti præcipuè consistit in succo: Quandoquidem omne nutrimentum oportet esse succulentum, hoc est tale, quod sit humidum, aëreum, oleosum, atque adeò quod possit agglutinari. *Quantitas* æstimanda est ex facultate concoctrice, atque adeò ex temperamenti valore & robore. *Qualitas* etiam observanda est; quia cibi ratione temperamentorum corporis nutriendi qualitatem habent salutarem, aut insalubrem; ità ut qui calido sunt temperamento, debeant uti frigidioribus & humidioribus cibis, è contrà, qui valdè humidâ sunt constitutione, debeant uti cibis calidioribus & siccioribus. Cibus autem, in quo est qualitas cum excessu, sivè qui est nimis calidus, vel nimis frigidus, semper est insalubris. *Ordo* ciborum requirit, ut con-

coctu

coctu faciliora iis, quæ difficulter concoquuntur, sint præmittenda, & liquida solidis & lubrica astringentibus, *Tempus* spectatur vel ratione diversæ ætatis, vel ratione diversarum partium anni aut dierum: diversis enim ætatibus diversi cibi conveniunt, ut & diversis anni temporibus. Denique etiam observanda est consuetudo, quæ nec facilè immutanda, si invaluit; nec ità anxiè eidem inhærescendum, ut non interdum ab eâ discedatur, ubi manifesta ratio aut necessitas subit.

Homo non est Ens mathematicâ unitate subsistens. 13. His ità de virtute nutritivâ Animæ vegetantis relatis licet inferre, quod homo dum ob deperditas aliquas partes easdem nutritione debet restaurare, non sit Ens per se unitate mathematica subsistens per continuationem perfectum, sed solùm physicâ, quæ resultat ex continuatione plurium partium, quæ licet continuentur, perfectè conjungantur tamen cum subordinatione mutuâ, & cum ordine ad eandem Animam rationalem.

§. II.

De Augmentativâ, seu Auctrice facultate corporis vivi.

Augmentatio quid sit. 1. Nutritionem sequitur *Augmentatio* sivè *Accretio*, & hæc ab illâ dependet; estque nihil aliud quàm facultas Animæ Vegetantis, quæ corpus in omnem dimensionem quoquoversùs extendit per novæ substantiæ quantæ additionem. *Keckermannus in syst. phys lib. 3. cap. 13.* Auctricem virtutem propriam corpori vivo describit esse, quâ mutatur ad majorem quantitatem propterea, quod per agglutinationem copiosioris nutrimenti partes corporis vivi extendantur ad trinam dimensionem, id est secundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

Augmentatio à Nutritione quomodò differat. 2. Quamvis nonnullis manifestum videatur, nutritionem ab augmentatione reverà differre, propterea quod sint separabiles à se invicem, ut docet *Keckermannus loc. cit. siquidem ut ait, augmentativa virtus in homine cessat circà 25. annum ætatis, virtus verò nutritiva durat per omnem vitam*: credibiliùs tamen videtur, Augmentativam non esse realiter diversam à Nutritivâ, quod illarum actus non sint diversi: formaliter tamen differre conceditur, quin eadem potentia; ut nutrit, dicitur nutritiva; ut auget, augmentativa. Et licet quantitas in genere Entis realiter à substantiâ distinguatur, quam intendere videtur *Augmentatio*: ut tamen est objectum Augmentativæ, ità nunquam acquiri potest sine substantiâ, ac si non esset distincta à substantia; atque ita Nutritiva & Augmentativa circà diversa versantur in genere Entis, non autem in ratione objecti. Ita cum *Tylkowski part. 5. phys cur. de anima num. 13.* utriusque modum breviter describens *Le Grand. Instit philos. part. 8. cap. 9.* docet corpus tum nutriri, cum defluxus seu dissipatio quæ uni fibrarum carnium contingit, simili materiæ portione restauratur, quæ alteri extremitati adjuncta eas fibras ante se propulsat & impellit: Augeri verò, dum plus materiei adjungitur, quàm ex veteri dissipatum est: sicut in crasso quodam exemplo, inquit panem turgere videmus, majoremque molem acquirere, dum in ejus meatus plus lactis aut vini effusum est, quàm aëris ex eo expulsum.

3. *Augmentationis & accretionis* motus est successivus, quia non fit per distantia, uti volunt, qui illum discretum asserunt. Pars enim divisibilis non potest moveri instantaneè localiter. Motus quis.

4. Ut fiat *Accretio* semper desiderantur novæ partes, quæ & accedant, & adduntur corpori viventi. Illæ autem partes accedentes & additæ, si sint insensibiles porosque corporis ità permeent ut aliis corporis partibus non uniantur, non tam augent corpus, quàm distendunt, adeoque tunc non fit propriè accretio, sed rarefactio. Quocircà partes augentes debent esse aut fieri sensibiles & aliis corporibus uniri, non per extrinsecæ materiæ appositionem, sed per ejusdem intus susceptionem, hausto scilicet distributoque intùs alimentoque motus quidam ad locum efficitur. Partes accretionis quales esse debeant.

5. Causa efficiens *Augmentationis* diversa notari potest: Remota scilicet, Propinqua & proxima. Remota est ipsum alimentum, quod assumitur: Propinqua est accessio copiosioris alimenti, sivè nutrimenti ad singula corporis vivi membra. Proxima est extensio realis membrorum juxta trinam dimensionem ut suprà dictum est. Quæ etiam per internam partium amplificationem fit, ità ut non ab externo aliquo principio principaliter proficiscatur, sed à vi quâdam intus operante dilatante & extendente. Differt autem augmentatio à pinguefactione, quia hæc non fit secundùm omnes dimensiones, sed maximè tantum secundùm profunditatem. Causa efficiens augmentationis.

6. Dum fit *augmentatio* in corpore vivente aliquæ ejus partes primariò extendi solent, aliæ secundariò. Priori modò extenduntur partes solidiores, ut sunt nervi, ligamenta, venæ, fibræ, cartilagines & ossa. Secundariò verò & mediatè excrescunt & extenduntur partes fluidæ & liquidiores: ut sunt humores & spiritus. Hinc quædam corpora citiùs & faciliùs, quædam tardius & difficiliùs accrescunt, prout partium humiditas, deindè calor major aut minor illas partes extensibiles faciliùs aut difficilius protrudit aut propellit. Hinc homines calidi & humidi fiunt proceri, quia calor protrudit facilè & extendit humorem: ubi autem nimius est calor & deest humor, ibi calor exsiccat ossa, ut non possint extendi. Ubi autem nimius est humor & deest calor; ibi corpora ad justam staturam pervenire non possunt, quia deest calor tanquam protrusor, qui partes solidiores protrudere debet. Quomodò partes extendantur.

7. Corpus vivens dum augetur, quævis pars uniformiter difformiter etiam augetur, quia quævis pars nutritur etiam unifor-

uniformiter difformiter. Augmentativa enim sequitur Nutritivam. Non augetur igitur quævis pars per minima physica; quia si quævis pars sic augeretur, tantundem illi ac alteri adderetur, nam minùs addi non posset, & sic quævis pars statim duplo major evaderet.

Terminus accretionis. 8. Habet corpus vivens certum quendam accretionis terminum in qualibet corporis vivi specie: neque enim semper crescunt corpora, sicuti semper nutriuntur. Unde observatum est in homine, fœminas crescere usque ad annum ætatis 21. mares autem ad annum 22. imò 25. 26. & 27. pro diversâ corporis temperie ac constitutione incrementum secundùm omnes dimensiones suscipere; Causa verò utrinque est: quia cum usque ad assignatas ætates ossa mollescant, cœteræque corporis partes facilè inflectantur & penetrationem patiantur, fit ut pori levi negotio dilatentur & alimentum per calorem in ipsos adactum recipiant. Ad multos autem annos secundùm latitudinem & profunditatem ampliatur ob introductam novam substantiam. Demùm labentibus annis accrescendi finem facit, quia corporis partes continuò alimenti in dissipatarum partium locum accessu ità demum duræ evadunt, ut ipsi pori vix ampliùs extendi & dilatari queant, & ità nil quicquam ipsis partibus etiam agglutinari possit.

Cur in pueritia corpus magis accrescat. 9. Cum in puerili ætate humor etiam abundet magis & partes solidæ sint adhuc molliores; ideò major etiam illarum partium extensio, & inde corpus magis ac crescere comperitur. Quocircà etiam *Aristoteles* ex observatione notavit *l. 1. hist. anim c. 18.* quinquennio primo ferè in hominibus corpus consequi dimidium magnitudinis. Astrologi etiam quatuor vel quinque primos annos vocare solent *Annos Nutritionis*; docentque maximum vitæ periculum infantibus in istis annis obtingere, ità ut qui istos superant annos, non ità facilè deinceps de vitâ periclitentur. Causa est, quod natura in istis annis accretionis adhuc debilis multùm tamen operetur: ubi autem est debilitas & labor, majus subest periculum.

Diminutio 10. Augmentativæ facultati opponitur diminutiva sivè *diminutio*, quæ oritur in corpore vivo, dum alimentum deficit, aut poros subire ineptum est, vel dum calor nativus nimis est debilis, ut alimentum ad extrema fibrarum propellat, & dissipatam substantiam restauret; ut in senibus contingit: aut nimis vehemens est; ut in biliosis: aut quia ea est corporis natura, ut alimentum refugiat & intra poros recipi non patiatur.

Causa finalis accretionis. 11. Causa finalis *Accretionis* in corpore vivo censetur esse ut membra ejusdem, quæ sunt instrumenta Animæ per justam extensionem & magnitudinem aptiora reddantur ad functiones vitales perfectiùs obeundas: specialiter verò in homine, ut justâ membrorum magnitudine acquisitâ homo aptus reddatur ad mentis & voluntatis actiones promptiùs exequendas, ad se contra infesta pericula tutandum, simulque ad ornamentum & auctoritatem comparandum.

12. His addendum videtur, quod docet *Card. de subt. l. 12.* ajens *Signum maximum vitæ longævæ est multùm & tardè crescere: huic proximum parum & tardè. Sed simultum & celeriter; hoc brevis vitæ est indicium, Parum verò augeri & celeriter, brevissimæ vitæ est argumentum: nam humidum, quod facillimè extenditur, celeriter etiam consumitur. Quod verò tardè consumitur, pingue est ac densum, & minimè aqueum, & ob id etiam non facilè extenditur.* *Indicium longæ aut brevis vitæ ex accretione.*

§. III.

De virtute Generativâ Animæ vegetantis.

1. Generatio Animatorum corporum communiter definitur: Productio viventis à principio vitæ conjuncto secundùm rationem similitudinis. Quibus hæc definitio non undiquaque satisfacit, aliam ejus loco reponunt, & dicunt, quod *Generatio* sit actio Animalis perfecti, quâ ex semine utriusque parentis, maris scilicet, & fœminæ concurrente simile producitur animal. Proprius itaq; actus potentiæ Generativæ est conficere semen, quia non alio modo concurrit ad generationem Viventis: semen autem est excrementum utile ultimi alimenti sivè optimæ decoctionis aut digestionis ad generationē ordinatum. *Generatio quid sit.*

2. Naturalissimum & præstantissimum opus in viventibus *Aristoteles l. 2. de Anim. c. 43.* docuit esse *generationem*, utpote, quod ea spectet ad conservationem, non quidem individui, sed totius speciei. Maximum enim bonum est esse, & cum esse, in se non possit vivens, manet in prole. Quod etiam præclare *Fernelius* in hunc modum asseruit: *Unumquodque individuum cum mortale & dissolubile sit, aliud sibi simile optat in locum suum reponere, in quod languidam, & inclinatam quodammodo vitam suam conferat & per quod quasi repuerascens atq; innovatum quodammodò perpetuum fiat & æternum.* *Opus naturalissimum & præstantissimum.*

3. Quia *generatio* est præstantior actio, quàm nutritio, ideò necesse est id, quod jam conversum est in nutrimentum corporis vivi ulteriori aliquâ efficaciâ converti in materiam *Generationis* Quapropter etsi semen respectu nutrimenti sit excrementum, tamen respectu corporis generandi est causa naturalis & instrumentum simul, sine quo corpus vivens simile producere non potest. *Semen quid efficiat.*

4. Causa efficiens magis activa *Generationis* est vis tum immutatrix sivè alteratrix tum formatrix. Illa ex nutrimento corporis vivi copiosiore elicit excrementum optimæ concoctionis utilissimum, quod semē dicitur, illudque semen alterat & præparat ad formationem & productionem corporis vivi: Formatrix autem sivè plastica vis operatur in semen jam præparatum, in eoque distinctius format corporis vivi dispositionem, ità ut generanti secundùm speciem simile fiat, etiam si non fiat simile secundùm individuum. *Vis alteratrix & formatrix.*

5. Ista dispositio corporis vivi ejusque configu- *Configuratio quomodo fiat.*

Configuratio quomodo fiat. configuratio non fit instantaneè, sed lentè certis quibusdam gradibus, ità ut alia sit obscurior & imperfectior; alia perfectior. Illa est, quâ corpus vivum obscurè & imperfectè discernitur: Perfectior autem est efformatio, quando jam membrorum articulatio evidenter apparet, sicut humani corporis figura & delineatio jam perfectè animadverti potest.

Semen unde proveniat. 6. Semen *generationi* deserviens & generativum deciditur à cerebro, corde & renibus, quia istæ partes ejus profusione patiuntur. A cerebro enim per spinam delabi docent *Hippocrates*, *Aristoteles*, *Galenus*, & communiter Medici, illudque productione hujus diminui. *Fernelius* quoque notat eos, qui sunt malè affecto cerebro, vel non generare, vel aliquid defectuosum. Undè etiam, qui plurimum cerebro laborant, uti faciunt Eruditi, & studiis literariis addicti plerumq; aut debiles procreant liberos, aut fatuos. Oculorum etiam caliginem & debilitatem incontinentiam sequi in comperto est. A corde semen prodire docet *Averroes l. de sperm. c. 2. & Fern.* Siquidem à corde oriuntur venæ & arteriæ semen conficientes. Reliquas etiam partes ad semen collaborare ostendit ejus confectio, quæ est actio individui; hinc ad omnes pertingit affectio in ejus excretione, ob spirituum scilicet commotionem: non quod tunc ejus fiat decisio.

Causa finalis Generationis. 7. Causa finalis sicut Nutritivæ est conservatio sui in individuo: & Augmentativæ acquisitio debitæ molis, ità generativæ est conservatio sui in specie, ut sic perpetuet & non omninò intereat. Plura circà *Generationem*, & fœtûs efformationem, atq; ejusdem in lucem productionem dedimus suprà *Disq. præced. c. 2. §. 1.*

§. IV.

Admirandæ Nutritionis & Exoticarum rerum comestionis Exempla mirabilia.

Educatus mero veneno. 1. Regem *Cambayæ*, sicut *Mysoponerus in Satyricis* narrat, *Macdumar*, pater suus mero veneno educari, alique jusserat, ex quo posteà annis succiduis ità intoxicatus est, ut muscæ etiam cuti ejus insidentes, humoremque sugentes indè intumuerint, tandemque crepuerint. Insuper de eodem scribitur, nullum adeò robustum ac validum fuisse, qui halitum Regis tam virulentum ad mediam etiam horam portare valuerit. De quodam Indorum Sultano *Surattæ* in provincia *Gusaratti* nomine *Machamut* scribit *Ludovicus de Barthema*, eum manè quotidiè veneni quid assumere consuevisse, undè tam virulentus fuit, ut in quos denudatos sputum cum foliis quibusdam & calce ex ostreis commixtum afflasset, intrà dimidiam horam in terram procumbere & interire faceret. Uxores ter aut quater mille habuisse dicitur, quarum singulis noctibus ea, quæ cum ipso concubuit, manè exanimis reperta fuit. Nullus vestem aut interulam (quamvis singulis diebus novam induceret) ausus fuit assumere. Tantæ verò virulentiæ causa fuisse dicitur, quod à parentibus veneno educatus fuisset.

Mithridati venena innoxia. 2. De *Mithridate* scribit *Plinius*, quod hausta quotidiè venena, præsumptis tamen remediis illi ex consuetudine innoxia fuerint, adeò, ut captus à *Pompejo* se in carcere interimere, ut volebat, non potuerit. Anum quandam Atheniensem magnam cicutæ sine noxâ esitâsse quantitatem *Galenus* Author est. *Hipoth. Empiricus* triginta drachmas aliam sine læsione sumpsisse perscripsit. *Lysidem* quendam quatuor Opii deglutiisse drachmas *Idem* testatur. *Thraciam* mulierem ex manipulis veratri gratissimum habuisse obsonium refert *Jonstonus Thaumatogr. class. 10. cap. 2.*

Solo lacte victitans. 3. Refert *Aristoteles* & *Theophrastus* & ex ipsis *Athenæus lib. 2. cap. 2. Philinum* quendam nullo alio cibo per totam vitam usum fuisse, quàm solo lacte. *Byzonos* Mediterraneos lacte bubulo victitare, nec ullo præterea vesci cibo scribit *Erasmus in Adagiis.* Tradit & *Plinius lib. 11. Nat. Hist. cap. 42. Zoroastrem* in desertis caseo vixisse annis 20. ità temperato, ut vetustatem non sentiret.

Sanguine viventes. 4. Bisultæ Scythiæ populi nutriuntur equorum sanguine permisto lacte, uti *Virgilius* refert *lib. 3. Georg.* Tartari etiam cùm aliquò proficiscuntur, & fame sitique premuntur, equis, quibus insident, venas incidunt, haustoque eorum sanguine sitim, famemque sedare perhibentur. Equarum etiam lacte suprà modum delectantur, quo robustos, pinguesque se fieri arbitrantur.

Vermibus vescentes. 5. Testatur *Plinius lib. 17. cap. 24. Romæ* vermes grandes roborum, quos Cossos vocant, in cibum delicatum receptos, atque farinâ saginatos altiles fuisse redditos. Phryges quoque ac Ponticos vermes albidos obesosque capite nigricante, quià cariosis promantur materiis inter delicias habuisse scribit *Cælius lib. 28. Ant. lect. cap. 2.* Bodinos Scythiæ populos pediculos esitare scribit *Sabellicus lib. 6. cap. 1. ex Herodoto.*

Lacertis & serpentibus. 6. Lacertis virentibus vesci Afris in more esse testatur *Alexander.* Candei seu Ophiophagi serpentibus, quorum fertilissima est eorum regio, in esu delectari perhibentur. Pueri etiam serpentivori meminit *Kircherus in Chinâ illustr. pag. 82.* his verbis. Ferebatur in urbe *Agra* puer septennis ὀφιόφαγος Brachmani cujuspiam filius, qui tanta aviditate in cibum sectabatur venenosa animalia, araneos, scorpiones, serpentes omnis generis, ut iis vix satiari posse videretur. Quam rem cum primùm intellexisset *P. Henricus Roth* hujus rei à se experimentum sumendum censuit: Præcepit suis, quibus præerat Neophytis, ut puerum quæsitum sisterent, atque unà serpentes, quos poterant, magis pestiferos, ea tamen cautela absconditos adferrent, ne puer primo statim intuitu in eos nimio appetitu perculsus

culfas incurreret: quod, uti præceperat, factum fuit; sed desideratæ tametsi studio absconditæ letheæ deliciæ puerum minimè latere potuerunt: ingressi siquidem cum canistro nonnullis serpentibus, iisque omnium exitiosissimis refecto, vix dum ei stiterant, cum ecce sivè ex odore, sivè ex naturali quodam sympathici affectus consensu puer ὀφιόφαγος moram non sustinens in canistrum veluti impetu facto irruit, & mirum dictu ruptis canistri claustris sine ullo delectu unum post alterum manu ereptos sine ulla virulenti fellis intsteinorumque exemptione à capite ad caudam usque famelici Canis adinstar ad unum omnes devoravit cum gustu & voluptatis sensu, ut non pestiferum quid, sed deliciosum cibi suavissimi edulium devorare videretur. Ita *Kircherus* subdens tandem puerum ob tam abominabilium rerum appetitum commestionemque à Brachmane patre suo domo, ejectum proscriptumq; vitam suam in campis serpentû, cœterorumque animalium virulentorum venatu nulla aliorum ciborum solitorum alimonia sustentasse.

Locustis. 7. Æthiopes acridophagos deserto conterminos homines paulò cæteris breviores, macilentos, ac supra modum nigros locustis fumo enecatis & sale conditis, tanquam cibo illorum gustui suavi vesci tradit *Diodorus lib. 3. cap. 3.* Mandi quoque Indorum populi locustis victitare perhibentur. Ex sacro etiam Evangelio constat *D. Joannem* Christi præcursorem locustis & melle sylvestri in eremo pastum fuisse.

Testitudinum carnibus. 8. In *Carmaniæ* angulo sunt Chelonophagi *Eodem Diodoro teste ibidem*, qui testudinum superficie casas tegunt, earum carne vescuntur, testâ, quæ concava est, velut cymbâ navigant, pro aquæ etiam receptaculo sicut & pro tentoriis utuntur, atque ità cibo, vase, domo, navi vitam illorum testudo adjuvat.

Ovis marinarum avium. 9. Oenæ insulæ Hircani maris incolas ovis marinarum avium, & avenâ spontè nascente vivere memorat *Æneas Sylvius cap. 17. Hist. Asiæ.* Lotophagi etiam populi in Africa à solo loti fructu victitare dicuntur, qui suavitate palmarum, formâ verò lentisci fructui similis perhibetur. Horum etiam populorum meminit *Homerus Odyssæ. lib. 9.* narrans, quomodò *Ulyssis* socii gustata apud Lotophagos herbâ loto ad navem redire noluerint, nisi verberibus adacti.

Puella variis animalculis vescens. 10. Puellam decem annos natam parentibus similibus ortam ab infantiâ ranarum, lacertarum, murium, carbonum, cæciliarum, imò & serpentum omnisque insectorum generis comestione mirè delectatam memorant *Ephem. Germ. Cur. Decur. 2. Ann. 1. obs. 39.*

Tritico crudo vescens mulier. 11. *Lipsiæ* sibi notam fuisse fœminam præclaram testatur *Clarifs.* D. Joan. *Michael Febr*, ut refert *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 1. obs. 83.* quæ singulis ferculis etiam orbem tritico crudo plenum apponi curabat, quo alternatim vesceretur. Alias fœminas cretam, carbones, arenam, carnem crudam, vitrum, lapides, ligna, animalcula viva singulari appetitu & confertim assumpsisse citra ullam quoque noxam notavit *Schenckius in suis observat.*

12. Testatur cum memorato *Schenckio* etiam *Sennertus in Paralip. Claudium* quendam Lotharingum præter jam proximè recensita à cibo humano planè aliena etiam stramen, fœnum, res putridas & fœtentes præprimis autem stercus bubulum avidissimè deglutivisse. Vir absurdis vescens.

13. Supra memoratus *D. Febrius loc. cit* recenset mira de puero quodam Suinfurtensi sex circiter annorum, murarii cujusdam filio, qui à tempore ablactationis statim cretam, pulveres, & arenam edere gestiit; in hypocausto humi adhuc serpens ex omnibus fissuris & angulis pulveres anxiè quæsivit & degustavit, his scopis ritè remotis calceamenta arripiebat, & in illis hærens lutum S. V. abradebat, adeò ut nec adhortatione, nec minis cöerceri potuerit, crescente jam ætate & hic appetitus ità increvit, ut postmodùm copiosius arenam (interdum unâ vice mensuram pilei semipleni) calcem, carbones, lateres, elychnia, carnem crudam & farcimina deglutiret citrà ullam querelam & dolorem. In patriâ domo solus aliquando relictus de tribus parietum areolis calcem ferè omnem consumpsit, & hac de causa castigatus vicini murum versùs plateam adiit: Vicinus hoc statim advertens, locum parietis absinthii succo bene inunxit; puer amaritiem gustans mox ad rivulum plateæ proximum se recepit, ibique humido & arenoso luto cupidinem suam rursùs placavit. Aliquando etiam calcem vivam devoravit, quæ ipsius ventriculum adeò corrosit, ut sæpe & continuò frigidam ingurgitare coactus fuerit; hinc plures quàm quinquaginta & vivi & mortui propulsi sunt vermiculi. Cibos optimos vilipendit, dulcia non appetiit, ut Saccharum, mel, lac, nec carnem quoq;. Optimum suum victû judicavit jura ex merâ aquâ confecta, caseum cum pane; præ omnibus tamen arenam, quæ immutata per inferius guttur cum fecibus liquidis ab ipso excreta fuit. Comedit non solum lychnos cum ellychniis, sed etiam quæ in emunctoriis continebantur, exactissimè expurgavit. Mentem aliàs & habitum corporis quod attinuit, hilaris fuit & optimi coloris, præsentis animi, dormivit securè, uno verbo bene se habuit. Hæc præfatus Doctor. Meminit ibidem ante hanc historiam etiam cujusdam puellæ, quæ scabie malè curatâ in corpus repulsâ febre malignâ & ejusmodi appetitu correpta fuit, ut nullâ re aliâ quàm cretâ subtilissimè tritâ placari & satiari potuerit. Vivam calcem aliam quoque fœminam pugni magnitudine devorâsse memorat *Fernelius lib. 6. patholog. cap. 3.* Puer arenas & calcem aliaque mirè appetens.

14. Rarissimam, omnibusque fæculis admirandam historiam recenset *Harsdörfferus* Mulier pretiosa linea fila mandens.

dörfferus in Theat com, hist. 67. de fœmina Parisiensi, quæ ex inordinato appetitu, cum videret pretiosa illa fila oculata, seu institas, quæ collaria lintea exornant, *Genuæ* elaboratas & *Lutetiam* devectas (Germanicè Spitzen oder Borten) earundem pro 400. Imperialibus, seu centum pistoletis monetæ gallicæ unâ vice devoravit, & post triduum rursùs alias pro aliis centum pistoletis, ex quibus *Cleopatræ* quasi Luxuriosa filia pretiosum sibi construxit convivium.

Vivum felem devorang. 15. Vidit *Joan. Nierenbergius* in Aulâ Philippicâ hominem, qui omnia gustaret, omnia devoraret, laneos pannos, coria, vivos mures: imò aliquando visus est manducare vivum felem cum pelle, pilisque, ipsum ejulans & repugnans animal ipse mordebat *Nierenberg. lib. 3. Hist. Nat. peregr. cap. 7.*

Lazari vitrivori Pataviensis historia. 16. Faceta est historia & à pluribus decantata de *Lazaro* quodam Pataviensi, quem *Vitrivoracem* vulgus appellavit. Hic enim vitra, lapides, ligna, pisces è vivario extractos adhuc salientes voravit. Lutum etiam, pannos lineos, laneosque, fœnum, stipulas, & quidquid illi fuit oblatum absumpsit. Quâdam etiam vice prævià stipulatione carbones sacco vimineo contentos cum ipso sacco devoravit, ita ut Pharmacopola ad Angeli insigne *Patavii*, qui fuerat stipulatus, eum à pharmacopolio abegerit, metuens ne se & pixides suas omnes cum tota officina devoraret. Voracitatem tamen istam naturalem fuisse testatur *Realdus Columbus*, qui corpus illius post mortem dissecuit, in quo compertum quartam nervorum conjugationem, quæ gustûs gratiâ in aliis hominibus à naturâ producta est, in hoc *Lazaro* neque ad palatum, neque ad linguam reptâsse, sed ad occipitium reflexam fuisse.

17. Vidisse se scribit *Cardanus de Variet. l. 8. c. 40.* Germanum quendam Tribunum militum, qui cum Gallis stipendia merebatur, solitum vinum haurire immoto gutture. Addit deindè; *Alii*, inquit *ligatis cruribus ac brachiis amphoras plurimas sorbent, quas perpetuò mejunt.* Vidisse *Idem* memorat hominem, qui urceos vitreos, clavos ferreos, aliaque multa derovabat modicâ stipe, inde paululum contractis præcordiis singula reddebat. Idem aliquandò octoginta porros crudos comedisse fertur.

Urceos vitreos clavos ferreos devorans.

18. Vitrivoros tres refert *Hildanus cent. 5. obs. 2.* qui robustissimi & sine noxâ vitra quam plutima cum aviditate devorârunt & sat commodè vixerunt: quorum historias Idem repetit *cent. 6. & in append. Epist. 763.* Gallum quoque innoxiè sæpissime vitrum devorantem vidit *Borellus* ut scribit *cap. 1. obs. 52.* uti & alium *cap. 1. obs. 69. Mangiasasso* dictum, qui lances integras calculis pollicem crassis refertas deglutivit. *Dantisci* tamen, ut refert *Keckermannus syst. phys. l. 3. c. 12.* fuit Comesquidam, qui in gratiam alterius sui Amici vitrum devoravit, sed cui malè cessit insolitum esculentum: tantos enim sensit dolores, ut moriendum illi fuisset, nisi Medicus arte quadam malum avertisset. Coxit enim frumentum Saracenicum, Buchweitzen Grütze, eique comedendum ità crassiusculè dedit, ut nempè particulæ vitri sese immiscerent pulti isti crassiori, & ità simul excernerentur.

Petri Corogii absurda edacitas. 19. De *Petro Corogio* Aulico *Ludovici* Hungariæ Regis narrat *Nicolaus Isthuanses l. 8. Rer. Hung.* & cum eo *Th. Lansius Orat. contra Hung.* quod is mures vivos, præcisas felium caudas, abjecta in plateas cadavera tabo vermibus que scatentia absque ullâ nauseâ devorârit.

Bajuli Bononiensis mira edacitas. 20. Novisse se testatur *Aldrovandus in Monst. Hist. à Barthol. Ambrosino editâ Bononiæ* bajulum Anno 1626. qui sponte volens, vel mercede incitatus urceos, clavos, coria, ligna, anguillas, aves implumes & mures vivos devorabat, & absq; vitæ discrimine per anum omnia denuò egerebat.

Hominis Pragensis mira voracitas. 21. Vixisse perhibetur *Pragæ* eo tempore hujus sæculi, cum pars urbis præsidio Suecico firmata esset mirandæ constitutionis homo, qui notante *Harsdörffero in Theat Trag. hist. 164. § 12.* canes & alia animalia viva comedit: memorabile verò hoc de ipso refertur, eum in consessu plurium Suecicæ militiæ præfectorum mercede aliquot imperialium conductum porcellum vivum unà cum setis dentibus arripuisse, nec destitisse, donec eum totum remotis solummodò intestinis absumpsisset: tandem rogatus, ut & intestina farta comederet, pretio unius ducati inductus, eadem quoque omnibus stupentibus & ad ista fercula canina nauseantibus deglutivit.

Argillæ esus. 22. Fœminam cachecticam recenset *Hier. Reiisnerus in obs à G. Hieron. Welschio editis obs. 69.* quæ esu argillæ satis explere non potuit, & ab *Antonio Junckero* Medico Duc. Saxon. tandem petcurata.

Insolita edacitas puellæ Amstelredamensis. 23. Filiam Consulis Amstelredamensis non tantùm delectatam, verùm & avidè ad satietatem usque fruitam cespite sulphureo ac plumbi laminis minutatim concisis adinstar alimenti vel maximè familiaris, incidisse tandem in morbum ut diutinum ac molestum, sic summè exitialem atque mortem denique ipsam scribit *Tulpius obs. Medic. lib. 4. cap. 24.*

Pueri epileptici absurdorum edacitas. 24. Mirabilis historia memoratur *Eph. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 2. obs. 150.* de puero Epileptico, qui mirè absurdorum esu delectatus fuit. Stercora suilla & anserina, intra pedum digitos collecta in deliciis habuisse perhibetur. Animalium intestina in fimetis reperta, cum ob tenacitatem membranaceam dentium aciem eluderent, more ciconiarum deglutiit, ut mirum plane fuerit, spiritum nunquam ei fuisse interclusum: hæc ipsi postea fuêre ad ulnas aliquot è faucibus protracta, quod Agyrtæ cum tæniis faceto aliàs spectaculo, facere assolent. Corium, lintea vetusta, limum figulinum, ramos & folia arborum, & sentium, lactucam & brassicam capitatam unà cum caulibus magnâ copiâ devoravit. Aliquandò species pro nodulo purgante aliquot vicibus exhauriendo & alteri

præscripto vino infuso, cum vino, speciebus & linteo involucro unâ vice abligurivit, nec indè quidquam incommodi passus, quàm ut anxiè sudaret.

Pyrophagus Londinensis. 25. Pyrophagum Londinensem cultros, novaculas comminutas & lapides rotundos devorantem, laminas item ignitas lambentem: massam ex pice, sulphure, laccâ, resinâ & cerâ totam flammantem ore volventem & masticantem *Olius Jacobæus in Act. Med. Hafn. vol. 5. obs. 107.* describit: qualis etiam mulier *Mitaviæ* in Curlandiâ Anno 1679. & *Crailshemii* visa quæstum istiusmodi epulis factitans memoratur.

26. *Petrum Tvens* ferrum cotis vicem apud laniones præbens, pedem ollæ æneæ, cultros, & alia hujusmodi devorantem, & hæc ipsa deindè per hypochondriorum abscessus rursus egesta narrat *Zodiacus Medico-Gallicus Mens. Majo obs. 2. Ann. 1.*

Comitissa fila linea assueta comedere. 27. *In Scholio obs. 150. Ann. 2. Dec. 2. Eph.* describitur Illustrissima quædam Comitissa Vidua annorum 38. quæ fila linea perditissimè appetere consuevit: Undè semper in culeo glomeramina duplicati fili, quę comedat, portat; mensæ accumbens fila è mappis & mappulis, denique quocunque loco stat aut versatur, ex indusio proprio, strophiolis, lodicibus &c. extracta perpetuò mandit, à primâ juventute hoc assueta. Hinc è lino contexta utensilia filorum hâc successivâ extractione clathrata quasi efficit ac turpiter defœdat, nec quoquo modo ab horum esitatione averti potest, quin testatur nil suavius aut posse dici aut dulcius quicquam esitari. Aliam quandam fœminam fila ex vestibus comedere solitam testatur *Tricanellus l. 7. cap. 5.* Aliam gossipium & lanam *Lusitanus cent. 5. curat. 86.*

28. His denique adjungere visum est virum quendam plebejæ sortis, ut refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 4. ob. 70.* cui per plures annos nihil magis in deliciis fuit, quàm araneos fortè obvenientes in escam capere, cancros viventes, crustaceâque veste adhuc indutos deglutire, candelasque sevaceas amplo oris hiatu devorare sinè ullâ noxâ, non sine adstantium stupore & horrore. Ejusmodi admirationis sunt, qui scorpiones aliaque insecta pro gratissimo habent edulio; quorum historias *in Ephem. Germ. Dec. 1. Ann. 2. obs. 205.* itemque anno eodem obs. 10. collectas habebit Lector. Coloniæ etiam *Albertus M.* ait se vidisse mulierem, quæ magnâ cum voluptate araneos devorabat. Sed pro exoticis ejusmodi esitationibus concipiendis supponitur fermenti stomachalis certa quodam diathesis, quâ talia & appetere & concoquere possunt. Multum attribuunt nonnulli acri succo stomachali depravato ad hos potiùs, quàm alios cibos dissolvendos. Hinc censent quidam bile depravatâ laborantes calcem, carbones, & similia appeti: pituitâ acidâ peccante acidos sapores concupisci: bili vitellinæ corruptæ lardi, sevi & aliorum hujusmodi appetentiam assignant. Generales tamen causa videtur esse appetitus istiusmodi depravati & vitiosi rerum ad nutritionem ineptarum, aut certè incongruarum, vel quoad quantitatem vel qualitatem miasma quoddam inexplicabile fermentum ventriculi & nervosas partes afficiens. De insignibus Edonibus & Bibonibus exempla plura dabimus infra *cap. seq. §. 2.*

Vir araneos & crudos cancros devorans.

CAPUT III.

De fame & siti, & admirandis indè natis Casibus & Eventibus.


Tomachus nutritivæ facultatis & Animalis Oeconomiæ officina prout diversimodè à certis liquoribus ipsum vellicantibus afficitur, ità nonnullorum quædam appetentia vel aversatio & nausea indè exoritur; sicut in præsenti capite previter explicare conabimur.

§. I.

De fame ac siti quædam observationes.

Fames quid sit. 1. Fames *Galeno* nihil aliud est, quàm sensatio divulsionis Ventriculi; *Aristoteli* appetitus calidi & sicci, Recentioribus communiter juxtà *Chauvinum in Lexico philos*: dicitur sensus per ventriculum ab acido succo intùs vellicante ortus. Nimirùm sivè ex vasis glandulas vicinas deonerantibus; sivè ex ipsis arteriis perennibus veluti rivulis succus quidam acidus indesinenter influit in ventriculum: quamdiu verò illic tantum alimentorum includitur, quantum ad sustinendum acidioris hujus succi impetum sufficit; tamdiu idem succus exemptâ epulis fame vires suas in inclusos cibos convertit ad digerendas escas laboraturus: Ubi verò exhaustis alimentis stomachus itàvacuus est, ut in eo nihil, aut parum superfit alimenti, in quod prædictus succus vim suam exerat, tum succus ille conversâ suâ in ventriculum acie diffusos undique illius nervos ità lacessit vellicando, ut continuato ad caput usq; impetu, & medium cerebrum & mens huic præsertim insidiens commoveatur, ideoque homo esurire dicatur. *In Lexico medico Castelliano* Fames in genere significat omnem ciborum defectum & inediam; accuratiùs verò sensum indigentiæ, qui fit in orificio ventriculi sinistro, & nervis ad illud excurrentibus: & hæc fames dicitur *Animalis*, quemadmodum defectus alimenti in toto corpore

corpore *Fames Naturalis*. **D.** Le Grand. *Inſtit. philoſ. part.* 8. *cap.* 21. *Fames*, inquit, *eſt cibi appetentia, quam quædam ventriculi vellicatio provitat.* : quâ ratione verò hoc fiat : *obſervandum eſt*, ſubjungit, *quod ventriculo inanito hoc eſt, cibis illis vacuo, qui corporis nutritioni famulantur, ſuccus, ſeu liquor, qui ex arteriis in ſtomachum defluere ſolet, & qui ad cibos in eo diluendos inſervit nihil materiæ reperiens, in quam vim ſuam exerceat, ſtomachi nervos commovet, & excitat, atque hic motus ad cerebrum usque delatus famis ſenſum, ſeu cibi appetentiam excitat.*

Fames alia naturalis; alia præternaturalis.

2. Quomodocunque verò jam definita aut deſcripta fames conſideretur; dupliciter ea contingere poteſt, nempe vel ſecundùm naturam, aut præter naturam. Priori modo conſiderata eſt Cupiditas aut deſiderium eſculentorum vel à ſucco acido ventriculum intùs vellicante; vel ab effluviis & halitibus acidis ſpiritus animalis in orificio ventriculi & ejusdem nervis moleſtiæ quodam ſenſu afficientibus proveniens. Hæc, quæ præter naturæ ordinem contingit: quadruplex eſſe cenſetur : *Aucta* nempè, *abolita*, *imminuta* & *depravata*.

Bulimia & Limanchia

3. Ad Nimiam ſivè Auctam pertinet *Bulimus ſivè Bulimia & Limanchia.* Illa eſt vehemens frequentior & nimiùm aucta fames, eſtque Symptona præter naturam aucti appetitûs ciborum etiam cum animi deliquio. Differt ab appetentiâ *caninâ*, quod hanc Vomitiones ex nimiâ ſequantur ingluvie: in Bulimo non item ſed animi deliquium ſit hujus comes & ſymptoma proprium atque inſeparabile. *Limanchia* dicitur ſumma inedia, & omnimoda abſtinentia, cum quis nimia fame diſcruciatur & ſtrangulatur.

Anorexia & Apoſitia

4. Ad *abolitam* famem pertinent *Anorexia & Apoſitia.* Illa etiam dicitur *Aſitia*, eſtque inappententia ciborum, cum ſtomachus intemperie affectus, aut humorum redundantia gravatus cibos refugit. *Apoſitia* faſtidium ciborum habet. Undè quoque multi perſæpè cibos non appetunt, qui tamen non faſtidiunt.

Pica, citta vel malacia

5. Ad famem *depravatam* ſpectat *pica*, quæ & *picatio*, *citta & malacia* vocatur, eſtque appetitus depravatus & vitioſus rerum ad nutritionem ineptarum, aut certè incongruarum cum languore anxietate, & quandoque cum animi deliquio. Affectus fœminis præſertim gravidis familiaris, rariſſimè maſculos infeſtans, quo inordinata, inſolita & incongrua appetuntur, comptimis acria, acerba, acida, terra, teſtæ, creta, carbones, araneï, carnes crudæ, panni veteres, putrida abſurda, à naturâ aliàs aliena & exoſa. Exempla plura dedimus *cap. præced.* §. 4. de his prædictis appetentiis, earumq; cauſis proximis aut remotis vide *Mœbium in Epitome Inſtit. Med. l.* 2. *part.* 2. *c.* 5.

Differentia famis ab irritantibus aut extinguentibus cauſ.

6. Non ſolùm ex diverſis generibus quædam famis diſtinctio eſſe ſolet, ſed etiam ex iis, quibus fames irritari, & quibus extingui poteſt. Aliqua enim fames contingit pleno ventriculo; aliqua vacuo. Illa contingit ex eo, quod fit tanta acidioris ſucci copia, tantusque illius acor, ut nihil morantibus cibis ad fundum usq; ſtomachi vis illa penetret, hujus fibras vellicando ad ſenſum famis commoveat: ut contingit in fame Bulimia, & caninâ ſeu rabidâ. Eſtque hic affectus vel morbus, aut morbi præſagium. Quæ verò fames evacuato, jejunoque naſcitur ventriculo, hæc naturalis eſt & optima valetudinis nota : quamobtem etiam Medici monent, non ante ſumendum eſſe cibum, quàm ejusmodi fames ventriculum ab ingeſto cibo vacuum docuerit.

Succus famem excitans qualis ſit.

7. Succus vellicans & famem excitans acidus eſt & mordax, utpote ex utraque bile, flavâ nimirùm & atrâ proveniens : ut docet *Le Grand. Inſtit. philoſ. part.* 8. *cap.* 21. Hinc Melancholico cholerici plerumque præ aliis voraces ſunt : quorum ſuccus ex utraque bile profluens acredinem quandam mutuatur, quo cibi quemadmodum metalla Aqua forti penetrantur, & inteſtina ad promptam egeſtionem ſollicitantur. Acida hinc etiam eſculenta, velut acetum, ſuccus citreus, ſal, piper, olivæ, Sinapi, Alkalia tam fixa, quàm volatilia famem irritare ſolent, quatenus videlicet propria acredine ſuâ prædictam ſucci acidi vellicationem adjuvant. Econtrà pinguia & adipoſa & omne uncti pulmentarii genus citiùs famem explere valent, eòquod prædictus ſucci vellicantis acor glutinoſis ejusmodi corporibus veluti implicatus non eo, quem diximus modo, vellicando ventriculum pungere queat.

A diverſitate temperamentorum fames qualis fiat.

8. Pro diverſitate temperamentorum in corporibus fames, vel diutiùs vel minùs diu ſervari & tolerari poteſt. Unde non rarò accidit, ut nonnulli etiam impaſti nullâ unquam fame laborent, nullâque cibi appetentiâ teneantur, quales paſſim ſunt phlegmatici & ſanguinei. Quoniam hic ſuccus quibusdam obſtructionibus, quo minus ventriculum ſubeat, impeditur, vel quia nimis dilutus eſt, ut vim ejus ventriculus ſentiat, vel quia ejus actio à frigidis & glutinoſis quibusdam humoribus retunditur; vel denique, quia ex acri illo humore nihil aut parum in ſtomachum effunditur. Harum enim Cauſarum ſemper una eſt, quæ appetentiam tollit, & ægrotis præſertim continuam veluti ſatietatem adducit. Imo accidit, ut etiam bene valentibus iisdem ferè de cauſis nulla inſit ciborum cupido, ut diu ſine ullo dolotis ſenſu impaſti permanere valeant; dum nempè liquor famem generans arcetur & omnes illi ad ventriculum aditus denegatur, vel ftigidis & glutinoſis humoribus vis ejus retunditur, vel ſanguinis temperamentum corrumpitur, quo ſuccus in ventriculum impulſus degenerat & diverſæ fit à ſolito naturæ. vide *Le Grand. Hiſt. nat. part.* 8. *artic.* 5.

Pituitoſorum fames

9. Qui pituita dulci abundant longius etiam tolerare famem queunt: Unde etiam *Nicolaus Monardus* Medicus Hiſpanus citatus à *Keckermanno ſyſtem. phys. l.* 3. *c.* 12. memorat de viribus herbæ *Nicotianæ*, quam vulgò Tabacum dicimus, quod pilulæ ex eâ confectæ

confectæ famis sitisque sedandæ gratiâ ab iis, qui per multa loca iter faciunt, inter labrum inferius & dentes reponantur. De hâc herbâ etiam Clarifs. *Clusius in Historia Medicamentorum ex Novo orbe delatorum* eruditè differit, quod nempè istæ pilulæ Nicotianæ famem sedent, & homines aliquot diebus sine cibo & potu nutriant propterea, quia è cerebro pituitosos humores eliciant, eosque ad ventriculum transmittant.

10. Qui per aliquot dies famem jam tolerârunt, nullum tandem ampliùs doloris sensum habuisse contestati sunt, quod, ut puto, humor acidus vellicans nimiùm dilutus vim tantam ventriculum pungendi & dolore afficiendi perdiderit.

11. Hyeme magis urget fames, quàm æstivo tempore, & in frigidis regionibus magis quàm in calidis, quòd acidior in hyeme, hybernisque regionibus aër eundem aciditatis characterem acido succo famis causæ superaddat & stomachale fermentum famem excitans adaugeat. Hinc etiam *Hippocrates in Aphor. sect.* 1. *Aph.* 13. & seq. tradit, senes facillimè jejunium ferre, pueros difficillimè; Vere & hyeme difficulter; æstate & Autumno facilè inediam sustineri. Unde prudenter *Dantes Aliger in sua Comoed. infer cap.* 33. describens Comitis *Ugolini* & filiorum mortem ex fame hanc observavit varietatem & filiorum minimum ante omnes occidisse, mox grandiores natu refert, ultimo loco Patrem.

12. Inter eos, qui febribus laborant, notat *le Grand in Hist. Anim. part.* 8. *art.* 5. difficilius eos sanari, qui cibos appetunt, quique suo morbo magis edaces redduntur. Consentiunt Medici, qui diuturnas esse febres ajunt, quæ famelicos reddunt homines, breviores autem, quæ siticulosos. Hi siquidem affuso liquore facilè mitescunt, qui cum sudore extra corpus transmittatur, nihil residuum post se relinquit, quo febris alatur. Famelici verò & quibus febris acido salsoque humore accenditur, cum in cibum nimis avidi sint, stomachum cibis fatigant, & ità morbum alunt. Sed hæc ad Medicos pertinent.

Causa finalis Famis. 13. Causa finalis famis naturalis videtur esse, ut reparentur damna sanguini illata ob particulas sivè in nutritione partium, earumque augmentatione, sivè in excretionibus atque effluviis tum sensibilibus, tum insensibilibus perpetuò transudantibus & transpirantibus deperditas.

Sitis quid sit. 14. Famis naturâ consideratâ ad sitim explicandam procedimus, quæ est potûs sivè liquoris appetentia, quam vel fauces aridæ ob humiditatem abinde expulsam; vel ardor ventriculi; vel salsedo linguæ adhærens; vel alia ejusmodi provocant. *A Chauvino in Lex. phil.* definitur Appetitus, quo homo (aliudve quodvis animal) ad convenientem liquorem, quem potum appellamus, consequendum incitatur & fertur faucium & Oesophagi siccitatis tollendæ, ariditatisque præcavendæ gratiâ. *In Lexico Medico Castelliano* Sitis dicitur esse cupiditas animæ sensitivæ excitata, confirmataque per motum aliquem spitituum & sanguinis præcipuè ab effluviis & halitibus salsis circà stomachum concurrentibus.

15. Sitis duplex esse solet *Naturalis & Præternaturalis.* Illa naturæ conservandæ apprimè conveniens, imò necessaria est: Hæc autem, sicut Fames præternaturalis aliquando vel aufertur, vel imminuitur, vel augetur vel depravatur. Sed de his vide *Gotbofredum Mœbium in Epitome Instit. Medic. lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 5. Sitis duplex.

16. Sitis summa censetur esse necessitas, cum corpus animale sine fluidorum appetentia eorumque haustu subsistere haud possit. Arguit hoc non tantùm intolerabilis molestia atque infirmitas, quam ex siti vehementiori & longiori patimur, sed etiam quoad alimenta solidiora, sine quibus nec commodè digeri nec dispensari valeant. Unde Sitis sivè materiæ potulentæ concupiscentia pari jure ac fames naturalis quædam sivè functio sivè passio dici potest: hoc est talis, quæ causam intrinsecam, seu corpori secundùm naturam inexistentem habet. Sitis necessitas.

17. In subjectis benè temperatis & benè constitutis fames ordinariè semper præcedit sitim, illâque demùm fractâ ab assumptis cibis solidioribus potûs emergit concupiscentia. Unde constat vel siccitatem vel acrimoniam vel quodcunque demùm illorum sitim excitare. Sitim fames præcedit.

18. Cum à jejuno ventriculo potus expetitur totam humorum massam salsedine & singulari quâdam acrimoniâ laborare vel seri immoderatiores evacuationes subesse arguitur. Unde quibus saliva salsa est, siticulosi sunt; & qui salsamentis aut carnibus multo sale conditis vescuntur, siti aliquamdiu post vexantur; & ob eandem causam bibones escis muriâ conditis oblectantur, majore enim cum voluptate & appetitu dein potitare solent. Unde sitis in jejunis.

19. Contingit sitis variis modis: sumpto imprimis cibo ob siccitatem scilicet, quæ in eo reperitur, quæque spongiæ adinstar stomachi humiditatem exsugit; aut citra cibum dum fauces multa bile multoque calore ardent; aut salsuginis copia vel vitio: quoniam tunc non tantum bibendi imaginatio subit, sed inordinatus indè potûs appetitus oritur, quo fit, ut etiam aqua impura, fœtida, & liquores alii inepti expetantur. Variis modis sitis contingit.

20. Sitis etiam causæ variæ à Doctissimo *Glissonio* recensentur Istæ. *Imprimis* nimia abstinentia à potu. *Deindè* auctus sanguinis calor & præsertim is febris putridæ. *Tertia* defectus laticis in toto, quem Veteres sub feri seu seu vehili sanguinis nomine agnoverunt: illa autem penuria profluit vel à defectu humiditatis in assumptis, vel à nimia ejusdem profusione in excretis. *Quarta* est diversio laticis ad aliena loca, cum nempè à glandulis ad sitim restinguendam destinatis ad Sitis causæ variæ.

loca

loca hoc munere destituta divertitur. *Quinta* est peculiaris defectus glandularum salivalium: vel obstructio vasorũ excretoriorum ab illis promanantium: Undè vel non excipitur latex, vel exceptus non separatur, vel separatus liberè per impeditam viam non effluit, sed in parte cumulatur, ibique tumores efficit. Ultima causa est qualitas salivæ mutata. Hæc enim secundùm naturam se habens est tenuis, aquea, lenis, limpida; Si autem his ce qualitatibus quoquo modo orbetur, ad explendam sitim justo ineptior redditur.

Potus cur sumatur.

21. Potus rarò est, qui simul non sit cibus ac unà nutriat: quare verò assumatur, plures sunt causæ. Imprimis provehit cibum tenuitate suâ per meatuum & venarum angustias. Deinde juvat concoctionem potissimùm illam, quæ fit in ventriculo: nam se habet ista per modum elixationis, cibum quoque permeat, ut succus faciliùs ex illo eliciatur. Siccitatem denique membrorum & fervorem sanguinis temperat, & hoc modo nutritionem adjuvat & impedit, ne humidum à calore absumatur: qui succus ubi deficit, membra illum à vicinis extrahunt simili modo, ac contingit in fame.

§. II.

Raræ & admirandæ voracitatis ac bibacitatis in quibusdam hominibus Exempla.

Bovem devorans.

1. Antiquum adagium: *Bovem in faucibus portat*, indicant *Zenodotus & Suidas* ortum vel à *Theagene Athleta Thasio*; vel à *Milone Crotoniata*, quorum alter bovem solidum solus comedit; alter in Olympiis taurum quadrimum humeris sustulit, ac stadii spatio retento anhelitu gestavit, eumque eodem die solus comedit. Eundem scribit *Theodorus* carnium minas viginti deglutivisse, & panis totidem. *Athenæus lib. 10. cap. 1. & Gellius.*

Dioclis voracitas.

2. *Diocles*, ut refert *Athenæus lib. 8. cap. 6.* cùm agnum in obsonia ligurisset, ac calidum piscem, cœlum sibi dixit combustum: reliquum est, ait illi *Theocritus Chius*, ut mare ebibas: tunc enim tria maxima absumpseris, terram, mare, cœlum.

Mira voracitas F. Seleuci.

3. *Firmum Seleucum* scribit *Sabellicus lib. 10. cap. 10. ex Capitolino*: Struthio camelum, quo nullum volucre est majus, uno die comedisse: Eundem & Hippopotamos effitasse, & impunem inter Crocodilos ejus animalis adipe delibatum natâsse.

Ctesiæ.

4. *Ctesiam* quendam infinitæ Voracitatis fuisse *Anaxilas* Comicus testatur apud *Ælianum*. *Plutarchus in Convival. lib. 1. quæst.* scribit pugilem *Heraclidem* fuisse propè infiniti cibi potûsque capacem, nec ullum in potando parem illi repertum.

5. *Astydamas* Milesius ab *Ariobarzane* Persâ ad cœnam fortè vocatus, cùm venisset, pollicitus est se, quæ omnibus parata essent, solùm esurum esse; quod & præstitit. A quo cum petivisset Persa, ut dignum aliquid ageret suis viribus, pedem lecti æratum fregit. Solus itaque comedit, quæ novem viris in cœnam fuerant parata. *Athenæus lib. 10. cap. 4.*

Mœnii Scurræ.

6. Describit *Horatius in 1. Epist. Mœnium* Scurram sibi notum Gulonem voracissimum his versibus.

Mœnius ut rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis Urbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, qui non certum persæpè teneret
Impransus civem, qui non dignosceret hoste,
Quælibet in quemvis opprobria dicere sævus
Ingluvies & tempestas, barathrumq; macelli:
Quidquid quæsierat, ventri donabat avaro;
Exhaustusq; bovis, patinas cœnabat Omasi
Pinguis, & agnini, tribus Ursis quod satis esset.

Erisichtonis.

7. *Erisichton* Thessalus ita gulæ deditus fuisse perhibetur, ut Poëtarum fabulis occasionem dederit, qui eum omnia devorasse fingunt adeò ut filiam *Menestram* prostituerit, & ex eo quæstu se sustentarit, *Athænus lib. 1. cap. 1.* *Ælianus lib. 1. var. histor.*

Clodii Albini.

8. *Clodius Albinus* Imp. *Capitolino* teste, in Gallia uno accubitu solitus fuit comedere quingentas ficus, centum persica campana, melones ostienses decem, Uvarum Lavicanarum pondo viginti, ficedulas centum, ostrea quadringenta & capones decem.

Herodoti tubicinis.

9. *Herodotum* tubicinem Megarensem magnitudinis trium ulnarum cum dimidiâ scribit *Athenæus lib. 10. cap. 1.* Sex panis semodios edisse, carnium libras viginti, & binos vini congios bibisse. Addit *Aglaim* tubicinem comedisse carnium duodecim libras, quatuorque semodios panis ac vini congium bibisse.

Phlagonis sub Aureliano Imp.

10. *Aurelianus* Imp. Mimis plurimùm delectatus, ut recenset *Flavius Vopiscus*, sed præ cœteris *Phlagone* portensosæ Voracitatis, qui in convivio uno die totum aprum, vervecem unum, porcellum unum & cum his panes centum comedisse, & per infundibulum ori impositum vini orcam (quæ vas est vinarium amphorâ majus) bibisse perhibetur.

Patagonum Gigantum ad Fretum Magell.

11. *Cardanus de Variet. lib. 8. cap. 43.* memorat, juxta fauces Freti Magellanici in Boreali littore ad 52 partes altitudinis esse *Patagones* Gigantes octo palmis longiores magnis pro staturâ pedibus, qui crudis vescuntur carnibus, piscibus assatis, & pane carent. *Unâ* verò *buccâ*, ut inquit *libras duas carnis aut piscium sumunt, tantum aquæ uno haustu bibunt, ut duodecim hominibus sufficere posset.* Addit post pauca hæc sequentia: *Sagittas adeò profundè in gulam demittunt, ut in ventriculum pervenire existimentur, quod ipsi pro egregio spectaculo habent.*

Edacitas & potulentia Maximini.

12. *Maximinum* Imperatorem, qui *Alexandro Mammeæ* filio successit, scribit *Sabellicus lib. 10. cap. 10. & lib. 6. Ennad. 7. ex Capitolino*, non magis corpulentum, & validum, quàm edacem & potulentum fuisse, quippè qui 40 (alii volunt 60) libras carnis uno die esitârit, biberitque vini amphoram, adeò ubertim sudante corpore, ut calice sudor colligeretur, impleretque uno die tres sextarios.

Potatores insignes.

13. *Panaretum* potatorem *Martialis lib. 6.* arguit, quod solus amplissimam vini lagenam exsiccâsset. *Tergilla Ciceronem Marci* filium binos congios simul haurire solitum ipsi objicit, *Marcoque* Agrippæ à temulento Scyphum impactum: ut refert *Plinius lib. 14. cap. ult.*

14. Extat

Certamen potatorum.

14. Extat apud *Camerarium Hor. succis. part. 1. cap. 44.* fuisse celebratas nuptias in Nariscis, ac proposita præmia illi, qui plus vini hausisset: fuisse verò unum, qui octodecim mensuras Germanicas exhausisset.

Germani potatores.

15. De Germanis illud planè monstrificum, inquit *Seneca*, proximis annis in Gallia hominum in bibendo capacitatem fuisse omnibus miraculo, quippè singulis mensis singuli quaternos quartarios vini exsiccârunt; sicut potatores novem amphoras exinanirent binas.

Meri certamen.

16. Manet in Historiis antiquis exaratum quod *Ælianus lib. 2. de var. hist. Athenæus lib. 10. cap. 12. Suidas, Plutarchus* & plures alii commemorant. Cùm *Alexander* exequias *Casani* Indi, qui in Pyram accensam se conjecit, & mortuus est, celebraret, musicum certamen & palæstram, item ob Indos vini studiosos, meri certamen instituit, in quo primum prœmium erat talentum; secundum Minæ triginta. Tertium verò decem. Ex iis, qui vinum biberunt, triginta & quinque continuò ob ingens gelu oborto interiêrunt: At sex pauco intervallo interposito mortui sunt in tentoriis. Qui plurimùm bibendo vicit, meri quatuor choas hausit *Promachus* Macedo, & propterea ab *Alexandro* talenti coronâ donatus est, sed triduo tantùm supervixit.

Lityersas vorax.

17. *Lityersas Midæ* filius notus, celænorumque eorum, qui Phrygiam incolebant, Rex vir aspectu agrestis & insuavis erat valdè vorax: de quo *Sositheus* Tragicus scribit hunc in modum in Actu *Daphnide*, sivè *Lityersa*, ut refert *Athenæus lib. 10. c. 1.*

Totum Clitellarum trium panem ipse edit
Parvo die, mox ebibitque unam bonam
Vini metretam - - -

Timocreon.

18. Multùm *Timocreon* Rhodius edebat, ac bibebat, cum Athleta esset, ac Quinquertio velut Epigramma significat in ejus sepulchro

Plurima edens, permulta bibens, mala plurima dicens
In cunctos; jaceo hic Timocreon Rhodius.

Vir miræ ingluviei.

19. Anno 1511, ut recenset *Surius*, *Maximilianus* Cæsar Comitia indixit apud *Augustam*; ubi illi oblatus est vir quidam prodigiosæ vastitatis & crassitudinis, atque incredibilis ingluviei, ità ut integrum vitulum crudum & ovem incoctam unâ devoraret, & tamen necdum famem expletam diceret. Ferunt hominem Borealibus regionibus ortum fuisse, ubi ob locorum frigora solent homines esse edaciores. Similem refert *Zonaras* mulierem Thracem sub *Justino* extitisse.

Mulieres voraces & bibaces.

20. Alias subdò mulieres voracitate & bibacitate celebres. *Athenæus* scribit mulierem Alexandriæ fuisse, quæ libras carnis duodecim, panis quatuor chænices, id est totidem & ampliùs librarum, vini autem congium ebiberet.

21. *Phalæcus* mulierem quandam *Cleo* nomine, bibacem fuisse narrat in Epigrammat. quam nemo vel potuit, vel voluit bibendo vincere. *Athenæus lib. 10. cap. 12.*

Scotorum voracitas.

22. Non est Silentio prætereundum, quod narrat *H. Boeth. lib. 17. Scoth.* his verbis: *Scotos sensim Anglorum imitatione tantà incessit voracitas, tanta ingerendi cibi delicatioris aviditas, ut nullis escis plerique expleri queant, quoad venter adeò sit distentus; ut difficulter etiam anhelitum remittat. Quibusdam non satis est quantum naturæ vi haurire possunt, sed infundibula insuper in os inferunt, aliis munus infundendi præbent, atque ingentes exhauriunt mensuras, spiritum pariter ac potum arte quadam perversâ trahentes.*

Homo insatiabilis in Brabantia.

23. Novisse se in Brabantia scribit *Beyerlinck in Theat. vitæ hum. V. cibus.* quendam mediocris staturæ, sed macilentum & pallidum, qui vix genio suo faciebat satis, nisi absque intermissione cibum sumeret. Vocatus ab ignaris ad convivium, vel solus absumebat, quidquid apponebatur, vel famelicus mensâ abscedebat. Observatum fuit tantum nonnunquam ciborum solum absumpsisse, quantùm octo alii. Solebat autem invitatus domi suæ præmittere in Stomachum pulmentum, ne nimiùm taxaretur intemperantiæ, si accederet famelicus. Unde vocatus ad prandium ab Urbis prætore dùm vorantem Uxor moneret, ut parcius & cum decoro cibum sumeret: Ille latrante stomacho excitatior: *Quid*, inquit, *me inquietas? quasi Dominus Prætor ignoret capacitatem vasculi mei, & quàm cito accepta transmittat.* Riserunt convivæ: ille vero uti cœperat, cibos cibis accumulare, ventremque distendere cum omnium admiratione perrexit.

Mulier omni tempore cibos ingerens.

24. Meminit *Gemma Frisius lib. 1. Cosmocrit. cap. 6.* cujusdam mulieris suâ ætate non adeò grandævæ, quæ ne ad momentum quidem absque ingestione ciborum, & potuum vivere potuit, quin illicò anxia suprà modum exiliret, & tanquam injecto laqueo strangulanda quamprimùm videretur.

Faceta historia de voratore.

25. Facetum & jucundum est, quod narrant de quodam insigni voratore, qui cùm pistorem artocrearum videret artocreas calidas è furno extrahere: eundem sciscitatus est, quanto pretio soluto liceret sibi ad saturitatem comedere? mox hic solutâ quartâ imperialis parte, quam nempè pistor pro pretio exigebat, ad unam omnes quotquot è furno extrahebantur, artocreas absumpsit. Quod stupens pistor suasit voratori, ut potum superadderet: Sed ille reposuit: Tum bibam, cum alterius furni artocreas etiam absumpsero, nondum enim satur sum. Quo audito contristatus pistor pretium solutum restituit, & voratorem abegit.

Historia alia de Potatore.

26. In Europæi cujusdam Magni Principis aulâ contigisse scribit *Schottus Phys. cur. lib. 3. part. 3. cap. 12.* quod jam ex Eodem refero: Princeps iste habebat insignem potatorem in aulâ, qui quoscunque ad potandum invitabat, vincebat. Sciens hoc alius Princeps, qui hunc vel officii vel negotii causâ convenire statuebat, è tota amplissimâ ditione suâ elegit bibonem potentissimum, quem secum adduxit. Convivii tempore cùm poculis certatum, implet prior modium integrum vino, propinat biboni hospiti, unicoque exhaurit haustu. Hoc hospes videns, ac velut contemnens tam modicum poculum, alterum alloquitur. *Da moram sodes, ut probem prius, num unico etiam*

haustu, ut tu evacuare queam; moxque impletum exhausit: *tum posse me video* inquit: *imple ergò denuò & vide sis:* & cum dicto denuò exhausit, plausumque tulit.

Insignis potator in Franconiâ.

27. Illum bajulum, cujus meminit *Schottus eod. cap proximè citato,* qui ex ingenti atque amplissimâ cuppa mustum bibit unâ sorbitione, ut notabiliter in cuppâ musti deficientia adverti potuerit, benè novi: imò adhuc alia ipsum præstitisse scio. Tulit aliquando per plures scalas ad superiora domûs cujusdam Domini in utroque humero saccum plenum siligine, ac quamprimùm scalas omnes ascendendo superavit, utrumque saccum ab humeris dejecit, & integram vini mensuram illic de industriâ & conventione oblatam unico tractu, & haustu nullâ respiratione interpositâ exhausit. Aliâ vice dum rursùs frumenta in granarium cujusdam Domini portaret, transiens triclinium, ubi jam pro hospitibus mensa strata erat, advertit extra januam urceum aliquot continens mensuras vini optimi in scamno repositum, quem clam arripiens unico evacuavit haustu, & abiit. Servus mensæ cùm nesciret quid factum, vellet; deinde vinum mensæ inferre, urceum verò evacuatū reperiret; coram Domino conquestus fuit de furto. Factâ tandem inquisitione, cum Bajulus iste suam sitibundam fateretur audaciam compulsus est, ut si liberum se â solutione per flagra & fustes conficiendâ expedire vellet alterâ adhuc vice hoc ipsum coram hospitibus præstaret, & denuo repletum exhauriret urceum. Quod sine ullo renisu & difficultate præstitit, & iteratâ vice denuò aliquot mensuras ex eodem vase unico haustu evacuavit, sicque cum plausu discessit.

Vini fastidium quomodò inducendum.

28. Ad nauseam vini, alteriusve potûs procurandam & nimiam bibacitatem seu bibendi cupiditatem in bibulis & ebriosis extinguendam varia ab Expertis præscribuntur remedia. *Democritus* vini desideria in bibulis extingui docuit sanie, quæ putatis vitibus emanat, si inscio temulento in potu adijciatur. *Joan. Baptista Porta Mag. nat. lib. 14. cap. 12.* docet anguillas tres vel quatuor immergere vino, & ibidem suffocare ac de hoc vino potum ebriosis propinare, unde vini fastidium & nausea concipietur. Ex *Myrepsio* docet *Idem*, testudinem vino abluere justo tempere, & hoc vinum jejuno clam manè bibendum dare dimidii calicis mensurâ. Recentior verò ebriositatis cura per mortificationem, ut vocant, instituta ex cujusdam Angli præscripto recensetur *Ephem. Germ. Curios. Dec. 3. An. 1. obs. 15.* quæ sic instituitur. Vas quoddam nimirum cantharus videlicet, vitrum vel aliud hujusmodi intra brachium mortui cujusdam per aliquod horas collocatur, & posteâ ex hoc vase liquor contentus ebrioso seu bibulo propinatur, qui nauseam potûs illius per totam vitam inducere perhibetur. Experimentum in ebriosa Uxore primarii cujusdam viri in Comitatu Mansfeldensi degentis ex vino & cerevisia Islebiensi ejusmodi vasi infuso, ac deindè propinato sumptum verissimum comprobatum refertur *ibidem.*

§. III.

Inediæ diuturnæ, & famis longiùs toleratæ Exempla mirabilia.

1. Rara sunt exempla Anorexiæ diuturnæ, seu inediæ famisque longius toleratæ. *Kekermannus Syst. Phys. lib. 3. cap. 12.* corpora biliosa, quæ calidum habent ventriculum antè quartum diem absque sumptione ullius cibi emori notat, si nempè sana sint. Contrà quæ pituitosa sunt, & unà melancholica, in quibus pituita crassa, & glutinosa in Ventriculo abundat, diutiùs naturaliter inediam ferre posse scribit, nempè diebus sex aut septem, antequàm moriantur. Communiter tamen Medici ultrà dies undecim vix aliquem naturaliter absque ullo cibo & potu supervivere posse docent, si aliàs corpora fuerint sana, nec aliundè quid alimenti loco suppeditetur. Habemus tamen Exempla haud pauca longioris inediæ & abstinentiæ ab ullo cibo & potu in utriusque Sexûs hominibus, & undè contingere queat, dum causa aperta & manifesta non scitur, meritò in admirationem quisque adduci potest. Quæ verò abstinentiæ, & inediæ de viris Sanctis, veluti Christo Salvatore, Moyse, Elia, & nonnullis aliis memorantur, cùm supernaturali virtute factæ sint, hic attingere non cupimus.

Quamdiu naturaliter homines inediam tolerare queant.

2. *Abaris Scytha Seuthi* filius Legatus *Athenas* veniens ad suos Hyperboreos rediisse ab *Herodoto* scribitur nihil comedens.

Abaris abstinentia.

3. *Olympiodorus* Platonicus interpres *Aristotelis* scripsit, *Aristotelis*, qui rem vidit, testimonio, fuisse hominem, qui donec vixit, neque manducavit unquàm, neque dormivit. Cœterum in Sole manendo alimentum accepit. His in *Phædone* persimilia *Plato* conscribit, ut notat *Cœlius lib. 24. Ant. Lect. cap. 21.*

Homo totâ vitâ nil comedens.

4. *Magon* Carthaginensis & *Lasyrtus* Lasionensis omni potu abstinuisse perhibentur. Idem refert *Cœlius* de quodam Neapolitano, & *Aristoteles* de *Androne* Arginensi.

Potu abstinentes.

5. Admiratione dignum est, quod *Carolus Clusius in annot. ad cap. 3. Garz ab Hort.* refert, Sacerdotes quosdam Indos viginti interdum diebus sine cibo & potu vivere.

6. De *Leonardo* Pictoriensi scribit *Cardanus de subt. lib. 11.* qui eò se traduxit, ut semel tantùm in hebdomada cibum sumeret. Et sub *Clemente* Pontifice ejus nominis Septimo vir Scotus juvenis, pilisque rubeis, & ut videbatur, habitu piloso, cùm se sponse obtulisset, diebus undecim in custodia habitus absque cibo, alioquin assuetus usque ad 20 diem, & usque ad 30 in eadem in edia miraculi prœmium accepit.

7. Testatur *S. Augustinus ep. 86. ad Casulanum* temporibus suis quendam vixisse quadraginta diebus sine cibo. De alio quoque affert *Petrarcha* citatus â *Fulgoso lib. 1. cap. 2.* & *H. Benedictus* Medicus apud *Lilium Geraldum dial. 17. in Thesauro Critico Gruteri fol. 2.* idem fecisse *Venetiis* & â multis rei experimentum fuisse factum.

ad dies 20 vel 30 à cibo abstinens.

Puella ad sesquiannum cibo & potu abstinens.

8. De puellâ in Helvetia *Quercetanus in Diætetico* narrat, quæ quatuor annos nata, & jam sesquiannum sine cibo & potu exegerat. Invenisse se etiam, subdit, ejus abdomen, hypochondria, ventriculum, mesenterium instar marmoris induruisse: temperamentum insuper habuisse Melancholicum, fuisse taciturnam, membris invalidam pendente semper capite, reliquis membris, ut brachiis & cruribus moveri nesciis: successu temporis, crevisse, incessisse, ac tandem naturalem edendi ac bibendi appetitum recepisse.

Puella alia longam ferens inediam.

9. De alia puellâ *Apolloniâ Chrier* nuncupatâ (quam tamen *Keckermannus Apolloniam Scregerin* appellat) natâ in quodam pago *Galz* dicto, ditionis Bernensis *Idem Quercetanus* memorat, eam citra ullius rei ingestionem aliquot imprimis diebus, deinde hebdomadibus, ac tandem integro anno valetudine integrâ durâsse. Ductam etiam scribit unà cum matre jussu Bernensis Senatûs *Bernam* ad Xenodochium, ut observaretur, num clanculum ei à matre cibus porrigeretur; cui rei cùm per aliquot dies accuratè invigilatum esset, cognitum tandem verè fuisse, illam citrà ullam alimenti ingestionem vivere.

Vir 40 diebus abstemius.

10. Recitat *Joan. Bocatius*, ut testatur *Cornelius Agrippa Philos. occult. lib. 1. cap. 58*, fuisse suo tempore virum apud *Venetias*, qui singulos annos per quadraginta dies absquè ullo cibo ageret jejunium. Quodque magis mirum est, fuisse eodem tempore in inferiori Germaniâ mulierem, quæ in tricessimum annum nihil unquàm cibi sumpsisset.

Fœmina 20 & 30 diebus abstemia.

11. *Albertus M. lib. 7. Animal.* posteris transscripsit, *Coloniæ* fuisse fœminam sub Friderico II. Imperat. quæ sine cibo dies quandoque 20 transmiserit; sæpè verò & 30. Virum quoque Melancholicum se novisse scribit, qui sine cibo septem perseveraverit hebdomadas alternis tantùm diebus aquam sorbens.

Puella haustu aquæ solùm vivens.

12. *Cœlius Rhodiginus lib. 13. cap. 24.* testatur, visam in Hispaniâ puellam, quæ comederit nihil, ac haustu tantùm aquæ vitam protraheret ad multos annos. *Idem* recenset, quendam toto biennio nil prorsùs vel comedisse vel bibisse.

Aliæ pluribus annis abstemiæ à cibis.

13. Narrat *Jonstonus Classe 10. Thaumatol. cap. 2. art. 7.* puellam quandam undecim annis jejunam permansisse. Et ex *Petro Apon. Problem. 10.* refert aliam annos 18 jejunam perseverâsse. *Rondeletius* etiam testatur quandam totò decennio jejunâsse; post verò fœcundam extitisse prolemque enixam.

Aliâ decennio abstinens ob imprecationem.

14. *Lazius Genealog. Austriacæ Commentar. lib. 8.* refert puellam quandam Anno 1348 in Austriâ tempore magnæ caristiæ, cùm à matre panem postulâsset, & illa impatiens doloris famem decennem imprecata fuisset, decennio omni cibo abstinuisse raro admodùm aquæ potu se reficientem.

Abstemius Helvetus per 15 annos.

15. Etiam clarum in Annalibus manet, quod *Fulgosius lib. 1. cap. 6.* notavit de *Nicolao* quodam Helveto *Undervaldensi*, qui ad annum 1460 vixit, & post susceptos ex conjuge quinque liberos tandem discedens haud longè à pago solitariam egit vitam, & per annos quindecim, nec cibum nec potum ullum gustavit. Meminit etiam *Conciliator* puellæ in *Normandia*, quæ per 18 annos nihil gustavit.

Intra 60 annos plures ab stemii reperti.

16. Testatur *Keckermann. syst. Phys. lib. 3. cap. 12.* quod nullum mundi sæculum fuerit, in quo plura & frequentiora extiterint hominum, qui sine omni nutrimento vitam perduxerint, Exempla, quàm ab annis proximis sexaginta sui temporis. Nam primò in Diœcesi *Spirensi* Anno 1542 puella quædam sine cibo & potu triennium vixit. Deindè in Ditione Principis Palatini in pago Schmitweiler non procul *Neostadio* puella per integrum novennium sine omni cibo & potu perduravit, quæ posteà convalescens nupsit & liberos procreavit. Anno 1595 alia puella Coloniæ per tres annos in istâ vixit abstinentiâ. Anno 1601 alia in *Galliis* ad *Confluentem Viennæ* biennio in abstinentiâ vixit & fortassis etiam diutiùs; nam cùm historia edita fuerit, nondùm finis erat vel abstinentiæ vel vitæ. Anno quoque 1604 in Ditione Reip. *Bernensis* puella octodecim annorum *Apollonia Scregera* trienno sine omni cibo & potu supervixit: de quâ tamen suprà jam mentionem fecimus. Quod verò *Cornelius Agrippa* asserat, graves Authores esse, qui herbam quandam Spartanam describunt, quâ Scythas duodecim dies durare sine cibo & potu eâ semel gustatâ vel in ore retentâ tradunt, *Plinius lib. 25. cap. 8.* herbam Scythicam dictam, & aliam Hippicem à simili effectu memoret; non absimilis quoque virtutis herbam, quæ apud Indos reperiatur nomine *Cacaore*, atque famem repellat ore retenta, *Torreblanca in Epit. delict. lib. 2. cap. 21. tr. 8. ex Petro Chieza & August. Zarate* narret; Aliâ ratione fieri credendum non est, quàm attractione pituitæ è cerebro ad ventriculum, quæ sic cibi potûsque omnem defectum supplere queat.

Inediæ diuturnioris causæ variæ.

17. Verùm ejusmodi Inediæ diuturnæ vel ad aërem nutritoriâ facultate præditum & continuâ inspiratione attractum, seu vapores & odores in aëre contentos; vel ad potum, quo tales homines à cibo abstinentes, clam usi sunt, ut constat de quodam captivo, qui suâmet Urinâ pôtâ diu vitam sustentavit; vel ad terram aliasque res salsugineo quodam liquore affectas; Sicuti factum constat in Lucernensi illo Vietore per semestre spatium à salsugineo quodam liquore ex scopulorum parietibus exstillante sustentato, ut *præced. Scrut. disq. 3. cap. 17. §. 2. num. 12.* retulimus. Vel ad consuetudinem, vel ad occultas alias naturæ qualitates & proprietates referri possunt. Tandem non pauci humoribus excrementitiis, ut pituitæ vel succo Melancholico causam hujusmodi affectuum attribuunt; vel etiam in partium internarum colliquamento quodam eundē investigare satagunt. *Fotun. Licetus* putat in ejusmodi corporibus nutritionem cessare, prout in bulbis, radicibus Plantarum, & animalibus quibusdam brumali

brumali tempore latitantibus contingere solet. *Clariss. Senertus lib. 3. Med. pract.* variis in hoc negotio opinionibus examinatis existimat veram diuturnæ abstinentiæ causam statuendam esse humoris, qui corpus nostrum conservet, eam dispositionem, ut à calore absumi nequeat. Non negat tamen inter istam materiam ad calorem variam esse posse proportionẽ. Vide etiam de hac materiâ uberius differentem *Paulum Zacchiam qu. Medico-leg. lib. 4. tit. 1. qu. 7.* ubi plura diuturnioris inediæ exempla reperies.

Inediæ astu dæmonis etiam fieri possunt.

18. Denique non est etiam prætereundum ipsius Dæmonis ope longioris temporis inediam & diuturnam ab alimentis abstinentiam procurari posse, qui suis clam substituere potest nutrimenta, quibus vitam prorogent, putenturque tantùm à cibis & alimentis abstinere, cùm aliundè ex culinâ & officinâ cacodæmonis esculenta ministrentur. Finiam, si jucundam & ludicram adhuc retulero historiam, quæ hîc in Franconiâ nostrâ paucis abhinc annis contingit. Insignis quidam Nebulo multos Confessarios, comprimis Pastores & Parochos in Diœcesi Herbipolensi, insigniter decepit. Simulavit in confessionali se desperatæ vitæ hominem, & dæmoni mancipatum, velle quidem liberari ab illius servitio, si modò posset media honestæ sustentationis obtinere. Deindè inter alia confessus fuit, nullo cibo & potu se indigere, habere se verò à dæmone strophiolum, cujus suctione, dum fameret & sitiret, tantum acquireret robur, ut à nullo alio nutrimento simile sperare posset. Confessarii mox dehortati sunt eum ab improbo sustentationis medio, severè dein adhortati, ut si liberari velit, ante omnia strophiolum illud *Vulcano* consecrandum extraderet, & in manus quamprimùm dimitteret. Sed cùm ille reponeret, quod nulla haberet alia sustentationis media; mendicatum verò ire detrectaret: Parochi tandem ejus miserati liberali manu tàm ex suis propriis, quàm Ecclesiæ aliorumque fidelium amicorum mediis ejusmodi strophiolum pretio admodùm caro emercati ab eo fuerunt. Quousque tandem insignis istius Nebulonis fraus ità detecta fuit. Convenerunt aliquandò plures in viciniâ Parochi, cumque discursum instituissent de gravioribus conscientiæ casibus solvendis, unus hunc ipsum casum de hoc Nebulone protulit, cui mox omnes & singuli se eundem habuisse fassi sunt, & quilibet quo pretio ab eo strophiolum emercatus fuerit, indicavit. Casus tandem delatus *Herbipolim* ad Concilium Ecclesiasticum, indeque rescriptum, & mandatum, ut in falsarium hunc Nebulonem inquireretur; sed ille fortè subodoratus imminens sibi malum, hinc excessit, erupit, evasit. Qui plures de longiori vitâ toleratâ perlegere cupit historias, adeat *Cœlium lib. 13. Lect. antiq. cap. 24.* & alibi. *Ravisium in offic. Text. lib. 2. tit. de sobr. & temper. Joubert parad. 2. Dec. 1. Marcel. Donat. lib. 4. hist. Med. mirab. cap. 12. & Greg. Horst. lib. 7. ejusd. histor. cap. 1. Cagnat. lib. 1. de Sanit. tuendâ cap. 5. Kornmann. de mirab. vivor. tit. de jejun. Schenck lib. 3. observ. tit. de Asitis, ac Licetum lib. 1. de his, qui diu sine alimento vivunt.*

§. IV.

Casus & Eventus tragici à communi famis calamitate famosi & mirabiles.

Ingens famis calamitas.

1. Inter miserias tristes, quæ graviter genus affligunt humanum, non ultimo, sed facilè primo loco in censum venit fames, quam Poëtæ non immeritò *rabidam*, *malesuadam*, *insanam* aliisque infestis nominibus turpem appellant, de quâ jam olim apud Veteres cantionibus, comprimis *Homeri Odysseâ* sententia celebrata fuit ista:

Dura quidem miseris mors est mortalibus omnis:
At periisse fame res una miserrima longè est.

De hac etiam *Livius Decad. 1. lib. 4.* pronuntiavit ajens: *Fames, quàm pestilentia, tristior;* & *lib. 5. ejusdem Decad. Famem unam Natura vinci non finit.* Item *Dec. 3. lib. 1. ultimum supplicium humanorum fames. Appianus de bello Punico* inter alia famis mentionem faciens ait: *Fames consultrix in rebus alienis pessima, præsertim apud egenos omnium.* Quid, oro, tristius, quid atrocius, quid crudelius eo, quod scribit *Seneca lib. 3. de irâ cap. 20?* Famem exercitûs Persici describens: In quâ deficiente omni victu *Cambysis* milites decimum quemque fortiti alimentum habuêre fame pejus. *Sabellicus lib. 2. Ennead. 3.* memorat stipendiarios Carthaginensium post primum Punicum bellum seditione motâ ad extremum periculum res Carthaginensium deduxisse, nec nisi fame ab *Hamilcare* domari potuisse; constat autem, illos captivorum primò, mox & servorum corpora crudeliter absumpsisse.

2. In sacris litteris plures memorantur famis calamitates: ut *Gen. 12.* tempore *Abrahami. Gen. 20. Gerara* ob immanem famem ad *Abimelech* se contulisse refertur. Similiter *Isaac* expertus famem, *Gen. 26.* Sub *Pharaone* septem annorum fames memoratur *Ruth cap. 1.* Sub *Joram* Rege Israëlitarum septennio integro fames Israëlitas afflixit *lib. 4. Reg. cap. 8. Bennadab Syriæ* Rege *Samariam* obsidente caput Asini 80. argenteis; quartanis stercoris columbini loco salis quinque argenteis veniisse scribitur *4. Reg. cap. 6. Ibidem* & memoratur sequens immane facinus: *Joram* Rex Samariæ cùm muros obiret, occurrit ei mulier conquerens de suâ contubernali, quod cùm ipsa superiore die filium suum mactâsset, & illam alterum in convivium adhibuisset, illa nunc ex pacto suum mactare nollet, Rex facinoris immanitate territus vestimenta sua laceravit. At *Elisæo* vate prædicente hostibus divino terrore fugatis postridiè summa annonæ vilitas successit, ut refert etiam *Josephus lib. 9. cap. 4.*

Fames Jerosolymitana.

3. Hierosolyma cùm à Romanis obsideretur Anno Christi 72. tanta fuit famis in ea calamitas, ut nullis ex æquo verbis describi possit. Multi, ut inter alia refert *Josephus lib. belli Judaici cap. 11.* clam universa bona sua uno frumenti modio permutârunt. Mensa nusquam apposita, sed incoctum subtrahentes igni cibum diripiebant; uxores viris & filii parentibus, & quod miserrimum matres cibum infantibus ex ipso ore rapiebant, & marcescentibus inter manus charissimis nemo parcebat, quin vitæ guttas auferret. Sicubi clausam domum vidissent, eos, qui intus erant, cibum capere hoc suspicabantur indicio, statimque ruptis foribus irruebant ipsos faucibus strangulantes. Pulsabantur senes, ne cibum defenderent; lacerabantur mulieres ea, quæ haberent in manibus occulentes; nullaque miseratio vel cani capitis erat vel infantiæ, sed abstractos pueros & ex bucella pendentes humo allidebant. Si quis autem incurrentes anteveniffet, quodque rapturi fuerant, devorâssent tanquam læsi cruentiores erant. Acerbissimos autem cruciatus excogitabant, dummodò alimenta reperirent, nunc excruciando genitalium vias, nunc virgis acutis podices transfigendo. Alii Authores, veluti *Hegesippus de Excid. Hieros. lib. 5. cap. 40. Nicephorus lib. 3. cap. 7. Baronius tom. 1. Annal. Ann. 72.* tradunt, quod tanta fames populus in urbe illâ tunc invaserit, ut neque herbæ, quibus vesci possent, superessent, è stabulis fimum, collectumque domatim stercus in cibos quæsiverint. Fame hâc magis invalescente, neque humanis carnibus abstinuerint, imò calceamentis, cingulisque ac insuper coriis, quibus scuta tegebantur detractis, insumptisque famem sedare studuerunt. Eo etiam immanitatis redacta est fame improbâ compellente nobilis ac prædives mulier *Maria* nomine, filia *Eleazari* à seditiosis jam omnibus exuta vitæ præsidiis fortunisque, ut lactentem filium occiderint, & ad edendum coxerit. Sed vide Authores citatos. Similia de fame *Melia* & *Perusina* narrari possunt.

Fames Saguntina.

4. *Saguntbus* urbs Hispaniæ olim amicissima Romanis longâ *Pœnorum* obsidione eò famis redacta est, ut cives extructo in foro igne, suas res omnes eò conjicecerent, seque ac suos postremò liberos, ne in manus hostium venirent, eodem præcipitarent.

Ob famem mulieres ac liberi devorati.

5. *Calagurium* urbs est Hispaniæ, cujus incolæ à *Cn. Pompejo* obsessi, ut fidem *Sertorio* præstaret, in tantam famen duraverunt, ut uxores suas ac liberos in usum extremæ cladis converterent, cùm nullum aliud animal in urbe superesset, quo vesci possent.

Funes lictorum in cibos assumpti.

6. In Castro *Sesto*, ut tradit *Herodotus lib. 9.* obsessi ab Atheniensibus Persæ tam dirâ fame vexati sunt, ut funibus lictorum nullâ re aliâ superstite, elixatis vescerentur.

Coria & cadavera absumpta.

7. Athenienses obsidente *Sylla*, ut refert *Appianus lib. de bello Mithridat.* consumptis alimentis omnibus coria elixari, & discocta in alimentum verterunt, quin nec à suorum *cadaveribus* abstinuerunt.

Filius adversus patrem ob murem dimicans.

8. Cùm *Demetrius Poliorcites Athenas* terrâ marique infestans brevi ad eam redegisset inopiam, ut tricenis drachmis væniret modius frumenti, *Plutarchus* scribit, & ex ipso *Sabellicus lib. 7. Ennead. 4.* memoriæ proditum filium in eâ egestate adversus patrem ob *murem*, qui fortè de tecto exanimis deciderat, ferro dimicâsse.

Fames Rhegiensis.

9. *Dionysio* tyranno Siculorum undecimum jam mensem *Rhegium* obsidente obsessi tantâ fame pressi memorantur, ut tradit *Diodorus lib. 14.* ut primùm quidem equos, aliaque jumenta in alimenta adhibuerint, posteà verò ipsis quoque coriis ac pellibus maceratis, & coctis pro cibo usi fuerint. Postremò urbem egressi herbas circà murum crescentes pecudum more depasti fuerint. At *Dionysius* extremum etiam malum iis inducere volens herbas loci ejus & gramina passim succidi ac evelli jussit, quò putrefacta pro cibo eis amplius esse non possent. Quibus malis Regini victi urbem dare coacti sunt. Tyrannus ingressus urbem magnam cadaverum eorum reperit copiam, qui fame omnes perierant: superstites adhuc mortuis quàm viventibus similiores erant. Collectis autem infirmis & languidis quoque captivorum plusquam sex millia *Syracusas* misit, vel talento redimendos, vel sub hastâ vendendos.

Sævitia famis in uxores, liberos, & tandem socios.

10. Cùm *Rutilius* Romanorum Imperator *Tauromenium* servili bello recuperavit, ad tam acrem famem desertores servos ibidem compulit, ut primò liberorum suorum carnibus vesci non abhorruerint; mox ad uxorum suarum corpora se converterint, postremò ne sibi quidem invicem pepercerint, sed & aliis alios devorare adorti sint. *Diodorus lib. 4.*

Petilinorum fames.

11. *Petilini Brutii* ab *Hannibale* obsessi, quia à Romanis deficere noluerunt, tantam famem sustinuerunt, ut frugum & carnium alimentis absumptis, coria fustrinis detracta in cibum verterint. Herbis indè, radicibus corticibusque deficientibus nullus fuit tàm infandus cibus, à quo obscœna abstineret fames. Postremò corporibus miserabili tabe confectis, ut ne vestigio quidem consisterent ampliùs ab *Himilchone* expugnati sunt. *Athenæus lib. 12. cap. 11. Sabellicus lib. 3. Enn. 5.*

Casus mirabilis ob murem venditum 300 argenteis nummis.

12. Admirationem omnem meretur, quod *Plinius Nat. hist. lib. 8. cap. 57.* & *Sabellicus lib. 3. Ennead. 5.* referunt. Dum *Hannibal Casilini* Romanorum præsidium obsidens

obsidens ad ultimam inopiam redegisset, ità ut quidam fame adacti ultrà se præcipitâsse dicantur, alii nuda corpora obtulerint hostibus conficienda: intercepto dein à Pœnis commeatu, quem Romani miserant, omni subsidio destituti fuissent: ad tantam omnium rerum penuriam ventum est, ut lora & pelles scutis detractas aquâ emollitas mandere coacti fuerint, nec muribus interim aliisque obscœnis abstinuerint: sed quod maximè admirandum est, ajunt, trecentis argenteis nummis murem unum memorabili eventu væniisse, emptoremque eâ alimonia servatum, eo, qui vendiderat, extincto.

Cadavera eruta medullæ causâ. 13. Refert *Avenzoar Arabs*, teste *Cardano lib. 8. de variet. cap. 45.* quandoque in Arabiâ eò ventum penuriæ, ut cadavera mortuorum è sepulchris eruerent homines medullæ causâ.

Ob famem mulieres parientes partum devorantes. 14. Horrenda & tragica fuit fames illa *Perpignanensium*, quam describit *Marineus lib. 18. Rerum Hispan.* sub *Joanne Aragoniæ* Rege à *Ludovici* Galliarum Regis exercitu inducta. Ab iis enim, qui arcem tenebant, Gallis à tergo & à fronte 40000. Gallorum pressi solâ fame domari potuerunt. Multis diebus nihil præter mures ac feles ac domesticos canes, quos mulieres per vicos oppidi linteis & longis latisque palliis venebantur, manducavêre. Quibus etiam deficientibus non solùm Gallorum, quos occiderant, sed suorum quoque Cadavera devorârunt. Nonnullæ mulieres cùm peperissent, rabie famis agitatæ, utero suo continuò fœtus reddiderunt. Aliæ matres suos ipsæ filios sive fame sive alio casu peremptos miserabilibus lacrymis aspersos comederunt. Rarum certè famis & extremæ necessitatis Exemplum! honestis tandem à Gallorum Ducibus oblatis conditionibus pax inita & utrimque firmata remoto exercitu penuriam etiam ablegavit.

Ob famem pueri à vicinis suffurati. 15. Quo tempore Scotia *Eduardi Balioli* & *Davidis Brusii* Regum factionibus conflagrabat, tantâ fame laboratum est in Angliâ pariter & Scotiâ, ut equos, canes, feles & similia ob aliarum penuriam rerum ederint. Traditum insuper à quibusdam est, sicut *H. Boëth. lib. 15. Scot.* narrat, eò inopiæ redactos quosdam, ut diutinam famem non ferentes pueris à vicinis suffuratis miserabili calamitate non pepercerint.

Humana excrementa devorantes. 16. *Hebridum* insularum Incolæ rebelles ab *Ethodio* Scotorum Rege in saltu quodam sese incautiùs abdentes, fossâ septi & vallo eò redacti sunt inopiæ, ut consumpto commeatu arborum frondibus, & herbis priùs, deindè earum radicibus; & illis absumptis humanis excrementis vesci cogerentur, tandem fame domiti pacis conditiones acceptârunt. *H. Boëth. lib. 5.*

Ex fame manus sibi corrodentes. 17. *Syndorowiam Serviæ* Regiam narrante *Cuspiniano* contrà *Amurathem II.* soli omnium *Novomontani* & *Samandrini* memorabili fide & virtute quadriennio defenderunt tantâ rerum omnium inopiâ, ut super vetitos obscœnosque cibos reperti sint, qui fame adacti suas ipsi corroserint manus, postremò inediâ victi cum *Gregorio* Principis filio ultrò in hostium venêre potestatem. Sic *Syndorowia* expugnata cùm centum armatorum millibus.

18. Per *Hungariam* præcedente Sæculo specialiter ad Annum Christi 1586. tanta famis calamitas fuisse perhibetur, ut violato Naturæ jure parentes filios vendiderint in mancipia, vel pro frumento commutaverint. In *Italiâ* eodem Anno ob famem populus seditionem movit in opulentiores. *Gallia* quoque penuriam hanc sensit, ità ut eò anno Rex Navarræ exercitum exauctorare coactus fuerit annonæ defectu. Filiorum in mancipia venditio ob famem.

19. *Alexandro Gamesio* bellicosissimo *Parmæ* Principe *Parisios* obsidente Anno 1590. tanta ibidem fames exorta est, ut Principes, qui inerant, famelico populo suppellectilem, omneque peculium diminutum distribuerint, sed mox equinæ carni etiam pretium positum fuit, eoque inopiæ deventum, ut lora, detractæque cadaveribus bestiarum pelles pro deliciis sumerentur, canes aliaque id genus unà cum radicibus & corticibus absumerentur, sic ut plures fame mortui conciderint. *Beyerlinck.* Fames ingens Parisiis.

20. Vetustioribus exemplis addam horribilem planè tragœdiam, quam non ità pridem conspexit India Occidentalis in septem Britannis, quibus necessitas famem fecit, fames verò audaciam omnibus sæculis stupendam. Proponam verò iisdem, quibus gravissimus Author *Nicolaus Tulpius*, eam descripsit, verbis *observ. medic. lib. 1. cap. 43.* hunc in modum: *Septem Britanni accinxerant se in Insulâ Christophorianâ unius solummodò noctis itineri: ultrà quam etiam non extenderant commeatum. At interveniens tempestas abripuit imparatos longiùs in mare, quàm ut potuerint reverti ad portum destinatum ante diem septimum decimum. Quo tempore pepercêre quidem tam impensè cibo uni nocti duntaxat destinato, ut sufficerit ipsis in diem quintum; Verùm eo utrique transacto luctandum fuit, reliquos undecim cum omnimodâ inediâ; quæ eò ipsis fuit gravior, quo ardentiùs id temporis æstuaverit Sol, & vehementiùs exsucca ipsorum guttura exarefecerit exhalans incalescentis maris salsedo. Cujus intricati erroris nullum finem promittente spatioso mari adigebantur tandem (ô durum necessitatis telum) ancipiti sorti committere; cujus carne urgentem famem, & quo sanguine compescerent inexplebilem sitim: sed jacta alea (quis eventum hunc non miretur) destinavit primæ cædi primum hujus lanienæ auctorem; non secùs ac olim Phalaris teste ipsius epistolâ, æneo tauro inclusit Perillum primum crudelissimi illius inventi fabricatorem. Sed quod summè mireris, fuit hic vir non magis promptus in dando, quàm imperterritus in sustinendo ferocis sui consilii eventu. Addens confidenter meticulosis animum, & obtestatus* Horribilis fames septem Britannorum.

non

non semel perterritos, præsidium audaciâ mutuandum; Audaces fortunam juvare, neque ullum ipsis deinceps restare effugium; nisi dictum ac factum fugientem vitam stiterint humana carne; se libenter fortunæ cessurum, imò beneficii loco accepturum; si quidem vel mortuus amicis prosit. Idem olim etiam ab aliis in simili infortunio nonnunquam factitatum: sic matres devorâsse suos fœtus; uxores maritos; liberos parentes, imò alibi alios seipsos; alios verò filios suos ob hanc ipsam causam præcipitâsse in ardentem rogum. Ac proindè nullam legem necessitati hactenùs positam; quin cuique liberum esse, quod invito extorquet inevitabile infortunium. Qua ratione ut non parum lenivit horrendi facinoris atrocitatem, sic erexit utique usque eo flaccidos ipsorum animos, ut tandem reperiretur aliquis, sorte tamen prius ductus, qui petierit animosè perorantis jugulum, & intulerit vim volenti. Cujus cadaveris (horresco referens) expetiit quilibet eorum tàm præproperè frustum, ut vix potuerit tàm festinanter dividi: respuentibus interim nec carnem famelicis dentibus, nec sanguinem sitibundo ventriculo, nedum inexpiabile hocce facinus animo à necessitate jam planè devicto. Reperiebatur tamen inter ipsos aliquis, qui ob arctiorem cum occiso familiaritatem aversatus Thyesteam hanc cœnam, noluit fieri tanti facinoris reus, certus quidvis potiùs perpeti, quàm se polluere tàm amico sanguine. Quæ sententia tàm obstinatè retenta conjecit ipsum postridiè ejus diei in rabiem tàm sævam, ut eâ percitus seipsum præcipitem dederit in mare: sed qui aderant socii, non patiebantur tàm inopportunò tempore famelicis suis dentibus tàm desideratum eripi bolum. At concepta rabies vitiaverat jam tum ità ipsius sanguinem, uti carnes venis circumpositas, ut in universo corpore vix quidquam esset esui aptum præter exta, quibus solis videbatur id relictum, quod faceret ad avida ipsorum palata. At tandem misertus miserrimi hujus erroris DEUS deduxit ipsorum naviculam ad Insulam Martiniam, in quâ à præsidio Belgico & humaniter excepti & benignè ad suos reducti fuêre. Sed vix attigerant terram, quin accusaretur à prætore homicidii; sed diluente crimen inevitabili necessitate dedit ipsi brevi veniam ipsorum judex, ut cum Juvenale loquar:

> *- - - dira atque immania passis;*
> *Et quibus ipsorum poterat ignoscere manes,*
> *Quorum corporibus vescebantur.*

Ità *Tulpius* ait, sincerè sibi relatum à testibus oculatis, qui hæc ipsa ventorum ludibria & humaniter navibus suis excepêre & officiosè ad suos reduxêre. Quocircà etiam verè & genuinè de famis ingenti calamitate & tristibus indè enasci consuetis eventibus scripsit *Sabellicus lib.* 10. *cap.* 7. ajens: *Fames inter tetra & dira monstra in vestibulo inferni, ut vates summus ingeniosè fabulatur, omnium, quæ inibi sunt, teterrima, & ad omne scelus suadendum efficacissima existit. Ex nullo malorum fonte fœdiora manârunt Exempla: filiorum cædes & infandæ epulæ hinc sunt; hinc præcipitationes aliæq; festinatæ mortes, & quod omnium atrocissimum est, reperti sunt, qui seipsos laniârunt, quando obscœnos morsus in alios vertere non potuerunt.*

21. Annectimus his denique ex recentissima hujus nostri temporis historia tragicum exemplum à fame contra Naturæ legem & jura fedatâ multùm infame: Matres siquidem captivas in nuperâ obsidione Viennensi, quæ tandem feliciter soluta fuit, à Turcis coâctas infantes suos verubus affixos assare & fame diutinâ pressas semiputridos comedere ab expeditione illâ reduces affirmârunt. Plura alia in præsentem materiam Exempla suppeditant *Nauclerus vol.* 2. *generat.* 17. 18. *Büthnerus epit. Hist. Paul. Diacon. hist. miscell. lib.* 16. *cap.* 15. *Chron. Carniol. lib.* 4. *& plures alii.*

Infantes in verubus assati à matribus.

CHRONICON

Memorabilium diræ famis calamitatum in diversis Geocosmi locis & temporibus post Christum natum Salvatorem.

Anno Christi.

72. *Tito* Imperatore *Jerosolymam* obsidente septi inclusique Judæi adeò fame laborare cœperunt, ut innumera hominum millia inediâ quotidie necarentur. *Joseph. lib. 7. de bell. jud. cap. 6. Hegesip. de Excid. Jerosol. lib. 5. cap. 40. Nicephorus lib. 3. cap. 7.*

130. Cometes luxit, quem secuta interfectio *Barescbab* Pseudo-Messiæ Judæorum horumque ultrà quinies centena millia trucidatorum & fame interemptorum strages. *Lubieniecius in Theat. Com.*

324. Lues, fames & omnis generis calamitates exundarunt. *Raynaud. in Chron.*

367. Fames immanis sub *Valente* Imperatore fuit. *Idem.*

374. Imperii *Valentiniani* septimo magna fuit *Cæsareæ* siccitas, quam ingens fames subsecuta est. *Hieronymus in Chron. & Basilius serm. 3. in divites.*

409. Romæ ingens annonæ caritas & fames fuit sub *Alarico* tunc obsessa. *Sigonius lib. 10. Imp. Occid.*

446. Fames & pestis magna successit Cometæ An. 442. conspecto. *Lubieniecius.*

450. Tantâ in *Italia* annonæ penuriâ laboratum est, ut multi fame adacti filios & parentes suos pretii causâ vendiderint. *Sigonius lib. 13. Imp. Occid.*

455. *In Phrygiâ, Gallaciâ & Cappadociâ* ingens siccitas, indeque fames & pestis extitit, longiusque propagata homines ad noxia & abominanda alimenta atque indè ad inflammationes, tumores, oculorum amissiones, subitasque mortes perduxit. *Nicephorus lib. 5. Hist. Eccles. cap. 10.*

538. *Mediolani* ingens frumenti inopia fuit, tantaque tum in *Lyguria* ciborum penuriâ laboratum fuit, ut matres famis impotentes rabiem ejus in liberos exercuerint. In *Piceno* non minùs quinquaginta millia hominum periêrunt, & extra *Jonicum Sinum* multò plures. *Sigonius l. 18. Imp. Occid.*

539. Dira fames vexavit Italiam *Procopius* de bello *Goth. lib. 2. Baronius tom. 7. Ann. 539.*

546. Romani qui *Placentiæ* erant, inopia rei frumentariæ usque adeò laborare cœperunt, ut carnes humanas esui adhiberent. Quibus malis adacti semet cum urbe *Totilæ* Gothorum Regi subjecerunt. *Sigonius lib. 19. Imp. Occid.*

593. In *Italiâ* præ fame liberi devorati à matribus. *Raynaudus in Chronico Hirsaug.*

607. & 608. *Italia* annonæ inopiâ & fame plurimum infestata est. *Lubieniecius in Theatro Comet.*

678. Post cometam visum fames dira secuta est, cujus causa sæpe quadraginta homines, sæpius plures famis acerbitatem non ferentes ad ripas maris se contulerunt, junctisque manibus se fluctibus absorbendos miserè præcipitârunt, Idem ex Antiquitatibus.

849. Fames prævalida totam miserabili vastatione consumpsit *Germaniam*, ita ut multa hominum millia fame morerentur. *Tritbemius in Chronico.*

850. Gravissima fames afflixit Germaniæ populos maximè circà *Rhenum* habitantes. *Pithæus in Annal. Franc. Baronius. tom. 10. Anno 850.*

899. Fames magna genus humanum in Germaniâ & Galliâ præcipuè oppressit, quæ in multis locis adeò invaluit, ut se homines mutuò (quod horrendum est audire) cogerentur manducare. *Tritbemius in Chron. Hirsaug.*

944. In Italia miræ magnitudinis ac proceritatis cometes continuis noctibus apparuit igneos diffundens radios, qui imminentem famem, quâ paulò post universa Italia pressa est, significavit teste *Luitprando & Sigeberto:* quamvis *Urspergensis* Cometam ad Ann. 945. referat.

969. Post visum in Cœlis Cometam & terræ motum maxima in Germania fames fuit. *Lubieniecius in Theat Comet.*

975. Cometam octo mensibus conspicuum subsecuta fuit agrorum magna sterilitas & dira fames. *Lubieniecius.*

938. Maxima in omni terrâ siccitas fuit, quæ frumentum, & quidquid ex humo nascitur, quasi penitùs destruxit. Hinc fames magna subsecuta est, & multi præ famis magnitudine crudeli morte obiêre. *Tritbem. in Chron. Hirsaug.*

988. Magna Germaniam fames oppressit, quam statim pestilentia ingens subsecuta est, & infinita hominum millia absumpsit. *Idem Tritbem. ibidem.*

1005. Post valde horribilem cometam flammas huc illuc jactantem magna annonæ penuria & fames per totam non tantùm Europam, sed universum penè terrarum orbem secuta est. *Lubieniecius in Theat. Comet.*

1006. Fames & pestis adeò invaluit, ut sepelientium tædio vivi adhuc spiritum trahentes cum mortuis sepelirentur. *Idem.*

1009. Apud Saxones fames & pestis sæviit. *Idem.*

An. Ch. 1040. Locustis & fame vexati Cappadoces, Armeni & Paphlagones solum magnâ ex parte vertere coacti sunt. *Raynaud. in Chron.*

1083. Gravis adeò annonæ caritas in Italiâ fuit, ut multæ matres prævictûs inopia in proles suas fame sollicitatæ sævierint. *Sigonius lib. 9. Regni Ital.*

1095. Fames gravissimè omnes afflixit pauperibus per furta & incendia ditiores graviter vexantibus. *Sigon. in Chron.*

1098. Tanta fuit in Scotia fames, ut hordei modius quinquè coronatis aureis ægrè comparari posset. *H. Boeth. lib. 13.*

1124. Tyrus Urbs à Venetis & Latinis reliquis fame capta fuit Kalend. Julii. *Tyrius.*

1145. Ingens fames Galliam afflixit, ità ut quidam dividens carnes hominum à se jugulatorum coctas deprehensus laqueo necatus sit. *Sigeb. Contin.*

1146. In Gallia fames permaxima grassata est. *Robertus Abbas in Chronico.*

1177. Italia summâ rei frumentariæ inopiâ laboravit, & frumentum solidis argenteis 32. in singulos sextarios stetit. *Sigonius lib. 14. Regni Italiæ.*

1312. *Carnioliam, Stiriam, Carinthiam & Austriam* tanta oppressit fames ut etiam ex Sicilia frumenta adduci debuerint. *Valvasor in Carniol. lib. 15. cap. 2.*

1313. Pestem in Germania tanta fames, & inopia victualium subsecuta fuit, ut his, qui viventes relicti fuerunt in tanto defectu vivere omninò videretur gravius, quàm illis, quos pestis absumpserat, mori. Fames tam valida fuit & diuturna, ut Mercatores lucri causâ frumentum de Siciliâ in Germaniam per mare navigio laboriosè adduxerint. *Tritbem in Chron. Hirsaug.*

1315. Pluviæ totâ æstate famem & pestem adduxerunt, quibus tertia pars viventium, ut *Funckius* arbitratur, absumpta creditur. Poloniam omnem fames ità afflixit, ut nullo quamvis fœdo edulii genere, ne cadaveribus quidem humanis abstineretur, & parentes in liberos & hi vicissim in illos sævirent. *Cromerus lib. 11.*

1316. Tanta fuit frumenti penuria, *ut Gorlicii* homines tenuioris fortunæ ex mespilis, corticibus tiliarum panem coquerent: parentes etiam filiis vix abstinerent. *Annal. Corlic.*

1347. Fames valida in totâ ferè Europâ, præcipuè verò in Italiâ fuit. *Lubieniecius in Theat. Comet.*

1363. Post cometam ingentis magnitudinis in Cœlo spectatum fames & pestis Germaniam afflixit. *Idem.*

1377. Fames in Italiâ maxima fuit. *Idem.*

1439. In Thuringia panis inopia innumeri mortales perierunt, ita ut omnes per totam regionem viæ, omnesque in urbibus, vicis & villis plateæ mortuis corporibus refertæ essent. *Leonard. Fuschius lib. 2. instit. medic.*

1468. Pestem latissimè grassantem annonæ caritas ac fames excepit. *Crom. l. 27.*

1479. Ingens annonæ caritas in Carnioliâ, & vicinis circum regionibus fuit, quam & mortalitas secuta ex febribus acutis, quæ homines statim in rabiem egerunt. Multis vermes in capite creverunt, qui per aures, quoque & nares infirmis egressi, omnibus horrorem incusserunt. *Valvasor in descript. Carniol. lib. 15. cap. 10.*

1491. Cometam in Vere conspectum insecuta est magna siccitas, ingens deindè annonæ caritas, pestisque pecorum. *Lubien. in Theat. Comet.*

1500. Dira lues per totam Germaniam unà cum magnâ annonæ caritate grassari cœpit. *Idem.*

1501. Per totam Sueviam fames magna & multa frumentorum inopia pressit mortales. *Tritbem in Chron. Hirsaug.*

1504. Magna siccitas indeque annonæ caritas secuta, quæ per plures annos duravit. *Idem.* Carnioliam quoque pressisse scribit *Valvasor Carniol. l. 15. c. 16.*

1530. Mense Augusto *Florentiam* dira fames post asinos feles & mures, aliosque cibos sordidos jam dudum consumptos afflixit. *Nemoperegrinus.*

1531. Magna annonæ caritas Sueviam, Helvetiam, & Alsatiam afflixit. *Lubieniecius.*

1539. In Italia & Brabantia annonæ caritas & inde nata pestis multa hominum millia absumsit. *Idem.*

1556. Caritas frugum & annonæ in Belgio fuit. *Idem.*

1565. Fames latrociniis redempta fuit. *Nemoperegrinus.*

1569. Centum & quinquaginta Rustici ad ædificandam arcem *Orlò* à *Joanne Basiliade* Moschorum Tyranno missi coacti sunt ob annonæ penuriam ex suis novem mactare & illorum carnibus vesci. *Alexander Guagninus in Moscovia.* Hoc eodem anno *Pictaviensis* fames *Saguntinæ* ferè similis posteris memoriam reliquit. *Nemoperegrinus.*

1580. Pestis & annonæ caritas fuit, quam fames insecuta. *Valvasor Carn. l. 15. c. 24.*

1585. Bruxellenses dirâ pressi fame, cum missa aliundè annona cæso præsidio fuisset intercepta, se *Farnesio* dederunt. Hic quàm grave telum sit fames, mulier ostendit, quæ liberis panem petentibus toxicum, quod & ipsa hausit, desperabunda porrexit. *Nemoperegrinus.*

1586. Per Hungariam fames exorta, ut violato Naturæ jure parentes filios vendiderint in mancipia & pro frumento commutaverint. Alii in Danubium eos præcipitaverunt. *L. Bayer in Chronolog.* In Carniolia incolas vilissima quæque

An. Ch. | quæque in escam assumpsisse, & ex quibusvis obviis panes parasse scribit *Valvasor. in Carn. lib. 15. cap. 34.*

1587. | Annonæ penuria usque adeò in Belgio ingravescebat, ut passim ex omni genere leguminum conficeretur panis, mensura siliginis *Antuerpiæ* vænie-bat 24. florenis; Tritici 36. *Beyerlinck.*

1590. | Parisienses ab *Alexandro Gamesio* Parmensi Principe obsessi adeò fame pressi sunt, ut non tantùm equinas carnes esitarent, sed & canes, lora, detractas bestiis pelles, radices, corticesque arborum, & ejusmodi pro deliciis absumerent. *Beyerlink.* Per Julium & Augustum 2400. Equos in cibum absumptos præter asinos, canes, mures & alia memorat *Nemoperegr.*

1591. | Ingens fames Italiam afflixit. Hoc eodem Anno *Navarrus* Parisios intercluso undique commeatu ita pressit, ut caput mulæ 50. coronatis venditum fuerit. *Nemoperegrinus.*

1596. | Cometam siccitas, hanc caritas & annonæ penuria subsecuta fuit. *Lubieniecius.*

1622. | In Carniolià tres Soles visi, quos insecuta ingens caritas annonæ & defectus vini, frumenti aliorumque victualium, & post duos annos sæva pestis, *Valvasor in Carniol. descript. lib. 15. cap. 32.*

1630. | Germania bello infesto laborare cœpit, inde magna rerum omnium inopia, ingens annonæ caritas & dira tandem fames emersit.

1692. & 1693. | Gallia magna frugum penuria laboravit, unde nata ingens annonæ caritas ac dira tandem fames, qua multa hominum millia interierunt.

CAPUT IV.

De respiratione Animasticâ.

Sicut ad plantarum & vegetabilium vitam, nutritionem & augmentationem aër, ejusque applicatio omninò necessaria est; uti supra cum de plantis actum est, docuimus: ita ad animalium vitam conservandam & prorogandam aër ejusque respiratio comprimis requiritur, ut proindè benè scripserit *Clariss. D. Joannes Suamerdamus tract. de respir. usuque pulmonum in præfat.* ajens. *à respirationis eâ parte, quæ inspiratio dicitur, vitam auspicamur, in alterâ seu exspiratione eandem plerumque finimus: Eâdem cessante vita quoque cessat, eâdemque iterum exsuscitatâ velut postliminio in vitam hanc renovari videtur. Quidquid ab extra nos ambit, quidquid intra nostrum corpus continetur, respirationem augere, minuere, accelerare, retardare, imò planè extinguere valet.* Unde etiam *Aristoteles* vitam ipsam in hauriendo ac reddendo Spiritu sitam esse pronuntiavit; & animas ab ἀνέμοις nomen tenuisse videtur. Sed missis ambagibus de respiratione, ac quis sit inde fructus jam porrò proferemus.

§. I.

De respiratione, ejus organis, muniis, & usibus.

1. Quàm certum est dari respirationem in corpore vivo, & hominem absque respiratione vivere non posse, tam abstrusa & difficilis explicatu est ejus natura A *Chauvino in Lex. philos.* Respiratio dicitur altera pulmonum æstuantium aut reciprocantium commotio aere per asperam arteriam accedente recedenteque thorace, diaphragmate, & abdomine tanquam musculis famulantibus. *A Joann. Swammerdamo tract. de respir. sect. 1. cap. 1.* definitur *motus Thoracis, pulmonumque, quo modo aer per nares, os, asperamque arteriam in pulmones impellitur, modò ex iisdem ad ulterius sanguinem refrigeratione, vaporumque inutilium segregatione potissimum elaborandum, sicque ad ultimam in sinistro cordis ventriculo futuram tandem perfectionem, perficiendum iterum efficitur.* Aliis communiter & brevissimè Respiratio dicitur Actio vitalis, vel potiùs vitanimalis, constans ex inspiratione & exspiratione.

2. Duplex igitur est spirandi modus, sivè duæ sunt vices Respirationis: nempè Inspiratio, quæ accessus, & Exspiratio, quæ recessus aëris dicitur. Inspiratio est ea partialis actio, quâ aër per tracheam seu asperam arteriam dilatatum pulmonem ingreditur: vel est accessus aëris pulmones subeuntis. In inspiratione igitur thorax, ubi pulmo delitescit, per motum costarum ac diaphragmatis sensibiliter dilatatur: costæ nimirum sursum simul & deorsum trahuntur, sicq; thorax attollitur, eodemq; momento convexitas diaphragmatis abdomen spectans cum planitie immutatur, ita ut patente satis nisu manum admotam feriat, adeoq; inspiratione pectoris cavitatem derelinquendo hanc longiorem & fundum thoracis depressiorem reddat. *Respiratio duplex Inspiratio & Exspiratio.*

3. Exspiratio, seu aëris recessus non incongruè in *mediocrem* seu *naturalem*, & *violentiorem* seu *intensiorem* distinguitur. Illa leniter non mediantibus peculiaribus musculis, horumq; activitate contingit, sed ipsi præstante sola costarum resilitio, seu partium thoracis ambientium motus restitutionis, & diaphragmatis realxatio sufficit, quę ideò etiam minore temporis spatio peragitur, nisi forsan musculo sterni triangulari aliquantulū hactenus extenso munus cartilagineas costarum inferiorum appendices detrahendi, sicque thoracem leviter constringendi concedere velimus. Intensior autem & violentior exspiratio, qualem loquentes, canentes, fistulantes, tussientes &c. præstamus, musculis abdominis adjuvatur, qui viscera hujus *Exspiratio mediocris & violentior.*

cum diaphragmate sursùm impellunt, sicque aërem è pulmonibus majori cum impetu exturbant; ita tamen ut horum obliqui costis in ferioribus inserti has simul aliquatenus detrahant.

De respirationis modo sententiæ tres.

4. Quomodo verò respiratio perficiatur, ità ut aër pulmones subeat ad finem ab Authore Naturæ destinatum, tres comprimis sententiæ ab Authoribus memorantur: quarum prima asserit pulmones aërem vacui vitandi causâ subintrare, & ab his quasi attrahi: quæ sententia jam communiter à Doctioribus rejicitur. Altera *Cartesianorum* est, asserens, aërem à distenso thorace propulsum intrà asperam arteriam urgeri; sivè quia ob pectoris dilatationem aër thoracem, abdomenque ambiens de loco suo ob fluiditatem facilè depellitur, & nullus alius locus est, qui eum recipiat, quàm is, qui intrà pectus aperitur, hinc fieri, ut aër à thorace, pulsus alium ori naribusque vicinum pellat, cogatque per asperam arteriam pectus subire: sed neque hæc sententia admittenda videtur, cum suis non careat difficultatibus. Tertia verò Recentiorum est ista. Ajunt nempe: Atmosphæram aut vi ponderis sivè proprii sivè aëris incumbenris, aut per particularum elasticarum turgescentiam pulmones pectoris dilatati irruere haud dissimili ratione ac vesicâ aut pulmones alicujus animalis folli ita inclusi, ut illius collum, aut trachæa cum rostro hujus commune orificium nanciscatur ad follis laterum distractionem ab aëre ambiente replenrur ac distendunrur. Unde duo in hac sententiâ supponuntur, aëris scilicet gravitas, ejusdemque vis elastica, utrumque verò aëri inesse aut convenire suprà *Scrut. III. Disq. I. Cap. I.* docuimus.

Pulmonum compages & structura.

5. Ad hoc, ut pulmonum officium pro usu respirationis ritè intelligatur; non est negligendum, quod de eorum structurâ observavit *Clariss. D. Marcellus Malpichius ut in Ep. ad Joann. Alphonsum Borellum datis* videre licet, ubi contra alios Anatomicos à se deprehensum ostendit, pulmones non esse substantiam quodammodò carnosam, parenchymatibus haud secus ac hepar aut lien annumerandum, sed si vasa, inquit, excipias, nihil esse aliud, quam aggregatum quid ex levissimis & tenuissimis membranis, quæ extensæ & sinuatæ pene infinitas vesiculas orbiculares & sinuosas efformant, veluti in apum favis accidit, quæ talem habent situm & connexionem, ut ex trachæâ in ipsas mox ex unâ in alteram patens sit aditus & tandem desinant in continentem membranam. Observavit præterea mirabile quodpiam rete, quod nerveum esse ligamentum suspicatur, quo supradictæ vesiculæ vinciri & colligari videntur. Tum præter quatuor aut etiam plures vulgò noros lobos innumeris aliis lobulis propria membranâ obvolutis eos constare asserit. *In secundâ* verò *Epistolâ ad eundem Borellum datâ*, rete illud nullatenus nerveum esse scribir, sed ex arteriæ & venæ pneumonicæ productionibus & ramificationibus capillaribus mutuâ anastomosi junctis constare docet. Unde jam inferunt totam pulmonum compagem merè fistulosam esse, ac ex tubis diversi generis atque magnitudinis variè imò intricatissimè dispositis conflatam esse, qui tamen ubiq; sibi continui, & cum mutuâ ad se invicem habitudine protensi aërem, sanguinem, lympham & spiritus animales propter accessorios quosdam usus huc illuc ordinatim & regulariconvehant atque disponunt.

Aëri subtilitates in respiratione.

6. Aëris per respirationem intrà pulmones & pectus admissi plures recenset usus *Swammerdamus tract. de respir. & usu pulm. sect. 1. cap. 1.* nam *primò*, à dilatato sursumque moto pectore propulsum appulsumque salivæ expressioni atque suctui inservire statuit. *Secundò* impulsum inspiratumque aërem odoratûs gratiâ atque ad mucum è naribus per fauces depellendum, naribus utilem esse; sic & eundem ad coctionem in stomacho, chyli elaborationem, distributionemque apprimè facere, omnibus satis constare arbitratur. *Tertiò* retentum verò, sicque conclusum aërem excernendæ urinæ, fœcum egestioni, & partui depellendo expellendoq; prodesse, imò ad robur corpori addendum, chyli, lymphæ & cæt. atque sanguinis, præsertim totius massæ motum commodiùs promovendum commodum, atque necessarium esse luce meridianâ clariùs esse putat. *Quartò* expulsum, exspirarumque aërem loquelam propter & vocem, tussim, oscitationem, sternutationem exspuitionem, sufflationem, efflationem &c. animantibus datum fuisse dicit; præ cæteris denique animalia maximum à respiratione in usum vitæ fructum percipere, hinc licere dignoscere scribit: quod respiratione vel minimo intervallo impeditâ, cohibitâve vitam ipsam statim in discrimine versari, imò & deperdi ut plurimùm videamus. Ut patet in suffocatione, strangulatione, aliisque casibus manifestè. Quam nam verò vitæ utilitatem præbeat respiratio; respondens subdit, præbere eum usum illum cordi idque gratiâ conservationis vitæ, quem præsertim in ultima ac postrema sanguinis in sinistro ejus ventriculo perfectione consistere arbitratur. Hujus ulteriorem expositionem vide *apud eundem loc. cit.*

Præcipui respirationis usus.

7. Verùm meliùs præcipuos respirationis usus declarare videtur. *Du Hamel phys. part. 3. tract. 2. cap. 5.* Quorum Primus est, ut sanguinis per pulmones circuitum promoveat: adeò ut pulmones sint velut sanguinis torcularia, inquit, cum in ipsâ inspiratione è vasis sanguineis compressis sanguis velut exprimatur: contrà in exspiratione in eadem vasa sanguis è corde impellatur. Sic enim vasis sanguineis identidem pressis & dilatatis motus sanguinis jugis est & celerior, ut in corporis habitu ex levi musculorum contractione sanguinis circulatio promoveatur. Hinc ait, ubi secatur vena, sanguis liberiùs fluit, quando brachium extenditur, aut

baculus manu contrectatur & volvitur, quo motus musculorum adjuvetur. Secundò ex levi illa pulmonum dilatatione & pressione sanguis etiam percolatur & comminuitur, isque fit fluidior & à cöagulatione vindicatur. Tertiò probabile videtur illi puriorem & vitalem auram partim in pulmonum vesiculis retineri, partim in capillaria vasa adigi, partim tenuem & porosam pulmonum substantiam penetrare & thoracis implere cavitatem. Hinc subdit, aërem fluiditatem sanguini & colorem coccineum conciliare; *nam*, inquit, *ad fluorem duo requiruntur. primò ut partes illius sint exiguæ, attritæ & divisæ, tum in perpetuo motu versentur: hunc motum in liquoribus subtilis aër efficit. Cum itaque sanguis ex partibus constet heterogeneis, ut qui ex variis alimentis prodierit, ac diversis partibus alendis serviat, non dubium est, quin aërem suis poris conclusum habeat, ut cœteri liquores, qui in machina pneumaticâ ob eam rationem solent ebullire. Hic fluorem sanguinis tuetur & obstat ne dissimiles adeò partes inter se cohæreant. Hinc vario & jugi motu cientur, ut partes quædam ex crudis & fixis fiant volatiles. Accedit etiam in aëre esse quasdam partes nitrosas, solidas & penetrantes, quæ vasa capillaria subeunt, & sanguinis motum concitatiorem efficiunt.* Ità *Du Hamel.* Ex quibus conficitur respirationem non sanguinis refrigerationi, ut comuniter Antiqui crediderunt, sed ejus potius motui & fluiditati promovendæ comprimis subservire. Quamvis tamen & aliæ suprarecensitæ respirati aëris utilitates non sint contēnendæ: præcipuus tamen respirationis usus in sanguinis motu promovendo videtur admittendus.

Juxta aëris naturam effectus sunt respirationis.

8. Juxta naturam & qualitates aëris, ex ejus etiam respiratione effectus aliquos licet advertere. Ita cum aër est plùs æquo rarus, ut in excelsis montium jugis, aut in machina pneumaticâ vi sua elasticâ magis exutus, cum pulmonum vasa satis comprimere non valeat, nec sanguinem promovere, nec alios usus facilè conferre potest, quocircà respirationi minus idoneus esse valet. Et contrà ubi etiam est crassior, ut in magnâ hominum turbâ, aut loco pulverulento, cum capillares asperæ arteriæ tubulos pene obstruat, similiter respirationi aptus esse nequit: neque etiam purior aër cum sanguine ritè permisceri valet; facilior tamen respirationi convenit aër serenus, quàm turbidus. Quorum tamen sanguis crassior est & fœculentior, iis purus & nitrosus aër magis convenit; sed quibus sanguis subtilis est, tenuis, ac qui facilè dissolvitur, & insuper pulmones habent molles, teneros & rarioris texturæ, iis crassus, sulphureus, & fumosus aër salubrior est, eòquod sanguinem nimium subtilem nonnihil incrasset, & figat.

Respiratio qualis in angusto pectore.

9. Qui infirmo & angusto sunt pectore, his ferè omnibus ventus borealis & frigidus infestus est; tussim enim peripneumoniam, & ejusmodi infirmitates procreat, vel quod perspirationem inhibeat, vel quod vasa pulmonaria contrahat. Cum enim ii plerumque acriore sanguine prædití sint, uberiorem perspirationem exigunt. Aër humidus & tranquillus, qui nullis ventis perflatur, nulli salubris est.

Varii morbi à respiratione.

10. Cum pulmones instar telæ innumeris fibris & vasis, quæ inter se plurimis modis complicantur, contexti duplici comprimis muneri serviant, ducendo nempe Spiritui, & movendo sanguini, in quibus vita potissimum constitit: tanto etiam organorum apparatu, & partibus tam tenuibus constent; mirum esse non debet, quod ea pars corporis variis exposita injuriis ità facilè lædi, inquinari, & à statu bonitatis & sanitatis deturbari queat. Quocirca patet etiam quomodò per respirationem aëris pestilentis & inquinati statim sanguis infici, & pestis contrahi possit: quomodò per contagium facile morbi epidemici febres malignæ, aliæque infirmitates propagari queant. Quomodò item dum sanguis contagio pestilente inquinatus corrumpi, & in grumos concrescere incipit, facilè pulmonibus affectionem parvam impertiri, & inde per exspirationem novum contagium excitare, & in alios similem derivare queat pravitatem. Verum etiam scripsisse videtur *Clariss. Malpichius in ep. 1. ad Joann. Alphons. Borellum*, tantâ nempe pulmones dignitate ad vitam pollere, ut perpetuò hoc verum sit morbos, ut plurimum vel ab ipsis pulmonibus initium capere, vel in ipsos desinere.

Respiratio minus frequens unde proveniant

11. Quibus ampli & capaces sunt pulmones, multisque foraminibus pervii, ut ex *Lemnio* tradit *Mizaldus memorab. arcan. cent. 7. cap. 6.* diutius anhelitum cohibent, ac celerius currendo viam multam conficiunt: iidem egregii sunt Urinatores, & fundo aquæ longo tempore inhærent, suffocatique ac undis obruti paucos post dies emergunt. Quibus ferè assentiri videtur *Keckermannus*, dum *syst. phys. lib. 3. c. 18.* hoc ponit theorema. Animalia, inquit, quæ rariorem & frigidiorem obtinent sanguinem; atque adeò, quorum pulmones sunt fungosi, & concavi, ut sunt ranæ & testudines minùs cerebrò respirant idque propterea quia cor eorum paucioribus halitibus, atque adeò minori calore obsidetur. Et deindè quia pulmo fungosus & concavus multum in se aëris recipit, ut non sit necesse tam citò aërem inspirare. *Aristoteles* tamen *lib. de respir. cap. 2. & 4.* discrimen respirantium animalium explicans, hanc ponit thesin. Quo animal uberiori spirituum copiâ circà cor æstuat, eò frequentius respirat, contrà eò rarius respirat, quo paucioribus spiritibus cor ejus obsidetur. Verùm ad diutius anhelitum & respirationem continendam multùm facere videtur consuetudo, deindè pulmonum firmitas & amplitudo, qua aër copiosiùs concipitur & arctius, cum volumus continetur, sanguinisque bona temperies, quæ attritione & commotione tantâ non indiget, ut ideò continuò novus aër inspirari debeat.

 12. Mo-

Vehemens respiratio post motum.

12. Motus & exercitatio vehemens respirationem vehementiorem post se trahit. quod confirmat *Cardanus lib. 12. de subtil.* ajens: *Ubi motus frequens, ibi respiratio frequens est necessaria tum magna: obid animalia magna, quæ parum & tardè respirant, brevis vitæ sunt ut boves: parva enim respiratio parvi caloris est indicium, qui magnam molem diu regere nequit.* à motu itaq; & exercitatione vehementi magis sanguis effervescit & rarescit: Unde plures ejus particulæ per vaporem aut sudorem abeunt, quæ continuò ab aëris attractu resarciri debent.

Difficilis respirationis causæ variæ.

13. Respiratio etiam difficilis redditur variis ex causis, ut in *Dyspnœâ*, quæ modicam, in *asthmate*, quod vehementiorem; in *Orthopnœâ*, quæ vehementissimam respirandi habet difficultatem. *Dyspnœa* est exiguè densa & frequens respiratio citra sonum & anhelitum à leviori brachiorum pulmonis obstructione, vel musculorum thoracis læsione ortum trahens. *Asthma* est crebra & densa spiratio cum anhelitu ac sono. *At Orthopnœa* est, cum non nisi erectâ cervice spirare quis cogitur. Omnis autem difficilis respirationis immediata causa est læsio motricis facultatis in pulmonibus, diaphragmate & musculis. Mediatæ vero causæ proximiores sunt imprimis Spirituum animalium defectus, vel ob summum senium, vel ob nervorum obstructionem, ut in apoplexia fieri solet. Deinde humores crassi viscidi, non nunquam etiam tenues ac serosi, sed copiosi pulmonum bronchia obsidentes. Præterea etiam vapores ad diaphragma ascendentes, vel etiam musculis thoracis sese insinuantes sæpius hujus mali authores sunt. Denique & liquores acidi ac styptici aliæque res externæ in asperam arteriam fortuitò delabentes anhelitum retardare ac retinere solent. Remotiores verò causæ esse queunt vel naturales, ut temperamentum corporis humidum, & nativa pulmonum debilitas, ut & dispositio hæreditaria. *Non naturales*, ut aër & victus frigidus & humidus: motus vehemens, cursus concitatus, neque terror & ira suâ carent efficaciâ. *Præternaturales* denique queunt esse intemperies pulmonum calida & sicca, vel à primo ortu, vel per consensum in febribus ardentibus & plures ejusmodi aliæ, de quibus Medici consuli queunt.

Respiratio alia Naturalis alia Voluntaria.

14. Illud etiam reticeri minimè debet, respirationem aliam *Naturalem* esse, aliam verò *voluntariam*: quarum illa, quæ nobis etiam somno sopitis naturaliter accidit, maximè tamen necessaria est ad vitam, cùm eâ sublatâ necessum sit hominem interimi. Undè *Galenus lib. 6. de locis affectis cap. 5.* dicebat: *Viventem non spirare est impossibile.* Et *Hippocrates*: *Cibo & potu per dies aliquot carere possumus: at interceptis respirandi viis ne unam quidem horulam vitam ducimus. Porrò cùm aliæ quævis actiones intervalla quietis admittant; sola respiratio est, à quâ nunquam desistunt animantia.* Respiratio *Voluntaria* est, qua mens cogitatione ac voluntate spiritus animales in musculos, qui respirationi famulantur, vicissim determinando pectus modò ampliat, modò constringit. Unde mirabile est etiam per respirationem compressam vitam tolli spontaneè posse: quod confirmatur Exemplo *à Valerio Maximo* & *Galeno* adducto de Syro quodam servo malefico, qui cùm propter maleficia captus & supplicio affici deberet, respirationem ità compressit, ut animam sibimet extingueret.

An & quomodo fœtus in utero materno respiret.

15. Cùm respiratio ad vitam omninò necessaria sit, benè quæritur: An infans in utero materno etiàm respirare queat. Pro quo resolvendo nonnulli docent, quod infans omninò respiret, idque propterea primò, quia habet cor & pulmones. Secundò quia movetur; ex quò motu defatigatur. Contra verò alii statuunt, fœtum in utero planè non respirare, idque propterea, quod cor ejus in utero materno non moveatur: deindè quod nulli in corde spiritus generentur. *Cur igitur*, inquit *And. Laurentius lib. 2. Anatom. cap. 14. opus habet respiratione, cùm finis respirationis non adsit, nimirùm cordis refocillatio.* Sed hæc sententia durior videtur, quod cor infantis non moveatur, cùm ipse infans moveatur. Si igitur movetur infans, movetur ministerio spirituum, qui à corde generantur, & cor est principium, sine quo reliqua moveri non possunt. *Cor* enim, juxta *Aristotelem, est primum vivens & ultimum moriens.* Si verò quæratur: Si infans respiret, quomodò respiret? Responderi aliter non potest, inquit *Kekermannus syst. phys. lib. 3. cap. 18.* quàm quod ità attrahat aërem aut potiùs halitus ex matre, sicut attrahit sanguinem & nutrimentum per easdem vias. Alii, inter quos est etiam *Paulus Zacchias in quæst. Medico-leg.* dicunt, fœtum in utero materno aërem per nares, aut per os attrahere quidem non posse; transpirare tamem ad matris respirationem per vasa Umbilicalia: Unde etiam pereunte in matre respiratione, necesse esse etiam in fœtu perire transpirationem, & illum vitâ destitui. Clariss. *D. Le Grand* respondet naturam alio modo Embryonis saluti consuluisse efficiendo, ne sanguis in corde calefactus & rarefactus in illud ampliùs nisi valdè exiguâ regrediatur quantitate. *Quià cum pulmonum via ob compactam eorum consistentiam intercipiatur, sanguis è dextro cordis ventriculo per aliam viam in sinistrum traducitur, nimirum per truncum venæ cavæ, ex qua in venosam meatus aperitur, quem ovale foramen appellant, & alius ex vena arteriosâ in magnam arteriam, per quas sanguis iter suum capessere cogitur. Fœtu autem edito sanguis per arteriam venámque pulmonarem ingreditur, vel quia vasa pulmonum potentiora sunt, liberaliorèmque ipsi introitum præbent; vel quia foraminis ovalis & canalis arteriosi meatus paulatim obstruuntur, & in ligamen abeunt.* Ita ille. Sed hæc Medicis discutienda relinquamus. Videatur *Joannis Mayow tractatus de respirat. fœtus in utero & ovo.*

Experi-

§. II.

Experimenta quædam & observationes circa Respirationem animasticam.

Respiratio per aures. 1. Latitare in ore humano duos angustos ductus scribit *Tulpius observ. medic. lib. 1. cap. 35.* ascendentes utrinque ad latera maxillæ versus aures inter processum mastoideum & stiliformem supra glandulam superiorem juxta gulæ principium positam: quarum ingenito aëri ut advehunt pabulum, sic concedunt interdum exitum per aures spiritui ob gutturis angustiam, aliàs hominem certò suffocaturo. Uti bis à se observatum *idem* memorat in orthopnoeâ, à cujus periculosissimi morbi suffocatione vidit duos ægros liberatos effuso Spiritu per vias jam communicatas.

Puer pro libitu sanguinem ex vulnere mittens. 2. In Leidensi Nosocomio Academico Spiritûs retenti ope per patulum aliquod in pede vulnus magnam aliquando sanguinis copiam pro voluntate à puerulo excretam se vidisse scribit *Joann. Swammerdamus tract. de respir. sect. 1. cap 1.* Unde in dissitis etiam partibus respirationem sanguinem movere posse constat.

Halitus Gibbosorum & Simorum unde foeteat. 3. Gibbosorum halitus sicut & Simorum ut plurimùm foetere solet; quia tales difficulter respirant; quod provenit ex viis inflexione arctatis. Ideo aër in viis diutius hærens sæpè putrescit, & sic putridum exhalant foetorem. Ob similem causam simorum anhelitas ingratus est, quia nasi viæ sunt impeditæ, ut ita purgamenta in eo detineantur & putrescant.

Perspirium & anhelitum ponderandi praxis. 4. Perspirio multum homini abire, deprehendisse se putat *Sanctorius* Medicus hóc machinamento: appendit è bilance hominem ante coenam, certi ponderis illi coenam exhibuit: facta per somnum concoctione iterum expendit hominem, & invenit deesse priori ponderi: Undè inferebat, reliquum perspirio abiisse, & sæpiùs invenit libras quatuor. Sed ut res certa multum perspirio abire; ità fallaci experimento usus est hic Medicus, cùm multùm addant levitatis Spiritus, qui cibis consumptis nascuntur. Hinc aliquandò levior homo pransus, quàm famelicus. Anhelitum quoquè ponderandi praxin perscribit talem. Accipi debet speculum & ponderari, ac deinde ante os & nares teneri ad halitum excipiendum: demum colligi debent guttæ aquæ speculo post halitum exceptum adhærentes & similiter ponderari, uti & denuò speculum, cui adhuc aliquid de halitu adhæret. Sed quid inde colligetur? pondus quidem speculi & guttarum exspiratarum ad speculum collectarum sciri poterit, sed quid de toto halitu sciri poterit? quandonam etiam hæc praxis instituenda est hyeme vel æstate, & quo loco, calido vel frigido? quæ certè circumstantiæ multum conferre possunt. Meliorem praxin præscribit *Nicolaus Cusanus in dial. de stat. experi:* quæ apud eundem videri potest.

5. Experientia constat, si quis aliquamdiù vel non omninò vel saltem rarius atque demissius, quàm solet, respiraverit, eundem suspiriis mox laboraturum. Est autem *suspirium* magnus haustus attracti aëris, ut restauretur, quod anhelitu intercepto neglectum est ex aëre. Causa itaque illius experimenti est, quod in illo respirationis intermissæ vel demissæ intervallo pulmones ob aëris carentiam non compressi intumescant & sanguine repleantur: ex quo fit, ut etiam pulsus solitò minor evadat pulmonibus in sinistram cordis cavitatem non idoneam sanguinis vim exprimentibus. Inde tandem fit, ut necessitate (ne penitus scilicet suffocemur) dilatato thorace ingenti aëris haustu pulmonum vasa comprimere, atque ad solitum tenorem revocare conemur. Ex quo etiam ratio patet, quare risus effusior ex simili causa nimiæ intumescentiæ in pulmonibus profundiori terminetur suspirio. Cur post raram aut demissam respirationem suspiremus.

6. Inter laqueo suspensos & suffocatos observare licet, alios aliis citius morti succumbere. Cujus causa partim & præcipuè esse potest, quod quorundam sanguis pronior sit ad stagnationem, quàm aliorum: partim quod laqueus his adstrictior, illis laxior pro arbitrio etiam & artificio Carnificis omnimodæ respirationis viam illis occludat. Quanquam fieri potest aliquandò, ut tracheæ varia consistentia & fabrica non nihil discriminis huc apportet. Testatur enim *Cardanus* aliique, nonnullos, qui laqueo vitam finiisse videbantur, præfecto tamen fune vivere deprehensos esse: in his autem asperam arteriam, non cartilagineam, sicut in aliis, sed plane osseam fuisse posteà compertum fuit; quo factum est, ut respiratione non omninò privatis, sanguis à motu non cessaverit, adeòque ut non morerentur, præcaverit. Laqueo suffocati cur aliqui citius aliis moriantur.

7. In omni penè suffocationis periculo, undecunque illud immineat, constantibus viribus, aut non omninò prostratis usu compertum est, venæ sectionem liberali manu celebratam (saltem in præsens) prodesse. pertusa enim venâ sanguis versus pulmones properans, aut etiam jam in illis congestus, aliorsum ducitur; adeoque pulmones ab onere suo se paulatim liberant. Quin etiam aërem haustum depleta nonnihil vasa excipiunt; is autem cum sanguine commixtus eundem & fluxiliorem facit, & ad fermentationem procliviorem. Unde Clariss. *Dn. Malachias Thruston in diatriba de respirationis usu primario* testatur, plusquam semel se expertum quosdam anhelosos, quorum anima summis quasi labris hærere tum sibi, tum adstantibus visa erat tam subito levamen hoc pacto sensisse, perinde, ac si per factum vulnusculum vitam prius fugientem retraxissent; adeò in ipso opere sese novo spiritu donatos exclamâsse. Ob eandem rationem factum esse subdit, ut strangulati quidam, & ut videbantur, plane mortui in duas luminis horas, ut ille loquitur, reversi fuerint Venæ sectio in omni suffocationis periculo conducit.

fuerint ad vitam. Quale quidpiam *Oxouij* aliquandò contigisse *Joubertus* etiam præstitisse gloriatur. Nempè sanguis emissus est & corpora excalefacta, frictiones etiam adhibitæ & vini meracioris haustus subinde propinatus, quæ omnia illud agebant, ut sanguinem ventilando atquè agitando pristinam movendi rationem ac vim illi conciliarent.

Pulsus respirationi respondet.

8. Constanter observatum fuit, ac *Galeni* testimonio comprobatum, mutationes pulsuum & respirationis consimiles esse, atque à consimilibus causis tum in Sanis, tùm in morbosis corporibus provenire. *Nam qui exercentur*, inquit Galenus. *& qui balneo lavantur, quique alia quovis modo excalesiunt, eorum cùm respiratio celerior, frequentior, & major evadit, tum pulsus pari modo mutatur, sicut è contrario eorum, qui aliâ quacunque ratione refrigerantur; uti respiratio rarior, tardior & minor, ita consimiliter & pulsus. Citatior enim sanguinis motus celeriorem efficit & pulsum & respirationem.*

Quidam solâ respiratione viventes.

9. Illud quidem jam canonizatum est ab que respiratione vitam persistere non posse: Verum non minus admirandum, aliquos sola respiratione, & solo rerum quarundam odore vitam diutiùs produxisse. *Timonis* in *Cilicia* aviam (sivè nutricem) *Aristoteles* memoriæ tradidit, delitescere solitam quoque anno ad bimestre spatium, quam nulla re aliâ, quàm spiratione vivere deprehenderunt, ut *Plutarchus* memorat *lib. 8. quæst. convival. 9.* Hominem fuisse, narrat *Rondeletius l. 1. de piscib. c. 13.* qui undecim annis *Romæ* enutritus fuerit solâ aëris respiratione *Hermolaus* quendã Sacerdotem Solâ aëris inspiratione superstilem per quadraginta annos fuisse testatur. *Plinius lib. 7. cap. 2.* tradit, Indorum quandam gentem ad extremos fines halitu & odore ex pomis vitam prorogare. *Hercules* etiam odore coturnicis ab *Iphiclo*, cùm in certamine defessus succubuisset, servatus dicitur. Pomi persuavi odore prorogatam aliquamdiu *Aristoteli* vitam notat *Cœlius Ant. Lect. lib. 24. cap. 21.* Refert *Oribasius 1. Aphor. 12.* quendam ad solum mellis odorem quadraginta vixisse diebus. Aliùs totò vitæ curriculo nec comedit, nec dormivit, & hic sese Soli exponebat, quoties nutriri vellet. Plura longioris inediæ & à cibis abstinentiæ dedimus *cap. præced.* Sed hæc si vera sunt, indubiè maximam merentur admirationem.

Vocum differentiæ unde proveniant.

10. Omnis vocum differentia vel ex naturali asperæ arteriæ & laryngis constitutione oritur, vel ex inspirato & exspirato aëre, vel ex modo exspirationis. Ratione asperæ arteriæ & laryngis quæ proveniunt differentiæ, eæ sunt vel ab ejus temperamento, vel ab accidentibus temperamentum consequentibus. Temperamentum verò arteriæ & laryngis vel est humidum, vel siccum, vel calidum, vel frigidum. Accidentia sunt figura, magnitudo lævor, asperitas & similia. A temperamento humido, si est sine affluxu humorum, vox efficitur obscura, confusa; & si cum affluxu humorum, rauca. Temperamentum calidum aut frigidum nullas per se vocis differentias fundant; Sed solùm per accidens, prout calor laryngem vel exsiccat & dilatat, frigus verò constringit & coarctat. Si autem temperamentum fuerit moderatum, vox producitur sonora, dulcis, amœna, blanda & limpida. Differentiæ vocum ab accidentibus tales proveniunt. Cùm figura interior in longitudinem rotunda procurrit, vox efficitur æqualis, sonora non distorta. Magnitudo in meatu arteriæ consideratur, qui si latus sit & amplus, vox redditur gravis & magna: Si angustus: exilis & parva provenit, ut communiter pueri & mulieres habere solent. Lævor vocem levem, puram & blandam; asperitas autem asperam, inæqualem & insuavem reddit. Aër inspiratus & exspiratus est vel tenuis, qui levem; vel crassus, qui gravem vocem reddit, ideò etiam ob asperitatem in hyeme voces sunt graviores, quàm de æstate. Modus ipse exspirandi nempè celeriter & cum copia; Tardè & cum paucitate; vehementer & cum conatu; remissè & sine conatu vocem efficit, gravem, vel acutam, parvam vel magnam, stabilem vel tremulam, & cœt.

Morum & affectionum animi ex voce indicia.

11. A voce ejusque efformatione non admodùm vana dantur morum & internarum affectionum indicia. Quocircà non malè etiam antiquus ille Philosophus, dixit cum naturam cujusdam adolescentis indagare vellet: *Loquere Adolescens, ut te videam.* Sic qui crassam habent vocem, communiter modicum pigri solentes; quia tales aërem non possunt fortiter expellere, alioquin vox esset sonora, itaque habent virtutem debilem, quæ aërem expellit; quæ fit debilis ob crassos ac frigidos humores: Ubi verò sunt ejusmodi humores; ibi communiter pigritia & languor esse solet. *Aristoteles* de voce & conjecturis ex eâ nonnulla haud imperitè conscripsit. Qui magnâ inquit, voce vociferantur, sunt Asinini, contumeliosi & petulantes: arteriam enim magnam habent, multumque aëris emittunt. Tardam vocem habentes, frigidi & sicci, terrestris temperamenti, avari, timidi, abjecti animi & insolentes sunt. Qui gravi incipiunt, acutâ verò desinunt, ad boves referuntur; multùm enim aëris attrahunt & expellunt: indè vox gravis initio & calor collectus expellitur, indè sequitur acumen. Qui acutam, mollem & fractam habent vocem, id est, tardam & remissam, ut mulieres & pueri, blandientes, molles, & effœminati reputantur. Caloris est defectus & humoris excessus: calor exit aut molliter movet, & ab humore obrutus deficit, unde humor calido prædominatur; suntque animi abjecti. Qui magnam & gravem habent vocem, præcipites, audaces, fortes manu prompti & robusti solent esse. Qui magnam & gravem habent vocem, præcipites, audaces, fortes, manu prompti & robusti solent esse, quia vehementer calidi & sicci sunt. Terrestre & siccum gravem fundit vocem: calidum multum impellit velociter aëris, unde vox magna & præcipitans. Qui molli voce, nec contentâ, ad voces refert

fert puerorum & virginum, dum sunt hilares, nec turbati, mansueti, timidi, parum irascuntur, ferunt injurias, sunt temperamenti frigidi & humidi. Qui acutam & densam habent vocem, ad capras refert: iracundi sunt, petulantes, temperamenti calidi ad siccitatem vergentis, melancholiam habent pituitâ mixtam; hinc quia non concordat temperamentum, graveolent. Communiter etiam qui vocem inæqualem habent, malæ sunt constitutionis? quia vocis inæqualitas fit ob inæqualitatem vocalis arteriæ, quæ ex partibus partim excoctis, partim crudis, atque sibi minus convenientibus, quæ malam constitutionem arguunt, enascitur; multùm etiam vigilantium vox esse solet aspera? quia dùm vigilamus, multùm crudi humoris in arteriam vocalem labitur, per quam dum expulsus aër ad vocem formandam decurrit, sonos efficit streperos ad eum modum, quo aqua, dum per saxa minora labitur, etiam strepere solet.

CAPUT V.

Animæ per sensus exteriores facultas Sensitiva exponitur & declaratur.



Vidimus Animæ facultatem vegetativam, qualiter operatur & conservatur in corpore; consequens est, ut & facultatem sensitivam perscrutemur. Est autem sensus nihil aliud, quàm facultas quædam cognoscitiva, quâ anima objecta sensibilia certo quodam organo & modo percipit. Undè præclarè mihi videtur esse dictum à Philosopho *lib. 1. de plant. cap. 1. Sensum esse causam illustrationis vitæ.* Formæ nimirum corporum in tenebris omninò jacent, nec quid in exteriori mundo geratur, anima cognoscere potest. At in sentientibus Natura disposuit quasdam veluti portas irradiationis, per quas extranearum rerum radii excipiuntur, quibus illæ se sentientibus manifestant, ut vel appetantur vel repudientur, motùque se animal iis vel applicet, vel ab iis removeat. Communis sensuum divisio est in Exteriores & Interiores. Illorum sunt quinque *Visus, Auditus, Gustus, Odoratus* & *Tactus*: Horum verò communiter juxta *Aristotelem* enumerantur quatuor; nempe *sensus communis, Imaginativa* sive *Phantasia*, *Aestimativa* & *Memorativa*. Vocantur autem sensus Exteriores, quorum Organum proprium exterius in corpore patet, sicut Interiores, quorum Organum proprium interiùs latet. Nos hoc Capite de sensibus Exterioribus Notatione & admiratione digniora conquirimus, & conquisita breviter in medium ad facillimum captum producere cupimus.

§. I.

De Sensibus Exterioribus in genere.

Sensûs necessitas ad intelligentiam. 1. Sensitivæ facultatis notitia tantò scitu dignior videtur, quantò sensus ad intelligentiam sive intellectum requiritur ampliùs, aut magis est necessarius. *Aristotelis* equidem Axioma est: *nihil esse in intellectu, quod non fuerit priùs in sensu.* Et communiter asserunt Philosophi omnem scientiam à sensibus hauriri. Sensus verò quàmvis jam supra fuerit descriptus à *Cardano* etiam *lib. 8. de variet. cap. 41.* dicatur potentia quædam in corpore animato cognoscens certam habens sedem: ac Doctiss. *Willisio tract. de anim. brut. part. 1. cap. 10.* Facultas percipiendi objecta sensibilia: restrictiore tamen & accuratiore significatione est notitia sive apprehensio objecti sensibilis excitata & acquisita per species ab objecto sensibili profectas & in organo sensorio, sive instrumento sensûs receptas, ab anima verò factâ affectione in cerebro apprehensas & dijudicatas; quæ omnia meliùs in sequentibus intelligentur.

2. Sensus comprimis dupliciter usurpatur *ab Aristotele* & ejus asseclis: primò quidem pro potentia sentiendi, sive pro facultate naturali sensitivâ, quæ proximè competit naturaliter animæ sensitivæ, etiamsi actualis denegetur sensatio, ut in cœco, qui licet sensum visûs actu non habeat, potentiam tamen habet naturalem videndi, tanquam inseparabilem ab animali, & animæ sensitivæ proximè competentem. Secundò sumitur pro ipso actu & operatione sentiendi. *Potentia sentiendi & actualis sensatio.*

3. Ad actualem sensationem duo requiruntur. Primò requiritur incursus & impulsus objecti per species impressas in organum delatas, adeò ut ipsum afficiant & moveant. Unde vulgatum est illud axioma: *Objecta movent sensus.* & *Aristoteles 2. de Anima cap. 5.* omnem sensum in motione, consistere docuit, ajens: *Fit sensus, cùm movetur atque patitur aliquid.* Secundò debet motus ille fieri non solùm in Organo, sed etiam in cerebro, sive impulsus ille ab organo exteriori ad cerebrum usquè propagari debet; quo nimirùm mens, quæ ibi sedem habet, objectum oblatum etiam percipere debet. Undè verum est, quod communiter asserunt Philosophi: *Vere nos non sentire, nisi sentiamus nos sentire.* Quod experientiâ quoquè confirmatur, mente scilicet sopitâ in somno, aut alia contemplatione distractâ, aut in extasi collocatâ, quantumvis oculi sint aperti, & aures arrectæ, nihil tamen visu aut auditu percipi. Ut igitur mens objectum oblatum percipiat, ad illius motum ab objecto exteriori ad sensorium commune spirituum ministerio propagatum attendere, illiùsque impressione affici debet. *Requisita ad actualem sensationem.*

debet. Unde sensatio dici potest perceptio mentis à corporis motu velut monitæ atque excitatæ.

Sensus quomodò sit passio & Actio.

4. Etsi sensus primariò consistere videatur in operatione & actione mentis ad objectum per species communicatum attendentis: necessariò tamen sensum præcedit passio: Siquidem sensatio fieri nequit, nisi objectum agat in instrumenta sensûs, atque adeò nisi ab objecto isto, ejusque speciebus receptis mens cerebro insidens moveatur ad sensationem. Adeóque percipere objectum sensibile nihil aliud esse videtur, quàm cognoscere passionem suam aut actionem, quam in se ab objecto oblato recipit. Quocircà cùm Philosophi disputent: Utrum sensus sit potius Actio, quàm Passio? Responderi potest, sensum & Actionem, atque etiam Passionem dici posse cum diverso respectu. Quatenus enim sensus consideratur respectu suæ causæ remotioris, nempè ratione excitationis & commotionis istius, quâ objectum agit in sensum: tùm utique sensus dici debet Passio, quia patitur ab objecto, sivè ab illo movetur. Quatenus verò illa causa excitans sensum non consideratur, sed jam ipsa perceptio & dijudicatio objecti spectatur, quæ propriissimè est sensus; tùm utique sensus non est Passio, sed Actio.

Sensitiva facultas non potest semper sentire, quod vult.

5. Quia sensus externus præsupponit passionem, ideò sentiens facultas non semper sentire potest quod vult, sed necessariò illud objectum tantùm sentire potest, per quod excitatur, seu à quo species in sensûs organum derivantur. Ex quo patet insignis differentia sensuum exteriorum ab interioribus, quod illi non conservent species, nec absente objecto esse queant; Interiores verò conservare queant species & objecto etiam absente fieri possint. Vide *Cardanum de rerum variet. lib. 8. cap. 41.*

Certa conjunctio aut distantia objecti & sensum requiritur.

6. Ad sentiendum universim requiritur certa quædam conjunctio aut distantia objecti sensibilis & facultatis sentientis, seu sensorii: nimis enim dùm propè est objectum, sentiri non potest, juxta commune Axioma: *Sensibile suprà sensationem positum non facit sensationem*: quod tamen non nulli strictè de sensu visûs intelligendum putant. Rem tamen ità se habere constat Experientiâ, & ratio est: quod principia sensationis debeant conjungi, ut fiat sensatio: Sunt autem hujusmodi conjunctiones ad effectus prærequisitæ, non nisi causæ applicationis. Unde verum est, quod dixit *S. Augustinus*: *Objectum & potentia pariunt notitiam*: at vix rectè intelligi potest quomodò objectum notitiam sensualem pariat, nisi imprimendo aliquid ipsi potentiæ, quo compleatur principium, sensorium, quod debet intrà certam distantiam, aut cum quadam conjunctione fieri.

Quatuor ad sensum requiruntur.

7. Generaliter etiam ad sensum quatuor ista requiruntur, quorum vel uno deficiente sensus fieri nequit. Primum est objectum sensibile. Secundum sensorium sivè instrumentum sensationis. Tertium Medium per quod fit sensus, quod item habet causæ instrumentalis rationem. Denique justa distantia in isto medio. Ex quibus multa licet inferre.

Res immaterialis sentiri non potest.

8. Objectum Sensûs non potest esse res immaterialis: cùm non possit profundere speciem sensibilem. Res enim immaterialis improportionata est, sicut improportionata est species materialis potentiæ spirituali: alioquin Angelus aut spiritus sentire posset. Quod autem ignis infernalis urat animas, singulari virtute divina elevatur ad id præstandum, de qua consuli possunt Theologi.

Substantiæ non sentiuntur.

9. Sensus nequit percipere & sentire substantias quascunque materiales. Substantiæ enim speciem non profundunt, cum nonnisi mediis accidentibus extrà agant. Perceptis autem solis accidentibus arguimus dari substantias, tanquam illorum subjecta. Sicut itaque accidentium proprietas immediata est sensibilitas, ità substantiarum mediata. Neque tamen etiam accidentia omnia immediatè sensibilia sunt: nam magnetis virtutem aliáque hujusmodi accidentia nullo sensu percipimus, sed solùm ex effectibus intellectu arguimus & subinferimus.

Minimum non sentitur.

10. Quamvis res aliqua materialis sit, si tamen minima sit ac penè indivisibilis, sensu nequit percipi; debet enim objectum habere sensibilem quantitatem organo proportionatum. Constat enim experientiâ, quò minus est objectum, eò difficilius percipi. Si itaque minimum sit indivisibile, omninò sensu attigi non valet. Ita mica panis gustari non potest, & minimus atomus gustari nequit.

Nec Universale sentiri potest.

11. Objectum tamen ut sentiatur, debet esse singulare ac individuum, non universale, juxta commune axioma Physicorum. *Sensus est singularium; intellectus universalium.*

Privationes nequeunt sentiri.

12. Privationes, cùm non sint entia, non possunt à sensu percipi, judicare tamen de illis potest sensus sed negativè. Ita tenebræ cùm sint invisibiles, judicat tamen de illis visus negativè, lucem non esse.

Objecti aliquæ distinctiones.

13. Objectum etiam sensitivæ facultatis distinguere solent Philosophi in sensibile vel *per se*, vel *per accidens*. Illud etiam dicunt esse, quod per propriam speciem à se productam & ad sensorium transmissam sentiri potest. Quodque rursus subdividunt *in proprium* & *commune*: Hoc volunt esse quod omnibus aut pluribus sensibus percipi potest; Illud autem, quod ab uno solo quodam sensu sentiri potest; veluti à solo auditu percipitur sonus, à solo visu color & lux, & ita de cœteris.

Sensus non falluntur circa objectum proprium.

14. Certum videtur, quod licet sensus fallantur & fallant, in objecto tamen proprio falli non posse, si præter aptam sensorii constitutionem debitæ sequentes adsint conditiones. 1. Si justa sit distantia inter sensibile & sensorium, inter quam sentiri posse sit possibile. 2. Si Sensibile justam habeat magnitudinem. 3. Si

3. Si sensibile debitum habeat situm; nec extra lineam radiationis aut profusionis specierum collocetur. 4. Si justo tempore & debita morâ ante sensorium commoveatur: nam quæ subitò prætervolant species, sensorium movere non possunt. 5. Si mediocriter & non præter modum ac nimiùm afficiunt sensorium. Undè solem oculis intentis ob nimiam in organo visorio affectionem videre non possumus.

Objectum Commune

15. Objectum Commune est, quod omnibus, vel saltem pluribus objicitur sensibus. Cujusmodi sensibilia objecta sunt quinque, nempe *Magnitudo*, *figura*, *numerus*, *motus* & *quies*. ad hæc cœtera reducuntur, Unitas scilicet ad numerum; situs ad quietem; asperum, læve, acutum ad figuram; æqualitas ad magnitudinem &c. Quomodo autem sensibilia communia sentiantur, duæ sunt præ reliquis sententiæ celebriores. Una *Scoti in 4. dist. 12. q. 3.* docentis: Sensibilia communia propriam sui similitudinem diversam â propriorum sensibilium specie in sensibus producere. Altera communior & *S. Thomæ 1. p. q. 78. a. 3.* asserentis, sensibilia communia peculiares species non injicere sensibus, eòquod nulla sit necessitas tales species adstruendi, cùm objecta propria per se sufficiant ad sese hoc vel illo loco aut *situ*, in hac vel illâ distantiâ figurâ aut magnitudine repræsentandâ ex solo modo, quo in sensorium per proprias species appellant. Vide quæ docui in *Oculo meo Artificiali fund. 1. syntag. 3. cap. 7.*

Objectum per accidens.

16. Objectum sensibile per accidens est id, quod licet in se non percipiatur, est tamen conjunctum cum eo, quod per se percipitur, vel est quod sentitur mediante alio aliquo tanquam effectu aut consequente. Ità spiritus per se sentiri non possunt, ratione tamen effectuum, quos edunt, audiri, palpari &c. atquè ità sentiri dicuntur. Sic etiam dulcedo in lacte per se videri non potest, quia tamen est conjuncta cum lactis albedine, per accidens etiam videri posse dicitur.

Organum sensorium.

17. Sensus omnis requirit Organum sensorium, quo species objectorum recipit & sensationem edere valet. Distinguitur in *proprium* & *Commune*: item *in Adæquatum* & *Inadæquatum*. Proprium est, quod uni tantùm sensui inservit; ut oculus visui, auris auditui, nasus odoratui, lingua gustui, & membra corpori supertensa tactui. Commune est quod ad omnem sensum concurrit; sicut Cerebrum omni sensationi inservit, dum spiritus animales oculis, auribus, naribus, linguæ & membranis communicat. Adæquatum est, quod objectum totum cognoscit: sic ad omnem tactum membrana requiritur. Inadæquatum, quod partem objecti respicit; sicut entis organum, quo qualitates tactiles observamus, quanquam & ibi tactus, ubi entis non est.

Organa duplicia præter linguam.

18. Omnia sensuum organa numero aucta, ac comprimis duplicia sunt ob necessitatem, ne uno organo deperdito statim sensus intereat, præter linguam, quæ gustûs est organum, & unica sive simplex concessa est. Quanquam ut benè notavit *Le Grand Instit. Philosoph. part. 8. cap. 13. num. 3.* Omnes musculi linguam in duas partes tendinoso quodam funiculo secundùm longitudinem partiantur; innuente quodammodo Naturâ, quod sicut aliorum sensuum organa fecit duplicia, ita & isto aliquam geminationem ostenderet.

Sensus plures & pauciores in brutis.

19. Quandoquidem sensus externi animalibus potissimum sunt concessi, ut de necessariis sibi provideat ac prospiciat: hinc concludunt non pauci, propter rerum, quæ ipsis animalibus prodesse aut obesse possunt, varietatem, unumquodque animal pluribus aut paucioribus gaudere sensationibus, imò in quibusdam homines â brutis superari. Quod sanè non absolutè impossibile videtur, ut *Chauvinus in Lex. phil.* tradit, plures sensationes huic vel illi animalis speciei, quam Nobis contigisse, dùm in eorum quibusdam pauciores potentiæ se exerunt, eorum alia contrà talia præsentiunt, quæ nostra comprimis sensoria quinque attingere non poterunt. Ita lumbrici terrestres & reliqua insecta, præsertim testacea pleraque vix tantillum alterius cujusdam sensûs præter tactum commonstrant. Econtrà quædam animalia etiam plures sensus habere inde persuaderi potest, quod eorum nonnulla tempestatum augurio polleant, quo Nos & totum reliquum animale genus destituimur: quædam his molesta, quæ aliis gratissima & viceversâ existunt. Ità quis non suspicetur aliquem sensum specialem in Vespis, muscis, &c. quod in conclave, in quo saccharum, aut mel detinetur, per longè dissita loca & per angustiores fenestrarum rimas ferantur? quis, inquam, non immeritò ambigat peculiarem quandam sensûs speciem ab odore diversam hujusmodi animalibus concessam, præsertim cùm sensibilium horum ad distantiam adeò magnam persæpè contingens impressio naribus minùs proportionata esse videatur.

Causa finalis sensationis.

20. Longè etiam alia, eaque non parum dispar ratio & causa finalis sensitivæ facultatis in brutis animantibus atque homine omnium animalium perfectissimo videtur esse. Sicut enim hic reliquis animalibus longè perfectior est, ita perfectior quoque sentiendi finis eidem competere debet. Illis enim sensus potissimùm datus est causâ salutis tuendæ, atque adeò propter appetitum utilium & fugam noxiorum, ut nempe nutrimenta, quibus vita ipsorum conservari potest, sensibus indagent & exquirant. Homini verò datus est sensus non tantùm propter nutrimenta investiganda, atquè adeò propter persecutionem bonorum, & fugam malorum, sed etiam propter contemplationem, nempe ut per sensum tanquam causam instrumentalem excitetur ad intelligendum: deinde ut adminiculo sensuum colligat varias experientias & observationes, quibus tàm theoricas,

quàm practicas scientias acquirat, secundùm quas consilia & vitam gubernet, tùm in communi, tum etiàm speciali, nempè in oeconomico & politico vitæ genere.

Sensus ab excellenti sensibili læditur.

21. Sensus omnis temperiem quandam requirit, ut ritè sentiat: ab excellenti verò sensibili plurimùm infestatur ac læditur ut constat Experientiâ. Imprimis enim lux nimis excellens, ut in Sole reperitur, organum visûs adurit ac lædit. Nocet quoquè auditui ingens sonus ob vehementem aëris commotionem, quâ vehitur. Olfactui teste *Aristotele lib. 2. de anima cap. 9. text. 99.* nocent odores admodùm graves ob excedentem calorem fumidæ exhalationis, quâ interdum usque ad processus mamillares devehuntur. Denique tactum & gustatum lædunt tactilia & gustatilia propter caloris & frigoris, aliarumque ejusmodi qualitatum exuperantiam.

Animalia in sensatione se invicem superant.

22. Non omnia animalia æqualiter sentiunt in omnibus sensuum organis, sed in sentiendi facultate unum animal alii præcellit in aliquo sensu & sensationis efficaciâ. Sic homo reliquis animantibus tactu, gustuque præcellere dicitur, visu tamen, auditu & olfactu ab aliis superari perhibetur. Aquilæ enim perspicaciùs vident, talpæ acutiùs audiunt, vultures & canes sagaciùs, eminentiúsque odorantur. Sunt qui dicunt hominem etiam gustu à protogeuste Indico animali vinci, item ab araneis tactu: juxtà vulgatum illud carmen:

Nos Aper auditu, Lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcedit aranea tactu.

Docet tamen *Aristoteles* veriùs *lib. 1. hist. Animal. cap. 15. & lib. 2. de Animâ cap. 9. text. 94.* hominem tactu & gustu omnibus præcellere animantibus; causam asserit bonitatem temperamenti in his duobus sensibus in homine. Undè bonitas eorum quoquè sequitur. Quæ verò de aliis animantibus, simiâ scilicet, & araneâ dicuntur magis poëticè, quàm philosophicè dicta censentur. Certè *Albertus M.* in araneâ obscurum, hebetemque tactum agnoscit, quod frigidi sit temperamenti, & viscosâ abundet humiditate, quæ minus perfectum efficiunt tactum.

§. II.

De sensibus externis in Specie: ac comprimis de Visu.

1. De Visu omnium sensuum nobilissimo multa utiliter scienda in medium produci possunt, sed quia in *Oculo meo artificiali* totum hunc sensum ubertim exposui, haud necesse videtur plura hîc repetere & fusiùs declarare. Scitu tantùm digniora breviter libet attingere. Benè describitur visus sivè Visio, quod sit sensatio, quâ ex justâ & variâ nervi optici motione factâ in fundo oculi per lucis radios ab objecto prodeuntes, & in cerebrum ad sensorium commune delata mens rem illuminatam, illiusque quantitatem, qualitatem, & modum percipit. Unde inchoatur quidem visio in ipso organo exteriori, nempè Oculo, & non alibi perficitur quàm in Cerebro, cùm mens objectorum visibilium impressionibus afficitur. Hinc apertis oculis leporum more dormientes radios quidem objectorum in oculo admittunt: non vident tamen, quià mens non attendit, nec percipit quicquam illorum, quæ in organo exteriori contingunt.

Visus, sivè visio quid sit.

Oculus, visûs organum cum suis tunicis & humoribus describitur.

2. Organum visûs est Oculus, cujus fabrica tribus constat membranis, sive tunicis præcipuis, totidèmque humoribus. Membrana omnium durissima, quæque est duræ matris propago, densa est admodùm & firma parte posteriore Sclerotica, seu dura nominatur, uti pars illius anterior Cornea vocitatur ex musculorum tendinibus contexta oculum suæ orbitæ alligat. Secunda oculi membrana ex nervi optici piâ matre, seu tenui tunicâ producta suam ducit orginem, parte sui posteriore Choroides, anteriore Uvea nominatur, eáque cùm sit perforata, foramen illud pupillæ nomen accepit: quæ etiam nigrior in homine ex atro choroidis colore superficies concava fulvo aut alio colore nitet. Tertia Oculi membrana sive tunica Retina seu Reticularis cœteris minor è medullari nervi substantiâ prodit: hæc mucosa in oculi interioris concavi instar chartæ candidæ lumen aut species per pupillam trajectas excipit, eamque esse proprium Visûs organum jam vulgò creditur. Hæc circà humoris crystallini limbum desinit, eàque cum inferioris iridis ora connectitur. Irim vocant fibrarum contextum in orbem aptè dispositum, qui exteriùs circà pupillæ foramen variis distinctus coloribus apparet. Quæ verò crystallinum cingit, & cum retinâ cohæret, nigris velut ciliis compingitur: Unde & processum ciliarem vocant. Humores etiam sunt tres: Aqueus scilicet, Crystallinus & vitreus. Primus, tunicâ corneâ & uveâ inclusus globosam oculi figuram efficit. Spirituosus est, quod acerrimo frigori expositus non congeletur, sectâ tamen corneâ diffluere solet. Crystallinus sive glacialis in medio oculi hæret instar vitri lenticularis, per quem etiam subeuntes radii ab objectis externis propagati post illum concurrunt & imaginem penicillis suis efformant. Substantia illius idcircò est clara & pellucida, ac etiam mollis. ut comprimi aut dilatari facilè possit: ne verò diffluat tenui membranulâ, quam araneam vocant, involvitur. Tertius humor post crystallinum est vitreus in propriâ tenuissimâ tunicellâ, quæ Hyaloides dicitur, contentus reliquam Oculi cavitatem à crystallino intra araneam & retinam occupat. Reliquis humoribus est copiosior, vitróque non dissimilis; Unde & nomen habet: minus etiam fluidus est & magis corpulentus respectu aquei, minùs verò solidus & magis fluidus respectu crystallini: Figura convexo-concavus est cavitate

Crystallino

Cryſtallino ſe conformans, convexitate verò retinam, cui inſidet, adæquans. Accuratiorem Oculi partium deſcriptionem habes *in Oculo meo Artificiali Fund. 1. Synt. 1. capite ſecundo*, vitioſiſſimè tamen impreſſam.

Oculus cur Sphæricus. 3. Oculum ſphæricum meritò Natura effecit, quia ſic & obliquè adventantes recipere, & in omnem partem immoto corpore facilè circumagi poteſt. Convenit etiam poſteriore parte, quâ ſpecies recipit, rotundum fieri, ut ſic omnes radii ſpecierum æquali à cryſtallino humore, diſtarent longitudine. Quamvis oculus etiam rotunditate ſuâ multùm ſpatii perluſtrare poteſt; non poteſt tamen ad amplitudinem ſemicirculi ſivè grad. 180. ſed tantum ad 100. gradus Horizontem videre.

Nervus animaſticus & opticus. 4. Sicut pomum aliquod è ſtylo enaſcitur, ſic oculus è duobus nervis, tanquàm pedunculis, ſtyliſque in cavernam ſuam proſerpit. Horum nervorum unus dicitur *Animaſticus, communis, Arterialis vel Notorius*, eſtque minor: alter ab officio vocatur *Opticus*, & major eſt. Prior Animaſticus è cerebro per oſſis ocularis magnum & obliquum foramen inſpicienti directè oppoſitùm ingreſſus muſculos oculi diſperſis ramulis ingreditur, eoſque primum conſtituit in tendines atque tenues membranas deſinentes, quibus ipſam oculi tunicam conſolidativam mordicus apprehendit, non tantum à tergo undiquaque circa nervum alterum Opticum explicatus, ſed etiam in anteriora proreptando usque ad ipſum Oculi Solem, ſivè iridem, atque adeò corneæ ambitum, in quem etiam aut omninò deſinit aut potiùs coaleſcit. Alter nervus Opticus ſeu Viſorius dictus, ex quo interior oculi ſubſtantia tanquam nucleus è caule pronaſcitur, immediatè ex cerebro tanquam communi ſentiendi principio derivatur, conſtatque duabus meningibus, *Durâ*, ſcilicet & *Pia Matre*, ac ipsâ cerebri medullâ, undè per anguſtos calvariæ, ſivè cranii meatus intra frontis & naſi promontorium tereti canali deſcendens, tandem ex latere ejusdem naſi haud procul à foramine nervi animaſtici per propriam atque rotundam cavitatem erumpit, ac in diverſas tunicas ſe ſe explicat. Quamvis verò uterque nervus opticus utriùsque oculi in uno foramine concurrant, non tamen hoc ita contingit, ut in unam ſubſtantiam coaleſcant, ſed tantùm, ut ſe mutuò contingant ſicut accuratior Anatomia docuit.

Muſculi in oculo. 5. Muſculorum, quos Nervus Animaſticus ingreditur, eoſque conſtituit, officium eſt, motum aptum quaquaverſus oculo conciliare. Numerus horum controvertitur. Aliqui aſſignant ſex, alii ſeptem, nonnulli ultrà ſeptem afferunt. *Carolus Sponius in Myologiâ* verſibus ſequentibus ſex ita deſcribit.

Nec verò geminis quaſi ſoles corporis hujus
Deſtituuntur equis, quorum moderamine currunt.
Sex numerantur enim, duo Limi & bis duo Recti.
Limi ſidereum lepidâ vertigine bulbum
Circumagunt & Amatorum cognomine gaudent.
Quorum unus major, trochleariſq́ue; at Minor alter.
Sunt autem Recti: Suſtollens ſivè Superbus,
Quo duce notitiam patriæ cœleſtis habemus:
Dein Humilis terram demiſſo lumine figens:
Sed Lectorius ac Indignatorius, ambo
Efficiunt, ut utrumque oculus declinet ad hirquum.

Muſculorum verò originem & inſertionem aliis verſibus Sapphicis *Idem Sponius* ità decantat.

Muſculis rectis oculi dant ortum
Orbitæ conus; ligulæ at ſupremæ
In plagam bulbi variè inſeruntur
Anteriorem.

Major obliquus trochleator audit
Oſſe Sphenoide oriundus, intra
Orbitæ fundum, penetratq́ue ad hirquum
Nomine Magnum.

Poſteà in chordam gracilem faceſſit
Proximam, quæ per cochleam voluta,
Corneam membranam oculi pateſcit
Ad latus hærens.

Sed minor Limus ſolet exoriri
Orbitæ infernâ ab regione & ante
Quæ genæ exilis duo rima quædam
Oſſa maritat.

Tendinem porrò camuram reflectens
Angulum verſus properat minorem:
Tum ſupergreſſus ſpatii, quid ultrà
ire recuſat.

6. Situs oculorum maximè congruus eſt; primò propter debitam inter ſe diſtantiam; quæ ſi minor foret, non ritè cerni poſſent objecta lateralia; ſi verò major; non tam commodè in ejusdem rei intuitu conſentirent. Secundò quod ſint in æquilibrio poſiti, ita ut radiorum ab objecto unico vibrationes per filamenta nervorum opticorum homologa (quæ nempè ad amuſſim ſibi mutuò reſpondent) ad cerebrum traducantur, indeque anima noſtra (veluti cum duæ cytharæ chordæ uniſonæ ſimùl pulſantur, ut inquit *Guilielmus Brigges ophthalmograph. cap. 1.*) unicum tantum motum perſentiſcit: Ita porrò nervi motorii verſùs origines ſuas ſociati ad oculos deferuntur, ut uno oculo moto alter ſtatim in eandem cœli plagam collimet. Situs oculorum.

Optima Ocularium partium constitutio pro visûs efficacia.

7. Aptissima ocularis fabricæ conformatio ad bene videndum à multis commendatur & probatur: *comprimis* autem *à quantitate mediocri*, cum nempè oculi optimâ proportione capiti conformantur, nec justò majores aut minores existunt. *Secundò à colore*: si fuerit medius scilicet inter glaucum & nigrum. *Tertiò à situ*: cum nempè profundè nonnihil reconditi fuerint oculi. *Quartò à formâ & figurâ* partium ocularium, ut si pupilla fuerit parva, humores, præcipuè crystallinus perfectæ sphæricitatis &c. *Quintò à sanitate puritate & perspicuitate* partium diaphanarum, per quas species & formæ rerum trajiciuntur. *6. à prompto musculorum officio. Septimò à moderatâ puriorum Spirituum copiâ*, ne scilicet eorum multitudine obruantur, indeque organum nimium incalescat, & quasi inflammetur; neque etiam defectu illorum aut inopiâ, item tenuitate aut impuritate visus deficiat.

Visûs objectum proprium & commune.

8. Proprium & adæquatum Visûs objectum communiter ab omnibus statuitur duplex, Lux scilicet & color. Hæc enim duo Visu percipimus solo. Lucem aliqui dicunt Formale, & colorem Materiale objectum, non quod color reverà in se non percipiatur, sed quod sine luce actu tanquam informante color non videatur. Lux autem tanquam formale aptum est de se potentiam visivam informare. Objecti communis, quod scilicet ab aliis etiam sensibus attingi potest, *Aristoteles libro secundo de Animâ capite sexto* species quinque enumerat, quæ sunt: *Modus, Quies, Numerus, figura & magnitudo.* Alii statuunt esse novem: Ut sequentes docent versus.

> *Sunt objecta novem Visûs communia: Quantum,*
> *Inde figura, locus, sequitur distantia, Situs,*
> *Continuumque & Discretum, motusque, quiesque.*

De luce & lumine, coloribus, item eorum affectionibus & proprietatibus multa protuli *in Oculo meo Artif. Fund. 1. Synt. 2.* Videatur & *Vopiscus Fortunatus Plempius Ophthalmog. lib. 2.* & plures alii.

9. Objectum Visibile non immediatè per se, sed mediatè per species, sivè imagines à se præcisas & derivatas, atque in Organum Visorium delatas cum visivâ potentia ad actum videndi concurrit. Species ergò est tales objecti imagines, quæ ejus formam ac figuram propriaque lineamenta continent. Hæ verò species à coloribus producuntur ad eum modum, quo lumen à luce: sicuti enim lumen à corpore lucido perpetuo fluxu emanat, sine ullâ diminutione corporis lucidi, sic dimanant à corporibus species visibiles objecto per illuminationem excitato & colorato.

Visibilium specierum affectiones

10. Præcipuas specierum visibilium affectiones, quas alii fusiùs exponunt, nos hic brevissimè tantùm indicamus, eæque sunt, ut sequuntur. I. Species visibiles per totam Sphæram activitatis extensæ producuntur immediatè ab objecto visibili II. Species semper lineis brevissimis, sivè rectis ab objecto emanant. III. A qualibet parte rei visibilis in quamlibet medii diaphani partem specierum fit ejaculatio, idque in momento. IV. Objectorum contrariorum species visibiles inter se contrariæ non sunt. V. Unde etiam species diversorum objectorum ad eandem partem medii ita conveniunt, ut tamen in unam speciem minimè coalescant. VI. Unaquæque pars speciei ordinem habet & connexionem cum certis & definitis objecti partibus, quas singulæ repræsentant, non cum aliis. VII. Speciebus haud secus ac luci repercussio seu reflexio & refractio sivè infractio accidit. VIII. Species diversa media cum transeunt, colores mediorum induunt. IX. Species lucidæ, dum valdè sunt exiles, degenerant in colorem cæruleum: ita cœlum; montes è longinquo & sylvæ colorem induunt cæruleum. X. Species rerum verè sunt & propriè visibiles XI. Longiùs provectæ species sensim languescunt. XII. Sublato objecto species, ne momento quidem temporis in subjecto perseverant.

Visio fit per receptionem specierum

11. Visionem ipsam quod attinet, non ea fit per extramissionem radiorum, sed ut ex dictis jam colligi potest, per receptionem specierum in oculo; cum nempè exacta objecti imago per species delata in fundo Oculi, sivè tunicâ reticulari radiis scilicet instar penicilli collectis depicta exprimitur: Cujus veram idæam & typum præbet commune Specierum phænomenon in camerâ obscura expressum de quo consule *Oculum meum Artif. Fund. 1. Synt. 3. capite quinto.*

Visio fit in anima mediante organo.

12. Ex dictis etiam adverti potest, quod actus videndi non subjectetur in solâ animâ, quia exercetur per Organum corporeum; neque sit subjectivè in solo corpore, quia non esset vitalis: neque sit in utroque simul, quia idem accidens esset in duobus subjectis: sed quod sit in anima mediante organo corporeo.

13. Videndi fecultas, seu potiùs anima in cerebro residens objecta visibilia ita apprehendit, discernit, & judicat, prout eorum radii sub certis angulis ad organum visorium deferuntur. Hinc objecta majora vel minora apprehendit, prout sub majore vel minore angulo Visûs organo offeruntur. Quocircà etiam quò res à nobis magis recedit, eò minor apparet, & quò magis accedit, nobisque propiùs admovetur, major: eoquòd objectum, quò ampliùs à nobis removetur, eò acutiore, minoreque angulo appareat, atque minorem affectionem imprimat.

Presbytarum & Myopum visus.

14. Cur aliquorum visus longiùs remota cernant meliùs & acutiùs, quàm propinqua: qualem visum habentes communiter *Presbytæ* vocantur, & seniores habere comperiuntur: aliorum econtrà propinqua meliùs cernant quàm remota: cujus etiam visûs homines *Myopes* dici solent: Causa non in ipsa cernendi facultate, sed organi ejusque partium aptitudine ac constitutione

stitutione sita est, & quidem in diversitate humoris crystallini, vel retinæ majoris aut minoris ab eodem remotione. Presbytis enim planior est humor crystallinus, aut retina ad eundem propinquior: Myopibus verò globosior prædictus humor aut retina ab eodem remotior: Illi etiam juvantur perspicillis convexis; hi concavis. Vide *Ocul. Art. Fund. 1. Synt. 2. cap. 8.*

Motus Spirituum animalium quid faciat.

15. Spiritus quoque Animales, qui necessariò ad Visionem requiruntur, multùm præstant ad actum videndi meliorem: blandus enim & æquabilis eorum motus in musculos & nervum opticum efficit, ut res distinctè apprehendi & percipi queant: Ubi verò (ut in ebriis & maniacis) inæquali motu & desultorio cientur, statim confusa admodùm rerum phasmata produci solent. Ab eâdem causâ dependet alteratio illa à primo Nicotianæ haustu, navigatione, gyratione & ejusmodi actionibus, quatenus Spiritus in motum insuitatum & præruptum concitantur, adeoque musculi in varias partes contorquentur, ut radii proindè ab objectis provenientes modo instabili, nunc in hæc, nunc in illa retinæ filamenta vibrari, indeque inepto quodam modo per spiritus animæ in cerebro communicari debeant.

Spirituum animalium quantitas.

16. Sicut verò motus, ita etiam debita Spirituum animalium quantitas (quâ nempè tunicæ oculi ritè tensæ & visioni accomodæ conserventur) ad objecti sensationem meliùs producendam haud dubiè requiritur. Hinc quorum oculi magnâ Spirituum animalium penu replentur, optimè vident: eorum verò defectu (ut in senibus versùs crepusculum comprimis accidit propter flaccidam tunicarum indolem) malè omnia distinguuntur: dum interim juvenes eadem satis benè dignoscere valent, cum eorum oculi perenni Spitituum animalium copiâ inflentur. Idcircò etiam uberiorem sanguinis emissionem in venæ sectione multum oculis obesse demonstrat *Plempius ophthalmog. lib. 4. probl. 73.* ajens. *Nimirum uberi ad visionem acrem opus est Spiritu; hic pro vehiculo habet sanguinem; atque excusso vehiculo etiam id, quod vehitur, excuti, deturbarique necesse est. Certè per largas sanguinis evacuationes oculos Spiritibus orbari, ipsis nostris oculis est manifestum. Videmus enim illos; quibus nimium iste vitæ thesaurus exhaustus est, oculis esse obscuris, nullo splendore, nullâ luce, nullo igne micantibus: id quod non aliundè, quàm ex spirituum defectione venit: ab his enim & splendor ille & lux & ignis, qui ex oculis emicat, proficiscitur.*

Proportio inter Spirituum & radiorum motum.

17. Præter motum debitum & prædictam Spirituum animalium quantitatem; certam etiam quandam proportionem, seu analogiam inter spirituum & radiorum ab objecto profluentium motum ad perfectam visionem requiri docet *Guilielmus Brigges ophthalmogr. cap. 5.* *Dum enim radiorum vibrationes* (inquit) *Spirituum animalium motui præpollent, visionis munus non ritè exercetur. Hinc sanè è loco obscuro egressi Lucis radios ægrè intuemur, quatenus Spiritus animales tardiùs & remissiùs in tenebris agitati radiorum impetum statim sustinere nequeunt, donec recollectis viribus more quodam ealstico resiliant, & à prædictis forsan radiis in motum rapidiorem concitentur.* Sed vide plura circa hanc proportionem requisitam apud *eundem loc. cit.*

Visum adjuvantia & depravantia.

18. Sicut multa sunt, quæ videndi facultatem promovent, eandem adjuvant, & confortant: Ita etiam multa sunt, quæ eandem imminuunt, depravant, aut omninò tollunt. Et sicut in aptâ organi visorii, ejusque partium dispositione & constitutione blando Spirituum motu & benignis aliis accidentibus visus præstat, constat, multumque excellit: ità econtrà ex ineptâ organi visorii, seu oculi ejusque partium dispositione & constitutione, earundem morbis & malignis accidentibus, uti & ex quocunque opticorum Spirituum vitio visus etiam imminuitur, plurimùm læditur aut omninò depravatur. Circà hanc Visus imminutionem & depravationem videri potest *cap. 6. Erotema 12. in Oculo meo Artif. Fund. 1. Synt. 1.* Quia verò ibidem tabulam collocavi, quæ mendis typographicis multùm deformata & deturpata est; quæque eorum omnium tam quæ visum acuunt & confortant, quàm etiam eundem imminuunt & depravant, compendiosam exhibet doctrinam, eam hìc à mendis repurgatam Curioso Lectori correctiorem denuò proponere libuit.

Tabula

TABULA SYNOPTICA.

Rerum Naturalium, quæ in ſpecie comprimis Viſum acuunt, roborant & confortant: aut eundem debilitant, lædunt, imminuunt & depravant.

	Viſum acuunt, confortant, & roborant.	Debilitant, imminuunt, & depravant.
Anni partes	Ver. & Æſtas.	Autumnus. & Hyems.
Temp° diurnum.	Pomeridianum. Veſpertinum.	Noctúrnum. Matutinum.
Aëris diſpoſitio.	Temperies grata, ſicca, tranquilla, ſerenitas maximè poſt pluvias. Nubes albæ; raræ, rubeſcentes. Venti moderati, ſicci.	Intemperies humida, æſtuoſa, aut nimium frigida. Caligo, Nebulæ, pluviæ, nubes denſæ, nimbi, turbines, venti validi. Nives.
Influxus Aſtralis.	Genitura in prima domo habens ♃. aut ♀. aut ☽. in corde ♏.	Genitura tempore & horâ Eclipſeos, vel habens in prima domo ☉. ☿. ☽. ♂. Si ☽. vacua in Pleiadibus, aut à ♂. vel ♄. percuſſa: cœcitatem cauſat. Aliàs ♃. in ♎. & ♑. item ☿. in ♋. viſum debilitant.
Ætates	Juvenilis, & Virilis ad Annum circiter 45. Inde viſus incipit deficere.	Infantilis, puerilis, ſenilis & decrepita.
Animi pathemata.	Lætitia, Hilaritas moderata. Amor, Audacia. Spes. Concupiſcentia. Ardens invidia.	Triſtitia. Melancholia. Ira vehementior, Timor. Puſillanimitas.
Corporis actiones.	Labores & exercitia moderata. Ablutio crebra oculorum cum frigidâ aut tepidâ aquâ. Frontis fricatio. Intuitus in viridia. Helicanthari ſivè aureo-viridis Scarabæi aſpectus frequentior.	Balnea frequentiora. Venus immodica. Potationes crebræ. Vigiliæ nimiæ. Ploratus. Sternutatio crebra. Vomitus frequentes. Larga narium hæmorrhagia. Copioſior ſanguinis effuſio aut è venis emiſſio. Obtutus fixus & continuus. Labor immodicus. Somnus pomeridianus.
Potus.	Aquæ limpidæ claræ.	Cereviſiæ lupulo multùm conditæ. vini intemperantior.
Cibi	Tenues, boni ſucci. Carnes ficedularum, picarum, hirundinum, anſerum, avium rapacium. Viperarum, lupinæ & hœdinæ. particula Valerianæ ſub lingua tenta. ruta in cibo & potu aſſumpta.	Craſſi, viſcoſi, acres, flatulenti, acetoſi. Panis calens. Legumina omnis generis. Barbi fluviatiles, cancri, farcimina omnia capita gallinarum. Lacticinia. Ova in butyro frixa.
Facultates.	Retentrix. Naturalis. Coctrix. Vitalis. animalis.	Expultrix. Generativa.
Colores	Viridis. cæruleus. flaveſcens. gratè purpureus. Cyanæus. roſeus.	Rubeus. flammeus. nimium coruſcus. lucidus aut ſplendidus. albus. niger fuſcus.
Odores.	Suavis. fragrans. Aromaticus. exhilarans.	Fœtidus. Narcoticus. Acris.
Sapores	Aqueus. pinguis, dulcis. acutè gratus. temperatè ſalſus.	Acerbus. auſterus. amarus. vehementer acris. ſalſus. acidus.
Herbarum radices.	Fœniculi. Chelidonji majoris. Valerianæ. malvæ ☉ ingrediente ♍ effoſſæ & appenſæ ad tollendam epiphoram. Hieracii amuleticè appenſi. Anemonis radix emplaſtrata. Acontici pardalianchis	Ceparum. porri, allii.

Viſum

	Visum acuunt, confortant, & roborant.	Debilitant, imminuunt, & depravant.
Plantæ. Folia.	Euphrasiæ vino immensæ. Chelidonii majoris. Fœniculi. Anisi. Hieracii. Rorismarini. Rutæ. Centaurei minoris. Salviæ. Majoranæ. Betonicæ. Serpilli pimpinellæ.	Lactucæ crebriùs comestæ. Nasturtii. Brassicæ.
Flores.	Potentillæ. Betonicæ. Cichorii ⊙. ingrediente Sign. ♌. collecti. Cyani. Euphrasiæ. Chelidonii. Calendulæ. Tormentillæ. Satureiæ. Hieracii. Asteris attici. Rosarum. Scabiosæ. Calthæ. Borraginis. Rorismarini. Portulacæ.	
Semina	Anisi. Fœniculi. Rutæ. Sileris montani. Raparum. Raphani. Grana nigra Herbæ paris, seu aconiti salutiferi. Hyoscyami semen cum farina impositum.	Lentium. fabarum, & omnium ferè leguminum. Nasturtii. Anethi. Cannabis, Sinapis.
Fructus	Solani. Haliacacabi sivè Ceraforum Judaicorum. Item 5. vel 7. grana juniperi manè & vesperi comesta.	Nuces juglandes. Avellanæ. Castaneæ. Tubera. Fungi.
Liquores, succi, olea & Salia.	Hieracii. Euphrasiæ. Betonicæ. Anisi. Chelidonii. Verbenæ. Rosarum. Cichorii. Rutæ. Oleum myrrhæ. Succini. Serapini. Oppoponacis. Quinta essentia Chelidonii. Sal absynthii. Sanguis hirundinis aut columbæ, præsertim sub alâ dextrâ oculis illitus. Sicut & fel grunum, perdicum, noctuæ, cujus & pinguedo salutaris.	Acetum & omnes liquores acres acetosi, nimium constringentes & exasperantes.
Ligna, Gummi & resina.	Guiacum. Santalum. Aqua rosacea, in qua thus extinctum, idque post vigesimam accensionem.	Fumus ex quibuslibet lignis, præsertim viridibus & resinis omnibus nimiùm effumantibus. Occœcat penitùs fumus ex pulvere Euphorbii, piperis, calcis vivæ, cineris sarmentorum & arsenici sublimati præparatus.
Aromata.	Nux moschata. Macis. Nux indica. Cariophylli. Cinnamomum. Xilöalöes	Zingiber. Piper.
Lapides	Smaragdus. Sapphirus. Achates. Iris. Beloculus.	Calx viva. Gypsum. pulvis quilibet exasperans oculis injectus.

Indicia propensionum internarum ex oculis.

19. Illud prætereundum non est, cum de visu ejusque organo notabiliora conquirimus, in nullâ corporis humani parte plura, eaque certiora interioris animæ constitutionis ejusque propensionum & inclinationum indicia præberi, quàm in oculis: ita ut sicut mens humana ex ipsis sumit rerum externarum notitias, & scientiarum haurit fontes ac semina, ita & per ipsos tanquam fenestras, per quas mens exspicit, etiam hujus interiora vicissim inspicere & perlustrare valemus. Ut bene etiam his versibus indicare voluit *Martialis*, dum cecinit:

Est speculum mentis facies, oculique revelant
Quales sint intùs mens animusque viri.

Antiquus etiam naturæ intimæ Scrutator *Plinius lib. 11. cap. 37.* de oculis *scribit*, *Neque ullâ ex parte majora animi indicia cunctis animalibus, sed homini maximè id est moderationis, clementiæ, misericordiæ, odii, amoris, tristitiæ.* Rectè quoque *Cicero*: *Animi*, inquit, *est omnis actio & imago animi vultus est, indices oculi. Nam hæc est una pars corporis, quæ quot animi motus sunt, tot significationibus possit efficere.* Quod etiam Medicorum ille Princeps *Hippocrates* observavit, ubi dixit: *Oculi ut valent, ita & totum corpus.* Plura ejusmodi testimonia non tantum à prophanâ, sed etiam sacrâ authoritate petita videbit Lector *in oculo meo Artif. Fund. 1. Synt. 1. cap. 6. Erotem. 7.* Cum rationibus etiam ibidem adductis. Et certe Magistra rerum experientia docuit jam dudum mentis imaginem ex oculis conjicere, virtutes & vitia divinare, iratum vel propitium, lætum aut tristem animum perspicere. Sic Luscos, pœtos, strabones, & qui obliquo sidere, limisque obtuentur oculis, nemò

nemo facilè ſinceros, atque omninò integros vitæ ſceleriſque puros comprobabit; Vitium ſiquidem in oculis, quoniam circà cerebrum mentis domicilium vel potiùs regiam conſiſtit, uti foris nonnihil oculos deformat, ita animum quoque quibusdam vitioſis affectibus imbuere poſſe non vano prorſùs arbitratu conjici poteſt. Plura alia, quæ ex oculorum inſpectione de internis animæ affectionibus & propenſionibus, aliiſque curioſè ſciendis inclinationibus & accidentibus conjectari poſſunt, in præſenti Tabulâ Ophthalmoſcopicâ videri poſſunt, quàm à pluribus mendis, vitiiſque typographicis, quibus in *ſupracit. loco Oculi mei Artificialis* referta proſtat, repurgatam & emendatam hic denuò Curioſo Lectori proponere libuit.

Tabula Ophthalmoſcopica

§. III.

De Auditu & Auditione.

Auditus & Auditio quid ſit.

1. Auditus eſt alter ſenſus externus auris beneficio ſoni ſpecies recipiens & cognoſcens. Auditio verò eſt ſenſatio illa, quâ ex juſto fibrillarum nervi auditorii motu auribus impreſſo, & in cerebrum ad commune ſenſorium delato mens ſonos percipit & de iis judicat. Undè auditio, quemadmodum quævis alia ſenſatio externa nititur operâ & corporis & mentis: atque præter affectionem ipſius mentis, corporis quoque actionem neceſſariò includit, aut præſupponit.

Auditus diſciplinæ ſenſus.

2. Sicut Viſus *Inventionis*, ita Auditus *Diſciplinæ* dicitur ſenſus ab *Ariſtotele lib. de ſenſu & ſenſili cap.* 2. plurimùm enim conducit ad artes & ſcientias per ipſum tanquam magiſtrum comparandas: nec minus etiam animalibus, quàm homini videtur neceſſarius. Nam cùm multa animalib' occurrere poſſint, quæ illa lædere, & offendere poſſint, Auditum ipſis natura largita eſt, quo admoneantur hoſtilia & inimica ſibiq; incongrua fugere; grata verò & benefica quærere & proſequi. Unde etiam benè *Ariſtoteles l.* 3. *de Anima c.* 13. *text.* 68. Auditum *animantibus Natura dedit, ut aliquid ſibi ipſa ſignificent.* Animantia quoque ea, quæ Auditu carent (cujusmodi creduntur eſſe Mytili, oſtrea, omniàque durâ teſtâ tecta) omnis diſciplinæ expertia, nec facilè injuriis & incommodis, quæ fugere debeant, obnoxia comperiuntur. Excellentior autem homini, quàm aliis quibusvis animalibus convenit Auditus non ad intellectum & Sapientiam tantùm homini magis proprium, & ad omnis doctrinæ atque divinorum, humanorumque præceptorum partem auribus capeſſendam, ut nulli ſenſuum plùs debeamus: Sed etiam hoc excellentiam illius comendat, quod omnium ſenſuum minimè nos lædat, & ſolus animam pariter & corpus exhilaret, & quamvis ſupra modum eodem delectemur, nullâ tamen labe nos contaminet.

Sonus quid ſit.

3. Auditûs organum, quod Auris dicitur, duas comprimis partes habet; Externam & Internam. Illa exteriùs in capite prominet, Sphæramque habet inæqualem, vanno haud abſimilis, diciturque aliàs Auricula, quæ partes cum toto communes habet muſculos ſcilicet, glandulas, cartilaginem & vaſa: has partes ſuccinctè deſcriptas vide *in Lexico Philoſ. Chauvini.* Interna auris intra oſſis petroſi ſinus latet, principium ſuum habens, ubi os excavari incipit & in quatuor cavitates diſtinguitur, quas *Idem Chauvinus loc. cit.* quoque breviter & benè deſcribit. Sed ut quàm breviſſimè Auditûs organum exponamus: Auricula exterior à naturâ inſtituta eſt ad ſonum colligendum, & primos ejus appulſus excipiendos ex pinnâ & lobo conſtat: Hæc pars ſatis latam circumferentiam habens paulatim coarctatur, donec in cavitatem deſinat. Cavitatem exteriorem excipit meatus, ſeu ſpecus vel antrum auditorium diverſis anfractibus tortuoſum, quatenus ſonus, qui aëre vehitur, eos penetrando intendatur & per varias fractiones augeatur. Hoc flexuoſum antrum ducit ad membranam tenuiſſimam & ſicciſſimam, quam circulus oſſeus terminat, diciturque communiter *Tympanum*, eoquòd aëris appulſum obliquè excipiat, & à ſono verberetur; juxta verò illud tria oſſicula cum muſculo annectuntur, quæ dicuntur malleus, incus, & ſtapes invicemque ad uſum, quem præſtare debent, aptiſſimè connectuntur: Malleus nempè incudi inarticulatur & incus ſtapeti. Tribus etiam oſſiculis hoc ſpecialiter convenire dicunt, quod cum cœtera humani corporis oſſa cum ætate, & totius corporis mole paulatim creſcant, tria tamen illa oſſicula omne ſtatim incrementum in primâ pueritiâ capiunt, nec majora in viris, quàm in pueris cernantur, ut notavit *Fallopius lib.* 1. *cap.* 6. Antrum verò, in quo prædicta oſſicula reperiuntur, à quibusdam concha, ab aliis pelvis vocari ſolet. Satis autem eſt amplum & quaſi rotundum, ex quo ad innumeras cavernulas via ducitur. Anatomici exactiores dividunt antrum iſtud in tres cavernulas, ſeu ſinus & antra: Primam cavernulam vocant Concham ſeu pelvim, quod in modum conchæ, ſeu pelvis excavata ſit; alteram propter varios cuniculos, quibus conſtat, labyrinthum & fodinam; Tertiam cochleam & buccinam, quod in buccinæ modum recurva atque contorta ſit. *Veſalius* vocat Antrum buccinoſum, ſicut autem Viſûs organum pluribus tunicis & humoribus conſtat, ut objectorum ſpecies ibidem diverſimodè refringantur, quousque tandem ità refractæ debitè ad retinam concurrunt, ibique diſtinctam præſentent imaginem: ita pariter ſonus cochleæ infunditur, perque cuniculos & ambages illas circumductus flectitur & reflectitur, ſicq; feſſus, fractus & modulatus ad ultimam cochleæ cavitatem tam molliter appellit, ut nulla inſignis Echo (niſi validiſſimus ſit ſonus) à cavitate illa reſiliat, qui audiendi actionem obturbet. Prolixiorem & accuratiorem Auditûs organi deſcriptionẽ videre licet apud

TABULA OPHTHALMO-SCOPICA ex inspectione Oculorum [illegible] & Temperamenti eorum, Animi quoque passionum, propensionumque atque morum; Item valetudinis bo[illegible] el malæ; vitæ aut mortis indicia exhibens.

Visus & temperamenti Oculorum.	Signa.
Visus optimi.	Cilia nigra. Palpebræ rectæ, magnæ, crassæ. Pupillæ parvæ. Oculi concavi, retracti. Colore Cæsii aut caprini. Moderata Spirituum copia.
Hebetioris.	* Cilia revulsa, procidentia, obliqua ta. Palpebræ tenuiores, & breviores. Pupillæ magnæ. Oculi prosilientes. Somnus multus.
Oculi benè temperati.	* Proportio cum capite. Mediocris existentia & mobilitas. Spiritus moderati.
Calidi.	* Forma eminentior. Splendor, à Spiritibus turgescentia. Longior prospectus. Visio exacta. Inconstantia, Versatilitas. Pauca excrementa, Caloris intolerantia.
Frigidi.	* Impressio profundior. Rigor, Stabilitas. Minor prospectus. Frigoris intolerantia.
Humidi.	* Grossities. Magnitudo carnosa. Turgescentia. Excrementa multa.
Sicci.	* Signa contraria humidis.

Supercilia. Ciliâ, seu palpebræ.	Significant.
Supercilia densa, pilosa.	Ineptè loquaces, tristes, cogitabundos.
Ambo conjuncta.	* Impios, fures, deceptores.
Depilia.	* Luem Veneream, sanguinis intemperiem, imbecillitatem.
Cum expansâ planitie.	* Tristes, ineptos ad magna. Simulatores.
Arcuata.	* Arrogantes, iracundos, audaces, subtiles, studiosos.
Recta.	* Imbecilles, timidos, fœmineos.
Flexa ad nares.	* Audaces. Austeros.
Flexa ad tempora.	* Derisores, Fatuos.
Demissa.	* Invidos, tristes.
Elata.	* Superbos, arrogantes.
Brevia.	* Abjectos.
Oblooga.	* Superbos, inverecundos.
Rara, commensurata magna.	* Temperiem bonam. Dociles, ingeniosos.
Cilia densa hirto crine.	* Solitarios, tristes.
Defluentia.	* Salaces, lascivos.
Nigra.	* Constantes.
Solida.	* Indolem bonam.
Majora.	* Longiùs videntes.
Carnosa.	* Astutos, callidos.
Eminentia.	* Insolentes.
Tumida & sufflata.	* Somnolentos, Vinosos.
Declinantia inferiùs cum rubedine.	* Potatores, Vinosos.
Cum vesiculis tumentibus.	* Ebriosos.
Rubescentia.	* Inverecundos.
Arcuata cum venis sanguineis circa angulos.	* Mendaces, * callidos, lascivos, timidos.
Subtilia tenuia.	* Cholericos.

Oculi per se.	Significant.
Magni.	* Pigros, ignavos, tardos.
Magni, fulgidi, rotundi.	* Fortes, generosos.
Parvi.	* Ingeniosos, astutos timidos, avaros. Lascivos.
Mediocres proportionati.	* Curiales, fideles, boni intellectûs.
Prominentes.	* Stupidos, fatuos, simplices.
Sublati in altum.	* Vanos, stolidos, feroces.
Deorsum quasi decidentes.	* Implacabiles, immites.
Retorti ad dextram.	* Stultos.
Ad sinistram.	* Lascivos.
Stantes, fixi.	* Cogitabundos, anxios, deceptores.
Lati.	* Corporis humidatem.
Sicci, splendentes.	* Ingeniosos.
Fulgentes, proportionati.	* Optimos.
Ignei, splendentes, lucidi.	* Lascivos, temerarios, insidiatores.
Ridentes.	* Adulatores, detractores, Lascivos.
Illacrymantes.	* Timidos, melancholicos.
Gratiosè & diffusè intuentes.	* Effœminatos, lascivos.
Valdè aperti.	* Impudentes
Aperti in somno.	* Timidos.
Demissi.	* Verecundos, tristes.
Concavi & retracti.	* Perspicaces, maleficos.
Cum siccitate.	* Infideles, proditores.
Cum humiditate.	* Probos, ingeniosos.
Modesti compositi.	* Graves, optimos, tranquillos.
Obliqui, strabi.	* Deceptores, callidos.
Patuli, trementes.	* Fraudulentos.

Oculorum colores.	Significant.
Albi.	* Frig[illegible]
Nigri.	* Mansue[illegible]
Valdè nigri.	* Timidos, [illegible]losos, cal[illegible]
Aquili sivè aquatici,	* Simplic[illegible] stolidos.
Flavi.	* Ingeniosos, audaces, [illegible]es, bib[illegible]
Charopi, sive fulvi.	* Agrestes, [illegible] bustos,
Glauci & crocei,	* Crudeles, [illegible] vos,
Glauci & sicci.	* Timidos,
Cæsii cum parvis pupillis.	* Injustos, [illegible] si pelles, [illegible] ros,
Subrubentes,	* Iracundos, impudentes, stupidos.
Rubri cum humiditate.	* Ebrios, vinosos.
Valde rubri & sicci.	* Iracundos.
Cærulei,	* Animosos, benè moratos, fideles, bo[illegible] intellectûs.
Varii,	* Indagatores Scientiarum.
Vaccini,	* Stolidos, [illegible] tuos,
Clari.	* Ingeniosos, dociles, graves, provid[illegible], benè moratos,
Tenebricosi, Caliginosi,	* Dolosos, infideles, perfidos,
Cum siccitate.	* Intemperantes, invidos,
Cum truculentiâ.	* Crudeles, immites.
Cum squalore & livore.	* Facinorosos, insidiatores.
Cæsii prominentes.	* Imprudentes, incompositos.
Sanguinei,	* Gulosos, Ebriosos.
Pallescentes.	* Tristes, dolosos.

Motus Oculorum.	Significant.
Oculi mobiles.	* Ingeniosos. Audaces, rapaces, magnanimos, iracundos, lascivos.
Inquietè volubiles & humidi.	* Lusores. Venereos, cupidos, delitiosos.
Versatiles.	* Crudeles, fraudulentos, rapaces.
Cum ignea perspicaciditate scintillantes.	
Mobiles cum aliquâ turbatione.	* Suspiciosos, infidos, vanos, jactabundos.
Versatiles immotis palpebris.	* Audaces. Confidentes.
Versatiles cum palpebris.	* Imbecilles, infirmos, timidos, impatientes.
Veloces cum acumine Visus.	* Infideles, Fraudulentos, ad malum ingeniosos.
In gyrum se moventes.	* Facinorosos, sceleratos.
Vibrantes, quasi exilientes palpitent.	* Gloriosos, leves, ebriosos, Epilepticos.
Vibrantes magni.	* Stolidos, Lascivos.
Parvi.	* Dolosos.
Turbidi aut Lividi.	* Injustos, infidos, Audacissimos.
In claudendo sursum abeuntes,	* Intemperantes, Lascivos, vanos, insanientes.
Claudentes tremulis superciliis sine rectis palpebris.	* Timidos, Effœminatos.
Conniventes crebrò.	* Timidos.
Minùs conniventes.	* Fortes, Audaces, robustos.
Frequenter mobiles, sed cum albugine in oculo.	* Ingeniosos, dociles, boni intellectûs.
Parvi immobiles.	* Avaros.

Pupillæ cum maculis.	Significant.
Parvæ.	* Astutos, callidos, vafros, ingeniosos, Lascivos.
Lætæ.	* Simplices, ineptos, fatuos.
Mediocres, Decenter.	* Benè moratos, fortes, beneficos.
Æquales.	* Justos & probos.
Inæquales.	* Nefarios, facinorosos, sceleftos.
Prominentes.	* Stultos, fatuos.
Angustæ.	* Meliùs videntes de die, quàm de nocte.
Maculæ circa pupillam.	* Malitiosos.
Maculæ quò magis variatæ.	* Varios moribus & vitiis.
Guttulæ rubescentes in nigredinem vergentes.	* Generosos, justos, probos, ingeniosos.
Guttæ nigræ aut sanguineæ in nigris aut fuscis pupillis.	* Valdè maleficos.
Pallidæ guttæ.	* Fraudulentos, dolosos, deceptores.
Maculæ albæ.	* Proditores.
Nigræ aut sanguineæ.	* Nefarios, Reprobos.

Passiones.	Significant.
Amoris.	* Oculi marcentes. Limi, conniventes, placidè subintuentes.
Desiderii.	* Inquieti, volubiles, humidi.
Lætitiæ.	* Sereni, rigidi, quandoque illacrymantes.
Spei.	* Sursum flexi & elati.
Audaciæ.	* Fulvi, minùs conniventes.
Metûs sive Timoris.	* Crebro conniventes. Instabiles, pallentes. Circumquaque videntes.
Iræ.	* Flagrantes, ignei micantes, rubescentes.
Tristitiæ.	* Demissi, illacrymantes, immobiles, turbidi.
Invidiæ.	* Emissitii, Torvi, refugientes.
Odii.	* Truculenti, retracti. Cavi.

Circa vitam, valetudinem morbos, & mortem.	Significant.
Oculi magni cum brevibus superciliis.	* Vitam brevem.
Venosi, sicci.	* Maniam præsentem aut futuram.
Distillantes & rubescentes.	* Phlegmati abundantiam in cerebro.
Lippientes cum dolore capitis per longum tempus.	* Cœcitatem.
Rubentes in febribus.	* Diuturnam alvi malignitatem.
Cavi, fixi in ægritudine.	* Mortem.
Palpebræ retractæ vix oculum claudentes.	* Mortem propinquam.
Obliqui in febre acutâ.	* Mortem.
Subsidentes aut cornei nihil videntes.	* Mortem propinquam.
Feroces. Horridi.	* Convulsionem, ac mortem.
Illacrymantes, lucem fugientes, perversi, ut unus altero major: eorum album rubescens aut livescens cum nigris venis. Item Adhærescentiæ grumiarum, sivè sordium: cilia retorta. Oculi fixi, continenter conniventes, in colore immutati.	* Malum ad interitum sive mortem.
Oculi pleni, splendidi, lucem sine molestiâ ferentes, Eminentiæ circa oculum erumpentes. Album ex nigro aut livido clarescens.	* Bonum ab ægritudine, & reconvalescentiam.

apud *Schelbamerum tract. de Auditu. Josephum Du Verney tract. de Auditûs organo*, & plures alios.

Sonus quid sit. 4. Sensûs Auditûs objectum est sonus, qui est qualitas passibilis solo auditu sensibilis orta ex corporum se collidentium virtute sonativâ. Aliis dicitur ex parte corporis sonantis aut sonori motus taliter modificatus, ut ex illo resultent frequentissimæ vibrationes plurium exiguarum partium dispersarum in corpore, à quo sonus proficiscitur: vel est motus, ex quo resultat tremor propriè dictus in corpore, cui ipse inest. Sonus autem acceptus relativè ad Auditum est modificatus ille motus, uti jam indicatum cum tremore propagatus ad organum Auditûs, sivè aurem, & tali modo ipsam afficiens, ut indè sequi possit cogitatio quædam in mente, putà, perceptio & judicatio hæc aut illa. Juxta *Aristotelem* Sonus *est motus ejus, quod potest moveri hoc modo, quo resultantia à levibus, cum aliquis percusserit.* Sivè ut explicant communiter: Sonus est actus vel qualitas, quæ ex percussione in corpore motu vibrationis seu crispationis concitato resultat per se audibilis. Ex omnibus his definitionibus patet, sonum absque motu fieri non posse: sivè is fiat ex collisione duorum corporum, vel ex violentâ alicujus corporis discerptione, vel ex attritione aëris ad alud corpus, ut cùm inflatur tuba: in omnibus enim casibus intervenit motus. Benè etiam docuit *Aristoteles*, afferens sonum fieri alicujus ad aliquid allisione in aliquo, id est, fieri dum duo corpora vel solida, vel solidorum rationem habentia ad se invicem alliduntur, seu qualicunque vi sibi admoventur, idque in medio aliquo fluido, per quod deindè possit propagari.

Radiatio soni. 5. Radiatio soni luminosam profluentiam æmulatur. Ita sonus duorum corporum collisione, vel tactu excitatus, ut primùm liber fuerit, omnis in orbem se diffundit instar luminis. Constat enim experientia, si quâ sonus editur, non modò in unâ parte ex adverso stantes illum audire, sed etiam reliquos, qui circùm istum locum, ex quo manat, positi ubique sunt, eundem percipere: antè, retrò, ad latus, suprà, infrà in alto perpendiculariter, & tandem nusquam non. Nullo modo verò id fieri posset, nisi in orbem sonus diffunderetur; & quidem cum hoc semper accidat, ubique & in quovis loco, non ex aliquo accidente id fieri, sed de ipsâmet soni naturâ esse & conditionem ei perpetuam, res ipsa per se loquitur.

Radii sonori. 6. Dantur radii sonori, seu phonici, uti dantur radii luminares. Admisso enim, quod in Sphæram sonus diffundatur, negari ampliùs hoc non potest: Sicut enim ab objecto illuminato ad solem dantur lineæ directæ, quæ à circumferentia circuli ad centrum lucem diffundentes, in unum tandem concurrunt, & radii visivi appellantur; sic etiam necessariò à circulis sonoris ad punctum phonicum, sivè sonorum, datur intermedium sono plenum recta linea ad centrum à circumferentia decurrente, atque illud ipsum est, quod radios sonoros appellant. Parallelas varias alias soni & luminis adducit *Kircherus Phonurgiæ lib. 1. sect. 1. cap. 1. prælus. 1. Schelbamer. tract. de Auditu part. 2. cap. 2.*

7. Auditus fit per radios sonoros. Concessis enim radiis sonoris, hoc ipso quoque sequitur auditum fieri, dum sonus in orbem diffusus ad aurem externam appellit, indeque in internam flectitur. Externæ autem auriculæ non sunt inutiles; nam sonos colligunt, quibus si quis caruerit, inquit *Sennertus instit. Medic. l. 2. p. 3. S. 2. c. 3.* illi soni & articulatæ voces fluctuantis aquæ, aut resonantis cicadæ modo afferuntur. Quomodò etiam sonus ad auditum propagetur, afferunt communiter cum quibusdam quasi gyris & undulationibus deferri: quorum gyrorum manifestam similitudinem videmus in aquâ, in quam, si lapillus injiciatur, apparet, quomodò circuli inter se continuati afficiantur longo etiam ambitu. Non dissimiliter aërem quoque dicunt sono impulsum circulos quosdam & gyros gignere, quibus tandem inter se continuatis sonos ad aures deferri. Auditus per radios sonoros perficitur.

8. Quantumvis lumen cum sono magnam habeat convenientiam, diversitas tamen etiam reperitur, quod sonus comprimis non tantùm propagetur secundùm lineas rectas, sed etiam curvas: ut patet in tubis stentorophonis, in quibus non tantùm commodè sonus ducitur, sed etiam plurimùm augetur & roboratur: Undè etiam longiùs, quàm in aperto aëre propagatur. Deinde licet lumen secundum rectas lineas in orbem diffundatur, sonus tamen etiam per Undulationes circulares progreditur. Item sonori radii tardiùs feruntur quàm luminis: hi enim in instanti, priores verò successivè propagantur. Diversitas inter sonum & lumen.

9. Medium soni, quo ejus radii ad auditum deferuntur, non sunt subjectum sonorum, sed Aer & aqua: & quidem de aëre nullum est dubium: de Aquâ verò Experientia nos certiores reddit. Siquidem pisces certo sonitu congregari & certo nomine, uti *Plinius* etiam testatur, advocari solent; quin & tonitrua vehementer eos formidare compertum est, quod non fieret, nisi sub aquis audirent. Urinatores etiam sub aquis vehementiores sonitus se percipere asseverant, & tantò faciliùs, quantò propiores natant versùs aquæ superficiem. Faciliùs tamen sonus per aërem, quàm per aquam propagatur haud secùs, ac species visibiles per medium rarius faciliùs, quàm per densiùs prolabuntur: Unde hebetantur species sonoræ in aquæ crassitudine, uti species visibiles in medio densiore. Experientia quoque ab insigni Mathematico compertum scribit *Kircherus in Phonurg. lib. 1. sect. 1. cap. 1. prælus. 1.* Sonum alicujus campanæ duorum ex gr. graduum extrà aquam, quinque graduum intra aquam fuisse. Cujus quidem rei, ut inquit, causa alia non est, nisi raritas & densitas diversorum mediorum. Aqua enim sonori Medium soni aër & aqua.

sonori corporis speciei intrà aquam plus resistit, quàm extra aquam: ex quâ resistentia nascitur tarditas motûs medii quam tarditatem sequitur sonus gravior. Sicut enim se habet medium ad medium, ita vibrationes in uno medio ad vibrationes factas in altero medio: & sicuti vibrationes ad vibrationes, ita sonus ad sonum. Si igitur ut 5. ad 2. & motus aëris ad motum aquæ in eâdem proportione se habebunt. Undè aëris raritas ad densitatem aquæ se habebit, ut 125. ad 8. Universim tamen sciri debet, cum sonus per fluida quæcunque corpora propagari queat, omnium tamen optimè per aërem: medium etiam quò magis est tenue, eò ad sonum propagandum aptiùs esse: quamvis etiam solida corpora permeare possit sonus, ea tamen ægriùs & lentiùs constat transire.

Impedimenta soni.

10. Innumera sunt etiam intermedii aëris impedimenta, quæ soni propagationi obsistere, eumque aut retardare aut obtundere possunt: Uti nempe sunt Ventus, turbidus aër, vapores, pluviæ, quæ medium certè plurimùm atterant. Sunt anni tempora, ut Hybernum, æstivum, vernum, Autumnale. Sunt singulorum dierum tempora, ut matutinum, Vespertinum, diurnum, nocturnum; quæ cum differentes habeant constitutiones, etiam soni impulsum varie quoque alterare possunt, ut experientia satis superque docet. In aulis etiam parapetasmatibus stratis sonus obtunditur & absorbetur, difficiliusque percipitur, quàm cum nutantur tapetibus muri: in pleno etiam hominibus loco languescit, & ubi lana, pellibus, fœno, aut paleis locus sternitur, sonus adeò obtunditur, ut vix percipi queat. Ratio est, quod sonus in his casibus illidatur ad corpora mollia & inæqualia: Unde non æqualiter aër, qui sonum vehit, provehitur aut reflectitur, sed velut radius solaris in corpus scabrum illapsus dispersione in minimas particulas redigitur.

Sonus collectus fortior longius procedit.

11. Axiomatum loco habentur: Sonus, quò minùs dissipatur, eò fortior est: & quò fortior est, eò longiùs procedit. Undè sonus ex aliquo canali in liberum aërem prolatus, non in orbem æqualiter fertur, sed potentissimè in illam partem, versùs quàm canalis dirigitur. Sonus etiam hoc vel simili modo productus sentitur multò accuratiùs ac longiùs per lineam directam, quàm per lineas obliquas.

Corpora sonora quomodo diversum edant sonum.

12. Corpora quæcunque sonora, sicut aliam & aliam partium habent coagmentationem & constitutionem, ita singula quoque diversos, distinctosque sonos sortiuntur. Unde corpora levia & porosa, uti clarum & tinnulum; ita densa & aspera obtusum & gravem edunt sonum. Unde docent Philosophi, quod corpora sonum efficientia debeant esse solida, vel vehementer collisa; ut contingit, dum ventus in ventum incidit: debent etiam in aliqua extensione in se incidere & sibi applicari: debent esse naturæ aëreæ: nam in quibus prædominatur terra, magis surda comperiuntur.

Diversitas soni in diversis liquoribus.

13. Diversi quoque liquores, cum vitra illis replentur, ac deindè pulsantur, diversos edere solent sonos. Nam ut experientia constat, graviter & obtusè aqueum sonat poculum, & eò graviùs & obtusiùs, quò aqua fœculentior fuerit. Acutus & tenuior sonus aëream liquoris temperiem sequitur, quod facilè in aquis destillatis observari potest. Acutissimus respondet igneis quasi liquoribus, quales sunt quintæ essentiæ.

In diversis lignis & metallis.

14. Pari modo diversæ speciei ligna, si liberè suspendantur & pulsu exploretur sonus, diversè resonabunt, & quidem densiora gravius: quia vibratio in iis segnior. Similia contingunt in metallis: plumbi enim sonus planè obtusus ob dominium humidi comperitur: gravis & vehemens in ferro ob terrestrem & benè compactam materiam: Acutus est in argento; Unde etiam monetæ bonitas à sono conjici solet. Ipsa etiam terra pro varia conditione variat editum sonum. Quoties enim nive tegitur, quivis editus sonus, & multò distinctiùs percipitur, & promptè porosum illud corpus subit, ita ut vel bombarda explosa accuratiùs quidem, non autem longiùs audiatur.

Soni absorptio.

15. Sonus quiscunque dum absorbetur, amittit quidem vim & vehementiam; articulatiùs tamen sentitur. Ratio est, quia confusio resonantiæ inhibetur; statim enim, quod erat natum, perit, cum aliàs soni protracti inter se confunderentur.

Sonus aërem sequitur.

16. Sequitur etiam sonus aërem motumque ejus ac ventum: Secundo enim vento ad aures delatus auditur citiùs & clariùs: Adverso verò vento abreptus minùs clarè & tardiùs. Constat experientia: Tormenta si quidem bellica vento flante cùm exploduntur ad longè majus spatium audiuntur versùs illam partem, ad quam ventus properat, quam versùs contrariam, & in æquali distantia longè citiùs & clariùs ad partem illam, quàm ad hanc.

Soni reflexio.

17. Soni penetrationi sicut nihil magis adversum videtur lapideâ duritie, ita nihil ad ejus reflexionem aptiùs, quàm levissima quæque superficies, dura præsertim & solida, velut lapidea. Talis enim ejus ferè nihil admittit, sed omne, ut acceperat, fideliter reddit. Unde Echus provenit præstantissima, quæ *Kirchero* docente, ad sui perceptionem ad minimum 110. pedum geometricorum requirit spatium. Sed de Echo & varia soni reflexione eum satis doctè & benè differentem vide in *Phonurgia*.

18. Aurium & oris, linguæ ac laryngis

Aurium, oris, linguæ & laryngis communio

gis mirabilis plane communio observatur. Attentè siquidem audituri non respiramus, sed cohibemus Spiritum. Oscitantes sonos exquisitè non audimus. Testatur etiam *Aristoteles de Gener. anim. lib. 5. cap. 2.* Oscitantes aut spiritum reddentes, accipientesque minus audire. Surdastri omnes ægrè loquuntur, & vocem per nares reddunt: iidem melius etiam vocem per os, quàm per nares hauriunt. Sic & ab ortu & nativitate surdi plerumque muti sunt; non, ut inquit *Sperlingius in Zoologia phys. cap. 7.* quia sermocinatio per disciplinam fit, disciplina autem ex auditu, ut sublato auditu locus non sit disciplinæ atque adeo sermocinationi: possent enim verba quædam formare ipsi, atque his animi exprimere sensa. Hominem enim quantumvis surdum ratione ad inveniendum armavit Natura; sed experientia est testis, ne gemitus quidem & suspiria absque difficultate edi ab iisdem. Causa est nervus auribus, linguæ & laryngi communis. Quintum enim nervorum par in auris tympanum fertur, & ramulos ad linguæ & laryngis musculos mittit. Cum ergò naturalis hæc constitutio vitiatur, ipsæ quoque actiones simul læduntur & abolentur. Ità *Sperlingius. Keckermannus* tamen *syst. phys. lib. 3. cap. 21.* adducens quoque *Alexandrum Aphrodisæum prob. 132.* priorem rationem præfert, atque principaliorem & universaliorem esse dicit. Vide illum *loc. citato.*

Auditio per os & verticem.

19. Sonum per os quoque apertum meliùs percipi docet communis experientia. Cùm enim longius ab oratore distamus, aut attentè multùm alios auscultari volumus, os apertumillis obvertimus. Causam esse volunt, quod in oris palato foramen fit, per quod externus aër sonum afferens cum interno ac implantato intra acusticum organum aëre communicet. Qua ratione *Schottus in Jocoseriis Nat. & Art. Cent. 2. prop. 94.* & *Mag. Nat. part. 2. lib. 3. synt. 4. prag. 4.* Surdos etiam instrumenti musici sonos percipere posse docet. Moribundos quoque sensu auditûs destitutos per capitis verticem quoque informari posse, ut ritè omnia percipiant, docet *Idem Schottus eod. lib. cent. 3. prop. 80.* exemplo viri cujusdam religiosissimi, ut Eum nominat, qui ægris auditu destitutis sic auxiliari consueverat, ut rectè omnia se percepisse signis testarentur. Causam verò dicit esse, quod licet in moribundis auris internæ meatus & ductus, quibus sonus externus per tympanum ad aërem usque implantatum deferri deberet, morbo vitiatus atque obstructus sit, ideoque sono transitum non concedat; capitis tamen porosa cutis & cranium itidem porosum id permittat; Unde is ad aërem implantatum & acustici nervi extremum defeatur, & ab anima vitaliter percipiatur.

Causa auditûs proxima.

20. Remota causa Auditûs sicut est efformatio soni facta ab objecto sonoro & propior adhuc causa est soni efformati appulsio & receptio in auribus, atque speciei sivè imaginis, ut ajunt, audibilis efformatio in organis: ita proxima tandem auditûs causa est perceptio & dijudicatio soni facta in cerebro à sensu communi & phantasia. Licet enim priores causæ adsint, sensus verò communis & phantasia aliò distrahatur, aut somno sopiatur, nulla contingit auditio, ut experientia satis superque constat.

Causa finalis auditûs in homine.

21. Causa finalis Auditûs in homine est quædam generalior, alia specialior. Illa haud alia videtur esse, quàm mutuæ societatis inter homines per vocem & sermonem fundatio, confirmatio, conservatio & oblectatio. Specialior causa una videtur esse primaria, altera secundaria. Prior est communicatio doctrinæ omnis tam humanæ quàm divinæ: per auditum enim disciplinæ citò communicanter, per scripturam tardè. Deinde per auditum etiam doctrina percipitur penetranter & firmiter. Clarius item & efficaciùs. Est enim teste *D. Hieronymo*, mirabilis vis & efficacia vivæ vocis humanæ. Quæ omnia optimè confirmat *Scaliger* ajens: *Minus laboris audiendo capitur; plus verò offert laboris Lectio. Lectio muta est, languorem dat pertinacius continuata. Audita magis imprimuntur per sensum disciplinæ: ejus ministræ aures. Ego & ille duo sumus; idcircò citius & altius subeunt animum sententiæ. Ideò melius & fidelius hærent ea memoriæ, quæ auditione accepimus, quàm quæ lectionis curâ quæsita sunt. Est etiam societas in narratione, in lectione solitudo. At homo animal est sociale. Apud Amicum loquentem libertas rogandi, disquirendi: Undè consequimur intelligendi commoditates. Non quidem differt liber à recitatore: est recitator liber loquens; liber recitator mutus. Ob hoc profectò grata colloquia, & jucundi dialogi, propterea quod opulentiora, quàm perpetui libri.* Ita *Scaliger*. Specialior altera, eaque secundaria Auditûs causa videtur esse oblectatio mentis in auditu Harmonico & musico. Quæ verò oblectatio quomodò contingat, & unde vis illa animam & affectus ejus commovendi proveniat, meritò adhuc inquiri potest.

Unde admiranda vis Musices.

22. Admiranda prorsùs vis Musices, quam obtinet in commovendis animi affectibus, non immediatè profluere censetur ab animâ, quæ immortalis est & immateriata, nec ullam ad vocem sonosque proportionem habet, neque ab iis immutari potest, sed à spiritu, qui est animæ instrumentum, ut ab animæ principali conjunctione, qua corpori annexa est. Spiritus enim ejusmodi cùm subtilissimus sit vapor quidam sanguineus admodùm mobilis ac tenuis, facilè ab aëre harmonicè concitato & ipse incitatur: quam concitationem anima sentiens pro variâ spiritûs

ſpiritûs incitatione varios quoquè inducit effectus. Hinc cùm ſpiritus velocioribus harmoniacis & ſpiſſioribus motibus concitatur & veluti criſpatur, oritur ex illa criſpatione rarefactio quædam; ex rarefactione verò ſpiritûs dilatatio, quam conſequitur lætitia & gaudium; quæ omnia tantò majores affectus habebunt, quantò moduli fuerint concinniores, aptiores, complexionique & conſtitutioni naturali homini proportionatiores. Ità cùm *Kirchero. P. Adalbertus Tylkowski* ſimiliter ferè explicat Muſicæ vim in paſſionibus movendis *part. 5. phyſ. de Anima num.38.* afferens: *Sonat Muſica & tremulum reddit aërem: hic ab homine attrabitur, eumque ſpiritus, qui in corde ſunt, recipiunt. Hos reliqui per corpus diſperſi æmulantur moventque muſculos aut cohibent, pro ut numerorum lex vel crebreſcit incitationibus, vel tenore compoſito quieſcit. His imaginatio commovetur & appetitum commovet.* Et poſt pauca ſubdit. *Verùm cùm non ſit eadem omnibus temperies, diverſis diverſa placent. Nam ut placeat cantus, debet habere cum indole audientis conſonantiam. Hinc melancholici humore lento gravati acutos ſpiſſoſque tonos abhorrent, quia motus harmonioſus ſpiritui hominis lentiori non æquali tempore reſpondet, fit ut vellicando quaſi ſpiritum loco jucunditatis horrorem ob vehementem commotionem inducat. Cholerici ſpiritus agiles & mobiles acutis gaudent modulis, quia æquali tempore cum eorum ſpiritu concitantur.* Plura alia vide apud Eundem *loc. cit.*

Ex auribus boni auditûs ſignum. 23. Denique ut etiam ex auribus, externo ſcilicet Auditûs organo de bonitate ipſius auditivæ facultatis judicare poſſimus, *Ariſtoteles lib. 5. de gener. Animal. cap. 2.* docet, auriculas longas & imbricatas melius audire: & *lib.1. Hiſt. Anim. cap.11.* dicit, aurium alias eſſe leves, alias piloſas, alias medium tenere, & has ad audiendum eſſe aptiſſimas. Phyſiognomi communiter aſſerunt, aures magnas & piloſas ſignum eſſe boni auditûs. Ego cùm *S. Bernardo* in quadam Epiſt. dico, & præſentem finio materiam. *Auris bona eſt, quæ libenter audit utilia, prudenter diſcernit audita, obedienter operatur intellecta.*

§. IV.

De ſenſu Guſtûs, ejus organo, & objecto.

Guſtus & guſtatio quid ſint. 1. Guſtus communiter dicitur ſenſus externus linguæ beneficio ſaporis ſpecies recipiens & cognoſcens: Ipſa verò Guſtatio rectius definitur ſenſatio, qua ſapidum facta ſui juſtâ impreſſione in papillulis linguæ capitatis & poroſis mens in cerebro illud percipit & de eo judicat.

Guſtus & ſenſus neceſſitatis. 2. Guſtus benè vocatur *ſenſus alimenti*, propter alimentum ſcilicet potiſſimum animalibus inditus. Unde etiam *Ariſtoteles lib. de ſenſu & ſenſili*, Tactum & Guſtum vocat ſenſus neceſſitatis, eòquod hi ſenſus ad alimentum quærendum & aſſumendum maximè pertineant. Hinc quoquè *Clariſſ. Williſius tract. de anima brut. part. 1. cap.12.* benè ſcribit: *Ab hoc ſenſu & vita & vegetatio animalium præcipuè dependet: namque hic ſuccum pro nutritione idoneum eligit, ingeritque; quo munere ut rectè defungi poſſit, & conſtanter velit, tum facultate, ſivè inſito quodam judicio inſtruitur, quo quidem alimenta cuique individuo ſalubria & congrua ab incongruis & noxiis diſcernuntur, tùm inſuper velut in mercedem operis, functionis ſuæ exercitio inſigni modo delectatur; nam eſculenta idonea, niſi gratiſſimâ ſaporum jucunditate ſalivam moverent & quaſi condirent, victûs capeſſendi appetitum & deſiderium illicò aut oblivio, aut tædium extingueret; adeò pro individuo non minus quàm pro ſpecie tuendâ cupidinem & venerem intercedere oportet.* ità *Willis*.

Analogia quædam Guſtûs cum Tactu. 3. Analogiam aut ſimilitudinem quandam Guſtûs cùm Tactu, ut plerique cum *Ariſtotele* (qui *de ſenſu & ſenſili cap.1.* docet, Guſtus eſt Tactus quidam) habere dicunt. Nam cùm in cœteris ſenſibus organa ab objectis eminus feriantur, & per ſpecies ab eis emiſſas ad ſenſationem moveantur, Guſtus ſenſorium intimum contactum cum objecto ſuo poſtulat, & â nulla re diſtanti afficitur. Sapidum enim, dum guſtatur, organum attingit, imò intrà meatus illius & poros ingeritur, cum hac tamen differentiâ, quod res ſapida altius linguam ſubeat, quàm res tactilis manum: illa quippè meatus linguæ penetrat, & intimius ſeſe inſinuat. Hinc ſubita ſpirituum refectio â vini libamine & poſt longam inediam non prius lingua vini ſpiritum aut generoſum liquorem attingit, quàm novas in nobis vires experiamur. Quod indè haud dubiè fit, quia liquor penetrans nerveas papillas ſubit, hinque ad nervos ipſos penè in momento pervadit.

Guſtûs organum. 4. Organum ſenſorium Guſtûs veriſſimillimè conſtituunt papillulæ linguæ capitatæ & poroſæ, ſeu funiculi ex intima linguæ membrana, quæ mucoſæ & reticulari ſubjecta eſt, prodeuntes. Præter enim extimam linguæ membranulam, quæ epidermidis aut cuticulæ loco haberi poteſt, cuique ſubiecta eſt glutinoſa quædam ſubſtantia variis foraminulis inſtar reticuli pervia, eſt & alia membrana, aut corpus nervoſum ac papillare præcipuum Guſtûs organum: papillæ verò illæ nihil ſunt, niſi funiculi ex intima linguæ membrana, quæ mucoſæ & reticulari ſubjicitur, prodeuntes. In his igitur papillulis ex ſubintranti ſapido humore cum titillatio & mordicatio quædam efficitur, ſenſatio etiam guſtûs contingit. Fuſa ſiquidem ſalia & conſimilia ſalivæ, vel alteri humori commiſta proprio pondere vel prementis aëris ope poros illos papillularum ſubintrantia, nerveas papillas diverſimodè feriunt, vel blando quodam modo ipſas demulcent; ita ut ex diverſâ figura ingredientis ſalini corporis, ejusque vario motu & inſinuatione diverſa ſaporum ſpecies naturæ cognatæ vel eidem adverſæ emergant. Nervoſæ vero illæ papillæ cum glandulis in radice linguæ aut palato poſitis confundi non debent: Nam

hæ

TABULA exhibens Sapores ſimplices, eorum originem, p
cum Saporum alterat

Sapores ſimplices.	*Particulæ figuratæ ſapidi ejusmodi corporis.*	*Principia juxta Chymicos præpollentia.*	*Subjecta ſeu C pore*
Acris Qualis in pipere, aut pyrethro.	Sunt teretes & aculeatæ atque eo modo figuratæ, ut ſimiles Urticarum aculeis ſenſorium pungant & fodicent.	Sal volatilis aut Alchaliſatus, aut ab igne fluorem paſſus.	Flammula. Piper. Sinapi. Pyretrum. *Ex mineralibus.* A *Ex Inſectis.* Cantha
Amarus Qualis in felle aut abſynthio.	Aculeis furcatis conſitæ, quæ ſenſorium non altè, ſed tantùm ſuperficietenus fodicant, & triſtem afferrunt ſenſum.	Sal cum Sulphure aſſociatus, cumque eo aduſtionem paſſus.	Abſynthium. Abro cynthis. Agaricus mnes in ſiccis & m de Gummi & Succi Opium. Ammonia & avium quarunda
Salſus.	Particulæ plurimis angulis & laterum aciebus aculeatæ ſenſorium quaſi incidunt non aliter, quàm ſi fruſtula vitri confracti manibus arctè comprimantur.	Principium Salinum.	Cochlearia Marina, *Ex mineral.* Sal, nitr Sal gemmæ. Sal ma Animalium excrem ſanguis quoque non
Acidus.	Tetrahedricæ (quæ nimirum cuſpide tereti & acuto & dein corpore inſtar cunei majorem in molem acuto conſtant) adeò ut quovis modo Senſorio applicatæ ipſum pungant & comprimendo nonnihil conſtringant.	Sal fixus in fluorem evectus.	Poma citria. Auran lis. Tamarindi &c. *In Animalibus* Succus Stomachi ac Lienis. hominis jejuni.
Auſterus vel Aſtringens.	Particulæ ſunt hamulis quam plurimis confertæ, quæ inter maſticandum evolutæ Senſorio infiguntur & fibras ejus valdè contrahunt, & convellunt.	Sal fixus elementi terreni particulis implicatus.	Fructus Meſpilorum, ſtria. Gallæ. Acacia *Ex Mineralibus* Alum
Acerbus.	Hamulis & uncinulis conſtant, quæ ſunt hebetes & obtuſæ magis Senſorium obtundentes, ejusque porulos obſtruentes, quæ ipſis ſemel infixæ non facilè dimoventur: Undè ſtupor dentibus & palato conciliatur.	Sal fluidus materiâ terreſtri implicatus.	Fructus immaturi, v mè verò omnium por acetoſæ.
Dulcis Qualis in Saccharo.	Particulæ in molles aculeos ita ſunt figuratæ ut leni affrictu ſenſorium titillent, haud aliter ac plumarum ſtriæ hypocondriis ac pedum volis admotæ titillationem cauſant.	Principium Salinum particulis ſulphureis quandoque etiam ſpirituoſis pariter evectis aſſociatum.	Saccharum. Manna. Uvæ paſſulæ. Radices quædam, ut
Oleoſus ſeu Unctuoſus.	Particulæ ſunt ut plurimùm Sphæricæ & globoſæ, quæ Senſorium non vellicant aut pungunt, nec deſtillatione, ſed tantùm leni & molli allapſu demulcent.	Principium Sulphureum.	Olivæ maturæ. Therel Gummi odora natura *Ex Mineralib.* Aſpaltur ma ceti. Terræ pingu *Ex Animalium* partibus guedo.
Inſipidus.	Particulæ ſuperficieculis non omninò aſperis, ſed glabris & lævigatis præditæ ſunt, quæ ſenſorii porulos non ſubeunt, ipſumque nullo modo fodicant aut vellicant.	Aquæ aut terræ principium.	Aqua communis, præſ bæ etiam quædam frigi Ovi albumen crudum &

...cipia præpollentia, subjecta item naturalia & artificialia
...& abolitione.

...a naturalia talem sa... bibentia.	Artificialia bujusmodi Saporis ab arte scilicet producta.	Sapor talis aboletur, alteratur, immutatur, aut tollitur.
... Thlaspi. Tithymalus. ...nculus &c. ...m. Sandaracha.	Mercurius sublimatus. Butyrum antimonii. Aquæ fortes. Sales herbarum fixi per incinerationem facti. Vitriolum calcinatum, ærugo æris &c. Res quæcunque quò sæpius calcinationem & fusionem passæ sunt, eò fiunt acriores.	Acres plantæ & herbæ vino albo maceratæ. Spiritus Vitrioli cum sale tartari commixtus. Mercurius sublimatus summè acris & corrosivus, si adjectâ alterâ Mercurii vivi quantitate sublimetur.
...a. Centaureum, Colo...aria. Et herbæ ferè o...s locis crescentes. Dein...reti ut myrrha. Aloë. ...Animalium excrementa, ...s.	Liquores compositi inter coquendum adusti, aut evaporatione nimis inspissati. Item fuligo. Saccharata etiam atque dulcia in ventriculo corrupta.	Sapor hic difficillimè tollitur. In cerevisia tamen novellâ ex lupulorum incoctione aliquantùm amarescens sapor longâ fermentatione dulcescit. Liquores etiam ob empyreuma contractum amarescentes aëri humido diu expositi aut sale calcinato mixti distillatione corriguntur.
...paris. ...l fossile. ...a. ...Stercus, sudor, serum & ...participat.	Sales herbarum fixi per incinerationem facti. Sales compositi ut Borax. Sal armoniacus. Sal item è succino, ossibus & carnibus, nec non, ex sanguine animalium. Sal volatilis sublimatione elicitus.	Quicunque Sales repetitis distillationibus in acetosos liquores transeunt. Sales volatiles albi aëri humido expositi in liquorem rubicundum, non valde salsum, fœtoremque fumi & fuliginis redolentem deliquescunt.
...imonia. Berberis. Oxa... ...ancholicus. Fermenta ...cus pancreatis ac saliva	Acetum & ejus Spiritus, sive liquor destillatus. Humor melancholicus præternaturalis in corpore genitus, qui non rarò instar Spiritus Vitrioli acidus & ferè corrosivus evadit.	Spiritus acetosi, Sulphuris, Salis vitrioli &c. longa digestione & circulatione dulcescunt. Acetum destillatum minii solutione imprægnatum dulcescit. Spiritus quicunque minerales acetosi, uti & acetum destillatum vegetabilium succi aciditatem amittunt, si Corallia injecta margaritas aut lapides pretiosos corrodendo dissolvant.
...osbardi, cupressi, Balau... ...nach. &c. ...errum. Vitriolum.	Vitriola omnia factitia; ut Vitriolum Lunæ, Martis, Jovis, & Veneris. Spiritus Vitrioli è Mercurio crebris cohobationibus evocatus saporem ponticum & aluminosum acquirit.	Vitriolum cujuscunque generis longa destillatione & circulatione cum Spiritu vini facta dulcescens vim adstrictoriam perdit. Oleum Tartari aquis vitriolo imprægnatis infusum dulcedinem affert. Vitriolum assumptum fumo tabaci mellitum efficitur.
...lvæ, pyra, poma, maxi... ...lvestria. Herbæ item	Vinum & Cerevisia præ Vetustate, aut à tonitru in vappam degenerantia. Item fermentum & panis cùm nimiùm de fermento illi adjicitur. Jusculа & lacticinia mucorem & situm contrahentia.	Fructus acerbi aut bonitate cœli aut bonitate soli dulcescunt. Vinum in vappam degeneratum tartari fœcibus imprægnatum vigorem recuperat. Doliolo cerevisiæ acescentis cyathus vini generosus infusus bonitatem restituit.
...a. Mel. Fructus maturi. ...acæ &c.	Saccharum Saturni. Sal Martis. Lytargyri. Ex quibusvis aliis etiam corporibus acetum extrahit Salem dulcescentem. Vitriolo prægustato fumus tabaci ore acceptus mellitum efficit saporem, Hordeum & triticum aquâ maceratum, ubi germinaverit lento igne exsiccatum dulescit.	Dulcia omnia nimium cocta amarescunt, Saccharum & mel destillatione alterantur. Saccharum Saturni igni fusionis expositum in merum plumbum colliquescit. Si in Retortâ destilletur Spiritum ardentem & odoriferum exhibet.
...ina. Larix, & quædam ...exundantia. ...umen. Succinum, Sper... ...Ochræ. ...sevum. Medulla. Pin...	Flos lactis. Butyrum. Olea tum è fructibus & leguminibus expressa, velut oleum nucum, amygdalarum dulcium: Tum è seminibus, lignis, gummi, resinis per destillationem elicita.	Corpora unctuosa cùm veterascunt aut nimiùm cocta, aut aliter agitata incalescunt. Rancida evadunt. Sevum & pinguedo aëri humido diutiùs exposita evadunt mucida: dein in aquam & terram corruptam resolvuntur.
... tamen pluvialis, Her...	Herbæ diutiùs servatæ. Item pleræque modico calore destillatæ liquorem exhalant ferè insipidum. Pleræque etiam res sapidæ fiunt insipidæ, cùm particulæ acutiores avolare permittuntur.	Aqua immota putrescit ac fœtorem mucoremque acquirit. Albumen ovi ad duritiem coctum saporem nonnihil acerem acquirit.

hæ glandulæ compressæ mucum aut humorem præbent, & suo quæque donantur vase excretorio, quod scilicet humorem aquosum excernit. Cum itaque soluti alimenti salinæ particulæ eas penetrant, palati glandulæ menstruum quasi solvendis cibis idoneum suppeditant: Undè etiam cùm nos ad edendum applicamus, apicem linguæ palato identidem admovemus, ut salivam moveat, eàmque diluendis cibis necessarium exprimat. Salivam verò atteriæ suppeditant: cùm sanguis uberior per arterias defertur, quam per venas refluat in glandularum præsertim angustiis: tum enim serosus humor per vasa lymphatica, quæ serosum humorem deferunt, excernitur. Quæcunque verò aciditatem habent cum aliquâ acerbitate conjunctam, eadem salivam movent maximè: cùm enim sanguinem figunt & coagulant, aut nervos stringunt, simul impediunt, ne serum cum sanguine misceatur & per venas refluat, atque ita per ductus salivales uberius saliva profluere debet.

Objectum Gustûs est sapor. 5. Objectum Gustûs sapor est, de quo plures, eæque diversæ sunt Philosophorum sententiæ; quæ tamen facili negotio reduci posse videntur ad duas tantummodò classes: & unam quidem, Afferentium, saporem nihil esse aliud, quàm qualitatem quandam in determinatis compositis ex elementorum diversorum mistione resultantem, ac proindè iis solùm compositis gustatricem facultatem moveri posse, quæ hujusmodi accidente insigniuntur. Alteram verò affirmatium ad gustum excitandum nihil aliud requiri, quàm determinata corpora certæ magnitudinis & figuræ, frustraque in proscenium qualitates advocari.

Aristotelicorum sententia de sapore. 6. Saporis tria principia assignate videtur *Aristoteles de Sensu cap. 4.* ut etiam *Tylkowscki* recenset *phys. part. 5. num 44.* Humorem, siccitatem, & calorem. Hinc qui *Aristotelem* sequuntur, omnia, quæ solum sicca sunt, insipida comperiri dicunt, & ipsam linguam sapores non percipere, nisi humescant. Humida afferunt etiam sinè admixtione sicci carere sapore: Hinc aquæ purum elementum non facete ad gustum. Calorem verò quantum ad saporem concurrat, ostendere dicunt maturationem fructuum & cocturam ciborum: humorem tamen debere dominari siccitati, sicut in odore siccitas dominatur humori. Alii, qui *Aristotelis* sententiam amplectuntur, eam melius explicare volentes, ajunt; Quoniam illa aquæ natura est, ut cujuslibet saporis sit expers, cùm experiamur tamen eandem cujuscunque saporis esse capacem, quod oporteat, ut ipsi quid accedet, & ut aliquid patiatur ac transmutetur, & quoniam ignis esse non potest & sola calidi virtus: cumque aquæ humor sit omnium humorum subtilissimus, & vel ipso subtilior oleo; evidenter insuper pateat aquam sapidam crassiorem esse, quod â sola virtute caloris obtineri non potest, cùm aqua igni exposita ex se solâ crassitudinem nullam indipiscatur; hinc afferunt à terreâ siccitate passionem illam obtingere, quæ saporem causat. Dicunt porrò saporem nihil aliud esse, quàm passionem factam à dicto sicco in humido gustus eundem de potentiâ ad actum reducentem. Alia varia Afferta hujus sententiæ aliorum Authorum vide apud *Laurentium Bellinum tract. de Gustus organo cap. 2.* Argumenta etiam in contrarium vide *ibidem cap. 3.*

Chymicorum sententia. 7. Chymici à salibus saporum naturam derivant; ac primum sapidum sal esse, & à variis salium generibus varios sapores provenite docent: Undè saporem definiunt per salis actionem, quæ motu locali continetur, quæque tactu quodam, ut reliqua sensibilia, percipitur. Quam suam sententiam ex eo confirmant, quia corpora cuncta aliàs sapidissima, si iis sal intrinsecum tollatur, cum hoc saporem omnem amittunt, hujusque ne tantillum quidem linguæ imprimunt: sapida verò mox eadem redduntur, si ipsis sal addatur, ut vel coquorum, inquiunt, experientia nos docere potest. Verùm quæ huic sententiæ opponi possint, videri possunt apud *Chauvinum in Lex philos.*

Sententia probabilior. 8. Aliis probabiliùs videtur salinas quidem particulas in concretis saporum causas existere, non tamen quocunque modo se habentes, sed magnitudine, figurâ & motu determinatas ac modificatas, adeò ut sapor seu actio vel motus corporis, quo organum gustûs modo adstringitur, modò laxatur, modò pungitur, derivari debeat non ab hujus uno alterovè principio activo, sed peculiari etiam illorum cum passivis concursu, ac combinatione, seu à totâ Concreti texturâ & habitudine ad salinam substantiam. Undè Clariss. Dn. *Laurentius Bellinus tract. de Gustûs org. cap. 4.* dicit, nihil aliud saporem esse, quàm ipsum sal determinatis linguæ partibus applicatum, in quibus & ratione figuratum ipsius, & ratione conformationis partium linguæ illa passio excitetur, ex qua dolor aut delectatio determinata proveniens dicatur jucunda, vel injucunda, Gustatio, suavis aut in suavis, talis ac talis sapor. Atque hanc suam doctrinam experimentis confirmat, ut apud ipsum videre licet.

9. Quod sapores attinet in specie, eorum alii sunt simplices, alii compositi: Illos *Willisius lib. de Anima brut. part. 1. cap. 12.* enumerat novem: qui sunt Acris, Amarus, salsus, Acidus, Astringens, acerbus, dulcis, oleosus, insipidus. Singulorum verò particulas, earumque figuras, quibus organum gustûs afficiunt; principia quoque præpollentia, præter subjecta, seu concreta, tam naturalia, quàm artificialia, in quibus quilibet sapor reperitur, præsens exhibet Tabula, Ex qua unico penè intuitu tota simplicium saporum doctrina facillimè addisci potest. Tabula.

Sapores compositi. 10. Sapores Compositi ex simplicibus, eorumque diversâ conjugatione producuntur; & quoniam ejusmodi complicationes & conjugationes innumeræ esse queunt, sic impossibile videtur eas singulas recensere. *Willisius loc. proximè memorato* insigniores solùm adducit sequentes.

1. Acidi

Conjugatio
1. Acidi & dulcis: cujusmodi habent vinum generosum, confectiones è citro, lujulâ, oxycanthâ &c. Saccharatæ, acetaria saccharo condita. Conjugatio est palato gratissima.
2. Dulcis & Astringentis, nec non Dulcis & Acerbi: ut in Diacydoniatis, prunis sylvestribus conditis, pyraceo cum saccharo epoto &c.
3. Dulcis & Unctosi: ut in lacticiniis, saccharatis, artocreate, &c. Sapor palato gratus est, stomacho tamen nauseam creat.
4. Dulcis cum Acri, amaro aut salso prorsus inepta & ingrata.
5. Amari cum aliis quibuslibet palato ingrata.
6. Salsi cum acri: ut in carnibus salitis & piperatis. Cum Unctuoso ingratum est condimentum.
7. Acidi, Astringentis & Acerbi cum dulci benè convenit; minimè cum cœteris.

11. Particulæ sapidæ, quia persæpè ita sensorio impinguntur, ut meatus planè occupent: hinc fieri censetur, ut sapor unus non rarò alium excludat. Sic cùm dulcia, quæ sunt viscosa & valdè obstruentia, prælibamus, accuratiorem vini gustum impediunt, aut pervertunt. Quocircà, ut facultas impedita denuò restituantur, salsa aut acria comeduntur, quæ nempè, linguæ poros aperiunt & viscositates inhærentes abstergunt.

Saliva gustui necessaria.

12. Ad saporum porrò perceptionem & dignotionem humiditas quoque salivalis requiri comperitur. Pro hujus enim diverso affluxu & conditione fit, ut res modò sapida, modò insipida, modò peregrini saporis existimetur. Unde etiam salivam nonnulli medium dicunt esse, quo res sapidæ percipiuntur, ita ut salivalis humor vehiculum quoddam saporum iis dicatur. Idcirco etiam, cùm omnis humiditas salivalis absumitur, ut in æstu vehementi & febribus, sapor nullus percipitur. Similiter quæ sunt planè sicca, ut Zingiber, cinnamomum & similia non sapiunt nobis, si ad linguam penitùs siccam admoveantur, & non imbuantur humore salivali: ita etiam qui ictero laborant, cibos, quos gustant, amaros esse putant; qui error à flavâ bile provenit, quæ humorem salivalem inficit, ab hoc autem cibi dum subiguntur, simili sapore imbuuntur.

13. Admirandum est in hoc sensu, quod fœminis uterum gerentibus enormiter & vagè appetens sit etiam insipidi & mortiferi præsertim ad tertium mensem, ut suprà jam indicavimus.

Gustûs excellentia.

14. Cœterùm pro sensûs hujus excellentia facit, ut benè etiam notavit *Willis loc. supracit.* quod universæ hujus mundi regiones longè lateque perquirantur, quin & cuncta circà ipsum elementa occupentur. Cœteri quoque sensus omnes eidem subserviant: Nihil enim palato arridet, nisi idipsum comprobent visus & Auditus, Olfactus & Tactus. Delicias quoque hujus sensûs in sex constare asserit *Cardanus de variet. lib.* 13. *cap.* 66. Primùm, in electione substantiæ: Secundò in electione in unoquoque genere: Tertiò in obsonandi ratione: Quartò in condimentis: Quintò in ordine: Sextò denique in Tempore. Sed de his latius disserentem ipsum vide *Cardanum loc. cit.*

§. V.

De Olfactu sive Odoratu, ejus organo & Objecto.

Olfactus quis sit.

1. Olfactûs non adeò facilem esse considerationem sensit *Aristoteles lib.* 1. *de Anima cap.* 9. eòquod subtilitas ejus ad subtilitatem illam propè accedat, quam habet modus videndi & audiendi. Dicitur autem Olfactus communiter sensus externus nasi ossis cribrosi & processuum mamillarium beneficio odores recipiens & dignoscens. Os cribrosum in mediâ frontis basi situm ad summam nasi radicem fertur narium totam ferè cavitatem opplens: plurima habere dicitur foramina, per quæ aëri & odoribus ad cerebrum patet transitus. Processus verò mamillares duo sunt tubercula, in quæ nervi olfactui dicati inferuntur, similitudinem verò cum papillis mamillarum; unde nomen accepêre, habere dicuntur.

2. Non videtur tamen *Antonio le Grand Instit. phil. part.* 8. *cap.* 14. Olfactûs organum in processibus mamillaribus esse ponendum, quia uterque ille processus mamillaris, ut inquit, portio est ipsius cerebri & ex ipsius medullâ constat: nullum verò Medicorum adhuc agnovisse scribit, Cerebrum externi sensûs Organum esse. Taceo alias rationes, quas subdit. Constituit tandem Olfactûs organum in naribus, hoc est, in tenuissimis fibris à base cerebri ad nervos propagatis. Et quis non, inquit, experitur, se in ipsis odorari, hoc est, affectionem ab ipsis objectis odoriferis impressam sentire? Addit deinde: quod cùm hæc affectio subtilissima sit, utpote ab halitu subtilissimo, in quo odor diffunditur, impressa, fieri non posse videtur in osse, cartilagine aut crassiori membranâ, ac proindè in subtiliori nervearum fibrarum plexu debere peragi. Vide etiam *Honoratum Fabri lib. de Homine prop.* 56. qui fusius hæc ipsa asserta ibidem exponit & declarat.

Olfactûs Organum.

3. Probabilior etiam mihi videtur sententia Eorum, qui in externis Nasi partibus primarium Olfactûs organum (quod scilicet primas odorum impressiones recipit) constituunt, comprimis verò in membranâ narium interiori, sicut mirabilis illius textura satis indicare videtur; & *Clarissim. Du Hamel Phys. part.* 3. *differt.* 3. *cap.* 3. ex Doctissimo Anatomico & Philosopho *Vernæo* ostendit his verbis. Primò: Narium cava innumeris propè lamellis cartilaginosis, quæ in plures alias, tanquam in totidem folia diducuntur, distincta apparent, atquè eæ lamellæ ad radices narium positæ sunt numerosiores, sed angustiores, & ossi cribroso omnes adhærescunt: adeò ut satis sit verosi-

verosimile os cribrosum ex earum lamellarum extremis cöaluisse, & foraminula, quibus pertusum cernitur, nihil esse præter lamellarum intervalla. Secundò. Interior membrana omnes lamellarum anfractus & recessus obducit, sicque mirabili naturæ artificio tenuissimæ illius telæ, quod genuinum est olfactûs organum, superficies intrà angustum spatium adeò extenditur, eaque luci exposita infinitis penè velut radiis, nervulis nimirùm, venulis & arteriolis distincta apparet; ita ut præcipuo cuidam usui destinata videatur. Neque aliam ob causam sic est explicata & ampla, nisi ut halitus odoriferus, qui satis est debilis, plures illius membranæ partes afficiat, in his hæreat, & nervorum fibras percutiat. Hinc lamellæ cartilaginosæ sunt numerosiores in animantibus, quæ exquisito pollent olfactu; ut in cane venatico: in homine verò, cujus olfactus est obtusior, paucæ admodum sunt. Quorsum autem tam exquisitus in eâ parte sensus, aut membranæ textura tam peculiaris, nisi huic usus quoque peculiaris à naturâ tributus? Hinc in distillatione aut coryza, cùm hæc tunica nimio humore madet, olfactus penitus obtunditur. *P. Honoratus Fabri* loc. supracit. hanc membranam in singularem etiam, & accuratum fibrarum plexum abire docet, quem & paulò ficciorem esse dicit, humoris quoque appulsu depravari, ut in Rheumate contingit: & in hoc quoque à gustûs organo discrepare, quod humidum est, & nimia siccitate vitiatur. Porrò addit hunc plexum talem esse, ut inspiratus adductusque odoratûs halitus in adversas fibras incidat: hinc tot in naribus cavernulas, fossulas, valvulas esse, quarum ostium versûs extremum nasum patens est. Igitur non est mirum, inquit, si prædictum halitum excipiant, ac proindè affectio imprimatur; cum tamen eidem halitui emisso, & exspirato præfata ostiola non pateant, utpotè qui in adversas fibras non incidit. Hinc affectio intacto scilicet organo non imprimitur; hinc ratio, cur teter anhelitus per nares exspiratus non sentiatur ab ipso duntaxat exspirante: item cur suffitus per tubulum naribus insertum immissus organum minimè afficiat. &c.

Olfactûs objectum. 4. Olfactûs objectum, ut omnes sentiunt, est odor, qui juxta *Aristotelem lib. de sensu & sensili*, est fumosa evaporatio. Fumosa autem evaporatio ab igne est. Undè volunt, odorem esse motum fumosæ cujusdam exhalationis ad olfactûs organum, sivè nares continuatum. Aliis odor dicitur halitus, qui ex odorifero corpore exhalans & per aërem diffusus organum naribus insertum certo modo agitat, pulsat, titillat, vellicat, fricat, stringit, tendit, laxat, implicat, dividit &c. Ex quâ multiplici, eâque diversa Olfactûs organi affectione, etiam multiplex odorum differentia & diversitas intelligi potest.

Calor & siccitas conferunt ad odorem. 5. Calor, & siccitas multùm conferunt ad odorem. Undè in calidis & siccis locis herbæ & flores multò sunt odoratiores: sicque aridi & fervidi Terrarum tractus, ut Arabiæ & Syriæ plerumque odorum feraces sunt. Humida verò & frigida plerumque inodora sunt. Hinc ut amica est gustui humiditas, ita & subtilis humiditas organum Olfactûs vitiat, sicut patet in Rheumate & aliis humoribus illud obsidentibus.

6. Confert & motus ad odores, cùm corpus non moveat nisi & hoc ipsum quoque moveatur. Undè fumeæ exhalationis corpuscula olfactûs sensorium non movent, nisi & ipsæ aliundè moveantur. Et quò magis & minùs odorifera corpuscula commoventur, eò major & minor evadit odor. Sic aqua rosarum stillatitia, dum igne sensim incalescit, quod tum ejus corpuscula magis commoveantur, etiam halitum spirat suaviorem. Sic universim corpora quæ odora sunt, majorem cùm calent, quàm cùm frigent, diu quàm noctu, æstate quàm hyeme odorem emittunt, quia scilicet tunc magis commoventur. *Motus confert ad odores.*

7. Quod corpora odorifera subtiles adeò halitus emittendo continuâ serie per plures annos eosdem exspirent, non improbabile videtur, quod ut nonnulli sentiunt, ejusmodi halitus ad suum principium perpetuo quodam circuitu revertantur, & novam ibidem exspirationem moliantur. Assiduâ tamen ejusmodi exspiratione corpora odorifera haud parùm flaccescunt atque etiam absumuntur: quòd eorum substantia dùm olet, in prædicta fumeæ exhalationis corpuscula continuo motu abeat, & ex iis plurima deperdantur. *Odorata tandem flaccescunt.*

8. Qui rem odoram diu naribus admotam tenent, aut in loco odore aliquo repleto per aliquod tempus degunt, tandem nullum amplius percipiunt odorem; quòd halitus è corporibus odoriferis perpetuò exspirent, & successivè ad nares per aërem devehantur, quas ubi subeirint, non illicò regrediuntur, sed illic aliquamdiu inhærent, & sensorium replent, ut qui perveniunt, penetrare eas nequeant, & vim novam inferre non possint. Quapropter qui rem odoram, veluti flores odorantur, naso per vices admovent, ut odoratis particulis ex organo descendendi tempus concedatur & novis odoribus supervenientibus viæ pateant. *Odor idem diu perseverans tandem non sentitur.*

9. Odoris & saporis magna est cognatio, ut omne sapidum odoratum sit, & omne insipidum odore quoque destituatur. In eo tamen differunt, quod in sapore humiditas; in odore siccitas prævaleat. Hinc nitrum est odoratius sale, & sal sapidius nitro, quia in nitro plus sicci, in sale plus humidi est; & res odoratæ si nimis humectentur, odorem amittunt. Tamdiu verò saltem odor durat, quamdiu siccitas humiditatem superat: quandò verò humiditas superat siccitatem, odor perditur. Deindè compertum habetur, quod uno ex prædictis sensibus, odore scilicet & sapore sublato aut depravato, alterum quoque imminui, tolli aut depravari videamus. Hoc ipsum expertus sum his diebus, dum hæc scripsi, in quibus gravi catharro laborans odoratum penitus depravatum, imò nullum habui, simul & omnis sapor abiit & cibi appetentia dejecta *Odoris & saporis cognatio.*

dejecta fuit, ut nullum penè ciborum gustum habere potuerim. Quando verò odoratus rediit, hoc ipso quoque & cibi denuò sapere cœperunt.

Narium cavitas quid conferat.

10. Juvat multùm ad olfactûs bonitatem Narium cavitas, præsertim si initio latior est; quoniam tunc odorifera corpuscula halitui admixta ad cerebrum facilius deferuntur. Hæc enim ad modum camini se habet, per quem volantes in aëre corporum particulæ ascendunt, & collectæ in narium cochleam liberiùs penetrant. Hinc qui porrectas habent nares, acutiore sunt olfactu, sagaciusque res externas odorantur, quia plures halitus simul attrahunt, sitque major odoribus ingrediendi copia.

11. Qui compressas à Naturâ vel ictu nares habent, hi plerumque aut nullo aut debili sunt odoratu, quod fibræ olfactoriæ nimium iis coärctentur.

Ingeniosi eurobtusiore sint odoratu.

12. Qui ingeniosi sunt, obtusiore plerumque sunt olfactu. Causa est, quod ii maximè ingeniosi sint, quibus cerebrum probè defœcatum est, exonerato scilicet superfluo & excrementitio, pituitoso humore, quo expeditum cerebrum promptius efficitur ad ea opera exequenda, quæ ab ingenii facultate pendent: ii autem, quibus pituita defluit, & ad narres continuò delabitur, non possunt non esse hebetiore olfactu, quod pituitosus humor nares obducat, advenientes odores arceat, & eorum vim sensorium afficiendi obtundat.

Suffitus boni conducunt ingenio & memoriæ.

13. Valent tamen & conferunt multùm ad ingenium acuendum atque memoriam confortandam odores boni & grati. Quocircà & *Marsil. Ficinus* in egregio libro *de sanitate stud.* omnes studiosos hortatur, ut musæa sua commodis odoribus repleant, ac fœtorem omnem magnâ evitent sollicitudine. Huc etiam facit illud *Massarii apud Athen*: asserentis: *An*, inquit, *nostri sensus nostros, qui in cerebro sunt, excitari odorum suavitate & puriores reddi?*

Medium odoratûs aër & aqua.

14. Sicut omnes sensus requirunt medium, per quod ab objectis decisæ species ad organum prolabuntur, ita & olfactus suum quoque habet, illudque aptissimum ac primarium aërem, cùm odor non modò per illum longius, sed & facilius diffundatur. Hinc & odores versus illam regionem magis distrahuntur, in quam aër vento impellitur. Debet & res odorifera à naribus aliquantum distare ad odoratum excitandum: quia data justâ distantiâ particulæ odoratæ, quæ uberiori copiâ aëri insunt, facilius ità diffunduntur & à se invicem melius secernuntur. Secundarium verò medium etiam est aqua, per quam odores quoque sparguntur. Sic pisces videmus per mediam aquam odorari & intervallo satis longo ad cibum aquæ injectum adnatare.

Odores quidam utiles, alii valdè nocivi.

15. Sicut odores nonnulli cerebro multum infesti sunt, atque ingrati, ita ut multum nocumenti afferant, ita quoque alii cerebrum confortare & mirificè recreare, atque inter animalia comprimis hominem exhilarare solent. Nam sicut aura pulmonibus inspirata pulmones ipsos vel confortare vel vitiare quandoque pôtest, nec omnis semper iis confert: ita odores quoque cerebro hausti & percepti propter bonorum aut malorum halituum admixtionem cerebrum etiam diversimodè afficere possunt. Sic Astomi (gens Indorum ad extremos fines Indiæ circâ fontes *Gangis*, de quibus suprà) solo odore, quem è floribus & pomis capiunt, vivere dicuntur. Sic multi odores, ac commprimis aceti à mentis deliquio liberant, cerebrum juvant, ac mulcent. Econtrà sunt qui certo rei odore animo linquuntur, capitis dolorem, vertiginem & alia ejusmodi symptomata incurrere comperiuntur: ut constat apud *Mercurialem lib. 1. de morb. mul. cap. 2.* & ex *Aristotele* solo lucernæ extinctæ odore mulieres abortire posse. Testatur & *Bruyer de re cibaria lib. 9. cap. 12. Jacobum* Foroliviensem Medicum insignem ab allii odore tanquam à re pestilenti lædi consuevisse. Quin etiam nonnulli ab aliàs gratis odoribus malè affici solent, quòd idem odor non probè omnibus conveniat. Sic rosæ odorem nonnullis lypothymiam ac syncopem excitare narrat *Amatus Lusitanus curat: medic. cent. 2. cur. 36.* atque talem naturam passum fuisse *Oliverium Caraffam* Cardinalem tradit *Pierius Valer. Hieroglyph. lib. 8. in Scarabæo.* Quemdam etiam Episcopum solo rosarum odore extinctum fuisse scribit *Cromerus de reb. Polon. lib. 8.* Novi & Ego virum, qui amaraci odorem perferre penitus nequivit, ita ut herba illa non visa, sed tantùm odore perceptâ statim impallesceret & abire cogeretur. *Cardanus* quoque *lib. 2. de Venenis cap. 1.* universim de omnibus venenis asserit, quod odorata vertiginem, dolorem capitis & suffocationes afferant, & idcircò à similium odoratu homines abstinere debere monet.

16. Odorata omnia, tàm semina quàm plantæ urinam homini cient: acriùs etiam quæcunque aromata cinere quàm igne suffita olent. Si quis allium ederit, urinam allium quoque redolentem reddere perhibetur. Quidquid etiam de Terebynthinâ quis sumpserit, Urina violæ odorem redolere comperitur.

17. Qui nares habent valdè patentes, prudentiâ pollere dicuntur: quià cerebrum illis probè perflatur, & ab infestâ fuligine facilè liberatur. Similiter qui tales habent nares; pacatiores, mansuetiores & tractabiliores esse comperiuntur. Econtrà qui nares angustas habent; iracundiores, audaciores, & magis præcipites esse solent, quòd narium angustia alias quoque respirationis vias angustas arguat, atque dùm fel illis commovetur, non facilè attemperari ac compesci posse testetur.

Nares patentes aut angustæ quid significant.

18. Hominis odoratus latiùs extenditur quàm brutorum: quia hic in brutis ut docet *Aristoteles cap. 5. de sensu*, solùm in ordine ad alimenta dignoscenda procedit: in homine verò ad alimentum, ad delectationem, & ad cognitionem intellectivam servit. Unde etiam finis specialis odoratûs à Deo homini collati à *Keckermanno syst. phys. lib. 3. cap. 24.* ità describitur, quod sit *vel communior ad alimenti dijudicationem*

vel

vel magis determinatus & restrictus, ut homo medicamenta quoque odorando exploret, utque cerebrum confortet, & cor ad intellectûs & voluntatis functiones promptius obeundas, seseque adeò exhilaret, & lætificet, & varias rerum proprietates ex odore cognoscat; tandémque ex mirâ odorum varietate divinam potentiam & benignitatem manifestiùs agnitam prædicet.

§. VI.

De Sensu Tactûs, ejus organo & objecto.

Sensus Tactûs necessarius, per totum corpus diffusus & communissimus.

1. Tactus est sensus externus ad tutelam & vitam animalis maximè necessarius, per totum corpus diffusus, quamvis in extimâ cute vigeat maximè, ut corporum, quæ circumjecta sunt, impressiones excipiat. *Aristoteles lib. 2. de Anima cap. 11.* Sensum etiam vocat summè necessarium; & *lib. 2. de part. Animal. cap. 8.* Tactum appellat primum inter reliquos sensus: primum verò non dignitate, sed necessitate. Videtur itaque sensus iste quoad esse animalis præ reliquis esse præcipuus ac princeps, quia nullum animal illo penitùs amisso & sublato potest vivere, sicut aliis sensibus amissis, vivere tamen adhuc valemus. Quod etiam per totum corpus, singulasque ejus partes diffusus sit, cùm reliqui in certâ aliquâ corporis parte constituantur, meritò inter omnes sensus exteriores communissimus appellatur. Ignobilis tamen etiam præ reliquis habetur sensibus & quasi belluinus, quod ad conservationem corporis potius, quàm ad animæ perfectionem sit necessarius. Undè etiàm *Aristoteles lib. 1. Hist. Animal. cap. 15.* & *lib. 2. de Animâ cap. 11.* item *lib. 3. Ethic. cap. 10.* postremo loco sensum Tactûs esse dicit, quasi belluinum, & qui hominibus, non quà homines sunt, conveniat, sed quatenus naturam habent cum bestiis communem.

Tactus alius internus, alius externus.

2. Tactum nonnulli distinguunt in *Internum* & *Externum*: quià nervi & fibræ, quæ ab illis afferuntur, hujus sensûs organa non minus intrà, quàm extra corpus extenduntur, hac sentiendi facultate pollent. Unde etiam venæ, arteriæ, membranæ internæ, earumque appendices, intestina, vesicæ, cutis, periostium, musculorum & carnis fibræ hujus sensûs participes sunt, præprimis tamen nervi. Ex quolibet enim motu horum in quacunque corporis parte hic sensus dignoscitur, modò in fibrosâ parte fiat, quæ sufficiat illum ad cerebrum, ceu commune sensorium traducendi. Unde latissimè patet hic sensus & Organum hujus totum corpus & omnes ejus partes tám in-quàm externas complectitur.

Tactûs organum diversum à diversis assignatur.

3. De Tactûs Organo diversimodè sentiunt Authores. Aliqui illud valdè extendunt, & asserunt cunctas partes fibris nerveis instructas, scilicet præter cutem, membranas omnes, carnes musculorum & parenchymatum tangere: à quibus parùm recedunt, qui membranis cunctis, & quicquid de membranaceâ texturâ participat, munus hoc demandant; attendentes in nullo membro tactum effici, quod membranæ expers sit: membranis autem obvoluta singula tangibilium rerum vim persentiscere. Alii autem cutem solam adæquatum tactûs organum volunt, cùm quæcunque membra illâ obvoluta sunt, virturem rangendi habeant; quæ illa destituta sunr, haud verè tangere comperiantur. Quænam verò cutis pars primarium & immediatum Tactus organum sit, iterùm dissentiunt.

Recentiores in nerveis papillulis constituunt.

4. Alii verosimiliùs nerveas cutis papillulas à Recentioribus, Clarissimo comprimis *Malpichio* detectas primarium & immediatum Tactûs organum proclamant. Pro quo etiam ritè intelligendo observari volunt primam cutis laminam constituere cuticulam, quæ est pellicula exterior tenuis, densa tamen, quæ cutis subjacentis substantiæ cohærescit, & ubi perforata est, per suos poros sudoris vasculorum orificia ostendit. Quâ sublatâ reticulare quoddam deprehenditur corpus, involucrum scilicet instar retis formatum, intrà cujus foramina sivè areas crebriora non tantùm sudoris continentur vascula, sed per easdem papillulæ quoque cum illis à subjacente laminâ emergunt, quæ ad cuticulam terminantur. Sub hac expansione cutis demùm substantia fibrosa ex arteriarum, venarum, nervorum, ac tendinum extremitatibus contexta conspicitur, quibus glandulæ miliares numerosæ vasis suis excretoriis, sivè sudoriferis donatæ densissimè interponuntur cum pyramidalibus papillulis nervis continuis & cum sudoris vasculis ad cuticulam exurgentibus. Per has autem papillulas pyramidales Tactum imprimis celebrari, ex his probabiliter deducitur: primò quod papillulæ illæ quædam sint nervorum ac tendinum propagines è musculorum fibris profectæ: cùm verò Tactus à nervis & tendinum fibris peragatur, non videtur commodiùs assignari posse Tactûs organum, cùm ex *Stenonis* observatione cutis magnâ ex parte ex nervis, arteriarum ramulis & venis sit contexta. Deindè in organis, quæ tactu exquisitiore pollent, numerosior & major illarum eminentiarum apparatus velut in volâ manûs ac digitorum apicibus, minor verò in reliquo corporis habitu conspicitur: Unde etiam nulla pars sensu Tactûs destituta illis gaudet, vel cui hæ desunt, tactu pollet. Aliæ rationes apud ipsos videri possunt.

Tangendi modus exponitur.

5. Ipse Tangendi modus ut intelligatur, pressionis quædam species est concipienda: percelluntur enim papillaria illa corpuscula per contactum tangibilium, ut horum ictibus, qui à varia illarum particularum superficialium figura, magnitudine & impulsu prodeunt. Undè ab objectis cùm magis aut minus tenduntur fibræ harum papillularum, spirituum intrà nervos sibi continuos undulationes multifariam immutant ac determinant, eosque ad primum usque sensorium concurriunt. Non enim objectum aliquod vel levissimè contingere, aut quovis modo premere potest nervi extremitatem, quin non statim spiritus ipsi inexistens simul etiam quasi prematur

prematur, qui necessariò trudit alium proximum, usque dum per continuam horum seriem principium sensûs communis percipiat speciem organo impressam. *D. Le Grand instit. phil. part. 8. cap. 12.* Tangendi modum his verbis declarat, nempè per omnes corporis nostri partes quædam filamenta è cerebro orta dispergi dicit, quæ nervos componunt spirituum animalium etiàm copiâ refertos, qui velut chordæ seu fides distenduntur & per totum corpus diffunduntur. Cùm verò nervi illi solitò vehementiùs agitantur & premuntur, confestim cerebri partes trahunt; quemadmodùm si funis extremitas trahatur, campana cui altera ejus extremitas cohæret, eo prorsus momento sonum edit. Quo fit ut anima in cerebro residens sensum habeat ejus rei, quæ in nervos impegit. Sic ille.

Tactûs objecta. 6. Objecta diversarum affectionum & dijudicationum ab animâ, cùm Tactus exercetur, communiter ab omnibus recensentur: Calor & frigus, Humor & siccitas, Durities & mollities, gravitas & levitas, lævor & asperitas, voluptas & dolor, & aliæ ejusmodi modificationes, motus, texturæ & figuræ, quæ partibus tangendi facultate præditis mutationem quandam inferunt. Totum autem discrimen à diversitate objectorum, quæ papillulas aliter afficiunt, aut nervos aliter trahunt & agitant, ad eum ferè modum, quo barbiti aut cytharæ chordæ à diversâ pulsantis percussione varios edunt sonos, dependet. Unde si partes alicujus corporis insensibilis variis modis agitatæ celeriùs quàm corporis nostri particulæ concitentur, calor ab anima sentitur; sin illæ particulæ tardiùs moventur, frigus. Ubi exigua illa filamenta, sicut inquit *Le Grand loc. supracit.* tanto impetu trahuntur, ut disrumpantur & à membro, cui annexa sunt, evelluntur, anima dolorem percipit: Ubi verò exigua filamenta non rumpuntur, sed pari fermè impetu citraque læsionem moventur, anima voluptatem quandam, quam titillationem vocamus, sentiet: quæ quamvis à dolore respectu causæ, à qua provenit, parùm distet, contrarium tamen gignit effectum. Quando autem corporis particulæ, quibus illud terminatur, æquali superficie cutim premunt, anima læve illud & politum esse apprehendit: Si verè inæqualiter; asperum sivè scabrum. Ubi corpora efficaciùs deorsum feruntur, animæ gravitatem indicant. Ubi autem leniùs, levitatem. Ubi particulæ corporis ità disponuntur, ut manui, aliive ex membris nostris motanti resistant, anima duritiem percipit. Ubi verò particulæ corporis ita sunt in motu, ut alia corpora undecunque sibi occurrentia non remorentur, fluiditatem. Et ità de aliis modificationibus, quibus fibræ nerveæ afficiuntur ad diversas alias sensationes efficiendas, est differendum. Alii cum *P. Honorato Fabri lib. 2. de homine prop. 50. & 51.* affectionem illam, circà quam Sensus Tactûs versatur & exercetur, aliter explicant, ajuntque multiplicem ac variam ideò evenire, cùm vel tenduntur plus æquo fibræ, vel stringuntur & comprimuntur, vel roduntur, mordentur, vellicantur, pulsantur, distrahuntur vel dividuntur, solvuntur, deglutinantur, vel alio quovis modo afficiuntur. Sed de his videatur *Ipse Fabri loc. cit.*

7. Tactus, ut etiam notavit *Willisius de Anim. brut. part 1. cap. 11.* plerisque aliis sensibus circa objecta sua minus certis criteria suppeditat. Unde visus si quandò larvam sivè spectrum à corpore solido distinguere nequit, examine per tactum adhibito statim res extra dubium ponitur, pariter Olfactus & Tactus sensibilia sæpè repudiant, & propius amplecti verentur, nisi prius palpando attrectentur. Tactus aliis sensibus occurrit.

8. Nullum animal tactu carere constat, & quò perfectius est, eò magis hic sensus in illo viget. Inter homines etiam quò quis perfectior existit, eò meliorem tactum habere comperitur. Hinc etiam doctè Philosophus vult ex Tactûs bonitate ingenii perspicacitatem colligi posse. Homo etiam præ cæteris quibusvis animalibus hoc sensu pollere, & hac sentiendi prærogativa præeminere videtur ob insignem cutis temperiem, subtilem fibrarum plexum & papillularum aptitudinem, quibus cætera animalia præcellit. Exquisita quoque tangendi vis in vola manûs, extremisque digitis potissimùm dignoscitur, quoniam in illis partibus nervorum filamenta exilia sunt & facili negotio commoventur. Unde fit, ut naturæ instinctu, dum aliquid tactu explorare aggredimur, manum admovemus, & digitorum extremitatibus utimur. Tactus in homine perfectior.

9. Finis hujus sensûs in homine duplex comperitur: alius Generalis, alius specialis. Ille est, ut Homo tactu explorare queat sibi profutura aut nocitura. Hic vel ad scientiam ordinatur; ut cum homo res naturales tactu exploret: vel ad artem & laborem: ut hoc sensu varia construat opera, & diversos perficiat labores, quibus vitam tutari & sustentare queat. Finis hujus sensûs.



CAPUT

CAPUT VI.

Sensuum Externorum Mirabilia.

De Sensibus Externis notabilia Scitu digniora præcedente Capite ex optimorum Philosophorum sententiis adduximus; hoc verò Capite mirabilia circà eosdem Sensus ex variis Authoribus collecta submittimus.

§. I.

Visûs & Oculorum mirabilia.

1. Visus certe Sensuum omnium præstantissimus, *quia Solus*, ut ait *Cardanus totum objectum & omnes ejus partes percipit: Solus miram objectorum varietatem dignoscit, nec impeditur contrariis. Unde menti simillimus, qui ad capessendas scientias utilissimus, omnium homini dilectissimus, qui Solus ad cognitionem siderum ducit, omnium velocissimus cujus organum pulcherrimum.* De hoc certe multa prostant admiranda. Ab Acumine in minimis perspiciendis & perficiendis incipimus. *Myrmecides* quidam, teste *Solino cap. 6. & Plinio lib. 7. cap. 21.* quadrigam ex ebore fecisse perhibetur, quàm musca alis tegeret; & navim, quæ apiculæ alis abscondi posset. *Callicrates* formicas & alia minuta animalia in ebore sculpsit, quorum partes quædam ab aliis cerni nequibant. Eodem *Plinio* teste Ilias *Homeri* in membranam adeò concisè & minutim à quodam olim notata fuisse fertur, ut testa nucis includeretur. *Hadrianus Junius lib. 1. Animad. cap. 7.* refert quendam *Franciscum* Alumnum in denariolo sine notis perscripsisse symbolum Apostolorum & Principium Evangelii S. *Johannis.* Idem scribit vidisse se cerasi nucleum in modum quasilli exsculptum, quo continerentur quindecim paria tesserarum suis punctis affabrè distincta. Sed plura alia ejusmodi minuta artificia jam passim videntur. Quæ cum vivacissimum visûs acumen demonstrant, magnam eapropter etiam admirationem Spectatoribus ingerunt.

Acumen. Visûs in minimis.

2. Antiqui Authores mira de *Strabone* quodam narrant: eum nempe tam acutâ Visûs acie fuisse, ut á Lilybæo Siciliæ promontorio portu Carthaginensium solventes naves distinctè videret, & numeraret: Scribit autem *Plinius* distantiam portûs illius esse ad 1800. stadia, quæ faciunt milliaria germanica ferè 56. Refertur etiam à *Jonstono*, Hispanum quendam *Lopem* in Gadibus fuisse, qui ex edito monte, quem *Calpen* vocant, per fretum illud oppositum acie penetrabat, & ex Europâ Africæ littus (cujus tractus teste *Cleandro in epist. ad Jacob Labecum* mari tranquillo trium aut quatuor horarum est) collustrabat, quæque ibi agebantur, indicare poterat.

Acumen visûs ad longinqua.

3. Oculos tam lucidos *Augustus* Cæsar habuisse fertur, ut in quos paulò attentius eos intuitu firmo defixisset, hos tanquam ad Solis fulgorem oculis connivere coëgisset. Apud *Livium lib. 7. Decad. 1.* memoratur, quod oculi Romanorum visi sint ardere in prælio Samnitibus. Et Aquileienses milites, qui subitâ eruptione ex occulto cuniculo factâ *Attilam* paucis comitatum invaserant (quem tamen non noverant) postea fassi sunt, se nullâ re magis perterrefactos fuisse, quàm quod in oculis ejus scintillas velut igneas, cùm pugnans eos fremebundus aspiceret, emicantes conspexerint; sicut *Nicolaus Olaus* scribit: Non frustra idcircò *Cornel. Tacitus* scripsit: *primi in omnibus præliis oculi vincuntur.*

Oculi mirè splendentes.

4. Si *Gellio lib. 9. cap. 4.* fides adhibenda; in ultimâ terrâ, cui *Albania* nomen est, incolæ in pueritia canescere, & noctu acutiùs quàm interdiu cernere perhibentur fulgore scilicet teneram visûs aciem obtundente. De *Tiberio* Cæsare scribit *Suetonius*, eum noctu experrectum omnia in tenebris vidisse. Idipsum & sibi quandoque obtigisse testatur *Cælius lib. 15. cap. 1.* *Cardanus* se etiam primâ inventâ ejusmodi visum habuisse scribit *lib. 8. de variet. cap. 43.* ut experrectus in maximis tenebris omnia distinctè videret. *Asclepiodorus* Philosophus in nocte lucernâ nihil adjutus libros legisse scribitur. *Conimbricenses lib. 2. de Anima cap. 7. quæst. 9.* Narrant civem quendam Brigantinæ Urbis de nocte adeò clarè accurateque videre solitum, ut minutissima quæque distingueret. *Thomas Willis de animâ brut. part. 1. cap. 15.* novisse se scribit, quendam cerebro calidiori præditum, qui post uberiorem generosi vini potum in profundis tenebris distinctè literas legere potuit. *Cornel. Gemma* quoque refert *lib. 8. Cosmocrit cap. 7.* sibi quendam notum, qui de nocte haud secùs ac de die literas perfectè legerit.

Noctu & in tenebris videntium Exempla.

5. Similia & paulò recentiora, magisque admiranda Visûs in tenebris Exempla sunt, quæ sequuntur. Vir eruditus, uti refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 1. obs. 42.* animum curis & laboribus fessum musicâ recreaturus, cum fides aptaret, una chordarum disrupta oculum dextrum plaga dolorificâ afflixit. Prospicitur statim oculo læso refrigerantibus ophthalmicis, quibus inflammationi imminenti obviam itur, ita ut nil ampliùs timendum videatur. Nocte jam adultâ ex somno evigilans cuncta clarè, ac si de die esset, videt adeò ut & minimos picturarum & tapetum tractus observare, characteresque ex libro legere posset: miratur causam, læsumq; oculum claudit: hìc densæ ubique tenebræ: sanum dum claudit, ubiq; lux clara. Inclamat servum, jubetque apportari lumen, sed sustinere non

Alia magis admiranda Exempla.

 potest

poteſt ob ſplendidos ad moleſtiam usque apparentes colores. Idem de die fit, ſi modò Sol aliquantulum ſplendet: unde coactus eſt oculum clauſum ſemper firmare. Hoc Symptoma durabat per aliquot dies, indè ſenſim evaneſcebat. *Antonius Merindolus* Medicus & Profeſſor Aquenſis *part. prior. Theor. de Spir. cap.* 3. narrat *Joannem Leraud* eruditum Pharmacopolam *Saloni Petreæ* habitantem ſibi fuiſſe teſtatum, ſe ante aliquot annos per unum alterumve menſem ſingulis noctibus talem paſſum eſſe affectum, ut ab horâ penè undecimâ ad primam poſt mediam noctem aut circiter lumen ex propriis oculis effunderet, à quo totum cubiculum ita illuminaretur, ut ipſe quæcunque in cubiculo continerentur, liberè poſſet intueri. Quo caſu principio perterritus, cum ſe totum ſub ſtragulis occultaret, non ſolùm ibi eodem lumine proprium corpus & lintea illuſtrata advertebat, ſed aliquandò libros ſecum etiam includens illos legebat. Atque id evidentiùs & in longius tempus patiebatur, cum in latus ſiniſtrum lienem comprimendo decumberet; minùs verò quando in dextrum. Juvenem quoque ſe vidiſſe teſtatur *D. Joſeph Landzonus Eph. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 1. *obs.* 25. in tenebris videntem, adeò ut epiſtolas etiam noctis tempore absque luminis ullius auxilio perfectè legeret, ac ambulantes per vicos agnoſceret.

Acies oculorum firma.

6. Gymnoſophiſtas Indorum Philoſophos ſcribit *Plinius lib.* 7. *cap.* 2. aciem oculorum tam firmam ac lucis tam patientem habuiſſe, ut ab Exortu ad Occaſum Solis perſtarent immobilibus oculis Solem contuentes, atque etiam ferventibus arenis toto die alternis inſiſterent pedibus. Viginti quoque Gladiatorum paria in *Caji* Principis ludo fuiſſe, Veteres tradunt Scriptores, qui contra comminationem ullam non conniverent, & ob hoc invicti.

Ex acie debili ſe ipſos videntes in aëre.

7. Quidam *Antipheron Oretanus*, ut refert *Ariſtoteles lib.* 3. *Meteor.* ſemper ante ſe videbat ſimulachrum quoddam, quod erat ſui ipſius imago, reſpiciens ipſum: id autem fiebat ob debilitatem viſûs, ob quam ſpeculum ei fiebat, propinquus aër: Simile eſt quod *Vitellio in optic.* recenſet de aliquo Studioſo ſibi amico: hic enim cum noctes aliquot inſomnes duxiſſet; & peregrè deindè proficiſci coactus fuiſſet, per fluminis crepidinem obequitans alterum vidit equitem ſibi præeuntem atque omnia plane facientem, quæ ipſe faceret: quod cum *Vitellioni* deindè retuliſſet, ab eo intellexit, ſe ſibi terrori fuiſſe, nec aliud vidiſſe, quàm ſuiipſius ſimulachrum in aëre reflexum.

8. In Cumanâ regione *Peru* littorali homines parum videre ſcribit *Cardanus de variet. lib.* 1. *cap.* 4. *Nebulæ* enim, ut inquit, *in eorum oculis generantur, ſeu ex fluminis natura, ſeu ciborum, quibus veſcuntur.*

Mira Viſûs efficacia.

9. Stupenda plane ſunt, quæ de vi & efficaciâ viſus in rerum immutationibus varii ſcribunt Authores. *Vairus* narrat fuiſſe quendam, qui cum in lapidarii cujusdam manibus gemmam pretioſam miro politam artificio vidiſſet, fixisque oculis contemplatus fuiſſet, illam ſubitò in duas partes diſſiliiſſe. Quidam *Valentinus* Eques, ut ajunt, cum ex gravi morbo convaluiſſet, & patinas fictiles in menſa poſitas aſpiceret, ſolo aſpectu illas findebat in partes. In Africâ etiam certæ quædam familiæ fuiſſe ſcribuntur, quarum aſpectu & laudatione ſegetes interibant, areſcebant arbores, moriebantur infantes. *Hieronymus Vida lib.* 2. *Bombic.* de Sene per oculos faſcinante hos tradit verſus.

- - - - memini Tuſci alta in rupe Viterbi
Ipſe ſenem vidiſſe ferum, cui dira vigebant
Ora, graveſque oculi, ſuffecti ſanguine circum,
Fronsque obſcœna ſitu, hirtique in vertice cani.
Ille truci (ſcelus) obtutu genus omne necabat
Reptantum, tenues animas, parvasque volantes,
Quin etiam ſi quandò hortos ingreſſus, ubi annus
Exuit expleto turpem novus orbe Senectam,
Floribus & paſſim per agros incanuit arbos;
Ille hortis ſtragem dedit, arboribusq; ruinam,
Spemque anni agricolæ mœſti flevêre caducam.
Nam quocunq; aciem horribilem intendiſſet, ibi omnes
Cernere erat ſubitò afflatos langueſcere flores.

Olo viſu efferus.

10. *Olo, Syvardi* filius Norvegus ex *Haraldi* Danorum regis ſorore editus adeò viſu efferus erat, ut quod alii armis, ipſe oculis in hoſtem ageret, & fortiſſimum quemque vibrante luminum acritate terreret. *Saxo lib.* 7.

Naſo videntes.

11. Hominem aliàs cœcum ſe vidiſſe teſtatur *Henricus Smetius lib.* 5. *miſcell. medic. ep.* 13. naſo pro oculis utentem, ejusque beneficio omnia diſcernentem, *is dextro*, ut inquit, *oculo ante annos multos, cum puer eſſet, privatus fuerat, tandem juvenis factus (ruſticus erat) ex ceraſo in palum dumi ligneum faſtigiatum delapſus vultum impegit, ut naſum unà cum oculo ſiniſtro, genâ palpebrâ utraque & ſupercilio diſrumperet adeò fœde, ut chirurgus oculi globum avulſum prorſus crederet, eumque palo inhæſiſſe: cicatrice tandem obductâ poſt annum ab accepta plagâ, dum in gramine apricatur, forte lucem ac floſculorum candorem humi animadvertere occepit per naſi cavitatem &, jam per quinque aut ſex annos continuos viſionem eo modo exercuit, ut quidquid offeratur naſo oculato diſtinguat exactè, ſed deſpectando: Suſpectando enim lucem ferre nequit.* Scribit etiam *Kepplerus à Mathæo Waggero* narratum ſibi olim quid ſimile *Heidelbergæ* contigiſſe: nempè quendam oculo altero amiſſo, altero manûs palmo tecto, ſi ſplendens quidpiam infrà nares

nares sisteret, splendorem agnoscere atque etiam internoscere quadantenus potuisse.

Urina per oculos excreta.

12. Memorabile est quod *Petrus Borellus cent. 3. hist. Med.* 1. & 67. narrat de perspicillis ab oculorum effluviis sensim corrosis, mirabiliùs tamen urinam per oculos quoque excretam, uti refert *Christ. Franc. Paullini in obs. Medico-phys. observat.* 111. Adolescentulus 16. annorum enim in Laalandiâ, inquit, urinæ suppressione ob conglutinatum à viscida pituita vesicæ cervicem frequentiùs vexatus manibus ventrem fortiter premens ad sudorem summo præ dolore cursitationibus se defatigabat, donec fessus in lectum, stramen, scamna &c. concideret; tunc ad horulam ferè acerbiùs notabile sensit levamen: lacrymæ verò quoad colorem & odorem planè erant Urinaceæ.

Visus in oculo ad nares propendulo.

13. Admiratione magna dignum est, quod refert *Henricus ab Heer obs.* 4. quod quidam oculo vi extra orbitam suam protenso & ad extremitatem nasi usque propendulo, videre tamen benè potuerit.

Visus omnia inversa videns item duplicata.

14. De Humore crystallino in ipso oculo inverso & omnia inversa deindè referente memorabile Exemplum recenset *Sennertus lib.* 1. *Med. pract. cap. de visus depravatione* in Medico Dresdensi, qui cum fortè scalam librum petiturus ascenderet, oculosque fortiùs sursum verteret, accidit ut ei deinceps omnia inversa apparerent. De Nobili quodam lue Venereâ laborante, cui præprimis caput & humeri gallicis ulceribus obsita fuerant, memorant *Ephem. German. Cur. Dec.* 1. *Ann.* 1. *obs.* 93. Huic, cum cœtera symptomata remitterent, visum ita depravatum fuisse, ut omnia objecta ipsi duplicata comparerent; Sensim tamen hoc malum cum luis venereæ curâ evanuisse. Mentio fit ibidem fœminæ *Hanoveranæ*, cui ex febre tertianâ Scorbutica reconvalescenti omnia geminata apparebant.

Visus subinde amissi restitutio.

15. Visus per intervalla nunc præsentis, nunc absentis & ablati exempla patent in *Joanne XVIII.* Aragonum Rege: hic enim teste *Marin. lib. 16. cap.* 17. præ senio visu interdum destituebatur: sed eundem iterum per intervalla recipiebat; ità Victoriâ *Ferdinandi* Filii ad *Calusum* oppidum de *Petro* Lusitano regni æmulo auditâ, visum præ gaudio recepit. Subindè cum *Ferdinandus à Joanne* Andegavensi (quem mortuo *Petro* rebelles regem optarant) *victus esset ad Gerundam*, præ dolore & anxietate visum paulò ante amissum iterum recepit. *Ophioneus* etiam *Messenius* vehementi capitis dolore visum consecutus denuò abscedente dolore cœcus factus est.

§. II.

Visûs imminutionis, depravationis, & cœcitatis Exempla mirabilia.

Censent nonnulli *Cœcum* à verbo *cædo*, sivè *cædere* derivari, quòd oculis, ut inquit, *Plempius Ophthalmogr. lib. 4. probl.* 69. excisis sit, sive quod oculis careat. Ex quorum sententia, *Cæcitas* est ipsorum oculorum orbitas & carentia, seu organi totius visorii absentia. Verùm communiùs est & usitatius, illum etiam vocari & esse cœcum, qui etsi oculis adhuc præditus sit, ob affectus tamen præter naturam partibus oculorum insidientes lumen non potest percipere. Qua mente cœcitas non semper erit oculorum sed facultatis visivæ ablatio sive orbitas, quæ esse potest, oculis etiam præsentibus, nec ipsis penitus destructis aut corruptis. Miris autem modis visivam facultatem imminui, depravari, aut penitus tolli posse, sequentia docebunt Exempla.

Cœcitas à somnio.

2. De *P. Corn. Ruffo M. Curii* in consulatu collega scribit *Plinius lib. 7. cap.* 50. eum dormientem visum amisisse, cum id sibi accidere somniaret.

Ex nivis continuo aspectu.

3. *Xenophontis* milites, ut refert *Galenus lib.* 10. *de Usu part. cap.* 3. è Perside redeuntes per multas nives iter facientes oculis læsi fuerunt.

4. Ferunt eodem memorante Galeno *Dionysium Siciliæ* Tyrannum domum super carceres clarissimam & splendidissimam calce illitam construxisse, in quam vinctos ex imo & obscuro carcere eductos intuentes ex nimiæ lucis occursu excœcatos fuisse.

A nimio fletu.

5. *Fara* Virgo (quæ sub *Heraclio* Imperatore floruit) dum ab *Hagerico* patre ad nuptias compelleretur, in tantas prorupit lacrymas, ut inde cœcitatem contraxerit. *Ravisius.* De *Numeriano* quoque, qui comes, patri *Caro* Imper. in bello Persico fuit, scribit *Cuspinianus* nimio fletu ob paternam necem sibi oculos corrupisse.

Cœcitas & visûs imminutio à venæ sectione.

6. Venæsectionem Visui persæpè maximè obfuisse, mira docent Exempla *David Schirmer. in serm. convival. num.* 9. & ex eo *M. Joan. Georg. Schiebelius in domo amœnitatum historic. part* 2. *pag.* 137. refert Augustissimum Imperatorem *Ferdinandum I.* aliquandò narrâsse, se inter milites suos centurionem habuisse, qui statim à venæsectione visum amiserit cœcusque factus fuerit, & quod demùm post aliquot septimanarum spatium visum recuperârit, sed admodum debilem & imminutum. De Virgine quâdam narratur, illam sanguine adhuc ex apertâ venâ fluente exclamâsse: *Ego nihil videre possum*: cui quidem statim vena clausa fuit, nihilominus tamen omnem reliquam vitam suam cœca transigere coacta fuit. Sic etiam *Jo. Udalricus Rumlerus obs.* 70. *p.* 41. meminit civis Augustani *Matthæi Baleri*, cui ob diuturnum capitis dolorem nullis remediis compescibilem tandem à Medico sanguis ex cephalicâ missus est. Quo facto, eo ipso momento doloribus evanescentibus repentè cœcus factus est, & ad obitum usque permansit. Refert etiam *Nicolaus Fontanus Analect. obs, cap.* 11. *Exempl.* 8. Ophthalmia quendam laborantem à venæ cephalicæ sectione cœcum redditum, sed clysteris applicatione & venæ basilicæ apertione curatum. Constat etiâ pluribus experimentis à sectione venæ præsertim cephalicæ (quæ nempè inter pollicem & indicem manûs est) visum diminui, cœcitatemq; induci posse. *Vopiscus Fortunatus Plemp. ophthalmogr. l.* 4. *prob.* 73.

Visûs

visûs imminutionis causam ex multâ sanguinis eductione his verbis declarat. *Nimirum uberi ad visionem acrem opus est Spiritu; hic pro vehiculo etiam id, quod vehitur, excuti, deturbarique necesse est. Certè per largas sanguinis evacuationes oculos Spiritibus orbari ipsis nostris oculis est manifestum. Videmus enim illos, quibus nimium iste vitæ thesaurus exhaustus est, oculis esse obscuris, nullo splendore, nulla luce, nullo igne micantibus; id quod non aliunde, quàm ex spirituum defectione venit; ab his enim & splendor ille, & lux & ignis; qui ex oculis emicat, proficiscitur.* Subdit deindè *Plempius*, liberaliorem sanguinis missionem isthoc præstare quidem in omnibus nationibus, maximè tamen Belgis & Germanis, non item in Gallis & Hispanis, Sed vide illum *loco cit.*

Cœcitas ex barbæ rasurâ.

7. Ex barbæ rasurâ visum depravatum & sublatum refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 7. obs. 152.* Ubi memoratur, Monachum quendam toties visum amisisse, quoties barbam radi curâsset, miserrimum aliàs futurum, nisi hunc novo recepisset aucupio, quoties illam prolixiorem aleret. Econtrà *in Scholio ibidem* refertur contrarius effectus de alio Monacho debilis visûs, qui quoties crines sub alis radere curaverat, rectiùs viderit, quoties veró crescere permiserit, obscuriùs.

A stramine in nare fracto.

8. Cœcitatem à stramine in nare fracto inductam puero cuidam sedecim annos nato docent *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 6. obs. 37.* hic enim in horreum fruges repositurus, mergites cum tractasset imprudentiùs, fractumque sibi cum insigni strepitu in dextro nare stramen intensissimos creasset dolores, mox totum etiam occupantes caput, quos nisi somno placare non potuit, ab eo tempore decrescere cœpit & imminui hujus oculi visus, donec tandem perpetua ipsi obduceretur caligo.

Cœcitas certo anni tempore invadens.

9. Virginem quandam plebejam vidisse se *Monspelii*, octodecim aut circiter annorum scribit *D. Joann La Serre*, ut refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 6. obs. 79.* Quæ singulis annis ad mensem Majum perfectâ occupabatur cœcitate, sub Vesperam paulò post Solis Occasum. illaque durabat ad posteriorem usque lucem, donec Sol denuò ortus foret; tunc enim nullum apparebat in ejus oculis pristinæ cœcitatis vestigium. In tali verò statu perseverabat per tres quatuorve menses; & integro ante invasionem mense videbantur ipsi nubeculæ observari oculis; Virginis porrò hujus amitam, hujusq; duos liberos eodem affectu detentos fuisse, sicut & alium quendam rusticum, refertur ibidem.

In fœmina quoties cunque gravidâ.

10. Fœminam se vidisse scribit *Salmuth cent. 3. obs. 27.* quæ quoties esset gravida, toties cœca reddebatur. A partûs laboribus cœcitatem in tribus quoque aliis se observâsse scribit *Idem cent. 1. obs. 75.*

Cœcitas à variis accidentibus inducta.

11. Ex alapâ inflicta cœcitatem obortam notavit *Zacutus lib. 1. prax. adm. obs. 52.* A vulnere superioris palpebræ, ut & largâ narium hæmorhagiâ Hildanus *cap. 6. obs. chir. 6.* à sternutatione nimia *Idem c. 1. obs. chir. 24.* à diuturniore Lunæ inspectione adolescenti visum valdè debilitatum fuisse notavit *Salmuth. cap. 3. obs. 82.* à forti cerebri concussione, lapsu, vel contusione cœcitatem ortam fuisse testatur *Idem c. 3. obs. 42.* à Scabie retropulsâ *Sennertus lib. 1. Med. pract. cap. de cœcit.* Ob ruptam uveam ictu baculi cœcitatem ortam notavit *Hildanus cap. 5. obs. chir. 15.*

Diodorus Stoicus cœcus optimus Geometra.

12. A cœcis quoque multa legimus peracta, quæ admirationem pariunt maximam. De *Diodoro* Stoico cœco referunt Historici, quod non modò Philosophiam ac Musicam, sed & Geomerriam quoque didicerit, & hanc ultimam (quod ferè videtur incredibile) docuerit, præcipiens discipulis ubi, unde, & quò linea quælibet esset ducenda.

Cn. Aufidius cœcus & Historicus.

13. *Cn. Aufidius* civis Romanus oculis captus, cum eorum usu careret, nec atrum ab albo posset discernere, videbat tamen in litteris & græcam historiam scribebat.

Dydimus Alexandr cœcus quid præstiterit.

14. *Dydimus* Alexandrinus Præsul Cæsariensis à teneris annis oculis captus, & ob id etiam primarum literarum ignarus, ità Geometriam & Dialecticam, quæ magno indigent usu, jam grandis natu cum primis didicit elementis ut præclara quædam opera in Mathematicis scripserit: in psalmos quoque, & in Evangelium *S. Matthæi & Joannis* commentaria reliquerit. Sub *Valentiniano* Imp. Alexandrinæ Scholæ præfuisse perhibetur. *Socrates lib. 4. cap. 25. Ruffinus lib. 2. Eccles. Hist. cap. 7. & Platina.*

Joan. Fernandus cœcus insignis Musicus.

15. *Johannes Fernandus* patre Hispano in Belgio ortus, teste *Fulgoso & Philipp. Camerario*, cœcus à nativitate fuit ac inops: his duobus superatis, quæ permultùm obstant doctrinæ: Pöeta tamen, Logicus, Philosophus, Musicusque tam excellens evasit, ut solus memoriter quatuor vocum carmen componeret: id quod alii vix scribendo consequi possent, præterquam quod aliis musicis instrumentis tam peritè sonos modularetur, ut audientium aures non solùm suavitate maximâ demulceret, sed etiam artificii magnitudine veluti captas detineret.

Scheckius cœcus.

16. *Jacobus Scheckius* Tubingæ professor Medicinæ visu penitus Anno 1577. privatus integro decennio studia majori alacritate prosecutus est & varios tractatus medicos edidit. Cum etiam quidam Ophthalmicus se visum ei restituere velle pollicitus esset, Respondit: *multa se in vita vidisse, quæ maluisset non vidisse: optare etiam, ut ad nonnulla surdus fuisset.*

Nicasius de Werde.

17. Trimus visum amisit *Nicasius Werdanus* in Brabantia oriundus, & tamen *Camerario & Fulgoso* testibus, magisterii Philosophiæ gradum, Theologiæ licentiam, Juris utriusque Doctoratum obtinuit, atque imperante Friderico III. in Coloniensi Universitate Canonica & Civilia Jura professus est. Diu sacrarum rerum concionator extitit, & aliena usus manu in Institutiones & super Libros Sententiarum multa scripsit, quibus

quibus Theologales quæstiones atque epistolas eruditas addidit. Obiit *Coloniæ* Anno 1492.

Asconius Pedianus cœcus. 18. *Asconium Pedianum* Grammaticum & Historicum insignem, cùm septuagesimo ætatis suæ anno captus esset oculis, atque ita duodecim annos vixisset, eleganter tamen historias quasdam magnâ cum diligentiâ & industriâ superato ætatis atque oculorum impedimento scripsisse narrat *Fulgosus lib. 8. cap. 7.*

Cœcus vaticiniis clarus. 19. Claret in Annalibus urbis Pragensis mirabile Exemplum de Cœco Vaticinante, quod ità se habet. *Carolus IV.* antequàm in Regem Romanorum eligeretur, propè *Norimbergam* adiit cœcum quendam natione Schytam Vaticiniis clarum, quolibet die nonnisi ad unam quæstionem respondentem. Eum personatus salutavit *Carolus* ajens: *Salve si ex Deo es: si non es, nulla sit tibi salus.* Ille verò respondit: *Ex Deo sum: tu vicissim Salve Carole Marchio Moraviæ mox futurus Romanorum Rex.* Commutatis ultrò citroque verbis interrogavit illum *Carolus* de Successione Regum Bohemiæ. Ille acceptâ charta, hasce in eâ descripsit literas, sive ut alii volunt, duabus vocibus barbaris expressit. *ICUS ALGULFMA* easdemq; interpretatus est: *Joannem, Carolum, Venceslaum, Sigismundum, Albertum, Ladislaum, Georgium, Uladislaum, Ludovicum, Ferdinandum, Maximilianum, Albertum* (sed ultima litera Historiæ non respondit *Rudolpho II.* Imperat. Augusto feliciter regnante) Tum *Carolus, quid fiet postea?* & cœcus: *Idquod fuit antea.*

Juvenis arcularius cœcus mira perficiens. 20. *Laurentius Stengelius lib. de monstris cap. 16. §. 10.* memorat, Anno 1612. *Ingolstadii* in Bavariâ juvenem quendam arcularium, dùm fistulam æneam expoliret, & pulverem nitratum incautiùs tractaret, illo incenso utrumque oculum miserandò casu perdidisse, cœcumque factum in hospitalem domum fuisse receptum. Ibi cùm in mediâ Senum & Vetularum turbâ secretus habitaret; lectum sibi & exiguum juxta locum tabulis affabrè circummunivisse & picturis affixis exornasse. Duo deindè minutiora molendina (quę piperi molendo idonea forent) cum scalis, rotis, radiis, dentibus, & axibus, cùmque omnibus denique rebus perfectissimo molendino necessariis cultro exsculpsisse adeò exactè & ad amussim, ut unum illorum dignum fuerit habitum, quod *Monachium* ad res Principis raras & artificiosas in pinacothecam transferretur.

Cœcus in Anglia mirabilis. 21. Omnem pene fidem superare videtur, quod *Kenelmus Dygbæus* narrat de cœco filiorum suorum pædagogo *tract. 1. de nat. corp. cap. 28.* Erat ille oculis usque adeò captus, ut ne solis quidem claritate moveretur: chartis tamen pictis vel lattunculis tàm peritè ludebat, ut à paucis vinceretur: in illo etiam ludi genere, in quo rotundæ argenti, alteriusve metalli laminæ supra mensam pelluntur, missilesglobulos dextrè ad metam torquebat. In oblongis deindè cubiculis, xistisque directè semper obambulabat, tam liberè etiam & confidenter ubivis in domo incedebat, mensæque accumbens tam aptè se componebat, ut nullus oculorum defectus à nescientibus animadverti posset. De hospitis jam primò adventantis statim ac cum eo collocutus fuerat, staturâ totiusque corporis habitu absque errore judicabat: imò in discipulis, cum declamaret coram illo, gestus omnes & situm corporum perfectè dignoscere, ut & nubilum diem à sereno discernere potuit.

Halberstadiensis cœcus. 22. *Halberstadii* Cœcum quendam fuisse *Joannem Linneman* dictum, qui peritus tàm organis musicis rite utendi, quàm conficiendi, & quod præterea admiratione non caret, fila foramini acûs curiosè non secus ac si cerneret, inserere novit, refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 1. obs. 71.* Talem etiam novi cœcum *Herbipoli* fuisse, sed jam defunctum, qui inter alia ludicra fila quoque acui peritè valuit inserere.

§. III.

Aurium & Auditûs mirabilia.

1. Aures ab hauriendis sonis dictas nonnulli putant, quas in tantam magnitudinem Gentibus quibusdam excrescere notavit *Cœlius lib. 3. Ant. Lect. cap. 29.* ut totum corpus instar vestium iis tegere queant: hos etiam *Faneficos, sive Satmolos Pomponius* vocat: cubantes strati vice his uti quoque perhibentur. *Thomajus* etiam *in horto Mundi cap. 19.* narrat, tempore *Gregorii* cujusdam Pontificis, natum in *Lombardiâ* infantem tàm magnis auribus ut corpus obtegerent. Aures magnæ.

2. *Macrino* Imperatori aurium alteram perforatam fuisse Maurorum ritu undè oriundus erat, memorat *Pio & Cælius loc. supracit.*

3. Scribit *S. Augustinus lib. 14. de civ. Dei cap. 23.* fuisse quosdam, qui aures pro arbitrio moverent, vel singulas vel ambas simul. Idem, qui totam cæsariem capite immoto, quantum capilli occupant, ob cutis laxitatem & robur deponerent ad frontem, revocarentque cum vellent. *Cardanus* etiam *lib. 8. de variet. cap. 40. Vesalium* scribit vidisse *Patavii* Jurisconsultum *Claudium Simeonium* Forojuliensem virum facetum, & *Petrum Ravascherium* Genuensem virum fortem & strenuum, qui aures pro arbitrio movere poterant. Aures pro arbitrio moventes.

4. Locus est extra muros urbis Syracusanæ, referente *Kirchero Phonurgiæ lib. 1. sect. 6. cap. 3. qui carcer Dionysii vel Auricola Dionysii* passim dicitur. Fuit autem à Tyranno in formam auris ad naturæ exemplar singulari ingenio & industriâ hæc fabrica constructa. Excisa est ex vivo saxo, quæ cochleato ductu in angustum canalem desinens cubiculo custodis carceris speluncæ suprapositæ insinuabatur. Fiebat itaque, ut omnis vel minimus strepitus aut submurmuratio quælibet submissè prolata, ac si præsentia fuissent percipiebantur. Hodiè (ut vidit & benè notavit *Kircherus* oculatus testis) muro obturato voces immurmuratæ in pulcherrimam & mirificam Echum degenerant: Carcer sive Auris Dionysii.

nerant: Unde & vulgò nunc dicitur *La Grotta della favella.* Voces enim non ficut reliquæ Echi reddit æquales, fed fubmiffam vocem in clamorem extollit, exfcreationis fonus tonitru exhibet, percuffio pallii manu facta tormenti explofio videri poffet. Plura de hoc carcere vide fupra *Tomo. 2. Scrut. 4. Difquifit. 1. cap. 4. §. 4. pagin. 32. numer. 8.*

Echo mirabilis in villâ Simonetta.

5. Haud longè *Mediolano* uno circiter milliari, ut narrat *Idem Kircherus*, diffita eft villa celeberrima olim *Conzaga*, nunc vulgò *Simonetta* à comitibus hujus nominis, qui eam poffident ita nuncupata. In hâc villâ fabricam olim erexit *Ferdinandus Conzaga* Urbis Mediolanenfis Gubernator non tantùm architectonicâ fymmetriâ, quàm Echo mirificâ comprimis nobilem; In hujus fabricæ fupremâ contignatione ambulacrum quoddam eft, in quo vox prolata vigefies *P. Hieronymo Dandino* tefte oculato & aurito *in Comment. lib. 2 de anim. tex.* 80. auditur. *Jofephus Blancanus* verò in fuâ *Echometriâ & in additione ad Theorema* 20. de Echo Polyphonâ & infinitâ oculatus & ipfe auritusque teftis narrat à fe & à multis aliis auditam effe, & quotidiè à plerisque audiri Echum, quæ pro intenfione vocis directæ vocem diffyllabam reflectat aliquandò fepties, interdum decies, quandoque vicies, nonnunquam trigefies. Hinc etiam colligit *Blancanus*, non repugnare Echum infinitam, quæ vocem ac fonum fine fine repetat, fi nimirum vox directa & primaria magis ac magis finitè in infinitum augeatur & intendatur. Sed de variis aliis admirandis Echonibus videatur *Kircherus* in fuo de Muficâ opere, *& in Phonurgiâ lib. 1. fect. 4. cap. 3 & 4. Schottus Mag. Nat. part. 2. fynt. 4.*

Tubæ inflatio ubi nociva.

6. In Regno Bohemiæ, tefte *Hageko*, pagus eft, in quo nemo cornu, feu tubam paftoritiam inflare audet, quin furdefcat. propterea quod olim unus aliquis ex ejus pagi incolis *S. Adalbertum* Archiepifcopum dormientem tali tubâ petulanter & per injuriam excitaverit.

Homines valde fonorâ voce.

7. In Americâ perhibentur effe homines voce adeò fonorâ & ingratâ, ut bovis mugitum aut Elephanti barritum potiùs quàm hominis vocem exprimere videantur. *Vefcennius Niger* Imperator, de quo *Spartianus* adeò vocalis etiam fuiffe dicitur ut in campo loquens per mille paffus audiretur. Celebratur quoque ab Antiquis *Stentor* Tubicen Trojanus, cui *Homerus* ferream & invictam tribuit vocem, quòd etiam quinquaginta alios fimul clamantes voce fuâ vincere potuerit. Multùm ad hoc contulit magnitudo & ficcitas organi. *Ariftoteles de audibil.* docet non poffe magnam vocem efformare eos, quibus pulmo exiguus vel durus, vel denfus fit.

Surdi fubmiffas voces percipientes.

8. Narrat *Borellus cent. 4. obs. 23.* de Nauta apud Santones à quinto ætatis anno per morbi violentiam furdo facto cum difficultate loquelæ, eum loquentes fubmiffâ voce, imò labia tantùm motitantes nullo emiffo fono, quæ dicerent, capere potuiffe & ad petita refpondiffe. Verifimile verò putat *Borellus*, quod Spiritus, qui alias aures & linguæ organa agitare folent, recurrerint ad imaginationem, quæ fortior facta, eundem perfpicaciffimum in vifu (ad motum labiorum obfervandum) reddiderit. Quod verò fubmiffos fonos & non violentos exceperit, credibile fieri in auditu ob mutationem organi eâ ratione, ficut aulæ arte architectonicâ parantur, in quibus remotiea audiunt, quæ in angulo infufurrantur. Sub ditione quoque Comitis de *Hobberg*, in pago Saltzborn, Scriniarium vixiffe, qui poft variolas furdus factus eft, memoratur *in Scholio obs. 25. Dec. 1. Aun. 1. Ephem. Germ. Cur.* Qui tamen cum omnibus maximè verò cum iis, quibus affuetus fuit, verba mifcuit, & colloquentes cum ipfo, fi faltem fibilabant, melius intellexit, quàm eos, qui fonorè clamitabant, & hæc omnia ex folius linguæ & labiorum motu, quæ fixis intuebatur oculis. Refert etiam *Tulpius lib. 4. obferv. cap. 18.* de quodam Hollando, qui furdus factus ex lapfu de turri, quod is folo colloquentium labiorum motu conciones domi enarraverit, & prout colloquentium labia glabra vel pilofa, tenuiora, vel craffiora, pro eo vel citiùs vel tardiùs intellexerit eorum mentem.

Surdis & mutis loquela quomodo adduci poffit.

9. Solent plerumque muti à nativitate fimul effe furdi: Caufæ quædam afferuntur *in Scholio obferv. 25. Dec. 1. Ann. 1. Ephemerid. Germ. Cur.* Quibus verò modis hifce furdis & mutis loquela feliciter adduci poffit, docetur ibidem ab *Helmontio La. Colloq. 1.* Teftatur etiam *Helmontius* in furdo Mufico fe experimentum feciffe, quem trium hebdomadarum fpatio eousque perduxit, ut ad omnia, quæ quis tardè & ore aperto cum ipfo comprimis locutus fuerit, refponderit, linguam quoque hebraicam brevi admodùm tempore didicerit. Quod verò *Helmontius* præftitit in linguâ hebraicâ; hoc infignis alius in Angliâ Mathematicus *D. Wallis* raro artificio præftitiffe perhibetur in linguâ anglicâ furdos ac mutos illam linguam docendo: ut Exempla citato fuprà loco declarant. De Nobili Hifpano fonum oculis percipiente, & quomodo ita fit inftructus, vide *Digbæum de Nat. corp. tract. 1. cap. 28. pag. 324.*

Dentibus quomodo audiri poffit.

10. Oris patentis meatûs ope fit, ut aure utrâque obturata, fi mufica inftrumenta baculo contingantur & dentibus prehendantur, eadem exquifitiùs audiantur, & in viâ alicujus procul adventantis ftrepitus è longinquo magis percipiatur, fi enfis alterum extremum terræ affigatur, alterum verò dentibus apprehendatur. Docet etiam *Kircherus in Phonurgia*, furdaftros muficam percipere poffe, fi teftudo oblongo collo fidibus inftructa à furdaftris apprehendatur dentibus & poftea teftudo in harmonicos incitetur motus. Sonus enim teftudinis per collum intrà os propagatus per nervos in organo acuftico vim auditivam mirificè excitat. In

Scholio

Scholio quoque *obs.* 25. *Dec.* 1. *Ann.* 1. *Ep. Germ. Cur.* Narratur de fœmina surda, quod cornu ori imponens rogaverit colloquentes, ut orificio prominenti cornu labiis admotis voces sibi in os inspirare vellent; sicque perfectè perceperit.

Statuæ loquentes. 11. Tradit idem *Kircherus in Oedipo Ægypt.* Statuas varias ab Ægyptis confectas, quæ articulatè quodlibet pronuntiarent. *Albertus M.* caput hominis, quod articulatè voces pronuntiaret, admirabili solertiâ confecisse dicitur. Admirandam etiam fabricam statuæ omnis generis sonos exprimentis indicat *Kircherus in Phonurgia lib.* 1. *sect.* 7. *cap.* 11. *Techn.* 3.

Sine linguâ loquax. 12. Inauditum pene est, quod recenset *Thomas Bartholinus cent.* 2. *Hist. rar.* 22. *Salmuri* in Galliâ ex variolis quendam expuisse linguam totam, nec tamen loquendi promptitudinem amisisse. Exactè quidem aliqua literarum elementa proferre nescivit, meliùs tamen illas literas, quæ sine linguæ allisu enuntiantur, & velutè gutture eructantur, ut A: vel à labiis eduntur, exprimere valuit.

Puella novennis musices peritissima. 13. Phonurgicum specimem pene prodigiosum *Romæ* exhibitum in puellâ novenni describit *Kircherus in Phonurg. lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 3. quæ in tantillâ ætate tantam tam Musicæ, quàm instrumentorum, quæ fidibus constant sonandorum peritiam nacta fuit, ut etiam ex peritissimis Musicis Romanis non defuerint, qui quidpiam humanâ arte superiùs sub ipsâ latere suspicati sint.

Mirabiles Musicæ effectus. 14. Vim potentissimam ad morbos persanandos, animosque commovendos habere Musicam variis constat exemplis. *Galenus lib.* 4. *de locis affectis cap.* 30. *& Avicenna* docent, morbos aliquos non tantùm levari, sed & omninò curari Musicâ. Ità *Asclepiades* musicâ sanabat surdos, ut scribit *Faber Stapulensis Boet. lib.* 1. *cap.* 3. narrat, Philosophum quendam lyrâ ab homine dæmonem expulisse. Memorant & *Pythagoram* solitum fuisse ebriis Musicâ sobriam mentem reddere. *S. Basilius hom.* 45. scribit, *Alexandrum M. Milesii* melodiâ ad mensam canentis ita ad bella accensum fuisse, ut velut insanus ad arma prosiliêrit, Eundem verò remittente cantu etiam furorem remisisse. *Davidem Saulis* Regis furorem cytharæ sono sublevâsse constat *ex libro* 1. *Reg. cap.* 16. In Daniâ sub *Erico* Rege, cognomento *Bono* fuisse Musicum, qui homines in quoscunque vellet, affectus vocaret; ex mœstis efficiendo lætos, ex alacribus tristes, ex indignabundis placatos, ex placidis indignantes, & usque ad furorem insanientes, scribit *Crantzius lib.* 5. *Daniæ cap.* 3. *Olaus M. in Hist. Septentr. Saxo Grammaticus lib.* 12. Exemplum etiam memorabile adducunt in supranominato Rege *Erico*, quem dicunt à præfato Musico in tantum furorem concitatum fuisse, ut effractis atrii foribus arrepto ense quatuor transfoderit; ubi verò menti restitutus fuit, relicto Regni Procuratore Filio *Hierosolymam* expiandorum grátiâ profectum, atque in *Cypro* defunctum. *Olaus M.* scribit tantum fuisse robur viri, cum nempè insaniret ut pugno quosdam exanimârit. Testantur etiam Historici à *Timotheo & Pythagora* juvenes libidine nimium exardescentes per musicam ad continentiam revocatos. Nota quoque Historia est de pueris *Hamelensibus* à Mago per fistulæ sonum abductis. De Tarantismo affectis per musicam curandis jam suprà diximus.

15. Testante *Tulpio obs. med. lib.* 4. *cap.* 10. allatus *Amstelodamum*; omniumque oculis expositus fuit adolescens sedecim annorum, qui in Hiberniâ à parentibus fortè devius inter oves sylvestres ab incunabulis altus induerat quasi naturam ovillam. Corpore pernici, perpete pede, vultu truci, carne durâ, cute exustâ, artubus strictis, fronte ut obtusâ & depressâ, sic occipitio convexo ac tuberoso, rudis, temerarius, imperterritus, & excors humanitatis; cœtera sanus & optimè valens. Destitutus voce humanâ balabat instar ovis & aversatus cibum potumque nobis usitatum: manducabat solum gramen ac fœnum & quidem eo delectu, quo curiosissimæ oves obvolvendo identidem unumquodque, & æstimando singula minutatim seligebat, gustabatque tandem modò hæc, modò illa, prout naribùs & palato judicarentur gratiosiora, magisque convenientia. Juvenis instar ovis balans.

16. Mirabilem recenset historiam *Willisius de anim. brut. part.* 1. *cap.* 16. de Morione, qui ut ut futilis & ineptus, horarum tamen intervalla sine quovis indice exactissimè dignoscere, & quoties integræ horæ elapsum esset spatium, quasi vivum fuisset horologium, illicò tot idem numeratis bombis istius horæ numerum talem personare valebat, nullâque circà res alias occupatione in hujus pensi omissionem seduci poterat; cum enim ab initio horologii sonantis singulos ictus altâ voce obstrependo imitari soleret, quotiescunque nimirum campanæ horologæ sonitum audivit, statim inclamando unum, duo, tria &c. evenisse hinc indicat *Willisius*, quod Spiritus animales à diuturna imitatione tali motu juxta stata temporum intervalla citari assueti, tandem sponte suâ, nulloque ducente, quasi rotis dentatis spatia latentia emetiretur, easdem periodos distinguere potuerint. Morio exactissime horas indicans.

17. Singularis obmutescentiæ & memorabilis pro certo tantùm tempore per diem concessæ facultatis loquẽdi rarissimum exemplum refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec.* 1. *Ann.* 9. *&* 10. *obs.* 83. *his verbis. Georgius Algaier Georgii Algaieri cauponis Iesingæ propè Kirchemium in Ducatu Würtenbergico filius temperamenti Cholerici, annorum* 25. *jam antè ante annos* 15. *festo S. Stephani statim post cœnam adeò malè toto in corpore habuit, ut nullibi etiam se continere potuerit. Anxietas cordis erat tanta, ut nisi per Vomitum ingentem levatus fuisset, suffocari sæpe sibi videretur. Horâ post vomitum præterlapsâ agebat meliùs, at per totum trium mensium decursum valdè tristis & melancholicus, interdum etiam terrore quasi percussus evadebat,* Mutus horâ quâvis primâ meridianâ loqui valens.

debat. Elapso hoc tempore primo saltem per unum ferè momentum vocem & loquelam, quam priùs accuratè callebat, amisit, ita ut ne verbulum quidem, neque ullam vocem de se emittere posset: quotiescunque verò loquela amittebatur, toties tum (quod tamen ultra dimidium annum non duravit) è ventriculo aliquid sursum fauces versus repere sentiebat. Atque uti primum vocis & loquelæ suppressio saltem momentanea, sic eadem post indies, indiesque crescere incipiebat, ita ut à momento ad semihorium, totam horam, duas, tres & ultimò 23. horas, mordinatè tamen duraverit. Tandem typum adeò constantem habebat locutionis restauratio, ut jam per 14. annos, non nisi singulis diebus ab hora duodecimâ meridianâ per horæ integræ spatium, ad primæ scilicet pomeridianæ punctum usque loqui possit. Nec falli potest hominis horologicus sensus horarum transpositione, cum vel nullis campanis sonantibus terminum horæ duodecimæ usque ad primam semper & quàm accuratissimè observet. Hæc ibi. Quæ reverà valdè sunt admiranda. Plura alia adhuc de muto isto ibidem videri poterunt.

18. Rarum experimentum præcavendi animi deliquium, quod metus sanguinis missionis invehere solet, memoratur, *in Zodiaco Medico - Gallico Ann. 2. sivè 1680. mens. Jul. observ. 10.* per validissimam tympanorum bellicorum agitationem seu pulsationem, quâ animus non tantùm aliò distrahitur, sed & aër impulsus excalefactus, totque pulsationibus attenuatus cerebrum per aures ingreditur, subitamque Spirituum generationem in supplementum eorum, quos terror exhaurit, efficere, itaque animum confirmare valet.

Surdus fides in instrumento musico concordans.

19. Testatur *P. Bonaventura Baro in Naturæ miracul. arca. 2. §. 3.* in paternâ domo *Laurentii Baronis* hoc contigisse. *Plures inquit fœminæ, in quibus soror mea, item noverca, noverant cymbalum ad numeros ferire. Aderant ergò aliquot ejusmodi musica instrumenta, quorum aliquod, cùm ex frequenti pulsu cacophoniam incurrisset, conductus est, qui fides ad concordiam redigeret; quod & fecit quispiam tam surdus interim quàm saxum.*

Insecta in aures irrepentia causa horrendorum symptomatum.

20. Insecta nonnunquam in aures irrepere, præsertim, dum in campis aut pratis decumbitur, ac horrenda causare symptomata, pluribus constat exemplis. Ita puello septenni in prato obdormiscenti formicam aurem ingresam atque parvâ, eâque agili corporis sui mole ad ejus interiora penetrâsse, hincque dolorem intensissimum (quem misellus gestibus miserandis & exaltato clamore adstantibus satis ostendebat) enatum fuisse; lacte verò calefacto auri apposito, sicque dulci hujus vapore vix ingrediente molestissimum hospitem denuò retractum fuisse memoratur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 4. obs. 145.* Fœminæ cuidam in Comitatu *Sorano* grillum in aurem irrepsisse, adhibitis verò pluribus remediis nihil effectum, & post immanissimos dolores tandem obiisse, refertur earundem *Eph. Dec. 2. Ann. 2. obs. 39.* Existimârunt verò grillum hunc in capite grillos juniores exclusisse, qui tantas molestias excitârunt, ut velut furibunda existeret hæc fœmina, cùm se moverent in calvariâ. Mentio fit etiam rustici, *Dec. 1. Ann. 4. & 5. obs. 5.* cui grillus in aurem aliquando irrepserat, qui tamen feliciter expulso hospite sanatus est. Vermes etiam mirabiles quosdam caudis oblongis, alios sine caudis mirâ agilitate & vivacitate subsultantes ex aure cujusdam rustici extractos memorant *Eædem Ephemerid. Decur. 2. Ann. 2. observ. 57.*

21. Sordes aurium dulces instantis mortis præsagium affirmant plures ad mentem *Hippocratis lib. 6. Epidem. sect. 5. §. 18* ubi ait *Sordes hominibus in auribus dulces, mortales; amaræ verò non.* Hujus præsagii exemplum habetur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 3. obs. 91.* In juvene quodam Chirurgo phthisico materiam lentam, purulentam & fœtidam extussiente & per intervalla serosum auribus fluxum cum dolore & surditate patiente: Causam vide *in Scholio cit. observationis.* — Præsagium mortis ex aurium sordibus.

22. Addendum his mirabile, quod *Felix Platerus lib. 3. obs.* in puellâ tredecim annorum scribit observatum; quæ urinam in dextrâ aure ad omnium stuporem emisit & quidem unâ vice ad duas sæpè mensuras, idque per aliquot dies. — Urina per aures excreta.

§. IV.

Linguæ & Gustûs mirabilia.

1. *Jacobus Rolandus* Chirurgus Salamuriensis Juratus in tractatu, cujus Titulus *Aglosso stomagraphia* agit de mirabili casu cujusdam è Pictaviâ inferiori oriundi, qui puer quinquennis linguâ sphacelo à variolis tum temporis ibi locorum epidemialiter grassantibus totam corruptam & putrefactam amisit, ut nihil prorsùs in buccâ remanserit: omnes tamen quinque functiones, quæ huic parti tribuuntur; ut sunt, loqui, screare, gustare, cibos in ore intermasticandum volutare & denique deglutire, benè & distinctè cum omnium stupore & admiratione potuit obire. Plures Sanctos Christi Martyres abscissis etiam linguis optimè locutos, varii tradunt Historici, inter quos Victor *de Persecut. Wand. Justinus lib. 1. de offic. præf. præt. Procopius lib. 3. debello Wand. Greg. lib. 3. dialog. Petrus de Natal. Sigebert.* & complures alii. Mutum etiam quendam natum, cùm ipsi fuisset præcisa lingua, loqui cœpisse non aliter, quàm si linguâ ipsi impedimento fuisset ad loquendum; & sic Arianorum impietatem refutâsse, notavit *Paulus Zacchias quæst. Medico-leg. lib. 5. Tit. 3. quæst. 5.* — Lingua carens omnes tamen ejus functiones perficiens.

2. Puellam quandam, cujusdam Galli filiam quintum ferè annum egressam à nativitate duplicem habuisse linguam; memorant *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. Ann. 9. & 10. obs. 137.* fuisse tamen elinguem sivè mutam: propter magnitudinem enim, gravitatem, & crassitiem linguarum sibi invicem — Puella bilinguis.

invicem incumbentium, rimâque circum circà tantùm separatarum vix linguam movere potuit, multò minus loqui.

Homines divisas linguas habentes. 3. Refert *Diodorus Siculus lib. 2. cap. ult.* in quadam insulâ Oceani versus meridiem homines fuisse, qui divisam haberent linguam, scissamque parte inferiore, ut duplex à radice esse videretur: imitatos verò avium diversarum cantum, & cum duobus hominibus locutos; Sic ut uni responderent; ab alio responsa exposcerent.

Lingua enormis. 4. Testatur *Galenus de differ. morb.* vidisse se quendam, cui linguæ substantia non tantùm intumuisset, sed in enormem magnitudinem excrevisset, uti mulieribus, inquit, interdum mammæ, viris testiculi.

Ex linguâ tumidâ lapillus expressus. 5. Memorante *Joanne Kentmanno de calculis in hum. corp. Joannes Stridelius Joan. Friderici* Saxoniæ Ducis tubicen tuberculum sub linguâ absque dolore aliquot annis habuit. Eo mox accrescente & vocem impediente chirurgorum opera aperto tumore & expresso lapillum duorum pisorum magnitudine rotundum lauri baccæ similem excrevit. Similia Exempla calculorum sub linguâ excisorum vide *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Anno. 10. obs. 116.*

Linguarum morbus in Saxoniâ. 6. Sub. *Carolo Calvo* Imp. serpsit in Saxoniâ lacrymabilis morbus, ut tradit *Cranzius lib. 2. Metrop. cap. 18.* intumescebat in ore lingua maximo cum dolore, nec valebant Medicorum remedia: donec *Bertholdo* Mimigardevordensi Episcopo quinto in Deum respicere jubente, cùm litanias & jejunia populo indiceret, *Arnulfo* imperante plaga cessavit.

Ciborum comestorum ruminatio in Suevo. 7. Sed relictâ linguâ Gustûs & locutionis organo, ad ipsius Gustûs mirabilia veniamus. Fuit in Germaniâ quidam Suevus, ut scribit *Joannes Faber Lync. pag. 633.* qui cùm tam cœnæ quàm prandio cœteris lautius conviva assedisset, remotis epulis post mediam horam à consessu in angulum cœnaculi se composuit, & ingestum quàm citissimè potuit, cibum deruminavit. Quæsitus quonam id modo coactus esset? respondit; sibi quidem à puero acidos exurrexisse ructus, post trigesimum ætatis annum tùm demum neutiquam evitare potuisse, quin cibum resurgentem in ipsum os admitteret. Rogatus, an ex illâ iteratâ cibi attractione voluptatis quidpiam caperet? *Equidem*, inquit, *mel merum mihi videor lingere.* Ejusdem filius 24. annos natus idem præstare potuit, quoties voluit.

Manna omnem habens saporem. 8. Magnum fuit miraculum in filiis *Israël*, quod dùm manna cœlo delapsum comederent; quemcunque sibi cibum imaginarentur, eundem gustu perciperent: Unde etiam vocabant *Manhu*! quasi admirantes: *quid est hoc*!

9. *Pityllum* cognomento *Tenthen Suidas* tradit, vaginam linguæ membranacem gessisse & muniisse linguam ad perfruendas voluptates. Fertur etiam digitalibus adhibitis esitâsse obsonia, ut illa calidissima linguæ admoveret.

10. *A. Vitellius* Imper. *Suetonio* referente, non profundæ modò, sed intempestivæ quoque ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidem unquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem statim farra penè rapta à foco manderet, circaque viarum popinas fumantia obsonia, vel pridiana atque semiesa manducaret. Vitellii gulositas.

11. *Vedius Pollio*, uti refert *Suetonius in Augusto*, servos conjiciebat in piscinam, ut pisces humano cruore pasti deliciatiores essent. *Antipater* Tarsensis Stoicus *lib. superstit.* 4. famam esse dicit apud nonnullos, quod *Gatis* Syrorum Regina ità fuerit obsoniorum studiosa, ut per præconem edictum fieri jusserit, ne quis pisce sine *Gatide* vesceretur, atque ideò *Atergatis* à nonnullis fuerit nominata. Similiter *Athenæo teste lib. 7. cap. 1. Philoxenus* Cytherius parasitus à piscibus *Philichthys* est cognominatus: & *Callimedon* Rhetor, eodem teste, *Carabi* nomen est assecutus, quod pisce isto supra modum delectaretur. *Licinii* quoque apud Romanos *Murenæ* cognominati sunt ob hujus piscis usum in cibis ad gustûs delectamentum: uti etiam *Sergius Orata* cognominatus est, quod ei auratæ dicti pisces charissimi & ad escam gratissimi fuerint teste, *Macrobio lib. 3. saturnal. cap. 15.* Piscium esus appetentes.

12. *Plato*, teste *Athenæo lib. 7. cap. 1.* *Philosycus* dictus, quod ficubus impensè delectaretur. *Artesilaus* eodem teste, uvis summoperè delectabatur. *Philippus Macedo* & *Alexander* filius ejus *philomeli* dicti sunt; quia inventa inventis prope *Babylonem* optimis pomis editâ ab Alexandro Melomachia est onustis navibus ut narrat *Cœlius lib. 13. Ant. lect. cap. 15.* Cucumis mirâ voluptate *Tiberio* Principi expetitus fuit teste *Plinio lib. 19.* quem *Sicomarius* ager propè Ticinum profert, sic delectabatur, ut diceret: *Si in paradiso essem ac melone vesci prohiberer, in discrimen fortasse transgressionis Adæ exemplo deducerer*, ità recenset *Bern. Sacrus lib. 14. Ticinensis hist.* *Camatherus* Logotheta apud *Manuelem Comnenum* Imp. viridibus fabis impensè delectabatur, earumque tota consumebat arva, ut refert *Nicetas lib. 3. de reb. Manuelis.* Variorum fructuum esu delectati.

13. *Marci Antonii* Triumviri expensæ in cœnam solitæ conferri solâ unionis à *Cleopatrâ* uxore consumpti æstimatione superatæ sunt: Nam ut *Macrobius lib. 3. saturnal. cap. 17.* & *Plutarch. in Antonio* scribunt; cùm *Antonius* quidquid mari aut terrâ, vel etiam cœlo gigneretur, ad satiandam ingluviem suam natum existimans, faucibus ac dentibus suis subderet, eâque re captus de Romano Imperio facere vellet Ægyptum Regnum, *Cleopatra*, quæ vinci à Romanis nec luxuriâ dignaretur, sponsione provocavit se in sumere posse in unam cœnam sestertiûm centies. Id *Antonio* mirum visum, nec M. Antonii expensæ in cibos à Cleopatra superatæ.

nec moratus sponsione contendit, pignus custodiente *Numatio Planco*, qui tam honesti certaminis arbiter electus est. Altera die *Cleopatra* pertentals *Antonium* pollucibilem sanè cœnam paravit, sed quam non miraretur *Antonius*: quippè qui omnia quæ apponebantur, ex quotidianis opibus cognosceret. Tunc Regina arridens phialam poposcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illuc unionem demtum ex aura altera festinabunda demisit, eùmque maturè dissolutum, ut natura est ejus lapidis, absorbuit. Et quamvis eo facto sponsione vicisset, quippè cùm ipse unio centies sestertiûm sine contentione valuisset, manum tamen ad alterius unionis aurem admovit, nisi *Numatius Plancus* judex severissimus, superatum *Antonium* maturè pronuntiasset. *Apitius Plinio* teste *Æsopi* Tragœdi filius, tam etiam profusus in gustûs delicias fuisse perhibetur, ut etiam uniones liquefactas cœnis apponeret.

Galieni deliciæ ad gustum. 14. Deliciarum, referente *Cardano lib. 13. de variet. cap. 66.* usque ad contemptum & abusum omnem *Galienus* perpetuò, donec imperavit, exhibuit exemplum. Inquit enim *Trevetius*, vere cubicula de rosis fecit, de pomis castella composuit, uvas triennio servavit, hyeme summâ melones exhibuit, mustum quemadmodum toto anno servaretur, edocuit, ficus virides & poma ex arboribus recentia alienis mensibus præbuit. Mantilibus aureis semper stravit, gemmata vasa fecit. Ita in turpissimo luxu, inquit *Cardanus*, non deest etiam quòd laudes: nam ingenium laudo, luxuriam ac judicium non probo.

Luculli cœna extemporanea. 15. *L. Lucullum*, testatur *Plutarchus in Lucullo*, extemporaneam *Pompejo* & *Ciceroni* apparavisse cœnam, impendio quinquaginta millium tanta epularum & rerum lautitiâ ut convivas in admirationem traheret.

Vitellii cœna mirabilis. 16. *Vitellius* Imper, ut refert *Suetonius*, fecit cœnam unam, in quâ (quod factum difficillimû putes) Scarorum piscium jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phænicopteri, murænarum lactes à Carpathio usque freto Hispaniæ per navarchos ac triremes petitarum commiscuit, de ejus ingluvie cecinit Vellejus.

Ingluvie infamis, tractusque Vitellius unco
Ludibrium populi cæsus & ipse fuit.

Caligulæ luxus in cibis. 17. C. Cæsar *Caligula*, ut recensent *Sueonius* & Dion, nepotinis sumptibus omnium prodigiorum ingenia superavit: commentus novum balneorum usum, portentissima genera ciborum atque cœnarum, ut calidis frigidisque unguentis lavaretur: pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, conviviis ex auro panes & obsonia apponeret: aut frugi homines esse oportere dictitans Cæsarem.

Heliogabali profusa in gustûs delicias prodigalitas. 18. *Heliogabalus* omnis in Gulæ & gustûs deliciis prodigium luxûsque miraculum, sicut *Lampridius* & *Sabellicus lib. 6. Enn. 7.* tradunt; ex Colorum ratione convivia dabat: primo die rubentia omnia: secundo prasina: persea tertio: Vini rosis conditi primus fuit inventor: triclinia, lectos & abacos rosis, violis, atque liliis integebat. In piscinis odoriferarum aquarum natabat. Rosaceâ aquâ piscinas implevit, lectos leporino pilo, aut quæ sub perdicum alis crescunt, plumis conficiebat. In lucernis balsamum adhibuit. nunquam minus centum cœnavit sestertiis, interdum tribus millibus, nunquam non floribus suffultus, odoribusque exquisitissimis convivatus est, appellabatque pretiosa obsonia, quæ etiam plurimi empta sibi dici volebat, ut suaviora essent ad convivii orexin, pomis gemmas miscuit. Sexcenta struthionum capita unâ cœnâ apposuit, ut ex his cerebella duntaxat assumerentur. Circensibus ludis navale certamen dedit in Euripo vini pleno, in maritimis locis nunquam piscibus convivatus est: cùm verò procul mari abesset, omnia marina exhibuit. Murænarum & luporum lactibus rusticos in mediterraneis pavit. Totum triclinium instravit croco, cùm primores civitatis ad cœnam vocâsset, ejusmodi fœno dicens, esse dignos, qui convivio adhibiti essent. Multa prætereà alia verum prodigalitatis monstrum præstitit, quæ omnis meritò jam Mundus obstupescit.

19. Quis non etiam admiretur stupendum illud gulosæ prodigalitatis exemplum in *Kieo* Imperatore Sinico, ut recenset. *p. Martinus Martinius lib. 4. histor. Sinicæ*? Kiei sinici imperatoris prodigalitas. Hinc enim impurissimæ *Vibiæ* conjugis suæ suasu in amœnissimo campo lacum effodi, & navigiis etiam ferendis aptum apparari curavit; quem vino deindè totum implevit, ac strenuos potatores numero ter mille convocavit, quos ad ripam hujus vinosi lacus procumbentes lingua velut canes ad ebriosam insaniam usque vinum hinc lingere voluit: Ebreios deinde & temulentos ad proximam sylvam Carneam sic dictam propter affatos ibi suspensos in arboribus boves, cervos, Capreas, apros & alias ejusmodi feras ad ferinam etiam huic belluinæ potationi superaddendum cibum hinc indè titubantes, aut per humum bestiarum more reptantes cernere jucundissimum visui existimavit spectaculum. Plura alia abominandi luxus & detestandæ prodigalitatis flagitia de Sinico hoc imperatore memorantur quæ silentio potius obtegere, quàm verbis multis exponere convenit.

20. Quando *Galeacius II.* Viceomes Mediolanensium Princeps filio suo *Joanni Galeacio* in ponsam expetitâ *Isabellâ Caroli V.* Galliæ Regis sorore, *Leonatoque Clarentio Britanniæ* Regis filio in Generum adscito solemne instituit epulum, regio planè fastu inauditam omnibusque stupendam ostendit munificentiam. Galeacii stupenda in Epulo magnificentia. In convivio enim, uti testatur *Jovius in vitâ Galeacii*, singulos ferculorum missus, qui suprà tringinta fuere, totidem insusitatæ magnificentiæ munera sequebantur: ea omnia *Joannes Galeacius* delectæ juventutis Princeps ad mensam perducens *Leonato* obtulit. Fuerè in uno tantùm missu septuaginta Equi insignes argenteis & sericis ephippiis strati:

in aliis

in aliis verò vasa argentea, hiero falcones, venatici canes, equestria arma, nobiles loricæ, solidoque ferro splendentes thoraces, galeæque item & cassides prælatis comis exornatæ, indumenta margaritis picta balthei militares: postremo præstantes aliquot gemmæ aureis emblematibus insertæ & aureæ purpureæque telæ ad viriles vestes vis ingens. Is porrò convivii apparatus fuit, ut relatæ de mensâ dapes decem millibus hominum abundè sufficerent.

21. Dux Lituaniæ *Suitrigalus*, sicut *Æneas Sylvius lib.2. com. in Panorm.* refert, nunquam peregrè proficiscebatur, quin dispensatorem percontaretur, an librum, quem de arte coquinariâ componi curârat, secum ferret. Cœna in sex horas ad minimum protrahebatur, ferculis non minus 130. utebatur. Mirabile est *Getam* Imp. lautissima prandia juxtà Alphabetum parari curâsse, in quibus nempe prima fercula incipiebant ab A. ut Anas, Anser, Aprunga &c. sicque deinceps per ordinem Alphabethi, ut scribit *Alexander lib. 5. cap. 20.*

Cibus aulicus Othon. Imperatori. 22. *Otho* Imperator, sicut *Ernestus Brotuffus* narrat *lib. 2. Chron. merib. cap. 1.* singulis septimanis in cibum aulicum utebatur mille porcis, viginti octo tauris, mille modiis frumenti, octo plaustris vini, decem plaustris cerevisiæ: exceptis oleribus, piscibus, ovis, gallinis, carnibus ferinis, butyro, adipe, larido & caseo. *Polynæus lib.4.* recenset, *Alexandrum* in Persarum regiâ prandium *Cyri* Regis & cœnam in columnâ æreâ inscriptam reperisse, cumque immensum luxum & prodigalitatem legisset, derisisse atque dixisse: *nequaquam utile esse regibus tam prodigè & intemperanter cœnare addiscere.* Sed quis hæc inauditi luxus & prodigalitatis in gustûs & gulæ deliciis exempla non admiretur, non obstupescat? Plura alia, quæ passim apud varios historicos occurrunt, recensere piget.

Nausea & aversatio quorundam ciborum. 23. Ad Gustûs mirabilia pertinet etiam quorundam ciborum aversatio & singularis antipathia, quam persæpè nonnulli habent, ita ut occulto & naturali quodam horrore certos quosdam aversentur cibos, nec ullis adminiculis ad eosdem gustandos commoveri possint. Ita *Brasavolus in Comment. 34. ad 2. Hippocrat. de rat. vict. in morb. acut.* testatur, Illustrissimam Tarraconensem *Federici* Regis Neapolitani filiam natu minorem carnes nec edere nec gustare potuisse, adeò ut si bolum in os sumeret, in vehementissimam incideret syncopen & horrendo clamore ejularet, in terramque decidens volutaretur, ac tali in symptomate per semihoram perseveraret. *Ephem. Germ. Cur. Dec.2. Ann.2. obs. 42.* memoratur Virginem quandam tertianâ intermittente laborantem ità aversatam carnes, ut deliquia instarent, quamprimùm odorem earum perciperet. De nauseâ Carnis ob discissum gallum à fœminâ contracta vide *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 7. obs. 44.*

Anguillarum aversatio. 24. Clarissimus *Pareus introd. ad chir. cap. 12.* scribit, se inter Galliæ proceres primariæ nobilitatis virum novisse, qui appositâ anguillâ medias inter epulas sic consternabatur, ut repentè in præcipitem virium omnium prolapsum incideret. Alius, teste *Weinricho in Comm. de monstris cap.8.* anguillarum non modò esum, odorem & aspectum tolerare non poterat, sed nec in ædibus, in quibus vivæ, quamvis occultæ asservabantur, manere volebat. Ferrariæ fœmina quædam, ut referunt *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 9. obs. 208.* dum uterum gerebat, statim antipathia cum anguillis laborare incipiebat, ita ut hoc solo signo se gravidam esse judicaret. Tunc enim nec edere, nec videre anguillas poterat, ad earum solummodò præsentiam in vomitum incidens, post partum autem hæc cessabat antipathia, imò eisdem coctis tanquam delicato ferculo utebatur.

Piscium nausea. 25. *Amatus Lusitanus Cent. 2. curat. 36.* narrat, se novisse quendam Hispanum, patriâ Toletanum, nomine verò *Stephanum* surdastrum, qui pisces omnes adeò abhorrebat, ut cùm die quadam ab amico ad cœnam invitatus, piscis frustum cibis aliis obvolutum ignoranter comedisset, in tantas animi angustias & cordis pressuras cum vomitu & secessu devenerit, ut parum absuerit, quin spiritu linqueretur & moreretur.

Horror olei olivarum. 26. *Horstius in obs. ad Lev. Lemnium Arnstadii* Comitem, scribit, ab olivarum oleo tantoperè abhorruisse, ut omnia ex eo parata edulia, eodemque quo ille conclavi asservata subitò auferri oportuerit, ni exitiali eum syncope periclitari vellent.

Panis nausea. 27. Panis nausea etiam multis accedit. Sartor quidem Cacheticus, ut refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 2. obs. 42.* Soræ per triennium nec micam panis gustavit, panemque ita aversatus est, ut etiam mentio hujus illi crearet molestiam. Habent PP. Dominicani hîc in Germania Virum religiosum, ut ab ipsis relatum accepi, qui panem non comedit, pinguibus autem apprimè delectatur. Dùm etiam ante ingressum Ordinis Christianissimo Regi militaria exhiberet servitia, ideo abinde denuò dimissus dicitur, quod ut cæteri milites ali non potuerit. *In Scholio obs. 159. Ann. 4. Dec. 2. Ephem. Germ. Cur.* memoratur etiàm Magistrum quendam Equitum, qui secalinum quidem bene, sed siligineum & triticeum panem citrà deliquium comedere non poterat; cui etiam odore moschi confecturis (quas vocant) immixti indeliquio crusta panis secalini tosta naribus admota medebatur. *Schottus phys. cur. lib. 3. cap. 27. §. 1.* Sibi ab avo, dùm puer esset, meminit narratum de quodam rustico tùm vivente, qui panem adeò abhorrebat, ut si inadvertenter etiam aliis condimentis obvolutum bolum sumpsisset, statim ad vomitum provocaretur.

28. Nor-

Solis ovis vescens.

28. Normannum quendam rusticum novisse se scribit *Bruyerinus lib. 1. de re cib. cap. 24.* qui nec panem, nec carnes, nec pisces, nec caseum unquam degustâsset, sed solis vescebatur ovis. Econtrà ut *Marcellus Donatus* refert, illustris cujusdam Comitis puer, dum ova comedebat, labia tumescebant, & facies purpureis nigrisque maculis conspergebatur, osque spumâ circumdabatur, acsi venenum sumpsisset. Verùm nauseæ & aversationis quorumlibet Esculentorum Exempla quàmplurima recitantur ab Authoribus, quæ longum foret omnia recensere, & passi ubivis occurrunt. Ita communiter plures abhorrent caseum, alii carnem suillam, alii cancros, alii cepas & allia, alii laticinia, alii alia. Causa verò, cur aliqui certos quosdam abhorreant cibos, universalis & generalis non videtur posse assignari. Speciales verò plures esse queunt. In aliquibus enim causa potest esse aversatio matrum prægnantium ab illis cibis, quæ deinde in proles derivatur. In aliis è contra est vehemens pica matrum in causâ, sivè desiderium cibi illius, quo fuere defraudatæ. In aliis est certum stomachi ac ventriculi temperamentum, cui contrarius est talis cibus, qui abhorretur. In aliis denique aliæ videntur esse causæ, quæ in hoc negotio, sicut in aliis plerisque, quæ per antipathiam explicari solent, sunt occultæ in particulari.

Causa aversationis aliquorum ciborum.

29. Addo præcedentibus casum mirabilem, quem ex *Matthiolo* recenset *Jonstonus Thaum. Class. 10. cap. 6. art 4.* in valle *Anania* rusticus à serpentis decollati capite abscisso præter expectationem demorsus, morsui cùm os admovisset, suctu eidem medicaturus, repentè mutus factus obiit.

§. V.

Nasi & Odoratûs mirabilia.

Homines adunco naso à Persis amati.

1. Nasi & odoratûs mirabilia nunc etiam veniunt enarranda. *Plutarchus in Apophthegm. polit.* & *Cælius Rhodiginus Ant. lect. lib. 8. cap. 2.* narrant, Persas amâsse homines adunco naso præditos, quos Græci *Grypos* appellant, eosque pulcherrimos esse putâsse, eòquod *Cyrus* eorum Rex, quo, non alius Regum populo huic fuit charior, talem habuerit nasum. Duplex verò *Gryporum* genus esse volunt. Unum, cui statim à fronte nasus insurgit, quod *Aristoteles* putat esse signum imprudentis animi: & ad corvos refert. Alterum, cui curvatura nasi à fronte separata est, sed circa medium intumescit, & ad extremum tendens unci speciem præbet: id signum probat *Aristoteles*, putatque magnanimitatis esse notam; & ad Aquilas refert: Qualem nasum *Carolum V.* Imperatorem habuisse notavit *Jovius lib. 27.*

Faceta historia de Rudolphi Imp. naso.

2. Insigni naso aquilino *Rudolphum* Imp. fuisse *Cuspinianus* scribit, & de Eo facetum hoc enarrat. In declivi, inquit, semitâ obviam habuit dicaculum, qui Regis facetias & clementiam noverat. Is ex angustâ semita Regi cedere à satellitibus crebrò jussus: *Regis*, clamat, *nasus viam implet, ut præterire nequeam.* Subridens Rex flexo in alterum latus naso: *progredere fili*, inquit, *namque nasum meum digitis amovi, ne te impediat.*

Magnus Mahometis II. nasus.

3. *Mahometes II.* Turcarum Imperator, homo nervosi ac robusti corporis nasum habuit, *ut Jovius in Ejus vitâ* memorat, usque adeò aduncum, ut summitas ejus labra contingere videretur.

Horatius Cocles à naso depresso sic dictus.

4. *Horatius Cocles* ità dictus est, ut quidam volunt, quod naso esset adeò depresso, ut nullam inter oculos interstitium & supercilia commissa haberet, testibus *Valerio Max. Livio, Plinio, Gellio & Floro.*

Cur aliqui dicantur Nasuti.

5. Nasus quoque in proverbium venit, ut eis, quos decipere & circumvenire cupimus; nasum nos vertere velle dicamus. In Naso quoque irrisionis, despectionis & cavillationis sedes jam ab antiquo posita videtur. Hinc *Nasutos* dicimus illos, qui astutè aliòs carpunt, omnia contemnunt & derident. Quod *Persius sat. 1.* jam olim indicavit hoc versu.

Callidus excusso populum suspendere naso.

Similiter *Horatius*

- - - - *Naso suspendit adunco.*

optimè hos *Nasutos* & *Zoilos* Poëta recens his versibus arguit.

Si Criticis rasum mos esset tollere nasum,
Multis per mundum sine nasis esset eundum.
Morem nemo feret: si mos tamen iste vigeret,
Multi gauderent; nasutis namque carerent.

Etiam iræ Nasus index est, quod in canibus patet, dum irritati nares in rugam contrahunt. Hinc rursus *Persius sat. 5.*

- - - - *Ira cadat naso.*

Nasum moventes.

6. Ridiculum est videre nasum huc illuc liberè moventes. Talem se vidisse virum scilicet Religiosum ac doctum, qui inter loquendum dictâ ratione nasum movebat adeò manifestè, ut risum inassuetis & sibi ipsi ruborem induceret, testatur *Schottus phys. cur. lib. 3. cap. 33. §. 5.*

Puer nasum habens cæruleum.

7. *In breviario rerum memorab. Isfibrordi ab Amelunxen* & *Alexandri de insula num. 44.* narratur de puero quodam Æthiopico, qui præter alia mirabilia in corpore habuit & nasum cæruleum. Causa ibidem assignatur his verbis: *Gravida mater linteamina lota amylo cæruleo (vulgo* blaue Stärck*) magis magisque cum expurgaret, & nitidiora redderet: frater ejus fortè superveniens clanculum immisso in patellam amylo plenam digito oblinit nasum ejus; ex quo terrore nævum istum asperserat infanti.*

Nasi insititii & applantati.

8. In frigidioribus partibus Borealibus persæpè contingit, ut nasus & aures gelu pereant hominibus, sicut etiam *Digbæus* refert in discursu de pulvere sympathico. Unde alium sibi nasum ex carne humanâ inseri vel applantari quandoque faciunt, sed infelici sæpè eventu. Audi quid *Helmontius* de insititiis & applantatis ejusmodi nasis referat de *magneticâ vulnerum curatione* his verbis:

his verbis: *Bruxellensis quidam in pugnâ nasum amisit: audivit Chirugum Tagliacozzum Bononiæ degentem, ut nasum præstolaretur: & cum incisionem brachii sui timeret, bajulum ad hoc conduxit, è cujus brachio nasum tandem dato pretio eruit. Mox tredecim circiter menses à reditu in patriam repentè nasus insititius friguit, & ab inde aliquot diebus putrilagine cecidit. Cujus rei inopinum casum investigantibus inventum fuit, eodem fortè momento, quo nasus friguit, exspirasse bajulum. Superstites sunt horum testes oculati Bruxellæ.* Ità *Helmontius.*

Supplicium sumptum de teis ad quamlibet nasi emunctionem. 9. Mirabilem vindicandi modum & ultionis genus memorabile de nasi truncatione recenset *Bapt. Fulgosus lib. 9. Justinianus II.* Imperator, inquit, post recuperatum imperium, quo eum, nasôque simul *Leontius* Patritius privaverat, acerbissimè injuriam ultus est. Nam quoties nasum emungebat, semper unum aliquem suorum hostium, quorum magnum numerum habebat in vinculis, capite mulctabat.

Vermes è naribus emuncti. 10. Vermes sæpè turpes cùm nigris capitibus in poris nasi, tanquam araneas in foraminibus delitescere, microscopia demonstrant: hinc etiam reddi volunt rationem: cur infantes, qui vermibus laborant, insignem in naso pruritum sentiant. Mirabilius verò est, quod Ephem. *Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 1. obs. 99.* refertur, vermem hirudinis adinstar sanguine turgentem aliquandò è nare sinistrâ cujusdam studiosi viginti circiter annorum cum longâ hæmorrhagiâ emunctum esse. In Scholio etiam cit. observ. additur, præcedente atrocissimâ cephalalgia de quadam maleferiata per nares quatuor vermes albicantes oblongos, minimèque hirsutos excretos fuisse. Plura alia Exempla vermium post vigilias perpessas, cephalalgias & mentis aberrationes è naribus excretorum habentur in variis aliis Authoribus, comprimis iis, qui in supramemorato Scholio adducuntur.

Odoratus subtilis. 11. Sensus in naribus, sivè odoratus Exempla quoque non desunt verè mirabilia. Inter quæ meritò hujus acumen demostrans primo loco meretur produci, quod in historia Antillarum Authore *P. du Tertre Ord. Præd.* continetur; In quibusdam nempè insulis Æthiopes reperiri odoratu tam subtili præditos, qui ipsa etiam vestigia hominis Galli â vestigiis Æthiopis sagacitate narium discernere possint, dummodò olfaciant locum viæ, ubi incesserunt.

Hamar odoratus mirabilis. 12. Quidam *Hamar*, ut *Leo African*: & *Cardanus de subtilit. lib. 11.* memorant, qui dux erat Caravanæ ex Ægypto versus Indias Orientales per Arabiam desertam peregrinantis; cùm ex lippitudine vel alio morbo visu careret, & nullus alius adesset, qui viam in solitudinibus nôsset, camelo præcessit & singulis milliaribus jussit sibi exhiberi ad odorandum arenam recentem, ac vestigiis tactam. Hac sagacitate odorâ, cùm septuaginta milliaria Italica adhuc desperabundi in deserto arenoso & sterili vagarentur, eos non procul abesse ab habitatis locis admonuit. Quam prædictionem nemo primò credere potuit, cùm cognoscerent ex instrumentis astronomicis se 480 milliaria Ægypto abesse & meturent se, errando retrocessisse. Verùm cùm in illo metu & sollicitudinibus adhuc ultrà triduum versarentur, tandem conspexerunt tria castella habitata anteà ignota, incolas propè inermes. Conspecta Caravana tanquam re insolitâ, cùm trepidè portas occluderent, & se ad defensionem pararent, post levem conflictum victos & castella occupata ceperunt, inde aquatione facta illis relictis iter suum prosecuti sunt. Plures alios odore vitam prorogâsse Antiqui testantur Historici. Ità *Hercules* odore coturnicis servatus dicitur ab Iphiclo, cùm in certamine defessus occubuisset. Calentium quoque panum odore *Democritum* produxisse vitam scribit *Cælius lib. 21. A. L. cap. 3.* & pomi præsuavi odore *Aristotelem* vitam prolongâsse *idem* memorat *lib. 24. cap. 21.*

13. Præsagium mortis perhibetur, si quis terram oleat. Ità *Borellus cent. 4. obs. 8.* recenset, terram quendam oluisse & paulò post fato cessisse. Item *Martisburgi* in puellâ quadam febre consumptâ observatum memorant *Ephem. Germ. Cur. Dec. 1. An. 1. obs. 144.* Adducitur & mater ibidem, quæ in quatuor infantibus instante fato se eundem odorem propriis hausisse naribus sanctè asseveravit. Præsagium mortis ex odore.

14. Græci teste *Æliano lib. 12. de varia hist: & Athenæo lib. 15. cap. 15.* odorum ita studiosi fuerunt, ut & corollas, & unguenta in potu assumerent. *Batylli* quoquè populi unguentis madere solebant Authore *Plinio*; uti & *Cyprii, Cicizeni, Corinthii* & *Parthi. Athenæus lib. 10. cap. 9.* ut & *Suidas* referunt, *Thraces* pulchrum esse arbitrabantur, vinum per vestes effundere, ac vinum redolere. Odorum studiosi.

15. *Demetrius Poliorcetes* memorante *Æliano lib. 9. var. hist*: unguentis tùm ipse, tùm pavimentum ejus diffluebat, & singulis anni partibus flores ei substernebantur, ut in eis vestigia ponerent. Fuit etiam consuetudo quædam *Athenis*, ut qui deliciis dediti essent, pedes etiam unguentis perungerent; sicut tradit *Cephisodorus* in *Trophonio*. *Alexander* conspergebat pavimentum pretioso unguento, vinoque odorifero; myrrhâque & aliis suffimentis sibi suffumigari patiebatur: sicut tradit *Athenæus lib. 12. cap. 18.* Luxus in unguentis.

16. *Antiochus Epiphanes*, quem *Polybius Epimanem*. id est, *insanum* appellat *lib. hist. 26.* lavabatur in lavacris publicis unguentis perfusus. Quem cùm privatus quidam vidisset. *Beatus es*, dixit, *ô Rex! qui ità magnificè oles*. Lætatus Rex: *Ego*, inquit, *hujus satietatem tibi inducam*, ac vas duas choas capiens crassi unguenti in caput illius effundi jussit, atque lubrico hinc facto loco, ipse etiam *Antiochus* cecidit ridens & eorum plures, qui lavabantur. Antiochi Epiphanis unguentorum prodigalitas.

17. *Dominici Sylvii* Venetorum Ducis uxor Constantinopolitana genere & natione cubiculum suum eâ odorû refarciebat varietate, ut nimia suavitate ingredientium sensus penè obrueretur. *Sabellic. lib. 4. Decad. 1.*

18. In Commentariis *Aristoxeni* legitur, *Alexandrum Magnum* odorem ex corpore semper gratissimum efflâsse, totumque corpus mirâ reddidisse fragrantiam, quam inte- Corporis Alexandri M. [illegible]

riores quoque tunicæ retinebant. In causâ fuisse dicunt fervidum & igneum corporis ejus temperamentum: cum ut sentit *Theophrastus*, odoris suavitas â concoctis per calorem humoribus enascatur. Quocircâ aridi & fervidi tractus plurima optimaque proferre solent aromata.

Mirabilis aliquorum graveolentia. 19. Econtrâ multi â Veteribus Historicis & poëtis memorantur fœtore graves & infames: comprimis *Ozolæ* Locri indigenæ, ac *Lemniæ* mulieres. *Catullus* acuto carmine *Rufi* graveolentiam carpit. De *Telesillâ* hircum olente legi potest *Lucianus* 2. *Græc. Epigram. Martialis* acriter ob gravem omnibus fœtorem insectatur *Gelliam Epigr. lib.* 3. *Coracinum lib.* 5. *Philenem lib.* 9. acerrimè verò omnium *Thaidem lib.* 6. his versibus.

Tam malè Thais olet, quam non Fullonis avari
Testa vetus, media sed modo fracta via.
Non ab amore recens hircus, non ora leonis,
Non detracta cani transtiberina cutis.
Pullus abortivo nec cùm putrescit in ovo,
Amphora corrupto nec vitiata garo.
Virus at hoc alio fallax permutet odore
Depositâ quoties balnea veste petit.
Psilotro viret, aut acidâ latet oblita creta:
Aut tegitur pingui terque quaterque fabâ.
Cùm benè se tutam per fraudes mille putavit
Omnia cùm fecit, Thaida, Thais olet.

Memorat etiam *Galenus lib.* 6. *Epidem. Com.* 4. *aphor.* 9. Medicum quendam Asianum hircum sub alis tàm putidum aluisse, ut nemo nisi benè olentibus communitus accessum ejus ferre potuerit. De Judæis communiter omnibus constat, tetrum eos exhalare fœtorem, quem etiam non aliter, quàm Christianorum sanguine eos mitigare posse vulgo tradunt.

Odoramenta quibus noxi fuerint. 20. Quod odoramenta nonnullis malè conduxerint, patet in *Muleasse* Tunetano Rege, qui infelici prælio fugiens odore vestimentorum, quo supra modum delectabatur, proditus & captus fuit teste *Jovio*. Similiter *C. Plotinus Plancus Munatii Planci* Consularis & Censorii frater, cùm à Triumviris proscriptus in Regione Salernitanâ lateret, delicatiore vitæ genere & unguenti odore occultam salutis custodiam detexit: istis enim vestigiis, ut scribit *Valerius Max. lib.* 6. *cap.* 8. eorum, qui miserum persequebantur, sagax inducta cura abditum fugæ ejus cubile odorata est.

21. Qui moschum ex Indiis advehunt, cùm odor magnâ ex parte exhalavit, pelle ejusdem animalis involutum, aut vesicis inclusum in fœtidis locis per dies aliquot solent appendere, & vesicas variis pertundere foraminulis: quo medio Moscho fragrantia restituitur. Similiter Cinnamomum fœtidis in locis expositum deperditam recuperat virtutem.

22. Odores quantumvis gratos aliis nihilominus valdè molestos & infestos esse, plura demonstrant Exempla. *Uladislaus Jagello* Polon. Rex sic à pomis abhorrebat, *Cromero teste lib.* 20. *hist. Polon.* ut ne quidem odorem ferre posset. *Brugerinus lib.* 1. *de re cibar. cap.* 24. scribit, se novisse *Joannem â Querceto* Parisiensem, Regium *Francisci I.* Secretarium, qui solebat malorum odore atque aspectu adeò turbari, ut statim illi abeundum esset à convivio, si apposita cerneret; & si propiùs naribus admovebantur, repentè sanguis effluebat. Observatum etiam in quodam viro, memoratur *Ephem. Germ. Cur. Dec.* 2. *An.* 3. *obs.* 214. qui pomis vesci solebat satis cupidè, sed scriniis inclusa (quod solo odoratu prædicebat) ceu ipsam mephitim fastidiosus aversabatur. Odor pomorum quibusdam molestus.

23. Rosarum odorem utut gratissimum aversantium Exempla plura congessit *Schottus phys. cur. lib.* 3. *cap.* 33. §. 4. veluti sunt, *Oliverii Caraffæ* Cardinalis ex *Pierio*; alterius Cardinalis ex *Scaligero*; *Henrici à Cardonâ* Cardinalis ex *Schenckio*; *Laurentii* Vratislaviensis Episcopi ex *Cromero*, *Petri Melini* ex supramemorato *Pierio*; Monachi Dominicani ex *Amato Lusitano*; Nobilis cujusdam Anglicanæ ex *Digbæo*, qui omnes odorem rosarum non tantùm aversati sunt, sed ex eo syncopen, seu deliquium, aliasque corporis molestias persenserunt. Quibus addi potest etiam *Ephem. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 2. *obs.* 140. illud de Mercatore quodam *Grünbergensi*, qui, ut ibi refertur, quando rosas olfaciebat tempore roseo, patiebatur pruritum oculorum succedente eorundem inflammatione: lacrymæ involuntariæ copiosè rigabant genas, & quod durabat aliquot dies, cephalalgiâ intercurrente. Diligenter itaque cavebat, & quantum possibile, domi se continebat dicto tempore, ne fortè quispiam tenens rosam obviaret, & ipsi hæcce symptomata induceret. Rosarum odor nonnullis noxius.

24. Aliarum etiam quarundum rerum odorem aliis noxium fuisse in Historicis legimus, ità *Bruyer de re cib. lib.* 9. *cap.* 12. testatum reliquit *Jacobum* Forojuliensem Medicum insignem ab allii odore tanquam re pestilenti lædi consuevisse. *Marcus Donatus lib.* 6. *Hist. mirab. med. cap.* 4. scribit ad rutæ odorem militem solitum arripere fugam. Novi Ego virum, qui amaraci odorem ferre non potuit. Apud *Mercurialem lib.* 1. *de morb. mul. cap.* 2. & *Aristotelem* constat etiam solo lucernæ extinctæ odore mulieres abortire posse. Maximâ quoque videtur admiratione dignum, quod *Ephem. Germ. Cur. Dec.* 2. *An.* 3. *obs.* 214. narratur de viro quodam, cui & placuit & displicuit anguilla; palato gratissima, naribus ingratissima. Hic enim quovis modo coctam libentius comedit anguillam, solus autem odor, quem spirabat anguilla salsa (exuviis adhuc induta) cùm in craticula torrebatur, adeò ipsum exagitabat, ut animo linqui necesse habuerit. Odor aliarum rerum quibusdam contrarius.

25. Odore

25. Odore veneni alios etiam infici & interimi posse, sequentibus constat exemplis. *Alexandri* siquidem *Magni* equitatus in Indiâ pestilentissimo cujusdam fruticis odore penè totus interiit. *Franciscus* verò *Ordelaphus Forolivii* Capitaneus genus veneni habuit, quod injectum supra carbones omnes interimebat adstantes. *Jonstonus in Thaumatogr. clas.* 10. *cap.* 6. *art.*4.

Cardani mirabilis odoratus.

26. Denique cùm de odoratûs mirabilibus agimus, prætereundum non est, quosdam odorem rerum nullum unquam percipere, alios verò semper rerum, quæ etiam præsentes non sunt, odores persentire. Ita *Cardanus lib.* 8. *de variet cap.* 43. de seipso testatur, quod semper odorem aliquem perceperit; videlicet, nunc carnis, nunc thuris, nunc sulphuris, nunc aliarum rerum. Causam refert ad maximam sensûs sui subtilitatem & cutis raritatem, humorumque tenuitatem.

§. VI.

Quædam Tactûs Mirabilia.

Capillorum mutatio ex attactu.

1. Nemo non mirari debet, quod scribit Noster *Hieronymus Hirnbaim de Typho hum. gen. cap.* 6. Ordinis nostri Religiosum se novisse, qui subita invisæ rei cujusdam apprehensione correptus, cùm caput palmâ extensa supernè contigisset, quinque digitorum vestigia eidem impressit, capillis, quos tetigerat, subitò de nigris in canos mutatis.

Lanius cœcus tactu belluas æstimans.

2. *Aldrovandus in hist. Monst.* tradit Lanium cœcum *Bononiæ* solo tactu belluas mactandas, quanti essent ponderis æstimasse, libellas staterae numerâsse, monetas novisse, equitâsse, aliaque multa ad munus Lanii spectantia feliciter obiisse.

Tactu album à nigro discernens.

3. De Comite Mansfeldico cœco refert *Keckermannus syst. phys. lib.* 3. *cap.* 16. solo tactu album à nigro discernere; de Equo fusco vel albo; item de columbâ nigrâ vel cæruleâ judicium ferre potuisse.

4. *Camerarius Hor. succis. cent.* 3. *cap.*8. scribit de Francothalensi quodam ab utero matris cœco, qui ex tribus filiabus cujusdam tactu manûs formosissimam elegit.

Statuæ à cœco confectæ.

5. *Joannes Gambusius* Volaterranus insignis statuarius teste *Aldrovando in hist. Monstr.* circa annum ætatis vigesimum utroque oculo captus est. Cùm per decennium in hac arte nihil operatus esset, subiit tandem eum cogitatio ingenii in arte statuaria aliquid experiendi & contrectata diligenter manibus statuâ marmoreâ, quæ *Cosmum I.* Hetruriæ magnum Ducem referebat, aliam ex argilla adeò similem expressit, ut omnes rei novitate stupidos reddiderit. Quare jussu *Ferdinandi* Magni Hetruriæ Ducis *Florentiâ Romam* petiit & expressam *Urbani VIII.* Pont. Max. ex argillâ effigiem quàm simillimam eidem obtulit. Deinde multas etiam alias nonnullorum formas effinxit.

Ferri attactus mulieri noxius.

6. Honesta quædam mulier Patavienfis talis esse naturæ describitur *Ephem. Germ. Cur. Dec.* 1. *An.* 9. & 10, *obs.* 194. ut quoties ferrum Ex. gr. clavos, acus, aut aliquid hujusmodi tractat aut tenet manibus, tanto statim obruatur sudore, quo toto corpore madeat: cùm aliàs quocunque etiam modo se moveat, nec guttam sudoris emittat, sed more communi fœminarum plerumque frigeat.

Pollex attactu sanans.

7. Pollex dexter *Pyrrhi Epyrotarum* Regis, uti *Plinius* notat *lib.*7. *Nat. hist. cap.*9. solo tactu lienosos liberabat: quare cùm ejus cadaver, inquit, in rogo crematur, cæteris partibus combustis solus ille digitus incombustus permansit. Verùm *Antonius Mirandulanus* citatus à *Derio disq. mag.lib.* 1.*cap.*3.*qu.*4 hoc mendaciis incredibilibus, ipse verò *Delrio* dæmonicis potius viribus adnumerandum putat. *Vespasianum* Imp. *Alexandriæ* quendam etiam manu sideratum tactu sanâsse *Suetonius* & *Tacitus* recensent.

Attactus quorundam serpentibus infestus.

8. De Ophiogenum familiâ in Cypro scribit supra cit. *Plinius lib.*28.*cap.*3. serpentum ictus eam solo contactu levare & manu impositâ venena extrahere. Addit deinde *Plinius* memorabile Exemplum sequens. *Ex eâ familia*, inquit, *Legatus Hexagon nomine à Cons. Romæ in dolium Serpentum conjectus experimenti causâ, circum mulcentibus linguis miraculum præbuit. Signum ejus familæ fuit vernis temporibus odoris virtus. Sudor eorum medebatur non modò saliva.* Psyllos Africæ populos uti & Marsos *Idem ibidem* serpentibus terrori scribit esse & tactu ipso levare percussos, suctu vè medico.

Tactu Strumas curantes.

9. Anglorum Reges ab *Edouardo III.* eorundem Rege divinitus acceptùm hoc beneficium, ut solo tactu strumosos curare queant, hæreditario quodam jure possidere *Polydorus lib.* 8. recenset. De Franciæ quoque Regibus res non Annalium modò, sed & Medicorum publicis literis, ut *Guidonis in Chirurg. magnæ trat.*2. *doctri.*2 *cap.*5. ac *Joannis Tagautii lib.*1. *Instit. Chirurg.* & quotidianâ certâque experientiâ est contestata; hoc illis beneficium quondam concessum fuisse, ut contactu strumas, seu scrofulas sanarent. Priscos etiam Austriæ Principes ab Habspurgensibus oriundos strumas sanare divinâ quadam vi posse, cui manu suâ poculum vino plenum bibendum porrigunt *Joannes Pauli in Spudopædiâ* memorat. Asserunt denique omnem natum numero septimum filium nulla internatâ fœminei sexus prole eandem virtutem solo tactu curandi strumas habere.

Puer attactu sanans ægros.

10. Scribit *Michaël Medina lib. de recta in Deum fide cap.*7. *se Salmanticæ* puerum quendam novisse, qui gratiam sanitatis habere credebatur, & qui multos homines solo attactu gravissimis liberabat morbis, sed morbos tandem rediisse, quando jam ægrorum imaginatio deserbuisset. *Joannes Sanchez de Valdes lib.*1. *Hist. gener. cap.*30. refert in pago quodam juxtà *Granadam* in Hispania fuisse mulieres, quæ solâ manuum impositione suprà oculos sanabant illos.

Attactus venenatus

11. Econtra & tactu Venenum concipi & vitam eripi certū est. Ita Turcas venena habere docet *Cardanus lib.*1.*de variet.c.*15. quæ solo attactu

attactu eodem die interimant. *Otho III.* Imp. Romanorum à *Crescentii* Romani Consulis uxore spe conjugii frustratâ chirothecis venenatis interemptus perhibetur. *Joan. Galeacius* apposito stapeti veneno cùm equitare vellet, è medio sublatus est. Dryinus, ubi quis eum calcaverit, illius pedes excoriat & quod mirabilius manus Medici locum infectum curantis inde excoriantur.

Extasi se reddentes insensibiles. 12. Ad tactûs Mirabilia referenda quoque videtur insensibilitas doloris & sensitivæ externæ facultatis amissio in nonnullis curiosè quandoque observata. De quodam presbytero *Restituto* nomine narrat *Cardanus lib. 8. de variet. cap. 43. qui quoties volebat, jacebat ut mortuus absque anhelitu, nec solum vellicantes, sed & pungentes non sentiebat & admoto igne comburebatur absque dolore. Id mirum & incredibile multis videri posset, qui hoc apud Turcas frequens esse ignorant.* Testatur deinde *Cardanus* de se ipso, quod quoties voluerit, extra sensum quasi in extasin transire valuerit. Subdit etiàm sequentia. *Vellicationem validam & podagræ dolores vehementissimos nihil prorsus sentio, sed dum eam ineo, ac (ut verius dicam) facio juxta cor quandam separationem, quasi anima abscederet, totique corpori res hæc communicatur, quasi ostiolum quoddam aperitur. Et initium hujus est à capite, maximè cerebello, diffunditurque per totam dorsi spinam, vi magnâ continentur; hocque solum sentio, quod sum extra meipsum, magnâque vi quadam me contineo.* Ex *Avicenna* quoque refert *Idem Cardanus ibidem*, quendam fuisse, quem si serpentes momordissent, peribant, ipse autem non lædebatur, & quod quoties vellet, fiebat paralyticus, id est, jacebat absque sensu & sicut mortuus. De *Socrate* narrat etiam *Plato in Orat. Alcibiadis*, quod integro die eodem vestigio cogitabundus steterit alio sensu destitutus: Ex historiâ Anglicana refert *Jonstonus in Thaumatogr. class. 10. cap. 7. art. 7.* Virginem Cantianam *Elisabetham Burtoniam* à sensibus se abstrahendi habitum à morbo quodam contractum fuisse.

Extasis ficta in quadam muliere Historia. 13. Mulierem Siculam satis sibi notam vidisse se scribit *Paulus Zacchias qu. Medico-leg. lib. 3. Tit. 2. qu. 6.* quæ se, ubi frequens hominum cœtus in templis, sacrisque convenisset, raptam in extasin effingebat & admiratione non parvâ dignum erat, quàm aptè simularet. Stabat extensis brachiis in crucis modum, palpebris immobilibus, oculis fixis, & per horæ spatium ac ultrà in eo actu perseverabat. Interdum veluti ad cœlum volatura & in aërem se elevatura corpus attollebat, illud mirum in modum extendens: sed admirationem omnem superare sibi visum esse, scribit Idem, quod vultum in mille colores vel ictu oculi commutaret: nam modò rubescebat & quasi ardore quodam incendi videbatur, modò adeo pallescebat, ut quasi emortua langueret: denuò ac dicto citius rubore perfundebatur; ac deniq; veluti animo deficiens ad seipsam redire simulabat, ità ut circumstantes omnes eam divino raptu prehensam pro sancta venerarentur, & ad illius vestimenta devotionis ergo tangenda quæcunque mulierculæ & homunciones aderant, turmatim accurrerent non sine præfati Authoris risu & multo maiori ipsiusmet fœminæ derisu, quam ipse quidem intus & in cute agnoscebat. Sed has fictas tamque exoticas metamorphoses non aliundè quàm ab omnium strigum principe Cacodæmone provenire quis dubitat?

14. *Bodinus lib. 2. Dæmonolog. cap. 5.* testatur se à Turettano Præside audivisse Magam à se visam in Delphinatu, quæ viva deinde fuit concremata. Hanc verò cubantem ad ignem manente domi corpore in extasin abreptam esse, & quia nihil intelligebat, gravissimis virgarum ictibus ab hero percussam: tum etiam ut viderent, an de hac vitâ discessisset, ignem partibus, quæ maximè valent sensu, fuisse subjectum, nec propterea evigilasse. Eam itaque jacentem ab hero, heràque mortuam esse existimantibus ibi derelictam esse: mane jacentem in lecto inventam. Quod cum miratus herus quæsivisset, quid rei contigisset ipsi; exclamantem suo sermone dixisse: *Ah here! quàm verberasti me?* Id hero apud vicinos narrante, aliquem dixisse: *Saga est*, ideoque non destitisse herum, donec illa rem fassa indicavisset, se animo cœtum Magorum adivisse. Sic alia insuper scelera, quæ perpetraverat, agnovit & igni tradita fuit. Plures alias ejusmodi historias commemorat *Bodinus*, quas apud ipsum videre licet. Insensibilis saga extaticæ alia historia.

15. *Jamblichus* etiam *lib. myster. Ægypti*, testatur multos prophetarum admoto igne non uri, vel si urantur, ustionem non sentire, uti nec alia tormenta ulla; loquens de Vatibus Gentilium, addensque id fieri Deo intus afflante, qui repellat ignem, illaque cætera hebetet. Sed ut rectè *Delrio disqu. Mag. lib. 2. qu. 21.* hæc ipsa referens: quis iste Deus *Jamblichi* Magi, nisi Cacodæmon quispiam *Eurycles*? qui isti prophetæ, nisi malefici? Illæsi ab igne pseudoprophetæ.

16. Narravisse sibi scribit *Idem Delrio loc. cit. P. Bernardum Oliverium* tum Societ. *JEsu* per *Belgium* Provincialem, prope *Samarobrinam* Anno 1599. captam puellam strigatricem, quæ nec pedum ustulationem sævissimam, nec flagra sentiebat validissima, donec sacerdotis cujusdam monitu illi Agni benedicti ceream imaginem collo injecerunt. Tum enim vi sacri amuleti dæmonis præstigiosa ludibria depulsa, & illa vim doloris cœpit persentiscere. Unde patet, sicut *Delrio* subdit, hanc indolentiam, quam agnoscit etiam *Tostatus qu. 354. in Gen. cap. 13.* non nasci ex ullâ causâ physica, sed operâ Dæmonis induci. Strigatricis puellæ indolentia sublata.

17. Constat etiam ex plurium Authorum relatione variis experimentis & exemplis stabilita stigmatum illorum tesseram, quam Diabolus imprimit strigibus, ità sensu destitui, ut nec acus longissimæ figura dolorem minimum adferat, nec sanguinem eliciat. Pluribus hoc demonstrat Exemplis *Remigius lib. 1. cap. 5.* velut in *Isabella Pardæa Spinalii* Anno 1588. comprehensâ; *Claudiâ Bogartâ Brindusii* Anno 1590. tormentis subactâ; *Mugetâ Essæi* Anno 1591. suppliciis addictâ: in quibus omnibus tesseræ dæmoniacæ compertæ, cùm in eas etiam quæcunque aciculæ penitissimè infigerentur, nec minimum doloris sensum efficere, nec Stigmatum tesseræ in strigibus sensu doloris carent.

ullam

ullam sanguinis guttam exprimere valuerunt. Narrat quoque *Claudius Charondas* stigma famosæ illius Sagæ, cui nomen *Bajaronne* in humero sinistro valdè latens & imperfectissimè delineatum denarii tamen magnitudine, quasi à centro ductis filamentis ad peripheriam prorsus omnis sensûs expers fuisse. De hujusmodi stigmatibus legi potest *Paulus Zacchias qu. Medico-legal. lib. 7. tit. 4.*

Mirabilis sensatio doloris in digitis manus abscissæ.

18. Est & hoc inter Tactûs mirabilia referendum, quod etiam post membri alicujus resectionem à corpore animato dolor persentiri possit, quasi in ipso membro adhuc corpori unito contingeret. Exemplum exoticæ ejusmodi sensationis recenset *P. Fridericus Geiger in Thesibus suis inauguralibus Philos. Thesi 46.* his verbis. *Puella quædam gravi morbo afflictam habebat manum: Quoties accedebat Chirurgus, velabantur illi oculi, ne curationis apparatus turbaret illam. Post aliquot dies brachium usque ad cubitum propter gangrænam in eo serpentem amputatum fuit, substitutis in eum locum pannis, ut eo se privatam non animadverteret. Interim dum jam separatum erat à reliquo trunco brachium, misera puella varios dolores nunc in uno, nunc in altero ejus manûs, quæ abscissa erat, digito se persentiscere querebatur. Quis non miretur dolere puellam digitum in illâ manu, quam falx chirurgica amputaverat?* subdit verò hujus doloris causam ità: *Igitur quod puella hæc doluerit digitis in manu jam resectâ, profectum est inde; quod nervi, qui prius ex cerebro ad ipsam manum descendebant, & post sectionem brachii terminabantur ad cubitum, eodemmodo ibi moverentur, ut movere debuissent, vel moti fuissent in manu ipsa ad sensum hujus vel illius digiti dolentis animæ in cerebro residenti imprimendum.*

CAPUT VII.

De sensibus internis primariis: Sensu scilicet Communi & Phantasiâ.



SIcut Sensus externus appellatur ille cujus organum exterius in corpore patet; ità internus is est, cujus organum proprium intrinsecùs, in capite sivè cerebro latet. Quatenus verò internus sensus in medio cerebri, ut communi omnium impressionum centro perficitur, *Sensus communis* appellatur: qui species omnes ab externis sensoriis acceptas apprehendit & dignoscit: quatenus verò species tum per externa sensoria adductas, quam absentes & à se formatas diutiùs retinet, dijudicat, componit ac dividit; *Imaginatio seu Phantasia* nuncupatur: Quatenus verò easdem species à phantasiâ acceptas conservat & retinet, suoque tempore depromit; *Memoria* nominatur. Sed de internis his animæ functionibus notabiliora quædam & mirabiliora speciatim magis proferamus.

§. I.

De sensu Communi & Phantasia Notabilia varia scienda proferuntur.

Sensus internus alius primarius, alius secundarius.

1. Sensus internus, sivè interior, qui intus in cerebro perficitur, ibidemque suum habet organum, rectè cum *Keckermanno syst. phys. lib. 3. cap. 17.* videtur statui alius primus, vel primariò sic dictus; alius à primo exortus, sive secundariò dictus. Sensus interior primus est vel sensus communis vel Imaginatio, sivè Phantasia: sensus secundariò dictus & à primo ortus est Memoria: sed de his speciatim nunc magis agendum.

Sensus communis quid sit.

2. Sensus communis est sensus interior, per quem species sensibiles externis instrumentis formatæ ac perceptæ partim apprehenduntur, partim judicantur, & à se invicem magis discernuntur. Unde hic sensus cunctarum sensationum externarum terminus communiter dici solet, & quasi centrum commune, in quo & à quo corporis lucidi, colorati, sonantis, sapidi &c. Species percipiuntur, apprehenduntur & judicantur.

Sensûs communis objectum.

3. Sensûs communis objectum est omne illud sensile, quod externis sensibus percipi potest, atq; adeò omnis imago & species quæcunq; ab objecto sensibili formata. Unde sensûs internus ab externis dependet speciebus: ab Externis enim sensibus accipit species, circà quas occupatur, & quidquid visum, auditum aut aliis sensibus perceptum in examen adducit & discernit: differentias enim inter variorum externorum sensuum objecta apprehendit, à se invicem distinguit & phantasiæ seu imaginationi nomine phantasmatis tradit. Quocircà non incongruè interstitium seu mediator inter sensus externos & internos appellatur, quod ab illis suggestas species imaginationi & memoriæ concredat. Regis etiam aut Judicis instar est hic sensus, qui in throno suo sedet, & ab externis sensibus, seu ministris fidelibus visa, audita, odorata, gustata & tacta accipit, æstimat, & dijudicat.

Hujus Actus & officia.

4. Hujus sensûs varii & diversi in genere sunt actus, vel actuum exercitia, sive munia & officia. *Primò* enim omnium externorum sensuum recipit species, atque per hunc prudens Natura multitudinem in unitatem revocat sensibus externis in unum internum communem confluentibus. *Secundò*, cum sensus externi quilibet proprio sint contenti objecto, nec alieni curam habeant, hic tamen omnium objectorum curam habet & propria à se invicem discernit, velut colorem à sono, sonum ab odore, odorem à sapore &c. Et ipsa propria cujusdam sensûs objecta etiam ejusdem sensorii distinguit à se invicem, ut colorem nigrum ab albo, sonum acutum à gravi, saporem amarum à dulci &c. *Tertiò*, sensibilia propria à communibus distinguit, nempè colorem, sonum &c. à figurâ, numero, magnitudine, motu & quiete. Denique reflexè cognoscit se sentire; videre scilicet, audire, gustare, odorari & tangere. Nec enim sensus externi, horumq; sensoria suas percipiunt actiones: id est, ocul' non sentit se videre, nec auris audire se sentit &c. hinc videtur requiri superior

superior quædam facultas, quæ sensationes externas percipiat & per quam de illis judicemus, id est non tantùm videamus, sed etiam observemus non videre.

Centro Circuli comparatur. 5. Quia in sensu Communi omnium sensuum objecta concurrunt, non inconcinnè hic sensus centro circuli *ab Aristotele lib. 3. de Animâ cap. 2. text. 194.* comparatur. Sicut enim omnes lineæ ductæ à circumferentiâ circuli conveniunt in centro; ita etiam omnes sensus exteriores, eorumque objecta concurrunt in sensu communi.

Non est multiplex, sed unus. 6. Quamvis autem sensus communis omnium sensuum exteriorum objecta ità, ut dictum, apprehendat, judicet & discernat: non propterea tamen multiplex est, sed unus specie sensus; siquidem unâ eademque operatione discernit diversissima objecta, haud secùs ac visus, qui unus est idemque specie: apprehendit tamen diversos imo contrarios colores velut album & nigrum.

Sensuum internorum organa. 7. Cum, ut dictum, sensuum internorum organa sint in cerebro, non conveniunt Authores inter se de organo proximo cujusque Sensûs interni, ac in quâ parte cerebri quisque sedem suam habeat. Plerique cerebrum distinguunt in partem anteriorem, mediam, & posticam sive posteriorem: & in parte quidem anteriori sedem assignant sensui communi, in parte mediâ collocant phantasiam, in postremâ verò Memoriam *P. Honoratus Fabri lib. 3. de homine prop. 9.* plexus secundinis haud absimiles, qui retinam interioris cerebri componunt, organum sensûs interni constituit, & variis probat argumentis, comprimis negativo: cum enim in ipsâ cerebri substantia non fiat sensus internus, alioquin in toto cerebro fieret, & cum hic plexus duntaxat supersit, nec quicquam aliud assignari queat eo munere defungens; restat ut in iis sensûs organum constituatur. Secundum argumentum ducit ab analogiâ sensuum externorum, præsertim visûs, quod ex defœcatissimâ cerebri substantiâ, & innumeris tum arteriolis, tum venulis constat, aptissimum quoque ad excipiendam affectionem sensibilem. Dicit autem defœcatissimam cerebri substantiam per nervos opticos traductam; nempè crassior in alias tunicas abit, vel ultrà non producitur; hinc retina ipso nervo optico mollior est. Igitur ut retina, quæ tali plexu constat, est organum sensûs externi, ita ille interior cerebri plexus sensus interni sedes est. Tertium argumentum ex viciniis collatoriis & ventriculis deducit: Quartum verò ex subtilitate & tenuitate illarum fibrarum atque præsente exquisita ratione plexus, cui scilicet minima affectio facilè imprimi potest, nempè à cerebri basi, in quâ nervorum originem omnes agnoscunt, ac proinde affectio impressa organo sensûs externi facilè traduci potest, scilicet per nervos ex quibus constat ad prædictum plexum & inde per nervos motib' servientes in musculos toto corpore distributos, imo in reliquas fibras ex quibus nervi, venæ & arteriæ componuntur. Hæc sunt argumenta *Fabri.* Unde prædictus plexus non modò ex nervis, verùm etiam venis, arteriis, aliisque fibris membranosis constat. Quo perspicuum est, sensum internum in prædicto plexu positum esse, quod ultima ratio maximè probare videtur. Verùm quamvis hæc doctissimi viri sententia, quam valdè eruditè & ingeniosè pro explicandis sensibus internis, eorumque affectionibus prosequitur, plausibilis esse videatur: Verisimiliùs mihi tamen videtur, quod *Du Hamel phys. part. 3. tract. 1. cap. 4.* ait: *Quæ sint sensus communis, vis imaginatricis & memoriæ organa, quæ functiones, quæ inter eas vires sit connexio, definire* (rite & accuratè) *nemo potest.* Prior itaque sententia, sicut communior est, ita ut probabilior acceptari potest.

8. Imaginatio sive phantasia est sensus internus species à sensu communi ad se delatas diutius retinens, altiùs examinans, novasque inde eliciens. Ab hoc itaq; sensu interno species sive imagines sensiles à communi sensu priùs inter se distinctæ adhuc magis dijudicantur & inter se comparantur, sic ut æstimatio quædam fiat, per quam concluditur, quid amplectendum, quidvè fugiendum sit. *Phantasia quid sit.*

9. Officium imaginationis in suis speciebus aut actibus producendis duplex est. Primum, ut accuratiùs, quàm in sensu communi factum est, judicet, qualis sit res, quæ sensu percepta est: quod verò præstat plures species acceptas inter se comparando atque adeò componendo ac dividendo, ut rectius judicare possit, quid amplectendum aut fugiendum sit. Quod præclarè Exemplo canis declarat *Keckermannus syst. phys. lib. 3. cap. 18.* Hic enim cum videt os, primò percipit oculis albedinem ossis, postea sensu communi distinguit albedinem ossis ab albedine nivis, aut alterius cujusdam rei albæ, simulque odorem ossis ab odore aliarum rerum. Tertiò judicat istum colorem & odorem fore sibi nutrimentum; idcircò incipit illud arrodere, monitus nempe sensu phantasiæ, qui dictitat huic materiæ talem inesse colorem, & saporem & odorem, qui conveniat naturæ hujus animalis. Itaque phantasia judicat, qualis sit ista species sivè res ista, cujus speciem apprehendit & ab aliis speciebus distinxit sensus communis. Alterum officium est, quod Imaginatio species à sensu communi perceptas multiplicet & unam ex alterâ deducat, sivè colligat: Unde novas effingit species, & alias ex aliis efformat, atque adeò instituit quandam deductionem similem ferè cum quadam analogiâ ratiocinationi, quam Physici alias æstimatricem & cogitatricem appellant facultatem: Est enim æstimativa facultas nihil aliud in animalibus, quàm quædam conclusio & collectio unius ex alio conveniens naturæ & temperamento hujus animalis. Exemplum hujus officii damus iterum in Cane: hic enim percussorem cum baculo videns, statim latrat & fugam arripit, quamvis percussor non intendat percutere: canis enim percipiens species percussoris & baculi, qui pellem tangebat & dolorem afferebat, omnia hæc non tantùm *Duplex ejus officium.* *Æstimativa quid sit.*

appre-

apprehendit in sensu communi, sed etiam componit cum dolore, quem ex percussione senserat, & inde deducit fugiendum, ne rursus percutiatur & doleat.

Objectum Phantasiæ. 10. Objectum phantasiæ immediatum sunt species illæ, quas sensus communis antea apprehendit atque effotmavit: has itaq; species à sensu communi acceptas imaginatio assumit, eas variè comparat, & judicat quales sint; aliquando etiam novas ex istis format aut saltem similes.

Phantasiæ sedes in mediâparte cerebri. 11. Sicut anterior cerebri pars sensûs Communis sedes & organum communiter à Medicis & Physicis asseritur: ita interior, media cerebri pars instrumentum & sedes Phantasiæ assignatur. Pro temperie tamen mediæ illius cerebri partis etiam phantasia suas operationes exercere solet. Sic pro diversitate temporum pueritiæ, nimirùm Juventutis & Senectutis, quia medium cerebrum modò instar aquæ fluidius ut in pueris existit, ità species facilè imprimuntur, & obliterantur: modò instar terræ solidius est, ut in senibus & eæ difficiliùs imprimuntur; modò instar ceræ mollius est cerebrum ut in Juvenibus, & tunc impressa tenent vestigia. Unde *Aristoteles de memoria* tradit, nec pueros, quod molliores sint, nec Senes, quòd tardiores, optimè imaginati; secùs Juvenes quod medium motûs & quietis statum obtineant. Pari modo pro diversitate locorum, calidæ v. g. aut frigidæ, aut temperatæ regionis cerebrum modò magis aut minus moveri aptum majorem reddit aut minorem imaginandi virtutem. Sic denique pro diversitate sexûs diversa etiam est in viris & mulieribus imaginandi vis, quod enim illa medii cerebri pars molliot sit in mulieribus, quàm in Viris, idcircò mulieres etiam faciliùs imaginari possunt quàm Viri.

Phantasia quomodò turbetur. 12. Variis ex causis phantasia turbari solet multùm ad hoc conferente sanguine, & spiritibus in eo perturbatis, aut vaporibus in cerebrum mediam phantasiæ sedem delatis. Si enim sanguis effervescat, multumque spititum emittat, qui ad carnium capitis illisus circuletur, omnia gyrari videntur. Idem contingit, si crudi spiritus cerebrum petant, vel rejectamenta retenta calidos vapores exhalent, ac malignos, qui circumagant spiritus animales. Sic enim imaginatrix pervettitur, & inde vertigo provenit. Quodsi citcà pectoris venas crassus & melancholicus colligatur sanguis, unde crassi erumpant vapores, ac premant diaphragma, pulmonemque constringant, imaginattix format speciem suffocationis; qui morbus aliàs *Incubus* dici solet. Quod si cerebrum nimium ex humore melancholico adusto incaluerit, facilè Mania sequitur & delirium ut in extremè melancholicis haud sine interno doloris ac commisetationis affectu spectare licet. Si bilis flava æstuat & cerebrum invadat, mox

Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgonio sæviùs angue micant.
Omnia sunt hostis, furor, Eumenidesque triumphant.

Si verò halitus sanguinei caput ascendant, tum dulcis amentia phantasiam pervertit, tunc Sardonici risus, tunc cachinni, tunc miseranda sæpe jucunditas & flebilis lætitia, *tunc pede libero pulsanda tellus*; tunc ut *Juvenalis.*

- - - - verborum tanta cadit vis;
Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas
Pulsari.

13. Effectus phantasiæ si considerentur, ii planè singulares sunt & verè mirabiles; alii autem ex his sunt in ipso imaginante homine, alii extra imaginantem: quorum illi interiores, hi verò exteriores dici possunt. Interiores aliquos enarrat *Sperlingius Zoologiæ phys. cap.* 13. his verbis. *Cogitando læta lætamur; tristia tristamur: fœtida movent nauseam, jucunda appetitum. Austeros fructus comedentes cum observamus, ipsi perfundimur horrore. Oscitante uno, oscitat alter. Esurient magis edentes qui cernunt. Pestis tempore peste corripiuntur quandoque, pestem qui sibi imaginantur. Dolor dentium acerrimus fit, cum laborantes indulgent cogitationibus istis. Ex imaginatione inepta multa stulta cogitant, loquuntur & agunt amantes. Adeò quosdam tenet amor, ut ex obesis macros, è sanis ægrotos, è vivis mortuos præstet.* Extasis quoque & mentis alienatio subinde imaginationis est. Factâ enim vehementi & fixâ circà rem aliquam imaginatione: velut circa amatam personam, vel etiam circà cœlestia, velut Angelos & Sanctos &c. confluere possunt in cerebrum omnes spiritus animales sopitis aliis sensibus, & spiritibus motui destinatis. Quo Spirituum animalium ad cerebrum confluxu à sensibus prorsus alienatur homo, qui in eâ imaginatione hærens non secùs ac in somniantibus se rem præsentem habere existimat, ac realiter videre & audire, quamcunque imaginatur; cum Angelis & Sanctis Dei colloqui, si circà illos imaginatio fuerit. Exteriores phantasiæ affectus comprimis patent in fœtibus & prolibus ab imaginationibus parentum signatis. Sed de hac imaginatione vide, quæ supra jam attulimus *Disq. præced. cap.* 3. Certum igitur est, phantasiam causam esse mirabilium effectuum, multarumque perturbationum & alterationum tam in proprio quàm alieno corpore movendo scilicet & dirigendo potentias animæ, movendi & altetandi vim habentes, ut potentiam animalem, locomotivam, item appetitivam: denique movendo humores & spiritus, ac dirigendo potentiam conformatricem mediantibus animi passionibus, ut experientiâ notissimum est.

Effectus Phantasiæ

14. Dæmonem etiam se immiscere phantasiæ, & multa in phantasticis operari, quæ naturaliter fieri non possent, pluribus constat Exemplis. Ita *Gujanerius tract.* 15. *cap.* 4. rusticum quendam melancholicum se vidisse

vidisse scribit, qui sæper Lunâ existente combustâ carmina componebat latina, & transactâ combustione circa duos dies ad aliam combustionem ne verba quidem latina proferre poterat. *Forestus* mulierem melancholicam cantilenas latinas cantâsse docet, quas nunquam didicerat. *Erasmus in Encom. Medicinæ* tradit, Spoletanum quendam idioma aliàs ignotum, dum ægrotabat, fuisse locutum; redditâ verò sanitate penitus ignorâsse. Verùm qui plura de phantasiâ, ejusque vi & efficaciâ scire cupit, legat Picum *Mirandulan lib. de imaginat. Marsilium Ficinum lib. 13. de Theolog. Platonicâ, & in Prisciani Lydi Comment. de phant. & intellectu. Anton. Mirandulanum lib. 29. de singula. certam. Tostatum in Gen. cap. 3. Michaëlem Medinam lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. Vairum lib. 2. de fascino cap. 3. Valesium de sacrâ Philosoph. cap. 11. Conymbricenses in 7. Physic. cap. 2. qu. 1. Martinum Del Rio Disq. Magic. lib. 1. cap. 3. qu. 3.* & plures alios.

§. II.

Phantasiæ quidam effectus exotici, vel ejusdem ex Melancholiâ aliisvè de causis læsæ Exempla mirabilia.

Partus miro remedio solutus.

1. *Neapoli* in Campaniâ Illustrissima quædam fœmina partûs difficultatibus obluctata pluribus jam horis ingenti molestiâ ut eniti non posset tentatis ferè omnibus remediis mediâ nocte ad ædes *Joannis Baptistæ Portæ* Viri in Physicis expertissimi misit pulsatum, & remedium etiam importunè contra tot pericula petitum. Ille medicinam se non profiteri & somnum sibi interrumpi conquestus abire famulum jussit. Hic verò magis magisque instare & sacram anchoram implorare non destitit. Quare *Porta* ut se eâ molestiâ eximeret, aquam nescio quam (creditur verò fuisse capillorum Veneris) in chartulâ præscripsit & subitò parturienti potandam. Ne autem levicuculum papyri folium per fenestram jactum à vento raperetur, fordes pavimenti & quisquilias collegit, ac chartulâ involvit, ut illis tanquam saburra gravitaret. Famulus ratus se medicamentum *à Portâ* paratum domum ferre, jussit ut ebiberet Hera, quod attulerat. Quare mulierculæ assistentes ex vino pulverem illum sordidum confestim sorbendum præbuerunt: & ecce quadrantis spatio enititur illa pulcherrimum masculum. Dum manè è lecto in musæum se recipit *Porta*, in ædibus suis plures Principis illius famulos, sive anteambulones vino nobilissimo Campano, carnibus, volatilibus, piscibus & fructibus, mensæque secundæ bellariis onustos reperit. Miratur rei novitatem: atque isti ajunt, donaria esse, quæ Princeps eorum illi mitteret pro arcano & quasi divino medicamento: pulvere nimirum illo, quem ante aliquot horas parturienti transmisit uxori, quo hausto felicissimè peperit. Porta rem simulavit & gratias egit Principi, atque à meridie se Eundem accessurum, ut gratularetur de prole promisit, quod & fecit. *Joann. Fab. Lync. pag. 497.*

Serpentis devorati imaginatio sublata.

2. *Alexander Trallianus* tradit mulierem quandam, quæ serpentem se devorasse existimabat, per hoc fuisse sanatam, quod Vomitorium sumpserit, atque oborto vomitu serpens clam in testam illâ non advertente fuisset injectus.

Imaginativa cura in appensis amuletis.

3. Variis constat experimentis, multos à morbis quibusdam curatos fuisse gestando solùm lapillos, sordes, quisquilias aut varias etiam scripturas in schedulis: per hoc quod imaginarentur sibi & crederent, ea præstantissima contra morbos amuleta esse. Ità facetum est, quod de Studioso quodam asserunt, eum diu à fœminâ quadam lippiente & magnos in oculis dolores patiente sollicitatum fuisse pro remedio contra præfatum malum; cumque ex solo jocandi studio eidem Schedulam quandam collo appendendam dedisset, fœminaque illa à morbo tandem sanata fuisset; plures hujusmodi malo pressas eundem magnis precibus & pretio pro simili amuleto requisivisse, quibus similiter profuerit. Cum verò curiosior quidam ejusmodi schedulam tandem aperuisset, hanc in eâ scripturam reperit: *Diabolus eruat tibi oculos, & impleat eos luto.* Ita confidentia, fides, & fortis imaginatio multa persæpè possunt efficere, quæ Natura & ars præstare non valent: quamvis & Dœmonis astus etiam his se inserere queat.

Purgatio imaginaria

4. De Herâ quâdam memorat *Salmuth C. obs. med.* quæ quoties purgari cuperet, pilulas ex officinâ depromptas ancillæ deglutiendas offerebat pretio constituto, & exindè, quod saltem adstaret & pilulas deglutiri videret, cum nauseabat, tum purgabatur.

Alvi laxatio ab imaginatione.

5. Fuit in celebri Germaniæ civitate Civis omnibus notus, inquit *Laur. Beyerlinck in Theat vit. hum. V. imaginatio.* qui cum ætatis annos ad maturitatem perduxisset absque ullius medicamenti aut pharmaci ope vel usu, contentus iis, quæ culina & tellus largâ manu donabant, tandem nonnihil alterationis sentiens Medicum advocavit; qui explorato pulsu & cognitis imminentis morbi causis de expurgando stomacho per lenientia aliqua cogitavit. Igitur purgationem præscripsit ad pharmacopæum deferendam. Ille verò tanquam de re arduâ deliberat præscriptum Medici circumfert, cum amicis consilia init, anxius, quid sibi ex insolitâ illâ potione eveniret. Et ecce dum mente turbatur, & chymeras aliquas sibi proponit, tandem alvi laxatio, & luxatio ultrò sine reali pharmaci sumptione subsecuta fuit, ut bonus vir timeret, ne & intestina ac vitam retrorsum ejiceret, sanitatem pristinam paulò post recepit.

Mors à falsâ imaginatione.

6. Observatum est ex falsâ etiam imaginatione sæpè ingentia mala quibusdam accidisse. Ita refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. 3, obs. 81.* quendam ex falsâ imaginatione mortuum esse. Sic enim se habent verba.

verba. *Viro Nobili moritur Uxor; die hunc obitum insequente famulæ infidæ ac violentæ cella exportant vinum in urceo satis capaci. Hâc de re improvisò certior factus Nobilis, ac vinum modicè gustans, rigorosis punit verbis improbas istas œconomas. Hæ autem tales videri nolentes persuadent ipsi, vinum hocce neutiquam fuisse clanculùm cellâ exportatum, sed heri adhibitum pro abluendo uxoris suæ demortuæ cadavere. Inopinâ hâc relatione licet falsâ, Nobilis mirum quantùm perterritus tantam nauseam, tantamque spirituum dissipationem ac suffocationem veluti turdus sibi excitat, ut paucis post diebus mundo valedicens idem, quod Uxor ingredi fuerit coactus sepulchrum, veluti non ita pridem eundem lectum.*

7. Refert *Thomas à Vega*, quendam inter sepulchra parentum, cum fortè fortuna calcaret lapillum, sic ut calceis fortiter adhæreret, induxisse sibi in animum, se à manibus suorum parentum trahi; & illâ imaginatione intrà septimanam mortuum fuisse. Meminit etiam *Thomas Fienus tract. de Virib. imagin. qu. 10.* quendam *Lovanii* sub noctem cœmiterium pertranseuntem concepto maximo à spectris timore subitò exspirâsse. Sed ejusmodi Exempla passim sunt obvia.

Piscis caput humanum imaginans.

8. *Theodoricus* Ostro Gothorum Rex *Symmacho* atque *Boetio* interfectis, cum ei in cœnâ magni piscis caput appositum esset, visus est sibi in eo *Symmachi* caput videre, inferius labrum in minitantis speciem mordentis: quemadmodum ipse Medico *Elpidio* fassus est. Eâ imagine territus in cubiculum relatus ad extremum usque timore & mœrore confectus obiit. *Sigonius.* Verùm ejusmodi plura Exempla prostant apud Authores, quæ phantasiam talem cum remorsu conscientiæ in pœnam peccati immissam fuisse demonstrant.

Ex speculi inspectione morbū & mortem sibi afferens.

9. Memorabile est, prout etiam memoravi *in oculo meo Artif. Fund. 3. synt. 3. c. 9.* §. 9. quod *Oxovii* in Franconia contigisse mihi relatum est à Viro fide dignissimo. Fuit ibidem Vir curiosarum rerum amator in Senatoriâ dignitate constitutus, speculum habens planum, quod facies inspectantium ità deturpabat, ut eas faciebus infirmorum morti proximorum simillimas exhiberet. Accidit ut præfatum Virum Judæus ex pago **Goßmansdorff** haud ita dissito negotii causâ accederet. Ut primùm Judæus ingressus ad Dominum accessûs sui causam protulisset, mox Dominus illum allocutus est: Miror, quod huc venire potueris tam infirmus & morti ferè propinquus? reposuit Judæus, non esse se infirmum, sed optimè valere. Quid ajebat alter: Tu valeres? Accede, speculum vide, & judica de statu sanitatis tuæ: quod cum inspexisset, ita statim cohorruit, ut in silentio discedens & domum repetens in lectum se conjecerit, & post aliquot dies vitâ defunctus sit.

10. Refertur communiter historia de Morione, qui in theatro ad supplicium per jocum expositus & panno frigida aquâ imbuto in collum percussus, putans se gladii ictum excipere, reipsâ exspiravit.

In nudo & sicco pavimento natando convalescens.

11. Scribit rursùs *Thomas à Vega*, quendam ex suis decumbentem frequenter in delirio obnixissimè Medicos rogâsse, ut liceret sibi in ilio stagno (pavimentum monstrabat) natare: dicendo, quod exindè esset convaliturus, & medicos id ei tandem concessisse: illum tum se in pavimentum mox dejecisse & cum in eo aliquanto tempore fuisset volutatus cum summâ lætitiâ dixisse: Aquam nunc ad genua, & paulò post altius ascendisse: & cum ultimò sibi persuaderet eam ad guttur usque jam pervenisse, se modò sanum esse, & reverà sanum evasisse.

12. *Arthemidorus* Grammaticus, ut ex antiquis refertur historiis, viso crocodilo tanto terrore perculsus fuit, ut omnium, quæcunque sciverat, oblivisceretur, adeoq; firmiter sibi persuadebat brachio uno ac crure privatum se esse, ut hanc ei conceptam phantasiam nemo adimere potuerit.

Stultum imitando stultus factus.

13. *Seneca* testatur *in Declamationibus Bibium Gallum* Romanum imitando gestus, stulti, eos ita phantasiæ impressisse, ut indè reverà stultus evaserit, neque post eum diem indiguerit stultitiæ simulatione. Sed plures ejusmodi stultos esse factos compertum est, quod dum ab Heris ad stultitias aliquas exercendas usurpati sunt, verè tandem stultescere cœperint.

Furiosi effecti à furiosorum repræsentatione scenicâ.

14. Manet etiam in Annalium fide, antiquis temporibus accidisse, quod Histriones, qui agebant personas furiosorum: ut *Herculis, Athamantis, Thyestis, Orestis, Alcmæonis, aut Ajacis*: habuerint tam fortem imaginationem ad benè repræsentandum eorum facta, ut ipsimet actu furiosi facti fuerint. Sic nota & historia *Æsopi* insignis histrionis, qui exhibens personam Thyestis, sceptro, occidit unum servorum suorum. *Lucanus* quoq; scribit de quodam, qui repræsentâs *Ajacem* furiosum à forti imaginatione ita perturbatus fuit, ut verè furiosus evaserit.

Cornua à phantasia enata.

15. *Cippus* quidam Rex Italiæ electus morosè defixus in aspectu & cogitatione taurorum, qui sibi invicem commissi erant ad pugnam, & cum voluptate advertens unum ex illis altero valentiorem socium impactis cornibus opprimere: exacto hoc spectaculo somno se dedit adhuc fixus in phantasia & imaginatione duelli, postera die inventus est cornua per frontem emisisse. *Ex Petro Meßia*

Per phantasiam vires alterius in se transferens

16. Vix tamen hoc creditum *Paracelso* de quodam puero *Syro*, qui moribundus solâ imaginatione robusti Adolescentis fortè ibi adstantis naturam, vires, sensus, vitam cogitationesque in seipsum transtulit. Item quod per similem imaginationem *Archasus* quidam eruditionem atq; prudentiam ab aliis in se traduxit. Verùm nihil posse phantasiam in corpus alienum disjunctum & separatum ab imaginante, docent communiter Authores. Vide *Delrio disq. mag. l. 1. c. 3. qu. 3.*

Invisio parentis à forti imaginatione.

17. *Insulis* in Belgio puerum quendam tam violentâ cogitatione ductum esse scribit *Idem Martinus Delrio in disquis. mag.* ut flagrante desiderio parentem visendi quasi per extasin raptus, eam multis inde milliaribus absentem inviserit, & ad se rediens omnium, quæ viderat, memor, multa quoque signa præsentiæ suæ apud parentem dederit.

Cardani mirabilis vis imaginatrix. 18. *Cardanum*, quandocunque libuisset, vi imaginationis extra seipsum rapi potuisse, *præced. cap.* §. 6. *num.* 12. adduximus. Aliud verò singulare hoc quoque se habuisse testatur *eod. cit. cap.* 43. *lib.* 8. *de variet.* quod (sicut inquit) *cum volo, video, quæ volo oculis, non vi mentis velut imagines illas, de quibus dixi, cum infans essem me vidisse. Sed nunc credo ob occupationes nec diu, nec perfectas, nec omnino semper cum volo, nec tamen nisi velim. Moventur etiam perpetuò, quæ videntur imagines. Itaque video lucos, animalia, orbes, ac quæcunque cupio.* Addit deinde sequentia: *Credo causam esse vim virtutis imaginatricis, visûsque subtilitatem.*

Imaginatio de ligatura 19. *Digbæus tract.* 1. *de nat. corp. cap.* 38. memorat se vidisse quosdam phreniticde laborantes, qui sibi si persuasissent se ligari, nec loco, ubi constituerentur, migrare potuisse, & immotos perstitisse de vinculis suis, carcereque consequentes, & nec gradum quidem promovisse, ut cibum potumque in conspectu positum caperent, quantumvis fame sitique premerentur.

20. Morio quidam, ut *Gilbertus Cognatus lib.* 1. narrat, cum morderetur à pulicibus, extinxit lucernam, putans ab eis se non amplius videri, & ita neque morderi posse.

Catalepsis ab amore. 21. De Juvene Britanno amori impensiùs indulgente, ut in illa ætate persæpe accidit, scribit *Tulpius observ. Medic. lib.* 1. *cap.* 22. eum perculsum fuisse adeò vehementer ex inopinatâ matrimonii repulsâ, ut obriguerit instar stipitis, sederitque in sedili suo κάτοχος, sivè detentus, sivè congelatus per integrum diem retinens continenter eundem situm, & oculos apertos. *A quâ figurâ, ne latum quidem unguem cum recederet: jurâsses*, inquit *Tulpius*, *se statuam potiùs, quàm hominem videre.* Adeò *quippè fuêre omnia non modò rigida, sed plane immobilia. Verùm ubi exclamaretur altâ voce, rem ipsius meliori esse loco, & cupitam habituram amicam modò ad se reverteretur; prosiliit confestim ex sedili, & quasi excitatus ex profundiore somno rediit actutum ad se disruptis protinus illis vinculis, quibus ipsum arctè illigaverat tenacissima hac catoche.* Catalepticorum aliorum exempla aliis tamen ex causis videri possunt *Ephemerid. Germ. Curios. Decur.* 2. *Ann.* 1. *observ.* 1.

Oscitatio ex viso porcello. 22. Virum quendam in Anglia fuisse testatur *Digbæus loc. supracit.* qui si porcellum assum aperto hianteque (ut in Angliâ parari solent) ore illatum mensæ intueretur, impedire non potuit, quo minùs diductis faucibus hiaret.

Phantastica manûs motio. 23. Mirabile quoque est, quod eodem teste *Digbæo* de alio, ut inquit *ibidem*, circumfertur, quem certa quædam manus motio in aliis observata, ad ejusdem imitationem provocabat. Hic tegularius cum esset, unâque manu instrumenta, alterâ tectum ne decideret, teneret: factum à quodam adstante motum hunc observans, tectum protinus dimisit eundem imitaturus, percepsque in terram non sine vitæ discrimine collapsus est.

24. De Studioso quodam refertur *Ephem. Germ. Cur. Decur* 1. *Ann.* 9. & 10. *obs.* 47. à primâ infantiâ scopis pavimentum verri nullâ audire potuisse ratione: statim enim anxius cum difficili respiratione altos trahebat Spiritus suffocationis metuens periculum, cum inter preces ex improviso in ædibus pavimentum vel scopis vel ferulâ tantùm leviore verreretur, sudore largissimo profluente anxius, pallidus fenestram aperiebat, & cum altissimis ronchis aërem hauriebat: ex quâ non rarò prosiliebat, si ancillam scopis se prosequi animadverteret. In plateis publicis si præter opinionem ferulâ terra verreretur, quasi amens aufugiebat. Imò in loco publico disputationibus assidens si vexæ causâ in longinquo (ita tamen ut strepitus ad aures ejus pervenire posset) terra levi ferulâ fricaretur, aufugere, vel primâ arreptâ fenestrâ aërem apricum haurire opus habebat, ut non fictam, non simulatam aversionem hanc fuisse certum satis esset. Antipathia mirabilis cum scopis.

25. *Londini* in regio Manodochio, Anglicè *the Niew. Bedlam* dicto, inter alios stultos fuit, qui galli cantum toto die æmularetur. *Ephem. Germ. Cur. Decur.* 2. *Ann.* 5. *obs.* 84. Galli cantum imitans.

26. Phreneticum *Parisiis* vidisse se memorat *Le Grand. Hist. Nat. part.* 9. *art.* 6. qui integro die sermones eosdem repetebat, & si casu interrumpebatur à loquentis ore pendebat tanquam ad singula responsurus; sed finito alloquentis sermone, eandem quam prius, fabulam recitabat. Sermones eosdem constanter repetens.

27. *Aristoteles lib. de admir. Audition.* refert de quodam, qui in *Abydo* Asiæ Urbe multis diebus se in theatrum vacuum conferebat & ad spectaculum confidens, manuum complosione testabatur, sibi omnia, quæ exhibita forent, mirificè placere. Idem faciebat alter haud ignobilis *Argis*, ut inquit *Horatius lib.* 2. *Epistol. Epist. ad Florum.* Scenas theatrales videre putantes.

Qui se credebat miros audire tragœdos
In vacuo lætus sessor, plausorque theatro:
Cætera qui vitæ servaret munia recto
More, bonus persæpè vicinus, amabilis hospes
Comis in uxorem &c.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit Helleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol! me occidistis amici,
Non servâstis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Videbat hic, quæ non erant, & lætabatur; effectus sanus, tristabatur, quod lætitiæ occasionem perdidisset.

28. Alius quocunque progrediebatur nolæ sonitum audire se putabat, eoque devenit dementiæ, & assiduè eam in capite pulsari as- Nolam in capite sonantem existimans

fari assereret, ejusq; motum se percipere clamaret: quâ phantasiâ ut liberaretur, chirurg' modicâ versus sinciput sectione factâ sic ut sanguis efflueret, nolam quandam in manicâ occultatam abindè quasi ex capite decidere fecit, itaque insaniam abegit.

Ranas intestina infestantes conquerens. 29. Quidam intestina sua putabat ab aquaticis inquilinis, eaque saltantibus hinc inde & coaxantibus ranis infestari, donec medicus ei potionem dedit & subdito clystere in subjectam pelvim ranas conjecit: quibus visis opinionem illam perversam posuit credens se eam sobolem peperisse *Stengelius in Mundo Theorit. parte secundâ cap. 56.*

Canem se putans. 30. Fuit, qui diceret se cum *Hecuba* in canem mutatum esse, quocircà identidem baubare & transeuntes allatrare solebat. Quin & ossa more canum rodebat. *Idem ibidem.*

Caput alvear existimans. 31. Alius, quod verè lepidum est, existimabat caput suum alveat esse adeoque volebat fimo bubulo illud circumlini, ut apes tantò libentiùs tutiusque in eo habitarent. *Idem.*

Se capite destitutum imaginans. 32. *Ætius* meminit cujusdam, qui se capite carere asserebat, quod ob tyrannidem sibi amputatum opinabatur: hunc subtilis & arguta philotomi Medici inventio pristinæ restituit sanitati: plumbeo namq; pileo capiti repentè imposito, ut gravitatem sensit, caput se recepisse exclamavit, gavisusq; plurimùm, vanâ tandem imaginatione liberatus est.

Nasi nimis magni imaginatio. 33. *Lovanii* in Collegio *Adriani VI.* Pontificis fuit aliquando sacrarum literarum studiosus, qui nimium studiis intentus, aut quod ingenio foret minus capaci, ad reliqua omnia expeditus & prudens solùm id imaginatus, quod tam extensum nasum haberet, qui totum locum ubi resideret impleret: neque ad saniorem mentem rediit, nisi industria Medici intervenisset, qui opposito naribus ipsius intestino sanguine suffulto in partes resciffo suaderet læsione illa de naso tantum adimi, quantum videbat in terram decidere. *Beyerlinck in Theat. vit. hum.* Eundem vel similem Nasonem. *Levinus Lemnius lib. 2. de complex. cap. 6.* his describit verbis. *Quidam putabat nasum sibi excrevisse in immensum ut elephantis proboscidem circumferre videretur. Medicus hunc ei morbum & phantasiam hac arte exemit. Longum farcimen naribus admovit, arreptâque novacula illud sensim abscidit, ac tandem extimam nasi partem perstrinxit, ut sanguis deflueret, itaque imaginarium ei nasum avulsit, atque præscripta ei soporiferâ potione & salubri diæta eum planè curavit.*

34. Scribit *Marcellus Donatus l. 2. Histor. suæ mirab. cap. 1. Vincentium* quendam imaginatum sibi fuisse tam magnum corpus se habere, quod per ostium transire non esset ausus: Medicum verò eum vi per ostium transportari fecisse: ægrum deindè conquestum fuisse, se in istâ transportatione totum fuisse interius confractum & paulò post esse mortuum.

Cornuum imaginatio. 35. Alius quidam imaginatus sibi fuit, ingentia se habere cornua: unde quamcunque portam intrabat, caput inclinabat, ne cornibus offenderet.

Vana imaginatio ceræ sustentationis. 36. Mulier quædam apud *Trallianum* medium manûs suæ digitum constringebat ac si in ipso totum gestaret orbem: plorabat eadem, vereri se dicens, ne si inflecteretur, tota mundi interiret machina. Timebat alius teste *Galeno lib. 3. de locis affectis*, sui aliorumque perniciem ex mundi ruina, quod *Atlas* juxta Poetarum figmenta ipsum sustinens, sed tanto onere languescens ipsum à se excuteret, suamque in cervicem deponeret. Refert etiam *Plutarchus in libello de facie, quæ apparet in orbe Lunæ*, de phanace quodam, qui metuerit, ne Luna decideret in terram: quique commiseratus sit eorum vicem, qui Lunæ forent subjecti; cujusmodi sunt Æthiopes & Taprobani, si tantum pondus in eos rueret. Idem veritus de terrâ, cœloque, nisi columnis Atlanticis fulciretur.

Ridiculæ imaginationes. 37. Testatur *Arereus lib. 1. de morbis longis*, se vidisse Melancholicum, qui se laterititum opinabatur, adeò ut potum omnem, ne liquore solveretur, respueret; Quidam pistor ex butyro se compactum existimabat, unde clibanum adire detrectabat, metuens corporis colliquationem. Alius granum milii se esse dictitans, gallinas & aviculas procul fugiebat, timens, ne ab iis devoraretur. Quidam etiam Melancholicus, ut *Galenus refert loc. supracit.* se figulinum vas existimabat, atque idcircò timens sui collisionem obviantibus cedebat.

Mirabiles Vitri imaginationes. 38. *Thomas Rhodasius* vi philtri ab Amasiâ porrecti dementatus existimavit se totum ex vitro esse, voluitque instar vitri stramine compactus circumferri. Si quando per plateas incedebat, mediam semper viam tenebat, timens ne, si tegula ex tectis decideret, vitrum se confringeret. Alius ab Authoribus memoratur, qui se vitrea habere membra censebat; idcircò rogabat homines, ne ad se accederent propiùs, seque tangerent, metuebat enim ne frangeretur. Quin ajunt, eum opinatum esse, se caligas quoque ex vitro habere; unde semper stabat, metuens ne si sederet, eæ quasi vitri fragmenta dissilirent. Nonnulli ex vitro sibi nates conflatâs arbitrabantur, ut *Levinus Lemnius* refert. Alius vitreos se pedes habere imaginabatur, neque progredi audebat, metuens ne rumperentur.

Imaginaria ossium mollities. 39. Insignis pictor, teste *Tulpio obs. Med. lib. 1. cap. 18.* infestatus aliquamdiu ab atra bile imaginabatur falsò cuncta corporis ossa adeò mollia & flexibilia sibi esse, ut instar sequacis ceræ facillimè in se complicarentur, si vel minimum iis inniteretur. Quâ opinione menti penitus impressâ continuit se integram hyemem in lecto, veritus inde si surgeret, aliquid sinistri, & certo certiùs eventurum, quam hactenus metuerat deformem ossium suorum vel potiùs totius corporis conglobationem,

40. Quidam pastor in Hispania, ut refert *Sanchez lib. 1. de mat. d. 8.* vehementer timuit,

timuit, ne cogeretur esse monialis, & idcircò petiit scriptum publicum, quo liberaretur à coactione.

De Mundo vana imaginatio. 41. Quidam apud *Montanum cap. 25.* imaginabatur totam mundi superficiem ex subtilissimo esse vitro, subtùs serpentes latere & in lecto tanquam in insula morari; Unde si egrederetur facilè in serpentes vitro fracto incidere posse.

De urinæ continentiâ lepida historia. 42. Maximè lepida & ridicula est historia, quam *Laurentius lib. de Melanch. cap. 7.* recitat de Senensi quodam Nobili, cui nullo modo persuaderi poterat, ut urinam redderet: ajebat enim, si minxisset, totam urbem diluvio perituram. Quem ad lotium excernendum eleganti commento Medici perduxerunt. Nam injecto in vicinam domum igne & pulsantibus campanis ad insanientem famulos ac domesticos dimiserunt magno incendio urbem conflagrare nuntiantes enixeque rogantes, ut reddita urinâ civitati semiconcrematæ opem ferret, flammis cuncta vastantibus (quod unicum auxilii genus superesse asserebant) lotii sui copiâ extinctis. Commento hoc persuasus miser ille melancholicus, ne perderet omnem civitatem, reddidit ad extinguendum incendium, quidquid vesicâ contentum, sicque integram corporis valetudinem recuperavit.

43. Doctus quidam Vir, ut *Quecertanus Diætet. polyhist. lib. 1. cap. ult.* recenset, imaginatus est sibi ab amico ex Italia reduce duos spiritus malos, qui in colloquium sæpè cum illo venirent ingestos esse.

Vanè se mortuos existimantes. 44. Quamplurimi reperti sunt Melancholici, qui se mortuos existimabant neq; ad cibum capiendum cogi poterant. Medici, ut hanc phantasiam adimerent & ad cibum capiendum inducerent, hoc utebantur commento. In lecto penes infirmum collocabant servum aliquem, qui se mortuum similiter fingebat, nihilominùs, si quid ori ingerebatur, devorabat, hocque astu melancholico persuadebant mortuos non minus quàm vivos manducarê & appositis uti alimentis. Quidam etiam Burgundus *Lutetiæ* ad ædem S. *Juliani* mortuum se affirmabat, & medicos, ne amplius animæ, quo minus evolaret è purgatorio ad cœlum, impedimento essent, rogabat: mox deindè moribundos imitabatur. *Scholiogr. ad cap. 17. lib. 1. Holler. de morbis internis. Tulpius* narrat de Fœmina quâdam *obs. Med. lib. 1. cap. 19.* post molam imaginariam à se curatam, etiam phantasiam priore graviorem concepisse, ac firmiter credidisse se fato functam eâ conditione à Deo in mundum remissam, ut viveret deinceps excors: corde enim suo à Deo retento impensè doluisse aliam sibi esse, quàm aliorum vitam, quam tamen imaginationem, cum nulla stratagemata diu abstulissent, tardius tamen abscessisse.

Animam se existimans. 45. Animam quidam etiam se affirmabat, ob idque omnem reformidabat cibum, quod animas edere negabat, tandem à fideli medico parata mensa mediâ nocte à nudis farinâque oblitis hominibus cubili illata summo silentio accubuêre. Rogat ille *quid agerent?* obmurmurans quidam respondit; *Epitare.* mox ille: *quæ gens? Animæ: at animæ edones non sunt*; Respondit alter. *Nostro & non humano more edimus.* Hic exsiliens lecto: *Et ego anima*, inquit, *fruar unà vestris epulis*: assedit, comedit & morbo evasit.

Se Prælatos & Magnates imaginantes. 46. Communia sunt eorum phantasticorum deliria, qui se Imperatores, Reges, Pontifices, Cardinales, Episcopos, aliosque Monarchas & Prælatos imaginantur. Ita fuit, qui imaginaretur se Cardinalem esse, & rubri pilei epomidisque purpureæ loco in publicum processurus supparum capiti injiceret coccineum, uc bardocucullum vel subuculatus gestare videretur. *Joannes Huartus* meminit servi cujusdam Hispani, qui se regem arbitratus prudentissimos in morbo de regimine faciebat discursus. Testatur *Le Grand. Hist. Nat. part. 9. Art. 6.* novisse se quendam *Londini*, qui se Archiepiscopum Cantuariensem esse diceret à Rege creatum & præsenti indubiè successurum; cum interim in rebus aliis cœteris sapiens videretur, & nullo alio phantasmate laboraret: nam sua sollicitè curabat, tempus feriis impendebat, & muneri exequendo, cui adstringebatur, solers & providus incumbebat. Visum etiam narrat *Beyerlinck in Theat. vit. hum. V. Melancholia.* qui se omnium mortalium miserrimum asserebat, quod nihil esset. Cui persimilis est alter, qui cum miserrimus esset, talem tamen se non agnoscebat: ut in ejus personâ canit *Jac. Bilius in Anthologia.*

Veris ego citius flores & sidera cœli
Enumerem, vitæ quàm mala cuncta meæ.
Corpus enim morbis quatitur, frigetque, caletque,
Sæpè fames illud, sæpe sitisque premit.
Mens quoque nunc rapitur furiis, atque æstuat irâ:
Nunc timet, aut luctu debilitata jacet.
Quodque mali caput est, tam sum miser, ut miser ipse.
Cum sim, me miserum non tamen esse sciam.

Ita etiam in se quisque & phantasticum sæpè videre potest, prout Cordubensis sapiens *Annæus Seneca* fecit & annotavit posteris *ep. 36. Si quando*, inquiens, *fatuo delectari volo, non est mihi longè quærendus: me video.* Tam enim multa insipienter solam sequentes phantasiam & imaginationem facimus, ut nunquam nos desipuisse cognoscamus, quàm cum desipientiæ pœnam persentimus, & in sponte accersitis malis tandem resipiscimus. Quocircà bene scripsit *S. Gregorius in Moral.* ajens: *quicunque stultus est in culpâ, erit sapiens in pœnâ.* Innumera alia phantasticorum Exempla ubivis occurrunt, cum ut *Ecclesiastes cap. 1. v. 15.* bene docet: *stultorum infinitus est numerus*; & verùm est illud *Tullii Ciceronis: stultorum plena sunt omnia.* Notat tamen *Avicenna*, balbos, & qui oculos habent mobiles, labra spissa & magna, hirsutos

ſutos & nigros, venis amplis præditos phantaſticis exceſſibus magis eſſe obnoxios. Adjuvant & promovent triſtitia, pavor, profundæ meditationes, intenſæ cogitationes & curæ, victûs ratio craſſa & melancholico humori gignendo idonea. Amor item inſanus & immoderatus, profuſa quoque lætitia nullis cöercita terminis. Quocircà ſapienter *Comicus* hæc partim dogmata, partim monita dat.

Arctiſſimum mœſtitia cordis vinculum eſt.

Metus futuri gaudium omne ſtrangulat.

Nihil ſic perindè animam ut cura exedit:
Permitte fato curas ingenio impares:
Ut mœrore contrahimur, ſic & geſtimus gaudio.

Sapiens tacito ſinu cöercet gaudia.
Summi doloris cauſa ſummum gaudium eſt.
Vita mors eſt viva cunctis deſtituta gaudiis.
Animi ægritudo, morbus potentiſſimus.
Animi dolor corporis languorem parit.
Animo generoſo corpus ægrum non nocet.

CAPUT VIII.

De Senſu interno ſecundario, ſivè Memoriâ.

PRæcedente capite actum eſt de ſenſibus interioribus primis ſivè primariis, Senſu ſcilicet Communi & Imaginativo; hoc verò ſenſum interiorem à primis illis exortum, qui memoria ſeu conſervatio & redditio ſpecierum à ſenſu communi apprehenſarum & à phantaſiâ conformatarum, dici ſolet; disquirere libet.

§. I.

De Facultate Animæ Memorativâ, ſivè Memoriâ, & Reminiſcentia Notabilia ſcienda.

1. De Memoria diverſimodè ſcribunt Authores, prout ab iisdem aliter ſumitur & intelligitur, nempè vel pro facultate recordandi: vel pro ipſo actu recordandi; vel pro habitu ſeu facilitate recordandi. Propriè & communiter dicitur facultas ſpecierum conſervativa: aut facultas miniſtra ſpecies â ſenſu primo dijudicatas retinens ac conſervans, atque denuò cum tempore reddens. Undè etiàm ab aliis dicitur *Vis animæ*, quæ rerum cognitarum imagines tanquàm depoſitum recondit ac ſervat, ut eas, cùm opus fuerit, exhibeat. Quò pertinere videtur illud *Damaſceni lib. 2. de fide orthodoxâ cap.20. Vis ea qua meminimus, eſt memoriæ & recordationis origo ac promptuarium.* Ac illud *D. Auguſtini lib. 10. Conf. cap.8. In prætoriis memoriæ reconditum eſt, quidquid vel cogitamus, vel augendo, vel minuendo, vel utcunque variando ea, quæ ſenſus attigerit, & ſi quid aliud commendatum vel repoſitum eſt, quod non ſorbuit, aut ſepelivit Oblivio.* Memoria itaque, ut benè ſcribit *Honoratus Fabri lib. 3. de Homine. prop. 40.* pro ea facultate ſumitur, qua res prioribus ſenſibus perceptas ſenſus internus deindè relegit, ſeu relegere poteſt: quod fieri duntaxat poteſt per excitationem impreſſorum phantaſmatum: quomodò autem hoc fiat, pluribus explicare conatur, ut apud eundem videre licet.

2. Sicut Memoria eſt conſervatarum ſpecierum & imaginum ſivè phantaſmatum exhibito, ità Reminiſcentia eſt oblitarum & obliteratarum recordatio, adeòque reſumptio per præſentem memoriam prius habitæ, tum obliteratæ cognitionis: cujusmodi eſt inquiſitio & recuperatio notitiæ hominis, cujus oblivio nos ceperat per locorum, ludorum aliorumvè negotiorum præſentem memoriam. Atque ita ad reminiſcentiam requiritur, ut ſpecies & imagines partim ſint obliteratæ, partim non ſint, cùm ex veſtigiis earum ſpecierum, quæ ſuperſunt colligimus eas, quæ interciderunt. Differunt itaque Memoria & Reminiſcentia: quod illa ſit conſervatarum; hæc obliteratarum ſpecierum reductio. Unde etiam hæc à nonnemine *Memoria recidiva* dicitur: ab alio non inſcitè etiam Memoria vocatur *Reminiſcentia continua*, & Reminiſcentia dicitur *Memoria interciſa.* Remiiniſcentia quid ſit.

3. Ex differentia Memoriæ & Reminiſcentiæ duos alii Memoriæ formant actus & objecta: Unum, qui accepto à potentia memorativa nomine Memoria dicitur; eſtque rei antè cognitæ ut cognita, repetita cognitio. Unde res præteritæ ſolum memoriæ ſubjiciuntur & nonniſi impropriè ad præſentia extenditur. Alterum actum vocant Reminiſcentiam, quæ eſt quædam progreſſio, quâ potentia memorativa venit in cognitionem ejus, quod memoriæ non occurrebat, ſic ut requiratur ad hanc antecedens oblivio cum notitia iterata rei, qua exciderat; Unde & diſcurſu quodam opus habet. Ideòque communiter Authores cùm *Ariſtotele de memor. & riminiſc. cap. 4. D. Thoma p. 1. qu. 78. art. 4. Fernelio lib. 6. phyſiol. cap. 14.* & pluribus aliis reminiſcentiam ſoli homini, non brutis competere docent. Idcircò etiam dociles utplurimùm reminiſcentia valere dicuntur, quia propter ſagacitatem & agilitatem animi facilè unum ex alio deducunt & colligunt: non item ſtupidi, qui reminiſcentia parùm valent, quia non pollent eâ mentis ſagacitate, ut obliterata facilè ex relictis colligant; quippè quod hoc fiat diſcurſu & ratiocinatione ex perſonis, rebus, Duo actus & objecta Memoriæ.

rebus, & circumstantiis. Solius itaque hominis est reminisci: ut etiam testatur *Avicenna 6. Natural.* asserens. *Cognoscere aliquid sibi fuisse, quod jam sit abolitum, in homine est tantum & in rationali virtute.*

Memoria Naturalis & Artificialis.

4. Duplex communiter etiam statuitur Memoria, & dicitur alia *Naturalis*, alia *Acquisita artificialis*: Illa naturaliter nobis insita est. Hæc verò consistere videtur in hoc, quod rebus Memoriæ jam traditis res aliæ memoriæ narrandæ conjungantur: qua industria nonnulli innumerabilia penè vocabula græca, latina, barbara ficta nullo nexu cohærentia, quæ semel audiêrint, mox sine ulla hæsitatione reddunt, nunc eodem, quo acceperunt, ordine, nunc niverso, nunc interrupto, prout rogantur. Qua etiam ratione signa instituuntur, quibus in memoriam revocatis res illis consignificatæ facillimè etiam commemorantur. Sed quia, ut in cœteris rebus ingenii bonitas imitatur sæpè doctrinam; ars porrò naturæ commoda confirmat & auget: ita fit in hac re, ut nonnunquam Memoria naturalis, si cui data insignis est, similis fit artificiali, & omnia promptissimè reddere valeat.

Naturalis est sensualis & Intellectualis.

5. Memoria Naturalis iterùm duplex est: alia nempè *sensitiva*, sivè *sensualis*: alia *intellectiva*, sivè *rationalis*. Nam sicut in homine duplex est notitia, sivè vis cognoscendi: Una Communis cum brutis, vis, quæ dicitur sensus: altera Homini propria, quæ dicitur Intellectus: itá quoque duplex est in homine memorativa facultas cognita conservandi; videlicet sensualis & rationalis sive Intellectualis Memoria. Undè sensualis Memoria est, qua conservantur imagines objectorum sensibilium, sensibus tùm internis, tùm externis cognitorum: Intellectualis vero Memoria est vis conservandi imagines objectorum per intellectum cognitorum.

Intellectualis variæ divisiones.

6. Memoriam intellectualem homini propriam distinguit *Keckermannus syst. phys. lib. 4. cap. 6. in Primam & Ortam.* Illam dicit esse, quâ imagines ab intellectu formatæ & dijudicatæ firmantur, sistuntur & confirmantur, ne evanescant. Ortam nominat vim recollectricem earum imaginum, quæ anteà quidem memoriæ adhæserunt, posteà verò evanuerunt: appellatque Reminiscentiam. Primam rursus distinguit in *perfectiorem* sivè *Simplicem*, & in *Imperfectiorem* sivè *Compositam*. Illam dicit esse, qua conservantur imagines objectorum simplicium; Imperfectiorem verò, quâ tùm res, tùm verba conjuncta sivè composita conservantur. Utramque rursum dividit in *Universalem* & *Particularem*: quarum illa consideratur communiter, sivè certo respectu ad peculiare temperamentum. Particularis Memoria correspondet particulari intellectui sivè ingenio, atque adeò pendet à particulari dispositione ac temperamento corporis in homine. Plura alia de intellectuali Memoriâ vide apud *Eundem loc. cit.* Verùm quia *nihil est intellectu, quod non fuerit prius in sensu*, ut ajunt Philosophi communiter cum *Aristotele*; ita quoque Memoria Intellectualis dependet à memoriâ sensuali, nec ideò tam accurata à nonnullis divisio attenditur.

Temperatura organi memorativæ facultatis.

7. Conveniunt Physici omnes, Memoriam potissimùm pollere ex bonâ temperaturâ Organi, sedisque, in quâ functiones suas exercet. Memoriæ siquidem organum, quod Cerebellum omnes asserunt, debet esse retentivum specierum & imaginum, ideòque magis terrestre & siccum: aliorum verò sensuum internorum organa, quia talia esse debent, quæ facillimè & recipiant & patiantur deleri illas species & imagines; idcircò magis humida & aquea debent esse. Omnis autem in ejusmodi qualitatibus excessus, sicut & defectus obstat & officit. Undè benè *Plato* scripsit in *Theæteto*: *non rectè inquiens, anima se habet in denso & lutulento, aut molli nimis aut duro.* Adeò etiàm prout sensus cujusvis interni sedes & organum meliori constat temperie, etiam facultas ipsius in illâ sede & organo prævalet: sic in aliquibus hominibus viget sensus Communis; in aliquibus Imaginatio; in aliis Memoria. Item in somno ligatur sensus Communis, non imaginatio. In amentiâ quandoque depravatur Imaginatio, non sensus Communis. Quocircà rectè hæ potentiæ in diversis partibus cerebri resident, & pro illarum temperatura magis aut minus validæ & efficaces comperiuntur.

Cerebelli humidioris vel siccioris natura.

8. Qui humidius & mollius habent cerebellum, facilè quidem impressiones concipiunt; at facile denuò dilabi permittunt: ut constat in pueris, quorum cerebrum humidius est, & ideò facilè quidem res aliquas memoriæ tradunt; at ob nimiam cerebri mollitiem illicò impressarum obliviscuntur specierum. Econtrà qui cerebrum siccius & durius habent; signa quidem prius impressa diu custodiunt, nova tamen imprimi vix sinunt. Hinc senes præsertim decrepiti ob nimiam cerebri siccitatem omni memoriâ privantur, nec quicquam servant eorum, quæ ipsis committuntur: eorum autem tenaces sunt, quæ olim memoriâ sunt complexi, & firmiter illa infixa retinent. *Honoratus Fabri* juxtà sententiam suam *lib. 3. de Hom. prop. 40.* arbitratur plexum fibrarum molliorum & subtiliorum feliciori deservire memoriæ: Hinc pueri, inquit, & fœminæ memoriâ pollere dicuntur, quia fibrarum moliore plexu sunt. Ratio est, quia mollia facilè adducuntur, & figuram mutant, secus verò dura & rigida. Plura circa ejusde virtute memorandi sententiam admodùm eruditam vide *loc. cit.* Nobis hic communi via procedere placet.

Ad bonam memoriam requisita.

9. Plurimùm & modicè ingeniosos compertum est, non valere memoriâ. Ratio est, quia humidiores sunt, qui veloces sunt ingenio; Hi verò duriores. Quibus autem Spiritus animales sunt clari & mediocriter humidi calidique, simulque etiam cerebellum nec nimis calidum aut frigidum; iis memoria est fidelis ac tenax, atque adeò tùm prompta & firma ad imprimendum, tum expedita ad reddendum.

10. Non solùm nimia siccitas, & humiditas organi certis ætatibus propriè memoriam

Quæ memoriam vitient. moriam vitiant, aut impediunt, sed etiam cùm eæ qualitates morbo, aut aliâ quavis ratione inducuntur. Quoniam *Galenus lib. 9. de loc. affect. cap.5.* agens de lapsâ ob ficcitatem memoriâ refert, se novisse quendam, qui ex ficcato organo ob assiduitatem in studiis, nimiasque vigilias memoriam penè amiserat. Item agricolam se vidisse scribit, qui ob labores, quos vites colendo subiverat, simulque ob victûs tenuitatem eodem malo affectus sit. Quandoque etiam ex insalubri ambientis aëris constitutione vitiatur memoria. Nam vetus est dictum: Ubi siccior est aër, ibi ferè etiam prudentior, meliorque seu promptior est anima: Uti etiam habet *Galenus in libro. Quod animi mores &c.* Quin etiam ex casu, ex percussione, & ex pluribus aliis injuriis labefactatur memoria; quorum exempla varia, & *ex Thucydide*, & ex aliis haberi possunt, & infra quædam adducemus.

Causæ principales debilitatis memoriæ Frigiditas & siccitas. 11. Maximè tamen duæ principales causæ sunt, quæ memoriam debilitant, & eandem plurimùm depravant; frigiditas nempè & humidias. Quæ etiam frigiditas persæpè sola est; vel cum humiditate conjuncta. Plùs tamen nocet frigiditas, quam humiditas. Frigidi equidem est sistere, sicut calidi movere: Unde frigiditas impedit motum necessarium ad memorandum. Retentionem verò impedit humiditas: hæc itaque retentivæ contrariatur, quæ sicco proportionato confortatur. Siccitas autem superflua nocet, præsertim apprehensioni, dùm impedit, ne infigillentur formæ. Ubi dominatur Cerebri humiditas, multa somni cupiditas adest, oris plurima est saliva & in naribus oculisque pituita frequens: omnes motus hebetes sunt. Tales præsentium recordantur & nuperrimè gestorum. Dudùm verò actorum aut nequaquam aut difficulter recordantur: nam humiditatis est facilè admittere & dimittere quaslibet impressiones. Siccitas dominans, quâ humiditati contraria est, ex contrariis signis indicatur: Adsunt enim capitis vigiliæ, levitates, & rarissima illarum superfluitatum emanatio, quæ à naso, palato & oculis expelli solet: oculi sunt cavi, citò fiunt calvi, aurium verò abundabit cerumen. Quantum verò ad ipsam memoriam spectat, præsentia difficilius inscribuntur, & inscripta diutius retinentur, inde fit, ut quæ anteà gesta sunt, facilius memorentur, & reddantur, quàm quæ nuperrimè gesta sunt: ut in senibus apparet, qui gesta ab ineunte ætate ordinatissimè referunt, præsentium verò vix recordari valent, aut ea saltem confusè memorare nôrunt. Quibus dominatur frigiditas: his facies albet, oculi languent, venæ inconspicabiles fiunt, somnolenti sunt, partes ad caput attinentes parum calent, nec admodùm rubent, mens est stupida, vertigineque gravatum caput, & tardæ rememorationis. Caliditas his innotescit notis: quæ circà caput sunt partes, calidæ magis & rubicundæ comperiuntur: oculi versatiles sunt, eorumque venæ magis apparentes: capilli in lucem editis statim oriuntur nigri, robusti, crispique fiunt, brevibus somnis nec profundis efficiuntur: motuum & recordationis velocitas inest: cùm verò auctior & innaturalis erit caliditas, vigiliæ adsunt, spiritus animales in fumos & fuligines abripiuntur. Quod si verò duæ qualitates adjungantur, juxtà proportionem, quâ istæ qualitates intendentur, aut remittentur, etiam earum signa magis aut minus comparebunt. Læditur etiam memoria quandoque ad tempus, aliquando citrà regressum ac nonnunquam ex toto labefactatur, aliquando ex parte tantùm, prout læsionis aut labefactationis hujus causa ponitur.

12. Quemadmodùm verò facilè memoria debilitari, multàque illam labefactare & depravare possunt, ita eandem multa quoque acuere & confirmare valent. Communis verò & maximè comprobata sine medicamentis ars est eandem eximiè percolendi Exercitatio. Nam teste *Quintiliano lib. 11. Orat. institut. cap. 2. Nil æquè vel augetur curâ, vel negligentiâ intercidit, quin primum quod agit mors in provectioribus est memoria:* & *Cato Major*: *Memoria minuitur nisi exerceas eam.* Sed præcipua particularia memoriam vel adjuvantia, vel eidem nocentia paulò inferiùs videri poterunt. Exercitatio multùm confert ad memoriam.

13. Inter humanæ vitæ commoda teste etiam *Senecâ*, primum ferè locum sibi vendicare Memoria videtur. Tantùm enim scimus, quantum memoriâ tenemus; atque *Quintilianus lib. 11.* loquitur: *Omnis disciplina memoria constat, frustràque docemur, si quid audimus, præterfluat. Aristoteles* proindè non inscitè Memoriam appellavit *scribam intus manentem. Plutarchus* verò *in Catone & Timæo*, Matrem Musarum: & in *Catone Uticensi* ait: *Nullum ærarium certius est ad retinenda bona, quàm Memoria: immemoribus enim & stupidis ea cum tempore effluunt, itaque nihil servantes in perpetuum vacui bonorum, spe pleni futura præsentibus dimissis spectant.* Memoria itaque Proma quædam eruditionis Cella, & disciplinarum thesaurus habetur: idcircò Veteres Matrem Musarum fabulati sunt Mnemosynen (quod nomen à Mneme, hoc est, Memoriâ originem ducit) ut ostenderent, nihil æque conferre ad scientiarum generationem & conservationem, quàm Memoriam. Tanta verò & tam recondita vis est Memoriæ, ut ea fit ex iis verè admirandis, quæ solùm admirari debeamus, scire verò & intimè penetrare non valeamus. Quis enim non miretur, quâ ratione Memoria in reconditis suis conceptaculis tàm multa eaque tam diversa excipiat, neque tamen illa confundat, sed discretim sincera conservet? quis satis expendat, aut indagare possit, qua virtute longo admodùm temporis intervallo concepta & dudùm recondita tam promptè, tam ordinatè, tàm distinctè producat & reddat. Certè in hoc grandi Naturæ miraculo præstat cum *D. Augustino lib. 10. Conf. cap. 8. & Theodoreto in lib. de Nat. hom.* solâ contentum vivere admiratione & Omnipotentis gloriam venerari: quàm in abditos causæ hujus recessus penetrando vano studio & labore nos immittere. Sed hisce sic indicatis jam præcipua quædam Memoriam tam adjuvantia, quàm eidem damnosa & noxia subdamus. Memoriæ præstantia

§. II.

§. II.

Præcipua quædam Memoriæ conducentia, vel eidem nocentia sivè adversantia indicantur.

Canones Physico-medicinales pro adjuvandâ & confortandâ Memoriâ.

I.

Exercitatio Memoriæ à teneris maximum illius incrementum adducit, cùm nihil æquè aut curâ augeatur aut negligentiâ intercidat, atque ipsa memoria: quam proinde nisi usu, cultu, studio & exercitatione perficias, inertia situque languescit.

II.

Juvat plurimùm visorum & auditorum frequens recordatio, quâ species & formæ sæpius repedare consuetæ, etiam promptæ, quocunque recurrunt tempore: juxta illud

Sæpe recordari medicamine fortius omni.

III.

Ante somnum manda memoriæ, quod tenaciter eidem cupis imprimere, & post somnum recordare, quod facilè cupis reminisci.

IV.

Aër siccus, tenuis, purus & mundus respiratus insigniter memoriam adjuvat: sicut & odores grati & suffimenta blanda confirmant. Habitatio verò eligenda, quæ sit positione loci sublimior & versus Orientem potius, quàm aliam cœli plagam.

V.

Cùm difficulter recordaris, cerebellum fricas: Idem si moderatè præstes sæpius, frigus & torporem arces, & promptè species ad motum excitas & provocas.

VI.

Ardens scientiæ desiderium ingens memoriæ est adminiculum. Quam ob causam impressio firma per amorem rei discendæ proveniens præ aliis memoriam egregiè adjuvat.

VII.

Cùm disparata & varia recordari facilè cupis, artificio eadem distingue, & signis aliis conjunctis memoriæ commenda.

VIII.

Ante cibum morderatè & convenienter exerceri, non tantùm memoriæ, sed & cœteris functionibus prodest.

IX.

Temperatorum ciborum & potus, sicut comprimis gallinarum & perdicum præcipuè cerebellorum temperata refectio non tantùm memoriam, sed & totum confortat corpus.

X.

Stare pedes post comestionem vel suaviter deambulare, quò cibus ad fundum descendat ventriculi, multùm expedit & confert ad bonam ciborum concoctionem, & sic mediatè memoriam adjuvat.

XI.

Fructuum stipticorum ex naturâ vel arte post comestionem moderata sumptio prohibendo fumos elevari, memoriam valdè juvat. Sic Coriandri benè præparati & saccharo inducti post cibum assumptio laudatur. Idem præstat Diacotoneum.

XII.

Gaudium temperatum & honesta oblectatio non solùm memoriam, sed & virtutem intellectivam, cœterasque virtutes corporis etiam augmentat.

XIII.

Sæpè lavare pedes in aquâ calidâ, in quâ bullierint Melissophyllon, folia lauri, chamæmelon, similia, capiti oculisque valdè confert.

XIV.

Abluere caput decimo quoque die cum lixivio, in quo parùm bullierint chamæmelon, melissophyllum, salvia, amaracus sive sampsucus, lauri folia vel similia additis in æstate rosis, memoriam corroborat atque mirificè confortat.

XV.

Masticatio masticis cum modico Zingibere facta jejuno stomacho ab humiditate phlegmaticâ sine molestia caput purgat, indeque præpedita confortatur memoria.

XVI.

Thus albissimum in pulverem tritum positùmque in simplici aquâ frigidâ bibe in augmento lunæ in ortu diei, in meridie, & solis occasu: facit bonam memoriam, acutum sensum: Exsiccat enim cerebrum & ventriculum. *Rhasis* hunc pulverem in vino propinat, cùm frigus est; in aqâ verò decoctionis passularum, cùm æstas est.

XVII.

Fel perdicis semel in mense arteriis temporum illitum, ut penetret, ad memoriam confirmandam prodesse plurimùm tradit *Simeon Sethi.*

XVIII.

Granum unum thuris albi transglutitum, cùm lectum petis, maximè confirmat memoriam: capitis enim humiditatem exsiccat, ut & ventriculi. Si nimia adsit humiditas, conducit bis tervè purgato priùs corpore per septimanam iterare.

XIX.

Melissophyllum memoriam confirmat & acuit

& acuit ingenium, hominemque, quocunque modo comedatur, industrium facit: quod etiam nasturtium in frigidioribus & segnioribus præstare perhibetur. Unde natum est in segnes & ingenio torpidos adverbium: *Naviga Anticyras* (locus est, ubi copiosè crescit nasturtium) *ut sapere discas*.

XX.

Ad recuperandam deperditam memoriam mirificè commendatur semen ormini, sivè sclareæ domesticæ, si in pulvere sumatur cum aliquo potu aut cibo. Sicut & Eboris limatura aboliendæ rursùm oblivioni conducit, si manè parùm de eâ in modico vino sumatur.

XXI.

Oleum ex granis cotoneorum expressum unctione memoriam firmat. Ad idem confert lixivium factum ex cinere rutæ cum aquâ rosarum, si caput lavetur. Conducunt & unctiones in occipitio juxtà primam & secundam vertebram ex oleo Nardino, Costino, Nucis moschatæ, de Castoreo vel de piperibus.

XXII.

Ad facilè quæcunque memoriter retinenda serviunt denique hæc tria, Intelligentia, Ordo, & Cura. Quibus ferè paria sunt vehemens rerum addiscendarum imaginatio, admiratio, & Amor. Plura alia adjumenta ad memoriam conservandam & confortandam vide apud *Weberum in arte Conversandi Reg.9. sect.4.*

Canones alii Præcipua Memoriæ nocumenta indicantes.

I.

Omnes cruditates universim rationi, memoriæ, uti & toti corpori sunt infestissimæ.

II.

Aër sicuti siccus & moderatè calidus respiratione attractus memoriæ confert: ità obest plurimùm frigidus & humidus, præsertim cum fœtore.

III.

Omnis externa frigidita comprimis nocturna, si caput minus cooperiatur, multum officit memoriæ; sicut & intensa caliditas quandoque rationem perturbat, & memoriam labefactat.

IV.

Inter passiones animæ maximè memoriæ nocent Tristitia, præsertim longa, & perseverans, deinde metus. Videre etiam & audire, quæ animo displicent, quia eundem turbat: inde & caput infestat & memoriam debilitat.

V.

Multùm officit somnus immoderatus: is & qualiscunque cibo propinquus antequàm scilicet hic in Ventriculum descenderit. Dormire etiam calceatis pedibus præcipuè cum sotularibus ob vaporem reflexum memoriam infestat, nocet quoque plurimùm vomitus laboriosus & Venus immodica.

VI.

Quies superflua, quia calorem debilitat, superfluitates retinet & magis accumulat, ideò memoriæ multùm officit.

VII.

Ciborum fumosorum ac flatulentorum comestio; veluti alliorum, porrorum, ceparum, quorumvis leguminum, sicut & casei, memoriæ non conducit, sed obest haud modicum. Acetum etiam ac quæcunque acetosa; herbæ item qualescunque crudæ comestæ memoriæ multùm sunt infestæ, uti compertum est.

VIII.

Studia intensiora post sumptum cibum magnoperè obsunt memoriæ; quippè quæ caput cruditatibus replent & functiones naturales pro concoquendis cibis infringunt, caloremque ac spiritus ab organis concoctionis ad caput revocant.

IX.

Potus post comestionem, dùm cibi fit concoctio, eandem interrumpens, præsertim à Cœnâ, cerebro & memoriæ valdè officit: pessima verò censetur vini præsertim potentis potio: vehementer enim humectat caput ac præter frigiditatem ferè nihil æque oblivionem inducit, quàm humiditas superflua.

X.

Herbæ Nicotianæ sivè Tabaci fumus ore exceptus & crebrò cerebro afflatus ita persæpè debilitat memoriam, ut benè omnia prius cognita mente faciat excidere.

XI.

Nasalia medicamenta aut sternutamenta præter morem & sine modo frequentius assumpta, dum caput exsiccant & cerebrum concutiunt, memoriam debilitant & labilem reddunt.

XII.

Validæ aut violentæ capitis, præsertim in occipitio, percussiones, lapsus corporis, capitisque ad solida quæcunque allisio memoriam non tantùm imminuunt, sed penitus persæpè tollunt, & omnium rerum cognitarum oblivionem inducunt.

XIII.

Morbi longi & sævi infidelem reddunt memoriam; pestilentes verò eandem persæpè penitus extinguunt, ut in sævissimâ quadam pestilentiâ contigisse constat: de qua *Lucretius lib. 6. de rer. nat. narrat.*

Atque etiam quosdam cepêre oblivia rerum.
Cunctarum, neque se possent cognôscere ut ipsi.

XIV.

Balnea immoderata memoriæ non conducunt, cùm facilè caput humore repleant, & fluxionibus memoriam debilitent.

§ III.

Memoriæ exoticæ actus memorabiles & Exempla mirabilia.

1. Hoc non immeritò inter memoratu digna de insignioris memoriæ virtute principatum tenet, quod scribit *Eusebius in libro Temporum*, *Esdram* Hebræum omnes libros *Moysis* memoriter recitâsse, quos Chaldæorum Reges exusserant. Consule *lib. 4. Esdræ cap. 14.* ubi per quadraginta dies continuos quinque scribis sine intermissione dictavit libros 204. quando ab Angelo porrectum sapientiæ poculum prius ebiberat, ità enim *cit. loco*, habetur. *Aperui os meum & ecce calix plenus porrigebatur mihi. Hoc erat plenum sicut aqua, color autem ejus ut ignis similis. Et accepi & bibi; & in eo cùm bibissem, cor meum cruciabatur intellectu, & in pectus meum increscebat sapientia. Nam spiritus meus conservabatur memoria. Et apertum est os meum, & non est clausum amplius. Altissimus dedit intellectum quinque viris & scripserunt quæ dicebantur excessiones noctis, quas non scribant. Nocte autem manducabant panem, Ego autem per diem loquebar & per noctem non tacebam. Scripti sunt autem per quadraginta dies libri ducenti quatuor.* Verùm majus quid humanâ memoriâ in illo fuit, ut rectè etiam sentit *Josephus lib. 11. Aniq. cap. 5.*

Esdræ memoria insignis.

2. *Cyrus* Rex omnibus in exercitu suo militibus, ut *Plinius* tradit *lib. 7. cap. 24.* nomina reddidit. *Xenophon* autem *Expedit. lib. 5.* omnium suorum Ducum nomina memoriter tenuisse scribit. *Quippe cui*, ut inquit, *mirandum videretur, si qui in sordida arte versantur, singuli nôrunt artis suæ instrumentorum nomina; & Medicus nomina tenet & instrumentorum & medicamentorum, quibus utitur; & Imperator ità sit fatuus, ut nesciat nomina subditorum Ducum, quibus ei opus est pro instrumento uti.*

Cyri Regis.

3. *Mithridates Ponti* & *Bithyniæ* Regis memoria incomparabilis in hoc excelluit, ut *Plinius loc. supracit. Solinus cap. 7. Plutarchus in Lucullo* & plures alii tradunt, quod viginti duabus gentibus, quibus per quinquaginta sex annos imperavit, suâ cuique linguâ jus dixerit, neque de subjectis populis ullum per interpretem sit allocutus.

Mithridatis.

4. *Idem Plinius lib. cit. cap. 25.* omnibus sæculis admirandam *C. Julii Cæsaris* memoriam consignavit, ajens: eum scribere & legere simul, dictare & audire solitum: epistolas quoque diversarum rerum quaternas pariter librariis dictare; aut si nihilageret septenas. Undè etiam huic Cæsari ab hostibus concedebatur; quod eximiâ polleret memoriâ. De qua *M. Tullius* afferebat, quod nihil soleret præter injurias oblivisci.

C. Julii Cæsaris.

5. *Themistocles* Athenienſium dux ut annotavit *Cicero lib. 2. de finib.* civium suorum nomina memoriter tenebat. *Simonidi* artem memoriæ pollicenti dixit; se malle artem oblivionis; quod etiam meminisset, quæ nollet, & oblivisci non posset, quæ vellet.

Themistoclis.

6. De *Hadriano* Imperatore tradit Spartianus, eum uno eodemque tempore scripsisse, dictâsse, audivisse & cum Amicis confabulatum fuisse. Quod utique sine excellentissimæ memoriæ præsidio fieri non potuit.

Hadriani Imper.

7. *Portio Latroni Seneca lib. 1. Dec.* memoriam naturâ validam & artificio munitam tribuit & capacem simul & tenacem, itàque nec quæ scripsit, lectitabat: satis erat scripsisse, & cùm idipsum celerrimè faceret, in transcursu dicebat; nec quæ semel hæserant, avelli poterant. Qua memoriæ felicitate fretus librorum auxilio non egebat: scribere se animo gloriabatur, & quæ illic scripserat, sic in expedito habebat, ut nec in verbi quidem ullius unquam recordatiore laberetur. Quasi librum sub oculis habens loquebatur. Cùm Ducis alicujus nomen proponeretur (tanta inerat historiarum memoria) statim gesta illius celeriter & extempore narrabat, ita ut ea non ceu pridem cognita depromeret, sed velut modò scripta perlegeret. *Item Seneca ibidem* testatur se in lectione Magistri sui duo millia vocabulorum memoriæ mandâsse, quæ lectione finita eo ordine quo dicta erant, & retrogrado recitaverit.

Port. Latronis.

8. *S. Augustinus lib. 4. de Anima & ejus origine*, cujusdam Amici sui memoriam deprædicat his verbis. *Amicus quidam meus jam inde ab adoloscentia, Simplicius nomine, homo excellentis mirabilisque memoriæ, cùm interrogatus esset à nobis quos versus virgilius in omnibus libris supra ultimo dixerit: continuò celeriter, memoriterque respondit. Quæsivimus etiam superiores ut diceret; dixit: & credimus eum posse retrorsum recitare Virgilium. De quocunque loco voluimus, petivimus, ut faceret; fecit. Prosa etiam de quâcunque Oratione Ciceronis quam memoriæ commendaverat, id eum facere voluimus, quantùm voluimus sursùm versus secutus est. Cùm admiraremur testatus est Deum, nescivisse, se hoc posse antè illud experimentum.*

Amici cujusdam D. Augustini.

9. Idem Sanctissimus Præsul *Augustinus in ep. ad Cyrillum Ep. Hierosolym.* testatur *S. Hieronymum* eâ fuisse memoriâ, ut Hebraicorum, Græcorum, Chaldæorum, Persarum, Medorum, Arabicorum & penè Nationum omnium linguas, ac literas calluerit: Quarè hoc etiam insigne de eo profert elogium, inquiens: *Nullus hominum scivit, quod Hieronymus ignoravit.*

S. Hieronymi.

10. *Charmides* quidam in Græciâ, teste *Plinio lib. 7. cap. 24.* quoscunque libros in bibliotheca aliquâ legisset, eos confestim memoriter recitare poterat.

Charmidis

11. Theo-

Theodeatis. 11. *Theodeates Phaselites* ex Lycia tragicus, attestante Quintiliano, memoriâ ità excelluit, ut semel auditos multos versus protinus repeteret.

Hortensii. 12. *Hortensius* in foro romano Causarum Rex ob eloquentiam dictus est. De eo *Cicero in Bruto* hæc tradit. *Primùm in eo memoria tanta, quantam in viro agnovisse me arbitror, ut quæ secum commentatus esset, ea scripto verbis eisdem recitaret, quibus cogitavisset.* De Eodem fertur etiam, quod sedens olim totum diem in auctione res omnes venales & pretia & emptores ordine suo recensuerit argentariis recognoscentibus, ita ut in nullo falleretur. Eum etiam *Lucullo* conferens *Cicero, Hortensio verborum, Lucullo rerum majorem affuisse memoriam* scribit. Fuit autem *L. Lucullus* Dux Amplissimus & Philosophus summus, eodem *Cicerone* teste *lib.4. Academ. qu.* à *Fabio* secundus, qui res domi forisque gestas mirabili memoriæ thesauro tanquam præsentes semper spectaret, expeditè referre poterat.

Genethlii. 13. *Genethlius Genethlii* filius Palæstinus Sophista, *Minutiani* & *Agapeti* discipulus adeò feliciter teaci præditus fuit memoria, teste *Suida*, ut totam declamationem auditam memoriter denuò recitaret.

Theod. Metochjtis. 14. Insignis planè fuit & *Theodori Metochitis* memoria, ut *Gregoras lib.7.* recenset: Hic enim *Andronici Palæologi* Imp. tempore *Dromi* Logotheta fuit, & memoriæ præstantia ad summum erudionis fastigium conscendit, ita ut si quid ex eo sivè novum, sivè antiquum quæreretur, ità recenseret, quasi ex libro recitaret. Quarè in ejus colloquiis parum aut nihil opus erat libris; Erat enim viva bibliotheca, & eorum quæ scire quis vellet, Oraculum.

Petri Comestoris. 15. *Petrus Petri Lombardi* frater Trecensis presbyter, memorante *Trithemio*, *Comestoris* nomen accepit, quod sacræ scripturæ authoritate in suis scriptis & concionibus tàm expeditè uteretur, atque si eam in ventrem memoriæ ingestum concoxisset, & in sui substantiam convertisset.

Valentis Æliæ civitatis Diaconi. 16. De *Valente Æliæ* civitatis Diacono scribit *Eusebius Cæsariensis lib.8. cap. 21.* divinarum literarum memoriam in pectus adeò illum inclusisse, ut quemcunque locum vellet, perindè expeditè illud faceret absque scripto, atque si ex scripto legeret. *Idem cap.22.* de *Joanne* Palæstino cœco narrat, eum ob excellentem memoriam integros sacrarum literarum libros memoriter scivisse, ut interdum legis & prophetarum testimonia, sæpe historias, nonnunquam Evangelia aut Apostolorum scripta memoriter ex animi domicilio tanquam ex quodam literarum thesauro proferre potuerit.

Maurilii Episc. Cadurcensis. 17. *Atmoinus lib.3. de rebus gestis Francorum cap.* 34. recenset, *Maurilium* Cadurcensem Episcopum sub Rege *Guntranno* in sacris scripturis ita versatum fuisse, ut Genealogias Vet. Testamenti plerumque memoriter recitaret.

Ludovici Rom. 18. *Ludovicus* Romanus Protonatarius Jurisperitus, ut de eo scribit *Æneas Sylvius lib.1. de Gestis Basil. Concilii*, memor erat eorum omnium quæ ipse unquam aut legisset aut, audisset, nec oblitus erat eorum aliquid, quæ ipse vidisset. Nec ut cœteri Juris consulti principia legum in disputando allegabat, sed quasi Codicem legeret, sic textum memoriter referebat.

Antonii Ravenn. 19. Ætate *Sabellici*, ut etiam refert *lib. 10. cap. 9. Antonius* Ravennas multa millia rerum stans percipiebat animo, & eo, quo accepta essent, ordine memoriter reddebat. *Joan. Picus Mirandula* quoque, uti de eo narrat *Joann. Franciscus in ejus vita*, audita semel à recitante carmina, & directò & retrogrado recensere poterat ordine.

Francisci Carduti. 20. *Franciscus Cardulus* Narniensis vir insigni præditus doctrinâ memoriter recitare poterat duas integras paginas, quas à tertio aliquo legente percepisset, eo, quo lectæ erant ordine, aut etiam, cùm petebatur, retrogrado. Eo etiam familiariter usum se testatur *Leander Albertus in descript. Umbriæ.*

Clementis VI. Pont. Max. 21. De *Clemente VI.* Pont. Rom. scribit *Petrarcha de Memoriâ* eum quidquid vel semel audivisset, oblivisci ampliùs non potuisse. Illud verò maximè in eo mirandum ex vehementi capitis vulnere hoc illi bonum obtigisse.

Juvenis ex Corficâ. 22. Juvenem quendam è Corsicâ oriundum Juris civilis studiosum Patavii se novisse testatur *M. Ant. Muretus lib.3. var. lect.* qui ad triginta sex millia nominum eo, quo recitata essent, ordine, absque cunctatione, recensere poterat. Artem verò hanc se à pædagogo quodam Gallo domi suæ accepisse scribit, eamque paucorum dierum spatio *Francisco Molino* Patritio Veneto etiam communicâsse magnâ admiratione, cùm *Molinus* anteà fuisset memoriæ maximè infirmæ.

Pueri Suession. 23. *Majolus colloq. 4.* refert ex *Robert. de Ment.* Anno D. 1128. in Suessionensi urbe puerum quendam omnem Vet. Testamenti historiam rithmicè retulisse: ipsum quoque Evangelium totum, & quidquid Christus egisset in terris, occlusis oculis velut ex scripto recensuisse. Fuit verò, quod magis mirandum, puer iste aliàs custos pecorum & omnium literarum ignarus.

§. IV.

Memoriæ mirabiliter læsæ, aut abolitæ quædam Exempla recensentur.

Debilis memoria Theracum 1. Quanta in his, quos superiori § adduximus, excelluit memoriæ virtus, tanta in aliis comperta fuit ejus vilitas, sive prava ab ortu constitutione, sivè morbo aut alio accidente adducta. Dicitur de Theracibus, eos tam obtuso fuisse ingenio, & memoriâ tam labili, ut quaternarium numerando transcendere non valerent. *Melithes* etiam, *Plutarcho* teste, quinque numerare non potuit.

Curionis Orat.

2. *Curio* cùm pro *Sex. Nevio* diceret, *Cicerone* pro *Titiana Cotta* perorante subitò totam causam oblitus est, idque veneficiis & cantionibus *Titianæ* factum esse dicebat: adeò autem labili memoria fuisse fertur, ut aliquoties tria verba cùm proposuisset, aut quartum adderet aut tertium quæreret. Quin etiam in scriptis obliviscebatur, quid paulò antè posuisset. Orator tamen habitus est propter verborum bonitatem & expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. *Cicero in Bruto*.

Claudii Cæs.

3. Inter cœtera in *Claudio* Cæsare testatur *Suetonius*, miratos fuisse homines ejus oblivionem & inconsiderationem: tam enim labili fuit memoria, ut occisâ *Messalina*, paulo pòst, cùm in triclinio decubuit, cur Domina non veniret, requisiverit. Multos quoque ex iis, quos capite damnaverat, postero statim die & in concilium & ad aleæ lusum advocâsse dicitur, & quasi somniculosos per nuntium increpuisse fertur.

Oblivio ab ictu lapidis.

4. Teste *Plinio lib. 7. cap. 24*, quidam ictus lapide oblitus est literarum. Hunc scribit *Valerius Maximus lib. 1. cap. 8.* fuisse virum Atheniensem eruditissimum & literarum tantummodò græcarum, quibus inserviebat oblitum; cætera omnia tenacissimâ memoria retinuisse.

Messalæ Corvini ab ægritudine.

5. *Messala Corvinus* ex ægritudine non tantùm propinquorum & servorum, sed & proprii oblitus est nominis, ut *idem* scribit *Plinius*. Alium etiam testatur ex alto lapsum ac matris, affinium & propinquorum nomina perpetuò fuisse oblitum.

Antonii Caracallæ.

6. *Antonius Caracalla* Imp. adeò in literis & philosophiâ profecerat; sicut *Dion* & *Suidas* memorant, ut inter doctos numeraretur, magnamque diei partem philosopharetur. Verùm ipsi tantam supervenisse dicunt oblivionem, ut literas, quasi nunquam didicisset, ignorârit.

Oblivio à Senio.

7. In Senio pluribus deficere memoriam vulgò notissimum est. Sic ex antiquis constat Historiis: *Orbilium* pupillum Beneventanum Grammaticum illustrem ætate *Ciceronis* amisisse memoriam. *Franciscus Barbarus* Venetus è Scholâ *Chrysoloræ* utraque in linguâ eruditissimus postremò senescens, ut *Hermolaus* ait, literarum Græcarum, quas probè tenebat, omninò oblitus est. *Georgium* quoque Trapezuntinum virum doctissimum omnium literarum Græcarum Latinarumque in senio oblitum fuisse tradit *Volaterr. lib. 21. Antroph.* Benè itaque canit *Seneca Troad.*

Dediscit animus serò quod didicit diu.

Theodor. Bezæ.

8. De *Theodoro Beza* refert *Thuanus*, eum antequam moreretur, præsentium memoriam debilitatam mente amisisse, præteritorum, dùm ingenio valeret impressam servasse, & in languore hoc biennio permansisse.

Oblivio è catti syl. cerebro comesto.

9. *Ludolfus à Recklinghausen* Præpositus olim insignis Cænobii Werbensis in Comitatu Waldecensi haud procul *Worbachio* acceperat à venatoris sui uxore in absentia mariti pro pulvere febrifugo cerebrum catti sylvestris exsiccatum, quod ad curanda oculorum vitia ille sibi asservabat, sumit *Ludolphus* de omni periculo securus duo ferè cochlearia in vino exspectando sudorem. Sed cœpit multa insolita contra morem agere, & planè ineptire cum tanta memoriæ amissione, ut nec templum, nec panem, nec scamnum amplius suo nomine vocare quiret. In hac miseria occubuit referente *Meinhardo*, ut ex hoc recenset *Chr. Franc. Paullini in obs. Medico. phys. 16.* Meminit ibidem aliorum virorum quorundam doctorum, quorum unus eò redactus, ut nominis sui oblitus omnia ineptè ageret: alter verò in senio demum A b c darius factus legere & scribere didicerit, & prima denuò Grammatices elementa addiscere debuerit.

Ab herbæ cujusdam esu.

10. *Appianus* scribit Parthos à *M. Antonio* fugatos, cùm fame premerentur, in quandam herbam incidisse, quam qui comederent, nihil aliarum rerum reminiscerentur aut intelligerent, nisi quod lapides continuò effoderent, quasi quidpiam magni operis facturi, & sic debacchati bilem denuò evomentes interirent. *Plutarchus* tamen *in Antonio*, Romanis hoc accidisse scribit, cùm hic è patria reduceret exercitum.

A læso occipitio.

11. Oblivionis admirandæ à læso occipitio exemplum recenset *Tulpius* obs. medic. lib. 4. cap. 15. his verbis. *Famulus Nicolai Lonii iturus serâ vesperâ præproperè ad tabellarium Antverpianum per declivem bursæ fornicem ob glaciem id temporis summè lubricum procidit supinus in occipitium. Unde ortâ rerum omnium oblivione non meminit deinceps nominis sui, nedum domûs, è qua venisset, aut quò contenderet delaturus, quas manu etiamnum contineret literas. Quem mentis stuporem brevi eatenus quidem emendavit ars, ut iterùm recordaretur longè præterita; at quæ casum hunc immediatè præcesserant, illorum memoria planè exciderat.*

A puerperio.

12. De fœminâ quadam puerperâ memorant *Eph. Germ. Cur Dec. 2. An. 4. obs. 54.* quæ Anno 1685. in tam stupidam simplicitatem & memoriæ debilitatem incidit, ut nec differentiam sexûs dignosceret, sed promiscuè viros, fœminas, & has viros appellaret, nec propriam matrem suam agnosceret.

Ex terrore & frigore.

13. Vir quidam Sexagenarius & Summè Melancholicus verno tempore per fluvium equitat rus in eundem collapsus est: ex quo terrore & frigore gravissimam sibi contraxit febrim cum tantâ memoriæ læsione, ut etiam conjugis & liberorum suorum nomina obliviscaretur & nihil omninò quod vellet, suo nomine vocare posset. *Chr. Franc. Paullini in obs. medico-phys. 102.*

A venæ sectione.

14. Memoriæ imbecillitatem ex venæ sectione obvenisse Exemplum afferunt *Ephem.*

Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. An. 5. obs. 140. Sed magis admirandum est, quod refert *Fulgosus lib. 1. cap. 6.* Clericum quendam Germanum natum in oppido, quod *S. Michaelis petram* appellant, dum *Fridericus II.* Augustus rerum potiretur, ex venæ incisione servatâ aliarum rerum memoriâ literas ità oblitum, ut nihilo magis legere aut scribere posset, quàm si nunquam didicisset: transacto dein anni spatio, renovatoque vulnere ejusdem venæ ad pristinam legendi & scribendi peritiam restitutum.

CAPUT IX.

De Vigiliâ & Somno.

Somnus & Vigilia quædam sunt proprietates potentiæ sensitivæ: vigilia enim est usus & solutio sensuum: Somnus est vinculum ligatio, & immobilitas eorundem circà principale sensorium. Sed de his nunc speciatim magis disquiramus.

§. I.

De Vigiliâ & Somno Theoremata & observationes.

Vigilatio quid sit. 1. Vigilatio, ut benè *Chauvinus in Lexico philos.* est sensationis externæ in homine ab organorum libertate dependens actualis exercitatio. Dicitur verò *Exercitatio actualis*, ut à dormitione omninò distinguatur: cum nullus advertatur dormiens, in quo non supponatur potentia exercendi sensationem externam. Hæc autem actualis exercitatio dicitur dependens ab organorum libertate: quod enim sit sensationis externæ exercitatio: profectò organis, iisque externis indiget: sed quod ex voto fiat & procedat, organis liberis cum externis, tum internis, ceu conditioni sine quâ non, acceptum referri debet. Organa igitur impedimento omni amoto ex se sibi peculiarem usum ipso actu præstare solent: eaque organorum libertas nihil aliud est, quàm pororum, cerebri, cerebelli ac nervorum medullæ imprimis oblongatæ dilatatio atque expansio, quâ tum spiritui animali itio ac reditio, seu ultrò citroque facta undulatio libera obtingit; tum objectorum motus organis impressus pro sensationis cogitativæ lege ac more defertur ad cerebri meditullium, sicque ad mentem: tum motiones denique corporis qualescunque pro voluntatis arbitratu & re natâ exercentur. Ita cum *Chauvino.*

Naturalis & Præternaturalis. 2. Vigilatio alia est naturalis, quæ naturæ hominis maximè convenit, ac debito modo & ordine perficitur, vitamque hominis clarè refert: Alia est præternaturalis, quæ modum minimè servat & ultrà consuetum naturæ ordinem & modum continuatur aut perficitur.

Vigilia quid sit. 3. Vigilia, ut facilè ex dictis jam colligitur, nihil aliud signat, quam hominis ex organorum libertate pendentem promptitudinem eam, quâ sensationis externæ actualis obtinetur exercitatio. Estque adeò vigilia status, in quo homo propter copiam spirituum à cerebro ad propria sensuum organa profluentium multiplicî, aut saltem uno ex sensibus externis afficitur. *Keckermannus in syst. phys. l. 3. c. 29.* docet, quod Vigilia sit liber usus & liberum exercitium atque executio sensuum interiorum & exteriorum, itemque appetitus & loco-motivæ: Executio, inquit, orta ab iisdem causis, à quibus ipsæ affectiones, nempe sensus, appetitus & loco-motiva oriuntur. Subdit etiam & dicit, quod vigilia sit quid consequens sensum appetitum & loco-motivam; sive quod sit ipse usus & usurpatio harum functionum. Sicut ergò usus sequitur rem, & oritur à re: ita, inquit, vigilia sequitur sensum, & ab eo oritur, nec sensum tantùm sed & appetitum & locomotivam. *Aristoteles lib. de Somno & vigiliâ* breviter vigiliam dicit esse externorum sensuum vel omnium vel aliquorum solutionem & remissionem. *Avicenna* verò Vigiliam dispositionem dicit esse, in quâ anima imperat sensibus & virtutibus exterioribus & movet voluntariè ad operandum.

Infans in utero an vitam à Vigilia vel somno ordiatur. 4. Disputant nonnulli, utrum homo in utero materno vitam ordiatur à Vigiliâ, an verò à somno: & num ibidem potiùs dormiat, an vigilet? *Sperlingius in Zoologiâ cap 15. Axiom. 2.* sic ait: *Natus homo sentit & vitam auspicatur à lacrymis. Hoc edimur Principio, nec alio principes ac Reges. In utero verò modo conceptus fœtus nec dormit propriè, nec vigilat. Naturales potiùs exercet actiones, quàm animales. Vigilia autem & somnus animalibus debentur actionibus: Vivimus primò vitam plantæ; at nec vigilat planta nec dormit.*

Vigiliæ plures causæ adducuntur. 5. Vigilia à multis induci potest causis, ut eas etiam enarrat *Le Grand. Instit. philos. part. 8. cap. 20. num. 3.* Primò ab iis, quæ sanguinem attenuant, vel nimium calefaciunt, eumque nimium agitando spirituum animalium copiam augent. Secundò, quæ meatus plexus choroidis & caroditum arteriarum aperiunt, viamque spiritibus ad ingressum præbent. Tertiò quæ corpus nimiùm concutiunt & concitato sanguine, ejusque motu accelerato corpus ad actiones expeditiùs reddunt. Quartò, moderata quies aut Somnus, quæ vires reficiunt, corpusque alacrius reddunt ad pensum suum absolvendum. Nos addimus cum *Honorato Fabri lib. 6. de Hom. prop. 13. num. 11* ea omnia, quæ impediunt & prohibent somnum, & sunt I. inedia; ubi enim nihil novi succi ingeritur, sanguis subtilior evadit; nempe humor continuè egeritur

egeritur per urinas, sudores, sputa &c. Igitur calidior & ita somnum prohibet II. Intensio febris somnum quoque fugat: motus enim cordis frequentior fibras sollicitat. Adde vim caloris immodicam & acrimoniam materiæ morbificæ quæ fibras vellicat, multamque bilem congregat. Hæc eadem ratio pro inedia militat. III. Motus vehementior passionis iræ scilicet, desiderii, gaudii somnum impedit; somnus enim quietis amans est, quam passio turbat; nempè affectio fibris impressa motum ciet, qui obstructionem excutit. IV. Dolor etiam præsertim acutus; quia hic magnum supponit sensum, & hic magnum motum, qui somnum prohibet. V. Magna capitis contentio paulò ante somni horam somnum arcet; quia caput accendit. VI. Febris acuta somnum fugat tum propter dolorem, tum quia partes ignis colliguntur, tum quia materia cruda & morbifica fibras impensè vellicat, ac somnum turbat. Ad prædicta capita facilè reduces reliquas insomnium noctium causas curas v. g. animi anxietates, seriam speculationem, calorem nimium, affectum hemicranicum aliaque hujusmodi. Ita *Fabri*.

Vigiliæ commoda. 5. Vigiliæ naturalis commoda haud levia à pluribus commendantur. *Plato lib. 7. de legib.* hæc docet: Quicunque vivere & sapere cupit, maximè, quàm longissimo tempore vigilet solâ sanitatis commoditate servatâ: ad hanc verò non multo opus est somno. Ideò etiam *Homerus* tam frequens est in decantandis laudibus vigiliarum, dum toties consilium Deorum primâ luce habitum fingit. Hinc & *Hesiodus*, auroram omnibus vitæ, studiorumque agitationibus accommodatam esse docet. *Aristoteles* quoque ingenii viribus tum acuendis, tum maximè excitandis conducturam matutinam vigiliam *in Oeconomicis* scriptum reliquit. Hinc *Plautus* quoque bene monuit.

Vigilare decet hominem
Qui vult sua tempori conficere officia.
Nam qui dormiunt libenter, sine lucro & cum malo quiescunt.

Celebres etiam sunt hi *Catonis* versus:

Plus vigila semper; nec somno deditus esto:
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Somnus quid sit. 6. Somnus vigiliæ oppositus est, & communiter dicitur ligatio sensuum; aliis est, privatio actionum sensus communis & sensuum exteriorum ex negatione spirituum ob animalium salutem facta: vel est cessatio sensus communis, atque adeò sensuum externorum, simul & appetitûs atque loco-motivæ ex spirituum animalium impedimento & cohibitione. À Clariss. *Le Grand. loc. supracit. num. 4.* definitur somnus Laxatio cavitatum cerebri, nervorumque remissio ab inopiâ spirituum animalium proveniens, quâ sensoria sistuntur, & inidonea fiunt ad motus objectorum in globosam cerebri partem & ad communem sensûs sedem deferendos. Omnium clarissimè *Fabri loc. supracit. num. 2.* Somnus est quædam sensûs & motûs impotentia, & quoddam quasi vinculum illius organi, ex quo in reliqua sensuum externorum & motuum organa virtus sentiens & motrix derivatur. Hinc per somnum feriantur sensus, & majori ex parte nervi, qui motibus inserviunt, fatiscunt; hinc iis, qui sedentes dormire incipiunt, palpebræ decidunt, caput nutat, manus concidunt, labant genua, & totum corpus omni motu adempto quiescere omninò videtur.

Causa efectrix somni. 7. Unde verò hoc vinculum procedat, quo somnus inducitur, non ita facile est definire. Communior quidem sententia cum *Aristotele* tenet à vaporibus excitari, qui à chylo & humoribus in ventriculo æstuantibus elevantur & posteà ad modum vaporum in aëris regione condensatorum, & solis radiorum effusionem impedientium cerebrum obnubilant, & torporem somniferum inspirant. Verùm multis jam displicet hæc sententia; quia concipere non possunt (præter alias rationes) quomodò hi vapores per tot viscera & osseos carceres, velut tot obstacula in cerebrum evehi possint; cum opinentur majorem partem humorum, quibus cerebrum madefit, per arterias transmitti, & è sanguinis massâ immediatè instillari. Quocircà causam somni inopiæ potiùs, & defectui spirituum animalium, & hinc enatæ motûs diminutioni attribuunt, ideò quod opium, papaver, mandragora, aliaq; somnifera somnolentos efficiant, inde venire dicunt, quod narcotica & stupefactiva vi polleant, qua spiritus figant, & ex corde ad cerebrum mitti prohibeant. Obstent etiam fuliginoso suo humore, ne spiritus in cerebro contenti ad membra exteriora procurrant. Unde etiam cibi crassiores, & dyspepti, qui diutiùs in stomacho hærent, somnum & torporem inducunt, quoniam spiritus animales in stomacho degentes figunt & aggravant, & ratione consensûs, qui inter stomachum & cerebrum intercedit, spiritus in cerebro stupefaciunt, & hebetes reddunt.

Causa somni à Fabri explicata. 8. Causam somni, ligationisque sensuum alio modo explicat *Fabri loco superiùs cit.* pro qua supponit potentiam motricem in aliis membris ligari, aut impediri posse: si vel fibræ, quæ motibus inserviunt, plùs æquo pressæ aut tensæ sint, aut certè rigidæ ac proindè indociles ac minus expeditæ ad motum. Igitur, cum somnus impotentiam aliquam dicat tum in sensu: tum in motu: *nullum dubium est*, inquit, *quin hujusmodi impedimentum aut vinculum ab iis obstructionibus procedat, quæ capita nervorum occupant. Oriuntur autem nervi à basi cerebri non procul à sentiente plexu, à quo scilicet ad nervorum originem impressa affectio facilè traducitur propter fibrarum communionem. Prædicta igitur obstructio facit, ne fibræ sint liberæ ad motum, & consequenter ad sensum, cum unus sine alio esse nequeat, & cum sensus sit propter internum, quotiescunque affectio impressa suo fine gaudere non potest; igitur si occupatæ sunt fibræ, & indociles propter obstructionem; quid mirum, si sensus ferientur.*

9. Quo-

Quomodo ab obstructis fibris juxta Fabri sententiam somnus inducatur.

9. Quomodo verò obstruantur fibræ, varios exponit modos *Fabri.* I. Copiosi humoris appulsu: tunc enim percolatio & excretio pituitæ fieri non potest, quin multa vis humoris exundet in vicinos cerebri tractus, cum nempe Ventriculi cerebi positi sint juxta plexum sentientem; ut dicit, ac nervorum originem. II. Si ligentur arteriæ Carotides, vel soporales ut ajunt, aut saltem stringuntur, illicò sopor irrepit. Ratio clarissima est, quia his ductibus sanguis arteriosus in plexum sentientem influit. Hinc defectu caloris & humoris stupent & rigent fibræ. III. Idem accidit, si colli venæ obstruantur, ut testatur etiam *Aristoteles lib. de Somno cap. 2.* Hinc è patibulo suspensi quasi dormientes obire dicuntur. IV. Nonnulla quæ Narcotica pollent virtute, somnum conciliant; ut papaver, mandragora, vinum, lolium, crocus, aliaque hujusmodi. V. Quidam morbi somnum conciliant: ut Lethargici aliique qui caput afficiunt; nempè materia morbifica meatus ac sentientem plexum obstruit. VI. Qui majori sunt capite, somnolenti sunt, quia major vis humoris inest: item Naniformes quod majori ut plurimùm sint capite: item ii qui tenues habent venas & arterias, quod scilicet angustiores meatus & ductus faciliùs obstruantur. VII. Labor & defatigatio somnum conciliant, quod motu cordis motus sanguinis acceleretur. Unde multa vis humoris in cerebrum ascendit, quâ obstrui possunt fibræ. VIII. Post febrilem paroxismum æger ut plurimùm somno laborat: sumpto quoque cibo somnus molliter irrepit, quia multa vis humoris sanguini admixta cerebrum petit. IX. Motus librationis pueris somnum inducit, quia hoc reciproco motu cerebri humores agitantur, quorum impulsus vel appulsus in plexum sentientem, nervorumque originem obstructiones facit. X. Iisdem quoque accersitur somnus quodam cantu flebili uno tenore cadente, quia sonus tremulum motum nervis auditoriis imprimit, quibus & tandem meatus quidam laxatur, unde humoris in quarto ventriculo contenti fit appulsus. XI. Levi ac continuo susurro somnus inducitur quiescentibus, præsertim aliis sensibus: à nonnullis etiam somnus advocatur propter eandem rationem. Accedit quod illo motu plexus sentientis humor in nervorum originem quasi percolatur: hinc obstructio, hinc palpebræ cadunt, hinc caput inclinatur. XII. Qui diu vigiles fuêre, diu quoq; dormire solent, quia per vigiliam subtiliores duntaxat humoris partes avolant, crassiores manent obstruendis meatibus aptæ, quæ ratio etiam militat pro iis, qui longâ defatigatione somnum accersunt. XIII. Tristitia somni socia est, quia cum hujus passionis motus vasa contrahat, venas scilicet & arterias, contracti meatus longè faciliùs obstruuntur. Hinc Somnus. XIV. Frictione somnus inducitur, quia hæc facit, ut crassum humorem in carnibus contentum fugant venæ, qui cum deindè cerebrum petat, conciliat somnum. XV. Silentia præbent somnum, quia fibræ quiescentes plexûs sentientis faciliùs obstruuntur; motu enim somnus excutitur. Hæc juxta *Honorati Fabri* sententiam. Ex his omnibus patet, quod dum fibræ in capite occluduntur, & quosvis modo obstruuntur, via spiritibus animalibus præpediatur, quorum deindè inopiâ (quæ generalis causa videtur esse somni) cum motus nullus perficiatur, sensus necessariò quiescere, & ita somnus induci debet.

Somnus quotuplex

10. Somnus alius est *naturalis*; alius non *naturalis*; alius *præternaturalis.* Primus *Naturalis* sivè ordinarius est, quo unusquisque totidem statis horis quotidiè fruitur, ejusque accessio & duratio certò perficitur tempore, deinde redit vigilia, & homo denuò actualiter externas sensuum operationes exercet. *Non Naturalis* sivè Extraordinarius propter quasdam occasiones indebitâ mensurâ & tempore in congruo succedere solet. *Præternaturalis* in morbis soporosis contingit à causis morbum inducentibus. In somno verò naturali multum facit consuetudinis vis, ut etiam notavit *Willis de An. brut. part. 1. cap. 16.* cum enim statis quibusdam horis somnum inire consuevimus, *circà idem tempus*, ut inquit, *Spiritus quasi demissio motûs sui elatere statim opera quævis & externa commercia relinquentes introrsum cedunt, ac quieti indulgent.* Cujus rationem subdit, quod anima sensitiva siquidem omnis scientiæ & propriæ directionis expers est ab externis accidentibus, circumstantiis ad hoc aut illud agendum determinatur: quarè spiritus animales, quâ semitâ semel ducuntur nisi impediti vestigia priùs tractata ad amussim repetunt. Hinc solitis statisque horis ubi dormimus, ita expergiscimur, etiam prandii ac cœnæ eadem usque tempora exspectamus, ægrè prætterimus. Subdit tandem: *ita solemnis naturæ mos est, idem agere, quod prius egit & donec novum edocta sit œconomiæ modum, veterem constanter & exactè servare.* Hujusmodi assiduitatis naturalis exemplum quod subnectit, de Morione scilicet exactissimè horarum intervalla sine quovis indice dignoscente supra jam ex *Eodem* recensuimus, cum phantasiæ mirabilia produximus.

Somnus alius blandus & quietus, alius turbulentus.

11. Somnus alius naturalis est blandus & quietus, qui naturam juvat: alius verò inquietus & turbulentus, qui corpus fatigat. Ille ab humore oritur, bono, eoque puro & rectè in ventriculo concocto, sanguini admixto, & in cerebrum elevato, qui blandè instar roris fibras perfundit & spiritus figit, ità ut non inscitè *Æginetа* Medicus somnum definiverit: quod sit *quies facultatis animalis propter utilem humorem, quo cerebrum perfunditur.* Somnus turbulentus contrario modo accidit, ex impuro scilicet, incocto & naturæ adverso humore. Talem ordinarie inducunt fabæ ac pleraq; leguminа aliaq; flatulenta, viscosa, & durioris concoctionis esculenta. Quocircà rectè monet *Cardanus lib. 3. de sanit. tuendâ cap. 89.*

Scias quod omnia, quæ caput conturbant & vaporem multum gignunt, si facilè corrumpantur, ut allia, cepæ, porri, gingiber & generaliter humido excrementitio abundantia, ut viticis semen, crocus & macropiper præsertim humidis cibis mista somnos conciliant præcipuè turbulentos, ut de Styrace constat.

Moderati somni optimi effectus.

12. Moderatus somnus optimos parit effectus: quorum causa etiam à natura instituitur. Vires enim reficit, corpus fessum recreat, noxios humores dissolvit, digestioni & ciborum concoctioni deservit: per somnum enim quiescunt sensuum & potentiæ motricis organa, ac proindè minimè distrahuntur, quæ functionibus naturalibus & vitalibus famulantur. *Hinc* ut rectè inquit *Fabri loc. cit. num. 12. moderatus cordis motus, hinc libera sanguinis circulatio, hinc perfectus facultatum naturalium usus: nulla passio turbat, nullus corporis motus obstat, nullus sensus distrahit: hinc gratus calor toto corpore diffunditur, hinc partium inutilium effluvium & fuligo abigitur: hinc dulcis vapor per membra diffusus totum hominem recreat, & siquæ est in carnibus obstructio separatur &c.* Commoda, quæ ex somni & dormitionis beneficio obveniunt, summatim quoque complexus est *Tertullianus in lib. de Anima cap. 43.* his verbis: *Somnus est recreator corporum, redintegrator virium probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitimè fruendo dies cedit nox legem fecit, auferens rerum etiam colorem.* Undè *Ovidius* quoque *lib. 11. Metamorph. fab. 10.* benè accinit.

Somne quies rerum placidissime Somne Deorum
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.

Somnus immoderatus est noxius.

13. Sicut porrò Somnus moderatus maximè confert animalium saluti: ità ex adverso immoderatus multum officit: densiores enim & crassiores efficit humores, qui animalibus functionibus conficiendis maximè inidonei sunt: cum enim Somnus calorem diffundat, quid mirum? si partes subtiliores avolent ac proindè quod crassius est remaneat? Quocircà etiam docet *Hippocrates 2. Aphor. 3. Somnus & Vigilia, utraque si modum excesserint; Malum. & Averroes. 6. collig. cap. 4.* Cùm medicis communiter docet, immodicum somnum laxare membra, calorem nativum hebetare, gravare caput, homines reddere stupidos, socordes, obliviosos, ad vitia proclives, ad quosvis labores, & studia pigros, & inutiles: morborum plurium causas ponere, & ipsam denique mortem accersere. Quod etiam *Ovidius de Amore lib. 2.* his indicavit versibus.

Infelix totâ quicunque quiescere nocte.
Sustinet & Somnos præmia magna vocat.
Stulte quid est Somnus? gelidæ nisi mortis imago:
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Sanguis in somno plus ardescit.

14. Sanguinem plus accendi multoque uberius deflagrare in Somno, quàm Vigiliâ ex *Sanctorii* observationibus staticis demonstrat *Willis loc. supra memorato.* quatenùs nempè dormientes ad ponderis longè majoris decessum exhalant, quàm vigilantes adhibitis licet exercitio & sudore: ex ratione deindè & experientiâ sic declarat. *Quemadmodum*, inquit, *materia combustibilis circà accensionis focum juxtà posita & coacervata pleniùs ardescit, quàm si eadem per partes divisa fumigans & semi-accensa in varia & dissita hic illic loca distraberetur; pariter & de sanguine judicandum erit, qui scilicet in somno tranquillus, nullisque aut passionibus aut musculorum impulsibus è præcordiis avocatus aut foràs detentus pleno velut alveo pulmones subit, ibidemque accensionis focum tardiùs pertransit: Undè necesse erit, eum tunc uberiùs accendi, eumque majori flammâ ardescere, quàm si raptim solummodò & incendio leviori tactus ea loca trajiceret.* Experientiam quoque adducit, quam in seipso quisq; facilè observare potest; inter dormiendum scilicet præcordia plurimùm æstuare, partesque externas ad frigescendum aptas, quarè has stragulis cooperiri opus esse scribit, quo effluvia circà ambitum corporis detenta ipsum excalefaciant, dum interea phlogosis in pectore versatur, atque à flammâ & fuligine illinc ascendentibus lingua & partes oris velut elixæ albescunt: hinc ut ibidem dicit, *sub dio aut alicubi extra lectum dormientes nisi vestibus bene muniantur, frigus contrahunt: nam ob calorem retractum aëris ambientis corpuscula frigida poros subeunt, eosque constipant.* Contra autem Asthmaticos, & eos, quibus pulmones infarti, aut constricti, aut aliàs difficulter mobiles sunt, intra lectum ægrè obdormire scribit, *quia nempè flammam in præcordiis accensam calor ambiens in tantum adauget, eidem ut ventilando per arterias convehendo, pulmones utpote debiles ac in motu fatiscentes vix aut nè vix sufficiant.* Ex hoc quod sanguis in somno magis exæstuet & efflagret, deducit deindè Clariss. Author somnum inordinationes quasdam sanguinis sedare; & efficere, ut sanguis munia sua quorum præcipua sunt, spirituum animalium exstillatio, & partium solidarum nutritio meliùs imò potissimùm, & ferè tantum exequatur. Sed de his fusiùs *Eundem* discurrentem vide *loc. citato.*

Ronchi unde in somno proveniant.

15. Quia in somno calor vocatur ad interiora; & cor etiam calidis, & fuliginosis halitibus magis obsidetur, quàm in vigilia. Unde fit, quod in somno gravior sit respiratio & ronchi etiam sonori à nonnullis ducantur. Sunt autem hi ronchi nihil aliud quàm aër interceptus in faucibus, & naribus; dum videlicet aër non liberè fauces ac nares permeare potest. Unde ii, qui partes illas habent angustiores aut sanguinem crassiorem; qui & cum crapulâ & majori repletione se cubitum conferunt, item qui in dorso potissimùm decumbunt, graviores & crebriores ronchos ducere comperiantur. Unde & *Cardanus lib. 3. de sanit. tuenda cap. 89.* confirmat, ajens. *Stertor accidit*

accidit dormientibus supinè magnamque respirationem ac tardam & raram habentibus, quibus amplum pectus pectus & angustæ fauces.

Somnus post venæ sectionem noxius. 16. A phlebotomia quidem somnus facilè obrepere solet ob inopiam spirituum; qui una cum sanguine emissi sunt; is tamen ab omnibus Medicis & Physicis ut vehementer nocivus improbatur. Ratio est, quia somnus nocet omnibus, qui notabiliter sunt exinaniti & debilitati: Spiritus verò in somno quia ad cor revocantur, cor autem si debile sit, ex repentino affluxu facilè obrui, & inde magno affici nocumento potest. Itaque, ut asserunt, per phlebotomiam evacuati, si somnus iis superveniat, in periculo sunt, ne cor subitò obruatur & animi deliquium, viriumque vehemens consternatio inde sequatur.

Cur gravior vox post somnum. 17. Post somnum ordinariè vox gravior solet evadere: cujus causa videtur esse, quod multo humore trachæa in somno perfusa graviùs inde sonet, ut contingit in tympano madefacto, quod obtusiorem etiam reddit sonum, quàm cum exsiccatum est. Per somnum deindè cum nihil exspuatur, humor circà fauces facilè diffundi solet.

Somnus levis profundus & sopor. 18. Somnus etiam quidam est levis; quidam profundus, & quidam quasi sopor & quidam purus, ut inquit *Cardanus in Hippoc. Aphor. 2. Levis est, cum facilè expergiscimur: profundus cum difficulter, sed expergectus magnam facit mutationem in respiratione: in sopore autem difficulter expergiscimur, & fit parva mutatio in respiratione: aut si fit, non est naturalis. Hippocrates autem in Coacis prædictionibus* vult, quod omnis sopor sit malus. Differt verò sopor in tribus à vero somno profunditate, longitudine, & quod præternaturalis sit. In Capitis vulneribus *Idem Hippocrates lib. de cap. vuln. ait*, soporem lethale esse signum; in acutis etiam potissimum phrenitidem vel delirium, vel convulsionem aut parotidas prædicere.

Tempus somni. 19. Tempus somni diversum quidem esse potest, sed non omne conducit somno, qui levet naturam, eique prosit. *Hippocrates lib. de ratione victûs in acutis* quatuor ponit ordines. Primus est, ut quis dormiat nocte, vigilet in die. Secundus est, ut dormiat de die usquè ad tertiam diei partem scilicet noctis etiam parte ultimâ. Tertius ut reliquâ parte diei. *Non dormire autem nec die, nec noctu, pessimum est*: inquit. A ratione temporis communiter Somnus alius dicitur esse diurnus, alius nocturnus. Diurnus rursum alius ante meridiem contingit jejuno ventriculo, qui tolerabilis, neque omninò noxius existimatur. Meridianus autem sivè potiùs Pomeridianus capitalis sanitatis hostis reputatur; ut etiam ex antiquis illis Sapientibus *Plautus in Mostell.* edixit.

Non bonus Somnus est de prandio.

Causam, quòd ita infestus & noxius sit, communiter dicunt esse, quod cibos in ventriculo non concoquat, sed corrumpat, ructus acidos, flatusque pariat, cerebrum multa & crassa, mordacique humiditate, atque fuligine repleat: Unde gravedines, oscitationes, vertigines, catharri, capitis dolores, anginæ, apoplexiæ, paralysis, epilepsia, aliique morbi frigidi & mortiferi promanare solent. Rectè quoque *Seneca lib. 22. epist.* 123. eos reprehendit, qui ut in eadem Urbe quidam velut Antipodes noctes vigilant, dies dormiunt; quos appellat *Sychnobios* id est *Lucernarios*: aitque hujusmodi homines contra naturam vivere, quod factitâsse *Heliogabalum* Imperatorem testatur *Lampridius in ejus vita.* Aptissimum igitur somno tempus est nocturnum, propterea vel ipsum etiam noctis silentium nos ad quietem vocat: & à Poetis etiam non inscitè, Nox somnifera, somni datrix, somniorum mater, somnorum genitrix, variisque aliis nominibus appellari consuevit. Quod si tamen etiam de die admittatur ob nimiam lassitudinem, aut cibum & potum uberiorem, aut propter noctis vigiliam, aut dolores, aut ventriculi imbecillitatem aut longam consuetudinem: non improbatur à *Cardano lib. 3. de sanit. tuendâ cap.* 89. Ubi etiam hæc subdit: *Dormire in die, & ob dormitionem vehementem, & ideò vel ab antecedente necessitate, vel à succedente utilitate: ut etiam in febrientibus, si noctu longa accessio immineat, & superdormire siti: bonum est.*

20. Tempus etiam pro somno Naturæ consueto, quod ordinariè per naturalem diem dormitione insumi debet, ut sanitati consulatur, *Idem Cardanus loco ut supra*, determinat his verbis: *Undecim boræ decubitus senibus; septem juvenibus Consistentibus novem: ab his si detrahas binas singulis, relinquentur boræ somni: Prima pars ventriculi maximè favet: secunda etiam, tamen jecori: sed ultima cordi ac cerebro suavis & amœna, iu quâ purum ab impuro segregatur. Sequenti* porrò *capite* 30. hæc tradit. *Longitudo somni boræ novem, septem saltem; quinque sunt necessariæ.* Verùm Expertiores Medici tempus somni non horarum spatio dimetiendum volunt, sed absoluto concoctionis opere, quod aliis citiùs, aliis tardiùs procedit. Quod tamen longissimum est, septem vel octo horis perfici dicunt: perfectè illius indicium etiam præbere statuunt ventriculum in se & suas tunicas subsidentem, urinamque flavam. Contrà verò tensionem ventriculi, acidos ructus, capitis dolorem & totius corporis gravitatem imperfectam concoctionem testari. Alii cum *Andrea Laurentio lib. de senect. cap.* 9. veri & legitimi somni tempus decernunt septem horarum juxta illud scholæ Salernitanæ. Somni longitudo.

Septem horis dormisse sat est juvenique, senique.

Et juxta antiquos hos alios versus.

Ipsa parens rerum septem tibi deputat horas:
Hæc igitur justæ tempora noctis erunt.
Nam dormire bonum est vigilare: sed utraque quamvis.
Optima si fuerint, immoderata nocent.

21. Ad somnum salubriter conficiendum multùm etiam facit corporis situs, sivè decubitus. *Plinius lib. 28. cap.* 4. pronos decubitus Decubitus in somno.

bitus tussibus conducere, ac supinos oculis asseverat. Tradit quoque ex *Theophrasto* celeriùs concoqui dextri lateris incubitu, difficiliùs à supinis. *Andreas Laurentius loc. supracit.* hunc decumbendi modum præscribit. *Caput*, inquit, *dormientis sit paulò corpore editius, ne cibi è fundo ventriculi regurgitare possint ad superius ejus orificium.* His deinde subdit: *Decubitus in dorsum noxius est: quia hac ratione excrementum cerebri, quæ se per os & nares expurgare solent, incumbent in spinam dorsi: accedente etiam aliâ causâ, quod decumbentes in dorsum nimiùm calefaciunt tam magnam venam cavam, quam arteriam magnam, quæ utræque innituntur lumbis: hæc autem vasa supercalefacta calculos generare solent, & multos ad cerebrum mittere vapores.* Consultum etiam dicit, ut primùm quis in dextrum decumbat latus, quo decubitu jecur substernet se ventriculo, velut foculus mensarius & calore suo adjuvabit digestionem. Quo facto devolvendum existimat corpus in latus sinistrum, ut vapores venientes à dextro latere exhalare possint: postremò rursùs decumbendum censet in dextrum latus, ut cibus concoctus faciliùs descendere possit. His deinde aliud consilium medicum suggerit his verbis. *Debet autē dormiens membra sua non directè extendere, sed aliquo modo ad corpus attrahere;* quod *Gal. l. 1. de motu musculorum monet quietē musculorum in mediocri contractione consistere. Amb. Paræus introduct. ad Chirurgc. 16.* Supinum recubitum etiam omninò refugiendum docet. Somnus autem ut *Cardanus l. 3. de sanit. tuenda c. 89.* inquit, *super latus sinistrum & dextrum & declivè melior est omnibus elatis cervice & pedibus atque illis bene contectis ac capite etiam benè sicco, sed non gravi.* Monent tamen Medici communiter, calceatis aut vestitis pedibus neutiquam esse dormiendum; quod ut *Magninus* docet, visum debilitat, memoriam lædat, & totum corpus extraneo calore æstuare faciat ob vaporum refluxum: non in loco etiam novo, nec dealbato gipso, multò minùs calce, aut carbonibus accensis dormiendum monet *Cardanus loc. cit.* nam, ut ait, constat unâ nocte plures periisse. Tragicum hujusmodi Exemplum proximo abhinc anno in sponsis nuptui propinquis stupuit *Herbipolis*, qui fumi exaccensis carbonibus fœtore in occluso conclavi miserabiliter suffocati, atq; post aliquot modò septimanas reserato conclavi, jam putidi & fœtentes reperti sunt.

22. Accidit quandoque dormientibus tergo præsertim incumbentibus quædam affectio, quam Græci *Ephialtem*, Latini *Incubum, sivè Incubonem*, Flandri *Mare*, Galli *Coquemare*, Hispani *Pesadilla*, Germani das Alp vocant; quâ ii, qui corripiuntut, noctu præsertim, à Dæmone, vel spectro, vel stryge aliquâ se opprimi credunr, ut neque clamare, neque crura aut brachia, quibus se à spectro expediant, movere queant. Causam hujus affectionis indicat *Lemnius lib. 2. de occult. Nat. mirac. cap. 3. & seq.* ajens: *Quod si quis inter dormiendum tergo incumbat, densi quidam & fuliginosi halitus obsident, primò quidem cor, post etiam cerebrum: ex quâ repletione cordis, & cerebri miræ oriuntur imaginationes, & terriculationes dormientium.* Si quis enim tergo incumbat, fit, ut spina dorsi, & ea, quæ sunt circà spinam cor ipsum propiùs attingant, & premant, ita ut liberum motum non possit habere. Motu autem cordis impedito facilè halitus fumosi, & crassiores circà cor colliguntur, qui deinde ad cerebrum elevati monstrosas gignunt imaginationes, quasi scilicet aliquid spectri adsit, quod thoracem, & pectus comprimat. Quia etiam corde ipso presso pulmones premuntur, & vox velut intercipitur, ita affectione istâ pressi pulmones liberè movere & vocem quâ aliorum opem implorare conantur, edere non valent. *Quicunque autem per somnum loquuntur, delirant quando nec sanis integra sit mens*, ut ait. *Cardanus in 2. Aphor. Hippoc. 1.*

23. Phantasiæ totum adscribitur, quod aliqui de nocte surgant è somno, & obambulent, aliaque peragant, quæ vigilantes perficere solent. *Anima enim* ut bene explicat *Jonstonus in Thaumatogr. sentiens in somno non solùm ab externo objecto incitata ad sentiendum se convertit & primò obscurè, posteà clariùs rem percipit, sed & ab interno objecto per somnum repræsentato affectu movet facultatem motricem. Excitatur autem imaginatio à reservatis rerum speciebus, circà quas, dum intensiùs agit, facultatē motricem stimulat. Quod verò non excitantur vaporū efficit pertinacia. Hi enim non permittunt, ut facilè excitentur. Contra spiritus animales vegetiores sunt; fit ut medio modo inter dormientes & vigilantes constituantur. Denique quod agunt, quod dormientes non possunt, periculi facit igioratio. Rationis obscurata ratio motus à phantasia excitatos impedire non potest.* De ejusmodi Noctambulis scribit *Cardanus lib. 3. de san. tuenda cap. 89. Tremere malum in somno, clamare deteriùs, surgere pessimum, idque multis malè cessit. Keckermannus syst. phys. lib. 3. cap. 29.* de Noctambulis hoc ponit theorema. *Quibus temperamentum est melancholicum, & præterea cerebrum siccum & deniq; spiritus subtiles ferventes & impetuosi, ii facilè in turbulentissimum illud somniorum genus incidunt, quod nocturnas deambulationes & oberrationes causatur.* Explicationem pleniorem vide apud *Eundem ibidem. Andreas Laurentius lib. 4. Hist. Anat. qu. 12.* hujusmodi affectioni obnoxios eos esse scribit, qui sanguine spumante, & multo, fervidoque spiritu abundant, & in quibus imaginatio est vehementior, & qui acriùs perturbari, ac res tenaciùs apprehendere solent. Ait enim: *Dicamus moveri dormientes, quia exigua vis in musculis, latens à forti imaginatione excitatur: propterea non moventur somniantes, nisi validâ imperante imaginatione brutorum imaginatione simillimâ. Majolus colloq. 4. ex Antonio Musa & Tiraquello* refert hujusmodi morbo seu malo Betonicam herbā pro antidoto esse. Verùm optimum

Unde aliqui de nocte surgant & obambulent.

optimum remedium alii suadent esse; noctambulones istos virgis, aut flagris excipere, & ita periculosum hunc obambulandi morem compescere.

§. II.

De longo tempore Dormientibus & Noctambulonibus Exempla mirabilia.

Epimenidis longa dormitio.

1. *Epimenides* Cretensis legitur continuo somno dormiisse quadraginta septem, aut si *Laertio* credimus, quinquaginta septem annos, neque paucos posteà supervixisse. Hujus pellis ceu res sacra aud Lacædæmonios adservata fuit, ut miraculi monumentum. Unde *Epimenideum corium* de re deposita & miraculi loco servatâ in proverbium transiit, ut testatur *Erasmus in adagiis* & de somno addictis: *ultra Epimenidem eos dormire*, dici consuevit.

Pueri in speculonga dormitio.

2. Puerum quendam æstu, & itinere fessum in specu septem & quinquaginta annos dormivisse narrat *Plinius lib. 7. Nat. Hist. cap. 52.* expergiscentem deinde mutationem rerum miratum, velut si postero experrectus esset die.

Septem Fratres Dormientes.

3. Sub *Decio* Imp. Christianos persequente septem Fratres Ephesini iisdem parentibus nati, ut narrat *Nicephorus Calist. l. 14. Hist. Eccles. c. 45. Constantinus Manasses in Annal. Carolus Sigonius* & alii: timore persecutionis fugientes intra speluncam proximi montis se abdiderunt. Cujus aditum persecutores extrinsecus ita occluserunt, ut evadendi facultatem quantumvis enixè molientibus eriperent. Ibi verò ut se clausos, vallatosque senserunt in mœrorem conversi, & repente somno acriore oppressi sunt, atque trecentis & septuaginta duobus annis usque ad *Theodosii* Imperatoris tempora dormierunt.

Rustici Germani longa dormitio.

4. Narrat *M. Damascenus*, ut citat *Cornel. Agrippa phil. occultæ lib. 1. cap. 58.* suo tempore in Germania defessum rusticum sub fœni tumulo per totum Autumnum sequentemque hyemem continuò dormivisse, donec in æstate fœno paulatim depasto experrectus tanquam semimortuus totusque extra se positus inventus est.

Septem viri dormientes in antro.

5. Est in Norvegia, ut ibidem *Agrippa ex Paulo Diac. & Methodio* Martyre recenset, sub eminente littore antrum, ubi septem viri dormientes jacuerunt longo tempore sopiti sine ullâ corruptione, & sæpè populos ad ipsos lædendum ingressos continuò fuisse contractos: denique accolas pœnâ præsenti cautos ab ipsorum læsione destitisse ajunt.

Populi à Novembri ad Aprilem dormientes.

6. *Guagninus part. 2. Polon.* scribit populos quosdam ad Moscoviam & Tartariam, quos *Grunstinzos & Serponovicos* vocat, quot annis 24. Novembris mori, aut indormiscere, & 24. Aprilis reviviscere, ut ex ipso memorat *Keckermannus syst. phys. lib. 3. cap. 10.*

Studiosi Lubecensis longa dormitio.

7. Mirabile prorsus est, quod recitat *Crantzius lib. 8. Wandal cap. 39.* de juvene studioso his verbis. *Ferunt Juvenem scholasticis disciplinis Lubecæ intentum secretiùs, ut sine interpellatione dormitaret, se reclusisse nemine sciente. Cum non appareret, quid de illo actum; requisivêre: non invenientes arbitrati sunt clam urbe profectum in patriam. Transiêrunt septem illo sopore anni, jam per casum evenit, ut quispiam scrutaretur curiosè, quid concamerato in muro capsa contineret: vidit juvenem soporatum, & cum ignotus illi esset, graviter concussum excivit de Somno: jam redegerunt in memoriam, qui illum prodire viderant, ante septennium disparuisse juvenem, quem eundem mutatâ, non maceratâ facie certissimum judicârunt. Stupor apprehendit omnes. Ille miratur, quid stupeant: arbitratus se unam noctem cum parte diei somno consumpsisse. Ubi audit factum, stupet cum stupentibus, nec edicere potuit, quid amplius esset passus, quàm solent homines profundo somno (lethargum vocant) soporati. Viderint Physici, si poterat humidus ille locus fovere & continuare tam diuturnum somnum sine cibo & corporis maceratione. Hoc est illud tempus, quo Summus Pontifex Gregorius XI. curiam suam de Avinione Galliarum urbe reduxit in Urbem Romam. ita Crantzius.*

Diu non Dormientes.

8. E converso nonnulli longo etiam tempore somnum nullum admiserunt. Ita *Mœcenas* tribus integris annis insomnis permansit, levi harmonia tandem liberatus, ut refert *Seneca de provid. Nizolius* Ciceronianus decennio non vidit somnum, *Heurn. cap. 16. de morb. capit.*

Noctambulones.

9. Sed omnium maximè admiranda sunt Exempla eorum, qui noctu in somno surgentes obambulant, fores aperiunt, alta conscendunt, aliaque peragunt, quæ vigilantes vix audent. *Hippocrates in lib. de morbo sacro*, in principio dicit: quosdam in somno lugentes & vociferantes vidi: quosdam exilientes & fugientes, ac diripientes, quoad excitarentur.

In somno orans pro Defunctis.

10. Narrat *Cardanus lib. 8. de variet. cap. 44.* audivisse se quendam adeò divulsis principiis fuisse, ut indueret se somnians, legeretque supplicationes pro mortuis: ad vocantem Principem, cujus erat cubicularius, accederet, demum etiam interrogantibus responderet.

Galenus in somno ambulans.

11. *Galenus lib. 2. de motu musc. cap. 4* scribit, seipsum dormientem & somniantem integrum fermè stadium confecisse, nec à somno prius excitatum fuisse, quàm in lapidem impegisset.

Ridicula equitatio in somno.

12. Ex *Joanne Horstio* recenset *Keckermannus syst. phys. lib. 3. cap. 29.* Juvenem quendam è lecto surgentem indutum vestimentis, & ocreis calcaribusque appositis super fenestram conscendisse, & hinc atque inde divaricatis cruribus parietem perindè, ac si equus esset, incitâsse.

Scalas ascendens cistas aperiens.

13. Ex *Eodem ibidem* narratur de Artifice quodam, qui lecto semper noctu surgens scalas ædium ascendit, & descendit, claves quæsivit, inveniens eas, cistas aperuit, multaque alia opera perfecit.

Ad pugnam provocans.

14. Apud *eundem* prostat exemplum de juvene bilioso, contentioso, & litigioso, qui noctu surgens arma, velut enses, pugiones, hastas &c. comportavit, hastas vibravit, ac contumeliosis verbis Antagonistam quasi suum compellavit, non secus, ac si vigilans cum aliquo contenderet.

In somno nidum picarum dissipans.

15. Memorabile æquè ac mirabile valdè est, quod *Horstius* in arce *Bernstein* contigisse scribit. *Tres*, inquit, *Juvenes nobiles fratres, iique bellicosi: ex his unus aliquandò nudus in somno surgit, & indusium secum manibus aufert, atque ad fenestram arcis tendit ad quam fenestram è trochleâ pendebat funis; hunc funem arripit, & eo nixus in arcis istius altam turrim conscendit; in turri incidit in nidum picarum, quem nidum perturbat, & dissipat; pullos in nido repertos involvit suo indusio, post eodem fune iterum regreditur ad suum lectum ibique placidè dormit. Tunc manè experrectus per jocum narrat fratribus se somnium habuisse de picarum pullis: post volens surgere quærit indusium; quod etiam implicatum ad pedes cum pullis invenit.*

In puteum descendens.

16. Stupendum est quod *Helmstadii Idem Horstius* contigisse memorat: ubi quidam è lecto surgens de scalis descendit in aream ædium, per quam aream spatiosissimam cum satis longè processisset, venit in culinam ædium, cui propinquus erat puteus, in quem descendit, ita ut parietibus putei manuum, pedumque digitis acutissimè adhæreret: cumque aquam putei attigisset, frigore aquæ expergefactus exclamavit! O mein Bein! helfft mir / helfft mir! quo clamore alii excitati in ædibus ubique hominem quærunt, donec tandem in puteo invenientes eum extraxerunt, sed ita clamore isto, horrore & casu debilitatum, ut per aliquot dies mutus & immotus jacuerit.

17. *Andreas Laurentius lib. 4. Hist. Anatom. qu. 12.* scribit *Theonem* Stoicum dormientem in somnis ambulare; *Periclis* verò servum in summo tecto spatiari solitum.

In somno sequanam tranans & alium interficiens.

18. De quodam Anglo *Parisiis* degente mentio fit apud *Majolum colloq. 4.* Cui id in more positum erat, ut somno correptus domo egrederetur, ad templa proficisceretur etiam procul remota: atque cum aliquando juxta Sequanam fluvium somno adhuc oppressum, ambulantem etiam puerum peremisse, ac se rursus in lectum recepisse, nunquam dum illa perageret, expergefactum. Alium quendam Parisiis (si tamen non sit idem) refert *Alemana comment. ad lib. Hippocratis de aëre* in somno surrexisse & gladio accinctum Sequanam tranâsse, eumque interfecisse, quem interficiendum vigilans proposuerat, post patratum verò scelus domum rediisse.

Somnambulans cum armis.

19. Apud supramemoratum *Majolum Bartolus* narrat, civem quendam *Pisanum* in ipso somno sæpe arma corripuisse, urbem inambulasse concinentem semper oppressum somno.

Puella somnambulans.

20. Apud *eundem Majolum Marianus Senensis l. S.* narrat novisse, se puellam, quæ è lecto cubilique oppressa somno egredi consueverat, pistoriamque exercebat, nunquam expergefacta. *Ruremundæ* etiam, dum illic pro studiis ageret *Jacobus Masenius*, ut testatur *speculi imag. verit. occultæ lib. 1. cap. 12.* ancilla quædam ad forum dabat, quæ intempestâ nocte tabernam mercesque venales explicabat, ac per extremos ædium parietes tenuibus extantium lignorum adminiculis nixa summas ædes, quod vigilans nequivisset (ad quem nescio laborem) conscendebat.

21. De puero narrat *Libavius lib. de Noctamb.* qui nudus ad portam progressus, domumque reversus in medio oppido vigilem sedentem observavit.

Laici Religiosi somnambuli historia.

22. *Legione* Hispaniæ in quodam Religiosorum Collegio, sicut *Martinus Delrio recenset Disq. Mag. lib. 1. cap. 3. qu. 3.* erat Laicus quidam *solitus interdiu pueros redimentis Catechismi imbuere. Cogitationes eædem dormienti recurrebant, ita ut in somnis & præcineret, & doceret, & hortaretur, & increpparet pueros æquè clamosè & ferventer ac solebat interdiu; sicque turbabat vicinorum somnum. Itaque qui propinquior illi habitabat alius Laicus, eum sæpe monebat. Quodam die illi per jocum minatur: Si pergat hos clamores edere, surrecturum se noctu, & ad thalamum ejus iturum, & flagello ex funiculis intemperies has abacturum. Quid noster Consalvus? (sic enim vocabatur) surgit circanoctis medium dormiens, & egressus, ut decuberat in indusio, cubiculum fratris Collegæ ingreditur manu forsices ferens ac prætentans, & rectà ad cubiculum alterius, qui fuerat interminatus, contendit. Vide Dei providentiam! Luna lucebat, & nox innubis erat, & frater iste vigilabat: videt accedentem & celeriter se de lecto dejicit, quà paries erat nonnihil remotior. Noctambulus lecto proximus forsicibus culcitram ter, quaterve petit, & confestim redit, unde venerat. Manè facto interrogatus negat se meminisse, neque id facere unquam in animum vel leviter induxisse: tantum cogitâsse, si alter cum flagello accederet illum intentatis forsicibus perterrefacere & abigere.*

Somnambuli studiosi rara historia.

23. Rara est historia somnambuli, quæ refertur *Eph. Germ. Curios. Dec. 2. An. 5. obs 189.* de Juvene studioso, qui à Præceptore exhibitum sæpius argumentum Germanicum latinitate donandum. Discipulus lucubrationes aliis impendens studiis versionem in latinum auroræ semper reservavit. E lecto verò surgens manum ac mentem operi admoturus hoc à se infectum jamjam factum invenit. Re insolitâ attonitus factus diabolicas suspicatus est illusiones: proindè præceptori omnia detulit. Jussit hic binos ejusdem commilitones accuratam dormientis curam gerere. Dictum factum: Sanus ille æger unâ alterâque horâ somno usus, surrexit, musæumque ingressus latinitatis specimina inscius confecit, ac ad lectum rursus se recepit pro ulteriori somno capessendo.

Poëta in somno ingeniosissimos versus componens.

24. Mirabilis etiam fuit eruditus quidam *Silesius* vitæ modestioris studiosus, ut refert *Christ. Franc. Paullini observ. Medico phys. 21.* qui crebrius post mediam noctem in somno surgens, preces recitabat matutinas, cantabat hymnos sacros, aliquandò concionem vel lectam, vel nuper auditam sine multâ hæsitatione repetebat, & demùm in lectum iterùm se conjiciebat: versus etiam somnians ingeniosissimè fudit, & cudit, suâque manu scripsit. Inter hos lubet tantùm sequentes in Eximium Juristam & Lucrionem pauperculo clienti marsupium exenterantem hìc recensere; Unde acutissimum ingeniosi somniantis laborem colligere possumus.

Addiderat vetus istud J.U. D. pro more lucrosus.
Quid sibi cauda, rogat Rusticus, ista velit?
Tandem cum gemitu; nunc nunc ex ungue Leonem
Noscito: Judæus sic, ait, iste fuit.
O Jurista tuam modo clarius exprime mentem:
Cur non scribis Guth; cùm tamen istud amas?
Sed me ter miserum! J.U.D. J.U.D. bona cuncta voravit.
Atra D. J. U. nigrum J.U. D. mibi morta fuit.
O Fugite hinc, quotquot sapitis; latet anguis in herbâ:
J. U. D. Juristarum devorat omne bonum.

Carmina in somnis faciens & linguas peregrinas sapiens.

25. *Zanardus*, ut *Sperlingius Zoolog. phys. cap. 16.* refert, de seipso sequentia scribit: *Hoc mirabile in me cognovi, quod cum non sim in componendis carminibus multùm peritus (verùm fateor) neque in Græcâ, Hebræâque linguâ in somno currente discursu carmina pulcberrima latina, vulgariaque forma verim. Et terminos antedictarum linguarum cognoverim, ut manè expertus sum, concionesq; ordinatas, ornatas & pulcbriores in somno confecerim, quàm in vigiliâ: & quæ in vigilia cum multo labore non penetravi, in somno in promptu babui, & plura bæc mibi acciderunt, quæ sine opere intellectûs fieri non possunt.*

Somnambulorum adolescentum miræ actiones.

26. Viros fide dignos retulisse scribit *Chauvinus in Lex. philos.* ex duobus adolescentibus alterum licet natatûs omninò imperitum per somnum sæpius natâsse: alterum noctivagum in præceptoris culinam descendisse, ubi adstantibus famulis, mirantibusque tacitus scopas, quas instar carnium in veru induerat, igni admovit, donec expergefactus non sine pudore lectum repetiit.

Plures noctambuli simul obeuntes.

27. Clarissimus *D. Willisius de Anima brut. part. 1. cap. 16.* testatur novisse se in quadam familiâ ubi pater & nati omnes huic affectioni sunt obnoxii. *Fratres*, inquit, *noctu in somnis sæpè per domum discurrere, interdum convenire, ac invicem obviam factos comprebendere, adeòque se mutuò exsuscitare.*

28. Clariss. *Gassendus* nonnullas etiam de Noctambulonibus Historias recenset. *Joannes Ferrandus*, inquit, meus ita consurgit, ut fores aperiat, in vicum procedat, in cryptem vinariam descendat, vinumque ex dolio hauriat, quidvis simile faciat, scribet quoque interdum, ac licet ista aliaque id genus in mediis tenebris peragat, perindè tamen clarè ac interdiu videat, neque id modò, sed etiam ab uxore interpellatus ipsi appositè respondeat. Omnia interim, dum expergefatus est, recordatur, imo & cum in medio vico aut in crypte aut alibi expergiscitur, offenditur quidem repentè tenebris, at interim tamen conscius memorque ubi sit, palpando in cubiculum aut lectum suum redit.

29. Ita etiam eodem *Gassendo* referrete *Ripertus* quidam inter somniandum assumptis grallis ut torrentem, in ima valle trajiceret, ita exscendit, torrentemque trajecit, ut in ulteriore ripa expergefactus satis animi non habuerit, ut iteratò traiiceret, sed exspectavit omninò & diem & torrentis detumescentiam.

Mulio Noctambulus.

30. Sic & mulio quidam, ut idem refert, cum constituisset summo mane discedere duabus horis postquam cubuit, somniavit tempus discedendi esse: quarè solo indusio assumpto descendit in stabulum, clitellas, oneraque mulis imposuit, suprà alterum ascendit, neque ante fuit expergefactus, quàm ad quadrantem leucæ torrentem transiit: tum autem horrore plenus iter relegit unà cum famulo, quem uxor non ausa ipsum excitare insequi illum jusserat.

31. *Cœlius Rhodiginus lib. 27. cap. 9. Ant. Lect.* se cùm annum ætatis 22. ageret locum quendam in *Plinio*, quem vigilans assequi non potuerat, dormientem enucleâsse, & librum quoque, imò & Phillurae partem; ubi is ab alio enarratus esset, vidisse refert; excitatum denique librum arripuisse & omnia, sicut in somno didicerat, comperisse. Verùm quod in somno nonnunquàm quarundam rerum notitia clariùs, & expeditius acquiratur, quàm in vigilia causam videtur indicare Clariss. *D. Kenelmus Digbæus Instit. peripat. lib. 2. lect. 21.* his verbis *Cùm autem bomo in somno quietus quodammodo sit, contingit ipsum de visis interdùm rectius judicare, quàm cùm vigilat. Anima siquidem non perturbata ex natura suâ objectorum observantium, quam babet ad veritatem, vim clariùs percipit & latenter dirigit: inde fit, ut futura vel absentia, quæ discursu elicuisse non poteramus vigilantes, in somno interdum percipimus*, ità *Digbæus.*

CAPUT X.

De Somniis & Insomniis notanda & miranda.

PRopositis & explicatis iis, quæ de somno ejusque mirabilibus videbantur adducenda, priusquàm ejus considerationem planè dimittamus, haud abs re erit, hoc capite de somniis vel Insomniis quædam utiliter, & mirabiliter sciendâ subjicere: Sunt enim somnia connexa quædam & adjuncta somni: de quibus & Eorum significatione *Aristoteles* singularem etiam conscripsit librum. Quæ Nos quoque causa compellit, ut singularem hoc Capite de iis tractationem instituere cupiamus.

§. I.

De Somniis Assertiones & observationes Onirologicæ.

Somnium quid sit. 1. Somnium vel Insomnium, Græcè ἐνύπνιον communiter dicitur apparitio exhibita per sensum internum vel potius phantasiam iis, qui somno consopiti sunt: Ab aliis vocatur Phantasma, sive apparitio phantastica in somno facta. *Fracastorius lib. 2. de intell.* dicit esse affectionem somni, & vigiliam interioris animæ in somno cæterorum membrorum, id est, sensûs interni, dùm externus ligatur. *Keckermanno syst. phys. lib. 3. cap. 29.* Somnium est formatio imaginis sine externo objecto præsente in animali dormiente. Ex Recentioribus *Honoratus Fabri lib. 6. de variis hum. corpo. affection. prop. 13.* docet, quod somnium sit operatio sensûs interni sensibus externis per somnum ligatis. *Nunquam autem*, ut dicit, *operatur sensus internus, nisi nova affectio plexui sentienti imprimatur: hæc verò ab excitato phantasmate procedit, quod reverà per somnum excitari potest, in eo tractu, cui phantasmata insunt, appulsu scilicet vel humoris vel halitûs. Quis enim nescit humores etiam moveri inter dormiendum?*

Somnia unde fiant. 2. Somnia vel Insomnia *Clariss. Willisius de Anim. brutor. part. 1. cap. 16.* dicit esse tantùm excursus quorundam spirituum in cerebro ligatione solutorum, qui cum cæteris arctè constrictis huc illuc sine duce aut regulatore quovis divagantur, atque motuum typos veluti choreas priùs edoctas repetunt, rerum prius actarum cogitationes licet more valdè confuso repræsentare solent: Spiritus autem duplici ratione, in motûs libertatem vindicari scribit, vel ob calorem & agitationem cerebri, eosque esse cerebri incolas dicit. Aliam spirituum exsuscitationem, quâ insomnia producuntur, contingere scribit ob spiritus quosdam in aliis partibus, velut in præcordiis, stomacho, liene, genitalibus &c. perturbatos; à quibus dum perturbatio eadem per nervos in cerebrum communicatur, unus forsan aut alter spirituum manipulus, ibi concitatus varia phantasmata repræsentare facit. Sed vide ipsum *loc. cit.*

3. Varia somniorum genera, eorumque distinctiones à diversis Authoribus afferuntur. *Author libri de spir. & anima cap. 25.* quinque somniorum genera enarrat; videlicet, *Oraculum*, *Visionem*, *Somnium*, *Insomnium* & *Phantasma*. *Oraculum* esse dicitur, cùm in somniis aliqua sancta gravisque persona, vel etiam Deus ipse eventurum aliquid apertè vel non eventurum, faciendum vel evitandum nuntiat. *Visum* est, cum id, quod viderat quis somniis, eodem modo, quo apparuerat, evenit. *Somnium* est quid figuris tectum, quodque sine interpretatione intelligi non potest; cujusmodi erat somnium *Nabuchodonosoris* Regis, quod interpretatus est *Daniel*. *Insomnium* est cum id, quod fatigaverat vigilantem (cujusmodi solent esse studia) ingerit se dormienti. *Phantasma* est, quando quis dormire cœpit, & adhuc vigilare se existimat, aspicereque irruentes in se vel passim vagantes formas, aut lætas, aut turbulentas. *Macrobius lib. 1. de somnio Scipionis*, quem sequitur *Salisberg. lib. 2.* Somnia similiter dividit in *Insomnium*, *spectrum* sivè *phantasma*, *Somnium*, *Visum* & *Oraculum*. *Artemidorus* verò ea quinque ad duo revocavit; *Insomnium* nempe & *somnium*. Sub Insomnio spectrum sive phantasma: sub somnio verò visum & Oraculum comprehendit, quoniam hæc illud consequuntur. Somnium igitur strictè sumptum, ut opponitur Insomnio, definiunt motum aut figmentum animæ multiforme futurorum bonorum, vel malorum significativum. *Quinque somniorum genera.*

4. *S. Gregorius lib. 8. Mor. cap. 13.* & *lib. 4. Dialog. cap. 48.* sex genera somniorum ex totidem causis orta commemorat. Aut enim, inquit, ex plenitudine vel inanitate corporis somnia existunt, aut ex antecedentibus diurnis curis, aut ex illusione Dæmonis, aut ex cogitatione hominis simul & illusione Dæmonis, aut ex revelatione Dei, aut denique ex cogitatione hominis simul & revelatione Dei. *Sex somniorum genera.*

5. Alii à Causâ sivè origine dividunt somnia in duo genera: & dicunt esse vel Hyperphysica, sive supernaturalia: alia Physica sivè naturalia. Illa sunt, quando inter dormiendum imagines formantur à causis supernaturalibus; suntque vel divina vel diabolica. Divina somnia sunt illa, quæ Deus immittit, & format sivè immediatè per seipsum; vel mediatè per angelos sivè spiritus bonos. Somnia naturalia sunt, quæ ex causis naturalibus ortum habent; eaque iterùm sunt vel purè naturalia, vel mixta. Illa ex meris causis naturalibus proficiscuntur, quæque vel ex relictis vestigiis imaginum interdiu formatarum, vel ex certâ quadam corporis dispositione; ut ex prædominante aliquo humore sivè in sano, vel ægro *Duo somniorum genera.*

ægro corpore contingunt; suntque vel sanguinea vel phlegmatica, vel biliosa sivè cholerica, vel deniq; melancholica. Mixta verò somnia sunt, quæ partim ex dispositione corporis & humore manifesto, partim ex arcano quodam influxu & peculiari quadam proprietate oriuntur.

Tria somniorum genera.

6. Somnia communissimè nunc ab Authoribus triplicis differentiæ asseruntur. Divina scilicet, Naturalia, & Diabolica. Divina sunt, ut jam indicavimus, quæ à Deo immittuntur, sivè id fiat immediatè ab ipso, sivè mediatè ab angelis bonis, aut eorum interventu & ministerio. Naturalia sunt, quæ à causis naturalibus proficiscuntur. Diabolica, quæ à dæmonibus immittuntur eodem modo, quo ab angelis bonis divina, sed opposito fine, scilicet, ut homines terreant, obscœnis & impuris cogitationibus, aut voluptatum illecebris contaminent, aut superstitione quadam imbuant, &c. Somniorum Divinorum causa est ipse Deus vel bonus Angelus; Diabolicorum verò Dæmones. Somnia Naturalia proficisci censentur, ut rectè docet *Martinus Delrio disqu. magic. lib. 4. cap. 3. qu. 6.* vel à causâ somnianti intrinsecâ, vel à causâ eidem extrinsecâ. Intrinseca nascuntur quædam potissimùm ab animâ; & tunc dicitur causa animalis, aut ut quidam loquuntur, moralis: quædam potissimùm à corpore; & vocatur Corporalis; ab aliis strictè loquendo Naturalis. Intrinseca Causa Animalis est, quandò somnia obveniunt de rebus, quibus cogitatio vigilantis ante valdè fuit intenta, juxta illud *Eccles. 5. Multas curas sequuntur somnia*: & juxta versus illos *Claudiani*.

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno
Tempore, nocturno reddit amica quies:
Venator defessa thoro cùm membra reponit:
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.
Judicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans permutat navita merces,
Et vigil elapsas quærit Avarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus agris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus assiduis sollicitare solet.
Namque poli media stellantis arce videbar
Ante pedes summi carmina ferre Jovis.

Ideò etiam D. *Greg. Nyssenus lib. de opificio hom.* peraptè hujusmodi somnia comparat cytharæ, cujus fides cessante manûs impulsu adhuc modicum extremâ motione trepidant ac tinniunt. Corporalis intrinseca provenit à præsenti dispositione & temperamento corporis, quod vel inedia exhaustum, vel crapulâ repletum, vel humore aliquo nimis prædominante affectum, aut alio interiore vitio gravatum est: Undè deindè pacata vel turbida, & multiformiter affecta & varia nascuntur somnia. Extrinseca Causa naturalis somniorum est, quandò dormientis humores, vapores, & spiritus ac his mediantibus imaginatio movetur ab extrinseco naturali. Hujusmodi verò agens censetur esse duplex aër scilicet ambiens, & rerum omnium seminibus ac speciebus prægnans: Deinde impressio sivè influxus corporum cœlestium, quæ influendo in corpus & humores & in ipsam Organis immersam phantasiam possunt eam disponere ac determinare ad species imaginabiles effectui à corporibus illis cœlestibus provenienti conformes.

7. A Fine & Efficientiâ. *Cardanus* etiam *lib. 1. Somniorum Synesiorum cap. 1.* quatuor genera somniorum recenset, quæ nempè sunt *Monitorium*, *suasorium*, *deterrens* & & *Impellens*. Sed de his vide *Eum loc. cit.*

Quatuor genera somniorum.

8. Somnia alia quoque censentur esse fortuita: alia significativa & cujusdam indicativa. Fortuita sunt, quæ nec ex certâ nec probabili aliqua causâ certi quid indicant, etsi quandoque eventus consequi videantur. Significativa sunt, quando inter dormiendum ejusmodi imagines concipiuntur, quæ signa sunt alicujus rei præsentis aut futuræ. Somnia præsentis rei sunt eæ imagines, quæ certum corporis temperamentum, aut humorem redundantem, aut etiam morbi materiam præsentem significant. Hinc *Hippocrates* integrum scripsit libellum *de insomniis*, & *Galenus* tractatum *de præsagio ex insomniis*. Hinc iis, qui somniant se suffocari & strangulari, hoc accidit, quandò vel sanguinis magna copia concurrit ad cor, illudque obruit; vel quandò posterior pars cerebri ab humore noxio obstruitur, & malè afficitur. Quocirca qui supini dormiunt, vel in sinistro latere, molestiora ordinariè habent somnia. Hinc etiam quibus in somno per guttur pituita dulcis descendit, res facilè dulces somniant: sic & malè affectos pedes & dentes habentes sæpè somniant, sibi dentes evelli & pedes contrahi, vel aliquo modo malè affici phantasiâ plurimum huc etiam conducente, dum illa vel etiam per minimam sensationem in sensu externo factam juvatur.

9. Quamvis bestias communiter præsertim sanguineas & calidiores, testetur Experientia somniare, ut constat in Equis, canibus, felibus & pluribus aliis, cùm eas somniorum terriculamentis sæpè repentè expergisci, & alia quædam somnium indicantia peragere videamus: inter omnia tamen animalia maximè somniat Homo, tum quod sanguinem habeat subtiliorem, & inde halitus copiosius evaporantes in cerebrum, quibus somnia efficiuntur: tum quia interiorum sensuum instrumenta in homine sunt agiliora & expeditora, quàm in bestiis aliis.

Homo maximè somniat præ aliis animantibus.

10. Quosdam homines nunquam somniare constat, & tales esse, quibus vapor copiosius fertur,

Unde quidam nunquam somniant.

fertur, omnèmque velut in aquâ turbatâ abolet imaginem. Undè benè docet *Aristoteles lib. de insomniis cap. 3. Sicut in aquâ turbatâ aut nulla penitus effigies redditur, aut tortuosa & monstrosa: ità in cerebro, & ejus instrumentis magna halituum copiâ agitatis & turbatis, aut nulla penitus somnia formantur aut valde tortuosa, indistincta & minimè cohærentia.* Quocirca Experientiâ quoque constat, ante medium noctis aut rara esse in nobis somnia, aut valdè confusa, quæque facillimè evanescunt sine ullo pondere & momento observata. Contra verò circa tempus matutinum, quando concoctio jam absoluta est, atque adeò sanguis purior & non ita multos, neque ita crudos halitus in cerebrum emittit, somnia esse & frequentiora & evidentiora, & distinctiora, quæque magis mentem afficiant, & ad sui observationem nos invitent: non secus ac in aquâ placidâ & quietâ nativi rerum colores & formæ distinctiores ac certiores efformantur.

11. Quamvis *Aristoteles* tradat infantes ante ætatis annum quartum vel quintum non ita facilè aut distinctè somniare: Animastici tamen complures docent contrarium; & dicunt, etiam infantes somniare non ita diu à nativitate, idque teste Experientia: qua constat, infantes sæpè inter dormiendum terreri, & cum quadam ejulatione expergiscere. Verum tamen est, quod velle videtur *Aristoteles*, infantium somnia non ita crebra esse & distincta ob magnam cerebri humiditatem, summamque halituum & spirituum in cerebro inquietudinem.

Unde turbulenta aut ordinata somnia proveniant.

12. Quod aliquandò valdè turbulenta & distorta; aliquandò verò valdè ordinata & conformia contingant somnia; causa est, quia scilicet aliquandò vapores è ventriculo ad cerebrum tumultariè ascendunt, & sic nimium disordinatè commovent spiritus & species: aliquandò autem commoventur species valdè inter se combinatæ & conexæ, ex quibus consequens est ordinatissima formari somnia.

Somnia specialia juxta quatuor humores.

13. Quia somnia naturalia formantur ut plurimùm juxtà animi, corporis, humorumque constitutionem: Hinc sanguineos & quibus copiosior sanguis est, constat somniare flores, hortos, convivia, volatus per aërem, choreas, saltus, tripudia, lætas cum aliis conversationes & colloquia, aliaque similias quæ animum exhilarare solent. Cholericos constat somniare rixas, pugnas, incendia, bella, & alia quæ flavæ bilis, natura asymbola sunt. Melancholicos compertum est somniare frequenter fumos, caliginem, tenebras, vagationes per loca solitaria, nocturnas aberrationes, tetra spectra, mortes, sepulturas & alia tristia ejusmodi. Pituitosos & Phlegmaticos constat somnia pleraque habere de aquis, natatu, prolapsu in aquas, naufragiis, imbriibus, inundationibus, piscibus, aquatilibus, sordidis quoque & fœtentibus locis, cloacis, gestationibus onerum, oppressionibus ponderum & pluribus aliis hujusmodi.

§. II.

Artis somnispiciæ sivè Onirocriticæ probabilia quædam fundamenta & rationes adducuntur.

Ars divinandi ex somniis.

1. Ars divinandi seu præsagiendi futura ex insomniis *somnispicia* vocatur: à Græcis ὀνειροπολία; Unde & somniorum interpretes *Onirocritici* appellari solent. *P. Honoratus Fabri lib. 6. de Corp. hum. affect. prop. 8. num. 16.* docet ex somniis naturalibus nonnulla conjici posse verb. gr. indolem, animi propensionem, corporis habitudinem, morbum, aliaque similia, quibus corpus ipsum afficitur.

Quænam ex naturalibus somniis conjecturari queant.

2. Ex somniis naturalibus licitè & probabiliter conjecturari potest bona, vel mala præsens corporis affectio somniantis, constitutio item Temperamenti, quin & passiones animi. Item non rarò etiam præsens dispositio, aut proximè futura aëris immutatio. Ratio est, quia peritissimi Medici ex somniorum observationibus utiliter ægrorum statum cognoscunt. Quod etiam *Hippocrates lib. de insomniis*, & *Galenus lib. de præsag. ex somn.* faciendum suadent. Deinde affectiones animi & passiones quoque, uti & aër ambiens sunt partiales causæ somniorum; Unde & ex affectibus licitè & probabiliter hæ causæ conjecturari possunt.

Signum bonæ valetudinis ex somniis.

3. Præmemoratus *Hippocrates* non inscitè videtur docere *lib. citato*; quando homo ea noctu somniat, quæ interdiu gessit, signum esse bonæ valetudinis: quia indicium est, omnia esse intus benè disposita: Si verò somnia non conveniant cum diurnis cogitationibus; indicium est malæ valetudinis ob oppositam rationem: quod tamen indicium mihi haud satis firmum videtur.

4. Quando in somnio corpora monstrosa & horrifica se objiciunt, morbum periculosum minitari volunt: significant enim magnam humorum perturbationem & corruptionem, ex quâ species illæ horrificæ consurgunt.

Somnia sunt affectionum symbola.

5. Somnia non incongruè quædam symbola censeri possunt earum affectionum, quæ in somniante reperiuntur, ac plerumque veluti effectus suum principium, causasque designant. Ita ex insomniis maximè redundantes & peccantes humores cognoscere docet *Galenus lib. 1. Epidem. com. 3.* Item *Rhases in 3. c. ad Alma. 204.* cujus hæc sunt verba: *Si quis se volare somniarit & invadere sicut accipiter, & capere; siccitatis monstrabitur recessus atque humorum levitas ac subtilitas. Si quis se quasi ab aliquo aggravari somniat, repletione laborare ostenditur. Qui autem in somnis videt; quod quasi incedat per hortos bonum habentes odorem, æqualitas humorum significatur, & à putredine quod sint remoti: per loca verò angusta si quis ambulare conspicit, instrumenta anhelitûs gravem pati ægritudinem demonstrantur, quæ ipsi tantam aëris quantitatem attrahere vetant, quanta ei est necessaria.*

6. Imaginum in somniis comparentiæ, quò

Imagines in somnio ordinatiores quid significent.

quò sunt ordinatiores, distinctiores, & veris accommodatiores, eò saniorem & meliorem cerebri ac sensuum internorum constitutionem designant. Non enim est improbabile aliquos etiam in somnio misceri actus intellectus & voluntatis, ut docet S. *Thomas*, 1. *part. qu.*84. *art.*8. *ad*.2. Undè quò hi actus etiam ligatis aliis sensibus distinctius & ordinatius perficiuntur, eò etiam potentiæ ipsæ & eorum organa probatiora possunt argui: non tamen in somnio libertas esse potest, ut *Idem* docet *qu.* 28. *art.* 3. *de verit. ad* 6. ajens: *Usus liberi arbitrii sequitur judicium rationis, per quem voluntas in Deum convertitur, in dormiendo sufficiens esse non potest, quia etsi sit aliquis motus voluntatis magis sequitur phantasma, quàm judicium completum rationis.*

Quomodò peritia naturalium somniorum interpretandorum acquiri possit.

7. Iuxtà Sinesii sententiam, cùm accidentia sunt eadem rebus eisdem, similiaque similibus; &: si quis in idem aut simile visum aut somnium inciderit, eandem aut similem sibi designare poterit sententiam, passionem, fortunam, actionem & eventum. Et quemadmodum, ut ait *Aristoteles*, sensu confirmatur memoria, ex memoriâ verò ejusdem rei sæpius obtentâ nascitur peritia, ex pluribus peritiis paulatim cumulatur Ars & scientia: Simili ratione & circà somnia oportebit incedere. Unde jubet *Sinesius*, unumquemque somnia sua & suos indè obortos observare eventus, scilicet quæ visa in quales inciderint eventus, ac hujusmodi regulas scilicet visa & accidentia cum somniis, tum vigiliæ memoriæ commendare atque sedulâ quadam hac observatione hujusmodi perplures regulas penes seipsum accumulare; in qua tandem accumulatione ars quædam divinatoria, & suorum cuique somniorum interpretandorum peritia paulatim consurgit.

Unde somniorum certitudo aut probabilitas.

8. Tam certa censentur esse somnia, quàm certa est eorum causa: Unde si hæc effectum certum certò producit, etiam somniorum prædictio certa esse poterit; si probabiliter, probabilis; si fortuitò, fortuita & fallax, ità *Delrio Disq. magic. lib.*4. *cap.*3. *qu.*6.

Observatio somniorum quando licita.

9. Somniorum ex naturalibus causis derivatorum eatenus licita est obervatio & interpretatio, quatenus causæ naturales effectibus causæ suæ conjunctis sunt adæquatæ. Undè quando somniorum causa est intrinseca & animalis, possumus somnium observare, ut in posterum studia vitamque nostram melius & securius instituamus. Quandò causa intrinseca est corporalis, potest quis instantes morbos metuere seque præmunire. Quandò verò causa naturalis est extrinseca, videri potest, an effectûs sui principium aliquod in nobis habeat, an verò eventûs principium somnianti sit prorsus extraneum. Sed de his uberius differentem *Delrium* vide *loco citato*.

Somnia quomodò excitari queant.

10. Possunt somnia quædam naturalibus mediis & causis excitari & procurari: ita ut amœna procurentur somnia, suadent nonnulli, parùm vesperi comedere, & in lecti ingressu masticare hypoglossum & melissam herbas: vel succo eleoselini, & populi junioris, & calami aromatici, aliorumque grati odoris & coloris ungere cervicem & venas soporarias, atque partes jecori vicinas. Causa est, quod prędictæ species sanguineos excitent spiritus blandè cerebrum afficientes, & ita similia phantasmata commoventes. Turbulenta verò somnia provocare solent fabæ aut cepæ comestæ, alliumvè aut lenticula, porri, brassica, raphani, & quò istorum virtus magis excitatur, si vinum superbibatur. Idem docent nonnulli eventurum, si collum & venæ soporariæ fuligine vel aliis rebus combustis perfricentur cum aceto. Turbulentissima autem somnia visurum dicunt, qui upupæ sanguine perunxerit tempora. Vide *Joan. Bapst. Portam Mag. Nat. lib.* 8. *cap.*3.

Somnia juxtà fortunæ casus & statum.

11. Varii fartunæ casus & status varia præstant somnia conformia statui & casibus. Ita cui fortuna favet, jucunda sunt somnia: quem premit adversa, suos patitur manes. Hinc benè scribit *Fracastorius*: *Sunt & alia quædam, quæ solent nonnulla somnia frequenter inducere, ut iis, qui in paupertate sunt, quod semper vident, sibi deesse aliquid, sæpissimè etiam somniant de se ipsis, ut carentibus quibusdam, & in præsentia aliorum esse aut sine vestibus, aut sine calceis, aut iisdem mutilatis & similibus. Contrà verò quibus multa superabundant, somniant aliis dare, geminatas habere vestes & ejusmodi. Qui verò valdè ancipites & perplexi sunt, vel consiliorum vel inquisitionum circà scientias, illi sæpè somniare solent circuitu longo de domo in domum, de viâ in viam progredi, ac demum in angustiis quibusdam sese invenire. Formidolosis certa fiunt somnia & maximè sibi familiaria, certa avaris, certa amantibus: & nemo ferè hominum est, qui peculiaria quædam non faciat somnia propter peculiarem corporis dispositionem.*

De futuris contingentibus ex somniis nihil conjecturari potest.

12. Ex somniis nihil licitè nec etiam probabiliter de futuris merè contingentibus conjecturari potest. Prima pars patet, quia hoc in Lege prohibitum est *Levit.* 19. *vers.*26. *Non augurabimini, nec observabitis somnia*: deinde illorum interpretatio non videtur obtineri posse nisi ex pacto cum dæmone; quod prosus illicitum est. Secundæ partis ratio etiam patet; quia futurorum conringentium cognitio ipsi Dæmoni certò non constat: & licet aliquandò possit aliquid conjecturare, est tamen spiritus mendax, & pater mendacii aliud non quærens, quàm defraudare & decipere hos, qui ipsi fidunt.

Dæmoniaca somnia quandò observare liceat; & quandò non.

13. Dæmoniaca Somnia observare ut fraudem dæmonis caveas, licet: ad occultorum scientiam obtinendam vel eventus futuros præsciendos nec licet, nec expedit. Ità cum *Delrio loc. supracit.* Prior pars patet, quia hoc animæ salutare est & aliquandò necessarium. Ratio secundæ partis est, quia non potest horum interpretatio citrà miraculum haberi, nisi ex pacto cum Dæmone, quod prorsus illicitum est. Nec etiam expedire potest, quia sic accepta occultorum cognitio curiosa & superstitiosa est: futurorum verò contin-

gentium nonnisi fallax, ut pote ipsi diabolo incerta, ut superà jam memoravimus. Unde quoque *Eccles. cap. 34. v. 7.* habetur: *Multos errare fecerunt somnia & exciderunt sperantes in eis.* Huc etiam pertinet illud *Petri Blesensis*, quod scribit his verbis: *Ignoramus, inquit Apostolus, astutias satanæ: mentibus hominum phantasticas illusiones immittens, nunc avium volatu, nunc incursu hominum, nunc ferarum, somniisque aut aliis modis promittit scientiam futurorum, & sic rerum eventus lætos, infaustos ve denuntiat, ut quietem cordium vana curiositate sollicitet, atque ut aliquid paulatim de fidei sinceritate incrustet.* Deinde post pauca addit sequentia: *Veruntamen ut fidem habeam somniis, nulla me somnia inducent. Non inficior, quin anima frequenter figuret imagines, sed crebrò decipitur. Nam sicut per experientiam didici ex eâ visione, quæ mihi gaudium quandoque nuntiaverat, posteà contrarium reportavi. Somnia itaque ne cures Amice chariſsime*, ita ille *ep. 65.*

Somnia divina.

14. Omnibus & solis somniis divinis, sive ea immediatè à Deo, sive mediatè ab Angelis & bonis spiritibus proveniant, fides, adhiberi potest. Ratio est, quia hæc sola cum re significata infallibilitatem habent. Horum autem somniorum varii sunt fines ut patet ex Scripturâ sacrâ. I. Ut quis à malo absterreatur: sicut factum *Abimelech Gen. 2.* & *Regi Geraræ* & *Labano Gen. 31.* Sic etiam insinuat *B. Job cap. 4. v. 13. in horrore visionis nocturnæ*, inquiens, *quandò solet sopor occupare homines, pavor tenuit me.* Et alibi. *Terrebis me per somnia & per visiones horrore concuties.* II. Ut hortetur Deus somniantes ad aliquod bonum; sicut fecit *Gedeoni. Jud. 7.* & *Judæ* ejusque exercitui *2. Macch. cap. 15.* III. Ut moneat vel doceat, quid agendum, fugiendumque; ut *B. Joseph. Matth. 1.* & *2.* Tres Magos. Indicavit hunc quoque finem *S. Job cap. 33. v. 15.* his verbis. *Per somnium aperit aures virorum & erudiens eos instruit disciplina, ut avertat hominem ab his, quæ facit.* IV. Ut spiritum propheticæ vel aliud spirituale donum simul largiatur. Unde *Num. 12.* dicit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad eum.* Sic & donum sapientiæ & prudentiæ in somnis datum legimus *Salomoni 3. Reg. 3.* V. Ad revelationem alicujus mysterii, velut *Gen. 28.* vel magnam Reipublicæ aut imperii viciſsitudinem, ut *Israelis Gen. 41. Ægypti* & *Nabuchodonosoris, Dan. 2. & 4.* Ad hæc enarrata capita omnia alia somnia divina, quorum in Historiis Sanctorum fit mentio, revocari facilè poſſunt. Finis itaque horum somniorum semper bonus est vel nempè, ut aliquod malum avertatur; vel bonum aliquod procuretur; vel moneatur, quid in periculis agendum; vel ut mysterium aliquod reveletur, vel magnæ quædam ac communes calamitates præcaveantur. Rara tamen sunt & discretos requirunt arbitros ac Viros à Deo illuminatos. Nam sicut *D. Paulus 1. Cor. 2. v. 11.* ait. *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Vide etiam *Danielis cap. 2. v. 11.* *Cardanus* quoque hoc agnoviſſe videtur, dùm *somniorum Synesiorum lib. 1. cap. 1.* ait: ut *nonnisi Medicis medendi facultas est, & Sacerdotibus divina tractandi, & Legum peritis judicandi; ita non nisi sapientibus licere debet somnia interpretari.*

§ III.
Somniorum mirabilia, & ridiculæ quædam vanitates recensentur.

Figmentum de Portâ Corneâ & Eburneâ.

1. *Homeri* figmentum est de Somniis, quorum quæ subvolent per portam *Corneam*, vera sunt; quæ per *Eburneam*, vana ac falsa. Corneæ involucro designans oculos ob coloris similitudinem; Eburneæ verò os, candoremque dentium, ut docet *Erasmus lib. 8. Apoph.* Idem figmentum indicavit *Virgilius* his versibus.

> *Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur*
> *Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris.*
> *Altera candenti perfecta nitens Elephanto:*
> *Hac falsa ad superos mittunt Insomnia Manes.*

Nimirum *ut Jacobus Masenius* explicat *spec. imag. verit. occult. lib. 1. cap. 12.* per Portam corneam immitti fingebant in animam vera somnia, quod pellucida cornuum natura sit, ut inquit *Macrobius in somnio Scipion. lib. 1. cap. 3.* per Eburneam verò Portam vana subire dicebant; quod Ebur solidum ac minimè pervium sit imaginibus.

2. In Sueciâ Septentrionali, sicut testatur *Olaus Magn. lib. 18. cap. 8. Gulo* animal voraciſsimum capitur, cujus pellis pretiosiſsima dormientibus: sub harum verò pellium tegumentis evenire solent somnia ejus animalis naturæ conformia quoad ingluviem & insidias bestiarum. Somnia sub Gulonis pelle.

3. Existimatur eum, qui in ovinâ pelle dormierit, vera somnia visurum, *Cardanus lib. 8. de variet. cap. 43.* In ovina pelle.

4. Romani olim oblata de rebus publicis somnia, fidem rerum abditarum facere, ac minimè vana eſſe credebant, ut Rosinus *lib. 2. c. 2.* recenset. Quocirca solemni victimarum expiatione prævia lotoque vino in amne corpore; aut onirocritæ seu Interpreti somniorum illa aut certe Diis Penatibus enarrabant, ac postridiè publicè civibus vulganda Præconi offerebant. Captabantur verò etiam somnia, cùm se non offerrent in delubris templorum, juxtà *illud Virgilii Æneidos lib. 8.* Romani ex somniis quomodò de futuris judicabant.

> - - - - *Huc dona Sacerdos*
> *Contulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti*
> *Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.*

Ut proindè prævio sacrificio victimarum pellibus incubantes somnia exspectaſſe videantur.

5. *Cardanus de utilitate ex adversis capienda lib. 3. cap. 25.* recenset inter signa eximiæ potentiæ & gloriæ genus eſſe somniorum, quæ vel nascentem infantem præcedunt, aut oboriuntur, cùm primùm mulier concepit; velut Eximiæ gloriæ ex somniis indicium.

Astiagis,

Astiagis, *Hecubæ*, *Atiæ* & *Octavii Augusti* Parentum, matris quoque *Echelstani* Regis Britannorum & *Gulielmi* Normandorum, & *Isabellæ Darchæ* parentis *Joannæ* puellæ Gallicanæ, quæ fulgur peperisse somniaverat; uti & *Ecelini* Romani civis.

Somnia quænam veriora. 6. Ex anni Temporibus, ut *Idem Cardanus* tradit *Synes. somnior. lib.* 1. *cap.* 5. æstas & Hyems, quia magis constant, veriora habent somnia: Ver autem & Autumnus, cùm in mutatione quadam consistant, minimè. Sic & tranquilla tempora ad veritatem somniorum juvant; venti autem irrita, & quantò acriores, tantò magis illa reddunt. Somnia præterea brevia & ordinata, veriora sunt; sunt enim evidentiora, & à causâ magis constante fiunt: neque enim ab humore vel cibo vel rerum agendarum meditatione somnia ordinata fieri possunt, nisi ut meditatus es. Somnia quoque somniis connexa vera sunt, & quantò diutius eorum disjunctio permanere videtur inde continuari, eò sunt firmiora. Quæcunque etiam in ortu solis & ante, aut post tertiam usque horam, veritatis expertia esse non possunt: Sed & quæ propè meridiem & solis occasum. Sol enim author est verarum & constantium rerum, ideoque cùm prope angulos fuerit, veriores reddit imagines. In fine tandem *capitis* hæc memorat *Idem Cardanus*. *Scias quod somnia simplicium virorum & imperitorum plerumque veriora existimantur, quia anima purior est, ac minùs impedita*: melancholicos etiam plerumque vera somniare scribit *Idem*.

Gemmæ certa somnia inducentes. 7. Refert *Plinius* & ex ipso *Cardanus Synes. somn. lib.* 1. *cap.* 9. Umetrim gemmam esse filici persimilem, in Bactris natam, quæ capiti superposita somnia vera ostendat. Inter gemmas quoque Smaragdus, quia viret splendore jucundo, & Achates virens jucunda efficere somnia perhibentur: Rubeus autem terribilia; niger tristia, veluti & sardonyx. Referunt & genus esse crystalli cæruleo colore, quæ jucunda efficiat somnia.

Efficacia somniorum à solis cursu. 8. Efficaciora scribit esse somnia *Cornelius Agrippa de occulta philos. lib.* 1. *cap.* 59. quandò sol illud pervertit signum, quod fuit in nonâ radicis nativitatis vel revolutionis illius anni, vel in nono signo à signo profectionis.

9. Omnia somnia majorem censentur habere efficaciam in jam inchoatis & præparatis ut suspendii in vincto vel fure: ita *Cardanus Synesiorum somniorum lib.* 1. *cap.* 15.

Somniorum procuratio. 10. Quæcunque immodicè sunt sicca, videre faciunt multa insomnia, sed minimè constantia. Quæ illinuntur magis imagines movent in somnis. Undè quæ arteriis temporum & manuum ac pedum illinuntur, tum etiam magis colli, ubi sunt, quas soporarias vocamus, in vaporem & halitum conversa statim occupant spiritus ac mentem, adeò, ut etiam per vigilias multa videre faciant. *Idem*.

Unguentum ad somnia læta. 11. Unguentum Populeon, à frondibus dictum, ut *Cardanus* docet *lib.* 18. *de subtil.* arteriis pedum ac manuum illitum, atque etiam temporum (quidam etiam dicunt, jecori) inplerisque somnum conciliare, & in horam maxima parte læta ostendere somnia: quod succus frondium novarum Populi animam exhilaret & imagines claritate suâ, & colore infectas ostendat. Lamiarum unguentum describit *idem Card. ibid.*

12. Quæcunque somnos conciliant, odorèque & sapore acri ac tetro carent, somnia jucunda movent; magis autem mitia; ut violæ & Nymphea; lactuca quoque his accensetur. *Idem*.

Somnia qualia verissima. 13. Somnia in quibus homo versatur, & non confusa sunt, sed sibi consentientia, & quæ animam vehementer afficiunt, & clariora sunt, concoctoque cibo, & post parcam cœnam, exorienteque sole, verissima sunt & evidentia. *Idem*.

Somnia varia quæ causent. 14. Castaneæ, legumina, caules, somnia falsa & terribilia immittunt: Jucunda, quæ dulcem generant sanguinem. Et generaliter juxtà humorum generationem cibi abstinentia mediocris vera: nimia autem tristia facit. De Somniis etiam terribilibus haud dubium est: quæcunque turbulenta generant, talia movere: generant autem omnia acria, quæ malè olent, & quæ flatus causant: etenim ciens motum in spiritibus cum vinculo velut cepæ, allia, porri, fabæ, caules, caput polypi. Solanum & malum spinosum, & quæcunque multùm virent, jucunda ostendunt somnia, sola brassicâ excepta. At fabæ, cùm siccæ fuerint, terribilia. *Ex eodem*.

15. Ignes faciunt videre, quæ exustum aliquid secum habent, ut fuligo. Theatra verò & viridaria Apii succus & mollium herbarum ac splendentium. *Idem*.

16. Irrita reddere somnia dicunt comprimis hæc. Si mendax sit somnians: si quid pridianæ actionis somnio immiscentur, & oblivio, & esus ciborum insomnia moventium, & Croci maximè. Juxta *Eundem*.

Somnia meticulosa non sunt manifestanda. 17. Antiquis in more positum refert *Idem Cardanus Synes. somn. lib.* Somnia meticulosa nemini patefacere, sed sibi soli enarrare, itemque averruncare ac quasi avertere. Id autem quomodo facerent ex *Persio* discere licet.

Hæc sanctè ut poscat Tyberino in gurgite mergis,
Mane caput bis, terque & noctu flumina purgas.

Quidam nunquam somniantes. 18. Atlantes Africæ populos nulla insomnia videre scribit *Herodotus lib.* 4. Ætate *Plutarchi* ut refert *de def. orat. Cleon Dauliensis* prædicabat multis, quos vixerat, annis nullam sibi in somniis unquam speciem obversatam. Ex Antiquioribus hoc idem de *Thrasymede Heræecnsi* commemoratur. Causam fuisse perhibent optimam corporis temperaturam. *Neronem* etiam nunquam somniare solitum fuisse dicunt, nisi post matrem interfectam, ut tradit *Suetonius*.

Contra mala somnia. 19. Referunt dentes Equi masculi, seu collo appendantur, seu brachio sinistro, eos, qui mala somnia videre solent, curare.

20. E Memoria somnium mox elabi & oblivioni

oblivioni denuò tradi volunt, cùm quis post illud in somno habitum evigilans protensis pedibus lecticam, aut locum, in quo decubuit, calcat. Omitto multa alia ineptissima, quæ comprimis de Somniorum interpretatione & futurorum ex iisdem divinatione conscripsit *Artemidorus Daldianus in 5. libris Onirocriticis. Hieron. Cardanus in 4. libris Synesiorum somniorum* ac plures alii. Rectè enim *Levit. 19. Devter. 18. Jerem. 27. Isa. 44.* damnantur Somniorum Interpretes: & *Salomon* in *Ecclesiaste cap. 5. v. 6.* benè ait: *Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates & sermones innumeri. Tu verò Deum time.* Item *Eccl. 34. v. 1. Somnia extollunt Imprudentes: quasi qui apprehendit Umbram & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia.* Ut tamen Curiosus Lector videat ridiculas quasdam maleferiatorum horum Authorum ineptias, nonnulla eorum deliramenta hic breviter subnectam.

Regulæ quædam speciales pro Conjectatione & divinatione ex Somniis juxta *Artemidorum*, *Cardanum*, *Michaelem Scotum* & alios.

Apparitiones & Visa in somniis.	Significata.
Serpentes per somnium interimere - - -	Victoriam significat.
Vela videre - - -	Malum.
Dentes omnes habere sanguinolentos - - - -	Mortem somniantis.
Dentes extrahi - -	Mortem alterius.
Aves intrare domum - -	Jacturam.
Flere - - -	Gaudium.
In crucem agi - -	Nuptias inire.
Nummos tractare - -	Iram.
Mortuos videre equos - -	Felicem rerum eventum.
Monachos videre inter somniandum - - - -	Mortem vel calamitatem.
Pingues videre boves - -	Rerum abundantiam.
Oculum vel dentem amittere -	Amici aut affinis alicujus mortem vel infortunium.
Mutum esse - - -	celerem lætitiam.
Boves arare - - -	Lucrum.
Eosdem aquas ingredi - -	Malum.
Aquilæ per somnium supra caput volantes - - -	Infortunia portendunt.
Suam faciem in aquâ contemplari - - -	Vitam longam.
Apes sectari - - -	Lucrum.
Nuptiis interesse - -	Mortem affinis.
Deum adorare - -	Lætitiam.
Speculum contueri - -	Sobolem.
Oleo perfundi - - -	Gaudium.
Pontem fractum inter somniandum transire - - - -	Timoris præsagium est.
Capillitio caput privari - -	Amicorum mortem significat.
Manus mundare - -	molestiam.
Easdem sordidas videre - - -	damnum & periculum.
Agnos pascere - -	dolorem.
Muscas captare - - -	injuriam.
Fornaces ardentes videre -	peregrinationem, domorum incendia, infamiam.
Leporem vidisse - - -	mortem denuntiat.

Observationes & Conjecturæ ex Somniis versibus comprehensæ & ab *Hadriano Junio* Medico divulgatæ.

Celare noli somnium, quandò liquidum est.
Pigrè moveri, semitam duram facit:
Actus secundat somnies si currere.
Calcare prunas noxiam signat gravem:
Botros edere, cavilla scurrarum notat.
Molestias signat vorare dulcia.
Comesa lactuca indicat morbum gravem.
Ova edere, continereque ostendit mala.
Si somnians ridebis, angor te premet:
Sed si fleas, repleberis tunc gaudiis.
Succendi ad iras, hoc acerbum est somnium.
Petræ insidens stabili bonam spem contine.
Muro insidentem sors secunda te manet.
Multâ gravaberis super stercora sedens.
Putoris omen esse crede molestias.
Animæ inquinamentum notat cœno infici.
Cœnosa peragrans sentiet vitium ingeni.
Fons limpidus mentem serenam denotat.

Potare

Potare limpidam, bonum omen prædicat.
Cœnosam aquam bibens agit in angustiis.
Ebulliens aqua perduelles nuntiat.
Serenat animum vappidi potus meri.
Sopit dolores dolio exhaustum merum.
Vinum bibentem pugna te manet gravis.
Fluvius inundans hostilem incursum notat.
Æquor serenum nare, faustum est somnium.
Æquor natare turbidum angores notat.
Aurum tenere somnians voto excides.
Clavos tenens ab hoste periculum cave.
Jactura certa est, passer evolans manu.
Tenens columbam numinis speres opem.
Votum obtinebis, si manu accipitrem premas.
Accipiter evolans malum adfert Principi.
Claves tenere stabile fœdus indicat.
Remoram notant flagella torta vitium.
Se eluere totum exterminat curas graves.
Abluere dextram curarum fascem fugat.
Eluere plantas diluit curas graves.
Latos pedes habere portendit malum.
Viam ingredi nolito succiso pede.
Inglorius eris te ustulatum somnians.
Curis eris liber necem si somnies.
Volare successum rei lætum notat.
Præsagiunt pugnas hostiles basia
Adversa sors portenditur præcipitio.
Se jacere pronum in fossâ, signat tristia.
Est mysticum, Cœlum videri volvier.
Currentem Equi pullum videre, mysticum est.
Damnum ominare, si columbas videris
Visi boves sinistra portendunt mala.
Diram augurantur mortui pestem boves.
Visum cadaver indicat necem gravem.
Est ominosa res atros videre equos.
Albos videre equos faustus nuntius.
Signant periculum ab hoste vesparum agmina.
Videre lumen, res loco in claro notat.
Pelagus quietum cernere est omen bonum.
Fremitus maris negotii turbas notat.
Albens caro res auspicata est admodùm.
Nigratio cutis bonum nullum notat.
Hostile conamen cadet visâ nive
Omen bonum in somno est Amictus candidus:
At pulla vestis curæ inanem nonfacit.
Purpurea vestis non gravem morbum notat.
Rubens stola eventus rerum felicitat.
Magnam fovet spem regiâ indutus stolâ.
Disrupta vestis curarum fascem eximit.
Præcisa Zona celeriter expedit viam.
Damna in negotiis coma abrasa indicat.
Discrimen ingens crinium casus notat.
Tentus manu ensis auguratur prœlium.
Confringere enses hostium stragis nota est.
Tonitrua somni nuntiorum dicta sunt.
Qui senem videt, manet eum dignitas.

§. IV.
Somniorum cum secutis miris eventibus Exempla mirabilia ex variis Authoribus collecta.

1. Somnia varia in sacris præcipuè literis habemus, ipsis eventibus, prout ipsorum Interpretes indicabant, certificata. Sic celeberrimus juvenis *Josephus Genes* 37. sidera cœlestia sibi vidit inclinata, & manipulos fratrum suum deveneravi secuto eventu, quo super fratres suos elevatus, & ab ipsis deinde adoratus fuit; ut somnia illa ipsimet fratres interpretati fuerunt. Sic ex somnio, quod pincerna & pistorum magister in palatio *Pharaonis* incarcerati viderant *Idem Josephus* prædixit hunc suspendendum, illum post tres dies liberandum; uti & factum est. *Gen. 40.* Pari modo *Idem* ex somnio *Pharaonis* sterilitatem prædicebat *Gen. 41.* similiter *Daniel* interpretatus est somnium *Nabuchodonosor* & quæ ipsi ventura certò præsignificabat. Plura alia S. Scripturæ somnia cum eorum significatione jam explorata non prosequor. Somnia in sacra Scriptura.

2. *Hecuba Priami* Trojani Regina per somnium visa est sibi ardentem facem in ventre gestare; nec falsò: verificatum est enim id in *Paride*, qui raptu *Helenæ* causam dedit incendio Trojano. Somnium Hecubæ

3. *Accia Octavii* mater, cum hunc utero gestaret, somniavit viscera ad sidera deferri, explicarique per omnem terrarum & Cœli ambitum. Viscera quidem filium, quem ex visceribus continebat, significabant; cujus potentia in terris usque ad divinitatis opinionem explicata est. *Cardanus Synes. Somn. lib. 4. cap. 3.* Acciæ.

4. *Octavius* quoque *Augusti* pater somniavit ex *Acciæ* utero jubar exortum Solis: ita inter homines ejus ætatis facta *Augusti* resplendere, ut Solis jubar in Mundo. *Idem* ubi *Libero* patri barbarico more sacrificâsset, visus est sequenti nocte videre filium mortali specie ampliorem cum fulmine & sceptro, exuviisque *Jovis* ac radiatâ coronâ super laureatum currum bissenis equis eximio candore illum trahentibus. *Idem. ibid.* Octavii.

5. *Antonius Musa* Medicus *Augusti* Imp. ut refert *Keckermannus syst. phys lib. 3. cap. 29. ex Peucero in Tract. de divin. ex somniis* ante prælium, quo in *Philippis* depugnatum est, somniavit tabernaculum sui Imperatoris *Augusti* in castris diripi: quapropter admonitus fuit *Augustus*, ut inde discederet; nec falsum fuit omen somni: inter pugnandum enim tabernaculum *Augusti* à *Bruto* direptum est. Antonii Musæ.

6. Diabolicum fuisse videtur somnium *Hannibalis*, de quo *Valer. Max. lib. 1. cap. 7.* item *Bruti*, cui dictum est: *Ego Genius tuus sum: hodie me Philippis videbis.* ubi etiam *Brutus* interfectus est. Hannibalis & Bruti.

7. *Alexander M.* cum *Tyrum* Urbem septem mensibus terrâ marique ingentibus copiis, operibusque circumsedisset, ut *Plutarchus* recenset *in Alexandro*: noctu illi per somnium Satyrus oblatus est, qui officiosè alluderit. Hunc *Alexander* diu hac illacq; subterfugientem consectatus, deniq; obtinuisse Alexandri M.

visus est. Consultus interpres expenso nomine: *Satyrus*, inquit σὰ τῦρος est. Quod *Tua Tyrus* latino nomine redditur. Idem Rex eodem loci temporisque *Herculem* sibi è mœnibus Tyriorum manus offerentem invitantemque viderat non obscuro Urbis intercipiendæ schemate.

Socratis. 8. *Socrates* in somniis *Platonis* discipuli eximiam sapientiam prævidit, ut narrat *Pausanias in Atticis.* nam pridiè quàm à patre adolescens in ipsius disciplinam traderetur; candidum cygnum per quietem in suum sinum advolare, dulciqúe aërem concentu implere admiratus est. Quod somnium, ut puerum conspexit, non ignarus futurorum exposuit.

Cujusdam Virginis Messenicæ. 9. Pridie ejus diei, quo *Aristomenes Messenius* induciis factis cum Lacedæmoniis à septem Cretensibus ex insidiis captus fuit & in tuguriolum quoddam agri Messenici perductus: Virgo quædam orba ibidem habitans cum matre per somnium visa est sibi videre pertrahi illuc à lupis vinctum leonem, ereptis verò unguibus illum se è vinculis exemisse, & cum eo tanquàm viro convenisse, ungues illi dedisse, nec multò post à Leone lupos dilaniatos fuisse. Deducto itaque *Aristomene* agnovit puella expressam vero eventu somnii imaginem, auditoque à matre viri nomine, confirmavit se, & cum in Eum intueretur, facilè quod significaret, intellexit. Vinum itaque largiùs Cretensibus fudit, cumque omnes vinolenti se abjecissent: *Aristomenes* graviore somno consopito pugiunculum eripiens vincula sibi abscidit, omnesque jugulavit Virginem verò illam pro navata saluti suæ operâ filio suo *Gorgo* in uxorem dedit. *Pausanias in Messenicis.*

Alexandri. 10. Cum *Ptolomæus Alexandri* familaris in prælio telo venenato ictus esset, eoque vulnere summo cum dolore mori inciperet, *Alexander*, assidens somno est consopitus: tum secundùm quietem visus ei dicitur Draco is, quem mater *Olympias* alebat, radiculam ore ferre & simul dicere, quo illa loco nasceretur (neque longè aberat locus) ejus autem esse vim tantam, ut *Ptolomæum* facile sanaret. Tum *Alexander* experrectus narravit amicis somnium, & dimisit, qui illam quærerent radiculam: quâ inventâ & *Ptolomæus* sanatus dicitur & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati.

Somnium matris filio proficuum 11. Ætate *Plinii* ut etiam memorat *lib.* 26. *cap.* 2. mater cujusdam militis in somnio vidit radicem sylvestris rosæ, quam *Cynorhodon* vocant, blanditam sibi a spectu pridiè in fruticeto, quam mitteret filio bibendam in lacte. In Lacetaniâ res agebatur Hispania proximâ parte; casuque accidit, ut milite à morsu canis rabidi incipiente aquas expavescere, superveniret epistola matris orantis, ut pareret religioni; servatusque est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit.

Vespasiani Somnium. 12. *Vespasianus* in somnis Imperatorem se fore didicerat, cum *Nero* dentem perdidisset, sicut testatur *Josephus* insignis Historicus Galilææ Præfectus & egregius somniorum interpres *l.* 3. *bel. Judaici cap.* 14. *Nero* quoque per quietem viderat currum *Jovis* duci ad ædes *Vespasiani*: quæ quidem omnia, cum egerent interpretatione, *Josephus* ante ab eo captus, strictusque vinculis ridens ait. *Nunc quidem me vincies post annum autem solves, cum fueris Imperator. Xiphilinus in vita Vespas.*

13. *P. Corn. Ruffinus cum M. Curio* Consul cum somniâsset visum se amisisse, experrectus cœcum se factum invenit. *Plinius lib.* 7. *cap.* 50. *Fulgos. lib.* 1. *cap.* 5.

14. Ridiculum pene est somnium, quod filia *Policratis Samiorum* Tyranni mortalium omnium ferè felicissimi spectavit, referente *Herodoto lib.* 1. Hæc per quietem vidit parentem in aëra sublimem elevari, quem deinde Jupiter lavabat, Sol de Cœlo inungebat. Territa hoc spectaculo filia jam abiturientem *ad Oretem Cambysis* Præfectum detinere conata est. Sed hic nihil indè motus ultimum vitæ fortunatæ actum clausurus infeliciter abiit, atque in crucem sublatus Jove pluente & Sole irradiante perfusus est. Somnium filiæ Policratis.

15. *Ptolomæum Ceraunii* Ægyptium Regem, ut refert *Plutarchus de tardâ vindicta*, Amici per quietem *à Seleuco* Asiæ Rege in judicium trahi videbant, lupis & vulturibus judicantibus, carnesque partientibus. Nec multò post à Galatis interfectus inter cœtera cadavera vulturibus ac lupis præda fuit. Ptolomæo fatale somnium

16. *Amilcar* Carthaginensis in oppugnatione Syracusana visus est sibi excipere vocem dicentem: *Cras Syracusis cœnabis.* Quæ ei nimis vera prædixit: postero enim mane oborto tumultu in castris *Amilcaris* Syracusani eâ occasione impetum in illa fecerunt, & captum *Amilcarem* in civitatem duxerunt. *Filisthuis Dyonis Agaocli.* Amilcaris Somnium.

17. *Domitianum* ferunt somniâsse gibbam sibi ponè cervicem auream enatam, pro certoque habuisse beatiorem post se, lætioremque portendi Reipublicæ statum; uti sane brevi evenit abstinentia & moderatione successorum Principùm, sicut testatur *Suetonius.* Domitiani Somnium.

18. Quo die *Heraclii* Imp. filius *Constans* classe cum *Abulanaro* Duce congrederetur, per somnium se *Thessalonicæ* esse existimavit: cumque illud conjectori proposuisset; *Utinam!* dixit ille, *O Imperator hâc nocte neque dormivisses, neq; somnium tibi fuisset oblatum. Quod enim tibi Thessalonicæ versari visus: indicat; alteri cede victoriam.* Verum conjectâsse probavit eventus. *Cedrenus in Constant. & Beyerlinck in Apopht. Christ.* Constantis

19. *Evagrius lib.* 4. *cap.* 16. *ex Procopio* refert *Justinianum* Imper. per visionem in somnis admonitum, jussùmque irruptionem propositam ne differret, eòquod res Wandalorum oppressurus esset, si Christianos vindicaret. Misso igitur *Belisario* Africam subegit & Wandalorum regnum funditùs evertit. Justiniani Imp.

20. *Magnus* Danorum & Norvegorum Rex contra Sclavos in Jutiâ pugnaturus, nocte, quam belli dies insecutus est, somnum Magni Regis Dan. & Norwegor

num capienti imago cujusdam observata prædixit eum hoste superiorem futurum. Progresso exercitu aquilam; quæ in quiete monstrata fuit, cominùs considere conspectam pernici equo advolans hastâ petivit, fugamque alitis veloci antevertit jaculo, & mox facto prælio Sclavos magnâ strage vicit. *Saxo lib.* 10.

Navarchi cujusdam Somnium. 21. *Ericus III.* Danorum Rex ex Freto Selesuicensi Seelandiam petiturus, cum navem subiisset, navarchum audivit somnium exponentem, quo credidisset, equo se insolenti inter montium juga vectari, abripique, ac denique inter opaca vallium relictum nocturum unguibus laniari. Quod Rex de navi, velut ligneo quodam equo, cujus præcipiti impetu ad interitum rapiendus esset, interpretatus, hominem deseruit atque in aliam transgressus navem, pereunte dein alterâ servatus est.

Ingerdis Somnium. 22. *Ingerdis Erici Sueciæ* Regis Uxor, cum tempore quodam somnum caperet, visa sibi est videre magnum luporum numerum ex *Gothia in Sueciam* tendentium; ante ipsos ire velut ducem Lupum unum cœteris specie & magnitudine conspectiorem, atque post coloris albi ursum ore purpureo insignem. Properabant omnes *Upsaliam* versus, ubi constituta erat *Ingerdis* cum Rege marito suo. Itaque tam infesti agminis perterrita ipsa exclamare voce sublatâ, maritique opem implorare. Qui è somno excitatus quærit subiti clamoris causam, & ex *Ingerde* cuncta ordine intelligit. Non ita multò post venit Rex Westro-Gothorum *Rolfo cum Ingieldo* fratre, armatisque pluribus ad petendam sibi *Torbergam Erici* filiam in Matrimonium. Quâ ex re non pauca prælia, cædesque, donec virtute suâ *Rolfo* expugnaret animum puellæ ad rem nullam aliam, quàm nuptias istas minus proclivem. *Schefferus Memor. exempl. Suet. gent. cap.* 4.

Somnium mirabile de leone marmoreo 23. Tragico-comicum videtur esse, quod *Petrarcha Patavii* accidisse ad vetus *D. Justinæ* templum memorat. Somniaverat non nemo à marmoreo Leone se morderi ictu lethali. Quod dum eo loco transieret, sociisque cum risu nocturnum exponeret somnium. *Ecce*, inquit, *Leonem* (erat is in Templi vestibulo lapideus) *cujus morsum noctu horrui*, simulque insertâ in oris hiatum manu: *Experiundum*, ait, *num dentes figat*? At Scorpio intus in recessu marmoris latens manu attactus & irritatus lethale vulnus eidem inflixit.

A Serpente morderi somnians. 24. *Conradus Gesnerus* Tigurinus Medicus cum somniâsset, se à serpente morderi, pestilentiâ se moriturum paucis ante obitum mensibus prædixit, idque somnium literis non irrito eventu mandavit. *Simberg. in ejus vita.*

A nigro cato vulnerari somnians. 25. *Arnoldus* Villanovanus Philosophus & Medicus doctissimus, teste *Fulgoso lib.* 1. *cap.* 5. somniavit à nigro cato se in pede vulnerari: postridiè eâ in parte cancer eidem enatus est.

26. *Cælius lib.* 27. *cap.* 7. *Ant. lect.* memorat ex *Alberto M.* quendam qui per somnium arbitrabatur in pectus atriorem sibi affundi picem, mox illucescente die atram bilem copiosè rejectâsse.

Aquarum mole se oppressum somnians 27. Magnus *Sforcia*, ut testatur *Jovius in ejus vitâ*, pridiè quàm ab *Orthona* contra *Braccium*, qui Aquilam Urbem obsidebat Anno 1425. discederet, sub auroram somniavit, profundâ se aquarum mole oppressum in extremo vitæ periculo versari, prospexisseque virum gigantem specie *D. Christophoro* persimilem, à quo vel magna, ac iterata voce opem frustrà imploràsset. Verùm somnio nihil motus *ab Orthonâ* discedens in trajectu *Aterni* amnis (qui hodie è *Piscaria* oppido nomen habet) dum puero armigero periclitanti opem ferret, protensâ dextrâ cœnoso subsidente vado ejus Equus quanquam insignis posterioribus cruribus defecit, atque ita gravantibus armis submersus est.

Pompeii Columnæ Somnium. 28. *Pompejus Columna* memorante *Jovio in ejus vita*, à *Prospero* patruo ad Cæsarem *Maximilianum I.* in Belgium mittendus, amicis licet vehementer improbantibus nocturno viso est confirmatus. Vidit namque per quietem sese in palæstram deduci, atque illic fesso, victorique pampineam coronam cum *Julianæ* uvæ racemis imponi à Virgine giganteâ certaminis judice, nec aberravit imago; Cum Cæsari deindè gratissimus; & Romanæ sedi commendatus dignus Ecclesiæ visus est, qui purpureum Cardinalium galerum ferret.

Somnium de ovo ex fascia pendente. 29. Detulit ad Conjectorem quidam, ut narrat *Cicero de Divinat.* 2. somniâsse se, ovum pendere ex fasciâ lecti sui cubiculi. Respondit Conjector & interpres, thesaurum defossum esse sub lecto. Quæsivit, invenit auri aliquantum, idque circumfusum argento. Misit interpreti, quantulum de argento visum est. Tum ille: *nihilne de vitello*? id enim ex ovo videbatur aurum significare, sicut & album ovi, argentum.

Aliud de Ovo. 30. Simile ferè est, quod *Drexelius* narrat: studuisse *Patavii* quendam externum, eumque, dum à parentibus subsidia nummorum exspectaret, visum sibi per somnium à Tabellario ovum accipere, moxque frangere & nucleo totum corpus perungere; quod ad amussim impletum est. Accepit namque ille pecuniæ subsidium, quod partim aureis, partim argenteis constabat nummis, candido scilicet luteoque ovi. Sed enim vix nummos accepit, cum in gravissimum morbum incidit, quo illud aurum argentumque absumptum fuit.

Somnium Consalvi. 31. Turcæ *Cephaleniæ* ab Hispanis Venetisque obsessi, ut tradit *Jovius in Consalvo*, cuniculum perfecerunt, per quem noctu erumperent, & ad *Consalvi Magni* tabernaculum deferrentur. Sed ipse tantum discrimen somno monitus vitavit ita adverso cuniculo, ut cum nece teterrimâ Barbarorum conjecto in illum, incensoque pulvere sulphureo obviam iretur.

Ludovici Jun. somnium. 32. *Ludovico* Juniori Francorum Regi, uti memorat *Robertus Gaguinus lib.* 8. *de gest. Francorum.* priusquam nasceretur filius *Philippus Augustus*, videre visus est in somniis

somnis filium calicem manu tenere, humani cruoris plenum, eumque suis proceribus propinare, ex quo ipsi imperterriti bellorum biberent, quæ cum Anglis gessit, portentum.

Manuelis Comneni somnium.

33. De *Manuele Comneno* Imp. narrat *Nicetas lib. 6.* cum Sultano *Iconii Clyzasthlani* inferre bellum statuisset, quod in somnis sibi visus sit conscensâ nave Imperatoriâ cum multis familiaribus Propontidis oram legere: subitò verò Europæ & Asiæ montes concidisse, fractâque nave cæteris omnibus sublatis se vix manibus in littus enatâsse. Quo autem die periculosas illas vias ingressurus erat, homo quidam duarum linguarum peritus, natione Romanus cognomento *Mauropolus* ei dixit: se visum in somnis *Cyri* ædem ingredi, & dum Genitricem Dei placaret, vocem ex eâ editam audivisse, quæ diceret. Nunc in summo discrimine versatur Imperator: & quis ei nomine meo feret opem? cum quidam ex obscuro dixisset: Abeat *Georgius.* illam respondisse: Tardus hic est, illo iterum dicente: Abeat *Theodorus.* eo quoque repudiato, tandem mœstum exclamâsse, neminem malum illi imminens præcavere posse.

Ambrosii Grimaldi somnium de angue flammas evomente.

34. *Ambrosius Grimaldus* Genuensis, cum insula *Chios* esset à Venetis obsessa & oppugnata, quo tempore rerum Genuæ Dux Mediolanensis *Philippus* potiebatur, somniavit se ab horrido angue, qui flammas evomebat, occidi. Itaque decrevit eo die prælio atque armis abstinere. Sed cum hostes muris nimium appropinquarent atque Genuenses eruptione magis offendi posse hostes, existimarent; *Ambrosius* ipse armatorum multitudine præter animi sui sententiam erumpentium impetu ab urbe ablatus est; retrò tamen cedens: ita ut muris tegeretur videndi cupiditate quandoquidem pugnantium clamorem ac strepitum exaudiebat, prolato aliquantisper capite bombardâ in caput acceptâ periit. *Fulgosus lib. 1. cap. 5. Jacobus Barcellus lib. 3. Hispan. belli.*

Gulielmi Neseni somnium.

35. *Gulielmus Nesenus* lintre piscatoria trajecturus *Albim*, id quod sæpe ab eo animi recreandi gratiâ factum fuerat, cum impegisset illam latenti sub aquis arboris trunco, de improviso vacillante, inflexâq; in latus lintre excidit, & in amne est suffocatus: cum quidam eo die post prandium paululum consopitus talem speciem offendentis scilicet lintris & fluctuantis prolabentisque sui ipsius influvium per somnium sibi oblatum vidisset. Idipsum adventanti tum ex patriâ Philippo, qui crebrò accedere eum soleret, narravit deridens cum jocis somniorum vanitatem.

Marii cujusdam somnium de matre defunctâ.

36. Res est memoriâ & admiratione digna, ut inquit *Alexander ab Alexandro Genial. dier. lib. 1. cap. 11.* Jacebat in lectulo *Marius* alumnus & cliens meus, cujus ego ingenium & animi indolem sæpè demiratus sum. Is cum per quietem matrem defunctam efferri & funus apparari vidisset, gravissimos gemitus & lugubres querelas, quamvis somnio confusus edebat; quem cum excitari jussissem, & causam tam luctuosi gemitûs requisivissem: retulit matrem vitâ functam sib per quietem visam efferri & funerari. Observavi ego diem, & tempus, quo species hæc observata fuerat, notavi. Haud multò post nuntius defunctæ matris ad me venit, à quo cum diem requisivissem, convenit ipso die, quo mater per quietem efferri visa fuit, illam è vitâ excessisse.

Mulieris de fratre mortuo.

37. Simile præcenti, sed multò recentius est, quod refertur *Ephem. Germ. Cur. Dec. 3. Ann. 1. obs. 24.* his verbis. *Mulier plebeja in lectulo dormiens jacebat, ut fessos spiritus ope quietis recrearet. Hæc cum per quetem fratrem militantem in Sabaudiæ castris morientem vidisset, somnians gemitus edebat: at à sociâ, quæ cum illâ dormiebat, interrogata de querelæ causâ respondit, fratrem mortuum in bello se vidisse. Nonnullis autem elapsis diebus Ferrariam venit miles quidam, qui retulit mortem fratris somniantis fœminæ. Hic interrogatus de mortis tempore asseruit, facto à nobis computo fuisse eandem noctem, qua mulier supra dicta in somnio vidit fratrem morientem.* Sed quis omnia hujusmodi somnia conquirat? quis singula conscribat & referat? Plurima enarrat *Cardanus* tàm propria, quàm aliena *lib. 4. Synes. somniorum.* Item *Beyerlinck in Theat. vit. hum. V. Divinatio.* & plures alii passim. Unicum hoc solùm coronidis loco his addere libet, quod memorat *Laertius lib. 9. cap. 5. de Zenone Eltete*, eum nempe dicere solitum *è suis quemque somniis deprehendere posse, quantum in philosophia profecisset; si nihil illic vel appeteret, vel faceret nefariæ rei: Tum enim animus in profundâ tranquilitate constitutus veros affectus prodit. Contra quæ vigilantes non audent profari aut agere, ea noctu occurrant in somniis.*



CAPUT

CAPUT XI.

De Animâ cognoſcente, ſivè Intellectu humano.



Rimam, eamque maximè admirandam in Animâ dignitatem attingimus, quâ verè in toto Compoſito humano admirabilior cogitari non poteſt; eſtque Intellectus humanus, quem ob excellentiam *Scaliger* Rerum omnium Dominum appellavit. *Alexander Aphrodiſienſis* Deum eſſe docuit immediate in corpora noſtra agentem, cui videtur illud *Ovidii 6. Faſtor.* conſonare.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.

Alii genium quendam in nobis exiſtentem putârunt, quaſi Intelligentia quædam nobis aſſiſteret ad intelligendum. Pluribus etiam nominibus indicari conſuevit: Undè à multis vocatur Ratio, quæ etiam ſumitur tum pro facultate cognoſcendi ſivè intelligendi, tum pro ipſo actu, qui etiam nominatur Cogitatio, Meditatio & Intellectio. Vocatur communiſſimè quoque Mens, quæ etiam, ſicut ipſe Intellectus & Ratio, aliquando pro ſubſtantiâ Animæ ſumitur; interdum pro facultate ſeu potentiâ intelligendi & cognoſcendi; interdum pro ipſo actu ſivè actione, ſive pro ipſâ notitiâ & cognitione rerum. Sed his ita prælibatis nunc ad ipſius Intellectûs humani dignitatem accuratius diſquirendam accedamus.

§. I.

De Intellectu humano, ejusque operationibus Theoremata.

1. Intellectus humanus, ſi rectè perpendere velimus, aliud nihil eſt, quàm Anima Cognoſcens: Communiter tamen cenſetur Animæ facultas, quæ eſt immediatum principium volendi. À Peripateticis definitur Facultas animæ rationalis organi expers (quia ſpiritualis) quæ verſatur circà Intelligibile quatenus intelligibile eſt. A Doctiſſimo *Honorato Fabri tract. de Homine lib. 7. de Animâ Ration. prop. 59.* aſſeritur Potentia cognoſcitiva Spiritualis ab Animâ indiſtincta cujus objectum eſt id, quod verum eſt, ſaltem apparenter. **Intellectus humanus quid ſit.**

2. Intellectus communiter in duas vires aut facultates dividitur, ſicq; duplex ſtatuituitur. *Agens* nempe, & *Patiens*, ſeu, ut etiam vocari ſolet, *Poſſibilis*. **Intellectus duplex.**

3. Agens intellectus dicitur Facultas Animæ rationalis, per quam ad præſentiam phantaſmatum rerum cognoſcendarum fabricantur imagines & ſpecies impreſſæ; ſcilicet intellectus, quia penitus à materiâ ſegregatus, ideo à phantaſmatis corporeis adeò improportionatis ad parturiendam cognitionem fœcundari non poteſt; unde proportionatas ſibi ſpecies proprio marte elaborare tenetur: idcircò Agens appellatur. Communis enim ſententia tenet, rerum imagines per ſenſus velut animi feneſtras ſubeuntes in ipſâ imaginatione depingi, quæ phantaſmata appellantur: intellectum vero, cum percipit, tum ſeſe ad ea phantaſmata convertere & ex iis ſimulacris alias imagines, quas ſpecies intelligibiles dicunt, efformare, atque hoc Agentis intellectûs opus eſſe volunt. **Agens.**

4. Intellectus Patiens ſeu Poſſibilis eſt, qui ſpecies ab intellectu Agente excuſſas excipit & erumpit in actualem cognitionem. Non dicitur autem Patiens, quaſi non agat, ſed quia ſpecies ab Agente productas recipit ſuo ſinu, quibus fœtus actualem concipit, & parturit cognitionem. **Patiens, ſeu poſſibilis.**

5. Inter ſpecies ab objectis prodeuntes, & eas, quas ipſe intellectus concipiendo depingit, hoc intercedit diſcrimen, quod illæ intellectui inſculpantur & imprimantur: hæ verò ab intellectu exprimantur. Undè illæ quidem impreſſæ, hæ expreſſæ ſpecies vocari ſolent. Illæ res intelligibiles, hæ verò intellectas efficiunt. Illæ ſimiles ſunt figuris ceræ impreſſis; nam & diutiùs durant, etiam cum non percipimus; hæ autem ſimiles ſunt imaginibus, quas in ſpeculis, vel aquâ tum, cum nos intuemur, depingimus. **Species impreſſæ, & Expreſſæ.**

6. *Honoratus Fabri* Mentis ſivè Intellectus modum operandi in eo poſitum docet *tract. de homine lib. 7.* quod res exprimat & repræſentet eo modo, quo ſunt vel reipſa, vel apparenter producto ſcilicet actu vitali intellectionis, quæ eſt formalis repræſentatio objecti, dicitque eſſentialiter actionem à termino indiſtinctam: Ut verò actio eſt, reddit animam agentem, cum intelligere ſit agere: Ut verò terminus eſt, ſeu imago formalis, ſeu ſpecies expreſſa, ſeu Verbum mentis (quæ verba omnia idem exprimunt) reddit intelligentem. Igitur Verbum mentis non diſtinguitur realiter ab ipſâ actione, per quam fit. Et hinc conſtat, intellectionem eſſe ſuam durationum. Ita ille. **Intellectûs operandi modus.**

7. Intellectus porrò Agens, ut idem docet, nullo modo diſtinguitur à Patiente: eſt enim prorſùs eadem anima, quæ agit & in ſe agit. Imò cum non poſſit dici Agens, niſi vitaliter, id eſt, ab intrinſeco, ſivè eſſentialiter in ſe, non poteſt dici Agens, niſi ſimul dicatur & Patiens. Hinc Recentiores quoque non niſi unum agnoſcunt intellectum, eumque tantùm Patientem, repudiant autem Intellectum Agentem, quia imagines, quas ipſum fabricare putant, futurum intellectûs ſubſidium non aliud illis videtur, quàm oſcitantis ingenii commenta. Argumenta vide apud *Chauvinum in Lexico philoſoph. v. Intellectus.* **Agens à Patiente non diſtinguitur.**

8. Cum Intellectus humanus eâ vi polleat, quâ poſſit aliquid repræſentare, modo ad talem repræſentationem vel cognitionē terminetur. Pro uno idcircò repræſentando major talis vis non deſideratur quàm pro alio. Unde ſicut potentia viſiva ad omne viſibile, auditiva ad omne audibile; ita pariter intellectiva ad omne intelligibile ſe extendit. **Intellectus ad omne intelligibile ſe extendit.**

tendit. Quocircà etiam nihil assignari potest, quod intellectus non valeat attingere. Quàvis tamen non omnia clarè & perfectè intelligere possit, sed aliqua tantum obscurè & confusè, eo scilicet modo, quo à causis secundis ad tales aut tales actus potest determinari.

Quomodo res corporeas percipiat. 9. Ea videtur esse humanæ mentis conditio, ut de rebus corporeis vix ullam habeat cognitionem, quæ à sensibus non ducatur: nosq; ita sumus à primâ ætate affecti, ut cum de re aliqua cogitare volumus, plerumq; incurrant phantasmata, quæ vix amoliri possumus. Hinc etiam quę imaginationem implēt & maximè feriunt, eadem plerumq; intellectum movent vehementiùs, qui ad eorum præscriptum reliqua solet percipere. Duplex idcircò etiam distingui solet mentis perceptio. Una quæ propriè imaginatio dicitur, cum mens se ad phantasma quoddam seu vestigium in cerebro relictum & impressum applicat. Altera est ipsi propria, quæq; intellectio vocatur, cum nempè rem percipit, cujus nullum extat in cerebro vestigium, nullum omninò simulacrum.

Peripateticorum & Platonicorum differentes sententiæ. 10. Communis Peripateticorum contra Platonicos sententia est, cognitionem omnem nostram in sensibus ortum ducere, adeo ut nihil sit in intellectu, quod non fuerit prius in sensu, nec quicquam ab intellectu percipiatur, quod in cerebro, vel imaginatione insculptum non fuerit: quam quidem impressionem, sicut diximus, communiter phantasma solent appellare. Econtrà Platonici mentem ab omni sensu abducunt; fallax enim cujusq; sensus judicium prætendunt, ac mentem tum demùm Veritatis luce perfundi dicunt, cum discedit à sensibus, & ita in seipsam recedit, nec ulli credit, præterquam sibi. Possunt tamen Platonici cum Peripateticis conciliari. Quod enim *Aristoteles ait*, eum, qui contemplatur, oportere phantasma quoddam contemplari; id quidem verum est de rerum sensibilium & corporearum cognitione: nam & ratio, quam adducit, eum, qui non habet aliquid, non posse id intelligere, quod volumus, planè efficit res corporeas sine sensu comprehendi non posse; sed non continuò res omninò spirituales, quæ nullâ specie corporeâ exhibentur, per phantasmata conspicimus. Undè non ita quævis actio mentis à phantasmate dependet: vis tamen imaginatrix, quia feriari non potest, cum intellectus in rem aliquam intendit, ideò sese agitat & movet, ut menti laboranti possit quovis modo succurrere. Vix igitur quicquam mentis acie possumus intueri, quin phantasmata non præcurrant vel subsequantur: excitant enim, admonent, dirigunt, atq; ex iis omnis ferè nostra cognitio ducit initium.

Intellectio alia Hominis alia Animæ. 11. Intellectio etiam quæ inest homini tanquam toti composito, à sensu pendere videtur: quæ verò propria est Animæ separabilis à corpore non censetur pendere à sensu, quia Anima separata à corpore, non est animal & per consequens non sentit. Deindè intellectio illa propria Hominis tanquam totius compositi lædi potest ab organis & instrumentis corporeis, ita ut Homo non amplius exerceat actum intelligendi aut saltem depravatè exerceat; ut patet in Phreneticis, maniacis, epilepticis & dormientibus. At verò intellectio, quæ inest Animæ, ut spiritui separabili à corpore impediri non potest: quia non pendet ab instrumentis corporis, & potest anima intellectionem suam perficere sine ullis organis corporalibus. Hinc etiam patet distinctio inter intellectionem hominis, & inter intellectionem Animæ; quia ille desinit cum ipso homine; intellectio verò Animæ inhærens non desinit cum homine, sed etiam post mortem hominis durare potest.

12. Qui cerebrum habent temperatum ac dispositum & in eo fibras facilè mobiles, faciliùs & expeditiùs intellectu operari valent, quia expeditiùs & faciliùs plura per illum motum phantasmata excitari possunt. Qui verò cerebrum habent obstructum, impeditum, occupatum, aut alio quovis modo depravatum vel vitiatum; ut dormientes, delirantes, ebrii, stupidi &c. ritè intelligere non possunt. Ad facilitandum igitur intellectum, ejusq; operationes liberum caput esse oportet, & minimè gravatum ab humore, vapore, fumo; item cerebrum debet esse minimè perturbatum copiosi scilicet humoris motu vel appulsu, ut in vehementibus passionum motibus accidere solet. Cerebri dispositio ad bene intelligendũ.

13. Tres communiter Mentis operationes agnoscunt Philosophi. Nam primò vel res simpliciter intellectas concipit, exprimit, repræsentat, nihil prorsùs affirmando, aut negando: & dicitur *simplex apprehensio*: vel unam cum alterâ componit de eâ affirmando, vel unam ab alterâ dividit, negando scilicet: & dicitur judicium. vel unam ex aliâ cognoscit & dicitur *Ratiociniũ*. Atq; hæ sunt tres Mentis operationes in scholis decãtatissimę. Tres Mentis operationes.

14. Simplex objecti cujuslibet apprehensio seu conceptus sine affirmatione aut negatione, duplicis generis est; complexûs scilicet & incomplexus: sive compositus vel simplex. Iste est, quo unum tantùm objectum; ille quo plura simul concipiuntur. Quo verò plura simul concipiuntur, singula minus clarè repræsentari debent, ut quivis facilè advertet & concedet. Simplex apprehensio.

15. Conceptus complexus duobus modis fieri potest: vel enim plura concipi possunt per modum unius essentiæ, vel per modum plurium: ut si concipiatur homo, & turris haud secus atq; oculus plura simul objecta videre potest. Cum per modum unius essentiæ ejusmodi complexus sit, observari potest, an termini sint connectibiles, ut si concipiatur animal rationale per modũ unius essentiæ, nempè hominis: vel an termini sint inconnectibiles & invicem repugnantes, eoquòd invicem connecti non possint, ut si concipiatur Hircus & Cervus per modũ unius essentiæ nempè Hirco-Cervi: qui termini constituunt Ens rationis, sivè non Ens cognitum per modum Entis ob terminos reales, qui tamen connecti non possunt. Sed de his vide Scholasticos. Conceptus Complexus duplex.

16. Prima Mentis operatio semper est vera, quia semper conformis suo objecto, nec falsa & difformis esse potest. Quantumvis enim versari possit circà Ens falsum falsitate entitativa, non objectivâ, cui respondet formalis in actu, nunquam tamen falsa esse potest, cum nihil affirmet aut neget, quod reverà inest; cumque semper concipiat id, quod concipit, ubi semper est veritas Prima Mentis operatio semper est vera.

veritas. Magis autem aut minus distincta, & evidens esse potest. Cognoscuntur enim aliquando res quædam clarè & distinctè, aliquando confusè & indistinctè. Hoc autem duobus modis contingere potest: primò nempè cum multa simul cognoscuntur, ut vix unum ab alio discerni seu distingui possit: secundò cum cognoscuntur res imperfectè per actum scilicet remissum ac debilem. E contrario clarè res cognoscuntur, cum distinctè discernuntur & per actum intensum & fortem.

Secunda Mentis operatio, sive Judicium.

17. Secunda mentis operatio est compositio quædam, qua mens sivè intellectus unum cum alio componit per affirmationem sivè assensum; vel unum ab alio dividit per negationem, sivè dissensum. Unde etiam dicitur Judicium, assensus, enuntiatio vel actus animæ, quo unum de altero affirmatur vel negatur. Est & veritas quædam objectiva, circà quam intellectus se exercet per assensum vel dissensum, quæ omnia concordant. Quamvis autem primam mentis operationem non includat, eam tamen supponit: fieri equidem non posse videtur, ut unum alteri attribuatur, nisi prius utrumque concipiatur. Actus proinde censetur indivisibilis, qui fit in instanti, estque sua duratio, quod omni actui vitali competit, ut docet *Fabri tract. de Hom. l. 7. propos. 6. num. 4.*

Tertia Mentis operatio, sive Ratiocinium.

18. Tertia Mentis operatio est Ratiocinium, cujus natura in eo posita est, quod unum ex alio, cum quo connexionem habet, cognoscatur: Unde ratiocinari est unum ex alio cognito cognoscere: & ratiocinium est cognitio unius deducta ex alio: vel etiam est cognitio distincta ex aliâ confusâ deducta: non tamen in ratiocinio unus actus producit alium, sed est quoddã determinativum, quo anima velit, uti potest, ad aliam cognitionẽ distinctam habendam sine sensuum operâ. Atque hic actus mentalis, cum sit simplex & indivisibilis, etiam fieri potest in instanti, ut tradit *idem Fabri ibidem prop. 64. num. 5.* In Ratiocinio itaque ex conceptu confuso anima se determinat ad distinctum. Sicut autem secunda mentis operatio supra primam addit assensum vel dissensum, & in hoc ab illa distinguitur: ita tertia supra secundam & primam Mentis operationem superaddit deductionem, illationem, rationem illam cognitionis deductæ, usum prædictæ facultatis, quâ se anima ad cognoscendum determinat. Per hanc itaque deductionem Tertia Mentis operatio ab utraque, primâ scilicet & secundâ distinguitur.

Comprehensio sive Cognitio.

19. Comprehensio, quæ est omnium cognitionum præstantissima, ea censetur cognitio intellectûs, quâ nempe sibi obversans objectum omni modo, quo cognoscibile est, cognoscit. Sic enim totum quasi prehendit ac complectitur, Triplex esse potest, nempe *Vulgaris, stricta & strictissima.* Vulgaris est qua res aliqua cognoscitur, & cognoscuntur simul termini & effectus, quos ipsa respicit naturaliter, sed generatim tantùm, hoc est, ita ut cognoscat, quis rem illam esse talium effectuum productivam non autem in particulari, hos tam effectus, quàm terminos perfectè. Stricta est, quâ res cognoscitur, & effectus ejus omnes sigillatim & in particulari, ita ut nihil eorum, quæ ad rem illam spectant, lateat cognoscentem. Strictissima verò dicitur, qua res cognoscitur, quantum est cognoscibilis non extensivè tan tùm, ut in Comprehensione strictâ, sed intensivè, seu ita ut cognitio sit proportionata objecto, oriaturque à principio tam perfecto, quàm sit ipsum objectum. Unde tria volunt esse de ratione comprehensionis. I. continere fines rei, seu cognoscere quidditativè rem. II. omnia attingere, quæ vel formaliter vel virtualiter sunt in eâ. III. habere cognitionem rei ipsi proportionatam. Ex doctrina verò *D. Thomæ* tres istæ requiruntur cognitiones ad cognitionem comprehensivam. Prima est *ex S. Augustino ep. 112. c. 3.* ubi ait: *Comprehensio est cognitio, qua ita res perfectè cognoscitur, ut nihil ejus lateat cognoscentem.* Secunda ut omnes habitudines & connexiones, quas objectum habet cum aliis rebus cognoscantur; imo quas habere potest. Tertia est, ut ita clare & evidenter cognoscat, ut cognoscibilitas objecti exigit.

Intellectus humanus non potest aliquid comprehendere.

20. Quantumvis intellectus humanus extendere se possit ad omne intelligibile: non potest tamen aliquam Veritatem intimè comprehendere, quin alioquin attingeret omnes connexiones, quas habet: quod dici non potest. Comprehensio siquidem penetrare debet objectum aliquod, ut nihil ejus lateat cognoscentem, nihil, inquam, tam absolutum, quàm respectivum. Cum igitur quodlibet objectum innumeras habeat relationes, habitudines & connexiones, illasque omnes humanus intellectus distinctè cognoscere non valeat, ideo etiam comprehendere non potest.

Objectum Intellectûs est veritas.

21. Objectum intellectûs humani, ad quod naturâ suâ ordinatur, quodque appetit naturali quodam impetu, & à quo perficitur, ut sentiunt communiter, est Veritas convertuntur autem Veritas & Ens, sicut Verum & Ens: hoc est: Veritas nihil aliud est, quàm essentia rerum. Unde etiam veritas rei, sivè veritas Metaphysica nihil aliud esse censetur, quàm ipsissima cujuslibet rei existentis entitas. Quod enim reipsa est, id verè est. imò patet, sicut unumquodque est, ita & verum est. Hinc Deus ter Opt. Max. est ipsa veritas, quia verè & propriè est.

Veritatis judicium ubi constituatur.

22. Veritatis judicium non in sensu, sed in mente, quatenus sese ad idæas convertit, videtur esse constituendum. Nam quæ sensu percipimus, quàm citissimè fugiunt, ac persæpè inquirentes decipiunt, & fallunt. Quocircà etiam *Lucretius* bene canit *l. 4.*

Sic igitur ratio tibi rerum falsa necesse est
Falsaque sit, falsis quæcunque à sensibus
orta est.

Quid primum omnium cognoscatur ab intellectu.

23. Quod primum omnium in cognitione sub mentis conspectum cadit, videtur esse ipsius entis quædam generalis notio: ex qua gradatim ad ultimam usque rei differentiam progreditur. Et si rem meliùs perpendere velimus, ipsius existentiæ vel Entis notionem ita ad mentem pertinere comperiemus, ut hanc statim omnibus, quæ perspicit, impertiatur. Est quippè ut communissi-

manifeſtiſſima, ita ſimpliciſſima Entis perceptio; nihilq; citra iilam concipitur. Imò Clariſs. *Digbæus* exiſtimat ſolam exiſtentiæ intelligentiam eſſe abſoluram, reliquas notiones quas tanquam ramos Entis notioni inferimus, nihil eſſe quàm relationes quaſdam, quæ ex rebus in ſe collatis emergunt. Satis itaque probabile videtur communem Entis rationem confuſâ ſaltem cognitione primùm à mente percipi.

Singularia prius quàm Universalia cognoſcuntur. 24. Singularia prius ab intellectu cognoſcuntur, quàm Univerſalia, horum enim conceptus non poteſt efformare, niſi priùs collatis inter ſe ſingularibus. In quâ quidem collatione quid ſingulis individuis proprium ſit, quid omnibus commune, deprehendens, proprietatibus quaſi rejectis id ſolùm apprehendit, in quo omnia ſingularia conveniunt, atq; ita Univerſalis notionem efformat. Inter Univerſalia deinde prius cognoſcit ſpecies quàm Genus: quo quid enim propiùs eſt individuis, hoc prius cognoſcitur. Sicut itaq; collatis individuis efformantur notiones ſpecierum, ita collatis ſpeciebus ejusdem generis, relictiſque differentiis ſpecificis formantur notiones proximi Generis: atq; ſic porro donec ad ſumma aut ſummaria genera perveniatur. Notandum tamen non ſemper primò intellectum cognoſcere ſingulare ſecundùm ultimam rationalem individui, ſed aliquandò, ut ſingulare genericum aut ſpecificum; imò ut *præcedenti n.* dictum, ſemper prius ſub ratione Entis.

Quomodo intellectus novos actus producat. 25. Quomodo Anima cognoſcens, ſive intelligens ſemper novos actus producat, benè explicat *Fabri de Hom. lib. 7. prop. 26.* his verbis. *Anima*, inquit *cognoſcit eodem modo, quo Senſus ſentit: nam unum ex altero per ratiocinium diſtinctè cognoſcit. Ex quo iterum diſtinctus ſenſus conſequitur: Ex hoc novi ſenſus confuſi, atque ex his novæ cogitationes confuſæ: ex quibus aliqua diſtincta ultrà deducitur, quæ novum etiam ſenſum diſtinctum parit. atque ita deinceps in orbem itur à confuſis ſenſibus in confuſas cognitiones, ex his in aliquam diſtinctam: ex hac in novum ſenſum diſtinctum: ex hoc demum in novos confuſos; atque ita deinceps per mille gyros & ſpiras diſcurritur, donec tandem mens inveniat, quod latebat, & ſimulacrum illud emergat, quod quærebatur. Hinc nomen Diſcurſus, hinc capitis contentio, calor, dolor, defatigatio.* ita *Fabri*.

Doctiſ faciliùs intelligunt. 26. Hinc ſequitur: quod is, qui plura ſcit, & plura rerum ſimulacra aſſervat, etiam citiùs inveniat, quod indagat: & quod is, qui parum ſcit & pauciora aſſervat ſimulacra, ratiocinari facilè non poſſit. Ille enim citius intelligit, & facilius ratiocinatur, qui plura rerum ſimulacra, ſivè phantaſmata aſſervat, quia plura ſentit confuſè ubi aliquid diſtinctè ſentit. Igitur & plura confuſè cognoſcit. Quidquid autem confuſè cognoſcit diſtinctè cognoſcere etiam poteſt. Is igitur plura diſtinctè cognoſcere poteſt. Cum hoc fit ratiocinari, ex confuſè cognito diſtinctè cognoſcere.

Infantiæ præjudicia erronea. 27. Inter præcipuas errorum cauſas, quibus ab infantiâ mens noſtra obſidetur, referri debet, quod de rebus abſolutè, non ut ſunt in ſeipſis, ſed ut corpora noſtra afficiunt, lædunt, aut juvant, plerumque judicemus. Idcircò quia in primâ ætate omnia pene noſtra judicia ad ſenſus referuntur, nec quicquam aliud eſſe credimus quàm id, quod ſenſus noſtros incurrit, præjudicatas ab infantiâ opiniones vix aut ne vix quidem creſcente ætate ſolemus exuere, eoquòd nobiſcum adoleverint. Itaque illa judicia quanquam ab intellectu prodeant, ſenſibus tamen tribuuntur, quod cum ſenſuum perceptionibus, quas in primâ ætate habuimus, juncta ſint & copulata. Hinc nihil ita cognitioni obeſſe ſolet, quàm infantiæ præjudicia, quibus omnia ad corpus referuntur.

Impedimenta alia ſani intellectûs 28. Quin & educatio, conſuetudo, ſocietas cum aliis hominibus, Authoritas eorum, quos colimus, conſenſus hominum & alia ejus generis plurima, ne res ipſas ſincerè & purè intelligamus, obſtant maximè, & in varios errores nos abducunt. Unde quod ſemel nobis probatum fuit aut creditum, vix dimittimus, adeò ut voluntatis vitia aut affectus mentem ipſam velut contagio quædam imbuant. Plura alia circà intellectum ejusq; operationes vide apud Scholaſticos.

§. II.

De Ingenio, ejus diverſitate, præſtantiâ & variis proprietatibus eidem connexis.

Ingenium quid ſit. 1. Ingenium, quod propriè aliàs ſignificat naturam cuique ingenitam, aliud tamen eſſe non videtur, quàm extenſio quædam intellectûs ad intelligibilium cognitionem. *Ab Ariſtotele Ethic. Nicom. l. 3. c. 5.* dicitur, vis eligendi & diſcernendi rectè, quod verum eſt. *Tullius Cicero l. de finibus*, Docilitatem & Memoriam uno ingenii nomine voluit contineri. Alii ſtatuunt: Ingenium eſſe vim Intellectûs, quâ difficilia cognitu facilè comprehenduntur. Ab aliis deſcribitur vis illa hominibus inſita intelligendi, agendi, ſeipſum & alios regendi, virtutes & vitia perpetrandi, quibus in rebus unus ſæpè alteri plurimum præſtat, ut alio ingenioſior dicatur, & ſit. Videntur tamen omnes convenire in hoc, quod ingenium conſiſtat in cognoſcendi aptitudine, celeritate, promptitudine & facilitate.

Ingenii virtus á corporis diſpoſitione. 2. Virtus aut debilitas ingenii plurimùm dependet ab organis corporeis, à diſpoſitione nempe cerebri ac plexu fibrarum, à ſpiritibus animalibus, eorumq; motione ad operationes animales, ſenſitivas, ac ſimiles alias concurrentium, & per conſequens ingenii vires intendi aut hebetari ſolent à corpore. Undè etiam hinc dantur indicia externa ſatis probata bonitatis aut debilitatis ejusdem.

Ingenium bonum ingens donum. 3. Inter naturalia dona Ingenium bonum meritò præferendum eſt. Undè *Ariſtoteles l. 3. Eth. c. 5*, benè ſcripſit: *Eſt & hoc maximum ac præſtantiſſimum, quodque nemo accipere ab alio poſſit, nec diſcere; ſed qualecunq; à natura cuique tribuatur, tale obtinebit. Cujus ſi ſumma & excellens quædam à naturâ conceſſa ſit facultas, ea demum perfecta veraque ſit indoles neceſſe eſt.* Quod etiam indicare voluit *Ovidius l. 3. Triſt. Eleg. 7.* canens.

Singula quid referam? nil non mortale tenemus
Pectoris exceptis, ingeniiq; bonis

En ego

En ego cùm patriâ caream vobisque domoq;
Raptaque sint, adimi quæ potuêre mihi.
Ingenio tamen ipse meo comitorque, fruorque:
Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.

Dolendum tamen, quod hoc ipsum donum naturæ à multis parùm æstimetur atque excolatur; quod ipsum denuò Idem Poëta jam olim etiam doluit *lib. 3. Amor. Eleg. 7.* his versibus:

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc Barbaries grandis habere nihil.

Ingenia præcocia non durant. 4. Pueros, qui in ætate tenerâ sunt valdè ingeniosi, citò mori compertum est. His enim cerebrum est justo siccius: in aliis verò humiditas sepelit ingenium. Sed sicci, dùm magis siccantur, vel moriuntur, vel stulti fiunt. Quod etiam indicat *Quintilianus Instit. orat. lib. 1.* ajens: *Ingeniorum velut præcox genus non temerè unquam pervenit ad frugem.* Ingenia itaque præcocia vix durant: cùm enim in tenerâ ætate ingenium ab his magis exercetur, cerebrum etiam magis siccatur, & inde torpet. Ità novimus multos, qui in infantiâ ingenio plurimum valuerunt, adultiores deinde factos esse stupidos, aut brevi è vitâ decessisse.

Muliebre ingenium debilius virili. 5. Muliebri sexui ingenium solet esse debilius quàm virili; quia juxtà Medicos minus habent cerebri, quàm viri, deindè etiam illud ipsum magis est humidum & frigidum: cujus signa sunt capilli prælongi, rarissima autem vel nulla calvities. Idcircò etiam *Ovidius ep. Hero, ad Leandrum* benè cecinit,

Fortius ingenium suspicor esse viris
Ut corpus teneris sic mens infirma puellis.

Hanc muliebrem temperiem consequitur quod ut plurimùm ad profundiores scientias sint inhabiles; etsi in iis valere possint, quæ magis nituntur memoriâ, quàm ingenio: uti est Musica, linguarum peritia &c.

6. Multùm formosi, sicut forma, ità moribus, constantia, judicio & ingenio fœminis sunt similiores.

7. Monstrosi corpore plerumque motibus & ingenio tales quoque esse solent; quia, ut docet *Aristoteles: Animæ corporum qualitates consequuntur.*

Ingenii excitatio. 8. Ingenium sicut exercitatione & culturâ augetur, & expolitur; sic negligentiâ intercidit, minuitur & torpescit. Quocirca rectè *Ovidius lib. 5. Trist.* illud agro comparat, qui incultus, aut neglectus sterilescit, vel spinosus evadit.

Adde quod ingenium longâ rubigine læsum
Torpet, & est multò, quàm fuit ante, minus.

Fertilis assiduo si non renovetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Et 3. Art. idem.

Scilicet ingenium placidâ mollitur ab arte,
Et studio mores convenienter eunt.

Ingeniosiores, qui aquas accolunt. 9. Qui ad flumina & aquas habitant, ingenio validiores plerumque sunt, & præstantiores his, qui longius ab his remoti campos, sylvas, aliosque terræ recessus incolere solent. Trahuntur enim à conversatione mores, & à consortio peritiorum magis excolitur & per commercia, quæ ibidem vigent, magis acuitur ingenium.

10. Nullum ingenium, inquit *Seneca de tranquill. animi c. 15.* fuit sine mixtura dementiæ megnum, Raro equidem invenitur corpus tam benè attemperatum, in quo non aliquod phantasma sit corruptum. Hinc provenit illa stultitia, ut à multis in rebus magnis contemnantur damna, nec præmoniti moveant casus, nisi cùm admoti premunt: Dementia admixta ingeniis.

Sic nihil in mundo est ex omni parte beatum,
Et sua stultitiæ quemlibet aura rotat.

11. Ingeniosorum & Doctorum errores atque lapsus graviores aliorum lapsibus non tantùm apprehenduntur, sed reipsa sunt. Idcircò benè *Plutarchus* in *Demetrio* ait: *à magnis ingeniis ut magnæ virtutes, ità vitia etiam magna proficiscuntur.* Sicut enim corpori moto, inquit *Aristoteles lib. 6. Ethic. circa finem* contingit fortius percuti, quàm infirmo: ita planè habentibus vires majores naturales, si non agunt juxtà lumen prudentiæ, contingit magis errare, quia majoribus viribus errant. Doctorum lapsus aliorum lapsibus graviores.

12. Ingeniosi varii, magis inconstantes & mutabiles comperiuntur: quia nisi melancholia temperet, velocia habent phantasmata, & jam hoc, jam aliud se illis offert, proinde jam hoc, jam illud sequuntur. Ingeniosi inconstantes.

13. Facilè passionibus moventur & agitantur ingeniosi: corpus enim talium est molle, ideò humidum. Facilius autem humidum movetur à quavis imaginatione, quàm isti habent vivaciorem ob puritatem & subtilitatem spirituum. Moventur passionibus.

14. Qui valent ingenio, dùm absorpti sunt studio literarum, plus spuunt & emungunt, eoquod labore illo caput calefit, & matetia, quæ cetebro inerat, solvatur & effluat.

15. Choletici & sanguinei non facilè cogitatione inhærent eidem argumento; quia propter calorem Choletici lucidos atque paucos, Sanguinei ob copiam materiæ plurimos habent spiritus, qui dùm frequenter hincinde erumpunt, jam hoc, jam illud objectum, seu potius phantasma illustrant, quod illustratum movet jam hanc, jam illam cognitionem. Cholerici & Sanguinei habent vaga ingenia.

16. Docti & ingeniosi plerumque charactetes formant ineptos, quia scriptura & opificia subtiliora requirunt imaginationem; qui verò speculativis scientiis dediti, cetebro sunt sicciore: præterea docti majoribus intenti scriptionem quàm velocissimè transcurrunt & negligunt. Docti male scribunt.

17. Ingeniosiores & profundè in speculativis docti tarò boni sunt oratotes. Eloquentia siquidem fundatur in imaginatione & memoria, ac proindè cerebro humidiore, quod illis est siccius, prætereà contemnunt verborum nitorem, & toti sunt in eo, ut rem percipiant, non ut ornatè eloquantur. Profundè docti tarò boni Oratores.

18. Calidorum esus excitat ingenium: si tamen nimis sint calida, spiritus adurunt: moderatè verò calida spiritus elevant, & subtiliant, sicque clariores reddunt, qui plurimùm conferunt ad phantasmata meliora, quibus habitis anima melius operatur. Calidorum esus ingenio prodest.

19. Ejusdem nationis aut familæ simile, ut plutimùm, habent ingenium; quiâ similem plerumque habent cerebri constitutionem

Nationis & familiæ ingenia fere similia. cooperante multùm eodem aëre, iisdem alimentis, simili educatione &c. ità jam olim *Ægyptii* decantati sunt callidi, dociles, lascivi, temerarii, avari, sed & sapientes; *Thraces* iniqui, pigri; *Celtæ* feri indociles; *Scythæ* crudeles; *Hispani* docti, prudentes, ambitiosi, tardi; *Galli* leves, versuti, superbi; *Germani* veraces, fideles, laborum patientes, fortes, generosi, prodigi, strenui, potatores & voratores. *Itali* callidi, fallaces, lascivi, avari, *Siculi* acuti; *Cretenses* semper mendaces, &c.

20. Ingenia hominum prout operantur, aut se per actionem extendunt; triplicis possunt esse generis; vel bona, vel mala, vel indifferentia. Exempla quorumvis generum ordine Alphabetico sic exhibemus.

Ingenia humana in genere bonorum Ordine Alphabetico descripta.

A. Activum, Æquum, Affabile. Alacre. Altum. Amans publici. Amicabile. Amœnum. Animosum, Apertum. Assiduum.

B. Beneficum. Benevolum. Benignum. Bonum.

C. Candidum. Capax. Cautum. Civile. Clarum. Clemens. Come. Commiserativum. Conceptuosum. Concinnum. Cordatum. Corrigibile. Constans. Consummatum.

D. Defœcatum. Discretum. Docile.

E. Efficax. Elegans. Excellens. Expeditum.

F. Facundum. Fœcundum. Festivum. Fidum. Firmum. Frugale.

G. Generosum. Grave.

H. Habile. Hospitale. Humanum.

I. Indefessum. Industrium. Infractum. Intrepidum. Judiciosum.

L. Laboriosum. Lentum. Liberale. Liberum.

M. Magnificum. Mansuetum. Maturum. Moderatum. Modestum. Morigerum.

N. Nobile.

O. Officiosum. Opimum. Optimum.

P. Pacatum. Penetrativum. Perseverans. Perspicax. Politicum. Populare. Practicum. Probum. Profundum. Promptum. Providum.

Q. Qualificatum. Quietum.

R. Reale. Rectum. Religiosum. Resolutum.

S. Sagax. Sedatum. Serium. Simplex. Sobrium. Sociabile. Solers. Solidum. Speculativum. Stabile. Studiosum. Sui potens.

T. Temperatum. Tractabile.

V. Validum. Verecundum. Versatum. Vigilans. Vivax. Universale. Urbanum.

Z. Zelosum.

Ingenia humana in genere malorum Ordine Alphabetico digesta.

A. Abjectum. Absurdum. Abusivum. Aculeatum. Adulatorium. Adversum. Ægrum. Æmulum. Ærumnosum. Affectatum. Affectuosum. Ambitiosum. Ardens. Argutum. Arrogans. Asperum. Assentatorium.

B. Bardum. Bovinum. Brutale.

C. Cavillosum. Cholericum. Confusum. Consternatum. Contentiosum. Criminatorium. Curiosum. Cynicum.

D. Debile. Deceptorium. Delicatum. Deliciosum. Desperatum. Detrectatorium. Dicax. Diffidens. Discors. Dissentiosum. Dissolutum. Distractum. Dolosum. Dubium. Durum.

E. Effœminatum. Effœtum. Efferum. Erroneum. Execrabile. Exitiosum. Exsoletum. Exuberans.

F. Falsarium. Fastidiosum. Fastuosum. Fatuum. Flagitiosum. Fluctuabundum. Frivolum. Fucatum. Furiosum. Furtivum.

G. Garrulum. Grave.

H. Hæsitans. Hebes. Humile. Hypocriticum.

I. Jactabundum. Ignavum. Igneum. Illiberale. Illusorium. Immoderatum. Impatiens. Imperiosum. Imperitum. Impetuosum. Impium. Importunum. Impudens. Inane. Incapax. Incentorium. Inclemens. Incorrigibile. Incredulum. Incurium. Ineptum. Iners. Inexorabile. Inexplebile. Infidum. Inhumanum. Iniquum. Injuriosum. Inquietum. Insidiosum. Insociabile. Insolens. Invidiosum. Joculatorium. Iracundum. Irresolutum.

L. Languidum. Laudipetum. Leve. Loquaculum. Lubricum. Luxuriosum.

M. Malignum. Malitiosum. Mendax. Meticulosum. Mobile. Morosum.

N. Negligens. Nequam. Novicupidum. Nugatorium.

O. Oblatrativum. Obliquum. Obliviosum. Obscurum. Obstinatum. Obtusum. Ostentativum.

P. Parcum. Passionatum. Pavidum. Perfidum. Perfunctorium. Pertinax. Præceps. Præcox. Probrosum. Procax. Prodigum. Protervum. Pusillanime.

Q. Querulum. Quæstuosum.

R. Rapax. Recidivum. Refractarium. Rimatorium. Rixosum.

S. Sanguinarium. Satyricum. Scandalosum. Sciolum. Seditiosum. Servile. Simulativum. Socors. Sordidum. Stupidum. Subdolum. Subrusticum. Substultum. Succensorium. Suggestivum. Sugillatorium. Superstitiosum. Suspectum. Suspicax. Susurronium. Sycophanticum.

T. Tædiosum. Tardum. Temerarium. Tenax. Tenue. Tepidum. Terticum. Timidum. Triste. Trux. Tumidum. Tyrannicum.

V. Vagabundum. Vafrum. Vaniloquum. Vanum. Vecors. Vehemnes. Ventosum. Versatile. Versutum. Vexatorium. Vindicativum. Voluptuarium. Vulgare.

Z. Zelotypum.

Ingenia

Ingenia humana in genere Indifferentium Ordine Alphabetico exhibita.

A. Acutum. Apprehensivum. Arcanum. Argutum. Audax. Austerum. Authoritativum.
C. Censorium. Circuitivum.
D. Difficile. Discursivum. Dissimulativum.
E. Extremum.
F. Facetum. Facile. Familiare. Fervidum. Festinans. Fidens. Flexibile.
I. Immobile. Indignabundum. Insinuativum. Joviale.
L. Largum. Lautum. Lepidum. Luctabundum.
M. Meditabundum. Melancholicum.
N. Negotiosum.
O. Obsequiosum. Officiosum.
P. Privatum. Prosperum.
R. Reconditum. Rigidum.
S. Satagens. Scholasticum. Scrupulosum. Secretum. Securum. Segrex. Sequax. Severum. Solitarium. Sollicitum. Stoicum.
T. Taciturnum. Triste.
V. Vastum. Velox.

Ingenium optimum pro studiis.

21. Optimum pro profundis & solidis studiis ingenium censetur esse, quod ex æquâ bilis & melancholiæ permixtione constat. Ratio videtur esse, quod à bile oriatur facilis apprehensio, ab imaginatione velox discursus, motus agiles, & acres. Ob melancholiam verò fiat, ut animus ab externis avocetur, diu meditetur, & maturius de iis, quæ invenit, judicet. Unde *Aristoteles* quoque docet *sect.* 30. *probl.* omnes viros, qui ante ejus memoriam ingenii gloriâ floruerunt, & in variis artibus & facultatibus excelluerunt, melancholicos fuisse. Dici etiam consuevit, multum ac sedulum studium hominem aut melancholicum requirere aut melancholicum reddere.

Ingenii præcellentis signum.

22. *P. Caspar Schott Techn. Cur. lib.* 11. *cap.* 11. characterem novum physiognomicum excellentis ingenii ex Amici cujusdam communicatione describit his verbis: *Præcellentis ingenii signum est duarum minimarum rugarum in fronte Horizontalis parallelismus, sivè duarum rugarum in fronte distantia à pavimento in homine erecto. Quod si plures rugæ adfuerint, majorem denotabunt ingenii præstantiam. At verò distortæ rugæ, neque in directum continuatæ aut situi oculorum æquidistantes ingenii debilitatem manifestant.* Porrò notatum etiam subdit, ex rugis colligi posse, quinam homines ingenio sint *lato*, quinam *Filato. Filatum* autem ingenium vocari dicit, quod uni rei profundâ consequentiarum indagine insistere solet, ad alia tamen rimanda minùs aptum. Quo solo ingenio homines prædíti ad gubernandum inepti; ad altiores verò scientias aptissimi comperiuntur. *Latum* ingenium vocant, quod plurima minùs tamen clarè seu profundè simul intueri solet: & hoc ad gubernandum peraptum esse volunt. Illud etiam ingenium oculo unam rem fixè & clarissimè intuenti; hoc verò oculo multitudinem florum totius alicujus horti simul, minus tamen clarè videnti comparat. *Filati* igitur ingenii indices rugas easdem dicit esse, quæ præstanti ingenio assignantur. *Latum* verò denotari scribit multitudine tenuium rugarum parallelè dispositarum, subindè etiam nonnullos dari notat, qui utroque ingenio sunt prædíti; & tales utriusque ingenii indices rugas habere. De Signis aliis boni vel debilis ingenii vide quæ diximus supra hujus *Scrutinii disquis* 1. *cap.* 8.

§ III.

Ingenia quædam exotica mirabilia referuntur.

1. Nemo non mirari debet, Regis Judæorum Sapientissimi *Salomonis* ingenium, quo perspicacissimè de omnibus rebus, quæ in natura sunt, scripsisse dicitur ab hysopo ad cedrum usque. Nam præter *Ecclesiasten, Proverbia, Cantica,* & *Librum Sapientiæ*, octo prætereà millia librorum alterius argumenti composuisse traditur, in quibus carminum, odarumque mille & quinque; Dramatum tria millia. Unde *Josephus lib.* 8. *Antiq. cap.* 2. de ipso sic scribit. *Composuit libros odarum & carminum quinque supra mille: ac parabolarum & similitudinum libros ter mille; cuilibet enim speciei plantarum suam adhibuit parabolam ab hysopo usque ad Cedrum: Idem fecit de pecoribus & cæteris terrestribus, natatilibusque & quæ per aërem feruntur.* Verùm ingenium istud & indè natam scientiam divinitùs eidem inditam fateri debemus. Sicut Deus ipse 3. *Reg. cap.* 3. *v.* 12. Eundem alloquens testatum facit: *Dedi tibi cor sapiens & Intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Divinum itaque hoc donum fuit, quo omnes tàm antè quàm post se natos ingenii sagacitate superavit. Salomon Rex ingeniosissimus.

2. *Post Salomonem* hominum omnium ingeniosissimum à canâ Antiquitate celebratur *Zoroastres Persa Mesraim Cham filius*, de quo recens nato scribunt eum contrà aliorum infantium morem mox ab enixu risisse, ejusque cerebrum insolito more palpitâsse fututæ scientiæ præsagio. *Hermippus* testatur, uti & *Plinius lib.* 30. *cap.* 1. eum centum millia versum de Magia, cujus inventor dicitur, edidisse. Zoroastres.

3. *Aristoteles Nicomachi* filius *Stagyræ Macedoniæ* oppido, Unde *Stagyrites* dicitur, natus vir extitit admirabili planè ingenio, multâque doctrina excellens. Unde etiam *Averroes* eum vocavit *Naturæ genium, Intellectûs humani finem, atque à Divinâ Providentia, ut sciremus, quidquid sciri potest, datum.* Libros ejus Laërtius recenset, summàmque ad 4000. producit, de quibus nulla sit dubitatio. Sed horum major pars injuriâ temporum intercidit, adeò ut non plus viginti nunc extent. Tantùm etiam in Scholis nomen *fuit Aristotelis* ut Philosophus κατ' ἐξοχὴν habitus fuerit. Aristoteles.

4. *Plato* ob humerorum latitudinem sic dictus, cum anteà ex Avi paterni nomine *Aristocles* vocaretur, nat' *Athenis* tanta sermonis & copiâ & suavitate fuit prædítus, ut dictum à quibusdam fuerit, *Jovem* si græcè loqueretur, Plato.

non

non alio quàm Platonico sermone usurum. De Deo tàm multa tàmque recondita scripsit, ut *Divinus* Philosophus vocitari meruerit. Multi etiam Ecclesiæ Patres eum ob doctrinam solidiorem venerati sunt: inter quos *Justinus* Martyr eandem sibi ad credenda fidei Christianæ mysteria plurimùm profuisse fatetur. *Origenes* ejusdem doctrinæ Platonicæ præsidio *Celsum* confutavit: & *D. Augustinus* illustrissimos sui ævi Doctores à Platonicis Scholis ad Ecclesiam transiisse dixit: quamobrem ipse *Augustinus* huic *Platonis* doctrinæ multùm semper addictus fuit. A multis verò creditur eum sacra volumina adhibito interprete evolvisse, & inde doctrinæ suæ principia deduxisse.

5. *Theophrastus* ita dictus ob oris eloquentiæ suavitatem, ut tradit *Ælianus de var. hist.* qui prius *Euphrastus* & *Tyrtamus* dictus est ex *Eresso Lesbi* civitate Philosophus ad trecenta volumina *Laërtio* teste reliquit: quorum catalogum apud Eundem videre licet. *Demetrium* Phalereum verò *Theophrasti* Auditorem librorum multitudine & versuum numero omnes ferè temporis sui Peripateticos superasse scribit *Idem Laërtius lib. 5.*

Epicurus. 6. *Epicuro Neoclis* filio patriâ Atheniensi, ex pago tamen *Chagellims* oriundo *Lucretius* tantum tribuit ingenium, ut non dubitet affirmare reliquorum omnium Philosophorum lumen obscurâsse, quemadmodum sol suo splendore aliorum siderum claritatem aufert. Hunc infinitos penè libros scripsisse, omnesque alios copiâ superâsse, quem & *Chrysippus* æmulatus est, notavit *Laërtius lib. 10. Epicuri* philosophiam redivivam, sed erroribus, quibus scatebat, repurgatam, non ita pridem à celeberrimo *Gassendo* accepimus.

Apollodorus. 7. *Apollodorus Epicuri* discipulus ultrà quadringenta conscripsit volumina: similiter & *Sidonius Apollodori* auditor, ut testatur *Laërtius in Epicuro.*

Chrysippus. 8. *Chrysippus* Solensis discipulus & successor *Cleanthis Epicuri* imitatione suprà 700. volumina scripsit, inter quæ trecenta & undecim Logica fuerunt, Ità testatur *Laertius* & *Suidas.*

Didymus. 9. *Didymus* Alexandrinus Grammaticus à primâ ætate cœcus, qui *Ciceronis* tempore floruit, *Chalcenteros* ab assiduo lucubrandi studio dictus, plus quàm tria millia & quinquaginta confecisse fertur volumina. Sed quis hos magnos ingenii labores & partus non obstupescat?

Ovidius. 10. *P. Ovidius Naso* Sulmonensis ingenio valuit poëtico celeberrimo, ut ipse de se testatur *lib. 4. Tristium.*

Sponte suâ carmen numeros veniebat ad aptos:
Et quod conabar dicere, versus erat.

Aristarchus. 11. *Aristarchus* Grammaticus Alexandrinus discipulus *Aristophanis* Grammatici Olymp. 156. sub *Ptolomæo Philometore* scripsit Commentarios supra mille. Taceo plura alia veterum scriptorum ingenia: ut *Empedoclis*, qui tria & quadraginta volumina; *Atteji Capitonis* Consulis, qui sexaginta; *Servii Sulpitii*, qui centum & octoginta; M. *Varronis* Romanorum Doctissimi, qui libros scripsit supra quingentos, quorum tamen pars maxima triumvirali tempestate periit.

12. *Origenes Adamantius* Alexandriæ eruditus *Leonide* patre pro fide interfecto bonis fisco addictis decennis cum matre & sex fratribus pauper relictus, presbyter ordinatus ob excellens ingenium *Phirmilliano Cæsareæ* Episcopo, aliisque gratus & admirabundus, omnem penè disciplinam, artemque ac Hebraicam linguam assecutus non in Sacris tantùm sed, & in profanis literis tradendis adhærentes sibi quamplurimos habuit. Ad sex millia librorum teste *Epiphanio Hæresi 64.* scripsisse aut dictâsse fertur. Origenes.

13. *Chrysanthius* Sardianus Sophista, ut *Eunapius in ejus vitâ* recenset, *Juliani* Imperatoris familiaris Octogenario major propriâ manu tot libros exaravit, quot vix alii juventâ florentes legere valent: quo factum est ut extremi digitorum articuli ob juge scribendi exercitium curvati, contractique fuerint. Chrysanthius Sardianus.

14. *Galenus* Medicorum facilè princeps *Suida* teste, non tantùm in Medicina, sed & in Philosophiâ, Grammaticâ & Geometria plurima conscripsit, ità ut qui eundem scribendi, commentandique diligentiâ vicerit, aut in singulis propè artibus numero superaverit, invenias neminem. Ad quingentos enim libros scripsit, quot vix scribendo tantùm absolvere quisquam nedum meditans simul ac literis mandare potuisse credatur. Quorum tamen vix dimidia pars ad nos pervenit, ut Doctissimus *Julius Alexandrinus* advertit. *Fernelius* in Medicinæ suæ præfatione præter ducentos & quadraginta, inquit, quos de aliis disciplinis, de Medicinâ suprà quadringentos conscripsit. *Atheænus in Dipnosophistis* inquit, *Galenum* tot philosophica & medicinalia condidisse volumina, ut Scriptores ante se superaverit omnes. Horum plurima ad nos non pervenerunt, quoniam vel incendio consumpta, vel ob barbariem temporum in Asiâ Græciâque secutam, aliasque ob causas perierunt. Galenus.

15. *D. Aurelius Augustinus Tageste* in Africa natus adhuc puer docilitate ingenii æquales longè antecellens brevi omnes doctrinâ superavit. *Lib. 4. Confess. cap. 16.* ingenii acumen in intelligendo & disputando divinitus sibi datum ipsemet fatetur: quod etiam tam excellens fuit, ut in secundâ pueritia, sicut ait, anno scilicet 12. Logicos & Rhetoricos *Aristotelis* libros nullo interprete per se intellexerit, adeòque exactè perceperit, ut facilè eos, qui sub optimis Magistris eorum doctrinam hauserant, superaverit. Virum deinde omni scientiarum genere exquisitæ eruditionis extitisse, quæ post se reliquit, testantur monumenta, sic ut meritò Doctor Doctorum Ecclesiæ, & *SS. Trinitatis* Apostolus nominetur. Suæ porrò eruditionis & doctrinæ tot tantaque edidit monumenta, tam multa, tam varia, tamque recondita adversus D. Augustinus.

versus Hæreticos scripta reliquit, ut vix omnia à studiosissimo quoque evolvi & legi queant. Undè etiam *Possidius in ejus vita*, eum decipi scripsit, qui omnia, quæ *Augustinus* scripsit, se legisse arbitretur.

D. Thomas Aquinas. 16. *S. Thomas Aquinas* illustris genere, multo tamen illustrior sanctitate & doctrina fuit. De hoc scribit Sixtus Senensis proximè eum cum S. Augustino incessisse, atque hujus mentem & reconditos sensus introspexisse. Subdit deindè quatuor in se implacabiliter pugnantia indissolubilis pacis fœdere conjunxisse, videlicet *Copiam, brevitatem, facultatem* & *securitatem*, quas nulli unquam literarum Professori vel ante, vel post eum contigit semel potuisse connectere. *A Pio V. Pont.* Max. idcirco quatuor Ecclesiæ Doctoribus tanquàm quintum ejusdem splendidissimum lumen associatus fuit. Huic quoque ab ipso Christo datum fuit testimonium quod, *benè de se scripserit. Innocentius IV.* Rom. Pont. hoc quoque Eundem celebravit elogio. *Qui S. Thomam impugnavit, semper fuit suspectus de Veritate: & qui eum tenuit, nunquam invenitur à tramite Veritatis deviasse.* Scripta quoque Ejus, ut in *Romano Breviario* memoratur, & *multitudine & varietate & facilitate explicandi res difficiles adeò excellunt, ut ob eam causam nomen Doctoris Angelici jure sit adeptus.*

Tomas à Kempis. 17. Angelicus Doctor jam memoratus *Thomas Aquinas* provocat huc & alterum *Thomam à Kempis* nominatum, Canonicum Regularem Ord. *S. Augustini*, qui pietate, mansuetudine aliisque virtutibus præclarus clarissimo ingenio suo præclarè multa scripsit. Præ omnibus tamen libellus de *imitatione Christi* post sacra Biblia maximè celebris est, ita ut nullus alius liber in tam variis linguis excusus sit. Eundem & Imperator Turcarum in linguam suam conversum venerari dicitur. Quocircà cùm quidam Religiosus Anno 1600. Argirium in Mauritania profectus venisset pretium redemptionis captivorum laturus; Rex ei in bibliothecam suam ducto varios codices ostendit, & inter hos etiam Libellum de imitatione Christi vulgari Turcarum lingua impressum, dicens: *pluris se Unicum illum facere, quàm omnes reliquos Mahumetanorum.*

Dionysius Cartusianus. 18. *Dionysius Ryckelius* vulgò *Cartusianus* nominatus, ingenium habuit mirè perspicax cum memoriâ ad stuporem tenacissimâ. Tanta est operum ejus moles, ut librorum multitudine *D. Augustinum* superâsse dicatur, & quod mirandum, propria manu omnia conscripsit, nullo usus Amanuensi. Doctoris etiam *Ecclesiastici* nomen promeruit, quemadmodum D. *Thomas Angelicus, S. Bonaventura Seraphicus* & *Joannes Duns*, sivè *Scotus subtilis* dici consuevit.

Hieronymus Cardanus. 19. *Hieronymus Cardanus* Patritius Mediolanensis propter edita ingenii monumenta toti orbi celebris fuit & propter Astrologiæ, Metoposcopiæ, & Chiromantiæ singularem cognitionem multis magnatibus gratissimus fuit. Scriptioni deditus multa publicis tabulis consignando mandavit, cumque podagræ doloribus fuisset obnoxius, eos non aliâ ratione lenire solitus est, referente *Scipione Gentili*, quàm si in studia se abdens, quasi extrà se raptus, sensum omnem corporis amisisset. Novarum rerum inventione felix plura scripsit, quàm legerit, plura docuit quam didicerit. *Ex elogiis virorum doctorum Jacobi Philippi Tomasini.* De eodem in dedicatione suorum operum ad *Guilielmum de Lamoignon* supremi Galliarum Senatûs Principem hoc etiam memoratur, *quod vastitate ingenii universa in scientiis complexus sit, quæ vix singula singuli assequi potuêre.*

Guilielmus Budæus. 20. *Guilielmo Budæo* Juris consulto Parisiensi Gallia acutiore ingenio, acriore judicio, exactiore diligentia, majore eruditione nullum unquam produxit. Omnium, qui eo sæculo vixerant, fuit sine controversia doctissimus, qui omnium nationum homines in sui admirationem convertit: idcircò & Galliæ portentum ab *Erasmo Roterodamo* vocatus est. Nihil fuit unquam Græcorum vel Latinorum Scriptorum, quod ille non evolverit, legerit, excusserit. Nihil fuit tàm reconditum, tamque abstrusum in linguis Græca scilicet & Latinâ, quod non pervestigârit, adiêrit, inspexerit, & velut *Cerberum* è tenebris produxerit in lucem. Infinitæ sunt, seu vocum significationes, seu loquendi figuræ ac proprietates, quas unius *Budæi* operâ sciunt homines studiosi prioribus sæculis ignoratas. Et hæc quidem omnia tanta, & tam admirabilia ipse per se sine Magistro ullo perdidicit. Felix certè & mirè fœcundum habuit ingenium, quod in se uno invenit & doctorem, & docendi viam, rationemque; & cujus decimam partem alii sub magnis Magistris vix discunt, id totum ipse à se edoctus est Magistro. Plura illius encomia vide apud *Ludovicum Vives in 2. lib. D. August. de civit. Dei cap. 17.*

Joann. Picus Mirandulæ Comes. 21. E Galliâ in Italiam revertimur, ubi *Joannes Picus Mirandulæ* comes, aliàs *Dominus Concordiæ*; ab Italis *Phœnix* cognominatus, Princeps formosus, comis, facetus, omnibus corporis animique dotibus excultus doctrinæ & eloquentiæ fuit planè admirandæ. In disputationibus ingenio subtili usus fuit cum perspicaci semper prudentiâ. Anno ætatis decimo quarto imberbis Philosophus & Theologus perfectus. Exactè tenuit linguas, Græcam, Hebræam, Chaldaicam & Arabicam: utque fuit excelsi spiritûs, ingeniique ad maxima quæque evecti, ardore juvenili impulsus *Romam* venit, ubi 900. conclusiones in omni scientiarum genere disputandas proposuit, quarum 500. fuerunt in Philosophia Veterum, Mathesi, Cabala, & Magia, in quibus invictum se, & admirabilem omnibus tanto ingenii acumine, tantâ facundiâ & gratiâ responderit, ut de omnibus triumphum retulerit. *Ex elogiis virorum doctorum Pauli Jovii.*

M. Antonius de Passeribus. 22. *M. Antonius de Passeribus* à Genua ex illustri *Passerinorum* familiâ, quæ *Mantuæ*, olim

olim ac *Mutinæ Carolo* Saraceno teste feliciter imperavit, oriundus, primus fuit, qui in illustri philosophiæ cathedrâ *Aristotelis* abditos sensus ex Græcis textibus explanavit, & ævo suo peripateticam doctrinam interpretum ambagibus involutam luce meridianâ clarius illustravit. Usque adeò portentoso ad rem quamlibet fulsit ingenio, & vastâ memoria, mirâque in arcanis Naturæ parentis aperiendis facilitate præditus, ut aliqui suspicarentur, eum ad tantarum rerum scientiam ductu familiaris cujusdam spiritûs pervenisse.

Petrus Aponensis

23. *Petrus Aponensis* Philosophus, Medicus, & Astrologus peritissimus herbarum & lapidum virtute certo cœli aspectu & statis horis utens fascinare homines credebatur. Philosophiam cum medicinâ & Astrologiam cum naturali magiâ arcto vinculo ingeniosissimè côpulans *Conciliatoris* sortitus est nomen. Magiæ tamen suspectus cùm in jus vocatus & eo pendente mortuus esset, in effigie supplicium tulit, quæ publicè flammis tradita fuit. In unâ tamen prætorii Patavini parte Statuæ ejus lapideæ hæc leguntur inscripta.

PETERUS APONUS,

PATAVINUS PHILOSOPHIÆ MEDICINÆQUE SCIENTISSIMUS, OB IDQUE CONCILIATORIS NOMEN ADEPTUS, ASTROLOGIÆ VERO ADEO PERITUS, UT IN MAGIÆ SUSPICIONEM INCIDERIT, FALSOQUE DE HÆRESI POSTULATUS, ABSOLUTUS FUIT.

Nicasius Werdanus.

24. *Nicasius de Werda*, natione Brabantinus, *Mechliniæ* natus à tertio ætatis anno morbillorum acerbitate oculis captus & omninò cœcus factus, atque ob id elementorum omnium penitus ignarus alterum se *Didymum* Alexandrinum exhibuit, dum in omni scientia eruditissimus apparuit. In universitate Lovaniensi gradum Magisterii suscepit, posteà Scholas aliquanto tempore *Mechliniæ* rexit. *Lovanium* reversus in S. Theologiâ Licentiatus factus inde publicè ad populum conciones habuit. Quin & post hæc gradum Doctoris Utriusque Juris in Academia Coloniensi cùm accepisset, in Gymnasio ibidem publicè Jura cum omnium stupore docuit, atque libros Utriusque juris, quos nunquàm viderat aut legerat, auditu verò tantum perceperat, mente retinuit, & memoriter, cum voluit, recitavit.

Aldrovandus.

25. *Ulysses Aldrovandus* Bononiensis incomparabilis Naturæ operum perscrutator varietate doctrinæ, ubertate scriptorum, reconditis eruditionis & ingenii viribus cunctos sui & præterlapsi sæculi homines superâsse videtur. Musæum habuit rebus naturalibus rarioribus refertum; fueruntque gummi, lacrymæ, radices, herbæ, lapides, animalia, gemmæ, quæ totius Mundi mercatum videbantur referre; quæ nunc in Curia Bononiensi magnifico apparatu ab exteris quotidianâ propè visitatione cum maxima admiratione honorantur.

Puer septennis exoticè doctus.

26. Propinquam nostris temporibus & maximè admirandum exotici planè ingenii exemplum fuit Anno Christi 1647. in puero septenni nomine *Jacobo Martini*, nativitate Veneto, educatione Bononiensi, genere Mutinensi, qui die Pentecostes apud *S. Marcellum* sub Præsidio Magistri sui *Joannis Baptistæ Mizeti* Ordinis Servorum *B. Mariæ Virg. à Butrio* theses publicas ex Theologia, Jurisprudentia, Medicinâ, & aliis disciplinis publico examini ac disputationi exposuit, diversis S. R. E. Cardinalibus, pluribusque Viris primariis audientibus & maximo cum stupore admirantibus. Verùm dicendorum finis non foret, si viros quavis eruditione præcellentes recensere omnes cuperem, cùm in diversis terrarum tractibus nullo non tempore omni doctrinarum genere exculti quamplurimi, iique tales reperti fuerint, qui exotici ingenii dotibus præcelluerint: quorum monumenta, dùm contuemur, ingemiscimus, atque nihil è contra aut parum nos scire & intelligere palàm profiteri debemus.

CHRONI-

CHRONICON

Scriptorum præcipuorum diversis Sæculis florentium post natum Christum Salvatorem.

Sæcula	Scriptores Sacri & Ecclesiastici.	Severiorum disciplinarum naturalium periti.	Viri politiore literaturâ clari.
I. Ab anno Christi I. ad annum 100.	S. Petrus Pontifex Maxim. S. Paulus Doctor gentium. S. Judas. S. Jacobus. SS. 4. Evangelistæ. S. Clemens Papa. S. Ignatius Martyr. S. Polycarpus. S. Martialis Episc. S. Dionysius Areopagita Papias Episc. Hermes sivè Herma. Philo Judæus.	I C. Artejus Capito. Labeo Antistius. Coccejus. Nerva Pater & filius. Masurius Sabinus. Cajus. Cassius. Longinus. Cælius Sabinus. *Medici.* Crinas & Carnus. Thessalus Methodicus. Pedacius Dioscorides. Andromachus Cretensis. Celsus. *Philosophi.* Athenodorus Stoicus. Nicolaus Damasc. Socion. Xystus Pythagoræus. Alexander Ægæus. Chæremon Stoicus. Seneca. Serapion. Apollonius Thyanæus. *Mathematici.* Julius Higinus.	*Historici.* Strabo. Valerius Max. Titus Livius. Pomponius Mela. Plinius. Dionysius Halicarnass. Vellejus Paterculus. *Rhetores.* Domitius Afer. Asconius Pedianus. Quintilianus. *Poetæ.* Publ. Ovidius. Fenestella. Persius. Silius Italicus. Lucanus. Seneca. Juvenalis. Valerius Flaccus. Martialis. Statius. *Philologi.* Columella. Plutarchus.
II. Ab. anno Christi 100. ad Annum 200.	Aquila. Justinus Martyr. Melito Episc. Theophilus Episc. Athenagoras. Dion Corinthius. Hegesippus. Tatianus. Menæus. Pantanus. Tertulianus. Clemens Alexandrinus.	I C. Juventius Celsus. Neratius Priscus. Ulpius Marcellus. Jubilenus. Domitius Labeo. Volusius Mentianus. Salvius Julianus. Serbidius Scævola. Vindius Verus. *Medici.* Galenus. *Philosophi.* Plutarchus. Cheronæus. Sextus Empyricus. Phavorinus Gallus. Epictetus Arianus. Taurus. Numenius. Maximus Tyrius. Apulejus. *Mathemat.* Ptolomæus Alexandrinus. Diophantes.	*Historici.* Solinus. Tacitus. Suetonius. Ælius. Phlegon. Pausanias. Justinus Trogi truncator. Florus. Ælianus. Appianus Alexandrinus. *Rhetores.* Dio Prusæus. Chrysostomus. *Philologi.* Plinius Junior. Agellius. Lucianus. Athenæus. Macrobius. Julius Pollux. Aphtonius. Philostratus. Frontinus.
III. Ab Anno Christi 200. ad Annum 300.	Tertullianus presbiter. Clemens Alexandrinus. Minutius Felix Hyppolitus Episc. Julius Africanus. Origenes Adamantius. Ammonius Alexandrin. Gregorius Thaumat. Cyprianus Africanus Dionysius Alexandrin. Victorinus Pictav. Methodius Zeno Episcop. Lactantius Firmianus. Arnobius. Dorothes Tyrensis.	I C. Æmilius. Papianus. Cajus Marcellus. Ulpianus. Pomponius Gordianus. Sabinus Hermogenes. Modestinus. Celsus. Julius. Paulus. Triphonius Venatus. Alphenus. Florentinus. Callistratus. Venutius. Severus. *Medici.* Q. Serenus. Sammonicus. *Philosophi.* Alexander Aphrodis. Plotinus. Ammonius. Amelius. Longinus Mulcus. Porphyrius. Jamlichus. Ædesius.	*Historici.* Dio Cassius. Nicæus Herodianus. Vulcatius Gallicanus. *Poetæ*, Oppianus. Nemesianus. Olympius. *Philologi.* Censorius.

Sæcula	Scriptores Sacri & Ecclesiastici.	Severiorum disciplinarum naturalium periti.	Viri politiore literaturâ clari.
IV. Ab Anno Christi 300. ad Annum 400.	Eusebius Cæsariensis Antonius Abbas Pachomius Abbas. Athanasius Ep. Alexandrinus. Serapion Ægypti Ep. Julius Firmicus. Hilarius Pictaviensis Ep. Didymus Alexandrin. Optatus Milevitanus Ep. Cyrillus Hierosolym. Ep. Titus Bostrenus Ep. Ephrem Diacon. Basilius Magnus Ep. Gregorius Nazianz. Ep. Damasus Papa. Faustinus Diacon. Epiphanius Ep. Philo Carpathius Ambrosius Mediol. Ep. Ithacius Clarus Ep. Cæsarius. Hieronymus Stridoniensis. Theophilus Alexandr. Ruffinus Aquiljensis. Palladius Galata. Gaudentius Brixiensis. Joan. Chrysostomus Ep. Basilius Seleuciæ Ep. Augustinus Hippon. Ep.	I C. Oribasius. *Medici.* Sextus Avienus. Ruffus. Abifelden Syrus. Julius Maternus. *Philosophi.* Maximus Ephesius. Themistius Marinus. Syrianus. Olympiodorus.	*Historici.* Capitolinus. Lampridius. Vopiscus. Trebellius. Spartianus. Aurelius Victor. *Rhetores.* Victorinus Afer. Libanius. Nazarius. *Poëtæ.* Ruffus. Proba Falconia. Aurelius Prudentius. Juveneus. *Philologi.* Terentianus Maurus. Prohæresius. Ælius Donatus.
V. Ab Anno Christi 400. ad Annum 500.	Maximus Ep. Synesius Ep. Paulinus Ep. Nolanus Severus Sulpitius. Paulus Orosius. C. Cælius Sedulius. Cyrillus Ep. Alexandr. Theodoretus Ep. Eucherius Ep. Lugdun. Claudianus Mamercus Ep. Sidonius Apollinaris. Joannes Cassianus. Isidorus Pelusicta. Petrus Chrysologus. Leo Papa. Nilus Monachus. Hilarius Arelat. Ep. Prosper Aquitanus. Arnoldus Junior. Valerianus Ep. Salvianus Ep. Claudius Marius Victor. Æneas Gazæus. Victor Uticensis. Gelasius Papa. Gennadius Ep. Nemesius Ep. Gildus Sapiens. Paschasius Cardinalis. Cæsarius Aretanensis.	*Medici.* Maugantius. *Philosophi.* Colutus Thebanus. *Mathematici.* Diocles. Proclus Alexandr. Theon Alexandr. Eutocius Ascalonita. Pappus Alexandr.	*Historici.* Socrates. Sozomenus. Eunapius Sardianus. Zozymus Comes. *Rhetores.* Symmachus. Sylvius Bonus. Godelbertus. *Poëtæ.* Ausonius. Claudianus. Rutilius.

Fulgen-

Sæcula	Scriptores Sacri & Ecclesiastici.	Severiorum disciplinarum naturalium periti.	Politiore literaturâ clari
VI. ab anno Christi 500. Ad ann. 600.	Fulgentius Ep. Remigius Rhem. Ep. Aurelius Cassiodorus Anastasius Sinaita. Primasius Ep. Joan. Climacus. Gregorius Turonensis. Evagrius Scholasticus. Liberatus Ennodius Ep. Victor Caprianus Ep. Petrus Diacon. Fortunatus Ep.	IC. Tribonianus cum aliis sedecim Jurisperitis Compilator Digestorum. Theophilus. Dorotheus. *Philosophi.* Damascius. Simplicius. Joan. Philiponus. Boetius. *Mathematici.* Hero Mechanicus. Heliodorus Larissæus.	*Historici.* Procopius. Agathias. Jornandes. Marcellinus Comes. *Rhetores.* Thelesinus Elius *Poetæ.* Fortunatus Arator. Merlinus Caledonius Vates Anglorum. *Philologi* Priscianus.
VII. Ab Anno Christi 600. Ad Annum 700.	Gregorius M. Papa. Isidorus Ep. Hispalens. Hildephonsus Ep. Sophronius Ep. Esaias Abas. Eligius Ep. Adhelmus Abbas. Anastasius Nicenus Ep. Joann. Moschus.	*Philosophus & Mathem.* Martianus Capella	*Histor.* Nennius Bancherensis. *Poeta.* Georgius Pisides. *Philologus.* Joann. Stobæus.
VIII. Ab ann. Christi 700. Ad ann. 800.	Venerab. Beda Presbyter. Joann. Damascenus Usuardus. Antonius Melissa Albinus Flaccus Paulinus Aquilejens. Ep. Jonas Monachus.	*Mathematicus.* Hemoaldus, cognomento Providus Bedæ familiaris.	*Historic.* Paulus Diaconus *Rhetores.* Aldelmus. Iglacus. *Poetæ.* Cudbertus Magescus. Tatvinus.
IX. Ab ann. Christi 800. Ad ann. 900.	Theodorus Studites. Angelomus. Strabus. Aymo Episc. Walofridus Metaphrastes. Anastasius Bibliothecarius. Paschasius Addo Viennens. Ep. Ansbertus. Amalarius Ep. Jonas Aurelius Ep. Leo sapiens. Photius.	*Philosophus & Mathem.* Joann. Frijugena. *Mathemat.* Michael Psellus.	*Historici.* Gildas Banchérensis. Eginhardus. Theophanes. Aimoinus. Freculphus. *Poetæ.* Wandelbertus. Bristanus Groylandensis.
X. Ab ann. Christi 900. Ad Annum 1000.	Marcus Eremita. Moyses Barcephia. Ep. Stephanus Eduens. Ep. Odo Monachus. Rudolphus Flaviacensis. Fridegidus Diacon. Seclo Darevernensis. Dunstanus Ep. Oswaldus. Odnius Episc.	*Philosoph. & Mathemat.* Brifferius. Alpharabius. *Mathemat.* Albumanassar. Alfraganus.	*Historici.* Luitprandus. Eduardus. Suidas. Porphyro genitus. Constantius.
XI. ab anno Christi 1000. ad annū 1100.	Berno Abbas. Guido. Burchardus Ep. Wormatiens. Fulbertus Ep. Bruno Herbipol. Ep. Glaber. Hermannus Contractus. Anselmus Archi-Ep. Cantuar. Lanfrancius Ep. Theophilactus Ep. Marianus Scotus. Ivo Carnotens. Ep.	IC. Burchard. Ep. Wormat. Ivo Carnotensis. *Medici.* Avicenna. *Mathemat.* Albazenus. Albalegnius. Campanus Ungobardus. Joann. Serapion. Quido Aretinus. Franco Scholiasticus. Olivaroius Malmethuriensis.	*Historici.* Joan. Xiphilinus. Maginfredus. Adrianus Scotus. Joan. Curopalates.

Sæcula	Scriptores Sacri & Ecclesiastici	Severiorum disciplinarum naturalium periti	Politiore literaturâ clari
XII. Ab Anno Christi 1100. Ad Annum 1200.	Leo Ostiensis Ep. Cedrenus. Euthymius. Rupertus Tuitiensis. Zonaras. Bernardus. Hugo à S. Victore. Richardus à S. Victore Petrus Comestor. Guilielm. Tyrius Ep. Joann. Cypariſſiotus. Petrus Cluniacensis. Hugo Etheria. Petrus Blesensis Otto Frisingens. Episc. Theodorus Balsamon Ep. Joachimus Abbas. Petrus Lombardus.	IC. Wernerus sive Iznerus Joann. Bodianus. Pileus Modicensis. Azo Bagarotus. *Medic.* Joann. Mesue. *Philosophi.* Averrores. Bailiardus Abbas. *Mathematici.* Rabi Abraham. Alpetragius. Daniel Morleius.	*Historici.* Michael Glycas. Joan. Picûs Anglus. Florentius wigorniensis. Guilielmus Malmesburiensis. *Poetæ.* Guntherus. Gotfridus Vintoniensis. Guilielmus. Cestriensis Galfredus. *Philolog.* Joan. Sarisberiensis.
XIII. Ab Anno Christi 1200. Ad Annum 1300.	Innocentius III. Papa Raymundus de pennâ forti Jacobus de Vitriaco. Vincentius Belluac. Ep. Thomas Cantipratan. Ep. Durandus Mimalens: Ep. Nicolaus de Lyra. Nicephorus. Callistus Guilielmus Altisiodor. Ep. Guilielmus Parisiens. Ep. Albertus M. Bonaventura Ep. Card. Thomas Aquinas Ægidius Columna.	IC. Jacobus de bello visu. Roffredus Beneventanus. Henricus de Segusiâ Episc. Ægidius de Fuscariis. Guilielmus Durandus. Speculator. Bonaquida. Aretinus. Accursius. Odofredus. *Medici.* Hugo Atratus *Mathemat.* Vitellio. Thebit Arabs. Joannes à sacro bosco. Alphonsus X. Rex Castellæ. *Philosophi.* Alfredus Robertus. Kilvaridius. Petrus Hispan. Michael Scotus.	*Historici.* Saxo Grammaticus. Godefridus Viterbiensis. Conradus Vrsbergensis. Martinus Polonus *Poetæ & Rhetor.* Josephus Iscanus
XIV. Ab Anno Christi 1300. Ad Annum 1400.	Nicolaus Lyranus Ludolphus Quido Carmelita Ep. Simon de Cassia O S. August. Taulerus Rich. Ep. Berchorius. Raymundus Jordanus vulgò Idiota. Durandus de portiano Ep. Joannes Duns Scotus. Robertus Holkott. Gregorius Ariminensis. Joann. Bacconus Carm. Petrus Paludanus Domin. Thomas Argentinas Marsilius de inguen.	I C. Guilielmus Mandagoti Archi-Episc. Dinus Mugellanus. Petrus de bella pertica. Oldradus de ponte! Joannes Carderinus. Cynus pistoriensis. Bartolus de Saxo ferrato. *Medici.* Thomas de Galbo. Bonominus Permonensis. Joann. Gadisdanus Petrus de Apono. Thaddæus Florentinus. *Philosophi.* Joann. Vistonas Burlæus. Rob. Crucius. Godefridus Cornubiens. *Mathem.* Rocherius Bacco. Joannes Cantuariens. Joannes Eligerius.	*Historici.* Nicephorus. Gregorius. Joannes Villani *Philologi.* Franciscus Petrarcha. Nicolaus Oresinus. Emmanuel Chrysoloras. Leonardus Aretinus.
XV. Ab Anno Christi 1400. Ad Annum 1500.	Thomas Waldensis Episc. Carmelita. Vincentius Ferrerius. Bernardinus Torrecremata Card. Nicolaus Cusanus Card. Æneas Sylvius Papa. Joan. Picus Mirandulanus. Laurentius Justinianus Nauclerus, Thomas à Kempis Alphonsus Tostatus Ep. Joan. Capreolus Dionysius Richelius Cartus. Joannes Bossolis Gabriel Biel.	IC. Barthol. Salicetus Joann. de Imola. Franciscus de Zarabellis Antonius de Butryo. Baldus de Ubaldis. Paulus de Castro. Nicolaus de Tudeschis. Marianus Socinus. Andreas Barbatius. *Medici.* Hugo Senensis. Jacobus de Forbivio. *Philosophi.* Paulus Venetus. Joannes de Marliano. *Mathem.* Joannes de monte regio. Georgius Burbachius.	*Historici.* Flavius Blondus Coccius Sabellius. Trithemius. *Philologi.* Georg Trapezuntius. Theodorus Gaza. Nicolaus Perosus. Lascarus Poggius. Laurentius Valla. Ambrosius Calepinus. Rudolphus Agricola. Pomponius Lætus. Baptista Mantuanus. Jovianus Pontanus. Alexander ab Alexandro. Ximenes

Sæcula	Scriptores Sacri & Ecclesiastici	Severiorum disciplinarum naturalium periti	Politiore literaturâ clari
XVI. Ab Anno Christi 1500. ad ann. 1600.	Ximenes Card. Petrus Canisius Toletus Card. Ludovicus Granatens. Sadolerus Card. Laurentius Surius. Franciscus Ribera. Franciscus Turrianus. Cornelius Ribera. Alphonsus Salmeron. Lippomanus Gard. Eckius. Thomas Morus. Genebrardus Ep. Andreas Vega. Maldonatus. Melchior Canus. Alphonsus Deza. Sanctesius, præter innumeros alios.	JC. Jason Magnus. Andr. Tiraquellus. Martinus Navarrus. Jacobus Cujacius. Carolus Molinæus. Didacus Covarruvias. Andreas Alciatus. *Medici* Joan. Fernelius Hieronym. Fracastorius. Hieronym. Cardanus Joan. Argenterius. Jacob. Carpentarius. *Mathematici.* Orontius. Finæus. Abraham Ortelius. Franciscus Viera. Gerardus Mercator Tycho. Brahe.	*Historici.* Joan. Aventinus Franciscus Guicciardinus Carolus Sigonius. Paulus Jovius. Conradus Gesnerus. *Poetæ.* Hieronym. Vidad. *Philologi.* Beroaldus. Pierius. Turnetus. Cœlius Rhodiginus.
XVII. ab anno Christi 1600.	Robertus Bellarminus Card. Petrus de Villars. Jacobus Petronius Card. Thomas Bzovius. Franciscus Salesius Ep. Cornelius à lapide. Florimundus Raymundus Jodocus Coccius. Martinus del Rio. Theoph. Rainaudus. Svarez. Vasques. Lessius. Layman. Sanchez. Becanus. Salianus Eusebius Nierenbergius & innumeri alii.	JC. Josephus Mascardus Prosper Farinacus. Nicolaus Garsia. Petrus Barsa. Augustinus Barbosa. Ludovicus Molina. Corvinus Carpzovius. *Medici.* Hieron. Mercurialis Andreas Laurentius. Caspar Bartholinus Casparus Hoffmannus Thomas Bartholinus. Thomas Willis. Simon Pauli. *Philosophi.* Rubius. Oviedus. Arriaga. Comptonus. Dandinus. Honoratus Fabri *Mathematici.* Christophorus Clavius. Scheinerus. Keplerus. Longomontanus Galilæus de Galilæis. Joan. Hevelius. Athanas. Kircherus. Caspar Schottus. Rheita. Hugenius. Ricciolius. & alii complures.	*Historici.* Cæsar Baronius Famianus Strada Jacobus Gallutius. Bollandus. *Rhetores.* Antonius Muretus Perpinianus. *Poetæ.* Jacobus Balde. Sarbievius. Bauhusius. Bidermannus. Avancinus. Joan. Baptista Masculus. *Philologi.* Justus Lipsius. Ericius Puteanus. Isaac Causaubonus. Jo. Rosinius Jacobus Pontanus Quido Pancivolus. Simon Majolus.

CAPUT XII.

De Ingeniosis rerum notabilium & mirabilium Inventoribus.

Inventio duplex

Inventio, de quâ hîc agimus, duplex esse potest: Ingeniosa sivè Intellectualis, vel Fortuita sivè Casualis. Plerumq; autem dum Intellectus humanus casualiter quid invenit, vel advertit; ingeniosè deinde alia nova hinc deducit ac reperit. Unde *Kircherus in Oedipo Ægypt. Tom. 2. part. 2. clas. 7. sect. 3. cap. 1.* existimat inventiones rerum homini insitas esse, *nec libris solùm disci, sed & intellectu, aliquo insigni, necessitate cogente vel casu aut experientia, vel genii suggestione erui.* Quib' verbis abundè principia inventionis quarumvis rerum novarū voluit insinuare.

Musicæ inventio.

Musicæ idcircò principia & originem ex arundinibus, avenâ, tibiis gruum aliisq; cavis plantarum thyrsis promanâsse, atque ita fistularum musicarum rudimena profluxisse; *Jubalem Lamechi* filium deindè instrumentorū musicorum inventionem hinc deduxisse putat. Ipse enim (*Jubal*, ut constat *Gen. c. 4. v. 11*) fuit *pater tractantium sivè pulsantium cytharam & organum.* Post diluvium tamen Ægyptios statuit primos fuisse perditæ Musicæ instauratores. Hi enim, inquit, à *Chamo & Mesraimo* filio ejus instructi Musicam in tantum illustrârunt, ut vel ab Ægyptio verbo *Moys* Musica etymon suum sumpserit, eoquòd ad stagnantes Nili paludes occasione arundineæ, papyraceæq; sobolis (ex quâ lituos suos efformabant) ibidem copiosè repullulascentis inventa, & instaurata sit. *Lucretius* ex hominum observatione cantus inventos arbitratur in hunc modum scribens.

At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit, multò quam levia carmina cantu
Concelebrare homines possent auresq; juvare,

Et Ze-

Et Zephyri cava per calamorum sibila primum
Agrestes docuere cavas inflare cicutas:
Inde minutatim dulces docuere querelas
Tibia quas fundat digitis pulsata canentum,
Avia per nemora, ac sylvas, saltusque reperta.
Per loca pastorum desertaque devia sylvis.
Sic unum quicquid paulatim protrabit ætas.

Pythagoras Musices inventor. 2. Apud Græcos *Pythagoras* Musicæ artis inventor fuisse perhibetur, dum ex malleorum ferientium inæqualibus ponderibus, & ex chordarum inæqualitate, vel inæquali tensione, atq; etiam ex calamorum inequalium longitudine diversos observavit sonos, eosque dein ad numeros harmonicos reduxit, & Musicæ principia detexit: ut tradit *Boethius lib. 1. ex Laertio.* Græcos tamen *Eusebius de præparat. Evang. lib.* 2. Musicæ harmoniæ inventionem *Dionysio* attribuere scribit.

Mercurius Lyræ inventor. 3. *Mercurium Trismegistum* curiosissimum rerum naturalium investigatorem Lyram invenisse scribit *Pausanias lib. 5.* eamque *Apollini*, cum pax inter illos post furtum boum orta esset, largitum esse. Hinc Lyra quasi Lytra fuit, prœmium scilicet pro bobus redimendis.

Cybele quæ invenerit 4. *Diodorus lib. 4.* scribit *Cybelem Minois* vetustissimi Phrygiæ Regis filiam multas artes ingenii acumine & invenisse & docuisse mortales; sicut cantum tibiæ, lusus, choreas, cymbalorum, tympanorumque sonitus.

Cytharæ inventor 5. Cytharæ inventio diversis attribuitur à diversis Scriptoribus. Ejus enim, ut *Plinius* refert, Amphion fuit repertor: ut Aliis *Orpheus vel Linus*; ut verò *Diodoro* placet, *Apollo*.

Cornuum 6. Cornua & tubas Tyrrhenorum inventum fuisse scribunt *Athenæus lib. 4. cap. 24. Diodorus lib. 5. cap. 9.* Tibias verò Marsiam invenisse testatur *Eusebius.*

Tripodis 7. *Pythagoram Zacynthium* Musicum instrumentum, quod Tripodem vocant, reperisse testatur *Athenæus lib. 5. cap. 14. Architam Tarentinum* crepitaculum invenisse asserit *Aristoteles 8. Polit.* Ægyptios verò sistrum tradit *Plinius lib. 7. cap. 56.*

8. *Josephus lib. 7. Antiq.* testatur *Davidem* varia instrumenta musica invenisse; organa longè à nostris diversa, Nabla, psalterium & similia.

Campanarum. 9. *Paulinus Nolæ in Campannia* Episcopus primus in suâ Ecclesiâ campanæ usum invenisse proditur, ut narrat *Gilbertus Cognatus lib. 3.* Unde etiam nomina istorum instrumentorum, quæ communiter *Nolæ & Campanæ* dicuntur, provenisse videntur.

10. *Lascum Hermioneum* primùm de Musicâ scripsisse, primùm dythyramnos in certamen invexisse, primùm cyclicos choros instituisse *Gyraldus* tradit.

11. Quamvis saltationes & choreæ primæ ab ebriis hominibus videantur institutæ, *Theseum* tamen ex *Cretâ* redeuntem, ubi in *Delum* insulam appulit., saltationem cum pueris iniisse, quæ labyrinthi præferret errores. *Plutarchus in Theseo* refert. Chorearum inventor.

12. Notæ musicæ *Ut. Re. Mi. Fa. Sol. La.* à *Guidone Aretino* excogitatæ memorantur Anno post Christum natum 1012. Notæ Musicæ.

13. Tuba stenterophona, quâ voces articulatæ in longam distantiam trajici possunt, inventa est in Anglia ab Equite *Morlando* ad Annum Christi 1670. Tuba stenterophona

14. *Ipsa gens Phœnicum in gloriâ magnâ literarum inventionis*, inquit *Plinius lib. 12.* Unde etiam *Lucanus.* Literarum inventio.

Phœnices primi (famæ si credimus) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Clemens Alexandrinus lib. 1. strom. Cadmo inventionem literarum adscribit, dicens: *Cadmus erat Phœnix, qui fuit Græcis literarum inventor*: ut ait. *Euphorus* Teste *Eupolemo apud Eusebium lib. 10. de præparat. Evang. Moyses* literarum primus inventor visus est, vel *Moyse* antiquior *Abrahamus* Teste *Philone.* Judæus alii à *Moyse* acceptas literas superato mari rubro in Palæstinam & Phœniciam intulisse volunt: Unde Phœnices deinde literarum inventores habitos fuisse dicunt. Sed videatur *Joannes Tzetzes Chil. 12. var. Histor. Caspar Schottus Techn. cur. lib. 7. cap. 7. §. 12. assert. 2.* probabilissimum existimat literarum & scribendi artem ab humani generis Protoparente *Adamo* derivari.

15. *Prometheus* temporibus Judicum Hebræorum apud Græcos celebris primus dicitur, qui Grammaticam Philosophiam, id est, literarum sapientiam invenerit. Idcircò de illo dicebant eum homines finxisse: quod ita intelligendum volunt *Suida* interprete, eum nempe effecisse, ut rudes atque indocti sapientiam Mundo antea incognitam cognoverint. Grammatica philosophia.

16. *M. Tullius Cicero* notas præpetes (uti vocantur ab *Ausonio*) primus, (ut *Plutarchus in Catone Minore* refert) docuisse fertur, easque scribis primùm communicâsse dicitur *in orat Catonis contra Catilinam* in Senatu habitâ excipienda, quod minutis & brevibus figuris multarum vim literarum complecterentur atque hinc etiam *Notariorum* nomen videtur profluxisse. Notæ abbreviatæ.

17. Prosodiam, qua syllabarum quantitates noscerentur, *Pherecides* Syrus *Pythagoræ* præceptor primus *Laertio* teste, invenisse dicitur. Prosodia.

18. Linguarum divisionem ortam à dispersione gentium post confusionem in ædificatione Turris *Babel* declarat satis Scriptura sacra *Gen. cap. 9. & 10.* Ortas verò ex confusione illâ linguas 72. tenent *S. Augustinus Hieronymus, Prosper & Epiphanius* eoquòd tot numerentur personæ, posteri *Noemi*, à quibus gentes divisæ dicuntur. Veruntamen

runtamen *Corn. à lapide in Pentateuch.* arbitratur demendum *Cain* & nomina patrum, eoquod hi non distinguant à filiis novam familiam & gentem: Unde iis demptis superessent tantùm 55. filii, à quibus singulæ ortæ, cum in dispersione *Babel* singulæ propriam linguam vel Idioma sortitæ sint. Vide *Pererium in Gen. lib.* 15. & 16.

Linguæ matrices 19. Linguas matrices quarumvis aliarum toto orbe dispersarum istas recenset *Genebrardus.* Hebraicam imprimis cæterarum altricem genuisse dicit Syriacam & Arabicam &c. Latinam verò Ialicam, Gallicam, Hispanicam, Walachicam: A Græcâ ortam Doricam, Jonicam, Æoliam; Atticam, Sclavonicam, Polonicam, Bohemicam, Moscoviticam &c. Germanicam peperisse Helveticam, Anglicam, Flandricam: Tartaricæ velut filias subortas Turcicam, Sarmacanicam &c. ex Abyssinâ profectam Æthiopicam, Sabæam, &c.

Chartæ seu papyri inventio. 20. Chartam *Alexandri Magni* victoria repertam Author est *Varro*, ut scribit *Plinius lib. 13. cap.* 11. juxta *Volaterranum* verò primus papyrum reperisse perhibetur *Aspasius Biblus*, uti recenset *lib. 12. Antropolog. cap. 4. Suidas* eam à biblo, quæ arundinis species est, factam scribit & ab hâc nomen suum *Aspasiam* accepisse tradit. *Guilandinus lib. de chartâ & Pancirolus lib. 11. tit. 14.* Chartam ita dictam volunt à *Chartâ* Tyri Urbe, propè quam primùm inventa sit papyri arbor, è quâ deinde facta est charta. Ajunt verò papyrum fruticem esse vel arbusculam obliquâ radice triangularem longam cubitis decem, in gracilitatem fastigiatam; ex cujus foliis tenui phyllurâ acu deductis conficitur chartâ ad scribendum, quæ ob id papyrus appellatur: quod etiam nomen nostræ chartæ retinent, quamvis ex contritis linteis conficiantur, cum eidem scribendi deserviant usui. Harum verò nostrarum chartarum artificium inventum circà Annum Christi 1470. tradit *Jo. Rajus de plant. histor. lib. 22. pag.* 1302. quo tempore ait ex Galliâ duos viros *Antonium, & Michaelem* in Germaniam & *Basileam* venisse, secumque artem illam antea Germanis ignotam attulisse.

Typographiæ inventio. 21. Typographicæ artis inventor controvertitur, sicut & Annus, quo nobilis ars ista lucem videre meruit, quem aliqui post natum Christum volunt esse 1401. Alii 1440. Alii 1452. *Hadrianus Junius* Batavus & *P. Bertius* Leydensis quondam scholæ Professor Harlemensi cuidam *Laurentio Joannis* dicto inventionem attribuunt: Alii nominant *Joannem Faust sive Fust. Nicolaus Ferrarius* ex manuscripto quodam sequentia recenset *Hoc autem urbis nostræ Moguntiaci triumphale perpetuæ laudis est præconium, quod hanc ingeniosam charakterizandi artem non solers Italorum indago, non celebris Græcorum sapientia, non multiformis Gallorum scientia, neque callidum Barbarorum reperit ingenium, sed industriosi nobilis urbis Moguntiaci cives Joannes Gudenberg, qui cum omnem substantiam suam propter artis difficultatem ferè profudisset, tandem auxilio Joannis Faust, Joannis Medinbach & aliorum civium adjutus rem perfecit. Post quem Gudenberg, qui morabatur in Junghiem, qui usque nunc ejus artis nomine nuncupatur Petrus Opilionis id est Schœffer, ejus generis artis impressoriæ dilatator extitit. Qui etiam suo tempore multa impressit opera.* Hæc *Ferrarius* Versibus quoque hujus rei historiam decantavit *Joannes Arnoldus Bergellanus* inter quos hos etiam posuit:

Authorem quærunt, primus qui invenerit humo
Archetypos artis, primaque puncta tulit.
Decertantque duæ non parvi nominis urbes,
Quælibet artificem vendicat usque sibi.
Annalesque tuos quidam Germania torquent:
Bullatis nugas hac quoque parte vomunt.
Sed ne te fallat mendacis opinio vulgi,
Illius referam, quæ sit origo rei.
Clarus Joannes en Gudenbergius hic est,
Aquo ceu vivo flumine manat opus.
Hic est Aonidum custos fidissimus, hic est
Qui referat latices, quos pede fodit equus.

Subdit deinde post aliquot versus occasionem inventionis, quæ digna videtur, ut etiam memoretur.

Stemmate præstabat, vicit virtute sed illud:
Dicitur hinc veræ nobilitatis eques.
Annulus in digitis erat illi occasio prima,
Palladium ut cœlo sollicitaret opus.
Illum tentabat molli committere ceræ,
Redderet ut nomen litera sculpta suum.
Respicit Archetypos auri vestigia lustrans,
Et secum tacitus talia verba refert.
Quàm bellè pandit certas hæc orbita voces
Monstrat & exactis apta reperta libris.
Quid si nunc justos æris ratione redacta
Tentarem libros cudere mille modis?
Robora prospexit, dehinc torcularia Bacchi
Et dixit prœli forma sit ista novi &c.

Neque hic videtur reticendum, quod de *Christophoro Plantino* Architypographo regio *Antverpiæ* dicunt, cujus scilicet industriâ & studio infinita opera tam vetera, quàm nova magno rei literariæ bono in publicum prodierunt. In cujus Typographeo duodecim prælis constante ultera centum linguæ diversæ potuerunt imprimi, quod

quod ideò Octavum Mundi Miraculum *Hubertus Goltzius* vocare solitus est. Hujus videndi gratiâ *Isabella* Hispaniæ Infans Anno Christi 1631. *Mariam Mediceam* Galliæ Reginam *Antverpiam* deduxit, quo tempore *Balthasar Moretus Christophori Plantini* ex filiâ nepos vir eruditus Typographiæ præfuit.

Ars incisoria in ære. 22. Artem incisoriam, quâ in ære vel ligno formæ quæcunque sivè imagines scalpello vel cultello inciduntur; & deindè coloribus expressæ in chartam transmittuntur, primus invenisse traditur *Albertus Dürerus* præstantissimus sui temporis pictor *Norimbergæ*, quamvis eandem prius inventam, illum duntaxat perfecisse velint. Sicut hæc ipsa ars per insignes nostri temporis Artifices multò jam amplius evecta est.

Machinamentorum ars. 23. *Eudoxus Gnidius & Archytas Tarentinus* Pythagoreus ejus præceptor primi Geometriam variis cælaturis exornantes machinamentorum artem inchoavêre, ipsiusque Geometriæ rationes, difficilesque demonstrationes per sensum & instrumentorum exempla edidêre. *Archytam* autem primùm mechanica mechanicis exposuisse principiis tradit *Laertius lib.* 8. cujus ingenii fuit specimen lignea columba certâ ratione compacta, quæ aërem semel sortita perpetuo volatu per ipsum inane spiritu intus concluso agebatur, nisi solidum aliquod offendisset corpus. Simile artificium exhibuit *Regiomantanus* in Aquilâ, quæ *Carolo V.* Cæsari *Norimbergam* adventanti obviam extra Urbis portam volavit, revolavitque cum Eodem urbem ingrediente. Vide *Schottum Mag. Natur. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. *Mach.* 5.

Machinæ tractoriæ veterum 24. Famosæ sunt machinæ plures Veterum, quibus immania pondera terrâ & aquâ vehi aut trahi valuerunt, nempè *Scytala Aristotelis*, *Machinæ Ctesiphontis & Methaginis*, *Cheminin* Ægyptii, *Pappi* Alexandrini, *Satyri*, Architecti Trochlea cum tignis & succula, Polyspastus Ægyptius, aliæque permultæ: quibus etiam accensenda videtur Machinula *Kircheri* ex pluribus complicata, quâ minimo digito talenti pondus elevari potest.

Machinæ pneumaticæ. 25. Præclarum, ingeniosum & mirabile machinamentum, hoc est, machinam pneumaticam hoc nostro sæculo ad aëris naturam & ejusdem proprietates indagandas excogitavit D. *Otto Gericke* Magdeburgensis Reipubl. Patritius & Consul. Ampliùs verò perfecit *D. Robertus Boyle* illustris Angliæ Eques, & plura inde experimenta physico-mechanica de vi aëris elasticâ & ejusdem effectibus deduxit.

Experimentum Torricellanum. 26. Experimentum hydrargyri, sivè argenti vivi intra vitream fistulam perpendiculariter supra hydrargyrum erectam suspensi ad certam aliquam altitudinem pro Horizontis aut aëris ratione non multis abhinc annis in Italia detexit *Evangelista Torricellius* insignis *Hetruriæ* Ducis Mathematicus. Unde Communiter etiam *Experimentum Torricellanum* vocari solet.

27. Thermometra hoc nostro sæculo ab insigni Batavo *D. Drebbelio* inventa sunt: sicut & Barometra à *D. Christiano Hugenio* primùm reperta Anno 1672. Thermometra.

28. Hydraulicas machinas primus invenit *Ctesibius* Alexandrinus Tonsoris filius, ut testatur *Vitruvius lib.* 9. Horologium etiam ex aquâ primus reperit, ut refert *Polydorus lib.* 2. *de rer. invent. cap.* 5. Machinæ Hydraulicæ.

29. Quadrigas *Erichtonio vel Tregillo* attribuit *Ælianus lib.* 3. *var. Hist.* Vehiculum cum quatuor rotis *Phryges* invenisse dicuntur. *Belgæ* verò esseda vehicula, ut etiam Virgilius memorat *lib.* 3. *Æneidos.* Quadrigæ

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

30. *Thucydides ac Libanius declamat quadam* testantur *Orinthios* omnium primos concinnâsse naves: iidem etiam inter Græcos primi triremes compegisse memorantur; quando & navium fabricator, quem *Naupegum* vocant *Aminocles* patria Corinthius Samiis naves fertur construxisse numero quatuor, ut *Cælius* refert *A. L. lib.* 21. *cap.* 31. Naves.

31. Artem navigandi homines à piscibus & avibus primùm didicisse memorat *Plinius lib.* 10. *cap.* 10. Eum verò, qui primus illam adhibuit & mari se commisit, ut nimium vitæ prodigum & petulanter audacem declamant Poetæ, inter quos comprimis *Seneca Med. Act.* 2. sic canit. Ars navigandi.

Audax nimium qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns
Animum levibus credidit auris,
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenero fidere ligno
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.

Non absimilis eâdem de re fuit sensus *Claudiano*, qui *in præfat. de raptu Proserp.* ita canit:

Inventa secuit primus qui nave profundum
Et rudibus remis sollicitavit aquas:
Qui dubiis ausus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias
Tranquillis primum trepidus se credidit undis
Littora securo tramite summa legens.
Mox longos tentare sinus & linquere terras
Et leni cœpit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim præceps audacia crevit
Cordaque languentem dedidicêre metum.
Jam vagus irrupit pelago, cœlumque securus
Ægeas hyemes, Joniumque domat.

32. Tu-

Æris & ferri primi opifices 32. *Tubalcain* Filius *Lamech* & Nepos *Cain* omnis ærarii & ferrarii opificii primus fuit Fabricator, ut constat *Gen.* 4. *Dactyli Idæi* verò etiam ferrum primum excudere adorti perhibentur *Cybele* monstrante. Sunt idcircò, qui dicant Idæos Dactylos appellari corybantes sub *Idæ* montis radice habitantes. Opinio quoque *Sophoclis* fuit, quinque primos viros fuisse, qui ferrum excogitantes primùm fabricavêre, aliaque permulta mortalium usui necessaria: eorum quinque etiam extitisse sorores; ab eo verò numero Dactylos, id est digitos nuncupatos. Unde etiam antiqui versus isti enarrante *Apollonio ex Phoronide* profluxerunt.

- - - - - - illic habitabant
Montigenæ Phryges Idæi gens arte celebris
Celmis, Damnamenusque ingens, Acmanq; superbus
Montanæ ducti cultores Adrasteæ.
A quibus ars Vulcania primis esse reperta.
Dicitur & nigrum nemoroso in monte repertum
In varios usus monstravit cudere ferrum,
Impositumque igni miro splendescere cultu.

Ferruminatio. 33. Ferri glutinum, sivè ferruminationem *Samius Claucus* primùm excogitâsse fertur; enato etiam hinc adagio de iis, quæ facilè perficiuntur, ut Clauci arte perfecta dicantur, ut refert *Cælius A. L. libro sexto cap. 6.*

Ferri temperies. 34. Temperiem ferri *Delæ* Judæo attribuit *Clemens*, quem *Hesiodus* & Scytham fuisse scribit; ut etiam memorat *Polydorus lib. 2. de rer. invent. cap. 19.*

Ferreæ Soleæ. 35. Inductio solearum ferrearum equinis pedibus per *Lascum* Polonum, primùm facta perhibetur juxta quosdam ad Annum Christi 799. *Polydorus* tamen Pelentheonios primos equorum ungulas ferreis soleis munire cœpisse scribit.

Pecuniæ cusio. 36. Lydos primos nummum aureum & argenteum cudisse ad utendum scribit *Herodotus lib. 1. Hermodicem* verò *Midæ* Phrygum Regis uxorem sapientia & artifici ingenio præstantem Cumæis primam cudisse nummos tradit *Cælius A. L. lib. 21. cap.* 48.

37. *M. Tullius*, & plerique alii Scriptores antiqui æs Corinthium casu mixtum indicant *Corintho*, cum caperetur, incensa. perustis namque incendio plurimis statuis atque simulacris æris, argenti, aurique venæ invicem confluxerunt & mixturam illam confecerunt. *Cadmum* autem primùm metalla & eorum conflaturam reperisse antiqui tradunt Authores.

Aurum tonans. 38. Ars auri tonantis casu obvenit, dum fulmen casuale extracti ab auro spiritûs magna alembicorum chymicorum strage contigit.

Aurichalcum. 39. Aurichalcum factitium excogitatum fuit priori sæculo, uti & aquæ fortes æris ab auro vel argento separationi inservientes, nec non & cupella, vasculum scilicet ex osse bubulo ad auri & argenti expurgationem.

40. *Ephorus Anacharsis* Scythæ inventa profert exsuscitatores ignis folles, bicipitem anchoram & rotam figularem, ut refert *Strabo lib. 7. Dædalum* vero pleraque fabrilis artis instrumenta excogitâsse dicunt; ut serram, asciam, perpendiculum, terebram; glutinum etiam primum adhibuisse & ichtiocollam.

Mensuræ & pondera. 41. Mensuras & pondera primus invenisse dicitur *Cain Adami* filius referente *Josepho lib. 1. Antiq. Laertius* verò *lib. 9. ex Aristomeno* recenset *Pythagoram* primum Græcis adinvenisse.

42. Arborum collisione ignem excitari posse, pastores primum observâsse tradit *Vitruvius lib.* 2.

Magnetis inventio. 43. Magnetem lapidem, quem alii Sideritin, alii Heracleon alii Herculeum etiam lapidem vocant, *Magnes* primum reperisse dicitur in *Ida*, ut Author est *Nicander*: invenisse autem fertur clavis crepidarum & baculi cuspidi adhærentem, cum armenta pasceret, uti refert *Plinius lib. 36. cap. 16.*

44. Marmori aliisque lapidibus intimè colores metallicos inducendi & sic quasvis imagines imprimendi artem ostendit primus *Romæ* Eques *Vannius*, ut scribit *Kircherus in Mund. subterran. lib.* 8. *sect.* 1. *cap.* 9.

Inunctio Hydrargyri. 45. *Jacobus* Karpensis usum inunctionis hydrargyri invenit, Unde teste *Fallopio* 40000. aureorum præter cælatam argenteam materiam collectam *Alfonso II.* Ferrariæ Duci ex testamento reliquit.

Vitrum 46. *Sidon* Urbs Phœniciæ, inquit *Plinius lib. 5. cap. 19.* vitri inventione clara. *Idem* tamen *lib. 36. cap. 25.* vitri originem ex *Belo* amne haud procul *Ptolemaide*, sein mare exonerante sic deducit. *Fama est*, inquit, *appulsâ nave mercatorum nitri, cum sparsi per littus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri è mari subdidisse, quibus accensis permista arena littoris translucentes nobilis liquoris fluxisse rivos & hanc fuisse originem vitri.* Vitrum malleabile quoque sub *Tiberio* Cæsare à quodam artifice inventum scribit *Plinius & Isidorus*: prœmium verò inventionis mors fuisse perhibetur, ne dum hoc cognitum fieret, aurum pro luto haberetur, omniumque metallorum pretia detraherentur, sicut scribit *Isidorus lib. 16. cap.* 15.

Ignis marinus. 47. *Balinicus* Architectus ab *Heliopoli* Syriæ ad Romanos fugiens ignem, quem marinum vocant, invenit, quo usi Romani naves Saracenorum exusserunt. Nostra quoque ætate hoc ipso durante contra Turcas bello ignis mixtura à quodam Franciscano inventa est, quæ nullâ ratione extinguibilis, omnia deflagratione devastare consuevit.

Pyrii pulveris inventio. 48. Pyrii pulveris inventio attribuitur *Bertholdo Schwartz* Germano Goslarienſi Monacho Ord. S. *Benedicti*, & Alchymiſtæ Anno 1354. vel ut alii volunt 1380., qui tamen non tam humana induſtria, quàm caſu ab ipſo inventus ſcribitur ex mixturâ nempe ſulphuris, nitri, & carbonis fortuitò accenſi cum ſecuto ingenti ſtrepitu & violentia manifeſtatus.

Bombardæ. 49. *Auguſta* Vindelicorum inter Germaniæ urbes bombardis uſa ſcribitur à *Stumphio lib. 13. Helvetiæ*. *Egnatius* verò Venetos primos ex Italis arte à Germanis acceptâ contra Genuenſes Clodienſi bello tormentis uſos refert.

50. Admirabilis eſt cuniculorum ratio: hujus tam atrocis inventi *Card.* teſte *de var.* Author fuit *Franciſcus Georgius* Senenſis.

Bombæ Carcaſſi 51. Inter recentia inventa numerantur globi majores ferrei pulvere pyrio farti, quos nunc communiter *Bombas & Carcaſſos* vocant. His primũ uſus fuit *Bernardus de Gall* Epiſcopus Monaſterienſis, dum non ita pridẽ *Monaſterium* Weſtphaliæ Urbem expugnaret & ſuo dominio pleneſubmitteret.

52 *Pan* inter *Bacchi* duces non poſtremus primus cornua in acie *Polynæo* teſte reperiſſe fertur; hinc *Cornutus* etiam à Poetis fingitur.

53. Ordinem Exercitûs, ſigni dationem, teſſeras & vigilias invenit *Palamedes Nauplii* filius in Trojano bello, ut *Plinius l. 7. cap. 56.* refert. Inducias reperit *Lycaon*; fœdera *Theſe'*; claſſe prim' depugnavit *Minos*

Equites deſultorii. 54. Equites quidam ab *Alexandro* inſtituti ſunt memorante *Cælio lib. 11. A. L. cap. 51.* quos à duplici pugnæ genere appellabant *Dimachas*: & hi quidem ex equo pugnabant peritiſſimi: ubi verò exigeret neceſſitas & foret regio equitatui inepta, mox deſilientes ex equis, congrediebantur ut pedites. Quocirca & nunc etiam *Deſultorii* Equites vocari ſolent.

55. Arietem machinam oppugnatoriam inventum Carthaginenſium fuiſſe ſcribit *Tertullianus. Vitruvius* verò notat in oppugnatione *Gadium* repertum.

Tympana ænea. 56. Tympana ænea, ſivè ahenos cavos pellibus obductos utrinque ab equo, cui tympaniſta inſidet, pendentes in triumphis publicis & ſolemnibus Magnatum pompis pulſandi ritus à Germanis deſcendiſſe perhibetur.

Ludorum inventio. 57. *Lydi* inventores ludorum aſſeruntur ab *Herodoto lib. 1.* Teſſerarum & talorum Inventor dicitur *Palamedes* teſte *Pauſania in Phocicis. Oricadmus* luctæ & pugillationis fuit Legiſlator, ſuâque induſtriâ Siculum morem pugillandi, ut vocant, excogitavit, ut tradit *Ælianus lib. 11. var. Hiſt.* Palæſtram *Pollux* invenit, ut idem memorat *Ælianus lib. 5.*

Ars piſtoria. 58. *Pilumnus Fauni* filius, *Pirumni* frater rationem invenit pinſendi frumenti, propter quod à Piſtoribus colebatur. *Annus* verò quidam Ægyptius clibanorum uſum, quibus panes coquerentur, excogitâſſe fertur; ſiquidem priſci pulte, polentâq; victitabant, cocti panis uſum neſcientes.

Cribrorum genera. 59. Cribrorum genera teſte *Plinio lib. 18.* è ſetis equorum Gallia invenit. Hiſpania ex lino excuſſoria ad excutiendam farinam & pollinaria ad purgandum pollinem, id eſt, craſſiuſculum pulverem: Ægyptus verò ex papyro, juncoq;, poſtea ex pellibus ſuillis Italia ita *Polydorus*.

60. Sutoriæ artis inventionem cuidam *Boethio* tribuit *Plinius*: verùm Hebræos jam calceatos inceſſiſſe, itaq; Sutores jam habuiſſe probant ſacræ literæ: cum *Exodi cap. 3. Moyſen* calceatum fuiſſe memorent. Sutoria ars

61. Uſum lanificii *Juſtinus lib. 2.* Athenienſes primos docuiſſe tradit; quod alii tamen *Minervæ* potius attribuunt: ſiquidem illa erat, antequam *Athenæ* conditæ forent: & quoniam lanificium callebat, credibile eſt eam primo Lanificium monſtraſſe *Polydorus de rerum invent.* Lanificium

62. Sericum fœminarum virorumque luxuriæ uberrimum alimentum *Seres* Scytharum populos, à quibus nomen habet, primùm inveniſſe ſcribit *Plinius lib. 6.* Serici ex bombycum ovis conficiendi rationem Europæ innotuiſſe per Monachos ex Indiâ appulſos circa annum 557. tradit *Theoph. Raynaud. in Chron.* Bombycinas verò veſtes captivatis Græcis opificibus orbi occiduo innotuiſſe agente *Roderico* Siculo ibidem notat in ſæculo XII. Sericiorigo.

63. Lanas infecerunt primùm Sardibus *Lydi*, inquit *Plinius*, purpuram verò hoc modo inventam ex *Polluce* refert *Polydorus lib. 3. de rerum invent. cap. 6.* Tyrii ferunt captum amore *Herculem* Tyrium cujusdam Nymphæ indigenæ, cui nomen *Tyros* quem ſequebatur canis, quæ irreptantem ſcopulis purpuram conſpicatus, pereſâ carunculâ ſuâ ſibi labra cruore puniceo infecit. Cum igitur ad puellam adiiſſet Hercules delectata illâ inſuetâ tinctura, affirmavit illam ſe poſthac non admiſſurum niſi ad ſe veſtem afferret canis illius labris ſplendidiorem. Quocirca *Hercules* inventa animante, collectoque ſanguine munus puellæ detulit primus, ut Syrii dictitant, puniceæ infecturæ author. *Suidas Phœnici* Regi obtuliſſe, eumque primùm purpuram geſtâſſe ſcribit. Purpuræ color.

64. Babylonii omnium primi diverſos colores intexuerunt, unde & *Plautus* Babylonica vocat peripetaſmata; & *Joſephus* aulæum Babylonicum. *Martialis* quoque *lib. 8.* concinit. Diverſorũ colorum intextura.

Non ego prætulerim Babylonica picta ſuperbè
Texta Semiramiâ, quæ variantur acu.

65. A Mechanicis ad nobiliores artes intellectuales revertimur. Geometriam ab *Abrahamo* Ægyptiis demonſtratam ſcribit *Joſephus lib. 1. Antiq.* Etſi eam *Herodotus lib. 1. Diodorus lib. 2. Strabo lib. 17.* in Ægypto ortam, nec aliundè illatam arbitrentur. *Sabellicus* etiam *lib. 1. Enn. 1.* memorat ex annuâ *Nili* alluvione agrorum fines turbante ejus terræ accolas dimetiendi artem inveniſſe. Geometria

66. Tabulas Geographicas tradit *Eraſtodines Anaximandrum Thaletis* familiarem, vel ut *Strabo* ait, ejus diſcipulum, & *Hecatæum* Mileſios primum conſtruxiſſe: illum quidem prius de ſitu orbis deſcriptam ediſiſſe tabulam, Hecatæum verò codicem reliquiſſe. *Laertius* etiam teſtatur *l. 2. Anaximandrum* primum terræ mariſq; circuitus deſcripſiſſe. Tabulæ Geographicæ.

67. Chri-

Novus Orbis.

67. *Christophorus Columbus* aliàs & *Colonus* vocatus, natione Genuensis despectis *Herculis* columnis per Oceanum, quem Atlanticum vocamus, ad Antipodes feliciter primus navigavit, Ubi & Novum orbem, terras alias & stellas novas, quas nunquam Hispania vidit, omnium mortalium primus invenit.

America.

68. *Americus Vespitius* excellens Astronomus & Cosmographus, artisque navigandi plurimum peritus januâ per *Christophorum Columbum* patefacta in novum orbem navigationem suscepit, & noviter à se inventæ orbis terraquei parti *Americæ* nomen à suo nomine imposuit.

69. Sideralis scientiæ inventum ad *Zoroastrem* Bactrianorum Regem *Diodorus*, *Herodotus* & *Strabo* referunt: *Sabellicus* verò *lib.* 1. *Enn.* 1. tradit ante diluvii tempora *Sethi Adami* Protoplasti nepotes in duabus columnis astrorum scientiam descripsisse, ac deinceps per *Noemum*, qui illi longo ordine successerunt, ejus cognitionem propagâsse.

Astrologia.

70. Babylonios non tantùm curam in contemplatione siderum collocâsse, sed & omnium primos Astrologiam invenisse; ab his verò Græcos polum, gnomonem, & duodecim diei horas didicisse *Diodorus Siculus* recenset.

Gnomonica.

71. Umbrarum rationem, & quam vocant Gnomonicen, invenit *Anaximenes Milesius Anaximandri* discipulus, primusque horologium, quod vocant Sciatericon *Lacedæmone* ostendit, ut refert *Plinius lib.2.c.76.*

Anni divisio.

Palamedes Nauplii & *Clymenis* filius Annum, mensesque ad cursum solis apud Græcos primus accommodavit, ut tradit *Philostratus in Heroicis.*

Stellarum numerus.

73. *Hipparchus Nicæus* primus stellas numeravit, organaque excogitavit, per quæ singularum loca & magnitudines deprehenderentur. *Plinius lib.2.cap.12.* & *25.* item *Sabellicus lib.10.cap.8.*

Instrumenta Astronomica.

74. *Avicenna* Astronomiæ per decem annos cum *Sorzano* discipulo operam dedit, & instrumenta plurima cæteris ignota suis paravit manibus; ut *Sorzanus in ejus vitâ* testatur. Nostro quoque Sæculo *Joannes Hevelius* Gedanus magnis impensis insignia planè paravit organa pro cœlestium corporum observationibus, quæ funesto denuò incendio periêrunt.

Telescopium.

75. Telescopii, quo æquè cœlestia & terrestria corpora longissimè dissita acutius conspici & distingui possunt, inventionem nonnulli *Zachariæ Joannidi* Middelburgensi Zelando attribuunt circa Anuum Chr. 1590. alii Batavo cuidam *Joanni Lipersein* circa Annum 1609. Binoculum vero Telescopium, quod ambos recipit oculos ad longius prospectandum primus invenit *Antonius Maria Schyrlæus de Rheita Capucinus.*

Comites Jovis observati.

76. *Galilæus Galilei* Mathematicus Florentinus, cùm ex Flandria per literas intellexisset, quod Opticus quidam *Mauritio* Principi *Auriaco* perspicillum obtulisset, quod res longè dissitas, tanquam proximè constitutas oculis repræsentaret: tale etiam mox proprio Marte fabricavit, quo præter alias stellas novas quatuor Planetas sivè Comites Jovis detexit, quibus Mediceorum nomen imposuit. Eodem etiam Solis & Lunæ maculas artificiosè detexit.

77. Stellæ Veneris vagam naturam, Solisque & Lunæ æmulam *Pythagoras* Samius primus deprehendit *Plinio teste lib.2. cap.8.* *Parmenides* verò *Eleates Xenophanis* auditor primus animadvertisse fertur Eandem esse Vesperum & Luciferum, ut *Phavorinus* testatur: quamvis alii hoc etiam *Pythagoræ* attribuant *Laertio teste lib.2.* — Veneris observatio

78. Annulum circa Saturnum tubis suis astronomicis primus detexit *Christianus Hugenius.* Tres verò circa Eundem Satellites observavit *Cassinus* Christianissimi Regis Galliæ Astronomus. — Saturni observatio

79. Solis maculæ & faculæ detectæ ope telescopii primùm fuerunt à P. *Christophoro Scheinero* S. I. Ingolstadii Anno 1611. — Solis maculæ & faculæ.

80. Defectum Lunæ *Anaxagoram* primum observâsse & aliis monstrâsse *Plutarchus* notat *in vitâ Niciæ.* *Atreus* verò Solis Eclipsin primus observasse dicitur. *Plinius* vero *lib.2.cap.12.* *Sulpitium* Gallum Romani generis primum Eclipseos rationem in vulgus extulisse scribit. — Eclipses.

81. *Sabinianum* summum Pontificem *Phoca* imperatore horas diei tintinnabulorum sono primùm distinxisse tradit *Volaterranus lib.22.*

82. *Boëtius Severinus* primus horologia automata, quibus hodie utimur, antiquis ignota, libratis scilicet ponderibus acta *Romæ* componi curavit. — Horologia automata.

83. *Jacobus Donbus* Patavinus Medicus (qui à medicamentorum collectione *Aggregator* dictus est) invenit admirandum horologii opificium, quo non modò horæ diei ac noctis, sed & annos Solis cursus per duodecim Zodiaci signa, & Lunæ menstruæ aspectus singulis diebus sicuti in cœlo cernitur, præter alia plura videri potuerunt. Hic quoque ob tam præclarum inventum antiquato priore cognomine *Jacobus ab Horologio* deinceps est appellatus, & tota ejus familia postmodum *Patavii* honoribus & divitiis claruit. *Bern. Scard. lib.2. class.9. Hist. Patav.* Verùm tam curiosa & admiranda horologiorum artificia à præclaris artificibus sunt inventa ut operosum nimis foret singula recensere. — Admirandum Horologii opificium.

84. Anemoscopium, quo locus Horizontis, undè venti exurgunt, facilè adverti poterat, primus Athenis paravit *Andronicus Cyrrhestes*: construxit enim turrim, teste *Vitruvio*, & in singulis ejus lateribus imagines ventorum exsculpsit contrà cujusque flatum, supraque metam marmoream posuit, ac in eâ Tritonem æreum dextrâ virgam porrigentem, quem ità fabricatus est, ut vento circumageretur, staretque semper contra venti flatum, virgâ interim ad ejus venti imaginem versâ. — Anemoscopium

85. Apud Etruscos augurii primùm sivè aruspicii disciplinam claruisse, ejusque inventorem extitisse fertur *Tagem*: quam posteà Romani ab eisdem susceperunt. *Sidon in 2. paneg.* — Augurii disciplina.

Quid

Quid rogo bis seno mihi vulture Thuscus Aruspex Portendit?

Polygraphia. 86. Polygraphiam novam universalem excogitavit *Athanasius Kircherus*, qua triplici methodo quivis etiam linguarum ignarus solius vernaculæ fultus beneficio cum omnibus populis & nationibus reciproco literarum commercio communicare potest. Dein alio quoque modo priori opposito, quo quivis etiam linguarum imperitus quolibet linguarum genere literas conscribere & animi sui arcana alteri artificium callenti manifestare potest.

Arithmetica Logorithmica. 87. Arithmeticam novam per logorithmos numerorum à se excogitatos primus reperit *D. Joannes Neperus* Baro Merchistonii.

88. Theriacam ab *Andromacho* Cretensi in primo Christi nati Sæculo fuisse inventam memorat *Theoph. Raynaud. in Chron.*

Ars memoriæ. 89. *Simonides Ceus* Medicus artem memoriæ primus invenit, eamque consummavit *Metrodorus* teste *Plinio lib.7. cap.24.*

Stapes in auditûs organo. 90. *Joannes Philippus Ingrassias* Siculus Rachelburensis ingenii subtilitate & doctrinæ feracitate nemini secundus Medicinæ Professor *Neapoli* auditûs instrumentum, quod Stapedem aut à forma ἀναβολεὺς appellant, primus invenit & scriptis celebravit teste *Gabr. Fallopio.*

Origo nervorum opticorum. 91. *Constantinus Varolius* Chirurgiæ Professor *Bononiæ* primus nervorum opticorum originem ex Spinalis medullæ principio contrà communem priorum Medicorum opinionem detexit, & ideo ab *Hieronymo Mercuriali* & *Dominico Leone* Medicis clarissimis in eorum scriptis laudatus est.

Membrorum abscissorum restitutio. 92. *D. Gaspar Tagliacotius* Philosophiæ & Medicinæ Doctor atque etiam Chirurgus singularis ingenii sui subtilitate modum invenit, nasum, labia, & aures abscissas restituendi; ideoque librum insignem edidit de Curtorum chirurgia per insitionem.

Toracis ductus lacteus & vasa lymphatica. 93. A Clarissimo *Thoma Bartholino* celeberrimo Medico & Anatomico ejusque Professore *Hafniæ* varia inventa fuêre Anatomicis anteà invisa & incognita: uti sunt comprimis Lacteus Thoracis ductus in homine, & vasa lymphatica, quæ ipsi & nomen debent ac publicam famam. Verùm quis omnia recenseat, quæ à præstantissimis Anatomicis Antiquitati penitùs incognita hactenus reperta sunt.

Herbæ inventæ. 94. Ex Antiquis nonnulli quasdam herbas invenisse dicuntur: Unde ab iis etiam nomen fortitæ sunt. Sic *Mercurius* Moly herbam reperisse dicitur: *Hercules* Heraclion herbam; *Teucer* Teucrion; *Gentius* Rex Gentianam; *Lysimachus* Lysimachiam; *Juba* Rex Euphorbiam; *Scythæ* Scythicen; *Thraces* Ischemonem; *Verones* Veronicam; *Servilius Democrates* Hiberidem; Hirundines Chelidoniam; Canes Canariam; Circnæ Elaphoboscon; Sardonia Peucedanum, herbas; *Chiron* artem herbariam.

Clysterum inventio. 95. Enemata sivè Clysteres primùm Ægyptii applicare didicerunt ab ibide ave eisdem familiari: Hæc enim cùm sit avis ciconiæ persimilis naturâ calidissima & sæpenumerò obstructionem alivi patiatur, rostro suo adunco aquam marinam per podicem in intestina injicere & ita intestina lubrica, ut excrementa excerni possint, reddere solet. Quod Ægyptii advertentes usum Clysterum didicerunt.

96. *Rhadamantus* primus leges tulisse dicitur. *Olympius* legem tibialem; *Artaverres Longimanus* legem Venationis constituit. Quos secuti alii Dominatores alias præscripsêre leges. *Darius* primùm tributa exegit. Primordia feudorum in Francia sub *Carolo Simplici* Anno Christi 900. in Germania vero sub *Conrado Imp.* cœperunt. Leges positæ.

97. Simulacra *Cecrops* invenisse dicitur; *Pegasus* Tuguria; *Lycaon* Lycæa; *Teuth* numeros & geometricam supputationem.

98. *Pollux* primùm palæstram instituit: quò allusit *Statius lib.2. sylv.* Palæstra.

Sivè catenatis curvatus membra palæstris
Staret Amyclæa conceptum matre putares.

99. Apum & mellis usum Rex Arcadiæ *Aristæus* primùm invenit. Unde *Virgil. lib.4. Georg.* Apum & mellis usus.

Tempus & Arcadii memoranda inventa Magistri
Pandere, quoque modo cæsis jam sæpe juvencis
Insincerus apes tulerit cruor


Ovidius verò mellis inventum *Baccho* attribuit *lib.3. fastor.*

Liba Deo fiunt, succis quia dulcibus idem
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

100. *Mizota* sive *Caustus* primus modum Salis conficiendi ostendisse traditur circa Annum Mundi 2700. Salis confectio.

101. His denique subjicimus inventionem novæ machinæ pyrotechnicæ terribilis recenter hoc nostro tempore ab Anglis excogitatæ, qua parvo temporis spatio urbes maritimæ aliàs ferè inexpugnabiles ignis tamen violentia in cineres redigi, & funditus penè deleri possunt. Advehitur illa navium adminiculo, ac ad certam distantiam admovetur exurendis urbibus. Incensa verò adeò terrificum evomit ignem, ut ab horrendis, quos causat effectibus non immeritò infernalis dici meruerit: quascunque etiam domos & ædificia ignis amplexu non exurit, adeò tetro tamen, & noxio inficit fœtore, ut obejus intolerantiam habitari minimè permittat. Vide figuram appositam. Machina ignaria Anglicana.

A. Est vas æneum.
B. Arena ad machinam in æquilibrio sustinendam.
C. Primus pons cum 2000. vasibus seu doliis pyreo pluvere repletis.
D. Secundus pons cum 600. bombis & aliis artificialibus ignibus.
E. Tertius pons cum 60. magnis doliis circulis ferreis munitis, & ignibus artificialibus repletis.
F. 200. tormenta bellica diversi generis, quæ omnia ferreis catenis colligata sunt, ac ad summum usque pyreo


Machina igniaria Anglicana.
M
M
G
I
F
F
A
A
K
K
G
K
K
H
H
K
K
K
K
H
H
A
A
K
K
C
C
G
K
K
H
H
B
A
L
L

pyreo pulvere aliisque excussoriis materiis onerata.
G. Canalis æneus, per quem ignis ducitur ad accendendas materias præparatas.
H. Pyreus pulvis.
I. Principium Machinæ.
K. Muri ad duos pedes lati.
L. Naves, quæ machinam sustentat.
M. Vela, quæ machinam adducunt.

CAPUT XIII.

De Animâ Volente seu Voluntate humana.

PRæter Intellectum humanum altera adhuc inest Animæ Facultas, quæ ab omnibus dicitur Voluntas. Quemadmodum verò Intellectus nihil est aliud ex Recentiorum doctrinâ, quàm Anima cognoscens sivè Intelligens; ita voluntas aliud esse non censetur, quàm Anima volens ut reverà, Intellectus & voluntas in Animâ non aliâ quàm modorum quadam ratione distinguantur. Nonnulli idcircò duas quidem Animæ facultates agnoscunt, at non naturâ, sed officiis solùm distinctas: Intellectus equidem, ut ajunt, rebus cognoscendis; Voluntas verò agendis destinatur. Quocircà benè *Du Hamel lib. 4. de mente hum. cap. 1.* Intellectum velut Animæ statuit Oculum, qui Veritatis luce illustratus ostendit, quid fugere nos, quid sequi oporteat: Voluntas autem rationem sibi prælucentem subsequitur & cæteras Animæ vires ad agendum applicat. *Ille*, inquit, *rerum formas ad se rapit, hæc objecti bonitate succensa quasi extra se prosilit, ut fine & perfectione suâ fruatur. Hinc veritas ad Intellectum, Bonitas ad Voluntatem pertinet. Ille spectat, circumspicit, explorat; hæc negotium agit & subjectas sibi potentias movet, quò illud bonum, cujus amore flagrat, assequi possit.* Duæ igitur facultates Animæ sunt Intellectus & Voluntas, ab ipsa tamen Animâ indistinctæ. Idem ergo principium quatenus cognoscit, dicitur Intellectus: quatenus eligit bonum, & quid vult, dicitur Voluntas. Verùm de hac speciatim nunc quædam proferamus Theoremata.

De Voluntate humanâ quædam Theoremata.

Voluntas quid sit. 1. Voluntas humana est altera facultas Animæ, vel potiùs est ipsa Anima hominis, quatenus res intellectas liberè amplectitur aut rejicit. Aliis dicitur facultas appetendi vel aversandi, prout unumquodque judicio intellectûs bonum vel malum pronuntiatum fuerit: vel est illa vis animæ, per quam homo objectum ab intellectu cognitum & dijudicatum appetit vel respuit. A nonnemine haud inscitè etiam dicitur Intellectus promotus sive extensus ad habendum, vel faciendum quod cognoscit.

Objectum Voluntatis est Bonum. 2. Objectum voluntatis est Bonum, sicut Intellectûs objectum est Verum. Unde Bonitas ad voluntatem pertinet, uti Veritas ad Intellectum. Sicut itaque Actus intellectûs per modum cujusdam expressionis se habet, ac respicit objectum in ratione veri saltem apparentis; nec enim fieri potest, ut intellectus adhæreat directè falso: ita Voluntatis actus se habet per modum cujusdam motûs vel quietis circa objectum, quod directè respicit sub ratione Boni saltem apparentis. Quocircà omne Volitivum, est & cognitivum.

3. Sicut porrò Intellectui objectum per sensum, ità Voluntati per intellectum proponitur objectum. Et sicut voluntas nihil sensibus imperat, vel appetitum jubet nisi adhibitâ intellectûs opera: Sic ejusdem operâ sensus voluntatem ferit, afficit, solicitat &c. Intellectus idcircò sensum inter & voluntatem quasi utriusque fibula, ut ait *Fabri de Anima lib. 7. prop 66.* Seu communis interpres intercedere censetur. Hinc etiam omne intellectivum est volitivum, quia cùm intelligens cognoscat Bonum, illud sanè etiam appetere potest. Objectum Voluntati per intellectum proponitur.

4. Quamvis Voluntas quoad ordinem agendi posterior sit intellectu, ut ex dictis advertitur; tamen quoad objectum nempè Bonum, atque adeò quoad naturæ intentionem Voluntas non cedit Intellectui, sicut Bonum non cedit Vero, sed æquè dignum est Bonum & Verum. Voluntas ratione objecti non cedit Intellectui.

5. Bonum, quod est objectum Voluntatis est Bonum Universale: quia omne bonum appetit voluntas, quod illi ab intellectu proponitur. Inde fit, ut sicut Intellectus nullâ veritate nisi infinitâ expleatur; ita Voluntas nullo Bono nisi infinito, quia in tali omne bonum continetur, & extra illud nihil superest appetendum. Objectum Voluntatis est Bonum Universale.

6. Bonitas & essentia convertuntur, sicut Bonum & Ens: Unde omne Ens est Bonum, & omne Bonum est Ens. Ex quo sequitur, quod illud, quod essentiam non habet, id etiam bonitatem non habeat, ac per consequens à Voluntate appeti non possit. Bonitas & Essentia convertuntur.

7. Objectum primum Voluntatis est ipsa prima Bonitas, nempè Deus; nam sicut Deus est prima Veritas, cum sit propriè prima essentia: ita est etiam prima Bonitas, atque adeò primum & summum objectum Voluntatis: Et sicut Deus ut prima Veritas est maximè intelligibilis; ita pariter Deus, ut prima Bonitas est maximè & summè, ut ità loquar, volibilis, sivè maximè omnium appetendus. Prima Bonitas est Deus.

8. Quia primum & summum intelligibile maximè perficit intellectum: ita primum & summè volibile, sivè appetibile maximè perficit voluntatem. Undè sequitur, quod sicuti in cognitione Dei consistit summa perfectio intellectûs humani, ita quoque Maxima perfectio Voluntatis.

quoque in amore Dei ut Boni summè volibilis & appetibilis consistat summa perfectio, quies, & finis ultimus voluntatis humanæ.

Objectum secundarium voluntatis. 9. Præter primum objectum Voluntatis, quod ipse Deus est, considerari potest adhuc aliud objectum, quod per se primum non est, sed secundarium, sivè à primo ortum. Estque duplex, nempe Perfectius & Imperfectius. Illud dicunt esse bonum honestum, sivè Virtuosum, quod nempè majorem quandam cognationem, & affinitatem cum prima & infinitâ Bonitate habet. Imperfectius est, quod minorem aliquam affinitatem & similitudinem cum primâ Bonitate habet: quod rursùm duplex est: Bonum nempè jucundum sive delectabile; & Commodum sive Utile.

10. Circa hanc divisionem Boni à primo orti in bonum perfectius & imperfectius, vel immediatius, ut alii faciunt, in Bonum Honestum, Jucundum & Utile; Considerant alii separationem & conjunctionem; sivè illa bona aliquando ab invicem separata, aliquando vero conjuncta. Separata quidem hoc modo: Honestum est pro patria mori: at non jucundum: Econtrà jucundum est illicitis indulgere voluptatibus, at non honestum: Sic denique Utile est egeno latroni etiam cum discrimine proprio furari pecuniæ summam, non tamen honestum, neque jucundum. Conjuncta, verò sunt, cum quis Deum amat. Amor enim Dei versatur circà bonum Honestum, quia decet naturam Rationalem: circà Bonum jucundum, quia nulla major & sincerior voluptas & jucunditas obtineri potest, quâm quæ ex Dei amore nascitur: circà Bonum Utile, quia felicitatem parit æternam, parit & in hac vita veram libertatem.

Bonum verum & Apparens. 11. Bonum aliud etiam dicitur Verum & reale, aliud Apparens non reale. Illud est, in se tale, ut à natura & facultate non corruptâ meritò appeti possit, uti nempè est Deus, ejus cultus ac pietas. Apparens verò est illud, quod appetenti videtur bonum, at reverà tale non est, ut appeti debeat, sed arridet tantum facultati corruptæ; ut sunt Illecebræ carnis, voluptates mundi, privatæ vindictæ studium & ejusmodi plura alia. Hæc autem distinctio Boni Veri & apparentis non est rei sed termini, cùm, quod Apparens Bonum dicitur, non sit bonum, utpote Veritatem nullam habens, quarè nec bonitatem, cum duæ hæ Entis proprietates divelli nulla vi aut arte queant. Hinc etiam errorem in Appetentis judicio semper præsupponit.

Voluntas sub ratione Boni appetit. 12. Non potest Voluntas aliquid velle nisi sub ratione Boni veri aut apparentis. Ita *D. Thomas* 1. 2. *qu.* 82. *art.* 1. Quia Bonum est appetibile. Itaque malum ex eo, quia malum est, non est appetibile. Contrariorum enim contrarii sunt effectus. Tum verò quia malum formaliter non est Ens; itaque nihil in se habet appetibilitatis.

Quomodo malum appetat. 13. Potest voluntas malum habere pro objecto tantum materiali: quia possunt mala sub ratione Boni appeti cùm tamen formaliter tale non sit. Sic malum inimici aliquis appetit, quatenus suum est bonum.

14. Etiam actus nolendi specificatur ab aliquo Bono. Malum enim propterea nolumus, quia est alicui Bono contrarium, quod amamus. Unde etiam actus nolendi respetu mali est formaliter actus nolendi: respectu verò Boni, à quo specificatur, est formaliter actus volendi. Propter Bonum enim volitum nolumus malum uno eodemque actu: ideoque Voluntas non versatur circa Malum, nisi per ordinem ad Bonum. Itaque Bonum est formale & adæquatum Voluntatis objectum; Malum verò non nisi secundariò & in ordine ad Bonum. Actus nolendi.

15. Objectum nonnisi cognitum movet voluntatem: Ignoti siquidem nulla cupido. Voluntas enim non potest ferri nisi in objectum, quo excitetur & moveatur: Ut autem moveat, necessariò debet esse cognitum; media enim cognitione movet: & quidem judicativâ, quæ judicet de objecti convenientiâ vel disconvenientiâ. Hinc 3. *de Anima cap.* 7. dicitur; non moveri appetitum, nisi adsit judicium Boni & Mali. Objectum debet esse cognitum.

16. Hinc etiam fit, ut voluntatis motus sequatur dictamen rationis de re aliqua judicantis & juxtà disparitatem intelligendi ac comprimis judicandi, etiam volendi conditio admodum varia fit: semper enim languidiora mentis consilia remissiores itidem pariunt motus voluntatis & pro gradu, modoque persuasionis, quæ est in ratione sivè intellectu, erit & voluntatis alacritas, vigor atque contentio. Motus voluntatis est pro gradu persuasionis.

17. Voluntas etiam prout varias exerit functiones, diversis quoque signatur nominibus. Nam ubi in finem simplici motu nititur: *Voluntatis* nomen retinet. Cùm ad eum finem quodam veluti itinere contendit: *Intentio*. Cùm media, quæ ad finem ducunt, respicit; *Electio* appellatur. Voluntas exequendi jam decreta & electa *Propositum* nominatur: cùm ad agendum quodam veluti pondere aut scientiæ dictamine ac præscripto impellitur, *Conscientia* dicitur: Cùm denique sui juris est actuum suorum domina, aut seipsam ad agendum determinat; Libertatis sibi nomen vendicat. Voluntatis diversæ functiones.

18. Solent quoque humanæ Voluntatis actiones distingui in Elicitas & Imperatas. Elicitæ dicuntur eæ, quæ immediatè producuntur à Voluntate, aut ipsi insunt; cujusmodi actiones duæ sunt Velle & Nolle; cum Nolle sumitur positivè pro Velle non esse aut fieri. Actiones verò Imperatæ dicuntur effectus ab aliis potentiis, ut Intellectiva, sensitivâ, locomotivâ producti ad imperium voluntatis: cujusmodi sunt respectu ipsius hominis prosequi, fugere, cessare aut omittere; respectu verò alterius mandare, aut prohibere, suadere aut dissuadere, hortari aut dehortari, impellere seu promovere aut adjuvare, impedire & permittere. Verùm plerique existimant actiones elicitas ad judicium Intellectûs pertinere; Imperatas autem Voluntatis solas esse, Actiones Elicitæ & Imperatæ.

cujus

cujus imperio membra corporis obediunt.

Actus Suspensionis. 19. Nonnulli inter actiones Elicitas, *Velle* nempe & *Nolle*, actionem suspensionis mediam constiuunt; Unde volunt, quod Suspensio Voluntatis sit tertius actus Voluntatis Elicitus, quasi medius inter Velle & Nolle. Potest enim Voluntas suspendere actum utrumque tàm volendi, quàm nolendi. Aliqui tamen negant Voluntatem posse suspendere actum suum, etsi possit suspendere actus aliarum facultatem: Suspendere enim notat actum, inquiunt: nullus autem actus datur præter Velle & Nolle: cum autem Voluntas suspendit, nihil agit. VerùmAlii econtra respondent, suspensionem istam nihilominus referri posse ad Velle: nam Voluntas vult suspendere utrumque illum actum, & sic suspendere est Velle, ut voluntas neque velit, neque nolit aliquid simpliciter.

Libertas Voluntatis. 20. Voluntas humana quantò nobilior & eminentior est appetitus, tantò etiam liberior censetur esse. Libertas autem ista Voluntatis in hoc potissimum consistere videtur, quod dominium habeat actûs sui, ut nequaquam cogi possit, sed pro libitu ex certa ratione, consideratione aut judicio se possit movere, aut cohibere, agere, aut non agere. Unde qui accuratius de hac Voluntatis libertate discurrunt, ajunt eam esse facultatem Voluntatis, aut potentiam ultrò & spontè id, quod videtur intellectui bonum amplectendi, quod videtur malum, aversandi, propulsandi aut fugiendi; quod videtur neutrum, aut dubium aut parum aut nihil interesse in eo operationem suam suspendendi, aut in alterutram partem inclinandi.

Etiam inen bona, quæ perpetuò placent. 21. Quod si aliquod Bonum Voluntati perpetuò & constanter ex rectâ ratione & judicio allubescat, ita ut illud perpetuò velit ac prosequatur; cujusmodi est felicitas etiam in hac vita, & Amor Dei purus; contrarium etiam aversetur ac fugiat; non proptereà libertas ejus impeditur aut infirmatur, sed tantò magis stabilitur & confirmatur cùm sic nihil aliud agat, quàm quod ei maximè libet, aut quo impensè delectatur. Quod si aliter etiam faceret, ne libera quidem esset, quia id non faceret, quod ipsi omninò libet.

22. Cùm certum sit hominem esse liberum, ac quidem per animam, illamque potentiam, quæ libertatis usu fruitur, esse Voluntatem, hinc Doctiss. *Fabri lib. 7. de Animâ ration. prop. 67.* docet, Voluntarium illud dici, quod à Voluntate dependet immediatè vel mediatè; Immediatè ut omnis actus Voluntatis, qui est maximè voluntarius: mediatè verò, ut omnis alius actus, ad quem Voluntas concurrit imperando, consulendo, dirigendo, sivè ab ipso, cujus Voluntas est, ponatur, sivè ab alio. Hinc rectè distingui docet, tria hæc prædicata Volentis, scilicet, Voliti & Voluntarii. Volens, inquit, est potentia; Volitum objectum, Voluntarius actus potentiæ sivè mediatus, sivè immediatus. Imò actus ipse Voluntatis potest dici volitus tùm quandò est imperatus, tùm etiam quandò est elicitus: quia omnis volitio est sui volitio: igitur voluntas dicitur volens, volitio verò volita & voluntaria, objectum ut objectum est, volitum. Inde deducit, Voluntairum esse quidquid à Voluntate procedit immediatè scilicet, aut mediatè, sivè directè sivè indirectè, sive formaliter sivè interpretativè &c. Sub in fert porrò Voluntarium & liberum non idem esse, illudque latius patere, cùm omne liberum sit Voluntarium, non verò omne Voluntarium sit liberum: hoc enim semper præsupponit indifferens: Si enim non esset indifferens, jam esset determinatum; ergò non liberum, cùm non esset necesse, ut se determinet. Ad liberum igitur requiritur comprimis indifferentia activa, quâ Volitio est indifferens ad agendum vel non agendum, adeoque præsuppositis omnibus ad agendum necessariis aut prærequisitis possit agere vel non agere. Et quia idem est principium passivum & activum eorundem actuum, Voluntas tam indifferens esse debet ratione principii passivi quàm activi, idcircò indifferentia activa etiam supponit indifferentiam passivam. Prætereà indifferentia activa etiam præsupponit indifferentiam objectivam, ut enim voluntas possit velle objectum, debet cognosci sub ratione boni; cùm bonum duntaxat saltem apparens velle possit; & ut possit idem objectum nolle sub ratione mali. Sed cognosci idem objectum sub ratione boni & sub ratione mali, partim scilicet sub unâ, partim sub alia ratione est cognosci objectum indifferens; igitur si potentia est indifferens ad volendum & nolendum, objectum proponitur indifferenter, igitur indifferentia activa dicit & præsupponit etiam indifferentiam objectivam. Denique requiritur etiam concursus indifferens causæ primæ, quem etiam hæc offerre debet: Si enim determinatum offerret ad unum v. g. volitionem, certè potentia non potest nolle: si ad nolitionem, non potest velle; igitur concursus indifferens offerri debet, alioquin tollitur indifferentia activa, quæ necessariò non modò passivam & objectivam, sed & concursum indifferentem potentię oblatum supponit; & si vel unum ex his desideretur, indifferentia activa adesse non potest, cùm tamen sine illa quodlibet ex iis esse queat. Sed hæc omnia latius & melius explicata vide apud Eundem *Fabri* loco citato. Distinctio inter Voluntarium & liberum.

Alii quidam actus Voluntatis. 23 Præter absolutos actus prosecutivos sive assensûs, & aversativos sive dissensûs cum respectu non tantùm objecti, sed etiam subjecti (quia non tantùm voluntas vult bonum simpliciter, sed alicui vult: uti malum non vult simpliciter, sed etiam alicui non vult) habet voluntas etiam actus conditionatos, ut patet in Exemplo naufragii, cùm quis merces in mare projicit; sic dicit: Volo & nollem de eodem. id est, si posset vitari naufragium, ac servari vita sine tali projectione, nollet illas projicere, hinc non dicit *Volo*, sed *Nollem.* Est enim quædam Velleitas, seu simplex affectus sine consensu, quæ ex eo oritur, quod duo bona incompossibilia proponantur; circà quæ ita me gero, ut majus absolutè velim & minus conditionatè: de majori dico *Volo*, de minore *vellem*:

vellem: pro hoc simplicem affectum habeo; pro illo absolutum consensum. Iste autem actus est conditionatus tum ex parte subjecti, tùm ex parte objecti. Alii verò actus sunt conditionati tantùm ex parte objecti; absoluti verò ex parte subjecti: Sic volo quantum est ex me, ne aliquid fiat, quod tamen à me solo non pendet: Veluti, cùm verè contritus vult, quantum est ex se, non peccasse, & remittens injuriam vult quantum est ex se, non esse factam. Item habet voluntas act' *disjunctivos*: cùm dicit: *Volo illud, aut nihil.* Habet & *copulativos*: Ut *Volo illud simul, & illud.* Habet quoque *Imperantes* & *Imperatos*, & varios alios, qui omnes distinguuntur ratione objecti vel subjecti, vel modi tendendi vel diversæ operationis. Multa alia circà voluntatem de industria transcurrimus & Lectorem ad Scholasticos remittimus nec enim actum agere cupimus, & omnia illa, quæ præclarè alii jam præstiterunt & confecerunt, huc transferre & ad incudem denuò revocare cupimus. Sed quò colophonem Ethico-Politico-Christianum Operi nostro tandem imponamus, sit

CAPUT XIV.

Monita Sapientum, Sententiæ & Axiomata Ethico-politico-Christiana ad dirigendam Voluntatem pro acquirendâ verâ Sapientiâ cuivis hominum statui accommodata.



SI rectè perpendere velimus: Voluntas in humanâ mente haud aliter residere videtur ac Regina quædam in Solio suo: ad ejus equidem nutum omnia perficiuntur. *Ei* ut scribit *S. Bernardus in Ep. nec leges imperant, nec Principes dominantur; libera est, & maximè, si spiritu ducitur, quia ubi Spiritus, ibi libertas*, & verè magnum est Ejus imperium, ac tanta vis, ut benè scripserit *S. Chrysostomus Serm. de Zacchæo*: *Magna vis est voluntatis, quæ nos efficit posse quod volumus, & non posse quod nolumus.* Solerter igitur & verè Sanctus quidam Doctor dixit. *Quidquid toto corde, totâ intentione, toto desiderio vis, id es certissimè. Solâ voluntate*, inquit *S. Augustinus de verb. Apost. Miser quisque efficitur, sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur.* Undè præclarè iterum *Joan. Chrysost. super Matth. Voluntas nostra est, quæ aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem testimonia sunt voluntatis.* Sicut ergò Regina dominio potens, ut prudenter præsit, & laudabiliter prosit, & utiliter semper operetur, monita atque consilia sapientum dignanter observare, ac diligenter curare debet: ita Voluntas præclara dictamina ab intellectu suggesta in actuum suorum exercitio maximè curare, & observare debet: neque finis alius Bonæ Voluntatis esse debet, quàm ut prudenter vitam ordinet, & veram procuret sapientiam. *Bona autem Voluntas est*, inquit *S. August. de verâ Religione, quâ appetimus rectè honestèque vivere, & ad summam sapientiam pervenire.* Quò igitur efficiamus, ut Bona voluntas in nobis dominetur, recteque, & honestè vivamus, & veram acquiramus Sapientiam; rationem in nobis sequamur, ejus præclara dictamina ac consilia attendamus: qualia ex variis Authoribus collecta pro cujusvis statûs hominibus coronidis loco breviter indicare & commendare placuit.

§. I.

Dicta, Monita, & Axiomata Ethico-politico-Christiana observanda circa Deum, & cultum divinum.

1. Bonum verum & reale, cui reverà inest Bonitas, sive quod in se tale est, ut à natura & facultate non corrupta meritò appeti potest, est Deus, est Dei cultus, est pietas.

2. Ante omnia quocircà cole Deum supremum Naturæ Moderatorem, & eum tibi finem in omnibus tuis actionibns præpone: hoc enim tibi, ut verum & reale Bonum acquiras & possideas necessarium est.

3. Causa colendi Deum sit ipse Deus, qui est Summum & infinitum Bonum, à quo quidquid est Bonum profluit. *Omne enim bonum aut Deus aut ex Deo est*, ait *S. Aug. de lib. arb. lib.3. cap.13.*

4. Semper & in omnibus time Deum, quia cùm agis malè, mali vindex esse continuo potest; cùm agis benè, de perseverantia securus non es. Hinc etiam monet Poëta:

Est Deus, est scelerum vindicta & pœna malorum.
Unde putes minimè posse venire, venit.

5. Sicut finiti ad infinitum nulla potest esse comparatio; ita nullius creaturæ cum Deo creatore potest esse commutatio.

6. Verum Bonum, & vera Voluptas in solo Deo est: ergo ut verè verum quid ames, & verè verum habeas gaudium, solum Deum amare, & in ipso solo gaudere studeas.

7. Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas præter amare Deum & illi soli servire. *Tom. Kemp. de imit. Christi.*

8. Qui Deo suo fidelis non est, alteri cui fidelis esse poterit?

9. Ars potens, Natura potentior, Deus potentissimus. Unde etiam *Apulejus de Deo socrat.* nil Deo perfectius & potentius asserebat.

10. Sub potenti manu Dei humilia te semper, quia semper & in omnibus divino indiges favore. Hinc *S. Ambrosius super Luc.*

Luc. cap. 2. ait. *Ubique divina virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Deo, nemo custodire sine Deo, nemo quicquam incipere sine Deo.*

11. Fit omnium, quæ Deus statuit, docet *S. Ambrosius de vocat. Gent. lib. 1. cap. 3.* idcirco Poëta

De cœlo quæcunque venit sententia fixa est.

& alius:

Quidquid patimur mortale genus
Quidquid facimus, venit ex alto
Servatque sua decreta colus
Lachesis durâ revoluta manu
Omnia recto tramite vadunt.

12. Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordiâ: Sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoriâ. Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse. *S. Hugo de claustro animæ lib. 1.*

13. Sic vive cum hominibus tanquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tanquam homines audiat. *Seneca ep. 10.* Unde & *Salomon Prov. cap. 3. v. 5.* monet: *In omnibus viis tuis cogita illum & ipse diriget gressus tuos.*

14. Amare Deum summa est virtus, amari à Deo summa felicitas.

15. Libertas nemini contigit major, quàm qui vult, quod Deus vult. Hujus voluntati nihil adversatur, semper enim exequitur suam.

16. Opus facis divinum, cùm facis, quod facit Deus: hic & inimicos diligit, & ingratis benefacit.

17. Sicut credere & sperare, tria hæc cùm ad Deum referuntur, sunt tres summæ perfectiones: ita è contra cùm creaturas respiciunt; sunt tres summæ imbecillitates & imperfectiones humani ingenii.

18. Quibuslibet fideliter & justè omnia dispensat Deus. Unde *Mantuanus*:

- - - - - *Deus omnia in omnes*
Dividit, ut melius nobis videt esse futurum.

19. Omnia possum in eo, qui me confortat:

Si Deus illustrat vires cœlestibus auris
Quisque bonos fructus hoc generante feret.
Quid jactas propriæ validissima robora dextræ;
Qui vigor accessit, cœlitus ille venit.

20. *Omnia tempus edax consumit, & omnia perdit,*
Quidquid habent homines, quidquid & orbis habet.
Durabit mens sola Deo sacrata, nec unquam
Temporis invidiam, nec mala fata timet.

21. Proximus Deo est, qui in mortales beneficus: munera sua grato dispensat animo & liberalitate, indulgentiâque humanum genus demeretur. *Philotheus symb. 26.*

22. Nemo unquam Vir magnus sine aliquo afflatu divino fuit. *Cicero lib. 2. de nat. Deor.* Unde

Nil nostris agimus Votis: cœlestia votis
Si non respondent numina prona piis.

23. Omnis voluptas, quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, Voluptatis excrementum est. *Nicetas in Orat. 106.*

24. Mentiri Deo potes, fallere non potes. Novit ille quid agas; intus te videt: intus te examinat, intus inspicit, intus judicat, aut damnat, aut coronat. *S. August. tract. 26. super Joan.*

25. Propter Deum omnia patienda sunt, ut ipse nos patiatur. *S. Ignat. M.*

26. Si cruci affigatur, si flammis tradatur, semper amat, qui verè amans est. *Seneca in Epist.*

27. De spe æternæ hæreditatis gaudium sumunt, quos adversitatis turbo exagitat. *S. Greg. in Pastor. cap. 51.*

28. Si consideremus quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia æternæ felicitati comparata, pondus est non subsidium. *Idem in registro.*

29. Quia rectus est amor justorum, omnes affectiones rectas habent: metuunt peccare; cupiunt perseverare; dolent in peccatis; gaudent in operibus bonis: metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam; dolent in re; gaudent in spe. *S. Aug. de civit. Dei.*

30. Non sine prœmio diligitur Deus, quia ipse diligenti prœmium est amplissimum. *S. Bernardus.*

31. Si Deo aliquid diligendo vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. *S. Augustin. in epist.*

32. Minùs Domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. *Idem in Confess.*

33. Non conditur, nec custoditur optima respublica, nisi fundamento fidei firmæque concordiæ, cùm bonum commune diligitur, quod Summum ac Verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissimè se diligunt homines. *Idem de civit. Dei.*

34. Amate, sed quid ametis, videte: purgate amorem vestrum, ut quales impetus habentis ad mundum, tales habeatis ad Artificem Mundi. *Idem in psal. 145.*

35. Cum à Deo non credimus nos videri, in sole clausos oculos retinemus, illum à nobis abscondimus, non nos ab illo. *S. Gregor. lib. 15. mor. cap. 5.*

36. Sequester patientiæ est Deus: si injuriam deposuimus penes eum ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. *Drexelius de Prædest. sign. 9. §. 4.*

37. Non potest amare Deum, qui non cessat odisse inimicum. *Idem ibidem §. 7.*

38. Deus faber est; inimici lima sunt & mallei, quibus nos ille expurgat, sanctosque sculpit. *S. Hieronymus in cap. 5. Matthæi.*

§. II.

Monita & dictamina pro Clericis, Ecclesiasticis, & Sacerdotibus Sacris Dei in terrâ ministris.

1. Publicum bonum Ecclesiæ quærere, & aliorum salutem privato commodo anteponere, canon est Christianismi perfectissimus. *S. Chrysostom. in cor. ep.*

2. *Qui bona ritè docet & malè vivit*
Est stulti similis, cui bona nota est
Semita, quam mostrat: sed miser hæret
Sordibus obscœnis invia sectans.

3. Nullum ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quandò, eos, quos aliorum correctioni præposuit, dare de se exempla pravitatis cernit. *S. Gregorius serm. 17. in Luc. cap. 16.*

4. Qui in conspectu populi malè vivit, quantum in se est, omnes videntes interficit. *S. Augustinus lib. de pastor.*

5. Nugæ Laicorum in ore Clericorum sunt blasphemiæ. *S. Bernardus.*

6. Loquendi authoritas perditur, quandò vox opere non adjuvatur. *S. Gregorius in Pastor.*

7. Clericus mercimonia exercens, intercessiones vendens, viduarum munera amplectens, negotiator magis quàm Clericus est. *S. August. serm. 10.*

8. Negotiatorem Clericum ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. *S. Hieronymus ad Nepotian.*

9. Nihil in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat Veritatem, non liberè pronuntiet. *Amb. in ep. ad Theod. Imp.*

10. Quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. *S. Bernardus in ep. 2.*

11. Sacerdotes prælati sunt in populo, sicut stomachus in corpore hominis: si stomachus dolet, corpus ægrotat. *D. Chrysost. hom. 36. in Matth.*

12. Lux gregis est flamma pastoris: decet enim dominicum pastorem & sacerdotem moribus & vitâ clarescere, quatenus in eo tanquam in vitæ suæ speculo plebs sibi commissa & eligere, quod sequatur & videre possit quod corrigat. *Hieron. in regist. Epist. 31.*

13. Væ tradentibus Christum ad crucifigendum; sed væ cum malignâ conscientiâ sub Sacramento sumentibus illum: etsi non tradant Judæis ad crucifigendum, tradunt tamen ipsum membris inimicis ad sumendum. *Remigius in Gloss. super Matth.*

14. Nihil est turpius quàm excellentem esse quemlibet culmine & despicabilem vilitate. Quid est dignitas indigno, nisi ornamentum in luto? & ideò cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantùm excellere oportet merito, quantùm gradu. *Salvianus lib. 2. Eccl. Cath.*

15. Sobriam à turbis gravitatem, severam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. *Ambrosius ep. 62.*

16. Morum mansuetudo & humilitas cordis, hæc præcipua Antistitis insignia sunto *S. Basilius Reg. 43.*

17. Zelus pastoris debet esse secundùm Deum verus & discretus, non fictus & indiscretus. Nam ut Poëta.

Sæpe scelus cœlum Zeli velamine texit:
Cui Zelus cœlum est, non facit ille scelus.

18. Non confundant opera tua sermonem tuum. Delicatus magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent. *D. Hieron. ep. 2. ad Nepotian.*

19. Beneficium datur propter officium. *D. 92. cap. ult.* ubi Glossa notat: *ideò privatus officio, privatus quoque est beneficio, cùm sit ejus sequela.*

20. Quid prodest quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua. *S. August. in ps. 102.*

21. Magnæ genus dementiæ est aliis fecisse beneficium & sibi servâsse supplicium. *Lobbetius in speculo Ecclesiastic. & Religios.*

22. Somnolentia pastorum gaudium est Luporum *S. Ephrem.*

23. Quid prodest strepitus labiorum ubi cor est mutum? sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum, sic oratio sine devotione est quasi mugitus boum. *Isidorus de summ. bono lib. 3. cap. 8.*

24. Ipsius est Oratio perfecta, cujus & causa clamat, & lingua, & actus, & sermo, & vita, & cogitatio. *Cassiodorus in Ps. 16.*

25. Quantò plus honoramur, tantò plus periclitamur. *S. August. in ps. 10.*

26. Nulla res sic exterminat bonum sicut simulatio: nam malum sub specie boni celatum dum non cognoscitur, non cavetur. *S. Chrysost. super Matth.*

27. Sacerdotis est populum monere, non movere arma: qui gladium mentis, non martis tenet. *Idem.*

28. Inter pleraque alia, quæ Deus speciali odio prosequitur, una hæc est otiositas, seu cessatio ab his, quæ nos ex officio attinet facere. *S. Basil. in cap. 1. Isaiæ.*

29. Misera Sacerdotis conversatio fit misera plebis Dominicæ subversio, laqueus siquidem ruinæ populi Sacerdotes mali. *S. Bernard. serm. 1. de Convers. S. Pauli.*

30. Si quid in Sacerdote vel Clerico justè reprehenditur, ejus vitio ipsa Religionis nostræ æstimatio gravatur. *S. Gregor. in pastor. p. 5. cap. 5.*

31. Qui in occulto benè vivit, sed alieno profectui minimè proficit, carbo est. Qui verò in imitatione sanctitatis positus lumen rectitudinis ex se multis demonstrat, lampas est, quia & sibi ardet, & aliis lucet. *S. Gregor. in Ezech. hom. 5.*

32. Circà vitam tuam esto austerus, circà alienam benignus: Audiant te homines parva mandantem, & gravia facientem *S. Crysostomus.*

§. III. Monita

§ III.

Monita quædam moralia ad dirigendam prudenter voluntatem pro Regularibus & Religiosis.

1. Oportet te stultum fieri propter Christum, si vis religiosam ducere vitam *Tom. de Kempis.*

2. Magnanimi est magna contemnere: prudentis est mediocria malle qàm nimia. *Seneca ep. 36.*

3. Oportet incorruptibilium amore flagrantem pro nihilo ducere corruptioni obnoxia.

4. Consecratum pectus doctrinæ & Veritati intelligat non debere sæcularibus negotiis, & actionibus, & lucris occupari. *Arnoldus Carnotens.*

5. Quomodò ignis & aqua simul esse non possunt: Sic spirituales & carnales deliciæ in eodem se non patiuntur. *S. Bernardus ep. 1.*

6. Molestum est semper vitam inchoare: malè vivunt, qui semper vivere incipiunt, quia semper illis imperfecta vita. *Seneca ep. 23.*

7. Qui ad solam Dei naturam visûs acumen dirigit, is in cæteris omnibus cœcus est, ad quæ multorum oculi respiciunt. *S. Gregorius Nyssen. orat. 8. in Cant.*

8. Misisti manus ad aratrum, est opus fortitudinis & constantiæ. *S. Bernardus in Epist.*

9. In via Dei non procedere, est retrocedere.

10. Nisi ad regulam, prava non corriges. *Seneca Epist. 11.*

11. Victores hominum admirationi sunt, & coronantur in terra: Victores suiipsorum celebrantur in cœlo, ac propter eos triumphi & coronæ immortales parantur. *Anonymus in Epitom. Axiom Salom.*

12. Non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria est. *Seneca ep. 17.*

13. Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit. *Seneca ep. 18.*

14. Monachus pauper est tanquam aquila in sublime volans, qui omnes superat tentationes, præsentia despicit, & quæ futura sunt, animo complectitur: à terrenis recedit, & in cœlestibus versatur. *S. Nilus orat. 3. de Avaritia.*

15. Ubi peculiaritas à monachis habetur, ibi nec charitas in eadem congregatione poterit permanere. *S. Gregorius epist. ad Io. Diacon.*

16. Religiosus, qui clam habet obolum, non valet obolum.

17. Nihil est superbâ mendicitate deterius. *Barclai.*

18. Qui litigiosus, vel querulosus est, verus Monachus non est.

19. Sicut piscis extrà aquam positus alimentis naturalibus carens citò moritur, sic instabilis Religiosus munitione & custodia claustri exutus, exemplis & doctrinis bonorum alienus, mundo, cujus status in maligno positus est, pluries conversatus, citò ad vitia labitur, & nexibus perpetuæ mortis detinetur. *S. Norbertus in serm. ad Fratres.*

20. Magna & laudabilis prudentia est industriæ propriæ renuntiare, humiliter superiori obedire, doctiori credere, experientiori acquiescere, & in omnibus bonis Deo placitis hilarem se semper exhibere. *Thomas à Kempis part. 2. serm. 8. ad Novit.*

21. Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, nec contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis *D. Bernardus de præcept & dispens. cap. 9.*

22. Qui seipsum abnegavit, seque voluntatibus omnibus spoliavit, is non quod vult, faciet, sed quod docetur. *S. Basililius in reg. fusior. Respons. 41.*

23. Semper aliquid boni operis facito, ut te diabolus inveniat occupatum; non enim facilè capitur à diabolo, qui bono vacat exercitio. *D. Hieronymus.*

24. Qui non vult corripi, non vult corrigi. Admoneberis libenter, repræhenderis patienter. *Seneca de Virtut. cap. de continentiâ.*

25. Quid dulcius aut quietius bonâ conscientia? quæ nec damna, nec verborum contumelias, nec quicquam aliud formidat *S. Bernardus lib. de conscientia.*

26. Sicut stabili homini Cella est paradisus, ita Vago carcer videtur & cippus. *Thom. à Kempis lib. de disc. claust. cap. 7.* Hinc ille

Res mira in terris Cœlum mens nostra tenere
Est potis, in Cellâ quando latere studet.

27. Sudarium est habitus Religiosorum, cùm in eo ipsi consueverunt sepeliri. Mortui debent esse mundo, qui in hoc sudario involvuntur. *Umbertus de erudit. Religionis lib. 5. cap. 1. part. 2.*

28. Habitus & tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum & integra mortificatio passionum verum faciunt Religiosum. *Thom. Kemp. de imit. Christi lib. 1. cap. 17. n. 2.*

29. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. *S. Bernardus in apol. ad Gulielm. Abbat.*

30. Melius est ex simplici obedientia urticas & zizania extirpare, quàm ex propria voluntate sublimi rerum cœlestium contemplationi operam dare. *Blosius in tabella spirit.*

31. Non turpe sed honestum atque salutare est parere & obtemperare prudentibus. *Plutarchus in Aristide.*

32. Debitum est quod præcipitur secundùm ordinem; indebitum, quod suprà professionem. *Richardus à S. Vict.*

33. Qui ordinem suum non servat, per prævaricationem legis Deum inhonorat. *Thom. à Kemp. in discipl. claust. cap. 1.*

34. Ingratum est Spiritui Sancto, quidquid obtuleris neglecto eo, ad quod teneris. *S. Bernardus.*

35. Propria quæsitio cariosa reddit bona opera. *Blosius spec. spirit. cap. 5.*

36. Tanto miserior eris, si Deo fidem fregeris: quantò beatior, si persolveris. S. *August. ep. ad Armentarium & Plaulinum.*

37. Incassum bonum agitur, si ante terminum deseratur: quia & frustra velociter currit; qui priusquam ad metas pervenerit, deficit. S. *Gregorius in Moral.*

38. Quia jam vovisti, jam te astrinxisti: aliud facere tibi non licet: non talis eris, si non feceris, quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses. *S. August. epist. ad Arment.*

39. Surgens ab amore fæculi & voluptatum labe, projice curas, exue intelligentias, abnega corpus. *Climacus in scalâ cœli, grad. 28.*

40. Tota religionis perfectio in voluntatis propriæ abnegatione consistit. *D. Bonaventura in spec. discipl. cap. 4.*

41. Dum tempus est, equum cohibeamus, ne sessorem subvertat: iræ amputemus alas, nec amplius in album extolletur. *S. Chrysostomus hom. 24. to. 4.* concinit *Ovidius lib. 1. de remedio Amor.*

Dum furor in cursu est, currenti cede furori:
Difficiles aditus impetus omnis habet.

42. Sicut canibus quibusdam insitum est sine causa aut discrimine latrare: sic homini inquieto aut turbido unum hoc studium est litigare. *Lipsius in lib. de unâ Relig.*

43. Gratis nobis de cruce & corporis afflictione blandimur, si exterior homo noster sanctis laboribus exercetur, & à passionibus non curatur interior. *Eucherius Lugdun. Episc. hom. 4. ad Monach.*

44. Quemadmodum in temporalibus ille creditur locupletior, qui plura possidet: sic in spiritualibus, qui plus charitatis habet, ille ditior comprobatur. *S. Laurent. Justinianus de ligno vitæ cap. 4.*

45. Hæc est pugna periculosa, & hæc victoria gloriosa, qui poterit odisse, quod amat, & amare quod odit S. *Chrysost. apud Matth.*

46. Esto vigilans & diligens in Dei servitio, & cogita frequenter, ad quid venisti, & cur fæculum reliquisti. *Kempensis lib. 1. de imit. Christi cap. 25.*

47. Virtutum stabile fundamentum est humilitas, quæ si omittitur, virtutum congregatio nonnisi ruina est. *S. Bernardus de consid lib. 5.*

48. Alterius virtutem non vitium, suumque vitium, non virtutem attendere debet, quisquis ad culmen humilitatis ascendere studet. *Sanct. Anselmus de similitud.*

49. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui: hoc solo planè superbus, quod laudes contemnit. *S. Bernardus serm. 16. super Cant.*

50. Hoc verè magnum & mirabile est, quia is, qui magnus est, nihil de se magnum sentit, aut loquitur, sed omnium se ultimum judicat, & salutem de solâ misericordia Dei sperat. *D. Chrysost. de compunct.*

51. Quia per visum concupiscentia oritur, per quam integritas mentis violatur: necesse est, semper servus Dei visum suum reprimat, ne per concupiscentiam & immunditiam cordis Deum offendat. *Hugo Victorinus in Regul. cap. 6.* idcircò etiam Poeta monet:

Quid facies facies Veneris cum veneris ante
Non sedeas, sedeas, ne pereas per eas.

52. Deo timeas displicere, ne velis fœminæ malè placere, illum cogites omnia videre, ne velis fœminam malè videre. S. *August. in regulâ.*

53. Si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, hujus vana est religio. *S. Jacobus ep. cap. 1. v. 25.* Undè *Arsenius* quoque dicebat: sæpè me locutum dolui, tacuisse nunquam.

54. Nihil æquè ut acedia Monacho, sivè Religioso tot supplicia parat *Hirnhaim in serm. S. Norberti.*

55. Status Religionis est mortificationis schola, perpetuum pœnitentiæ Exercitium, necessaria ad perfectionem via, indeficiens ejusdem studium & obligatio indelebilis, paupertatis semita, angelicæ conversationis vestigium, feria vitæ emendatio, secura occasionum peccati fuga, carcer voluntarius & sui contemptus. *Servatius Lairvelz ad finem Catechismi Novitior.*

56. Vanitas vanitatum & omnia vanitas præter amare Deum & illi soli servire. Ista est summa sapientia per contemptum Mundi tendere ad regna cœlestia. *Thomas Kemp. de imitat. Christi lib. 1. cap. 1.* Hinc & benè Poeta.

In Mundo spes nulla boni, spes nulla salutis,
Una salus servire Deo est; sunt cætera fraudes.

§. IV.

Dicta, monita, & axiomata Ethico-politico Christiana pro Magnatibus & Principibus, eorumque ad prudenter operandum dirigendâ voluntate.

1. Deum publicè & cum apparatu cole, ut tibi facto aliisque proficias exemplo, virtuosi nomen non ex vano paraturus, eoq; potens. *And. Maximil. Fredro Monit. politico-moral. part. 1. n. 1*

2. Bonus Princeps nihil differt à bono Patre. *Xenophon. lib. 11.*

3. Ubi Princeps in timore & tremore Dei sano intellectu non fuerit præditus, ibi cacodæmon astutiâ assentatorum imperii habenas

habenas tenet. *Besoldus de consil. polit. cap. 10. n. 83.*

4. Ut benè imperes aliis, fac ut ratio imperet tibi.

5. Ad duo præcipuè advertat Princeps, quod imperet hominibus, & quod ipse sit homo. A primo assuescit humanitati; à secundo non effertur in superbiam. Per illud redditur bonus Pater; per hoc non erit malus Dominus.

6. Quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, ut possit prodesse per providentiam. *S. Gregorius hom. 11. in Ezech.* ita benè *Claudianus paneg 7.*

- - - - - - non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

7. Rex & Regnum habent se ut maritus & uxor: sed injustus & stultus est maritus, qui conjugem prostituit servis & ministris. *Peretz Aphorism. fol. 62. num. 93.*

8. Princeps comprimis sapiens esto commercio sapientum. *Besoldus de cons. polit capite 1.*

9. Amici fideles tutissimum & verissimum Regum sceptrum *Xenophon lib. 8.*

10. Qui spernit consilium, auxilio est indignus. *Besoldus cap. 1.* Unde Germanicum proverbium: Wem nit zu rathen ist / dem ist nit zu helffen. Bene idcircò etiam *Mantuanus:*

Res est consiliis secura fidelibus uti.

11. In summâ fortunâ id æquius, quod validius.

12. Fieri quid debeat, cum multis tracta; quid facturus sis, cum paucis: quibus volueris, aut ipse tecum. *Veget. lib. 3.*

13. Summa & necessaria in Principe scientia est, cognoscere consiliarios suos. *Besold. de cons. polit. cap. 9. n. 17.*

14. In gravioribus causis & quæstionibus tum objectis, si melioribus consiliis res flecti non potuerit, non quid respondeas, sed quemadmodum non respondeas, cogita *Fredro monit. politico-moral. part. 2. num. 74.*

15. Conscios Secretorum (etiam delinquentes) non habebis acerbius, ne irati prodant secreta, & res misceant. *Idem par. 3. num. 1.*

16. Quæ ratio non poseſt, sæpè tempus sanat: noli anxius esse, verum tempus in consilium voca; Nonnulla difficiliora tempori aut potius Deo sananda permissurus. *Idem part. 4. num. 33.*

17. Consilium multi nôrunt offerre, solus sapiens efferre potest. Unde vetus illud Germanorum: Viel können rathen / aber wenig errathen.

18. Qui vult omnia regere solus, superbus magis, quàm sapiens dici meretur. *Besold. de con. polit cap. 1.*

19. Signum labentis Reipublicæ est, ad quam fulciendam adhibentur peregrini.

20. Consilium utile & bonum ex eo cognoscere potest Princeps. Primò si ad scopum finemque honestum & Reipublicæ salutarem directum: secundò si ad talem finem media legitima Consiliarius ostendat: Tertiò si talia media monstrat, quæ vires & potentiam Principis non excedant. *Hænon. disp. polit. 4.*

21. Miseri optimates, qui neque sua bona, neque sua mala nisi ex aliorum fide cognoscunt. *Barclai.*

22. Diu secretus delibera, ne pudori sit frustrà tentâsse; citò verò deliberatum fac, ne præveniaris. *Fredro monit: politico-mor. p. 3. n. 39.*

23. In adversis & desperatis subsidium ab audaciâ pete. *Idem p. 3. n. 24.*

24. Cum omnia possumus, sola credamus licere nobis laudanda. *Idem part. 3. num. 38.*

25. Pro divinis maximè & bono zelo certabis. *Idem p. 3. n. 30.*

26. Publicam semper utilitatem & religionem obtende, ne publico usui utilitatem privatam antevertere videâre. *Id. p. 3. n. 16.*

27. Si Princeps eligit sceleratos, vel eorum operâ jam usus est, vel utetur. *Besoldus de cons. polit. cap. 2.*

28. Sol quò altior est, eò minorem projicit umbram: imitentur hoc magni & sint humiliores, quò majores; pro magnitudinis proportione humilitas crescat.

28. Quo quis altiorem conscendit locum, eò apertior est tempestatibus fortunæ.

30. Quod Sol in cœlo, id Princeps in populo. Sol oculus Mundi, Princeps oculus multitudinis. Quod Animus in homine, id princeps est in civitate. Animus sapit, corpus obtemperat. Principium ergo est oculis aut auribus alienis non omnia credere, sed suâ ipsorum indagine pleraque eâ præsertim, à quibus publica salus & tranquillitas dependet, explorare, & imprimis operam dare, ut Justitia omnibus æqualiter administretur. *Ens conviv. appar.*

31. Reipublicæ benè constitutæ fines non gladiis sed justitia terminantur.

32. Judiciis acerbis civitas magis vastatur, quàm corrigitur. *Salustius.*

33. Difficilius est Rempublicam depravatam corrigere, quàm novam instituere.

34. Summa ratio, qua Princeps verè magnus fieri possit, ea est, si ejus imperium ita justum & liberale sit, ut nullum aliud ei simile inveniatur. *Besoldus de cons. polit. cap. 14. num. 17.*

35. Concordia mater est Felicitatis & firmissimum Reipublicæ munimentum. *Concordiâ equidem res parvæ crescunt, & discordiâ maximæ dilabuntur.*

36. Pereunt omnia, ubi quidquid potentia suadet, indulgentia permittit.

37. *Cur facienda jubet, qui nihil ipse facit.* Unde alius monet.

Primus jussa subi, tunc observantior æqui
Fit populus, cum ferre videt, quæ jusseris ipse.

38. Magna servitus est magna fortuna; non

non licet tibi quidpiam arbitrio tuo facere. *Seneca.*

39. *Omne animi vitium tantò conspectius in se*
Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.

40. Gravius peccat, qui bonos iniquè affligit, quàm qui crimen aliquod finit inultum. *Erycius Puteanus.*

41. Qui non vetat pecare, cum possit, jubet. *Seneca.*

42. Princeps sublimis factus & elatus à Deo meritò veneratur & colit magnitudinis suæ Auctorem. Nisi facit, quid exspectet nisi iterum dejici. *Ex libro de unâ Relig.*

43. Princeps Religiosus Deo curæ. *ibidem.* Quidquid autem Deo curæ, nihil adversum ab eodem pati necesse est.

44. Maximum rigorem priùs intende in speciem, temperaturus posteà ad famem clementiæ. *Fredro monit, politico-mor. p. 1. n. 62.*

45. Jube punire, non specta. *Idem p. 2. n.* 38.

46. Fulmen est, ubi cum potestate habitat iracundia. *Mimus.*

47. Ira regis vincenda est fuga, vel temperanda fletu. *Perez.*

48. Coram Principe qui loquitur, multiloquium vitare debet. *Besoldus de cons. polit.*

49. Delicatiorem Reges habent palatum; quare quidquid illis traditur melle litum tradere oportet. *Idem.*

50. Non oportet à vultu Principis quenquam tristem discedere. *Suetonius in Tito.*

51. Dissimulare qui nescit, regnare nescit. *Seneca.*

52. Negatio mollibus vestita verbis gratior est tristi morosâque largitione. *Fredro p. 4. n. 46.*

53. Cedendo aliquando furori populi, quàm obsistendum; tacendo multa diluuntur. *Idem p. 4. n.* 39.

54. Justitia accelerata injustitiæ; præcipitata crimini proxima est.

55. Primis injuriis ni resistas cum gravitate & virtute, contemnêris; nam Veterem qui fert injuriam, invitat novam.

56. Multùm ad provinciarum salutem conducit Dominum præsentem esse.

57. Officià non nimis diu vacare Princeps sinat, ut ambitus & subreptitiæ intercessiones præcidantur. *Besold de Cons. polit.*

58. Nota mali vel imprudentis Principis est, si ministri ejus ab omnibus vituperentur. *Idem cap. 2.*

59. Malum sæculi prognosticum cense, ubi dignitates meruisse maximum impeddimentum est ad eas acquirendas. *Idem ibidem.*

60. Diu non perdurat Imperium, quod multorum damno exercetur.

61. Plurimùm nocet & multitudo imperantium & regimen nullum aut incertum. *Thuc. 6.*

62. Parcere scire par Imperio gloria est, *Publius Syrus.*

63. Timor & amor optima est ratio status. *Boccalinus relat.* 5.

64. Duo sunt, quæ ab egregiis principibus exspectantur; Sanctitas domi, in armis fortitudo; utrobique prudentia. *Aurel. Vict. Hist. Aug.*

65. Tuas res teque ipsum obliviscere, populum tuum & Rempublicam cogita; quo die primùm Rex fuisti: tibi moriens aliis vivere cœpisti *Petrarch dial 96. de reg. & Imper.*

66. Utilitas privata certat cum publicâ; hanc amplectere, illam sepone. si perièrit patria, quid speras navi perdita? Misera spes, quæ vehitur tabula? sta pro patria, ne cadas cum illâ.

67. Princeps terrestris Deus est; Cœlum Respublica: Intelligentiæ ministri. Moveant Cœlum non sibi sed populorum utilitati. Princeps terrestris Sol est; stellæ sunt Ministri; à Sole lumen excipiunt ut reddant. Princeps Navarchus est, Navis Respublica, Nautæ sunt ministri. Vilis est, qui se unum mavult incolumem, quàm navis salutem. *Cornelius à lap. in expos. cap. 7. Exodi.*

68. Princeps est, ut regnet, Rex est, qui dat imperia, non quem vestit diadema. Admittis imperia; Regem admittis. Omnia regni munia conferre ministris est sibi propè Dominos deligere.

69. Organum habent Pseudo-politici: in hoc ludunt Ministri pausante à Regni negotiis Principe. Organum hoc depinxit *Anonymus* & fistularum indices sivè Registra sic ponit. *Deglubere. Metuant. oportet habere. Altum dominium. Hunc audite. Si placet. Sanguinis dosis. Adigantur. Non audent. Non capiunt. Una cervix. Vos non vobis. Compelle. Ipsi viderint. Interesse. Aurum è stercore. Vexare columbas. Princeps non habet legem. Ad terram. Reus Majestatis. Exaggeratio. Litium telæ. Edant ut vivant. Fœmineum regimen. Regina pecunia. Religio prætensa. Divide. Interim & semper. Potuit, potest. Discors concordia. Ad opes legatio.* Apud *Balbin. in vitâ Arnesti l. 2. in notis ad cap. 11.*

70. Utilior est Reipublicæ Princeps, qui viribus agit maxima minimis, quàm qui minima maximis. Ulterioribus servat vires, gravioribus differt ætatem. Ubi tamen de summâ rei agitur, ibi viribus non parcatur. Artis est maximas moles minimis viribus elevare: prudentiæ est modum invenire minimis viribus maximum negotium conficiendi.

71. Prudentes Principes uni jactui vires nunquam credunt omnes; sed res & spes in ærario relinquunt superstities.

72. Exasperatus in Republicâ vel unus; divulsus vel unus à Principe satis est, ut exasperentur plures, plures avellantur. Unde semper stabilies cœteros, quàm præcipites noxios, ne ruinâ trahente ruinam totam Reipublicæ ruines fabricam.

73. Re-

73. Remotâ justitiâ quid sunt Regna, nisi magna latrocinia? latrocinia quid sunt? nisi parva regna? S. *Augustinus lib. 4. de civit. cap. 4.*

Justitiæ merces gemina est, vel cum bona rectis,
Vel pravis dignè cum mala restituit.
Jacob. Bill.

74. Ille clarus, ille sublimis, ille nobilis, ille tunc integram suam nobilitatem putet, si dedignetur servire vitiis, & ab eis non superari. *S. Chrysostom. in Matt.* hinc benè Poeta Juvenalis.

Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri? pictos ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria: Nobilitas sola est atque unica virtus

75. Reges à rectè agendo vocati sunt, ideoque rectè faciendo Regis nomen tenetur, peccando amittitur. Rectè ergo illi Reges vocantur, qui tam in semetipsos quàm subditos benè regendo modificare noverunt. *S. Isidorus de summo bono lib. 3.*

§. V.

Pro Aulicis & Principum Ministris.

1. Aulica disciplina practica, non speculativa est, & non discitur, nisi experientiâ propriâ & aliorum Exemplis.

2. Ad aulas accedendum tanquam ad ignem; neque propius, ne uraris; neque remotiùs, ne affligaris. *Plutarchus in vitâ Solonis.* Cujus rei tale extat epigramma.

Aula suis rapidos imitatur moribus ignes,
Errat, ad hanc facilem, qui putat esse viam.
Urêris propiùs dum paulo accesseris: at mox
Horridus algebis, si procul abfueris.
Si medium calidi teneas, aulæque beatam
Quæ satis est nunquam copia destituet.
Ergo frequens aulæ cave ne sis hospes; eandem
Nec fugias, felix si cupis esse diu.

3. Mare qui intrat & navigat, fluctus exspectat, qui aulam motus. *Lipsius in cent. 4. miscell. ep. 33.*

4. Aularum levia sunt beneficia, præcipites injuriæ. *Seneca.*

5. *Curia dat curas: ergo si vivere curas*
Hoc unum cures, ne sit tibi Curia curæ.

6. *Ferre moram, moderari iram, contemnere risus,*
Dura pati cunctos aulica vita docet.

7. In Principum curiis per periculum ad grandius periculum pervenitur. *S. Augustinus lib. 8. Conf.*

8. *Regum sollicita quicunque senescit in aulâ*
Aut fuit, aut semper postulat esse miser.

9. In potentiâ aulicâ maximæ impotentiæ nota est, quod quis illam exuere etiam cum velit, non potest. *Boethius de consol. 3. prof. 5.*

10. Si Principis favor summus existit, in eo est, ut in odium subitò mutetur. *Besoldus de consil. polit. c. 4. n. 68.*

11. Facilius est gratiam Principum acquirere quàm retinere. *Besoldus ibidem numer. 75.*

12. Festina fortunæ munera semper habe suspecta: inter inopinatos arrisus time præcipitia. Rarò æternant citò nata. quorum accelerata magnitudo est, non ferunt æternitatem; ferunt quorum lenta & tarda est. Festinus ascensus quàm ministris honorificus tam periculosus est. Nulli fortunæ minor habenda fides, quàm optimæ.

13. Qui favorem habent Principis, aliis quidem sunt sublimiores, sed haud aliter ac qui grallis incedunt, lapsui magis obnoxii existunt. *Idem ibidem n. 87.*

14. Favor est acer & indomitus equus, cui non sine periculo insidetur, ni retineatur modestiæ fræno. *Perez.*

15. Quemadmodum Luna quò propior Soli, hoc minus habet luminis: ita plus fructus & dignitatis est iis, qui procul absunt à magnis Principibus. ita *Plinius*, cui parallelum est illud:

Procul à Jove procul à fulmine.

16. Sæpè adeò injuriam in aulis vindicare non expedit, ut ne fateri quidem expediat. *Seneca lib. 2. de irâ c. 34.*

17. Aulæ Principum sepulturæ sunt virorum. *Perez Aphor. fol. 48. n. 13.*

18. Impossibile est favore Regis summo fruentem tranquilitate frui posse *Eycaguirre.*

19. Aulicus est fortunæ lusoriæ pila. *Perez.*

20. Officia sunt indignis, quod fructus novi stomachis debilibus, qui carè venduntur, & quoque molesto, careque empto medicamento iterum expurgantur. *Besoldus de conf. polit. cap. 3.*

21. Secreta Principum scire periculosissimum. *Perez.*

22. Non infidelitas, sed & sæpè levitas discretionis defectus & copia vanitatis Aulicum perdunt. Sunt enim Principes amantibus similes, æquè timent, æquè suspicaces & zelotypi existunt. *Mercure François to. 4. Anno 1616. fol. 20.*

23. Qui aure Principis solus potitur, hunc necesse est, ut timeant & venerentur omnes. *Perez Aphor. fol. 6. n. 21.*

24. Amplissima gloria semper est objectum invidiæ. *Ammianus Marcellinus lib.* 17.

25. Communis est aularum morbus neminem ibi candidè conversari. *Perez.* Unde etiam *Boccalinus* scribit, in aulis semper & ab omnibus Bacchanalia celebrari, neminem non ibi incedere larvatum.

26. Qui aulas Principum inhabitant, mentem & bonos mores perdere solent nisi frequenter repetant hoc dictum: *Nosce te ipsum. Melissa part. 1. serm.* 69.

27. Omnes in aula Principis mores induunt. Hinc *Martialis Epigram. lib.* 9. etiam canit.

Nemo suos (hæc est Aulæ natura potentis)
Sed Domini mores Cæsareanus habet.

28. Non æstimat, nec compensat aula labores, sæpè verò indigna reponit; Unde etiam Fratres quidam Anglicani ita conquesti perhibentur.

Vitam, animam, sumptus, operamq; impendimus Aulis,
Præmia pro meritis quæ retributa putas?
Aula dedit nobis rescripta notata papyro,
Et sine mente sonos, & sine corde manus.

29. Rarò probus ex asse, qui de caulâ venit ad aulam. Hinc quoque *Lucanus*:

- - - - - - - exeat aulâ.
Qui volet esse pius, virtus & summa potestas
Non coeunt.

Et *Menander*, aulicam perpendens vitam, hoc ei tribuit elogium.

Hæc vita gaudet improbis potissimum:
Sed Assentator omnium primas tenet:
Deinde Sycophantæ proximus est honor
Audire enim calumnias dulce admodùm:
At tertius conceditur locus Livido,
Artes nocendi qui scit astutissimè.

30. Malum hominem blandè loquentem agnosce tuum laqueum esse: habet enim suum venenum blanda oratio. *Seneca in epist.*

31. Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. *S. Bern. sup. Cant.*

32. Adulator amicus in obsequio, hostis in animo; comptus in verbo, turpis in facto; lætus ad prospera, fragilis ad adversa; inflatus ad obsequia, anxius ad opprobria. Immoderatus ad gaudia; facilis ad humana, difficilis ad honesta. *Hugo de S. Vict.*

33. Sicut finis oratoris est dictione persuasisse; & Medici medicinâ curâsse: sic adulatoris est finis suaviloquio decepisse. *Chrysostomus.* Quid enim adulationis unctio, nisi donorum emunctio? quid commendationis allusio, nisi prælatorum delusio? quid laudis arrisio, nisi eorundem derisio? *Alanus de complac. Natur.*

Lingua assentatrix vitium peccantis acervat,
Et delectatum crimine laude ligat.
Nulla sit ut lapso reperundæ cura salutis,
Blanditur sonti, dum male suasit honor.

34. Nemo potest personam fictam diu ferre: ficta in naturam suam citò recedunt: quibus autem veritas subest, ut ita dicam, quæcunque ex solido evanescunt, in majus meliusq; procedunt. *Seneca ad Neronem.*

35. Qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, uterque reus est: ille, quia prodesse non vult; iste quia nocere desiderat. *S. Augustinus l. de agone Christi*

36. Aulicus callidus ita est compeditus, ut ex eventu rerum adversa abnuat, vel prospera agnoscat. *Tacitus Hist. l.* 3.

37. Sub malis virtus est odio, & qui grati aptiq; Aulæ esse volunt, ejurant probitatem. *Lipsius in Comment. C. Plinii paneg.*

38. Hoc est universale & perpetuum, mutatâ fortunâ principum, mutantur voluntates non tantùm Subditorum, sed multò magis Ministrorum in aulâ.

39. Aulicum prudentem ubi animum Principis erga se mutatum, & crescere, qui sibi invideant, agnoscit; oportet discedendi ex aulâ honestam vitam maturè petere, honoribus cedere, quàm pati, ut ex eâ ejiciatur à Principe. *Tacitus.*

40. Nihil in aulâ Principum periculosius est Magnatibus & proceribus regni, quàm sunt calumniatores bonorum. *Idem.*

41. Is Aulicus artifex in politicis censendus est, qui variarum rerum & linguarum cognitione, Religionis, historiarum: Juris, politices, consilio firmo, linguâ dissertâ & calamo expedito instructus est: sit sermone blando, stylo gravis, calamo excellens, arte politicus, vestitu splendidus, convivis magnificus. *Durus de pascola, in Aulico politico.*

42. Maxima aularum pestis est, quod aut veritas rarò dicitur; aut ita occultatur atque obtegitur, ut difficillima sit cognitu.

43. Adulatio ad tempus est grata, sed tandem veritas est gratior; in fine veritas non odium, sed gratiam conciliat.

44. Miserrimi sunt, qui argenti gratiâ improbis adulantur. *Xenophon lib. 1. de Republica.*

45. *Est fera dum violat socios, dum proterit hostes,*
Estq; homo dum simulat se populo esse pium. Alciatus Embl. 114.

46. Sua tegat Aulicus consilia, etiam si potest, facta. Quod agit maximè, minimè agat: ab eo quod agit, agat diversum, agit cautius, quod agit, intentum.

47. Monet tandem bene *Ovidius lib. 3. Trist. Eleg.* 4.

Usibus edocto si quicquam credis Amico,
Vive tibi, & longè nomina magna fuge.

Vive

Vive tibi, quantumq́, potes prælustria vita,
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Hinc etiam *Annæus Seneca*, Severus morum Censor, Aulicæ vitæ privatam præferens hoc tandem Votum ipse sibi accinit:

Stet cuicunque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies:
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio
Nullis nota Quiritibus
Ætas per tacitum fluat:
Sic cum transierint mei
Nullo cum strepitu dies,
Plebejus moriar senex.
Illi mors gravis incubat
Qui notus nimis omnibus
Ignotus moritur sibi.

§. VI.

Pro civibus, plebe, & subditis universim.

1. Æquissimum est, ut uni alicui excellenti viro libenter ac sponte cives obtemperent. *Aristoteles polit. cap.* 3.

2. Facilius est unius viri judicio ac voluntati satisfacere, quàm operam dare, ut multis ac variis ingeniis placeas: *Isocrates ad Nicocl.*

3. Integritas præsidentium salus est subditorum. *S. Leo.*

4. Omne quod est, tamdiu manere atque subsistere solet, quamdiu unum est: sed interire atque dissolvi pariter solet, quandò unum esse desinit. *Boetius lib.* 4. *de consol.*

5. Hinc verum est pervulgatum hoc: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.*

6. Subditorum rebellioni, antequam confirmetur, est primo quoque tempore obviam eundum. *Tacitus.* Omne siquidem malum nascens, ut scribit *Cicero phil.* 5. facilè opprimitur: inveteratum verò plerumque fit robustius.

7. Duo sunt, quibus omnis Respublica servatur; in hostes fortitudo, & domi concordia. *Polybius.*

8. Nobilissimi civis est patriæ suæ augmenta cogitare, sed eorum maximè, quos Respublica summis honoribus obligavit. *Cassiodorus lib.* 3. *epist.* 10.

9. Utilitatem publicam diuturna non convenit ludificatione differri. *Idem lib.* 5. *epist.* 31.

10. Civis non habetur, qui urbis suæ gratiam non tuetur. *Idem lib.* 8. *cap.* 36.

11. Voluntate plebis nihil instabilius, sed & fortius nihil: nam quisque multitudinem sequitur, & si quid illa affirmat, ratio locum non habet: instar torrentis non pergit, sed rapit omnia.

12. Si passio desit, vox populi vox Dei est: ubi passio adfuerit, vox populi, vox diaboli est. Passionis ductum sequuntur plurimi, rationis pauci.

13. Vulgus medium non tenet: aut nimium res attollit, aut nimium deprimit.

14. Minus officit immodicus rigor, quàm nimia remissio; neque tyrannis tam nociva est, uti projecta licentia.

15. Plus sapit vulgus, quia quantum opus est, sapit. *Besoldus de consil. polit. cap.* 13. *n.* 22.

16. Subditi, quantum licet, principum sequuntur cupiditates: idque Lex eis est honor, quod principibus visum fuerit. *Niceph. Greg. Hist. lib.* 2.

17. Omninò præstat, Deoque gratius est, ut subditi pro legitimo Imperatore pugnent, quàm cum Seditioso ac civilis belli authore se conjungant. *Nicet. Isaac. Angel. lib.* 1.

18. Omnia regna circa finem magis turbulenta fuerunt omnibus ætatibus, & temporibus. *Quidam apud Langium in Polyanth.*

19. Constat apud omnes ferè gentes, nullos indigniùs aut iniquiùs tractatos fuisse omnibus sæculis, quàm eos, quorum maxima in Rempublicam merita extiterunt. *Idem.*

20. Nihil unquam intractabilius est Republicâ, quæ vacat principatu; quemadmodum neque periculosius quicquam est navi suo destituta gubernatore. *Chrysost. in cap.* 3. *Isaiæ.*

21. Ut in navi dirigenda respectus habendus est in Cynosura, sic in reipublicæ administratione ad facta prioris ævi. *Lipsius in Hist. Annal. Taciti.*

22. Non est opus Reipublicæ eo cive, qui parere nescit. *Idem lib.* 2. *de mil. Rom. Dial.* 4.

23. Punitio delictorum mater est quietis: Inde Reipublicæ salus nascitur, inde alitur, inde sustentatur. Suadet autem *Aristoteles in Politicis*, ut Princeps in puniendo sit gravipes, in benefaciendo Delphinus.

24. Principes sunt mortales, Respublica æterna est. *Tacitus.*

25. Cuncti membra Reipublicæ sumus: eam ideò deserere non debemus. *Besoldus de cons. polit. cap.* 3.

26. Bonus civis bonum suum à publico non distinguit.

27. Communis salutis auxilium in celeritate positum est.

28. Inamœnum est & ingratum, quidquid coactum.

29. Vir civilis nunquam fallat: nam seipsum lædit, qui ludit alios.

30. Violenta sicut imperia non diu durant, sic nec obsequia.

31. Prognosticon appropinquantis interitûs est in Regno, ubi boni audiunt, vident, tacent ac sapientiam negligere, & semet stultos simulare coguntur. Planè interiit Respublica, ubi idonei sese aperire non audent, ubi inertia pro sapientiâ est, ut fuit tempore *Neronis. Tacitus in Agricol.*

32. Misera illa terra ab omnibus judicatur, quæ nullum suorum, vel paucos in consilio principis conspicit. *Lipsius 3. polit. 4.*

33. Regula certissima est omni exceptione carens, omnes Hypocritas & avaros boni publici hostes esse, ut & adulatores, qui dicere non verentur omnia esse Regis, & quod de ipsis pro lubitu statuere, onera atque gravamina, quæ velit, imponere queat. *Cominæus lib. 5. cap. ult.*

34. Commune periculum communibus viribus propulsandum.

35. Respublica malè morata est, ubi licet impunè maledicere nihil mali meritis.

36. Virtute quàm pecuniâ Respublica melius stat. *Tacitus.*

37. Ibi cives optimi fiunt, ubi prœmia virtuti maxima proposita sunt. *Thucyd. lib. 2.*

38. Omnes qui boni rerum æstimatores extiterint, facilè conjicient rempublicam illam; in quâ perversa indicia fiunt, stare non posse. *Osorius lib. 7. de Reipubl. instit.*

39. Pudore, modestia ac justitia omnis civilis societas conservatur. *Dion Halicarn. lib. 6.*

40. Ingenia magna plerumque volatica semper in motu sunt & inconstantia. Quod autem Ventus Oceano, hoc inconstans ingenium imperio: Ille quietum mare concitat, hoc pacem imperii turbat.

41. Cum petis beneficium vel gratiam à Principe; tempus observa: videtur commodum, cum principem lætum advertis, minimè cum negotiis distractum. Si petitiones urgendæ, urgeas cautè, ne videaris imperare: prudenter pete, & quam petas prius petere discas.

§. VII.

Pro Causidicis, Judicibus & Consiliariis Principum & Magistratuum.

1. Summa Juris est & eorum omnium, quæ in Jure comprehenduntur: Jus suum cuique tribuere, neminem lædere, & honestè vivere.

2. Cum justitiæ sit reddere unicuiq; quod suum est: Tribue ergò tribus, quæ sua sunt: Superiori, Æquali, Inferiori. Redde reverentiam Prælato & obedientiam; quarum altera cordis, altera corporis est. Tribue æquali consilium, quo ignorantia erudiatur & auxilium, quo infirmitas juvetur: Tribue subjecto custodiam, ut possit cavere peccatum. S. *Bernardus.*

3. Regula justitiæ manifesta est, quod à vero non deceat declinare bonum virum, nec damno afficere quemquam, nec aliquid dolo annectere rei suæ. *S. Ambrosius lib. 1. de offic.*

4. Justitia non novit patrem, non novit matrem: veritatem novit, personam non accipit, Deum imitatur. *Cassiod. in psalm.*

5. Hoc certè alienum non est, quod jure possidetur: hoc autem jure, quod justè, quod benè. Omne igitur, quod malè possidetur, alienum est; male autem possidet, qui malè utitur. *S. Augustinus ad Maced.*

6. Justitia Regis pax est populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. *S. Cyprianus lib. de 12. abusionibus.*

7. Justa habenda sunt, quæ in omni virtute lege sunt constituta. *Aristoteles Ethic. lib. 5. cap. 11. Idem ibidem cap. 1.* Justum id erit, quod leges jubent, & quod æquum est; & injustum, quod contra leges est, & quod iniquum.

6. Fundamentum justitiæ est fides, id est dictorum conventorumque constantia, & veritas. Unde *Syrus* ait. Demens est, quisquis præstat errori fidem.

7. Ignorantia Judicis plerumque est calamitas innocentis. *S. Augustinus.*

8. Muneribus induci ad justitiam est scelerati hominis, sicut etiam non reddere jus absque operæ prœmio. *Philo Jud.*

9. Si amas oculos, fuge munera, exoculabunt te. Divinum est oraculum: *Munera excœcant oculos sapientum. Deutr. 16.*

10. Id modò cura, nequid pro tuo commodo amplectaris, quod possit te aliquando compellere ad fallendam fidem: prodendam verecundiam, odium alicujus, suspiciones, imprecandum, simulandum, ad petendumve aliquid, quod parietes, & velamina desideret. *Imperator Antonin. de vitâ suâ lib. 3.*

11. Justitia nihil expetit prœmii, nihil pretii: per se igitur expetitur. *Cicero.*

12. Judex ipse justitiâ plenus esse debet, si aliis jus administraturus est: quod fiet, si non minus judicari putet, quàm judicare, & unà cum authoritate assumat prudentiam, ne decipiatur: justitiam, ut unicuique suum tribuat; fortitudinem, ne flectatur precibus, aut misericordiâ, quamvis animadvertat in convictos sceleris. Cuicunque enim hæ fuerint virtutes, bene meritus de republicâ censendus est. *Philo Jud.*

13. In dubiis causis eam in partem vergere oportet, in quâ, si erratum sit, peccetur levius. Gravius autem est innocentem damnare, quàm absolvere nocentem. *Aristoteles in probl.*

14. Ut in cytharâ si vel unica fides discrepat, concentus & harmonia tota perit: sic justitia, si in uno aliquo delinquat. *Lipsius Cent. ad Belgas ep. 39.*

15. Quisquis justitiam sectari desideras, prius Deum time & ama, ut ameris à Deo. Amabis enim Deum, si in hoc imitaberis, ut velis omnibus prodesse, nulli nocere. *Seneca 4. de Virtut.*

16. *Res est consiliis secura fidelitas uti.*

17. Consilium salutaris est medicina, si detur secundùm methodi leges: arte nempè & prudentiâ concomitante. Venenum fit, si impetu applicetur, vel violenter *Ant. Perez.*

18. Ex optimis viris credibile est optima existere consilia. *Herodot. l. 3.*

19. Con-

19. Consiliarii politici corporis oculi sunt, si respiciunt afflictiones. *Perez.* Similiter sentit *Besoldus cap.9. de cons Polit.n.7.* ajens: Consiliarii sunt loco oculorum & intellectûs in Republicâ.

20. Vitiis conspurcatus vel non fidelis est Domino suo; vel ejus consilia felicia non existunt. *Idem Besoldus cap.9. n. 14.*

21. Metus & pudor pessimi consiliarii sunt. *Idem cap.10.n.4.*

22. Difficillimum est, sic Reipublicæ consulere, ut simul placeat, & prosit. *Idem ibidem n.22.*

23. Non est tempori serviendum, ut contrà conscientiam aliquid defendamus *ibidem num.27.*

24. Quemadmodum amator, si amica conditionem non accipiat turpem, primò odit, post majoris æstimat eam: ità Princeps consiliarium liberè animi sensa proferentem, quamvis ab initio disgratiâ, post tamen ampliori prosequitur gloriâ *ibidem n.39.*

25. Ubi non requirit conscientiæ & officii necessitas, haud accusanda sunt Principum errata, nec de iis judicium ferendum. *ibidem num.54.*

26. Malum consilium consultori pessimum: Sicut enim *Perillus*, ut inquit *Plinius*, qui *Phalaridi* taurum donavit æneum, suo periit consilio, sic aliquoties malum consilium in caput Authoris redundat.

27. Nihil magis consiliis tam inimicum est, quàm celeritas. *Livius lib.31.*

28. Nullus tamen cunctationi locus est in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum. *Tacitus.*

29. Bona quoque etiam consilia morâ aliquando putrescunt: nam ut fructus maturos, ita etiam consilia corrumpit aliquando tempus.

30. Semper sapimus, dum consilia audimus; sed non semper sapimus, dum sequimur. *Anonymus in Epitom. axiom. Salom.*

31. Consuetudo aut axioma sapientis est, cùm consilia deferuntur, ea audire, & urbanè accipere, ut amicum, ad examen vocare ut judicem, exequi ut Dominum. *Idem.*

32. Consilia felicem sortiuntur eventum, si preces præcedant, interveniant, & sequantur. *Comnilæus lib.5. cap.13.*

33. Injusta consilia dantes, si non cœlum, terram ad minimum respicere debent, quæ omnia tandem aperit, & nihil intrà se occultum servat. *Perez.*

34. Judices & Principum consiliarii privatam utilitatem abjicere debent, & assumere publicam. *Martinus Laudensis tract. de consil. Princip.*

35. Ubi consiliis impiis jura prætenduntur, & leges; ibi capitalis vertitur pernicies & abrupta. *Amianus Marcell.lib.26.*

36. Optimè consultat de futuris, qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumit. *Dion. Halicarn. lib. 10.*

37. In suo quisque negotio hebetior est, quàm alieno: turbida enim consilia eorum, qui sibi suadent. *Curtius lib.7.*

38. Consilia callida & audacia primâ specie læta, tractu dura, eventu tristia sunt, & omnia inconsulti impetus cœpta initiis valida spatio languescunt. *Tacitus lib. 2. hist.*

39. Deliberandum est diu, quidquid statuendum est semel; deliberare utilia, mora est tutissima: mora omnis odio est, sed facit sapientiam. *Seneca.*

40. Ut pretium justiciæ sit; benè audiat Judex, nè malè audiat, aut malum quid audeat.

41. Quemadmodum, si scaturigo fontis corrupta sit, aqua omnis, quæ inde fluit, necessario quoque depravata est: sic sacro consiliò malè constituto universam gubernationem errore duci oportet. *Fridericus Furius de Consil.*

42. In rebus asperis & tenui spe fortissima quæque consilia tutissima sunt *Vegetius lib.3. cap.9.*

43. Eorum consilia solent esse tutiora, qui sese periculo & consilio socios nobis adjungunt. *Tacitus.*

44. Infelicia sunt consilia, quæ capiuntur, tunc cùm eorum tempus effugit. *Tacitus 1. hist.*

45. Temeraria dici non possunt consilia ad quæ extremâ necessitate compellimur. *Guicciard. lib.20.*

46. Nulla consilia meliora sunt quàm illa, quæ ignoraverit adversarius, antequam facias. *Vegetius de re milit.*

47. Consilia debent esse arcana, veracia, libera & absque adulatione, & sine respectu personarum, denique justa & sancta. *Ægidius de regim. Princ.*

48. Nullæ lites, nulla in judicium vocata flagitia, quæ non patronum inveniant. *Barclai.*

49. Si malis consulere necesse habes, vide ut benè consulas & ut bonus. *Besoldus de consil. polit. cap. 3.*

50. Novi consiliarii similes sunt architectis, qui supervenientes ab altero perfecto ædificio semper aliquid improbant, quod & ipsi, si non circà novam substructuram, attamen in reparatione & commutatione veteris occupantur. *Perez.*

51. In decrepitis erit sapientia & in longitudine dierum intelligentia. *Job cap. 12. v.12.* Unde etiam apud *Stobæum legitur.*

Dictum est vetustum facta juvenum, cæterum
Magis valent consilia senum.

52. Causæ graviores per Seniores facilius, quam per Juvenes expediuntur. *Besoldus de cons. polit. cap.7.n.15.*

53. Mens & intellectus in plerisque maximè viget circa quinquagesimum ætatis annum.

54. Senes consultationi, non expeditione sunt adhibendi. *Besoldus cap 7.n.22.*

55. Decrepitorum consilia dubia esse solent, opinantur magis, quam affirmant, peculiareque verbum gerunt semper in ore: *Forsan* & *fortassis.* Et cùm multa sunt experti, plura metuunt, ne iterum experiantur. *Idem cap.7.n.23.*

56. Consiliarii gente dispares nihil in communem Reipublicæ salutem consulunt, sed vel suo quisque commodo vacat, vel quod

quod agendum pro communi salute est, absque maturâ deliberatione decernit. *Idem cap. 8. n. 7.*

57. Nunquam inultum esse finit Deus, si justitiæ sub prætextu, sed tamen ex affectu privato etiam ferè sontes prosequimur, aut punimus. *Idem cap. 14. n. 21.*

58. Nullibi dissimulatio minus locum habet, quàm in Principis consilio. *Richterus axiom. hist.* 163.

59. Optima lex est *Solonis*: Principi consulito optima, non dulciora.

60. In consilio igitur dando magnâ circumspectione opus est; cùm pœnitentia in spiritualibus utilis & illustris; in politicis turpis fit & periculosa. *Perez.*

61. Denique antiquum illud, & pervulgatum attende: *Rectè faciendo neminem timeas.* Hoc est, quod Causidicus, quod Judex quiscunque, quod Consiliarius omnis semper observare debet, ut rectè secundùm Deum & Jura, secundùm conscientiam & ejus dictamen operando non timeat quemquam. Quod & Horatius 3. Carm. 3. canit:

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ, nec auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

§. VIII.

Pro Militibus & severioris Justitiæ Ministris.

1. Armorum apparatus prorsus inanis sine Deo. *Maraviglia.* Nam hebes est ille glaudius, quem non acuit Altissimi virtus: debilis est hasta, quam non jacit omnipotentis dextera: infirmum est scutum, quod non firmat Dei brachium: in ejus dextera sunt Mundi regna: ab ejus potentiâ pendent omnia.

2. Bellum nunquam suscipiendum, nisi cum majus emolumentum spei, quàm damni metus ostenditur. *Cæsar Augustus apud Tranq.*

3. Exorta bellorum incendia non facilè restinguuntur & ferè semper ex uno tumultu longi temporis bella & orbis mutationes sequuntur.

4. Sæpè fit in bellis, quod adagio dicitur: *Ut victor fleat & Victus intereat*: id est, ut bella sint pœnæ tàm Victori quàm Victo. Unde etiam bella dicuntur scopæ asperrimæ, quibus hic mundus sordido excrementorum, & purgamentorum cumulo liberatur.

5. Constat nullos desperatis civibus in Principem ferociores hostes reperiri, nec ullum bellum justius videri, quàm quod necessarium fit. *Bodinus lib. 3. de Republ. c.* 17.

6. Sævius finiuntur, quàm inchoantur bella, nec ut initium illorum, ita & exitus in mortalium manu reponitur. *Paulus Æmilius de reb. gestis Francor. lib.* 1.

7. Ad animandos in præliis milites Regis conspectus multùm valet. *Tacitus hist. lib.* 2.

8. Optimi Imperatoris est nosse ingenium & naturam sui hostis, ut ea ad suum commodum utatur ipse; Hostem verò iis rebus, quibus terretur vel percellitur vel delectatur, decipere. *Ex Polybio.*

9. Nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet. Nam frequentissimè initium calamitatis est securitas. Unde etiam antiquum Proverbium est: *Animus vereri qui scit, tutò scit aggredi.*

10. Maturè & solerti consilio ad bella procedendum.

11. Hostis non est domi exspectandus, sed in suo infestandus.

12. Nihil valent arma foris, si consilium non sit domi.

13. Nulla consilia meliora sunt, quàm quæ ignoraverit Adversarius, antequam facias. *Vegetius lib.* 3.

14. Satius est longè à domo bellare, quàm sua tecta defendere.

15. Ducis in consilio posita est virtus militum. *Valerius Max. lib.* 1.

16. Belli momenta aut Ducis virtute, aut fortunæ felicitate constant. *Procopius de bello Vand.*

17. Tunc tempestivè bellum hosti infertur, cùm ejus proceres inter se dissident. *Ex Tacito.* 1. *Annal.*

18. Exercitius licet exiguus, à prudenti tamen & strenuo Imperatore ductus longè fortior est, quantumvis magnâ multitudine confusâ, & ab imprudente Duce gubernata. *Polybius lib.* 1. in omni quoque conflictu, ut inquit *Vegetius*, non tàm prodest multitudo, quàm virtus.

19. In bellis, qui priùs instructus & paratus prodit, magnas hosti commoditates eripit & metum injicit. *Thucydides, lib.* 5.

20. Nusquam à sano Duce utiliùs ponuntur sumptus, quàm quò certi speculatores parantur. *Ferdinandus Davalus apud Jovium in ejus vitâ.*

21. Magna dispositio est hostem fame magis urgere, quàm ferro. *Vegetius.*

22. Tunc solùm utile est concurrere ad arma, cum locum apud hostem non habet justitia. *Cassiodor. lib. 3. ep.* 1.

23. Audendum tibi est aliquid, si vis esse aliquid.

24. Quando non potes quod vis; id velis quod possis.

25. Minæ vigilantiam adversarii ad cavendum acuunt.

26. Acerimi stimuli sunt, quos vindicta animis injicit.

27. Pecunia nervus belli: qui si deficiat, deficiunt milites.

28. Optimum armamentum virtus, fortissimum vallum generositas.

29. Ducum Sapientia sæpius hostem, quàm armatorum impetus evertit. *Barclai.*

30. Nihil majus potest fortuna præstare, quàm hostium discordiam. *Tacitus*

31. Multùm adjicit sibi virtus lacessita. *Seneca ep.* 13.

32. Non

32. Non aliter possunt superari difficillima bella, quàm præveniendo, & hostium vires distrahendo. Unde etiam *Guicciardinus* ait: Antevertendo, & divertendo victoria ex bellis reportari solet.

33. Pulchrum est strenuè agere, & impedimentis nequaquam frangi. *Eryc. Putean.*

34. Melior est providentia in bello, quàm pœnitentia. *Dionys. Halicarn. lib.* 11.

35. Præstat arduum & difficile bellum evitare honestis conditionibus hosti concessis, quàm se cupiditate vindictæ in incertum Martis eventum conjicere.

36. Nihil damnosius est in milite, quàm otium, per quod usus morum dedisscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscunt, obrepit inertia, & ad immundiriam actus animus occupatur. *Petrus Blesensis. epist.* 6.

37. Exercitus labore proficit, otio contabescit. *Erycius Puteanus.*

38. Milites pœna & timor in sedibus corrigunt, in expeditionibus spes & præmia faciunt meliores. *Vegetius lib.* 3. *cap. ult.*

39. Ex abundantia rerum milites ad voluptatem & luxuriam convertuntur. *Plutarchus in Catone Majore.*

40. Hostis nunquam spernendus & contemnendus. Unde etiam *Cominæus lib.* 3. *cap.* 5. ait: Stultum esse neminem timere, vel contemnere inimicum.

41. Non facilè officio potest miles contineri ab eo, qui necessaria non subministrat. *Xenophon.*

42. Nec sanitati, nec expeditioni idoneus est miles, qui algere compellitur. *Vegetius lib.* 3. *cap.* 2.

43. Qui ante congressum recedit, & suis fiduciam minuit & inimicis addit audaciam. *Idem lib.* 3.

44. Oportet hostium discessiones semper suspectas habere. *Orosius cap.* 16.

45. Animis penè omnium hominum hoc naturaliter evenit, ut trepident, cùm ad conflictum venerint. *Vegetiuss lib.* 3.

46. Acies funditur Duce occiso. *Livius lib.* 2.

47. In præliis fama etiam falsa occisi Ducis subcredita illius partes terret.

48. In omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium solent præstare Victoriam. *Vegetius lib.* 1. *cap.* 1.

49. Quantò plus spei ad effugium, tantò minus animi ad resistendum. *Tacitus lib. Hist.* 3.

50. Acrius pugnant, quibus nulla spes pacis cum hostibus, aut veniæ reliqua. *Anonymus in Aphorism. polit. Sylva lib.* 3.

51. Pulchrior est miles in prœlio cæsus, quàm in fuga salvus & illæsus. *Livius lib.* 2. *decad.* 1.

52. In milite unjus sors est; in Imperatore universorum. *Egesippus.*

53. Exercitus pluribus cladibus jam acceptis perterritus eidem hosti non est temerè objiciendus: objicitur autem temerè, si priusquam confirmetur aliqua felici pugnâ & victoriâ de hoste, tamen iterum in aciem deducatur. *Anonymus ex Polybio.*

54. Quos viceris, cave tibi, amicos credas. *Curtius lib.* 7.

55. Improvisa rarò moram patiuntur ad recolligendum.

56. Non cessisse malis Victoriæ auspicium est. *Erycius Puteanus.*

57. In prælio, qui maximè timent, ibi maximum periculum est. *Salustius in Catilina.*

58. Quidquid inopinatum, hostem turbat, modò tale non sit, ut suos turbet.

59. Auxilium novum in ipso conflictu subveniens, hosti haud modicum incutit terrorem.

60. Periculosum est hostem invadere in nocte, præsertim cùm situs loci haud benè cognitus est.

61. Prima in bello ex hostibus præda militibus data maximè eos in reliquum bellum acuit & animat. *Livius.*

62. Audaces facit desperatio. *Josephus de bello Jud. lib.* 1. Unde etiam Poëta:

Una salus victis nullam sperare salutem.

63. Ultima necessitas in rabiem vertit milites, atque eos, qui penitùs de vitâ desperant, ex timidis longè fortissimos facit. *Jovius lib.* 2. *hist.*

64. Pacis simulatio frequentiùs credulis, quàm arma nocuerunt. *Vegetius lib.* 3.

65. In bello non licet peccare bis. *Clemens Alexander. lib.* 1. *strom.*

66. Nihil civili bello est pejus, in quo victos sequitur miseria, victores injustè faciunt, & accidit illis quidem, ut ab amicissimis perdantur; istos verò, ut amicissimos perdant. *Dionys. Halicarnassæus lib.* 6.

67. In bellis civilibus nihil festinatione tutius; nam ibi facto magis quàm consilio opus est. Iraque qui cunctantur, vel trepidant, statim invadendi. *ex Tacito Anonymus.*

68. In bellis civilibus metropolis regni comprimis, si fieri potest, occupanda vel conservanda.

69. Is fovere bellum meritò creditur, qui hostem, quem delere potuit, sæpius velut è manibus dimisit. *Anonymus in Aphor. polit. sylva.*

70. Novi belli causam ponit, qui captum dimittit inimicum.

71. Expugnatâ populosâ civitate cives sunt disarmandi, præsertim cùm illos constat in armis esse exercitatos.

72. In Urbium obsidione nullum firmius civium benevolentiâ munimentum est. *Jo. Jovian. Pontanus hist. lib.* 4.

73. Diuturna bella tandem alterius partis calamitas finit, etiam quæ prius neque ratio, neque æquitas terminare poterat. *Anonymus in Aphor. pol. sylvâ.*

74. Bellum semper alium sortitur exitum, quàm sibi quisquam primò imaginatus est. Unde *Agathias lib.* 2. ait. In incerto positus est belli eventus, nec mortalium quisquam fortunæ prenđsse potest exitum. & ut *Salu-*

ut *Salustius in Jugurtha*: non cujus potestate initium, ejus & finis est.

75. Tandem si omnia mente feriâ perpendere volumus, cum *Silio lib.11.* fateri debemus

- - - - - - pax optima rerum
Quas homini novisse datum est: pax una triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem
Et cives æquare potens.

§ IX.

Pro Medicis, & quibusvis restaurandæ Sanitatis ministris.

1. Ars medica & divinitus accepta est, & divinitùs exercetur; atque animus ex Deo; corpus pendet ex animo. *Mars. Ficinus lib.3. epi. ad Thom. Valer. physic.*

2. Qui, ut corporis sanitati consulat, animæ sanitatem negligit, non in præcepta modò divinæ legis peccat, sed veræ etiam medicinæ, ut Anathema habendus. *Paulus Zacchias quæst. Medico-leg. lib.6. tit. 1. q.5. n.3.*

3. Unde non potest Medicus quicquam, quod contrà animæ salutem fit, ægris suadere. Sic expressissimè cavetur *in cap. cum infirmitas. de pœnit. & remission.* in hæc verba. *Cæterùm cùm anima sit multò pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum pro corporis salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur.*

4. Medicus probè munus suum obiens cognoscat morbum, periculum prædicat, diligentiam in omnibus ad curam spectantibus adhibeat.

5. Antè morbos necesse est esse cognitos, quàm remedia. *Livius lib.34.* Unde *Hippocrates*: Si sufficiat medicus ad cognoscendum, sufficiet ad curandum.

6. Rhetor non semper persuadebit, nec Medicus semper sanabit. *Aristoteles libro. 1. Topic.* Unde etiam *Ovidius de Ponto. lib.1*

Non est in medico semper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

7. Medicinæ præcipuè efficacissimus Magister usus. *Plinius Senior lib. 24.*

8. Improbus & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, & ipse Vulnus, quod patitur nescit, *S. Gregor. in pastor.*

9. In omni morbo tria gravia sunt: Metus mortis, dolor corporis, intermissio voluntatis. *Seneca 7. Epist.*

10. Debet Medicus arti suæ fidere, & ejus præcepta solertissimè exequi. *Navarrus in Manuali cap.25. n.60.*

11. Remedia non debent esse periculosiora ipso morbo: nec media ea usurpanda, quæ sumptosa, & periculosa; nisi finis ita comparatus sit, ut periculi, & sumptuum habeat proportionem. *Besoldus de cons. polit. cap.14. n. 113.*

12. Medicamenta magis experta, magis tuta.

13. Morbus, qui principio non curatur, tractu temporis invalescens fit incurabilis. Hinc *Ovidius* monet:

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras,
Sed propera, nec te venturas differ in horas.

14. Multis rebus medetur tempus, quas nulla vi passis emendare. Hinc iterum *Ovidius de remed. Amoris* benè canit:

Temporibus medicina valet, data tempore prosunt;
Et data non apto tempore vina nocent.

15. Non quærit æger Medicum eloquentem, sed sanantem: sed si ita competit, ut idem ille, qui sanare potest, comptè de his, quæ facienda sunt, differat, boni consulet. *Seneca epist.76.*

16. Opinionis morbus incurabilis.

17. Pessimi Medici sunt, qui ut obsequantur ægro, circà diætam dispensant.

18. Medicus remedia tardè adhibens, aut non adhibens, ut morbum protrahat, est fur manifestus. *Paulus Zacchias ex Carrario de med. part.2. n.70. & Condrocbio lib. 1. cap.10.*

19. Nihil magis ægris prodest, quàm ab eo curari, à quo volunt. *Seneca.* Hinc etiam fides, quam habet infirmus in Medico, magis persæpè operatur in Salutem, quàm ipsa medicamenta.

20. Medicus ad senium deductus, & defectum internorum sensuum jam habens, mendendi artem amplius exercere haud debet.

21. Medicamenta ad malum aliquem finem præscribere, error gravissimus.

22. Medicamenta superstitiosa præscribere indignum Medico.

23. Melius est anceps remedium experiri, quàm nullum. *Paulus Zaccbias lib. 6. quæst. Medico-leg. tit.1. q.7.*

24. Crudelem Medicum intemperantia facit. Malè secum agit, qui Medicum hæredem facit. *Seneca in proverb.*

25. Oportet Medicum esse contemptorem pecuniæ. *Galenus libro, quod optimus Medicus sit & philosophus.*

26. Satius est Medicum officiis demereri, quàm sordidè cum ipso pacisci. *Nicolaus Tulpius in monitis Medic. ante obs. Med.*

27. Vir pius æquè gratuitam inopi, ac lucrosam locupleti facit medicinam. *Idem.*

28. Medicus ut pluris fit, cui plures fidunt: sic contrà despicatui habetur, cui minus solvitur. *Idem.*

29. Fac sis, videant afflicti propensam animi tui inclinationem, & non eris laboris irritus. *Idem.*

30. Medicus ni omninò pessimus vir fit, omnibus præterquam apud alios Medicos, apud quos invidiâ laborare consuevit, maximè acceptus est. *Cardanus actio. 1. in calumniat. lib. de subtil.*

31. Complures ab indoctis medicis longè occiduntur, alioquin victuri, quàm morituri ab Eruditis salventur. *Cardanus de methodo medendi cap. 100.* Unde etiam proverbium

verbium est. *A cibo bis cocto, à medico indocto, à malâ muliere libera nos Domine.* Et *Seneca in Epist.* monet: Medicorum consilia devita, qui parùm docti, & satis seduli officiosissimè multos occidunt.

32. Plurium Medicorum auxilio morbus magis inter initia, quàm circa finem indiget. *Tulpius loc cit. supra.* Improbat quoque *Verinus* Medicorum pluralitatem his verbis:

Impediunt certam medicamina crebra salutem:
Non plures Medici, sed satis unus erit.
Nunquam (crede mihi) à morbo curabitur æger,
Si multis Medicis creditur una febris.

33. Nihil æquè sanitatem impedit, sicut remediorum crebra mutatio: ut non convalescit planta, quæ sæpè transfertur. *Seneca.*

34. Valentia medicamenta adeò non prosunt convalescentibus, ut etiam summè noceant. *Tulpius loc. cit.*

35. Medicus crebrò vomitum ciens ægris non tantùm horrori, quin & sanitati maximè noxius est. *Idem.*

36. Expedit cautè potiùs imperare, quàm servili obsequio nihil non egris indulgere. *Id.*

37. Optima vivendi lex propria cujusque natura. *Idem.*

38. Verum denique est proverbium: *Optima medicina, medicinâ non uti.* Hinc etiam ut suam quisque valetudinem cognoscere possit, Poëta monet:

Si cibus est simplex, potus bonus, atque diæta:
Si bona mens pariter, vena quieta, vales.

§ X.

Pro Mercatoribus & Negotiatoribus.

1. Mercator is dicitur, qui in exportandis aut importandis mercibus operam suam collocat.

2. Omnes volunt viliter emere & carè vendere. *S. Augustinus de civ. Dei lib. 13. cap. 2.*

3. Regula justitiæ manifesta est, quod à vero non declinare, virum deceat bonum, nec damno injusto afficere quemquam, nec aliquid dolo annectere rei suæ. *S. Amb. lib. de offic*

4. Mercaturam qui exercent; sine fœnore & usurâ & mendacio, & vanitate exerceant. *Franc. Patric. de Republ. lib. 9.*

5. Minima quæque, qui inter mortales felix videri cupit, observare non tantùm decet, quàm necessarium est. *Cardanus de subtil. lib. 17.* Unde etiam proverbium: Sæpè res exigua magnæ fortunæ locum aperit.

6. Sua cuique industria instar opum est.

7. Opes sunt opes, & sine iis nihil fiet, quod opus. *Demosth. Olynth. 1.*

8. Quis sit divitiarum modus, quæris? primus habere quod necesse est; proximus, quod sat est. *Seneca ep. 2.*

9. Ad manum est, quod sat est; cui cum paupertate benè convenit, dives est. *Idem epist. 4.*

10. Multa modica faciunt unum satis. *Adagium.*

11. Divitiæ præcoces & brevi tempore comparatæ, famam probitatis nulli unquam augent, ac semper dulcedini ejusmodi thesaurorum juncta est amaritudo publicarum querelarum. *Besoldus de consi. polit. cap. 8. n. 44.*

12. Is maximè divitiis fruitur, qui minimè divitiis indiget. *Seneca ep. 14.*

13. Mercator non est, qui non sit mendax. Unde etiam *Horatius*:

- - - - - - - plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

14. Utilius est dispendia pati, quàm periculis negotiationis adstringi: quia difficile est inter ementes & vendentes non intervenire peccatum. *S. Leo Papa.*

15. Faciens jacturam non cogites, quid amiseris, sed quid servaveris. Qui perdit omnia, habet tamen, unde gaudeat, si amissis aliis servarit seipsum.

16. Infausta multis sunt sua ipsorum lucra.

17. Locupletari nemo debet alterius detrimento.

18. Nemo habet injustum lucrum sine justo damno. Lucrum in arcâ, damnum in conscientia. *S. Prosper serm. 11.*

19. Honestum est lucrum, per quod nemo læditur, justè acquiritur, & nulli præjudicatur. *Cassiodorus in epist.*

20. Mercatoris artificis officii est, ita pecunias quærere, ut nemini noceat: nam quidquid à malo surgit, in malum denique redit. *Cicero in Epist lib. 3.*

21. Fideli homini totus mundus divitiæ sunt: infideli autem nec obolus. *S. Augustinus ad Macedon.*

22. Hoc jure possidetur, quod justè; & hoc justè quod benè. *Idem ibidem.*

23. Hanc vocas industriam, quæ est calliditatis versutia, fruadis astutia. Et quod tu remedium vocas, est commentum nequitiæ. *S. Ambrosius lib. 3. offic.*

24. Si quis usuram accipit, rapinam facit, vitâ non vivit. *Idem lib. de bono mortis.*

25. Nihil usuris turpius, nihil crudelius. Alienus hic negotiatur miserias, & lucrum suum alterius diversitatem facit. Talis est quasi manum accipiens & naufragum impellens. *S. Chrysostomus.*

26. Noli ditari nequiter, assiduè *Thales* in ore habuisse fertur. *Laërtius lib. 1. cap. 1.*

27. Ut ignis invalescens alia post alia corripit: sic Usura. *Plutarchus.*

28. Nihil tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ possit. *Cicero 2. act. in Verrem.*

29. Omnis cupido acquirendi ex opinione inopiæ venit, nec refert, quàm magnum sit, quod tibi minus est. *Luccius Apulejus de Magiâ lib. 1.*

30. Divitiarum amor insatiabilis longè amplius torquet animam, quàm refrigerat usu suo: quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur. *S. Bernardus in quod. serm.*

Heu miser in mediis sitiens stat Tantalus undis,
Et poma esuriens proxima habere nequit.
Nomine mutato id de te dicetur Avare;
Qui quasi non habeas, non frueris quod habes. Alciat. Emb. 85.

§. XI.

Pro Mechanicis & Artificibus.

1. Dii laboribus omnia vendunt.

2. Omnia quæ ad artem aliquam augendam maximè faciunt, præstantissima sunt Diligentia & Judicium. *Cardan. segm. 7. Aphor. 37.*

3. Si quid feceris honestum cum labore; labor abit, voluptas manet; Si quid turpe cum voluptate; voluptas abit, dolor manet. Inde canit Poëta:

Lætius est quoties magno tibi constat honestum.

4. Generosos animos labor nutrit. Laborem si recuses, parum esse potes. Non est viri timere sudorem. *Seneca ep. 31.* Unde Poëta:

Quod Genius, quod origo negat, labor aptat & artes.

Et alius:

Omnia nempè potest vigilans industria, quodque
Natura ipsa negat, perficit ingenium.

5. Nihil tam rectè cœptum, quod non improborum vellicet ac deprimat iniquitas. Unde *Seneca* rectè ait: Invidia sequitur virtutem, sicut umbra corpus: quod ipsum Poëta his versibus complexus est:

Umbra velut corpus sequitur, sic perpete cursu
Claris arte viris est comes invidia.

6. Cum vera via nondum nota est in arte; ille rectè agit, qui antiquorum dicta fideliter recitat. *Cardan. seg. 5. Aphor. 180.*

7. Quæ arte fiunt, semper meliùs fiunt. *Aristoteles.*

8. Nemo facere metuit, quod se benè didicisse meminit. *Vegetius. lib. 1.*

9. Miserum est cujuslibet artis & studii disciplinam quampiam profiteri, & ad perfectionem ejus minimè pervenire. *Abbas Joannes in collatione suâ.*

10. Ars est ordinis & compositionis magistra, simia Naturæ. *Plato.*

11. Oportet ut ars in hoc imitetur naturam, ut omnia agat propter finem *Aristotel.*

12. Quod cum majore labore acquiritur, magis diligitur. *Aristoteles in Ethicis*

13. Facillimum est, quàmplurima inchoare, unum inter plura perficere difficillimum. *Cardanus.*

14. Malum facere est facile, bonum autem difficile. *Aristotlees. 2. Ethic. cap. 5.*

15. Difficiliora quæ pulchra. *Plato.*

16. Facilè ubique vivit, qui artis suæ probè peritus est. Ideò benè Poëta:

Ut bona vera Bias fert naufragus omnia secum,
Sic tellus alit Artificem quæ cunque peritum.

17. Artium peritia honestos parit mores, vel comites habet. Undè *Ovidius de arte Amoris* canit:

- - - - didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec finit esse feros.

18. Labor exsiccat & senium inducit: Unde multùm laborantes senescunt magis. *Aristoteles de longâ vitâ.*

19. Noli incipere, quod ad finem perducere non possis: Nam

Qui majora suis conatur viribus, illum
Cum risu tandem quilibet excipiet.

20. Paupertas omnes artes perdocet. *Plautus lib. 1.*

§. XII.

Pro Juvenibus & Studiosis.

1. Omnes, qui magni aliquid gesserunt, in juventute incepisse constat, hocque vel in educatione situm esse, vel à gratiâ divinâ proficisci.

2. Duo sunt, quæ à pueritia per omnem vitam ducere illum debent, qui sit præclarè victurus: in rebus turpibus verecundia, in honestis gloria, laudisque studium.

3. Virginalis integritas angelica portio est. Et esse angelum felicitatis est esse virginem Virtutis.

4. Non tantùm celerius, sed & perfectius imbibuntur, quæ discuntur, à pueris. *Vegetius lib. 1. cap. 4.*

5. Nihil discendum, quod rectius fuerit nescisse. *Plinius lib. 3. ep. 16.*

6. Quæcunque vehementia sunt circâ animum, etiam pro parte in filios transeunt; quæ autem levia sunt; talia autem plurima corrigit educatio: validissima verò etiam irritat, mediocria tamen lenit. *Cardanus seg. 6. Aphor. 18.*

7. Concepta à puero odia, nescio quâ horroris consuetudine ad senium quoque deducimus. *Barclai.*

8. Nihil ineptius quàm primam ætatem voluptatibus dedere laboriosis exercitationibus natum. *Idem.*

9. Agenda sunt illa, quorum commemoratione nullâ in ætate reminisci pigeat, & facultas prius destituat hominem, quàm Voluntas. *Cardanus de vita propr. cap. 50.*

10. Bonum in adolescente signum est, cùm illi ex alto rubor suffuditur. *Seneca.* Unde etiam antiquus Plautus in Asinaria ait: Adolescentem verecundum esse decet. Et *S. Bernardus supr Cant. serm. 86.* ait: Quid amabilius verecundo adolescente?

11. Libidinosa & intemperans adolescentia effœtum corpus tradit senectuti. *Cicero lib. de Senect.*

12. Sicut in Senibus sobrietas & morum perfectio requiritur; ita in adolescentibus obsequium, & subjectio & obedientia ritè debetur. *Cyprianus de 12. abusionibus.*

13. Vinum, quod in dolio placuit, non fert ætatem: quod recens durum est, & asperum, posteà placet. Sic adolescentia durior maturescit, & ad frugem pervenit. *Seneca.*

14. Gratissima sunt poma, cùm fugiunt: pueritiæ

pueritiæ maximus in exitu decor est. *Idem ep.12.*

15. Præcocia ingenia vel non durant, vel desipiunt. *Besoldus de consil. polit. cap.7. n.25.*

16. *Immortalis erit famâ juvenisque senexque,*
Tempora qui Musis consecrat, atque Deo.

17. Studium cum spe senescit, & quod quis assequi non potest, sequi desinit.

18. Mores primùm, mox sapientiam disce, quæ sine moribus malè discitur. *Seneca.*

19. Tamdiu discendum est, quamdiu nescias, & si proverbio credimus, quamdiu vivas. *Idem epist.77.*

20. Educatio & disciplina mores facit, & id sapit unusquisque quod didicit. *Idem lib. de moribus.*

21. Labor Scholasticus otium est, sed negotiosum, & quod animum reddit ad honestatem sollicitum. *Idem in Epist.*

22. Homo imbutus deliciis non benè retinet sapientiam, quæ ut dicitur *Job. 28. non invenitur in terrâ suaviter viventium. Bellovac. spec. morum lib.3. p.8. dist.1.*

23. Præclara facies, divitiæ, ad hæc vis corporis, & alia hujusmodi omnia brevi dilabuntur: at ingenii egregia facinora sicut anima immortalia sunt. *Salustius in Jugurtha.*

§. XIII.

Sapientum dicta, monita & axiomata Ethico - politico Christiana pro omnibus universim.

1. Canon Christianus est Naturæ lumine confirmatus inter præcipuos circà proximum ferè primus *Matth.7. Quodcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* & *Tob.4. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

2. Nihil Deo offertur ditius bonâ voluntate: Voluntas autem bona est, sic proximi adversa, sicut nostra pertimescere. *S. Gregor. Hom.5. super Evang.*

3. Ab alio exspectes, quod alteri feceris. *Seneca in proverb.*

4. Stulti tantò intensius de alieno judicant, quantò sua profundiùs ignorant. *S. Gregor. in Moral.*

5. Cum facturus es aliquid, cogita, quo in statu eris cum egeris, seu eveniat, seu non eveniat. *Cardanus de vita propr. cap.50.*

6. Non est homo, qui nihil; non est verus Christianus, qui non toleranter; non est verus Sanctus, qui non lætus patiatur.

7. Quamdiu animus tranquillus est, parum ipsum refert fortem conturbari, confusionemque in negotiis inveniri.

8. Certissima duo signa eo nos in statu esse, quo Deus vult, sunt tranquillitas atque humilitas.

9. Animus tranquillus sapientiæ est officina. *Besoldus de consil. polit. cap.9. num.38.*

10. Quicunque novit se sapientem esse, non diu erit; & dum illud affirmat, non est amplius, fortassis nec unquam fuit. *Anonymus in Epist. Axiom. Salom.*

11. Perfectè sapit, qui sic agit, ut timeant cum eo contendere, & sapientes esse cogantur, ubicunque præsens fuerit. *Idem.*

12. Nunquam aliquis sapiens seipsum laudavit. *Idem.*

13. Nec te lauda, nec te vitupera, ab hoc contemptus, ab illo invidia paratur. *Fredro in monitis politico-moral.* Et Poëta:

Dolia plena silent; si tundis inania clangunt:
Mente carens garrit; pectora docta tacent.

14. Superbia omnis via est ad exitium.

15. Plerumque nihili est, qui se magni æstimat.

16. Qui superbiæ semel se permisit, raro ab eâ desuescit.

17. Quod putredo & fœtor est in cadavere; idem est superbia in spiritu immortali: A nullo ferri potest: in cœlo & in terra horrorem ciet: Uterque mundus in contemptu, & odio illius conspirat.

18. Omnis stultitia laboret fastigio sui. *Seneca epist.9.*

19. Quicunque per superbiam evehi cupit, nihil obtinebit, nisi quod maximè vitat; incidet in opprobrium & peribit.

20. Nulla perennis improbi felicitas est: sicut pluma, quam dispellit ventus, sunt improbi. *Besoldus de consil. polit. cap.9. n.21.*

21. Qui hodie florent, in autumno suo decident, etiam fortassis calcabuntur. *Barclaj.*

22. Nostri oculi ac lingua non sunt nostri, sicut nec cor. Loqui de seipso non est minor stultitia, quàm loqui secum. *Anonymus in Epitom. Axiom. Salom.*

23. Melius est centum dicenda prætermittere, quàm unum tacendum proferre. *Cardanus de vita prop. cap. 50.*

24. Celeritas in effutiendo pessima, in agendo quandoque necessaria, in deliberando mediocris esse debet.

25. *Illum nullus amat, qui semper Da mihi! clamat.*

26. Ultimus & minimus gradus Sapientiæ quoad linguæ moderamen est, posse tacere; Secundus pauca loqui, sibique moderari durante colloquio: Tertius & perfectissimus scire multum loqui, nec tamen malè aut nimis. *Anonym. in epit. Axiom. Salomonis.*

27. Secreti & thesauri eadem natura: ex parte jam detectus est, ubi scitur recondi. *Id.*

28. Turpe est culpare in alio, quod non vis emendare in teipso. Unde monet *Plautus*: qui alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet.

29. Quem bilinguem nosti; amicum ne tibi hunc adsciscito.

30. Amisisti omnia, si fidem amiseris: est instar animæ, quæ non solet reverti ad corpus, quod deseruerit.

31. In mendacio deprehendi impedimento est hominibus maximè ad veniam consequendam. *Xenophon Cyropædia lib. 3.*

32. Duo sunt opera Sapientis; quorum unum est non mentiri, de quibus novit: alterum verò, mentientem manifestare posse. *Aristoteles lib. Elench.*

33. Mendax hoc lucratur, ut etiam cum vera dixerit, ei non credatur. *Id. apud Diog. l.5.*

34. Intereſt quemadmodum verbum procedat ex animo, Ream linguam non facit niſi Rea mens. *S. Auguſtinus de Verbis Apoſt.*

35. *Perpendit ſapiens, loquitur benè, multa priusquam*
Quid dicat, cui, quo tempore, quo ve loco.

36. Facere probè, ſapere rectè, dicere verè: hæc tria faciunt Politicum.

37. Tempus omnia evertit, quæ perfecta; lingua, quæ perficienda. *Anonymus in epiſt. Axiom. Salom.*

38. Qui facilè credit, facilè decipitur. *Adagium.* Sed & audi Poëtam:

Credere nil, vitium eſt: vitium quoque credere cuncta.
Ergo crediderìs ne temerè, ipſe cave.

39. Quod omnes aut complures ſentiunt, aut dicunt, falſum eſſe non eſt putandum. *Ariſtoteles lib. de divin.* Unde etiam proverbium. Fama, quam omnes famant, non eſt vana. Conſentit Poëta.

Non prorſus fama illa perit, quam multa per orbem
Turba hominum celebrat. - - -

40. Sincerus qui eſt, non promittit, ſed præſtat; non jurat, ſed juvat. *Beſoldus de conſ. polit. cap. 10. n. 78.*

41. Flores hortorum & lilia promiſſorum citò creſcunt & decreſcunt. *Adagium.*

42. Dum fidem obſtringimus, & ad opem ferendam nos aliis obligamus; ſapienter & prudenter agimus, ſi minus pollicemur, quàm depoſcant, & plura præſtamus, quàm ſperent: *Anonym. in epit axiom. Salom.*

43. Beneficium promiſſum dimidium gratiæ ſolùm habet: ubi comparet; Regium eſt, cùm improviſum aliquem occupat, cùm non exſpectatum ad ſperantem venit. *Idem.*

44. Multum eſt prævenire preces; glorioſius prævenire deſideria: adhuc ſublimius prævenire ſua verba, & ante facere, quàm dicere. *Idem.*

45. Spes, quæ humanis præſidiis fulcitur, ex putrido pendet filo: aut enim mutatur voluntas humana, aut occaſio, aut vita. *Beſoldus de cons. polit. cap. 14. n. 5.*

46. Prima conſtans cum Authoritate repulſa adimit pleriſque importunam audaciam. *And. Maximil. Fredro monit. politico mor. part. 1. n. 56.*

47. Præſtat malis benefacere propter bonos, quàm bonis detrahere propter malos.

48. Durum eſt bonis mentibus, vel infamia ſæculi, vel hominum criminationibus inundari. *Barclari.*

49. Damna, quæ livor infert, in emolumentum cedunt, in gloriam ſe convertunt. *Villegas.*

50. Inter æquales nullus eſt competitor: dum fortuna cujusdam creſcit, multorum etiam creſcit invidia. *Idem.*

51. Graviorem illud maximè dolorem facit, ſi liberè queri non liceat.

52. Bonæ mentis uſurpatio nullum triſtioris fortunæ recipit incurſum. *Valer Max.* Audi Poëtam:

Antidotum vitæ eſt patientia ſola malorum
Victrix; ut vincas diſce ſubindè pati.

53. Pelagus eſt mundus, navis vita neceſſe eſt homini, ut ratio clavum arripiat, ne perturbationum fluctibus obruatur. *Villegas.*

54. Multum juvat obnoxium eſſe invidiæ; nam merita & virtutem oſtendit. *Idem* Hinc docet *Seneca*: Nunquàm meliùs torquebis invidos, quam virtuti & gloriæ ferviendo. *Et Laertius Diogenes* ajebat. Felicitas ſemper ſubjecta eſt invidiæ: Sola miſeria invidiâ caret.

55. Nemo idem omnibus horis, nemo ubique ſapit. *Beſoldus de cons. polit. cap. 1.*

56. Virtutes nunquam magis fulgent, quàm cum veritatem comitantur.

57. Suprà hominem eſt, qui ex virtute operatur; infrà hominem, qui ex vitio.

58. Non eſt bonum, quod bonos non efficit.

59. Firmitudo Veritatis à nullo valet infringi: aſtutia falſitatis mille ruinis objecta eſt.

60. Nullum vitium damnoſius eſt, quàm quod virtutis ſimilitudinem induit: Larvatum timetur minus aut penè diligitur.

61. Nihil agere eſt non vivere; malè agere eſt vitam perdere; otium eſt parentheſis vitæ; vitium jactura.

62. Qui fugit otium, ſuas opes illuſtrare cupit. *Villegas.*

63. Spes & metus tyranni duo, quibus in vitâ agitamur. *Lucianus.*

64. Sortem hominis omnem virtus beatam facit: Sola metu virtus caret omni.

65. Impia facinora tam mirabiliter aperiuntur, quàm flagitioſè concipiuntur. Unde *Senecâ* teſtante ſceleribus nunquam profuit ſecretum; tecta eſſe poſſunt, non tuta: & juxta Poëtam

Impia non poſſunt facta latere diu.

66. Peccatoris maxima pœna eſt deliquiſſe: ipſo ſcelere plectitur ſceleſtus.

67. Eadem quidem eſt via *Thebis Athenas*, quæ *Athenis Thebas*; non eadem tamen à vitio ad virtutem, quæ à virtute ad vitium: Nam à virtute citiſſimè tranſieris ad vitium, ſed à vitio ad virtutem lentiſſimè.

68. Plus recidit, quàm aſſurgit, qui per indigna ſe evehit: honor ei in confuſionem cedit, dignitas in contemptum.

69. Monitis malis, ajebat *Sophocles*, præſto eſt obedientia: etenim levis & proclivis eſt via ad id, quod volumus. Plerique autem ob ignorationem & imperitiam rerum bonarum peſſima volunt. *Plutarchus in Artaxerxe.*

70. Vitam elige optimam, dulcem eam conſuetudo facit. *Idem.*

71. Tunc demum intelligimus bona noſtra, cùm, quæ habuimus, perdidimus. *Comicus.*

72. Nihil eſt, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quàm ſi vitæ merito non magni, ſed humilitate infimi ſumus. *S. Hieronymus.* Unde etiam monet *Auſonius*:

Fortunam reverenter habe, quicunque repentè
Dives ab exili progrediêre loco.

73. Fortuna perturbare poteſt ſucceſſum noſtrarum actionum ſapienter & conſilio geſtarum, ſed non auferre honorem. *Anonym. in epitom. axiom. Salom.*

74. *Quis-*

74. *Quisque suæ faber est fortunæ: dico beatum,*
Hunc bene fortunam qui reverenter habet.

75. Fortunæ nunquam fidendum. Unde Poeta:

Cum ridet fortuna nimis, cave rumpitur ultrò:
Cum splendent facilè vitrea vasa, crepant.

76. In multis nulla est æqualitas, in paucis nulla fiducia, uno solo nulla securitas. Fugere hominem oportet, ut æqualis vivas, confidens & securus. *Villegas in recessu Sapientis.*

77. Quidquid belli in ædibus nascitur, contemptus mutuus gignit: quidquid infelicitatis, bellum. *Anonym in epit. axiom. Salom.*

79. Successum rerum nihil ita fortunat, quàm præcedens consilium.

79. Omnia secundùm ordinem fiant, cum benè fieri debent. Unde Poeta:

Diversi diversa tenent, sed in ordine quivis
Ecce suo pulcher, si facienda facit.

Et Boetius metro 6. lib. 1.

Si quod præcipiti via
Certum deserat ordinem
Lætos non habet exitus.

80. Præcipitantia mater erroris. *Adagium.*

81. Continentia & moderatio in altissima quâque fortuna, eminentia magna. *Curtius lib. 6.*

82. Felicitatis & moderationis dividuum contubernium est. *Valerius Max. lib. 9. cap. 5.*

83. Sapiens mundi civis est, non *Athenarum*: Domi ibi est, ubi studii sui exercitia habet: patriam meritò censet, ubi vel benè ei est, vel benè agere potest. *Besoldus de consf. polit. cap. 8. num. 10.*

84. Annorum fomentum est lætus hilarisque animus. *Erycius Puteanus.*

85. Amicitia aut virtus est, aut cum virtute conjuncta. *Aristoteles lib. 8. Ethicor. cap. 8.*

86. Amicos plures habere multis gloriosum reprehensioni nemini fuit. *Plinius lib. 5. epist. 3.*

87. Amicitia inter dispares contracta deformi plerumque fœdatur exitu.

88. Amici vitia si feras, facis tua. Ità amicum habeas ut inimicum putes; ita credeamico ut sit inimico locus. *Seneca in prov. philosoph.*

89. Amico mutuam roganti pecuniam si dederis, & amicum & pecuniam perdis. *Idem ibidem.*

90. Amor non ascendit, sed descendit. Unde etiam *teste Aristotele lib. 9. Eth. cap. 7.* Benefici vehementiùs eos diligere videntur in quos beneficia contulerunt, quàm ii, qui acceperunt, eos, qui dederunt.

91. Negotiatio est, non amicitia, quæ ad commodum accedit: detrahit enim amicitiæ, qui illam parat ad bonos casus. *Seneca in epist.*

92. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus & omnia tanquam illo vidente faciamus. *Id. epist. 11.*

93. Armatura tutissima Animi modestia. *Evagrius.*

94. Nihil in vitâ securum solidumque præter innocentiam. *Lipsius Cent. lib. 2. cap. 14.*

95. Triumphus innocentiæ est non peccare, ubi liceat; in quem plus potes peccare, desine. *Seneca in prov.*

96. Quietissimam vitam agerent homines in terrâ, si hæc duo verba à naturâ omnium tollerent MEUM & TUUM. *Seneca de beneficiis.*

97. Quantò majora timentur dispendia, tantò promptior & perfectior debet esse cautela. *Petrus Blausensis.*

98. Graviùs nocet, quodcunque inexpertum accidit: melius est præcavere, quàm pavere; ut melius rubescere quàm pavescere. *Seneca.*

99. Si prudens fuerit animus tuus tribus temporibus dispensetur: præterita cogita, præsentia ordina, futura provide. *Seneca de beneficiis.*

100. Denque ne quis superbe sese super alios efferat, illud Ecclesiæ persæpè cogitet. *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quod eleganter Poeta his etiam versibus voluit indicare.

Pulvis & umbra sumus: pulvis nihil est nisi fumus:
Sed nihil est fumus: nos nihil ergò sumus.

§. XIV.

Monita & Consilia Ethico-politico Christiana miscellanea pro vitâ publica prudenter, justè & piè instituendâ, ut ingenuum verum ac realem Christiano-Politicum decet, ordinata.

1. Principium in unquâque re maximum *Aristotelis* assertum est: finisque ab origine pendet; Vetus Poeta monet. Est autem Deus Alpha & Omega, principium & finis rerum omnium. Ad Eum igitur tanquam vitæ principium & finem ultimum omnia coordinanda sunt.

2. Nihil sine Deo; omnia cum Deo: sicut omnia fiunt in Deo intimè præsente. Ut igitur tibi melius succedant omnia: Cogita quo cum, qui tecum, in quo & quo præsente opereris

3. Sicut à supremo Numine dependent omnia, ita ut ab Eo fluat unico tibi omnis bene operandi gratia: ideò Dei cultus & amor, ut optime præstes omnia, rebus omnibus præponendus est.

4. Ab initio cogitandus est finis: sicut in causâ videndus est effectus. Minimi Principium sæpè lucrum vel damnum fert maximum. Ab initio dependent omnia. Ut bonus fias, nullo magis indiges, quàm talis fieri incipe. Cum malus efficeris, initium posuit malitia. Error in principio, multò major fit in fine. Cum semel à viâ rectâ deflectis, quò plus procedis, hoc plus abscedis. In malis præstat nunquam incipere. Incontinens esse non vis: ut talis non fias, optimum remedium: *Nunquam incipe*. Extremis malis nulla optimè prosunt initia.

5. Quidquid agis, ut prudenter agas, ad finem identidem respice. Si bonus est; media conformia adhibe; si malus, citò desine. In capite videndum, quod occurrat in fine. Nullus ad finem malum bene operari potest: Nec malè in hoc quis agit, cum bonum finem respicit.

6. Audendum tibi est aliquid, si vis esse aliquid: nihil tamē ultrà vires audendum est. Incipere, quod vires superat, audax quidem est conatus, sed temerarius. Perficere velle, quod nunquam possis, ausus est arrogantiæ nihil præstantis, sic & in vanum laborantis. Vanus autem labor non laudatur, sed deridetur ab omnibus.

7. Providentia nunquam cœca est, finem in omnibus prospicit, casus examinat, eventus prænoscit. In præsentibus videt futura: discit in futuris præsentia. Omnia, quæ providet, sic ordinat, ut providisse non noceat, vel omninò non, vel parum nocere valeant.

8. Nihil est in rebus humanis duriùs, quàm id ferre debere, quod prævidisti, & omni molimine præcavere studuisti, sed non potuisti.

9. Cum premeris, gemis: Optimus gemitus à compresso & compuncto corde venit. Qui nisi veniat post delictum, in novissimo conflictu te maximè faciet afflictum.

10. Optima prudentiæ præcepta sunt ista.

Potes multa; noli facere omnia; quia superbia est.
Ignoras multa; noli inquirere omnia; quia curiositas est.
Scis multa; noli dicere omnia; quia stultitia est.
Audis multa: noli credere omnia; quia levitas est.
Vides multa: noli judicare omnia; quia temeritas est.
Habes multa: noli dare omnia; quia prodigalitas est.

11. Festinanda magna non sunt, gradatim ad illa scanditur securius. Quisquis repentè scandit, sæpè repente cadit. Magna & inter hæc honores sunt ut arbores, quæ sensim, ut solidiores fiant, grandes agunt radices. Rarò æternant citò nata. Quorum accelerata magnitudo est, non ferunt ætatem. Ferunt autem, quæ lentè crescunt. Qui progreditur citiùs, offendit sæpius, cadit periculosius. Omnis ascendendi securitas in morâ tutamen habet.

12. Tarditas in judicio maturat judicium. Plerumque labitur, qui præcipitat: est enim præceps semper præcipitio proximus. Prudentia nunquam præceps est, sed cauta attendit casus, providet pericula, præsagit damna, præsagio eventus venatur; Unde & *Prov.* 22. *Astutus videt periculum & absconditur, simplex præcipitat & perditur.*

13. Solus videre potes multa, sed non omnia. Cum plures aliquid vident tecum, certior eris accuratius te vidisse. Prudenter hoc judicas, quod ita tecum plures judicant.

14. Veritas fuco non tingitur, stibio non induitur, pallio non tegitur: aperta & nuda placet omnibus. Tunc pulchrior in publicum procedit, cum velamen rejicit, & tegi recusat.

15. Optimi non est facere malum vel minimum: sic nec pessimus præstare potest ullum bonum, pessima cum agit.

16. Quisquis anxiè timet: ob malum præteritum, vel futurum, timet. Præteritum est crimen commissum; Futurum est supplicium ob crimen admissum.

17. Ne unquam male metuas; metuenda facias. Metus tamen & malus à metu etiam bono dimisso venit.

18. Quocunque vadis, tecum vadis. Si malus, cum malo; si bonus, cum bono. Securus autem & quietus nullibi es, quocunq; venis. Si tecum seu cum malo vadis. Bonus & quietus fies, cum conscientiâ quietâ bonus tecum ire cœperis.

19. Ad imperia proni sumus: nihil autem difficiliùs est, quàm benè imperare, benè imperat, qui omnia sua divino firmat auxilio, rectam conscientiam ut anchoram securus servat in periculis, nec latum unguem à justitiæ tramite deflectit injudiciis.

20. In omni regimine nocet rigor, obest laxitas: magis proficua sola est moderatio & discretio. Sola enim moderata durant. Sic & *medio tutissimus ibis.* Sic *modus est in rebus*: Sic *ne quid nimis*, semper attende.

21. Elevatus es, noli extolli supra teipsum. Forte minus ingnominiosè latuisses in privato, quàm nunc fulgeas in publico. Cum elevatus es, suspiceris ab omnibus. facilè nævus in excelsis advertitur. Cito de sublimi cadere poteris cum lapsu graviore, quo ex loco ruis altiore.

22. Indignum honesto judica, quidquid ruborem possit offundere. Non facilè erubesces, si erubescenda non patres. Inter erubescenda autem maximè etiam cujusvis inhonesti nomen exhorreas.

23. Laxamentis indiget animus, ne mœrore contabescat, inter laxamenta verò non debent admitti scelera; quæ fatigant, non recreant; cruciant, non exhilarant; famam prostituunt, honorem diminuunt: nec liberas concedunt noctes; nec placidos dies: in ipsâ quiete mentem inquietant & turbant.

24. Inhonestæ voluptatis illecebras ut pestiferam luem vita. Etiam vidisse occœcavit,

cœcavit, & oculos, mentemque perdidit, ut quæritur ille:

Ut vidi ut perii, sic me malus abstulit error.

Attactus omnis longè periculosior: præsentaneam affert mortem, certumque vitæ interitum.

25. Quisquis inconstans est, in se pilæ lusum ordinat, quæ vel in lusu rumpitur, vel post lusum abjicitur. Firmas fortunam, cum firmâ factorum constas basi, suâ verò basi nemo stare potest firmius: Unde basis qualis, fortuna talis.

26. Amici fortunæ mancipium est, quisquis eâ solum nititur. Labitur illa & tua lapsui propinqua est: illâ prostratâ securus stare metuas.

27. Dissimula si cupis regnare: atque etiam vota, cum ad majora tendis, tecum retine. Nam sæpe spes excidit manibus, si, quæ ignorata voluisti, intellexit æmulus.

28. Mentis & oris symphoniam serva: simplicitatem indue candidam; & candorem cum moribus firma. Absit ab ore calliditas, à corde duplicitas, aliis si placere desideras. Fraus semel detecta fidem tollit: & fraudulentus fidem, quam non habet, apud alios non meretur. Oceanum etiam cum malaciam exhibet, times post naufragium: sic fraudulento non fiditur etiam cum verum ab illo asseritur.

29. Si alii malè de te loquuntur & mentiuntur, multùm præstas, si dissimulas & patienter feras. Si verò non mentiuntur; justè feras, cujus injustè causam dedisti. Nunquam autem causam de te malè loquendi dabis, si nihil mali facias.

30. Utilitas privata certat cum publicâ: illam cum amas & sequeris; hanc impugnas & proteris. Numen supremum imitatur, qui publico, non privato studet bono: sicut illud sibi moriens alios, ut publicum procuraret bonum, vivere fecit.

31. Odium populi declinat, & amorem ejus acquirit, qui popularis est, & alienos à populo mores non induit. Ut verò bonus sis cum populo bono, bonos nec alios cum eodem mores indue.

32. Frivolis sæpè turbamur & inanibus. Multos absolvemus, si cœperimus ante judicare, quàm indignari Quidquid in alio persæpè repræhendimus, id unusquisque in suo reperit sinu. Tantum inspiciamus mentis nostræ habitum: etiamsi nihil mali fecimus, possumus tamen facere.

33. Nullum malum absolutè permitti debet etiam ut eveniant bona, potest tamen minus tolerari, ut majus præcaveatur, quia etiam ex duobus malis necessariis minus eligi potest.

34. Non debet aspici bonum præsens, cum indè certum etiam post longa tempora prævidetur malum. Quia melius intermittitur bonum, ne eveniat malum. Optimè monet etiam, *Thomas Kempensis l. 1. de imit. Christi, c. 15.* Pro nullâ re mundi & pro nullius hominis dilectione aliquod malum est faciendum, sed pro utilitate tamen indigentis opus bonum liberè aliquandò intermittendum est, aut aliquandò pro meliori mutandum.

35. Nihil ita occœcat animam, perturbat mentem, conscientiam implectit retibus, omnemq; vitæ quietem tollit, quàm carnalium voluptatum illecebræ. His irretitus semel vix unquam solveris ampliùs. Vitium ex vitio committes, ut adeò in profundum vitiorum pelagus demergaris, ex quo emergere, propriæ potestatis non sit ampliùs.

36. Nullus ipse sibi sufficit. Dispensat Deus subsidia, ut fulcimen & tutamen cuiq; paret in altero. Neminem ergo contemne. Quem hodiè prosternis, te forsan cras eriget. Mutua nos ope promovemus, nec quicquam est tam vile, quod non aliquandò possit proficere.

37. *Tam durum nihil est, quod non emolliat usus.*

Tam arduum nihil est, quod non facilitet assuetudo. Scite hinc *S. Bernardus l. 2. de cons.* Usus facit virtutes, non natura: tuum est autem abutendo facere vitia, aut bene utendo virtutes.

38. Magna vis est consuetudinis, ait *Cicero 2. Tuscul.* peccasti: cito convertere: non repete: non assuesce. Nihil enim consuetudine majus; canit *Ovidius 2. de Art. am.* Tenent parvæ consuetudines, quem semel ceperunt, atq; quotidiè duriores existunt, & nonnisi cum peccatoris vitâ finiuntur, ut docet *S. Gregorius l. 15. Moral.*

39. Eo, quod habes, contentus vive; ne si petas, quod non habes, amittas etiam quod habes. Securus vivit, quisquis parvo contentus vivit. Imo parvum non est, quo quis contentus vivit, nam satis est. Hinc *Seneca* scribit *in epist.* Nunquam parum est, quod satis est; & nunquam multùm, quod satis non est.

40. Frænum injice sensibus, ut liberior vivat animus. Inquietant animum sensus liberi. Hinc *D. Ambrosius l. de fugâ sæculi* docet: *Respexit oculus & sensum mentis invertit: audivit auris & intentionem inflexit: inhalavit odor & cogitationem impedivit: os libavit & crimen retulit: Tact' contingit & ignem adolevit.*

41. Cœca est voluntas, intellectum sequi debet informantem. Ordo convertitur, si rationi dominetur voluntas & plus velis quàm intelligas, id appetas quod nescias. Cœcum cum ducem sequeris, facilè cum eo corrues. Inquire semitam, scrutare viam, pernosce pericula. Cum cœco dum vadis & uterq; securus ambulat, Qui, quod libet, faciunt, non quod sciunt bonũ; volunt nõn benè ambulãt.

Non regit hos etenim ratio, sed cœca voluntas,
Quæque volunt, faciunt, non ea quæ sciunt.

42. Idem semper est qui verè bonus est, nec potest aliud velle, quàm quod bonum est. Idẽ sentit, qui benè sensatus est. Non facilè evertitur, quod bene constitutum est. Virtus firmâ nititur basi. Perfectus idem ubiq; stat & manet: Idem semper exprimit verbis & factis. Idem est in ore, idem est in corde, & ut antiqua docet sapientia: Verba vertit in opera, tantum se scire ratus, quantum vita expresserit: quem etiam cum videas & audias, idem est. *Et Epist. 76. ad Lucil. Hæc sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur, quod loquimur, sentiamus, concordet sermo cum vita. Ille promissum suum implevit, qui & cum videas illum & cum audias, idem est. Videbimus qualis sit, quantus sit, an unus sit.*

43. Ma-

43. Mala Exempla sunt venena, facilè inficiunt, facilè conficiunt & interimunt. Mala Exempla visa intoxicant, audita prosternunt. Non ibi consistunt ubi cœperunt, sed quemlibet in tenuem recepta tramitem latissimè evagandi sibi viam faciunt. Vaga sunt cum semel evagantur, non remitti valent, unde egrediuntur. Quem semel abducunt, hunc præcipitant. Cave malum des exemplum, tot noces, quot doces. Tot præcipitas, quot instruis, quot imbuis.

44. Sermonibus tuis mores accomoda, ut talis vivas, qualem te verbis prædicas. Non est viri probi, nosse quid fieri deceat & pulchrè scire de virtutibus discurrere, nullam autem virtutis speciem in factis ostendere. Eruditus es: scis eruditè multa proponere, gravitate verborum vis in aliis mores optimos effingere. Sic vive & effigia prius in teipso, quod docere cupis alios. Nihil enim est turpius, ut bene notat *Seneca epist. 61.* quàm cum eruditam linguam rustica vita redarguit. Exemplum ergò te præbe bonorum operum, antequam hæc alios doceas, imitans Salvatorem, qui cœpit prius facere, quàm docere.

45. Non omnis omni tempore convenit sermo. Optimam loquendi occasionem tempus aperit. Loqueris & impetras: optimum erat tempus. Loqueris, contestaris, obsecras; nil impetras: non erat tempus. Hinc monet Poeta.

Serviet æternum, qui tempore nesciet uti.

Non larga fandi copiâ, non oris melliti dulcedine, non ornatis verborum phaleris, non disertis linguæ blanditiis semper expugnantur gratiarum munimina. Cum tempore subsidunt, parent & patent. Hinc alius Poeta:

Nobile lingua bonum, si fari in tempore noscit.
Magnum lingua malum: si fari in tempore nescit.

46. Quem laudas, quem extollis, quem prædicas, quem commendas Principi, diligenter inspice, cognosce intime, vires examina, quære dotes in anima, cor penetra, mores refera, ne bonum alteri providisse, tuum verò malum non vidisse comperias. Hinc rectè Venusianus Vates:

Qualem commendas etiam atq; etiam aspice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

47. Robustus Leo imbellem canem quantumvis latrantem non timet. Vir virtuosus convitia imperitorum & improborum non curat. Latret canis, clamet imperitus; stat Leo, statu & in eo, quo prius constiterat, bene manet Eruditus. Unde benè Seneca. *Æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus.*

48. Ad honesta virtus est modesta: ad ardua procedit cum lætitiâ: tantò autem fit lætior, quantò majoribus curis & laboribus superavit pericula, obtento tandem fine facta est beatior. Ita rectè canebat ille.

Lætius est quoties magno sibi constat honestum.

49. Omnia membra corporis ad aliquem usum & commodum ordinata sunt: nihil in corpore frustraneum, nihil superfluum, nihil otiosum, nihil inutile. Quisquis igitur ad Reipublicæ corpus, vel communitatem aliquam pertinet, eidem prodesse, minimè verò obesse debet. Hoc nempè ab homine exigitur, inquit *Seneca lib. de vita beata cap.* 30. ut profit hominibus, *si fieri potest, multis: si minus, paucis; si minus proximis; si minus, sibi. Nam cum se utilem cæteris efficit, commune agit negotium.*

50. Lingua sicut nulla pars corporis, ad nocendum promptior, ita nulla ad frænandum difficilior: nec ullâ sui parte magis homo, qualis sit, faciliùs deprehenditur, quàm linguâ. Qualis enim quis fuerit in factis, comprobatur in verbis; Lingua modicum membrum est & magna exaltat. Sermo unicus incaute elapsus linguâ sæpè labem attulit inexpiabilem. Ne igitur facilè tibi lapsus veniat à lingua: audi, quid moneat Poeta.

Perpendit Sapiens, loquitur benè multa priusquam,
Quid dicat, cui, quo tempore, quovè loco.

51. Sacerdotes Dei cultores, tanquam terrestres Angelos summi Imperatoris, nuntios decretorum divinorum interpretes, velut in morbis medicos, in fluctibus tentationum pharos, in nocte lumina, in adversâ fortunâ paracletos semper honorabis, nec unquam contemnes, non verbis proscindes, factis non offendes, in nullo lædes, ignominia non afficies, odio nec minimo infectaberis. Sacrilegii equidem genus est, ut docet *Salvianus lib.* 8. Dei odisse cultores; &ut *S. Ignatius Martyr in ep. ad Smyrn* scribit: Sacerdotii dignitatem, qui furiosè contemnit, non hominem lædit ignominia, sed Deum. Comminatur & ipse Deus *Zachar.* 2. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.*

52. Collectum hostem, quem validiorem times; si separes & disjungas, securiùs invadere & debellare poteris. Nihil enim ad confœderatos adversarios superandos separatione efficacius est. Nam quæ collecta robusta sunt & valida; franguntur divisa perfacilè. Unde jam olim ab Antiquis hoc datum scimus documentum: *Separa & vinces.* Sic cum plures tibi adversantur: Separatim & seorsim conveni, comitate & officiis frange, & novæ negotium conventionis conficies.

53. Hoc nos pessimos facit, inquit *Seneca*, nemo vitam suam respicit. Pessimos induunt

induunt mores, qui ex humili surgunt in altū, nec vitæ abjectæ recordantur pristinæ. Præsides aliis, cogita te subfuisse: Elevatus es, cogita te prostratum aliquando jacuisse. Tam securus nemo potest stare in altiori statu, quin præcipitari, quin dejici denuò possit. Vanitati & mutabilitati subjectum non constat. Ut igitur in fortunæ blanditiis non subvertaris; *pristinam fortunam adversam respice, præsenti qualicunque non fide, futuram suspectam time*: observans, quod antiquus monet versus:

Quis sis, quis fueris, quis eris, semper mediteris.

54. Frustra tuo te jactas ingenio; frustra propriis confidis viribus, similis avi, quæ requiem fragili quærit in arundine, sed onere præponderans concidet. Sol' Deus omnis author & arbiter fortunæ est. Tantum potes, quantum ille tibi posse permiserit. Omnis igitur tua potentia divino fulciatur auxilio, quo, quod potes, agnosce, quod posse cupis, ab eo deposce, & ne non possis, non offende. Unde ille *Philotheus in Symb. Christ. Symb. 26. canit.*

Nil sibi debet homo: nam quæ clarissima jactat
Dona, dedit Summus, qui regit astra, Deus.

55. Quod stabili adhæret, stare potest: invalidum verò stare non potest, quod instabili affigitur; Vides res omnes Mundi & bona terrestria stare non posse, cur illis adhæres, si bene stare velis? Solus Deus & bona superna firmâ nituntur basi, & adhærentes stabiliunt. Hinc ille.

Infera perpetuo fervent agitata tumultu:
Vera quies sursum non peritura datur.

56. Qui multùm loquuntur & garriunt, mente solida non sunt: His enim cerebrum & ingenium in linguam profluit: quod taciturnis viget in capite. Sic non inscitè canit quidam:

Dolia plena silent, si tundis inania clangunt:
Mente carens garrit; pectora docta tacent.

57. Dives & beatus quilibet esse cupit. Modus optimus divitias & beatitatem comparandi est cupiditatem compescere & cupita contemnere. Ut sis ditissimus oportet vel habere omnia, vel contemnere omnia. Illud nulli datur, hoc omnibus est arbitrarium. Itaq; nil concupiscere & omnia contemnere obtinendæ opulentiæ & beatitatis modus est optimus: & sic ille ditissimus & beatissimus est, qui cupit nihil, quemque satiat minimum.

58. Ille maximè quietus & beatus est, qui in se uno & Deo ponit omnia: qui sibi cum Deo sufficit, animo nunquam deficit, quidquid acciderit: nullo enim indiget qui Deum habet & qui sibi sufficit, etiam nullo indiget. Igitur vince fortunam, contemne terrena, sine rerum appendicibus contentus cum uno solo vive Deo, & quadam divinitatis æmulatione tibi sufficies & beatus eris, & cum Deum habebis, omnia habebis & ubiq; quietus eris.

59. Laude ducimur ad ardua: hujus avidus animus ambit honorari, refugit contemni. Nullus in amore proprio cum amore laudis quietus est. Age sis ut beatiorem te, & quietiorem efficias, hæc quatuor disce præstare: *Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese, spernere se sperni.*

60. Mala judicantur, quæcunque nobis adversa. Hæc miserum te non efficiunt, sed aliis te ostendunt. Nemo enim miser esse potest, nisi qui vitio suo cupit esse miser. Tunc in adversis miser es, cum illâ abnuis, cum refugis, cum declinare, cum amoliri cupis, nec tamen potes, sed necessariò pati debes. Felix cum illis eris, cum pacato cum patienti animo susceperis agnoscens ab optimo immitti ac dari tibi aut bono; aut ut te bonum efficiat. Magnum certe genus est delirii judicare mala, quæ bona judicavit Optimus, & in bonum ordinavit optimis. Qui & summum bonum est, nec ulli malè velle quicquam potest: cum ergo adversa pateris, personata tantùm mala credas, esse verò in se bona optima, quæ ab optimo bene optimis immittuntur.

61. Securissime & quietissimè vivere constanter poteris, si benefactori maximo te maximum agnoscens debitorem grates, quas possis maximas identidem rependas: Mundo deinde mortuus sic vivas ut unicam bonam & tranquillam semper conscientiam habere studeas, quâ cum omni tempore mortē subire paratus sis. Hinc verè pie monet ille:

Vive Deo gratus, toti mundo tumulatus,
Crimine mundatus, semper transire paratus.

62. In negotio salutis omnis odiosa est mora. Cum vitæ periculum imminet, citò subsidium petis, citò consilium arripis, citò declinare cupis. Nihil periculosius est, quàm in statu vitæ malè vivere & bonum fieri velle differre. Optimum consilium est à malo vitæ statu ad bonum citò transire. Ne vitam in momento, quod in tuâ potestate non est, perdas, momento bonus fieri memento: sicut Poeta monet:

Esse bonus propera, nunquam nimium properabis:
Qui non est hodiè, cras minus aptus erit.

63. Inter tenerrima tenerrimum, inter inquieta maximè inquietum, inter periculosissima membra periculosissimum est lingua. Hæc loquacula est velut novacula; hæc lingula est velut ligula; hæc blandula est velut Tarantula. Vallum natura opposuit dentium, ut loquendi cohibeat temeritatem: labiis munivit, ut munus præmoneat, non facilè elabi sinere, quæ in cordis sinu

sinu retinenda sunt. Non ergò citò emittenda quæ reticenda, non citò effutienda, quæminimè producenda: bene omnia pensitanda, quàm pandenda, quàm efferenda. Bis ad limam, quàm semel ad linguam verba atterenda, monet mellifluus Orator S. *Bernardus*, Concinit ideò benè Poeta.

Pauca loqui, sua verba coqui vult providus: O qui
Talia consuescit, semper cum laude senescit.

64. Ut optimus quis evadat, non plus exigitur, quàm ut imitetur pessimum, hoc est avarum, quo Sacrâ attestante scripturâ nihil est scelestius, in hoc:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Crescat amor summi, quantum ipsa & gratia crescit.

Optimè dives eris, si cum laude avarus tantum feceris pro augenda virtute & gratia, quantum ille pro accumulandis opibus & pecunia. Laborat hic usque ad obitum, ut acquirat obulum, & tandem perdit omnia post obitum. Esto tantum attentus lucris minimis virtutis & gratiæ, ut acquiras Deum; & cum illo obtinebis omnia.

65. *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum.*
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Ita bene nasutus ille canebat *Ovidius*. Semper enim diligit, qui amicus est. Amicus verus tunc probat fidem, tunc sincerum demonstrat amorem, tunc verè se ostendit amare, cum effervescit adversitatum mare: nam aquæ multæ non possunt extinguere charitatem. Hinc præclarè *S. Augustinus lib. de Amicit. Non est validior vulneribus nostris medicina, quàm habere, qui in omni incommodo occurrat compatiens, in omni commodo occurrat gratulans, ut junctis suis humeris onera sua invicem tolerent.*

66. Propinquum est perversionis periculum, ubi cum malis & depravatis initur consortium. Serpunt ut corporis sic & animi contagia. Qui bonus malo jungitur vix efficiet, ut ex bono malus fiat melior: facilè autem bonus ex malo fiet deterior. Facillimè siquidem ex pravo consortio emanat virtutis divortium.

67. Virum honestum haud alium habitum gestare convenit quàm modestum. Absit luxus, absint & sordes. Munditia decor est, Simplicitas honor est. Ambæ exornant, ambæ condecorant.

Prævalet in cunctis discreta modestia punctis.

68. Qui se prudentem jactat, quemque vulgus talem æstimat & veneratur, sed cupidus est, hoc est, avarus & ambitiosus, superbus & luxuriosus est. Illum certe crede fatuum, nec bona ulla prudentiæ notâ præditum. In negotiis terræ erit perspicax ut aquila, in Cœli bonis cœcutiet ut noctua. Speciosa tantum erit prudentiæ simia, cujus inani specie comitur, & larva tantum tegitur. In hoc solùm ipse sibi prudens placebit, si polleat astu, si turgeat fastu, si bonis terrenis gaudeat, & illicita quævis audeat. Quæ sanè veri prudentes cum incarnatâ Sapientia arbitrantur stercora, ut veræ solidæque prudentiæ sese cultores exhibeant. Stultus est & stulto deterior, quisquis solidis veris & æternis bonis dimissis, personata, vana, fluxa mox peritura respicit, & æternæ pœnæ supplicium in caput suum inde consciscit. Certissimum est illud Poetæ:

De re terrenâ nihil est aliud nisi pœna.

69. Præclarum est monitum Romani Sapientis, quod suo dedit *Lucilio epist.* 18. à nobis autem omnibus magni verè æstimandum. *Nemo alius*, inquit, *est Deo dignus, quàm qui opes contempsit, quarum possessione tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepidè possideas, quod uno consequeris modo, si te etiam sine illis beatè victurum persuaseris tibi, si illas tanquam exituras semper aspexeris.*

70. O perversas hominum mentes! omnes diu vivere cupimus: bene autem vivere vix appetit unus aut alter. Ut diu vivamus nos ipsos castigamus, amara devoramus, insipida & acerba potamus: Urimur, adurimur, sudamus & laboramus. Ut verò benè & æternum vivamus, quid facimus? quid laboramus? quis ipsum hoc curat? Notum hoc & fuit *Senecæ*, dum *Epist.* 22. scripsit. *Nemo quàm bene vivat, sed quam diu curat: cum omnibus possit contingere ut bene vivat; ut diu, nulli.* Diutius vivere non poteris, quàm si æternum vivas. Hoc ergò ut efficias: Jam vive bene, justè & probè.

71. Ad optima caligat oculus, ad pessima fit lynceus. Minus confert ad famam perfectioris vitæ præcellentia, quàm inanis mali suspicio ad notam infamiæ. Iniqui planè censores sumus: leviuscula quæ famam diminuunt, statim credimus, tanquam cedro honoranda aliis propalamus & amplificamus; egregia verò & heroica aliorum facta palmaria scilicet virtutum opera neglectim referimus, aut in dubium vocamus. Adeò ingenuè & probè factorum exigua nos tangit cura; in malefactis autem nimium suspicaces & creduli statim damnamus alios.

72. In neglectis minimis maxima sæpè sæpius increscunt damna. Morbus, qui principio non curatur, tractu temporis invalescens erit incurabilis. Hinc benè monuit *Ovidius:*

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Minimum nequaquam negligas, à quo dependet

pendet maximum. Initium cum fine necte, junge, colliga, & totum fiet maximum. Sic nec peccata spernas modica, quorum assuetudine vel neglectu patrabis maxima.

73. Laudaris; non extollaris: contemneris, contemnito. Adversis premeris sustine; succedent prospera. Prosperitatem adversitas è vestigio subsequitur. Omnia instanter mutantur. Præclarè *Seneca epist.* 24. *Nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia, fugiunt aut sequuntur. Diem nox premit, Dies in noctem æstas in autumnum desinit. Autumno hyems instat? quæ Vere compescitur. Omnia transeunt ut revertantur.* Hinc & *Owenus:*

In mundo nil constat: in orbem vertitur orbis,
Quid mirum recti quod sit in orbe nihil.

74. Habet hoc optimum in se generosus animus: iterum præclarè monet *Seneca epist.* 39. quod concitetur ad honesta. Ita animus noster in motu est, eò nobilior & actuosior, quò vehementior fuerit. Magnanimi est magna contemnere, ac mediocria malle quàm nimia. Illa enim utilia, vitaliaque sunt. At hæc quo superflua sunt, nocent. Sic segetum nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non tantùm in aliorum injuriam, sed etiam in suam vertuntur. Ergo hanc

Audi doctrinam, si vis vitare ruinam.

75. Si honestum est, quod facis, omnes scire possunt: si turpe, quid refert neminem scire, cum te sciente testis teipso severior esse non possit, qui constanter id, quod maleclam fecisti objiciat. Sic vivas in publico, ut alios videre, & scire non pudeat: Sic vivas in occulto, ut omnes, comprimis verò æmuli te tuaque omnia intimè pervidere possint. *Bona* equidem *conscientia*, ut *Seneca* docet *epist.* 43. *turbam advocat; mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est.*

76. Illum periisse puta, cui periit pudor: illius infelicitatem deplora, quem turpia non tantùm delectant, sed & placent: Illius miseriam crede consummatam, qui obsurdescit ad monita: ibi perditionis labyrinthus est ubi pudor & metus exulant: ibi nullus amplius remedio locus est, cum errores transeunt in mores. Graduarius hic ad Tartara descensus est: *Nihil metuo; neminem curo; quis mihi prohibet; possum; placet; delectat; volo.*

77. Fingere est pingere. Omnis pictura speciem exterius alienam ab interiore fingit & pingit. Color qui exterius hæret, apparet tantùm, intus non reperitur. Solida ac splendida metalla, velut aurum, intus & foris ejusdem sunt coloris, sicut & valoris: ita quod requiris in homine sincero & politico vero ubique similiter idem debet valere & resplendere. Sit candor & splendor ejusdem coloris atque valoris, cordi s sicut oris, intus sicut foris, ut cum specie conjuncta sit probitas, sicut canit ille:

Dat probitas speciem, sed non species probitatem:
Qui probitate caret, nil sua forma valet.

78. Arborem bonam à te vel in te requirit Christus; bona non est, quæ fructibus caret: tunc placet maximè arbor bona, cum fructibus onusta, hos etiam lapidibus & fustibus impetita largè dejicit. Sic eum tu, qui te afficit injuriâ, affice beneficiis, qui te onerat contumeliis, honora laudibus; qui tibi infert infamiam, refer gratiam, & eris arbor bona certissime transplantanda in paradisum Dei tui.

79. Charitas verè Ethico-Christiana, D. *Zenone* præclarè sic docente præcone *hæc est, quæ rura, urbes & populos compositâ pace conservat, quæ circa Regum latera securos facit gladios, quæ bella premit, lites tollit, jura evacuat, fora compescit; odia eradicat & iras extinguit.* Si praxin & exercitium illius à tanto præcone requiris: *non quenquam*, inquit, *pro personâ diligit, quia adulari nescit: non pro honore, quia ambitiosa non est: non pro sexu, quia illi unus & ambo: non pro tempore, quia varia non est. Non æmulatur, quia invidia quid sit, ignorat: non inflatur, quia humilitatem colit: non malum cogitat, quia simplex est: non irascitur, quia etiam injurias libenter amplectitur: non fallit, quia fidem ipsa custodit: non ullâ re indiget, quia ei præter quod est, nihil est necessarium.* Quibus demum addit: *Nihil est prorsus, quod sine hac gratum, pacificum, securum, fidele, perfectum sit. O Charitas! quàm pia & opulenta! O quam potens! nihil habet, qui te non habet.*

80. Duos severos circumferimus tortores: in bonis & prosperis Timorem, in adversis dolorem. Imperetur æquitas animo & portare valemus utrumque. Quod æquum est; fiet: cur ergo times? quod æquum est; pati debes: cur ergo doles? Æquissima est divina voluntas: tantum tibi accidit, quantum illa permiserit.

81. Voluntas divina principium, medium & finis esse debet nostræ voluntatis. Quidquid cum illâ facis, bonum est, neque potes velle aut facere quid melius. Adversa convertit in prospera, mala transformat in bona. Errat, qui eam adimplere renuit, & qui sufferre non cupit, se perditum it. Optimum in adversis solatium tuum esse debet ab illo sic ista ordinari, qui nequit malefacere. Si quid perdas, non affligaris: nemo perdit, quantùm perdere potuit, nisi qui malâ morte defungitur. Jungere itaq; Deo, & glorificâ illum libenter tolerando, quæ jubet: quod si & gratias referas, plus agis, quàm si egisses maxima.

82. Successum rerum nihil ita fortunat ac præcedens consilium. Magni nihil præcipitandum. Timeas periculum ubi ruinæ vides indiculum. Facilè fallit eventus qui fortunæ committitur. Præstat tuta timere, quàm de incertis præsumere. Neglectus, incuria & nimia prævidentia scaturigines sunt omnis infortunii.

84. Inter principia bene formandæ Reipublicæ sit moderatio luxûs; ex hoc tanquam ex scaturigine promanat omnis mali proclivitas tàm Principe indigna, quàm infesta populo. Scito maximas opes non tam accipiendo, quàm non prodigendo colligi. Occasui proxima est Respublica, quæ omnem permittit licentiam & intemperantiam, nec ullam hic adhibet vigilantiam.

85. Plerumque mutabilitas mentis infirmitas est dementis, solet errare, qui nescit constare. *Talis est animus Sapientis*, ajebat *Seneca epist. 60. qualis est Mundi status supra Lunam: semper enim illic serenum est.* Ita qui supra Lunæ mutabilitatem emergit, serenâ mente semper constat: prius enim quàm aliud agat, perpendit Sapiens quid agat, ne mutare mentem debeat, cum egisse pœnitet.

86. Fama non est præferenda Conscientiæ: illa vulgi annutum & applausum quærit; hæc solam innocentiam. Non refert quis videaris, sed quis Deo & Conscientiâ attestante sis. *Non es sanctior*, inquit bene *Thomas Kempensis lib. 2. de imit. Christi cap. 6. num. 3. si laudaris, nec vilior si vituperaris. Quod es, hoc es, nec major dici vales*; quàm *Deo teste sis.*

87. Mediocritas, ut ait *Cicero 1. offic.* in omnibus rebus optima. Unde ad omnem usum cultumque vitæ referendam, *docet Idem.* Mediocritas optima rerum moderatrix securior semper est à periculis, & liberior à damnis. *Medium tenuere beati. Medio tutissimus ibis:* Veteres clamant Poetæ. Nimia omnia, ut *Plutarchus in Pæmulo* docet, nimium exhibent negotium hominibus ex sese. Hinc & præclarè *Horatius carm. 10. l. 2.*

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ.

88. Æmulatio virtutis cos est: excitabitur alter ab altero, ne carpi possit ab æmulo. *Ovidius 3. Art.*

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit
Cum quos prætereat, quosque sequatur, habet.

Æmulationem *Aristoteles lib. 2. Rhetor.* bonam enuntiavit, & bonorum virorum, sicut invidiam malam & malorum virorum. *Idem* etiam *Rhetor. 1.* æmulabilia dicit, quæ aliis utilitatem afferunt & virtutes, & quæ beneficium afferre possunt, quibus frui proximi possunt.

89. Bombilius homo olim adagio dicebatur Arrogans. Turpe sane & audax est vitium, ultrà se & peram suam sapere. Unde quis audet seipsum exaltare, constanter jactare, magnifica omnia exclamare, sua omnia peramplè plenis buccis deprædicare, multa polliceri & nihil servare, maxima ostentare & nihil præstare, benefacta aliena sibi arrogare, sibi adjudicare sibi vendicare. O bardum & stolidum hominem! *Laudet te alienus, non os tuum: Extraneus & non labia tua*: hortatur Sapiens *Proverb. 27.* Mirabile jactantiæ genus, inquit, *S. Bernardus serm. 1. supra Cant.* ut non possis putari sanctus, nisi sceleratus appareas. Acutè *Plautus in Epidico.*

Stultus est qui facta infecta facere verbis postulat.

90. Ingrato homini toti mundo exoso sicut nemo cupit benefacere: ita grato tantò libentiùs quisque confert beneficia, quantò ea demissiùs accipit, humiliùs agnoscit, & debitas pro his grates rependit citiùs, attendens illos versus:

Gratia debetur pro munere si cito detur:
Sed si tardetur non gratum munus habetur.

91. In hoc unum eant dies, in hoc noctes: hoc opus tuum sit, hæc cogitatio imponere veteribus malis finem. Præclarè sic monet *Seneca epist. 62. Id age, ut tibi instar totius vitæ sit dies, nec te tanquam ultimum rapiat; sed sic illum aspice tanquam esse etiam ultimus possit. Ante senectutem cura ut benè vivas; in senectute ut bene moriaris.*

92. In ea prô dolor! incidimus tempora, quibus difficillimum est inter corruptissimos mores bene adhuc moratum aliquando mori posse. Si optimè perlustremus status omnes, advertimus, quæ nos circumstent pericula, quantum malorum circà nos versetur: aspicimus quàm nullum sit nefas sine exemplo, quæ sub libertate ad prava sit licentia; quantùm quotidie nequitia proficiat, quantùm publicè privatimque peccetur, ut satis ferè consequamur, si inter pessimos non habeamur. Stude libertatem animi veram cum bona conscientiâ semper habere. Quæris, quæ sit ista? Respondet Romanus Sapiens *epist. 76. non homines timere, non Deos: non turpia velle nec nimia; in seipsum habere maximam potestatem. Inæstimabile bonum est, suum fieri.*

93. Omnis in unione firmitas & stabilitas est. Tamdiu res aliqua firma & stabilis est, quamdiu una est. Optime navigatur cum pariter remus trahitur. Optimè cantatur, cum ad diversas chordas diversæ voces concordantur. Optima in humano corpore viget sanitas, cum diversorum humorum valet contemperies. Hinc *Plutarchus* dicebat: *ut in corpore ex humidi, frigidi, calidi & sicci temperaturâ optima sit constitutio, sic & ex fratrum concordiâ maximè floret genus humanum.* Funiculus unus non trahit, non elevat, non sustinet pondus: cum plures simul junguntur & in unum funem colliguntur; trahunt, elevant, sustinent pondus maximum. Ita Respublica, ita exercitus, ita familia optimè consistunt, cum in unum conveniunt, & quid unum fiunt: juxta vetus axioma. *Vis unita fortior.*

94. Qua-

94. Qualitatis veræ tenor permanet, falsa non durant, inquit *Seneca epist.* 121. Maximum indicium est malæ mentis fluctuatio, ut inter similitudinum virtutis, morumque utilium jactatio. Quod semel benè & prudenter constitutum est, facilè mutari non debet. Non vagatur, ut iterum *Seneca epist 35.* quod est fixum & fundatum. Rectè idcircò & *Socrates apud Stobæum serm.* 1. *de prudentia*, ut statua basi, ita vir bonus instituto innixus honesto nullatenus dimoveri debet.

95. Æquo animo excipienda sunt necessaria: quæ declinare non vales, audacter excipie, constanter & fortiter suffer & sustine. Cogita laborem & dolorem in adversis, si possit tolerari, levem esse, si non possit esse brevem. *Nemo enim*, inquit *Seneca*, *valdè potest dolere & diu.* Sicut palma cùm gravatur, elevatur; ita constantia, dum conculcatur, gloriosius exaltatur. Qui constanter sempiternis bonis frui desiderat, oportet ut constanter & semper bonus permaneat. Equidem ut ille canit:

Sola refert palmam Constantia, sola triumphat
Jugiter & nostrum sola coronat opus.

96. Non quæ, sed quemadmodum adversa feras, interest. Ut inter exercitandum non quid perferas, sed quo animo, sed quâ virtute, quâ patientiâ feras, attenditur. Ita omnes adversitates, exercitationes puta. Omnia in bonum vertit bonus, nec contristabit justum, quidquid acciderit. Tunc apparebit, in te quanta virtus fuerit, quantùmque valuerit, cum quid potueris patientiâ, ostenderis.

97. Anima cùm animat, amat: non est sine amore anima. Non potest autem quid amare, cui non adhæreat. Si mundo adhæreat, non erit munda; si deliciis & divitiis, non erit sine vitiis; si homini fallaci, innitetur arundini. Cui igitur melius adhærere poterit, quàm illi, quod adhærenti est optimum, eumque reddit beatissimum, Hoc est, optimum. Hoc autem confert & præstat solus Deus infinitè bonus, imò optimus: cui certè, ut expertus est Rex Jessæus, adhærere bonum est, & in eo ponere spem suam est optimum. Itaque adhære bono, ut tibi benè sit, adhære optimo, ut sit optimè. Ad illum tuus te trahat amor, quem amare, summa est felicitas, cui adhærère quietam, veram & æternam parit lætitiam.

98. Non est animus magnus & generosus, qui facilè commovetur injuriis. Vel enim, qui læsit te potentior, vel imbecillior erit: Si imbecillior, parce illi: Si potentior, tibi. Non expedit statim omnia videre, omnia audire, omnia scire, omnia credere. Multæ nos inscios & incurios transeunt injuriæ, ex quibus plerasque non sentiet, quinesciet. Non vis esse inquietus, non sis curiosus: qui enim curiosè inquirit, quid de se loquantur homines, ille seipsum inquietat & turbat.

99. Qumdiu vivimus, tamdiu morimur. Imò antiquo Romano Sapiente docente *epist.* 24. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ & nunc quoque cùm crescimus, vita decrescit. Ideò vivimus, ut aliquando moriamus, & ideo morimur, ut æternùm vivamus. Malè vivunt, qui semper vivere incipiunt, ut Idem ait *epist.* 23. quia semper illis imperfecta vita. Non potest autem stare paratus ad mortem, qui non incipit vivere. Id agendum est, ut satis vixerimus. Moriantur ante nos vitia nostra. Cogitemus mortalia omnia esse & incerta. Legem mortali hodie fieri potest quidquid unquam potest. Benè moritur, quisquis moritur dum lucrum facit. Excutienda vitæ cupido est dicendumque nihil interesse quandò patiamur, quandoque patiendum est. Quàm bene vivamus refert, non quamdiu.

100. Qui prudens est & temperans est: qui temperans & constans est: qui constans est & imperturbatus est: qui imperturbatus est, sine tristitia est, qui sine tristitia est, beatus est. Ergo prudens beatus est. Ita *Seneca epist.* 86. Et quia, ut inquit *Aristoteles* 6. *Ethic. cap.* 12. non potest quisquam, qui non idem bonus sit, prudens esse. Præclarè verò rursus *Seneca epist.* 80. ad quæstionem? quid tibi opus est, ut sis bonus? cùm respondeat, Velle. Ergo à voluntate tuâ dependet, ut sis bonus, ut sis prudens, ut sis beatus. Finis ergo tuus cùm sit beatitudo, benè proinde ad hunc ipsum finem assequendum observa, quod paucis ita declamat Poëta:

Quidquid agis, prudenter agas, & respice Finem.

EPILOGUS,
SIVE TOTIUS OPERIS CONCLUSIO.

PErlustratâ tandem totius Mundi Mirabilis Oeconomiâ, visoque hoc vasto ter Magni Opificis opere, quo, ut *Lactantius lib.1. de ira Dei cap.10.* ait, *nihil potest esse nec dispositus ad ordinem, nec aptiùs ad utilitatem, nec ordinatiùs ad pulchritudinem, nec majus ad molem:* super esse nunc videtur, ut è speculâ Nostrâ sublatis paulò altius mentis oculis ad supremæ divinitatis speculum tanquam verum Panscopium rerum Universitatis in eodem Hyperaspisten, & Architectum eorum omnium Notabilium & Mirabilium, quæ toto hoc opere sagaci indagine conquisivimus, intueamur, contemplemur & veneremur. Utpotè qui verè nos delectat in facturâ suâ, & in operibus manuum suarum exultamus, ita ut cum maximo cordis Jubilo exclamare cum Regio Psalte possimus: *Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ: Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. ps.91.v.6. & 7.*

Quis enim tam vecors? quis tam insanæ mentis? quis tam improbis imbutus moribus, ut dum ingentes illos arcanorũ recessus, abditos illos Naturæ partus, summa illa rerum à Summo Deo conditarum miracula perpendit; non continuò admiretur opificem, & in ejus confestim, non dicam, ducatur, sed rapiatur amorem, qui ex purissimo in nos, & genus nostrum amore hæc ipsa ex profundissima nullitatis, ac nihili abysso in clarissimam lucem existentiæ benignissimus Author produxit? Ita certè ex veri Sapientis consilio *Sap.13 v.5. à magnitudine speciei, & creaturæ poterit cognoscibiliter horum Creator cognosci.* Ita magnus ille Gentium Doctor *Rom.1.v.20. invisibilia ipsius* (Dei) *á creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellectu* conspici præclarè docet. Ita ex Gentilibus Philosophis divinus *Plato in Sympos.* ex pulchritudine rerum pulchritudinem quandam admirandam Divinitatis cerni studiosè decernit. Quin & *Hermes* ille *Trismegistus* Mundum librum esse Divinitatis, & speculum divinorum edixit, in quo nimirum Deus seipsum quasi *Apelles* summus clarè expressit & depinxit. In hoc libro pervolvendo egregiè studuit eremi cultor, Ascetarum multorum Parens, & Magister *Antonius*, qui idcircò etiàm cùm aliquandò de suis libris à Philosopho quodam rogaretur, ingenuè respondit: *Meus liber, ô Philosphe! est Natura rerum à Deo conditarum, quæ quotiescunque mihi libuerit, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat.*

Agnovit similia, docuique Celeberrimus ille Cytharœdus poëtarum commento non undiquaque inscito sylvarum, saxorum, ferarùmque tractor *Orpheus*, cùm dixit: Mundi machinam esse Musicam, & admirabilem consonantiam prædicantem, & laudantem Deum, conformiter alteri sanctori Cytharœdo psallenti: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus enuntiat firmamentum. ps.18.v.1.* Hinc & à *S. Athanasio orat. contra Idola,* & *S. Augustino lib.10. Conf. cap.6.* Mundus dictus est lyra, suavem edens divinæ providentiæ sonum; cujus Lyricen vel Cytharœdus esset ipse Deus. Atq; hæc ista testimonia quid aliud probare videntur, quàm ex rerum naturalium inspectione nihil nos magis perspicere posse, quàm maximam Dei Conditoris Bonitatem, potentiam, majestatem & gloriam.

Quæ ipsa seriò perpendens *S. Prosper lib.2. de vocat. Gent. cap.1.* appositè quærit: *Quod est testimonium, quod semper Domino deservit, nisi ipsa totius Mundi inenarrabilis pulchritudo & ordinata largitio? per quam humanis cordibus quædam legis æternæ tabulæ præbebuntur, ut in paginis elementorum, & voluminibus temporum communis, & publica divinæ institutionis doctrina largiretur.* Ideò præclarè monet *S. Augustinus in Psalm. 26.* ajens: *Circumeat animus tuus per universam creaturam: undique tibi clamabit Creatura; Deus me facit. Quidquid te delectaverit in arte, Artificem commendat, magisque si circumeas universa, consideratio concipit Artificis laudem. Vides cœlos; magna Opera Dei sunt. Vides terram; Deus fecit semina innumera, diversitates germinum, multitudinem animalium: circui adhuc cœlos usque ad terram, nihil relinquas: Undique tibi omnia resonant Conditorem. Et ipsæ species creaturarum voces sunt quædam Creatorem laudantium.*

Exclamat tandem Idem ſanctiſſimus Præſul *lib.10. Conf. cap.6. Cœlum & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt, ut Te amem: nec ceſſant dicere omnibus, ut ſint inexcuſabiles.*

Sicut autem S. Scripturæ eloquio *Prov.16.v 4. Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: ita principalis Dei ter Opt. Maximi in conſtituendo Mundi opificio, & tam mirabilium in eodem productione finis eximius fuiſſe cenſetur primò Gloria Conditoris; deinde Terrenus globus, in quo genus humanum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam erat conditurus. *Fruſtra* enim, ait *Kircherus Itin. Extat. 1. dial 2. cap. 1. corporeus Mundus conditus videbatur, ſi non eſſet rationalis creatura corporea, quæ operum divinorum potentiam & Majeſtatem aſpiceret, aſpiciendo admiraretur, tantæque potentiæ Opificem admirando inquireret, acquiſitum amaret, atque eo tandem perpetuò frueretur.* Hinc itaque patet, quod ſicut Urano-coſmus cum igneis ſuis corporibus & globis lucidiſſimis Atmo-coſmo, & hoc mediante & adjuvante infimo globo terreno, ſeu Geo-coſmo quidquid habet virium & poteſtatis in perpetuum uſum commodumque demiſsè concedere & communicare debet: ita Geo-coſmus ſeu terrenus Globus cum toto ſuo apparatu humano Generi ſeſe in ſubſidium & ſervitum nunquam non intermittendum ſubmittere quoque debet. Genus verò humanum non ideò tumente faſtu ſuperbè ſeſe efferre, & jugum omne excutere, ſed caput mentemque potiùs ſupremo Conditori humiliter inclinare, eundem venerari, & pro viribus collaudare debet.

Ipſe itaque Deus ſicut eſt prima cauſa efficiens omnium, ſic & omnium eſt finis & ſcopus: Omnia enim tendunt in Dei Opt. Max. laudem, ut nempè Creatoris potentia, Majeſtas, Miſericordia, Providentia, Juſtitia & Sapientia toto orbe conſtanter, & perpetuò ab omnibus ſuis operibus collaudetur. Eſt equidem ſupremi Creatoris natura & divinitas tantæ dignitatis & Majeſtatis, ut poſcat omnia ad ſe referri: imò dos una Divinitatis propria & eſſentialis eſt, quod illa ſit ultimus rerum omnium finis, ad quem omnia collimare debent.

Quo certè fortiter & inſtanter admonemur, ut omnia noſtra ad Deum referamus, eaque propter illum operemur, ſicut Ipſe omnia operatus eſt, ac illa ipſa opera nobiſcum operatur propter ſemetipſum. Cùm ergò Deus omnia propter ſemetipſum operatur, par eſt, ut nos quoque illi coöperantes in eandem cum ipſo intentionem conſpiremus, atque omnia noſtra opera ad laudem ejus, & gloriam dirigamus eò ferventius & libentius, quò certius nobis conſtat in nullâ recreatâ perfectè nos quieſcere & votorum noſtrorum ſummam attingere poſſe. Ipſe enim Deus ſicut Finis ultimus & Scopus noſter eſt; ſic & ſola quies noſtra eſt. Sola ipſius Majeſtas cor noſtrum replere, ſola ipſius bonitas & dulcedo ſatiare poteſt Hanc enim qualemcunque capacitatem noſtram nec dignitates ullæ, nec divitiæ, nec Voluptates, neque univerſa bona creata replere poſſunt, ſed, unum tantum eſt Bonum infinitum & increatum, quod eſt ipſe Deus, illam adæquatè explere, & ſatiare, noſque fruitione ſuâ felices reddere ac beare poteſt. Idipſum agnoſcens *D. Auguſtinus lib 1. Conf. cap.1.* benè exclamat: *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Ideo Divinus Pſaltes nullo quoque creato bono cor ſuum adimpleri poſſe palàm atteſtatus eſt, niſi cùm gloriam videret ſui Conditoris: *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.*

Hæc eſt itaque Vita æterna, ut cognoſcamus te Deum verum! hæc eſt vera beatitudo, ut te videamus infinitæ potentiæ, Majaſtetis & bonitatis abyſſum! Hæc eſt ſumma felicitas, ut unum videamus & in uno videamus Omnia! Hæc eſt Votorum noſtrorum tanquillitas in uno bono, ut videamus quidquid volumus, non videamus, quidquid nolumus! Hoc verum eſt Panſcopium in compendio unicâ viſione complexum exhibens rerum omnium, in quo Unico, inquam, complexu ipſum Naturæ conditorem luce meridianâ clariùs, & in ipſo Univerſa illius opera viſione quà abſtractivâ, quà intuitivâ conſpicere valemus. Deum enim verè eſſe omnia in omnibus prædicat Doctor Gentium *ad Coloſ. cap. 3. verſ.11.* ac propter eum eſſe omnia *ad Hebr. cap.2. v.10.* In Verbo enim Eſſentiam cogita, ac in Viſione cùm matutinâ, tùm veſpertinâ videri omnia, proclamat Magnus ille Præſul Hipponenſis *Aurelius Auguſtinus lib. 20. de civit. Dei cap. 21. Quid eſt, quod neſciunt, qui ſcientem omnia ſciunt.* Docet ſanctè Sanctus Eccleſiæ Doctor *Gregorius lib. 4. dialog. cap. 33.* Idem hoc mellitiſſimè Mellifluus Abbas *Bernardus ſerm. de tripl. genere bonorum* enuntiat: *O anima, quæ naturaliter ſcire deſideras*, acclamat Seraphicus *Bonaventura ſoliloq. cap. 4. hoc ſpeculum Divinitatis videre affecta, in illo ſtudere, & legere deſidera: quia hoc ſemel vidiſſe, eſt omnia didiciſſe.* O igitur beata viſio! exclamat *S. Bernardus lib. 4. Medit.* videre Deum in ſeipſo, videre in nobis, & nos in eo felici jucunditate & jucundâ felicitate. Hæc viſio & delectatio totum cor hominis implens, & ſatians tota erit illius beatitudinis conſummatio. Finio & ſuperatis tantis laborum tædiis totius Operis Epitomen paucis tandem complectens Verſibus Lector lætus accino.


Quis-



Quisquis ades Speculæ spectator, suspice quo vis:
Abdita Naturæ maxima comperies.
Hæc κόσμου *& magni, quo claudimur undique, cœli*
Ex æquo rarâ denotat arte scopum.
Signat submersi Phaëtontis inhospita Ponti
Atque resurgentis Solis in ungue loca.
Lampade conspicuum Lunari pingit Olympum,
Stelligeras mirè volvit in axe faces.
Indigitat digito qui detonet horrida justus
Heu! nimiis hominum spicula justa Deus
Concussus noxis. Cœlestes instruit orbes,
Quæ vis pervigili sidera lege gyrat
Phœbifer orbitulis, ubi sol flammantibus exit,
Qualiter hinc agros Torrida Zona premat?
Qualiter econtrà condenset frigida tellus
Climata? quî gravibus nubibus imber eat?
Qualiter à ventis feriantur obalta Trionum
Culmina? qui radians procrëet iris aquas?
Et quæ sit ratio, quod ab uno fonte ferantur
Tot species, pluviæ, grando, pruina, nives?
Quî Zephyrus tepeat, Notus ardeat, Eurus adurat?
Quo Meteororum turbine flabra ruant?
Quomodò Horizontem Titan collustret Utrumque
Aptè interpositis suetus adesse moris;
Qualiter Æolicos ventorum turbo susurros
Concitet occiduus? Quam Geocosmus agat
Progeniem rerum miram? Cur noctis opacæ
Plus madeant tenebræ, quàm radiosa dies?
Quis sit siderei specialis horoscopus orbis,
Quod generetur homo prospera quæque videns?
Hic cur sustineat casus constanter iniquos,
Cur subito Cyrus, qui modò Crœsus erat?
Quid sit in axe poli? quid Circulus Arcticus? astra
Utrum sint, vel non symbola, seu paria?
Quid Tropicus Cancri, quid sit Tropicus Capricorni?
Sit quis & Arcturi, Solstitiique modus?
Quomodo nunc rectus vasto fit in æquore fluxus?
Nunc refluis remeet cursibus unda maris?
Qualiter agresti culmo vegetetur arundo?
Quâ vitâ spirent herbula, planta, lapis?
Quomodò communes habeant animalia sensus
Effera nobiscum? qualiter ambra viret?
Futilis immensos quos condat Terra thesauros?
Totam quid circà sit Micro-cosmus homo
Naturam? Quod homo solùm sit in ordine finis
Hujus formatus, scandat ut astra, suum
Spectando Dominum cœlique, solique Tonantem
Illic æternum cœlica castra tenens?
Huncagedum tu prênde librum; nam scire volenti
Omnia quæ fata sunt, singula ritè dabit.
Verùm magna licet, tamen est constricta Voluptas
Numinis intuitu nube tegente frui.
Hinc mihi mens ad Te stimulante cupidine flagrat
Sollicitans faciem leta videre tuam.
Tu mihi Terra Deus, mihi Tu Mare, tu Mihi cœlum,
Denique cunctâ mihi es: Te sine cuncta nihil.
O igitur Te quandò Deus sine nube videbo!
O oculis quandò percipiêre meis!
Postquam nempè Deus Te videro, cuncta videbo
O desideriis meta suprema meis!

FINIS.

sIt LaVs, honor & gLorIa
VnI trInoqVe Deo
In
VnIVersIs MIrabILIbVs sVIs.



INDEX

Rerum notabilium & mirabilium Tomi III.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Infantes

L.

M.

N.

Serpen-



ERRATA

In Tomo III. ita ſunt corrigenda. Primus numerus paginam, ſecundus columnam, tertius lineam denotat.

Pag.	Col.	Lin.	
7	1	9	Und lethiferum, lege unde lethiferum.
7	1	41	Obſervationes nobiliores. l. notabiliores.
8	1	7	Intimæquè. l. intimequè.
8	2	20	His tribuit gradus. l. hos tribuit gradus.
8	2	34	Siniſtro laterere. l. ſiniſtro latere.
8	2	39	Anre plenam. l. ante plenam.
8	2	55	Fœtus pendeat. l. fœtus pendet.
9	2	50	Æſtatem duxiſſe. l. ætatem duxiſſe.
10	2	4	Vivicam acquirit. l. vivificam acquirit.
11	2	1	Sympathicæ movet, l. ſympathicè movet.
11	2	24	Projectis. l. projectus.
12	1	33	Quiccam. l. quicquam.
22	0	51	Differentiam membrorum, l. differentium membrorum.
29	0	6	Dexro, l dextro.
30	2	11	Removent cum infantes advertiſſens. l. removens cum infantes advertiſſet.
31	1	39	Animalculum hæc, l. animalcula hæc.
31	2	60	Saguntum delata eſt. l. Saguntus deleta eſt.
33	2	51	Pecrliare eſt. l. peculiare eſt.
34	2	5	Sanguinem vehente l. ſanguinem vehentes.
34	2	9	Nervus & vas. l. nervus eſt vas.
34	2	32	Quanditate. l. quantitate.
38	1	7	Digitos. l. digitus.
40	2	39	Corpus tabulatum l. corpus tubulatum.
40	2	50	Apellata. l. appellata.
41	2	17	Hanc ut plurimum. l. hunc ut plurimum.
42	2	20	E contrarci. l. è contrario.
44	2	28	Sortiunculam. l. Portiunculam.
45	1	13	Compertum eſt per Anatomiſtas. l. compertum per Anatomiſtas.
45	1	16	Qui tractus ſi cuncta. l. qui tractus ſic cuncta.
45	1	25	Jejunis exhibutus. l. jejunis exhibitus.
45	1	27	In homines. l. in homine.
45	2	7	Homiuis pinguedo, l. hominis pinguedo.
47	1	23	Proceriori. l. procerioris.
56	0	18	In Tabula ubi vox firma, dulcis querula l. garrula.
57	0	antep.	Virtus in vultu. l. virtus & in vultu.
58	1	15	Audaces magnanimi. l. Audacis magnanimi.
58	2	1	Palpebræ papillæ, lege puſillæ.
61	1	17	Mallæi. l. mallei.
61	2	61	Optimi audituis. lege auditus.
62	1	6	Venoſa, humida. l. venoſa tumida.
62	1	51	Anathelitus. l. Anhelitus.
62	1	58	Temporæ depilia. l. tempora depilia.
62	2	19	Caparata. l. caperata.
63	0	58	Puſilli & ſtrangulantes. lege puſillæ & ſtrangulantes.
63	0	63	Venter verò eſt contra. lege venter è contra.
67	2	6	Monſtroſus l. monſtroſis.
69	2	4	Jacent. l. jaceant.
69	2	22	Varios adores. l. varios odores.
69	2	56	Memoraro Majolo. l. memorante Majolo.
71	1	42	Devilia. l. depilia.

Pag	Col.	Lin.	
71	2	11	Incolus prodidit. l. incolas prodidit.
72	2	33	E viris. l. è vivis.
75	2	67	Novus iterum Schedes. leg. novas iterum Schedas.
78	1	32	Singulas manus. l. in ſingulas manus.
81	1	46	Libricorum ſtipiti. l. lubricorum ſtipitum.
81	1	61	Ut integrum diem. l. ut per integrum diem.
82	1	48	Tituvabit. l. titubavit.
85	1	3	Sextum conſolatum. l. ſextum conſulatum.
85	2	41	Ex ipſa ſuſtuliſſe libros. l. ex ipſa ſuſtuliſſe liberos.
85	2	54	Hiſpaniæ urbe. l. In Hiſpaniæ urbe.
87	1	26	Magis ſe ſint. l. magis ſetoſi.
87	1	28	Simul fiat. l. ſimul ſint.
87	1	38	Cutu & capillis. l. cute & capillis.
87	2	24	Natura congruorum. l. naturæ congruorum.
88	1	32	Purus ſive acrimonia. l. purus ſine acrimonia.
88	1	41	Abſynhii. l. abſynthii.
96	2	40	Nutrimentum appetant. l. nutrimentum appetunt.
97	2	28	Alimentoquè. l. alimento quo.
101	2	13	Tabo vermibus que. l. tabe vermibusque.
102	1	50	Previter l. breviter.
102	2	23	Quodam diatheſis. l. quædam diatheſis.
102	2	27	Bile depravata laborantes. l. à bile depravata laborantibus.
102	2	32	Generales tamen cauſa. l. generalis tamen cauſa.
102	2	38	Neroſas partes. l. nervoſas partes.
103	1	31	Symptona. l. ſymptoma.
106	2	25	Cum decoro. l. cum decore.
107	1	23	Urceum aliquot continens menſuras. l. urceum aliquot continentem menſuras.
107	1	52	Juſto tempere. lege juſto tempore.
109	1	23	Contingit. l. contigit.
110	1	35	Populus. l. populum.
110	1	49	Occiderint. l. occiderit.
115	1	47	Tenuiſſe videtur. l. traxiſſe videtur.
115	2	56	Ipſi præſtante. l. ipſi præſtandæ.
116	2	11	Regulari convehant. lege regulariter convehant.
117	2	11	Coſtitit. l. conſiſtit.
117	2	26	Affectionem parvam. l. affectionem pravam.
120	1	2	Oxouii. l. Oxonii.
120	1	54	Abſtinentiæ dedimus. l. abſtinentiæ exempla dedimus.
122	2	37	Attigi non valet. l. attingi non valet.
125	1	9	Recipere & in omnem. l. recipere valet ſpecies & in omnem.
125	2	22	Oculi dant ortum l. oculi dat ortum.
126	1	36	Modus, quies. l. motus, quies.
126	2	48	Videndi feculias l facultas.
127	1	9	Ocul. Act. l. Ocul. Art.
127	1	49	Quod vehitur. l. quo vehitur.
129	1	3	Immenſæ. l. immerſæ.
129	1	30	Fel grunum. l. ſel gruum.

In tabula Ophthalmo-Scopica pag. 130. colum. 11. Pupillæ lætæ. l. latæ.

Colum. ult. Phlegmati abundantiam. l. Phlegmatis abundantiam.

Ibidem

Pag.	Col.	Lin.	
Ibidem.			Ab ægritudine & reconvaleſcentiam. l. ab ægritudine ad reconvaleſcentiam.
132	1	25	Plurimum atterant. l. plurimum atterunt.
133	2	21	Communicanter. l. communicantur.
134	1	10	Homini l. hominis.
135	1	36	Affirmatium. l. affirmantium.
136	1	34	Reſtituantur. l. reſtituatur.
141	2	30	Prima inventa. l. prima juventa.
145	2	18	Cum declamaret. l. cum declamarent.
147	1	lin. penult.	Expiandorum gratia. lege expiandorum homicidiorum gratia.
147	2	52	Emetiretur. l. emetirentur.
149	2	12	Servor conijciebat. l. ſervos conijciebat.
150	2	39	Convocavi. l. convocavit.
150	2	42	Ebreios. l. ebrios.
150	2	46	Ferinam. l. ferinum.
150	2	57	In ponlam. l. in ſponſam.
151	2	41	Cacheticus. l. Cachecticus.
152	1	14	Paſſi ubivis. l. paſſim ubivis.
152	2	32	Imaginationis eſt. l. imaginationis effectus eſt.
159	2	46	Phantaſiæ affectus. l. phantaſiæ effectus.
160	1	43	In Chartula præſcripſit & ſubito parturienti potandam. l. in chartula ſubito parturienti potandam præſcripſit.
166	1	16	Nunc niverſo l. nunc diverſo.
168	2	45	In aqa. l. in aqua.
169	1	46	Externa frigidita. l. externa frigiditas.
170	1	21	Ditavit libros. l. dictavit libros.
170	2	47	Supra ultimo. l. ſuprà ultimos.
171	1	27	Feliciter teaci. l. feliciter tenaci.
176	2	lin. penult.	Comperiantur. l. comperiuntur.
179	1	13	aud Lacædæmonios. l. apud Lacedæmonios.
180	2	22	Redimentis. l. rudimentis.
182	1	7	Conſideradionem. l. conſiderationem.
185	2	19	Fartunæ caſus. l. fortunæ caſus.
187	2	29	Ciens motum. l. cient motum.
189	2	35	Ex viſceribus l. in viſceribus.
191	2	25	Nocturno viſo. l. nocturno viſu.
192	1	12	Aſiæ montet. l. Aſiæ montes.
192	2	16	Sib per quietem. l. ſibi per quietem.
193	1	41	Principium volendi. lege principium cognoſcendi ſicut voluntas eſt immediatum principium volendi.
196	2	23	Contagio quædam. l. contagio quodam.
197	2	37	Caput calefit. l. caput calefiat.
198	2	62	Terticum. l. tetricum.
200	2	43	Atheænus. l. Athenæus.
204	4	11	Juveneus. l. Juvencus.
205	2	19	Abas. l. Abbas.
207	4	8	Vidad. l. vida.
209	1	13	Ialicam, Callicam. l. Italicam, Gallicam.
209	2	lin. penult.	Ultera. l. ultra.
217	2	3	Voluntairum. l. voluntarium.
217	2	62	Si poſſeſt. l. ſi poſſet.
217	2	64	Hinc non dicit volo. l. hinc non dicit nolo.
219	1	37	Sicut credere & ſperare. l. ſicut credere, amare, & ſperare.
219	2	4	Reſpendent l. reſpondent.
219	2	52	Habentis. l. habetis.
222	1	5	Et plaulinum. l. & paulinum.
235	2	24	Laboret. l. laborat.
237	2	23	Petrus Blauſenſis. l. Bleſenſis.
238	2	28	Metuenda facias. l. metuenda ne facias.
239	1	2	Ut quæritur ille. l. ut queritur ille.
245	1	4	Inter ſimilitudinum. l. inter ſimilitudinem.
245	2	23	Moriamus. l moriamur.
246	0	5	Dispoſitus. l. diſpoſitius.
246	0	37	Docuique. l. docuitque.
247	0	lin. penult.	Lector lætus accino. l. Lectori lætus accino.



